BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
9/ L
10

Digitized by Google

Digitized by Google

# COLLATIO
# TOTIVS THEOLOGIÆ
## INTER MAIORES NOSTROS,
## F. ALEXANDRVM ALENSEM
PATRIARCHAM THEOLOGORVM,

DOCTOREM IRREFRAGABILEM,

## SANCTVM BONAVENTVRAM
DOCTOREM SERAPHICVM,

## F. IOANNEM DVNS-SCOTVM
DOCTOREM SVBTILEM.

Ad Mentem S. AVGVSTINI : ſub Magiſterio CHRISTI; interiore, per Gratiam; exteriore, per ECCLESIAM.

TOMVS II.




*Per* F. MATTHIAM HAVZEVR, *Theologum Franciſcanum, Prouinciæ Flandriæ FF. Min. Recollectorum.*

*Typis eiuſdem Prouinciæ.*

In Conuentu LEODIENSI, & NAMVRCENSI. 1652.

Priuilegium Cæſareum.

Facultates Superiorum.

Ordinarij Leodienſis.

Ordinarij Namurcenſis.

Miniſtri Generalis.

Commiſſarij Nationalis.

Vicarij Prouincialis.

Præfatio ad Lectores.

Varij Indices.

Vt Tomo 1.

Approbationes

Theologorum,

Hic etiam infra.

Digitized by Google

# R^{mo} IN CHRISTO PATRI
# F. PETRO MANERO,
## MINISTRO GENERALI
## TOTIVS ORDINIS SERAPHICI:
## *EX SAPIENTISSIMO S. THEOLOGIÆ*
## LECTORE IVBILATO.

VOTO *Platonis*, R^{me} Pater, *vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur. Voto* Salomonis, 3. Reg. 3. *Donum Sapientiæ omnibus alijs ad regendum præfertur. Voto totius* Ordinis Seraphici, *Miniſterium eiuſdem Generale, meritò Sapientiæ veſtræ defertur: Ordine Diuino, Angelico, Humano, Naturali, Gratuito; ex arcanis totius Theologiæ noſtræ.*

*Ordine Diuino, primæ originis* Sapientiæ Genitæ, *& ad regendum ac ſaluandum Incarnatæ, potiùs quàm* Charitatis Spiratæ. *Ordine & nomine Angelico,* Intelligentiæ, Luciſque *ſpiritualis: qua Deus primis illis diebus & operibus ſuis intellectualiter præluxit.*

*Ordine Humano, creationis* Adami ad Imaginem *intellectualem* Dei; *vt omnibus inferioribus* præeſſet, Gen. 1. *Ordine Naturali totius mundi: cui Deus præfecit Lucem, ſeu* duo Luminaria; Maius, vt præeſſet diei; Minus, vt præeſſet nocti; *vtrumq; luce potiùs, quàm calore. Eodem ordine naturali Intellectus, ad voluntatem dirigendam. Deniq; Ordine Gratuito fidei, ad ſpem & Charitatem in Deum erigendam.*

*Nec obſtat huic Ordini denominatio* Seraphim, *noſtriq;* Ordinis Seraphici, *ab igne & feruore: nec ſententia præferens affectum, intellectui. Quia nec illa denominatio, nec hæc prælatio eſt à priore, vel ad regendum potiore; ſed à fine perfectiore, vel perfectione intenſiore. Nec illa denominatio eſt ab igne materiali, obſcuro, & fumido, ſeq; ipſum proprio ardore cum ſubiecto ſuo conſumente: ſed potiùs æthereo, formaliter in ſeipſo lucente; non tamen niſi virtualiter feruente, & ardente. Vt enim illa luminaria cæleſtia huic mundo die noctuq; præſidẽtia, nullo calore intrinſeco, ſed ſola ſua luce illuminant, calefaciunt, & influunt: Sic & Lux Veritatis* omnibus præualens 3. Eſdræ 3. *ſola efficacior, conſtantior, ſimulq; ſuauior*

*eſt ad omnia, quouis feruore ſeu affectu feruente, proprioq́ impetu intrinſeco deficiente.*

*Hoc ergo ordine,* R^me^ Pater: *vt Deus Pater, ex infinita ſua Sapientia & Charitate fœcunda generat Sapientiam: cum Sapientia Genita adhuc fœcunda, ſpirat Charitatem; & per, ſeu cum vtraq́ producit omnia. Sic & eſto nobis* Pater *totius* Ordinis Seraphici: *ex plenitudine Sapientiæ & Charitatis, potiùs quàm Poteſtatis, generans in toto Ordine Sapientiam, non ſterilem, ſed fœcundam; & per eam ſpirans, ac reſpirans in omnes charitatem; non ſolùm affectiuam, ſed & bonorum operum efficacem.*

*Eſto nobis vt ſpecies viſibilis, aut ſaltem intelligibilis,* Lucis *illius* Diuinæ inacceſſibilis.

*Eſto nobis velut* Echo, & Oraculum Verbi *illius Diuini, ſeu primæ Veritatis, & Æquitatis: quod ab omnibus conſultum & inuocatum, promptis reſponſis, velut Oraculis, omnes opinionum potiùs quàm affectuum diſſenſiones, in Ordine ſiſtat ac terminet; non vſq́ ad apices, ſed ad ſubſtantiam iuris & æquitatis.*

*Eſto nobis quidam afflatus illius æternæ ſpirationis ac Charitatis: in ſuffitum totius Ordinis, odore optimæ famæ fragantis.*

*Eſto nobis, vt Sapientia incarnata: in ſe humana & naturalia patiens; noſtris autem humanis & vitioſis compatiens & medens.*

*Eſto nobis* Seraphicus: *ad finem & perfectionem Charitatis omnibus prælucens, & prælucendo incendens.*

*Eſto nobis* Luminare maius: *circulari viſitatione totum Ordinem luſtrans, illuſtrans, fouens, fœcundans, & velut obſtetricans, vſq́ ad partum & fructum omnium bonorum operum.*

*Eſto nobis primus ille* Homo *totius Ordinis, ad Imaginem Dei, & Chriſti, eiuſq́ Copiam authenticã* S. Franciſci, *formatus:* vt præſis *quaſi* piſcibus maris, volatilibus cœli, beſtijs, omnique reptili .i. *ſapientibus & inſipientibus, perfectis & imperfectis; illis quaſi volantibus; his quaſi natantibus, gradientibus, repentibus, ſeu tam variè ſub eadem profeſſione conuiuentibus.*

*Tandem à pluribus ad Vnum: vt Deus* Exod. 3. *omnes ſuos titulos concludit vnico,* QVI SVM: *Sic & nobis eſto* Qui es; *noſq́ ſimus qui ſumus, & eſſe debemus*

R^mæ^ P. veſtræ

*Humillimi & obedientiſſimi Filij, Clientes,* &c.

F. MATTHIAS HAVZEVR,

*Totaq́ Prouincia veſtra Flandriæ. FF. Min. Recol.*

Digitized by Google

# APPROBATIONES THEOLOGORVM.

HOc opus R. P. F. *MATTHIÆ HAVZEVR* ex Ordine FF. Minorum Recoll. in 2. 3. & 4. Sententiarum, diligenter & ſedulò perluſtraui: nihilq́; in eo Fidei Catholicæ aut probis moribus aduerſum reperi; imò verò totum Fidei Catholicæ obſequioſiſſimum, & Legum ac Cenſurarum Eccleſiaſticarum obſeruantiſſimum, ideoq́; luce publicâ præli beneficio digniſſimum cenſui. Tornaci, die 20. Ianuarij 1641.

MATTHIAS NAVEVS S. Theologiæ Doctor, Canonicus Theologalis Tornacenſis, & Librorum Cenſor.

---

INfraſcriptus attentè legi, & perpendi Doctrinam in 2. 3. & 4. Sententiarum, à R. P. F. *MATTHIA HAVZEVR* Lectore iubilato, nec non Prouinciæ Flandriæ FF. Minorum Recoll. Exprouinciali, ac Seniore Patre, à triginta quatuor annis meo in Pholoſophia & Theologia Profeſſore eximio, dogmaticè poſitam, Scholaſticè expoſitam, Tropologicè compoſitam. Præclarum ſanè opus: in quo nihil deprehendi ab orthodoxa fide, aut Cenſuris Eccleſiæ diuerſum, aut probatis moribus aduerſum, ac proinde cenſui prælo digniſſimum; vtpote ſingulari eruditione concinnatum, diligenti opera elaboratum, ſubtilibus conceptibus elegantiori ſtilo expreſſis refertum; ſolidis reſolutionibus, neruoſis argumentationibus, acutis reſponſionibus, ad aliquam Doctorũ noſtrorũ, *ALENSIS*, S. *BONAVENTVRÆ*, & *SCOTI* inter ſe, & cum Principe Theologorum *AVGVSTINO* concordiam, ingenioſè excogitatis compactum, ſacræ Scrip. teſtimonijs, legitimorum Conciliorum definitionibus, nec non S. *AVGVSTINI* acerrimi Eccleſiæ Propugnatoris, ſelectioribus ſententijs contextum, quibus Catholicæ veritates firmiter adſtruuntur, Nouatorum errores potenter deſtruuntur, probitatis amatores vtiliter inſtruuntur, gloria Chriſti, excellentia Virginis Matris, dignitas & fructus Venerabilis Sacramenti mirificè illuſtrantur. Actum Namurci anno Iubilæi 1650. die 5. Septemb.

F. ANTONIVS BVRON S. Theologiæ Lector Iubilatus, Prouinciæ Flandriæ FF. Minorũ Recollectorũ.



Digitized by Google

*HOc Opus in 3. & 4. Sententiarum ſtudioſè legimus, & contulimus cum Doctoribus noſtris, Irrefragabili, Seraphico, & Subtili: ſummaq; animi admiratione & voluptate, harmonicum illum concentum ſeu conciliationem ſuſpeximus, quâ hi tres maximi Doctores noſtri, ex communi opinione in multis diſſentientes, in vnam eandemq; ſententiam coaluiſſe videntur. Quibus accedens S. AVG. ſymphoniam veluti complet, ac pondere ſententiarum fœdus hoc ſacrum ſancit, & authoritate fulſit. Opus tam præclarum: vt ALENSEM à tenebroſa prolixitate ad lucidiſſimam breuitatem euoluat, S. BONAVENTVRAM ab illius Magiſtri ſui ore pendentem exhibeat, SCOTO autem ab vtroque accenſam facem præferat. Quorum Authorum ſtudio, Theologus Irrefragabilis, Seraphicus, & Subtilis euadet, omnis denique fidelis contra omnes huius temporis Hæreſes omnibus ararmis omni ex parte inſtructus.*

F. AMBROSIVS PEVPLVS.

F. BONAVENTVRA PERSAN,

*S. Theol. Lectores, in Conuentu Namurcenſi. FF. Min. Recollectorum.*

---

*NOs ſubſignati Sacræ Theologiæ Lectores, ex fideli & ſtudioſa lectione ac collatione huius operis in Librum tertium & quartum Sententiarum, cenſemus prælo digniſſimum: quia nihil continet alienum à Fide Catholica, vel bonis moribus. Sed in 3. collimat præcipuè ad maiorem Chriſti & Deiparæ Virginis gloriam: in 4. verò, ad cultum Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti: totũ autem, ad concordiam noſtrorum Authorum inter ſe, & cum B. AVGVSTINO, ſacris Concilijs, & Cenſuris Pontificijs. Datum Leodij 13. Septembris 1650.*

F. BARTHOLOMÆVS D'ASTROY.

F. CAROLVS MATTHÆI.

F. FRANCISCVS LORNIART.

*S. Theol. Lectores, in Conuentu Leodienſi FF. Minorum Recollectorum.*

INDEX

# INDEX
## ET ORDO HVIVS OPERIS,
### *In Librum 3. Sententiarum.*

A Columna 1. ad 77. Compendium *Alenſis* Parte 3. de *Chriſto Saluatore*, per Quæſtiones 82. ſubdiuiſas in plurima Membra, Articulos, & Paragraphos.

*A. Quæſt.* 1. *ad* 26. De fine Incarnationis, & Perſona *Chriſti* incarnata, duplici eius natura, Diuina, & Humana, Corpore & Anima, Vnione hypoſtatica, *Virgine Matre*, totaque perfectione humana, naturali & ſupernaturali, eſſendi, agendi, patiendi, & merendi. *Quæſt.* 6. Corrigatur vt infra *col.* 306.

*A Quæſt.* 26. *ad.* 69. De lege æterna, & Naturalibus, Moralibus, Iudicialibus, Cæremonialibus, Euangelicis; vt ſunt ſalutares, ſeu à Chriſto ad ſalutem relatæ.

*A Quæſt.* 69. *ad* 82. De Gratijs, & Virtutibus, vt Chriſtianis & ſalutaribus.

*A col.* 77. *ad* 128. Ex Supplemento eiuſdem *Alenſis* ad ſuam 3. Partem: De Virtutibus, Theologicis, & Moralibus, per Collationes 106. ſubdiuiſas in plurimos Articulos, & Quæſtiones ſub Articulis.

*A col.* 129. *ad* 176. Compendium *S. Bonauenturæ in lib.* 3. *Sent.* per varios Articulos & Quæſtiones, in ſingulas Diſtinctiones Magiſtri Sent. De *Chriſto Saluatore*, & reliquis vt ſalutaribus, collatis cum *Alenſi* ſupra.

*A col.* 177. *ad* 224. Compendium *Doctoris Subtilis in lib.* 3. *Sent.* per varias Quæſt. in ſingulas *Diſt.* de *Chriſto* quoque vt Saluatore, & reliquis ſalutaribus, collatis cum *Alenſi* & *S. Bonauentura* ſupra.

*A col.* 225. *ad* 618. Quæſtiones noſtræ viginti, in *lib.* 3. *Sent.* & Doctrinam noſtrorum Authorũ.

*QVÆSTIO* 1. *A col.* 225. *ad* 246.

*Quænam de Chriſto Fide Chriſtiana credenda & profitenda ſint?*

*Reſp.* Ex ſacra Script. *S. Auguſt.* Symbolo Nicæno, *S. Athanaſij*, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi, & Canonibus Conc. 5. Conſtant. contra varias Hæreſes relatas ex *B. Aug.* & aliunde.

*QVÆSTIO* 2. *A col.* 246. *ad* 261.

*Quomodo hæc fides Chriſtiana, ſeu de Chriſto, ratione intelligi, & credibiliter explicari poſſit?*

*Reſp.* Nullo modo hæretico: ſed omnibus modis Catholicis, ex Symbolo *Athanaſij*, *B. Aug.* & aliunde relatis, & collatis ad aliquam explicationem & intelligentiam vnionis hypoſtaticæ.

*QVÆSTIO* 3. *A col.* 261. *ad* 267.

*Quænam fuerit cauſa finalis ſine qua non fuiſſet Incarnatio Filij Dei?*

*Reſp.* Non ſola occaſio & redemptio Peccatorum: ſed priùs & potiùs maior gloria Dei & Chriſti. Ex ſacra Script. *S. Aug.* & noſtris Doctoribus: contrà opinionem, & Authoritates, ac rationes oppoſitas.

*QVÆSTIO* 4. *A col.* 267. *ad* 277.

*An ſubſiſtentia vel perſonalitas creata ſit quid poſitiuum, vel negatiuum; reale, vel morale; abſolutum, vel relatiuum; diſtinctum realiter, formaliter, moraliter, vel ſola ratione, à natura ſubſtantiali, eiuſq; ſingularitate, & exiſtentia?*

*Reſp.* Non eſt formaliter perfectio realis ipſius naturæ ſingularis: ſed ex *Alenſi* & *S. Bon.* eſt quædam dignitas moralis, & comparatiua; ex *Doctore Subtili*, eſt negatio ſeu independentia eadem cum illa dignitate morali, ſupponens totam perfectionem realem naturæ ſingularis, & perfectiorem modum naturalem exiſtendi ſubſtantialiter & totaliter, quàm accidentaliter & partialiter.

*QVÆSTIO* 5. *A col.* 277. *ad* 285.

*An plures naturæ poſſint ſimul vniri hypoſtaticè vni eidemque ſuppoſito aut Perſonæ: vel eadem pluribus ſimul Perſonis; & quæ mediatè vel immediatè vnitæ ſint in Chriſto, ſoli Perſonæ Filij, vel etiam Naturæ & Subſiſtentiæ abſolutæ Dei?*

*Reſp.* Ex *Alenſi*, *S. Bon.* & *Scoto*, omnes naturæ ſubſtantiales, partiales, & totales, poſſunt abſolutè vniri & coũniri hypoſtaticè cuilibet Perſonæ Diuinæ, vel ſubſiſtentiæ Dei abſolutæ: nullum autem accidens vniri poteſt hypoſtaticè vlli Suppoſito; nec vlla ſubſtantia finita pluribus ſimul, imò nec fortè vlli alieno Suppoſito. Sed nec plus nec minus cenſendum eſt in Chriſto hypoſtaticè vnitum: quàm quod ita pertinet ad integritatem & perfectionem ſubſtantialem, naturalem vel moralem naturæ humanæ Chriſti, vt naturaliter ſubſiſteret in propria perſona humana.

*QVÆSTIO* 6. *A col.* 285. *ad* 293.

*Quid, quanta, & quotuplex ſit vnio hypoſtatica naturæ humanæ ad Perſonam Diuinam?*

*Reſp.* Ex collatione noſtrorum Authorum, non eſt ſola aſſumptio moralis huius naturæ humanæ ad ſtatum Perſonæ Diuinæ, vel in principium quo agendi & patiendi humana, ſolo decreto Dei extrinſeco & immutabili: ſed eſt vera vnio realis & fundamentalis illius ſtatus, intrinſeca ſoli naturæ vnitæ, ad Perſo-



Digitized by Google

nam Diuinam cui *filialiter* vnitur. Non eſt tamen entitatiuè accidentalis : nec vllatenus abſoluta, ſed ſubſtantialis, & relatiua; nec vlli inhærens, aut ab vllo ſubiecto dependens, ſed ſolùm formaliter referens, vniens, & approprians naturam Perſonæ, qua ſola excipitur & perſonatur, ſeu ad quam ſolam ſubſtantialiter & perſonaliter terminatur. Qua vnione hypoſtatica, nulla poteſt eſſe perfectior, entitatiuè, terminatiuè, vnitiuè, gratuitè : nulla ſupernaturalior, ſpiritualior, ſimplicior, & indiuiſibilior in ſe, & à ſuis extremis, quantumuis partialibus, aut inter ſe diuerſis & diſtantibus, ſemper tamen eadem vnione indiuiſibili perſonaliter vnitis.

*QVÆSTIO* 7. *A col.* 293. *ad* 299.

*Quænam fuerit, aut eſſe poſſit cauſa realis, vel moralis, principalis, inſtrumentalis, vel diſpoſitiua vnionis hypoſtaticæ.*

*Reſp.* Vnio hypoſtatica eſt tam gratuita & Supernaturalis : vt ſit ſoli Deo poſſibilis; nec poſſit per vllam cauſam creatam fieri, conſeruari, augeri, minui, diſſolui, renouari, imò nec impetrari; niſi ab ipſo Chriſto, vel quoad aliquas circumſtantias extrinſecas, à *V. Maria* ſibi ipſi & ſuis præ omnibus impetratas, per gratiam, & merita Chriſti præuiſa.

*QVÆSTIO* 8. *A col.* 299. *ad* 307.

*An & quid reale vel morale fiat, ſit, & dicatur per vnionem hypoſtaticam, & communicationem Idiomatum : De Chriſto, Deo, homine, Perſona, & Natura, Diuina ac humana ?*

*Reſp.* Quæ ex vi vnionis, vel per communicationem reciprocam Idiomatum, ſeu propriorum in concreto vtriuſque naturæ totalis, non partialis Chriſti, fieri vel eſſe dicuntur : ſua veritate & proprietate eſſendi ac loquendi excedunt omnes locutiones humanas, &c.

*QVÆSTIO* 9. *A col* 307. *ad* 302.

*An B. V. Maria verè realiter, & propriè conceperit Chriſtum, vt Deum & hominem : ſitq́; Mater eius non ſolùm vt hominis, ſed etiam vt Dei; & S. Ioſeph fuerit verè maritus eius, ac Pater Chriſti.*

*Reſp.* Ex Epiſtola *Sophronij* in ſynodo 6. Ex Conc. Lateranenſi ſub *Martino* 1. & ex *S. Aug. Alenſi, Bon. Scoto.* Filiatio & Maternitas inter Chriſtum, vt Deum hominem, & *B. V. Mariam*, fuit & eſt omnibus humanis verior, proprior, realior, & perfectior : ſed coniugium, & paternitas *S. Ioſephi* fuit tantùm moraliter omnibus alijs perfectior.

*QVÆSTIO* 10. *A col.* 320. *ad* 340.

*An Chriſtus habuerit potentias, habitus, operationes, & paſſiones naturales, ac humanas.*

*Reſp.* Ex eadem Epiſtola *Sophronij*, eodem Conc. Later. & 6. Synodo generali contra *Monotheli-tas*, noſtriſque Doctoribus. Chriſtus habuit omnes perfectiones & imperfectiones communes naturæ humanæ, ex prima eius inſtitutione: exceptâ propriâ perſonalitate humana, & peccabilitate. Habuit omnes vires vegetatiuas, ſenſitiuas & rationales: earumque omnium ac ſingularum vſum liberrimum, & perfectiſſimum.

*QVÆSTIO* 11. *A col.* 340. *ad* 359.

*Quanta ſit perfectio ſupernaturalis, ſubſtantialis & accidentalis, ſpiritualis, & corporalis, potentialis, habitualis, & actualis, realis, intentionalis, & moralis, huius naturæ humanæ Chriſti.*

*Reſp.* Si non ex litera, ſaltem ex ſpiritu, ſeu expreſſa intentione noſtrorum Authorum, fuit & eſt naturaliter & ſupernaturaliter perfectiſſima omni perfectione poſſibili; ipſâque impeccabilitate, &c.

*QVÆSTIO* 12. *A col.* 359. *ad* 410.

*An, quid, quæ, & quanta ſint merita Chriſti, & noſtrâ ?*

*Reſp.* Ex ſacra Scriptura, Conc. *S. Aug.* noſtriſque Doctoribus. Chriſtus meruit omnibus & ſingulis, omnia ſalutaria, ipſamque gratiam pronobis merendi : ſed Chriſtus ex perfecta iuſtitia, & infinitè, per omnes actus vitæ ſuæ; nos non niſi ex Dei promiſſione, & participatiuè, per gratiam Chriſti, & conſenſum aliquem liberi Arb. &c.

*QVÆSTIO* 13. *A col.* 402. *ad* 411.

*Quæ, quotuplex, & quanta ſit gratia Dei per Ieſum Chriſtum ?*

*Reſp.* Ex ſacris Script. Conc. & Patribus, noſtriſque Authoribus. Quæuis gratia Dei habitualis vel actualis, poteſt dici per, vel propter Chriſtum, imò & ex eius meritis : propriè tamen, ſola gratia medicinalis naturæ corruptæ; ſed Antonomaſticè, ſola gratia abſolutè vel etiam finaliter efficax.

*QVÆSTIO* 14. *A col.* 411. *ad* 427.

*An Chriſtus vt Deus & homo, eiuſq́; ſacra humanitas, & omnia eius contenta, continentia, & repræſentantia, ſint adoranda ?*

*Reſp.* Ex ſacra Script. ſacris Conc. & Patribus, noſtriſque Doctoribus. Sunt adoranda, vel coadoranda, eadem adoratione latriæ : vel abſolutâ, vel relatiua ad ipſum Chriſtum, vt continentem, contentum, vel repræſentatum ſeu ſignificatum, &c. contra Hæreticos.

*QVÆSTIO* 15. *A col.* 427. *ad* 463.

*An B. V. Maria ſemper fuerit Sancta à primo inſtanti ſuæ Conceptionis incluſiuè : eiuſq́; non ſola virginitas, nec ſola Perſona, nec ſola Conceptio actiua, ſed & paſſiua, verè & piè colenda ſit & colatur.*

Digitized by Google

*colatur ſub titulo Immaculatæ?*

*Reſp.* Affirmatiuè: Ex ſacra Script. Conc. Patribus, Decretis ſummorum Pontificum, ſenſu & praxi communi Eccleſiæ; ſed ſtudioſiſſimè ex Doctrina *S. Auguſtini* varijs locis, vt *col.* 434. 435. *Lib. De Natura & gratia, col.* 448. 460. 461. 462. *Lib. de 5. Hæreſibus cap.* 5. ex lectione probabiliori noſtri Galatini: *Si Mater mea potuit inquinari cùm eam facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea naſcerer, &c.*

*QVÆSTIO* 16. *A col.* 463. *ad* 487.

*De Iuſtificatione noſtra per gratiam, & virtutes Chriſtianas. An ſint quædam gratiæ & virtutes habituales, vel ſolùm actuales, naturales vel ſupernaturales, morales vel Theologicæ, à ſolo Deo infuſæ, vel per gratiam Dei acquiſitæ, iuſtificantes realiter, vel ſolum moraliter, actiuè, formaliter vel diſpoſitiuè?*

*Reſp.* Eſt de fide, eſſe gratiam, & virtutes inhærentes ac permanentes, per ſe infuſas, & ſupernaturales, inter ſe realiter differentes, & formaliter iuſtificantes: non tamen eſt de fide, ſed probabilius eſſe propriè habituales, nonniſi tres Theologicas; non omnes à gratia ſanctificante, ſed inter ſe realiter differre; nec ex ſe completè, ſed per aliquam gratuitam Dei acceptationem iuſtificare.

*QVÆSTIO* 17. *A col.* 487. *ad* 560.

De Fide. *An & quæ ſit fides ad ſalutem neceſſaria, quæ eius certa motiua exteriora & interiora, qui eius actus & effectus proprij: An illa ſint ſacra Scriptura, Eccleſia, Traditiones, Definitiones Conciliorum, & Papales; hi autem ſint ipſa iuſtificatio formalis, vel ad eam diſpoſitio, & actus infallibilis credendi?*

*Reſp.* Ad hæc omnia, affirmatiuè: deferendo plurimùm Eccleſiæ Romanæ, eiuſque ſedi Apoſtolicæ, contra omnes hæreſes & ſchiſmata.

*QVÆSTIO* 18. *A col.* 560. *ad* 567.

De Spe. *Quid ſit, quod eius obiectum, materiale, & formale: qui eius actus & effectus, proprij, vel oppoſiti?*

*Reſp. Col.* 562. 563. De eius obiecto materiali & formali, *Quod, Quo,* ſub *Quo*: deque eius actibus & effectibus formalibus & cauſalibus, elicitis & imperatis.

*QVÆSTIO* 19. *A col.* 567. *ad* 605.

De Charitate. *An, quid, quotuplex: quod eius obiectum, materiale, formale; qui eius effectus, defectus, & vitia oppoſita.*

*Reſp.* Ad hæc omnia, *col.* 590. 591. Ex ſacra Script. Conc. Cenſuris *Pij* 5. Patribus; ſed præ omnibus ex *SS. Auguſtino, & Bernardo,* noſtriſque Doctoribus.

*QVÆSTIO* 20. *A col.* 605. *ad* 618.

*De virtutibus moralibus, & Cardinalibus.*

*Reſp.* Ex Doctrina ſacræ Script. *S. Auguſtini*, noſtrorum Authorum, ipſiuſque Conc *Trid.* & *Pij* 5. ac *Greg.* 13. Nec hanc *prop.* 25. *D. Baij, Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia*; nec vllam aliam cenſuratam, eſſe *Auguſtinianam*; ſed ab eius verbis integris, & ſenſu expreſſo alienam. Vt patet ex hac tota *Quæſt.* Cui adde ex *Epiſt.* 5. *B. Aug. Deus oſtendit in præclaro imperio Romanorum quantum valerent ciuiles etiam ſine vera Religione virtutes: vt intelligeretur hac addita fieri homines Ciues alterius Ciuitatis, &c.*

# INDEX HVIVS OPERIS.

## *In Librum 4. Sententiarum.*

A *Col.* 1. *ad* 36. Doctrina ſacri Conc. *Florentini, & Tridentini*, De 7. Sacramentis nouæ Legis.

*A col.* 36. Ex doctrina *Alenſis, S. Bonauenturæ, & Scoti*, de Sacramentis in genere.

*A col.* 37. *ad* 131. Quæſtiones noſtræ 11. De Sacramentis in genere.

Quæstio 1. *An nomen Sacramenti rectè vſurpetur in Eccleſia, & quo ſenſu?* Resp. Optimè, pro ſuo principali ſignificato .i. pro Sacramento nouæ Legis, vt ſigno ſacro, mentem ipſam ſacrante, ſeu ſanctificante, &c.

Quæstio 2. *An Sacramentum habeat aliquam rationem communem ſub qua definiri poſſit?* Resp. Non realem, ſed moralem & relatiuã ſigni ſacri: ſed principalem, verè ſanctificantis; ſub qua varijs verbis in eundem ſenſum ſuo modo definitur.

Quæstio. 3. *An Sacramenta ſint verè efficacia gratiæ, ex opere operato, vel operantis? &c.* Resp. Sunt priori modo, non ſolùm poſteriori, &c.

Quæst. 4. *An hæc cauſalitas Sacramentorum ſit realis, vel ſolùm moralis?* Resp. Non realis, ſed moralis, &c.

Quæst 5. *An, & quæ talia Sacramenta fuerint ante legem nouam: & quanta noſtrorum præ illis excellentiã?* Resp. Fuit verum Sacramentum commune ſub lege naturæ lapſæ, in remedium peccati Originalis: & Sacramentum Circumciſionis, vt proprium maſculis populi Iudaici ex genere *Abrahæ*. Sed noſtra continent & conferunt perfectam gratiam Charitatis: illa timoris, &c.

Quæst. 6. *Quot & quæ ſint Sacamenta nouæ legis: quòue modo inter ſe conueniant, ac differant?* Resp. Sunt 7. verè ſanctificãtia: ſed inæqualia perfectione, & differentia proprio ſigno & fine.



Digitized by Google

QVÆST. 7. *An, quæ, quotuplex Materia, Forma, Intentio, & Compoſitio ſit neceſſaria ad Sacramentum nouæ legis?* RESP. Quo ſenſu ex Conc. Flor. *Omnia Sacramenta perficiantur rebus vt materia, verbis vt forma, & Perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia.*

QVÆST. 8. *Quæ ſit cauſa Principalis, Meritoria, Inſtrumentalis, & Miniſterialis Sacramentorum nouæ legis: quoad eorum inſtitutionem, efficaciam, determinationem, vel ſaltem validam & licitam applicationem?* RESP. Ad ſingula, Dogmaticè, Scolaſticè, vel Moraliter.

QVÆST. 9. *Qui ſint capaces, obligati, diſpoſiti, ad validè, & fructuosè recipienda Sacramenta. An, & quæ fides, conſenſus, intentio, pietas ad hoc neceſſaria? Quis obex aut fictio contraria? Et ſi quæ ad fructum reuiuiſcentia?* RESP. Ad ſingula, Dogmaticè, Scholaſticè, vel moraliter.

QVÆST. 10. *Quis, & quotuplex ſit finis, & effe- Sacramentorum, quantus & quando conferatur, quantaque horum neceſſitas ad illum finem?* RESP. Dogmaticè vel Scholaſticè, de fine communi, & proprio, de neceſſitate medij & præcepti, de effectu principali gratiæ ſanctificantis, & ſacramentalis, deque ſecundario Characteris, &c.

QVÆST. 11. *Quid, & quotuplicia ſint ſacramentalia, quantæ efficaciæ, neceſſitatis, vtilitatis, & obligationis.*

Reſp. Dogmaticè, Scholaſticè, moraliter.

## De Sacramento Baptiſmi.

A *Col.* 131. *ad* 140. Ex Doctrina *Alenſis*, *S. Bonauenturæ* & *Scoti*, de hoc Sacramento.

*A col.* 140. *ad* 220. Quæſtiones noſtræ 9. deſuper.

QVÆST. 1. *Quid ſit Baptiſmus, & qua formaliori ratione ab alijs Sacramentis differat?* RESP. Ex ſacra Script. Eſt Sacramentum regenerationis per lauacrum aquę in Verbo vitæ, &c. De 21. modis quibus regenerat,

QVÆST. 2. *An, quæ, & quanta ſit vis ſpecialis huius Sacramenti præ alijs: intenſiuè, & extenſiuè, in re, & voto, in ſe & ſuis figuris, circa præſens, præteritum, & futurum?* RESP. Ad ſingula, Dogmaticè, contra hæreticos: Scholaſticè, contra *Caietanum*, *Campanellam*, & *Vaſqueſium*, pro noſtro *Alenſi, S. Bon.* & *Vega*.

QVÆST. 3. *Quæ, qualis, quanta materia, remota & proxima, ſit neceſſaria ac ſufficiens ad valorem huius Sacramenti?* RESP. Partim Dogmaticè, contra varias hæreſes: partim Scolaſticè, quoad opiniones probabiliores, ipſamque *Scoti*, de Ablutione Sacramentali, potius actiua, quàm paſſiua.

QVÆST. 4. *Quænam Verba, conſtructio, & forma integra, ſit neceſſaria aut non, ad valorem huius Sacramenti?* RESP. Dogmaticè contra varias hæreſes: Scolaſticè, quoad probabiliora.

QVÆST. 5. *Quando Sacramentum Baptiſmi fuerit à Chriſto inſtitutum, & Circumciſio abolita?* RESP. *Alenſis*, S. *Bon.* & *Scotus* optimè tam inter ſe, quàm cum ſacra Script. Conc. & Patribus conſentiunt, de tempore inſtituti, ac neceſſarij Baptiſmi, & abolitæ Circumciſionis, &c.

QVÆST. 6. *Qui ſint Miniſtri huius Sacramenti, neceſſarij, aut ordinarij, ex inſtitutione Chriſti, vel Eccleſiæ: quæuè eorum conditio, qualitas, præſentia, conſenſus, intentio, vnitas, diſtinctio, poteſtas, & obligatio, ad validè, vel licitè miniſtrandum?* RESP. Ad ſingula, Dogmaticè, Scolaſticè, vel Moraliter.

QVÆST. 7. *Qui ſint capaces, diſpoſiti, & obligati ad hoc Sacramentum validè, licitè, & fructuosè recipiendum?* RESP. Ad ſingula, Dogmaticè, Scolaſticè, vel Moraliter, &c.

QVÆST. 8. *Quis ſit finis, effectus, neceſſitas, & ſupplementa huius Sacramenti?* RESP. Dogmaticè, de remiſſione omnis culpæ pœnæ: Scolaſticè, de vero Martyrio, vt Baptiſmo ſanguinis, non ſine Baptiſmo flaminis, ſeu afflatu Charitatis.

QVÆST. 9. *Quæ ſint Ceremoniæ Baptiſmi, & cuius ſignificationis, ac obligationis?* RESP. Vt Quæſt. vlt. de Sacramentis in genere, &c.

## De Sacramento Confirmationis.

A *Col.* 220. *ad* 226. Ex Doctrina *Alenſis*, S. *Bonauenturæ*, & *Scoti*.

*A col.* 226. *ad* 240. QVÆSTIO noſtra vnica.

*Quænam ſint de Sacramento Confirmationis Dogmaticè, aut Scolaſticè certiora, vel probabiliora, quæ moraliter obligatoria?* RESP. Dogmaticè, contra hæreſes: Scholaſticè, pro conſenſu noſtrorum Doctorum inter ſe & cum Eccleſia, contra eorum Cenſores; Moraliter, de obligatione miniſtrandi, aut recipiendi hoc Sacramentum, & obſeruandi eius ceremonias.

## De Sacrificio & Sacramento Euchariſtiæ.

A *Col.* 240. *ad* 244. Ex Doctrina *Magiſtri*, *Alenſis*, S. *Bon.* & *Scoti*.

*A Col.* 244. *ad* 291. QVÆSTIONES noſtræ 14.

QVAT. 1. *An, & quæ ſit ratio, vnitas, diſtinctio, ac Excellentia huius Sacrificij, & Sacramenti?* RESP. Dogmaticè, & Scholaſticè: Ex definitione *Auguſtiniana* veri Sacrifici, & varijs eius ſignificationibus.

QVÆST. 2. *An hoc ſit Sacrificium, & Sacramentum ipſius Corporis, & Sanguinis Chriſti, vt verè propriè, & realiter præſentis ſub ſpeciebus conſecratis?* RESP. Dogmaticè, contra Caluiniſtas, & omnes Sacramentarios.

QVÆST. 3. *An ſub ſpeciebus conſecratis ſuperſit aliquid ſubſtantiæ panis &, vini vel tota per Conſecrationem conuertatur in verum Corpus & Sanguinem Chriſti.*

RESP.

Digitized by Google

RESP. Dogmaticè contra Lutheranos,& omnes impanatores Chriſti.

QVÆST. 4. *An hoc Sacramentum ſit adorandum, & omnibus, etiam infantibus aut peccatoribus, aut Sacrificio præſentibus, ſub vtraque vel altera ſpecie communicandum?* RESP. Dogmaticè contra omnes Hereticorum calumnias.

QVÆST. 5. *Quomodo hæc credibilius fieri, at explicari, ſeu naturæ & rationi conciliari poſſint?* RESP. Ex *Alenſi P.* 4. *à quæſt.* 33. *ad* 43. *S. Bon. à diſt.* 10. *ad* 13. *Scoto in* 4. *diſt.* 10. *per* 8. *Quæſt. Diſt.* 11. *Quæſt.* 4. *Diſt.* 12. *per* 6. *quæſt. Diſt.* 13. *& Quodl.* 10. & aliunde. Pluribus modis à ſolo Deo immediatè fieri, & à nobis ratione naturali poſſe explicari. Qui modi ibidem variè illuſtrantur.

QVÆST. 6. *Quâ verborum formâ verè & propriè exprimenda ſit hæc Tranſubſtantiatio?* RESP. Ex *Alenſi q.* 39. *S. Bon. d.* 11. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 1. & *Scoto d.* 11. *q.* 1. inter ſe conciliatis.

QVÆST. 7. *Quæ, quotuplex, quanta, quàmq; præſens eſſe debeat conſecranti, materia huius Sacramenti?* RESP. Scholaſticè, ex conſenſu *Alenſis*, quæſt. 32. *S. Bon. d.* 11. *p.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. 2. 3. *Scoti d.* 11. *quæſt.* 6. Supplendo quædam Dogmatica,& Moralia.

QVÆST. 8. *Quæ ſit integra forma conſecrationis, cuius ſignificationis, & quantæ efficaciæ?* RESP. Scholaſticè, ex *Alenſi*, quæſt. 33. & 34. *S. Bon. diſt.* 8. *p.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. 2. *Scoto diſt.* 1. inter ſe conciliatis. Supplendo etiam quædam Dogmatica,& moralia.

QVÆST. 9. *An, quæ, qualis, quanta, & quorum ſit poteſtas validè vel ordinatè conſecrandi, & diſpenſandi hoc Sacramentum?* RESP. Ex *Alenſi* quæſt. 35. *S. Bon. & Scoto* tota diſt. 13. Supplendo Dogmatica, Scholaſtica, & Moralia.

QVÆST. 10. *Quid, & quotuplex ſit ſacra Communio: qui eius capaces, digni, ad eam diſpoſiti, obligati, quiue eâ priuandi, aut non?* RESP. Ex *Alenſi* à quæſt. 43. ad 50. *S. Bon.* tota diſt. 9. & 13. *Scoto* diſt. 8. quæſt. 3. diſt. 13. quæſt. 1. Supplendo Dogmatica, Scholaſtica, Moralia.

QVÆST. 11. *Qui ſint effectus, fructus, & finis proprius huius Sacramenti?* RESP. Ex *Alenſi*, quæſt. 41. *S. Bon. diſt.* 12. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 1. 2. 3. *Scoto diſt.* 8. *q.* 3. *diſt.* 9. *q.* 1. Supplendo quædam Dogmatica, Scholaſtica, & Moralia.

QVÆST. 12. *An, quæ, & quanta ſit neceſſitas huius Sacramenti, medij, vel præcepti, in Re, vel voto, iure Naturali, Diuino, vel Eccleſiaſtico?* RESP. Ex *Alenſi, quæſt.* 1. 8. 51. *S. Bon. Diſt.* 1. & 12. *Scoto* in 3. *d.* 41. in 4. *d.* 1. *q.* 3. *d.* 8. *q.* 3. *d.* 9. *q.* 1. Supplendo quædam Dogmatica, Scholaſtica, & Moralia.

QVÆST. 13. *De Fructu, Applicatione, & Participatione Sacrificij Miſſæ.* RESP. Ex *Alenſi*, quæſt. 37. *S. Bon. Diſt.* 46. ſed præcipuè ex *Scoto quodl.* 20. Supplendo aliqua Dogmatica, Scholaſtica, & Moralia.

QVÆST. 14. *De Ceremonijs Sacrificialibus.* RESP. Ex *Alenſi*, quæſt. 36, 37. *S. Bon.* Opuſculo de Expoſitione Miſſæ: *Scoto* diſt. 13. Supplendo quædam Dogmatica, Scholaſtica, & Moralia.

*A col.* 551. *ad* 606. *Breuiarium Hieroglyphicum Sanguine Chriſti rubricatum*, totius Theologiæ, ſeu Sapientiæ & Deuotionis Chriſtianæ, ſub hoc Sacrificio & Sacramento.

*A col.* 607. *ad* 624. Exemplaria Concionum, Meditationum, & plærarumque virtutum in hoc Sacrificio & Sacramento.

*A col.* 624. *ad* 631. *Index & Theſes* ex tota Doctrina harum 14. Quæſtionum.

## *De Sacramento Pœnitentiæ.*

A *Col.* 632. *ad* 692. Doctrina copioſa *Alenſis*, à ſua *q.* 54. *ad* 114. De Virtute, Gratia, & Sacramento Pœnitentiæ, eiuſq partibus aut conditionibus neceſſarijs, Contritione vel Attritione, Confeſſione, Iuriſdictione, Abſolutione, Satisfactione per omnia bona opera.

*A col.* 693. *ad* 704. Doctrina *S. Bon.* in 4. à diſt. 14. ad 23. conciliata cum *Alenſi*.

*A col.* 704. *ad* 726. Doctrina *Scoti* à diſt. 14. ad 23.

*A col.* 826. *ad* 829. Quæſtiones noſtræ 10.

QVÆST. 1. *An ſit in lege noua verum & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Contritionis, Confeſſionis, & Satisfactionis Pœnitentium, & Abſolutionis Sacerdotalis, ac veræ remiſſionis interioris quorumuis peccatorum poſt Baptiſmum, ſecundùm praxim Eccleſiæ?* RESP. Affirmatiuè, & Dogmaticè, ex ſacra Script. Traditione, Conc. Patribus, contra omnes calumnias.

QVÆST. 2. *De virtute Pœnitentiæ.* RESP. Scholaſticè, conciliando *Alenſem, S. Bon. & Scotum.*

QVÆST. 3. *De Sacramento Pœnitentiæ, eiuſq; partibus in communi?* Scholaſticè, conciliãdo *Scotum* cum *Alenſi.*

QVÆST. 4. *De Abſolutione Sacramentali, verbali, abſoluta, neceſſaria, aut ceremoniali, à ſola pœna, vel etiam à culpa.* RESP. Dogmaticè, non à ſola pœna, ſed & à quauis culpa. Ex ſacra Script. Patribus, Conc. *Flor. & Trid. Pio* 5. & *Greg.* 13. in *Prop.* 54. & 55. *D. Baij*: imò & ex ſenſu ac conſenſu noſtri *Alenſis, S. Bon. & Scoti.*

QVÆST. 5. *De Contritione, vel Attritione, neceſſaria & ſufficiente ad hoc Sacramentum.* RESP. Dogmaticè & Scholaſticè: conciliando *Alenſem, S. Bon. & Scotum*, tam inter ſe, quàm cum ſacris Concil. Mileu. Arauſ. Trid. *Pio* 5. & *Greg.* 13. in Prop. 67. 68. *D. Baij*; probando ſufficientiam veræ Attritionis cum hoc Sacramento, & reprobando neceſſitatem perfectæ Contritionis.

QVÆST. 6. *De Confeſſione Sacramentali.* RESP. Dogmaticè, conciliando noſtros Authores inter ſe, & cum ſacro Conc. Trid.

QVÆST. 7. *De Satisfactione ſacramentali.* RESP. Ex conſenſu noſtrorum Authorum inter ſe, & cum ſacro Conc. *Trid.* ac praxi Eccleſiæ.

QVÆST. 8. *De ſubiectis capacibus huius Sacramenti, eorumq; ad hoc neceſſaria diſpoſitione, & obligatione.* RESP. Ad ſingula, Dogmaticè, Scholaſticè, præcipuè Moraliter, de obligatione, &c.

QVÆST. 9. *De Miniſtris huius Sacramenti, eorumque neceſſaria poteſtate Ordinis, & Iuriſdictionis, Scientia, & varijs obligationibus.* RESP. Ex con-

conſenſu noſtrorum Authorum inter ſe,& cum Conc. *Flor.* ac *Trid.* de neceſſaria earum poteſtate, ſcientia, & varijs obligationibus, præcipuè ad Sigillum, Approbationem, Reſeruationes, Cenſuras. De quibus ſingulis.

QVÆST. 10. *De Materia neceſſaria aut ſufficienti, & fine proprio huius Sacramenti.* RESP. Ex noſtris Authoribus,& Cenſuris *Pij* 5. ac *Greg.* 13.

## De Sacramento Extremæ Vnct.

COl.827.828.829. Ex *S. Bon.*& *Scoto* diſt. 23. *A col.*829. *ad* 836. Quæſtiones noſtræ tres.

QVÆST. 1. *Quænam ſint de hoc Sacramento credenda?* RESP. Dogmaticè, ex ſacra Script. Conc. Patribus, Traditione, & praxi Eccleſiæ.

QVÆST. 2. *Quæ ſint ſcholaſticè certiora: De Materia, forma, effectu, & fine proprio?* RESP. Quæ Definitioni & praxi Eccleſiæ ſunt propinquiora,&c. Cui noſtri Authores conciliantur.

QVÆST. 3. *Quæ ſint obligationes Miniſtrorum, & omnium fidelium, ad hoc Sacramentum?* RESP. Moraliter, per ſingulas obligationes.

## De Sacramento Ordinis.

A *Col.* 831. *ad* 844. Ex *S. Bon.* & *Scoto.* *A col.* 844. Per tres noſtras Quæſtiones.

QVÆST. 1. *Quænam ſint credenda de Sacramento Ordinis?* RESP. Dogmaticè ex ſacra Script. & ſacris Conc. contra omnes calumnias.

QVÆST. 2. *Quæ ſint ſcholaſticè certiora, aut probabiliora?* RESP. De ſingulis, ex ſacra Script. & Conc. eis conciliando noſtros Authores.

QVÆST. 3. *Quæ ſint obligationes Ordinantium, & Ordinatorum?* RESP. Moraliter, de ſingulis.

## De Sacramento Matrimonij.

A *Col.* 860. *ad* 890. Ex *S. Bon.* & *Scoto.* *A col.* 890. *ad* 915. Per tres noſtras Quæſt.

QVÆST. 1. *Quænam ſint de Matrimonio credenda?* RESP. Quæcumque de eo in ſacra Script. expreſſa, vel ab Eccleſia definita ſunt, &c.

QVÆST. 2. *Quæ ſint de hoc Sacramento dubia, vel certa?* RESP. De pleriſque.

QVÆST. 3. *De obligationibus, & praxi huius Sacramenti.* RESP. De pleriſque obligationibus: ſed præcipuè cauendi omnia impedimenta validè & licitè contrahendi.

## De 4. Nouiſſimis.

A *Col.* 915. *ad* 943. Ex *S. Bō.* & *Scoto, à d.* 42. *ad* 50. *A col.* 948. *ad* 1002. Supplementū 12. Quæſt.

QVÆST. 1. *De MORTE. An, & quàm ſit certum omnes & ſingulos homines morituros?* RESP. De Fide.

QVÆST. 2. *An, & quàm ſit certum ſingulos iudicari ſtatim poſt mortem.* RESP. De fide.

QVÆST. 3. *An, quæ, & quàm certa ſint de Purgatorio animarū?* RESP. Quæ ſint de fide, aut non.

QVÆTS. 4. *An, quæ, & quàm ſint certa, de praxi Indulgentiarum, etiam pro defunctis?* RESP. Quæ ſint de fide, aut non.

QVÆST. 5. *An, quid, & quàm certum ſit de ſtatu Sanctorum defunctorum, ante mortem Chriſti?* RESP. Quid ſit de fide, aut non.

QVÆST. 6. *An, quid, & quàm certum ſit de ſtatu defunctorum in ſolo peccato originali?* RESP. Quid ſit de fide, quid de ſenſu *B. Aug.* & conſenſu noſtrorum Authorum.

QVÆST. 7. *Quid, & quàm certum ſit de Beatitudine præſenti Animarum?* RESP. Quid de fide, quid de ſenſu *B. Aug.* & conſenſu *S. Bernardi.* Qui *Serm.* 2. 3. 4. 5. de Feſto omnium *SS. Libro* De diligendo Deo,& alibi ſæpè, non negat Sanctis animabus ante Reſur. omnem viſionem & fruitionem Dei, ſed tam perfectam ac poſt: Nec vult eas quieſcere ſub Altari Dei, quaſi in tenebris & priuatione illius lucis beatificæ; nec quietari ſola contemplatione Sacræ humanitatis Chriſti, niſi quoad affectum naturalem ad Corpora propria; ſed quaſi obumbrari Corpore Chriſti, non vt medio opaco, ſed tranſparenti. Vt latius in noſtra *Veronica S. Bernardi.*

QVÆST. 8. *An, & quàm certum ſit, Animas Beatas pro nobis orare, & nos ac preces noſtras ſcire?* RESP. Quid de fide, ſpe, & mente *S. Aug.*

QVÆST. 9. *An, quid, & quàm certum ſit, de praxi Eccleſiæ, colendi & inuocandi ſanctos defunctos, in ſuis etiam imaginibus, reliquijs, monumentis, &c.* RESP. Eſt de fide, eſſe piam & ſalutarem, &c. Contra omnes Calumnias.

QVÆST. 10. *An, & quæ ſint ſupplenda, vel Conciliandа de Reſur. & Iudicio finali?* RESP. Quæ ſint de fide, quæ non, &c.

QVÆST. 11. *An, & quid ſupplendum ſit de ſtatu futuræ Beatitudinis poſt Reſur.* RESP. Ex ſenſu *B. Aug.* & conſenſu noſtrorum Authorum, tribuendo potiùs & formaliùs beatitudinem fruitioni, quàm viſioni Dei.

QVÆST. 12. *An, & quid ſupplendum ſit de ſtatu præſenti & futuro damnatorū?* RESP. Eſt de fide, damnatos & damnandos eſſe ad verum & realem infernum, ac ignem, eiuſque pœnam æternam, ſiue actione reali, ſiue intentionali. Nec id negat S. *Bon. diſt.* 44. *P.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. An ignis inferni ſit verus ignis? RESP. Videtur temerarium reſpondere: quia Script. non determinat, nec *B. Aug.* imò videtur potiùs opinari quòd ſit ſpiritualis, non corporalis, &c.] Sed non poteſt cenſeri indeterminatum, ac temerarium determinare de vero igne: ergo nō niſi de natura huius ignis; nec *B. Aug.* cenſet potiùs ſpiritualem quàm corporalem, niſi vt 1. *Cor.* 15. à ſubtilitate, & æternitate; quia ignis ſpiritualis non eſt verè ignis, ſed ſolùm metaphoricè. Nec ad hāc fidē neceſſaria eſt vlla definitio Eccleſiæ: ſed ſufficit tam frequens expreſſio veri ignis in ſacra Script. tamque certus conſenſus totiùs Eccleſiæ.

QVÆST. 13. *De praxi & fructu huius Doctrinæ, De* 4. *Nouiſſimis.* RESP. Finiendo totam Theologiam noſtram practicè: ſicut à *B. Aug.* & noſtris Authoribus inchoatur à praxi intentæ fruitionis Dei.



Digitized by Google

# EX TERTIA PARTE ALENSIS.

## *De Chriſto Saluatore.*

QVÆSTIO I. *De lapſu naturæ humanæ, eiuſque neceſſaria reparatione.*

MEmbro primo. Eſt de fide Catholica naturam humanam eſſe lapſam à primo ſtatu ſuæ conditionis. Ex tota ſacra Script. & ratione, contra Philoſophos Infideles. 1. Quia natura humana eſt capax beatitudinis, & ad eam ordinata: ergo non eſt primò condita in hoc communi ſtatu tam miſero, & contrario beatitudini; non tantum ex conditione naturali corporis, ſed & ignorantia ac vitijs animi naturaliter incorrigibilibus. 2. Quia cùm anima humana ſit ſpiritualis, & immortalis, eſt digna corpore incorruptibili, ac immortali: ergo primus eius ſtatus fuit immortalis, nec eſt mortalis niſi ex aliquo lapſu & demerito. *Ad* 1. Corpus quidem humanum eſt ex ſe corruptibile: ſed anima rationalis, ac immortalis exigit eius præſeruationem à morte.

*Memb.* 2. De eius reparabilitate. *Art.* 1. De neceſſaria ſatisfactione, ſeu compenſatione infinita pro peccato mortali, ſicque naturaliter impoſſibili. *Art.* 2. De reparabilitate, ſeu congruitate reparandi naturam humanam potiùs quàm Angelicam. 1. Ex defectu rationis, & flexibilitate voluntatis humanæ à bono in malum, & è contra: non ſic Angelicæ. 2. Ex lapſu originali totius naturæ ſimul: perſonali autem & actuali, ſingulorum Angelorum, &c. De quibus adhuc *p.* 2. *q.* 109. & *p.* 4. *q.* 55. *Ad* 1. Peccatum damnatorum eſt irremediabile negatiuè .i. non poteſt remitti potentia ordinata: Peccatum in Spiritum eſt irremediabile contrariè .i. habet diſpoſitionem contrariam remiſſioni; ſed omne peccatum mortale eſt irremediabile priuatiuè; quia natura nihil habet dignum remiſſione.

*Memb.* 3. De eius neceſſaria reparatione: neceſſitate indigentiæ, & inſufficientiæ humanæ, ac creatæ; non vlla neceſſitate coactionis, aut obligationis Dei, ſed ſolius immutabilis *honeſtatis*, ſeu decentiæ eius.

*Memb.* 4. De impoſſibili reparatione ſine ſatiſfactione: ordine iuſtitiæ, & miſericordiæ; ſed poſſibili abſolutè.

*Memb.* 5. *Art.* 1. De poſſibili ſatisfactione hominis pro quouis proprio peccato actuali: non tamen per ſe, ſed per gratiam Dei. *Art.* 2. De impoſſibili ſatisfactione puri hominis pro culpa Originali: quia cùm ſit totius naturæ, non poteſt Deus ſatis rehonorari pro tota natura, niſi ab aliqua perſona digniore tota natura.

*Memb.* 6. *Art.* 1. De impoſſibili ſatisfactione Angeli. 2. Cuiuſuis creaturæ, pro peccato orig. totius naturæ humanæ: quia nec vlla eſt capax ſatis rehonorandi Deum, nec ad illam pertinet.

*Memb.* 7. De neceſſaria ergo ſatisfactione iuſtitiæ per Deum hominem, ſeu Perſonam naturæ Diuinæ & humanæ. Quia nec ſolus Deus eſt capax ſoluendi, aut debendi: nec ſolus homo ſatiſfaciendi Deo pro tota natura humana.

QVÆST. 2. *De conuenientia Incarnationis Chriſti.*

*Memb.* 1. Natura humana & creata eſt vnibilis Diuinæ: ex aliqua ad eam ſimilitudine, proportione, & ſubordinatione; nonobſtante infinita diſtantia perfectionis.

*Memb.* 2. Natura Diuina eſt etiam vnibilis humanæ & creatæ: non paſſiuè, ſed actiuè; nec finiendo, aut terminando ſeipſam ad creaturam, ſed creaturam ad ſe.

*Memb.* 3. † Si quis intelligat, ego non intelligo, naturam diuinam præciſam à perſona ſic vniri poſſe. 1. Quia ſine perſona diſtinguente eſſet quædam commixtio, & confuſio naturarum. 2. Quia natura non poteſt concipi eſſe actu, niſi vt in aliquo eam habente, ſicque vt in perſona.

*Memb.* 4. Non poteſt ſic aſſumi, ſeu vniri ipſa perſona humana: ſed plura etiam ſimul ſingularia naturæ humanæ, ad eandem Perſonã Diuinã, non ad plures ſimul. Quia *Perſona eſt ſummè diſcreta proprietate digniori: perſonalitas autem dignioris proprietatis non poteſt eſſe ex parte humanæ naturæ, nec ex parte Diuinarum Perſonarũ, cùm ſint tres; ideoque non poteſt idem homo aſſumi à tribus Perſonis Diuinis, vt nec hæ poſſunt confundi. Sed tres perſonæ poſſent aſſumere & communicare vnum eundemque hominem ſingularem. Ad Arg.* Actio Incarnandi eſt à tribus perſonis, ſed vnio ad vnam.

*Memb.* 5. De Perſona vnibili. *Art.* 1. Non erat conueniens Deum Patrem, aut Spiritum S. ſed ſolum Filium Incarnari. Quia eſſet quædam confuſio, ſi vel Pater, vel Spiritus S. fieret etiam Filius per Incarnationem. Ex *B. Aug. de Trin.* & *Anſ. lib.* 2. *Cur Deus Homo cap.* 11. *Art.* 2. Poſſet tamen abſolutè quælibet Perſona Diuina Incarnari: ſed minùs congruè quàm Filius; quia Perſonæ Diuinæ ſunt ad hoc æquales, & homo eſt æqualiter ad earum imaginem quoad eſſentiam, ſed congruentiùs ad Filium; quia vt Filius eſt à Patre & à quo Spiritus S. ſic homo eſt ab alio, & à quo alius.

*Memb.* 6. Natura humana eſt vnibilior Diuinæ, quàm Angelica: quia ſimilior. 1. In regimine corporis ab anima, vt totius mundi à Deo. 2. In origine inter homines, vt inter Perſonas Diuinas. 3. In quadam totalitate hominis, ad totalitatem ſui exemplaris. *Ad* 1. Angelus eſt ſimilior Deo quoad perfectionem, ac ſimplicitatem eſſentiæ: ſed homo quoad cauſalitatem, totalitatem, & perſonalitatem, ad quam eſt vnio, non ad eſſentiam vt ſic.

*Memb.* 7. Natura humana eſt etiam vnibilior Diuinæ, quàm totum vniuerſum: quia hoc eſt in ſe nimis multiplex; in homine autem contractum ad vnum, indeque magis vnibile.

*Memb.* 8. Natura humana aſſumenda fuit ex eodem genere lapſo: ad debendum, & ſatisfaciendum pro ſuo toto.

*Memb.* 9. Non fuit ad hoc aſſumenda ipſa natura ſingularis Adæ: quia erat peccatrix, & denominaſſet Chriſtum peccaſſe.

*Memb.* 10. Natura aſſumenda non fuit ſeminaliter generanda ab Adam: quia inde fuiſſet peccatrix,



Digitized by Google

catrix, & inepta ad medicinam & ſatisfactionem pro peccatis.

*Memb.* 11. Non fuit generanda ex coitu, quantumuis mundo, viri ac mulieris: quia nec dùm erat ad reparandam corruptionem totius naturæ, vt in Reſur. ſed ſingularum perſonarum ex natura.

*Memb.* 12. Non fuit generanda ex ſolo viro, ſed potiùs ex ſola muliere. In ſignum liberandi ſexus virilis, in Chriſto viro; & muliebris, in ſua Matre. Deinde ad hunc 4. modum producendi hominem ex ſola mulieré: poſt tres alios modos. 1. Adæ ex nullo alio. 2. Euæ ex Adamo. 3. Reliquorum omnium ex viro & muliere.

*Memb.* 13. Etſi humana natura non fuiſſet lapſa, conueniens eſſet Incarnatio. 1. Ex *S. Bern. in Io.* 2. Quia Lucifer inuidit hanc Incarnationem naturæ humanæ, indeque eam tentauit ad lapſum. 2. Ex *S. Aug. lib. de anim. & ſpiritu.* Quia Deus factus eſt homo, vt totum hominem in ſe beatificaret .i. anima & corpore. 3. Ex ſumma Dei bonitate, & hâc etiam eius communicabilitate. 4. Ad hanc perfectionem vniuerſi. 5. Ad manifeſtandam poſſibilem exiſtentiam Perſonæ Diuinæ in pluribus naturis, ſicut eſſentiæ in pluribus perſonis: niſi quòd non poſſint eſſe plures naturæ æternæ, ſicut plures perſonæ Diuinæ.

## QVÆSTIO 3.

*De prædeſtinatione Incarnationis Chriſti.*

*Memb.* 1. Filius Dei non poteſt dici prædeſtinatus: niſi ſub additione naturæ humanæ. Quia non habet prius à quo, nec finem ad quem prædeſtinetur: niſi quoad naturam humanam. *Ad.* 3. Poteſt dici prædeſtinatus ab æterno, vt homo futurus: Nam homo præſcitus, aut prædeſtinatus, non ſupponit pro exiſtente, ſed ampliatur ad futurum. *Ad* 4. Prædeſtinatus idem eſt quòd præſcitus habiturus, ſeu futurus. *Ad reliqua.* Filius Dei non poteſt dici Creatura abſolutè: ſed reduplicatiuè, vt homo. Nec meritum poteſt tribui perſonæ Diuinæ, niſi quoad hanc naturam humanam & gratiam.

*Memb.* 2. Cùm dicitur, *Chriſtus eſt prædeſtinatus eſſe homo* .i. præordinatus ex gratia, vt ſit homo: ſi *præ*, & *ex* referuntur ad perſonam, eſt falſa: ſi ad hanc naturam humanam, ſeu ad eſſe hunc hominem, vera eſt.

*Memb.* 3. Filius Dei non eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei: quia nihil eſt hic ad quod referri poſſit prioritas & cauſalitas; ſed Filius Dei vt homo eſt prædeſtinatus, vt ſit homo. *Ad S. Ambr.* Filius Dei eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei in virtute .i. manifeſtari.

*Memb.* 4. Cùm in Chriſto ſit triplex gratia, 1. Vnionis. 2. Singularis hominis. 3. Capitis: prædeſtinatio Chriſti eſt reſpectu huius triplicis gratiæ.

*Memb.* 5. An Chriſtus ſit cauſa effectiua, exemplaris, vel finalis noſtræ iuſtificationis? *Solutio.* Si prædeſtinatio ſumatur pro principali ſignificato præſcientiæ Dei cum approbatione, omnes ſunt ſimul cum Chriſto prædeſtinati: ſi autem pro connotatis in tempore gratiæ & gloriæ Chriſti, eſt cauſa & exemplar gratiæ & gloriæ noſtræ. *Ad vlt.* Non ipſa præſcientia, ſed gratia Chriſti eſt finis noſtræ prædeſtinationis: quia gratia vnionis eſt terminus omnium gratiarum noſtrarum; & omnes noſtræ gratiæ & gloriæ terminantur ad eius gratiam & gloriam. Nec tamen fruſtrarentur abſolutè omnes prædeſtinationes, ſi non eſſet Incarnatio: quia poſſet eſſe alius modus liberationis.

*Memb.* 6. Prædeſtinatio ad gratiam & gloriam dicitur vniuocè de Chriſto & alijs: ſed non ad ſalutem, ſeu gratiam liberantem a malis.

## QVÆSTIO 4.

*De actu Incarnationis Chriſti.*

*Memb.* 1. An ſit naturæ Diuinæ aſſumere humanam? *Reſp.* Aſſumere communiter & impropriè, pro ſumere ad aliquid, eſt totius S. Trin. propriè, pro ſumere ad ſe vt ſibi vniatur, eſt etiam naturæ Diuinæ; ſed *propriſſimè pro ſumere in ſe, vel ad ſe filialiter, eſt ſolius Perſonæ Filij.* *Ad* 1. Natura Diuina vt in tribus, non propriè aſſumit: ſed vt tota in Filio. *Ad* 2. Actio eſt totius S. Trin. ſed vnio eſt cum natura. *Ad alia.* Natura vt ſic, poteſt dici aſſumere & aſſumi: quia eſt id quo res agit & patitur; ſed non eſſentia vt ſic, quia hæc eſt id quo res eſt. *Ad vlt. Aſſumptio eſt propriè vnius ad vnum: ſed vnio, duorum ad tertium. Vnde natura Diuina propriè non aſſumit: ſed vnit, vel vnitur humanæ in vnitatem Perſonæ.*] Supple, *propriè non aſſumit* ſibi, relatiuè & terminatiuè.

*Memb.* 2. An hæc aſſumptio ſit à tribus Perſonis? *Reſp.* ex *B. Aug. de fide ad Petrum.* Tota Trinitas aſſumpſit naturam humanam: ſed ſoli Filio. Nam vt Pater accipiens vxorem filio ſuo, non eam ſibi accipit, nec inde vxoratur: ſic Pater, Filius, & Spiritus S. aſſumunt naturam humanam; ſed ſoli Filio, qui & ſolus incarnatur.

*Memb.* 3. An natura humana ſit aſſumpta? *Reſp.* Natura humana pro corpore & anima ex quibus conſtat, eſt aſſumpta: non autem ſub modo naturali, nec propriè vt eſt eſſentia. Quia natura eſt potiùs res in fieri, non autem vt iam in eſſe.

*Memb.* 4. An ſit aſſumpta in vero corpore & anima? *Reſp.* Quòd ſic, contra hæreticos *Valentinum, Appolinarem, & Eunomium:* quia erat tota lapſa corpore & animâ. *Ad* 1. Natura humana non conuenit cum Diuina genere aut ſpecie: ſed quadam ſimilitudine, ad exemplar Sapientiæ Diuinæ, ex participatione Bonitatis eius; ideoque eſt vnibilis. *Ad* 2. Corpus humanum magis quidem diſtat à Deo quoad eſſentiam, quàm à qualibet creatura: ſed minùs diſtat quoad ordinem, ſeu ordinationem ad illam; quia reliqua corpora ordinantur ad corpus humanum, hoc autem immediatiùs ad Deum.

*Memb.* 5. An corpus ſit aſſumptum mediante animâ? *Reſp.* Non medio neceſſitatis, vniente ipſa extrema: ſed ſolius congruitatis, ſeu ordinis, quo anima vt ſpiritualis eſt conformior naturæ Diuinæ quàm corpus.

*Memb.* 6. An perſona humana ſit aſſumpta? *Reſp.* Quòd non, contra *Neſtorium* hæreticum: quia ſi Chriſtus eſſet ex duabus perſonis, non poſſet eſſe quid vnum. *Ad Arg.* De ratione perſonæ eſt triplex diſtinctio. 1. Singularitatis. 2. Incommunicabilitatis. 3. Dignitatis. Prima eſt in corpore & anima Chriſti. 2. In hoc compoſito ex

anima

Digitized by Google

anima & corpore; ſed prima, ſecunda, & tertia eſt in Chriſto Deo, Homine. Cùm enim ratio perſonæ ſumatur à proprietate digniori: ſumenda eſt à dignitate Perſonæ Diuinæ. *Ad* 1. *ex Damaſc.* Natura humana aſſumpta eſt in *Atomo*.i. in indiuiduo, ſingulari, vel etiam incommunicabili: non autem in digniori proprietate perſonæ humanæ. *Ad* 2. *ex Rich.* Perſona dicit rem ſic completam & diffinitam, vt non poſſit vlterius vniri, & diſtinctam proprietate digniore. *Ad* 3. *ex Anſ.* Aſſumptus eſt homo .i. natura ſingularis, non perſona. Perſona dicitur Indiuidua, triplici illâ diſtinctione: Natura autem ſingularis necdum eſt ſic indiuidua, cùm ſit adhuc vnibilis cum digniori. *Ad* 4. Non eſt minuta dignitas perſonæ aſſumptæ: quia perſonalitas eſt à proprietate digniore. *Ad* 5. Quòd non creatur per ſe, ſed vt in alio, non eſt perſona. *Ad vlt.* Anima quamuis dignior, non aſſumit corpus ad ſuam perſonam. 1. Quia aſſumens prius eſt aſſumpto. 2. Quia aſſumptio perſonalis eſt inſeparabilis. 3. Quia aſſumens vnit ſibi aſſumptum, non ſic anima corpus. 4. Aſſumens & aſſumptum non componunt aliquod totum vt partes eius. 5. Contra *Magiſtrum* in 3. Anima ſeparata non eſt perſona: quia eſt communicabilis; nec eſt dignior ſeparata quàm coniuncta, alioquin per Reſurrectionem amitteret aliquam dignitatem.

*Memb.* 7. An homo ſit aſſumptus? *Reſp.* Nec perſona, nec ſpecies humana: ſed hæc natura ſingularis. *Ad* 1. *ex Damaſc.* Natura communis non eſt aſſumpta niſi per accidens: quia actus non tribuuntur niſi per accidens ſpeciebus. *Ad* 2. *ex eodem.* Non eſt ſumere communem ſpeciem in Chriſto .i. non communem Deitati & humanitati, ſeu quaſi conflatam ex natura humana & Diuina: Vel, *non communem* ſpeciem hominis ad totum eſſe Chriſti; nec tamen æquiuocam ad Chriſtum vt hominem, & reliquos. *Ad* 3. Natura humana dicit partes vnitas: homo, id quod eſt ex his, humanitas id quo. *Ad* 4. Propriè homo dicit quid completum: ideoque ſicut perſona non eſt aſſumpta, ſic nec propriè homo; ſed impropriè, pro ſola natura humana. *Ad vlt.* Totum poteſt denominari à partibus ſimul, abſolutè, ſed non reſpectiuè. Hinc nec poteſt dici pars aut partes, nec homo aſſumi, à partibus aſſumptis.

QVÆSTIO 5. *De coaſſumptis pœnalitatibus.*

*Memb.* 1. An Chriſtus aſſumpſerit naturam humanam cum paſſibilitate. *Reſp.* Paſſio eſt motus præter naturam ſenſibilis. Paſſibilitas eſt potentia patiendi: vel ad hoc indiſpoſita, vel diſpoſita, vel ſubiecta. Chriſtus aſſumpſit naturam paſſibilem: non indiſpoſitam, nec ſubiectam, ſed diſpoſitam & voluntariam ad patiendum. *Ad* 4. Perturbatio vt eſt motus naturalis, vel ſolius ſenſualitatis, vel etiam rationis vt natura eſt, potuit eſſe in Chriſto: nullatenus tamen vt auertens à bono, vel prouocans ad malum. *Ad vlt. ex Seneca.* In Sapientem non cadit perturbatio inordinata.

*Memb.* 2. Quos defectus aſſumpſerit vel non? *Art.* 1. Non aſſumpſit vllam ignorantiam aut defectum intellectus: quia nec decuiſſet, nec profuiſſet, ſed nocuiſſet. *Ad* 1. *ex Amb. in Luc.* 2. Proficiebat Ieſus ſapientiâ, quoad eius manifeſtationem. *Ad* 2. *ex Damaſc.* Natura humana communis, dicitur ex ſe ignorans & ſeruilis: non autem hæc Chriſti. *Ad* 3. *ex Anſ.* Ignorantia non fuiſſet aſſumpta ſapienter, & vtiliter, ſicut mortalitas. *Art.* 2. Non aſſumpſit triſtitiam turbulentam aut neceſſariam, ex *Eſa.* 42. ſed ordinatam & voluntariam, ex *Matt.* 26. *Art.* 3. Non aſſumpſit vllum timorem vitioſum: nec naturalem neceſſarium, aut ex vlla falſa apprehenſione mali: nec gratuitum ſeruilem, aut initialem; ſed tantùm naturalem voluntarium veri mali naturalis ac ſenſibilis; & gratuitum filialem, reuerentiæ, & offenſæ diuinæ, *ex Eſa.* 11. *Matt.* 26. 1. *Ioan.* 4. *Art.* 4. Fuit in Chriſto maior timor Dei reuerentialis, quàm in nobis: quia maior ſubiectio voluntaria Diuinæ Maieſtati. Hinc *Eſa.* 11. Repleuit eum ſpiritu timoris Domini. *Art.* 5. Non fuit in Chriſto vlla ira turbulenta: ſed zelus ſeu amor iuſtitiæ etiam vindicatiuæ Dei. *Art.* 6. Chriſtus non aſſumpſit omnes defectus noſtros particulares, ſed tantùm vniuerſales: nec eos qui mouent ad peccatum, ſed qui ſunt ex peccato, ſeu ſolam pœnam peccati.

*Memb.* 3. Ad quid hos defectus aſſumpſerit? An vt *in* 3. *d.* 15. ad probandam veritatem naturæ humanæ, & abolendam culpam noſtram ac pœnam? §. 1. *Reſp.* Non ad probandam veritatem naturæ humanæ vt ſpiritualis, ſed vt animalis. §. 2. *Reſp.* Non ad abolendam in præſenti omnem pœnam, vt eſt ad exercitium virtutis: ſed vt eſt reatus culpæ. *Ad* 2. Voluntas Chriſti gaudens de pœna ſeparationis animæ à corpore, eſt condigna ſatisfactio pro ſeparatione animæ à Deo. *Ad* 3. Vt ad noſtram ſatisfactionem requiritur dolor de peccato, & gaudium de pœna: ita & in Chriſto fuit pœna paſſionis & compaſſionis, cum maxima voluntate patiendi pro nobis. Quæ quia erat Perſonæ Diuinæ, ſufficiebat pro culpis & pœnis noſtris æternis ac infinitis.

QVÆSTIO 6. *De conſtituto per aſſumptionem.*

Prima opinio. Quòd ſit quidam homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens, priùs naturâ & tempore quàm vniatur, &c. 2. Quòd ſit homo conſtitutus ex Deitate: non vt partes ſed anima ac carne, vt partibus, &c. 3. Quòd ex illis duobus vel tribus non ſit vna aliqua ſubſtantia vel perſona: ſed verbum Dei ſit quaſi veſtitum illis duobus, abſque vnione ſubſtantiali, ſed quaſi accidentali, &c. *Sed hæc tertia eſt reprobata per Decretalem Alexandri: quia propinqua eſt errori.*

*Memb.* 1. De prima opinione. §. 1. Non ſequitur: *Ille homo cœpit eſſe Deus, aut eſt recenter Deus, ergo eſt recens Deus*: quia aduerbium cùm ſit adiectiuum verbi, non applicat ſuam ſignificationem ſuppoſito, ſed copulato; *recens* autem cùm ſit nomen adiectiuum, applicatur ſuppoſito. Vt, qui eſt recenter ſenex, non eſt recens ſenex. Nec propoſitiones ſunt contrariæ, in quibus affirmatur aliquid de Filio Dei, & negatur de filio hominis: non quoad eandem perſonam, ſed quoad diuerſas naturas ſingulares: quas *Alenſis* vocat etiam ſuppoſita indiuidua, negans eſſe idem ſuppoſitum hominis, & Filij Dei. §. 2. *Suſtinendo quantum valemus ſecundùm Catholicam veritatem quid Filius Dei*



Digitized by Google

*aſſumpſit quendam hominem ex anima & carne, & ita ſe ei vniuit, vt homo ille eſſet Filius Dei, & è conuerſo: poſſumus loqui de illo homine, non loquendo de Filio Dei; vt, Incœpit eſſe, incœpit eſſe Deus; & poſſumus loqui de Filio Dei, non loquendo de filio hominis, vt eſt genitus ab æterno, de Patre ſine matre. Ideo dicunt, quòd Filius Dei eſt paſſus & mortuus, ſubſtantiuè .i. eſt ille qui eſt paſſus: ſed non adiectiuè; quia paſſum eſſe non conuenit Filio Dei, vt Filius Dei eſt. Ad vlt. ex Ioan.* 8. Ego principium qui & loquor vobis .i. *Principium ſubſtantiuè, non adiectiuè; quia non concedunt quòd Filius Dei ſit Principium Spiritus S. vel creaturarum.* §. 3. *Non ſequitur, Iſte Filius hominis eſt purus homo, ergo non eſt Deus: quia purus excludit tantùm aliam eſſentiã, non Perſonam Diuinã.*

*Memb.* 2. De ſecunda opinione. *Art.* 1. An Chriſtus ſit vnum vel duo? *Solutio.* Chriſtus non dicitur plura à pluralitate naturarum: quia non dicuntur de Chriſto in recto, ſed in obliquo; ideoque non numerant Chriſtum .i. Chriſtus non eſt plura, ſed plurium naturarum. Vt nec homo conſtans animâ & corpore eſt duo, ſed vnum quid. *Art.* 2. An Chriſtus ſecundùm quod homo ſit Deus? *Solutio.* Si *ſecundùm* notet cauſam vel conditionem naturæ, falſa eſt: quia ſenſus eſſet, quòd Chriſtus ratione naturæ humanæ ſit Deus; ſed ſi notet vnitatem perſonæ, vera eſt. *Ad* 2. Diffinitiones ſunt eſſentiarum, non Perſonarum. *Ad* 3. *Iſte*, vel demonſtrat Indiuiduum hominis, vel Perſonam Filij Dei. *Art.* 3. An Chriſtus vt homo ſit indiuiduum? *Solutio. Hypoſtaſis*, eſt exiſtentia vel ſubſtantia incommunicabilis ex quibuſcunque diſtinguentibus. *Perſona* eſt ſubſtantia incommunicabilis rationalis, diſtincta per proprietatem dignitatis. *Indiuiduum* vel eſt ſubſtantia vt ſeipsâ diuiditur à qualibet alia, vel collectione proprietatum. *Suppoſitum* in compoſitis eſt forma in materia, vt anima in corpore, vel corpus & anima vnita: in ſimplicibus verò, id quòd res eſt, dicitur natura ſuppoſita; ſed propriè *Eſſentia*, eſt quo res eſt; *Natura*, quæ operatur agit vel patitur; *Quòd* eſt verò, eſt natura ſuppoſita. Hinc *Hypoſtaſis* eſt communis *Perſonæ* & *Indiuiduo*: & Chriſtus vt Filius Dei eſt hypoſtaſis quæ eſt perſona; vt Iſte homo, eſt hypoſtaſis quæ eſt Indiuiduum. Vnde ab æterno fuit Perſona, ſed non ab æterno indiuiduum. *Art.* 4. An Chriſtus vt homo ſit perſona? *Reſp.* Vt homo non eſt perſona, ſed indiuiduum. Vnde ſi, *Quis*, ſupponat pro ſubſtantia ſingulari, eſt *quis*: non autem ſi pro perſona. *Ad* 1. De ratione Perſonæ eſt triplex determinatio, ſingularitatis, incommunicabilitatis, & dignitatis. Ab hac vltima ſumitur ratio perſonæ. Hinc dicitur in Concilio Nicæno, *Quod perſona adueniens conſumpſit perſonam.* i. fecit vt non eſſet perſona. *Ad* 4. Ratio perſonæ dicit indiuiduationem, & incommunicabilitatem formæ digniori, ſeu perfectiori. *Ad* 5. Incommunicabilitas perſonæ, eſt quoad actum & aptitudinem: non quoad negationem omnis potentiæ. *Art.* 5. An in Chriſto ſit ratio totius & partis. §. 1. Propriè loquendo, natura humana non eſt pars Chriſti: quia Chriſtus non componitur ex duabus naturis vt partibus, niſi reducatur quaſi ad partem diffinitionis, quâ Chriſtus eſt Perſona naturæ Diuinæ, & humanæ. §. 2. Nec Chriſtus eſt totum quaſi ex partibus: ſed eſt totus quoad perſonam, & totum quoad naturam integram.

*Memb.* 3. De 3. opinione. An Chriſtus ſit aliquid. *Solutio.* Eſt de fide quòd ſit aliquid quoad rem: ſed non quoad modum prædicandi vt *quid.* Ex *Phil.* 2. Habitu inuentus vt homo: Et *Aug. lib.* 83. *qq. Quia tamen opiniones propinquæ errori non ſunt extendendæ: dicatur abſolutè quod Chriſtus vt homo ſit Quid, & Aliquid.* Ex Decretali Alexandri Papæ.

### QVÆSTIO 7.

*De actu Incarnationis quoad vnionem.*

*Memb.* 1. De eſſe vnionis. *Art.* 1. An ſit vnio in perſona. *Solutio.* Vnum vel eſt ſimpliciter ab vnitate, aut vnione plurium, ſalua vel mutata eorum ſiue inter ſe, ſiue in aliud naturâ: vel eſt vnum ſecundùm quid, per ſolam appoſitionem, cum aliqua communicatione proprietatis, aut denominatione vel non. Quantum poſſumus hoc ſacramentum vnionis exponere: (nam non ſumus digni corrigiam calceamenti eius ſoluere:) vnio humanitatis ad Deitatem, non eſt qua vnum ſit alterum, vel tertium ex illis; ſed qua vnum eſt de altero, ſeu inſitum alteri. Vt *Iac.* 1. Suſcipite inſitum verbum .i. Filium Dei humanæ naturæ vnitum. Et ſic cùm Diuina Perſona ſit prædominans in hac vnione, trahit humanam naturam ad vnitatem ſuæ hypoſtaſis. Vnde humanitas non eſt pars Diuinæ Perſonæ: ſed eſt de illa, quia eſt vna hypoſtaſis vtriuſque. Seruatur autem integritas vtriuſque naturæ. *Ad* 1. Perſona eſt ens per ſe .i. non dependens ab alio: poteſt tamen eſſe cum alio, ſi non trahatur, ſed trahat aliud ad ſui vnitatem. *Ad* 2. & 3. Filius Dei vt eſt res naturæ, eſt extremum huius vnionis: prout autem perſona, eſt medium huius vnionis. Extrema ſeipſis non vniuntur, ſed per medium: medium autem ſeipſo vnitur extremis. *Art.* 2. An abſtracta ratione Perſonæ poſſit intelligi vnio in hypoſtaſi? *Solutio.* Dicunt quidam quòd abſtractio perſonæ in Deo poteſt eſſe vel ab omni, vel ſolùm ab hac aut illa perſona: ſi ab omni, non poteſt adhuc intelligi vnio in hypoſtaſi, ſed ſi ſolùm ab hac, vel illa; quia abſtracta omni perſona non poteſt intelligi vlla hypoſtaſis actu, ad quam vnio fieri poſſit. Vel poteſt aliter dici, quòd vt *lib.* 1. determinatum eſt, abſtractis proprietatibus perſonalibus, adhuc eſt intelligere hypoſtaſes in Diuinis, vt diſtinctas ſuo modo, licet non proprietatibus perſonalibus: vnde eſt intelligere eas vt vnibiles. *Ad* 1. *Arg.* Licet in Diuinis non ſit vlla hypoſtaſis diſtinguibilis, quin ſit actu diſtincta: quia idem eſt ibi Hypoſtaſis & Perſona; poteſt tamen intelligi hypoſtaſis vt diſtinguibilis, non diſtincta proprietate perſonali. Nam poteſt intelligi vnus eſſe ab vno, vel à duobus: non intelligendo per generationem, vel per ſpirationem. *Ad* 2. Intelligendo diſtinguibile ſeu hypoſtaſim, non ponitur vlla imperfectio, ſeu potentialitas ad actum perficientem, &c. Poteſt ergo intelligi hypoſtaſis vnibilis: non tamen in vnitate perſonali, ſed hypoſtaſeos.] Sic enim videtur corrigendum in textu *ſiue* in *ſed*. *Art.* 3. An abſtracta hypoſtaſi & perſona, poſſit adhuc intelligi vnio Diuinæ & humanæ naturæ.

Digitized by Google

naturæ. *Solutio.* Quidam dicunt, quòd ſi humana natura vniatur alicui, non fiet vnio in natura ſolùm, cùm Deitas ſit quaſi natura communis naturæ: nec fiet vnio in Re Naturæ vt vniuerſalis; ergo vt ſingularis, ſeu in hoc qui eſt Deus. Sicut ergo Perſona ſeu habens naturam Diuinam, vt ſua proprietate actu diſtinctam, ſe habet ad hypoſtaſim, ſeu ad habentem naturam Diuinam in communi: ita hypoſtaſis ad Rem naturæ ſingularis, ſeu vt habentem eam ſingulariter. Ergo ſi abſtracta perſona ſimpliciter, nulla poteſt intelligi vnio in hypoſtaſi: ſic abſtracta hypoſtaſi, nulla vnio in re naturæ. *Ad Arg.* Abſtracta perſona & hypoſtaſi intelligitur adhuc Res naturæ: ſed non vt vnibilis. *Aliter videtur nobis dicendum,* quòd Res naturæ & hypoſtaſis poteſt faciliùs intelligi vnibilis, quàm perſona: quia vt ſic intelliguntur in maiori diſtantia ab vltima diſtinctione quæ eſt ex proprietate perſonali, ſicque in maiori aptitudine ad vnionem: non tamen in vnitate perſonæ, ſed hypoſtaſeos, ſeu habentis naturam.] Hinc patet illud *ſine* ſupra corrigendum fuiſſe in *ſed.* [Siue vnibilis intelligatur paſſiuè ſeu potens vniri, ſiue actiuè ſeu potens vnire: Res habens Diuinam naturam, ſeu hypoſtaſis, poteſt intelligi vnibilis.

*Memb.* 2. De cauſa huius vnionis. *Art.* 1. An ſit gratia? *Solutiò.* Eſt in Chriſto gratia vnionis naturæ humanæ cum Diuinà: quia non eſt vlli creaturæ poſſibilis eleuatio, aut diſpoſitio ad hanc vnionem. *Art.* 2. An hæc vnitas ſit naturalis. *Solutio.* Non eſt naturæ, ſed gratiæ: ideoque non continetur ſub modis vnius à Philoſopho numeratis; poteſt tamen reduci ad vnum, totalitate perfectionis, non compoſitionis. *Art.* 3. An hæc vnitas ſit maxima. *Solutio. ex S. Bern. lib. de conſid. ad Eug.* Inter vnitates plurium inter ſe, poſt vnitatem trium Perſonarum Diuinarum in natura, maxima eſt hæc vnitas trium naturarum, Diuinæ, humanæ ſpiritualis, & corporalis, in vna perſona Filij Dei. *Ad* 1. Magis eſt indiuiſa vnitas Diuinitatis & humanitatis in Chriſto, quàm vnió animæ & corporis. *Ad* 2. Relatio, vel eſt ſubſiſtens aut inſiſtens, ſubſtantialis & eſſentialis ipſi ſubſtantiæ: vel aſſiſtens, ſeu conſequens ad eſſe ſubſtantiæ, quantitatis, aut qualitatis; illa habet maximè de eſſe, hæc minimè. In S. Trin. non eſt relatio vt aſſiſtens, ſed vt inſiſtens vel ſubſiſtens: ideoque facit Perſonam veriſſimè eſſe; quia perſonalis eſt, habetque magis de eſſe quàm vlla creata ſubſtantia.

*Memb.* 3. De effectu huius vnionis. *Art.* 1. An mutet vnita. *Solutio.* Non mutat Verbum Diuinum, ſed ſolam naturam humanam: vt Lux vnitur aëri mutatione ſolius aëris, non lucis. *Ad Arg.* Deus non aliter ſe habet intrinſecè ad naturam humanam, quàm prius: ſed natura humana Chriſti ad Deum. *Art.* 2. An mutet vnum in alterum, aut faciat vnum eſſe vel dici alterum. *Solutio.* In Diuinis ſunt variæ prædicationes. 1. Per entitatem ſeu identitatem. 2. Eſſe de. 3. Eſſe huius. 4. Eſſe ad. 5. Eſſe ab. 6. Eſſe in, &c. Deus eſt homo, ſeu Filius Dei eſt homo: dicitur eſſe De. *Quia vnio naturæ Diuinæ & humanæ in Chriſto, eſt quaſi per inſertionem: quia vnum non fit alterum, nec in altero vt ſubiecto; ſed fit de eſſe alterius. Vt pirum fit de eſſe illius arboris cui inſeritur: ſic cùm dicitur, Chriſtus eſt homo .i. humana natura eſt de Chriſto. Nam vt cùm dico homo eſt animal, animal non eſt totum eſſe hominis, ſed eſt de eius eſſe: ſic & Verbum eſt inſitum naturæ humanæ, vt hanc trahat ad eſſe ſuæ hypoſtaſis, ſeu faciat eam de eſſe ſuo. Et ſic facit, quòd homo ſit de eſſe Perſonæ Verbi, ſiue quid ſuæ hypoſtaſis: non quod ſit ipſum rectè. Imò prædicatur ibi eſſe De, vt in recto, Filius Dei eſt homo: vt, Arbor eſt pirum. Ad Arg. ex Aug. Iſta ſuſceptio facit hominem eſſe Deum, & Deum hominem: non ſignificando quòd natura humana ſit Deus in recto, ſed de eſſe hypoſtaſis Filij Dei.*

## QVÆSTIO 8. *De Conceptione Chriſti.*

*Memb.* 1. De eius tempore, *ex Gal.* 4. Vbi venit plenitudo temporis, &c. §. 1. De plenitudine naturæ, gratiæ, & gloriæ. §. 2. De miſſione Filij Dei. Vt *p.* 1. *q.* 71. 72. 73. 74. §. 3. De Filio Dei facto & genito ex muliere. §. 4. De facto ſub lege, ſubiectione voluntaria, non neceſſaria.

*Memb.* 2. De ordine Conceptionis. An Caro Chriſti priùs fuerit concepta, quàm aſſumpta. *Reſp.* Non prius tempore, ſed natura. 1. Ex infinita Dei virtute ad vtrumque ſimul. 2. Ex gratia ad vtrumque. 3. Ex cõparatione huius operis ad creationem. Ordine intelligentiæ, prior *eſt* miſſio Perſonæ Diuinæ. 2. Conceptio Carnis ex virgine. 3. Creatio, & infuſio animæ. 4. Aſſumptio vtriuſque à Perſona Diuina. 5. Vnio, ſeu terminus huius aſſumptionis. 6. Incarnatio, ſeu expreſſio vnionis, non ad ſolam animam, ſed & ad corpus in vnitate perſonæ.

*Memb.* 3. An, & cur de Spiritu S. *Art.* 1. Quia ratio motiua Incarnationis fuit ſumma Dei Bonitas & Charitas: ſed cauſa effectiua, fuit Omnipotentia Dei. *Art.* 2. Quia ex ſola gratia: non ex vllis præuijs meritis naturæ aſſumptæ; nec vllis condignis, ſed tantum congruis Eccleſiæ. *Art.* 3. Quia virtute & operatione appropriata Spiritui S. *Art.* 4. Hinc tamen Chri*ſt*us vt homo non dicitur Filius Spiritus S. nec Filij Dei, imò nec ſimpliciter Patris, aut S. Trinitatis: ſed Filius Dei, ne confundantur relationes perſonales, & Filiatio temporalis cum æterna. *Ad* 2. Tota Trinitas dicitur Pater no*ſt*er: non tamen ſimpliciter pater Chri*ſt*i; quia nos ſumus Filij adoptiui, Chri*ſt*us autem nonniſi naturalis. *Ad* 4. Pote*ſt* vt homo dici Filius S. Trin. vel Patris, aut Spiritus S. per creationem: non autem ſimpliciter. *Ad vlt.* Vt homo non e*ſt* Filius Spiritus S. quia non e*ſt* de ſub*ſt*antia eius. *Ad maiorem euidentiam, gratia non fuit Chriſto naturalis quaſi ab ipſa natura, ſed per modum naturæ.* 1. *Quia ineſt ei inſeparabiliter, vt vires naturales.* 2. *Quia ineſt ei à primo inſtanti ſuæ conceptionis. Dicitur autem,* 1. Ioan. 2. Coloſſ. 1. *Plenus gratia & Diuinitate corporaliter,* prout corpus opponitur vmbris figurarum. 2. Quia in corpore aſſumpto, & vnito hypo*ſt*aticè. 3. Ad ſimilitudinem triplicis dimenſionis corporalis.

## QVÆSTIO 9.

*De ſanctitate Conceptionis.*

*Memb.* 1. Quorum ſit ſanctificatio? *Art.* 1. Sanctificatio e*ſt* motus ad ſanctitatem: quia propriè

priè eſt ſolius rei rationalis, non autem irrationalium; niſi relatiuè ad rationales. *Art.* 2. Vt natura humana Chriſti fuit creata à non eſſe, in eſſe: ſic & in primo ſuo inſtanti ſanctificata, de non ſanctâ negatiuè, in ſanctam; non autem de non ſancta priuatiuè, aut contrariè, nec de minùs ſancta in ſanctiorē, ſed in eiuſdem ſanctitatis continuationē.

*Memb.* 2. De ſanctificatione B. Virginis. *Art.* 1. An fuerit ſanctificata in ſuis Parentibus ante Conceptionem propriam? *Reſp.* Quòd non: quia ſanctificatio parentum eſt tantum perſonalis, non autem ipſius naturæ per quam fit generatio. *Art.* 2. An fuerit ſanctificata in ipſa Conceptione ſua? *Reſp.* Ex *S. Bern.* quòd non: quia quamuis actus coniugalis poſſit eſſe meritorius vt perſonalis & voluntarius; non tamen ipſa Conceptio, quæ non eſt niſi naturalis, & naturæ vt natura eſt. *Art.* 3. An fuerit ſanctificata poſt Conceptionem ſui corporis, ante infuſionem animæ. *Reſp.* Quòd non: quia corpus non eſt capax glorificationis, nec gratiæ ſanctificantis ad gloriam, niſi per vnionem cum anima rationali. *Ad* 1. S. Ioannes fuit ſanctificatus in vtero poſt animationem, ante motus vitales, & experimentales. *Ad* 2. S. Ier. fuit ſanctificatus per ſolam prædeſtinationem priuſquam formaretur in vtero. *Art.* 4. An fuerit ſanctificata in vtero poſt infuſionem animæ. *Solutio.* Fuit ſanctificata in vtero matris poſt infuſionem animæ, maiori dono gratiæ, quàm vllus alius, &c. vt *p.* 1. *q.* 11. *Art.* 5. An fuerit ſanctificata in vtero, non tantùm à culpa, ſed etiam à fomite. *Solutio.* Necdum ex tunc à fomite naturæ ante Conceptionem Filij. *Credo firmiter quòd B. Virgo in prima ſanctificatione, quantum ad ſuam perſonam ita purgata fuit, & à peccato & à fomite, prout dicit pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum: quòd nihil in perſona ſua remanſit purgandum, ſed ſolùm in natura.*

*Memb.* 3. De ſanctificatione B. Virginis in Conceptu Saluatoris. *Art.* 1. An neceſſaria fuerit eius ſanctificatio ſecunda. *Solutio.* Primò, ſanctificata fuit eius caro in ſe, vt eſt ſingularis perſonæ, comparatiuè ad ſuam animam. 2. Vt erat naturæ humanæ, & principium generationis Chriſti. Prima ſanctificatio fuit ab omni inclinatione, non tantùm propria, ſed & aliena, ad motus concupiſcentiæ. *Ad* 1. Fomes fuit primò extinctus, vt corrumpit perſonam: ſecundò, vt corrumpit naturam. *Art.* 2. An in Conceptione Filij fuerit ſanctificata ab aliqua culpa, vel à potentia peccandi, vel à reatu carentiæ viſionis Dei. §. 1. Non ab vlla culpa propriè dicta: quia nulli fuit abnoxia. §. 2. Sed ab omni potentia peccandi: vt Angeli per confirmationem in gratia. §. 3. Et ab omni defectu proprio ſeu perſonali, ad videndum Deum: non tamen ab omni defectu naturæ. *Art.* 3. Per quem fuerit ſanctificata? *Solutio.* Non per Angelum, niſi quoad aliquam cognitionem: ſed à ſolo Deo. *Art.* 4. De ſanctificatione ipſius corporis Chriſti concepti, ante, vel in ipſa Conceptione. *Reſp.* Quidam putarunt Carnem illam ab initio fuiſſe præſeruatam à maſſa corruptionis, ex *Heb.* 7. Quòd Chriſtus non fuerit decimatus in lumbis Abrahæ, ſicut Leui: Sed quia caro Leui & Chriſti non erant actu in Abraham, ſed ſolùm potentia; non videtur ratio hanc ab initio præſeruandi. Ideo dupliciter dicitur eſſe in lumbis Abrahæ, materialiter, & ſeminaliter: omnes præter Chriſtum fuerunt in lumbis Abrahæ vtroque modo; ſed Chriſtus ſolùm materialiter, & ideo omnes præter Chriſtum decimandi erant.

*Memb.* 4. De perfectione, animatione, & aſſumptione Corporis Chriſti, eodem primo inſtanti: augmentatione autem eius, ſucceſſiuè. *Aug.*

QVÆSTIO. 10. *De Natiuitate Filij Dei.*

*Memb.* 1. An natura Diuina ſit nata? *Reſp.* Quòd non: quia hæc eſt proprietas Filij.

*Memb.* 2. An ſint duæ Natiuitates Filij Dei? *Reſp.* Eſſe duas, æternam, & temporalem: non tamen dici bis genitum numero temporum, ſed ordine generationum.

*Memb.* 3. An Chriſtus poſſit dici duo Filij? *Reſp.* Quòd non: quia eſt vnica perſona, nec ex duplici generatione ſunt duo geniti.

*Memb.* 4. An Chriſtus vt homo ſit Filius adoptiuus? *Reſp.* Quòd non: quia nunquam eſt factus ex non filio filius. *Ad* 1. *Ex S. Hilar. de Trin.* Humanitas Chriſti ſingularis non adoptatur, ſed communis aliorum hominum. *Ad* 2. *ex Aug.* Eadem gratia increata quâ homo cauſaliter fit Chriſtianus, & homo factus eſt Chriſtus. *Ad* 3. Adoptio ſupponit hominem necdum filium: creatura autem, nihilum.

*Memb.* 5. An Chriſtus vniuocè dicatur Filius Dei, & Filius Virginis? *Reſp.* Nec vniuocè, nec æquiuocè: ſed analogicè, quoad prius & poſterius. *Ad* 1. Deus dicitur naturâ formaliter: dicitur Filius naturâ, quaſi materialiter, ſeu vt habens naturam; ſed Filius formaliter filiatione, &c.

*Memb.* 6. De filiatione adoptiua. *Art.* 1. An Paternitas & Filiatio dicatur vniuocè de Diuina & humana? *Reſp.* Vt eſt eadem ratio principij in Patre ad Filium ſuum, & creaturas: ſic & eadem ratio Patris ex ſe quoad rem, ſed diuerſa tantùm quoad modum, & ex parte noſtra. *Ad vlt.* Gratia & natura non faciunt diſtinctionem ex parte eius à quo ſunt, ſed eorum quæ ſunt ab illo. *Art.* 2. An ſit proprium Deo Patri, eſſe Patrem noſtrum? vel commune tribus Perſonis? *Reſp.* Eſt commune tribus: quamuis approprietur Patri quòd ſimus; Filio, quòd ad imaginem; Spiritui S. quòd ad ſimilitudinem. *Ad* 1. Hæc Paternitas non conuenit Filio vt Filius eſt, ſed vt principium gratiæ. *Art.* 3. An Chriſtus vt homo ſit Filius S. Trin. de quo ſat ſupra. *q.* 8. *m.* 3. *a* 4. *Art* 4. Vnde ſit in nobis Filiatio? *Reſp.* A Deo per gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. *Art.* 5. An hæc filiatio adoptiua fuerit ante Incarnationem? *Reſp.* Adoptio ante peccatum, eſt de non filio in filium, per gratiam: poſt peccatum, de filio iræ in filium gratiæ. Ante Incarnationem, ex eius fide erat filiatio in potentia, non in effectu hæreditatis: poſt Incarnationem verò & paſſionem, eſt filiatio in effectu. Si non eſſet Incarnatio, eſſet ſolùm hæreditas Diuinitatis: ſed per Incarnationem eſt etiam humanitatis, & cohæreditas Chriſti.

QVÆSTIO 11. *De gratia Chriſti in genere.*

*Memb.* 1. An in Chriſto ſit gratia vnionis? *Reſp.* Quòd ſic, vt *ſup. q.* 7. *m.* 2. *a.* 1. *Ad* 1. Corpus

Digitized by Google

pus eſt ſuſceptiuum peccati & gratiæ per accidens, ſeu per animam. *Ad* 2. In triduo, Deitas vniebatur corpori, mediante diſpoſitione relicta ab anima.

*Memb.* 2. An in Chriſto ſit gratia Capitis? *Reſp.* Quòd ſic: quia gratia eſt quidem in nobis à Deo ſolo cauſaliter; ſed per fidem, merita, impetrationem, & diſpoſitionem Chriſti. *Epheſ.* 1. *Coloſſ.* 2. *Ioan.* 1. 1. *Ioan.* 2. *Rom.* 5. *Ad* 2. Mens noſtra immediatè formatur à Deo: ſed inter dantem & accipientem poteſt eſſe medium.

*Memb.* 3. An in Chriſto ſit gratia ſingularis, ac perſonalis. *Reſp.* Quod ſic: *ita vt nihil deſit ei de gratia quæ poſſit haberi ab homine.* *Ad* 1. Vt minor lux corporalis abſorbetur à maiori: quoad apparentiam, non quoad vim & effectum; ſic de gratijs Chriſti. *Ad* 2. Vna eſt gratia Chriſti quoad eſſentiam, non quoad actum.

QVÆSTIO 12. *De gratia Chriſti in ſpeciali.*

*Memb.* 1. De gratia vnionis. *Art.* 1. An ſit creata, vel increata? *Reſp.* Gratia vnionis diſponens, eſt creata: ſed complens, eſt increata, & ipſe Spiritus S. qui non ſolùm eſt donum per appropriationem, ſed & amor & donum per proprietatem; quia Diuinitas & humanitas maximè diſtant, nec poſſunt inter ſe vniri niſi mediante diſpoſitione humanitatis, & amore communicatiuo Diuinitatis. *Art.* 2. An ſit eadem cum gratia Capitis, vel quæ earum ſit prior? §. 1. Eadem eſt re & ratione gratia increata vnionis, & Capitis: ſed creata eſt alia & alia ratione, non re. Vt eſt alia lux lucens in ſole, & illuminans inferiora, &c. §. 2. Gratia vnionis eſt prior intelligentia, quàm gratia Capitis: quia ex fide huius vnionis Chriſtus eſt nobis Caput, noſque membra eius.

*Memb.* 2. De gratia Capitis. *Art.* 1. A qua proprietate dicatur Caput noſtrum, per quam naturam, & an hoc ſit ei ſoli proprium. §. 1. Dici poteſt Caput a varijs metaphoris: ſed propriè ab influentia ſenſus ſpiritualis per fidem, & motus per amorem. *Ad Arg.* Dicitur potiùs Caput quàm Cor Eccleſiæ: ab influentia potiùs voluntaria Capitis quàm Cordis. §. 2. Tota Trinitas poteſt dici communiter Caput Eccleſiæ, influens omnem gratiam: ſed propriè ſolus Chriſtus vt homo, ex conformitate naturæ humanæ nobiſcum. *Epheſ.* 1. §. 3. Soli Chriſto propriè conuenit eſſe Caput Eccleſiæ, per influentiam gratiæ, & conformitatem naturæ. *Art.* 2. Quorum Chriſtus ſit Caput? 1. An etiam Angelorum. 2. An omniũ Electorum. 3. An etiam Reproborum. 4. An ſolùm Animarum, vel etiam corporum. §. 1. A metaphora Regis, ac primi motoris, Chriſtus eſt etiam Caput Angelorum: ſed à conformitate naturæ, non eſt Caput Angelorum ſimpliciter, ſed ſecundùm eorum conuenientiam cum Anima rationali. §. 2. Chriſtus, vt creditus & dilectus ab omnibus Electis ante & poſt Incarnationem, eſt Caput eorum omnium. *Ad* 1. Non dicitur Caput vt eſt homo in re, ſed in fide. §. 3. Eſt Caput etiam Reproborum, quamdiu ſunt in Fide, & Charitate: quia influit eis ſenſum Fidei, & motiua Charitatis. §. 4. Non eſt ſolùm Caput animarum noſtrarum, ſed etiam corporum, ex 1. *Cor.* 6. *Art.* 3. De vnione & influentia Capitis in ſua membra. §. 1. In vnitate Eccleſiæ ſunt omnes fideles boni & mali: ſed vnitas Corporis Eccleſiæ non eſt niſi per fidem Charitate formatam. Vnde mali ſunt de Eccleſia, ſed non propriè de Corpore Eccleſiæ. §. 2. Vnum Corpus Eccleſiæ dicitur ab vna perfectione Spiritus S. & conſimili diſpoſitione. §. 3. Vnio capitis & Corporis Eccleſiæ, eſt conformitas voluntatis per iuſtitiam præſentem. §. 4. Chriſtus vt homo influit gratiam Corpori Eccleſiæ & membris eius. 1. Per modum meriti. 2. Per modum exemplaris. 3. Per modum Capitis, ex Charitate ad ſuum Corpus & membra. §. 5. Angeli percipiunt etiam à Chriſto vt Capite cognitionem veritatis, *Epheſ.* 3. honorem reparationis, *Epheſ.* 1. Iucunditatem contemplationis, 1. *Pet.* 1. Eccleſia poſt Incarnationem & paſſionem Chriſti maiorem participat ab eo gratiam, quàm ante, *Rom.* 3.

*Memb.* 3. An gratia ſingularis ſeu perſonalis Chriſti, ſit gratia plenitudinis. *Reſp.* Gratia vnionis eſt gratia plenitudinis, in ratione cauſæ finalis, ſeu perfectiſſimæ poſſibilis. Gratia Capitis, eſt gratia plenitudinis in ratione cauſæ efficientis. Gratia ſingularis Chriſti, eſt gratia plenitudinis in ratione cauſæ formalis: quia pleniſſimè informat omnes vires Animæ Chriſti, ad omnes actus. *Ad* 1. In Chriſto fuit perfectio omnium virtutum ſine imperfectione. *Ad* 2. Stephanus dicitur plenus gratia, *Act.* 1. quoad ſufficientiam: Eccleſia dicitur plena gratia quoad omnem eius varietatem in ſuis membris, 1. *Cor.* 13. Beata Virgo dicitur plena gratia, *Luc.* 1. per excellentiam omnis puræ creaturæ; Chriſtus, *Ioan.* 1. dicitur plenus gratiæ & veritatis, quoad omnem perfectionem ſeu conſummationem ſine imperfectione.

*Ad aliam Quæſt.* Natura humana Chriſti poteſt dici membrum Corporis Eccleſiæ, reſpectu Deitatis vt Capitis, 1. *Cor.* 12. non autem reſpectu Chriſti hominis vt Capitis.

QVÆSTIO 13. *De ſcientia Chriſti*

*Memb.* 1. An vt in Chriſto ſunt duæ naturæ, ſint & duæ ſcientiæ. *Reſp.* Quòd ſic: quia ſcientia afficit & perficit naturam, & variatur ſecundùm eam. *Ad Arg.* Scientia humana non eſt neceſſaria perſonæ Diuinæ: ſed ad perfectionem intrinſecam naturæ humanæ.

*Memb.* 2. An Chriſtus habuerit ab initio omnem ſuam ſcientiam infuſam, vel ſucceſſiuè acquiſierit? *Reſp.* Habuit perfectiorem ſcientiam ab initio infuſam, eorum omnium quæ poſtea didicit per experientiam, *Heb.* 5. *Luc.* 2.

*Memb.* 3. Chriſti ſcientia fuit ſine vlla ignorantia: ex clara Dei viſione, infuſione, perfectione naturæ ſpiritualis, & indecentia ac nocumento ignorantiæ.

*Memb.* 4. An Chriſtus habuerit omnium ſcientiam? *Reſp.* Quòd ſic, ex *Anſ. lib.* 2. Cur Deus homo, & *Apoc.* 2. Dignus eſt Agnus accipere ſapientiam, &c. *Ad Arg. ex Matt.* 13. Filius dicitur neſcire diem Iudicij, vel ſecundùm naturam humanam per ſe, vel de Filio Dei adoptiuo. *Ad quæſt.* An Chriſtus vt homo habeat ſcientiam creandi mundum: Non effectiuè, ſed obiectiuè .i. de creatione mundi.

*Memb.*

Digitized by Google

*Memb.* 5. *An Chriſtus habeat omnem modum ſciendi?* *Reſp.* Habuiſſe omnem modum ſciendi ſine imperfectione ignorantiæ: vt deliberatiuè, ſucceſſiuè, experimentaliter, ſine priuatione perfectionis cognitionis; ſed cognitio experimentalis pœnarum, non conſiſtit cum perfecta Beatitudine, 1. *Cor.* 13.

*Memb.* 6. An Chriſtus receperit aliquam cognitionem ab Angelis. *Reſp.* Quòd non: quia non fuit eis inferior Sapientiâ.

*Memb.* 7. An ſcientia animæ Chriſti fuerit æqualis Diuinæ circa creaturas? *Reſp.* Quòd non: quia quamuis ſciat omnes quas Deus ſcit, dependenter tamen & inæqualiter.

QVÆSTIO. 14. *De potentia Chriſti.*

*Memb.* 1. An in Chriſto fuerit potentia peccandi? *Reſp.* Quòd non: quia hæc non eſt vera poteſtas; nec Chriſtus potuit peccare niſi vellet, non potuit autem velle, ſeu in volendo deficere.

*Memb.* 2. An in Chriſto fuerit Omnipotentia? *Reſp.* Anima Chriſti nec habet nec habuit Omnipotentiam vt Omniſcientiam: ſed tantùm vt habet Diuinitatem Omnipotentem. *Ad* 1. Ex *Ioan.* 3. Data eſt ei gratiâ ſine menſura: ſed ad cognoſcendum ſcibilia, & operandum poſſibilia Creaturæ: Omnia autem ſunt ei ſcibilia, non omnia poſſibilia. *Ad* 2. Omniſcientia tantùm includit ſimilitudinem rerum omnium: non autem cauſalitatem, vt Omnipotentia. *Ad* 3. Hæc ſcientia eſt ex potentia cognoſcendi, non agendi. *Ad* 4. Anima Chriſti habuit ſcientiam practicam omnium: non tamen practicè, ſed ſpeculatiuè. *Ad* 5. Anima rationalis eſt infinita, ſeu illimitata ad cognoſcibilia, non ad operabilia, &c.

QVÆSTIO 15. *De voluntate & oratione Chriſti.*

*Memb.* 1. De voluntate. *Art.* 1. Fuerunt in Chriſto variæ voluntates abſque vlla rebellione. *Matt.* 22. *Art.* 2. Fuit in Chriſto voluntas Diuina & humana: humana rationalis & ſenſualis; rationalis, naturalis & libera; & quælibet vel vt propria ac perſonalis Chriſti, vel vt membrorum ſuorum. Quarum nulla fuit alteri contraria, nec moraliter, nec naturaliter: quia non ſecundùm idem, nec circa idem. *Ad* 1. Voluntates contrariorum non ſunt contrariæ? niſi ſint voluntates eiuſdem generis. *Ad* 2. Caro non dicitur contraria ſpiritui, *Gal.* 5. quia concupiſcant contraria: ſed quia illa concupiſcit quod hic non vult eam concupiſcere. In Chriſto mors & vita concupitæ, fuerunt contrariæ: non tamen ipſum concupiſcere carnis & ſpiritus, quia hic volebat vt illa hoc concupiſceret. *Ad* 3. Sola voluntas libera tenetur ſe conformare Diuinæ. *Ad* 4. *S. Hier.* vocat voluntatem humanam, ſenſualem, aut naturalem, &c. *Ad.* 5. Motus voluntarius propriè dicitur à voluntate rationali & libera: nonniſi impropriè, à naturali aut ſenſuali.

*Memb.* 2. De Oratione Chriſti. *Art.* 1. Oratio illa Chriſti, *Matt.* 26. fuit ex affectu rationis vt proponentis, & ſenſualitatis vt mouentis. Materia huius orationis fuit à ſenſualitate: ſed eius forma conditionalis, à ratione. *Art.* 2. Chriſtus fuit in omni ſua oratione exauditus pro ſua reuerentia, *Heb.* 5. quoad formam. & intentionem orandi, non quoad materiam.

QVÆSTIO 16. *De merito Chriſti.*

*Memb.* 1. An Chriſtus meruit ſibi vel nobis? *Reſp.* Mereri 1. impropriè ſeu interpretatiuè, eſt retribui aliquid indigno, ac ſi meruiſſet. 2. Mereri communiter, eſt de congruo. 3. Propriè, eſt de non debito facere debitum, 2. *Tim. vlt.* 4. Eſt de debito facere maiùs debitum: vt gratia meretur augeri, & aucta perfici. 5. Eſt de debito habitus facere debitum actus: quomodò Chriſtus meruit ſibi; quia cùm ab inſtanti conceptionis ex habitu plenitudinis gratiæ deberetur ei omne bonum, ſuis operibus excellentibus fecit ſibi deberi actu. Hinc *ad* 1. *Ad* 2. Reſpondent, quòd Vt Angeli Beati non merentur contemplando Deum, ſed nobis miniſtrando: ſic nec Chriſtus vt comprehenſor, ſed vt viator. *Ad* 3. & 4. Chriſtus non meruit ſecundùm partem ſuperiorem, quâ beatus erat: ſed ſecundùm inferiorem adhuc paſſibilem. Motus Charitatis in Deum, vt pars beatitudinis, non erat meritorius: ſed motus Charitatis in proximum. *Ad* 5. Chriſtus actu ſuæ Charitatis non meruit maiùs bonum ſua beatitudine: ſed meruit nobis vitam æternam.

*Memb.* 2. De tempore merendi. *Art.* 1. An ab initio Conceptionis meruerit? *Reſp.* Non ab initio intra, ſed extra ſumpto .i. non ipſo primo inſtanti, ſed poſt. *Art.* 2. An ita continuò meruerit, vt non potuerit non mereri? *Reſp.* Vt viator non potuit non mereri: non tamen illo actu neceſſario, ſed aliquo ſibi voluntario ac libero. Quia virtutes in eo non poterant eſſe otioſæ: nec erat liber aut indifferens ad bonum vel malum, ſed ad hoc vel illud bonum.

*Memb.* 3. De cauſa merendi. *Art.* 1. Chriſtus meruit charitate, quamuis omne præmium excedentè. *Art.* 2. Tantùm meruit gratia & charitate ab initio conceptionis, quantùm ſua Paſſione: quoad vim merendi, non quoad effectum meriti, & ſatisfactionis. *Art.* 3. Chriſtus agendo, & patiendo non plus meruit, ſed pluribus modis. *Ad* 1. Meritum Chriſti non accreuit virtute, ſed numero. *Ad* 2. Vt tota vis comburendi eſt in igne, effectus tamen per applicationem materiæ: Sic tota vis merendi in Charitate; ſed effectus per opera informata Charitate. *Ad* 3. *vt ſupra* *Ad* 4. Chriſtus non meretur acquirendo ſibi aliquid debitum ex indebito, vel magis debitum ex minùs debito, ſed ex debito habitu, debitum vſu ſeu actus & ex debito vno actu, debitum etiam alijs actibus; & ex debito actione, debitum etiam paſſione. Quomodo non meruit ab initio conceptionis: ſed ex tunc debito habitus erat dignus omnibus bonis. *Ad* 5. Paſſio Chriſti erat in eius voluntate obiectiuè, ſeu volita & placita, ideoque meritoria. *Ad* 6. Paſſio Chriſti fuit ei voluntaria in fieri & eſſe: in Sanctis autem non in fieri & eſſe, ſed in effectu patiendi.

*Memb.* 4. De effectu meriti Chriſti. *Art.* 1. Quid ſibi meruerit, ex *Phil.* 2. §. 1. Non exaltationem ſuæ naturæ Diuinæ, quoad rem: ſed tantùm quoad hominum notitiam, & æſtimationem. §. 2. Meruit corporis ſui glorificationem: non tantùm quoad accelerationem, ſed etiam ex debita magis debitam. §. 3. Meruit nomen Ieſus, ſeu

ſeu Saluatoris: quoad actum ſaluandi, non quoad potentiam & habitum. Nomen Ieſu, & Chriſti, ſunt eiuſdem perſonæ: ſed illud ex comparatione naturæ Diuinæ ad humanam; hoc ex comparatione humanæ ad Diuinam. §. 4. Meruit & ſibi nomen Dei quoad manifeſtationem: quia, *ſi cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 1. *Cor.* 2. *Art.* 2. Quid Chriſtus meruerit nobis? §. 1. Meruit paſſione mortis remiſſionem omnium culparum, ipſius etiam Chriſticidij, ex 1. *Cor.* 2. *&c.* §. 2. Meruit nobis ſua morte remiſſionem mortis æternæ: quia cùm vita eius etiam humana eſſet vita Dei, erat dignior omni vita creaturæ, & mors eius omni morte. §. 3. Meruit etiam nobis remiſſionem pœnarum temporalium: quia paſſio Chriſti fuit maximè pœnalis contra naturam patientis, non contra eius voluntatem rationalem §. 4. Mortem noſtram temporalem & æternam, moriendo meritoriè deſtruxit.

QVÆSTIO 17. *De Paſſione Chriſti.*

*Memb.* 1. De eius veritate. *Art.* 1. De potentia patiendi in Chriſto. *Art.* 2. De vero ſenſu paſſionis in Chriſto, ex *Eſa.* 53. Verè languores noſtros ipſe tulit, &c. Vidimus eum virum dolorum, &c. *Matt.* 26. Triſtis eſt anima mea, &c: *Ad Hilar.* 10. *Trin.* *Reſp. Magiſter in* 3. *diſt.* 15. eum non negare veritatem paſſionis in Chriſto, ſed neceſſitatem & cauſam patiendi. Alij dicunt quòd neget paſſibilitatem Chriſti, non autem paſſionem: quia paſſibilitas afficit naturam humanam, paſſio autem denominat etiam perſonam. Alij dixerunt, potentiam patiendi eſſe ſolùm materialem: ſed paſſibilitatem eſſe aptitudinẽ & neceſſitatem patiendi, &c. Exponunt autem Chriſtum non habuiſſe ſenſum pœnæ.i. ſenſum, ſeu diſſenſum voluntatis à pœna: *Non timuiſſe, nec doluiſſe*, vt nos, & vt hæ paſſiopaſſiones definiuntur à Philoſopho per *motum inuoluntarium.* Sed *Reſp ex B. Aug.* Vt Chriſtus veram Carnem, ſic & veram triſtitiam ſuſcepit. Ad *B. Hil.* &c. Voluntas noſtra non eſt libera & Domina noſtrarum paſſionum, ſed actuum: voluntas autem Chriſti, tam paſſionum ſuarum, quam actiuum; ideoque *Hilar.* dicit Chriſtum non habuiſſe naturam patiendi, naturaliter & neceſſariò; verè tamen paſſum fuiſſe.

*Memb.* 2. De generalitate Paſſionis Chriſti. *Art.* 1. De generalitate paſſibilium ſecundùm ſenſum, ſenſualitatem, rationem inferiorem, ſuperiorem, voluntatem, animam, & ſpiritum. §. 1. Paſſio Chriſti fuit ſecundùm ſenſum, ac ſenſualitatem: non ex infirmitate naturæ, ſed ex poteſtate & voluntate. *Ad* 1. *ex S Hilar.* 10. *Trin.* Chriſtus & Martyres non fuerunt paſſi .i. non ſubiecti, ſed ſuperiores paſſionibus. *Ad* 2. Ex eodem, de tribus pueris, *Dan.* 3. non negat omnem ſenſum paſſionis, imò nec aptitudinem patiendi in Chriſto, ſed neceſſitatem. §. 2. Paſſio Chriſti, fuit ſecundùm rationem inferiorem, etiam vt ratio eſt: ſecundùm ſuperiorem autem, nonniſi vt natura eſt, appetens vnionem cum Corpore. §. 3. Chriſtus paſſus fuit etiam ſecundùm voluntatem rationalem, vt naturalis eſt, comparatiuè ad Corpus ſuum: non vt deliberatiua, & electiua. §. 4. Paſſus eſt voluntate abſoluta ab omni coactione, & cõditione: non autem ab omni relatione ad aliud. §. 5. Chriſtus paſſus eſt ſecundùm animam & ſpiritum, ſeu etiam vt ſpiritualis eſt: non tamen ſecundùm Spiritum abſolutè ab omni relatione ad corpus. Quia paſſio non poteſt eſſe voluntaria niſi placeat in ſuperiori parte rationis: ergo non poteſt ibidem diſplicere, ſeu eandem partem pœnaliter afficere. Ad *Matt.* 26. Triſtis eſt anima mea, & 27. Vt quid dereliquiſti me? Vt lux ſolis quamuis non illuminet infra ſe, ſemper lucet in ſe: ſic fruitio & delectatio Diuina ſemper fuit in ratione ſuperiori Chriſti, quamuis non influeret infra. *Art.* 2. De generalitate harum paſſionum corporalium, & ſpiritualium. §. 1. Chriſtus aſſumpſit omnes paſſiones non culpabiles, nec ſuæ dignitati derogantes, nec nobis inutiles, ſed ſalutares. *Ad* 1. *ex S Hil.* Chriſtus aſſumpſit omne genus, non autem omnem ſpeciem paſſionis.

*Memb.* 3. De neceſſitate paſſionis Chriſti. *Art.* 1. In nobis eſt neceſſitas moriendi & patiendi, ex cauſa materiali, formali, & efficiente: in Chriſto ex ſola cauſa finali noſtræ Redemptionis, *Heb.* 11. *Art.* 2. Neceſſaria fuit paſſio & mors Chriſti ad noſtram Redemptionem ſatisfactoriam, ſeu ad noſtri recuperationem iuſto pretio: non tamen ad liberationem alio modo. *Ad* 1. In peccato Adæ non ſolum fuit peruerſio, ſed & praua delectatio, paſſione Chriſti expianda. *Ad* 2. De vi & effectu meriti, vt ſupra. *Ad* 3. Vnica gutta Sanguinis Chriſti fuit ſufficiens ex dignitate perſonæ: non ex genere pœnæ. *Art.* 3. Paſſio & mors Chriſti non fuit neceſſaria neceſſitate coactionis, aut præcepti: ſed ſolius Decreti immutabilis,

*Memb.* 4. De conuenientia Paſſionis Chriſti. *Art.* 1. Quoad Deum. §. 1. Fuit conueniens Diuinæ Iuſtitiæ: vt non remitteretur culpa, ſine pœna. §. 2. Fuit conueniens Diuinæ Miſericordiæ: ad tantæ miſeriæ, & impotentiæ noſtræ ſubſidium. *Ad Arg.* Non fuit contra miſericordiam, permittere peccatum Chriſticidij ad hanc redemptionem. *Art.* 2. Quoad nos, Chriſtus non fuiſſet paſſus à dæmone, ſi non fuiſſet paſſus ab homine: ſuffeciſſetque ſola voluntas patiendi, ad redemptionem ſeu liberationem noſtram. *Ad* 1. Patiendo ab homine exequente, paſſus eſt à dæmone ſuggerente. *Ad* 2. Paſſio ab ipſo homine fuit conuenientiſſimum motiuum hominum ad amorem Chriſti.

*Memb.* 5. De quantitate Paſſionis 1. in ſe. 2. comparatiuè ad ſatisfactionem. *Art.* 1. Dolor Chriſti fuit maximus, contra optimam naturam patientis, & voluntatem naturalem, non rationalem, vt rationalis eſt. *Art.* 2. Paſſio & mors Chriſti fuit ſufficiens ad omnem ſatisfactionem, ex dignitate Perſonæ. *Ad* 1. Vita Chriſti, vt Dei, non vt ſolius hominis, erat ſufficiens ad ſatisfactionem pro infinitis peccatis. *Ad* 2. Vt peccatum Adæ fuit vniuerſale: ſic & ſatisfactio Chriſti. *Ad* 3. Peccatum Crucifixionis Chriſti non fuit infinitum: quia non extendebat ſe vltra cognitionem crucifigentium, 1. *Cor.* 2.

QVÆSTIO 18. *De effectu Paſſionis Dominicæ.*

*Memb.* 1. De effectu iuſtificationis à peccatis quoad culpam & pœnam, meritoriè & ſatisfactoriè. Ad quem fructum valet etiam Paſſio Chriſti



Digitized by Google

in nobis, per fidem, dilectionem, compaſſionem, & imitationem. §. 1 Remiſſio peccatorum, *Rom.* 4. tribuitur morti Chriſti, Iuſtificatio Reſurrectioni. 1. Quoad expreſſiorem ſignificationem. 2. Quoad perfectionem iuſtificationis futuræ.

*Memb.* 2. De effectu reconciliationis cum Deo, ex *Rom.* 5. *Art.* 1. An Chriſtus ſit Mediator? *Reſp.* Chriſtum vt hominem mortalem & beatum, eſſe Mediatorem reconciliationis inter Deum vt immortalem ac beatum, & homines vt mortales & miſeros, ex *B. Aug.* 11. *Ciu.* *Art.* 2. Secundùm quid ſit Mediator? *Reſp.* Non ſecundùm naturam aliquam mediam inter Diuinam & humanam: ſed ſecundùm quaſdam proprietates naturæ Diuinæ & humanæ. *Art.* 3. Quomodo ſit Mediator? *Reſp.* Eſt Mediator vt homo particeps proprietatum naturæ Diuinæ, & humanæ.

*Memb.* 3. De effectu liberationis à nimia poteſtate diaboli ad tentandum, & nocendum.

*Memb.* 4. De effectu deleti illius *Decreti*, & *Chirographi* nobis contrarij, *Coloſſ.* 2. i. illius memorialis aut obligationis: Et apertæ nobis ianuæ Paradiſi. §. 1. Neceſſaria fuit ad hunc effectum Paſſio Chriſti: quia quamuis ante Paſſionem Sancti per gratiam mererentur: non tamen poterant intrare vitam æternam, niſi præuia ſatiſfactione pro culpa orig. totius naturæ. Vt ſi cuius pater grauaſſet hæreditatem maiori debito, quàm ipſe ſoluere poſſet. §. 2. Non eſt dignitas ſufficientiæ in vllo ad vitam æternam, ſine Paſſione Chriſt: ſed ſolùm dignitas cooperationis cum Paſſione Chriſti. §. 3. Traditio Chriſti à Patre, & à ſeipſo ad mortem pro noſtra redemptione, *Rom.* 8. eſt optima ex intentione & fine: ſed à Iuda & Iudæis, peſſima. §. 4. Paſſio Chriſti vt illata à Iuda & Iudæis, eſt mala: vt à Deo ordinata, & à Chriſto acceptata & tolerata, eſt optima.

QVÆSTIO 19. *De morte Chriſti. De qua potius lugendum quàm diſputandum.*

*Memb.* 1. An ſeparauerit humanitatem à Diuinitate. *Reſp.* Quòd non: ſed ſolùm Animam à Corpore. *Ad* 1. Anima eſt medium congruitatis, non neceſſitatis, ad vnionem corporis cum Diuinitate. Hinc ſeparato corpore ab anima, non ſeparabantur à Diuinitate.

*Memb.* 2. An Deus dici poſſit ſimpliciter paſſus & mortuus? *Reſp.* Quòd ſic. *Ad* 1. *ex Aug.* Anathematizat dicentes Deum eſſe paſſum quoad ſenſum naturæ Diuinæ. *Ad* 2. Non ſunt contradictoria, nec contraria, Deum ſeu perſonam Dei eſſe paſſam ſecundùm naturam humanam, & non paſſam ſecundùm Diuinam. *Ad* 3. Deus ſupponit pro Perſona Diuina, naturæ Diuinæ & humanæ: de qua dicuntur quæ ſunt vtriuſque naturæ. *Ad* 4. Natura Diuina dicitur incarnata .i. Carni vnita: non tamen paſſa, mortua: quia naturæ non vniuntur in ſe, ſed in perſona, quam à ſuis proprietatibus, actibus, & paſſionibus denominant. *Ad* 5. Corpus Chriſti non vnitur Deo, vt formæ & Animæ quâ viuat: nec in vnam cum eo naturam eiuſdem vitæ.

*Memb.* 3. An Chriſtus in triduo mortis fuerit homo? *Magiſter* dicit quòd fuit homo: quia Deus tunc habuit eandem naturam ſibi vnitam vt prius. *Hugo* dicit quòd Deus factus homo nunquam deſijt eſſe homo, &c. quia putat eſſe perſonale hominis conſiſtere principaliter in anima, &c. *Suſtinendo ipſum: Sumpto homine pro coniuncto ex corpore & anima, Chriſtus in triduo non fuit homo: Sumpto homine pro perſona habente corpus & animam humanam, Chriſtus in triduo fuit homo.* Alij dixerunt diſtinctè, quòd Chriſtus in triduo non fuit homo: quia ad eſſe hominis requiritur vnio animæ cum corpore: Alij dicunt quòd homo mortuus non ſit verè homo actu & re; ſed ratione quâ eſt animal rationale. *Poteſt tamen dici aliter*, quòd Chriſtus in triduo erat homo materialiter: quia habebat corpus, & animam humanam; ſed non formaliter, quia non habebat naturam humanam compoſitam ex anima & corpore.

*Memb.* 4. De deſcenſu Animæ Chriſti ad Inferos, ex *Act.* 2. *Ad Arg.* Vt Paradiſus, ſic Infernus, poteſt ſumi vel pro loco, vel pro pœna: priori ſenſu Chriſtus deſcendit ad Inferos, non poſteriori. §. 1. Chriſtus deſcendit ad Infernum inferiorem reſpectu noſtri, non autem ad Infimum abſolutè.

*Memb.* 5. De quiete Corporis Chriſti in Sepulchro. *Ad* 1. Totus Chriſtus fuit triduo in inferno & in ſepulchro, ſed non totum: quia totus pertinet ad perſonam, totum ad naturam. *Ad* 2. Natura humana Chriſti non eſt pars reſpectu Diuinæ: vt corpus & anima ſunt inter ſe. §. 1. De deſcenſu Chriſti è Cœlo, vel ad Inferos: pro apparitione naturæ Diuinæ in humana.

QVÆSTIO 20. *De Reſurrectione Chriſti.*

*Memb.* 1. De eius veritate. *Art.* 1. An ſit? *Reſp.* Eſt neceſſaria viatoribus & Beatis, *Rom.* 4. 1. *Cor.* 15. *Heb.* 10. *Act.* 2. *Art.* 2. De modo Reſurrectionis. *Reſp.* Reſurr. communis ex *Damaſc.* eſt corporis & animæ iterata copulatio: ſed Reſurr. Chriſti, eſt corporis impaſſibilis iterata vnio.

*Memb.* 2. De cauſalitate & effectu Reſurr. *Art.* 1. An ſit cauſa meritoria. §. 1. An efficiens. §. 2. An materialis. *Reſp.* Eſt meritoria impropriè, ſeu impetratoria, *Rom.* 8. ſed propriè, efficiens, & materialis, vt credita; finalis, vt amata; & formalis, ſeu exemplaris, vt conſiderata. *Art.* 2. An ſit cauſa noſtræ iuſtificationis? *Reſp.* Eſſe, obiectiuè vt creditam & amatam: in re autem, diſpoſitiuè, & exemplariter. *Ad* 3. An ſit cauſa Reſurr. omnium? *Reſp.* Bonorum quoad immutationem, non Malorum. *Art.* 4. An ſit cauſa remota, vel coniuncta, ſeu proxima noſtræ Reſurr. etiam præſentis? *Reſp.* Non communiter ante finem mundi: ſed aliquorum ſingulariter. Nam *S. Hier.* non eſt auſus negare Reſurr. B. Virginis. *Art.* 5. An ſit cauſa neceſſaria vel contingens? *Reſp.* Non eſt neceſſaria per ſe, nec neceſſitate iuſtitiæ: ſed per accidens, & neceſſitate præſcientiæ. *Art.* 6. De differentia Paſſionis & Reſurrectionis in cauſando: quòd illa meritoriè, hæc efficienter.

*Memb.* 3. De Tempore Reſurr. Chriſti. *Art.* 1. De eius acceleratione, ad gloriam Dei, & ſalutem noſtram. *Art.* 2. De dilatione Reſurr. in diem 3. ad ſacram ſignificationem, veræ mortis probationem, & potentiæ manifeſtationem. *Art.* 3. De die & hora Reſurr. poſt tres dies & noctes ſepul-

turæ

Digitized by Google

turæ per Synecdochen. 1. fuit pars feriæ 6. cum nocte præcedente. 2. Tota dies Sabbathi cum nocte præcedente. 3. Fuit prima pars diei Dominicæ cum nocte præcedente.

QVÆSTIO 21. *De transfiguratione Chriſti, vt præludio Reſurrectionis. Matt.* 17.

*Memb.* 1. An mutatio illa dicenda ſit Transfiguratio. *Reſp.* Non ſecundùm quantitatem, ſed qualitatem formæ glorioſæ .i. transformatio.

*Memb.* 2. An apparitio illa glorioſa fuerit vera, vel imaginaria? *Reſp.* Fuit vera & expreſſa ſimilitudo glorioſæ Reſurrectionis.

*Memb.* 3. An illa forma glorioſa fuerit in ipſo Corpore Chriſti, vel in aere circumfuſo? *Reſp.* Fuit in ipſo Corpore Chriſti, vt in ſubiecto, ab anima glorioſa Chriſti.

*Memb.* 4. An fuerit forma glorioſa, vel ſimilis glorioſæ? *Reſp.* Poteſt dici glorioſa ſecundùm quid, & realiter ſimilis glorioſæ ſimpliciter.

*Memb.* 5. An fuerit Chriſto naturalis, vel aſſumpta? *Reſp.* Fuit ei naturalis in potentia & cauſa propria: non autem ex materia & fine noſtræ Redemptionis; nec ſemper infuit actu.

*Memb.* 6. An ſolùm Corpus Chriſti fuerit transfiguratum? *Reſp.* Fuit ſolùm transfiguratum ab intrinſeco, per expreſſam ſimilitudinem gloriæ internæ.

*Memb.* 7. Cur tunc apparuerit ſub ſola dote glorioſa claritatis, & poſt Reſurr. ſub alijs dotibus ſubtilitatis, agilitatis, impaſſibilitatis, &c. *Reſp.* Quia ex claritate lucis ſequitur ſubtilitas, agilitas, & impaſſibilitas: hæque ſunt perceptibiles intellectu, illa ſenſu; ideoque illa priùs debuit apparere, quàm hæ.

*Memb.* 8. An Moyſes & Elias apparuerint ibi verè, vel imaginariè. *Reſp.* Apparuerunt verè quoad animas proprias: vel ſub ſola ſimilitudine corporis, vel ſub aliquo corpore aſſumpto, vel fortè ſub proprio tantillum reſumpto, &c.

*Memb.* 9. An viſio illa Apoſtolorum fuerit corporalis? *Reſp.* Quòd ſic. *Ad* 1. Claritas ſolis ſuo calore nocet organo viſus: non ſic claritas corporis glorioſi. *Ad* 2. Non erat in poteſtate Apoſtolorum videre: ſed in poteſtate Chriſti ab eis videri.

QVÆSTIO 22.

*De argumentis Dominicæ Reſurr. ex Act.* 1.

*Memb.* 1. De his in genere. *Art.* 1. In veteri Teſt. fuerunt apparitiones Dei in creatura mutabili: hæ autem fuerunt Corporis Chriſti glorioſi. *Art.* 2. Hæ apparitiones probant veram paſſionem præteritam, & glorioſam Reſurrectionem ſubſecutam. *Art.* 3. Non euacuant meritum fidei: niſi quis eis ſolis innitatur. *Art.* 4. De numero & ſufficientia horum argumentorum ad probandum verum Corpus viuum, paſſum, glorificatum, &c. ex dote ſubtilitatis inferente agilitatem, & impaſſibilitatem; ſupponente autem claritatem, vt ſupra *q.* 21.

*Memb.* 2. De his argumentis in ſpeciali. *Art.* 1. De viſu. *Præpoſitiuus* dicit corpus glorificatum videri poſſe vt eſt, quando, & à quibus vult. *Altiſiodorenſis*, Videri poſſe prout vult. *Reſp.* In Chriſto fuit vnica ſpecies glorioſa in ſe: ſed quia receptum non eſt niſi ad modum recipientis, non videbatur ab Apoſtolis vt glorioſa. *Infra.* Credimus tamen quòd color iſte non erit eiuſdem rationis cum colore qui nunc eſt, ſed longè alterius. *Art.* 2. De tactu, *Luc. vlt.* §. 1. *Opinio* 1. Quòd corpus glorificatum non ſit naturaliter palpabile manibus non glorioſis, vt nec viſibile oculis: ideoque Corpus Chriſti viſum fuiſſe, ac palpatum miraculosè. 2. Quòd Corpus glorificatum eſt per ſe ſenſibile, aut inſenſibile, prout vult. *Solutio.* Vt lignum putridum, & quidam vermes noctu lucent, ſed de die videntur ſub proprio colore: ſic corpus glorioſum eſt palpabile per veritatem naturæ, & ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ. Hinc cum vtitur palpabilitate, poteſt palpari: cum ſubtilitate non poteſt, &c. Vnde vt S. Bartholomæus miraculosè videbatur aut non, quando volebat: ſic corpus glorioſum, ex natura ſuæ glorificationis. *Ad* 1. Corpus glorioſum eſt ſpirituale, 1. *Cor.* 15. hinc poteſt non videri. *Ad* 2. & 3. Poteſt palpari & reſiſtere tactui, quando vult: continendo ſuam ſubtilitatem, & vtendo palpabilitate naturali. *Poteſt dici* quòd re vera in iſta palpatione fuit ſenſus tactus, etiam proprij ſenſibilis .i. cuiuſdam reſiſtentiæ: non tamen materialis, ſeu materiæ condenſatæ, ſed virtualis. *Ad vlt.* Palpabilitas corporis vt ſolidi, non infert corruptibilitatem: ſed vt materialis & groſſi, ſeu denſi. §. 2. De non ſolò viſu, ſed & tactu cicatricum Chriſti à S. Thoma, ad fidem noſtram potiùs quàm ſuam: deque viſu, ac fructu ſalutari & glorioſo illatum cicatricum. *Art.* 3. De guſtu, ſeu eſu Chriſti: non ad neceſſariam nutritionem, ſed ad exercendam, ac probandam hanc vim naturalem maſticandi, & traijciendi cibum in ſtomachum; non autem conuertendi in Corpus iam glorioſum. *Ad Aug. lib. ſex q.* De conuerſione illius cibi in naturam ſpiritualem .i. in quandam euaporationem minus materialem.

QVÆSTIO 23. *De Aſcenſione Chriſti.*

*Memb.* 1. An ſit? *Solutio.* Aſcenſio Chriſti non fuit motus ab extrinſeco, nec ad ſupplendam aliquam indigentiam: ſed à ſua anima beata, & ex natura ſui Corporis glorioſi.

*Memb.* 2. Quid ſit Aſcenſio: an motus naturalis, vel violentus? *Solutio.* Motus ille fuit vſque ad Cœlum Empyreum, non per Angelos, vel ex vlla neceſſitate ſuſtentationis, ſed ſolo obſequio venerationis. *Ad* 3. Vt locus conueniens vitæ animali eſt elementum: ſic vitæ ſpirituali, Cœlum Empyreum. *Ad* 4. Materia corporis humani non eſt ſolùm elementaris: ſed, ſine præiudicio, etiam quinta eſſentia lucis ipſius cœli Empyrej, ad conciliandam contrarietatem elementarem, & diſponendum corpus animæ rationali. Alioquin homo non poſſet appellari minor mundus.

*Memb.* 3. An Aſcenſio fuerit motus per ſpacium ſucceſſiuè? *Reſpondetur,* Motum Corporis glorioſi eſſe per ſpacium ſucceſſiuè: non ex reſiſtentia ſpatij; ſed ex dimenſione corporis moti. Sed contra, &c. *Solutio. Quidam ponunt abſolutè,* Quòd Corpus glorioſum non mouetur per ſpacium, ſicut nec voluntas. *Sed contra.* Cùm voluntas mouetur à volito in volitum, non mouetur extra ſe. ſicut



BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

corpus de loco ad locum. Nec corpus poteſt vnquam peruenire ad ipſam ſubtilitatem ſpiritus. *Alij dicunt* quòd corpus glorioſum mouetur per ſpacium ſucceſſiuè: ſed imperceptibiliter, ob eius ſubtilitatem, vt radius ſolis, ſi eſſet corpus. *Alij dicunt*, quòd corpus glorioſum poteſt ſe mouere per ſpacium & ſucceſſiuè, ſenſibiliter, aut inſenſibiliter, prout vult.

*Memb.* 4. Secundùm quid Chriſtus aſcenderit & deſcenderit? i. an ſecundùm eandem naturam? *Solutio.* Deſcendit impropriè ſecundùm Diuinitatem, apparendo in corpore aſſumpto: aſcendit etiam impropriè in Reſurrectione per exaltationem ſuæ humanitatis; ſed propriè aſcendit, & deſcendit ſecundùm ſolam humanitatem, per motũ localem.

*Memb.* 5. Quando aſcenderit? *Reſp.* Ex *Act.* 1. Poſt 40. dies à ſua Reſurrectione.

*Memb.* 6. Quouſque aſcenderit? *Art.* 1. Aſcendit ſuper omnia, dignitate, & poteſtate, *Heb.* 2. Loco autem, ſuper omnia locabilia; ſicque non ſupra totum Cœlum Empyreum, quia locabile non eſt. *Art.* 2. Aſcendit ſuper omnia corporalia & ſpiritualia, dignitate & poteſtate, *Epheſ.* 1. *Ad* 1. Locus Angeli dicitur 1. In quo operatur. 2. Terminatio ſuæ eſſentiæ & virtutis. 3. Deus ipſe. Primo & 3. modo Chriſtus aſcendit ſupra omnem locum Angelorum: ſed non ſecundo.

*Memb* 7. Ad quem finem aſcenderit? *Art.* 1. Quoad ſe. Non ad nouum gaudium proprium; ſed ad nouum modum experimentalem. *Art.* 2. Quoad nos. §. 1. Ad noſtram futuram beatificationem, non meritoriè, ſed cauſaliter, & obiectiuè. §. 2. Ad fructum ſpei præſentis, & dilectionis ſpiritualioris Dei.

QVÆST. 24. *De ſeßione Chriſti ad dexterã Patris.*

*Memb.* 1. An ſit ſolius Chriſti? *Reſp.* Sedere eſt ſolius Chriſti: quia importat vnionem, & quandam communionem beatitudinis cum Patre; ſed eſſe ad dexteram, eſt commune Beatis.

*Memb.* 2. An ſit Chriſti ſecundùm naturam Diuinam, vel humanam? *Reſp.* Eſt Chriſti ſecundùm naturam Diuinam ſedere ad dexteram Patris quoad æqualitatem: ſecundùm humanam quoad vnionem perſonalem.

*Memb.* 3. An ſit etiam Spiritus S. *Reſp.* Eſſe æqualem Patri, appropriatur Filio: ſed eſt etiam commune Spiritui S.

*Memb.* 4. An ſit etiam proprium Filio notionaliter. *Reſp.* Quòd ſic: quia ſolus Filius eſt conformis Patri in natura, & virtute producendi.

QVÆSTIO 25. *De aduentu Chriſti ad Iudicium.*

*Memb.* 1. De ſignis præuijs, ex *Matt.* 24. *Art.* 1. De obſcuratione ſolis, lunæ, & ſtellarum: vel vt in morte Chriſti, vel etiam ex maiori luce Corporis Chriſti comparentis. *Art.* 2. De motione virtutum cœleſtium .i. ipſorum Angelorum, *Iob* 26. per eorum humiliationem ſub Maieſtate Chriſti, vel executionem illius miniſterij. *Art.* 3. De ſigno Filij hominis .i. vel S. Cruce lucida, vel cicatricibus ſacri Corporis, vel ſigno Crucis in frontibus Fidelium. *Art.* 4. De conflagratione mundi ad purgationem ante, & innouationem poſt Iudicium. *Art.* 5. De *iuſſu Domini, voce Archangeli, & Tuba Dei*, 1. *Theſſ.* 4.

*Memb.* 2. De loco Iudicij: non in valle *Ioſaphat* .i. *Iudicij*, vt in loco ad latus montis Olineti; ſed circa montem Olíueti, ex quo Chriſtus aſcendit. §. 1. De tempore, die, & hora Iudicij: non ignota ipſi Filio Dei; ſed toti eius corpori Angelorum & hominum; vel nec nota Filio vt Deo & homini, niſi à Patre. De media autem nocte, *Matt.* 25. i. vel pro tempore incerto, & improuiſo: vel propriè pro media nocte, quæ & *dies Domini*, à reuelatione cordium.

*Memb.* 3. De perſona Iudicis. Non ſolus Filius Dei, ſed & Pater ac Spiritus S. iudicabunt: ſub forma tamen humana ſolius Filij Dei. §. 1. Pater non iudicat quenquam: ſed omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis eſt, *Ioan.* 5. i. Procedit à Patre ſecundam naturam Diuinam ab æterno, ad hunc effectum temporalem ſub & per formam humanam.

*Memb.* 4. De apparitione Chriſti Iudicis, ſecundùm naturam Diuinam & humanam, clarè, glorioſè, ac delectabiliter Bonis; Malis, ſecundùm Diuinam nonniſi obſcurè, ſecundum humanam etiam intuitiuè, ſed ſecundùm vtramque terribiliter, ex ſua ad hoc diſpoſitione.

*Memb.* 5. De futuris Aſſeſſoribus Iudici. *Art.* 1. Angeli non erunt iudices Aſſeſſores: ſed Miniſtri iudicij, *Matt.* 13. 19. 24. 1. *Theſ.* 4. *Art.* 2. Apoſtoli iudicabunt. 1. Comparatiuè. 2. Vt ſocij, & imitatores Chriſti. 3. Vt eius teſtes & Aſſeſſores, *Matt.* 12. 19. 1. *Cor.* 6. *Sap.* 3. *Pſal.* 49.

QVÆSTIO 26. *De lege æterna.*

Hinc de lege & moribus, poſt ea quæ ſunt fidei.

*Memb.* 1. An ſit Lex æterna. *Solutio.* Ex *Iſid.* 2. *Ethym.* Lex à legendo, etiam in mente, eſt diſpoſitio æterna veritatis immutabilis: ſed lex à ligando paſſiuè, eſt promulganda temporaliter; à potentia tamen ligandi, eſt æterna.

*Memb.* 2. An eius notio ſit menti noſtræ impreſſa? *Reſp.* Notio eius eſt nobis impreſſa: ſed non iudicium de ea. Quia iudicium eſt ſuperioris, non inferiorum. Ex *B. Aug. de lib. Arb. de vera Relig. & 3. Conf.* *Ad Arg.* Lex æterna ineſt omni menti, habitu: ſed ex malitia poteſt ignorari actu.

*Memb* 3. Quid ſit lex æterna? *Reſp.* 1. Ex *B. Aug. de lib. Arb. Eſt qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima.* 2. *Ex eodem de vera Relig. Eſt veritas incommutabilis, & lex omnium artium, ac Omnipotentis Artificis.* 3. *Ex eodem lib.* 1. *de lib. Arb. Eſt ſumma ratio, cui ſemper obtemperandum eſt, &c.* 1. *Defin.* Eſt legis æternæ, prout eſt ius ordinandi omnia bona & mala. 2. Eſt legis æternæ, circa omnia & ſola bona. 3. Eſt legis æternæ, circa ſola bona creaturæ rationalis.

*Memb.* 4. Cui propriè, vel appropriatè conueniat, in Deo? *Reſp.* Ad legem neceſſariò concurrunt authoritas, veritas, & bonitas. Hinc *ex* 1. appropriatur Patri: *ex* 2. Filio; *ex* 3. Spiritui S.

*Memb.* 5. An ſit mutabilis, vel immutabilis? *Reſp.* Vt voluntas beneplaciti, ſeu eſſentialis Dei eſt immutabilis, voluntas ſigni mutabilis: ſic lex in ſe eſt immutabilis, in ſuis effectibus temporalibus, eſt mutabilis.

*Memb.* 6. An ſit vna, vel plures? *Reſp.* Cùm lex

Digitized by Google

lex æterna ſit ars æterna boni, & veri, & ſit ſumma ratio: vt ars eſt vnica ad vnicum finem vltimum, ſic & lex æterna; ſed vt ratio connotat plures fines particulares, ſic & lex.

*Memb.* 7. Deriuatio omnium legum à lege æterna. *Art.* 1. Lex iniqua, vt iniqua, non eſt à lege æterna. *Art.* 2. Lex fomitis, ſeu carnis, vt eſt inordinata, non eſt à lege æterna: ſed tantùm vt eſt pœnalis. *Art.* 3. Vt omne verum & bonum eſt participatio primæ veritatis, & bonitatis: ſic omnis lex æqua, eſt participatio legis æternæ. *Ad* 1. Lex temporalis non punit niſi mala quæ ſunt contraria ſuo fini pacis humanæ. *Ad* 2. Lex temporalis non eſt contraria legi æternæ, quia non punit omnia quæ ſunt contra legem æternam: ſed eſt imperfecta. *Ad* 3. Lex temporalis nunquam iubet aliquid fieri ex libidine: ſed relinquit in poteſtate, &c. *Art.* 4. Omnis lex naturalis eſt à lege æterna: ſed propinquiùs aut remotiùs à Deo. nam quædam reſpicit ordinem creaturæ rationalis, quædam creaturæ ſenſibilis, quædam inſenſibilis.

*Memb.* 8. De ſubiectis legi æternæ. *Art.* 1. Voluntas Dei, non eſt ſubiecta legi æternæ: ſed vt ei bonum placet, eſt voluntas; vt alijs ordinat bonum, eſt ipſa lex. *Ad* 1. Ratio Dei eſt ipſa voluntas, quoad rem. *Art.* 2. Filius Dei non eſt ſubiectus legi æternæ, ſecundùm naturam Diuinam. *Ad* 1. *ex S. Hil.* Dicit Filium non exæquari: ſed ſubijci Patri .i. ordine originis. *Ad* 2. *ex eodem.* Dicit filium obſecutum Patri in creatione .i. potentia accepta à Patre. *Art.* 3. Creaturæ irrationales ſunt ſubditæ legi æternæ: ſed ſine iudicio: *Art.* 4. Mali, & reprobi ſunt ſubditi legi æternæ, quoad punitionem, ex *Aug.* 3. *Conf.* *Art.* 5. Iuſti ſunt ſubditi legi æternæ: ſed voluntariè, non coactè. Sic 1. *Tim.* 1. *Iuſto non eſt lex poſita.* *Art.* 6. Ipſi Beati ſunt voluntariè & perfectiſſimè ſubditi legi æternæ.

*Memb.* 9. De 6. actibus. ſeu effectibus legis æternæ circa creaturam rationalem. 1 Præceptione, 2. prohibitione, 3. permiſſione, 4 conſilio, 5. punitione, 6. præmiatione. De quibus *p.* 1. *q.* 36. niſi quòd hic præmiatio, & punitio ſint actus legis ordine retributionis.

QVÆSTIO 27. *De lege naturali.*

*Memb.* 1. An ſit? *Art.* 1. Eſt indita creaturæ rationali, ex *Rom.* 2. *Art.* 2. Lex naturalis prima & exemplaris, eſt ipſa prima veritas, & lex æterna: ſed ſecunda & exemplata, eſt nobis concreata.

*Memb.* 2. Quid ſit lex naturalis. *Art.* 1. *Quidam dicunt* quòd ſit actus rationis, & habitus voluntatis, &c. Sed per ſe & principaliter, eſt habitus ipſius facultatis: Aliorum autem nonniſi conſequenter. Libertas enim primò & per ſe, non dicitur eſſe in voluntate, nec in ratione: ſed in facultate; quia ipſi debetur authoritas & poteſtas flexibilis, cuius regula debet eſſe lex naturalis. Nam vt grauitas regulat totum motum grauis: ſic lex naturalis motum rationalem; ideoque eſt in eo cuius eſt primò libertas, &c. Vbi per facultatem videtur intelligere ipſam vim motiuam ac liberam voluntatis. *Art.* 2. Cùm liberum Arb. ſit facultas voluntatis & rationis: ad illud concurrunt facultas, ratio, & voluntas. Lex naturalis ligat ſeu arctat facultatem flexibilem, illuminat rationem, & inſtigat ad bonum voluntatem: ſicque participat naturam habitus cognitiui, & motiui, ſecundùm diuerſos actus. *Art.* 3. Lex naturalis conuenit cum conſcientia & ſynderesi, in regulando: differt tamen, quòd lex ſit propriè primò & per ſe regula facultatis; mediante conſcientia, ſit regula rationis; mediante ſynderesi, quæ eſt ſcintilla conſcientiæ, ſit regula ipſius voluntatis. *Ad* 1. Conſcientia formaliter eſt acceptio debitæ ſcientiæ legis, cum debito faciendi vel vitandi: ſed materialiter eſt ipſum conſcitum, quo mediante anima regulatur, & ſic eſt lex intellectus. *Ad* 2. Lex propriè dictat vt regula, ſynderesis vt natura: quia hæc ſtimulat tantùm ad bonum. *Ex Iſid. Lex propriè mouet ſecundùm inſtinctum, conſcientia ſecundùm iudicium, ſynderesis ſecundùm appetitum naturalem veri boni.* Hinc *lex naturalis eſt indita regula facultatis faciendorum, cum directione rationis, & inſtinctu voluntatis.*

*Memb.* 3. An ſit delebilis, & mutabilis aut non? *Art.* 1. Non eſt delebilis quoad eſſentiam; ſed quoad effectus. *Art.* 2. Quidam dicunt quòd lex naturalis ſit mutabilis quoad conſilia, non quoad præcepta, & prohibitiones. Sed ex B. *Aug. in Conſ.* Vt Medicina eſt ars immutabilis, & tamen ex hac arte Medicus variè medetur ægris: ſic & lex naturalis immutabilis, variè obſeruanda eſt.

*Memb.* 4. Quæ ſint de lege naturali. *Art.* 1. Quæ ſint in communi. §. 1. Lex ſeu ius naturale, quòd eſt principium omnis moralis, eſt triplex. 1. *Natiuum*, ſeu quod innaſcitur, non ſolùm ad bonum ſingulare, ſed totius ſpeciei. 2. *Humanum*, ſeu ad bonum ſolius naturæ rationalis. 3. *Diuinum*, ad bonum gratuitum. §. 2. Quæ lex naturalis dictat vt debita, non poteſt ius poſitiuum facere illicita, vel è contra: Quæ autem dictat tantùm vt vtilia & expedientia, iure poſitiuo mutari poſſunt, pro vario hominum ſtatu, & conditione. *Art.* 2. An, & quæ ſint in ſpeciali ordinantia ad Deum? §. 1. Ex imagine Dei & lege diligendi noſipſos, ordinamur etiam ad Deum. §. 2. Lex naturalis dictat nobis fidem rationalem vnius Dei, & redemptionis humanæ: non tamen infuſam, nec explicitam S. Trin. aut huius modi Redemptionis. §. 3. Lex naturalis inſinuat & inſtigat, ſed non perducit ad diligendum Deum propter ſe, ſuper omnia, & ſupra noſipſos. *Ad* 2. Lege naturæ diligimus Deum, vt principium noſtrum: non tamen ſupra nos ipſos, ſed reflectendo ad nos. *Ad* 3. Lege naturali volumus Deo maiùs bonũ quàm nobis ipſis; ſed magis volumus nobis noſtrum bonum, quam illi ſuum. *Art.* 3. Quænam lex naturalis ordinet ad proximum? §. 1. Res Matrimonij, ſeu coniunctio maris & fœminæ eſt de lege naturali: ſed eius ſacra ſignificatio eſt ex inſtitutione Dei. §. 2. Lex naturalis excepit parentes à coniugio cum proprijs prolibus, ex debito: ſed fratres & ſorores inter ſe ex honeſtate & decore. §. 3. Lex naturalis vt naturalis, dictat coniugium maſculi cum fœmina, ad conſeruationem ſpeciei: lex naturalis vt rationalis, dictat coniugium vnius cum vna, vel cum pluribus, ex neceſſitate, & diſpenſatione ſupra naturam: quia natura vt ratio, dictat non eſſe faciendum alteri quod quis ſibi



Digitized by Google

nollet fieri; ſed ratio vt ratio dictat coniugium vnius cum vna inſeparabiliter. §. 4. Lex naturalis dictat multiplicationem prolis ad cultum Dei, ſaluo ſaltem & diſtincto ordine generationis: ſed naturâ multiplicatâ, obſeruatis etiam quæ ſunt honeſtatis, & rationis. §. 5. Lex naturalis dictat aliqua debita, alia bona, alia æqua, circa communionem & proprietatem rerum, pro vario ſtatu naturæ, & ſucceſſu temporum: ſed ſemper idem dictat de proprietate vxorum. §. 6. Lex naturalis dictat libertatem omnium pro ſtatu naturæ integræ: ſed neceſſarium dominium, & ſeruitutem inter homines, pro ſtatu naturæ corruptæ, ad coercendum malum.

QVÆSTIO 28. *De lege Moyſis in genere.*

*Memb.* 1. De eius latione. *Art.* 1. De eius vtilitate ad iuuandam legem naturæ, coercendam legem concupiſcentiæ, & præfigurandam legem gratiæ. *Art.* 2. De eius neceſſitate omnibus ad ſalutem, quoad moralia: ſed ſolis Iudæis, quoad cæremonialia. *Art.* 3. De congruo tempore huius legis latæ, poſt totalem corruptionem naturæ, &c. *Art.* 4. De ratione dandi hanc legem ſoli populo Iudaico: quia ſolus colebat verum Deum, & ex eo naſciturus erat Filius Dei. *Art.* 5. De huius legis latione à ſolo vero & bono Deo: contra Manichæos. *Art.* 6. De huius legis latione per Angelos, *Act.* 7. *Gal.* 3. *Heb.* 2. 1. Per miniſterium Angelorum.

*Memb.* 2. De contentis in lege Moyſi. *Art.* 1. De generibus contentorum §. 1. An omnia contineantur ſub vno genere moralium. §. 2. An ſub duplici genere, agendorum, & ſignificandorum. §. 3. An ſub triplici genere, mandatorum, iudiciorum, & cæremonialium. §. 4. An etiam ſub diſtincto genere Teſtimoniorum. §. 5. An ſub diſtincto genere iuſtificationum. §. 6. An ſub diſtinctis generibus conſiliorum, promiſſionum, comminationum? *Reſp.* Lex ſumitur, 1. generaliſſimè pro Scriptura, ſeu doctrina totius veteris Teſt. tam de credendis, quàm operandis. 2. Generaliter, pro ſola doctrina operandorum. 3. Specialiter, pro ſola doctrina præceptorum & prohibitorũ. 4. Particulariter, pro ſolis præceptis Decalogi. 5. Sumitur aliquando pro ſolis præceptis cæremonialibus. 6. Pro iudicialibus, ſeu pœnalibus. Hinc, & ex ſequentibus patet, quomodò varia illa genera inter ſe diſtinguantur aut non, ſecundùm varias eorum ſignificationes. *Art.* 2. De qualitate contentorum, ex *Rom.* 7. §. 1. Omnia contenta legis ſunt ſancta, quoad cæremonialia & cultum Dei: iuſta, quoad iudicialia, ad puniendum malos; bona, quoad moralia, ad iuſtificationem bonorum. *Ad* 1. De libello repudij: non fuit præceptum, ſed ſola permiſſio, nonniſi dando libellum repudij. *Ad* 2. Non fuit lex odiendi inimicos. *Ad* 3. Lex nihil præcipiebat inhoneſti, ſed quædam indifferentia. *Ad* 4. Lex talionis erat ad coercendum exceſſum vltionis. §. 2. Non omnia præcepta legis ſunt bona ſimpliciter, ſeu ex ſe, & proprio genere: ſed ſaltem ex circumſtantia congrua, *Ezech.* 20. §. 3. Nullum contentum legis eſt iniuſtum. *Ad* 1. Animalia bruta non iubentur occidi in pœnam propriam: ſed ad vtilitatem ſpiritualem hominum, æquè, ac potiùs quàm ad corporalem. *Ad* 2. Lex aliquando infert maiorem pœnam, ob maiùs damnum, maiùs periculum, maiorem inclinationem peccandi, & negligentiam coercendi. Hinc, & *ad* 3. grauius punit peccata concupiſcentiæ, quàm iræ. *Ad* 4. *vel* 5. Promittitur *Deut.* 22. longitudo vitæ ei qui inuentam auem incubantem pullis non ceperit, vt & honorantibus parentes: quia illud erat contra periculum alicuius Idolatriæ per aues; & hoc habebat plura ac maiora motiua.

*Memb.* 3. De impleta lege Moyſis per Chriſtum, *Matt.* 5. *Art.* 1. Chriſtus vt homo non ſoluit, ſed impleuit legem 1. quidem cæremonialem, eius figuras in ſeipſo terminando, exhibendo, & manifeſtando. 2. Moralem, eam perficiendo in cognitione & executione boni, ac correctione mali. 3. Iudicialem, efficaciori & perfectiori declinatione à malo. *Ad* 1. Soluit figuras exteriores, implendo veritatem interiorem. *Ad* 3. & 7. Figuralia euacuata ſunt quoad obſeruantiam, & ſignificationem futuri, non præteriti, &c. *Art.* 2. Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, *Ioan.* 1. Hinc Chriſtus impleuit legem doctrinâ veritatis, & gratiâ obſeruationis, ac conuerſionis.

*Memb.* 4. De onere Legis comparato ad Euangelium. *Art.* 1. Eſt ſimpliciter difficilior & oneroſior obſeruantia legis, quàm Euangelij, *Matt.* 11. *Act* 15. quamuis obſeruantia huius ſit arctior & perfectior, *Matt.* 7. ex gratia & charitate nouæ legis, timore autem veteris. Nam onus Euangelij non tam onerat, quàm ſubleuat per gratiam: vt quadriga ſubleuat iumentum, ad vehendam ſarcinam. *Art.* 2. Maior eſt numerus præceptorum cæremonialium in lege Moyſi, quam nouâ: ſed maior moralium in noua, quàm veteri. Nec tamen hinc maius onus: quia maior gratia & charitas. *Art.* 3. Eſt grauius ſimpliciter ferre legem, quàm Euangelium, quamuis ex pari charitate: quia Euangelium magis diſponit ad ferendum.

*Memb.* 5. De fructu legis. *Art.* 1. Lex non iuſtificat infuſione gratiæ gratũ facientis, nec auxilio gratiæ ad cauendum malum, aut bene operandum, ſaltem meritoriè: ſed ſola ſignificatione ſeu doctrina, & inductione ad iuſtificationem, *Rom.* 2. 3. 7. 10. *Gal.* 3. 2. *Cor.* 3. *Art.* 2. Nec cæremonialia, nec iudicialia, nec moralia legis iuſtificant, aut conſeruant veram iuſtitiam internam: ſed tantùm docent, monent, & mouent, vt ſupra.

QVÆSTIO 29. *De præceptis Decalogi in genere.*

*Memb.* 1. De origine ſeu radice Decalogi. *Art.* 1. Moralitas legis Moyſi non eſt ex ſola lege naturæ, aut humanæ, ſeu rationis: ſed etiam ex Diuina, alicuius gratiæ. Moralitas legis naturalis dictat quid faciendum: legis rationalis, quomodo; legis Diuinæ Moſaicæ, cuius timore; legis Euangelicæ, cuius amore. *Art.* 2. Lex moralis quoad dictamen radicatur in cognitione: quoad debitum ſeu obligationem, in affectione. *Art.* 3. Lex moralis inchoatiuè radicatur in affectu timoris, perfectiuè in affectu charitatis. *Art.* 4. De radicatione virtutum & legis moralis. §. 1. Non eſt eadem radicatio: quia illæ radicantur in bono vt bono; hæc autem, in bono vt debito. §. 2. Lex moralis eſt naturâ prior virtutibus: quia ſummum bonum



Digitized by Google

bonum vt principium priùs obligat lege ſeu debito mutationis, quam vt finis dirigat ac reguler virtutes.

*Memb.* 2. De numero & diſtinctione præceptorum Decalogi. *Art.* 1. Eadem, & tot quot nunc, erant præcepta Decalogi ordinantia ad Deum in ſtatu Innocentiæ: ſed nunc plura ſunt ordinantia ad proximum; ex conditione & neceſſitate naturæ corruptæ. *Art.* 2. Vnde diſtinguantur præcepta Decalogi? §. 1. An ex Fide? §. 2. An ex Charitate? §. 3. An ex Timore. §. 4. An ex beneficentia & innocentia? §. 5. An ex iuſſione & prohibitione? §. 6. An ex Iuſtitia? *Solutio.* Diſtinguuntur ex ratione debiti: Deo, vt primo principio, vero exemplari, & fini vltimo; vel vt Vni, Vero, Bono, Corde, Ore, Opere; Proximo ſecundùm Beneficentiam, & Innocentiam; ex vi imaginis Dei, origine naturæ ad parentes, & communi neceſſitate naturæ ad omnes, &c. Fides dirigit executionem ad finem, prudentia ad circumſtantias, timor mouet affectum ad inchoationem, iuſtitia ad progreſſum, charitas ad conſummationem. Iuſtitia vt eſt lex, dicit debitum actus: vt eſt virtus, dicit executionem debiti actus. *Art.* 3. De ſufficientia huius numeri: ad legem naturæ manifeſtandam, legem gratiæ atteſtandam, & legem fomitis coercendam. Hinc numerus, ordo, & modus Decalogi. §. 1. De varia aſſignatione huius numeri. 1. Ex inſcriptione in duabus tabulis lapideis. 2. Ex forma præcipiendi. 3. Ex materia, &c. *Art.* 4. De ordine Decalogi, ex lege gratiæ ſeu fidei de Deo vno, & Trino, eiuſque in nobis imagine ac natura humana à Filio aſſumpta. *Art.* 5. De modo tradendi Decalogum, per quædam præcepta affirmatiua, quædam negatiua, adiunctis quibuſdam promiſſis & minis, ad legem fomitis coercendam, &c.

QVÆSTIO 30. *De adoratione, & 1. Præcepto.*

*Memb.* 1. De adoratione Dei. *Art.* 1. An dicatur vniuocè. §. 1. Adoratio non dicitur vniuocè, nec analogicè, de Latria & Idolatria, ſed æquiuocè: quia ratio vtriuſque motiua eſt æquiuoca, .i. vera & falſa Diuinitas. *Ad Arg.* Inclinatio naturalis ad adorandum eſt vnica, ſed electio eſt æquiuoca. §. 2. Adoratio Latriæ, & Duliæ non dicuntur vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè: quia hæc deriuatur ab illa, & refertur ad illam. §. 3. Adoratio propriè eſt in intentione: ſed poteſt etiam exprimi actu externo. Cultus, eſt ab affectu, in aliquo effectu ſeu ſigno. Seruitus, eſt corporis, in opere externo: ſed aliquando ab intentione adorandi, & affectu colendi. *Art.* 2. Vnde Deo debeatur adoratio Latriæ? *Solutio.* Debetur propriè Maieſtati Diuinæ, ſeu ſupremo eius ſtatui: ſicque potiùs ex poteſtate Diuina, quam bonitate, aut veritate. *Ad* 1. Poteſtas ſumma eſt ex ſe digna adoratione. *Ad* 2. Adoratio eſt ex fide excitante & dirigente, ac charitate informante & mouente: ſed à Latria, vt propriè ad Dei Maieſtatem ſpectante. *Art.* 3. De vnitate adorationis Dei & trium Perſonarum. §. 1. Eſt vna ſimpliciter: quia vna Maieſtas, *Gen.* 18. *Tres vidit, & vnum adorauit.* §. 2. Latria eſt cultus Deo proprius: ſed Dulia variè ſumitur. 1. Communiter pro cultu communi Deo & creaturæ. 2. Pro cultu ſolius creaturæ. 3. Anthonomaſticè, pro Hyperdulia, ſeu cultu excellentioris creaturæ. 4. Pro cultu Dei vt Domini, ſeu titulo communicato creaturæ. Hinc componi poſſunt variæ diff. §. 3. Adoratio Dei eſt ſemper æqualis ex dignitate Dei ob quam adoratur: ſed non ex affectu, & debito adorantis.

*Memb.* 2. De adoratione Chriſti: quoad Perſonam, & naturam Diuinam, Latria: quoad naturam eius humanam per ſe, Hyperdulia; ſed vt coniunctam, quadam etiam Latria. Latria enim primò dicitur propriè pro cultu ſolius Dei, ſiue ob dignitatem incommunicabilem, ſiue communicabilem creaturæ. 2. Strictè, pro cultu Dei ob ſolam dignitatem incommunicabilem. 3. Largè, pro cultu etiam naturæ vnitæ.

*Memb.* 3. De adoratione creaturæ. *Art.* 1. De adoratione Angelorum. §. 1. Poſt Incarnationem æquè imò plus honorandi ſunt Angeli quàm ante: quia fuerunt, & ſunt Miniſtri ſalutis humanæ. Ad *Apoc.* 22. Angelus noluit adorari à Ioanne: ne præberet alijs occaſionem Latriæ, & ad commendandam dignitatem naturæ humanæ poſt Incarnationē. §. 2. Vt ſolo Deo in ſe ſimpliciter fruendum eſt, nobis autem inuicem ſecundùm quid, in Deo: ſic & Latria ſimpliciter ſoli Deo debetur; ſecundùm quid, etiam naturæ humanæ in Deo; ſed nec ſimpliciter, nec ſecundùm quid puræ creaturæ. *Ad Arg.* Abraham & Ioſue non adorabant Angelos Latria: ſed Deum in illis apparentem. §. 3. Sathanas transfiguratus & apparens ſub forma Crucifixi, non poteſt credi, nec adorari ſimpliciter ſine peccato, ſed tantum ſub conditione. 1. Quia Scriptura præmonet nos, 2. *Cor.* 11. & *Matt.* 24. 2. Quia recurrendum eſt ad remedium orationis. 3. Quia facile poteſt vitari periculum ſub conditione: & ſic de non adorandâ hoſtiâ niſi ſub conditione tacita, vel expreſſa. *Art.* 2. De adoratione hominum. §. 1. Homo non eſt adorabilis Latria: poteſt tamen eſſe materia huius adorationis, vt eſt imago Dei, cui vt ſic debetur Dulia. *Ad* 2. Quamuis honor Beatæ Virginis ſit ob Chriſtum: non eſt tamen Latriæ, ſed ſingularis Duliæ. §. 2. Cuilibet homini vt Imagini Dei naturali debetur honor: ſed maior imagini gratuitæ, ſeu perfectæ, aut perfectibili per gratiam. §. 3. Mali vt mali non ſunt diligendi, nec honorandi: ſed vt homines, aut alio titulo. §. 4. Seruitus reuerentiæ debetur Sanctis: non ſeruitus Latriæ, aut coactionis. §. 5. Prælatus malus eſt plus honorandus, quàm ſubditus bonus: quia plus participat debiti honoris. *Art.* 3. De adoratione creaturæ irrationalis. §. 1. Totus honor ſigni refertur ad ſuum exemplar: non autem honor alicuius rei per ſe. Hinc adoratur Crux vt ſolum ſignū Crucifixi: non autem quilibet homo vt imago Dei; quia adoratio Crucis tota refertur ad Crucifixum, non ſic adoratio hominis ad Deum. *Ad* 1. Non facies tibi ſculptile .i. ante Incarnationem Chriſti; quia tunc fuiſſent falſa ſigna: poſt autem ſunt vera memorialia ac doctrinalia veritatis, & motiua pietatis. §. 2. Deus non eſt adorandus in ſuis veſtigiis naturalibus: ſed in inſtitutis; quia illa non repreſentant Deum immediatè ſicut hæc, ſed rem ipſam.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆSTIO 31. *De 2. Præcepto: Non aſſumendi Nomen Dei in vanum.*

*Memb.* 1. Generaliter. *Art.* 1. De eius expoſitione. *Solutio.* Si ſumatur præfiguratiuè ad legem gratiæ, *Non aſſumes, &c.* i. Non credes Chriſtum eſſe puram creaturam: Si autem propriè, vt ex lege naturæ .i. Non aſſumes in iuramentum, ſeu ad teſtationem veritatis fruſtra, vel non abuteris nomine Dei in vanum, vel non tribues nomen Dei vlli creaturæ. *Art.* 2. De continentia, & intentione huius mandati. §. 1. Nomen Dei hic eſt quodlibet ſub quo nobis innoteſcit. §. 2. Extenditur etiam ad nomen Chriſti, & contra omnes ab hoc nomine & eius virtute apoſtatantes.

*Memb.* 2. De iuramento. *Art.* 1. An ſit bonum, malum, vel indifferens. *Solutio.* Nec eſt bonum, nec malum ex ſe: ſed indifferens, & malum ex occaſione mali, ſeu periurij, & vani. Hinc *Matt.* 5. Non iurare omnino: vt *B. Aug. epiſt. ad Publicolam.* *Art.* 2. An ſit licitum, vel illicitum? *Solutio.* Iurare ſimpliciter ſine circumſtantia debitæ cauſæ, non eſt licitum: quia eſt quidem actus bonus in genere, ſed excellens per Deum, cuius circumſtantia cauſæ eſt ſub præcepto; vt & ſacrificare, iudicare, &c. *Art.* 3. An prohibeatur quoad affectum. *Solutio.* Prohibetur etiam quoad affectum ſpontaneum, non coactum: quia eius affectus, & frequentia inducit contemptum Dei. *Art.* 4. An prohibeatur quoad actum, vel quoad vſum, ſeu conſuetudinem. *Solutio.* Ex cauſa neceſſaria, nec prohibetur quoad actum, nec quoad vſum: ex cauſa vtili, quoad vſum, non quoad actum; ſine cauſa, quoad omnem vſum & actum. §. 1. Non omnia bona ex genere ſunt hic appetenda: ſed quæ nunc ſunt in meritum, non quæ reſeruantur in præmium, vt conformitas ſcientiæ, poteſtatis, veritatis, & iuſtitiæ Dei. *Ad Matt.* 5. Non iurare omninò .i. non quouis caſu: ſed omnino non iurare .i. nullo caſu iurare. Nam hic diſtributio cadit ſuper negationem: ibi negatio ſuper diſtributionem. *Art.* 5. Quibus conueniat, vel liceat iurare? §. 1. An Deo. §. 2. An Angelis. §. 3. An Perfectis? *Solutio.* *Ad* 1. ex *Conc. Tol.* 22. *q.* 4. *Iurare Dei, eſt à ſe ordinata nullatenus mutare*: non tamen per alium quàm per ſeipſum, *Heb.* 6. quia nihil habet certiùs ſe. *Ad* 2. Iurare Angeli, eſt veritatem immutabilem nunciare. *Ad* 3. Perfecti, & profeſſi formam Euangelij, poſſunt ex cauſa etiam cogi ad iurandum. *Art.* 6. An licitum ſit recipere iuramentum, vel non? §. 1. Licitum eſt in forma conceſſa, 22. *q.* 1. ex *Aug. ad Publicolam.* Sed ſi exigens iuramentum priuatum, ſcit eſſe falſum, Reus eſt: ſi neſcit, humana tentatio eſt, *inquit Aug.* Iudex autem poteſt præcipere iuramentum publicum, cogente ordine iuris: quamuis ſciat eſſe falſum. *Ad* 1. ex *Matt.* 5. *Quod amplius eſt à malo eſt* .i. non à malo culpæ, ſed pœnæ, ac infidelitatis humanæ. §. 2. Non licet recipere in forma non conceſſa: vt, per deos falſos, &c. niſi ad bonum publicum. Vt *Gen.* 31. 1. *Mach.* 8. *Ad Arg.* ex *Rom.* 1. Recipiens licitè iuramentum per deum falſum, non conſentit idolatriæ: ſed vtitur ad certitudinem, & bonum publicum.

*Memb.* 3. De forma iuramenti. *Art.* 1. De forma licita. *Solutio.* Forma licita debet exprimere reuerentiam primæ veritatis vt iudicis, vel teſtis, vel retributoris boni, vel mali. Hinc ſunt variæ formæ licitæ iurandi. *Art.* 2. De forma illicita. §. 1. Forma etiam illicita obligat iurantem: non quatenus fit per deum falſum; ſed quatenus fit proximo cui debetur fidelitas. Hinc votum deo falſo non obligat: *quia vouetur & fit obligatio ſoli Deo, non homini.* §. 2. Peius eſt iurare falſum per Deum verum, quàm verum per deos falſos, 22. *q.* 1. quoad id quod iuratur: ſed è contra quoad id per quod iuratur. *Art.* 3. De forma partim conceſſa, partim non .i. per creaturas. §. 1. Nunquam licet iurare per creaturas, credendo ineſſe aliquid Numinis, aut ad fallendum quenquam: ſed bene per eas proteſtando veritatem, & in eis venerando primam veritatem, 22. *q.* 1. ex *Aug. Contingit iurare per quamlibet creaturam, &c.* *Ad* 3. *Arg.* Iuramentum imprecatorium pœnæ per creaturas, obligat eas vt ſunt iurantis, & oppignorat Deo: ſed aſſertorium non vocat ipſam creaturam in teſtem veritatis, ſed eius Creatorem. §. 2. Iuramentum per Deum, eſt maiùs magiſque obligat, quàm per creaturas, 22. *q.* 1. ex *Aug.* *Ad* 1. Id eſt, de iuramento per creaturam vt Deum. *Ad* 2. Deus vt in ſe, eſt maior ſeipſo vt in creatura. *Ad* 3. Iuramentum per Deum & creaturam, poteſt dici maius .i. ſolemnius. *Ad vlt.* Violatio iuramenti ſolemnis, facit irregularem, ratione infamiæ.

*Memb.* 4. De tribus comitibus iuramenti, *Ier.* 4. & obligatione. *Art.* 1. De iuſtitia iuramenti. *Solutio.* Iuramentum iniuſtum nullatenus obligat ad executionem, 22. *q.* 4. *Ad* 1. ex *Ioſue* 9. Illud non erat ex ſe iniuſtum, nec contra intentionem prohibentis. *Ad* 2. ex *Gratiano* 22. *q.* 4. Id eſt de iurato matrimonio poſt votum ſimplex, non ſolemne. *Ad* 3. Concubina iurans alicui fidem, aut prædones inter ſe: non obligantur ad id quod iniuſtum eſt, ſed quod eſt inter ſe æquum, vel minus iniquum. *Art.* 2. De iudicio, ſeu diſcretione iurandi. *Solutio.* Ex modo iurandi eſt illicitum iuramentum, quo inconſideratè iuratur, nec obligat contra maiùs bonum. *Ad Arg.* Iuramentum de licito, & expedienti, eſt obligatorium: non de licito, non expedienti. *Art.* 3. De veritate iuramenti. *Solutio.* Iuramentum aſſertorium falſi, ſeu periurium, non eſt obligatorium niſi ad culpam & pœnam. *Art.* 4. An omne iuramentum habens hos tres comites, ſit ſemper obligatorium? §. 1. *Reſp.* Quòd ſic, ſi verè tale ſit: obligatio tamen perſonalis iuramenti ad culpam periurij, non tranſit ad ſucceſſores, ſed ſola realis. §. 2. *Reſp. Quidam dicunt* metum ſeu coactionem excuſare à iuramento promiſſario, non ab aſſertorio: *Alij*, à neutro. *Ad* 2. *Arg.* Si quis ex metu ſub iuramento promiſit, obligatur: ſed Iudex poteſt cogere ad reſtitutionem.

*Memb.* 5. An iuramentum ſit interpretandum ad mentem iurantis, vel eius cui iuratur? *Solutio.* Deus ſimplicitatis amator, & duplicitatis aſpernator ita accipit ſicut ille qui ſine fraude intelligit, &c. Si verba exprimant æqualiter varios ſenſus, non obligatur iurans niſi ad ſuum ſenſum intentum, nec poteſt cogi ad alium.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆSTIO 32.

*De 3. Præcepto, ſanctificandi Sabbatum.*

*Memb.* 1. An ſit generale, vel particulare? *Solutio.* Eſt ſpeciale, propriè pro ceſſatione ab operibus ſeruilibus: ſed generale, impropriè ſeu ſpiritualiter; ſiue tropologicè, pro ceſſatione à peccatis ſiue allegoricè, pro ſepultura Chriſti; ſiue anagogicè, pro quiete æterna.

*Memb.* 2. An ſit morale, vel ceremoniale? *Solutio.* Quoad rem, vacandi Deo, eſt morale; quoad ſignum, eſt cæremoniale.

*Memb.* 3. De Circumſtantijs huius præcepti. *Art.* 1. *Memento, &c.* Quia vt morale, ante legem erat in obſeruantia inter SS. PP. ſub ratione honeſti, necdum præcepti. *Art.* 2. De die Sabbati Iudæis determinata ad hunc Dei cultum ex præcepto: nullo autem die, determinando ad cultum Dei in habitu, ſed in actu; quia non poſſumus in hac vita mortali ſemper actu vacare Deo. *Art.* 3. De ratione huius præcepti, ex quiete Dei die 7. ab operibus 6. dierum: non autem ab eorum conſeruatione, & propagatione. *Art.* 4. De quiete etiam ſeruorũ, & iumentorũ, ad quietem ipſius hominis.

*Memb.* 4. De obſeruantia Sabbati. *Art.* 1. Erat obſeruandum ſub lege Moſaica litteraliter, abſtinendo ab omni opere ſeruili, ſeu ſæculari, impediente cultum Dei, cui tunc vacandum erat. *Ad vlt.* Grauius puniebatur violatio Sabbati, quàm furtum & periurium: non ex grauiori culpa, ſed ex figura. *Art.* 2. Non eſt obſeruandum ſub lege gratiæ quoad determinationem eiuſdem diei: ſed diei Dominicæ, & aliorum inſtitutorum ad cultum Dei. *de Conſ. diſt. 3. c. Sabbato.*

*Memb.* 5. De obſeruantia diei Dominicæ. *Art.* 1. Hoc præceptum vt morale obligat indeterminatè ad tempus vacandi Deo: ſed determinatur in lege gratiæ ad diem octauam, in memoriam Reſurrectionis Dominicæ. *Art.* 2. Vacandum eſt diebus Dominicis ab omni opere ſeruili, ſpirituali, & corporali, ab Eccleſia determinato, impediente cultum Dei tunc ordinatum. *Ad vlt.* Qui fornicatur die Dominico peccat duplici reatu, quamuis vnico actu: Vt qui deflorando Virginem, eam interficit.

*Memb.* 6. An & cui Perſonæ diuinæ Sabbatum approprietur? *Reſp.* Nulli hic & nunc perfectè: ſed imperfectè, potiùs Spiritui S. quàm Filio; quia hic eſt potiùs aliqua quies in Charitate, quàm in cognitione.

QVÆSTIO 33. *De 4. Præcepto honorandi Patrem & Matrem, &c.*

*Memb.* 1. Qui cenſeantur hic Pater, & Mater? *Reſp.* Ex lege naturæ parentes carnales: ex lege ſcripta, etiam Spirituales, 1. *Cor.* 3. anagogicè, Deus ipſe.

*Memb.* 2. De honore præcepto. *Art.* 1. Honor hic intelligitur, Spiritualis reuerentiæ, affectu, & effectu obedientiæ: & corporalis, in ſolatio verborum, obſequio operum, & prouiſione neceſſariorum. *Art.* 2. Honor hic reſpicit præeminentiam principij per participationem, in eſſe naturali aut ſpirituali. *Ad* 1. Omnes ſunt à nobis honorandi, vt nobis meliores actu, vel potentia. *Ad vlt.* Maiores honorant minores cauſaliter, ſeu faciunt eos honorabiles, aut honorari: ſed non formaliter ſeu perſonaliter, proteſtando eorum præeminentiam. *Art.* 3. Honor propriè eſt proteſtatio præeminentiæ, per aliquod ſignum exhibitum honorato ab honorante. Materialiter, pro eo quod exhibetur, dicitur æquiuocè: formaliter, pro ipſa proteſtatione, nec vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè. *Art.* 4. Non præcipitur hic quilibet honor, cuilibet exhibendus: ſed propriè parentibus ſpiritualibus, aut corporalibus; communiter autem, ſenioribus, Regibus, &c. aliquam denominationem aut officium parentum gerentibus.

*Memb.* 3. De forma huius præcepti. *Art.* 1. Quidam dixerunt, quòd etiam honor proximi hic implicitè præcipiatur: ſed potiùs in præceptis ſequentibus. §. 1. Non præcipitur expreſsè amor, & honor filiorum à parentibus: quia natura ſatis ad hoc inclinat, eſtque totus gratuitus; ſed amor & honor filiorum ergà parentes, eſt maximè debitus. *Art.* 2. Promiſſio longæ ac proſperæ vitæ annectitur: quia eſt merces valdè congrua, & alliciens ad honorandos parentes, &c. *Art.* 3. Vt primum præceptum primæ tabulæ eſt de honore primi principij: ſic primum ſecundæ, eſt de honore principij per participationem.

*Memb.* 4. De obligatione huius præcepti. *Art.* 1. Secundùm quoſdam, nullum conſilium ſoluit obligationem præcepti naturæ: quia tamen hoc eſt affirmatiuum, non obligat niſi pro loco & tempore, quando parentes indigent, & filij habent vnde dent; ſed quia Religioſi profeſſi nunquam poſſunt habere, nunquam poſſunt dare, &c. Sed quamuis per profeſſionem Religionis ſolueretur obligatio ſuſtentationis: non tamen vllius honoris. *Art.* 2. *Quidam dicunt,* quòd qui poteſt ſine graui periculo ſalutis manere in ſœculo, tenetur adhærere, & miniſtrare parentibus indigentibus: non autem cum graui periculo ſalutis. *Alij dicunt,* quòd qui vocatur à Deo ex ſtudio perfectionis, non tenetur miniſtrare parentibus: ſed poteſt eis ſua dimittere ad ſuſtentationem, & commendare prouidentæ Dei. Quæ opinio videtur perfectior: ſed prior magis pia. *Subdit*: Quòd vt filius contumax, & proteruus accuſandus erat à parentibus, *Deut.* 21. Sic pater hæreticus, ſed nonniſi ſcandaloſus, à proprijs filijs ſit accuſandus. *Art.* 3. Obediendum eſt parentibus in omnibus probabiliter pertinentibus ad neceſſitatem, vel vtilitatem rei familiaris. *Art.* 4. Subditi debent ſuis prælatis exhibere honorem neceſſariorum: ſed hi poſſunt eis vti, aut non vti. 1. *Cor.* 9. 1. *Tim.* 5. 2. *Tim.* 2. Subdit. *Videtur nobis, quòd ſi Eccleſia ſit ſufficienter dotata bonis temporalibus: ſubditi non teneantur prouidere ſuis Presbyteris, &c.* *Art.* 5. Honor debetur etiam malis Prælatis, quamdiu ab Eccleſia tolerantur. 1. *Reg.* 24. *Matt.* 23. *Rom.* 14. 1. *Tim.* 5. 1. *Pet.* 2.

QVÆSTIO 34. *De 5. Præcepto, non occidendi.*

*Memb.* 1. Quorum occiſio prohibeatur? *Art.* 1. Non plantarum, nec brutorum animalium, vt delirabant Manichæi: ſed hominum tantùm; quia reliqua omnia ſubſunt homini ex natura & creatione, *Gen.* 1. *Ad* 1. Qui occidit bouem proximi, non peccat peccato occiſionis, ſed damni illati proximo. *Art.* 2. Prohibetur vel maximè occiſio ſuiipſius, ex quacunque cauſa. *B. Aug. lib.* 1. *Ciu.* *Ad* 1.



Digitized by Google

Mandata ſecundæ tabulæ ordinant quidem hominem ad proximum: ſed exemplariter, vt ad ſeipſum. *Ad* 2. ex 1. *Cor.* 2. Præſtaret quidem mori quàm violari, &c. non tamen ſeipſum occidere; quia caſtitas mentis violari non poteſt, ex *Aug.* 1. *Ciu.* *Ad* 3. ex *Iob.* 2. *Pellem pro pelle, &c.* Nunquam eſt nunc peccandum per homicidium ſui, ad cauendum minus peccatum, nec neceſſarium, nec certum. *Ad.* 4. ex *Matt.* 10. Perdere animam, vel eſt mori voluptatibus, vel ferre patienter mortem pro Chriſto. *Ad* 7. De Sampſone: excuſatur ab inſtinctu Dei. *Ad* 8. De Razia, 2. *Mach.* 14. Non laudatur de occiſione ſuiipſius, ſed de magno zelo. *Art.* 3. Non prohibetur occiſio hominis malefici, quà maleficus eſt, ex poteſtate publica: ſed tantum qua homo eſt. *Ad* 1. ex *Matt.* 13. Non ſunt extirpanda zizania per mortem, aut excommunicationem, ſub periculo euellendi ſimul & triticum. *Ad* 2. ex *Sap.* 12. *Iob* 24. *Ezech.* 18. De ſpacio pœnitendi: non eſt illis tribuendum in perniciem aliorum. *Ad* 3. Magnum eſt beneficium punire maleficos, &c. *Art.* 4. Nunquam licet directè occidere innocentem: niſi ordine iuris conuictum vt reum mortis. Nec licet iudici talem ſibi priuatim notum, morti adiudicare aut tradere: niſi tentato omni modo poſſibili eum liberandi; nec licet vlli miniſtro iuſtitiæ exequi iniquam ſententiam exprimentem ſuam iniquitatem contra innocentem.

*Memb.* 2 Quibus prohibeatur occiſio? *Art.* 1. Ex *B. Aug. lib.* 1. *de lib. Arb. c.* 5. *De mend.* 20. 1. *Ciu.* 17. Nemini licet occidere ex odio, aut libidine: ſed ordine obediendi, vel neceſſitate ſubueniendi. *Ad* 1. Gladium accipere, *Matt.* 26. eſt ex priuata poteſtate. *Art.* 2. §. 1. Nemini priuato licet propria voluntate etiam maleficum occidere. Ex *Rom.* 13. & 23. *q.* 8. & 1. *Ciu.* 21. §. 2. Licet aliquando ex neceſſitate ineuitabili, abſque culpa homicidij, non tamen abſque irregularitate. *Ad Aug. lib.* 1. *de lib. Arb.* contra occiſionem cuiuſquam .i. ex libidine, ſeu nimio ſui amore, & alterius odio. §. 3. Qui caſu occidit dans operam rei illicitæ, eſt reus homicidij: ſi verò dans operam rei licitæ, adhibitâ diligentiâ & cautelâ, non eſt reus. *Art.* 3. Non licet quenquam occidere, ex poteſtate nouæ legis: Quia, ex 1. *Tim.* 3. *Matt.* 5. *q.* 2. noua Lex, & Eccleſia eſt fundata in gratia, manſuetudine, & charitate. *Ad Act.* 5. S. Petrus non occidit Ananiam, & Saphyram: ſed prædixit eis mortem, & cauſam.

*Memb.* 3. De ſola occiſione corporali hic propriè prohibita: ſed impropriè & interpretatiuè etiam ſpirituali, omiſſione & commiſſione, corde odiendo, ore detrahendo, opere ſcandalizando.

QVÆSTIO 35. *De 6. Præcepto, non Mœchandi.*

*Memb.* 1. An ſit primæ, vel ſecundæ tabulæ. *Solutio.* Spiritualiter & impropriè, eſt etiam prohibitio fornicationis ſpiritualis, ſeu idolatriæ, & hæreſeos, *Pſal.* 72. *Oſe.* 2. Sed propriè, ſolius fornicationis corporalis, 1. *Cor.* 6. *Ad vlt.* In ſimplici fornicatione fit etiam iniuria proximo, ſeu vtrique complici, quantumuis conſentienti: vt & in pollutione, aut occiſione ſuiipſius, aut alterius conſentientis.

*Memb.* 2. An ſit præceptum legis morale, vel diſciplinæ? *Reſp.* Eſſe legis naturæ, ex *Rom.* 2.

*Memb.* 3. An prohibeat ipſum coitum maris & fœminæ. *Solutio.* Coitus maris & fœminæ ex ſe eſt bonum naturæ: in genere moris, eſt indifferens ad bonum & malum; ſed non poteſt indifferenter exerceri, niſi ex bona circumſtantia; tum quia nimis propendet ad malum; tum quia eſt opus naturæ, non autem tantùm ſingularis perſonæ. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 6. Actus ille vt eſt ſolius virtutis generatiuæ, non abſorbet rationem, &c. ſed vt eſt naturæ corruptæ, &c.

*Memb.* 4. An prohibeat Concubinatum? *Solutio.* Non vt olim inter SS. PP. vet. Teſt. cum concubina inſeparabili, vt vxore ſecundaria: ſed cum concubina ſeparabili, ad differentiam vxoris; quamuis etiam cauſa prolis, ad differentiam meretricis; tum quia hic concubitus eſt fornicarius, tum quia eſt contra ius publicum naturæ, de honeſta procreatione, educatione, & hæreditate prolium; tum quia eſt contra ius naturale non faciendi alteri quod quis ſibi nollet fieri. *Ad.* 1. *Creſcite & multiplicamini, Gen.* 1. vel dicitur per anticipationem, vel poſt matrimonium. *Ad* 4. Non eſt contra legem naturalem animalium, ſed hominum. *Ad* 5. Mulier ſoluta poteſt ſe alicui dare ad ſemper, non ad tempus: quia hoc eſt contra legem rationalem, & Diuinam.

*Memb.* 5. An prohibeat ſimplicem fornicationem? *Solutio.* Ex *Aug. in Exod.* 20. Vt nomine furti prohibetur omnis illicita vſurpatio rei alienæ: ſic nomine mœchiæ, omnis illicitus coitus, & abuſus illorum membrorum, ex *Deut.* 23. *Matt.* 5. *Gal.* 5. 1. *Cor.* 6. *Heb. vlt.* *Ad* 3. ex *Gen.* 38. *de Thamar: Iuſtior me es* .i. minus iniuſta. *Ad* 4. ex *Oſee* 1. Accipe fornicariam .i. vel in coniugem, vel iuſſu Dei, &c. *Ad* 5. Iure naturali omnia ſunt communia ad vſum: niſi ſint neceſſaria alicui perſonæ ſingulari, vel ad propagationem ſpeciei. *Ad* 6. ex *S. Ambr.* Qui lubricum carnis patitur, vapulabit, ſed non peribit .i. per pœnitentiam finalem. *Ad vlt.* ex *Aug. in Exod.* 20. *An omnis fornicatio poſſit dici mœchia, non occurrit mihi in ſacris Script.* .i. expreſſè.

*Memb.* 6. Prohibetur etiam omnis inceſtus inter perſonas non ordinatas ad generationem: vt lege naturali inter parentes & proles; lege Diuina, *Leuit.* 18. inter fratres & ſorores, &c. vſque ad 12. perſonas; lege Eccleſiaſtica inter plures gradus conſanguinitatis, affinitatis, & perſonas ſacras. *Ad* 1. Coitus talis fuit aliquando licitus, quando necdum erat inceſtus. *Ad* 2. Inceſtus ſacrorum Miniſtrorum, eſt legis Eccleſiaſticæ. *Ad* 3. Sacerdotes Orientales non ſunt inhabiles ad coniugium. *Ad* 4. *& vlt.* Fuit inceſtus inter Loth, & Filias eius, contra ordinem naturæ rationalis: ſed minus culpabilis, ex errore & cura conſeruandi genus humanum.

*Memb.* An pluralitas vxorum ſit contra hoc præceptum. *Art.* 1. Eſt contra: quia eſt vox communis naturæ, vnius non eſſe niſi vnam: cùm vir nolit ſuam eſſe alterius, & ipſi Turtures naturaliter hoc obſeruent. *Ad* 1. Lamech in hoc peccauit, contra ius naturæ, & contra conſuetudinem, ac morem: non autem poſtea SS. Patres, ex diſpenſatione

Digitized by Google

ſatione Diuina, ad multiplicationem fidelium; nec contra conſuetudinem tunc introductam, nec contra morem ſeu moderationem. *Ad* 2. Non eſt contra ius naturæ communiſſimum, nec commune: ſed ſpeciale, naturæ rationalis. *Ad* 3. Non eſt contra ius naturale ſimpliciter: ſed nonniſi ex cauſa & diſpenſatione. *Ad* 4. Virtus eſt de iure naturali indiſpenſabiliter: ſed non quodlibet opus virtutis. *Ad* 5. *ex Aug. in Gen.* 29. Non erat peccatum quando mos erat: non ex abuſu, ſed ex diſpenſatione. *Art.* 2. Non fuit contra hoc præceptum in Abraham, Iſaac, & Iacob habere ſimul plures vxores: quia nec ex libidine, nec ſine Dei diſpenſatione, &c. vt ſupra. *Ad Arg. ex Gen.* 21. *& Gal.* 4. Agar ancilla Saræ erat vxor ſecundaria Abrahæ, & ſic de vxoribus Iacob. Cur autem nunquam fuerit diſpenſatum vt vna mulier poſſit habere plures viros, patet ex *q.* 27. De lege naturali.

*Memb.* 8. An coitus coniugalis ſit contra præceptum. *Reſp. Quòd non: ex Gen.* 1. 9. 1. *Cor.* 7. 1. *Tim.* 1. *&* 5. contra varios Hæreticos. *Ad* 1. *ex* 1. *Cor.* 7. Bonum eſt viro mulierem non tangere .i. melius eſt, vel extra coniugium. *Ad* 2. Qui habent vxores tanquam non habentes ſint .i. ſine ſollicitudine & libidine. *Ad* 3. *ex Epheſ.* 5. Viri diligite vxores vt Chriſtus Eccleſiam .i. quoad Charitatem, non quoad actum proprium coniugalem. *Ad* 3. *ex Matt.* 5. *Qui viderit mulierem, &c.* refertur ibi ad vxorem proximi. §. 1. Actus coniugalis eſt licitus. 1. Ad bonum prolis. 2. Ad reddendum debitum. 3. Ad cauendam fornicationem. Eſt autem permiſſus ex infirmitate naturæ, ad ſolam aliquam ſub Deo delectationem coniugalem, abſque peccato mortali: ſed eſt prohibitus, ex nimia libidine, contra honeſtatem, & ordinem coniugij, &c.

QVÆSTIO 75. *De* 7. *Præcepto, Non furandi.*

*Memb.* 1. Quid hic prohibeatur nomine furti? *Solutio.* Furtum propriè dicitur contrectatio rei alienæ, ignorante Domino, contra eius voluntatem: nec oportet addere, *rei mobilis*; quia immobilis contrectari non poteſt. Hinc diſtinguitur à rapina, ſciente domino: & ab vſura, non contra omnem, ſed abſolutam voluntatem domini. Communiter, *Eſt omnis illicita vſurpatio rei alienæ*, *ex Aug. in Exod.* 22. Interpretatiuè, *Eſt omnis illicita rerum poſſeſſio, ex Aug. ad Maced.*

*Memb.* 2. An hic prohibeatur omnis rapina. *Reſp. Quod ſic.* *Ad* 1. Iſraëlitæ, *Exod.* 11. non rapuerunt: ſed Deo paruerunt. *Ad* 2. Rapina dicitur communiter qualibet contrectatio rei alienæ violenter: ſiue ad poſſidendum, ſiue ad delectandum, vt in raptu mulierum.

*Memb.* 3. An furtum & rapina aliquo caſu liceat? *Art.* 1. §. 1. Non licet, niſi ex graui neceſſitate, rem illam communem, aut ſuam faciente. *ex Matt.* 12. §. 2. Non licet ſub ſpecie pietatis, ad Eleemoſynam faciendam, *ex Rom.* 3. *Ad vlt. Si vxor habet res de patrimonio præter dotem, de illis inuito marito poteſt facere eleemoſynam. De pane etiam, & alijs quæ de bono more ſolent ad diſpoſitionem mulierũ pertinere, poteſt & debet facere Eleemoſynam: moderatè tamen, ſecundùm facultates viri; & debet ſemper ſibi formare conſcientiam quòd non diſpliceat marito.* §. 3. Non licet quicquam rapere ab hoſtibus in bello iniuſto: nec in iuſto, niſi authoritate publicâ, nec affectu rapinæ, ſed iuſtitiæ. Nec licet ſpoliare infideles, niſi authoritate publicâ: vt nec occidere maleficos. §. 4. Nec licet retinere res inuentas quæ ſunt alicuius: niſi vt derelictas, vel ad reſtituendum eas domino; ſed licet retinere res inuentas quæ non creduntur vllius fuiſſe, vel eſſe, vt ſunt theſauri ab immemorabili abſconditi.

*Memb.* 4. An hic prohibeatur vſura? *Art.* 1. Lege Diuina, non humana prohibetur, etiam quoad affectum. *Ad* 1. *ex Luc.* 6. *Date mutuum nihil inde ſperantes.* Mutuans poteſt ſperare reciprocum beneficium ex charitate: ſi tamen hoc fine mutuat, non meretur, *quia non ponit Deum finem.* *Art.* 2. Dare ad vſuram, in ſe, & ex ſe malum eſt, ac prohibitum. *Ad* 1. *ex Deut.* 23. Non fuit permiſſum Iudæis ſic dare alienis: niſi vt dare libellum repudij, ob duritiam cordis eorum. *Ad* 2. *ex Amb.* Vſuræ exigi poſſunt ab eo cui iuſtè noceri poteſt .i. vel contra nimiam exactionem tributorum, vel de iure exigendi vſuras ab hoſtibus publicis. *Ad* 3. Eſt potiùs licitum aliquando occidere, quàm dare ad vſuram. Iſraelitæ acceperunt ab Ægyptijs mercedem debitam: ſed accipere vſuram eſt vſurpare rem alienam, vt cognoſcere alienam. *Ad* 4. Iuſtinianus permiſit leuiſſimas vſuras, ad cauendum maius malum. Quidam excipiunt quoſdam caſus in quibus vſura ſit permiſſa: ſed in illis non eſt vſura. *Ad* 5. Mutuum accipiens, non habet ius dandi vſuram, inuito Deo. *Ad* 6. Quibuſuis verbis pallietur vſura, non mutatur affectus, & effectus vſurarius iniuſtè acquirendi rem alienam. *Ad vlt.* Mutuum eſt quaſi de meo tuum: & ideo eſt iniquum lucrari de re aliena, &c. Vt *p.* 2. *q.* 187.

*Memb.* 5. De furto interpretatiuo. *Art.* 1. Diuites nolentes pauperibus in neceſſitate ſubuenire ex ſuperfluis ſui ſtatus, interpretatiuè furantur, *Eccl.* 4. *Art.* 2. Clerici ſeu Eccleſiaſtici abutentes ſuperfluis prouentibus Eccleſiaſticis, furantur eos pauperibus, &c. Ex *S. Hier. ad Dam. Quicquid habent Clerici pauperum eſt, &c.* *Art.* 2. Clerici appropriando ſibi bona Eccleſiæ, vſurpant rem alienam, ex *B. Aug. & Hier. de Clericis. Vel poteſt dici*, quòd poſſint habere proprium ex patrimonio, & donatione perſonali, aut induſtria propria. *Art.* 4. Eſt etiam furtum interpretatiuum, in vendendo, & emendo ſymoniacè: quoad illicitam rei alienæ vſurpationem, quamuis ſit etiam ſacrilegium quoad iniuriam in Deum.

QVÆSTIO 38.

*De* 8. *Præcepto, Contra falſum teſtimonium.*

*Memb.* 1. An ſit primæ, vel ſecundæ tabulæ? *Solutio.* Eſt ſecundæ tabulæ: quia non eſt tam de reuerenda veritate increata, quàm de obſeruanda veritate creata erga proximum. *Ad* 1. Violando teſtimonium iuratum, dupliciter peccatur, contra Præceptum 2. & 8.

*Memb.* 2. Quid hic prohibeatur ſub falſo teſtimonio? *Reſp.* Prohiberi generaliter omne mendacium, vt proximo vel ſibiipſi perniciosum, *Sap.* 8. *Pſal.* 4. *B. Aug.* 1. *Cin.*

*Memb.* 3. An hic prohibeatur omnis falſitas? *Reſp.* Non falſitas rei, aut cognitionis: ſed ſignificationis



Digitized by Google

ficationis ſeu dictionis fallacis. *Ad* 2. Forma huius præcepti non extenditur ad falſam dictionem, ſeu iudicium internum: quia hoc non eſt propriè teſtimonium; ſed poteſt eo reduci.

*Memb.* 4. An hic prohibeatur celatio veritatis? *Solutio.* Præcipitur hic obſeruantia veritatis neceſſariæ ad proximum: ſed ſub obligatione negatiua ad ſemper; affirmatiua autem pro tempore, & ex cauſa neceſſaria.

*Memb.* 5. An hic prohibeatur omne mendaciũ? *Solutio.* Nonniſi grauiter pernicioſum. Non enim cenſetur culpa venialis, ſed ſolùm mortalis prohiberi: niſi inſinuatiuè, ad cauendam mortalem. *Fuit tamen opinio,* quòd omnis culpa, ſiue mortalis, ſiue venialis eſſet prohibita, &c. *Ad* 1. Teſtimonium poteſt ſumi latè, pro quauis dictione, vt atteſtatione animi proprij: vel ſtrictè, pro atteſtatione veritatis apud eos quibus debet per nos innoteſcere. *Ad* 3. Omne mendacium nocet proximo, ſaltem eum fallendo.

*Memb.* 6. An mendacium in omni caſu ſit prohibitum? Ad hoc volunt quidam dicere, quòd ſolùm mendacium pernicioſum & mortale ſit ſimpliciter prohibitum: iocoſum verò, & officioſum, tantùm quodammodo, & quibuſdam .i. viris perfectis; imperfectis verò permiſſum. *Contra.* Ergo perfecti eſſent peioris conditionis quàm imperfecti, &c. *Reſp.* Prohiberi hoc præcepto omne mendacium ex libidine mortali .i. quâ præferuntur quælibet temporalia æternis, ſiue ſit pernicioſum, ſiue officioſum, ſiue iocoſum: non autem ex libidine tantùm veniali, quâ aliquid temporale nimis diligitur, ſub Deo tamen; &c. Ex *B. Aug. libris de mend. & contra.*

QVÆSTIO 38. *De duobus vltimis Præceptis. Non concupiſcendi, &c.*

*Memb.* 1. An hæc ſint legis naturalis. *Reſp.* Quòd ſic, *ex Rom.* 2. *Ad Arg. ex Rom.* 7. Neſciebat eſſe peccatum, vel tam graue, vel Apoſtolus loquitur ex perſona hominum, in quibus hæc lex naturalis erat obſcurata.

*Memb.* 2. An hic prohibeatur concupiſcentia generalis? *Reſp.* Non ex ipſa forma, ſed ex virtute præcepti, ſub illa duplici concupiſcentia intelligitur omnis: ipſaque concupiſcentia honoris & dominationis, ſub concupiſcentia rei alienæ, & ſeruorum, ac ancillarum, &c.

*Memb.* 3. An hic prohibeatur etiam primus motus concupiſcentiæ? *Reſp.* Non prohibetur hic per ſe Concupiſcentia appetitus vegetatiui, aut ſenſitiui: ſed ſolius rationalis, vel cum eius conſenſu. Quia aliter eſt nobis impoſſibile. Hinc *Eccl.* 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, &c.*

*Memb.* 4. An prohibitio voluntatis & operis ſint eiuſdem præcepti? *Solutio. Peccatum voluntatis & operis vnum ſunt in radice & intentione: ſed duo in defectu ordinationis; ideoque cùm ipſam voluntatem opus ſequitur, potiùs dicitur duplex peccatum, quàm duo, vel vnum. Nec ſuperfluit prohibitio.* 1. *Ne Iudæi rudes putarent non eſſe culpam in ſola voluntate.* 2. *Quia aliæ circumſtantiæ debentur actui exteriori, quàm ſoli voluntati, &c.* *Ad* 1. Voluntas non reputatur pro facto, niſi ſit plena .i. de ſe efficax. *Ad vlt.* Euangelium diſtinctius & expreſſiùs prohibet omnia peccata cordis, quàm hæc lex.

QVÆST. 39. *Explanatio Decalogi pro ſimplicibus.*

*Memb.* 1. Quid ſit Præceptum, & quotuplex? *Reſp. Eſt iuſſio vel imperium, ſeu voluntatis Superioris expreſſio, de faciendo, vel non faciendo ab inferioribus.* Nam vel eſt affirmatiuum de faciendo, vel negatiuum de non faciendo, quòd propriè dicitur prohibitio: illud obligat ſemper, ſed non ad ſemper; hoc etiam ad ſemper, ſeu pro ſemper. Quædam ſunt præcepta naturæ ſeu neceſſitatis, quædam diſciplinæ ſeu debiti, quædam legis ſcriptæ ſeu honeſtatis, vt patebit.

*Memb.* 2. De præceptis naturæ & diſciplinæ. Præceptum naturæ, aut eſt datum ad naturam conſeruandam & multiplicandum, aut innatum ſeu inſitum rationi & conſcientiæ cuiuſlibet, ordinatè ad Deum, vel ad proximum, &c. Præceptum diſciplinæ, eſt datum à Deo ad probationem fidei, vel obedientiæ, etiam circa indifferentia.

*Memb.* 3. De differentia præceptorum moralium legis ſcriptæ, à præceptis naturæ, ſecundùm quoſdam, in obligatione & fine: quòd præcepta legis naturalis non teneamur implere ex Charitate, ſed præcepta legis Diuinæ: quódq; præcepta legis ſcriptæ per ſe primò data ſint ad merendum vitam æternam; præcepta verò naturæ, ad eam virtutibus politicis habitandam, & diſponendam ad virtutes Theologicas; vt ſic facienti quod in ſe eſt infundatur gratia. *Sed quia illud Diſputationis eſt: dicamus quòd differunt per explicitum & implicitum; vt quod lex naturalis habet implicitè, lex ſcripta Decalogi habet explicitè.*

*Memb.* 4. De diſtinctione præceptorum legis veteris: in Moralia Decalogi, Iudicialia cauſarum, & Cæremonialia figurarum.

*Memb.* 5. Expoſitio textus *Exod.* 20. *Ego ſum Dominus Deus* &c. Quis, cui loquatur. § 1. De textu 1. præcepti. *Non habebis Deos alienos*: contra idololatriam creaturæ ſpiritualis. *Non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem &c.* contra idololatriam corporalium. *Non adorabis neque coles ea .i.* non facies ad adorandum vel colendum &c. vt ſupra. §. 2. De textu 2. præcepti. *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum*: contra periuria & vana iuramenta &c. vt ſupra §. 3. De textu 3. præcepti: *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices &c.* vt ſupra. §. 4. De textu 4. præcepti: *Honora Patrem & Matrem &c.* §. 5. De textu 5. præcepti. *Non occides*: explicitè contra homicidium; implicitè, contra omnem motum iræ & vindictæ in proximum, vt *Matt.* 5. &c. §. 6. De textu 6. præcepti. *Non mœchaberis:* non tantùm contra adulterium; ſed etiam contra quemlibet abuſum illorum membrorum §. 7. De textu 7. præcepti. *Non furtum facies*: contra omnem vſurpationem rei alienæ &c. §. 8. De textu 8. præcepti. *Non dices falſum teſtimonium*: contra omne genus mendacij &c. §. 9. De textu 9. & 10. præcepti. *Non concupiſces vxorem: Non concupiſces domum &c. proximi tui*: contra omnem liberum appetitum illicitum &c. vt ſupra. §. 10 De ſufficientia Decalogi, ad omnia bona & mala ex natura ſua: non autem ex ſolo præcepto, vel prohibitione.

*Ad*

Digitized by Google

*Ad* 1. Prohibentur hic 7. vitia capitalia: ſed quædam ſpecialiter & expreſſè, quædam communiter & implicite. *Ad* 2. Quædam etiam virtutes præcipiuntur expreſſè, quædam tantùm implicitè. *Ad* 3. Præcepta quæ ordinant hominem ad Deum & proximum, ordinant eundem ad ſeipſum.

QVÆSTIO 40.

*De Legibus iudicialibus, quoad perſonam Iudicis.*

*Memb.* 1. An homo poſſit eſſe iudex hominum? *Reſp.* Non iudicio temerario, vſurpato, inordinato: ſed ordinato, ſecundùm legem Dei, & Eccleſiæ *Matt.* 7. *Rom.* 13. 1. *Cor.* 4. 5. *&c.*

*Memb.* 2. An inferior poſſit iudicare ſuperiorem? *Solutio.* Non propriè, examinando, arguendo, puniendo auctoritate: ſed impropriè, monendo, corrigendo &c. *ex Matt.* 18.

*Memb.* 3. An malus Prælatus poſſit iuſtè iudicare ſubditos? *Reſp.* Poteſt ex officio, ſed non ex merito.

*Memb.* 4. Quæ conditiones requirantur in iudice? *Solutio.* Quia homo iudex gerit vicem Dei in iudicando, debet ei conformari in poteſtate, veritate, & bonitate, *Exod.* 18. *Deut.* 1. *Act.* 16. Hinc variæ perſonæ ſunt ad hoc incapaces.

*Memb.* 5. De triplici differentia Iudicum, Ordinariorum, Arbitrariorum, & Delegatorum, *Exod.* 17. 21. 24. *Num.* 3. *Luc.* 7. *Matt.* 10. 16. *Rom.* 13. *Cauſa* 2. *q.* 1. Sub hoc membro docet poteſtatem ſpiritualem ſummi Pontificis eſſe ſupra omnem regalem: nec ſummũ Pontificem habere poſſe parem aut ſuperiorem, à quo iudicetur. *Heb.* 7. Maior à minori non benedicitur, ſed è contra. 1. *Cor.* 2. Spiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur &c. 11. *q.* 3. *Ad* 1. ex 1. *Pet.* 2. Siue Regi quaſi *Præcellenti.* Rex *præcellit* in ſuo ordine vitæ corporalis, nec habet niſi Deum à quo puniatur.

*Memb.* 6. De Officio Iudicis, *ex Deut.* 16. *Art.* 1. *Conſtitues Iudices & Magiſtros, &c.* §. 1. Iudex non poteſt aſſumere perſonam Accuſatoris, Defenſoris, Rei, vel Teſtis. 4. *q.* 4. Quia perſona Iudicis debet eſſe media, nec declinare in vllam partẽ. *Ad Dan.* 13. Daniel ibi gerebat perſonam Diuinam, & humanam §. 2. Non poteſt Iudex de alienis ſubditis aut exemptis iudicare: niſi ob delictum in loco ſuæ Iuriſdictionis, vel circa rem non exemptã. *Art.* 2. *Vt iudicent populum, &c.* §. 1. Iudex non debet iudicare ſecundùm ſuam conſcientiam facti, ex propria opinione vel ſcientia: ſed ſecundùm rectam, non erroneam conſcientiam iuris .i. ſecundùm allegata & probata diligenter diſcuſſa. *Ad.* 1. Iudex debet iudicare ſecundùm veritatem iudicij .i. legitimæ conuictionis. *Ad* 2. Iudex ſecundùm legem, non condemnat, ſed ipſa lex. *Ad* 3. Dicunt quòd Iudex condemnando innocentem ordine iuris, non eſſet reus, &c. ſed ſi poteſtas eſt inferior, & conſtat ei de innocentia Rei, debet ipſum ad Superiorem remittere, qui eum abſoluat. §. 2. Si crimen eſt euidens, poteſt Iudex ſine accuſatore, aut teſte procedere: non tamen ſi ſit ineuidens, *ex Gen.* 4. *& diſt.* 2. *q.* 1. *ac S. Ambr. in* 1. *Cor.* 5. §. 3. Non poteſt condemnare niſi conuictum, aut confeſſum, ſaltem confeſſione ſeu euidentia facti publici, quãuis verbo negaretur, 2. *q.* 1. *Art. Nec in alteram partem declinent: non accipies perſonam, nec munera.* Non eſt miſerendum pauperum in iudicio: niſi ſaluâ iuſtitia, *Leuit.* 19. *Eccl.* 4. Nec poteſt Iudex vllum munus pro iudicio recipere: nequidem pro expenſis, ſi ſit Iudex ordinarius, habens ad hoc ſufficientes prouentus; ſed delegatus poteſt moderatas expenſas exigere, *ex B. Aug. Epiſt. ad Maced. &* 2. *q.* 2. *Ad* 1. Quidam dicunt Iudices poſſe recipere xenia moderata, ſponte oblata: ſed nec ſponte oblata, ad vitandam omnem ſuſpicionem. *Ad* 2. Iudex tenetur reſtituere iniuſtè acceptum: vel ei in cuius iniuriam accepit, vel ei qui bona fide dedit, vel pauperibus. *Art.* 2. *Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris* .i. non miſerando peccatoris vt peccator eſt, ſed hominis vt homo eſt, & pœnitentis vt pœnitens, ſine præiudicio boni communis.

QVÆSTIO 41. *De perſona Rei.*

*Memb.* 1. An mali ſint iudicandi & puniendi? *Solutio.* Sunt quidem omnes corripiendi per admonitionem: non tamen omnes puniendi per condemnationem; ſed tantùm ſubditi pernicioſi, notorij, vel ex manifeſtis indicijs conuicti, & ſine grauiori periculo punibiles. *Ex B. Aug. contra Parmen.* De puniendis malis, concurrente iuriſdictione, conuictione, & ſalua Eccleſiæ vnitate.

*Memb.* 2. An reus abſens poſſit iudicari. *Solutio.* Non abſens ex impotentia, aut iuſta cauſa: ſed ex contumacia. 3. *q.* 9.

*Memb.* 3. An multitudo peccans ſit punienda. *Solutio.* Crimina punienda ſunt, quando fieri poteſt ſalua pace Eccleſiæ. Multitudo delinquentium aliquando eſt patienter toleranda: aliquando in paucis punienda, ad terrorem & correctionem reliquorum. Ex *Aug. Epiſt.* 64. *& alibi.*

*Memb.* 4. An innocentes, ignorantes, vel coacti, iudicandi & puniendi ſint? *Art.* 1. Deus nunquam punit innocentem pro alijs, niſi ad eius ſalutem. Pœnas quæ nocent, nec proſunt, ita nullus Deo Iudice pro alienis peccatis luit: ſicut homine Iudice, nullus luere niſi pro ſua culpa iſtas viſibiles pœnas debet. Ex *B. Aug. in Ioſ.* 7. *Art.* 2. Ignorantia purè negatiua, excuſat ab omni punitione: priuatiua, à grauiori; ſed prauæ diſpoſitionis, accuſat, & meretur pœnam ſeuiorem, &c. vt *p.* 2. *q.* 129. de peccatis ignorantiæ. *Art.* 3. Coactio ſimpliciter, excuſat omnino: ſecundùm quid, ex parte, &c.

*Memb.* 5. De Reis in ipſum Iudicem, ab eo non iudicandis, nec proprijs iniurijs vindicandis.

QVÆSTIO 42. *De Perſona Accuſatoris.*

*Memb.* 1. An quis poſſit, & teneatur alium accuſare? *Reſp.* Quod ſic: ſed non niſi ordine iuris, ex Charitate, ad correctionem neceſſariam, vt *Matt.* 18.

*Memb.* 2. An ſubditi poſſint ſuos Prælatos accuſare? *Solutio.* Non ſubditi criminoſi, nec ignoti, nec ex prauo affectu: ſed ſoli boni, & noti, ex affectu charitatis & correctionis, 2. *q.* 7.

*Memb.* 3. An mali poſſint eſſe accuſatores? *Solutio.* Accuſans debet eſſe ſaltem par fide, & ſuperior moribus, accuſato. 2. *q.* 7. & 3. & 11.

*Memb.* 4. An omnes boni, etiam Monachi, poſſint eſſe accuſatores? *Reſp.* Quòd ſic: non ex præſumptione, ſed ex neceſſitate Charitatis. 2. *q.* 7.



Digitized by Google

*Memb.* 5. Quæ ſint conditiones legitimi accuſatoris? *Reſp.* 1. Diſcretio iudicij. 2. Zelus charitatis: abſque corruptione affectus, amore, odio, timore, vel pretio. 3. Innocentia conuerſationis.

*Memb.* 6. Quando & quo ordine quis accuſandus ſit? *Solutio.* Nonniſi quando conuinci poteſt, & ordine correctionis fraternæ. 6. *q.* 2.

QVÆSTIO 43. *De Teſtibus.*

*Memb.* 1. An quiuis poſſit, aut teneatur ferre teſtimonium? *Solutio.* Non Clerici, in cauſa ſanguinis, ad condemnationem perſonæ. 2. *q.* 7. ſed omnes ad neceſſariam purgationem Innocentiæ, correctionem culpæ, & conſeruationem, aut recuperationem rei alienæ. 14. *q.* 2.

*Memb.* 2. De neceſſario numero teſtium. §. 1. Duorum vel trium. *Ex Deut.* 19. *Num.* 35. *Ioan.* 8. *Heb.* 10. Sed 2. *q.* 5. Præſul non condemnetur niſi 72. teſtibus: Præſbyter Cardinalis, niſi 40. Diaconus Card. niſi 26. Subdiaconus, Acolythus, niſi 7. Supple de Clericis Romanæ Eccleſiæ priuilegiatis.

*Memb.* 3. De idoneitate teſtium, à moribus, natura, fortuna, animo, ſtatu. *Exod.* 23. *Deut.* 19. 4. *q.* 3. 4. 12. *q.* 2. *&* 15. *q.* 3. *&* *diſt.* 37. *&c.*

*Memb.* 5. An liceat teſti precium recipere? *Reſp.* Non pro ipſo teſtimonio veritatis: ſed pro ſumptibus neceſſarijs. *Ex B. Aug. ad Maced.* & 4. *q.* 3.

QVÆSTIO 44 *De Aduocatis.*

*Memb.* 1. An Aduocatus teneatur ad iuſtum patrocinium, & Iuriſperitus ad iuſtum conſilium indigenti tribuendum? *Reſp.* Quòd ſic, *ex Matt.* 7.

*Memb.* 2. An Officiales, Aſſeſſores, & Aduocati poſſint reciperere pretium ſui conſilij, & patrocinij? *Reſp.* Si Officiales habeant certum ſtipendium, nihil omnino poſſunt recipere, *ex Aug. de verb. Dom. in Luc.* 3. Si verò non habent, poſſunt aliquid moderatè, non immoderatè recipere, ſicut Aſſeſſores & Aduocati. Moderatio autem ſumenda eſt. 1. Ex quantitate cauſæ. 2. Ex labore. 3. Ex ſcientia in Aſſeſſore, & facundia in Aduocato. 4. Ex conſuetudine regionis. *B. Aug. Epiſt. ad Maced. & B. Leo diſt.* 41.

*Memb.* 3. Quæ requirantur ad legitimum Aduocatum? *Reſp.* Congrua perſona, Cauſa iuſta, Modus debitus, Affectus pius, &c. 3. *q.* 16.

QVÆSTIO 44. *De proceſſu Iudicij.*

*Memb.* 1. De triplici proceſſu. 1. Inquiſitionis, *ex Gen.* 18. *Luc.* 16. & aliunde. 2. Denunciationis, *ex Leuit.* 5. *Matt.* 18. & aliunde. 3. Accuſationis, *ex Deut.* 35. In Inquiſitione proceditur ad correctionem, ex officio Iudicis, fama denunciante, & debitum officij exigente: In accuſatione verò, proceditur ad correctionem, ſecundùm ſeueritatẽ iuſtitiæ, ſub pœna talionis; ſed in denuntiatione, ſecundùm moderationem clementiæ. *Ad* 3. Perſona certa denuntians eſt vice accuſatoris: perſona accuſans eſt vice actoris; ſed in inquiſitione ſuper fama, idem eſt Actor & Iudex, fama denuntiante. *Ad vlt.* Hæc fama non eſt ſecundùm voces varias vulgi: ſed grauium & honeſtarum perſonarum, non ſemel, ſed ſæpè, *ex Gen.* 18. *Luc.* 16.

*Memb.* 2. De ordine procedendi. Quædam requiruntur lege Diuina ex neceſſitate iudicij, vt Iudex, auctoritas eius, citatio rei, interrogatio, probatio, definitio cauſæ: quædam lege humana, ad vtilitatem, & ad repellendam iniquitatem; vel in fauorem Actoris, vel Rei, vel vtriuſque, &c.

*Memb.* 3. De inquiſitione Iudicis, & purgatione Rei, Canonica vel vulgari. Canonica fit per iuramentum & teſtimonium Bonorum, arbitrio Iudicis; non Rei. 2. *q.* 2. *&* 4. §. 1. De purgatione vulgari, illicita, per experientiam ferri cadentis, aquæ feruentis, Duelli, ſacræ Communionis, &c. contra preceptum non tentandi Deum, *Deut.* 6. & ſacras Canones. 2. *q.* 4. *Ad* 1. Sacrificium illud zelotypiæ, *Num.* 5. fuit tantùm permiſſum, vt libellus repudij. *Ad* 2. *ex Ioſ.* 7. *&* 1. *Reg.* 14. 17. Illæ figuræ non ſunt in exemplum trahendæ. *Ad* 3. *ex* 2. *q.* 4. Fuerunt tantùm tolerationes mali, ad cauendum peiora.

*Memb.* 4. De conuictione Rei per propriam confeſſionem iudicialem, vt ſufficiente ad condemnationem: exceptis pueris, ignorantibus, ſeu errantibus, inuitis, &c. *Ad vlt.* Confeſſiones Reorum extortæ, non ſufficiunt, 16. *q.* 6.

*Memb.* 5. De conuictione per probationem, & 6. modis probandi. 1. Per euidentiam facti. 2. Per famam. 3. Per iuramentum. 4. Per inſtrumenta. 5. Per præſumptionem. 6. Per teſtimonium. *Ad* 2. Iuramentum admittitur ad purgationem innocentiæ, non ad probationem culpæ: quia Iura ſunt proniora ad abſoluendum quàm condemnandum.

*Memb.* 3. De probatione per teſtes. *Art.* 1. Valet teſtimonium de eis quæ ſciuntur auditu proprio: non quæ tantùm creduntur ex auditu alieno. *Art.* 2. De fide adhibenda teſtibus diligenter examinatis: ſecundùm eorum inter ſe concordiam, aut diſcordiam, circa rem ipſam & circumſtantias; ſtando potiùs eorum honeſtati ſeu æſtimationi, quàm pluralitati; his autem paribus, potiùs pro Reo & Poſſeſſore, quàm Actore, &c. *Ex varijs iuribus, Canonicis & ſimilibus.*

*Memb.* 7. De probatione per præſumptiones, ſeu coniecturas vnius facti ex alio: nullatenùs per temerarias, ex nulla apparentia mali, ſed ſolius boni; nec per leues, ex magna apparentia boni & parua mali; nec per probabiles, ex magna apparentia mali & parua boni, vt ſufficientes ad condemnationem, ſed tantùm ad indicendam purgationem; ſed per ſolas violentas, ex nulla apparentia boni, ſed ſolius mali, vt ſufficientes ad condemnationem. Quia in his eſt ſaltem certa ſpecies mali, digna punitione. Ex 27. *q.* 1. *Ad vlt.* Sanctitas probata perſonæ, tollit præſumptionem violentam, &c.

QVÆSTIO 46. *De legibus permiſſionis.*

*Memb.* 1. De permiſſione fœnerandi alienis, *Deut.* 23. dandi libelium repudij, *Deut.* 24. Vtendi ſacrificio Zelotypiæ, *Num.* 5. §. 1. Hæ permiſſiones ſeu impunitates, fuerunt æquiſſimæ, ad cauenda maiora mala in populo illo duræ ceruicis. §. 2. Ideoque abſque vlla culpa Legiſlatoris & Iudicis, permittentis ad communem vnitatem & pacem illius populi. *Ad* 1. *&* 2. Moyſes non poterat, ſaluo maiori bono vnitatis & pacis communis, hæc minora mala corrigere. *Ad* 3. Permittere hæc impunita, ad cauenda maiora mala, non eſt facere mala vt veniant bona, *Rom.* 3. *Ad* 4. Eſt permiſſio conceſſionis

Digitized by Google

ceſſionis licitorum, permiſſio diſpenſationis circa illicita, permiſſio indulgentiæ circa minùs bonum, & permiſſio tolerantiæ minoris mali, ad cauendum peius; denique permiſſio malorum ad elicienda bona.

*Memb.* 2. De lege repudij, *Deut.* 24. *Art.* 1. An repudium de ſe ſit peccatum? *Reſp.* Quod ſic, ex *Matt.* 5. *Art.* 2. An ex lege fiat licitum? *Reſp.* Quòd non, ex *Matt.* 5. *Art.* 3. An liceret repudiatæ ducere alium virum? *Reſp.* Non erat licitum ſine culpa, ſed impunitum. *Ad* 1. Permiſſio illa non erat diſpenſatio, ſed toleratio. *Ad* 2. Fuit aliquando diſpenſatum in bigamia, nunquam in repudio: quia habere plures vxores ſimul poterat eſſe ex charitate; ſed repudiare, nonniſi ex odio. *Art.* 4. Cur non fuerit etiam mulieri permiſſum repudium viri? *Reſp.* Ob dignitatem ſexus virilis, & leuitatem ſexus muliebris, minùſque periculum à muliere quàm à viro. *Art.* 5. De libello repudij ſcribendo, ne nimis leuiter fieret, & de cauſis non expreſſis in lege. *Art.* 6. De prohibitione reſumendi vxorem repudiatam, in pœnam repudij.

*Memb.* 3. De lege Zelotypiæ, ſeu probandi aut purgandi adulterium, *Num.* 5. *Art.* 1. Non licebat, ex ſuſpicione temeraria, & libidine vindictæ: ſed ordine & zelo iuſtitiæ. *Art.* 2. Nihil tale licet in noua lege: quia Cæremonialia illa ceſſarunt, nec licet tentare Deum, &c. *Art.* 3. In lege veteri fuit potiùs lex illa inueſtigandi adulterium, quàm furtum: quia tunc homines erant ad illud proniores, &c.

QVÆSTIO 46. *De legibus punitionis.*

*Memb.* 2. De lege flagellationis, *Deut.* 25. Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ita vt non excedat 40.

*Memb.* 2. De lege Talionis: non ex affectu priuato vindictæ, ſed zelo publico iuſtitiæ.

*Memb.* 3. De lege bellorum. *Art.* 1. An mali poſſint licitè debellari? *Reſp.* Bellare iuſtè, licitum eſt lege Diuina: imò & Regibus, ac Principibus præceptum; ſed iniuſtè bellare, illicitum, & prohibitum. *Ex Aug. ad Bonif.* Ad iuſtitiam autem belli neceſſaria ſunt. 1. Affectus pacificus, & Authoritas indicentis. 2. Conditio & intentio exequentis. 3. Culpa ſuſtinentis. 4. Iuſta cauſa inferentis. *Art.* 2. De circumſtantijs iuſtè bellandi. §. 1. Poſſunt iuſti ſub ſuo Rege impio militare in cauſa iuſta, vel non certò iniuſta. Ex *Rom.* 13. 1. *Pet.* 2. §. 2. Arma, ſeu bellum iuſtum moueri poteſt iuſſu Principis, manu militis, & nutu Epiſcopi. *Vt S. Bern. ad Eugen.* ex illo Chriſti, *Matt.* 26. *Conuerte gladium tuum in vaginam: tuo forſitan nutu etſi non manu euaginandum.* Et *Luc.* 22. *Ecce duo gladij.* §. 3. Diebus ſacris vacandum eſt à bello, niſi ex neceſſitate aut opportunitate. §. 4. Iuſtum bellum non eſt gerendum fraudè .i. non perfidè, nec praua intentione: non tamen ſola vi aperta, ſed & arte, ac occultis inſidijs, ex *Ioſ.* 8. *Art.* 3. Exercitia militiæ ac Tyrocinia ſunt licita: non tamen ad vanam oſtentationem, aut cum graui periculo vitæ & ſalutis.

*Memb.* 4. De legibus occiſionis. *Art.* 1. Malefici poſſunt, & debent iuſtè puniri, etiam pœna mortis, *Exod.* 22. *Deut.* 19. 25. *Rom.* 13. *Art.* 2. De pœna lapidationis, *Exod.* 19. *Leuit.* 24. *Num.* 15. *Deut.* 22. Cremationis, *Leuit.* 21. Suſpenſionis in ligno, & Gladiationis, *Deut.* 21. *Art.* 3. De varijs cauſis iuſtæ occiſionis, ſeu pœne mortis in lege veteri, ob verba contumeliæ, blaſphemiæ, calumniæ, *Exod.* 22. *Leuit.* 24. *Deut.* 21. & ob praua opera contra Deum & proximum, *Exod.* 20. *Leuit.* 21. *Deut.* 18. *&c.* *Ad* 1. Quædam puniebantur morte, ob contemptum & reuerentiam. *Ad* 2. Lex non punit ſolam voluntatem, niſi exeat in aliquem actum. *Ad* 3. Fures, nec ſub lege antiqua, nec nunc puniuntur morte: niſi ex præſumptione homicidij; vt fures nocturni, & diurni armatis vel ex contumacia, vt fures ſignati & cauteriati, &c.

*Memb.* 5. De legibus punitionis, per damnum rerum. *Art.* 1. An boni poſſint iuſtè ſpoliare malos? *Reſp.* Dicunt quidam quòd ſic: quoad malos extra, non intra Eccleſiam; & authoritate publica, non priuata. *Ex Aug. in Epiſt. ad Vinc.* & 1. *Cor.* 3. *et* 6. *Art.* 2. Cur lex puniat fures ouium, reſtitutione quadrupli: Boum, quintupli; pecuniæ, dupli, *Exod.* 22. Raptores alienorum, reſtitutione integra, & quintæ partis vltra, *Leuit.* 5. *Num.* 3. & Zacheus, *Luc.* 19. reddat quadruplum, *Prov.* 6. Fur deprehenſus teneatur ad ſeptuplum? *Reſp.* 1. Ex maiori, vel minori rerum neceſſitate, aut vtilitate & damno, priuato, vel publico. 2. Ex maiori, vel minori hominum ad hæc, vel illa pronitate, & coercendi neceſſitate. 3. Ex maiori, vel minori audacia furandi, & conſumendi aut non, res alienas. 4. Ex primitijs aut decimis inde Deo debitis aut non. Quadruplum autem Zachæi eſt ſupererrogationis: ſeptuplum, *Prov.* 16. i. integrè & perfectè.

QVÆSTIO 48.

*De præceptis iudicialibus circa perſonas.*

*Memb.* 1. Circa perſonam Regis & Sacerdotis, *Exod.* 28. *Leuit.* 8. 9. 10. *Deut.* 17. *Art.* 1. Natura genuit omnes homines æquales: ſed prouidentia Dei aliquos alijs præponit, ad eos regendos, & coercendos, *Sap.* 7. *Rom.* 13. *Art.* 2. In nouo & veteri Teſt. neceſſaria eſt poteſtas Regalis, quæ præſit huic vitæ ordinandæ in temporalibus: & Sacerdotalis, quæ præſit in ſpiritualibus, *Prou.* 8. *Matt.* 22. *Rom.* 13. *Art.* 3. An poteſtas Sacerdotalis ſit in aliquo ſubiecta Regali? *Reſp.* Non quoad bona iure Diuino ad Eccleſiam pertinentia, vt ſunt Eccleſiæ, Cœmeteria, ſepulturæ, decimæ, oblationes, ex quibus Eccleſia nullos cenſus debet: ſed quoad poſſeſſiones ſolo iure humano acquiſitas, ſaluis debitis temporalibus. 23. *q.* 8. §. 1. Multominus quoad perſonas ſacras inſtituendas, regendas, iudicandas, puniendas: cum poteſtas ſpiritualis ſit à Deo ſolo inſtituta: temporalis autē, ab hominibus, poſſitque inſtitui, & iudicari à Spirituali.

*Memb.* 2. De legibus ſeruitutis. *Art.* 1. Boni debent etiam ſubeſſe malis Dominis, ex *Rom.* 13. *Epheſ.* 5. 1. *Cor.* 7. 1. *Pet.* 2. Quia quamuis ſeruitus ſit primò introducta ad puniendos, & coercendos malos: eſt tamen obſeruanda à bonis, ex humilitate & æquitate. *Art.* 2. De manumiſſione ſeruorum Hebræorum, *Exod.* 21. non tamen Chriſtianorum; quia illa erat figura manumiſſionis ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritualis: Chriſtiani autem ſeruiunt ex humilitate, & charitate, 1. *Cor.* 7. 1. *Pet.* 2. *& Epiſt. ad Philem.* *Art.* 3. De recipiendo, & retinendo ſeruo fugitiuo, *Deut.* 33. Ad ſaluandam eius vitam, & innocentiam, à domino iniuſtè perſequente.

*Memb.* 3. De legibus iudicialibus circa virum & vxorem. Non licebat ducere alienigenam ex Gentibus terræ promiſſionis, nec ex alijs idolatris: niſi conuerſam ad fidem, & captiuam, *Deut.* 7. 21. *Ruth vlt.* &c. Solis Regibus & quibuſdam alijs perſonis, ex diſpenſatione Dei licuit habere plures vxores, ſed non plurimas, *Deut.* 17. ad ſucceſſionem, & multiplicationem.

*Memb.* 4. De legibus circa perſonas infames: Ne eſſent meretrices & ſcortatores ex filijs Iſrael, *Deut.* 23. Vnde patet prohibitio expreſſa etiam ſimplicis fornicationis. §. 1. De infamibus etiam ſine culpa propria, vt Eunuchis, Spurijs, Amonitis, Moabitis, non admittendis in Eccleſiam, *Deut.* 23. .i. ad iura, pacta, & coniugia communia; ex aliqua ſignificatione, vel indignitate, vel ad horrorem peccati.

QVÆSTIO 49. *De legibus iudicialibus circa poſſeſſiones rerum.*

*Memb.* 1. De non acquirendo & theſaurizando, ex ſolo affectu auaritiæ, abſque intentione neceſſitatis propriæ, vel alienæ, *Deut.* 17. Non habebit Rex auri & argenti immenſa pondera.

*Memb.* 2. De lege, *Deut.* 18. Ne Sacerdotes & Leuitæ hæreditarent cum reliquo populo Iſrael: vtique ex prima illa partitione terræ promiſſionis; ſed eſſent contenti ſuis vrbibus, ac ſuburbanis, & ſacrificijs ac oblationibus. Non autem quin poſſent alio quàm hæreditario iure quicquam poſſidere. Sic, & perfectiùs ſacri Miniſtri nouæ legis, non poſſident vlla Eccleſiæ bona vt propria: ſed adminiſtrant, & diſpenſant vt Eccleſiæ & pauperum; poſſunt tamen quædam acquirere ad pios vſus, & hæreditare pro ſuis etiam hæredibus.

*Memb.* 3. De legibus iudicialibus circa res diſtribuendas ſeu communicandas aut reſtituendas. Vt, *Exod.* 23. De fructibus anni ſeptimi pro pauperibus. *Leuit.* 25. De collectis pro pauperibus. *Leuit.* 25. De reſtituendis poſſeſſionibus, & ſeruis manumittendis in Iubilæo. *Leuit.* 25. De reliquis ſpicis & vuis poſt meſſem, & vindemiam, pro pauperibus, &c. *Deut.* 24. De non retinendo noctu pignore pauperis, ei neceſſario ad dormiendum, &c. Ad præfigurandam, & commendandam perfectionem nouæ legis.

QVÆSTIO 50. *De præceptis iudicialibus circa actiones, ſeu varios contractus.*

*Memb.* 1. An negotiatio ſit licita? *Reſp.* Non eſt illicita, niſi ex illicitis circumſtantijs: vt perſonæ clericalis, cauſæ finalis auaritiæ, modi fraudulenti, temporis aut loci ſacri, ſeu inhibiti; ſed eſt licita à laicis ad neceſſariam ſuſtentationem familiæ, vel ad alias cauſas pias, ſine fraude, aut mendacio, tempore & loco licito, & iuſto commercio communi, &c. ex *B. Aug. in Pſal.* 70. *Ad* 1. *Ex S. Chryſ. in Matt.* 21. De mercatoribus eijciendis ex Eccleſia: quia ſine mendacio & periurio eſſe non poſſunt .i. vix poſſunt. *Ad* 2. *ex eodem*, De eijciendo mercatore qui rem aliquam comparat, vt integram cum lucro vendat .i. qui ſolo lucri ſtudio, abſque vllo labore, opera, aut damno, vel periculo proprio, & vtilitate publica. *Ad vlt. ex Caſſiod.* Eſt contra mercatores diuites, qui ex foro rerum venalium omnia coëmunt, vt inde careſcant, & cariùs vendant.

*Memb.* 2. An nulla negotiatio ſit clericis licita? *Reſp.* Non negotiatio vſuraria, ſub pœna degradationis, *diſt.* 47. Nec negotiatio emptionis ad vendẽdum: quia eſt contra decentiam exemplarem ſtatus, vixque licitè exerceri poteſt; ſed ſola venditio rerum eis non neceſſariarum, vt propriorum fructuum aut arte factorũ, ad cõparãda ſibi neceſſaria.

*Memb.* 3. De lege venditionis in pondere & mẽſura, *Deut.* 25. Depoſiti, *Exod.* 22. Mercenarij cõducti, *Deut.* 24. *Leuit.* 19. Mutui, *Deut.* 23. A quo multum differt locatio agrorum & domorũ: quia hinc percipitur fructus & vſus æquali pretio æſtimabilis & compenſabilis, non inde.

QVÆSTIO 51. *De lege Decimarum.*

*Memb.* 1. De inſtitutione decimarum, primitiarum, & oblationum: ex iure naturali ſecundùm quid & indeterminatè; non autem ſimpliciter & determinatè ad tanta ex bonis proprijs in honorem Dei; quoad primitias quidem, à tempore Abel; quoad oblationes, à Noë; quoad decimas, ab Abraham.

*Memb.* 2. An decimæ debeantur ex præcepto, vel conſilio? *Reſp.* In lege naturæ, ex præcepto, quoad neceſſariam ſuſtentationem ſacrorum Miniſtrorum: ex conſilio autem, quoad determinationem; in lege Moyſis, ex præcepto determinatè, *Exod.* 23. *& Num.* 18. In lege gratiæ, ex præcepto, ſi ſubeſt neceſſitas Miniſtrorum, vel conſuetudo regionis. *Ex Decretali Alexand. & Innoc.* 3.

*Memb.* 3. An ex præcepto morali, vel cæremoniali? *Reſp.* Non ex morali, quia non eſt determinatè ſcriptum in corde: nec cæremoniali, quia non eſt principaliter ad præfigurndum; ſed ex iudiciali, quia principaliter ad æquitatem dandi & accipiendi neceſſaria, & temporalia, pro adminiſtratione ſpiritualium.

*Memb.* 4. De quibus debeantur Decimæ. *Art.* 1. Prædiales debentur à quibuſuis peccatoribus: ſed perſonales, nec debentur, nec poſſunt recipi ex iniuſtè acquiſitis, ſeu vſurpatis; ſed benè ex illicitè acquiſitis, à perſonis conuerſis ac pœnitentibus. *Ex Deut.* 23. *Eccl.* 34. 35. *Alexand.* 3. *Extra: de Decimis.* *Art.* 2. An Decimæ perſonales debeantur ex præcepto? *Reſp.* Tam perſonales quàm prædiales: ſi & quando eſt neceſſitas, & cõſuetudo. *Art.* 3. An minutæ Decimæ debeantur ex præcepto? *Reſp.* Quidam dicunt, quòd de omnibus debentur, quæ annuè renouantur: non tamen determinatè ſub præcepto, ſed ex arbitrio & determinatione Eccleſiæ: ſicque de minutis Decimis, vbi non eſt neceſſitas aut conſuetudo ſoluendi aut exigendi. Sed cùm ex *Clem.* 3. *Extra de Decimis*, debeantur ex omnibus fructibus: ſi exigantur ex neceſſitate, vel Eccleſiæ inſtitutione, aut conſuetudine approbata, debentur ex præcepto; ex ſolo autem conſilio, ſi ſic non exigantur.

*Memb.* 5. Quando debeantur? *Reſp.* Decimæ perſonales debent dari tempore commodiori Eccleſiæ:

Digitized by Google

cleſiæ : prædiales, quàm primum fructus percipiuntur, ante omnes alias expenſas, & pericula dilationis.

*Memb.* 6. Quibus debeantur Decimæ? *Art.* 1. An etiam laïcis? Quidam Iuriſperiti diſtinguunt, quòd Decimæ quatenus debentur pro ſacris miniſterijs non poſſint deberi laicis : ſed quatenus debentur Deo in ſignum vniuerſalis dominij, poſſint eis iure deberi ac tribui quoad fructuum perceptionem, non quoad proprietatem. A tempore tamen *Later. Concl.* non valet vlla alienatio, vel infeudatio Decimarum, ad laïcos. Alij dicunt quod nullo tempore potuerunt dari in feudum, cum iure transeundi ad hæredes : quia ius ad illas eſſet inutile Eccleſiæ. *Sub finem.* Si priuilegium fuit conceſſum in perpetuum à ſede Apoſtolica, in fauorem, ex magno merito de Eccleſia : licet vti ac retinere ſecundùm formam priuilegij Excepto 1. abuſu priuilegij contra Eccleſiam, vel nimio Eccleſiæ grauamine ac læſione, vel demerito aliquo poſteriore, &c. Hinc tamen non poſſunt exigi Noualia, ſed debentur Eccleſiæ : quia talia priuilegia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda. *Art.* 2. An debeantur Religioſis Regularibus? *Reſp.* Debentur eis conceſſæ authoritate Eccleſiæ, non aliæ. *Ad* 1. Religioſi cenſentur etiam de ordine Leuitico. *Ad* 2. Monachi qui ſunt patroni Eccleſiarum, debent miniſtris Sacramentorum beneficium competens aſſignare : alioquin ſunt raptores iniuſti Decimarum. *Ad* 3. Portant & ipſi peccata populi orando, &c. *Ad vlt.* Si Eccleſia Parochialis abundet Decimis : poteſt inde authoritate Eccleſiæ prouideri indigentiæ Religioſorum. *Art.* 3. An debeantur Clericis habentibus aliunde Stipendium ſufficiens? *Reſp.* Debentur eis : ſed non poſſunt eis vti niſi in neceſſitates pauperum, vel ad vtilitatem Eccleſiæ. *Art.* 4. An vna Eccleſia poſſit habere Decimas ex perſonis aut territorio alterius Eccleſiæ? *Reſpondent quidam :* Quòd ſi quæ Eccleſia habeat aliunde ſufficientem ſuſtentationem; Alia authoritate Epiſcopi poſſit eas ſibi à laïcis redimere & habere. *Alij* meliùs, quòd ius Noualium & Decimarum redimibilium, pertineat ad Eccleſiam in cuius parochia ſunt : nec poſſit Epiſcopus ſibi, vel alijs tribuere. *Ex Decret. Alex* 3. *& Innoc.* 3. *Ad tres quæſt.* 1. Cui debeantur Decimæ ab habente domicilium in vna parochia, & prædium in alia. 2. A paſcente gregem nunc in vna, nunc in alia Parochia. 3. Ab habente ouile in vna, & paſcente oues in alia? *Reſp. Ad* 1. Decimas perſonales deberi Eccleſiæ, ex qua recipiuntur Sacramenta : Prædiales pro antiqua conſuetudine. *Ad* 2. Debere vtrique Eccleſiæ. *Ad.* 3. Deberi Eccleſiæ in cuius parochia ſunt paſcua. *Art.* 5. An quædam Decimæ debeantur nunc pauperibus, vt *Deut.* 14. *Reſp.* Non ex præcepto : quia nunc omnia ſuperflua Eccleſiæ ſunt pauperum fidelium. *Art.* 6. An debeantur Papæ Decimæ Decimarum, *Num.* 18. vt Summo Sacerdoti? *Reſp.* Quidam dicunt quòd non, quia habet propriam Diœceſim, & ſufficientia ſibi prouiſa ab Imperatoribus, ac diſpenſationem ſupræmam omnium bonorum Eccleſiæ. *Alij,* quòd ſic, ſi exigat in neceſſitates ſuas & Eccleſiæ.

*Memb.* 7. Quinam debeant Decimas? *Art.* 1. An omnes? *Reſp.* Omnes, tam pauperes, quàm diuites : quia debentur Deo. *Ad Arg.* Pauper tenetur offerre : ſed Sacerdos ei reddere. *Art.* 2. An ipſi Clerici debeant Decimas. *Reſp.* Non de rebus Eccleſiæ, ſed de patrimonialibus, vel acquiſitis : nec de proprijs laboribus & neceſſarijs ad vitam communem & regularem. De prædijs verò patrimonialibus, vel acquiſitis, quidam dicunt debere Decimas Eccleſiæ, cui ante debebatur. *Alij,* debere illi, ſi non ei deſeruiant, non debere, ſi deſeruiant. *Art.* 3. An Religioſi debeant Decimas? *Reſp.* Monachi Albi, Templarij, & Hoſpitalarij Ieroſolymitani, non debent Decimas de poſſeſſionibus quas proprijs manibus vel ſumptibus colunt : ſed de eis quas tradunt alijs colendas. *Ex Alex.* 3. *Extra de Decimis. Supple.* De habitis ante Conc. generale Later. Monachi verò nigri, Canonici Regulares, & alij Religioſi debent Decimas ex omnibus ſuis poſſeſſionibus : exceptis Noualibus quæ ipſi colunt, hortis, & nutrimentis ſuorum animalium. *Ex Alex.* 3. Quia Eccleſia poteſt in hoc iure & debito diſpenſare. Niſi aliter pactum ſit cum Eccleſijs, vel eſſet nimium damnum Eccleſiæ parochialis, vel renuntiatum eſſet priuilegio actibus contrarijs.

*Memb.* 8. De emptione & redemptione Decimarum. *Art.* 1. An poſſint emi? *Reſp.* Non quoad ius, ſed quoad fructus. *Art.* 2. An poſſint licitè redimi? *Reſp.* Quidam dicunt quòd non, quia eſt ius ſpirituale. *Alij,* Quòd poſſit redimi damnum temporale huius iuris ſpiritualis : *Alij,* Quòd ex pacto cum laïcis, Clerici non poſſint redimere decimas; quia nec quoad ius ſpirituale, nec quoad annexa, ſed authoritate Epiſcopi. *Ex Vrbano* 1. *q.* 3. *De Monachis.* *Art.* 3. An liceat Clericis recipere Decimas in pignus à laïcis? *Reſp.* Licere, quoad fructus, abſque contractu vſurario.

QVÆST. 52. *De primitijs fructuum vel fœtuum.*

*Memb.* 1. An debeantur ex præcepto? *Reſp.* Debentur aliquæ iure naturæ, quoad ſubſtantiam : non autem quoad determinationem, &c. vt de Decimis.

*Memb.* 2. Quantum debeatur? *Reſp.* Non fuit expreſſum in lege, niſi de primogenitis animalium : ſtandum autem conſuetudini cuiuſuis Eccleſiæ, vel vicinarum; inclinando magis ad mediocritatem, niſi Eccleſia eſſet tenuis, nec haberet neceſſaria ad ſuſtentationem.

QVÆSTIO 53. *De Oblationibus.*

*Memb.* 1. An debeantur ex præcepto, ſub lege gratiæ? *Reſp.* Dicunt Iuriſperiti deberi oblationes pro viuis & defunctis, Deo, & Eccleſiæ : de oblationibus autem quotidianis & conſuetis fidelium ad altare, quidam dicunt deberi ex Canone, *Omnis Chriſtianus, &c.* Alij, non deberi, ſed eſſe voluntarias, ex ſolo conſilio. *Sed dicendum eſt,* quòd nulla oblatio pro viuis, aut defunctis, vt facienda ſit præcepta, ſed vt iam facta ſit debita : oblatio verè conſueta, ſi ſit ex conſuetudine approbata, vel indigentia Miniſtri, ſit ſub præcepto; ſin ſecus, ſub conſilio. *Quidam dicunt,* quòd Parochiani poſſint conſuetis diebus ad hoc cogi : ſed *ſexta Synodus* 1. *q.* 1. prohibet ſub pœna ſymoniæ, ne quid exigatur à percipientibus ſacram Communionem.



Digitized by Google

*Canon Gelaſij*, vetat exigi aliquid à baptizandis. *Decret. Alex.* 3. *extra. de Symon.* vetat exigi pro ſepultura, vel ſacra vnctione. *Conc. Later.* pro quouis Sacram. Hinc Sacerdos non poteſt cogere, niſi per Epiſcopum, *ex decret. Innoc.* 3. *extra de Sym.*

*Memb.* 2. Quibus ſint offerendæ? *Reſp.* Solis Sacerdotibus curam animarum gerentibus, & ab his alijs Miniſtris fideliter diſpenſandæ, 1. *Cor.* 9.

QVÆSTIO 54. *De cæremonialibus in generali.*

*Memb.* 1. De ſenſu etiam litterali: plerorumque cæremonialium.

*Memb.* 2. De ſenſu ſpirituali omnium cæremonialium.

QVÆSTIO 55. *De Cæremonialibus in ſpeciali.*

1. De Circumciſione, *Gen.* 17. 2. De Phaſe, *Exod.* 33. 3. De cæremonijs in victu, *Exod.* 23. *Deut.* 22. *&c.* 4. De cæremonijs in veſtitu. 5. De cæremonijs circa actus indifferentes. 6. De cæremonijs cauendi immunditias. 7. De cæremonijs purificationis. 8. De cæremonijs Sacrificiorum. 9. Altaris. 10. Tabernaculi. 11. Ordinationis Miniſtrorum. 12. Habitus Sacerdotum. 13. Solemnitatum. Quarum omnium finis generalis, eſt Latria Dei, & præfiguratio Chriſti: ſingulæ autem habent ſuos fines, ſignificationes, & congruentias ſpeciales.

QVÆSTIO 56.
*De numero & differentia cæremonialium.*

*Memb.* 1. De conuenienti multitudine cæremonialium. 1. Contra multiplicem Idolatriam ac ſuperſtitionem. 2. Ad variam occupationem & exercitationem Latriæ, contra faſtidium Iudæorum. 3. Ad ſignificationem multiplicis gratiæ Saluatoris.

*Memb.* 2. De varijs Ethymologijs, & differentijs cæremoniarum, in genere. *Reſp.* Erant omnia inſtituta litteraliter ad Latriam Dei, ſub quadruplici differentia. 1. Obſeruantiarum circa Cultum Dei, contra ſuperſtitiones Idolatriæ. 2. Sacramentorum, ad fidem veritatis. 3. Sacrificiorum, ad ſpem ſalutis. 4. Sacrorum, ad honorem Maieſtatis. *Contra. Aug.* 10. *Ciu.* Sacrificium eſt Sacramentum: ergo, &c. *Reſp.* Sacramentum communiter, eſt *ſignum rei ſacræ*, ſiue hæc ſit opus hominis, ſiue ſolius Dei: ſed propriè, eſt ſignum rei ſacræ .i. gratiæ Dei. Sacrificia vt ſigna futuræ gratiæ Chriſti, poſſunt dici illius Sacramenta: ſed non propriè, vt ſigna gratiæ quæ in nobis ſit.

QVÆSTIO 57. *De obſeruantia Cæremoniarum circa immunditias.*

*Memb.* 1. De quadruplici cauſa illarum immunditiarum legalium. 1. Materiali, ex natura imperfecta, comparatiuè ad perfectiorem. 2. Formali, ex abuſu ad idolatriam. 3. Efficiente, ex tali Dei inſtitutione ad horrorem idolatriæ. 4. Finali, ad ſacras ſignificationes.

*Memb.* 2. De immunditijs ſecundùm varios ſtatus, Naturæ, Legis, Gratiæ. *Art.* 1. De immunditijs in ſtatu naturæ, expreſſis & obſeruatis à tempore Noë, non ante: partim ex rerum natura, partim ex ratione, partim ex inſpiratione. *Art.* 2. De immunditijs in lege Moyſi. *Art.* 3. De illis immunditijs abolitis in lege noua: excepta abſtinentia à ſanguine & ſuffocato, *Act.* 15. .i. De ſanguine humano non effundendo, & homine non ſuffocando: vel, de non manducando ſuffocato, nec ſanguine animalium, etiam in Eccleſia primitiua; ad abolenda paulatim legalia, & conciliandos Iudæos ac Gentiles conuerſos ad fidem Chriſti, &c. vt *in* 4. *q.* 4. *à col.* 184. *ad* 186.

QVÆSTIO 58. *De ritu ſacrificiorum legalium.*

*Memb.* 1. De veritate horum Sacrificiorum: vt *in* 4. *à col.* 244.

*Memb.* 2. De Sacrificijs illis, vt Deo gratis, & ſalutaribus ante legem gratiæ, non autem poſt, &c. *vt in* 4. *à col.* 244. *ſpecialiter col.* 265.

*Memb.* 3. De Sacrificijs illis, vt formaliter, ſeu ſignificatiuè bonis, non autem materialiter.

*Memb.* 4. De lege naturali ſacrificijs inuiſibilis, ſeu ſpiritualis: non autem corporalis, niſi poſt peccatum. *Semper remanſit in homine aliqua ſcintilla rationis, quæ dictabat quòd per aliquid fieret reparatio, &c. ſignum aliquod futuræ reparationis quærenti, acceſſit diuina illuminatio.*

*Memb.* 5. De ſacrificio ſoli Deo offerendo, *vt* 4. *à col.* 244.

*Memb.* 6. De perſonis offerentium. *Art.* 1. De communi obligatione ſacrificandi, à tempore legis Moſaïcæ, ſola autem congruitate ante. *Art.* 2. De obligatione communi Iudæorum ſciendi implicitè ſignificationem ſuorum Sacrificiorum: Maiorum autem, etiam explicitè, vt nunc de noſtris articulis fidei. *Art.* 3. De ſacrificio ſpirituali à ſolis bonis, corporali autem ſeu ſignificatiuo, etiam à malis, *vt in* 4. *col.* 85. 86. 89. 100. 101. *Art.* 4. De perſonis quæ ſacrificarunt in lege naturæ: deque expreſſiore ſignificatione ſacrificij Chriſti cruenti, ab Aarone: incruenti à Melchiſedech.

*Memb.* 7. De inchoatione ſacrificiorum, ſicut & Eccleſiæ, potiùs ab Abel quàm ab Adam: ob primum huius peccatum, & illius innocentiam.

*Memb.* 8. De differentijs ſacrificiorum. *Art.* 1. De ſacrificijs ſub lege naturæ & Moyſis, ſpiritualibus & corporalibus, cruentis & incruentis: ad præfigurandum hæc in Chriſto. *Art.* 2. De ſacrificijs ante legem Moyſis, paulatim expreſſioribus Chriſti. *Art.* 3. De varijs ſacrificijs incruentis, ſeu rerum inſenſibilium ſub lege Moyſi: ad varios fines & ſignificationes. §. 1 De varijs ſacrificijs cruentis animalium, ad varios fines ac ſignificationes. Vt de holocauſtis, quæ tota cremabantur in honorem Dei, figuram Chriſti, & ſignum omnis peccati per eum abolendi. *De Hoſtijs pacificis*, pro pace impetranda, vel obtenta. *De Hoſtia ſalutari*, pro ſalute habita, vel habenda. *De Hoſtia pro peccato*, ſeu pro eius remiſſione, &c.

QVÆSTIO 59. *De ceſſatione Cæremonialium.*

*Memb.* 1. *&* §. 1. De abolita obligatione Cæremonialium per legem nouam, *vt in* 4. *à col.* 171. *ad* 187.

*Memb.* 2. Specialiter, de ſacrificijs, Circumciſione, & Sabbato. *Art.* 1. De abolitis, ſeu impletis omnibus figuris ſacrificiorum legalium, per veritatem Sacrificij cruenti, ac incruenti, Chriſti. *vt in* 4. *à col.* 244. *Art.* 2. De abolita, ſeu impleta lege, & figura Circumciſionis, per Baptiſmum & legem gratiæ: *vt in* 4. *à col.* 17. *ad* 187. *Art.* 3. De abolitione, impletione, & mutatione Sabbati in Dominicam, per Sepulturam, Reſurrectionem, Gratiam & Gloriam Chriſti, &c.

*Memb.*

Digitized by Google

*Memb.* 3. De abolito paulatim vſu cæremonialium: & de concilianda controuerſia inter *SS. Hier. & Aug.* circa aliquamdiu licitum, aut illicitum eorum vſum : ex quaſi ſimili controuerſia inter SS. Petrum & Paulum, *Gal.* 2. *Ad ea in quibus videntur diſſentire : Vnus dicit malum, quia prohibitum; ille dicit non malum ex ſe : Vnus dicit non ſeruandum, quia à Chriſto interdictum; ille adhuc aliquamdiu ſeruandum, pro tempore pro quo non erat interdictum, &c. S. Hier. tribuit S. Petro ſimulationem prudentiæ : S. Aug. negat in eo ſimulationem fallaciæ, &c.* vt in 4. *col.* 178. 179.

QVÆSTIO 60. *De lege Euangelij in genere.*

*Memb.* 1. De lege gratiæ quæ imprimit conſcientiam debiti ordinis gratuiti : ſuperadditâ legi naturali, quâ quiſque ſibi conſcius eſt quid ſit naturaliter bonum aut malum morale.

*Memb.* 2. De lege propriè ſcripta in mente : extra autem, nonniſi impropriè, vt in ſigno; deque triplici legis ethymologia. 1. A legendo, *Lex eſt legibilis deſcriptio debitæ honeſtatis:* ſed propriè interiùs; exteriùs, impropriè. 2. A ligando ſeu obligando, actiuè eſt in imperãte, obiectiuè in rebus imperatis, paſſiuè in ſubiectis quibus imperatur. 3. Ab eligendo, *Lex eſt quâ eligimus debita fieri, & reſpuimus indebita.*

*Memb.* 3. De neceſſitate legis Euangelicæ, ad perfectam hominis ordinationem, *Ier.* 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, &c. Matt.* 5. 19. *Audiſtis, &c.*

*Memb.* 4. De differentia legis Euangelicæ, à lege naturæ : quòd ſicut gratia perficit naturam, ſic lex Euangelica legem naturalem.

*Memb.* 5. De communi ratione legis Euangelicæ & Moſaïcæ, ab eodem Deo Legiſlatore, ad eundem Chriſtum vt finem, & eodem ſenſu : ſed propria perfectione legis Euangelicæ, per Chriſtum præ Moyſe; ad bonum operandum per charitatem, præ ſola declinatione mali ex timore, & inexhibenda veritate, præ ſola eius figuratione.

*Memb.* 6. De differentia Legis & Euangelij. *Art.* 1. Non differunt, vt contraria, nec vt diſparata in ratione communi, ſed propria. *Art.* 2. De prima ex 6. differentijs & excellentijs Euangelij præ lege Moyſis : quoad virtutem Euangelicam iuſtificandi à culpa per ſua Sacramenta, & adiuuandi per gratiam, ad facilè cauendum malum, & operandum bonum : cùm nulla legalia, ſeu lege Moyſis inſtituta, contulerint ex ſe gratiam, vt Sacramenta nouæ legis; ſed ex ſola deuotione propria vel aliena, vtentium. *Exceptis Sacramentis in lege obſeruatis, ſed non inſtitutis : vt Circumciſione, Matrimonio, & Pœnitentia. De quibus non eſt hic quæſtio, &c. vt in* 4. *à col.* 60. *Art.* 3. De ſecunda excellentia quoad veritatem fidei, gratiæ, & gloriæ, in Euangelio reuelatam, in Lege velatam. *Art.* 4. De 3. excellentia, quoad miſericordiam, charitatem, libertatem, & liberalitatem legis Euangelicæ in ſuis promiſſis? præ ſeueritate, ſeruitute, & terrore Moſaïcæ, in ſuis minis. *Art.* 5. *per* 3. §. De 4. excellentia, quoad bonitatem moralem, ſeu perfectionem Euangelicam, præ lege Moſaïca, *Matt.* 5. *&c.* *Art.* 5. De 5. excellentia, quoad promiſſiones æternas Euangelij, præ temporalibus legis Moſaïcæ. *Art.* 7. De 6. excellentia, quoad formam legis Euangelicæ, expreſſam vniuerſaliter: Moſaïcæ autem, nonniſi particulariter, quamuis etiam in ſenſu vniuerſali.

*Memb.* 7. De contenta lege Euangelica in Moſaïca : vt re figurata in ſua figura, & fructu in herba, &c.

*Memb.* 8. De varia additione legi per Euangelium : quoad explicationem veritatis, & expreſſionem perfectionis implicitæ, &c.

*Memb.* 9. De impletione legis per Euangelium, ſeu per Chriſtum, vt ſupra, *q.* 28. *Memb.* 3.

*Memb.* 10. De latione legis Euangelicæ. *Art.* 1. *per* 4. §. Quòd ſit lata ab eodem Deo per Chriſtum, à quo Lex Moſaïca : approbetque legem Moyſi, Prophetas, totumque vetus Teſt. contra calumnias Manichæorum, & aliorum hæreticorum. *Ad* 1. *ex Ezech.* 20. Dedi eis præcepta non bona .i. comparatiuè ad meliora. *Ad* 2. *ex Rom.* 3. *Ex operibus legis non iuſtificabitur homo* .i. ex ſolis cæremonialibus & figuratiuis. *Ad* 3. *ex Rom.* 3. *Lex iram operatur* .i. vindictam contra tranſgreſſores. *Ad* 4. *ex Rom.* 4. *Lex ſubintrauit vt abundaret delictum. Vt,* non cauſaliter, ſed conſecutiuè, ſeu occaſionalter : ad monendos tamen homines ſuæ obligationis & neceſſitatis. *Ad* 5. *&* 6. *Ex Rom.* 7. Concupiſcentia magis exarſit contra legem : non vitio legis, ſed ſuo. *Ad.* 7. *ex Rom.* 7. Non vocat legem ſcriptam, legem peccati : ſed ipſam concupiſcentiam. *Ad* 8. *ex* 2. *Cor.* 3. *Littera occidit. Vt* 1. *Cor.* 8. *Scientia inflat* .i. occaſionaliter, niſi ſpiritus adiuuet; *Rom.* 7. *Occaſione accepta, &c* *Ad* 9. *ex Gal.* 2. *vt ad* 2. *ex Rom.* 3. *Ad* 10. *ex Gal.* 3. Lex cogit recurrere ad Saluatorem. *Ad* 11. *ex Gal.* 33. Qui ſub lege ſunt, ſunt ſub maledictione, *Deut.* 27. contra tranſgreſſores. *Ad* 12. Lex non eſt ex fide per dilectionem operante : nec omne quòd ſic non eſt ex fide, peccatum eſt, *Rom.* 14. ſed quod eſt contra conſcientiam. *Ad Heb.* 7. Reprobatio legis non eſt ob eius malitiam, ſed infirmitatem, vel poſt legem Chriſti. *Art.* 2. De tempore latæ legis Euangelicæ : non ab initio lapſus humani : ſed poſt expertam diu infirmitatem humanam, ac neceſſitatem gratiæ & Saluatoris.

QVÆSTIO 61.

*De lege Euangelica circa vim Iraſcibilem.*

*Memb.* 1. De ordine iraſcibilis, vt inferioris ad concupiſcibilem, & rationalem vt ſuperiores.

*Memb.* 2. De triplici motu iræ : naturali, vitioſo, & virtuoſo.

*Memb.* 3. De tribus gradibus iræ, *Matt.* 5. & hac occaſione, contra *Tullium*, de inæqualitate ſimpliciter peccatorum etiam mortalium, quadam autem tantùm æqualitate ſecundùm quid. 1. Quia peccata priuant inæqualiter, & inæquali rectitudine naturali, in particulari, quamuis non in communi. 2. Quia peccata priuant inæqualiter habilitate, ſeu capacitate boni gratuiti. 3. Quia quamuis ſingula priuent tota gratia vt gratum faciente : non tamen æqualiter, nec æquali quoad virtutes gratuitas. Nam odium per ſe primò priuat Charitate, & conſequenter minoribus virtutibus gratuitis annexis. Fornicatio priuat per ſe chaſtitate gratuita; conſequenter, maioribus virtutibus annexis, &c.



Digitized by Google

*Memb.* 4. De præcepto reconciliationis cum proximo, & concordiæ cum aduerſario in via, *Matt.* 5. vt ſolet exponi.

QVÆSTIO 62. *De præceptis Euangelicis, ordinantibus motum concupiſcibilem.*

*Memb.* 1. De non videnda muliere ad concupiſcendum, *Matt.* 5.

*Memb.* 2. De voluntate reputata pro facto: nonniſi plena, ſeu ex ſe efficaci, ſaltem circa corporalia.

*Memb.* 3. De eruendo oculo, & membris præſcindendis .i. occaſione propriâ & alienâ peccandi.

QVÆSTIO 63. *De peccatis ordinantibus vim rationalem circa verum.*

*Memb.* 1. De non iurando.

*Memb.* 2. Nec per Creaturas, *Matt.* 5. *vt q.* 31.

QVÆSTIO 64.

*De ordinantibus vim rationalem ad bonum patientiæ, circa triplicem iniuriam, Matt.* 5.

*Memb.* 1. De nulla iniuria vnquam repellenda ex libidine vindictæ: nec vlla perſonali, niſi ex neceſſitate, cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſed publica, iuſſu principis, & manu militis, vt ſolet exponi, *Matt.* 5. *Rom.* 12.

*Memb.* 2. De patientia circa ſpoliationem rerum, *Matt.* 5. *Art.* 1. De licita repetitione rerum ſuarum, coram Iudice fideli, amore iuſtitiæ. *Art.* 2. De licita repetitione rerum communium: etiam à perfectis, ſeu profeſſoribus paupertatis; ad coercendos malos, & bonum publicum Eccleſiæ, ac conſolationem infirmorum qui eis indigent. *Sed ſi ſunt profeſſores paupertatis etiam in communi: non licet eis quicquam repetere, niſi nomine illius cuius eſt proprietas.* *Art.* 3. De licita repetitione rerum ſuarum, ab imperfectis: non ex cupiditate, nec ſolùm ex zelo iuſtitiæ; ſed ex timore indigentiæ ac impatientiæ. *Art.* 4. De licita repetitione, non ſolùm neceſſarij, ſed & ſuperflui, modo prædicto.

*Memb.* 3. De patientia angariæ, ſeu exactionis operum indebitorum: vt itineris ad aliquot millia paſſuum, *Matt.* 5.

QVÆSTIO 65. *De præcepto beneficentiæ, ſeu donationis, Matt.* 5. *Luc.* 6.

*Memb.* 1. De donandis. *Art.* 1. Non ex iniuſtè acquiſitis & reſtituendis: ſed etiam ex illicitè acquiſitis. *Art.* 2. Non tantùm ex ſuperfluis: ſed etiam ex neceſſarijs, quæ honeſtè & iuſtè dari poſſunt.

*Memb.* 2. De obligatione cuiuſlibet ad dandum: affectu, verbo, opere, ſi non poteſt re.

*Memb.* 3. De dando omnibus in caſu neceſſitatis: non tamen niſi ex cauſa, ſeu fine honeſto, &c. *vt* 4. *p. q.* 113.

*Memb.* 4. De modo dandi: ex compaſſione, benignè, hilariter, humiliter, diſcretè, promptè, rectè, piè, ordinatè. §. 1. De tempore dandi ex obligatione: non tantùm in extrema, ſed etiam graui neceſſitate.

*Memb.* 5. De rei principali, non totali, eleemoſynæ, mundandi omnia peccata quoad pœnam.

QVÆSTIO 66. *De præcepto mutui gratuiti, Matt.* 5. *Luc.* 6.

*Memb.* 1. De illicita receptione vltra ſortem, ſeu mutuum: exceptis aliquot caſibus; Deque differentia inter mutuum & cōmodatum, vt ſæpè ſupra.

*Memb.* 2. De licita ſpe reciproci beneficij, ex mutua amicitia.

*Memb.* 3. De malitia vſuræ ex ſe, indiſpenſabiliter: vſurpando rem alienam, vt alienam, inuito domino.

*Memb.* 4. De illicita & inualida donatione, & acceptione vltra ſortem: quia & talis donatio eſt inuoluntaria, & contra voluntatē ſupremi Domini.

QVÆSTIO. 67.

*De præcepto Charitatis, Matt.* 5. *& Luc.* 6.

*Memb.* 1. De dilectione amicorum: non meritoria, niſi principaliter propter Deum.

*Memb.* 2. De obligatione communi diligendi etiam inimicos, ſaltem affectu.

*Memb.* 3. De obligatione diligendi eos etiam affectu beneficentiæ, in caſu neceſſitatis.

*Memb.* 4. De maiori bono, vt debito, diligendi amicum: ſed maiori abſolutè, vt gratuito, diligendi inimicum.

*Memb.* 5. De maiori merito remiſſionis pœnæ, diligendo inimicum: ſed maiori merito vitæ æternæ, diligendo amicum, cæteris paribus. Quia dilectio inimici eſt difficilior, & ex maiori conatu voluntatis: ſed dilectio amici eſt melior ex obiecto, & fine amato.

*Memb.* 6. De illicita maledictione, & debita benedictione inimicorum.

*Memb.* 7. De obligatione orandi pro omnibus inimicis adhuc viatoribus.

QVÆSTIO 68.

*De præceptis ordinantibus intentionem, Matt.* 5.

*Memb.* 1. De rectitudine intentionis. *Art.* 1. An omnes actiones referendæ ſint in Deū, *vt* 1. *Cor.* 10. *Reſpondent quidam,* Præceptum referendi omnia in gloriam Dei, 1. *Cor.* 10. negatiuè .i. nihil faciendi contra: ſed ſic impleretur dormiendo, &c. *Alij dicunt,* hoc intelligi poſitiuè, ex conſilio non præcepto. Sed cum aliæ circumſtantiæ ſint obligatoriæ, cur non & finis? *Alij dicunt,* intelligi de referendis in Deum habitu, non actu. Sed ſic etiam impleretur dormiendo, &c. *Hinc alij dicunt* hoc præceptum intelligi, vt referamus omnem actum voluntarium & bonum ad Deum, ſaltem remotè: non neceſſariò in Deum, proximè. *Reſp.* Præceptum referendi actiones in Deum eſt affirmatiuum, obligans ſemper, non tamen ad ſemper, ſed pro loco & tempore .i. cùm actu cogitatur de opere, & eius fine principali, deque obligatione referendi omnia ad eum; non tamen quoad actiones prorſus naturales, ſed vel rationales, vel ſaltem obedientes rationi. *Ad Gloſſam in Matt.* 5. Quod facis, vel facis ex amore Dei, vel ſeruitute diaboli. *Ex* 1. *In: Ad S. Hier. in Matt.* 12. Nihil eſt medium, &c. .i. non de opere ex ſe, ſed prout exit à creatura rationali bona vel mala. *Ad vlt.* Comedens ad ſolam ſuſtentationem, quamuis conſideret actum & finem Deum, non mouetur libidine: quia non conſiderat obligationem; ſed ſi eam conſideraret & non referret ad Deum, moueretur libidine, ſeu improba voluntate. *Art.* 2. De illicita relatione operum ſpiritualium, ſeu meliorum, ad finem temporalem, vt viliorem.

*Memb.* 2. De ſimplicitate intentionis, *Matt.* 6. *Art.* 1. De illicita ſubordinatione & intentione finium

Digitized by Google

finium inferiorum ad vltimum: illicita tamen intentione plurium diſparatorum, aut ratione operis dignioris ad finem indigniorem. *Art.* 2. Nulla creatura poteſt propriè intendi vt finis: ſed quæri vt medium ad finem. *Ad* 1. *&* 2. *ex Matt.* 6. *Quærite primum regnum Dei* .i. præ omnibus: non tamen comparatiuè ad alia vt ad fines. *Ad.* 3. Suſtentatio eſt finis laboris: ſed non finis voluntatis: quia non eſt quærenda vt bonum creaturæ rationalis, ſed vt neceſſaria vitæ temporali debet eſſe in ſolo vſu, non in affectu. *Art.* 3. De varia ſollicitudine futuri, bona & mala, &c.

*Memb.* 3. De diſcretione intentionis: abſque temeritate iudicandi, & cum cautela ſufficienti, *Matt.* 5. *Art.* 1. De præcepto & diſcretione non dandi Sanctum canibus, ſeu indignis & contradictoribus: nec iaciendi margaritas, ſeu ſecreta ſpiritualia ante porcos, ſeu vitioſos contemptores. *Art.* 2. De obligatione huius præcepti. §. 1. De obligatione Doctoris & Prædicatoris ſciendi docenda ex officio. §. 2. De obligatione faciendi quæ docet eſſe neceſſaria ad ſalutem. §. 3. De peccato prædicandi in ſtatu notorio peccati: imò & in occulto, abſque vllo ſtudio compunctionis.

QVÆSTIO 69. *De gratia abſolutè.*

*Memb.* 1. An ſit? *Art.* 1. De neceſſitate gratiæ ad ſalutem, contra Philoſophos, per rationes naturales. *Solutio.* Gratia in ſacra Scrip. ſumitur pro dono gratuito vel increato, vel creato, vel concreato, vel ſuperaddito: vel gratum faciente, vel ſolùm gratis dato; vel pro prima virtute gratuita, vel pro eius effectu, vel pro quadam prærogatiua, vel pro ipſo ſigno gratiæ, vel pro præmio conſequente. Neceſſaria autem eſt nobis ad ſalutem gratia gratum faciens. 1. Quia cùm ſummo bono debeatur ſummus amor: non poſſumus Deum dignè amare ſupra noſipſos, niſi ex hac gratia. 2. Nihil poteſt ſeipſum facere: ergo nec propria virtute perficere; quia eſt melius eſſe perfectum, quàm factum: ergo neceſſaria nobis eſt gratia ad ſalutem, ſeu vltimam perfectionem. 3. Nihil poteſt ſeipſum conſeruare in ſuo ſtatu naturali: ergo multominus promouere ad ſupernaturalem, ſine gratia. *Ad* 1. *Oppoſitum.* Creatura poteſt ex ſe deficere: ſed non de ſeipſo proficere. *Ad* 2. Finis naturæ eſt aſſimilare ſibi aliquid actiuè: ſed naturæ rationalis, eſt aſſimilari Deo paſſiuè, 1. *Ioan.* 3. Ad quod non habet potentiam actiuam, ſed paſſiuam. *Ad.* 3. Finis creaturæ rationalis eſt ſupra ipſam: ergo eſt ſummum & infinitum bonum, quod ipſa non poteſt attingere. *Ad vlt.* Quòd natura rationalis in primo ſtatu erat perfecta: ergo poterat attingere ſuum finem ſine gratia. *Solutio.* Erat perfecta quoad eſſe naturæ: non quoad ordinem & optimum eſſe. Erat Deo grata in potentia, non effectu, &c. *Art.* 2. De eadem neceſſitate gratiæ ad ſalutem, per rationes Theologicas. Conatus liberi Arbitrij ad bonum, ſi non adiuuentur gratiæ, otioſi ſunt: non excitentur gratia, nulli ſunt; ideoque nec poteſt declinare malum, nec facere bonum, niſi per gratiam. Vt *B. Aug. lib. de libero Arb. & alibi ſæpe,* Ex Matt. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* 1. Cor. 7. *Vnuſquiſque proprium donum habet à Deo.* Sap. 8. *Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus.* 1. Cor. 15. *Gratias Deo qui dat nobis victoriam.* Luc. 21. *Rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Matt. 16. *Ne nos inferas in tentationem.* Rom. 12. *Gratia ſalui facti eſtis per fidem: & non ex vobis, ſed Dei donum eſt.* Ezech. 11. *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum.* Phil. 1. *Qui operatur in vobis bonum perficiet.* Ier. 10. *Non eſt hominis via eius.* Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* 2. Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, &c.* *Ad* 1. *ex oppoſitis.* Habemus poteſtatem, ſed remotam, inſufficientem, & impeditam. *Ad* 2. Voluntas poteſt facile ex ſe velle ſuum commodum: ſed non poteſt velle ipſam ſuam rectitudinem, niſi ſit recta per gratiam. *Ad.* 3. Eſt peccatum neceſſitatis in natura vitiata, ſine gratia. *Ad.* 4. Impotentia vitandi peccatum prouenièns ex culpa, non excuſat: quia peccatum non excuſat peccatum. *Ad.* 5. Præcipitur bonum: quia debet eſſe voluntarium; & oratur pro gratia, quia eſt de hoc neceſſaria. *Ad* 6. Mandata Dei non ſunt grauia: cum gratia, non ſine. *Ad* 7. Deus ſemper nobis præſto eſt, offerens gratiam, &c.

*Memb.* 2. Quid ſit Nomine, Re, & Definitione? *Art.* 1. An ſit in ipſo ſubiecto grato, vel in ſolo Deo gratificante? *Solutio.* Gratia quâ quis eſt Deo gratus, eſt neceſſariò aliquid in ipſo, quo aſſimilatur Deo, & inde fiat dignus vitâ æternâ: ſicut eſſe odioſum Deo, eſt aliquis defectus, priuatio, & diſſimilitudo. *Ad vlt.* Poteſt quis eſſe gratus homini ex falſa eius opinione: non ſic Deo. *Art.* 2. An gratia ſit increata, vel creata in ſubiecto grato. *Solutio.* Eſt creata, ab ipſa increata, appropriata Spiritui S. vt eſt primum donum amoris, & principiũ omnis gratiæ ſeu doni gratuiti. *Ad* 1. Deus eſt ſufficiens ad omnia: ſed anima non eſt eius capax immediatè. Vel, Deus eſt ſufficiens ad omnia cauſaliter: Non tamen formaliter. *Ad* 6. Gratia creata, vt agens, eſt ipſa nobilior: non ex eius diſpoſitione. *Ad* 7. Gratia creata eſt ſimpliciter finita quoad eſſentiam: ſed infinita comparatiuè ad increatam, & ad effectum gratificandi. *Art.* 3. An gratia creata ſit ſubſtantia, vel accidens? *Solutio.* Comparatiuè ad primum eſſe completum & naturale animæ, eſt accidens: ſed ad bene eſſe, vel eſſe ordinis, non quidem eſt ſubſtantia; ſed diſpoſitio ſubſtantialis. *Ad* 1. Vt lux à ſole, ſic gratia in anima dependet à Deo. *Ad* 2. *&* 3. Perfectio complens eſt dignior ſuo perfectibili: non autem diſponens. *Ad* 3. Gratia non aufertur vni, vt eadem numero detur alteri: ſed ſimilis, vel ad idem. *Art.* 4. An ſit eadem per eſſentiam cum virtute gratuita? *Solutio.* Vt ſe habet eſſe ad operari, & bene eſſe ad bene operari; ſic gratia & virtus. Nam *quo* anima vel potentia bene eſt, eſt illud *quo* grata eſt: *quo* autem grata eſt, eſt gratia; *quo* bene operatur, eſt virtus. Quamuis ergo gratia & virtus ſint idem quoad ſubſtantiam & rem: non tamen quoad eſſe & rationem. Vndè quidam voluerunt dicere quòd vt anima eſt ad ſuas vires: ſic gratia ad virtutes; exemplo lucis & radiorum eius in aëre. *Ad* 1. Si mens ſumatur pro ſubſtantia animæ, gratia eſt bona qualitas mentis: ſi pro eius vi, virtus eſt bona qualitas mentis. Per gratiam rectè viuimus, quoad



Digitized by Google

quoad bene eſſe in Deum: virtute, quoad bene operari propter Deum. *Ad 6.* Fides eſt prima virtus: quia in ea primò gratia manifeſtatur. *Ad vlt.* Quia virtus & gratia ſunt idem ſubſtantialiter: quod eſt vnius tribuitur alteri, &c. Gratia facit dignum vita æterna: ſed virtus ſpeciali gloria. *Art.* 5. Quid ſit Nomine? *Reſp.* Gratia *gratis dans*, eſt ipſa voluntas Dei: *gratis data*, eſt quodlibet donum ſine meritis; ſed propriè *gratum faciens*, eſt primum donum ſalutare, *vt ſupra ex Epheſ.* 1. vel prima virtus fidei in qua donum gratiæ manifeſtatur, *Heb. vlt.* vel primus effectus remiſſionis peccatorum, *Rom.* 1. *&c. vt m.* 1. *a.* *Art.* 6. Quid ſit definitione? *Reſp.* Variè à varijs impropriè definitur: ſed à Magiſtris. 1. Secundùm nomen, *Gratia eſt gratis data, gratum faciens habentem, & gratum reddens opus eius ad beatitudinem.* 2. Quoad rationem: *Gratia eſt habitus mentis, vniuerſaliter ordinatiuus totius vitæ.*

*Memb.* 3. De differentijs gratiæ. *Art.* 1. An ſit diuiſibilis per differentias? *Solutio.* Non per differentias eſſentiales, ſed accidentales, ſeu per varios eius effectus, præparandi, adiuuandi voluntatem, &c. Sed virtus eſt diuiſibilis per formas differentes. *Art.* 2. De diuiſione gratiæ in *Operantem, & Cooperantem.* *Art.* 3. In *Præuenientem, & Subſequentem, ex B. Aug. Solutio vtriuſque.* Gratia *Præueniens* & *ſubſequens* ſumuntur, 1. impropriè, illa pro dono aliquo naturali, hæc pro gratuito. 2. Propriè, illa pro gratia gratis data, hæc pro gratum facienti. 3. Propriiſſimè, illa pro gratum faciente ad remiſſionem peccati, hæc ad perfectionem boni: *Vlterius,* Illa quâ boni ſumus, hæc quâ bonum operamur; Denique, illa quâ bonum operamur, hæc quâ malo reſiſtimus. Gratia *Operans, & Cooperans* libero Arbitrio, ſumuntur, 1. Pro illa quâ bonum volumus; hac quâ exequimur. 2. Pro illa quâ bonum facimus, hac quâ malo reſiſtimus. Eadem eſt ergo gratia *Præueniens* & *Operans*, quoad rem, in mouendo libero Arb. ſed dicitur *Præueniens*, vt ſemper præſto eſt in habitu ad cauſandum bonam voluntatem, quamuis non ſemper cauſet actu; *Operans*, vt cauſat actu. Eadem etiam eſt gratia *Subſequens* & *Cooperans*: ſed dicitur *Subſequens* reſpectu *Præuenientis*; *Cooperans*, reſpectu liberi Arb. *Ad* 1. Eadem gratia quæ eſt habitu in paruulis, erit *Operans* & *Cooperans* actu in adultis. *Ad* 2. Vt liberum Arb. recipit gratiam: hæc dicitur in illo *Operans*, non illud huic *Cooperans*: ſed vt liberum Arb. agit per gratiam, dicitur ei etiam *Cooperans*. Gratia nunquam relinquit ſuum effectum ſeu bonam voluntatem in arbitrio ſeu conſenſu liberi Arb. ſed cooperatur ipſi gratiæ conſentiendo, *ex S. Bern. De lib. Arb.* Hinc tamen Gratia non dicitur *Cooperans*, ſed *Operans*: quia actio gratiæ prior eſt receptione, ſeu conſenſu voluntatis. *Ad alia.* Per gratiam *Operantem* poſſumus reſiſtere tentationi: ſed per *Cooperantem* facilè. *Ad Arg. contra gratiam præuenientem. Cùm quis habet gratiam, & per illam operatur, meretur augmentum gratiæ ſubſequentis. Sed cùm quis eſt in peccato mortali, facere quod in ſe eſt, non præuenit gratiam meritoriè, ſed diſpoſitiuè.* *Art.* 4. De diuiſione gratiæ, per ſcire, velle, & operari bonum. *Solutio.* Gratia, ſeu Deus per gratiam operatur in nobis cogitare, velle, & exequi ſeu perficere bonum. *S. Bern. lib. de grat. & lib. Arb.* *Ad* 1. Hæc diuiſio eſt reducibilis in illas. *Art.* 5. An ſit alia gratia poſt peccatum quàm ante, poſt Incarnationem quàm ante, in adultis quàm in paruulis. *Solutio.* Non eſt alia eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter, poſt peccatum quàm ante: vt non eſt alia medicina poſt morbum, quàm ante. §. 1. Nec eſt alia poſt Incarnationem, quàm ante: ſed ante erat impedimentum, quod non poſt. §. 2. Nec eſt alia in adultis quàm in paruulis: ſed alia horum & illorum diſpoſitio ad vſum rationis & gratiæ.

*Memb.* 4. De ſubiecto gratiæ. *Art.* 1. An paruuli & adulti etiam dormientes, vel extra vſum rationis ſint ſuſceptibiles gratiæ? §. 1. *Reſp.* Vt eſt duplex iniuſtitia: actualis, quàm quilibet ſibi facit, & originalis quæ omnibus fit, ſeu contrahitur ex culpa Adæ; ſic eſt duplex iuſtificatio, paruulorum ſine eorum conſenſu proprio, & adultorum nonniſi ex eorum proprio conſenſu. §. 2. *Reſp.* Paruuli diſponuntur ad gratiam per Baptiſmum, nihil cooperando actu, vel habitu: adulti etiam dormientes ſunt diſpoſiti ad gratiam Sacramentalem ex conſenſu habituali; ſed non diſponuntur extra Sacramentum niſi vigilantes, conſenſu actuali; &c. *vt in* 4. *col.* 196. *Ad* 5. Quidam dixerunt quòd lib. Arb. in ſomno non ligatur: ſed tunc non habet materiam ſubiectam. Alij dixerunt quòd in dormiente ligatur vis ad corpus: conſenſus autem non ſit meritorius ex vi libera etiam circa corpus. *Videtur melius dicendum, quòd ſicut in furia tota anima rapitur contra vim morbi, & in extaſi per gratiam rapitur ſupra ſe, & in coitu tota fertur ad illum actum: ita lib. Arb. in ſomno non ligatur in ſe; ſed tota anima fertur ad aliam actum in ſomno, vt ad actum nutritiuæ, &c.* *Ad* 6. In ſomno tota intentio phantaſiæ verſatur interius: in vigilia, diffunditur exterius, &c. *Art.* 2. An Gratia ſit maior in vno quàm in alio, quoad intentionem & remiſſionem. §. 1. *Reſp.* Non eſt maior, vel minor extenſiuè, vt formæ materiales: ſed virtute, ſeu cauſaliter; expreſſione, ſeu maiori, vel minori ad Deum ſimilitudine; & maiori, vel minori ad Deum vt finem inclinatione. §. 2. Gratia increata non recipit magis & minus: ſed creata, per maiorem, vel minorem acceſſum ad increatam, & ad ſuum finem, ac complementum. Ex *B. Aug. Epiſt.* 57. *ad Dardanum.*

*Memb.* 5. De cauſa gratiæ: non effectiua, quæ eſt ſolus Deus; ſed meritoria, vel diſpoſitiua ex parte noſtra. *Art.* 1. An detur cauſa meritoria gratiæ. *Solutio.* Quamuis res gratiæ poſſit aliquo modo cadere ſub merito; non tamen ſecundùm rationem nominis gratiæ, quia gratia dicitur quæ gratis datur. *Art.* 2. An poſſit quis ſibiipſi mereri primam gratiam, vel vnus alteri? §. 1. *Solutio.* Exiſtens in peccato mortali non poteſt propriè mereri primam gratiam, *de condigno, vel congruo:* ſed tantùm *interpretatiuè, ex ſola Dei liberalitate, ac ſi meruiſſet.* *Ad* 1. Ex *Zach.* 1. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, &c.* Non importat vllum debitum dandi gratiam facienti quod in ſe eſt; ſed ſolùm declarat diuinam ad hoc bonitatem & liberalitatem.

Digitized by Google

litatem. *Ad* 2. Quòd quis mereatur vitam æternam, non facit hoc dignitas operum quæ ſunt in ipſo : ſed primò mouens, ſeu gratia increata per creatam §. 2. Exiſtens in ſtatu gratiæ ſeu charitatis, non poteſt ſibiipſi mereri primam gratiam reſurgendi poſt lapſum. Quia, *Ezech*. 18. Omnes priores eius iuſtitiæ non recordabuntur. *Ad*. 1. Qui in ſtatu gratiæ ex humilitate & timore cadendi orat pro gratia reſurgendi, ſi cadat : valet ei ad facilius reſurgendum ; quia eſt ad hoc magis diſpoſitus. *Ad* 2. Poteſt alteri etiam indigno impetrare : ſed non ſibiipſi pro quando erit indignus. §. 3. Non poteſt quis ſibiipſi mereri primam gratiam, nec merito præcedente, nec cohærente, nec ſubſequente : quia ſic non daretur gratis, ſeu liberaliter. *Ad* 1. Rex mouetur ſpe obſequij futuri : non ſic Deus, dando gratiam, quamuis ad ſibi ſeruiendum. *Ad* 2. Meritum ſubſequens non repugnat gloriæ. §. 4. Poteſt vnus alteri mereri ſeu impetrare primam gratiam de congruo, cui poteſt obſtare indignitas eius pro quo oratur : non autem de condigno, ſeu ex debiti neceſſario. *Ad* 1. Gratia impetrata alteri eſt ei gratis data .i. ſine eius merito : quamuis ex aliquo merito impetrantis. *Art*. 3. An Deus neceſſariò det gratiam facienti quod in ſe eſt ? Non neceſſariò neceſſitate coactionis, aut obligationis : ſed immutabilitatis ; vt ſol illuminat omnia ſibi rectè oppoſita & diſpoſita. *Ad* 1. & 2. Dare ex ſola liberalitate, eſt dare immutabiliter : quia liberalitas eius eſt ex ſe immutabilis. *Ad* 3. Si Deus facienti quòd in ſe eſt non daret gratiam, non faceret ei iniuriam : ideòque dat ex ſola liberalitate ; quia faciens quod in ſe eſt ante gratiam, eſt adhuc ea indignus. *Ad* 5. Nemo poteſt ſe ſufficienter diſponere ad gratiam, niſi Deus ipſum diſponat : ſed ſi faciat quod in ſe eſt, conſequitur diſpoſitio Diuini auxilij. Vt de aperienda feneſtra lumini : ſic de reuocanda mala voluntate. *Ad* 6. Facere quòd in ſe eſt : in quouis homine, eſt vti recta ratione, ſeu notitia Dei vt ſui primi principij ad eum orandum, &c. In peccatore autem fideli, eſt vti lumine fidei ad timendum, & ſperandum, &c. *Art*. 4. An non facienti quod in ſe eſt non detur gratia ? *Solutio*. Vt ſol lucet etiam ſuper oculo cœco, ſed eum non illuminat : ſic bonitas Dei ex ſe ſemper irradiat omnem creaturam rationalem, ſed non ſemper recipitur, quia creatura non poteſt eam recipere indiſpoſita. Vt ſi quis porrigeret eleemoſynam duobus : quorum vnus extenſa manu reciperet, alter non.

QVÆSTIO 70. *De effectibus gratiæ.*

*Memb*. 1. An propriè effectus gratiæ ſint purgare, illuminare, & perficere ? *Reſp*. Quòd ſic : quia gratia aſſimilat animam Deo, purgando, illuminando, & perficiendo. *Ad* 1. Gratia primò infuſa Adamo purgabat eum ex non puro in purum, Sanctos purgat ex puris in puriores, Chriſtum ipſum continuata puritate. *Ad* 2. Fides purgat, non ex ſe, ſed ex gratia, &c. *Ad reliqua*. Gratia primò perficit animam quoad eſſentiam : virtutes quoad potentias.

*Memb*. 2. An proprij effectus gratiæ ſint viuificare, conformare, & gratificare animam Deo. *Reſp*. Vt gratia eſt ſimilitudo primæ veritatis, eſt lux animæ : vt ſimilitudo ſummæ bonitatis, eſt vita animæ per amorem impreſſum, ex quo ſequitur aſſimilatio ac transformatio amantis in amatum, & hinc gratificatio. *Ad* 1. 2. & 3. Gratia per ſe eſt vita animæ : fides autem & charitas, per gratiam quæ in illis manifeſtatur. *Ad reliqua*. In paruulis eſt cognitio & amor habitu, non actu.

*Art*. 3. An effectus proprij gratiæ ſint iuſtificare, excitare, & elicere motus meritorios ? *Reſp*. Vt gratia eſt etiam ſimilitudo poteſtatis Dei, habet hos tres effectus circa liberum Arb. Quòd cum ſit facultas voluntatis, & rationis : excitatio eſt quoad rationem, iuſtificatio quoad voluntatem, motus meritorij quoad facultatem, ſeu poteſtatem. *Ad* 1. Excitatio in ſtatu peccati mort. eſt à gratia gratis data ſeu diſponente : quæ in fidelibus eſt fides informis, in infidelibus eſt ipſa recta ratio ; quia licet hæc inſit naturaliter, tamen à Deo gratis datur & mouet ad bonum gratis datum. Excitatio autem in ſtatu gratiæ eſt à gratia gratum faciente. *Ad* 2. Iuſtitia ſpecialis eſt rectitudo ad proximum : ſed iuſtitia generalis ad Deum, proximum, & ſeipſum, eſt conformatio voluntatis noſtræ ad Diuinam. *Ad* 3. Viſum eſt quibuſdam opus meritorium produci ſub ratione particulari à qualibet virtute : ſub ratione generali finaliter produci à charitate, exemplariter à fide, effectiuè à gratia.

*Memb*. 4. An liberum Arbitrium moueatur à gratia ſpontaneè, vel coactè ? *Reſp*. Gratia nunquam compellit liberum Arb. ad bonum, compulſione paſſiuâ, abſque cooperatione & conſenſu voluntario patientis : quamuis aliquando compulſione actiuâ per dolores, & timores ad conſenſum & conuerſionem. *Ad Arg*. Lib. Arbitrium non poteſt cogi coactione ſufficiente, ſed inducente.

*Memb*. 5. An gratia faciat nos eſſe in præſenti ſine peccato ? *Reſp*. Gratiâ poteſt facere hominem eſſe in hac vita ſine peccato, ſeu actu inordinato : non tamen ſine peccato .i. fomite peccati, *Excepto priuilegio glorioſæ virginis, quæ vtroque modo fuit ſine peccato*. Cùm enim loquimur de peccato, non loquimur de ipſa, nec de alijs priuilegiatis. Sed eſt opinio *Aug. lib. De perfectione iuſtitiæ, cap*. 2. Quòd nullus in hac vita poſſit eſſe ſine peccato veniali. *Ad* 1. Homo poteſt ſemper eligere, non facere bonum, gratiâ aſſiſtente : vndè ſemper eſt poſſe, non tamen ſemper facere, ex *Rom*. 7. Poteſt ergo homo per gratiam aſſiſtentem, eligere bonum, & vitare quodlibet malum in ſingulari : ſed non quodlibet malum in vniuerſali, &c. Vt ſi quæ nauis haberet centum foramina, poſſit quis ſingula, ſed non omnia ſimul obſtruere, ne aqua intraret. *Ad* 2. In ore ipſorum non eſt inuentum mendacium, *Apoc*. 14. quia, *inquit Aug. ex* 1. *Ioan*. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur. *Ad* 3. Qui ingreditur ſine macula, *Pſal*. 14. i. inquit *Aug*. ſine mortali, non veniali. *Ad* 4. *Perfecti eſtote*, 2. *Cor. vlt*. *Perfectus eris, Deut*. 18. i. perfectione perficientium. *Ad* 5. Deus vult nos eſſe in via ſine mortali, & fieri tandem in patria ſine veniali. *Ad* 6. De ſãctificatione noſtra ſicut Deus ipſe ſanctus eſt, 1. *Ioan*. 3. Sanctificari eſt fieri ſanctum, necdũ eſſe.

*Memb*. 6. De ordine illorum effectuum gratiæ. *Reſp*. vt gratia eſt vita animæ, viuificat, aſſimilat, grati-

gratificat: vt eſt lux animæ, purgat, illuminat, perficit; vt eſt motor animæ, iuſtificat, excitat, & elicit motus meritorios. Sed priores ac potiores ſunt effectus gratiæ vt eſt vita, deindè vt lux, denique vt motor. *Ad vlt.* Idem eſt re, differens ſolâ ratione, inſtans quo peccatum deſinit eſſe in aliquo, & gratia incipit eſſe in eodem. Nec hinc ſequitur ſimul eſſe peccatum & gratiam in eodem: quia permanentia habent eſſe in ſuo termino, non initio: ſucceſſiua autem, initio, non in termino .i. ſucceſſiua ſunt in fieri, non in facto eſſe: permanentia autem in facto eſſe, non in fieri. Vndè, vt non ſequitur dies deſinit eſſe, ergo dies eſt: ſic nec ſequitur peccatum deſinit eſſe, ergo adhuc eſt. Non eſt autem idem inſtans, in quo vltimo eſt peccatum in aliquo, & in quo primò eſt gratia in eodem: nec tamen intercedit tempus; quia hæc non eſt mutatio continua & ſucceſſiua, ſed inſtantanea.

QVÆSTIO 71. *De cognitione gratiæ.*

*Memb.* 1. De cognitione eius in generali. *Reſp.* Eſt cognoſcibilis in generali quòd ſit, & quid ſit: ſed non in particulari, cuius, vel in quo ſit, *Ioan.* 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, &c.*

*Memb.* 2. De cognitione eius in ſpeciali. *Reſp.* Non eſt cognoſcibilis ſub propria ratione ſingulari; ſed ſpeciali. *Iob* 9. *Si venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit, non intelligam.*

*Memb.* 3. De cognitione eius in particulari. *Art.* 1. An poſſit cognoſci ab habente per ſcientiam? *Reſp.* Non poteſt certò ſciri ſcientia ſpeculatiua, per eius cauſam, vel effectum: ſed poteſt ſciri ſcientiâ effectiuâ, ſeu experimentali, non tamen prorſus infallibili, niſi ex ſpeciali reuelatione. Quia gratia dicit reſpectum ad acceptationem Dei. *Eccli.* 9. Nemo ſcit, &c. *Prou.* 20. Quis poteſt dicere, &c. 1. *Cor.* 4. Nihil mihi conſcius ſum: ſed, &c. *Ad* 1. & 2. De fide & dilectione certa habenti: quia ſunt formæ internæ & abſolutæ, ſed gratia eſt reſpectiua ad acceptationem Dei. *Ad* 3. Poteſt ſciri pax animi: ſed non vt effectus certus gratiæ præſentis. *Ad* 4. Vt lux non eſt in eo cui apparet: ſic nec ſemper gratia. Vel, effectus gratiæ non eſt ſemper gratum facientis. *Art.* 2. An poſſit ſciri ab habente per experientiam? *Reſp.* Poteſt ſciri, ſeu colligi per experientiam illuminationis Dei in intellectu, pacis Dei in vi iraſcibili, & lætitiæ in vi concupiſcibili, ex *Pſal.* 4 Quando iſta tria ſunt in anima verè, habet certum experimentum gratiæ: quia per hæc differt anima ſancta ab omni hæretica & infideli: in quibus nec eſt verum lumen, nec vera pax, nec vera lætitia. *Ad* 1. Tantùm differt iucunditas infidelis à fideli quantùm iucunditas ſomni à vigilia. *Ad* 2. Non reprehenſio defectu materiæ, eſt animæ ſanctæ: ſed defectu ſenſus, eſt animæ infidelis. *Ad reliqua.* Aliud eſt cognoſcere gratiam abſolutè quoad rem, aliud quoad rationem gratiæ, ſeu acceptationis diuinæ. Vt guſtus percipit dulcedinem, ſed non eius cauſam. *Art.* 3. An ſciri poſſit per reuelationem? *Reſp.* Poteſt alicui reuelari quòd ſit in Gratia ſub ratione gratiæ, ſeu acceptationis Diuinæ: vt Apoſtolo *Rom.* 8. *Scio quòd neque mors, neque vita poterit nos ſeparare à Charitate Chriſti, &c.* Sed nec Deus relinquit nos penitus in ignorantia gratiæ abſque vlla cognitione affectiua, per experientiam dulcedinis eius: nec dat nobis cognitionem eius ſpeculatiuam ſub ratione gratiæ; vt inde moueamur in Deum, amore, hinc humiliemur timore. *Ad* 1. ex 2. *Cor.* 2. *Nemo nouit quæ Dei ſunt, niſi Spiritus Dei* .i. ex Spiritu Dei. Hinc ſubdit Apoſt. *Nos autem Spiritum Dei habemus, &c.* *Ad* 2. Etſi nulli poſſet reuelari ſua damnatio ne deſperaret; poteſt tamen reuelari acceptatio ſine præſumptione.

QVÆSTIO 72.

*De comparatione gratiæ cum virtutibus, donis, fructibus, & beatitudinibus viæ.*

*Memb.* 1. De comparatione horum omnium cum gratia? *Reſp.* Hæc omnia relatiuè ad ſuam cauſam efficientem & dantem poſſunt dici gratia, quia omnia gratis dantur: ſed relatiuè ad accipientem, non omnia, ſed ſola gratia propriæ & ſimpliciter gratum faciens. *Ad* 1. Fides non eſt gratia niſi cauſaliter, aut communiter. *Ad* 2. Gratia eſt priùs & generalius principium merendi, quàm virtus. *Ad* 3. Diuiſiones gratiarum, 1. *Cor.* 12. i. gratis datarum.

*Memb.* 2. De comparatione horum inter ſe. *Art.* 1. De comparatione donorum, & virtutum inter ſe. *Art.* 2. De comparatione virtutum & fructuum inter ſe. *Reſp.* Si hæc communiter accipiantur, non eſt inconueniens quòd omnia omnibus conueniant, &c. Si autem ſub rationibus proprijs, vel appropriatis, nullum horum erit alterum. *Quidam dixerunt*, quòd quæ dirigunt vires rationales ad agendum ſunt virtutes: quæ diſponunt eas ad rectè patiendum ſint dona; delectatio in bono actu aut paſſione, ſit fructus; poſt autem, ſit beatitudo viæ. *Quamuis autem id veritatem habeat: diſtinguuntur tamen vt actus completi ab incompletis, & à completiſſimis. Appropriato ergo nomine, virtutes reſpiciunt primos actus, dona ſequentes, fructus completiores, beatitudines completiſſimos.*] Sub finem huius & prioris articuli, proponit de his tractatum ſpecialem.

*Memb.* 3. De neceſſitate horum omnium: non tantùm ad vltimam perfectionem ſingulorum in ſuo genere, ſed huius totius viæ ac vitæ.

*Memb.* 4. De ordine inter virtutes & dona. *Reſp.* Dantur ſimul quoad rem: ſed quoad vſum virtutes poſſunt eſſe priores donis.

QVÆSTIO 73. *De gratia gratis data.*

*Memb.* 1. An ſit gratia gratis data, quæ non ſit gratum faciens? *Reſp.* Quod ſic: quia quædam ſunt dona à Spiritu ſancto, ſed non cum ipſo, ſeu quæ non faciunt nos dignos Deo: quædam ſunt cum ipſo Spiritu S. & reddunt dignos Deo; illa ſunt tantùm gratis data, hæc autem gratificantia.

*Memb.* 2. Quid ſit gratia gratis data? *Reſp.* Eſt propriè donum infuſum rationali naturæ ſine meritis, quantum in ſe eſt diſponens ad ſalutem propriam, vel ædificationem alterius.

*Memb.* 3. De differentijs gratis datæ? *Reſp.* Eſt gratia gratis data diſponens ad ſalutem, ſeu iuſtificationem propriam, vt fides informis, ſpes, & timor ſeruilis: & eſt gratia gratis data ad vtilitatem Eccleſiæ ſeu aliorum, vt ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, &c. 1. *Cor.* 12. Et eſt gratia gratis data ad honorificationem

Digitized by Google

tionem Dei, vt donum prophetiæ, miraculorum, &c. *Ad Arg.* ex 1. *Cor.* 12. 13. 14. Non enumerantur omnes ſimul: ſed quæ ſunt ad doctrinam veritatis, vel ad honorandum Deum in regimine Eccleſiæ.

QVÆSTIO 74. *De fide informi.*

*Memb.* 1. De varia acceptione fidei. 1. Pro ſponſione, 1. *Tim.* 1. 2. Pro fidelitate, *Ierem.* 6. *Tron.* 20. 3. Pro conſcientia vel opinione practica, *Rom.* 14. 4. Pro concluſione probabili. 5. Pro quouis aſſenſu probabili. 6. Prout diſtinguitur à ſcientia. 7. Pro ipſa clara cognitione patriæ, *Rom.* 1. 8. Pro Symbolo fidei, ſeu pro ipſis credendis. 9. Pro ipſo Sacramento fidei, *Act.* 10. ex *B. Aug. Epiſt.* 23. *ad Bonif.* 10. Pro habitu informi fidei, 1. *Cor.* 13. *Iac.* 2. 11. Pro habitu fidei formato charitate, *Rom.* 1. ex *Abac.* 2. 12. Pro ipſo motu ſeu actu fidei, ex *B. Aug. Fides eſt credere quod non vides.*

*Memb.* 2. An habitus informis fidei ſit donum Dei. *Reſp.* Fides acquiſita ex auditu non eſt donum Dei: ſed fides infuſa, ſeu donum gratuitum ad aſſentiendum veritati Diuinæ nobis annunciatæ. *Ad* 4. Fides informis ſolùm negatiuè, non eſt donum Dei: ſed fides informis priuatiuè, ſeu priuata charitate quam deberet habere. *Ad vlt.* ex *Aug. Poſſe credere eſt naturæ* .i. poſſe incompleiè, non cōpletè, ad aſſentiendum primæ veritati propter ſe.

*Memb.* 3. An fides informis ſit virtus? *Reſp.* Eſt virtus communiter ſumpta: ſed non propriè, pro habitu gratuito gratum faciente, determinato ad operabilia. Hinc *ad* 1. *Arg.* *Ad* 2. Fides informis eleuat potentiam ſupra ſe ad aſſenſum primæ veritatis: ſed non ad tendendum in ipſam. *Ad* 3. Non eſt propriè virtus ad aſſentiendum primæ veritati propter ipſam ſuper omnia, niſi propter ipſam amatam ſuper omnia. *Ad vlt.* Fides informis dicitur inanis ad meritum vitæ æternæ: non autem ad diſpoſitionem.

*Memb.* 4. Cur fides dicatur informis? *Reſp.* Quia caret ordine Charitatis, ex quo eſt forma omnis virtutis, &c. Si anima non amat bonum vt bonum, per charitatem: nec verum quia bonum, per fidem: nec glorioſum quia bonum, per ſpem. *Ad* 1. Fides quæ eſt vita, ſeu viua, non poteſt eſſe informis ſeu mortua, in ſenſu compoſito, ſed diuiſo. Fides mortua, *Iac.* 2. differt à viua ſeu formata. 1. Viuacitate, vt lumen in vmbra, à lumine radij. 2. Luminoſitate, vt lumen nocturnum Lunæ, à diurno Solis. *Ad* 2. Peccatum materialiter poteſt fieri non peccatum: non poteſt tamen eſſe formatum; ſed virtus poteſt fieri non virtus, & formari virtus. *Ad* 3. & 4. Dilectio naturalis Dei non eſt informis ſine fide, ſicut fides ſine charitate; quia bonum eſt completiùs vero; ideoque charitas boni informat fidem, non fides veri charitatem, &c. *Ad* 5. Nulla dilectio omnium diligendorum prout diligenda ſunt, poteſt eſſe cum peccato: ſicut fides omnium credendorum.

*Memb.* 5. De effectu fidei informis in nobis. *Art.* 1. De effectu credendi. *Reſp.* Ex fide informi poteſt credi Deus, & Deo: ſed non in Deum, niſi ex fide formata. Creditur Deus eſſe, poſſe, operari, quicquid eſt, poteſt, & operatur: creditur Deo, vt primæ veritati; creditur in Deum, tendendo etiam affectu in eum vt in ſummum bonum. *Art.* 2. De effectu exteriori fidei informis. §. 1. An mereatur bona temporalia? *Reſp.* Nemo ſeruit Deo propriè, niſi faciendo quòd Deus præcipit, & ſicut præcipit. Qui autem facit opera bona ſine charitate, non facit vt Deus præcipit: ergo propriè non ſeruit Deo, nec quicquam meretur tali opere. *Ad* 1. Deus non dabat Iudæis malis temporalia ex eorum merito: ſed ex ſola Veritate & Fidelitate ſuæ promiſſionis. *Ad* 2. Opera non ſunt meritoria ex ſola promiſſione Dei: ſed etiam ex ſeruitio digno Deo. *Ad* 3. Deus dat aliquando bona temporalia malis bona operantibus: non tamen ex merito propriè dicto, cùm ſint indigni pane quo veſcuntur. *Ad* 4. Seruitur homini ad eius intentionem, ſolo opere externo: non autem Deo ad eius intentionem, niſi etiam affectu interno charitatis. *Ad* 5. Iudæi erant ſerui Dei iure debito, & pacto, non autem vero affectu, & effectu. *Ad* 6. Quòd peccator faciat opera bona propter Deum ex dilectione naturali: cùm autem Deus diligat diligentes ſe, neceſſariò retribuat eis ſaltem temporalia. *Reſp.* Non neceſſitate meriti aut debiti: ſed ſolius ſuæ immutabilis liberalitatis. *Ad vlt.* *Quia Nabuchodonoſor ſeruiuit Deo data eſt ei Ægyptus.* Non *quia* meritoriè, ſed diſpoſitiuè, receptiuè, conſequenter. §. 2. An opera bona ſine charitate valeant ad habilitationem gratiæ, & minutionem pœnæ. *Reſp.* Valere ad cauenda plura & grauiora peccata, ad aſſueſcendum bonis operibus, & ad minuendam pœnam æternam: non iam debitam, ſed quæ deberetur, ſeu ad non contrahendam maiorem; denique, *ad habilitationem gratiæ, vt criſis morbi ad ſanitatem.*

*Memb.* 6. An fides informis adueniente charitate fiat formata? *Reſp.* Ferè omnes dixerunt quòd adueniente charitate maneat fides quoad ſubſtantiam: ſed euacuetur quoad deformitatem. *Quidam tamen dixerunt, quod fides informis fiat formata quoad habitum, & actum credendi in Deum: Alij, quòd maneat quoad habitum & actum, cùm nouo habitu & actu fidei formatæ; Alij, quòd maneat cum fide formata, quoad habitum, ſed euacuetur quoad actum, vt lux minor cum maiori. Concedo ergo ſecundum iſtas opiniones, quòd fides informis maneat cum charitate.* *Ad* 1. Fides quoad aſſenſum primæ veritatis, manet cum viſione Dei: non quoad obſcuritatem. *Ad* 2. Timor manet cum charitate, ſed non illius ſeruilitas. *Ad* 3. Opus mortuum ſeu fictum extra charitatem non reuiuiſcit: ſed habitus mortuus, vel ſine operibus, *Iac.* 2. vel ſine charitate, reuiuiſcit quoad rem, non vt eſt mortuus. *Ad vlt.* Fides informis non plus ſuperfluit, quàm lux Lunæ, Sole etiam lucente.

*Memb.* 7. An fides informis ſit in Dæmonibus? *Reſp.* Eſſe, ex *Iac.* 2. *Ad* 1. Credere voluntariè, eſt fidei formatæ. Vel, credere primæ veritati, eſt Diabolo voluntarium: ſed non contra ſeipſum. *Ad* 2. Credere Diaboli eſt imperfectè voluntarium: ſentiendo tantùm veritatem, non ei aſſentiendo; ſeu ad eam remotè tendendo, non conſentiendo, ſeu ei adhærendo, aut in eam proximè tendendo. *Ad* 3. Diabolus quaſi ſentit veritatem: ſed non aſſentitur, nec conſentit. *Ad* 4. Diabolus credit vera & bona, ſed malè. *Ad* 5. Non omnia quæ creduntur ab eiſdem poſtea videbuntur.



Digitized by Google

*Memb.* 8. An ſit in eis à lapſu, vel ante. *Reſp.* Ineſt eis à lapſu fides acquiſita: ſed ante lapſum fides infuſa & gratuita, per lapſum obſcurata. *Ad* 1. Cognitio clara ante peccatum, facta eſt obſcura poſt. *Ad* 2. Vt cognitio Angelorum bonorum profecit, ita malorum defecit. *Ad* 3. Dæmones priuati ſunt gratuitis gratificantibus & diſponentibus non gratis datis.

*Memb.* 9. De actu & effectu fidei informis in Dæmonibus: illuminandi & mouendi: ad ſenſum, non aſſenſum, nec conſenſum veritatis.

QVÆSTIO 75. *De ſpe informi.*

*Memb.* 1. An ſpes poſſit eſſe informis? *Reſp.* Vt fides, ita & ſpes, poteſt eſſe informis. *Ad* 1. & 2. Peccator poteſt credere omnia credenda, & ſperare omnia ſperanda: non diligere omnia diligenda. *Ad* 3. Voluntas imperfecta ſeu ſemiplena, expreſſa per vellem, eſt ſpei informis: ſed perfecta, expreſſa per volo, eſt ſpei formatæ. *Ad* 4. Spes formata eſt ex gratia & meritis, actu vel habitu: informis ex gratia gratis data, ſine meritis actu vel habitu, ſed potentiâ: præſumptio, ex meritis ſine gratia, vel ex gratia ſine meritis actu, habitu, nec potentiâ.

*Memb.* 2. An ſpes informis poſſit fieri formata? *Reſp.* Vt de fide ſupra, ſic & hic de ſpe informi. *Ad* 1. Sperare ex ſola gratia gratis data, & meritis in ſola potentia, eſt ſpei informis: ex gratia autem gratum faciente, & meritis actu vel habitu, eſt ſpei formatæ. *Ad* 2. *Infra. Agendo de timore informi.*

*Memb.* 2. De actu & certitudine ſpei informis *Reſp.* Vt actus fidei informis eſt credere Deum & Deo: formatæ autem, credere in Deum; ſic actus ſpei informis, eſt ſperare in Deo vel de Deo; formatæ autem, ſperare in Deum. §. 1. An ſit eadem certitudo ſpei informis, quæ formatæ? *Reſp.* In fide informi & formata, eſt eadem certitudo cognitionis: ſed in formata, eſt certitudo affectionis, ex ſenſu conſenſus; in informi, ex ſenſu ſolius aſſenſus. In ſpe autem, non eſt niſi certitudo affectionis: ſed conditionalis ex fide, eſt eadem in ſpe formata & informi; propria autem ex meritis actu vel habitu, eſt ſpei formatæ; ex ſolis meritis poſſibilibus, eſt ſpei informis. §. 2. De maiori certitudine ſpei formatæ in præſcito, quàm informis in prædeſtinato; quia illa eſt ex veris meritis exiſtentibus, ſub conditione perſeuerantiæ; hæc autem nonniſi ex meritis poſſibilibus. *Ad Arg.* Certitudo prædeſtinationis non eſt ipſius prædeſtinati, nec propria ſpei, ſed rei ſperatæ.

QVÆSTIO 76. *De timore ſeruili.*

*Memb.* 1. De differentijs timoris. *Reſp.* Timor vel eſt paſſio ex varia apprehenſione futuri diſconuenientis, vt *p.* 2. *q.* 75. vel eſt affectus ſeu motus voluntatis circa ipſam paſſionem; iſque vel naturalis, vel libidinoſus, vel gratuitus, bonus vel malus, meritorius vel demeritorius. Vt malus, vel eſt humanus, quo quis mauult peccare quàm pati in corpore; vel mundanus, quo quis mauult peccare, quàm pati in rebus externis. Vt bonus, vel eſt *Timor ſeruilis* ſolius pœnæ, non offenſæ Dei: vel *Initialis*, pœnæ & culpæ; vel filialis, ſolius offenſæ in via, aut Reuerentiæ in patria.

*Memb.* 2. An timor ſeruilis ſit donum Spiritus Sancti? *Reſp.* Vt eſt timor Dei, vel pœnæ à Deo inferendæ, ſuo modo continens à peccato, & diſponens ad perfectiorem timorem & amorem, eſt donum Dei: non autem vt excludens amorem Dei aut iuſtitiæ, & includens adhuc aliquem affectum peccandi. *Ad* 4. Diligens Deum propter alium finem, peccat: non autem timens Deum propter pœnam; non vt finem ad quem timendi, ſed vt terminum à quo fugiendi. *Melius.* Deus timore ſeruili non timetur propter aliud, ſed propter ſeipſum: Timetur enim quia eſt potentiſſimus inferendi pœnam. Vndè plus timetur potentia inferendi, quàm ipſa pœna. *Ad* 5. Præceptum referendi omnia ad Deum, eſt affirmatiuum, obligans ſemper, non ad ſemper: ſed in ſtatu poſſibili aduertendi, conferendi, & referendi. *Ad* 6. Timor ſeruilis Pœnæ, vel Dei vt potentis & volentis punire, eſt ex fide informi. *Ad vlt.* Timor Dei ſine amore eſt *ex tumore* .i. cum ſuperbia.

*Memb.* 3. An actus ſeu vſus timoris ſeruilis ſit bonus vel malus? *Reſp.* Eſſe bonum: quia voluntate actuali, quamuis conditionali, non peccandi, excludit voluntatem actualem peccandi, licet non habitualem abſolutam.] ſic exponit *B. Aug. ſæpè.*

*Memb.* 4. De differentia timoris ſeruilis ab alijs. *Reſp.* Differt à naturali, quod hic ſit ex apprehenſione naturali, ille ex fide: Ab initiali, quòd hic ſit offenſæ plus quàm pœnæ, ille pœnæ plus quàm offenſæ: A filiali, quòd hic ſit timor mali culpæ, vt priuat ſummo Bono, ex amore eiuſdem Boni in ſe; ille ſit timor mali, ſeu damnationis futuræ proprij ſubiecti, ex fide informi, & amore propræ ſalutis æternæ.

QVÆSTIO 77. *De gratia gratis data ad honorem Dei, & vtilitatem proximi.*

*Memb.* 1. De differenti gratia ſermonis fidei, ad doctrinam fidei: gratiâ ſermonis ſcientiæ, ad doctrinam vitæ actiuæ; gratiâ ſermonis ſapientiæ, ad doctrinam vitæ contemplatiuæ, 1. *Cor.* 12.

*Memb.* 2. An hæ gratiæ dentur, vel auferantur ex meritis? *Reſp.* Non propriè, ſed interpretatiuè, ſeu vt congruit ijs quibus datur, & pro quibus.

*Memb.* 3. Quæ ſit maior, gratia ſermonis, ſeu prædicationis, an prophetiæ? *Reſp.* Quoad reuelationem veritatis maior eſt gratia prophetiæ: ſed non quoad eius denuntiationem.

*Memb.* 4. An gratia prædicationis ſufficiat ad eius fructum? *Reſp.* Requiri etiam motum gratiæ in auditoribus.

QVÆSTIO 78. *De fide formata. Poſtquam de virtute in genere, inquirendum eſt de ſpeciebus eius: & primò de Theologicis, Fide, Spe, & Charitate; conſequenter de Cardinalibus, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudine, & Temperantia.*

*Memb.* 1. An fides ſit neceſſaria ad ſalutem? *Reſp.* Fides .i. apprehenſio, & aſſenſus veritatis Diuinæ, eſt neceſſaria ad ſalutem: quia vt creatura rationalis debet dilectionem ſummæ Bonitati, obedientiam Maieſtati, ita & aſſenſum primæ Veritati: veritas autem Diuina non poteſt ſciri ab homine ob illius excellentiam, & huius incapacitatem: ergo ſaltem credenda eſt ad ſalutem. *Ad.* 1. Fides habet ſuam certitudinem intellectus & affectus. *Ad* 2. Non eſt tutum credere ſine ratione .i. vel extra articulos fidei; vel ſine ratione neceſſaria Eccleſiæ ad tuendam

Digitized by Google

tuendam fidem. *Ad* 3. Operari ſine ratione eſt vituperabile : quia opus ſubiectum eſt facultati rationis ; ſed credere, & veritas credenda excedit facultatem rationis. *Ad vlt.* Fide certi ſumus nos non falli aſſentiendo veritati ignotæ : quia nitimur primæ veritati, quæ nec poteſt fallere nec falli. Hinc *Richard. de S. Vict. in* 1. *de Trin. Domine, ſi error eſt, à teipſo decepti ſumus, &c.*

*Memb.* 2. An fides neceſſaria ad ſalutem, perſuadeatur vel probetur ratione? *Reſp.* Fides acquiſita ex auditu, non eſt ſufficiens ad ſalutem : ſed fides gratuita, & à Deo infuſa ad aſſentiendum primæ Veritati propter ſe, eſt ſalutaris, & donum Dei; illa tamen ſe habet ad hanc, vt diſpoſitio ad formam. Sed illa diſponit ad hanc per modum naturæ, non gratiæ: diciturque hanc introducere, vt ſeta filum. *Ad* 3. Fide ſuaſà, creditur ex teſtimonijs: ſed fide infuſa creduntur & ipſa teſtimonia. *Ad vlt.* Fides nititur authoritati: vt confirmanti, non vt probāti.

*Memb.* 3. An fides formata ſit virtus? *Reſp.* Fides materialiter, vt eſt ſola cognitio in intellectu ſpeculatiuo, non eſt virtus: ſed formaliter, vt eſt aſſenſio in intellectu practico, eſt virtus. Vndè *Hugo de Sacram.* Fides in affectu habet ſubſtantiam : quia affectus ipſe fides eſt; ſed in cognitione materiam, de qua eſt. Fides igitur quâ creditur eſt in affectione : quod verò creditur, in cognitione. *Ad* 1. 2. *&* 3. Fides eſt virtus, vt habet primam veritatem pro fine ſub ratione boni : non vt eam habet pro obiecto ſub ratione veri. *Ad vlt.* Intellectus fit practicus extenſione, ad praxim.

*Memb.* 4. Quid ſit fides quoad rem: An virtus generalis, vel ſpecialis? *Reſp.* Eſt vna virtus ſpecialis : quia omnes articuli credendi conueniunt. 1. In ſubiecto increato .i. Deo, de quo omnes credendi ſunt. 2. In eadem ratione credendi, quæ eſt prima Veritas. 3. In eodem fine credendi, ad eandem primam, & ſummam Veritatem. *Ad* 1. Diuerſæ ſunt virtutes circa appetenda, propter diuerſas rationes appetendi. Nam Charitas appetit Deum ſub ratione boni, Spes ſub ratione glorioſi, Fides ſub ratione veri : ſed vnica eſt virtus circa credenda ; quia eadem ratio credendi. *Ad* 3. Ex eodem habitu fidei ſunt plures actus etiam ſpecie. *Ad* 5. Fides ex parte cognoſcentis non eſt de bono, ſed vero: ex parte cogniti, eſt de bono, mouente affectum, ſeu intellectum practicum ad affectum. *Ad vlt.* Fides quoad cognitionem eſt generalis : ſed quoad affectionem reſtringitur ad finem proprium; nec eſt genus ſed ſpecies, niſi à generando ſpem & charitatem.

*Memb.* 5. Quid ſit Fides quoad definitionem? *Art.* 1. De varijs eius definitionibus ab Authoribus, ex varia comparatione cognitionis, & affectionis eius. *Art.* 2. De eius definitione ab Apoſtolo, *Heb.* 11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. Reſp.* Hæc definitio non indicat quid ſit Fdes, ſed quid faciat. diſponit enim ad ea quæ intellectu cognoſcentur, & affectu habebuntur in patria. Vt diſponit ad habendum, dicitur *Subſtantia ſperandarum rerum* : vt diſponit ad cognoſcendum, dicitur *argumentum non apparentium.* Et ideò hæc definitio Apoſtoli non datur per genus & differentiam : ſed per comparationem ad primos, & principales actus fidei. *Ad* 1. Fides ponitur formaliter in affectione, materialiter in cognitione. *Ad* 2. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum* : quia quæ necdum ſunt actu præſentia, iam per fidem in nobis ſubſiſtunt. Licet ergo ſpes & ſperanda ſint tempore & generatione poſteriora fide, ſunt tamen priora ſub ratione cauſæ finalis. *Ad* 3. Fides comparatiuè ad obiectum, eſt quâ creduntur quæ non videntur : ſed comparatiuè ad finem, vt ſupra. *Ad* 1. *Contra primam partem defin. ex Damaſ.* Fides dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum materialiter, non vt ſubiectum quod eſt anima; ſed vt diſpoſitio ſubiecti. Ex Hugone, Speranda in nobis ſola fide ſubſiſtunt. *Ad* 2. Omnis virtus eſt ſubſiſtentia meriti: non tamen rerum ſperandarum. Cùm enim ſpes ſit certa expectatio beatitudinis ex gratia & meritis : vt ex meritis, fundatur in virtutibus; vt eſt expectatio, fundatur in ſpe; vt eſt certa, fundatur in fide. Sicque *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum* .i. certitudo rerum quæ expectantur .i. certitudo habendi quoad affectum; ſed *argumentum non apparentium* .i. certitudo videndi quoad intellectum. *Ad* 3. Fides definitur per ſperanda, non per timenda : quia illa ſunt finis ad quem, hæc nonniſi à quo. Nec fides hic definitur niſi vt fundamentum futuræ beatitudinis æternæ. *Ad* 4. Fides hîc non definitur ſecundùm ſolum affectum adhærendi primæ Veritati propter ſe circa omnia : ſed etiam eam habendi ſub ratione finis. *Ad* 5. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum,* non vt diligendarum : quia nec Charitas, nec diligenda vt talia vnquam excidunt, 1. *Cor.* 13. ſed fides ac ſpes, & credenda ac diligenda, vt talia. *Ad* 1. 2. *&* 3. *Contra* 2. *partem defin.* Argumentum ſumi poteſt 1. Pro breui compendio ſequentium. 2. Pro redargutione alicuius. 3. Pro ſigno vel miraculo. 4. Logicè, pro ratione faciente fidem rei dubiæ. 5. Theologicè, pro ipſa fide rationem firmante. 7. Pro quouis certificante: ſicque fides dicitur *argumentum non apparentium,* generaliter; ſed ſpecialiter, verorum & bonorum æternorum. *Ad* 4. Eſt fides quæ certificatur, & quæ certificat ex prima Veritate. *Ad* 5. Fides certificat nobis credenda, & varias rationes credendi; non tamen primam, ex qua eſt tota certitudo fidei. *Ad* 6. Fides ex ratione, eſt rei dubiæ : non ex euidentia, vel informatione. *Ad vlt.* Fides priùs origine eſt *Argumentum, &c.* quàm *Subſtantia, &c.* Sed priùs fine eſt hæc quàm illud. Prior tamen pars definitionis poteſt ſumi ex fine præſenti in ſpe: poſterior, ex fine futuro in re.

*Memb.* 6. De actu fidei, materiali, & formali. *Art.* 1. An credere dicatur vniuocè vel æquiuocè? *Reſp.* Nec vniuocè, nec æquiuocè : ſed analogicè, ſecundùm priùs & poſteriùs; quia eſt adhærere ſeu aſſentiri veritati, quamuis vario modo. *Art.* 2. Quid ſit generaliter credere ex habitu gratuito? *Reſp.* Credere, eſt aſſentiri primo credito propter ſe ſupra rationem. *Ad* 1. Infra. *Ad* 2. Priùs eſt naturaliter cogitare quàm credere : non tamen ſemper priùs actu, ſed nunc priùs, nunc ſimul, nunc poſt, *Ad* 3. Credere eſt aſſentiri, &c. *Art.* 3. Quid ſit credere vt eſt actus formalis fidei? *Reſp.*



Digitized by Google

ex *B. Aug.* Credere in Deum, eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris eius incorporari. Quorum duo priora ſunt fidei per ſe: duo vltima, fidei cum ſpe & charitate, vt *Gal.* 5. Fides quæ per dilectionem operatur. *Ad* 1. Amatur ſumma Bonitas charitate: ſed fide etiam prima Veritas, vt bona & delectabilis virtuti rationali. *Ad* 2. Itur in Deum affectu & effectu. *Ad reliqua.* Adhærere & incorporari, eſt fidei per ſpem & charitatem. *Art.* 4. De actu materiali .i. de cognitione fidei: An Deus nunc aliter cognoſcatur quàm per fidem? *Reſp.* Cognoſcitur etiam per rationem, & contemplationem. *Ad S. Amb. & Aug. lib. de videndo Deum*: Ille loquitur de præſentia & abſentia Dei quoad reputationem, hic quoad ſpeciem. *Art.* 5. Quid ſit cognoſcere per fidem? *Reſp.* ex *B. Aug. de videndo Deum.* Abſentia credi, præſentia videri, &c. Non de abſentia & præſentia reali, ſed ſenſibili, & intellectuali. *Ad* 1. Cognitio fidei, non eſt propriè ſcientia. *Ad* 2. Nec credere eſt propriè videre. *Art.* 6. Vtrum ſit priùs, credere an intelligere? *Reſp.* Priùs eſt intelligere voces & ſigna credendorum, & cogitare, quàm credere: Fides enim ex auditu, *Rom.* 10. & ex cogitatione; ſed priùs eſt credere ſeu aſſentiri, quàm intelligere ſaltem perfectè, credenda. Vt *Aug.* ſæpè ex illo *Eſa.* 7. apud 70. *Niſi credideritis non intelligetis.*

## QVÆSTIO 79. *De obiecto Fidei.*

*Memb.* 1. An ſit ſolùm verum, vel etiam falſum? *Reſp.* Fides nón eſt niſi de vero: quia cùm intellectus ſit in ſe rectus, præcipuè circa primam veritatem, ad quàm ordinatur; ad eamque dirigatur lumine fidei oriundo ab ipſa luce primæ veritatis, non poteſt ſubeſſe falſum. *Ad* 1. Nec ſpei ſubeſt falſum: quia non ſperatur vita æterna niſi ſub conditione perſeuerantiæ. *Ad* 2. Charitas poteſt velle bonum quod nec fuit nec eſt, nec erit: ſed fides non poteſt credere niſi verum; quia hoc eſt eius obiectum. *Ad* 3. Abraham non credidit fide, ſe immolaturum filium. *Ad* 4. Fideles ante Incarnationem credebant Chriſtum incarnandum: poſt eius Incarnationem, eſſe incarnatum; & interim, vel incarnandum, vel iam incarnatum. *Ad* 5. Non creditur fide ſimpliciter, Corpus Chriſti eſſe ſub hac ſpecie: ſed ſub conditione veræ conſecrationis. *Ad vlt.* Quidam dicunt quòd Abraham non credidit Chriſtum eſſe incarnandum, ſed eius incarnationem. Alij, quòd veritas fidei vt ex ſuo habitu non pendeat à materia, aut euentu futuro: Alij, quòd etſi Chriſtus nunquam de facto incarnaretur: Abraham credendo Chriſtum incarnandum, non crederet falſum, ſed verum: quia ita congruè ordinatum.

*Memb.* 2. An non poſſit eſſe de obiecto etiam viſo? *Reſp.* Non de obiecto viſo viſione beatifica, ad quam fides ordinetur vt ad ſuum *finem*: ſed de viſis alia viſione ſenſitiua aut intellectuali, quæ non eſt *finis fidei*, qualis fuit viſio Apoſtoli in raptu.

*Memb.* 3. An *fides* poſſit eſſe de obiecto ſcito? *Reſp.* Non eſt inconueniens idem alio & alio modo eſſe ſcitum & creditum, creditum & ſenſatum, vt ſenſatum & intellectum. Hinc Chriſtus in forma hominis videbatur: ſed quoad formam Dei credebatur. Idem ergo videbatur & credebatur: ſed alio & alio modo. In Philoſopho conuerſo ad fidem, idem eſt ſcitum ratione & creditum fide. *Ad vlt.* Vt adueniente Charitate ceſſat dilectio Dei propter temporalia, vt propter cauſam finalem, non vt ob quædam motiua: ſic per fidem primæ veritatis propter ſe, ceſſat aſſenſus propter rationes naturales vt motiuum finale aſſentiendi; non autem vt diſponentes ad aſſenſum.

*Memb.* 4. An ſit de ſolo obiecto neceſſario, vel etiam contingenti? *Reſp.* Nonniſi de neceſſario ſimpliciter, vel ſecundùm quid, ſeu ordinato ſecundùm rei exigentiam.

*Memb.* 5. An ſit de obiecto complexo, vel incomplexo? *Reſp.* Dicunt aliqui quòd de complexo: ſicque mutari articulos fidei cum tempore, quoad eſſentiam, non quoad virtutem & vtilitatem. Alij dicunt, quòd licet mutata ſint enuntiabilia: non tamen articuli fidei, ſed tantùm voces idem ſignificantes. Alij dicunt Articulos fidei eoſdem manere: ſub ſola variatione præteriti, præſentis, & futuri: quia tempus non eſt de eorum ſubſtantia, cùm non dependeant à tempore, ſed ab ordinatione Diuina. Hinc propriè exponitur illud *Aug. Tempora mutata ſunt, non autem fides.* *Ad* 1. Determinatio temporis pendet ex prædicatione: & afficit potiùs credentes, quàm obiecta credita. *Ad* 2. Fides quoad cognitionem eſt de vero complexo, ex defectu cognoſcentis, non rei cognitæ: ſed quoad conſenſum credentis & fidei puritatem, eſt de incomplexo quoad rem, quamuis à nobis nonniſi complexè cogitetur, ſeu cognoſcatur. *Ad* 3. Fides eſt de morte & paſſione Chriſti, vt veris in ſcientia Dei, & memoria noſtra, non autem in actuali exiſtentia.

*Inter prædictas opiniones poteſt teneri via media*; quòd obiecta, & articuli fidei ſimpliciter, vt Diuinitas, Incarnatio, Paſſio Chriſti, &c. abſtrahant à tempore, nec mutentur, ſed obiecta & Articuli ſecundùm quid, ſint complexiones contingentes & mutabiles. Si obijciatur quòd non ſufficit credere Incarnationem, niſi vt factam, &c. *Reſp.* Non tantùm eſſe credendum obiectum ſeu Articulum fidei quoad ſubſtantiam, ſed ſub modo debito, vt circumſtantiâ ex parte actus credendi.

*Memb.* 6. An ſit de ſolo vero increato, vel etiam creato. *Reſp.* Quædam ſunt obiecta fidei, vt ſuppoſitiones ex iure naturali: quædam vt prima, & propria principia ſeu articuli fidei; quædam vt concluſiones ex illis articulis. Creditur autem aliquid vel primò per ſe, vel vt in & ex primo credibili. Fides eſt de ſolo vero increato, vt primo, & per ſe obiecto, videlicet de prima veritate: eſt autem de obiectis creatis, per accidens & ſecundariò; vt in, ex, & per primam veritatem. *Ad.* 1. Reſurrectio futura non eſt obiectum fidei, niſi vt eſt in prima veritate, ſecundùm rationem iuſtitiæ, omnipotentiæ, & voluntatis Dei. *Ad* 2. Incarnatio & paſſio temporalis Chriſti, non ſunt obiecta fidei, niſi vt ſunt Dei, & in veritate æterna. *In his fides habet veritatem increatam vt obiectum per ſe & principaliter: veritatem autem creatam, vt coobiectum & per accidens.* *Ad* 3. Fornicationem eſſe peccatum mortale, eſt credendum: non vt obiectum proprium,

Digitized by Google

prium, ſed ſuppoſitum fidei ex ratione indita à veritate increata. *Ad vlt.* Creatio, & remiſſio peccatorum, non ſunt per ſe obiecta fidei, niſi vt in ſua cauſa æterna, ac increata: ſeu, ipſe Deus creans & remittens; ſicque obiectum fidei per ſe, eſt veritas prima in omnibus.

QVÆSTIO 80. *De ſubiecto Fidei.*

*Memb.* 1. In qua vi animæ ſit fides? *Reſp.* Fides, & omnes virtutes ſunt in vi rationali motiua, quæ eſt liberi Arbitrij. Quòd cùm ſit facultas rationis & voluntatis: fides eſt ad informandam, ſeu habilitandam & ordinandam facultatem ſuperiorem rationis in finem; prudentia, inferiorem circa media ad finem; ſpes & charitas, ad informandam facultatem ſuperiorem voluntatis in finem, illa quoad vim iraſcibilem, hæc quoad vim concupiſcibilem; Fortitudo, & Temperantia, ad ordinandam facultatem inferiorem voluntatis circa media ad finem, illa quoad vim iraſcibilem, hæc quoad concupiſcibilem. De Iuſtitia autem, ſuo loco. *Ad* 1. Ex illo *B. Aug.* Credere eſt cum aſſenſione *cogitare*; *cogitare*, conferre; non tamen ſpeculatiuè, an quid ſit vel non, ſed affectiuè, an tendendum & quieſcendum in fine. *Ad* 2. Fides non eſt aſſenſio ſpeculatiua, ſed affectiua circa finem. Sic ergo *cogitare* eſt actus fidei materialis: *aſſentiri*, formalis & perfectus. *Ad* 3. Fides eſt in eadem vi rationali motiua, cognitiua, & affectiua, quæ eſt etiam liberi Arbitrij. *Ad* 4. Fidei ſuccedit cognitio affectiua, non ſpeculatiua. *Ad* 5. Vis liberi Arb. motiua & imperans, eſt ſuprema: vis rationalis exequens eſt, media; vis ſenſitiua exequens, eſt infima. *Ad* 6. Finis *fidei*, eſt verum vt bonum. *Ad vlt.* Finis ſcientiæ ſpeculatiuæ, eſt verum vt verum: ſcientiæ moralis, Bonum vt verum; virtutis cognitiuæ, verum vt bonum; virtutis affectiuæ, Bonum vt bonum.

*Memb.* 2. An *fides* fuerit in Angelis ante lapſum? *Solutio.* Non fuit in eis *fides* primæ Veritatis: ſed quædam ſcientia ſpeculatiua, non affectiua; in lapſis autem, *fides* informis; in confirmatis, viſio affectiua & Beatifica. *Ad* 1. Cognitio *Veſpertina*, eſt rei obſcuræ, & in ſuo obſcuro, ſeu improprio genere: *Matutina*, eſt rei lucidæ, aut in ipſa luce, ſeu in Deo, *Ænigmatica*, eſt quidem rei lucidæ, ſed per medium obſcurum, & intellectu obſcuro, quod eſt videre per ſpeculum in ænigmate, 1. *Cor.* 13. *Ad* 2. Angeli non videbant futura in ſeipſis, ſed in luce primæ Veritatis. *Ad vlt.* Potuit eſſe ſpes in Angelis ex illa ſcientia imperfecta.

*Memb.* 3. An fuerit *fides* in Adam ante lapſum? *Reſp.* Non fuit in eo *fides* ſub ratione *fidei*: quia cognitio illa Adæ non fuiſſet euacuata, ſed perfecta per viſionem beatificam, quæ tamen euacuat *fidem*. *Ad* 1. Cognitio Angelica ante peccatum erat lucidior humanâ: neutra tamen per ſpeciem, ſeu rei vt eſt in ſe; nec per ſolam *fidem*, ſed medio modo, vt eſt viſio ſolis in nube aut aëre. *Ad* 2. Videre in imagine immediatè expreſſa, non excludit rei præſentiam: ſed videre in imagine mediatè per ſpeculum. *Ad* 3. & 4. *ſeu vlt.* Deus videtur à Beatis præſens immediatè in ſeipſo: ab Angelis & homine ante lapſum, videbatur præſens in ſuo effectu, ſeu imagine vt immediatè expreſſa ſuæ præſentiæ; per *fidem*, videtur vt abſens, non vt præſens.

*Memb.* 4. An *fides* fuerit in Chriſto adhuc mortali? *Reſp.* Non fuit in Chriſto *fides*: ſed perfecta cognitio, excludens imperfectionem *fidei*. *Ad* 1. Fuit in Chriſto plenitudo gratiæ, *Ioan.* 1. ſed & veritatis, quæ excludit imperfectionem *fidei*. *Ad* 2. Fides nec erat neceſſaria, nec vtilis in Chriſto, ad perfectionem meriti. *Ad* 3. Imperfectiones naturales paſſionum erant neceſſariæ in Chriſto ad noſtram redemptionem? non autem vlla imperfectio cognitionis. *Ad* 4. Cognitio ænigmatica *fidei* non ſolùm eſt imperfecta comparatiuè ad perfectiorem: ſed etiam in ſuo genere cognitionis gratuitæ.

QVÆSTIO 81. *De conſequentibus Fidem.*

*Memb.* 1. De certitudine *fidei* .i. conſequente *fidem* in eo in quo eſt. *Reſp.* Quædam habent certitudinem euidentiæ, vt prima principia per ſe nota: quædam certitudinem conſcientiæ, vt *fides*, ſiue formata, ſiue informis, quæ inſpirata, ſeu infuſa æquè conuincit conſcientiam ad aſſentiendum primæ veritati propter ſe, ac euidentia primorum principiorum conuincit intellectum. Vndè B. Ignatius reſpondit ſe non poſſe negare Chriſtum: quia habebat eum ſcriptum in corde, ſeu conſcientia. Quædam habent certitudinem experientiæ, quaſi guſtus, vel tactus: vt virtutes ad ſua obiecta, & *fides* formata ad credibilia primæ Veritatis. Fides ergo quæ creditur, eſt certa credenti certitudine euidentiæ, vt ſunt actus & paſſiones animæ propriæ, ex *B. Aug.* Fides vero credita, ſeu eius obiecta, ſunt certa credenti ſola certitudine conſcientiæ, ſi *fides* ſit informis; ſed etiam experientiæ affectiuæ, ſi *fides* ſit formata. Hinc, *Ad Arg.* Certius eſt credenti quòd credit, certitudine conſcientiæ & experientiæ affectiuæ: ſed certius eſt ſcienti quod ſcit, certitudine euidentiæ. *Ad vlt.* Fides eſt certa habenti ſub ratione actus & habitus proprij: non autem ſub ratione gratuiti, & Deo accepti.

*Memb.* 2. De profectu *fidei*. *Reſp.* Fides non proficit tempore, quoad principale creditum primæ Veritatis: ſed quoad connotata temporalia. *Prætermiſſo autem argumento fidei quoad habitum, quia de hoc diuerſi diuerſa ſentiunt*: *fides* quoad vſum proficit in credentibus. 1. Cognitione in vi rationali. 2. Conſtantia & firmitate in iraſcibili. 3. Feruore & deuotione in concupiſcibili. 4. Actione ſeu exercitio exteriori. *Hinc ad pleraque Arg.* *Ad* 3. Idem eſt modus credendi, ſeu aſſentiendi primæ Veritati propter ſe: ſed differentia eſt ex parte credentium, ſeu aſſentientium. *Ad* 5. Eadem eſt & fuit *fides*, non quoad notitiam, ſed conſenſum veritatis.

*Memb.* 3. De *fide* vt fundamento ſpirituali omnium virtutum, & bonorum ſperandorum, ex *Heb.* 11. *Quia eſt primus habitus, quo homo ſuper ſe aſcendit.* *Ad* 1. Fides eſt fundamentum Fortitudinis, quoad habitum: ſed hæc illius quoad actum. *Ad* 2. Humilitas ex gratia gratis data, eſt fundamentum ſeu diſpoſitio ad *fidem*: ſed humilitas ex gratia gratum faciente, fundatur in *fide*; hæcque eſt illius fundamentum in *fieri*, illa huius in conſeruari. *Ad* 3. Fides dicitur potiùs *ſubſtantia*, ſeu fundamentum *rerum ſperandarum*, quàm ſpes: quia *fides* ſe habet potiùs materialiter & diſpoſitiuè ad illas,

illas ſpes autem formaliter. *Ad vlt.* Fides eſt ſperandorum vt ſperanda ſunt: ſicque æternorum, vt ſubſunt actui temporali ſpei, vt & fidei.

QVÆSTIO 82. *De Articulis Fidei, & Symbolis.*

*Memb.* 1. Quid ſit Articulus fidei? *Solutio.* Strictè, *Eſt Natura cum Gratia*, ex *Hugone de S. Vict.* .i. Natura Diuina vel humana Chriſti, cum aliquo effectu gratiæ; ſicque conuenit ſingulis Art. Symboli. Propriè, vt eſt fidei formatæ, *Eſt perceptio Veritatis Diuinæ in ipſam tendens*, ex eodem *Hug.* Communiter, *Eſt indiuiſibilis Veritas de Deo, arctans nos ad credendum*, ex *Rich. de S. Vict.* A qua arctatione Articulus denominatur. *Ad* 1. Articuli ſimpliciter, ſunt res ipſæ ſimplices credendæ: Articuli ſecundùm quid, ſunt ipſæ complexiones, vt ſupra. *Ad* 2. Nec antecedentia, ſeu præſuppoſita fidei ex iure naturali, nec conſequentia fidei, ſunt Articuli fidei: ſed concomitantia fidem, ſeu quæ vel quatenus ſunt de Deo aut aliqua eius virtute & actione. *Ad* 3. Fides non eſt niſi de veritate vt ſupernaturali. *Ad* 4. Vt fides, ſic & Articuli fidei, ſunt formati, vel informes. *Ad vlt.* vt ad 1.

*Memb.* 2. De Symbolo, ſeu collectione Articulorum fidei in vnum Symbolum. 1. Ad vnam communem fidei cognitionem & profeſſionem. 2. Ab hac collatione 12. Apoſtolorum in vnum. 3. Ab hac collectione ex ſacris ſcript. De triplici autem Symbolo, Apoſtolico, Nicæno, & S. Athanaſij: Ad ſimplicem inſtructionem fidei, explanationem veritatis, & excluſionem errorum.

*Memb.* 3. De *fide* Mediatoris. *Art.* 1. An fuerit ſemper neceſſaria? *Reſp.* Non ante peccatum, ſed poſt, ex *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat vos ſaluos *fieri*, nec æquè diſtinctè ante legem, ſub lege, & ſub gratia. *Ad* 1. ex *Heb.* 11. Oportet credere Deum eſſe, eumque remuneratorem: vt principium & *finem*, non vt omnia credenda. *Ad* 3. & 4. Lex naturæ dictabat totum genus humanum tam miſerum, non eſſe à Deo deſertum abſque remedio prouiſo. *Ad vlt.* Fides non eſt in poteſtate noſtra actiua: ſed ſuſceptiua diſpoſitiua. *Art.* 2. An ſemper fuerint eadem omnia credenda de Mediatore? *Reſp.* Credimus ab initio ſuffeciſſe hoc Symbolum *fidei*: *Vnum Deum eſſe Creatorem omnium, Dominum & Rectorem vniuerſorum, ipſumque non eſſe mali authorem, ſed eorum qui in ſuis malis eius miſericordiam quærerent & expectarent futurum Redemptorem.* Ex *Hugone.*

*Memb.* 4. De *fide* ſufficiente ſimplicium. *Art.* 1. An poſſit credi vnus Articulus ſine alio? *Reſp.* Non ſine alio explicitè vel implicitè. Simplices autem dicuntur implicitè credere omnes Articulos. 1. Quatenus continentur in aliquo ab eis explicitè credito. 2. Quatenus concredunt ſuis Maioribus. *Art.* 2. De *fide* Cornelij, *Act.* 10. *Reſp.* Ante eius inſtructionem à S Petro, credebat indiſtinctè Filium Dei eſſe incarnandum: quia Eleemoſynæ eius erant Deo acceptæ; ſed poſt credidit diſtinctè, eſſe incarnatum. *Ad Arg.* Per opera, ex *fide* indiſtincta, venit ad diſtinctam.

*Memb.* 5. De tribus Symbolis, eorumque diuiſione & expoſitione. *Art.* 1. De duplici diuiſione Symboli Apoſtolorum. Prima, in 12. Articulos, à 12. Apoſtolis. 1. A S. Petro: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli & terræ.* 2. A S. Ioanne: *Et in Ieſum Chriſtum, Filium eius vnicum, Dominum noſtrum.* 3. A S. Iacobo Zebedæi: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* 4. A S. Andrea: *Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, Mortuus, & Sepultus.* 5. A S. Philippo: *Deſcendit ad Inferos.* 6. A S. Thoma: *Tertia die reſurrexit à mortuis.* 7. A S. Bartholomæo: *Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.* 8. A S. Matthæo: *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.* 9. A S. Iacobo Alphæi: *Credo in Spiritum Sanctum.* 10. A S. Simone: *Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.* 11. A S. Iuda Iacobi: *Remiſſionem peccatorum.* 12. A S. Matthia, vel iterum à S. Thoma: *Carnis Reſurrectionem, & vitam æternam, Amen.*

Diuiſio 2. in 14. Articulos: 7. de Diuinitate, & 7. de ſacra Humanitate. *Art.* 2. De expoſitione huius Symboli per 14. *Art.* 1. *Credo in Deum.* 1. vnicum contra omnem Idolatriam. Quod non poteſt verè dici in ſtatu pecc. mort. niſi ex perſona S. Eccleſiæ. 2. *Patrem Omnipotentem*, per appropriationem. 3. *Creatorem Cœli & terræ*: cum ſuis omnibus contentis, contra Manichæos. 4. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum*; vel, *vnicum Dominum noſtrum*, quoad naturam noſtram humanam. 5. *Qui conceptus eſt de Spiritu S.* Virtualiter, non materialiter aut conſubſtantialiter, vt de Patre. 6. *Natus ex Maria Virgine*: vt eius Primogenitus, *Matt.* 1. ſed Vnicus. 7. *Paſſus, Mortuus, & Sepultus*, conſequenter. 8. *Deſcendit ad Inferos*: De quo S. Ioannes Baptiſt. non dubitauit, 9. *Tertia die reſurrexit à mortuis*: per ſynecdochen, à parte totum. 10. *Aſcendit ad Cœlos*, quoad naturam humanam: *ſedet ad dexteram Dei Patris* .i. Quieſcit & conregnat. 11. *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos*.i. omnes. 12. *Credo in Spiritum Sanctum*: qui à Patre Filioque procedit. 13. *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, vel etiam in Sanctos eius, ad imitationem: *Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum*.i. in participatione Sacramentorum. 14 *Carnis reſurrectionem, & vitam æternam*: ſub qua intelligitur & mors oppoſita.

*Art.* 3. De Symbolo Patrum in *Conc. Nicæno*, eiuſque expoſitione, vt ſupra: niſi quòd pleraque diſtinctiùs exprimat contra ſubortas Hæreſes; ſupponat deſcenſum ad Inferos ex Symbolo Apoſt. explicet Incarnationem metaphoricè, per deſcenſum Filij Dei ad tam humilem ſtatum hominis; ſub Eccleſia Catholica contineat ipſam communionem Sanctorum, & ſub vno communi Baptiſmate reliqua 7. Sacramenta, &c.

*Art.* 4. De Symbolo Athanaſij, eiuſque diuiſione, ſubdiuiſione ac expoſitione, vt ſæpè ſupra in ſuis locis ex profeſſo.

*Finit tertia Pars ſummæ Alexandri de Ales Theologorum Pariſienſium Monarchæ, Doctoris Irrefragabilis. Nurembergæ impenſis Antonij Koberger* 1482.

EX

Digitized by Google

# EX SVPPLEMENTO ALENSIS.

## *Ad 3. p. edito Pariſijs 1509.*

*De Virtutibus in genere, & de Theologicis ac Cardinalibus in ſpecie, per Collationes 106. ſubdiuiſas in Articulos, & Quæſtiones : vt patet ex initio Quæſt. 26. 78. & ex integris Quæſt. 74. 78. 80. 81. 82. quæ hîc reſumuntur ex 3. Parte, de Fide informi & formata. Denique ex hoc toto Tract. de Virtute in genere, qui expreſſè præſupponitur q. 78. Sicque hîc inchoatur relatiuè ad illas qq.* Habito ergo de Gratia gratum faciente & gratis data : Conſequenter dicendum eſt de Virtute.

### Collatio 1.

*De entitate, ſeu exiſtentia Virtutis.*

ARticulus primus. An virtus ſit? *Solutio.* Eſt, *ob rationes & authoritates ſuppoſitas Tract. de Gratia Q. 69. M. 1.* Congruit autem eam eſſe. 1. Diuinæ liberalitati. 2. Perfectioni vniuerſi. 3. Decori creaturæ rationalis. *Ad 1. Arg.* Liberum Arbitrium eſt potentiſſimum, ad alias potentias à quibus cogi nequit: non autem ad proprios actus, ad quos in ſuum *f*inem perficiendos non ſufficit ſine virtute. *Ad 2.* Inter Deum & animam nulla eſt interpoſita creatura: entitatiuè vel cauſaliter, ſed diſpoſitiuè ad Deum.

*Art.* 2. An fuiſſet, ſi homo non peccaſſet? *Solutio.* Fuiſſet. 1. Ad ſuum *f*inem. 2. Ad manifeſtandam Dei bonitatem. 3. Ad præſeruationem. *Ad Arg.* Virtus perfeciſſet imaginem Dei in nobis, per alios actus quàm nunc: nec ſola manſio naturæ in eodem ſtatu fuiſſet virtus; ſed in ordine ad ſuum *f*inem.

*Art.* 3. An ſit futura in gloria? *Reſp.* Quòd ſic, ex *B. Aug. Epiſt. 52. ad Maced. lib. 6. Muſicæ, cap. 16. lib. 1. de moribus Eccleſiæ, & alibi.* 1. Ad decorem & perfectionem animæ. 2. Ad manifeſtationem acceptationis Diuinæ. 3. In ſignum meriti præcedentis. *Ad 1.* Non erit ibi ad merendum. *Ad 2.* Non erit quoad aliquam imperfectionem, ſed perfectionem. *Ad 3.* Poteſt dici quòd in patria erit etiam *f*ides quoad eius perfectionem, non imperfectionem: Aliter & communiter, tunc perfectiora ſuccedent.

### Collatio 2. *De neceſſitate Virtutis.*

*Art.* 1. An virtus nunc ſit neceſſaria? *Solutio.* Eſt neceſſaria, 1. Ad perfectionem indigentiæ naturalis. 2. Ad erectionem naturæ incuruatæ. 3. Ad eleuationem animæ ſuper omnia, per virtutes gratuitas. 4. Ad eius habilitationem per morales. 5. Ad eius directionem in operando. *Ad 1.* Virtus eſt inſtrumentum benè operandi. *Ad 2.* Deus eſt author ſalutis per media. *Ad 3.* Solà voluntas bona poteſt ſufficere: non ſine gratia aut virtute, quâ bona eſt; ſed ſine actu exteriori. *Ad 4.* Mandatum Dei non eſt ſupra nos, *Deut.* 30. Quia Deus ſemper nobis præſto eſt per gratiam. *Ad vlt.* Naturàlia non ſufficiunt nobis ſine virtute gratuita, vt ſupra de gratia.

*Art.* 2. An fuiſſet neceſſaria ſi homo non peccaſſet? *Solutio.* Fuiſſet neceſſaria, 1. Ad ſuum *f*inem & fructum, qui non poteſt eſſe niſi ex ſemine virtutis à Deo concepto. 2. Ad perficiendas potentias rationales, cognitione & amore Dei actuali. 3. Ad præſeruationem à vitijs. *Ad Arg.* Poſſet dici qòd ſi Adam non peccaſſet, non eguiſſet virtute ad naturalia, ſed ad ſupernaturalia.

*Art.* 3. An erit neceſſaria in Patria? *Solutio.* Erit neceſſaria ad perfectam beatitudinem, ex *B. Aug. 19. Ciu. 3. & 10. & lib. 6. Muſicæ, c. 16.* Vtrum autem ſit neceſſaria diſpoſitio ad beati*f*icationem, vel pars beatitudinis, vel ipſa beatitudo, *ad præſens relinquimus.*

Collatio 3. De excellentia virtutis propriè ſumptæ, pro habitu benè vtendi, ſuper omnia bona quibus contingit benè vel malè vti: ſed communiter pro omni gratia, ſuper omnia bona abſolutè. Sic enim includit ipſam beatitudinem, ex *B. Aug. 4. Ciu. 21.*

### Collatio 4.

*De cauſa efficiente increata virtutis.*

*Art.* 1. An Deus ſit cauſa efficiens virtutis? *Reſp.* Quod ſic, ex *B. Aug. lib. de natura boni.* Quia eſt bonum & donum Dei, ergo à Deo. *Ad 1.* Cauſa efficiens finalis & formalis extrinſeca, ſeu exemplaris, coincidunt in Deo.

*Art.* 2. An ſolus Deus ſit cauſa efficiens virtutis? *Reſp.* Deus ſolus eſt cauſa immediata virtutis gratuitæ, ſeu infuſæ, ſed mediata & immediata, reliquarum virtutum; quia hæ nec procedunt à Deo niſi per cauſas ſecundas; nec per cauſas ſecundas niſi etiam à Deo intimè ac immediatè.

*Art.* 3. An Deus ſit cauſa efficiens virtutis, ratione ſuæ potentiæ, ſapientiæ, vel voluntatis? *Reſp.* Poteſt his tribus variè appropriari. 1. Cauſa efficiens, potentiæ; exemplaris, ſapientiæ; finalis, voluntati ſeu bonitati. 2. Cauſa efficiens virtutis naturalis, Potentiæ; virtutis moralis, Sapientiæ; virtutis gratuitæ, bonitati ſeu voluntati.

### Collat. 5. *De cauſa efficiente creata virtutis.*

*Art.* 1. An virtus ſit à natura? *Reſp.* Virtus naturalis eſt à natura: gratuita ſeu infuſa, non eſt à natura; ſed moralis ſeu acquiſita, eſt à natura quoad radicem ſeu capacitatem, non quoad perfectionem. *Ad 2.* Voluntas & eius actus poteſt dici naturalis, vt naturale opponitur gratuito ac ſupernaturali: non vt opponitur morali *Ad 3.* Iuſtitia eſt bonum naturale .i. ex ſua natura & eſſentia: iuſtum autem eſſe, eſt bonum accidentale. *Ad 4.* Caſtitas & humilitas dicuntur naturales: quoad radicem & inclinationem, non quoad perfectionem.

*Art.* 2. An virtus ſit à voluntate? *Reſp.* Virtus moralis ſeu acquiſita eſt à voluntate: quia eſt voluntaria & electiua.

*Art.* 3. An virtus ſit ab arte vel doctrina? *Reſp.* Non cauſaliter, ſed diſpoſitiuè.

### Coll. 6. *De cauſa formali exemplari virtutis.*

*Art.* 1. An forma exemplaris virtutis ſit virtus? *Reſp.* Eſt virtus increata.

*Art.*

Digitized by Google

*Art.* 2. An hæc ſit vna, vel plures. *Reſp.* Vt in Deo eſt vna ſapientia, ars, idea ſeu exemplar, quoad rem, ſed plura, comparatiuè ad exemplata. *p.* 2. *q.* 3. Sic & vna forma exemplaris virtutum in ſe, ſed plures comparatiuè ad virtutes exemplatas.

*Art.* 3. An ſint quatuor, vel plures, aut pauciores. *Reſp.* Sunt quatuor: quia ſunt tantùm quatuor virtutes exemplatæ, eſſentialiter differentes, æqualiter ſe habentes ad virtutem exemplarem; ad quas etiam tres virtutes Theologicæ reduci poſſunt, vt infra patebit.

### Collatio 7.

*De cauſa materiali circa quam virtutis.*

*Art.* 1. An virtus moralis conſiſtat circa voluptates, & triſtitias? *Reſp.* Conſiſtit circa eas, ex *Philoſ.* 2. *Ethic. &c.*

*Art.* 2. An omnis virtus moralis ſit circa eas? *Reſp.* Quòd omnis, ex eodem 2. *&* 7. *Eth. cap.* 15. *Ad* 3. Vt qui gaudens abſtinet à delectationibus corporalibus, caſtus eſt: ſic qui gaudens reddit alteri quod ſuum eſt, iuſtus eſt. Ita de prudentia, prout communicat cum virtute morali, &c.

*Art.* 3. An eadem virtus ſpecie poſſit eſſe circa delectationes & triſtitias? *Reſp.* Eadem virtus poteſt eſſe circa delectationem & triſtitiam ſenſibilem de eodem obiecto præſente, vel abſente: non de obiecto delectabili, & triſtabili; quia alia virtus requiritur ad moderandam delectationem ex obiecto delectabili, alia ad moderandam triſtitiam ex obiecto triſtabili. Eadem etiam virtus poteſt eſſe circa delectationem rationalem, & triſtitiam ſenſibilem, vel è contra: & circa vtramque rationalem: quia ratio delectatur de bono virtutis, & triſtatur de malo oppoſito.

*Art.* 4. An delectatio & triſtitia, vt circa eas eſt virtus moralis, ſint inter ſe contrariæ. *Reſp.* Vt ſic, ſunt contrariæ, ex *Philoſ.* 2. *Ethic. & B. Aug.* 14. *Ciu.* 15. *Ad* 1. Sunt contrariæ circa idem ſubiectum, non circa diuerſa: nam quo delectatur bonus, triſtatur malus. *Ad* 2. Caſtus triſtatur ſenſu, ſed delectatur ratione de priuatione delectationis corporalis. *Ad vlt.* Delectatio propriè eſt virtutis concupiſcibilis, triſtitia iraſcibilis: ſed communiter, delectatio eſt ex apprehenſione ſibi conuenientis vt coniuncti in re vel in ſpe; triſtitia, ex apprehenſione ſibi diſconuenientis, vt coniuncti, vel conuenientis vt disiuncti. Sicque delectatio & triſtitia ſunt contrariæ, & poſſunt eſſe in qualibet vi.

*Art.* 5. *Per* 4. *Quæſtiones.* 1. An virtus moralis ſit tantùm circa has duas affectiones? *Reſp.* Eſt circa has duas ſolas vt obiectis differentes, & difficiliores: non tamen vt excludentes, ſed includentes ſpem & timorem, quia hæ non differunt ab illis obiecto, ſed ſola temporis differentia. *Quæſt.* 2. An virtus intellectualis ſit etiam circa has affectiones? *Reſp.* Eſt circa delectationem contemplationis, ex *Phil.* 10. *Ethic.* non autem actionis, ex eodem 2. *Ethic.* *Quæſt.* 3. An virtus Theologica ſit etiam circa delectationes, & triſtitias? *Reſp.* Non vt hæ ſunt circa aliqua media, ſed circa ſolum finem. *Quæſt.* 4. An omnis virtus ſit circa delectationes & triſtitias? *Reſp.* Virtus Theologica & intellectualis eſt etiam circa delectationem oriundam ex vnione aut ſpe vnionis cum ſuo obiecto appetibili, ſed non operabili: virtus moralis eſt circa delectationem ex vnione aut ſpe vnionis cum ſuo obiecto appetibili, & operabili: ſed continentia eſt ſpecialiter circa delectationem ex vnione, aut ſpe vnionis corporalis cum obiecto appetibili ſecundùm corpus.

### Collatio 8.

*An virtus ſit circa actiones & paſſiones?*

*Art.* 1. Eſt circa actiones, & paſſiones, vt ad finem referibiles. Vel, eſt circa eas vt circa ſuos actus: circa delectationes & triſtitias, vt circa ſuam materiam & obiectum; circa bonum, vt circa finem ſuum, & intentionis.

*Art.* 2. Quid ſint delectationes & triſtitiæ circa quas eſt virtus moralis? *Reſp.* Quidam breuiter reſpondent, quòd nec ſint tantùm paſſiones, nec tantùm actiones, ſed vtrumque, &c. *Nos autem ad præſens dicimus, quod hæc multipliciter dicantur, &c. Si affectio animæ* ſumatur in fieri, vt à potētia, eſt actio; vt in potentia, eſt paſſio: ſi in facto eſſe, vel eſt qualitas, vel mutatio completa, ſeu forma.

### Collatio 9.

*An virtus moralis ſit circa bonum & malum?*

*Art.* 1. *Reſp.* Dicunt quidam quòd ſit circa bonum & malum in genere & ex circumſtantia, concretiuè ſumptum: non autem circa bonum & malum per ſe, ſiue ſumatur abſtractiuè, ſiue concretiuè. *Aliter & meliùs:* Eſt circa omne bonum & malum, vt materiam appetendi, vel fugiendi: vel, eſt circa ſolum bonum & malum in genere, quod poteſt formari, vel deformari circumſtantijs bonis, vel malis.

*Art.* 2. An ſit magis propriè circa delectationes, & triſtitias, quàm circa actiones & paſſiones, vel bonum & malum? *Reſp.* Eſt circa actiones & paſſiones, vt circa materiam nudam: circa eorum bonitatem & malitiam, vt circa materiam diſpoſitam; circa delectationem aut triſtitiam in eis, vt circa materiam completam.

### Collatio 10. *De cauſa finali increatâ virtutis*

*Art.* 1. An Deus ſit cauſa finalis virtutis? *Reſp.* Non quaſi finis ſeu terminus extenſionis: nec quaſi finis defectionis, nec finis inclinationis ſubiecti ad ſuam formam; ſed finis vltimus intentionis, ſeu intendendus; quia Deus eſt ſumma honeſtas ad quam & propter quam eſt omnis virtus. Ex *Prou.* 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Aug. 15. Ciu. 12. & 19. lib. 4. contra Iul. cap. 3. *Non eſt vera virtus niſi ad ſummum bonum hominis.* *Ad* 2. Virtus habet appetitum naturalem ad Deum; non vt ipſa vniatur Deo, ſed vt ratio vniendi.

*Art.* 2. An ſolus Deus ſit finis virtutis? *Reſp.* Solus Deus eſt finis vltimus, & finaliſſimus, in quo quieſcitur: ſed beatitudo eſt finis quo in Deo quieſcitur.

*Art* 3. An Deus ſub vna ratione vel pluribus, ſit finis omnium virtutum? *Reſp.* Non ſub vnica, ſed pluribus: quibus quietat diſtinctas vires, & virtutes animæ. *Ad Arg.* Licet Deus in ſe ſit ſummum bonum ſimpliciter, ſub vna ratione: eſt tamen ſummum bonum plurium virium animæ ſecundùm plures rationes.

*Art.* 4. Sub qua ratione Deus ſit magis propriè finis virtutum? *Reſp.* Sub ratione ſummi boni: quia omnia appetunt bonum vt finem; & virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. *Ad* 1. Summum

bonum

Digitized by Google

bonum eſt æternum : ſed eſt finis vt bonum, non vt æternum. *Ad* 2. Viſio Dei eſt tota merces : non eſſentialiter, ſed cauſaliter, concomitanter, aut ſolius fidei; nec beatitudo conſummatur in fruitione ſolius veritatis.

### Collatio 11.

*De cauſa finali creata virtutis in patria.*

*Art.* 1. De fine communi & præcipuo virtutis in patria. *Quæſt.* 1. An ſit vnus finis creatus omnium virtutum in patria? *Reſp.* Eſt vnus finis communis & præcipuus quoad rem, videlicet ſummum bonum creatum : ſed plures ſub diſtincta ratione Vitæ æternæ, Beatitudinis, & Pacis. Ex *B. Aug.* 19. *Ciu. c.* 2. 27. 28. *Quæſt.* 2. Quis horum ſit magis propriè finis virtutum? *Reſp.* Quilibet horum poteſt dici propriè finis virtutum : ſed potiùs complexè, Pax Beatitudinis, ſeu Beatitudo Pacis. Ex *B. Aug.* 19. *Ciu. cap.* 10. & 27. & 28.

*Art.* 2. De fine particulari & proprio. *Quæſt.* 1. An ſit vnus, vel plures? *Reſp.* Sunt plures particulares & proprij : quia ſunt plures & propriæ earum operationes in patria; vt Viſio, Tentio, Dilectio, & plures earum delectationes. *Quæſt.* 2. An Viſio, Tentio, vel Dilectio, ſit finis principalior & finalior? *Reſp.* Poteſt dici quòd Viſio eſt principalior comparatiuè ad ſubiectum, vel vires animæ; Dilectio, comparatiuè ad obiectum & virtutes; Tentio, comparatiuè inter actus. Vel poteſt dici, quòd Dilectio ſit ſimpliciter principalior & finalior : Tentio autem, ſecundùm quid; ſed ſi Tentio eſt obiecti vt cogniti & amati, eſt finalior; ſi Dilectio eſt obiecti vt cogniti & habiti ſeu tenti, eſt ſimpliciter finalior.

### Collatio 12.

*De fine virtutis in via.*

*Art.* 1. An virtus in via habeat finem. *Reſp.* Propriè vt diſtinguitur à beatitudine, habet ſuum finem etiam in via : non autem vt eſt communis ipſi etiam beatitudini.

*Art.* 2. An operatio virtutis ſit eius finis? *Reſp.* Eſt eius finis: quia virtus eſt ad ſuam operationem. *Ad* 1. Operatio virtutis eſt ipſo habitu perfectior. *Ad* 2. Non eſt finis vltimus, ſed propter illum. *Ad* 3. & 4. Aug. 4. *contra Iul.* 3. diſtinguit fines ab officijs, ſeu actibus materialibus, non formalibus virtutum. *Ad vlt.* Effectus virtutis eſt etiam finis proximus eiuſdem : alioquin cauſa efficiens & finalis non eſſent reciprocæ.

*Art.* 3. An delectatio ſit finis virtutis? *Reſp.* Non vt paſſio vitioſa, ſed vt quædam perfectio ipſius operationis. Ex 1. *Ethic.* 4. Ex *Aug.* 19. *Ciu.* 3.

*Art.* 4. An fœlicitas ſit finis virtutis? *Reſp.* Eſt eius finis, ex 1. *Eth.* & *Aug.* 4. *Ciu.* 23. 24. *ac alibi*

*Art.* 5. Quis horum finium ſit finalior. *Reſp.* Delectatio fœlicitatis, & fœlicitas delectationis, eſt idem finis finaliſſimus. Operatio virtutis, non ipſius fœlicitatis, eſt finis proximus. Delectatio vt excitans ad hanc operationem, non eſt eius finis: vt eam terminans ac perficiens, eſt finis mediatus, non autem proximus, nec vltimus virtutis; ſed fœlicitas continens operationem & delectationem, eſt finis vltimus.

*Art.* 6. An ſola fœlicitas intellectualis ſit finis finaliſſimus? *Reſp.* Eſt finaliſſimus etiam virtutum practicarum.

### Collatio 13. *Quid ſit delectatio.*

*Art.* 1. Quid ſit re? *Quæſt.* 1. An ſit motus? *Reſp.* Non eſt propriè motus, ex *Ariſt.* 10. *Ethic.* 3. *Quæſt.* 2. An ſit paſſio? *Reſp.* Delectatio pro ſola inclinatione ſeu motu naturæ, eſt paſſio, ſed non contraria triſtitiæ : pro inclinatione virtutis ex motiuo obiecti delectabilis, eſt paſſio contraria triſtitiæ; pro conſenſu animæ in ſuum delectabile, non eſt paſſio, ſed eſt contraria triſtitiæ; pro forma perfectiua operationis, nec eſt paſſio; nec contraria triſtitiæ. *Quæſt.* 3. An ſit qualitas? *Reſp.* Non in fieri, ſed in facto eſſe.

*Art.* 2. Quid ſit definitione? *Quæſt.* 1. An ſit operatio habitus ſecundùm naturam non impedita, 7. *Ethic. Reſp.* Delectatio abſtractiuè ſumpta, non eſt ipſa operatio : ſed concretiuè ſumpta, pro operatione delectabili. *Quæſt.* 2. An ſit generatio in naturam ſenſibilem, ex *Platone* ibidem. i. repletio ſenſibilis indigentiæ naturalis. *Reſp.* ex *Ariſt.* 1. *Ethic.* 17. Hæc defin. non valet : tum quia non eſt generalis, tum quia per accidens, tum quia non eſt formalis, ſed materialis. *Quæſt.* 3. An ſit perceptio rei conuenientis virtuti ſecundùm naturam eius. *Reſp.* Non eſt formaliter ipſa perceptio : niſi pro Tentione ſeu Fruitione.

*Art.* 3. In quo ſubiecto ſit? *Reſp.* Eſt in anima vt in ſubiecto remoto, in operatione vt in proximo, in potentia vt in medio. *Ad Arg.* Non eſt in operatione vt in ſubiecto delectato, ſed delectabili & delectante.

### Collatio 14. *De effectu ſeu vtilitate virtutis propriè & Theologicè.*

1. Ad perficiendam & ornandam animam. 2. Ad viuificandam & ordinandam. 3. Ad dirigendam. 4. Ad erigendam. 5. ad muniendam. 6. Ad moderandas eius paſſiones. 7. Ad faciendam eam optimam. 8. Ad merendam ei fœlicitatē. 9. Ad eam beatificandam. 10. Ad vitam æternam. *Ad Arg.* Hi effectus ſunt virtutis & gratiæ : ſed gratiæ, vt eſt in ipſa anima ad bene eſſe; virtutis, vt in viribus animæ, & ad benè operari diſtinctè.

### Collatio 15. *Quid ſit virtus quoad rem?*

*Art.* 1. An ſit quid creatum, vel increatum? *Reſp.* Vt gratia, ſic virtus, alia eſt increata, alia creata. *Ad* 1. Sola virtus increata, ſeu Deus beatificat, viuificat, facit animam optimam, eleuat, &c. effectiuè : virtus autem creata meritoriè, diſpoſitiuè, aut formaliter. *Ad vlt.* Virtus creata non meretur præmium infinitum, niſi per gratiam, vel charitatem vnientem virtuti Dei infinitæ. Vel, licet omne meritum ſit finitum : Deus tamen ex infinita bonitate præmiat illud incomparabiliter.

*Art.* 2. An virtus creata ſit ſubſtantia vel accidens? *Reſp.* Eſt accidens. *Ad* 1. Quòd gratia ſit perfectior ipſâ animâ quam perficit, cùm nullum accidens ſit perfectiùs ſubſtantiâ. *Reſp.* 1. Perfectiones ſubſtantiæ & accidentis, non ſunt inter ſe comparabiles. 2. Accidens per ſe ſolùm non eſt perfectius ſuo ſubiecto : ſed ſimul cum illo. 3. Virtus gratuita non eſt perfectior ipſâ animâ, niſi quatenus eam vnit Deo. 4. Virtus eſt tantùm perfectio diſponens, Deus autem perfectio complens. 5. Perfectio alicuius non eſt eo melior ſimpliciter & abſolutè : ſed ſecundùm quid, quoad ordinationē.



Digitized by Google

*Art.* 3. An ſit ens abſolutum, vel relatiuum? *Reſp.* Eſt quid relatiuum. *Ad* 1. Non eſt quid relatiuum ſub nomine & ratione communi qualitatis: ſed ſpeciali, virtutis.

*Art.* 4. An ſit quid purè relatiuum? *Reſp.* Non, ſed & abſolutum: quædam enim formæ ſunt purè abſolutæ, quædam purè reſpectiuæ, quædam mediæ. Virtus dicit habitum habilitantem & informantem animam ad bonum: ideoque dicit reſpectum ad illud bonum.

*Art.* 5. An ſit quantitas, vel qualitas? *Reſp.* Non eſt quantitas etiam virtutis, ſed qualitas. *Ad* 1. Virtus non eſt per ſe æqualis virtuti: ſed quantitas vnius virtutis, eſt per ſe æqualis alteri quantitati. *Ad* 2. Virtus eſt quanta per accidens.

*Art.* 6. An virtus ſit ſua quantitas? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſit idem re, non ratione. Alij dicunt quòd quantitas virtutis, non eſt idem quod virtus: ſicut nec quātitas molis idem cum mole, &c. *Notandum eſt tamen*, quòd ex illo *Aug.* 7. *Trin.* 8. *In his quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod melius*: non omnis res ſpiritualis eſt ſua quantitas; ſed eodem eſt quanta, & bona. Vt, anima eſt quanta & bona virtute: bona per ſe & formaliter, quanta per accidens; ſed quantitate virtutis, eſt quanta per ſe & formaliter. Et ideo licet virtus ſit idem quòd bonitas vel qualitas: non tamen idem quòd quantitas, &c. Cùm igitur *Aug.* diſtinguit inter quantitatem molis & virtutis: virtus ſumitur pro quauis dignitate ſpirituali, æquali aut inæquali, inter plures; ideoque talis quantitas differt etiam re ab eo cuius eſt, minùs tamen quàm quantitas molis à mole.

*Art.* 7. An virtus ſit habitus? *Reſp.* Eſt habitus: Ex *Aug. Ariſt. Tullio*, &c. *Ad* 1. Virtus .i. opus virtutis eſt bonus vſus, vel facit bonum vſum. *Ad* 2. Fœlicitas eſt actus .i. habitus actualis, vel perfectio habitus virtutis, ſeu eſt actus ex habitu non ad habitum; ſicque motus in habitu eſt perfectior motu ad habitum.

*Art.* 8. An ſit paſſio? *Reſp.* Non eſt paſſio. *Ad* 1. Mediat moderando paſſiones. *Ad* 2. Non eſt amor eſſentialiter, ſed cauſaliter: nec amor ſignificat tantùm paſſionem, ſed & actum & habitum. *Ad.* 3. Ad paſſionem neceſſariò ſequitur immediatè delectatio, vel triſtitia: non ſic ad virtutem; ſed fortè mediatè, contingenter & concomitanter.

*Art.* 9. An ſit potentia? *Reſp.* Non propriè. *Ad* 1. Virtus dicitur vltimum potentiæ .i. vel virtus naturalis, vel potentia latè ſumpta, vel non formaliter.

*Art.* 10. An bonum ſit genus virtutis? *Reſp.* Non propriè, ſed communiter.

COLLATIO 16. *Quid ſit virtus quoad definitionem.*

*Art.* 1. De varijs eius definitionibus, prout eſt virtus naturalis, acquiſita, vel infuſa, per varios eius effectus & cauſas.

*Art.* 2. De qualibet definitione. *Quæſt.* 1. De 1. *B. Aug. lib. de lib. arb. Eſt bona qualitas mentis, quâ rectè viuitur, & nemo malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Reſp.* Hæc eſt ſolius virtutis infuſæ cum gratia: à qua diſtinguitur, quòd hæc ſit animæ, illa mentis, ſeu potentiæ motiuæ. Dicitur 1. *Bona*: non tantùm ex natura, genere, & circumſtantia; ſed etiam formali bonitate gratuita. 2. *Qualitas*, pro genere. 3. *Mentis*, pro genere primo virtutis infuſæ. 4. *Rectè* .i. honeſtè. 5. *quâ nemo male vtitur*, formaliter & effectiuè, ſed tantùm materialiter & obiectiuè. 6. *Quam Deus, &c.* Pro ſola virtute infuſa. *Quæſt.* 2. De hac *B. Aug. l. de Spiritu & anima. Virtus eſt habitus mentis benè compoſitæ. Reſp.* Hæc eſt virtutis moralis & intellectualis. *Quæſt.* 3. De hac *Ariſt.* 2. *Ethic. Virtus eſt habitus voluntarius immediatè conſiſtens in medietate, prout Sapiens determinabit. Reſp.* Dicitur 1. *Habitus*: quia diſpoſitio propriè, necdum eſt virtus. 2. *Voluntarius*: quia virtus intellectualis eſt etiam voluntaria, voluntate antecedente intellectum practicum. Credimus tamen quòd hæc ſit tantùm virtutis moralis. 3. *Conſiſtens in medietate*, quoad nos: quamuis per accidens iuſtitia conſiſtat etiam in medietate quoad rem. 4. *prout ſapiens, &c.* non tantùm à ſapere, ſed etiam à Sapore: Cuius Sapientis eſt determinare medium virtutis. *Quæſt.* 4. De hac *Commentatoris: Virtus eſt habitus electiuus, & operatiuus circa paſſiones & operationes. Reſp.* Dicitur 1. *Electiuus*: non ab actu ſuo proprio eligendi; ſed ab eligentia, à qua proceſſit effectiuè. Dicitur 2. *Operatiuus*, opere etiam exteriori, &c. *Quæſt.* 5. De hac *Tullij, Virtus eſt habitus in modum naturæ rationi conſentaneus. Reſp.* Dicitur 1. *In modum naturæ* .i. mouendo inſtar formæ, rectè & determinatè ad obiectum. 2. *Rationi conſentaneus* .i. conformis. *Quæſt.* 6. De hac *B. Aug. in Solil. Virtus eſt recta ratio perueniens in finem. Reſp.* Dicitur 1. *Recta ratio* .i. rectitudo rationis, ſeu totius motiuæ rationalis. Dicitur *perueniens in ſuum finem*, vel huius viæ, vel etiam patriæ. *Quæſt.* 7. De illa defin. *B. Aug.* 5. *Ciu.* 22. *Virtus eſt ordo amoris. Reſp.* Amor ſumitur hîc generaliter pro omni affectu: ordo autem dicit rationem quæ ſtatuit affectum circa medium. *Ad* 1. Non vt eſt ratio ratiocinantis: ſed ipſius rei ex qua colligitur medietas amoris ſeu affectus. *Ad* 2. Obiectum vt amatum propter ſe, eſt temperantiæ: vt relatum ad opus, prudentiæ; vt debitum, iuſtitiæ; vt relatum ad finem, fortitudinis. *Ad vlt.* Amor eſt radix reliquarum paſſionum: nec ſumitur hîc vt diſtincta ab alijs, ſed vt communis. *Aliter* dicunt quidam quòd virtus eſt ordo amoris .i. à virtute eſt ordo amoris, ſeu cuiuſuis affectus ordinatio ad Charitatem, vt ad formam omnium virtutum. *Quæſt.* 8. De hac defin. *B. Aug.* 1. *de lib. arb. Virtus eſt bona voluntas. Reſp.* Id eſt, virtus efficit bonam voluntatem: ſiue ſumatur pro potentia, ſiue pro actu; ſicque non eſt definitio formalis, ſed cauſalis, niſi ſumatur pro habitu ſeu affectione .i. virtus eſt bona affectio, ſeu bonitas voluntatis; aut cuiuſuis potentiæ motiuæ. Hinc *ad priora Arg. ad penult.* Datur abuſus affectionis: ſed non bonæ. *Ad vlt.* Virtus non eſt actus vel vſus formaliter, ſed effectiuè. *Quæſt.* 9. De hac defin. *S. Bern. de lib. arb. Virtus eſt affectio ordinata*: ſupple, per gratiam. *Reſp.* Vel hæc defin. non eſt formalis, ſed effectiua, aut materialis: vel affectio ſumitur pro habitu affectiuo. *Quæſt* 10. De hac defin. *Hugonis lib. de Sacram. Virtus eſt affectus mentis ſecundùm rationem ordinatus*: & de hac *Rich.*

Eſt

Digitized by Google

*Eſt affectus animi moderatus & ordinatus.* *Reſp.* Vt ſupra. Dicitur tamen ordinatus, ad quod eſſe debet: moderatus, quantus eſſe debet. *Quæſt.* 11. De hac *Aug. lib. de moribus Eccl. c.* 5. *Virtus eſt ſummus amor dei.* *Reſp.* Hæc defin. eſt virtutis gratuitæ & ordinatæ ad formam Charitatis. *Ad* 1. & 2. Dicitur ſummus ſummitate viæ; nec abſolutè, ſed comparatiuè. *Ad* 3. Dicitur amor Dei vt obiecti finalis. *Ad* 4. Amor hic ſumitur communiter, pro quouis motu in Deum amatum. *Ad* 5. Sola virtus formata eſt ſummus amor Dei. *Ad* 6. Hæc defin. eſt cauſalis. *Ad* 7. Amor hic ſumitur actiuè, ſeu pro actu: poteſt tamen etiam ſumi pro habitu. *Ad vlt.* Amor hic ſumitur latè, vt ſupra. *Quæſt.* 12. De hac defin. *Aug.* 4. *Ciu. Virtus eſt ars rectè benèque viuendi:* & 19. *Ciu.* 3. *Virtus eſt ars agendæ vitæ.* *Reſp.* Ars non ſumitur hic propriè, ſed impropriè, vt eſt directiua in agendis. Hinc *ad* 6. *priora Arg.* *Ad* 7. Rectè viuere eſt quoad radicem: benè, quoad finem. *Ad* 8. Agere hic ſumitur prout diſtinguitur à ſpeculatione & factione. *Quæſt.* 13. De hac *Aug. de quant. animæ. Virtus eſt æqualitas vitæ vndique rationi conſentiens.* *Reſp.* Hæc non eſt formalis, nec adæquata: ſed ſolius virtutis Cardinalis, per effectum & medietatem. *Quæſt.* 14. De hac *Ariſt.* 2. *Ethic. Virtus eſt habitus a quo quis eſt bonus, & opus eius bonum.* *Reſp.* Hæc poteſt eſſe communis omni virtuti. *Quæſt.* 15. De hac eiuſdem 7. *Eth. Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum.* *Reſp.* Non vt diſpoſitio diſtinguitur ab habitu, & à cauſa propriè: ſed communiter: nec tantùm vt optimum ſumitur ſimpliciter & abſolutè, pro fine vltimo, ſed etiam proprio cuiuſlibet virtutis. *Quæſt.* 16. De hac eiuſdem 1. *de Cælo. Virtus eſt vltimum potentiæ ſuæ* .i. ſupremum in quod poteſt. *Reſp.* Hæc vel eſt de virtute naturali: vel ſi de habituali .i. Virtus eſt vltimò perfectiua potentiæ.

*Art.* 3. De illo dicto *Philoſophi* 2. *Ethic.* Quòd tria ſint in anima: paſſiones, potentiæ, & habitus. *Quæſt.* 1. De ſufficientia huius numeri. *Reſp.* Quicquid eſt in anima, aut eſt innatum, & ſic eſt potentia: aut acquiſitum ab extra, & ſic eſt paſſio; vel ab intra, & eſt habitus. *Ad* 1. Vel actio reducitur ad paſſionem, vel ad habitum, vel non eſt in anima vt in ſubiecto, ſed ab ea vt à principio; & ſic de fœlicitate, &c. *Intelligimus tamen quòd fœlicitas non eſt operatio formaliter, imò habitus actualis.* Vndè fœlicitas dicitur operatio cauſaliter .i. cauſatur ex operatione, vel concomitanter. *Ad* 2. Non diſtinguitur hic habitus à diſpoſitione. *Quidam credunt quòd habitus hic ſit prima ſpecies qualitatis, potentia ſecunda, paſſio tertia.* *Ad* 3. Hæc tria ſunt in anima vt eſt motiua: ſpecies, vt ſpeculatiua. *Quæſt.* 2. Pro quo hic ſupponat anima? *Reſp.* Anima tota hic ſupponit: ſed pro ſola potentia irrationali, perſuaſibili ratione. *Quæſt.* 3. Cur *S. Dion. cap.* 11. *Hier. Ang.* ponat in Angelis alia tria, eſſentiam, potentiam, & virtutem? *Reſp.* Quia *Ariſt.* loquitur ibi de anima vt eſt ſuſceptiua virtutis moralis: ſed *S. Dion.* vt eſt quoddam totum potentiale.

*Art.* 4. De illo dicto *Ariſt.* Virtus eſt certior & melior omni arte, vt & natura. *Quæſt.* 1. An virtus ſit certior omni arte? *Reſp.* Eſt certior quoad medium morale & rectitudinem operis, omni arte circa ſingularia & contingentia: non autem omni ſcientiâ & ſapientiâ circa neceſſaria & vniuerſalia; quia ars tantùm docet modum benè operandi, virtus autem etiam mouet ad benè operandū. *Quæſt.* 2. An virtus ſit certior naturâ? *Reſp.* Eſt certior natura rationali in ordine ad idem opus morale: quia vt ſic perficit naturam. *Quæſt.* 3. An ars ſit certior naturâ, vel è contra? *Reſp.* Eſt certior naturâ quatenus eam præſupponit & perficit: non autem ſeorſim ab illa. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3. Notandum 1. Quòd ſi virtus, ars, & natura comparentur ad idem opus naturale, natura ſit certior: ſi ad idem opus artificiale, ars; ſi ad idem opus morale, virtus; ſi quælibet ad ſuum opus & obiectum, natura eſt certior virtute, virtus arte. 2. Natura eſt certior informatione & inclinatione ad ſuum proprium obiectum: ſed virtus eſt certior ſua medietate & intentione. 3. Ars eſt certior ſpeculatione: virtus & natura, electione & experientia.

*Art.* 5. De illo dicto *Philoſophi* 2. *Ethic.* Ad habendum virtutes, parum aut nihil prodeſt ſcire. *Quæſt.* 1. An hoc ſit verum de omni virtute? *Reſp.* Scire prodeſt ad virtutem moralem, vt diſpoſitio neceſſaria: ad infuſam, vt diſpoſitio congrua in adultis, non in paruulis; ad omnem autem actum virtutis; ſed parum aut nihil prodeſt ad virtutem moralem, reſpectu velle & operari. *Quæſt.* 2. Quomodo parum aut nihil proſit? *Reſp.* Scire moralia parum prodeſt ad virtutem moralem: ſed ſcire tantùm naturalia vel rationalia, nihil prodeſt. *Quæſt.* 3. De comparatione cognitionis & affectionis in eadem virtute fidei & prudentiæ. *Reſp.* Cognitio habet rationem materiæ, & affectio formæ. *Ad* 1. Inclinatio voluntatis eſt prior in fieri, ſed non in eſſe: vnde hæc virtus non dicitur amor inclinans; ſed potiùs cognitio inclinata per amorem. *Ad* 2. Eſſe virtutis determinatur ab affectione. *Ad reliqua.* Virtutes purè affectiuæ, ſunt magis propriè virtutes. *Infra.* Poteſt dici, & meliùs, quod prudentia ratione cognitionis contineatur ſub ſcientia, ratione affectionis ſub virtute.

*Art.* 6. De numero appetibilium, ex 2. *Ethic.* *Quæſt.* 1. De horum numero trimembri. *Quæſt.* 2. De diſtinctione & ſufficientia appetibilium. *Reſp.* Appetibile vel eſt propter ſe, vel propter aliud: ſi propter ſe, vel appetitu rationali, & dicitur bonum; vel appetitu ſenſibili, & dicitur delectabile: ſi propter aliud, dicitur conferens ſeu vtile; ergo omne appetibile vel eſt bonum, vel conferens, vel delectabile. *Quæſt.* 3. De comparatione huius cum illo *Tullij*: Expectandorum tria ſunt genera, honeſtum, vtile, & ex vtroque. *Reſp.* Diuiſio *Tullij* ſumitur ex appetibili propter ſe, vel propter aliud, vel propter vtrumque: diuiſio autem *Ariſt.* ex appetitu rationali, vel ſenſitiuo, vel vtroque.

## Collatio 17.

*De ſubiecto virtutis quoad ſubſtantiam.*

*Art.* 1. De virtute Dei. *Quæſt.* 1. An virtus ſit in Deo? *Reſp.* Eſt in Deo, quia in eo eſt ſumma fœlicitas, noſque ei aſſimilamur per virtutem. *Quæſt.* 2. An omnis virtus ſit in Deo? *Reſp.* Quædam eſt in Deo eſſentialiter, formaliter, & denominatiuè, vt virtus increata: quædam tantùm exem-



plariter,

plariter, & effectiuè, vt virtus creata ſeu exemplata, habens aliquid imperfectionis; quædam exemplariter, effectiuè, & quaſi formaliter ac denominatiuè, vt omnis virtus creata, quoad rem & nomen perfectionis.

*Art.* 2. De virtute Angelorum. *Quæſt.* 1. An eis inſit? *Reſp.* Eſt in eis: vt ſupra, de virtutibus in Patria. *Ad* 1. Fides vt amor primæ Veritatis, & certitudo de inuiſibilibus, eſt in Angelis: nec eſt fundamentum aliarum virtutum niſi in via. *Ad* 2. Virtus reducitur ad potentiam, vt eius perfectio: & ad actum vt eius cauſa.

*Ad* 3. Virtus non tam denominatur à viro, quàm ab animo virili. *Ad* 4. Ex *Aug. De moribus Eccleſiæ, c.* 6. Quòd virtus non ſit niſi in anima. .i. Non in corpore, ſeu nonniſi in ſpiritu. *Quæſt.* 2. An virtus ſit in Angelis ſecundùm portionem ſuperiorem, & inferiorem rationis? *Reſp.* Eſt in eis ſecundùm vim contemplatiuam æternorum, & miniſtratiuam circa temporalia. *Quæſt.* 3. An omnis vis motiua, in qua eſt virtus, ſit in Angelis? *Reſp.* Etſi in Angelis ſit vis iraſcibilis & concupiſcibilis: non tamen vt ſunt irrationales, in brutis & in nobis.

*Art.* 3. An Virtus ſit in brutis? *Reſp.* Non propriè: ſicut nec voluntas, nec ratio, nec libertas, &c.

*Art.* 4. De virtute hominis. *Quæſt.* 1. An ſit in omni homine ſine peccato mort. ſecundùm Theologum? *Reſp.* Eſt in omni homine tali: quia talis eſt Deo gratus, & diligit Deum quantùm debet. *Ad* 1. Virtus & vitium opponuntur immediatè, quoad genus: nonniſi mediatè, quoad ſpeciem. *Quæſt.* 2. An etiam ſecundùm Philoſophum? *Reſp.* Quòd non: quia nec virtus nec vitium ineſt alicui niſi ex actu frequenti.

*Art.* 5. An virtus ſit in paruulis baptizatis? *Reſp.* Habent virtutes infuſas: ſed necdum earum vſum, defectu liberi arb.

*Art.* 6. An virtus ſit in toto homine, an in ſola anima? *Reſp.* Eſt in ſola anima: quia corrupto toto non corrumpitur, &c.

*Art.* 7. An virtus ſit in anima ex eo quòd eſt, vel quo eſt? *Reſp.* Subiectum proximum virtutis, vt virtus, eſt id quo anima eſt: ſubiectum primum in quo radicatur, eſt ipſa potentia, ſubiectum verò in quo manifeſtatur, poteſt dici ipſum coniunctum. *Ad Arg.* Formæ abſtractæ vel vltimæ non eſt alia forma: ſed forma naturalis poteſt habere vlteriorem formam moralem vel accidentalem.

*Art.* 8. An virtus ſit in eſſentia vel potentia animæ? *Reſp.* Secundùm Theologos in potentia.

COLLATIO 18.

*De ſubiecto virtutis quoad potentiam.*

*Art.* 1. An virtus ſit in ſola voluntate? *Reſp.* Non in voluntate naturali, quæ eſt ad ſolum bonum: ſed in ſententiali, ſeu deliberatiua, vel rationali. Quæ tripliciter ſumitur. 1. Pro inſtrumento ſeu potentia volendi. 2. pro eius affectione ſeu habitu. 3. Pro eius vſu ſeu actu. Virtus ergo eſt in potentia per inhærentiam, in habitu per identitatem, in vſu per efficaciam. Sed potentia iterum tripliciter ſumitur. 1. Pro imperante & imperata: & ſic virtus eſt in ea ſola. 2. Pro toto libero arb. ſeu facultate rationis & voluntatis: de qua infra. 3. Pro parte liberi arbitrij, & ſic in ea ſola non eſt virtus.

*Art.* 2. An in ſola mente ſit virtus? *Reſp.* Non prout mens dicitur à meminiſſe, nec pro vi ſuprema animæ, nec pro tota animæ ſubſtantia, nec pro ſola vi iudicatiua, à meditando: ſed pro qualibet vi animæ motiua obtemperante rationi. Sic enim virtus eſt habitus mentis benè diſpoſitæ.

*Art.* 3. An virtus ſit in ſola ratione? *Reſp.* Non in ſola ratione ſecundùm ſe: ſed vt regente vim iraſcibilem & concupiſcibilem. *Aliter:* Non in ſola ratione, ſeu potentia rationali eſſentialiter: ſed obediente ſeu perſuaſibili ratione.

*Art.* 4. An virtus ſit tantùm in libero arbitrio. *Quæſt.* 1. An omnis virtus prout eſt habitus ſit in libero arbitrio? *Reſp.* Non vt eſt quædam potentia in ſe, diſtinctè, & abſolutè: ſed prout regit & continet omnes ſibi ſubditas. *Quæſt.* 2. An omnis virtus gratuita ſit in libero arbitrio? *Reſp.* Non vt virtus ſeu habitus: ſed vt gratuita ſeu meritoria, formaliter eſt in libero arbitrio propriè ſumpto. Eſt enim in illa vi motiua, in qua ratio diſcretiua & voluntas ſunt coniugatæ. *Ad Arg.* Virtus fidei & prudentiæ eſt formaliter in voluntate, materialiter in intellectu.

*Art.* 5. In qua vel quibus potentijs ſint virtutes. *Quæſt.* 1. An in vnica, vel pluribus? *Reſp.* Non in vnica, ſed pluribus, vt ſupra. *Quæſt.* 2. In quibus? *Reſp.* 1. In potentia iraſcibili & concupiſcibili, vt ſubditis rationi. 2. In potentia etiam cognoſcitiua, vt ſubeſt alicui motui ſeu affectui. 3. Non autem in nutritiua & generatiua: quia non ſubſunt rationi niſi quoad actus externos.

*Art.* 6. In quot potentijs poſſit eſſe virtus? *Reſp.* In quinque. 1. In intellectu ſpeculatiuo? 2. In practico. 3. In appetitu rationali. 4. In vi iraſcibili. 5. In concupiſcibili, ſubditis rationi.

COLL. 19. *De actu communi virtutis in via.*

*Art.* 1. An virtus habeat aliquem actum communem in via? *Reſp.* Quòd ſic: quia virtus particularis habet actum particularem: ergo virtus generalis habet actum communem.

*Art.* 2. An habeat actum communem vniuocum? *Reſp.* Non prorsùs vniuocum: quia obiectum commune virtutis non eſt vniuocum: ergo nec actus. *Ad* 1. Actus recipit analogiam aliundè quàm ab habitu. *Ad* 2. Virtus logicè prædicatur vniuocè de omni virtute: non tamen phyſicè nec moraliter ineſt vniuocè.

*Art.* 3. Quis ſit ille actus communis omni virtuti in via? *Reſp.* Operari, agere, & diligere communiter, eſt actus communis virtutis: non autem propriè prout inter ſe diſtinguntur. *Ad Arg.* Hæc ſunt actus virtutis quoad ſubſtantiam: ſed rectè operari, etiam quoad circumſtantiam.

*Art.* 4. An actus virtutis in via ſit continuus? *Reſp.* Non actus accidentalis, ſeu effectiuus: ſed eſſentialis, ſeu formalis.

COLLATIO 20. *De actu virtutis in Patria.*

*Art.* 1. An virtus habeat actum in Patria? *Reſp.* quòd ſic: quia hoc eſt perfectionis. *Ad Arg.* Virtus in Patria non eſt operoſa .i. laborioſa.

*Art.* 2. Quis ſit ille actus? *Reſp.* Adhærere Deo, eſt actus communis virtutis in via & patria: ſed adhærere

Digitized by Google

hærere ei in æternum, eſt propriùs patriæ.

*Art.* 3. An actus ille ſit continuus? *Reſp.* Quòd ſic: quia hoc eſt perfectionis.

COLLATIO 21.

*De actu communi in via & in patria.*

*Art.* 1. An quis ſit talis? *Reſp.* Eſt aliquis talis: videlicet, rectè operari, ſeu agere, & diligere, vt ſupra.

*Art.* 2. An quis ſit propriùs viæ, vel patriæ? *Reſp.* Nullus generalis: niſi approprietur per aliquam differentiam diligendi vel operandi meritoriè aut glorioſè; ſed plures actus ſpeciales.

*Art.* 3. De dicto *B. Aug. ad Maced.* *Reſp.* Hic ſunt eædem virtutes in actu exteriori, ibi in affectu interiori: hîc ſunt in opere, ſeu merito, ibi in mercede ſeu præmio: hîc in officio, ſeu vſu, ibi in fine, ſeu fruitione.

COLLATIO 22.

*De obiecto communi virtutis.*

*Art.* 1. An ſolum bonum ſit obiectum virtutis? *Reſp.* Solum bonum largè ſumptum, pro obiecto cuiuſuis potentiæ motiuæ: non ſtrictè, pro obiecto ſolius concupiſcibilis, vt ſupra.

*Art.* 2. An vnum & idem bonum ſit obiectum omnium virtutum? *Reſp.* Quoad rem idem eſt in patria .i. Deus, non in via: nec quoad intentionem ſpecialem; ſeu rationes formales; ſed generalem boni in communi, vt ſupra de virtute viæ & patriæ.

*Art.* 3. An bonum quod eſt obiectum virtutis, ſit commune vniuocè, æquiuocè, vel analogicè? *Reſp.* Analogicè, non vt prædicatur eadem natura, quia in Cardinalibus prædicatur bonum creatum, in Theologicis bonum increatum; ſed vna & eadem intentio.

COLLATIO 23. *De cognitione virtutis.*

*Art.* 1. An iuſtus & iniuſtus cognoſcat virtutem? *Reſp.* Vterque cognoſcit virtutem: ſed iuſtus per eius præſentiam, & experientiam propriam; iniuſtus, per notionem innatam.

*Art.* 2. An vterque eodem modo cognoſcat virtutem. *Reſp.* Eodem modo per notionem innatam, & ſpeciem acquiſitam: ſed ſolus iuſtus per eius preſentiam & experientiam propriam.

*Art.* 3. An vterque cognoſcat virtutem in prima Veritate. *Reſp.* Non in ſola luce increata primæ Veritatis: ſed in irradiatione, ſeu impreſſione eius notioni concreatæ. Ex *B. Aug. in Solil. lib. de Magiſtro. De lib. arb. in Pſal.* 4. 12. *in Gen.* 11. *Ciu.* 14. *Trin. cap.* 15.

*Art.* 4. An ſit perfectior cognitio virtutis in prima Veritate, quàm in anima iuſti? *Reſp.* Eſt perfectior in Beatis, non in viatoribus, ſeipſos perfectiùs quàm Deum cognoſcentibus.

COLLATIO 24. *De diuiſione virtutis.*

*Art.* 1. An virtus ſit diuiſibilis per ſpecies? *Reſp.* Virtus variatur ſpecie. 1. Ex comparatione ad fines proximos: quædam enim ſunt in finem, vt Theologicæ, quædam in ea quæ ſunt in fine, vt Cardinales, quæ habent etiam diuerſos fines proximos. 2. Ex diuerſis potentijs: nam fides perficit rationalem, ſpes iraſcibilem, charitas concupiſcibilem. 3. A parte actus, ſeu ex modo mouendi & dirigendi in finem: quia fides dirigit illuminando, ſpes erigendo, charitas vniendo, &c. *Vtrum autem ſeipſis eſſentialiter diſtinguantur, ad præſens relinquimus.*

*Art.* 2. De 5. diuiſionibus virtutis. 1. In Politicas, Purgatorias, Purgati animi, & Exemplares. 2. In Intellectuales & Conſuetudinales. 3. In Theologicas, & Cardinales. 4. In Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, & Temperantiam. 5. In Ethicam ſeu Monoſticam, Oeconomicam, & Politicam.

*Art.* 3. De ſingulis diuiſionibus. *Quæſt.* 1. De diuiſione *Plotini*. *Reſp.* Eſt ſufficiens vt communis ad virtutem exemplarem, ſeu increatam, & exemplatam ſeu creatam, pro ſtatu vitæ actiuæ, contemplatiuæ vel mediæ. *Quæſt.* 2. De 2. diuiſione *Ariſt.* *Reſp.* Eſt bona & ſufficiens. 1. Vt ſumitur ex duplici ſubiecto .i. ex potentia rationali, & obedienie rationi. 2. Ex duplici fine ſeu fœlicitate, politica & ſpeculatiua. 3. Ex duplici actu, agendi, & ſpeculandi. 4. Ex duplici modo acquirendi, per doctrinam, & conſuetudinem. 5. Ex duplici obiecto ſeu vero bono vt intelligibili, vel operabili. *Quæſt.* 3. De 3. diuiſione Theologorum. *Reſp.* Omnis virtus, vel eſt Theologica, perficiens partem ſuperiorem animæ, eamque ordinans immediatè in Deum, ad eo fruendum: vel Cardinalis, perficiens partem animæ inferiorem circa vtenda, ſeu media ad Deum referenda. *Ad Arg.* Virtus Cardinalis ſumitur à Philoſophis pro principali, ſiue circa fruenda, ſiue circa vtenda: ſed à Theologis, vt ſupra. *Quæſt.* 4. De 4. diuiſione *Tullij*. Non eſt ſubdiuiſio, ſed bona diuiſio virtutis principalis in ſenſu Phyloſophico: quia Prudentia eſt in potentia rationali, Fortitudo in iraſcibili, Temperantia in concupiſcibili, Iuſtitia per vires animi. *Quæſt.* 5. De 5. diuiſione. *Comment: in* 1. *Ethic.* *Reſp.* Eſt bona & ſpecifica: quia Ethica ſeu Monoſtica perficit hominem circa ſeipſum ſolum; Oeconomica, circa domum ſeu familiam ſuam; Politica circa Ciuitatem.

*Art.* 4. De comparatione harum Diuiſionum inter ſe. *Reſp.* Diuiſio 2. *Ariſt.* eſt tantùm virtutis Monoſticæ: nec excedit quartam *Tullij*: quia ſub Prudentia continet omnes virtutes intellectuales. Diuiſio 3. Theologorum non excedit alias: quia virtutes Theologicæ continentur ſub Cardinalibus communiter ſumptis; ſub Iuſtitia vt omnes reddunt Deo quod ſuum eſt; ſub Prudentia fides, vt perficit vim rationalem; ſub Fortitudine ſpes, vt perficit vim iraſcibilem; ſub Temperantia Charitas, vt perficit vim concupiſcibilem.

COLLATIO 25.

*De numero virtutum Theologicarum.*

*Art.* 1. An ſit vnica vel plures? *Reſp.* Non eſt vnica ſed plures. 1. Quia perficiunt plures potentias. 2. Quia licet ſint circa eundem Deum: non tamen vt eſt idem obiectum formaliter, ſeu motiuum; ſed vt ſummè verum, eſt obiectum fidei; vt ſummè arduum, eſt obiectum ſpei; vt ſummè bonum, eſt obiectum charitatis.

*Art.* 2. Quot ſint? *Reſp.* Sunt tres, nec plures, nec pauciores. 1. Ex 1. *Cor.* 13. 2. Ex tribus viribus animi. 3. Ex tribus actibus formalibus in Deum. 4. Ex triplici ratione formali obiecti, vt ſupra. 5. Ex triplici ratione finis vltimi trium virium animi.



Digitized by Google

*Art.* 3. Penes quid diſtinguantur tres virtutes Theologicæ? *Reſp.* Non penes tres partes imaginis S. Trinitatis in nobis, nec ſecundùm tria præcepta primæ Tabulæ: niſi per quandam accommodationem; ſed penes tres vires motiuas portionis ſuperioris animæ, rationalem propriè, iraſcibilem & concupiſcibilem, circa Deum ſub triplici ratione formali obiecti, vt ſupra.

Collatio 26. *De neceſſitate virtutum Theologicarum ad ſalutem*, vt ſæpè ſupra.

Collatio 27. De denominatione virtutum Theologicarum à Deo, vt à cauſa, obiecto & fine immediato.

Collatio 28.

*De Fide, quoad multiplicem eius acceptionem.*

1. Pro ipſo Symbolo Fidei. 2. Pro habitu fidei formatæ. 3. Pro habitu fidei informis. 4. Pro fide communi, ad formatam & informem. 5. Pro ipſo Sacramento fidei. 6. Pro fide communi ad habitum & ſacramentum. 7. Pro ipſa beata mercede fidei. 8. Pro motu ſeu actu fidei. 9. Pro ſponſione fideli. 10. Pro fidelitate. 11. Pro conſcientia. 12. Pro concluſione probabili, *vt* 3. *p. q.* 74. *m.* 1.

Collatio 29.

*De neceſſitate fidei formatæ.*

*Art.* 1. An ſit neceſſaria ad ſalutem? *Reſp.* Eſt neceſſaria ad credendum, & conſequenter ſperandum ac diligendum Deum, *Heb.* 11. vt ſupra 3. *p. q.* 78. *m.* 1.

*Art.* 2. Quæ fides ſit neceſſaria ad ſalutem? *Reſp.* Non acquiſita per rationes, vel ex auditu: ſed gratuita & infuſa; vt ſupra 3. *p. q.* 78. *m.* 2.

Collatio 30. *Quid ſit fides quoad rem.*

*Art.* 1. An ſit virtus? *Reſp.* Eſt virtus, & auriga virtutum: quia rectitudo vitæ exigit captiuari intellectum primæ Veritati, vt affectum ſummæ bonitati, &c. vt 3. *p. q.* 78. *m.* 3.

*Art.* 2. An ſit virtus generalis vel ſpecialis? *Reſp.* Eſt ſpecialis, vt 3. *p. q.* 78. *m.* 4.

Collatio 31. *Quid ſit definitione?*

*Art.* 1. De varijs defin. fidei, vt 3. *p. q.* 78. *m.* 5. *a.* 1.

*Art.* 2. De eius definitione, *Heb.* 11. vt 3. *p. q.* 78. *m.* 5. *a.* 2.

Collatio 32. *De actu fidei.*

*Art.* 1. An credere dicatur vniuocè vel æquiuocè? *Reſp.* Nec vniuocè nec æquiuocè, de rebus diuinis & humanis: ſed analogicè, &c. vt 3. *p. q.* 78. *m.* 6. *a.* 1.

*Art.* 2. Quid ſit credere generaliter, vt eſt habitus gratuitus? *Reſp.* Eſt aſſentiri primo credito propter ſe, ſupra rationem, &c. vt 3. *p. q.* 78. *m.* 6. *a.* 2.

*Art.* 3. Quid ſit credere, vt eſt actus formalis fidei? *Reſp.* Credere in Deum, eſt credendo amare, in eum ire, eique adhærere, & membris eius incorporari, vt 3. *p. q.* 78. *m.* 6. *a.* 3.

*Art.* 4. De actu materiali fidei. *Quæſt.* 1. An Deus aliter hîc cognoſcatur, quam per fidem? *Reſp.* Quòd ſic: vt 3. *p. q.* 78. *m.* 6. *a.* 4. *Quæſt.* 2. Quid ſit cognoſcere per fidem? *Reſp.* ex *B. Aug.* Credere eſt eorum quæ nunquam viſa fuerunt, &c. vt 3. *p. q.* 78. *m.* 6. *a.* 5. *Quæſt.* 3. An priùs ſit credere, quàm intelligere? *Reſp.* Priùs eſt intelligere ſignificationem vocum: ſed priùs eſt credere rem ſignificatam, &c. vt *Art.* 6.

Collatio 33. *De obiecto fidei*, vt 3. *p. q.* 79.

*Art.* 1. An ſit ſolùm verum, vel etiam falſum? *Reſp.* Fides non eſt niſi de vero: vt 3. *p. q.* 78. *m.* 1. *a.* 2.

*Art.* 2. An obiectum fidei ſit verum vt verum, vel verum vt bonum, vel bonum vt verum. *Reſp.* Vt fides eſt cognitio affectiua, obiectum eius eſt verum vt bonum: *verum* quidem, pro genere, *bonum* pro differentia; ſed vt fides eſt affectio ſeu virtus cognitiua, obiectum eius eſt bonum vt verum; *bonum* pro genere, *verum* pro differentia ab obiecto Spei & Charitatis.

*Art.* 3. An obiectum fidei ſit verum neceſſarium, vel contingens? *Reſp.* Fides non eſt niſi de neceſſario ſimpliciter, vel ſecundùm quid: ſeu quatenus ordinatum eſt ſecundùm rei exigentiam: vt 3. *p. q.* 70. *m.* 4.

*Art.* 4. An verum vt apparens ſeu ſenſibile, ſit obiectum fidei? *Reſp.* Non vt apparens, ſed ſecundùm aliquid latens. *Concedendum eſt ergo, quòd fides & viſio poſſunt eſſe circa idem, ſed non ſecundùm idem, &c.* vt 3. *p. q.* 79. *a.* 2.

*Art.* 5. An fides poſſit eſſe ſimul cum opinione probabili de iiſdem? *Reſp.* Non cum opinione formidoloſâ circa idem: ſed benè cum opinione oriundâ ex rationibus; quia fides habet rectitudinem oppoſitam formidini opinionis.

*Art.* 6. An fides poſſit eſſe ſimul de iiſdem cum ſcientia? *Reſp.* Non cum ſcientia comprehenſiua: ſed cum ſcientia manuductiua; non tantùm habitualiter, ſed & actualiter; ex motiuo principali fidei, ſed & minùs principali ſcientiæ, vt 3. *p. q.* 79. *m.* 3.

*Art.* 7. An fides ſit circa ſolum verum increatum, vel etiam creatum? *Reſp.* Obiectum proprium, per ſe, & motiuum fidei, eſt ſolum verum increatum: ſed obiectum materiale, & per accidens, eſt etiam verum creatum, &c. vt 3. *p. q.* 79. *m.* 6.

*Art.* 8. An obiectum fidei ſit verum complexū, vel incomplexum? *Reſp.* Eſt propriè verum complexum, ſeu enuntiabile ad aſſenſum, &c. Paulo aliter quàm 3. *p. q.* 79. *m.* 5.

Collatio 34. *De ſubiecto fidei.*

*Art.* 1. In qua vi animæ ſit? *Reſp.* In vi motiua liberi arbitrij, &c. vt *q.* 81. *m.* 1. ſed relata triplici opinione. Subdit. *Forte in hoc conueniunt omnes, quòd fides non eſt in intellectu antecedenter ad voluntatem, ſed conſequenter.*

*Art.* 2. An fides fuerit in Angelis ante confirmationem. *Reſp.* Non fides, ſed quædam ſcientia imperfecta reſpectu cognitionis beatæ, &c. vt 3. *p. q.* 80. *m.* 1.

*Art.* 3. An fuerit in Adam ante lapſum? *Reſp.* Non fides ſub ratione fidei, &c. vt *q.* 80. *m.* 3.

*Art.* 4. An fuerit in Chriſto adhuc mortali? *Reſp.* Non erat compoſſibilis cum eius perfecta cognitione, nec vtilis ad noſtram redemptionē, &c. vt 3. *p. q.* 80. *m.* 4.

Collatio 35. *De certitudine fidei propriè in credente, per propriam experientiam, & conſcientiam, &c.* vt 3. *p. q.* 81. *m.* 1.

Collatio 36.

*De profectu fidei, tam in ipſo credente, quàm circa rem creditam, &c.* vt 3. *p. q.* 81. *m.* 2.

*Art.*

Digitized by Google

*Art.* 1. An fides creuerit quoad multitudinem credendorum? *Reſp.* Non additione nouorum articulorum: ſed explicatione implicitorum.

*Art.* 2. An fides profecerit quoad illuminationem? *Reſp.* Profecit ſecundùm ſtatum communem: quia veritas eſt iam exhibita per Chriſtũ.&c.

*Art.* 3. An fides creuerit quoad certitudinem aſſenſus? *Reſp.* Non comparatiuè ad ipſam primam Veritatem dictantem: ſed ad intellectum aſſentientem,ex perfectiori cognitione,& deuotione.

COLLATIO 37. *De comparatione fidei ad alias virtutes, &c. vt 3. p. q. 81. m. 3.*

COLLATIO 38. *De fide informi, vt 3. p. q. 74.*

*Art.* 1. An ſit infuſa vel acquiſita? *Reſp.* Quoad materiale, ſeu notitiam credibilium, eſt acquiſita: quoad formale, ſeu motiuum aſſentiendi, & rationem virtutis, eſt infuſa, vt 3. *p. q. 74. m.* 2.

*Art.* 2. An ſit virtus? *Reſp.* Non propriè, pro recta ratione perducente in finem: ſed communiter, pro habitu aliquo modo rectificante & vigorante potentiam, *vt 3. p. q. 74. m.* 3.

*Art.* 3. An fides informis maneat cum gratia & charitate? *Reſp.* Non quoad ſuum defectum: ſed quoad habitum, & eius vſum, &c. *vt 3. p. q. 74. m. 4. & 6.*

*Art.* 4. An fides informis adueniente gratiâ, ſeu charitate,fiat formata? *Reſp.* Sine præiudicio, fides informis adueniente gratiâ ſeu charitate,formatur: non quia fides informis fiat virtus fidei; ſed quia ſimul adueniente virtute fidei, formetur, &c. Paulo aliter quàm 3. *p. q. 74. m. 4. & 6.* vt ex Art. ſequentibus.

*Art.* 5. Quonam fides informis formetur? *Quæſt.* 1. An charitate? 2. An gratiâ gratum faciente? 3. An fide virtute? 4. An operibus.? *Reſp.* Formatur gratiâ gratum faciente, vt forma communi ſubiecti, & omnium virtutum, vt ſunt ab eodem principio;formatur charitate,vt forma communi ad eundem finem: formatur fide virtute, vt formâ propriâ quoad eſſe & vim operandi; ſed tam fides formata quàm informis formatur in operando ipſa operatione.

*Art.* 6. An fides virtus, ſeu formata poſſit fieri informis? *Reſp.* Sine præiudicio, ſi fides formata ſumatur concretiuè, pro habitu virtuoſo, ſeu ſubſtrato, informato per virtutẽ, vel gratiam, vel charitatem: ſic fides formata poteſt fieri & eſſe informis, & informis formata. Sed ſi fides formata ſumatur pro fide virtute eſſentialiter: ſic nunquam poteſt fieri informis, nec hæc formata; quia vnus habitus non poteſt fieri alius. Subdit tamen ad finẽ: *Vt color tenebroſus formatur lumine,nec fit indè vnum per eſſentiam, ſed per quandam ordinationem: ſic nec ex gratia gratum faciente & fide informi fit vnum niſi per completam ordinationem in Deum.*

*Art.* 7. An fides informis ſit in Dæmonibus? *Reſp.* Eſt in Dæmonibus, *Iac. 2. &c. vt 3. p. q. 74. m.* 7.

*Art.* 8. An ſit eis data ante vel poſt eorum lapſum? *Reſp.* Fuit eis data ante lapſum, quoad habitum cognitionis obſcuratum per lapſum: ſed eſt in eis quædam etiam fides acquiſita poſt lapſum, ex miraculis, &c. *vt 3. p. q. 84. m.* 8.

*Art.* 9. De effectu fidei informis in hominibus. *Quæſt.* 1. De proprio effectu interiori. *Reſp.* Fide acquiſita poteſt credi Deo, ſeu eius dictis: ex fide infuſa, ſed informi, poteſt credi Deus, vt credendus eſt, ſed ex ſola fide formata poteſt credi in Deum, vt in finem affectus, *vt q. 74. m. 5. a.* 1. *Quæſt.* 2. De effectu exteriori fidei informis, *vt q. 74. m. 5. a. 2. ſ. 1. & 2.* *Quæſt.* 3. Quomodo opera bona facta ſine charitate, valeant ad habilitationem gratiæ, & minutionem pœnæ, *vt q. 74. m. 5. a. 2. ſ. 2.*

*Art.* 10. De actu fidei informis in Dæmonibus, *vt q. 74. m.* 9.

COLLATIO 39. *De varijs definitionibus articuli fidei, vt 3. p. q. 82. m.* 1.

COLLATIO 40. *De ſymbolo fidei, ſeu collectione articulorum, vt 3. p. q. 82. m.* 2.

COLLATIO 41. *De ſufficientia fidei ad ſalutem pro ſucceſſu temporum, vt 3, p. q. 82. m. 3. a. 1. & 2.*

COLLATIO 42 *De ſufficientia fidei ſimplicium.*

*Art.* 1. An poſſit haberi fides vnius Articuli ſine alio? *vt. q. 82. m. 4. a.* 1.

*Art.* 2. An omnes poſt aduentum Chriſti teneantur credere omnes Articulos explicitè. *Reſp.* Non omnes: ſed ſaltem eos qui ſunt in vſu communi Eccleſiæ, quorum ignorantia non poteſt eſſe ſine contemptu vel negligentia.

*Art.* 3. De fide Cornelij, *vt q. 82. m. 4. a.* 2.

COLLATIO 43. *De diſtinctione ſufficientiæ, & expoſitione Articulorum fidei in Symbolo Apoſtolico, vt q. 89. m. 5. a. 1. & 2.*

COLLATIO 44. *De Symbolo Patrum quod cantatur in Miſſa, vt q. 82. m. 5. a.* 3.

COLLATIO 45. *De Symbolo S. Athanaſij, vt q. 42. m. 5. a.* 4.

COLLATIO 46. *De Spe quoad rem.*

*Art.* 1. An ſit virtus? *Reſp.* Eſt virtus gratuita: non vt ſpes ſumitur pro vna ex 4. affectionibus animæ, nec pro ipſa re expectata; ſed pro habitu dirigente & eleuante affectum animi ad expectandum ea quæ ſunt ſupra omnem humanam æſtimationem, innitendo promiſſioni liberali Dei; vt fides facit aſſentiri primæ Veritati,& charitas adhærere Summæ Bonitati. *Ad* 1. Paſſio ſpei non eſt virtus. *Ad* 2. Alia eſt ratio virtutis in expectatione futurorum, quàm in rememoratione præteritorum. *Ad* 3. Affectus timoris habet plus paſſionis: affectus ſpei plus actionis. *Ad* 4. Vt credere, ſic & ſperare ſupernaturalia eſt magnæ difficultatis. *Ad.* 5. Spes eſt certior & firmior ex meritis.

*Art.* 2. An ſpes ſit genus, vel ſpecies ſpecialiſſima virtutis? *Reſp.* Vt fides circa omnia credibilia eſt vnica virtus, ab vno principali motiuo, obiecto, & fine proprio credendi: ſic & ſpes. *Ad* 1. Non ſunt diuerſi habitus ad diuerſos actus, niſi ſint principales. *Ad* 2. Vt eſt vnica ratio credendi, ſic & ſperandi, &c. *Ad* 3. Sola ſpes poteſt elicere actum expectandi: ſed aliæ etiam virtutes eum imperare. *Ad vlt.* Gaudium eſt ex bono præſente: ſpes autem eſt boni futuri.

*Art.* 3. An Spes ſit virtus Cardinalis vel Theologica? *Reſp.* Eſt Theologica. 1. Ex obiecto: vt enim fides credit Deo dicenti, ſic ſpes Deo promittenti. 2. Ex ſubiecto portionis ſuperioris animæ. *Ad.* 1. Spes non poteſt excedere intenſiuè: ſed

Digitized by Google

ſed deficere aliquâ conditione. *Ad* 2. Spes eſt media inter deſperationem, & præſumptionem: vt vtriuſque excluſiua, non vt ex vtraque conſtituta. *Ad* 3. Spes eſt veniæ, gratiæ, & gloriæ: nonniſi tamen ſub eadem ratione motiua. *Ad vlt.* Spes roborat contra aduerſa, imperatiuè, & auxiliariter: ſed fortitudo, elicitiuè, & formaliter.

Collatio 47. *Quid ſit Spes definitione?*

*Reſp.* Vt affectio quædam, eſt ſuſpicio futuri boni, ex *Ariſt.* Vt virtus, ex ſolo obiecto, eſt virtus quâ ſpiritualia & æterna bona ſperantur: ex obiecto & principio, eſt certa expectatio futuræ beatitudinis, per gratiam & merita; ex obiecto & habitu, eſt virtus quâ quis ſe ad illud quòd credit peruenturum præſumit, *lib. de Civ.* vel potiùs in fine *lib.* 1. *Solil.* *Ad* 1. Spes eſt certa: non ſolâ certitudine fidei ſeu intellectus oppoſitâ dubitationi; ſed affectionis, oppoſitâ diffidentiæ. *Ad* 2. Non eſt expectatio quieta corporis: ſed ſollicita mentis. *Ad* 3. Beatitudo vt eſt perfecta Tentio Boni excellentis & indeficientis, appropriatur ſpei: ſic & gratia ac merita, &c.

Collatio 48. *An Spes oriatur ex meritis?*

*Reſp.* Non ipſe habitus ſpei, ſed actus, & ſtatus ſeu perfectio ſpei. Ex *Rom.* 5. Patientia operatur ſpem, &c. *Ad vlt.* Vir humilis non intuetur merita: ea ſibi tribuendo, ſed gratiæ.

Collatio 49. *De ſubiecto Spei quoad potentiam.*

*Art.* 1. An ſit in cognitiua, vel in affectiua? *Reſp.* Eſt in affectiua. 1. Quia dirigit affectionem ſpei. 2. Quia eſt in eadem in qua timor & deſperatio.

*Art.* 2. An ſit in Concupiſcibili vel Iraſcibili? *Reſp.* Eſt in iraſcibili: vt fides in rationali, charitas in concupiſcibili. 1. Quia vis iraſcibilis non tantùm deteſtatur mala culpæ, & patitur mala pœnæ: ſed etiam erigit ad magna & ardua bona. 2. Quia eſt in eadem vi in qua timor & deſperatio. 3. Quia vt rationalis ad claritatem, concupiſcibilis ad voluptatem: ſic iraſcibilis ſe habet ad ſecuritatem. 4. Quia perfecta Tentio ſperata pertinet ad iraſcibilem. *Ad* 1. Quidam dicunt quòd ſpes non eſt propriè de bono, ſed futuro & habendo: Alij, quòd ſit de bono futuro vt permanenti. *Nota*, quòd affectio ſpei eſt cuiuſuis boni futuri: ſed virtus ſpei eſt boni ardui. Sed quia affectio & virtus eam dirigens ſunt in eadem vi: ſiue affectio, ſiue virtus ſpei, propriè ſumpta, eſt in iraſcibili; ſed minùs propriè ſumpta, pro ſolo deſiderio boni futuri, eſt in concupiſcibili.

Collatio 50. *De ſubiecto Spei quoad ſubſtantiam.*

*Art.* 1. An ſpes fuerit in Chriſto? *Art.* 2. An ſit in Angelis? *Art.* 3. An ſit in Animabus Beatis? *Art.* 4. An ſit in Paruulis baptizatis? *Art.* 5. An ſit in Præſcitis? *Art* 6. An ſit in Lymbo & Purgatorio? *Art.* 7. An ſit in dæmonibus. *Reſp.* *Ad* 1. 2. & 3. Spes propriè ſumpta, nec fuit in Chriſto, nec in Angelis, nec in vllis Beatis; ſed tantùm latè ſumpta. 1. Quia ſpes propriè eſt expectatio præmij ſubſtantialis. 2. Quia ſpes habet annexam fidem. *Ad* 4. In paruulis eſt fides & ſpes habitu, non actu. *Ad* 5. Infra. *Ad.* 6. Fuit in Lymbo, & eſt in Purgatorio: quia non tollitur niſi per præmium ſubſtantiale, vel eius oppoſitum. *Ad* 7. infra.

Collatio 51. *De actu Spei.*

*Art.* 1. Quot ſint actus ſpei. *Reſp.* Sperare, expectare, aſpicere, confidere, deſiderare, figere, erigere, progredi, ſunt actus ſpei: non tamen omnes æquè proprij ac principales. *Ad* 1. Expectare aliter conuenit ſpei quàm patientiæ & longanimitati, vt infra. *Ad* 2. Aſpicere ſpeculatiuè non eſt ſpei: ſed practicè & affectiuè, ſeu inhiare. *Ad* 3. Infra. *Ad* 4. Deſiderare arduum, eſt ſpei. *Ad* 5. ex *Pſal.* 118. Configere carnales delectationes timore pœnæ, eſt timoris ſeruilis: ſed figere affectum adhærendo ſummo Bono arduo, eſt ſpei. *Ad* 6. Erigere eſt puritatis, diſpoſitiuè: ſed ſpei, effectiuè. *Ad* 7. Progredi eſt fidei, diſpoſitiuè: ſpeî effectiuè.

*Art.* 2. De ordine horum actuum, & differentia inter ſperare & expectare. *Reſp.* *Ad* 1. Deſiderare eſt ipſius potentiæ quaſi nudæ; ſperare eſt eiuſdem ſub habitu gratuito: aſpicere eſt eiuſdem ſub habitu & actu; expectare eſt ex ſtatu viæ comparato ad ſtatum Patriæ; progredi, ſeu incedere, eſt quoad initium viæ; erigere, quoad profectum; figere quoad terminum. *Ad* 2. Spes non eſt ſimplex, ſed certa expectatio. Expectatio autem vt eſt ſpei, eſt permanſio in ſtatu gratiæ: vel eſt crediti ardui; ſed expectatio patientiæ addit pacem animi; longanimitatis autem, perſeuerantiam.

Collatio 52. *De certitudine Spei.*

*Art.* 1. An ſpes in actu ſuo ſit certitudinalis, vel dubia? *Reſp.* Eſt certitudinalis, *Rom.* 5. Spes non confundit. *Rom.* 8. Certus ſum, &c. *Ad* 1. Non eſt certitudo ſcientiæ de gratia aut meritis: ſed coniecturæ probabilis, & bonæ conſcientiæ aut voluntatis. *Ad* 2. Nulla eſt certitudo in noſtra voluntate, niſi vt innitente & adhærente Deo. *Ad* 3. Certitudo ſpei non eſt quoad euentum; ſed ordinationem ad ſalutem. *Ad* 4. Certitudo ſpei non eſt abſoluta, ſed conditionata. *Ad* 5. Hæc certitudo non eſt tam intellectus quàm affectus.

*Art.* 2. An ſit eadem certitudo ſpei quæ fidei? *Reſp.* Non eſt eadem, ſed differt. 1. Obiecto: quia certitudo fidei eſt de ipſa tota complexione; ſpei autem de ſola re attributa. 2. Oppoſito: quia certitudo fidei repugnat errori & dubitationi; ſed certitudo ſpei repugnat diffidentiæ & hæſitationi. 3. Subiecto, quia vna eſt in intellectu, altera in affectu. *Ad* 1. Certitudo de creditis vt ſunt incognita, eſt fidei: ſed certitudo de eis vt necdum ſunt habita eſt ſpei. *Ad* 3. Certitudo formalis ſpei eſt propria: ſed cauſalis eſt etiam fidei.

Collatio 53. *De obiecto Spei.*

*Art.* 1. An ſpes ſit in bonum ſub ratione boni? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſpes ſit in bonum ſub ratione futuri, charitas ſub ratione boni ſimpliciter: ſed obiectum ſpei eſt bonum ſub ratione magni, ardui, æterni, & glorioſi. *Ad* 1. Vis cognitiua non habet obiectum niſi vt verum: ſed affectiua eſt duplex, concupiſcibilis circa bonum vt bonum, & iraſcibilis circa bonum vt arduum. *Ad* 2. Virtutes Theologicæ habent idem obiectū & finem quoad rem: non autem quoad rationem motiui. *Ad.* 3. 4. & 5. Bonum vt præſens delectat concupiſcibilem: vt excellens & arduum, erigit iraſcibilem.

*Art.* 2. An ſpes ſit de ſolis æternis, vel etiam tempo-

Digitized by Google

temporalibus. *Reſp.* Eſt de ſolis æternis principaliter, obiectiuè, formaliter, & *finaliter*: de temporalibus, nonniſi materialiter, & propter æterna.

COLLATIO 54. *Quomodo Spes dicatur Anchora tuta & firma animæ, incedens vſque ad interiora velaminis? Heb. 16.*

*Reſp.* Ad exprimendam metaphoricè certitudinem ſpei, & introductionem noſtram vſque ad intimam beatitudinem.

COLLATIO 55.

*De comparatione Spei cum alijs virtutibus.*

*Art.* 1. An timor & ſpes ſint idem habitus? *Reſp.* Non ſunt idem, ſed diuerſi: quia habent diuerſos actus & obiecta. *Ad* 1. Corpus non fertur niſi ab vno loco ad alium: ſed anima poteſt affici ad bonum ſine conſideratione mali. *Ad* 2. Poteſt eſſe eadem ſcientia, ſed non idem affectus oppoſitorum. *Ad* 3. Timor & ſpes non ſunt in medietate punctuali, nec compoſita ex deſperatione & præſumptione: imò ſpes eſt inter deſperationem & præſumptionem; ſed timor inter præſumptionem & puſillanimitatem. *Ad* 4. Fides eſt de bonis & malis ſub vnica ratione veri: ſed ſpes eſt boni futuri, ſeu Dei vt liberalis; timor autem mali futuri, vel Dei vt iuſti. *Ad* 5. Nec auerſio & conuerſio, nec ſpes & timor ſunt circa idem.

*Art.* 2. An ſpes præcedat charitatem ordine naturæ? *Reſp.* Sunt ſimul infuſione quoad habitum: ſed quoad actum, ſpes eſt prior naturâ, vt diſponens ad actum charitatis. *Ad* 1. Spes ſumpta pro re ſperata, vel pro ſtatu ſeu perfectione ſpei, poteſt dici poſterior charitate: vel *Magiſter* id dicit ex ſua propria opinione de charitate. *Ad* 2. Amor imperfectus eſt principium omnium affectionum: ſed perfectus eſt *finis* omnium.

*Ad.* 3. Nemo ſperat niſi quod amat, amore imperfectiori quàm ſit charitas: quæ eſt & amor concupiſcentiæ ſeu deſiderij Dei ſuper omnia, & amicitiæ eius propter ſeipſum. Qualis non poteſt eſſe ſine præuia ſpe: quia non poteſt quis ita amare alium plus quàm ſeipſum, niſi in illum totaliter con*fidat*. *Ad* 4. Timor pœnæ ſequitur amorem proprium: non autem charitatem Dei. *Ad* 5. Charitas eſt generalior ex parte obiecti: ſed ſpes ex parte ſubiecti. *Ad* 6. In via perfectior eſt dilectio quàm expectatio: ſed in patria non eſt perfectior dilectio, quàm Tentio.

*Art.* 3. De comparatione ſpei cum fide & longanimitate. *Quæſt.* 1. In quo ſpes & fides conueniant? *Reſp.* Vt *fides* eſt de inuiſibilibus vt talia ſunt: ſic ſpes de illis vt non habita, ſed habenda. *Quæſt.* 2. In quo differant? *Reſp.* Spes eſt boni futuri & proprij: *fides* autem etiam mali præſentis, vel præteriti, & alieni. Ex *B. Aug. cap.* 7. *Enchir. Ad vlt.* Spes eſt futurorum quoad ordinationem ad eueniendum: non quoad euentum actualem; ſicque præſcitus poteſt habere ſpem.

*Art.* 3. An ſpes & longanimitas ſint idem habitus? *Reſp.* Non ſunt idem. 1. Quia longanimitas vel eſt fructus virtutis, *Gal.* 5. vel virtus Cardinalis. 2. Quia vt eſt duplex vis motiua rationalis, inferior in qua eſt prudentia, & ſuperior in qua eſt fides: ſic duplex eſt concupiſcibilis, inferior in qua eſt Temperantia, & ſuperior in qua eſt Charitas; duplex quoque iraſcibilis, inferior in qua eſt Fortitudo ac Longanimitas, & ſuperior in qua eſt Spes. 3. Spes eſt de ſummo arduo, non longanimitas, &c. *Ad* 1. Obiectum ſpei eſt ſummè arduum, ſeu ſupernaturale: longanimitatis, naturale. *Ad* 2. Spes eſt appetitus excellentis Boni, cum fiducia obtinendi: eiuſque expectatio eſt ex confidentia Dei; ſed expectatio longanimitatis eſt ex conſtantia animi contra afflictiones & errores.

COLLATIO 56. *De Spe informi.*

*Art.* 1. An ſpes poſſit eſſe informis? *Reſp.* Vt fides poteſt eſſe informis, ſic & ſpes, &c, vt ſupra de fide *Col.* 37. & 3. *p. q.* 75. *m.* 1. *Ad* 1. & 2. *Arg.* Qui verè ſperat habet merita in effectu, radice, vel propoſito: alioquin præſumit. *Ad* 3. Vt *fides* ſic & ſpes poteſt eſſe informis: quia vt poteſt eſſe quædam rectitudo & vigor contra errorem & infidelitatem, abſque gratia gratum faciente; ſic & contra præſumptionem ac deſperatioem. *Ad* 4. Tendentia in Deũ plenaria, non poteſt eſſe niſi virtutis formatæ, *gratia operante & cooperante*: ſed ſemiplena, poteſt eſſe virtutis informis.

*Art.* 2. An ſpes informis poſſit *fieri* formata? *Reſp.* Vt fides informis poteſt formari, non tamen *fieri* ipſa fides formata, nec è conuerſo: ſic ſpes informis poteſt formari, & è conuerſo; non tamen fieri ipſa ſpes formata vel è conuerſo, propriè loquendo. Vt ſupra de fide informi *Col.* 38. *a.* 4. 5. 6. Sed hîc confuſè, & paulo aliter quàm 3. *p. q.* 75. *m.* 2. *Ad* 1. *Arg.* Vt credere eſt actus fidei formatæ, & informis, relatus ad primam cauſam & Veritatem, per prius & poſterius: ſic ſperare ad gratiam & merita. *Ad* 2. Vt gratia gratum faciens non poteſt fieri gratis data, vel è contra: ſic nec ſpes informis, formata, &c. Sed ſpes informis ordinatur ad ſpem virtutem vt ad formam: non gratia gratis data, ad gratum facientem. *Ad* 3. Timor informis poteſt *fieri* formatus: nec perfecta charitas foras mittit timorem, niſi quoad informitatem ſeu ſeruilitatem. Sed timore ſeruili & initiali ac filiali non timetur idem malum per ſe: vt ſpe informi & formatâ ſperatur idem bonum.

*Art.* 3. Quis ſit actus ſpei informis. *Quæſt.* 1. An ſperare in Deo, vel de Deo ſit actus ſpei informis? *Reſp.* Vt actus *fidei* formatæ eſt credere in Deum, fidei informis credere Deum vel in Deo: ſic ſperare in Deum, ſeu ſperando in eum tendere, eſt actus ſpei formatæ; ſperare vero in Deo, vel Deum, & de Deo, eſt actus ſpei informis. *Quæſt.* 2. An ſit eadem certitudo ſpei informis, quæ formatæ? *Reſp.* Vt ſupra, *q.* 75. *m.* 3. §. 1. *Quæſt.* 3. An certitudo ſpei formatæ in Præſcito, ſit maior quàm ſpei informis in Prædeſtinato? *Reſp.* Vt, *q.* 75. *m.* 3. §. 2.

*Art.* 4. De ſubiecto ſpei informis: An ſit etiam in Dæmonibus? *Reſp.* Dæmones & damnati non habent vllam ſpem: quia habent oppoſitam deſperationem. *Ad* 1. ex *Iob.* 40. Spes Behemot fruſtrabitur .i. ſpes differendi iudicij, quæ eſt impropria. *Ad* 2. Fides non neceſſariò cauſat ſpem. *Ad* 3. Timor poteſt eſſe ſine ſpe, vt in deſperatis: & ſpes ſine timore, vt in præſumptuoſis, &c.

COLLATIO 57. *De Charitate quoad rem.*

*Art.* 1. An ſit habitus creatus? *Reſp.* Eſt Charitas habitualis, præter eam quæ Deus eſt: contra



Digitized by Google

*Magiſtrum in* 1. *ſent. diſt.* 17. 1. Quia charitas informat animam quoad vim concupiſcibilem : vt alij habitus quoad vim rationalem & iraſcibilem. 2. Quia eſt ſeparabilis ab anima. 3. Quia gratificat & diſtinguit bonos, etiam paruulos vel dormientes, à malis. 4. Eſt principium merendi, ergo priùs facit nos bonos, quàm noſtros actus. 5. Ex *Aug. lib. de videndo Deo.* Charitas in voluntate noſtra conſiſtit. *Epiſt. ad Fortunatum.* Deus Charitas eſt, ſiue vt eius fons, ſiue illam nobis largiendo. *Epiſt. ad Italicam.* Charitas, pax, &c. Virtutes ſunt, &c. 12. *de Gen.* Vt ipſe intellectus nonniſi intelligendo conſpicitur : ſic charitas, pax, &c. quibus propinquatur Deo, & ipſe Deus. Sed adde ex *lib.* 1. *de pec. mer. & rem. cap.* 9. Deus dat ſui ſpiritus occultiſſimam fidelibus gratiam : quam latenter infundit & paruulis. Hinc ſubdit Alenſis: *Si quis ſentit contrarium, non eſt ſanæ mentis, nec nouit intentionem Auguſtini.* Infra. Charitas quâ diligimus effectiuè, eſt Deus : quâ exemplariter, eſt Spiritus S. quâ formaliter, non eſt ſola animi affectio, vt vult *Magiſter*, ſed & charitas habitualis; quia hæc eſt formalis perfectio creaturæ rationalis, eam perficiens, diſtinguens, & ordinans ad vitam æternam. *Ad* 1. Eſt diuerſa bonitas naturæ rationalis, à bonitate Charitatis. *Ad* 2. Creatura rationalis participat bonitatem : ſed charitas eſt ipſa participatio. *Ad* 2. Charitas habitualis non eſt neceſſaria Deô ad operandum in nobis: ſed nobis ad cooperandum Deo. *Ad* 4. Natura non indiget habitu ad operandum : quia nonniſi vniformiter operatur, nec ſupra ſe ; ſed voluntas indiget habitu regulante & eleuante, quia eſt mobilis ad oppoſita, & ſupra ſeipſam. *Ad* 5. Charitate habituali non diligitur Deus infinitè : ſed in infinitum, ſupra omnia bona in infinitum creabilia.

*Art.* 2. An charitas ſit habitus gratuitus vltra gratiam? *Reſp.* Quidam dixerunt quòd charitas ſit omnino idem per eſſentiam cum gratia, differens ſola ratione ſeu reſpectu ad animam informandam, vel ad voluntatem dirigendam : vnde & græcè denominatur à gratia. Eſt alius modus dicendi, quòd charitas vltra gratiam gratum facientem dicat habitum neceſſarium potentiæ ad aſſueſcendum actui proprio diligendi : tum quia eadem gratia non poteſt tam diuerſis actibus virtutum ſufficere ; tum ob ſpecialem excellentiam & difficultatē huius actus. Concordat *S. Bern. cap.* 11. *De amore Dei.* Satis etiam videtur conſonum rationi : quòd vt fides eſt habitus præter gratiam, ſic & charitas. *Si cui igitur videtur hanc partem ſuſtinere, poteſt ſatis facilè ad arg. reſpondere.* *Ad* 1. Quælibet virtus quoad ſuum eſſe, habet propriam formam : ſed quoad benè eſſe, aliter informatur à charitate inclinante ad ſuum finem, aliter à gratia gratificante. *Ad* 2. Charitas eſt inſeparabilis à gratia grati*ficante* : ideo ab ea denominatur, & eius effectus ei tribuuntur. *Ad* 3. Gratia eſt vita viuificans animam in actu primo : charitas in actu ſecundo, & completo. *Ad* 4. Charitas gratificat per gratiam adiunctam ; ſed ex ſe perficit potentiam ad actum. *Ad* 5. Charitas perditur cum gratia, peccando mortaliter : quia hoc peccatum non repugnat ſoli gratiæ, ſed & charitati.

*Art.* 3. An charitas ſit habitus virtuoſus, ſeu virtus? *Reſp.* Eſt virtus : ex tota doctrina de virtute, ſupra. *Ad* 1. *&* 2. Charitas eſt motus ſeu affectio animi, cauſaliter. *Ad* 3. Charitas eſt virtus & fructus : ſed differenter ; vel dicitur æquiuocè, ad virtutem & fructum. *Ad* 4. Nihil eſt maiùs Charitate: vel increatâ, vel etiam creatâ, ob gratiam inſeparabilem. *Ad* 5. *& vlt.* vt ſupra de virtute.

*Art.* 4. An charitas ſit virtus diſtincta ab alijs, vel omnibus communis? *Reſp.* Quidam dixerunt, nec potentias, nec habitus virtutum differre ab inuicem per eſſentiam: ſed ſolâ relatione ad actus. Eſt alius modus dicendi quòd vt vis concupiſcibilis, ſic & charitas diffundatur per omnes alias vires & virtutes ad ſua obiecta. Tertius modus communis & rationi ac authoritati conſonus, eſt quòd charitas ſit virtus ab alijs diſtincta. 1. Ex 1. *Cor.* 13. 2. Ex obiecto proprio. 3. Ex actu proprio. 4. Ex ſubiecto proprio. 5. Ex oppoſito proprio. 6. Ex præmio proprio. 7. Ex ſuo exemplari. Vt enim vna Eſſentia Diuina & tres Perſonæ repreſentantur in vna Anima & tribus potentijs: ſic in gratia & tribus virtutibus Theologicis. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 13. Actus eliciti aliarum virtutum imperantur etiam à charitate. *Ad* 2. *&* 3. Omnis virtus dicitur charitas cauſaliter, vel amor communis. *Ad* 4. Obiectum charitatis diſtinguitur realiter ab obiectis virtutum Cardinalium : ſed propria ratione motiua, ab obiectis aliarum Theologicarum. *Ad* 5. Charitas dicitur ſufficere : quia habet alias annexas.

*Art.* 5. An charitas ſit vnica ſpecie virtus? *Reſp.* Eſt vnica ſpecie : ſed plures ſolo numero in pluribus ſubiectis; quia habet vnum idemque Summum Bonum pro obiecto proprio, quamuis pluribus optato. *Ad* 1. Habet vnicum obiectum principale. *Ad* 2. Præcepta charitatis non ſunt diuerſa formaliter, ſed tantùm materialiter. *Ad* 3. Varius modus volendi idem Summum Bonum pluribus, non exigit diuerſas virtutes. *Ad* 4. Charitas habet vnicam rationem motiuam : non ſic ſapientia & ſcientia, nec latria & dulia. *Ad* 5. Charitas non variatur ex ſtatu vitæ actiuæ vel contemplatiuæ. *Ad* 6. Amor amicitiæ alicuius, generat & includit amorem concupiſcentiæ ad bonum ei deſideratum.

*Art.* 6. An habitus charitatis poſſit eſſe informis? *Reſp.* Non poteſt eſſe informis : non quia ſit ipſe Spirituſſanctus; nec quia nil addat vltra gratiam, ſed quia repugnat omni peccato, &c. vt ſupra. *Ad* 1. Fides in peccatore eſt adhuc virtus, perficiens ſuum actum : non autem dilectio in peccatore; quia non poteſt eſſe omnium diligendorum, vt diligenda ſunt. *Ad* 2. Vt vera *fides* non poteſt credere aliquos Articulos, diſcredendo alijs: ſic nec charitas diligere aliqua, non diligendo alia. *Ad* 3. Fides poteſt generare aliquem amorem : ſed non charitatem. *Ad* 4. Ratio virtutis, & gratuitæ, non ſunt ſeparabiles à charitate. *Ad* 5. In vi concupiſcibili peccatoris manet *aliquod adiutorium, ſecundùm curſum communem* : ſed non ſortitur nomen virtutis Theologicæ.

*Art.* 7. De certitudine charitatis. *Quæſt.* 1. An charitas poſſit certò cognoſci? *Reſp.* Non in hoc aut illo ſingulari: ſed tantùm in communi, *Eccleſ.* 9. Nemo ſcit vtrum amore an odio dignus ſit. 1. *Cor.* 4. Nihil mihi conſcius ſum : ſed non in hoc iuſtificatus

Digitized by Google

catus ſim. 1. Quia nemo poteſt ſcire an Deum diligat ſuper omnia, quantùm oportet. 2. Quia nemo poteſt ſcire an ſit Deo gratus. 3. Quia Charitas acquiſita non poteſt diſcerni ab infuſa. 4. Ex imperfectione noſtri intellectus. *Ad* 1. 2. & 3. ex *B. Aug. in* 1. *Ioan.* Dilectio eſt certior diligenti, quàm res dilecta: ſed non charitas ipſa gratuita. *Ad* 4. ex 1. *Ioan.* Vnctio docet nos de omnibus: ſed neceſſarijs ad ſalutem. *Ad* 5. Charitas eſt intimè præſens quoad ſubſtantiam: ſed non obiectiuè, quoad acceptationem Dei. *Quæſt.* 2. An cognoſci poſſit à non habente? *Reſp.* Non cognitione experientiæ propriæ: ſed ſpeculationis; non per charitatis eſſentiam, nec per ſimilitudinem acquiſitam, ſed infuſam, vel innatam, &c. vt ſupra, *Coll.* 23. & 35. *Quæſt.* 3. Per quid cognoſcatur, & quomodò? *Reſp.* Habens charitatem, cognoſcit imo ſentit eam, per ſpeciem ſeu ſimilitudinem quæ eſt ipſa: non habens autem, cognoſcit eam per ſpeciem quæ non eſt ipſa; ſed ſi eam habuit, per ſpeciem ex eius præſentia acquiſitam; ſi nunquam habuit, per ſpeciem innatam vel impreſſam, &c. *vt Coll.* 23. & 35. *Quæſt.* 4. An charitas etiam præſens cognoſcatur per ſui ſpeciem? *Reſp.* Non per ſpeciem formaliter, ſed obiectiuè: nec tantùm per ſpeciem abſtractiuam; ſed reſultantem in voluntate, memoria, vel acie intellectus. *Ad* 1. Nihil videtur obiectiuè, per ſui ſpeciem. *Ad* 2. Quæ ſunt formaliter in intellectu, potiùs cognoſcuntur per ſe, quàm quæ in voluntate.

## COLLATIO 58.

*Quid ſit Charitas quoad definitionem?*

*Art.* 1. De 6. definitionibus charitatis.

*Art.* 2. De prima eius definitione, per originem ex fide & ſpe, 1. *Tim.* 1. Finis præcepti eſt Charitas, de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta .i. ex libero arb. concordi ſynderesi, & ordinato ad Deum. *Ad* 1. Nihil obſtat plures cauſas coincidere. *Ad.* 2. Charitas eſt finis perfectionis, non conſumptionis & deſitionis. *Ad* 3. Chriſtus eſt finis cauſaliter, charitas formaliter. *Ad* 4. Obedientia eſt ad præceptum, vt præceptum eſt: ſed charitas, etiam ad rationem præcipiendi. *Ad* 5. Definitur hîc charitas viatorum. *Ad* 6. Fides & ſpes ſunt priores charitate, quoad originem ſimpliciter: ſed charitas, quoad originem meriti. *Ad* 7. & 8. Charitas eſt ex fide & ſpe, quoad actum, non quoad habitum: vel, vt ex cauſis generalibus. *Ad* 9. Hîc eſt vna definitio explicita, *Charitas eſt finis præcepti*: alia implicita, *ex corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.* *Ad* 10. Nihil hîc ſuperfluit. *Ad* 11. Vt ſupra.

*Art.* 3. De 2. definitione, ex *B. Aug.* 8. *Trin. vlt.* quaſi per cauſam formalem. Charitas ſeu dilectio eſt vita copulans amantem cum amato .i. Charitas habitualis vel actualis, eſt etiam formaliter talis vita. *Ad* 1. Vita tribuitur veritati ſeu cognitioni, ſenſus dilectioni accommodatè. *Ad* 2. Vita tribuitur gratiæ, vt & charitati, ob connexionem: vel gratiæ in actu primo, charitati in actu ſecundo. *Ad* 3. De copulatione amantium: relationes mutuæ non ſunt in vllo extremorum, vt in ſubiecto: ſed non mutuæ, ſunt in extremo dependente; vt in accidente ad ſubſtantiam, in creatura ad Creatorem, &c.

*Art.* 4. De 3. definitione, etiam quaſi formali, ex *B. Aug. de moribus Eccleſiæ*: Charitas eſt rectiſſima animi affectio coniungens nos Deo. *Ad* 1. Charitas habitualis vel actualis, eſt formaliter affectio talis. *Ad* 2. Dilectio naturalis poteſt dici affectio recta; gratuita rectior, gratum faciens rectiſſima, &c. *Ad* 3. Dicitur, *Coniungens nos Deo*: ad diſtinctionem à fide dirigente, & ſpe erigente. *Ad* 4. Virtutes Theologicæ vniunt Deo immediatè: ſed ſola charitas, vt eidem obiecto & fini quoad rem & rationem.

*Art.* 5. De 4. definitione, quaſi finali, ex *B. Aug. lib.* 1. *Solil.* Charitas eſt virtus quâ Deum videre, eoque frui deſideramus. *Ad* 1. Deſiderium eſt Charitatis ſimpliciter & formaliter: fidei & ſpei, non niſi ſecundùm quid. *Ad* 2. Pro ſtatu viæ eſt deſiderium boni abſentis: pro ſtatu patriæ, eſt boni præſentis continuandi.

*Art.* 6. De 5. definitione, ex *Magiſtro* 3. *Sent.* 27. Charitas eſt dilectio quâ Deus propter ſe diligitur, & proximus propter Deum, vel in Deo. *Propter.* 1. Vt ob cauſam motiuam, ſeu efficientem. 2. Vt ob finalem. 3. Vt ob formalem fruendi Deo. 4. Vt ob finalem quâ, non in quâ quieſcendi. 5. Ideſt, gratis. 6. Ad gloriam Dei. *Ad* 1. *Arg.* Amor eſt naturæ, dilectio voluntatis deliberatiuæ, charitas gratiæ: dilectio eſt actus, charitas habitus. *Ad* 2. Deus diligendus eſt propter ſe, vt ob cauſam finalem: in ſeipſo, vt in cauſa formali ſuæ dilectionis; proximus propter Deum. 1. Vt capax charitatis Dei. 2. Vt eam habens. 3. Vt plus habeat. *Ad vlt.* Dilectio charitatis differt à naturali Innocentiæ. 1. Quòd hæc erat ex quadam habilitate & certitudine ad bonum: illa eſt ex captiuatione affectus per charitatem in obſequium Chriſti. 2. Hæc erat ex cognitione naturali: illa ſupernaturali fidei. 3. Hæc erat ſumma, vt Dei nobis Summè Boni: illa eſt Dei vt Summè Boni in ſe, &c.

*Art.* 7. De 6. definitione, ab effectu, ex *Aug.* 3. *Doct. Chriſt.* Charitas eſt motus animi, ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe ac proximo propter Deum. *Ad* 1. Definitur hîc charitas actualis. *Ad* 2. Frui hic ſumitur communiter, etiam pro vti cum gaudio charitatis. *Ad* 3. Propriè non eſt fruendum vllo vtendo, ſed benè communiter. *Ad* 4. & 5. Frui ſumitur hic pro diligere ex charitate formaliter. *Ad* 6. Hæc vox, *propter*, eſt cauſæ efficientis & finalis: amor autem naturalis poteſt eſſe quidem gratuitus ex parte cauſæ finalis, ſed non efficientis. Hinc poteſt quis ſcire ſe diligere Deum propter ipſum, vt finem, ſed non vt cauſam efficientem. *Ad* 7. Plures ſunt modi particulares fruendi Deo, & proximo: ſed tantùm hi duo generales. *Ad vlt.* Virtute Cardinali vtimur potentiâ & obiecto: ſed virtute Theologica vtimur potentiâ, fruimur obiecto.

## COLLATIO 59.

*De ſubiecto Charitatis, per* 5. *Quæſt.*

1. An Charitas ſit in potentia rationali? 2. An ſit in concupiſcibili? 3. An ſit in iraſcibili? 4. An ſit in voluntate? 5. An ſit in omnibus viribus motiuis? *Reſp.* Non in rationali, vt diſtinguitur à concupiſcibili & iraſcibili, ſed à ſenſitiua & vegetatiua: nec in concupiſcibili aut iraſcibili animali,

aut rationali portionis inferioris; ſed in ſola concupiſcibili rationali portionis ſuperioris, quæ eſt ipſa voluntas; non in alijs viribus motiuis, niſi diſpoſitiuè, &c.

Collatio 60. *De actu Charitatis.*

*Art.* 1. An actus charitatis ſit per priùs meritorius, quàm aliarum virtutum? *Reſp.* Quidam dixerunt quòd meritum primò & principaliter conſiſtat in actu fidei: Alij in actu charitatis. *Vtrumque magni Clerici ſuſtinuerunt: & ſi velimus ſanè intelligere, vtrique ſentire verum potuerunt.* Nam conſiſtit priùs origine in actu fidei formatæ: ſed priùs perfectione & efficaciâ in actu charitatis. 1. Quia Deus dat omnia liberaliter: ſic charitas ſeruit Deo liberaliter. 2. Vt Pater & Filius vniuntur amore: ſic homo adhærendo Deo per charitatem fit vnus ſpiritus, 1. *Cor.* 6. *Ioan.* 17. 3. Quia charitas ſuo quodam pondere fert in Deum, eique adhæret, & in eo quieſcit. Hinc *ad* 1. 2. *&* 3. *Ad* 4. Fides meretur ſeu impetrat operationem miraculorum: quia eleuat primò hominem ſupra ſe; ſed non meretur principaliter præmium conſummatum. *Ad* 2. Eſt facilius credere primæ Veritati propter ſe & ſuper omnia, quàm eam propter ſe & ſuper omnia diligere, eique ſoli adhærere, & omnia propter eam contemnere. *Ad vlt.* Virtutes Theologicæ tantò ſunt perfectiores, quantò magis vniunt Deo.

*Art.* 2. An actus charitatis poſſit eſſe mercenarius? *Reſp.* Non principaliter intentione mercedis temporalis & creatæ: ſed æternæ ac diuinæ; affectu amicitiæ ſeu iuſtitiæ, non commodi proprij abſolutè, quia hic mercenarius eſt; nec mediante gratiâ & meritis; quia quamuis hic non ſit mercenarius, eſt tamen potiùs ſpei quàm charitatis. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 13. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* i. Non vt bonum proprium, ſed commune: quale eſt Deum videre & amare. *Ad* 2. *&* 3. Seruiendum eſt Deo gratis, ſine prætentione mercedis: affectu amicitiæ, qui non excludit affectum concupiſcentiæ eiuſdem charitatis. *Ad* 4. Timor pœnæ principaliter, non poteſt eſſe ordinatus, vt eſt amor mercedis æternæ: quia Deus non eſt pœna, ſicut eſt ipſa merces æterna.

*Art.* 3. An idem motus charitatis poſſit eſſe in Deum & proximum? *Reſp.* Non vt in idem obiectum vel finem vltimum, nec eodem modo: ſed in ſolum Deum, vt in obiectum & finem vltimum, in proximum autem vt in obiectũ ad illum finem: vel in Deum vt obiectum *Quod*; in proximum, vt in obiectum *Cui* amatur Deus in ſummum eius bonum. Hinc *ad* 1. *&* 2. *Ad* 3. Honor imaginis totaliter refertur ad prototypum, vt ad ſuum obiectum & finem: quia non honoratur vt res: ſed ſolum vt ſignum; ſed dilectio verè etiam afficit proximum, quamuis propter Deum. *Ad* 4. Vbi eſt vnum propter alterum, ibi eſt tantùm vnum: in ijs quæ non poſſunt ſeparari: ſed poteſt quis affici Deo nil cogitando de proximo, & affici proximo ſine actuali affectu ad Deum. *Ad vlt.* Eſt eadem ratio diligendi, ideoque idem habitus charitatis: ſed non idem actus, quo volo Deo, & proximo ſummum bonum; quia eſt alius terminus; & modus diligendi.

*Art.* 4. An dilectio Dei ſit prior dilectione proximi, vel è contra? *Reſp.* Dilectio Dei eſt prior origine & dignitate quoad inclinationem charitatis: ſed dilectio proximi eſt prior, quoad exercitium perfectionis.

Collatio 61. *De modo diligendi Deum.*

*Art.* 1. An dilectio Dei habeat modum? *Reſp.* Non habet modum mediocritatis, inter nimium vel nimis parum, intentionis vel remiſſionis, vt habent virtutes Cardinales: ſed habet in nobis modum alicuius limitationis actualis, & circumſtantiarum debitarum.

*Art.* 2. An teneamur ad modum diligendi Deum ex toto corde, &c. *Matt.* 22. *Reſp.* Non quoad perfectionem totalem, excludendo omnem alium affectum, niſi vt hic ad eam tendamus: ſed quoad principalitatem, excludendo omnem affectum contrarium, & æqualem.

*Art.* 3. De tribus conditionibus huius modi, *Matt.* 22. *Ex tota anima, ex toto corde, ex tota mente.* Deut. 19. *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine.* 1. Tim. 1. *De corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.* *Reſp.* Quamuis charitas immediatè perficiat vim concupiſcibilem, ad ſuum actũ; diſponit tamen & ordinat omnes vires animæ ad ſuum finem. Ex *B. Aug.* *Toto corde* .i. Intellectu ſine errore: *totâ animâ* .i. Voluntate, ſine conditione: *totâ mente* .i. Memoriâ, ſine obliuione. Ex *S. Bern.* *Toto corde* .i. ſapienter: *totâ animâ* .i. ſuauiter; *totâ fortitudine* .i. fortiter, contra omnes fallacias, blanditias, & iniurias.

Collatio 62.

*De modo diligendi proximum*, Matt. 22. *ſicut teipſum.*

1. An hic modus ſit generalis. 2. An ſit proprius charitati. 3. An ſic congruè exprimatur? *Reſp.* Eſt generalis ad omnes proximos, proprius charitati, his verbis congruè expreſſus, in triplici ſenſu. 1. *Sicut teipſum.* i. Ad idem bonum. 2. Propter quod teipſum. 3. Quantùm teipſum. Ex *B. Aug.* 8. *Trin.* 9. *& alibi.* *Ad* 1. ex *S. Amb.* Sufficit minùs diligere proximos malos, quàm bonos. *Ad* 2. Inimicus diligendus eſt propter Deum, ad idem bonum nobiſcum: ſed amicus etiam in Deo & in Deum, ſeu vt habens Deum per gratiam. *Ad* 3. Vt diligere Deum propter ſe, & ſuper omnia, eſt etiam amoris naturalis, ſeu naturæ primò inſtitutæ; ſed charitatis differenter: ſic & diligere proximum ſicut ſeipſum. *Ad* 4. Non tam benè exprimeretur, *propter Deum*, ac *ſicut teipſum.* 1. Quia omnia diligenda ſunt propter Deum: ſed non omnia formaliter ex charitate. 2. Quia etiam Deus diligendus eſt propter Deum, vt obiectum & finem vltimum; amore amicitiæ & concupiſcentiæ: ſed proximus ſolo amore amicitiæ. *Ad* 5. *Propter quod teipſum,* dicit cauſam motiuam vel finalem dilectionis: *ad quod teipſum*, dicit finem vel terminum illius. *Ad* 6. *Quantum teipſum* .i. Ad tantum bonum, vel ad ſimilitudinem, non æqualitatem. *Ad vlt.* *Non credo quod ſit inconueniens mandatum diligendi Deum & proximum non penitùs perfici in via, ſed in patria.*

Collatio 63.

*De obiecto ſeu diligendis ex Charitate.*

*Art.* 1. An creaturæ irrationales ſint diligendæ ex charitate? *Reſp.* Non ex charitate eliciente, ſeu informante: ſed tantum ex charitate mouente, ſeu impe-

Digitized by Google

imperante. Nil enim diligendum eſt ex charitate formaliter ſeu elicitiuè, niſi ſummum bonum, vel quod eſt eius capax per cognitionem & amorem. *Ad* 1. Deus diligit creaturas etiam irrationales: volendo eis tantùm ſuum eſſe, non autem ſummum bonum. *Ad* 2. Non quælibet ſimilitudo, ſed imago Dei eſt diligibilis ex charitate. *Ad* 3. Fides eſt in Deum vt principium omnium creaturarum: ſed charitas eſt in Deum vt in finem vltimum rationalium. *Ad* 4. Virtus & vitium ſunt circa idem ſubiectum, non tamen circa idem totum obiectum. *Ad* 5. Qui diligit temporalia ad ſeruiendum Deo, non afficitur temporalibus, ſed ipſi Deo.

*Art.* 2. An Dæmones ſint diligendi ex charitate? *Reſp.* Vt irrationalia non ſunt diligenda ex charitate elicitiuè, quia non ſunt capacia ſummi boni & finis vltimi: ſic nec Dæmones, quia iam ſunt condemnati, ſicque de damnatis; ſed imperatiuè, diligi poſſunt ob bonum naturæ, potiùs tamen odiendi ob malum culpæ. *Ad* 1. Non ſufficit communio naturæ ad hanc proximitatem, niſi in ordine ad gratiam: quia charitas eſt virtus gratuita. *Ad* 2. Nec ſufficit ratio imperfecta imaginis Dei, niſi vt eſt ordinabilis ad gratiam & gloriam per charitatem. *Ad* 3. Angeli ante peccatum erant ſic diligendi: quia capaces & habiles ad obiectum & finem. *Ad* 4. Quod eſt tantùm occaſionaliter ad noſtrum meritum, non eſt ideò ex charitate diligendum. *Ad vlt.* Nec eſt diligendum ex charitate quicquid refertur ad honorem & gloriam Dei.

*Art.* 3. An homines mali ſint diligendi ex charitate? *Reſp.* Non vt mali, ſed vt homines ad imaginem Dei, capaces beatitudinis. *Ad* 1. 2. & 3. *Iniquos odio habui, Pſal.* 118. ſed *perfecto odio* culpæ, non naturæ, *Pſal.* 138. *Ad* 4. Vinculum charitatis non eſt neceſſario in vtroque extremo: ſed in vno ſubiecto, ad alterum vt terminum.

*Art.* 4. An corpora propria ſint diligenda ex charitate? *Reſp.* Quòd ſic: quia ſunt capacia participandi beatitudinem per vnionem cum anima, & redundantiam ex illa. *Ad* 1. Vitium corporis, ſeu concupiſcentiæ corporalis, eſt odiendum: non ipſa natura. *Ad* 2. Charitas quæ nunquam excidit, non inclinat ad diligendum corpora vt ſunt corruptibilia, ſed vt fiant incorruptibilia. *Ad* 3. Corpus humanum non eſt per ſe ad imaginem Dei: ſed ei vnitum, eiuſque particeps.

*Art.* 5. An noſipſi à nobis diligendi ſimus ex charitate? *Reſp.* Non carnaliter, ſeu animaliter & irrationaliter: ſed rationaliter, & ſpiritualiter. Ex ipſo *Ariſt.* 9. *Ethic.* *Ad* 1. & 2. ex *S. Greg.* Charitas propriè non poteſt eſſe niſi inter duos & niſi ad alterum à ſe .i. non ad vnum ſolum, ſed ad plures. *Ad* 3. Dilectio ſuiipſius eſt etiam motus ab anima amante, ad animam amatam. *Ad* 4. Diligere ſeipſum propter Deum, non eſt motus curuus, ſed rectus, à ſeipſo & per ſeipſum ad Deum. *Ad* 5. Amans eſt ſibiipſi vt amato conſimilis. *Ad* 6. Dilectio ſuiipſius eſt implicitè præcepta.

*Art.* 6. An bona gratuita ſint diligenda ex charitate? Quidam negant eſſe diligenda ex charitate elicitiuè, ſed imperatiuè: quia charitas non quærit proprium commodum. *Eſt alius modus dicendi*, quòd bona gratuita non ſint bona concretiuè, ſed abſtractiuè, ſeu bonitates: ideòque nec diligenda ex charitate, ſed rationes ipſæ diligendi. *Eſt* 3. *modus*, Quòd diligenda ſint ex charitate, amore concupiſcentiæ ſeu deſiderij, non amicitiæ. *Reſp.* Concedendum eſt ea ſic eſſe diligenda ex charitate: vt expreſsè *B. Aug.* 8. *Trin.* *Ad* 1. Bona temporalia vt commoda non ſunt ſic diligenda, ſed ſola honeſta. *Ad* 2. Charitas non facit ſibi deſiderare bonum: ſed ſe deſiderari, vt bonum. *Ad* 3. Nihil eſt amandum amore amicitiæ, niſi ſit beatificabile: ſed amore concupiſcentiæ ſeu deſiderij ipſa beatitudo, & quælibet bona gratuita.

*Art.* 7. An ipſa charitas ſit diligenda ex charitate? *Reſp.* Non charitas creata, amore amicitiæ: ſed concupiſcentiæ ſeu deſiderij, & complacentiæ. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3. Actus fidei & ſpei non reflectitur ſupra ſeipſum, ſeu non creditur & ſperatur: quia ſentitur & habetur; ſed ipſa dilectio diligitur, quia diligibilis eſt. *Ad* 4. Dilectio diligitur ex eadem charitate quoad habitum, non quoad actum: poteſt tamen etiam diligi eodem actu ſupra ſeipſum reflexo quia intellectus & voluntas in ſuis actibus reflectunt ſuper ſe, ob ſuam ſimplicitatem & ſpiritualitatem; vt patet in ſcientia quâ quis ſcit ſe ſcire. Quòd autem charitas ſit ex charitate diligenda, patet ex *Aug.* 8. *Trin.* *l.* 11. *Ciu.* 28. &c.

## COLLATIO 64.

*De numero diligendorum ex Charitate.*

*Art.* 1. An ſit vnicum tale vel plura? *Reſp.* Vnicum finaliter .i. Deus: Plura obiectiuè, formaliter, & materialiter. De quibus ſupra & infra.

*Art.* 2. An omnia ſint diligenda ex charitate? *Reſp.* Omnia finaliter, formaliter, aut materialiter. Vt etiam ſupra & infra: niſi quòd hîc obſeruet diſtinctionem inter diligenda ex præcepto, & diligibilia.

*Art.* 3. Quot ſint diligenda ex charitate? *Reſp.* Quatuor amore amicitiæ. 1. Quod eſt ſupra nos. 2. Noſipſi. 3. Quod iuxta nos. 4. Quod infra nos. Ex *B. Aug.* 1 *doct. Chriſt.* Sed plura amore etiam concupiſcentiæ. Ex *S. Bern. ſerm.* 76. *in Cant.* Vt virtutes, &c.

*Art.* 4. De horum 4. ſufficientia. *Reſp.* 1. Comparatiuè ad finem, ſeu beatitudinem ad quam hæc 4. ſunt pertinentia. 2. Comparatiuè ad ipſam dilectionem: quâ non poteſt amari ſummum bonum niſi vel ipſi Deo, vel nobis, vel proximis, vel ſuo modò corpori noſtro. 3. Comparatiuè ad ipſum diligentem: vel quod ſupra ipſum eſt, vel quod ipſe eſt, vel quod iuxta .i. proximum, vel quod infra .i. corpus proprium. *Ad* 1. Aliter charitas comparatur ad noſipſos, quàm ad proximos. *Ad* 2. Tria continentur implicitè, *Matt.* 22. *Ad* 3. Eſt alius modus diligendi corpus noſtrum, quàm nos, vel proximos. *Ad* 4. Illa ſex *S. Amb.* reducuntur ad hæc 4. *B. Aug.* *Ad* 5. Corpus proximi eſt etiam infra nos. *Ad* 6. Quod contra nos, eſt & iuxta nos.

## COLLATIO 65. *De præcepto Charitatis.*

*Art.* 1. An charitas ſit in præcepto? *Reſp.* Non quoad habitum: nec quoad eius modum, aut actū formalem, gratuitum & meritorium; ſed materialem, ſeu quoad ſubſtantiam actus. Hinc ad pleraque Arg. *Ad* 2. Finis præcepti eſt charitas, 1. *Tim.* 1. id eſt, præceptum de charitate eſt finis aliorum.

*Ad* 3. Hoc præceptum eſt affirmatiuum, ſemper obligans, ſed non ad ſemper. Sub finem. *In ſtatu innocentiæ diligebatur Deus ex toto corde, propter ſe & ſuper omnia*: nec tamen meritoriè, ſeu ex charitate.

*Art.* 2. An charitas actualis, vel affectualis, vel vtraque ſit ſub præcepto? *Reſp.* Si charitas affectualis ſumatur pro actu interiori, & actualis pro exteriori, vtraque eſt in præcepto: ſi autem affectualis ſit ab affectu, ſeu amore interiori, eſt adhuc in præcepto; ſed ſi eſt ad affectum, ſeu ad quandam paſſionem mulcebrem animæ, non eſt in præcepto, ſaltem quoad eius perfectionem in via. Hinc ad *Arg.*

*Art.* 3. An ſit vnicum præceptum de diligendis ex charitate, vel plura? *Reſp.* Sunt duo, *Matt.* 22. ſed plura per reductionem. *Ad* 1. & 2. Sunt expreſſa & diſtincta præcepta de diligendis, potiùs quàm de credendis & ſperandis. 1. Quia 1. *Tim.* 1. Finis præcepti eſt charitas. *Rom.* 3. Plenitudo legis dilectio. 2. Quia eſt diſtinctior modus diligendi, quàm credendi, & ſperandi, &c. *Ad* 3. Non diſtinguntur mandata ex habitu, ſed ex modis ordinandi. *Ad* 4. In mandato diligendi proximum ſatis includitur mandatum diligendi ſeipſum: nec erat opus exprimere, quod eſt naturà expreſſum. Ad 5. ex *Rom.* 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* 1. De lege. 2. Tabulæ de qua ibi. 2. Quia dilectio proximi includit dilectionem Dei, & ſui. *Ad* 6. Non exprimitur præceptum diligendi ſeipſum, vel corpus ſuum. 1. Quia ſatis intelligitur per *ſicut teipſum.* 2. Per, *ex tota anima, &c.* 3. Per ipſum affectum naturalem. *Ad vlt.* Præceptum diligendi proximum eſt expreſſius. 1. Quia eſt minùs connaturale. 2. Quia ſæpe eſt difficillimum.

*Art.* 4. An præceptum charitatis poſſit impleri in via *Reſp.* 1. Non poteſt impleri primum, ſed ſecundum. 2. Vtrumque poteſt impleri ſufficienter, ſed non perfectè. 3. Poteſt impleri actu, non affectu, vt ſupra. 4. Poteſt impleri vt mandatur ad meritum, non vt datur in præmium. 5. Poteſt impleri vt eſt executionis, non vt eſt eruditionis. Ex *B. Aug. lib. de perfect. iuſt.* 6. Non poteſt impleri ſecundùm vnam expoſitionem, ſed aliam: vt, non ex toto totalitate gloriæ aut patriæ: ſed totalitate viæ, gratiæ, naturæ. Item, non totalitate potentiæ, nec temporis, ſed totalitate actus, &c. *Ad* 1. Nec poteſt impleri in via præceptum non concupiſcendi quoad modum ſuæ perfectionis. Ex *Aug. in Iul.* *Ad* 2. Plurima ſunt impedimenta implendi perfectè hoc præceptum.

## Collatio 66. *De laude Charitatis.*

*Art.* 1. Ex 1. *Cor.* 13. *per* 5. *Quæſtiones.* 1. Cur actus aliarum virtutum tribuantur charitati. 2. Cur 15. actus virtutum. 3. Cur non & actus donorum. 4. Cur non omnium virtutum. Cur 7. affirmatiuè, 8. negatiuè? *Reſp.* *Ad* 1. Quia charitas eſt cauſa efficiens aliarum virtutum quoad vim meritoriam, eſt cauſa formalis & completa animæ in eſſe gratuito, reliquæ virtutes ſunt diſpoſitiones materiales ad illam; eſt & cauſa finalis omnium virtutum, vt ſummum bonum & finis omnium bonorum. *Ad* 2. Quia charitas ordinat affectum noſtrum ad Deum, proximum, & noſipſos, per tot actus ad bonum, & contra malum. *Ad* 3. Quia charitas eſt potiùs in ordine virtutum, quàm donorum. *Ad* 4. Quia non omnes actus virtutum pertinent ad illum ordinem charitatis. *Ad* 5. Quia charitas confert hæc bona, & aufert vitia oppoſita.

*Art.* 2. De laude charitatis, ex *S. Bern. lib. de amore Dei cap.* 14. *Reſp.* Quædam propriè dicuntur de charitate increata, quædam de creata; quædam de vtraque. *Ad* 1. Charitas creata eſt *amor illuminatus*, ex fide vel gratia adiuncta: charitas increata eſt *amor illuminatus*, non paſſiuè ſeu participialiter, ſed nominaliter. *Ad* 2. charitas creata eſt amor *à Deo* effectiuè, *in Deo* formaliter ſeu exemplariter, *in Deum* finaliter. Charitas increata eſt *amor à Deo* originaliter, *in Deo* conſubſtantialiter, *in Deum* connexu. *Ad* 3. Charitas increata *eſt Deus, &c.* *Ad* 4. *Quicquid dici poteſt de Deo, poteſt dici de Charitate*, increatâ. *Ad vlt.* Donum charitatis dicitur Deus *emphaticè* ſeu impropriè: vt homines Deiformes dicuntur Dij.

*Art.* 3. Ex *Hugone lib. de laude charitatis.* *Reſp.* Hæ laudes ſunt propriè charitatis increatæ: quia *Hugo* videtur eſſe illius opinionis, quòd non ſit alia charitas. Hinc dicit eam non tantùm eſſe Deum, ſed & Deum ſuperare: vel hiperbolicè, vel vt ſolum motiuum Dei. Addit, Nullam aliam virtutem dici & eſſe Deum præter charitatem: cùm tamen ſit & veritas, & ſapientia, & iuſtitia increata.

*Art.* 4. De laude charitatis, ex *Proſpero lib. de vita contemplatiua*: comparatiuè ad ſuum obiectum, ad oppoſitum, ad connexum, ad ſubiectum. *Ad* 6. *Arg.* Nemo poteſt peccare cum charitate. *Non poteſt* .i. *non licet.*

## Collatio 67.

*De comparatione Charitatis ad Sapientiam, ſeu dilectionis ad cognitionem.*

*Art.* 1. An dilectio excellat cognitionem? *Reſp.* Sine præiudicio poteſt dici quòd dilectio præcellat. 1. Ab authoritate 1. *Cor.* 12. & 13. *Epheſ.* 3. *S. Dion.* 7. *diu. nom.* *Aug. Epiſt. ad Iulianum.* *S. Bern. de amore Dei cap.* 14. & 19. *Ariſt.* 6. *Ethic.* 2. Ratione, ex perfectiori ſubiecto, habitu, actu, obiecto, fine, ipſoque ſupremo ordine ſeraphico Angelorum. *Ad* 1. 2. & 3. Sapientia propriè ſignificat piam cognitionem Dei, & propriſſimè cognitionem Dei experimentalem, ipſamque eius fruitionem. *Ad* 4. 5. & 6. Cognitio non adæquatur, ſed proportionatur dilectioni.

*Art.* 2. De excellentia dilectionis. *Quæſt.* 1. An dilectio attingat aliquid quod non cognitio? 2. An dilectio idem aliquo modo attingat, quo non cognitio? *Reſp.* Difficile eſt reſpondere: quia quanta ſit vis amoris ignoramus. *Infra.* Humiliter confitemur quòd licet dilectio præcellat cognitionem: neſcimus tamen in quo, vel quomodò, maximè in patria. Ad præſens autem dicere poſſumus, quòd dilectio non dicitur præcellere cognitionem, quia aliquid attingat quod non cognitio: ſed dilectio plus aduerbialiter attingit, ob maiorem vnitionem, diffuſionem, & penetrationem obiecti. *Ad* 1. Dilectio non dicitur intrare vbi ſcientia foris ſtat, niſi quia plus penetrat, vt ſupra. *Ad* 2. Amor dicitur comprehendere plus quàm cognitio: quia hæc continetur in cognoſcente, ille diffunditur in totum amatum. *Ad* 3. & 4. Hæc eſt fallacia figuræ dictionis: *Dilectio diligit quod eſt Deus,*



Digitized by Google

*Deus, nec cognoſcit quid eſt Deus : ergo attingit quòd non cognoſcit.*

*Art.* 3. De prioritate inter cognitionem & dilectionem. *Reſp.* Quoad habitum ſunt ſimul tempore, ſed charitas prior dignitate : quoad actum, cognitio eſt prior origine, dilectio prior merito & dignitate. *Ad* 1. Dilectio eſt prior contemplatione, ſed poſterior aliquâ cognitione. *Ad* 2. & 3. Calidum amoris præcedit acutum ſapientiæ, non tamen omnem cognitionem. *Ad vlt.* Charitas dicitur prior ordine meriti : poſterior ordine finis.

COLLATIO 68. *De Charitate comparatiuè ad obiecta, ſeu de ordine diligendi.*

*Art.* 1. An ſit ordo inter diligenda ex charitate? *Reſp.* charitas eſt ordinata reſpectu ſuorum diligendorum : quia charitas non tantùm eſt pondus æqualiter inclinans in finem vltimum; ſed etiam, ex *Coloſ.* 3. *Vinculum perfectionis,* ordinatum, imò & coordinans diligenda inter ſe. *Ad* 1. Ordo ſupponit diſtinctionem : non in ipſo habitu, ſed inter obiecta & actus. *Ad* 2. Vbi eſt ordo, ibi eſt proportio : non ſtrictè, prout inter ſolas res eiuſdem generis; ſed largè, pro quauis habitudine analogiæ. *Ad* 3. Ordo partium, aut quaſi, in toto, eſt ſapientiæ : ſed ordo in finem, eſt charitatis. *Aliter.* Ordo charitatis eſt ſecundùm maiorem vel minorem participationem bonitatis Dei inter obiecta. Quòd ſi quis habitus intellectus verſetur circa obiecta dependenter & inæqualiter euidentia, erit etiam ordo circa illa. *Ad* 4. Vt eſt vna ratio credendi, ſic & diligendi : ſed non æqualiter ſe habens ad diligibilia, vt ad credibilia? Nam ſumma bonitas eſt optabilior Deo quàm nobis, & ſpiritui quàm corpori : ſed prima Veritas eſt æquè credibilis de omnibus, &c.

*Art.* 2. An charitas Deum nobis præponat in diligendo? *Reſp.* Tantùm præponit, vt amor noſtri non poſſit æquari amori Dei, ſaluâ charitate. 1. Quia charitas diligit Deum vt ſummum bonum, & vltimum finem. 2. Quia *Deut.* 6. *Matt* 4. primum & maximum mandatum eſt diligendi Deum. 3. Quia proximus diligendus eſt vt noſipſi, propter Deum : ergo Deus præ nobiſipſis. *Ad* 1. Eſt Naturæ corruptæ diligere ſe plus quàm Deum. *Ad* 2. Acceſſu charitatis minuitur amor ſui, & augetur amor Dei. *Ad* 3. Perfectiùs cognoſcit quis ſeipſum quàm Deum : ſed cognoſcit Deum eſſe infinitè meliorem & amabiliorem ſe. *Ad* 4. Tantùm quis deſiderat frui Deo, quantùm eum diligit : amore concupiſcentiæ, qui non diſtinguitur ab amore noſtri; non amore amicitiæ, niſi proportionaliter. *Ad* 5. Omnis charitas noſtra eſt formaliter & ſubiectiuè finita : ſed ergà ſolum Deum eſt obiectiuè infinita. *Ad* 6. Nil poteſt alteri magis vniri quàm ſibiipſi : vnione conuenientiæ, non amoris. Nam Deus eſt intimior nobis quàm noſipſi : quia Deus nobis eſt melior quàm noſipſi.

*Art.* 3. An ordine charitatis bonum proprium ſit præponendum bono proximi? *Reſp.* Ordine charitatis, amor ſalutis propriæ præponẽdus eſt alienæ. 1. ex *Eccle.* 14. Qui ſibi nequam, cui bonus? 2. *Eccli.* 3. Miſerere animæ tuæ placens Deo. 3. *Matt.* 4. Diliges proximum ſicut teipſum. 4. *B. Aug. in Enchir.* Qui vult dare eleemoſynam ordinatè, debet à ſeipſo incipere. 5. Vt natura ad naturalia : ſic charitas ad ſalutaria, &c. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt : contra bonum commune. *Ad* 2. ex *Matt.* 4. *Sicut teipſum,* quoad ſimilitudinem, non æqualitatem. *Ad* 3. ex *S. Greg.* Charitas incipit à ſeipſo : non tamen ſiſtit in ſeipſo, ſed extendit ſe ad proximum. *Ad* 4. Charitas eſt liberalis in proximos : ſed incipit à ſeipſo, vt & miſericordia, *Eccli.* 3. *Ad* 5. Hæc non eſt curuitas vitioſa naturæ. *Ad* 6. Dilecti à Deo ad maius bonum, ſunt à nobis etiam diligendi ad maius bonum : ſed nos magis appretiatiuè ſumus diligendi ad noſtrum minus, quàm alij ad ſuum maius. *Ad* 7. ex *Rom.* 11. Apoſtolus optabat eſſe Anathema à Chriſto pro fratribus .i. vel ad tempus, vel ſub conditione liciti aut poſſibilis.

*Art.* 4. Qui ſint magis diligendi, parentes, an filij? *Reſp.* Cæteris paribus, Parentes præponendi ſunt filijs. 1. Ex 4. præcepto Decalogi. 2. Ex maiori dependentia & inclinatione principiati ad ſuum principium, quàm huius ad illud. 3. Ex beneficentia & gratitudine. *Ad* 1. 2. & 3. Parentes debent theſaurizare filijs, non è contra, 2. *Cor.* 13. Ordine naturæ, ad conſeruationem ſpeciei, ſeu cuiuſque in ſuis filijs; non ordine gratiæ, ad ſalutem. *Ad vlt.* Gratia non eſt ſemper conformis, ſed etiam diſparata, imò & contraria naturæ corruptæ.

*Art.* 5. An domeſticus ſit præponendus extraneo? *Reſp.* Charitas quoad ſe eſt ordinata, *Cant.* 2. ſecundùm maius vel minus bonum : ſed quoad ſuum ſubiectum, eſt ordinata ſecundùm magis vel minùs proprium, aut propinquum. Hinc *Gal. vlt.* Operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei. 1. *Tim.* 5. Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, eſt infideli deterior. *Ad* 1. ex *Coloſſ.* 3. In Chriſto non eſt maſculus & fœmina, &c. i. non contra ordinem charitatis, ſed acceptionem perſonarum in gratia Chriſti. *Ad* 2. *B. Aug.* id retractat, 1. *Retr.* 13. nec improbat amorem propinquorum vt tales ſunt : ſed præfert eorum amorem propter Deum. *Ad* 3. Imago Dei eſt ratio communis diligendi : ſed propinquitas eſt ratio ordinis in diligendo. *Ad* 3. In ipſa *Reſp.*

*Art.* 6. An ordo charitatis ſit quoad ſolum affectum, effectum, vel vtrumque? *Reſp.* Non quoad paſſionem mulcebrem affectus : ſed primariò quoad affectum elicitum charitatis, ſecundariò quoad imperatum; & primariò quoad effectum ſalutarem, ſecundariò quoad temporales, exceptis neceſſarijs ad bonum commune. Hinc *ad* 1. *Ad* 2. Plus delectatur quis amico, quàm Deo : experimentaliter, & ſenſibiliter. *Ad* 3. Saltem eſt in poteſtate noſtra benè velle : quòd pro facto reputatur, vbi tantùm deeſt poſſe. *Ad* 4. Beneficia Eccleſiaſtica ſunt ad bonum commune. *Ad* 5. ex *Aug. de doct. Chriſt.* Omnes ſunt æquè digendi .i. Affectu, non effectu; & ad idem bonum commune.

*Art.* 7. De ordine charitatis affectualis ad ſuperiora pro eorum dignitate, & actualis ad inferiora pro eorum indigentia : ex *S. Bern.* in illud *Cant.* 2. Ordinauit in me charitatem. *Ad* 1. 2. & 3. *Reſp.* Nec affectualis eſt quoad ſolum affectum, nec actualis quoad ſolum effectum. *Ad* 4. Supra.

*Ad*

Digitized by Google

*Ad* 5. Præpoſteratio charitatis præter aut contra cauſam debitam, eſt inordinata: ſed non ex cauſa debita. *Ad* 6. Charitas actualis non reſpicit dignitatem, ſed neceſſitatem: affectualis è contra. *Ad* 7. Charitas vera, eſt reſpectu indigentiæ: veritas chara, reſpectu dignitatis rei.

*Art.* 8. De 6. gradibus charitatis, ex *S. Ambr. in Cant.* 1. Ad Deum. 2. Ad noſipſos. 3. Ad parentes. 4. Ad filios. 5. Ad domeſticos. 6. Ad inimicos. *Reſp.* Hi gradus non ſolùm ſumuntur ex differentia bonorum: ſed & proprij ac alieni, propinqui & remoti; ſuntque ſufficientes reductiuè.

*Art.* 9. An mali parentes vel filij ſint diligendi præ bonis extraneis. *Reſp.* Non amore complacentiæ, ſed beneficentiæ.

*Art.* 10. De ordine charitatis, ex *Hugone Tract. de ſubſtantia dilectionis*: Currendo per deſiderium, de Deo, cum Deo, in Deum, & in eo ſolo requieſcendo; de proximo & cum proximo, ſed non in illum; de mundo, ſed nec cum eo, nec in eum.

*Art.* 11. An ipſa charitas vel beatitudo ſit plus vel minùs diligenda, quàm noſipſi vel proximi? *Reſp.* Nec plus nec minùs: quia non in eodem genere; ſed Beatitudo amore concupiſcentiæ, vt Bonum volitum; nos & proximi, vt quibus volendum eſt amore amicitiæ.

Collatio 69. *De profectu Charitatis.*

*Art.* 1. An poſſit augeri quoad eſſentiam? *Reſp.* Poteſt augeri: non ſolùm ſucceſſione maioris, vt dies augentur; ſed eiuſdem quantitate perfectionis. *Ad* 2. Eſſentia formæ vniuerſalis, vel etiam ſingularis in ſe, ſed non in ſubiecto, eſt inuariabilis. *Ad* 4. Quantitas molis differt à quanto, non virtutis. *Ad* 5. Quòd mutatur quoad ſubſtantiam in eſſe ſimpliciter, fit aliud: non quòd mutatur in eſſe magis vel minùs perfecto.

*Art.* 2. Quomodò augeatur? *Reſp.* Virtute diuina, per nouam additionem: vt lumen additione luminis. *Ad* 2. Charitas eſt ſine mole, ſed quanta virtute: non tamen vt punctus qui non eſt vnibilis, nec actiuus, ſed tantùm terminus. *Ad* 3. Nec minus compoſita ex partibus formalibus, ſunt actiuiora: nec charitas maior eſt minus ſimplex, ſed eo ſimplicior quo perfectior; quia ſimpliciſſimum mole eſt minimum, ſed ſimpliciſſimum perfectione eſt perfectiſſimum. *Ad* 3. Non vt plura ſimul lumina à diuerſis lucidis, in eodem ſubiecto coagentia: ſed per vnionem in vnam charitatem, priore vt imperfecta & potentiali, ad poſteriorem vt perficientem.

*Art.* 3. An augeatur quoad ſubſtantiam, per opera virtutum? *Reſp.* Non cauſaliter, ſed meritoriè, ſeu diſpoſitiuè: nec ſola minutione concupiſcentiæ, niſi quoad maiorem inde radicationem & feruorem charitatis.

Collatio 70. *De Charitatis defectu.*

*Art.* 1. An poſſit minui? *Reſp.* Poteſt minui quoad radicationem, feruorē, & frequentiam operandi, *Matt.* 24. 2. *Cor.* 7. *&c.*

*Art.* 2. An poſſit minui quoad ſubſtantiam? *Reſp.* Non poteſt. 1. Quia non habet oppoſitum niſi pecc. mort. quo non minuitur, ſed tollitur. 2. Deus qui eam largitur diſpoſitis, non ſubſtrahit niſi ex demerito totali.

*Art.* 3. Per quid poſſit minui? *Quæſt.* 1. An per peccata venialia? *Reſp.* Quòd ſic, vt *Art.* 1. & ex *Prou.* 24. *Eccli.* 19. *Quæſt.* 2. An quoad ſubſtantiam? *Reſp.* Quòd non, vt *Art.* 2. Et quia tandem per venialia tota periret. *Ad* 1. Venialia minuunt tantùm diſpoſitionem, aut feruorem operandi. *Ad* 2. Deus auget charitatem propter bona opera: ſed non minuit ob peccata venialia; quia eſt pronior ad dandum, quàm ad auferandum. *Ad* 3. Veniale non eſt contra inclinationem charitatis. *Ad* 4. Macula venialis non inficit imaginem Dei. *Ad* 5. Veniale differt futuram beatitudinem, ſed non ſeparat à Deo. *Ad* 6. Occaſione venialium poteſt quis per negligentiam vel contemptum perdere charitatem. Subdit, ad probabilitatem oppoſitæ ſententiæ alienæ: charitatem nec augeri per additionem, ſed eiuſdem multiplicationem: nec minui per alicuius ſubtractionem, ſed per collectionem; vt ex coſta facta eſt mulier, & ſi de muliere fieret coſta.

Collatio 71.

*De termino ſeu perfectione Charitatis.*

*Art.* 1. An habeat terminum ſeu ſtatum perfectionis? *Reſp.* Habet ſtatum. 1. Ex menſura & moderatione ſapientiæ Dei. 2. Ex capacitate abſoluta vel ordinaria ſubiecti. 3. Ex finita perfectione ipſius charitatis creatæ. *Ad* 1. Virtus augens charitatem non agit naturaliter, ſed ſapienter. *Ad* 2. Credo quòd lumen poſſet adeo clarificari, vt non poſſet adueniēte alio lumine amplius clarificari niſi per plurium luminum aggregationem. *Ad* 3. Calor habet ſtatum & ſummum intenſiuè, non extenſiuè: ſic & charitas. *Ad* 4. Charitas non commenſuratur obiecto, quod eſt infinitum.

*Art.* 2. Quæ perfectio ſit terminus augmenti charitatis? *Reſp.* Non perfectio tranquillitatis: ſed conformitatis poſſibilis cum ſummo bono; ad quam ſequitur perfectio tranquillitatis in ſubiecto prius inquietato. Sed perfectio charitatis excludentis timorem, eſt quoad radicationem, &c.

*Art.* 3. An charitas poſſit perfici in via, & perficiatur adhuc in patria ante reſurrectionem? *Ad* 1. *Reſp.* Poteſt hîc perfici quoad ſtatum viæ: nonniſi ibi quoad ſtatum patriæ, ſeu nunc quantùm huic ſtatui conuenit, tunc quantùm illi. *Ad* 2. Non augebitur quoad eſſentiam per reſurr. ſed quoad feruorem. Ex *B. Aug. ad finem de Gen. ad litt. & S. Bern. de amore Dei. c.* 12.

Collatio 72. *De effectu Charitatis.*

*Art.* 1. An homo poſſit ex quantulacumque charitate reſiſtere cuicunque tentationi, &c? *Reſp.* Poteſt quoad tentationis exordium: quia Deus tunc non deſerit habentem charitatem, niſi ipſe voluntariè à Deo recedat, quin potiùs facienti quod in ſe eſt auget charitatem; ſed non poteſt quoad conſummationem victoriæ, quia tunc charitas eſt aucta ex priori reſiſtentia. Poteſt etiam comparatiuè ad vires liberi arbitrij: ſed non quoad vitium difficultatis ad bonum, & pronitatis ad malum, 1. *Cor.* 11. Fidelis Deus, &c. Hinc ad argumenta vtrimque.

*Art.* 2. An conſtitutus in quantulacumque charitate, teneatur pro Chriſto mortem ſubire? *Reſp.* Tenetur in neceſſitatē, non extra: quia illud eſt obligationis, hoc perfectionis.

*Art.*

Digitized by Google

*Art.* 3. An habens charitatem perfectam teneatur ad opera perfectionis? *Reſp.* Tenetur ad perfectionem obſeruandi mandata, non autem conſilia, &c. niſi ex voto, officio, periculo ſcandali, vel ſpeciali dictamine conſcientiæ; quia ſtatus charitatis ex ſe non inducit nouam obligationem.

*Art.* 4. An omnes teneantur affectu diligere inimicos. *Reſp.* Tenentur eos diligere affectu elicitò ad eorum ſalutem: non imperato, ad bona temporalia.

*Art.* 5. An omnes teneantur etiam effectu diligere inimicos? *Reſp.* Et affectu & effectu neceſſario & opportuno: quia, *Matt.* 5. præcipitur & eos diligere, & eis benefacere.

*Art.* 6. Vtrum ſit maioris perfectionis & meriti, diligere amicum, vel inimicum? *Reſp.* Eſt perfectioris habitus diligere amicos & inimicos, quàm ſolos amicos: ſed actus diligendi amicos & inimicos variè ſeinuicem excedunt; ille intenſiuè, hic extenſiuè, &c. Vt ſupra de ordine diligendorum.

*Art.* 7. *An ſit vnus idemque motus dilectionis amici & inimici?* *Reſp.* Non eſt idem motus abſolutus: quia differunt intentione & obiectis, nec vna eſt ratio diligendi alterum; ſed poteſt eſſe idem actus collatiuus, præponendo vnum alteri.

## Collatio 73.

*De duratione Charitatis, comparatiuè ad peccatum.*

*Art.* 1. An charitas ſemel habita poſſit amitti? *Reſp.* Quorundam opinio fuit quòd non, ob perfectionem illius vinculi: vt refert *Magiſter in* 3. *d.* 31. Sed hæc poſitio non eſt opinio, nec rationalis ſententia, ſed potiùs error & inſania; quia repugnat ſacræ ſcript. experientiæ, & rectæ rationi. Nam charitas viæ non aufert libero arbitrio defectibilitatem ad malum oppoſitum gratiæ & charitati. *Ad* 1. Amor naturalis vnit inſeparabiliter, quia determinatur ad vnum: charitas autem viæ, quamuis excellentior ex habitu, obiecto, & fine, dirigit voluntatem deliberatiuam & mutabilem; ideoque nec vnit inſeparabiliter. *Ad* 2. Charitas non expellitur quaſi præualente ei peccato: ſed deficiente & auertente ſe libero arbitrio. *Ad* 3. Liberum arbitrium rectum, ſeu perfectum charitate habituali, poteſt incuruari cupiditate actuali. *Ad* 4. Liberum arbitrium ſequitur affectum prædominantem actu, non habitu. *Ad* 5. Chriſtus eſt fundamentum, & Spirituſſanctus eſt adiutorium volentium, non nolentium. *Ad* 6. Charitas viæ & patriæ eſt eadem: ſed hæc immutabilis per gratiam. *Ad vlt.* ex *Aug.* Charitas quæ deſinere potuit nunquam vera fuit .i. quæ actu deſijt, non fuit vera quoad ſuum finem.

*Art.* 2. An lapſus à charitate poſſit reſurgere ad æqualem? *Reſp.* Poteſt. 1. Ex ſacra ſcript. *Luc.* 10. Citò proferte ei ſtolam primam. *Rom.* 5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. 2 Exemplo *Dauidis, S. Magd. S. Petri,* & aliorum pœnitentium. 3. Ratione: Quia poteſt homo reſurgere cum maiori deteſtatione peccati, quàm ante, &c. *Ad* 1. ex *Amos* 8. Virgo Iſrael non poteſt reſurgere ad priorem innocentiam & gloriam accidentalem, ſed eſſentialem. *Ad* 2. Ex *Oſea,* Leuitæ pœnitentes non reſtituuntur ſacris functionibus: ob harum decus externum. *Ad* 3. Gratia gratum faciens melius diſponit habitualiter: ſed gratia gratis data, actualiter, ad cooperationem. *Ad* 4. *vt ad* 1.

*Art.* 3. An poſſit reſurgere in charitate minori? *Reſp.* Fuit opinio quòd neceſſe ſit hominem reſurgere in æquali vel maiori charitate: ſed hic modus dicendi eſt contra rationem, & ſenſibile experimentum, nec habet ſtabile fundamentum, &c. Hinc communis tenet opinio, quòd homo poteſt & in minori, & in maiori, & in æquali charitate reſurgere. 1. Quia Dei liberalitas non eſt ex ſe determinata. 2. Deus dat gratiam ſecundùm diſpoſitionem. 3. Charitas prior non meretur ſequentem. 4. Culpa poteſt expelli quauis gratiâ. 5. Nemo repentè fit ſummus, &c. *Ad Ier.* 3. *& Baruch* 4. id eſt, de perfecta conuerſione. *Ad Ezech.* 18. Deus non recordatur peccatorum poſt pœnitentiam: ad pœnam æternam; nec minor gratia poſt quàm ante, eſt ex punitione, ſed ex defectu diſpoſitionis ſufficientis. *Ad Rom.* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: id eſt, ad maiorem humiliationem, & cautelam; non autem ſtatim, ſed finaliter ad perfectionem. *Ad Gloſſ. in Gen.* 1. Lux matutina eſt illa ad quam reſurgitur: quoad nouitatem, non claritatem. *Ad vlt.* Expellens fortius eſt expulſo: ſi expulſio ſit actiua, qualis non eſt inter peccatum & gratiam.

## Collatio 74. *De duratione Charitatis, comparatiuè ad alias virtutes.*

*Art.* 1. An fides euacuenda ſit? *Reſp.* Quibuſdam videtur quòd non, quoad illuminationem: ſed tantùm quoad obſcuritatem. Ex 1. *Cor.* 13. Cùm ſuperuenerit perfectio, deſinet imperfectio, &c. Licet autem hic modus dicendi videatur ſatis probabilis: non tamen conſonat verbis *Aug.* 14. *Trin.* 3. nec verbis Apoſtoli; quia non diceretur euacuenda fides potiùs quàm alij habitus aut potentiæ. Hinc eſt alius modus dicendi magis communis: quòd quia fides eſt habitus inclinans intellectum per affectum, non poſſit ſtare cum euidentiâ intellectuali gloriæ. *Ad* 1. Fides non eſt perfectio ſimpliciter, ſed potiùs via. *Ad* 2. Nec eſt fundamentum ſimpliciter, rerum ſperandarum: ſed pro ſtatu viæ. *Ad* 3. Aſſentiri primæ Veritati, non eſt fidei, niſi vt per voluntatem. *Ad* 4. Fides informis ob ſuam imperfectionem magis repugnat ſtatui gloriæ, quàm peccati. *Ad* 5. Viſio Dei per ſpeciem propriam ſeu eſſentiam, excludit viſionem eius per ſpeculum ſeu effectum obſcurè: non autem excludit viſionem eius in ſpeculo ſeu effectu. Vt ex *B. Aug. vlt. de Ciu.* *Ad* 6. Lumen fidei non repugnat lumini gloriæ, ratione luminis, ſed annexæ obſcuritatis vel euidentiæ.

Collatis tamen nouis hinc inde authoribus, & rationibus, ſubdit: *His ergo viſis, dicimus*, quòd ſi fides & ſpes ſumantur propriè & vſitatè, pro habitibus motiuis potentiæ rationalis, & iraſcibilis, ad actum credendi & ſperandi, penitùs euacuabuntur. Ex 1. *Cor.* 13. *Heb.* 7. *Aug.* 12. *in Gen.* 1. *Solil.* 1. *Doct. Chriſt.* 13. *Trin.* 1. 14. *Trin.* 2. 8. 11. Si autem ſumantur vt perficiunt imaginem Dei, & habilitant ad actus perfectionis communes viæ & patriæ, non euacuabuntur. *Ad Eccli.* 40. Fides in ſæculum ſtabit .i. in ſua mercede. *Ad Aug.* 13. *Trin.* 1. Non eſt dicendum, fides perit, cùm ea quæ credebantur,



Digitized by Google

tur, videntur .i. Non erit hoc dicendum, quando habebit ſuum finem & fructum. *Ad Heb.* 11. Sine fide hîc, vel ſine eius perfectione, non poteſt placeri Deo. *Ad reliqua.* Charitas viæ non poteſt eſſe in puro viatore, ſine fide & ſpe.

*Art.* 2. An ſpes euacuanda ſit? *Reſp.* Vt de fide ſupra, ex *Rom.* 5. & 8. quia habitus ſpei habilitat ad confidendum & innitendum Deo, cum quadam protentione, erectione, & expectatione præmij ſubſtantialis: quæ repugnant ſtatui gloriæ. *Ad* 1. ex *Sap.* 3. Spes plena eſt immortalitate .i. res ſperata. *Ad* 2. ex *Pſal.* 30. In te Domine ſperaui, &c. De Chriſto, ſed in ſuis membris. *Ad* 3. ex 1. *Pet.* 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere : deſiderio continuationis, non ſpei. *Ad* 4. Animæ beatæ expectant reſur. ſuorum corporum : ſed non ſperant; quia ſpes non eſt propriè niſi præmij eſſentialis; nec expectant ex ſpe inhiante & affligente, *Prou.* 13. ſed ex certitudine & euidentia. *Ad* 5. Deſperatio eſt in pœnam damnatorum : ſpes autem non conuenit Beatis. *Ad* 6. Non quæuis confidentia in Deum eſt actus ſpei: ſed cum quadam protentione, inhiatione, & erectione. *Ad* 7. Non erit ibi vlla expectatio, nec certitudo ſpei, ſed perfectior.

*Art.* 3. An ſcientia ſit euacuanda? *Reſp.* Quibuſdam videtur quòd ſic, nouo ac perfecto habitu ſuccedente, ad perfectam cognitionem rerum in proprio genere. Alijs videtur quòd non quoad habitum, ſed tantùm quoad vſum eius imperfectum. Alijs videtur non euacuari quoad habitum, ſed perfici quoad vſum & modum, in ſimplicem intelligentiam. Hic modus magis conſonat authoritati & rationi. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 13. Scientia deſtruetur: quoad modum ſciendi diſcurſiuè. *Ad* 2. Scientiæ ſunt potiùs ad perficiendam intelligentiam, quàm ad ſupplendam indigentiam. *Ad* 3. Cognitio rerum in Verbo & in genere proprio, poſſunt eſſe ſimul habitu & actu. *Ad* 4. Lumen fidei eſt obſcurum, ſcientiæ clarum : Ideò non hoc, ſed illud repugnat claritati gloriæ. *Ad* 5. Scientia acquiritur per diſcurſum : ſed poteſt perfici quoad hunc modum.

COLLATIO 75. *De duratione Charitatis, comparatiuè ad ipſum præmium.*

*Art.* 1. An habitus charitatis euacuetur per gloriam? *Reſp.* Non euacuatur, ſed perficitur, 1. *Cor.* 13. vt diſpoſitio huic non oppoſita, ſed conformis. 1. Quia charitas eſt obiecti præſentis & abſentis. 2. Quia, ex *S. Bern. de amore Dei*, vbi deficit intellectus proficit affectus : ergo hic eſt illo perfectior, & ſtatui gloriæ conformior. 3. Quia charitas hîc datur ad prægustandam Beatitudinem. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 13. Euacuatur quod ex parte eſt .i. imperfectum ſimpliciter, non ſecundùm quid, ſeu imperfectibile, non perfectibile. *Ad* 2. Fides & ſpes non generant, nec diſponunt neceſſariò ad charitatem, ſed potiùs viſio Dei. *Ad* 3. Charitas non tantùm eſt diſpoſitio ad tendendum, ſed etiam ad quieſcendum in Deo. *Ad* 4. Charitas non eſt medium diſtantiæ, ſed vnionis ad Deum.

*Art* 2. An charitas in patria dilatetur? *Reſp.* Non latitudine accidentali plurium diligendorum: ſed eſſentiali, affectus amplioris, liberalioris, &c. *Ad* 1. Dilectio illa non diſpergit, ſed colligit omnium charitatem in vnum Deum : qui erit ibi omnia in omnibus. *Ad* 2. Charitas erit tunc tantùm prædeſtinatorum : ſed ſingulorum diſtinctè præſentium ac dilectorum. *Ad* 3. Charitas non erit poſt diem iudicij inimicorum : ſed ſufficiet ad eorum dilectionem, ſi eſſent diligendi.

*Art.* 3. An ordo charitatis ſit immutandus in patria? Primus modus dicendi eſt, quòd non: quia eſt de lege naturæ, &c. Secundus modus eſt, quòd non quoad ordinem eſſentialem Charitatis, ex obiectis : ſed accidentalem, ex ſubiectis proprijs vel alienis, propinquis vel remotis; quia tunc erit perfecta conformitas voluntatis ad obiecta, & ad voluntatem Dei, &c. Quis autem horum modorum ſit rationabilior, difficile eſt definiri in hac vita. Nam ſecundùm ea quæ ſentimus, vix eſt credibile quòd quis alterum diliget quantùm ſeipſum: ſi quis vero velit mentem ſuam altiùs eleuare ad maximam illius Ciuitatis vnitatem, magis rationalem iudicabit alterum modum dicendi, quia videtur eſſe *B. Aug. lib. de vera Relig.* & *S. Bern. de amore Dei.* Tunc enim perficietur mandatum de diligendo proximo, ſicut ſeipſum. *Si ergo velimus loqui vt plures, ſuſtinebimus primum modum: ſi vt ſapientes, ſuſtinebimus ſecundum.* *Ad* 1. Gloria ſeruat ordinem naturæ, ſed corrigit eius imperfectionem. *Ad* 2. Obſcuritas eſt ex ipſo habitu fidei : ſed ordo inter nos & proximos, eſt ex ſubiectis. *Ad* 3. Ex parte obiecti, Beati tantum gaudebunt de bono proprio vel alieno, quantum erit : ſed ex parte virtutis gaudendi, plus gaudebit qui plus charitatis habuerit, &c. Si aliam poſitionem ſuſtinere velimus. *Reſp.* Omnia obiecta intelligi cæteris paribus. Nec Deus diligit inæquali affectu, ſed ad inæqualia bona.

## DE VIRTVTIBVS *CARDINALIBVS.*

### COLLATIO 76.

*De virtutibus Cardinalibus in genere.*

*Art.* 1. An ſint neceſſariæ præter Theologicas? *Reſp.* Sunt neceſſariæ, ad ordinandum hominem circa ſeipſum, & proximum, vt Theologicæ circa Deum. Ex *Sap.* 8. *Ad* 1. ex *Rom.* 13. Qui diligit proximum legem impleuit : elicitiuè, vel imperatiuè per alias virtutes. *Ad* 2. Amor eſt origo omnium affectionum : ſed non eſt omnis affectio; ideoque non ſufficit eius ſolius ordinatio. *Ad* 3. Virtutes reformant potentias : ſed ad Deum & infra; ad finem & ad media; nec virtutes Theologicæ verſantur principaliter circa media, ſed tantùm conſequenter. *Ad* 4. Virtutes Theologicæ dirigunt vires animæ ad vitam contemplatiuam: non æquè tamen ad actiuam.

*Art.* 2. An ſit vna, vel plures? *Reſp.* Sunt vna à forma qua ſunt gratuitæ ſeu à gratia gratum faciente, & à forma quâ ſunt meritoriæ ſeu à charitate ad eundem ſuum finem vltimum omnes inclinante: ſed ſunt plures eſſentialiter diſtinctæ, à ſpecialibus actibus, obiectis, ſubiectis, vitijs oppoſitis, & modicitatibus ſuis. *Ad* 1. ex *B. Aug. de moribus Eccleſiæ*: Sunt idem affectus amoris ordinatus : radicaliter, non formaliter. *Ad* 2. ex *Aug. de quantitate animæ*: Virtus eſt æqualitas vitæ vndique rationi conſentiens : *vndique*, inter ſua extrema, non per, aut circa omnes vires animæ. *Ad* 3. ex *Aug.* & *S. Bern.* Fortitudo eſt prudens, &c. non formaliter,

Digitized by Google

liter, ſed cauſaliter & concomitanter in eodem ſubiecto ſimplici. *Ad* 4. Omnis virtus eſt iuſtitia generalis, ſeu rectitudo voluntaris: non ſpecialis, ſeu rectitudo ad alterum. *Ad* 5. Proprietates virtutũ communicantur per appropriationem. Diſcretio mediorum, eſt prudentiæ: ſed inclinatio determinata ad hoc vel illud, eſt cuiuſque virtutis. *Aduerte Lector. quòd ex S. Ambr. lib. de Offic. c. 11. Virtutes Card. ſint vna forma ſecundùm virtutem: licet ſecundum opinionem vulgi diſtinguantur.*

*Art.* 3. Quot ſint? *Reſp.* Sunt quatuor. 1. Quia omnis virtus vel quærit, vel inuenit, vel vindicat, vel poſſidet medium virtutis. 2. ex *Aug. de moribus Eccl.* Virtus dicitur quadripartita, ex affectu vario amoris, &c. *Ad* 1. Omnis virtus eſt de eligendis & vtendis, materialiter: ſed formaliter, prudentia eſt virtus eligendi, Temperantia vtendi, &c. *Ad* 2. Sunt circa actiones & paſſiones; honeſtum & vtile: ſed illæ, & hæc ſunt duplicia, &c. vt *Coll.* 6. 7. 8. 24. *&c.*

*Art.* 4. De diſtinctione & ſufficientia 4. virtutum. 1. Ex ſubiectis, ſeu tribus animæ viribus perficiendis: rationali, per Prudentiam; iraſcibili, per Fortitudinem; Concupiſcibili, per Temperantiam; omnibus circa proximum, per Iuſtitiam. 2. Ex actibus. 3. Ex oppoſitis. 4. Ex proprijs obiectis, bono vel malo, proprio vel alieno. 5. Ex vtendis circa corpus & animam; propria aut proximi: vt Theologicæ ex fruendis. 6. Ex varijs legibus. 7. Ex varijs earum figuris, &c.

*Art.* 5. Per 4. Quæſtiones. 1. Cur dicantur Cardinales. 2. Cur non etiam diuinæ ſeu infuſæ. 3. Cur politicæ & conſuetudinales. 4. Quo reſpectu principales, quæue inter eas principalior? *Ad* 1. *Reſp.* Non dicuntur Cardinales reſpectu Theologicarum: ſed virium, actuum, & virtutum inferiorum; quia vt oſtium ordinatè voluitur & reuoluitur ſuis cardinibus, ſic tota vita humana his 4. virtutibus. *Ad* 2. Quamuis etiam infundantur: non tamen inde denominantur, ſed à ſuo obiecto & fine. *Ad* 3. Dicuntur Politicæ ſeu Ciuiles: quia pertinent ad ſtatum optimum Reipublicæ; dicuntur Conſuetudinales, quia etiam exercitio acquiruntur. *Ad* 4. Dicuntur Principales, reſpectu ſuarum inferiorum ſub ſe contentarum: inter eas autem principalior ex fine, eſt iuſtitia; ex principio, prudentia; ex modo, temperantia; ex difficultate, fortitudo.

*Art.* 6. De ſubiecto virtutum Cardinalium: An ſint in ipſa parte rationali, vel ſolùm obediente rationi? *Reſp.* Vt pars rationalis opponitur ſenſitiuæ, ſic ſunt omnes in ſola rationali: ſed vt opponitur affectiuæ, ſic non ſunt omnes in rationali; ſed quædam in affectiua ſeu voluntate, concupiſcibili & iraſcibili. Quia virtutes Cardinales ſunt etiam infuſæ & meritoriæ: ergo in ipſo libero arbitrio. *Ad* 1. *&* 2. Eſt etiam vis concupiſcibilis & iraſcibilis rationalis in nobis, nec realiter diſtinguitur à libero arbitrio. *Ad* 2. *&* 5. Defectus per virtutes perficiendus, oritur quidem ex parte ſenſibili: ſed non eſt vitioſus niſi in rationali. *Ad* 4. Ex actibus virtutum imperatis naſcitur etiam quædam habilitas partis ſenſitiuæ.

*Art.* 7. De vario ordine harum 4. virtutum inter ſe. *Reſp.* Ordine acquirendi, prima eſt temperantia, præparans ad prudentiam: ordine perficiendi, prudentia; ordine obiecti difficilis, fortitudo; ordine obiecti boni, iuſtitia, &c.

*Art.* 8. De origine harum 4. virtutum. *Reſp.* Vt ſolùm habilitant ad opera moralia; ſunt radicaliter à natura, completè ab exercitatione & auxilio gratiæ: ſed vt ſunt gratuitæ & meritoriæ, ſunt à Deo. *Iac.* 1. Omne donum optimum deſurſum eſt, &c. *Sap.* 3. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det. *Ad* 1. *&* 2. Tam naturalia quàm gratuita poſſunt dici eſſe à Deo nobis cooperante. *Ad* 3. Virtus acquiritur actu interiori. *Ad* 4. Non perficitur vno actu, ſed pluribus. *Ad* 5. Non acquiritur actibus virtutis præexiſtentis, ſed ad eam diſponentibus.

*Art.* 9. De duratione virtutum Cardinalium. *Reſp.* Charitas manet in patria vt præmium: ſed virtutes Cardinales, vt diſpoſitiones ad præmium, &c. vt ſupra *Collat.* 1. 11. 20. 21.

COLLATIO 77. *De Prudentia in genere.*

*Art.* 1. De varijs eius modis. *Reſp.* Prudentia vel ſumitur communiter, pro bona & mala: vel pro ſola virtute Prudentiæ; eaque vel acquiſita, vel gratuita, ſeu infuſa. Vtroque modo, vel ſumitur pro omni virtute directiua, vel prout diſtinguitur ab intellectu, vel pro vnica ex 4. virtutibus Cardinalibus.

*Art.* 2. De tribus modis prudentiæ ex *S. Baſilio in Prouerb.* 1. Pro qualibet ſagacitate boni proprij ſenſitiui. 2. Mali alieni. 3. Boni rationalis.

COLLATIO 78. *De prudentia ſpiritus*, Rom. 8.

*Art.* 1. Quid ſit prudentia ſpiritus: per tres Quæſt. 1. An ſit idem quòd virtus prudentiæ? *Reſp.* Prudentia ſpiritus ſecundùm vitam, non ſecundùm ſenſum, eſt eadem quòd virtus prudentiæ, 1. *Cor.* 2. *Rom.* 8. *Quæſt.* 2. An prudentia ſpiritus dicatur vita, *Rom.* 8. vt fides, *Habac.* 2. *&* *Rom.* 1. & quæ pax dicatur de prudentia, *Rom.* 8. *Reſp.* *Ad* 1. Fides dicitur vita quoad actum primum interiorem: Prudentia quoad actus exteriores ad quos dirigit. *Ad* 2. Pax incipientium eſt reconciliatio cum Deo; pax proficientium eſt ordinatio ſpiritus rationalis ſub Deo, & ſuper carnem, ad bonas operationes: pax perfectorum, ſeu contemplatiuorum, eſt fructus ſpiritus, *Gal.* 5. Pax Beatorum eſt ipſa Beatitudo. *Ad* 3. *&* 4. Prudentia ſpiritus & virtus, non dicitur pax formaliter, ſed quaſi effectiuè. *Quæſt.* 3. An prudentia ſpiritus ſit agere ſtudioſè ſpiritualia, ex *Gloſſa in Rom.* 8. *Reſp.* *Agit*, conſequenter quoad vitam: *ſtudioſè*, quoad ſcientiam eſt vehementi animi applicatione; *ſpiritualia*, ſeu relatiua ad finem æternum, & *ſpiritualiter* ſeu relatiuè ad illum.

*Art.* 2. Vnde dicatur prudentia ſpiritus? *Reſp.* Non à principio, nec à ſubiecto, ſed ab obiecto ſpirituali. *Ad* 1. Prudentia ſpiritus adminiſtrat etiam temporalia, ſed ſpiritualiter: nec eſt in ratione ſuperiori, ſed inferiori. *Ad* 2. Dicitur homo ſpiritualis: quia præcipit, appetit, & agit ſpiritualia. Quidam dicunt ex *S. Ambr.* quòd prudentia ſpiritus ſit agere ſtudioſè ſpiritualia: non ſtudio ſcientiæ, ſed experientiæ interioris.

*Art.* 3. Quæ ſint illa ſpiritualia? *Reſp.* Sunt bona ſuperiora, & inferiora, vt opponuntur carnalibus:

libus : vel illa vt finis æternus, hæc vt media temporalia.

*Art.* 4. An prudentia ſpiritus pertineat ad vitam actiuam, vel contemplatiuam? *Reſp.* Ad vtramque: ſed quidam putant quòd principaliter ad contemplatiuam, alij quòd ad actiuam.

COLLATIO 79. *De prudentia carnis.*

*Art.* 1. Quid ſit? *Quæſt.* 1. An ſit mors, *Rom.* 8. *Reſp.* Eſt mors, ſeu peccatum mortale, non ſolùm cauſaliter, ſed & formaliter. *Ad* 3. Non eſt mors ſeu pecc. mort. vt ſcientia : ſed vt acceptata per affectionem & experientiam. *Quæſt.* 2. An prudentia carnis ſit ſtudioſè implere quæ carnis ſunt, *Gal.* 5. *Reſp.* Non ſtrictè ſumendo carnem, & eius opera : ſed latè, pro homine & humanis. *Ad vlt.* Prudentia ſpiritus, à qua homo dicitur ſpiritualis, eſt quoad ſola opera neceſſaria ſaluti : prudentia carnis, eſt circa omnia contraria ſaluti. Aliter poteſt dici, quòd prudentia ſpiritus quoad vitam, ſit tantum circa opera neceſſaria : ſed quoad ſenſum & guſtum, ſit etiam circa omnes fructus ſpirituales.

*Art.* 2. In quo ſit prudentia carnis? *Quæſt.* 1. An ſit in omni peccatore adulto? *Reſp.* Non in omni quoad cognitionem, ſed quoad affectionem in peccando. *Quæſt.* 2. An ſit etiam in Diabolo? *Reſp.* Non propriè, ſed impropriè, & cauſaliter, in perſuadendo opera carnis.

COLLATIO 80.

*De comparatione prudentiæ carnis & ſpiritus.*

*Art.* 1. De comparatione vtriuſque inter ſe. *Quæſt.* 1. An prudentia carnis poſſit eſſe vel fieri prudentia ſpiritus? *Reſp.* Non quoad affectionem, ſed quoad cognitionem remotam, non proximam. *Quæſt.* 2. An nomen prudentiæ dicatur vniuocè vel æquiuocè de vtraque? *Reſp.* Nec prorſus vniuocè, nec prorſus æquiuocè : ſed analogicè, &c. *Quæſt.* 3. An conueniat in eadem materia & obiecto : vel ita ſe habeat prudentia carnis ad carnalia, vt prudentia ſpiritus ad ſpiritualia? *Ad* 1. *Reſp.* Non in obiecto, nec materia propinqua, ſed remota : nec quoad affectum & vitam, ſed quoad ſolam cognitionem. *Ad Arg.* Prudentia ſpiritus non cognoſcit carnalia niſi vt inſipida : ſicque veriùs ea cognoſcit quàm prudentia carnis, & alio modo formaliter. *Ad* 2. Nec ſic ſe habet prudentia carnis ad carnalia, vt prudentia ſpiritus ad ſpiritualia, nec è contra : quia non omnia ſpiritualia ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſicut omnia carnalia ſunt contraria.

*Art.* 2. De comparatione vtriuſque ad ſapientiam Dei & mundi, ex 1. *Cor.* 1. *Quæſt.* 1. An illæ ſint idem quòd hæ? *Reſp.* Si illæ & hæ ſumantur communiter, ſunt idem : ſi propriè, non ſunt idem; quia propriè ſapientia eſt contemplatiua, prudentia actiua. *Quæſt.* 2. An ſit triplex prudentia ſpiritus & carnis : vt eſt triplex ſapientia Dei & mundi, ex *Iac.* 3. *Reſp.* Eſt triplex latè, non ſtrictè ſumpta. Quia vt ſapientia mundi, *Iac.* 3. eſt terrena, animalis, & diabolica : ſapientia Dei ibidem eſt pudica, pacifica & modeſta : ſic & prudentia carnis ac ſpiritus.

COLL. 81. *De varijs definitionibus prudentiæ.*

*Art.* 1. De pluribus ſimul, ſecundùm cognitionem, vel affectionem, vel vtramque.

*Art.* 2. De ſingulis ſeorſim. *Quæſt.* 1. De prima defin. *B. Aug. lib. de moribus Eccleſiæ cap.* 17. *Prudentia eſt amor ea quibus adiuuatur ab his quibus impeditur ſagaciter eligens.* *Reſp.* Hæc defin. vt quidam dicunt, data eſt per formam infuſionis prudentiæ, & obiectum eius. Nam prudentia infunditur per gratiam, ex amore Dei, & habet inclinatiuum ad opera amoris Dei. Non enim operatur tunc prudentia propter honeſtum quòd eſt in ipſa, nec propter ſeipſam : ſed efficitur deſiderata propter Deum. *Ad* 1. Hic amor poteſt dici charitatis, vt eſt forma generalis & motrix aliarum virtutum, nec diſtinguitur ab illis vt ſunt propter Deum, &c. Cùm enim quis propter Deum prudenter vel caſtè operatur, non oportet vt priùs moueatur actu charitatis, & poſt actu prudentiæ vel caſtitatis: ſed vt habeat habitũ charitatis inclinantis ad quicquid facit, propter Deum. Aliter poteſt dici quòd vel amor hic accipitur latè, prout omnis virtus dicitur amor ſeu affectus ordinatus : vel prudentia non dicitur amor per eſſentiam, ſed per cauſalitatem. *Ad* 2. Eligere eſt actus liberi arb. ſed potiùs rationis practicæ. *Ad* 3. Prudentia non eligit niſi quæ per ſe adiuuant : qualia non ſunt mala culpæ. *Ad* 4. Prudentia vt eſt ſcientia, reſpicit bonum per modum veri : ſed vt eſt virtus, reſpicit bonum vel ſaltem verum per modum boni, & cognitio eius inclinat ad bonum. Vnde nil obſtat prudentiam vt eſt virtus, eſſe amorem per eſſentiam. *Ad vlt.* Prudentia eſt amor eligens .i. inclinans ad eligendum. *Quæſt.* 2. De 2. defin. *B. Aug. l.* 1. *de lib. arb.* Prudentia eſt rerum appetendarum & vitandarum ſcientia. *Reſp.* Hæc defin. datur per comparationem prudentiæ ad propriam materiam. *Ad* 1. 2. & 3. Prudentia non eſt ſcientia ſpeculatiua de rebus vniuerſalibus & neceſſarijs : ſed practica de rebus ſingularibus, humanis, & contingentibus. *Ad* 4. Prudentia eſt ſcientia docens operabilia per rationes morales. *Ad* 5. Prudentia eſt ſcientia Rationis inferioris. *Ad* 6. & 7. Eſt ſcientia practica; ſed non eodem modo operatiua circa bona & mala, vel non circa mala. *Ad vlt.* Prudentia differt à ſcientia Theologica, vel morali : quòd hæc non ſit, ſicut illa, ex acceptatione operabilium ad voluntatem ordinata : nec, ſicut illa, ſit practica, mouens ad operandum. *Quæſt.* 3. De 3. defin. *B. Aug. l. de ſpiritu & anima.* Prudentia eſt virtus quâ anima ſcit quid debeat facere. *Reſp.* Hæc datur per comparationem ad effectum prudentiæ in ſubiecto. *Ad* 1. Fides non eſt virtus quâ ſcitur, ſed creditur; nec eſt de agendis ad finem, vt prudentia; ſed de ipſo fine. *Ad* 2. ex 2. *Ethic.* Scire parum aut nihil prodeſt ad virtutem .i. moralem, non rationalem. *Ad* 3. Scire practicum prodeſt ad virtutem : ſed parum reſpectu ipſius velle. *Quæſt.* 4. De 4. defin. *Prudentia eſt rerum bonarum & malarum, cum illarum dilectione, & harum deteſtatione ſcientia.* *Reſp.* Hæc eſt optima : quia exponit materiam prudentiæ, & formam ſeu diuerſitatem actus, pro diuerſitate materiæ. *Ad* 1. Virtus prudentiæ differt à dono ſcientiæ. *Ad* 2. Hæc dilectio & deteſtatio, ſunt voluntatis, vt primò mouentis, non vt concupiſcibilis vel iraſcibilis. *Ad vlt.* Hæc defin. eſt ſolius virtutis prudentiæ. *Quæſt.* 5. De 5. & 6. defin.

*Pruden-*

*Prudentia eſt diuini & humani iuris & iniuriæ, cum alterius fuga, & alterius appetitu diſcretio.* *Reſp.* Quædam eſt ſcientia impertinens ad virtutem, quædam propinquiùs vel remotiùs diſponens, quædam dirigens, quædam eſt ipſa prudentia virtus. *Ad Arg.* Hæ non ſunt prudentiæ virtutis, ſed diſponentis ad illam, &c. *Quæſt.* 6. De 7. defin. *Tullij* 1. *Rethor.* Prudentia eſt rerum bonarum & malarum ſcientia. *Reſp.* Hæc datur per genus, & materiam propriam prudentiæ. *Ad* 1. Bonum & malum ſumuntur hic moraliter. *Ad* 2. Prudentia eſt ſcientia omnium prout veniunt in vſum voluntatis. *Ad* 3. *Tullius* latè ſumit hic prudentiam. *Ad* 4. Scientia ſpeculatiua eſt per accidens ad prudentiam. *Ad* 5. ex *Rom.* 11. Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo .i. ſine complacentia mali. *Ad* 6. & 7. ex *Ariſt.* & *B. Aug.* Præſtat quædam mala neſcire: non ob ſcientiam, ſed pronitatem, & curioſitatem ea ſciendi. *Quæſt.* 7. De 8. defin. *Tullij lib. de Offic.* Prudentia eſt indagatio veri. *Reſp.* Hæc datur per actum & finem prudentiæ in ſe, circa operabilia. *Ad* 1. Quæuis ars inuenit verum in materia propria: ſed prudentia verum placens ſeu eligibile ad opus. *Ad* 2. Prudentia vt eſt virtus, mouet inſtar naturæ: vt ſcientia, procedit ex probabilibus particularibus, & moralibus. *Ad* 3. Quædam ſcientia parùm prodeſt ad virtutem, quædam nihil, quædam eſt pars virtutis. *Ad* 4. Inuentio veri in bono operabili, eſt prudentia. *Ad vlt.* Hoc verum eſt imitabile; non autem vniuerſale. *Quæſt.* 8. De vlt. & principali defin. ex *Ariſt.* 6. *Ethic.* Prudentia eſt habitus cum vera ratione circa humana bona operatiuus. *Reſp.* Dicitur *habitus*, pro genere: *cum vera ratione*, ad diſtinctionem ab opinione; *circa bona humana*, ad diſtinctionem à ſcientia & ſapientia circa neceſſaria; *actiuus*, ad diſtinctionem ab arte factiua. Hinc *ad Arg.*

COLLATIO 82. *De Prudentia virtute.*

*Art.* 1. An Prudentia ſit virtus? *Reſp.* Eſt virtus, & pars honeſtatis: vt dicunt Sancti, & Philoſophi. *Ad* 1. 2. & 3. ex *Coll.* 83. & 84. *Ad* 4. Virtus prudentiæ eſt circa difficile, vt bonum: non circa verum vt verum, nec probabile vt probabile; ſed circa verum honeſtum, quod eſt etiam difficile. *Ad* 5. Nec virtus prudentiæ, nec ſcientia moralis eſt contemplatiua, ſed practica, ex *Ariſt.* 1. *Ethic.* & 1. *Metaph.*

*Art.* 2. An omnis virtus moralis ſit prudentia? *Reſp.* Nulla poteſt eſſe ſine prudentia, ſeu conformitate ad rectam rationem: non tamen eſt ipſa prudentia; quia hæc ab illis diſtinguitur ſubiecto, obiecto, actu, definitione, &c. *Ad* 1. Quælibet virtus inclinat certò ad ſua operabilia: ſed ſola prudentia dictat & inclinat ad omnia. *Ad* 2. Prudentia dicitur virtus rationalis, ad diſtinctionem à moralibus. *Ad* 3. & 5. Sola prudentia eſt certa ratio agendorum: ſed non ſola eſt ſecundùm rectam rationem. *Ad* 6. Eligere in omni materia eſt ſolius prudentiæ: in propria, eſt cuiuſuis virtutis.

*Art.* 3. An prudentia ſit vnica virtus Cardinalis, vel plures? *Reſp.* Eſt vnica: quia, vt fides circa ſummum bonum, vt verum: ſic prudentia circa media bona, vt vera. *Ad* 1. & 2. Virtus eſt circa omne & ſolum bonum neceſſarium ad ſalutem: ſed quædam dona ſunt circa finem, quædam circa media, præcepta, vel ſolùm conſulta. Deinde virtutes ſunt ad rectitudinem agendi: dona ad expeditionem intellectus & affectus. *Ad vlt.* Prudentia, etiam vt ſcientia, poteſt eſſe de omnibus rebus, ſub vna formali ratione morali eligibilis.

*Art.* 4. An prudentia ſit virtus intellectualis, vel moralis, ex *Ariſt*? *Reſp.* Eſt media, quoad conuenientiam cum vtriſque: ſed intellectualis quoad eſſentiam. *Ad* 1. Prudentia eſt actiua imperando, & dictando: virtus moralis, in exequendo.

*Art.* 5. An prudentia ſit virtus actiua, vel contemplatiua? *Reſp.* Propriè & ſimpliciter eſt actiua: ſed latè, etiam contemplatiua, vt & intellectualis.

COLLATIO 83. *De ſubiecto Prudentiæ.*

*Art.* 1. An prudentia ſit habitus rationis, vel voluntatis? *Reſp.* Eſt rationis practicæ, vt ſubiecti: ſed voluntatis, vt cauſæ ſeu motiui. *Ad* 2. Poſſet etiam dici materialiter, vt eſt ſcientia, in Ratione: formaliter, vt virtus, in voluntate ſeu affectu.

*Art.* 2. An ſit in ratione conſequente, vel antecedente voluntatem? *Reſp.* Nonniſi in conſequente appetitum rationalem voluntatis. *Ad* 1. Voluntas prior eſt in acceptando ſcibili prudentiæ: non autem in operando. *Ad* 2. Vis concupiſcibilis & iraſcibilis ſunt cauſæ & finis acceptandi talem ſcientiam: ratio autem eſt dux & auriga operandi. *Ad* 4. Scire poteſt eſſe ante, & poſt velle. *Ad* 5. Voluntas actualis dicitur eſſe in ratione .i. in tota vi motiua rationali.

COLLATIO 84. *De actu Prudentiæ.*

*Art.* 1. An ſint plures actus prudentiæ, & qui? *Reſp.* Omnes actus rationis conſequenter ſe habentis ad voluntatem, circa ea quæ ſunt ad finem, ſunt actus prudentiæ virtutis.

*Art.* 2. De numero actuum prudentiæ. *Reſp.* Sunt 7. Eliciti vel imperati. 1. Inquirere ſeu ſcrutari quæ ſint ad finem. 2. Conſiliari quid vtilius. 3. De hoc iudicare. 4. Sententiare, & affici iudicato. 5. Eligere. 6. Impetere, ſeu mouere ad opus. 7. Vti ſeu agere, &c.

*Art.* 3. Quis horum ſit actus proprius & principalis prudentiæ? *Reſp.* Eſt Electio, ex *Damaſc l.* 2. *cap.* 26. quia hic eſt actus completus rationis, & voluntatis ſimul: nec poteſt eſſe rectus niſi ſit huius virtutis. *Ad* 1. & 2. Electio eſt affectiua, ſed nonniſi ex conſilio. *Ad* 3. Non eſt idem conſiliari, quòd ratiocinari. *Ad vlt.* Electio eſt cuiuſuis virtutis circa propriam materiam: ſed propria prudentiæ circa omnem materiam.

COLLATIO 85. *De medio Prudentiæ.*

*Art.* 1. An prudentia habeat medium in omnibus ſuis actibus. *Reſp.* Non vt aliæ virtutes Card. Quia eſt virtus rationalis; nec poteſt quis eſſe nimis prudens.

*Art.* 2. An habeat medium in credendo, iudicando, loquendo? *Reſp.* Quidam dicunt quod non proprium, ſed alienum: Alij, quòd non vnum proprium & formale prudentiæ ſimpliciter, ſed plura particularia, ſecundùm quid, &c.

*Art.* 3. An habeat medium in ſuo actu proprio & principali? *Reſp.* Non vt eſt virtus intellectualis: ſed vt practica moralis dirigens alias. *Ad Arg.* Electio quæ eſt actus principalis prudentiæ, conſiſtit



Digitized by Google

ſiſtit in medietate inter temeritatem ſeu præcipitationem, & negligentiam.

COLL. 86. *De obiecto ſeu materia Prudentiæ.*

*Art.* 1. Quid ſit materia prudentiæ? *Reſp.* Eſt quidlibet eligibile & fugibile, ad opus rectum.

*Art.* 2. An prudentia habeat certam & determinatam materiam? *Reſp.* Non, imperando & dirigendo alias virtutes: ſed circa proprios actus. Vt Logica præter communem materiã ſyllogizandi, habet ſuos proprios ſyllogiſmos. Aliter quidam reſpondent, quòd nulla vis intellectualis arctetur ex ſe ad vllam materiam: ſed ſolùm ab effectu, vel fine.

*Art.* 3. An prudentia ſit vniuerſalium, vel particularium, vel vtrorumque? *Reſp.* Prudentia tribus perficitur. 1. Cognitione regularum vniuerſalium operandi. 2. Cognitione particularium circa opus. 3. Ipsâ cognitione ſeu dictamine agendi.

COLL. 87. *De Prudentia comparata ad alias virt.*

*Art.* 1. Quomodò ſe habeat ad illas? *Reſp.* Plus habet virtutis materialis ſeu cognitionis, & formalis ſeu affectionis voluntariæ, quàm aliæ virtutes.

*Art.* 2. An ſit diſtincta ab illis? *Reſp.* Eſt diſtincta quoad eſſentiam & actum proprium, non quoad concomitantiam.

*Art.* 3. An ſit auriga omnium aliarum? *Reſp.* Non Theologicarum, vt fides: ſed Cardinalium.

*Art.* 4. An ſit principalior? *Reſp.* Poteſt dici, quòd cùm virtus ſit circa bonum difficile vitæ humanæ, ſub ratione honeſti: vt circa bonum, principalior eſt Iuſtitia; vt circa difficile, Fortitudo; vt circa honeſtum, Temperantia; vt circa humanum ſeu rationale, Prudentia, &c. vt *Coll.* 76. *Art.* 5. 6. 7.

COLL. 88. *De ſpeciebus ſeu partibus Prudentiæ.*

*Art.* 1. An ſit diuiſibilis? *Reſp.* Eſt diuiſibilis in ſpecies & partes: ab obiecto, actibus, & ratione virtutis Cardinalis. 6. *Ethic.*

*Art.* 2. De diuiſione *Tullij* 1. *Rethor.* In Memoriam, Intelligentiam, & Prouidentiam. *Quæſt.* 1. Quo ſenſu. *Reſp.* Memoria, eſt Prudentia diſponens nos ad repetenda bona præterita, & pœnitendum de malis: Intelligentia, ad imperandum diſcretè bona præſentia; Prouidentia, ad proſpiciendum futura, bona vt facienda, mala fugienda. *Ad* 7. Quidam tamen dicunt quòd hæc diuiſio non ſit in ſpecies formales, ſed in materias. *Ad vlt.* Sola Prudentia inuenit ſibi & alijs medium. *Quæſt.* 2. De Memoria. *Reſp.* Eſt pars Prudentiæ: non vt potentia, actus, vel habitus ſpeculatiuus; ſed moralis circa præterita, ad dirigendum & eligendum præſentia & futura. *Quæſt.* 3. De Intelligentia. *Reſp.* Eſt pars prudentiæ, vt habitus practicus perſpiciendi omnes circumſtantias præſentes & neceſſarias ad opus bonum. *Quæſt.* 4. De Prouidentia. *Reſp.* Eſt pars Prudentiæ, vt habitus practicus circa futura poſſibilia, ad dirigendum & eligendum præſentia.

*Art.* 3. De diuiſione *Plotini*, in Rationem, Intellectum, Circumſpectionem, Prouidentiam, Docilitatem, & Cautelam. *Reſp.* Hæc non eſt tantùm in partes, vt illa *Tullij*: ſed & in conditiones habituales, & morales prudentiæ.

*Art.* 4. De diuiſione Prudentiæ, ex *Dogmate Philoſophorum*: in Prouidentiam, Circumſpectionem, Cautelam, & Docilitatem. *Reſp.* Vt ſupra.

*Art.* 5. De tribus Diuiſ. *Ariſt.* per 4. *Quæſt.* 1. In Prudentiam ſpecialem, & Politicã: huius, in Architecam ſeu vniuerſalem, & particularem ſeu actiuam. 2. In Monoſticam, Oeconomicam, & triplicem Politicam: Legis poſitiuã, Conſiliatiuam, & Iudicatiuam; vt in tot ſpecies diſtinctas ex obiectis. *Scio tamen quòd quidam celebris Magiſter non diſtinguat eas ſpecie.* 3. In *Prudentiam* eligendi, *Eubuliam* benè conſulendi, *Syneſim* benè iudicandi, & *Gnomen* corrigendi præterita, vel vniuerſalia in caſibus particularibus, per *Epyeikeiam*: vt in ſpecies diſtinctas. Sed *Euſtochia* benè conijciendi, non eſt propriè virtus. Quæ ſic patent ex *Quæſt.* 4. *per* 4. *dubia.*

*Art.* 6. Diuiſio *Alcuini* in Intelligentiam æternorum, ad Contemplationem, Hilaritatem, & Iubilum: & in Rationem diſcernentem vera à falſis circa temporalia, per memoriam, prouidentiam, circumſpectionẽ, cautelam, conſilium & docilitatẽ.

COLLATIO 89. *De Temperantia quoad nomen.*

*Art.* 1. De eius nomine græco, *Sophroſine*, à ſanandis ſeu moderandis ſenſibus, ſed propriè guſtus & tactus.

*Art.* 2. De eadem, 6. *Ethic.* 6. à ſaluanda prudentia, moderando delectationes & triſtitias perturbantes.

*Art.* 3. De modo. *Quæſt.* 1. An ſit de nomine & ratione Temperantiæ? *Reſp.* Modus variè ſumitur, actiuè & paſſiuè. 1. Pro diſpoſitione materiali appetitus animalis ad virtutem. 2. Pro medietate virtutum inter vitia extrema. 3. Pro integritate circumſtantiarum. 4. Pro modeſtia & honeſtate virtutis. In primo ſenſu, eſt prior virtute: in 2. 3. 4. eſt communis & intrinſecus omni virtuti: ſed appropriatur Temperantiæ, vt diſcretio Prudentiæ. Cùm tamen ſingulæ virtutes in ſua materia agant diſcretè, fortiter, & moderatè: ſed ſolæ vires informes animi modificentur intrinſecè à ratione & virtutibus. *Quæſt* 2. An modus Temperantiæ ſit ipſa medietas? *Reſp.* Non: quia hæc inter extrema, eſt eſſentialis virtuti; non modus ex circumſtantijs.

COLLATIO 90. *De Temperantia in genere.*

*Art.* 1. De varijs eius definitionibus.

*Art.* 2. De ſingulis, per 9. Quæſtiones. Quarum tres definiunt eam, ex *ll. Aug. lib. de Moribus Eccl.* 6. *de Muſica.* 1. *de lib. arb.* per amorem ſeu affectum habitualem: qui ſeruat Deo integritatem corporis à corruptione gulæ & luxuriæ: vel eleuat ab inferiori pulchritudine ad ſuperiorem: vel coercet turpes animi motus, aut conſenſum. Quatuor, ex *Tullio, Alcuino*, & quodam libro *de dogmate morali Philoſophorum*, definiunt eam per dominationem animi firmam & moderatam, in concupiſcentiam, libidinem, vel eius motus & impetus ad delectationes guſtus & tactus. Tres ex *Ariſt.* 6. *Ethic.* definiunt eam per medietatem, ſeu habitum medium inter omnes delectationes & triſtitias, vel inter ſolas ſenſibiles, vel inter ſolas tactus & guſtus. *Ad Arg.* Charitas ſeruat animam Deo à corruptione ſeu priuatione gratiæ. Fortitudo habet obiectum arduum ſeu difficile ab extrinſeco: hæc ab intrinſeco. Medium virtutis non eſt æquediſtantiæ ab extremis, nec quoad rem, nec quoad nos: ſed ſufficit

Digitized by Google

ficit quoad nos diſtantia notabilis, ob nimiam difficultatem attingendi medium. De reliquis, vt ſupra & infra.

Coll. 91. *De materia Temperantiæ, per* 5. *Art.*

Quòd vt eſt virtus ſpecialis, ſit circa ſolùm delectabile tactus, & guſtus vt eſt quidam tactus, *Coll.* 89. & 90. circa alios autem ſingulos ſenſus, ſint aliæ ſingulæ virtutes innominatæ, ob illorum ſpecialem præ his difficultatem, & horum inter ſe differentiam; ſed Theologus aliter eas inter ſe diſtinguat quàm Philoſophus, ob ſpeciales difficultates ex peccato orig.

Collatio 92. *De actu Temperantiæ.*

*Art.* 1. Vt actus Fortitudinis eſt medius inter timere & audere: ſic Temperantiæ, ad normam rationis temperare, inter nimiam delectationem, & nullam; quia non eſt qui nullum ſequatur. *Ad* 1. Eſt fortitudinis ſuſtinere paſſiones illatas: non Temperantiæ ſuſtinere, ſeu permittere innatas.

*Art.* 2. Primus & principalis actus Temperantiæ eſt temperare: ſecundarij eius vt pugnantis, ſunt cohibere motus ne ſurgant, coërcere ne procedant ſeu præualeant, & refrænare ne inſoleſcant; ſed vt imperantis & triumphantis, eſt eos domare, & domitis dominari. Appropriatur etiam ei decoratio ſui ſubiecti & actus, coram alijs: non tantùm honeſtatio eius in ſeipſo.

Collatio 93. *De Temperantia comparatiuè.*

*Art.* 1. Comparatur cum Continentia communi, vt idem cum ea; cum ſpeciali, vt genus ad ſpeciem; cùm ſtrictè ſumpta, 7. *Ethic.* vt perfecta cum imperfecta.

*Art.* 2. Comparatur ad inſenſibilitatem & incontinentiam, 2. *Ethic.* vt virtus media inter duo vitia ſibi oppoſita.

*Art.* 3. Comparatur cum Fortitudine per duas *Quæſt.* 1. De vero actu externo Fortitudinis, aggrediendi aut ſuſtinendi paſſionẽ illatam ab extra: non autem vero actu externo Temperãtiæ ſine interno, circa dilectationem innatam. *Quæſt.* 2. De maiori voluntario Temperantiæ circa delectabilia, quàm Fortitudinis circa terribilia.

Coll. 94. *De Temperantia in particulari.*

*Art.* 1. Diuiditur in Continentiam ſeu Caſtitatem, & Sobrietatem, vel etiam Modeſtiam: ſed à *Tullio* 1. *Rethor.* in Continentiam, Clementiam, & Modeſtiam; non vt in ſpecies, ſed partes quaſi totius poteſtatiui, ad perficiendum proprium ſubiectum, non tantùm circa ſuam materiam principalem, ſed etiam ſecundariam & adiunctam.

*Art.* 2. Diuiditur à *Plotino*, in Modeſtiam, Verecundiam, Abſtinentiam, Caſtitatem, Honeſtatem, Moderationem, Parcitatem, Sobrietatem, & Pudicitiam.

*Art.* 3. Diuiditur ex *Alcuino*, in Modeſtiam, Clementiam, Sobrietatem, Seueritatem, Diſcretionem, Poteſtatem, Continentiam. De quibus infra, ſucceſſiuè.

Collatio 95. *De tribus partibus Tullij.*

*Art.* 1. Continentia *eſt virtus, per quàm cupiditas conſilij gubernatione regitur.*

*Art.* 2. Clementia *eſt virtus, per quam animi temere in odium inuectionis concitati, comitate vel hilaritate continentur.* Sed ex *Seneca*: *Eſt lenitas ſuperiorum erga inferiores, in pœna exigenda.* Cui non opponitur virtus ſeueritatis, ſed vitium crudelitatis. Eſt autem pars Temperantiæ communis: quatenus hæc vi concupiſcibili temperat iraſcibilem, vt & iraſcibili concupiſcibilem.

*Art.* 3. per 5 Quæſt. 1. Modeſtia *eſt quâ pudor honeſtus claram & ſtabilem comparât authoritatem*, ſeu maturitatem .i. Habitus inclinans ad omnem honeſtatem exteriorem, pudore cuiuſuis turpitudinis exterioris, vt ſigni turpitudinis interioris. 2. Eſt in dictis & factis: ſed præcipuè in dictis. 3. Eſt eadem ſpecie in vtriſque, ſub eadem ratione formali, vt ſunt quædam animi indicia. 4. Eſt in factis circa omnes exteriores ſenſuum motus & corporis geſtus: vt ſunt indices affectus interioris. 5. Eſt etiam eadem circa omnem habitum & cultum corporis, vt indicium affectus: ſed vt circa vitæ neceſſaria, reduci poteſt ad ſobrietatem.

Collatio 96. *De* 9. *partibus Plotini.*

*Art.* 1. Abſtinentia, Honeſtas, Moderantia, & Parcitas non differunt ſpecie: ſed ſunt conditiones eiuſdem virtutis, contra illa 5. irritamenta gulæ, 2. *p. q.* 59. Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè; ita vt honeſtas ſit contra duo.

*Art.* 2. Abſtinentia ſumitur 1. vt ab omnibus illicitis. 2. vt à vitijs gulæ & luxuriæ. 3. vt à cibo & potu. 4. vt à ſolo cibo. 5. vt circa ſolum tempus prandendi. Hinc variè definitur: ſed primo modo non eſt virtus ſpecialis; vltimo, eſt tantùm conditio virtutis.

*Art.* 3. Abſtinentia à vitio guſtus vt talis, differt ſpecie à caſtitate: ob ſpeciales ac differentes difficultates & medietates.

*Art.* 4. Non eſt neceſſariò abſtinendum niſi ab inhibitis: ex *Gen.* 9. *Eccli.* 39. 1. *Tim.* 4. *Tit.* 1.

Collatio 97. *De Sobrietate.*

*Art.* 1. Sumitur 1. Pro omni Temperantia. 2. ex *Sap.* 8. Pro Temperantia Cardinali. 3. Circa cibum & potum. 4. Circa ſolum potum. 5. Circa ſolam quantitatem potus.

*Art.* 2. Hinc variè definitur: ſed vt Abſtinentia eſt propriè circa cibum ad nutritionem, ſic ſobrietas circa potum, contra periculum ebrietatis. Vnde, inquit, ſobrius .i. ſub *Bria* ſeu menſura, ebrius .i. extra *Briam*. Hinc ſobrietas & ebrietas extenditur ad quicquid eſt circa vſum rationis.

*Art.* 3. Eſt ſub genere Temperantiæ, in vi concupiſcibili vt ſubordinata rationi.

*Art.* 4. Nec eſt omnino eiuſdem, nec diuerſæ ſpeciei ab Abſtinentia: quia minùs ab ea differt quàm à Caſtitate, ſed pluſquam conditiones Abſtinentiæ inter ſe; videturque differre aliquo fine, ſed referri ad completam nutritionem.

*Art.* 5. Tot habet conditiones circa potum, quot Abſtinentia circa cibum.

Collatio 98. *De Caſtitate in ſe.*

*Art.* 1. Sumitur 1. Pro Temperantia guſtus & tactus. 2. ſolius tactus. 3. Pro ſtatu aliquo Caſtitatis. 4. Pro continentia ab omni libidine tactus. 5. Pro ſola moderatione huius libidinis.

*Art.* 2. Eſt vnica virtus ſpecialis circa tactum: ſed habitu vel actu inæqualis.

*Art.* 3. Actus eius proprius eſt continere ab omni illicito coitu, vel experientia illius libidinis,

Coll-

Digitized by Google

Collatio 99. *De ſtatu Caſtitatis.*

*Art.* 1. De triplici ſtatu & gradu Caſtitatis. 1. Coniugalis. 2. Vidualis. 3. Virginalis.

*Art.* 2. Per tres Quæſt. Quid ſit Virginiats definitione? 1. ex *S. Amb. lib. de Virg. Eſt expers contagionis integritas* .i. Integritas corporis, ex incorruptione mentis. 2. ex *S. Aug.* lib. de Virg. *Eſt immunitas ab omni concubitu per piam continentiam, & portio Angelica* .i. Virginitas profeſſa propter Deum. 3. Ex eodem ibidem: *Eſt in carne incorruptibili incorruptionis perpetua meditatio*.i. De poſſibili ſaltem corruptibilitate: ſed incorruptione corporis per libidinem illam voluntariam, & animi per conſenſum.

*Art.* 3. per tres *Quæſt.* Quid ſit re? 1. Eſt bonum melius coniugio: nec vnquam abſolutè prohibitum; ſed tantùm ex neceſſitate generis humani. 2. Non eſt virtus ſpecialis, ſed ſtatus & gradus perfectiſſimus caſtitatis.

*Art.* 4. per 4. *quæſt.* In quibus ſit? *Reſp.* 1. Non propriè in Angelis, defectu corporum. 2. Nec in pueris etiam Innocentibus, defectu propoſiti; ſed in ſtatu etiam Innocentiæ, & perfectiſſimè in Chriſto ac B. Virgine.

*Art.* 5. per tres *quæſt.* Quomodo corrumpatur Virginitas? *Reſp.* 1. Quauis pollutione voluntariâ. 2. Non irrecuperabiliter, ſed actualiter, ſolâ voluntate. 3. Non propriè ſolâ violentiâ: niſi cum ſenſu delectationis interueniat conſenſus.

*Art.* 6. *&* 7. per varias *quæſt.* Dè non, niſi ex diſpenſatione, velandis, ſeu ſacro ſigno & ritu antiquo virginitatis (cuius hîc Præfatio & Collecta quaſi ex *S. Matthæo* refertur) conſecrandis vllis exteriùs corruptis, quamuis violatis, & ex ſe impollutis: ſed ſolis & omnibus exteriùs integris, licet animo & corpore interiùs pollutis; quia illæ quamuis coram Deo virgines, non hæ, ſunt quaſi ad hoc coram Eccleſia irregulares.

*Art.* 8. per 4. *Quæſt.* De quadam irregularitate ſeu inhabilitate corruptarum: non quaſi in aliquo ſacro Ordine; ſed ad ea quæ in Monaſterijs non ſolebant dici vel fieri niſi à ſacris Virginibus: Diſpenſabilitate autem ab Epiſcopis, ex cauſa, cum ſolis ſecretis; ſed ſine reſtitutione ad Aureolam virg.

Coll. 100. *De excellentia Virginitatis, per* 2. *Art.*

1. Præ omnibus alijs ſtatibus, non perſonis. 2. In *B. V. MARIA* præ omnibus alijs Virginibus. *Ad* 1. B. Virgo *commiſit ſe & votum Diuinæ diſpenſationi: non ex imperfectione propoſiti, ſed ex ſtatu illius temporis. Ad* 2. Vocatur mulier, nomine ſexus: vt & Eua ante coitum. *Ad* 3. *Antequam conuenirent. Non cognoſcebat eam donec peperit, &c. Matt.* 1. Non quaſi poſt, ſed quantò minus poſt?

Collatio 101.

*De Aureolis: An, quid, cuius, quot ſint?*

*Art.* 1. Datur *Aurea*: & *Aureola*.

*Art.* 2. per tres *Quæſt.* *Aureola* eſt gloria accidentalis animæ, ſecundùm aliquam vim motiuam, ob actum excellentiſſimum per eam, circa bonum creatum: *Aurea* verò, eſt gloria eſſentialis, ſecundùm omnes animæ vires, ex vero & ſummo Bono æterno. Vtraque denominatur ab Auro, ob pretioſitatem & incorruptibilitatem: à Corona, ob præmiationem & æternitatem; *Aurea*, vt maior, & ſuppoſita eſſentialiter; *Aureola*, vt minor, & ſuperpoſita accidentaliter, ex figura *Exod.* 25.

*Art.* 3. Differt à fructu: quòd hic ſit communis cuiuis ſtatui, ex modo & perfectione charitatis? illa ſit propria, ab excellentia operis, &c.

*Art.* 4. per duas *Quæſt.* *Reſp.* Sunt tres. 1. Ex triplici vi motiua, & ſingularum actu excellentiſſimo circa bonum creatum, relatiuè ad increatum; ſcilicet, docendi alios ſalutaria, per vim rationalem; continendi perpetuò, per vim concupiſcibilem; & patiendi martyrium, per iraſcibilem. 2. Ex triplici optima ordinatione hominis infra Deum: videlicet, circa ſeipſum, proximum, & corpus proprium. 3. Ex conſeruatione triplicis incorruptionis: videlicet, corporis proprij per virginitatem, fidei propriæ per Martyrium, & fidei alienæ per Doctrinã.

Coll. 102. *De Aureola Virginitatis, per* 4. *Art.*

Quibus debeatur, & quomodo differat ab Aurea & Fructu Virginitatis? *Reſp.* Debetur omnibus & ſolis Virginibus voluntariè incorruptis: ex hoc ſolo propoſito propter Deum, inuiolabili ab ab extra. Differt ab Aurea & Fructu, vt *Coll.* 101.

Coll. 103. *De vera Viduitate, ex* 1. *Tim.* 5.

*Art.* 1. Quid ſit? *Reſp.* Non eſt virtus ſpecialis: ſed eſſentialiter ſolus ſtatus ac gradus Caſtitatis vidualis; cui optimè conueniunt quæ 1. *Tim.* 5.

*Art.* 2. Cui viduæ promittatur fructus ſexageſimus, *Matt.* 13? *Reſp.* Non viduæ ſolo corpore: nec voto aliquo ad hoc neceſſario: ſed firmo propoſito propter Deum obſeruato.

*Art.* 3. Qua ætate viduæ velari poſſint aut vouere? *Reſp.* ex 20. *q.* 1. Qualibet, ad diſcretionem Sacerdotis, &c. Sed velũ profeſſionis, antiquo iure, virgo vel corrupta profitendo ſuſcipiebat ex altari vel de manu Sacerdotis, ab anno 12. Velum conſecrationis conferebatur à ſolo Epiſcopo, ſolis Virg. ab *anno* 25. Velum Ordinationis, Diaconiſſis, ab *anno* 40. Velum Prælationis, Abbatiſſis, ab *anno* 60.

*Art.* 4. De ſtatu caſtitatis coniugalis: continendo ab aliena, & ſuo loco, tempore, modo, circa ſuã.

Coll. 104. *De fructu Caſtitatis, per* 3. *Art.*

1. Eſt quædam complacentia æterna, ex cultu proprij corporis in caſtitate. 2. Tribuitur potiùs Caſtitati, quàm vlli alteri virtuti: quia ex proprio corpore culto; non tamen in corpore, ſed in animo, qui hunc fructum percipit quaſi ex agro ſuo. 3. Eſt triplex, ex *Matt.* 13. Triceſimus, caſtitatis cõiugalis; Sexageſimus, Vidualis; Centeſimus, Virg.

Collatio 105. *De Pudicitia, per* 3. *Art.*

1. Eſt virtus cohibens motum & ſigna libidinis. 2. Differt à Caſtitate, vt cohibente ſolum motum. 3. Pudor pro ſola paſſione, ſeu timore rei turpis, idem eſt quod Verecundia, & Erubeſcentia: niſi quòd pudor ſit de omni turpi; Verecundia, de turpi vt inhoneſto; Erubeſcentia, cum ſubito rubore.

Coll. 106. *De Honeſtate, Moderatione, & Parcitate.*

Omnes ſunt circa Modum exteriorem, relatiuè ad interiorem: ſed Modeſtia ſtatuit modum in omnibus; Honeſtas, in eis vt decent famam Continentiæ; Moderatio, circa vſum habitus; Parcitas, circa vitæ neceſſaria, non ſuperflua.

FINIS ALENSIS:

*Sed perficiendus ex ſequentibus.*

EX

Digitized by Google

# EX DOCTRINA S. BONAVENTVRÆ,

## *In 3. Sent. per Diſt. 40. De Chriſto Saluatore.*

*Proœmium, de propria materia huius libri, ex* Epheſ. 2. Conuiuificauit nos Chriſto, &c. .i. *In Chriſto, cum Chriſto, per Chriſtum, & ſecundùm Chriſtum.*

*In DIST.* 1. *De Incarnatione Chriſti. Al.q.*2.4.5.
Expoſitio Textus, per 4. dubia.
*ARTICVLVS PRIMVS.*
*De poſſibilitate Incarnationis.*
QVÆSTIO I.

AN ſit poſſibile, Naturam Diuinam vniri hypoſtaticè & perſonaliter humanæ? *Reſp.* Eſt poſſibile: quia, vt non eſt vllius imperfectionis, mutationis, aut dependentiæ in Deo, ſed in ſola creatura, participari ab ea vel ei communicari & ineſſe: ſic nec ei hypoſtaticè vniri ad ſuſtentationem. *Ad* 1. Sic vniri, nec eſt agere nec pati: ſed referri, terminando dependentiam naturæ ſibi vnitæ. *Ad* 2. Compoſitio propriè dicit imperfectionem, non vnio. *Ad* 3. Nec natura Diuina, nec Perſona eſt vnibilis per mutationem ſuiipſius, ſed termini. *Ad* 4. Ad vnionem non requiritur proportio quantitatis, ſed ordinis: nam parua ſpongia æquè poſſet immergi mari infinito. *Ad* 5. Vt vna anima non poteſt vniri alteri animæ, ſed corpori magis diſſimili: ſic & Deo potiùs quàm alteri creaturæ.

QVÆST. 2. An vna Perſona Diuina vniri poſſit naturæ humanæ, ſine altera? *Reſp.* Poteſt: quia quælibet Perſona eſt per ſe ſufficiens ad ſuſtentandam naturam humanam. *Ad* 1. Incarnatio eſt vnio naturæ humanæ ad Diuinam in perſona. *Ad* 2. Incarnatio vt actio, eſt communis tribus Perſonis: ſed vt relatio, poteſt eſſe propria vni Perſonæ. Vt tres puellæ poſſunt vnicam veſtire eadem veſte, & vnica à tribus veſtiri. *Ad* 6. Eſſe incarnatum eſt prædicatum relatum interiùs, non exteriùs.

QVÆST. 3. An vna Perſona poſſit vniri cum alia, aſſumendo ſimul eandem numero naturam? *Reſp.* Nec eſt poſſibile, nec intelligibile: Quia, aſſumere eſt ſumere ad ſe, in vnitatem naturæ vel perſonæ; non poteſt autem natura creata aſſumi ad vnitatem cum Diuina, nec plurium Perſonarum inter ſe.

QVÆST. 4. An quælibet trium Perſonarum potuerit incarnari? *Reſp.* Potuit, quamuis minùs decuerit, & ſola Perſona Filij incarnata fuerit. *Ad* 1. Potuit aliunde incarnari quàm ex muliere: & quamuis de muliere vt Filius, ſine vlla tamen inæqualitate & confuſione Filij Dei, aut alia inconuenientia in Deo. *Ad* 2. Incarnari non neceſſariò dicit in carnem mitti, ſed vniri carni. *Ad* 3. Incarnari eſt proprium Filij de facto, non de poſſibili. *Ad* 4. Natura iam vnita Verbo non poteſt ſic alijs vniri: ſed alia, vel hæc non vnita.

*ARTICVLVS 2. De congruitate Incarnationis.*

QVÆST. 1. An decuerit Deum incarnari? *Reſp.* Decuit. 1. Ad conſummationem operum Dei, à Deo, ad Deum. 2. Ad ſuperabundantem Redemptionem generis humani. 3. Ad eiuſdem glorificationem exteriorem & interiorem, &c. *Ad Arg.* Deus non poteſt humiliari in ſeipſo, ſed in ſola natura aſſumpta.

QVÆST. 2. An ſi homo non peccaſſet Chriſtus incarnatus fuiſſet? *Reſp.* Quidam dicunt quòd non quoad modum Incarnationis in carne mortali & paſſibili, ad Redemptionem & Satisfactionem: ſed quoad ſolam ſubſtantiam, ad perfectionem vniuerſi, & generis humani, in natura, gratia, & gloria. Alij, quòd quamuis ſint plures congruentiæ: ſola tamen præcipua ratio ſine qua incarnatus non fuiſſet, fuerit naturæ humanæ lapſus & Redemptio. *Quis autem horum modorum melior ſit, nouit qui pro nobis Incarnatus eſt. Videtur primus modus magis conſonare iudicio rationis: ſed ſecundus, vt apparet, plus conſonat pietati fidei.* 1. Ex ſacra Script. & SS. P P. vt *Aug. Serm.* 7. *De verbis Apoſt.* 2. Quia ille modus includit Deum ſub perfectione vniuerſi: hic autem ſupra extollit. 3. Quia hic magis commendat myſterium Incarnationis. 4. Quia hic magis excitat affectum deuotionis. Ideo concedendus eſt, &c. *Ad* 1. ex *Aug. de ſpiritu & anima, cap.* 9. *&* 10. *Cin.* 27. Deus totum hominem aſſumpſit, vt totum beatificaret: non primariò, ſed ſecundariò; quia viſio Dei ſufficit ad omnem perfectionem beatitudinis. *Ad* 2. Non omnis potentia eſt fruſtra quæ non reducitur ad omnem actum: ſed ad aliquem, tempore & loco exigente. *Ad* 3. Poſt lapſum multa ſunt homini neceſſaria, & Deo congrua, quæ non ſic ante. *Ad* 4. Ad meritum vitæ æternæ ſufficiebat complacentia merentis, ex gratiâ Dei: ſed ad ſatisfactionem neceſſaria eſt compenſatio damni, & reſtitutio honoris Dei, &c. *Ad* 5. Deus præcognouit lapſum & reparationem generis humani: ideo principaliùs intendit reparationem, & Chriſtum ad reparandum, quàm creationem. *Ad* 6. Incarnatio non eſt ex noſtra malitia, ſed ex Bonitate Dei contra noſtram malitiam. *Ad* 7. Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ quoad conformitatem ſecundùm naturam humanam: ſed quoad influentiam gratiæ, principaliùs ſecundùm naturam Diuinam. Quo modo fuiſſet etiam Caput hominum, vt & nunc Angelorum, etſi Incarnatus non fuiſſet. *Ad* 8. Sacramentum Matrimonij fuiſſet tunc verum quoad ſignum Charitatis, non Incarnationis. *Ad* 9. Productio hominis ex ſola Virgine non eſt de perfectione vniuerſi, ſed ſupra, &c. *Hæc omnia abſque præiudicio dicta ſint.*

QVÆST. 3. An congruentiùs fuerit Filium Dei, quàm alias Perſonas, Incarnari? *Reſp.* Fuit congruentiùs. 1. Quia Filius eſt Imago Patris, Verbum, & Filius ab æterno: ideoque congruentius cum fieri filium hominis ex tempore. 2. Quia homo ambierat æqualitatem & ſimilitudinem Dei, quæ appropriatur Filio. 3. Quia Redemptio fit per obedientiâ & ſupplicationem, quæ potiùs congruit Filio quàm alijs Perſonis. 4. Quia Incarnatio ordinatur ad noſtram adoptionem, potiùs per Filium naturalem, quàm aliam Perſonam, &c.

QVÆST. 4. An Filius Dei congruo tempore

incarnatus fuerit? *Reſp.* Congruentiùs in fine, quàm in principio ſæculorum. 1. Ad manifeſtationem Iuſtitiæ Diuinæ. 2. Ad correctionem naturæ humanæ. 3. Ad perfectionem ordinatam & vltimam vniuerſi. 4. Ad deſiderium & commendationem Incarnationis. *Ad* 2. Charitas Dei non operatur impetuosè, ſed ſapienter. *Ad* 3. Præponit bonum commune priuatis. *Ad* 4. Nunquam defuit diuinus ſuccurſus: nam ipſa fides & ſpes erat ſalutaris, &c.

*In DIST. 2. De natura aſſumpta, & quo ordine. Al. q. 2. 3. 4.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

*ARTICVLVS PRIMVS.*

*De congruitate naturæ aſſumptæ.*

QVÆST. An congruentiùs fuerit aſſumi ſolam creaturam rationalem, quàm totum vniuerſum? *Reſp.* Congruentiùs fuit: quia non eſt tanta vnitas, dignitas, & conformitas totius vniuerſi, quàm creaturæ rationalis. *Ad* 1. ex *Aug. Epiſt.* 3. *ad Voluſ.* Tota ratio facti eſt potentia facientis .i. tota ratio cauſalitatis, non congruitatis. *Ad* 2. Omnis creatura æquè infinitè diſtat à Deo: quoad receſſum ab æqualitate, non quoad ordinem & imitationem. *Ad* 3. Vniuerſum perfectiùs completur aſſumptione ſolius creaturæ rationalis, quàm omnium aliarum. *Ad* 4. Sola creatura rationalis magis aſſimilatur Deo intenſiuè, quàm totus mundus: ſed hic extenſiuè. *Ad* 5. Non dedecet Deum hominem fieri, ſed aſinum.

QVÆST. 2. An congruentiùs fuerit aſſumi naturam hamanam, quàm Angelicam? *Reſp.* Congruentiùs fuit, *Heb.* 2. ex diſtinctione perſonali, repreſentatione mundi, varia compoſitione, & reparabilitate hominum potiùs quàm Angelorum. *Ad* 1. Homo plus conuenit cum Deo extenſiuè, quàm Angelus. *Ad* 2. Aſſumptio hominis eſt maioris gratiæ, quàm Angelorum. *Ad* 3. Angelus lapſus erat indignior homine. *Ad* 4. Vt lapſus naturæ fuit per primum hominem, ſic & reparatio per Chriſtum.

QVÆST. 3. An congruentiùs fuerit aſſumi naturam ſingularem quàm totam ſpeciem? *Reſp.* Congruentiùs fuit. 1. Ad maiorem vnitatem ac diſtinctionem. 2. Ad perfectiorem mediationem. 3. Ad maiorem perfectionem & exaltationem. *Ad* 1. Tota natura curari potuit per vnicam ſingularem. *Ad* 2. Tota natura ſananda non debuit eſſe in Chriſto Redemptore, vt fuit in Adamo corruptore. *Ad* 3. Communicatio ſummi Boni fit potiùs intenſiuè quàm extenſiuè. *Ad* 4. Deus communicat ſe pluribus per gratiam, ſed non per vnionem hypoſtaticam.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De integritate naturæ aſſumptæ.*

QVÆST. 1. An Chriſtus aſſumpſerit veram carnem? *Reſp.* Non carnem phantaſticam, ſeu ſolùm apparentem, contra Manichæos: nec carnem cœleſtem, ſeu ex materia cœleſti, contra alios; ſed veram, humanam, paſſibilem, ex ſemine Dauid, & Maria Virgine. *Ad* 1. 2. ex *Ioan.* 3. & 1. *Cor.* 15. Chriſtus dicitur veniſſe de Cœlo, & caro eius cœleſtis: non localiter, nec materialiter; ſed ob miſſionem Perſonæ, & perfectionem corporis eius. *Ad* 2. Caro humana eſt vnibilis ob animam. *Ad* 3. Vnio eſt excellentior fruitione, eamque præſupponit: ſed caro eſt capax illius, non huius. *Ad* 5. Communicatio Idiomatum non eſt inter naturas in abſtracto, ſed inter res naturæ in concreto.

QVÆST. 2. An aſſumpſerit animam rationalem? *Reſp.* Non corpus ſolo Deo animatum, contra Eunomium; quia nec Deus poteſt eſſe forma intrinſeca, nec inde fieret homo: nec ſolam animam ſenſitiuam, quia nec ſic fuiſſet homo, nec redemiſſet nos; ſed veram animam humanam, vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem. Quia fuit verus & perfectus homo, Mediator, ac Redemptor. *Ad* 1. ex *Ioan.* 1. Dicitur Verbum caro factum .i. Homo, per ſynecdochen, à parte notiore, indigniore, & nonniſi ad animam ordinata. Hinc & Incarnatio, potiùs quàm Animatio. *Ad* 2. Culpa orig. non eſt in carne niſi ab anima. *Ad* 3. Deus non poteſt animare formaliter, ſed ſolùm cauſaliter.

QVÆST. 3. An Chriſtus fuerit eiuſdem ſpeciei cum cæteris hominibus? *Reſp.* Vt Deus & Homo, nec habet vllam formam communem ſpecificam, nec propriam ex natura Diuina & humana conſtitutam: ſed vt homo habet ſuam formam ſingularem totius humanitatis ex proprio corpore & anima reſultantem, & formam ſpecificam communem & prædicabilem de omnibus hominibus. *Ad* 1. 2. ex *Damaſc.* Non eſt ſpecies aut natura communis Chriſti .i. vt Chriſtus eſt naturæ Diuinæ & Humanæ; ſed vt homo eſt. *Ad* 3. Species dicit totum eſſe ſuorum indiuiduorum, vt ſua ſunt. *Ad* 4. Species ſumitur à forma perfectiori: ſed ſub genere, non ſupra.

*ARTICVLVS* 3. *De Ordine Aſſumptionis.*

QVÆST. 1. An caro aſſumpta fuerit mediante ſpiritu humano, ſeu portione ſuperiori? *Reſp.* Non vt medio Vinculo, ſed vt medio congruo coaſſumendi corpus. Vt mulier nobilis deſponſatur Regi, mediante congrua nobilitate. *Ad* 1. Hoc medium congruentiæ, non eſt diſtantiæ. *Ad* 2. Vnitur æquè immediatè, ſeu intimè: non æquè congruè. *Ad* 3. Sublato medio congruentiæ, non tollitur vnio: vt nec coniugium cum ſponſa pulchra, mutata pulchritudine. *Ad* 4. Medium congruentiæ, non eſt etiam cauſalitatis.

QVÆST. 2. An Anima fuerit aſſumpta mediante aliquo habitu gratuito? *Reſp.* Non vt cooperante, ſed comitante & congruente. 1. Quia operatio eſt communis tribus Perſonis, hæc vnio eſt propria Verbo. 2. Habitus conformat Deo: Hæc vnio Deificat, &c. ſed quia hoc fit ex ſola gratuita bonitate Dei, dicitur maxima gratia. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3. 4. Hæc vnio non fit per vllum actum animæ, ad quem vllus habitus prodeſſe poſſet. *Ad* 5. Vt vna linea poteſt coaleſcere cum alia, amiſſo ſolo proprio termino: ſic natura humana vniri Verbo, amiſſa ſola propria diſcretione perſonali. *Ad* 6. Gratia vnionis .i. congruens vnioni, eſt creata: cauſans vnionem, eſt Deus; terminans vnionem, eſt Perſona Filij, vniens formaliter, eſt creata, non abſoluta, ſed relatiua.

QVÆST. 3. An Verbum vnitum ſit naturæ humanæ mediante Spiritu Sancto? *Reſp.* Non vt vinculo medio, ſed vt per cauſam, & appropriatè.

*Ad* 1.

Digitized by Google

*Ad* 1. Vnio Verbi ad carnem eſt ſimilis vnioni verbi mentalis ad vocem : non mediante flatu vt vehiculo, ſed ſolùm vt cauſa. *Ad* 2. Hæc vnio eſt voluntaria Deo .i. ab eius voluntate : non ad eius voluntatem, ſed perſonam; nec eſt voluntatis humanæ, ſed naturæ. *Ad* 3. Non vt Spirituſſ. eſt nexus Patris & Filij: ſic naturæ Diuinæ & humanæ. *Ad* 4. Spirituſſ. non eſt nobis propinquior natura, quàm Pater & Filius.

*In DIST. 3. De origine carnis Chriſti per 2. Partes.* Expoſitio 1. Partis, per 5. dubia : ſecundæ, per 4.

*ARTICVLVS PRIMVS in* 1. *Partem.*

*De ſanctificatione Matris. Al. q. 9.*

QVÆST. 1. An caro Virginis fuerit ſanctificata ante animationem ? *Reſp.* Quòd non : quia caro non eſt propriè capax ſanctificationis, ſed alicuius purificationis. Ex *S. Bern. Epiſt.* 174. *Ad* 1. ex *Ier.* 1. Antequam formarem te in vtero, noui te .i. prædeſtinaui. *Ad* 2. S. Ioan. dicitur ſanctificatus ante ſpiritum vitæ .i. ante ſigna naturalia vitæ. *Ad* 3. Caro poteſt gigni vitioſa, non ſancta. *Ad* 4. Eſt probabile B. Virginē conceptā fuiſſe ex ſterili, per coitum coniugalem,ſine culpa actuali : ſicque vi quadam ſpirituali ſupra naturam, ſed non à Spiritu S. vt ſanctificante, &c. *Quia Eccleſia non celebrat niſi conceptionem Filij Dei. Sunt tamen qui ex ſpeciali deuotione celebrant Conceptionem B. Virginis: quos nec omnino laudare , nec ſimpliciter audeo reprehendere, &c. Quia vt quidam dicunt, hæc ſolemnitas non cœpit celebrari humana inuentione, ſed diuina reuelatione,&c. Poteſt etiam referri ad diem incertam ſanctificationis,&c. Poſſunt etiam animæ ſanctæ gaudere in Conceptione , de futura ſanctificatione : Vt de natiuitate filij Regis claudi , ſed ſtatim corrigendi, &c. Credo tamen & confido quòd ſi quis hanc ſolemnitatem celebrat ex deuotione , Benedicta Virgo eius deuotionem acceptet.*

QVÆST. 2. An anima B. Virginis fuerit ſanctificata ante contractionem peccati originalis ? *Reſp.* Quidam dicunt gratiam ſanctificationis præueniſſe in ea maculam peccati originalis. 1. Quia decebat Matrem Chriſti fieri puriſſimam. 2. Decebat eam præ omnibus aliis ſanctificari. 3. Decebat eam ſanctitas animæ , media inter ſanctitatem corporis & animæ ſolius Chriſti, & culpam omnium aliorum. 4. ex *Anſ. De Conc. Virg.* 18. Decebat Virginem tanta puritas , quâ maior ſub Deo nequit intelligi. 5. Quia non repugnat, ſed potiùs conſonat S.Scripturæ, & fidei Chriſtianæ, eam fuiſſe à Chriſto liberatam , non erigendo lapſam , ſed ſuſtentando lapſuram, &c. Alij ponunt quòd ſanctificatio B. Virginis ſubſecuta fuerit. Ex *Rom.* 3. Omnes peccauerunt, &c. *Aug. Tract.* 41. &c Hic autem modus eſt communior , quia omnes ferè eum tenent : eſt rationabilior , quia natura eſt prior gratiâ , & naſci priùs quàm renaſci ; eſt & ſecurior , quia magis conſonat fidei & authoritati, &c. *Ad* 1. Maior puritas ſub Deo nequit intelligi .i. rationabiliter, & quando fuit Mater Chriſti. *Ad* 2. ex *Aug. De nat. & grat. c.* 26. Cùm de peccatis agitur, &c. .i. de actualibus. *Ad* 3. ex *Damaſc.* 4. *fidei* 17. Honor Matris refertur ad Filium: ſed non æquatur. *Ad* 4. Non datur neceſſarium medium inter quæuis extrema. *Ad* 5. B. Virg. potuit ſanctificari ante alios Sanctos, nec tamen primo inſtanti. *Ad* 6. Potuit Deus ei gratiam infundere primo inſtanti, ſed non decuit hanc Chriſti gloriam ei communicari.

QVÆST. 3. An B. Virgo fuerit ſanctificata ante natiuitatem ? *Reſp.* Certum eſt quòd ſic, ex feſto ſolemni Natiuitatis eius : non tamen eſt certum quando ; probabiliùs *quòd cito poſt infuſionem animæ.* Ex ſanctificatione Ioannis & Ieremiæ , à minori ad maius. *Ad* 1. 2. Alia eſt natiuitas in vtero, alia ex vtero, &c.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De effectu huius ſanctificationis.*

QVÆST. 1. An hinc B. Virgo fuerit immunis ab omni peccato actuali ? *Reſp.* Quòd ſic. Ex *B. Aug. c.* 36. *De nat. & gratia. Bern. Epiſt.* 174. *Cant.* 4. Tota pulchra es , &c. Ex ſanctitate Virginis præ S. Ioanne. Ex *Gen.* 3. Ipſa conteret caput tuum .i. omnem primam ſuggeſtionem. Denique, quia eſt Aduocata omnium peccatorum. *Ad* 1. Potuit poſt adhuc caſtificari à vitijs. *Ad* 2. ex *Aug. De perfectione Iuſticiæ* : ſolus Chriſtus eſt ſine peccato in tota vita , ſed non ſolus ab vſu rationis. *Ad* 3. ex *Magiſtro.* Potuit B. Virgo adhuc purgari à pœna , non à culpa. *Ad* 4. Potuit petere, Dimitte nobis , &c. non pro ſe , ſed pro alijs. Ex *B. Aug.* 14. *Ciu.* 9.

QVÆST. 2. An in prima eius ſanctificatione fuerit extinctus fomes concupiſcentiæ ? *Reſp.* Non fuit ſolùm ſopitus in ſecunda ſanctificatione : nec in prima extinctus quoad perſonam non naturam,aut quoad ſolam pronitatem ad malum ; ſed in prima ſanctificatione fuit ita ſopitus in ſenſualitate ex redundantia gratiæ, vt nullum prorſus motum haberet ; in ſecunda autem, extinctus & eradicatus, Spiritu Sancto ſuperueniente etiam in carnem. *Ad* 1. In prima ſanctificatione fuit plena gratiâ , ad merendum : In ſecunda, ad concipiendum Dei Filiū.

QVÆST. 3. An fuerit ei ablata potentia peccandi ? *Reſp.* Non per amiſſionem, ſed confirmationem & perfectionem potentiæ. *Ad* 1. Non fuit inordinatè perturbata. *Ad* 2. ex *Aug. q.* 73. *noui & veteris Teſt.* Non conſtat eſſe Auguſtini, poteſtque intelligi de ſola dubitatione admirationis. *Ad* 3. Non decuit Matrem proximam Chriſti eſſe peccatricem actu. *Ad* 4. Impoſſibilitas peccandi non repugnat ſtatui viatoris.

*In* 2. *Partem ARTICVLVS* 1.

*De Decimatione Chriſti aut non, in lumbis Abrahæ.*

QVÆST. 1. An quis poſſit decimari in ſuis parentibus ? *Reſp.* Non propriè , per aliquotæ partis donationem , aut purgationem : ſed ſignificatiuè, & præfiguratiuè.

QVÆST. 2. An Chriſtus in Abraham fuerit decimatus ? *Reſp.* Non vt Leui , *Heb.* 7. Quia non præfigurabatur vt medendus , ſed vt ipſe Medicus & medicina ; nec erat in illis lumbis ſeminaliter & concupiſcibiliter, ſed ſolùm materialiter.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De productione Carnis Chriſti.*

QVÆST. 1. An Caro Chriſti fuerit in primis parentibus ? *Reſp.* Non in materia quaſi ex tunc præſeruata ab omni corruptione : ſed purgata in B. Virgine,& Chriſti Conceptione. Alioquin non fuiſſet ex natura lapſa, &c.



Digitized by Google

Qvæst. 2. An Caro Chriſti fuerit in parentibus ſub lege communi propagationis? *Reſp.* Non formaliter & proximè: ſed tantùm materialiter & remotè. Hinc nec dici poteſt fuiſſe obnoxia peccato, nec ſeminaliter traducta: quia hæc non dicuntur niſi de materia ſub tali forma. *Ad* 1. *ex Magiſtro*: Non eſt locutio propria. *Ad reliqua.* Semen parentum non deſcendit ſeminaliter vſque ad Chriſtum.

*ARTICVLVS* 3. *De perfectione Corporis Chriſti.*

Qvæst. 1. An ſubitò vel ſucceſſiuè fuerit productum ſub perfecta quantitate molis? *Reſp.* Non ſubitò, ſed ſucceſſiuè, ex *Luc.* 2. per nutritionem & operationem naturalem. *Ad* 1. *ex Ier.* 21. Mulier circumdabit virum: à vigore animi. *Ad* 2. Nouum faciet Dominus &c. i. Deum hominem. *Ad* 3. Vis infinita Dei & Chriſti, non niſi cooperabatur naturæ. *Ad* 4. Chriſtus fuit à primo inſtante perfectus virtute, non mole.

Qvæst. 2. An perfecta formatio membrorum fuerit ſubitò vel ſucceſſiuè? *Reſp.* Non ſucceſſiuè, ſed ſubitò. 1. Quia non decebat vnam partem prius aſſumi quàm totum. 2. Quia anima non vnitur corpori niſi perfectè formato. 3. Quia formabatur virtute ſupernaturali. 4. Quia B. Virgo ſtatim vt conſenſit facta eſt Mater Chriſti & Dei. *Ex Aug.* 4. *Trin. & q.* 4. *&* 56. *ex.* 83. *Ad* 1. Vt templum fuit ædificatum 46. annis: ſic Corpus Chriſti 46. diebus; non quoad formationem, ſed quoad quantitatem connaturalem. *Ad* 2. *ex Hebr.* 2. Debuit per omnia fratribus aſſimilari: quoad paſſionem ſalutarem. *Ad* 3. Non debuit nobis aſſimilari in generatione, quæ ſolet eſſe culpabilis. *Ad* 4. Quæ in nobis habent ordinem temporis, in Chriſto habuerunt ordinem naturæ.

*In DIST.* 4. *De cauſa Incarnationis Chriſti. Al. q.* 7. 8.

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De cauſa ſupernaturali.*

Qvæst. 1. An ſit approprianda Patri vel Spiritui Sancto? *Reſp.* Eſt communis tribus Perſonis: & poteſt cuilibet appropriari ratione Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Dei; ſed potiùs appriatur Spiritui Sancto, ad cauendum expreſſè errorem conſuetæ concupiſcentiæ & copulæ in concipiendo; & ad exprimendam perfectam diſpoſitionem B. Virginis per charitatem ad concipiendum de Spiritu Sancto. i. ex eius gratia & charitate, non ex eius ſubſtantia.

Qvæst. 2. An Chriſtus dici poſſit filius Spiritus Sancti? *Reſp.* Quod non. 1. Quia non eſt de eo conceptus vt de patre. 2. Ne confundantur proprietates perſonales. *Ad* 1. *Damaſc.* comparat Verbum Dei ſemini: cauſaliter, non materialiter. *Ad* 2. Pater non eſt ſolâ productione: ſed in eadem natura & forma producendi. *Ad* 3. 4. B. Virgo eſt mater Chriſti, à ſimili natura & forma productionis: non ſic Spiritus Sanctus. *Ad* 5. Alij poſſunt dici filij adoptiui Spiritus Sancti, per gratiam: non Chriſtus, quia eſt filius Patris per naturam.

Qvæst. 3. An Chriſtus poſſit dici filius S. Trinitatis? *Reſp.* Quòd nec per Naturam Diuinam, quia eſt hæreſis Sabellij quòd quælibet Perſona ſit Pater: nec per creationem, quia eſt error Arrij quòd Chriſtus ſit pura creatura; nec per gratiam, quia eſt hæreſis Neſtorij quòd quædam perſona humana Chriſti ſit filius Dei per gratiam.

*ARTICVLVS* 2. *De cauſa meritoria.*

Qvæst. 1. An fuerit ex ſola gratia, vel etiam ex meritis Sanctorum Patrum? *Reſp.* Ex ſola gratia quoad ſubſtantiam, vt fundamentali omnis meriti: ex merito congruo alicuius efficaciæ; & ex merito circumſtantiæ temporis ſeu accelerationis. *Eſa.* 64. Vtinam dirumperes Cœlos & deſcenderes &c. *Ad* 1. Deus ab æterno voluit accelerare ob merita Patrum *Ad* 2. 3. Qui meretur plus, non poteſt mereri minus, ſi eſt ordinatum ad plus: nec eſt plus aliquem glorificari quàm filium Dei incarnari. *Ad* 4. Qui petit vt oportet, meretur ſibi: non ſic alteri.

Qvæst. 2. An B. Virgo Maria meruerit Chriſtum concipere? *Reſp.* Non merito condigno, ſeu æqualis charitatis: ſed congruo diſpoſitionis, antè annuntiationem; & digno poſt, per conſenſum. *Ad* 1. ex *Aug. Enchir.* 40. Negat tantùm merita naturæ aſſumptæ. *Ad* 2. Meritum ſolius B. Mariæ Virginis fuit maius omnibus intenſiuè, non extenſiuè. *Ad* 3. 4. Dignitas illa & congruitas nil derogat gratiæ.

Qvæst. 3. An gratia Incarnationis fuerit naturalis vel gratuita? *Reſp.* Fuit quodammodò naturalis Chriſto, ex *Aug. Enchr.* 40. vt ab initio inſeparabilis, & ab ipſo Chriſto per communicationem Idiomatum: ſed fuit ſimpliciter gratuita, & ſupra omnia Principia naturalia.

*ARTICVLVS* 3. *De cauſalitate Matris.*

Qvæst. 1. An cooperata fuerit Spiritui Sancto? *Reſp.* Verè concepit Chriſtum, vt Mater filium, & ad hoc cooperata fuit Spiritui Sancto: non ſolùm paſſiuè materiam miniſtrando; nec ſolum vltimam formam introducendo; ſed etiam vi naturali & ſupernaturali ad formam inſtantaneè diſponendo. Vnde & perfectiùs fuit Mater Chriſti, quàm vlla Mater ſui filij.

Qvæst. 2. An cooperatio B. Mariæ Virginis fuerit naturalis? *Reſp.* Fuit naturalis quoad vim partialem Matris: ſed ſupernaturalis quoad vim totalem, & quoad modum inſtantaneum. *Ad* 1. Chriſtus fuit filius naturalis ſuæ Matris, ex eius concurſu naturali: qui non excluditur ſupernaturali. *Ad* 2. Vir excitans vim naturalem feminæ, non dat ei nouam potentiam, nec eleuat ſuprà naturam, vt hic. *Ad* 3. Vis & operatio fuit ſupernaturalis, faciendi ſimul Virginem & Matrem. *Ad* 4. Mortuus vitæ reſtitutus, naturaliter operatur: non ſic Virgo concipiens & pariens, &c.

Qvæst. 3. An B. Virgo dicenda ſit Mater Dei, vel ſolius Chriſti? *Reſp.* Non Chriſtotocos, ſeu ſolius Chriſti: ſed Theotocos, ſeu verè Mater Dei, contra Neſtorium. Quia non concepit purum hominem, ſed Deum. *Ad.* 1. *Ex Damaſc.* 3. *fidei* 12. Non dicebant eum tunc Chriſtotocon, quaſi non *Theotocon.* *Ad* 2. Non dicitur Mater Dei ſecundùm naturam diuinam, ſed humanam: Qui tamen Deus & homo eſt per communicationem

Digitized by Google

municationem idiomatum à primo inſtanti conceptionis.

*In* DIST. 5. *De aſſumptione actiua & paſſiua.*

Expoſitio Textus per 4. Dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De actiua Al. q.* 1.

QVÆST. 1. An aſſumere ſit actus naturæ diuinæ? *Reſp.* Eſt eius actus aſſumendi & ſibi vniendi: non tamen ad vnitatem naturæ, ſed perſonæ. *Ad* 1. Solus filius ſuſcepit: non ad exclutionem naturæ ſuæ, ſed aliarum perſonarum; nec tamen ad vnitatem naturæ ſed ſolius perſonæ *Ad* 2. Perſonæ non differunt natura, ſed in natura. *Ad* 3. Si natura diuina vniretur alicui ſecundum ſe, vniretur in qualibet perſona. *Ad* 4. Quamuis perſonæ ſint eiuſdem naturæ, non tamen vnio ad vnam perſonam eſt vnio ad alias. Vt quamuis omnes ideæ ſint eiuſdem eſſentiæ Diuinæ: non tamen omnia ideata inter ſe.

QVÆST. 2. An aſſumere ſit perſonæ diuinæ? *Reſp.* Eſt perſonæ diuinæ: quia aſſumptio dicit actionē, relationem, & terminationē, quæ omnia ſunt perſonæ. *Ad* 1. Aſſumptio eſt vnio & communicatio Idiomatum ſeu proprietatum, non autem conſtitutio aut communis prædicatio. *Ad* 2. Perſona eſt indiuidua: non incapax vnionis, ſed compoſitionis & prædicationis communis.

QVÆST. 3. An aſſumere ſit perſonæ ex natura, vel naturæ ex perſona? *Reſp.* Vt actio, eſt perſonæ ex natura: vt relatio vnionis, eſt vtriuſque; vt terminatio, eſt ſolius perſonæ per ſe.

QVÆST. 4. An aſſumere poſſit eſſe naturæ ſine perſona? *Reſp.* Non poteſt intelligi ſine aliqua perſona: ſed ſine diſtinctione perſonali; non tamen ita congruè. Quia natura non poteſt intelligi agere, referri, terminari, extra omne ſuppoſitum: ſed benè extra plura diſtincta; non tamen congruè ad miſſionem, mediationem, ſatisfactionem &c. *Ad arg.* Deitas quaſi extra omne ſuppoſitum, non concipitur vt perfectè ens, potens, Sapiens, &c.

QVÆST. 5. An hæc ſit concedenda, *Natura diuina eſt caro facta*? *Reſp.* Eſt incarnata .i. carni vnita: non tamen propriè caro facta; quia ſignificaret conuerſionem eius in carnem, vel ſaltem hoc totum eſſe factum, vt natura diuina ſit caro. Quod non poteſt verificari niſi valdè impropriè. Hinc *Ad* 1. 2. 3. Verbum eſt factum caro .i. homo: non ſic natura diuina eſt facta caro ſeu homo; quia naturæ non denominant ſeinuicem niſi vt in eâdem perſonâ.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De Aſſumptione paſſiua Al. q.* 4.

QVÆST. 1. An natura humana dici poſſit tota aſſumpta à Deo? *Reſp.* Poteſt dici verè & propriè: quia quoad corpus & animam. *Ad* 1. Quod aſſumitur debet eſſe actu: non autem præfuiſſe, niſi potentiâ. *Ad* 2. Aſſumptio eſt ad vnitatem ſibi conuenientem in concreto: non ad identitatem, & mutuam prædicationem in abſtracto.

QVÆST. 2. An Deus aſſumpſerit perſonam humanam? *Reſp.* Non quæ fuerit perſona ante, nec in, nec poſt aſſumptionem: quia nec Virgo concepiſſet Deum ſed hominem, nec poteſt aſſumi perſona, nec poſſunt eſſe in Chriſto duæ perſonæ, vt finxit Neſtorius. *Ad* 1. Perſona eſt indiuidua &c. à ſingularitate, incommunicabilitate, & digniori proprietate. Hinc natura humana in Chriſto non poteſt eſſe perſona &c.

QVÆST. 3. An anima ſeparata ſit perſona? *Reſp.* Non perfectè: quia eſt communicabilis corpori ad conſtitutionem hominis. *Ad* 1. *Ex Magiſtro.* Non ſuſtinetur quoad hoc communiter. *Ad* 2. Non eſt perſona ex triplici illa indiuiduitate ſupra. *Ad* 3. Ipſa vnibilitas animæ ad corpus, eſt ex aliquo defectu perfectionis. *Ad* 4. Etſi animæ ſeparatæ differant numero inter ſe, & ſpecie ab Angelis: non tamen ideò perſonaliter. *Ad* 5. Loquimur de illis vel ad illas quaſi perſonaliter: ſed grammaticè, non Theologicè. *Ad* 6. Anima glorioſa eſt in ſtatu perfectiori ſupernaturali: non naturali, nec perſonali.

QVÆST. 4 An dici poſſit quod Deus aſſumpſerit hominem? *Reſp.* Nec in fieri, nec in facto eſſe, niſi impropriè: quia aſſumere hominem eſt aſſumere perſonam diſtinctam. *Ad* 1. 2. 3. Sancti ſunt exponendi de homine pro humanitate. *Ad.* 5. aſſumpſit corpus & animam vt coniuncta in vnam naturam, non perſonam humanam. *Ad* 6. Ieſus non eſt homo aſſumptus, ſed eius natura: nec eſt nomen naturæ, ſed perſonæ.

QVÆST. 5. An poſſit dici quòd filius Dei aſſumpſerit humanitatem? *Reſp.* Poteſt dici: ſiue de humanitate pro principijs conſtituentibus hominem, ſiue pro forma totius, ſiue pro conſequente proprietate. *Phil.* 2. Formam ſerui accipiens &c. *Ad* 1. Humanitas eſt ex vnione corporis & animæ inter ſe, non autem ad perſonam. Quæ tamen inde ſequuntur dici poſſunt coaſſumpta. *Ad* 3. Nunquam depoſuit quod primò aſſumpſit: ſed quæ coaſſumpſit.

*In* DIST. 6. *De modo huius vnionis, & vnitate vel diſtinctione vnitorum.*

Expoſitio Textus per 3. Dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De vnitate Chriſti.*

QVÆST. 1. An Chriſtus ſit vel dici poſſit duo? *Reſp.* Non duo .i. duæ naturæ, quia hæ vt ſic non prædicantur de Chriſto: nec duo .i. duæ Perſonæ, contra Symbolum Athanaſij, *Nec duo, ſed vnus eſt Chriſtus.* Nec duo quaſi formaliter, medio modo inter dualitatem naturæ & perſonæ; quia talia de inuicem prædicantur, nec numerantur, vt eſſe Petrum & Muſicum, &c. ſed vnicus eſt Chriſtus, ab vnico ſuppoſito; non vt ſubiecto generi, qualia poſſunt ſimul eſſe, nec numerari; ſed vt ſubſtantificante & conflante totum in vnum numero. *Ad* 1. & 2. Chriſtus non dicitur aliud & aliud, niſi impropriè .i. alterius & alterius naturæ. *Ad* 3. Chriſtus potiùs eſt dicendus vnus, quàm vnum: ſed & dici poteſt vnum vt Deus, & vnum vt homo, ſine numero. Quamuis enim vnitas creata & increata dici poſſint duæ: non tamen vt in Chriſto concretiuè; vt nec Petrus, & idem vt albus. *Ad* 4. Humanitas non dat eſſe ſimpliciter Perſonæ Chriſti, ideoque nec numerat. *Ad* 5. Plures Perſonæ Diuinæ dicuntur vnum, ab vna eademque natura: non ſic vna Perſona Chriſti poteſt dici duæ à duplici eius natura. *Ad* 6. Communicatio idiomatum ſeu proprietatum, vel eſt in eodem ſuppoſito dupli-



Digitized by Google

duplicis naturæ, vel inter res duplicis naturæ, ſeu naturas in concreto eiuſdem ſuppoſiti. *Ad 7.* Chriſtus eſt aliquid vt Deus, & aliud vt homo: non tamen Duo.

Qvæst. 2. An Perſona Chriſti ſit vna ſimplex vel compoſita? *Reſp.* Non propriè & intrinſecè compoſita, ſed ſimplex, & tamen verè vnita. *Ad 1.* ex *Symb. Athan. Vt anima & caro, &c.* Non quoad compoſitionem, ſed vnitatem Perſonæ. *Ad 2.* *Damaſc.* non vtitur propriè nomine compoſitionis, nec ſic ſonat in Græco. *Ad 4.* Perſona Chriſti non eſt compoſita: quia habet eſſe ſimpliciter ex natura Diuina. *Ad 5.* Chriſtus eſt homo compoſitus quoad Naturam, non Perſonam.

Qvæst. 3. An Chriſtus vt homo ſit ſubſtantia? *Reſp.* Eſt ſubſtantia, & prædicatur ſubſtantialiter: per aliquem tamen modum accidentis & habitus; quia humanitas aduenit Perſonæ Diuinæ habenti perfectum eſſe Diuinum. Hinc *ad* 1. 2. ex *Pſal.* 2. & *Aug. q.* 73. *ex* 83. *Ad 3.* Humanitas ſupponit quidem perfectum eſſe Verbi: ſed non inhæret ei vt accidens. *Ad 4.* Chriſtus eſt humanatus, denominatiuè: non per modum inhærentiæ, nec tranſmutationis, nec poſſeſſionis; ſed vnionis & relationis. *Ad 5.* Genera diſparata poſſunt prædicari de eodem ſubſtantialiter, per abſolutam Dei potentiam. *Ad 6.* Definitiones Dei & hominis non ſunt ita diuerſæ quin poſſint conuenire eidem ſuppoſito: quia natura humana poteſt dependere à Perſona Diuina, pluſquam accidens à ſubſtantia.

*ARTICVLVS* 2. *De perfectione huius vnionis.*

Qvæst. 1. An hæc vnio duarum naturarum ſit terminata ad vnitatem naturæ vel perſonæ? *Reſp.* Non ad vnitatem naturæ, ſed perſonæ: quia non eſt vnio conuerſiua, nec quantitatiua, nec conſtitutiua tertij; ſed quaſi inſertiua naturæ humanæ in Perſona Diuina ad eam ſuſtentandam.

Qvæst. 2. An hic modus vnionis ſit ſingularis & incomparabilis? *Reſp.* Eſt ſupernaturalis, ſingularis, & incomparabilis quoad omnia ſimul, non quoad ſingula. *Ad 1.* Eſt ſimilis vnioni *coniugali*, quoad vinculum indiuiduum & perpetuum, non quoad omnia. *Ad 2.* Eſt ſimilis vnioni *natiuæ*, quoad terminum: non quoad diſtantiam vnibilium &c. *Ad 3.* Eſt ſimilis vnioni *poteſtatiuæ* Dei etiam ad alia: ſed non quoad terminum & vinculum. *Ad 4.* Eſt ſimilis vnioni *votiuæ* per gratiam: ſed hæc gratia eſt ſupra omnes alias, &c.

Qvæst. 3. An vnitas Chriſti excedat omnes creatas? *Reſp.* Non vnitas naturæ humanæ: ſed diuinæ, & perſonæ. 1. Ob ſummam naturæ & perſonæ diuinæ, non humanæ, ſimplicitatem. 2. Ob vnibilium dignitatem. 3. Ob inſeparabilitatem. 4. Ob ſingularitatem. Hinc meritò à S. Bern. dicitur *vnio dignatiua*. *Ad 1.* Deus diſtat infinitè à creatura, quoad perfectionem: ſed eſt intimus ad influentiam & ſuſtentationem. *Ad 2.* Vnitas Chriſti non reſultat ex vnione plurium. *Ad 3.* Vnitas perſonæ in Chriſto eſt independens ab vnitate naturæ aſſumptæ. *Ad 4.* Vnitas perſonæ Chriſti non eſt mixta vlli oppoſitæ multiplicitati.

*In DIST. 7. De veritate variarum propoſitionum ex illa vnione, eiuſq; prædeſtinatione.*

Expoſitio Textus per 3. Dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De expreſſione huius vnionis.*

Qvæst. 1. An hæc ſit Vera: *Deus eſt homo, & homo eſt Deus.* *Reſp.* Non ſolùm in ſenſu obliquo .i. quaſi habens hominem: ſic enim eſſet pes quaſi habens pedem: nec ſolùm in recto per identitatem, quaſi *eſt ille qui eſt Deus, & ille qui eſt homo*; ſed in quodam ſenſu & modo ſingulari, nec per eſſentiam, nec per cauſalitatem, ſed per vnionem; qua quæ ſunt eadem vni & eidem ſuppoſito, ſunt eadem inter ſe, ex *lib. 1. priorum.* *Ad 1.* Tres perſonæ diuinæ identificantur in natura, non tamen inter ſe: quia natura eſt quid commune, perſona autem eſt quid proprium; conſequentia autem affirmatiua eſt ab inferiori ad ſuperius, non è contrà; & ideò quæ de eadem perſona dicuntur de ſe inuicem dicuntur, non ſic quæ de natura. *Ad 2.* Corpus & anima eiuſdem perſonæ non prædicantur de ſe inuicem. 1. Quia ſunt compartes: non ſic natura diuina & humana. 2. Quia ſignificant partes in abſtracto: Deus autem & homo totum in concreto. *Ad 3.* Petrus eſt homo, prædicatione formali: Deus eſt homo, vnione perſonali; ideoque nec vniuocè. *Ad 4.* Deus eſt homo: nec per ſe quaſi eſſentialiter, nec per accidens quaſi contingenter; ſed poſſet dici per ſe comparando diuinam naturam ac perſonam; poſſet dici per accidens, comparando naturam humanam ad eandem perſonam. *Ad 5.* Deus eſt homo: abſolutè ab omni relatione extrinſeca; ſed relatiuè relatione intrinſeca .i. Deus eſt vnitus perſonaliter naturæ humanæ. *Ad 6.* Deus eſt homo: ſubiecto excedente prædicatum. *Ad 7. 8. 9.* Deus .i. filius eſt homo: non tamen Deus .i. Pater non eſt homo; quia negatio eſt de omnibus.

Qvæst. 2. An hæc ſit Vera: *Deus factus eſt homo?* *Reſp.* Eſt vera, ſed minus propria: tum de hoc toto facto, *vt Deus ſit homo*; tum de prædicato .i. homine facto; tum de ſubiecto præſuppoſito & vnito prædicato, ſed ſola huius inceptione ac mutatione. *Ad 1.* Fieri propriè eſt mutari: non autem hîc. *Ad 2.* Fieri non dicit imperfectionem niſi circa id quod mutatur. *Ad 3.* Fieri non dicit hîc mutationem circa Perſonam: ſed ſolam habitudinem vnionis. *Ad 4.* Factum eſſe, non afficit ipſum Suppoſitum, niſi relatiuè ad prædicatum. *Ad 5.* Deus eſt factus homo: non factus ſimpliciter, ſed relatiuè ad eſſe hominem.

Qvæst. 3. An hæc ſit vera: *Homo factus eſt Deus?* *Reſp.* Non quaſi qui priùs erat homo factus ſit etiam Deus: nec quaſi Deus factus ſit; ſed tantùm hoc totum factum eſt, *vt homo ſit Deus.*

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De expreſſione Prædeſtinationis huius. Al. q. 3.*

Qvæst. 1. An Filius Dei fuerit prædeſtinatus? *Reſp.* Chriſtus vt homo eſt prædeſtinatus, non autem vt Filius Dei: quia prædeſtinari, eſt cauſari, gratificari, inchoari: quæ repugnant Chriſto vt Filio Dei, non vt Homini.

Qvæst. 2. An hæc ſit vera: *Filius Dei eſt prædeſtinatus vt ſit homo?* *Reſp.* Non vt, *præ*, dicit anteceſſionem hominis ad Filium Dei: ſed Filij Dei ad eſſe hominem, & ad prædeſtinatum eſſe vt ſit homo. *Ad 1.* Prædeſtinari ſimpliciter, eſt ad gratiam & gloriam: ſed etiam ad aliquid aliud additum;

nec

Digitized by Google

nec prædeſtinatio filij Dei ad eſſe hominem eſt ſine gratia vnionis. *Ad* 2. 3. Non tamen filius Dei eſt ſimpliciter prædeſtinatus: quia nihil poteſt habere præ ſe. *Ad* 4. Hoc prædeſtinari, non dicit anteceſſionem ſubiecti, ſed prædicati.

QVÆST. 3. An hæc ſit vera: *Homo prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei? Reſp.* Non præ prædicato: ſed præ ſubiecto, & toto copulato, &c. vt ſupra. *Ad* 1. Verba vnionis & prædeſtinationis non communicantur. *Ad* 2. 3. Prædeſtinatio non eſt perſonæ ſimpliciter & abſolutè: ſed relatiuè ad naturam humanam. *Ad* 4. Homo vt homo eſt ab æterno prædeſtinatus eſſe filius Dei: nec tamen ſupponit pro præterito, ſed ampliatur ad omne tempus; quia prædeſtinatio non eſt in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante.

*In* DIST. 8. *De communicatione idiomatum in natiuitate & filiatione Chriſti.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

*ARTICVLVS PRIMVS.*

*De natiuitate vtriuſq; naturæ. Al. q.* 10.

QVÆST. 1. An natura diuina dici poſſit nata de Virgine? *Reſp.* Non, nec nata de patre: ad cauendam confuſionem proprietatum perſonalium, & naturalium; quia proprietas vnius naturæ, non debet dici de altera in abſtracto, ne videantur eſſe eadem natura. *Ad* 1. *Ex S. Hil.* 8. *Trin.* Filius nihil habet niſi natum .i. niſi naſcendo. *Ad* 2. ex *Damaſc.* 3. *fidei* 12. B. Virgo eſt Mater Dei, non naturæ diuinæ. *Ad* 3. ex *Aug.* 2. *de fide ad Petrum*: Extendit nomen naturæ ad perſonam. *Ad* 4. Natura eſt incarnata, non nata: nec incarnatio communicat idiomata naturæ, ſed perſonæ. *Ad* 5. Aſſumere non eſt idem quod concipi. *Ad* 6. ex *S. Bern.* Fortitudo Dei dicitur infirmata: non propriè, ſed concionatoriè. Quædam tamen nomina eſſentialia appropriantur perſonis.

QVÆST. 2. An natura humana poſſit dici nata de Virgine? *Reſp.* Poteſt dici aſſumpta & nata. 1. Secundùm corpus. 2. Secundùm totum vt in ſuppoſito, & ſic quodammodò per accidens. *Ad* 1. Natura diuina non eſt nata: quia non eſt multiplicata, vt humana. *Ad* 2. 3. Generatio per ſe terminatur ad ens completum: ſed & ad naturam in ſuppoſito. *Ad* 4. Totus homo dicitur generari & naſci: quia non intenditur pars, ſed totum.

QVÆST. 3. An dici poſſit, *Natura diuina eſt homo? Reſp.* Non per denominationem, ſeu formaliter: ſed per identitatem naturæ diuinæ cum perſona quam connotat homo .i. Natura diuina eſt ille, qui eſt homo. *Hinc ad arg.*

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De duplici natiuitate & filiatione. Al. q.* 10.

QVÆST. 1. An poſſit dici Chriſtus bis natus? *Reſp.* Poteſt dici bis natus: ab æterno, & ex tempore; quia *ex* 5. *Phyſ.* 34. Actus numeratur ſubiecto, tempore, & termino. *Ad* 1. Bis non dicit actus vniuocos, ſed analogos. *Ad* 2. Bis non dicit eiuſdem actus ſucceſſionem. *Ad* 3. Nec dicit eiuſdem actus interruptionem. *Ad* 4. Nec dicit actus deſitionem. *Ad* 6. Nunc æternitatis & temporis non connumerantur proprie, ſed latè.

QVÆST. 2. An in Chriſto ſint duæ filiationes? *Reſp.* Non: quia filiatio propriè eſt perſonæ, non naturæ; nec relationes ſumunt numerum à ſuo principio vel termino, ſed à ſubiecto. *Ad* 1. Actio & paſſio non ſolùm ſumunt numerum à ſubiecto, vt relatio: ſed etiam à ſuo principio & menſura durationis. Deinde generatio reſpicit perſonam, & conſequenter naturam. Hinc natura humana in Chriſto poteſt dici nata, non tamen filia: & plures in Chriſto generationes, non filiationes. *Ad* 2. Generans plures filios fit pater pluriũ quàm priùs: non per plures paternitates, ſed plures eiuſdem reſpectus. *Hinc Chriſtus generatione temporali non acquirit nouam filiationem, ſed incipit eſſe filius Virginis.* Nec relatiuum multiplicatur ad correlatiua à quibus non dependet. *Ad* 3. Plurium productionũ ſunt plures termini: ſi ſint diſparatæ, nec vna ſupponat aliam, vt hîc. *Ad* 4. Non eſt idem eſſe natum quod eſſe filium. *Ad* 5. Poteſt quis intelligi pater vnius filij, ſine altero: non ob diſtinctas paternitates, ſed varios eiuſdem reſpectus. Vt quis viſus à duobus, poteſt intelligi videri ab vno ſine altero. *Nec hæc eſt diuerſitas quoad rem, ſed rationem ſeu comparationem.*

QVÆST. 3. An Chriſtus ſit filius naturalis ex vtraque natiuitate, æterna & temporali? *Reſp.* Eſt ex vtraque: quia ex vtraque eſt ſimilis producenti in natura. Porro, *naturalis*, dicit potiùs habitudinem principij quàm formæ. Hinc dicitur Filius naturalis, qui eſt à natura, & habet naturam ab alio, &c. *Ad* 1. Filius naturalis, non poteſt eſſe per gratiam adoptionis, ſed vnionis. *Ad* 2. Generatio Chriſti eſt ſupernaturalis, & naturalis. *Ad* 3. Poteſt generari naturaliter, & voluntariè concomitanter. *Ad* 4. Filius non poteſt eſſe prior ſuo generante, ſecundùm eandem naturam.

*In* DIST. 9. *De adoratione Chriſti. Al. q.* 30.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

*ARTICVLVS* 1. *Cui ſit exhibenda?*

QVÆST. 1. An Cultus Latriæ ſit exhibendus carni, ſeu humanitati Chriſti? *Reſp.* Chriſto homini exhibendus eſt cultus Latriæ: corpori & animæ vel humanitati eius ſeorſim, ſolus cultus Duliæ; ſed vt vnitæ Verbo, non ſolus cultus Duliæ aut Hyperduliæ, ſed Latriæ; quia cultus non defertur naturæ, ſed toti Perſonæ. *Ad* 1. Solus Deus eſt ſic adorandus: non excluſâ, ſed incluſâ vtraque eius naturâ. *Ad* 2. ex *Aug.* 10. *Ciu.* 20. Chriſtus in forma ſerui maluit Sacrificium eſſe, quàm ſumere: ad cauendum errorem. *Ad* 3. ex *Damaſc.* 4. *Fidei* 3. Non nudam carnem adoramus: ſed vnitam. *Ad* 4. Latria non tribuitur creaturæ in ſe, ſed in Deo. *Ad* 5. Vni eidemque Perſonæ eadem reuerentia. *Ad* 6. Chriſtus orat & adorat exemplariter ſecundùm naturam humanam: ſed adoratur ſecundùm Perſonam Diuinam.

QVÆST. 2. An cultus Latriæ exhibendus ſit Imagini Chriſti? *Reſp.* Quòd ſic: ex *Aug.* 3. *Doct. Chriſt.* 9. Qui veneratur ſignum Diuinum, non veneratur quod videtur, ſed id ad quod eſt referendum. Quia imagines Chriſti ſunt ad noſtram inſtructionem, deuotionem, & repræſentationem ac commemorationem ipſius Chriſti, pro quo ſupponunt, non pro ſeipſis. *Ad* 1. 2. *Exod.* 20. *Leu.* 19. *Deut.* 5. Prohibentur Imagines Dei priuſquam eſſet factus homo. *Damaſ.* autem 4. *Fidei* 17. reprobat

Digitized by Google

probat figurationem ipſius Deitatis. *Ad* 3. Nec res nec ſigna ipſa adorantur: ſed eorum ſignificata. *Ad* 4. Homo non adoratur vt imago Dei: quia eſt res per ſe nobilis, nec eſt tantùm inſtitutus vt ſignū ad repræſentandum Deum. *Ad* 5. Hæc non eſt vlla Idolatria, nec eius occaſio: quia nec creditur ineſſe aliquid Diuinum, nec datur occaſio credendi; nec vſus per ſe bonus deſerendus eſt ob aliquorum abuſum. *Ad* 6. Etſi non ſit ſcriptum, eſt tamen traditum. Narrat *Damaſc.* 4. *Fidei* 17. ipſum Chriſtum miſiſſe ſuiipſius Imaginem Abagaro Regi: & accepimus S. Lucam depinxiſſe nobis Chriſtum & eius Matrem.

QVÆST. 3. An Cultus Latriæ ſit exhibendus Matri Chriſti? *Reſp.* Non Latriæ, ne ſolius Duliæ communis, ſed Hyperduliæ: ob ſingularem excellentiam Matris Dei. *Ad* 1. ex *Damaſc.* 4. *Fidei.* 17. Honor Matris refertur ad Filium: vt ad ſuum finem, non vt ad proprium ſubiectum, vt honor Imaginum. *Ad* 2. Filius communicat Matri dominium Præſidentiæ, non Maieſtatis. *Ad* 3. Caro Filij eſt ex carne Matris: ſed illa non adoratur vt eſt ex hac, ſed vt eſt aſſumpta. *Ad* 4. Chriſtus honorauit eam vt Matrem: ſed non vt Deam.

QVÆST. 4. An cultus Latriæ exhibendus ſit Cruci Chriſti? *Reſp.* Nec ipſa Crux Chriſti, nec vllum eius ſignum, vt res inanimis eſt capax vllius adorationis rationalis: ſed vt inſtrumentum ſalutis eſt venerandum; vt ſignum pro ipſo crucifixo ſignificato, eſt adorandum Latriâ. Ex *Damaſc.* 4. *Fidei* 12. *Ad* 1. Crux non adoratur vt res: ſed vt ſignum pro ipſo Crucifixo ſignificato. *Ad* 2. Mater Chriſti eſt dignior Cruce, ſed non Crucifixo ſignificato: eſtque capax Duliæ, ac Hyperduliæ, non Crux. *Ad* 3. Cœlum eſt ſedes Dei, & terra ſcabellum, ſed nonniſi vt veſtigium naturale: Crux autem ex ſpeciali inſtituto eſt memoriale Crucifixi. *Ad* 4. 5. Crux nihil meruit: ſed Crucifixus meruit ei venerationem.

QVÆST. 5. An Latria exhibenda ſit membris Chriſti? *Reſp.* Non fidelibus vt membris Chriſti: quia non participant æqualem dignitatem, nec ſunt tantùm ſigna Chriſti. *Ad* 1. ex *Gen.* 18. Abraham adorauit tres Angelos ſibi apparentes: vel ſola Duliâ vel etiam Latriâ, vt ſibi miſſos in ſignum S. Trinitatis. *Ad* 2. ex *Apoc.* 19. Ioannes noluit adorare Angelum apparentem, Latriâ, ſed Dulia: quam tamen Angelus noluit admittere. 1. Ob exaltationem generis humani. 2. Ob excellentiam S. Ioan. 3. Ad cauendum aliorum errorem. *Ad* 3. ex *Pſal.* 5. Deus eſt adorandus in templo ſuo materiali, non in ſpirituali: quia illud eſt tantùm ad hunc vſum; hoc autem eſt capax & particeps proprij honoris. *Ad* 4. Corpus Chriſti verum, eſt dignius myſtico: nec eſt eius ſignum niſi ſub Sacramento. *Ad* 5. Membra naturalia coadorantur cum Capite, quia ſunt eiuſdem naturæ & perſonæ: non ſic membra myſtica. *Ad* 6. ex *Damaſc.* 4. *Fidei* 17. Honor Imaginis inanimis refertur ad prototypum: non autem totus honor alicuius Sancti; quia hic habet propriam ſanctitatem dignam honore; ſubeſſetque periculum ſuperbiæ & idolatriæ.

QVÆST. 6. An cultus Latriæ exhiberi poſſit aduerſario Chriſti? *Reſp.* Non ſimpliciter, ex vlla apparitione vel apparentia Chriſti: nec ſubitò ſub conditione habituali; ſed nonniſi maturè ſub expreſſa conditione actuali, ſi ſit ipſe Chriſtus. Quia veræ apparitiones Chriſti ſunt nimis excellentes, quàm vt poſſit leuiter credi & adorari. Sed conſecratio & exhibitio Hoſtiæ conſecratæ eſt ordinaria: ideoque ſufficit ad credendum & adorandum, conditio habitualis. *Ad* 1. Ignorantia talis facti non excuſat: quia non adhibentur debita remedia. *Ad* 2. Vt intendens, ſed non exprimens ſe emere aurum, meritò patitur damnum ſi emat cuprum: ſic & peccat adorans Diabolum, quamuis intendens adorare Chriſtum. *Ad* 3. Error perſonæ in matrimonio impedit conſenſum: ſed non adoratio Diaboli pro Chriſto; quia hic error eſt nimis temerarius. *Ad* 4. Opus indifferens eſt bonum ex intentione: non autem opus ex ſe malum, nec temerarium, quale eſt hoc; quia dirigitur ad hunc præſentem, quamuis putetur Chriſtus.

*ARTICVLVS* 2. *De Latria. Al. q.* 30.

QVÆST. 1. An Latria ſit virtus? *Reſp.* Eſt habitus vel actus virtutis colendi Deum. *Ad* 1. Eſt ſeruitus: ſed voluntaria, & Dei. *Ad* 2. Eſt cultus habitualis vel actualis Deo debitus. *Ad* 3. ex *Aug.* 10. *Ciu.* 5. Eſt pietas: non ad proximos, aut parentes, ſed ad cultum Dei. *Ad* 4. Reuerentia Latriæ eſt potiùs honoris, quàm timoris: & potiùs actiua, quàm paſſiua.

QVÆST. 2. An Latria ſit virtus generalis, vel ſpecialis? *Reſp.* Relatiuè ad Deum vt finem vltimum, eſt virtus generalis: relatiuè ad Deum vt obiectum, eſt quælibet virtus Theologica: relatiuè ad Deum vt honorabilem & adorabilem, eſt virtus ſpecialis adorandi Deum. *Hinc ad Arg.*

QVÆST. 3. An Latria ſit virtus Cardinalis, vel Theologica? *Reſp.* Eſt virtus Cardinalis, ſub genere propinquo Iuſticiæ, proximo Religionis: quia non eſt tam ad actum interiorem colendi Deum, quàm ad actum exteriorem vt debitum eius excellentiæ. Ex *B. Aug.* 10. *Ciu.* 5. longè lateque. *Ad* 1. 2. *Aug.* vocat eam etiam cultum interiorem: ſed relatiuè ad exteriorem. Hinc credens tantùm in falſum Deum, non dicitur Idolatra, ſed Infidelis. *Ad* 3. Adoratio Dei exterior eſt Fidei & Charitatis, vt dirigentis & imperantis: ſed Latriæ, vt elicientis ſub ratione debiti. *Ad* 4. Impletio primi & ſecundi Præcepti, actu interiori, eſt virtutis Theologicæ: ſed actu exteriori, eſt Latriæ. *Ad* 5. Cultus Dei interior, non exterior, poteſt excedere ſuum modum. *Ad* 6. Virtus Theologica habet Deum pro obiecto materiali & formali: ſed vt obedientia ad Deum, habet Deum, & eius Mandatum, ac obligationem pro obiecto; ſic & Religio habet pro obiecto & Deum, & cultum eius externum, & rationem eius formalem ſeu motiuam debiti, à qua hæc virtus ſpecificatur.

QVÆST. 4. An Latria ſit virtus diſtincta à Dulia? *Reſp.* Non vt Dulia ſumitur pro cultu debito cuiuis naturæ ſuperiori, ob ſuum dominium, ex *Gloſ. in Pſal.* 67. nec vt ſumitur per Anthonomaſiam, pro cultu debito naturæ aſſumptæ, ex *Pſal.* 98. *Adorate ſcabellum pedum eius*; ſed propriè, pro honore debito creaturæ rationali; quia alia eſt ratio formalis propria & motiua colendi Creatorem, quàm

Digitized by Google

quàm creaturam quantamcumque. *Ad* 1. Latria dicitur deberi ſoli Deo vt Deo, Dulia vt Domino: quia Deitas non eſt communicabilis creaturæ, vt dominium. *Ad* 2. Vt Fides eſt alia virtus credendi Deo, quàm fidelitas credendi homini: ſic & alia virtus Latriæ, quàm Duliæ. *Ad* 3. Eſt eadem charitas diligendi omnia ex eodem motiuo: ſed Latria & Dulia differunt proprijs motiuis. *Ad* 4. Latria & Dulia non differunt tantùm per maius & minus: ſed per diuerſos modos colendi, poteſtque magis & minùs diſtinguere ſpecie morali.

*In DIST.* 10. *De perſonalitate Chriſti vt hominis, eiuſque adoptione aut non. Al. q.* 6. 10.

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De eius perſonalitate.*

QVÆST. 1. An hæc ſit vera: *Chriſtus ſecundùm quod homo, eſt Deus? Reſp.* Non reduplicatiuè, pro cauſa formali eſſendi Deum: ſed ſpecificatiuè, ſeu concomitanter & indiuiſibiliter. *Ad* 1. ex *Phil.* 2. Chriſtus non vſurpauit æqualitatem Dei: ſed vt Deus habet eam per generationem, vt homo per vnionem. *Ad* 2. ex *Rom.* 2. *Chriſtus fuit prædeſtinatus eſſe Filius Dei:* vt homo, concomitanter; vel *præ* natura ſua humana, non Diuina. *Ad* 3. Chriſtus eſt Perſona naturæ Diuinæ & humanæ: ideoque Deus & homo. *Ad* 4. ex *Matt.* 9. Dimittebat peccata, vt homo: vel meritoriè, vel non reduplicatiuè, ſeu ex vi naturæ humanæ, ſed Diuinæ.

QVÆST. 2. An hæc ſit vera: *Chriſtus ſecundùm quòd homo, eſt perſona? Reſp.* Non eſt vera: quia ſonat quaſi eſſet etiam perſona humana, vel ex vi ſeu ex parte naturæ humanæ. *Ad* 1. Chriſtus vt iſte homo, eſt perſona: ſi *iſte* demonſtret perſonam, non ſi tantùm ſingularem naturam. *Ad* 2. Chriſtus vt homo eſt res completa: non proprio & abſoluto complemento; ſed relatiuo & digniore, ſeu Diuino. *Ad* 3. Vnio voluntaria per gratiam, non eſt hypoſtatica. *Ad* 4. Natura vnita hypoſtaticè digniori, non poteſt habere ſuam propriam perſonalitatem: ſed benè natura dignior vnita indigniori. *Ad* 5. Si natura humana Chriſti ſepararetur, fieret perſona: non maiori ſed minori dignitate.

QVÆST. 3. An hæc ſit vera: *Chriſtus ſecundùm quòd homo, eſt indiuiduum? Reſp.* Non vt diuiſum ab alijs, & ſubſiſtens per ſe; ſed vt indiuiſum in ſe: nec vt ſuppoſitum proprium in quo totum eſſe fundetur; ſed vt ſuppoſitum de quo omnia dicantur. Hinc *ad Arg. Sed contra.* Indiuiduatio eſt ex materia & forma, innoteſcitque per accidentia: ergo videtur Chriſtus vt homo eſſe æquè indiuiduum atque alij homines, & pluſquam accidentia ſingularia. *Reſp.* Indiuiduatio eſt à principijs intrinſecis, ex quibus reſultat naturaliter forma totius in aliquo proprio ſuppoſito: ſed ex corpore & anima Chriſti reſultat eius humanitas, non naturaliter in proprio ſuppoſito, ſed ſupernaturaliter in perſona Verbi; ideoq; Chriſtus vt homo, non habet plenam rationem indiuidui, ſed quaſi mediam inter indiuiduum ſubſtantiale & accidentale.

*ARTICVLVS* 2. *De Adoptione. Al. q.* 10.

QVÆST. 1. An Chriſtus ſit Filius Dei adoptiuus? *Reſp.* Nec ſimpliciter, nec vt homo: quia filiatio eſt propria perſonæ; ſed adoptio eſt perſonæ extraneæ, gratæ, & ordinatæ ad hæreditatem. Perſona autem Chriſti non eſt extranea. *Ad* 1. ex *S. Hil.* 2. *Trin.* Humanitas dicitur adoptari: non illa Chriſti ſingularis, ſed noſtræ. *Ad* 2. Chriſtus vt homo poteſt dici Filius Dei per gratiam vnionis, non adoptionis. *Ad* 4. Filij Dei per creationem poſſunt adhuc adoptari per gratiam: quia ſunt adhuc extranei & diſſimiles; ſed Filius Dei per naturam non poteſt adoptari.

QVÆST. 2. An adoptemur per Chriſtum? *Reſp.* Per ſolum Chriſtum meritoriè: per Chriſtum & Spiritum S. diſpoſitiuè & cauſaliter, propriè & appropriatè. *Ad* 1. Appropriatur Spiritui S. ob gratificationem. *Ad* 2. Fuerunt Filij adoptiui Dei ante Chriſti aduentum: ſed nec perfectè, nec ante fidem Chriſti. *Ad* 3. Incarnatio Chriſti eſt inchoata cauſa adoptionis: ſed miſſio Spiritus S. completa. *Ad* 4. Adoptamur per gratiam conformitatis cum Filio naturali, ex *Rom.* 8.

QVÆST. 3. An ſimus filij adoptiui ipſius Chriſti? *Reſp.* Sumus: quia totius Trinitatis, cuius Chriſtus eſt ſecunda Perſona. *Ad* 1. Deus adoptat per creationem, & recreationem, ſeu iuſtificationem. *Ad* 2. Sumus fratres Chriſti, & filij Dei: ſed diuerſo modo. *Ad* 2. Tres Perſonæ ſunt vnus idemque Pater noſter. *Ad* 4. Chriſtus eſt Pater noſter ſecundùm naturam Diuinam: ſed frater ſecundùm humanam, &c.

*In DIST.* 11. *De Chriſto quoad eius creationem & inceptionem, aut non. Al. q.* 3. 6.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

*ARTICVLVS PRIMVS.*

*De comparatione prædeſtinationis Chriſti cum noſtra.*

QVÆST. 1. An ſit conformis noſtræ? *Reſp.* Non quoad liberationem à ſtatu peccati, nec quoad prædeſtinationem perſonæ, nec quoad ſucceſſiuam acquiſitionem gratiæ & gloriæ: ſed quoad prædeſtinationem actiuam Dei, & paſſiuam naturæ humanæ, ad gratiam & gloriam, &c. Ex *B. Aug. De prædeſt. SS. c.* 10. 15.

QVÆST. 2. An ſit cauſa exemplaris noſtræ? *Reſp.* Non quoad principale, ſed connotatum: nec vt directiua ipſius Dei, ſed noſtri ad effectum & finem prædeſtinationis. *Exod.* 25. *Heb.* 12. 1. *Pet.* 2. *Aug. De prædeſt. SS.* 15. Hinc *ad* 1. 2. 3. *Ad* 4. Fuit exemplar omnium, ſaltem prædictum & præfiguratum.

QVÆST. 3. An ſit vera cauſa noſtræ? *Reſp.* Non quoad ipſum actum principalem prædeſtinandi: nec vt cauſa efficiens effectus & finis connotati; ſed vt ad hunc diſpoſitiua per meritum, & excitatiua per exemplum. *Ad* 1. Effectus gratiæ eſt prior in aliquibus, quàm in Chriſto: ſed effectus gloriæ prior in Chriſto, quàm in omnibus. *Ad* 2. 3. Vt ſupra. *Ad* 4. Non eſt cauſa tam neceſſaria, quin aliter potuerit eſſe.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De creatione aut inceptione Chriſti, vel non.*

QVÆST. 1. An Chriſtus dici poſſit creatura? *Reſp.* Non, niſi determinetur ad Naturam humanam: quia ſapit Arianiſmum; & creatura dicit reſpectum ad Creatorem, ad eſſe poſt non eſſe, & ad eſſe factum per voluntatem. Quæ repugnant Perſonæ Chriſti. *Ad* 1. 2. Sancti non ſunt ſemper imitandi in modo loquendi, ſed exponendi. *Ad* 3. ex



Digitized by Google

*Rom.* 1. *Gal.* 4. Chriſtus factus eſt: ſed ex muliere, & ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, non ſimpliciter. *Ad* 4. Chriſtus eſt Perſona Diuina: idcirco dicitur Creator, non creatura. *Ad* 5. & 6. Chriſtus eſt homo creatus: non tamen ſimpliciter creatus, nec creatura. *Ad* 7. Plus repugnat Chriſto creari, quàm concipi: quia concipi eſt à matre, & ex aliquo eſſe; ſed creari eſt à Deo, & ex nihilo. Plus etiam repugnat quàm eſſe mortalem: quia hoc non dicitur ſecundùm totum eſſe, ſicut illud.

QVÆST. 2. An hæc ſit vera: *Ille homo, demonſtrato Chriſto incæpit eſſe?* *Reſp.* Non propriè, ſi demonſtret Perſonam Chriſti: ſed ſi eius ſingularem naturam humanam. *Ad* 1. Hæc eſt falſa, *iſte homo eſt ante mundum*: ſed hæc vera, *iſte homo fuit ante mundum*; quia ſenſus huius, non illius eſſe poteſt; *iſte qui nunc eſt, fuit ſimpliciter ante mundum* *Ad* 3. Pronomen non ſemper demonſtrat perſonam, ſed quodlibet ſingulare. Vt quamuis vtroque ſenſu hæc ſit vera, *iſte homo ſemper fuit*: non tamen hæc in vtroque ſenſu falſa: *iſte homo incæpit*; quia non negat quin ſemper fuerit ſimpliciter. *Ad* 4. Homo, in Chriſto, ſupponit modo quaſi accidentali; comparatiuè ad perſonam: ſed ſubſtantiali, comparatiuè ad ſingulare hominis. Hinc cùm *iſte* demonſtrat ſingulare hominis, pronomen refertur ad idem tempus cum nomine, &c.

QVÆST. 3. An hæc ſit vera: *Homo incæpit eſſe Deus?* *Reſp.* Eſt vera pro hoc ſingulari hominis, non pro hac Perſona Diuina: niſi per vnionem, ſeu per idiomatum communicationem. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3. Omnia communicantur in concreto inter Deum & hominem, ſed in Perſona Diuinæ & humanæ naturæ: exceptis exprimentibus vnionem, & repugnantibus, ac errori propinquis. *Ad* 4. Si diſſolueretur vnio hypoſtatica, homo deſineret eſſe Deus: & tamen per communicationem idiomatum homo ſemper erit Deus; nec tam implicat ſemper eſſe, & deſinere, quàm non eſſe. Hinc iſte homo Chriſtus mortalis, poteſt dici immortalis: non autem non mortalis.

*In* DIST. 12. *De congruo genere, ſexu, & impeccabilitate Chriſti. Al. q.* 2. & 14.

Expoſitio Textus ſub vnico dubio.

*ARTICVLVS* 1. *De eius genere.*

QVÆST. 1. An congruum fuerit filium Dei aſſumere naturam humanam de maſſa corruptionis, ſeu de genere corrupto Adæ? *Reſp.* Potuit quidem aliundè, ſed congruentiùs inde. 1. Ad æquiorem ſatisfactionem. 2. Ad commendandam ſuam charitatem. 3. Ad conſtantem ordinem ſuæ ſapientiæ. 4. Ad ſaluandã dignitatem naturæ humanæ. *Ad* 1. Morbus & medicina naturalis ſunt diuerſæ naturæ. *Ad* 2. Materia proxima, non remota, debet eſſe digna ſua forma. *Ad* 3. Filius iuſtus non eſt reus iniuſtitiæ paternæ. *Ad* 4. Debitum parentum non imputatur proli, niſi vt eorum hæredi.

QVÆST. 2. An fuiſſet congruum aſſumere ipſummet Adam? *Reſp.* Nec Deo, aſſumere peccatorem: nec primo homini, poſt tantam culpam, tam exaltari; nec humano generi, reum ad ſatisfaciendum pro ſe & alijs aſſumi. Hinc ad *arg.*

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De impeccabilitate Chriſti. Al. q.* 14.

QVÆST. 1. An Chriſtus potuerit peccare? *Reſp.* Quod non. 1. Ex plenitudine gratiæ. 2. Ex conſummatione gloriæ à primo inſtanti ſuæ conceptionis. 3. Efficaciſſimè, ex vnione hypoſtatica, quâ ipſa impeccabilitas Dei communicatur Chriſto homini. *Ad* 1. ex *Eccli.* 31. Non eſt laudabile potuiſſe tranſgredi: ſed non eſſe tranſgreſſum. *Ad* 2. ex *Aug. de vera Rel.* 14. Hæc perfectio Chriſti fuit ſupra omnem conditionem humanã. *Ad.* 3. Decuit Deum inclinare ſe vſque ad noſtram miſeriam, non vſque ad culpam. *Ad* 4. Chriſtus erat viator & comprehenſor. *Ad* 5. Laus non eſt ex neceſſitate coactionis, ſed perfectionis. *Ad* 6. Potuit proferre locutionem falſam: ſed non eam affirmare.

QVÆST. 2. An Chriſtus aſſumpſerit potentiam peccandi? *Reſp.* Non quâ ipſe peccare poſſet: ſed quâ peccatur, & peccari poteſt ac ſolet. *Ad* 1. 2. Chriſtus habuit eandem potentiam naturalem quam nos: ſed indefectibilem ex gratia, gloria, & vnione hypoſtatica. *Ad* 3. Hæc eſt potentia peccandi vt ſibi relicta: non autem inſeparabiliter aſſumpta. *Ad* 4. Anima Chriſti non fuit æquè impeccabilis ac Deus ipſe.

*ARTICVLVS* 3. *De Sexu congruo. Al. q.* 3.

QVÆST. 1. An decuerit Deum aſſumere ſexum muliebrem? *Reſp.* Non vt virilem: ob dignitatem, virtutem, & authoritatem huius præ illo.

QVÆST. 2. An decuerit aſſumi carnem de ſola muliere? *Reſp.* Decuit. 1. Ad Matris dignitatem. 2. Ad Dei patris honorem. 3. Ad vniuerſi perfectionem, in quatuor modis producendi hominem, ſine viro & muliere, ex ſolo viro, ex viro & muliere, & ex muliere ſine viro. 4. Ad inchoandum noſtram reparationem, vt & primum lapſum, per mulierem.

*In.* DIST. 13. *De Gratia & profectu Chriſti. Al. q.* 11. 12.

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De gratia eius ſingulari.*

QVÆST. 1. An gratia Chriſti, vt perſonæ ſingularis, ſit creata? *Reſp.* Eſt creata: vt cõformãs, diſponens, & perficiens eius animam ad vnionem hypoſtaticam & perfectionem merendi. *Ad* 1. Non dicitur gratia perſonalis, quaſi ſit ipſius perſonæ diuinæ: ſed huius ſingularis naturæ, ad diſtinctionem à gratia Chriſti vt Capitis. *Ad* 2. Hæc gratia non eſt propria perſonæ, vt filiatio; ſed animæ. *Ad* 3. Hæc non aſſimilat ipſum Chriſtum Deo, ſed eius animam. *Ad* 4. Deus non indiget gratia ad hanc vnionem, ſed anima.

QVÆST. 2. An hæc gratia Chriſti ſit finita vel infinita? *Reſp.* Eſt abſolutè finita, ex *Sap.* 11. ſed comparatiuè ad gratias aliorũ, infinita, excedẽs omnes in infinitum, habitu, vſu, & merito, ex vi vnionis hypoſtaticæ. *Ad* 1. ex *Ioan.* 3. Non eſt datus Chriſto Spiritus ad menſuram: vel de datione æterna, vel per communicationem idiomatum, vel comparatiuè ad nos. *Ad* 2. Non potuit ei dari maior: ob incapacitatem ſubiecti, quæ nec poteſt eſſe maior. *Ad* 3. Meritum Chriſti non eſt infinitum ex hac gratia, ſed ex perſona diuina. *Ad* 7. Hæc gratia Chriſti excedit omnes alias in infinitum: quia non eſt prorſus eiuſdem generis proximi, diſponens ad ſolam gloriam, ſed etiam ad vnionem hypoſtaticam. *Ad* 5. Diſpoſitio neceſſitans eſt pro-

portionata

Digitized by Google

portionata formæ ad quam diſponit : ſed non hæc diſpoſitio tantùm congrua ad perſonam diuinam. Deinde non diſponit ad eſſe Deum, ſeu Bonum infinitum per eſſentiam, ſed per vnionem. *Ad* 6. Anima Chriſti non poteſt appetere maiorem gratiam : quia per eam vnitur perfectiſſimè Bono infinito.

QVÆST. 3. An hæc gratia fuerit plena & perfecta ab inſtanti conceptionis ? *Reſp.* Fuit plena: non ſola plenitudine ſufficientiæ, vt *Act.* 6. aut prærogatiuæ, vt *Luc.* 1. aut copiæ, vt *Epheſ.* 4. ſed ſuperabundantiæ, ex *Ioan.* 1. *Vidimus eum plenum gratiæ : & de plenitudine eius omnes accepimus.* *Ad* 1. Non fuit in eo fides & ſpes : ex harum imperfectione, & perfectione gratiæ Chriſti. *Ad* 2. Plenitudo gratiæ eſt partis ſuperioris & comprehenſiuæ, non inferioris & viatricis. *Ad* 3. Chriſtus proficiebat opere exteriori, verè indicãdo perfectionem interiorẽ: quam & ſine falſitate aliquãdo occultabat. *Ad* 4. Non merebatur ſibi gratiam, ſed nobis. *Ad* 5. Proficiebat ætate, ex conditione naturali : ſed non gratiâ internâ, ex eius plenitudine. *Ad* 6. Gratia auget capacitatem actiuam, non paſſiuam, liberi arbitrij.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*
*De gratia Capitis.*

QVÆST. 1. An ſit creata vel increata ? *Reſp.* Vt eſt gratia conformitatis cum ſuis membris, & influendi eis meritoriè, eſt creata : ſed vt eſt gratia principiandi, & influendi eis cauſaliter gratiam, eſt increata. Hinc *ad Arg.*

QVÆST. 2. An gratia Capitis ſit alia quàm huius ſingularis perſonæ ? *Reſp.* Vt ſunt quædam Gratia habitualis, non differunt niſi quod illa ſit vt Deo gratificans animam, hæc vt diſponens eam ad vnionem hypoſtaticam : ſed vt illa ſola eſt habitualis, hæc autẽ vel eſt ipſa vnio hypoſtatica, vel natura vnita, vel perſona vniens aut aſſumens, differunt realiter. *Ad* 1. Hæc diſtinctio non eſt gratiæ habitualis. *Ad* 2. Gratia Capitis vt ſic, eſt communicatiua, non autem communicabilis vt ſic. *Ad* 3. Vt ſit gratia Capitis, ſupponit vnionem : quæ ſi diſſolueretur, maneret eadem gratia ſingularis, ſed non vt Capitis. *Ad* 4. Gratia vnionis & Capitis fuit ſemper ſalutaris per fidem futuri.

QVÆST. 3. An Deus influat ſenſum cognitionis & motum affectionis in Angelos & homines per hanc gratiam Chriſti ? *Reſp.* Influit, ſed inæqualiter: nã in homines influit gratias ſalutares maiores poſt paſſionem Chriſti quàm ante : In Angelos, reuelationes & gaudia accidentalia de noſtra ſalute & ſua reintegratione. *Ad* 1. Influentia cordis eſt ſecretior & incertior quàm capitis : ideo hæc gratia denominatur potiùs capitis, quàm cordis. *Ad* 2. Caput naturale non influit niſi in membra vnita : ſed hoc Caput ſupernaturale facit etiam & vnit ſua membra. *Ad* 3. Angeli non ſunt propriè membra Chriſti : influit tamen etiam eis per accidens ſecundùm naturam humanam. *Ad* 4. Non influit eis primum ſenſum & motum gratiæ vel gloriæ eſſentialis. *Ad.* 5. Potuit influere moraliter obiectiuè, priuſquam realiter exiſteret. *Ad* 6. Gratia Chriſti nunquam defuit: ſed poſt Chriſtum dicitur tempus gratiæ, ex maiori abundantia.

*IN DIST.* 14. *De Sapientia Chriſti. Al. q.* 13.
Expoſitio Textus, per 4. Dubia.
*ARTICVLVS.* 1. *De cognitione ipſius Verbi.*

QVÆST. 1. An anima Chriſti cognoſcat Verbum ſibi vnitum cognitione ab eo diſtincta ? *Reſp.* Non ipſo Verbo ſeu cognitione eius formali : ſed cognitione actuali, & habituali, ſeu Sapientiâ creatâ, & ab ipſo Verbo diſtincta; quia anima Chriſti non vnitur hypoſtaticè Verbo vt obiecto poſſibili, nec poteſt ei vniri vt ſubiectum formæ actuali vel habituali. *Ad* 1. Verbum eſt Sapientia propria formaliter, noſtra autem tantùm cauſaliter. *Ad* 2. Non ſufficit ad cognoſcendũ vnio cognoſcentis & cognoſcibilis, niſi vt talis. *Ad* 3. Anima dicitur cognoſci ſeipsâ : quia eſt vnita potentiæ cognoſcenti vt talis eſt; non quod ſit ſui ipſius cognitio aut ſcientia. *Ad* 4. Sapientia increata cõmunicatur Chriſto homini : ſed non animæ Chriſti.

QVÆST. 2. An Anima Chriſti comprehendat ipſum Verbum ſibi vnitum ? *Reſp.* Non comprehendit : quia etſi cognoſcat totum, non totaliter, ſeu quantum cognoſcibile eſt. *Ad* 1. 2. ex *Col.* 2. *In Chriſto habitat plenitudo diuinitatis corporaliter* .i. per vnionem perſonalẽ, non per comprehenſionẽ. *Ad* 3. ex *Iſid.* Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini aſſumpto .i. ſoli animæ Chriſti perfectiſſimè. *Ad* 4. Simplicitas ſtat cum infinitate incomprehenſibili ab inæquali. *Ad* 5. Vt Deus eſt vbique totus, & tamen extra: ſic & totus cognoſcitur, ſed nõ comprehenditur. *Ad* 6. Non poteſt perfectius cognoſci ab intellectu creato, ex ſola huius incapacitate. *Ad* 7. Chriſtus & Beati dicuntur comprehenſores, clara viſione, & perfecta charitate, non adæquata : Vt Chriſtus dicitur comprehenſor, poſitiuè, ſecundùm totam capacitatem intelligentiæ finitæ; deinceps priuatiuè, admirando illam infinitatem incomprehenſibilem. Vt *Pſal.* 138.

QVÆST. 3. An anima Chriſti videat Deum in ſua luce æterna ? *Reſp.* Non in ſola aliqua claritate diſtincta : nec in ſola eius Theophania ſeu apparitione ; ſed in ipſo fonte lucis æternæ, ſeu in ipſa eius luce eſſentiali. *Ad* 1. *Tim.* 6. *Deus habitat lucem inacceſſibilem* .i. naturaliter. *Ad* 2. ex 1. *Ioan.* 4. *Deum nemo vidit vnquam* .i. corporaliter, vel comprehenſiuè. *Ad* 3. 4. Non eſt ad hoc neceſſaria adæquatio, ſed proportio & ordinatio. *Ad* 5. Nimia lux corporalis corrumpit organum, non lux Spiritualis intellectum. *Ad* 6. Anima videt Deum per influentiam Dei in ſe, non autem ſui in Deum.

*ARTICVLVS* 2. *De cognitione eius in Verbo.*

QVÆST. 1. An anima Chriſti eadem cognitione cognoſcat Verbum, & res in Verbo ? *Reſp.* Eodem habitu, non ſemper actu : quia Verbum ei eſt ratio ſufficiens cognoſcendi ſe & omnia alia à ſe; ergo & idem habitus eſt ſufficiens. *Ad* 1. 2. Verbum eſt forma exemplaris omnium cognoſcibiliũ : & ſimilitudo expreſſa Verbi in nobis, eſt etiam ſimilitudo omnium. *Ad* 3. Si ſpeculum eſſet ſimilitudo ſui & aliorum in ſe, non eſſet opus aliâ. *Ad* 4. Deus & eſt lux ex ſe, & exemplar omnium. *Ad* 5. Nec eſt diſtincta memoria viſorum in Verbo, ab ipſo Verbo viſo.

QVÆST. 2. An anima Chriſti cognoſcat in Verbo omnia actu, quæ habitu ? *Reſp.* Non omnia accidentalia

dentalia, ſed eſſentialia gloriæ. *Luc.* 15 *Ad* 1. ex *Aug.* 15. *Trin.* 16. Non erunt volubiles cogitationes .i. eſſentialis gloriæ, vel non ratiocinando. *Ad* 2. Gloria eſt habitus in actu : ſed non circa omnia obiecta. *Ad* 3. Habitus in actu ſuo perfectiſſimo, eſt perfectiſſimus. *Ad* 4. Habitus ille eſt eſſentialior & actualior ad Verbum, quàm ad obiecta ſecundaria.

QVÆST. 3. An anima Chriſti cognoſcat omnia in Verbo? *Reſp.* Non cognitione actuali, ſed habituali, ſufficiente ad actualem, ex perfectione habitus ſecundùm totam capacitatem potentiæ, & præcipuè ex ſpeculo ſeu Verbo volũtario ac prompto ad repræſentandum animæ ſibi tam vnitæ omnia ſua cognita. *Ad* 1. ex *Aug. q.* 14. ex 83. Quod ſcitur, actuali non habituali compræhenſione, finitur. *Ad* 2. Cognitio habitualis non adæquatur actu. *Ad* 3. Habitus eſt finitus, ſed ratio cognoſcendi infinita. *Ad* 4. Scientia Chriſti non excedit alias in infinitum, niſi ex Verbo ſibi in infinitum promptiori, &c. vt ſupra. *Ad* 5. Non adæquatur Verbo: quia nunquam cognoſcit actu omnia ſimul. *Ad* 6. Anima Chriſti non eſt vbicumque eſt Verbum : quia ſic eſſet actu immenſa; ſed cognoſcit omnia habitu, non actu. *Ad* 7. Habitus ad infinita, non eſt infinitus. *Ad* 8. Habitus ille eſt lumen finitum ad infinita. *Ad* 9. Habitus facilitat ad omnia.

### ARTICVLVS TERTIVS.
*De alia eius Scientia.*

QVÆST. 1. An anima Chriſti habuerit à Verbo aliam quàm in Verbo? *Reſp.* Præter glorioſam in Verbo, habuit gratis datam à Verbo, rerum omnium per earum ſpecies infuſas, & acquiſitam in genere proprio per experientias: Ad perfectionem animæ Chriſti ſecundum portionem ſuperiorem, inferiorem, & ſenſualitatem. *Ad* 1. ex *Damaſc.* 3. *fidei* 21. Anima Chriſti habuit omnem perfectionem cognitionis ob ſuam vnionem. *Ad* 2. 3. Anima Chriſti fuit perficienda in omnibus viribus, pro omni ſtatu, & omni modo. *Ad* 4. Maius lumen abſorbet minus eiuſdem generis, & quoad apparentiam. *Ad* 5. ex *Cor.* 13. Cognitio minus perfecta, poteſt eſſe cum glorioſa : non autem ex ſe imperfecta.

QVÆST. 2. An anima Chriſti profecerit aliqua cognitione? *Reſp.* Non cognitione ſimplicis notitiæ, ex habitibus & ſpeciebus infuſis : ſed cognitione experimentali, ex vſu ſenſuum acquiſita, *Luc.* 2. *Hinc Ad* 1. 2. *Luc.* 2. *Heb.* 5. *Ad* 3. Chriſtus non acquiſiuit cognitionem incognitorum : ſed nouum modum eadem cognoſcendi. *Ad* 4. Intellectus agens Chriſti potuit excitari à potentia inferiori : non ab ignorantia, ſed ad nouum modum cognoſcendi. *Ad* 5. Anima Chriſti non poterat componere aut diuidere experimentaliter, quæ non eſſent ipſi priùs cognita.

QVÆST. 2. An vt Deus cõmunicauit animæ Chriſti Omniſcientiam, ſic & Omnipotentiam? *Reſp.* Non niſi per cómmunicationem idiomatum in perſona Chriſti: Quia Omnipotentia eſt incommunicabilis naturæ ex nihilo, defectibili in eſſendo & operando. *Ad* 1. ex *phil.* 2. Dedit illi nomen ſuper omne nomen : vt ille homo dicatur Deus per communicationem Idiomatum. *Ad* 2. Scientia ſupponit potentiam internam ſciendi : ſed non potentiam externam faciendi. *Ad* 3. Omiſcientia eſt maior ad obiecta, ſed Omnipotentia ad ſubiecta. *Ad* 4. Potentia noſtra ſciendi eſt magis paſſiua quàm actiua : hinc capacitas infinita ſciendi non repugnat creaturæ. *Ad* 5. Deus communicauit animæ Chriſti ſcientiam practicam operabilium : ſed non omnium factibilium. *Ad* 6. Ex vnione cum ſapientia Dei facta eſt Omniſcia : non ex vnione cum Omnipotentia, Omnipotens; quia ſcientia eius eſt magis paſſiua, ſed Omnipotentia nonniſi actiua.

*In DIST.* 15. *De defectibus aſſumptis. Al. q.* 5.
Expoſitio Textus, per 4. dubia.

### ARTICVLVS 1. *De his in genere.*

QVÆST. 1. An congruum fuerit Chriſtum aſſumere naturam noſtram cum aliquibus defectibus? *Reſp.* Fuit congruum. 1. Ad prætium & meritum noſtræ ſalutis. 2. In exemplum virtutis. 3. Ad fulcrum noſtræ Fidei, Spei, & Charitatis. *Ad* 1. Hi defectus naturæ humanæ nil repugnant perfectioni Diuinæ in Chriſto. *Ad* 2. Pœna voluntaria innocentis pro alijs reis, non eſt inordinata. *Ad* 3. Paſſiones noſtræ inordinatæ curantur paſſionibus Chriſti ordinatis.

QVÆST. 2. An Chriſtus aſſumpſerit omnes defectus præter peccatum? *Reſp.* Non perſonales, nec qui ſunt à bono ad malum, nec ex culpa ad culpam : ſed tantùm omnes communes, naturales ſeu naturæ inſtitutæ, & pœnales non vitioſos. *Ad* 1. 2. ex *Damaſc.* 3 *fidei* 6. Totum aſſumpſit vt totum curaret .i. totum naturale, quod & ſolum eſt curabile.

QVÆST. 3. An defectus illi fuerit in Chriſto à natura, vel voluntate? *Reſp.* Non ex neceſſitate naturali generationis, aut corruptionis : ſed ex voluntate Diuina & humana Chriſti in primo inſtanti conceptionis. *Ad* 1. ex *Sap.* 1. *Deus mortem non fecit :* ſed à nobis meritam aſſumpſit. *Ad* 2. Hi defectus non ſunt à Deo vt efficiente : ſed ex ſolo defectu naturæ. *Ad* 3. Hi defectus non fuerunt à natura vt vitioſa. *Ad* 4. Chriſtus aſſimilatur Matri in paſſibilitate : ſed non in eius modo & cauſa. *Ad* 5. Corpus Chriſti non fuit priùs tempore formatum, quàm ab anima & perſona Chriſti voluntariè aſſumptum.

### ARTICVLVS 2. *De his in ſpeciali.*

QVÆST. 1. An in Chriſto fuerit aliqua ignorantia? *Reſp.* Nulla : quia fuiſſet contraria eius Sapientiæ, & noſtræ Redemptioni. *Ad* 1. ex *Damaſc.* 3. *fidei* 21. Aſſumpſit naturam ignorantem .i. humanam in communi, non hanc ſingularem. *Ad* 2. ex *S. Amb. l.* 1. *de Spiritu S.* Ignorauit .i. experimentali er. *Ad* 3. ex *S. Leone Hom. de Epiph.* Infans ille in nullo erat ab alijs diſcretus .i. quoad externam apparentiam. *Ad* 4. ex 1. *Cor.* 8. Scientia inflat .i. ſine Charitate. *Ad* 5. Chriſtus fuit infans, ſed non ignorans : quia ille eſt tantùm defectus ætatis, hic animæ. *Ad* 6. Habuit defectum virium corporalium, pro ætate exigente, ſed nullum Sapientiæ.

QVÆST. 2. An in Chriſto fuerit paſſio triſtitiæ? *Reſp.* Non præter, nec contra rationem, ex vlla rebellione aut ſurreptione motus primi. ſed nonniſi

ex

Digitized by Google

ex ratione dictante,& voluntate imperante,aut conſentiente, abſque vlla perturbatione. Ex *Ioan.* 11. Fremuit ſpiritu & turbauit ſemetipſum. *Matt.* 26. *Luc.* 19. Hinc *ad Arg.*

Qvæst. 3. An in Chriſto fuerit paſſio iræ? *Reſp.* Non turbans oculum mentis : ſed deteſtans malum, & commouens rationabiliter ſenſualitatem contra illud. Ex *Ioan.* 11. *ſupra Marc.* 11. *Luc.* 19. *Ad* 1. 2. Non fuit in Chriſto ira vindicatiua. *Ad* 3. Ira non opponitur manſuetudini,vt ſuperbia humilitati. *Ad* 4. Non fuit in Chriſto ex ſanguine circa cor accenſo, vel nonniſi moderatè.

*In DIST. 16. De Dolore Chriſti ſpecialiter.*

Expoſitio Textus, per 4 dubia.

*ARTICVLVS 1. De dolore corporali.*

Qvæst. 1. An in Chriſto fuerit vera paſſio doloris? *Reſp.* Fuit veriſſima, ex vera læſione corporis, & vero eius ſenſu, ad veram redemptionem : contra antiquos Hæreticos. *Eſa* 53. Verè dolores noſtros ipſe portauit. Vidimus eum Virum dolorum. *Ad* 1. ex *Hil. de Trin. c.* 10. Virtus corporis ſine ſenſu pœnæ vim pœnæ excepit. *Audiui Guilelmum Epiſcopum Pariſienſem referre ſe librum illius retractationis perlegiſſe.* Aliter poſſunt hæc referri ad ipſam Perſonam Chriſti: vel quòd Chriſtus non ſenſerit pœnam vt eſt propria culpæ. *Ad* 2. ex *S. Dion. Epiſt vlt.* Sancti non ſentiunt .i. non mouentur dolore. *Ad* 3. Moyſes ieiunauit tot diebus: non ex ſola contemplatione, ſed miraculosè. *Ad* 4. Poteſt quid perfectius pati ab imperfectiori : ſecundùm aliquam vim potentiorem, vel per accidens, vt anima ex corpore. *Aug. 6. Muſicæ* 11. *Ad* 5. Chriſtus non patiebatur ſecundùm vim quâ curabat dolores. *Ad* 6. Anima S. Petri non pateretur in inferno : ſed anima Chriſti paſſa fuit voluntariè,&c.

Qvæst. 2. An dolor Chriſti fuit acerbiſſimus? *Reſp.* Fuit acerbiſſimus. 1. Ex grauiſſima cauſa patiendi. 2. Ex modo generali,continuo,intimo,&c. 3. Ex complexione æqualiſſima & viuaciſſima patientis. Hinc *ad Arg.*

Qvæst. 3. An in Chriſto fuerit neceſſitas patiendi? *Reſp.* Non ex vi cauſæ materialis, formalis, efficientis,ſed finalis,ſeu ad noſtram redemptionem : vel, non fuit neceſſitas contracta ex aliquo vitio naturæ, ſed ex ſola complexione naturali, & voluntate permittente. *Ad* 1. ex *Ioan.* 10. Non eſt contra neceſſitatem naturæ humanæ, ſed Perſonæ Diuinæ. *Ad* 2. ex *Aug.* Chriſtus non aſſumpſit carnem ſimilem Adæ: quoad peccabilitatem. *Ad* 3. 4. 6. Nulla fuit in Chriſto neceſſitas contraria voluntati. *Heb.* 5. Non fuit in Chriſto vlla cauſa moralis patiendi, ſed naturalis.

*ARTICVLVS 2. De Dolore animæ.*

Qvæst. 1. An Chriſtus paſſus fuerit in anima ſecundùm rationem, aut ſenſualitatem? *Reſp.* Non ſolùm ſecundùm ſenſualitatem, ſeu appetitum ſenſitiuum : ſed etiam ſecundùm rationem, ſeu appetitum rationalem; non vt rationalis, ſed vt natura ſeu naturalis eſt, ex affectu & compaſſione naturali non ſolùm ad ſuum corpus, ſed etiam ad ſuum totum. Hinc *ad* 1. 2. *Ad* 3. Gaudebat de paſſionibus,vt rationalis: compatiebatur vt naturalis. *Ad* 6. Rationem pati ſeu compati vt natura eſt : nil derogat Sapientiæ.

Qvæst. 2. An anima Chriſti paſſa fuerit ſecundùm portionem ſuperiorem? *Reſp.* Non ſolum ſecundùm ſenſualitatem, & rationem inferiorem : ſed & ſuperiorē vt natura eſt, non obſtante ſummo gaudio continuo fruitionis. 1. Quia illæ affectiones non erant contrariæ, nec de aut ex eodem obiecto, & vna per ſe altera per accidens. 2. Quia ipſe dolor erat materia gaudendi : vt pœnitens dolet, & de ſuo dolore gaudet. 3. Quia Chriſtus erat viator & comprehenſor : ideoque capax cognitionum & affectionum vtriuſque ſtatus ſimul. Hinc ad 1. 2. 3. 4. 5. *Ad* 6. Portio ſuperior eſt ex reſpectu ad ſuperiora : ſed non excludit præſidentiā ſuper inferiora.

Qvæst. 3. An Chriſti dolor fuerit intenſior in appetitu rationali, vel in ſenſibili? *Reſp.* Dolor paſſionis propriæ fuit intenſior in appetitu ſenſibili: ſed dolor compaſſionis de peccatis noſtris fuit intenſior abſolutè in appetitu rationali. Quia hoc motiuum dolendi fuit maius. *Hinc Philippus Cancelarius. Cum ſit tantus dolor exterior : interior tamen planctus eſt grauior,tam ingratum dum te experior.*

*In DIST. 17. De Voluntate & Oratione Chriſti. Al. q.* 15. 16.

Expoſitio Textus, per 4. Dubia.

*ARTICVLVS 1.* De voluntate.

Qvæst. 1. An in Chriſto fuerint plures voluntates? *Reſp.* Fuerunt plures : vt & naturæ intellectuales. Ex *Damaſc.* 3. *Fidei* 13. *Ad* 1. ex *Damaſc. c.* 14. Quorum ſubſtantia .i. natura eſt eadem, eadem quoque voluntas. *Ad* 2. Plures voluntates non ſufficiunt ad plures perſonas volentes. *Ad* 3. Voluntas eſt Domina à coactione,non à ſuperiori voluntate. *Ad* 4. Perſonalitas eſt proprietas digniſſima omnium quæ ſunt in aliquo: non ſic voluntas.

Qvæst. 2. Quot fuerint in Chriſto voluntates? *Reſp.* Secundùm duas naturas, diuinam & humanam, eſt & duplex voluntas diuina & humana : Secundum potentias volendi, poteſt dici triplex, diuina, humana rationalis, & ſenſitiua, ſeu ſequens cognitionem intellectiuam vel ſenſitiuam; ſed ſecundum modum volendi, poteſt dici quadruplex. 1. Voluntas diuinitatis. 2. Rationis. 3. Pietatis. 4. Carnis. *Ad* 1. *Phil.* ſtrictè ſumit voluntatem, pro ſolo appetitu rationali : ſed Sancti, pro omni affectu humano. *Ad* 2. Libertas eſt in voluntate ſtrictè ſumpta. *Ad* 3. Poteſt eiuſdem naturæ eſſe duplex voluntas. *Ad* 4. Poteſt etiam diuidi voluntas in conditionalem & abſolutam,in naturalem & deliberatiuam. *Ad* 5. Affectio ſenſitiua ſequitur ſolam cognitionem ſenſitiuam,ſeu attentionem interiorem ad corpus, quàm B. Aug. vocat ſenſualitatem.

Qvæst. 3. An voluntates Chriſti fuerint ſemper concordes? *Reſp.* Non circa eadem obiecta volita: ſed circa cuique conuenientia, & modo debito, ac voluntati ſuperiori ſubiectò. *Ad* 1. Ex *Matth.* 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Non negat conformitatē ſubiectionis, ſed aſſimilationis. Hinc patet voluntas humana Chriſti ſubiecta diuinæ, eidemque ſubijciens ſenſualitatem. *Ad* 2. Ex *Aug. in pſal.* 35. Voluntas humana Chriſti diſtabat à ſua diuina, perfectione & obiecto, non ſubiectione & ordine volendi. *Ad* 3. Deus volebat voluntatem humanam Chriſti ſic velle. *Ad* 4. Senſualitas

ſualitas non repugnabat rationi. *Ad* 5. Timor & triſtitia erant ipſi materia gaudendi. *Ad* 6. Ratio conſentiebat motui ſenſualitatis, ſed non obiecto.

ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Oratione Christi.*

QVÆST. 1. An decuerit Chriſtum orare? *Reſp.* Decuit. 1. Ad meritum. 2. Ad exemplum. 3. In teſtimonium ſuæ humanitatis. 4. Ex officio ſummi Sacerdotis, *Heb.* 5. 7. *Ad* 1. Ex *Aug. De corrept. & gratia.* Nemo petit quod ipſemet poteſt: ſecundùm naturam qua poteſt: vel, non pro ſe, ſed pro alio. *Ad* 2. Oratio eſt perſonæ: ſed ex natura aut ſtatu inferiori. *Ioan* 14. *Pater maior me eſt Ad* 3. Oratio non eſt neceſſariò nouus aſcenſus in Deum &c. *Ad* 4. Nemo petit aliquid à ſeipſo: ſecundùm eandem naturam & ſtatum. *Ad* 5. Sciebat quicquid Deus volebat facere: ſed per ſuam orationem.

QVÆST. 2. An fuerit ſemper exauditus. *Reſp.* Non vt orans ex ſola voluntate carnis, aut pietatis, ſeu conditionata, ad noſtram inſtructionem: ſed ex voluntate rationis, ſeu abſoluta, *Ioan.* 11. 14. *Heb.* 5. *Ad* 1. 2. ex *Pſal.* 21. *Non exaudies* .i. in membris tuis. *Ad* 3. 4. 5. Non ſemper orauit abſolutè.

QVÆST. 3. An Oratio Chriſti in horto fuerit à ratione vel ſenſualitate? *Reſp.* Quoad materiam, fuit à ſenſualitate: ſed quoad formam illam conditionatam, fuit à ratione. Vel, fuit ab illa vt mouente, ab hac vt proponente: vel, fuit pro illa, ſed ab hac vt illius Aduocata. 1. In teſtimoniũ naturæ aſſumptæ. 2. Ad erigendam ſpem noſtram 3. In exemplũ ſubijciendi in omnibus voluntatem noſtram Deo.

*In* DIST. 18. *De Merito & Præmio Christi.*

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS 1. *De Merito. Al. q.* 16.

QVÆST. 1. An meruerit ab inſtanti ſuæ conceptionis? *Reſp.* Non ſolùm habitu, quo dignus fuit omni præmio: ſed & actu; vel à primo inſtanti excluſiuè, vel etiam incluſiuè, ſeu in ipſo primo inſtanti. Ex *Ier* 31. De perfectione virili Chriſti quoad vſum rationis à primo inſtanti. *Sed prior modus eſt communior & facilior. Ad* 1. Priùs eſt eſſe, quàm agere: naturâ, non tempore. Ex *Aug.* 5. *in Gen. & 6. Trin.* 1. *Ad* 2. Non eſt neceſſaria vlla quies ante actionem. *Ad* 3. Deliberatio non eſt neceſſariò ſucceſſiua: ſed poteſt eſſe inſtantanea, ex plenitudine gratiæ. *Ad* 4. Angelus malus non peccauit in primo inſtanti: quia naturaliter, & contra rectitudinem naturalem. *Ad* 5. Poteſt quis primo inſtanti recipere gratiã Dei, & ei cooperari.

QVÆST. 2. An meruerit poſt conceptionem? *Reſp.* Non tantùm interpretatiuè, vel de congruo: ſed meruit nobis de condigno. 1. Faciendo nobis ex non debito debitum. 2. Ex debito magis debitum. 3. Ex debito vno modo, debitum etiam alio modo; ſed ſibi non meruit poſt conceptionem, niſi tertio modo. *Ad* 1. Habuit liberum arbitrium determinatum ad vnum: non ex neceſſitate naturæ, ſed confirmatione gratiæ. *Ad* 2. Fuit ſimul in ſtatu patriæ, & viæ ad merendum. *Ad* 3. Profecit numero meritorum, non virtute merendi. *Ad* 4. Mereri non eſt tantùm facere ex indebito debitum. *Ad* 5. Idem eſt nunc liberum eius arbitrium quòd tunc: ſed non in eodem ſtatu merendi, ex carne paſſibili.

QVÆST. 3. An meruerit in Paſſione? *Reſp.* Non ſolùm ſuâ actione, ſed maximè ſua paſſione: non vt fuit ex violentia agentis, ſed ex voluntate patientis. *Phil.* 2. *Iac.* 1. *Ad* 1. Non laudamur ex paſſionibus, niſi vt voluntarijs. *Ad* 2. Paſſio voluntaria eſt effectus moralis voluntatis. *Ad* 3. Paſſio fuit inuoluntaria, ſeu violenta ab extra: ſed voluntaria ab intra. *Ad* 4. Fuit contra naturam ſeu appetitum naturalem: non contra naturam Chriſti rationalem. *Ad* 5. Non fuit rationis elicientis aut imperantis, ſed acceptantis.

ARTICVLVS 2. *De præmio. Al. q.* 16. *m.* 4.

QVÆST. 1. An Chriſtus meruerit ſibi præmium ſubſtantiale? *Reſp.* Non propriè: quia gratia & gloria fuit gratis in Chriſto priùs naturâ ſeu diſpoſitiuè, quàm primum principium merendi, quod eſt vnio hypoſtatica. *Ad* 1. Gratia ordinatur in Chriſto ad gloriam, & vtraque ad vnionem hypoſtaticam: diſpoſitiuè, non meritoriè. *Ad* 2. Charitas maxima Chriſti erat potius præmium quàm meritum. *Ad* 3. Glorioſius eſt Chriſto habuiſſe gratiam & gloriam quaſi connaturalem, quàm acquiſitam. *Ad* 4. Angeli priùs habuerunt vſum liberi Arb. quàm gratiam & gloriam perfectam: non ſic Chriſtus. *Ad* 5. Deus facit omnia ſuo ordine: ſed ſuas diſpoſitiones, non opera etiam noſtra.

QVÆST. 2. An meruerit glorificationem ſui corporis. *Reſp.* Non ſolùm agendo, ſed & patiendo: quia vt Mediator debuit eſſe in ſtatu gloriæ quoad portionem ſuperiorem; in ſtatu viæ, quoad inferiorem, ad merendum etiam ſibi huius portionis glorificationem &c. *Ad* 1. Præmium principale eſt maius merito: non ſemper ſecundarium. *Ad* 2. Gloria animæ, non corporis, fuit prior meritis. *Ad* 3. Non meruit eam vt indebitam: ſed vt alio adhuc modo debitam. *Ad* 4. Erat glorioſius Mediatori eam mereri, quàm non. *Ad* 5. Merita non fuerunt Chriſto neceſſaria ex indigentia, ſed ex ſufficientia. *Ad* 6. Chriſtus non fuit paſſus pro ſe ipſo principaliter, nec indigenter, ſed comitanter.

QVÆST. 3. An meruerit nobis apertionem paradiſi? *Reſp.* Non terreſtris, ſed cœleſtis: ſeu relaxationem decreti Dei non admittendi vllum hominem ad Beatitudinem ante paſſionem & ſatisfactionem. Chriſti exhibitam etiam pro omni pœna.

*In* DIST. 19. *De Redemptione noſtra. Al. q.* 18.

Expoſitio Textus, per 5. Dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

*De efficacia paſſionis.*

QVÆST. 1. An per paſſionem Chriſti fiat remiſſio peccatorum? *Reſp.* Non cauſaliter, ſed meritoriè & exemplariter: quæ tamen tribuitur etiam Reſurrectioni exemplariter, & finaliter. *Rom.* 4. 6. &c.

QVÆST. 2. An per eam deleantur Chirographa nobis contraria? Delentur illa Chirographa metaphorica, *Coloſ.* 2. ſeu memoralia culpæ, & obligationis ad pœnam. *Ad* 1. Delet omnia ſufficienter, non efficaciter. *Ad* 2. Non delet niſi per alia remedia. *Ad* 3. Non fuit tanta malitia crucifigentium, quanta charitas Crucifixi. *Ad* 4. Chirographum illud nec eſt culpa nec pœna: ſed memoriale culpæ, & obligatio ad pœnam. *Ad* 5. Deus habet illud vt Iudex, homo vt Reus, diabolus vt Accuſator.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆST. 3. An per eam ſimus omnes liberati à poteſtate diaboli? *Reſp.* Omnes quoad ſufficientiam: ſoli Chriſto incorporati, quoad efficaciam. *Ad* 1. Colluctatio illa, ad *Eph.* 6. eſt cum gratia vincendi, 1. *Cor.* 10. *Ad* 2. 3. Vis diaboli eſt ſuperata: ſed redditur ei peccando.

QVÆST. 4. An per eam abſoluamur à pœna? *Reſp.* A pœna æterna cum culpa, à temporali poſt culpam, à media ſeu priuatione gloriæ, ex culpa Adæ. *Ad* 4. Liberat ab opreſſione pœnæ per gratiam, & tandem ab omni per gloriam.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De Redemptore, & Mediatore. Al. q.* 1. 2.

QVÆST. 1. An ſolus Chriſtus ſit Redemptor? *Reſp.* Solus vt homo, executiuè: ſed tres perſonæ diuinæ æqualiter, authoritatiuè.

QVÆST. 2. An Chriſtus ſit Mediator ſecundùm naturam diuinam vel humanam? *Reſp.* Non eſt Medius quaſi compoſitus ex vtraque natura: ſed vt Perſona vtriuſque naturæ, & communicans proprietatibus vtriuſque: & eſt Mediator Officio ſecundùm naturam humanam, vt innocentem & iuſtam cum Deo, mortalem autem cum hominibus. *Ex Aug.* 9. *Cin* 15. Hinc *ad Arg.*

*In DIST.* 20. *De congruitate Redemptionis.*

Expoſitio Textus, per 4. Dubia.

*ARTICVLVS VNICVS. Al. q.* 1. 2.

QVÆST. 1. An fuerit congruum naturam humanam reparari? *Reſp.* Non tantùm congruum, tam ex Potentia, Sapientia, & Miſericordia Dei, quàm ex dignitate & miſeria miſerabili totius naturæ humanæ: ſed etiam neceſſarium, neceſſitate immutabilis decreti Dei. Hinc ad *pleraque Arg.* Ad 3. *Si homo voluiſſet ſtare, Deus non dereliquiſſet eum cadere. Sed quia voluit reſurgere, decuit ei manum porrigere.* *Ad* 5. Sententia mortis in eum lata, eſt irrevocabilis: non ſententia damnationis, dilata.

QVÆST. 2. An fuerit congruentior reparatio per ſatisfactionem, quàm aliter? *Reſp.* Fuit congruentiſſima Deo, ad Iuſtitiam & Miſericordiam: nobis autem ad iuſtificationem & glorificationem. Ex *Aug.* 13. *Trin.* 10. *Anſ. lib. Cur Deus homo c.* 19.

QVÆST. 3. An pura creatura potuerit ſatisfacere pro toto genere humano? *Reſp.* Nec pro iniuria Dei, nec pro damno generis humani: quia neutri æquiualeret; nec decerettotam naturam humanam ab alio redimi, nec alieri ſubijci quàm Deo homini. *Ad* 1. Pura creatura potuit totam naturam inficere non reparare. *Ad* 2. Creatura peccauit: ſed in Creatorem. Innocens potuiſſet vincere diabolum: non ſatisfacere. *Ad* 5. Anima iuſta pluris fit apud Deum quàm omnes iniquæ: ſed ſatisfactio eſt compenſatio pro ſtatu innocentiæ, non peccati. *Ad* 6. Pura creatura ſine culpa originali, introiſſet cœlum: non iuſtificati ab originali, ante ſatisfactionem Chriſti.

QVÆST. 4. An quis per gratiam potuiſſet ſatisfacere pro ſeipſo? *Reſp.* Nec plenè, nec ſemiplenè pro peccato originali, quoad iniuriam Dei & damnum naturæ: ſed ſemiplenè pro peccato proprio actuali, quoad damnum proprium, remiſſâ culpa ſeu offenſâ Dei per Chriſtum. *Ad* 1. Satiſfactio eſt pars pœnitentiæ: ſed pro culpa actuali, non originali; & ex merito paſſionis Chriſti præteritæ vel futuræ. *Ad* 2. Satiſfacere eſt reddere Deo honorem debitum ex culpa, non ex natura. Quod quia eſt factum impoſſibile per culpam, eſt debitum & fit poſſibile per gratiam.

QVÆST. 5. An hæc ſatisfactio fuerit à Deo acceptanda? *Reſp.* Fuit præ omnibus alijs acceptanda. 1. Quia omnium acceptabiliſſima, ad placandum Deum. 2. Congruentiſſima ad curandũ morbum. 3. Efficaciſſima ad attrahendum voluntariè genus humanum. 4. Prudentiſſima ad vincendum diabolum. *Ad* 1. 2. 3. Non fuit vlla crudelitas in Deo, permittere & acceptare mortem Chriſti voluntariam, ad finem tam miſericordem. *Ad* 4. Vita Chriſti fuit melior eius morte: ſed hæc illâ melior ad ſatisfactionem pœnalem; & voluntas ſic moriendi, melior voluntate viuendi. *Ad* 5. 6. Satisfactio pro omnibus peccatis, etiam actu crucifigentium Chriſtum, fuit efficacior, & ſapientior, elicendo tantum bonum ex tanto malo, quàm ſine vllo peccato actu.

QVÆST. 6. An genus humanum potuerit alio modo ſaluari? *Reſp.* Non ex parte noſtra, ſed ex parte Dei: quia nos nihil ad hoc potuimus; ſed Deus potuit abſolutè, ſola ſua voluntate, aut quouis medio. *Ad* 1. 2. Non potuit aliter ex Decreto Dei. *Ad* 3. Deus non neceſſariò facit tantùm optima: ſed magis vel minus bona. *Ad* 4. Potuiſſet ſufficere minima pœna tantæ Perſonæ ad ſatiſfactionem condignam: vel pœna intrinſeca cuilibet culpæ à Deo acceptari ad aliquam ſatisfactionem; vel fortè natura humana liberari per ſolam gratiam abſque vlla ſatisfactione.

*In DIST.* 21. *Circa mortem Chriſti. Al. q.* 29.

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De ipſa morte.*

QVÆST. 1. An anima Chriſti fuerit per mortem ſeparata à Perſona & Natura Diuina? *Reſp.* Non fuit ſeparata: quia non decebat Deum, nec Mediatoris officium, nec animam Chriſti innocentiſſimam. *Ad* 1. ex *Ioan.* 20. Ponere animam, ibi eſt exponere, vel deponere: non ab vnione hypoſtatica, ſed ab vnione cum corpore. *Ad* 2. Communicatio idiomatum non eſt inter partes, nec inter naturas in abſtracto, ſed in ſuppoſito vtriuſque naturæ. *Ad* 3. Mors diſſoluit vnionem naturalem, non ſupernaturalem. *Ad* 4. Per triſtitiam animæ Chriſti vſque ad mortem, non fuit priuata vnione, & fruitione Dei, in portione ſuperiori: ſed ſola redundantiâ ad inferiorem, ex *Matt.* 27.

QVÆST. 2. An Corpus Chriſti per mortem fuerit ſeparatum à Natura & Perſona Diuina? *Reſp.* Non fuit ſeparatum. 1. Ex liberalitate Dei, qui non reuocat ſua Dona ſine culpa. 2. Ex dignitate corporis aſſumpti, quod nec decuit corrumpi, nec ſeparari. 3. Ad noſtram ſalutem, ad quam fuiſſet impertinens, & inſenſibilis illa ſeparatio. *Ad* 1. Anima non erat medium neceſſitatis, ſed congruitatis: nec tam actu quàm habitu. *Ad* 2. Vnio hypoſtatica non dependebat ab vnione corporis & animæ. *Ad* 3. Non congruebat corpus vniri hypoſtaticè, niſi cum anima: ſed conſeruari vnitum vſque ad reunionem animæ. *Ad* 4. Corpus & anima ſeorſim, erant adhuc Verbi, ſed non Verbum.

QVÆST. 3. An Corpus & Anima Chriſti fuerint vnita Verbo vnica vnione, vel pluribus? *Reſp.* Vnica actione, paſſione, & relatione vnionis, actu:

ſed

Digitized by Google

ſed pluribus in potentia, per ſeparationem animæ à corpore. *Ad* 1. Corpus & anima ſunt partes vnibiles Verbo vnica vnione: quia ſunt eiuſdem totius. *Ad* 2. Etſi Corpus & Anima diſtarent localiter, erant ad inuicem ordinata. *Ad* 3. Vbi eſt vnū propter alterum, non numerantur. *Ad* 4. Eſt alia vnio Animæ cum Carne, quàm cum Verbo: non alia & alia huius cum illis in ſuo toto.

ARTICVLVS 2. *De effectu eius.*

QVÆST. 1. An ab inſtanti mortis anima Chriſti ſeparata fuerit impaſſibilis? *Reſp.* Eſt probabilius quòd ſic, quàm per reſurrectionem: quia non erat paſſibilis niſi ad noſtram ſalutem: poſt mortem autem non erat in ſtatu merendi. *Ad* 1. Anima fuit priùs impaſſibilis quā corpus, quia erat glorioſa, &c. *Ad* 2. Necdum erat reunienda corpori futuro impaſſibili. *Ad* 3. Sufficiebat ei ſeparatio à carne paſſibili, abſque alio dono impaſſibilitatis. *Ad* 4. Ante aſcenſionem Chriſti, animæ quamuis impaſſibiles, non ſtatim euolaſſent ad cœlum.

QVÆST. 2. An ex ſeparatione ab anima, Caro Chriſti fuerit mortua? *Reſp.* Fuit verè mortua: quia verè priuata omni forma & vſu vitæ, quāuis adhuc vnita Verbo, ſed non vt formæ ſuæ vitali. Hinc *ad* 1.2.4. *Ad* 3. Corpus Chriſti mortuum erat dignius alijs viuentibus: ex vnione hypoſtatica.

QVÆST. 3. An ab hac morte verè dici poſſit Filius Dei mortuus? *Reſp.* Verè mortuus: non ſecundùm naturam diuinam, ſed humanam; *nec per eſſentiam aut inhærentiam,* ſeu formaliter, *ſed per idiomatum communicationem. Hinc ad* 1. *Ad* 2. Idiomata partis non communicantur perſonæ Verbi: nec mors vt eſt ſolius carnis, ſed totius hominis. *Ad* 3. Non communicantur idiomata repugnantia: niſi mediante conuenientiâ mortis, quæ ſatis determinat ad humanitatem. *Ad* 4. Non eſt blaſphemia ſed laus filij Dei, denominari mortuum, ab vnione perſonali ad naturam mortalem.

*In DIST.* 22. *De ſtatu Chriſti mortui. Al. q.* 19.

Expoſitio Textus, per 5. Dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

QVÆST. 1. An Chriſtus in triduo mortis fuerit homo? *Reſp.* Non actualiter & ſimpliciter, vt nec vllus mortuus eſt homo: nec tantùm aptitudinaliter, vt alij homines; ſed actualiter quoad perſonam, aptitudinaliter quoad naturam hominis, &c. Contra *Hugonem & Magiſtrum* hic. *Ad* 1. Deſijt eſſe homo: defectu vnionis inter partes, non partium ad Verbū. *Ad* 2. Deſinit quis naturaliter, cum animo potiùs incipit moraliter. *Ad* 3. Homo propriè dicitur à forma totius, non partis. *Ad* 4. Vnio animæ & corporis inter ſe & in perſona, facit hominē: non autem in ſola perſona. *Ad* 5. Chriſtus erat in ſepulchro, per ſynecdochen. *Ad* 6. Chriſtus fuit ſemper ſummus Sacerdos: non actu, ſed ſine ſucceſſore. *Ad* 7. In triduo habebat animam rationalē, nec erat rationalis niſi per ſynecdochen: quia idiomata partiū non propriè communicantur Perſonæ.

QVÆST. 2. An Chriſtus vt homo fuerit in loco determinato? *Reſp.* Non fuit vbique: niſi quoad perſonam, vel per communicationem idiomatum. *Ad* 1. 2. Vnita adæquatè, coexiſtunt vbique: non vnita inadæquatè. Hinc ad reliqua.

QVÆST. 3. An corpus Chriſti triduo fuerit in ſepulchro? *Reſp.* Non triduo integro: ſed per ſynecdochen diei veneris pro vltima eius parte, & diei Dominicæ pro prima eius parte, & totâ die Sabbati. 1. Ad confirmandam fidem mortis Chriſti tempore ſufficienti. 2. Ad non plus differendam fidem & ſpem Reſurrectionis, *Matth.* 12. *Ioan.* 2. & in Symbolis. *Ad* 1. ex figura Sampſonis. Media nox fuit pars diei ſequentis. *Ad* 2. ex *Act.* 2. Chriſtus non fuit vi detentus in morte. *Ad* 3. Differenda fuit Reſurrectio, ad fidem mortis. *Ad* 4. Hæc dilatio non affligebat animam Chriſti.

QVÆST. 4. An anima Chriſti deſcenderit ad inferos? *Reſp.* Non ad vllam pœnam inferni: ſed ad ſolum locum communem pœnarum; nec ex vlla neceſſitate propria, ſed ſola voluntate & poteſtate. 1. Ad conſolationem amicorum. 2. Ad confuſionem inimicorum. *Act.* 2. *Et in Symbolo Apoſt.*

QVÆST. 5. An Chriſtus inde liberauerit omnes animas? *Reſp.* Nonniſi Electorum, & membrorum ſuorum. *Oſee* 13. *Ero mors tua O mors, morſus tuus inferne. Eſa.* 66. *Luc.* 16. *Ad* 1. ex *Iob.* 17. Nec Iob, nec Chriſtus deſcendit in profundum inferni inferioris ſub terra: nec ad infernum medium purgatorij, ſed ad ſuperiorem Limbi. *Ad* 2. ex *Pſal.* 84. Ex inferno inferiori terrâ, non autem inferiori inferno. *Ad* 3. ex *Gloſſa in Zach.* 9. Poteſt intelligi de loco communi. *Ad* 4. Fuit plena victoria liberaſſe bonos, non malos. *Ad* 5. Non fuit paſſus efficaciter pro damnatis. *Ad* 6. Animæ paruulorum in ſolo originali, non ſunt in ſtatu capaci vllius gratiæ Chriſti.

QVÆST. 5. An animæ inde per Chriſtum liberatæ ſtatim aſcenderint in cœlum? *Reſp.* Non quoad locum: ſed quoad beatificationē etiam in ipſo inferno, *Mich* 2. *Act.* 1. *Ad* 1. ex *Luc.* 23. Paradiſus ibi, .i. ipſa beatitudo. *Ad* 2. Fuit ex tunc aperta ianua beatitudinis. *Ad* 3. Locus ſupremus debetur ſtatui beatitudinis: ſed differri debuit vſque ad Aſcenſionem Chriſti.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

*In DIST.* 23. *De Fide quoad eſſentiam.*

*Al. q.* 74.78. *& à Col.* 30.

Expoſitio Textus, per 6 dubia.

ARTICVLVS 1. *De Fide formata.*

QVÆST. 1. An Fides ſit virtus? *Reſp.* Eſt virtus gratuita, & omnium regula ac auriga. 1. Quia eſt de rectitudine vitæ, per fidem voluntariè captiuare intellectum in obſequium primæ veritatis. 2. Quia ſine cognitione ſummi Boni per fidem, nihil poteſt rectâ intentione fieri ad gloriam Dei. *Luc.* 8. *Act.* 15. *Heb.* 11. *&c.* Vt *Al. q.* 78. *m.* 3. *col.* 30. *a.* 1. *Ad* 1. Fides eſt media inter ſcientiam & opinionem: non quadam inde compoſitionē, ſed certitudine. *Ad* 2. Scientia eſt in verum vt viſum: fides in verum vt ſalutare. *Ad* 3. Credere tantæ authoritati præ ratione, eſt magnæ virtutis. *Ad* 4. Fides eſt rationabilior ipsâ ſolâ ratione.

QVÆST. 2. An ſit in intellectu, vel affectu? *Reſp.* Vt eſt principium merendi, eſt in libero arbitrio: vt eſt habitus, afficit intellectum ſpeculatiuum: vt eſt operans per dilectionem; quodāmodo afficit intellectum practicum, ſeu extenſum ad actum credendi, & tendendi in Deum; quodammodò ipſum affectum aſſentiendi Deo ſupra rationem.

Quia

Digitized by Google

Quia ex 2. *diſt.* 25. *q.* 2. Liberum arbitrium non differt realiter à ratione & voluntate : imò ex *Aug.* includit vim rationabilem, iraſcibilem, & concupiſcibilem. Poteſtque idem habitus eſſe ad actum materialem rationis, & formalem voluntatis. Vt ſcientia eſt in memoria, & intelligentia : quia quamuis ſint duæ potentiæ, ſunt euſdem animæ. Vt *Al. q.* 80. *Coll.* 34. *a.* 2.

QVÆST. 3. An fides ſit vna virtus? *Reſp.* Eſt quidem in ſingulis numero diſtincta : ſed eadē ſpecie in omnibus; quia quamuis habeat diuerſi obiecta per accidens ſeu materialia, plura etiam obiecta per ſe ſecundaria, vt articulos fidei, vnicam tamen rationem motiuam credendi omnia. Vt ſi quis credat homini veraci, quia verax eſt : eadem credulitate qua credit ipſum veracem, credit omnia eius dicta eſſe vera, *&c. Vt Al. q.* 78. *m.* 4. *Coll.* 30.

QVÆST. 4. An fides ſit certior quàm ſcientia? *Reſp.* Non certitudine intellectuali ſpeculationis : ſed affectiua adhæſionis. Quia quædam ſciuntur tam euidenter vt non poſſit de eis dubitari: ſed Fidelis præfert quamlibet veritatem fidei cuilibet ſcientiæ. *Ad* 1. ex *Aug.* 13. *Trin.* 1. Nihil eſt homini certius ſuà fide : experimentaliter in ſeipſo. *Ad* 2. Virtus eſt certior arte : circa obiectum virtutis. *Ad* 3. Lux increata non lucet plenè per fidem. *Ad* 4. Nec fidei, nec ſcientiæ ex ſe eſt mixtus error. *Ad* 5. Minor certitudo non eſt ex imperfectione obiecti aut habitus, ſed intellectus noſtri. Vt *Al. q.* 73. *m.* 1.

QVÆST. 5. An definitio fidei, *Hebr.* 11. ſit bona? *Reſp.* Eſt optima, explicans totam naturam & vim ſui definiti, circa intellectum & affectum, ad ſuū finem & obiectum : & diſtinguens à quouis alio, abſque vlla ſuperfluitate aut defectu. *Ita vt ſit conuertibilis, euidens, & tam perfecta, vt nec peritiſſimi Philoſophi poßint eam artificialiùs & conuenientiùs aßignare, &c.* plus quam *Al. q.* 38. *m.* 5. *& Coll.* 31. *Ad* 1. Dicitur *Subſtantia* : non propriè, ſed *tranſumptiuè*, à ſimili ſubſtantiæ materialis, ad fidem vt fundamentale totius perfectionis ſpiritualis. *Ad* 2. Dicitur *argumentum* &c. V. arguens, illuminans, & conuincens intellectum ad aſſentiendum Primæ Veritati, pluſquam quælibet argumenta concluſioni. *Ad* 3. Spes non eſt *ſubſtantia* fundamentalis *rerum ſperandarum*, vt eſt fides : nec eſt *argumentum non apparentium*. *Ad* 4. Fides pœnarum ſummarum, non eſt ſubſtantia rerum ſperandarum vt obiecti, ſed vt finis. *Ad* 5. Hæc definitio fidei eſt per res ſperandas, vt per eius finem : per non apparentia, vt per eius obiecta. *Ad* 6. Dicitur prius fundamentum ſperandi, quam argumentum credendi : quia affectus mouet intellectum ad credendum. *Ad* 7. 8. Fides eſt de ſolis ſperandis, vt de ſuo fine.

*ARTICVLVS* 2. *De Fide informi.*

QVÆST. 1. An fides informis ſit virtus? *Reſp.* Non propriè, pro virtute gratuita & meritoria : ſed communiter, pro habitu rectificante, vigorante, & captiuante intellectum ad aſſentiendum primæ Veritati propter ſe, & ſuper omnia. *Ad* 1. ex *Iac.* 2. Fides mortua .i. ſine vita gratiæ, non ſine vlla virtute. *Ad* 2. ex *Aug.* Virtus gratuita dicitur bona qualitas mentis qua rectè viuitur. *Ad* 3. Virtus formata propriè diſtinguitur in Cardinales & Theologicas. *Ad* 4. Hæreticus non habet fidem informem circa vllos articulos. *Ad* 5. Credulitas diſcipuli erga Magiſtrum, non eſt virtus : quia poteſt eſſe ad falſitatem, &c. vt *Al. q.* 79. *m.* 5. *Col.* 38. *a.* 2.

QVÆST. 2. An ſit virtus infuſa vel acquiſita? *Reſp.* Eſt acquiſita quoad ſua obiecta materialia in intellectu & memoria: infuſa autem affectui quoad ſuum formale, in aſſentientibus primæ veritati propter ſe & ſuper omnia, non ob motiua inferiora &c. Vt *Al. q.* 74. *m.* 2. *Coll.* 38. *a.* 2. *Ad* 1. ex *Rom.* 10. *Fides ex auditu* .i. acquiſita, quoad ſuum materiale. *Ad* 2. Ex authoritate humana, eſt acquiſita: ex Diuina, eſt infuſa. *Ad* 3. Poteſt amari ex charitate, vel alio amore : ſic & credi &c. *Ad* 5. Paruulus baptizatus, habitu fidei infuſo erit promptus ad aſſentiēdum articulis fidei proponendis : quamuis careat cognitione materiali credēdorū. Sed facilè priuatur habitu fidei aſſentiendo erroribus perſuaſis.

QVÆST. 3. An fides informis ſit in dœmonibus? *Reſp.* Non vt virtus infuſa, nec voluntaria, aſſentiendi primæ Veritati propter ſe : ſed partim vt innata à ſua creatione, partim acquiſita. *Ad* 1. 2. Mali Chriſtiani voluntariè credunt, non dœmones. *Ad* 3. Dœmones non crediderunt Chriſto virtute fidei : ſed coacti & conuicti effectibus. *Ad* 4. Cognoſcunt obſcurè Deum eſſe Trinum & Vnum. non fide informi, ſed ex reliquijs naturalibus &c. *Al. q.* 74. *m.* 7. *Coll.* 38. *a.* 7.

QVÆST. 4. An fides informis deſinat adueniente gratia? *Reſp.* Non quoad habitum, nec vſum : ſed quoad ſolum defectum informitatis. *Ad* 1. Actus fidei informis non opponitur formatæ: vt hic opponitur gloriæ. *Ad* 2. Lumen fidei informis habet ordinem ad lumen gratiæ : hinc non abſorbetur per hoc. *Ad* 3. Fides informis non eſt niſi in peccatoribus : quoad defectum informitatis. *Ad* 4. Omnes virtutes ſimul infunduntur, quoad ſuum formale: non ſemper quoad ſuum materiale, ſeu habitum ſubſtratum. *Ad* 5. Gratia gratum faciens non excludit, ſed ſupponit gratis datam, &c. vt. *Al. q.* 74. *m.* 4 *Coll.* 38. *a.* 3.

QVÆST. 5. An fides informis fiat formata adueniente gratia? *Reſp.* Fit formata : quia gratia eſt forma omnium virtutum, in ratione gratuiti; vt lux omnium colorum, in ratione lucidi. *Ad* 1. Nullum peccatum ſit formatum : quia eſt ipſa deformitas incapax formæ; non ſic fides informis. *Ad* 2. Opus mortuum non poteſt viuificari, quia eſt præteritum. *Ad* 3. Vt albedo ex obſcura fit clara : ſic fides ex informi formata. *Ad* 4. Vt color illuminatus ſunt duo coordinata ad viſum: ſic fides formata ad meritum. *Vt in* 2. *d.* 27 *q.* 2. *Ad* 5. Fides informis fit formata, ſola ſui mutatione morali. *A* 6. Gratia non operatur per virtutes, vt anima per ſuas potentias, &c. *vt. Al. q.* 74. *m.* 6. *&* 4. *q.* 74. Sed paulò aliter *Coll.* 38. *a.* 4. 5. 6.

*In DIST.* 24. *De obiecto fidei.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De obiecto quoad rem.*

QVÆST. 1. An obiectum fidei ſit tam verum, vt non poſſit ei ſubeſſe falſum? *Reſp.* Non poteſt ei ſubeſſe falſum: quia non poteſt ſtare veritas fidei cum falſitate obiecti. *Ad* 1. Fides contingentium eſt ex ipſa præuiſione Dei. *Ad* 2. Fides non pendet

Digitized by Google

det ab ipſis creditis, ſed à reuelatione. *Ad* 3. Fideles ante Chriſtum non tantùm crediderunt Incarnationem vt cognitam : ſed etiam vt futuram contingenter ; quia licet fides eorum tranſierit in præteritum, connotabat tamen futurum contingens. *Ad* 4. Nec ſpei poteſt ſubeſſe falſum : quia non eſt niſi ſub conditione perſeuerantiæ finalis. *Ad* 5. Actus charitatis ſupponit directionem fidei : non tamen omne obiectum charitatis, eſt obiectum fidei. *Ad* 6. Nec adorationi directæ per fidem poteſt ſubeſſe falſum,

QVÆST. 2. An fides ſit circa verum creatum vel increatum ? *Reſp.* Circa vtrumque vt obiectum materiale creditum : ſed circa ſolùm increatum, vt formale & motiuum credendi propter ſe.

QVÆST. 3. An fides ſit circa verum complexũ, vel incomplexum? *Reſp.* Circa complexum ſub ratione complexi : non tamen determinatum ad certam differentiam temporis, niſi fide explicita. *Ad* 1. Obiecta fidei non mutantur niſi quoad differentiam temporis, & fidem implicitam, aut explicitam. *Ad* 2. Diuina ſunt ſimpliciſſima : ſed non creduntur niſi ſub aliqua complexione per aſſenſum. Viſio clara erit obiecti vt incomplexi : ſed fides vt complexi. *Ad* 4. Spes & charitas feruntur in rem vt eſt incomplexa : ſed fides ſub complexione intellectus ; nec habent idem obiectum quoad modum, ſed quoad rem. *Ad* 5. Cornelius, *Act.* 10. credebat tantum implicitè.

*ARTICVLVS 2. De obiecto quoad nos.*

QVÆST. 1. An fides poſſit eſſe de viſis per ſenſum ? *Reſp.* Non niſi ſecundùm aliquid latens, *Ioan.* 20. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3. & 4. Viſio patriæ excludit omnem latentiam, non viſio viæ.

QVÆST. 2. An fides eſſe poſſit de probabilibus ? *Reſp.* Non ſimul cum formidine oppoſiti circa idem : ſed ſimul & circa idem cum opinione ſeu aſſenſione probabili ; quia rationes probabiles fouent infirmos in fide, & oblectant perfectos. *Ad* 1. Fides eſt argumentum non apparentium euidenter, ſed probabiliter. *Ad* 2. Fides non poteſt niti opinioni, ſed potius opinio fidei.

QVÆST. 3. An fides poſſit eſſe de ijs quæ ſciuntur ? *Reſp.* Non poteſt ſtare cum ſcientia excludente omnem latentiam & obſcuritatem obiecti : ... cum omni imperfectione, &c. *Ad* 1. Charitas D... non poteſt ſtare cum amore creaturæ propter ipſam principaliter : nec credere principaliter propter rationem, ſed minùs principaliter. *Ad* 2. Viſio patriæ tollit omnem latentiam. *Ad* 3. Sciens non p...eſt diſſentire ab eo quod eſt ei prorſus euidens. *Ad* 4. Vt idem poteſt eſſe latens & patens . ſic vno modo infra, alio ſupra rationem.

*ARTICVLVS 3. De Articulis fidei.*

QVÆST. 1. An rectè definiatur à Richardo : *Articulus eſt indiuiſibilis veritas de Deo, arctãs nos ad credendũ ?* *Reſp.* Rectè : quia Articuli denominantur ab arctando actiuè & paſſiuè ; vt ſunt termini reſolutionis, & principia diſcretionis credendorum, ad ſimilitudinem articulorum Grammaticorum & Naturalium. *Ad* 1. 2. 3 Articuli ſunt indiuiſibiles in alios articulos : vel quamuis ſint complexi, veritas eorum eſt indiuiſibilis. *Ad* 4. Articulus Reſurrectionis eſt de ipſa virtute, & futuro opere Dei. *Ad* 5. Articuli arctant fideles ad credendum. *Ad* 6. Arctant non cogendo, ſed determinando, & obligando. *Ad* 7. Non arctant tantùm vt præcepta, obligando : ſed diſcernendo, determinando, &c.

QVÆST. 2. An rectè definiatur ab Iſidoro : *Articulus eſt perceptio Primæ Veritatis tendens in ipſam ?* *Reſp.* Rectè : ſed vt eſt obiectum ſolius fidei formatæ. *Ad* 1. Eſt perceptio, obiectiuè & cauſaliter. *Ad* 2. & 3. Fides & viſio eſt perceptio, formaliter. Poteſt perceptio ſignificare habitum, actũ & obiectum. *Ad* 4. Non eſt Articulus niſi vt continens ipſum motiuum fidei. *Ad* 5. Eſt tendens in Deum, motiuè, & cauſaliter *Ad* 6. & 7. Fides informis non tendit in Deum meritoriè, vt fides formata. *Ad vlt.* Poteſt idem variè definiri.

*In DIST. 25. De ſufficientia & profectu fidei.*

Expoſitio textus, per 4. Dubia.

*ARTICVLVS 1. De ſufficientia.*

QVÆST. 1. An omnia quæ in ſymbolo Apoſtolico continentur ſint ad ſalutem neceſſaria, & ſufficientia ? *Reſp.* Sunt neceſſaria & ſufficientia : vt principia propria fidei, à duodecim Apoſtolis inter ſe collata ad vnitatem fidei ; non vt prima principia. *Ad* 1. Paulus & Barnabas necdum erant Apoſtoli. *Ad* 2. Omnia ſub his continentur. *Ad* 3. Veritas Euchariſtica continetur ſub Eccleſia, Communione Sanctorum, & Remiſſione peccatorum, vt omnia Sacramenta. *Ad* 4. Omnia Dei attributa continentur ſub vnitate Dei : & omnes operationis Dei ſub Creatione, Gratificatione, & Glorificatione. *Ad* 5. Symbola Athanaſij, & Conc. Nicæni addita ſunt ad explicationem fidei, & confutationem hæreſum &c.

QVÆST. 2. An Patribus antiquis ſuffecerit ad ſalutem fides in ſolum Deum? *Reſp.* Non erat omnibus neceſſaria fides explicita Mediatoris quoad modum futurum : ſed ſaltem implicita, pro ſeipſis & ſuis paruulis. Quia *Ioan.* 1. Lex per Moyſen, ſed gratia & veritas nõniſi per Chriſtũ. *Ad* 1. ex *Hebr.* 11. Non dicitur hoc ſufficere ad finem ſalutis : ſed neceſſarium ad accedendum. *Ad* 2. Fides creationis & remunerationis non ſufficit ad rectè ſperandum & amandum. *Ad* 3. Nullus vnquam ſaluatus fuit ſine fide implicita Saluatoris. *Ad* 4. Angeli non ignorarunt futuram redemptionem generis humani. *Ad* 5. & 6. Lex naturæ adiuta per gratiam poterat experiri neceſſitatem, & dictare futuram redemptionem.

QVÆST. 3. An omnes teneantur nunc explicitè credere omnes Articulos fidei ? *Reſp.* Simplices non tenentur credere omnes explicitè : ſed eos qui ſunt in vſu & praxi communi Eccleſiæ, reliquos ſaltem implicitè. *Ad* 1. ex *Deut.* 27. Erat mandatum ſacerdotibus vt alios docerent explicitè. *Ad* 2. Non eſt æqualis omnium capacitas, nec plenitudo. *Ad* 3. 4 Obedientia non poteſt eſſe in communi, niſi circa omnia occurrentia in particulari. *Ad* 5. Simplex fidelis poteſt vitare errores, adhærendo Eccleſiæ. *Ad* 6. Debet eſſe æqualis promptitudo ad credendum omnia : non tamen æqualis cognitio.

*ARTICVLVS 2. De profectu fidei.*

QVÆST. 1. An fides creuerit quoad plura credenda?

denda? *Reſp.* Non implicitè, ſed explicitè. 1. Quia idem eſt habitus fidei. 2. Quia omnia continentur in lege Veteri & noua. 3. Quæ ſunt vera de præſenti aut præterito, fuerunt ſemper vera de futuro. 4. Charitas non creuit circa plura diligenda. *Hinc ad Arg.*

QVÆST. 2. An fides profecerit illuminatione? *Reſp.* Profecit. 1. Per exhibitionem veritatis. 2. Per augmentum gratiæ. 3. Per inſtructionem planiorem. *Ad* 1. Non profecit motiuo credendi: ſed affectu ſubiecti. *Ad* 2. Credenda non fuerunt tunc in ſe obſcuriora, quàm nunc: ſed in illis pluſquàm in nobis. Spes futurorũ non eſt maior quàm præteritorum ſupernaturalium. *Ad* 3. Fides antiquorum illuminat & mouet nos ad credẽdum; nec tamen eſt perfectior noſtrâ.

QVÆST. 3. An fides creuerit certitudine? *Reſp.* Non certitudine ipſius obiecti, ſed noſtra. Vt patet ex tot SS. Martyribus, Doctoribus &c. Hinc fides profecit & proficit extenſiuè, intenſiuè, radicatiuè: tam in communi, quàm in ſingulis.

*In DIST. 26. De virtute Spei.*

Expoſitio Textus, per 6. Dubia.

*ARTICVLVS 1. De Spe abſolutè.*

QVÆST. 1. An ſit virtus gratuita? *Reſp.* Non pro vna ex affectionibus animi, nec pro ipſa re ſperata: ſed pro habitu ſperandi promiſſa Dei, ſupra omnem æſtimationem humanam, & confidendi ſummæ Dei liberalitati; vt fides aſſentiendi primæ veritati, & charitas ſummæ bonitati, propter ſe & ſuper omnia. Hinc *Ad* 1. *Ad* 2. Non æquè ſe habet memoria ad præterita, vt ſpes ad futura. *Ad* 3. Spes eſt magis actiua, timor magis paſſiuus: hinc illa eſt potiùs virtus, quàm hic. *Ad* 4. Eſt magnæ virtutis, ſpe futurorum contemnere præſentia. *Ad* 5. Spes ipſius Dei pro mercede, non minuit meritum charitatis: ſed nimius affectus ad bonum proprium.

QVÆST. 2. An Spes ſit genus, vel ſpecies virtutis? *Reſp.* Eſt vnica ſpecie: ob vnicam rationem principalem motiuam, propter ſe & ſuper omnia. De qua ſupra, vt & de Fide. *Ad* 1. Eadem virtus habet varios actus ſubordinatos. *Ad* 2. Eadem eſt ratio motiua ſperandi omnia promiſſa Dei: ex eius indefectibili promiſſione & liberalitate. *Ad* 3. Tendentia meritoria in finem, eſt communis omni virtuti gratuitæ: ſed expectatiua elicitiuè eſt propria ſpei. *Ad* 4. Gaudium de proprio obiecto & actu præſente, eſt cuiuſuis virtutis: ſed non ſpes ſeu expectatio futuri.

QVÆST. 3. An ſpes ſit virtus Cardinalis, vel Theologica? *Reſp.* Eſt Theologica. 1. Ex obiecto vt ſupra. 2. Ex ſubiecto, ſeu perfectione portionis ſuperioris ſecundùm vim iraſcibilem. *Ad* 1. Non poteſt excedere intenſiuè: ſed deficere conditione neceſſariâ. *Ad* 2. Spes non eſt media, vt conſtituta: ſed vt contraria ſuis extremis. *Ad* 3. Spes eſt veniæ, gratiæ, & gloriæ: ſed non ſpecificatur niſi ex proprio motiuo indefectibilis liberalitatis Dei. *Ad* 4. Expectatio longanimitatis, eſt ex conſtantia ad ſuperandum aduerſa: ſed expectatio Spei, eſt ad bona æterna, ex fiducia Dei. *Ad* 5. Ferre conſtanter aduerſa, eſt fortitudinis vt elicientis: fidei, vt dirigentis; Spei & charitatis, vt adiuuantis.

QVÆST. 4. An virtus Spei ſit aliquando informis, vel ſemper formata? *Reſp.* Eſt aliquando informis, ſine charitate: vt ſupra de fide. *Ad* 2. Spes non eſt niſi ex gratia, & meritis: ſed præſentibus, vel futuris. *Ad* 3. Spes poteſt eſſe informis: quia poteſt inclinare ad bona futura, inter præſumptionem & deſperationem. *Ad* 4. Tendentia Spei eſt exilis ſine gratia.

QVÆST. 5. An Spes in ſuo actu ſit certa, vel dubia? *Reſp.* Eſt certa: non ſolùm certitudine particulari, & conditionata, ex fide vniuerſali & abſoluta; ſed etiam Spei propria; non de obiecto complexo fidei, ſed de ſolo attributo; nec tàm contra errorem fidei, quàm contra diffidentiam; nec tàm in intellectu, quàm in affectu. *Ad* 1. Certitudo Spei eſt probabilis, & confidentiæ: ex quadam ſecuritate conſcientiæ, & experientia bonæ voluntatis. *Ad* 2. Certitudo Spei non eſt ex noſtra voluntate, niſi vt innitente Deo. *Ad* 3. Non eſt certitudo euentus: ſed ordinationis ad ſalutem. *Ad* 4. Eſt certitudo infallibilis conditionata: ſed probabilis abſoluta &c.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De Spe comparatiuè.*

QVÆST. 1. An Spes & timor ſint idem affectus, vel habitus? *Reſp.* Non idem affectus, nec habitus, ſed diuerſi: ex diuerſis actibus principalibus tendendi, & fugiendi, & ex diuerſis eorum motiuis. *Ad* 1. Motus localis non eſt ab vno, niſi ad aliud: non ſic in affectibus. *Ad* 2. Poteſt eſſe eadem cognitio, non affectio, oppoſitorum: quia cognitio non tàm vnit obiecto, quàm affectio. *Ad* 3. Timor eſt propinquior deſperationi, Spes præſumptioni. Vel, Spes mediat inter deſperationem & præſumptionem: ſed timor inter temeritatem & puſillanimitatem. *Ad* 4. Spes eſt boni vt conuenientis: timor mali, vt diſconuenientis. *Ad* 5. Actus auerſionis & conuerſionis ſunt diuerſi motus & peccata: non autem hæ ſolæ circumſtantiæ, ſeu relationes. Hinc ſi auerſio & conuerſio circumſtationalis poſſunt eſſe idem motus: non ideò timor & Spes.

QVÆST. 2. An Spes oriatur ex meritis? *Reſp.* Non habitus Spei: ſed eius actus, & ſtatus, & res ſperata, *Rom.* 5. Hinc *ad Arg.*

QVÆST. 3. An Spes ſit prior naturâ charitate? *Reſp.* Non tam ordine habituum quàm actuum: quia illi ſimul infunduntur, ſed hi magis ſubordinantur.

QVÆST. 4. An Spes ſit boni ſub ratione boni? *Reſp.* Eſt boni, non vt boni ſimpliciter, quod eſt charitatis: nec tantùm vt boni futuri; ſed vt boni ardui, glorioſi & æterni, vt ſui proprij motiui.

QVÆST. 5. An Spes ſit in intellectu, vel affectu? *Reſp.* Eſt in affectu, vt iraſcibili: cuius non eſt tantùm deteſtari mala culpæ, & pati mala pœnæ; ſed etiam aggredi ardua & glorioſa.

*In DIST. 27. De Charitate ad Deum.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

*ARTICVLVS 1. De habitu Charitatis.*

QVÆST. 1. De diſtinctione eius ab alijs virtutibus. Quaſi verbatim vt *Al. Col. 77. art.* 4.

QVÆST. 2. De eius vnitate ſpecifica, & diſtinctione numerica. Vt *Al. Col. 77. art.* 5.

QVÆST. 3. De eius diſtinctione aut non, ab ipſa gratia. Ex *Al. col. 57. art. 6.*

QVÆST. 4. De impoſſibili eius informitate. Verbatim vt *Al. q. 57. art. 6.*

*ARTICVLVS 2. De actu & modo eius.*

QVÆSTIONES ſex. 1. De prioritate merendi. 2. De non mercenario. 3. De eodem aut diſtincto motu diligendi Deum & proximum. 4. De prioritate tendendi in Deum vel proximum. 5. De modo diligendi Deum. 6. De obligatione diligendi Deum ex toto corde, &c. *Matt. 22.* Non excluſo omni alio affectu; ſed contrario, maiori, vel æquali, &c. Verbatim vt *Al. Coll. 60. 61.*

*In DIST. 28. De charitate ad nos & proximos.*

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

*ARTICVLVS VNICVS.*

QVÆSTIONES ſex. 1. De non diligendis creaturis irrationalibus ex charitate. 2. De non diligendis dæmonibus. 3. De diligendis Malis. 4. De corporibus noſtris diligendis. 5. De modo diligendi dona Dei gratuita. 6. De 4. diligendis ex charitate. Vt *Al. Coll. 63. 64. paucis exceptis.*

*In DIST. 29. De Ordine Charitatis.*

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

*ARTICVLVS VNICVS.*

QVÆSTIONES ſex. 1. An ſit ordo. 2. De Deo nobis præferendo. 3. De præferenda ſalute propria, alienæ. 4. De diligendis parentibus præ filijs. 5. De diligendis Domeſticis præ extraneis. 6. De ordine in affectu vel effectu. Verbatim vt *Al. col. 68*

*In DIST. 30. De perfectione Charitatis.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

*ARTICVLVS VNICVS.*

QVÆST. 1. De charitate ſufficiente ad reſiſtendum tentationi. Verbatim vt *Al. col. 72. art. 1.*

QVÆST. 2. An quantumuis imperfecti in charitate, teneantur pro Chriſto mortem ſubire? *Reſp.* Non ſe temerè exponendo: ſed neceſſariò, &c. Vt *Al. col. 72. art. 2.*

QVÆST. 3. De obligatione perfectorum. Verbatim vt *Al. col. 72. art. 3.*

QVÆST. 4. De obligatione omnium, diligendi inimicos affectu. Verbatim vt *Al. col. 72. art. 4.*

QVÆST. 5. De obligatione diligendi eos effectu. Verbatim vt *Al. col. 72. art. 5.* Excepto quòd corrigat hunc Textum vitiatum Alenſis. *Si loquamur de exhibitione operis exterioris generaliter, quando ſe offert temporis opportunitas: ſic diligere inimicos effectu, eſt generalis & neceſſariæ obligationis.* Reſtituendo & interſerendo: *ſic diligere inimicos effectu & affectu, cumulus eſt perfectionis. Si autem loquamur de exhibitione operis quando incumbit neceſſitas, ſic diligere inimicos effectu, eſt generalis & neceſſariæ obligationis.*

QVÆST. 6. An ſit maioris perfectionis diligere amicum quàm inimicum? *Reſp.* Vt *Al. col. 72. a. 6.*

*In DIST. 31. De duratione Charitatis.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

*ARTICVLVS 1. Comparatiuè ad peccatum.*

QVÆST. 1. An Charitas ſemel habita poſſit amitti? *Reſp.* Poteſt, &c. Verbatim vt *Al. col. 73. a. 1.*

QVÆST. 2. An cadens à Charitate poſſit reſurgere in æquali? *Reſp.* Poteſt, &c. Vt *Al. col. 73. a. 2.*

QVÆST. 3. An poſſit reſurgere in maiori charitate? *Reſp.* Poteſt, &c. Verbatim vt *Al. col. 73. a. 3.*

*ARTICVLVS SECVNDVS.*

*De comparatione ad alias virtutes.*

QVÆST. 1. An fides euacuetur in gloria? *Reſp.* Non ſolùm quoad actum, ſed etiam quoad habitum, &c. Verbatim vt *Al. col. 74. art. 1.* Excepto quòd omittat reſolutionem poſteriorem Alenſis.

QVÆST. 2. An Spes euacuetur per gloriam? *Reſp.* Non ſolo actu, ſed & habitu, &c. Verbatim vt *Al. col. 73. art. 2. & vt art. 1. De Fide.*

QVÆST. 3. An ſcientia euacuetur in Patria? *Reſp.* Verbatim vt *Al. col. 74. art. 3.*

*ARTICVLVS 3. Comparatiuè ad Præmium.*

QVÆST. 1. An Charitas viæ euacuetur in Patria? *Reſp. Vt Al. col. 75. art. 1.*

QVÆST. 2. An dilatetur in Patria? *Reſp. Vt Al. col. 75. art. 2.*

QVÆST. 3. An ordo Charitatis mutandus ſit in Patria? *Reſp.* Problematicè, vt *Al Coll. 75. art. 3.*

*In DIST. 32. De Charitate Dei ad nos.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia

*ARTICVLVS VNICVS.*

QVÆST. 1. An Deus dilexerit creaturas ab æterno? *Reſp.* Non ſolùm effectu temporali, ſed & voluntate ab æterno. *Ad* 1. Dilectio non eſt niſi boni: ſed vel actu, vel futuri. *Ad* 2. Hæc dilectio Dei non eſt affectio vnitiua, quæ eſt amicitiæ: *Ad* 3. Deus non dicitur diligere extra ſe, affectu, ſed effectu actuali vel futuro. *Ad* 4. Dilectio Dei eſt cauſa proxima effectus: ſed pro tempore volito. *Ad* 5. Diligit ſe ſolum fruendo: reliqua omnia vtendo, ſeu ordinando.

QVÆST. 2. An Deus diligat omnes creaturas? *Reſp.* Diligit omnes: non affectu, ſed effectu, ſeu communicatione alicuius boni gratuiti, vel ſaltem naturalis. *Ad* 1. Diligit omnes ex charitate, vt motiua: ſed vt exemplari, eos ſolos quibus charitatem communicat. *Ad* 2. Amor traſformans amantem, eſt affectus inclinans ad alterum amatum: ſed amor trahit ad ſeipſum, & transformat potiùs amata in amantem. *Ad* 3. 4. 5. Deus non diligit malos dilectione ſpeciali.

QVÆST. 3. An Deus diligat omnes æqualiter? *Reſp. Vno* eodemque actu ſimplici, ſibique eſſentiali: ſed non æqualiter in omnes efficaci. *Vel* diligit omnes actu æquali, ſed non ad bonum æquale. *Ad* 1. Ex *Sap. 6. Æqualiter eſt ei cura de omnibus.* i. e. ordinatè, ſine acceptione perſonarum. *Ad* 2. Cauſa prima habet ſe æqualiter ad omnes: ſed non omnes æqualiter ad ipſam. *Ad* 3. Eodem actu diligit omnes, quo ſeipſum & filium ſuum: ſed modo infinitè inæquali. *Ad* 4. Vt eodem actu cognoſcit ſe & omnia: ſic & diligit; ſed diuerſis connotatis. *Ad* 5. *Vt* omnium cognitio in Deo eſt ex ſe perfectiſſima: ſic eſt omnium dilectio.

QVÆST. 4. An Deus diligat plus homines vel Angelos? *Reſp.* Plus Angelos quoad beneficia creationis & ſtatus præſentis: ſed abſolutè plus homines quoad beneficia Redemptionis & ſtatus finalis. *Hinc ad arg.*

QVÆST. 5. An Deus dilexerit plus genus humanum quàm ipſum Chriſtum? *Reſp.* Plus ſolum Chriſtum vt Perſonam naturæ diuinæ & humanæ incomparabilis, quàm totum reliquum genus humanum:

Digitized by Google

manum. *Ad* 1. ex *Ioan.* 3. *Sic dilexit mundum vt filium ſuum daret* &c. Non eum alienando à ſe, ſed applicando ad ſalutem noſtram. *Ad* 2. Natura humana Chriſti ſua dignitate excedit incomparabiliter omnes homines, quamuis in infinitum multiplicabiles. *Ad* 3. Filius Dei eſt incarnatus propter homines: non finaliter, ſed inductiuè. Non enim eſt ordinatus ad homines, ſed homines ad ipſum, vt membra ad Caput. *Ad* 4. Stultus eſt mercator qui emit rem pluſquàm valeat: Non Deus qui emit liberaliter.

QVÆST. 6. An Chriſtus plus dilexerit Ioannem vel Petrum? *Reſp.* Ex *B. Aug.* Plus dilexit Petrum affectu & effectu interiori gratiæ: ſed plus Ioannem, ſignis externis; non falſis, ſed præferentibus vitam contemplatiuam ſignificatam in Ioanne, vitæ actiuæ ſignificatæ in Petro. Ex *S. Bern.* Chriſtus dilexit Ioannem familiariùs, à quo & diligebatur dulciùs: Petrum autem fortiùs, à quo diligebatur feruentiùs. Communiùs. Chriſtus plus dilexit Petrum ad gratiam actionis, qua & hic plus dilexit Deum in proximis: ſed plus dilexit Ioannem ad gratiam contemplationis, quâ & hic dilexit plus Deum in ſeipſo. Hinc opiniones poſſunt conciliari.

*In DIST.* 33. *De* 4. *Virtutibus Cardinalibus.*

Expoſitio Textus, per 6. Dubia.

*ARTCVLVS* 1. *De eis in genere.*

QVÆST. 1. De neceſſitate earum. Vt *Al.* verbatim *Coll.* 76. *art.* 1.

QVÆST. 2 De earum vnitate & diſtinctione. *a.* 2.

QVÆST. 3. De earum ſubiecto proprio. *a.* 6.

QVÆST. 4. De earum numero. *Art.* 3.

QVÆST. 5. De earũ origine. Vt *Al. Coll.* 76. *a.* 8.

QVÆST. 6. De earum duratione in Patria. *Vt Coll.* 1. 11. 20. 21. 76. *a.* 9.

*In* 1. *Partem DIST.* 34. *De* 7. *Donis Spiritusſ.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

*ARTICVLVS PRIMVS.*

*De comparatione eorum ad virtutes.*

QVÆST. 1. An Dona & Virtutes ab inuicem differant? *Reſp.* Differunt 1. Appropriatè: quòd virtutes perficiant liberum arb. vt eſt facultas voluntatis, dona vt eſt facultas rationis. 2. Propriè, ſed à poſteriori; quòd virtutes ſint contra morbos peccatorum, dona contra ſequelas eorum. 3. A priori pro hoc ſtatu: quòd virtutes conforment nos Chriſto in agendo, dona in patiendo. 4. A priori, pro ſemper: quòd Virtutes ſint ad agendum rectè, Dona expeditè, Beatitudines perfectè, Fructus ad ſtatum quietis, ſenſus ſpiritualis ad vſum, Sacramenta in adminiculum, &c. *Al. q.* 72.

QVÆST. 2. An virtutes ſint priores donis? *Reſp.* Sunt priores quoad vſum primæ virtutis .i. fidei: ſed ſimul origine à gratia infuſá. *Ad* 1. Sæpe confunduntur inter ſe.

QVÆST. 3. An virtutes ſint excellentiores donis? *Reſp.* Sunt æquales ab eadem gratiâ informante: ſed inæquales quoad actus ſuos & ſtatus. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 12. Charitas eſt excellentior Fide & Spe: non autem dono Sapientiæ, quod addit Charitati facilitatem guſtandi quàm ſuauis ſit Dominus. *Ad* 2. Virtus eſt perfectio ſufficientiæ, non excellentiæ & ſuperabundantiæ. *Ad* 3. Virtus eſt vltimum potentiæ: ſed non indiuiſibile. *Ad* 4. Medium virtutis, eſt ſufficientiæ: medium donorum, eſt excellentiæ. *Ad* 5. Dona in ſuis actibus ſupponunt Charitatem, & eius actus.

*ARTICVLVS* 2. *De cõparatione eorum inter ſe.*

QVÆST. 1. Quot ſint dona Spiritus S. *Reſp.* Sunt ſeptem. 1. ex *Eſa* 11. *Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Conſilij & Fortitudinis, Scientiæ & Pietatis, & Timoris Domini.* 2. Ex 7 virtutibus annexis. 3. Ex 7. vitijs oppoſitis. 4. Ex 7. finibus proximis, conformandi Chriſto in agendo & patiendo. 5. Ex 7. actibus proprijs, ſecundùm varias animæ vires, & functiones vitæ actiuæ & contemplatiuæ, &c. Inter quas rationes huius numeri: *neſcio ſi quæ ſatiſfaciet curioſo.*

QVÆST. 2. An *Eſa* 11. rectè ordinentur & combinentur? *Reſp.* Rectè: deſcendendo à ſummo ad infimum, per combinata dona affectus & intellectus; excepto infimo, quod ſatis dirigitur virtute fidei.

QVÆST. 3. An dona Spiritusſ. maneant in Beatis? *Reſp.* Manent: ſed perfectiora in ſe, ad vſum & actus perfectiores; quia intrinſecè perficiunt, nec includunt vllam imperfectionem repugnantem Gloriæ.

*In* 2. *Partem DIST.* 34. *De dono Timoris.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

*ARTICVLVS* 1. *De timore ſeruili & informi.*

QVÆST. 1. An ſit donum Spiritusſ. *Reſp.* Vt credere pœnas futuras, ſic & eas timere, eſt donum Spiritusſ. ad emolliendum cor, & reſtringendum à peccando, *Eſa* 64. *Pſal.* 118. *Ad* 1. Vel non eſt cum Spiritu S. ſed ad eum diſponit: vel non eſt cum eo vt ſeruilis & informis. *Ad* 2. Timor mali habet etiam ſuum exemplar in Deo, vt ab omni malo remotiſſimo. *Ad* 3. Timor ſeruilis diſponit ad perfectiorem. Timor Dei ob ſolas pœnas vt præſentes & expertas, non eſt donum Dei: ſed ob futuras & creditas. Sic de amore Dei ob bona præſentia, vel futura. &c. Vt. *Al. q.* 76. *m.* 2.

QVÆST. 2. An vſus timoris ſeruilis ſit bonus vel malus? *Reſp.* Non eſt bonus meritoriè, ſed diſpoſitiuè: Si non includat, vllam voluntatem actualem, ſed tantùm habitualem peccandi. *Ad* 1. Ex *Aug. in Pſ.* 118. Timor pœnæ non includit ſemper voluntatem actualem peccandi. *Ad* 2. Concomitantia malæ voluntatis actualis, non habitualis, deformat actum timoris ſeruilis. *Ad* 3. Actus timoris ſeruilis non eſt incompoſſibilis charitati: ſed cum annexa ſeruilitate. *Ad* 4. Timor ſeruilis pœnæ æternæ non eſt ex amore prauo: ſed naturali, vel gratis dato, ſalutis æternæ. *Ad* 5. Amor Dei principaliter ob bonum temporale, eſt peccatum: quia eſt relatio Dei ad finem temporalem; ſed timor Dei ob pœnas ab eo comminatas, eſt timor eius ſolius, vel principaliter. *Ad* 6. Timor ſeruilis non eſt deformis in ſe, ſed in ſolo timente. *Al. q.* 76. *m.* 3.

QVÆST. 3. An Timor ſeruilis tollatur per gratiam vel charitatem? *Reſp.* Non quoad materiale, ſeu donum ſubſtratum timendi pœnam æternam: ſed quoad annexam principalitatem illius motiui, & deformitatem actualem voluntatis.

*ARTICVLVS SECVNDVS*

*De timore gratuito ſeu formato.*

QVÆST. 1. An timor initialis & filialis differant

rent ſpecie? *Reſp.* Non differunt ſolo gradu, aut ſtatu perfectionis: nec propriè ſpecie, ſed diſtinctis motiuis & modis timendi, inadæquatè. Quia timor filialis offenſæ Dei ob eius reuerentiam, includit motiuum & modum timoris initialis principaliter ob offenſam. *Ad* 1. Spes eſt principaliter ſolius ſūmi Boni: timor autem nunc eſt principaliter pœnæ, nunc offenſæ, nunc reuerentialis. Vt *Al. q.* 76. *m.* 4. *Et p.* 2. *q.* 175.

QVÆST. 2. An creſcente charitate timor decreſcat? *Reſp.* Non quoad habitum, nec quoad vſum humiliationis & reuerentiæ, ſed ſollicitudinis pœnalis. *Ex.* 1. *Ioan.* 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet.* Hinc *ad* 1. 2. 3. *Ad* 4. Creſcente charitate creſcit ſollicitudo placendi, & non diſplicendi Deo: ſed cum maiori fiducia in Deum, & diligentia propria. Vel timor ille poſſet in perfectis creſcere perfectione, & decreſcere frequentia.

QVÆST. 3. An donum timoris maneat in Patria? *Reſp.* Non timor pœnæ aut offenſæ, ſed ſolius reuerentiæ: quia nullum ſupereſt periculum pœnæ aut offenſæ; ſed ſummum motiuum ſolius reuerentiæ. Hinc *ad Arg.*

*In DIST.* 35. *De alijs Donis.*

Expoſitio Textus, per 4. Dubia

*ARTICVLVS VNICVS.*

QVÆST. 1. In quo conſiſtat donum Sapientiæ? *Reſp.* Non in ſola cognitione generali rerum diuinarum & humanarum: nec in ſola ſublimiori rerum Diuinarum: nec in ſola pia cognitione & cultu Dei; ſed in ſapida ſeu experimentali & affectiua. Ex *Eccli.* 6. *S. Dion. De Myſt. Theol. S. Bern. De amore Dei c.* 2. *Ad* 4. Sapientia cognitiua, non affectiua, appropriatur filio. *Ad* 5. Sapientia eſt quidem cognitiua, ſed præcipuè affectiua. *Ad* 6. Eiuſdem habitus poteſt eſſe actus diſpoſitiuus in intellectu, & principalis in affectu.

QVÆST. 2. In quo conſiſtat Donum Scientiæ? *Reſp.* Non in ſola ſpeculatione intellectus: ſed inclinatione intellectus ab affectu, & affectus ab intellectu, ex principijs fidei, & dono gratiæ. Hinc *ad Arg.*

QVÆST. 3. In quo conſiſtat Donum intellectus? *Reſp.* In cognitione Dei per fidem, & rationem ex creaturis. *Ad* 1. ex *Aug* 12. *Trin.* 14. Donum Sapientiæ eſt circa æterna ex rationibus æternis, ad guſtum experimentalem: Donum intellectus eſt etiam circa creaturas Spirituales, ex rationibus æternis; ſed Donum Scientiæ eſt circa quaſlibet creaturas ex ratione imaginis vel veſtigij Dei. *Ad* 5. Donum intellectus diſponit ad Sapientiam &c.

QVÆST. 4. In quo conſiſtat Donum conſilij? *Reſp.* In dirigenda electione agendorum, proſequendorum, vel fugiendorum ſpecialis arduitatis, ſecundùm regulam iuris diuini. Hinc *ad Arg.*

QVÆST. 5. In quo conſiſtat donum fortitudinis? *Reſp.* In tolerandis arduis: non tantùm ad honeſtatem moralem, vt virtus fortitudinis; ſed ad perfectam Chriſti imitationem. Hinc *ad Arg.*

QVÆS. 6. In quo conſiſtat donum Pietatis? *Reſp.* Propriè in affectu beneuolentiæ, beneficientiæ, & compaſſionis ad quemlibet proximum, ex motiuo Imaginis Dei. Hinc *ad Arg.*

*In DIST.* 36. *De Connexione virtutum.*

Expoſitio Textus, per 5. Dubia.

*ARTICVLVS. VNICVS.*

QVÆST. 1. An Virtutes gratuitæ ſint neceſſariò connexæ? *Reſp.* Non quoad annexas imperfectiones, niſi pro hoc ſtatu viæ: ſed quoad ſuam perfectionem. 1. Ex neceſſitate ſubiecti. 2. Ex liberalitate Dei, ad corrigendum integrè quem iuſtificat. 3. Ex perfectione ipſius gratiæ. 4. Ex fine diſponendi ad gloriam.

QVÆST. 2. An dona Spiritusſ. ſint neceſſariò connexa? *Reſp.* Non quoad vſum facilem & expeditum, nec quoad perfectionem excellentiæ: ſed quoad originem ex gratia ad omnia ſufficiente. *Ad* 1. ex 1. *Cor.* 12. Ibi agitur de donis gratiæ gratis datæ: non de his donis gratiæ gratum facientis. Hinc *ad Arg.*

QVÆST. 3. An virtutes politicæ ſint neceſſariò connexæ? *Reſp.* Non quoad proprias rationes: ſed ſtatum perfectionis, & 4. conditiones ſingulis appropriatas. Contra Stoicos, negantes omnem virtutem & ſapientiam imperfectam. Hinc ad pleraque. *Ad* 5. Caſtitas denominat caſtum, non quælibet virtus virtuoſum ſimpliciter, ſed ſtudioſum. *Ad* 6. Non poteſt eſſe virtus ſine ſua diſcretione, mediocritate, rectitudine, & fortitudine: non vt hæ ſunt propriæ & diſtinctæ rationes 4. virtutum Cardinalium; ſed 4. conditiones ſingulis appropriatæ, circa ſua obiecta propria.

QVÆST. 4. An vitia & peccata ſint neceſſariò connexa? *Reſp.* Non quoad ſuam conuerſionem & pronitatem inordinatam ad diuerſa bona mutabilia: ſed ſolùm quoad auerſionem communem à ſummo Bono & eius gratia. Hinc ad pleraque. *Ad* 2. ex *Iac.* 2. *Qui offendit in vno factus eſt omnium reus.* 1. Quia priuatur charitate quæ eſt plenitudo legis. 2. Omnibus virtutibus vt ſunt gratuitæ. 3. Omnibus prioribus meritis. 4. Omnibus bonis ſperatis.

QVÆST. 5. An omnes virtutes gratuitæ ſint æquales? *Reſp.* Non quoad habitus materiales, & actus ex inæquali concurſu liberi arbitrij: nec quoad ſingularum dignitatem ex proprio obiecto; nec quoad facilitatem & feruorem vtendi; nec quoad radicationem & ſtabilitatem in ſubiecto; ſed quoad rationem gratuiti & meritorij, ab eadem gratia. Hinc *ad arg.*

QVÆST. 6. An Charitas ſit forma virtutum? *Reſp.* Singulæ comparatæ ad ſua obiecta & actus proprios, ſunt formæ perfectæ & diſtinctæ: comparatæ ad ſua ſubiecta, ſunt formæ informantes, & moraliter perficientes, ſed non gratificantes Deo; ideoque adhuc formabiles & perfectibiles gratiâ gratificante ſubiectum & ipſas in ſubiecto; denique comparatæ ad finem vltimum, ſunt quidem formæ diſponentes, ſed formabiles ſeu perfectibiles à virtute Charitatis, quæ habet ipſum vltimum finem ſeu ſummum Bonum pro obiecto. Hinc ad pleraque. *Ad* 3. Charitas non eſt forma aliarum conſtitutiua, ſed motiua. *Al. q.* 74. *m.* 6. *Coll.* 57. *a.* 6. *p.* 4. *à q.* 54. *ad* 58. *à* 68. *ad* 76. 84. *S. Ben. à* 4. 14. *ad* 23.

*In DIST.* 37. *De præceptis Decalogi.*

Expoſitio Textus, per 8. Dubia

circa 8. præcepta &c.

AR-

Digitized by Google

*ARTICVLVS 1. De eis in genere*

QVÆST. 1. An fuerint à Deo imponenda homini mandata? *Reſp.* Decuit Dei maieſtatem ac iuſtitiam: fuitque nobis ſalutare, ad meritum obedientiæ, & bonum pacis. *Ad* 1. 2. ex *Rom.* 7. & 1. *Cor.* 15. Peccatum & augumentum concupiſcentiæ non eſt niſi occaſionaliter ex lege: nec ex defectu gratiæ, ſed ex vitio noſtro. *Ad* 3. Obligatio legis non repugnat libertati ſimpliciter, ſed peccandi: quod nec eſt pars libertatis. Vel, hæc obligatio non aufert libertatem; ſed impunitatem. *Ad* 4. Meritum obedientiæ nihil derogat liberalitati Dei: quia totum eſt ex gratia.

QVÆST. 2. An præcepta Decalogi obligent ad opera formata? *Reſp.* Non ad ſola opera moralia, ſed diſpoſitiua ad finem vltimum: non vt formata ſeu meritoria, ſed non deformata aliquo peccato mortali; nec ſingula ſeorſim obligant ad merendum, niſi conditionatè, *Si vis ad vitam ingredi, &c. Mat.* 19. Sed omnia ſimul collecta obligant abſolutè ad opera meritoria Charitatis, vel ſaltem ad eam diſpoſitiua. *Ad* 1. Obligant ad iuſtè operandum directa intentione. *Ad* 4. Obligant ſecundum intentionem præcipientis: ſed vel conditionatè, *Si vis ad vitam ingredi*; vel ad vitandam pœnam.

QVÆST. 3. An hæc præcepta ſint de lege naturæ? *Reſp.* Quoad obligationem implicitam ſunt legis naturæ: quoad explicitam, legis ſcriptæ. *Vt Al. q.* 27. 28. 29.

*ARTICVLVS SECVNDVS.*
*De eorum ordine ac diſtinctione.*

QVÆST. 1. An non debeant eſſe plura vel pauciora quam decem? *Reſp.* Hic numerus eſt neceſſarius & ſufficiens, ad rectè ordinandum hominem ſecundùm tres animi vires, rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem, actibus cordis, oris, & operis, ergà Deum vt Trinum & vnum, eiuſdem Maieſtatis, Sapientiæ & bonitatis ſeu Sanctitatis, & erga proximum, ad ei non nocendum ſed benefaciendum: Sicque ex obiectis, ſubiectis, & actibus ſeu finibus decem mandatorum &c. De quibus *Al. q.* 29. Hinc ad pleraque.

QVÆST. 2. An ſint rectè ordinata? *Reſp.* Rectè. 1. Ordine fidei, ſecundùm tres perſonas diuinas, & conformitatem proximorum ad illas. 2. Ordine iuſtitiæ, ſeu potioris obligationis erga Deum quàm proximos, ergà parentes quàm alios, ad cauendum grauiora mala quàm minora, & ad actus internos quã ſolos externos &c. de quibus *Al. q.* 29.

QVÆST. 3 Quomodo diſtinguenda? *Reſp.* Literabiliter, vt Ioſephus, in 5. vnius Tabulæ, & 5. alterius: Myſtice, ſeu ſpiritualiter, in præcepta primæ Tabulæ, & ſecundæ; vel materialiter, vt Origenes, in 4. primæ tabulæ, & 6. ſecundæ; diſtinguendo præceptum non faciendi ſculptile, à præcepto non adorandi Deum alienum; & coniungendo præceptum non concupiſcendi vllam rem proximi, cum præcepto non concupiſcendi eius vxorem; vel potiùs & formalius vt *Aug.* in tria primæ, & 7. ſecundæ, &c. De quibus *Al. q.* 29. ſed diſtinctiùs *q.* 39.

*In DIST. 38. De mendacio. Al. q.* 31.
Expoſitio Textus, per 4. Dubia.
*ARTICVLVS VNICVS.*

QVÆST. 1. An eſſe falſum ſit eſſentiale omni mendacio? *Reſp.* Falſitas rei, eſt materialis, ſed falſitas intentionis, eſt formalis mendacio: à qua ſola mendax & mentiens denominatur; non tamen ſola ſufficit ad plenam rationem mendacii &c. Vt *Al.* 2. *p. q.* 139.

QVÆST. 2. An mendacium ſit eſſentialiter peccatum? *Reſp.* Eſt peccatum eſſentialiter, & indiſpenſabiliter. Ex *B. Aug. lib. De Mend. & contra.* 1. Quia eſt contra ipſam veritatem. 2. Quia eſt diſcordia inordinata mentis à voce loquentis. 3. Quia non eſt tantùm in materia illicita quæ fieri poſſit licita: ſed ex malitia intentionis, quæ non poteſt non eſſe mala &c.

QVÆST. 3. An ſit ex ſe peccatum mortale? *Reſp.* Eſt ex ſe indifferens ad mortale & veniale: pro grauitate vel leuitate materiæ ſeu noxæ, & libidine mentiendi ac nocendi. *Ad* 1. 2. ex *Pſal.* 5. *Sap* 1. Eſt de mendacio pernicioſo. *Ad* 3. ex *Aug. in Pſal.* 5. Mendacium occidit animam: ſaltem diſpoſitiuè. *Ad* 4. Omne mendacium repugnat veritati formali & actuali: ſed non Primæ. Nec tam opponitur virtuti veritatis, quàm fornicatio Caſtitati: ſed vt primi aliqui motus veniales. *Ad* 5. Omnia mendacia non ſunt æqualiter contra conſcientiam: ſed quædam præter tantùm &c.

QVÆST. 4. An omne mendacium ſit mortale in viris perfectis? *Reſp.* Nonniſi in perfectis qui debent eſſe publicæ fidei: nec poſſunt mentiri niſi grauiter contra conſcientiam, ob ſcandalum publicum & præiudicium veritatis. *Ex Aug. in pſal.* 5. Hinc *ad Arg.* De quo *Al. q.* 139. *m.* 5.

QVÆST. 5. An rectè diuidatur in officioſum, Iocoſum pernicioſum. *Reſp.* Rectè: ex intentione mentientis, vt proſit, delectet, vel noceat. Ex quibus finibus poſſunt ſubdiſtingui *octo* differentiæ mendacij. De quibus *Al. q.* 139. *M.* 7. ex *B. Aug.*

QVÆST. 6. An detur leuiſſimum & grauiſſimum? *Reſp.* In genere grauiſſimum eſt quod fit ad nocendum ſaluti æternæ: Leuiſſimum, quod pro ſalute æterna, &c.

*In DIST. 39. De Periurio. Al. q.* 31. 37.
Expoſitio Textus, per 6. dubia.
*ARTICVLVS 1. De eius culpa.*

QVÆST. 1. An omne periurium ſit mendacium? *Reſp.* Omne periurium aſſertorium eſt mendacium, alterum ſecundum quid: intentione mentiendi, vel de re falſa. De quibus *Al. q.* 37.

QVÆST. 2. An omne periurium ſit peccatum? *Reſp.* Eſt eſſentialiter peccatum. 1. Ob mendacium incluſum. 2. Ob abuſum primæ Veritatis in Teſtem falſi. *Ad* 1. 2. Peierans ex ignorantia, peccat temeritate. *Ad* 3. Mendacium & periurium ſunt contra veritatem vt practicam, non vt ſpeculatiuam. *Ad* 4. Nulla neceſſitas excuſare poteſt periurium.

QVÆST. 3. An omne periurium ſit peccatum mortale? *Reſp.* Non indeliberatum vt periurium: ſed deliberatum vt dictum falſum, & vt periurium, ſiue ſit priuatum ſiue ſolemne. &c. *Al. q.* 87.

*ARTICVLVS 3. De forma iurandi.*

QVÆST. 1. An ſit licitum iurare per Deum? *Reſp.* Non eſt ex ſe malum, nec ſimpliciter & abſolutè prohibitum: ſed vel bonum in genere, vel ſaltem indifferens. Contra *Manichæos*: quia poteſt

eſſe

eſſe ad honorem Dei, & confirmationem veritatis. Nec prohibetur, *Matt.* 5. non omninò iurare: ſed non iurare omnino .i. omni modo pro libitu, &c. *Ad* 1. Non prohibetur vt malum: ſed ne malè fiat. *Ad* 2. Non eſt periculum ex ſe: ſed vt occaſio ex nobis. *Ad* 3. Non eſt malum ex ſe, ſed defectu finis & ordinis. *Ad* 4. Eſt malum ex conſuetudine: quia hinc fit nimis leuiter. Vt prælatura quamuis bona, non eſt affectanda, ſic nec iuramentum.

Qvæst. 2. An liceat iurare per omne creatum? *Reſp.* Licet: ſiue imprecando, ſeu oppignorando illud Deo; ſiue ſub illo, vt imagine vel veſtigio Dei, eum in teſtem inuocando, &c. *Al. q.* 21. *m.* 3.

Qvæst. 3. An liceat exigere vel recipere iuramentum ab Idolatris? *Reſp.* Licet, ex neceſſitate aut vtilitate ſufficiente: non vt eſt Idolatricum, ſed vt iuramentum, ad exprimendam & confirmandam veracitatem iurantis. Hinc *ad Arg.*

*ARTICVLVS* 3. *De obligatione Iuramenti.*

Qvæst. 1. An iuramentum doloſum obliget? *Reſp.* Eſt quidem periurium: ſed non obligat coram Deo ad promiſſum, ſine conſenſu & intentione iurantis; ſed tantùm in foro externo. *Ad* 1. Deus imputat ad culpam: ſed non ad obligationem promiſſi. Supple, niſi ex aliquo damno alterius. *Ad* 2. Dolus & fraus neminem excuſant à culpa coram Deo, nec ab obligatione in foro externo. *Ad* 3. Iuramentum certificat & obligat exteriùs. *Vt Al. q.* 31. *m.* 5.

Qvæst. 2. An iuramentum coactum obliget? *Reſp.* Non in Foro externo, ſed interno, ſi fuit ex vera intentione: quia nulla coactio aut damnum iurantis poteſt præualere obligationi verificandi teſtimonium Dei; ſed Eccleſia præſumit non ſubfuiſſe intentionem implendi, ſed euadendi periculum &c. *Ad* 1. Votum coactum non obligat: quia Deus talia non acceptat. *Ad* 3. Nullus metus poteſt ad hoc cadere in conſtantem virum. *Ad* 4. Obligatio Matrimonij non eſt ex vlla coactione.

Qvæst. 3. An Iuramentum incautum obligre? *Reſp.* Non ſi ſit contra ſalutem, vel maius bonum. Hinc *ad Arg.*

*In DIST.* 40. *De præceptis non concupiſcendi.*

Expoſitio Textus, per 3. Dubia.

Sub quorum tertio, refert varias opiniones de differentia & efficatia Sacramentorum nouæ legis præ alijs, ſubdens: *Dominus Guilelmus Pariſienſis Epiſcopus, in determinando in Scholis FF. Minorum approbauit iſtum modū dicendi, coram F. Alexandro bonæ memoriæ &c.* De quibus *in* 4.

*ARTICVLVS PRIMVS.*

Qvæst. 1. An Lex vetus fuerit timoris, & noua ſit amoris? *Reſp.* Non quoad diſtinctionem perſonarum, ſed ſtatuum communium, ex differenti gratia, & modo ferendi has leges &c. Vt *Al. q.* 28. ex *Rom.* 8. Hinc ad pleraque. *Ad* 6. Comminationes legis nouæ ſunt de grauiori pœna: ſed futura, ac æterna, cum oblatione maioris gratiæ ad eam vitandam.

Qvæst. 2. An lex vetus fuerit occidens, noua viuificans? *Reſp.* Illa in ſenſu litterali, ſine ſpirituali, fuit occidens tantùm occaſionaliter, irritando ſuâ expreſsâ prohibitione concupiſcentiam, vt ſi quis proprio gladio occideretur: hæc eſt viuificans per promiſſa æterna, præcepta Spiritualia, & Sacramenta viuificantia, &c. Vt *Al. q.* 28.

Qvæst. 3. An Lex Moſaica fuerit grauior, Euangelica ſuauior? *Reſp.* Non quoad difficultatem præceptorum: ſed quoad numerum, & præcipuè quoad motiuum charitatis, & ſubſidium Sacramentorum &c. Vt *Al. q.* 28.

*EPILOGVS S. BONAV.*

*Multa dicimus, & deficimus in verbis: conſummator autem ſermonum ipſe eſt D. N. I. Chriſtus, &c. Cui immenſas gratias, quod adiuuit me peruenire ad conſummationem huius opuſculi, miſeratus paupertatem ſcientiæ & ingenij mei. Quem rogo vt faciat mihi prouenire ad meritum obedientiæ, & ad fratrum profectum &c. Ipſi qui & pro nobis factus homo, & crucem ſubijt, & gratiam multiplicem contulit, & mandata dedit, vt hoc libro explanatum eſt, ſit omnis honor & gloria, per infinita ſæcula ſæculorum.*

*FINIS Libri tertij.*

Digitized by Google

# EX DOCTORE SVBTILI

## *In Librum 3. Sententiarum, per Diſtinctiones 40.*



*In DIST.* 1. *QVÆST.* 1. *Al.q.*2.*S.Bon.hic.* *An fuerit poſſibile naturam humanam vniri Verbo?*

SVppoſito hoc Articulo Fidei, ex *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt, &c. tria ſunt videnda. 1. Quid ſit vnio Perſonalis. 2. Qualiter ſit poſſibilis ex parte Perſonæ. 3. Ex parte Naturæ vnitæ.

*Dev. n.*3. Hæc vnio non dicit per ſe aliquid abſolutum: quia nec poteſt concipi ſine relatione. Ergo cùm non ſit nihil, ſaltem dicit relationem realem: non communem vtrique extremo, nec realem Perſonæ aſſumentis: ſed ſolius Naturæ aſſumptæ, ad Perſonam aſſumentem. Eſt ergo hæc vnio relatio Diſquiparantiæ, & ordinis ſeu dependentiæ: non cauſati ad cauſam, nec cauſati poſterioris ad prius, ſed alterius rationis, &c. Quæ eſt ſimilis dependentiæ accidentis à ſubiecto: non vt informatis ab informato; ſed vt poſterioris naturaliter, à priori.

*De* 2. *n.* 4. Non repugnat Perſonæ Diuinæ, nec vt Diuinæ, nec vt huic ſoli, ſic aſſumere naturam humanam: quia quælibet Perſona Diuina eſt per ſe terminus independens naturæ; ergo capax terminandi naturam ſic dependentem ſeu terminabilem. Non autem quia Perſona Diuina contineat virtualiter omnem perfectionem Perſonæ creatæ; ideoque poſſit huius vicem ſupplere; quia nec Perſonalitas eſt perfectio ſimpliciter, nec Natura Diuina, quamuis virtualiter continens omnes creatas, poteſt illius vicem ſupplere.

*Art.* 3. *n.* 5. Vt difficilior, probatur ab *Henr.* 1. Quia ſingularitas naturæ eſt prior eius perſonalitate: ergo Deus poteſt illam ſine hac cauſare, & in ſeipſo perſonare. 2. Accidens poteſt habere modum ſubſtantialem exiſtendi per ſe: ergo & ſubſtantia modum accidentalem dependendi. 3. Quò aliqua ſunt magis diuerſa, eò ſunt magis vnibilia.

*Contra* 1. Natura eſt prior ſeipſa vt ſingulari, & vt hac: nec tamen poteſt à Deo cauſari niſi vt hæc. *Contra* 2. Accidens non poteſt propriè ſubſtantialiter exiſtere, &c. *Contra* 3. Diuerſitas vnibilium, eſt vt vnum ſit potentiale, ad alterum vt actuale: qualis non eſt natura creata ad Perſonam Diuinam.

*Ad hunc Art.* 3. *n.* 6. Natura intellectualis non eodem formaliter & vltimatè eſt ſingularis, & perſonata: quia ex *Damaſc. l.*3.*c.*11. Verbum aſſumpſit naturam in atomo, ſeu ſingularem, non tamen perſonatam. Quid autem ſit quo perſonetur, duæ videntur viæ probabiles. 1. Quòd ſit aliquid poſitiuum, abſolutum, vel reſpectiuum, vltra naturam ſingularem. 2, Quòd ſit ſola negatio dependentiæ.

*Contra* 1. *viam.* 1. Illa entitas poſitiua naturæ humanæ non eſſet aſſumpta, nec aſſumptibilis à Verbo. 2. Natura aſſumpta careret hac ſua entitate. 3. Non poſſet dimitti, & perſonari, niſi dando ei hanc entitatem. 4. Poſſet fieri hæc, & non perſonari.

*N.* 8. *Contra* 2. *viam.* 1. Sic anima ſeparata eſſet perſona. 2. Ex 1. *d* 28. *q.* 2. Nulla negatio poteſt eſſe incommunicabilis, niſi per aliquid poſitiuum. 3. Negatio non poteſt ineſſe, niſi ſupponat aliquam affirmationem. 4. Dependere ad Perſonam extrinſecam, eſt imperfectionis: ergo non dependere eſt per aliquid poſitiuũ. Vt in 2.*d.*3.*q.*2.

*N.* 9. Non aſſerendo, poteſt mediari inter has vias: quòd nec ſit vlla entitas poſitiua naturæ intellectualis creatæ, cui repugnet communicari vt *quod*, & dependere à Perſona Diuina: nec quòd ſola negatio dependentiæ actualis ad Perſonam extrinſecam ſit ratio completa & formalis Perſonæ creatæ; ſed negatio dependentiæ actualis & aptitudinalis, cum poſſibili tamen communicatione & dependentia obedientiali ac ſupernaturali eiuſdem naturæ à Perſona Diuina.

*Hinc n.* 10. *Ad Arg. contra* 3. *viam.* Natura creata ſingularis eſt incommunicabilis vt *Quod*, quia limitata: ſed non vt *Quo*, niſi naturaliter. Nec incommunicabilitas abſoluta Perſonæ, eſt vniuoca creatis & increatis: ſed tantùm actualis & aptitudinalis. Quia cùm Perſonæ diuinæ repugnet communicari vt *Quod*, vel vt *Quo*: non poteſt repugnare niſi per aliquid poſitiuum. Perſona autem creata poteſt eſſe incommunicabilis actu & aptitudine, per ſolã negationẽ vtriuſq; vltra hanc naturam.

*N.* 12. An ſit aliqua noua entitas abſoluta, quæ ſit fundamentum proprium huius relationis nouæ, ſeu vnionis & dependentiæ ad Verbum? Videtur quòd ſic. 1. Quia 5. *Phyſ.* 9. non datur mutatio primò à relatione, nec ad relationem. 2. Non videtur ſic fundari poſſe noua relatio. *n.*13. Oppoſitũ videtur probabilius. 1. Quia hoc nouum eſſet vnitum Verbo: ergo vel aliqua vnione, vel eſt ipſa vnio, ſeu relatio. 2. Quia nec accidens abſolutum poteſt eſſe propria ratio perſonandi: nec vlla ſubſtantia diſtincta à tota natura. *Ad* 5. *Phyſ.* Nõ eſt mutatio primò à relatione, nec ad relationem proprij prædicamenti, intrinſecus aduenientem, ſeu neceſſariò reſultantem ex fundamento poſito termino: ſed ad relationes extrinſecus aduenientes reliquorum prædicamentorum, non reſultantes ex fundamento & termino, niſi mediante aliqua actione.

*N.* 16. *Ad* 1. *Arg. princ.* Infinitum non eſt vnibile vt pars, ſed vt terminus: nec vt ſic continet omnia vnibilia; ſed virtualiter & eminenter. *Ad* 2. Non eſt proportio quantitatiua, ſeu perfectionis, inter finitum & infinitum: ſed paſſiui ad actiuum, & cuiuſuis dependentiæ ad ſuum terminum. *Ad* 3. Diuina & humana ſunt magis diuerſa, quàm vlla contraria: ſed hæc magis repugnant eſſe ſimul, quã illa. *Ad* 4. Incarnatio eſt actio: non tamen incarnari ſignificat pati, ſed terminare paſſionem & vnionem naturæ aſſumptæ.

*Ad* 5. Natura creata nõ perſonatur ſola per ſe exiſtentiã, ſeu non inhærentiã: quia ad perſonalitatem requiritur vltima ſolitudo, ſeu negatio vnionis & dependentiæ actualis & aptitudinalis ad perſonam alterius naturæ. *Ad* 6. Diſtinctio formalis inter Eſſentiam Diuinam, & Perſonas, ſufficit vt hæ terminare poſſint aliquã vnionem ad ſe. *Ad* 7.

*à n.* 18. *ad* 21. Perſona Diuina vt relatiua non terminat dependentiam naturæ aſſumptæ,cauſaliter,vt vult *Henr.*ſed vt ſuppoſitũ terminat naturã:nec formaliter,vt forma perſonalis ipſius naturæ,ſed totius Perſonæ. Nec aſſumere naturam ſignificat actiuitatẽ niſi communem tribus Perſonis: terminationem autem propriam ſecundæ perſonæ. Nec illabi naturæ aſſumptæ eſt proprium Perſonæ, niſi pro intima terminatione. *Ad* 8. Non omnis dependentia eſt cauſati ad cauſam,vel ad cauſatum prius,&c.

*QVÆST.* 2. *Al. q.* 2. *m.* 4. *Bon. hîc.*

*An tres perſonæ poſſint aſſumere eandem naturam?*

N. 3. Ex *S. Thoma p.* 3. *q.* 2. *a.* 6. Vt anima poteſt eſſe eadem in pluribus partibus, & idem corpus in pluribus locis: ſic eadem Natura in pluribus ſuppoſitis extraneis. 1. Quia vnitas naturæ eſt prior. 2. Quia plures Perſonæ diuinæ vt relatiuæ non diſtinguerent naturam abſolutam. *Contra.* Eſſentia diuina eſt in pluribus Perſonis, quia infinita: ergo eadem natura finita non poteſt eſſe in pluribus Perſonis,nec eadem forma limitata,in pluribus ſubiectis, aliquin poſſent eſſe in tot quot.

N. 5. *Ad Quæſt. &c.* Non videtur quòd vna natura poſſit ſimul aſſumi à tribus Perſonis immediatè: quia idem non poteſt totaliter dependere à pluribus;ſed mediatè Eſſentia Diuina,vt per ſe ſubſiſtente in tribus Perſonis.Cùm Eſſentia per ſe ſubſiſtat abſolutè: nec ſola incommunicabilitas ſit ratio terminandi hanc dependentiam Naturæ aſſumptæ, ſed etiam ſubſiſtentia abſoluta.

N. 7. *Ad* 1. *Arg. princ.* Tres Perſonæ ſimul vniunt actiuè eandem naturam, ſed vni ſoli: quia non poteſt ſimul dependere, ſeu terminari totaliter à pluribus ſimul. *Ad* 2. *&* 3. Eſt in potentia obedientiali ad tres Perſonas: ſed diſiunctim, non coniunctim. *Ad* 4. Non poteſt idem accidens eſſe in pluribus ſimul ſubiectis: nec plura ſimul in eodem loco, habent idem vbi intrinſecum, ſed ſingula ſuum proprium. *Ad Anſel.* Accidens in pluribus ſubiectis deberet actuare ſingula formaliter, non ſic natura aſſumpta: Nec hanc ſuſtentaret niſi ſubſiſtentia abſoluta ad quam eſſet aſſumpta.

N. 9. *Ad* 1. *Arg.* Vnitas prioris non ſtat cum pluribus ſibi repugnantibus. *Ad* 2. Plures Relationes perſonales repugnarent identitati naturæ aſſumptæ. Nec eſt ſimile de eadem anima in pluribus partibus, aut de eodem corpore ſimul in pluribus locis: quia in his nulla eſt incompoſſibilitas. *n.* 10. Ad quam vnitatem eſſet illa aſſumptio? *Reſp.* Non ad vnitatem identitatis, nec compoſitionis: ſed vnionis ſeu dependentiæ naturæ aſſumptæ ad naturam Diuinam vt abſolutè ſubſiſtentem. *Infra.* Vt vnitas Perſonæ non communicatur formaliter naturæ aſſumptæ: ſic nec vnitas naturæ Diuinæ communicaretur

*QVÆSTIO TERTIA.*

*An vna Perſona poſſit aſſumere plures naturas?*

*Reſp. n.* 2. Nulla eſt impoſſibilitas, vel incompoſſibilitas: quia actualis dependentia vnius, non repugnat actuali dependentiæ alterius. Nec plus repugnarent plures hæ dependentiæ ab eadem Perſona, quam plures dependentiæ creaturarũ à Deo.

*Ad* 1. *Arg. princ.* Ex pluribus humanis naturis aſſumptis ab vna Perſona, non eſſent plures, ſed vnus homo: quia ad multiplicationem concreti, tam ſubſtantiui quam adiectiui, requiritur multiplicatio ſuppoſiti. *Ad* 2. Singularitas aut pluralitas naturæ,eſt prior ſuppoſitis.

*QVÆSTIO* 4. *Al. q.* 2.

*An ſuppoſitum creatum poſſit ſuſtentare aliam naturã?*

*Reſp. n.* 2. Non cauſaliter: quia natura non eſt niſi in potentia obedientiali ad aliud ſuppoſitum; ſed non videtur impoſſibile quin id poſſit terminatiuè. Quia ad hoc non requiritur continentia virtualis,aut illapſus:vt ſupra *Quæſt.* 1. Nec videtur repugnare, vt duæ naturæ creatæ vniãtur in eodẽ ſuppoſito, abſque confuſione, aut compoſitione naturarum: nec vt aliquid non omnino independens terminet dependentiam alterius, vt ſubiectum accidentis; nec vt plures naturæ ſubſtantiales ſimul ſubſiſtant. *Si tenetur pars negatiua. Ad* 1. Fortè nõ eſt proportio naturæ ad aliud ſuppoſitum creatum, vt ad Increatum. Nam perſona creata eſt abſoluta à dependentia & potentialitate propria: ſed non ad ſuſtentandam alienam. *Ad* 2. Plures naturæ repugnant in eodem ſuppoſito limitato. *Ad* 3. Superius non ſemper continet totam perfectionem inferioris. *Si tenetur affirm. Ad arg.* Poteſt dici, quod inter naturã creatam, & proprium ſuppoſitũ non ſit tã præciſa proportio,quin poſſit hoc ab alio ſuppleri.

*QVÆST.* 5. *Al. q.* 2. *Bon. hîc & d.* 5.

*An proprietas relatiua terminet hanc vnionem?*

*Art.* 1. *n.* 4. Quæ ſit proprietas conſtituens Perſonã. 2. An hæc ſit ratio terminandi eius vnionem?

*De* 1. *l.* 1. *diſt.* 26. Sed hic pro communi opinione quòd ſit relatiua, profert *S. Anſel. de proceſſ. Spir. S. Aug.* 7. *Trin.* 9. & rationem: quòd ſi eſſet abſoluta,per eam Perſona eſſet prima ſubſtantia.

*De* 2. *Dico n.* 5. Quod Eſſentia non eſt formalis ratio terminandi hanc vnionem, ſed proprietas Perſonalis. 1. Quia ſola Perſona Filij eam terminat: ergo non formaliter per Eſſentiam communem tribus,ſed per ſuam proprietatem perſonalem. Non vt per ſolam conditionem ſine qua non:quia vt ratio formalis formaliter terminat,ſic ſuppoſitum ſuppoſitiuè; ſed ſola prioritas eſt conditio ſine qua non terminandi; ergo vt Pater & Filius ſpirant quia ſunt priùs, tres Perſonæ ſimul creant quia ſunt priùs omni creatura; ſic & ſimul æquè terminarent hanc vnionem. *n.* 7. Nec ob modum proprium habendi Eſſentiam. 1. Quia hic eſt tantùm relatio rationis inter habentem & habitam. 2. Quia æque potuiſſet Pater incarnari, ac Filius.

*Ad* 1. *Arg. princ.* Negat hanc terminationem fundari in continentia virtuali, aut potentia obedientiali. *Ad* 2. Aſſumere hypoſtaticè, non eſt informare naturam aſſumptam, nec ei dare eſſe Diuinum: ſed ſolum terminare eius dependentiam in eſſe actuali naturæ, ad Perſonam aſſumentem. *Ad* 3. Supponit Perſonas eſſe relatiuas.

*In DIST.* 2. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 11. 12. *B. hîc.*

*An natura vnita Deo perſonaliter poſſit eo non frui?*

*Art.* 1. De natura capace. 2. De incapace huius vnionis,& fruitionis. Negat *Henr.* 1. *n.* 2. Quia habet obiectum fruibile præſens,& mouens ad fruitionem &c. ſuppletque hæc vnio omnem defectum potentiæ aut habitus. 2. *n.* 5. Quia Deus non poteſt illabi ad eſſe, niſi & ad operationem ſpecialem:

Nec

Digitized by Google

Nec natura poteſt vniri Deo perſonaliter niſi ſit perſonabilis, ſicque intellectualis & capax fruendi.

*Ad Quæſt. n.* 9. Concedo quamuis naturam ſic vniri poſſe, ſine fruitione. 1. *n.* 1. Ex vnione Corporis Chriſti etiam mortui. 2. *n.* 7. Quia ratio Perſonæ & Suppoſiti, non differunt niſi reſpectu naturæ intellectualis aut non. 3. *n.* 3. Quia vnio hypoſtatica eſt prior fruitione, ſeu natura priùs perſonatur quam fruatur: ergo poteſt perſonari & non frui. 4. Quia obiectum fruibile non neceſſariò mouet naturam hypoſtaticè vnitam, ad ſui fruitionem. 5. *n.* 4. Natura hypoſtaticè vnita non eſt inde capax fruendi elicitiuè, ſine habitu charitatis, ſed tantum paſſiuè. 6. Ex vi vnionis hypoſtaticæ, Eſſentia Diuina non eſt præſens obiectiuè & intuitiuè: ſed ſola Perſona, terminatiuè. *Ad* 1. *Arg. princ. à n.* 10. Vnio hypoſtatica eſt maior quoad actum primum: ſed beatifica, quoad actum ſecundum; vel neutra eſt maior altera, quia ſunt diuerſæ rationis. *Ad* 2. *ex Aug.* 13. *Trin.* 19. Vnio hypoſtctica eſt ſumma gratia.i.ſummè gratuita. *Ad* 3. Ex *Aug.* 13. *Trin.* 9. Non eſt neceſſe vt Filius Dei hypoſtaticè, ſit etiam eius Filius per gratiam. *Ad* 4. Vt habens lumen gloriæ, & Charitatem perfectam, non poteſt peccare, quia de potentia ordinata Deus non poteſt non influere ad actus continuos viſionis & fruitionis repugnantes peccato: ſic nec poteſt non dare ſummam Charitatem & fruitionem naturæ ſibi perſonaliter vnitæ. Hinc & *ad Anſel. Ad* 5. Patet ex *n.* 7. *Ad* 6. Per vnionem hypoſtaticam Deus poſſet dici hic lapis: non tamen quælibet pars huius lapidis, quia nulla pars lapidis eſſet hic lapis. *Ad Henr.* Natura nō beatificatur, niſi per potentiam & actum: nec Deus illabendo Eſſentiæ ad actum primum, illabitur ad 2.

*QVÆSTIO* 2. *Al. q.* 4. *S. Bon. hic.*

*An Verbum immediatè aſſumpſerit totam naturam?*

*Art.* 1. De medio intrinſeco partium inter ſe, vel ad totum. 2. De medio extrinſeco, gratiæ.

*Ad* 1. *à n.* 5. Non aſſumpſit corpus per animam, nec totum per partes, vt per medium Quod, quaſi priùs aut ſolum immediatè aſſumptum: ſed potiùs partes per totum, & totum per animam, vt per medium Quo hæc natura eſt ſic vnibilis ſeu perſonabilis, vt intellectualis. 1. Quia Perſonalitas Diuina ſupplet propriam: ergo vt tota natura primò & immediatè perſonaretur in ſe, quà rationalis & totalis, ſic & perſonatur in Verbo. 2. *n* 2. Quia aliter Chriſtus eſſet priùs pars aliqua hominis, quàm homo. 3. Non eſſet homo ſolâ vnione animæ. 4. Vtraque pars fuit & manſit vnita in morte.

*Dubium* 1. An entitas totius naturæ aſſumptæ ſit realiter diſtincta à partibus, etiam ſimul ſumptis & vnitis. 2. An differat abſolutè, vel tantum relatiuè. 3. An ſit forma totius, alia à forma partis. *Ad* 1. *n.* 7. Differt realiter ab omnibus partibus coniunctim, & diuiſim. 1. Qui vnum per ſe, eſt magis vnū, quàm vnum per ſolam aggregationem, vel per accidens. 2. Quia eſt terminus per ſe generationis. 3. Corrumpitur ſine partibus. 4. Cauſatur intrinſecè ex materia & forma. 5. Habet proprias paſſiones.

*Ad* 2. *n.* 8. Eſt alia entitas abſoluta: quia ſolus reſpectus non ſufficit ad prædicta. *Ad* 3. *n.* 9. Non eſt forma totius, quaſi perficiens formam partis, vel vtramque partem ſimul: quia formæ non ſunt potentiales ad alias & alias in infinitum; nec materia & forma ſunt ſimul ad eā vt formam communē vtriuſque; ſed poteſt dici forma totius .i. tota natura ſeu quidditas ipſius compoſiti, ex ſuis partibus vnitis. *Ad* 2. *Art. n.* 12. Gratia nō fuit mediū neceſſariū nec congruum ad hanc vnionem. 1. Quia prius eſt naturam perſonari, ſeu perfici ſubſtātialiter ad exiſtendū: quā accidentaliter per gratiā ad operandū. 2. *Ex Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, quaſi Vnigeniti à Patre: ergo eſſe Vnigenitum Patris, eſt prius, & proxima ratio congrua plenitudinis gratiæ & gloriæ. 3. Quia gratia vt accidens, ſupponit realem & actualem exiſtentiam animæ Chriſti: non priùs in ſeipſa quàm in Verbo.

*Ad* 1. *Arg. princ. ex PP.* De medio *Quo*, non *Quod. Ad* 2. Partes ſunt priores toto, ordine generationis, non perſonationis. *Ad* 3. Totum infert partes, non è contrà. *Ad* 4. Verbum non dimiſit in morte quod aſſumpſerat: quoad partes eſſentiales naturæ; ſed tunc caruit illa entitate totius. *Ad vlt.* Vnio hypoſtatica eſt ſummè gratuita: ſed non per gratiam accidentalem ad operandum.

*QVÆST.* 3. *Al. q.* 8. *S. Bon. d.* 3.

*An Organizatio corporis præceſſerit Incarnationem?*

1. De ordine temporis. 2. Naturæ.

*Ad* 1. *n.* 3. Animatio non præceſſit tempore incarnationem: quia fuiſſet natura & perſona humana, ante vnionem hypoſtaticam; ſicque B. Virgo non genuiſſet Deum, nec eſſet vera Mater Dei, ſed illius puri hominis priùs geniti, quæ eſt hæreſis Neſtorij. *Ad* 2. *n.* 4. Organizatio totius, per formam vltimam ſubſtantialem corporis humani, nunquam eſt tempore prior animatione: alioquin homo nunquam generaret hominem. Nec organizatio partium per varias formas partiales, quæ ſolet fieri ſucceſſiuè, fuit tempore prior animatione & vnione hypoſtatica Corporis & Animæ Chriſti, ſed eodem inſtanti. Quia nulla pars præfuit in proprio ſuppoſito, vel aſſumpta à verbo, ante aliam. Sed dubium eſt, An coniunctio, & alteratio materiæ ad generationem Corporis Chriſti, fuerit ſucceſſiuè, ad faciliorem cooperationem B. Virginis: an verò inſtantaneè, ad faciliorem verificationē totius Incarnationis in inſtanti conſēſus eius.

De prioritate naturæ. *n.* 6. Cum fundamentum ſit natura priùs relatione: entitas totalis naturæ humanæ Chriſti videtur prior naturâ ſui vnione hypoſtatica; & ſic organizatio & animatio.

*Ad* 1. *&* 2. *Arg. princ.* Ex *Damaſc. l.* 3. *c.* 2. Corpus Chriſti fuit genitum ex puriſſimis ſanguinibus B. Virginis: vel inſtantaneè, vel ſubitò condenſatis & alteratis ad generationem. *Ad* 3. Mutatio propriè, eſt à priuatione ſubiecti, priùs apti nati ad formam: ſicque non fuit hìc propriè mutatio, niſi ad formas proximas.

*In DIST.* 3. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 9. *S. Bon. hic.*

*An beata Virgo fuerit concepta in peccato originali?*

N. 3. Dicitur communiter quòd ſic. 1. Ex *Rom.* 5. *Aug. Damaſc. &c.* 2. Ex eius propagatione communi. 3. Ex pœnis communibus.

*Contra* 1. Ex perfectione Chriſti vt Mediatoris, & perfectiſſimo modo Mediandi pro Matre ſua, præueniendo omnē eius culpam, iram Dei, & pœ-



Digitized by Google

nam maximam pecc. orig. perfectiſſima placatione, gratiæ infuſione, & beneficentia. Quæ eſt maior in præſeruatione, quàm in remiſſione poſt culpam: quia & præſeruatio eſt quædam anticipata remiſſio, ex *Aug. in Luc.* 7. Cui plus dimittitur, plus diligit.

*Ad Quæſt. n.* 9. Deus potuit facere vt nunquam eſſet in pecc. orig. vel ſolo 1. inſtanti, vel aliquo tempore. Quia tam primo, quàm quolibet inſtanti æquè potuit ei infundere gratiam, ac ſolet in Baptiſmo: nec caro infecta, neceſſariò inficit animam, &c. *Quod autem horum trium factum ſit, Deus nouit. Si authoritati Eccleſiæ, vel Script. non repugnet: videtur probabile, quod excellentius eſt attribuere Mariæ.* Ex Aug. De natura & gratia c. 3. *Cùm de peccatis agitur, de Maria nullam prorſus volo habere quæſtionem.* Anſel. De conceptu Virg. *Decuit vt ea puritate Virgo niteret, quà maior ſuo Deo nequit intelligi.* *Contra.* Non poſſet eſſe ſolo 1. inſtanti: quia nec Deus poteſt agere, nec gratia produci ſucceſſiuè. *Reſp.* Deus poteſt agere & gratia à Deo produci tota ſimul in tempore, ſine partium ſucceſſione.

N. 14. Si teneatur pars negatiua quæſt. *Reſp.* ad omnes author. quòd quilibet filius Adæ naturaliter eſt debitor iuſtitiæ orig. Sed cui in primo inſtanti datur gratia æquiualens aut excedens illam iuſtitiam, nunquam eſt debitor illius.

*N. 15. Ad rationes.* Maria indiguit Chriſto vt Redemptore ad præuentionẽ. *n.* 16. Vt materia eſt priùs naturâ quàm forma, non tamẽ vllo inſtanti ſine illa: ſic Anima & Perſona B. Mariæ eſt prior naturâ, tam omni gratia, quàm eius priuatione; ſed nec in primo inſtanti eſt ſine illa, nec illud priùs naturâ vnquam ineſt illi, ſed tantùm ineſſet, niſi cauſa extrinſeca præueniret. *n.* 17. Nam in ordine naturæ inter poſitiua, prius poteſt eſſe ſine poſteriori: ſed inter oppoſita priuatiuè, priùs non ineſt, ſed ineſſet, & concipitur priùs altero. *n.* 18. Nec Maria primo inſtanti naturæ eſt iuſta, ſed neutra. *n.* 19. Ex eodem Chriſti merito nunquam fuit clauſa Mariæ ianua Paradiſi: ſed ſi fuiſſet mortua ante Chriſtum, probabile eſt quod non intraſſet ante paſſionem Chriſti exhibitam. *Ad S. Bern.* In primo inſtanti fuit ſanctificata à culpa, quæ infuiſſet, non quæ ineſſet.

*QVÆST. 2. Al. q. 9. S. Bon. hic*
*De ſanctificatione Corporis Chriſti.*

Ex *Magiſtro*: Erat aliqua portio propagationis in Adam, cuius aliquid erat ſeruatum mundum ad generationem Chriſti. *Contra.* Sic propagatio non poſſet fieri ſine portionis illius conſumptione, aut miraculoſa multiplicatione. Qui non tenent hîc *Magiſtrum*: Si dicunt peccatum orig. contrahi ex carne infecta, &c. dicunt totam carnem Mariæ fuiſſe priùs ſanctificatam, quàm inde formaretur Corpus Chriſti. *Contra.* Si formatum fuit ex ſanguine Mariæ: hic nec vnquam fuerat animatus, nec infectus, &c. *n.* 3. Aliter ex *Anſel. De conc. Virg.* 10. & 19. vt *in 2. d.* 32. patet qualiter Chriſtus non contraxit peccatum orig. quia non fuit filius naturalis Adæ, nec debitor Iuſtitiæ orig. ſed illi ſoli qui ab eo vt à Patre ſeminaliter propagantur. Hinc etſi Chriſtus fuiſſet purus homo ex Maria Virgine: non contraxiſſet peccatum orig.

*In DIST. 4. QVÆST. Al. 8. S. Bon. hic.*
*An B. Virgo fuerit verè Mater Dei & hominis?*

Concluſio eſt certa. *n.* 2. Ex *Luc.* 1. Concipies & paries, &c. *Damaſc. c.* 59. Non enim genuit hominem nudum, ſed Deum verum, &c. *Contra.* Quomodo poteſt hic ſaluari vera actio Matris?

1. *Opin. n.* 3. *S. Thomæ* 1. 2. *q.* 18. *a.* 2. Quòd mater non agat ad generationem, ſed tantùm miniſtret materiam: in ſolo autem ſemine Patris ſit tota vis actiua. *Contra.* 1. Mas & fœmina ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo & virium naturalium. 2. Mater plus diligit proles quàm pater. 3. Proles ſæpè plus aſſimilantur matri quàm patri. 4. Proles ſunt plus ex matre, quàm mineralia ex terra, & vermes ex carne. 5. *Damaſc. c.* 48. diſtinguit vim ſuſceptiuam, à generatiua matris.

2. *Opin. n.* 5. Quòd mater ſit cauſa partialis, pater principalis: Sed vis actiua B. Virginis fuerit præuenta à Spiritu S. *Contra.* Hoc non ſufficit ad veram rationẽ cauſæ actualis, nec patris, aut matris.

3. *Opin. n.* 6. Quòd collata fuerit ei vis ſupernaturalis ad cooperandum Spiritui S. in inſtanti: *Contra.* Sic tantum egiſſet per accidens. 2. In quo ſubiecto fuiſſet. 3. Quomodo ſuffeciſſet ad cooperandum Spiritui S. & ad generationẽ ſubſtantialẽ?

*Reſp. n.* 7. Poteſt dici, quòd etſi ad matrem pertineat agere, Maria verè fuit mater: quia egit quicquid eſt Matris, in miniſtranda ac diſponenda materia, & generanda forma ſubſtantiali, vel vnica totius corporis, vel pluribus partialibus; ſiue breuibus motibus, aut inſtantibus diſtinctis, ſiue vnico vltimo inſtanti. 1. Quia eandem habuit vim quàm aliæ matres: ergo ad eoſdem effectus; non tamen neceſſariò ſucceſſiuè, per media ordinaria, ex concurſu ſupernaturali Spiritus S. non præueniente, ſed perficiente defectum virtutis naturalis in matre. Hinc *Damaſc. c.* 48. Spiritus S. dedit ei vim ſuſceptiuam, & generatiuam: non remotam, ſed proximã & ſufficientem ad hunc etiam modum generandi.

Ad dubium *n.* 13. ex 2. *d.* 18. quòd ratio ſeminalis non ſit actiua ad generationem. *Fortè Mater immediatè præſens in ipſo inſtanti generationis poteſt ad eam agere, corrupto etiam ſemine. Quod videtur probabile: quia extra matricem non fieret generatio. Hinc ſi ſemen Patris in inſtanti generationis corrumpatur, mater veriùs agit quàm pater. Si ponatur ſemen patris non conuerti in corpus prolis, ſed poſt reſolui in aliud: pater & mater poterunt agere per ſemen ad generationem. n.* 14. Fuitne Maria Mater Chriſti naturaliter, vel miraculoſè? *Reſp.* Naturaliter, quoad vim ipſam naturalem matris: ſed miraculoſè, quoad modum exequendi. *Ad* 1. *Arg. princ.* Virginitas non opponitur vllatenus maternitati: nec quoad conceptiouem, nec quoad partum; ſed tantùm concauſæ naturali, & diuiſioni corporis. *Ad* 2. Ex *Damaſc. cap.* 58. Genitricem Chriſti nequaquam dicimus B. Virginem .i. Contra Neſtorium, qui contendebat eam eſſe tantùm Matrem Chriſti, non Dei. *Ad* 3. De actiuitate matris, vt ſupra. *Ad* 4. Mater non neceſſariò requirit Patrem: ſed Deus poteſt eius cauſalitatem ſupplere. *Ad* 5. Egit quicquid eſt Matris. *Ad reliqua.* Non eſt tantùm Mater hominis, ſed Dei; quia generatio terminata fuit ad Perſonam Diuinam, ſecundùm naturam humanam.

*In DIST. 5. QVÆST. 1. Al. q. 2. S. Bon. hîc.*
*An Natura Diuina potuerit aſſumere humanam?*

Quæſt.

Quæſt. 2. *An Perſona creata potuerit aſſumi? Al. q.* 4.

*Ad* 1. *Quæſt.* Patet ex *d.* 1. *q.* 1. 2. & 5.

*Ad* 2. *Quæſt. n.* 4. patet etiam ex *diſt.* 1. *q.* 1. &c. Sed qui ponerent perſonalitatem creatam eſſe aliquam entitatem poſitiuam, vltra naturam ſingularem, ob quam repugnet aſſumi: oporteret aliam huius repugnantiæ rationem quærere, &c.

*In DIST.* 6. *QVÆST.* 1. *S. Bon. d.* 5.

*An in Chriſto ſit aliud Eſſe Verbi, ab eſſe creato?*

*Reſp. n.* 2. Certum eſt quòd ſint plura eſſe Eſſentiæ, vnicum Subſiſtentiæ, plurima prædicationis, ſeu affirmationis. Sed quæſtio eſt de eſſe exiſtentiæ. Negat *Henr.* & *S. Thom. p.* 3. *q.* 17. Quia idem eſt eſſe Naturæ, & Perſonæ. 2. Pars adueniens toti perfecto, non dat ei, ſed recipit eius eſſe. 3. Nec accidens dat eſſe ſubiecto. 4. Vt ſubſtantia & eius qualitas ſunt quantæ eadem quantitate: ſic Perſona & natura vnita ſunt eâdem exiſtentiâ.

*Contra* 1. *n.* 3. Generatio humana Chriſti terminatur ad propriam exiſtentiam humanam. 2. Vita humana & mors Chriſti, fuit quoad propriam exiſtentiam humanam. 3. Creatio Animæ Chriſti, & productio naturæ eius humanæ, fuit quoad exiſtentiam humanam. 4. Si natura humana Chriſti dimitteretur à Verbo, non careret propria exiſtentia. 5. Hæc natura Angeli poſſet aſſumi à Verbo: ergo cum ſua propria exiſtentia. 6. Natura humana non eſt vnita Verbo, niſi vt hæc exiſtens. 7. *n.* 4. Verbum vt homo eſt formaliter aliquid: *Extra de Hæreticis cap. Cùm Chriſtus.* 8. Quantitas extra ſubiectum, exiſtit actu: ergo & in ſubiecto, &c.

*Concedo n.* 5. *Quòd hæc natura ex quo non eſt tantùm in intellectu, neque in cauſa, ſed extra ſuam cauſam, neceſſariò habet ſuam propriam exiſtentiam actualem, vt & proprium eſſe quidditatiuum: ſed non habet propriam ſubſiſtentiam, quia hæc non addit negationem duplicis dependentiæ, vt diſt.* 1. *q.* 1.

Dico quod hæc eſt exiſtentia Chriſti ſimpliciter, & alia ab increata: quia non eſt exiſtentia ſecundùm quid, partialis, aut accidentalis; ſed totalis, & ſubſtantialis huius naturæ humanæ, ſimpliciter exiſtẽtis, & qua Chriſtus eſt, & exiſtit homo.

N. 7. Nec obſtat quòd non ſit prima exiſtentia verbi: quia ex ſe eſt ſubſtantialis, totalis, & ſimpliciter, non partialis, accidentalis & ſecundùm quid. Sed ex *Aug.* 1. *Retr.* Quando res conſtat, non eſt vis facienda in nomine.

*Ad* 1. *Arg. prin.* Vt in Chriſto ſunt duæ volũtates, ſed non duo volentes: habens duas ſcientias, non eſt duo ſcientes; ſic habens duo eſſe, non eſt duo entia. Nec Chriſtus eſt ens per accidens: quia non eſt duorum generum, nec ei propriè accidit natura humana. *Ad* 2. Hæc vnitas poteſt dici maxima: à perfectione vnitorum, & vnionis, &c.

*QVÆST.* 2. *Al. q.* 6. *B. hic.*

*An Chriſtus ſit aliqua duo?*

*Ad Quæſt.* Non eſt Duo maſculinè, quia non duæ perſonæ: nec duo neutraliter, quia non eſt ipſa natura humana; ſed habet in ſe duo neutraliter .i. duas naturas. *Ad* 1. Chriſtus vt homo eſt aliquid, & vt Deus eſt aliquid: non tamen idem aliquid, nec aliud aliquid. Nec idem aut diuerſum neceſſariò ineſt reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè. *Ad* 2. Chriſtus non eſt tantùm homo, aut tantùm Deus: nec tamen aliud quàm homo, aut aliud quam Deus; ſed eſt fallacia conſequentis. Quia excluſiua addita ſubiecto, excludit à prædicato omne quod non verè dicitur de ſubiecto: ſed addita prædicato, excludit à ſubiecto quicquid formaliter, vel eſſentialiter non dicitur de prædicato, nec è conuerſo, &c. Quia ſubiectum ſupponit pro ſuppoſito: ſed prædicatum prædicat formam importatam per ſe. *Ad* 3. Ex *Damaſc.* Non totum eſt Deus .i. ſyncategorematicè, non vtraque naturâ. *Ad* 4. In Chriſto ſunt duæ naturæ numero, ſed non eſt duo numero. *Ad vlt.* Nec eſt duo neutraliter: quia non eſt duæ naturæ. Tres Perſonæ ſunt vnum, quia illud vnum prædicatur de eis omnibus & ſingulis: ſed ſi tres homines haberent vnam animam, non dicerentur aliquid vnum, ſed habentes vnum; ſic nec Chriſtus duo, ſed habens duo; vt nec compoſitum per ſe dicitur duo, ſed habens duo in ſe.

*QVÆST.* 3. *Al. q.* 6. *Bon. hic*

*Quænam ex tribus Opin à Magiſtro relatis ſit tenenda?*

De quibus *Al. q.* 6. per totam. 1. Non tenetur. 3. Non fuit hæretica tempore *Magiſtri*: ſed ab *Alexandro, De Hæret. cap. Cùm Chriſtus.* 2. Opin. eſt tenenda: quòd Perſona Verbi ſubſiſtat in duabus naturis: in Diuina, à qua habet primum eſſe; & in humana, à qua habet ſecundum eſſe, et ſic duo eſſe; ſed quod dicit Perſonam Chriſti eſſe compoſitam non tenetur propriè. *Ad Damaſc.* Exponendus eſt de compoſitione .i. vnione perſonæ, aut vtriuſque naturæ in Perſona. Nam *lib.* 3. *c.* 3. Si, inquit, vnius naturæ compoſitæ Chriſtus extitit: ex ſimplici natura verſus eſt in compoſitam.

*In DIST.* 7. *QVÆST.* 1. *Bon. hic.*

*An hæc ſit vera, Deus eſt homo?*

*Reſp.* 1. *n.* 2. Non eſt vera, niſi pro Perſona Verbi. 2. Non poteſt naturaliter innoteſcere, &c. *n.* 3. Eius ergo veritas eſt immediatè credita, vel ex hoc credito: quòd Verbum ſit Perſona habens naturam Diuinam & humanam: ſuppoſitum autem conſtituitur & denominatur à natura quam habet, & Deus eſt nomen commune Perſonis Diuinis. Hinc *Aug.* 1. *Trin.* 13. Talis fuit hæc aſſumptio, vt Deum hominem faceret, & hominem Deum. 3. *n.* 4. Non eſt tantùm vera identice, ſed & formaliter: quia prædicatio naturæ in concreto de ſuo ſuppoſito, eſt formalis. 4. *n.* 5. Quale ſit hoc prædicatum reſpectu ſubiecti? *Reſp.* Eſt prædicatum vniuocũ, & vnius conceptus in ſe: ſed non prædicatur vniuocè, cuius ratio non includitur in ratione ſubiecti; ſicque denominatiuum eſt vniuocum, ſed non prædicatur vniuocè, &c. Poſſet ergo concedi quòd cùm nulla ſit vnio ſimilis, nec ſit vlla prædicatio ſimilis, &c. Quod enim prædicatur, eſt ſpecies: ſed modus ſe habendi ad ſubiectum & de eo prædicandi, eſt ſimilis accidenti logicè loquendo. 5. *n.* 7. An hæc ſit prædicatio per ſe, vel per accidens? *Reſp.* Poſſet concedi logicè loquendo, quod quia prædicatum eſt extra per ſe intellectum ſubiecti, propoſitio non ſit per ſe vera, ſed per accidens: licet neutrum extremum realiter per accidens inſit alteri. Vnde hæc vnio nec conceditur eſſe eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis. *Ex Damaſc. lib.* 3. *c.* 3. Subſtantialem dicimus vnionem, &c. 6. *n.* 8. Dubium de hac: Chriſtus eſt homo. *Poteſt dici*, quòd nec



Digitized by Google

eſt omnino per accidens; quia ſubiectum includit prædicatum: nec omninò per ſe, quia ſubiectum non habet omninò per ſe vnum conceptum in ſe.

*Ad* 1. *Arg.* Magis diuerſa non ideò magis repugnant. *Ad* 2. Humanari non eſt eſſe hominem, ſed fieri. *Ad* 3. Ex *Aug.* 5. *Trin.* 8. Quæ dicuntur *ad ſe* intrinſecè de Deo: dicuntur de tribus Perſonis. *Ad* 4. Hoc prædicatum, Homo, eſt ſimile ſpeciei & accidenti.

*QVÆST.* 2. *S. Bon. hic.*

*An hæc ſit vera: Deus factus eſt homo?*

*Reſp. n.* 3. Eſt ſimpliciter vera. *Ioan.* 1. *Verbum Caro factum eſt.* In ſymb. Nicæno. *Homo factus eſt.* Quia factio de 2. Adiacente, dicit factionem ſimpliciter: De 3. factionem ſecundùm illud tertium, & ſic de eſſe. Nam factio paſſiua, eſt ab aliquo faciente, in aliquo eſſe, ex non eſſe priori: ſed Deus per actionem aliquam eſt homo, & non ſemper fuit homo, ergo factus eſt homo. *n.* 4. Neque hæc factio eſt aut infert vllam mutationem in Verbo: ſed in ſola natura humana, quæ & eſt terminus factionis realis, & ſubiectum vnionis ad Verbum. *n.* 7. Ex his patet quod hæc ſit ſimpliciter vera: *Homo factus eſt Deus*; quia homo per factionem eſt Deus, nec priùs erat Deus.

*N.* 8. Quæ ſit magis propria, *Homo factus eſt Deus*: vel, *Deus factus eſt Homo? Reſp.* Hæc eſt prima: *Natura humana eſt perſonaliter vnita Verbo.* Hinc immediatè, *Verbum eſt homo*: & per conuerſionem, *Homo eſt Deus.* Et ſic de fieri.

*Ad* 1 *Arg.* Sortes factus eſt homo: ergo eſt factus; quia hoc eſt eius primum eſſe. Non ſic, Deus factus eſt homo, ergo factus. *Ad* 2. Fieri non eſt ſemper mutari. *Ad* 3. Quæ exprimunt vnionem naturæ ad Perſonam, excipiuntur à communicatione Idiomatum: quia hæc ſupponit vnionem.

*QVÆST.* 3. *Al. q.* 3. *Bon. hic.*

*An Chriſtus fuerit prædeſtinatus eſſe Filius Dei?*

*Reſp. n.* 2. Quòd ſic: quia prædeſtinatio eſt præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad omnia ordinata ad gloriam: vnio autem hypoſtatica, ſeu fieri & eſſe Filium Dei, eſt ſaltem de congruo ad maiorem gloriam; ergo hæc eſt prædeſtinatio. Nec obſtat quòd hæc non poſſit eſſe Perſonæ Diuinæ: quia eſt huius ſingularis naturæ, ad hanc vnionem, vt ordinatam ad tantam gloriam.

*Dubium* 1. An hæc prædeſtinatio præexigat neceſſariò lapſum naturæ humanæ? *Reſp.* Quòd non: quia ordinatè volens, priùs vult finem, & propinquiora fini; ergo priùs gloriam Chriſti, &c. *Ad Auct.* Chriſtus non veniſſet vt Redemptor paſſibilis, niſi occaſione peccati: ſed tantum bonum vnionis hypoſtaticæ & gloriæ Chriſti, maius redemptione totius naturæ humanæ, non eſt *occaſionatum*, & relatum ad minus bonum, &c. *Poteſt ergo dici quòd priùs naturâ quam præuideretur vllum peccatum, Deus prælegerit ad curiam cœleſtem omnes quos voluit, Angelos & homines, in certis & determinatis gradibus: nec vllus ſit prædeſtinatus ex præuiſo lapſu alterius, nec de hoc ſit vlli gaudendum.*

*Dubium* 2. An hæc natura ſit priùs ordinata ad vnionem hypoſtaticam, vel ad gloriam? *Reſp.* Priùs ad gloriam, ordine intentionis: quia priùs ad gratiam vnionis, ordine executionis. Nam ordinatè procedendo, priora intentione ſunt poſteriora executione. Ita vt Deus ſupra omnem ordinem naturæ voluerit. 1. huic naturæ humanæ ſummam gloriam: deinde gratiam vnionis, ne Angeli ſubeſſent puro homini.

*Ad* 1. *Arg. ex Rom.* 1. Poteſt concedi quòd Chriſtus vt homo prædeſtinatus ſit eſſe Filius Dei. 2. Poteſt diſtingui, *vt homo*, ſpecificatiuè, non reduplicatiuè. 3. Fortè realiùs, quòd nec vt homo nec vt Deus eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei: quia ſecundum neutram naturam poteſt prædeſtinari, & eſſe Filius Dei, ſed ſecundum vtramque ſimul.] Præter expoſitionem ſupra, de hac natura prædeſtinata ad vnionem hypoſtaticam. Et in Textu *Magiſtri*, De hoc toto prædeſtinato, vt ſit Chriſtus, ſeu homo Deus. Ex *Aug. ad Proſperum & Hyl.*

*In DIST.* 8. *QVÆST. Vnica. Al q.* 10. *S. Bon. hic.*

*An in Chriſto ſint duæ filiationes?*

*N.* 3. Negat *S. Thom. q.* 25. *a.* 5. *quodl.* 1. *&* 9. *ac aly.* 1. Quia Filiatio per ſe eſt ſuppoſiti, non naturæ. 2. *n.* 5. Quia non poſſunt eſſe ſimul duæ formæ eiuſdem rationis. *Contra.* 1. Chriſtus habuit ſimul duas generationes paſſiuas, ex *Damaſc. l.* 2. *c.* 7. ergo & duas filiationes. 2. Deus Pater habet duas relationes originis actiuæ. 3. Quamuis operatio ſit ſuppoſiti: Chriſtus tamen habuit operationes Diuinas, & Humanas. 4. Chriſtus vt homo eſt Filius: ergo filiatione humana. 5. *n.* 6. Idem prius poteſt habere plura ſibi inadæquata: vt eadem cauſa plures effectus: cur non idem ſubiectum plures formas eiuſdem rationis ſibi inadæquatas? Sed agens naturale non producit ſimul plures abſolutas: quia perficit eandem. 6. *n.* 8. Hæc paternitas & filiatio fundatur ſuper hac generatione. 7. Correlatiua ſunt & definunt ſimul. 8. Eadem relatio ſemper referret ad idem. 9. Pater diſtinctè refertur ad vnum filium, & ad alium. 10. Filiatio æterna & temporalis non ſunt eiuſdem rationis.

*Ad Quæſt. n.* 10. Alia eſt filiatio Chriſti ad Patrem, alia ad Matrem, & vtraque realis. 1. Quia Filiatio eſt habitudo producti naturaliter ſimilis producenti in natura intellectuali, vel ſaltem ſenſitiua: ergo non plus reſtringitur ad ſuppoſitum, quàm generatio paſſiua. 2. Ex diſtinctis fundamentis harum relationum. 3. Ex diſtinctis terminis. 4. Ex impoſſibili relatione reali æterna & perſonali ad temporalia. 5. Chriſtus vt homo eſt verè ac realiter genitus à ſua Matre: ergo verè ac realiter eius Filius.

*Dubium. n.* 12. An hæc filiatio realis, ſit eadem ſuo fundamento, ſeu naturæ humanæ Chriſti? *Reſp.* Quòd non: quia hæc poteſt eſſe ſine illa. *n.* 13. Nam vel filiatio eſt relatio fundata ſuper generatione paſſiua, prætereiens cum ipſa, ſicque eſſe Filium idem eſt quod fuiſſe: vel *n.* 15. eſt relatio permanens in natura vt exiſtente per ſolam generationem: vel probabiliùs *n.* 16. eſt relatio geniti ad generans, fundata & permanens in eadem natura exiſtente, ſiue continuò, ſiue interruptè. Licet ergo non poſſet eadem natura per generationem habita, eſſe ſine hac filiatione: potuiſſet tamen eadem numero natura haberi à Deo creante, vel ab alio generante, ſicque ſine hac filiatione. Sola enim relatio creaturæ ad Deum eſt illi eadem realiter, non formaliter, vt *in* 2. *d.* 1. *q.* 4. *&* 5.

*Ad*

Digitized by Google

*Ad* 1. *Arg. princ.* n. 18. Chriſtus duplici filiatione non eſt duo filij: quia ad plura concreta requiruntur etiam plura ſuppoſita. *Ad* 2. Si Pater fuiſſet incarnatus, fuiſſet confuſio nominum propriorum Patri & Filio: non ſic ex duplici filiatione eiuſdem Perſonæ. *Ad* 3. Chriſtus reſurrexit idem Filius Mariæ, eadem filiatione quâ priùs: quamuis cum noua relatione ex noua productione. *Ad* 4. & 5. Chriſtus non tantùm denominatur Filius Mariæ, vt Deus Creator creaturæ: à creatione actiua, vel terminatione dependentiæ creaturæ; ſed à vera & reali generatione paſſiua. *Ad vlt. n.* 21. Chriſtus vt Filius, & Mater eius, ſunt realiter æquales quoad naturam humanam: æqualitate fundata ſuper vnitate naturæ communis, non ſuper vnione naturarum ſingularium.

**In DIST. 9. QVÆST. Vnica. Al. q. 30. S.B. hîc.**
***An Chriſto debeatur Latria, ſecundùm quam naturã?***

1. Qualiter accipiatur Latria. 2. Qualiter debeatur Deo. 3. Secundùm quam naturam, Chriſto.

*De* 1. *n.* 2. Reuereri aliquam actu interiori, eſt bona propria reputare parua reſpectu bonorum illius, &c. Hæc reuerentia ſumma in actu interiori, reſpicit ſolum Deum pro obiecto, vt ſummum bonum, vel ſummum Dominum. Cuius ſemper fuerunt & ſunt aliqua propria ſigna exteriora, proteſtatiua huius reuerentiæ: ex quibus actibus internis & externis generatur habitus ad tales actus, &c. Latria ergo poteſt æquiuocè accipi. 1. pro hac reuerentia Dei interiori. 2. Pro exteriori. 3. Pro habitu qui non eſt virtus Theologica, ſed moralis, ſub iuſtitia: quia non habet Deum pro obiecto immediato, ſed honorem ei debitum. Non eſt hic quæſtio de Latria virtute: ſed de actu debito.

*De* 2. *n.* 4. Debetur Deo ex. 1. Præcepto: non tantum negatiuo, non habendi Deos alienos, *Exod.* 20. ſed & affirmatiuo, adorandi Deũ verum, *Mat.* 4. Non tantùm vt honorandi Parentes in neceſſitate; ſed aliquando, & ſaltem diebus lege determinatis ad quietem ab operibus ſeruilibus, & ad hanc adorationem in Sacrificio Miſſæ, vel extra.

*De* 3. *n.* 6. Debetur Chriſto ſecundùm ſolam naturam Diuinam, categorematicè: quia in hac ſola eſt ratio ſufficiens adorabilis; non ſecundùm ſolam naturam Diuinam ſyncategorematicè, ad excluſionem naturæ humanæ à termino adorationis, coadorationis, ſed à ſola ratione adorandi. *Ex Damaſc. lib.* 3. *cap.* 8. Chriſtum adoramus vna adoratione cum eius carne: non inadorabilem eius carnem dicentes. Adorantur enim in vna verbi hypoſtaſi, &c. *Cum carne*: non copulatiuè, ſed aſſociatiuè .i. habentem carnem. Vt de Rege cum ſua purpura, de toto cum partibus, de homine cum Anima & corpore, ac ſingulis partibus. *Contra n.* 7. Tanta debetur Chriſto adoratio propter redemptionem, quàm propter creationem: ergo & ſecundùm humanam naturam, vt rationem adorandi. *Reſp. n.* 8. Si ratio adorandi ſit ipſa ſumma intrinſeca bonitas, non poteſt eſſe in natura humana: ſi autem ſit bonũ communicatum, ſeu beneficium à Deo collatum; tantum quidem collatum eſt per redemptionem, quàm per creationem; ſed à Deo principaliter, per naturam humanam inſtrumentaliter; ideo hæc non eſt ratio adorandi latria. Sed *n.* 9. Quæ adoratio debeatur Chriſto vt homini Redemptori, ſecundum naturam humanam? Quod non ſolius hyperduliæ. 1. Quia hæc deberetur ei præciſè ſecundum naturam humanam, vt plenam gratia: ergo maior vt Redemptori noſtro, & vt Capiti Eccleſiæ, cuius vita fuerit maius bonum quam omnia mala aut bona citra Deum, ex *Anſ. Cur Deus Homo. Reſp. n.* 11. Si bonitas intrinſeca eſt tota ratio adorandi, non debetur Chriſto maior pro redemptione: ſi autem etiam beneficentia, debetur ei maior pro redemptione, quam pro ſola eius intrinſeca bonitate; vel eadem, ſi ſit maxima, alio & alio titulo. Nec vita humana Chriſti fuit bonum infinitum formaliter, nec melior omnibus alijs bonis & malis, extenſiuè, ſed intenſiuè. *Hinc etiam ad omnia. princ.* Sed *n.* 14. Dubium videtur an Chriſtus vt includens naturam humanam ſit etiam ſummè diligendus, non excludendo naturam humanam à termino huius dilectionis, ſicut nec Latriæ? *Poſſet dici* quod non, ſi actus diligendi diſtinctè reſpicit naturam diligibilem, vt obiectum: quia adoratio confuſè exhibetur totis ſed quod ſic, ſi dilectio tendere poteſt æquè confuſè in obiectum, ac adoratio. Vt adoramus & diligimus SS. Trin. non excludendo proprietates perſonales: quæ tamen non ſunt formaliter infinitæ. *Hinc conſultum eſt in adoratione non nimis diſtinguere humanam naturam à Verbo: ſed adorare & diligere Verbum ſubſiſtens in natura humana & Diuina. Nec enim ſummè diligenda eſt vnio creata naturæ humanæ ad verbum: nec peccandum eſſet mortaliter, ne illa vnio non eſſet.*

**In DIST. 10. QVÆST. Vnica. Al. q. 10. S. Bon. hîc.**
***An Chriſtus ſit Filius Dei adoptiuus?***

*Reſp.* Qui diceret Filiationem eſſe præciſè ſuppoſiti, facilè negaret Chriſtũ eſſe Filium adoptiuũ: ſed dicendo filiationem fundari in natura ſimili generanti naturaliter, ſic filiatio adoptiua fundabitur in natura ſimili creanti, & gratificanti, &c. Tranſlatum eſt enim hoc nomen à Iuriſtis, vt Filius adoptiuus dicatur, qui non eſt ab aliquo naturaliter genitus, nec inde habet ius ad hæreditatem, ſed ex gratia. Ita vt tria concurrant ad adoptionem. 1. Extraneitas adoptati. 2. Gratia adoptantis. 3. Hæreditas ad quam adoptatur. Quæ non conueniunt Chriſto ſecundùm naturam Diuinam, vt patet: ſed nec ſecundum humanam; quia nec quoad eam fuit vnquam extraneus, ſed innocens, &c. *Contra.* Sic nec Maria, nec Adam, nec Angeli, ſi fuerunt Creati in gratia, fuiſſent filij eius adoptiui: nec requiritur ad hoc extraneitas amicitiæ, ſed ſolius iuris, &c. Sufficit ergo prioritas naturæ .i. vt Perſona adoptata ſit priùs natura ſine illo iure, &c. Ita fuit in propoſito: Prius enim hæc natura fuit terminus generationis, & vnita Verbo, quam in gratia habituali.

*Reſp.* Si hoc non placet, poteſt vltimò dici: quod ad hoc requiratur ne quid comitetur generationem naturalem, vt diſpoſitio de congruo conferens ius ad hæreditatem: qualis fuit gratia Animæ Chriſti. Si obijciatur quòd nõ 1. inſtanti naturæ: *Quære. &c.*

*Ad* 1. *Arg. princ.* ex *Rom.* 1. Prædeſtinatio Dei non eſt propriè ipſa adoptatio: ſed hæc eſt ipſius gratiæ collatio. *Ad* 2. Eſſe Filium adoptiuum, eſt



Digitized by Google

alicuius dignitatis: ſed quæ ſupponit indignitatem. *Ad 3.* Chriſtus dicitur Filius naturalis Mariæ, & iuſtus ac gratus Deo: ſed non adoptiuus; quia hoc ſupponit fuiſſe extraneum. *Contra.* Non habet ius ad hæreditatem ex vnione perſonali: ſed ex ſola gratia habituali; ergo videtur adoptatus per hanc gratiam. *Reſponſ. quære.*

*In DIST. 11. QVÆST. 1. S. Bon. hîc.*

*An Chriſtus ſit creatura?*

*Negant aliqui, n. 3.* Quia nec Idiomata, ſeu proprietates repugnantes: nec negationes, nec reſpectus inter naturas communicantur. *Contra.* Non plus repugnat Deo incipere, quàm deſinere eſſe: ergo nec plus eſſe creaturam, quàm eſſe mortuum & mortalem, &c. *n. 5.* Cur plus repugnet Chriſtum eſſe creaturam, quàm Creatorem, aut minorem Patre, *Ioan. 16.* *Alij concedunt, n. 6.* ſi benè intelligatur, quòd non ſit pura creatura. Ex *Damaſc. l. 4. c. 30.* Chriſtus eſt creatus, & increatus. *Aug. de Serm. Domini.* Voluit eſſe creatura, qui eſt Creator. *Hier. in Eph. 5.* Multi trepidant Chriſtum creaturam dicere: nos autem proclamamus non eſſe periculum. *Reſp. n. 7.* Cui iſta opin. non placet, poteſt dicere eſſe falſam. 1. Quia creari ſtrictè, eſt à Deo immediatè produci ex nihilo: non ſic Chriſtus. 2. Generaliùs, eſt à Deo produci quoad primum eſſe totale vel partiale, poſt non eſſe: nec ſic Chriſtus. *Contra 1. n. 10.* Natura humana Chriſti eſt terminus generationis: ergo & creationis. 2. Chriſtus verè dicitur mortuus quoad eſſe: cur non & creatus? *Ad 1.* Natura humana Chriſti eſt creatura: ſed non Chriſtus; quia illa non eſt primum eſſe Chriſti. *Ad 2.* Mori, non eſt quoad primum eſſe, vt creari: hinc Chriſtus poteſt dici mortuus, non creatus, nec annihilatus. *Alia ratio. n. 12.* Generari non denominat ſuppoſitum, niſi mediante natura: ſed creari eſt æquè vtriuſque; ideoque non hoc, ſed illud poteſt denominare Chriſtum. Hinc ad 1. *Arg. princ. n. 13.* *Ad 2.* Homo prædicat aliquid de Chriſto, quod eſt creatura: ſed non prædicat ipſum Chriſtum eſſe creaturam. *Ad 3.* Chriſtus eſt creatus homo, ſed non eſt creatus. *Ad 4.* Creatura eſt quid cõmune ad omnia & ſola producta à Deo quoad primum eſſe, &c.

*QVÆST. 2. S. Bon. hîc.*

*An Chriſtus vt homo ſit creatura?*

*Reſp. n. 3.* Non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, & diſtractiuè, quamuis impropriè .i. ſecundùm naturam humanam. Quia reduplicatio non tollit repugnantiam terminorum: nec mutat ſenſum à dicto ſimpliciter ad ſecundùm quid; ſed exprimit proprium ſubiectum, & cur prædicatum ei inſit. *Ad 1.* Chriſtus vt homo eſt creatura, vt Æthyops eſt albus ſecundùm dentes. *Ad 2.* Forma alicuius partis non denominat ſimpliciter totum, niſi aliquo modo afficiat totum: nec oppoſitæ formæ in diſtinctis partibus, denominant earum totum; nec mortale & immortale, paſſibile & impaſſibile dicuntur de Chriſto contradictoriè, aut oppoſitè, ſed poſitiuè & diſparatè.

*QVÆSTIO 3. S. Bon. hîc.*

*An Chriſtus incœperit eſſe?*

N. 2. Difficultas eſt, an incœptio ſit totius ratione ſuæ totalitatis, vel ratione alicuius partis, & cuius. Videtur quòd vt Chriſtus eſt mortuus ſecundùm humanitatem: ſic & incœperit eſſe, &c. Reſtat ergo an incœperit eſſe ſecundùm primum eſſe, vel ſecundùm quoduis eſſe ſimpliciter. Si 1. modo, hæc eſt falſa, *Chriſtus incœpit eſſe*: Si 2. eſt vera; quia incœpit eſſe ſecundùm humanitatem ſimpliciter. *Quod magis videtur ex vi ſermonis, &c. Simpliciter ergo poſſet concedi quòd Chriſtus .i. Verbum homo, incœpit eſſe .i. habet aliquod eſſe ſimpliciter quòd priùs non habuit. Non tamen debet concedi quòd Filius Dei incœperit eſſe: quia eſſe humanum eſt eſſe ſimpliciter Chriſti, non autem Verbi; ſed eſt huius eſſe quaſi aduentitium & per accidens. Sancti tamen negarunt Chriſtum incœpiſſe .i. quoad primum eſſe, &c.*

*In DIST. 12. QVÆST. VNICA.*

*An Chriſtus potuerit peccare? Al. q. 14. S. Bon. hîc.*

*Reſp.* Cùm Chriſtus 1. inſtanti fuerit beatus: ex vi beatitudinis fuit impeccabilis, vt *in 4. d. 49. q. 6.* quamuis diſpenſatiuè poſſet mereri, &c. Qui tamen dicunt naturam vnitam, ex vi vnionis hypoſtaticæ neceſſario frui, debent conſequenter dicere, quòd non fuerit tantùm impeccabilis ex plenitudine gloriæ. De quo ſupra *diſt. 2. q. 1. & in 4. d. 49.*

*Ad 1. Arg.* Chriſtus potuit dicere materialiter falſum: ſed non formaliter aſſerere. *Ad 2.* Natura aſſumpta ex ſe poterat peccare: ſed fuit à 1. inſtanti confirmata & impeccabilis per beatitudinem. *Ad 3.* Quòd non eſt poſſibile niſi ex ſuppoſitione impoſſibilis, non eſt poſſibile ſimpliciter. Hinc Chriſtum peccare potuiſſe ſi vellet, idem eſt ac non potuiſſe peccare: quia non potuit id velle.

*In DIST. 13. QVÆST. 1. Al. q. 12. S. Bon. hîc.*

*An potuerit Chriſto conferri ſumma gratia poſſibilis?*

Quæſt. 2. *An de facto fuerit ei collata?*

Quæſt. 3. *An poſſit ſummè frui?*

Quæſt. 4. *An poſſit ſummè frui ſine ſumma gratia?*

*Ad 1. Quæſt. n. 2.* Non eſt poſſibilis gratia ſumma poſitiuè, excedens omnes alias poſſibiles, ſeu cui nulla poſſit eſſe æqualis: ſed eſt poſſibilis ſumma negatiuè, ſeu quà maior eſſe non poſſit. 1. Quia nulla eſt infinita: ergo poteſt eſſe & produci ſumma. Nec datur hìc proceſſus in infinitum, vt in numeris, ſucceſſiuis, & diuiſibilibus: quia hæc non ſunt ſingula poſſibilia, ſeu in potentia diſtincta ad ſuum eſſe, vt ſunt permanentia; ſed in ſola potentia confuſa ad fieri ſucceſſiuè. Hinc quodlibet permanens poteſt totum ſimul eſſe, & produci. 2. Deus poteſt actu creare tantam gratiam, quanta poteſt ſimul eſſe: non poteſt eſſe infinita, ergo ſumma. N. 5. Suppoſita ſumma gratia poſſibili: potuit conferri Animæ Chriſti. 1. Quia Anima eſt capax ſummæ gratiæ poſſibilis: cùm nullus gradus ei repugnet, nec ſit ad vllum determinata. 2. Quia eſt capax gratiæ, vt eſt creatura intellectualis, communis cum Angelis: ergo æquè capax, & æqualis gratiæ.

N. 8. An de potentia ordinata Dei poſſet fieri gratia huic æqualis? Poſſet dici quòd de potentia abſoluta, non ordinata. Quia lege Dei ordinatum eſt, vt ſit vnicũ Caput Eccleſiæ ad influendã gratiã.

*Ad 1. Quæſt. n. 10.* Probabile eſt quòd Deus tantam gratiam contulerit Animæ Chriſti, quanta conferri potuit, ſicque ſummam. *Nam in commendando Chriſtum, malo excedere quàm deficere* Aug. 3. de lib. arb. *Quicquid tibi vera ratione melius occur-*

*rit*

Digitized by Google

*rit ſcias Deum hoc magis feciſſe quàm non.*

*Ad* 1. *Arg.* 1. *Quæſt. n.* 11. Quoduis gratificabile, capax eſt in potentia obedientiali quantæcumque gratiæ. *Ad* 2. Hæc ſumma gratia non poteſt intendi vllo gradu addito: quia eſt in termino ſuæ perfectionis intenſiuæ; ſed fortè poteſt creari aliqua forma ſupernaturalis perfectior ſpecie. Hinc *n.* 14. cùm gratia ſeu charitas ſit quædam participatio Dei, & fiat ex nihilo, ac in ſubiecto finito: neceſſariò eſt perfectionis finitæ etiam intenſiuè.

*Ad Arg. Quæſt.* 2. *n.*15. Beatus non habet quicquid poteſt velle abſolutè, ſed ordinatè. Nec eſt appetitus naturalis elicitus ad ſummam gratiam, & gloriam: ſed ſola inclinatio, ſeu capacitas naturalis ex ſe indeterminata. Nec voluntas libera eſt tantùm conformanda huic inclinationi: ſed potiùs ordinationi Diuinæ. Nec anima habens minùs gratiæ aut gloriæ, eſt inde inquieta: minùs tamen quieta, ſeu beata, quàm quæ plus habet.

*Ad* 3. *Quæſt.* Anima Chriſti poteſt ſummè frui Deo, ſaltem formaliter, & paſſiuè: ſed videtur probabile quòd non elicitiuè; quia eſt quidem capax recipiendi ſummam fruitionem poſſibilem, ſed non eliciendi tam actiuè quàm Angeli, qui ſunt perfectioris potentiæ actiuæ, cum pari gratia. De facto tamen ſummè fruitur etiam elicitiuè: per ſummam gratiam ſupplentè defectum potentiæ actiuæ.

*Ad* 4. *Quæſt.* Poſſet Deus conferre Animæ Chriſti ſummam fruitionem poſſibilem, ſine ſumma gratia: quia poſſet ſupplere cauſalitatem gratiæ. Quòd ſi voluntas & gratia ſint cauſæ partiales, eſſentialiter ſubordinatæ ad eliciendum fruitionem: non poteſt voluntas eam ſummè elicere ſine ſumma gratia; ſed poteſt ſi non ſunt eſſentialiter ſubordinatæ, Deo ſupplente actiuitatem gratiæ. De potentia tamen ordinata, non poteſt voluntas Chriſti ſummè frui actiuè, ſine ſumma gratia: quia ordinatum eſt vt Cauſa 1. non agat ſine 2. nec hæc perficiatur in actu 2. niſi vt eſt perfecta in actu 1. Hinc ad *Arg. q.* 3. & 4.

*In DIST.* 14. *QVÆST.* 1. *S. Bon. hic.*

*An Anima Chriſti potuerit perfectiſſimè videre Verbū?*

*Quæſt.* 2. *An poſſit videre omnia in Verbo?*

*Ad Quæſt.* 1. *Art.* 1. *n.* 2. Potuit perfici viſione perfectiſſima: vt de fruitione. Ex *Iſid.* 1. *De ſummo bono.* 3. *Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & Homini aſſumpto.*

*Art* 2. *n.* 3. Intellectus Animæ Chriſti poteſt paſſiuè recipere viſionem Verbi, 1. & immediatè, ſine priori lumine. 1. Quia ipſa viſio eſt lumen perfectum. 2. Obiectū eſt lux perfectiſſima. 3. Eſt obiectum voluntarium, & liberè mouens. 4. Non eſt neceſſarius habitus: quia hic non diſponit ad recipiendum, ſed ad eliciendum & repetendum actū tranſeuntem; non ad permanentem & æternum. Nec inde ſequeretur Deum videri poſſe ex puris naturalibus: ſed nō niſi ex obiecto immediatè & ſupernaturaliter; quia ex nulla vi naturali ſeu intrinſeca luminis gloriæ, aut vllius habitus

*Dubium.* An ſine lumine gloriæ, vel habitu ſupernaturali poſſit etiam intellectus creatus elicere viſionem Dei, & æquè perfectam? *Reſp.* Vt ad *Quæſt.* 4. *diſt.* 13. Quòd ſi intellectus poteſt recipere duas perfectiones ordinatas .i. actum primum, & ſecundum viſionis Dei: congruum eſt vt eis ordinatè perficiatur; ſed abſolutè poſſent ſeparari.

*Ad* 1. *Arg.* 1. *Quæſt. ex Aug. q.* 32. *ex* 83. Eadem res non poteſt plus ab vno quàm ab alio intelligi .i. non plus obiectiuè, ſed intenſiuè. *Ad* 2. Intellectus & voluntas non quietatur niſi in obiecto vt infinito, nec actus diſtinguuntur ex ſolo obiecto: cùm idem ſit obiectum intellectus & voluntatis; ſed etiam ex potentijs. Nec hinc actus eſſent infiniti, ſeu comprehenſiui: quia ex. 12. *Ciu.* 18. quicquid comprehenditur ſcientis cognitione finitur; non quaſi obiectum finiatur in ſe, ſed ipſi ſcienti .i. illius intelligibilitas adæquatur huius intellectualitati. Hinc quamuis Deus videatur vt infinitus: non tamen comprehenditur niſi adæquetur. *Ad* 3. Ad viſionem requiritur lumen: ſed non aliud ab ipſo obiecto, vel viſione. *Ad* 4. Nec habitus naturalis eſt neceſſarius ad actum perfectū naturalem: vt patet in cognitione veritatum euidentium; nec habitus ſupernaturalis ad tales actus.

*Ad Quæſt.* 2. *n.* 9. Negat *S. Thom. p.* 1. *q.* 12. *art.* 8. *p.* 3. *q.* 10. *a.* 2. & 3. de omnibus poſſibilibus: concedit de omnibus exiſtentibus; quia illorū omnium cognitio eſſet comprehenſiua Verbi. *Contra.* Cognitio Dei vt infiniti intenſiuè, non eſt comprehenſiua: quantominus cognitio infinitorum poſſibilium? *Negat Henr.* De viſione actuali, concedit de habituali. *Contra.* 1. Nec habitus poteſt repræſentare infinita. *n.* 16. Poteſt dici quòd Anima Chriſti videat actualiter omnia in Verbo quæ Verbum videt: quia non repugnat. Nam. *n* 18. eadem viſione qua videt Verbum vt obiectum primarium & infinitum, poteſt ſimul videre omnia in eo repræſentata: imò & infinita, infinitis ſimul viſionibus. Nec hoc potiùs, ſed minùs videtur impoſſibile, quàm viſio ſolius Verbi infiniti. *n.* 19. An etiam elicitiuè? Videtur quod ſic: quia cur eliciens vnam, deficeret ad alias? *Contra.* Quælibet vis finita habet effectum adæquatum ſimul. *n.*10. Si hæc via non placet, eliciendi aut recipiendi viſiones infinitas, nec vnam infinitorum: poteſt dici quòd videt omnia habitualiter .i. videndo actu Verbum, habet omnia in eo repræſentata ſibi obiectiuè præſentia, & quaſi habitualiter in actu primo ac proximo nota. Sed non actualiter: Quia experimur plura ſimul minùs perfectè cognoſci; ergo hæc vis eſt limitata. Nec ſic omnes Beati æqualiter viderent omnia in Verbo: quia Verbum eſt ſoli Animæ Chriſti ſpeculum repræſentans omnia quæ vult; alijs autem Beatis cum aliqua limitatione. *Hinc ad pleraque arg.*

*QVÆSTIO* 3. *Al. q.* 13. *S. Bon. hic.*

*An Anima Chriſti nouerit omnia in genere proprio?*

*S. Thom. p.* 3. *q.* 9. 11. & 12. Concedit de notitia infuſa per ſpecies, negat de acquiſita.

*Ad Quæſt. n.* 4. Poteſt dici quod nec abſtractiuè, nec intuitiuè nouerit omnia in genere proprio: ſed abſtractiuè per ſpecies infuſas, omnes quidditates, non omnia ſingularia: intuitiuè non niſi res in ſeipſis vel memoria exiſtentes & præſentes, per ſpecies acquiſitas, & experientias variorum contingentium:

*Hinc ad* 1. 2. & 3. *Arg. princ.* Chriſtus, *Luc.* 2. & *Heb.* 5. non tantùm profecit ac didicit apparenter, ſed verè experimentaliter? *Ad* 4. Chriſtus



Digitized by Google

potuit ratiocinari ex notitia abſtractiua.

*QVÆST.* 4. *Al. q.* 13.

*An ſic etiam nouerit omnia perfectiſſimè?*

*Reſp.* Habitualiter & abſtractiuè, per ſpecies perfectiſſimas: non autem actualiter abſtractiuè, niſi per ſpecies ſupplentes defectum intellectualitatis humanæ; nec intuitiuè ex rebus ipſis, æqualiter in omnes influentibus; ſed perfectiſſimè in Verbo.

*In DIST.* 15. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 5. *S. Bon. hic.*

*An in portione ſuperiori animæ fuerit verus dolor?*

*Henr. n.* 3. negat de ea vt libera eſt, concedit vt natura eſt. *Contra.* Anima nec agit, nec patitur niſi per potentias. *Ad ſolut. Quæſt. n.* 4. Dolor carnis, ex *Aug.* 14. *Ciu.* 15. *Eſt offenſio animæ ex carne, & quædam ab eius paſſione diſſenſio: ſicut animi dolor qui triſtitia nuncupatur, eſt eius diſſenſio ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt.* Hinc *Art.* 1. quid ſit propriè dolor & triſtitia. 2. Quomodo verus dolor fuerit in Anima Chriſti, in qua potentia, & de quo obiecto. 3. Idem de triſtitia.

*De* 1. *n.* 5. *Henr.* putat primam radicem doloris eſſe aliquam offenſionem. 2. Huius apprehenſionem. 3. Perceptionem obiecti nocentis. Et ſic de delectatione. *Contra.* Sola immutatio intentionalis, eiuſque apprehenſio ſufficit ſine reali, non autem hæc ſine illa, ad delectationem & dolorem: imò ſæpè eſt dolor de ſalubribus, & delectatio de noxijs.

*Aliter poteſt dici n.* 8. *&* 9. Quòd paſſiones doloris & delectationis non ſunt relationes, ſed qualitates: quæ non ſunt in poteſtate ſubiecti, nec cauſantur ab ipſa relatione præſentiæ aut cõuenientiæ obiecti; ſed à fundamento abſoluto ad quod ſubiectum inclinatur, vel à quo declinat, &c. *n.* 10. Si quæritur, an hæ paſſiones ſint in vi ſenſitiua, vel appetitiua. *Reſp.* In appetitiua: quia hæc ad illas inclinatur, aut ab eis declinat; præuia apprehenſione. Nec virtutes morales ſunt in ſenſitiua, ſed in appetitiua. *n.* 12. Idem de triſtitia & gaudio voluntatis: niſi quòd hæ paſſiones propriè ſint ex obiecto liberè volito aut nolito, ſeu vt vltimo conueniente volitioni aut nolitioni liberæ. Quòd autem propriè ſint paſſiones voluntatis, videtur: quia non ſunt ipſæ operationes volendi, nec nolendi. Nam Deus & Beati ſummè nolunt, nec tamen poſſunt triſtari: quia, *Triſtitia eſt de his quæ nobis nolentibus accidunt,* 14. *Ciu.* 15. Nec voluntas ad hoc neceſſitatur ſimpliciter ab obiecto: ſed ſola neceſſitate conſequentiæ, ſeu mediante propria voluntate aut nolitione, &c. Si quæratur cur voluntas non poſſit etiam recipere nolitionem ab obiecto? *Reſp.* Quia voluntas vt voluntas eſt libera: ſed vt nolens, non eſt formaliter libera; quia eſt determinata.

*Dubium* 1. *n.* 15. An hæ paſſiones non reſultent etiam naturaliter, ex ſolo obiecto naturaliter conueniente aut diſconueniente? Poſſet dici quòd ſic: ex *Aug. Enchir.* 104. De voluntate naturali beatitudinis: ſicque de neceſſitate gaudendi aut triſtandi. *Dubium* 2. *n.* 16. An non etiam ex obiecto conuenienti vel diſconuenienti appetitui ſenſitiuo, per intellectum apprehenſo? *Poteſt dici quòd ſic. Hinc enim ponitur in voluntate aliqua delectatio ſubreptitia ante omnem actum liberum: & ſic de triſtitia.* Nam vt intellectus cooperatur ſenſui: ſic voluntas neceſſariò compatitur, non cooperatur, appetitui ſenſitiuo circa idem obiectum intellectum, nullo contrario præualente. Hinc corrupta violenter, condelectaretur appetitui ſenſitiuo ſine peccato. Aliter delectaretur ſolo tactu, niſi obiectum eſſet liberè volitum. *n.* 17. De alio modo harum paſſionum, ex volitione aut nolitione conditionata: *quæ etiam ſufficit ad peccatum mortale,* quale fortè fuit Angelorum, &c.

Sic igitur triſtitia poteſt eſſe 1. Ex obiecto ſimpliciter nolito actu & habitu, eueniente. 2. Ex nolito habitu & actu conditionali, licet abſolutè volito. 3. Ex ſola eius diſconuenientia naturali ipſi voluntati. 4. Ex eius diſconuenientia appetitui ſenſitiuo, & conſequenter rationali, ad illum naturaliter inclinato, niſi præualeat inclinatio oppoſita.

*Ad* 2. *Art. n.* 18. Dico quòd in Chriſto fuerit verus dolor in parte ſenſitiua: ex obiecto diſconueniente complexioni, ſenſui, intellectui, & voluntati perfectiſſimæ. Nam ſolet quidem vehemens paſſio ſenſitiua impedire vſum rationis, & libertatis, vt *Aug. q.* 36. *ex* 83. *&* 14. *Ciu.* 16. vnde meritum & peccatum non conſiſtit in patiendo, ſed in exponendo ſe talibus; ſed Chriſtus habuit ſemper vſum perfectiſſimum rationis & voluntatis, percipiendo intuitiuè ſuos dolores ſenſibiles, eiſque compatiendo ex inclinatione naturali voluntatis ad ſuũ appetitum ſenſitiuũ, & ad bonũ ſuæ Perſonæ. *Si obijciatur* quòd tunc Anima Chriſti fuit ſummè triſtata in ipſa morte: poteſt dici quòd ſi tunc erat impaſſibilis, non triſtabatur tunc, ſed priùs ex præuiſione mortis. *Contra.* Non præuidebat eam niſi in Verbo: ergo nec inde triſtari poterat. *Reſp.* Imaginatio potuit eam apprehendere: ergo & portio inferior.

*Ad* 3. *Art. n.* 20. De triſtitia Chriſti, eiuſque obiecto, & ſubiecto. Portio ſuperior ſtrictè ſumpta, vt reſpicit ſola æterna, non poteſt ordinatè triſtari de ipſis bonis intrinſecis Dei: ſed latè ſumpta, vt iudicat de omnibus ex regulis æternis, & refert omnia ad æterna, poteſt triſtari. 1. De non fruitione obiecti æterni. 2. De peccatis. 3. De quouis malo oppoſito bono æterno. Chriſtus non triſtabatur defectu fruitionis propriæ: quia hæc ei nunquam defuit; ſed de peccatis noſtris à ſe nolitis. *n.* 22. De alijs malis ſeu pœnis proprijs, triſtabatur in portione inferiori voluntatis, vt eſt naturaliter compaſſiua appetitui ſenſitiuo, præciſè: in portione autem ſuperiore, vt eſt naturaliter relatiua ad finem vltimum. *n.* 23. Breuiter, voluntas vt natura, vno modo eſt tantùm naturaliter inclinata ad ſua propria obiecta: alio modo eſt inclinata ad obiecta ſui appetitus ſenſitiui. Illo modo eſt tantùm portio ſuperior: hoc modo tantùm inferior. Sed generaliter poteſt accipi vtroque modo, vt pertinens ad vtramque portionem. De alijs duabus triſtitijs, ex nolitione actuali abſoluta, & conditionali: videtur quòd cum vtraque portio poſſit ſic & ſic nolle quæ eueniunt, vtraque poſſit etiam hoc duplici modo triſtari. *n.* 24. Voluntas ergo Chriſti vt natura, triſtabatur etiam in portione ſuperiori: quia volebat ſuæ Perſonæ bonum, & nolebat ei hoc malum, naturaliter relatiuè ad vltimum finem. Nec obſtat quod hoc malum erat ad maius bonum præferendum vitæ propriæ, quia hoc non naturaliter affectu

Digitized by Google

ctu commodi; ſed liberè, affectu iuſtitiæ. Nec bonum commodum & eius affectus eſt ſolius portionis inferioris, ſed & ſuperioris: quia bonũ æternum eſt etiam naturaliter maius bonum commodum appetitus intellectualis, quàm proprium.

*N.* 25.26. Non triſtabatur in Portione ſuperiore ex nolitione abſoluta, ſed *conditionata ſeu habituali*, ſuæ Paſſionis .i. qua eam ex ſe *noluiſſet*. Ex Aug. 13. *Trin.* 7. & 3. *Ethic.* 9. Quia nec Portio ſuperior videtur ex ſe & regulis æternis iudicare, & eligere pœnalia, ſed potiùs oppoſita, ſalua iuſtitia. Alioquin Beati ſic iudicarent, & eligerent.

*A n.* 27. *ad* 33. Problematicè: An voluntas Chriſti fuerit triſtis de ſua paſſione in portione inferiori, ex nolitione tantùm conditionata: quam *S. Thom. n.* 29. vocat velle ſimpliciter, Scotus autem ſecundum quid; an verò etiam ex nolitione abſoluta. Quia non eſt portionis inferioris velle aut nolle ſua obiecta ad finem vltimum: ſed præcisè vt ſibi bona.

*A n.* 33. *Ad* 1. *princ.* Gaudium,& triſtitia non ſunt oppoſita, niſi ſint de eodem obiecto formali. *Ad Ariſt.* 6. *Phyſ.* & 9. *Met.* Magna delectatio excludit quamuis triſtitiam .i. naturaliter. Hinc fuit miraculum quòd ſumma delectatio portionis ſuperioris Chriſti, non redundauerit in inferiorem. *Ad illud*, De dilatatione cordis Chriſti: *Credo quòd non habuerit cor magis dilatatum quam alij*; vel quia gaudium non redundabat in cor; vel triſtitia erat æqualis gaudio circa cor; vel triſtitia potiùs redundabat in cor quam gaudium, ſicque conſtringebat. *Ad* 1. In oppoſitum, ex *Eſa.* 53. *Verè dolores noſtros ipſe portauit*: in appetitu ſenſitiuo. *Ad* 2. *Ex Thren.* 1. *Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus* .i. Summus in appetitu ſenſitiuo. *Ad* 3. Meritum eſt in voluntate: ſed etiam per actus imperatos. *Ad* 4. Paſſio Chriſti in ſola portione inferiori, fuit ſufficiens pro omnibus peccatis in portione ſuperiori. *Ad* 5. Ex *Damaſc.* Timor naturalis non eſt timor: vt nec velle naturaliter eſt velle. *Ad* 6. *Ex eodem.* Triſtitia Chriſti fuit vtriuſque portionis: ſed ſuperioris de peccatis, inferioris de paſſione.

*Ad S. Hier.* & *Mag. hac diſt.* De ſola propaſſione, non paſſione Chriſti. *Reſp. n.* 31. Propaſſionem diſtingui poſſe à paſſione: non tantum vt illa præuenit conſenſum voluntatis, ſed vt non perturbat rationem, ſicut paſſio.

*In DIST.* 16. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 18.
*An Chriſtus habuerit neceſſitatem moriendi?*

*Quæſt.* 2. *An potuerit non mori ex vi paſſionis.*

*Ad* 1. *Quæſt.* Dicitur à multis quòd ſic: ex materia communi, & mixtione elementorum, &c. Sed ſic ſemper eſſet æquè mortalis.

*Ad Quæſt. igitur. n.* 5. Dico quòd comparando Verbum ad ſuam naturam humanam prout aſſumpta eſt: neceſſe fuerit Corpus eius eſſe mortale. 1. Ex ſuſpenſione miraculoſa gloriæ eius. 2. Ex carentia iuſtitiæ originalis præſeruantis: vt *Aug. c.* 2. *Bapt. paruulorum.* 3. Ex Corpore adhuc animali, necdum ſub pleno Dominio Animæ. 4. Ex defectu alimenti naturalis ſufficientis ad immortalitatem. 5. Ex defectu virtutis naturalis, ſufficientis ad perfectam & integram reſtaurationem.

*Contra* 1. *n.* 7. Quod Verbum aſſumpſit nunquam dimiſit: ergo ex vi aſſumptionis fuit incorruptibile. 2. Partes corruptæ non potuiſſent reſtaurari, ſine nouo miraculo aſſumptionis. *Ad* 1. *n.* 8. Nunquam dimiſit partes heterogeneas, & integrantes. *Ad* 2. Partes nouæ adgeneratæ aſſumebantur eodem antiquo miraculo, non nouo: quia fiebant partes totius Corporis aſſumpti.

*Ad* 1. *arg. Princ. ex gen.* 2. & *Rom.* 8. Chriſtus non fuit mortalis ex demerito peccati. *Ad* 2. Anima Chriſti fuit omniſciens: ſed non omnipotens. *Ad* 3. Sciuit media ad immortalitatem: ſed non habuit ea naturaliter pro hoc ſtatu. *Ad* 4. Anima Chriſti quantumuis perfecta non auferebat materiæ potentiam ad alias formas.

*Ad* 2. *Quæſt. n.* 11. Dico quòd ſi Anima Chriſti fuiſſet ſibi abſolutè dimiſſa: gloria eius redundaſſet in corpus, ſicque potuiſſet non mori ex quauis paſſione: ſed quia eius gloria non redundauit in corpus, non potuit illud à morte preſeruare; quia ex prima inſtitutione naturæ, actiua approximata & prædominantia corrumpunt ſua paſſiua. Si dicas 1. quod Anima vt à ſolo Deo creata & vnita, ab eo ſolo ſeparari poſſit. 2. Sic paſſio & mors Chriſti non fuiſſet ei voluntaria. 3. Fuiſſet violenta, nec meritoria. *Ad* 1. Poteſt dubitari an Anima in reſurrectione non poſſit ſe reunire corpori, vel an generans non vniat animam ſaltem diſpoſitiuè. Sed etſi ſolus Deus poſſit vnire: poteſt tamen agens creatũ inducere diſpoſitionem neceſſitantem agentia naturalia ad aliam formam, non autem Deum ad creandam animam; quia diſpoſitio ad alias formas eſt ex parte agentiũ naturalium; ſed ad animam, eſt tantum materialis. *Ad* 2. Meritum & voluntarium poteſt eſſe circa neceſſaria. *Ad* 3. Mors Chriſti non fuit violenta voluntati Chriſti: ſed ſoli inclinationi naturali.

*Ad* 1. *princ.* Anima non Dominatur corpori quoad vim vegetatiuam, nec ſentiuam. *Ad* 2. *Ex Ioan.* 10. *Ego pono animam meam, &c.* 1. Perſona Verbi. *Ad* 3. Chriſtus accepit mandatum ponendi Animam .i. voluntariè patiendi. *Ad vlt.* cum clamore valido emiſit ſpiritum: non naturaliter, ſed miraculosè.

*In DIST.* 17. *QVÆST. Al.* 15. *S. Bon. hîc.*
*An in Chriſto fuerint duæ voluntates?*

*Hanc. Quæſt. n.* 7. ſoluit Damaſc. *lib.* 3. *c.* 14. Quòd vt in Chriſto ſunt duæ naturæ, Diuina & humana: ſic & voluntas Diuina & humana. *Dubium* 1. An ſit in eo vnica voluntas creata? *Reſp.* Propriè eſt vnica: ſed communiter pro appetitu, ſic puto quod in eo vt in nobis fuerint tot appetitus diſtincti, quot ſunt potentiæ apprehenſiuæ; quia ſingulæ habent ſuam inclinationem. Solet tamen vocari appetitus ſenſitiuus qui ſequitur vim imaginatiuam. *Dub.* 2. An voluntas naturalis & libera ſint duæ potentiæ? *Reſp.* Voluntas naturalis non eſt voluntas, nec velle naturale eſt velle: ſed naturale diſtrahit ab vtroque & nihil eſt niſi relatio conſequens potentiam reſpectu propriæ perfectionis, &c. Aliter Voluntas naturalis vt in puris naturalibus diſtinguitur à ſupernaturali vt à ſeipſa informata donis gratuitis. 3. Voluntas naturalis dicitur volens ſecundum inclinationem naturalem ad ſuum commodum, libera et potens etiam ad oppoſitum.



Digitized by Google

*Ad* 1. *princ.* Voluntas humana Chriſti non priuatur vllo dominio ſuorum actuum, per vnionem hypoſtaticam: Sed vt 2. *diſt.* 25. *&* 37. voluntas eſt tota cauſa & immediata ſuorum actuum, vel etiam Deus cum ea. *Ad* 2. Voluntas naturalis vt ſic, non eſt voluntas, nec potentia: ſed ſola inclinatio potentiæ ad recipiendum perfectionem, non ad agendum; nec tendit, ſed eſt ipſa tendentia paſſiua, præter aliam actiuam & liberam.

*In DIST.* 18. *QVÆST. Al.*16. *S.Bon. hîc.*

*An Christus meruerit primo instanti ſuæ Conceptionis?*

*A n.* 4. Quid ſit meritum? *Eſt aliquid acceptatum, vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante eſt aliquid retribuendum illi in quo eſt, quaſi debitum et pro illo merito, vel alteri pro quo meruit, &c. Formaliter dicit ordinem alicuius actus laudabilis in merente, ad acceptantem, vt retribuat ei pro quo acceptatur. Sed quia in Deo nihil eſt acceptandum quòd non ſit acceptatum: ideo in deſcriptione meriti erga Deum, non oportet addere acceptandum. Deus igitur acceptans bonum opus, aut velle alicuius, retribuet ei ſi indiget: ſi non, retribuet alijs pro quibus meretur.* n.5. *Ad propoſitum, Chriſtus meruit nobis ſuo bono velle:* nam radix omnis meriti eſt in affectu iuſtitiæ, non commodi; nec in affectu iuſtitiæ vt ordinat affectum proprij commodi, quia primum obiectum merendi eſt ipſe Deus, volendo ei bonum, deinde nobis ac alijs ordinatè eius fruitionem. Hinc in affectu commodi proprij non eſt meritum: niſi affectu iuſtitiæ, referatur ad vltimum finem; ſed eſt demeritum, vel fortè indifferens. *n.* 6. Beati ſunt ita vniti vltimo fini affectu iuſtitiæ, & commodi: vt non poſſint liberè velle contra ſuum commodum, ideoque nec mereri; ſed Chriſtus vt viator & paſſibilis, potuit multa velle contra affectionem ſui commodi, ideoque & mereri, &c. Si non placet quòd Chriſtus meruerit tantùm actibus partis ſenſitiuæ, imperatis à voluntate: poteſt dici quòd meruerit omnibus actibus portionis inferioris circa ea quæ ſunt ad finem; quia vt ſic fuit viator & paſſibilis. *n.* 7. *Contra* 1. Hæc portio non potuit habere motum inordinatum: ergo fuit ſimpliciter in termino. 2. Non poſſumus mereri in portione inferiori, niſi ex ſuperiori. *Ad* 1. Fuit in termino affectu iuſtitiæ, non commodi. *Ad* 2. Dico quòd Chriſtus meruerit etiam ſecundùm Portionem ſuperiorem, & omnem eius actum. Quia Perſona eius non fuit ſimpliciter in termino, ſecundùm omnem conditionem, &c. Nec eſſet contradictio acceptari etiam actus aliorum Beatorum: ſed Deus non acceptat, quia ſunt totaliter extra ſtatum merendi. *n.* 10. Non ſic Chriſtus, &c. quia meritum non eſt tantùm ex actu, ſed ex conditionibus perſonæ agentis, &c. *Sed an ipſa eius fruitio fuerit meritoria?* Poſſet dici quòd ſic, & maximè vt tendit etiam in obiecta ſecundaria. *Potuit igitur tripliciter mereri: eligatur via magis grata.*

*A n.* 11. An potuerit mereri primo inſtanti? Poteſt dici quòd ſic: quia habuit omnia ad hoc neceſſaria, & ſufficientia. *Contra.* Requiritur deliberatio & electio. *Reſp.* Chriſtus fuit tam perfectus cognitione, vt potuerit æquè primo inſtanti iudicare & eligere, ac quauis moroſa deliberatione. *n.* 12. Quid meruerit? Non meruit ſibi fruitionem: quia hæc fuit primus eius actus circa finem; nec vllus actus eſt meritorius ſuiipſius; ſed fuit ex ſumma gratia, vt *Aug.* 13. *Trin.* 19. n. 13. *Contra,* Glorioſius eſt habere eam ex merito quàm ſine. 2. Prioritas naturæ ſufficit ad meritum. *Ad* 1. Vel non potuit tanta gloria eſſe ex merito: vel fuit glorioſius Deo dari ſine merito. *Ad* 2. Prioritas naturæ non ſufficit ad meritum, ſeu acceptationem primi actus ad ſeipſum in præmium. *n.* 15. An meruerit ſibi impaſſibilitatem? Poteſt piè dici, quòd non directè: quia infuiſſet à 1. inſtanti, niſi fuiſſet miraculosè dilata; ſed meruerit finem dilationis.

*N.* 16. *Ad* 1. *princ.* Potuit mereri, vt ſupra. *Ad* 2. Sufficit ad meritum, vt ſit relatiuè ad Deum, per portionem inferiorem: vel vt ſit circa obiecta relucentia in Verbo, per portionem ſuperiorem. *Ad* 3. Actus eſt contingens in ipſo inſtanti quo fit. *Ad* 4. Vt Chriſtus potuit mereri primo inſtanti: ſic & Angelus peccare: non vt erat à Deo, ſed ex nihilo. Nam ſi crearetur ignis non quantus, nec calidus: primo inſtanti fieret ex ſe quantus & calidus. 2.*d.*5.*q.*2.

*In DIST.* 19. *QVÆST. Al.q.*16. *S.Bon. hîc.*

*An Chriſtus meruerit nobis omnibus, & quid?*

*N.* 2. Ex *S. Thoma. p.* 3. *q.* 48. Non quoad efficaciam circa indiſpoſitos: ſed quoad ſufficientiam infinitam, ex infinita dignitate Perſonæ Chriſti, & vitæ eius etiam humanæ. *Contra* 1. Vita & voluntas humana Chriſti non erat æquè bona, digna, & acceptabilis, ac ipſa Diuina: ergo non infinitè meritoria. 2. Chriſtus meruit nobis efficaciſſimè primam gratiam & diſpoſitionem: ergo non ſolùm diſpoſitis.

*N.* 6. In hac Quæſt. 1. De efficacia. 2. De ſufficientia meriti. 3. Quid meruerit. *Ad* 1. Reſumpto ordine Prædeſtinationis & Redemptionis, vt *in* 1. *d.* 29. 42. *& in* 3. *d.* 7. *q.* 3. Subdit. *Vt Verbum præuidit paſſionem Patri offerendam pro Electis, & ſic eam efficaciter obtulit in effectu: ita tota Trinitas pro eis Paſſionem efficaciter acceptauit, & pro nullis alijs fuit efficaciter oblata, nec ab æterno acceptata; & ideo tantùm meruit eis primã gratiã ordinantem ad gloriam conſummatam. Hoc quoad efficaciam.*

*N.* 7. *Ad.* 2. Quoad ſufficientiam, meritum Chriſti fuit finitum: ex principio eſſentiali, & omnibus reſpectibus finitis. *Quantum ergo valuit?* Quantum Deus voluit acceptare: ſed ex formali ratione ſua, non potuit acceptari in infinitum, & pro infinitis, ſed pro finitis; ex circumſtantia tamen ſuppoſiti, de congruo habuit quandam rationem extrinſecam, cur à Deo potuerit acceptari in infinitum extenſiuè pro infinitis, &c. Pro quantis autem, & pro quot voluit, pro tot ſufficit. *n.* 8. Sed quid & quibus meruit? Meruit 1. primam gratiam omnibus accipientibus eam: ſine noſtra cooperatione, aut diſpoſitione, niſi in adultis baptizatis. 2. Meruit ſolus de condigno gratiam pœnitentialem: ſed de congruo, nonniſi per noſtram contritionem. 3. Solus meruit nobis apertionem Paradiſi: nullus tamen adultus ingreditur, niſi cooperetur, & vtatur prima gratia.

*Dubium* 1. *n.* 9. Si meruit omnibus primam gratiam: ergo & primis parentibus ac Patribus antiquis; ſicque Angeli potuerunt poſt mereri beatitudinem priùs acceptam. 2. Si merita præuiſa potuerunt acceptari ad gratiam: ergo & ab æterno ad

Digitized by Google

ad prædeſtinationem. *Ad* 1. Vt promiſſio alicuius obſequij grati poteſt impetrare remiſſionem offenſæ: non tamen fruitionem actualem beneficij, niſi præſtito promiſſo; ſic de meritis Chriſti. Hinc Angeli non potuerunt actu frui gloria, ob merita futura. *Ad* 2. Paſſio non fuit præuiſa ac prouiſa, niſi poſt prædeſtinationem, ad eius executionem.

N. 12. *Ad* 1. *Arg. princ.* Præmium gloriæ noſtræ eſt melius meritis Chriſti per portionem inferiorem: Nec meritum alicuius perfectioris pro imperfectioribus, debet eſſe minus præmio; ſed pro ſeipſo, quia ſic Deus præmiat vltra condignum. *Ad* 2. Vt peccata non ſunt formaliter infinita intenſiuè: ſed tantùm obiectiuè, aut terminatiuè; ſic & merita Chriſti. Hinc poteſt aliqua Sancta Anima, præcipuè Chriſti, tam intensè amare Deum: quanta poteſt eſſe intenſio auerſiua à Deo. *Ad* 3. Pœna peccati mortalis finalis, eſt infinita extenſiuè, ex ſola ordinatione Dei: qui poſſet illud iuſtè ſatis punire breui tempore. *Ad* 4. Deus potuit paſſionem Chriſti compenſare bono aliquo infinito: ſed præmiat vltrà condignum, &c. Quamuis autem poſſit acceptari pro infinitis, non tamen infinitè: nec de facto fuit acceptata niſi pro electis; quia pro eis tantũ fuit oblata à Chriſto, dico efficaciter. *Ad vlt.* Ex intentione offerentis & acceptantis, paſſio Chriſti fuit tantùm acceptata pro electis, & non alijs.

*In DIST.* 20. *QVÆST. Al. q.* 1. *S. Bon. hic.*

*An paſſio Chriſti fuerit nobis neceſſaria?*

N. 3. Ad hanc Quæſt. quæ eſt merè Theologica. Ex *Anſelm. lib. Cur. Deus homo.* 1. Neceſſarium fuit hominem redimi: quia alioquin fuiſſet fruſtra creatus. 2. Non ſine ſatisfactione: quia hæc debebatur; nec ab ea excuſabat impotentia noſtra voluntaria. 3. Non niſi ab homine Deo: quia minor Deo non potuit reddere Deo æquiualens, aut aliunde indebitum. 4. Per paſſionem & Mortem Chriſti voluntariam: quia nihil melius potuit reddi, quàm vita humana Chriſti. *Contra.* 1. Ex *Aug.* 13. *Trin.* 10. Alius modus redimendi hominem Deo non defuit. 2. Non eſt neceſſaria mors Chriſti ad redimendum hominem, niſi ex hac ordinatione Dei. 3. Non eſt neceſſaria redemptio generis humani: niſi ad exequendam prædeſtinationẽ. 4. Potuit ſatisfieri pro primo peccato Adæ, per actum perfectiorem amoris Dei. 5. Quiuis Innocens potuiſſet ſatisfacere Deo, ſi ei placuiſſet: quia bonum creatum tantum valet, pro quanto Deus acceptat. Potuiſſet autem puro homini dari tanta gratia, quanta fuit data Animæ Chriſti. 6. Quilibet potuiſſet ſatſfacere pro ſeipſo, ex prima gratia.

N. 10. *Ad Quæſt. dico.* Quòd omnia quæ facta ſunt à Chriſto circa redemptionem noſtrã, non fuerũt neceſſaria niſi ex congrua ordinatione Dei, ad exercendam ſuam Iuſtitiam, & charitatem.

*Ad* 1. *princ.* Ex *Heb.* 2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemẽ Abrahæ: quia tota ſpecies humana perierat, non ſic vlla Angelica. 2. Quia Adã peccauerat ex ſuggeſtione diaboli & vxoris. *Ad* 2. Actus ſunt meliores ſolis paſſionibus: ſed circa ipſas paſſiones pœnales & grauiores. *Ad* 3. Minima læſio in paſſione Chriſti ſufficiebat acceptationi. *Ad* 4. Chriſtus voluit mori actu meliori quàm peccata potuerint eſſe mala.

*In DIST.* 21. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 20.

*An Corpus Chriſti fuiſſet putrefactum?*

N. 2. Ad Quæſt. *Reſp. Hen. quodl.* 12. *q.* 12. Quòd fuiſſet corruptum ſecundùm cauſas inferiores, ſed præſeruandum à Deo: ideoque ſimpliciter nunquã corrumpendum; quia illa ſunt ſimpliciter futura aut non, quæ ſecundùm cauſam ſuperiorem præualentem inferioribus. Et ſic verè de poſſibilibus. *Sed quomodo fuiſſet præſeruatum à corruptione?* Dicit quod non per nouum miraculum: ſed per antiquum, vnionis indiſſolubilis, ex *Damaſc. Contra.* Agentia & ſubiecta naturalia approximata, agunt & patiuntur naturaliter, niſi miraculosè ſuſpendantur: nec fuerunt hîc ſuſpenſa antiquo miraculo vnionis, quin Corpus Chriſti viuum paſſum ſit vſque ad mortem; ergo nec poſt mortem, &c. Nec *Damaſc.* Negat corruptibilitatem, ſed conuertibilitatem naturæ humanæ in Diuinam.

N. 5. *Dico cum Henr. in* 1. *non in* 2. Sed nouo miraculo fuit Corpus Chriſti præſeruatum à putrefactione .i. volitione Dei obiectiuè diſtincta. Hinc *S. Petrus Act.* 2. & 13. Probat Corpus Chriſti non eſſe putrefactum: ex accelerata reſurrectione.

*Ad* 1. & 2. *Arg. princ.* Voluit pati vſque ad mortem, non poſt: quia hoc non fuiſſet ad meritum, vt illud. *Ad pſal.* 15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem .i. de facto, & nouo miraculo.

*In DIST.* 22. *QVÆST. Al. q.* 19.

*An Chriſtus fuerit homo in triduo Mortis?*

1. Theologicè & realiter. 2. Logicè.

1. *Opin. affirm. n.* 2. eſt *Hug. l.* 2. *de Sacram. p.* 1. Quia Chriſtus habuit Animam ſibi vnitam. 2. *Magiſtri.* Quia habuit corpus & Animam ſibi vnita, quamuis non inter ſe. 3. *Alberti, &c.* Quia ſola forma eſt de quidditate rei: vt ſola Anima de quidditate hominis. *Contra* 1. *n.* 4. Ex *Aug.* 13. *Ciu. vlt. Non totus homo, ſed pars melior, anima eſt, vtrumq́ꝫ coniunctum, habet hominis nomen.* 2. Ex *Damaſc. l.* 3. *c.* 3. Homines ſunt compoſiti ex anima & corpore. *Cap.* 12. Chriſtus nõ fuiſſet verus homo, niſi habuiſſet verũ corpus. 3. Sic ſola forma ignis eſſet ignis. 4. Non eſſet vlla materia neceſſaria. 5. Forma cum materia non eſſet vnum per ſe. 2. 5. 7. *Met.*

*A n.* 13. *Ad hunc Art.* An materia ſit pars quidditatis ſubſtantiæ materialis. Dico quod ſic: quia vt quædam habent ſolum Deum pro cauſa efficiente, quædam etiam cauſas ſecundas extrinſecas; ſic quædam intrinſecas .i. materiam & formam.

*Ad Arg.* in *Oppoſitum.* Materia dicitur qua res poteſt eſſe & non eſſe .i. generabile & corruptibile remotè, non proximè. *Ad* 2. Forma eſt perfectior, ſed non ſola ratio cognoſcendi compoſitum. *Ad* 3. In compoſitis conceptis cũ materia abſtracta, idem eſt quid, & cuius, eſt. 7. *Met.* 4, &c.

N. 18. Ad propoſitum, contra Mag. Dico, quòd Chriſtus in triduo non fuit homo: quia licet habuerit partes naturæ ſibi vnitas, non tamen naturam humanam. Nam natura non eſt pars, imò nec partes vnitæ: ſed entitas abſoluta totius vltra partes. *d.* 2. *q.* 2.

N. 19. Sed quid Logicè? Dico nec hæc eſt vera, *Chriſtus fuit homo in triduo*: nec hæc fuiſſet tunc vera, *Chriſtus eſt homo*? quia ſubiectum *Chriſtus* includit conceptum Dei & hominis: ergo debet


eſſe

Digitized by Google

eſſe verus in ſe, vt homo de eo poſſit verè affirmari. Vt non eſt verum, *Maius Deo, eſt*: quia ſubiectum eſt in ſe falſum, & impoſſibile. Nec eſt verum quòd homo albus ſit homo: ſi nullus homo exiſtat. Sed eſt verum quòd Cæſar ſit homo: quia ſubiectum eſt ſimplex. *Infra*. Si non requiratur quòd ſubiectum dicat conceptum vnum: poſſet concedi quòd hæc ſit ſemper vera, *Chriſtus eſt homo.* Sed magis credo quòd ad hoc requiratur ſubiectum vnius cōceptus, vel veritas vtriuſque cōceptus ſimul.

*Ad* 1. *Arg. princ.* Chriſtus eſt Chriſtus: ſed in triduo, nec erat homo, nec Chriſtus. *Ad* 2. Anima non eſt tota quidditas hominis. *Ad* 3. Verbum in triduo mortis habuit Corpus & Animam ſibi vnita: *à quibus poſſet denominari; non tamen placuit Doctoribus*, quia partes naturæ totalis, non denominant ſuppoſitum alienum, niſi ſint in ſuo toto. Hinc Chriſtus in triduo non potuit dici Caro: quia non erat indiuiduum carnis; nec carnalis, quia hoc ſonat vitiosè; nec carnoſus, quia ſonat ſuperfluè; nec corporeus, quia corpus non denominat proprium, nec alienum ſuppoſitum, niſi ſit in ſuo toto. Vt albedo non denominat album, niſi concurrente ſubiecto. Nec ſi Chriſtus aſſumpſiſſet quantitatem, diceretur quātus in triduo, defectu proprij ſubiecti materialis. Sed an non poſſet denominari à corpore & anima? Dico quòd ſic, ſi eſſent nomina impoſita, &c. Nam potuit dici habens animam & corpus: non tamen homo, niſi impropriè, homo mortuus.

### *In DIST.* 23. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 78.
### *An ſit neceſſaria fides infuſa?*

N. 4. Certum eſt, quòd in nobis ſit fides acquiſita credebilium reuelatorum. 1. Ex *Aug.* contra fundam. Manich. *Non crederem Euangelio niſi Eccleſiæ, &c.* 2. Si pueri non baptizati docerentur inter nos: crederent ſolâ fide acquiſitâ. 3. Adulti baptizati errantes, circa vnum art. experiuntur ſe firmiter adhærere alijs fide acquiſitâ. 4. *Rom.* 10. *Fides ex auditu, &c. n.* 6. Non eſt ita certum de fide infuſa, an & quomodo ſit ponenda in nobis? Poteſt tamen dici, quòd in multis eſt ſimilis fidei acquiſitæ: nam vt hæc credit dicta alicuius, ob eius veracitatem: ſic & infuſa credit reuelatis à Deo, ob veracitatem Dei. Hinc quia Deus reuelat in habitu ſupernaturali: hæc fides eſt etiam habitus ſupernaturalis. Nec habet certitudinem ex obiecto reuelato: ſed ex veritate reuelantis. Sic eſt facilè quòd fides ſit cum obſcuritate: & quòd vna fides ſit omnium credibilium; quia non eſt ſingulorum ſub proprijs rationibus, ſed vt ſunt reuelata. *Contra.* 1. Si nihil creditur niſi quia reuelatum: ergo nec eſſe reuelatum, niſi hoc ipſum ſit reuelatum, & ſic in infinitum. 2. Eſſe reuelatum eſt tantùm relatio rationis: ergo non poteſt eſſe formalis ratio credendi. 3. Ex puris naturalibus creditur Deus eſſe verax: ergo & omnia ab eo reuelata eſſe vera. 4. Quamuis reuelata non poſſint primò naturaliter inueniri poſſunt tamen poſtea naturaliter diſci & credi. 5. Certitudo fidei infuſæ eſſet ab acquiſita: quia nihil ſcitur eſſe reuelatum, niſi ex teſtimonio eorum quibus eſt reuelatum.

N. 9. *Aliter*, ſic poteſt poni in nobis fides infuſa. Omnia credibilia reuelata, poſſent certò & euidenter ſciri, ex euidentia terminorum in Eſſentia, vel voluntate Dei: ſed quia non ſunt nobis euidentes, Deus poteſt ſupplere per habitum fidei infuſæ, certitudinem aliquam imperfectiorem contentam in illa perfectiori, quæ oriretur ex euidentia terminorum. *n.* 11. Qui modus credendi reuelata, non eſt vt prior: quia ſic creditur Deum ea reuelaſſe ex inclinatione fidei infuſæ, ad credendum immediatè ſingulis reuelatis, ac ſi ſingula eſſent immediatè cognita. Vt ſi quæ ſcientia ex ſuis obiectis acquiſita, non haberet eorum ſpecies in memoria, inclinaret ad eorum cognitionem & aſſenſum, &c. *Contra* 1. *n.* 12. Sic fides eſſet potiùs potentia quàm habitus. Poteſt dici quòd potentia ſe tenet ex parte animæ: fides autem ex parte obiecti, vt cauſa partialis actus. *Contra.* Puer baptizatus non plus inclinatur ad credendum actu, quàm alius: niſi priùs acquiſierit fidem ex auditu; nec videtur ex fide infuſa, niſi voluntariè, &c.

N. 14. *Ad quæſt.* dico, quòd oportet ponere fidem infuſam: ex ſacra Script. & SS.PP. ſed non poteſt demonſtrari ineſſe alicui, niſi ſuppoſita fide. Quia vt credo Deum eſſe Trinum & Vnum: ita † credo me habere fidem infuſam à Deo ad perficiendam animam in actu primo. Nam vt perficit voluntatem per charitatem, non tantùm in actu primo, ſed & ad actum ſecundum perfectiorem: *l.* 1. *d.* 17. ſic & intellectum per fidem, &c. Deus ergo perficit has potentias per habitus ſupernaturales, in eſſe quodam ſupernaturali. *n.* 15. Nec pono habitum fidei infuſæ ſolùm ob gradum in actu: ſed etiam ob aſſenſum, qui non eſt totaliter à voluntate. Nam ſunt qui vellent magis aſſentiri, nec poſſunt, *Luc.* 17. Nec poteſt quis firmiter aſſentiri Deo ex ſola fide acquiſita: quâ quis creditur nō velle fallere, non autē non poſſe falli nec fallere. *n.* 16. *Contra.* Aſſentire formaliter eſt etiam fidei acquiſitæ: aſſentiri autem infallibiliter, non eſt ex fide, ſed ex obiecto. Dico tunc quòd fides infuſa eſt propter actum primum, & propter perfectiorem actum 2. Si & propter maiorem certitudinem velitis dicere: ſoluatis argumentum.

N. 17. Sed quid ad *Aug.* 13. *Trin.* 1. Homo fidem ſuam tenet certiſſimâ ſcientia, eamque in ſe videt. *Reſp.* Vt credo Deum eſſe Trinum & Vnum, ſed nec ſcio, nec hic ſcire poſſum: ſic credo me habere fidem infuſam inclinantem in illud vt verum in ſe. Sed *Aug.* loquitur de ſcientia in actu primo, non ſecundo.

*Ad* 1. *Arg. princ.* Fides acquiſita ſufficit ad certitudinem oppoſitam opinioni: non autem æqualem fidei infuſæ. *Ad* 2. Hæretici errant ex prauo aliquo ſenſu ſacræ Script. *Ad* 3. Fides corrumpitur demeritoriè, per ſolum peccatum infidelitatis. *Ad* 4. Fides infuſa eſt perfectior acquiſitâ: quia illa non poteſt cauſari niſi à Deo, & actus eius eſt in ſe, ſeu ex obiecto ſuo perfectior, actu intelligendi ex habitu primorum principiorum; non tamen adæquatior obiecto proportione geometricâ, ſed arithmeticâ.

### *In DIST.* 24. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 79.
### *An poſſit eſſe Fides & Scientia ſimul de eiſdem?*

N. 2. Ex *S. Thoma p.* 1. *q.* 1. Non ſubalternans, ſed ſubalternata. 1. Quia illa habet principia ſibi euidentia,

Digitized by Google

euidentia, non hæc. 2. Perſpectiua concluſionum poteſt eſſe ſine geometria principiorum. 3. Sufficit ad ſcientiam aliqualis cognitio principiorum. *n.* 4. *Contra.* 1. *In.* 2. 2. *q.* 1. *a.* 5. Dicit quòd fides & ſcientia non ſtant ſimul. 2. Theologia noſtra non ſubalternatur Theologiæ Beatorum: nec ſi ſcientia Beatorũ eſt de creditis à nobis,ſcientia in nobis eſt cum fide. 3. Habens ſcientiam ſubalternatam, poteſt habere ſubalternantem.

N. 5. Ex *Henr. quodl.* 8. *q.* 14. Scientia abſtractiua, poteſt eſſe de eodem cum fide: quia illius lumen eſt medium inter lumen fidei,& gloriæ: nec fides noſtra eſt de particularibus determinatis, ſed vagis. Hinc *Aug.*14.*Trin.*1.quâ ſcientia non pollent plurimi fideles &c. *Contra.* 1. *n.*7.Ipſemet in ſumma vult quòd vt credita intelligantur, non requiratur aliud lumen à fide. 2.vult quòd hæc duo lumina ſimul ſtent, & tamen illud innitatur huic: Sicque tota ſcientia abſtractiua geometriæ, poſſet eſſe cum fide. 3.Scientia & opinio non ſtant ſimul de eodem:ergo nec fides & ſcientia.4.Euidentia & non euidentia non ſtant ſimul de eodem:ergo nec ſcientia & fides *n.* 12. Si hoc lumen infundatur in Baptiſmo cum fide: poſſet quis ſine doctore in deſerto inuenire totam Theologiam. Si non tunc infundatur, ſed poſtea cùm quis applicat mentem ad ſcripturam,eius infuſio non eſſet miraculoſa.*Quando enim Deus aſſiſtit vt cauſa generalis ad aliquem effectum, non dicitur miraculoſus nec ſupernaturalis, ſed naturalis. Si dicas quòd Deus non dat ſic,ſed quibus vult: tunc fruſtra ſtuderemus, & eſſet meliùs ſedere in Eccleſia,& rogare Deũ vt det nobis hoc lumen.*

N. 13. *Ad quæſt. igitur aliter Reſp.* Scientia .i. notitia cum firma adhæſione, poteſt ſtare cum fide: Ex Aug. 1. *Ret.* 13. *lib.* 11. *Ciu.* 2. Sed non ſcientia propriè dicta. 1. Certa. 2. Neceſſaria. 3. Ex cauſa neceſſaria. 4.Applicata per conſequentiã neceſſariam. *n.*14. Poteſt tamen aliqua notitia & habitus eſſe cum fide. 1. De ſacra ſcript. aſſentiendo ſingulis eius partibus immediatè, non autem vni ob aliam. 2. De exponenda vna per aliam, & eliciendis concluſionibus, æquè aut minùs certis. 3. De primò reuelatis cum certitudine indubitabili, ſine euidentia rei. Quia Deus poteſt immediatè dare tantam certitudinem, quantam mediante ipſo obiecto.

*Ad* 1. *Pro.* 1. *Opin.* Scientia ſubalternata non eſt ſcientia,niſi cum ſubalternante.

*Ad* 2. Perſpectiua eſt ſcientia:ſed non ſine Geometria,&c. *Ad* 1. *Pro.* 2. *Opin.* Plerique fideles non pollent ſcientia explicandi fidem: ſed hæc ſcientia non eſt euidens. *Ad* 2. *Aug.* 15. *Trin. vlt. Cùm crediderint, orent vt intelligant quantùm videri poteſt mente quod videtur fide.*

*Ad* 1. *Arg. princ. ex Ioan* 20. Thomas aliud vidit, aliud credidit. *Ad* 2. Petrus & Ioannes habuerunt fidem habitualem, ſed non actualem eorum quæ videtant. *Ad* 3. Poteſt quis idem ſcire medio neceſſario, & opinari probabili: ergo & ſcire ac credere. *Reſp.* Effectus incompoſſibiles non poſſunt habere cauſas cõpoſſibiles: ſed altera præualet alteri. *Ad* 4. *Ex* 1. *Cor.* 12. Alij datur ſcientia alij fides, &c. Non de ſcientia euidente. *Ad* 5. Scientia poteſt eſſe cum lumine naturali & gloriæ ſed non cùm lumine obſcuro fidei. *Ad* 6. Quamuis poſſet demonſtrari Deum non poſſe fallere vel falli: non tamen quòd Deus dederit nobis lumen ſupernaturale & infallibile de reuelatis. *Ad* 7. Primum in credibilibus eſt, quod Deus ſit vnus in Eſſentia, & Trinus in Perſonis: ſed non poſſumus habere proprios conceptus horum terminorum ideoque nec poſſumus inde habere vllam ſcientiam de credibilibus.

*In DIST.* 25. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 82. *S. Bon. hîc.*
*An ante Chriſtum fuerit fides neceſſaria de eiſdem?*

1. Quæ ſit fides neceſſaria viatori pro omni ſtatu. 2. Quis actus fidei. 3. An circa eadem credibilia quæ nunc ſunt. *De* 1. *n.* 2. Dico quòd fides infuſa fuerit neceſſaria ad ſalutem in omni ſtatu: quia vt anima non eſt Deo grata niſi perficiatur habitu charitatis quoad voluntatem, ſic nec niſi habitu fidei quoad intellectum. *De* 3. *n.*3. Dico quòd vt actus virtutum moralium,ſic & Theologicarum ſunt aliquando neceſſarij in adultis ad ſalutem.*De* 3. *n.*4 Si articuli credẽdi diſtinguãtur quoad credita ſũt 14.Si pro 12.Apoſtolis,ſũt 12. &c.Vt *Al.q.*82. *m.*5.*S. Bon. hîc. art.* 1.*q.* 2. Sed eſt ne neceſſarium habere actum circà hæc omnia vel horum aliqua? *Dico n.* 6. Quod circà omnia implicitè, ſeu in habitu: non tamen cuilibet circà ſingula explicitè; quia Deus nullum obligat ad impoſſibile, ſed qui non poteſt capere, credat cum Eccleſia. *Quilibet tamen vtens ratione, tenetur aliquando ad aliquem actum explicitum circa ea quæ ſunt groſſa ad capiendũ & ad alia in genere: ſed Maiores qui tenentur alios inſtruere, tenentur ad omnia explicitè.* Ex Aug. 14. *Trin.* 1.

*Dubium* 1. Ergo ſimplices non tenentur quemlibet errorem contrarium cauere. 2. Poſſet quis ſimplex ſimul eſſe fidelis & infidelis. 3. Omnes ex Baptiſmo æqualiter obligantur. *Ad* 1. *&* 2. *n.*8. *quæ communiter prædicantur in Eccleſia, ſunt etiam ſimplicibus neceſſaria ad credendũ explicitè. Sed ſi quid alicubi prædicetur de nouo non tenentur credere, imò* potius non credere, donec ſciant id credi ab Eccleſia. *Ad* 3.Maiores non tenentur ad plus ex Baptiſmo: ſed ex ſuſcepta cura animarum, &c. Omnes igitur pro quouis ſtatu tenentur ad fidem Mediatoris. *Heb.* 11. Non tamen explicitam, pro omni ſtatu, ſed ſaltem confuſam; magis tamen explicitam in lege Moyſi, quam naturæ. Cumque ad credendum concurrant habitus fidei,& credibilia propoſita: quilibet tenetur ad tot explicitè credenda, quot ei explicitè à ſcientibus proponuntur. *n.* 10. An actus fidei Antiquorum de Redemptore, fuerit idem qui noſter? Si idem verum eſt de præſenti, præterito, & futuro: eſt idem actus. *Poteſt tamen dici quòd non eſt eadẽ formaliter complexio Chriſtus natus eſt, & naſciturus eſt: quia illa eſt nunc vera, hæc falſa: ſed poteſt dici eadem materialiter, vt abſtracta à modo ſignificandi, & tempore conſignificato.*

Hinc *Ad.* 1. *princ.* Simplices non tenentur ad credendum explicitè, quæ non ſunt ipſis explicitè propoſita. *Ad* 2. Potuerunt quædã hominibus priùs reuelari quam Angelis. *Ad* 3. ſufficit credere reuelata explicitè propoſita, cũ promptitudine credẽdi omnia: credo tamen nihil eſſe in nouo Teſtam. quòd

Digitized by Google

quòd non poſſit elici, ex veteri in aliquo ſenſu. *Ad oppoſita.* Tenebantur omnes diligere, ſaltem implicitè.

*QVÆSTIO* 2. *Al. q.* 80. *S. Bon. d.* 23.

*An Fides ſupponat habitum infuſum voluntati?*

*Reſp. n.* 1. *&* 2. Non video contradictionem, quin intellectus habens obiectum præſens, poſſit per ſe intelligere vel credere. Ideo *ad* 1. *Arg.* dico, quòd fides eſt ab obiecto vt efficienti actum, non ſic à voluntate. Alioquin voluntas poſſet imperare intellectui quemlibet aſſenſum, &c. *Tunc dico quod, credibilia, vt ſunt præſentia in ſe aut in fide infuſa, vel acquiſita, ſufficiant ad mouendũ. Sed voluntas vt dicis, ſimul mouet? Verum eſt ad acquirendam fidem: ſed hac poſita, & credibili præſente, poteſt intellectus credere per habitum infuſum, ſi voluntas non contramoueat. Sed etſi requiratur motio paſſiua voluntatis: ſufficit in puris naturalibus; poſito vero ſupernaturali præſente in intellectu, ad illud inclinato habitu ſupernaturali.* *Ad* 2. Vt acumen inſtrumenti ſufficit virtuti motiuæ ad per illud ſcindendum: ſic & habitus intellectus ſufficit voluntati, ad per eum credendum.

*Ad Quæſt.* Vnde Fides habeat ſuam vnitatem. Poteſt dici quòd non vt alij habitus intellectuales, ex vnitate ſui primi obiecti, in quo habitus virtualiter continentur: Alioquin ſunt fortè tot habitus quot concluſiones ſpecie diſtinctæ; quia Deus non mouet ſub ratione obiecti ad cognitionem omnium credibilium; nec continet omnia obiectiuè, ſed cauſaliter. Ideo habet vnitatem, vel ab vnitate reuelantis omnia: vel formaliter ex ſeipſa, non ab aliquo obiecto, ſed à Deo cauſaliter.

*In DIST.* 26. *QVÆST. Vnica. Al.* 75. *S. Bon. hîc.*

*An ſpes ſit virtus Theol. diſtincta ab alijs?*

N. 2. In hac quæſt. fundamentum eſt, 1. *Cor.* 13. Nunc manent Fides, Spes, Chatitas, tria hæc, &c. Sed nitendo rationi naturali, negaretur Spem eſſe virtutem diſtinctam à Fide & Charitate. 1. Quia hæc diſtinctio non eſt neceſſaria: ſed ſufficere poſſet aggregatio Fidei & Charitatis; vel potiùs determinatio Fidei vniuerſalis, ad bona futura ipſius ſperantis. 2. Ad perfectionem intellectus & voluntatis ſufficiunt ſingulæ virtutes. 3. Charitas ſufficit ad fruendum bono præſenti, & deſiderandum futura. 4. Amicitia acquiſita ſufficit ad amandum præſentem, & deſiderandum abſentem. 5. Eadem fides ſufficit, &c. Nec hæc determinatio aut futuritio, variat obiectum aut habitum fidei. *Hæc via non placet.* N. 5. Alio modo poſſet dici, quòd virtus ſpei ſit neceſſaria ad moderandum paſſionem ſpei, inter præſumptionem, & deſperationem de bono æterno. *Contra.* 1. Sic non eſſet virtus Theologica, ſed Moralis. 2. Sic eſſet etiam neceſſaria virtus infuſa Timoris. *n.* 6. Alio modo dicitur, quòd ſpes diſtinguatur, quia eſt in vi iraſcibili, diſtincta à vi concupiſcibili. 1. Obiectis. 2. Varijs actibus, &c. *Contra* 1. Hæc vis non poteſt habere pro obiecto ptoprio bonum arduum: nec vt abſens, nec vt excedens vim potentiæ, nec vt appretiabile, ſeu excedens omnia contraria; quia ſpei ſuccedit in patria Tentio, & hæc vis eſt in ipſo Deo, illaque ſummitas boni eſt obiectum Charitatis. 2. Iraſci eſt appetere vindictam: ergo non habet bonum arduum pro obiecto proprio. 3. Vitia non impugnant poſitiuè vim concupiſcibilem, ſed priuatiuè: ergo nec ſunt expugnanda poſitiuè ſed priuatiuè. Cuius eſt autem concupiſcere honeſtum eiuſdem eſt fugere contrarium. 4. Vis concupiſcibilis non poteſt defendi ab iraſcibili, ſine perturbatione delectationis eius, &c. *Quoad hoc poteſt dimitti dubium vſq; ad d.* 34. Si hæ vires debeant diſtingui in voluntate: eſt ad diſtinctionem virtutum Moraliũ, non Theologicarum. Deinde vt vis ſupponit potentiam, ita & eius obiectum, & actum, addendo ei aliquid perfectius: ergo ſi vis iraſcibilis eſt vis ipſius concupiſcibilis, adderet aliquid perfectionis charitati.

N. 10. *Ad Quæſt. igitur dico*, quòd ſpes ſit virtus Theologica, vnica, diſtincta à fide & charitate, ex 1. *Cor.* 13. Nam experimur deſiderium boni infiniti per gratiam & merita, à Deo ad hoc ordinata: hic actus eſt bonus ex obiecto, & omnibus circumſtantijs; ergo eſt virtus Theologica ad eum inclinans, quia habet Deum pro obiecto immediato: nec vlla conditio, aut circumſtantia ſpei variat rationem huius obiecti deſiderati. Nam abſentia aut præſentia obiecti, eſt tantùm varia conditio, ſeu approximatio eiuſdem obiecti. Nec deſiderare vt bonum infinitum in ſe, ſit nobis bonum, variat rationem formalem illius boni: nec refert illud ad nos, vt ad eius finem, ſeu maius bonum, ſed nos ad illud, & illud ad nos perficiendos. Nec ideo fides & charitas acquiſita eſſent etiam virtutes Theologicæ. 1. Quia hæ aſpiciunt Deum pro obiecto. 2. Habent eum pro regula prima humanorum actuum. 3. Immediatè infunduntur à Deo cauſaliter, &c. quia cùm ſuprema portio immediatè ſubdatur Deo, non perficitur niſi à Deo immediatè. *n.* 17. Hæc eſt ergo concl. quòd ad actum ſperandi poſſet eſſe aliqua virtus Theologica: non fides, quia huius eſt credere, ſpei deſiderare; nec charitas, quia hæc inclinat ad ſolum amorem amicitiæ, ſpes ad ſolum amorem concupiſcentiæ. Illa perficit voluntatem quoad affectionem iuſtitiæ: hæc quoad affectionem commodi. Sed non diſtinguuntur per arduum & delectabile: imò eſt eadem ratio formalis vtriuſque obiecti, licet aliqua addantur hîc quæ non ibi. Nam eſſe accidens, non dicit conditionem ipſius obiecti, ſed eius à quo: Eſſe abſens, non dicit rationem formalem obiecti, ſed conditionem concomitantem in cauſa & fine. Velle mihi dicit conditionem Cui: velle ex meritis, dicit conditionem qualiter. *Contra.* 1. Deſperans, deſiderat beatitudinem: ergo hoc non eſt ſpei. 2. Deſiderium boni, eſt etiam ex amore amicitiæ. 3. Deſiderium Beatitudinis, eſt naturale. 4. Nullus actus eſt meritorius, niſi ex charitate. *Ad* 1. Deſperans non deſiderat eam abſolutè, vt ſibi poſſibilem: ſed tenuiter & conditionatè, vt impoſſibilem. *Ad* 2. Eadem charitate diligitur Deus in ſe, & dilectio Dei in ſe: nec reflexio habet Deum pro obiecto commodo ipſi diligenti. Concupiſcere ergo bonum amato, eſt amicitiæ: ſed non concupiſcere, vt commodum concupiſcenti. *Ad* 3. Nec deſideriũ naturale, nec ex ſpe acquiſita, eſt ſatis perfectũ. *Ad* 4. Hoc deſiderium vt meritorium, eſt ex ſpe eliciente, ex charitate imperante.



Digitized by Google

*Ad Arg. pro 1. Via.* Concupiſcere huic, ibi ſiſtendo, non poteſt eſſe eiuſdem virtutis: ſed concupiſcere ei, vt tendat in bonum in ſe, &c.

*Ad 1. princ.* Virtus ſpei non eſt paſſio ſpei. *Ad 2.* Virtus moralis habet medium ex obiecto & modo circa illud: ſed Theologica, nō ex obiecto, ſed modo. Hinc fides poteſt dici media inter leuitatē credendi, & pertinaciam: ſpes & charitas, inter actus nimis remiſſos, aut intenſos. *Ad 3.* Non poteſt ſatis probari ratione naturali. *Ad 4.* Affectio iuſtitiæ & amicitiæ, eſt in Deum vt bonum in ſe: affectio commodi & concupiſcentiæ, eſt etiam in Deum immediatè, ſed vt bonum huic. *Ad 5.* Memoria non habet actum proprium, ſed tantùm actionem. *Ad arg. pro 2. via.* Spes & Charitas ſunt in vi concupiſcibili: quia iraſcibilis non poteſt habere Deum pro Obiecto immediato.

*In DIST. 27. QVÆST. Vnica. S. Bon. hîc.*
*An ſit aliqua virtus Theologica diligendi Deum ſuper omnia?*

N. 2. In hac q. tria ſunt videnda. 1. An hic actus ſit rectus. 2. Cuius obiecti formalis & habitus. 3. An poſſit eſſe à natura, ſine habitu infuſo.

*De 1.* dico quod diligere Deū ſuper omnia, ſit opti per ſe notū ex lege naturæ. Hinc poteſt eſſe virtus mū & Theol. ad hoc inclinās, diſtincta à fide, & ſpe.

*De 2. n. 3.* Dico quòd huius virtutis obiectum poſſet poni vel Deus in ſe ipſo abſolutè, vel vt bonum conueniens amanti, vel vtroque modo ſimul. *Contra 1.* Maius bonum in ſe, non eſt cuilibet magis diligibile. *Contra 2.* Deus in ſe abſolutè, eſt diligibilior, quàm vt nobis cōueniens, ſiue vt beatificatius, ſiue vt beatificās: nec hæ rationes formaliter ſūt reales, nec ambæ priores ipſo actu diligēdi. *Contra 3.* Non eſt duplex ratio formalis eiuſdem obiecti & actus: ſed vnica, quæ ſola eſt ratio formalis terminandi actum.

N. 7. Ad hūc *Art.* dico, quod ratio obiectiua huius actus & habitus, vel eſt prima & per ſe terminatiua, vel 2. & alliciens ad actum, vel 3. quaſi comitans, imò finiens actum. Sola 1. eſt propriè ratio obiectiua: & hæc eſt ratio Dei in ſe, ſeu ipſa Eſſentia Diuina; quia potentia non poteſt perfectè quietari niſi in perfectiſſima ratione obiecti adæquati. 2. Poteſt aliquomodo dici obiectiua: qualis eſt communicatio obiecti amabilis, & quæuis eius conuenientia amanti. 3. Non eſt propriè obiectiua: qualis eſt obiecti beatificantis.

N. 10. *De 3. Art. Negat S. Thom. 2. 2. q. 23.* naturam ſufficere ad hunc actum, ſine habitu infuſo. 1. Quia natura determinatur ad appetendum eſſe proprium præ omni alio. 2. Appetitus naturalis eſt ad bonum vt conueniens appetenti. *Contra 1. Ex Goff.* Pars magis appetit ſuum totum, quàm ſeipſam: vt patet ex motu partium contra propriam inclinationem, ad ſaluandum totum. 2. Natura rationalis ſummè diligit beatitudinem, 13. *Trin.* 5. ergo & obiectum beatificum. Hinc occidens ſeipſum, odit ſuum eſſe, & tamen amat beatitudinem. *n. 12.* Hæ rationes non cogunt. Non 1. Quia motus ille partium eſt ab ipſo toto, vel ab alia eius parte principali. Non 2. Quia beatitudo ſummè concupiſcitur, non ſummè diligitur: ſed id potiùs cui concupiſcitur; nec occidens amat beatitudinem niſi in genere. *n. 13.* Aliæ duæ rationes. 1. Ratio dictat bonum infinitum eſſe ſummè diligendum: ergo voluntas poteſt illud ſummè diligere; alioquin eſſet naturaliter mala, aut non libera ad quod tenetur ſecundùm rectam rationem. 2. Ex 9. *Ethic.* Fortis politicus mauult non eſſe, ob bonum Reipub. ergo potiùs propter Deum. 3. Poteſt quis experiri amorem Dei ſuper omnia: ergo vel poteſt eſſe naturaliter, vel virtus infuſa cadit ſub experientiam.

N. 15. *Ad hunc art.* Concedo quòd ex puris naturalibus, quæuis voluntas, ſaltem in ſtatu naturæ inſtitutæ, poteſt diligere Deum ſuper omnia. *n. 16.* Quia illud, *ſuper omnia*, poteſt intelligi extenſiuè .i. plus quàm omnia ſimul, malendo omnia alia non eſſe, quàm Deum non eſſe: vel *intenſiuè* .i. volendo Deo benè eſſe, maiori affectu quàm omnibus alijs. Sunt autem qui putant non eſſe diligendum ſuper omnia intenſiuè, ſed extenſiuè: vel non affectu feruentiori ſeu teneriori, ſed fortiori ſeu firmiori. *n. 17.* Sed nō poteſt amari feruētiùs, quin & firmiùs: niſi aliqua paſſione amoris ſenſitiui, vel etiā voluntatis. Hinc illud, *ſuper omnia*, debet intelligi extēſiuè, & intēſiuè, affectu maiori ſimpliciter, ſeu magis repugnanti oppoſito. *Dico igitur quòd hoc præceptum diligendi Deum ſuper omnia extenſiuè & intenſiuè, poteſt impleri in via: ſed non quoad omnes cōditiones, ex toto corde, ex tota anima, &c,*

N. 18. Hoc præceptum non ſolum ſemper obligat ad cauendum oppoſitum: ſed etiam ad actum aliquando eliciendum; quia ex hoc actu circa finem pendet omnis bonitas moralis actuum ad finem, &c. Quando autem hoc ſit: fortè determinatur *Exod.* 20. ad Sabbathum; & in Eccleſia, ad Miſſam audiendam diebus Dominicis, &c. *n. 19.* Porrò habitus Charitatis, quoad ſubſtantiam actus, dat ei maiorem intenſionem quàm potentia, æquali conatu: & quò potentia creata eſt perfectior, eò plus deficit in actu, ſi non habeat charitatem proportionatam arithmeticè, non geometricè. *Quantum enim deficit voluntas minor, ſi non habeat charitatem ſibi proportionabilem; tantum deficit voluntas maior geometricè, ſi non habeat charitatem ſibi proportionabilem, &c. Vt in 1. diſt.* 17. Quoad conditionem autem habitus infuſi: dico vt de fide & ſpe.

*Ad 1. Arg. princ.* Charitas ad Deum eſt amicitia excellentior, quàm philoſophica. *Ad 2.* Poteſt Deus diligi ſuper omnia ex naturalibus, ſaltem in ſtatu naturæ lapſæ: nec æqualitas eſt per ſe ratio neceſſaria amicitiæ; ſed bonitas obiecti poteſt excedere, & ſupplere defectum vnitatis. *Ad 4.* Poteſt acquiri amicitia ſimilis: ſed non eiuſdem ſpeciei cum charitate.

*In DIST. 28. QVÆST. Vnica. S. Bon. hîc.*
*An eodem habitu ſit diligendus proximus quo Deus?*

1. Qualiter habitus diligendi Deum reſpiciat proximum. 2. De habitu diligendi proximum. 3. Quis ſit ille proximus.

*De 1. n. 2. Dico*, quòd Charitas eſt habitus quo Deus habetur charus: non vt bonum priuatum, ſed commune, & condiligendum ab omnibus ei gratis. Hinc patet qualiter habitus charitatis ſit vnus: quia non reſpicit primò plura obiecta, ſed ſolum Deum vt primum obiectum in ſe bonum, & ſecundariò vt à nobis condiligendum. Idem autem



Digitized by Google

eſt habitus actus recti,& reflexi.

*Contra.n.*3. Non eodem habitu intelligo Deum, & alium intelligere Deum : ergo nec eodem volo Deo benè eſſe, & alium velle Deo benè eſſe. *Reſp.* Eodem habitu ſcio & volo obiectum, & actum reflexum, nominaliter .i. cognitionem & volitionem eiuſdem obiecti à quocumque :ſed verbaliter, ſcire non reflectitur niſi ſuper actum præſentem, velle autem etiam ſuper futurum .i. Non poſſum ſcire alium ſcire, niſi ſciat actu : ſed poſſum velle te velle pro futuro. Hinc eadem charitate qua diligimus Deum, diligimus proximum quaſi accidentaliter: volendo ei hoc bonũ, vt condiligat Deũ.

*De* 2. *n*. 4. Dilectio Dei & proximi, non neceſſariò connectuntur ex natura rei : ſed ex præcepto diligendi proximum,& ex peccato ac demerito contrario. Quia habitus charitatis & eius actus eſt amandi Deum,non vt Bonũ priuatum,ſed commune ac condiligendum.

*De* 3. *n*. 5. Dico quòd proximus eſt quilibet cuius amicitia eſt Deo grata. Hinc abſolutè debeo velle eum diligi à Beatis,& Viatoribus in communi : ſed non à ſingulis,niſi ſi & quando placet Deo ab eis diligi.

*Ad* 1. *Arg. princ.* Sola bonitas Dei terminat actum : quia licet reflectat ad proximum,tendit tamen vltrà ad ipſum obiectum actus recti. *Ad* 2. Sic fortè & viſio Dei poterit habere aliud obiectũ: non ſiſtendo in eo, ſed tendendo in Deum. *Ad* 3. Sola bonitas Dei eſt ratio tendendi : *Non enim me plus mouet bonitas proximi, quàm feſtuca.*

*In DIST.* 29. *QVÆST.Al.Coll.*68. *S.Bon.hîc.*

*An quiuis teneatur diligere ſe maximè poſt Deum?*

*Reſp. n.* 2. Charitas eſt principium tendendi in Deum actu directo,& reflectendi ſuper hos actus, volendo Deum diligi à quouis capace : ſed immediatè poſt Deum, ab eo in quo hæc ipſa charitas eſt. Quod eſt diligere ſeipſum, ſeu ſibiipſi velle hoc bonum diligendi Deum. *Confirmatur.* Quia poſt bonum infinitum,maxima ratio diligendi, eſt maxima vnitas ſeu identitas eiuſdem ſecum ipſo. *Ad* 1. *ex* 9. *Ethic.* Vituperatur amans ſeipſum inordinatè. *Ad* 2. *ex S. Greg.* Nemo ad ſeipſum propriè charitatem habere dicitur : ſed dilectio in alterum tendit vt charitas eſſe poſſit ; quia amando ſeipſum tendit in Deum.

*In DIST.* 30. *QVÆST.Al.Coll.*72. *S.Bon.hîc.*

*An ex charitate diligendus ſit inimicus?*

*Reſp. n.* 2. Non inimicus per ſe, ſeu vt talis,malus & vitioſus : ſed per accidens, ſeu homo qui eſt inimicus ; nunquam volendo ei vllum malum ſpirituale, nec vnquam nolendo ei vlla bona ſpiritualia, nec corporalia, niſi vt contraria bono ſpirituali aut communi ; ſed nunquam volendo ei mortem corporalem, niſi ex ſuppoſitione impœnitentiæ finalis, & alicuius criminis ſimpliciter noliti, ad exercendam iuſtitiam. Hinc non videtur quòd liceat optare Tyranno mortem corporalem : niſi fortè à quo iuſtè infligenda ſit.

*N.* 11. Sed poſſet dici quòd quis nunquam tenetur elicere actum diligendi proximum : quia nec tenetur de eo cogitare. Id tamen moderando, poteſt dici quòd teneatur in euidenti neceſſitate, ad ſalutem ſpiritualem, & fortè ad vitam corporalem.

*Ad* 1. *Arg.* ex *Luc.* 10. Quis eſt meus proximus? .i. Cuicumque benè fieri poteſt. *Ad* 2. Præcepta 2. Tabulæ ſpecificant in quibus proximus non ſit odiendus. *Ad* 3. ex *Aug. in Matt.* 5. Dictum eſt antiquis: Odies inimicum, &c. quia hoc non erat ſcriptum,ſed dictum additum.] Nota quòd Scotus neget hîc velle ex conditione ſimpliciter nolita, eſſe ſimpliciter velle : contra *d.* 15. & 26. *n.* 20.

*In DIST.* 31. *QVÆST. Al. Coll.* 75. *S.Bon.hîc.*

*An Charitas maneat in patria, nec euacuetur?*

*Reſp. n.* 2. Nullus habitus manet ibi fruſtra : inclinationes autem fidei, & ſpei, eſſent ibi fruſtra ; ergo hi habitus non manent. Sed an ſuccedant eis aliqua incompoſſibilia? *Reſp.* Non neceſſariò alij habitus à Charitate, ad videndum & tenendum obiectum : quod ſemper erit actu præſens, & mouens potentiam ; nec actus videndi & tenendi ſũt incõpoſſibiles habitibus fidei & ſpei, vt patet ex viſione S. Pauli, non ſine habitu fidei. Sed 1. cùm Deus vt Deus, non autem vt latens, vel abſens, ſit obiectum formale fidei & ſpei, ex *d.* 26. videntur hi habitus poſſe inclinare, & manere in patria. 2. Saltem ſpes videtur poſſe inclinare ad amandum abſens & præſens. *Ad* 1. *Dico n.* 4. Poſſunt eſſe actus eiuſdem potentiæ differentes ſpecie & perfectione, circa idem obiectum formale, &c. ex diuerſa applicatione potentiæ ad obiectum. *Ad* 2. Poſſet eſſe vnus habitus genericus ad actus ſpecie differentes : ſed ſpes non inclinat niſi ad actum imperfectum ex abſentia obiecti.] Videtur his contradicere 1. *d.* 1. *q.* 4. *n.* 14.

*N.* 7. Charitas manet in patria potiùs quàm fides & ſpes, 1. *Cor.* 13. quia hæ tendunt in Deum modo imperfecto; illa abſtrahendo à modo perfecto & imperfecto. *n.* 8. Poſſent eſſe duo habitus : vnus tendens in Deum vt creditum, alter vt viſum ; ſed hæc non ponitur ratio charitatis,&c.

*Ad* 1. *Arg.* ex 1. *Cor.* 13. Charitas non eſt hic ex parte, ſeu non includit neceſſariò imperfectionem : nec tamen poteſt hîc habere actum perfectum, defectu obiecti præſentis. *Ad* 2. Fides & ſpes inclinant ad actus vt imperfectos: non ſic charitas. *Ad* 3. Credita quæ non ſunt viſibilia in ſe, videbuntur in Verbo. *Ad vlt.* Ex prædictis.

*In DIST.* 32. *QVÆST. Al.*31. *S.Bon.hîc.*

*An Deus diligat ex Charitate omnia æqualiter?*

*Reſp.* 1. *n.* 2. Deus diligit omnia diligibilia : quia habet voluntatem perfectiſſimam etiam in actu 2. vt 1. *d.* 2. *q.* 1. Quædam tamen diligit dilectione efficaci, quædam non efficaci, ſed ſolius complacentiæ, circa poſſibilia. 2. *n.* 3. Hæc dilectio non eſt propria vllius Perſonæ : ſed communis tribus. 2. *d.* 2. *q.* 1. & 1. *d.* 32.*q.*10. *ac alibi.* 3. *n.*5. Diligit omnia vno eodemque actu infinito, ex vnica eademque ratione ac perfectione propria diligendi, extendendo ſe à primo obiecto ad omnia. *n.* 6. Hinc patet æqualitas, imò identitas huius actus in ſe : ſed inæqualitas ad connotata ; non tantùm vt inæqualia, ſed etiam vt ordinatè volita. Deus enim 1. vult finem, ſeu diligit ſeipſum. 2. Vult habere alios diligentes ſe. 3. Vult bona gratiæ ad hoc neceſſaria. 4. Vult remotiora à fine : vt totum hunc mundum, &c. Hæc tamen inæqualitas gratiæ non eſt ex ſuppoſita inæqualitate

horum

Digitized by Google

ho obiectorũ : ſed ex ſola voluntate Dei, ſaltē quoad exiſtentiam actualem. *Ad* 1. *Arg.* Hic habitus eſt in Deo per identitatem cum potentia : quia eſt perfectionis, ſine imperfectione, niſi per accidens in ſubiecto perfectibili. *Ad* 2. Diligit omnia ex charitate, vt ſunt diligibilia, ſaltem relatiuè ad aliqua diligibilia ex charitate. *Ad* 3. Minùs diligit eos quibus, & quando iraſcitur : quia non vult eis pro tunc tantum boni.

*In DIST.* 33. *QVÆST. Al.* 29. *S. Bon. hic.*

*An virtutes morales ſint in voluntate?*

*Negat S. Thom.* 1. Quia voluntas eſt ex ſe determinata ad bonum, ſuppoſita eius vera propoſitione. 2. Eſt libera ad ſeipſam determinandam : ergo non eget habitu. 3. Non habet paſſiones proprias moderandas, ſed appetitus ſenſitiui. 4. Non poſſunt acquiri ab Angelis, &c. *Contra* 1. *n.* 4. *Ex Ariſt.* 1. *Polit.* Neceſſe eſt principantem habere virtutem, &c .i. partem ſuperiorem animæ. 1. *Ethic.* 9. ſubiectum proprium virtutis vocat *Obedibile*, idemque *Perſuaſibile ratione.* 2. Ex Aug. *De moribus Eccl. c.* 19. *&* 14. *Ciu.* 5. *&* 6. Quòd virtutes morales non ſint niſi amor ordinatus. 3. Voluntas eſt indifferens : ergo indiget habitu rectè inclinante. 4. Ipſe intellectus eſt capax ſuorum habituum : ergo & voluntas moralium. 5. Voluntas poteſt rectè agere ſine habitu, ſed non facilè. *Ad* 1. Non ſolùm bonum ſimpliciter .i. verum, vel bonum in communi, ſed etiam apparens eſt obiectum voluntatis. *Ad* 2. Agens liberum indiget potiùs habitu virtutis, quàm naturale. *Ad* 3. Voluntas habet ſuas proprias paſſiones moderãdas : minuendo, præueniendo, vel ad ſuum finem referendo. Ex *Aug.* 14. *Ciu.* 5. *&* 6.

*Ad Quæſt. n.* 12. Poteſt dici quòd licet volũtas & intellectus ſine habitu poſſent in actus veros, & moraliter bonos: quia primi eorũ actus poſſunt eſſe tales; vt tamen per plures actus rectè iudicandi generatur habitus prudentiæ, ſic per actus rectè eligendi, habitus ſeu virtutes morales. *n.* 13. Quia voluntas prius eligit in ſe, quàm imperet appetitui ſenſitiuo &c. Cui tamen rectè imperando poſſunt imprimi habitus ſimiles virtutibus voluntatis.

*Contra.* 1. Sic virtutes morales poſſent eſſe in Angelo. 2. Virtus moralis in voluntate eſſet nobilior prudentiâ in intellectu. 3. Sic & in corpore ex imperio voluntatis poſſent generari habitus morales. *Ad* 1. *n.* 16. Si Angelus non haberet virtutes morales concreatas, poſſet eas generare varijs actibus circà paſſiones in genere, vel etiam noſtras moderandas, &c. *Quia per mihi & tibi non variatur ratio formalis habitus. Sic & in Deo poſſet poni virtus moralis, vt & Charitas, &c.* n. 17. *Si non placet ponere in eis virtutes morales : poteſt negari conſeq. vel quia virtus non eſt niſi circa difficile,* ob coniunctionem, & inclinationem oppoſitam appetitus ſenſitiui; vel quia habitus virtutis non generatur niſi ex electione abſoluta & efficaci. *Ad* 2. *n.* 18. Poteſt negari quòd quæuis perfectio ſubiecti nobilioris, ſit perfectior quauis perfectione ſubiecti minus nobilis. Sed ſi intellectus & voluntas circa idem obiectum perfectè agant : huius actio erit illâ perfectior, & ſic generabit perfectiorem habitum. Nec *Phil.* præfert ſimpliciter prudentiam : ſed vt regulam priorem, & menſuram aliarum virtutum. *Ad* 3. *n.* 19. Habitus generatur etiam in membris corporis humani, imò & in brutis.

*Ad* 1. *arg. princ. n.* 20. Omnes *auctor.* ſunt de quodam etiam habitu appetitus ſenſitiui. *Ad* 2. Vis iraſcibilis & concupiſcibilis ſunt etiam in voluntate. *Ad* 3. Voluntas ſatis perficitur circa Deum : ſed non circa alia bona in ſe; referenda quidem ad Deum, non tamen vlla virtute morali, ſed ſolâ charitate. Nec ideò virtus moralis fruitur, non referendo; quia frui, non eſt tantùm non referre negatiuè, ſed contrariè. *Ad* 4. *n.* 22. Philoſophus putauit conditionem naturæ corruptæ, eſſe integræ: *De quo d.* 29. Nec eſt diſtinguendum cum *Henrico* : quod virtus non ſit in voluntate vt natura, nec vt libera, ſed vt deliberatiua. Quia vt natura, non eſt actiua : vt libera, eſt etiam deliberatiua; nec neceſſitatur ab habitu, ſed eo liberè vtitur, ex ſubita etiam deliberatione & electione, ſi habitus rectè iudicandi & eligendi ſit perfectus.

*In DIST.* 34. *QVÆST. Al.* 72. *S. Bon. hic.*

*An Virtutes, Dona, Beatit. Fructus ſint ijdem habitus?*

N. 1. Ex *Henr.* Virtutes perficiunt modo humano, Dona modo ſuper humano, Beatitudines modo inhumano : vt, ad patiendum cum triſtitia, vel ſine ea, vel etiam cum gaudio. *Contra.* Virtus charitatis, 1. *Cor.* 13. eſt donum excellentiſſimum. 2. Idem habitus ſpecie perficit his tribus modis. 3. Chriſtus patiebatur perfectiſſimè cum triſtitia. 4. Habitus non excludunt ſeinuicem : ergo nec modi agendi. 5. Solus modus humanus eſt proprius & conueniens homini, &c.

N. 4. Ex *S. Bon.* Per virtutes agitur rectè, per dona perfectè, per beatitudines expeditè. *Contra.* Eadem virtute agitur hoc triplici modo. *n.* 5. Ex *S. Thom.* Virtus diſponit voluntatem ad motum rectæ rationis: Donum, ad motum Spiritus S. *Contrà.* 1. Virtus non eſt ſola diſpoſitio. 2. Ratio non mouet voluntatem. 3. Hinc non eſt horum diſtinctio ab alijs. 4. Deus dato habitu voluntati, ſemper aſſiſtit ad actus vtrique conuenientes.

N. 6. Ad hanc quæſt. poteſt dici ſine aſſertione : quòd in via, præter habitus ſpeculatiuos, non ſunt neceſſarij niſi 4. morales, & tres Theologici, *quos Eccleſia docet, & fide tenemus* : ad perficiendum practicè intellectum & affectum ad ſeipſũ, ad alterum, & ad Deum, &c.

N. 8. Habitus diuidi poteſt primò in Intellectiuum & Appetitiuum : vterque ſubdiuidi, in acquiſitum & infuſum, &c. Vel 1. in Acquiſitum, & infuſum : vterque ſubdiuidi in intellectuales, & appetitiuos, ſpeculatiuos & practicos, reales & rationis, actiuos & factiuos, &c. *n.* 11. Vt vis concupiſcibilis indiget ordinari circa primò appetibilia: ſic & iraſcibilis circa offendentia. Vis ergo Iraſcibilis non habet pro obiecto bonum arduum : ſed ipſum offendens ſita vt actus eius adæquatus ſit nolle offendens, & velle vindicare, vel actu imperfecto quaſi deſiderio, vel perfecto quaſi fruitione. *n.* 12. Actus & paſſiones concupiſcibilis & iraſcibilis, ſeſe concomitantur, ſed diſtinguuntur. Nam iraſcibilis dolet de non poſſe vindicare : concupiſcibilis, de priuatione obiecti concupiti. Illius dolor fit cum reſtrictione organi, vt delectatio cum dilata-



Digitized by Google

tione: huius, cum calefactione ex ſanguine circa cor. *n.* 13. Voluntas etiam habet ſuum obiectum delectabile, & offendens: poteſtque illud appetere, & hoc repellere, moderatè, vel immoderatè, &c. Sed non eſt in ea tanta diſtinctio harum virium, quanta in appetitu ſenſitiuo; quia hic eſt organicus, non illa, &c. *De vi autem neſcio quid oporteat loqui: eſt enim verbum ſuperfluum. Nam idem ſimpliciter eſt ratio operandi circa iſta obiecta ſuperiora & inferiora.* vt *in* 2. *d.* 16. & 24. Sic & circa primò vel ſecundò delectabilia, aut triſtabilia, &c. Vt ſi diſtingueretur intellectus in intellectum principiorum, & conclusionum per principia.

*N.* 14. His ſuppoſitis, proprius habitus perfectiuus concupiſcibilis, eſt Temperantia: Iraſcibilis, eſt Fortitudo in communi; ſed Spes & Charitas perficiunt ſolam concupiſcibilem; quia earum obiectum non eſt nolibile, ſed volibile. Sunt ergo tres virtutes Theol. 1. *Cor.* 13. & 4. Cardinales, *Sap.* 8.

*N.* 15. Fortitudo, Temperantia, & Iuſtitia ſunt genera intermedia. Nam cùm obiectum Temperantiæ ſit bonum honeſtum, vel delectabile: humilitas vt prima eius ſpecies, moderatur appetitum honeſti ſeu honoris; ſed tot ſunt moderantes appetitum delectabilium, quot diuerſa appetibilia, ſenſibilia aut ſpiritualia. Cùm autem obiectum fortitudinis ſit aliquid offendens: vna eius ſpecies eſt in repellendo, alia in patiendo, & permittendo poſitiuè, vel fortè etiam negatiuè. *n.* 17. Iuſtitia ad alterum, vel inclinat ad communicandum ſeipſum alteri, per virtutem amicitiæ: vel ad communicandum aliqua bona extrinſeca, per iuſtitiam commutatiuam; vel ad regimen neceſſarium, per virtutem præſidentiæ; vel ad debitam ſubiectionem, per virtutem obedientiæ, &c. *n.* 18. Beatitudines, *Matt.* 5. ſunt ſpecies ſpecialiores virtutum: vt patet ex collatione cum ſeptem virtutibus. *n.* 20. Septem Dona, *Eſa.* 11. ſignificant ſeptem virtutes, ſub proprijs nominibus, vel ſynonimis, in ſeipſis, vel ſuis ſpeciebus. Nam *Timor* ſignificat humilitatem, vt ſpeciem Temperantiæ: *Conſilium*, prudentiam; *Fortitudo*, virtutem huius nominis; *Pietas*, *Iuſtitiam*; *Scientia* & Intellectus, fidem infuſam; *Sapientia*, Spem & Charitatem, quibus Deus nobis benè ſapit, vel vt bonum nobis, vel vt bonum in ſe. *n.* 21. Quidam fructus, *Gal.* 5. ſunt ipſæ virtutes, aut earum ſpecies: quidam ſunt delectationes ex actibus virtutum. *Hinc ad Arg.* Sed ad *Ariſt.* de virtute *Heroica*, dico quòd ſit gradus perfectiſſimus eiuſdem virtutis: *Beſtialitas* tamen eſt potiùs exceſſus vitioſus alterius ſpeciei, circa aliud obiectũ.

*In DIST.* 35. *QVÆST. Al.* 40. *S. Bon. hîc.*

*An Sapientia, Scientia, Intellectus, & Conſilium ſint habitus Intellectuales?*

*Sapientia* eſt ipſa charitas, ſupponens fidem: *Scientia & Intellectus* ſunt fides, magis minuſue perfecta; *Conſilium*, eſt prudentia. Nec eſt duplex habitus fidei, vt Intellectus principiorum, & ſcientia conclusionum: quia fides eſt ex eadem Veritate reuelantis; alia eſt autem veritas principiorum, alia conclusionum.

*In DIST.* 36. *QVÆST. Al.* 65. *S. Bon. hîc.*

*An virtutes morales ſint connexæ?*

*Art.* 1. De connexione earum inter ſe. 2. Singularum cum Prudentia. 3. Moralium cum Theologicis. 4. Theologicarum inter ſe.

*Ad* 1. *Art.* Negat *Henr. n.* 2. de ijs in initio & progreſſu, ſed in perfectione & exceſſu. *n.* 5. S. Thom. 1. 2. *q.* 65. & 73. *a.* 1. negat de eis vt ſint habitus quantumuis perfecti, ſed vt habent veram rationem virtutis. *Contra.* 1. Quælibet virtus per ſe generatur ex actibus, vt conformibus rectæ rationi. 2. Vna non eſt ratio alteri eſſendi virtutem. 3. Vna eſt prior altera: nec vnicus actus generat omnes ſimul. 4. Species eiuſdem generis ſunt minùs diſtinctæ, quàm diuerſa genera.

*N.* 8. Concedo, quòd virtutes morales, nec ſecundùm ſua genera, nec ſecundùm generaliora, ſint neceſſariò connexæ. Quia ſingulæ ſunt perfectiones hominis partiales, circa diuerſas materias.

*N.* 9. Hinc patet 1. Nullam virtutem poſſe obliquari circa ſuum obiectum. 2. Habentem vnam facilè operari circa vnam materiam, non circa alias. 3. Vnam non perficere hominem ſimpliciter, ſed partialiter. 4. Authores intelligi poſſe de neceſſaria connexione ad merendum, vel ad ſe mutuo iuuandum, & perficiendum accidentaliter, non eſſentialiter.

*Ad Art.* 2. *n.* 11. *Dub.* 1. An ſingulæ ſint neceſſariò connexæ ſuæ prudentiæ. Ita *Henr.* & *Goff.* *Contra.* Eſt condemnatum Pariſijs, quòd ſtante ſcientiâ etiam particulari, non poſſit quis velle oppoſitum. *Reſp. Henr.* In ſenſu diuiſo, non in compoſito, per *ſi*, aut *dum*, ſed per *quia*. *Contra.* Poteſt dici quòd rectum dictamen ſimpliciter ſtare poteſt in intellectu abſque recta eius electione: cùmque vnicus actus rectæ rationis generet prudentiam, poſſit eſſe prudentia in intellectu, abſque vlla virtute morali. 1. *n.* 12. Ex *Aug.* ſæpè. 2. Ex 2. *Ethic.* 2. & 4. Ratio parum, vel nihil valet ad virtutem. 3. Intellectu rectè dictante, poteſt nil eligi. 4. Praua electio non excæcat intellectum quoad actum ipſum, &c. niſi priuatiuè, auertendo eum à recta ratione, & conuertendo ad falſas, aut alias; vel poſitiuè, imperando intellectui inquiſitionem mediorum & rationum ad ſuam prauam intentionem & finem, ſicque generando in intellectu habitum Imprudentiæ, non ſolùm priuatiuè, ſed poſitiuè & contrariè.

*Dub.* 2. *n.* 15. An habitus intellectualis genitus ſine morali, ſit prudentia: vel genitus in appetitu ſine intellectuali, ſit moralis? *n.* 16. Poſſet dici quòd non eſt neceſſaria conformitas vnius virtutis moralis ad aliam: quia nulla eſt regula alterius; ſed neceſſaria ſit conformitas cuiuſlibet ad prudentiam, quia non eſt virtus niſi conformis rectæ rationi, &c. *n.* 17. Ergo tam actus intellectus quàm voluntatis generando habitum in eſſe naturæ, congenerant virtutem moralem & eius prudentiam. *n.* 18. Sed prudentia non eſt ſolùm circa media, ſed etiam circa finem in particulari, &c. *n.* 20. Poteſt ergo aliter dici, quòd habitus genitus ex dictaminibus, ſiue circa fines particulares virtutum, ſiue circa media ordinata ad illos, eſt proprius prudentiæ, licet electio recta non ſequatur: ſicque non erit omnino neceſſaria connexio vllius virtutis moralis cum ſua prudentia, ſed benè huius cum illa; quia nulla electio poteſt eſſe recta moraliter,

niſi

Digitized by Google

niſi ſit concors rationi rectæ, ex qua vel vnica generatur prudentia.

*Dubium* 3. *n.* 21. De connexione omnium virtutum moralium cum vna prudentia. Poteſt dici, quod vt ars ad factibilia, ſic prudentia ad agibilia: Vt ergo diuerſa factibilia exigunt diuerſas artes, ſic diuerſa agibilia diuerſas prudentias, &c. Omnes autem prudentiæ ſunt vnus habitus virtualiter, quia qui eſt de primo obiecto, eſt formaliter vnus, ſed virtualiter omnium quæ continentur in primo obiecto. Sic habitus qui eſt formaliter de aliquo fine, eſt virtualiter de omnibus virtualiter contentis in illo fine, &c.

*Ad* 3. *Art.* B. Aug. 4. *contra Iul.* 2. Videtur negare veras virtutes ſine charitate. *Contra.* 1. Idem de patientia: *Si quis moriatur ne neget Chriſtū: non commendabimus eius patientiam?* 2. Virtutes ſunt diſpoſitiones ad charitatem: ergo poſſunt eſſe veræ ſine hac. 3. Illæ non definiuntur per hanc. *n.* 26. *Poteſt dici, quòd nulla virtus inclinat ad finē vltimum, niſi mediante charitate: ſed vt ſunt media perficiendi hominem debent eum ordinare ad finem vltimum; ideoque ſunt imperfectæ ſine charitate. Quia tamen hæc imperfectio non eſt earum in propria ſpecie: quælibet poteſt eſſe perfecta in ſua ſpecie, abſque charitate. Dicuntur ergo informes ſine charitate, & formatæ per charitatem, quatenus Charitas ordinat eas & earum fines ad vltimum, in quo eſt vltima earum perfectio extrinſeca.*

Hinc ad *Arg.* Sed, An virtutes Theologicæ præſupponant morales? *n.* 27. Non quoad actum, vt patet in vitioſo, pœnitente. Si dicatur hunc habere virtutes morales infuſas &c. *Licet de his multa dicantur, quòd ſint neceſſariæ ob modum, medium & finem: quia tamen hæc poſſunt eſſe ex fide infuſa, & charitate; illæ non videntur neceſſariæ, &c. De paruulis poteſt dici quod non ſit neceſſe eos habere virtutes morales in patria, vel tunc eis infundantur, vel etiam tunc poſſint eas per actus acquirere, vt & notitiā multorum in genere proprio. n.* 29. *Nec* Theologicæ in via, nec in patria, requirunt neceſſariò morales.

*Ad* 4. *Arg. n.* 30. Virtutes Theologicæ non ſunt omnes neceſſariò connexæ, nec in via, nec in patria. Sed an vna poſſit infundi ſine alia? *Reſp.* Non neceſſariò ſimul infunduntur: niſi ex liberalitate Dei, qui non ſanat niſi perfectè; quia quæ poſſunt eſſe ſeorſim, poſſunt & ſeorſim fieri. *n.* 31. An fides & ſpes ſine charitate ſint virtutes? Poſſunt dici perfectæ in ſua ſpecie: ſed nō vltima perfectione, ſeu ordinatione ad finem operationis, vel acceptationis à Deo. *Hinc ad Arg.*

*In DIST.* 37. *QVÆST. Al.* 29. *S. Bon. hic*
*An omnia præcepta Decalogi ſint de lege naturæ?*

N. 2. *S. Thom.* 1.2. *q.* 100. *a.* 1. *ad* 8. Dicit quòd ſic, mediatè, vel immediatè: quia omnia ſunt circa finem vltimū, vel media ad illum neceſſaria; ſuntque ex ſe bona aut mala, non autem tantùm ex præcepto aut prohibitione. Vnde nec Deus poſſet in illis diſpenſare: vt in occiſione hominis, &c. niſi circa actum in genere, non tamen vt eſt prohibitus. *Contrà. n.* 3. Diſpenſare non eſt facere vt quid liceat contra præceptum: ſed eſt hoc reuocare, vel declarare, &c. Si ergo Deus poſſet facere vt idem actus occiſionis qui erat prohibitus, ſit licitus: poſſet in eo ſimpliciter diſpenſare, mutando hanc legē, vt veterem, &c. Si aut Deus hoc non poſſet, non poſſet facere vt occidere non ſit prohibitū: cuius oppoſitum patet in Abraham. Præterea *n.* 4. Si præcepta decalogi eſſent neceſſariæ veritatis: Deus ea neceſſariò ſic intelligeret, & vellet.

*N.* 5. Ad quæſt. igitur dico, quòd quæ ſunt de lege naturæ, vt prima principia practica nota ex terminis, vel conſequentiæ neceſſariæ, non ſunt diſpenſabilia: qualia non ſunt omnia præcepta ſecundæ tabulæ; quia non ſunt ex ſe neceſſaria ad vltimum finem. Secus eſt de præceptis primæ tabulæ: quia hæc habent Deum immediatè pro obiecto. Nam duo prima ſunt ſtrictè de lege naturæ: Tertium non eſt ſtrictè de lege naturæ quoad tempus, & modum determinatum colendi Deum; ſed probabiliùs quoad aliquod tempus, & modum indeterminatum. *n.* 8. Sed omnia præcepta ſecundæ tabulæ ſunt ſaltem latè de lege naturæ .i. ei conſona. *Contra.* Ex *Rom.* 13. & *Mat.* 22. Hæc omnia cōtinētur in præcepto diligendi proximum, & ſeipſū: hoc autē neceſſariò ſequitur ex præcepto diligendi Deū; ergo & illa. *Reſp.* 1. Quòd præceptum diligendi Deum non ſit ſimpliciter de lege naturæ, vt eſt affirmatiuum, ſed negatiuum. 2. Quòd ex hoc non neceſſariò ſequatur præceptum diligendi proximum: quia non conſtat Deum velle ab eo diligi. 3. Quòd ex præcepto diligendi proximum vt condiligat Deum, reliqua non neceſſariò ſequantur: ſed à Chriſto & Apoſtolo ſic explicentur.

*Hinc ad Arg.* Deus non diſpenſauit cum Iſraelitis, vt furarentur bona Ægyptiorum: ſed tranſtulit eorum Dominium ab his in illos.

*In DIST.* 38. *QVÆST. Al. p.* 2. *q.* 139. 3. *q.* 37. *B. hic.*
*An omne mendacium ſit peccatum?*

N. 3. Tenetur quòd ſic, ex *Aug. lib. contra mendac.* Sed quidam dicunt, quòd quia mendacium neceſſariò auertit à Deo, qui eſt veritas. *Contra.* Non ſemper opponitur immediatè primæ veritati. *Aliter S. Thom.* 1.2. *q.* 110. *a.* 3. Quia mendacium eſt malum ex genere, ſeu obiecto proprio: ideoque nunquam poteſt benè fieri. *Contra.* 1. Locutio falſi non eſt illicita niſi ex præcepto non decipiendi: ergo vt occiſio hominis ſit licita ex bono communi, aut ex reuocatione præcepti, ſic & locutio falſi. 2. Nec eſt contrà præcepta 1. nec 2. Tabulæ: quia nec immediatè auertit à Deo, nec ſemper nocet proximo. 3. Eadem eſt materia falſa, ſiue dicatur mentiendò, ſiue non. *N.* 6. Aliter *S. Bon.* hic: quia mentiri dicit intentionem malam, ſeu decipiendi. Quod poteſt exponi, ex vi huius verbi, non tantùm ſignificantis ipſum actum, ſed & hanc eius deformitatem: vt & verba adulterandi, furandi.

*N.* 7. Quale peccatum ſit mendacium? Si ſit pernicioſum, contrà fidem, vel mores, vel vitam, vel fidem coniugalem, vel perſonas aut earum bona: quo plus vel minùs, eo grauius vel minùs graue; & tale ex deliberatione, ſolet eſſe mortale, contra præceptum non loquendi falſum teſtimonium.

*N.* 8. Si ſit officioſum vel iocoſum, ſolet dici non eſſe peccatū mortale, niſi in viris perfectis, &c. *Contra.* Hi non ſunt vllo iuramento, voto, aut ſpeciali præcepto obligati præ alijs: ergo ſola circumſtantia perſonæ non facit ex veniali mortale.

*N.* 10. Poteſt diſtingui, quòd qui ſunt in ſtatu perfectionis exercēdæ, peccent mortaliter miſcen-



Digitized by Google

do mendacia ſuæ doctrinæ, iudicijs, prædicationibus, &c. quia multum derogant authoritati & fidei publicæ, &c. *Videtur tamen quòd quis poſſit miſcere trupham in iudicio, quæ ex modo loquendi non ſit de iudicio : nec ſingula talia mendacia ſint mortalia; ſed conſuetudo ſic mentiendi. Quæ cum iure inducatur bino actu : actus ſecundus eſſet peccatum mortale, &c. Quicquid ſit de vno actu, aut pluribus : vti mendacijs in alijs actibus, non eſt eis peccatum mortale, niſi ex ſcandalo. N.* 11. *Sed qui ſunt tantùm in ſtatu perfectionis acquirendæ, non videntur plus peccare mentiendo, quàm alij : niſi fortè ob ſcandalum.*

*Ad* 1. *Arg. princ.* Abraham, *Gen.* 22. non fuit mentitus : ſed locutus ſecundùm ſuam in Deum fiduciam. *Ad* 2. De Iacob, *Gen.* 27. Antiqui Patres non ſunt tam ſtudioſè excuſandi ab omni mendacio : poſſunt tamen exponi figuratiuè. *Ad* 3. De Ioſeph, *Gen.* 42. poteſt dici quòd hoc terrore iuſtè puniuit ſuos fratres. *Ad* 4. De Rahab, *Ioſ.* 2. Rachel, *Gen.* 31. Obſtetricibus, *Exod.* 1. non ſunt excuſandæ à mendacio, quamuis commendentur ob aliquam prudentiam, vel pium animi motum. An autem ſtet magnum aliquod meritum, cum peccato veniali, vel non : hanc quæſtionem dimitto. Motus autem ille pietatis in obſtetricibus, fuiſſet meritorius vitæ æternæ, ſi habuiſſent alia neceſſaria ad hoc meritum. Ad idem de Iudith, *c.* 10. dicitur quòd non mentiebatur Holoferni, ſed verè loquebatur Deo, ex propria intentione, &c. Sed ſi id liceret : nihil eſſet certum in loquendo. Nec videtur plus mendacij in loquendo proprijs Prælatis, quàm alijs. Non videtur ergo inconueniens eam mentitam fuiſſe officioſè, pro ſua gente, &c. nec videtur certum quòd ſit excuſata ab omni peccato mortali, ornando ſe vt ab Holoferne concupiſceretur, &c. nec omnia de ea referũtur vt laudabilia. *Ad* 5. Simulatio ſanctitatis eſt peccatũ hypocriſis : diſſimulatio mali non eſt peccatũ: nec ſimulatio per ſigna indifferentia. Qualis fuit in Dauid, 1. *Reg.* 21. ſed in Iehu 4. *R.* 10. nõ eſt tota excuſabilis.

*In DIST.* 39. *QVÆST. Al. q.* 148. *S. Bon. hic.*

*An omne periurium ſit peccatum mortale?*

*Art.* 1. Quid ſit iuramentum. 2. Quòd periurium ſit mortale. 3. De varijs iuramentis. *Ad* 1. *Art.* Iuramentum eſt aſſertio dicti humani, per Deum in teſtem, *Heb.* 6. *Ad* 2. *Art.* Hinc periurium eſt pecc. mort. quia eſt abuſus Dei in teſtem falſi, contra præceptum *Exod.* 20. non aſſumendi nomen dei in vanum. *Dubium* 1. An indeliberatio excuſet à mortali? Solet dici quòd in leuibus ſola conſuetudo peierandi ſit pecc. mort. *Contra.* Habitus non inclinat niſi naturaliter, æquè poſt pœnitentiam, ac ante : ergo non aggrauat peccatum. Videtur ergo quòd nihil faciat ad rem, ſed periurium ex pleno conſenſu ſit peccatum mortale contra 1. Tabulam, immediatè auertens à Deo : ſi autem ſit indeliberatum, nunquam ſit peccatum mortale, vt nec eſt vllum meritum indeliberatum. Aduertendũ tamẽ eſt quòd vt ex perfecta prudentia, ſic ex habitu oppoſito poſſit ſubitò deliberari.

*Dubium* 2. *n.* 5. An opinio veri excuſet? Non, ſi quid ex lege poſitiua, vel conſuetudine iuratur aſſertiuè vt certum : ſed ſi tantùm vt probabilius, & ſic creditum; nunquam tamen vt dubium; quia eſt contra veritatem Dei & ius proximi. Nec vtilitas Reipub. poteſt excuſare : quia *Deut.* 6. quod iuſtum eſt, iuſtè exequere. *n.* 8. Iuramentum vt mendacium, eſt contra præceptum 8. vt periurium, contra 2. ſed hoc de dubijs aut incertis poteſt eſſe ſine mendacio. *Ad* 3. *Art. n.* 9. Iuramentum vel eſt aſſertorium de præteritis & præſentibus, ſiue ea affirmando, ſiue negando : vel promiſſorium de futuris; illud obligat ad dicendum verum, hoc etiam ad faciendum.

*Dub.* 3. *n.* 9. An in prõiſſorio ſupponatur qualitas iurati, vel ſolius teſtis : ſi prius, ſufficit quòd iurans de futuro, habeat intentionem faciendi quando iurat, licet eam poſtea mutet; ſed alterum videtur magis conſonum ſententiæ communi, quòd ſemper obliget donec impleatur.

*N.* 10. Periurium promiſſorium poteſt eſſe quadruplex. 1. *Doloſum*, ſine intentione ſe obligandi, aut præſtandi promiſſum, ſed oppoſitâ : & ſic iurans peccat mortaliter, ſed non obligatur ad promiſſum. 2. *Incautum*, vel de materia illicita, ſicque iurans peccat mortaliter, ſed obligatur ad non faciendum : vel de materia ex ſe licita, ſed non iuranda, quia contra maius bonum; & ſic iurans etiam peccat, ſed non tenetur; vel de materia impoſſibili, ſicque non obligat niſi fiat poſſibile. 3. Eſt *coactum*, coactione cadente in virum conſtantem : *De quo ſunt opiniones, quære.* 4. Eſt carens dolo, incautela, & coactione : quod ſemper obligat ad voluntatem implendi, non ſemper ad executionem.

*Hinc ad* 1. *&* 3. *Arg. Ad* 2. Grauiſſimum eſt ex ſe iurare per Deum : ſed ex maiori deliberatione, & ſolemnitate, per Euangelium, &c.

*In DIST.* 40. *QVÆST. Al.* 28. *S. Bon. hic.*

*An Lex noua ſit grauior veteri?*

*Art.* 1. De onere. 2. De ſubſidio. *Ad Art.* 1. *n.* 2. 3. Onera Legis veteris erant Præcepta Moralia, Ceremonialia pluſquàm 600. & Iudicialia. *n.* 4. In Lege noua Moralia ſunt eadem, ſed magis explicita : Ceremonialia multo pauciora, & leuiora; Iudicialia nulla, quia eſt lex gratiæ, *Matt.* 5. *&* 1. *Cor.* 6.

*N.* 6. Lex tamen noua, vt declarata & aucta, ad ordinem, & pacem Eccleſiæ, *poteſt dici grauior.*

*N.* 7. *Ad Art.* 2. Paſſio Chriſti exhibita confert plus gratiæ & auxilij, per plura & efficaciora Sacramenta, documenta, exempla, merita Sanctorum, & promiſſa expreſſiora vitæ æternæ, &c.

*Ad* 1. *Arg.* ex *Matt.* 5. Si lex noua obligat ad perfectiorem obſeruantiam moralium, quàm antiqua, eſt inde grauior : ſed multo leuior aliunde. *Matt.* 11. *Ad* 2. Difficultas boni operis, non eſt tam ex parte operantis, quàm ipſius operis : nec opus difficilius eſt melius, niſi ex obiecto meliori. Facilius eſt autem ex amore Dei benè operari, in lege noua : quàm ex timore, in antiqua. Hinc *Matt.* 11. Iugum meum ſuaue eſt, &c. *Cui laus, honor, & gloria.*

*SVPPLEMENTVM d.* 1. *EX QVODLIBETO* 19.

*An in Chriſto vnitas naturæ humanæ ad Verbum, ſit ſola illius ab Hoc dependentia?*

*N.* 14. Quòd Natura vt communicabilis, ſit alicui ratio formalis, totalis, & ſubſtantialis eſſendi : ſuppoſitum vt incommunicabile, ſit vltima ratio illam recipiendi, ſeu habendi; ſicque illius communicationem terminandi poſitiuè, ſed vltimo negatiuè. De quibus plura Quæſt. noſtra in *diſt.* 1.

FINIS Libri tertij.

Digitized by Google

## De Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis. Ad Diſt. 3.

In Conc. Baſileenſi *ſeſſ.* 36. 1439. hæc controuerſia ſolemniter diſputatur: ſententia affirmatiua huius Immaculatæ Conceptionis, approbatur: doctrina oppoſita inhibetur; renouatur antiqua conſuetudo *tam Eccleſiæ Romanæ*, quàm aliarum, celebrandi Feſtum huius Conceptionis 6. Idus decembris; extenditur ad omnes Eccleſias, Monaſteria, & Conuentus Chriſtianæ Religionis, *Sub nomine Conceptionis*, collatis ad hoc indulgentijs. Nec ab *Eug.* 4. *Nicolao* 5. aut vllo Succeſſore improbatur: ſed vſu & varijs decretis confirmatur.

*Trid. Seſſ.* 5. declarat non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de Peccato Originali agitur, Beatam Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem: ſed obſeruandas eſſe Cõſtitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in ijs Conſtit. contentis, quas innouat.

*Ex 1. Conſtitutione Sixti IV.* Cum præexcelſa, &c. Dignum, quin potiùs debitum reputamus, vniuerſos Chriſti fideles, vt Omnipotenti Deo, &c. de ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant, & inſtitutas propterea in Eccleſia Dei Miſſas, & alia diuina Officia dicant & illis interſint, indulgentijs & peccatorum remiſſionibus inuitare; vt ex inde fiant eius Virginis meritis & interceſſione, Diuinæ gratiæ aptiores. Hac igitur conſideratione inducti, eiuſdem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolicâ, hac in perpetuum valiturâ Cõſtitutione ſtatuimus & ordinamus: quòd omnes & ſinguli Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui Miſſam & Officium Conceptionis eiuſdem Virginis glorioſæ, iuxta piã, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis, Notarij noſtri, & quæ deſuper à nobis emanauit, Miſſæ & Officij huiuſmodi inſtitutionem, in die Feſtiuitatis Conceptionis eiuſdem Virginis Mariæ, & per Octauas eius deuotè celebrauerint & dixerint, aut illis Horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorſus indulgentiam, & peccatorum remiſſionem conſequantur, quam iuxta fœlicis Recordationis Vrbani IV. in Conc. Vien. ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, conſequuntur illi qui Miſſam & Horas Canonicas in Feſto Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESV Chriſti, à primis Veſperis, & per illius Octauas, iuxta Romanæ Eccleſiæ conſtitutionem celebrant, dicunt, aut Miſſæ Officio & Horis huiuſmodi interſunt, præſentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum. 1476. Tertio Kalendas Martij, Pontif. noſtri 6.

*Ex 2. Conſtitut. eiuſdem:* Graue nimis, &c. Cùm S. Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publicè feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc Officium ordinauerit: nonnulli, vt accepimus, diuerſorum Ordinum prædicatores, &c. publicè quotidie prædicare non ceſſant, omnes illos qui tenent aut aſſerunt eandem glorioſam & immaculatam Dei genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos, &c. Ex quorum prædicationibus & aſſertionibus, non leuia ſcandala in mentibus fidelium exorta ſunt, & maiora meritò exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus, ac peruerſis aſſertionibus, & ſcandalis quæ ex inde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt, quantum nobis ex alto conceditur obuiare volentes: motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera diliberatione, & certa ſciẽtia, huiuſmodi aſſertiones &c. vtpotè falſas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium reprobamus, & damnamus; ac motu, ſcientia, & auctoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, quòd prædicatores verbi Dei, & quicumque alij cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero auſu temerario præſumpſerint in ſermonibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare huiuſmodi ſic per nos improbatas & dãnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, Excommunicationis ſententiam incurrant, à qua ab alio quàm à Romano Pontifice (niſi in mortis articulo) nequeant Abſolutionis beneficum obtinere. Item motu, ſcientiâ, & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubijcientes eos qui auſi fuerint aſſerere contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale: cum nondum ſit à Romana Eccleſia, & Apoſtolica ſede deciſum. Non obſtantibus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno 1483. pridie nonas Septembris, Pontif. noſtri 13.

*Ex Conſtit. Pauli V.* Regis pacifici, &c. *Reſumpta Conſt. 2. Sixti* 4. Hanc, *inquit*, Sixti prædeceſſoris Conſtitutionem Oecumenica Trid. Synodus poſtea innouauit. Ac deinde Pius Papa V. etiam Prædeceſſor noſter ſtatuit, ordinauit, & mandauit, quatenus nemo cuiuſcumque ordinis vel dignitatis exiſteret, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiſcua virorum & mulierum multitudo conuenire ſolet, de huius controuerſiæ alterutra parte diſputare rationibus, vel doctorum auctoritate, aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo vel impugnando, aut de hac ipſa quæſtione cuiuſuis pietatis aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere vel dictare præſumeret: Qui contra faceret, ſuſpenſionis pœnam à Diuinis abſque noua declaratione ipſo facto incurreret, ſi modò eſſet in ſacris conſtitutus; & quocumque præterea gradu ſiue dignitate vel adminiſtratione fungeretur, illis omnibus foret ipſo iure priuatus, & ad eadem vel ſimilia munia obtinenda vel obeunda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo etiã facto obnoxius foret, ſuper quibus niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtẽte diſpenſari ſiue abſolui non poſſet, & nihilominus alijs pœnis ſi opus foret à proprio Prælato pro delicti menſura infligẽdis ſubiectus eſſet, prout ſubiecit. Ceterum quamdiu per Apoſtolicam ſedem altera pars diffinita non eſſet, oppoſitaque ſententia condemnata, liceret

viris

Digitized by Google

viris doctis &c. vbi intereſſẽt qui rẽ capere poſſent, nec ſcandali vlla ſubeſſet occaſio, de illa quæſt. diſſerere, & argumentis vtramlibet partem vel aſſerere, vel impugnare: dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, ſeruarenturque illa omnia quæ à dicto Sixto & Pio ſtatuta ſũt, quorũ ſingula etiã quantũ ad alias pœnas duxit innouanda, & innouauit, &c. Verum licet hæc prouidè ſtatuta ſint: nihilominus ſicut accepimus, nonnulli in diuerſis Chriſtiani orbis partibus, interminatis quæſtionibus nimis intenti, diſſenſionum huiuſmodi iam pridem Eccleſiæ diſciplinæ vigore reciſa germina coaleſcere procurant, indeque contentiones & rixæ non ſine Dei offenſa & ſcandalo plurimorum exortæ ſunt, & grauiores in dies ne exoriantur periculum eſt, niſi à Nobis opportunè prouideatur. Quamobrem Motu proprio, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Conſtitutionum Sixti & Pij Prædeceſſorum huiuſmodi veriores tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, eaſdem conſtitutiones Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, etiam quoad earum pœnas quaſcumque, etiam Abſolutionis reſeruationem innouamus, &c. Ac præterea, ſi quis quouis modo contrauenerit, præter ſupradictarum Conſtitutionum pœnas reſpectiuè ipſo facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi ſiuè docendi & interpretandi facultate, ac voce actiua & paſſiua in quibuſcumque electionibus, eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat, necnon ad concionandum & publicè legendum, docendum & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnam ſimiliter ipſo facto incurrat, abſque alia declaratione, &c. Datũ Romæ 6. Iulij 1616. Pontif. noſtri 12.

Ex Decreto eiuſdem edito 31. Auguſti 1617. *S.D.N. Poſt longã & maturã diſcuſſionem, &c. Conſiderãs quòd ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actionibus publicis, quòd eadem B. Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano, cũ magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſenſiones: propterea volens huiuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris prouidere, decreuit & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat & præcipit omnibus & ſingulis cuiuſuis Ordinis & inſtituti Regularibus, & alijs quibuſcumq; tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus perſonis cuiuſuis conditionis, ſtatus, gradus, Ordinis aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ quàm ſæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica & indiuidua earum eſſet neceſſariò mentio facienda, vt impoſterum donec articulus huiuſmodi à S. Sede Apoſtolica fuerit definitus, vel per Sanctitatẽ ſuam & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatũ, non audeat in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcumq; actibus publicis aſſerere quòd eadem Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes autem eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere & ſubijci cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi tamen prouiſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in ijſdem ſtatu & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præter quàm quoad ſupra diſpoſita. Vlterius ſub ijſdem cenſuris & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta in peccato Originali, in prædictis publicis actionibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agãt ſeu tractent. Inſuper voluit & expreſſè mandauit, vt extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutiones firmæ & illæſæ remaneant, & exactè obſeruentur, perinde ac ſi præſens decretum non emanaſſet, &c.* Andreas de Pitinis Notarius

Ex Decreto Gregorij XV. die 24. Maij 1622. Reſumptâ Conſtit. Pauli V. *Hoc ſuo præſenti Decreto, ex eiſdẽ cauſis euitandi ſcandala, & diſſẽſiones ex priuatis ſermonibus occaſione aſſertionis affirmatiuæ, extẽdit & ampliauit etiam ad priuata colloquia & ſcripta: mandans & præcipiens omnibus & ſingulis ſupradictis, ne de cætero donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolicà diffinitus, vel per Sanctitatẽ ſuã & ſedem Apoſtolicã fuerit aliter ordinatum, ne etiam in ſermonibus & ſcriptis priuatis audeant aſſerere quòd eadem B. Virgo fuerit concepta cũ peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere ſeu tractare; exceptis tamen quibus à S. Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas ſua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei prorſus vllum præiudicium inferre, eam relinquens in ijſdem ſtatu & terminis, in quibus reperitur, præter quam quoad in hoc ſuo Decreto diſpoſita, &c. Inſuper eadem Sanctitas ſua, cùm S. Romana Eccleſia de Beatiſſimæ Virginis Conceptione Feſtum ſolenniter & Officiũ celebret, omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus quàm cuiuſuis Ordinis & Inſtituti Regularibus mandat & præcipit, vt in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac Diuino Officio celebrandis tã publicè quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant: Contrauenientes autem ſubiecit cenſuris & pœnis contentis in ſupradictis Cõſtitutionibus, ac præfato Decreto ſuorum Prædeceſſorum ipſo facto incurrendis. Nonobſtantibus &c. Volẽs & decernẽs pro obſeruatione & executione præſentis Decreti & omnium in eo contentorum, quòd contra huiuſmodi tranſgreſſores etiam Regulares cuiuſuis Ordinis & Inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumq; Eccleſiaſticas & ſæculares perſonas cuiuſcumq; ſtatus, conditionis, gradus, Ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ quàm ſæcularis, tam Epiſcopi & Prælati ſuperiores, alijq; Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbiq; locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeuerè animaduertant, tribuens ijs & eorum cuilibet liberam facultatem & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnis coërcendi & puniendi. Voluit demum ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætẽdi poſſit, quòd præſens Decretum ſeu illius exemplar ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de vrbe, & in acie Campi Flore affixum omnes ita arctet & afficiat, perinde ac ſi vnicuiq; perſonaliter intimatum fuiſſet, quòdq; præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticæ conſtitutæ munitis eadẽ prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtẽſæ.* Andr. de Pitinis Notarius.

*Nunc tandem mouetur adhuc Romæ difficultas, de titulo,* Immaculatæ Conceptionis, *à S. Sede exprimendo, vel non: Sine præiudicio definitionis. De quo Quæſtione propria ex profeſſo.*

QVÆST.

# QVÆSTIONES DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ, ET MORALES:

## IN LIBRVM III. SENT. ET DOCTRINAM AVTHORVM NOSTRORVM.

## QVÆSTIO I. DOGMATICA.

*Quænam de Chriſto fide Chriſtiana credenda, & profitenda ſint.*

RESP. Quæcumque à Deo per ſacram Script. præfigurata, prædicta, reuelata; & per S. Eccleſiam explicata ac definita sũt. Quorũ plæraque *B. Aug.* perſtringit *libris* 33. *contra Fauſtum Manichæum. Lib.* 1. *c.* 3. Tu Semichriſtianos cauendos putas, quod nos eſſe dicis: nos autem Pſeudochriſtianos cauemus, quod vos eſſe oſtendimus, &c. Soletis laudare Serpentem, quod *Adamo* per ſuum conſilium oculos aperuit. *Lib.* 2. *cap.* 3. Profertis nobis ex armario veſtro neſcio quem primum hominem, &c. Huius primi hominis filium credi vultis Chriſtum: Audite, 1. *Cor.* 15. Primus homo de terra terrenus: ſecundus homo, de cœlo cœleſtis. *Cap.* 5. Vos cõmentitium Chriſtum veſtrum, commentitij primi hominis filium, in ſtellis omnibus colligatum eſſe dicitis, & in terra, atque omnibus quæ naſcuntur ex ea. Nos ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, &c. Vnde, ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſto, ſed Chriſtum ſtellæ fatum fuiſſe diceremus, &c. *Lib.* 3. *cap.* 6. An illud vos mouet, ex vtero natum credere Deum? Quaſi nos ipſam Diuinam naturam ex fœminæ vtero extitiſſe credamus. Vos autem cùm carnem Chriſti virginali vtero committere horretis: ipſam Diuinitatem canum & porcorum vteris commiſiſtis. *Lib.* 4. *c.* 2. Omnia in figura contingebant illis. 1. *Cor.* 10. *Hebr.* 10. Illorum non tantùm lingua, ſed & vita prophetica fuit. *Lib.* 5. *cap.* 4. Chriſtus, *Ioan.* 5. dicit ſe filium Dei, & filium hominis. *Lib.* 6. *cap.* 3. Dicere ſoletis: ergone deerat vbi Deus præfiguraret ſignaculum iuſtitiæ fidei, niſi in illo membro? Cur non & ibi? 1. Quia omnia munda mundis. 2. Quia hoc Apoſtolus dixit, *Rom.* 4. Pudenda iſta dicuntur: quibus caſti adhibent verecundiam, impudici petulantiam, Deus iuſtitiam. *Cap.* 5. Audetis etiam ſacrificia veteris Teſt. execrari, & idololatriam nominare, &c. Ipſa figuræ fuerunt: & varijs modis vnum ſacrificium cuius nunc memoriam celebramus, ſignificauerunt. *Cap.* 8. Eò putant immundiorem carnẽ, quòd de concubitu exiſtat, &c. Secundùm iſtorum fabulam mundiores erunt pediculi, qui ex ſudore naſcuntur. *Cap.* 9. Illud erat tempus ſignificandi, hoc manifeſtandi. *Lib.* 11. *cap.* 3. Filium Dei ex ſemine Dauid eſſe ſecundùm carnem, *Rom.* 1. omnes codices habent, omnes Eccleſiæ legunt, omnes linguæ confitentur. *Cap.* 8. Ex hoc neminem nouimus ſecundũ carnem. Et ſi cognouimus ſecundùm carnẽ Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. 2. *Cor.* 5. Non ipſam corporis ſubſtantiam, ſed incorruptionem vult intelligi. *Lib.* 12. *cap.* 2. Nos demonſtrabimus Prophetarum de Chriſto præſagia, &c. *Rom.* 1. Euangelium quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Script. ſacris de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. *Cap.* 3. Credita ſunt eis eloquia Dei, *Rom.* 3. Si crederetis Moyſi, & mihi, *Ioan.* 5. Habent Moyſen, & Prophetas, *Luc.* 16. *Cap.* 7. Omnia ſunt de Chriſto, vel propter Chriſtum. *Cap.* 8. Fit viro dormienti coniux de latere, *Gen.* 2. Fit Chriſto morienti Eccleſia, de Sacramento ſanguinis qui de latere mortui profluxit, &c. Neque fruſtra, *Rom.* 5. Adam eſt forma futuri. *Eph.* 5. Relinquet homo patrem & matrem, &c. Quis enim non agnoſcat Chriſtum reliquiſſe patrem & matrem Synagogam, & adhæſiſſe Eccleſiæ? *Cap.* 9. Occiditur Abel minor natu, *Gen.* 4. Occiditur Chriſtus Caput populi minoris natu, à populo Iudæorum maiore natu. *Cap.* 10. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, *Gen.* 4. ſic arguit in Script. ſacris vox diuina

Iudæos, &c. *Cap.* 11. Maledictus tu à terra, &c. *Gen.* 4. Maledictus populus Iudæorum ab Eccleſia, &c. *Cap.* 13. Poſuit Deus in Cain ſignum, vt non interficeretur. *Gen.* 4. Hoc reuera multum mirabile eſt : quod gens Iudæa ſiue ſub Paganis Regibus, ſiue ſub Chriſtianis, non amiſerit ſignum legis ſuæ, &c. *Cap.* 14. Noë cum ſuis per aquam & lignum liberatur, *Gen.* 7. Sicut familia Chriſti per baptiſmum crucis paſſione ſignatum. *Cap.* 23. Quod de vinea quam plãtauit inebriatus Noë, nudatus eſt in domo ſua, *Gen.* 9. cui non appareat Chriſtus paſſus in gente ſua? *Cap.* 25. Quis alius in Abraham exijt de terra ſua? *Gen.* 12. Quis alius in Iſaac lignum ſibi portauit ad victimam? *Gen.* 22. Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhęrebat: niſi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur, ſpinis primitùs coronatus? *Cap.* 26. Quis alius in Angelo cum Iacob luctatus eſt? Quis alius lapis poſitus erat ad caput Iacob? *Gen.* 22. *Cap.* 27. Chriſtus mihi vbique illorum librorum occurrit, & reficit. *Cap.* 28. Ipſe mihi in Ioſeph innuitur, à *Gen.* 37. *ad* 48. Didicimus enim labores Chriſti in orbe gentium, per varias paſſiones martyrum : & nunc videmus honorem Chriſti in eodem orbe terrarum, erogatione frumenti ſui omnia ſibi ſubiugantis. Ipſe mihi innuitur in virga Moyſi, &c. *Cap.* 29. Si petra Chriſtus, propter firmitatem, 1. *Cor.* 10. Cur non & manna Chriſtus? Cur non & nubes, & columna? Rubet & mare rubrum .i. Baptiſmus Chriſti ſanguine conſecratus. Hoſtes ſequentes à tergo moriuntur .i. peccata præterita. *Cap.* 30. Ducitur populus per deſertum: amaræ aquæ ligno dulceſcunt, *Exod* 15. 17. quia inimici Chriſti ligno crucis honorificato manſueſcunt, &c. Hoſtis extenſis Moyſi manibus ſigno crucis dominicæ ſuperatur, *Exod.* 17. Morſus ſerpentum, exaltato & reſpecto æneo ſerpente, ſanantur, *Num.* 21. *Ioan.* 3. Fit Paſcha in occiſione ouis, *Exod* 12. Occiditur Chriſtus, agnus Dei, *Ioan.* 1. Prohibentur qui Paſcha faciunt oſſa frangere, *Exod* 12. Non franguntur in cruce oſſa Domini, *Ioan.* 19. Sanguine illinuntur poſtes, *Exod* 12. Signantur ſigno dominicæ paſſionis in frontibus populi, ad tutelam ſalutis. Datur lex die 50. poſt Paſcha, *Exod.* 20. Venit Spiritus ſãctus die 50. poſt Domini paſſionem. *Act.* 2. Et clamat Fauſtus oculis clauſis nihil ſe in illis litteris inueniſſe. *Cap.* 31. Videat Ieſum introducentem populum in terram promiſſionis, *Ioſue* 1. Videat botrum de terra promiſſionis in ligno pendentem, &c. *Cap.* 32. Videat tempora, primò Iudicum, poſtea regũ: ſicut erit primò iudicium, deinde Regnum. Quis erat in Samſon obuium leonem necans, *Iud.* 14. niſi qui dixit, *Ioan.* 6. Ego vici ſæculum? Quid ſibi vult in ore leonis occiſi fauus extructus: niſi leges etiam ſæculares in fauorem fidei Chriſtianæ? Quid vellus complutum areâ ſiccâ, & poſtea compluta area, ſicco vellere *Iud.* 6. niſi gens Hæbreorum habens primò occultè Chriſtum: nunc autem totus orbis habet, illa vacuata eſt. *Cap.* 33. Nonne commutatum ſacerdotium in Samuelem, reprobato Heli, 1. *Reg.* 3. & commutatum regnum in Dauid reprobato Saüle, 1. *Reg.* 16. clamat prænuntiari nouum ſacerdotium, nouumque regnum in Chriſto? *Cap.* 34. Paſcitur Elias à coruis 3. *Reg.* 17. Chriſto ſalutem noſtram eſurienti confitentur peccatores, &c. *Cap.* 35. Heliſæo pueros inſultantes, Calue, Calue, beſtiæ comedunt, 4. *Reg.* 2. Deridentes Chriſtum in loco Caluariæ crucifixum, inuaſi à dæmonibus pereunt. Mittit Helizeus per ſeruum baculum ſuper mortuum, & non reuiuiſcit: venit ipſe, & coaptat ſe morti eius, & reuiuiſcit. 4. *Reg.* 4. Miſit ſermo Dei legem per ſeruum ſuũ, nec profuit: venit ipſe, conformauit ſe nobis, & viuificati ſumus. De ligno ferrum exiliens, in profundum fluminis merſum eſt : atque in lignum ſuum reuerſum eſt, 4. *Reg.* 6. Spiritus Chriſti corpus ſuum deſeruit, & in inferni profunda deſcendit: quo tanquã ad manubrium ſuum redeunte, reſurrexit. *Cap.* 36. Ipſa in Babilonẽ tranſmigratio, *Ier.* 29. quis non agnoſcat quòd præfigurauerit veros Iſraëlitas cum Euãgelico ſacramento ad regnũ gentium tranſmigraſſe? Quod poſt 70. annos redditur ex captiuitate, & templum renouatur, 1. *Eſdræ* 1. quis fidelis non intelligat poſt euoluta tempora ad illam cœleſtem Hieruſalem redeundum? Per quem? Niſi per *Ieſum Chriſtum*? Cuius figuram gerebat ille *Ieſus* Sacerdos magnus illius temporis. *Cap.* 37. Niſi fortè quis putat ingenio fieri : vt ea ad Chriſti ſignificationes vertantur. Hoc fortè Iudæi poſſunt dicere, ſiue Pagani : eis autem qui ſe Chriſtianos putari volunt premit ceruicem Apoſt. 1. *Cor.* 10. Omnia hæc in figura contingebant eis. *Cap.* 38. Nunquid ſi oportebat adiutorium viro fœminam fieri : etiam de dormientis latere? *Cap.* 39. Ipſi Iudæi coguntur à nobis diſcere quid illa ſignificent. *Cap.* 40. Nec Pagani audent contradicere : quia quæ prænuntiata intelligimus, etiam demonſtramus impleta. *Cap.* 41. Excepta tanta conſonantia rerum præfiguratarum, & nunc impletarum : ſunt alia præſagia manifeſta, &c. *Cap.* 42. Non deerit Princeps de Iuda, & dux de femore eius, donec veniant quæ repoſita ſunt ei, & ipſe erit expectatio gentium. *Gen.* 49. In quo vino lauit ſtolã ſuam .i. Eccleſiã? Niſi in illo *Matt.* 26. Ipſe eſt enim Botrus ille qui pependit in ligno. *Cap.* 43. Quis quærat expoſitorem, *Eſ.* 53. Velut ouis ad victimam ductus eſt, & peccata noſtra ipſe portauit. *Pſal.* 21. Foderũt manus meas & pedes meos, &c. *Pſal.* 2. Filius meus es tu, &c. *Baruch.* 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, &c. *Cap.* 44. Sacrarium euerſum eſt, ceſſauit hoſtia, Sacerdos, & vnctio, *Dan.* 7. 9. Filium Dei ſe nominat, &c. Videamus ſi ſermones illius veri ſint, &c. Si enim eſt verus filius Dei, liberabit illũ, &c. Morte turpiſſima condemnemus eum. *Sap.* 2.

*Lib.* 13. *cap.* 10. Verendum erat ne quis diceret Chriſtianos has litteras compoſuiſſe : niſi eſſet latè ſparſus notuſque populus Iudæorum, *Cain* ille ſigno accepto, & ille *Cham* ſeruus fratrum ſuorum, portando libros quibus illi erudiantur, iſte oneretur. *Cap.* 11. Fortè etiam Gentilis diceret ſe permoueri : quòd ipſi Iudæi non tenent nobiſcum eiuſdem Euangelij ſocietatem. Cùm verò doceretur etiam hoc ab eiſdem Prophetis eſſe prædictum, *Eſa.* 1. & 6. quantum moueretur ad fidem? Quòd ſi diceret, *quid peccauerunt Iudæi ſi Deus illos excæcauit*? Oſtenderemus ex alijs peccatis Deo cognitis

venire

Digitized by Google

venire iuſtam pœnã huius cæcitatis. Si gentilis ille moueretur, cur ipſi Chriſtiani in multas hæreſes diſcedunt: Neque hoc à Prophetis Hebræis prætermiſſum eſſe doceremus. *Ier.* 17. 2. *Tim.* 3. *Cap.* 15. Sybilla porro, vel Sybillæ, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, valent quidem aliquid ad Paganorum vanitatem reuincendam: non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam, &c. Quãtum diſtat de Chriſti aduentu inter prædicationem Euangeliorum, & confeſſionem dæmoniorũ: tantum inter authoritatem Prophetarum, & curioſitatem Sacrilegorum.

*Lib.* 16. *cap.* 22. Videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ, *Deut.* 28. Ego sũ vita, *Ioan.* 14. & eum pependiſſe conſtat ante oculos Iudæorum non credentium. *Cap.* 23. Si Chriſtianus es, crede dicenti Chriſto, *Ioan.* 5. De me ſcripſit Moyſes, &c. Crede cicatribus Chriſti: quia nec vera vulnera niſi vera caro habere potuiſſet.

Quæ omnia confirmantur per expreſſiora noui Teſt. ad illa relata. Vt *Matt.* 1. Ex Genealogia Chriſti ab Abraham vſque ad *Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus.* De quo ibidem. *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Vt Eſa. 7. *Ecce Virgo cõcipiet & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel .i. nobiſcum Deus.* Matt. 2. *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, &c.* Vt *Mich.* 5. vbi additur: *Et egreſſus eius à diebus æternitatis.* Infra. *Seceſſit in Ægyptum, &c.* Vt Oſee 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Infra. *Herodes occidit omnes pueros, &c.* vt *Ier.* 31. Infra. *Habitauit in Nazaret. Vt dictum eſt per prophetas: Nazaræus vocabitur.* Matt. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matt. 17. *Apparuerunt Moyſes & Elias loquentes cum Ieſu.* Matt. 21. *Inuenietis Aſinam & Pullum eius, &c.* Vt *Iſa.* 62. *Zachar.* 9. Matt. 26. *Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ?* Matt. 27. *Vocatus eſt ager ille Haceldama, &c.* Vt *Zach.* 11. Infra. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta eius, ſortem mittentes, &c. Eli, Eli lammaſabacthani, &c.* verbatim, vt *Pſal.* 21.

*Marc.* 1. Ex *Mal.* 3. & *Iſa* 40. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Vox clamantis, &c.* Marc. 2. *Nunquam legiſtis quid fecerit Dauid*, 1. *Reg.* 20. Cap. 7. *Populus hic labijs me honorat*, Iſa. 29. Mar. 13. *Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de eo, &c.* Pſal. 40. Infra. *Scriptum eſt: Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues*, Zach. 3. Marci 15. ex Eſa. 53. *Et cum iniquis reputatus eſt.*

Luc. 1. *Concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus: & filius altiſſimi vocabitur, &c.* Iſa. 7. Dan. 7. Mich. 4. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Luc. 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. Poſtquam impleti ſunt dies purgationis, &c.* Vt Gen. 17. Exod 13. Leuit. 12. Luc. 3. *Genealogia Chriſti, à Ioſeph vſq; ad Adam, & Deum ipſum.* Cap. 4. *Spiritus Domini ſuper me, &c.* Iſa. 61. Luc. 18. Vt & Matt. 17. Marc. 10. ex Iſa. 53. *Faciem meam non auerti à conſpuentibus in me.* Luc. 24. *Incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis quæ de ipſo erant.*

Ioan 1. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis, &c. De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ioan. 5. *Sic Deus dilexit mundum, vt Vnigenitum ſuum daret, &c.* Ioan. 4. *Meſsias venit qui dicitur Chriſtus. Ego ſum qui loquor tecum.* Cap. 5. *Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor.* Infra. *Scrutamini ſcripturas, &c. Illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.* Cap. 8. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Infra. *Tu quis es? Principium, qui & loquor vobis.* Infra. *Quis arguet me de peccato?* Ioan. 10. *Ego & pater vnum ſumus.* Ioan. 14. *Qui videt me videt, & Patrem, &c. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Ioan. 17. *Rogo vt omnes vnum ſint ſicut & nos vnum ſumus.* Ioan. 19. *Vt conſummaretur ſcript.* Pſal. 68. *Dicit, ſitio, &c.* Infra. *Non fregerunt eius crura: vt conſummaretur ſcript.* Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo.*

Act. 1. ex *Pſal.* 40. 68. 108. Act. 2. ex *Iſa.* 44. *Ioel.* 2. *Pſal.* 15. 109. 131. Act. 3. *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula.* Infra. Vt *Deut.* 18. Act. 4. ex *Pſal.* 117. *Hic eſt lapis, &c.* Infra. ex *Pſal.* 2. *Quare fremuerunt gentes, &c. aduerſus Chriſtum eius.* Cap. 7. ex *Gen. Exod. Deut. Ioſue, &c. &c.* Cap. 8. ex Iſa. 53. *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe non aperuit os ſuum, &c. Generationem eius quis enarrabit?* Tam Euangelicè, quam propheticè.

*Rom.* 1. De Euang. promiſſo per Prophetas, &c. Vt ſupra. Rom. 4. *De circumciſione corporali & ſpirituali.* 1. Cor. 1. *Omnia in figura contingebant eis, &c.* 2. Cor. 10. *Non fuit in Chriſto Eſt, & non: ſed Eſt in illo fuit. Quotquot enim promiſsiones Dei ſunt in illo Eſt, &c.* vt Exod. 3. Phil. 2. *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto* Iesv: *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Quod eſt compendium totius Euangelij. Hebr. 1. *Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt in Filio, &c. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? &c.* Pſal. 2. 44. 96. 101. 103. 109. Hebr. 2. *Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini: & ipſe Filius Dei participauit eiſdem, &c. Nuſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ. Debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret, &c.* Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c.* Apoc. 13. *Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi .i.* in ſuis figuris & membris. Prœter plurima alia, ſucceſſiuè occurſura.

## *Symbolum Nicænum.*

Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem, & omnium viſibilium inuiſibiliumque factorem: Et in vnum Dominum Iesvm Chriſtum Filium Dei, natum ex Patre vnigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine; Deum, verum ex Deo vero. Natum, non factum; Homouſion, hoc eſt, con-



Digitized by Google

ſtræ factum eſſe Chriſtum, diuina Scriptura commemorat. Obtulit enim ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apoſtolum noſtrum dicit factum, non ipſum Dei Verbum quando caro factum eſt, & homo iuxta nos homines: ſed velut alterum præter ipſum ſpecialiter hominem ex muliere, aut qui dicit quod pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem, & non potiùs pro nobis ſolis (non enim eguit oblatione qui peccatum omnino neſciuit) Anathema ſit.

11. Si quis non confitetur Carnem Domini viuificatricem eſſe, & propriam ipſius Verbi Dei Patris: ſed velut alterius præter ipſum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quaſi diuinam habentis habitationem, ac non potiùs viuificatricem eſſe, quia facta eſt propria Verbi cuncta viuificare valentis; Anathema ſit.

12. Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum carne, & crucifixum carne, & mortem carne guſtaſſe, factumque primogenitum ex mortuis, ſecundùm quòd vita eſt & viuificator vt Deus; Anathema ſit.

13. Ait igitur magna & ſancta Synodus, ipſum qui eſt ex Deo Patre naturaliter natus, Filium vnigenitum, Deum de Deo vero, lumen de lumine, per quem & cum quo omnia fecerit Pater: hunc deſcendiſſe, incarnatum eſſe, & hominem factum, paſſum eſſe, & reſurrexiſſe tertia Die, aſcendiſſe rurſus in cœlos. Hæc nos ſequi verba debemus: his nos conuenit obtemperare dogmatibus, conſiderantes quid ſit incarnatum eſſe, & hominem factum Dei verbum. Non enim dicimus quòd Dei natura conuerſa vel immutata, facta ſit caro: nec quòd in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore, transformata ſit; ſed magis quòd carnem animatam anima rationali ſibi copulauerit; Verbumque ſubſtantialiter, ineffabiliter, & incomprehenſibiliter factus ſit homo, & nuncupatus ſit etiam Filius hominis; non nuda tantummodo voluntate, ſed nec aſſumptione ſola perſonæ; ſed quod diuerſæ quidem naturæ in vnum conuenerint; vnus tamen ex ambabus Chriſtus, & Filius; non euacuata, vel ſublata diuerſitate naturarum per coniunctionem, ſed quia ſimul nobis effecerunt vnum Deum, & Chriſtum, & Filium, id eſt, Diuinitas & Humanitas per arcanam illam ineffabilemque copulationis adunationem. Itaque is qui ante ſæcula omnia eſt natus ex Patre, etiam ex muliere naturaliter eſt procreatus in tempore. Non quia diuina ipſius natura de ſacra Virgine ſumpſit exordium, nec propter ſeipſam opus habuit ſecundò naſci poſt illam natiuitatem quam habebat ex Patre: (eſt enim ineptum & ſtultum hoc dicere, quòd is qui ante omnia ſæcula eſt, & conſempiternus Patri, ſecundæ generationis eguerit, vt eſſe inciperet;) ſed quia propter noſtram ſalutem naturam ſibi copulauit humanam, & proceſſit ex muliere, idcirco dicitur eſſe natus carnaliter. Nec enim primùm natus eſt homo communis de ſancta Virgine, & tunc demum inhabitauit in eo Verbum: ſed in ipſa vulua vteroque virginali ſecum carnem coniunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſuæ natiuitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & paſſum eſſe & reſurrexiſſe: non quia Deus Verbum in ſua natura paſſus ſit, aut plagas, aut clauorum transfixiones, aut alia vulnera ſuſceperit: (Deus namque incorporalis extra paſſionem eſt;) ſed quià corpus illud quod ipſius proprium factum eſt; hoc ſuſtinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim, & incorruptibile eſt naturaliter, & vita & viuificans Deus Verbum: ſed quià corpus ipſius proprium, gratia Dei (iuxta Pauli vocem) *Heb.* 2. pro omnibus mortem guſtauit, idcirco ipſe dicitur mortem paſſus pro nobis; non quòd ipſe mortem eſſet expertus quantùm ad ipſius naturam pertinet (inſania enim eſt hoc vel ſentire, vel dicere) ſed quòd (vt diximus) vera caro ipſius mortem guſtauit. Ita & reſurgente carne, ipſius rurſus reſurrectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderit (quod abſit) ſed quia eius reſurrexit corpus. Ita Chriſtum vnum & Dominum confitemur: non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne diuiſionis quædam ſpecies inducatur, ſed vnum iam & eundem adorantes, quia non eſt alienum à Verbo corpus ſuũ, cum quo ipſe etiam aſſidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quaſi duobus Filijs aſſidentibus: ſed vno cum carne per vnitatem, quia ſi talem copulationem factam per ſubſtantiam, aut quaſi præpaſſibilem, aut quaſi parum decoram voluerimus accipere, in id incidemus, vt duos Filios eſſe dicamus. Neceſſe eſt enim diſcernere & dicere hominem ſeparatim fuiſſe ſola Filij appellatione honoratum, & rurſus Verbum quod eſt ex Deo in homine, in veritate Filium Dei: Sed diſcernere in duos Filios non debemus vnum Dominum Iesvm Chriſtum. Neque enim adiuuat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem (neſcio quam) perhibeant perſonarum. Non enim dicit Scriptura Verbum Dei perſonam ſibi hominis aſſumpſiſſe, ſed carnem factum eſſe. Id autem eſt oſtendere, Dei Verbum ſimiliter ac nos principium habuiſſe carnis & ſanguinis, & corpus noſtrum propriè ſuum feciſſe; & hominem ex muliere proceſſiſſe: non abiecta vel depoſita Deitate, aut generatione illa quam habebat ex Patre, ſed manſiſſe etiam in aſſumptione carnis Deũ, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus: ideoque illi non dubitauerunt ſanctam Virginem dicere Theotocon; non quia Verbi natura, Deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium, ſed quòd ex ea natum ſit ſacrum illud Corpus animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum eſſe dicitur. Hæc igitur pro charitate in Chriſto ſcribo tibi, quærens tanquam frater, & conteſtans coram Deo & electis eius Angelis, vt hæc nobiſcum ſentias ſimul & doceas, vt Eccleſiarum pax ſalua ſeruetur, & concordiæ charitatiſque vinculum indiſſolubile maneat Sacerdotibus Dei.



Digitized by Google

vno eademque Domino noſtro Iesv Chriſto, Deo Verbo incarnato, & non tantummodo contemplatione differ. ntiam earum accipit, ex quibus & compoſitus eſt, non interempta proprietate propter vnitatem: (Vnus enim ex vtriſque, & per vnum vtraque,) ſed propterea numero vtitur, tanquam diuiſis, & propriæ ſubſiſtentiæ naturis; talis Anathema ſit.

8. Si quis ex duabus naturis, Deitate & Humanitate confitens vnitionem factam fuiſſe, vel vnam naturam Dei Verbi incarnati, dicens: Et non ſic has voces intelligit, ſicut ſancti Patres docuerunt, quòd ex diuina natura & humana, vnitione ſecundùm ſubſiſtentiam facta, vnus Chriſtus factus eſt; ſed ex huiuſmodi vocibus vnam naturam ſiue ſubſtantiam Deitatis & Carnis Chriſti introducere conatur; talis Anathema ſit. Secundùm ſubſtantiam enim dicentes carni vnigenitum Verbum vnitum eſſe, non confuſionem quandam ad vices naturarum factam fuiſſe dicimus, magis autem manente vtraque, hoc quod eſt vnitum eſſe carni intelligimus Verbum. Propter quod & vnus eſt Chriſtus, idem Deus & homo, conſubſtantialis Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialis nobis idem ſecundùm humanitatem. Similiter enim & eos qui per partes diuidunt, vel incidunt, & confundunt diſpenſationis myſterium Chriſti, auerſatur, & anathematizat Catholica Dei Eccleſia.

9. Si quis adorari in duabus naturis dicit Chriſtum, ex quo duæ adorationes introducuntur, ſemotim Dei Verbo, & ſemotim homini: Aut ſi quis ad peremptum carnis, aut in confuſionem Deitatis & humanitatis, vnam naturam ſiue eſſentiam conuenientium introducens, ſic adorat Chriſtum: ſed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quod ſanctæ Dei Eccleſiæ ab initio traditum eſt; talis Anathema ſit.

10. Si quis non confitetur crucifixum carne Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum, eſſe Deum verum & Dominum gloriæ, & vnum de ſancta Trinitate; talis Anathema ſit.

11. Si quis non anathematizat Arrium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychen, & Originem, cum impijs eorum ſcriptis, & omnes alios hæreticos qui condemnati ſunt, & anathematizati à ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, vel prædictis Sanctis quatuor Concilijs, ſed & eos qui ſimilia cum prædictis hæreticis ſapuerunt, aut ſapere noſcuntur, & vſque ad finem permanſerunt in propria impietate; talis Anathema ſit.

12. Si quis defendit Theodorum impijſſimum Mopſueſtenum, qui dixit alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum, & paſſionibus animæ & concupiſcentijs carnis moleſtatum, & à malis moleſtatum, & à malis paulatim ſeparantem ſe, & ita ex promotione operum melioratum, & ex vitæ conuerſatione incontaminatum conſtitutum, tanquam purum hominem baptizari in nomine Dei Patris, Filij, & Spiritus ſancti, & per baptiſmum gratiam ſancti Spiritus accipere, & adoptionem promereri, & ad ſimilitudinem Imperialis imaginis in perſona Dei Verbi adorari, & poſt reſurrectionem inconuertibilem ſecundùm intellectum, & ſine peccato penitus factum: Et iterum dicente eodem impijſſimo Theodoro, vnitatem Dei Verbi ad Chriſtum, talem factam fuiſſe, qualem dixit Apoſtolus in marito & vxore, Erunt duo in carne vna; & ſuper alias innumerabiles eius blaſphemias, præſumente dicere quòd poſt reſurrectionem ſufflans Dominus in Diſcipulos ſuos, & dicens, Accipite Spiritum ſanctum, non dedit Spiritum ſanctum, ſed tantùm ſchemate ſuſflauit. Hic autem & confeſſionem Thomæ, per quam, dum palparet manum vel latus Domini poſt reſurrectionem, dixit Deus meus, & Dominus meus, aſſeruit non fuiſſe dictum de Chriſto à Thoma: nec enim eſſe eum Deum dicit, ſed miraculo reſurrectionis obſtupeſcentem Thomam glorificaſſe Deum, qui ſuſcitauit Chriſtum. Quod autem peius eſt, & in interpretatione facta ab eo in geſta Apoſtolorum, comparans idem Theodorus Chriſtum Platoni, vel Manichæo, & Epicuro, & Marcioni, dicit: quia ſicut vnuſquiſque illorum inueniens propriam ſectam, diſcipulos ſuos fecit nominari Platonicos, & Manichæos, & Epicureos, & Marcioniſtas, ſimili modo & Chriſto inueniente ſectam, ex ipſa Chriſtianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impijſſimum Theodorum, vel impia eius ſcripta, in quibus tam prædictas quàm & alias innumerabiles blaſphemias euomuit aduerſus magnum Deum & Saluatorem noſtrum Iesvm Chriſtum, & non anathematizat eum, vel impia eius conſcripta, & omnes qui ſuſceperint, aut defendunt, aut dicentes rectè eum exponere, & eos qui pro ipſo ſcripſerunt, & ſimilia ei ſapuerunt, aut pro eo ſcribunt, vel eius impia conſcripta, & eos qui ſimilia ei ſapiunt, aut ſapuerunt aliquando, & vſque ad finem permanſerunt, aut permanent in huiuſmodi impietate; talis Anathema ſit.

13. Si quis defendit impia ſcripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem expoſita ſunt, & primam Epheſinam ſanctam Synodum, & S. Cyrillum, vel 12. eius Capitula, & ea omnia quæ ſcripſit pro Theodoro & Neſtorio impijſſimis, vel alijs qui ſimilia prædictis Theodoro & Neſtorio impijſſimè ſapuerunt, & recipit eos, vel impietatem eorum, atque propterea impios vocat Eccleſiæ Doctores, qui ſubſtantialiter vnitionem Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat prædicta impijſſimè conſcripta, & eos qui ſimilia his ſapuerunt vel ſapiunt, ſed & omnes qui contra rectam fidem ſcripſerunt, aut contra Beatæ memoriæ Cyrillum, vel 12. eius Capitula, & in hac impietate defuncti ſunt; Anathema ſit.

14. Si quis defendit Epiſtolam quam dicitur Iba ſcripſiſſe ad Marim Perſam, quæ denegat quidem Dei Verbum de ſancta genitrice ſemperque Virgine Maria incarnatum hominem factum, dicit autem purum hominem ex ea natum fuiſſe, quem templum vocat, tanquam alio exiſtente Deo Verbo, & alio homine, ſed & S. Cyrillum rectam Chriſtianorum fidem prædicantem reprehendit hæreticum, & ſimilia ſceleſti Apol-

Digitized by Google

Apollinaris ſcribentem, atque vituperat Epheſinam ſanctam primam ſynodum, tanquam ſine iudicio & requiſitione Neſtorium deponentem, ſed & 12. Capitula Beatæ memoriæ Cyrilli impia & aduerſa rectæ fidei nominat prædicta impia epiſtola, & defendit Theodorum & Neſtorium, & impia eorum dogmata & conſcripta : Si quis igitur prædictam epiſtolam defendit, & non eam anathematizari ſubmittit, & eos qui defendunt eam, & dicunt rectam eſſe, aut partem eius, & eos qui conſcripſerũt, vel ſcribunt pro ea, ſiue pro impietatibus quæ in ipſa continentur, & præſumentes ea defendere, aut poſitas in ea impietates, ex nomine ſanctorum Patrum, aut ſanctæ Chalcedonenſis ſynodi, & vſque ad finē in his permanſerunt; talis anathema ſit.

His igitur ita confeſſis à nobis, quæ & accepimus de diuina Scriptura à ſanctorum Patrum doctrina, & definitis de vna eademque fide à prædictis ſanctis quatuor Concilijs, factis verò & à nobis ſuper hæreticos, vel impietatem eorum : ſed & contra eos qui defendere præſumpſerunt, aut defēdunt prædicta tria capitula aut permanſerunt, & ſi permanent in proprio errore & condemnatione; ſi quis conatus fuerit contraria his quæ à nobis piè terminata ſunt, tradere, aut docere aut ſcribere, ſiquidem Epiſcopus eſt, aut in clero connumeratus, talis extranea à ſacerdotũ & Eccleſiaſtica diſciplina peragens, denudabitur ab Epiſcopatu aut clero; ſi monachus aut laicus fuerit, anathematizabitur.]

Contra omnes infideles, Idololatras, Iudæos, Mahumetanos, & hæreticos vt Antichriſtos.

## *Hæreſes contra Chriſtum.*

EX *B. Aug. Hæreſi* 4. *Baſilidiani*, à Baſilide, &c. Non credunt Chriſtũ crucifixum, ſed Simonē Cyrenenſem. 7. *Carpochratiani*, à *Carpochrate*, &c. Hic etiam Ieſum hominem tantùm, & de vtroque ſexu natum putaſſe perhibetur. 8. *Cerinthiani* à *Cerintho*, &c. Mille quoque annos poſt Reſur. in terreno regno Chriſti ſecundùm carnales voluptates fabulantur. Vnde etiam *Chyliaſtæ* ſunt appellati. 10. *Hebionei*, Chriſtum tantummodò hominem dicunt, &c. Huic hæreſi *Epiph. Sanſeos*, & *Elſeſeos* copulat. 11. *Valentiniani*, à *Valentino*, qui inter alia confinxit Chriſtum nihil aſſumpſiſſe de V. M. ſed per illam tanquam per fiſtulam tranſiſſe. 12. *Ophitæ* à colubro nominati : hunc qui decepit *Adam & Euam, Chriſtum* fuiſſe arbitrantur. 19. *Sethiani* à filio Adæ, &c. Quidam dicunt eos, Sem filium Noë Chriſtum putare. 21. *Cerdoniani*, à *Cerdone*, &c. Qui inter alia dogmatizant Chriſtum nec habuiſſe carnem, nec verè mortuũ vel paſſum, ſed ſimulaſſe. 33. *Theodotiani*, hominem tantummodo Chriſtum aſſeuerant. 36. *Noetiani* dicebant Chriſtum eſſe Patrem & Spiritum Sanct. 43. *Origeniani* Chriſtum & Spiritum ſanct. creaturam dicunt, &c. Dicit præterea ipſe Origenes quòd filius Dei Sanctis hominibus comparatus veritas ſit: Patri collatus, mendacium; & quantum diſtant Apoſtoli à Chriſto, tantum filius à Patre. Vnde nec orandus eſt filius cum Patre : quia non eſt Author indulgendarum petitionum, ſed ſupplicator. 41. *Sabelliani* qui & *Patripaſſiani* dicunt eundem eſſe Patrem Filium & Spiritum ſan. 44. *Pauliani*, dicunt Chriſtũ non ſemper fuiſſe, nec amplius quàm hominem putant. 46. *Manichæi*, inter alia, affirmant Chriſtum fuiſſe Serpentem illum, *Gen.* 3. nec fuiſſe in carne vera, &c. 49. *Arriani*, in eo ſunt notiſſimi errore, quo Patrem & filium & Spiritum Sanctum nolunt eſſe vnius eiuſdemque naturæ, &c. In eo autem quòd Chriſtum ſine anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitrantur, minùs noti ſunt. 55. *Appollinariſtæ* dicunt Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe : ſed pro hac ipſum Verbum in ea fuiſſe; & Verbi aliquid in carnem fuiſſe conuerſum, non autem carnem de Mariæ carne ſuſceptam. 60. *Proclinianitæ* addiderunt Chriſtum non in carne veniſſe. 70. *Priſcilliani* de Chriſto Sabellianam ſectam tenent. 79. Quorundam Anonimorũ, deſcendente Chriſto ad inferos, omnes credidiſſe, & inde liberatos eſſe. 80. Filium Dei ſemper fuiſſe : ſed non ſemper fuiſſe filium.

Ex *Libro B. Aug.* de 5. hæreſibus. cap. 1. *Pagani* dicunt : ecce & vos quem Deum prædicatis, filiũ habere dicitis. *Iudæi* dicunt: Quomodò vnum Deum colitis, quando & hominem quem Patres noſtri crucifixerũt? *Manichæi* dicunt, phantaſma eſſe Chriſtum. *Sabelliani* dicunt, Vnus eſt pater & filius : aliter diceremur multicolæ. *Arriani* dicunt, Alius eſt Pater, alius filius : ſed minor eſt filius. *Cap.* 3. Contra Paganos. Ex Hermete ſeu Mercurio Libro qui dicitur, *Verbum perfectum. Dominus*, inquit, *omnium factor Deorum, ſecundum fecit Dominum. Lætatus eſt, & valde dilexit tanquam vnigenitum ſuum, &c. Filius dilecti Dei atq; bonæ voluntatis: cuius nomen non poteſt humano ore narrari.* Ex Sybilla. *Alium dedit Deus filijs hominum colendum: ipſum tuum cognoſce Deum Dei filium eſſe, &c.* Cap. 4. *Contra Iudæos.* Ex ſacra Scriptura veteris Teſt. *Gen.* 19. *Exod.* 3. 23. *Ioſue* 5. De Angelis miſſis, & apparentibus: ſed ſingulariter de vno qui Chriſtum repreſentat, & cui tribuitur nomen Dei ac Domini. *Eſaiæ*. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. *Eſa*. 9. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis : & factus eſt principatus eius ſuper humerum eius; & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis *Eſa*. 45. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Eſa*. 66. Numquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam? *Pſal.* 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Pſal.* 44. Specioſus forma præ filijs hominum. *Pſal.* 109. Dixit Dominus Domino meo, &c. Ante luciferum genui te. *Cap.* 5. Cōtra Manicheos. Ex nouo Teſt. *Rom.* 1. De filio Dei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Quod Prophetæ præuiderunt & prædixerunt: hoc Apoſtoli viderunt & prædicauerunt. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt, &c.] *Qui libenter amplectitur Deum natum: non horreat Virginis partum. Dicit tibi Deus. Hanc quam deſpicis Manichæe mater mea eſt, ſed manu facta eſt mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui in illa inquinari cùm ex ea naſcerer. Sicut tranſitu meo illius non eſt corrupta virginitas: ſic nec mea ibi eſt maculata maieſtas, &c.* Cap. 6. Contra Arrianos, ex 3. *Reg.* 3. *O Arriana hæreſis,*

*ô crudelis*

ô crudelis & impia meretrix, erubeſce iudicari à Salomone. Meretrix illa ne vnum viuum, iamq́ partum perderet, non permiſit diuidi filium ſuum: & tu diuidis Dominum Deum tuum? Ioan. 14. Qui videt me, videt & Patrem. *Tanta in nobis eſt vnitas, tanta charitas, vt ego in Patre ſim, & Pater in me. Eſa.* 43. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit, *Ioan.* 19. Tunicam hominis iam iudicati, in cruce pendentis, carnifices Pilati nõ ſunt auſi conſcindere: & vos conamini charitatem Dei, imò Deum charitatem ipſam diuidere. *Cap.* 7. Contra *Sabellianum* negantem diſtinctionem perſonalem inter Patrem & filium. *Eſa.* 49. Hæc dicit Dominus Chriſto Domino meo, &c. *Ioan.* 17. Pater clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te. *Matt.* 17. Hic eſt filius meus dilectus, &c.

Ex concione ad Catechumenos contra *Iudæos Paganos, & Arrianos. Cap.* 5. Credite in Deum Patrem Omnipotentem, &c. *Ioan.* 14. Qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & Pater in me eſt. *Cap.* 50. Lumen de lumine. Abſit à nobis error Manichæorum, qui iſtum ſolem exiſtimant eſſe Chriſtum, ſed nos Solem iuſtitiæ. *Ioan.* 10. Ego & Pater vnum ſumus. *Cap.* 7. Contra Arrianos. *Eccli.* 50. Propheta dicit ſapientem filium hominis eſſe ſimilem Patri: Et tu hæretice audes dicere ipſam ſapientiam Dei filium Patri eſſe diſſimilem? *Cap.* 8. Ipſe dixit, *Ioan.* 18. Pater maior me eſt: Vt *Pſal.* 8. Minoratus paulò minus ab Angelis. Numquid audetis dicere in Diuinitate eſſe Angelis minorem? *Cap.* 9. Credimus eum in ſuſceptione hominis minorem: in Diuinitate, Patri æqualem. *Cap.* 11. Contra Iudæos. *Deut.* 17. In ore duorum teſtim. &c. *Eſa.* 7. Vt ſupra. *Baruch.* 3. Hic eſt Deus noſter, &c. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Cap.* 12. *Dan.* 13. Cùm venerit ſanctus Sanctorũ, ceſſabit vnctio, &c. *Si non venit, demonſtrate vnctionem veſtram. Dan.* 2. Ipſe eſt lapis abſciſſus de monte ſine manibus, qui tantùm creuit vt mons magnus fieret, & impleret terram. De quo *Eſa.* 2. *Pſal.* 67. *Cap.* 13. *Deut.* 18. Prophetam vobis excitauit Deus de fratribus veſtris, &c. *Pſal.* 2. Quare tumultuatæ ſunt gentes, &c. aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius. *Pſal.* 71. Adorabunt eum omnes Reges terræ. Omnes gentes ſeruient illi. *Pſal.* 109. Dixit Dominus Domino meo, &c. *Abac.* 3. Domine audiui auditum tuum & timui: Conſideraui opera tua, & expaui, in medio duũm animalium. *Eſa.* 11. Agnouit vos poſſeſſorem ſuũ, & aſinus præſepe Domini ſui. In medio duum animalium cognoſceris. ] De quo textu infra. *Cap.* 14. Contra eoſdem, ex *Luc.* 1. 2. 3. *Marc.* 1. *Ioan.* 1. 5. *Act.* 13. *Cap.* 15. Ex *Virgilio, Eccloſ.* 4. *Iam noua progenies cælo demittitur alto, &c.* Nonne Chriſto teſtimonium perhibebat? Cap. 16. ex Sybilla. *Iudicij ſigno tellus ſudore madeſcet. E cælo Rex adueniet per ſecla futurus. Scilicet in carne præſens vt iudicet orbem, &c.* De duplici aduentu Chriſti, per 24. verſus: quorum litteræ initiales græcè ſimul reddunt Ieſus Chriſtus Filius Dei Saluator. De paſſione autem, morte, & Reſurr. Chriſti. *In manus iniquas infidelium poſtea veniet. Dabunt Deo alapas manibus inceſtis, &c.* per verſ. 17. *Cap.* 17. Ex teſtimonijs miraculoſis creaturarum, quæ Chriſto paruerunt. *Cap.* 18. Ex irritis & conuictis fallacijs ac calumnijs Iudæorum in Chriſtum, &c.

Pluribus alijs libris & Epiſtolis agit *B. Aug.* diſtinctè contra Paganos, Iudæos, & hæreſes ſui temporis: vt patet ex indice *Poſſidij à c.* 1. *ad* 6. Sed Serm. 31. *De verbis Apoſt.* conuincit omnes hæreticos eſſe Antichriſtos, ſeu eorum hæreſes negare Chriſtum. Ex illo 1. *Ioan.* 2. *Nunc Antichriſti multi facti ſunt, &c. Qui negat quoniam Ieſus non eſt Chriſtus: hic eſt Antichriſtus, &c.* Cap. 4. *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Nam *Cap.* 1. Videmus multas hæreſes confiteri Chriſtum in carne veniſſe: & tamen nõ eas poſſumus dicere ex Deo eſſe. Negat Chriſtũ in carne veniſſe: *Manichæus, &c. c.* 22. Sed *Arrianus, Eunomianus, Sabellianus, Photinianus, Donatiſta, Pelagianiſta,* conuincẽdi ſunt quòd non confiteantur Chriſtum in carne veniſſe, Quomodo confiteri poteſt in carne veniſſe Ieſum Chriſtum, qui negat ipſum Chriſtum? Quis enim eſt Chriſtus? *Matt.* 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui. Cap.* 3. Dicat nunc *Arrianus* vtrum confiteatur Chriſtum in carne veniſſe. Si filium Dei negat Chriſtum, neſcit Chriſtum: alium pro alio dicit, non ipſum dicit. *Cap.* 4. Filium quærimus naturâ, non gratiâ: filium vnigenitum, non adoptatum, &c. *Qui non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo, &c. Phil.* 2. Non erat ei rapina, ſed natura. *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens:* non formam Dei amittens. Hoc eſt confiteri Chriſtum in carne veniſſe. *Arrianus* autem qui non confitetur æqualem, non confitetur filium, nec Chriſtum, &c. *Cap.* 5. Sic & *Eunomius*, qui nec Chriſtum ſimilem Patri confitetur, &c. Qui ergo negat æqualem & ſimilem, negat Chriſtum in carne veniſſe, &c. *Sabellianum* audi: Ipſe eſt filius qui & Pater, &c. Si hunc Chriſtum dicis in carne veniſſe: non eſt iſte Chriſtus. Quid dicis *Photine*? Ait *Chriſtus eſt homo, non Deus.* Et tu negas Chriſtũ in carne veniſſe. *Donatiſta* quid? *Cap.* 6. De illis ſubtilior diſputatio eſt, qui confitentur vnigenitum filium æqualẽ Patri: & tamen *Donatiſtæ* ſunt. Dicamus eis: *Verbis confitemini, factis negatis, &c.* Quid eſt factis negare? Superbire, & ſchiſmata facere, &c. Vnitatẽ quippe amat Chriſtus. Ecce quomodo & ipſi Chriſtum negant, &c. Nos eum dicimus Chriſtum, qui habet ſponſam Eccleſiam, &c. *Cap.* 7. Si tu dicis, Chriſtus eſt ſponſus partis *Donati*: ego lego eſſe ſponſum Eccleſiæ toto orbe diffuſæ. Si dicis ipſe eſt, & non eſt ipſe: negas Chriſtum in carne veniſſe. *Cap.* 8. Quid dicis *Pelagianiſta*? Dicis Chriſtum Saluatorem eſſe maiorum, non minorum, &c. Non eſt ipſe: negas & tu Chriſtum in carne veniſſe. Etiam omnes mali Catholici verbis confitentur Chriſtum in carne veniſſe, factis autem negant.

## *Appendix aliarum hæreſum contra Chriſtum.*

1. *Timotheanorum*: quòd in Chriſto Natura Diuina & humana fuerint confuſæ & conflatæ in vnam.

Q 2. Na-

Digitized by Google

2. *Neſtorianorum*, à Neſtorio quondam Patriarcha Conſtant. quòd in Chriſto fuerit Perſona diuina, & humana: Nec Chriſtus fuerit Deus in vtero Virginis Mariæ, ſed poſtea; nec hæc ſit mater Dei, ſed ſolius huius hominis Chriſti; nec Deus homo, mortuus, & ſepultus ſit, ſed ſolus homo.

3. *Eutychianorum*, ab *Eutyche* Præsbytero Cõſtant. Cuius fautor fuit *Dioſcorus* tunc Patriarcha Alexandrinus. & poſtea eiuſdem hæreſis ſequaces quidam *Acephali*: quòd Chriſtus fuerit vnius perſonæ & naturæ, humanâ in diuinam, vel in tertiam conuerſâ per vnionem.

4. *Monothelitarum*, negantium in Chriſto voluntatem humanam, & conſequenter naturam; à *Sergio* & eius ſucceſſoribus Patriarchis Conſtant. & à quodam *Machario* Anthiocheno. Contra *Matt.* 26. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. *Phil.* 2. Factus obediens, &c. Vt patet ex 6. Synodo Conſtantinopol. Vbi inter alia refertur *Act.* 14. præſumptio & pertinacia cuiuſdam *Polychronij Monothelitæ*, Monachi & Presbyteri: qui citatus ad Conc. expoſuit confeſſionem ſuam ſuper cadauere mortui, ad eum vitæ reſtituẽdum, in confirmationem pſeudofide: Cum tamen ad vanas & longas eius preces non reſurgeret: faſſus quidem eſt ſe non poſſe mortuum ſuſcitare; ſed nec ideo voluit ab errore ſuo ad fidem catholicam conuerti.

5. Olim cuiuſdam *Baſſi*, ſed diu poſt *Petri Abaillardi*; quòd Chriſtus non redemerit homines, nec filius Dei ad hoc ſit factus homo, nec vnquam homo fuerit aut ſit ſub poteſtate diaboli. Contra totam ſacram ſcript. noui Teſt. & ſacra Concilia, ac prima principia fidei Chriſtianæ. Vt patet ex *S. Bern. Epiſt.* 109.

6. Fuit eiuſdem *Petri Abaillardi*, quòd in Chriſto non fuerit ſpiritus timoris Domini: contra expreſſã ſcript. *Iſa.* 11. Vt patet ex eadem *Epiſt. S. Bern.*

7. Cuiuſdam Petri Ioannis, quod Chriſtus adhuc viuus fuerit lancea transfixus: cõtra expreſſum textum *S. Script. Ioan.* 19. Vt definit Concil. Vienn. ſub Clemente 5.

8. Quòd Chriſtus non reſurrexerit & aſcenderit in cœlum cum vero corpore: contra tam expreſſa teſtimonia eiuſdem corporis Chriſti quoad ſubſtantiam, tam poſt reſurr. quàm ante.

9. *Lutheranorum* vbiquitariorum, ſeu tribuentum naturæ humanæ Chriſti vbiquitatem cum ſua natura diuina. Contra quos in 4. à col. 345.

10. *Caluiniſtarum*, negantium verum Chriſti deſcenſum ad inferos: ſed tantùm ad propriam paſſionem ipſius deſperationis damnatorum.

11. Eorundem, negantium veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia, & proprietatem verborum eius.

12. Omnium Hæreticorum, negantium verum corpus Chriſti myſticum, ſeu veram eius Eccleſiã, aut verum ſenſum verborum Chriſti, &c. Vt *B. Aug.* ſupra reducit omnes hæreſes contra Chriſtũ.

## *Difficultates Dogmaticæ.*

1. **D***eut.* 21. Maledictus eſt à Deo qui pendet in ligno. Ergo et Chriſtus eſſet maledictus. *Reſp.* ex *Gal.* 3. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: vt *Deut.* 21. Id eſt ex *B. Aug. lib.* 14. contra hanc ipſam calumniam Fauſti. *Cap.* 4. Quid miratur Fauſtus maledictum eſſe peccatum, maledictam eſſe mortem, & mortalitatem ex peccato? *Gal.* 3. Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum .i. mortuus eſt. *Cap.* 5. Cur timeret Moyſes dicere maledictum: quod Paulus non timuit dicere peccatũ .i. quaſi reum, & pœnam peccati noſtri. Vt ad *Rom.* 8. & 2. *Cor.* 5.

2. Ex lib. 15. *B. Aug.* contra Fauſtum cap. 1. Fauſtus dixit inter alia. *Iudæo ſi quis credat, Adoneus debet videri defunctus: gentili verò, idolum, &c.*

*Reſp.* Ex *B. Aug. cap.* 9. Ne Adonæum quaſi adulterum reformidans, cum verſutiſſimo ſerpente adultero remaneas. *Adonai* enim verbum hebræũ eſt .i. Dominus, eo modo quo ſolus Deus dicitur Dominus; ſicut *latria* eſt ſeruitus qua ſoli Deo ſeruitur; *Amen* eſt verum in ſola religione. Vnde patet illam calumniam Fauſti eſſe ex confuſione hebraïci nominis Dei *Adonai*, cum *Adonide* gentilium, vt defuncto, vel eius Idolo.

3. *B. Aug.* ſuprà citat ex *Eſa.* 1. *Habacuc.* 3. de Chriſto. *In medio duũm animalium cognoſceris*: Pro, *In medio annorum notum facies.* Ergo & plura ſimilia poſſunt eſſe ſuppoſitia. *Reſp.* Non poteſt hoc eſſe ſuſpectum de ſuppoſitione, aut fraude: quia ſic verterunt 70. ex Hebræo in græcum ante Chriſtum, & Criſtianiſmum; ſiue ex varia punctuatione eorundem nominum hæbraicorum; ſiue authoritate prophetica, quam eis tribuit *B. Aug. Lib.* 2. *doct. Chriſt. cap.* 15. *Lib.* 2. *De Conſ. Euang. cap.* 66. *Lib.* 18. *Ciu. cap.* 43. Spiritus, *inquit*, qui in Prophetis erat quando illa dixerunt: idem ipſe erat in 70. viris quando illa interpretati ſunt. Hinc ſaltem patet quàm procul ſit Chriſtianiſmus ab omni abuſu ſacræ Script. ad ſuum intentum: cùm potiùs ſequatur editionem vulgatam, quàm illam ex 70.

4. Chriſtus ſæpè negat ſe eſſe verè, & propriè Deum aut filium Dei. Vt *Matt.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18. Cum vocaretur *Magiſter bonus*, reſpondit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Matt. 24. Marc. 13. *De die illo, vel hora, nemo ſcit, neq; Angeli, neq; filius, niſi ſolus Pater.* Ioan. 5. *Non poſſum à meipſo facere quicquam.* Cap. 7. *Mea doctrina non eſt mea; ſed eius qui miſit me.* Cap. 10. Cum Iudæi vellent eum lapidare, quia dixerat ſe filium Dei: excuſauit ſe ex illo *Pſal.* 81. *Ego dixi dij eſtis. Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt: quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum?*

Resp. Imò quod ſupra toties profitetur, hoc etiam his locis inſinuat. Nam non improbat ſe vocari bonum: ſed ex bono ſimpliciter, indicat ſe eſſe Deum. Nec negat ſe ſcire diem iudicij, cognitione diuina, & humana: ſed à ſeipſo, vel communicabiliter. Nec negat ſe poſſe quicquid poteſt Pater: ſed non niſi à Patre. Nec negat doctrinam ſuam eſſe ſuam: ſed nonniſi à Patre generante. Nec denique excuſat ſe à proprio nomine filij Dei: ſed potius id ſibi appropriat præ omnibus alijs tantùm participibus, & adoptiuis.

5. Nec

Digitized by Google

5. Nec Euangeliſtæ inter ſe, nec cùm veteri Teſt. in multis conueniunt. Vt *Matt.* 1. & *Luc.* 3. de genealogia Chriſti. *Matt.* 2. De nomine Nazarei, quaſi prædicto per Prophetas. *Matt.* 12. De tribus diebus & tribus noctibus Chriſti in ventre terræ: ſicut fuit *Ionas* in ventre Ceti. *Matt.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ioan.* 18. De triplici negatione Chriſti à *S. Petro*. *Matt.* 27. De empto agro ex 30. argenteis, quaſi prædicto à *Ierem.* Propheta. *Matt.* 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. & *Ioan.* 19. De hora tertia, vel ſexta crucifixionis Chriſti, &c. *Reſp.* ex *B. Aug. lib.* 1. *quæſt. Euang. q.* 7. Tres dies & noctes ſepulturæ Chriſti verificari ſynecdochicè. *Lib.* 2. *q.* 5. *Matt.* 1. & *Luc.* 3. De genealogia Chriſti, non poſſe conciliari per eundem binomium Patrem *S. Ioſeph*: ſed vel per generationem ab vno, & adoptionem ab alio; vel per legem, *Deut.* 25. ſuſcitandi ſemen ſeu filium fratri defuncto; vel per Patres proximos aut remotos. Sed potiùs ex *libris* 4. *B. Aug.* De conſenſu Euang. *Lib.* 1. *c.* 35. Quicquid Chriſtus de ſuis factis & dictis nos legere voluit, &c. Hoc ſcribendum Euangeliſtis tanquam ſuis manibus imperauit. Hoc quiſquis intellexerit, non aliter accipiet quod in Euangelio legerit, quàm ſi ipſam manum Domini ſcribentem conſpexerit. *Lib.* 2. *cap.* 3. Non eſſet alienum à veritate, ſi *Lucas* ab illo eſſe *Ioſeph* genitũ diceret, à quo fuerat adoptatus. Etiam ſic quippe genuit eum: non vt homo eſſet, ſed vt filius eſſet. De quo ſupra. *Cap.* 5. Alter Euangeliſta ea dicit, quæ alter tacuit. *Cap.* 12. Quod alius alium ordinem verborum tenet: non eſt vtique contrarium. Nec ſi alius dicit, quod alius prætermittit. *Vt quiſq; meminerat, vt cuiq; cordi erat* .i. ex Dei ſuggeſtione: *ita eandem explicaſſe ſententiam manifeſtum eſt*. Quiſquis autem dicit Euangeliſtis id debuiſſe concedi, vt nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero diſcreparent: non intelligit quantò amplius Euangeliſtarum excellit authoritas, tantò magis per eos eſſe firmandam cæterorum hominum vera loquentium ſecuritatem. *Infra*. Non eſt mendacium cùm quiſque etiam dicens aliquid aliud quod ille non dixit de quo narrat, hanc tamen voluntatem eius explicat: *Cap.* 14. Diuerſitas ad hoc vtilis eſt, ne vno modo dictum minùs intelligatur. *Cap.* 21. Quia in nullius poteſtate eſt quid priùs poſteriùſue veniat in mentem, &c. Satis probabile eſt quòd vnuſquiſque Euangeliſta eo ſe credidit ordine debuiſſe narrare, quo voluiſſet Deus ſuggerere, &c. *Cap.* 28. Per locutiones varias, ſed non contrarias, diſcimus nos nihil in cuiuſque verbis debere inſpicere, niſi voluntatem cui debent verba ſeruire, &c. *Cap.* 42. Neceſſarium eſt aduertere eos non neſcientes aliquid prætermiſiſſe, aut alium ordinem tenuiſſe. *Cap.* 46. Ex varietate verborum, & rerum concordia, ſatis apparet nil quærendum in verbis niſi loquentium voluntatem. *Cap.* 62. Cùm voluntas loquentium eadem ſit, &c. nihil intereſt quam diuerſus inter illos fuerit narrãdi modus. *Cap.* 66. Ne putemus quaſi conſecratis ſonis ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis vt rem ipſam, ſic & verba commendet: Cùm potiùs ita res ſermonibus præferatur, vt iſtos quærere non deberemus, ſi eam ſine his noſcę poſſemus.

*Lib.* 3. *c.* 1. Quòd *Luc.* 22. de Calice bis commemorauit, &c. illud præoccupauit, vt ſolet. *Cap.* 2. Tota *Petri* negatio trina eſt, &c. Quamuis verbis negantis ante primum cœpta, ante 2. galli cantum peracta ſit: tamen affectione animi, & timore *Petri*, ante primum tota concepta eſt. Nec intereſt quantis morarum interuallis trina voce nuntiata ſit: cùm cor eius etiam ante primum galli cantum tota poſſederit; tam magna ſcilicet formidine imbibita, vt poſſet non ſolum ſemel, ſed iterum, & tertiò Dominum interrogatus negare. Si cui diceretur: Hac nocte antequam gallus cantet, mihi ſcribes epiſtolam in qua mihi ter conuitiaberis: non vtique ſi eam ante inciperet, & poſt primum galli cantum finiret, ideò falſum eſſet prædictum. *Cap.* 7. De 30. argenteis *Matt.* 27. poſſemus dicere potiùs credendum eſſe codicibus qui *Ieremiæ* nomen non habent. Dictum eſt enim *Zach.* 11. Sed quia plures codices habent nomen *Ieremiæ*, &c. intelligendum eſt hoc actum eſſe ſecretiore conſilio Dei. 1. Ad inſinuandum, ita omnes Prophetas vno ſpiritu locutos, &c. & ideò ſingula eſſe omnium, & omnia ſingulorum. 2. Quia *Ier.* 32. Emit agrum à filio fratris ſui: non tamen 30. argenteis; qui exprimuntur, *Zach.* 11. ſine emptione agri. *Cap.* 13. Credatur Chriſtum hora 3. crucifixum lingua Iudeorum, & 6. manibus militum. *Infra*. Cùm illi ſancti & veraces viri, quaſi fortuita recordationum ſuarum occultè Dei poteſtati commiſſent, &c. ſic gubernauit corda reminiſcentium, &c. vt per hæc ipſa quæ in eis contraria videri poſſunt multi excœcarentur dignè traditi in reprobum ſenſum, & multi exercerentur ad elimandum pium intellectum, &c. Moneo autem eos qui hæc legunt, vt huius in omni ſimili difficultate meminerint, &c.] Ex quibus regulis facilè omnia reſolui poſſunt. Vt illud *Matt.* 2. Dictum eſt per Prophetas: *Quoniam Nazaræus vocabitur* .i. hoc fuit intentum Prophetarum, quoad rem hoc nomine ſignificatam.

6. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt: Ergo nec anima humana, nec homo. *Phil.* 2. Formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo: Ergo non verè homo. *Reſp. ad.* 1. Synecdochicè. *Ad.* 2. De formæ eſſentiali. Vt *q.* 2. ex *B. Aug.*

---

# QVÆSTIO II.
## SCHOLASTICA.

*Quomodo hæc fides Chriſtiana, ſeu de Chriſto, ratione intelligi, & credibiliter explicari poſſit.*

RESP. Nulo modo ex reprobatis & anathematizatis ſupra .i. Nec per confuſionem inter naturam aut Perſonã Diuinam, & humanam: nec per conuerſionem naturæ Diuinæ in humanam, nec humanæ in Diuinam, nec vtriuſque in tertiam: nec per vnionem Perſonæ humanæ cum Natura vel Perſona Diuina, ſiue ab inſtanti con-

ceptionis, ſiue poſt; nec per informationem naturæ humanæ à natura aut perſona diuina;nec per ſolam vnionem naturæ cum natura; nec per ſolam perfectionem humanæ naturæ à diuina, ſeu per vllam participationem intrinſecam perfectionis diuinæ, nec per vllam aſſimilationem realem vel obiectiuam; nec per vllam extaſim ſeu tranſformationem contemplatiuam, intellectualem, vel affectiuam. Sed per quandam vnionem ſubſtantialem & hypoſtaticam ſolius naturæ humanæ Chriſti, ad ſolam Perſonam Verbi Diuini: quâ hæc natura eſt verè & propriè natura huius Perſonæ, eamque afficit omni veritate, proprietate, & denominatione naturæ humanæ, & ab ea ſola dependet in ſubſiſtendo; non vt à ſubiecto, nec vt à cauſa; ſed vt natura à ſuo ſuppoſito, ſeu à termino & fine proprio, excipiente & terminante totam formalitatem ſuæ naturæ. Quæ vnio quò ſupernaturalior, eò explicatu difficilior: non tamen inexplicabilis, ſed pluribus modis, ad vnum eundemque modum perfectiorem conferentibus.

1. Ex Symbolo *S. Athanaſij*. Qui licet Deus ſit & homo: non duo tamen; ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus autem, non conuerſione Diuinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in Deū. Vnus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate Perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.] Non quòd hæc comparatio ſit ad æqualitatem, nec ad omnem ſimilitudinem: ſed ſaltem ad hanc. Quòd vt anima rationalis & caro, quantumuis diſtent perfectione, poſſunt tamen naturaliter vniri in vnam eandemque naturam & perſonam humanam, ſalua vtriuſque diſtinctione, & perfectione: ſic & ſupernaturaliter, natura Diuina & humana Chriſti, in vnam, eandemque Perſonam Diuinam Verbi ſeu Filij Dei, abſque vlla confuſione, conuerſione, vel imperfectione naturæ & Perſonæ Diuinæ. Sed non vt anima vnitur corpori per informationem & compoſitionem: ſic natura humana Perſonæ Chriſti.

2. Ex *S. Aug. lib. De fide & Symbolo*, *cap.* 4. Quoniam Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: eadem Sapientia quæ de Deo genita eſt, dignata eſt etiam in hominibus creari. *Sap.* 8. Dominus creauit me, &c. in principio viarum ſuarum, quod eſt Chriſtus homine indutus, &c. Qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum euacuauit formam ſerui accipiens, *Phil.* 2. vt crearetur homo in principio viarum eius. *Infra*. Si quis tenuerit Catholicam fidem: totum hominem credat eſſe ſuſceptum à Verbo Dei .i. Corpus, Animam, Spiritum. Quippè cum iſta ſuſceptio pro ſalute noſtra geſta ſit: cauendum eſt ne cùm crediderit aliquid noſtrum non pertinere ad iſtam ſuſceptionem, non pertineat ad ſalutem. Et cùm homo, excepta forma membrorum, non diſtet à pecore niſi rationali ſpiritu: quomodo ſana eſt fides qua creditur quod id noſtrum ſuſceperit Sapientia Dei, quod habemus commune cum pecore, non autem illud quod illuſtratur luce Sapientiæ, & hominis proprium eſt? Deteſtandi etiam illi ſunt qui D. N. I. Chriſtum Matrem MARIAM in terris habuiſſe negant: cùm illa diſpenſatio vtrumque ſexum honorauerit, &c. virum gerendo, naſcendo de fœmina. Nec nos ad negandam Chriſti Matrem cogit *Ioan.* 2. Quid mihi & tibi eſt mulier? Sed potiùs admonet eum vt Deum non habuiſſe Matrē, &c. Nec iſtud nos moueat, *Matt.* 12. Quæ mihi mater, aut qui fratres? Sed potiùs doceat miniſterium verbi Dei cùm parentes impediunt, non eos debere cognoſci, &c. Nam & *Matt.* 23. Nolite vobis Patrem dicere in terris, &c. Nec nobis fidem iſtam minuat cogitatio muliebrium viſcerum, &c. quia ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus, & omnia munda mundis, &c. Cùm enim lux viſibilis natura ſua ſit coniunctior ſordibus, nec tamen inde ſordeſcat: quantò minùs poterat pollui Verbum Dei de fœmineo corpore, vbi humanam carnem ſuſcepit cum anima, & ſpiritu, quibus habitat maieſtas Verbi ab humani corporis fragilitate ſecretiùs. *Cap.* 5. De fide paſſionis, crucifixionis, mortis, ſepulturæ, & Reſur. Chriſti. *Vt in illo monumento nullus alius mortuus ſepultus eſt: ſic nec in illo vterò alius conceptus. Cap.*6. De fide Aſcenſionis Chriſti. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale*, 1. *Cor.* 15. Non quaſi corpus vertatur in ſpiritum, ſed ſpiritui ſubditum.

*Quæſt.*73. ex 83. Phil. 2. *Habitu inuentus vt homo.* Multis modis habitū dicimus. 1. Habitum animi. 2. Habitum corporis. 3. Habitum exteriorem, &c. Habitus ergo in ea re dicitur, quæ in nobis vt habeatur accidit. Quidam habitus non mutantur à nobis, ſed nos mutant: vt ipſa Sapientia. Quidam mutant & mutantur: vt cibus amittens ſpeciem ſuam in corpus noſtrum vertitur, &c. Quidam mutantur vt habitum faciant, & formantur ab eis quibus habitum faciunt, &c. Vt veſtis induta accipit formam quam non habebat exuta: cùm ipſa membra in ſuo ſtatu maneant. Quidam cùm accidunt ad faciendum habitum, nec mutant nec mutantur: vt annulus in digito, ſi non nimis ſubtiliter attendatur, &c. Cùm ergo Apoſt. *Phil.* 2. dixit Chriſtum, vt Deum eſſe *æqualem Patri*, nec fuiſſe ei *tanquam rapinam* .i. quaſi alienum appetere, ſi nollet hominem indui, &c. *Sed ſemetipſum exinaniuit*: non formam ſuam mutans, *ſed formam ſerui accipiens*; neque conuerſus in hominem, ſed tanquam verum hominem ſuſcipiendo, *in ſimilitudinem hominum factus*; non ſibi, ſed quibus apparuit *habitu inuentus eſt vt homo* .i. habendo hominem inuentus vt homo. Non enim poterat inueniri Deus ab his qui cor immundum habebant. Iſte autem habitus non eſt ex 1. genere, neque ex 2. neque ex 4. ſed potiùs ex 3. Sic enim aſſumptus eſt homo, vt commutaretur in melius, & à Deo formaretur ineffabiliter excellentiùs atque coniunctiùs, quàm veſtis cùm ab homine induitur. Hoc ergo nomine *habitus, in ſimilitudinem hominis factus*, non transfiguratione in hominem, ſed habitu factus eſt, cùm indutus eſt hominem: quem ſibi vniens quodammodo, atque conformans, immortalitati, æternitatique ſociaret, &c. Hunc habitum Græci *ſchema* vocant: & ſic Apoſt. *Phil.* 2. Quo nomine oportet intelligi non mutatum eſſe Verbum ſuſceptione hominis, ſicuti nec membra

veſte

Digitized by Google

veſte induta mutantur: quanquam illa ſuſceptio ineffabiliter ſuſceptum ſuſcipienti copulauerit. Sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari poſſunt: ne mutatus intelligatur Deus, electum eſt vt græcè *Schema*, latinè diceretur habitus, illa ſuſceptio.

*Lib. De Agone Chriſtiano cap.* 11. Poterat aliter ſapientia Dei homines liberare: ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret. Diſplicet auaris, quia non aureum corpus habuit. Diſplicet ſuperbis, quòd contumelias patienter pertulit. Diſplicet delicatis, quia cruciatus eſt. Diſplicet timidis, quia mortuus eſt, &c. *Cap.* 17. Contra negantes diuinitatem Chriſti. *Cap.* 18. Contra negantes veram humanitatem, & corpus Chriſti. *Si viſibilia munda, immundis contingi poſſunt, & non inquinari: quantò magis inuiſibilis veritas, per ſpiritum animam, & per animam corpus ſuſcipiens, toto homine aſſumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla ſua contaminatione liberauit?* Quo ſenſu *per, &c.* infra. *Cap.* 19. Contra negantes Chriſto veram animam & mentem humanam. *Si execrandi ſunt qui negant eum humanum corpus habuiſſe, &c. Non erubeſcunt qui negant eum habuiſſe quod eſt optimum in homine?* *Cap.* 20. Contra negantes veram vnionem hypoſtaticam. *Nec eos audiamus qui ſic dicũt ab illa æterna ſapientia ſuſceptum eſſe hominem qui de Virgine natus èſt; quomodo & alij homines ab ea ſapientes ſiunt. Neſciunt enim proprium illius hominis Sacramentum; & putant hoc ſolum eum amplius habuiſſe quòd de Virgine natus eſt. Quod ipſum credant præter ceteros meruiſſe: quia aliquid propriũ habet etiã ipſa ſuſceptio. Aliud eſt enim ſapientem tantũ fieri per ſapientiãDei: & aliud eſt ipſamPerſonã ſuſtinere ſapientiæ* .i. gerere perſonam ſapientiæ; non quaſi alienã ſed propriam. Vt Rex vel Princeps ſuſtinet ſeu gerit perſonam propriam Regis vel Principis. *Quamuis enim eadem natura ſit corporis Eccleſiæ: multum tamen diſtat inter Caput & membra. Si enim Eccleſiæ Caput eſt homo ille cuius ſuſceptione Verbum caro factum eſt, &c. Membra cætera ſunt omnes ſancti, &c. Quomodo ergo anima totum corpus noſtrum animat & viuificat: ſed in capite per omnes ſenſus, in cæteris membris tangendo tantùm, & ideo capiti cuncta ſubiecta ſunt ad operandum, illud autem ſupra collocatum eſt ad conſulendum; quia ipſius animæ quæ conſulit corpori, quodammodo perſonam ſuſtinet caput.* Sic & Chriſtus, &c. Vbi per *quodammodò*, ſatis indicat quod caput non tam propriè ſuſtineat perſonam animæ, quàm Chriſtus perſonam ſapientiæ Dei, ſed tantùm repræſentet. Quæ comparatio non ſolum intenditur à *B. Aug.* de Chriſto, ad perfectionem operandi ſapienter; ſed etiam exiſtendi ipſam Perſonam ſapientiæ Dei. Quamuis enim propriè nec anima ſit perſona, nec caput gerat perſonam animæ, nec anima ſubſtantialiùs vniatur capiti, quàm reliquis membris: hæc tamẽ comparatio quantumuis inæqualis, videtur omnium ſimillima; quia vt videtur anima ſingulariter reſidere ac præſidere in capite, ſic non ſolùm videtur, ſed verè realiter ac perſonaliter Sapientia Dei reſidet ac præſidet in Chriſto homine. Quod *Col.* 2. ſignificatur, per *plenitudinem diuinitatis habitare in Chriſto corporaliter:* Subdit *Aug.* Propterea verbũ non ſic aſſumpſit illum hominem, vt cæteros ſanctos: ſed multò excellentiùs, multoque ſublimiùs, &c. Quaproptèr aliter ſunt ſapientes cæteri homines: aliter *Chriſtus Ieſus*, qui ſapientiæ ipſius non ſolum beneficium habet, ſed etiam *Perſonam gerit.* De cæteris enim dici poteſt, quòd habeant in ſe Verbum Dei: ſed in nullo *Verbum caro factum eſt*, niſi in *Ieſu Chriſto. Cap.* 21. Iterum contra negantes Chriſto omnem animam. Verbum caro factum eſt, *Ioan.* 1. quia ſola caro potuit apparere, &c. *C.* 22. Iterum contra negantes Chriſto corpus ex matre; *Quia*, inquiunt, *Potuit aſſumere corpus vt Spiritus Sanctus. Non enim & Columba illa de Ouo nata eſt.*

Resp. Ibi legimus Spiritum ſanctum in ſpecie Columbæ apparuiſſe, vbi legimus Chriſtum natũ eſſe de fœmina. *Matt.* 3. *Luc.* 2. Spiritus ſanctus non eſt natus de columba: quia non columbas liberare venerat, vt Chriſtus homines, in quibus ſunt mares & fœminæ, &c. Huc accedit quòd vt per fœminam nobis mors acciderat, vita nobis per fœminam naſceretur, &c. Nec dicimus ſolum Chriſtum verum corpus habuiſſe: Spiritum S. fallaciter apparuiſſe; ſed ambo illa corpora vera credimus. Sicut enim nõ oportebat vt homines falleret filius: ſic nec Spiritus ſanctus. *Cap.* 32. Contra negantes veram paſſionem & mortem Chriſti. *Dicunt, ſi paſſus eſt, mutabilis eſt: ſi mutabilis, creatura eſt*: ſed aliud eſt eſſe creaturam, aliud ſuſcipere creaturam, &c. Vt Martyres paſſos & mortuos dicimus in corporibus, ſine animarum morte: ſic Filium Dei ſine aliqua diuinitatis commutatione. *Cap.* 24. Contra negantes Reſurr. Chriſti in eodem corpore. Nec nos moueat quod clauſis oſtijs ſubitò apparuerit *Ioan.* 20. Omnia enim poſſibilia ſunt Deo, &c. *Matt.* 19. Poſt Reſurr. ſuam de corpore ſuo fecit quod voluit. Si enim id potuit ante clarificare: quare non potuit ad quantam vellet ſubtilitatem in momento redigere, vt per clauſa oſtia poſſet intrare? *Cap.* 25. Contra negantes Aſcenſionem Chriſti in proprio corpore: *quia* Ioan. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit.* Non intelligunt quoniam corpus non aſcendit in cælum: ſed leuatum eſt, ab eo qui aſcendit.

*Lib. contra ſerm. quendam Arianorum. Cap.* 8. Vnus Chriſtus eſt, & Dei filius ſemper naturâ, & hominis filius qui ex tempore aſſumptus eſt gratiâ: nec ſic aſſumptus eſt, vt priùs creatus, poſt aſſumeretur; ſed vt ipſa aſſumptione crearetur. Propter iſtam vnitatem Perſonæ in vtraque natura, & filius hominis dicitur deſcendiſſe de cœlis *Ioan.* 3. & filius Dei dicitur crucifixus 1. *Cor.* 2. Hanc vnitatem perſonæ, ſic ex vtraque natura conſtantem, vt quælibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, & diuina humanæ, & humana diuinæ: oſtendit Apoſt. *Phil.* 2. Apparet ipſe Chriſtus geminæ Gigas ſubſtantiæ: ſecundum quid obediens, ſecundum quid æqualis Deo, ſecundum quid filius hominis, ſecundùm, quid filius Dei. *Epiſt. ad Dardanum q.* 2. Deus vbique totus præſens eſt, nec vbique habitans: ſed in templo ſuo, cui per gratiam ſuam benignus eſt, & propitius. Capitur autem habitans, ab alijs plus, ab alijs minùs. In ipſo autem Capite noſtro habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *Coloſſ.* 2.



Digitized by Google

Quia in Chriſti corpore quod aſſumpſit ex Virgine tanquam in templo habitat Deus, &c. An præter hoc eſt aliud ? Eſt planè : quòd ſingulari quadam ſuſceptione hominis illius vna facta eſt Perſona cum verbo, &c. Singularis eſt ergo illa ſuſceptio, &c. Quis enim tam ſit ſacrilegus, vt audeat affirmare aliquem poſſe per meritum liberi Arb. efficere vt alter ſit Chriſtus? Vt ergo ad Perſonam Verbi pertineret: quo pacto vna ſola anima meruiſſet, niſi hoc ſingularis gratia præſtitiſſet ?

*Enchir*. 34. Quis explicet quòd *Verbum caro factum eſt*? Carnem porro hîc hominem debemus accipere, à parte totum. Lege *Epiſt*. 3. *Cap*. 35. Chriſtus Ieſus Dei filius eſt, & Deus, & homo, &c. *Cap*. 36. Hîc euidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Chriſto meruit : vt in vnitatem perſonæ vnici filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta ? Vt intelligant homines per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis, per quam factum eſt vt homo Chriſtus nullum poſſit habere peccatum. *Cap*. 37. Quod eſt de Spiritu ſancto, quid aliud quàm ipſa gratia demonſtratur ? *Cap*. 38. Cùm illam creaturam quam virgo concepit & peperit, quamuis ad ſolam Perſonam filij pertinentem, tota Trinitas fecerit : cur ſolus ſpiritus nominatur? Quia per vnum trium, tres intelliguntur, &c. Non ſic de Spiritu ſancto, vt de Patre : ſed de V. M. vt de Matre. *Cap*. 40. Modus iſte quo natus eſt Chriſtus de ſpiritu ſancto non ſicut filius, & de Maria V. ſicut filius, inſinuat nobis gratiam Dei : qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipſo exordio naturæ ſuæ quo eſſe cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam perſonæ vnitatem; vt idem ipſe eſſet filius Dei qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei, ac ſic in naturæ humanæ ſuſceptione fieret quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum poſſit admittere. *Cap*. 41. Nullâ igitur voluptate carnalis concupiſcentiæ conceptus, & ideo nullum peccatum originaliter trahens : Dei quoque gratia, Verbo Patris vnigenito, non gratiâ filio ſed naturâ, in vnitate perſonæ modo mirabili & ineffabili adiunctus & concretus, & ideo nullum peccatum committens; tamen propter ſimilitudinem carnis peccati in qua venerat, dictus eſt & ipſe peccatum, ſacrificandus ad diluenda peccata. *Cap*. 61. Eccleſia quæ peregrinatur in terris, ſanguine Redemptoris ab omni redempta eſt peccato. *Rom*. 8. Non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus : ſed ideo etiam pro Angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, & ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. *Cap*. 62. Nouerunt Angeli beati quanti numeri ſuplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. *Eph*. 1. *& Coloſſ*. 1.

*Libro contra Felicianum de vnitate Trinitatis*. *Cap*. 10. Saluatorem noſtrum non confundo, nô diuido. Impaſſibilis in ſuo, paſſus in noſtro, &c. Vna Mediatoris Perſona, non vna ſubſtantia, &c. Quibus in vnam perſonam coniunctis ſeruauit ſingulis propria, ſed coniunxit proprijs aliena, &c. *Cap*. 12. Fingamus, ſicut plærique volunt, eſſe in mundo Animam generalem, quæ ſic ſemina cuncta viuificet, vt non ſit concreta cum genitis, ſed vitam præſtet ipſa gignendis. Cùm hæc in vtero paſſibilem materiam ad vſus ſuos formatura peruenerit, vnam facit ſecum eſſe perſonam : & fit operante anima, & patiente materia, ex duabus ſubſtantijs vnus homo, &c. Ex Matris vtero cum corpore ſcimus animam naſci : ſed etiam Matre priorem videmus prædicari, &c. Sic ergo, imò multò incomprehenſibiliùs natus eſt de matre filius Dei, &c. eo pacto quo cum corpore naſci docetur & animus. *Cap*. 14. Senſit mortem Deitas Chriſti, participatione humani affectus, quem ſponte ſua ſuſceperat, &c.

*Epiſt*. 3. Deus nô eſt ita infuſus carni quâ ex Virgine naſceretur, vt curam vniuerſitatis deſeruerit, vel ad illud corpuſculum quaſi cõtractam materiã collectamque tranſtulerit, &c. Putamus nobis de omnipotentia Dei incredibile dici : cùm dicitur Verbum Dei ſic aſſumpſiſſe corpus ex Virgine, vt æternitatem ſuam non mutauerit, &c. Non eſt metuendum corpuſculum infantiæ, ne in illo anguſtias Deus paſſus eſſe videatur. Neque enim mole, ſed virtute magnus eſt Deus. Ipſa virtus per inuiolatæ Matris Virginea viſcera, membra infantis eduxit. Hîc ſi ratio quæritur, non erit mirabile : ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus tota ratio facti, eſt potentia facientis, &c. Quidam ſibi reddi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus ſit, vt vna fieret perſona Verbi. Quaſi ipſi rationem reddant quomodo miſceatur anima corpori, vt vna perſona fiat hominis, &c. In hac, mixtura eſt animæ & corporis : in illa, mixtura eſt Dei & hominis. Si tamen recedat auditor à conſuetudine corporum, quanquam & aëri lux incorrupta miſceatur, &c. *Verbi Dei & animæ debuit eſſe credibilior permixtio : quàm animæ, & corporis* .i. ob maiorem proportionem ad noſtrum captum.

Verbum igitur Dei longe alio modo quàm quo creaturis adeſt, ſuſcepit hominẽ, ſeque & illum fecit vnum I. Chriſtum, &c. *Quo duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri : Irrita perpetua ſoluent formidine terras. Virg. Eclog*. 4.

*Lib*. 13. *Trin. cap*. 14. Chriſtus priùs iuſtitiâ vicit diabolum : quia nullum peccatum habuit, & ab illo iniuſtiſſimè eſt occiſus; potentiâ verò, quia reuixit mortuus, &c. *Cap*. 16. Cur non prætermiſſis omnibus alijs innumerabilibus modis quibus ad nos liberandos vti poſſet Omnipotens, ipſa potiùs mors Chriſti eligeretur ? *Cap*. 17. Vt gratia Dei in nobis ſine vllis præcedentibus meritis in homine Chriſto commendaretur : quia nec ipſe vt tanta vnitate Deo vero coniunctus, vna cum illa Perſona Filius Dei viueret, vllis eſt præcedentibus meritis aſſecutus. *Cap*. 19. In rebus per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quòd homo in vnitate Perſonæ coniunctus eſt Deo.

*Lib*. 15. *c*. 11. Vt Verbum noſtrum fit vox nec mutatur in vocem : ita verbum Dei caro factum eſt, ſed non mutatum in carnem. Sic & *Lib*. 1. *Doct. Chriſt*. *Cap*. 13.

*Lib. De corrept. & gratia cap*. 11. Deus naturã noſtram

Digitized by Google

noſtram .i. hominis Chriſtus ſuſcepit, ſuſceptione ſingulariter mirabili, vel mirabiliter ſingulari, nullis iuſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis, &c. Neque enim quiſquam audeat dicere filium hominis per liberum Arb. benè viuendo meruiſſe vt eſſet Filius Dei, &c. Nec metuendum erat ne iſto ineffabili modo in vnitatem Perſonæ á Verbo Deo natura humana ſuſcepta, per liberum voluntatis peccaret Arbitrium: cùm iſta ſuſceptio talis eſſet, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret.

*Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 15. Eſt præclariſſimum lumen Prædeſt. & Gratiæ, ipſe *Saluator*, &c. qui hoc vt eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo eſt comparauit? Nunquid metuendum fuit ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat: ac non tantò magis erat, quantò magis peccato ſeruire non poterat? *Infra.* Prædeſtinatus eſt Iesvs, *Rom.* 1. vt qui futurus erat ſecundùm carnẽ filius *Dauid*, eſſet in virtute Filius Dei, &c. Ipſa eſt illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo ſuſceptio ſingularis: vt Filius Dei, & Filius hominis ſimul veraciter & proprie diceretur, &c. Prædeſtinata eſt illa naturæ humanæ tanta ſubuectio: vt quò attoleretur altiùs, non haberet, &c.

*Lib.* 2. *De pecc. mer. & rem. cap.* 24. Solus ille homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati. Quod enim carnis inde ſuſcepit: id profectò aut ſuſcipiendum mundauit, aut ſuſcipiendo mundauit. *Epiſt.* 99. *q.* 3. Aut Anima Chriſti non eſt ex anima *Adami*, &c. aut ſi & ipſa indè eſt, etiam ſuſcipiendo mundauit.

*Serm.* 8. *De Tempore, in illud* 1. *Tim.* 1. Humanus ſermo, &c. vbi nos legimus, fidelis ſermo. *Cap.* 1. Si humanus dicitur qui in domo ſuſcipit hominem: quàm humanus eſt qui in ſeipſo ſuſcepit hominem? *Cap.* 2. Si homo non periſſet, filius hominis non veniſſet. Alia cauſa non fuit. *Serm.* 9. *cap.* 1. Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto, niſi Peccatores ſaluos facere.

*Lib.* 10. *Conf. cap.* 42. Quem inuenirem qui me reconciliaret tibi? An eundem mihi fuit ad Angelos? Qua prece? Quibus Sacramentis. Mediator inter Deum & homines, oportebat vt haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus. *Cap.* 43. Mediator inter peccatores mortales, & iuſtum immortalem: Apparuit mortalis cum hominibus, iuſtus cum Deo. In quantum homo, in tantum Mediator: in quantum Verbum, non medius, quia æqualis Deo, &c. Confirmaſti me dicens, 2. *Cor.* 5. Ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt: vt qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.

*Lib.* 2. *contra Parm. c.* 8. Omnes Chriſtiani inuicem ſe commendant orationibus ſuis: pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus veruſque Mediator eſt, &c. Nec Apoſt. *Paulus* Mediatorem ſe facit inter populum, & Deum: ſed rogat vt pro ſeinuicem orent omnia membra Chriſti. Nam ſi eſſet Mediator *Paulus*, eſſent vtique & cæteri Coapoſtoli eius: ac ſic multi Mediatores eſſent, nec ipſi conſtaret ratio qua dixerat, 1. *Tim.* 2. Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Iesvs; in quo & nos vnum ſumus, ſi ſeruemus vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, &c.

*Lib.* 9. *Ciu. cap.* 9. Quales Mediatores ſunt inter homines & Deos? *Cap.* 15. Quærendus eſt medius, qui non ſolùm homo, verum etiam Deus ſit, &c. Mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere oportuit tranſeuntem, & beatitudinem permanentem, &c. Boni igitur Angeli medij eſſe non poſſunt: quia ipſi & Beati, & immortales ſunt. Poſſunt & medij eſſe Angeli mali: his contrarius eſt Mediator bonus, &c. Alius eſt ergo medius malus, qui ſeparat amicos: alius bonus, qui reconciliat inimicos. *Lib.* 11. *cap.* 2. Chriſtus per hoc Mediator, per quod & homo, per hoc & via, &c. vt idem ipſe ſit Deus quò itur, & homo quá itur.

*Tract. De omnibus, cap.* 12. Diuinitas ſine humanitate, non eſt Mediatrix: humanitas ſine Diuinitate, non eſt Mediatrix; ſed inter Diuinitatem ſolam & humanitatem ſolam, Mediatrix eſt humana Diuinitas, & Diuina humanitas Chriſti.

*Lib.* 2. *De nuptijs & conc. cap.* 33. *Iul.* Iſtos pro quibus Chriſtus mortuus eſt ab exordio reos definis? *Aug.* Cur ergo pro illis Chriſtus mortuus eſt, ſi non ſunt rei?

*Lib.* 1. *De adulter. coniug. cap.* 15. Omnis qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, homo eſt: non tamen omnis qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt.

*Epiſt.* 102. *ad Euodium.* Non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt.

*Lib. De corrept. & gratia, cap.* 8 An audebis dicere etiam rogante Chriſto ne deficeret fides Petri, *Luc.* 22. defecturam fuiſſe ſi *Petrus* deficere voluiſſet? Quaſi aliud *Petrus* vllo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet vt vellet.

*Tract.* 107. *in Ioan.* 17. Non pro mundo rogo: ſed pro his quos dediſti mihi, &c. Mundum vult intelligi qui viuunt ſecundùm concupiſcentiam mundi.

*Tract.* 109. Non pro his autem rogo tantùm: ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me. Vbi omnes ſuos intelligi voluit.

*Tract.* 110. Cùm Deus eorum quæ fecit nihil oderit: quis dignè poſſit eloqui quantum diligat membra vnigeniti ſui; & quantò ampliùs ipſum Vnigenitum? Membra quippe Vnigeniti ad Angelorum ſuorum æqualitatem gratiæ ſuæ largitate perducit. Quanquam non deſint qui etiam Angelis nos præferant: quia pro nobis, inquiunt, non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus. Id quid eſt aliud, quàm de impietate velle gloriari?

*Lib. De gratia Chriſti. lib. De corrept. & gratia:* & alibi ſæpè. De gratia Chriſti, & per Chriſtum.

*Lib.* 1. *Retr.* 19. Non video an Chriſtus rectè dicatur homo Dominicus: cùm ſit vtique Dominus. Dominicus autem homo quis in eius ſancta familia non poteſt dici? Et hoc quidem vt dicerem, apud quoſdam legi tractatores Catholicos. Sed vbicumque hoc dixi, dixiſſe me nollem:

poſtea

Digitized by Google

poſtea quippe vidi non eſſe dicendum, quamuis nonnulla poſſit ratione defendi.

Quæ omnia ſcholaſticè ordinantur & illuſtrantur per quæſtiones vel diſtinctiones, à noſtro *Alen. S. Bon. Scoto* ſupra, *à col.* 1. *ad* 26. *à* 129. *ad* 160. *à* 177. *ad* 203. exceptis difficultatibus communibus hic reſoluendis, & particularibus per ſingulas quæſtiones.

## *Difficultates communes.*

1. DOctores Catholici non conſentiunt in modò explicandi hoc Myſterium: ſed diſſentiunt, & ſibiinuicem contradicunt. Ergo non explicant, ſed implicant ac intricant: & hoc ipſo reddunt incredibilius. *Reſp.* Omnes ſupponunt eandem veritatem fidei, & captiuant intellectum in obſequium Chriſti: non tantùm continendo eum à diſſenſu, & cogendo ad aſſenſum; ſed etiam ad excogitandas varias rationes, & modos credibiliores huius myſterij; non ſtudio contendendi & ſibi inuicem contradicendi, ſed certatim obſequendi Chriſto & eius fidei. Quo ergo plures rationes & modos credibiles excogitant, eò myſterium hoc credibilius reddunt. Tum quia ſinguli conferunt aliquid ad modum perfectiorem. Tum quia non omnes homines idem eodem modo capiunt: ſed vt differunt vultu, ſic & ſæpè animi captu & affectu. Hinc varij modi explicandi idem myſterium ſunt accomodati ad captum plurium. Tum quia ſinguli Doctores collimant ad eandem veritatem per ſuum radium lucis naturalis, vel alicuius illuminationis ſpecialis: ergo non tam contradicunt ſibi inuicem, quàm negant ſibi videri. Vt patet ex noſtro *Alen. p.* 3. *q.* 2. *m.* 3. Si quis intelligat, inquit, ego non intelligo, &c. Vt enim ſinguli habent ſuam quandam ſphœram viſus vel auditus, ſecundùm quam de obiectis valdè diſtantibus variè iudicant: ſic & ſinguli habent quandam ſphœram intellectualem; communem quidem circa euidentia, ſed velut radijs differentem circa obſcura. Nec ſapientes cenſent, aut cenſendi ſunt rationes aliorum vt falſas reprobare: ſed proprias ad obſequium Chriſti commendare; & ingenia velut ad ſcintillandum in ſubiectum fomitem confricare, ſeu ad elucidandam veritatem exercere. Cùm ſciant, ſi quid ſapiunt, plus oculos quàm oculum videre: nec vllum poſſe omnibus rationibus æquè intendere, aut omnes æquè comprehendere, & ſuam cuique præ alienis placere. In quem ſenſum & conſenſum omnium rationum fidelium, *B. Aug. lib.* 3. *Doct. Chriſt. cap.* 27. *lib.* 12. *conf. c.* 21. *Lib.* 1. *in Gen. cap.* 18. 19. 30. 31. approbat omnes ſenſus concordes fidei, qui elici poſſunt ex ſacrâ Script. vt à S. Spiritu intentos, & cuique prouiſos: grauiterque redarguit eos qui ita proprios ſenſus affectant, vt alienos reprobent, *Lib.* 12. *Conf. cap.* 25.

2. Tot rationes & modos excogitare, eſt contra *B. Aug. Epiſt.* 3. *Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum quæritur, non erit ſingulare. Reſp.* Ex ſimili obiectione *Euodij Epiſt.* 247. *ad B. Aug.* & reſponſione *B. Aug. Epiſt.* 101. ad Euod. *Ideo mira ſunt, quia occultiorem habent rationem. Ex illa ergo cauſa latentis rationis, dixi* Epiſt. 3. *Si ratio quæritur, non erit mirabile, &c. Quod autem adieci, Si exemplum poſcitur, non erit ſingulare: fruſtra tibi viſus es velut exempla inueniſſe, &c. Dicuntur enim aliqua argutè, cuiuſdam ſimilitudinis gratia; ſed ſolus Chriſtus natus eſt ex Virgine, &c. Nec ideò reprehendendum eſt, Si ratio quæritur non erit mirabile; quoniam eſt aliud genus admirationis, etiam cùm ratio manifeſta eſt admiranti, &c. Sicuti enim nulla ratio eſt quâ Dei natura moriatur, aut peccet: ita cùm dicimus Deum non poſſe videri oculis corporeis, non latet ſed patet ratio qua perſpicuum eſt Deum non eſſe corpus.* Et Epiſt. 222. ad Conſentium. *Abſit ne ideò credamus, vt rationem accipiamus, ſiue quæramus: cùm etiam credere non poſſemus, niſi rationales animas haberemus, &c. Ideò rationabiliter dictum eſt,* Iſa. 7. *Niſi credideritis, non intelligetis, &c. Proinde vt fides præcedat rationem, rationabiliter viſum eſt, &c. Si igitur rationabile eſt; procul dubio quantulacunque ratio quæ hoc perſuadet, etiam ipſa antecedit fidem. Propterea monet Apoſt. Petrus,* 1. cap. 3. *Paratos nos eſſe debere ad reſponſionem omni nos poſcenti rationem de fide & ſpe noſtra, &c. Si autem iam fidelis rationem poſcat, vt quod credit intelligat: capacitas eius intuenda eſt, &c. Sunt autem quædam quæ ratione nobis reddita vera eſſe cognoſcimus, &c. Sunt de quibus ratio reddi non poteſt: non tamen non eſt, &c. Sunt & multi qui plus tenentur admiratione rerum, quàm cognitione cauſarum. Hæc dixerim vt fidem tuam ad amorem intelligentiæ cohorter: ad quam ratio vera perducit, & cui fides animum præparat, &c. Sicut non debes omnem vitare ſermonem, quia eſt & ſermo falſus: ita non debes omnem vitare rationem, quia eſt & ratio falſa. Cui autem niſi veræ rationi fidelis pietas erubeſcit?* Infra. *Si autem anima rationalis in ſeipſa deficit, ſibiq; ſuccumbit: pia fide contenta ſit, &c. Intellectum ama: quia & ipſæ Script. S. niſi eas rectè intelligas, vtiles tibi eſſe non poſſunt.* Lib. 3. De libero Arb. cap. 5. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum. Non eſt autem vera ratio, ſed inuidia infirmitas, cùm aliquid melius fuiſſe faciendum cogitaueris, iam nihil aliud inferiùs velle fieri, &c. Poteſt ergo eſſe aliquid in rerum natura quod tua ratione non cogitas: non eſſe autem quod vera ratione cogitas, non poteſt. Neque enim potes aliquid melius cogitare quàm Deus, &c. Credat ergo homo Deum feciſſe quod verâ ratione ab eo faciendum fuiſſe cognouit, &c.* Hinc patet nec rationes, nec ſimilitudines repugnare, ſed famulari fidei Chriſtianæ, tam vt præuias, quàm vt pediſſequas vel ſequaces. Senſus autẽ *B. Aug.* Epiſt. 3. *Si ratio* .i. euidens & neceſſaria, *quæritur* .i. exigitur: *non erit mirabile*, ex ignorantia cauſæ; ſed poteſt quid eſſe mirabile etiam ex cognitione affectu & caſu inſolito. *Si exemplum poſcitur.* i. non tantùm ſimile, ſed æquale: *non erit ſingulare*, ſed pluribus commune. Nec *lib.* 3. *De libero Arb.* ſupponit optima poſſibilia ab initio creata: ſed ab æterno decreta; nec ſingula optima, ſed totum optimum, & modum optimum faciendi ſingula, & tandem finem omnium optimum. Cùm ergo, ipſa ratione communi iudice, omnium poſſibiliũ, opti-

optimum ſit omnia deificare, optimo ſeu perfectiſſimo modo poſſibili: nec vlla ratio poſſit excogitare meliorem poſſibilem, quàm per vnionem hypoſtaticam naturæ humanæ, quæ participat omnia, cum Perſona diuina; hoc ipſo vera ratio communis fauet huic myſterio fidei. Nec variæ rationes aut modi explicandi plus derogāt illi rationi communi: quàm concluſiones particulares, eidem Principio communi.

3. Omnes ſupponunt diſtinctionem, nulla ratione inueſtigabilem aut explicabilem, cuiuſuis naturæ ſubſtantialis etiam ſingularis & exiſtentis, ab aliquo proprio ſuppoſito; & naturæ humanæ ſingularis & exiſtentis, vt intellectualis, à propria perſona. De qua nihil vnquam philoſophi ratione naturali ſuſpicari potuerunt: nec ipſe *B. Aug.* vnquam diſtinguit naturam humanam ab ipſo homine, vt eam habente; nec conſtare poteſt inter doctores Chriſtianos, an perſona vel ſuppoſitum, vltra naturam ſubſtantialem & exiſtentem, ſit quid poſitiuum, aut ſola negatio dependentiæ actualis vel etiam aptitudinalis, à ſubiecto vel alieno ſuppoſito; nec vlla ratio poteſt excogitare niſi quaſdā ſimilitudines nimis diſſimiles, & ab intento alienas.

*Reſp.* Diſtinctio naturæ ſubſtantialis, ſingularis, & exiſtentis, à ſuo ſuppoſito vel perſona, non eſt tam ſupra omnem rationem naturalem: quin & philoſophi infideles aliquid inde perceperint, aut ſaltem ſuſpicati ſint. Nam Platonici de Idæis Philoſophati ſunt: non vt eis tribuit Ariſt. tanquam de naturis communibus, vel obiectiuis tantùm; ſed etiam ſingularibus ac exiſtentibus, ſaltem in Deo, non ſolùm obiectiuè, ſed realiter & identicè. Vt patet ex *B. Aug. q. 46. ex 83.* Ideas primus Plato appellaſſe perhibetur, &c. Latinè vel formas, vel ſpecies poſſumus dicere. Sunt namque Ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum ſtabiles: quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, quæ in diuina intelligentia continentur, &c. Singula proprijs ſunt creata rationibus.

*Epiſt. 115. B. Aug. ad Nebridium.* Quæris an ſumma ſapientia & forma rerum, generaliter hominis, an etiam cuiuſque noſtrum rationem contineat. Magna quæſtio. Sed mihi videtur, quòd ad hominem faciendum attinet, hominis quidem tantùm, non meam vel tuam ibi eſſe rationem: quod autem ad orbem temporis, varias hominum rationes in illa viuere, &c. Quilibet homo vna ratione qua intelligitur factus eſt: at vt populus fiat, quamuis & ipſa vna ratio, non tamen hominis ratio, ſed hominum.] Cenſuit ergo Plato eſſe aliquas formas ſingulares, & alicubi exiſtētes, omnium quæ formari poſſunt: Ergo & diſtinctas ab eis quæ formari poſſunt. Quæ licet non ſint increatæ, nec ab æterno, niſi vt ſunt in Deo exemplaria omnium poſſibilium: ſupponunt tamen aliquam veram diſtinctionem, non ſolùm inter formas partiales, ſubſtantiales, & accidentales, ac inter earū ſubiecta; ſed etiam inter formas ſubſtantiales & totales, ac earum ſuppoſita. Cùm enim tota natura ſubſtantialis ſit forma: quamuis nec inhærens, nec informans; non poteſt tamen eſſe niſi ad formandum, & niſi formet aliquid, conferendo ei totam ſuam formalitatem, à quo excipiatur, habeatur, & in quo ſubſiſtat. Vt liquida nonniſi in ſuis vaſis continentur, terminantur, & ſubſiſtunt: quæ vaſa vt talia nil conferunt ſuis contentis, niſi continentiam & ſubſiſtentiam; ſed ab eis recipiunt ſuam plenitudinem, & denominationem talis vel talis liquoris. Nec *Ariſt.* huius diſtinctionis prorſus inſcius fuit: inter ſubſtantiam *ſecundam & primam,* inter *aliquid & hoc aliquid*, inter *Quo & quod,* inter infima ſubſtantiæ prædicamentalis, & ſuperiora; non tantùm vt inter ſingularia & communia, ſed vt inter vltimè terminata & completa in ſubſiſtendo, eorumque terminatiua & complementa. Cùm enim agnouerit quoſdam terminos indiuiſibiles quantitatis: cur non & ſubſtantiales? Non tantùm vt limites finitæ perfectionis eſſentialis: nec tantùm vt differentias ſingulares, terminantes & reſtringentes omnem communicationem eſſentialem ad inferiora; ſed etiam vt continentes ſibique appropriantes totam eſſentiam & exiſtentiam actualem cuiuſuis naturę ſubſtantialis. Vt enim omnes formæ materiales dependent à ſuis ſubiectis in exiſtendo: quia non poſſunt eſſe ſine ſuo effectu formali ſeu ſine proprio, nec illum extra ſubiectum habere: ſic & naturæ ſubſtantiales dependent in ſubſiſtēdo à ſuppoſitis, in quibus habeant ſuum effectum formalem totius, & à quibus habeantur, contineantur, & incommunicabiliter approprientur. Quid, quod Iuriſperitia diſtinguat perſonas vt capaces habendi moraliter ſeu poſſidendi, ab omnibus rebus moraliter habitis ſeu poſſeſſis? Imò ipſa Grammatica, & vulgaris modus loquendi ac ſentiendi, ſupponit & diſtinguit nomina perſonalia ac perſonas, vt capaces habendi reliqua omnia naturaliter & moraliter, ab ipſis rebus habitis.

Sed nec eſt opus vlla diſtinctione reali & reciproca, inter naturam ſubſtantialem, ſingularem, exiſtentem ac ſubſiſtentem, eiuſque ſubſiſtentiam ſeu rationem formalem vel terminum ſubſiſtendi: ad ſuſtinendum, explicandum, & illuſtandum hoc myſterium fidei. Vt enim terminatio perfectionis eſſentialis, poteſt explicari per ſolam negationem vlterioris perfectionis: terminatio totius communicationis prædicamentalis, ſeu ſingularitas, per negationem inferioris communicabilitatis: ſic & ſubſiſtentia ſeu terminatio propria naturæ ſubſtantialis, per negationem omnis dependentiæ poſſibilis ab alio vt à ſuo ſubiecto, parte, vel toto: & per negationem dependentiæ actualis, ſed non aptitudinalis, ab vllo alio vt termino capaci totius ſuę formalitatis. Hoc ipſo enim quo tota formalitas naturæ ſubſtantialis in ſeipſa quaſi coaleſceret ſeu concreſceret: nec inhærēdo alteri vt ſubiecto, nec adhærendo alteri vt comparti vel toti: videretur per ſe exiſtere ſeu ſubſiſtere, ſolaque propria entitate naturæ ſubſtantialis terminari ac cohærere. Si enim quantitas poteſt concipi & dici quanta in ſeipſa, & ſeipſā, vt proprio quaſi ſubiecto & effectu formali: cur non & natura ſubſtantialis concipi poſſit vt ſubſiſtens in ſeipſa, & ſeipſa; tota propria formalitate cohærente, & ſeipſam continente ac terminante? Cur vt idem realiter poteſt eſſe ſuum Quo & Quod: natura ſubſtantialis non poſſit eſſe realiter idem quod & quo ſubſiſtit? Cui opinioni



Digitized by Google

videtur fauere B. *Aug.* vix vnquam vtendo nomi-
ne humanitatis ſeu naturæ humanæ, vt aſſumptæ
in abſtracto, ſed huius hominis vt aſſumpti in
concreto: & tam ipſe quàm alij SS. Patres, ſuppo-
nendo & exprimendo aſſumptum fuiſſe quicquid
eſt hominis proprium. Niſi vtantur nomine Filij
hominis aſſumpti in concreto, pro natura huma-
na vt ſingulari & exiſtente, ſeu pro concreto &
completo eſſentiali, ſingulari, ac exiſtente, non au-
tem in abſtracto à ſingulari exiſtentia: per omnia
autem propria hominis intelligant propria homi-
nis in communi, vel hominis ſingularis vt ſingula-
ris eſt, ſeu vt neceſſariò emanant ab hac ſingulari
natura; vel potiùs per omnia propria hominis in-
telligunt & ſæpè exprimunt quicquid eſt de perfe-
ctione non tantum eſſentiali, ſed & propria natu-
ræ humanæ, ſingularis, & exiſtentis. Quo ſenſu
fortè ſubſiſtentia etiam poſitiua non eſt de perfe-
ctione propria huius naturæ: quia ſupponit hanc
naturam vt perfectam; nec eſt eius perfectiua, ſed
potiùs receptiua, & terminatiua, contentiua, & ap-
propriatiua totius perfectionis eius.

Sed ſiue natura ſubſtantialis finita ſubſiſtat, ſiue
capax ſit ſubſiſtendi propria ſubſiſtentia poſitiuè,
ſiue negatiuè: poteſt priuari ſubſiſtentia propria,
& quaſi ſuſpendi ab aliena. Eſt enim naturaliter ita
capax per ſe ſubſiſtendi: vt non ſit incapax actua-
liter dependendi ab alio; non ſolùm vt cauſa cō-
ſeruante, ſed vt ex ſe independenter ſubſiſtente, &
capace excipiendi ac terminandi hanc dependen-
tiam alienam. Qualis eſt Perſona diuina. 1. Quia
eſt perfectionis infinitæ in ſubſiſtendo, ſiue forma-
liter, ſiue identicè cum natura diuina vt ſubſtan-
tialiſſima: ergo eminenter continet omnem per-
fectionem ſubſiſtentiæ finitæ; ideoque poteſt om-
nem eius defectum ſupplere. 2. Deus poteſt im-
mediatè ſuſtentare accidentia ſine proprio ſubie-
cto, animas ſine corpore, partes ſine ſe inuicem,
aut ſine ſuo toto: ergo & naturas ſubſtantiales ſi-
ne propria ſubſiſtentia, ſiue poſitiua, ſiue negati-
ua. 3. Omnia dependent immediatè à Deo cau-
ſaliter: ergo & naturæ ſubſtantiales poſſunt ab eo
dependere ſubſtantialiter, ſeu in ſubſiſtendo. 4.
Solus Deus eſt ens à ſe, ſeu neceſſarium ex ſe: ergo
non ſolùm omnia ſunt ab eo cauſaliter; ſed etiam
ſupponunt, eique neceſſariò adhærent vt ſint quic-
quicquid ſunt. 5. Solus Deus eſt perfectè & ſim-
pliciter totum, reliqua nonniſi comparatiuè inter
ſe: ergo quidlibet poteſt ei vniri & adhære, vt ſuo
& omnium toti. 6. Quicquid eſt finitum: neceſſa-
riò eſt alicubi, ſeu præſens alicui: ergo ſupponit
Deum non tantùm vt cauſam, ſed etiam vt termi-
num ſuæ exiſtentiæ & præſentiæ. 7. Quædam crea-
turæ neceſſariò coexigunt ſe inuicem, aut depen-
dent ab inuicem in exiſtendo: non vt à cauſis, ſed
vt à neceſſarijs terminis ſuæ exiſtentiæ aut depen-
dentiæ. Vt correlatiua neceſſariò coexigunt ſe:
relationes neceſſariò dependent à ſuis fundamen-
tis, & terminis. Ergo & creaturæ quantumuis ſub-
ſtantiales, poſſunt à Deo dependere vt à termino
ſuæ exiſtentiæ. 8. Omnes creaturæ ſunt inter ſe
connexæ & ſubordinatæ in vnum totum ſeu vni-
uerſum: & quædam quantumuis diuerſæ vniuntur
in vnum per ſe: quanto potiùs vniri poſſunt Deo?
9. Spiritus creati poſſunt vniri Deo vt obiecto, &
fini, accidentaliter, vitaliter, habitualiter, actualiter:
ergo & omnes naturæ ſubſtantiales poſſunt ei
vniri & adhærere ſubſtantialiter, vt primo ſubſi-
ſtenti ac independenti. 10. Omnia ſunt noſtra,
nos verò Chriſti, Chriſtus autem Dei. 1. *Cor.* 3.
Et vt *S. Dion. cap. diu. nom.* præſtat nos eſſe Dei
quam noſtros. Ergo quamuis ſint perſonæ creatæ,
quadam naturæ & rerum proprietate inter ſe diffe-
rentes: non ſic tamen appropriant ſibi ſuas natu-
ras, quin poſſint eſſe ipſius Dei; non tantùm pote-
ſtate morali & reali eis liberè vtendi, ſed etiam vt
natura ſubſtantialis poteſt eſſe alicuius ſuppoſiti,
vel perſonæ. 11. Natura ſubſtantialis & totalis,
differt tantùm eſſentialiter ab accidentali, & par-
tiali: ergo eſt capax vnionis hypoſtaticæ, ſeu de-
pendentiæ ſubſtantialis ad Perſonam diuinā; quia
per eam nec inhæret vt accidentalis, nec cohæret
vt partialis, ſed adhæret vt totalis totaliori & tota-
liſſimo. 12. Perſona Diuina continet eminenter in
ſua natura diuina, & virtualiter in ſua potentia om-
nes naturas poſſibiles: imò formaliter, omnes per-
fectiones ſimpliciter, & identicè omnes ideas
poſſibilium: ergo poteſt omnia in ſeipſo produce-
re, ſeu ſibi ipſi, producendo, vel iam producta vni-
re, abſque vlla ſui mutatione vel imperfectione.
Quia præhabet in ſe & ex ſe omnem perfectionem
poſſibilem: nec vlla perfectio finita repugnat infi-
nitæ in eadem Perſona. 13. Perſona Diuina eſt
capax naturæ diuinæ & infinitæ: ergo & cuiuſuis
finitæ. Cùm enim poſſit capere ſeu cōtinere infini-
tam quantò magis quamlibet & omnes finitas? 14.
Ad veras ac reales denominationes vnius ab alio:
nō eſt neceſſaria identitas, nec inhærentia, nec in-
formatio intrinſeca; ſed ſufficit coexiſtētia, adhæſio,
cohæſio, vnio, relatio, terminatio potentiæ vel
actus, ad obiectum, ſubiectum, effectum. Vt patet
ex omnibus denominationibus. Ergo Perſona di-
uina non tantùm verè & realiter denominatur à
natura diuina ſibi identica, & intrinſeca: ſed etiam
à natura humana ſibi tantùm extrinſecè vnita, ad-
hærente, & dependente in ſubſiſtendo. 15. Non
tantùm ad denominationem, ſed nec ad effectum
quaſi formalem, neceſſaria eſt inhæſio, nec infor-
matio intrinſeca, nec vnio aut relatio reciproca:
ſed ſufficit applicatio, adhæſio, & ad ſummū vnio
realis & proportionata vnius ad aliud terminata.
Vt patet ex varijs formis, & eorum effectibus for-
malibus. Ergo natura humana poteſt afficere Per-
ſonam Diuinam tota ſua formalitate naturæ: abſ-
que vlla identificatione, confuſione, conuerſione,
inhæſione, vel informatione intrinſeca, ſola ſuæ
vnione ſubſtantiali ad Perſonam diuinam, non in-
trinſecè, ſed extrinſecè, terminatâ. 16. Si formæ
partiales & partium, accidentales & ſubſtantiales,
ſic poſſunt ſuam formalitatem communicare: quā-
tò magis formæ totius, ſeu naturæ totales & ſub-
ſtantiales, vt natura humana, poteſt afficere perſo-
nam cui vnitur, ſua formâ totius, & illâ verè natu-
rare, ſeu conſtituere naturæ humanæ? 16. Si quæ
negatio dependentiæ, aut quis modus ſubſtantialis
independentiæ, poteſt naturam ſubſtantialem, vt
finitam, ſed quaſi liquidam & fluidam, ſeu commu-
nicabilem, & eius communicationem terminare,
ſiſtere,

ſiſtere, continere, & appropriare : quantò potiùs Perſona Diuina quæ excipit, ſiſtit, & continet in ſe infinitam communicabilitatem naturæ Diuinæ, poteſt excipere, ſibique ſoli appropriare totam formalitatem & communicationem huius naturæ humanæ Chriſti.

De quibus plura in 1. à *col.* 63. *in* 3. à *col.* 1. *ad* 10. à *col.* 129. *ad* 133. à *col.* 177. *ad* 182. Quibus addi poſſunt moralia ex varijs opuſculis *S. Bon.* Vt ex Reductione omnium artium ad Theologiam, & ſpecialiter ad congruitatem incarnationis Chriſti. Ex *Breuiloquio*, Parte. 4. Ex *Centiloquio*, p. 3. ſectione 27. 28. 29. 30. 31. Ex *Sententijs Sententiarum*, lib. 3. à D. 1. ad 13. per breues rythmos. Ex *Compendio Theologicæ veritatis*, l. 4.

## QVÆSTIO III.

*Quænam fuerit cauſa finalis, ſine qua non fuiſſet Incarnatio Filij Dei?*

HÆc Controuerſia ſcholaſtica eſt tanti momenti, vt ab ea dependeat tota ſeries Doctrinæ de Prædeſtinatione, & gratia Chriſti, ſeu per Chriſtum. In qua *S. Thomas* cum ſuis *p. 3. q. 1. art.* 3. ſuſtinet Redemptionem generis humani per debitam ſatisfactionem, fuiſſe cauſam finalem ſine qua non, incarnationis. Ex ſacra Script. quæ non ſolùm tribuit illam huic cauſæ finali : ſed etiam ſoli, excluſis alijs. Vt *Matt.* 9. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. 1. *Tim.* 1. Chriſtus IESVS venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, &c. Prout exponit *B. Aug. Serm.* 8. *De verbis Apoſt. cap.* 2. Si homo non periſſet, Filius hominis non veniſſet. *Cap.* 2. Alia cauſa non fuit veniendi. *Serm.* 9. Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto, niſi peccatores ſaluos facere.

Sed *Alenſis* noſter *q.* 2. *m.* 13. non ſolùm profitetur Incarnationem Perſonæ Diuinæ fuiſſe conuenientem ad plures & potiores fines ibidem expreſſos : ſed etiam fuiſſe à Deo decretam ac prædeſtinatam, imò & Angelis reuelatam, ante tentationem Diaboli, & lapſum *Adami*.

*S. Bon. p.* 3. *d.* 1. *a.* 2. *q.* 2. refert vtramque opinionem problematicè, ad ſcientiam ipſius Dei pro nobis incarnati : præferens quidem hanc iudicio rationis, ſed illam pietate fidei. Ideò inquit, hic modus concedendus eſt, &c. Reſpondetque ad auth. & plurimas rationes oppoſitas, ſub hac ſola finali proteſtatione. Hæc omnia abſque præiudicio dicta ſint.

*Scotus in* 3. *d.* 7. *q.* 3. negat prædeſtinationem naturæ humanæ Chriſti ad gloriam, & gratiam vnionis hypoſtaticæ, ſupponere lapſum futurum generis humani : reſpondens ad oppoſita, Chriſtum non veniſſe vt Redemptorem paſſibilem, niſi ratione peccati ; ſed tantum bonum vnionis hypoſtaticæ, maius redemptione totius naturæ humanæ, non poſſe ſolùm eſſe occaſionatum, & relatum ad minus bonum.

*Reſp.* Incarnatio Fil Dei fuit à Deo abſolutè intenta, decreta, prædeſtinata, ante omnem permiſſionem, & præuiſionem vllius peccati futuri, vel non : ad maiorem gloriam Dei, & Chriſti, ex tanti operis perfectione, vt Chriſtus eſſet Caput omnium creaturarum, ſpecialiter rationalium, & tandem Beatarum ; ſed ex permiſſione & præuiſione hominum peccatorum, fuit modificata, qualificata, ordinata, & relata ad eorum redemptionē, per condignā ſatisfactionem, in ſtatu paſſibili & mortali. 1. Ex ſacra Script. *Sap.* 2. Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Quid autem potuit homini inuidere : niſi tantam gratiam & gloriam vnionis hypoſtaticæ, quàm ipſe potuit concupiſcere, ante omnem lapſum ? Vt *Al.* ſupra : videturque *B. Aug.* id ſæpè ſupponere, *lib.* 4. *De Bapt. cap.* 8. & 9. *lib.* 1. *De pecc. mer. & rem. cap.* 9. *Tract.* 12. *in Ioan.* & alibi. *Prou.* 8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret à principio, &c. Nondum erant Abyſſi, &c. Quæ ipſe *B. Aug.* ſæpè interpretatur de Incarnatione, & Chriſtò Domino. Vt ſupra *col.* 247. *Rom.* 8. Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui : vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. *Epheſ.* 1. Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, &c. *Infra.* IESVM dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam. *Coloſſ.* 1. Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ : quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, viſibilia & inuiſibilia ; ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates ; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt ; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium Primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens ; quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare .i. vt *cap.* 2. In Chriſto inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter : qui eſt Caput omnis Principatus, & Poteſtatis. *Heb.* 1. Cùm introducit Primogenitum ſuum in orbem terræ, dicit : Adorent eum omnes Angeli Dei. *Rom.* 1. Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei. 1. *Cor.* 3. Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Quorum nihil poteſt intelligi niſi ordine intentionis, finis, prædeſtinationis, ipſis etiam Angelis ab initio reuelatæ.

Nec obſtat, quòd *Sap.* 2. illa inuidia tribuatur Diabolo : quaſi poſt primum eius peccatum inuiderit homini ſubſtitutionem, & fortè remedium prouiſum homini peccanti, potiùs quàm ſibi. Quia nihil aliud in Deo videtur potuiſſe diſplicere Diabolo, quàm prædeſtinatio illa naturæ humanæ, ſeu præferentia ad vnionem hypoſtaticam : nec ipſe aliunde moueri potuiſſe ad ſuperbiendum & indignandum contra Deum.

Nec quòd *Prou.* 8. videantur omnia referri ad Sapientiam Dei vt ingenitam, vel ab æterno genitam, quia omnia tam ſapienter diſpoſuit. Vt & *Eccli.* 24. Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem Creaturam, &c.] Tum quia libri Sapientiales ſunt etiam in multis Prophetici. Tum quia ſuperflua fuiſſent tanta præconia Sapientiæ Dei, vt ab æterno ante omnia ſua opera. Tum quia *Prou.* 8. expreſsè agitur de ordine inter opera Dei, & de quodam initio viarum eius ante omnia alia opera : deque prima omnium conceptione ſeu prædeſtinatione, antequam eſſent

abyſſi .i. peccata præuiſa: Sapientia autem Dei, ſiue Ingenita, ſiue ab æterno Genita, non habet vllam coordinationem cum creaturis. Tum quia ſatis exprimitur & determinatur Sapientia incarnata vel incarnanda, per hæc eius verba: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum* .i. primum meum beneplacitum circa creaturas. Quo autem perfectiori modo, quàm per vnionem hypoſtaticam? Tum quia *Eccli.* 24. dicitur, *Primgenita ante omnem creaturam*: ergo relatiuè ad omnes poſteriores, & diſtinctè à Filio vt *Vnigenito*.

Nec quòd *Rom.* 1. Chriſtus dicatur *Prædeſtinatus ex reſurrectione mortuorum*. Rom. 8. *Omnis creatura ingemiſcit* .i. omnis homo. *Primogenitus in multis fratribus* .i. inter ſolos homines. *Coloſſ.* 1. *Primogenitus ex mortuis*. Hebr. 1. *Cùm introduceret Primogenitum* .i. in Cœlum ad ſuam gloriam. Vt & *Phil.* 2. *Vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, &c.* Apoc. 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & Diuinitatem* .i. glorificari vt talem. Quia glorificatio exterior poſt Chriſti Paſſionem, ſupponit interiorem ex ipſa dignitate vnionis hypoſtaticæ, ante omnem paſſionem & ordinationem ad patiendum. *Primogenitura*, & *Prædeſtinatio ex mortuis per reſurrectionem*, ſupponit dignitatem propriam & perſonalem vitæ æternæ, & gloriam ante omnem mortalitatem. *Primogenitura ex multis fratribus*, non reſtringit *primogenituram* ſimpliciter, alibi toties expreſſam: ſed tantùm exprimit hanc ſpecialem; nec *gemitus ille omnis creaturæ*, eſt ſolius humanæ, nec poteſt vbique reſtringere nomen omnis creaturæ ad ſolam humanam.

2. Ex SS. PP. qui quamuis vt tota S.Script. & omnia fidei Symbola, commendent & inculcent fidelibus Chriſti humilitatem & charitatem: quâ pro peccatoribus concipi, naſci, & mortem Crucis pati dignatus eſt; nunquam tamen reſtringunt incarnationem Chriſti ad hunc ſolum finem, vt ſine quo non, niſi fortè *B. Aug.* ſupra. Quem tamen in huius controuerſiæ Arbitrum vltro ſuſcipimus, ſuſpicimuſque. Nam *lib. De gratia & libero Arb. cap.* 5. *Quicquid tibi vera ratione occurrerit, ſcias feciſſe Deum, &c.* Vt ſupra. *Infra. Si te delectat creatura quæ perſeuerantiſſima voluntate non peccat: crede eſſe talem in ſuperioribus ſedibus, &c.* Cap. 11. *Illa natura ſublimioris officij eſt: quæ non ſolùm ſi non eſſet, ſed etiam ſi peccaret minueret ordinem vniuerſitatis.* Lib. 12. Conf. c. 11. *Nec illa creatura tibi coæterna eſt. Mutabilitatem ſuam nunquam, & nuſquam exerit.* Lib. 22. contra Fauſt. cap. 28. *An ſit aliqua rationalis creatura quam nihil poßit illicitum delectare, magna quæſtio eſt, &c. Angelica ſublimis natura non peccat: quia ita eſt particeps legis æternæ, vt ſolus eam delectet Deus.* Et alibi ſæpè ſupponit Deum prouidiſſe, & præpoſuiſſe huic Vniuerſo aliquam creaturam rationalem omni modo poſſibili impeccabilem: ne hoc quaſi cardine huius vniuerſi euerſo, totus ordo perturbaretur. Atqui recta ratio conuincit, nullam puram creaturam potuiſſe eſſe impeccabilem, multò minùs præponi Chriſto: ergo ex hoc principio *B. Aug.* Deus ab æterno prouidit, & præpoſuit Chriſtum in Caput & Cardinem totius vniuerſi: cuius ſolius impeccabilitate ſubſiſteret, & per quem ſolum reſtitui poſſet, ſi ab ordine & fine debito deficeret. Idem ſupra *col.* 252. 253. ſæpè commendat, & inculcat ſummam illam gratiam, ſummèque gratuitam, nec vllis meritis comparabilem: quâ natura humana Chriſti aſſumpta fuit ad vnionem hypoſtaticam, ſine relatione ad vlteriorem finem & effectum. Ergo cenſet tantam gratiam fuiſſe á Deo intentam & decretam propter ſe: non autem ob ſolam redemptionem peccatorum. *Idem. lib.* 4. *contra Iul. cap.* 3. & alibi ſæpè profitetur omnia opera bona eſſe referenda ad Deum: eſſeq; meliora, quò ad eum perfectiùs referuntur. Atqui Vnio hypoſtatica eſt opus omnium optimum, ac perfectiſſimum: ergo Deus qui vniuerſa operatur propter ſemetipſum, *Prou.* 16. non potuit illud efficaciter velle & operari, niſi propter ſeipſum; quia ſolus Deus eſt finis melior vnione hypoſtatica. Nec excuſat, quòd quis poſſit operari maius bonum, propter minus: ſed relatiuè ad Deum, vt ſummum bonum. Quia non poteſt maius bonum referri immediatè ad minus bonum, vt ad finem maioris boni: ſed tantùm vt ad eius effectum vel fructum. Nec bonum maius quod non fieret niſi propter minus, fit propter Deum principaliter & efficaciter, ſed potiùs propter minus bonum. Non potuit ergo vnio hypoſtatica abſolutè decerni & fieri niſi propter Deum, vt ſummum bonum: & propter ſeipſam, & terminum proprium, præ omnibus alijs bonis; ſed tantùm referri, ſeu ordinari ad redemptionem peccatorum, vt ad ſuum effectum & fructum, ex hoc celebri principio Doctrinæ Auguſtinianæ.

Idem ſupra *col.* 253. & alibi ſæpè, proclamat Chriſtum eſſe Caput & exemplar omnium Electorum: comparans omnes ſimul, tam Angelos quàm homines, vni corpori naturali, vel politico; ex pluribus membris, vel ſtatibus ſubordinatis eidem Capiti aut Principi Chriſto; non vt electo ab inferioribus, nec propter illos, ſed à ſolo Deo, & hi propter illum .i. Chriſtus non eſt Caput ſeu Princeps quaſi electus ad bonum ſubditorum: ſed ex dignitate propria ac perſonali; imò omnes ſubditi ſunt ab ipſa Perſona Chriſti electi & adoptati ad participationem ſuæ propriæ hæreditatis. *Ioan* 5. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Rom.* 8. Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Nec corpus illud myſticum vel politicum Electorum vel eligendorum, fuit vnquam in intentione aut conceptu Dei velut truncum aut Acephalum, ſine Chriſto vt Capite vel Principe: ſed potiùs Chriſtus fuit prior ſuo corpore & omnibus ſubditis. Nec indiguit vllo corpore aut ſubditis, ad ſuam perfectionem aut gloriam: quia quid ſufficientius eſſe poteſt quàm eſſe Deum? Sed Corpus & Ciuitas ſeu regnum Electorum, non potuit eſſe perfectum, niſi ſub tali ac tanto Capite & Principe.

Idem 1. *Retr.* 13. Expreſsè ſupponit ſine peccato Originali *naſcituros fuiſſe homines vſq; ad certum SS. numerum quem prædeſtinauit Deus.* Lib. *De prædeſt. SS. cap.* 10. *De geſtis Pelagij, cap.* 17. *q.* 68. ex 83. ſupponit aliquam ſecretam dignitatem eorum qui vocantur, ex prædeſtinatione,

ante

Digitized by Google

ante maſſam peccatorum: ergo & ſupponit prædeſtinationem naturæ humanæ ad vnionem hypoſtaticam in Caput Prædeſtinatorum, ante permiſſionem ac præuiſionem peccati orig. Cùm enim Angeli & primi parentes fuerint à Deo creati ad beatitudinem, ad quam & aliqui peruenerunt: non potuerunt ad eam creari & peruenire, niſi ex intentione Dei; non tantùm ad ſingulos ſeorſim beatificandos, ſed ad certum & ordinatum numerum ſub aliquo primo & ſummo Capite, ex dignitate etiam perſonali præ reliquis omnibus. Dei enim perfecta ſunt opera: ab æterno quidem in primo conceptu & intentione; ſed ſucceſſiuè in executione. Nec concipit & intendit ſua opera quaſi per ſupplementa, & ſarcimenta defectuum: ſed ex ſcientia omnium poſſibilium, vno eodemque conceptu ac intentione perficit quod vult. Vt latius in 1. De prædeſt. abſoluta ante permiſſionem vel præuiſionem vllius peccati.

Ad oppoſita ex ſacra ſcript. *Reſp.* Chriſtum non negare quin venerit vocatum veros iuſtos ad beatitudinem: ſed ad pœnitentiam. Quia tamen nulli ſunt veri iuſti, niſi per pœnitentiam & conuerſionem à peccatis: negat ibi ſe veniſſe vocatum falſos iuſtos, ſeu præſumentes de falſa iuſtitia, quales erant Phariſei, ſed potius humiles peccatores. Vel negat ſe veniſſe pro Angelis, ſed pro ſolis hominibus, qui omnes ſunt peccatores. Prout variè explicatur Chriſti parabola *Luc.* 15. de relictis 99. ouibus in deſerto ad quærendã centeſimam, quæ perierat. In quẽ ſenſum Chriſtus: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Sic & 1. *Tim.* 1. Chriſtus Ieſus .i. vt Saluator à peccatis: venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Sed tota difficultas eſt de ſenſu *B. Aug.* quaſi Chriſtus alia de cauſa non veniſſet, nec venturus fuiſſet.

*Reſp.* Non negat incarnationem futuram fuiſſe, ſed Chriſtum vt Ieſum venturum fuiſſe in hunc mundũ, niſi ad ſaluandos peccatores. Nam Chriſtus propriè ſignificat Perſonã naturæ diuinæ & humanæ: ſed Ieſus ſignificat Saluatorẽ, ſeu officium ſaluãdi peccatores. Aliud eſt etiam venire in hũc mundum: quàm incarnari. Nam per hunc mundum ſignificatur ſtatus communis hominum mortaliũ. Non veniſſet ergo in hunc mundum, ſeu ad hunc ſtatum mortalem: niſi ad ſaluandos peccatores à miſero ſtatu culpæ & pœnæ. Nam ex vi vnionis hypoſtaticæ natura humana Chriſti fuiſſet ſemper glorioſa animo & corpore: ſed ſuſpendit ſeu continuit gloriam corporis, ad ſaluandos peccatores. Et quia locus ordinarius corporum, eſt ſecundùm eorum perfectionem: locus proprius corporis Chriſti vt hypoſtaticè vniti, erat potiùs cœlum quàm hic mundus inferior. Cùm ille ſit locus in quo à Deo beatificantur ſpiritus, & animæ in ſuis corporibus glorioſis. Hinc quod Chriſtus *Ioan.* 5. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo: non tantùm verum eſt de deſcenſu virtuali Perſonæ Chriſti ad cauſandam & terminandam vnionẽ hyopſtaticam in vtero Virginis; & de deſcenſu corporis & animæ Chriſti, ſeu origine ex cœlo .i. à cauſa ſupernaturali; ſed etiam de deſcenſu naturæ humanæ Chriſti à loco ſibi debito ſecundùm ſuum ſtatum ſuper omnem creaturam. Vt & *Ioan.* 6. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Et in *Symbolo*: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine. An autẽ, vbi, & quomodo ex ea incarnatus fuiſſet: ſub finẽ huius q. Sed ne hæc videantur paradoxa: quis ignorat S. Enoch tranſlatum fuiſſe: & de pluribus dici, *Hebr.* 11. Quibus dignus non erat mundus? Quis reprobet illam rationem *B. Aug.* de ſublimibus Angelis creatis in ſtatu Beato & immobili à ſuo obiecto & fine beatifico? Itaque ſingula verba Apoſt. & *B. Aug.* in 1. *Tim.* 1. conferunt ſingulas reſp. *Chriſtus*: ergo ſupponit futurum fuiſſe: *Ieſus* .i. vt Saluator: *non veniſſet*, vllatenus vt viator: *in hunc mundum* .i. in hunc ſtatum & locum mortalitatis ac miſeriæ; quia nec fuiſſet. Sicut nec deſcendiſſet in infernum, ſi nulli inde ſaluandi fuiſſet, & tamen fuiſſet incarnatus: ſic nec in hunc mundum vt Saluator, niſi aliqui hinc ſaluandi fuiſſet, nec ideo minùs fuiſſet incarnatus.

Contra *S. Aug. Enchir.* 100. & alibi ſæpè ſupponit pro certo, Deum non permittere vllum malum, niſi ad eliciendum maius bonum: ergo non permiſit lapſum totius generis humani, niſi ad bonum vnionis hypoſtaticæ; quia non poteſt eſſe aliud bonum maius tanto malo. Hinc Eccleſia canit: O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.

*Reſp.* Deus non permittit vllum malum niſi ad maius bonum: ſed bonum cuiuſuis meriti & ſatiſfactionis Chriſti, eſt maius malo culpæ & pœnæ *Adami*, & totius poſteritatis eius. Ad cantum illum Eccleſiæ: non poteſt intelligi propriè, de fælicitate & merito culpæ; ſed metaphoricè, de tanto beneficio, tam gratuito, tam inſperato, tam indignis à Deo prouiſo, & ex ipſa occaſione culpæ elicito. Nec de ipſa incarnatione: ſed de Redemptore, ſeu redemptione à Chriſto, vt tali ac tanto, ibidem ſuppoſito.

Ad *S. Bon.* Cùm ſit problematicus, & proteſtetur ſe neutri opinioni velle præiudicare: non eſt cenſendus contrarius. Non tamen præfert aliam huic: niſi quatenus hæc tribueret incarnationem perfectioni ſolius naturæ aut huius vniuerſi, minuſque commendaret hoc myſterium fidei, & minùs excitaret deuotionem. Cùm ergo hæc vt ſupra, tribuat incarnationem ſummæ gratiæ & gloriæ Dei, minuſque noſtræ vtilitati ac occaſioni quàm illa: eleuat potiùs deuotionem ſupra nos ipſos ad Deũ, ſibique conciliat fauorem *S. Bon.* Reliqua eius, reducunt vtramque opinionem ad non neceſſitatem, ſeu poſſibilitatem oppoſiti: ſed non delet maiorem cõuenientiam Capitis homogenei omniũ Electorũ etiam Angelorum, quàm ſolius Dei; quia Chriſtus ſignificat Perſonam naturæ diuinæ & humanæ, quæ eſt homogenea omni creaturæ corporeæ & ſpirituali.

*Contra.* Incarnatio Chriſti non fuit prædeſtinata, niſi vt ex ſemine Dauid, & ex B. V. Maria, *Rom.* 1. *Matt.* 1. *Luc.* 1. 2. 3. ſed vt ſupra, nec fuiſſet ex Virgine matre, nec ex ſemine Dauid, nec per veram generationem ex elementis.

*Reſp.* Ex *Scoto in* 2. *d.* 20. *q.* 2. Non eſſe de veritate ac identitate vllius hominis, ex quibus pa-

rentibus ortus ſit; nec vllius effectus, à quibus cauſis ſit. Sic nec eſt de veritate incarnationis Chriſti, nec de identitate huius naturæ humanæ eius, ex qua materia, & quibus cauſis ſecundis: ſed tantū vt conſtet hoc vero corpore humano, & hac anima. Reliqua ſunt tantùm de modo incarnationis. Si ergo potuit Adam creari verus homo, ex anima & corpore, ſine vllo ſemine, ſine Patre, ſine Matre: cur non & eadem natura humana Chriſti ex nihilo, vel corpus eius ex qualibet materia elementari, vel cœleſti, in hoc verum corpus eius conuerſa? Si panis & vinum per conſecrationem conuertatur in idem corpus Chriſti exiſtens: cur non quælibet materia in necdum exiſtens? Sed non potuit incarnatio perfectè prædeſtinari quoad ſolam ſubſtantiam: quia talis prædeſtinatio non poſſet eſſe efficax, niſi ex ſupplemento alicuius modi determinati. Porro primus modus determinatus decentiſſimus, & immutabilis fuit ex hac virgine Matre: Reliquæ autem circumſtantiæ non neceſſariæ ad efficaciam, & executionem, videntur poſteriores permiſſione ac præuiſione peccati orig. Vt, an in cœlo, paradiſo terreſtri, vel extra. Nec plus fuiſſet impoſſibilis generatio Chriſti ex B. V. in cælo, quàm ſtellarum creatio, quàm in cœlum aſcenſio, & hic eiuſdem corporis Chriſti conſecratio, &c. Vt infra, Quæſt. De Immac. Concept.

# QVÆSTIO IV.

*An ſubſiſtentia vel perſonalitas creata ſit quid poſitiuum, vel negatiuum: reale, vel morale; abſolutum, vel relatiuum; diſtinctum realiter, formaliter, moraliter, vel ſola ratione, à natura ſubſtantiali, eiuſq́; ſingularitate, & exiſtentia.*

DE quibus in 1. ſub perſonalitate & ſubſiſtencia Dei: & *q.* 2. in hunc *lib.* 3. inter rationes communes huius myſterij fidei. Sed quia ſunt variæ etiam noſtrorum authorum ſententiæ, circa titulum huius quæſt. breuiter eas referamus, conferamus, & quantum fieri poteſt conciliemus; eam omnibus præferendo quæ huic myſterio fidei obſequioſior eſt.

*Alenſis* noſter *p.* 1. *à q.* 56. *ad* 59. refert ſuam, & ſui temporis ſententias. Inter quas *q.* 56. *m.* 3. definit ex *Magiſtris*, Perſonam eſſe *Hypoſtaſim diſtinctam proprietate ad dignitatem pertinente.* Quam defin. *ſubdit eſſe quoad vſum nominis.* Sed P. 2. *q.* 20. *m.* 4. De perſonalitate Angeli. *Art.* 1. Perſonalitas conuenit Angelis. *Ad* 4. Anima non habet eſſe diſtinctum & ſeparatum ab omni alia re: conuenit enim in vnum eſſe cum corpore: eſſe verò Perſonæ eſt per ſe entis, & diſtincti, & ideo Angelus habet rationem perſonæ, &c. Licet anima ſit ſeparata, habet poſſibilitatem ad vnum aliquid conſtituendum: non ſic Angelus, &c. *Ad vlt.* Natura humana in Chriſto, non habet rationem partis: ſed perſonalitas ibi eſt ſecundùm hypoſtaſim diuinæ naturæ, cum qua præexiſtente & digniore, natura humana vnitur. Non ſic de Angelo. P. 3. *q.* 2. *m.* 4. Videtur ſupponere hanc definitionem, vt realem, ex propria ſententia: reddens rationem cur perſona humana non poſſit aſſumi hypoſtaticè, nec à tribus perſonis diuinis, nec ab vna, ſed ſola natura. *Quia perſona eſt ſummè diſcreta proprietate digniori: perſonalitas autem dignioris proprietatis non poteſt eſſe ex parte humanæ naturæ, nec ex parte diuinarum perſonarum, cum ſint tres. Ideoq́; non poteſt idem homo aſſumi à tribus perſonis diuinis, vt nec hæ poſſunt confundi: ſed tres Perſonæ poſſent aſſumere & communicare vnum eundemq́; hominem ſingularem* .i. Si idem homo ſumatur pro eadem perſona: non poteſt aſſumi nec à tribus perſonis diuinis, nec ab vna; quia perſona humana hoc ipſo perderet proprietatem ſeu ſtatū dignioris, quo vniretur diuinæ; nec natura humana fieret dignior in vna perſona diuina, quam in alia, cùm ſint æquales. Sed ſi idem homo ſumatur pro eodem ſingulari hominis: ſic poteſt aſſumi ab vna, & à tribus ſimul perſonis diuinis.

*S. Bon. in* 1. *d.* 23. *a.* 1. *q.* 1. Perſona, *inquit*, dicit ſuppoſitum diſtinctum *proprietate ad dignitatem pertinente.* In 2. *d.* 3. *art.* 2. De diſcretione perſonali Angelorum. Vt in Compendio *col.* 100. 101. Inter quæ, *q.* 2. *Diſcretio perſonalis videtur dicere accidens: quia dicit per modum accidentis; tamen principaliter dicit quid ſubſtantiale, &c. Vt diſcretio indiuidualis eſt exiſtentia formæ in materia: ſic perſonalis diſcretio eſt exiſtentia naturæ nobilis & ſupereminentis in ſuppoſito.* q. 3. *Diſcretio perſonalis dicit ſingularitatem & dignitatem: illam ex coniunctione principiorum eius quod eſt; hanc principaliter à forma, &c.* ibidem lectione digniſſima. *In* 3. *d.* 1. *art.* 1. *d.* 5. per totam: vt in noſtro comp. *col.* 129. 137. 138. Niſi quòd *S. Bon. d.* 5. *a.* 2. *q.* 2. referat diſtinctè hæreſes *Neſtorij* & *Eutichetis*: quòd ille diſtingueret in Chriſto duas perſonas, hic cōfunderet duas naturas in vnam; ſicut *Arrius* errabat contra æqualitem filij cum Patre, & *Sabellius* contra diſtinctionem perſonalem inter Patrem & Filium, ex ignorantia pertinaci diſtinctionis inter naturam & perſonam. Et ad 1. arg. reſumat doctrinam de perſonalitate vt ſumpta à *ſingularitate, incommunicabilitate, & ſupereminenti dignitate. Diſtinctionem*, inquit, *ſingularitatis voco, quòd aliquid non ſit commune ad plura, ſed dicatur de vno ſolo, &c. Diſtinctionem incommunicabilitatis dico: quando aliquid non eſt pars alterius, &c. Diſtinctionem ſupereminentis dignitatis intelligo illam, quæ accipitur à digniori proprietate. Hoc enim nomen,* Perſona, *ſumptum eſt à dignioribus. Vnde non reperitur niſi in indiuiduo nobiliſſimæ creaturæ, vtpote rationalis, & ratione ſuæ nobiliſſimæ proprietatis. Quoniam ergo natura humana aſſumpta à Chriſto, ordinata eſt ad nobiliorem proprietatem eiuſdem perſonæ ſecundum alteram naturam: hinc eſt quod non tenet ibi proprietatem perſonalitatis. Cadit enim à proprietate ſupereminentis dignitatis, à qua non cadit Perſona Verbi, &c.* Ad 2. *Natura aſſumpta in Chriſto, eo eſt nobilior, quo in nobiliori perſona ſtabilitur, &c. Vnde ordinatio ad dignius, quamuis afferat rationem ſuppoſitionis, non tamen aufert proprietatem dignitatis. Melius eſt enim ſubeſſe ſuperiori, quàm præeſſe inferiori. Sicut perfectior eſt anima cum poſſidetur à Deo, quàm cùm poſſidet res creatas. Et melius nubit virgo nobilis Regi cui ſubſit, quàm ruſtico cui præſit. Vnde eſto quòd*

Deus

*Deus aliquem aſſumeret, qui iam eſſet perſona vel ens actu: ille cùm deſineret eſſe perſona, nihil tamen dignitatis amitteret. Eſſet enim perſona ſecundùm naturam aſſumentem, quamuis non ſecundùm naturam aſſumptam.* Ad 3. *Anima rationalis vnita corpori facit perſonam: quando non coniunguntur digniori. Tunc enim non ſolùm ex anima & carne conſtituitur ipſa natura: ſed ex ipſa natura, hypoſtaſis & perſo-* *Ad* 4. Beata virgo genuit perſonam: quia genuit filium Dei, &c. *Diſt.* 10. *art.* 1. *q.* 2. *Ad* 2. Chriſtus vt homo, eſt res completa; non proprio & & abſoluto complemento, ſed relatiuo, & digniore, ſeu diuino. *Ad* 4. Natura vnita hypoſtaticè digniori, non poteſt habere ſuam propriam perſonalitatem: ſed benè natura dignior, vnita indigniori. *Ad* 5. Si natura humana Chriſti ſepararetur, fieret perſona: non maiori, ſed minori dignitate.

*Scotus* autem videtur totam dignitatem & perfectionem tribuere ſoli naturæ ſubſtantiali, & intellectuali: ſubſiſtentiæ autem & perſonalitati, ſolam negationem, vel ad ſummum poſitiuam terminationem, & vlteriorem incommunicabilitatem totius naturæ, abſque vlla perfectione huius vltimæ terminationis, receptionis, & incõmunicabilitatis ſubſtantialis; ita vt neget ipſas perſonalitates diuinas eſſe formaliter vllas perfectiones. Vt *in* 1. *d.* 5. *q.* 2. Dico breuiter quòd relatio & eſſentia ita ſũt in Perſona: vt neutra ſit forma informans alteram, ſed ſint perfectè idem, licet non formaliter. Vt tamen non ſunt idem formaliter, relatio nullo modo perficit eſſentiam: ſed eſſentia eſt forma quâ relatio eſt, & qua Deus eſt. *Diſt.* 13. *n.* 9. 10. Nulla relatio realis eſt formaliter perfectio infinita: quia tunc aliqua perſona diuina non haberet omnem perfectionem formaliter infinitam. *Diſt.* 23. *à n.* 6. Ad obiectionem, *quòd perſona dicat aliquam dignitatem.* Reſp. *Non ex formali ſignificato; ſed ex natura intellectuali connotata. Diſt.* 26. *à n.* 33. *Ad* 5. *Arg.* Proprietas perſonalis ſiue ſit abſoluta, ſiue relatiua, nec eſt perfectio ipſius eſſentiæ, nec eſt perfectio ſimpliciter: potiuſque aliqua relatio eſſet perfectio, quàm vlla proprietas perſonalis. *In* 3. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 3 Hæc vnio hypoſtatica non dicit per ſe aliquid abſolutum, &c. ergo ſaltem aliquam relationem realem. N. 4. Perſonalitas non eſt perfectio ſimpliciter. N. 6. Quid ſit quo natura perſonetur, duæ videntur viæ probabiles. 1. Quod ſit aliquid poſitiuum, abſolutum, vel reſpectiuum, vltra naturam ſingularem. 2. Quòd ſit ſola negatio dependentiæ. N. 9. Non aſſerendo, poteſt mediari inter has vias: quòd nec ſit vlla entitas poſitiua naturæ intellectualis creatæ, cui repugnet communicari vt *Quo*, & dependere à perſona diuina; nec quòd ſola negatio dependentiæ actualis ad perſonam extrinſecam, ſit ratiò completa & formalis perſonæ creatæ; ſed negatio dependentiæ actualis & aptitudinalis, cum poſſibili tamen communicatione & dependentia obedientiali ac ſupernaturali eiuſdem naturæ à Perſona diuina. N. 10. Natura creata ſingularis, eſt incõmunicabilis vt *Quod*, quia limitata: Sed non vt *Quo*, niſi naturaliter. Nec incommunicabilitas abſoluta perſonæ, eſt vniuoca creatis & increatis: ſed tantum actualis & aptitudinalis. Quia cum Perſonæ diuinæ repugnet communicari vt *Quod*, vel vt *Quo*: non poteſt repugnare niſi per aliquid poſitiuum. Perſona autem creata poteſt eſſe incommunicabilis actu & aptitudine, per ſolam negationem vtriuſque vltra hãc naturam, &c. *A n.* 16. *Ad* 5. *arg.* Natura creata non perſonatur ſola per ſe exiſtentia, ſeu inhærentia: quia ad perſonalitatem requiritur vltima ſolitudo, ſeu negatio vnionis, & dependentiæ actulis & aptitudinalis ad perſonam alterius naturæ, &c. à *col.* 117.

Sed Quodlibeto 19. An in Chriſto vnitas naturæ humanæ ad Verbum, ſit ſola dependentiâ naturæ aſſumptæ ad perſonam Verbi? N. 4. Non repugnat perſonæ terminare dependentiam naturæ creatæ: nec quà Perſona eſt, nec qua diuina, nec quà eſt hæc perſona; quia independenti ſimpliciter non repugnat terminare talem dependentiam alienam. *Ad* 1. In tali ſaltem nulla eſt imperfectio. *Ad* 3. Angelus terminat dependentiam cuiuſuis naturæ inferioris in ordine eſſentiali naturarum. *Ad* 4. Poteſt eſſe independens ſi ſibi repugnet imperfectio: licet ſibi non conueniat perfectio ſimpliciter; quia entitas hypoſtatica vt talis, non eſt perfectio ſimpliciter; nec tamen omnis talis eſt imperfecta. Licet poſſit diſtingui, quòd perfectio ſicut entitas, æquiuocè conuenit entitati quidditatiuæ, & hypoſtaticæ: tamen propriè perfectio non videtur conuenire niſi entitati quidditatiuæ; quia entitas hypoſtatica, non eſt ſecundùm quam aliquid formaliter perficitur, ſed ſecundùm quam recipit perfectionem, vel ſaltem determinatur ad perfectionem receptam.

*Num.* 11. Eſt in entibus aliqua dependentia naturæ communicabilis ad id cui communicatur: ergo in illa dependentia eſt ſtatus ad incommunicabile, vt terminante talem dependentiam, &c. Natura ſubſtãtialis habet proprium per ſe ſuppoſitum: *& ibi eſt identitas realis naturæ & ſuppoſiti, &c.* Sed natura accidentis requirit ſuppoſitum ſubſtantiæ, ad quod vltimatè eius dependentia terminatur: cui non eſt per ſe idem, quia ſunt alterius generis; ſed eſt ibi aliqua vnio ſupplens vicem identitatis. Illa eſt actualis dependentia naturæ: & ex parte ſuppoſiti, actualis ſuſtentatio naturæ, vel terminatio dependentiæ eius. Sic quòd illam naturam dependere ad illud ſuppoſitum, eſt ipſam ei communicari, vt ſuo ſuppoſito per accidens, &c. Cum ergo Perſona diuina ſit veriſſimè incommunicabilis: non repugnat ſibi terminare dependentiam naturæ communicabilis, vt ſuppoſitum eius extrinſecum. *Infra.*

N. 13. *Ad* 1. Vt accidens eſt forma ſubſtantiæ potentialis: ſic non poteſt vlla natura ſe habere ad Verbum; ſed benè vt accidens eſt dependens à ſubſtantia eſſentialiter priore. Hinc patet illud dictum: *Deus eſt reſpectu cuius omnis ſubſtantia creata eſt quaſi accidens, &c.* *Ad* 2. Subſtantia ſingularis eſt incommunicabilis inferioribus, vt ſunt vniuerſalia: ſed non eſt incommunicabilis vt forma partialis vel totalis, niſi ſit vltimatum habẽs formã, vel ens per formã ſita quod nihil habeat ipſum tanquã formam, ſeu principium quo eſſendi, & tale eſt ſuppoſitum. Licet igitur accidentis dependentia

N. 14.

terminetur aliqualiter ad ſubſtantiam ſingularem: non eſt tamen vltima terminatio, niſi ad ſingulare vt incommunicabile, &c.

N. 14. Subſtantia ſingularis communicabilis *non dependet ad ſuppoſitum ſubſtantiæ: ſed eſt ibi vera identitas, &c.* Si ratio ſuppoſiti vltra ſubſtantiam ſingularem non addit niſi negationem: illa negatio priùs conuenit ſingulari, quàm terminare dependentiam accidentis, &c. Vt priùs conuenit homini non eſſe rationale, quàm eſſe albũ, &c. Ratio terminandi eſt aliquid poſitiuum: ſed terminandi vltimatè, eſt illa negatio; quia terminans non eſt communicabile. Si enim eſſet communicabile: adhuc terminaretur ad id, cui communicaretur.

N. 15. Rationes *S. Thomæ.* 1. Perſona Diuina eminenter continet perfectionem omnis ſuppoſiti creati: ergo poteſt ſupplere vicem cuiuſque. 2. Quæuis natura creata eſt in potentia obedientiali ad Peſonam Diuinam. *Contra* 1. Si contineret eminenter, eſſet ratio formalis creandi. *Contra* 2. Potentia obedientialis eſt ad Omnipotentiam Dei, communem tribus Perſonis, &c. N. 16. Diſtinctio formalis Perſonæ ab eſſentia Diuina, ſufficit vt hæc poſſit dici formalis terminus vnionis hypoſtaticæ, &c. Natura humana dependet à Verbo Dei: non vt correlatiuo, nec propriè vt relatiuo, ſed vt ſubſiſtente incommunicabili, &c. N. 17. Ex *Damaſceno, lib. 3. cap. 2.* Verbum aſſumpſit naturam in atomo .i. ſingularem; ſed non vt perſonatam, &c. Videtur quòd perſonalitas ſit formaliter poſitiua. 1. Quia negatio non eſt incommunicabilis, niſi ob aliquid poſitiuum. 2. Negatio non eſt primò vlli propria, ſed affirmatio. 3. Perſonalitas excludit imperfectionem dependentiæ: ergo eſt quid poſitiuum. *Contra.* 1. *Damaſcenus lib. 3. cap. 6. Verbum aſſumpſit omnia quæ Deus in natura noſtra plantauit, &c. Quod eſt inaſſumptibile, eſt incurabile.*

2. Si Perſonalitas eſſet entitas poſitiua, eſſet in potentia obedientiali ad dependendum à Verbo: ergo & ipſa eſſet aſſumpta. 3. Poſſet natura etiam à Verbo dimiſſa, eſſe ſine illa: nec eſſet entitas accidentalis, nec ſubſtantialis, &c. Poteſt igitur dici, quòd natura noſtra non perſonatur propria perſonalitate poſitiua: quia vltra ſingularitatem non fit incommunicabils niſi negatione communicationis. Quæ eſt triplex. 1. Negatio communicationis actualis. 2. Negatio repugnans communicationi. 3. Negatio inclinationis ad communicationem. Prima & tertia eſt perſonæ creatæ: ſed ſecunda, eſt propria Perſonæ Diuinæ; & ideò ſupponit poſitiuam entitatem perſonalem. *n.* 20. *Ad Arg.* Incommunicabilitas ſimpliciter per repugnantiam, non conuenit primò ratione negationis: nec eſt in creatura etiam in ſe perſonata; ſed tantùm ſecundùm quid, ſtante negatione dedendentiæ actualis; nec hæc incommunicabilitas ſecundùm quid requirit entitatem poſitiuam ſimpliciter incommunicabilem, ſed tantùm receptiuã negationis dependentiæ actualis. N. 22. Quodlibet ponendum eſt poſſibile, & compoſſibile: cuius non patet ratio impoſſibilitatis, vel incompoſſibilitatis. &c. Poteſt autem aliquid communicari alicui, vt hoc ſit ipſum quod communicatur, ſicut vniuerſale communicatur ſingulari: vel vt ſit ipſo, tanquam formali principio eſſendi, partiali, vel totali, &c. Natura communicatur proprio ſuppoſito, vt forma totalis eſſendi: *non propter dependentiam, ſed magis propter per ſe identitatem.* Sed ad ſuppoſitum non proprium, non poteſt eſſe per ſe identitas: ſed vicem identitatis ſupplet perfecta dependentia naturæ, & perfecta ſuſtentatio ex parte ſuppoſiti, quod priùs eſt per ſe ſuppoſitum propriæ naturæ, quàm aduentitiæ. N. 23. Perſona diuina poteſt eſſe terminus proprius alicuius dependentiæ: non vt cauſati ad cauſam, nec terminati ad aliquam perfectionem formalem: ſed tantùm naturæ vt communicabilis, ad incommunicabile ſuſtentans ipſam, &c. Nec poteſt eſſe poſſibilitas ſic terminandi: niſi ſit poſſibilitas ſic dependendi, &c. Nam prior eſt dependẽtia accidẽtis à ſubſtantia, quàm inhærentia, &c. Ergo non repugnat dependentia naturæ vt communicabilis, ſine inhærentia. Nec modus qualitatis repugnat ſubſtantiæ, ex 2. *Phyſ.* 5. Cùm enim accidens poſſit habere modum ſubſtantiæ extra ſubiectum: ſubſtantia poteſt habere modum accidentis, dependendo, non inhærendo, ſuppoſito alieno. N. 24. Dependentia Creaturæ à Deo, vt à Cauſa prima, eſt ſemper neceſſariò actualis: non à cauſa ſecunda. N. 25. Dependens actu, non habet potiùs rationem fundamentalem dependendi, quàm non dependens actu, ſed tantùm actualem, &c. Natura aſſumpta eſt ipſa proxima ratio fundamentalis dependendi: ſed non neceſſariò dependendi actu. *Ad Arg. princ.* Non omnis dependentia ſufficit ad veram prædicationem dependentis, de illo á quo dependet: ſed naturæ vt communicabilis, ad ſuppoſitum vt hypoſtaticè ſuſtentans eam. Vt patet in accidente: quod prædicatur de ſuppoſito à quo dependet; ſed non per ſe, vt natura de proprio ſuppoſito. Ita non eſt prædicatio per ſe, naturæ humanæ de ipſo Verbo. ]

Ex quibus omnibus inter ſe collatis, reſultant variæ difficultates. 1. Quòd *Al. & S. Bon.* ſtatuant perſonalitatem in digniori ſeu perfectiori: *Scotus* autem in ſolo receptiuo & terminatiuo perfectionis, non autem in perfectiuo vel in vlla perfectione. 2. Quòd illi ſtatuant eam in aliquo poſitiuo: hic potiùs in ſola illa duplici negatione. 3. Quòd *Scotus* diſtinguat propriam perſonalitatẽ creatã, vt tantùm negatiuum, à diuina vt poſitiua: cùm illa ſit ab hac participata. 4. Quòd *Scotus* neget ipſam perſonalitatem Diuinam eſſe formaliter perfectionem: non tantùm quia eſt relatiua; ſed quia eſt perſonalitas. Vnde nec ipſa ſubſiſtentia abſoluta Dei, eſſet formaliter perfectio: quia & ipſa eſt ratio formalis habendi, ſeu habentis eſſentiam, & perfectionem eſſentialem Dei, non autem perfectiui, perficientis, aut perfectionis. 5. Quòd hinc natura humana non perficeretur vnione hypoſtatica ad perſonam Verbi: ſi hæc non eſt formaliter vlla perfectio; nec ipſa vnio hypoſtatica ſit vlla perfectio, ſed tantùm relatio. De quo ſub propria *Quæſt.* 6. Quod *Scotus* aliquoties neget dependentiã & diſtinctionem naturæ à

proprio

proprio ſuppoſito, ſupponens expreſsè vtriuſque identitatem per ſe. 7. Quòd tam ipſe, quàm illi nunc loquantur de Perſona ſeu ſuppoſito vt ſubſiſtēte in natura: nunc vt ſubſiſtēte in ſuppoſito vel perſona. 8. Quòd illa *Scoti* videantur valdè aliena à ſacra Script. SS. Conc. & PP. De ſumma gratia & perfectione vnionis hypoſtaticæ, & de diſtinctione humanæ naturæ aſſumptæ, à Perſona humana non aſſumpta: non vt à ſola negatione, formalitate, aut moralitate, ſed vt rei à re vnibili & ſeparabili. Prout patet ex Edicto Fidei ab ipſo Imp. *Iuſtiniano* ad Papam *Ioan*. 2. De vnitate eſſentiæ Diuinæ & Trinitate Peſonarum: de vnitate Perſonæ, non naturæ in Chriſto; deque B. V. vt propriè Dei genitrice. Quod extat *Tomo* 2. *Concil.* poſt *Tolet.* 2. Et ex *Synodo* 7. gener. ſeu *Nicæna* 2. *Act.* 6. Vbi refert ex prioribus Synodis, pleraſque hæreſes ortas eſſe ex confuſione, ſeu non diſtinctione naturæ à Perſona Diuina, & humana.

Hinc plerique cenſent ſubſiſtentiam creatam eſſe modum quendam ſubſtantialem per ſe exiſtendi, oppoſitum modo accidentali exiſtendi in ſubiecto, & partiali in toto: à quo tam ſit diſtincta & ſeparabilis natura ſubſtantialis & totalis, quàm ab hoc natura partialis, & accidentalis. Sed omnibus perpenſis: videntur ad obſequium eiuſdem fidei Chriſtianæ, hac reſponſione coaleſcere, & conciliari poſſe.

## *Reſponſio communis.*

SVbſiſtentia creaturæ, non eſt formaliter perfectio eſſentialis, nec accidentalis, ſeu perfectiua ſuæ naturæ, vt eſſentiæ ſubſtantialis, ſuo modo totalis, & ſingularis, nec ab ea vt ſic perfectibilis, aut realiter diſtincta: quia hæc eſt tota ſua propria perfectio, & perfecta vſq; ad ſingularitatē, vt terminum totius perfectionis eſſentialis. Sed eſt negatio imperfectionis accidentalis, & ſubſtantiæ partialis, in exiſtendo, ſeu neceſſariæ dependentiæ naturalis à ſubiecto, ab inuicem, vel à ſuo toto, ad exiſtendum: fundata in natura ſeu eſſentia ſubſtantiali, totali, & ſingulari, eiuſque perfectione ſufficiente ad modum proprium connaturalem & ſubſtantialem per ſe ſeu ſe ſolâ integrè exiſtendi. Qui modus actualis exiſtendi, quamuis perfectior accidentali & partiali: non eſt tamen perfectio, ſeu perfectiuus ipſius eſſentiæ ſubſtantialis, totalis, & ſingularis; quia eſt ab ea, ſeu ex eius perfectione. Nec eſt propriè perfectibilis formaliter ab eſſentia, vt abſtrahit ab exiſtentia: ſed eſt quaſi receptiuus eſſentiæ ad exiſtentiam, ſeu primus modus terminatiuus, ſeu determinatiuus eſſentiæ ſingularis, imò & exiſtentiæ actualis, ad modum exiſtendi proprium, connaturalem, & ſubſtantialem, cùm ſit ex ſe poſſibilis ad quaſi accidentalem, vel partialem. Hinc licet non ſit perfectio aut perfectiuus eſſentiæ ſubſtantialis, totalis, aut ſingularis: eſt tamen perfectio, & perfectiuus exiſtentiæ actualis, vt poſſibilis ad ſubſtantialem & totalem, vel accidentalem & partialem, & ad ſubſiſtentiam propriam, vel dependentiam & ſuſtentationem ab alio. Qui modus exiſtendi non dicitur ſubſiſtentia, & ſuppoſitalitas, à ſuſtentatione propriæ naturæ, ſubſtantialis, totalis, ſingularis, & exiſtentis, quaſi dependentis à ſua propria ſubſiſtentia: ſed potiùs à ſiſtenda, terminanda, & determinanda communicabilitate naturæ; non vt communis ad ſingularem, nec vt ſingularis ad aliquam exiſtentiam: ſed ipſius exiſtentiæ vt poſſibilis, ad hunc modum exiſtendi independenter ab alio termino quàm à proprio. Poteſt autem dici *ſub*: vel quia eſt ratio vltima poſt eſſentiam, ſed prima ante exiſtentiam, recipiendi, terminandi ſeu determinandi eſſentiam actualem ſeu exiſtentium ad ſuum proprium modum exiſtendi; vel quia eſt ratio fundamentalis agendi, recipiendi, & ſuſtentandi omnia accidentia. Hoc enim ſenſu actiones & paſſiones ſunt ſuppoſitorum .i. Naturæ non agunt, imò nec recipiunt realiter, niſi ſupponantur eſſe alicuius, & modo aliquo determinato. Hinc ſubſiſtentia & ſuppoſitum, á ſuppoſitione modi proprij naturæ ſubſtantialis, totalis, & ſubſtantialis, ad per ſe exiſtendum, & recipiendum ac ſuſtentandum ſua accidentia: poteſt denominari *ſuper*, ab habendo, & continendo propriam naturam modo proprio per ſe exiſtendi, & ab operando per eam. Ita vt ſubſiſtentia dupliciter concipi poſſit. 1. Vt à *Scoto*, quaſi infra naturam ſeu eſſentiam ſingularem, eam excipiens, terminans & determinans ad ſuum proprium modum per ſe exiſtendi, & ſuſtentandi ſua accidentia. 2. Vt ab *Al.* & *S. Bon.* quaſi ſupra ſuam naturam ſingularem, eam habendo, tenendo, continendo, ad per ſe exiſtendum, & operandum.

Quod eſt ſubſiſtentia cuiuſuis creaturæ, vt ſubſtantialis, totalis, ſingularis, & exiſtentis: hoc eſt perſonalitas talis naturæ, vt intellectualis, ſeu dignioris ac perfectioris inter omnes. Quæ perſonalitas poteſt variè intelligi dignior. 1. Subſiſtentiâ communi. 2. Naturâ & exiſtentiâ inferiori. 3. Propriâ naturâ ſuâ intellectuali: Quatenus habere cenſetur dignius, quàm haberi; & ratio habendi aut habentis, quàm habiti. Perſonalitas autem eſt ratio habendi aut habentis naturam, vt habitam. 4. Quatenus perſonalitas dicit ipſam integritatem ſeu totalitatem naturæ intellectualis: vt terminatæ ſeu determinatæ ad modum proprium exiſtendi. 5. Quatenus dicit principium, Quod operandi intellectualiter: naturæ autem principium *Quo*, remoto vel proximo. 6. Quatenus negat ſubiectionem & dependentiam ab alio in exiſtendo, ſeu coexiſtendo & adhærendo: ſeu dicit ſuam propriam principalitatem naturæ intellectualis in modo proprio per ſe exiſtendi. 7. Poteſt dici proprietas dignior alijs proprietatibus eiuſdem naturæ. Quæ & ſimiles dignitates ſunt potiùs morales, comparatiuæ, & formales, quàm reales, entitatiuæ, & abſolutæ. Nam eadem natura realis poteſt dici perſonata proprietate digniore, vt eſt ſola aut principalis in exiſtendo: non autem vt eſt minùs principalis, in coexiſtendo & adhærendo alteri principaliori.

Hinc ad 1. Diff. *Al.* & *S. Bon.* ſtatuunt perſonalitatem in digniori moraliter, formaliter, & comparatiuè, vt ſupra: *Scotus* autem, non in pro-



Digitized by Google

propria perfectione aut perfectiuo reali; ſed vt in receptiuo, terminatiuo, & determinatiuo totius perfectionis eſſentialis & ſubſtãtialis, ad hunc modum exiſtendi. *Ad* 2. Illi ſtatunt perſonalitatem in aliquo poſitiuo, ſaltem morali: hic, potiùs in duplici negatione, ſed quæ continet illam dignitatem moralem. *Ad* 3. Perſonalitas creata, cùm ſit abſoluta, non tam videtur participata à Perſonalitate diuina, quæ eſt relatiua: quàm à ſubſiſtentia Dei abſoluta. Quæ vt non diſtinguitur à natura Dei, niſi vt *Quod* eſt à ſuo *Quo* eſt, vt in 1. *Sent.* ſic fortè perſonalitàs creata, à ſua natura; excepta potentialitate ad modum perfectiorem aut imperfectiorem exiſtendi, quæ ſubeſt illi negationi Scoti. Nec vlla perfectio diuina participatur à nobis formaliter, & poſitiuè: ſed negatiuè, ſeu ſit noſtra ſola terminatione, ſeu negatione perfectionis infinitæ. Vt *in* 1. *Sent. Ad* 4. Subſiſtentia abſoluta Dei eſt modus perfectiſſimus habendi, naturam diuinam, ſeu neceſſariò per ſe exiſtendi Deum: perſonalitas autem diuina eſt terminus proprius ſeu incommunicabilis ſic habendi ſeu exiſtendi; ſed ſubſiſtentia & perſonalitas noſtra eſt tantùm potentialitas, aut naturalitas, vel etiam actualitas per ſe exiſtendi; non tamen neceſſitas, ſed poſſibilitas perfectiùs vel imperfectius exiſtendi. *Ad* 5. Natura humana aſſumpta à Verbo ſummè perficitur ſaltem moraliter, ſua vnione hypoſtatica ad Perſonam Verbi: ſed conſequenter, omni perfectione reali decente talem ac tantam dignitatem moralem, ſeu ſtatum perſonalem. *Ad* 6. Scotus negat dependentiam & diſtinctionem realem naturæ à ſuo proprio ſuppoſito. 1. Si hoc tantùm illi ſuperaddat negationem. 2. Subſiſtentia aptitudinalis identificatur ipſi naturæ. 3. Suppoſitum includit ipſam naturam ſubſtantialem: & perſona, naturam intellectualem; ideoque identificantur ſaltem inadæquate. 4. Subſiſtentia & perſonalitas actualis non eſt alia res vt ſeparabilis ab ipſa natura in exiſtendo, imò nec vt integra formalitas obiectiua: ſed ad ſummum modus proprius exiſtentiæ ſubſtantialis, modificãs eam negatiuè, vel poſitiuè, moraliter vel realiter, vt ſupra, & infra. *Ad* 7. Suppoſitum & perſona dici poteſt ſubſiſtere in natura propria: non vt in formali ratione ſubſiſtendi, ſed eſſendi & exiſtendi, non tamen vt hoc modo. Natura autem dicitur exiſtere vel ſubſiſtere in ſuppoſito aut perſona: vt in habẽte, continente, terminante, determinante, & modificante eius exiſtentiam. *Ad* 8. Vt ad principale: Sacra Script. *Conc. & PP.* diſtingunt naturam diuinam & humanam, à perſona diuina & humana: ſed cùm non diſtinguant realiter naturam diuinã à perſonis, nec perſonas à natura; diſtinguerent realiter naturam humanam, à perſona vel perſonalitate humana? Si quia ſola natura humana non perſona poteſt vniri, & eſt vnita hypoſtaticè perſonæ diuinæ: ſic & ſola natura diuina identificatùr cuilibet perſonæ diuinæ; non tamen vna perſona poteſt identificari realiter & perſonaliter alteri perſonæ. Si quia natura humana poteſt exiſtere in perſona diuina ſine propria perſona aut perſonalitate humana: non ſic natura diuina poteſt exiſtere in vna perſona ſine alia. Hoc eſt ex infinitate naturæ diuinæ: quæ poteſt, & neceſſariò exiſtit in quauis perſona diuina; priùs tamen origine in prima, quàm in ſecunda, & in ſecunda quàm in tertia. Hinc ſi quæ natura ſingularis & totalis eſſet capax communicandi pluribus ſimul perſonis totam ſuam formalitatem: non neceſſariò differret realiter à ſuis perſonis, imò nec hæ neceſſariò realiter ab inuicem; ſed vel ſola negatione dependentiæ ſeu terminationis ad inuicem, vel ſolo ſtatu aliquo morali, niſi vna oriretur realiter ab alia. Nam perſonæ diuinæ non differunt realiter ab inuicem, quia ſunt plures eiuſdem naturæ ſingularis: ſed quia vna oritur ab alia, & quidem modo diuerſo. Vt, ſi idem corpus humanum poſſet ſimul informari pluribus animabus, & eadem anima ſimul informare plura corpora: cur inde non poſſent eſſe plures naturæ & perſonæ humanæ, ſine reciproca ſaltẽ diſtinctione reali? Cùmq; idẽ corpus Chriſti poſſit ſimul exiſtere, ſeu eſſe præſens ad plures ſpecies: cur non & ad plura puncta aut ſpatia, non diſtincta realiter a corpore Chriſti, nec ab inuicem, ſed ſola negatione extenſionis, aut dependentiæ, vel ſolo ſitu & reſpectu morali ad ſupra, & infra. Nec replicetur, quòd ſacræ Script. Conc. & patres non cenſeantur loqui definitiuè & dogmaticè de formalitatibus & negationibus: ſed de rebus ipſis vt realiter exiſtentibus & differentibus. Imò potiùs & frequentiùs de rebus moralibus, ad capium communem fidelium. Ergo potiùs de diſtinctione & dignitate ſeu ſtatu morali perſonæ, quàm de entitate reali. Quam dignitatem ſeu ſtatum proprium, quia amittit natura vnita perſonæ digniori: non poteſt aſſumi ad perſonam digniorem, niſi amiſſa dignitate ſtatus proprij, ſed acquiſito digniore. Quæ dignitas moralis propria vel aliena ſupponit perfectionem naturalem: rectèque explicatur à Scoto per negationem dependentiæ ab inferiore vel æquali, & per dependentiam à perfectiore. Cui fauent etiam ſacræ Script. Conc. & Patres, docendo filium Dei aſſumpſiſſe totum hominem, vel totum hominis: non ſolum eſſentiale, ſed & proprium ac naturale, ad totum in ſeipſo reparandum. Vt ſupra ex *Damaſc.* Cui tamẽ placet quædam diſtinctio realis naturæ à ſua ſubſiſtentia: non ſit vt rei à re, ſed vt à modo ſuo proprio exiſtendi, inſeparabili ſed variabili in eadem natura; nec à quo natura ipſa in exiſtendo neceſſariò dependeat, cum poſſit eadem alio modo exiſtere. Neque hoc, aut quicquam horum eſt alienũ à mente noſtrorum Doctorum. Nam *Al. q.* 4. *m.* 6. exigit ad rationem perſonæ, ſingularitatem, incommunicabilitatem, dignitatem: ergo quamuis ibidem ſumat rationem perſonæ à proprietate dignioris non tamen vt à tota ratione formali, ſed formaliori. Deinde ſæpe tribuit perſonæ ſubſiſtentiam, & ſuſtentationem aliquam naturæ: ergo ſupponit aliquid poſitiuum & reale eſſe de ratione perſonæ vt eſt ſubſiſtentia; quamuis ſola dignitas illa moralis eſſet de formaliori ratione perſonæ vt perſona eſt. Sic & *S. Bon. & Scotus* ſæpè ſupra: ſed hic ſingulariter *col.* 271. vbi expreſſe fatetur quòd ratio terminandi naturam, in ſuppoſito vel perſona, ſit quid poſitiuum: *ſed terminandi vltimatè, ſit ſola negatio.* Ergo non vult totam rationem formalẽ ſuppoſiti

ſuppoſiti vel perſonæ, eſſe negationem: ſed ſolam vltimitatem eſſe negationem vlterioris terminationis, aut terminabilitatis naturalis.

Quod autem nos ſupra, de ſubſiſtentia, non vt perfectibili à natura ſeu eſſentia ſingulari, & vt perfectione aut perfectiua exiſtentiæ actualis: non eſt contra Scotum, de ſubſiſtentia vt tantùm receptiua perfectionis, non perfectiua, vel etiam tantùm negatiua; ſed ad diſcernendam ſingularitatem, vt terminum proprium eſſentiæ ſingularis, à ſubſiſtentia vt termino proprio exiſtentiæ ſeu eſſentiæ actualis; & ipſam exiſtentiam, à ſuo proprio & perfecto modo exiſtendi, vel quouis alio poſſibili, perfectiori vel imperfectiori. De quibus in 1. & ſupra ad finem quæſt. 2. ac infra conſequenter.

---

## QVÆSTIO V.

*An plures naturæ poſſint ſimul vniri hypoſtaticè, vni eidemq; ſuppoſito ſeu perſonæ: vel eadem pluribus ſimul perſonis; & quæ mediatè vel immediatè vnita ſint in Chriſto, ſoli Perſonæ filij, vel etiam naturæ & ſubſiſtentiæ abſolutæ Dei.*

DE quibus Alenſis P. 3. *q.* 21. 42. 43. 45. P. 2. *q.* 20. *p.* 3. *q.* 2. *m.* 1. Natura humana & creata, eſt vnibilis diuinæ. *M.* 2. Natura diuina eſt etiā vnibilis humanæ. *M.* 5. *Si quis intelligat, ego non intelligo: naturam diuinam præciſam à perſona ſic vniri poſſe.* 1. Quia ſine perſona diſtinguente eſſet confuſio naturarum. 2. Quia natura non poteſt concipi eſſe actu, niſi vt in aliquo eam habente, ſicq; vt in perſona. *M.* 4. Non poteſt ſic vniri ipſa perſona humana: *ſed plura etiam ſimul ſingularia naturæ humanæ ad eandem perſonam diuinam, non ad plures ſimul. M.* 5. *Art.* 2. Poſſet abſolutè quælibet Perſona diuina incarnari, ſed minus congruè quā Filius Dei. *M.* 6. Natura humana eſt vnibilior diuinæ, quàm Angelica. *M.* 7. Natura humana eſt vnibilior diuinæ, quàm totum vniuerſum. *M.* 8. Natura humana aſſumenda fuit ex eodem genere lapſo, &c. *M.* 9. Non ipſa natura ſingularis Adæ, &c. M. 10. Non ſeminaliter ex Adam. *M.* 11. Non ex viro & muliere. *M.* 12. Non ex ſolo viro: ſed potiùs ex ſola muliere. *M.* 13. Etſi non fuiſſet lapſa, conueniens eſſet incarnatio, &c. vt *col.* 2. 3. *Quæſt.* 4. *m.* 3. Natura humana, pro corpore & anima ex quibus conſtat, eſt aſſumpta: non autem ſub modo naturali; *nec propriè vt eſt eſſentia, quia natura eſt potiùs res in fieri, non autem vt iam in eſſe. M.* 4. Eſt aſſumpta in vero corpore & anima: cōtra hæreticos, &c. *M.* 5. An corpus ſit aſſumptum mediante anima? *Reſp.* Non medio neceſſitatis inter extrema: ſed ordinis prioris ad animam, quā ad corpus. *M.* 6. Perſona humana non fuit aſſumpta: Contra *Neſtorium, &c. Ad arg.* De ſingularitate, incommunicabilitate, & dignitate propria perſonæ. Quæ cum ſumatur à proprietate digniori, ſumenda eſt à dignitate perſonæ diuinæ, &c. *M.* 7. Nec perſona nec ſpecies humana eſt aſſumpta: ſed hæc natura ſingularis, &c. Quia actus non tribuuntur ſpeciebus, niſi per accidens, &c. *Ad* 3. Natura humana dicit partes vnitas: homo, id quod eſt ex his. *Ad* 4. Homo propriè dicit quid completum: ideoque non eſt propriè aſſumptus, ſed impropriè, pro ſola natura humana. *Ad vlt.* Homo non poteſt dici aſſumptus, à partibus aſſumptis. *Quæſt.* 5. *M.* 1. Chriſtus aſſumpſit naturam paſſibilem, &c. *M.* 2. *a.* 1. Non aſſumpſit vllam ignorantiam aut defectum intellectus. *A.* 2. Non aſſumpſit triſtitiam turbulentam, aut neceſſariam. *A* 3. Non aſſumpſit vllum timorem vitioſum, nec naturalem neceſſarium, aut ex vlla falſa apprehenſione: nec gratuitum ſeruilem, aut initialem, ſed tantùm naturalem voluntarium, & gratuitum filialem, reuerentiæ, & offenſæ diuinæ. *A.* 4. Fuit in Chriſto maior timor reuerentiæ, quàm in nobis. *A.* 5. Non fuit in Chriſto vlla ira turbulenta: ſed zelus, &c. *A.* 6. Non aſſumpſit defectus noſtros particulares: ſed tantùm vniuerſales. *M.* 3. Ad probandam veritatem naturæ humanæ, vt animalis: & ad liberandum nos ab omni pœna, vt eſt reatus ex culpa, non vt ad exercitium virtutis. *Quæſt.* 7. *m.* 1. *a.* 2. Poteſt dici, quod vt lib. 1. determinatum eſt, abſtractis proprietatibus perſonalibus, adhuc eſt intelligere hypoſtaſes in diuinis: vnde eſt intelligere eas vt vnibiles, &c. *Ad* 2. Poteſt intelligi hypoſtaſis vnibilis: non tamen in vnitate perſonali, ſed hypoſtaſeos, &c. *Art.* 3. An abſtractâ hypoſtaſi & Perſonâ, poſſit adhuc intelligi vnio diuinæ & humanæ naturæ. Quidā dicūt quod fieret vnio in hoc quod eſt Deus, &c. Videtur nobis dicendum, quod res naturæ & hypoſtaſis poteſt faciliùs intelligi vnibilis, quàm perſona, &c.

*S. Bon. d.* 1. *art.* 1. *q.* 1. Eſt poſſibile naturam diuinam vniri perſonaliter humanæ. *Q.* 2. Poteſt vna perſona diuina vniri ſine altera, &c. Vt tres puellæ poſſunt vnicam eadem veſte veſtire: & vnica à tribus veſtiri. *Q.* 3. Nec eſt poſſibile, nec intelligibile, eandem naturam ſingularem vniri ſimul hypoſtaticè tribus perſonis: quia nec poſſunt vniri in vnam eandemque naturam ex pluribus totalibus; nec in vnam eandemque perſonam, ex pluribus perſonis. Hic eſt ſenſus *S. Bon. Quæſt.* 4. Quælibet trium Perſonarum potuit incarnari. *Art.* 2. *q.* 1. Decuit Deum incarnari. *q.* 3. Decuit potius Filium Dei incarnari, quàm alias perſonas diuinas. *Diſt.* 2. *art.* 1. *q.* 1. Decuit potiùs aſſumi hypoſtaticè ſolam creaturam rationalem, quàm totum vniuerſum. *q.* 2. Decuit potiùs aſſumi naturam humanam, quàm Angelicam. *Q.* 3. Congruentius fuit aſſumi naturam ſingularem, quàm totam ſpeciem, &c. *Art.* 2. *q.* 1. Chriſtus aſſumpſit veram carnem humanam, paſſibilem, ex ſemine Dauid, & Maria V. non autem tantùm apparentem, nec cæleſtem: ſed dicitur veniſſe de cœlo & cœleſtis, à perſona Chriſti, & perfectione corporis eius. *q.* 2. Aſſumpſit veram animam vegetatiuam, ſenſitiuam & rationalem, &c. *Q.* 3. Fuit homo eiuſdem ſpeciei nobiſcum. *Art.* 3. *q.* 1. Aſſumpſit corpus mediante ſpiritu humano, ſeu portione ſuperiori: non vt medio vinculo, ſed vt medio congruo coaſſumendi corpus, &c. *Q.* 2. Anima non fuit aſſumpta mediante aliquo habitu gratuito, vt cooperante, ſed comitante, & congruente. *Ad* 5. *Arg.* Vt vna linea poteſt coaleſcere cum



Digitized by Google

alia, omiſſo ſolo proprio termino : ſic natura humana vniri Verbo, amiſſa ſola diſcretione perſonali. *Diſt.* 5. *Art.* 1. *q.* 4. Natura humana non poteſt aſſumi à natura Diuina : ſed à ſola Perſona vel ſuppoſitò, vt habente naturam Diuinam. *Art.* 2. *q.* 1. Natura humana poteſt dici verè, & propriè tota aſſumpta à Deo. *Q.* 2. Non aſſumpſit perſonam humanam quæ fuerit ante, nec in, nec poſt aſſumptionem. *Q.* 4. Deus non aſſumpſit hominem, nec in fieri, nec in facto eſſe, niſi impropriè : quia aſſumere hominem eſt aſſumere perſonam diſtinctam. *Ad Arg.* Sancti ſunt exponendi, de homine, pro humanitate. *Q.* 5. Aſſumpſit humanitatem .i. principia conſtituentia hominem, & formam totius, & proprietates conſequentes. *D.* 15. De aſſumptione defectuum naturalium & communium : non perſonalium & vitioſorum.

*Scotus d.* 1. *q.* 1. *n.* 4. Non repugnat Perſonæ Diuinæ, nec vt diuinæ, nec vt huic ſoli, aſſumere naturam humanam : quia quælibet Perſona Diuina eſt per ſe terminus independens naturæ; ergo & capax terminandi naturam ſic dependentem, ſeu terminabilem. *Q.* 2. An tres perſonæ poſſint aſſumere eandem naturam? N. 5. Ad quæſt. Non videtur quòd vna natura poſſit ſimul aſſumi à tribus perſonis, immediatè : ſed mediante Eſſentia Diuina, vt per ſe ſubſiſtente in tribus Perſonis Diuinis. Quia idem non poteſt totaliter dependere à pluribus, &c. eſtque ſolius eſſentiæ Diuinæ vt infinitæ, eſſe in pluribus Perſonis, &c. Contra *S. Thomam, p.* 3. *q.* 2. *a.* 6. N. 7. *Ad* 4. Non poteſt idem accidens eſſe in pluribus ſimul ſubiectis : nec plura ſimul in eodem loco habent idem vbi intrinſecum, ſed ſingula ſuum proprium, &c. N. 9. Nec eſt ſimile de eadem anima in pluribus partibus, aut eodem corpore ſimul in pluribus locis : quia in his nulla eſt incompoſſibilitas. *Q.* 3. An vna Perſona poſſit aſſumere plures naturas? Nulla eſt impoſſibilitas, vel incompoſſibilitas, &c. *Ad* 1. *Arg.* Ex pluribus naturis humanis aſſumptis ab vna Perſona, non eſſent plures, ſed vnus homo. Quia, &c. ibidem. *Q.* 4. An ſuppoſitum creatum poſſit ſuſtentare alienam naturam? *Reſp.* Non cauſaliter : ſed terminatiuè, &c. problematicè. *D.* 2. An Verbum immediatè aſſumpſerit totam naturam humanam. *Reſp.* Non aſſumpſit corpus per animam : nec totum per partes, vt per mediũ Quod, quaſi priùs aut ſolum immediatè aſſumptum; ſed potiùs partes per totum, & totum per animam, vt per medium *Quo* hæc natura eſt ſic vnibilis, ſeu perſonabilis, vt intellectualis, &c. *Dub.* 1. An entitas totius naturæ aſſumptæ ſit realiter diſtincta à partibus etiam ſimul ſumptis, & vnitis. 2. An differat abſolutè, an tantùm relatiuè. 3. An ſit forma totius, alia à forma partis. *Ad* 1. Differt realiter. *Ad* 2. Abſolutè. *Ad* 3. Non vt forma partis, vel partium : ſed totius .i. quà totum eſt totum, &c. Vt *S. Bon. d.* 5. *a.* 2. *q.* 5.

Ex quibus omnibus inter ſe collatis, variæ difficultates occurrunt. 1. Quòd *Al. p.* 3. *q.* 2. *m.* 3. neget naturam Diuinam præciſam à Perſona, vniri poſſe humanæ, &c. Cùm tamen *q.* 7. *m.* 1. *a.* 2. Res naturæ & hypoſtaſis diuinæ videatur ei vnibilior quàm Perſona. 2. Quòd *Al. q.* 4. *m.* 3. neget naturam humanam eſſe aſſumptam propriè, vt eſt eſſentia. 3. Quòd *S. Bon. d.* 1. *a.* 1. *q.* 3. neget vt impoſſibile & inconceptibile, eandem naturam ſingularem vniri ſimul hypoſtaticè tribus Perſonis : cùm tamen *Alenſis* non cenſeat eſſe tam inconceptibile; *Scotus* cenſeat eſſe poſſibile mediante aſſumptione à Deo abſolutè, ſed *S. Thomas* cum ſuis etiam immediatè. 4. Quòd *Al. q.* 2. *m.* 6. & *S. Ben. d.* 2. *a.* 1. *q.* 2. iudicent naturam humanam vnibiliorem Diuinæ, quàm ſit Angelica. 5. Quòd *Scotus d.* 1. *q.* 2. neget idem accidens poſſe eſſe ſimul in pluribus ſubiectis : & ſimile eiuſdem animæ in pluribus partibus, vel eiuſdem corporis in pluribus locis, cum eadem natura in pluribus perſonis. Quod tamen videmur ſuppoſuiſſe, & comparaſſe ſupra. 6. Quòd *Scotus d.* 2. diſtinguat entitatem totius naturæ aſſumptæ, à partibus ſimul ſumptis & vnitis : cùm tamen illa entitas totius deſiſtet per mortem Chriſti, contra ſuppoſitionem illam celebrem, *Quod Verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit.*

7. Quòd nec *Alenſis*, nec *S. Bon.* nec *Scotus* quicquam doceant de partibus corporis Chriſti, permanentibus aut ſucceſſiuis, animatis aut inanimatis, continuis vel contiguis, intrinſecis vel extrinſecis, integrantibus, concomitantibus, neceſſarijs, vel decentibus tantùm, & ſuperfluis: An omnes, vel quæ harum fuerint hypoſtaticè vnitæ, aut non. Quæ tamen doctrina eſt valde vtilis, & neceſſaria etiam ad fidem, & praxim fidei Chriſtianæ. Vt de ipſo Sanguine Chriſti, an ſit hypoſtaticè vnitus, & adorandus : an verò tantum in corpore vnito, & nonniſi coadorandus. Deque alijs humoribus, capillis, vnguibus : non tantùm vt erant aut ſunt in Corpore Chriſti, ſeu ei adhærent; ſed etiam effuſis & reſectis. Denique, de partibus homogeneis & animatis, per continuam nutritionem ſuccedentibus : & de quibuſdam à corpore Chriſti auulſis aut præciſis, nec reſumptis. Vt de Præputio circumciſo, quod inter ſacras Corporis Chriſti reliquias reſeruatur. De quibus omnibus, ſed præcipuè de Sanguine Chriſti, fuit magna controuerſia ſcholaſtica & practica. Quidam enim cum *Durando in* 4 *d.* 10. *q.* 1. negant Sanguinem Chriſti fuiſſe, vel eſſe immediatè vnitum hypoſtaticè : ſed tantùm remotè, vt in Corpore vnito. Alij negant fuiſſe vnitum in triduo mortis, & nunc extra corpus. Alij diſtinguunt ſanguinem perfectum vt animatum ac vnitum, ab imperfecto, nec animato nec vnito. Alij cenſent indiſtinctè Sanguinem Chriſti eſſe hypoſtaticè vnitum. Sed *ſacra Script. Conc. SS. Patres, & tota Eccleſia* videtur expreſsè approbare vnionem hypoſtaticam Sanguinis Chriſti etiam pro nobis effuſi. Nam *Heb.* 1. *Quia pueri communicauerunt Carni & Sanguini : & ipſe filius communicauit eiſdem.* Vbi æqualiter loquitur de Carne & Sanguine. *Matt.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Epheſ. 1. *Habemus redemptionem per Sanguinem eius.* Coloſſ. 1. *Pacificans per Sanguinem eius, &c.* Heb. 9. *Si ſanguis hircorum, &c.*

quantò

Digitized by Google

*quantò magis Sanguis Chriſti, emundabit conſcientias noſtras?* 1. Pet. 1. *Redempti eſtis pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati.* 1. Ioan. 1. *Sanguis Chriſti emundat nos.* Et alibi ſæpè Sanguis dicitur æquè eſſe ipſius Chriſti, ac Corpus: & æquè ei vt effuſo, vel eius effuſioni tribuitur noſtra Redemptio; ac Corpori, eiuſque Paſſioni, vulneribus, & morti. Imò eadem ſacra Script. vbique ſignificat naturam humanam corpoream, per carnem & ſanguinem. Ita & omnes ſancti Patres, Conc. & ſenſus, vox, ac praxis publica Eccleſiæ, & omnium fidelium, deferendi eandem fidem & cultum Sanguini Chriſti, ac Corpori. Ne autem hæc omnia referri poſſe videantur ad Chriſtum vt patientem, & patiendo effundentem proprium Sanguinem: *Conc. Epheſ. c.5. & Chalced. Act.* 1. explicant *Verbum Caro factum eſt* .i. in carne & ſanguine nobiſcum communicauit. Et *Clemens 6. Extrauagante Vnigenitus*, publicans annum Iubilæi, videtur hanc veritatem vt certiſſimam ſupponere, ac profiteri. *Chriſtus*, inquit, *pretioſo Sanguine nos redemit: quem in ara Crucis innocens immolatus, non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet; ſed copioſè velut quoddam profluuium noſcitur effudiſſe.* Qui & fertur quoſdam Theologos aliter ſentientes, & docentes, ad retractationẽ publicam condemnaſſe. Quæ veritas non nititur vlla ratione naturali, ab animatione ſanguinis vel non: ſed tot tantiſque præconijs Sanguinis Chriſti in ſacra Script. ſacris Conc. Patribus, & in corde, ore, ac cultu publico omnium fidelium.

## *Reſponſio ad omnia ſimul.*

DE poſſibilibus huius quæſt. Cùm ex *Al. p. 1. q. 21. m. 5. art. 9.* Anima non poſſit capere infinitum pelagus potentiæ Dei abſolutæ: & ex *Scoto* ſupra *quodlib.* 19. nihil ſit negandum abſolutè poſſibile aut incompoſſibile, niſi ex euidenti ratione: cenſenda eſt poſſibilis & compoſſibilis vnio hypoſtatica omnis naturæ ſubſtantialis, totalis & partialis, ſimul & ſeorſim, ad quamlibet Perſonam, vel Subſiſtentiam Dei abſolutam; non autem vllius accidentis ad vllam ſubſiſtentiam, nec vllius ſubſtantiæ finitæ ad plures ſimul Perſonas, nec fortè ad vllam alienam ſubſiſtentiam creatam. Quia nulla eſt ratio euidens, impoſſibilis aut incompoſſibilis vnionis hypoſtaticæ illarum omniũ ſimul: imò multæ ſunt probabiles, vt ſupra *q.* 2. 3. 4. Sed tam eſt euidens impoſſibilitas vniendi hypoſtaticè accidentia: quàm eſt euidens eorum incapacitas perfectionis ſubſtantialis. Quamuis enim poſſint ſuſtentari cauſaliter extra ſubiectum: non tamen ſubſtantialiter, ſeu modo & vnione ſubſtantiali. Sicut nec ſubſtantiæ poſſunt vniri alicui ſubiecto accidentaliter, ſeu ei inhærere. Quia nec ſubſiſtẽtia actualis, ſed capacitas naturalis ſubſiſtendi, eſt de eſſentia ſubſtantiæ: nec inhærẽtia actualis, ſed dependentia naturalis ab inhæſione, & incapacitas naturalis ſubſiſtendi, eſt de eſſentia accidentis. Cùmque forma non poſſit eſſe niſi cum ſuo effectus formali: nec ſubſtantia poteſt inhærere, nec accidens ſubſiſtere; quia nec illa poteſt habere effectum formalem accidentalem, nec hoc ſubſtantialem. Tam eſt etiam euidens eandem ſubſtantiam finitam non poſſe ſimul vniri hypoſtaticè pluribus perſonis aut ſuppoſitis: quàm eſt euidens, eandem non poſſe totaliter dependere ab vna, ſimulque ab alia; nec partialiter ab vna, & partialiter ab alia, cũ totalitas ſit de ratione cuiuſuis perſonæ aut ſuppoſiti: quamque eſt euidens idẽ non poſſe ſimul dependere & non dependere: denique quàm eſt euidens naturam finitam non eſſe niſi finitè ſeu limitatè communicabilem; ergo non niſi vni perſonæ ſeu ſuppoſito, alioquin tot quot in infinitum. Vnde eſt etiam probabile, naturam & ſuppoſitum creatum ita adæquari inter ſe: vt nec vlla natura poſſit naturare alienum ſuppoſitum, nec hoc alienam naturam ſuſtentare; quia nec hoc poteſt eſſe alterius naturæ quàm ſuæ, nec illa poteſt eſſe natura alterius quàm ſui proprij ſuppoſiti creati. Alioquin omnia poſſent fieri & eſſe inter ſe vnum: nec eſſet vllus ordo & ſubordinatio entium, partialium & totalium. Sed quia omnia ſunt ſubordinata vni omnium totaliſſimo: hinc omnia poſſunt in illo fieri vnum, & omnes omnium inter ſe dependentiæ ad illud terminari; quia nihil comparatiuè ad illud cenſetur ſubſtantialiter ita proprium & totale, quin poſſit illi adhærere & appropriari, vt ab eo participatum, ſicque potiùs partiale, quàm totale.

De facto autem huius quæſt. Cùm potentia Dei ordinata non ſit relaxanda in abſolutam, niſi ex principijs fidei: non eſt extendenda vnio hypoſtatica niſi ad neceſſaria, conſequentia, & decentia myſterium incarnationis, &c. nec citra hæc eſt reſtringenda. Sed quia hæc non ſunt tantùm realia, ſed & moralia: quicquid ita pertinet ad integritatem & perfectionem ſubſtantialem, realem, vel moralem Corporis Chriſti; vt naturaliter ſubſiſteret in perſona humana: cenſendum eſt hypoſtaticè vnitum Perſonæ diuinæ. Inter quæ, ſine dubio, eſt ſanguis: non tantùm ex illis principijs fidei ſupra, ſed etiam ex varijs rationibus. 1. Quia eſt quid intimè contentum in corpore humano: ſicque moraliter vnum cum eo. 2. Quia eſt quid intrinſecè neceſſarium ad conſeruationem vitæ & animæ in corpore: ſicque vtrique naturaliter & moraliter annexum. 3. Quia eſt inſtrumentum intrinſecum vitaliter operandi: ideoque & ſubſtantialiter vnitum perſonæ vel ſuppoſito operanti. 4. Quia non eſt vlla natura totalis, habens vllam aliã ſubſiſtentiam propriam: ſed eſt tantùm natura partialis ſui corporis; ergo ſubſiſtit eadem ſubſiſtentia, vel dependet eadem dependentia qua ſuũ corpus. 5. Quia eſt vera pars naturalis, vel ſaltem moralis, corporis humani & animati. Nec obſtat quod non cohæreat ſeu continuetur cum reliquo corpore: ſed fluat in venis. Quia nec omnes aliæ partes hæterogeneæ, ſed fortè ſolæ homogeneæ, ſunt inter ſe continuæ, vt eſt etiam totus ſanguis: & vt aliæ partes hæterogeneæ ſunt magis minuſue duræ aut molles, ſingulæ ad ſuum finem proprium in corpore; ſic & ſanguis, vt eſt naturalis ſuo corpori debet eſſe in eo fluidus, non autem in ſe coagulatus, nec concretus cum reliquo corpore. 6. Quia ſanguis non habet vllum alium locum, vſum,

finem naturalem, quàm in ſuo corpore: ergo & in eadem perſona. Cùmque reliqui humores in venis permixti ſint ſanguini, in vnum naturale temperamentum: cenſentur moraliter vnum quid, ſimulque ſubſiſtunt aut dependent ab vno eodemque ſuppoſito cum corpore. Hinc eſt idem de reliquis partibus: non tantùm interioribus, per nutritionem ſuccedentibus; ſed etiam de exterioribus, corpori ad vſum vel decentiam naturalem adhærentibus, ſiue viuentibus aut continuis ſiue non; vt ſunt barba, capilli, vngues. Quia nec ſanguis, nec humores illi mixti ſanguini, viuunt aut continuantur cum reliquo corpore: & hæc exteriora pertinent ad decentiam moralem corporis, ipſiuſque perſonæ humanæ; nec habent alium locum, vſum, finem, vel ſtatum proprium naturalem, &c. vt ſupra de ſanguine. Exceptis principijs fidei de ſanguine potiùs quã de reliquis.

Hinc ad omnes difficultates. *Ad* 1. *Alenſis* negat vllam naturam poſſe vniri ſubſtantialiter naturæ Diuinæ, vt natura vel eſſentia eſt: quia natura ſeu eſſentia vt talis, eſt forma eſſendi; natura autem .i. nec creata nec diuina poteſt eſſe alterius forma, nec partialis nec totalis, nec eſt capax formalitatis alterius. Sed non negat, imò fatetur naturam creatam vniri poſſe Diuinæ vt eſt ſubſiſtens, ſeu habens ſeipſam per identitatem: ſiue perſonaliter, relatiuè, & incommunicabiliter; ſiue vt abſolutè, & communicabiliter. Hinc *Al. q.* 2. *m.* 3. reddit vnam rationem cur non poſſit fieri vnio Naturæ Diuinæ, vt ſic: quia non poteſt fieri ei vnio niſi vt actu exiſtenti; nec poteſt concipi eſſe actu, niſi vt in habente ſeipſam identicè. Quòd addit, *vt in Perſona* .i. non vt in hac relatiua & incommunicabili; ſed vt ſubſiſtente, ſine qua reuera, vt in prima ratione rectè vrget, naturæ vnitæ miſcerentur, & confunderentur, ſine vllo eas habente, continente, & diſcernente. Sicque ſeipſum explicat, & explicandus eſt, *q.* 7. diſtinguens *hypoſtaſim* & *Rem naturæ*, vt ſubſiſtentiam abſolutam, vel vt non diſcretam proprietate perſonali, à perſona ſeu perſonalitate vt diſcreta & incommunicabili. Prout in 1. *Sent.* ex profeſſo: imò & ex ipſo contextu eiuſdem *quæſt.* 7. *Ad* 2. *Al.* negat naturam humanam eſſe aſſumptam propriè vt eſt eſſentia: quia natura eſt potiùs res in fieri, quàm in eſſe: eſſentia autem eſt res potiùs in eſſe quàm in fieri, ſeu eſt potiùs ratio eſſendi quàm fiendi. Hinc autem monet, naturam humanam eſſe aſſumptam in ipſo fieri: non autem poſt fieri, in eſſe, ſeu facto eſſe. *Ad* 3. Omnes noſtri negant eandem naturam vniri poſſe pluribus perſonis immediatè. Nec *Al. q.* 2. *m.* 4. cenſet eſſe poſſibile tres perſonas aſſumere & communicare vnum eundemque hominem ſingularem, ſibiipſis ſingulis terminatiuè & immediatè: ſed actiuè à tribus, terminatiuè vni ſoli, vt ipſe *Al.* & *S. Bon.* expreſsè; vel tribus mediatè, vt ſunt vnius eiuſdem ſubſiſtentiæ abſolutæ, vt *Scotus* expreſsè. Nec *Al.* & *S. Bon.* negant ſubſiſtentiam abſolutam Dei, aut eam vt talem poſſe ſuſtentare, vel habere naturam: ſed vt formalem obiectiuam, & præciſam ab eſſentia actuali ſeu exiſtentia, & à perfectiſſimo modo exiſtendi ſeu ſubſiſtendi. Vt ſic enim non eſſet capax realis vnionis, & ſuſtentationis vllius naturæ. Nec opinio *S. Thomæ* cum ſuis, quòd eadem natura poſſit aſſumi, & dependere hypoſtaticè à tribus ſimul Perſonis: reuocat ſententiam noſtrorum in dubium; quia noſtri id conſequenter & certò docent, de Perſonis vt ſumuntur à digniori proprietate, includunt negationem dependentiæ ab alio, & conferunt naturæ vt ſibi vnitæ incommunicabilitatem, & repugnantiam dependendi ab alio. Sed *S. Thomas* cum ſuis aliter ſentit de Perſona: vt tantùm ſuſtentante, ſiue totaliter, ſiue partialiter, naturam ſibi vnitam, nec eius communicationem vltimò terminante. *Ad* 4. *Al.* & *S. Bon.* ibidem ſe ſatis explicant, de congruitate reali, & morali, vniendi potiùs hominem quàm Angelum: non ab vlla dignitate hominis vel Angeli ad minimam gratiam, quantominus ad hanc; ſed maiori indignitate Angeli peccatoris, quàm hominis peccatoris. Nec à perfectiori ſimilitudine naturali & eſſentiali Dei in homine, quàm in Angelo: ſed perſonaliori, & perſonabiliori. 1. Quia propagatio hominum eſt perſonalior, ſeu ſimilior origini perſonali in Deo: quàm creatio omnium Angelorum ſimul à ſolo Deo. 2. Quia quò homo eſt naturaliter imperfectior, indignior, indigentior, compoſitior, dependentior, partialior: eò vnibilior & perſonabilior ad Deum. *Ad* 5. Nihil illorum ſuppoſuimus abſolutè, ſed conditionatè: nec *q.* 2. conferebamus, & præferebamus vllam ſententiam ſcholaſticam; ſed vtebamur qualibet ad explicandum hoc fidei Myſterium. Meritoque negat *Scotus* idem accidens poſſe eſſe ſimul in pluribus ſubiectis: & ſimile eiuſdem animæ in pluribus partibus corporis, & eiuſdem corporis in pluribus locis, cum eadem natura in pluribus Perſonis. Quia idem accidens eſt limitatum ad vnicũ eundemque effectum formalem: & vnica inhæſione contrahitur ac totaliter dependet ad idem ſubiectum. Nec anima in pluribus partibus, nec corpus in pluribus locis dependet ab illis, vt natura à ſuppoſitis: nec in hoc repreſentant naturam finitam, ſed infinitam Dei, vt ſolam communicabilem pluribus perſonis. *Ad* 6. Idem ſupponunt *Al.* ſupra *q.* 19. & *S. Bon. d.* 21. & 22. De morte Chriſti. Cùm enim mors hominis ſit corruptio eiuſdem vnius per ſe, ac totius ſubſtantialis, quod ſubſtantialiter generatur & reſurgit: nec tantùm generetur quoad partes aut earum vnionem, ſed quoad vnum per ſe & totum ſubſtantiale; non moritur etiam quoad partes, vel earum vnionem, ſed quoad vnũ per ſe & totum ſubſtantiale, quod inde fuerat realiter genitum. Nec hoc eſt contra illud celebre: Quòd Verbum aſſumpſit nunquam dimiſit. Non enim dimittitur quod deſinit eſſe: ſed quod ſeparatur & relinquitur in ſuo ſolo eſſe. Hinc nec vnquam dimiſit partes per nutritionem ſuccedentes, nec partes carnis violenter auulſas, nec præputium circumciſum, nec ſanguinem effuſum: niſi per aliquam mutationem ſubſtantialem deſierint eſſe prioris naturæ partialis ad humanam, & conſequenter eiuſdem Perſonæ; incœperintque eſſe alterius naturæ, & conſequenter

ſuppo-

ſuppoſiti naturalis. Porro quamuis ſanguis effuſus, frigidus, coagulatus, & ſiccus videatur eiuſdem coloris: non eſt tamen eiuſdem naturæ. Imò nec præputium Chriſti, nec fortè vlla cadauer, humana, quamuis ſint eiuſdem formæ aut figuræ, ſunt eiuſdem naturæ corporeæ cuius erant priùs: ſaltem poſt magnam mutationem à qualitatibus intrinſecis corpori humano. Sed quoad barbam, capillos, & vngues, quamuis vix ſubſtãtialiter & realiter corrumpantur: vt tamen non vniuntur niſi vt moraliter decent naturam ac Perſonam, ſic & hoc ipſo moraliter corrumpuntur, quo vt ſuperflua reſecantur. De talibus autem adorandis, vel non: infra, q. De Adoratione Chriſti. *Ad* 7. Non videtur tunc fuiſſe controuerſum: ſed ſuppoſitum, ex ipſa conſecratione inſeparabili corporis & ſanguinis Chriſti ſimul, per neceſſariam & æqualem concomitantiã vtriuſque. Non ſolùm ex vnione animæ, cum corpore ſanguineo: ſed etiam ex vnione hypoſtatica animæ, & corporis. Quæ tamen in triduo mortis non fuiſſent ſimul conſecrata: quia non erant ſimul, imò fortè ſanguis non erat, ſed deſierat. Conſecratio autẽ nõ reſuſcitat, nec reunit, ſed præſentat rẽ vt eſt. Quod ſi tunc verus ſanguis fuiſſet, æquè fortè ſine corpore conſecratus fuiſſet: quia ille æquè verè fuiſſet ſanguis Chriſti, ac hoc corpus Chriſti.

# QVÆSTIO VI.

*Quid & quotuplex ſit vnio hypoſtatica naturæ humanæ ad Perſonam Diuinam?*

AN & quàm ſit ſupernaturalis: realis, vel tantum moralis; abſoluta, vel ſola relatio; ſubſtantialis, vel accidentalis; reciproca naturæ ad Perſonam, & perſonæ ad naturam, vel ſolius naturæ ad perſonam; vnica indiuiſibilis totius naturæ, & omnium partium ſimul, vel etiam ſingulæ partiales ſingularum partium, immediatè ad Perſonam.

*Alenſis p.* 3. *q.* 4. *m.* 1. Aſſumere propriiſſimè, pro ſumere ad ſe, vel in ſe *filialiter*, eſt ſoliùs perſonæ filij. *Ad vlt.* Aſſumptio eſt propriè vnius ad vnum: ſed vnio, eſt duorum ad tertium. Vnde natura diuina propriè non aſſumit: ſed vnit, vel vnitur humanæ, in vnitatem Perſonæ. *M.* 2. Vt Pater accipiens vxorem filio, non eam ſibi accipit, nec ipſe inde vxoratur: ſic tres Perſonæ aſſumunt naturam humanam; ſed ſoli filio, qui & ſolus incarnatur. *Quæſt.* 7. *m.* 1. De hac vnione. *Non ſumus digni corrigiam calceamenti eius ſoluere, &c.* Vnio humanitatis ad deitatem, non eſt qua vnum fit alterum, vel tertium ex illis: ſed qua vnum eſt de altero, ſeu inſitum alteri .i. vt aliquid alterius, &c. ibi. *M.* 2. *A.* 1. *&* 2. Hæc vnio non eſt naturalis, ſed maxima gratia: quia ad eam non eſt poſſibilis vlla eleuatio aut diſpoſitio naturalis. *A.* 3. Hæc vnio eſt vnitas plurium inter ſe. Eſt maxima poſt vnitatem trium Perſonarum Diuinarum in eadem natura. *Ad* 1. Magis eſt indiuiſa vnitas diuinitatis & humanitatis in Chriſto: quàm vnio animæ & corporis. *Ad* 2. Relatio vel eſt ſubſiſtens aut inſiſtens, ſubſtantialis eſſentialis: vel aſſiſtens, ſeu conſequens ad eſſe, &c. *M.* 3. Hæc vnio non mutat Verbum diuinum: ſed naturam humanam, &c. Vnio naturæ diuinæ & humanæ in Chriſto, eſt quaſi per inſertionem, &c.

*S. Bon. d.* 2. *a.* 3. *q.* 1. Caro non vnitur mediante ſpiritu, vt vinculo, &c. *Ad* 2. Vnitur æquè immediatè, ſeu intimè. *Q.* 2. Anima non fuit aſſumpta mediante aliquo habitu gratuito, &c. Hæc vnio deificat, &c. Non fit per vllum actum animæ, &c. Gratia vnionis .i. congruens vnioni, eſt creata: cauſans vnionem, eſt Deus; terminans vnionem, eſt Perſona filij; vniens formaliter, eſt creata, non abſoluta, ſed relatiua. *Quæſt.* 3. Verbum vnitur naturæ humanæ, mediante Spiritu S. non vt vinculo medio; ſed vt cauſa appropriata. *Ad* 2. Hæc vnio eſt voluntaria Deo: non ad eius voluntatem, ſed ad Perſonam. *Ad* 3. Spiritus S. eſt nexus Patris & Filij: non ſic naturæ diuinæ & humanæ. *Diſt.* 4. *Art.* 2. *q.* 3. Gratia vnionis fuit quodammodo naturalis Chriſto, ex *Aug. Enchir.* 40. vt ab initio inſeparabilis; ſed fuit ſimpliciter gratuita. *Diſt.* 5. De aſſumptione actiua & paſſiua. *Art.* 1. *q.* 1. Aſſumere eſt actus naturæ diuinæ. *Quæſt.* 2. Eſt etiam perſonæ diuinæ: quia aſſumptio dicit actionem, relationem, & terminationem, quæ omnia ſunt perſonæ. *Quæſt.* 3. Aſſumptio, vt actio, eſt perſonæ ex natura: vt relatio vnionis, eſt vtriuſque; vt terminatio, eſt ſolius perſonæ per ſe. *Quæſt.* 4. Aſſumere non poteſt intelligi ſine aliqua perſona: ſed ſine diſtinctione perſonali; quia natura non poteſt intelligi agere, referri, terminare extra omne ſuppoſitum, ſed bene extra plura diſtincta; non tamen congruè ad miſſionem mediationem, &c. *Diſt.* 6. *Art.* 1. De vnitate Chriſti. *Quæſt.* 1. Chriſtus nec eſt, nec poteſt dici duo .i. duæ naturæ, &c. nec duo .i. duæ perſonæ, &c. nec duo quaſi formaliter, medio modo inter dualitatem naturæ, & perſonæ, &c. ſed vnicus Chriſtus ab vnico ſuppoſito. Ex Symb. Athan. *Non duo, ſed vnus eſt Chriſtus. Quæſt.* 2. Perſona Chriſti non eſt propriè & intrinſecè compoſita, ſed ſimplex: & tamen verè vnita. *Art.* 2, *q.* 1. Hæc vnio terminatur ad vnitatem perſonæ, non naturæ: quia non eſt vnio conuerſiua, nec quantitatiua, nec conſtitutiua tertij, ſed quaſi inſertiua naturæ humanæ in Perſona diuina, ad eam ſuſtentandam. *Quæſt.* 2. Hic modus vnionis eſt ſupernaturalis, ſingularis, & incomparabilis, quoad omnia ſimul, non quoad ſingula, &c. *Quæſt.* 3. Vnitas naturæ & Perſonæ diuinæ in Chriſto, eſt maxima: non vnitas naturæ humanæ, &c. *Diſt.* 7. *Art.* 1. *q.* 1. *Ad* 4. Deus eſt homo: nec per ſe quaſi eſſentialiter, nec per accidens quaſi contingenter; ſed poſſet dici per ſe comparando naturam diuinam ad Perſonam; per accidens, comparando naturam humanam ad eandem perſonam. *Diſt.* 21. *Art.* 1. Corpus & anima Chriſti fuerunt vnita Verbo, vnica actione, paſſione, & relatione vnionis actualis: ſed pluribus in potentia, per ſeparationem animæ. *Ad* 1. Partes eiuſdem totius ſunt vnibiles vnica vnione. *Ad* 4. Eſt alia vnio animæ cum carne, quàm cum Verbo: ſed non alia & alia huius cum illis, &c.



Digitized by Google

*Scotus d.* 1. *q.* 1. *n.* 3. Hæc vnio non dicit per ſe aliquid abſolutum : quia nec poteſt concipi ſine relatione. Ergo cum non ſit nihil, ſaltem dicit relationem realem : non communem vtrique extremo, nec realem perſonæ aſſumentis, ſed ſolius naturæ aſſumptæ, ad Perſonam aſſumentem. Eſt ergo hæc vnio relatio diſquiparantiæ, & ordinis ſeu dependentiæ : non cauſati ad cauſam, nec cauſati poſterioris ad prius, ſed alterius rationis, &c. Quæ eſt ſimilis dependentiæ accidentis à ſubiecto : non vt informantis ab informato, ſed vt poſterioris naturaliter à priori. *N.* 12. An noua entitas abſoluta ſit fundamentum proprium huius relationis nouæ, ſeu vnionis & dependentiæ ad Verbum, &c. Videtur probabilius quòd non. 1. Quia hoc nouum, eſſet vnitum Verbo : ergo vel aliqua vnione, vel eſt ipſa vnio ſeu relatio. 2. Quia nec accidens abſolutum poteſt eſſe propria ratio perſonandi : nec vlla ſubſtantia diſtincta à tota natura. *Ad* 5. *Phyſ.* Non eſt mutatio primo à relatione, nec ad relationem proprij prædicamenti, intrinſecus aduenientem : ſed ad relationes extrinſecùs aduenientes, &c. *Quæſt.* 2. *n.* 7. Tres Perſonæ ſimul vniunt actiuè eandẽ naturam : ſed vni ſoli, &c. *Quæſt.* 5. *Ad Arg.*. Aſſumere hypoſtaticè, non eſt informare naturam aſſumptam, nec ei dare eſſe Diuinum, &c. *D.* 2. *q.* 1. *n.* 9. Quæuis natura .i. ſubſtantialis, vniri poteſt ſine fruitione, &c. Hæc vnio eſt prior fruitione, &c. Non facit naturam capacem fruendi, &c. Ex vi eius Eſſentia diuina non eſt præſens obiectiuè & intuitiuè : ſed ſola Perſona, terminatiuè. *N.* 10. Vnio hypoſtatica eſt maior quoad actum primum : ſed beatifica eſt maior quoad actum ſecundum ; vel neutra eſt maior altera, quia ſunt diuerſæ rationis, &c. Vnia hypoſtatica eſt ſumma gratia .i. ſummè gratuita. *Diſt.* 7. *q.* 1. Deus eſt homo, & homo eſt Deus, non eſt tantùm verum identicè, ſed & formaliter, &c. Eſt prædicatum vniuocum, & vnius conceptus in ſe : ſed non prædicatur vniuocè ; quia eius ratio non includitur in ratione ſubiecti, &c. Poſſet ergo concedi, quòd nulla ſit vnio ſimilis, nec ſit vlla prædicatio ſimilis. Nec ipſa vnio eſt accidentalis, &c. Quod enim prædicatur eſt ſpecies : ſed modus habendi ſe ad ſubiectum, & de eo prædicandi, eſt ſimilis accidenti logico, &c. Poſſet concedi logicè quòd hæc propoſitio non ſit per ſe vera, ſed per accidens : licet neutrum extremum inſit alteri realiter per accidens. Vnde hæc vnio nec conceditur eſſe eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis. Ex *Damaſc. lib.* 3. *cap.* 3. Subſtantialem dicimus vnionem, &c. *Quæſt.* 2. *n.* 5. Hic fuit vna factio realis actiua totius Trin. cui correſpondebat factio paſſiua realis quâ homo factus eſt Deus : quæ fuit vnio paſſiua naturæ humanæ ad Verbum ; & hæc paſſio fuit in natura humana, & terminus eius erat Verbum. Alia fuit factio paſſiua ſecundùm dici, concomitans factionem realem actiuam, qua Verbum factum eſt homo, &c. Eadem factione tam actiua quám paſſiua Verbum ſic vniebatur, &c. Paſſio correſpondens iſti actioni fuit in natura humana.]

Ex his inter ſe collatis, vix quidem eſt vlla difficultas inter noſtros Authores, ſed maxima in reipſa : Quid, Quanta, Quotuplex ſit hæc vnio, qua tanta vnitas Dei & hominis, tantumque myſterium perfici poteſt. Quidam, cum *Greg. Arim. in* 1. *d.* 28. *q.* 2. cenſent hanc vnionem nihil eſſe reale inter naturam humanam, & Naturam vel Perſonam Diuinam : ſed ſolùm eſſe naturam vnitam vt immediatam Perſonæ cui vnita eſt. Sed cùm aliæ naturæ ſingulares æquè vnibiles, non ſint ſic vnitæ, & hæc ipſa poſſit non eſſe ſic vnita : quid eſt quo hæc præ reliquis omnibus ſic vnita eſt, & ſine quo non eſſet vnita ? Non enim poteſt nihilo differre ab alijs non vnitis, vel à ſeipſa vt non vnita. Niſi fortè hanc naturam humanam vniri Perſonæ Diuinæ, nihil eſſet intrinſecum ipſi naturæ vnitæ : ſed aſſumi ſolo decreto Dei ſtabili & æterno ad ſtatum Perſonæ Verbi, in eius naturam vt principium Quo operandi, & patiendi humana. Cùm tamen priùs ſit eſſe in ſe, vel in operante, quàm eſſe illi principium quo, vel inſtrumentum operandi : Nec Perſona Chriſti ſit ſolùm operans & patiens, aut volens operari & pati humana, per hanc naturam humanam ; ſed eam vt ſuam propriam naturam ſubſtantialiter habeat, ſuſtentet, & ſua vnitate perſonali ac diuina Deificet, ſeu Deum hominem conſtituat : Nec hæc natura humana Chriſti ſit tantùm ei principium quo, vel inſtrumentum operandi, aut patiendi humana, ſed eſſendi hominem, ſeu qua Deus .i. Perſona Diuina Filij Dei verè eſt homo ; non poteſt homo eſſe, nec verè & propriè dici Deus, aut Deus homo, à ſolo decreto æterno Dei operandi aut patiendi humana per hanc naturam humanam, nec ab hac natura humana vt hoc ſolo decreto ad hoc aſſumpta ; ſed neceſſariò ab aliqua ſingulari vnitate, non identitatis, ſed vnionis realis & intrinſecæ naturæ humanæ vnitæ, ad Perſonam Diuinam cui immediatè vnitur, & cum eius natura Diuina cui Perſona identificatur. Neque hæc vnio eſt contra immediationem inter naturam humanam vnitam, & Perſonam ac Naturam Diuinam cui vnitur : quia non eſt medium quod immediatiùs vniatur, ſed quo immediatè vnitur. Nec minuit, ſed perficit vnitatem naturæ humanæ cum Perſona & Natura Diuina, quantum perfici poteſt. Diſcernit tamen ab vnitate identitatis inter Naturam & Perſonam Diuinam : cui natura humana non poteſt identificari, ſed tantùm vniri.

Hinc plerique fatentur ad hanc vnionem & vnitatem neceſſariam eſſe in natura vnita aliquam intrinſecam entitatem ab ea realiter diſtinctam : quâ hæc præ reliquis omnibus naturis, Perſonæ Diuinæ vniatur, & ſine qua non eſſet vnita, nec vniri poteſt. Sed quidam cenſent eſſe neceſſariam vt diſpoſitionem ad vnionem vel vnitatem hypoſtaticam : alij, vt conditionem ſine qua non ; alij vt ipſam vnionem formalem. Hanc vnionem formalem multi volunt eſſe abſolutam : plures, eſſe neceſſariò relatiuam huius naturæ vnitæ, ad hanc Perſonam cui vnitur. Horum quidam cenſent eſſe relatiuam tantùm formaliter, ſed fundamentaliter abſolutam : alij non eſſe niſi relationem. Denique horum quidam cenſent eſſe relationem

acci-

Digitized by Google

accidentalem : non ex proprio prædicamento relationis, ſeu intrinſecùs aduenientem .i. reſultantem ex ſolo fundamento, poſito termino; ſed extrinſecùs aduenientem, ſeu ab agente extrinſeco, & actione propria ad illam terminata. Qualis relatio videtur eſſe ſub prædicamento habitus, ſeu inter habitum & habẽtem illum. Alij negant vnionẽ accidentalem ſufficere poſſe ad tantam vnitatem ſubſtantialem & perſonalem: ideoque ſtatuunt eſſe neceſſariò ſubſtantialem, ſiue vocetur relatio ſubſtantialis, ſiue modus ſubſtantialis. Nam & relatio, & modus poteſt eſſe ſubſtantialis : & modus quidam ſe habendi ad aliud. Nec fortè relatio ſeu modus prædicamentalis habitus ad habentem, eſt phyſicè accidentalis, ſed ſubſtantialis. Sed qua relatione aut modo ſubſtantiali poſſit tanta vnio & vnitas, tantumque myſterium perfici?

Ne quæ ſubſit difficultas nominalis : incarnatio aſſumptio, vnio hypoſtatica, poteſt ſumi actiuè, pro ipſa actione incarnandi, aſſumendi, vniendi; vel paſſiuè, pro paſſione ſeu receptione illius formę qua natura vnitur; vel pro ipſa vnione formali, qua ſola natura humana intrinſecè afficitur & vnitur, ſed ad perſonam diuinam vt ad termininum immediatum. Ab vnione actiua, paſſiua, & formali intrinſeca, ſola natura humana dicitur aſſumi, & vniri : ſed à ſola terminatione immediata huius vnionis, Perſona diuina dicitur incarnari, ſeu humanari .i. fieri naturæ humanæ & corporeæ.

## *Reſponſio communis.*

Optimè noſter *Alenſ.* ſupra, ex ſenſu myſtico, *Ioan.* 1. fatetur ſe, nec vllũ intellectũ creatum eſſe dignum vel capacem ſoluendi corrigiam calceamenti Chriſti, ſeu percipiendi & explicandi perfectionem vnionis hypoſtaticæ, vt ſupernaturalẽ entitatiuè & obiectiuè. Hinc 1. *Col.* 2. vocatur *Myſterium ſapientiæ Dei abſconditæ : quam nemo Principum huius ſæculi cognouit, &c. Eph.* 3. Dicitur *Sacramentum ſeu myſterium Chriſti abſconditum à ſæculis in Deo : vt innoteſcat Principibus & Poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* Coloſſ. 1. *Myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus: nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius.* Cap. 2. *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Phil. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, &c. col.* 230. B. Aug. *Epiſt.* 3. *Detur Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe, &c. col* 252.

Sed quantum ratione ex principijs fidei percipi poteſt : Hæc vnio non eſt tantùm aſſumptio moralis ad ſtatum Perſonæ diuinæ; ſed realis & intrinſeca naturæ vnitæ, vt fundamentalis illius ſtatus. Nec eſt entitatiuè accidentalis, ſed ſubſtantialis : non tamen formaliter, nec fundamentaliter abſoluta; ſed eſſentialiter & totaliter relatiua, ſeu relatio propria, ſingularis, & ſubſtantialis huius naturæ ad ſolam Perſonam filij Dei. Nec eſt ideo minus perfecta : ſed eo perfectior, & ſupernaturalior, vnitiuè, gratuitè, & entitatiuè; quo minùs eſt in ſe abſoluta, magiſque ſubſtantialiter relatiua, & appropriatiua huius naturæ ad hanc Perſonam diuinam. Quia præterquam quòd nulla vnio poſſit aliter concipi, quàm vt tota relatiua ſeu relatio : ſi hæc eſſet magis abſoluta minuſque relatiua quàm aliæ, magis retineret ſe & naturam ad ſeipſam, minuſque referret ſeu vniret ad Perſonam Verbi. Ideoque ad eius perfectionem pertinet : vt ſit minus abſoluta magiſque relatiua ac relatio, quàm vlla alia vnio. Tum ad magis referendum & vniendum. Tum ad minus mediandum, & immediatiùs vniendum. Tum ad minùs diſtinguẽdum ſeipſam à natura quam vnit, & naturam à Perſona cui vnit. Nec obſtat quod *Scot.* neget relationes eſſe formaliter perfectas, aut perfectiones. 1. Quia fatetur perſonalitates diuinas eſſe formaliter relatiuas: ſed eò minùs realiter diſtingui, magiſque identificari ac perfici reali identitate cum eſſentia & omni perfectione eſſentiali Dei. Sic & hæc vnio quò magis eſt relatio, minuſque formaliter in ſeipſa perfecta, vel alterius perfectio :eo minus differt à natura quam vnit, & à Perſona cui vnit; magiſque huius perfectionem identicam participat. 2. Quo hæc vnio eſt magis vacua propriæ perfectionis abſolutæ: eo potius per eam natura vnita quaſi imbibit perfectionem identicam Perſonæ diuinæ, & hæc ei perfectiùs per eam communicat, quàm ſi eſſet plena & quaſi obſtructa propria perfectione abſoluta, vel eius capax in ſe & pro ſeipſa. 3. Cùm natura humana tam diſtet dignitate & perfectione à perſona diuina : hæc vnio mediat dignitate & perfectione ſupernaturali & ſuperſubſtantiali; ergo ſupra omnem perfectionem naturalem & ſubſtantialem. 4. Perfectio cuiuſuis in ſe, eſt quædam eius integritas formalis: Hinc relatio non eſt formaliter perfectio; quia non eſt integra in ſe, ſeu in ſuo proprio conceptu; cùm totum eius eſſe ſit ad aliud. Sed hæc vnio ad Perſonam Verbi, eò perfectior eſt : quò minùs eſt in ſe perfecta; quia totum eius eſſe eſt ad Perſonam diuinam. Eſt enim maioris perfectionis non habere vllum eſſe ad ſe, ſed totum ad perſonam diuinam: quam habere quantumuis eſſe proprium & abſolutum. 5. Vt gluten eò eſt perfectius quò ſubtiliùs, ad vniendum tenuiori medio: ſic hæc vnio eò perfectior quò quaſi tenuior & ſubtilior. Perfectio enim non eſt æſtimanda mole: ſed virtute & ſubtilitate. 6. Vt ſurculi inſerti truncis aut ramis concreſcunt in eandem arborem : ſic natura humana hac vnione perfectiſſimè inſeritur Perſonæ diuinæ, & quaſi concreſcit in eam, & per eam in eius naturam. Qua comparatione vtitur *Al. & S. Bon.* vt perfectiſſima: ex *Iac.* 2. & *Rom.* 11. Niſi quòd ſurculus inſertus concreſcat in idem continuum, & perficiat totum cui inſeritur in ſuam ſeu ſurculi naturam: Per vnionem autem hypoſtaticam nihil continuatur, nec ſurculus naturæ inſertus Perſonæ, hanc mutat in ſuam naturam, ſed mutatur; fit tamen verè de eſſe illius Perſonæ cui inſeritur. Hinc poſſet etiam perſona comparari ſurculo naturæ perfectioris, & natura humana trunco ſeu arbori ſilueſtri : quæ ſurculo inſerto perficitur, non autem eum perficit.

Neque obſtat quòd anima videatur perfectiùs vniri corpori in vnum per ſe totum: non ſic natura humana cum Perſona & Natura diuina. Quia



Digitized by Google

anima & corpus ſunt partes perfectibiles in vnum totum perfectius: natura autem humana non eſt partialis, ſed in ſuaſpecie totalis; ideoque nec ipſa poteſt perfici in vnam perfectiorem & totaliorem. Perſona diuina eſt ſaltem identicè infinita perfectione: ideoque ei nihil poteſt vniri in aliquid ipſâ perfectius. Præter quam diſſimilitudinem, ſunt variæ ſimilitudines inter vnionem hypoſtaticam, & animæ cum corpore: ob quas merito ſacra ſcript. *Conc. & PP.* illam huic ſæpè comparant; nunquam tamen æqualiter, ſed inæqualiter. Vt 1. Sicut anima & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus; ſed non hinc vnum per ſe totalius, & perfectius, ſicut inde. 2. Anima & corpus quantumuis diſtent, ſeu differant perfectione: vniuntur tamen ſubſtantialiter in vnam eandemque naturam: ſic & natura diuina & humana, in vnam Perſonam. Sed quò plus diſtat ſeu differt natura humana à diuina, quā caro ab anima: eò perfectior eſt vnio hypoſtatica tanto diſtātiorum. Quamuis enim hæc non vniat in vnam naturam, ſed perſonam: nec tam intrinſecè vniat per informationem; plus tamen & perfectiùs vnit, quia in maiori diſtantia, ad maiorem ſtabilitatem, & ad perfectiorem coinexiſtentiam, quàm ſit corporis & animæ. Vt intendit *Al. & S.Bon.* ſupra. 3. Ad intentum proprium huius quæſt. Sicut vnio eſt vnica totius corporis & animæ, comparata *Funiculo argenteo, Eccleſ.* 12. qua & inter ſe mutuò vniuntur, & ſuæ naturæ totali; ſiue hæc vnio ſit totius corporis ad animam, ſiue totius animæ ad totum corpus & ſingulas eius partes, ſiue vtriuſque ad ſuum totum terminata. Sic præter illam videtur eſſe vnica vnio hypoſtatica totius corporis Chriſti, cum omnibus ſuis partibus, & animæ ac totalis naturæ humanæ Chriſti, immediatè ad ſolam perſonam Verbi. Si enim poteſt totum corpus, & omnes eius partes animatæ eadem vnione couniri eidem animæ, & eadem anima terminare vnionem tot partium inter ſe diſtantium: quantò potius tota natura humana Chriſti, & omnes eius partes poſſunt eadem vnione hypoſtatica couniri, & ab eadem Perſona diuina terminari ac dependere? Vnio enim hypoſtatica eſt ſimplicior, ſubtilior, ſpiritualior, indiuiſibilior, & totalior: vnione animæ & corporis inter ſe, & in ſuum totum.

Nec obſtat quod corpus & anima Chriſti tam differant naturâ partiali, vt non videantur intrinſecè capaces vnius eiuſdēq; ſpiritualis vnionis hypoſtaticæ. 1. Quia nec corpus videtur intrinſecè capax vnionis ad animam ſpiritualem, nec hæc vnionis ad corpus: nec vnio ſpiritualis videtur vnire poſſe corpus animæ, nec corporalis animam corpori. 2. Hæ vniones ſunt ſubſtantiales, & relatiuæ: ergo non afficiunt ſua extrema, nec fundamenta, inhærendo aut informando, ſed referendo, & vniendo. 3. Quia omnes partes, & natura totalis, ſubſiſtunt vnica ſimplici ſubſiſtentia: non autem pluribus partialibus, nec vna totali ex pluribus; quia ſubſiſtentia non eſt partibilis, cùm ſit ipſa ratio vnius & totius per ſe exiſtentis. Ergo & potiùs vnio hypoſtatica, quæ ſupplet eminenter ſubſiſtentiam propriam, eſt vnica & indiuiſibilis omnium partium & totius naturæ ſimul. Nec ideo partes naturæ non ſubſiſterent immediate in perſona humana, nec vnirentur immediatè Perſonæ diuinæ, ſed tantùm mediante naturâ totali. Quia nec ſubſiſtunt propriâ ſubſiſtentiâ, nec vniuntur primò hypoſtaticè vt ſunt partes tantùm potentiales remotè, ſed vt actuales, vel proximè.

Neque obſtat quòd corpus & anima Chriſti fuerint ſeorſim vnitâ hypoſtaticè. 1. Quia non nouâ vnione, ſed prima: nec pluribus, ſed vna eademque indiuiſibili. Cùm Verbum nunquam dimiſerit quod aſſumpſit: nec in vita aut morte renouauerit tantum myſterium, ſed ſolùm continuauerit. Nam vt diſtantia partium in corpore, non eſt contra vnitatem animæ, nec ſubſiſtentiæ propriæ, nec vnionis hypoſtaticæ: ſic nec diſtantia animæ a corpore eſt contra vnitatem & identitatem ſimplicem vnionis hypoſtaticæ. 2. Partes ſeparatæ neceſſariò amittunt ſubſiſtentiam propriam: non autem vnionem hypoſtaticam. Quia ſubſiſtentia propria eſt naturalis, & defectibilis ac mutabilis in aliam, per defectum & mutationem vnius naturæ in aliam. Sed vnio hypoſtatica eſt ex ſe ſupernaturalis, & indefectibilis: nec eſt huius naturæ vt corruptibilis, ſed vt immortalis. Hinc licet mortua ſit ad ſtatim reſurgendum: partes eius non fuerunt corruptæ, nec fuerunt tantùm partes potentiales vt in potentia remota, ſed proxima; ideoque nec priuatæ vnione hypoſtatica, cum haberēt ſuum terminum indefectibilē .i. Perſonam diuinam cui vniebantur, & à qua dependebant. 3. Suppoſita materialia, & quanta homogenea per diuiſionem priuantur priori continuatione & terminatione: non ſic heterogenea. Quia ſingulæ partes homogeneæ ſunt eiuſdem rationis, & æquè capaces exiſtendi & ſubſiſtendi, ſaltem vſque ad minimas in ſpecie, ſeu quæ non poſſunt fieri minores ſub tali forma & ſpecie propria. Sed partes heterogeneæ non videntur mutare ſubſiſtētiam vt ſunt heterogeneæ: quia vt ſic ſunt ſemper partiales & ſubordinatæ naturæ totali eiuſque ſubſiſtentiæ, donec corrumpantur in partes homogeneas, vel in aliam naturam totalem. 4. Anima primò vnita corpori, vnitur & priuatur partibus per nutritionem & augmentationem ſuccedentibus: non per nouas vniones partiales, ſed per primam indiuiſibilem, vt tam ſufficientem ad vniendum indiuiſibiliter, quàm anima ipſa ad informandum. Quia cum tota vnio ſit eiuſdem rationis: non videtur anima poſſe ſeipſam potiùs vnire partibus ſuccedentibus, quàm primò vnire, aut reunire in Reſur. nec poſſe vniri à cauſa ſecunda, aut vniri à Deo vlla noua vnione, ſed ſola conſeruatione & continuatione eiuſdem primæ vnionis ad omnem partem eiuſdem corporis, ſiue primo congenitam, ſiue adgenitam. Sic & vna eademque vnio indiuiſibilis ſufficit ad vniendum hypoſtaticè & immediatè totam naturam humanam Chriſti, & omnes eius partes, ſiue ſuccedentes ſiue diſtantes, abſque vlla ſui diuiſione aut partialitate.

Nec denique obſtat, quòd poſſit eſſe eadem vnio ſpiritualis & indiuiſibilis animæ, terminata ad totum corpus & ſingulas eius partes: non autem totius eiuſdem corporis & omnium partium ſuccedentium, ad eandem animam. Sic vnio hypoſta-

tica

Digitized by Google

tica non eſt intrinſecè ipſius Verbi, terminata ad naturam humanam: ſed ſolius & totius naturæ humanæ, ac partium eius ſuccedentium & diſtantium, terminata ad Perſonam Diuinam. Quomodo ergo poteſt hæc eſſe ſpiritualis, totalis, & indiuiſibilis in natura corporea, diuiſibili, & in partes diuiſa? *Reſp.* 1. Fortè nulla vnio ſubſtantialis eſt in ſuo fundamento, aut in ſuis extremis: ſed tantùm inter, ſeu vtrimque terminata. Quia vt relatio, non habet eſſe in, ſed tantùm ad: vt ſubſtantialis, nec eſt in, nec dependet ab vllo vt ſubiecto. 2. Subſtantia vt modus ſubſtantialis per ſe exiſtendi, ſeu independenter ab alio vt ſuo ſubiecto, comparte, vel toto: non poteſt ipſa ſic dependere, cùm ſit ratio ſubſiſtendi, ſeu ſic independendi. Ergo nec vnio hypoſtatica, quæ perfectiùs ſupplet ſubſiſtentiam propriam, dependet à natura humana: cum ipſa per hanc vnionem dependeat à Perſona Diuina. Si enim radij ſolis non videntur dependere ab aëre, vel obiecto illuminato: ſed nonniſi à ſole illuminante. Quantominùs vnio hypoſtatica dependet à natura vnita: ſed à ſolo Deo vniente, & á Perſona Diuina vt terminante? 3. Vnio corporis & animæ eſt limitata & adæquata: non ſic hypoſtatica. 4. Subſiſtentia propria, eſt adæquata ſuæ naturæ: ſed vnio hypoſtatica eſt ſupernaturaliſſima; ergo non dependet à natura, nec à partium vnione, præſentia, quantitate; quia vniri hypoſtaticè non eſt vniri partes inter ſe: ſed totum & partes appropriari perſonaliter Filio Dei.

Quæ ſupponunt quidem multa problematica, & difficilia: ſed huic myſterio decentiora, & à noſtris Authoribus intenta. Vt patet ex *Al. q.* 4. *m.* 6. *Ad* 5. *Quòd non creatur per ſe, non eſt Perſona.* Ad vlt. *Anima non aſſumit corpus, &c. Nec ſeparata, eſt Perſona.* Q. 7. m. 2. a. 3. *Poſt vnitatem trium Perſonarum Diuinarum in eadem natura: maxima eſt hæc vnitas hypoſtatica trium naturarum, Diuinæ, Humanæ, Spiritualis, & Corporalis.* Ad 1. *Magis eſt indiuiſa vnitas Trin. & Humanitatis in Chriſto, quàm vnio animæ & corporis.* Ex *S. Bon. d.* 5. *a.* 2. *q.* 3. *Anima ſeparata non eſt perfectè perſona.* Ad 4. *Animæ ſeparatæ differunt numero, non tamen perſonaliter.* Ad 5. *Loquimur de illis quaſi perſonaliter: ſed Grammaticè, non Theologicè.* Diſt. 21. a. 1. q. 1. ad 3. *Mors diſſoluit vnionem naturalem, non ſupernaturalem.* Q. 2. Ad 2. *Vnio hypoſtatica non dependebat ab vnione corporis & animæ.*

# QVÆSTIO VII.

*Quænam fuerit aut eſſe poßit cauſa realis, vel moralis, principalis, inſtrumentalis, vel diſpoſitiua vnionis hypoſtaticæ?*

ALenſis *p.* 3. *q.* 1. & 2. De cauſa finali vnionis hypoſtaticæ: vt ſupra *Quæſt.* 4. Sed ſpecialiter *m.* 2. *quæſt.* 2. *Natura Diuina eſt vnibilis creatæ: non paßiuè, ſed actiuè; nec finiendo aut terminando ſeipſam ad Creaturam, ſed creaturam ad ſe.* Q. 4. m. 1. *Aſſumere communiter & impropriè, pro ſumere ad aliquid, eſt totius S. Trin. propriè; pro ſumere ad ſe vt ſibi vniatur, eſt etiam naturæ Diuinæ; ſed propriſſimè, pro ſumere in vel ad ſe filialiter, eſt ſolius Perſonæ Filij.* Ad 2. *Actio eſt totius S. Trin. &c. Natura vt ſic poteſt dici aſſumere, & aſſumi: quia eſt id quo res agit & patitur, ſed non eſſentia vt ſic; quia hæc eſt id quo res eſt, &c.* m. 2. *Tota Trin. aſſumpſit naturam humanam: ſed ſoli Filio.* Q. 7. m. 2. *Caro Chriſti fuit priùs naturâ, non tempore, concepta, quàm aſſumpta.* m. 2. De cauſa gratuita & ſupernaturali huius vnionis hypoſtaticæ. *Quæſt.* 8. De Concept. Chriſti. *m.* 1. An, & cur de Spiritu S. *Art.* 1. *Quia ratio motiua Incarnationis fuit ſumma Dei Bonitas & Charitas: ſed cauſa effectiua fuit Omnipotentia Dei.* Art. 2. *Quia ex ſola gratia: non ex vllis præuijs meritis naturæ aſſumptæ; nec vllis condignis, ſed tantùm congruis Eccleſiæ.* Art. 3. *Quia virtute & operatione appropriata Spiritui S.* Art. 4. De Filiatione Chriſti & noſtra. *Q.* 10. De Natiuitate & Filiatione Chriſti.

*S. Bon. diſt.* 3. *p.* 2. *a.* 3. *q.* 1. *Corpus Chriſti non fuit ſubitò, ſed ſucceßiuè productum ſub perfecta quantitate molis.* Q. 2. *Fuit ſubitò perfectè formatum, non ſucceßiuè. Diſt.* 4. De cauſa Incarnationis. *Art.* 1. De cauſa ſupernaturali. *Quæſt.* 1. *Eſt communis tribus Perſonis: & poteſt cuilibet appropriari, ſed potiùs Spiritui S. &c.* Q. 2. *Chriſtus tamen non poteſt dici Filius Spiritus S.* Q. 3. *Nec poteſt dici Filius S. Trin.* Art. 2. De cauſa meritoria. *Q.* 1. *Incarnatio eſt ex ſola gratia quoad ſubſtantiam: ex merito congruo; & ex merito accelerationis.* Quæſt. 2. *B. V. M. non meruit concipere Chriſtum, de condigno: ſed de congruo diſpoſitionis ante, & digno poſt.* Art. 3. De cauſalitate Matris q. 1. *Verè concepit Chriſtum, vt mater filium: cooperando Spiritui ſancto, non ſolùm paßiuè materiam miniſtrando; ſed etiam vi naturali & ſupernaturali ad formam inſtantaneè diſponendo.* Q. 2. *Cooperatio eius fuit naturalis, quoad vim partialem Matris: ſed ſupernaturalis, quoad vim totalem, & modum inſtantaneum.* Diſt. 5. De aſſumptione hypoſtatica. *Art.* 1. De actiua. Q. 1. *Aſſumere eſt actus naturæ Diuinæ.* Q. 2. *Eſt etiam actus Perſonæ.* Q. 3. *Vt actio, eſt Perſonæ ex natura, &c.* Art. 2. De paſſiua. *Diſt.* 8. *Art.* 2. De duplici Natiuitate & Filiatione Chriſti. *Diſt.* 1. *Art.* 2. De creatione aut inceptione Chriſti, vel non.

*Scotus d.* 1. *q.* 2. *n.* 7. *Tres Perſonæ ſimul vniunt actiuè eandem naturam: ſed vni ſoli; &c.* Q. 4. *Suppoſitum creatum non poteſt cauſaliter ſuſtentare aliam naturam: quia natura non eſt niſi in potentia obedientiali ad aliud ſuppoſitum.* Diſt. 2. q. 3. *Animatio non præceßit tempore incarnationem: quia fuiſſet natura & Perſona humana ante vnionem hypoſtaticam.* N. 4. *Organizatio totius nunquam eſt tempore prior animatione: alioquin nunquam homo generaret hominem. Nec organizatio partium fuit tempore prior, &c. Quia nulla pars præfuit in proprio ſuppoſito, nec aſſumpta fuit à Verbo ante aliam. Sed dubium eſt, an coniunctio & alteratio materiæ fuit ſucceßiuè, an verè inſtantaneè.* N. 6. *Entitas totalis naturæ videtur prior naturâ, ſuiipſius vnione hypoſtatica: & ſic organizatio & animatio. Corpus Chriſti fuit genitum ex puriſſimis ſanguinibus B. Virginis: vel inſtantaneè, vel ſubitò condenſatis, & alte-*

*ratis ad generationem.* Diſt. 4. n 7. MARIA *verè fuit Mater : quia egit quicquid eſt Matris,&c. Eandem habuit vim quàm aliæ matres,&c.* N.13. *Fortè Mater præſens in ipſo inſtanti generationis poteſt ad eam agere. Si ſemen Patris tunc ſit corruptum : Mater tunc veriùs agit, quàm pater.* N. 15. *Fuit Mater Chriſti naturaliter, quoad vim generandi : ſed miraculosè quoad modum exequendi.* Ad Arg. *Non eſt tantùm Mater hominis, ſed Dei : quia generatio terminata fuit ad Perſonam Diuinam ſecundùm naturam humanam. Diſt. 7. q. 2.* De actione qua Deus factus eſt homo. *Q.* 3. De prædeſt.Chriſti .i. vel naturæ eius humanæ ad gloriam, & vnionem hypoſtaticam; vel vt Chriſtus eſſet homo, & Filius Dei; vel vt ſit Chriſtus, ſeu homo Deus. *Diſt.* 11. De creatione & inceptione Chriſti, vel non : quoad naturam humanam; & eſſe hominis.

Circa quæ vix eſt vlla diſcordia inter noſtros Authores : ſed inter alios. Nam De cauſalitate reali, quidam cenſent poſſe dari creaturæ vim ſupernaturalem, vt ſibi connaturalem, ad effectus entitatiuè ſupernaturales omnibus cauſis naturalibus : ſed virtuti illi ſupernaturali connaturales, vſque ad ipſum effectum vnionis hypoſtaticæ. Alij cenſent poſſe eſſe cauſam inſtrumentalem vnionis hypoſtaticæ, & probabiliter *B. Virginem* fuiſſe. Quia vt *S. Amb. Epiſt.* 82. *Caro per Virginem vnita eſt Deo.* S.Bern.*Homil.*4.*ſuper Miſſus eſt, & lib.*5. *De Conſider.* comparat eam mulieri Euangelicæ miſcenti tria ſata farinæ .i. Animam, Carnem, & Verbum. Et quidam alij Patres vocant eam *Inſtrumentum Incarnationis.* Non neceſſariò ad tuendam, ſed dignificandam eius Maternitatem Dei : cùm ad hanc ſufficiat eam genuiſſe humanam naturam Chriſti, eodem primo inſtanti vnitam hypoſtaticè. Alij negant poſſibile : alij negant factum eſſe. Quidam exigunt diſpoſitionem neceſſariam huius naturæ per gratiam habitualem, ad vnionem hypoſtaticam : Alij non vt neceſſariam, ſed vt decentem; Alij negant neceſſitatem & decentiam talis diſpoſitionis.

De cauſalitate morali. Quidam putant naturam humanam Chriſti potuiſſe præmereri vnionem hypoſtaticam : imò & fortè præmeritam fuiſſe. Ex *Pſal.*44.*Dilexiſti iuſtitiam: propterea vnxit te Deus.* Apoc. 5. *Dignus eſt Agnus accipere diuinitatem, &c.* Alij negant potuiſſe præmereri. Quidam putant eam potuiſſe mereri poſt ipſam vnionem, non ante : Alij,nec poſt, nec ante. Plærique negant Chriſtum meruiſſe ſuam vnionem hypoſtaticam : ſed quidam cenſent meruiſſe contiuationem,& reunionem hypoſtaticam ſuæ naturæ rediuiuæ. Quidam negant potuiſſe eam mereri quoad ſolam prædeſtinationem Incarnationis : Alij etiã quoad executionem. Quidam negant Chriſtum meruiſſe aut potuiſſe mereri ſuam Incarnationem quoad ſubſtantiã : ſed potuiſſe & meruiſſe quoad varias eius circumſtantias. Omnes negant SS.PP. meruiſſe aut potuiſſe mereri de condigno Incarnationem Chriſti : quidam negant potuiſſe etiam mereri de congruo; ſed tantùm quoad aliquas eius circumſtantias.

Quidam tribuunt B- Virgini MARIÆ meritum condignũ ſuæ Maternitatis Chriſti : Alij dignum, alij congruum, alij nullum. Quia merita Chriſti vt incarnati, ſunt fundamentum omnis meriti noſtri : atqui eſt incarnatus per hanc Matrem ; ergo hæc non potuit mereri vt incarnaretur per eam.

Quæ tanta varietas opinandi, oritur potiùs ex vario modo loquendi, quám ex oppoſito ſentiendi : & potiùs ex eadem omnium, quàm vllorum contraria intentione. Quia varij variè loquuntur de cauſa ſupernaturali, principali, inſtrumentali : deque condignitate,dignitate,& congruitate meriti ; ſed idem intendunt de maiori gloria Dei, Chriſti, & Matris eius. Quidam enim loquuntur de cauſa ſupernaturali abſolutè, & entitatiuè : alij comparatiuè, & ſecundùm quid : quidam de meritis magis minùſue propriè vel impropriè, ex ſola natura, vel ex aliqua gratia ; ex ſola gratia Dei, vel etiam per Chriſtum ; vt Redemptorem, vel Glorificatorem.Omnes referunt ſuam opinionem ad maiorem gloriam Dei : quidam ſpecialiter collimant ad gloriam Chriſti, ſeu ſacræ humanitatis, vel vnionis eius hypoſtaticæ; alij ad maiorem proprietatem & perfectionem Matris & Maternitatis eius. De cauſa & effectu ſupernaturali ſæpè ſupra : ſed potiùs ex profeſſo infra *Quæſt.* De habitibus ſupernaturalibus Gratiæ, & virtutum. De cauſa principali & inſtrumentali in 2. quæſt. 2. De meritis *in* 4. *De pænit.* & infra. De proprietate & perfectione Matris Chriſti, & Maternitatis eius : infra quæſt propria.

## *Reſponſio prouiſionalis.*

CVm vnio hypoſtatica ſit maxima gratia,realiter & moraliter, ſeu entitatiuè & gratis ſupernaturaliſſima : ex ſacra Script. ſacris Conc. *B. Aug.* noſtris Authoribus, & Quæſt prioribus : non poteſt fieri, eſſe, conſeruari, continuari, augeri, minui, auferri, renouari realiter, per vllam cauſam ſecundam, principalem, inſtrumentalem, vel diſpoſitiuam ; nec moraliter ſeu meritoriè de condigno, niſi per merita perſonalia ſolius Chriſti,ipſa Incarnatione poſteriora;nec condignè,nec dignè,nec congruè,niſi ex aliqua gratia Dei, ſiue per Chriſtum ſiue non ; nec quoad entitatem,nec quoad prædeſtinationem, nec quoad executionem ipſius Incarnationis, ſed quoad ſolas circumſtantias ipſi Deo, Chriſto, & veritati vnionis hypoſtaticæ extrinſecas, ac contingentes. Inter quas circumſtantia temporis, & originis ab his parentibus, & ſingulariter ab hac Matre : potuit eſſe, & fuit ex aliquibus meritis *Abrahæ*, *Iſaac*, *Iacob, Dauid*, & præ omnibus ipſius B. Virginis MARIÆ;per gratiam Dei & merita Præuiſa Chriſti, vt abſolutè futuri ſola actione Dei, independente ab omni cauſa ſecunda ad hanc executionem ſubſtantialem.

## *Difficultates.*

1. EX Sacra Script. *B. Aug.* & *Scoto* ſupra, de cenſendis Deo poſſibilibus, quæcumque non ſunt euidenter impoſſibilia : cùm autem aliqui ſapientes cenſeant illa, aut eorum aliqua eſſe poſſibilia, non ſunt euidenter impoſſibilia, nec talia cenſenda.

*Reſp-*

Digitized by Google

*Reſp*. Ex 1. *Sent*. De Omnipotentia Dei, & Poſſibilibus vel impoſſibilibus in communi. Nec poſſibilitas aut impoſſibilitas eſt in ſe obiectiuè euidens aut ineuidens, ex noſtra euidentia vel ineuidentia formali. Neque hæc impoſſibilitas eſt ineuidens vllis ſapientibus, de eodem obiecto, ſeu de vnione hypoſtatica, vt ſumma gratia, entitatiuè & moraliter ſupernaturaliſſima: ſed ſub alio ſenſu, & conceptu inferiore, illius ſummæ gratiæ, ſeu vnionis hypoſtaticæ. Si enim eſt ſumma gratia abſolutè, ſeu poſſibilis: cui non eſt euidens eſſe contra tantam eminentiam & ſupernaturalitatem huius gratiæ, habere poſſe vllam cauſam creatam realem aut moralem inferiorem, æqualem, aut ſuperiorem ſe? Non eſt autem cenſenda tanta gratia Deo impoſſibilis: niſi ſit euidenter impoſſibilis. Quis autem cenſeat eſſe euidens, imò credibile aut probabile, tantam gratiam eſſe impoſſibilem: ſeu Deum non poſſe vllam entitatem aut gratiam creare, quæ non ſit ſupernaturalis omni creaturæ poſſibili, ſeu quæ non poſſit realiter aut moraliter fieri per aliquam aliam creaturam? Cùm videatur impoſſibile vllam creaturam realiter influere ad creationem vllius, ſaltem ſpiritus, vel communis gratiæ ſanctificantis: quantominus huius ſingularis, ſubſtantialis, & perſonalis. 2. Cumq; videatur euidens non poſſe Deum ab vllo intellectu creabili naturaliter intuitiuè attingi ſeu videri: quia Deus eſt obiectum voluntarium, nec influit aut terminat intuitiuè vllam actum naturalẽ. Quanto euidentius eſt creaturam non poſſe per vllam actiuitatem creabilem vniri Deo hypoſtaticè, ſeu ſubſtantialiter & perſonaliter? Denique cùm effectus formalis gratiæ gratificantis videatur ſupra omnem actiuitatem creabilem: quanto magis Deum hominem fieri & hominem Deum, eſt ſupra omnem vim creabilem? Quid enim euidentius, quàm creaturam non poſſe vlla actione attingere immediatè Deum ipſum perſonaliter: non ſolùm vt obiectum & finem, ad quem eſt aliqua ſaltem remota actiuitas naturalis; ſed vt terminum perſonalem, ſeu vniendo naturam creatam diuinæ in eandem perſonam? Nec æquè eſt impoſſibilis gratia formaliter iuſtificãs, aut vnio formaliter vniens hypoſtaticè: quia non eſt æquè impoſſibile aliquid à ſolo Deo fieri poſſe, quàm per vllam cauſam ſecundam. Imò conſtat quædam à ſolo Deo fieri poſſe. Nec gratia gratificat, niſi Deo gratificanti: nec vnio hypoſtatica vnit niſi Deo vnienti & terminanti.

Quod autem de impoſſibili actione reali creaturæ: hoc & de morali, ſeu condigna vnione hypoſtatica; quia hæc deberet eſſe æquè digna moraliter, ac illa perfecta realiter. Nec obſtat quod & nos mereamur gratiam: non enim de condigno, vt ex nobis, aut etiam vt ex gratia noſtra habituali; ſed vt ex perſona Chriſti. Vel gratia merendi in nobis poteſt aliquid condignum ſe: ſed non ſupra ſeipſam. De quibus Quæſt. proprijs.

## *Difficultas.* 2.

EX *Pſal*. 44. Dilexiſti iuſtitiam: propterea vnxit te Deus. *Apoc*. 5. Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere Diuinitatem, &c. Ergo humanitas Chriſti meruit ſibi vnionem hypoſtaticam.

*Reſp*. Nec humanitas Chriſti fuit vnquam ſine Perſona diuina: nec natura operatur aut meretur, ſed perſona per naturam; nec potuit operari aut mereri prius quàm eſſet, aut priùs ſolâ naturâ quã eſſet perſonata; nec denique meritum ſolius naturæ finitæ poſſet eſſe condignum vnione hypoſtatica. *Ad Pſal*. 44. *Propterea, &c*. non ſignificat meritum, ſed finem vngendi, ad diligendam iuſtitiam: vel non meritum ipſius vnctionis hypoſtaticæ, ſed lætitiæ ſeu gloriæ accidentalis. Ad *Apoc*. 5. Dignus eſt Agnus accipere gloriam Deo debitam: vt *Phil*. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Erat enim Deus, ſed incognitus: meruit autem credi & adorari vt Deus. Vel denique, *Dignus eſt, &c*. non tam merito operis, quàm dignitate Perſonæ.

## *Difficultas.* 3.

EX noſtro à *Caſtillo in* 3. *d*. 9. *q*. 9. *n*. 5. Verior ſententia eſt, B. V. de facto non meruiſſe Maternitatem Chriſti: nec de condigno, nec de digno, nec de congruo. 1. Ex *Scoto in* 4. *d*. 2. *q*. 1. *ad* 1. Vbi negat eam habuiſſe merita reſpectu incarnationis. 2. Ex PP. qui tribuunt ſoli gratiæ, non meritis eius. 3. *A n*. 28. *ad* 25. Quia non potuit mereri niſi per gratiam Chriſti vt incarnandi, eo modo quo incarnatus eſt, ſeu vt filij ſui: ergo non potuit vllo modo mereri, vt fieret eius mater: quia omne eius meritum ſupponit Chriſtum vt Filium ſuum. *Num*. 20. Sed licet Virgo non meruerit incarnationẽ Chriſti, ne principium meriti caderet ſub merito: piè tamen credo meruiſſe omnia reliqua munera Maternitatis. *N*. 28. Quod de meritis B. V. hoc & SS. Patrum.

*Reſp*. Incarnatio potuit eſſe prædeſtinata abſolutè, vt exequenda per ſolam Omnipotentiam Dei, independenter ab omni cooperatione, diſpoſitione, meritò, vel impetratione: & tamen ex aliquibus parentibus, & ex aliqua matre, ex illis, & ex hac ob aliqua illorũ & huius præcipuè merita; per gratiam Dei & Chriſti, vt abſolutè, non vt ſic incarnandi. Quia actualis incarnatio Chriſti non dependet ab hac matre, vel ab vlla actione cauſæ ſecundæ: ſed à ſolâ actione Dei vt ſufficiẽte ad hũc effectũ actualem, quamuis aſſumẽte ſeu eleuante B. V. ad omnem veram & propriè dictam actionem matris, non tamẽ vt neceſſariam ad hanc ipſam actualem & ſubſtantialem incarnationem, ſed tantùm ad modum quendam accidentalem, ſine quo equidem eſſet eadem incarnatio, eadem natura ſingularis, eadem vnio hypoſtatica, & eadem vel aliqua Chriſti merita, & gratia per Chriſtum. Quia nec merita & gratia Chriſti aut per Chriſtum, pendent à natura vt paſſibili & mortali: nec hæc eadẽ merita & gratia per Chriſtum, pendent vllatenus ab incarnatione ex his Parentibus, vel ex hac Matres. *Ad PP*. Tribuunt ſoli gratiæ incarnationem Dei: ſed non omnem eius modum accidentalem. *Ad Scotum*. Si, inquit, ad incarnationem nulla merita præceſſerunt: quod vtique verum eſt in ordinatione diuina; quia ſi tempore Conceptionis præceſſerunt aliqua merita Mariæ, non erunt bona abſolutè reſpectu incarnationis, ſed fortè accelerationis.

rationis : ſub qua poteſt intelligi, vt ipſa fieret Mater Chriſti, non autem differretur poſt. Cui ſententiæ fauet ſacra Script. *Luc.* 2. Ecce Ancilla Domini, &c. Beata quæ credidiſti, &c. Reſpexit Deus humilitatem Ancillæ ſuæ, &c. Et plerique SS. PP. tribuentes B.V. aliquod meritum, diſpoſitionem, vel impetrationem Incarnationis, & ſuæ Maternitatis. Eſtque fauorabilior Prædeſtinationi abſolutæ Incarnationis Chriſti ante omnem permiſſionem peccati ſupra, *Quæſt.* 3. & immaculatæ Conceptioni, infra Quæſt. propria.

---

# QVÆSTIO VIII.

*An & quid reale vel morale fiat, ſit, & dicatur, per vnionem hypoſtaticam, & communicationem Idiomatum : de Chriſto, Deo, Homine, Perſona, & Natura Diuina ac humana.*

ALenſis *P.* 3. *q.* 1. De prædeſtin. incarnationis Chriſti. *m.* 1. *Filius Dei non poteſt dici prædeſtinatus : niſi ſub additione naturæ humanæ. Filius Dei non poteſt dici creatura abſolutè ; ſed reduplicatiuè, vt homo. Nec meritum poteſt tribui Perſonæ diuinæ : niſi quoad hanc naturam, & gratiam.* m. 2. *Chriſtus eſt prædeſtinatus eſſe homo .i. Præordinatus ex gratia, vt ſit homo : Si præ, & ex, referuntur ad Perſonam, eſt falſa ; ſi ad hanc naturam humanam, ſeu ad eſſe hunc hominem, vera eſt.* M. 3. *Filius Dei non eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei : niſi vt manifeſtetur.* Quæſt. 6. *De conſtituto per aſſumptionem.* Triplex opinio M. 1. De 1. opin. §. 1. Ille homo cœpit eſſe Deus, aut eſt recenter Deus : ſed non recens Deus, &c. §. 2. Poſſumus loqui de illo homine, non loquendo de Filio Dei : & de Filio Dei, non de Filio hominis. Dicunt quòd Filius Dei eſt paſſus, & mortuus, ſubſtantiuè .i. eſt ille qui eſt paſſus ; ſed non adiectiuè, &c. *Ioan.* 8. Ego principium qui & loquor vobis .i. ſubſtantiuè, non adiectiuè : quia non concedunt quòd Filius Dei ſit principiũ Spiritus S. vel creaturarum. *M.* 2. *De* 2. *opin. Art.* 1. An Chriſtus ſit vnum vel duo. *Reſp.* Non duo, ſed vnum : quia naturæ non dicuntur de Chriſto in recto, ſed in obliquo. *Art.* 2. An Chriſtus ſecundùm quod homo ſit Deus ? *Reſp.* Non, ſi ſecundùm notet cauſam vel conditionem naturæ : ſed ſi notet vnitatem Perſonæ. *Art.* 3. An Chriſtus vt homo ſit indiuiduum. *Reſp.* Vt Filius Dei eſt hypoſtaſis, quæ eſt Perſona : vt iſte homo, eſt hypoſtaſis quæ eſt indiuiduum. *Art.* 4. Vt homo non eſt perſona, ſed indiuiduum. *Hinc Conc.* 1. *Nicænum.* Perſona aduenien̄s conſumpſit perſonam .i. fecit vt non eſſet perſona humana. *Art.* 5. An in Chriſto ſit ratio totius, & partis. *Reſp.* Propriè natura humana non eſt pars Chriſti : ſed Chriſtus eſt totus quoad Perſonam, & totum quoad ſingulas naturas. *M.* 3. *De* 3. *opin.* An Chriſtus ſit aliquid. *Reſp.* Eſt de fide, quoad rem : non quoad modum prædicandi *vt Quid. Ex Decretali Alexandri Papæ. Quæſt.* 7. *m.* 3. De effectu huius vnionis. *Art.* 1. An mutet vnitas. *Reſp.* Non, niſi ſolam naturam humanam. *Art.* 2. An mutet vnum in alterum, aut faciat vnum eſſe vel dici alterum. *Reſp.* Hæc vnio eſt quaſi per inſertionem : quia vnum non fit alterum, nec in altero vt ſubiecto ; ſed fit de eſſe alterius. Vt pirum fit de eſſe arboris cui inſeritur. Chriſtus eſt homo .i. natura humana eſt de eſſe Chriſti. Vt animal non eſt totum eſſe hominis, ſed eſt de eius eſſe. Filius Dei eſt homo : vt arbor eſt pirum inſitum. *Quæſt.* 19. De mor[te] Chriſti. *M.* 2. An Chriſtus dici poſſit ſimplic[i]ter paſſus & mortuus ? *Reſp.* Quòd ſic, &c. ſ[e]cundùm naturam humanam, non Diuinam. *Ad* 3. Deus ſupponit pro Perſona Diuina : de qua dicuntur quæ ſunt vtriuſque naturæ. *Ad* 4. Natura Diuina dicitur incarnata .i. carni vnita, non tamen paſſa, mortua ; quia naturæ non vniuntur in ſe, ſed in Perſona, quam denominant à ſuis proprietatibus, actibus, & paſſionibus. *M.* 3. An Chriſtus in triduo mortis fuerit homo ? *Magiſter & Hugo* dicunt quòd ſic, &c. Alij negant, &c. Poteſt dici quòd erat homo materialiter : quia habebat corpus & animam humanam ; ſed non formaliter, quia non habebat naturam compoſitam ex anima & corpore.

*S. Bon. d.* 2. *art.* 2. *q.* 3. Chriſtus vt Deus & homo, nec habet vllam formam communem ſpecificam, nec propriam ex natura humana & diuina conſtitutam : ſed vt homo habet ſuam formam ſingularem totius humanitatis, ex proprio corpore & anima reſultantem, & formam ſpecificam communem, & prædicabilem de omnibus hominibus. *Diſt.* 6. *art.* 1. De vnitate Chriſti. *Q.* 1. Chriſtus non eſt, nec dici poteſt duo, &c. *Ad* 1. Non dicitur aliud, & aliud, niſi impropriè .i. alterius, & alterius naturæ. *Ad* 3. Eſt potiùs dicendus vnus, quàm vnum : ſed & poteſt dici vnum vt Deus, & vnum vt homo, ſine numero. *Ad* 4. Communicatio idiomatum ſeu proprietatum, vel eſt in eodem ſuppoſito duplicis naturæ, vel inter duas naturas in concreto eiuſdem ſuppoſiti. *Quæſt.* 2. Perſona Chriſti non eſt propriè & intrinſecè compoſita, ſed ſimplex. *Q.* 3. Chriſtus eſt homo ſubſtantialiter : prædicatur tamen per modum accidentis ; quia humanitas aduenit Perſonæ habenti perfectum eſſe Diuinum. *Ad* 4. *Diſt.* 7. De veritate variarum Prop. *Art.* 1. *m.* 1. *q.* 1. Deus eſt homo, & homo eſt Deus : non ſolùm in obliquo .i. habens hominem ; nec ſolùm per identitatem .i. Eſt ille qui eſt Deus, & qui eſt homo ; ſed quodam ſenſu & modo ſingulari, per vnionem ; quia quæ ſunt eadem in ſuppoſito, ſunt eadem inter ſe, &c. *Quæſt.* 2. An hæc ſit vera : Deus factus eſt homo ? *Reſp.* Eſt vera, ſed minùs propria : tum de hoc toto, tùm de prædicato, tum de ſubiecto vnito. *Ad* 4. Factum eſſe, non afficit ipſum ſuppoſitum. *Quæſt.* 3. An hæc ſit vera : Homo factus eſt Deus ? *Reſp.* Id eſt, Hoc totum factum eſt, vt homo ſit Deus. *Art.* 2. *q.* 1. Chriſtus vt homo eſt prædeſtinatus : non autem vt Filius Dei. *Q.* 2. Filius Dei non eſt prædeſtinatus vt ſit homo : niſi vt *præ* dicit anteceſſionem Filij Dei ad eſſe hominem, & ad prædeſtinatum eſſe vt ſit homo. *Q.* 3. Homo prædeſtinatus eſt eſſe Filius Dei : non *præ* ipſo Filio Dei,

Digitized by Google

Dei, ſed *præ* eſſe hominem, & *præ* hominem eſſe Filium Dei. *D.* 8. *a.* 1 *q.* 2. Natura humana poteſt dici nata de Virgine: ſecundùm corpus, & ſecundum totum vt in ſuppoſito. *Q.* 3. Natura diuina non eſt homo formaliter, ſed per identitatem cùm perſona .i. eſt ille qui eſt homo. *Art.* 2. *q.* 1. Chriſtus poteſt dici bis natus. *D.* 10. *art.* 1. *q.* 1. An hæc ſit vera: Chriſtus ſecundùm quòd homo eſt Deus. *Reſp.* Non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè &c. *Q.* 2. An hæc ſit vera: Chriſtus ſecundùm quòd homo eſt perſona. *Reſp.* Non eſt vera: quia ſonat quaſi eſſet etiã perſona humana. *Q.* 3. An hæc ſit vera: Chriſtus ſecundũ quod homo eſt indiuiduum. *Reſp.* Non vt diuiſum ab alijs: ſed vt indiuiſum in ſe. *Diſt.* 11. *art.* 2. *q.* 1. An Chriſtus dici poſſit creatura? *Reſp.* Non, niſi determinetur ad naturam humanam, &c. *Q.* 2. An hæc ſit vera: Ille homo Chriſtus incœpit eſſe? *Reſp.* Non propriè demonſtrando perſonam: ſed eius ſingularem naturam humanam. *Q.* 3. An hæc ſit vera: Homo incœpit eſſe Deus? *Reſp.* Eſt vera pro hoc ſingulari, non pro hac perſona: niſi per vnionem ſeu cõmunicationem idiomatum. *Ad* 3. Omnia communicãtur in concreto inter Deum & hominem, ſeu in perſona naturæ diuinæ & humanæ: exceptis quæ exprimunt vnionem, vel ei repugnant, vel ſunt propè errorem. *Ad* 4. Si diſſolueretur vnio hypoſtatica, homo deſineret eſſe Deus: & tamen per communicationem idiomatum homo ſemper erit Deus.

Scotus d. 6. q. 1. n. 5. *Hæc natura humana Chriſti habet ſuam propriam exiſtentiam actualem, & proprium eſſe quidditatiuum.* Ad 1. *Chriſtus habet duo eſſe, ſed non eſt duo entia.* Quæſt. 2. *Chriſtus non eſt duo maſculinè, nec duo neutraliter: ſed habet in ſe duo .i. duas naturas.* Ad 2. *Chriſtus non eſt aliud quàm homo: nec aliud quàm Deus, &c.* Ad vlt. Si tres homines haberent vnam animam, non dicerentur quid vnum, ſed habentes vnum: ſic nec Chriſtus, duo; ſed habens duo. *D.* 7. *q.* 1. An hæc ſit vera: *Deus eſt homo. Reſp. n.* 2. Nonniſi pro perſona Verbi, &c. N. 4. Non eſt tantùm vera identicè, ſed & formaliter: quia prædicatio naturæ in concreto de ſuo ſuppoſito, eſt formalis. N. 5. Eſt prædicatum vniuocum: ſed non prædicatur vniuocè. N. 7. Poſſet concedi logicè loquendo: quòd hæc propoſitio non ſit per ſe vera, ſed per accidens. N. 8. Chriſtus eſt homo: poteſt dici quod non eſt omninò per accidens, nec omnino per ſe. *Q.* 2. An hæc ſit vera: *Deus factus eſt homo. Reſp. n.* 3. Eſt ſimpliciter vera: quia Deus non ſemper fuit homo; ergo per aliquam actionem factus eſt homo. N. 7. *Homo factus eſt Deus.* Quia priùs non erat, & iam eſt: ergo per aliquam actionem. N. 8. Hæc eſt 1. Vera. *Natura humana eſt perſonaliter vnita Verbo.* 2. *Filius Dei & Deus, eſt homo.* 3. *Homo eſt Deus.* Et ſic de fieri. *Ad* 1. *Arg.* Deus eſt factus homo: ſed non eſt factus ſimpliciter; quia non quoad ſuum primum eſſe. *Ad* 3. Quæ exprimunt vnionem naturæ ad Perſonam: excipiuntur à communicatione idiomatum, quia hæc ſupponit vnionem. *Q.* 3. Chriſtus fuit prædeſtinatus eſſe Filius Dei. *Ad* 1. *Arg.* .i. Chriſtus vt homo, vel nec vt homo, nec vt Deus, ſed ſecundùm vtramque naturam ſimul. *D.* 11. *q.* 1. An Chriſtus ſit creatura? *Reſp. n.* 7. Cui non placet, poteſt dicere eſſe falſam: quia creari eſt produci ex nihilo, vel in eſſe primo poſt non eſſe. *Q.* 2. Chriſtus vt homo non eſt creatura, niſi ſpecificatiuè & diſtractiuè, &c. Vt Æthiops eſt albus ſecundum dentes. *An Chriſtus cœperit eſſe.* Poſſet concedi .i. Habet aliquod eſſe ſimpliciter, quod priùs non habuit. Non tamen debet concedi, quod Filius Dei incœperit eſſe: quia eſſe humanum eſt eſſe ſimpliciter Chriſti, non autem Verbi, &c. Sancti tamen negarunt Chriſtum incœpiſſe .i. quoad primum eſſe. *D.* 22. An Chriſtus fuerit homo in triduo mortis? *Reſp.* Nec Theologicè, nec Logicè. *Ad* 1. Nec in triduo erat homo, nec Chriſtus, &c.]

Quæ 1. videntur tam intricata & innodata: vt quo pluribus in varios ſenſus diſtrahuntur, eo magis innodentur ac intricentur, ſeu difficiliùs intelligantur, 2. Omnes deſuper contentiones videntur eſſe nominales, dialecticæ, curioſæ, inutiles, imò contrariæ vnitati & confeſſioni fidei: inter multos verbis potius quàm ſenſu fidei diſſentientes. 3. Nec *Al. q.* 6. videtur verè aut ſatis diſtinctè referre, diſcernere, & cenſurare tres illas opiniones de vnitate Chriſti: nec ibi vel vllibi ſatis explicare communicationem Idiomatum. 4. Nec *S. Bon. d.* 6. & 7. ſatis appropriat locutiones ſacræ ſcript. *Symb. Concil. & SS. PP.* de Chriſto. Vt hanc *q.* 2. Deus factus eſt homo. 5. *Scotus* autem videtur eas nimis formaliſaſſe. Vt *d.* 6. *q.* 2. *ad* 2. *Diſt.* 7. *q.* 1. *n.* 4. Hæc, *Deus eſt homo: non eſt tantùm vera identicè, ſed & formaliter.* Ex Aug. 1. *Tim.* 13. *Talis fuit hæc aſſumptio, vt Deum hominẽ faceret, & hominem Deum.* Cur ergo non æquè formaliter *homo eſt Deus*, ac *Deus eſt homo*? 6. Nec vllus horum poteſt, vel audet reſoluere, an hæ & ſimiles locutiones ſint vniuocè, per ſe, vel per accidens. 7. Nec videntur in omnibus conſentire. Nam cùm *S. Bon. d.* 7. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 3. diſtinguat illam, *Deus eſt homo*, ab hac vt formali, *Petrus eſt homo*: *Scotus d.* 7. *q.* 1. vult illam eſſe formalem. 8. Non ſatis explicant communicationem Idiomatum.

## *Reſponſio communis.*

### *Ad omnia.*

Tanta cura & circumſpectio noſtrorũ & omnium Doctorum Catholicorum: de modo regulari & punctuali loquendi, non eſt inanis, curioſa, & contentioſa: ſed ſtudioſa, religioſa, & neceſſaria, ad vnitatem, & profeſſionem publicam eiuſdem fidei, vt diſcretam ab erroribus oppoſitis. Nam vt *B. Aug.* 14. *Ciu. Liberis vocibus vtuntur Philoſophi: nobis autem non niſi ad certam regulam loqui fas eſt, &c.* Quod eò religioſius in hoc myſterio obſeruandum eſt: quo minùs ipſa veritas fidei percipi, ac diſcerni poteſt. Nec tamen pauca & minuta dubia, aut controuerſa, de proprietate & ſenſu quarundam locutionum, defectui fidei, vel ignorantiæ, aut vitio contentionis tribuenda ſunt: ſed ſtudio obſequioſo fidei, & myſterio tam ſupernaturali, vt non tantùm entitatiuè excedat omnem naturam, & cauſam, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam obiectiuè, omnem rationem naturalem & locutionem humanam, accedatque ad ipſam ineffabilitatem diuinam. Vnde non tantùm omnis ratio: ſed & locutio humana captiuanda eſt in obſequium huius myſterij, ſupplendumque eſt ex doctrina fidei, quod deeſt omni arti & inſtitutioni humanæ loquendi, & conceptus humanos, non diuinos eloquendi. Non quòd hæ locutiones & elocutiones fidei, minùs veræ aut propriæ ſint: ſed eo veriores & propriores, quo minùs communes, & captu ac explicatu difficiliores. Nec quia fundantur in ſola vnione hypoſtatica naturæ humanæ, non autem intrinſeca perſonæ aut naturæ diuinæ, nec in vlla inhæſione, informatione, aut identificatione mutua: cenſendæ ſunt minus reales, formales, & perfectæ; ſed eo realiores, formaliores, & perfectiores, quò vnio hypoſtatica, & formalitas totius naturæ diuinæ ac humanæ, in Perſona diuina, realior formalior & perfectior eſt omni vnione inhæſionis aut informationis formarum partialium, imò & omni formalitate naturali formæ totius ad ſuum ſuppoſitum.

Nec denique communicationes illæ reciprocæ Idiomatum, ſeu propriorum vtriuſque naturæ vt totalis, in concreto cum Perſona Diuina Filij, cenſeantur tantùm denominationes extrinſecæ, metaphoricæ, morales, impropriæ: vt ab actione, paſſione, dependentia, tendentia, ſimilatione, aut quauis relatione, & terminatione extrinſeca, inter cauſam & effectum, agens & paſſum, media & finem, actum & obiectum, fundamentum relationis naturalis & eius terminum; ſed magis intrinſecæ, propriæ, & formales .i. magis afficientes ſubiectum, & prædicatum ſubiecto vt ſuo proprio ſingulari, & ſuppoſito, quàm vllæ denominationes naturales & morales á formis adiacentibus, inhærentibus, aut partialiter, vel etiam totaliter informantibus, afficiant in concreto ſua ſubiecta, ſingularia, vel ſuppoſita.

Quæ ne videantur paradoxa, & hyperbolica, verificantur. 1. Ex ſacra Script, Symbolis fidei, Conc. & Patribus, ſic dogmaticè & definitiuè loquentibus, & anathematizantibus contra ſentientes & loquentes. Ergo hæ locutiones quibus vtuntur, de Chriſto vt Deo homine, & homine Deo: ſunt veriſſimæ, proprijſſimæ, & formaliſſimæ. Tum quia ſunt de obiecto ſupernaturali, in ſenſu fidei, & modo loquendi conformi, ab ipſo Spiritu ſancto dogmaticè expreſſo: ergo veriſſimo, proprijſſimo, realiſſimo, formaliſſimo. Tum quia 2. *Cor.* 1. In Chriſto non fuit eſt, & non, ſed eſt in illo fuit: non tantùm in loquendo veraciter, propriè, fideliter, & conſtanter; ſed & potiùs in in eſſendo, obiectiuè, & formaliter. Ergo quicquid dixit & reuelauit de ſeipſo: tam verè & propriè eſt; tamque verè & propriè reuelauit, vt non poſſit vllo modo dici non eſſe. Tum denique quia tam verè, propriè, realiter, & formaliter dicitur, *Deus eſt homo*, *homo eſt Deus, qui conceptus eſt, natus, paſſus, mortuus, &c.* quàm in ſacra conſecratione, *Hoc eſt corpus meum:* Hoc autem eſt, dicitur, & intelligitur veriſſimè, proprijſſimè, realiſſimè, & formaliſſimè, contra omnes alios ſenſus erroneos; ergo & illa. Excepta Tranſubſtantiatione.

2. Ex vnione & dependentia veriori, propriori, realiori, & eſſentialiori cuiuſuis creaturæ à Deo, quàm ab vlla cauſa 2. cùm tamen nihil inde poſſit vllatenus dici Deus, nec Deus eſſe id quod ſic á ſe dependet. Quantò ergo eſt verior, proprior, realior, & perfectior vnitas hypoſtatica: à qua dogmaticè credẽdus & profitendus eſt Chriſtus vt Deus homo, & homo Deus?

3. Ex illapſu intimo Dei in nos, plus quàm nos ipſi: per eſſentiam, potentiam, & operationem intimam. Qui cùm non inferat, nec ferat vllam denominationem Dei à nobis, nec noſtri à Deo: quanta eſt vnitas hypoſtatica, quæ non ſolùm has locutiones, ſed etiam earum fidem ac profeſſionem publicam, Chriſtianam, & fundamentalem exigit?

4. Ex Idæis Diuinis, eſſe poſſibili, obiectiuo, volito, participato cuiuſuis creaturæ à Deo, vt ſolo ente ſimpliciter & per eſſentiam: abſque vlla vera idẽtitate, vel tali denominatione Dei à creaturis, vel harum ab illo. Ergo vnio & vnitas hypoſtatica eſt perfectior omni vnitate creaturæ cum ſuo eſſe exemplari, obiectiuo, poſſibili.

5. Ex abſoluto Dominio Iuriſdictionis & proprietatis Dei in nos: abſque vlla identitate, vnitate, aut tali mutua denominatione. Ergo vnio & vnitas hypoſtatica toto genere perfectiùs appropriat, & communicat naturam & Perſonam.

6. Vnio gratiæ & gloriæ: quâ, 1. *Cor.* 6. adhærens Deo vnus Spiritus eſt, plus quàm duo in carne vna. *Gal.* 2. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. 2. *Cor.* 3. In eandem Imaginem transformamur. 1. *Ioan.* 3. Similes Deo erimus, &c. non eſt niſi perfectio ſimilitudinis & charitatis, quâ amicorum omnia ſunt communia, non autem mutuæ identitatis & affirmationis. Ergo eſt incomparabilis cum vnione hypoſtatica & ſubſtantiali.

7. Subiecta & ſuppoſita reciprocè dicuntur cum ſuis formis in concreto: non ab earum inhæſione aut informatione, ſed potiùs ab earum ſuſtentatione, aut ab effectu formali, imò potiſſimè ab harum cum illis concretione in vnum idemque inadæquatè. Nam æquè dicitur Chriſtus eſt natus, crucifixus: ac eſt ſapiens, animatus, &c. i. Idem qui Chriſtus, eſt qui ſic natus, Crucifixus, Sapiens, animatus; quia hæc non variant vnitatem & identitatem ſuppoſiti. Ergo perfectio vnitatis, identitatis, & mutuæ denominationis, non dependet ab inhærentia, vel informatione intrinſeca: ſine qua ſi ſubiectum poſſet ſuſtentare, & forma illud afficere ſua formalitate, eſſet inter ea vt ſic concreta, æquè perfecta aut perfectior vnitas & denominatio mutua.

8. Partes ſubſtantiales, forma totius, & ſuppoſitum, ſunt & dicuntur vnum in concreto: non ab illorum inter ſe identificatione, ſed concretione in vnum idemque ſaltem inadæquatè. Nam nec corpus identificatur animæ, nec anima corpori: nec fortè corpus & anima, etiam coniunctim, identificantur toti naturæ, nec hæc fortè proprio ſuppoſito. Ergo vnum non dicitur alterum ex identificatione inter ſe, ſed ex concretione in vnum idemque inadæquatè. Quod ſi quæ



Digitized by Google

ſola vnione naturali poſſunt ſic concreſcere: quantò potiùs vnione hypoſtaticâ?

9. Nec ſuperiora eſſentialia dicuntur formaliter de inferioribus, nec coeſſentialia de ſe inuicē vt formaliter identificētur inter ſe: ſed vt concreſcūt in vnum magis aut minus totale, vel expreſſum. Vt homo eſt animal: Animal eſt rationale, rationale eſt animal. Nō quia animalitas, humanitas, & rationalitas realiter identificantur inter ſe: ſed quia idē qui homo humanitate eſt animal animalitate, &c. Ergo communicatio idiomatum inter Chriſtum vt Deum, & eundem vt hominem, eſt æquè perfecta: imò eò perfectior, quò concretio illa eſt ſupernaturalior.

10. Nec obſtat, ſed fauet, quod illæ locutiones ſint ſecundùm eſſentiam: hæ autem de Chriſto, ſecundùm exiſtentiam. Quia vel eſſentia realis nō differt ab exiſtentia actuali: vel natura humana non exiſtit propria exiſtentia humana, ſed ſola exiſtentia diuina. Vt videtur ex *Damaſc. lib. 3. c. 22. Natura humana per exiſtentiam verbi exiſtit*. Et ex Epiſtola ſynodica *Sophronij* prælecta & approbata in 6. Synodo generali *Act. 11. & 13. Natura humana in Verbo; non in ſeipſa habuit exiſtentiam vnam cum Verbo*. Quod ſi poſſibile foret: quæ vnitas aut identitas naturalis eſſet comparabilis cum hac idētitate exiſtentiæ actualis, inter naturam ſeu eſſentiā humanam, & exiſtentiam diuinam? Sed *Damaſc. & Sophron.* ſumunt exiſtentiam Verbi, pro per ſe exiſtentia, ſeu ſubſiſtentia: non tantùm extra ſuas cauſas, ſed etiam extra omne ſubiectum, & totum. Nam *Sophron.* in præclara illa Epiſt. ante medium. *Simul, inquit, caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata, rationalis. In illo itaq; & non in ſemetipſa, habuit exiſtentiam. Cum conceptu quippe Verbi, hæc ad ſubſiſtendum prolata ſunt, & ſecundum ſubſiſtentiam ei vnita ſunt, quando ad ſubſiſtendum prolata ſunt, &c.* Vbi nec dicitur vna exiſtentia Verbi: & ſtatim exiſtentia mutatur in ſubſiſtentiam; idque exigit illa ſimultas carnis, animatæ, rationalis, & Verbi Dei. De qua identitate naturæ realis cum ſua exiſtentia: *Scotus d. 6. q. 1.* Nec tamen exiſtentia propria naturæ hypoſtaticè vnitæ, minuit veritatem, realitatem, proprietatem & formalitatem communicationis Idiomatū. Quia exiſtentia eius in Verbo, ſeu vnio hypoſtatica ad Perſonam verbi, ſupplet veriùs, realiùs, & perfectiùs defectū ſubſiſtentiæ propriæ, quàm ſi ipſa ſubſiſteret. Cùm non ſubſiſtat in ſe, niſi duplici negatione dependentiæ, vel modo quodam terminatiuo & determinatiuo, non autem perfectiuo exiſtentiæ: vnio autem hypoſtatica non ſit naturæ ſeu eſſentiæ humanæ, niſi vt exiſtentis, ſicque & exiſtentiæ humanæ realis & actualis; eamque vniat, ac perficiat omni vnitate poſſibili cum Perſona & exiſtentia perſonali ac eſſentiali Dei, in vnicam perſonam vtriuſque naturæ & exiſtentiæ ſimul. Hinc Chriſtus ſeu hæc perſona diuina eſt & dicitur veriùs, realiùs, propriùs & perfectiùs homo: quàm vlla perſona humana ſit & dicatur homo; quia natura veriùs realiùs & perfectiùs naturat, ſeu afficit perſonam Diuinam, vt capaciorem & realiorem, ſua totali formalitate naturæ, quàm afficeret ſuam propriam perſonam humanam minùs realem, & capacem naturæ totalis. Perfectio enim perſonandi, & naturandi requirit aliquam differentiam poſitiuam: & perſona perfectiſſima, naturam ſingularem perfectiſſimam. Qualis eſt etiam humana Chriſti, quoad propriam exiſtētiā & ſingularitatē.

Hinc ad *Diff. 1. 2.* ſupra. *Ad 3.* Non eſt defectus Alenſis, ſed noſtri compendij: quo refertur opin. 1. vt Neſtoriana, quaſi hic homo ſingularis priùs fuerit natura & tempore, quàm vnitus; cùm textus habeat, *prius naturâ, non tempore*. Nec 2. opin. ſatis diſtinctè exprimitur: Quòd Chriſtus ſit conſtitutus ex anima rationali, & corpore humano, vt partibus vnitis; & ex Diuinitate vt totali, in vnitate perſonæ diuinæ. 3. Videtur corpus & animam Chriſti non fuiſſe vnita in vnam naturam humanam, ſed tantùm in vnam perſonam Verbi. Vt patet ex *Mag. ſent. d. 6. & ex Decretali Alexandri 3. in Conc. Later. 3. Titulo de Hæreticis.* Cùm Chriſtus perfectus Deus, & perfectus ſit homo: mandamus quatenus ſub anathemate interdicas, ne quis de cętero audeat dicere, Chriſtum non eſſe aliquid ſecundùm quòd homo; quia ſicut Chriſtus verus eſt Deus, ita verus eſt homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Quod videtur latum fuiſſe contra ipſum *Magiſtrum Sent.* in illo Conc. accuſatum, quòd negaret, aut dubitaret an Chriſtus vt homo ſit aliquid vnum, ſeu vnius naturæ humanæ, an vero tantùm habens verum corpus & animam humanam, non inter ſe, ſed in Verbo perſonaliter vnita. *Ad 4. S. Bon. d. 7.* Non negat hanc eſſe quodam ſenſu propriam: *Homo factus eſt Deus* .i. Hoc totum factum eſt, vt homo ſit Deus, &c. ſed negat eſſe tam propriam, & vſitatum ac eſt hæc, *Deus factus eſt homo*. Vt patet ex integro contextu. *Ad 5.* Scotus hic nihil formalizat, abſtrahendo ab exiſtentia reali, ad ſolos conceptus obiectiuos: ſed perficit ſeu verificat non ſolùm identicè, ſed etiam formaliter omnes locutiones, ab vnione & vnitate perſonali, quam *d. 6. q. 1. ad 2.* cenſet omnium maximam. *Ad 6.* Imò reſoluunt eſſe modum ſupernaturalem, ſeu ſupra naturalem vniuocationem, perſeitatem, & accidentalitatem. *Ad 7. S. Bon.* negat illam locutionem eſſe formalem & vniuocam, vt ſunt aliæ naturales: *Scotus* vult eſſe formalem vt non identicam, ſed à vera formalitate prædicati. Sunt autem qui dicunt Chriſtum eſſe *aliud & aliud*: ſed *Scotus* meliùs negat; quia, *aliud*, inuoluit etiam ſuppoſitum. *Ad 8.* Alenſis optimè explicat veritatem harum locutionem, & communicationis Idiomatum, *Quæſt. 6. m. 1. ſ. 1. Quæſt. 7. m. 3.* Chriſtus eſt homo .i. natura humana eſt de eſſe Chriſti, &c. vt ſupra. Sed *S. Bon.* expreſſiùs ſub nomine communicationis Idiomatum, ſeu proprietatum vtrique naturæ vt totali, non partali. *Diſt. 5. a. 1. q. 3. Diſt. 6. art. 1. q. 1. ad 6. Diſt. 8. Diſt. 10. Diſt. 11. a. 2. q. 3. Ad Arg.* Vbi videtur cenſere, per communicationem Idiomatum hominem ſemper eſſe Deum: quamuis vnio hypoſtatica eſſet deſitura .i. Vel Chriſtus quo ad eſſentiam, ſeu conceptum proprium, ſemper eſt homo Deus: non autem quoad exiſtentiam, ſi vnio deſineret. Vel vt homo, eſt ſemper Deus: ab æternitate ſolius Deitatis, per ſolam communicationem Idiomatum.

V QVÆSTIO

Digitized by Google

# QVÆSTIO IX.

*An B. Virgo Maria verè, realiter, & propriè conceperit Chriſtum, vt Deum & hominem: ſitq; Mater eius, non tantùm vt hominis, ſed etiam vt Dei; & S. Ioſeph fuerit verè Maritus eius, ac Pater Chriſti.*

QVæ ſunt fidei, dogmaticè ſupponuntur, & exprimuntur *Quæſt.* 1. Ex ſacris ſcript. Symb. Conc. Patribus. Quibus addi poteſt, ex præclara Epiſtola *Sophronij Patriarchæ Hieroſol. ad Sergium* Patriarcham Conſtantinopol. prælecta & approbata *in.* 6. Synodo *Act.* 11. Poſt humilem præfationem. *Dicturus aduenio quæ ab initio in ſancta & Catholica Eccleſia natus & nutritus perdidici, &c. Credo in vnum Deum Pàtrem Omnipotentem, &c.* De Deo vno, & tribus Perſonis. Infra. *De incarnatione, credo quod Deus Verbum Vnigenitus Patris Filius, qui ante omnia* ſæcula impaſſibiliter de eodem natus eſt Deo & Patre, miſerationem induens circa humanum noſtrum lapſum, ſpontanea voluntate, & Dei gignentis conſilio, & diuino complacito Spiritu, non ſeparatus à gremio generantis, ad nos humiles deſcendit, & vterum intactum Virginitatis ingreſſus, caſtitatem luſtratam Mariæ ſanctæ & ab omni contagione liberatæ, &c. incarnatus, qui erat incarneus, formam ſuſcepit noſtram, &c. & homo iuxta veritatem efficitur, &c. Non per phantaſiam, (vt Manichæis & Valentinis inſanis videtur,) ſed re & veritate totam noſtram aſſumens maſſam, carnem inquam nobis conſubſtãtialem, & animam rationalem noſtris contribulem, & mentem noſtræ comparem, &c. Ideo virgo ſancta accipitur, & anima corpuſque ſanctificatur: quæ miniſtrauit in incarnatione creatoris, vt munda caſta & incontaminata. Incarnatur ergo Verbum Deus, quod noſtrum eſt: non præfactæ carni copulatus, præformatione atque in ſeſe præſubſiſtenti corpori conlinitus, vel animæ præexiſtenti coniunctus; ſed tunc his ad ſubſiſtendum venientibus, quando ipſis ipſum Verbum & Deus, naturaliter copulatus eſt [.i. vt ſuæ naturæ.] Simul quippe caro, ſimul Dei verbi caro, ſimul caro animata rationalis, ſimul Dei Verbi caro animata rationalis, &c. vt ſupra. Ex inuiolabili namque & Virginali ſanguine ſanctæ atque *Immaculatæ Virginis Mariæ*, Verbum verè factum eſt incarnatum, & veraciter homo, &c. Naſcitur Deus humano corpore, & habitu, animam rationalem & incorpoream habens, &c. Virginem generantem conſeruauit, & *Theotocon* eam propriè & veraciter demonſtrauit, &c. contra Neſtorium & Eutichen. Deus itaque erat qui ex ſancta Dei genitrice Maria eſt, &c. Ex duabus quippe naturis vnitionem habuit, &c. Neque vnitioni mutatio quælibet vel confuſio interceſſit: neque poſt vnitionem diuiſio quædam aut ſectio eſt intromiſſa. Nam quæ ſecundùm ſubſiſtentiam vniuntur, neque mutationem acceptant, neque diuiſionem, &c. Caro animata & intellectualis immutabiliter deificata eſt, &c. Nos ſecundùm ſubſiſtentiam Verbi ad carnem cõuenientiam prædicamus .i. coniunctionem, & vnã eius ſubſiſtentiam compoſitam dicimus [.i. vel poſitam cum, ſeu coniunctam, vel duplicis naturæ.] Duas eiuſdem Dei Verbi natiuitates credimus: vnam ex Deo Patre ſempiternam; ſecundam, ex Dei genitrice Matre temporalem, vt ſapiens nobis tradidit Cyrillus. Quæ ſunt naturarum propria ſaluari dicimus, & vnitarum differentiam non reijcimus: quæ in naturali quidem dicitur & eſt qualitate, in eſſentiali vero dicitur & eſt quantitate. [Quæ differentia naturarum vnitarum eſt in quantitate eſſentiali finita & infinita: & in qualitate cuilibet naturæ propria.] Neque vt inſulſus *Neſtorius*, affectualem vnitionem dicimus, aut honoris æqualitatem, aut conſilij concordiam: nec voluntatum identitate deliramus hanc conuentionẽ: nec vt *Eutiches* ſecundùm confuſionem quandam aut mutabilitatem Dei Verbi & carnis, ſiue naturarum compoſitiones garrimus, &c. Solam autem veneramur inconfuſam ſimulque indiuiſam Deitatis atque humanitatis vnitionem, &c. Vnitatis ratio, naturalis eſt, atque ſecundùm ſubſiſtentiam .i. naturæ & ſubſiſtentiæ. Quæ verò ad vnitatem cõcurrerunt, inconuerſa conſeruat, partitionemque vnitorum non admittit, &c. Chriſtum Deum & hominem, bis genitum, duplicemque ſecundùm naturas prædicamus [.i. duplicis naturæ, vel potius duarum.] In Deitate & humanitate eundem ſcimus perfectum, &c. Patri conſubſtantialem, & Matri, &c. Eundem carneum, animatum, & Deificatum, recentem & ſempiternum, &c. Incõuertibilis, & inſeparabilis erat vnitio: ſicut & inconuertibilis eſt, & inſeparabilis permanet, &c. Vnum quod effectum eſt, non iam dualiter diuiſum: ſed eorum ex quibus factum eſt, demonſtrat ſubſiſtentiam. Quæ enim extat Perſona compoſita, ex inconfuſo conſtans temperamento, partionem conuenientium neſcit: ſed eſſe vnum, & permanere vnum indiuiſum, &c. Eſt vnum ſecundum ſubſiſtentiam, atque Perſonam: duo verò, ſecundùm ipſas naturas, atque naturales earum proprietates, &c. Vnde idem quæ ſunt vtriuſque ſubſtantiæ naturaliter operabatur: ſecundùm inſitam vniuſcuiuſque qualitatem ſeu proprietatem naturarum. Quod ſi naturam haberet ſingularem & inconiunctam, vt & ſubſiſtentiam atque Perſonam: non ageret vnus idemque Chriſtus quæ ſunt vtriuſque naturæ, &c. Non alius miracula operatus eſt, alius humana operatus paſſiones ſuſtinuit, vt vult *Neſtorius*: ſed vnus idemque Chriſtus ſecundùm aliud, vt proteſtatus eſt *Cyrillus*, &c. Vt vtraque natura ſuam proprietatem cuſtodit: ita & vtraque forma operatur cum alterius communione corporis, & carne exequente quod carnis eſt, communicante ei Verbo in eadem operatione, &c. Non enim diuiſè operabantur propria, &c. Hinc piè ſentientes & ſuper terminos rectæ fidei conſiſtentes, &c. vtriuſque naturæ vtramque nouimus operationem, eſſentialem naturalem & congruam, &c. ſimulque inconfuſam alterius eſſentiæ cooperationem, &c. Deus Verbum eſt, & non caro: quamuis carnem rationaliter animatam aſſumpſit, &c. Ipſa verò caro animata rationaliter, non eſt Verbum: licet ſit caro Verbi Dei [.i. natura vna non eſt altera, vel non

dicitur

Digitized by Google

dicitur propriè partialiter, Verbum eſt caro, aut caro eſt Verbum. Ideo neque eandem habent operationem poſt vnitionem naturalem ac inconfuſam .i. veram, & ſecundùm ſubſiſtentiam: neque vnam ſolam earum operationem dicimus,&c. ſiquidem ex operationibus naturæ noſcuntur,&c. Secundùm humanam ſubſtantiam progrediens, humanæ eius naturæ erat oſtenſio. Vnde & vt nos ex loco ad locum, commigrabat, &c. Dabat, cùm volebat, naturæ humanæ tempus operari, & pati quæ ſua ſunt: ne fortè phantaſia quædam iudicetur incarnatio. Quæque igitur humilia atque humana ſponte *ſimul & naturaliter*, manens etiam in his Deus, demonſtrabat, &c. Chriſti adſerimus eſſe virtutem, etiam illam quæ dicitur noua & *Deivirilis* operatio: non vnam exiſtentem, ſed diuerſi generis ac differentem, ex *Dion. Areopag. Infra.* Ex Virgine verè ac propriè Dei Genitrice MARIA incarnatus eſt.]&c. De Paſſione, Morte, Reſurrectione, Aſcenſione, & Iudicio Chriſti, &c. De principio viſibilis mundi confiteor, quod omnia viſibilia & inuiſibilia vnus Deus condidit, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, &c. Non ſunt immortalia per naturam, ſed per gratiam, &c. Vt hominum animæ permanent incorruptæ: ſic Angeli immortales,&c. contra Origeniſtas, &c. Nos verò rectæ immaculatæque fidei ac pudicæ lacte potati, rationales ſine dolo, &c. 1. *Pet.* 2. De 4. magnis Concilijs Authenticis. 1. Fuit Nicænum, 318. PP. contra Arrianos. 2. Conſtantinop. 150. PP. contra Macedonium & Apollinarem. 3. Epheſinum, 200. PP. contra *Neſtorium*. 4. Chalcedonenſe, 630. P P. contra *Eutichen* & *Dioſcorum*. Suſcipio etiam Conc. 5. Conſtantinop. ſub *Iuſtiniano*, ad confirmationem Conc. Chalced. &c. Super his verò & hanc Synodum veneror, &c. Cuncta quoq; ſacratiſſimi *Cyrilli* diuina & à Deo inſtructa conſcripta, &c. præcipuè duas epiſtolas ſynodicas ad *Neſtorium*. Cum quibus & ipſas Orientalium Epiſcoporum litteras, &c. His honorandam ſuſcipio à Deo inſpiratam Epiſtolam Magni *Leonis* Sanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ, imò omnium luminari, cōtra *Eutichen* & *Neſtoriū*, &c. Et cunctas eius Epiſtolas & dogmata vt prolata ex ore *Petri* Principis, Apoſtolorū, amplector, &c. Cuncta ſuſcipio & amplector quæ ſancta Eccleſia Catholica noſtra recepit: & cuncta anathematizo quotquot & ipſa ſapiēter abominatur.] &c. contra omnes & ſingulos Hæreticos, à *Simone Mago* nominatim, &c. eorumque ſectatores.

## *Canones Conc. Lateranenſis.*

*Sub Martino 1.*

1. SI quis non confitetur, ſecundùm ſanctos Patres, propriè & verè Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, Trinitatem in vnitate, vnitatem in Trinitate, &c. ſit condemnatus.

2. Si quis non confitetur ſecundùm ſanctos Patres, propriè & verè ipſum vnum ſanctæ & conſubſtantialis & adorandæ Trinitatis Deum Verbum deſcendentem de cœlis, & incarnatum de Spiritu ſancto ex MARIA Virgine, & hominem factum, &c. ſit condemnatus.

3. Si quis non confitetur propriè & verè Dei genitricem ſanctam ſemper Virginem *Immaculatam* MARIAM, in vltimis ſæculorum abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu ſancto, & incorruptibiliter enixam eſſe, & indiſſolubili permanente & ante & poſt partum eiuſdem virginitate; ſit condemnatus.

4. Si quis non confitetur propriè & verè ipſius vnionis Domini noſtri & Dei noſtri IESV Chriſti duas Natiuitates exiſtere; vnam ante ſæcula ex Deo Patre incorporaliter & ſempiternaliter, alteram autem de Virgine MARIA carnaliter in vltimis ſæculorum, & eundem Dominum & Deum IESVM Chriſtum conſubſtantialem Deo Patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialem Virgini ſecundùm humanitatem, ac eundem paſſibilem carne, impaſſibilem Deitate,&c. ſit condemnatus.

5. Si quis non confitetur propriè & verè vnam naturam Dei Verbi incarnatam, ex hoc quòd incarnata dicitur noſtra ſubſtantia perfectè in ipſo Chriſto Deo, & indiminutè abſque tantummodo peccato ſignificata; ſit condemnatus.

6. Si quis non confitetur propriè & verè ex duabus naturis Deitate & humanitate, ſecundùm ſubſiſtentiam vnitis, inconfuſè & indiuiſè eundem & vnum Chriſtum eſſe; ſit condemnatus.

7. Si quis non confitetur propriè & verè ſubſtantialem differentiam naturarum poſt ineffabilem vnionem, ex quibus vnus & ſolus extitit Chriſtus, in ea ſaluatam; ſit condemnatus.

8. Si quis non confitetur propriè & verè ſecundùm compoſitionem, id eſt ſecundùm ſubſiſtentiam, naturarum vnitionem, ex quibus vnus & ſolus extitit Chriſtus, inconfuſè & indiuiſè in eo cognitam; ſit condemnatus.

9. Si quis non confitetur propriè & verè naturales proprietates Deitatis Chriſti, & humanitatis, indiminutè in eo, & ſine defectione ſaluatas, in affirmationem veracem, eundem ipſum Deum perfectum & hominem perfectum, ſecundùm naturam exiſtere; ſit condemnatus.

10. Si quis non confitetur propriè & verè duas eiuſdem & vnius Chriſti Dei voluntates, ſimiliter & operationes cohærenter vnitas, diuinam & humanam, ex hocque in vtraque eius natura voluntarium efficacemque ſecundùm naturam eundem exiſtere noſtræ ſalutis; ſit condemnatus.

11. Si quis confitetur ſecundùm ſceleratos hæreticos, Deitatis & humanitatis Chriſti vnam naturam, aut vnam voluntatem, aut vnam operationem, in peremptionem quidem ſanctorum Patrum confeſſionis, abnegationem autem eiuſdem Saluatoris noſtri diſpenſationis; ſit condemnatus.

12. Si quis ſecundùm ſceleratos hæreticos, in Chriſto Deo vnitis ſubſtantialiter ſaluatis, & à ſanctis Patribus noſtris piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, diuinam & humanam ſubterfugit ſimul confiteri, aſſerens contra Sanctorum doctrinam & vnam voluntatem, & vnam operationem; ſit condemnatus.

13. Si quis ſecundùm ſceleratos hæreticos, cum vna voluntate & operatione, quæ ab eiſdem hæreticis in Chriſto Deo impiè confunduntur, & duas voluntates, & duas operationes, diuinam



Digitized by Google

& humanam, ſimul abnegat, ſimul reſpuit; ſit condemnatus.

14. Si quis ſecundùm hæreticos, Dei-virilem operationem vnam inſipienter ſuſcipit, & non duplicem eam confitetur, hoc eſt Diuinam & humanam; ſit condemnatus.

15. Si quis ſecundum hæreticos, in peremptionem in Chriſto Deo ſecundùm vnitionem ſaluatis eſſentialiter, & à ſanctis Patribus piè prædicatis duabus voluntatibus, & duabus operationibus, Diuinâ & humanâ, diſſenſiones & diuiſiones inſipienter in myſterio diſpenſationis eius innectit, & propterea Euangelicas & Apoſtolicas de eodem Saluatore voces, non vni & eidem Perſonę eſſentialiter tribuit, id eſt, Chriſto IESV; ſit condemnatus.

16. Si quis non confitetur ſecundùm ſanctos Patres propriè & verè omnia quæ tradita ſunt, & prædicata ſanctæ & apoſtolicæ Dei Eccleſiæ ab ipſis ſanctis Patribus, & probabilibus & vniuerſalibus quinque Concilijs, vſque ad vnum apicem, verbo & mente; ſit condemnatus.

17. Si quis ſecundùm ſanctos Patres conſonanter nobiſcum eadem credens, non reſpuit & anathematizat anima & ore omnes quos S. Eccleſia reſpuit & anathematizat, &c.]

Quibus *Quæſtioni* dogmaticæ additis, de Conceptione Chriſti à B, V. M. vt à vera & propriè dicta Matre Dei & Hominis: Hæc ipſa veritas fidei ſcholaſticè illuſtranda, & ad perfectiſſimam Conceptionem ac Maternitatem poſſibilem eleuanda; ſed & ad quandam dignitatem maritalem ac paternam *S. Ioſeph* extendenda eſt.

1. Ex *S. Aug.* vt in 4. *ſent. col.* 907. 908. 909. Ex *Alenſi p.* 3. *q.* 8. De Conceptione Chriſti. *Quæſt.* 9. De ſanctitate Conceptionis. *M.* 2. De ſanctificatione B. V. ante, vel poſt conceptionem, propriam: De qua ſub quæſt. propria. *M.* 3. De ſanctificatione B. V. in conceptu Saluatoris. *Art.* 4. De ſanctificatione ipſius Corporis Chriſti, ante vel in ipſa Conceptione. *M.* 4. De perfectione, animatione, & aſſumptione hypoſtatica Corporis Chriſti, eodem primo inſtanti ſuæ conceptionis: augmentatione autem eius ſucceſſiuè. *Quæſt.* 10. De Natiuitate Filij Dei. *M.* 2. Sunt duæ Chriſti natiuitates. *M.* 3. Non poteſt tamen dici duo Filij. *M.* 4. Chriſtus vt homo non eſt Filius adoptiuus. *M.* 5. Nec eſt vniuocè Filius Dei, & Filius Virginis, nec æquiuocè, ſed analogicè. *M.* 6. *a.* 1. De eadem ratione reali Principij & Patris in Deo, ad Filium & ad nos: ſed diuerſa quoad modum & ex parte noſtra,

*S. Bon. in* 3. *d.* 3. De origine Carnis Chriſti. *P.* 1. De ſanctificatione Matris ſuæ: de qua ſub propria quæſt. *P.* 2. *a.* 1. De non decimatione Chriſti in lumbis *Abrahæ*, *Heb.* 7. *Art.* 2. De propagatione materiali, non formali & ſeminali, Corporis Chriſti, à primis Parentibus vſque ad Chriſtum. *Art.* 3. De perfectione totius Corporis Chriſti ſimul & ſubitò, quoad formationem membrorum; ſed ſucceſſiuè, quoad quantitatem molis. *Q.* 2. *Ad* 1. Vt templum ædificatum 46. annis: ſic Corpus Chriſti 46. diebus, ex *B. Aug.* 4. *Trin.* 5. *&* *q.* 4. *&* 56. *ex* 43. Non quoad formationem, ſed quoad quantitatem connaturalem. *Diſt.* 4. De cauſa Incarnat. *Art.* 3. De cauſalitate Matris. *Q.* 1. Verè concepit Chriſtum, vt Mater Filium, &c. Vnde eſt perfectiùs Mater Chriſti, quàm vlla mater filij ſui. *Q.* 2. Cooperatio eius fuit naturalis quoad vim partialem Matris: ſed ſupernaturalis quoad vim totalem, & quoad modum inſtantaneum. *Q.* 3. Non eſt ſolùm *Chriſtotocos*, ſeu Parens Chriſti: ſed *Theotocos*, ſeu verè Mater Dei, contra *Neſtorium*. *Diſt.* 8. *a.* 1. *q.* 1. Natura Diuina non poteſt dici nata de Patre, nec de Matre, &c. *Ad* 4. Natura eſt Incarnata, non nata. *Quæſt.* 2. Natura humana poteſt dici nata ſecundùm corpus. *Ad* 2. Generans plures filios, fit pater plurium quàm priùs: non per plures paternitatess ſed per plures eiuſdem reſpectus. Hinc Chriſtus generatione temporali non acquirit nouam filiationem, ſed incipit eſſe Filius Virginis, &c. ibidem. *Art.* 2. *q.* 1. Chriſtus poteſt dici bis natus, &c. *q.* 2. Non ſunt in Chriſto duæ filiationes, &c. Hinc natura humana Chriſti poteſt dici nata: non tamen filia; nec duæ in Chriſto filiationes, ſed generationes *q.* 3. Eſt Filius naturalis ex vtraque generatione, &c. *Diſt.* 10. *Art.* 2. De Adoptione. *Quæſt.* 1. Chriſt⁹ nec vt homo eſt Filius Dei adoptiuus, &c. *Quæſt.* 2. 3. De noſtra adoptione.

Ex *Scoto*, *d.* 2. *q.* 3. *N.* 3. Animatio non præceſſit tempore Incarnationem: quia fuiſſet natura & perſona humana ante vnionem hypoſtaticam; ſicque B. V. non genuiſſet Deum, nec eſſet vera Mater Dei, ſed illius puri hominis priùs geniti, quæ eſt hæreſis *Neſtorij*. *N.* 4. Organizatio totius, nec partium fuit tempore prior animatione, & vnione hypoſtatica, &c. Sed dubium eſt, An coniunctio & alteratio materiæ fuerit ſucceſſiuè, vel inſtantaneè. *N.* 6. Organizatio, animatio, & entitas totius naturæ humanæ Chriſti, videtur prior naturâ ſui vnione hypoſtatica. *D.* 3. *q.* 1. De Conceptione paſſiua ipſius B. V. MARIÆ. De qua ſub quæſt. propria. *Quæſt.* 2. De ſanctificatione materiæ Corporis Chriſti ante Conceptionem. *Diſt.* 4. *q.* 1. An Beata Virgo fuerit verè Dei Mater, & hominis? *Reſp.* Eſt de fide. *N.* 7. Verè fuit Mater: Quia egit quicquid eſt Matris, &c. *N.* 14. Eſt Mater Chriſti naturaliter: ex vi naturali generandi; ſed miraculosè, ex modo exequendi. *Diſt.* 8. *quæſt.* 2. An in Chriſto ſint duæ Filiationes? *N.* 3. Negat *S. Thomas*, *&c.* *N.* 10. Alia eſt Filiatio Chriſti ad Patrem, alia ad Matrem, & vtraque realis, &c. *N.* 12. An hæc Filiatio ſit eadem ſuo fundamento, ſeu naturæ humanæ Chriſti. *Reſp.* Non eſt eadem: quia hæc poteſt eſſe, aut fuiſſe ſine illa. *N.* 21. Chriſtus vt Filius, & Mater eius ſunt realiter æquales: ab vnitate naturæ communis, non ſingularium. *D.* 10. De filiatione adoptiua ſolius Perſonæ, vel naturæ, quaſi problematicè,

Sed hinc emergunt variæ difficultates. 1. Ex *B. Aug.* qui *Serm.* 63. *De Diuerſis*, tribuit *S. Ioſeph* non ſolùm dignitatem Mariti B. V. ſed etiam Patris Chriſti; & quidem perfectiùs, quàm alij ſint Patres ſuorum filiorum. Vt patet ex *col.* 907. 908. *in* 4. *Sent.* 2. Ex *S. Bon.* *d.* 8. *a.* 2. *q.* 1. De

vna

Digitized by Google

vna eademque filiatione Chriſti ad Deum Patrem, & ad Virginem Matrem: deque vna eademque paternitate eiuſdem Patris, ad omnes ſuos filios. 3. De conciliando in hoc *S. Bon.* cum *Alenſi*, & *Scoto* cum vtroque. 4. De excuſando *Scoto* ab adoptiua filiatione Chriſti: vel ab errore *Elipandi & Fœlicis*, condemnato ab *Adriano* 1. & Concil. Francfordiendi, ſub *Carolomagno*. 5. De verificanda & glorificanda proprijſſimè & perfectiſſimè, Filiatione Chriſti ad B. Virginem, & huius ad illum Maternitate.

## *Reſponſio ad hæc omnia.*

FVit veriſſima, proprijſſima, realiſſima, & perfectiſſima Filiatio, & Maternitas, inter Chriſtũ vt hominem & Deum, & inter B. V. Mariam.

1. Ex principijs ac definitionibus expreſſis fidei Chriſtianæ, de hac Filiatione, & Maternitate reciproca: ergo non niſi de veriſſima, proprijſſima, perfectiſſima & ſupernaturali ſeu ſupra omnes naturales.

2. A materia totali corporis Chriſti concepti ex ſola B. Maria Virgine.

3. A Conceptione totali, actiua & ſupernaturali eiuſdem corporis, ab eadem V. Matre: ergo & perfectiori quàm partiali & naturali.

4. Ab actione totali, ſeu ſolius V. Matris ſine Patre, ad totam generationem corporis Chriſti.

5. Ab actione V. Matris ad omnem effectum poſſibilem: vt ad præparationem, coagulationem, alterationem, organizationem partialem & totalẽ, complexionem, diſpoſitionem, & perfectionem totius materiæ & corporis, conuenientem huic corpori, animæ, naturæ humanæ, & ipſi Perſonæ diuinæ Chriſti, cui eodem inſtanti coniunctim vniebantur. Vnde B. V. non eſt Mater ſolius corporis Chriſti, nec ſolius naturæ humanæ Chriſti, nec ſolius hominis Chriſti, aut Chriſti vt hominis: ſed Perſonæ diuinæ Chriſti, vt termini totalis huius generationis & Maternitatis. Quia hæc generatio & maternitas eſt tam perfecta & ſupernaturalis: vt non poſſit terminari ad hoc corpus, nec ad hanc animam, nec ad hanc naturam humanam, nec ad vllam perſonam creabilem, ſed ad ſolam Perſonã diuinam. Nec vllus terminus creabilis eſt dignus tã perfecta & ſupernaturali generatione ac Maternitate: nec vlla alia generatio vel maternitas poteſt eſſe tã digna hoc termino totali Perſonæ diuinæ. Quamuis enim generatio videatur terminari ad corpus, vel naturam: non tamen niſi vt ad terminũ formalem, ſeu ad formam totius, cuius communicatione, ſiue productiua naturæ ſiue non, generetur ſuppoſitum, vel perſona talis naturæ. Hinc generatio diuina Filij Dei à Patre, non eſt productiua naturæ diuinæ, ſed eius improductæ communicatiua: ideoque natura diuina non generatur, ſed perſona. Sic & ſi quæ natura præexiſtens vniretur hypoſtaticè Perſonæ diuinæ: Hac vnione & naturâ vt vnitâ, nõ productâ, generaretur Perſona diuina huius naturæ vnitę. Ergo quamuis hoc corpus, anima, & natura humana ſimul producatur & vniatur Perſonæ diuinæ: generatio non conſiſtit in illorum productione, ſed in vnione ad perſonam diuinam; nec terminatur ad illa, ſed ad hanc. Cùm autem Maternitas ſit ex generatione, & ad terminum genitum, eſt ad ipſam Perſonam diuinam. Nec enim totus orbis Chriſtianus commotus fuit contra Neſtorianos pro ſolo nomine, ſeu denominatione Matris Dei: ſed pro reipſa, ſeu pro ipſa eius Maternitate vt terminata ad ipſam Perſonam diuinam. Nam vt Pater æternus generat filium communicando ei ſuam Diuinitatem, qua eſt idem Deus: ſic & ſuo modo B. V. genuit Deum, & facta eſt mater Perſonæ Filij Dei; communicando ei ſuam propriam naturam humanam, non hanc ſingularem & totalem, quæ vt finita non eſt totaliter communicabilis, ſed partialem, ſeu aliquid ſui ſufficiens ſimul toti corpori, animæ, naturæ humanæ, vnioni hypoſtaticæ, & Perſonæ diuinæ, ad eſſe verum & perfectum hominem, & filium naturalem huius Matris.

6. Vt vnio hypoſtatica naturæ humanæ Chriſti terminatur & pendet à Perſona diuina filij Dei: ſic & Maternitas B. V. Mariæ ad eandem Perſonam terminatur, & ab ea dependet, vt à proprio termino. Vtque illa vnio eſt relatio: ſic & maternitas eſt quædam vnio relatiua ad Perſonam diuinam, vt ad ſuum verum filium, ſeu participem ſuæ propriæ naturæ humanæ.

7. Si filiatio eſt intrinſeca ſolius perſonæ: eadem filiatione reali qua Chriſtus eſt filius Dei ab æterno, eſt & dicitur ex tempore Filius Matris ſuæ. Ergo eius Maternitas eſt perfectiſſima, & ſupernaturaliſſima: vt correlatiua Filiationi, & ſimilis Paternitati diuinæ. Cùm enim *Eph.* 3. Deus ſit *à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur*, & participatur: quãto magis maternitas, correlatiua eidẽ filio, & ad eam terminata? Si autem filiatio eſt etiam intrinſeca naturæ intellectuali, vt productæ, ad naturam ſimilem qua producitur: cur non ſit & vera filiatio realis Patris aut Matris & filij, inter perſonam vt communicantẽ ſuum eſſe, & eam cui communicat; ſicq; inter Perſonam B. V. M. & Perſonam diuinam filij? Prior quidem filiatio morte Chriſti & B. Virginis deſijſſet, & fortè tranſiſſet in præteritam: ſed hæc diuina eſt indefectibilis per vllam mortem vel annihilationem.

8. Eſt de perfectione Patris & Matris generaſſe ſibi ſimile in natura intellectuali, ex cognitione & amore ſaltem comitante: & quò ſimilius, & ex perfectiori cognitione & amore, eò eſt perfectior generatio, paternitas & maternitas. Atqui B. V. Maria genuit Perſonam diuinam filij Dei, in hominem ſibi omnium ſimillimũ in natura humana non vitiata: ex perfectiſſima cognitione & amore Dei, & communicãdi ei ſuam naturam humanam, *Luc.* 2. *Ecce ancilla Domini: fiat mihi, &c.* Ergo eſt veriſſimè, proprijſſimè, & perfectiſſimè Mater Perſonæ, Filij Dei, & perfectiùs quã vlla ſit mater perſonæ humanæ filij ſui. Imò hoc ipſo videtur proximè meruiſſe ſuam maternitatem & incarnationem Chriſti ex ſe, & per ſe. Hinc non fruſtra, nec hyperbolicè Eccleſia, & omnes ſancti hanc diſpoſitionem B. V. ad Conceptionem & Maternitatem Chriſti tot præconijs celebrant. Vt B. *Aug. Serm.* 4. *De Tempore*. Quæ eſt generatio æterna Saluatoris: quando hanc ex Virgine mũdus expauit? *Serm.* 12.

 Genera-

Digitized by Google

Generationem eius quis enarrabit? *Eſa.* 53. De qua potius dictum ſit, iudicare difficile eſt. *Serm.* 14. Talis eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, &c. *Serm.* 21. Reſponde iã Virgo ſacra, &c. Aſſenſum tuum Angelus præſtolatur, &c. Vt & *S. Bern.* ſuper miſſus eſt, &c. Nec obſtat, ſed fauet, quòd tanta præconia vteri virginalis non poſſint intelligi propriè, ſed metaphoricè: quia hæ metaphoræ non ſunt hyperbolicæ ſeu exceſſiuæ; ſed defectiuæ infra veritatem, proprietatem, & perfectionem corporalem & ſpiritualem generationis Chriſti, & Matris eius.

9. Actiones ſunt ſuppoſitorum: quia ſupponunt propriam exiſtentiam & ſubſiſtentiam agentium completam, vt agant; ergo & potiùs Relationes quæ ex actione reſultant, vel ad quas actiones terminantur, ſunt propriæ ſuppoſitorum. Sed præcipuè Paternitas, Maternitas, & Filiatio: quæ non reſultant niſi ex generatione ſubſtantiali, vitali, animali, & fortè rationali perſonæ à perſona, vel ad generandũ, vt Paternitas Dei Patris. Nec ſunt intrinſecæ ſoli naturæ, denominant autem tantùm perſonas. 1. Quia eſſe Patrem, Matrem, Filium, non eſt denominatio extrinſeca: ſed intrinſeca ſuo denominato, ſeu perſonæ. 2. Quia tota natura compoſita ex partibus, habet ſuas proprietates intrinſecas diſtinctas à formis intrinſecis partium: ergo potiùs ſuppoſitum cuius eſt proprium ſubſiſtere & ſuſtentare naturam & accidentia, habet aliqua propria & intrinſeca ſaltem relatiua, quæ ſuſtentet, & fundet. 3. Subſiſtentia poſitiua eſt terminus intrinſecus & ſubſtantialis naturæ: ergo vt quantum recipit formas & figuras in ſua ſuperficie; ſic & ſuppoſitum recipit in ſua ſubſiſtentia vt in termino ſubſtantiali quaſdam formas ſibi proprias; vt ſimilitudines & differentias proprias ſubſiſtentiæ non naturæ, & ſic de paternitate, maternitate, filiatione. 4. Si actiones non ſunt agentium intrinſecè, ſed tantùm denominatiuè: non eſt quòd ſint intrinſecè in ſola natura aut potẽtia agentium, ſed extra agentia, in ipſis ſubiectis aut terminis productis; ergo nonniſi vt in ſuppoſitis. 5. Natura eſt forma eſſendi & agendi: ergo vt natura & forma non eſt receptiua, ſed vt ſubiectum & ſuppoſitum. 6. Siue plures formæ abſolutæ aut relatiuæ eiuſdẽ rationis poſſint eſſe ſimul in eodem, ſiue non: non ſaltẽ ſuperfluæ, ſine proprio fine, ſeu effectu formali. Atqui finis proprius Paternitatis, Maternitatis, Filiationis eſt ſic referre & vnire Perſonas: ergo ſũt in ipſis perſonis. 7. Perſona diuina Chriſti eſt tam verè & propriè filius B. V. Mariæ: quàm hæc eſt Mater illius; ergo & vera reali ac intrinſeca filiatione. Vt enim Deus non recipit, nec refertur, vlla noua relatione reali ad creaturas à ſe dependentes, ſed ſeipſo terminat omnes earum relationes & dependentias ad ſe: ſic & Perſona filij ſua propria filiatione æterna terminat vnionem hypoſtaticam ſuæ propriæ naturæ humanæ, & maternitatem ſuæ Matris, & ad hanc realiter refertur, non autem ſola relatione rationis. Eſt enim indignum dicere & ſentire quòd B. V. ſit realiter Mater Filij Dei: ſed quòd Filius Dei non ſit realiter eius filius, ſeu non reali filiatione, ſed à nobis ficta ſeu concepta, nec in illo ſed in nobis.

10. Si hæc Filiatio & Maternitas non ſint in ipſis Perſonis, ſed in ſola natura humana Chriſti, & B. Virg. poſt mortem, nec Chriſtus fuiſſet filius B. V. M. nec hæc Mater illius; imò nec poſt Reſurrectionem vtriuſque, niſi per denominationem extrinſecam a præterita generatione, & Filiatione ac Maternitate. Quia natura reſurgit quidem eadẽ: ſed non actione Matris; ergo nec cum eadem relatione reali ac intrinſeca maternitatis, niſi diſtincto miraculo reſtituatur. Si autem hæ relationes ſint in ipſis perſonis: Perſona æterna exigit reſtitutionem ſuę propriæ naturæ humanæ, & ſuæ Matris, ad exiſtentiam & relationem priorem.

Hinc ad 1. *Diſſ.* ex *B. Aug.* De Paternitate S. Ioſeph, vt perfectiore omnibus alijs naturalibus. *Reſp.* Eſt perfectior moraliter, non realiter. Ex ſolo ſtatu, dignitate, iure, affectu, vnione, cooperatione morali coniugali S. Ioſeph, cum B. V. M. nulla tamen reali actione, aut communicatione naturæ propriæ ad vnionem hypoſtaticam, & generationem Chriſti. Vt patet ex toto contextu illius ſermonis. *Cap.* 11. B. V. Maria nec ſe marito in ordine nominis præferebat, vt diceret: ego & Pater tuus; ſed *Pater tuus & ego, &c. Cap.* 16. Sicut illa caſtè Mater, ſic ille caſtè Pater. Qui ergo dicit, non debuit dici Pater, quia non ſic genuerat filium: libidinem quærit in procreandis filijs, non charitatis affectum. Melius ille quod alius carne implere deſiderat, animo implebat, &c. Nam & qui adoptant filios, caſtiùs corde gignunt, quos carne non poſſunt. Ita ergo non ſolùm Pater debuit eſſe Ioſeph: ſed maximè debuit, &c. Si quis poſſet de vxore ſine concubitu ſuſcipere filios: non tanto deberet lætius, quanto eſt illa caſtior quam diligit amplius? *Cap.* 20. Maior ergo puritas confirmet Paternitatem: ne ipſa Sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen ſuum præponere noluit Marito, *Luc.* 2. Quod Spiritus S. operatus eſt, vtrique operatus eſt. *Cap.* 21. Ambobus filium dedit: ſed in eo ſexu quem parere decebat, operatus eſt quod etiam marito naſceretur, &c. Sit ergo Pater, ſicuti eſt, &c. Quia tantò firmius Pater, quantò caſtiùs Pater. Non de ſemine Ioſeph: & tamen pietati & charitati Ioſeph natus eſt de Maria V. Filius, idemque Filius Dei.] Quæ omnia ſonant moraliter vt ſupra, non autem realiter: nec materialiter, nec actiuè, nec de vlla cõmunicatione reali naturæ propriæ. Sed præcipua perfectio moralis, coniugalis, & paterna S. Ioſeph, præ omni naturali, eſt: quòd cùm Parentes naturales generent materialiter ex tam modico ſemine ſibi ſuperfluo, cauſaliter autem per phantaſiam & concupiſcentiam: S. Ioſeph ex perfecta cognitione, charitate, & iure coniugali ad paternitatem, obtulit Deo ſuam vxorem integram ad opus Deo gratiſſimum; ergo ad generationem Chriſti, ſicque affectu perfecto ad hoc moraliter communicauit naturam moraliter ſuam. Cùm ergo Deus ſuppleat tantos defectus naturales & morales aliorum parẽtum, generando eis proles ex tam modicâ materiâ, diſpoſitione tam remotâ, & cooperatione tam vitioſâ: quantò potiùs S. Ioſeph meretur dignitatem moralem Patris Chriſti; Deo ſupplente defectum naturalem, eique generante ac donante hanc Prolẽ?

*Ad* 2.

Digitized by Google

*Ad* 2. Patet quàm hæc ſententia ſit probabilis, & commendabilis ad dignitatem Filialem & Maternam tanti Filij & tantæ Matris: quàmque procul ab ea quam ipſe noſter R. P. *de Rada in Contron.* 6. tribuit *S. Bon. in* 3. *d.* 4. *a.* 3. quòd B. V. habuerit quidem vim actiuam ad generationem Chriſti : non tamen ad ipſam actionem; quaſi præuenta fuerit actione ſolius Spritus S. Cùm *S. Bon.* tam expreſſè ibidem contrarium doceat, & hanc Filiationem ac Maternitatem cuiuis alteri propriè præferat.

*Ad* 3. *S. Bon.* in hoc facilè conciliatur cum *Alenſi : qui q.* 10. *m.* 5. docet Chriſtum non quidem eſſe & dici vniuocè Filium Dei, & Filium Virginis : nec tamen æquiuocè ; ſed analogicè, quoad priùs & poſteriùs .i. eadem Filiatione, ſed priùs ab æterno ad Patrem, poſteriùs ex tempore ad Matrem. *M.* 6. Vt in Deo eſt eadem ratio principij : ſic & Patris, ad Deum & nos, &c. Sed nec *Scotus* eſt cum illis irreconciliabilis. Nam licet *d.* 4. ſtatuat in Chriſto duplicem filiationem naturalem, æquè ac generationem : alteram Diuinam, alteram humanam ; tamen *d.* 10. dubitat de filiatione adoptiua Chriſti per gratiam, ſecundùm naturam humanam. Cùm autem tam ſæpè doceat varias & diſtinctas relationes inter Agens, paſſum, & effectum : non potuit dubitare quin natura humana Chriſti habeat aliquam relationem ad B. Virg. MARIAM, vt effectus ad ſuam cauſam ; ſed an hæc relatio ſit ipſa filiatio. Itaque poteſt concedi in natura humana Chriſti quædam talis relatio ad Matrem, quæ poſſit etiam dici filiatio naturæ humanæ formaliter, Chriſti autem denominatiuè : ſimulque tribui ſoli Perſonæ Chriſti formaliter vnicam filiationē perſonalem, quâ & ab æterno eſt Filius Patris, & ex tempore filius Matris, ſeu terminus correlatiuus Maternitatis eius.

Hinc *Ad* 5. Non dubitat quin Perſona Diuina Chriſti non poſſit eſſe vel dici intrinſecè Filius Adoptiuus : cùm non poſſit intrinſecè affici gratia adoptionis ; ſed dubitat an natura humana Chriſti ſit, & dici poſſit propriè Filius Adoptionis Dei per gratiam, & inde Chriſtus ſeu Perſona Diuina Chriſti denominari per communicationem Idiomatum. Itaque quamuis Acta *Conc. Franc.* & *Adriani* 1. contra errorem *Elipandi* Archiepiſcopi *Toletani*, & *Fœlicis* Epiſcopi *Vrgelitani*, de Adoptione & Filiatione adoptiua *Chriſti* tempore *Scoti*, & pluribus ſœculis ante & poſt latuerint : nec ſint fortè ſatis authentica ad fidem, nec incorrupta errore aliquo contra cultum & vſum ſacrum Imaginum, vt infra ; nihil tamen contra *Scotum*, nec *Scotus* contra illa. Vt enim ſtudioſè probat, & conuincit noſter *à Caſtillo in* 3. *Diſp.* 17. ex quodã libro *SacroSyllabo*, ex Actis illius Conc. ex Epiſtola *Adriani* 1. ex alia *Caroli Magni*, & ex lib. 3. *Alcuini* Magiſtri *Caroli Magni*, *De Trin. c.* 9. *Elipandus* & *Fœlix* ſub illa Adoptione & Filiatione adoptiua Chriſti, renouabant hæreſim Neſtorianam, de quadam Perſona humana Chriſti : *Scotus* autem ſuum dubium expreſsè reſtringit, de Adoptione aut Filiatione adoptiua ſolius naturæ humanæ Chriſti per gratiã. Sed idē noſter *A Caſtillo* videtur ibidem excedere mentem *Scoti*, & declinare à ſententia veriori & Chriſto digniori, ad indigniorem : quòd *ſalua vnitate Perſonæ*, *Chriſtus vt homo ſit formaliter Filius Dei Adoptiuus*. 1. Quaſi ex ſacra Script. *Ioan.* 14. Pater maior me eſt. *Rom.* 8. Si filij & hæredes : Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, &c. *Ibidem.* Chriſtus dicitur Primogenitus in multis fratribus. *Heb.* 1. Deus locutus eſt nobis in Filio ſuo, quem conſtituit hæredem vniuerſorum. 2. Ex Patribus, *Irenæo lib.* 3. *cap.* 21. Filius Dei, Filius hominis factus eſt, mixtus homo Verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat Filius Dei. *Victorino, lib.* 1. Nos adoptione Filij : Chriſtus natura, & adoptione quadam. *S. Hil. lib.* 2. *Trin.* Carnis humanitas adoptatur. 3. Ex ipſo *Conc. Francof.* contra *Elipandum*, vt componentem in Chriſto duos Filios : vnum naturalem, alterum adoptiuum. 4. Ex Prædeſtin[...]one ipſius naturæ humanæ Chriſti ad gloriam : e[...]o & adoptione per gratiam. 5. Ex ipſa definiti[...]e adoptionis, quæ eſt gratuita aſſumptio Perſ[...]æ extraneæ ad hæreditatem : natura autem hu[...]ana Chriſti ex ſe eſt extranea, ſeu non ex ex ſe ha[...]es gratiæ & gloriæ ; nec Perſona Diuina Chriſti eſt capax gratiæ, aut gloriæ finitæ; nec vnio hypoſtatica tribuit ius naturale ad gratiam & gloriam. 6. Quia Chriſtus eſt mortalis & immortalis ; ergo Filius naturalis & adoptiuus ; quia hæc minùs repugnant. 7. Deus poteſt dici caput Chriſti ; 1. *Cor.* 11. Ergo & Chriſtus membrum Dei, & Filius adoptiuus. 8. Filius naturalis emancipatus poteſt adoptari : *ff. de Adoptionibus.* 9. Chriſtus ſecundùm quod homo, nec reduplicando naturam, nec ſuppoſitum, eſt formaliter Filius Dei naturalis : vt conatur fusè probare contra *S. Thomam*, *S. Bon.* & pleroſque ; ergo eſt formaliter Fili⁹ Dei adoptiu⁹. 10. Ex *Scoto*, &c.

Sed *Ad* 1. ex ſacra Script. *Ioan.* 14. Chriſtus eſt minor Patre, potiùs quàm Filius adoptiuus : quia quantitas perfectionis, eſt propria naturæ, filiatio Perſonæ. *Rom.* 8. Poteſt dici *Primogenitus* in multis Fratribus, non adoptatus : quia generatio etiam temporalis eſt Filij vt naturalis, non vt adoptiui ; nec Chriſtus vt *Primogenitus* Dei Filius, comparatur ad nos vt etiam genitos in Filios Dei, ſed vt adoptiuos. Sicque & Chriſtus eſt *Vnigenitus*, & *Primogenitus*, quia ſolus eſt Filius Dei genitus. *Ibidem.* Sumus cohæredes adoptiui Chriſti, *vt* hæredis natu alis. *Heb.* 1. Deus ſtatuit Chriſtum *hæredem* naturalem vniuerſorum : ex vi vnionis hypoſtaticæ. *Ad* 2. ex PP. i. De adoptione hominum, non autem ipſius Chriſti. De adoptione *quadam* Chriſti .i. impropriè dicta, *ſecundùm carnem*. De adoptione ſolius *humanitatis*, &c. *Ad* 3. Siue *Elipandus* renouaret hæreſim *Neſtorij*, ſiue non : ſiue Filiatio ſit ſolius Perſonæ formaliter, ſiue etiam naturæ; non tantùm cauendus eſt error certus & expreſſus, ſed etiam dubius, ſequendo ſententiam ſecuriorem.

*Ad* 4. Prædeſtinatio nō eſt tam propria Perſonæ, quàm adoptio. *Ad* 5. Perſona Chriſti non poteſt dici *extranea*, nec in ſe, nec in natura vnita : quia vel ipſa natura vnita habet ius ex vnione hypoſtatica, ad hæreditatem ; vel ſaltem Perſona Diuina

Digitized by Google

uina habet ius Diuinum communicandi eam ſuæ naturæ humanæ. *Ad* 6. Mortalitas humana, & immortalitas Diuina, non negatiua ſed poſitiua, ſeu æternitas: non plus repugnat in Chriſto quàm ipſæ naturæ; ſed Filiatio adoptiua Perſonæ, repugnat Filiationi naturali eiuſdem Perſonæ. *Ad* 7. Caput Chriſti Deus, 1. *Cor.* 11. Non quaſi corporis aut membri; ſed vt principalis & eminens in ipſa Perſona Chriſti, ſuper eiuſdem humanitate. *Ad* 8. Filius naturalis emancipatus, & quaſi alienatus, poteſt adoptari: ergo non Chriſtus. *Ad* 9. Negatur Chriſtum vt hominem non eſſe formaliter Filium Dei. Quia B. V. genuit Filium Dei naturalem: Genuit autem eum formaliter vt hominem; ergo vt homo formaliter eſt Filius Dei. Deinde Chriſtus vt homo, ſpecificando Perſonam Diuinam naturæ humanæ: non eſt Perſona communis, nec Perſona Patris, nec Spiritus S. ergo Filij naturalis Dei. Deniq; ſi Chriſtus vt homo ſpecificet Perſonam Diuinam Filij Dei, quæ eſt homo: non poteſt quin hæc Perſona ſit formaliter Filius naturalis Dei. Nec ſi reduplicet eius Perſonalitatem, quâ formaliſſimè eſt Filius naturalis Dei: quamuis etiam formaliter, ſed fundamentaliter ipsâ naturâ Diuinâ, vt naturaliter & intellectualiter communicatâ. Imò nec ſi reduplicet ipſam naturam humanam vt vnitam, ſeu ipſam vnionem hypoſtaticam: quâ non ſolùm vnitur Perſonæ Diuinæ vt Perſonæ, ſed vt Filio, ſeu *filialiter*, ex *Al. q.* 4. Nec ſolùm vnitur ei vt forma eius, ſeu quâ Filius Dei eſt formaliter homo: ſed etiam vt termino formali, quo non ſolùm natura humana perſonatur; ſed etiam quo hic homo formaliter *filiatur*. Nec ſolùm vnitur Perſonæ Filij, vt Filij: ſed & counitur naturæ Diuinæ vt eſt Filij, ſeu vt eſt ei naturaliter & intellectualiter communicata; & ſic non tantùm quâ Filius Dei eſt formaliter Deus, ſed & quâ eſt fundamentaliter Filius naturalis Dei, ſed formaliſſimè ſuâ propriâ filiatione perſonali. Cùm ergo natura humana non ſolùm vniatur Perſonæ Diuinæ vt forma totius hominis perſonanda: ſed vt perſonata, ſeu vt hic homo, formaliſſimè *filietur* ſua filiatione perſonali, & fundamentaliter communione naturali & filiali naturæ Diuinæ: cur Chriſtus vt homo non ſit formaliter Filius Dei naturalis, ſed tantùm materialiter per identitatem Perſonæ & communicationem Idiomatum? Nam vt Perſona Diuina eſt formaliter Deus, Deitate: eſt formaliter Perſona, perſonalitate; eſt formaliter Filius, filiatione. Sic & Chriſtus eſt formaliter Deus Deitate: eſt fundamentaliter filius Dei, communione naturali & intellectuali eiuſdem naturæ Diuinæ á Deo Patre, formaliſſimè ipſa filiatione Perſonali; eſt formaliter hic homo hac humanitate vt vnitâ hypoſtaticè. Nec identitas formæ totalis cum ſuo toto, minuit, ſed perficit veritatem formalem. Nec verificatur per ſolam communicationem Idiomatum, ſeu propriorum ſingulis naturis integris in concreto eiuſdem Perſonæ: quia eſſe Filium etiam naturalem, non eſt quid formale vel proprium naturæ; ſed Perſonæ, fundamentaliter vt genitæ. Denique cùm *Adrianus* 1. & Conc. *Francford.* tam expreſſè referat, & reprobet errorem Elipandi. *Dicitis ex Patre Vnigenitum, ſine adoptione: Primogenitum verò in fine temporis, verum hominem aſſumendo de Virginis carne, adoptione; Vnigenitum in natura, Primogenitum, in adoptione & gratia. Scimus Deum Dei Filium ex vtraque natura & Vnigenitum eſſe, & Primogenitum, &c. Quia omnis Vnigenitus Primogenitus eſt: licet ſecundùm humanam generationem non omnis Vnigenitus ſit primogenitus, &c. Cognoſcatis Chriſtum in vtraque natura eſſe Vnigenitum, non adoptiuum, &c. Si Deus verus eſt qui de Virgine natus eſt: quomodo tunc poteſt adoptiuus eſſe, vel ſeruus?* Hinc non videtur negari poſſe Chriſtum etiam vt hominem, eſſe verè, propriè, & formaliter Filium Dei naturalem: nec vllatenus dici poſſe Filium adoptiuum. Quia *Conc.* docet Chriſtum non eſſe Filium adoptiuum, ſed tantùm naturalem: ergo nec eſſe nec dici adoptiuum per communicationem idiomatum; nec eſſe aut dici Filium naturalem, per ſolam communicationem Idiomatum; ſed ex hac propria Perſonalitate Filij, & ex vera generatione æterna Filij, & ex vnione hypoſtatica naturæ humanæ filialiter; veraque filiatione naturali Chriſti, non tantùm vt Dei, ſed vt huius hominis hac humanitate, & vnici Filij Dei hac vnica Filiatione perſonali.

*Ad vlt.* Ex *Scoto.* Cùm tunc latuerint acta illius Conc. Nec *Scotus* quicquam contra exprimat, ſed potiùs ad Arg. oppoſita reſpondeat, & lectores ſuos ad vlteriorem ſolutionem prouocet, imò *d.* 7. *n.* 4. expreſſè doceat *prædicationem naturæ in concreto de ſuo ſuppoſito eſſe formalem, nec tantùm veram identicè, ſed formaliter*: cur fiat patronus vel fautor opinionis alienæ à ſenſu aut ſaltem forma loquendi Conciliorum, ab *Al. S. Bon. S. Thom. & pleriſq;*, imò & ab vnitate, proprietate, formalitate & dignitate Filij Dei in Chriſto? Nec enim vt B. V. M. ſolebat dici *Theotocos*, non *Chriſtotocos*, contra Neſtorianos, vocantes eam *Theotocon*, vt negarent *Chriſtotocon*: ſic fortè præſumendum eſt Chriſtum non fuiſſe dictum Filium adoptiuum, ſed naturalem, nè viderentur eſſe duæ Perſonæ. Quia tunc B. V. ſolebat dici à Catholicis *Theòtocos*, ad expreſſionem: non tamen negabatur *Chriſtotocos*; ſed Chriſtus ſemper fuit dictus & habitus pro Filio Dei naturali, nunquam pro adoptiuo; imò & negatus adoptiuus, contra varios hæreticos.

---

# QVÆSTIO X.

*An Chriſtus habuerit potentias, habitus, operationes & paſſiones naturales, ac humanas.*

EST quidem expreſſè definitum de voluntate & operatione humana: contra *Monothelitas*, tribuentes Chriſto vnicam voluntatem diuinam, negantéſque humanam; ſed non eſt ſatis expreſſum an negarent ipſam voluntatem potentialem, & alias potentias naturales, vt intellectum, ſenſum, appetitum ſenſitiuum, ſicque vix diſtinguerentur à Mophytis ſeu aſſertoribus vnicæ naturæ in Chriſto, quæ eſt principium eſſendi & operandi; an vero

nega-

Digitized by Google

negarent ſolum & omnem actum voluntatis humanæ, efficacem & inefficacem, elicitum, imperantem, & imperatum, intenſionis, electionis, & executionis, internum & externum; an verò ſolum elicitum, efficacem, imperantem, intentionis, & executionis; poteſtque extendi dubium ad habitus, vel paſſiones animi & corporis. Non poſſunt autem definita à non definitis certiùs diſcerni, quàm ex Epiſt. *Sophr.* Conc. Later. ſub Martino 5. col. 310. & ex 6. Synodo generali contra Monothelitas, ſub Agathone Papa, per 18. actiones. 1. Refert conuocationem & conuentionem Synodi Cõſtantinopolim, ad inſtantiam Flauij Conſtantini Imper. & exhibitionem variorum documentorum à *Monothelitis* falſificatorum. *Act.* 2. & 3. exhibentur varia documenta falſificata aut deprauata à Monothelitis. *Act.* 4. Exhibetur & legitur hæc Epiſtola *Agathonis* Papæ ad Imperatorem & Synodum, &c.

[Hic eſt ſtatus Euangelicæ, atq; Apoſtolicæ fidei, regulariſque traditio: vt confitentes ſanctam & inſeparabilem Trin. vnius eſſe deitatis, &c. vniùs eam prædicemus voluntatis, virtutis, & operationis, &c. Cùm verò de filio Dei ſecundùm carnem confitemur, omnia duplicia aſſerimus. duas eius naturas, diuinam & humanam, &c. Vnamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur: Diuinam habere omnia quæ diuina ſunt, & humanam habere omnia quæ humana ſunt, abſque vllo peccato. Cùm autem duas naturas, duaſque naturales voluntates, & duas naturales operationes in Chriſto confitemur: non eas contrarias, nec tanquam ſeparatas in duabus perſonis, &c. ſed duas dicimus vnum eundemque D. N. I. C. habere, Diuinam ab æterno, humanam ex tempore. *Infra.* Si Perſonalem quiſquam intelligat voluntatem: dum tres Perſonæ in S. Trin. dicuntur, neceſſe eſt vt & tres voluntates perſonales, & tres operationes Perſonales dicerentur. Sin autem quod fidei Chriſtianæ veritas continet, naturalis voluntas eſt: vbi vna hæc natura dicitur S. Trin. & naturalis voluntas & operatio intelligenda eſt. Vbi verò in vna Perſona Chriſti duas naturas confitemur, &c. ita & duas naturales voluntates & operationes. *Matth.* 26. Non ſicut ego volo: ſed ſicut tu. *Marc.* 14. *Luc.* 22. Non mea voluntas, ſed tua fiat. *Phil.* 2. Factus obediens vſque ad mortem. *Ioan.* 6. Non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. *Matt.* 26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Pſal.* 134. Omnia quæ voluit fecit. *Ioan.* 5. Filius quos vult viuificat. *Matt.* 8. Si vis, potes. Volo, mundare, &c. Quanto errore talia non diſcernens inuoluitur: vt dicat hæc omnia de vna eademque voluntate? *Pſal.* 39. Vt faciam voluntatem tuam: Deus meus volui, &c. *B. Aug. Lib.* 5. *contra Iul.* Voluntas eſt animi motus .i. naturæ. *Idem, ibidem.* Ab illo eſt voluntas, cuius eſt voluntas: ab Angelo voluntas Angeli, ab homine hominis, à Deo Dei. Etſi Deus operatur in homine voluntatem bonam: id agit vt oriatur ab illo bona voluntas, cuius eſt voluntas. *Item.* Ipſe animi motus, cogente nullo, voluntas eſt. Quia voluntas exiſtit de animi motu .i. Voluntas exiſtit de voluntate, &c. Neque enim poteſt Angelica natura Diuinam habere voluntatem aut humanã; neque humana natura voluntatem Dei vel Angeli, ſicut nec alterius quiſquam poteſt habere motum naturalem, &c. In Chriſto duas naturas confitentes conueniſſe in vnam perſonam: neceſſe eſt & duas naturales in eo nos fateri voluntates; quia neque diuinitatem eius humanam habuiſſe voluntatem, neque humanitatem eius diuinam habuiſſe voluntatem credendum eſt, neque aliquam ex his duabus Chriſti ſubſtantijs abſque naturali voluntate extitiſſe, &c. Citat Conc. *Calcedon.* & *Conſtantinop.* Si in nullo differentia naturarum Chriſti ſublata eſt: neceſſe eſt vt in omnibus proprietatibus eandem differentiam conſeruemus, &c. Si vna in eo voluntas aſſeritur, aut diuina, aut humana, aut compoſita, & confuſa, vel vt hæretici omnes aſſeuerant de vna naturâ compoſita procedens: perit differentia naturalis, &c. Si itaque proprietates naturarum in Chriſto propter differentiam conſeruantur: & differentiam quoque naturalium eius voluntatum & operationum plena fide nos congruit confiteri. Citat *S. Greg. Theologum, ſeu Nazian.* & *Nyſſenum, S. Chriſoſt. Cyril. Hylar. Athanaſ. Dionyſ. Areop. cap.* 2. *diuin. nom.* Diſcreta eſt circa nos Dei operatio: per hoc quod Verbum eſt ex nobis verè humanatum, operari & pati quanta humanæ eius & Diuinæ operationi congruunt, &c. ex *S. Ambr.* & *Leone Papa. Infra.* Impoſſibile eſt naturâ eſſe, & nõ habere operationem naturæ. Quod nec ab Hæreticis vnquam initiatum eſt dici, &c. Quomodo itaque nunc poterit?

*Quædam dicta hæreticorum.*

A*pollinaris.* Organum, & quod mouet, vnam ſolet perficere operationem. Quorum vna eſt operatio, vna eſt eſſentia facta Verbi & carnis. *Seuerus.* Anathematizamus Synodum *Calcedonenſ.* & Tomum *Leonis* Præſulis Romanæ Eccleſiæ, & eos qui dicunt in duabus naturis vnum Chriſtum, & earum duas operationes aut proprietates. *Item.* Vnus eſt operans: vna & eius operatio, & motio operaria. *Neſtorius.* Inconfuſas cuſtodimus naturas, non ſecundùm ſubſtantiam arbitrio tantùm copulatus: propter quod earum vnam voluntatem, & operationem & dominationẽ videmus dignitatis æqualitate oſtenſas. *Theodoſius.* Reliquum eſt vt vna ſit operatio ex vtriſque deifica, &c. Vna eſt eademque Chriſti Deo digna ſapientia, ſcientia, & cogitatio, ſecundũ eius diuinitatem & humanitatem; quia & vnam operationem confitemur Deo dignam.

Nunc quorum authoritate nouum dogma fulciatur annotemus. *Cyrus Alexandrinus.* Vnus Chriſtus operans Deo decibilia, & humana vna Dei-virili operatione, ſecundùm B. Dionyſium. *Theodorus Epiſc. Pharanitanus.* Vna operatio totius: ſicut vnius eiuſdem Saluatoris noſtri hæc omnia ſunt. *Sergius Conſtantinop.* Vnum eundemque Chriſtum operari Deo decibilia, & humana, vnâ operatione, piè expoſuiſtis: & vnam voluntatẽ, & omnem diuinam humanamque operationem habere D. N. I. Chriſtum; nec vnam tamen nec duas operationes debere dici. *Pyrrhus Conſtantinop.* vnã voluntatem confitetur in Chriſto: poſtmodum duas &c. *Paulus Conſtantinop.* vnam voluntatem



Digitized by Google

Chriſtum habere confitetur, &c. Neque vnam, neque duas voluntates, aut operationes aſſerit dici debere in Chriſto. *Petrus Conſtantinop.* illorum ſucceſſor, & vnam & duas voluntates, & operationes Chriſti ſapere ſe profitetur. Quis non compungatur, Clementiſſime Principum, & Deum deprecetur erui ſe ab inimici inſidijs, cernens hos hæretici erroris laqueos incidiſſe, nec in ipſo errore eſſe conſtantes, ſed ſemper inſtabiles, &c. Modò vnam voluntatem & operationem, modo nec vnam nec duas aſſeuerant, &c. Liberanda eſt S. Dei Eccleſia Chriſtianiſſimi veſtri Imperij, de talium Doctorum erroribus.

Ex alia eiuſdem Epiſt. Synodica. [Credentes in Deum Patrem omnipotentem, &c. confitemur Deũ verum de Patre natũ, & incarnatũ de Spiritu Sancto, & Sancta Immaculata ſemperque Virgine glorioſa Maria Domina noſtra, verè & propriè Dei genitrice, &c. Sicut duas naturas Chriſtum habere confitemur: ita & duas naturales voluntates & operationes, &c. Hanc confeſſionis regulam & S. Concilij, quod in hanc Romanam Vrbem ſeruilem veſtri Chriſtianiſſimi Imperij, ſub Apoſtolicæ memoriæ *Martino Papa* conuenit, prædicaſſe ſynodicè omnes cognoſcimus, &c. Pietatis itaque zelo veſtrę Seren. benignitas mota ampliùs elaborare procuret, vt veritas adhuc in ancipiti poſitis clareat, & zizaniorum genimina abſcindantur. Quorum Authores *Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, &c.* à via veritatis errantes, ſibi ipſis contraria docuerunt, &c. Quod enim nulla veritate fundatum eſt: neceſſe eſt vt erroris inconſtantia varietur. Nam vera fides immutari non poterit, &c. *Matt.* 5. 2. *Cor.* 1. *Iac.* 3. Sit ſermo veſter, eſt. eſt, non, non: quod plus eſt, à malo eſt, &c. Sperabamus de Britannia *Theodorum* magnæ inſulæ Archiepiſcopum, & philoſophum, cum alijs ad noſtram humilitatem coniungere, atque diuerſos ad generalitatem totius Concilij adunare, &c. Non tanquam de incertis contendere: ſed vt certa atque immutabilia compendioſa definitione proferre, &c. *Act.* 5. Macharius pro Monothelitis exhibet duos codices. *Act.* 6. Idem exhibet duos alios codices, & codicillum. Fit proteſtatio quòd ſint truncati. Petitur eorum collatio cum authenticis ex Patriarchio Conſtantinop. *Act.* 7. Releguntur codices, petitur iterum collatio, ac ſenſus Georgij Archiep. Conſtantinop. & Macharij Archiep. Antioch. ſuper duplici illa Epiſt. Agathonis Papæ. *Act.* 8. Pijſſimus Imp. Conſtantinus dixit: Edicat Georgius, & Macharius, & ei ſubiacens Synodus, ſi conuenit eis ſenſus directorum ab Agathone Papa. Georgius dixit: Conſentio eis, & ſic profiteor, & ſic credo. *Theodorus Epiſc. Epheſi* dixit: Ita Domine profiteor, & ſic credo. Et ſic reliqui: Inter quos *Theodorus Melitinæ* dixit. Ego Domine homo ſum Ruſticus, & peto iſtam chartam relegi.

[Petimus, vt nullus licentiã habeat prætergredi, aut tranſponere terminos antiquos quos Patres noſtri ad ſalutem omnium fixerunt. *Imper.* dixit. Edicat Theodorus, qui cum eo fecerunt porrectam chartulam. Theod. nominauit 10. *Imp.* dixit. Quis tibi porrexit hanc chartulam. Theodorus dixit: Iſte Abbas Stephanus, qui eſt de Patriarchio Antiochiæ: & oſtendit eum ſtantem poſt ſedem *Macharij* Archiepiſcopi Antiochię, &c. Nominati à Theodoro, excepto Stephano, dixerunt: mentitus eſt Theodorus; ſed & parati ſumus noſtram orthodoxam fidem confiteri. Georgius Archiep. dixit ad Imp. A Deo coronate Domine, iubeto mitti in diptychis SS. Eccleſiarum, nomen S. mem. Vitaliani Papæ Romæ. *Imp.* dixit: Fiat. S. Synodus exclamauit: Conſtantino Imp. multos annos. Orthodoxo Imp. multos annos. Nouo Magno Conſtantino, multos annos. *Agathoni* Orthodoxo Papę multos annos. Orthodoxo ſenatui multos annos. S. Synodus dixit: ſi videtur Pijſſimo Domino, edicat Macharius Archiep. Antiochiæ, ſi ſequitur ſuggeſtiones directas ab Agathone Papa. *Imp.* dixit. Macharius reſpondeat. *Mach.* dixit: Non dico duas voluntates aut operationes in Chriſto, ſed vnam voluntatem & Deiuirilem operationem, &c. *Imper.* dixit. Si placet S. Synodo, conferantur codicilli porrecti à Machario cum authenticis ex hoc Patriarchio. Sancta Synodus dixit: Fiat. *Imper.* dixit. Edicat Macharius & Stephanus eius diſcipulus, quid ſibi coaceruantes eiuſmodi deflorauerunt teſtimonia. Macharius dixit: Quoniam Chriſtus alteram Perſonam aſſumpſit, nec aliquid peccati dicimus eum aſſumere; quia abſque carnalibus voluntatibus & cogitationibus hominis confitemur vnum Chriſtum. Qui vnam voluntatem habens eſt ad ſuſceptionem harum omnium paſſionum idoneus; & vnam eãdemque habuit virtutem ad tolerantiam horum omnium, ſecundùm *B. Aug.* De hoc enim confeſſionem fidei expoſuimus, & conſentimus tam ſanctis 5. Synodis, quàm *Honorio, Sergio, Paulo, Petro*, & reliquis: confitentes vnam voluntatem ſubſiſtentialem in Chriſto, & Deiuirilem operationem. Nec enim quæ diuina, nec quæ humana ſunt: ſed humanam & Dei nouam quandam virilem operationem demonſtraſſe confitemur. *Imp.* dixit. Confeſſio data à Machario lectione pandatur, & relecta eſt.

[Hanc profeſſionem facio fidei, quam PP. noſtri promulgarunt: cum qua genitus & coedoctus ſum, cum hac & abſcedam. *Credo in vnum Deum, &c.* Confitemur vnum Chriſtum Filium Dei Vnigenitum, incarnatum eſſe de Spiritu, & S. *Immaculataq;* Domina noſtra Dei Genitrice .i. veram carnem accepiſſe de ea, animatam anima rationali atque intellectuali, nullo modo ante ſubſiſtentem, &c. Humanatus Deus Verbum, nouam quandam Deiuirilem operationem, & hanc totam viuificatricem demonſtrat, &c. Vnum igitur eundemque mirè operatum fuiſſe dicimus ſalutem noſtram, eundem paſſum propria carne, &c. Vt ſit quidem carnis pati: ipſius autem Dei operatio, quamuis per humanitatem eius hanc adimpleuerit, vna & ſingulari voluntate diuina, non exiſtente in eo alia, ſiue obſiſtente, &c. Impoſſibile enim eſt in vno eodemque Chriſto duas ſimul & contrarias ſeu diſſimiles exiſtere voluntates, &c. Vt corpus noſtrum regitur ab anima noſtra rationali: ita & in Chriſto tota humanitas ab eius Diuinitate ſemper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit, &c. Opera-

ur

Digitized by Google

tur enim verè Diuinitas per Corpus, omnium ſalutem : vt corporis quidem ſint paſſiones, Dei verò operatio. *Infra.* Non dico duas naturales voluntates, aut operationes in Chriſto : nec ſi mẽbratim incidar, & mittar in mare.] Conferuntur Codices cum authenticis. 1. Ex *S. Athan. Serm. contra Apollinarem* : cùmque legerentur multa interciſa, *Imper.* & ſancta *Synodus* dixerunt. Edicat *Macharius*, vt quid neceſſaria circumcidit. *Macharius* dixit: Ego defloraui ſecundùm proprium intentum, &c. *S. Synodus* dixit : non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas SS. PP. voces deflorare : Hæreticorum potiùs proprium hoc eſt. *Macharius* dixit : Quærens ſtabilire intentionem meam, ego defloraui. *S. Synodus* exclamauit : Hæreticum ſeipſum manifeſtè demonſtrauit, deponatur, denudetur pallio. Et eo denudatò, vnà cum *Stephano* eius diſcipulo interrogatur : habuit humanam voluntatem Chriſtus, & impeccabilem ? *Macharius* & *Stephanus* dixerunt : Nos voluntatem humanam in Chriſto non dicimus, Diuinam verò abſque carnalibus voluntatibus, & cogitationibus humanis. *Theophanes* Abbas dixit : Quomodo intelligitis carnales voluntates, & cogitationes humanas ? *Mach.* & *Steph.* i. ſimiles nobis. *Theoph.* Si teſtimonium quod detruncaſtis, in integro poſuiſſetis : inueniebatur quòd illas culpabiles accepit *S. Athan.* Nam & ego dico, Chriſtum non habuiſſe tales : ſed naturalem voluntatem, quam ipſe Deus creans *Adam*, ei indidit, &c. Naturalem *Adam* habuit voluntatem ? *Steph.* dixit : Ante præuaricationem Diuinam habuit voluntatem, & conuoluntarius erat Deo. *Domitius* Epiſc. dixit : Vbi it vanitas tua, Blaſpheme ? Si *conuoluntarius* erat, ergo & concreator. *Theodor.* & *Georg.* locum præſentantes *Agathonis* Papæ, dixerunt: Qui *conuoluntarius* eſt, vtique & conſubſtantialis eſt. An ignoras *S. Cyrillum* clamantem : Vt eſt *conſubſtantialis*, ita & *cõuoluntarius*, proprio Genitori ? *Theophanes* dixit : Habuit *Adam* voluntatem naturalem ; an non ? *Mach.* & *Steph.* dixerunt : Arbitrale & liberum. *Conſtant. Imper.* & Synodus dixerunt : Proferat *Theophanes* teſtimonia SS. PP. & protulit vnum *S. Athan.* aliud *S. Aug. lib.* 5. *contra Iul.* Voluntas eſt motus naturæ : quia motus eſt animæ. *S. Synodus* dixit : Si primus *Adam* habuit voluntatem naturalem, ſecundus *Adam* factus eſt illi per omnia ſimilis, abſque peccato. *Item*, relectum eſt teſt. *S. Ambr.* defloratum à *Mach.* & *Steph.* ex *lib. ad Gratianum Imper. Item*, aliud teſt. *S. Dion. Areop. S. Ioan. Chryſ.* Imper. dixit : ſufficiunt, reliqua in ſequenti Secretario relegantur.

*Act.* 9. *Imper.* & *S. Synodus* dixerunt : Reliqua relegantur, & conferantur. Quibus relectis, & collatis, *S. Synodus* dixit : Tu *Stephane* & *Macarie*, non oſtendiſtis per codicillum à vobis oblatum : ſed & duas voluntates in eodem codicillo inuenimus, &c. Definiuimus igitur ab omni vos Sacerdotali dignitate & miniſterio alienos exiſtere : eos autem qui pœnitentiam egerunt, in proprijs locis reſidere. Hæreticum foras mittite. Et impulſus eſt *Stephanus Macharij* diſcipulus, & foras miſſus eſt.

*Act.* 10. Releguntur, & conferuntur etiam teſtimonia ab *Agathone* Papa citata, cum authenticis Patriarchij Conſtantinop. imò & dicta Hæreticorum contra duas ſcientias, & operationes Chriſti. Sub finem prolatus eſt & liber *Apollinarij* hæreſiarchæ. Subditur confeſſio fidei, de duplici voluntate & operatione Chriſti, ab ijs qui videbantur adhæſiſſe *Macario*.

*Act.* 11. Relegitur Epiſt. *Sophronij* Patriarchæ Hieroſol. ad *Sergium* Patriarcham Conſtantinop. De qua ſupra *col.* 307. 308. & exhibentur quædam alia ſecreta ſcripta hæretica *Macharij* & *Stephani*.

*Act.* 12. Exhibentur quædam ſcripta à *Machario* oblata Imperatori ante Synodum : & ex illis prælegitur quidam prætenſus Sermo *Mennæ* quondam Patriarchæ Conſtantinop. ad *Vigilium* Papam, de vna voluntate Chriſti, quaſi ex 5. *Synodo* generali ; ſed reprobatur vt conuictus fictionis *Act.* 3. Ex ijſdem ſcriptis prælegitur *Epiſt. Sergij* Patriarchæ Conſtantinop. ad *Honorium* Papam Romanum: & hæc reſponſio *Honorij* quaſi in fauorẽ Monothelitarum. [Scripta Fraternitatis V. ſuſcepimus : per quæ inuentiones quaſdam, & nouas vocum quæſtiones cognouimus introductas per *Sophronium* quendam tunc Monachũ, &c. contra fratrem noſtrum *Cyrum* Alexandriæ Antiſtitem, vnam operationem Chriſti prædicantem, &c. Laudamus Fraternitatem V. nouitatem vocabuli auferentem, quod poſſet ſcandalum ſimplicibus generare. Nos enim, Duce Deo, peruenimus ad menſuram rectæ fidei : confitentes Chriſtum operatum Diuina, mediâ humanitate vnita, eundemque operatum humana, &c. *Ioan.* 3. Nullus aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, &c. 1. *Cor.* 2. Si cognouiſſent, nunquam Dominum Maieſtatis crucifixiſſet. Vnde & vnam voluntatem fatemur Chriſti : quia à Diuinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa, &c. *Ioan.* 6. Non veni facere voluntatem meam. *Matt.* 26. Non quod ego volo, ſed quod tu. Non ſunt hæc diuerſæ voluntatis, ſed diſpenſationis, &c. Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus dedit exemplum, &c. Non oportet ad Dogmata retorquere; quæ neque Synodales apices, neque authoritates Canonicæ viſæ ſunt explanaſſe : vt vnam vel duas energias Chriſti aliquis præſumat prædicare, &c. Nam quia Chriſtus ſit vnus Operator, plenæ ſunt ſacræ Litteræ : Vtrum autem propter opera Diuinitatis, & humanitatis, geminæ operationes debeant dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent ; relinquentes ea Grammaticis, qui ſolent paruulis exquiſita deriuando nomina vendicare. Nos verò, non vnam operationem, vel duas, Chriſtum eiuſque S. Spiritum ſacris Litteris percepimus, ſed multiformiter cognouimus operatum. 1. *Cor.* 12. Diuiſiones operationum ſunt : idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Si in omnibus membris : quantò magis in Chriſto ? Ne duarum operationum vocabulo offenſi, nos *Neſtorianos* ſapere arbitrentur : aut ſi vnam operationem Chriſti cenſuerimus, *Eutichianiſtarum* dementiam fateri putemur, &c. Simpliciter atque veraciter confitentes, Chriſtum vnum

Operatorem Diuinæ atque humanæ naturæ, &c. Nullus enim decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, filios Piſcatorum, &c. Hæc nobiſcum Fraternitas V. prædicet, &c. Hortantes vt vnius vel geminæ nouæ vocis inductnm operationis vocabulum aufugientes, vnum Chriſtum in duabus naturis diuinitùs & humanitùs operatum fide orthodoxa & vnitare Catholica prædicetis,&c.] Quæ ſcripta ab ipſo *Machario* recognoſcuntur, & à S. Synodo conferuntur cum authenticis Patriarchij Conſtantinop. & cum eis conſtát.

*Act.* 13. Condemnantur hæreſeos illæ Epiſtolæ, & ipſæ perſonæ *Sergij* quondam Patriarchæ Conſtantinop. & *Honorij* quondam Papæ Romani: approbatur autem Epiſtola *Sophronij*. Referuntur & varia alia ſcripta de eadem cauſa. 1. Epiſtola *Cyri* quondam Patriarchæ Alexandrini ad *Sergium* Patriarcham Conſtantinop. 2. Satiſfactio eiuſdem *Cyri* de ſua fide, per 9. Capitula. 3. *Theodori Pharanitani* Epiſcopi, ad quendam *Sergium* Epiſc. 4. *Pyrrhi Conſtantinop.* 5. *Pauli Conſtantinop.* ad *Theodorum* quondam Papam Romanum. Ne differentiam voluntatum in Perſona Chriſti, aut duas voluntates introducamus. 6. *Petri* Conſtantinop. ad *Vitalianum* Papam Romanũ. 7. *Thomæ* Conſtantinop ad *Vitalianum* Papam Romanum. 8. *Ioan.* Conſtantinop. ad *Macharium.* 9. *Conſtantini* etiam Patriarchæ Conſtantinop. ad *Macharium.* Qui tres cùm eſſent priorũ ſucceſſores, nihil de vna voluntate & operatione cum illis ſenſiſſe inuenti ſunt. 10. Altera Epiſt. *Honorij* Papæ Romani ad *Sergium & Cyrũ*: vt vnius vel geminæ operationis vocabulum nouiter introductũ à prædicatione fidei eximatur.] Sub finem. [Ad amputandas inextricabiles quæſtionum ambages, non vnam vel duas operationes in Chriſto definire: ſed vtraſque naturas vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus; Diuinam quæ Dei ſunt operantem, humanam quæ carnis ſunt exequentem, &c. Pro vna quam quidam dicunt operatione, oportet nos vnum operatorem Chriſtum confiteri: & pro duabus operationibus, duas naturas in vna Perſona, &c. Quos ad nos Frater noſter *Sophronius* miſit, inſtruximus ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare nitantur. 11. *Pyrrhi*, quandam Patriarchæ Conſtantinop. ad *Ioan.* Papam Romanum. Nondum de duabus naturis deſtructum eſt bellum, & alteram nobiſipſis turbulentiam introducimus?

*Act.* 14. Proferuntur & releguntur duo libri *S. Cyrilli.* In 1. inuenti ſunt tres quaterniones ſuperſcripti de libello *Mennæ* Conſtantinop. ad *Vigilium* Papam Romanum: quem *Act.* 3. miſſi ab *Agathone* Papa accuſarant fictionis. In 2. inuenti ſunt duo libelli qui dicebantur *Vigilij* Papæ, ad *Iuſtinianum* Imper. & *Theodoram* Auguſtam: quos ijdem etiam accuſarunt fictionis. Prolati ſunt etiam & prælecti duo libri membranacei 5. Synodi, & vnus chartaceus *Actionis* 7. eiuſdem Synodi, & alius chartaceus eiuſdem 5. Synodi. Quibus collatis, inuenti ſunt inter ſe conſtare: excepta adiectione prætenſi libri *Mennæ* ad *Vigiliũ*, & duorum *Vigilij* ad *Iuſtinianum* & *Theodoram.* In quibus placuit anathematizari *Theodorum Mopſueſtenum* Epiſcopum, & Epiſt. quæ dicitur *Ibæ*, & ſcripta *Theodoreti* contra 12. Capitula *Cyrilli Alexandrini*, &c. Conſtititque Synodo hæc ſcripta non fuiſſe 5. Synodi, ſed adiectos fuiſſe tres quaterniones ad 1. librum 5. Synodi, & 15. quaternionem libri 2. mutatum fuiſſe, adiectumque quadrifolium. In quibus adiectis erant prætenſi libri *Mennæ & Vigilij*: qui inde, & ex pluribus indicijs ibidem *Act.* 14. ſuggeſtis & relatis, conuicti fuerunt falſificati à complicibus Monothelitarum; ideòque tam hi libri quàm eorum fictores, & falſificatores 5. Synodi, anathematizati ſunt.

*Act.* 15. De inſana præſumptione *Polychronij Monothelitæ*, reſuſcitandi mortuum, ad confirmationem ſuæ pſeudofidei; deque eius ſtolida pertinacia. Vt ſupra *col.* 307. 308. 309.

*Act.* 16. Examinatur & condemnatur quidam *Conſtantinus* Presbyter, vt pertinax Monothelita, in hoc errore ſingulari: quòd Chriſtus habuerit voluntatem humanam vſque ad Crucem & mortem; ſed eã tunc exuerit cum carne & ſanguine.

*Act.* 17. Renouat profeſſionem fidei ſecundùm priores 5. Synodos generales, & Symbolum Nicænum ac Conſtantinop. contra priores Hæreticos. Quibus addit ſuam, ſecundùm ſuggeſtionem Synodalem *Agathonis* Papæ, & cum eo Conc. 125. Epiſc. contra Monothelitas, nominatim contra *Theodorum* Epiſc. Pharan. *Sergium*, *Pyrrhũ*, *Paulum*, *Petrum*, Patriarchas Conſtantinop. *Honorium* Papam Rom. *Cyrum* Epiſc. Alexandrinum, *Macharium* Anthiocenum, & *Stephanum* eius diſcipulum. Prædicamus duas Chriſti naturales voluntates: non contrarias; ſed humanam ſubiectam eius Diuinæ atque Omnipotenti voluntati, &c. Vt enim eius Caro Dei Verbi dicitur, & eſt: ita & naturalis carnis eius voluntas, &c. Vt eius Caro animata, Deificata eſt, non perempta: ita & humana eius Voluntas. Duas verò eius naturales operationes, indiuiſè, inconfuſè in eodem Chriſto glorificamus .i. Diuinam & humanã, &c. Agit enim vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium eſt: Verbo operante quod Verbi eſt; & carne exequente quod carnis eſt, &c.

*Act.* 18. Confirmantur, & ſubſignantur omnia acta priora à ſingulis Epiſcopis, ipſoque Imperatore, & tandem à *Leone* 2. contra hæreſim Monothelitarum, & nominatim contra *Theodorum* Pharanitanum, *Sergium*, *Paulum*, *Pyrrhum*, *Petrum*, *Cyrum*, *Honorium*, *Macharium*, *Stephanum*, *Polychronium.*]

Hinc grauiſſima difficultas de *Honorio* 1. Papa, inuoluto ſub hæreſi Monothelitarum, & toties hic nominatim condemnato: non tantùm ab hac Synodo, ſed etiam ab ipſo *Leone* 2. Cùm tamen Romæ habitus ſit optimæ fidei & famæ, vſque ad mortem. Quidam coniiciunt acta huius Synodi quoad hoc fuiſſe á Græcis æmulis corrupta. Quia hæc Synodus ſemper profitetur fidem *Agathonis* Papæ: qui tamen in ſuis Epiſtolis ad Synodum proteſtatur Eccleſiam Romanam & ſuos Prædeceſſores nunquam defeciſſe à recta fide: nec

Digitized by Google

nec Legati *Agathonis* quicquam interlocuti fuerũt de *Honorio* Papa; nec eius Epiſtolæ ſunt inexcuſabiles, ſed facilè excuſari poſſunt ab illo errore, imò & commendari à magna prudentia & prouidentia. Alij fatentur Synodum in hoc erraſſe: ſed errore facti, ſeu ex falſa informatione, de *Honorio*. Alij fatentur ipſum *Honorium* erraſſe: ſed ſolo errore facti, ex falſa informatione *Sergij* Patriarchæ Conſtantinop, & *Cyri* Alexandrini, quòd contentio illa eſſet mota à *Sophronio*, & ſcandaloſa. Alij deniq; fatentur ipſum erraſſe etiam in doctrina: non tamẽ niſi priuata, & tantùm epiſtolari. Sed quãuis tota hæc Doctrina epiſtolaris *Honorij* facilè excuſari poſſit, imò & reduci ad ſenſum optimum, de vnitate Chriſti quoad Perſonam operantem & patientem per diſtinctas naturas & potentias: non eſt tamen proprium intentum huius quæſt. niſi diſcernere ſenſus Catholicos huius quæſt. ab Hæreticis, & præferre conformiores fidei. Satis enim conſtat ex actis huius Synodi, quoſdam ſaltem Monothelitas, non tantùm negaſſe operationes propriasvoluntatis humanæ, ſed etiam intellectus, imò & potentias ſaltem proximas volendi & intelligendi, vel earum habitus ſeu perfectiones: ſed non conſtat diſtinctè, de actionibus ſpiritualibus vel corporalibus, liberis vel naturalibus, elicitis vel imperatis, efficacibus vel inefficacibus, ſolius Perſonæ etiam formaliter, vel etiam vtriuſque naturæ & ſingularum potentiarum; denique nec de paſſionibus animi vel corporis.

De quibus *Alenſis p.* 3. *q.* 5. De coaſſumptis pœnalitatibus, & defectibus. *q.* 13. De ſcientia Chriſti, Diuina & humana. *q.* 14. De potentia Chriſti. *q.* 15. De Voluntate, & Oratione Chriſti. *M.* 1. *Art.* 1. Fuerunt in Chriſto variæ voluntates abſque vlla rebellione. *Art.* 2. Fuit in Chriſto voluntas Diuina, & humana: humanã rationalis & ſenſualis, naturalis & libera; & quælibet, vel vt propria, ac perſonalis Chriſti, vel vt membrorum ſuorum, &c. *q.* 17. De Paſſione Chriſti. *M.* 1. De eius veritate. *Art.* 1. De potentia patiendi in Chriſto. *Art.* 2. De vero ſenſu Paſſionis eius. *Reſp. ex B. Aug.* Vt Chriſtus veram carnem: ſic & veram triſtitiam ſuſcepit. *Ad* 5. *Hil.* Voluntas Chriſti tam fuit domina ſuarum paſſionum, quàm actum, &c.

*S. Bon. diſt.* 5. *Art.* 2. De aſſumptione paſſiua. *Diſt.* 14. De Sapientia Chriſti. *Art.* 3. *Quæſt.* 2. An Anima Chriſti profecerit cognitione? *Reſp.* Non cognitione ſimplicis intelligentiæ, ex habitibus & ſpeciebus infuſis: ſed cognitione experimentali, ex vſu ſenſuum acquiſita. *Quæſt.* 3. Deus non communicauit animæ Chriſti Omniſcientiã, nec Omnipotentiam, &c. *Diſt.* 15. De aſſumptis defectibus. *Art.* 1. De his in genere. *Art.* 2. De his in ſpeciali. *Quæſt.* 1. An in Chriſto fuerit aliqua ignorantia. *Reſp.* Nulla, &c. *Quæſt.* 2. An in Chriſto fuerit paſſio triſtitiæ. *Reſp.* Non præter, nec contra rationem, ex vlla rebellione, aut ſubreptione motus primi: ſed nonniſi ex ratione dictante, & voluntate imperante, aut conſentiente. &c. *Quæſt.* 3. De paſſione iræ. *Diſt.* 16. De dolore Chriſti. *Art.* 1. De dolore corporali *Art.* 2. De dolore ſpirituali &c. *Diſt.* 17. De Voluntate & Oratione Chriſti. *Art.* 1. De Voluntate. *Quæſt.* 1. Fuerunt in Chriſto plures voluntates. *Quæſt.* 2. Fuit in Chriſto voluntas Diuina, & humana, rationalis & ſenſitiua, &c. *Quæſt.* 3. Voluntates Chriſti fuerunt concordes: non circa eadem obiecta; ſed cuique conuenientia, & modo ac ordine debito. *Art.* 2. De Oratione. *Quæſt.* 1. Decuit Chriſtum orare. *Quæſt.* 2. Fuit ſemper exauditus, vt orans abſolutè, non conditionatè, &c. *Quæſt.* 3. Oratio Chriſti in horto, quoad materiam, erat à ſenſualitate: quoad formam conditionatam, à ratione. Vel fuit ab illa vt monente: ab hac, vt proponente. Vel fuit pro illa: ſed ab hac vt illius aduocata.

*Scotus d.* 14. *Quæſt.* 3. An Anima Chriſti viderit omnia in genere proprio? *Reſp.* Poteſt dici quòd non omnia: ſed abſtractiuè omnes quidditates, per ſpecies infuſas; intuitiuè, nonniſi præſentia, &c. *Quæſt.* 4. An ſic nouerit omnia perfectiſſimè? *Reſp.* Non ex rebus ipſis: ſed perfectiſſimè in Verbo. *Diſt.* 15. Quæſt. vnica. An in portione Animæ Chriſti fuerit verus dolor? Et ſic de omnibus paſſionibus animi, earumq; quidditate origine, ſubiecto, obiecto. N. 25. 26. *Reſp.* Chriſtus non triſtabatur in portione ſuperiore ex nolitione abſoluta, ſed *conditionata ſeu habituali* ſuæ paſſionis, &c. *n.* 2. *ad* 33. problematicè: An voluntas Chriſti fuerit triſtis de ſua paſſione in portione inferiori, ex nolitione tantùm conditionata, &c. ibi. *Diſt.* 17. Quæſt vnica. An in Chriſto fuerint duæ voluntates? *Reſp. ex Damaſc.* Vt duæ naturæ, ſic & duæ voluntates. *Dubium* 1. An fuerit in Chriſto vnica voluntas creata? *Reſp.* Vnica propriè: ſed tot appetitus ſenſitiui, quot ſenſus, &c. *Dubium* 2. An voluntas naturalis, & libera, ſint duæ potentiæ? *Reſp.* Voluntas naturalis, non eſt voluntas: ſed naturalè diſtrahit à voluntate; vel opponitur ſupernaturali, vel vt eſt ſecundùm inclinationem naturalem, &c. *Ad* 1. *Arg.* Voluntas humana Chriſti non priuatur vllo dominio ſuorũ actuum, per vnionem hypoſtaticã.

Ex his & aliunde hæc quæſtio & eius ſenſus extendi poteſt ad operationes Chriſti vegetatiuas, ſenſitiuas, & rationales, reales & intentionales, ſeu obiectiuas, ad paſſiones corporales & ſpirituales: ad has & illas vt naturales & humanas .i. proprias naturæ humanæ vt iam corruptæ, vel vt conditæ, vt communis, vel vt huius ſingularis; aut naturales .i. ex neceſſitate naturali, & humanas .i. liberas, elicitiuè, imperatiuè, vel permiſſiuè. Vt ſit ſenſus: An omnes actiones & paſſiones quæ in nobis ſunt naturales, fuerint & in Chriſto naturales, quæ humanæ ſeu liberæ, in eo fuerint & liberæ: vel omnes fuerint in eo liberæ, non ſolùm libertate Diuina, ſed & humana, nec ſola libertate ſupernaturali ex gratia, ſed etiam naturali ſeu propria naturæ humanæ, vt eſt rationalis, ſine vllo vitio talis naturæ, culpæ, vel pœnæ.

## *Reſponſio ad omnia.*

CHriſtus habuit omnes potentias, habit⁹, operationes, & paſſiones, vegetatiuas, ſenſitiuas, ratio-

rationales, obiectiuas, corporales & ſpirituales, naturales & humanas .i. omnes perfectiones & imperfectiones communes toti naturæ humanæ, vt eſt condita, & quaſdam proprias huic naturæ ſingulari, excepta propria perſonalitate humana de qua ſupra, & peccabilitate ſaltem proxima de qua ſub propria quæſt. Nullam tamen habuit dependentiam naturalem á ſenſibus externis vel internis, ad intelligendum: nec vllam neceſſitatem naturalem, agendi vel patiendi: ſed perfectam libertatem etiam humanam ſuæ voluntati diuinæ perfectiſſimè ſubordinatam, non ſolùm conſentiendi, ſed & eliciendi, vel imperandi & moderandi omnes ſuas actiones & paſſiones, ex poteſtate naturali ſeu perfectione intrinſeca & propria huius naturæ vt eſt rationalis & libera.

1. Ex ſacra ſcript. *Eſa.* 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit, &c. *Ioan.* 10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, &c. *Matt. & Luc.* 4. Ieiunauit 40. diebus & 40. noctibus, poſtea eſurijt. *Marc.* 15. Emiſſa magna voce expirauit.

2. Ex Actis 6. *Synodi* ſupra, quæ tribuit Chriſto omnem perfectionem voluntatis humanæ: agenſque ex profeſſo de ſola voluntate & operatione humana ac naturali Chriſti, ſupponit omnẽ eius operationem ex ſeipſa naturalem, eſſe Chriſto voluntariam; non ſolùm obiectiuè ex proprio conſenſu, vt & nobis eſſe poteſt, ſed etiam elicitiuè, vel imperatiuè, vt ſuprà.

3. Ex SS. Patribus, qui tribuunt libertati etiam humanæ Chriſti, propriam famem, ſitim, timorem, triſtitiam, omneſque paſſiones animi & corporis, vitam & mortem. Singulariter ex *B. Aug.* qui *Lib.* 6. *De Muſica cap.* 5. *Libro* 12. *in Gen. cap.* 16. *Epiſt.* 218. *ad Nebrid.* & alibi ſæpè, vel expreſsè negat, vel ſupponit animam ſpiritualem non poſſe naturaliter pati à corpore, nequidem obiectiuè: nec dependere à ſenſibus externis vel internis ad intelligendum ſeipſam, & alia, niſi ex culpa originali. Vt & *Lib.* 10. *Trin.*

4. Ex *Al. p.* 2. *q.* 39. De quadam paſſibilitate & impaſſibilitate naturæ humanæ ante peccatũ. *q.* 3. De mortalitate vel immort. *Q.* 121. *M.* 2. Anima ex natura ſua, ſine culpa, requirit corpus immortale. *Q.* 125. De primis motibus vitioſis. *P.* 3. *q.* 5. *m.* 1. Chriſtus aſſumpſit naturam paſſibilem: non indiſpoſitam, nec ſubiectam, ſed diſpoſitam & voluntariam ad patiendam. *M.* 2. *a.* 3. Non aſſumpſit timorem naturalem neceſſarium: ſed tantùm naturalem voluntarium. *Q.* 17. De paſſione Chriſti. *M.* 1. *Art.* 2. Voluntas Chriſti fuit libera tam paſſionum ſuarum, quàm actuum: ideo S. Hil. dicit Chriſtum non habuiſſe naturam patiendi .i. naturaliter & neceſſariò. *M.* 2. §. 4. Chriſtus paſſus eſt voluntate abſoluta ab omni coactione, & conditione. *M.* 3. *Art.* 1. In nobis eſt neceſſitas moriẽdi & patiendi, ex cauſa materiali, formali, & efficiente: in Chriſto, ex ſola cauſa finali noſtræ redemptionis.

5. Ex *S. Bon. in* 2. *d.* 19. *Ar.* 1. De immortalitate animæ humanæ. *Art.* 2. De immortalitate corporis. *Art.* 3. De immortalitate totius. *D.* 30. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 2. Mortalitas aliorum animalium non eſt contra exigentiam animæ propriæ, vt eſt mortalitas hominis. *In* 3. *d.* 15. *a.* 1. *q.* 3. An defectus fuerint in Chriſto à natura, vel à voluntate. *Reſp.* Non ex neceſſitate naturali generationis, aut corruptionis: ſed ex voluntate humana, & diuina Chriſti, ab inſtanti conceptionis *Art.* 2. *q.* 2. Non fuit in Chriſto paſſio triſtitiæ, ex ſurreptione primi motus: ſed nonniſi ex ratione dictante, & voluntate imperante, aut conſentiente. *Diſt.* 16. *a.* 1. *q.* 3. An in Chriſto fuerit neceſſitas patiendi. *Reſp.* Non ex vi cauſæ materialis, formalis, efficientis: ſed finalis, ſeu ad noſtram redemptionem, &c.

6. Ex *Scoto* qui *in* 1. *q.* 1. *Prologi. Diſt.* 1. ac alibi ſæpè, ſuponit hũc noſtrum tam imperfectum modum intelligendi ac volendi non eſſe naturalem, ſed vitioſum & pœnalẽ. *In* 3. *d.* 13. Tribuit naturæ humanæ Chriſti ſummam perfectionem gratuitam: ergo & naturalem. *Diſt.* 15. Tribuit Chriſto meritum in omni ſua paſſione: ergo vt libera ad merendum. *Diſt.* 16. Fatetur eſſe multorum ſententiam, quòd Chriſtus potuerit non mori ex ſua paſſione. Et quamuis videatur negare animæ Chriſti libertatem naturalem non patiendi & moriendi, ac dominium in vim vegetatiuã & ſenſitiuam: poteſt tamen cointelligi cum *Al. S. Bon.* & hac noſtra reſp. imò & ſecum ipſo. Qui in 4. *d.* 10. *q.* 7. alibi ſupponit nullam perfectionem naturalem poſſibilem eſſe negandum naturæ: quantomagis de natura Chriſti? *In* 2. *d.* 3. *q.* 6. & 11. *in* 3. *d.* 14. *q.* 3. ſupponit differentias ſingulares, vtique inter ſe differentes & inæquales: Ergo & in Chriſto perfectiſſimam. Quis enim non tribuat Chriſto naturam & animam humanam, vt ſingulariter alijs omnibus perfectiorem, & naturaliter perfectiſſimã? *In* 3. *d.* 16. Dubitat an anima non poſſit ſe naturaliter reunire corpori, aut hoc diſponere ad reunionem: ergo potiùs conſeruare.

7. Ex *Quæſt.* noſtra 8. *in* 2. *à col.* 389. *ad* 393. De natura & naturalibus vt à Deo conditis & inſtitutis. *A col.* 393. *ad* 399. De natura animæ rationalis. *A* 399. *ad* 413. De immortalitate Animæ rationalis. *A* 413. *ad* 425. De cognitione naturali Animæ rationalis. *A col.* 425. De voluntate.

8. Ex rationibus inde reſumptis, & auctis. 1. Ab immortalitate naturali Animæ: ad immortalitatem connaturalem corporis & totius, per rationalem & liberam poteſtatem animæ conſeruandi ſuum corpus & totum. 2. A perfectione, & ſuperioritate naturali animæ rationalis, in eſſendo & operando ſuper ſuo corpore: ad poteſtatem rationalem & liberam, regendi omnes eius vires agendi & patiendi. 3. Ab vnitate animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationalis: ad poteſtatem naturalẽ eius vt rationalis, ſeu rationalẽ & liberam in proprias vires, actiones, & paſſiones inferiores. 4. A formis naturalibus ſeipſas & ſua ſubiecta naturaliter præſeruantibus, conſeruantibus, & reſiſtentibus ſuis contrarijs: ad maiorem vim rationalem & liberam animæ conſeruandi ſe in ſuo corpore & toto, vel ſibi ſuum proprium corpus & totum. 5. A deſiderio naturali & communi liberiùs & perfectiùs vegetandi, digerendi, egerendi, creſcendi, generandi, cognoſcendi, appetendi, mouendi, apparendi, diſparendi: ad aliquam horum poteſtatem naturalem & liberam imperatiuè. 6. Ab aliqua

Digitized by Google

aliqua horum omnium proprietate naturali vel libera in alijs creaturis, corporeis aut ſpiritualib⁹: ad æqualem aut ſimilem in nobis. 7. A tali perfectione poſſibili ad varios fines naturales: ad talem vt connaturalem. 8. A varijs apparitionibus, & diſparitionibus Chriſti ante & poſt mortem: & à comeſtione poſt Reſurr. ad aliquam horum poteſtatem etiam naturalem & humanam Chriſti. 9. A comparatione cum Angelis, ad omnes ſuas actiones, & paſſiones, etiam obiectiuas, liberis. 10. A nimis imperfecta libertate noſtra in potentias inferiores: ad perfectiſſimam naturalem & humanam Chriſti. 11. Ad finem perfectiùs merendi & ſatisfaciendi, per omnes actiones & paſſiones Chriſti vt voluntarias: non tantùm obiectiuè, vt & ſunt noſtræ; ſed & liberè elicitas, vel imperatas. 12. Ad perfectionem etiam naturalem & humanam Chriſti.

## Difficultas 1. ex ſacra Script.

HEb. 2. Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini: ipſe IESVS ſimiliter participauit eiſdem, &c. Debuit per omnia Fratribus aſſimilari, &c. Nec, *Ioan.* 10. dicit ſe habere poteſtatem humanam aut naturalem ponendi animam ſuam: ſed Diuinam, aut ſaltem ſupernaturalem; quia ſubdit, Et poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Sicque de fame, ſiti, triſtitia, timore, expiratione, reſurrectione, aſcenſione: non voluntate aut poteſtate humana, vel naturali; ſed Diuina vel ſupernaturali. *Reſp.* Ad *Hebr.* 2. Chriſtus comparatur cum Angelis, ex *Pſal.* 8. vt eis paulò minor in natura humana, & naturaliter: quia in eodem ſupernaturaliter eſt multò maior. Comparatur autem cum alijs hominibus in eadē natura humana, vt communi & eſſentiali: non autem vt ſingulari, nec vt in proprio principio agendi vel patendi. Non enim paſſus & mortuus eſt vt nos, ex neceſſitate naturali ab intrinſeco, imò nec ab extrinſeco: ſed quia voluit; non ſola voluntate Diuina, ſed humana, ſupernaturali quidem vt meritoria, ſed naturali vt libera & efficaci. Nec poteſtas illa Chriſti, *Ioan.* 10. ponendi, & reſumendi animam ſeu vitam propriam, reſtringitur ad Diuinam: ſed potiùs extenditur ad humanam, per totum hunc contextum. [Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.] Quæ ſunt propria voluntati humanæ & naturali: quia hæc ſola erat in Chriſto capax præcepti, & obediendi, vel Chriſtus ſecundum hanc naturam; ergo & reliqua videntur ſic intelligenda.

## Difficultas 2. ex ſacris Conc.

COnc. Mileu. Arauſ. Trid. ſeſſ. 5. Definiunt hominem eſſe reum mortis, & pœnarum huius vitæ, ex peccato Orig. contra Pelagianos confundentes naturam & naturalia, cum gratuitis & ſupernaturalibus. Synodus ſexta ſupra, docet Chriſtum habuiſſe talem voluntatem & operationem qualem habuiſſet *Adam* in ſtatu innocentiæ: qui cùm non fuiſſet immortalis & impaſſibilis, niſi ex gratia ſupernaturali, conſequenter nec Chriſtus. *Reſp.* Conſtat ex iiſdem ſacris Conc. naturam humanam non tantùm priuatam fuiſſe gratuitis per peccatum Orig. ſed etiam vulneratam in naturalibus. Inter quæ cenſeri poteſt quædam immortalitas & incorruptibilitas ſaltem ab intrinſeco, imò & impaſſibilitas ab extrinſeco, niſi ex culpa demerente hanc ipſam perfectionem naturalem. Quod ipſum fuit etiam gratuitum ac ſupernaturale: non poſſe priuari hac perfectione naturali niſi demeritoriè, per talem ac tantam culpam. Itaque & quædam immortalitas ac impaſſibilitas poteſt eſſe naturalis: & talis ac tanta, gratuita & ſupernaturalis. Deinde immortalitas ſtatus innocentiæ fuit gratuita, per gratiam neceſſariam ad non peccandum, & conſequenter ad non moriendum. Denique fuit gratuita & ſupernaturalis corpori, & homini ex parte corporis: ſed naturalis animæ rationali, & connaturalis eius corpori & toti. Nec obſtat quòd illa immortalitas dependebat ab vſu & eſu ligni vitæ: non à libertate voluntatis vt naturali, ſed meritoria conſeruationis. Quia ſicut abuſus Ligni vetiti non erat lethalis naturaliter, ſed demeritoriè: ſic & vſus ac eſus Ligni vitæ non ſufficiebat ad immortalitatem, niſi ex decreto Dei, & obedientia vtentium. Nam, *Gen.* 3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Nunc ergò, ne fortè mittat manū ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum, &c.* videtur eſſe continuata exprobratio præſumptionis, non autem indiciū talis virtutis naturalis. Vt patet etiam ex illo, *fortè*: quod tam poteſt referri ad illum effectum vitæ æternæ, quàm ad furtum, ſeu furtiuam ſumptionem *Adæ*. Hinc *B. Aug. lib.* 8. *in Gen. cap.* 4. Erat lignum vitæ, vt Petra Chriſtus. *Cap.* 5. Cur non admittunt lignum vitæ & verè aliquod lignum fuiſſe, & tamen Sapientiam figuraſſe, non video. Addo, quanquam corporalem cibum, talem tamen præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur: non ſicut ex alio cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta. Nec fuit definitum contra Pelagianos, nullam immortalitatem eſſe homini vt rationali naturalem: ſed hanc noſtram mortalitatem eſſe pœnalem, non naturalem. Nec definitum fuit in 6. Synodo, Chriſtum non habuiſſe maiorem libertatem naturalem & humanam in ſuum corpus, quàm *Adam* in ſtatu innocentiæ: ſed tantùm fuit comparatus Chriſtus à *Theophane* cum *Adamo*, quoad voluntatem & operationem humanam, vt non vitioſam ante primum peccatum. Nam nec Chriſtus vt *Adam* potuit peccare, & ex proprio peccato fieri reus mortis: ſed mortuus eſt, quia voluit .i. nec ex vlla neceſſitate naturali, nec ex vllo proprio demerito; ſed ex propria voluntate, & obedientia voluntaria, vt contraria inobedientiæ *Adami*. Nec immortalitas Chriſti erat aliunde dependens, quàm à propria voluntate humana vt ſubordinata Diuinæ. Denique, Chriſtus non erat tantùm immortalis, ex innocentia animæ ſuæ rationalis: ſed etiam ex vnione hypoſtatica, non ſolius corporis & animæ, ſed & totius ſuæ naturæ

humanæ.

Digitized by Google

humanæ. Quæ vnio vt eſt ſupernaturaliſſima, ſic & indiſſolubiliſſima: ſed quà afficit naturam à ſua origine, & ſupplet propriam ſubſiſtentiam naturalem, dicitur naturalis, à ſacris Conc. ſupra, & à *B. Aug. Enchir.* 40. *quodammodò naturalis.*

## *Difficultas 3. ex Synodo 6.*

Videtur ſexta Synodus nimis leuiter & temere condemnaſſe *Honorium* Papam, & adhærentes eius reſolutioni: de vnico Operatore in Chriſto, non autem neceſſariâ fide vnius vel duplicis voluntatis & operationis. Nam & *Conc. Arauſ. Can.* 23. definit noſtras bonas voluntates & operationes ex gratia & voluntate Dei, non eſſe noſtras, ſed ipſius Dei. Et Chriſtus ipſe negat Doctrinam & voluntatem ſuam humanam eſſe ſuam. Eſtque conſilium Chriſtianæ perfectionis abnegare propriam voluntatem, intentionem, electionem, & omnem motum propriæ voluntatis: ſubmittendo ſe ſoli intentioni, electioni, & motibus voluntatis Dei. Nec videntur *Monothelitæ* aliud intendiſſe, quàm Chriſtum non habuiſſe proprios motus primos ſuæ voluntatis humanæ, ſed Diuinæ: non autem negaſſe motus paſſiuos, ſeu impreſſos Animæ & Corpori Chriſti à voluntate Diuina. Vt patet ex toto contextu, ſupra relato. *Reſp.* Ex *B. Aug. lib. De vera Relig. cap.* 6. Sæpè ſinit Diuina Prouidentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones, expelli de congregatione Chriſtiana bonos viros. Quam iniuriam ſi patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint: docebunt homines quanta ſinceritate charitatis Deo ſeruiendum ſit, &c. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus: ſed tamen exempla non deſunt, imò plura ſunt quàm credi poteſt. Sic & *lib.* 1. *De Bapt. cap.* 17. *Lib.* 5. *Ciu.* 18. & *in Pſal.* 75. Nec obſtat quòd hæc geſta 6. Synodi non videantur tribui poſſe turbulentis, carnalibus, & ſeditioſis. Tum quia condemnatio *Honorij* Papæ fuit ex Actis diu ante Synodum: quæ à Monothelitis in ſuum fauorem, & ab aliis æmulis, in odium *Honorij* vel Eccleſiæ Latinæ, facilè corrumpi potuerunt, ſicque reproduci ad iudicium 6. Synodi, quæ ex talibus Actis potuit ſic etiam prudenter iudicare. Tum quia in ipſa Synodo potuerunt eſſe multi æmuli Eccleſiæ Latinæ, vt ſolent eſſe Græci. vel etiam præuenti tali falſa informatione & fama de *Honorio*, vt fautore Monothelitarum. Vndè & *Macharius* ac complices appellarunt ab hac Synodo, ad Papam Romanum: & deferente Synodo, ad eum dimiſſi fuerunt. Vt patet ex Epiſt. Synodi ad *Agathonem* Papam, apud *Binium*. Hinc fortè Legati *Agathonis* in Synodo, non fruſtra contenderunt pro *Honorio*, contra pleroſque Patres Græcos illius Synodi, præuentos tali fama de *Honorio*. Sed *Leo* 2. potuit confirmaſſe 6. Synodum, etiam quoad condemnationem *Honorij*: eodem errore facti, ex actis Synodi, & ex ipſo recurſu Monothelitarum ad Papam Romanum ſucceſſorem mediatum *Honorius*, vt prætenſi fautores ſui. Quamuis *Baronius* & alij, ex varijs indicijs conijciant hanc Epiſt. *Leonis* 2. ad 6. Synodum, imò & Acta 6. Synodi contra *Honorium*, fuiſſe falſificata à quodam *Theodoro*: qui ob odium & iniurias in Papam Romanũ fuerat priuatus Patriarchatu Conſtantinopolitano, deinde mortuo *Georgio* ſibi ſubſtituto, fraude & fauore reſtitutus.

Nec illa definitio *Conc. Arauſ.* nec relatio Doctrinæ ac Voluntatis humanæ Chriſti ad Diuinam, nec illud conſilium Chriſtianæ perfectionis, vllatenus fauet Monothelitis contra 6. Synodum: Sed illa ſunt expreſsè de aliqua volũtate & actione humana; quamuis ex gratia præſenti, & æterno voluntate, intentione, ac electione dei; non tamen vt tollit, ſed præuenit & perficit voluntatem, intentionem, electionem & executionem humanam. Intentio autem Monothelitarum examinata & expreſſa in 6. Synodo fuit negatiua omnis voluntatis, & operationis humanæ Chriſti, ſaltem actiuæ: quaſi Chriſtus tantùm paſſus fuiſſet corpore & animo; nihil autem actiuè operatus fuiſſet voluntate humana. Quod & ſub anathemate reprobatur à *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 4. contra Hæreticos huius ſæculi, de conſenſu noſtræ voluntatis ad motus gratiæ Dei. Ita vt Hæreſis *Monothelitarum* de Chriſto, videatur ab hodiernis Hæreticis extenſa ad omnes gratia Dei efficaciter præuentos, & præmotos, quaſi ad cõſentiendũ neceſſariò paſſiuè, non liberè actiuè. Quam enim Patres antiqui vocabant *Deiuirilem* Chriſti operationem, à Perſona operante: Monothelitæ denominabant à Perſona & natura Diuina actiuè, à natura humana tantùm paſſiuè. Vt patet ex Actis ſupra. A quo errore plurimum diſtant myſtici Contemplatiui & practici: qui vacant à primis motibus proprijs, vt vitioſis & turbidis: ad excipiendum animo ſereniori, quietiori, & mobiliori primos gratiæ motus, ſed non ſine noſtris conſequentibus. Vel continent ſe à motiuis obiectiuis, & finalibus propriæ voluntatis: ad volendum & operandum ex ſolo motiuo voluntatis Dei. Qui eſt verus & proprius ſenſus illius conſilij Euangelici, & contemplationis ac praxis myſticæ. Vt patet ex *B. Aug. lib.* 1. *Solil. c.* 14. 15. *Lib. De vera Relig. c.* 35. *Lib. contra Adimantum, c.* 11. 13. *Lib.* 8. *Trin. c.* 2. & 3. *q.* 28. *in lib. Ieſue. Epiſt.* 116. *ad Nebridium. Lib.* 1. *Conf. c.* 4. & 6. *lib.* 9. *c.* 10. *Serm.* 63. *De Verbis Domini.* 40. *De Tempore, & in Pſal. ſæpè*: Imò & ex libris dogmaticis contra Pelagianos. Vt ſupra *in* 2. *col.* 351. *a.* 376. *ad* 385. à 502 *ad* 513. & latiùs in Comment. noſtro ad illa ſingula.

## *Difficultas 4. Ex Scoto.*

*Diſt.* 16. *q.* 1. Tribuit naturæ humanæ Chriſti neceſſitatem moriendi, ex aſſumpto corpore vt mortali, 5 titulis ibi expreſſis. *Quæſt.* 2. Quia gloria animæ non redundabat in corpus: non poterat illud à morte præſeruare, contra naturam agentium præualentium. *Ad* 1. Anima non dominatur corpori quoad vim vegetatiuam, nec ſenſitiuam. *Ad* 1. Ioan. 10. *Ego* .i. Perſona Verbi, *pono animam meam, &c.*. *Ad* 3. Chriſtus *accepit mandatum ponendi animam* .i. voluntariè patiendi. *Ad vlt.* Cum clamore valido emiſit ſpiritum

Digitized by Google

ſpiritum .i. non naturaliter, ſed miraculoſè. *Reſp.* ex varijs principijs *Scoti, col.* 332. & *col.* 192. *d.* 13. In commendando Chriſto, malo excedere, quàm deficere. *Aug.* 3. *De libero Arb.* Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit : ſcias Deum potiùs feciſſe, quàm non.] Cùm ergo hinc deferat naturæ humanæ ſummam perfectionem gratiæ : cur non & perfectionem naturalem & humanam; non tantùm in eſſendo, ſed & in agendo & reſiſtendo, præ omnibus naturis ſaltem inferioribus ſe? Quocum illa omnia *Scoti* facilè intelligi poſſunt. 1. De natura humana Chriſti vt aſſumpta ad finem redemptionis noſtræ, per ſuam paſſionem & mortem : non autem vt rationali & innocente; nec præciſè vt vnita, & vnienda hypoſtaticè etſi homo non peccaſſet. Quis enim cenſeat tunc etiam naturaliter futuram mortalem? 2. De neceſſitate morali obedientiæ, non naturali, patiendi & moriendi. 3. De neceſſitate naturali corpori : non animæ, vt rationali & liberæ. 4. De neceſſitate moriendi : non ex defectu virtutis ſupernaturalis, imò nec huic animæ naturalis; ſed ex vtriuſque ſuſpenſione ordinaria ad finem merendi & ſatisfaciendi, per hanc ipſam liberam neceſſitatem, potiùm miraculoſam, quàm humanam.

## *Difficultas* 5. *Ex rationibus.*

1. Actiones & relationes agentium, ſunt ſuppoſitorum : ergo actiones Chriſti ſunt ſolius Perſonæ Diuinæ, non naturæ aut voluntatis humanæ. 2. Actio Cauſæ Primæ & Secundæ, vt cauſæ principalis & inſtrumentalis, coaleſcit in vnam : ergo non eſt duplex actio Chriſti. 3. Voluntas Dei per gratiam efficacem præuenit etiam noſtras voluntates: ergo multò magis voluntatem Chriſti; nec relinquit ei efficaciam propriam. 4. Voluntas non habet niſi actus immanentes : ergo voluntas Chriſti non poteſt eſſe efficax extra ſeipſam, in alias potentias, vel contra cauſas extrinſecas. 5. Aliæ potentiæ ſunt naturales : ergo agunt ex neceſſitate naturali. 6. Omnes Cauſæ ſecundæ ſunt ordinatæ ante peccatum : ergo ex natura ſua, & humana, poſſunt agere in naturam & corpus humanum. 7. Natura humana naturaliter ſubeſt cauſis ſecundis in fieri : ergo & in conſeruari vel corrumpi. 8. Vis vegetatiua eſt ad ſubſtantiam : ergo non ſubeſt naturaliter voluntati accidentali. 9. Vis ſenſitiua eſt naturaliter mobilis à ſolo obiecto proprio: ergo non ſubeſt naturaliter voluntati. 10. Voluntas creata non poteſt velle niſi præmota ab obiecto: nec humana, niſi per aliquem ſenſum; ergo nec obiecta nec ſenſus ſubſunt naturaliter voluntati.

*Reſp. Ad* 1. Actiones ſunt ſuppoſitorum : ſed per naturam, ſeu vim aliquam agendi. Sicque omnes actiones Chriſti ſunt ab eius Perſona Diuina : ſed etiam per ſuam naturam humanam. Nec actio vel productio actiua, vt talis, eſt accidens vt alicui inhærens : ſed eſt ipſum Agens vt à quo, & vis agendi vt per quam agitur. Hinc fruſtra contenditur cuius ſit formaliter, vel tantùm denominatiuè : cùm ſit vtriuſque identicè; Suppoſiti vt à quo, naturæ vt per quam. Poteſt tamen dici ſolius ſuppoſiti. 1. Vt nonniſi exiſtentis, ſeu quod ſupponitur eſſe. 2. Nonniſi per vim agendi vt ſubſiſtentem, ſeu per ſe exiſtentem, & terminatam ac completam in proprio eſſe : vel inhærentem, adhærentem, vnitam, ſuſtentatam, habitam ab aliquo ſubſiſtente qui per eam agere poſſit. Quia agere ſeu producere, & tendere ad aliud, ſupponit proprium eſſe perfectum, & diſtinctum à productibili : imò & finem proprium ac intrinſecum cuiuſuis naturæ vel formæ actiuæ, qui eſt communicari alicui formaliter, ad eſſendum & operandum. Non quòd Agens, & forma agendi habeant actiones diſtinctas : ſed eandem vt à quo, & per quam. Nec obſtat quòd Anima tam vnita quàm ſeparata, & ſpecies conſecratæ agant per ſe, vt *Quod*, & *Quo*, ſeu per quod : ſicque natura humana Chriſti videatur habere actiones proprias, quæ nō ſint Perſonæ Diuinæ, niſi vt Cauſæ primæ, vel niſi denominatiuè & extrinſecè; cùm nec Perſona Diuina vt relatiua, videatur eſſe actiua. Quia anima rationalis non agit per ſe vt eſt partialis, ſeu vegetatiua & ſenſitiua : ſed vt totalis, ſeu intellectualis, & libera etiam à corpore, in per ſe exiſtendo, & operando. Nec informat corpus ad vllam perfectionem ſuiipſius : ſed ſolius corporis, & totius, in eſſendo & operando. Imò nec videtur informare immediatè vt rationalis & libera : ſed vt vegetatiua & ſenſitiua; quia vt rationalis & libera nimis eminet ſuper corpore, nec per illud operatur. Conſtituit tamen hominem rationalem : non vt ab hoc principio operandi, ſed eſſendi; nec ab informando & componendo, ſed eminendo vt tali; & ab identitate reali ſuiipſius, vt eſt vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis.

Species conſecratæ fortè non agunt niſi miraculoſè : vt ſunt in quantitate ſuſtentante, & ſuſtentata. De quo in 4. *col.* 405. 406. ex *Al.* 411. 412. *ex S. Bon.* 421. 422. 423. 424. *ex Scoto.* Vbi quæ videntur his contraria, de actione vt non in ſuppoſito, niſi denominatiuè : ſupponūt fortè ſubſiſtentiam tantùm negatiuam, vel vt ſolum terminum proprium & receptiuum naturæ, non autem vllatenus actiuum aut perfectiuum. Nos autem hîc collimamus ad maiorem perfectionem intrinſecam & realem actionis Chriſti, vt à Perſona Diuina per naturam humanam, quàm ſolius naturæ humanæ. Vt enim non ipſa natura, ſed Perſona Diuina Patris generat ſibi Filium : non tantùm denominatiuè, ſed intrinſecè & perfectiſſimè. Sic & Perſona Diuina Chriſti perfectiùs agit realiter, & moraliter per ſuam naturam humanam : quàm ipſa poſſit per ſe, aut propria Perſona per ipſam; quamuis cum æquali gratia intrinſeca naturæ. Quia ſacra Conc. & Patres profitentur omnes operationes Chriſti per naturam humanam fuiſſe Theandricas, ſeu Dei-viriles : non ab identitate, æqualitate, aut confuſione actionum Diuinarum & humanarum Chriſti; ſed à ſingulari perfectione ex vnitate Perſonæ Diuinæ vt Operantis, & vnione hypoſtatica naturæ humanæ per quam operatur. Nec obſtat quòd perſonalitas ſit tantùm terminatiua naturæ : & Diuina ſit tantùm relatiua. Quia dignitas perſonalis, & maximè Diuina, quāuis relatiua, eſt determinatiua naturæ ad perfectio-

ctiorem modum realem & moralem eſſendi, & operandi. Vt ſupra, *Quæſt.* 4. & 6.

Ne autem videantur hæc paradoxa: *Al.p.*2.*q.*6. 9. conſtanter docet creationem eſſe in Deo identicè; quia Deus eſt à quo creatura. *Idem. p.* 3. *q.*4.&*S.Bon.d.*10. ſtatuũt perſonalitatẽ in propria dignitate perfectiori: ergo Perſona agendo dignificat actionem; non ſolùm moraliter, ex ſola acceptione perſonarum, ſed & realiter ac fundamentaliter. Quis enim dubitet Actionem Chriſti eſſe perfectiorem actione cuiuſuis alterius, etſi fieret ex æquali gratia? Vt infra *Quæſt.* propria, De meritis Chriſti.

*Ad* 2. Actiones cauſæ Primæ & ſecundæ, non coaleſcunt in vnam eandemque actionem: ſed in vnum eundemque effectum. Nec actio Diuina Perſonæ Chriſti, per naturam Diuinam, confunditur cum eiuſdem actione per naturam humanam: quia hæc non eſt tantùm illius inſtrumentum per vim Diuinam aſſiſtentem, vel vnitam; nec per ſolam motionem actualem, ſed per vim intrinſecam permanentem, vel tranſeuntem.

*Ad* 3. Nec gratia efficax, nec confirmatio Chriſti in gratia, nec vnio hypoſtatica, aufert; ſed infert & perficit actionem humanam Chriſti.

*Ad* 4. Voluntas humana Chriſti habet proprias actiones, & actus immanentes: ſed & imperantes, ac imperatos quibuſdam ſuis inferioribus potentijs: cur non ergo omnibus, ad reſiſtendum formaliter ſuis contrarijs, ſi voluiſſet?

*Ad* 5. Aliæ potentiæ eiuſdem animæ ſunt ex ſeipſis naturales: ſed ſubeſſent voluntati ſaltem quoad exercitium.

*Ad* 6. Natura, ſeu prima vis naturalis agendi & patiendi in homine eſt vitiata & minuta: ſed contra hominem, eſt aucta. Vt patet ex 2. *Sent. ſupra, à col.* 393.

*Ad* 7. Natura humana, vt corporea, ſubeſt naturaliter cauſis ſecundis in fieri, ante increationem animæ: non ſic naturaliter poſt.

*Ad* 8. Vis vegetatiua non ſubeſt naturaliter voluntati quoad ſubſtantiam effectus proprij: ſed quoad exercitium.

*Ad* 9. Vis ſenſitiua mouetur naturaliter à ſolo obiecto proprio, ad ſpecificationem actus: ſed eſſet ſub moderatione voluntatis quoad exercitiũ.

*Ad* 10. Voluntas nec moueret, nec moueretur naturaliter vllo actu vel paſſione: ſed ſeipſam liberè & elicitiuè; omnes autem potentias inferiores imperatiuè, mediatè vel immediatè, ad ſuum finem naturalem. Nonniſi quidem ex obiecto præſente, & cognito: non tamen extrinſeco, nec per ſenſum; ſed corpore & animo, totâque naturâ propriâ ſibiipſi ſemper obiectiuè, ſeu intelligibiliter præſentiſſimâ. Vt in 2. *Quæſt.* 5. De natura & naturalibus Angelorum. *Quæſt.* 8. De natura humana, eiuſque naturalibus. Neque hæc perfectio naturæ humanæ, eſt illa glorioſa quæ ſperatur in Reſurr. æqualis Angelicæ: ſed ſimilis, ſeu proportionata ad finem naturalem. Vt quod Angeli naturaliter poſſunt in ſeipſos, inter ſe, & in corpora à ſe aſſumpta, aut ſibi ſubdita, ad ſuum finem naturalem: hoc & Animæ rationales in ſeipſas, inter ſe, & plus in corpora à ſe animata, ad ſuum proprium finem naturalem. Hinc *B. Aug. lib. De libero Arb. cap.* 11. comparat in hoc animam rationalem cum Angelis. *In corporibus inferioribus atq; mortalibus poſt peccatum ordinata, regit corpus ſuum: non omninò pro arbitrio, ſed ſicut leges vniuerſitatis ſerunt. Quæſt.* 82. *ex* 83. *Deus iuſtus non eſſet, ſi ita diſpoſuiſſet ordinem rerum, vt immeritis pœnis iuſti affligantur. Lib.* 10. *Trin.* & alibi ſæpè, de Anima vt ſibiipſi obiectiuè & intuitiuè præſentiſſima; & ſic de corpore, totaque natura propria. *Lib.* 12. *in Gen.* De poteſtate naturali & libera ſpirituum, ſe & ſua ſecreta reuelandi, occultandi, & mirabilia circa corpora extrinſeca operandi. Cur non & anima rationalis ex natura ſua habeat aliquid ſimile circa ſeipſam, & corpus ſuũ? Si Dæmones poſſunt ſignis magicis munire corpora humana, contra arma & vulnera, illaque inuiſibilia reddere: cur non potiùs Anima Chriſti Corpus proprium? Hæc enim ſunt ad finem naturalem hominis, ſeu ad propriam conſeruatiõnẽ, non Angelorũ: nec ſunt contra, ſed ſecundùm ordinẽ vniuerſi; vt ſuperiora poſſint in ſua inferiora, non è contra. Hinc *Gen.*3. Deus dedit homini poteſtatem connaturalem in omnia animalia: quantò magis in Corpus proprium? *Pſal.* 8. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c. Vt *Al. p.* 2. *à q.* 59. *ad* 100. *S. Bon in* 2. *d.* 19. *art.* 1. 2. Vbi *Scotus* videtur aliter ſentire: ſed poteſt conciliari, quòd poteſtas voluntatis in ſuum corpus, contra alia agentia, fuiſſet limitata, & liberè ſubordinata legi & ordini naturali Dei. Vt ſicut Deus ordinatè regit, & dirigit omnia, ad ſuos motus & fines proprios: Sic & voluntas humana, ſed præ omnibus Chriſti in Corpus ſuum. Quæ cùm ſit quædam imago naturalis Dei, in anima rationali: cui conueniet ſi non animæ Chriſti?

Ad omnia quæ replicari poſſunt. *Reſp.* Natura humana Chriſti eſt prima, & finis omnium infra Deum: ideo non ſubeſt vlli ordini naturali aliarum. Nec tamen eſt ſupernaturalis: ſed huius naturæ ſingularis.

## QVÆSTIO XI.

*Quanta ſit perfectio ſupernaturalis, ſubſtantialis & accidentalis, ſpiritualis & corporalis, potentialis, habitualis, & actualis, realis, intentionalis, & moralis, naturæ humanæ Chriſti.*

DE quibus pauca promiſcuè, ſupra: *Quæſt.* 1. dogmaticè, & *quæſt.* 2. 6. Scholaſticè; ſed hîc plura & difficiliora diſtinctè. 1. De perfectione ſupernaturali, & gratuita: an & quæ potuerit eſſe talis, huic naturæ vt vnitæ, vel vniendæ; aut etiam alijs omnibus ſupernaturalior, & ſupernaturaliſſima, magis minùſue, vel ſummè gratuita? 2. De perfectione ſubſtantiali, eſſentiali, materiali, formali, integrali, ſingulari: an, & quæ potuerit eſſe ſupernaturalis, & gratuita. 3. De perfectione accidentali, ſpirituali, potentiali, & habituali: an potuerit eſſe ſupernaturalis & gratuita? De perfectione ſupernaturali intellectus humani Chriſti, præ omnibus Angelis: per ſcientiam vnã, plures, vel omnes poſſibiles, ſpeculatiuas & practicas, per ſe infuſas & acquiſitas, habituales & actua-

actuales, infinitas, vel ſummas, intenſiuè & extenſiuè, circa omnia ſcibilia ſimul vel ſucceſſiuè, imaginatiuè, diſcurſiuè, vel ſimpliciter; Denique per lumen gloriæ, & viſionem finitam vel infinitam Dei, & eandem vel alias finitas vel infinitas ſimul omnium ſcibilium ex Deo. 5. De perfectione ſupernaturali voluntatis humanæ Chriſti in ſe: per ſanctificationem & ſanctitatem impeccabilem; ex ſola vnione hypoſtatica, Perſona, vel ſanctitate Diuina formaliter, vel neceſſariò per gratiam inhærentem & permanentem, habitualem vel actualem, finitam, infinitam, vel ſummam, entitatiuè vel gratificatiuè, eiuſdem aut ſuperioris ordinis quàm noſtra; vel per viſionem, vel per fruitionem beatificam, vel per gratias actuales efefficaciſſimas ad omne bonum, & contra malum; vel denique per aliquam ſingularem perfectionem ſubſtantialem. 6. De perfectione eiuſdem voluntatis ad operandum erga Deum: per omnes virtutes Theologicas, & dona Spiritus S. vel per ſolam charitatem habitualem & actualem, ſeu fruitionem Dei beatiſſimam, finitam, infinitam, vel ſummam. 7. De perfectione ſupernaturali eiuſdem voluntatis circa omnia alia obiecta: per ſolam eandem charitatem, vel per omnes virtutes morales, habituales, & actuales, infuſas & acquiſitas, & per omnia dona & gratias gratis datas. 8. De perfectione ſupernaturali appetitus ſenſitiui Chriſti, proportionata perfectioni voluntatatis. 9. De perfectione corporali ſenſitiua & vegetatiua: naturali, ad finem naturalem; vel etiam ſupernaturali, ad finem ſupernaturalem. 10. De perfectione naturali, vel ſupernaturali totius temperamenti Chriſti. 11. De perfectione quantitatis, ſeu menſuræ præciſæ, & figuræ ac formæ Corporis Chriſti. 12. De perfectione naturali vel ſupernaturali qualitatiua corporis Chriſti: ſeu actiua, motiua, obiectiua omnium ſenſuum; vt viſibili, audibili, totaque pulchritudine exteriori corporis Chriſti. 13. De poteſtate humana & morali, Sacerdotali, & Regali, Iuriſdictionis & proprietatis Chriſti: ex vnione hypoſtatica. Circa quæ omnes Philoſophi ac Theologi Chriſtiani ſtudioſè collimant ad ſummam perfectionem poſſibilem huius totius naturæ humanæ, & Corporis ac Animæ Chriſti: nec differunt niſi de poſſibili, & compoſſibili cum vera natura humana, corporis & animæ, cum ſtatu patiendi, & cum vera oppoſitione inter quaſdam perfectiones. Sed noſtri Authores videntur præ omnibus conſentire, & aſſequi omnem perfectionem poſſibilem & compoſſibilem: exceptis paucis conciliandis, & vlteriùs promouendis.

Ex *Al. p. 3. q. 9.* De ſanctificatione Animæ & Corporis Chriſti. *Q.* 11. De gratia Chriſti in genere. *Q.* 12. De gratia Chriſti in ſpeciali. *M.* 1. De gratia vnionis. *M.* 2. De gratia Capitis. *Art.* 2. §. 1. Eſt etiam Caput Angelorum. §. 5. Influit eis veritatem. *M.* 3. De gratia plenitudinis. *Q.* 13. De ſcientia Chriſti, naturali, acquiſita, infuſa, gratuita, ſupernaturali, & beata. *Q.* 14. De Potentia Chriſti, gratuita, ſupernaturali, & impeccabili.

Ex *S. Bon. in 3. diſt. 12. art. 2.* De impeccabilitate Chriſti: ex gratia, gloria, & efficaciſſimè ex vnione hypoſtatica. *Diſt.* 13. *art.* 1. De gratia ſingulari Chriſti. *Q.* 1. Fuit creata, vt diſponens ad vnionem hypoſtaticam, & perfectionem merendi. *Q.* 2. Eſt finita abſolutè: ſed infinita comparatiuè, &c. *Ad* 4. Diſponit congruè ad vnionem hypoſtaticam. *Q.* 3. Fuit à primo inſtanti plena & ſuperabundans, &c. *Art.* 2. De gratia Capitis. *Q.* 1. Vt influens meritoriè, eſt creata: vt influens cauſaliter, eſt increata. *Q.* 2. De differentia inter gratiam Capitis, & ſingularem. *Q.* 3. Chriſtus influit etiam Angelis reuelationes, & gaudia accidentalia. *Ad* 3. Angeli non ſunt propriè membra Chriſti. *Diſt.* 14. De ſapientia animæ Chriſti. *Art.* 1. De clara viſione, non comprehenſione Dei. *Art.* 2. De cognitione habituali, non actuali, omnium in Verbo. *Art.* 3. De alia ſcientia, infuſa, & acquiſita.

Ex *Scoto in 3. d. 2. q.* 1. Quæuis natura poteſt vniri hypoſtaticè, ſine fruitione. *D.* 12. *q.* 1. Cùm Chriſtus à primo inſtanti fuerit Beatus: ex vi beatitudinis fuit impeccabilis. *Ad* 2. Natura aſſumpta ex ſe potuit peccare: ſed fuit primo inſtanti confirmata, & impeccabilis per beatitudinem. Vt in 4. *d.* 49. *q.* 6. Beati ſunt impeccabiles ex ſola voluntate Diuina conſeruante: nec in ſenſu diuiſo, ſed compoſito cum decreto præſeruationis. *D.* 13. *q.* 9. Probabile eſt quòd Deus tantam gratiam contulerit animæ Chriſti, quanta conferri potuit: ſicque ſummam .i. quâ maior eſſe nequit, nec erit ei æqualis. *Quæſt.* 3. Anima Chriſti poteſt ſummè frui formaliter & paſſiuè: ſed fortè non elicitiuè; de facto tamen ſummè fruitur etiam elicitiuè, per ſummam gratiam, &c. *Quæſt.* 4. Poſſet conferri ſumma fruitio, ſine ſumma gratia: ſi voluntas & gratia non ſunt ad hoc eſſentialiter ſubordinatæ. Non tamen ordinatè: quia perfectio actus ſecundi eſt ab actu primo. *D.* 14. *q.* 1. Potuit anima Chriſti perfici viſione Dei perfectiſſima, &c. vt de fruitione. *Q.* 2. Poteſt dici quòd anima Chriſti videat actualiter & elicitiuè in Verbo omnia quæ Verbum videt: quia non tam repugnat videre infinita numero, quàm infinitum, &c. Si hæc via non placet: poteſt dici quòd videt omnia habitualiter. *Q.* 3. Poteſt dici quòd nec abſtractiuè, nec intuitiuè nouerit omnia in genere proprio: ſed abſtractiuè per ſpecies infuſas, omnes quidditates, non omnia ſingularia; intuitiuè, non niſi res in ſeipſis, vel in memoria exiſtentes & præſentes, per ſpecies acquiſitas, & varias experiẽtias. Sed ſolæ res actualiter præſentes, & influẽtes, perfectè videntur: Res autem viſæ, nonniſi imperfectè & memoriter. *Q.* 4. Nouit omnia perfectiſſimè: habitualiter & actualiter, abſtractiuè, per ſpecies perfectiſſimas; non tamen perfectiſſimè intuitiuè, niſi in Verbo, vel Deo ſupplente defectum intellectualitatis humanæ præ omni Angelica.

Cùm ergo omnes intendant ſummam perfectionem poſſibilem, & *Scotus* proteſtetur *diſt.* 13. *q.* 1. ſe malle excedere, quàm deficere: non erit contra, ſed ſecundùm eorum mentem, ſi quid vltra eorum litteram ex ſacra Script. ſacris Conc. Patribus, & ratione naturali, ac alienis etiam opinionibus, ad hanc Quæſtionem reſpondeamus.



Digitized by Google

## Reſponſio ad omnia.

EX vnione hypoſtatica, vel ordinatione ad illam, natura vnita vel etiam vnienda, fuit & eſt neceſſariò vel congruè, naturaliter & ſupernaturaliter perfectiſſima: omni perfectione ſubſtantiali & accidẽtali, ſpirituali & corporali, potentiali, habituali, & actuali, reali, intẽtionali, & morali, poſſibili, & compoſſibili. Qualis eſt videtur. 1. Perfectio ſupernaturaliſſima, & gratuitiſſima, præ omnibus alijs ſupernaturalibus etiã poſſibilibus. 2. Perfectio ſubſtantialis, ſpiritualis & corporalis, ſed ſingularis: præ omnibus ſingularibus etiam poſſibilibus. 3. Perfectio accidentalis, potentialis, habitualis, obiectiua ſeu intelligibilis, & actualis, præ omnibus talibus poſſibilibus. 4. Perfectio ſupernaturalis intellectus humani Chriſti, præ omnibus Angelicis poſſibilibus. 5. Perfectio ſupernaturalis omnis ſcientiæ, infuſæ & acquiſitæ, habitualis & actualis, circa omnia ſcibilia; præ omnibus alijs poſſibilibus. 6. Perfectio viſionis Dei, & eiuſdem omnium ſcibilium ex Deo: præ omnibus poſſibilibus ſimul. 7. Perfectio ſanctitatis impeccabilis: non tantùm ex continua efficacia gratiæ, viſione ac fruitione Dei, vnione hypoſtaticâ cum ſanctitate eſſentiali Dei in eadem perſona; ſed etiam ex ipſâ ſupernaturalitate ſubſtantiali ac ſingulari huius naturę. 8. Perfectio ſummæ gratiæ habitualis: vt gratificantis in infinitum, præ omni alia poſſibili. 9. Perfectio ſimpliciter omnium virtutum Theologicarum, & moralium, infuſarum, & acquiſibilium: præ omnibus alijs poſſibilibus. 10. Perfectio omnium actuum & paſſionum, ſpecialiter viſionis ac fruitionis beatificæ, præ omnibus poſſibilibus. 11. Perfectio appetitus ſenſitiui præ omni poſſibili. 12. Summa perfectio corporalis, quantitatiua, & qualitatiua, interna & externa, vegetatiua, ſenſitiua, & ſenſibilis ſeu obiectiua ſenſum, præ omnibus ſimul poſſibilibus. 13. Perfectio moralis, ſeu ſumma poteſtas Sacerdotalis, & Regia, iuriſdictionis & proprietatis, in omnem creaturam.

Quæ omnia affulgent nobis. 1. Ex ſacra Script. Nam ipſum nomen Ieſu, ſeu Saluatoris ab omnibus peccatis: ſupponit eum eſſe ſanctiſſimum, & liberrimum ab omni periculo peccandi, ex aliqua proprijſſima perfectione. Nomen Chriſti, ſupponit ipſum non tantùm eſſe vnctum ſuperficialiter, ſeu accidentaliter: ſed etiam totum ſubſtantialiter eſſe conditum balſamo Diuinitatis. Hinc *Pſal.* 44. *Dan.* 9. Vt vngatur ſanctus Sanctorum. *Luc.* 1. Quod naſcetur ex te Sanctum, &c. Quæ exprimũt ſanctitatẽ impeccabilẽ, & incomparabilem Chriſti præ omnibus ſanctificatis, & confirmatis in ſanctitate accidentali. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis, &c. De plenitudine eius omnes accepimus, &c. Non tantùm meritoriè, ſed & participatiuè; non vniuocè quaſi ex gratia ſimili quantumuis maiori, ſed incomparabili. Vt teſtatur *ibidem*, quo nullus maior ſeu ſanctiòr natus. *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.* Ioan. 3. *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum:* Vtique Chriſto ſuo. Sed *Eph.* 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. *Coloſſ.* 2. In Chriſto ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei abſconditi. *Iſa.* 60. *Ioan.* 1. *Luc.* 1. 2. & vbiq; vocatur lumẽ, in quo nullæ ſunt tenebræ, nec vlla vmbra ignorantiæ: ergo omnis & omnium ſcientia poſſibilis & compoſſibilis. Nam vt plura lumina ſunt in eodem ſubiecto compoſſibilia: ſic & omnis lux ſpiritualis in anima Chriſti. Hinc *Iſa.* 9. Inter titulos Chriſti vocatur Conſiliarius: vel noſter, vel quaſi ipſius Dei circa nos; à ſapientia incomparabili. *Iſa.* 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Vbi, requies illa eſt ſtatus immutabilis & originalis omnium gratiarum: diſtinctio illa, eſt perfectio diſtincta ſingularum virium animæ circa ſingula obiecta. Sub plenitudine autem timoris, exprimitur tantò potius plenitudo reliquorum donorum. Quia *Pſal.* 131. ſicut vnguentum in capite quod deſcendit in Barbam Aaron, vſque in oram veſtimenti eius: Ita & Balſamum illud diuinum tam copioſè condit totam ſubſtantiam humanam Chriſti; vt imbuat ſuis gratijs omnes eius vires ad omnia. *Pſal.* 44. Specioſus præ filijs hominum: diffuſa eſt gratia in labijs tuis, &c. *Ier.* 31. Fœmina circumdabit virum. *Matt.* 17. Transfiguratus eſt coram eis, &c. *Eph.* 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, &c. Quæ ſatis indicant omnem illam perfectionem corporalem Chriſti à primo ſuo inſtanti: quamuis voluntariè latentem, ſuſpenſam, & accommodatã huic viæ & vitæ humanæ. *Iſa.* 33. Dominus Iudex noſter, Legifer noſter, Rex noſter, ipſe ſaluabit nos. *Pſal.* 2. Conſtitutus ſum Rex ab eo. *Zach.* 9. Ecce Rex tuus. *Matt.* 2. Rex Iudæorum. *Ioan.* 18. Ergo Rex es tu? Tu dicis, quia Rex ſum ego. *Apoc.* 13. Rex regum, &c. 1. *Tim.* 2. Vnus eſt Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, &c. *Pſal.* 109. *Hebr.* 5. Tu es Sacerdos in æternum, &c. *Mat.* 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, &c. De perfectione dignitate & poteſtate morali Chriſti: non ex ſola dignitate extrinſeca, & quaſi acceptione perſonali; ſed ex tota illa perfectione reali, vt digniſſima tanta poteſtate morali.

2. Ex ſacris Conc. & Symbolis fidei: quibus profitemur maximas perfectiones de Chriſto homine. Vt in Symbolo S. Athan. *Perfectus Deus perfectus homo:* vtique ſimpliciter, quantum perfectibilis eſt. Nec enim reſtringitur perfectio hominis, per animam rationalem & carnem humanã ex qua conſtat; niſi ad quantum corpus & anima humana capere poteſt. Poteſt autem obedientialiter capere tantam, quanta eſſe poteſt, &c. Vt *q.* 1. ex ſacris Conc. & dogmatibus, contra hæreſes omnes & hæreticos, detrahentes veritati, & alicui perfectioni diuinæ vel humanæ Chriſti. Vt contra quendam *Petrum Abaillardum:* qui tantùm negabat in Chriſto ſpiritum timoris Domini.

3. Ex SS. PP. præconijs de perfectione diuina & humana Chriſti: non hyperbolicè ſeu exceſſiuè; ſed defectiuè, ſeu profitendo eſſe maiorem quàm dici vel æſtimari poſſet. Vt *B. Aug. Epiſt.* 3. Si ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur.

Digitized by Google

ſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe, &c. ſupra. *Col.* 252. Quæ non ſunt de ſola vnione hypoſtatica: ſed de partu virgineo,ſeu perfectione etiam corporali Matris parientis, quantò magis de ſpirituali & corporali filij naſcentis? *Lib.* 3. *De lib. Arb. c.* 5. Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, &c. Si te delectat creatura quæ non peccat: crede eſſe talem, &c. *Lib.* 22. *contra Fauſt. cap.* 28. An ſit aliqua rationalis creatura, quam nihil poſſit illicitum delectare: magna quæſtio eſt, &c. Atqui nulla quæſtio eſt quin multæ tales ſint ex gratia accidentali: ergo an aliqua eſſe poſſit ex ſua natura ſic inſtituta, & ex gratia ſubſtantiali ac ſingulari. Quod ſi poteſt eſſe probabile de vlla: quantò potiùs de hac natura ſingulari, vt hypoſtaticè vnita, vel vnienda? *Enchir.* 40. Ex vnione hypoſtaticâ *facta eſt quodammodo gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum poſſit admittere.* Vbi *modificat* quidem illud *naturale*: non tamen modo imperfecto aut improprio; ſed poteſt intelligi perfectiſſimo. Quo gratia ipſa ſubſtantialis & originalis Dei facta ſit etiam eſſentia & natura hominis Chriſti: qua & ſit Deus, & ſanctus ſanctitate Diuina, non minùs ſed plus vnita animæ Chriſti in eadem perſona, quàm vniri poſſit gratia inhærens ſubiecto. Vel quo modo, gratia illa facta ſit naturalis .i. identificetur huic naturæ ſingulari vnitæ vel vniendæ: ſiue ipſa vnio hypoſtatica identificetur realiter naturæ vnitæ, ſiue ſingularitas huius naturæ ſit ſupernaturalis, & tamen realiter identica naturæ. Quia cùm ſint tot differentiæ ſingulares quot naturæ, nec poſſint omnes eſſe æquales: cur non ſit aliqua ſumma & ſupernaturalis omni agenti naturali, taliſq; ſit ſingularitas naturæ humanæ Chriſti? Denique cum *B. Aug.* ſæpè cenſeat non poſſe peccari niſi quia aliquid illicitum delectat: nec ei videatur impoſſibilis aliqua creatura rationalis quam nihil poſſit illicitum delectare: cur hæc anima Chriſti ex propria ſubſtantiali & ſingulari perfectione ſupernaturali non poſſit eſſe impeccabilis? Sicque hoc quadam modo gratia quæ non poteſt compati peccatum, identificetur huic animæ Chriſti. Nec obſtat quòd cùm ſit creatura, & ex nihilo, ſit etiam natura ſua defectibilis in eſſendo & operando. Tum quia anima Chriſti vt vnienda Perſonæ diuinæ, non videtur creari ex nihilo ſui: cùm creetur ab ipſa Perſona, vt ſua, cui vnienda eſt. Tum quia non videtur poſſe deficere in operando realiter aut moraliter: niſi deficiente Perſona per eam operante. Tum quia non videtur deficere poſſe ab vnione hypoſtatica, niſi deficiente identitate ſingulari huius naturæ & exiſtentiæ propriæ, vt infra. *Lib.* 13. *Trin. c.* 19. Vidimus gloriā eius, &c. *Ioan.* 1. In rebus enim per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quòd homo in vnitate Perſonæ coniunctus eſt Deo, &c. Quæ ſummitas gratiæ non eſt contrahenda ad vllum modum minùs proprium aut perfectum: ſed extendit ſe ad omnem poſſibilem & perfectiſſimum; tam intrinſecè & formaliter, quàm extrinſecè & terminatiuè; tam intenſiuè, quàm extenſiuè; tam abſolutè, quā comparatiuè; tam entitatiuè, quàm gratificatiuè. Quia id exigit ſummitas illa ſimpliciter dicta, & ad explicandam illam plenitudinem gratiæ, *quaſi Vnigeniti à Patre*, Ioan. 1. *Lib. De corrept. & gratia cap.* 11. Nec metuendum erat ne iſto ineffabili modo natura humana ſuſcepta, per liberum voluntatis peccaret arb. cùm iſta ſuſceptio talis eſſet, vt natura ita ſuſcepta nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret, &c. Ergo ex vi huius vnionis, & perfectione naturæ vnitæ erat extra omne periculum peccandi, imò & incapax recipiendi vllum motum malum. *Enchir.* 36. Per hanc gratiam factum eſt, vt homo Chriſtus nullū poſſit habere peccatum. Ergo negat in Chriſto vt homine non ſolum potentiam peccandi: ſed & poſſibilitatem habendi peccatum. *Lib.* 2. *De pec. mer. & rem. cap.* 24. Solus ille homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit, nec ſumpſit carnem peccati. *Epiſt.* 129. *q.* 3. Anima Chriſti nō eſt ex anima Adami, &c. Vbi, & alibi ſæpè eximit corpus & animam Chriſti ab omni peccabilitate, actiua & paſſiua peccati orig. & actualis, pręomnibus alijs incomparabiliter. Ergo ex aliqua perfectione própria huius naturæ ſingularis Chriſti, vel ex eius vnione ſubſtantiali cum Perſona diuina. *Lib. De prædeſt. SS. cap.* 15. Nunquid metuendum fuit ne homo ille libero peccaret Arb. An non tantò liberior erat, quantò peccato ſeruire non poterat, &c? Vbi præfert impeccabilitatem & libertatem Chriſti à peccato, libertati Beatorum vt ab hac diuerſam. Alioquin, in non poſſe abſolutè, non datur magis & minùs. *Infra.* Prædeſtinata eſt illa naturæ humanæ tanta ſubuectio, vt quò attolleretur ampliùs non haberet. Ergo ad ſummam gratiam & gloriam poſſibilem.

4. Ex *Alenſi P.* 3. *q.* 3. *m.* 5. Gratia vnionis, eſt terminus omnium gratiarum noſtrarum: & omnes noſtræ gratiæ & gloriæ terminantur ad gratiam & gloriam Chriſti. *Quæſt.* 8. *m.* 3. *ad vlt.* Gratia non fuit Chriſto naturalis, quaſi ab ipſa natura; ſed per modum naturæ. Quia ineſt ei inſeparabiliter, vt vires naturales, &c. *Quæſt.* 10. *m.* 4. Chriſtus vt homo non adoptatur. *Ad* 1. Nec humanitas Chriſti adoptatur. *Q.* 11. *m.* 3. Nihil deeſt Chriſto de gratia quæ poteſt haberi ab homine. *Ad* 2. Vt minor lux non abſorbetur à maiori: ſic nec gratiæ Chriſti inter ſe. *Q.* 12. *m.* 1. *a.* 1. Gratia vnionis diſponens, eſt creata: ſed complens eſt increata, & ipſe Spiritus S. *Art.* 2. §. 1. Eadem eſt re & ratione, gratia increata vnionis, & Capitis, &c. *Art.* 3. §. 5. Angeli percipiunt etiam à Chriſto vt Capite cognitionem veritatis, &c. *M.* 3. Gratia vnionis eſt gratia plenitudinis, in ratione cauſæ finalis, vt perfectiſſimæ poſſibilis. Gratia Capitis, eſt gratia plenitudinis, in ratione cauſæ efficientis. Gratia ſingularis Chriſti, eſt gratia plenitudinis in ratione cauſæ formalis; quia pleniſſimè informat omnes vires animæ Chriſti, ad omnes actus. *Ad* 1. In Chriſto fuit perfectio omniū virtutum, ſine imperfectione. *Ad* 2. Dicitur plenus gratiæ & veritatis, *Ioan.* 1. quoad omnem perfectionem ſeu conſummationem, ſine imperfectione. *Q.* 13. *m.* 1. Vt in Chriſto ſunt duæ naturæ, ſic & ſcientiæ: ad perfectionem intrinſecam naturæ humanæ. *M.* 2. Habuit ab initio perfectio-

 rem

rem ſcientiam infuſam eorum omnium quæ poſtea didicit per experientiam. *M.* 3. Scientia Chriſtì fuit ſine vlla ignorantia,&c. *M.* 4. Habuit omnium ſcientiam. *M.* 5. Habuit omnem modum ſciendi, ſine imperfectione ignorantiæ. *M.* 6. Non recepit vllam cognitionem ab Angelis. *M.* 7. Anima Chriſti ſcit omnia quæ Deus :: dependenter tamen & inæqualiter. *Q.* 14. De potentia Chriſti. *M.* 1. Non fuit in Chriſto potentia peccandi : nec potuit peccare niſi vellet ; nec velle, ſeu in volendo deficere. *M.* 2. Anima Chriſti non habuit Omnipotentiam, vt Omniſcientiã. *Ad* 1. Data eſt ei gratia ſine menſura, *Ioan.* 3. ad cognoſcendum omnia ſcibilia; ſed ad operandum poſſibilia creaturæ. *Ad* 2. Omniſcientia includit ſimilitudinem rerum omnium, non cauſalitatem. *Ad* 5. Anima rationalis eſt infinita, ſeu illimitata ad cognoſcibilia, non ad operabilia. *Q.* 15. *m.* 1. *a.* 2. Voluntas ſenſualis Chriſti non fuit contraria rationali, nec moraliter, nec naturaliter,

5. Ex *S. Bon. d.* 3. *p.* 2. *a.* 3. De perfectione Corporis Chriſti. *D.* 12. *a.* 2. De impeccabilitate Chriſti. *Q.* 1. Efficaciſſimè ex vnione hypoſtatica: qua ipſa impeccabilitas Dei communicatur Chriſto homini. *Q.* 2. *ad* 4. Anima Chriſti non fuit æquè impeccabilis ac Deus ipſe. *D.* 13. *a.* 1. *q.* 2. Gratia Chriſti eſt abſolutè finita : ſed comparatiuè ad gratias aliorum eſt infinita, excedens omnes in infinitum, &c. Non potuit ei dari maior : ob incapacitatem ſubiecti, quæ nec poteſt eſſe maior. *Ad* 4. Excedit omnes alias in infinitum : quia non eſt prorſus eiuſdem generis proximi. *Ad* 6. Anima Chriſti non poteſt appetere maiorem gratiam : quia per eam vnitur perfectiſſimè bono infinito. *Q.* 3. Hæc gratia fuit plena & perfecta à primo inſtanti, *Ioan.* 1. *Ad* 1. Non fuit in Chriſto fides & ſpes : ob harum imperfectionem. *D.* 14. *a.* 1. *q.* 1. Anima Chriſti cognoſcit Verbum ſibi vnitum, ſapientiâ creatâ: quia non vnitur ei hypoſtaticè vt obiecto, nec vt formæ actuali vel habituali. *Q.* 2. Non comprehendit Verbum ſibi vnitum. *Art.* 2. *q.* 3. Cognoſcit omnia, ſecundùm totam capacitatem potentiæ : ex Verbo vt ſpeculo voluntario, ſed in infinitum promptiori animæ ſibi vnitæ, quàm alijs. *Art.* 3. Præter ſcientiam glorioſam in Verbo, habuit gratis datam rerum omnium per ſpecies infuſas, & acquiſitam in genere proprio per experientias, ad omnem perfectionem animæ. Cognitio minùs perfecta, poteſt eſſe cum glorioſa : non autem ex ſe imperfecta. *Q.* 2. Non acquiſiuit cognitionem ignotorum, ſed nouum modum eadem cognoſcendi. *Q.* 3. *ad* 5. Anima Chriſti eſt Omniſcia, non Omnipotens : quia ſcientia eius eſt magis paſſiua: ſed Omnipotentia non eſt niſi actiua, &c. Vt *Alenſis.*

6. Ex *Scoto.* ſat ſupra. 7. Ex omnibus aliquid conferentibus ad hanc ſummam perfectionem.

8. Ex tota noſtra *quæſt.* 2. 3. 6. 8. 9. 10. quæ diriguntur ad ſummam perfectionem poſſibilem naturæ humanæ Chriſti.

9. Ex congruis rationibus naturalibus. 1. Vt natura vnienda, & vnita, ſit perfectiſſimè proportionata ſuæ Perſonæ. 2. Vt prima & proxima communicatio Dei ad extra, ſit perfectiſſima poſſibilis. 3. Vt Deus non quieſcat ab omni opere, niſi in hoc vt perfectiſſimo omnium poſſibilium. 4. Vt perfectiſſima Idea Dei, perfectiſſimè exprimatur in Chriſto. 5. Vt omnes perfectiones poſſibiles in eodem exiſtant: ne quæ poſſibilis careat in æternum omni exiſtentia. 6. Ne quid in æternum deſit ad maximam Dei gloriam. 7. Ex *Sap.* 11. Deus omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuit. Ergo prouidit ne vllius ordo rerum ſit interminatus: ſed omnis ordo perfectionis naturalis & ſupernaturalis in Chriſto terminetur. 8. Nec tantùm terminetur : ſed & in eadem natura tota perfectio naturalis & ſupernaturalis coüniatur & reüniatur. 9. Vt omnia reliqua Dei opera, etiam poſſibilia, mobilia & defectibilia : huic quaſi centro & fundamento à Deo immobili, immediatè adhæreant, & eo mediante à Deo dependeant. 10. Vt ſit vnicum vniuerſum, & vnicus ordo rerum omnium inter ſe : qui nec poſſit deficere, Chriſto eminenter ſupplente omnes defectus naturales & liberos.

10. Ex congruis rationibus moralibus. 1. Ex *Gen.* 2. Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, &c. Erunt duo in carne vna. *Epheſ.* 5. Sacramentum hoc magnum eſt, in Chriſto & Eccleſia. Cùm ergo vnio coniugalis prudentum, ſit inter pares aut ſimiles : quantò potiùs vnio hypoſtatica ipſius Sapientiæ, cum natura humana per gratiam ſibi omnium ſimillima, ſeu præ omnibus aſſimilata ? 2. Ex *Matt.* 17. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui,&c. *B. Aug. Tract.* 110. Quis dignè eloqui poſſit, quantùm Deus diligat membra Vnigeniti ſui : & quantò ampliùs ipſum Vnigenitum ? Membra quippè Vnigeniti, ad Angelorum ſuorum æqualitatem gratiæ ſuæ largitate perducit.] Non eſt autem ſapientiæ, prædiligere niſi meliora, vel niſi quæ ſunt, vel vt ſint meliora : Ergo natura humana Chriſti eſt tantò melior alijs omnibus, etiam poſſibilibus, quantò plus omnibus ab ipſa Dei Sapientia diligitur. 3. Ex *Epheſ.* 1. Elegit nos in ipſo, vt eſſemus Sancti .i. participes ſanctitatis eius. Quantò potiùs natura humana primò electa eſt, vt eſt, vel vt ſit ſanctiſſima. 4. Ex *Act.* 10. Deus non eſt acceptor perſonarum. *Iac.* 2. Si perſonas accipitis, peccatum operamini, &c. *Heb.* 2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen *Abrahæ.*] Ergo nec Deus acceptat ſolam naturam humanam Chriſti ad vnionem hypoſtaticam, præ omnibus alijs humanis & Angelis, niſi eam intrinſicè perficiendo præ omnibus etiam poſſibilibus : nec imputat omnia eius opera ad tanta merita ob ſolam dignitatem extrinſecam Perſonæ Diuinæ; ſed etiam ob intrinſecam perfectionem proportionatam eius naturæ humanæ. 5. Nonniſi digniores & perfectiores eligendi & promouendi ſunt in ſuperiores, ſeu ad ſtatus & officia, niſi hoc ipſo perficiantur. Ergo hæc natura humana non fuit ſolo fauore Dei externo promota ad ſummum ſtatum moralem; ſed etiam ſumma perfectione intrinſeca. 6. Natura huius vniuerſi ita abhorret vacuum intra ſe : vt grauia ſurſum, leuia deorſum moueantur

ad

Digitized by Google

ad cauendum omne vacuum locale. Quantò potiùs author omnium naturalium & ſupernaturalium, repleuit in Chriſto omnem capacitatem naturalem & obedientialem, ſummâ perfectione poſſibili? Ne eſſet in illo, *eſt, & non eſt*, 2. *Cor*. 1. Id eſt, aliqua perfectio, & aliqua eius priuatio. 7. Lux intima & ſumma excludit ab aëre & corpore lucido omnes tenebras & vmbras. Ferrum totum intimè & quaſi penetratiuè ignitum, intrinſecè afficitur & perficitur forma & totâ perfectione ignis. Corpus intimè balſamo conditum, & immerſum, tota perfectione balſami imbuitur. Quantò potiùs natura humana hypoſtaticè vnita perficitur quantum perfici poteſt à Perſona & natura Diuina? 8. Vt anima non vnitur corpori, niſi proportionatæ perfectionis, vel ſibi illud proportionando, & perficiendo omni perfectione ſibi poſſibili: Sic & Perſona, & natura Diuina, ſine vlla ſui mutatione aut imperfectione vnit, & perficit ſibi hanc naturam humanam vniendam aut vnitam, omni perfectione poſſibili. 9. Si vnio obiectiua viſionis & fruitionis aſſimilat, & transformat in Deum, 1. *Cor*. 15. Erit Deus omnia in omnibus, 2. *Cor*. 3. In eandem imaginem transformamur, 1. *Ioan*. 3. Similes ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quantò plus vnio hypoſtatica perficit formaliter, vel conſequenter? 10. Cùm Deus tantum excedat captum intellectus noſtri in operibus naturæ, gratiæ, & gloriæ: quantò plus in hoc ſummo opere naturali & ſupernaturali? Vt *B. Aug*. ſupra, *Epiſt*. 3.

## *Difficultas* 1. *Ex ſacra Script.*

PSal. 21. Ego ſum vermis, & non homo. *Eſa*. 53. Non erat ei ſpecies neque decor: & vidimus eum, &c. nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, &c. *Luc*. 2. IESVS proficiebat ætate, ſapientia, & gratia apud Deum & homines. *Heb*. 2. IESVS modicò quàm Angeli minoratus eſt, &c. Debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret. *Heb*. 5. Didicit ex eis quæ paſſus eſt, obedientiam. 1. *Cor*. 15. Seminatur corpus animale, ſurgit ſpirituale, &c. Non priùs quod eſt ſpirituale, ſed quod animale, &c. de corpore *Adæ* & Chriſti. *Ioan*. 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo, &c. *Reſp. Ad* 1. 2. De paſſione & morte Chriſti, vt voluntaria & libera, non vt naturali & neceſſaria. Vt patet ex illis *Eſa*. 53. Quaſi abſconditus vultus eius, &c. Putauimus eum quaſi leproſum, &c. Oblatus eſt quia ipſe voluit, &c. *Ad* 3. Proficiebat ſapientiâ & gratiâ: actuali & experimentali, non autem infuſa; & tamen etiam coram Deo .i. interiùs, & meritoriè. *Ad* 4. Minoratus fuit ſub Angelis: naturâ humanâ, vt communi & corporea; non autem hac animâ ſingulari, multò minùs ſapientiâ & gratiâ. *Ad* 5. Debuit per omnia fratribus aſſimilari .i. debito voluntario, ac libero, non neceſſario & naturali: vt miſericors fieret .i. experimentaliter. *Ad* 6. Didicit ex eis quæ paſſus eſt obedientiam .i. experimentaliter. *Ad* 7. Non comparatur 1. *Cor*. 15. *Adam* cum Chriſto quoad corpus priùs animale quàm ſpirituale, ex natura vtriuſque corporis: ſed hoc illi præfertur vt cœleſte terreſtri; non ſolùm poſt reſurrectionem, ſed etiam ex propria natura Corporis Chriſti, vt Chriſti. *Ad* 8. Regnum meum non eſt de hoc mundo .i. non ſolo iure & more humano, ac communi; ſed proprio, ac excellenti. Vt patet ex his ſequentibus: *Si ex hoc mundo eſſet regnum meũ, miniſtri mei vtique decertarent, &c.* Hinc & *Matt*. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modò plus quàm* 12. *legiones Angelorum*? Et *Matt*. 17. 21. 26. & alibi vſus fuit hoc ſuo iure: non ſoluendo didragma, & ſumendo Aſinam ad vſum ſuum, *quia Dominus opus habebat, &c.* Nec ad illud *Eſa*. 53. replicari poteſt, Chriſtum fuiſſe oblatum, paſſum, &c. quia voluit ſolâ voluntate Diuinâ efficaci, vel permiſſiua, aut nonniſi propriâ voluntate humanâ conſentiẽte; ſed etiam efficaci, & permittente. Quia hoc prædicitur vt Chriſto proprium & ſingulare: eſt autem omnibus, vel ſaltem bonis commune, nihil eis vel ab eis fieri niſi voluntate Diuinâ, efficaci, aut permittente, & propriâ voluntate humanâ conſentiente; ergo eſt ſoli Chriſto proprium ſeipſum propriâ voluntate humanâ efficaciter obtuliſſe, & nonniſi eâdem voluntate permittente paſſum fuiſſe. Eſt enim ſenſus proprius horum verborum: Oblatus eſt quia voluit; non ſolùm voluntate Diuinâ cui oblatus eſt, ſed potiùs ex hac conſtructione, voluntate humana quâ oblatꝰ eſt.

Quòd ſi quid ſupra deſit ex ſacra Script. ad ſummam perfectionem naturæ humanæ Chriſti: ſuppleri poteſt ex *Sap*. 8. Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam: & cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Quæ *B. Aug*. ſic interpretatur de Chriſto, *lib*. 12. *in Gen*. 17. 18. Quid ingenioſius illo puero: cuius in annis 12. *Luc*. 2. Seniores ſapientiam mirabantur. Quid illâ animâ melius? &c. Quid incoinquinatius illo vtero Virginis? Cuius caro etiamſi de peccati propagatione venit: non tamen de peccati propagine concepit, &c. Proindè Corpus Chriſti, quamuis ex carne fœminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat: tamen quia non ſic in ea conceptum eſt quomodo fuerat illa concepta, nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati, &c. Denique, ſi à me quæratur vnde acceperit animam IESVS Chriſtus: mallem quidem hinc audire meliores atque doctiores; ſed pro meo captu libentiùs reſponderim, non de *Adam*, quàm de *Adam*. Si enim puluis aſſumptus ex terra, in qua nullus hominum fuerat operatus, meruit diuinitùs animari, *Gen*. 2. quantò magis corpus aſſumptum ex carne in qua nullus hominum fuerat operatus, ſortitum eſt animam bonam? Fortaſsè quia ſolent quæ ſorte dantur diuinitùs dari: aut ne vel illa anima aliquibus operibus præcedentibus ad tantum apicem ſubuecta putaretur, vt cum ea Verbum caro fieret, ad auferendam ſuſpicionem præcedentium meritorum, *Sortis* nomen acceſſit. *Cap*. 19. 20. 21. *B. Aug*. ex *Heb*. 7. diſtinguit Sacerdotium Chriſti, à Sacerdotio *Leui*: quòd *Leui* fuerit à *Melchiſedech* decimatus, cùm eſſet adhuc in

lumbis

lumbis *Abrahæ*; non autem Chriſtus fuerit ibi vel alibi decimatus. Ergo Chriſtus, inquit, non erat in lumbis *Abrahæ*, ſicut *Leui*. Quod quamuis *B. Aug.* referat ad eximendum Corpus Chriſti à vitioſa propagatione, & animam eius à traductione: hoc ipſo tamen quo tribuit Corpori & Animæ Chriſti ſingulárem exemptionem, & originem à Deo, ſupra omnes leges naturales, tribuit eis ſummam perfectionem etiam ſupernaturalem.

## *Difficultas* 2. *ex ſacris Concilÿs & Patribus.*

QVia profitentur veritatem, identitatem, & proprietates naturæ humanæ Chriſti, quoad Corpus & Animã: contra varias hæreſes negantes Chriſtum fuiſſe & eſſe eiuſdem naturæ humanæ, & earundem proprietatum naturalium nobiſcum. Vt in *Conc. Later. ſub Martino* 1. *Can.* 9. Si quis non confitetur propriè & verè naturales proprietates Deitatis, & humanitatis Chriſti, &c. ſit condemnatus. *Reſp.* Nulla perfectio poſſibilis naturæ humanæ Chriſti, eſt contra veritatem, identitatem, & proprietates naturæ humanæ communis: ſed proprietates huius naturæ ſingularis Chriſti, ſunt ſupra, non contra naturam communem, eiuſque proprietates. Quæ cùm potuerint eſſe tam perfectæ in ſtatu communi innocentiæ: quantò perfectiores in hoc ſtatu ſingulari & hypoſtatico? Si quæ autem videntur contrariæ: opponentur infra ex ratione.

## *Difficultas* 3. *ex Alenſi.*

P 1. *q.* 21. *m.* 3. *a.* 5. Chriſtus quoad naturam humanam potuit fieri melior in ſe, ſed non ad noſtram Redemptionem: quoad gratiam, nullus potuit eſſe eo melior, niſi de Omnipotentia Dei. *P.* 2. *q.* 13. *m.* 4. De impoſſibili creatura abſolutè immutabili: & ſic impeccabili. *P.* 3. *q.* 5. De aſſumpta à Chriſto natura humana paſſibili. Ergo non ex voluntate humana, ſed Diuina Perſonæ aſſumentis. *Q.* 9. *m.* 1. *a.* 2. De ſanctificatione naturæ humanæ Chriſti, ex non ſancta negatiuè. Ergo non eſt ſancta ex ſe, nec ex ſola vnione hypoſtatica. *Q.* 12. *m.* 1. Gratia vnionis, diſponens, eſt creata: ſed complens, eſt increata, ſeu ipſe Spiritus S. *Reſp. Ad* 1. Chriſtus potuit fieri melioris naturæ humanæ, vt impaſſibilis actu: non autem virtute, & poteſtate voluntatis. Nec vult vllam naturam humanam poſſe eſſe hac meliorem quoad gratiam, per Dei omnipotentiam: ſed inquit, *Non potuit eſſe melior de potentia paſſiua recipientis; ſed de omnipotentia actiua Dei, quamuis non poſſit intelligi.* Ergo tribuit impoſſibilitatem huic rei vt impoſſibili: non autem Omnipotentiæ Dei vt impotenti alicuius poſſibilis. Si enim eſſet poſſibilis: cur non poſſet maior gratia intelligi? *Ad* 2. *Ibidem.* Si quæ habentur ex natura & gratia eſſent ab initio coniuncta: dicerentur ſecundùm quendam modum naturalia, quæ modo gratuita; & ſic poſſet participari quædam immutabilitas naturalis.] Non quoad eſſe & non eſſe, nec quoad varios actus, aut non: ſed quoad obiectum & finem debitum, ad quem ſunt omnia gratuita & ſupernaturalia. Hinc *q.* 14. *m.* 1. negat in Chriſto omnem potentiam peccandi, & volendi peccare. *Ad* 3. Negat ibidem Chriſtum aſſumpſiſſe naturam paſſibilem, vt ſubiectam paſſioni; ſed vt potentem, & voluntariam ad patiendum. *Q.* 17. *m.* 1. *Ad arg.* ex *S. Hyl.* Reſpondet voluntatem Chriſti tam fuiſſe dominam ſuarum paſſionum, quàm actuum: nec Chriſtum habuiſſe naturam patiendi .i. naturaliter & neceſſariò, ſed voluntariè. *M.* 3. Negat in natura humana Chriſti omnem neceſſitatem patiendi, ex cauſa materiali, formali, & efficiente: ſed ex ſola cauſa finali. Imò *p.* 2. *q.* 83. negat paſſibilitatem corruptibilem naturæ humanæ in ſtatu innocentiæ. *Q.* 95. *m.* 4. Tribuit ei libertatem generandi Mares vel Fœminas, applicando liberè huc vel illuc vim generatiuam. Quantò potiùs habuit Chriſtus libertatem in omnem vim ſuam vegetatiuam, & ſenſitiuam, actiuam & paſſiuam? *Ad* 4. Poteſt intelligi de ſanctificatione accidentali: ex non ſancta hac ſanctitate; ſed ex ſancta ſanctitate ſubſtantiali. *Ad* 5. Non de gratia complente, ſeu terminante ipſam formalem vnionem hypoſtaticam: ſed de obiecto Diuino gratiæ diſponentis ad hanc vnionem. Vera enim gratia gratificans, eſt quædam vnio cum Deo vt obiecto & fine, ſicque complente ac terminante vnionem gratiæ habitualis & actualis.

## *Difficultas* 4. *ex S. Bon.*

IN 2. *d.* 1. *p.* 24. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 3. Nec B.V. nec Chriſtus excedunt Angelos purè ratione naturæ, ſed ratione multiplicitatis gratiæ. *In* 3. *d.* 2. *art.* 2. *q.* 1. Chriſtus aſſumpſit veram carnem paſſibilem. *Ad* 3. Vnio eſt perfectior fruitione, eamque præſupponit. *Diſt.* 12. *a.* 2. *q.* 2. Chriſtus aſſumpſit potentiam quâ peccari poteſt ac ſolet. *Diſt.* 13. *q.* 2. Quo ſenſu gratia Chriſti excedat in infinitum omnes gratias aliorum: nec tamen ſit infinita? *Art.* 2. *q.* 1. Quo ſenſu gratia Capitis vt influens alijs gratiam, ſit increata. *Q.* 2. Gratia Capitis gratificet animam Deo: Gratiâ autem Capitis diſponat ad vnionem hypoſtaticã? *Diſt.* 14. *a.* 2. *q.* 3. Anima Chriſti non cognoſcit omnia in Verbo cognitione actuali, ſed habituali. *Diſt.* 15. *q.* 2. Chriſtus aſſumpſit omnes defectus communes naturæ humanæ, vt primò inſtitutæ. *Diſt.* 16. *a.* 1. *q.* 3. Neceſſitas patiendi in Chriſto, non fuit ex aliquo vitio naturæ: ſed ex ſola complexione naturali, & voluntate permittente. *Reſp. Ad* 1. Chriſtus non excedit Angelos purè naturâ humanâ: quia non quoad corpus, ſed quoad mentem humanam. Nam *in* 1. *d.* 16. *dub.* 3. docet Chriſtum quoad naturam ſuæ mentis humanæ, non fuiſſe minorem Angelis. Ergo fuit etiam perfectior omnibus Angelis: quia non poteſt tantum ab illis omnibus differre æqualiter. *Ad* 2. Chriſtus aſſumpſit veram carnem humanam: ſed non niſi voluntariè paſſibilem, vt ſupra, & infra. *Ad* 3. ſupponit omnem aliam gratiam & gloriam Chriſti fuiſſe diſpoſitiones ſolâ naturâ priores, ad vnionem hypoſtaticam. *Ad* 4. Chriſtus aſſumpſit potentiam,

Digitized by Google

tentiam, quâ peccari poteſt, & ſolet : ſed, inquit, *non quâ ipſe peccare poſſet.* *Ad* 5. Senſu ibidem expreſſo *ad* 4. Quia gratia Chriſti non eſt prorſus eiuſdem generis proximi, cum alijs : ſed eſt generis ſuperioris; ideòque non poteſt ab alijs adæquari. Nam aliæ gratiæ diſponunt ad ſolam gloriam:ſed gratia naturæ humanæ Chriſti diſponit ſaltem congruè ad vnionem hypoſtaticam. *Ad* 6. Gratia Chriſti influens alijs gratiam, vt cauſa realis, eſt ipſe Deus : qui ſolus poteſt realiter cauſare gratiam. *Ad* 7. Confuſio noſtri compendij, ſic corrigatur. Gratia ſingularis, & Capitis in Chriſto, non differunt realiter, principio, nec diſpoſitione ad vnionem, & conſequenter ad influentiam, nec formali vnione, nec habitu : ſed varia comparatione, & connotatione perfectionis ſui proprij ſubiecti, per gratiam vt ſingularem; ſed aliorum per gratiam vt Capitalem. *Ad* 8. Ibidem vt *ad*. 4. Tribuit Animæ Chriſti perfectionem habitualem, proximè ſufficientem ex parte potentiæ: & influentiam Verbi diuini in infinitū promptiorem ex parte obiecti, ad omnia ſcienda, quàm omnibus alijs Beatis; ergo tribuit ei omnem perfectionem poſſibilem. Quod enim ſemper actu cognoſcat omnia, vel non : non eſt tantæ perfectionis, quàm quòd cognoſcat quæcunque, & quando vult. Nec eſt opus vt determinetur aliundè, quàm ab ipſo Verbo Diuino, repræſentante omnia ſcitu digna, & deſiderabilia. *Ad* 9. Neceſſitas patiendi fuit ex complexione naturali : ſed voluntate permittente, ſeu relaxante paſſibilitatem. Nam, vt *d.* 15. *q.* 3. Chriſtus non eſt paſſus ex neceſſitate naturali generationis, aut corruptionis : ſed ex ſua voluntate Diuina, & humana, à primo inſtanti Conceptionis.

## *Difficultas* 5. *ex Scoto.*

IN. 3. *Diſt.* 2. *q.* 1. *& in* 2. *Diſt.* 7. *q.* 3. Negat gratiam & gloriam eſſe diſpoſitionem neceſſariam vel congruam ad vnionem hypoſtaticam : imò præfert illas huic. Contra *Al.* & *S. Bon.* ſupra. *Diſt.* 12. *q.* 1. Chriſtus fuit impeccabilis ex vi beatitudinis, à ſuo primo inſtanti. *Diſt.* 13. *q.* 1. *n.* 2. Non eſt poſſibilis gratia ſumma poſitiuè, ſeu cui nulla poſſit eſſe æqualis : ſed ſumma negatiuè, ſeu quâ maior eſſe non poſſit. *n.* 10. Probabile eſt quòd Deus tantam gratiam contulit Animæ Chriſti, quanta conferri potuit, ſicque ſummam negatiuè. *Ad* 2. *arg.* Hæc ſumma gratia non poteſt intendi, quia eſt in termino ſuæ intenſionis. *Q.* 3. Anima Chriſti non videtur poſſe ſummè frui elicitiuè, &c. *Diſt.* 14. *q.* 2. Poteſt dici, quòd anima Chriſti videat omnia actualiter in Verbo, ſiue finita, ſiue infinita, ſiue eadem viſione quâ videt ipſum Verbum, ſiue alijs numero finitis, ſiue infinitis viſionibus, &c. ſupra *col.* 336. 337.

*Reſp.* *Ad* 1. Videtur hæc diſſenſio impacabilis : ſed *Scotus* non præfert vllam gratiam aut gloriam accidentalem, vnioni perſonali naturæ humanæ Chriſti : nec ideò negat illas eſſe diſpoſitiones ad hanc; ſed quia hæc eſt tanta, tamque gratuita, & ſupernaturalis, vt nulla poſſit eſſe ad eam diſpoſitio. Nec vult hanc vnionem perſonalem eſſe ad tantam gratiam & gloriam, vt ad finem meliorem ſe : ſed vt ad fructus & actus decentes tantam Perſonam, & naturam ſic perſonatam; vel ad ornatum & dotem Sponſæ ſic deſponſatæ, à tanto ſponſo. Nec intendit quamlibet naturam eſſe capacem huius vnionis, non autem gratiæ & gloriæ : ſed quamlibet eſſe capacem alicuius vnionis hypoſtaticæ; ſolam autem rationalem eſſe capacem huius vnionis perſonalis, & filialis. Vnde patet conſenſio noſtrorum Authorum in eundem finem ſuſpiciendi vnionem hypoſtaticam præ omni alia gratia & gloria; ſiue vt ſolâ diſpoſitione ei congruâ, ſiue vt nec congrua diſpoſitione præuia, ſed tantùm pediſequa honoraria. Nec obſtat quòd cenſeat *diſt.* 2. *q.* 1. & *diſt.* 12. *q.* 1. naturam poſſe vniri Deo hypoſtaticè, nec tamen frui, nec eſſe Deo gratam, imò & peccare. Quia poſſet natura incapax gratiæ, & fruendi, aut peccandi, vniri hypoſtaticè, ſed non perſonaliter. Vel natura horum capax poſſet fortè vniri perſonaliter : ſed minùs perfectè quàm natura humana Chriſti vnita ſit. Vel hæc ipſa natura Chriſti, vt ſic vnita filialiter, non indiget vllâ gratiâ vel actu accidentali, vt ſit grata & fruatur Deo : ſed fortè poteſt eſſe grata & frui Deo ipſâ vnione ſubſtantiali & filiali, vel termino proprio, aut identico huius vnionis. De quo infra. Nec obſtat quòd *diſt.* 7. *q.* 3. videatur præferre gratiam & gloriam animæ Chriſti, vt priorem in intentione Dei : vnioni hypoſtaticæ, vt priori in executione. Quia cùm intentio ſeu prædeſtinatio Dei ſit perfecta & determinata : non poteſt eſſe gratiæ & gloriæ, niſi vt huius ſingularis naturæ, & perſonæ determinatæ: vt *in* 1. *De prædeſtinatione.* Ergo prædeſtinatio huius naturæ, eſt priùs ad hanc vnionem perſonalem & Perſonam : quàm ad vllam, multò magis quàm ad tantam gratiam & gloriam. Itaque hic ordo *Scoti* inter gratiam, gloriam, & vnionem perſonalem, non eſt communis, ſed ſingularis : nec infert priora intentione, eſſe perfectiora prioribus in executione. Quia hoc ſupponit priora in executione eſſe tantùm diſpoſitiones, vel media ad priora in intentione : *Scotus* autem non intendit vnionem perſonalem eſſe tantùm diſpoſitionem aut medium ad aliquam, vel tantam gratiam & gloriam naturæ humanæ vnitæ; ſed eſſe maximam gratiam & gloriam ſubſtantialem, ex qua reſultet tanta gratia & gloria accidentalis. Cur ergo non ſtatuit illam priorem hac, intentione & prædeſtinatione Dei? *Reſp.* Quia illa includit ipſam Perſonam & naturam Diuinam : quæ, nec cui poteſt quid propriè intendi ſeu prædeſtinari, vt eius finis & perfectio. Quæ tota mens *Scoti* poteſt colligi ex hac ipſa *q.* 3. *d.* 7. vbi refert ſummam gratiam & gloriam naturæ vnitæ, ad Perſonam Diuinam cui vnitur, vt ad finem proprium, & conſequenter ad vnionem quâ ſic ei vnitur. Et ex *d.* 2. *q.* 1. *ad* 1. *Arg.* Vnio perſonalis eſt maior beatificâ, quoad actum primum, ſeu ad eſſe : & illa modò includit hanc, ad actum ſecundum, & operari. Sed ſi ſepararentur : illa eſſet maior quoad actum primum, non quoad ſecundum, &c. Vel magis propriè loquendo, neutra eſt maior alia : quia ſunt alterius rationis] .i. Hæc vt accidentalis eſt i li vt



Digitized by Google

ſubſtantiali & perſonali incomparabilis. Supponit autem *Scotus* vnionem hypoſtaticam vt talem, eſſe ad exiſtendum, non ad operandum: vel quia hoc eſſe eſt hypoſtaticè perfectius omni operatione; vel non negat hanc vnionem perſonalem & filialem, eſſe ex ſe, & ex intentione Dei ad operationem Theandricam Perſonæ Filij Dei per ſuam naturam humanam. Vt ſupra *q.* 10. & infra *q.* 12. *Ad* 2. Videtur hîc *Scotus* euertere noſtram Reſponſionem, de impeccabilitate Chriſti per ſuam naturam humanam, ex vi ſuæ vnionis perſonalis, vel propriæ perfectionis ſingularis. Sed ſuggerit nobis authoritatem *B. Aug.* ex 3. De lib. Arb. *Melior eſt natura quæ peccare non poteſt, &c.* Ergo talis eſt natura humana Chriſti: & ſic poſſumus ei conciliari. Natura humana Chriſti vt vnita hypoſtaticè ad ſolum eſſe, & vt proprium principium operandi, non eſt impeccabilis niſi ex continua gratia efficaci, & perfecta Beatitudine, á ſuo primo inſtanti: ſed vt vnita perſonaliter, filialiter, & inſtrumentaliter Perſonæ Filij Dei ad operandum per eam Theandricè, eſt abſolutè impeccabilis, ex vi talis vnionis, & ex propria perfectione ſingulariſſima, & ſupernaturaliſſima. Quia operatio inſtrumentalis naturæ humanæ vnitæ, eſt principalis Perſonæ & naturæ Diuinæ, quæ per naturam humanam operatur: atqui Perſona & natura Diuina, non poteſt peccare operando per ſuam naturam humanam; ergo nec natura humana vt per eam inſtrumentaliter operatur. Cùm enim nullus poſſit à Deo moueri ad peccandum: quantò minùs natura humana Chriſti à Perſona & natura Diuina, cui perſonaliter & inſtrumentaliter vnitur? De quibus adhuc infra ex ratione.

*Ad* 3. ex *Diſt.* 13. Vt natura, ſic & gratia poteſt habere ſummam perfectionem ſingularem, cui nulla poſſit eſſe æqualis: præter ſummam communem, quâ nulla poſſit eſſe maior, ſed poſſint eſſe plures æquales. Non ſolùm ergo hæc, ſed & illa ſumma perfectio tribuẽda eſt naturæ, gratiæ, & gloriæ Chriſti.

*Ad* 4. *Scotus* non intendit poſſe ſimul eſſe infinita obiecta realiter diſtincta, nec infinitas ſimul viſiones, aut vllam finitam infinitorum ſimul obiectorum: ſed non repugnare ex parte intellectus creati vt receptiui, habere tot quot ſimul poſſibiles ſunt, aut vnam circa tot quot obiecta poſſibilia. Si quid autem horum ſit impoſſibile, aut incompoſſibile: eſt ex ipſa impoſſibili talium infinitate, vel incapacitate intellectus finiti ad eliciendum ſimul viſiones infinitas, vel ad æquè perfectè operandum, ſeu attendendum circa infinita ſimul obiecta, niſi Deo ſupplente. Vndè nec *Scotus* ſiſtit in illa opinione, vt propria: ſed præfert ſequentem, de viſione habituali, non actuali, omnium in Verbo. Cuius expoſitio relabitur in illam *S. Bon.*

## *Difficultas 6. ex varijs Rationibus.*

1. Singularitas non perficit naturam communem: ſed tantùm diſtinguit naturam ſingularem; ergo natura humana Chriſti non poteſt eſſe ſingulariter perfectiſſima. 2. Quælibet ſingularitas eſt naturalis ſuæ naturæ communi: ergo ſingularitas naturæ humanæ Chriſti non poteſt eſſe ſupernaturalis. 3. Idem non poteſt eſſe naturale & ſupernaturale: ergo nec natura humana Chriſti vt communis, & vt ſingularis. 4. Nec anima rationalis, nec Angelus eſt ſupernaturalis: cùm tamen non poſſit produci ab vllo agente naturali; quia ſupernaturale ſupponit aliquam naturam ſubſtantialem cui ſupernaturale ſit. Ergo nec natura ſingularis Chriſti, nec vlla prima ſubſtantia poteſt eſſe ſupernaturalis. 5. Hæc natura ſingularis eſt finita, & ex nihilo: ergo ex ſe defectibilis in eſſendo, & operando. 6. Hæc voluntas humana Chriſti differt realiter, & dependet neceſſariò à voluntate & gratia Dei in rectè operando: ergo non poteſt eſſe ex natura ſua, vel ex vlla propria perfectione intrinſeca impeccabilis, ſed ex ſola præſeruatione gratuita. 7. Hæc natura humana Chriſti eſt vnita vt natura Perſonæ, non vt voluntas ſuo obiecto & fini: ergo ex vi vnionis non eſt indeclinabilis ab obiecto & fine debito. 8. Hæc natura non vnitur Perſonæ Diuinæ vt principio agendi, vel operandi: ſed vt termino exiſtendi; ergo non vnitur ei inſtrumentaliter. 9. Sanctitas abſolutè impeccabilis eſt propria ſoli voluntati Dei: ergo non poteſt participari niſi dependenter ab ipſa voluntate Dei. Quæ cùm non ſit propria vlli Perſonæ Diuinæ, ſed communis tribus: non communicat ſuam impeccabilitatem per vnionem ad vllam Perſonam, ſed ad naturam Diuinam, vt ad obiectum & finem. 10. Anima rationalis eſt naturâ ſuâ partialis, & imperfectior Angelis: ergo & quælibet ſingularis. 11. Potuiſſet & poteſt alia natura ſingularis æquè perfici, vniri, gratificari, & glorificari: ergo hæc non eſt perfectiſſima, nec perfectiſſimè vnita, gratificata, & glorificata, præ omnibus poſſibilibus. 12. Anima rationalis eſt perfectibilis in infinitum, intenſiuè & extenſiuè: ergo nulla poteſt eſſe in infinitum perfectior omnibus alijs poſſibilibus, niſi ſit infinitè perfecta. 13. Natura Diuina non poteſt formaliter perficere humanam, per vllam vnionem.

*Ad* 1. Singularitas non perficit naturam vt communem: ſed vt ſingularem; nec vnam diſtinguit ab alijs, niſi perfectione aliquâ ſingulari. Inter quas non datur proceſſus in infinitum, ſed aliqua ſingulariter & ſubſtantialiter perfectiſſima: vt cenſet *Scotus* de ſumma intenſione omnium formarum, etiam ſubſtantialium, in 4. *d.* 10. *q.* 2. *d.* 44. *q.* 1. *Art.* 2. ſaltem quâ maior eſſe nequit. *Ad* 2. Quælibet ſingularitas naturæ humanæ eſt ei naturalis, vt differentia ſuæ naturæ: ſed perfectiſſima præ omnibus alijs, eſt ſupernaturalis, vt effectus ſupra omnes cauſas naturales. Quia ſiue agens naturale ſit ex natura ſua & circumſtantijs determinatum ad hunc etiam ſingularem effectum, ſiue determinetur à Deo vt authore naturæ: nonniſi connaturaliter, ad aliquam exigentiam cauſarum ſecundarum. Sed perfectiſſimum ſingulare alicuius generis, vel ſpeciei, eſt menſura omnium cæterorum: ideòque excedit connaturalitatem cæterorum, & actualitatem ac exigentiam cauſarum ſecundarum. *Ad* 3. Idem poteſt

teſt eſſe naturale alicui ſubiecto, & ſupernaturale omnibus agentibus naturalibus: imò ſub ratione communi poteſt eſſe naturale,& ſub ſingulari ſupernaturale. Vt ſæpè, & expreſſè Doctor noſter ſubtilis *quodl.* 14. 17. infra *col.* 362. 363. referendis,& *Q. noſtra*, De ordine rerũ ſupernaturaliũ. *Ad* 4. vt in 2. *col.* 236. 256. 389. 390. 391. 392. 393. ſed præcipuè 309. 463. 464. 473. 474. & infra Quæſt. propria de ordine ſupernaturaliũ. Breuiter. Natura infima, eſt materia prima, vt ſubordinata omnibus agentibus naturalibus: Natura ſuprema, eſt creatura rationalis, vt ex perfectione ſua naturali nulli agenti naturali ſubdita, ſed omnibus præfecta. Nec tamẽ eſt propriè ſupernaturalis in eſſe, fieri, aut operari, quamuis à ſolo Deo creari poſſit: quia ſubeſt ordini Dei naturali in fieri, eſſe,& operari, pertinetq; ad integritatem totius naturæ ſeu vniuerſi. Nec enim ſufficit ad ſupernaturale, eſſe paſſiuè & actiuè ſupra omnem vim agentium naturalium: niſi ſit etiam ſupra omnem ordinem naturalem, & leges naturales agendi & patiendi. Alioquin & materia prima, & cœli ac ſtellæ eſſent ſupernaturales. Nec ideò corrigenda eſt definitio aut denominatio effectus ſupernaturalis, à neceſſaria cauſa ſupernaturali: ſed explicanda eſt de effectu & cauſa ſupra totum ordinem naturæ, non autem connaturali. Cùm enim in toto ordine naturali ſit aliquid ſummum, & infimum: neutrum poteſt eſſe producibile ab aliquo agente naturali, vt priore vel ſuperiore toto ordine naturali. Sed ſingularis natura humana Chriſti videtur eſſe ſupernaturalis: quia eſt primogenita ante omnem creaturam, & ſupra omnem ordinem ac leges naturæ. *Ad* 5. Hæc natura ſingularis eſt finita: nec tamen ex ſe defectibilis in eſſendo, nec in operando. Quia quamuis per abſolutam potentiam poſſit à Deo priuari neceſſariâ conſeruatione, vnione, & influentiâ diuinâ ad exiſtendum, & non peccandum: non tamen ex propria naturali aut morali imperfectione, nec ex aliqua contraria actione aut motione reali vel morali præualente. Vt enim animæ rationales & Angeli quamuis à Deo abſolutè priuari poſſint neceſſaria conſeruatione ad exiſtendum: ſunt tamen ex propria natura indefectibiles; quia cùm à nullo contrario intrinſeco vel extrinſeco præualente corrumpi poſſint, connaturaliter à Deo conſeruantur, qui non eſt ex ſe cauſa non eſſendi, ſed eſſendi. Sic & natura humana Chriſti eſt tam perfecta ſupernaturaliter, ſubſtantialiter, & accidentaliter: vt non poſſit ab vlla cauſa naturali vel morali ſuperari; indeoq; eſt digna continua conſeruatione efficaci in hoc ſuo ſtatu, non tam vt ſibi gratuitâ & ſupernaturali, quã vt ſibi connaturali, vel conſupernaturali. Si enim habitus & actus poſſunt eſſe tam ſupernaturales: cur non & vnio perſonalis, & perfectio ſingularis ac ſubſtantialis naturæ humanæ? *Ad* 6. Vt *ad* 5. Voluntas humana Chriſti dependet ab eius voluntate diuina in eſſendo, & rectè operando: ſed eſt tam perfecta ſupernaturaliter, vt ſit digna infallibili conſeruatione, & influentiâ ad rectè operandum. *Ad* 7. Vt *ad* 5. 6. Natura humana Chriſti eſt vnita Perſonæ Diuinæ: non tantùm quatenus eſt forma totalis eſſendi, ſed & operandi per intellectum & voluntatem, circa ſuum obiectum & finem proprium ac identicum ipſi Perſonæ. *Ad* 8. Vt *ad* 6. 7. Cùm Perſona non ſit ſolùm terminus exiſtendi, ſed & principium quod operandi: nec natura humana ſit tantùm principium quo eſſendi, ſed etiam operandi: hæc non ſolùm vnitur illi vt principium quo eſſendi, ſuo termino; ſed etiam vt principium quo operandi, ſuo principio quod per illam Theandricè operetur. *Ad* 9. Voluntas humana Chriſti participat impeccabilitatem à voluntate diuina, per intrinſecam perfectionem & vnionem perſonalem ac filialem, Perſonæ diuinæ impeccabili, eiuſdemque naturæ ac voluntati. *Ad* 10. Perfectio ſingularis & ſupernaturalis huius animæ rationalis Chriſti, vt eſt Mens: non eſt partialis, ſed totalis, & excedit omnẽ naturalẽ & ſupernaturalẽ Angelorũ. *Ad* 11. Vt *ad* 1. Nõ poteſt eſſe vlla natura ſingularis æquè perfecta, & perfectè vnita, gratificata, & glorificata: quia non datur proceſſus harum perfectionum in infinitum, ſed ſumma omnium poſſibilium. Nec poſſunt eſſe plures ſummæ æquales: quia non differrent vllâ perfectione ſingulari. Si enim eſt probabile non poſſe eſſe plures Angelos eiuſdem ſpeciei: quantò potiùs non poſſe eſſe plura ſingularia eiuſdem perfectionis ſingularis. Si datur perfectiſſima ſpecies, perfectiſſimum genus, cui nullum poteſt eſſe æquale: cur non & perfectiſſimum ſingulare, quod ſit primum ſeu ſummum in ſuo genere aut ſpecie? *Ad* 12. Vt *ad* 11. & vt *S. Bon.* ſuprà. Anima rationalis Chriſti eſt perfectior in infinitum omnibus alijs poſſibilibus: vel toto genere ſupernaturali, vel ſumma ac inadæquabili perfectione ſingularis ſicque poteſt dici anima perfectibilis in infinitum, vel etiam pluralitate perfectionum, non autem intenſione. *Ad* 13. Natura diuina per vnionem perſonalem perficit humanam, non ſolum cauſaliter, ſed etiam formaliter, omni ſua perfectione: non tamen identicè, nec adæquatè; ſed ſumma participatione poſſibili. Cùm enim formæ partiales formaliter perficiant ea quibus imperfectiùs vniũtur: cur natura Diuina non perficiet etiam formaliter naturam humanam cui perfectiſſimè vnitur? Cur non æquè perfectè ac intrinſecè deificetur natura humana perſonaliter vnita diuinæ: ac corpus vnitum animæ animatur? Vt enim corpus animari, non eſt fieri animam: ſed affici & perfici formaliter anima. Sic & Deificari non eſt fieri Deum: ſed formaliter affici & perfici Deitate, vt ſibi perfectiùs vnitâ, quàm corpus vniatur animæ. Nec obſtat quòd corpus & anima vniantur immediatè inter ſe: non ſic autem natura diuina & humana; ſed tantùm couniantur in eadem perſona. Quia cùm Perſona identificetur ſuæ naturæ Diuinę, non mediat realiter inter ſuam naturam humanam & diuinam: ſed vt realiter terminat & afficit perſonam ſibi vnitam, ſuâ propriâ formalitate perſonæ; ſic & omni ſibi identicâ perfectione diuina, veritatis ſanctitatis, &c. quantũ participabilis eſt, &c. Vt ſupra *q.* 6. Cur enim nõ poſſit perfectio formalis eſſe ſine imperfectione inhæſionis, & informationis partialis? Vel cur perfectio formalis ſit neceſſariò identica, totalis, & adæquata? Cùm facilè concipi poſſit ſine vlla imperfectione inhæſionis, ac partialitatis,



Digitized by Google

litatis, & ſine totali ac adæquata perfectione identitatis. Nec tantùm concipi, ſed & exemplificari poſſit in anima rationali: quæ ſine inhæſione aut identificatione, formaliter, ſed inadæquatè perficit & animat ſuum corpus. Nec nocet, ſed fauet Trid. *ſeſſ. 6. cap. 7. & Can.* 11. De ſanctificatione intrinſeca: non per extrinſecam imputationem iuſtitiæ Chriſti; ſed per gratiam qua vnimur Chriſto. Quanto potiùs per vnionem perſonalem? Cur enim gratia iuſtificat, niſi quia vnit Deo? Quæ autem vnio perfectior hac perſonali?

# QVÆSTIO XII.

*An, quid, quæ, & quanta ſint merita Chriſti, & noſtra?*

SVb qua ſunt variæ controuerſiæ, dogmaticæ, ſcholaſticæ, & morales. 1. Cùm Lutheranis & Caluiniſtis: An ſolus Chriſtus meruerit nobis omnia; vel nos etiam per eius gratiam & merita aliquid mereamur. 2. Cum Pelagianis aut ſemi-Pelagianis: An nihil mereamur, nequidem de congruo, niſi ex aliqua gratia Dei per Chriſtum. De qua neceſſitate gratiæ in 2. *q.* 7. & 8. Specialiter *à col.* 463. *ad* 513. & hîc *Quæſt: ſeq.* 3. Inter Scholaſticos: An Chriſtus meruerit per omnes ſuos actus, etiam beatificos; vel per ſolas ſuas paſſiones, & actus viatoris. 4. Quantùm meruerit intenſiuè .i. finitè, an infinitè. 5. Quantum extenſiuè, obiectiuè, ſubiectiuè, & duratione .i. An à primo, vſque ad vltimum inſtans vitæ ſuæ, excluſiuè, vel incluſiuè, & continuò ſine interruptione: quæ, quot, quanta beneficia gratiæ, & gloriæ; & quibus meruerit, an ſibi ipſi & alijs, hominibus & Angelis, omnibus & ſingulis, vel aliquibus ex illis, æqualiter, vel inæqualiter, ſeu ſufficienter vel efficaciter. 6. Quid & quotuplex ſit meritum noſtrũ: An ſit pluſquam impetratio, & ſatisfactio; An ſit tantùm congruum, vel etiam dignum, & condignum gratia & gloria. 7. An ſit aliquod ex perfecta iuſtitia: vel nonniſi ex fideli promiſſione Dei. 8. An ſint aliqua æqualia ipſi gratiæ, & gloriæ. 9. An nō ſint niſi ex charitate. 10. An non niſi ex aliqua ſaltem proportione cum gratia & gloria. 11. An nō niſi ex integra perfectione morali. 12. An ex aliqua difficultate operis. 13. An ex aliqua intenſione. 14. An ex aliqua duratione. Ante quorum reſolutionem ex Sacra Script. Concilijs, Patribus & rationibus: conſulamus noſtros Authores.

*Alenſ. p.* 3. *q.* 15. *m.* 2. De oratione Chriſti. *Art.* 2. Chriſtus in omni ſua oratione fuit exauditus pro ſua reuerentia, *Hebr.* 5. .i. quoad ſuam intentionem. *Quæſt.* 16. De merito Chriſti. *m.* 1. De varijs modis proprijs aut improprijs merendi, ſibiipſi, vel alijs. *Ad* 2. Chriſtus non meruit vt comprehenſor, ſed vt viator. *Ad* 3. & 4. Non meruit quà erat beatus, ſed quà adhuc paſſibilis: nec motu beato charitatis in Deum, ſed in proximum. *Ad* 5. Non meruit ſibi maius bonum: ſed nobis. *M.* 2. De tempore merendi. *Art.* 1. Non ipſo primo inſtanti, ſed poſt. *Art.* 2. Non vllo actu neceſſario: ſed ſibi voluntario ac libero; non indifferenter ad bonum vel malum, ſed ad hoc vel illud bonum. *M.* 3. De cauſa merendi. *Art.* 1. Meruit charitate, quamuis omne præmium excedente. *Art.* 2. Tantum meruit ab initio, quantum ſua paſſione: quo ad vim merendi, non quoad effectum. *Art.* 3. Non plus meruit, ſed pluribus modis. *Ad* 5. Paſſio Chriſti fuit meritoria: quia erat ab eo volita obiectiuè. *Ad* 6. Erat ei voluntaria in fieri, & eſſe: Sanctis autem nonniſi in effectu patiendi. *m.* 4. De effectu meriti Chriſti. *A.* 1. Quid ſibi meruerit §. 1. Gloriam externam ſuæ Deitatis. 2. Glorificationem ſui corporis acceleratam, & magis debitam. 3. Nomen Ieſu, quoad actũ ſaluandi. 4. Nomen Dei, quoad manifeſtationem. *Art.* 2. Quid nobis meruerit. §. 1. Remiſſionem omnium culparum. 2. Mortis æternæ. 3. Pœnarũ temporalium. 4. Reſurrectionem. *Quæſt.* 17. De Paſſione Chriſti. *Quæſt.* 18. De eius effectu. *m.* 1. De effectu iuſtificationis. *m.* 2. De effectu reconciliationis cum Deo. Vt ſupra ex *Aug. col.* 253. 254. *Art.* 3. Eſt Mediator vt homo particeps proprietatum naturæ Diuinæ, & humanæ.

De noſtro autem merito, ſatisfactione, & impetratione. *P.* 2. *q.* 96. *m.* 3. *a.* 2. In ſtatu etiam naturæ conditæ neceſſaria erat gratia ad merendum *Quæſt.* 75. *memb.* 5. Liberum Arbitrium eſt capax merendi conformando ſe Deo in actu gratuito. *Part.* 3. *quæſt.* 1. De poſſibili aut impoſſibili ſatisfactione noſtra; Deque neceſſaria ſatisfactione Chriſti. *q.* 69. *m.* 5. De merito gratiæ, poſſibili vel impoſſibili, à peccatore, ſibi ipſi, vel alijs. *q.* 26. *m.* 3. *ad vlt.* Meritum pro actu digno beatitudine vel miſeriâ, eſt in voluntate noſtra: ſed non pro ipſo ordine ſeu ordinatione ad beatitudinem; quia ordinare actum bonum vel malum ad beatitudinem, vel ſupplicium, non eſt liberi Arb. ſed legis æternæ. *P.* 4. *q.* 84. De Satisfactione. *m.* 1. Auerſio à Deo meretur infinitam pœnã damni: conuerſio ad creaturam auertens à Deo, infinitam pœnam ſenſus. *Ad* 5. Si offenſa peccati eſt infinita: & ſatisfactio eſt infinita, quatenus eſt Mediatoris. *q.* 85. De vtilitate ſatisfactionis *m.* 1. Nonniſi in charitate. *q.* 101. De efficacia ieiunij. *m.* 2. An ſit meritorium? *Reſp.* Nonniſi informatum charitate. *m.* 2. An ſit ſatisfactorium? *Reſp.* Nonniſi ex charitate, vel in charitate. *m.* 3. *a.* 3. §. 1. Non neceſſariò ex affectu actuali charitate: ſed in charitate, &c. *Ad vlt.* Quod ſit in charitate ſolum concomitante, non eſt meritoriũ: ſed quod ſit in ea vt in cauſa formali. §. 2. *Sufficit fieri ex charitate mouente habitualiter, mediatè, & in generali; Eliciriuè, vel imperatiuè, non actualiter, ſed habitualiter.* Quod explicat de opere inchoato cogitando de Deo: ſed perfecto non cogitando de eo. Vnde patet eius *habitualiter*, eſſe noſtrum *virtualiter*. *Ad vlt.* Actus inchoatus in vel ex charitate, & continuatus extra: non eſt idem vt gratuitus, ſed vt naturalis vel moralis. Et ſic ſparſim *à q.* 54. *ad* 114. De pœnitentia. De peccatis autem & eorum demeritis ex profeſſo, *P.* 2. *à q.* 100. *ad* 189.

*S. Bon. in* 3. *d.* 17. *art.* 2. De oratione & impetratione Chriſti. *D.* 18. *a.* 1. De merito Chriſti. *Q.* 1. Meruit à primo inſtanti, excluſiuè, vel etiam incluſiuè, problematicè. *q.* 3. Non ſolum meruit ſua actione, ſed maximè ſuâ paſſione, voluntaria.

Vt

Digitized by Google

Vt *Alenſis quæſt.* 16. *Diſt.* 19. De redemptione noſtra per paſſionem Chriſti, meritoriè, &c. Vt *Al. q.* 18. *Diſt.* 20. De congruitate & neceſſitate huius redemptionis. *q.* 3. Pura creatura non potuit ſatisfacere pro iniuria Dei, nec pro damno generis humani. *q.* 6. Deus potuit aliter ſaluare genus humanum: vel per ſolam gratiam abſque vlla ſatisfactione, vel per ſolam pœnam intrinſecam cuiuis culpæ; vel per minimam pœnam tantæ Perſonæ, vt condignam ſatisfactionem, &c. Vt *Alenſis q.* 1.

De noſtris autem meritis & demeritis, *in* 2. *d.* 27. *a.* 2. De merito gratiæ. *q.* 1. Non eſt meritoria ſuiipſius, nec de condigno, nec de congruo. *q.* 2. Eſt meritoria augmenti proprij: non plenè de condigno, nec ſolùm de congruo; ſed ex inæquali dignitate. *q.* 3. Eſt meritoria gloriæ: ex dignitate gratiæ, promiſſione Dei, & ſupernaturalitate meriti. *Ad.* 3. Deus non poteſt obligari ex dato, & accepto: ſed ex ſola promiſſione. Meritum condigni non eſt neceſſariò ex obligatione retribuentis: ſed ex ſufficienti opere ad remunerationem. *Ad* 4. *&* 5. Quod gratis fit, non obligat: poteſt tamen eſſe meritum condignum; ſi non ad æqualitatem, ſaltem ad proportionem. De peccatis & demeritis *à diſt.* 30. *ad* 44.

*Scotus in* 2. *diſt.* 18, Quid ſit meritum, & an Chriſtus potuerit mereri ipſo primo inſtanti? *n.* 4. Meritum eſt aliquid acceptatum, vel acceptandum ab alio, ad retribuendum aliud vt debitum. Formaliter dicit ordinem actus laudabilis in merente, ad acceptantem vt retribuat. Sed Deus nihil habet acceptandum, quod non ſit acceptatum. *n.* 5. Chriſtus meruit nobis ſuo bono velle. Quia primum obiectum merendi eſt ipſe Deus, volendo ei bonum: deindè nobis ac alijs ordinatè; affectu iuſtitiæ, non commodi proprij, niſi relatiuè ad vltimum finem. *n.* 6. Si non placet quòd meruerit ſolis actibus partis ſenſitiuæ, vt imperatis à voluntate: poteſt dici quòd meruerit omnibus actibus portionis inferioris circa ea quæ ſunt ad finem. *n.* 7. *Ad* 2. Meruit etiam ſecundùm portionem ſuperiorem, & omnem eius actum. *n.* 10. Poſſet dici quòd ipſa eius fruitio fuerit meritoria: maximè vt tendit etiam in obiecta ſecundaria. Eligatur via magis grata. *n.* 11. Poteſt dici quòd meruerit ipſo primo inſtanti: non tamen ſuam propriam fruitionem, quæ fuit primus eius actus. *Diſt.* 19. An Chriſtus meruerit nobis omnibus, & quid? *n.* 6. Vt Verbum præuidit paſſionem Patri offerendam pro electis, & ſic eam efficaciter obtulit in effectu: ita tota Trinitas pro eis paſſionem efficaciter acceptauit, & pro nullis alijs. *n.* 7. Quoad ſufficientiam, meritum Chriſti fuit finitum, &c. Valuit quantùm Deus voluit acceptare: ſed non potuit acceptari in infinitum, nec pro infinitis, niſi de congruo, ex circumſtantia Suppoſiti, &c. Pro quantis autem, & pro quot voluit, pro tot ſufficit. *n.* 8. Meruit ſolus primam gratiam omnibus accipientibus eam, &c. *n.* 12. *Ad.* 1. Præmium gloriæ noſtræ eſt melius meritis Chriſti per portionem inferiorem. *Ad* 2. Vt peccata non ſunt formaliter infinita intenſiuè, ſed tantùm obiectiuè, aut terminatiuè: ſic & merita Chriſti. Hinc poteſt ab aliquo Sancto tam intenſè amari Deus: quàm poteſt eſſe intenſa auerſio à Deo. *Ad* 3. Pœna peccati mortalis finaliſ eſt infinita extenſiuè: ex ſola ordinatione Dei. *Ad* 4. Deus præmiat paſſionem Chriſti vltra condignum, &c. Poteſt acceptari pro infinitis, ſed non infinitè: nec fuit oblata, nec acceptata efficaciter, niſi pro electis, &c. *Diſt.* 20. *q.* An paſſio Chriſti fuerit nobis neceſſaria? Ex *Aug.* 13. *Trin.* 10. Non fuit Deo alius modus redemptionis noſtræ, &c. Potuit ſatisfieri pro peccato *Adæ* actu perfectiore, &c. Potuit dari puro homini tanta gratia, quanta Animæ Chriſti. *n.* 10. *Ad quæſt.* Omnia quæ facta ſunt à Chriſto circa redemptionem noſtram, non fuerunt neceſſaria niſi ex congrua ordinatione Dei, ad exercendam ſuam iuſtitiam, & charitatem. *Ad* 3. Minima paſſio Chriſti ſufficiebat acceptationi. *Ad* 4. Chriſtus voluit mori actu meliori quàm peccata potuerint eſſe mala.

De merito noſtro *in* 1. *diſt*: 17. *q.* 1. *a.* 1. De neceſſitate gratiæ habitualis, ſeu charitatis ad actum meritorium, ſeu acceptabilem, & dignum, acceptatione Diuinâ: non tamen dignitate iuſtitiæ commutatiuæ, niſi completè ex ordinatione & promiſſione Dei gratuita. *Infra.* Relatio actus noſtri ad actionem ſeu acceptationem Dei, eſt de ratione meriti, &c. Actus qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea, ſuppoſitâ influentia generali, ſi habeo vſum liberi Arb. & gratiam: non completio eius in ratione meriti; niſi diſpoſitiuè, ſed infallibiliter ex ordinatione Dei, vt ad organizationem ſequitur animatio, &c. Actus ex ſe non eſt condignus tanto præmio, niſi ex acceptatione, ſeu ordinatione Dei: quia Deus præmiat vltra condignum actus ex ſe, & fortè vltra communem ordinationem; ſed meretur ſecundùm quid acceptari, vt attritus meretur de congruo iuſtificari. *Art.* 2. Deus potuiſſet abſolutè ſine vllo habitu acceptare naturam beatificabilem, & eius actum naturalem, ad Beatitudinem, & ad eius meritum, aut ſine merito: ſed non creditur ita diſpoſuiſſe, &c. quia appropinquat errori *Pelagij*. Idò veriſimiliùs creditur, quòd non acceptet niſi per habitum ſupernaturalem. *Ad* 7. *Arg.* Vt Chriſtus non merebatur ſuis actibus Diuinis, quia non erant in poteſtate ſuæ voluntatis humanæ: ſic nec nos meremur actibus ſolius Spiritus S. in nobis.

Quodl. 17. *An actus dilectionis naturalis, & meritoriæ, ſint eiuſdem ſpeciei?* §. *De* 2. Dico quòd actus meritorius eſt actus Deo ſpecialiter acceptus, vt dignus præmio reddendo pro illo actu. Dixi ſpecialiter: quia omnia acceptat acceptatione generali, diligendo ea ſecundùm ſuam bonitatem, & ordinando ea ad ſeipſum vt ad finem; ſed actum meritorium ſpecialiter acceptat in ordine ad aliquod bonum iuſtè reddendum pro eo. Meritorium igitur addit ſupra actum duplicem relationem: vnam ad voluntatem vt acceptantem; & aliam ad bonum, ad quod voluntas acceptans ordinat meritum, &c. Neutra autem relatio eſt realis: quia non competit actui ex natura alicuius realis in actu; ſed tantùm per actum voluntatis quo actus acceptatur. Non ſolùm enim intel-



Digitized by Google

intellectus poteſt comparare obiectum : ſed & voluntas acceptando, ſicut intellectus cognoſcendo, &c. Poteſt dici, quòd ſtrictè accipiendo relationem rationis, illa non eſt relatio rationis, &c. Et tunc non omnis relatio eſt realis, vel rationis: ſed eſt tertia, voluntatis comparantis. Alio modo poteſt intelligi relatio rationis pro quacumque comparatione facta per actum partis rationalis : & ſic iſta poteſt dici relatio rationis. Vlteriùs meritorium connotat, ſiue quaſi præexigit in actu duplicem habitudinem eius, quaſi ad duplex principium : vna eſt ad voluntatem, vt liberè elicientem, vel imperantem actum, &c. alia ad formam ſupernaturalem, quâ acceptatur ipſa perſona, vel potentia operans, quæ ponitur eſſe gratia vel charitas. Non enim actus alicuius acceptatur vt dignus præmio : niſi perſona operãs ſit accepta. *Gen.* 4. Reſpexit Deus ad *Abel*, & ad munera eius, &c. Videtur quòd ſufficit charitatem ineſſe ipſi operanti, &c. Sed contra. Habens charitatem, poteſt peccare venialiter, vel elicere actum indifferentem, &c. Poteſt igitur dici, quòd ad hoc vt actus ſit meritorius, non ſufficit vt habeat ſecum charitatem inexiſtentem : ſed vt eliciatur ſecundùm inclinationem charitatis inexiſtentis. 5. *De* 3. Poteſt dici quòd actus dilectionis naturalis & meritoriæ, non differunt ſpecie .i. per ſe, & in eſſe naturæ. 1. Quia ſolâ relatione rationis, vt ſupra. 2. Quia illa eſt potentialis ad hanc, &c. Actus qui eſt completè circumſtantionatus ſecundùm virtutem moralem, eſt potentialis reſpectu virtutis quam dicit meritorium : imò immediatiùs quàm actus naturalis, vt præſupponitur morali. Eſt enim rationabile, vt actus merè naturalis priùs recipiat perfectionem moralem, quæ non tranſcendit totam facultatem naturæ, quàm ſupernaturalem, &c. Hoc modo charitas dicitur eſſe forma aliarum virtutum : quia bonitas meritoria quæ competit actui aliquo modo à charitate, eſt completiua bonitatis cuiuſque alterius in actu, &c. Ratio igitur meritorij, eſt ratio ſpecifica completiua bonitatis præcedentis : non autem ſpecifica diſparata, &c. Aliter dicitur, quòd ratio meritorij non eſt ſpecifica, & completiua in genere moris : quia non dicit aliquam bonitatem vel rectitudinem intrinſecam actui, ſed tantùm illam præſupponit, & dicit vlteriùs reſpectum ad voluntatem. Sed ſi meritorium non præſupponat præcisè bonitatem actus moralem, ſed bonitatem quàm tribuit charitas : cùm illa ſit completior bonitate morali in actu, ſequitur quòd actus qui eſt meritorius habet aliquam bonitatem ſpecificam vlteriorem, quàm moralem. Et hoc videtur probabile : quia aliàs poſſet actus eſſe meritorius qui nullam haberet bonitatem vltra moralem. *Contra.* Actus moralis poteſt eſſe æquè bonus ſine habitu morali : ergo & actus meritorius ſine habitu charitatis. *Reſp.* Bonitas moralis eſt rectitudo ſecundùm regulam rationis : ſed actus charitatis habet propriam bonitatem ex inclinatione charitatis. *Contra.* Cognitio naturalis, & fidei infuſæ, differunt ſpecie : ergo & dilectio naturalis, ac charitatiua, &c. Poteſt negari antecedens, &c. Quia vt *quæſt.* 14. poteſt quis ſimul eodem actu credere ex teſtimonio aſſerentis, & ex inclinatione fidei infuſæ. Igitur idem actus vt naturalis, eſt potentialis ad perfectionem quam recipit à fide infuſa, &c. *Infra.* Non ſequitur, ſi intellectiones diſtinguantur ſpecie, igitur & volitiones: niſi illæ vt per ſe præuiæ ad has, diſtinguantur ſpecie. Quòd non eſt in propoſito : quia nec actus vt ſcientificus, nec vt credititius, ſed vt oſtenſiuus obiecti diligibilis, eſt per ſe neceſſarius ad fruitionem Dei. Et ſic de actu fidei acquiſitæ, vel infuſæ. *Ad Arg. princ.* Poteſt dici quòd actus differunt ſpecie, qui eliciuntur à principijs totalibus, vel diſparatis, ſpecie differentibus : non autem à ſubordinatis. Nunc autem charitas non eſt principium totale actus, nec diparatum, ſed ſubordinatum voluntati : nec eſt per ſe requiſita ad ſubſtantiam actus, nec ad actum vt eſt meritorius; ſed tantùm ad quoddam præmium vt actus ſit acceptabilis, ex ſola ordinatione libera voluntatis Dei, &c. Nota hìc per ordinem, quis ſit actus imputabilis ad laudem, vel vituperium : actus nudus, actus virtuoſus moraliter, actus charitatiuus, & actus meritorius. Primus dicit reſpectum ad potentiam liberam, 2. ad virtutem, vel regulam eius, 3. ad charitatem inclinantem, 4. ad voluntatem Diuinam ſpecialiter acceptantem. Tertius dicit bonitatem aliquam vltra ſecundum, & præexactam ad quartum : non ex natura rei, ſed ex diſpoſitione voluntatis acceptantis.] Ex quibus integris contextibus inter ſe collatis, & minutioribus infra conferendis : quædam controuerſiæ reſoluuntur; quædam inter noſtros Authores reſultare videntur. Quæ omnes hac communi reſponſione per 5. partes reſolui, vel conciliari poſſe videntur.

## *Reſponſio communis.*

1. EST de fide Chriſtum meruiſſe nobis omnia gratuita ſeu ſalutaria : & quidem ſolum, primas gratias actuales, & primam iuſtificationem; ſed & gratiam verè ac propriè commerendi, vel ſubmerendi vlteriorem gratiam, & gloriam. Ex ſacra Script. *Gen.* 15. Ego merces tua magna nimis. *Eccli.* 16. Miſericordia faciet locum vnicuique ſecundùm meritum operum ſuorum. *Sap.* 3. Deus inuenit eos dignos ſe. *Sap.* 10. Reddet iuſtis mercedem laborum. *Matt.* 5. *Luc.* 6. Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. *Matt.* 20. Voca operarios, & redde illis mercedem. *Marc.* 9. Quiſquis dederit vobis potum aquæ frigidæ, in nomine meo : non perdet mercedem ſuam. 1. *Cor.* 3. Quiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem. *Cap.* 4. Momentaneum & leuè tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Theſſ.* 1. Digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. 2. *Tim.* 4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui : in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex. *Heb.* 3. Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci : talibus enim hoſtijs promeretur Deus. *Cap.* 6. Non eſt iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri. Ex quibus tam expreſſis, & continua doctrina

ac

Digitized by Google

ac praxi Eccleſiæ, ac SS. PP. Hæc veritas definita fuit in Conc. *Arauſ. can.* 18. Debetur merces bonis operibus ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur præcedit vt fiant. In *Later. ſub Innoc. 3. cap. Firmiter, &c. In Flor. ſub Decreto de purgatorio.* Sed latiùs ex profeſſo, in *Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. & Can. 24. 26. 31. 32.* Si quis dixerit iuſtificatum, bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam & Chriſti meritum fiunt, non verè mereri, &c. Anathema ſit. Et *Can.* 33. vt *in 2. Col.* 295. 298.

2. Huic fidei Chriſtianæ & Catholicæ proximum eſt: Chriſtum omnium & ſingulorum hominũ Redemptorem & Saluatorem, pro omnibus & ſingulis paſſum, mortuũ, meritũ eſſe, & ſatisfeciſſe ſaltem quoad ſufficientiam. Ex ſacra Script. *Rom.* 14. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. 2. *Cor.* 5. Si vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, &c. Vnde *B. Aug. Lib De Nuptijs & Concup. cap. 32. Lib. 6. contra Iul. cap.* 4. & alibi ſæpè infert omnes etiam paruulos peccato originali mortuos eſſe: cùm & pro illis Chriſtus mortuus ſit. 1. *Tim.* 2. Obſecro fieri orationes pro omnibus, &c. Hoc enim bonum eſt coram Saluatore noſtro Deo: qui omnes homines vult ſaluos fieri, &c. Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Atqui orandum eſt pro ſingulis: & Deus eſt ſingulorum; ergo & Chriſtus eſt Mediator & Redemptor ſingulorum. *Cap.* 4. Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Ergo non tantùm horum: ſed & illorum ſingulorum. 1. *Ioan.* 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Nam vt *B. Aug. in Pſal.* 95. Chriſtus iudicabit orbem terrarum: non partem; quia non partem emit. Totum iudicare habet: quia pro toto pretium dedit. Atqui iudicabit ſingulos: ergo ſingulos emit, ſeu pro ſingulis pretium dedit. Hinc idem *B. Aug.* ſolos Angelos excipit à redemptione Chriſti, *Enchir. 61. & Tract. 110. in Ioan.* Iudicabit tamen & Angelos: ſed alio iure quàm Redemptionis. Confirmatur ex *Trid. ſeſſ. 6. cap.* 3. Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; ſed ij duntaxat quibus meritum paſſionis eius communicatur. Ergo quidam ex illis omnibus pro quibus Chriſtus mortuus eſt, mortis eius beneficium recipiunt, quidam non. Qui ſenſus eſt proximus fidei, ſeu expreſſis ſacris Script. definitionibus Eccleſiæ, & ſenſui communi omnium fidelium: quia omnes & ſinguli hunc ſenſum vt proprium profitentur, & intendunt de ſeipſis, ſub *Symbolo Conſtãt. Crucifixus etiam pro nobis, &c.* Senſus autem quo omnes pro quibus Chriſtus mortuus eſt, arctantur ad multos, vel potiùs ad paucos ex omnibus: eſt metaphoricus, ſeu improprius; nec facilè vſurpandus in ſacris Script. niſi ad neceſſariam conciliationem alicuius obſcurioris, cum pluribus alijs expreſſioribus; vel ex propria materia, aut circumſtantia textus.

3. Certum eſt, Chriſtum non eſſe Redemptorem aut Saluatorem Angelorum, nec pro eis vllatenus paſſum eſſe, vel ſatisfeciſſe: ſed probabile eſt tam eos, quàm primos Parentes, propter Chriſtum præuolitum ac præuiſum, ad omnem gratiam & gloriam creatos, & quoſdam eius exemplo prædeſtinatos fuiſſe, imò & ab ipſo Chriſto ſubelectos, vel etiam ex eius meritis præuiſis, aut ſaltem ex præuiſa eius dignitate habendi tot & tantos ſubditos honorarios. Quia 2. *Pet.* 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit .i. nullam eis pœnitendi gratiã dedit. Et *B. Aug. Tract.* 110. *in Ioan.* Pro nobis, non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus. *Enchir.* 61. Non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus: ſed ideo etiam pro Angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur á malo; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, & ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur, &c. vt ſupra *q. 3. à col. 261. ad 367.* Quod enim eſt primum in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum. Nec obſtat *Coloſſ.* 1. Pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt: quia, vt *B. Aug.* ſupra, Chriſtus reconciliat homines Deo & Angelis. Nec *Epiſt.* 105. *B. Aug.* Chriſtus non pro nullis vt homines conderentur: ſed pro impijs mortus eſt, vt iuſtificarentur. Quia aliud eſt mori pro hominibus, vel Angelis condendis: aliud condi & eligi ad gratiam & gloriam propter Chriſtum, vel ad eius exemplar, vel ex eius meritis quoad ſubſtantiam præuiſis, vel ex præuiſa eius dignitate, ad præparandum ei tot ac tantos ſubditos honorarios.

4. Credibilius eſt Chriſtum ex perfecta iuſtitia infinitè meruiſſe ac ſatisfeciſſe, intenſiuè & extenſiuè, per omnes & ſingulos actus ac paſſiones ſuæ Perſonæ & naturæ humanæ, à primo inſtanti vitæ, vſque ad vltimum incluſiuè: non tamen infinitam gratiam aut gloriam intenſiuè, nec infinitas numero, nec pro infinitis hominibus, aut peccatis grauitate vel numero infinitis, actu vel poſſibilibus; ſed tantùm pro pluribus in infinitum, quoad ſufficientiam; nonniſi pro futuris, quoad efficaciam. Ex ſacris Script. Conc. & Patribus: à quibus merita Chriſti incomparabiliter præferuntur omnibus peccatis futuris ac poſſibilibus; non quaſi hyperbolicè, ſeu exceſſiuè plus quàm valeant, ſed defectiuè ſeu minùs quàm valeant. Vt *Iob* 6. allegoricè de Chriſto: *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas quàm patior in ſtatera, &c. Rom.* 5. Si vnius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei abundauit per Chriſtum, &c. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. *Heb.* 5. 7. 8. 9. 10. De præſtantia Sacerdotij Chriſti, de prætio Sanguinis eius, & de valore vnicæ oblationis eius *ad exhaurienda omnia peccata*, & ad conſummandum in æternum ſanctificatos. *Extrauag. Vnigenitus*, ſupra *col.* 281. De infinito Theſauro meritorum Chriſti in Eccleſia, ad indulgentias relaxandas: deque ſufficienti effuſione vnius guttæ Sanguinis Chriſti, propter eius vnionem cum Verbo, ad redemptionem totius generis humani. Quæ ſufficientia non poteſt eſſe certa, niſi ex infinito valore meritorio & ſatisfactorio. Ergo quilibet actus & paſſio Perſonæ Chriſti per naturam humanam,

Digitized by Google

manam, eſt infiniti meriti & ſatiſfactionis. Nam illa ſufficientia non appropriatur ſoli effuſioni ſanguinis: ſed tribuitur cuiuis actui & paſſioni Perſonæ effundentis. Hæc eſt enim proprietas & excellentia incomparabilis, operationis Theandricæ, ſeu Perſonæ Diuinæ influentis vt cauſa principalis per ſuam naturam diuinam in omnes operationes vt inſtrumentales naturæ humanæ, ſed proprias, principales, ac perſonales Perſonæ diuinæ. Vt ſupra *Quæſt.* 10. & infra, ad difficultates de infinito merito ſingulorum actuum, & paſſionum Chriſti: finito tamen demerito omnium peccatorum poſſibilium.

5. Præter impetrationem precariam, & ſatisfactionem condignam pœnarum, meremur diſpoſitiuè de congruo ipſam iuſtificationem, per gratias actuales & præuenientes: poſt iuſtificationem, meremur etiam de digno & condignó remiſſioné culparum venialium, imò & augmentum gratiæ ac gloriæ; non condignitate æqualitatis, ſed proportionis; nec ex iuſtitia Deum obligante, ſed ex eius fidelitate, & noſtra in merendo charitate, non neceſſaria operis difficultate, nec intenſione, nec duratione. In quibus omnibus Authores noſtri expreſsè conſentiunt, vel facilè conciliari poſſunt. Ex iiſdem ſacris Script. & Concilijs quibus ſuprà tribuuntur nobis vera & propriè dicta merita, per gratiam & merita Chriſti. Et ex Cenſurijs *Pij.* 5. ac *Greg.* 13. contra illas omnes propoſitiones Baij, vt tribuentes ſtatui innocentię merita ſine gratia, vel negantes iuſtificatis vera & propriè dicta merita gratiæ & gloriæ, & condignas ſatisfactiones pœnarum. Inter quas cenſura in hanc *Prop.* 2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium:* plurimum fauet Doctrinæ noſtrorum Authorum de meritis noſtris ex fideli ac gratuita Dei promiſſione, & acceptatione, vltra perfectioné ac dignitatem intrinſecam operum & operantium. Vt & *S. Aug. lib. de gratia & libero Arb. cap.* 6. Cui redderet coronam iuſtus Iudex: ſi non donaſſet miſericordiam miſericors Pater? *In Pſal.* 32. Teneamus fideliſſimum debitorem: quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem. *Serm.* 16. *De verbis Apoſt. cap.* 2. Deus debitor factus eſt: non aliquid nobis accipiendo; ſed quod ei placuit promittendo. Imò & Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 15. hâc præclarâ coronide ſuæ totius Doctrinæ de meritis noſtris, verbatim ex *Epiſt. Cæleſtini Papæ, cap.* 11. Abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel cófidat vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.

## *Contra omnia merita Criſti & noſtra.*

1. ROm. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 2. Perſona diuina Chriſti non poteſt mereri à ſeipſa, nec ab alia Perſona diuina: nec poteſt recipere vllam mercedem à ſeipſa, vel ab alia; nec ſibi ipſi propriè debere, nec ab alia Perſona diuina deberi. Nec ſola eius natura humana operatur aut meretur: nec Perſona per naturā; quia mereri propriú eſt perſonæ, non naturæ. Nec deniq; habet vlla propria, & libera per quæ mereatur. 3. Actio vel paſſio humana Chriſti non eſt eius propria, ſed Dei: nec poteſt eſſe æquiualens actui ſeu acceptationi voluntatis Dei: ergo nec meritoria ex perfecta iuſtitia. 4. *Luc.* 17. Cùm feceritis hæc omnia: dicite, ſerui inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus. Ergo nihil meremur. 5. *Rom.* 6. Gratia Dei vita æterna. 6. *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. 7. *Eph.* 2. Non ex operibus, &c. 8. Ex *B. Aug. lib. de vera Relig. cap.* 47. Non eſt aliquid extra Deum merendum: ſed nihil aliud quàm ipſum hærere Deo bonum eſt. *Lib. De gratia & lib. Arb. cap.* 6. & alibi ſæpè. Dona ſua coronat Deus, non merita tua. 9. Ex *S. Bern.* ſub finem libri de gratia & libero Arb. *Eſt corona iuſtitiæ Dei, non ſuæ.* 2. *Tim.* 4. Si propriè appellentur quæ dicimus noſtra merita: ſpei quædam ſunt ſeminaria, charitatis incentiua, occultæ prædeſtinationis inſignia, futuræ fœlicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi. 10. Ex ipſa ſufficientia & efficacia meritorú Chriſti: quæ non patiuntur vllum ſupplementum meritorum noſtrorum; quia videremur noſtri Redemptores partiales.

*Reſp.* *Ad* 1. Non meremur retributionem donorum Dei: niſi per priora eius dona ſeu gratias. Vt patet ex *Pſal.* 115. Quid retribuam Domino, &c. *Pſal.* 118. Retribue ſeruo tuo, &c. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Ad* 2. Perſona diuina Chriſti, agit, meretur, & patitur, per ſuam naturam humanam, vt inſtrumentalem: non recipiendo, nec contrahendo inde vllam imperfectionem; ſed conferendo & aſſumendo ſibi omnem perfectionem poſſibilem, relicta tota imperfectione merendi & patiendi, indigendi, recipiendi, debendi, ſoluendi, ſoli naturæ inſtrumentali. *Ad* 3. Perſona diuina Chriſti habet proprietatem perfectiſſimam ſuarum actionum & paſſionum: ſed natura eius humana habet proprietatem & libertatem inſtrumentalem, ſufficientem ad donationem & oblationem meritoriam; æquiualentem acceptationi diuinæ vt eſt à Perſona donante & offerente principali, non vt per naturam inſtrumétalem. *Ad* 4. Sumus ſerui inutiles Deo: nec meremur vt illi vtiles, ſed nobis ipſis. Nec ſummum debitum ſeruile obediendi Deo ad omnia, eſt cótrarium merito & præmio fidelis promiſſionis Dei: ſed perfectæ iuſtitiæ, & obligationis. *Ad* 5. Vita æterna eſt ſola gratia in Dei intentione, & paruulis in executione: ſed adultis eſt gratia & merces, ſeu ex gratia & meritis. *Ad* 6. Paſſiones huius téporis non ſunt condignæ futurâ gloriâ, ad æqualitatem: imò nec ad proportionem durationis, de qua ibi; ſed ad plures alias porportiones, de quibus infra. *Ad* 7. Non ex operibus, &c. .i. naturalibus, vel legalibus tantùm. *Ad* 8. Commendat perfectiorem intentionem, quàm merendi aliquid aliud à Deo, ſed ipſum Deum: imò ipſum adhærere Deo ex charitate, ſine intentione merendi; quia meritum non pendet ex intentione merendi, ſed ex charitate Dei. Nec negat Deum coronare merita

merita noſtra: ſed vt noſtra propria, ſeu ex ſola natura & libero Arb. Sic enim ait. *Dona ſua coronat Deus, non merita tua: ſi tibi à teipſo, non ab illo ſunt, &c. Si Dei dona ſunt, bona merita tua: non Deus coronat merita tua vt tua, ſed vt dona ſua, &c.* Vt & Trid. *ex Celeſtino Papa*, ſupra. *Ad* 9. vt in 2. *col.* 465. 466. 467. 468. Non negat eſſe coronam ſeu mercedem meritorum: ſed negat eſſe ex noſtra propriæ iuſtitia, ſeu iure iuſtitiæ; quia eſt ex iuſtitia Dei, quâ debet ſibiipſi ſeu ſuæ veracitati & fidelitati, quod promiſit, &c. Nec negat noſtra merita eſſe verè merita, contra *Trid. Seſſ. 6. Can.* 32. imò nec eſſe propriè merita: ſed cenſet magis propriè dici poſſe viam Regni, quàm cauſam regnandi; quia non ſunt cauſa realis, nec moralis principalis, ſed tantùm diſpoſitiua & inſtrumentalis, &c. vt fusè *in* 2. ſupra. *Ad* 10. Ex *Trid. Seſſ. 6. Can.* 33. Si quis dixerit per hanc doctrinam aliqua ex parte Gloriæ Dei, vel meritis Chriſti derogari: & non potiùs veritatem fidei, Deique ac Chriſti gloriam illuſtrari; Anathema ſit. Et ex Cenſura *Pij* 5. in hanc 56. *Prop. Baij.* Per eleemoſynas, &c. pro pœnis temporalibus, non dignum precium Deo pro peccatis noſtris offerimus: alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores. Imò ex Apoſtolo 1. *Cor.* 3. Dei adiutores ſumus. *Coloſ.* 1. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Nam ſicut cauſa prima operatur realiter per cauſas ſecundas: non ex defectu, ſed ex perfectione propriæ virtutis. Sic & Chriſtus non tantùm per ſeipſum meruit pro nobis: ſed ex ſumma perfectione merendi, meritus eſt nobis gratiam merendi, ſicque meretur etiam per noſipſos.

## *Contra merita Paſſionis & Mortis Chriſti pro omnibus & ſingulis.*

1. Matt. 1. Vocabis nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Ergo non eſt Saluator omnium, & ſingulorum: ſed ſolius populi ſui. 2. *Matt.* 26. Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur. Ergo non pro omnibus & ſingulis. 3. *Ioan.* 11. IESVS moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Ergo non niſi pro his congregandis. 4. *Ioan.* 17. Non pro mundo rogo: ſed pro his quos dediſti mihi. *Infra.* Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt in me. Ergo non pro alijs. 5. *B. Aug. lib.* 1. *De adulterinis coniugijs, cap.* 15. Omnis qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, homo eſt: non tamen omnis qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt. 6. *Epiſt.* 102. *ad Euodium.* Non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt. 7. *De corrept. & gratia, cap.* 8. Pro *Petro* Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. 8. Idem ſemper exponit, *Omnes*, quos Deus per Chriſtum vult ſaluos fieri: pro omnibus & ſolis ſaluandis, vel pro aliquibus electis ex omni genere hominum, non autem pro ſingulis.

9. Chriſtus nihil fruſtra voluit: Ergo nec pati, nec mori pro ijs quibus ſciebat nihil profuturum. 10. Saltem non pro eis quibus nihil vnquam prodeſſe poterat, ſeu qui nunquam poterunt ei participare: quales ſunt morientes ante Baptiſmum, & vſum rationis.

*Reſp. Ad* 1. IESVS ibi denominatur & commendatur ab actu, modo, & fine ſuo principali: non autem negatur omnis alius modus ſaluandi. Vt patet ex illo 1. *Tim.* 4. Qui eſt Saluator omnium, maximè fidelium. *Ad* 2. Multi ſæpè ſumuntur pro omnibus, aut pleriſque, vel propè omnibus. Vt *Rom.* 5. Vnius delicto multi mortui ſunt .i. omnes: vt ibidem exprimit Apoſtolus; ſed *plures* ibidem, in quos gratia Chriſti abundauit .i. non plures illis omnibus, ſed multi ex illis. Vt patet ex contextu, & ex *B. Aug.* ſæpè. Poteſt & ſumi pro multis efficaciter, principaliter, & finaliter. *Ad* 3. vt *ad* 1. & 2. De actu, modo, & fine principali: non negando vllum alium alibi ſatis expreſſum. *Ad* 4. Non pro mundo rogo .i. non pro mundanis, ſeu ad aliquem finem concupiſcentiæ huius mundi. Vt indicat *B. Aug. Tract.* 107. Vel vt idem *Tract.* 109. *In hac oratione*: ſupponens aliàs oraſſe etiam pro alijs. Vt *Luc.* 19. Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, &c. *Luc.* 22. Amice, ad quid veniſti? Quæ ſignificant aliquod in Chriſto deſiderium conuerſionis eorum. Sed expreſſiùs *Luc.* 23. Pater, dimitte illis. Quamuis enim *Heb.* 6. Exauditus ſit pro ſua Reuerentia: non tamen pro omnibus, pro quibus tunc orabat; nec tunc orabat pro ſolis conuertendis, ſed pro omnibus ſuis inimicis, in exemplum non tantùm orandi pro amicis futuris. Vel, Non pro mundo rogo: ſed, &c. i. non abſolutè, æqualiter, finaliter; ſed vt in horto, *Matt.* 26. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; non tamen ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Vnde patet Chriſtum non ſemper oraſſe abſoluè: nec tamen contra, ſed ſecundùm ſuam propriam voluntatem Diuinam, quæ eſt vt oretur pro omnibus viatoribus, 1. *Tim.* 2. 4. Nam vt *B. Aug. Enchir.* 101. Poteſt quis bona voluntate velle, quod Deus non vult, &c. Tantùm intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, &c. Vndè conformitas voluntatis humanæ cum Diuina, non eſt ſemper in volendo idem & eodem modo, quo Deus vult in ſe: ſed, id quod, & eo modo quo vult nos velle. Vt docent omnes Theologi ad finem *lib.* 1. *Sent.* Nec obſtat quòd Chriſtus ſciret decretum abſolutum reprobationis, & non exauditionis pro reprobis: quia ſciebat hoc decretum non eſſe regulam humanam volendi & orandi; ſed aliam regulam & modum quo Deus vult orari. Nec obſtat illud *B. Aug. lib.* 21. *Ciu. c.* 24. Si Eccleſia noſcet, qui, licet adhuc in hac vita conſtituti, prædeſtinati ſint in æternum ignem cum Diabolo: tam nec pro eis oraret, quàm nec pro Diabolo; ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus, nec tamen pro omnibus exauditur.] Quia non oraret pro illis communiter, æqualiter, abſolutè, nec contra decretum abſolutum reprobationis: ſed ſaltem pro aliqua eorum emendatione, & præſeruatione à grauioribus culpis & pœnis; imò & pro mitiori iudicio citra con-



Digitized by Google

condignum. Quomodo potuit & Chriſtus orare & impetrare : ita vt poſſit etiam tribui meritis Chriſti, quòd damnati minùs punientur, quàm ex ordinaria iuſtitia Dei citra condignum, prout innuit *Scotus* ſupra. *Ad* 5. Non Angelus, ſed ſolus homo redemptus eſt Sanguine Chriſti : nec omnis homo; quia non ipſe Chriſtus vt homo, nec eius Mater, niſi præſeruatiuè. Sed redemptum eſſe Sanguine Chriſti, ſignificat ipſum effectum principalem ac finalem redemptionis : eſſe autem Redemptorem, & pro omnibus mortuum, ſignificat ſolum officium, & affectum patiendi pro omnibus & ſingulis, ad aliquem ſaltem effectum mitigationis, vt ſupra. *Ad* 6. Si, *inquit*, propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentiâ poſſunt iſta diſcernere : penè fruſtra in Eccleſia laboramus, &c. Nonnulli à corporibus incorporea diſcernentes, ab vnica via longè exerrant : & multi in Cruce Chriſti gloriantes, etiamſi iſta ignorant, quia non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ad æternitatem perueniunt.] Ergo ſupponit Chriſtum etiam mortuum eſſe pro illis qui quamuis diſcernant ſpiritualia, à via tamen aberrant : ſed exprimit eſſe principaliter mortuum pro eis qui licet ignorent ſpiritualia, à via tamen ſalutis non recedunt; quia inquit, *Non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt*, ſimpliciter & abſolutè, pro ſuo principali ſignificato. Sed non ſequitur eum non eſſe mortuum pro alijs : quia affirmatio verificatur pro aliquo, & maximè pro principali ſignificato; ſed negatio affirmationis excludit omnem modum eam verificandi. Non ſic negatio ſolius ſubiecti, vt ſupra, *Non omnis homo eſt Chriſti Sanguine redemptus*, negat omnem redemptionem prædicati, ſed ſolam principalem. *Ad* 7. *Illa oratio non potuerat eſſe inanis* : quâ Chriſtus, *Luc.* 22. orauit pro *Petro*, ne deficeret fides eius; quia, *quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimã, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem? Ad* 8. Exponit quidem voluntatem Diuinam ſaluandi omnes, pro ſolis omnibus ſaluandis, vel pro aliquibus ex omni genere ſeu ſtatu hominum : quia cùm voluntas Diuina ſit Omnipotens, non videtur poſſe non fieri quod vult. Sed quia voluntas humana Chriſti non eſt omnipotens : poteſt velle, & voluit, ſeu deſiderauit ſalutem eorum etiam qui non ſaluabuntur. Hinc *B. Aug.* exponens illam voluntatem Dei ſaluandi omnes, *Epiſt.* 107, *Enchir.* 103. *De corrept. & gratia. cap.* 14. ſupponit plures alios modos intelligendi. Quorum vnum ſic exprimit *cap.* 15. Poteſt etiam ſic intelligi : quòd omnes homines Deus vult ſaluos fieri; quoniam nos facit velle, &c.] Ergo eſt eius voluntas vt velimus, ſeu deſideremus, & oremus omnes & ſingulos viatores ſaluos fieri. Quòd ſi Deus id vult per nos : quantò potiùs per ſuam voluntatem humanam Chriſti? Imò videtur eſſe proprius ſenſus huius textus, de voluntate humana Chriſti. Sic enim habet. *Obſecrò fieri orationes pro omnibus, &c. Hoc, enim bonum eſt coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, &c.* Quis eſt autem *Saluator noſter Deus*, niſi ipſe Chriſtus : & quæ eius voluntas vt omnes ſalui fiant, niſi humana? Subdit. *Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* IESVS .i. Idem qui eſt vnus Deus omnium & ſingulorum : eſt & vnus Mediator Dei & hominum, vtique omnium & ſingulorum; homo Chriſtus IESVS .i. vt talis. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* .i. quorum eſt Deus, & Mediator. Sed de hac volũtate Dei, *in* 1. *Sent.* & infra *q.* 13. De gratia Chriſti. *Ad* 9. & 10. Chriſtus nihil fruſtra voluit : quia hoc ipſo plurimùm meruit, & ſaltem ſaluandis profuit, volendo etiam pati ac mori pro ijs quos præſciebat nunquam futuros ſibi fideles & amicos, & hoc ipſum nolituros : non ex defectu alicuius gratiæ per Chriſtum, de qua quæſt. ſequenti; nec ex ſola ignorantia aut impotentia credendi & volendi; ſed ex quadam etiam auerſione voluntatis, vel ſaltem ex eorum defectu originali & culpabili. Quales ſunt & pueri ante Baptiſmum, & vſum rationis : quia licet *B. Aug. Epiſt.* 107. & alibi ſuſtineat eos non baptizari, non quia ipſi nolint, ſed quia Deus non vult eos ſaluari : & *Pius* 5. ac *Greg.* 13. cenſurent *Prop.* 46. & 47. *Baij*, quibus tribuit quandam prauam voluntatem habitualem paruulis; certum eſt tamen eos nolle baptizari, ſi non contrariè, ſaltem priuatiuè; non autem tantùm negatiuè. Confirmatur totus hic ſenſus *B. Aug. ex S. Proſpero* eius Diſcipulo ac Interprete, *Lib.* 1. ad hanc ipſam 9. obiectionem Gallorum, *cap.* 9. quòd ex Doctrina *B. Aug.* Chriſtus non eſſet crucifixus pro totius mundi redemptione. *Reſp.* Cùm rectiſſimè dicatur, *Saluator* pro totius mũdi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem : poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit, &c.] Vbi per hanc dictionem reſtringit illam : ergo illa extendit ſe ad plures quàm hæc; illudque ait *rectiſſimè dici*, hoc autem tantùm *poſſe dici. Lib.* 2. Ad hanc primam Obiectionem inter Vincentianas, *cap.* 1. quòd Chriſtus non eſſet paſſus pro omnium hominum ſalute & redemptione. *Reſp.* Quòd ad magnitudinem & potentiam prætij, & quòd ad vnam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi : ſed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate ſint eruti : redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus Princeps mundi miſſus eſt foras, &c. Poculum quippe immortalitatis habet quidem in ſe vt omnibus proſit : ſed ſi non bibitur, non medetur.] Vbi *rectè* dicuntur omnes redempti, & tamen non illi omnes eruti : quibus actu erutis tribuitur proprietas redemptionis; ſed non negatur de alijs redemptio communis. Itaque ſunt quidem iure redempti : ſed non omnes ipſo facto à captiuitate liberati. Quod nunc Scholaſtici breuiter & optimè exponunt, per redemptionem omnium & ſingulorum quoad ſufficientiam, ſeu quoad expoſitionem & oblationem pretij : non autem quoad

effica-

Digitized by Google

efficaciam, applicationem, vel etiam à Deo acceptationem. In quem ſenſum noſtri Authores ſupra, ſingulariter *Scotus d.* 19. *q.* 1. vbi negata oblatione & acceptatione meritorum Chriſti, pro alijs quàm pro electis: ſubdit bis, *Hoc quoad efficiam*; & infrà, *Dico efficaciter*. Ergo ſupponit aliam Chriſti oblationem quàm efficacem, ſeu alium modum offerendi quàm efficaciter.

## Contra merita Chriſti pro Angelis.

1. EX ſacra ſcript. *Hebr.* 1. Qui ſanctificat & ſanctificantur, ex vno omnes, &c.. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ. 2. *Petr.* 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c. Ergo nec incarnatus fuit pro Angelis: nec Angeli receperunt vllam gratiam ex meritis Chriſti. 2. Ex ſymbolis fidei. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, &c.* Ergo non propter Angelos. 3. Ex *B. Aug.* ſuprà, *Enchir.* 61. Vbi non tantùm negat Chriſtũ pro Angelis mortuum eſſe: ſed ſtudioſè referens fructus indirectos Angelorũ ex redẽptione hominum: non meminit vllius fructus proprij & directi Angelorum. Imò *Serm.* 8. & 9. De verbis Apoſtoli, ſæpè & expreſsè negat Chriſtum alio fine veniſſe quàm redimendi homines. 4. Ex ratione. Quia nec homo nec Angelus poterat creari in peccato, nec in miſerrima neceſſitate naturali peccandi: Ergo nonniſi cum aliqua gratia neceſſaria ad non peccandum, & ad merendum. Non ergo ex vllis meritis præuiſis Chriſti. Confirmatur ex *B. Aug. quæſt.* 82. ex 83. *Epiſt.* 28. *ad S. Hier. Lib.* 1. *De pecc. mer. & rem. à c.* 35. *ad* 39. *Lib.* 3. *Contra Iul. c.* 3. 4. 5. 6. *Lib.* 4. *cap.* 16. *Lib.* 1. & 2. *Operis imperfecti.* Vbi & alibi ſæpè ſupponit nullam creaturam rationalem potuiſſe creari in miſeria: quantò minùs in tanta, tamque miſera neceſſitate peccandi ſine gratia; indeque probat contra Pelagianos, homines non naſci tam miſeros in ſtatu naturali, ſed culpabili. Deinde Chriſtus non fuit meritus niſi vt paſſibilis & mortalis: ergo nonniſi pro peccatoribus. Denique ſi quid Angelis primo meruiſſet, geſſiſſet eorum curam vlteriorem.

*Reſp. Ad* 1. Hebr. 2. *Qui ſanctificat & ſanctificantur, ex vno omnes* .i. Ex vno Deo: imò potiùs ex vno eodemque genere humano; non tantùm nec tam vt corporeo, quàm vt rationali & ſpirituali, nobis & Angelis communi. Vel de ſanctificatione à peccatis, & per ſacramenta, ſoli homini propria. *Nuſquam Angelos apprehendit*: in vlla ſpecie aut ſingulari; ſed in genere communi creaturæ ſpiritualis. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*: Nec Chriſtus èis meruit vllam veniam aut pœnitentiæ gratiam; quia ſinguli propriâ, perfectiſſimâ, & pertinaciſſimâ libertate peccarunt, non ſic autem homines. *Ad* 2. *Qui propter nos homines, &c.* .i. Vel propter nos ſolos fuit incarnatus paſſibilis & mortalis, &c. Vel etiam propter nos tam viles & indignos homines. *Ad* 3. Vt ſuprà, totâ *quæſt.* 3. Nec *B. Aug. Enchir.* 61. agit de meritis Chriſti in genere: ſed de eius morte, & noſtra redemptione; quâ etiam Angelis reconciliamur, & ruinæ Angelicæ reparantur. Vnde tamen poteſt colligi Chriſtum non reparaſſe, ſeu inſtauraſſe omnia quæ in cœlis ſunt & quæ in terris, *Eph.* 1. niſi hæc reparatio ad ipſum pertinuiſſet, per aliqua merita primæ inſtitutionis. *Ad* 4. Cauendæ ſunt Cenſuræ *Pij* 5. & *Greg.* 13. in ſententias D. Baij, tribuentes gratiam quaſi debitam & connaturalem naturæ primò inſtitutæ. Vt in 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* 76. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine iuſtitia naturali.* Quæ cenſuræ non ſupponunt hominem potuiſſe, nequidem potentiâ abſolutâ, primò creari in peccato originali: nec potentia ſaltem ordinaria, ſine gratia actuali neceſſaria ad non peccandum; ſed *ſine iuſtitiâ naturali* .i. originali & habituali. Nec eſt mens *B. Aug.* non potuiſſe primò creari in vlla miſeria: ſed vt pœnali, nec ſalutari ad exercitium virtutis, nec tali, tanta, tamque generali ac nunc, nec ſine gratia actuali neceſſaria ad non peccandum, nec fortè de potentia abſoluta, ſed ordinaria. Nam *q.* 82. ex 83. *Si propterea gratia perpeti iuſtos fineret, quia contra ordinem à ſe diſpoſitum nollet venire: nec ipſe iuſtus eſſet. Non quia diſpoſitionem ſuam ſeruare vult: ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum, vt immeritis pœnis iuſti affligantur.* De pœnis ad puniendam culpam, non ad virtutem exercendam, vel ſine gratia neceſſaria benè vtendi, aut non abutendi ad peccatum. *Lib.* 1. *De pecc. mer. & rem. cap.* 37. *Tanta carnis infirmitas, neſcio quid, quantum arbitror, pœnale demonſtrat.* .i. probabiliter, non autem euidenter, aut neceſſariò. Quia *lib.* 3. *De libero Arb.* cenſet probabile, *ignorantiam & difficultatem potuiſſe eſſe primordia hominis naturalia: nec tamen peccata inde oriunda Deo imputari potuiſſe*; ſuppoſitâ tamẽ gratia actuali neceſſaria ad non peccandum ex tali ignorantiam & difficultate. Et vbique cenſet peccatum originale eſſe difficillimum ſecretum fidei Chriſtianæ: ergo nulla ratione, multo minùs experientiâ miſeriæ humanæ, euidenter, aut neceſſariò demõſtrabile. *Epiſt.* 28. *Cùm ad pœnas ventum eſt paruulorum: magnis coarctar anguſtijs, &c. Non enim dici fas eſt, aut iſta ignorante Deo fieri, aut eum non poſſe reſiſtere facientibus, aut iniuſtè iſta facere, vel permittere. Nunquid ſicut animalia dantur in vſus naturis excellentioribus: hoc & de homine rectè poſſumus dicere? Anima eſt rationalis in illis membris, Deus bonus eſt, iuſtus, omnipotens: tantorum ergo malorum quæ fiunt in paruulis, iuſta cauſa dicatur, &c. Fortaſſe corpora hoc faciunt: Sed numquid anima ſibi corpus elegit?* Subdit ex l. 3. de lib. arb. c. 23. *Quis nouit quis paruulis, de quorũ cruciatibus duritia maiorum contunditur, aut miſericordia probatur, aut exercetur fides, in ſecreto iudiciorum ſuorum bona compenſationis reſeruet Deus? Hoc quidem dici poteſt de ijs qui vel pro Chriſto, vt ſaltem baptizati patiũtur: quomodo autem de ijs quibus inſuper & damnatio præparata eſt?* Lib. 3. Contra Iul. c. 3. *Quâ iuſtitiâ pœna iſta infligenda ſit paruulo, quem originali obnoxium negatis eſſe peccato?* Cap. 4. *Quo merito tanta innocentia cæca, & ſurda naſcatur? Quis ferat imaginem*



Digitized by Google

*Dei fatuum naſci*. Cap. 6. *Deus humanæ naturæ vitia non infligit immerita*. Nec dici poteſt quòd Ioan. 9. *Vt manifeſtentur opera Dei. Multi enim cum iiſdē vitiis moriuntur*. Lib. 4. cap. 16. *Huius euidentia miſeriæ, gentium Philoſophos compulit dicere, ob aliqua ſcelera in vita ſuperiore, nos eſſe natos*. Lib. 1. Operis imperfecti. *Dic quâ iuſtitia retributum ſit paruulis graue iugum, &c. Hæc ne tot munera, tam neceſſaria tot imaginibus ſuis, negaret Deus, &c. cùm hoc beneficium non à ſe prohibeat voluntas contraria paruulorum?* Quanto minùs potuiſſet quis creari ſine gratia neceſſaria ad non peccandum: aut ei imputari peccatum? Vt patet ex 2. *Sent. Col.* 350. Nec ideo hæc gratia fuiſſet naturalis, aut naturæ noſtræ debita: ſed gratuita, & debita ſoli Sapientiæ & Bonitati Dei, quæ nihil poteſt inordinatè agere. Nec *B. Aug.* id tribuit iuſtitiæ & æquitati Dei erga nos: ſed erga ſeipſum, ſeu quâ debet agere vt decet ſuam ſapientiam & bonitatem. Quæ ſapientiſſimè & optimè potuit prouidere, vt omnes gratiæ etiam neceſſariæ naturæ rationali primò inſtitutæ, darētur ex meritis præuiſis huius naturæ rationalis vniendæ hypoſtaticè. Nec obſtat quòd Chriſtus meruerit vt Viator paſſibilis, & mortalis, pro ſolis peccatoribus. Quia vt ſic non tam meruit, quàm ſatisfecit pro culpis & pœnis debitis. Meruit autem potiùs gratiam & gloriam, vt impaſſibilis & immortalis, ſeu per actus vt ſpirituales, De quibus infra. Nec ſi Angelis gratiam meruiſſet, pro eis quoque ſatisfeciſſet. Tum quia erant indigniores hâc miſericordiâ, quàm nos. Tum quia non erant rei pœnarum corporalium, ſed ſpiritualium, magis indecentium Chriſtum, quàm noſtræ pœnæ temporales, &c.

## *Contra infinita Merita Chriſti, pro omnibus peccatis poſſibilibus.*

1. SI eſſent infinita, ab infinita Perſona operante: ſingula eſſent infinita, & æqualia; nec plus meruiſſet per ſuam Paſſionem, & mortem, quàm per minimam actionem. Cùm tamen ſacra Script. Conc. & Patres tribuant noſtram redemptionem eius Paſſioni & morti. 2. Si ſingula eſſent infinita, ab infinita Perſona operante: omnia bona opera per Dei gratiam, eſſent infiniti meriti; quia fiunt à Deo per nos operante. 3. Opera externa Sanctæ Trin. ſunt indiuiſa, ſeu à Tribus Perſonis Diuinis æqualiter: ergo & opera humana Chriſti ſunt æquè ab vna Perſona, ac ab alia. 4. Effectus ſequitur debiliorem partem cauſæ: ergo opera humana Chriſti, quamuis à Perſona infinita, ſunt tamen finita; quia per naturam, potentiam, & gratiam finitam. 5. Nec gratia, nec vnio hypoſtatica eſt infinita, quamuis vniat Deo infinito: ergo nec opera humana Chriſti. 6. Si ſingula merita Chriſti eſſent infinita, non poſſent condignè præmiari: cùm tamen Deus præmiet omnia vltra condignum. 7. Peccata vt ſunt offenſiua Dei, & meritoria pœnæ æternæ videntur æquè infinita, ac merita Chriſti. 8. Eſt directè contra *Scotum*, imò & contra *Alenſem p.* 3. *q.* 1. *m.* 5. *a.* 2. *ad* 2. Quòd purus homo poſſit condignè ſatisfacere pro Mortali: ergo non eſt neceſſaria ſatisfactio infinita.

*Reſp. Ad* 1. Ex *Alenſi p.* 3. *q.* 16. *m.* 3. Chriſtus meruit charitate omne præmium excedente. *Art.* 2. Tantum meruit ab initio, quantum ſuâ paſſione: quoad vim merendi, non quoad effectum. *Art.* 3. Non plus meruit, ſed pluribus modis. *Ad* 1. Meritum Chriſti non accreuit virtute, ſed numero. Hinc ſingula merita poſſunt eſſe infinita & æqualia, intenſiuè ac ſufficienter: non tamē numeraliter & efficaciter. Quo ſenſu plus meruit efficaciter quoad acceptationem per ſuam paſſionem & mortem, quàm per alias actiones: ſed non plus quoad valorem. Meruit autem infinitè qualibet actione, vt propriâ & Perſonali agentis infiniti: ſed ſingulariter, ſuâ paſſione & morte, offerendo proprium Corpus & Sanguinem, Animam & Vitam Perſonæ Diuinæ, vt obiecti infiniti. Sic enim hæc omnia, vt oblata Deo in Sacrificium, ſunt pretioſiora duplici titulo, offerentis, & oblati infiniti: qualibet alia actione, ſolo titulo agentis infiniti. Nec offerebat hæc vt finita, & ſeorſim, ſed coniunctim cum Perſona infinita. i. Offerebat Deo ſeipſum vt corporeum & animatum, ad mortem, per effuſionem Sanguinis & Animæ in Sacrificiū infinitè latreuticum, euchariſticum, meritorium, propitiatorium, & impetratorium: non ſic autem propriè ſingulas actiones ac paſſiones vitales; ſed has vt proprias ac perſonales ſuâ voluntate & ſanctitate Diuinâ ac infinitâ, quamuis per humanam & finitam, eliciendo vel acceptando, & referendo ad ſeipſum, infinitè ſanctificabat, & meritoriè ac ſatisfactoriè dignificabat. Vt *Ioan.* 17. Pro eis ego ſanctificabo meipſum .i. ſacrifico, & ſacris actibus conſecro. Non quòd Chriſti actiones & paſſiones eſſent ſacratiores ac digniores ipſâ ſacrâ humanitate, vel eius partibus hypoſtaticè vnitis: ſed erant condignæ tali ſtatu hypoſtatico. Vt ergo natura humana Chriſti, & partes hypoſtaticè vnitæ, ſunt in ſtatu ſeu dignitate perſonali infinitas ſic & omnes eius actus, à tali ſtatu ſeu dignitate perſonali, ſunt ei condignæ & moraliter infinitæ.

*Ad* 2. Omnia opera ſunt à Deo vt à Cauſa prima: bona opera ſupernaturalia ſunt à Deo ſpecialiter per gratiam; ſed ſola opera humana Chriſti ſunt à Deo ſingulariter & perſonaliter, vt eius propria ac perſonalia, & condigna moraliter tali ac tantâ Perſona, quæ ſibi moraliter condignificat omnia ſua opera. Quò enim Perſona dignior, eò & minimi eius actus ſunt digniores: ſi non indignè, ſed condignè operetur. Hinc fortè noſter *Alenſ. & S. Bon.* ſumunt perſonalitatem à digniori proprietate naturæ: vt moraliter appropriate, & dignificante omnes actus perſonales.

*Ad* 3. Opera Sanctæ Trin. ad extra ſunt æquè ab vna Perſona, ac ab alia, realiter: non æquè perſonaliter, & moraliter.

*Ad* 4. Effectus declinat à perfectione reali cauſæ principalis, ad imperfectionem realem concauſæ diuiſæ: non autem à perfectione morali ad imperfectionem moralem, inſtrumenti perſonaliter & inſtrumentaliter vniti. Qualis eſt natura, potentia, & gratia finita Chriſti.

Ad

Digitized by Google

*Ad* 5. Gratia non tam dignificat actum aut Agens, vniendo Deo accidentaliter, & obiectiuè: quàm vnio hypoſtatica dignificat naturam, vniendo eam ſubſtantialiter & hypoſtaticè. Sed Perſona ſibi moraliter condignificat naturam, eam terminando, ſibi appropriando, & excipiendo ad ſuum proprium ſtatum & dignitatem perſonalem, ac moralem. Sibi autem condignificat omnes proprios actus perſonales: eos operando condignè tali ac tanto ſtatu perſonali.

*Ad* 6. Deus præmiat omnia merita noſtra vltra condignũ: ſed merita Chriſti non poſſunt in nobis condignè præmiari, ſed in ſolo Chriſto; cōdignitate ſui ſtatus perſonalis ad ſua opera, & operum poſteriorum ad priora. De qua cōdignitate, *Apoc.* 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere* .i. habere, *virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam; & benedictionem* .i. ſtatum diuinum & perſonalem, & omnia ei ac inter ſe condigna.

*Ad* 7. Peccata noſtra non poſſunt eſſe formaliter infinitæ malitiæ: quia hæc non oritur ab ipſo Deo vt obiecto infinito; ſed à ſua propria cauſa, ſeu ab ipſa voluntate, quæ non poteſt peccare ex infinita libertate & malitia. Tum quia fortè non poteſt dari vllum peccatum directè contrarium Deo. Tum quia non poteſt dari vllum adæquatè ei contrarium. Tum quia Deus non influit, ne quidem obiectiuè, in malitiam vllius peccati. Tũ quia offenſa non æſtimatur ex dignitate perſonæ offenſæ, & indignitate offendentis, niſi pro captu & libitu offendentis. Tum denique quia quantò offenſa perſonæ dignioris eſt grauior: tantò ipſa minùs offenditur, ſuamque offenſam minus imputat, quò eſt melior. Vt Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis, cũ tranquilitate* .i. moderatione *iudicas, & cum magna reuerentia* .i. ſuauitate *diſponis nos.* Nec pœna eſt æterna, ob culpam infinitam: cùm culpæ ſint tam inæquales, & tamen omnes finales puniantur pœna æterna; ſed quia & ſtatus peccati finalis eſt æternus, & affectus ac conſenſus peccantis eſt in illum ſtatum æternum, & effectus peccandi actu eſt in damnatis æternus. Ex *B. Aug.* Lib. 21. Ciu. cap. 11. *Iniuſtum putant, vt pro peccatis quamlibet magnis quiſq; pœnâ damnetur æternâ: quaſi vllius id vnquam iuſtitia legis attendat, vt tantâ morâ temporis quis puniatur, quanta vnde puniretur admiſit.* Exemplificat per octo genera pœnarum. *Quomodo ergo,* Luc. 6. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis? Non propter æquale temporis ſpatium: ſed propter viciſſitudinem mali, &c.* Cap. 12. *Sed pœna æterna ideo iniuſta videtur ſenſibus humanis: quia deeſt ille ſenſus altiſſimæ puriſſimæque ſapientiæ, quo ſentiri poſſit quantum nefas in illa prima præuaricatione commiſſum ſit.* Lib. 6. quæſt. contra Paganos. q. 4. in Matt. 7. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis .i. in qua voluntate, &c. Vt quia æternam voluit peccati perfruitionem,* ſaltem implicitè & virtualiter, *æternam vindictæ inueniat ſeueritatem.*

*Ad* 8. Ex *Alenſi p.* 2. *q.* 6. Actio Dei eſt Deus ipſe. *p.* 3. *q.* 1. Non poteſt Deo iuſtè ſatisfieri pro peccatis noſtris, niſi per Deum hominem. *q.* 17. *m.* 3. *a.* 2. Paſſio Chriſti fuit neceſſaria ad ſatisfactionem iuſto pretio. *Ad* 3. Vnica gutta ſanguinis Chriſti fuit ſufficiens ex dignitate Perſonæ. *M.* 5. *a.* 2. Paſſio & Mors Chriſti fuit ſufficiens ad omnem ſatisfactionem, ex dignitate Perſonæ. *Ad* 1. Vita Chriſti, vt Dei, non vt ſolius hominis, erat ſufficiens ad ſatisfactionem pro infinitis peccatis. *Ad* 3. Peccatum crucifixionis Chriſti non fuit infinitum, &c.

Ex *S. Bon. diſt.* 19. *Art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. Non fuit tanta malitia crucifigentium, quanta charitas Crucifixi. *Diſt.* 20. *q.* 3. Pura creatura non potuit ſatisfacere pro iniuria Dei, nec pro damno generis humani. *q.* 4. Nec plenè, nec ſemiplenè pro ſuo proprio peccato originali: ſed ſemiplenè pro peccato proprio actuali, quoad damnũm proprium, remiſſâ culpâ, ſeu offenſâ Dei per Chriſtum. *Ad* 2. Satisfacere eſt reddere Deo honorem debitum ex culpa, non ex natura. Quod quia eſt factum impoſſibile per culpam: fit poſſibile per gratiam. *q.* 6. *ad* 4. Potuiſſet ſufficere minima pœna tantæ Perſonæ, ad ſatisfactionem condignam, &c.] Quæ ſupponunt infinitum valorem ſingulorum meritorum & ſatisfactionum Chriſti, præ omnibus peccatis vt finitis. Nec vt vult *Vaſquez in* 3. *p. Tom.* 1. *diſp.* 2. *c.* 1. noſter *Al. p.* 3. *q.* 1. *m.* 5. cenſet purum hominem poſſe condignè ſatisfacere pro peccato mortali: ſed *Art.* 1. inquit, *Non per ſe, ſine dono gratiæ.* Quam non poteſt ſibi vllo modo naturaliter mereri. Cùm ergo noſter *Al. & S. Bon.* ſic ſentiant: debet eis *Scotus* cedere, & conſentire. Sed & conſentit, *in* 3. *Diſt.* 13. *Ad* 1. *Quaſt.* In commendando Chriſtum, malo excedere, quàm deficere. *Diſt.* 20. *n.* 10. *Ad* 3. Minima læſio in Paſſione Chriſti ſufficiebat acceptationi Diuinæ. *Ad* 4. Chriſtus voluit mori actu meliori quàm peccata potuerint eſſe mala.] Quæ etiam ſupponunt infinitum valorem meritorũ & ſatisfactionum Chriſti. Nec obſtat *d.* 19. *n.* 7. *Ad* 2. Meritum Chriſti quoad ſufficientiam fuit finitum, &c. Nec potuit ex ſe acceptari in infinitum. *n.* 12. *Ad* 1. Præmium gloriæ noſtræ eſt melius meritis Chriſti per portionem inferiorem. *Ad* 2. Vt peccata non ſunt formaliter infinita intenſiuè, &c. ſic nec merita Chriſti. *Ad* 4. Deus potuit paſſionem Chriſti compenſare bono finito. *Diſt.* 20. Quiuis innocens potuiſſet ſatisfacere Deo, ſi ei placuiſſet, &c.] Quia vel negat ſolam infinitatem realem actuum humanorum Chriſti: vel negat infinitum valorem meritorum & ſatisfactionum Chriſti, ex ſe & ſuis principijs finitis, aut ſeorſim à Perſona merente & ſatisfaciente; non autem coniunctim cum illa, vt cum infinito Agente & obiecto oblato: vel negat infinitum valorem actualem, ſeu applicationem infinitam; vel negat ſufficientiam infinitam obligandi Deum ad acceptationem. Cùm enim ſtatuat completam rationem meriti & ſatisfactionis in acceptatione Diuina, ſeu in decreto & fideli promiſſione acceptandi: ſine hac completa ratione formali meriti & ſatisfactionis non eſt ipſi vllum meritum aut ſatisfactio formalis, ſed tantùm materialis. Cùm tamen merita & ſatisfactiones Chriſti ſint Theandricæ



Digitized by Google

dricæ, ſeu Deiuiriles, nec ſolius voluntatis eius humanæ, ſed & Diuinæ: hoc ipſo ſunt condignæ acceptatione eiuſdem voluntatis Diuinæ? imò hoc ipſo debent acceptari, & acceptantur eâdem voluntate Diuinâ, quâ ſic fiunt & offeruntur. Sed formalis & completa ratio meriti ac ſatisfactionis, non eſſet in fieri & offerri à Perſona & voluntate Diuina per humanam : ſed in acceptari à ſola Diuina. Non ergo negat *Scotus* merita & ſatisfactiones Chriſti eſſe materialiter infiniti valoris, præ omni culpa, pœna, gratia, & gloria poſſibili, & acceptabiles in infinitū, ſeu condignas ipſâ acceptatione Diuinâ ad omnia poſſibilia: ſed tantùm negat eſſe tales formaliter, ſeu acceptari ad infinitum, vel infinita bona creata; quia talia & tanta non ſunt poſſibilia. Hinc ad pleraque *Scoti*: exceptis ijs quibus negat valorem intrinſecum, & condignitatem meritorum Chriſti, ex dignitate Perſonæ; & comparat illorum infinitatem cum infinitate tantùm obiectiua peccatorum. Sed vel agit de Perſona vt tantùm terminante & ſuſtentante naturam in eſſe, non autem vt per eam operante: Vel negat hunc valorem eſſe intrinſecum realiter, non moraliter: vel comparat merita Chriſti cum noſtris meritis aut demeritis ad ſolam ſimilitudinem, non ad æqualitatem; vel refert ſeipſum ad ſuam expreſſam intentionem excedendi potiùs quàm deficiendi in commendanda gratia & meritis Chriſti. Hinc noſter *Vega* in ſuo præclaro opere de iuſtificatione, ſuper *ſeſſ. 6.* Sacri Concilij *Trid.* ita ſe profitetur diſcipulum *Scoti*; vt collimet potiùs ad illam eius intentionem, quàm ſerpat per eius ſenſum literalem.

Vt *lib. 7. cap. 8.* Dubitent qui volent: mihi indubitatum eſt, eritque ſemper, ſatisfeciſſe Chriſtum pro nobis ad condignum, & meruiſſe iuſtificationem noſtram ex condigno, & ex rigore iuſtitiæ, &c. 1. Nam vita ipſius erat Dei & hominis infinitè grati Deo, &c, Vnde *Heb. 5.* Exauditus eſt pro ſua reuerentia. 2. Nulla poteſt eſſe ſatisfactio magis condigna, & æquiualens alicui debito, quàm paſſio Chriſti fuit æquiualens omnibus debitis noſtris. Quippè magis placuit Deo eius oblatio, quàm diſplicuerant peccata noſtra. 3. Ex *Pſal. 129.* Copioſa apud eum redemptio. 4. Fruſtra ipſemet pro nobis fuiſſet paſſus: niſi ad condignam ſatisfactionem. 5. Iuſti merentur de condigno: quantò plus Chriſtus? 6. *Rom. 5.* Chriſtus plus meruit quàm *Adam* demeruit, &c.

*Cap. 9. Ad 1. Arg.* Non tam condignè egit Chriſtus gratias pro ſe, quàm ſatisfecit pro nobis: quia noſtra debita non erant tanta, quanta eius dona propria. Nec opus erat vt ſatisfaceret ex bonis proprijs, quæ non eſſent ipſius Dei: cùm ipſemet ſit Deus; ſed per voluntariam eorundem oblationem pro nobis, &c. Quæ oblatio fuit infinitæ ſufficientiæ: non ſolùm ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſed etiam ad gratias pro ſe & pro nobis. Quod namque obtulit Deo, fuit infiniti valoris. Obtulit quippe ſeipſum, &c. Et ipſa eius vita humana vt Dei & hominis, erat infiniti pretij & valoris. *Ad 2.* Non requiritur ad condignam ſatisfactionem obligatio eam acceptandi: ſed vt ſit æqualis debito, nec poſſit iure plus exigi.] Supple ex noſtris ſuprà, quòd eadem voluntas Diuina Chriſti debeat acceptare, prout ipſamet offert. *Ad 3.* Chriſtus non tam ſatisfecit ex gratuitis ſuæ humanitatis, quàm ex proprijs & debitis ſuæ Perſonæ. *Ad 4.* Humanitas Chriſti vnita, nullo modo poteſt peccare: ſed Chriſtus poſſet ſatisfacere pro peccatis ſuæ naturæ humanæ ante vnionem, vel poſt.

*A Cap. 10. ad 25.* De cauſalitate inſtrumentali reali, exemplari, & finali, ſed non formali, Chriſti vt hominis, ſeu per ſuam naturam humanam, ad noſtram iuſtificationem, & ad ipſius gratiæ creationem. Quamuis contra litteram *Scoti*: non tamen contra illam expreſſam eius intentionem. Sed *à cap. 25. ad 28.* pro ſententia *Scoti*, De reali identitate inter gratiam formaliter iuſtificantem, & charitatem. Confirmatur autem valor infinitus meritorum & ſatisfactionem Chriſti, ex ſacris Script. Conc. & Patribus, tribuentibus tantum valorem, Perſonæ Diuinæ Redemptoris, & Mediatoris vtruſque naturæ, & per vtramque naturam ſimul. Vt patet ex 2. *Cor.* 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Et ex *B. Aug.* ſupra *col.* 254. De Mediatione Chriſti.

## *Contra merita Chriſti per quoſuis eius actus, à primo inſtanti vitæ, ad vltimum, incluſiuè.*

1. QVia Beatitudo eſt finis & merces omnium meritorum: ergo actus beatifici non fuerunt in Chriſto meritorij; vel tam ipſe, quàm omnes Beati mererentur in æternum. 2. Actus Beatifici non ſunt liberi libertate viatorum: ergo nec meritorij; alioquin & damnati demererentur in æternum. 3. Opera non ſunt meritoria & ſatisfactoria, niſi ſint libera, & alias indebita: atqui Chriſtus vt homo debuit obſeruare mandata Dei, etiam patiendi & moriendi, *Ioan. 1. 14. 15. Phil. 2.* Nec potuit non obedire, cùm eſſet impeccabilis; ergo per illa non meruit, nec ſatisfecit pro nobis. 4. Priùs eſt eſſe, quàm operari: ergo Chriſtus non potuit mereri ipſo primo inſtanti ſuæ Incarnationis, vt *Al.* ſupra. 5. Chriſtus redemit nos ſuâ morte: ergo non tantùm meruit vſque ad vltimum inſtans vitæ ſuæ, incluſiuè. 6. Ex Clementia 1. de Summa Trin. cap. 1. *Verbum Dei pro omnium operanda ſalute, non ſolùm affigi Cruci, & in ea mori voluit: ſed etiam emiſſo iam ſpiritu perforari lanceâ ſuſtinuit latus ſuum; vt exinde profluentibus vndis aquæ & ſanguinis, formaretur Eccleſia, &c.* Ergo meruit, & ſatisfecit etiam poſt mortem. 7. Eccleſia in Litanijs orat & obſecrat, per Mortem, per Reſurrectionem, per Aſcenſionem Chriſti: ergo Chriſtus per hæc omnia meruit & ſatisfecit pro nobis. 8. Animæ Purgatorij ſatisfaciunt poſt mortem: quantò potiùs Anima Chriſti per ſuum deſcenſum ad inferos? 9. Oramus Chriſtum & Beatos, vt orent pro nobis: ergo adhuc merentur pro nobis. 10. *Ioan. 14.* Vado parare vobis locum, &c. *Heb. 5.* Tu es Sacerdos in æternum, *Hebr. 7.* Chriſtus eſt ſemper viuens ad interpellan-

Digitized by Google

pellandum pro nobis. Ergo non tantùm applicat ſua merita priora : ſed & impetrat, ac meretur.

*Reſp.* *Ad* 1. Cùm charitas Dei ſit radix merendi, à qua omnes alij actus ſunt meritorij : cur perfectiſſimus eius actus, ſeu amor & fruitio Dei beatifica non fuiſſet in Chriſto meritoria? Cur ſi Chriſtus incarnatus fuiſſet impaſſibilis & immortalis, non potuiſſet mereri? Nàm eſſe viatoré non eſt de eſſentia meriti, cùm non pertineat ad dignitatem aut valorem operis : ſed eſt ſola conditio à Deo ordinata ad acceptandum noſtra merita; quia non ſunt condigna ipſa acceptatione Dei. Ergo merita Chriſti, quæ ſunt condigna ipſa acceptatione diuina: non ſubſunt huic conditioni. Nã ſi homo non peccaſſet, nec Chriſtus vllatenus fuiſſet viator, equidem meruiſſet, & de facto meruit Angelis & primis parentibus omnem gratiam ante primum peccatum: non vt viator, nec per actus vt viatoris, ſed potiùs vt Beatus, & per actus vt Beati, qualis fuiſſet incarnatus ſi homo non peccaſſet. Sed poſt peccatum incarnatus fuit paſſibilis, mortalis, & viator quoad affectionem commodi : non tam ad merendum gratiam & gloriam, quàm ad ſatisfaciendum pro peccatis, & remerendum æqualem, vel etiam maiorem gratiam & gloriam. Nec ideo meruiſſet, aut meretur in ęternum : quia vt datur ſtatus præmij, ſic & merendi, vel ſaltem offerendi & acceptandi merita ad mercedem. Vel, ne quid videatur condignum præmio & acceptatione, non præmiari nec acceptari, ſicq; liberalitas Dei meritis ſuperati: vt peccata æterna etiã actualia puniuntur pœna æterna; ſic & charitas beata & æterna Chriſti poteſt dici præmiari gloria & acceptatione æterna. *Apoc.* 5. Dignus eſt Agnus, &c. ſupra. Cùm enim per gratiam primam mereamur etiam eiuſdem conſeruationem : cur non Chriſtus per actum etiam beatum vt priorem, poſſit dici condignus æternitate omnium bonorum ſuorum & noſtrorum? Non enim eſt contra rationem beatitudinis finalis, [illegible]idem ſecundùm eundem gradum, eſſe ſim[illegible] iam & mercedem, ſeu haberi duplici titu[illegible] antò minus vt priorem eſſe gratuitam, & n[illegible] iam ſuæ æternitatis? Nec obſtat *Al. p.* 3. [illegible] *m.* 1. *ad* 4. *m.* 2. *art.* 2. Quia poteſt intelligi [illegible] rito & ſatisfactione Chriſti vt viatoris, pro peccatoribus. Vel dè neceſſaria relatione actus ad nos, vt ſit pro nobis meritorius & ſatisfactorius.

*Ad* 2. Fruitio beata, eſt libera libertate eſſentiali voluntatis, ſufficiente ad merendum ſi à Deo acceptetur : non poteſt autem non acceptari, ſi ſit condigna acceptatione, & offeratur ad acceptandum, eadem voluntate quâ acceptatur. Hæc tamen libertas ſola, ſine vlla poteſtate eligendi, ſeu agendi vel non, hoc vel illud : non videtur ſufficere ad merendum, vel demerendum mercedem aut pœnam extrinſecam & æternam; quia hæ pendent à libero decreto Dei, qui non promiſit hanc mercedem, nec minatus eſt hanc pœnam niſi propter opera noſtræ liberæ electionis. Non quòd peccata non ſint ex ſe magis demeritoria, quàm bona opera ſunt meritoria : ſed quod Deus non tam grauiter imputet peccata quæ non ſunt liberæ electionis. Niſi hæc libertas ſeipſam peccando violauerit, vel ſeipſam ad peccandum in æternum determinauerit, vt in damnatis. Qua de re *in* 2. *quæſt.* 7. & 8.

*Ad* 3. Libertas à præcepto & obedientia, nec eſt neceſſaria, nec vtilior ad merendum & ſatisfaciendum : ſed obedientia auget potius meritum & ſatisfactionem. Quia ſatisfaciendo præcepto per obedientiam, opus fit inde melius & dignius mercede. Nec ſatisfactio eſt neceſſariò per opera vt indebita alijs titulis; ſed eodem titulo ſatisfactionis. Cùm ergo Chriſtus vt homo nihil deberet titulo ſatisfactionis: tantò perfectiùs meruit & ſatisfecit, quantò obedientiùs. Nec obſtat quòd vt impeccabilis nõ potuerit non obedire: quia ad perfectionem obediendi, & merendi, ac ſatisfaciendi, non requiritur poſſe non obedire aut non peccare, ſed è contra, &c. vt ſuprà.

*Ad* 4. Priùs naturâ vel origine eſt eſſe, quàm operari : ſed agentia perfecta poſſunt primo inſtanti ſui eſſe, operari inſtantaneè. Quæ perfectio tribuenda eſt Chriſto. Nec obſtat quòd *Al. q.* 16. *m.* 2. *art.* 1. id negare videatur : vt & *p.* 2. *m.* 1. *a.* 7. negat vllum actum eſſe poſſe à creatura ipſo ſuo primo inſtanti; & *S. Bon. in* 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. negat peccari poſſe primo inſtanti. Quia *Al.* poteſt intelligi de primo inſtanti naturæ, vel æui, non temporis : ſeu de neceſſaria præſuppoſitione ipſius eſſe & æui proprij, ad actum & eius inſtans proprium. *P.* 2. Negat vllum actum poſſe eſſe à creatura primo inſtanti : non autem a Chriſto per ſuam naturam humanam. *S. Bon.* negat peccari poſſe primo inſtanti ex perfecta deliberatione : concedens Angelum potuiſſe agere primo inſtanti, non autem perficere eodem inſtanti. Sed *p.* 3. *d.* 18. *a.* 1. *q.* 1. abſolutè docet Chriſtum à primo inſtanti incluſiuè potuiſſe mereri : & poſſe benè fieri primo inſtanti ex plenitudine gratiæ, nõ ſic autem peccari contra inclinationem naturalem. *Scotus in* 3. *d.* 18. *n.* 11. & *in* 2. *d.* 23. Si voluntas poſſet velle primo inſtanti : non video quin & tũc poſſit peccare .i. Si haberet ſimul primo inſtanti omnia neceſſaria obiectiuè præſentia ad deliberandum, &c. vt quæſt. noſtrâ 5. *col.* 247. 250. in Lib. 2. Sent.

*Ad* 5. Chriſtus redemit nos ſuâ morte .i. in fieri, non in facto eſſe, ſiue quis moriatur ſeu priuetur vitâ per primum non eſſe, ſiue per vltimum eſſe hominis viuentis. Vel redemit nos ſua morte, vt obiecto à ſeipſo viuente volito, & acceptato; non autem vt formali merito. Quo ſenſu *Phil.* 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem, &c.

*Ad* 6. *Pro omnium operanda ſalute* : refertur tantùm ad *crucifigi & mori: perforari autem lanceâ poſt mortem*, refertur ad finem *formandi Eccleſiam ex latere Chriſti*, per ſacramenta ſignificata. Vel Chriſtus meruit per vulnus lanceæ, vt per obiectum à ſe adhuc viuente præuiſum, volitum, & acceptatum.

*Ad* 7. & 8. Obſecramus per Mortẽ, Sepult. Reſur. Aſcenſionem, &c. vel vt per obiecta volũtatis meritoriæ Chriſti adhuc viuentis : vel vt per exẽplaria noſtra; vel vt per motiua finalia, ſeu propter & ad hos fines gloriæ Dei & Chriſti; non tamẽ vt per opera adhuc ſatisfactoria, nõ meritoria.

Vt

Digitized by Google

intellectus poteſt comparare obiectum : ſed & voluntas acceptando, ſicut intellectus cognoſcendo, &c. Poteſt dici, quòd ſtrictè accipiendo relationem rationis, illa non eſt relatio rationis, &c. Et tunc non omnis relatio eſt realis, vel rationis: ſed eſt tertia, voluntatis comparantis. Alio modo poteſt intelligi relatio rationis pro quacumque comparatione facta per actum partis rationalis : & ſic iſta poteſt dici relatio rationis. Vlteriùs meritorium connotat, ſiue quaſi præexigit in actu duplicem habitudinem eius, quaſi ad duplex principium : vna eſt ad voluntatem, vt liberè elicientem, vel imperantem actum, &c. alia ad formam ſupernaturalem, quâ acceptatur ipſa perſona, vel potentia operans, quæ ponitur eſſe gratia vel charitas. Non enim actus alicuius acceptatur vt dignus præmio: niſi perſona operãs ſit accepta. *Gen.* 4. Reſpexit Deus ad *Abel*, & ad munera eius, &c. Videtur quòd ſufficit charitatem ineſſe ipſi operanti, &c. Sed contra. Habens charitatem, poteſt peccare venialiter, vel elicere actum indifferentem, &c. Poteſt igitur dici, quòd ad hoc vt actus ſit meritorius, non ſufficit vt habeat ſecum charitatem inexiſtentem : ſed vt eliciatur ſecundùm inclinationem charitatis inexiſtentis. §. *De* 3. Poteſt dici quòd actus dilectionis naturalis & meritoriæ, non differunt ſpecie .i. per ſe, & in eſſe naturæ. 1. Quia ſolâ relatione rationis, vt ſupra. 2. Quia illa eſt potentialis ad hanc, &c. Actus qui eſt completè circumſtantionatus ſecundùm virtutem moralem, eſt potentialis reſpectu virtutis quam dicit meritorium : imò immediatiùs quàm actus naturalis, vt præſupponitur morali. Eſt enim rationabile, vt actus merè naturalis priùs recipiat perfectionem moralem, quæ non tranſcendit totam facultatem naturæ, quàm ſupernaturalem, &c. Hoc modo charitas dicitur eſſe forma aliarum virtutum : quia bonitas meritoria quæ competit actui aliquo modo à charitate, eſt completiua bonitatis cuiuſque alterius in actu, &c. Ratio igitur meritorij, eſt ratio ſpecifica completiua bonitatis præcedentis : non autem ſpecifica diſparata, &c. Aliter dicitur, quòd ratio meritorij non eſt ſpecifica, & completiua in genere moris : quia non dicit aliquam bonitatem vel rectitudinem intrinſecam actui, ſed tantùm illam præſupponit, & dicit vlteriùs reſpectum ad voluntatem. Sed ſi meritorium non præſupponat præcisè bonitatem actus moralem, ſed bonitatem quàm tribuit charitas : cùm illa ſit completior bonitate morali in actu, ſequitur quòd actus qui eſt meritorius habet aliquam bonitatem ſpecificam vlteriorem, quàm moralem. Et hoc videtur probabile : quia aliàs poſſet actus eſſe meritorius qui nullam haberet bonitatem vltra moralem. *Contra.* Actus moralis poteſt eſſe æquè bonus ſine habitu morali : ergo & actus meritorius ſine habitu charitatis. *Reſp.* Bonitas moralis eſt rectitudo ſecundùm regulam rationis : ſed actus charitatis habet propriam bonitatem ex inclinatione charitatis. *Contra.* Cognitio naturalis, & fidei infuſæ, differunt ſpecie : ergo & dilectio naturalis, ac charitatiua, &c. Poteſt negari antecedens, &c. Quia vt *quæſt.* 14. poteſt quis ſimul eodem actu credere ex teſtimonio aſſerentis, & ex inclinatione fidei infuſæ. Igitur idem actus vt naturalis, eſt potentialis ad perfectionem quam recipit à fide infuſa, &c. *Infra.* Non ſequitur, ſi intellectiones diſtinguantur ſpecie, igitur & volitiones: niſi illæ vt per ſe præuiæ ad has, diſtinguantur ſpecie. Quòd non eſt in propoſito : quia nec actus vt ſcientificus, nec vt creditiuus, ſed vt oſtenſiuus obiecti diligibilis, eſt per ſe neceſſarius ad fruitionem Dei. Et ſic de actu fidei acquiſitæ, vel infuſæ. *Ad Arg. princ.* Poteſt dici quòd actus differunt ſpecie, qui eliciuntur à principijs totalibus, vel diſparatis, ſpecie differentibus : non autem à ſubordinatis. Nunc autem charitas non eſt principium totale actus, nec diparatum, ſed ſubordinatum voluntati : nec eſt per ſe requiſita ad ſubſtantiam actus, nec ad actum vt eſt meritorius; ſed tantùm ad quoddam pretium vt actus ſit acceptabilis, ex ſola ordinatione libera voluntatis Dei, &c. Nota hic per ordinem, quis ſit actus imputabilis ad laudem, vel vituperium : actus nudus, actus virtuoſus moraliter, actus charitatiuus, & actus meritorius. Primus dicit reſpectum ad potentiam liberam, 2. ad virtutem, vel regulam eius, 3. ad charitatem inclinantem, 4. ad voluntatem Diuinam ſpecialiter acceptantem. Tertius dicit bonitatem aliquam vltra ſecundum, & præexactam ad quartum : non ex natura rei, ſed ex diſpoſitione voluntatis acceptantis.] Ex quibus integris contextibus inter ſe collatis, & minutioribus infra conferendis : quædam controuerſiæ reſoluuntur; quædam inter noſtros Authores reſultare videntur. Quæ omnes hac communi reſponſione per 5. partes reſolui, vel conciliari poſſe videntur.

## Reſponſio communis.

1. EST de fide Chriſtum meruiſſe nobis omnia gratuita ſeu ſalutaria : & quidem ſolum, primas gratias actuales, & primam iuſtificationem; ſed & gratiam verè ac propriè commerendi, vel ſubmerendi vlteriorem gratiam, & gloriam. Ex ſacra Script. *Gen.* 15. Ego merces tua magna nimis. *Eccli.* 16. Miſericordia faciet locum vnicuique ſecundùm meritum operum ſuorum. *Sap.* 3. Deus inuenit eos dignos ſe. *Sap.* 10. Reddet iuſtis mercedem laborum. *Matt.* 5. *Luc.* 6. Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. *Matt.* 20. Voca operarios, & redde illis mercedem. *Marc.* 9. Quiſquis dederit vobis potum aquæ frigidæ, in nomine meo : non perdet mercedem ſuam. 1. *Cor.* 3. Quiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem. *Cap.* 4. Momentaneum & leuè tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Theſſ.* 1. Digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. 2. *Tim.* 4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui : in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex. *Heb.* 3. Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci : talibus enim hoſtijs promeretur Deus. *Cap.* 6. Non eſt iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri. Ex quibus tam expreſſis, & continua doctrina ac

Digitized by Google

ac praxi Eccleſiæ, ac SS. PP. Hæc veritas definita fuit in Conc. *Arauſ. can.* 18. Debetur merces bonis operibus ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur præcedit vt fiant. In *Later. ſub Innoc. 3. cap. Firmiter, &c. In Flor. ſub Decreto de purgatorio.* Sed latiùs ex profeſſo, in *Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. & Can. 24. 26. 31. 32.* Si quis dixerit iuſtificatum, bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam & Chriſti meritum fiunt, non verè mereri, &c. Anathema ſit. Et *Can.* 33. vt *in 2. Col. 295. 298.*

2. Huic fidei Chriſtianæ & Catholicæ proximum eſt: Chriſtum omnium & ſingulorum hominũ Redemptorem & Saluatorem, pro omnibus & ſingulis paſſum, mortuũ, meritũ eſſe, & ſatisfeciſſe ſaltem quoad ſufficientiam. Ex ſacra Script. *Rom.* 14. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. 2. *Cor.* 5. Si vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, &c. Vnde *B. Aug. Lib De Nuptijs & Concup. cap. 32. Lib. 6. contra Iul. cap.* 4. & alibi ſæpè infert omnes etiam paruulos peccato originali mortuos eſſe: cùm & pro illis Chriſtus mortuus ſit. 1. *Tim.* 2. Obſecro fieri orationes pro omnibus, &c. Hoc enim bonum eſt coram Saluatore noſtro Deo: qui omnes homines vult ſaluos fieri, &c. Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Atqui orandum eſt pro ſingulis: & Deus eſt ſingulorum; ergo & Chriſtus eſt Mediator & Redemptor ſingulorum. *Cap.* 4. Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Ergo non tantùm horum: ſed & illorum ſingulorum. 1. *Ioan.* 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Nam vt *B. Aug. in Pſal.* 95. Chriſtus iudicabit orbem terrarum: non partem; quia non partem emit. Totum iudicare habet: quia pro toto pretium dedit. Atqui iudicabit ſingulos: ergo ſingulos emit, ſeu pro ſingulis pretium dedit. Hinc idem *B. Aug.* ſolos Angelos excipit à redemptione Chriſti, *Enchir.* 61. & *Tract.* 110. *in Ioan.* Iudicabit tamen & Angelos: ſed alio iure quàm Redemptionis. Confirmatur ex *Trid. ſeſſ. 6. cap.* 3. Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; ſed ij duntaxat quibus meritum paſſionis eius communicatur. Ergo quidam ex illis omnibus pro quibus Chriſtus mortuus eſt, mortis eius beneficium recipiunt, quidam non. Qui ſenſus eſt proximus fidei, ſeu expreſſis ſacris Script. definitionibus Eccleſiæ, & ſenſui communi omnium fidelium: quia omnes & ſinguli hunc ſenſum vt proprium profitentur, & intendunt de ſeipſis, ſub *Symbolo Conſtãt. Crucifixus etiam pro nobis, &c.* Senſus autem quo omnes pro quibus Chriſtus mortuus eſt, arctantur ad multos, vel potiùs ad paucos ex omnibus: eſt metaphoricus, ſeu improprius; nec facilè vſurpandus in ſacris Script. niſi ad neceſſariam conciliationem alicuius obſcurioris, cum pluribus alijs expreſſioribus; vel ex propria materia, aut circumſtantia textus.

3. Certum eſt, Chriſtum non eſſe Redemptorem aut Saluatorem Angelorum, nec pro eis vllatenus paſſum eſſe, vel ſatisfeciſſe: ſed probabile eſt tam eos, quàm primos Parentes, propter Chriſtum præuolitum ac præuiſum, ad omnem gratiam & gloriam creatos, & quoſdam eius exemplo prædeſtinatos fuiſſe, imò & ab ipſo Chriſto ſubelectos, vel etiam ex eius meritis præuiſis, aut ſaltem ex præuiſa eius dignitate habendi tot & tantos ſubditos honorarios. Quia 2. *Pet.* 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit .i. nullam eis pœnitendi gratiã dedit. Et *B. Aug. Tract.* 110. *in Ioan.* Pro nobis, non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus. *Enchir.* 61. Non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus: ſed ideo etiam pro Angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur à malo; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, & ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur, &c. vt ſupra *q. 3. à col. 261. ad 367.* Quod enim eſt primum in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum. Nec obſtat *Coloſſ.* 1. Pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt: quia, vt *B. Aug.* ſupra, Chriſtus reconciliat homines Deo & Angelis. Nec *Epiſt.* 105. *B. Aug.* Chriſtus non pro nullis vt homines conderentur: ſed pro impijs mortus eſt, vt iuſtificarentur. Quia aliud eſt mori pro hominibus, vel Angelis condendis: aliud condi & eligi ad gratiam & gloriam propter Chriſtum, vel ad eius exemplar, vel ex eius meritis quoad ſubſtantiam præuiſis, vel ex præuiſa eius dignitate, ad præparandum ei tot ac tantos ſubditos honorarios.

4. Credibilius eſt Chriſtum ex perfecta iuſtitia infinitè meruiſſe ac ſatisfeciſſe, intenſiuè & extenſiuè, per omnes & ſingulos actus ac paſſiones ſuæ Perſonæ & naturæ humanæ, à primo inſtanti vitæ, vſque ad vltimum incluſiuè: non tamen infinitam gratiam aut gloriam intenſiuè, nec infinitas numero, nec pro infinitis hominibus, aut peccatis grauitate vel numero infinitis, actu vel poſſibilibus; ſed tantùm pro pluribus in infinitum, quoad ſufficientiam; nonniſi pro futuris, quoad efficaciam. Ex ſacris Script. Conc. & Patribus: à quibus merita Chriſti incomparabiliter præferuntur omnibus peccatis futuris ac poſſibilibus; non quaſi hyperbolicè, ſeu exceſſiuè plus quàm valeant, ſed defectiuè ſeu minùs quàm valeant. Vt *Iob* 6. allegoricè de Chriſto: *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas quàm patior in ſtatera, &c.* *Rom.* 5. Si vnius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei abundauit per Chriſtum, &c. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. *Heb.* 5. 7. 8. 9. 10. De præſtantia Sacerdotij Chriſti, de prætio Sanguinis eius, & de valore vnicæ oblationis eius *ad exhaurienda omnia peccata*, & ad conſummandum in æternum ſanctificatos. *Extrauag. Vnigenitus*, ſupra *col.* 281. De infinito Theſauro meritorum Chriſti in Eccleſia, ad indulgentias relaxandas: deque ſufficienti effuſione vnius guttæ Sanguinis Chriſti, propter eius vnionem cum Verbo, ad redemptionem totius generis humani. Quæ ſufficientia non poteſt eſſe certa, niſi ex infinito valore meritorio & ſatisfactorio. Ergo quilibet actus & paſſio Perſonæ Chriſti per naturam humanam,

Digitized by Google

manam, eſt infiniti meriti & ſatiſfactionis. Nam illa ſufficientia non appropriatur ſoli effuſioni ſanguinis: ſed tribuitur cuiuis actui & paſſioni Perſonæ effundentis. Hæc eſt enim proprietas & excellentia incomparabilis, operationis Theandricæ, ſeu Perſonæ Diuinæ influentis vt cauſa principalis per ſuam naturam diuinam in omnes operationes vt inſtrumentales naturæ humanæ, ſed proprias, principales, ac perſonales Perſonæ diuinæ. Vt ſupra *Quæſt.* 10. & infra, ad difficultates de infinito merito ſingulorum actuum, & paſſionum Chriſti: finito tamen demerito omnium peccatorum poſſibilium.

5. Præter impetrationem precariam, & ſatiſfactionem condignam pœnarum, meremur diſpoſitiuè de congruo ipſam iuſtificationem, per gratias actuales & præuenientes: poſt iuſtificationem, meremur etiam de digno & condignò remiſſionē culparum venialium, imò & augmentum gratiæ ac gloriæ; non condignitate æqualitatis, ſed proportionis; nec ex iuſtitia Deum obligante, ſed ex eius fidelitate, & noſtra in merendo charitate, non neceſſaria operis difficultate, nec intenſione, nec duratione. In quibus omnibus Authores noſtri expreſsè conſentiunt, vel facilè conciliari poſſunt. Ex iiſdem ſacris Script. & Concilijs quibus ſuprà tribuuntur nobis vera & propriè dicta merita, per gratiam & merita Chriſti. Et ex Cenſurijs *Pij* 5. ac *Greg.* 13. contra illas omnes propoſitiones Baij, vt tribuentes ſtatui innocentiæ merita ſine gratia, vel negantes iuſtificatis vera & propriè dicta merita gratiæ & gloriæ, & condignas ſatiſfactiones pœnarum. Inter quas cenſura in hanc *Prop.* 2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium:* plurimum fauet Doctrinæ noſtrorum Authorum de meritis noſtris ex fideli ac gratuita Dei promiſſione, & acceptatione, vltra perfectionē ac dignitatem intrinſecam operum & operantium. Vt & *S. Aug. lib. de gratia & libero Arb. cap.* 6. Cui redderet coronam iuſtus Iudex: ſi non donaſſet miſericordiam miſericors Pater? *In Pſal.* 32. Teneamus fideliſſimum debitorem: quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem. *Serm.* 16. *De verbis Apoſt. cap.* 2. Deus debitor factus eſt: non aliquid nobis accipiendo; ſed quod ei placuit promittendo. Imò & Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 15. hâc præclarâ coronide ſuæ totius Doctrinæ de meritis noſtris, verbatim ex *Epiſt. Cœleſtini Papæ, cap.* 11. Abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel cōfidat vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.

## *Contra omnia merita Criſti & noſtra.*

1. Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 2. Perſona diuina Chriſti non poteſt mereri à ſeipſa, nec ab alia Perſona diuina: nec poteſt recipere vllam mercedem à ſeipſa, vel ab alia; nec ſibi ipſi propriè debere, nec ab alia Perſona diuina deberi. Nec ſola eius natura humana operatur aut meretur: nec Perſona per naturā; quia mereri propriū eſt perſonæ, non naturæ. Nec deniq; habet vlla propria, & libera per quæ mereatur. 3. Actio vel paſſio humana Chriſti non eſt eius propria, ſed Dei: nec poteſt eſſe æquiualens actui ſeu acceptationi voluntatis Dei: ergo nec meritoria ex perfecta iuſtitia. 4. *Luc.* 17. Cùm feceritis hæc omnia: dicite, ſerui inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus. Ergo nihil meremur. 5. *Rom.* 6. Gratia Dei vita æterna. 6. *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. 7. *Eph.* 2. Non ex operibus, &c. 8. Ex *B. Aug. lib. de vera Relig. cap.* 47. Non eſt aliquid extra Deum merendum: ſed nihil aliud quàm ipſum hærere Deo bonum eſt. *Lib. De gratia & lib. Arb. cap.* 6. & alibi ſæpè. Dona ſua coronat Deus, non merita tua. 9. Ex *S. Bern.* ſub finem libri de gratia & libero Arb. *Eſt corona iuſtitiæ Dei, non ſua.* 2. *Tim.* 4. Si propriè appellentur quæ dicimus noſtra merita: ſpei quædam ſunt ſeminaria, charitatis incentiua, occultæ prædeſtinationis inſignia, futuræ fœlicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi. 10. Ex ipſa ſufficientia & efficacia meritorū Chriſti: quæ non patiuntur vllum ſupplementum meritorum noſtrorum; quia videremur noſtri Redemptores partiales.

*Reſp. Ad* 1. Non meremur retributionem donorum Dei: niſi per priora eius dona ſeu gratias. Vt patet ex *Pſal.* 115. Quid retribuam Domino, &c. *Pſal.* 118. Retribue ſeruo tuo, &c. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Ad* 2. Perſona diuina Chriſti, agit, meretur, & patitur, per ſuam naturam humanam, vt inſtrumentalem: non recipiendo, nec contrahendo inde vllam imperfectionem; ſed conferendo & aſſumendo ſibi omnem perfectionem poſſibilem, relicta tota imperfectione merendi & patiendi, indigendi, recipiendi, debendi, ſoluendi, ſoli naturæ inſtrumentali. *Ad* 3. Perſona diuina Chriſti habet proprietatem perfectiſſimam ſuarum actionum & paſſionum: ſed natura eius humana habet proprietatem & libertatem inſtrumentalem, ſufficientem ad donationem & oblationem meritoriam; æquiualentem acceptationi diuinæ vt eſt à Perſona donante & offerente principali, non vt per naturam inſtrumētalem. *Ad* 4. Sumus ſerui inutiles Deo: nec meremur vt illi vtiles, ſed nobis ipſis. Nec ſummum debitum ſeruile obediendi Deo ad omnia, eſt cōtrarium merito & præmio fidelis promiſſionis Dei: ſed perfectæ iuſtitiæ, & obligationis. *Ad* 5. Vita æterna eſt ſola gratia in Dei intentione, & paruulis in executione: ſed adultis eſt gratia & merces, ſeu ex gratia & meritis. *Ad* 6. Paſſiones huius tēporis non ſunt condignæ futurâ gloriâ, ad æqualitatem: imò nec ad proportionem durationis, de qua ibi; ſed ad plures alias porportiones, de quibus infra. *Ad* 7. Non ex operibus, &c. .i. naturalibus, vel legalibus tantùm. *Ad* 8. Commendat perfectiorem intentionem, quàm merendi aliquid aliud à Deo, ſed ipſum Deum: imò ipſum adhærere Deo ex charitate, ſine intentione merendi; quia meritum non pendet ex intentione merendi, ſed ex charitate Dei. Nec negat Deum coronare

merita

Digitized by Google

merita noſtra : ſed vt noſtra propria, ſeu ex ſola natura & libero Arb. Sic enim ait. *Dona ſua coronat Deus, non merita tua: ſi tibi à teipſo, non ab illo ſunt, &c. Si Dei dona ſunt, bona merita tua: non Deus coronat merita tua vt tua, ſed vt dona ſua, &c.* Vt & *Trid.* ex *Celeſtino Papa*, ſupra. *Ad* 9. vt in 2. *col.* 465. 466. 467. 468. Non negat eſſe coronam ſeu mercedem meritorum: ſed negat eſſe ex noſtra propriæ iuſtitia, ſeu iure iuſtitiæ; quia eſt ex iuſtitia Dei, quâ debet ſibiipſi ſeu ſuæ veracitati & fidelitati, quod promiſit, &c. Nec negat noſtra merita eſſe verè merita, contra *Trid. Seſſ. 6. Can.* 32. imò nec eſſe propriè merita: ſed cenſet magis propriè dici poſſe viam Regni, quàm cauſam regnandi; quia non ſunt cauſa realis, nec moralis principalis, ſed tantùm diſpoſitiua & inſtrumentalis, &c. vt fusè *in* 2. ſupra. *Ad* 10. Ex *Trid. Seſſ. 6. Can.* 33. Si quis dixerit per hanc doctrinam aliqua ex parte Gloriæ Dei, vel meritis Chriſti derogari: & non potiùs veritatem fidei, Deique ac Chriſti gloriam illuſtrari; Anathema ſit. Et ex Cenſura *Pij* 5. in hanc 56. *Prop. Baij.* Per eleemoſynas, &c. pro pœnis temporalibus, non dignum precium Deo pro peccatis noſtris offerimus: alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores. Imò ex Apoſtolo 1. *Cor.* 3. Dei adiutores ſumus. *Coloſ.* 1. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Nam ſicut cauſa prima operatur realiter per cauſas ſecundas: non ex defectu, ſed ex perfectione propriæ virtutis. Sic & Chriſtus non tantùm per ſeipſum meruit pro nobis: ſed ex ſumma perfectione merendi, meritus eſt nobis gratiam merendi, ſicque meretur etiam per noſipſos.

## *Contra merita Paſſionis & Mortis Chriſti pro omnibus & ſingulis.*

1. MAtt. 1. Vocabis nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Ergo non eſt Saluator omnium, & ſingulorum: ſed ſolius populi ſui. 2. *Matt.* 26. Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur. Ergo non pro omnibus & ſingulis. 3. *Ioan.* 11. IESVS moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Ergo non niſi pro his congregandis. 4. *Ioan.* 17. Non pro mundo rogo: ſed pro his quos dediſti mihi. *Infra.* Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt in me. Ergo non pro alijs. 5. *B. Aug. lib.* 1. *De adulterinis coniugijs, cap.* 15. Omnis qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, homo eſt: non tamen omnis qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt. 6. *Epiſt.* 102. *ad Euodium.* Non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt. 7. *De corrept. & gratia, cap.* 8. Pro *Petro* Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. 8. Idem ſemper exponit, *Omnes*, quos Deus per Chriſtum vult ſaluos fieri: pro omnibus & ſolis ſaluandis, vel pro aliquibus electis ex omni genere hominum, non autem pro ſingulis.

9. Chriſtus nihil fruſtra voluit: Ergo nec pati, nec mori pro ijs quibus ſciebat nihil profuturum. 10. Saltem non pro eis quibus nihil vnquam prodeſſe poterat, ſeu qui nunquam poterunt ei participare: quales ſunt morientes ante Baptiſmum, & vſum rationis.

*Reſp. Ad* 1. IESVS ibi denominatur & commendatur ab actu, modo, & fine ſuo principali: non autem negatur omnis alius modus ſaluandi. Vt patet ex illo 1. *Tim.* 4. Qui eſt Saluator omnium, maximè fidelium. *Ad* 2. Multi ſæpè ſumuntur pro omnibus, aut pleriſque, vel propè omnibus. Vt *Rom.* 5. Vnius delicto multi mortui ſunt .i. omnes: vt ibidem exprimit Apoſtolus; ſed *plures* ibidem, in quos gratia Chriſti abundauit .i. non plures illis omnibus, ſed multi ex illis. Vt patet ex contextu, & ex *B. Aug.* ſæpè. Poteſt & ſumi pro multis efficaciter, principaliter, & finaliter. *Ad* 3. vt *ad* 1. & 2. De actu, modo, & fine principali: non negando vllum alium alibi ſatis expreſſum. *Ad* 4. Non pro mundo rogo .i. non pro mundanis, ſeu ad aliquem finem concupiſcentiæ huius mundi. Vt indicat *B. Aug. Tract.* 107. Vel vt idem *Tract.* 109. *In hac oratione*: ſupponens aliàs oraſſe etiam pro alijs. Vt *Luc.* 19. Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, &c. *Luc.* 22. Amice, ad quid veniſti? Quæ ſignificant aliquod in Chriſto deſiderium conuerſionis eorum. Sed expreſſiùs *Luc.* 23. Pater, dimitte illis. Quamuis enim *Heb.* 6. Exauditus ſit pro ſua Reuerentia: non tamen pro omnibus, pro quibus tunc orabat; nec tunc orabat pro ſolis conuertendis, ſed pro omnibus ſuis inimicis, in exemplum non tantùm orandi pro amicis futuris. Vel, Non pro mundo rogo: ſed, &c. i. non abſolutè, æqualiter, finaliter; ſed vt in horto, *Matt.* 26. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; non tamen ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Vnde patet Chriſtum non ſemper oraſſe abſoluè: nec tamen contra, ſed ſecundùm ſuam propriam voluntatem Diuinam, quæ eſt vt oretur pro omnibus viatoribus, 1. *Tim.* 2. 4. Nam vt *B. Aug. Enchir.* 101. Poteſt quis bona voluntate velle, quod Deus non vult, &c. Tantùm intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, &c. Vndè conformitas voluntatis humanæ cum Diuina, non eſt ſemper in volendo idem & eodem modo, quo Deus vult in ſe: ſed, id quod, & eo modo quo vult nos velle. Vt docent omnes Theologi ad finem *lib.* 1. *Sent.* Nec obſtat quòd Chriſtus ſciret decretum abſolutum reprobationis, & non exauditionis pro reprobis: quia ſciebat hoc decretum non eſſe regulam humanam volendi & orandi; ſed aliam regulam & modum quo Deus vult orari. Nec obſtat illud *B. Aug. lib.* 21. *Ciu. c.* 24. Si Eccleſia noſcet, qui, licet adhuc in hac vita conſtituti, prædeſtinati ſint in æternum ignem cum Diabolo: tam nec pro eis oraret, quàm nec pro Diabolo; ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus, nec tamen pro omnibus exauditur.] Quia non oraret pro illis communiter, æqualiter, abſolutè, nec contra decretum abſolutum reprobationis: ſed ſaltem pro aliqua eorum emendatione, & præſeruatione à grauioribus culpis & pœnis; imò & pro mitiori iudicio citra con-

A a

condignum. Quomodo potuit & Chriſtus orare & impetrare : ita vt poſſit etiam tribui meritis Chriſti, quòd damnati minùs punientur, quàm ex ordinaria iuſtitia Dei citra condignum, prout innuit *Scotus* ſupra. *Ad* 5. Non Angelus, ſed ſolus homo redemptus eſt Sanguine Chriſti: nec omnis homo; quia non ipſe Chriſtus vt homo, nec eius Mater, niſi præſeruatiuè. Sed redemptum eſſe Sanguine Chriſti, ſignificat ipſum effectum principalem ac finalem redemptionis : eſſe autem Redemptorem, & pro omnibus mortuum, ſignificat ſolum officium, & affectum patiendi pro omnibus & ſingulis, ad aliquem ſaltem effectum mitigationis, vt ſupra. *Ad* 6. Si, *inquit*, propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentiâ poſſunt iſta diſcernere : pænè fruſtra in Eccleſia laboramus, &c. Nonnulli à corporibus incorporea diſcernentes, ab vnica via longè exerrant : & multi in Cruce Chriſti gloriantes, etiamſi iſta ignorant, quia non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ad æternitatem perueniunt.] Ergo ſupponit Chriſtum etiam mortuum eſſe pro illis qui quamuis diſcernant ſpiritualia, à via tamen aberrant : ſed exprimit eſſe principaliter mortuum pro eis qui licet ignorent ſpiritualia, à via tamen ſalutis non recedunt; quia inquit, *Non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt*, ſimpliciter & abſolutè, pro ſuo principali ſignificato. Sed non ſequitur eum non eſſe mortuum pro alijs : quia affirmatio verificatur pro aliquo, & maximè pro principali ſignificato; ſed negatio affirmationis excludit omnem modum eam verificandi. Non ſic negatio ſolius ſubiecti, vt ſupra, *Non omnis homo eſt Chriſti Sanguine redemptus*, negat omnem redemptionem prædicati, ſed ſolam principalem. *Ad* 7. *Illa oratio non potuerat eſſe inanis* : quà Chriſtus, *Luc.* 22. orauit pro *Petro*, ne deficeret fides eius; quia, *quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimã, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem?* *Ad* 8. Exponit quidem voluntatem Diuinam ſaluandi omnes, pro ſolis omnibus ſaluandis, vel pro aliquibus ex omni genere ſeu ſtatu hominum : quia cùm voluntas Diuina ſit Omnipotens, non videtur poſſe non fieri quod vult. Sed quia voluntas humana Chriſti non eſt omnipotens : poteſt velle, & voluit, ſeu deſiderauit ſalutem eorum etiam qui non ſaluabuntur. Hinc *B. Aug.* exponens illam voluntatem Dei ſaluandi omnes, *Epiſt.* 107, *Enchir.* 103. *De corrept. & gratia. cap.* 14. ſupponit plures alios modos intelligendi. Quorum vnum ſic exprimit *cap.* 15. Poteſt etiam ſic intelligi : quòd omnes homines Deus vult ſaluos fieri; quoniam nos facit velle, &c.] Ergo eſt eius voluntas vt velimus, ſeu deſideremus, & oremus omnes & ſingulos viatores ſaluos fieri. Quòd ſi Deus id vult per nos : quantò potiùs per ſuam voluntatem humanam Chriſti? Imò videtur eſſe proprius ſenſus huius textus, de voluntate humana Chriſti. Sic enim habet. *Obſecrò fieri orationes pro omnibus, &c. Hoc, enim bonum eſt coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, &c.* Quis eſt autem *Saluator noſter Deus*, niſi ipſe Chriſtus : & quæ eius voluntas vt omnes ſalui fiant, niſi humana? Subdit. *Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* Iesvs .i. Idem qui eſt vnus Deus omnium & ſingulorum : eſt & vnus Mediator Dei & hominum, vtique omnium & ſingulorum; homo Chriſtus Iesvs .i. vt talis. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* .i. quorum eſt Deus, & Mediator. Sed de hac volũtate Dei, *in* 1. *Sent.* & infra *q.* 13. De gratia Chriſti. *Ad* 9. *&* 10. Chriſtus nihil fruſtra voluit : quia hoc ipſo plurimùm meruit, & ſaltem ſaluandis profuit, volendo etiam pati ac mori pro ijs quos præſciebat nunquam futuros ſibi fideles & amicos, & hoc ipſum nolituros : non ex defectu alicuius gratiæ per Chriſtum, de qua quæſt. ſequenti; nec ex ſola ignorantia aut impotentia credendi & volendi; ſed ex quadam etiam auerſione voluntatis, vel ſaltem ex eorum defectu originali & culpabili. Quales ſunt & pueri ante Baptiſmum, & vſum rationis : quia licet *B. Aug. Epiſt.* 107. & alibi ſuſtineat eos non baptizari, non quia ipſi nolint, ſed quia Deus non vult eos ſaluari : & *Pius* 5. ac *Greg.* 13. cenſurent *Prop.* 46. *&.* 47. *Bay*, quibus tribuit quandam prauam voluntatem habitualem paruulis; certum eſt tamen eos nolle baptizari, ſi non contrariè, ſaltem priuatiuè; non autem tantùm negatiuè. Confirmatur totus hic ſenſus *B. Aug. ex S. Proſpero* eius Diſcipulo ac Interprete, *Lib.* 1. ad hanc ipſam 9. obiectionem Gallorum, *cap.* 9. quòd ex Doctrina *B. Aug.* Chriſtus non eſſet crucifixus pro totius mundi redemptione. *Reſp.* Cùm rectiſſimè dicatur, *Saluator* pro totius mũdi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem : poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit, &c.] Vbi per hanc dictionem reſtringit illam : ergo illa extendit ſe ad plures quàm hæc; illudque ait *rectiſſimè dici*, hoc autem tantùm *poſſe dici. Lib.* 2. Ad hanc primam Obiectionem inter Vincentianas, *cap.* 1. quòd Chriſtus non eſſet paſſus pro omnium hominum ſalute & redemptione. *Reſp.* Quòd ad magnitudinem & potentiam prætij, & quòd ad vnam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi : ſed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate ſint eruti : redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus Princeps mundi miſſus eſt foras, &c. Poculum quippe immortalitatis habet quidem in ſe vt omnibus proſit : ſed ſi non bibitur, non medetur.] Vbi *rectè* dicuntur omnes redempti, & tamen non illi omnes eruti : quibus actu erutis tribuitur proprietas redemptionis; ſed non negatur de alijs redemptio communis. Itaque ſunt quidem iure redempti : ſed non omnes ipſo facto à captiuitate liberati. Quod nunc Scholaſtici breuiter & optimè exponunt, per redemptionem omnium & ſingulorum quoad ſufficientiam, ſeu quoad expoſitionem & oblationem pretij : non autem quoad

efficaa-

Digitized by Google

efficaciam, applicationem, vel etiam à Deo acceptationem. In quem ſenſum noſtri Authores ſupra, ſingulariter *Scotus d. 19. q. 1.* vbi negata oblatione & acceptatione meritorum Chriſti, pro alijs quàm pro electis: ſubdit bis, *Hoc quoad efficiam*; & infrà, *Dico efficaciter*. Ergo ſupponit aliam Chriſti oblationem quàm efficacem, ſeu alium modum offerendi quàm efficaciter.

## *Contra merita Chriſti pro Angelis.*

1. EX ſacra ſcript. *Hebr.* 1. Qui ſanctificat & ſanctificantur, ex vno omnes, &c.. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ. 2. *Petr.* 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c. Ergo nec incarnatus fuit pro Angelis: nec Angeli receperunt vllam gratiam ex meritis Chriſti. 2. Ex ſymbolis fidei. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, &c.* Ergo non propter Angelos. 3. Ex *B. Aug.* ſuprà, *Enchir.* 61. Vbi non tantùm negat Chriſtũ pro Angelis mortuum eſſe: ſed ſtudioſè referens fructus indirectos Angelorũ ex redẽptione hominum: non meminit vllius fructus proprij & directi Angelorum. Imò *Serm.* 8. *&* 9. De verbis Apoſtoli, ſæpè & expreſſè negat Chriſtum alio fine veniſſe quàm redimendi homines. 4. Ex ratione. Quia nec homo nec Angelus poterat creari in peccato, nec in miſerrima neceſſitate naturali peccandi: Ergo nonniſi cum aliqua gratia neceſſaria ad non peccandum, & ad merendum. Non ergo ex vllis meritis præuiſis Chriſti. Confirmatur ex *B. Aug. quæſt.* 82. *ex* 83. *Epiſt.* 28. *ad S. Hier. Lib.* 1. *De pecc. mer. & rem. à c.* 35. *ad* 39. *Lib.* 3. *Contra Iul. c.* 3. 4. 5. 6. *Lib.* 4. *cap.* 16. *Lib.* 1. *&* 2. *Operis imperfecti.* Vbi & alibi ſæpè ſupponit nullam creaturam rationalem potuiſſe creari in miſeria: quantò minùs in tanta, tamque miſera neceſſitate peccandi ſine gratia; indeque probat contra Pelagianos, homines non naſci tam miſeros in ſtatu naturali, ſed culpabili. Deinde Chriſtus non fuit meritus niſi vt paſſibilis & mortalis: ergo nonniſi pro peccatoribus. Denique ſi quid Angelis primo meruiſſet, geſſiſſet eorum curam vlteriorem.

*Reſp. Ad* 1. Hebr. 2. *Qui ſanctificat & ſanctificantur, ex vno omnes* .i. Ex vno Deo: imò potiùs ex vno eodemque genere humano; non tantùm nec tam vt corporeo, quàm vt rationali & ſpirituali, nobis & Angelis communi. Vel de ſanctificatione à peccatis, & per ſacramenta, ſoli homini propria. *Nuſquam Angelos apprehendit*: in vlla ſpecie aut ſingulari; ſed in genere communi creaturæ ſpiritualis. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*: Nec Chriſtus èis meruit vllam veniam aut pœnitentiæ gratiam; quia ſinguli propriâ, perfectiſſimâ, & pertinaciſſimâ libertate peccarunt, non ſic autem homines. *Ad* 2. *Qui propter nos homines, &c.* .i. Vel propter nos ſolos fuit incarnatus paſſibilis & mortalis, &c. Vel etiam propter nos tam viles & indignos homines. *Ad* 3. Vt ſuprà, totâ *quæſt.* 3. Nec *B. Aug. Enchir.* 61. agit de meritis Chriſti in genere: ſed de eius morte, & noſtra redemptione; quâ etiam Angelis reconciliamur, & ruinæ Angelicæ reparantur. Vnde tamen poteſt colligi Chriſtum non reparaſſe, ſeu inſtauraſſe omnia quæ in cœlis ſunt & quæ in terris, *Eph.* 1. niſi hæc reparatio ad ipſum pertinuiſſet, per aliqua merita primæ inſtitutionis. *Ad* 4. Cauendæ ſunt Cenſuræ *Pij* 5. *& Greg.* 13. in ſententias D. Baij, tribuentes gratiam quaſi debitam & connaturalem naturæ primò inſtitutæ. Vt in 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* 76. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine iuſtitia naturali.* Quæ cenſuræ non ſupponunt hominem potuiſſe, nequidem potentiâ abſolutâ, primò creari in peccato originali: nec potentia ſaltem ordinaria, ſine gratia actuali neceſſaria ad non peccandum; ſed *ſine iuſtitiâ naturali* .i. originali & habituali. Nec eſt mens *B. Aug.* non potuiſſe primò creari in vlla miſeria: ſed vt pœnali, nec ſalutari ad exercitium virtutis, nec tali, tanta, tamque generali ac nunc, nec ſine gratia actuali neceſſaria ad non peccandum, nec fortè de potentia abſoluta, ſed ordinaria. Nam *q.* 82. *ex* 83. *Si propterea grauia perpeti iuſtos fineret, quia contra ordinem à ſe diſpoſitum nollet venire: nec ipſe iuſtus eſſet. Non quia diſpoſitionem ſuam ſeruare vult: ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum, vt immeritis pœnis iuſti affligantur.* De pœnis ad puniendam culpam, non ad virtutem exercendam, vel ſine gratia neceſſaria benè vtendi, aut non abutendi ad peccatum. *Lib.* 1. *De pecc. mer. & rem. cap.* 37. *Tanta carnis infirmitas, neſcio quid, quantum arbitror, pœnale demonſtrat.* .i. probabiliter, non autem euidenter, aut neceſſariò. Quia *lib.* 3. *De libero Arb.* cenſet probabile, *ignorantiam & difficultatem potuiſſe eſſe primordia hominis naturalia: nec tamen peccata inde oriunda Deo imputari potuiſſe*; ſuppoſitâ tamẽ gratia actuali neceſſaria ad non peccandum ex tali ignorantiam & difficultate. Et vbique cenſet peccatum originale eſſe difficillimum ſecretum fidei Chriſtianæ: ergo nulla ratione, multo minùs experientià miſeriæ humanæ, euidenter, aut neceſſariò demõſtrabile. *Epiſt.* 28. *Cùm ad pœnas ventum eſt paruulorum: magnis coarctar anguſtijs, &c. Non enim dici fas eſt, aut iſta ignorante Deo fieri, aut eum non poſſe reſiſtere facientibus, aut iniuſtè iſta facere, vel permittere. Nunquid ſicut animalia dantur in vſus naturis excellentioribus: hoc & de homine rectè poſſumus dicere? Anima eſt rationalis in illis membris, Deus bonus eſt, iuſtus, omnipotens: tantorum ergo malorum quæ fiunt in paruulis, iuſta cauſa dicatur, &c. Fortaſſe corpora hoc faciunt: Sed numquid anima ſibi corpus elegit?* Subdit ex l. 3. de lib. arb. c. 23. *Quis nouit quid paruulis, de quorũ cruciatibus duritia maiorum contunditur, aut miſericordia probatur, aut exercetur fides, in ſecreto iudiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſeruet Deus? Hoc quidem dici poteſt de ijs qui vel pro Chriſto, vt ſaltem baptizati patiũtur: quomodo autem de ijs quibus inſuper & damnatio præparata eſt?* Lib. 3. Contra Iul. c. 3. *Quâ iuſtitiâ pœna iſta infligenda ſit paruulo, quem originali obnoxium negatis eſſe peccato?* Cap. 4. *Quo merito tanta innocentia cæca, & ſurda naſcatur? Quis ferat imaginem*

*Dei fatuum naſci.* Cap.6. *Deus humanæ naturæ vitia non infligit immerita.* Nec dici poteſt quòd Ioan.9. *Vt manifeſtentur opera Dei. Multi enim cum yſdē vitys moriuntur.* Lib. 4. cap. 16. *Huius euidentia miſeriæ, gentium Philoſophos compulit dicere, ob aliqua ſcelera in vita ſuperiore, nos eſſe natos.* Lib. 1. Operis imperfecti. *Dic quâ iuſtitia retributum ſit paruulis graue iugum, &c. Hæc ne tot munera, tam neceſſaria tot imaginibus ſuis, negaret Deus, &c. cùm hoc beneficium non à ſe prohibeat voluntas contraria paruulorum?* Quanto minùs potuiſſet quis creari ſine gratia neceſſaria ad non peccandum: aut ei imputari peccatum? Vt patet ex 2. *Sent. Col.* 350. Nec ideo hæc gratia fuiſſet naturalis, aut naturæ noſtræ debita: ſed gratuita, & debita ſoli Sapientiæ & Bonitati Dei, quæ nihil poteſt inordinatè agere. Nec *B. Aug.* id tribuit iuſtitiæ & æquitati Dei erga nos: ſed erga ſeipſum, ſeu quâ debet agere vt decet ſuam ſapientiam & bonitatem. Quæ ſapientiſſimè & optimè potuit prouidere, vt omnes gratiæ etiam neceſſariæ naturæ rationali primò inſtitutæ, darentur ex meritis præuiſis huius naturæ rationalis vniendæ hypoſtaticè. Nec obſtat quòd Chriſtus meruerit vt Viator paſſibilis, & mortalis, pro ſolis peccatoribus. Quia vt ſic non tam meruit, quàm ſatisfecit pro culpis & pœnis debitis. Meruit autem potiùs gratiam & gloriam, vt impaſſibilis & immortalis, ſeu per actus vt ſpirituales. De quibus infra. Nec ſi Angelis gratiam meruiſſet, pro eis quoque ſatisfeciſſet. Tum quia erant indigniores hâc miſericordiâ, quàm nos. Tum quia non erant rei pœnarum corporalium, ſed ſpiritualium, magis indecentium Chriſtum, quàm noſtræ pœnæ temporales, &c.

## *Contra infinita Merita Chriſti, pro omnibus peccatis poſſibilibus.*

1. SI eſſent infinita, ab infinita Perſona operante: ſingula eſſent infinita, & æqualia; nec plus meruiſſet per ſuam Paſſionem & mortem, quàm per minimam actionem. Cùm tamen ſacra Script. Conc. & Patres tribuant noſtram redemptionem eius Paſſioni & morti. 2. Si ſingula eſſent infinita, ab infinita Perſona operante; omnia bona opera per Dei gratiam, eſſent infiniti meriti; quia fiunt à Deo per nos operante. 3. Opera externa Sanctæ Trin. ſunt indiuiſa, ſeu à Tribus Perſonis Diuinis æqualiter: ergo & opera humana Chriſti ſunt æquè ab vna Perſona, ac ab alia. 4. Effectus ſequitur debiliorem partem cauſæ: ergo opera humana Chriſti, quamuis à Perſona infinita, ſunt tamen finita; quia per naturam, potentiam, & gratiam finitam. 5. Nec gratia, nec vnio hypoſtatica eſt infinita, quamuis vniat Deo infinito: ergo nec opera humana Chriſti. 6. Si ſingula merita Chriſti eſſent infinita, non poſſent condignè præmiari: cùm tamen Deus præmiet omnia vltra condignum. 7. Peccata vt ſunt offenſiua Dei, & meritoria pœnæ æternæ videntur æquè infinita, ac merita Chriſti. 8. Eſt directè contra *Scotum*, imò & contra *Alenſem p. 3. q. 1. m. 5. a. 2. ad 2.* Quòd purus homo poſſit condignè ſatisfacere pro Mortali: ergo non eſt neceſſaria ſatisfactio infinita.

*Reſp. Ad* 1. Ex *Alenſi p. 3. q. 16. m. 3.* Chriſtus meruit charitate omne præmium excedente. *Art.* 2. Tantum meruit ab initio, quantum ſuâ paſſione: quoad vim merendi, non quoad effectum. *Art.* 3. Non plus meruit, ſed pluribus modis. *Ad* 1. Meritum Chriſti non accreuit virtute, ſed numero. Hinc ſingula merita poſſunt eſſe infinita & æqualia, intenſiuè ac ſufficienter: non tamē numeraliter & efficaciter.] Quo ſenſu plus meruit efficaciter quoad acceptationem per ſuam paſſionem & mortem, quàm per alias actiones: ſed non plus quoad valorem. Meruit autem infinitè quælibet actione, vt propriâ & Perſonali agentis infiniti: ſed ſingulariter, ſuâ paſſione & morte, offerendo proprium Corpus & Sanguinem, Animam & Vitam Perſonæ Diuinæ, vt obiecti infiniti. Sic enim hæc omnia, vt oblata Deo in Sacrificium, ſunt pretioſiora duplici titulo, offerentis, & oblati infiniti: qualibet alia actione, ſolo titulo agentis infiniti. Nec offerebat hæc vt finita, & ſeorſim, ſed coniunctim cum Perſona infinita. i. Offerebat Deo ſeipſum vt corporeum & animatum, ad mortem, per effuſionem Sanguinis & Animæ in Sacrificiū infinitè latreuticum, eucharisticum, meritorium, propitiatorium, & impetratorium: non ſic autem propriè ſingulas actiones ac paſſiones vitales; ſed has vt proprias ac perſonales ſuâ voluntate & ſanctitate Diuinâ ac infinitâ, quamuis per humanam & finitam, eliciendo vel acceptando, & referendo ad ſeipſum, infinitè ſanctificabat, & meritoriè ac ſatisfactoriè dignificabat. Vt *Ioan.* 17. Pro eis ego ſanctifico meipſum .i. ſacrifico, & ſacris actibus conſecro. Non quòd Chriſti actiones & paſſiones eſſent ſacratiores ac digniores ipſâ ſacrâ humanitate, vel eius partibus hypoſtaticè vnitis: ſed erant condignæ tali ſtatu hypoſtatico. Vt ergo natura humana Chriſti, & partes hypoſtaticè vnitæ, ſunt in ſtatu ſeu dignitate perſonali infinitas ſic & omnes eius actus, à tali ſtatu ſeu dignitate perſonali, ſunt ei condignæ & moraliter infinitæ.

*Ad* 2. Omnia opera ſunt à Deo vt à Cauſa prima: bona opera ſupernaturalia ſunt à Deo ſpecialiter per gratiam; ſed ſola opera humana Chriſti ſunt à Deo ſingulariter & perſonaliter, vt eius propria ac perſonalia, & condigna moraliter tali ac tantâ Perſona, quæ ſibi moraliter condignificat omnia ſua opera. Quò enim Perſona dignior, eò & minimi eius actus ſunt digniores: ſi non indignè, ſed condignè operetur. Hinc fortè noſter *Alenſ. & S. Bon.* ſumunt perſonalitatem à digniori proprietate naturæ: vt moraliter appropriate, & dignificante omnes actus perſonales.

*Ad* 3. Opera Sanctæ Trin. ad extra ſunt æquè ab vna Perſona, ac ab alia, realiter: non æquè perſonaliter, & moraliter.

*Ad* 4. Effectus declinat à perfectione reali cauſæ principalis, ad imperfectionem realem concauſæ diuiſæ: non autem à perfectione morali ad imperfectionem moralem, inſtrumenti perſonaliter & inſtrumentaliter vniti. Qualis eſt natura, potentia, & gratia finita Chriſti.

*Ad*

Digitized by Google

*Ad* 5. Gratia non tam dignificat actum aut Agens, vniendo Deo accidentaliter, & obiectiuè: quàm vnio hypoſtatica dignificat naturam, vniendo eam ſubſtantialiter & hypoſtaticè. Sed Perſona ſibi moraliter condignificat naturam, eam terminando, ſibi appropriando, & excipiendo ad ſuum proprium ſtatum & dignitatem perſonalem, ac moralem. Sibi autem condignificat omnes proprios actus perſonales: eos operando condignè tali ac tanto ſtatu perſonali.

*Ad* 6. Deus præmiat omnia merita noſtra vltra condignū: ſed merita Chriſti non poſſunt in nobis condignè præmiari, ſed in ſolo Chriſto; cōdignitate ſui ſtatus perſonalis ad ſua opera, & operum poſteriorum ad priora. De qua cōdignitate, *Apoc.* 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere* .i. habere, *virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam; & benedictionem* .i. ſtatum diuinum & perſonalem, & omnia ei ac inter ſe condigna.

*Ad* 7. Peccata noſtra non poſſunt eſſe formaliter infinitæ malitiæ: quia hæc non oritur ab ipſo Deo vt obiecto infinito; ſed à ſua propria cauſa, ſeu ab ipſa voluntate, quæ non poteſt peccare ex infinita libertate & malitia. Tum quia fortè non poteſt dari vllum peccatum directè contrarium Deo. Tum quia non poteſt dari vllum adæquatè ei contrarium. Tum quia Deus non influit, ne quidem obiectiuè, in malitiam vllius peccati. Tū quia offenſa non æſtimatur ex dignitate perſonæ offenſæ, & indignitate offendentis, niſi pro captu & libitu offendentis. Tum denique quia quantò offenſa perſonæ dignioris eſt grauior: tantò ipſa minùs offenditur, ſuamque offenſam minus imputat, quò eſt melior. Vt Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis, cū tranquilitate* .i. moderatione *iudicas, & cum magna reuerentia* .i. ſuauitate *diſponis nos.* Nec pœna eſt æterna, ob culpam infinitam: cùm culpæ ſint tam inæquales, & tamen omnes finales puniantur pœna æterna; ſed quia & ſtatus peccati finalis eſt æternus, & affectus ac conſenſus peccantis eſt in illum ſtatum æternum, & effectus peccandi actu eſt in damnatis æternus. Ex *B. Aug.* Lib. 21. Ciu. cap. 11. *Iniuſtum putant, vt pro peccatis quamlibet magnis quiſq́, pœnâ damnetur æternâ: quaſi vllius id vnquam iuſtitia legis attendat, vt tantâ morâ temporis quis puniatur, quanta vnde puniretur admiſit.* Exemplificat per octo genera pœnarum. *Quomodo ergo,* Luc. 6. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis? Non propter æquale temporis ſpatium: ſed propter viciſſitudinem mali, &c.* Cap. 12. *Sed pœna æterna ideo iniuſta videtur ſenſibus humanis: quia deeſt ille ſenſus altiſſimæ puriſſimæque ſapientiæ, quo ſentiri poſſit quantum nefas in illa prima præuaricatione commiſſum ſit.* Lib. 6. quæſt. contra Paganos. q. 4. in Matt. 7. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis* .i. *in qua voluntate, &c. Vt quia æternam voluit peccati perfruitionem,* ſaltem implicitè & virtualiter, *æternam vindictæ inueniat ſeueritatem.*

*Ad* 8. Ex *Alenſi p.* 2. *q.* 6. Actio Dei eſt Deus ipſe. *p.* 3. *q.* 1. Non poteſt Deo iuſtè ſatisfieri pro peccatis noſtris, niſi per Deum hominem. *q.* 17. *m.* 3. *a.* 2. Paſſio Chriſti fuit neceſſaria ad ſatisfactionem iuſto pretio. *Ad* 3. Vnica gutta ſanguinis Chriſti fuit ſufficiens ex dignitate Perſonæ. *M.* 5. *a.* 2. Paſſio & Mors Chriſti fuit ſufficiens ad omnem ſatisfactionem, ex dignitate Perſonæ. *Ad* 1. Vita Chriſti, vt Dei, non vt ſolius hominis, erat ſufficiens ad ſatisfactionem pro infinitis peccatis. *Ad* 3. Peccatum crucifixionis Chriſti non fuit infinitum, &c.

Ex *S. Bon. diſt.* 19. *Art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. Non fuit tanta malitia crucifigentium, quanta charitas Crucifixi. *Diſt.* 20. *q.* 3. Pura creatura non potuit ſatisfacere pro iniuria Dei, nec pro damno generis humani. *q.* 4. Nec plenè, nec ſemiplenè pro ſuo proprio peccato originali: ſed ſemiplenè pro peccato proprio actuali, quoad damnum proprium, remiſſâ culpâ, ſeu offenſâ Dei per Chriſtum. *Ad* 2. Satisfacere eſt reddere Deo honorem debitum ex culpa, non ex natura. Quod quia eſt factum impoſſibile per culpam: fit poſſibile per gratiam. *q.* 6. *ad* 4. Potuiſſet ſufficere minima pœna tantæ Perſonæ, ad ſatisfactionem condignam, &c.] Quæ ſupponunt infinitum valorem ſingulorum meritorum & ſatisfactionum Chriſti, præ omnibus peccatis vt finitis. Nec vt vult *Vaſquez in* 3. *p. Tom.* 1. *diſp.* 2. *c.* 1. noſter *Al. p.* 3. *q.* 1. *m.* 5. cenſet purum hominem poſſe condignè ſatisfacere pro peccato mortali: ſed *Art.* 1. inquit, *Non per ſe, ſine dono gratiæ.* Quam non poteſt ſibi vllo modo naturaliter mereri. Cùm ergo noſter *Al. & S. Bon.* ſic ſentiant: debet eis *Scotus* cedere, & conſentire. Sed & conſentit, *in* 3. *Diſt.* 13. *Ad* 1. *Quæſt.* In commendando Chriſtum, malo excedere, quàm deficere. *Diſt.* 20. *n.* 10. *Ad* 3. Minima læſio in Paſſione Chriſti ſufficiebat acceptationi Diuinæ. *Ad* 4. Chriſtus voluit mori actu meliori quàm peccata potuerint eſſe mala.] Quæ etiam ſupponunt infinitum valorem meritorū & ſatisfactionum Chriſti. Nec obſtat *d.* 19. *n.* 7. *Ad* 2. Meritum Chriſti quoad ſufficientiam fuit finitum, &c. Nec potuit ex ſe acceptari in infinitum. *n.* 12. *Ad* 1. Præmium gloriæ noſtræ eſt melius meritis Chriſti per portionem inferiorem. *Ad* 2. Vt peccata non ſunt formaliter infinita intenſiuè, &c. ſic nec merita Chriſti. *Ad* 4. Deus potuit paſſionem Chriſti compenſare bono finito. *Diſt.* 20. Quiuis innocens potuiſſet ſatisfacere Deo, ſi ei placuiſſet, &c.] Quia vel negat ſolàm infinitatem realem actuum humanorum Chriſti: vel negat infinitum valorem meritorum & ſatisfactionum Chriſti, ex ſe & ſuis principijs finitis, aut ſeorſim à Perſona merente & ſatisfaciente; non autem coniunctim cum illa, vt cum infinito Agente & obiecto oblato: vel negat infinitum valorem actualem, ſeu applicationem infinitam; vel negat ſufficientiam infinitam obligandi Deum ad acceptationem. Cùm enim ſtatuat completam rationem meriti & ſatiſfactionis in acceptatione Diuina, ſeu in decreto & fideli promiſſione acceptandi: ſine hac completa ratione formali meriti & ſatiſfactionis non eſt ipſi vllum meritum aut ſatiſfactio formalis, ſed tantùm materialis. Cùm tamen merita & ſatiſfactiones Chriſti ſint Theandricæ

dricæ, ſeu Deiviriles, nec ſolius voluntatis eius humanæ, ſed & Diuinæ: hoc ipſo ſunt condignæ acceptatione eiuſdem voluntatis Diuinæ? imò hoc ipſo debent acceptari, & acceptantur eâdem voluntate Diuinâ, quâ ſic fiunt & offeruntur. Sed formalis & completa ratio meriti ac ſatisfactionis, non eſſet in fieri & offerri à Perſona & voluntate Diuina per humanam: ſed in acceptari à ſola Diuinâ. Non ergo negat *Scotus* merita & ſatisfactiones Chriſti eſſe materialiter infiniti valoris, præ omni culpa, pœna, gratia, & gloria poſſibili, & acceptabiles in infinitū, ſeu condignas ipſâ acceptatione Diuinâ ad omnia poſſibilia: ſed tantùm negat eſſe tales formaliter, ſeu acceptari ad infinitum, vel infinita bona creata; quia talia & tanta non ſunt poſſibilia. Hinc ad pleraque *Scoti*: exceptis iis quibus negat valorem intrinſecum, & condignitatem meritorum Chriſti, ex dignitate Perſonæ; & comparat illorum infinitatem cum infinitate tantùm obiectiua peccatorum. Sed vel agit de Perſona vt tantùm terminante & ſuſtentante naturam in eſſe, non autem vt per eam operante: Vel negat hunc valorem eſſe intrinſecum realiter, non moraliter: vel comparat merita Chriſti cum noſtris meritis aut demeritis ad ſolam ſimilitudinem, non ad æqualitatem; vel refert ſeipſum ad ſuam expreſſam intentionem excedendi potiùs quàm deficiendi in commendanda gratia & meritis Chriſti. Hinc noſter *Vega* in ſuo præclaro opere de iuſtificatione, ſuper *ſeſſ*. 6. Sacri Concilij *Trid*. ita ſe profitetur diſcipulum *Scoti*; vt collimet potiùs ad illam eius intentionem, quàm ſerpat per eius ſenſum literalem.

Vt *lib*. 7. *cap*. 8. Dubitent qui volent: mihi indubitatum eſt, eritque ſemper, ſatisfeciſſe Chriſtum pro nobis ad condignum, & meruiſſe iuſtificationem noſtram ex condigno, & ex rigore iuſtitiæ, &c. 1. Nam vita ipſius erat Dei & hominis infinitè grati Deo, &c, Vnde *Heb*. 5. Exauditus eſt pro ſua reuerentia. 2. Nulla poteſt eſſe ſatisfactio magis condigna, & æquiualens alicui debito, quàm paſſio Chriſti fuit æquiualens omnibus debitis noſtris. Quippè magis placuit Deo eius oblatio, quàm diſplicuerant peccata noſtra. 3. Ex *Pſal*. 129. Copioſa apud eum redemptio. 4. Fruſtra ipſemet pro nobis fuiſſet paſſus: niſi ad condignam ſatisfactionem. 5. Iuſti merentur de condigno: quantò plus Chriſtus? 6. *Rom*. 5. Chriſtus plus meruit quàm *Adam* demeruit, &c.

*Cap*. 9. *Ad* 1. *Arg*. Non tam condignè egit Chriſtus gratias pro ſe, quàm ſatisfecit pro nobis: quia noſtra debita non erant tanta, quanta eius dona propria. Nec opus erat vt ſatisfaceret ex bonis proprijs, quæ non eſſent ipſius Dei: cùm ipſemet ſit Deus; ſed per voluntariam eorundem oblationem pro nobis, &c. Quæ oblatio fuit infinitæ ſufficientiæ: non ſolùm ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſed etiam ad gratias pro ſe & pro nobis. Quod namque obtulit Deo, fuit infiniti valoris. Obtulit quippe ſeipſum, &c. Et ipſa eius vita humana vt Dei & hominis, erat infiniti pretij & valoris. *Ad* 2. Non requiritur ad condignam ſatisfactionem obligatio eam acceptandi: ſed vt ſit æqualis debito, nec poſſit iure plus exigi.] Supple ex noſtris ſuprà, quòd eadem voluntas Diuina Chriſti debeat acceptare, prout ipſamet offert. *Ad* 3. Chriſtus non tam ſatisfecit ex gratuitis ſuæ humanitatis, quàm ex proprijs & debitis ſuæ Perſonæ. *Ad* 4. Humanitas Chriſti vnita, nullo modo poteſt peccare: ſed Chriſtus poſſet ſatisfacere pro peccatis ſuæ naturæ humanæ ante vnionem, vel poſt.

*A Cap*. 10. *ad* 25. De cauſalitate inſtrumentali reali, exemplari, & finali, ſed non formali, Chriſti vt hominis, ſeu per ſuam naturam humanam, ad noſtram iuſtificationem, & ad ipſius gratiæ creationem. Quamuis contra litteram *Scoti*: non tamen contra illam expreſſam eius intentionem. Sed *à cap*. 25. *ad* 28. pro ſententia *Scoti*, De reali identitate inter gratiam formaliter iuſtificantem, & charitatem. Confirmatur autem valor infinitus meritorum & ſatisfactionem Chriſti, ex ſacris Script. Conc. & Patribus, tribuentibus tantum valorem, Perſonæ Diuinæ Redemptoris, & Mediatoris vtruſque naturæ, & per vtramque naturam ſimul. Vt patet ex 2. *Cor*. 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Et ex *B. Aug*. ſupra *col*. 254. De Mediatione Chriſti.

## *Contra merita Chriſti per quoſuis eius actus, à primo inſtanti vitæ, ad vltimum, incluſiuè.*

1. QVia Beatitudo eſt finis & merces omnium meritorum: ergo actus beatifici non fuerunt in Chriſto meritorij; vel tam ipſe, quàm omnes Beati mererentur in æternum. 2. Actus Beatifici non ſunt liberi libertate viatorum: ergo nec meritorij; alioquin & damnati demererentur in æternum. 3. Opera non ſunt meritoria & ſatisfactoria, niſi ſint libera, & alias indebita: atqui Chriſtus vt homo debuit obſeruare mandata Dei, etiam patiendi & moriendi, *Ioan*. 1. 14. 15. *Phil*. 2. Nec potuit non obedire, cùm eſſet impeccabilis; ergo per illa non meruit, nec ſatisfecit pro nobis. 4. Priùs eſt eſſe, quàm operari: ergo Chriſtus non potuit mereri ipſo primo inſtanti ſuæ Incarnationis, vt *Al*. ſupra. 5. Chriſtus redemit nos ſuâ morte: ergo non tantùm meruit vſque ad vltimum inſtans vitæ ſuæ, incluſiuè. 6. Ex Clementia 1. de Summa Trin. cap. 1. *Verbum Dei pro omnium operanda ſalute, non ſolùm affigi Cruci, & in ea mori voluit: ſed etiam emiſſo iam ſpiritu perforari lanceâ ſuſtinuit latus ſuum; vt exinde profluentibus vndis aquæ & ſanguinis, formaretur Eccleſia, &c.* Ergo meruit, & ſatisfecit etiam poſt mortem. 7. Eccleſia in Litanijs orat & obſecrat, per Mortem, per Reſurrectionem, per Aſcenſionem Chriſti: ergo Chriſtus per hæc omnia meruit & ſatisfecit pro nobis. 8. Animæ Purgatorij ſatisfaciunt poſt mortem: quantò potiùs Anima Chriſti per ſuum deſcenſum ad inferos? 9. Oramus Chriſtum & Beatos, vt orent pro nobis: ergo adhuc merentur pro nobis. 10. *Ioan*. 14. Vado parare vobis locum, &c. *Heb*. 5. Tu es Sacerdos in æternum, *Hebr*. 7. Chriſtus eſt ſemper viuens ad interpellan-

Digitized by Google

pellandum pro nobis. Ergo non tantùm applicat ſua merita priora : ſed & impetrat, ac meretur.

*Reſp.* *Ad* 1. Cùm charitas Dei ſit radix merendi, à qua omnes alij actus ſunt meritorij : cur perfectiſſimus eius actus, ſeu amor & fruitio Dei beatifica non fuiſſet in Chriſto meritoria? Cur ſi Chriſtus incarnatus fuiſſet impaſſibilis & immortalis, non potuiſſet mereri ? Nam eſſe viatorē non eſt de eſſentia meriti, cùm non pertineat ad dignitatem aut valorem operis : ſed eſt ſola conditio à Deo ordinata ad acceptandum noſtra merita; quia non ſunt condigna ipſa acceptatione Dei. Ergo merita Chriſti, quæ ſunt condigna ipſa acceptatione diuina: non ſubſunt huic conditioni. Nā ſi homo non peccaſſet, nec Chriſtus vllatenus fuiſſet viator, equidem meruiſſet, & de facto meruit Angelis & primis parentibus omnem gratiam ante primum peccatum: non vt viator, nec per actus vt viatoris, ſed potiùs vt Beatus, & per actus vt Beati, qualis fuiſſet incarnatus ſi homo non peccaſſet. Sed poſt peccatum incarnatus fuit paſſibilis, mortalis, & viator quoad affectionem commodi : non tam ad merendum gratiam & gloriam, quàm ad ſatisfaciendum pro peccatis, & remerendum æqualem, vel etiam maiorem gratiam & gloriam. Nec ideo meruiſſet, aut meretur in ęternum : quia vt datur ſtatus præmij, ſic & merendi, vel ſaltem offerendi & acceptandi merita ad mercedem. Vel, ne quid videatur condignum præmio & acceptatione, non præmiari nec acceptari, ſicq; liberalitas Dei meritis ſuperari: vt peccata æterna etiā actualia puniuntur pœna æterna; ſic & charitas beata & æterna Chriſti poteſt dici præmiari gloria & acceptatione æterna. *Apoc.* 5. Dignus eſt Agnus, &c. ſupra. Cùm enim per gratiam primam mereamur etiam eiuſdem conſeruationem : cur non Chriſtus per actum etiam beatum vt priorem, poſſit dici condignus æternitate omnium bonorum ſuorum & noſtrorum? Non enim eſt contra rationem beatitudinis finalis, nequidem ſecundùm eundem gradum, eſſe ſimul gratiam & mercedem, ſeu haberi duplici titulo : quantò minus vt priorem eſſe gratuitam, & meritoriam ſuæ æternitatis ? Nec obſtat *Al. p.* 3. *q.* 16. *m.* 1. *ad* 4. *m.* 2. *art.* 2. Quia poteſt intelligi de merito & ſatisfactione Chriſti vt viatoris, pro peccatoribus. Vel dē neceſſaria relatione actus ad nos, vt ſit pro nobis meritorius & ſatisfactorius.

*Ad* 2. Fruitio beata, eſt libera libertate eſſentiali voluntatis, ſufficiente ad merendum ſi à Deo acceptetur : non poteſt autem non acceptari, ſi ſit condigna acceptatione, & offeratur ad acceptandum, eadem voluntate quā acceptatur. Hæc tamen libertas ſola, ſine vlla poteſtate eligendi, ſeu agendi vel non, hoc vel illud : non videtur ſufficere ad merendum, vel demerendum mercedem aut pœnam extrinſecam & æternam; quia hæ pendent à libero decreto Dei, qui non promiſit hanc mercedem, nec minatus eſt hanc pœnam niſi propter opera noſtræ liberæ electionis. Non quòd peccata non ſint ex ſe magis demeritoria, quàm bona opera ſunt meritoria : ſed quod Deus non tam grauiter imputet peccata quæ non ſunt liberæ electionis. Niſi hæc libertas ſeipſam peccando violauerit, vel ſeipſam ad peccandum in æternum determinauerit, vt in damnatis. Qua de re *in* 2. *quæſt.* 7. & 8.

*Ad* 3. Libertas à præcepto & obedientia, nec eſt neceſſaria, nec vtilior ad merendum & ſatisfaciendum : ſed obedientia auget potius meritum & ſatisfactionem. Quia ſatisfaciendo præcepto per obedientiam, opus fit inde melius & dignius mercede. Nec ſatisfactio eſt neceſſariò per opera vt indebita alijs titulis ; ſed eodem titulo ſatisfactionis. Cùm ergo Chriſtus vt homo nihil deberet titulo ſatisfactionis: tantò perfectiùs meruit & ſatisfecit, quantò obedientiùs. Nec obſtat quòd vt impeccabilis nō potuerit non obedire: quia ad perfectionem obediendi, & merendi, ac ſatisfaciendi, non requiritur poſſe non obedire aut non peccare, ſed è contra, &c. vt ſuprà.

*Ad* 4. Priùs naturâ vel origine eſt eſſe, quàm operari : ſed agentia perfecta poſſunt primo inſtanti ſui eſſe, operari inſtantaneè. Quæ perfectio tribuenda eſt Chriſto. Nec obſtat quòd *Al. q.* 16. *m.* 2. *art.* 1. id negare videatur : vt & *p.* 2. *m.* 1. *a.* 7. negat vllum actum eſſe poſſe à creatura ipſo ſuo primo inſtanti; & *S. Bon. in* 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. negat peccari poſſe primo inſtanti. Quia *Al.* poteſt intelligi de primo inſtanti naturæ, vel æui, non temporis : ſeu de neceſſaria præſuppoſitione ipſius eſſe & æui proprij, ad actum & eius inſtans proprium. *P.* 2. Negat vllum actum poſſe eſſe à creatura primo inſtanti : non autem a Chriſto per ſuam naturam humanam. *S. Bon.* negat peccari poſſe primo inſtanti ex perfecta deliberatione : concedens Angelum potuiſſe agere primo inſtanti, non autem perficere eodem inſtanti. Sed *p.* 3. *d.* 18. *a.* 1. *q.* 1. abſolutè docet Chriſtum à primo inſtanti incluſiuè potuiſſe mereri : & poſſe benè fieri primo inſtanti ex plenitudine gratiæ, nō ſic autem peccari contra inclinationem naturalem. *Scotus in* 3. *d.* 18. *n.* 11. *& in* 2. *d.* 23. Si voluntas poſſet velle primo inſtanti : non video quin & tūc poſſit peccare .i. Si haberet ſimul primo inſtanti omnia neceſſaria obiectiuè præſentia ad deliberandum, &c. vt quæſt. noſtrâ 5. *col.* 247. 250. in Lib. 2. Sent.

*Ad* 5. Chriſtus redemit nos ſuâ morte .i. in fieri, non in facto eſſe, ſiue quis moriatur ſeu priuetur vitâ per primum non eſſe, ſiue per vltimum eſſe hominis viuentis. Vel redemit nos ſua morte, vt obiecto à ſeipſo viuente volito, & acceptato; non autem vt formali merito. Quo ſenſu *Phil.* 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem, &c.

*Ad* 6. *Pro omnium operanda ſalute* : refertur tantùm ad *crucifigi & mori: perforari autem lanceâ poſt mortem*, refertur ad finem *formandi Eccleſiam ex latere Chriſti*, per ſacramenta ſignificata. Vel Chriſtus meruit per vulnus lanceæ, vt per obiectum à ſe adhuc viuente præuiſum, volitum, & acceptatum.

*Ad* 7. & 8. Obſecramus per Mortē, Sepult. Reſur. Aſcenſionem, &c. vel vt per obiecta volūtatis meritoriæ Chriſti adhuc viuentis : vel vt per exēplaria noſtra ; vel vt per motiua finalia, ſeu propter & ad hos fines gloriæ Dei & Chriſti; non tamē vt per opera adhuc ſatisfactoria, nō meritoria.

Vt

Digitized by Google

Vt vult noſter *Vega Lib. 7. in cap. 7. Conc. Trid. cap.* 18. Probans quòd ſtatus merendi terminetur per mortem, non autem ſatisfaciendi, ex ſtatu animatum in purgatorio; quodque Reſurr. & Aſcenſio Chriſti non ſint tantùm cauſa exemplaris noſtræ iuſtif. Reſurr. & Aſcenſionis. Sed videtur potiùs ſtatum ſatisfaciendi deſiiſſe per mortem, quàm merendi: quia ſatisfactio eſt potiùs pœnalis, quàm meritum; nec videtur Reſur. & Aſc. Chriſti plus prodeſſe ad noſtram, quàm exemplariter, & finaliter; nec propriè ſatisfit in Purg. vt in 4. c. 950.

*Ad* 9. *&* 10. Certum eſt Chriſtum nil amplius mereri, nec ſatisfacere pro nobis: ſed tantùm applicare nobis ſua merita & ſatisfactiones, per media ordinaria & extraordinaria; quia meruit & ſatisfecit hìc infinitè, aut ſaltem in infinitum. Non tamen conſtat an adhuc oret immediatè, & actualiter pro nobis, nobiſque impetret aliquas gratias, vel ſaltem executionem & applicationem ſuorum meritorum & ſatisfactionum: an verò tantùm exhibeat Deo ſua pro nobis merita & ſatisfactiones, eaſque nobis applicet per alia media, quàm per proprias orationes. Vtroque enim modo intelligi poſſunt quæ ſacra Script. Conc. & Patres inde loquuntur. Vt *Ioan.* 14. *Vado parare vobis locum &c.* i. vel meritoriè & ſatisfactoriè, per meam paſſionem & mortem inſtantem; vel mittendo vobis Spiritum S. ad præparandum in vobis ipſis locum gratiæ & gloriæ; vel impetrando, aut applicando vobis immediatè aut mediatè mea ad hoc merita & ſatisfactiones. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis* .i. Rogabo obiectiuè, & cauſaliter, ſeu mediatè, mouendo vos ad orandum: vt ipſe *Spiritus orat in nobis, & pro nobis, Rom.* 8. Vel etiam formaliter, & immediatè. *Ioan. 16. Non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos* .i. Nec hoc dico, nec nego, &c. *Rom.* 8. *Chriſtus interpellat pro nobis.* Heb. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis* .i. obiectiuè, cauſaliter, vel formaliter, vt ſupra. *Heb.* 5. *Tu es Sacerdos in æternum, &c. Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſq; offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia,* actiua & paſſiua. *Cap.* 9. *Non vt ſæpè offerat ſemetipſum, &c. Semel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Cap. 10. *Vnâ oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos* .i. vnâ re oblatâ, vel vnicâ oblatione cruentâ, reali, vel etiam mentali & propriâ ſolius Chriſti; non vnica incruentâ & miniſteriali. Sed excepto Sacrificio propriè dicto, cruento & incruento, exceptâque omni paſſione, oratione, & oblatione vt meritoriâ & ſatisfactoriâ: videntur ſacræ Script. Concilia, & Patres tribuere Chriſto omnes pios affectus decentes ſtatum glorioſum Saluatoris, & Mediatoris noſtri. Inter quos quis dubitet Chriſtum habere, & exhibere ſuæ Diuinitati actualem affectum humanum ſalutis noſtræ? Ad quid autem, niſi ad aliquid nobis impetrandum? Quod quid eſt aliud quàm orare? Vt *in* 4. *col.* 567. Nec obſtat quòd Eccleſia in precibus publicis non inuocet Chriſtum ad orandum pro nobis; ſed ad exaudiendum nos, & noſtri miſerendum. Quia cùm Perſona Chriſti oretur, & colatur: non oratur nec colitur Duliâ, ſed Latriâ, vt toto genere diſtinctâ à cultu & inuocatione Sanctorum. Vt infra Quæſt. propria, De adoratione Chriſti.

## *Contra 5. Partem Reſp. De meritis noſtris vt congruis & condignis.*

1. Si congruitas ſufficeret ad meritum, faciens quod in ſe eſt naturaliter, mereretur. 2. Merita noſtra non ſunt niſi precaria & impetratoria. 3. Proportio non eſt condignitas. 4. Merita de congruo debent etiam eſſe proportionata. 5. Quæ condignitas aut proportio poteſt eſſe inter opera noſtra, nec vt difficilia, nec vt intenſa, nec vt diuturna, nec vt entitatiuè, vel moraliter perfecta: cum gratia Dei, & gloria æterna, imò & cum ipſa acceptatione ſeu voluntate Diuina?

*Reſp. Ad* omnia. Ex *Al. p.* 3. *q.* 69. *m.* 5. *a.* 2. § 1. Exiſtens in peccato mortali, non poteſt propriè mereri primam gratiam, de condigno, vel de congruo: ſed tantùm interpretatiuè, ex ſola Dei liberalitate, ac ſi meruiſſet, &c. Vbi & alibi ſæpè indicat tertium modum, ſed improprium, merendi *interpretatiuè*: non ex ſolis viribus naturæ, ſed ex ſola prima gratia orandi ac impetrandi. Quæ videtur eſſe illa celebris congruitas dandi gratiam facienti quod in ſe eſt .i. oranti. Nam. § 4. *a.* 3. *ad* 6. Facere quod in ſe eſt, in quouis homine, eſt vti notitiâ Dei, ad eum orandum, &c. In peccatore autem fideli, eſt vti lumine fidei ad timendum & ſperandum, &c. Quòd non eſt ſine pio deſiderio & oratione. Et ſemper diſtinguit hunc modum improprium merendi *interpretatiuè*, ex ſola Dei liberalitate: à modo proprio ex aliqua obligatione fidelis promiſſionis, ſupponens etiam gratiam præuenientem orantes. Vt patet ex *Art.* 4. eiuſdem *q.* 69. & *q.* 70. *m.* 2. *a.* 3. *ad.* 1. Excitatio in ſtatu peccati mort. eſt à gratia gratis data, ſeu diſponente. Et *p.* 4. *q.* 68. *m.* 1. *ad vlt.* Peccator non poteſt facere quod in ſe eſt, vt gratiam recuperet: quia hoc eſt conſentire gratiæ præuenienti, quæ non eſt in eius poteſtate. Confirmatur ex *B. Aug.* 1. *Retr.* 15. Quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate: niſi fortè, ſi pia eſt, vt oret auxilium? &c. Vt in 2. *ſent. à col.* 473. *ad* 500. Sed hìc ſpecialiter de merito congruo, digno, & condigno, ac vtriuſque diſtinctione, tam inter ſe, quàm à ſatiſfactione, & impetratione. Sunt enim qui confundunt impetrationem & ſatisfactionem cum merito, congruum cum digno, dignum cum condigno, proportionatum cum æquali.

De ſatisfactione *in* 4. *col.* 670. 671. 672. 673. 684. 685. 694. 700. 710. 711. *à* 782. *ad* 787. Cuius diſtinctio à merito & impetratione eſt facilis. Quia ſatisfactio propriè eſt pro culpa, vt iniurioſa & inhonoratiua alicuius, ad eius rehonorationem: vel pro iuſta punitione, ſeu pœna inde debita, ad eius redemptionem; per actionem aut paſſionem, condignam ſeu æquiualentem iniuriæ & inhonorationi, ad rehonorandum offenſum; vel vt ei æquè gratam, ac offenſa fuit ingrata; vel eidem aut ipſi legi vel iudici ſufficientem. Vnde

pluribus

Digitized by Google

pluribus modis dici poteſt, *Satis.* 1. Iniuriæ & honori. 2. Pœnæ & punitioni. 3. Legi & Iudici. 4. Perſonæ offenſæ: quæ quantumuis remittat ex debito rehonorationis & punitionis; ſatisfit tamen eius voluntati.

Impetratio propriè dicta eſt tantùm precaria & gratuita, nullâ ordinariâ lege aut promiſſione Dei determinata, ſed dependens à ſola eius gratioſa liberalitate & miſericordia. Quamuis enim oratio, quæ propriè eſt impetratoria, habeat multas promiſſiones annexas: non tamen communes omnibus orantibus, ſed proprias fidelibus & amicis Dei; nec determinatas ad certa beneficia, certas vices aut terminum orandi, ſed ſemper ſuſpenſas à ſecreta voluntate Dei. Nam *Ioan.* 9. Deus peccatores .i. impœnitentes, non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, hunc exaudit. *Ioan.* 14. Si manſeritis in me, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. 16. Amen dico vobis: ſi quid petieritis, &c. Sed vt *Luc.* 11. Petite, quærite, pulſate. Si quis perſeuerauerit, &c.

Meritum de congruo non eſt ex iudicio, vel congruitate naturali: ſed ex ſubordinatione ſupernaturali inter diſpoſitiones inferiores, & formam ſuperiorem eiuſdem ordinis ſupernaturalis ad quam diſponunt. Vt enim omnia naturalia, ſic & ſupernaturalia ſunt inter ſe ſubordinata: illa connaturaliter, hæc conſupernaturaliter. Hæc eſt ergo prima congruitas, ſeu proportio meriti de congruo: vt ſit diſpoſitio ſupernaturalis propinqua vel remota, actualis & libera ipſius ſubiecti, ad perfectiorem formam ſupernaturalem. 2. Vt non ſit ex primo ac proprio motu naturali, ſed ex aliquo timore Dei, & vocatione gratiæ, quantumuis mercenaria & ſeruili: non ſolùm ad ſupernaturalitatẽ operis, vt ſupra; ſed etiam ad congruitatem mercedis, pro opere vocationis, & quaſi conductionis, ac ſeruitutis Dei. 3. Vt ſit ex fide & ſpe habituali vel ſaltem actuali: ad inchoatam dignitatem, vel minorem indignitatem perſonæ operantis. 4. Vt ſit ex aliqua inchoata dilectione Dei, & gratificatione operantis. 5. Vt opera eò ſint digniora, aut minùs indigna: quò plus ſunt à Deo & Dei, per gratiam actualem; quàm à nobis & noſtra, per motum inſtrumentalem. 6. Vt ſint moraliter ex meritis Chriſti, ſeu per gratiam actualem, vt nobis à Chriſto promeritam. 7. Vt qui cœpit, perficiat, 2. *Cor.* 8. *Phil.* 1. Qui dat velle, det & perficere, *Phil.* 2. Quæ congruitas eſt ex ordine ipſius Sapientiæ Dei, in ſuis operibus non fruſtra inchoandis, ſed ad ea perficienda. 7. Vt congruant ſaltem ad amouendam aliquem obicem gratiæ conferendæ. 8. Vt hæc tota congruitas & ſubordinatio ſit à Deo ſupernaturaliter inſtituta, & determinata: ſiue lege ordinaria, & promiſſione publica, ſiue ſecreta, ſed determinata. In quo differt ab impetratione precaria, vt indeterminata, & ſuſpenſa ab inæquali & irregulari determinatione Dei. Non quòd voluntas Dei non ſit ab æterno ad omnia determinata, aut non determinauerit omnia, etiam ſupernaturalia: ſed vt ordinauit, ſubordinauit, & determinauit omnia naturalia, connaturaliter, communiter, & æqualiter, ad certas formas & effectus neceſſariò conſequentes: ſic & ſupernaturaliter omnia merita, ad certas formas & effectus conſupernaturales, vel ſaltem ad certum ius præſens. Preces autem non determinauit ad certam impetrationem præſentem, ſed futuram, ſub conditione perſeuerandi: nec ad vllum ius præſens, nec æqualiter inter omnes orantes; differenter tamen à non orantibus, quòd illi, non hi, ſint iam præuenti gratiâ orandi, & ſpe impetrandi, ſub conditione perſeuerandi.

Meritum de digno videtur ſic denominatum, ob *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c. 2. *Cor.* 4. Momentaneum & leue tribulationes noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; vel ad diſtinctionem à meritis Chriſti, vt ſolis condignis. Sed cum noſtra merita non ſint condigna, vt æquiualentia, ſed vt proportionata: aut non ex nobis, nec à proprio valore intrinſeco, ſed ex meritis Chriſti, & acceptatione Dei: non eſt neceſſaria diſtinctio inter merita noſtra vt de digno & condigno; ſed ſola diſtinctio inter horum dignitatem vel condignitatem proportionalem, & illorum congruitatem etiam proportionalem. 1. Quòd illorum congruitas ſit quædam ſubordinatio inter ſupernaturalia, inferiora, & ſuperiora: hæc autem condignitas ſit inter ſupernaturalia æqualia, ſeu eiuſdem ſpeciei, aut generis propinquioris Cùm enim merita de condigno ſint actus charitatis, quamuis imperfectioris: poſſunt dici digni, & ſuo modo condigni gratiâ & gloriâ, ſeu charitate perfectiori. 2. Merita de Condigno, ſunt perſonæ per ſtatum gratiæ dignæ, & ſuo modo condignæ mercede ſeu præmio ſecundùm ſuum ſtatum. 3. Merita de condigno fiunt in ſtatu amicitiæ Dei: ideoque hoc titulo pluris fiunt apud Deum, quàm ex ſola dignitate Perſonæ, aut operum perfectione. 4. Merita de Condigno, ſunt propria filiorum Dei, per gratiam adoptionis: ergo ſunt digna, & ſuo modo condigna hæreditate. 5. Vt actus naturales generant & augent habitus: ſic & actus ſupernaturales charitatis, conſupernaturaliter merentur ſuos habitus, vel eorum augmentum. 6. Si congruit ordini Sapientiæ Dei, vt qui cœpit per primam gratiã actualem, perficiat per toto genere ſuperiorem: quantò potiùs vt perficiat opus charitatis, eiuſdem intenſione, & æternitate? 7. Si congruit vt Deus acceptet opera ſua in nobis per ſolam gratiam actualem: ex Epiſt. *Cæleſtini Papæ, cap.* 8. & 11. & *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 16. Quantò potiùs vt acceptet ea tanquam ſua propria, quæ operatur in nobis vt vnitus nobis ad operandum, per gratiam habitualem, ſeu charitatem permanentem? 8. Si congruit vt Deus remuneret in nobis quæcumque fiunt ex meritis Chriſti, quantumuis remotè, per gratias actuales nobis ab eo promeritas: quantò potiùs quæ fiunt ab ipſo Chriſto per nos, vt per membra ſua ſibi in ſtatu charitatis vnita? Vt *Ioan.* 15. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi in vite manſerit: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. *Gal.* 3. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Epheſ.* 3. Chriſtus habitat per fidem in cordibus veſtris, &c. Quæ non



Digitized by Google

manam, eſt infiniti meriti & ſatisfactionis. Nam illa ſufficientia non appropriatur ſoli effuſioni ſanguinis: ſed tribuitur cuiuis actui & paſſioni Perſonæ effundentis. Hæc eſt enim proprietas & excellentia incomparabilis, operationis Theandricæ, ſeu Perſonæ Diuinæ influentis vt cauſa principalis per ſuam naturam diuinam in omnes operationes vt inſtrumentales naturæ humanæ, ſed proprias, principales, ac perſonales Perſonæ diuinæ. Vt ſupra *Quæſt.* 10. & infra, ad difficultates de infinito merito ſingulorum actuum, & paſſionum Chriſti: finito tamen demerito omnium peccatorum poſſibilium.

5. Præter impetrationem precariam, & ſatisfactionem condignam pœnarum, meremur diſpoſitiuè de congruo ipſam iuſtificationem, per gratias actuales & præuenientes: poſt iuſtificationem, meremur etiam de digno & condignò remiſſionẽ culparum venialium, imò & augmentum gratiæ ac glorię; non condignitate æqualitatis, ſed proportionis; nec ex iuſtitia Deum obligante, ſed ex eius fidelitate, & noſtra in merendo charitate, non neceſſaria operis difficultate, nec intenſione, nec duratione. In quibus omnibus Authores noſtri expreſsè conſentiunt, vel facilè conciliari poſſunt. Ex iiſdem ſacris Script. & Concilijs quibus ſuprà tribuuntur nobis vera & propriè dicta merita, per gratiam & merita Chriſti. Et ex Cenſurijs *Pij.* 5. ac *Greg.* 13. contra illas omnes propoſitiones Baij, vt tribuentes ſtatui innocentię merita ſine gratia, vel negantes iuſtificatis vera & propriè dicta merita gratiæ & gloriæ, & condignas ſatisfactiones pœnarum. Inter quas cenſura in hanc *Prop.* 2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium:* plurimum fauet Doctrinæ noſtrorum Authorum de meritis noſtris ex fideli ac gratuita Dei promiſſione, & acceptatione, vltra perfectionẽ ac dignitatem intrinſecam operum & operantium. Vt & *S. Aug. lib. de gratia & libero Arb. cap.* 6. Cui redderet coronam iuſtus Iudex: ſi non donaſſet miſericordiam miſericors Pater? *In Pſal.* 32. Teneamus fideliſſimum debitorem: quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem. *Serm.* 16. *De verbis Apoſt. cap.* 2. Deus debitor factus eſt: non aliquid nobis accipiendo; ſed quod ei placuit promittendo. Imò & Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 15. hâc præclarâ coronide ſuæ totius Doctrinæ de meritis noſtris, verbatim ex *Epiſt. Cæleſtini Papæ, cap.* 11. Abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel cõfidat vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.

## *Contra omnia merita Criſti & noſtra.*

1. Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 2. Perſona diuina Chriſti non poteſt mereri à ſeipſa, nec ab alia Perſona diuina: nec poteſt recipere vllam mercedem à ſeipſa, vel ab alia; nec ſibi ipſi propriè debere, nec ab alia Perſona diuina deberi. Nec ſola eius natura humana operatur aut meretur: nec Perſona per naturã, quia mereri propriũ eſt perſonæ, non naturæ. Nec deniq; habet vlla propria, & libera per quæ mereatur. 3. Actio vel paſſio humana Chriſti non eſt eius propria, ſed Dei: nec poteſt eſſe æquiualens actui ſeu acceptationi voluntatis Dei: ergo nec meritoria ex perfecta iuſtitia. 4. *Luc.* 17. Cùm feceritis hæc omnia: dicite, ſerui inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus. Ergo nihil meremur. 5. *Rom.* 6. Gratia Dei vita æterna. 6. *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. 7. *Eph.* 2. Non ex operibus, &c. 8. Ex *B. Aug. lib. de vera Relig. cap.* 47. Non eſt aliquid extra Deum merendum: ſed nihil aliud quàm ipſum hærere Deo bonum eſt. *Lib. De gratia & lib. Arb. cap.* 6. & alibi ſæpè. Dona ſua coronat Deus, non merita tua. 9. Ex *S. Bern.* ſub finem libri de gratia & libero Arb. *Eſt corona iuſtitiæ Dei, non ſua.* 2. *Tim.* 4. Si propriè appellentur quæ dicimus noſtra merita: ſpei quædam ſunt ſeminaria, charitatis incentiua, occultæ prædeſtinationis inſignia, futuræ fœlicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi. 10. Ex ipſa ſufficientia & efficacia meritorũ Chriſti: quæ non patiuntur vllum ſupplementum meritorum noſtrorum, quia videremur noſtri Redemptores partiales.

*Reſp.* *Ad* 1. Non meremur retributionem donorum Dei: niſi per priora eius dona ſeu gratias. Vt patet ex *Pſal.* 115. Quid retribuam Domino, &c. *Pſal.* 118. Retribue ſeruo tuo, &c. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Ad* 2. Perſona diuina Chriſti, agit, meretur, & patitur, per ſuam naturam humanam, vt inſtrumentalem: non recipiendo, nec contrahendo inde vllam imperfectionem; ſed conferendo & aſſumendo ſibi omnem perfectionem poſſibilem, relicta tota imperfectione merendi & patiendi, indigendi, recipiendi, debendi, ſoluendi, ſoli naturæ inſtrumentali. *Ad* 3. Perſona diuina Chriſti habet proprietatem perfectiſſimam ſuarum actionum & paſſionum: ſed natura eius humana habet proprietatem & libertatem inſtrumentalem, ſufficientem ad donationem & oblationem meritoriam; æquiualentem acceptationi diuinæ vt eſt à Perſona donante & offerente principali, non vt per naturam inſtrumẽtalem. *Ad* 4. Sumus ſerui inutiles Deo: nec meremur vt illi vtiles, ſed nobis ipſis. Nec ſummum debitum ſeruile obediendi Deo ad omnia, eſt cõtrarium merito & præmio fidelis promiſſionis Dei: ſed perfectæ iuſtitiæ, & obligationis. *Ad* 5. Vita æterna eſt ſola gratia in Dei intentione, & paruulis in executione: ſed adultis eſt gratia & merces, ſeu ex gratia & meritis. *Ad* 6. Paſſiones huius tẽporis non ſunt condignæ futurâ gloriâ, ad æqualitatem: imò nec ad proportionem durationis, de qua ibi; ſed ad plures alias porportiones, de quibus infra. *Ad* 7. Non ex operibus, &c. .i. naturalibus, vel legalibus tantùm. *Ad* 8. Commendat perfectiorem intentionem, quàm merendi aliquid aliud à Deo, ſed ipſum Deum: imò ipſum adhærere Deo ex charitate, ſine intentione merendi; quia meritum non pendet ex intentione merendi, ſed ex charitate Dei. Nec negat Deum coronare merita

merita noſtra: ſed vt noſtra propria, ſeu ex ſola natura & libero Arb. Sic enim ait. *Dona ſua coronat Deus, non merita tua: ſi tibi à teipſo, non ab illo ſunt, &c. Si Dei dona ſunt, bona merita tua: non Deus coronat merita tua vt tua, ſed vt dona ſua, &c.* Vt & *Trid. ex Celeſtino Papa*, ſupra. *Ad* 9. vt in 2. *col.* 465. 466. 467. 468. Non negat eſſe coronam ſeu mercedem meritorum: ſed negat eſſe ex noſtra propriæ iuſtitia, ſeu iure iuſtitiæ; quia eſt ex iuſtitia Dei, quâ debet ſibiipſi ſeu ſuæ veracitati & fidelitati, quod promiſit, &c. Nec negat noſtra merita eſſe verè merita, contra *Trid. Seſſ. 6. Can.* 32. imò nec eſſe propriè merita: ſed cenſet magis propriè dici poſſe viam Regni, quàm cauſam regnandi; quia non ſunt cauſa realis, nec moralis principalis, ſed tantùm diſpoſitiua & inſtrumentalis, &c. vt fusè *in* 2. ſupra. *Ad* 10. Ex *Trid. Seſſ. 6. Can.* 33. Si quis dixerit per hanc doctrinam aliqua ex parte Gloriæ Dei, vel meritis Chriſti derogari: & non potiùs veritatem fidei, Deique ac Chriſti gloriam illuſtrari; Anathema ſit. Et ex Cenſura *Pij* 5. in hanc 56. *Prop. Baij.* Per eleemoſynas, &c. pro pœnis temporalibus, non dignum precium Deo pro peccatis noſtris offerimus: alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores. Imò ex Apoſtolo 1. *Cor.* 3. Dei adiutores ſumus. *Coloſ.* 1. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Nam ſicut cauſa prima operatur realiter per cauſas ſecundas: non ex defectu, ſed ex perfectione propriæ virtutis. Sic & Chriſtus non tantùm per ſeipſum meruit pro nobis: ſed ex ſumma perfectione merendi, meritus eſt nobis gratiam merendi, ſicque meretur etiam per noſipſos.

## *Contra merita Paſſionis & Mortis Chriſti pro omnibus & ſingulis.*

1. MAtt. 1. Vocabis nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Ergo non eſt Saluator omnium, & ſingulorum: ſed ſolius populi ſui. 2. *Matt.* 26. Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur. Ergo non pro omnibus & ſingulis. 3. *Ioan.* 11. IESVS moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Ergo non niſi pro his congregandis. 4. *Ioan.* 17. Non pro mundo rogo: ſed pro his quos dediſti mihi. *Infra.* Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis qui crediturí ſunt in me. Ergo non pro alijs. 5. *B. Aug. lib.* 1. *De adulterinis coniugijs, cap.* 15. Omnis qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, homo eſt: non tamen omnis qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt. 6. *Epiſt.* 102. *ad Euodium.* Non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt. 7. *De corrept. & gratia, cap.* 8. Pro *Petro* Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. 8. Idem ſemper exponit, *Omnes*, quos Deus per Chriſtum vult ſaluos fieri: pro omnibus & ſolis ſaluandis, vel pro aliquibus electis ex omni genere hominum, non autem pro ſingulis.

9. Chriſtus nihil fruſtra voluit: Ergo nec pati, nec mori pro ijs quibus ſciebat nihil profuturum. 10. Saltem non pro eis quibus nihil vnquam prodeſſe poterat, ſeu qui nunquam poterunt ei participare: quales ſunt morientes ante Baptiſmum, & vſum rationis.

*Reſp. Ad* 1. IESVS ibi denominatur & commendatur ab actu, modo, & fine ſuo principali: non autem negatur omnis alius modus ſaluandi. Vt patet ex illo 1. *Tim.* 4. Qui eſt Saluator omnium, maximè fidelium. *Ad* 2. Multi ſæpè ſumuntur pro omnibus, aut pleriſque, vel propè omnibus. Vt *Rom.* 5. Vnius delicto multi mortui ſunt .i. omnes: vt ibidem exprimit Apoſtolus; ſed *plures* ibidem, in quos gratia Chriſti abundauit .i. non plures illis omnibus, ſed multi ex illis. Vt patet ex contextu, & ex *B. Aug.* ſæpè. Poteſt & ſumi pro multis efficaciter, principaliter, & finaliter. *Ad* 3. vt *ad* 1. & 2. De actu, modo, & fine principali: non negando vllum alium alibi ſatis expreſſum. *Ad* 4. Non pro mundo rogo .i. non pro mundanis, ſeu ad aliquem finem concupiſcentiæ huius mundi. Vt indicat *B. Aug. Tract.* 107. Vel vt idem *Tract.* 109. *In hac oratione*: ſupponens aliàs oraſſe etiam pro alijs. Vt *Luc.* 19. Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, &c. *Luc.* 22. Amice, ad quid veniſti? Quæ ſignificant aliquod in Chriſto deſiderium conuerſionis eorum. Sed expreſſiùs *Luc.* 23. Pater, dimitte illis. Quamuis enim *Heb.* 6. Exauditus ſit pro ſua Reuerentia: non tamen pro omnibus, pro quibus tunc orabat; nec tunc orabat pro ſolis conuertendis, ſed pro omnibus ſuis inimicis, in exemplum non tantùm orandi pro amicis futuris. Vel, Non pro mundo rogo: ſed, &c. i. non abſolutè, æqualiter, finaliter; ſed vt in horto, *Matt.* 26. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; non tamen ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Vnde patet Chriſtum non ſemper oraſſe abſolutè: nec tamen contra, ſed ſecundùm ſuam propriam voluntatem Diuinam, quæ eſt vt oretur pro omnibus viatoribus, 1. *Tim.* 2. 4. Nam vt *B. Aug. Enchir.* 101. Poteſt quis bona voluntate velle, quod Deus non vult, &c. Tantùm intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, &c. Vndè conformitas voluntatis humanæ cum Diuina, non eſt ſemper in volendo idem & eodem modo, quo Deus vult in ſe: ſed, id quod, & eo modo quo vult nos velle. Vt docent omnes Theologi ad finem *lib.* 1. *Sent.* Nec obſtat quòd Chriſtus ſciret decretum abſolutum reprobationis, & non exauditionis pro reprobis: quia ſciebat hoc decretum non eſſe regulam humanam volendi & orandi; ſed aliam regulam & modum quo Deus vult orari. Nec obſtat illud *B. Aug. lib.* 21. *Ciu. c.* 24. Si Eccleſia noſcet, qui, licet adhuc in hac vita conſtituti, prædeſtinati ſint in æternum ignem cum Diabolo: tam nec pro eis oraret, quàm nec pro Diabolo; ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus, nec tamen pro omnibus exauditur.] Quia non oraret pro illis communiter, æqualiter, abſolutè, nec contra decretum abſolutum reprobationis: ſed ſaltem pro aliqua eorum emendatione, & præſeruatione à grauioribus culpis & pœnis; imò & pro mitiori iudicio citra con-



Digitized by Google

condignum. Quomodo potuit & Chriſtus orare & impetrare: ita vt poſſit etiam tribui meritis Chriſti, quòd damnati minùs punientur, quàm ex ordinaria iuſtitia Dei citra condignum, prout innuit *Scotus* ſupra. *Ad* 5. Non Angelus, ſed ſolus homo redemptus eſt Sanguine Chriſti: nec omnis homo; quia non ipſe Chriſtus vt homo, nec eius Mater, niſi præſeruatiuè. Sed redemptum eſſe Sanguine Chriſti, ſignificat ipſum effectum principalem ac finalem redemptionis: eſſe autem Redemptorem, & pro omnibus mortuum, ſignificat ſolum officium, & affectum patiendi pro omnibus & ſingulis, ad aliquem ſaltem effectum mitigationis, vt ſupra. *Ad* 6. Si, *inquit*, propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentiâ poſſunt iſta diſcernere: penè fruſtra in Eccleſia laboramus, &c. Nonnulli à corporibus incorporea diſcernentes, ab vnica via longè exerrant: & multi in Cruce Chriſti gloriantes, etiamſi iſta ignorant, quia non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ad æternitatem perueniunt.] Ergo ſupponit Chriſtum etiam mortuum eſſe pro illis qui quamuis diſcernant ſpiritualia, à via tamen aberrant: ſed exprimit eſſe principaliter mortuum pro eis qui licet ignorent ſpiritualia, à via tamen ſalutis non recedunt; quia inquit, *Non perit vnus ex illis pro quibus Chriſtus mortuus eſt*, ſimpliciter & abſolutè, pro ſuo principali ſignificato. Sed non ſequitur eum non eſſe mortuum pro alijs: quia affirmatio verificatur pro aliquo, & maximè pro principali ſignificato; ſed negatio affirmationis excludit omnem modum eam verificandi. Non ſic negatio ſolius ſubiecti, vt ſupra, *Non omnis homo eſt Chriſti Sanguine redemptus*, negat omnem redemptionem prædicati, ſed ſolam principalem. *Ad* 7. *Illa oratio non poterat eſſe inanis*: quâ Chriſtus, *Luc.* 22. orauit pro *Petro*, ne deficeret fides eius; quia, *quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimã, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem? Ad* 8. Exponit quidem voluntatem Diuinam ſaluandi omnes, pro ſolis omnibus ſaluandis, vel pro aliquibus ex omni genere ſeu ſtatu hominum: quia cùm voluntas Diuina ſit Omnipotens, non videtur poſſe non fieri quod vult. Sed quia voluntas humana Chriſti non eſt omnipotens: poteſt velle, & voluit, ſeu deſiderauit ſalutem eorum etiam qui non ſaluabuntur. Hinc *B. Aug.* exponens illam voluntatem Dei ſaluandi omnes, *Epiſt.* 107, *Enchir.* 103. *De corrept. & gratia. cap.* 14. ſupponit plures alios modos intelligendi. Quorum vnum ſic exprimit *cap.* 15. Poteſt etiam ſic intelligi: quòd omnes homines Deus vult ſaluos fieri; quoniam nos facit velle, &c.] Ergo eſt eius voluntas vt velimus, ſeu deſideremus, & oremus omnes & ſingulos viatores ſaluos fieri. Quòd ſi Deus id vult per nos: quantò potiùs per ſuam voluntatem humanam Chriſti? Imò videtur eſſe proprius ſenſus huius textus, de voluntate humana Chriſti. Sic enim habet. *Obſecro fieri orationes pro omnibus, &c. Hoc, enim bonum eſt coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, &c.* Quis eſt autem *Saluator noſter Deus*, niſi ipſe Chriſtus: & quæ eius voluntas vt omnes ſalui fiant, niſi humana? Subdit. *Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* IESVS .i. Idem qui eſt vnus Deus omnium & ſingulorum: eſt & vnus Mediator Dei & hominum, vtique omnium & ſingulorum; homo Chriſtus IESVS .i. vt talis. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* .i. quorum eſt Deus, & Mediator. Sed de hac volũtate Dei, *in* 1. *Sent.* & infra *q.* 13. De gratia Chriſti. *Ad* 9. & 10. Chriſtus nihil fruſtra voluit: quia hoc ipſo plurimùm meruit, & ſaltem ſaluandis profuit, volendo etiam pati ac mori pro ijs quos præſciebat nunquam futuros ſibi fideles, & amicos, & hoc ipſum nolituros: non ex defectu alicuius gratiæ per Chriſtum, de qua quæſt. ſequenti; nec ex ſola ignorantia aut impotentia credendi & volendi; ſed ex quadam etiam auerſione voluntatis, vel ſaltem ex eorum defectu originali & culpabili. Quales ſunt & pueri ante Baptiſmum, & vſum rationis: quia licet *B. Aug. Epiſt.* 107. & alibi ſuſtineat eos non baptizari, non quia ipſi nolint, ſed quia Deus non vult eos ſaluari: & *Pius* 5. ac *Greg.* 13. cenſurent *Prop.* 46. & 47. *Baij*, quibus tribuit quandam prauam voluntatem habitualem paruulis; certum eſt tamen eos nolle baptizari, ſi non contrariè, ſaltem priuatiuè; non autem tantùm negatiuè. Confirmatur totus hic ſenſus *B. Aug. ex S. Proſpero* eius Diſcipulo ac Interprete, *Lib.* 1. ad hanc ipſam 9. obiectionem Gallorum, *cap.* 9. quòd ex Doctrina *B. Aug.* Chriſtus non eſſet crucifixus pro totius mundi redemptione. *Reſp.* Cùm rectiſſimè dicatur, *Saluator* pro totius mũdi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit, &c.] Vbi per hanc dictionem reſtringit illam: ergo illa extendit ſe ad plures quàm hæc; illudque ait *rectiſſimè dici*, hoc autem tantùm *poſſe dici. Lib.* 2. Ad hanc primam Obiectionem inter Vincentianas, *cap.* 1. quòd Chriſtus non eſſet paſſus pro omnium hominum ſalute & redemptione. *Reſp.* Quòd ad magnitudinem & potentiam prætij, & quòd ad vnam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi: ſed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate ſint eruti: redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus Princeps mundi miſſus eſt foras, &c. Poculum quippe immortalitatis habet quidem in ſe vt omnibus proſit: ſed ſi non bibitur, non medetur.] Vbi *rectè* dicuntur omnes redempti, & tamen non illi omnes eruti: quibus actu erutis tribuitur proprietas redemptionis; ſed non negatur de alijs redemptio communis. Itaque ſunt quidem iure redempti: ſed non omnes ipſo facto à captiuitate liberati. Quod nunc Scholaſtici breuiter & optimè exponunt, per redemptionem omnium & ſingulorum quoad ſufficientiam, ſeu quoad expoſitionem & oblationem pretij: non autem quoad effica-

Digitized by Google

efficaciam, applicationem, vel etiam à Deo acceptationem. In quem ſenſum noſtri Authores ſupra, ſingulariter *Scotus d. 19. q. 1.* vbi negata oblatione & acceptatione meritorum Chriſti, pro alijs quàm pro electis: ſubdit bis, *Hoc quoad efficiam*; & infrà, *Dico efficaciter.* Ergo ſupponit aliam Chriſti oblationem quàm efficacem, ſeu alium modum offerendi quàm efficaciter.

## Contra merita Chriſti pro Angelis.

1. EX ſacra ſcript. *Hebr.* 1. Qui ſanctificat & ſanctificantur, ex vno omnes, &c.. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ. 2. *Petr.* 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c. Ergo nec incarnatus fuit pro Angelis: nec Angeli receperunt vllam gratiam ex meritis Chriſti. 2. Ex ſymbolis fidei. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, &c.* Ergo non propter Angelos. 3. Ex *B. Aug.* ſuprà, *Enchir.* 61. Vbi non tantùm negat Chriſtũ pro Angelis mortuum eſſe: ſed ſtudioſè referens fructus indirectos Angelorũ ex redẽptione hominum: non meminit vllius fructus proprij & directi Angelorum. Imò *Serm.* 8. & 9. De verbis Apoſtoli, ſæpè & expreſsè negat Chriſtum alio fine veniſſe quàm redimendi homines. 4. Ex ratione. Quia nec homo nec Angelus poterat creari in peccato, nec in miſerrima neceſſitate naturali peccandi: Ergo nonniſi cum aliqua gratia neceſſaria ad non peccandum, & ad merendum. Non ergo ex vllis meritis præuiſis Chriſti. Confirmatur ex *B. Aug. quæſt.* 82. ex 83. *Epiſt.* 28. *ad S. Hier. Lib.* 1. *De pecc. mer. & rem.* à c. 35. ad 39. *Lib.* 3. *Contra Iul.* c. 3. 4. 5. 6. *Lib.* 4. *cap.* 16. *Lib.* 1. & 2. *Operis imperfecti.* Vbi & alibi ſæpè ſupponit nullam creaturam rationalem potuiſſe creari in miſeria: quantò minùs in tanta, tamque miſera neceſſitate peccandi ſine gratia; indeque probat contra Pelagianos, homines non naſci tam miſeros in ſtatu naturali, ſed culpabili. Deinde Chriſtus non fuit meritus niſi vt paſſibilis & mortalis: ergo nonniſi pro peccatoribus. Denique ſi quid Angelis primo meruiſſet, geſſiſſet eorum curam vlteriorem.

*Reſp. Ad* 1. Hebr. 2. *Qui ſanctificat & ſanctificantur, ex vno omnes* .i. Ex vno Deo: imò potiùs ex vno eodemque genere humano; non tantùm nec tam vt corporeo, quàm vt rationali & ſpirituali, nobis & Angelis communi. Vel de ſanctificatione à peccatis, & per ſacramenta, ſoli homini propria. *Nuſquam Angelos apprehendit*: in vlla ſpecie aut ſingulari; ſed in genere communi creaturæ ſpiritualis. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*: Nec Chriſtus eis meruit vllam veniam aut pœnitentiæ gratiam; quia ſinguli propriâ, perfectiſſimâ, & pertinaciſſimâ libertate peccarunt, non ſic autem homines. *Ad* 2. *Qui propter nos homines, &c.* .i. Vel propter nos ſolos fuit incarnatus paſſibilis & mortalis, &c. Vel etiam propter nos tam viles & indignos homines. *Ad* 3. Vt ſuprà, totâ *quæſt.* 3. Nec *B. Aug. Enchir.* 61. agit de meritis Chriſti in genere: ſed de eius morte, & noſtra redemptione; quâ etiam Angelis reconciliamur, & ruinæ Angelicæ reparantur. Vnde tamen poteſt colligi Chriſtum non reparaſſe, ſeu inſtauraſſe omnia quæ in cœlis ſunt & quæ in terris, *Eph.* 1. niſi hæc reparatio ad ipſum pertinuiſſet, per aliqua merita primæ inſtitutionis. *Ad* 4. Cauendæ ſunt Cenſuræ *Pij* 5. & *Greg.* 13. in ſententias D. Baij, tribuentes gratiam quaſi debitam & connaturalem naturæ primò inſtitutæ. Vt in 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* 76. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine iuſtitia naturali.* Quæ cenſuræ non ſupponunt hominem potuiſſe, nequidem potentiâ abſolutâ, primò creari in peccato originali: nec potentia ſaltem ordinaria, ſine gratia actuali neceſſaria ad non peccandum; ſed *ſine iuſtitiâ naturali* .i. originali & habituali. Nec eſt mens *B. Aug.* non potuiſſe primò creari in vlla miſeria: ſed vt pœnali, nec ſalutari ad exercitium virtutis, nec tali, tanta, tamque generali ac nunc, nec ſine gratia actuali neceſſaria ad non peccandum, nec fortè de potentia abſoluta, ſed ordinaria. Nam *q.* 82. ex 83. *Si propterea gratia perpeti iuſtos fineret, quia contra ordinem à ſe diſpoſitum nollet venire: nec ipſe iuſtus eſſet. Non quia diſpoſitionem ſuam ſeruare vult: ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum, vt immeritis pœnis iuſti affligantur.* De pœnis ad puniendam culpam, non ad virtutem exercendam, vel ſine gratia neceſſaria benè vtendi, aut non abutendi ad peccatum. *Lib.* 1. *De pecc. mer. & rem. cap.* 37. *Tanta carnis infirmitas, neſcio quid, quantum arbitror, pœnale demonſtrat.* .i. probabiliter, non autem euidenter, aut neceſſariò. Quia *lib.* 3. *De libero Arb.* cenſet probabile, *ignorantiam & difficultatem potuiſſe eſſe primordia hominis naturalia: nec tamen peccata inde oriunda Deo imputari potuiſſe*; ſuppoſitâ tamẽ gratia actuali neceſſaria ad non peccandum ex tali ignorantiam & difficultate. Et vbique cenſet peccatum originale eſſe difficillimum ſecretum fidei Chriſtianæ: ergo nulla ratione, multo minùs experientiâ miſeriæ humanæ, euidenter, aut neceſſariò demõſtrabile. *Epiſt.* 28. *Cùm ad pœnas ventum eſt paruulorum: magnis coarctor anguſtijs, &c. Non enim dici fas eſt, aut iſta ignorante Deo fieri, aut eum non poſſe reſiſtere facientibus, aut iniuſtè iſta facere, vel permittere. Nunquid ſicut animalia dantur in vſus naturis excellentioribus: hoc & de homine rectè poſſumus dicere? Anima eſt rationalis in illis membris, Deus bonus eſt, iuſtus, omnipotens: tantorum ergo malorum quæ fiunt in paruulis, iuſta cauſa dicatur, &c. Fortaſſe corpora hoc faciunt: Sed numquid anima ſibi corpus elegit?* Subdit ex l. 3. de lib. arb. c. 23. *Quis nouit quis paruulis, de quorũ cruciatibus duritia maiorum contunditur, aut miſericordia probatur, aut exerceatur fides, in ſecreto iudiciorum ſuorum bona compenſationis reſeruet Deus? Hoc quidem dici poteſt de ijs qui vel pro Chriſto, vt ſaltem baptizati patiũtur: quomodo autem de ijs quibus inſuper & damnatio præparata eſt?* Lib. 3. Contra Iul. c. 3. *Quâ iuſtitiâ pœna iſta infligenda ſit paruulo, quem originali obnoxium negatis eſſe peccato?* Cap. 4. *Quo merito tanta innocentia cæca, & ſurda naſcatur? Quis ferat imaginem*



Digitized by Google

*Dei fatuam naſci.* Cap.6. *Deus humanæ naturæ vitia non infligit immeritæ.* Nec dici poteſt quòd Ioan.9. *Vt manifeſtentur opera Dei. Multi enim cum iiſdē vitiis moriuntur.* Lib. 4. cap. 16. *Huius euidentia miſeriæ, gentium Philoſophos compulit dicere, ob aliqua ſcelera in vita ſuperiore, nos eſſe natos.* Lib. 1. Operis imperfecti. *Dic quâ iuſtitia retributum ſit paruulis graue iugum, &c. Hæc ne tot munera, tam neceſſaria tot imaginibus ſuis, negaret Deus, &c. cùm hoc beneficium non à ſe probibeat voluntas contraria paruulorum?* Quanto minùs potuiſſet quis creari ſine gratia neceſſaria ad non peccandum: aut ei imputari peccatum? Vt patet ex 2. *Sent. Col.* 350. Nec ideo hæc gratia fuiſſet naturalis, aut naturæ noſtræ debita: ſed gratuita, & debita ſoli Sapiētiæ & Bonitati Dei, quæ nihil poteſt inordinatè agere. Nec *B. Aug.* id tribuit iuſtitiæ & æquitati Dei erga nos: ſed erga ſeipſum, ſeu quâ debet agere vt decet ſuam ſapientiam & bonitatem. Quæ ſapientiſſimè & optimè potuit prouidere, vt omnes gratiæ etiam neceſſariæ naturæ rationali primò inſtitutæ, darētur ex meritis præuiſis huius naturæ rationalis vniendæ hypoſtaticè. Nec obſtat quòd Chriſtus meruerit vt Viator paſſibilis, & mortalis, pro ſolis peccatoribus. Quia vt ſic non tam meruit, quàm ſatisfecit pro culpis & pœnis debitis. Meruit autem potius gratiam & gloriam, vt impaſſibilis & immortalis, ſeu per actus vt ſpirituales. De quibus infra. Nec ſi Angelis gratiam meruiſſet, pro eis quoque ſatisfeciſſet. Tum quia erant indigniores hâc miſericordiâ, quàm nos. Tum quia non erant rei pœnarum corporalium, ſed ſpiritualium, magis indecentium Chriſtum, quàm noſtræ pœnæ temporales, &c.

## *Contra infinita Merita Chriſti, præ omnibus peccatis poſſibilibus.*

1. SI eſſent infinita, ab infinita Perſona operante: ſingula eſſent infinita, & æqualia; nec plus meruiſſet per ſuam Paſſionem & mortem, quàm per minimam actionem. Cùm tamen ſacra Script. Conc. & Patres tribuant noſtram redemptionem eius Paſſioni & morti. 2. Si ſingula eſſent infinita, ab infinita Perſona operante: omnia bona opera per Dei gratiam, eſſent infiniti meriti; quia fiunt à Deo per nos operante. 3. Opera externa Sanctæ Trin. ſunt indiuiſa, ſeu à Tribus Perſonis Diuinis æqualiter: ergo & opera humana Chriſti ſunt æquè ab vna Perſona, ac ab alia. 4. Effectus ſequitur debiliorem partem cauſæ: ergo opera humana Chriſti, quamuis à Perſona infinita, ſunt tamen finita; quia per naturam, potentiam, & gratiam finitam. 5. Nec gratia, nec vnio hypoſtatica eſt infinita, quamuis vniat Deo infinito: ergo nec opera humana Chriſti. 6. Si ſingula merita Chriſti eſſent infinita, non poſſent condignè præmiari: cùm tamen Deus præmiet omnia vltra condignum. 7. Peccata vt ſunt offenſiua Dei, & meritoria pœnæ æternæ videntur æquè infinita, ac merita Chriſti. 8. Eſt directè contra *Scotum*, imò & contra *Alenſem p.* 3. *q.* 1. *m.* 5. *a.* 2. *ad* 2. Quòd purus homo poſſit condignè ſatisfacere pro Mortali: ergo non eſt neceſſaria ſatisfactio infinita.

*Reſp. Ad* 1. Ex *Alenſi p.* 3. *q.* 16. *m.* 3. Chriſtus meruit charitate omne præmium excedente. *Art.* 2. Tantum meruit ab initio, quantum ſuâ paſſione: quoad vim merendi, non quoad effectum. *Art.* 3. Non plus meruit, ſed pluribus modis. *Ad* 1. Meritum Chriſti non accreuit virtute, ſed numero. Hinc ſingula merita poſſunt eſſe infinita & æqualia, intenſiuè ac ſufficienter: non tamē numeraliter & efficaciter.] Quo ſenſu plus meruit efficaciter quoad acceptationem per ſuam paſſionem & mortem, quàm per alias actiones: ſed non plus quoad valorem. Meruit autem infinitè qualibet actione, vt propriâ & Perſonali agentis infiniti: ſed ſingulariter, ſuâ paſſione & morte, offerendo proprium Corpus & Sanguinem, Animam & Vitam Perſonæ Diuinæ, vt obiecti infiniti. Sic enim hæc omnia, vt oblata Deo in Sacrificium, ſunt pretioſiora duplici titulo, offerentis, & oblati infiniti: qualibet alia actione, ſolo titulo agentis infiniti. Nec offerebat hæc vt finita, & ſeorſim, ſed coniunctim cum Perſona infinita. i. Offerebat Deo ſeipſum vt corporeum & animatum, ad mortem, per effuſionem Sanguinis & Animæ in Sacrificū infinitè latreuticum, eucharisticum, meritorium, propitiatorium, & impetratorium: non ſic autem propriè ſingulas actiones ac paſſiones vitales; ſed has vt proprias ac perſonales ſuâ voluntate & ſanctitate Diuinâ ac infinitâ, quamuis per humanam & finitam, eliciendo vel acceptando, & referendo ad ſeipſum, infinitè ſanctificabat, & meritoriè ac ſatisfactoriè dignificabat. Vt *Ioan.* 17. Pro eis ego ſanctificabo meipſum. i. ſacrifico, & ſacris actibus conſecro. Non quòd Chriſti actiones & paſſiones eſſent ſacratiores ac digniores ipsâ ſacrâ humanitate, vel eius partibus hypoſtaticè vnitis: ſed erant condignæ tali ſtatu hypoſtatico. Vt ergo natura humana Chriſti, & partes hypoſtaticè vnitæ, ſunt in ſtatu ſeu dignitate perſonali infinitæ: ſic & omnes eius actus, à tali ſtatu ſeu dignitate perſonali, ſunt ei condignæ & moraliter infinitæ.

*Ad* 2. Omnia opera ſunt à Deo vt à Cauſa prima: bona opera ſupernaturalia ſunt à Deo ſpecialiter per gratiam; ſed ſola opera humana Chriſti ſunt à Deo ſingulariter & perſonaliter, vt eius propria ac perſonalia, & condigna moraliter tali ac tantā Perſona, quæ ſibi moraliter condignificat omnia ſua opera. Quò enim Perſona dignior, eò & minimi eius actus ſunt digniores: ſi non indignè, ſed condignè operetur. Hinc fortè noſter *Alenſ. & S. Bon.* ſumunt perſonalitatem à digniori proprietate naturæ: vt moraliter appropriate, & dignificante omnes actus perſonales.

*Ad* 3. Opera Sanctæ Trin. ad extra ſunt æquè ab vna Perſona, ac ab alia, realiter: non æquè perſonaliter, & moraliter.

*Ad* 4. Effectus declinat à perfectione reali cauſæ principalis, ad imperfectionem realem concauſæ diuiſæ: non autem à perfectione morali ad imperfectionem moralem, inſtrumenti perſonaliter & inſtrumentaliter vniti. Qualis eſt natura, potentia, & gratia finita Chriſti.

*Ad*

*Ad* 5. Gratia non tam dignificat actum aut Agens, vniendo Deo accidentaliter, & obiectiuè: quàm vnio hypoſtatica dignificat naturam, vniendo eam ſubſtantialiter & hypoſtaticè. Sed Perſona ſibi moraliter condignificat naturam, eam terminando, ſibi appropriando, & excipiendo ad ſuum proprium ſtatum & dignitatem perſonalem, ac moralem. Sibi autem condignificat omnes proprios actus perſonales: eos operando condignè tali ac tanto ſtatu perſonali.

*Ad* 6. Deus præmiat omnia merita noſtra vltra condignũ: ſed merita Chriſti non poſſunt in nobis condignè præmiari, ſed in ſolo Chriſto; cõdignitate ſui ſtatus perſonalis ad ſua opera, & operum poſteriorum ad priora. De qua cõdignitate, *Apoc.* 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere* .i. habere, *virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam; & benedictionem* .i. ſtatum diuinum & perſonalem, & omnia ei ac inter ſe condigna.

*Ad* 7. Peccata noſtra non poſſunt eſſe formaliter infinitæ malitiæ: quia hæc non oritur ab ipſo Deo vt obiecto infinito; ſed à ſua propria cauſa, ſeu ab ipſa voluntate, quæ non poteſt peccare ex infinita libertate & malitia. Tum quia fortè non poteſt dari vllum peccatum directè contrarium Deo. Tum quia non poteſt dari vllum adæquatè ei contrarium. Tum quia Deus non influit, ne quidem obiectiuè, in malitiam vllius peccati. Tũ quia offenſa non æſtimatur ex dignitate perſonæ offenſæ, & indignitate offendentis, niſi pro captu & libitu offendentis. Tum denique quia quantò offenſa perſonæ dignioris eſt grauior: tantò ipſa minùs offenditur, ſuamque offenſam minus imputat, quò eſt melior. Vt Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis, cũ tranquilitate* .i. moderatione *iudicas, & cum magna reuerentia* .i. ſuauitate *diſponis nos.* Nec pœna eſt æterna, ob culpam infinitam: cùm culpæ ſint tam inæquales, & tamen omnes finales puniantur pœna æterna; ſed quia & ſtatus peccati finalis eſt æternus, & affectus ac conſenſus peccantis eſt in illum ſtatum æternum, & effectus peccandi actu eſt in damnatis æternus. Ex *B. Aug.* Lib. 21. Ciu. cap. 11. *Iniuſtum putant, vt pro peccatis quamlibet magnis quiſq̃, pœnâ damnetur æternâ: quaſi vllius id vnquam iuſtitia legis attendat, vt tantâ morâ temporis quis puniatur, quanta vnde puniretur admiſit.* Exemplificat per octo genera pœnarum. *Quomodo ergo,* Luc. 6. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis? Non propter æquale temporis ſpatium: ſed propter viciſſitudinem mali, &c.* Cap. 12. *Sed pœna æterna ideo iniuſta videtur ſenſibus humanis: quia deeſt ille ſenſus altiſſimæ puriſſimæque ſapientiæ, quo ſentiri poſſit quantum nefas in illa prima præuaricatione commiſſum ſit.* Lib. 6. quæſt. contra Paganos. q. 4. in Matt. 7. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis .i. in qua voluntate, &c. Vt quia æternam voluit peccati perfruitionem,* ſaltem implicitè & virtualiter, *æternam vindictæ inueniat ſeueritatem.*

*Ad* 8. Ex *Alenſi p.* 2. *q.* 6. Actio Dei eſt Deus ipſe. *p.* 3. *q.* 1. Non poteſt Deo iuſtè ſatisfieri pro peccatis noſtris, niſi per Deum hominem. *q.* 17. *m.* 3. *a.* 2. Paſſio Chriſti fuit neceſſaria ad ſatisfactionem iuſto pretio. *Ad* 3. Vnica gutta ſanguinis Chriſti fuit ſufficiens ex dignitate Perſonæ. *M.* 5. *a.* 2. Paſſio & Mors Chriſti fuit ſufficiens ad omnem ſatisfactionem, ex dignitate Perſonæ. *Ad* 1. Vita Chriſti, vt Dei, non vt ſolius hominis, erat ſufficiens ad ſatisfactionem pro infinitis peccatis. *Ad* 3. Peccatum crucifixionis Chriſti non fuit infinitum, &c.

Ex *S. Bon. diſt.* 19. *Art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. Non fuit tanta malitia crucifigentium, quanta charitas Crucifixi. *Diſt.* 20. *q.* 3. Pura creatura non potuit ſatisfacere pro iniuria Dei, nec pro damno generis humani. *q.* 4. Nec plenè, nec ſemiplenè pro ſuo proprio peccato originali: ſed ſemiplenè pro peccato proprio actuali, quoad damnum proprium, remiſſâ culpâ, ſeu offenſâ Dei per Chriſtum. *Ad* 2. Satisfacere eſt reddere Deo honorem debitum ex culpa, non ex natura. Quod quia eſt factum impoſſibile per culpam: fit poſſibile per gratiam. *q.* 6. *ad* 4. Potuiſſet ſufficere minima pœna tantæ Perſonæ, ad ſatisfactionem condignam, &c.] Quæ ſupponunt infinitum valorem ſingulorum meritorum & ſatisfactionum Chriſti, præ omnibus peccatis vt finitis. Nec vt vult *Vaſquez in* 3. *p. Tom.* 1. *diſp.* 2. *c.* 1. noſter *Al. p.* 3. *q.* 1. *m.* 5. cenſet purum hominem poſſe condignè ſatisfacere pro peccato mortali: ſed *Art.* 1. inquit, *Non per ſe, ſine dono gratiæ.* Quam non poteſt ſibi vllo modo naturaliter mereri. Cùm ergo noſter *Al. & S. Bon.* ſic ſentiant: debet eis *Scotus* cedere, & conſentire. Sed & conſentit, *in* 3. *Diſt.* 13. *Ad* 1. *Quæſt.* In commendando Chriſtum, malo excedere, quàm deficere. *Diſt.* 20. *n.* 10. *Ad* 3. Minima læſio in Paſſione Chriſti ſufficiebat acceptationi Diuinæ. *Ad* 4. Chriſtus voluit mori actu meliori quàm peccata potuerint eſſe mala.] Quæ etiam ſupponunt infinitum valorem meritorũ & ſatisfactionum Chriſti. Nec obſtat *d.* 19. *n.* 7. *Ad* 2. Meritum Chriſti quoad ſufficientiam fuit finitum, &c. Nec potuit ex ſe acceptari in infinitum. *n.* 12. *Ad* 1. Præmium gloriæ noſtræ eſt melius meritis Chriſti per portionem inferiorem. *Ad* 2. Vt peccata non ſunt formaliter infinita intenſiuè, &c. ſic nec merita Chriſti. *Ad* 4. Deus potuit paſſionem Chriſti compenſare bono finito. *Diſt.* 20. Quiuis innocens potuiſſet ſatisfacere Deo, ſi ei placuiſſet, &c.] Quia vel negat ſolam infinitatem realem actuum humanorum Chriſti: vel negat infinitum valorem meritorum & ſatisfactionum Chriſti, ex ſe & ſuis principijs finitis, aut ſeorſim à Perſona merente & ſatisfaciente; non autem coniunctim cum illa, vt cum infinito Agente & obiecto oblato: vel negat infinitum valorem actualem, ſeu applicationem infinitam; vel negat ſufficientiam infinitam obligandi Deum ad acceptationem. Cùm enim ſtatuat completam rationem meriti & ſatisfactionis in acceptatione Diuina, ſeu in decreto & fideli promiſſione acceptandi: ſine hac completa ratione formali meriti & ſatisfactionis non eſt ipſi vllum meritum aut ſatisfactio formalis, ſed tantùm materialis. Cùm tamen merita & ſatisfactiones Chriſti ſint Thean-



Digitized by Google

dricæ, ſeu Deiuiriles, nec ſolius voluntatis eius humanæ, ſed & Diuinæ: hoc ipſo ſunt condignæ acceptatione eiuſdem voluntatis Diuinæ? imò hoc ipſo debent acceptari, & acceptantur eàdem voluntate Diuinâ, quâ ſic fiunt & offeruntur. Sed formalis & completa ratio meriti ac ſatisfactionis, non eſſet in fieri & offerri à Perſona & voluntate Diuina per humanam: ſed in acceptari à ſola Diuina. Non ergo negat *Scotus* merita & ſatisfactiones Chriſti eſſe materialiter infiniti valoris, præ omni culpa, pœna, gratia, & gloria poſſibili, & acceptabiles in infinitũ, ſeu condignas ipſâ acceptatione Diuinâ ad omnia poſſibilia: ſed tantùm negat eſſe tales formaliter, ſeu acceptari ad infinitum, vel infinita bona creata; quia talia & tanta non ſunt poſſibilia. Hinc ad pleraque *Scoti*: exceptis ijs quibus negat valorem intrinſecum, & condignitatem meritorum Chriſti, ex dignitate Perſonæ; & comparat illorum infinitatem cum infinitate tantùm obiectiua peccatorum. Sed vel agit de Perſona vt tantùm terminante & ſuſtentante naturam in eſſe, non autem vt per eam operante: Vel negat hunc valorem eſſe intrinſecum realiter, non moraliter: vel comparat merita Chriſti cum noſtris meritis aut demeritis ad ſolam ſimilitudinem, non ad æqualitatem; vel refert ſeipſum ad ſuam expreſſam intentionem excedendi potiùs quàm deficiendi in commendanda gratia & meritis Chriſti. Hinc noſter *Vega* in ſuo præclaro opere de iuſtificatione, ſuper *ſeſſ.* 6. Sacri Concilij *Trid.* ita ſe profitetur diſcipulum *Scoti*; vt collimet potiùs ad illam eius intentionem, quàm ſeipat per eius ſenſum literalem.

Vt *lib.* 7. *cap.* 8. Dubitent qui volent: mihi indubitatum eſt, eritque ſemper, ſatisfeciſſe Chriſtum pro nobis ad condignum, & meruiſſe iuſtificationem noſtram ex condigno, & ex rigore iuſtitiæ, &c. 1. Nam vita ipſius erat Dei & hominis infinitè grati Deo, &c, Vnde *Heb.* 5. Exauditus eſt pro ſua reuerentia. 2. Nulla poteſt eſſe ſatisfactio magis condigna, & æquiualens alicui debito, quàm paſſio Chriſti fuit æquiualens omnibus debitis noſtris. Quippè magis placuit Deo eius oblatio, quàm diſplicuerant peccata noſtra. 3. Ex *Pſal.* 129. Copioſa apud eum redemptio. 4. Fruſtra ipſemet pro nobis fuiſſet paſſus: niſi ad condignam ſatisfactionem. 5. Iuſti merentur de condigno: quantò plus Chriſtus? 6. *Rom.* 5. Chriſtus plus meruit quàm *Adam* demeruit, &c.

*Cap.* 9. *Ad* 1. *Arg.* Non tam condignè egit Chriſtus gratias pro ſe, quàm ſatisfecit pro nobis: quia noſtra debita non erant tanta, quanta eius dona propria. Nec opus erat vt ſatisfaceret ex bonis proprijs, quæ non eſſent ipſius Dei: cùm ipſemet ſit Deus; ſed per voluntariam eorundem oblationem pro nobis, &c. Quæ oblatio fuit infinitæ ſufficientiæ: non ſolùm ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſed etiam ad gratias pro ſe & pro nobis. Quod namque obtulit Deo, fuit infiniti valoris. Obtulit quippe ſeipſum, &c. Et ipſa eius vita humana vt Dei & hominis, erat infiniti pretij & valoris. *Ad* 2. Non requiritur ad condignam ſatisfactionem obligatio eam acceptandi: ſed vt ſit æqualis debito, nec poſſit iure plus exigi.] Supple ex noſtris ſuprà, quòd eadem voluntas Diuina Chriſti debeat acceptare, prout ipſamet offert. *Ad* 3. Chriſtus non tam ſatisfecit ex gratuitis ſuæ humanitatis, quàm ex proprijs & debitis ſuæ Perſonæ. *Ad* 4. Humanitas Chriſti vnita, nullo modo poteſt peccare: ſed Chriſtus poſſet ſatisfacere pro peccatis ſuæ naturæ humanæ ante vnionem, vel poſt.

*A Cap.* 10. *ad* 25. De cauſalitate inſtrumentali reali, exemplari, & finali, ſed non formali, Chriſti vt hominis, ſeu per ſuam naturam humanam, ad noſtram iuſtificationem, & ad ipſius gratiæ creationem. Quamuis contra litteram *Scoti*: non tamen contra illam expreſſam eius intentionem. Sed *à cap.* 25. *ad* 28. pro ſententia *Scoti*, De reali identitate inter gratiam formaliter iuſtificantem, & charitatem. Confirmatur autem valor infinitus meritorum & ſatisfactionem Chriſti, ex ſacris Script. Conc. & Patribus, tribuentibus tantum valorem, Perſonæ Diuinæ Redemptoris, & Mediatoris vtruſque naturæ, & per vtramque naturam ſimul. Vt patet ex 2. *Cor.* 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Et ex *B. Aug.* ſupra *col.* 254. De Mediatione Chriſti.

## *Contra merita Chriſti per quoſuis eius actus, à primo inſtanti vitæ, ad vltimum, incluſiuè.*

1. QVia Beatitudo eſt finis & merces omnium meritorum: ergo actus beatifici non fuerunt in Chriſto meritorij; vel tam ipſe, quàm omnes Beati mererentur in æternum. 2. Actus Beatifici non ſunt liberi libertate viatorum: ergo nec meritorij; alioquin & damnati demererentur in æternum. 3. Opera non ſunt meritoria & ſatisfactoria, niſi ſint libera, & alias indebita: atqui Chriſtus vt homo debuit obſeruare mandata Dei, etiam patiendi & moriendi, *Ioan.* 1. 14. 15. *Phil.* 2. Nec potuit non obedire, cùm eſſet impeccabilis; ergo per illa non meruit, nec ſatisfecit pro nobis. 4. Priùs eſt eſſe, quàm operari: ergo Chriſtus non potuit mereri ipſo primo inſtanti ſuæ Incarnationis, vt *Al.* ſupra. 5. Chriſtus redemit nos ſuâ morte: ergo non tantùm meruit vſque ad vltimum inſtans vitæ ſuæ, incluſiuè. 6. Ex Clementia 1. de Summa Trin. cap. 1. *Verbum Dei pro omnium operanda ſalute, non ſolùm affigi Cruci, & in ea mori voluit: ſed etiam emiſſo iam ſpiritu perforari lanceâ ſuſtinuit latus ſuum; vt exinde profluentibus vndis aquæ & ſanguinis, formaretur Eccleſia, &c.* Ergo meruit, & ſatisfecit etiam poſt mortem. 7. Eccleſia in Litanijs orat & obſecrat, per Mortem, per Reſurrectionem, per Aſcenſionem Chriſti: ergo Chriſtus per hæc omnia meruit & ſatisfecit pro nobis. 8. Animæ Purgatorij ſatisfaciunt poſt mortem: quantò potiùs Anima Chriſti per ſuum deſcenſum ad inferos? 9. Oramus Chriſtum & Beatos, vt orent pro nobis: ergo adhuc merentur pro nobis. 10. *Ioan.* 14. Vado parare vobis locum, &c. *Heb.* 5. Tu es Sacerdos in æternum, *Hebr.* 7. Chriſtus eſt ſemper viuens ad interpellan-

Digitized by Google

pellandum pro nobis. Ergo non tantùm applicat ſua merita priora: ſed & impetrat, ac meretur.

*Reſp. Ad* 1. Cùm charitas Dei ſit radix merendi, à qua omnes alij actus ſunt meritorij: cur perfectiſſimus eius actus, ſeu amor & fruitio Dei beatifica non fuiſſet in Chriſto meritoria? Cur ſi Chriſtus incarnatus fuiſſet impaſſibilis & immortalis, non potuiſſet mereri? Nam eſſe viatorē non eſt de eſſentia meriti, cùm non pertineat ad dignitatem aut valorem operis: ſed eſt ſola conditio à Deo ordinata ad acceptandum noſtra merita; quia non ſunt condigna ipſa acceptatione Dei. Ergo merita Chriſti, quæ ſunt condigna ipſa acceptatione diuina: non ſubſunt huic conditioni. Nā ſi homo non peccaſſet, nec Chriſtus vllatenus fuiſſet viator, equidem meruiſſet, & de facto meruit Angelis & primis parentibus omnem gratiam ante primum peccatum: non vt viator, nec per actus vt viatoris, ſed potiùs vt Beatus, & per actus vt Beati, qualis fuiſſet incarnatus ſi homo non peccaſſet. Sed poſt peccatum incarnatus fuit paſſibilis, mortalis, & viator quoad affectionem commodi: non tam ad merendum gratiam & gloriam, quàm ad ſatisfaciendum pro peccatis, & remerendum æqualem, vel etiam maiorem gratiam & gloriam. Nec ideo meruiſſet, aut mereiur in æternum: quia vt datur ſtatus præmij, ſic & merendi, vel ſaltem offerendi & acceptandi merita ad mercedem. Vel, ne quid videatur condignum præmio & acceptatione, non præmiari nec acceptari, ſicq; liberalitas Dei meritis ſuperari: vt peccata æterna etiā actualia puniuntur pœna æterna; ſic & charitas beata & æterna Chriſti poteſt dici præmiari gloria & acceptatione æterna. *Apoc.* 5. Dignus eſt Agnus, &c. ſupra. Cùm enim per gratiam primam mereamur etiam eiuſdem conſeruationem: cur non Chriſtus per actum etiam beatum vt priorem, poſſit dici condignus æternitate omnium bonorum ſuorum & noſtrorum? Non enim eſt contra rationem beatitudinis finalis, nequidem ſecundùm eundem gradum, eſſe ſimul gratiam & mercedem, ſeu haberi duplici titulo: quantò minus vt priorem eſſe gratuitam, & meritoriam ſuæ æternitatis? Nec obſtat *Al. p.* 3. *q.* 16. *m.* 1. *ad* 4. *m.* 2. *art.* 2. Quia poteſt intelligi de merito & ſatisfactione Chriſti vt viatoris, pro peccatoribus. Vel dè neceſſaria relatione actus ad nos, vt ſit pro nobis meritorius & ſatisfactorius.

*Ad* 2. Fruitio beata, eſt libera libertate eſſentiali voluntatis, ſufficiente ad merendum ſi à Deo acceptetur: non poteſt autem non acceptari, ſi ſit condigna acceptatione, & offeratur ad acceptandum, eadem voluntate quā acceptatur. Hæc tamen libertas ſola, ſine vlla poteſtate eligendi, ſeu agendi vel non, hoc vel illud: non videtur ſufficere ad merendum, vel demerendum mercedem aut pœnam extrinſecam & æternam; quia hæ pendent à libero decreto Dei, qui non promiſit hanc mercedem, nec minatus eſt hanc pœnam niſi propter opera noſtræ liberæ electionis. Non quòd peccata non ſint ex ſe magis demeritoria, quàm bona opera ſunt meritoria: ſed quod Deus non tam grauiter imputet peccata quæ non ſunt liberæ electionis. Niſi hæc libertas ſeipſam peccando violauerit, vel ſeipſam ad peccandum in æternum determinauerit, vt in damnatis. Qua de re *in* 2. *quæſt.* 7. & 8.

*Ad* 3. Libertas à præcepto & obedientia, nec eſt neceſſaria, nec vtilior ad merendum & ſatisfaciendum: ſed obedientia auget potius meritum & ſatisfactionem. Quia ſatisfaciendo præcepto per obedientiam, opus fit inde melius & dignius mercede. Nec ſatisfactio eſt neceſſariò per opera vt indebita alijs titulis; ſed eodem titulo ſatisfactionis. Cùm ergo Chriſtus vt homo nihil deberet titulo ſatisfactionis: tantò perfectiùs meruit & ſatisfecit, quantò obedientiùs. Nec obſtat quòd vt impeccabilis nō potuerit non obedire: quia ad perfectionem obediendi, & merendi, ac ſatisfaciendi, non requiritur poſſe non obedire aut non peccare, ſed è contra, &c. vt ſuprà.

*Ad* 4. Priùs naturâ vel origine eſt eſſe, quàm operari: ſed agentia perfecta poſſunt primo inſtanti ſui eſſe, operari inſtantaneè. Quæ perfectio tribuenda eſt Chriſto. Nec obſtat quòd *Al. q.* 16. *m.* 2. *art.* 1. id negare videatur: vt & *p.* 2. *m.* 1. *a.* 7. negat vllum actum eſſe poſſe à creatura ipſo ſuo primo inſtanti; & *S. Bon. in* 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. negat peccari poſſe primo inſtanti. Quia *Al.* poteſt intelligi de primo inſtanti naturæ, vel æui, non temporis: ſeu de neceſſaria præſuppoſitione ipſius eſſe & æui proprij, ad actum & eius inſtans proprium. *P.* 2. Negat vllum actum poſſe eſſe à creatura primo inſtanti: non autem à Chriſto per ſuam naturam humanam. *S. Bon.* negat peccari poſſe primo inſtanti ex perfecta deliberatione: concedens Angelum potuiſſe agere primo inſtanti, non autem perficere eodem inſtanti. Sed *p.* 3. *d.* 18. *a.* 1. *q.* 1. abſoluè docet Chriſtum à primo inſtanti incluſiuè potuiſſe mereri: & poſſe benè fieri primo inſtanti ex plenitudine gratiæ, nō ſic autem peccari contra inclinationem naturalem. *Scotus in* 3. *d.* 18. *n.* 11. *& in* 2. *d.* 23. Si voluntas poſſet velle primo inſtanti: non video quin & tūc poſſit peccare .i. Si haberet ſimul primo inſtanti omnia neceſſaria obiectiuè præſentia ad deliberandum, &c. vt quæſt. noſtrâ 5. *col.* 247. 250. in Lib. 2. Sent.

*Ad* 5. Chriſtus redemit nos ſuâ morte .i. in fieri, non in facto eſſe, ſiue quis moriatur ſeu priuetur vitâ per primum non eſſe, ſiue per vltimum eſſe hominis viuentis. Vel redemit nos ſua morte, vt obiecto à ſeipſo viuente volito, & acceptato; non autem vt formali merito. Quo ſenſu *Phil.* 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem, &c.

*Ad 6. Pro omnium operanda ſalute:* refertur tantùm ad *crucifigi & mori: perforari autem lanceâ poſt mortem,* refertur ad finem *formandi Eccleſiam ex latere Chriſti,* per ſacramenta ſignificata. Vel Chriſtus meruit per vulnus lanceæ, vt per obiectum à ſe adhuc viuente præuiſum, volitum, & acceptatum.

*Ad* 7. *&* 8. Obſecramus per Mortē, Sepult. Reſur. Aſcenſionem, &c. vel vt per obiecta volūtatis meritoriæ Chriſti adhuc viuentis: vel vt per exēplaria noſtra; vel vt per motiua finalia, ſeu propter & ad hos fines gloriæ Dei & Chriſti; non tamē vt per opera adhuc ſatisfactoria, nō meritoria.

Vt

Digitized by Google

pluribus modis dici poteſt, *Satis.* 1. Iniuriæ & honori. 2. Pœnæ & punitioni. 3. Legi & Iudici. 4. Perſonæ offenſæ: quæ quantumuis remittat ex debito rehonorationis & punitionis; ſatisfit tamen eius voluntati.

Impetratio propriè dicta eſt tantùm precaria & gratuita, nullâ ordinariâ lege aut promiſſione Dei determinata, ſed dependens à ſola eius gratioſa liberalitate & miſericordia. Quamuis enim oratio, quæ propriè eſt impetratoria, habeat multas promiſſiones annexas: non tamen communes omnibus orantibus, ſed proprias fidelibus & amicis Dei; nec determinatas ad certa beneficia, certas vices aut terminum orandi, ſed ſemper ſuſpenſas à ſecreta voluntate Dei. Nam *Ioan.* 9. Deus peccatores .i. impœnitentes, non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, hunc exaudit. *Ioan.* 14. Si manſeritis in me, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. 16. Amen dico vobis: ſi quid petieritis, &c. Sed vt *Luc.* 11. Petite, quærite, pulſate. Si quis perſeuerauerit, &c.

Meritum de congruo non eſt ex iudicio, vel congruitate naturali: ſed ex ſubordinatione ſupernaturali inter diſpoſitiones inferiores, & formam ſuperiorem eiuſdem ordinis ſupernaturalis ad quam diſponunt. Vt enim omnia naturalia, ſic & ſupernaturalia ſunt inter ſe ſubordinata: illa connaturaliter, hæc conſupernaturaliter. Hæc eſt ergo prima congruitas, ſeu proportio meriti de congruo: vt ſit diſpoſitio ſupernaturalis propinqua vel remota, actualis & libera ipſius ſubiecti, ad perfectiorem formam ſupernaturalem. 2. Vt non ſit ex primo ac proprio motu naturali, ſed ex aliquo timore Dei, & vocatione gratiæ, quantumuis mercenaria & ſeruili: non ſolùm ad ſupernaturalitatẽ operis, vt ſupra; ſed etiam ad congruitatem mercedis, pro opere vocationis, & quaſi conductionis, ac ſeruitutis Dei. 3. Vt ſit ex fide & ſpe habituali vel ſaltem actuali: ad inchoatam dignitatem, vel minorem indignitatem perſonæ operantis. 4. Vt ſit ex aliqua inchoata dilectione Dei, & gratificatione operantis. 5. Vt opera eò ſint digniora, aut minùs indigna: quò plus ſunt à Deo & Dei, per gratiam actualem; quàm à nobis & noſtra, per motum inſtrumentalem. 6. Vt ſint moraliter ex meritis Chriſti, ſeu per gratiam actualem, vt nobis à Chriſto promeritam. 7. Vt qui cœpit, perficiat, 2. *Cor.* 8. *Phil.* 1. Qui dat velle, det & perficere, *Phil.* 2. Quæ congruitas eſt ex ordine ipſius Sapientiæ Dei, in ſuis operibus non fruſtra inchoandis, ſed ad ea perficienda. 7. Vt congruant ſaltem ad amouendam aliquem obicem gratiæ conferendæ. 8. Vt hæc tota congruitas & ſubordinatio ſit à Deo ſupernaturaliter inſtituta, & determinata: ſiue lege ordinaria, & promiſſione publica, ſiue ſecreta, ſed determinata. In quo differt ab impetratione precaria, vt indeterminata, & ſuſpenſa ab inæquali & irregulari determinatione Dei. Non quòd voluntas Dei non ſit ab æterno ad omnia determinata, aut non determinauerit omnia, etiam ſupernaturalia: ſed vt ordinauit, ſubordinauit, & determinauit omnia naturalia, connaturaliter, communiter, & æqualiter, ad certas formas & effectus neceſſariò conſequentes: ſic & ſupernaturaliter omnia merita, ad certas formas & effectus conſupernaturales, vel ſaltem ad certum ius præſens. Preces autem non determinauit ad certam impetrationem præſentem, ſed futuram, ſub conditione perſeuerandi: nec ad vllum ius præſens, nec æqualiter inter omnes orantes; differenter tamen à non orantibus, quòd illi, non hi, ſint iam præuenti gratiâ orandi, & ſpe impetrandi, ſub conditione perſeuerandi.

Meritum de digno videtur ſic denominatum, ob *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c. 2. *Cor.* 4. Momentaneum & leue tribulationes noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; vel ad diſtinctionem à meritis Chriſti, vt ſolis condignis. Sed cum noſtra merita non ſint condigna, vt æquiualentia, ſed vt proportionata: aut non ex nobis, nec à proprio valore intrinſeco, ſed ex meritis Chriſti, & acceptatione Dei: non eſt neceſſaria diſtinctio inter merita noſtra vt de digno & condigno; ſed ſola diſtinctio inter horum dignitatem vel condignitatem proportionalem, & illorum congruitatem etiam proportionalem. 1. Quòd illorum congruitas ſit quædam ſubordinatio inter ſupernaturalia, inferiora, & ſuperiora: hæc autem condignitas ſit inter ſupernaturalia æqualia, ſeu eiuſdem ſpeciei, aut generis propinquioris. Cùm enim merita de condigno ſint actus charitatis, quamuis imperfectioris: poſſunt dici digni, & ſuo modo condigni gratiâ & gloriâ, ſeu charitate perfectiori. 2. Merita de Condigno, ſunt perſonæ per ſtatum gratiæ dignæ, & ſuo modo condignæ mercede ſeu præmio ſecundùm ſuum ſtatum. 3. Merita de condigno fiunt in ſtatu amicitiæ Dei: ideoque hoc titulo pluris fiunt apud Deum, quàm ex ſola dignitate Perſonæ, aut operum perfectione. 4. Merita de Condigno, ſunt propria filiorum Dei, per gratiam adoptionis: ergo ſunt digna, & ſuo modo condigna hæreditate. 5. Vt actus naturales generant & augent habitus: ſic & actus ſupernaturales charitatis, conſupernaturaliter merentur ſuos habitus, vel eorum augmentum. 6. Si congruit ordini Sapientiæ Dei, vt qui cœpit per primam gratiã actualem, perficiat per toto genere ſuperiorem: quantò potiùs vt perficiat opus charitatis, eiuſdem intenſione, & æternitate? 7. Si congruit vt Deus acceptet opera ſua in nobis per ſolam gratiam actualem: ex Epiſt. *Cæleſtini Papæ, cap.* 8. *&* 11. *& Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 16. Quantò potiùs vt acceptet ea tanquam ſua propria, quæ operatur in nobis vt vnitus nobis ad operandum, per gratiam habitualem, ſeu charitatem permanentem? 8. Si congruit vt Deus remuneret in nobis quæcumque fiunt ex meritis Chriſti, quantumuis remotè, per gratias actuales nobis ab eo promeritas: quantò potiùs quæ fiunt ab ipſo Chriſto per nos, vt per membra ſua ſibi in ſtatu charitatis vnita? Vt *Ioan.* 15. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi in vite manſerit: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. *Gal.* 3. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Ephe.* 3. Chriſtus habitat per fidem in cordibus veſtris, &c. Quæ non



Digitized by Google

gratia intenſior ipſo actu merendi, vel reſeruetur vſque ad finem vitæ.

Sed ſi tanta eſſet congruitas, proportio, & condignitas meritorum noſtrorum: cur reſtringeretur ad ſingulos pro ſeipſis ſolis, ad hanc ſolam vitam, ad ſolam gratiam, ſeu mercedem finitam ſolius gratiæ habitualis & gloriæ; cur non mereremur etiam omnes gratias actuales, ipſumque donum perſeuerantiæ finalis? *Reſp.* Quia merita noſtra non ſunt infinita, nec condigna ipſa acceptatione Dei, imò nec maiori gratiâ, multò minùs gloriâ æternâ ad æqualitatem extenſiuam, aut intenſiuam: cùm præmientur vltra condignum; ſed tantùm ad proportionem, vt ſupra. Nec Deus, aut Chriſtus ea ſibi condignificat adæquatè, vel vt ſua propria perſonalia: ſed ſuo principio quo, & ſibiipſi vt obiecto & fini infinito; non tamen conferente, ſed ſupponente, & infinitè excedente omnem vim merendi, & valorem meriti. Nam nec nos, nec Chriſtus poteſt mereri Deum ipſum, ſeu vt Deus ſit: ſed ſolam vnionem cum Deo vt obiecto & fine. Vt ergo nulla creatura poteſt adæquare, ſed tantùm participare vllam perfectionem realem Dei: ſic nec hanc moralem, ſeu meritoriam Chriſti. Porro, participatio eſt propria ſoli participanti: nec poteſt pluribus communicari. Tum quia eſt ſingularis, & quaſi articularis: non autem communis & Capitalis. Tum quia non eſt condigna, ſeu æquiualens gratiæ & gloriæ cuiuſque: niſi ex ſupplemento meritorum Chriſti, & acceptatione Diuina vltra condignum; ergo non eſt communicabilis alteri. Tum quia meritum non eſt niſi ex charitate Dei, & proximi; quæ cùm poſt Deum incipiat à ſeipſo, non eſſet ordinata, nec meritoria, imò nec vera charitas, ſi priuaret proprium ſubiectum meritis ſibi neceſſarijs. Nec obſtat quòd communicet alijs proprias ſatisfactiones: non tantùm ſuperfluas, ſed & neceſſarias. Quia hæ non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad finem proprium & vltimum: ſed ad redimendas pœnas proprias; nec communicantur alijs ex charitate, niſi meritoriè, ſicque ad maius bonum proprium gratiæ & gloriæ, quàm ſint ipſæ ſatisfactiones. Tum denique quia communicatio meritorum, & influentia moralis gratiæ, eſt propria ſolius Chriſti vt Capitis: non autem vllius membri, aut membrorum inter ſe. Vt patet etiam ex illa Chriſti metaphora, *Ioan.* 15. Ego ſum vitis, vos palmites, &c. Sola enim vitis radicalis profert omnes fructus: ſinguli autem palmites ſingulos proprios, ex eadem radice.

Ex hac limitatione meritorum noſtrorum, & dependentia à meritis Chriſti, & ab acceptatione Diuina: reſtringuntur etiam ad ſolum ſpatium huius viæ & vitæ, ad certum terminum gratiæ & gloriæ; & excipiuntur omnes primæ gratiæ actuales, & gratia perſeuerantiæ finalis à propriè dicta ratione meriti. Quia cùm Deus faciat omnia in pondere, numero, & menſura: voluit etiam ſic ponderare, numerare, menſurare, & commenſurare omnia & ſingula merita ac premia. Vt patet ex ſacra Script. *Eccli.* 14. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, &c. *Ioan.* 9. Venit nox quando nemo poteſt operari. 2. *Cor.* 5. Vnuſquiſque recipiet prout geſſit in ſuo corpore. *Gal.* 6. Dum tempus habemus, operemur bonum, &c. Deinde cùm primæ gratiæ actuales, & præuenientes, ſint actiones ipſius Dei, & prima in nobis principia ſeu primi motus merendi: non poſſunt cadere ſub meritum noſtrum, nec ſeipſas mereri, imò nec vna aliam; quia ſingulæ ſunt primæ ad ſingula merita. Nec obſtat quòd nos poſſimus demereri omnes gratias actuales. Quia poſſumus demereri ex nobis ipſis: non autem vllatenus mereri, niſi ex gratia actuali ad ſingulos actus; nec eſt par ratio merendi ac demerendi, ex Cenſura in 2. *Prop. D. Baij.* Denique, cùm gratia perſeuerantiæ finalis ſit etiam actualis, & maxima, ac proxima Prædeſtinationi in intentione, ſaluti in executione: nec habeat vllam certam, ordinariam, abſolutam, & determinatam legem aut promiſſionem Dei; non videtur ſubeſſe vlli merito noſtro, ſed ſolius Chriſti, & ſoli noſtræ impetrationi. Nam *Trid. ſeſſ.* 6. *Can.* 16. *Si quis magnum illud vſq; in finem perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum dixerit, &c. Anathema ſit.*] Vbi dicitur *magnum*, antonomaſticè .i. Maximum: non ex ſua intrinſeca entitate; ſed ex ſingulari prouidentia Dei, & donatione gratuitiſſima; ergo ex nullo noſtro merito propriè dicto. Definitur autem incertum, præ reliquis gratijs: ergo ſub nullo merito ordinario. Hinc *B. Aug. lib. De dono perſeuerantiæ, cap.* 6. *Donum perſeuerantiæ ſuppliciter emereri poteſt: ſed cùm datum fuerit, amitti non poteſt, &c. Sed ne dicatur tunc amitti, quando agit homo per contumaciam, vt ad eam peruenire non poſſit: verborum controuerſias auferamus, &c. Verum Deus dare non poſſit, quod à ſe poſci imperauit? Ne nos inducas in tentationem, &c.* Ergo *emereri ſuppliciter* .i. orando perſeueranter, impetrari. Nec tamen ideo negandum eſt attritionem eſſe meritum de congruo Iuſtificationis: quia *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. vocat impetrationem; & *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. docet nos gratis iuſtificari, *quia nihil eorum quæ præcedunt, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Sed Conc. & Patres vocant etiam meritum de congruo, impetrationem. Nam *B. Aug.* ſæpè tribuit *magnum meritum fidei*: & tamen vocat impetrationem; vt infra *Quæſt.* propria de fide. Nec *Trid. ſeſſ.* 6. negat meritum de congruo ipſius Iuſtif. ſed meritum ſimpliciter, pro ſuo principali ſignificato. Nam *cap.* 6. & 7. tribuit iuſtificationi certam diſpoſitionem: quæ vtique eſt meritum de congruo. Nec *ſeſſ.* 14. vocat attritionem, ſolam impetrationem iuſtificationis: ſed *diſpoſitionem ad eam in Sacramento impetrandam*; quia non eſt proxima ad eam diſpoſitio, ſed ipſum Sacramentum, &c. Vt *in* 4. *à col.* 759. *ad* 782.

Nec tandem fauet merito proprio primæ gratiæ actualis, neceſſariæ ad reſurgendum à peccato, vel merito perſeuerantiæ finalis; quòd poſſimus alijs impetrare, ergo & nobis mereri; quodque ſit congruum, vt qui diutiùs benè vixit, præſeruetur vſque in finem, aut eleuetur à lapſu, vel ſaltem potiùs quàm qui nunquã, aut non tam benè vixit, ſed ſemper malè, aut peius alijs. Quia alia ſunt iudicia Dei, alia hominum: qui non poſſunt capere quâ congruitate, *Rom.* 8. Deus cuius vult miſereatur,

reatur, & quem vult induret: & ex pluribus indignis, vnum etiam alijs indigniorem, præ alijs eligat ad gratiam & gloriam. Qua congruitate *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiam, Deus omnium iniquitatum eius non recordetur: ſi auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, Deus omnium iuſtitiarum eius non recordetur. Qua congruitate merita priora per peccatum ſubſequens non moriantur, ſed tantùm mortificentur, & per pœnitentiam reuiuiſcant: peccata autem & demerita, quoad culpam & pœnam ſaltem æternam, in æternum aboleantur. Quâ congruitate *Rom.* 11. Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, &c. Illorum delicto, ſalus eſt gentibus, &c. Dicis, ergo fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè: propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time, &c. Alioquin & tu excideris, & illi inſerentur, &c. *Rom.* 14. Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem: potens eſt enim Deus illum ſtatuere. 1. *Cor.* 10. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. 1. *Ioan.* 1. Exierunt ex nobis, ſed non erāt ex nobis. Si enim fuiſſēt ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. *Apoc.* 2. Scio opera tua, & patientiam tuam, &c. Sed habeo aduerſum te pauca: quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, &c. *Cap.* 3. Scio opera tua: quia nomen habes quod viuis, & mortuus es. *Infra.* Tene quod habes: vt nemo accipiat coronā tuam. *Infrà.* Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neq; calidus. Vtinā frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Quorum omnium variæ cōgruitates excogitari poſſunt: ſed omnes nituntur hoc fundamento Apoſt. *Rom.* 9. Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit. Et reſoluuntur in illam eius admirationem, *Rom.* 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini: aut quis conſiliarius eius fuit? Quis enim inter infinitas congruitates aſſequatur, quid potiùs congruat iudicio & voluntati Dei: cui nihil congruentius, quàm vt ad extra liberrimè velit & agat? Non ſufficit ergo ad meritum de congruo, vt quid congruat iudicio & voluntati noſtræ, ſed diuinæ: à qua dependet tota condignitas & congruitas meritorū noſtrorū. Facilè tamen diſcernimus, nō eſſe congruū vt ſicut in ſtatu gratiæ impetramus alijs primas gratias actuales, & gratias aliquas perſeuerādi: ita & nobis ipſis mereamur aut impetremus gratias reſurgendi & perſeuerandi poſt lapſum. Quia omnia merita & impetrationes noſtræ ſuſpenduntur per peccatum: nec reliquunt nos capaces, aut dignos, imò nec minùs indignos, ſed potiùs indigniores gratia reſurgendi ac perſeuerandi, quàm ſi nunquam gratia Dei abuſi fuiſſemus, & ab eius ſtatu, quo altiori, eo lapſu grauiori & ingratiori, propria culpa ruiſſemus. Vt ſatis inſinuant ſacræ Script. ſupra.

Sed ipſos cœli cardines, & optimos quoſque horrore & tremore ac quadam cordis palpitatione concutit, laus illa Angeli *Epheſini, Sardicenſis, & Laodicenſis, Apoc.* 2. & 3. comminatoria amotionis & euomitionis, ſeu deſertionis & priuationis gratiæ etiam actualis: non ſolum ob hypocriſim, ſeu apparentiam vitæ bonæ; ſed etiam ob ſolam tepiditatem ſeu defectum à feruore charitatis. Verùm ne hinc in quoddam animi deliquium ſeu deſperationem cadamus: hæc ipſa comminatio, gratiam & charitatem Dei commendat, quæ non vult negligi, tepeſcere, vel deficere, ſed exerceri, proficere, & perfici. Sed & radix fidei, & ſpei Chriſtianæ nos conſolatur: quæ Chriſto, eiuſque meritis profundiùs & tenaciùs inſita, vix vnquam ita areſcit; quin per Sacramenta, orationes, & alia media ordinaria, ſibiipſi ſeruandæ, ac charitati regerminandæ neceſſarias gratias ſugat & imbibat. Ex quadā affinitate ſupernaturali, & annexa promiſſione Dei. Vt infra Quæſt. proprijs, de Fide, Spe, & Charitate.

## QVÆSTIO XIII.

### *Quæ, quotuplex, & quanta ſit gratia Dei, per Ieſum Chriſtum?*

CVm ſacrę Script. Conc. & Patres, noſtrique Authores diſtinguant inter primam gratiam, vt conſeruatiuam aut præſeruatiuam naturæ innocentis, collatam Adamo pro ſe & ſuis omnibus poſteris: & inter gratiam medicinalem ac liberatricem naturæ noſtræ vitiatæ, per IESVM Chriſtum vt Saluatorem & Redemptorem noſtrum, ſeu per eius merita; poſt Quæſt. de meritis Chriſti, ſequitur ordine doctrinæ Quæſtio de Gratia per Chriſtum, ſeu nobis reſtituta per eius merita præuiſa, & exhibita. Cuius ſunt quædam obſcura in antiqua lege veſtigia, & præſagia. Vt *Gen.* 2. *Immiſit Deus ſoporem in Adam: cumq́; obdormiſſet, tulit vnā de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea; & ædificauit coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq́; Adam: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &c. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, &c.* Quod vltimum Apoſt. *Eph.* 5. interpretatur: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia:* priora autem, SS. Patres, de ſomno mortis Chriſti, & vulnere laterali, ad formandam inde Eccleſiam. Et ſic de omnibus ſacrificijs cruentis antiquæ legis, eorumque fine legali: in figuram mortis Chriſti, & finis ac fructus eius. Vt interpretatur Apoſt. 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant eis.* Hebr. 9. *Chriſtus non per ſanguinem hircorum aut vitulorum: ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inuentâ. Si enim ſanguis hircorum, &c. ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram, &c.* Apoc. 13. Chriſtus dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi* .i. præfiguratiuè. Sed tota ſacra Script. nouæ legis eſt plena præconijs *gratiæ per Chriſtum,* ſeu per eius merita: non vt tantùm præuiſa, & præfigurata, ſed ipſo facto exhibita. Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus: quia nondum erat Ieſus glorificatus.* Ioan. 8. *Si vos filius liberauit, verè liberi eritis.* Rom. 6. *Serui eſtis eius cui obeditis, &c.*

*Fuiſtis*

*Fuiſtis ſerui peccati, &c. liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Rom. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per* Iesvm *Chriſtum.* Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Gal. 4. *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Vbique autem, Spiritus ſeu gratia Chriſti, per Chriſtum, in Chriſto, propter Chriſtum, &c. De qua quidem *in 2.* totâ *Quæſt. 7. & 8.* occaſione primæ gratiæ, & lapſus *Adami*: & hoc *lib. 3.* promiſcuè, de gratia Chriſti vt Capitis noſtri, deque eius extenſione ad omnes. Hîc autem ex profeſſò, & diſtinctè. 1. An omnis gratia Angelorum & hominum cenſeri aut dici poſſit per Chriſtum. 2. An gratia nobis per Chriſtum reſtituta, ſit æqualis, minor, vel maior, quàm per *Adamum* perdita. 3. An per *Adamum* fuerimus priuati omni gratiâ, etiam actuali. 4. An omnes homines fuerint per Chriſtum ad aliquam gratiam actualem reſtituti. 5. An ſola gratia adoptionis & charitatis, vel etiam timoris Dei, ſit per Chriſtum. 6. An ſola gratia efficax dicatur & ſit gratia Chriſti, ſeu per Chriſtũ.

## *Reſponſio ad hæc omnia.*

QVamuis omnis gratia habitualis & actualis primæ innocentiæ, fuerit per vel propter Chriſtum, vt ſupra *Quæſt. 3.* & *Quæſt. 12. col. 373. 374. 375.* Propriè tamen ex vſu Sacræ Script. ſola gratia medicinalis naturæ corruptæ, dicitur, & eſt per Iesvm Chriſtum, vt Saluatorem ac Redemptorem noſtrum promerita; ad diſtinctionem ab omni gratia per *Adamum*, non meritâ, ſed pro nobis recepta, & demerita. Quia verò tota natura humana fuit per *Adamum* priuata omni gratiâ habituali, & actuali: nulla eſt, aut fuit à lapſu *Adami* reliqua gratia primæ inſtitutionis, nec in *Adamo*, nec in vllo homine ſub ipſo; ſed quædam reliquiæ fidei, & ſpei, ac timoris Dei videntur conſeruatæ in primis Parentibus, ex meritis Chriſti præuiſis; nulla autem per ipſos ad poſteros tranſlata, ſed ſola noua gratia, per, vel propter Chriſtũ vt Redemptorẽ retributa, ac inæqualiter omnibus diſtributa. Quæ quidẽ vt æquè indignis & per talia ac tanta merita Chriſti inæqualiter retributa ac diſtributa, eſt & fuit ſemper maior gratia, ſeu magis gratuita, & moraliter pretioſior vt tanto pretio comparata, quàm prima gratia innocentiæ: non tamen in omnibus, ſed in quibuſdam realiter perfectior, efficacior, & ſanctior. Nec ſola gratia timoris Dei eſt antiquæ legis, ex meritis Chriſti præuiſis: nec ſola gratia adoptionis, ſeu charitatis, eſt nouæ legis, ex meritis Chriſti actualibus; nec hæc ſola vel omnis eſt efficax, illa inefficax; ſed vtraque eſt vtriuſque legis, vtraque eſt ex meritis Chriſti præuiſis vel præuijs, vtraque poteſt eſſe abſolutè efficax, vel non niſi conditionatè; ſola tamen gratia abſolutè aut finaliter efficax, dicitur propriè & antonomaſticè per Chriſtum, vt diſtincta ab inefficaci per *Adamum*, &c. Vt *in 2. Quæſt. noſtra 5. col. 260. 261. 262.* & tota *Quæſt. 7. ac 8.* ſed expreſſiùs *col. 476.* De gratia Originali. A *col. 478. ad 489.* De neceſſitate gratiæ. A 490. *ad* 501. De ſufficientia gratiæ. *A* 502. *ad* 513. De efficacia gratiæ. Quæ tamen omnia, hîc breuiter reſumuntur & probantur, vt de gratia Dei per Chriſtum.

1. Ex ſacris Script. ſupra citatis, & ex ſimilibus paſſim obuijs. Vt *Act.* 4. Non eſt in alio aliquo ſalus, quàm in Chriſto. *Nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Phil. 2. *Chriſtus factus eſt obediens vſq; ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine* Iesv *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, &c.* Vtique ob merita ad omnes & ſingulos ſufficienter extenſa, &c. vt ſupra *q. 12. à col. 369. ad 375.* Rom. 5. *Si vnius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis* Iesv *Chriſti, in plures abundauit, &c. Nam iudicium quidem ex vno in cõdemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem, &c. Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi, &c. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.* Quæ comparatio à contrario, expreſsè præfert intenſiuè merita Chriſti, & gratiam per Chriſtum, non tantùm vt magis gratuitam, ſed & magis iuſtificantem, quàm *Adam* demeruerit, & quàm gratia per eum perdita gratificaret. Præfert & extenſiuè, ad iuſtificationem à pluribus peccatis per merita & gratiam Chriſti: quàm à ſolo originali traducto ab *Adamo*. Videtur autem comparare æqualiter in numero: quia inter omnes & omnes, inter multos & multos. Imò videtur ſemel præferre gratiam Chriſti, quòd in plures abundauerit, quàm culpa *Adami*. Quod licet ſoleat ſumi pro multis, non autem comparatiuè ad pauciores: cùm tamen poſſit verificari de pluribus per Chriſtum ſanctificatis, vt de Angelis, & de ſua Matre, quàm de infectis per culpam *Adami*; cur ſumatur pro paucioribus, imò & pro pauciſſimis comparatiuè? Nec obſtat quòd non tot homines iuſtificentur per gratiam Chriſti, quot inficiuntur per culpam *Adami*. Quia non ait ibi Apoſtolus, quòd plures aut æquè multi iuſtificabuntur: ſed quòd gratia Dei per Chriſtum, imò *in Chriſto, in plures abundauit* .i. pluribus ſeu omnibus ſufficit, imò & quodammodò ad omnes ſaltem obiectiuè ſe extendit, vſque ad omnes extrinſecè peruenit, & omnes virtualiter attingit. Vt *q. 12.*

2. Ex ipſo *B. Aug. Epiſt. 99. ad 4. Quæſt. Euodij, in 1. Pet. 3.* Cùm dixiſſet Chriſtum mortificatum carne, viuificatum ſpiritu, continuò ſubiecit: *In quo & ijs qui in carcere erant concluſi ſpiritibus, veniens prædicauit, qui increduli fuerunt aliquando in diebus Noë, &c.* Quomodo illis tantùm? Aut ſi omnibus prædicauit: cur illos ſolos *Petrus* commemorauit? Idem *Act. 2. Solutis inferni doloribus, &c.* Vt ſolui poſſunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt, &c. Vel quibus alij tenebantur, quos ille nouerat liberandos. Verùm



Digitized by Google

Quinam iſti ſunt, temerarium eſt definire. Si enim omnes, &c. Quis non gratuletur, ſi hoc poſſumus oſtendere, &c. Niſi aliter ſe haberet ſenſus humanus, aliter iuſtitia Creatoris, &c. *Solutis doloribus inferni, Act.* 2. Non in omnibus, ſed in quibuſdam accipi poteſt, quos ille dignos iſta liberatione iudicabat: vt neque fruſtra illuc deſcendiſſe exiſtimetur, nulli profuturus; nec tamen quod quibuſdam, omnibus conceſſum eſſe putandum ſit. De primo Patre, quòd eum ibidem ſoluerit: Eccleſia ferè tota conſentit, &c. *Sap.* 10. *Eduxit eum à delicto ſuo, &c.* Infra. 1. *Pet.* 4. *Propter hoc & mortuis Euangelizatum eſt, &c.* An fortè præſtitum eſt eis, vt per Euangelium viuificarentur Spiritu? &c. Quidam dicunt, Chriſto ad inferos deſcendente, carceres exinanitos fuiſſe ijs qui non audierant Euangelium, &c. Nec attendunt hanc excuſationem habere poſſe omnes, antequam ad eos Euangelium perueniat, &c. Niſi fortè dicatur, poſt Chriſti Reſur. apud inferos audire poſſe, vt illic credant, &c. Neque enim quia Chriſtus aſcendit ab inferis, ideo ibi fama eius extincta eſt, &c. *Phil.* 2. *In nomine* Iesv *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Sed infideles poſſe apud inferos credere, quis ferat? &c. Teneamus quòd fides habet, &c. in quibus etiam hoc eſt, quod apud Inferos fuit, *ſolutis eorum doloribus, quibus eum erat impoſſibile teneri, Act.* 2. A quibus etiam rectè intelligitur ſoluiſſe, & liberaſſe quos voluit. *Infra.* Animæ poſſunt intelligi ſpiritus, qui tunc erant in carne, & in tenebris ignorantiæ, velut in carcere, &c. De quo non apud inferos, ſed hîc liberati ſunt, &c. Illis autem in diebus *Noë*, fruſtra prædicatum eſt, &c. Nam arcæ fabricatio, quodammodo prædicatio fuit, &c. Nec moueat quòd illo tempore nondum venerat Chriſtus. Nondum enim venerat in carne, &c. Sed ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, vt ad *Cain*, & priùs ad ipſum *Adam*, vel ad conſolandos Bonos, vel vtroſque admonendos, ipſe vtique non in carne, ſed in ſpiritu veniebat, viſis congruis adloquens quos volebat, ſicut volebat, &c. Ipſa quoque Scrip. hoc indicat 1. *Pet.* 3. Quoniam priùs quàm veniret in carne pro nobis moriturus: ſæpè antea veniebat in ſpiritu, &c.]

Ex quibus patet 1. Deſcenſus Chriſti ad infernum, vt ad locum ſuæ etiam iuriſdictionis meritoriæ. 2. Vis meritoria & ſatisfactoria Chriſti vſque in infernum. 3. *B. Aug.* non negare ſolutos fuiſſe à Chriſto omnes dolores inferni: eo quòd non eſſet paſſus pro omnibus; ſed quòd eſſet contra æternitatem pœnarum, nec fundatum in vlla Script. 4. *B. Aug.* tribuere expreſsè Spiritui Chriſti omnes gratias interiores, non tantùm efficaces, ſed etiam inefficaces: quibus peccatores impœnitentes ante Incarnationem à Deo monebantur ad pœnitentiam, vt *Cain*, & ſimiles: quantò magis poſt mortem Chriſti? Porro, Spiritus Chriſti non erat ſola Deitas, nec Anima Chriſti: ergo Spiritus gratiæ Chriſti? *Lib.* 2. *De Nupt. & Conc. c.* 33. 35. & alibi ſæpè, vrget Pelagianos, vt concedant Iesvm *etiam paruulis eſſe* Iesvm: quia cùm naſcantur in peccato originali, indigent Saluatore; nec vllos excipit à redemtione Chriſti, niſi Angelos. Ergo exceptio firmat regulam: ſeu extendit merita & gratiam Chriſti vt Redemptoris, ad omnes homines peccatores. *Lib.* 2. *De ordine prouid. c.* 10. Diuinum auxilium latiùs quàm nonnulli putant, officium clementiæ ſuæ per vniuerſos populos agit. *Lib.* 2. *Ciu.* 3. *Lib.* 19. *c.* 14. *Lib.* 4. *in Iul.* 3. tribuit virtutes & actus morales infidelium alicui gratiæ Dei. *Lib.* 2. *Conf.* 7. *Hom.* 23. *ex* 50. *Lib.* 20. *Ciu. cap.* 14. *Enchir.* 93. *Lib. De patientia*, & alibi ſæpè, tribuit gratiæ Dei quòd quis minùs peccet, minúſque damnetur: ergo per Chriſtum. *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 14. & alibi ſæpè, tribuit gratiæ Dei, quòd puer per mortẽ eripiatur ex periculis peccandi, ex *Sap.* 4. Ergo poteſt eſſe ex aliqua Dei gratia per Chriſtum, quòd pueri grauiùs peccaturi, moriātur etiam in originali. *Lib. De dono perſeuer. cap.* 10. Refert, nec improbat hanc expoſitionem cuiuſdã *non ignobilis Doctoris Catholici*: quòd Chriſtus non adhibuerit miracula ad conuerſionem Tyriorum & Sidoniorum; ex quadam erga eos miſericordia, ne in grauiorem culpam & pœnam relaberentur. Vbique docet ſummam neceſſitatem gratiæ ad ſalutem, à quauis culpa & pœna. Ergo gratia Chriſti poteſt eſſe omnibus ſalutaris, ſeu ad aliquam ſalutem à maiori culpa, & pœna. Denique, cùm in *Pſal.* 95. tribuat Chriſto iudiciariam poteſtatem excellentiæ in omnes peccatores: cur non & moderationem pœnarum citra condignum? &c. Supra *à col.* 369. *ad* 380.

3. Ex communi ratione, ſenſu, pietate, & praxi Chriſtiana, referendi omnia ad maiorem gloriam Dei & Chriſti: atqui tota hæc doctrina eſt ad maiorem gloriam Dei & Chriſti; ergo eſt præferẽda. Quis enim Chriſtianus non magnifaciat omnes & ſingulas animas rationales etiam infidelium, vt redemptas pretioſo Sanguine Chriſti? 1. *Cor.* 6. Empti enim eſtis precio magno. Quis non præferat ſtatum adoptionis per gratiam Chriſti, in filios & hæredes Dei, ac cohæredes Chriſti, ipſi primo ſtatu *Adami*? Quis non cenſeat donum timoris Dei eſſe gratiam per Chriſtum? Cùm ſe de fide fuiſſe gratiam ipſius Chriſti, & Chriſtum ſæpè ſuis timorem Dei commendaſſe? Quis non veneretur Sanctos antiquæ legis vt perfectos charitate: quamuis non ex antiqua lege; ſed ex Spiritu Chriſti in ipſa antiquā lege. Quis non cenſeat cauenda eſſe ab omnibus & ſingulis peccata: vt contraria Paſſioni, meritis, & gratiæ Chriſti? *Heb.* 6. Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. *Cap.* 10. Qui Filium Dei conculcauerit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit, &c. Quis non fateatur, peccando reſiſti Spiritui S. *Act.* 7. contriſtari, & extingui Spiritum Sanctũ .i. ipſos motus gratiæ Chriſti in nobis. *Epheſ.* 4. 1. *Theſſ.* 5. Quis non timeat ab æterno opprobrio contemptæ aut neglectæ gratiæ Chriſti, pretio Saguinis eius promeritæ? Quis non horreat extremam Chriſti ſententiam, vt omnibus reprobis, ſaltem adultis, communem? *Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. Eſuriui enim, ſitiui, &c. Vbi Chriſtus ipſe imputat omnia peccata

Digitized by Google

cata vt in ſeipſum commiſſa vel omiſſa: quia contra ſuam gratiam & charitatem, præceptam, præcipientem, & ſalutem omnium eſurientem ac ſitientem. Vt patet ex *Ioan.* 4.

## *Difficultates ex ſacra Script.*

1. SAp. 11. Miſereris omnium, quia omnia potes: & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt: Domine qui amas animas.] Vbi ratio miſerendi, diligendi, parcendi omnibus, non tribuitur Chriſto, aut eius meritis, & gratiæ: ſed quia Deus omnia poteſt, & omnia fecit, & omnia eius ſunt, & præcipuè quia amat animas. *Sap.* 16. Gratia Dei dicitur nutrix omnium. 2. *Act.* 14. Deus in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. *Rom.* 11. Iudæorum delicto ſalus eſt Gentibus .i. priùs à Deo deſertis. 3. *Gen.* 3. Primi Parentes fuerunt peccando denudati: ergo priuati omni habitu infuſo. 4. *Rom.* 7. Quis nos liberabit? Gratia Dei per IESVM Chriſtum .i. Pro certo, ſine vllo dubio. Ergo nonniſi efficax. 5. *Rom.* 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, iterum in timore: ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum. Ergo hic ſolus eſt Chriſti, & per Chriſtum, vel ex ſolis eius meritis præuijs: ille non eſt per Chriſtum, vel nonniſi ex meritis præuiſis. 6. *Gen.* 1. & 2. Deus creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, in ſtatu tam perfecto ac beato: vt eius comparatione hic noſter ſtatus ſit tantùm ſtatus miſeriæ, & medicinæ. Ergo gratia huius ſtatus non eſt illâ perfectior, nec efficacior, nec ſanctior.

*Reſp. Ad* 1. Illa omnia, *Sap.* 11. 12. 16. &c. non eſſe de miſericordia, dilectione, venia, Spiritu, Bonitate, & Gratia Dei, ſupernaturali: ſed tantùm communi, & cuique rei connaturali, ad eius conſeruationem, & finem connaturalem. Vt patet per illa *Omnia* ad quæ ibi extenditur: & ex ratione omnibus communi; imò ipſa expreſſione huius finis *permanendi & conſeruandi.* Vel poſſunt intelligi accomodatè ſecundùm capacitatem cuiuſuis rei .i. de miſericordia, dilectione, &c. vt tantùm connaturali rebus naturalibus; ſed etiam ſupernaturali liberis. Vt videtur ex illo: *Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiã.* Et ex hoc: *Parcis omnibus quoniam tua ſunt: Domine qui amas animas.* Sed nec Deus diſſimulat, nec parcit, nec amat animas ad pœnitentiam & ſalutem: niſi ex meritis & gratia Chriſti. Quia perfectio naturalis animarum non eſt ex ſe digna: ſed ex peccato indigna, tali ac tanta ſalute. Nec Deus ſuâ potentiâ, miſericordiâ, & dilectione communi ac ordinariâ, præſtat vlli rei pluſquam congruat eius naturæ. Quia *Gen.* 2. Perfecit omnia opera ſua, *& requieuit* .i. ſtatuit legem ordinariam conſeruandi omnia opera ſua permanenter vel ſucceſſiuè, & mouendi ſingula ad ſuos motus & fines naturales: nihil autem innouandi, renouandi, aut eleuandi ſupra illam legem ordinariam, niſi ex motiuo aliquo ſupernaturali. Quorum primum, eſt meritum Chriſti, & gratia per Chriſtum.

*Ad* 2. Deus dimiſit omnes gentes ingredi vias vias ſuas .i. paulatim, magis magiſque deſeruit ſuis gratijs actualibus: non ex ſolo communi demerito peccati originalis; ſed ex ſingulorum proprijs & actualibus, numero & malitiâ concreſcentibus. Vt patet ex *Gen.* 6. Videns Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, &c. Exceptis ſemper aliquibus fidelibus & iuſtis, inter infideles & peccatores: ex vi gratiæ Dei per Chriſtum, in paucis præualente reliquis omnibus. Vt patet in *Noë, Iob, Abraham*, & pluribus ſecretis. De quibus poteſt etiam intelligi, *Rom.* 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt .i. Vt *B. Aug. De Spiritu & littera, cap.* 27. Non quòd per naturam negata ſit gratia: ſed potiùs per gratiam reparata natura. Non tantùm ex meritis Chriſti præuijs, ſed etiam præuiſis. *Delicto autem Iudæorum, ſalus eſt gentibus.* i. occaſionaliter. Quia crucifigendo Chriſtum, quaſi profuderunt & prodegerunt Sanguinem, merita, & gratiam Chriſti, in Gentes: tantaque & tam pertinaci malitia demeruerunt ſibi præ omnibus Gentibus participationem gratiæ Chriſti. Vt patet ex *Act.* 13.

*Ad* 3. Denudatio illa primorum Parentum, eſt ab illo habitu, quo concupiſcentia coercebatur ab omni motu rebellionis. Quia nuditatem illam perceperunt ipſâ experientiâ rebellionis, paſſionis, & mortalitatis: priuatio autem aliarum gratiarum non eſt, nec erat experimentalis, ſed ex ſola fide legis Dei. Quæ minabatur eis mortem corporis, & animæ, per priuationem vitæ ſupernaturalis, ſeu gratiæ vitalis: non autem fidei, & ſpei infuſæ, ſed mortuæ, niſi peccarent directè contra ipſam fidem & ſpem. Sed vt corpus ſine anima, nec habet vllum motum vitalem, & tendit ad corruptionem: ſic illa fides & ſpes emortua, niſi eam Chriſtus ſuis meritis præuiſis per nouas gratias actuales conſeruaſſet, & nouis gratiæ motibus quaſi reanimaſſet. Niſi omnes gratiæ illius ſtatus fuerint ita connexæ: vt priuatio vnius eſſet corruptio totius ſtatus, & conſequenter omnium gratiarum illius ſtatus.

*Ad* 4. Quis nos liberabit? Gratia Dei per IESVM Chriſtum .i. Tandem finaliter liberandos: vel etiam nunc liberando omnes ſaltem fideles & iuſtos à neceſſitate peccandi, ſeu conſentiendi, & aliquando, vel quoſdã ab omni conſenſu actuali.

*Ad* 5. *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis* .i. Legis Moſaicæ: *iterum in timore* .i. In nouo timore pœnæ comminatæ, potiùs quàm Dei comminantis; *ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum,* ſeu charitatis filialis, ad quam verus timor Dei in noua lege diſponit. Vt infra de vero Dono timoris Dei, ex *Al. q.* 76. *S. Bon. d.* 34. *a.* 1.

*Ad* 6. Gratia Baptiſmalis, ſeu regenerationis & adoptionis in filios Dei, diluit omnem culpam & pœnam originalem: nec tamen eſt ipſa gratia originalis *Adami*; ergo continet eam eminenter, vt ſimpliciter perfectior, Deo gratior, & ad merendum, ſatisfaciendum, ac impetrandum efficacior. Deinde, quis dubitat Chriſtum ſua Morte.

&

Digitized by Google

& paſſione meruiſſe nobis gratiam abſolutè perfectiorem quàm quæ fuerat primò collata ſine vllo merito, vel ex ſolo merito incarnationis? Denique, quò gratia indigniores gratificat, & quò Deo pretioſior; eò & ipſi gratior, & intrinſicè perfectior eſt. Quia quamuis hi effectus formales ſint morales, ſupernaturales, & dependentes à voluntate & æſtimatione Dei: non confert tamen effectus perfectiores, niſi per cauſas perfectiores; nec æſtimat niſi perfectiora. Nec primus ſtatus innocentiæ, nec hic ſtatus adoptionis filiorum Dei, eſt perfectionis finalis: ſed ille fuit primum medium, hic autem eſt remedium ad perfectionem beatificam; ergo vtriuſque perfectio æſtimanda eſt ex perfectiori ordinatione, diſpoſitione, & mediatione ad finem. Hic autem ſtatus habet perfectiora media & remedia, exteriora & interiora, ad perfectionem beatificam: ergo eſt illo perfectior. Non enim eſt medicinalis ad recuperandum primum ſtatum Innocentiæ: ſed immediatè ad ipſam perfectionem beatificam; nec vt talis eſt ſtatus miſeriæ, ſed ſpei & fiduciæ.

## *Difficultates ex B. Aug.*

*Lib.* 2. *Retr.* 31. & *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 9. retractat quod dixerat *lib.* 6. *contra Paganos, q.* 2. Chriſtum voluiſſe prædicari, quando & vbi ſciebat eſſe qui in eum erant credituri; & ſalutem Religionis Chriſtianæ nulli vnquam defuiſſe qui dignus fuit, aut non indignus. Ergo non vult gratiam Chriſti fuiſſe omnibus diſtributam, nec ſecundùm præſcientiam futurorum conditionalium. *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 12. 13. 14. & alibi ſæpè, reprobat illam rationem, vt Pelagianam & ſemipelagianam: quòd pueri moriantur, aut non moriantur, ante vel poſt Baptiſmum, ex præuiſis meritis vel demeritis futuris ſi ſuperuiuerent. Ergo gratiæ Chriſti non diſtribuuntur ſecundùm talem præſcientiam. *Ibidem, & Epiſt.* 107. ac alibi ſæpè, negat omnem aliam cauſam, cur quidam pueri moriantur ſine Baptiſmo: quàm quia non ſunt prædeſtinati, nec Deus vult eos baptizari. Ergo non ſunt participes vllius meriti, vel gratiæ Chriſti. *Contra Iul.* & vbique aliter explicat, *Rom.* 5. Sicut omnes, & omnes, multi, & plures. Nec poſſunt conſtitui æquè multi iuſti per Chriſtum, ac iniuſti per *Adamum.*

*Reſp. Ad* 1. *B. Aug.* non retractat illa: ſed priùs explicat de aliqua cauſa dubia, ſine præiudicio aliarum; hoc autem, de dignitate gratiæ, vel prædeſtinationis, & de indignitate culpæ originalis, vel actualis.

*Ad* 2. Reprobat illam rationem, cur pueri baptizentur aut non, ante mortem: ex eorum meritis aut demeritis futuris ſi ſuperuiuerent. Quia nec talia ſunt abſolutè futura: nec poſſunt imputari ad meritum; & quia Pelagiani potuiſſent ſic negare omne peccatum originale, & imputare talibus meritis aut demeritis Baptiſmum & ſalutem quorundam puerorum, quorundam non. Sed nunquam improbat, imò ſemper ſupponit, & ſæpè exprimit præſeruationem Dei gratuitam à peccatis, vel à pluribus, & grauioribus: vt ſine dubio futuris, ex noſtra ignorantia, fragilitate, vel malitia Deo notiſſima; niſi ipſe omnes, ſed inæqualiter, præſeruaret aliqua gratia actuali, interiori, vel exteriori. Inter quas eſt ipſe raptus ex hac vita: non tantùm in ſtatu gratiæ, ſed etiam in minori reatu culpæ & pœnæ, quàm ſi ſuperuiuerent.

*Ad* 3. Non negat omnes alias cauſas: ſed præfert hanc alijs omnibus. Nam certum eſt, ſæpè eſſe culpam parentum aut maiorum; & ſemper eſſe culpam originalem, quâ ſunt indigni Baptiſmo. Deinde, Pueros non baptizari, quia Deus non vult eos ſaluari: non eſt fortè quòd nolit contrariè, ſed quòd non velit negatiuè. De quo in 1. *Sent.* Denique, cùm Deus velit nos velle, & curare ſalutem omnium, etiam quos ipſe non vult ſaluare: cur Chriſtus voluntate humana, non voluerit, & procurauerit aliquam omnium ſalutem, ſaltem à maiori culpa & pœna; & ſpecialiter mitigationem illam damnationis puerorum, de qua toties *B. Aug.*

*Ad* 4. *B. Aug.* explicat *Rom.* 5. de pluribus in *Adamo* vitiatis, quàm à Chriſto iuſtificatis actu, & abſolutè: non autem ſolâ gratia remotâ, & comparatione ad iniuſtiores, vt *Matt.* 12. *Luc.* 11.

## *Difficultates ex ratione.*

1. Eſt Prouidentiæ Dei generalis, ordinare & limitare omnia bona & mala in pondere, numero, & menſura: quia cùm poſſint eſſe in infinitum plura & maiora, nec poſſit procedi in infinitum, non eſt vllius gratiæ aut prouidentiæ ſupernaturalis, ſed connaturalis, determinare bona poſitiuè, mala autem permiſſiuè, ad certum numerum & grauitatem. 2. Deus ex propria iuſtitia & miſericordia punit omnes citra condignũ: Ergo non ex meritis, & gratia Chriſti. 3. Chriſtus vt homo eſt Iudex iuſtus omnium damnandorum, ſine vllo fauore, vel reſpectu perſonarum: Ergo non agit Iudicem & Patronum, aut vllius fautorem; ſed omnes condemnat ſecundùm leges Diuinas, & ſingulorum demerita.

*Reſp. Ad* 1. Prouidentia Dei generalis ordinat & limitat omnia naturalia ad finem naturalem: ſed mala culpæ & pœnæ æternæ pertinent ad eandem prouidentiam Dei ſupernaturalem, ad quam bona contraria. Deinde, quamuis non ſit vllius gratiæ limitare peccata ad aliquem numerum & grauitatem: cur non tribuatur alicui gratiæ quòd limitata ſint ad tantò minorem? Denique, cur non tribuatur alicui gratiæ, quòd cùm omnes ſint æqualis malitiæ: culpæ & pœnæ huius ſunt pauciores & minores, quàm illius? Seu quòd Deus huius libertatem & malitiam peccandi magis coërceat, aut minùs relaxat, quàm illius?

*Ad* 2. Ex *Scot. in* 1. *Diſt.* 17. *ad Quæſt.* 1. *n.* 26. Deus ſemper præmiat vltra meritum condignum ipſius actus: Et fortè vltra id ad quod de lege communi eſſet acceptandus, quandoque Deus præmiat ex mera liberalitate. Ergo potiùs & certiùs ex meritis Chriſti, vltra condignum noſtrorum operum. Cur ergo Deus non puniat etiam citra condignum, ex meritis Chriſti, aut minùs quàm ex lege communi?

*Ad*

Digitized by Google

*Ad* 3. Chriſtus agit priùs patronum, quàm Iudicem: nec eſt vt Iudex ordinarius, legibus conſtrictus; ſed vt Princeps, potens remittere de rigore legis. Nam *Ioan.* 5. Pater, ſeu Deus, non iudicat quenquam: ſed omne iudicium dedit filio. *Infra.* Poteſtatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis eſt .i. etiam vt homo eſt. Quid autem glorioſius Chriſto: quàm iure acquiſito proprijs meritis & ſatisfactionibus infinitis, moderari omnium culpas & pœnas, ipſamque miſericordiam & æquitatem Dei circa omnes.

## QVÆSTIO XIV.

*An Chriſtus, vt Deus & homo, eiuſq́; ſacra humanitas, & omnia eius contenta, continentia, & repræſentantia, ſint adoranda?*

DE adoratione Chriſti, Scholaſticè ſupra, ex *Alenſi p.* 3. *q.* 30. *S.Bon. & Scoto, in* 3. *d.* 9. Dogmaticè, in 4. *à col.* 244. *ad* 269. *à* 361. *ad* 368. *à* 977. *ad* 989.

*Reſp.* Sunt adoranda vel coadoranda, eadem adoratione latriæ: vel abſolutâ, vel relatiuâ ad ipſum Chriſtum, vt continentem, contentum, vel ſignificatum, ſeu repręſentatum. Cōtra Lutheranos, & Caluiniſtas, negantes omnem adorationē nominis Ieſu, Sanctæ Crucis, & omnium ſacrarum imaginum, pro ſuis ſignificatis.

1. Ex ſacra ſcript. *Gen.* 18. Abraham adorat Deum in Angelis apparentem. In toto veteri Teſt. adorabatur Deus in Arca Teſtamenti. *Pſal.* 5. Adorabo ad templum ſanctum tuum. *Pſal.* 71. Adorabunt eum omnes Reges terræ. 96. Adorent eum omnes Angeli eius. *Pſal.* 98. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctū eſt. *Pſal.* 131. Adorabimus in loco vbi ſteterūt pedes eius. *Matt.* 2. Magi adorauerunt Chriſtum. *Hebr.* 1. Cùm introducit primogenitum in orbem terræ dicit, *Pſal.* 96. Et adorent eum omnes Angeli Dei. *Apoc.* 5. Omnes SS. adorant Agnum Dei occiſum. *Phil.* 2. In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum.

2. Ex ſacris Symbolis, quibus profitemur eandem fidem in Ieſum Chriſtum, quam in Patrem, & Spiritum S. & conſequenter eandē adorationē.

Ex *Conc.* 1. *Niceno* contra Arrium pro æqualitate, & æquali adoratione Filij cum Patre.

Ex *Epheſino & Conſtant.* à *col.* 232. *ad* 246. De vnica Perſona, & adoratione Chriſti, vt Dei, & hominis: contra Neſtorium, Eutichen, &c.

Ex vera 7. Synodo generali, quæ fuit. 2. Nicæna, ſub *Adriano* 1. Papa, & *Conſtantino* Imperatore ac *Irene* eius matre, anno 787. Contra Iconomachos, ſeu violatores ſacrarum imaginum Chriſti, & Sanctorum.

*Actione* 1. Epiſcopi ſuſpecti Iconomachiæ, pœnitentes erroris, profitentur fidem & cultum ſacrarum imaginum ac Reliquiarum, reprobantque ac deteſtantur pſeudo-Synodum 7. contra cultum ſacrarum Imaginum.

*Actione* 2. prælecta fuit 1. Epiſt. *Adriani Papæ ad Imper.* pro vſu & cultu ſacrarum imaginum: ex *Gen.* 1. Deus creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. *Gen.* 4. 8. 28. De vſu ſacro altarium, & viſionibus imaginarijs Dei. *Gen.* 47. & *Hebr.* 11. De adorata ſummitate, ſeu faſtigio virgæ Ioſeph, ab eius Patre Iacob. *Exod.* 25. 37. 40. De Arca Teſt. Propitiatorio, Oraculo, inter duos Cherubim. *Num.* 21. & *Ioan.* 3. De Serpente æneo à Moyſe erecto, in ſignum Chriſti, & remedium veneni. 3. *Reg.* 6. De templo Salomonis, & formis Cherubim. *Pſal.* 4. 26. 44. De facie Domini quærenda, oranda, adoranda. Ex SS. Patribus *B. Aug.* in ſuis Sermonibus, de imagine Dei. *Greg. Niſſ.* De pictura & figura Paſſionis Chriſti. *S. Baſil. Epiſt contra Iul.* Hiſtorias imaginum honoro, & palam adoro. *S. Chryſoſt. ſerm. de parabola ſementis.* Nonne iniuriâ afficit Regem, qui regiam veſtem vel imaginem violat? *S. Cyril. in Matt.* Fides depingit Verbum, &c. *S. Athan. Alex.* De eo quòd Dominus carnem aſſumpſit. Quæ in talibus picta ſunt, cùm figura deleta fuerit, denuò pingatur, &c. *S. Ambr. lib.* 3. *ad Gratianum Imper. c.* 9. Num quando imaginem & crucem Chriſti adoramus, ipſum partimur? *S. Hier. in quodam ſerm.* Vt Iudæis duo Cherubim: ita Deus nobis Chriſtianis crucem largitus eſt, & bonorum operum imagines pingere, & venerari. Deinde prælecta fuit eiuſdem *Adriani* Papæ Epiſt. ad *Tharaſium* Patriarcham Conſtantinop. in eundem finem: ex figura Agni digito præcuſoris demonſtrati, vt approbata in 6. Synodo, & ex alijs figuris antiquis, ad nouas & perfectiores imagines. Quæ Epiſt. Adriani Papæ, fuit à Tharaſio & à tota Synodo, publica eiuſdem fidei confeſſione, & ſingulorum ſubſcriptione approbata.

*Actione* 3. Agitatâ cauſa *Gregorij* Epiſcopi Neocæſarienſis, pœnitentis: tandem abſolutus, & reſtitutus fuit cum alijs pœnitentibus ſui erroris. Deinde prælecta fuit Epiſt. *Tharaſij*, & confeſſio fidei ad Epiſcopos Orientales: in qua refert à 6. Synodo approbatam fuiſſe illam picturam *Agni Dei, &c.* & ſub finem precatur Deum per interceſſionem *Immaculatæ Deiparæ.* Denique prælecta fuit Epiſt. Synodica *Theodori* Patriarchæ Hieroſol. profitentis totam fidem Chriſtianam, & ſpecialiter cultum ſacrarum imaginum Chriſti, *Deiparæ Immaculatæ*, & omnium SS. approbante & eandem fidem ſubſignante totâ ſacrâ Synodo.

*Actione* 4. Prælectæ ſunt ſacræ Script. SS. Patres, & relata varia miracula pro cultu ſacrarū imaginū. Vt ex *Serm. S. Athan.* celebre miraculum ad imaginem Chriſti in Beryto Ciuitate *Siriæ.* Quæ ab ipſo *Nicodemo* ſculpta, & diu per traditionem inter fideles conſeruata, tandem incidit in manus Iudæorum: qui cùm in ea totam Chriſti Paſſionem illuſoriè repreſentarent, ad illuſorium ictum lanceæ, tantam copiam ſanguinis & aquæ effudit; vt ipſi Iudæi, expertâ etiam eius virtute ad ſanandos omnes ægrotos, conuerſi fuerint, & Epiſcopus loci illum ſanguinem & aquam per totum orbem Chriſtianum diſtribuerit. *Hic eſt*, inquit, *ſanguis ille qui apud pleroſq́; eſſe dicitur. Nec eſſe exiſtimandum eſt aliter à verè Catholicis, &c. Niſi illud quod in Arâ altaris per manus ſacerdotum quotidie ſpiritualiter efficitur.* Inter hæc quidam *Helias* protopresbiter, prælegit ex charta Canonem illum 6. Synodi, de pictura *Agni Dei. Sabas* Monachus dixit:

C 6 Cur

Digitized by Google

Cur hæc non ex libro, ſed ex charta lecta ſunt? *Tharaſius* dixit: Quoniã charta ipſum eſt autographum. *Petrus* Metropolites Nicomediæ dixit: Habeo & alterum codicem 6. Synodi Canones continentem. Quem *Victor* Diac. & Notarius legit, repetens eundem Canonem. *Tharaſius* Patriarcha dixit: Scandalum eſt dubitare num ſint 6. Synodi, &c. Nam qui temporibus Conſtantini ſubſcripſerunt: ijdem illi poſt 4. aut 5. annos ſub Iuſtiniano filio hanc chartam ſubſcripſerunt. *Stephanus* Diac. & Notarius legit ex codice *Leontij* Epiſcopi Neapoleos Cypri contra Iudæos. Agedum, de venerabilibus imaginibus Apologiam texamus, &c. Si de imaginibus me arguis: redargue ipſum Deũ qui per Moyſen fieri iuſſit. *Iudæus* dixit. Sed non adorabantur vt dij. *Chriſtianus* dixit. Neque apud nos, &c. Ego quatenus duo ligna crucis colligata ſunt, typum adoro propter Chriſtum: cùm vero fuerint diſſoluta, exuro. Vt qui mandatum Imperatoris ſuſcipit, illius ſigillum oſculando, non ipsã ceram, aut caracterem veneratur: ſic & Chriſtianorum filij, &c. Et vt genuini Filij quicquid eſt Patris abſentis amplexantur: ſic & nos crucem Chriſti vt eius virgam adoramus; ſepulchrum vt eius cubile, præſepe; vt eius domum; ſanctos, vt eius amicos colimus. Ita Sion, Nazareth, vt eius patriam, Iordanem vt eius lauacrum, & omnem eius locum colimus, &c. Hinc & figuram crucis eius vbique ponimus: ne eius obliuiſcamur, ſicut tu oblitus es Domini Dei tui. Vt autem tu adoras librum legis, non membranas aut atramentum, ſed verba Dei: ſic & ego imaginem Chriſti, non naturam lignorum aut colorum. Vt *Iacob Geneſ.* 37. Veſtem conſperſam ſanguine *Ioſeph* oſculatus eſt, &c. ſic & nos imaginem Chriſti. *Infra*. Tu cùm me criminaris, quòd lignum crucis vt Deum adoro: non vertis in crimen, Iacob adorantem in ſummitate baculi Ioſeph? *Infra*. Si ligna vt Deos glorifico: quomodo veneror Martyres & Apoſtolos qui lapideas effigies perdiderunt? Dic mihi quot ſanguinis fluxus ex ſacris imaginibus & reliquijs extiterunt? Quâ ratione tibi Idolatræ ſumus, qui illis non ſacrificamus? *Iudæus* dixit: Præcepit Deus nullam creaturam adorandam. *Chriſtianus*. Quomodo ergo *Pſal.* 98. Adorate ſcabellum pedum eius? *Eſa.* 66. Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum. *Iudæus*. Non illa vt Deos: ſed per illa Deum adoras. *Chriſtianus*. Non per ſe creatura adorat Deum, ſed per me, *Pſal.* 18. Iudæi Reges adorant: & nos tanquam Idolatras derident, &c. Multa Deus per crucem auditu mira fecit. Vt in ligno vitæ, in virga Moyſis, & Aaronis, in ligno & baculo Helizæi. *Sap.* 14. Benedicite lignum, per quod fit iuſtitia. *Gen.* 50. Oſſa Ioſeph cum omni honore ex Ægypto vecta ſunt. 4. *Reg.* 13. Mortuis oſſa Helizæi attingens, reſurrexit, &c. Quid habes quod de duobus Cherubim te defendas? Dices: Moyſi à Deo iuſſum eſt, &c. *Salomon* plura in templo apparauit, quæ Deus non mandauerat, &c. Habuiſtis & alia in memoriam Dei: vt virgam Moyſis, tabulas legis, vrceum mãnæ, Arcam, Ephod, &c. *Infrà*. Qui martyrem colit, Deum ipſum colit. Qui matrem illius adorat, ipſi honorem aſſignat, &c. *Infra*. Stephanus Monachus legit ex Epiſt. S. *Anaſtaſij Epiſcopi Theopoleos*. Nemo offendatur in adorationis vocabulo: ſi quidem & homines, & SS. Angelos adoramus, non autem latriam exhibemus. Ait enim *Moyſes Deut.* 6. Deum tuum adorabis, & illi ſoli latriam præſtabis. *Infra*. Coſmas Diac. legit ex Epiſt. *S. Greg. Papæ, ad S. Germanum Patriarcham Conſtantinop.* Labarum inſigne Chriſti geſtaſti. Ipſam dico viuificantem Crucem, &c. Deinde ſanctam Dei matris imaginem: cuius faciem diuites populi ſupplicant, *Pſal.* 44. Imaginis veneratio, iuxta magnum Baſilium, in prototypum redit. Pietate enim plenum eſt, venerandarum picturarum argumentum, vt autor eſt *Chryſoſt, &c.* Vidi Angelos turbas barbarorum in imagine perſequentem. Neque vnquam Eccleſia in hoc errauit, &c. Nam & in Paneadem ciuitatem Hæmorrhoiſſæ imago tranſmiſſa, in memoriam miraculi, quo herbæ excreſcentes omnibus ægritudinibus auxiliares erãt, celebrabatur, &c. Si non incarnatus eſt Dominus, non figuretur illius Imago: ſi non eſt natus ex Deipara Virgine, neque Magi munera obtulerunt. &c. ſi non mortuos ſuſcitauit, ſi paſſionem volens non ſubijt, &c. neque earum rerum hiſtoriæ picturis repreſententur. Hæc autem cuncta ſi facta ſunt: vtinam cœlum, terra, & omnia per picturas, aut voces poſſent enarrare, &c. Neque tamen volumus, vt in Eccleſia Chriſti idolum aliquod ſit, &c. Non enim ijs rebus quæ nihil ſunt nomen illud quod eſt ſuper omne nomen tribuimus, &c. *Infra. Conſtantinus* Diac. & Notarius legit ex Epiſt. *Germani Patriarchæ Conſtantinop. ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos*: Fortè dicent neceſſarium eſſe Sanctæ Script. mandata ſequi, *Exod.* 20. Non facias tibi ipſi idolum, neque ſimilitudinem vllam, &c. Sed clarum habent intellectum. Naturam enim Dei ſcimus forma repræſentari non poſſe, &c. Hoc & Apoſt. *Act.* 17. Genus cùm ſimus Dei: argento, auro, lapidi aut figuræ artis, diuinum eſſe ſimile exiſtimari non oportet, &c. Nulla itaque confœderatio templo Dei .i. Eccleſiæ cum idolis. *Infra*. Ne quempiam offendat, quòd ante SS. imagines lumina, & ſuaue olentia thimiamata accenduntur. Symbolicè enim iſta fieri in honorem illorum, opinandum eſt. *Infra*. Videmus Imperatores noſtros pro ſua ſtatua ſalutiferam crucem erexiſſe. Extra controuerſiam eſt SS. imagines mirifica deſignare miracula. Eſt in *Zozopoli Piſidiæ* imago Virginis Matris: quæ picta manu ſua vnguentorum ſcaturiginem effundit. *Act.* 5. Vmbra & ſudaria ſanitates largiebantur. In Paneade, ſeu Cęſarea Philippi, dicitur fuiſſe domus illius Hæmorrhoiſſæ: quæ tacta fimbria Seruatoris, ſanata eſt, *Matt.* 9. Pro foribus autem domus aiunt, ſtare fuſam ex ære imaginem Chriſti, & ſtatuam mulieris genibus prouolutæ, palmaſque tendentis. Sub pedibus ſtatuæ dominicæ herba quædam excreſcit, quæ omnium morborum remedia exhibet. Quod ipſe *Euſebius lib.* 7. *cap.* 14. tradit ſe oculis vidiſſe: vt & depictas imagines Chriſti, & SS. Petri & Pauli, &c. *Infra*. Sancta Synodus dixit. Qui ex Script. ſententias contra idola dictas, in ſanctas imagines torquent, Anathema. Qui ſacras imagines idola vo-

cant,

cant, anathema. Quibus omnes & ſinguli ſubſcripſerunt.

*Actione* 5. Prælecta fuerunt plura alia ſcripta pro & contra cultum ſacrarum imaginum. Vt ex *B. Cyrillo Hieroſol. Catecheſi* 2. Non audiuiſti quod *Nabuchodonoſor Cherubim* rapuerit ex templo? *Tharaſius* dixit. Animaduertamus quomodo accuſetur, quòd *Cherubim* ſubuerterit, &c. *Petronas Patricius* dixit. Poſt hoc regno eiectus, 7. annis herbas vorauit, vt bos. Ex *B. Simeone Stilite Epiſt.* 5. *ad Iuſtinianum Imper.* Quâ pœnâ punĩedi ſunt, qui in imaginem Domini noſtri, eiuſque matris, infando ſcelere graſſati ſunt? *Infra. Ex Serm. Ioan. Epiſcopi Theſſal.* Nos imagines SS. non adoramus: ſed eũ qui per picturam indicatur, glorificamus; neque hos vt Deos, ſed vt veros Dei ſeruos & amicos, &c. Chriſti autem vt hominis, non vt Dei, imaginem pingimus, &c. Deus enim Spiritus eſt, *Ioan.* 4. *Gentilis dixit:* Angelos vt homines pingitis & adoratis, &c. *Sanctus dixit.* De Angelis & animabus noſtris Catholica Eccleſia ſentit: eſſe quidem intelligibiles, &c. pinguntur autem in forma hominis, quia in ea viſi ſunt apud homines. *Tharaſius dixit.* Oſtendit quod & Angelos pingere oporteat: quando circumſcribi poſſunt, & vt homines apparuerunt. *Ex quadam diſp.* inter *Iudæum* & *Chriſtianum. Iudæus.* Offendor, quòd coram imaginibus procidítis, &c. *Chriſtianus.* Script. iubet non eſſe faciendam Deo ſimilitudinem, nec aliquam imaginem adorandam, &c. Chriſtiani non adorant Sanctorum imagines: ſed recordantur, &c. Quin imò adorantes, Deum ſanctorum inuocant: Benedictus Deus huius, vel illius ſancti, &c. Vt ſuprà. *Infra.* De quodam Pſeudo itinerario Apoſtolorum, reprobato à tota S. Synodo: ex cuius falſis citationibus quidam in pſeudo-ſynodo 7. decepti fuerant. *Infrà.* Ex *Euſebio Pamphilo ad Euphrationem.* Non coexiſtere dicimus filium Patri: ſed præexiſtere Patrem filio, &c. *Sacra Synodus dixit:* Anathema illis libris, & qui illos legunt. *Infra.* Refutatio Apologiæ *Euſebij* pro *Origene. Infra.* De quodam Xenæo Perſâ Pſeudo-Epiſcopo, necdum baptizato, reprobante picturas Angelorum, Spiritus S. imò & Chriſti. *Infra. Coſmas Diaconus* dixit. Inueni hunc librum veteris Teſt. in Patriarchio. Habet autem Scholion in defenſionem imaginum. Inſidiatores autem veritatis, expunxerunt Scholion. Ecce veſtigia, &c. Et quæ adhuc aliquantulum exſtabant legit. Non facies tibi idolum, &c. *Deut.* 5. Scholion. Facimus hominum piorum ſimilitudines: non tamen vt adorentur vt Dij, ſed ad imitationem, &c. *Infra.* Ex hiſtoria Eccleſiaſtica *Euagrij lib.* 4. De incenſa ac euerſa machina Choſroe contra vrbem Conſtantinop. ad præſentiam imaginis quam Chriſtus miſerat *Abagaro. Infra.* De quodam Sene recluſo in monte Oliueti: cui dæmon promiſit abſtinere ab eius carnali tentatione, ſub ſecreto iurato, non adorandi amplius imaginem B. M. V. *Infra.* De origine Iconomachiæ à quodam Iudæo Mago, qui Ezido Regi Arabum promiſit vitam fœlicem & regnum 30. annorum, ſi iuberet aboleri omnes imagines per totum ſuum regnum. Quod cum feciſſet: ſeſquianno poſt mortuus eſt, & Magus ab Vlido filio Ezidi morte turpiſſimâ punitus fuit. Tandem legati Papæ Adriani propoſuerunt vt imago ab omnibus ſalutanda die ſequenti in medium proferretur. Sancta Synodus dixit: fiat, fiat.

*Actione* 6. Per 6. *Tomos* referuntur acta 7. pſeudo-Synodi, à *Gregorio* Epiſcopo Neocæſarienſi, & reprobantur à Ioanne & Epiphanio Diaconis.

Tomus 1. *Greg.* Definitio ſanctæ magnæ & vniuerſalis Synodi .i. illius Pſeudo-Synodi Iconomachorum ſub *Conſtantino* Copronymo Imper. *Ioannes Diac.* Quo pacto ſancta: quę quid ſit ſanctum non intelligit? Quomodo magna & vniuerſalis: quæ non habuit cooperarium Romanum Papam, &c. neque concordantes ſibi Patriarchas Alexand. Antioch. Hieroſol. Quomodo erit 7. quæ non concordat cum 6. prioribus? Vt ſi quis ſex aureis nummis, adderet 7. æreum. *Greg.* Quæ iuxta gratiam Dei, & per pium noſtrorum Imper. Conſtantini & Leonis decretũ congregata eſt, &c. *Ioannes.* Gratia cum veritate coniuncta eſt, *Ioan.* 1. *Greg.* Lucifer hominem à Deo creatum alienauit, & vt creaturam relicto creatore adoraret compulit. *Epiph.* Si de Idolatria ſermo fuiſſet, &c. omnes ſani Eccleſię alumni cum illis conſentirent, &c. Verùm contra irreprehenſibilem Dei Eccleſiam linguas exerunt, &c. *Greg.* Opus manus propriæ Deus in perniciem abire, ferre non potuit, &c. *Epiph. Gen.* 1. Faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram, &c. Ipſâ formatione melior exiſtit reformatio. *Greg.* Reduxit nos ab idolorum cultu, & in ſpiritu & veritate adorationẽ nobis dedit. *Epiph.* Ecce dies veniũt, & delebo nomina idolorũ de terra, & non erit amplius eorũ memoria, *Zach.* 13. Quomodo ergo ruſſus in idolatriam ceciderunt, qui in Chriſtum credunt? *Greg.* Chriſtus Apoſtolos ſuæ fidei Doctores reliquit: qui noſtram ſanctãEccleſiã vt ſponſam ornarunt, & eam Patres noſtri, & ſex ſacræ priores Synodi incõtaminatã cõſeruarunt. *Epiph.* Labijs honorant: corde autẽ longiſſimè abſunt, *Eſa.* 29. Nam à tempore ſacroſanctæ 6. Synodi, vſque ad eorum Conciliabulum, non pluſquam 70. anni lapſi ſunt. Omnibus autem notum eſt, illis annis SS. picturas non fuiſſe contemptas. Verùm ab Apoſtolorum prædicatione extiterunt: vt omni loco ex earundem inſpectione in templo ſacris docemur, &c. Anno 5001. Chriſtus ad homines veniens, 30. annis, & mẽſibus circiter 5. nobiſcum vixit, &c. *Infra.* Cùm ſacra 6. Synodus ſuam ſententiam de vna voluntate Chriſti pronuntiaſſet: contigit *Conſtantinum* Imperatorem de vita decedere. Iuſtiniano autem eius filio imperium aſſumente, iterum omnes poſt 4. aut 5. annos congregati, circiter 102. Canones edidere: in quorum 82. de imaginibus ſic tradiderunt. In quibuſdam venerandarum imaginum picturis, *Agnus digito præcurſoris indicatus, figuratus eſt, &c.* Videmus igitur quod & ante ſacras 6. Synodos, & poſt, Sanctorum picturæ in Eccleſia traditæ fuerint, non aliter quàm ſacra Euangelij lectio, &c. *Cant.* 2. Oſtende mihi faciem tuam, & audire fac mihi vocem tuam. *Pſal.* 47. Sicut audiuimus, ſic vidimus, &c.

*Tomus* 2. *Greg.* Diabolus ſub prætextu Chriſtianiſmi, idolatriam latenter induxit. *Epiph.*



Digitized by Google

Quæ SS. Patres contra Arrianos determinauerunt: illi contra venerandarum imaginum erectionem detorquent. Vt *Greg. Nyſſ.* Oratione funebri de *S. Baſilio* fratre ſuo, in proœmio: *Poſtquam furor ille quo erga Idola animi hominum rapiebantur, prædicatione Chriſti extinctus eſt, &c. Callidus hoſtis ſub prætextu Chriſtianiſmi, idolatriam latenter innexit, &c.* i. Hæreſim Arrianam, adorandi Chriſtum vt ſolam creaturam, &c. *Greg.* Vt IESVS ſuos Diſcipulos ad extirpationem errorum miſit: ita & nunc ſuos famulos, &c. *Epiph.* Cùm ſemel à Chriſto ab Idolis liberati ſimus: quid eſt quod de ijs iterum aliquis nos incuſet? Iactant illi: *Quandoquidem Apoſtolorum Doctrina inueterata eſt, conſequens eſt vt nouam nos erigamus, &c.* Debebant igitur & ipſi gratiam amplam inuexiſſe, quæ etiam Apoſtolicam vinceret. *Greg.* Fidelium Eccleſiam, Dæmonum fraude deprauatam, &c. *Epiph.* Non videntur cognoſcere promiſſiones Catholicæ Eccleſiæ, ab ea qui illam fundauit. *Greg.* Pictura, à Dei Latria, ad creaturarum latriam hominum mentes detrahit. *Epiph.* Immemores Verbi Dei ex Virgine generati, &c. Imagines Domini & SS. eius non diſcreuerunt á Dæmonum imaginibus, &c. Vt qui audiunt auribus, gloriam Deo acclamant: ita qui oculis vident, &c. Nam ſi narratio ſcripta nobis res declarat: quidni & pictura? *Greg.* Sacra hæc noſtra Synodus, quam 338. conſtituimus, &c. *Epiph.* Numero gloriantur, qui turbam contra Eccleſiam excitarunt. *Greg.* Iuxta quod S. Synodus *Nicæna* contra *Arium*, & *Conſtantinop.* 2. contra *Macedonium*, &c. *Epiph.* Has quoque *Neſtorius*, quique illi aderant admiſerunt. *Greg.* Poſt has Congregatio 200. Patrum in Epheſo, *Neſtorium* hominis adoratorem condemnauit, &c. *Epiph.* Hanc & *Eutyches*, & *Dioſcorus* approbant: ſed Hæretici permanſerunt. *Greg.* Deinde congregata in Chalcedone Synodus, *Dioſcorum & Eutichen* anathematizauit, &c. Vltra has Conſtantinopolitana 5. *Originem*, *Euagrium*, *Didimum*, &c. Anathemate deuouit. *Epiph.* Et has, *Sergius*, *Cyrus*, & *Honorius* Romanus Antiſtes, & omnes qui Monothelitæ dicuntur, receperunt. *Greg.* Deinde Conſtantinopolitana 6. in qua *Theodorus*, *Cyrus*, *Honorius* Romanus Epiſcopus, *Sergius*, *Paulus*, *Pyrrh⁹*, *Petrus*, & *Macharius* Anathemate percuſſus eſt, &c. Sex igitur ſacræ Synodi dogmata noſtræ fidei tradiderunt. *Epiph.* Eccleſiam veluti rudem docere conantur: quæ tamen ſcientia plena eſt, *Eph.* 3. *Greg.* Contra Chriſti œconomiam, nefandam pictorum artem blaſphemantem, & ſex ſacras Synodos ſubuertentem, inuenimus. *Epiph.* Arbitrantur neminem exorturum, qui fraudes eorum deprehendat. Artes quæ à Scopo mandatorum Dei declinant, interdictæ ſunt: non aliæ. Nam pictor Crucem depingit: nec cui ſanum cerebrum eſt, ob eam cauſam pictorem auerſatur. De libris ſimiliter iudicandum eſt. *Greg.* Neſtorium diuidentem Filium Dei, fingunt, &c. *Epiph.* Quomodo Neſtorium fingit, qui Chriſti imaginem pingit? *Neſtorius* duos filios inducit, &c. Veri autem Chriſtiani vnicum confitentur. Sed imaginem eius vt hominis, non vt Dei depingunt, &c. Nullus autem qui ſapit, videns imaginem hominis, cogitat hominem ab anima per pictorẽ ſeparari, &c. *Greg.* Nec minùs *Arrium*, *Dioſcorum*, *Eutichen*: qui confuſionem duarum naturarum vnius Chriſti ſtatuunt. *Epiph.* Quæ coniunctio picturarum cum *Arrio*, *Neſtorio*, & *Eutiche*? Clarum eſt quòd inter ſe ſectæ iſtæ pugnent, &c.

*Tomus* 3. *Greg.* Iuſtum cenſemus eorum qui hæc faciunt, & venerantur, errorem demonſtrare, &c. *Epiph.* Verè ſuum errorem oſtenderunt, &c. *Greg.* Quæ hæc inſana opinio pictorum: vt turpis lucri cauſà, quæ effici nequeunt, ſtudeant confingere, &c. *Epiph.* Non vident & eos lucri cupidos, qui ſacros Euangelij codices deſcribunt, &c. Sacra Script. omnium à Deo ſcientiam approbat, *Iob* 38. *Exod.* 31. *Greg.* Ipſam Imaginem, Chriſtum vocant. Sequitur vt & Imago Dei ſit, & hominis, &c. *Epiph.* Non eſt pictorum inuentio: ſed Eccleſiæ Catholicæ traditio, &c. Chriſti imaginem ſecundùm naturam humanam, non diuinam pingere didicerunt, &c. *Euſebius Pamphilus* ab illis in teſtem vocatur: qui tamen ab omni Eccleſia Catholica *Arrianæ* hæreſeos defenſor eſſe cognoſcitur, &c. *Greg.* Ad apologiam confugiunt: quòd ſolius carnis imaginem exhibeant. Quæ eſt inuentio Neſtoriana. *Epiph.* Chriſtiani vnum Emmanuel Chriſtum Deum noſcentes, ipſum pingunt ſecundùm quod Verbum caro factum eſt, &c. *Greg.* Si ſimul caro, ſimul Dei Verbi caro, animata, &c. Quomodo ab impijs priuatim ſeparabitur? *Epiphan.* Aliud eſt imago, aliud prototypum: nec qui ſapit, proprietates prototypi in imagine exquirit. *Greg.* Carnem Deitati coniunctam diuidunt, & hanc vt nudi hominis imaginem pingere conantur, &c. *Epiph.* Chriſtum & imaginem illius nihil ſecundùm ſubſtantiam inter ſe differre aiunt, &c. vt ſupra. *Greg.* Hoc eſt Corpus meum, &c. Hic eſt Sanguis meus. Hoc facite in meam memoriam, *Matt.* 26. Ne poſſet vllo alio typo incarnatio illius repreſentari, &c. Vt Chriſtus carnem aſſumptam ſua vnitione Deificauit: ſic & panem Euchariſtiæ, vt veram imaginem carnis ſanctificatam, diuinum Corpus eſſe voluit. *Epiph.* Nemo vnquam SS. Patrum, incruentum noſtrum Sacrificium, imaginem corporis illius dixerit. Nam *Ioan.* 6. Qui manducat meam Carnem, &c. *Matt.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. Accipite & comedite: Hoc eſt Corpus meum, &c. Non autem, Sumite, edite imaginem Corporis mei, &c. Nunquam inuenies, nec Dominum, nec Apoſtolos, nec Patres, incruentum illud Sacrificium, imaginem dixiſſe: verùm ipſum Corpus, & ipſum Sanguinem. Sed ante conſecrationem, quibuſdam Patribus piè viſum eſt, antitypon .i. exemplar ſimilis formæ nominare, &c. poſt conſecrationem autem, Corpus Domini & Sanguinem Chriſti, &c. Si imago corporis eſt: non poteſt fieri Diuinum corpus, &c.

*Tomus* 4. *Greg.* Imaginum praua appellatio, nec ex Chriſti, nec Apoſtolorum, nec Patrum traditione cœpit, &c. *Epiph.* Quod nobis imaginum veneratio tradita ſit, latè per hiſtorias traditum eſt, &c. *Greg.* Nec precationem vllam quà ſanctificari poſſit, habet. *Epiph.* Ipſe typus

ſalu-

Digitized by Google

ſalutiferæ Crucis, ſine ſacra prece ſeu dedicatione, apud nos honorabilis exiſtit. Satisfacit enim nobis figura: quæ tum ſanctificationem accipit, cùm à nobis adoratur. Nam ſiue in fronte eam imprimimus, ſiue per aërea: confidimus crucem poſſe dæmones fugare. Eodem modo per imaginem, & per nominis ſignificantiam, &c. Quin etiam eam adorantes, ſperamus nos ſanctificationem conſecuturos. *Greg.* Dubitare oportet propter imagines terinculparæ & ſupergloriosæ Deiparæ, Prophetarum, Apoſt. & martyrum: cùm fuerint nudi homines, &c. *Epiph.* Nec quicquam habent contra intemeratæ Virginis, aut SS. imagines, &c. *Greg.* Catholica noſtra Eccleſia media inter Iudaiſmũ, & Gentilitatem, neutram illis conſuetam ſacrificationem accepit, &c. Cùm Gentilitas ſpem Reſurr. non haberet: dignum ſibi ludicrum excogitauit, vt abſentes tanquam præſentes exhiberet. *Epiph.* Iudaiſmus cum Gentilitate pugnat, ambo cum Chriſtianiſmo: hunc tamẽ medium declarant, &c. Imaginem Domini, idolum dicunt, &c. *Greg.* Quomodo Matrem Dei, ſanctiorẽ Cherubim, ars gentilium pingere audet? *Epiph.* Fideles norunt, verè & propriè Deiparam eſſe: norunt & Sanctos venerari, & imitari, per exempla, & per imagines, &c. Damnant Eccleſiam, quòd Symbola Gentilium admittat, &c. Sic omnia Deo conſecrata damnentur: vt ſacra vaſa, veſtes, &c. *Greg.* Deus eſt Spiritus: Qui Deum adorauerit, in ſpiritu & veritate adoret, *Ioan.* 4. Deum nemo vidit vnquam, *Ioan.* 1. & 5. Beati qui non viderunt, *Ioan.* 20. *Epiph.* Imperiti & inconſtantes peruertunt ſacras Script. 2. *Petri* 3. Quis non ſcit neminem vnquam vidiſſe Deum? Si quis hæc ſecundum humanitatem intellexerit, totum Euangeliũ ſubuertet. *Ioan.* 20. Chriſtus poſt Reſur. viſus eſt, &c. Chriſtiani nunquam imaginibus exhibuerunt adorationem in ſpiritu & veritate, neque etiam Cruci, &c. *Greg.* Non facies tibi idolum, neque omnem ſimilitudinem, &c. *Deut.* 5. *Epiph.* Poſtquam Deus Iudæos ab idolatria abduxiſſet, iuſſit tabernaculum fabricari, & cherubim inumbrantia propitiatorium, quod Chriſtum præfigurabat, &c. *Greg.* Mutauerunt gloriam immortalis Dei, &c. *Rom.* 1. Iam non cognoſcimus Chriſtum ſecundum carnem, 2. *Cor.* 5. Fides ex auditu, *Rom.* 10. *Epiph.* Clarum eſt *Rom.* 1. Apoſt. reprehendiſſe gentes, &c. Si dicant quòd poſtquam creditum eſt in Chriſtum: falſæ ſunt prædictiones. *Greg.* Iam non cognoſcimus Chriſtum ſecundũ carnem, &c. 2. *Cor.* 5. *Epiph.* .i. carnaliter, vel vt paſſibilem. *Greg.* Per fidem ambulamus, non per ſpeciem. *Epiph.* .i. Deum hîc non videmus, ſed credimus.] Supple ad *Rom.* 10. Fides priùs ex auditu: quàm vſus ſacrarum imaginum, ad memoriam, imitationem, & venerationem.

*Tomus* 5. *Greg.* Ne in Eccleſiam imagines inferatis, ſed circumferte Deum in cordibus veſtris, ex *Epiph.* Cyprio. *Epiph.* Decet Chriſtianum libros adulterinos reſpuere: vt Epiſt. Apoſt. ad *Laodicenſes*, Euangelium *Thomæ*, & quod nunc ex *B. Epiph.* dictum eſt. Hic enim librum 80. capitũ edidit contra omnes hæreſes: nec tamen cõtra imagines, &c. *Ab Epiph.* anni ſunt 400. & tamen nemo libros illos contra imagines, præter hos recepit, &c. Reliqui eius libri per totum orbem ſunt famigerati: at contra imagines vix tres aut quatuor per totam Eccleſiam reperiuntur: modo non ſint nuper editi, &c. Nam & illius diſcipuli, templum in Cypro ſub eius nomine ædificarunt: & cùm multis aliis picturis, illius quoque imaginem ibidem collocarunt. *Greg.* Flagitium eſt, fidem habere in coloribus, & non in corde: quia illa facilè eluitur; hæc mihi chara eſt, inquit *Greg.* Theol. in ſuis verſibus. *Epiph. B. Greg.* hæc ad moralem ſenſũ attulit: vt abſiſtamus à corporalibus, &c. *Greg.* Per ſcripta SS. habemus imagines animarum, nõ corporum, &c. inquit *Chriſoſt.* *Epiph.* Quæ oratio per auditum exhibet, Script. per imitationem oſtendit, &c. *Greg.* Non ſunt digni miſeratione qui creaturas adorant, vt ait *S. Athan.* *Epiph.* Quæ contra idola locutus eſt, tribuunt ſacris imaginibus. *Greg.* Nobis curæ nõ eſt ſanctorum vultus coloribus effigiare, inquit *Amphilochius*. *Epiph.* Hæreticis proprium eſt, mutilatas exquirerere ſentẽtias. Hæc enim intentione virtutis ab eo dicuntur. Infert enim: *curæ nobis eſt virtutes eligere, &c. S. Baſil.* in ſerm. moralibus: *Laudanda eſt templorum ædificatio, imaginum effiguratio. Aſterius de Euphemia* Martyre: *Pictor quoque per artem pius eſt, qui omnem hiſtoriam in Sindone pinxit, &c.* *Greg.* Sanctorum formas coloribus formari minimè decorum putamus: ſed virtutes quæ per ſcripta traditæ ſunt, &c. inquit *Theodotus* Ancyranus. *Epiph.* Si *Theodotus* viueret: clamaret cum B. *Suſanna Dan.* 13. Tu ſcis Domine quod falsò me accuſant, &c. Nihil enim tale vnquam ſermocinatus eſt. *Greg.* Quis gloriæ ſplendores effigiate pictura poſſet? Cùm nec diſcipuli eius in monte illum contemplari quiuerint. Vt inquit *Euſebius Pamphilus*, Epiſt. ad *Conſtantiam* Auguſtam. *Epiph.* Quis ignorat *Euſebium* conſenſiſſe Arrianis? *Sub finem.* Debebant Baſilium in teſtem citaſſe, qui imaginis honorem ad prototypum referri aſſerit: & Greg. Nyſſ. dicentem, Vidi imaginem paſſionis loquentem, &c. & *Chryſoſt.* qui ſe imaginem è cera fuſam, pietate plenam amaſſe dicit. *Greg.* Ex his igitur à Deo inſpiratis Script. &c. vna voce definimus, omnem imaginem Pictorum arte factam, ab Eccleſia Chriſtianorum reijciendam, vt abominabilem. *Epiph.* Quis ignorat illum lædi, cuius eſt imago? Hoc ipſa veritas, hoc rerum natura docet, hoc & Patres tradiderunt, &c. Nam quæ in Eccleſia tradita ſunt, neque additionem, neque ademptionem ſuſtinent.

*Tomus* 6. *Greg.* Qui ab hoc die imaginem auſus fuerit ſibi parare, aut adorare, aut in Eccleſia, aut clam habere: ſi Epiſcopus fuerit, aut Diac. deponitor; ſi laicus, anathemate percellitor, imperialibuſque conſtitutionibus ſubijcitor. *Epiph.* Ex hac voce, per omnem orbem terrarum multa & varia deſignata ſunt, &c. Quænam lingua calamitatem iſtam poterit exprimere? Hi ſunt fructus horum hominum, &c.

*Definitiones* 19. *huius pſeudo-Synodi: quarum* 16. *ſunt Orthodoxæ,* 9. *hæreticæ, contra omnem vſum imaginum Dei, Chriſti vt hominis, ſeu ſacra humanitatis, & ſanctorum, vt ſupra.*

*Actione* 7. *Definitio huius veræ Synodi* 7.

Credimus in vnum Deum, &c. vt 6. priores Synodi. *Subdit.* Fatemur autem vnanimiter nos Eccleſiaſticas Traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine decretas, retinere velle: quarum de numero eſt imaginum effiguratio; vt quæ hiſtoriæ Euangelicæ concinat, ad credulitatem veræ, & non phantaſticæ Incarnationis Dei, & ad vtilitatem ſimilitudinis, &c. Sanctorum Patrum Doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ traditionem obſeruantes: definimus venerandas & ſanctas imagines, ad modum S. Crucis, dedicandas, & in Templis Dei collocandas, habendaſque; tum in ſacris vaſis & veſtibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, & in vijs publicis; maximè autem imaginem D. N. Iesv Chriſti, deinde intemeratæ D. N. Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium Sanctorum. Quò omnes ad prototyporum memoriam, & deſiderium veniant, illiſque ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant: non tamen veram Latriam, quæ ſolùm Diuinæ naturæ competit; ſed vt typo S. Crucis, Sanctis Euangelijs, & Reliquijs Sacris, &c. Imaginis enim honor in prototypum reſultat; & qui adorat imaginem, illud in ea adorat. Sic enim SS. Patrum obtinet diſciplina, vel traditio Catholicæ Eccleſiæ, &c. Qui auſi fuerint aliter ſentire, aut docere, &c. aut quicquam de conſecratis in Eccleſia abijcere: vt codicem depictum Euangelij, aut figuram Crucis, aut picturam alicuius imaginis, aut reliquias Martyrum, quas ſciuerint eſſe veras, aut ijs vti tanquam communibus, ſi fuerint Epiſcopi aut Clerici, deponuntor; ſi Monachi aut Laici, communione priuantor. *Infra.* Subſcriptio omnium & ſingulorum Patrum Synodi. *Exclamatio.* Omnes ſic credimus, omnes approbantes ſubſcripſimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmauit. Credentes in vnum Deum in Trin. venerandas Imagines amplexamur, &c. Qui ſecus faxint, Anathemate percellim^r. Quicumque ſententias ſacræ Script. de idolis, contra venerandas imagines adducunt, Anathema. Qui venerandas imagines idola appellant, Anathema. Qui dicunt quòd Chriſtiani imagines vt Deos adorant, Anathema. Qui ſcientes communicant cum illis &c. Anathema. Qui dixerit, præter Chriſtum, alium nos liberaſſe à cultu Idolorum, Anathema. Qui audent dicere Eccleſiam Catholicam aliquando idola ſuſcepiſſe, Anathema. Si quis aliquem ex hæreſi Iconoclaſtarum defenderit, Anathema. Si quis Deum ſecundùm humanitatem, non circumſcriptibilem confeſſus fuerit, Anathema. Si quis Euangelicas narrationes per picturam repreſentatas, non acceptauerit, Anathema. Si quis has non ſalutauerit in nomine Domini, & SS. eius, Anathema. Si quis traditiones Eccleſiæ, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes, non curauerit, Anathema. *Canones Morales.* 22.

Epiſt. tres *Tharaſij* Patriarchæ Conſtantinop. 1. Ad Imperatores, de ſucceſſu ſacræ Synodi ſub eorum fauore: & de ſenſu adorandi, exoſculandi, & amandi ſacras Imagines, ex intentione & deſiderio Prototyporum. 2. Ad totum Clerum Eccleſiæ Catholicæ, gratulatoria de omnium præſentium & abſentium conſenſu in cultum ſacrarum Imaginum. 3. Ad *Adrianum* 1. Papam. De eius miſſionarijs ab Imper. & tota Synodo exceptis, litteris eius prælectis, totoque fœlici ſucceſſu ſacræ Synodi.

*Sigibertus* in ſuo Chronico, & alij referunt paulò ante hanc Synodum generalem, duo magna Conc. Romæ habita ſub *Greg.* & *Stephano* 3. pro cultu ſacrarum imaginum. Quorum tamen acta propria non extant: quia videntur fuiſſe tantùm conſultiua & diſpoſitiua ad 7. Synodum generalem in Eccleſia Græca celebrandam, contra Iconomachiam Græcorum. Contra quam tandem in Eccleſia Latina renouatá, celebrandum etiam fuit Conc Trid.

## *Ex ſacro Conc. Trid. Seſſ.* 25.

MAndat ſancta Synodus omnibus Epiſcopis, &c. vt de Sanctorum interceſſione, inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum vſu, fideles diligenter inſtruant: docentes, Sanctos cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, bonum atque vtile eſſe ſuppliciter eos inuocare, & ob beneficia à Deo impetranda per Filium eius D. N. I. C. qui ſolus noſter Redemptor & Saluator eſt, ad eorum opem confugere: illos vero impiè ſentire, qui negant SS. Beatos inuocandos eſſe, aut aſſerunt illos pro hominibus non orare, vel eorum vt pro nobis etiam ſingulis orent, inuocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum Verbo Dei, aduerſarique honori vnius Mediatoris, vel ſtultum eſſe regnantibus in Cœlo, voce vel mente ſupplicare. Sanctorum quoque Beatorum corpora, à fidelibus veneranda eſſe, &c. ita vt affirmantes Sanctorum Reliquijs honorem non deberi, &c. damnet Eccleſia. Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum SS. in Templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem impertiendum: non quòd credatur ineſſe aliqua Diuinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel fiducia in eis figenda, &c. ſed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ repræſentant; ita vt per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & SS. veneremur. Quod Conciliorum, præſertim 2. Synodi Nicenæ decretis eſt ſancitum, &c. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut ſenſerit; Anathema ſit. In has autem ſanctas obſeruationes, ſi qui abuſus irrepſerint: eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit; ita vt nullæ imagines rudibus occaſionem erroris prebentes, ſtatuantur, &c. Omnis ſuperſtitio, turpis quæſtus, laſciuia vitetur, procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur: & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione, homines ad commeſſationes & ebrietates non abutantur, &c. Statuit S. Synodus nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo appro-

Digitized by Google

approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, niſi eodē recognoſcente, & approbante Epiſcopo.

Ex quibus pleræque calumniæ euaneſcunt.

## *Reliquæ Difficultates.*

1. EXod. 20. Deut. 5. Prohibetur cultus Dei ſub vlla ſimilitudine: quod Synodus 7. explicat de cultu Dei vt Dei, ſeu ipſius naturæ aut Perſonæ Diuinæ. Cur ergo Deus Pater colitur ſub forma Senis: Spiritus S. ſub forma Colūbæ?

2. Vt *S. Ier. cap. 7.* refert & reprobat quaſdam mulieres Iudæas, *facientes placentas Reginæ Cœli*: ſic & *Epiph. Hæreſi 76. Collyridianorum*, quaſdam mulieres Chriſtianas, offerentes Deiparæ Mariæ tortas panis; Ergo & vouentes ac offerentes eidem ac alijs Sanctis, varia vota.

3. Concil. *Francfordienſe*, ſub *Adriano 1.* & *Carolo-magno*, reprobauit 7. Synodum, quoad cultum imaginum. Vt patet ex libris *Carolinis*.

4. Natura humana Chriſti etiam vt vnita, eſt creatura: ergo non eſt adoranda Latriâ.

5. Synodus 7. ſupra, negat Crucem vel imagines Chriſti adorari poſſe Latriâ. Ergo nec ipſum poteſt ſic adorari nomen Ieſu.

6. Non conſtat inter Catholicos, quo cultu imagines coli vel adorari poſſint.

7. Si quæ continent aut repræſentant Chriſtum, vel ei vnita ſunt, poſſint coadorari: an vel cur non B. Virgo, vt Mater Dei?

*Reſp. Ad* 1. Synodus 7. ſuprà, ſatis indicat legem illam Dei fuiſſe ceremonialem & Iudaicam, non autem naturalem & communem: niſi quoad obligationem non tribuendi Deo formam aliquam ſenſibilem, nec eum colendi ſub tali forma vt propria & intrinſeca ipſi naturæ, vel perſonæ Diuinæ. Nam Deus creauit Angelos & homines, ad ſui imaginem, & omnia ad aliquam ſui ſimilitudem: inſtituitque plurima ſuiipſius ſigna vocalia, viſibilia, & imaginabilia; ſed præcipuè illa ſub quibus apparuit, vt Deus Pater ſub forma Senis, ſeu Antiqui dierum, *Dan. 7.* Spiritus ſanctus ſub forma columbæ, *Matt. 3.* Chriſtus ſub forma Agni, *Apoc. 5. 6. 7. &c.* Cùm ergo Chriſtus coli poſſit ſub forma Agni, ad repræſentandum eius manſuetudinem: cur non & Deus Pater ſub forma illa Senis, ad ſignificandam eius æternitatem, & proritatem originis: Spiritus S. ſub forma columbæ, ad ſignificandam eius bonitatem? Hæ enim non ſunt ſimilitudines formales Dei, ſed tantùm metaphoricæ: nec inuentionis humanæ, ſed apparitionis diuinæ. Nec obſtat *B. Aug. lib. de fide & Symbolo, cap. 7.* De ſeſſione Chriſti ad dexteram Patris. *Non quaſi humanâ formâ circumſcriptum eſſe Deum Patrem arbitrandum eſt: Tale enim ſimulacrum Deo nefas eſt Chriſtiano in templo collocare, multò magis in corde* .i. Non quaſi Deus Pater credatur homo. *Tale enim ſimulacrum* .i. talis ſignificationis aut ſimulationis, *nefas eſt, &c.* Porro vt nomina propria Perſonarum diuinarum ſiue vocalia, ſiue ſcripta, non ſunt inhibita: ſic nec formæ quædam earum metaphoricæ, fidelibus in Eccleſia notoriæ.

*Ad* 2. *S. Ier. & S. Epiph.* reprobant ſacrificium panis: quod ab illis mulieribus fiebat Reginæ cœli .i. Lunæ; ab his autem, Deiparę virgini. Vt patet ex *Ier. 7.* Filij colligunt ligna, & Patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli, & libent Dijs alienis. *Cap. 44.* Sacrificemus Reginæ Cœli, & libemus ei libamina. *S. Epiph. hæreſi 79.* Quædam mulieres ſellam quadratam ornantes, expanſo linteo panem proponunt, & offerunt in nomen mariæ, &c. Ab æterno nullatenus mulier Deo ſacrificauit, &c.] Chriſtiani autem Catholici non vouēt nec offerunt B. Virgini aut Sanctis vllum ſacrificium: ſed quædam tantùm ſigna honoris, ſpei, & gratitudinis. Sic enim fiunt vota etiam ſtatus Religioſi, Deo, B. V. M. & alijs ſanctis.

*Ad* 3. Acta illius Conc. *Francford.* ſiue ex prætenſis libris Carolinis, ſiue aliunde, ſunt valde incerta, & corrupta. Referunt enim in hoc Conc. damnatam fuiſſe Synodum habitam Conſtantinopoli in Bithynia, ſine authoritate Papæ, pro imaginibus adorandis. Cùm Pſeudo-Synodus. 7. Fuerit habita Conſtantinopoli in Thracia, contra autoritatem Papæ, & fidem ac praxim totius Eccleſiæ colendi imagines: Sed Niceæ in Bithania habita ſit vera 7. Synodus, autoritate Papæ, pro vultu imaginum, contra illam Pſeudo-Synodum Conſtantinop. Hinc videtur Card. *Baronio, & Bellarmino*, in Concilio Francford. damnatam fuiſſe veram Synodum 7. ex errore facti, ſeu falſa informatione quòd decreuiſſet imaginibus cultum latriæ. Quia cum fuiſſet congregatū ab *Adriano 1. & Carolo Magno*: non habuit vllam quoad hoc confirmationem, nec executionem. Sed *Platinæ* in vita *Adriani* Papæ, *Surio, Binio* & alijs videtur hoc Conc. voluiſſe condemnare Pſeudo-Synodū 7. contra quam erat à Papa congregatum. Vt vt ſit, cùm hoc Conc. fuerit tantùm Prouinciale, nec à Papa confirmatum: non poteſt præualere veræ 7. Synodo, habitæ Niceæ, authoritate *Adriani* 1. confirmatæ ab eius ſucceſſore *Leone* 3. & ab 8. Synodo *Act. vlt. Can.* 3. Imò ipſa continua praxi colendi Chriſtum & SS. in ſuis ſacris Imaginibus.

*Ad* 4. Ex *Alenſi* ſupra, *p. 3. q. 3. m. 1. & q. 6. S. Bon. diſt. 11. a. 2. q. 1. Scoto diſt. 11. q. 1. 2. & 3.* Chriſtus vt homo .i. non ſimpliciter ſed ſecundùm quid, ſeu ſecundum ſuam naturam humanam eſt creatura: quia natura hæc humana vt ſingularis, priùs natura creatur quàm vniatur. Vnde *B. Aug. Epiſt. 57.* & alibi ſæpè dicit Chriſtum vt Deum eſſe Creatorem: vt hominem, eſſe creaturam .i. ſecundum hanc ſolam naturam humanam ſingularem, vt priùs natura creatam, quam vnitam. A qua tamen Chriſtus non poteſt ſimpliciter dici creatura, nequidem per communicationem idiomatum, vt dicitur mortalis: quia plus repugnat Chriſto eſſe creaturam ſeu ex nihilo, & tamē æternum ex ſe, quàm eſſe mortalem, & immortalem poſitiuè. Hæc enim verificantur de eadem Perſona, ſecundum aliam & aliam naturam: illa autem non poſſunt verificari, quia non poteſt eſſe ex nihilo ſui, niſi ſecundùm vtrâque naturam. Nō tamen vt natura humana Chriſti eſt creabilis, & creata ante vnionē: ſic ſola, per ſe, aut propter ſe eſt latreuticè adorabilis, ſed tantùm vt vnita eſt in ſua

Perſona

Digitized by Google

Perſona Diuina coadorabilis. Quia Deus ſeu Perſona Diuina eſt terminus proprius adorationis latriæ, ob ſuam excellentiam Diuinam. Ergo nihil poteſt adorari, vel coadorari, niſi vt vnum realiter, vel moraliter cum illa: ſiue vt contentum, ſiue vt continens, ſiue vt repræſentans, & ſupponẽs pro ea. Nec videtur natura humana Chriſti poſſe exteriùs adorari perſe minori adoratione, ob excellentiam ſuæ naturæ, gratiæ, & gloriæ humanæ: ſed tantùm adoratione Latriæ, propter excellentiam ſuæ Perſonæ Diuinæ. Tum quia adoratio externa non poteſt præſcindere naturam, à Perſona. Tum quia ex *Al. & S. Bon.* perſonalitas videtur eſſe ipſa dignitas moralis, cui honor debetur ob perfectionem & excellentiam ſuæ naturæ. Ergo videtur fieri iniuria Perſonæ, honorando naturam vt non ſuam. Tum denique quia videtur inhonorari ipſa natura humana Chriſti, honore infinitè minori quàm ſua perſonali. Vt quis inhonoraretur, ſolo aliquo minimo titulo, omiſſis maioribus. Tum quia olim cautum fuit, ne B. V. Maria vocaretur *Chriſtotocos*, quaſi Mater Chriſti vt Hominis: ſed *Theotocos* .i. Mater Dei; quia generatio & Maternitas eſt Perſonæ, non ſolius naturæ. Ergo nec natura humana Chriſti poteſt minùs adorari, quàm Latriâ. Tum denique quia *Conc. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 5. docet cultum Latriæ deberi Sacramento Euchariſtiæ, quia continet Chriſtum realiter præſentem: *nec eſſe minùs adorandum, quòd ſit inſtitutum ad ſumendum.* Quantò potiùs debetur cultus Latriæ humanitati Chriſti? Nec eſt minùs adoranda, quia habet aliquas minores perfectiones, ſuâ Diuinâ & Perſonali. Quamuis enim ſolum Corpus & Sanguis Chriſti expreſsè ſignificetur ex vi verborum: quia tamen verè & realiter vnitur Animæ, & Perſonæ Diuinæ; non poteſt coli minori cultu quàm Latriæ: qui non defertur rei vt ſignificatur, ſed vt eſt verè realiter, & perſonaliter. Ergo nec poteſt adorari ſaltem exteriùs, vt poteſt concipi ſeorſim à Perſona: ſed vt eſt verè vnita. Nec ſufficit exemplum noſtri R. P. à *Velaſco, De Incarn. diſp.* 20. *q.* 4. quòd Rex Hyſpaniæ honoretur in Flandria, vt Comes Flandriæ; in Biſcaia, vt Dominus Biſcaiæ. Quia non habet vbique ſummam illam poteſtatem regiam: nec vnquam eius inſignia, aut tituli ſeorſim, ſed coniunctim exprimuntur.

*Ad* 5. Synodus 7. negat Crucem vel Imagines Chriſti adorari poſſe Latriâ, ſimpliciter & abſolutè, ſeu terminatiuè ad ipſas: ſed definit adorari poſſe Latriâ ſecundùm quid, & relatiuè, ſeu terminatiuè ad ipſum Chriſtũ. Vt patet ex *Act.* 7. Nec obſtat quòd ait: *Non tamen veram Latriam, quæ ſolùm Diuinæ Naturæ competit; ſed vt typo S. Crucis, Sanctis Euangelijs, & Reliquijs ſacris, &c.* Quia hic per, *veram*, intelligit abſolutam: non prout oponitur falſæ Latriæ, quæ nulli exhibenda eſt; ſed ſignificatiuæ & relatiuæ, quæ debetur *S. Cruci, ſanctis Euangelijs, & Reliquijs Chriſti.* Nam, inquit, *Imaginis honor in prototypum reſultat: & qui adorat Imaginem, in ea adorat prototypum.* Ergo vnâ eâdemque adoratione: per Imaginem relatiuè, ad prototypum terminatiuè. Vt enim quæuis figura S. Crucis adoratur: non ob vllum vnquam contactum Chriſti, nec ob ſolam ſimilitudinem Crucis Chriſti, aut cum Chriſto Crucifixo: ſed quia æquè ſignificat Crucifixum, ac ipſum nomen Crucifixi. Sic & Imagines Chriſti adorantur: non ob ſimilitudinem ſuperficialem, quàm habent cum forma humana Chriſti, ex *Aug.* 8. *Trin.* 4. ſed quia æquè ſignificant Chriſtum, ac nomen Chriſti, & ſumũtur pro ipſo Chriſto. Deinde vt Euangelia non adorantur, quia continent verba ſcripta ſimilia verbis Chriſti, aut eiuſdem ſignificationis: ſed quia ſignificant ipſum Verbum Dei, & Veritatẽ Chriſti. Ex *B. Aug. hom.* 26. Non eſt minus Verbum Dei, quàm Corpus Chriſti .i. ipſa veritas Verbi Dei ſcripti & prædicati, vt in 4. *col.* 327. Sic nec Imagines Chriſti adorantur, niſi vt ſignificant ipſum Chriſtũ. Denique, vt ſacræ Reliquiæ non adorantur niſi prout ſupponunt pro toto: ſic nec Imagines, niſi pro ſuo ſignificato. Confirmatur ex *Trid. ſeſſ.* 25. vt ſupra. *Honos qui exhibitur Imaginibus, refertur ad prototypa: ita vt per Imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, &c.* Ita & de nomine Iesv, ſiue dicto, ſiue ſcripto, ſiue picto: niſi quòd hoc ſit ſignificationis expreſſioris, celebrioris, & diuinioris. Vt enim nomen Dei ineffabile *Tetragrammaton*, ex ſingulari inſtitutione Dei, erat inter Iudæos præ omnibus adorandum: ſic & nomen Iesv inter Chriſtianos, *Matt.* 1. *Luc.* 1. 2. *Phil.* 2.

*Ad* 6. Conſtat inter Catholicos practicè, de adorando Nomine Iesv, S. Cruce, & ſacris Imaginibus Chriſti, ſumptis pro hoc ſolo ſuo ſignificato, eodem cultu Latriæ: nec eſt opus ad hoc, vt conſtet ſpeculatiuè, an, & quo cultu proprio hæc ipſa ſacra ſigna, ob hanc ſacram ſignificationem coli poſſint. Sed certum eſt quòd quò minùs ex ſe coli ac adorari poſſunt: eò potiùs Chriſtus per ea colendus & adorandus ſit; quia hic cultus non poteſt eis vllatenus attribui.

*Ad* 7. Quò B. V. Maria eſt in ſe perfectior, naturâ, gratiâ, & gloriâ: eò minùs poteſt eodem cultu coli vel adorari, quo Chriſtus; quia hic cultus poſſet ei attribui, vel cum eius cultu proprio confundi. Vt tamen Mater continet Chriſtum, eique vnitur: videtur poſſe coadorari. Tum quia, vt ſic, ſolus Chriſtus eſt obiectum formale, motiuum & terminatiuum adorationis: Mater autem eſt tantùm obiectum materiale coadorationis. Tum quia, vt Luna coram Sole non apparet: ſic dignitas Matris comparata dignitati infinitæ Filij. Tum quia vt ſic, Mater & Filius non cenſentur moraliter duæ Perſonæ: ſed perſona Matris abſorbetur dignitate Perſonali Filij. Sicq; facilè vendicatur à calumnijs hæreticis illa vulgaris hyperbole ſub nomine *S. Aug. Quò me vertam, neſcio: Hinc lactor ab vbere* .i. vt collactaneus Chriſti lactentis; *hinc paſcor à Sanguine*, ſolius Chriſti patientis. Cui picturæ & inſcriptioni, quidam Hæreticus Syluæ-Ducis Flandricè ſubſcripſit: *O ſtulte, verte te ad Chriſtum.* Sed, ô liuide: An ad Chriſtum ſolum, & immediatè, vel potiùs cum Matre & per Matrem? An ad Chriſtum in Cruce: vel in vtero & ſinu Matris? Quamuis autem relatio inter hanc Matrem & Filium, ſit maior vnio quauis locali & materiali: non ſufficit tamen ad coadorationem exteriorem, ſed fortè interiorem.

QVÆST.

Digitized by Google

# QVÆSTIO XV. *De Sanctitate Deiparæ V. M.*

*An ſemper fuerit Sancta, & Immaculata, ſeu concepta in ſtatu gratiæ, abſque vlla macula culpæ originalis; eiuſq; non ſola Virginitas, ſed & Conceptio paſsiua, ſeu Perſona vt concepta, verè & piè colatur ab immemorabili per totam Eccleſiam, ſub titulo proprio Immaculatæ.*

SVppoſitis Dogmatibus, & Decretis Eccleſiæ de B. V. Maria. 1. De Sancta eius Natiuitate: ex feſto publico Eccleſiæ. 2. De innocentia totius vitæ ab omni peccato actuali: ex Conc. Trid. *ſeſſ. 6. Can.* 23. & conſenſu totius Eccleſiæ. 3. De perpetua eiuſdem virginitate, ſupra *col.* 310. *can.* 3. contra *Antidicomarianitas*, apud *Epiph.* hæreſi 78. & *S. Aug.* hæreſi 56. quibus connumerat *Iouinianum* hæreſi 82. & *Heluidium* hæreſi 84. vt eiuſdem hæreſis ſectatores, ſeu aduerſarios perpetuæ virginitatis, tam Deiparæ, quàm aliarum virginum. 4. De vera eius maternitate ipſius filij Dei: vt ſupra *col.* 236. *can.* 6. & totâ *Quæſt.* 9. contra *Neſtorium*. 5. De cultu proprio Deiparæ V. M. Vt ſupra *quæſt.* 14. *& in* 4. *à col.* 977. *ad* 989. contra omnes hæreſes huius ſæculi. 6. De perfecta eius beatitudine & glorificatione: ex feſto ſolenni Aſſumptionis eius, & ex *Trid. ſeſſ.* 25. vt ſupra *col.* 422. *& in* 4 *à col.* 964. *ad* 969. contra omnes negantes perfectam Beatitudinem animarum Sanctarum ante reſurrectionem generalem. 7 Exceptâ ſolâ Conceptione B. ac Immaculatæ V. Mariæ, a decreto ſacri *Conc. Trid. ſeſſ.* 5. de peccato originali. 8. Inſtituto, approbato, & confirmato Ordine ſeu ſtatu Religioſo Monialium, à *Iulio* 2. *Alexandro* 6. *Sixto.* 4. ſub voto ſolemni, & varijs Indulgentijs in honorem Immaculatæ Conceptionis paſſiuæ V. Mariæ. 9. Permiſſo ſaltem à tot ſæculis, imò & in ipſa Eccleſia Romana celebrato feſto & officio ſolenni in honorem eiuſdē Conceptionis: eodemque à *Sixto* 4. approbato, & magnis Indulgentijs commendato: reprobatâ omni contradictione. Vt patet ex duplici eiuſdem *Sixti* 4. Conſtitutione ſupra relata *col.* 221. 222. & renouata ab ipſo ſacro *Conc. Trid. ſeſſ.* 5. 10. Denique commendatâ ſaltem vt piâ & ſalutari doctrinâ de Conceptione B. M. V. in ſtatu gratiæ, abſque vlla macula peccati originalis: inhibitâ omni contrariâ vt ſcandaloſâ, à *Sixto* 4. *Pio.* 5. *Greg.* 13. 15. *Vrbano* 8. *Innoc.* 10. Vt patet ex eorum Conſtitut. & decretis ſupra *col.* 221. 222. 223. 224. Et ex Cenſuris *Pij* 5. *& Greg.* 13. confirmatis ab *Vrbano* 8. & *Innoc.* 10. in Prop. 70. *D. Baij.* His inquam omnibus ſuppoſitis, ſtatus doctrinę de Conceptione Immaculata B. V. videbatur proximus definitioni: cùm ecce aduerſarij eum ad quoddam æquilibrium reuocare conantur, quodam decreto ſacræ Inquiſitionis Romanæ, quam ipſi adminiſtrant, ne titulus Immaculatæ tribuatur ipſi Conceptioni, ſed ſoli Virgini Mariæ. 1. Quia, inquiunt, *Pius* 5. mutauit officium *Nogarolei* de Conceptione Immaculata, in officium de Natiuitate B. V. 2. Quia *Greg.* 15. ad vniformitatem officij diuini decreuit, vt ſine vllo præiudicio doctrinæ, ab omnibus fieret de Conceptione, non autem de ſanctificatione B. M. V. vt fiebat à Dominicanis: ergo non de Cōceptione vt immaculata, ſed indifferenti ad vtramque ſententiam. 3. Quia *Vrbanus* 8. ad maximorum Principum inſtantiam noluit approbare Feſtum, Officium, nec Ordinem equeſtrem ſub titulo Immaculatæ Conceptionis: ſed tantùm Conceptionis Immaculatæ *V. Mariæ*. 4. Nec Prædeceſſores ex propria ſententia tribuerunt titulum Immaculatæ ipſi Conceptioni: ſed tantùm recitatiuè, ſeu referendo ſententiam aut narrationem alienam. 5. Nec Eccleſia Græca tribuit vnquam titulum *Immaculatæ*, Conceptioni B. V. M. à S. Anna: ſed ipſiùs Chriſti à B. V. M. 6. Quia titulus Conceptionis Immaculatæ potiùs ſignificat ſenſū publicum Eccleſiæ, quàm propoſitio negatiua maculæ originalis, aut affirmatiua puritatis originalis. 7. Quia vſus & ſenſus communis populi Chriſtiani ſæpè fuit erroneus & ab errore corrigendus: vt ab Anabaptiſmo, ab Arianiſmo, teſte S. Hieronymo. 8. Quia vſus publicus huius tituli ab ipſo ſummo Pontifice & eius miniſtris, præiudicaret doctrinæ oppoſitæ, imò & poteſtati Eccleſiæ aliter definiendi. Hinc expertus & miratus fui Romæ ſub *S. D. N. Vrbano* 8. nil potuiſſe impetrari ex officijs publicis ſub titulo *Immaculatæ* Conceptionis. Sed non potuit caueri quin hic titulus, non ſolùm vt proprius perſonæ & Virginitati, ſed & ipſi Conceptioni paſſiuæ B. V. M. toto orbe Chriſtiano à ſæculis ita præualuerit: vt non poſſit ſine graui ſcandalo inhiberi, nec in dubium reuocari. Cùm ergo maiores noſtri tanto ſtudio promouerint rem ipſam, ſeu famam & gloriam Immaculatæ Conceptionis paſſiuæ B. V. M. vſque ad poſſeſſionem, ſeu ſtatum tam proximum Definitioni, vt nec aduerſarij auſint de rei veritate, ſed de ſolo titulo contendere: Cauendum eſt ne cauſa ab hoc ſuo ſtatu vel minimum relaxatur, nec Deipara Virgo vlla poſſeſſione huius famæ & gloriæ, quæ hoc ipſo titulo Immaculatæ Conc. exprimitur, niſi definitiuè priuetur. In quē finē reſumēdi, acuēdi, & ſtringendi ſūt omnes ſacri calami & ſtyli, huic titulo inſcribendo, pingendo, ſculpendo deuoti ac appenſi: omnia huius ſacræ Conceptionis luminaria ad hunc ipſum titulum euidentius legēdum & relegendum, reaccendenda, vel ventilanda & emungenda ſunt: omnia eius organa ad eundem titulum cantandum, pſallendum, ſacris phollibus inſpiranda ſunt; denique cœlum & terra ad hunc concentum æmulandum & reſonandū, concilianda ſunt. Non tamen reſumendum nec ſubeundum eſt onus agendi & probandi: ſed officium vel miniſterium poſſidendi & tuendi famam & gloriam à maioribus acquiſitam ac delatā Immaculatæ Concept. contra aduerſarios vt actores.

## *Reſponſio.*

TAnta eſt fama & gloria huius Immaculatæ Conceptionis, tantoque iure fundata huius tituli poſſeſſio: vt nec Deipara Virgo, nec totus orbis Chriſtianus poſſit eā priuari ſine graui iniuria & ſcandalo, niſi ex perfecta cognitione & definitione cauſæ



Digitized by Google

1. Quia fundatur in varijs ſacræ ſcript. locis credibiliter applicatis Deiparæ Virgini, eiuſque Immaculatæ Conceptioni, ab ipſa Eccleſia, in ipſis Officijs Diuinis: vnde habent multo maiorem vim probandi, quàm ex priuata cuiuſuis applicatione. Inter quæ ad intentam ſamam gloriam & poſſeſſionem huius Immaculatæ Conceptionis ſolet explicari & applicari illud *Gen.* 6. *Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa, vel ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Quod nec poteſt intelligi de *Eua*, nec de vlla alia muliere, quàm de Virgine Deipara: quæ ſola fuit inuicta & illæſa à primo illo ſerpente ſeu Diabolo, & per ſuum *ſemen* ſeu Filium, primo paſſu ſeu ingreſſu ad vitam, contriuit caput ſerpentis inſidiantis calcaneo ſuo .i. peccatum originale, quo primò intrat mordet & inficit animam per corpus velut per calcem; niſi ſit calceata ſeu præſeruata gratiâ. De qua *Cant.* 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in Calceamentis, filia Principis?* Eſſe autem illæſam & inuictam, imò & victricem illius ſerpentis, eſt eſſe immaculatam in ſua Conceptione paſſiua. *Cant.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cap. 5. *Amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cap. 6. *Vna eſt columba mea, perfecta mea &c. Quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol.* Quæ non poſſunt intelligi niſi de totali pulchritudine, immaculatione, vnitate, perfectione, & luce ſpirituali Deiparæ Virginis, ſine vlla vnquam macula, aut tenebris, ſeu priuatione gratiæ. Nec poteſt eius pulchritudo eſſe totalis & immaculata, niſi ſit totius vitæ ab ipſo primo inſtanti incluſiuè. Quibus non obſtat comparatio cum luna quaſi maculoſa: quia vel nunquam eſt talis, ſed tantum apparet; vel hæc imperfecta comparatio ſtatim corrigitur perfectiore, cum ipſo Sole.

Prou. 8. *Dominus poſſedit me*, vtique per gratiam, *initio viarum ſuarum*.i. ante omnia alia opera ſua. *Nondum erant abyſſi* .i. peccata in ipſa permiſſione Dei: *& ego iam concepta eram*, in eius prędeſtinatione, mente, & idæa perfectiſſima. *Eccli.* 24. *Ego ex ore altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam &c.* i. immediatè, & immaculatè à Deo quoad intentionem: quamuis per peccatores quoad executionem. *Tunc*, ſeu ex tunc ab æterno: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo* .i. in me, per gratiam mihi concreatam & immutabilem. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & Sanctæ ſpei* .i. ſemper diligens, & dilecta &c. *In me omnis gratia vitæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis* .i. Nulla mihi gratia deeſt aut defuit. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini* .i. actiuâ, & paſſiuâ, ſeu fructu vtriuſq;. *Qui elucidant me* .i. glorificant: *vitam æternam habebunt*, in præmium.

*Pſal.* 44. *Adiuuabit eam Deus manè diluculo* .i. luce ſuæ gratiæ, ipſo primo inſtanti Conceptionis eius. *Pſal.* 84. *Benedixiſti Domine terram tuam* .i. Matrem propriam, ante omnem maledictionẽ originalem. *Pſal.* 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis &c.* .i. Prima gratia Conceptionis eius, excedit omnem gratiam Sanctorum. *Pſal.* 92. *Domum tuam decet ſanctitudo, in longitudinem dierũ* .i. perpetua. *Pſal.* 97. *Saluauit ſibi dextera eius &c.* .i. Præſeruauit ſibi matrem, &c. Quæ non plus probant, quàm quòd ipſa Eccleſia his & ſimilibus ad laudes Deiparæ Virginis in ſuis feſtis vtatur.

Sed quæ propriè in laudem Deiparæ Virginis ex *Luc.* 2. proferuntur: ſunt ſolidiora immaculatæ Conceptionis eius fundamenta, ac propugnacula. Vt, ſalutatio illa Angelica, *Aue gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus:* cuius ſingula verba habent propriam emphaſim. *Aue*, ex anagrammate plurium Sanctorum, ipſiuſque Eccleſiæ, *Sumens illud Aue Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Euæ nomen:* videtur eſſe ipſum nomen *Euæ* inuerſum, vel potius erectum, vt liberum in Deipara Virgine ab omni *Væ*, ſeu maledictione culpæ. Quia tamen hoc eſt anagramma latinum, nec Deipara fuit ab Angelo latinè ſalutata: proſequamur realiora. *Plena gratia:* Non plenitudine corporali vllius loci, vel ſpacij; ſed ſpirituali, huius ſubiecti, ſeu animæ, vt eſt capax gratiæ: nec plenitudine originali; ſed participata ab *Vnigenito pleno gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine omnes accepimus, Ioan.* 1. Nec totâ plenitudine poſſibili, vel futura; ſed ſaltem debita, ac decente ſuum finem proximum, ſeu ſtatum inſtantem Matris Dei. Vt enim natura, & eius Author abhorret à vacuo corporali: ſic & Deus vt author gratiæ, à vacuo ſpirituali, ſeu priuatione gratiæ.

Nec tamen de plenitudine gratiæ, vel tunc, vel ante, poſt vllam vacuitatem ſeu priuationem gratiæ: ſed ipſo primo inſtanti Conceptionis inchoatâ. Tum quia Angelus non reſtringit eam vllo verbo nec participio ad tempus vel inſtans ſalutationis, nec ad vllum initium vel terminum repletonis, nec ad vllam ſpeciem, intenſionem, aut numerum gratiarum: ergo fauor hic eſt ampliandus ad totam vitam, à primo inſtanti incluſiuè, & ad omnem gratiam eiuſque plenitudinem debitam ac decentem, ſecundum ſubiecti capacitatem gratuitam & meritoriam, & finem ſeu ſtatum Matris Dei præſentem, vel à primo inſtanti Conceptionis actualiter præparatum. Tum quia Angelus non loquitur hîc temporaliter & mutabiliter, more humano: ſed vt de veritate diuina & immutabili. Tum quia non ſolum affirmat aut reuelat B. V. Mariam eſſe, aut ex tunc fuiſſe gratia plenam: ſed eam ſalutat & honorat hoc titulo vt ei ſoli proprio; ergo vt nunquam vacuam, nunquam maculatam, ſed ſemper gratam & immaculatam, directè contra negationem huius tituli, ſupra. Tum quia non nominat eam nomine Mariæ, proprio à Natiuitate: ſed vt prædicit nomen IESV priuſquam in vtero conciperetur; ſic & reuelat nomen ſeu titulum proprium & perpetuum Matris eius. Non quod fuerit ſemper æquè plena gratia: ſed nunquam vacua, nunquam priuata, imò & à primo inſtanti plena gratiâ tunc debitâ ac decenti. Tum denique quia vocat eam gratiâ plenam, vt vas proprium gratiæ, non culpæ. Nam vt non cenſetur propriè vas vini, niſi vino proprium; nec plenum vino, niſi à fundo ad labium aut ſummum: ſic nec *B. V. M.* plena gratiâ, niſi vt vas ſolius gratiæ, non culpæ; nec à fundo

fundo ſeu primo inſtanti vitæ, vſque ad finem. Cuius defectu naſcimur omnes *filij & vaſa iræ*, non propria gratiæ: nec poteſt vlli tribui plenitudo gratiæ, in quo præfuit aut interfuit vlla vacuitas ſeu priuatio gratię. Nec obſtat quod vaſa materialia prius fiant, quàm repleantur: quia nec ſunt vaſa ex natura ſua ſed ab arte, nec poſſunt vnquã eſſe vacua ſaltẽ aëre; nectamen priùs replentur ſuo contrario, quàm proprio contento. Sed B. V. Maria non eſt niſi vas ſpirituale gratiæ: non ſolùm ex prędeſtinatione ad gloriam ante omnem permiſſionem ac præuiſionem peccati; ſed etiam ex electione & coelectione cum ſacra humanitate Chriſti, in matrem eius, & in Matricem ipſius Fontis gratiæ. Hinc quamuis omnes animæ rationales ſint vaſa ſpiritualia capacia gratię: quorum quædam ſunt prædeſtinata in honorem, ſeu ad gloriam; non tamen vt propria gratiæ, ſed vt priùs vacua ſeu priuata gratiâ, quàm gratificentur & repleantur; quia non includunt in Dei prædeſtinatione ipſum Fontem gratię, vt B. V. Maria, ſed includuntur ſub abyſſo ſeu vacuo naturæ humanæ, vt meritò priuatæ & indignę gratiâ originali.

Confirmatur ex. *S. Hier. ſerm.* De Aſſumpt. *Qualis & quanta eſſet B. V. M. ab Angelo diuinitus declaratur cum dicitur, Aue gratia plena &c. Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus &c. Et benè plena: quia cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Verè plena: quia licet in Sanctis Patribus gratia fuiſſe creditur; non tamen eatenus plena. In Mariam verò totius gratiæ quæ in Chriſto eſt plenitudo venit, quanquam aliter &c.* Anſelm. libro de conceptu Virginali. *Decebat vt Chriſti conceptio de Matre puriſſima fieret. Nempe decens erat, vt ea puritate qua maior ſub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret, &c.* Cœpit autem decere primo inſtanti: ergo & incœpit eſſe plena gratia primo inſtanti; quia non eſt aſſignabile aliud initium huius decentiæ & plenitudinis. Nec aliter eſſet particeps totius plenitudinis Chriſti: nec aliter tanta puritate niteret quâ maior ſub Deo nequit intelligi; cùm hæc facilè intelligatur.

Quanta autem tandem fuerit & ſit plenitudo gratiæ in Deipara Virgine, non eſt proprium huius quæſt. Sed quod inceperit à primo inſtanti Conceptionis incluſiuè. Quod & colligi poteſt ex ſequentibus. *Dominus tecum* .i. Non ex nunc, nec communiter: ſed ſemper, & excellenter. Nec per ſolam gratiam communem: ſed per ſingularem, efficacem, & propriam, præuenientem & comitantem, actualem, permanentem, & præſeruantem; nec per aliquam reconciliationem, ſed per amicitiam perpetuam. Vt patet ex iiſdem circumſtantijs quibus ſupra de plenitudine gratiæ. Imo *Dominus tecum* .i. vt Dominus, poſſeſſor, protector, & amicus immutabilis ac inuincibilis. Idem enim eſt eſſe cum, ac inhabitare, cohabitare, comitari, eſſe vnitum, eſſe pro. Vt *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Nec Dominus fuit cum ea, niſi & ipſa ſemper ei adhæſerit.

*Benedicta tu, in mulieribus* .i. Tu ſola ab omni maledictione mulierum excepta, & præ omnibus benedicta: omni vtique benedictionem etiam oppoſita illi maledictioni *Iob. 3. Maledixit Iob diei ſuo: Pereat dies in qua natus ſum & nox in qua dictũ eſt conceptus eſt homo.* Nec hæc Benedictio reſtringitur præ ſolis mulieribus, quaſi non præ viris, & Angelis: ſed hoc ipſo præfertur omnibus alijs, vt incapacibus maternitatis Dei, ex qua omnis eius benedictio oritur. Cùm ergo Angeli & primi parentes fuerint gratis creati in gratia, ex ſola capacitate creaturæ rationalis ad gratiam: quanto potius B. V. M. ex decentia futuræ maternitatis? Quod videtur *S. Elizabeth Luc.* 2. his verbis ſupplere & exprimere: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui* .i. ſimili quidem benedictione, ſed originali & finali totius benedictionis tuæ.

*Ne timeas Maria: inueniſti enim gratiam apud Deum &c.* Vel primam illam tuæ Conceptionis, non priùs à te quæſitam: vel eius plenitudinem & perfectionem vlteriorem, ex priori gratia meritoriè quæſitam ſeu acquiſitam. *Spiritus S. ſuperueniet in te*: ad Conceptionem actiuam Chriſti, qui præuenit tuam Conceptionem paſſiuam. *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: ad concipiendum immaculatè; ſub cuius vmbra & tu immaculatè concepta fuiſti. *Ecce ancilla Domini &c.* Vtique nata, & concepta; non mercenaria, recuperata. *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quanto potiùs B. V. M. ipſo primo inſtanti ſuæ Conceptionis, ex vſu rationis & motu Charitatis? *Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit Spiritus meus*, cur non primo ſuo inſtanti, priùs & potiùs quã Ioannes, ſupra? *In Deo ſalutari meo*, ex tunc me ſaluante, ſeu præſeruante, modo præſtantiſſimo ſaluandi. *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*: cur non etiam primo ſuo inſtanti potiùs quàm ab vllo ſequenti? *Ecce enim ex hoc* .i. non ex nunc, ſed ob hoc *beatam me dicent* .i. ſimpliciter ſine vlla exceptione, *omnes generationes* .i. fidelium Chriſti ſucceſſiuè; ergo & immaculatè conceptam. *Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo &c.* Luc. 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ergo multa ſunt ſecreta ex cordibus fidelium de ea reuelata aut reuelanda &c.

Inter hęc tamen nihil glorioſius, nihil expreſſius primo illo titulo, *Aue gratia plena*: qui continet ipſum titulum Immaculatæ Conceptionis, ſeu immaculatè conceptæ; nec poteſt hic inhiberi aut aboleri, ſine aliqua illius iniuria ſeu reſtrictione à ſuo totali ſenſu, ore, praxi, & poſſeſſione omnium fidelium.

2. Fundatur veritas & titulus Immaculatæ Conceptionis, ſeu B. Virginis vt immaculatè conceptæ, in Traditione, ſeu vſu publico ac perpetuo huius tituli, vel ſimilium in eundem ſenſum: non ſolùm à populo Chriſtiano, ſed etiam à Sanctis Patribus, ſacris Concilijs, totaque Eccleſia. Vt ſtudioſiſſimè per omnia ſecula traduxit, & in Roſarium collegit noſter R. & Ill. *P. Hugo Cauellus*, ad finem lib. 3. Sent. Ex quo videntur hæc certiora & expreſſiora.

Ex Sæculo 1. & 2. *S. Iacobus* in ſua Liturgia.



Digitized by Google

*Memento Sanctiſſimæ, immaculatæ, ſuper omnes benedictæ glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ ſemper Virginis Mariæ.* Chorus reſpondet. *Dignum eſt vt te verè Beatam dicamus, Deiparam, omnibus modis irreprehenſam.* Vbi titulus Immaculatæ diſtinguitur à perpetua Virginitate. Eccleſiæ Egypti, Syriæ, & Abiſſinorum, ex traditione ab Apoſtolis, celebrant feſtum Conceptionis B. M. Virginis: in cuius Liturgia dicitur. *Lætare Immaculata. Hoc eſt corpus quod aſſumpſit ex Domina noſtra Immaculata V. M.* Eccleſia Græca celebrat idem feſtum ſub hoc titulo: *Conceptio munda B. Annæ, Dei & D. noſtri Auiæ.* S. Andræas Apoſtolus. (ex actis eius approbatis.) *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra antequam eſſe maledicta: ita ſecundus Adam formatus fuit ex terra Virginea nunquam maledicta. S. Thiſiphon* Diſc. *S. Iac.* in libro antiquo reperto anno 1595. refert Apoſtolos in quodã Cõc. definiuiſſe B. V. M. *conceptam fuiſſe ſine culpa originali.* Additque: *Nequaquam Angelus Virgini diceret, Aue gratia plena, ſi in originali fuiſſet concepta. S. Dion.* 3. Diuin. nom. *Non decebat vt illud corpus Virginis poſtquam habuit animam fuiſſet vnquam mortuum peccato, ſi dedit principium vitæ &c. Flauius dexter* in Lib. omnimodæ hiſtoriç dicato S. Hyer. refert à *S. Iacobi* prædicatione celebrari in Hiſpania *Feſtum Immaculatæ & illibatæ Conceptionis Dei Genitricis.*

Ex Sæculo 3. *Origines Hom.* 1. ex varijs. *Neque ſerpentis perſuaſione decepta, nec eius venenoſis afflatibus infecta eſt. Et Hom.* 3. *in Matt.* 2. Vocat eam *Immaculatam Immaculati. Greg. Neoceſar.* Serm. 2. de Annunt. *Aue gratia plena: quoniam immaculatam induta es veſtem. S. Cypr. l. de Card. Oper.* Chriſti, Serm. de Natali Chriſti. *Maria communicabat naturã, non culpã.*

*Sæculo* 4. *S. Baſil.* in ſua Liturgia vocat B. V. M. *Sanctiſſimam & Immaculatam.* Citatur & Serm. de Annunt. *Hæc eſt quæ in vtero Matris abſque peccato originali concepta. S. Chriſoſt.* in ſua quoque Liturgia vocat B. V. M. *penitus Immaculatam:* & orat. de Annunt. *Miſſus eſt à peccato integer, ad corruptionis expertem. S. Ambr. Serm.* 22. *in Pſal.* 118. *v.* Quære ſeruum tuum: *Incorrupta Virgo ab omni labe peccati integra.* Citantur & ex eodem in varijs Breuiarijs: *In qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. S. Ephrem* Oratione ad Deiparã: *Immaculata, intemerata, incorrupta, & ab omni labe peccati alieniſſima. S. Athan.* Serm. 1. de Annunc. *Quod omnibus gratijs abundaret, & virtute Altiſſimi obumbraretur, per omnia tempora eam habuiſſe confido, neque id temporarium in Virgine accidiſſe. S. Hier.* in Pſal 77. *Maria non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* Et alibi ſæpe, vt ſupra, & in ſacro Officio noſtro de hac Conceptione.

Sæculo 5. *S. Aug. lib. de natura & gratia cap.* 36. De exceptione B. V. Mariæ ab omni quæſtione peccati. *Lib.* 5. *contra Iul. cap.* 9. De conſequentia à peccato originali ad actuale, & à negatione huius ad negationem illius. *Serm.* 95. *de S. Stephano, &* 113. *de S. Cyp. ex* Diuerſis. Dé celebrandis feſtis prætioſæ mortis Sanctorum, non autem eorum natalitijs in peccato originali. Ex quibus & alijs locis, *R. P. & Ill. D. Florentius Conryus*, ex Ordine *S. Franciſci*, Archiepiſcopus *Tuamenſis*, Doctrinæ Auguſtinianæ peritiſſimus, libello Anno 1619. edito elicuit veram ſententiam B. Aug. de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ. Cui & conſentit *S. B. vel author antiquus Serm* 4. ſuper Salue Regina. Verũ quia librũ illum noſtri R. P. ac Ill. D. non reperio: ne tanta fax Doct. Auguſtinianæ minùs luceat, & alluceat immaculatæ Conceptioni: luſtremus, illuſtremus, & emungamus ex *B.* Aug. quicquid in ea fumat aut caligat.

Libro de Natura & Gratia cap. 36. *Pelagius commemorat eos qui non modo non peccaſſe, verùm etiam iuſtè vixiſſe referuntur: ipſam etiam D. ac Saluatoris noſtri Matrem, quam dicit ſine peccato confiteri neceſſe eſſe pietati. Exceptà itaque B. V. Mariã, de qua propter honorem Domini nullam prorſus cùm de peccatis agitur habere volo quæſtionem: vnde enim ſcimus quid plus ei gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eũ, quẽ cõſtat nullũ habuiſſe peccatum? Hâc ergo Virgine exceptâ, ſi omnes Sanctos cùm hic viuerent congregare poſſemus, & interrogare vtrum eſſent ſine peccato &c. Nonne vna voce clamaſſent,* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt?*

In quem Tomo 2. noſtræ Anat. ſic commentati ſumus. Sed difficultas eſt, quod hic textus ſonet ſub dubio: *vnde enim ſcimus quid &c.* cùm ſoleat referri abſolutè, *Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit &c.* Deinde quòd hîc videatur tantùm agi de peccatis actualibus & venialibus, non autem de originali.

*Reſpondetur*, Vtramque lectionem fauere innocentiæ B. Virginis ab omni peccato, à primo inſtanti ſuæ Conceptionis incluſiuè. Quia hæc nõ ſonat vllũ dubiũ de facto, ſeu *quin ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*: ſed tantùm de modo, ſeu de quidditate, quantitate, qualitate gratiæ ad hoc ei collatæ. Quamuis autem videatur agi de ſolo peccato actuali, eiuſque victoria etiam actuali: hæc tamen exceptio *B.* V. Mariæ non reſtringitur, ſed etiam extenditur per particulas vniuerſales, affirmatiuas, & negatiuas, ad negationem & victoriam omnis peccati, etiam originalis: cùm ſuprà & infrà promiſcuè agatur contra Pelagianos, tam de peccato originali quam actualibus; nec victoria actualis requirat alium actum, quàm ſolam reſiſtentiam formalem vincentis; & potuerit B. Virgo in inſtanti Conceptionis vincere peccatum originale, non tantùm quaſi formaliter ipſo habitu gratiæ infuſæ aut concreatæ, ſed etiam actu perfectiſſimæ charitatis. Deinde videtur etiam ſatis diſtinctè excludi peccatum originale, per *victoriam illam peccati ex omni parte.* Si enim hoc ipſum referatur ad ipſam *victoriam*: ſignificat plenitudinem & perfectionem *victoriæ*, abſque vllius hoſtis exceptione, aut vlla ab hoſte repaſſione, præpaſſione, vel præuia victoria hoſtili. Si autem referatur ad ipſum *peccatum omni ex parte*: vel ſignificat omnẽ ſpeciem peccati, vel ſignificat omnem originem, ſiue ex propria voluntate, ſiue ex voluntate aliena, videlicet Adami. Et quidem hanc relationem ad omnem originem videtur exigere particula *ex*:

*Omnis*

Digitized by Google

*Omnis* autem *pars*, includit etiam partem Adami ſeu originem peccati, & peccatum originale ex parte Adami. Denique finis huius exceptionis, *propter honorem Domini*, & aſſimilatio Matris,cum Filio,*quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*, æquè requirunt innocentiam eius à peccato originali, imò plus quàm ab omni actuali. Tum quia originale eſt peius, & Matre Chriſti indignius, ac Filio diſſimilius,quàm peccata venialia. Tum quia eſt Deo honorabilius, ac glorioſius, & Chriſto ſimilius, eam præſeruaſſe, quàm purgaſſe. Tum quia peccatum originale eſt naturalius, ſeu intimius naturæ ac carni, ex qua caro Chriſti concipienda erat, quàm peccata actualia: quæ priùs afficiunt & inficiunt animam quàm carnem, cùm peccatum originale inficiat animam ex corpore infecto. Tum denique, quia videtur Deo honorabilius & glorioſius excipere à peccato alieno, quàm propriæ voluntatis.

Quòd ſi quis replicet B. V. *Mariam* non excipi hîc, niſi à peccatis ſine quibus nullus aliorum Sanctorũ vnquam fuit,aut vixit, ex 1. *Ioan*. 1. Hæc autem non eſſe niſi actualia, venialia, & quotidiana; quia remiſſo originali, omnes ſine illo fuerunt & vixerunt, potueruntque verè profiteri ſe illud non habere. *Reſp*. Hoc ſenſu, remiſſis aliquando actualibus, fuiſſent etiam & vixiſſent aliquando ſine illis. Ergo non agit de ſolis peccatis actualibus,nec de ſolis præſentibus, ſed & præteritis ac futuris: nec de ſolis peccatoribus, ab aliquo actu præſenti, vel præterito peccandi; ſed etiam à ſubiecto cuiuſuis peccati præſentis vel præteriti, actualis vel habitualis, formalis vel materialis, & ab inclinatione vel ſubiectione peccandi. Nam & pueros ante vſum rationis, ſemper recenſet inter peccatores: vt *lib*. 1. *Conf*. de ſeipſo, *Tantillus puer, & tantus peccator*. Et ipſam concupiſcentiam, ac omnes eius motus, etiam remiſſâ culpâ originali, vocat peccata, & ab illis denominat peccatores. Ergo vt excipit B. Virginem à numero peccatorum: ſic & ab omnibus peccatis à quibus peccatores denominari poſſunt. Ad cuius imitationem, ſacrum Conc. *Trid. ſeſſ*. 5. excipit ſolam B. Virginem à ſuo decreto de peccato originali, & *ſeſſ*. 6. *Can*. 23. ab omni culpa actuali.

Quid ergo hoc textu, velut cereo paſchali, lucidius: quem *B. Aug*. confert, defert, præfert,& offert Immaculatæ Conceptioni, totiquæ vitæ B. *Mariæ*? Vt enim ille cereus, ſic & hic textus omnibus alijs prælucet in honorem Deiparæ Virginis: non ſolùm vt in morte Chriſti Filij ſui, ſed & in propria Conceptione, & tota vita ſua, fide perfectâ lucentis,& charitate ardentis.Quo textu reliqui omnes illuſtrantur, quicquid in eis deeſt ſuppletur,quicquid in eis fumat emungitur.

Vt *lib*. 3. *de lib.arb.c*.5.*Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, &c. Si te delectat creatura quæ non peccat: crede eſſe talem*. Cap. 11. *Illa natura ſublimioris officij eſt, quæ non ſolùm ſi non eſſet, ſed etiam ſi peccaret, minueret ordinem vniuerſitatis*. Vnde tam hîc, quàm *lib*. 12. *Conf.c*. 11. *lib*. 22. *contra Fauſt. cap*. 28. & alibi ſæpè, cenſet probabile Deum creaſſe aliquos Angelos, nullo peccato, aut peccati periculo ſubiectos. Quantò id potiùs de anima Chriſti ex vnione hypoſtatica intulimus, ſupra *q*. 11. *col*. 345 & hîc de V. Deipara inferimus,ex eius vnione, ſeu coelectione æterna cum Filio, & ex perfecto ordine vniuerſi, ſeu ne tota pura creatura humana ſubeſſet periculo peccandi & pereundi.

*Epiſt*.3. *Si ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare, &c*. de partu Virgineo ſolius Deiparæ. Vnde ſupra *col*. 345. intulimus impeccabilitatem Chriſti: hîc autem etiam inuiolatam & immaculatam virginitatem ſpiritualem, ſeu innocentiam *B. Mariæ* ab omni culpa originali. Quia *B. Aug*. tribuit Deiparæ mirabilia ſupra rationem, & ſingularia ſupra exexempla. Non eſſet autem ſingularis,ſed communis eius conceptio in culpa originali, nec inuiolata Virginitas animæ eius.

*Lib*. 10. in Gen.c.18. *Puer eram ingenioſus,&c*. Sap. 8. *Quid ingenioſius illo puero: cuius in annis* 12. *Seniores prudẽtiã mirabãtur? Quid illa anima melius? Quid incoinquinatius illo vtero Virginis?* Ergo ab omni cõcupiſcentia,& culpa etiam originali:alioquin fuiſſet aliquando inquinatus, potuiſſetque eſſe incoinquinatior. Nec obſtant ſequentia: *Cuius caro etiamſi de peccati propagatione venit; non tamen de peccati propagine concepit, &c. Proinde Corpus Chriſti quamuis de carne fœminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis propagine concepta fuerat: tamen quia non ſic in ea concepta eſt, quomodò fuerat illa concepta; nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati, &c*. Quia non ſic diſtinguit Conceptionem Virginis *Mariæ* à Conceptione Chriſti, quoad animam & animationem: ſed quoad ſolam carnem, ſeu corpus. Nam de anima ſubdit: *Si à me quæratur vnde acceperit animam* IESVS *Chriſtus: mallem quidem hinc audire meliores atq; doctiores; ſed pro meo captu libentiùs reſponderim, non de Adam, quàm de Adam. Si enim puluis ex terra in qua nullus hominum fuerat operatus, meruit animari*, Gen. 2. *quantò magis corpus aſſumptũ ex carne in qua itidem nullus hominum fuerat operatus,ſortitum eſt animam bonam*. Sic & *l*.2.ex duobus de *Gen*.contra Manichæos, cap.24. *Chriſtus factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem .i. tanquam de limo terræ: cùm homo non eſſet qui operaretur in terra; quia nullus homo operatus eſt in Virgine. Fons autem aſcendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. Facies terræ .i. dignitas terræ, Mater Domini* V. MARIA *rectiſſimè accipitur: quam irrigauit Spiritus ſanctus, &c. vt qualis Adam de limo terræ, talis homo ille fieret, &c*. Ergo diſtinguit Conceptionem Chriſti à Conceptione Matris eius, quoad Corpus illius ex Virgine, huius ex non Virgine: non quoad animam, vel animationem à ſolo Deo,nec quoad culpam originalem aut non. Quamuis enim hîc & alibi ſæpè dubitet de traductione animarum ex anima *Adæ*, ad traductionem peccati orig. excepta ſaltem ſemper anima Chriſti: potiùs tamen inclinat in originem omnium animarum rationalium immediatè à ſolo Deo; ſed ad ſimilitudinem animæ *Adæ*, vt exemplaris omnium poſteriorum, ſecundùm principium generationis per concupiſcen-



Digitized by Google

*Lib. De bono coniugali*, cap. 25. *Virgines profeſſæ, exceptis quibuſdam, cæteros à ſe ſuperari non dubitent, &c. non quantum ab Annâ, Suſanna, ſed quantum ambæ à Maria. Quod ad ipſam pertinet ſanctam carnis integritatem, loquor. Nam quæ alia ſint Mariæ merita, quis ignorat?* Ergo vltra Virginitatem ſemper ſupponit omnes alios Sanctos eſſe B. V. Mariæ incomparabiles in ſanctitate.

*Epiſt.* 89. ad Quæſt. 3. *Quem fortè inuenerint infantem, non ex illius vnici hominis concupiſcentia procreatum: ipſum dicunt illi damnationi non eſſe obnoxium &c.* Non ironicè, in re tam ſeriâ; ergo de poſſibili, & fortè tali ſaltem B. V. Maria. Subdit enim, de ſimilitudine præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri, *Rom.* 5. Id eſt, vel Chriſti, à ſenſu contrario, vel totiùs poſteritatis, vt oriundæ ex concupiſcentia Adæ. Atqui Chriſtus & Mater eius eſt prior Adamo in conceptu Dei: ergo non ex eius concupiſcentia, nec ad eius formam; ſed Filius ad formam Matris in natura, Mater ad formam Filij in gratia. Nec obſtat *Liber generationis Chriſti, ab Adam vſque ad Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, Matt.* 1. *Luc.* 3. Quia vt hic fuit ex ſola Virgine Matre, ſic & hæc potuit eſſe ex Patre & Matre, ſine concupiſcentia Adæ: ſed vt parentes genuiſſent in ſtatu innocentiæ, vel ex ſolo appetitu & motu naturali generandi, & ex gratia continendi omnem motum concupiſcētiæ, ordinando & referendo motum naturæ ad ſuum finem ſupernaturalem. Quamuis enim motus generandi, vt non liber ſed naturalis, ſit ex demerito peccati originalis: non eſt tamen ipſa concupiſcentia, nec ſemper ex aliquo eius motu; ſed hæc concupiſcentia vitioſa eſt appetitus ſenſitiui, vel rationalis, ad ſenſum & delectationem in vi & motu infimo generandi. Hinc vt Chriſtus quāuis ex ſola Matre dicitur filius Adæ, materiater: Sic & Mater eius filia Adæ naturaliter, quoad vim & motum generandi; non autem concupiſcibiliter, nec ad formam Adæ vt peccatoris, ſeu in peccato originali. Quia ex *B. Aug.* peccatum originale eſt ipſa concupiſcentia, vt priuata gratia continente, vel remittente: traduciturq; per generationē ex concupiſcentia prolium in ea ſimiliū. Ex noſtra *Quæſt.* 8. *in* 2. *ſent. à col.* 513. *ad* 526 Ergo B. Virgo non eſt genita in peccato originali: quia nec ex, nec in concupiſcentia. Hinc *B. Aug. lib.* 1. De nupt. & concup. c. 12. *Solus concubitus nuptialis non fuit inter Ioſeph & Mariam: quia in carne peccati fieri non poterat, ſine illa pudenda carnis concupiſcentia, ſine qua Chriſtus concipi voluit.* Ergo B. V. *Maria* nec erat obiectum, nec ſubiectum vllius concupiſcentiæ propriæ, vel alienæ. Nec obſtat *lib.* 2. contra Iul. cap. 15. *Excepta Carne Chriſti omnis reliqua eſt caro peccati, &c. Mariæ corpus quamuis per concupiſcentiam venerit: tamen eam non traiecit in corpus quod non inde accepit.* Quia caro propria V. Mariæ poteſt dici caro peccati, vt ſupra col. 436. & genita *per concupiſcentiam* .i. per motum illum naturalem reſultantem ex concupiſcentia habituali, non actuali. Imò cùm vir & vxor, ac fratres inter ſe dicantur vna caro: quanto potiùs caro Chriſti eſt caro Mariæ, & caro Mariæ eſt & fuit Caro Chriſti, vt eius materia, à primo inſtanti Conceptionis ad hoc præparata ac defæcata.

Neque etiam obſtat in *Pſal.* 34. *Maria ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, & caro Domini ex Maria, mortua eſt propter delenda peccata.* 1. Quia ex *Adam*, executiuè, materialiter, & naturaliter vt ſupra. 2. Mortua eſt morte corporali, non ſpirituali: quia mori non eſt concipi ſine vita, ſed priuari vita habita. 3. *Propter peccatum*: non vt proprium, ſed ſolius Adæ; vt proles patiuntur propter peccata parentum; vel ex ſola priuatione immortalitatis corporalis, non ſpiritualis, ob peccatum Adæ; vel denique in aliquam cum Chriſto, & per Chriſtum ſatisfactionem pro peccatis alienis. Hîc enim diſtinguit inter mortem Mariæ, Adæ, & Chriſti, propter peccata. Ergo Maria nec eſt æquè benè mortua propter peccata ac ipſe Chrriſtus, nec æquè malè ac Adam & alij eius poſteri; ſed aliquo ex illis modis medijs.

*Lib.* 2. *Conf. cap.* 7. *Homil.* 23. & alibi ſæpè, comparat & præfert remiſſionem peccatorum per gratiam Chriſti præſeruantem, remiſſioni per gratiam purgantem: ergo non hanc, ſed illam tribuit Deiparæ Virgini.

*Tract. de Cataclyſmo cap.* 6. Comparat Chriſtum, & Sanctam eius Crucem, ac Matrem, Virgæ Moyſi deuoranti ſerpentem, ſeu Diabolum, & omnem Hæreſim: ergo hæc nunquam fuit à ſerpente infecta peccato originali, vel vlla hæreſi. Hinc Eccleſia ei accinit: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti.* Vtique per Chriſtum. Quarum prima fuit illa primorum parentum defectio, interna, vel ſaltem externa, à fide Vebi Dei.

*Lib. Meditationum ex B. Aug.* cap. 40. *Sancta & immaculata Virgo Dei Genitrix Maria, &c.* Non *Immaculata* in ſola Virginitate: quia *quæ ſint alia Mariæ merita quis ignorat?* Ergo in Anima, Corpore, Perſona, & tota vita, à primo inſtanti Conceptionis incluſiuè.

*Serm.* 113. *ex diuerſis*, De Feſto S. Cypriani. *Eccleſia natales vocat pretioſas Martyrū mortes, &c. Quando S. Cypr. natus eſt, ignoramus, &c. Sed illum diem non celebreremus, etſi neſcemus. Illo enim Die traxit originale peccatum: iſto autem die vicit omne peccatum.* Ergo hic & alibi ſæpè cenſet non celebrari vlla feſta Sanctorum, pro ſtatu peccati, ſed ſolius gratiæ, & gloriæ. Celebratur autem in Eccleſia feſtum Natiuitatis & Conceptionis B. V. Mariæ. Ergo non fuit nata, nec concepta in ſtatu culpæ, ſed gratiæ. Nec potuit *B. Aug.* ignorare hæc feſta B. V. M. fuiſſe in varijs Eccleſijs, aut ſaltem æquè & potiùs celebrari potuiſſe, ac feſtū Natale *S. Ioan. Bapt.* De quo ipſemet *B. Aug. Hom.* 44. *c.* 2. *Date mihi ſeruum præter Ioannem, cuius natalē diem Eccleſia celebret?* Vbi comparat ſeruos inter ſe, non Matri: de qua *cap.* 5. *O Verè gratia plena! Quis hanc gratiam explicet?* Serm. 20. de Sanctis, qui nunc eſt 76. Appendicis. *Sermone* 23. cap. 1. *Quare Natalem Ioannis ex vtero potiùs celebramus, quàm cuiuſlibet Apoſtoli &c? Quia nullius illorum Natiuitas Domino militauit* .i. Nullus natus eſt ſeruus Dei per gratiam, vt *Ioannes*. Sic & *Serm.* 40. de diuerſis. Porro ſparſim

rationem

Digitized by Google

*iecta fuit in B. Virgine: vt nullatenus rebellare poſſet, gratiâ Dominante.* Ergo & primo inſtanti. §. 3. *Ex Aug.* Lib. 1. De peccatorũ mer. & rem. cap. 24. *Non excipitur caro B. Virginis, quin priùs inſuerit fomes, ſed caro Chriſti ex ea.* Ergo non negat exceptionem animæ B. V. ſed ſolius carnis. *Ad* 1. *Puritas B. V. tanta fuit, quanta decuit eam pro ſuo ſtatu.* Ergo quâ nequit intelligi maior ſub Deo. Ad 2. *In B. V. erat omnimoda extinctio fomitis, etiã quoad potentiam diſpoſitam.* Ergo à primo inſtanti, non poſt, *extinguebatur*, inquit. *Parte* 3. Quæſt. 9. m. 2. *Art.* 1. Negat ex *S. Bern.* fuiſſe Sanctificatam in ſua Conceptione: *Quia actus coniugalis vt perſonalis & voluntarius, poteſt eſſe meritorius; ſed non ipſa Conceptio naturalis.* Ergo non ex ſe, ſed ex *S. Bern.* vel de prima Conceptione ſolius corporis ex actu coniugali; vel denique de non ſanctificata Conceptione paſſiua, ex vi actiuæ, ſeu actus coniugalis. *Art.* 3. Negat tantùm ſanctificationem propriam Corporis, ante Animam. *Art.* 4. *Fuit ſanctificata poſt infuſionem animæ* .i. poſt naturâ. *Art.* 5. *Credo firmiter*, vtique in laudem, *quòd B. Virgo in prima ſanctificatione* .i. primo inſtanti, ante omnem temporis ſucceſſionem, & priuationem actualem, *quantum ad ſuam Perſonam*, ex Anima & Corpore, non autem quoad ſolum corpus vt ex ſemine vtriuſque ſexus, *ita purgata fuit à peccato & fomite*, non actuali ſeu contracto, ſed potentiali ſeu contrahendo: *quòd nihil in Perſona ſua remanſit purgandum*, quoad Animam & Corpus, *ſed ſolùm in natura*, non vt hac ſingulari & perſonali, ſed vt humana & vitiata. Vt enim *B. Aug.* ſupra, *de mundatione carnis & animæ ſuſcipiendæ, aut eam ſuſcipiendo*: ſic & hic de purgatione. Vel de purgatione in eſſe obiectiuo, & potentiali, à debito contrahendi peccatum & fomitem, ſicque & à peccato ac fomite potentiali. Nam vt Alenſis ſolet negare potuiſſe quicquam creari ab æterno: quia nonniſi ex non eſſe reali, & quodam eſſe obiectiuo ac potentiali, quaſi naturâ priore in non eſſe, quàm eſſe reali: ſic & hîc videtur ſupponere ſanctificationi & purgationi B. V. priorem aliquam priuationem, & purgationem Animæ ac Perſonæ B. Virginis in ſuo eſſe obiectiuo, ac potentia proxima eſſendi. Hinc. *P.* 2. *q.* 11. *m.* 3. *Caro non eſt capax peccati formaliter, ſed originaliter. Perſona Adæ corrupit totam naturam*: humanam, non omnem ſingularem. *Natura*, vtique humana & vitiata, *corrumpit originaliter Perſonas*, quæ illam participant, *& Perſonæ actualiter*, ſeu malè operando, *naturam quam participant. Sed gratia Sanctificat perſonam, non carnem, niſi vt eſt Perſonæ.* Quæſt. 21. m. 3. a. 6. *B. Virgo non potuit fieri melior quoad gratiam, in ordine ad Conceptionem & Maternitatem Chriſti*: ex *S. Anſelm. De conceptu Virginali.* P. 2. q. 95. *Puritas B. V. Fuit quâ maior nequit intelligi: ſed an nec fieri, non definio.* Atqui eius Conceptio Immaculata poteſt intelligi: ergo cenſet eſſe talem; imò non audet definire an puritas eius non ſit maior quàm à nobis intelligi poſſit, & qua maior nec fieri poſſit.

*S. Bon.* Serm. 2. De Aſſumpt. *Solus Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa Mater eius virgo. Credendum eſt enim quod nouo ſanctificationis genere in eius Conceptionis primordio, Spiritus S. eam à peccato originali, non quod fuit, ſed quod infuiſſet, redemit, atque ſingulari gratia præſeruauit.* De quo Sermone nulla eſt ratio dubitandi: niſi quòd videatur contra eius doctrinam in 3. *D.* 3. *a.* 1. *q.* 1. Sed potuit eam exemplo ſui Magiſtri retractare: nec eſt abſolutè contra. Nam illâ *q.* 1. negat Carnem B. Virgnis fuiſſe ſanctificatam in prima Conceptione ex ſemine ante animationem. Sed non improbat feſtum Conceptionis ſeu animationis B. Virginis: imò, relatâ poſſibili interpretatione huius feſti, pro ſanctificatione ſub initium vitæ, ſubdit tanquam ex propria ſententia. *Credo tamen & confido, quòd ſi quis hanc ſolemnitatem celebrat ex deuotione, Benedicta Virgo eius deuotionem acceptet*: Ergo vt veram, & certam, vel ſaltem probabilem. Nec obſtat quòd *Ad* 4. neget eam conceptam fuiſſe à Spiritu S. vt ſanctificante: Quia, vt inquit, concepta fuit *per coitum coniugalem, quamuis ſine culpa actuali*; nec fuit primò concepta quoad animationem, & Perſonam capacem ſanctificationis, ſed quoad ſolum corpus ex ſemine vtriuſque ſexus. *Quæſt.* 2. Refert fundamenta vtriuſque ſententiæ, pro, & contra Conceptionem Immaculatam: præferens hanc potiùs vt alienam, & tunc communiorem, quàm propriam & priuatam. *Quæſt.* 3. De certa ſanctificatione B. V. ante Natiuitatem: ex eius feſto ſolemni. Ergo & ſanctitas Conceptionis fuit ei probabilis, ex feſto tunc ipſi probabili: & nunc eſſet ei certa, ex feſto communi. *Art.* 2. *q.* 1. De innocentia B. V. ab omni peccato actuali: ex iiſdem principijs, ex quibus & ab originali. *Q.* 2. De fomite *carnis*, nunquam autem animæ B. V. vt de Alenſi ſupra. Sed in 1. *diſt.* 17. a. 2. q. 4. *Scio*, inquit, *de Chriſto quod tantum habet gloriæ, quantum poteſt recipere creatura vnica: & credo hoc ipſum de Matre dulciſſima.* Ergo nonniſi ex pari gratia: non æquali, ſed proportionata capacitati & ſtatui: nec tam intenſiuè, quàm extenſiuè per totam vitam.

*S. Thomas* in 1. diſt. 44. a. 3. *Talis fuit puritas Virginis, quæ à peccato originali, & actuali fuit immunis.* Diſt. 17. q. 2. a. 4. *Decuit Virginem eâ puritate nitere, quâ maior ſub Deo nequit intelligi: Quia peruenit ad ſummum puritatis; ſub Deo tamen, in quo non eſt vlla potentia deficiendi, vt in quauis creatura.* Referuntur vt eiuſdem plura: ſed ex opuſculis vel editionibus incertis. Nec in Summa *p.* 3. *q.* 27. *a.* 2. videtur ipſi *Caietano* negare ſanctificationem B. V. in inſtanti infuſionis Animæ, ſed ante, vel poſt. Quod ſi *in* 3. *diſt.* 3. *q.* 1. *a.* 1. *Quodl.* 6. *q.* 5. *a.* 7. & alibi videatur nimis expreſsè contra Conceptionem Immaculatam: vel fuit problematicus, vel etiam retractauit quodam lib. proprio Retract. quem *Ioannes vitalis* Tract. de Concept. teſtatur ſe vidiſſe.

Ex *Sæculo* 14. Frater *Ioannes Duns Scotus*, Doctor Subtilis ex Ord. Minorum, *in* 3. *d.* 3. *q.* 1. ſupra. Sed & pluribus alijs Scriptis, & ſolemnibus diſputationibus honorem Immaculatæ Conceptionis piæ fidei communi reſtituere cœpit: Vniuerſitatem Pariſienſem & Colonienſem ſub iureiurando huic ſententiæ conciliauit; eamque per

ſuos Diſcipulos ac ſubdiſcipulos omnium Ordinũ religioſorum, ad hunc vſque ſtatum promouit. Inter quos eius Diſcipulos, *F. Franciſcus Mayronius*, Doctor Illuminatus, videtur eminere.

Adhoc Sæculum referri poſſunt reuelationes expreſſæ *S. Brigittæ*, de Conceptione *B. V. Mariæ* ſine peccato originali, approbatæ à *Gregorio* 11. anno 1377. & poſtea ab *Vrbano* 6. & *Bonifacio* 9. præuio examine multorum Theologorum, ac Cardinalium. Quibus non ſunt comparabiles prętenſę reuelationes oppoſitę S. Catharinę Senẽſis. Quia nec ſunt tam approbatæ, nec tam expreſſæ, & potiùs ſuſpectæ alicuius opinionis aut affectionis humanæ, quàm illæ. Nam hæc *S. Catharina* vt Diſcipula Ordinis *S. Dominici*, in feruore huius controuerſiæ, erat medullitùs imbuta ſui Ordinis Doctrinâ: non ſic autem S. Brigitta, quæ videtur etiam fuiſſe prior totâ hâc inter duos Ordines controuerſiâ. Anno 1389 in Regno Galliæ edicto publico inhibitum fuit ſub graui pœna ne quis concionaretur aut diſputaret contra Immaculatam Cõceptionem. Idem & in Regno Aragoniæ & Cataloniæ 1394. & poſt 1451.

Ex *Sæculo* 15. *Conc. Baſileenſe ſeſſ.* 36. *vt ſupra col.* 221. Nec obſtat quòd nec hoc propriè definiat, nec ſit approbatum à Papa: quia nec eſt quoad hoc improbatum; ſed pluribus ſimilibus decretis Eccleſiæ confirmatum. Vnde patet ſenſus, conſenſus, ac vſus communis & continuus Eccleſiæ, honorandi & colendi B. V. Mariam, ſub titulo Immaculatæ etiam in ſua Conceptione.

*Sixtus* 4. Inſtituit, imò ſupponit & approbat pro tota Eccleſia Feſtum ſolemne, & Officium proprium Conceptionis vt *Immaculatæ*: Imò ſub hoc ipſo titulo, non ſolùm vt relatiuo ad Virginem, & Dei Matrem, ſed etiam ad eius Conceptionem. Vt patet ex duplici eius Conſtitut. Quibus confirmat Officium *Nogarolei*, quod eſt de hac *Immaculata Conceptione*: & per *miram* Conceptionem *Immaculatæ* Virginis & Matris Dei, ſatis indicat illam hoc ipſo titulo *Immaculatæ* eſſe admirabilem, & dignam feſto ac officio proprio. Noſter *Emmanuel Roderiguez* in Bullario *pag.* 146. refert etiam eiuſdem approbationem Officij de Immaculata Conceptione, compoſiti à *F. Bernardino de Buſtis. Iulius* 2. *Alexander* 6. *Leo* 10. Confirmarunt ſtatum Religioſum Monialium ſub titulo & Profeſſione Immaculatæ Conceptionis, annexis Indulgentijs.

S. *Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *declarat non eſſe ſuæ intentionis comprehendere ſub ſuo decreto de peccato originali B. & Immaculatam V. Mariam Dei Genitricẽ: ſed obſeruandas eſſe Conſtitutiones Sixti* 4. *ſub pœnis in eis contentis, quas innouat.* Vbi non tribuit titulum Immaculatæ ſoli eius Virginitati, & Maternitati: ſed Perſonæ B. V. Matris, vt meritò excipiendæ ab ipſa macula peccati originalis. *Seſſ.* 6. *Can* 23. excipit eam ab omni macula culpæ venialis: ergo & originalis, *ſeſſ.* 5. In acclamatione finali, inuocat eam ſub titulo *inuiolatæ*: Ergo & immaculatæ in ſua Conceptione; quia in ea maculari, eſt violari. Cùm enim hoc & omnia Sacra *Conc.* totaque Eccleſia tribuat ſoli V. Deiparæ titulum proprium *Immaculatæ*, *Inuiolatæ*, *Intemeratæ*, ſimpliciter & abſolutè: non poteſt reſtringi ad ſtatum præſentem gloriæ, nec ad vllum tempus vel inſtans huius vitæ & vitæ, nec ad ſolam Virginitatem, nec ad Maternitatem ſimul. Non 1. Quia eſt commune omnibus Beatis eſſe immaculatos. Sine macula enim ſunt ante thronum Dei, *Apoc.* 14. Nec quicquam intrat coinquinatum, *Apoc.* 21. Nõ 2. Quia eſſe immaculatũ, eſt nomẽ ſeu titulus à participio paſſiuo prę[t]eriti tempori, negãs omnem maculam & maculationem etiam paſſiuã, & præteritam, à qua perſona denominari poſſet fuiſſe in ſuo honore maculata. Non 3. Quia eſſe Immaculatam quoad ſolam Virginitatem propriè dictam, eſt commune omnibus Sanctis Virginibus: quoad innocentiam animi ab omni culpa actuali, eſt commune omnibus SS. Innocentibus, & pueris baptizatis ante vſum rationis defunctis. Imò nec poteſt eſſe Virgo perfectiſſimè Immaculata: niſi ſine omni macula actuali, habituali, & originali, ſuæ Virginitatis. Quia non ſolus conſenſus: ſed & omni ſenſus ac motus, ipſeque affectus habitualis & originalis concupiſcentiæ ſeu libidinis contrariæ, maculat perfectionem Virginitatis. Non 4. Quia quamuis ſit proprium & incomparabile, eſſe ſimul Virginem & Matrem Dei: non poteſt tamen eſſe perfectiſſimè Immaculata Virgo & Mater, niſi & Virginitas, & Maternitas, & Perſona, totaque eius vita ſit ſine vlla macula, non ſolius culpæ, ſed honoris, ſeu ſine vllo defectu perfectionis condecentis.

*Pius* 5. Ad inſtantiam & querimonias Maiorum noſtrorum, Ordinis S. Franciſci, Prouinciæ noſtræ Flandriæ, 1567. grauiter cenſurauit & inhibuit hanc Prop. 70. inter Baianas. [Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali. Hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractũ: omneſque eius afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum iuſtorum, fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis.] Quam cenſuram & inhibitionem ſucceſſor eius Greg. 13. confirmauit. Anno 1579.

Hoc *Sæculo*, Anno 1616. Paulus 5. ad corrigenda, & cauenda ſcandala, renouando ſuorum prædeceſſorum conſtitutiones, motu proprio ſub grauibus pœnis inhibuit, ne hæc controuerſia verbo vel ſcripto vulgari coram populo agitaretur: ſed tantùm inter viros doctos & capaces, ſine ſcandalo, & cenſura mutua. Sed anno 1617. ad ſupplices inſtantias totius orbis Chriſtiani, reſtrinxit ſuam illam inhibitionem ad ſolam doctrinã publicam contrariam Immaculatæ Conceptioni: relaxata libertate Doctrinæ publicæ pro immaculata Conceptione, ſine reprobatione oppoſitæ. Vt patet ex eius Conſt. & Decreto vbique publicato, & ſupra *col.* 222. 223. relato. Cuius ſucceſſor *Greg.* 15. ex eodem ſpiritu, ſenſu, & voto communi totiùs Eccleſiæ, tandem anno 1622. promouit rem vſque ad gradum & ſtatum proximum definitioni: inhibendo ne quis, etiam priuatim, verbo aut ſcripto præſumat contradicere Immaculatæ Conceptioni, niſi ex indulto ſpeciali ſedis Apoſtolicæ. Vt patet ex eius decreto ſupra *col.* 224. Nec *Vrbanus* 8. aut S. D. N. *Innoc.* 10. hunc ſtatum cauſæ relaxauit: ſed potiùs confirmauit,

uit, ſpecialiter renouando Cenſuras Pij 5. in Prop. illam 70. inter Baianas

Plura quidem ad agendum, & euincendum titulum Immaculatæ Conceptionis, ex ſingulis Sæculis proferri poſſunt: vt ſæculo 7. ex Synodo 6. *Art.* 11. in approbatione Epiſtolæ *Sophronij*, quâ B. V. Maria laudatur vt *ab omni contagione* præſeruatiuè *liberata*. Sæculo 8. ex *Damaſceno* Orat. 1. de Nat. Mariæ. *Natura, gratiæ foetum anteuertere minimè auſa eſt &c. O beatos Ioachim lumbos, ex quibus immaculatum ſemen effluxit! O præclaram Annæ vuluam, in qua formatus fuit Sanctiſsimus Foetus? O Sanctiſsima atque Immaculata conſeruata in Dei ſponſam?* Sed hæc abundè ſufficiunt ad tuendam cauſam ac titulum Immaculatæ Conceptionis, & reprobandum omnes oppoſitiones contra hunc Titulum renouatas.

## OPPOSITIONES REPROBÆ.

1. EX Sacris Script. *Rom.* 5. In Adam omnes peccauerunt. 1. *Cor.* 15. In Adam omnes moriuntur. *Eph.* 2. Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. 2. *Cor.* 5. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt. *Hebr.* 7. Decebat vt nobis eſſet Pontifex innocens, impollutus &c. Ergo non poteſt eſſe poſſeſſio bonæ fidei, contra tam expreſſas Script. *Reſp. Ex Scoto in 3. diſt.* 3. *q.* 1. eiuſque Diſcipulis. Vt ex *Mayrone in 3. diſt.* 3. *quæſt.* 1. *Art.* 1. Deus potuit Matrem ſuam præſeruare. 2. Decuit. 3. Præſeruauit. 4. Poteſt tamen dici ex ſe fuiſſe ſubdita peccato originali. 5. Fuit verè redempta. 6. Fuit verè purgata. 7. Fuit verè ſanctificata. 8. Paſſa fuit aliquam eius pœnam: vt ſolent proles pati pro culpis parentum. 9. Non fuit ex ſe Sancta, vt Chriſtus: nec ſurrexit ab hoc caſu, vt *Ioan. Bapt.* ſed ab eo præſeruata fuit. 10. Non hoc eſt contra Sacras Script. quia hæ ſunt lex cõmunis, à qua excipiũtur priuilegiati. 11. Nec eſt contra Eccleſiam, *Rom.* 5. Quia licet non celebret: permittit tamen & approbat feſtum Concept. pro ipſa animatione. 12. Nec eſt contra dicta SS. quia ſunt etiam de lege communi, vel de ſola Conceptione corporali &c. Ex *Bell. l.* 4. De amiſſione gratiæ *c.* 16. *B. V. Maria* peccauit, & mortua eſt in *Adam*, vt in cauſa, non in effectu. Fuit filia iræ ex natura corrupta: ſed Filia Dei, ex gratia. Chriſtus pro ea præſeruanda mortuus eſt: & ipſa fuit mortua in *Adam*, ſeu morti obnoxia. Chriſtus fuit innocens, impollutus ex ſeipſo & propria generatione: V. Maria ex gratia & præſeruatione &c. Vt ſupra ad *S. Aug. Bern. Al. S. Bon.* Quibus adde. 1. Quod vt non omnes & ſinguli in Chriſto viuificantur actu: ſic nec omnes & ſinguli actu moriantur in *Adam*, ſed vt in cauſa; quamuis hinc tantò pauciores excipiantur, quàm inde. 2. Vt ex *B. Aug.* Deus vult omnes Saluos fieri. 1. Vult cauſaliter, per ſuos Sanctos, quos facit hoc velle: vel *omnes* .i. ex omni genere, non autem ſingulos; vel *omnes* accommodè .i. omnes qui ſaluantur. Sic & poteſt intelligi omnes peccare, mori, naſci filios iræ .i. In, ex per *Adã* originaliter: vel accomodè, *omnes* ſic peccantes, morientes, naſcentes; vel *omnes* .i. omnis generis, non ſinguli. Nam vt Chriſtus ſolus ex genere ſeu ſexu maſculino, iure proprio liber fuit ab omni peccato: ſic & ſola Mater eius ex ſexu fœminino; vel tantùm propter ipſum, ſeu eius honorem vt finem: vel propter ſeu per eius opera meritoria; vel etiam propter ſeu per eius Paſſionem & Mortem, ſupra *q.* 3. Vt enim Eua fuit formata ex latere Adæ, non dolentis, ſed ſopiti & contemplantis: Sic *B. V. M.* ex latere Chriſti, ad aliquam paritatem; nec fortè ex merito paſſionis & mortis, ſed ſolius incarnationis & contemplationis. Vel ſic fortè *B. V.* ex parentibus, ſolo motu naturali generationis, in extaſi contemplationis. Vt cenſuit noſter *Galatinus lib.* 7. De Arcanis Catholicæ veritatis. *Cap.* 1. *B. V. Maria* fuit ab æterno electa in Matrem Chriſti: ex prou 8. Eccl. 24. & antiquis Rabbinis Iudæorum. *Cap.* 2. Deus amore Chriſti & Matris eius mundum creauit. Ex ijſdẽ in *Ier.* 33. Niſi pactum meum eſſet &c. *Cap.* 3. Ipſa materia corporis Chriſti & Matris eius fuit præparata & præſeruata in Adam ab omni macula. Ex ijſdem in *Pſal.* 80. Abacum plantauit dextera tua &c. *Cap.* 4. Fuit prima creatura, Mater omnium hominum, & perfectior Angelis. Ex ijſdem in *Gen.* 4. Poſuit mihi Deus ſemen aliud &c. *Ioan.* 1. Poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt. *Cap.* 5. De Immaculata Conceptione: ex Rabbinis, & *Iſa.* 61. Ex S. Andrea & SS. Patribus Græcis & Latinis: quorum illi celebrarunt feſtũ Concept. ante annos mille. Imò & ex ipſo Mahumete, quòd *nullus naſcatur de filiis Adam, quem non tangat Satan, præter Mariam & Filium eius: Cap.* 6. De Conceptione Immaculata *B. V. M.* ex 7. rationibus naturalibus, & reſponſione ad. *Rom.* 5. *Cap.* 7. Ex 7. rationibus Theologicis. *Cap.* 3. De Immaculata Conceptione *B. V. M.* ex deuotione & pura intentione parentum proximorum: abſque vlla concupiſcentia ſeu libidine actuali. Hinc enim denominatur *Ioachim* ab eleuatione, & *Anna* à gratia. Quæ omnia confirmat ex *B. Aug. lib. de Natura & Gratia cap.* 36. de quo ſupra, *col.* 434. 435. & ex mihi elapſo lib. de 5. hæreſibus cap. 5. cõtra Manichæos. *Ego Matrem de qua naſcerer feci, ego viam meo itineri præparaui, atque mundaui. Hanc quam tu deſpicis, Manichæe, Mater mea eſt: ſed manu fabricata eſt mea. Si potuit inquinari cùm eam facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea naſcerer. Cap.* 8. *Galatini.* De redemptione & ſaluatione perfectiſſima *B. V. M.* ab omni peccato, per paſſionem & gratiam Chriſti præſeruatiuè. Quamuis ex ſuppoſitis principijs *Galatini*, videri poſſit præſeruata propter Chriſtum vt Filium ſuum futurum; vel ſibi hoc meriturum, ſiue patiendo, ſiue non. De quo infra: ex illo *B. Aug.* in Perſona Chriſti, *Si potuit inquinari cùm eam facerem, &c. ſupra.*

## 2. *Oppoſitio.*

EX *Rom.* 1. *Omne quod non ex fide peccatum eſt:* Atqui cultus *B. V.* ſub titulo *Immaculatæ*, non eſt ex certa fide; ergo eſt peccatum. Vt ſolet *B. Aug.* inferre de omnibus operibus quæ non fiunt ex fide. 1. *Tim.* 1. *Finis præcepti eſt charitas de*

*corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Vnde *B. Aug. lib.* 8. *de Trin. c.* 4. *&* 5. improbat cultum Chriſti & B. V. ſub fictis, ſeu incertis figuris, & formis corporum; ergo & ſub incertis titulis. *Reſp.* Ad licitum cultum B. V. ſub titulo *Immaculatæ*, non eſt neceſſarium vt ſic colatur ex infallibili certitudine fidei Catholicæ: ſed ex pia fide bonæ conſcientiæ, & ad ſummum ex aliqua certitudine morali. Nec *B. Aug.* ad non peccandum in aliquo opere, exigit infallibilem fidem ipſius operis, aut finis vel obiecti proximi: ſed aliquam cognitionem, & gratiam Dei, vt obiecti & finis principalis ad quem opus refertur. Sic & cultus verus ac pius B. Virginis *Mariæ* eſt ex fide infallibili, & magna æſtimatione de perſona & dignitate *B. V. Mariæ*: & ex cognitione ac gratia Dei vt principij, & finis principalis. Nec idem *B. Aug.* improbat cultum Chriſti aut B. Virginis ſub figuris incertis: niſi ex fide, ſpe, & affectu ad illas, vt certas, proprias, & ex ſe ſalutares. Vt patet ex toto contextu.

Nam *lib.* 8. Trin. c. 4. *Cauendum eſt ne credens animus id quod non videt, fingat ſibi aliquid quod non eſt, & ſperet, diligatq; quod falſum eſt. Quod ſi fit, non erit charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, quæ finis præcepti eſt*, 1. Tim. 1. *Neceſſe eſt autem cum aliqua corporalia certa vel audita credimus, &c. fingat ſibi animus aliquid in formis corporum, ſicut occurrerit cogitanti: quod aut verum non ſit, aut etiamſi verum eſt, non tamen vt hoc fide teneamus quidquam prodeſt; ſed aliud aliquid vtile, quod per hoc inſinuatur, &c. Nam & ipſius Dominicæ facies carnis, innumerabilium cogitationum diuerſitate variatur, & fingitur: quæ tamen vna erat quæcumque erat. Neque enim in fide noſtra quam de Chriſto habemus, illud ſalubre eſt quod ſibi animus fingit, longe fortaſſè aliter quàm res ſe habet: ſed illud quod ſecundùm ſpeciem de homine cogitamus.* Cap. 5. *Neq; nouimus faciem V. Mariæ, &c. Credimus enim Dominum* IESVM *Chriſtum natum de Virgine, quæ* MARIA *vocabatur. Quid ſit autem Virgo, & quid ſit naſci, & quid ſit nomen proprium, non credimus, ſed prorſus nouimus. Vtrum autem illa facies Mariæ fuerit quæ occurrit animo, cùm iſta loquimur aut recordamur: nec nouimus omninò, nec credimus. Itaq; hic ſaluâ fide licet dicere, fortè talem habebat faciem, fortè non talem: fortè autem de Virgine natus eſt Chriſtus, nemo ſaluâ fide Chriſtianâ dixerit.* Quæ pertinent ad ſupplementum prioris *quæſt.* 14. & in 4. De 4. Nouiſſimis *quæſt.* 9. De cultu Chriſti & SS. ſub varijs imaginibus externis & internis: non ex fide, ſpe, vel affectu ad illas, ſed ad res ſignificatas.

## 3. *Oppoſitio.*

EX Iure Communi. Ab abuſu non valet Argumentum: nec poſſeſſio malæ fidei, vſurpata, violenta, & ſemper contradicta ac reclamata, fauet Poſſeſſori ſeu Vſurpatori. Atqui opinio, vel ſaltem praxis vtendi titulo Immaculatæ Conceptionis paſſiuæ, eſt ex errore, affectu, vſurpatione, & abuſu populari: qui ſæpè in Eccleſia corrigendus fuit; vt ab Anabaptiſmo, Arianiſmo, &c. Nec vnquam à Maioribus Eccleſiæ in illam opinionem, vel ſaltem titulum conſenſum fuit, ſed ſemper reclamatum; ergo nihil præiudicat veritati, nec fauet vſurpantibus. *Reſp.* Vox populi vox Dei: Non populi tumultuantis, ex aliquo vero vel imaginario damno proprio, vel ad aliquod commodum temporale; ſed populi Chriſtiani, eodem ſpiritu pietatis per totam Eccleſiam conſpirantis in eundem cultum B. Virginis *Mariæ*, ſub titulo *Immaculatæ*, ſine vllo motiuo aut ſine commodi vel incommodi proprij, & in eo conſtanter perſiſtentis, vt in pia & antiqua conſuetudine, ac Maiorum traditione. Cùm enim populus ex ſe ſit tot opinionum quot capitum, tamque variè moueatur proprio commodo vel incommodo, vero vel apparente: vnde tanta, populi tanti, tamque conſtans conſpiratio in hunc cultum & titulum B. V. *Mariæ*: niſi ex eodem ſpiritu piæ fidei, ſpei, charitatis, & gratiæ Dei? Nec Anabaptiſmus, aut Arrianiſmus, aut vlla hæreſis habuit vnquam initium à tali conſenſu populi: ſed potiùs ab aliquibus qui videbantur eſſe Maiores in Eccleſia, ſiue officio, ſiue doctrinâ, ſiue fictâ aut falſâ ſanctitate. Vt patet ex ipſo Anabaptiſmo, & Arrianiſmo: quibus populus Chriſtianus fuit à Maioribus ſeductus, ſub falſo prætextu pietatis, & æquiuocatione, aut ignorantia noui & Græci nominis *Homouſion*. Non ſic nunc ex æquiuocatione aut confuſione Conceptionis actiuæ & paſſiuæ *B. V. Mariæ*: quia vix eſt vllus, aut vlla in Eccleſia, quæ non facilè diſtinguat inter concipi & concipere; inter feſtum Conceptionis actiuæ, ſeu Annuntiationis, *die* 25. *Martij*, quando B. V. *Maria* concepit Chriſtum; & Conceptionis paſſiuæ 8. *Decemb.* quando *B. V. Maria* concepta fuit à *S. Anna*. Nec hoc ergo Arg. eſt ab abuſu: nec hæc poſſeſſio eſt malæ fidei, vſurpata, aut violenta, contra ſacras Script. Patres, Concilia, aut leges Eccleſiæ, ex errore affectu, impetu, & tumultu populari; ſed è contra. Vt patet ex hac tota quæſt. Nec contradictio aut reclamatio tam paucorum comparatiuè, potuit aut poteſt præualere ſenſui, conſenſui, & praxi tam communi Eccleſiæ. Imò quò plus contradictũ & reclamatum fuit, priuatim & publicè, coram Concilijs generalibus & Summis Pontificibus: & nihilominus tantum ab eis delatum huic pietati & voto publico ac communi totius Cleri & populi Chriſtiani: eò certior, & definitioni proximior eſt hæc poſſeſſio, ſeu praxis colendi *B. V. Mariam*, ſub titulo Immaculatę Conceptionis.

## 4. *Oppoſitio.*

EX mutatione Officij proprij de Immaculata Conceptione *B. V. Mariæ* in Officium de Natiuitate, à *Pio* 5. *Reſp.* Officium proprium de Immaculata Conceptione, approbatum à *Sixto* 4. nunquam fuit reuocatum ad Officium commune de Natiuitate, pro Ordine FF. Minorum. Quod ſi reuocatum fuit pro communi Officio totius Eccleſiæ: nihil nocet, ſed potiùs fauet Doctrinæ & titulo Immaculatæ Conceptionis. Quia vt generatio, ſic & Natiuitas eſt in, vel ex vtero: ideoq; ſumi poteſt, tam pro Conceptione paſſiua, quàm pro

Digitized by Google

pro partu. Ergo reuocatio Officij de Conceptione ad Officium de Natiuitate, commendat titulum communem huius Feſti & Officij: nedum ſub æquali, ſed ſimili certitudine morali de Sancta & Immaculata Conceptione, & Natiuitate B.V.M. Nec *Pius* 5. in minimo relaxauit Conſtitutiones *Sixti* 4. tam ſolemniter confirmatas & renouatas ab ipſo Sacro Conc. Trid. Sed in Bulla contra Prop. Baianas, ſub grauiſſima Cenſura inhibuit *Prop.* 70. ne quis dicat *B. V. Mariam* vnquam contraxiſſe maculam peccati originalis; ſicque plurimùm commendauit Doctrinam & praxim colendi eam vt *Immaculatam*.

## 5. *Oppoſitio.*

EX Decreto *Greg.* 15. Vt ſine vllo præiudicio Doctrinæ, ad vniformitatem Officij Diuini ab omnibus fiat de Conceptione, non autem de Sanctificatione *B. V. M* vt fiebat à Dominicanis. *Reſp.* Hoc Decretum, in quo Aduerſarij præcipuè fundant ſuam oppoſitionem contra titulum Immaculatæ Conceptionis, eidè maximè fauet. Quia *Greg.* 15. promouit hanc Immaculatã Conceptionem ad certitudinem proximam definitioni: ergo noluit eam reducere ad ſignificationem indifferentem Conceptionis, pro ſanctificatione à macula contracta, vel præſeruatione à contrahenda. Nec id decreuit ſine vllo præiudicio Doctrinæ oppoſitę: ſed expreſsè, & verbatim vt ſequitur. *Cùm S. Romana Eccleſia de Beatiſſimæ V. Conceptione feſtum ſolemniter, & Officium celebret: omnibus & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus quàm cuiuſuis Ordinis & Inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit; vt in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio ac officio Diuino celebrandis, tam publicè quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant.* Vbi nullam innuit huius nominis indifferentiam: ſed exprimit præferentiam huius Feſti ſub titulo Conceptionis, vtique nonniſi Sanctæ & Immaculatæ. Nec hic reſumit vel applicat quod ſupra, inhibito omni Sermone priuato contra Immaculatam Conceptionem: *Per hoc tamen Sanctitas ſua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu & terminis, in quibus reperitur; præterquam quoad diſpoſita in hoc ſuo Decreto,* & priori *Pauli* 5. Quamuis autem hæc reſumeret, ſeu applicaret Feſto & Officio ſub ſolo nomine Conceptionis: non negat, ſed ſupponit ſe tam hoc ſolo nomine, quàm illa inhibitione omnis verbi aut ſcripti oppoſiti, præiudicare opinioni contrariæ. Quia hæc duo vt hic diſpoſita, expreſsè excipiuntur à non præiudicio. Vel certè nullum hinc infert præiudicium *opinioni* contrariæ; ſed maximum praxi. Relinquit enim ſolam opinionem animi liberam: ſed inhibet omnem ſignificationem externam illius opinionis; relaxando omnem libertatem externam Doctrinæ pro Immaculata Concept. ſine cenſura oppoſitæ opinionis internæ. Ergo non inſtituit, nec permiſit vſum vel abuſum Feſti & Officij de Concept B. V.M. pro ſanctificatione à culpa contracta: quia hoc eſſet vti vel abuti publicè in Eccleſia nomine proprio, vt ſigno contrario Immaculatæ Conceptioni, cõtra expreſſum intentum *Pauli* 5. & *Greg.* 15. ne quo verbo vel facto ei contradicatur.

## 6. *Oppoſitio.*

NEc Eccleſia Græca, nec Latina, in vllo Conc. nec Sedes Apoſtolica vnquam ex ſe detulit hunc titulum *Immaculatæ*, ipſi Conceptioni paſſiuæ *B.V. Mariæ*: ſed tantùm tolerauit, imò cauit & cauet ne vnquã in Actis publicis, ſub ſuo nomine à ſuis Miniſtris emanet, ipſeque *Vrbanus* 8. tam recentis memoriæ, ad inſtantiã Maximorum Principum, conſtanter & expreſsè negauit. Ergo vſus huius tituli in illum ſenſum, non eſt legitimus; nec tacitè approbatus, ſed improbatus. *Reſp.* Ex Sæculo 1.2.3.4.7.8.14.15.16.17. currente: de hoc titulo expreſsè delato Perſonæ *B. V. Mariæ*, vt Immaculatæ ſimpliciter, abſque vlla reſtrictione vel exceptione, à tota Eccleſia Græca & Latina, ipſaque Sede Apoſtolica & Romana, per varios Summos Pontifices vſque ad hunc. Teſtes & interpretes totius Eccleſiæ Græcæ ſint *Origines* ex Sæculo 3. *S. Baſilius & Chryſoſt.* ex 4. in ipſis Liturgijs, *Damaſc.* ex 8. *lib.* 3. fidei, cap. 2. *Filius Dei conſtruxit ſibi ex caſtis & puriſſimis ſanguinibus carnem animatâm, primitias noſtræ conſperſionis, &c. ex caſtis ſemper Virginis ſanguinibus, &c. ex ſemper ſancta Virgine.* Quid ſunt autem illi puriſſimi, ſemperque caſti ſanguines, niſi Immaculati? Quid primitiæ illæ naturæ humanæ, niſi vt Immaculatæ? Quid ſemper ſancta, niſi Immaculata? Quòd ſi ipſa materia corporis *B. V. M.* fuit immaculata: quantò potiùs eius Anima & Perſona? *Oratione 1. de Natiu. Mariæ*, defert titulũ *Immaculati*, ipſi ſemini *Ioachim*, & fœtui *S. Annæ*. Teſtes & Interpretes Eccleſiæ Latinæ, ſint patres Latini, ſupra. Vt præ omnibus *B. Aug. lib. de. 5. Hæreſibus cap. 5. contra Manichæos*, ex Perſona Chriſti. *Si Mater mea potuit inquinari cùm eam facerem: potui in illa inquinari cùm ex ea naſcerer.* Vbi eam comparat ipſi Chriſto, in Conceptione incoinquinata ſeu immaculata, imò & ſuo modo incoinquinabili, ſeu immaculabili, participatiuè à Filio & Maternitate futura. Vnde non videtur *B.V.Maria*, vt electa in Matrem Chriſti, ſubfuiſſe vlli periculo peccati: ſed hoc ipſo fuiſſe liberatam, imò liberã ab omni contagione, ex *Synodo 7. Act.* 11. Hinc ſi Incarnatio Filij Dei ex *B. V. Maria*, in Dei intentione eſt prior & potior omni permiſſione, & remedio peccati per Paſſionem & Mortem Chriſti, vt ſupra *q.* 3. *B. V. Maria* fuit priùs præſeruata & ſecura ab omni periculo peccati per ſuam Maternitatem, ſeu propter Filium futurum, quàm paſſurum & moriturum; nec fuit ei neceſſaria vlla Paſſio Chriſti ad ſuam præſeruationem. Quæ ſententia eſt digniſſima tanto Filio & tanta Matre: ne hæc videatur fuiſſe cauſa Paſſionis & Mortis Filij ſui. Nec ideo non fuiſſet à Chriſto ſaluata ac redempta, vel Chriſtus non fuiſſet paſſus & mortuus etiam principaliter pro ipſa, & propter ipſam: ſed ex ſola Filij ſui Charitate, & abundantia, non ex Matris neceſſitate ſeu indigentia. Potuit enim eſſe pluribus titulis ſimul ſecura, libera, & præſeruata ab

omni periculo peccati. 1. Vt Mater propter Filium. 2. Propter merita Filij, quamuis fuiſſet impaſſibilis. 3. Propter merita Mortis & Paſſionis eius, ex abundanti. Quo pluribus autem titulis fuit præſeruata, eo pluribus Immaculata, & conſequenter digniſſima titulo Immaculatæ Conceptionis, Virginis, & Perſonæ. Quem ei verbo vel facto expreſſè detulerunt, *Sixtus* 4. *Alexander* 6. *Iulius*. 2. *Leo* 10. *Pius* 5. *Greg.* 13. *Paulus* 5. *Greg.* 15. *Imo & Vrbanus* 8. ac S. D. N. *Innocentius* 10. inſtituendo, vel continuando Feſtum, Officium, Ordinem, Indulgentias, Confraternitates, in honorem ſiue Conceptionis, ſiue Virginis, ſiue Perſonæ vt Immaculatæ in ſua Conceptione.

Nec *Vrbanus*. 8. Vnquam negauit Conceptioni B. V. M. titulum *Immaculatæ*: ſed interponens eum inter Conceptionem, & *B. V. Mariã*, ſimul applicauit eius Conceptioni, Virginitati, & Perſonæ. Noluit autem fortè præponere hunc titulum Conceptioni: ne videretur ei ſoli appropriare, vel potiùs ne cenſeretur velle definire. Cùm enim cauſa eſſet proximà definitioni, & maximæ inſtantiæ fierent ad definiendum: ſapienter iudicauit inter tot alias grauiores & neceſſarias controuerſias Fidei, non eſſe mouendam nouam & non neceſſariam; ſed potiùs ſiſtendum in ſtatu proximo definitioni, ſufficiente ad honorem, & verum, certum, ac pium cultum *B. V. Mariæ*, vt Immaculatæ ſimpliciter, ſine reſtrictione, vel ſuperflua determinatione. Vt enim poſſeſſor, non indiget vlla actione, inſtantia, & ſententia definitiua, pro re poſſeſſa: Cùm ea æquè fruatur, ac per definitiuam. Sic, cùm per inhibitionem omnis contradictionis, *B. V. Maria*, totaque Eccleſia ſit in poſſeſſione pacifica huius Feſti, Officij, omniſque tituli, & cultus publici decentis Conceptioné eius vt Immaculatam: non eſt neceſſaria vlterior actio & contentio ad definitionem poſitiuã; ſed præſtat vt ſicut eius Natiuitas & Aſſumptio tranſierunt in tantam fidem ex conſenſu communi Eccleſiæ, ſic & eiuſdem Conceptio. Cùm enim opiniones hominum ſint liberiores, quàm vllæ aliæ actiones: minùs ſunt violenter priuandi libertate opinandi, quàm agendi; ſed potiùs ſuauiter reducendi ad ſenſum & conſenſum communem, quàm neceſſaria lege aut definitione cogendi. In quem finem *Vrbanus*. 8. ne pauci adhuc diſſentientes in diſſenſu rigeſcerent, ſed potiùs ſuauiter in eundem ſenſum & conſenſum coaleſcerent: noluit eos nouo fauore *Immaculatæ* Conceptionis ſtringere; imò & relaxauit feſtum Immaculatæ Concept. ab obligatione præcepti, ne etiã populus Chriſtianus nimijs feſtis grauaretur. Cùm tamen ex hac reuocatione fideles inter vel propè hæreticos paterentur graue ſcandalum, & opprobrium, quaſi Papa & Eccleſia Romana in hoc deficeret & diſſentiret à ſenſu, conſenſu, & pio cultu totius orbis Chriſtiani: in Belgio Religioſè prouiſum fuit, ne hæc reuocatio ſubditis Regis Catholici publicaretur; à quibus, & ab ipſis vicinis quibus publicata fuit, æquè celebratur ex deuotione, ac ex obligatione. Quo facto ſedes Apoſtolica experiri poteſt, quanta ſit conſenſio & pietas totius cleri ac populi Chriſtiani, ad Immaculatam Concept. B. V. M. quàmque periculoſa innouatio, & ab illa defectio.

Hinc patet quàm ſit alienum ab intentione S. Sedis, interpretari hanc eius ſapientiam & prouidentiam, in præiudicium, negationem, ac inhibitionem *Immaculatæ* Conceptionis: abutique hoc eius exemplo, & formis regularibus ac ordinarijs Miniſtrorum eius, ad ſenſum & affectum proprium, ſeu ad conformandum, reformandum, & deformandum titulũ *Immaculatæ* Concept. ex omnibus dictis, ſcriptis, pictis, ſculptis totius orbis Chriſtiani. Quamuis enim Miniſtri Sedis Apoſtolicæ non poſſint variare ſuas formas ordinarias, niſi ex eiuſdem mandato ſpeciali: non poſſunt tamen ab omnibus exigere eaſdem formas loquendi & ſcribendi; quia ſibi ſoli quaſdam reſeruat, & appropriat, quas non decet eſſe communes. Quis enim ſibi ipſi, aut alteri, Epiſcopo, vel Principi tribuere, aut non tribuere præſumat, titulos quos Papa tribuit aut non? Quis Epiſc. vt *Fratri*, Principi vt *Viro nobili* epiſtolas inſcribat? Quis nõ approbet aliam formam loquendi vel ſcribendi quàm ipſius Sacra Script. Sacrorum Conc. vel Patrum: nec vllam inde expreſſionem, ſeu explicationem, & conſequentiam? Quamuis ergo Sedes Apoſtolica vel eius Miniſtri ex Perſona Papæ non vterentur titulo expreſſo *Immaculatæ* Conceptionis B. V. M. cur nulli liceret hunc titulum vt contentum in Feſto, Officio publico Concept. ipſoque titulo *Immaculatæ* Virginis ac Perſonæ, exprimere? An quia Sedes Apoſtolica vti poteſt authoritate & libertate loquendi & ſcribendi vel non, pro vel cõtra Conceptionem Immaculatam: eâdem eius exemplo omnes vti poſſunt? Imò verò nullus præter eam, vel ex eius facultate ſpeciali. Cùm ergo *Paulus* 5. tam ſeuerè inhibeat *omnibus & ſingulis, cuiuſcumque conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua eorum mentio eſſet neceſſario facienda &c. ne audeat publicè aſſerere quòd B. Virgo fuerit conceptà cum peccato originali*: Et Greg. 15. addat, *Neque etiam in ſermonibus & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd eadem B. V. fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione eſſe materia aliquo modo agere ſiue tractare, exceptis quibus à S. Sede fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum &c.* Qui tamen ſunt ab his Decretis excepti, & quâ ſpeciali ad hoc facultate audent contra *Immaculatam* Conceptionem agere ſeu tractare, huncque titulum in dubium, vel ad ſolam Virginitatem, aut Perſonam *B. Mariæ* reuocare? Quaſi verò agere contra hunc titulum, non ſit agere contra ipſam rem ſignificatam: vel ſit tantùm inhibitum agere contra rem ipſam, non autem contra eius titulum. Quis non videat hoc exemplo relaxari omnem libertatem æquè agendi contra Conceptionem B. Virginis ſine culpa originali, ac ſi nulla eſſet inhibitio? Sic enim nuper quidam ſub prætextu commentandi *S. Bernardum*, de Concept. B. V. M. *Epiſt. ad Canonicos Lugdunenſes*, exploſâ quadam interpretatione de Conceptione ſolius corporis, in ſolo peccato materiali ſeu concupiſcentia, non autem de ipſa animatione, ſubdit. *Reſtat igitur vt de peccato Virginis, ſiue prolis intelligatur, &c.*

Is

*Is ſenſus, et Doctrina Aug. & SS. Patrum, &c. Hinc eſt* quòd Sanctus Bernardus *docet ſolùm Chriſtum conceptum ſine peccato: quia ſine concupiſcentia.*] Quòd poſtquam quaſi ex *Aug.* ad nauſeam vſque traduxit, conatur ſeipſum ſic excuſare. *Solùm oſtendere volui, de qua conceptione, vel infectione ſermo ſit* S. Bernardo, *&c. Non enim nunc quid ſtatuam ſentio, ſed quod dico ſolùm hoc eſt, &c.*] Id eſt, Se reprobare illam interpretationem. Nec tamen vlla alia prolatâ, concludit: *Interim tamen firmiter mihi perſuadeo S. Bern. à veritatis tramite in propoſito non aberraſſe, &c.* Quid eſt hoc, niſi legibus illudere: eaſque ſub nomine *S. Aug. & Bernardi*, multò grauiùs quàm ſub proprio violare? Sic & qui ſub prætextu ſolius tituli renouant totam contentionem de Conceptione Immaculata, illudunt decretis *Pauli.* 5. & *Greg.* 15. Cùm enim ſit nobis liberum agere priuatim & publicè pro Conceptione Immaculata, non autem contra: eſt & liberum agere pro titulo, non contra. Finis enim agendi, eſt gloria tituli.

## 7. *Oppoſitio.*

EX differentia inter titulum publicum honoris, & affirmationem aut negationem: quod ille ſupponat conſenſum communem, & approbationem; hæc autem nonniſi priuatam opinionem. Titulus autem publicus Immaculatæ Conceptionis, non eſt ex ſenſu communi, nec approbatus: ergo non eſt licitus, ſed tantùm affirmatio Sanctitatis, & negatio maculæ. Nec obſtat quòd videantur eiuſdem ſignificationis: quia ſæpè inhibetur aliquid dici, ſcribi, vel edi linguâ vulgari; non autem aliâ, quamuis ſint eiuſdem ſignificationis, ſed non eiuſdem conſequentiæ.

*Reſp.* 1. Affirmatio Conceptionis *Immaculatæ*, & negatio maculæ in Conceptione B. M. ſunt tam approbatæ conſenſu & lege communi: vt omnis contradictio ſit eadem lege inhibita; ergo æquiualet titulo publico. 2. Hic titulus nec eſt vlli alteri proprius, nec pluribus communis: ergo eſt proprius ſoli Conceptioni B. M. Virginis. Quia Chriſtus habet proprium titulum maiorem, *Impeccabilis*, & *Immaculabilis*: nullus aliorum SS. poteſt prætendere titulum æqualem *B. V. Mariæ* in Conceptione; ergo titulus *Immaculatæ*, eſt proprius Conceptioni *B. V. Mariæ*. Cùm ei ab omnibus publicè deferatur, ſciente, & ſaltem tacitè ppprobante Eccleſiâ, ſine vllius iniuria aut præiudicio. Nec obſtat quòd titulus *Immaculatæ* videatur proprius Virginitati, aut communis Conceptioni, Natiuitati, Virginitati, Perſonæ, totique vitæ *B. V. Mariæ*. Quia quamuis ſit proprius Perſonæ, totique eius vitæ, eſt paſſiuè propriiſſimus primo inſtanti Conceptionis, à quo omnis maculatio, aut immaculatio, incipit paſſiuè. 3. Inhibitio huius tituli, aut affirmationis vel negationis in lingua vulgari, eſt iam relaxata in libertatem publicè, quauis lingua proclamandi *B. V. Mariam* eſſe immaculatè conceptam: ergo eſt relaxata in titulum publicum, inhibitâ omni contradictione. Cùm enim tanta ſit inter homines pro poſſeſſione titulorum propriorum & inanium contentio, tantaque cenſeatur infamia tituli alicuius priuatio: quis iniuriam & infamiam quam nec ipſe ferre, nec alteri inferre vellet, *B. V. Mariæ* inferat, vel inferri patiatur? Quis non pro poſſeſſione titulorum eius, potiùs quàm ſui proprij, glorioſè contendat? Quis credat, aut non miretur, & tranſdoleat, hunc titulum toto orbe Chriſtiano tam liberum & glorioſum, à ſola Curia Romana excludi, à quibuſdam eius Miniſtris ſupprimi, & priuari ſuâ poſſeſſione ac libertate ſaltem probabili, ſeu liberè prodeundi, intrandi, & tranſeundi per communem ſaltem approbationem omnium probabilium.

## 8. *Oppoſitio.*

CVm Sedes Apoſtolica reſeruet ſibi liberam definitionem huius controuerſiæ in alteram partem: neceſſariò vtramque ſub dubio ſuſpendit; cauetque ne huic ſuæ poteſtati ac libertati definiendi præiudicet, tribuendo vel approbando per ſe aut ſuos Miniſtros titulum *Immaculatæ Conceptionis*, in Libris, Theſibus, & documentis, aut monumentis publicis ſuæ approbationi ſubiectis. Quamuis enim non definiat quicquid per ſe, vel per ſuos Miniſtros approbat: confert tamen tantam fidem; vt vix poſſet ſuam approbationem, & titulum Immaculatæ Conceptionis à ſe approbatum, in dubium reuocare, quantominus definitiuè reprobare? *Reſp.* Sedes Apoſtolica habet ſemper eandem poteſtatem definiendi: ſed controuerſiæ non ſunt ſemper æquè definibiles. Nam nec definiendo alteram partem, nec eam diſponendo & promouendo ad definitionem, perdit aut minuit ſuam poteſtatem & libertatem definiendi: ſed eam perficit, ſeu exercet, & reducit ad actum perfectum. Porro, quamuis controuerſia de Immaculata Conceptione *B. V. Mariæ*, necdum ſit definita: non eſt tamen adhuc quaſi in æquilibrio ſuſpenſa, ſeu æquè proximè definibilis in alterutram partem; ſed vel eſt proximè diſpoſita, vel ſaltem valdè inclinata ad definitionem Immaculatæ Conceptionis, prorſus autem indiſpoſita ad oppoſitum; tum ex illius credibilitate, potiùs quàm oppoſiti: tum ex proxima diſpoſitione, ac inclinatione totius orbis Chriſtiani ad fidem illius, maxima autem indiſpoſitione & auerſione ab omni aſſenſu vel credulitate oppoſiti; tum ex proceſſu ipſius Sedis Apoſtolicæ, ad tot publica Decreta proxima definitioni illius, & reprobationi huius. Vt patet ex omnibus prædictis. Ergo ordinatè procedendo, hæc controuerſia non eſt ad æquilibrium reuocanda: ſed in hoc ſuo ſtatu vſque ad definitionem, vel ſine vlteriori definitione, reſeruanda. Nec ſolus titulus Immaculatæ Conceptionis eſt excipiendus ab vſu totius Eccleſiæ, nec ſolius Romanæ, nec ab approbatione Papæ & Miniſtrorum eius, nec denique ab vſu priuato & publico ipſius Papæ & Miniſtrorum eius. 1. Quia nimis eſt publicus & glorioſus per totam Eccleſiam: quàm vt poſſit ſine graui damno honoris & cultus *B. V. M.* ſine periculo ſcandali, & ſine præiudicio cauſæ, ante informationem & diſpoſitionem totius orbis Chriſtiani, tam ſubitò, ex improuiſo & inopinato reuocari, & ſuſpendi. 2. Quia hic titulus Immacu-

latæ

Digitized by Google

latæ Conceptionis continetur in titulo Immaculatæ Virginis & Perſonæ, & in ſenſu communi ipſius Feſti & Officij celebris in ipſa Eccleſia Romana: ergo hic Titulus non poteſt excipi ab hac Concept. in ſola Eccleſia Romana, ſine aliqua mutatione ſenſus prioris, & ſine aliqua minutione ſeu reſtrictione ipſius tituli Immaculatæ Virginis, & Perſonæ, vt ſupra. 3. Cenſores Librorum non approbant eorum Titulos aut Doctrinam vt ſuam, vel ſuorum principalium: nec vt certam, ſed ſaltem probabilem, & fidei ac bonis moribus congruam. Vt ſatis patet ex Decreto *Leonis* 10. *in Conc. Later. Seſſ.* 10. *& Trid. Seſſ.* 4. Cur ergo *Magiſter* Sacri Palatij Romæ, vt Cenſor *Papæ* non æquè & potiùs approbet libros & theſes publicas ſub titulo *Immaculatæ* Conceptionis, quàm ſub varijs & incertioribus titulis Regum, Principum, & Mæcenatum? Si quis Cenſor nollet approbare vllos libros aut theſes niſi propriæ opinionis, aut ſui Epiſcopi: nunquid abuteretur authoritate publicâ? Hæccine eſt obſeruantia Decretorum *Pauli* 5. & *Greg.* 15. Vt ſit liberum publicè agere pro, ſed nequidem priuatim contra *Immaculatam* Conceptionem? An non agit pro, qui ei tribuit titulum Immaculatæ? An non publicè contra, qui hunc titulum ſupprimit, negando facultatem ad hoc neceſſariam? 4. Cùm *S. Sedes* in fauorem *Immaculatæ Concept.* toties reſponderit, & velut maxima Eccleſiæ Campana ex eius eminentia ad Feſtum & Officium eiuſdem *Immaculatæ Concept.* tam clarè & altè ſonuerit, vt totus orbis Chriſtianus inde reſonet: hoc ſuo ſilentio, à priore ſono proprio, & velut Echone continuo non diſſonat; ſed ſibi vltimum definitionis pulſum reſeruat, ad quem totum orbem Chriſtianum voto publico deuotũ ac ſupplicem rapit. Interim ne ſtatus huius cauſæ vel minimùm declinet, nec cultus *B. V. M.* ſub Titulo Immaculatæ Cõc. lenteſcat: dignetur omnibus vbique libertatẽ à *Paulo* 5. *& Greg.* 15. decretam, V. Mariam hoc titulo colendi, & inhibitã verbo vel facto contradicendi, proprio exemplo confirmare; eandem per ſe ſuoſque Miniſtros priuatim & publicè ſic etiam colẽdo & inuocãdo. Quia nullũ ſubeſt verũ definitionis præiudiciũ aut periculum: Cùm oppoſitũ nunquã poſſit eſſe definibile, ſeu neceſſarium, conſultum, vel dignum definitione; tamque rarò definitiuè loquatur; nec decernendo ipſa feſta & Officia, imò nec fortè canonizando Sanctos definiat.

*9. Oppoſitio.*

EX Decreto S. Inquiſitionis Romanæ ſub *Vrbano.* 8. De Titulo *Immaculatæ*, tribuendo *B. V. Mariæ*, non eius Conceptioni. *Reſp.* Si quod talẽ, fuit tantùm ad caſum illum ſingularem, de quo ſupra. 2. Vel eſt tantùm Regula Secreta inter Miniſtos Curiæ, ne quis Actus publicus ſub nomine Papæ aliter relaxetur: pro vt Romæ expertus & miratus fui. Si enim eſſet Decretum aut Declaratio communis: fuiſſet vtique alicubi ſaltem publicata. Nec eſt contra, ſed potiùs pro hoc titulo. Quia, *Exceptio firmat Regulam.* Cùm ergo Papa tantùm excipiat illos Actus à Decretis *Pauli* 5. *& Greg.* 15. Hic Titulus non poteſt vllibi ſupprimi in Libris, Theſibus, aut vllis alijs Actis publicis. Quia nec fiunt proprij Papæ, vel eius Cenſori, per ſolam approbationem, ſeu facultatem edendi: nec fiunt inde tã certi, quàm Feſtũ & Officiũ *Immaculatæ Concept.* ex approbatione *Sixti* 4. & ex Decretis *Pauli* 5. *Greg.* 15. liberè dicendi & laudandi B. V. Mariam vt immaculatè conceptam, ſine vlla contradictione. Quæ autem laus, vel libertas laudandi, niſi ſub hoc Titulo? Quæ maior contradictio: quã huius laudis inhibitio? Vt *col.* 456. 457.

*10. Oppoſitio.*

COntra omnes viſiones, reuelationes, miracula, vt impertinentia ad hanc Cauſam. *Reſp.* Sacra Script. & Conc. vt Synodus 7. eſt plena miraculis relatis & collatis ad definiendum cultum Chriſti, *B. V. M.* & SS. ſub ſuis Imaginibus: cur non etiam ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis*? Hinc meritò ad hanc etiam Cauſam à pleriſque referuntur & conferuntur. Vt de ſtatua *B. V. M.* hucuſq; inclinato Capite, ad ſalutationem *Scoti*: de alia hucuſq; auerſâ facie à quodam contradictore: de Miſſali Immac. Conc. præſeruato ab incendio. Cui ſimilis eſt caſus recens de Imagine Concept. picta ſuper ligno plano & ſicco, & hoc ipſo titulo circumſcripta: quæ combuſto toto Monaſterio eiuſdem Ordinis, inter flammas vndique, præſeruata fuit ab omni macula ignis & fumi, fundo ligneo inſtar carbonis ſubaduſto vſque ad ſuperficiem picturæ. Cuius caſus publici, ego ipſe inter plurimos ſpectator fui: ſed locus necdum poteſt publicari. Hunc etiam titulum ab antiquitate commendat caſus ſequens.

ENGELBERTVS DES BOIS, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ, Epiſcopus Namurcenſis. *Vniuerſis præſentes viſuris, Salutem in Domino. Notum facimus ac teſtamur, fuiſſe nobis exhibita ex manibus & Domibus Virorum proborum, qui teſtantur ſe ea à Maioribus accepiſſe, duo Chronica manuſcripta Leodien. ex cuius Diœceſi, hæc noſtra Namurcenſis excerpta eſt, referentia ſe ad antiquiora, & antiquioris Idiomatis Leodienſis, & extractum ex tertio ſimili manuſcripto, ſub ſignatura nobis nota DD. Præpoſiti & Decani Inſignis Eccleſiæ Niuellenſis huius noſtræ Diœceſis. Quæ inter memorabilia Eccleſiæ Leodienſis concorditer referunt, ad annum* 1142. *ſub Alberone II. Epiſcopo & Principe Leodienſi, ex monitu & reuelatione facta cuidam Armenfredo filio Sebaſtiani Maillardi, Cantori Eccleſiæ Collegiatæ S. Crucis, Leodienſis: inſtitutum & celebratum fuiſſe per totam Diœceſim Leodienſem, in remedium magnorum malorum, feſtum Conceptionis B. Mariæ Virginis die octaua Decembris; Et quidem vnum illorum exemplarium exprimit illud feſtum, ſub titulo, Puræ, & Immaculatæ Conceptionis B. M. V. referendo hæc adiectiua Puræ & Immaculatæ, ad hanc ipſam Conceptionem. In quorum fidem ac robur, haſce noſtras manu noſtrâ ſignatas, ſigilloq; noſtro munitas; Dedimus Namurci, Anno* 1648. *die* 28. *May.* Signatum *Engelbertus Epiſc. Namurc.* Appenſo ſigillo.

Idem ex alio antiquo Manuſcripto eidem exhibito, anno 1649. die 23. Ian.

Idem, ex pluribus alijs antiquis Manuſcriptis exhibitis Leodij *Reuerendiſſimo D. Richardo Stravio*, Epiſcopo Dionyſienſi, Suffraganeo Leodien. & priùs Inter-nuntio Belgij.

QVÆST.

Digitized by Google

SEd ne ab hac *Quæſt.* imperfecta, ad aliam reſiliamus: ablata cauſa ſupprimendi locum & tempus illius caſus mirabilis, præſeruatæ ſolius imaginis ac circumſcriptionis Immaculatæ Conceptionis *B. V. Mariæ*, ab incendio publico totius Monaſterij eiuſdem Ordinis: liberè publicemus ſcripto, vt & breui picto ac ſculpto, ſub teſtimonio authentico, accidiſſe propè leodium, in ſuburbio *Pontis Amari-Cordis*, ſub *Cornelij-Monte*, anno 1649. die 10. Auguſti, teſte toto Clero ac populo, eademque adhuc imagine ibidem ad ſpectaculum ſuperſtite.

Suppleamus etiam ex *pag.* 47. 48. 52. 53. 54. noſtræ *Veronicæ*, ſeu interpretationis in hanc Epiſt. 174. *S. Bern.* ad Canonicos Lugd. *Fuit proculdubiò Mater Domini ante ſancta, quàm nata. Nec fallitur Eccleſia ſanctum reputans ipſum natiuitatis eius diem &c. Ego puto quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit: quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem. Quod nemini alteri in natis mulierum creditur eſſe donatum. Quid addendum his putamus eſſe honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus &c. Quid ſi alius propter eandem cauſam etiam vtriq; parenti eius feſtos honores aſſerat deferendos? Sed de Auis & proauis idipſum poſſet quilibet flagitare &c. Profertur ſcriptum ſupernæ reuelationis &c. Mihi facilè perſuadeo talibus ſcriptis non moueri &c. Vnde Conceptionis Sanctitas? An dicitur ſanctificatione præuenta? Sed non valuit ante Sancta eſſe quàm eſſe. An fortè inter amplexus maritales Sanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit: vt ſimul & Sanctificata fuerit, & concepta? Quomodo Sanctitas abſq; Spiritu ſanctificante? Aut peccatum non fuit vbi libido non fuit? Niſi fortè quis dicat, eam de Spiritu S. & non de viro conceptam eſſe; ſed id hactenus inauditum &c. Alioqui vbi erit prærogatiua Matris Domini: ſi tantumdem dederis & Matri ipſius? Non eſt hoc Virginem honorare: ſed honori detrahere &c. Solus itaque Dominus Ieſus de Spiritu S. Conceptus; quia ſolus & ante conceptum Sanctus &c. Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari non potuit quoniã non erat, ſed nec in ipſo conceptu propter peccatũ quod inerat: reſtat vt poſt conceptũ in vtero iã exiſtens ſanctificationẽ accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctã fecerit Natiuitatem, non tamen Conceptionem, &c. Cùm hæc ita ſe habeant: quæ iam erit ratio feſtiuæ Conceptionis? &c. Si ſic videbatur: conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis authoritas, &c. Quæ autem dixi, abſque præiudicio dicta ſint ſaniùs ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc ſicut & cetera reſeruo.*

Ad quàm Epiſt. præter ea quæ ſupra *Col.* 440. & 441. 442. 443. ex Alenſi. Reſp. etiam ex *pag.* 52. 53. 54. noſtræ Veronicæ. Non negat hic *S. Bern.* piam opinionem illius etiam temporis, de Conceptione ſeu animatione *B. V. Mariæ* ſine propria macula peccati orig. ex gratia præſeruante: ſed negat. 1. Certitudinem ſufficientem ad hoc feſtum, vt ad feſtum Natiuitatis. 2. Negat Sanctitatem *B. V. Mariæ*, vt Chriſti, ante Conceptionem: quia illa tunc non erat ſecundùm animam, vt Chriſtus ſemper fuit ſecundùm ſuam Deitatem. 3. Negat ſanctitatem Conceptionis actiuæ *S. Annæ*, & paſſiuæ *B. V. Mariæ*, ſeu corporis vt concepti ſine vlla macula concupiſcentiæ Materialis: non autem negat animationem *B. V. Mariæ* ſine culpa formali & originali. 4. Negat paritatem *S. Annæ* cum *B. V. M.* in Conceptione actiua, & huius cum Chriſto in conceptione paſſiua de Spiritu S. Quia etſi Parentes *B. V. M.* eam conceperint ſine conſenſu, vel etiam fortè ſine ſenſu, non tamen ſine aliquo motu concupiſcentiæ: nec de Spiritu S. i. virtute ſupernaturali eminenter ſuplente omnem vim paternam; ſed virtute naturali eis adhoc forſan miraculoſè data ac reſtituta; & gratiâ eos à conſenſu, vel etiam ſenſu libidinis præſeruante. 5. Improbat nimiam Feſtorum multiplicationem. 6. Improbat præcipuè inſtitutionem huius Feſti ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ. 7. Non improbat præſeruationem animæ *B. V. M.* vt prius naturâ exiſtentis & animantis, quàm gratia afficiatur, vel culpa inficiatur: ſed quaſi priùs realiter exiſtentis, quàm animantis. 8. Non habet ſuas rationes pro certis: cùm eis tam facilè cedat, ſeque de hac re tota vt dubia ad Eccleſiam referat. Nec tam vtitur illo ſimili Auorum & Proauorum Chriſti, contra ipſam conceptionem ſeu animationem ſine culpa orig. quàm contra nimiam feſtorum multiplicationem. Videtur enim quædam conſequentia à Feſto Conceptionis *B.V.M.* ad Feſta Parentum: ſed nulla à Conceptione *B. M. Virginis* ſine culpa orig. ad præſeruationem omnium etiam Parentum eius ab eadem culpa. 1. Quia nimis conſtat ex ſacra Script. inter hos fuiſſe graues peccatores. 2. Quia eſt incomparabiliter maior ratio excipiendi & præſeruandi ſolam Matrem immediatam, quàm Parentes remotos: cùm proles & Matres, ſed præ omnibus hæ, habeant ſingularem inter ſe vnionem & vnitatem. 3. Quia licet ex natura ſingulari hic homo non ſit neceſſariò ex his vel illis Parentibus, nequidem ex hac vel illa Matre: ex integro tamen ſeu perfecto decreto & intentione Dei, nobis per ſacras ſcript. reuelata, hic homo Chriſtus eſt neceſſariò ex hac Matre, & cum ea continet ſub ſe totum genus humanum in vtroque ſexu; ſed ſunt ex alijs parentibus tantùm per accidens, quoad executionem. Vt in. 1. Sent. de Prædeſt. multorum qui gignuntur ex Parentibus reprobis.

Denique ex eadem Veronica noſtra à *pag.* 56. ad finem, ſuppleamus explicationem & applicationẽ *B. Aug.* de. 5. Hæreſibus *cap.* 5. Vbi legimus ex Perſona Chriſti. *Ego Matrem de qua naſcerer feci: ego viam meo itineri præparaui, atq; mundaui. Hanc quam tu deſpicis, Manichæe, Mater mea eſt: ſed manu fabricata eſt mea. Si potui inquinari cùm eam facerem: potui in illa inquinari, cùm ex ea naſcerer.* Sed ſi lectio noſtri *Galatini* ab annis centùm poſſet præualere: *Si potui &c.* nihil ad triumphum Immaculatæ Conceptionis ex *B. Aug.* deſiderari poſſet. Hanc autem videtur exigere contextus & intentio *B. Aug.*

Cùm enim *Manichæi* negarent veram carnem Chriſti, & conſequenter veram eius Matrem: quia cenſebant omnem carnem, & omnem eius ge-

nerationem eſſe immundam : *S. Aug.* è contrà, directè contendebat ac intendebat carnem Chriſti nec potuiſſe eſſe immundam ex ſe, nec ex ſuâ Matre, vt à ſe ipſo immediatè facta munda, ſibique ex tunc præparata in Matrem. *Ego*, inquit, *Matrem de qua naſcerer feci &c. Hanc quam deſpicis, Mater mea eſt : ſed manu Fabricata eſt mea.* Non modo communi, quo reliqui homines, vel etiam animæ oreantur & infunduntur, ad diſpoſitionem etiam vitioſam cauſarum ſecundarum : ſed modo quodam proprio & ſupernaturali, ſupra legem communem generandi ſibi ſimile in naturâ corruptâ. Hinc vt ſacer textus refert de primo homine : *Plaſmauit eum, &c.* & de Eua, *Ædificauit eam, &c.* Sic & hîc *B. Aug.* de Chriſto, & Matre ſua : *Manu fabricata eſt mea.* Quid enim euidentius : quàm quòd *B. Aug.* loquatur hîc de Chriſto & Matre ſua per excellentiam, ſupra omnes alias creaturas ? Ergo non ſubdit, *Si potui &c.* Sed, *ſi potuit inquinari.*

1. Quia probat non potuiſſe, ex illo : *Ego eam feci, manu mea Fabricaui.* Quæ non inferunt Chriſtum, ſed Matrem eius non potuiſſe tali factione & manu inquinari. Ad quid enim probare ſeu inferre Chriſtum faciendo ſibi matrem, non potuiſſe inquinari ? 2. Ex illo, *Ego viam meo itineri præparaui* : vtique faciendo & fabricando manu propria Matrem de qua naſcerer. Nec obſtat, *Atq; mundaui*: quia vt preparaui, ſic & præmũdaui. Imò idem eſt hîc *Mundaui*, quod ſãctificaui, iuſtificaui : non quaſi ex iniuſta, ſed ex non Sancta per ſe. 3. Ex hoc, *Si potui*, vel potius, *potuit inquinari* : quia nulla eſt apparentia Chriſtum, ſed Matrem eius potuiſſe inquinari. Nec eſt vlla comparatio, probatio, aut conſequentia, quòd Chriſtus non potuerit inquinari ſecundùm humanitatem naſcendo ex Matre, niſi potuiſſet inquinari ſecundùm Deitatem, faciendo ſibi Matrem. 4. Ex hoc, *Cùm eam facerem* : quia nulla eſt ratio cur Chriſtus eam faciendo inquinaretur : ſed cur Mater eius non fuerit inquinata. 5. Ex hoc, *Potui in illa inquinari, cùm ex ea naſcerer.* Quia nulla eſt ratio cur *ſi Chriſtus non potuit inquinari eam faciendo, non potuerit in eâ inquinari ex ea naſcendo* : ſed eſt magna ratio cur ſi Mater non potuit inquinari in ſuo fieri à Chriſto, nec Chriſtus potuerit in illa inquinari ex ea naſcendo; quia nihil mundum, ſed immundum poteſt inquinare.

Nec obſtat quod hæc comparatio ad æqualitatem, ſeu impoſſibilis inquinatio non videatur poſſe verificari de *B. V. M.* Tum quia non ſignificat æqualitatem : ſed ſimilitudinem, & connexionem in eodem decreto Dei. Tum quia fortè etiam per abſolutam potentiam potuiſſet natura humana Chriſti inquinari. Tum quia non plus potuit *B. V. M.* inquinari hoc modo quo facta eſt *manu propria Dei* .i. ſupra diſpoſitionem & exigentiam omnium cauſarum, naturalium, & moralium : quàm natura humana Chriſti ex ea naſcendò.

Nec obſtant, ſed potiùs fauent ſequentia : quibus proſequitur comparationem inter ſuam Matrem, & ſeipſum : non autem inter ſe facientem, & naſcentem. *Sicut tranſitu meo illius non eſt corrupta Virginitas : Sic & mea non eſt ibi maculata Maieſtas. Si Solis radius cloacarum ſordes deſiccare nouit, eis inquinari non nouit : quanto magis ſplendor Lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumq; radiauerit mundare poteſt, ipſe pollui non poteſt ?* Quaſi diceret. Etiamſi Mater mea fuiſſet immunda : non me polluiſſet, ſed eam mundaſſem. *Stulte, vnde ſordes in Virgine Matre: vbi non eſt concubitus cum homine Patre? Vnde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem ? Vnde ſordes in domo, ad quam nullus habitator acceſſit ? Solus ad eam Dominus & fabricator eius venit &c. Sicut ille natus eſt ſolus inter mortuos liber : ſic iſtius, ex qua natus eſt Matris pudor ſolus eſt integer, &c.* Ergo intendit Matrem Chriſti fuiſſe tam puram & integrã Virginem, corpore & animo: vt nullius concupiſcentiæ, nec maculæ etiam præteritæ, eam pudere poſſet. Non enim eam comparat textus quoad aliquam mortem culpæ præteritam, cum Chriſto vt mortuo, & inter mortuos libero ac rediuiuo : ſed vt liberam ab omni morte peccati, inter omnes hac morte mortuos, cum Chriſto vt nato, nõ vt mortuo ſed inter mortuales liber. Prior enim comparatio eſſet tantùm cõmunis cum omnibus baptizatis : qui dicuntur cum Chriſto mortuo & rediuiuo, liberati à morte peccati per vitam gratiæ. *Rom. 6.*

Nec denique obeſt, ſed potiùs prodeſt, exordium huius totius textus ab his verbis. *Quid eſt quod te permouet in mea Natiuitate ? Non ſum libidinis conceptus cupiditate. Ego Matrem de qua naſcerer feci &c.* Quæ non de ſola Conceptione paſſiua Chriſti, ab actiua B. V. Matris, Virtute Diuina ; qua facta ſit in Matrem, non in eſſe. 1. Quia reddit rationem cur non ſit conceptus libidinis cupiditate : *Ego Matrem de qua naſcerer feci &c.* 2. *Feci*, inquit, ſimpliciter .i. in eſſe. 3. *De qua naſcerer* : non tantem ex, ſed in eius vtero. Vtique poſtquàm facta eſſet, non cum fieret ; ergò non de fieri in Matrem. 4. *Viam itineri meo præparaui.* Ergo non faciendo illam in Matrem actualem ; ſed in eſſe, & in Matrem futuram. 5. *Mater mea eſt : ſed manu Fabricata eſt mea.* Non vt aliæ Matres, aut filij : ſed modo omnibus alijs impoſſibili ; ergo non in Matrem actualem, ſed in eſſe, & in Matrem futuram, velut in domum ad hoc fabricatam. De qua infra. 6. *Vnde ſordes in domo ad quam nullus habitator acceſſit ? Solus ad eam Dominus & Fabricator eius venit.* Ergo ſupponit non potuiſſe ſordeſcere ab intrinſeco, ex vitio proprio naturæ : Quod eſt eam non potuiſſe *inquinari cùm à Deo fieret* ; & quaſi fabricaretur. Quod fieri non vocat concipi : quia non ex vi Conceptionis à Parentibus facta eſt immaculata ; ſed ex gratia, *& manu propria*, ſeu potentia Dei abſoluta, non ordinaria.

Sed nè videatur tota vis huius textus pendere à ſolo apice vnius *t.* etſi legendum foret, *Si non potui &c.* hæc comparatio & probatio non poteſt intelligi de æquali, ſed ſimili impoſſibilitate. Non poteſt enim eſſe æquè impoſſibile, Chriſtum non pollui ſecundùm naturam humanam naſcendo ex Matre : ac non pollui ſecundùm naturam diuinam

Digitized by Google

vinam eam faciendo. Neque ex hac impoſſibilitate abſoluta, neceſſariò ſequitur illa. Ergo eſt tantùm quædam ſimilitudo inter hanc, & illam: vt ſicut Chriſtus non potuit inquinari faciendo ſibi Matrem manu propria, quia fuit munda in ipſo fieri; ſic nec potuerit inquinari in ea vel ex ea naſcendo, quia fuit munda in concipiendo & pariendo.

Ex vtraque ergo lectiore videtur eſſe certa veritas immaculatæ conceptionis paſſiuæ & actiuæ *B. V. Mariæ*: ſed certior ex inhibitione *Pauli*. 5. ac *Greg*. 15. ne quis publicè vel priuatim ei contradicat; & certiſſima ex Feſto & officio publicè ab Eccleſia Romana tandem approbato, ac per totam Eccleſiam propagato.

## De Iuſtificatione noſtra per Chriſtum.

Hinc ad *Col*. 468. 475. 476. *à* 590. *ad* 594. *In* 4. *col*. 636. 640. 641. *à* 648. *ad* 651. 696. 697. 716 717. *à* 760. *ad* 772. Quamuis actus perfectus Contritionis & Charitatis formaliter iuſtificet: eſt tamen de fide quòd non ſine infuſione alicuius gratiæ immanentis, ſiue ſit habitus, ſiue relatio ſimilitudinis, vel vnionis realis ad Deum. Contra opinionem ſolius *Vaſqueſii Tomo* 2. *tota diſputatione* 203. ab ipſo *Suareſio parte*. 2. *de Gratia Diuina l*. 6. *c*. 3. grauiter cenſuratam: quòd non ſit de fide illam infundi iuſtificatis per tales actus, ſed per Sacramenta. Cùm *Trid. ſeſſ*. 6. *c*. 7. *can*. 11. *ſeſſ*. 14. *c*. 4. id æquè de omnibus definiat &c. infra.

## QVÆSTIO 16.

*An gratia & virtutes iuſtificantes ſint habituales, vel ſolùm actuales; naturales, vel ſupernaturales, morales, vel Theologicæ; à ſolo Deo infuſæ, vel per gratiam Dei acquiſitæ; iuſtificantes realiter, actiuè, formaliter, diſpoſitiuè, vel ſolùm moraliter?*

SVppoſita doctrina Dogmatica Sacri *Conc. Trid. Seſſ*. 6. De iuſtificatione: *Pij* 5. contra Prop. D. Baij. De qua in. 2. *Sent*. à *Col*. 289. ad 305. Doctrinâque Philoſophica, & Theologica noſtri *Alenſis* ſupra, à *col*. 77. *ad* 91. & 116. 117. 118. De virtutibus, Theologicis, & moralibus in genere: *S. Bon. & Scoti, in* 1. *D*. 17. occaſione Charitatis, de virtute habituali, ſeu habitu virtutis: *In* 3. *diſt*. 33. 34. 35. 36. De virtutibus in communi, earumque inter ſe connexione, ac diſtinctione, vel identitate cum Donis, Beatitudinibus, & Fructibus Spiritus S. Reſeruatis autem ſingulis virtutibus in quæſtiones ſequentes: Hanc quæſt. ſub hoc titulo diſcernimus à nimis Philoſophicis, imò & reſtringimus à communioribus Theologicis, ad grauiores controuerſias, Dogmaticas, & Scholaſticas. 1. An ſit de fide, præter virtutes actuales ſeu actus virtutum, eſſe etiam habituales, ſeu habitus infuſos virtutum. 2. An ſint ſupernaturales in fieri, & eſſe. 3. An ſolæ Theologicæ ſint tales: vel etiam morales. 4. An à ſolo Deo infundi ſeu produci poſſint: vel etiam à nobis actiuè per Dei gratiam acquiri, & augeri. 5. An ſint cauſæ reales, actiuæ, vel formales, totales vel partiales: aut tantùm diſpoſitiuæ, vel morales noſtræ iuſtificationis, ex ſupernaturali ordinatione Dei.

### Reſponſio.

EST de fide, infundi nobis à ſolo Deo gratiam & virtutes ſupernaturales, permanentes ac inhærentes: vt neceſſarias ad noſtram iuſtificationem formalem, ſeu intrinſecam, non autem ſolùm imputatiuam ac denominatiuam. Non eſt tamen de fide, ſed probabilius, eſſe veros & propriè dictos habitus: eſſe ſupernaturales in eſſe; non alias virtutes infundi, quã Theologicas; nõ diſtingui omnes realiter à gratia; non iuſtificare ex natura ſua cauſaliter, nec formaliter, ſed diſpoſitiuè & moraliter, per gratuitam acceptationem Dei.

Quorum primum & principale conſtat. 1. Ex Sacra *Script*. quæ ſæpè diſtinguit iuſtificationem actualem per bona opera, à iuſtificatione permanente, ab infuſione, inhabitatione, manſione, & operatione Chriſti, Spiritus Sancti, imò & Patris & Filij in nobis, per fidem, & gratiam ſeu charitatem. *Ioan*. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ephes. 3. *Chriſtus per fidem habitat in cordibus veſtris*. 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Cap. 6. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Neſcitis quoniam templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?* 2. Cor. 6. *Vos eſtis templum Dei viui*. 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, Charitas*. 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis*. Cap. 8. *Si quis Spiritũ Chriſti non habet, hic nõ eſt eius &c. Quicumq; Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei &c.* De vera, & interna adoptione in filios & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. *Gal*. 4. *Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem, Abba Pater*. 2. Pet. 1. *Per hoc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ &c.* Quæ non ſignificant ſolam Dei præſentiam, & aſſiſtentiã ad benè operandum: nec ſolam imputationem extrinſecam, vel moralem, nec ſolam intrinſecam motionem tranſeuntem; ſed quendam intrinſecum ſtatum permanentem, quandam intrinſecam participationem alicuius perfectionis ſupernaturalis, vel quandam ſaltem vnionem intrinſecam, realem, & permanentem cum Deo. *Ioan*. 1. De plenitudine gratiæ & veritatis in Chriſto, noſtraque inde participatione. *Luc*. 1. de plenitudine gratiæ *B. V. M.*

2. Ex hoc ſenſu SS. Patrum: vt præ omnibus *B. Aug*. Lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ. Cap. 6. *Aut virtus eſt præter animam, aut ſi non placet vocare virtutem, niſi habitum ipſum, & quaſi ſapientis animæ qualitatem: oportet vt aliquid aliud ſequatur anima, vt ei virtus poſſit innaſci &c. Deus*



Digitized by Google

*igitur reſtat : quem ſi ſequimur, benè ; ſi aſſequimur, etiam beatè viuimus.* Cap. 11. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. 8. *Neque virtus &c. Nam ſi virtus illa dicta eſt quæ ipſius animi noſtri rectiſsima affectio eſt : ſi in alio eſt, fauet vt coniungamur Deo; ſi in nobis eſt, ipſa coniungit &c.* Cap. 15. *Nihil aliud virtutem eſſe affirmauerim, niſi ſummum amorem Dei : nam quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario affectu, quantùm intelligo, dicitur.* Lib. 1. Retract. cap. 24. *Quod dixi, gratia Dei eſt qua nobis donantur peccata vt reconciliemur Deo, pax autem qua reconciliamur Deo : ſic accipiendum eſt, vt tamen ſciamus etiam vtrumq; ad generalem Dei gratiam pertinere.* ſic & 1. *Retr.* 25. In Epiſt. ad Rom. *Gratia vobis & pax. Iuſta eſt gratia Dei, & grata iuſtitia : cùm in eo quoq; etiam pænitentiæ meritū gratia præcedat.* Lib. 14. de Trin cap 15. *Vbi ſcriptæ ſunt leges æternæ : niſi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam, non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur. Sicut imago ex annulo in ceram tranſit, & annulum non relinquit.* Lib. 1. De pec. mer. & rem. cap. 9. *Vt Chriſtus,* Rom. 5. *præterquam quod ſe ad iuſtitiam exemplum imitantibus præbuit : dat etiam ſui Spiritus occultiſsimam fidelibus gratiā, quam latenter infundit & paruulis. Sic & Adam, in quo omnes moriuntur, præter imitationis exemplum, occulta etiam tabe carnalis concupiſcentiæ tabificauit in ſe omnes de ſtirpe ſua venientes &c.* Vbi ſupponit vt certum illam *Occultiſsimam gratiā latenter infundi & paruulis* : indeque probat nos etiam infici ab Adamo tabe concupiſcentiæ. Atqui paruulis non infunditur gratia actualis, ad iuſtificationem actualem & tranſeuntem, per aliquem proprium actum Paruulorum ante vſum rationis : ergo infunditur eis, vt adultis, gratia permanens, quæ dicitur occultiſſima, quia nullo actu eſt perceptibilis. Nec tabes illa concupiſcentiæ, ſunt ſoli motus tranſeuntes : ſed vitium permanens: ergo nec illa ſola gratia tranſiens, ſed permanens. Nec obſtat cap. 19. *Si Paruuli pænitentes dicendi non ſunt: quia ſenſum pænitendi nondum habent; nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi non habent. Si autem rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur : Cur non etiam prius pænitentes habentur, cùm per eorundem verba geſtantium, Diabolo & huic ſeculo abrenunttiare monſtrantur?* Quia denominat eos pœnitentes, & fideles actu, ſeu credentes extrinſecè, ab actibus alienis : non autem negat, ſed ſupponit eſſe in tali ſtatu intrinſeco & permanente. *Quæſt. 88. in Leuit.* Diſtinguit inter ſanctificationem ſacramentalem : *& per inuiſibilem gratiam Spiritus S.* .i. nullo ſigno perceptibilem : ergo non actualem, ſed permanentem; quia illa poteſt moraliter percipi. Tract. 108. in illud *S. Ioan. Sanctifica eos in veritate. Si iam erant, cur poſcit vt ſint? An quia & ſanctificati in eadem proficiunt ſanctitate, fiuntq; ſanctiores? Neq; hoc ſine adiutorio gratiæ Dei : ſed illo eorum Sanctificante profectum, qui ſanctificauit inceptū, &c. Sanctificantur. itaq; in veritate, hæredes noui. Teſt. cuius veritatis vmbræ fuerunt ſanctificationes veteris Teſt.* Nec obſtant ſequentia : *Et pro eis ſanctifico me ipſum* .i. *eos in meipſo ſanctifico, cum & ipſi ſint Ego. Vt ſint & ipſi ſanctificati in Veritate* .i. *in me. Sanctificauit ſe in ſe* .i. *hominem ſe, in Verbo ſe &c. Et pro eis* inquit .i. *quod proſit etiam ipſis : Ego ſanctifico meipſum* .i. *ipſos in me tanquam meipſum ſanctifico, quoniam in me etiam ipſi ſunt Ego.* Quia, *pro eis*, non ſignificat eorum vice : ſed, inquit, *vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate* .i. verè & intrinſecè; non autem, *in me*, ſeu in ſolo Chriſto perſonaliter, & ſubiectiuè; ſed etiam in eius corpore myſtico; vel in ipſo virtualiter, meritoriè, obiectiuè, & finaliter, vt in termino noſtæ vnionis per gratiam. Imò, *in ipſo*, tanquam in nobis, & in nobis tanquam in ſeipſo, per ſummam charitatem qua Amicorum omnia ſunt communia. Sicque & ſuam ſanctificationem cenſet noſtram, & noſtram ſuam. Vt in Pſal. 131. *Hæc requies mea &c. Quantum nos amat Deus : vt quia nos requieſcimus, ſe dicat requieſcere?* Quem ſenſum videntur exigere hæc verba : *Cùm & ipſi ſint ego &c. In me etiam ipſi ſunt ego.* Tract. 8. In 1. Ioan. 4. *Quemodo Imperator per exercitum ſuum agit quod ei placet : ſic Chriſtus in mente noſtra per fidem vtitur virtutibus quaſi Miniſtris ſuis, & per has virtutes inuiſibiles mouentur membra viſibiliter, quò mouerit bona voluntas, ad quod iuſſerit charitas. &c.* Epiſt. 57. ad Dardanum. *Deus habitare dicitur in baptizatis : quia in eis occultè agit vt ſint templum eius.* Infra. *Illa ſanctificatio qua efficimur & ſinguli, & in vnum omnes templum Dei, non eſt niſi Renatorum.*

3. Ex *Innoc.* 3. Cap. Maiores. *Quòd opponentes inducunt, fidem aut charitatem, aliaſq virtutes Paruulis vtpote non conſentientibus, non infundi : à pleriſq; non conceditur, &c.* Nec ideo cenſet Quæſtionem problematicam, de iuſtificatione interna Paruulorum, per gratiam permanentem: ſed per virtutes vt diſtinctas à gratia gratificante. Nam refert hanc Quæſtionem vt motam ab Hæreticis contra Catholicos. *Aſſerunt,* inquit *Paruulis inutiliter baptiſma conferri. Quod nituntur probare ex Epiſt.* S. Iac. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Luc. 17. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* .i. Ex eo quod paruuli non ſint capaces charitatis, qua remittuntur peccata. Ad quod reſpondet, baptiſmum præſtare Circumciſioni : nec tantùm remittere peccata, ſed etiam introducere in regnum cælorum; ſolam autem iuſtificationem Adultorum tribui fidei & charitati actuali. Subdit. *Quamuis nonnulli concedant quòd Paruuli credunt : non per vſum, ſed habitum fidei quem ſuſcipiunt in baptiſmo; vt & alia multa verba, ſecundū vſum communem loquendi, non ad actum, ſed ad aptitudinem referuntur &c. Fidem verò aut charitatem aliaſq; virtutes Paruulis non conferri, à pleriſq; non conceditur* .i. Plerique cenſent eas infundi : quidam concedunt Paruulos per eas habitualiter credere, diligere &c. Sed nullum relinquit dubium, quin verè & intrinſecè iuſtificentur per gratiam permanentem.

4. Ex *Clemente* 5. in Conc. Viennenſi. *Quibuſdam Theologis dicentibus, per virtutem baptiſmi Paruulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non*

*conferri*

*conferri: alijs è contra, quod & culpa iiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad vſum. Nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis: opinionem ſecundam quæ dicit tam paruulis quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis SS. ac DD. modernorum magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.* Quæ non ſupponunt fuiſſe opinionem probabilem, negantem Baptiſmum conferre vllam gratiam poſitiuam, intrinſecam, & permanentem, vt eſt formaliter remiſſiua peccati, & Deo gratificans: ſed vt eſt virtus, ſeu principium operandi, & merendi. Cùm ſemper fuerit de fide, Baptiſmum eſſe lauacrum regenerationis in filios Dei: vtique per gratiam intrinſecam & permanentem, quaſi per quoddam ſemen Dei in nobis, 1. *Ioan.* 3. &c. vt in 4. *col.* 212. 213. Si enim hæc doctrina fuiſſet vllatenus problematica: *Eugenius* 4. in Conc. *Flor.* non eam tradidiſſet Armenis vt tam certam, & Cathechiſticam.

5. Ex Conc. *Trid.* Seſſ. 6. cap. 4. *Iuſtificatio eſt tranſlatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & Adoptionis Filiorum Dei: quæ poſt Euang. promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.* Cap. 7. *Iuſtificatio non eſt ſolùm peccatorum remiſſio: ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum; vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus; vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ &c. Huius cauſa formalis eſt Iuſtitia Dei: non qua ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit .i. quâ ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, &c. In hac impij iuſtificatione, merito Paſſionis Chriſti, per Spiritum S. Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, per* IESVM CHRISTVM, *cui inſeritur: Fidem, Spem, & Charitatem, &c.* Cap. 10. *Sic ergo iuſtificati, & Amici Dei, ac Domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renouantur, &c.* Can. 10. *Si quis dixerit homines ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit, iuſtificari: aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe; Anathema ſit.* Can. 11. *Si quis dixerit, homines iuſtificari ſolâ imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione: excluſâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam quâ iuſtificamur eſſe tantùm fauorem Dei; Anathema ſit.* Quæ eſt expreſſiſſima definitio huius doctrinę, & reprobatio oppoſitæ: non vt dubiæ inter Catholicos, ſed vt cum Hæreticis controuerſæ. Nihil autem definitur de entitate habituali & ſupernaturali gratiæ & virtutum: nec de infuſione ordinaria virtutum moralium: nec de diſtinctione reali gratiæ ab omnibus virtutibus infuſis; nec de iuſtificatione à peccatis, & gratificatione ac adoptione in Filios & Hæredes Dei, ex vi reali, formali, ac entitatiua ipſius gratiæ, ac virtutum, vel ex gratuita voluntate Dei. Ergo nihil horum eſt de fide: ſed probabiliora ſunt quæ ſupra.

*1. Gratiam & Virtutes infuſas eſſe veros & propriè dictos habitus.*

QVia intrinſicè & permanenter afficiunt & perficiunt potentias naturales, ad actus & effectus ſupernaturales: ſiue vt diſpoſitiones neceſſariæ, ſiue potiùs vt concauſæ partiales & principales; ergo vt veri habitus. Quamuis enim non ſupponant potentias ſufficientes ad ſuos actus, nec eis conferant ſolàm facilitatem; vt habitus naturales, & acquiſiti: non tamen tribuunt, ſed complent, perficiunt, & eleuant primam vim actiuam potentiæ ſupra ſuam naturam. Nec illa ſola facilitatio eſt de eſſentia veri habitus, nec hæc eleuatio eſt contra: ſed de perfectione habituali ſupra potentias. Cùmque ſint formæ accidentales & inhærentes: non poſſunt reuocari ad aliud genus quàm qualitatis; nec ad aliam ſpeciem, quàm habitus vel diſpoſitionis, quæ non videtur ab habitu ſpecie differre. Quia nec poſſunt eſſe quantitates molis: ſed ſolius virtutis ſeu perfectionis. Nec poſſunt eſſe qualitates perficientes animam in eſſendo, ſed in operando. Nec poſſunt eſſe relationes perficientes ad operandum: cùm hæ non ſint formaliter perfectæ, nec perfectiuæ, nec operatiuæ. Nec denique poſſunt eſſe potentiæ ſupernaturales animæ: quia ſupponunt priorem vim naturalem, vitalem, & liberam vtendi illis per gratiam. Nec eſſet poſſibile eleuari vllam vim naturalem: niſi aliqua præeſſet, ac ſubeſſet, &c. Vt ſupra in 2 à *col.* 158. ex *Scoto in 4. à q.* 1.

*2. Nullas virtutes morales ordinariè infundi: ſed per gratiam Dei acquiri.*

QVia ſacra Script. SS. Patres, & Concilia tribuunt earum effectus gratiæ Dei, & virtutibus Theologicis, maximè Charitati, 1. *Cor.* 13. Deinde monent ad has virtutes per gratiam & praxim acquirendas. Denique non ſunt neceſſariæ ad ſalutem, poſſuntque eædem aut ſimiles per gratiam & praxim acquiri, & experimentaliter acquiruntur: ergo non infunduntur. Nec *Innoc.* 3. ſupra, præfert, ſed tantùm refert opinionem *de Fide, Spe, aliiſq; virtutibus.* Nec per illas alias virtutes neceſſariò intelliguntur aliquæ morales vltra ſpem Theologicam: ſed quædam alia dona Dei, vel vires diſtinctæ earundem virtutũ Theologicarum. Nec *Clemens* 5. præfert opinionem de infuſione gratiæ informantis & virtutum, quaſi omnium; ſed Theologicarum. Quia hæ ſunt veræ gratiæ, & ſaltem neceſſariò concomitantur gratiam ſanctificantem; nec eſſet excipienda potiùs vna virtus quàm alia, ſi infunderentur plures quàm Theologicæ. Hinc Conc. *Trid.* recolens & definiens quòd *Conc. Vien.* vt probabiliùs elegerat, ſolas virtutes Theologicas expreſſit.

*3. Infundi gratiam & virtutes ſupernaturales in eſſe.*

QVia infunduntur ad actus, effectus, & fines illos nimis ſupernaturales: quàm vt cauſis in-



Digitized by Google

in trinſecis in eſſe ſuo naturalibus, ſed in ſolo fieri, aut modo ſupernaturalibus, tribui poſſint. Quid ſit autem ſupernaturale in eſſendo, fiendo, agendo, vel alio modo: poteſt colligi ex Doctore noſtro Subtili *in* 3. *q.* 1. *Prologi, in* 4. *d.* 43. *q.* 4. *Quodl.* 17. & aliunde: ſed ampliùs ex noſtra *Quæſt.* 5. *in.* 2. *Sent.* De natura, naturalibus, & gratuitis Angelorum. *q.* 8. De natura, naturalibus, & gratuitis hominum. Quamuis enim *Scotus* ſtatuat ſupernaturalitatem in cauſalitate, & dependentia à cauſa ſupernaturali, eaque vel neceſſaria, vel non: hoc ipſo tamen fatetur aliqua ſupernaturalia in eſſe, quo profitetur aliquam talem cauſalitatem, & aliquorum dependentiam neceſſariam à cauſa ſupernaturali. Cur enim ab hac neceſſariò dependerent: niſi eſſent ſupernaturalia in fieri, & eſſe?

Et quamuis neget ſupernaturalitatem inter ſubiectum & formam, imò & inter ſubiectum, vt ſic, & agens: quia illud eſt naturaliter capax cuiuſuis perfectionis poſſibilis, à quouis agente potente; non tamen eam negat inter ſubiectum vt naturaliter indiſpoſitum, vel moraliter indignum, negatiuè, vel contrariè. Sed hæc videtur eſſe maxima ſupernaturalitas gratiarū & virtutum infuſarum: quod nec poſſint fieri, nec eſſe niſi ab agente ſupernaturali; non ſolùm ſupra omnem actiuitatem agentium naturalium, ſed etiam ſupra omnem diſpoſitionem, dignitatem, vel indignitatem, ſeu exigentiam naturalem vel moralem ipſius ſubiecti.

Nec in 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. negat habitus per ſe infuſos, eorumque actus eſſe propriè ſupernaturales in fiendo, eſſendo, & agendo: ſed negat eſſe ſimpliciter & abſolutè ſupernaturales .i. ſupra omnem ordinem actualem aut poſſibilem creaturarum. Sic enim *in* 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 4. docet ſolum Deum eſſe agens ſupernaturale: quia ſolus Deus non poteſt vlli creaturæ coördinari; ſed quæuis creaturæ etiam creabiles poſſunt alijs coordinari ac ſubordinari. Hinc ex *Abſolutione finali noſtri Commentarij in B. Aug. pag.* 167. 168. 169. *n.* 4. Naturalia & Supernaturalia, vt talia, non tam diſtinguuntur abſolutè in eſſendo, quàm relatiuè in patiendo & operando, vel ſecundùm leges Dei ordinarias, liberæ ordinationis, coordinationis & ſubordinationis omnium in hoc mundo, vel ſecundùm potentiam Dei abſolutam ab illis legibus communibus, & quaſdam ſecretas reſeruationes, vt *B. Aug. lib.* 9. *in Gen. cap.* 17. 18. Sine vllo tamen præiudicio diſtinctionis inter ſupernaturalia in eſſe, & in fieri vel modo. Nam ſi nulla ſunt aut eſſe poſſunt ſupernaturalia niſi ex libera Dei reſeruatione, & exemptione ab hoc ordine naturali: illa erunt ſupernaturalia in eſſe, quæ nullo modo poſſunt produci ab vlla cauſa huius ordinis naturalis; in fieri autem vel modo tantùm, quæ poſſunt quidem fieri à cauſis huius ordinis, non tamen tam ſubitò, tam procul, vel alio modo ſupernaturali, ſed modo quodam & ordine naturali, per diſpoſitiones ſubiecti, & cauſarum proportionem ac applicationem. Si vero ſunt aut eſſe poſſunt aliqua tam ſupernaturalia, vt ex natura ſua ſeu intrinſeca perfectione non poſſint fieri cauſaliter aut diſpoſitiuè, nec ſubordinari aut coordinari in exiſtendo, agendo, vel patiendo, cum vllis alijs creaturis: illa ſunt ſupernaturalia in eſſendo abſolutè, reliqua in fieri vel modo. Sed vt ex Scoto ſupra, ſolus Deus eſt ſic ex ſe ipſo ſupernaturalis, ſeu ſupra omnem poſſibilem coordinationem: omnia autem creabilia, ſunt ordinabilia coordinabilia, & ſubordinabilia inter ſe, aut ſibi ſimilia. Hinc non poſſunt eſſe ſupernaturalia in eſſendo, ſupra omnem ordinem poſſibilem: ſed ſupra hunc actualem, ex aliqua perfectione ordinis ſuperioris.

N. 5. Ad naturalitatem non ſufficit ſola aliqua prima ac remota capacitas paſſiua, vel actiua: nec ad ſupernaturalitatem eſt neceſſarius exceſſus omnis talis capacitatis, ſed tantùm omnis ſufficientis diſpoſitionis, & cauſalitatis naturalis. Nam actus beatifici nec ſunt naturales, nec minùs ſupernaturales, quia ſunt actus vitales ipſius etiam potentiæ naturalis: ſed eò ſunt ſupernaturaliores, quo ad eos minùs ſufficit potentia naturalis cum quouis habitu, magiſque neceſſaria eſt influētia immediata ipſius obiecti ſupernaturaliſſimi.

N. 6. Supernaturalia reſpectu ordinis inferioris, nec ſunt inter ſeipſa ſupernaturalia, nec connaturalia: ſed conſupernaturalia, & quædam alijs ſupernaturaliora. Quia quamuis omnia fuerint à Deo ab æterno ordinata: non tamen lege æquè ordinariâ ac immutabili; nec independenter à potentiâ Dei abſoluta, ſolâque eſſentialiter reſpectu omnium poſſibilium ſupernaturali. Nam Ordo gratiæ per merita Chriſti reſtitutæ, non ſolùm eſt magis gratuitus: ſed & efficacior, ac ſupernaturalior primo ordine ſupernaturali gratiarum. Quia influentia Dei neceſſaria cauſis etiam ſupernaturalibus ad ſuos effectus, non eſt propriè his cauſis gratia, ſed naturæ: influentia autem ex ſe efficax eſt illis maxima gratia, & ſupernaturaliſſima. Quamuis enim cauſæ ſupernaturales, vt gratia, & virtutes habituales, exigant à Deo neceſſariam aliquam influentiam ad verum & bonum ſupernaturale: cùm tamen non ſint cauſæ ex ſe infallibiliter efficaces, non exigunt à Deo influentiam ex ſe efficacem, ſed tantùm neceſſariam. Quæ vt illis neceſſaria, & à Deo vt Authore naturæ & gratiæ ſuo modo debita, non eſt propriè illis gratia, nec ſupernaturalis: ſed vt eſt ex ſe efficax, & ſupra neceſſariam exigentiam cauſæ. Hinc ſola hæc efficacia gratiæ eſt abſolutè ſupernaturalis, ſeu ſupra omnem ordinem poſſibilem cauſarum ſecundarum: videturque eſſe ipſa voluntas Dei actualis, vel eius actio abſoluta ab omni propria lege & promiſſione.

7. Actus fidei & ſpei diſponentes ad iuſtificationem, videntur ex ſe ſupernaturales in eſſe, non autem tantùm in fieri, vel modo. Imo videntur perfectiores ſuis habitibus, tam in eſſendo, quàm in operando, & diſponendo ad completam ac perfectam iuſtificationem formalem, per charitatem actualem & habitualem. 1. Quia ſiue diſponant realiter ſiue tantùm moraliter, ſeu ſecundùm gratioſas Dei promiſſiones ac acceptationes, vt vitales & liberi ſunt meritorij de congruo ipſius iuſtificationis, magiſque repugnant peccato actualis

Digitized by Google

actuali & habituali, quàm ipſi habitus fidei, & ſpei. 2. Plus mouent ad charitatem actualem & iuſtificantem, quam ſoli habitus ſine actu. 3. Sæpè oriuntur ex maiori auxilio ſupernaturali. 4. Habitus ſunt propter actus, vt media propter fines: ergo illi nō ſunt his perfectiores. 5. Habitus permanentes ſunt vicarij actuum tranſeuntium: vt qui non poſſumus iuſtificari actu continuo, iuſtificemur habitu permanente, & ſupplente, ac inclinante ad frequentationem & perfectionem iuſtificationis actualis. Hinc non eſt neceſſarius actus charitatis vt diſpoſitio ad iuſtificationem, ſicut eſt actus fidei & ſpei: quia actus charitatis æquè aut perfectiùs iuſtificat, quàm habitus charitatis. Nec obſtat quòd habitus infundantur, non autem actus. Tum quia actus tam ſupernaturaliter à Deo producuntur: vt etiam in nobis creari dicantur, *Eph.* 2. Tum quia charitas etiam actualis infunditur ac inſpiratur, *Rom.* 5. 8. *ſeſſ.* 6. *Trid. Can.* 3. *Arauſ. Can.* 6. Nec minus eſt inſpirari, quàm infundi, *Gen.* 2. Tum quia actus non declinant ad imperfectionem potentiæ naturalis: ſed eleuantur ad perfectionem gratiæ actualis; cui etiam videntur identificari. Sed de iuſtificatione per omnem veram charitatem, actualem, & habitualem: ſub propria *Quæſt.* 19. Hæc autem non niſi ad explicandum verum conceptum rerum ſupernaturalium.

Qui conceptus cùm ſit relatiuus ad oppoſitum vel inferiorem ordinem rerum naturalium: hac quoque comparatione & oppoſitione explicari poteſt. Vt enim naturale non ſolùm eſt à cauſa naturali, ſed etiam ſecundùm diſpoſitionem & exigentiam ſubiecti: ſic & ſupernaturale eſt ſupra omnem vim actiuam, & diſpoſitionem naturalem, vel moralem, ſeu exigentiam ſubiecti. Porrò pluribus titulis poteſt quid eſſe naturale, & ſupernaturale, vt debitum vel indebitum ſubiecto. 1. Titulo & quaſi iure naturali exiſtentiæ. Hoc enim ipſo quo Deus vult naturam aliquam exiſtere: conſequenter debet illam producere, & conſeruare, eique cooperari ad ſuum finem naturalem. Vnde nec hæc productio, nec conſeruatio, nec cooperatio Dei generalis, eſt vlli rei ſupernaturalis; ſed connaturalis, & à Deo vt Authore naturæ conſequenter debita ſuæ propriæ Sapientiæ.

2. Titulo eſſentiæ: quo eſſentia habet quaſi jus naturale ad ſuas partes eſſentiales, proprietates, & accidentia neceſſaria. Vnde hæc non ſunt illi gratuita, nec ſupernaturalia: ſed connaturalia, & quaſi debita.

3. Titulo habituum naturalium, ſeu acquiſitorum: quibus debetur concurſus cauſæ primæ, æquè neceſſarius habitibus, ac potentiæ, ad operandum, & cooperandum. Ideoque nec hic concurſus eſt gratuitus, aut ſupernaturalis: ſed connaturalis, & quaſi debitus habitui, aut ſubiecto habituato.

4. Titulo diſpoſitionis, ſeu ordinis ſupernaturalis inter ipſas gratias: vt hoc ipſo quo Deus dat priorem, velit etiam dare conſequentes.

5. Titulo habituum ſupernaturalium: quibus eſt neceſſarius, & conſequenter debitus influxus actualis Dei, ſecundùm inclinationem illorum habitum. Qui influxus quamuis ſit gratuitus & ſupernaturalis ipſi ſubiecto naturali: eſt tamen connaturalis ſeu conſupernaturalis talibus habitibus.

6. Titulo Sacramentorum: quibus præter gratiam habitualem confertur ius ad aliquas gratias actuales, neceſſarias & conuenientes fini cuiuſlibet Sacramenti. Quæ gratiæ ſunt magis gratuitę & ſupernaturales ipſis Sacramentis: quàm gratiæ actuales habitibus infuſis; quia illæ debentur ex ſola inſtitutione & promiſſione Dei; hæ ex perfectione illorum habituum.

7. Titulo meritorum propriorum: quibus debentur de condigno, vel de congruo aliquæ gratiæ, etiam actuales.

8. Titulo meritorum alienorum de congruo: quibus vnus alteri impetrat quaſdam gratias actuales.

9. Titulo meritorum Chriſti de condigno: quibus debentur omnes gratiæ ſecundùm intentionem Chriſti, & acceptationem Dei. Sed hi tituli meritorum non reddunt gratias Dei minùs gratuitas, & ſupernaturales. 1. Quia debentur ſoli Chriſto, condignè. 2. Quia merita noſtra & aliena pro nobis, ſunt ex gratuita promiſſione & acceptatione Dei. 3. Quia fiunt ex gratia Dei gratuita & ſupernaturali.

10. Titulo neceſſitatis: quo Deus vt Author naturæ & gratiæ ſupplet defectus communes. Vt deficiente Cauſa ſecunda, Deus ſupplet generando viuentia ex materia diſpoſita. Mouet grauia ſurſum, & leuia deorſum, ad cauendum vacuum. Sed hæc prouidentia Dei non eſt gratuita, & ſupernaturalis: quia eſt neceſſaria ad conſeruandum totum ordinem naturalem. Quòd ſi Deus hoc titulo infallibiliter ſuccurrit cauſis ſecundis ad ſuos fines naturales: cur non & cauſis liberis ad ſuum finem ſupernaturalem, vel ſaltem moralem? *Reſp.* 1. Quia cauſæ liberè id demeruerunt. 2. Quia cauſæ naturales ſunt determinatæ ad ſuas operationes, & fines naturales: ideoque naturaliter exigunt à Deo auxiliū determinatum; eiuſq; priuatio eſſet violenta, contra impetum naturalem illis à Deo ipſo inditum. Sed cùm cauſæ liberæ ſint ex ſe indeterminatæ, poſſintque ſeipſas determinare: non debetur ipſis determinatum auxilium, ſed ſufficit aliquod accommodatum earum libertati, & inclinationi etiam vitioſæ. Vnde ſi detur illis auxilium ſpeciale ad verum & bonum: eſt gratuitum & ſupernaturale libertati indifferenti, & inclinatæ ad falſum & malum.

Sed præ omnib⁹ ſunt gratuitæ, & ſubiectis ſuis ſupernaturales primæ gratiæ actuales, præuenientes omnia merita, exceptis Chriſti, omnemque diſpoſitionem priorem: eoque magis gratuitæ, & ſubiectis ſupernaturaliores, quo præueniunt indigniores præ aliis, æquè aut minùs indignis, in laudem gloriæ gratiæ Dei, *Eph.* 1. Quæ tamen non ſunt ideo perfectiores, ſed potiùs minùs perfectæ, gratijs poſterioribus: quia vt in naturalibus, ſic & in gratuitis, Deus procedit ab imperfectioribus ad perfectiora. Niſi neceſſaria ſit prima gratia efficacior & perfectior, ad euincendam

cendam malitiam oppoſitam. Hinc patet gratias magis gratuitas, & ſupernaturaliores ſubiectis, poſſe eſſe minùs perfectas, minùſque ſupernaturalés in ſe: & ideò *Scotum* ſumere potiùs ſupernaturalitatem ab Agente, quàm à ſubiecto; quia inde eſt potiùs realis, hinc potiùs moralis. Reliqua inter difficultates infra objiciendas.

4. *Omnes virtutes infuſas diſtingui realiter inter ſe: ſed non omnes realiter à gratia ſanctificante.*

QVia licet nonniſi ſimul infundantur, ad perfectam iuſtificationem:vt patet ex *Trid. Seſſ. 6. cap. 7.* poſſunt tamen ſeorſim conſeruari; vt Fides ſine Spe, vtraque ſine Charitate, & Charitas in gloria, ſine Fde, & Spe. Sed nunquam in vllo ſtatu poteſt eſſe gratia ſanctificans ſine charitate, nec Charitas ſine gratia ſanctificante. Hinc meritò præferenda eſt ſententia *Doctoris noſtri in 2. d. 27. ſupra col. 183.* eiuſque fundamenta, pro identitate reali, ſolaque diſtinctione formali inter gratiam ſanctificantem, & virtutem charitatis: quòd eadem forma vt iuſtificans, & gratificans Deo, ſit & dicatur gratia; vt autem eſt virtus diligendi Deum, ſit & dicatur charitas. Non enim approbat totam opinionem quam refert vt ſonat: quòd gratia *formaliter* ſit virtus ſeu charitas, ſed ſubdit. *Charitas eſt quâ Deus habetur charus: gratia, quâ Deus habet nos charos, ſeu gratis diligit. Hoc eſt alicuius imperfectionis in nobis, non illud; in eadem tamen re. Vel idem vt principium operandi, eſt charitas, & perfectio ſimpliciter: vt obiectum dilectionis Dei gratuitæ, eſt gratia, non perfectio ſimpliciter.* Hic ſenſus confirmatur à noſtro *Vega lib. 7. cap. 25.* 1. Ex ſacris Script. quæ promiſcuè tribuunt eoſdem effectus, etiam formales, gratiæ, & charitati. *Iac.* 5. 1. *Pet.* 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. *Prou.* 6. Ego diligentes me diligo. *Ioan.* 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, &c. 1. *Ioan.* 3. Qui non diligit, manet in morte. *Cap.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, &c. Diligamus Deum quoniam prior dilexit nos, &c. 1. *Cor.* 13. Sine Charitate nihil prodeſt. Maior omnium eſt charitas.

2. Ex SS. Patribus. Vt, ex *B. Aug.* 15. *Trin.* 18. Nullum donum Dei eſt excellentius charitate. Sola eſt quæ diuidit inter filios Dei, & perditionis. Dantur & alia dona: ſed ſine charitate nihil proſunt. *Lib. de Natura & gratia, cap.* 42. Charitas, veriſſima, pleniſſima, & perfectiſſima iuſtitia eſt. *Cap.* 70. Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt. Reliqua infra ſub propria difficultate: vel Quæſt. 19.

5. *Nullum habitum vel actum gratiæ, aut virtutis, ex ſe perfectè iuſtificare & gratificare: ſed ex libera ordinatione & acceptatione Dei, vt ſupernaturali ipſis habitibus & eorum actibus.*

EST Doctoris noſtri *Subtilis*, in 1. *d.* 17. *q.* 3. De perfecta ratione meriti ex libera acceptatione Dei. Vt ſupra *q.* 12. *In* 4. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 31. *Creatura non poteſt habere virtutem actiuam, vt faciat aliquid dignum vel acceptum Deo.* Nec obſtat quòd ſubdit. *Creatura poteſt eſſe formalis ratio talis acceptationis, vt conceditur de charitate: quare ergo non ita effectiua ratio acceptationis?* Hoc enim non approbat, ſed obijcit. Quamuis ibi non reſoluat, ſed alibi ſæpè: ſupponendo Deum eſſe liberrimum ad extra; nec poſſe ab extra moneri, vel inclinari ad vllum actum; nec vllum actum vel obiectum eſſe dignum voluntate & acceptatione diuina. Vt in 3. d. 16. q. 2. n. 16. *Deus contingenter cauſat quicquid extra ſe cauſat.* Diſt. 32. q. 1. n. 4. *Creatura non poteſt eſſe ratio mouendi intellectum infinitum, &c. Vileſceret enim intellectus, &c.* Sicque de voluntate. Hinc ſæpè negat Verbum diuinum eſſe Verbum creaturarum, & Spiritum Sanctum eſſe amorem creaturarum. Sæpè etiam ſupponit pro certo Eſſentiam Diuinam eſſe ſpeculum, ſeu obiectum voluntarium & liberum ad extra. Quodque huic ſententiæ proximum eſt, negat in 4. *d.* 10. *q.* 2. gratiam ex ſe formaliter remittere culpam: ſed ex ordinatione Dei. Negat Sacramenta & Miniſtros poſſe attingere effectum gratiæ. *Quia* vt expreſsè in 4 d. 1. q. 1. n. 31. *per gratiam eſt anima formaliter accepta Deo, acceptatione ſpeciali, tanquam dignâ vitâ æternâ: creatura autem non poteſt habere virtutem actiuam, vt faciat aliquid dignum vel acceptum Deo.* Cùm ergo ſubdit: *Sed iſte rationes non multum cogunt.* Non 1. *Quia creatura poteſt eſſe formalis ratio talis acceptationis, vt conceditur de charitate: Quare ergo non ita effectiua ratio acceptationis? Non videtur ratio.* Per hæc non tam ſubitò ſibi ipſi contradicit: nec quaſi ex propria ſententia ab effectu formali, vt proprio gratiæ gratificanti, infert poſſibilem actiuitatem creaturæ ad gratiam. Sed potiùs ex ſenſu communi, de impoſſibili actiuitate animæ ad gratiam: meritò corrigit ſenſum communem de effectu formali quaſi proprio gratiæ gratificantis Deo. Nam ſi gratia gratificaret animam Deo formaliter: ſeipſa moueret ſeu determinaret immediatè Deum, ad amandum neceſſariò ſuum ſubiectum, ſeu volendum ei gloriam. Si quis autem per gratiam actualem produceret gratiam formaliter gratificantem: moueretur ad hoc ab ipſo Deo. Ergo illud eſt indignius & impoſſibilius quàm hoc. Quia Deus poteſt nos ſibi gratificare cauſaliter, ſed non formaliter.

Confirmatur hæc ſententia, vt humillima, pijſſima, & probabiliſſima, ex ſacra Script, SS. PP. & ſenſu communi Eccleſiæ, ac optimorum fidelium: Quòd quantumuis Sancti ſemper dependeant à continua gratia actuali; nec Cœli ſeu Angeli & Beati ſint iuſti coram Deo. Vt *Pſal.* 142. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. *Iob* 15. Cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo. *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones, &c. Deus præmiat vltra condignum. Non ſolùm comparatiuè ad Deum: quia ſic nec viueremus, nec eſſemus. Nec ob incertum ſtatum aut perſeuerantiam gratiæ præſentis: quia Sancti Beati ſunt in æternum ſecuri. Nec dependenter à præterita infuſione gratiæ, vel à præſenti, aut futura conſeruatione, & cooperatione Dei: quia poteſt eſſe certum

certum de præterito, præſenti, & futuro, quoad ſtatum habitualem, & conſeruationem, ac cooperationem illi ſtatui debitam ab Authore naturæ, & gratiæ ordinariæ.

Ergo dependentia illa Sanctorum, & Beatorum, eſt à potentia Dei abſoluta ab omni ſua promiſſione, & ordinatione etiam gratuita ac ſupernaturali: & à gratia actuali acceptandi omnes habitus & actus etiam gratuitos & ſupernaturales, ad iuſtificationem, gratificationem, & glorificationem, vltra omnem eorum intrinſecam perfectionem, cauſalitatem, formalitatem, condignitatem. Hinc 1. *Ioan.* 4. Deus prior dilexit nos. *Eph.* 1. *Prædeſtinauit*, prælegit nos *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, &c.* Ergo nullus habitus gratiæ eſt cauſa actiua vel formalis, ſed effectus dilectionis noſtræ à Deo, ad gloriam æternam. Quæ cùm ſita ſit in clara viſione & fruitione eſſentiæ Diuinæ, vt ſpeculi ſeu obiecti nonniſi liberrimè viſibilis ab extra: non poteſt ſubeſſe vlli cauſæ aut cauſalitati neceſſariæ. Reliqua ſub difficultatibus obijciendis

## *Difficultates.*

*1. Contra illam certitudinem fidei.*

SAcræ *Script.* Conc & Patres poſſunt intelligi de gratia actuali realiter tranſeunte, ſed moraliter permanente, ad ſtatum gratiæ vel virtutis gratuitæ, ſeu ad habendum ſubiectũ illius gratiæ præteritæ liberum ab omni culpa præterita, & Deo gratum ad gloriam; eique ſpecialiter aſſiſtendum ad ſimiles gratias actuales, & actus Deo gratos, donec quis liberè demereatur. Sicuti ex *B. Aug.* culpa originalis tranſit reatu, manet actu concupiſcentiæ: culpa actualis tranſit actu, manet reatu, ſeu morali imputatione Dei, quaſi in ſtatu habituali donec remittatur. Nec Sacræ *Script.* Conc. aut Patres videntur plus exigere ad internam illam iuſtificationem, renouationem, gratificationem, adoptionem, regenerationem in filios Dei. Nam *Trid. Seſſ. 6. cap. 7.* & *Can.* 11. tantùm definit de Adultis contra hæreticos, nos non iuſtificari per ſolam imputationem iuſtitiæ Chriſti, aut per ſolùm fauorem extrinſecum Dei: *excluſa gratia & Charitate quæ in nobis per ſpiritum S. diffundatur & inhæreat; ſed etiam per voluntariam receptionem gratiæ, donorum*, & virtutum Theologicarum. Gratia autem actualis cùm ſit accidentalis & interna, verè inhæret, & potiùs diffunditur in anima, ac voluntariè recipitur, quàm vlla permanens ſeu & ſtabilis. Diffundi enim & voluntariè recipi, eſt potiùs gratiæ tranſeuntis & perceptibilis, quàm permanentis & imperceptibilis.

*Reſp.* Conc. *Trid. ſeſſ. 6.* agit de iuſtificatione in communi, niſi reſtringat ad Adultos. Sed expreſſiùs etiam de iuſtificatione Paruulorum per baptiſmum, *Seſſ.* 5. *Can.* 4. Si quis Paruulos recentes ab vteris Matrum baptizandos negat &c. Anathema ſit. *Can.* 5. Si quis per IESV Chriſti gratiam quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat &c. Anathema ſit. In renatis autem nihil odit Deus &c. Quia veterem hominem exuentes & nouum induentes, Innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti &c. *Seſſ. 7. Can. 6. 7. 8.* De collatione veræ gratiæ internæ per Sacramenta, omnibus ex opere operato &c. De baptiſmo Paruulorum, eorumque ſtatu inter Fideles, *Can.* 12. & 13. Cùm autem gratiæ actuales non ſint niſi ad operandum, præueniendo, vel cooperando: nulla talis poteſt conferri paruulis, nec ab eis voluntariè recipi ante vſum rationis. Qui non datur eis ordinariè in baptiſmo, ſicut *Ioanni Baptiſtæ* in vtero. Vt patet ex *B. Auguſt. Epiſtolâ 57. ad Dardanum, q. 2.* Si, *Luc.* 1. eſt in illo puero acceleratus vſus rationis, & voluntatis: vt intra viſcera materna, iam poſſet agnoſcere, credere, conſentire: hoc in miraculis habendum Diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum eſt exemplar naturæ &c. Neſcire autem Diuina Paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, ſi verbis velimus oſtendere: vereor nè ſenſibus noſtris videamur facere iniuriam &c. Quod vocibus & motibus reluctantur, non eis imputatur &c. Si vterentur rationis & voluntatis arbitrio: quantum mali eſſet reſiſtere tantæ gratiæ? Et *Epiſt. 23. ad Boniſ.* Vt in 4. *Col.* 199. 200. Infuſio quidem & diffuſio gratiæ eſt actualis & tranſiens: ſed gratia infuſa, eſt permanens & inhærens; non ſolum vt accidens, ſed permanens. Cum enim hæc inhærentia addatur infuſioni: non opponitur ſoli imputationi & fauori extrinſeco; ſed etiam ſoli gratiæ actuali, vt accidenti & præteritæ. Inhærere enim plus dicit quàm accidere. Nec voluntaria receptio ſeu conſenſus eſt ſolùm in id quod percipitur: ſed etiam in id quod creditur, & ſperatur. Nec poteſt eſſe vera ſanctitas, per ſolam imputationem gratiæ actualis, vel actus præteriti: vt ſunt peccata, & merita aut demerita poſt actum præteritum. Quia culpæ ſunt priuatiuæ: ſanctitàs autem eſt poſitiua. Nec merita & demerita ſunt tam ad mercedem, vel pœnam præſentem, quàm ad futuram: ſed Sanctitas ſeu iuſtitia eſt ſtatus præſens.

Nec ſola præſentia & aſſiſtentia Dei ab benè operandum, poteſt eſſe quaſi inhabitatio ſtabilis ſeu ordinaria: niſi ex ordinatione Dei ſit annexa gratiæ ſeu virtuti intrinſecæ ac permanenti, quæ potiùs exigat ſpecialem Dei beneuolentiam, & ordinariam aſſiſtentiam huic perſonæ in hoc ſtatu, quàm alteri, vel eidem extrà hunc ſtatum.

Denique cùm ſtatus gloriæ ſit futurus intrinſecus, & æternus: non poteſt eſſe præparatio ad illum ordinata, niſi per gratias & virtutes etiam intrinſecas, & ſaltem vſque ad gloriam permanentes, vel in ipſâ gloriâ perficiendas. Nec aliter intelligi poſſũt Sacrę Script. Cõc. & Patres, de hac præparatione, renouatione, adoptione, regeneratione, deſponſatione, & ornatu interiori animarum, ad futuram gloriam. Vt de *Veſte* illa nuptiali, *Matt.* 22. De induendo nouo & interiori homine, *Eph.* 4. De Stola illa prima, Annulo, & Calceamentis, *Luc.* 15. Quæ metaphoræ exigunt ſtatum intrinſecum.

omni periculo peccati. 1. Vt Mater propter Filium. 2. Propter merita Filij, quamuis fuiſſet impaſſibilis. 3. Propter merita Mortis & Paſſionis eius, ex abundanti. Quo pluribus autem titulis fuit præſeruata, eo pluribus Immaculata, & conſequenter digniſſima titulo Immaculatæ Conceptionis, Virginis, & Perſonæ. Quem ei verbo vel facto expreſſè detulerunt, *Sixtus* 4. *Alexander* 6. *Iulius*. 2. *Leo* 10. *Pius* 5. *Greg.* 13. *Paulus* 5. *Greg.* 15. *Imo & Vrbanus* 8. ac S. D. N. *Innocentius* 10. inſtituendo, vel continuando Feſtum, Officium, Ordinem, Indulgentias, Confraternitates, in honorem ſiue Conceptionis, ſiue Virginis, ſiue Perſonæ vt Immaculatæ in ſua Conceptione.

Nec *Vrbanus*. 8. Vnquam negauit Conceptioni B. V. M. titulum *Immaculatæ*: ſed interponens eum inter Conceptionem, & *B. V. Mariã*, ſimul applicauit eius Conceptioni, Virginitati, & Perſonæ. Noluit autem fortè præponere hunc titulum Conceptioni: ne videretur ei ſoli appropriare, vel potiùs ne cenſeretur velle definire. Cùm enim cauſa eſſet proxima definitioni, & maximæ inſtantiæ fierent ad definiendum: ſapienter iudicauit inter tot alias grauiores & neceſſarias controuerſias Fidei, non eſſe mouendam nouam & non neceſſariam; ſed potiùs ſiſtendum in ſtatu proximo definitioni, ſufficiente ad honorem, & verum, certum, ac pium cultum *B. V. Mariæ*, vt Immaculatæ ſimpliciter, ſine ſtrictiore vel ſuperflua determinatione. Vt enim poſſeſſor, non indiget vlla actione, inſtantia, & ſententia definitiua, pro re poſſeſſa: Cùm ea æquè fruatur, ac per definitiuam. Sic, cùm per inhibitionem omnis contradictionis, *B. V. Maria*, totaque Eccleſia ſit in poſſeſſione pacifica huius Feſti, Officij, omniſque tituli, & cultus publici decentis Conceptionē eius vt Immaculatam: non eſt neceſſaria vlterior actio & contentio ad definitionem poſitiuã; ſed præſtat vt ſicut eius Natiuitas & Aſſumptio tranſierunt in tantam fidem ex conſenſu communi Eccleſiæ, ſic & eiuſdem Conceptio. Cùm enim opiniones hominum ſint liberiores, quàm vllæ aliæ actiones: minùs ſunt violenter priuandi libertate opinandi, quàm agendi; ſed potiùs ſuauiter reducendi ad ſenſum & conſenſum communem, quàm neceſſaria lege aut definitione cogendi. In quem finem *Vrbanus*.8.ne pauci adhuc diſſentientes in diſſenſu rigeſcerent, ſed potiùs ſuauiter in eundem ſenſum & conſenſum coaleſcerent: noluit eos nouo fauore *Immaculatæ* Conceptionis ſtringere; imò & relaxauit feſtum Immaculatæ Concept. ab obligatione præcepti, ne etiã populus Chriſtianus nimijs feſtis grauaretur. Cùm tamen ex hac reuocatione fideles inter vel propè hæreticos paterentur graue ſcandalum, & opprobrium, quaſi Papa & Eccleſia Romana in hoc deficeret & diſſentiret à ſenſu, conſenſu, & pio cultu totius orbis Chriſtiani: in Belgio Religioſè prouiſum fuit, ne hæc reuocatio ſubditis Regis Catholici publicaretur; à quibus, & ab ipſis vicinis quibus publicata fuit, æquè celebratur ex deuotione, ac ex obligatione. Quo facto ſedes Apoſtolica experiri poteſt, quanta ſit conſenſio & pietas totius cleri ac populi Chriſtiani, ad Immaculatam Concept. B. V. M. quàmque periculoſa innouatio, & ab illa defectio.

Hinc patet quàm ſit alienum ab intentione S. Sedis, interpretari hanc eius ſapientiam & prouidentiam, in præiudicium, negationem, ac inhibitionem *Immaculatæ* Conceptionis: abutique hoc eius exemplo, & formis regularibus ac ordinarijs Miniſtrorum eius, ad ſenſum & affectum proprium; ſeu ad conformandum, reformandum, & deformandum titulū *Immaculatæ* Concept. ex omnibus dictis, ſcriptis, pictis, ſculptis totius orbis Chriſtiani. Quamuis enim Miniſtri Sedis Apoſtolicæ non poſſint variare ſuas formas ordinarias, niſi ex eiuſdem mandato ſpeciali: non poſſunt tamen ab omnibus exigere eaſdem formas loquendi & ſcribendi; quia ſibi ſoli quaſdam reſeruat, & appropriat, quas non decet eſſe communes. Quis enim ſibi ipſi, aut alteri, Epiſcopo, vel Principi tribuere, aut non tribuere præſumat, titulos quos Papa tribuit aut non? Quis Epiſc. vt *Fratri*, Principi vt *Viro nobili* epiſtolas inſcribat? Quis nō approbet aliam formam loquendi vel ſcribendi quàm ipſius Sacra Script. Sacrorum Conc. vel Patrum: nec vllam inde expreſſionem, ſeu explicationem, & conſequentiam? Quamuis ergo Sedes Apoſtolica vel eius Miniſtri ex Perſona Papæ non vterentur titulo expreſſo *Immaculatæ* Conceptionis B. V. M. cur nulli liceret hunc titulum vt contentum in Feſto, Officio publico Concept. ipſique titulo *Immaculatæ* Virginis ac Perſonæ, exprimere? An quia Sedes Apoſtolica vti poteſt authoritate & libertate loquendi & ſcribendi vel non, pro vel cōtra Conceptionem Immaculatam: eadem eius exemplo omnes vti poſſunt? Imò verò nullus præter eam, vel ex eius facultate ſpeciali. Cùm ergo *Paulus* 5. tam ſeuerè inhibeat *omnibus & ſingulis, cuiuſcumque conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua eorum mentio eſſet neceſſario facienda &c. ne audeat publicè aſſerere quòd B. Virgo fuerit conceptà cum peccato originali*: Et Greg. 15. addat, *Neque etiam in ſermonibus & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd eadem B. V. fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere ſeu tractare, exceptis quibus à S. Sede fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum &c.* Qui ergo ſunt ab his Decretis excepti, & quâ ſpeciali ad hoc facultate audent contra *Immaculatam* Conceptionem agere ſeu tractare, huncque titulum in dubium, vel ad ſolam Virginitatem, aut Perſonam *B. Mariæ* reuocare? Quaſi verò agere contra hunc titulum, non ſit agere contra ipſam rem ſignificatam: vel ſit tantùm inhibitum agere contra rem ipſam, non autem contra eius titulum. Quis non videat hoc exemplo relaxari omnem libertatem æquè agendi contra Conceptionem B. Virginis ſine culpa originali, ac ſi nulla eſſet inhibitio? Sic enim nuper quidam ſub prætextu commentandi *S. Bernardum*, de Concept. B.V.M. *Epiſt. ad Canonicos Lugdunenſes*, exploſâ quadam interpretatione de Conceptione ſolius corporis, in ſolo peccato materiali ſeu concupiſcentia, non autem de ipſa animatione, ſubdit. *Reſtat igitur vt de peccato Virginis, ſine prolis intelligatur, &c.*

Is

Digitized by Google

*Is ſenſus, ea Doctrina* Aug. *&* SS. *Patrum, &c. Hinc eſt quòd* Sanctus Bernardus *docet ſolùm Chriſtum conceptum ſine peccato: quia ſine concupiſcentia.*] Quòd poſtquam quaſi ex *Aug.* ad nauſeam vſque traduxit, conatur ſeipſum ſic excuſare. *Solùm oſtendere volui, de qua conceptione, vel infectione ſermo ſit* S. Bernardo, *&c. Non enim nunc quid ſtatuam ſentio, ſed quod dico ſolùm hoc eſt, &c.*] Id eſt, Se reprobare illam interpretationem. Nec tamen vlla alia prolatâ, concludit: *Interim tamen firmiter mihi perſuadeo S. Bern. à veritatis tramite in propoſito non aberraſſe, &c.* Quid eſt hoc, niſi legibus illudere: eaſque ſub nomine *S. Aug.* & *Bernardi*, multò grauiùs quàm ſub proprio violare? Sic & qui ſub prætextu ſolius tituli renouant totam contentionem de Conceptione Immaculata, illudunt decretis *Pauli.* 5. & *Greg.* 15. Cùm enim ſit nobis liberum agere priuatim & publicè pro Conceptione Immaculata, non autem contra: eſt & liberum agere pro titulo, non contra. Finis enim agendi, eſt gloria tituli.

## 7. *Oppoſitio.*

EX differentia inter titulum publicum honoris, & affirmationem aut negationem: quod ille ſupponat conſenſum communem, & approbationem; hæc autem nonniſi priuatam opinionem. Titulus autem publicus Immaculatæ Conceptionis, non eſt ex ſenſu communi, nec approbatus: ergo non eſt licitus, ſed tantùm affirmatio Sanctitatis, & negatio maculæ. Nec obſtat quòd videantur eiuſdem ſignificationis: quia ſæpè inhibetur aliquid dici, ſcribi, vel edi linguâ vulgari; non autem aliâ, quamuis ſint eiuſdem ſignificationis, ſed non eiuſdem conſequentiæ.

*Reſp.* 1. Affirmatio Conceptionis *Immaculatæ*, & negatio maculæ in Conceptione B. M. ſunt tam approbatæ conſenſu & lege communi: vt omnis contradictio ſit eadem lege inhibita; ergo æquiualet titulo publico. 2. Hic titulus nec eſt vlli alteri proprius, nec pluribus communis: ergo eſt proprius ſoli Conceptioni B. M. Virginis. Quia Chriſtus habet proprium titulum maiorem, *Impeccabilis*, & *Immaculabilis*: nullus aliorum SS. poteſt prætendere titulum æqualem *B. V. Mariæ* in Conceptione; ergo titulus *Immaculata*, eſt proprius Conceptioni *B. V. Mariæ*. Cùm ei ab omnibus publicè deferatur, ſciente, & ſaltem tacitè pprobante Eccleſiâ, ſine vllius iniuria aut præiudicio. Nec obſtat quòd titulus *Immaculatæ* videatur proprius Virginitati, aut communis Conceptioni, Natiuitati, Virginitati, Perſonæ, totique vitæ *B. V. Mariæ*. Quia quamuis ſit proprius Perſonæ, totique eius vitæ, eſt paſſiuè propriiſſimus primo inſtanti Conceptionis, à quo omnis maculatio, aut immaculatio, incipit paſſiuè. 3. Inhibitio huius tituli, aut affirmationis vel negationis in lingua vulgari, eſt iam relaxata in libertatem publicè, quauis lingua proclamandi *B. V. Mariam* eſſe immaculatè conceptam: ergo eſt relaxata in titulum publicum, inhibitâ omni contradictione. Cùm enim tanta ſit inter homines pro poſſeſſione titulorum propriorum & inanium contentio, tantaque cenſeatur infamia tituli alicuius priuatio: quis iniuriam & infamiam quam nec ipſe ferre, nec alteri inferre vellet, *B. V. Mariæ* inferat, vel inferri patiatur? Quis non pro poſſeſſione titulorum eius, potiùs quàm ſui proprij, glorioſè contendat? Quis credat, aut non miretur, & tranſdoleat, hunc titulum toto orbe Chriſtiano tam liberum & glorioſum, à ſola Curia Romana excludi, à quibuſdam eius Miniſtris ſupprimi, & priuari ſuâ poſſeſſione ac libertate ſaltem probabili, ſeu liberè prodeundi, intrandi, & tranſeundi per communem ſaltem approbationem omnium probabilium.

## 8. *Oppoſitio.*

CVm Sedes Apoſtolica reſeruet ſibi liberam definitionem huius controuerſiæ in alteram partem: neceſſariò vtramque ſub dubio ſuſpendit; cauetque ne huic ſuæ poteſtati ac libertati definiendi præiudicet, tribuendo vel approbando per ſe aut ſuos Miniſtros titulum *Immaculatæ Conceptionis*, in Libris, Theſibus, & documentis, aut monumentis publicis ſuæ approbationi ſubiectis. Quamuis enim non definiat quicquid per ſe, vel per ſuos Miniſtros approbat: confert tamen tantam fidem; vt vix poſſet ſuam approbationem, & titulum Immaculatæ Conceptionis à ſe approbatum, in dubium reuocare, quantominus definitiuè reprobare? *Reſp.* Sedes Apoſtolica habet ſemper eandem poteſtatem definiendi: ſed controuerſiæ non ſunt ſemper æquè definibiles. Nam nec definiendo alteram partem, nec eam diſponendo & promouendo ad definitionem, perdit aut minuit ſuam poteſtatem & libertatem definiendi: ſed eam perficit, ſeu exercet, & reducit ad actum perfectum. Porro, quamuis controuerſia de Immaculata Conceptione *B. V. Mariæ*, necdum ſit definita: non eſt tamen adhuc quaſi in æquilibrio ſuſpenſa, ſeu æquè proximè definibilis in alterutram partem; ſed vel eſt proximè diſpoſita, vel ſaltem valdè inclinata ad definitionem Immaculatæ Conceptionis, prorſus autem indiſpoſita ad oppoſitum; tum ex illius credibilitate, potiùs quàm oppoſiti; tum ex proxima diſpoſitione, ac inclinatione totius orbis Chriſtiani ad fidem illius, maxima autem indiſpoſitione & auerſione ab omni aſſenſu vel credulitate oppoſiti; tum ex proceſſu ipſius Sedis Apoſtolicæ, ad tot publica Decreta proxima definitioni illius, & reprobationi huius. Vt patet ex omnibus prædictis. Ergo ordinatè procedendo, hæc controuerſia non eſt ad æquilibrium reuocanda: ſed in hoc ſuo ſtatu vſque ad definitionem, vel ſine vlteriori definitione, reſeruanda. Nec ſolus titulus Immaculatæ Conceptionis eſt excipiendus ab vſu totius Eccleſiæ, nec ſolius Romanæ, nec ab approbatione Papæ & Miniſtrorum eius, nec denique ab vſu priuato & publico ipſius Papæ & Miniſtrorum eius. 1. Quia nimis eſt publicus & glorioſus per totam Eccleſiam: quàm vt poſſit ſine graui damno honoris & cultus *B. V. M.* ſine periculo ſcandali, & ſine præiudicio cauſæ, ante informationem & diſpoſitionem totius orbis Chriſtiani, tam ſubitò, ex improuiſo & inopinato reuocari, & ſuſpendi. 2. Quia hic titulus Immacu-

latæ

Digitized by Google

latæ Conceptionis continetur in titulo Immaculatæ Virginis & Perſonæ, & in ſenſu communi ipſius Feſti & Officij celebris in ipſa Eccleſia Romana: ergo hic Titulus non poteſt excipi ab hac Concept. in ſola Eccleſia Romana, ſine aliqua mutatione ſenſus prioris, & ſine aliqua minutione ſeu reſtrictione ipſius tituli Immaculatæ Virginis, & Perſonæ, vt ſupra. 3. Cenſores Librorum non approbant eorum Titulos aut Doctrinam vt ſuam, vel ſuorum principalium: nec vt certam, ſed ſaltem probabilem, & fidei ac bonis moribus congruam. Vt ſatis patet ex Decreto *Leonis* 10. *in Conc. Later. Seſſ.* 10. *& Trid. Seſſ.* 4. Cur ergo *Magiſter* Sacri Palatij Romæ, vt Cenſor *Papæ* non æquè & potiùs approbet libros & theſes publicas ſub titulo *Immaculatæ* Conceptionis, quàm ſub varijs & incertioribus titulis Regum, Principum, & Mæcenatum? Si quis Cenſor nollet approbare vllos libros aut theſes niſi propriæ opinionis, aut ſui Epiſcopi: nunquid abuteretur authoritate publicâ? Hæccine eſt obſeruantia Decretorum *Pauli* 5. & *Greg.* 15. Vt ſit liberum publicè agere pro, ſed nequidem priuatim contra *Immaculatam* Conceptionem? An non agit pro, qui ei tribuit titulum Immaculatæ? An non publicè contra, qui hunc titulum ſupprimit, negando facultatem ad hoc neceſſariam? 4. Cùm *S. Sedes* in fauorem *Immaculatæ Concept.* toties reſponderit, & velut maxima Eccleſiæ Campana ex eius eminentia ad Feſtum & Officium eiuſdem *Immaculatæ Concept.* tam clarè & altè ſonuerit, vt totus orbis Chriſtianus inde reſonet: hoc ſuo ſilentio, à priore ſono proprio, & velut Echone continuo non diſſonat; ſed ſibi vltimum definitionis pulſum reſeruat, ad quem totum orbem Chriſtianum voto publico deuotũ ac ſupplicem rapit. Interim ne ſtatus huius cauſæ vel minimùm declinet, nec cultus *B.V.M.* ſub Titulo Immaculatæ Cõc. lenteſcat: dignetur omnibus vbique libertatẽ à *Paulo* 5. *& Greg.* 15. decretam, V. Mariam hoc titulo colendi, & inhibitã verbo vel facto contradicendi, proprio exemplo confirmare; eandem per ſe ſuoſque Miniſtros priuatim & publicè ſic etiam colẽdo & inuocãdo. Quia nullũ ſubeſt verũ definitionis præiudiciũ aut periculum: Cùm oppoſitũ nunquã poſſit eſſe definibile, ſeu neceſſarium, conſultum, vel dignum definitione; tamque rarò definitiuè loquatur; nec decernendo ipſa feſta & Officia, imò nec fortè canonizando Sanctos definiat.

9. *Oppoſitio.*

EX Decreto S. Inquiſitionis Romanæ ſub *Vrbano.* 8. De Titulo *Immaculatæ*, tribuendo *B. V. Mariæ*, non eius Conceptioni. *Reſp.* Si quod talé, fuit tantùm ad caſum illum ſingularem, de quo ſupra. 2. Vel eſt tantùm Regula Secreta inter Miniſtos Curiæ, ne quis Actus publicus ſub nomine Papæ aliter relaxetur: pro vt Romæ expertus & miratus fui. Si enim eſſet Decretum aut Declaratio communis: fuiſſet vtique alicubi ſaltem publicata. Nec eſt contra, ſed potiùs pro hoc titulo. Quia, *Exceptio firmat Regulam.* Cùm ergo Papa tantùm excipiat illos Actus à Decretis *Pauli* 5. *& Greg.* 15. Hic Titulus non poteſt vllibi ſupprimi in Libris, Theſibus, aut vllis alijs Actis publicis. Quia nec fiunt proprij Papæ, vel eius Cenſori, per ſolam approbationem, ſeu facultatem edendi: nec fiunt inde tã certi, quàm Feſtũ & Officiũ *Immaculatæ Concept.* ex approbatione *Sixti* 4. & ex Decretis *Pauli* 5. *Greg.* 15. liberè dicendi & laudandi B.V. Mariam vt immaculatè conceptam, ſine vlla contradictione. Quæ autem laus, vel libertas laudandi, niſi ſub hoc Titulo? Quæ maior contradictio: quã huius laudis inhibitio? Vt *col.* 456. 457.

10. *Oppoſitio.*

COntra omnes viſiones, reuelationes, miracula, vt impertinentia ad hanc Cauſam. *Reſp.* Sacra Script. & Conc. vt Synodus 7. eſt plena miraculis relatis & collatis ad definiendum cultum Chriſti, *B. V. M.* & SS. ſub ſuis Imaginibus: cur non etiam ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis*? Hinc meritò ad hanc etiam Cauſam à pleriſque referuntur & conferuntur. Vt de ſtatua *B.V. M.* hucuſq; inclinato Capite, ad ſalutationem *Scoti*: de alia hucuſq; auerſà facie à quodam contradictore: de Miſſali Immac. Conc. præſeruato ab incendio. Cui ſimilis eſt caſus recens de Imagine Concept. picta ſuper ligno plano & ſicco, & hoc ipſo titulo circumſcripta: quæ combuſto toto Monaſterio eiuſdem Ordinis, inter flammas vndique, præſeruata fuit ab omni macula ignis & fumi, fundo ligneo inſtar carbonis ſubaduſto vſque ad ſuperficiem picturæ. Cuius caſus publici, ego ipſe inter plurimos ſpectator fui: ſed locus needum poteſt publicari. Hunc etiam titulum ab antiquitate commendat caſus ſequens.

ENGELBERTVS DES BOIS, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ, Epiſcopus Namurcenſis.

*Vniuerſis præſentes viſuris, Salutem in Domino. Notum facimus ac teſtamur, fuiſſe nobis exhibita ex manibus & Domibus Virorum proborum, qui teſtantur ſe ea à Maioribus accepiſſe, duo Chronica manuſcripta Leodien. ex cuius Diœceſi, hæc noſtra Namurcenſis excerpta eſt, referentia ſe ad antiquiora, & antiquioris Idiomatis Leodienſis, & extractum ex tertio ſimili manuſcripto, ſub ſignatura nobis nota DD. Præpoſiti & Decani Inſignis Eccleſiæ Niuellenſis huius noſtræ Diœceſis. Quæ inter memorabilia Eccleſiæ Leodienſis concorditer referunt, ad annum* 1142. *ſub Alberone II. Epiſcopo & Principe Leodienſi, ex monitu & reuelatione facta cuidam Armenfredo filio Sebaſtiani Maillardi, Cantori Eccleſiæ Collegiatæ S. Crucis, Leodienſis: inſtitutum & celebratum fuiſſe per totam Diœceſim Leodienſem, in remedium magnorum malorum, feſtum Conceptionis B. Mariæ Virginis die octaua Decembris; Et quidem vnum illorum exemplarium exprimit illud feſtum, ſub titulo, Puræ, & Immaculatæ Conceptionis B. M. V. referendo hæc adiectiua Puræ & Immaculatæ, ad hanc ipſam Conceptionem. In quorum fidem ac robur, haſce noſtras manu noſtrà ſignatas, ſigilloq; noſtro munitas; Dedimus Namurci, Anno* 1648. *die* 28. *Maij.* Signatum *Engelbertus Epiſc. Namurc.* Appenſo ſigillo.

Idem ex alio antiquo Manuſcripto eidem exhibito, anno 1649. die 23. Ian.

Idem, ex pluribus alijs antiquis Manuſcriptis exhibitis Leodij *Reuerendiſſimo D. Richardo Straaio*, Epiſcopo Dionyſienſi, Suffraganeo Leodien. & priùs Inter-nuntio Belgij.

*QVÆST.*

Digitized by Google

SEd ne ab hac *Quæſt.* imperfecta, ad aliam reſiliamus: ablata cauſa ſupprimendi locum & tempus illius caſus mirabilis, præſeruatæ ſolius imaginis ac circumſcriptionis Immaculatæ Conceptionis *B. V. Mariæ*, ab incendio publico totius Monaſterij eiuſdem Ordinis: liberè publicemus ſcripto, vt & breui picto ac ſculpto, ſub teſtimonio authentico, accidiſſe propè leodium, in ſuburbio *Pontis Amari-Cordis*, ſub *Cornelij-Monte*, anno 1649. die 10. Auguſti, teſte toto Clero ac populo, eademque adhuc imagine ibidem ad ſpectaculum ſuperſtite.

Suppleamus etiam ex *pag.* 47. 48. 52. 53. 54. noſtræ *Veronicæ*, ſeu interpretationis in hanc Epiſt. 174. *S. Bern.* ad Canonicos Lugd. *Fuit proculdubiò Mater Domini ante ſancta, quàm nata. Nec fallitur Eccleſia ſanctum reputans ipſum natiuitatis eius diem &c. Ego puto quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit: quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem. Quod nemini alteri in natis mulierum creditur eſſe donatum. Quid addendum his putamus eſſe honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus &c. Quid ſi alius propter eandem cauſam etiam vtriq; parenti eius feſtos honores aſſerat deferendos? Sed de Auis & proauis idipſum poſſet quilibet flagitare &c. Profertur ſcriptum ſupernæ reuelationis &c. Mihi facilè perſuadeo talibus ſcriptis non moueri &c. Vnde Conceptionis Sanctitas? An dicitur ſanctificatione præuenta? Sed non valuit ante Sancta eſſe quàm eſſe. An fortè inter amplexus maritales Sanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit: vt ſimul & Sanctificata fuerit, & concepta? Quomodo Sanctitas abſq; Spiritu ſanctificante? Aut peccatum non fuit vbi libido non fuit? Niſi fortè quis dicat, eam de Spiritu S. & non de viro conceptam eſſe; ſed id hactenus inauditum &c. Alioqui vbi erit prærogatiua Matris Domini: ſi tantumdem dederis & Matri ipſius? Non eſt hoc Virginem honorare: ſed honori detrahere &c. Solus itaque Dominus Ieſus de Spiritu S. Conceptus; quia ſolus & ante conceptum Sanctus &c. Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari non potuit quoniã non erat, ſed nec in ipſo conceptu, propter peccatũ quod inerat: reſtat vt poſt conceptũ in vtero iã exiſtens ſanctificationẽ accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctã fecerit Natiuitatem, non tamen Conceptionem, &c. Cùm hæc ita ſe habeant: quæ iam erit ratio feſtiuæ Conceptionis? &c. Si ſic videbatur: conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis authoritas, &c. Quæ autem dixi, abſque præiudicio dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc ſicut & cetera reſeruo.*

Ad quàm Epiſt. præter ea quæ ſupra *Col.* 440. & 441. 442. 443. ex Alenſi. Reſp. etiam ex *pag.* 52. 53. 54. noſtræ Veronicæ. Non negat hic *S. Bern.* piam opinionem illius etiam temporis, de Conceptione ſeu animatione *B. V. Mariæ* ſine propria macula peccati orig. ex gratia præſeruante: ſed negat. 1. Certitudinem ſufficientem ad hoc feſtum, vt ad feſtum Natiuitatis. 2. Negat Sanctitatem *B. V. Mariæ*, vt Chriſti, ante Conceptionem: quia illa tunc non erat ſecundùm animam, vt Chriſtus ſemper fuit ſecundùm ſuam Deitatem. 3. Negat ſanctitatem Conceptionis actiuæ *S. Annæ*, & paſſiuæ *B. V. Mariæ*, ſeu corporis vt concepti ſine vlla macula concupiſcentiæ Materialis: non autem negat animationem *B. V. Mariæ* ſine culpa formali & originali. 4. Negat paritatem *S. Annæ* cum *B. V. M.* in Conceptione actiua, & huius cum Chriſto in conceptione paſſiua de Spiritu S. Quia etſi Parentes *B. V. M.* eam conceperint ſine conſenſu, vel etiam fortè ſine ſenſu, non tamen ſine aliquo motu concupiſcentiæ: nec de Spiritu S. i. virtute ſupernaturali eminenter ſuplente omnem vim paternam; ſed virtute naturali eis adhoc forſan miraculosè data ac reſtituta; & gratiâ eos à conſenſu, vel etiam ſenſu libidinis præſeruante. 5. Improbat nimiam Feſtorum multiplicationem. 6. Improbat præcipuè inſtitutionem huius Feſti ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ. 7. Non improbat præſeruationem animæ *B. V. M.* vt prius naturâ exiſtentis & animantis, quàm gratia afficiatur, vel culpa inficiatur: ſed quaſi priùs realiter exiſtentis, quàm animantis. 8. Non habet ſuas rationes pro certis: cùm eis tam facilè cedat, ſeque de hac re tota vt dubia ad Eccleſiam referat. Nec tam vtitur illo ſimili Auorum & Proauorum Chriſti, contra ipſam conceptionem ſeu animationem ſine culpa orig. quàm contra nimiam feſtorum multiplicationem. Videtur enim quædam conſequentia à Feſto Conceptionis *B.V.M.* ad Feſta Parentom: ſed nulla à Conceptione *B. M. Virginis* ſine culpa orig. ad præſeruationem omnium etiam Parentum eius ab eadem culpa. 1. Quia nimis conſtat ex ſacra Script. inter hos fuiſſe graues peccatores. 2. Quia eſt incomparabiliter maior ratio excipiendi & præſeruandi ſolam Matrem immediatam, quàm Parentes remotos: cùm proles &, Matres, ſed præ omnibus hæ, habeant ſingularem inter ſe vnionem & vnitatem. 3. Quia licet ex natura ſingulari hic homo non ſit neceſſariò ex his vel illis Parentibus, nequidem ex hac vel illa Matre: ex integro tamen ſeu perfecto decreto & intentione Dei, nobis per ſacras ſcript. reuelata, hic homo Chriſtus eſt neceſſariò ex hac Matre, & cum ea continet ſub ſe totum genus humanum in vtroque ſexu; ſed ſunt ex alijs parentibus tantùm per accidens, quoad executionem. Vt in. 1. Sent. de Prædeſt. multorum qui gignuntur ex Parentibus reprobis.

Denique ex eadem Veronica noſtra à *pag.* 56. ad finem, ſuppleamus explicationem & applicationẽ *B. Aug.* de. 5. Hæreſibus *cap.* 5. Vbi legimus ex Perſona Chriſti. *Ego Matrem de qua naſcerer feci: ego viam meo itineri præparaui, atq; mundaui. Hanc quam tu deſpicis, Manichæe, Mater mea eſt: ſed manu fabricata eſt mea. Si potui inquinari cùm eam facerem: potui in illa inquinari, cùm ex ea naſcerer.* Sed ſi lectio noſtri *Galatini* ab annis centùm poſſet præualere: *Si potui &c.* nihil ad triumphum Immaculatæ Conceptionis ex *B. Aug.* deſiderari poſſet. Hanc autem videtur exigere contextus & intentio *B. Aug.*

Cùm enim *Manichæi* negarent veram carnem Chriſti, & conſequenter veram eius Matrem: quia cenſebant omnem carnem, & omnem eius generatio-



Digitized by Google

nerationem eſſe immundam: *S. Aug.* è contrà, directè contendebat ac intendebat carnem Chriſti nec potuiſſe eſſe immundam ex ſe, nec ex ſuâ Matre, vt à ſe ipſo immediatè facta munda, ſibique ex tunc præparata in Matrem. *Ego*, inquit, *Matrem de qua naſcerer feci &c. Hanc quam deſpicis, Mater mea eſt: ſed manu Fabricata eſt mea.* Non modo communi, quo reliqui homines, vel etiam animæ creantur & infunduntur, ad diſpoſitionem etiam vitioſam cauſarum ſecundarum: ſed modo quodam proprio & ſupernaturali, ſupra legem communem generandi ſibi ſimile in naturâ corruptâ. Hinc vt ſacer textus refert de primo homine: *Plaſmauit eum, &c.* & de Eua, *Ædificauit eam, &c.* Sic & hîc *B. Aug.* de Chriſto, & Matre ſua: *Manu fabricata eſt mea.* Quid enim euidentius: quàm quòd *B. Aug.* loquatur hîc de Chriſto & Matre ſua per excellentiam, ſupra omnes alias creaturas? Ergo non ſubdit, *Si potui &c.* Sed, *ſi potuit inquinari.*

1. Quia probat non potuiſſe, ex illo: *Ego eam feci, manu mea Fabricaui.* Quæ non inferunt Chriſtum, ſed Matrem eius non potuiſſe tali factione & manu inquinari. Ad quid enim probare ſeu inferre Chriſtum faciendo ſibi matrem, non potuiſſe inquinari? 2. Ex illo, *Ego viam meo itineri præparaui*: vtique faciendo & fabricando manu propria Matrem de qua naſcerer. Nec obſtat, *Atq; mundaui*: quia vt præparaui, ſic & præmũdaui. Imò idem eſt hîc *Mundaui*, quod ſãctificaui, iuſtificaui: non quaſi ex iniuſta, ſed ex non Sancta per ſe. 3. Ex hoc, *Si potui*, vel potius, *potuit inquinari*: quia nulla eſt apparentia Chriſtum, ſed Matrem eius potuiſſe inquinari. Nec eſt vlla comparatio, probatio, aut conſequentia, quòd Chriſtus non potuerit inquinari ſecundùm humanitatem naſcendo ex Matre, niſi potuiſſet inquinari ſecundùm Deitatem, faciendo ſibi Matrem. 4. Ex hoc, *Cùm eam facerem*: quia nulla eſt ratio cur Chriſtus eam faciendo inquinaretur: ſed cur Mater eius non fuerit inquinata. 5. Ex hoc, *Potui in illa inquinari, cùm ex ea naſcerer.* Quia nulla eſt ratio cur *ſi Chriſtus non potuit inquinari eam faciendo, non potuerit in eâ inquinari ex ea naſcendo*: ſed eſt magna ratio cur ſi Mater non potuit inquinari in ſuo fieri à Chriſto, nec Chriſtus potuerit in illa inquinari ex ea naſcendo; quia nihil mundum, ſed immundum poteſt inquinare.

Nec obſtat quod hæc comparatio ad æqualitatem, ſeu impoſſibilis inquinatio non videatur poſſe verificari de *B. V. M.* Tum quia non ſignificat æqualitatem: ſed ſimilitudinem, & connexionem in eodem decreto Dei. Tum quia fortè etiam per abſolutam potentiam potuiſſet natura humana Chriſti inquinari. Tum quia non plus potuit *B. V. M.* inquinari hoc modo quo facta eſt *manu propria Dei* .i. ſupra diſpoſitionem & exigentiam omnium cauſarum, naturalium, & moralium: quàm natura humana Chriſti ex ea naſcendò.

Nec obſtant, ſed potiùs fauent ſequentia: quibus proſequitur comparationem inter ſuam Matrem, & ſeipſum: non autem inter ſe facientem, & naſcentem. *Sicut tranſitu meo illius non eſt corrupta Virginitas: Sic & mea non eſt ibi maculata Maieſtas. Si Solis radius cloacarum ſordes deſiccare nouit, eis inquinari non nouit: quanto magis ſplendor Lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti incurrit, quocumq; radiauerit mundare poteſt, ipſe polluì non poteſt?* Quaſi diceret. Etiamſi Mater mea fuiſſet immunda: non me polluiſſet, ſed eam mundaſſem. *Stulte, vnde ſordes in Virgine Matre: vbi non eſt concubitus cum homine Patre? Vnde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem? Vnde ſordes in domo, ad quam nullus habitator acceſſit? Solus ad eam Dominus & fabricator eius venit &c. Sicut ille natus eſt ſolus inter mortuos liber: ſic iſtius, ex qua natus eſt Matris pudor ſolus eſt integer, &c.* Ergo intendit Matrem Chriſti fuiſſe tam puram & integrã Virginem, corpore & animo: vt nullius concupiſcentiæ, nec maculæ etiam præteritæ, eam pudere poſſet. Non enim eam comparat textus quoad aliquam mortem culpæ præteritam, cum Chriſto vt mortuo, & inter mortuos libero ac rediuiuo: ſed vt liberam ab omni morte peccati, inter omnes hac morte mortuos, cum Chriſto vt nato, nõ vt mortuo ſed inter mortuales liber. Prior enim comparatio eſſet tantùm cõmunis cum omnibus baptizatis: qui dicuntur cum Chriſto mortuo & rediuiuo, liberati à morte peccati per vitam gratiæ. *Rom. 6.*

Nec denique obeſt, ſed potiùs prodeſt, exordium huius totius textus ab his verbis. *Quid eſt quod te permouet in mea Natiuitate? Non ſum libidinis conceptus cupiditate. Ego Matrem de qua naſcerer feci &c.* Quæ non de ſola Conceptione paſſiua Chriſti, ab actiua B. V. Matris, Virtute Diuina; qua facta ſit in Matrem, non in eſſe. 1. Quia reddit hanorationem cur non ſit conceptus libidinis cupiditate: *Ego Matrem de qua naſcerer feci &c.* 2. *Feci*, inquit, ſimpliciter .i. in eſſe. 3. *De qua naſcerer*: non tantem ex, ſed in eius vtero. Vtique poſtquàm facta eſſet, non cum fieret; ergò non de fieri in Matrem. 4. *Viam itineri meo præparaui.* Ergo non faciendo illam in Matrem actualem; ſed in eſſe, & in Matrem futuram. 5. *Mater mea eſt: ſed manu Fabricata eſt mea.* Non vt aliæ Matres, aut filij: ſed modo omnibus alijs impoſſibili; ergo non in Matrem actualem, ſed in eſſe, & in Matrem futuram, velut in domum ad hoc fabricatam. De qua infra. 6. *Vnde ſordes in domo ad quam nullus habitator acceſſit? Solus ad eam Dominus & Fabricator eius venit.* Ergo ſupponit non potuiſſe ſordeſcere ab intrinſeco, ex vitio proprio naturæ: Quod eſt eam non potuiſſe *inquinari cùm à Deo fieret*; & quaſi fabricaretur. Quod fieri non vocat concipi: quia non ex vi Conceptionis à Parentibus facta eſt immaculata; ſed ex gratia, *& manu propria*, ſeu potentia Dei abſoluta, non ordinaria.

Sed nè videatur tota vis huius textus pendere à ſolo apice vnius *t.* etſi legendum foret, *Si non potui &c.* hæc comparatio & probatio non poteſt intelligi de æquali, ſed ſimili impoſſibilitate. Non poteſt enim eſſe æquè impoſſibile, Chriſtum non pollui ſecundùm naturam humanam naſcendo ex Matre: ac non pollui ſecundùm naturam di-

uinam

Digitized by Google

uinam eam faciendo. Neque ex hac impoſſibilitate abſoluta, neceſſariò ſequitur illa. Ergo eſt tantùm quædam ſimilitudo inter hanc, & illam: vt ſicut Chriſtus non potuit inquinari faciendo ſibi Matrem manu propria, quia fuit munda in ipſo fieri; ſic nec potuerit inquinari in ea vel ex ea naſcendo, quia fuit munda in concipiendo & pariendo.

Ex vtraque ergo lectiore videtur eſſe certa veritas immaculatæ conceptionis paſſiuæ & actiuæ *B.V. Mariæ*: ſed certior ex inhibitione *Pauli.* 5. ac *Greg.* 15. ne quis publicè vel priuatim ei contradicat; & certiſſima ex Feſto & officio publicè ab Eccleſia Romana tandem approbato, ac per totam Eccleſiam propagato.

## *De Iuſtificatione noſtra per Chriſtum.*

Hinc ad *Col.* 468. 475. 476. *à* 590. *ad* 594. *In* 4. *col.* 636. 640. 641. *à* 648. *ad* 651. 696. 697. 716 717. *à* 760. *ad* 772. Quamuis actus perfectus Contritionis & Charitatis formaliter iuſtificet: eſt tamen de fide quòd non ſine infuſione alicuius gratiæ immanentis, ſiue ſit habitus, ſiue relatio ſimilitudinis, vel vnionis realis ad Deum. Contra opinionem ſolius *Vaſqueſii Tomo* 2. *tota diſputatione* 103. ab ipſo *Suareſio parte.* 2. *de Gratia Diuina l.* 6. *c.* 3. grauiter cenſuratam: quòd non ſit de fide illam infundi iuſtificatis per tales actus, ſed per Sacramenta. Cùm *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 7. *can.* 11. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. id æquè de omnibus definiat &c. infra.

## QVÆSTIO 16.

*An gratia & virtutes iuſtificantes ſint habituales, vel ſolùm actuales; naturales, vel ſupernaturales; morales, vel Theologicæ; à ſolo Deo infuſæ, vel per gratiam Dei acquiſitæ; iuſtificantes realiter, actiuè, formaliter, diſpoſitiuè, vel ſolùm moraliter?*

SVppoſita doctrina Dogmatica Sacri *Conc. Trid. Seſſ.* 6. De iuſtificatione: *Pij* 5. contra Prop. D Baij. De qua in. 2. *Sent.* à *Col.* 289. ad 305. Doctrinâque Philoſophica, & Theologica noſtri *Alenſis* ſupra, à *col.* 77. *ad* 91. *&* 116. 117. 118. De virtutibus, Theologicis, & moralibus in genere: *S. Bon. & Scoti, in* 1. *D.* 17. occaſione Charitatis, de virtute habituali, ſeu habitu virtutis: *In* 3. *diſt.* 33. 34. 35. 36. De virtutibus in communi, earumque inter ſe connexione, ac diſtinctione, vel identitate cum Donis, Beatitudinibus, & Fructibus Spiritus S. Reſeruatis autem ſingulis virtutibus in quæſtiones ſequentes: Hanc quæſt. ſub hoc titulo diſcernimus à nimis Philoſophicis, imò & reſtringimus à communioribus Theologicis, ad grauiores controuerſias, Dogmaticas, & Scholaſticas. 1. An ſit de fide, præter virtutes actuales ſeu actus virtutum, eſſe etiam habituales, ſeu habitus infuſos virtutum. 2. An ſint ſupernaturales in fieri, & eſſe. 3. An ſolæ Theologicæ ſint tales: vel etiam morales. 4. An à ſolo Deo infundi ſeu produci poſſint: vel etiam à nobis actiuè per Dei gratiam acquiri, & augeri. 5. An ſint cauſæ reales, actiuæ, vel formales, totales vel partiales: aut tantùm diſpoſitiuæ, vel morales noſtræ iuſtificationis, ex ſupernaturali ordinatione Dei.

### *Reſponſio.*

EST de fide, infundi nobis à ſolo Deo gratiam & virtutes ſupernaturales, permanentes ac inhærentes: vt neceſſarias ad noſtram iuſtificationem formalem, ſeu intrinſecam, non autem ſolùm imputatiuam ac denominatiuam. Non eſt tamen de fide, ſed probabilius, eſſe veros & propriè dictos habitus: eſſe ſupernaturales in eſſe; non alias virtutes infūdi, quã Theologicas; nõ diſtingui omnes realiter à gratia; non iuſtificare ex natura ſua cauſaliter, nec formaliter, ſed diſpoſitiuè & moraliter, per gratuitam acceptationem Dei.

Quorum primum & principale conſtat. 1. Ex Sacra *Script.* quæ ſæpè diſtinguit iuſtificationem actualem per bona opera, à iuſtificatione permanente, ab infuſione, inhabitatione, manſione, & operatione Chriſti, Spiritus Sancti, imò & Patris & Filij in nobis, per fidem, & gratiam ſeu charitatem. *Ioan.* 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ephes. 3. *Chriſtus per fidem habitat in cordibus veſtris.* 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Cap. 6. *Neſcitis quoniam Corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Neſcitis quoniam templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?* 2. Cor. 6. *Vos eſtis templum Dei viui.* 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, Charitas.* 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Cap. 8. *Si quis Spiritũ Chriſti non habet; hic nõ eſt eius &c. Quicunq; Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei &c.* De vera, & interna adoptione in filios & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. *Gal.* 4. *Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem, Abba Pater.* 2. Pet. 1. *Per hoc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ &c.* Quæ non ſignificant ſolam Dei præſentiam, & aſſiſtentiã ad benè operandum: nec ſolam imputationem extrinſecam, vel moralem, nec ſolam intrinſecam motionem tranſeuntem; ſed quendam intrinſecum ſtatum permanentem, quandam intrinſecam participationem alicuius perfectionis ſupernaturalis, vel quandam ſaltem vnionem intrinſecam, realem, & permanentem cum Deo. *Ioan.* 1. De plenitudine gratiæ & veritatis in Chriſto, noſtraque inde participatione. *Luc.* 1. de plenitudine gratiæ *B.V.M.*

2. Ex hoc ſenſu SS. Patrum: vt præ omnibus *B. Aug.* Lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ. Cap. 6. *Aut virtus eſt præter animam, aut ſi non placet vocare virtutem, niſi habitum ipſum, & quaſi ſapientis animæ qualitatem: oportet vt aliquid aliud ſequatur anima, vt ei virtus poſſit innaſci &c. Deus*

*igitur reſtat : quem ſi ſequimur, benè; ſi aſſequimur, etiam beatè viuimus.* Cap. 11. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. 8. *Neque virtus &c. Nam ſi virtus illa dicta eſt quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt : ſi in alio eſt, ſauet vt coniungamur Deo; ſi in nobis eſt, ipſa coniungit &c.* Cap. 15. *Nihil aliud virtutem eſſe affirmauerim, niſi ſummum amorem Dei : nam quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario affectu, quantùm intelligo, dicitur.* Lib. 1. Retract. cap. 24. *Quod dixi, gratia Dei eſt qua nobis donantur peccata vt reconciliemur Deo, pax autem qua reconciliamur Deo : ſic accipiendum eſt, vt tamen ſciamus etiam vtrumq; ad generalem Dei gratiam pertinere.* sic & 1. *Retr.* 25. In Epiſt. ad Rom. *Gratia vobis & pax. Iuſta eſt gratia Dei, & grata iuſtitia : cùm in eo quoq; etiam pænitentiæ meritũ gratia præcedat.* Lib. 14. de Trin cap 15. *Vbi ſcriptæ ſunt leges æternæ : niſi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam, non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur. Sicut imago ex annulo in ceram tranſit, & annulum non relinquit.* Lib. 1. De pec. mer. & rem. cap. 9. *Vt Chriſtus,* Rom. 5. *præterquam quod ſe ad iuſtitiam exemplum imitantibus præbuit : dat etiam ſui Spiritus occultiſſimam fidelibus gratiã, quam latenter infundit & paruulis. Sic & Adam, in quo omnes moriuntur, præter imitationis exemplum, occulta etiam tabe carnalis concupiſcentiæ tabificauit in ſe omnes de ſtirpe ſua venientes &c.* Vbi ſupponit vt certum illam *Occultiſſimam gratiã latenter infundi & paruulis* : indeque probat nos etiam infici ab Adamo tabe concupiſcentiæ. Atqui paruulis non infunditur gratia actualis, ad iuſtificationem actualem & tranſeuntem, per aliquem proprium actum Paruulorum ante vſum rationis : ergo infunditur eis, vt adultis, gratia permanens, quæ dicitur occultiſſima, quia nullo actu eſt perceptibilis. Nec tabes illa concupiſcentiæ, ſunt ſoli motus tranſeuntes : ſed vitium permanens; ergo nec illa ſola gratia tranſiens, ſed permanens. Nec obſtat cap. 19. *Si Paruuli pænitentes dicendi non ſunt: quia ſenſum pœnitendi nondum habent; nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi non habent. Si autem rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur : Cur non etiam prius pænitentes habentur, cùm per eorundem verba geſtantium, Diabolo & huic ſeculo abrenuntiare monſtrantur?* Quia denominat eos pœnitentes, & fideles actu, ſeu credentes extrinſecè, ab actibus alienis : non autem negat, ſed ſupponit eſſe in tali ſtatu intrinſeco & permanente. *Quæſt. 88. in Leuit.* Diſtinguit inter ſanctificationem ſacramentalem : *& per inuiſibilem gratiam Spiritus S.* .i. nullo ſigno perceptibilem : ergo non actualem, ſed permanentem; quia illa poteſt moraliter percipi. Tract. 108. in illud *S. Ioan. Sanctifica eos in veritate. Si iam erant, cur poſcit vt ſint? An quia & ſanctificati in eadem proficiunt ſanctitate, fiuntq; ſanctiores? Neq; hoc ſine adiutorio gratiæ Dei : ſed illo eorum Sanctificante profectum, qui ſanctificauit inceptũ, &c. Sanctificantur. itaq; in veritate, hæredes noui. Teſt. cuius veritatis vmbræ fuerunt ſanctificationes veteris Teſt.* Nec obſtant ſequentia : *Et pro eis ſanctifico me ipſum .i. eos in meipſo ſanctifico, cum & ipſi ſint Ego. Vt ſint & ipſi ſanctificati in Veritate .i. in me. Sanctificauit ſe in ſe .i. hominem ſe, in Verbo ſe &c. Et pro eis* inquit *.i. quod proſit etiam ipſis : Ego ſanctifico meipſum .i. ipſos in me tanquam meipſum ſanctifico, quoniam in me etiam ipſi ſunt Ego.* Quia, *pro eis*, non ſignificat eorum vice : ſed, inquit, *vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate* .i. verè & intrinſecè; non autem, *in me*, ſeu in ſolo Chriſto perſonaliter, & ſubiectiuè; ſed etiam in eius corpore myſtico; vel in ipſo virtualiter, meritoriè, obiectiuè, & finaliter, vt in termino noſtræ vnionis per gratiam. Imò, *in ipſo*, tanquam in nobis, & in nobis tanquam in ſeipſo, per ſummam charitatem qua Amicorum omnia ſunt communia. Sicque & ſuam ſanctificationem cenſet noſtram, & noſtram ſuam. Vt in Pſal. 131. *Hæc requies mea &c. Quantum nos amat Deus : vt quia nos requieſcimus, ſe dicat requieſcere?* Quem ſenſum videntur exigere hæc verba : *Cùm & ipſi ſint ego &c. In me etiam ipſi ſunt ego.* Tract. 8. In 1. Ioan. 4. *Quomodo Imperator per exercitum ſuum agit quod ei placet : ſic Chriſtus in mente noſtra per fidem vtitur virtutibus quaſi Miniſtris ſuis, & per has virtutes inuiſibiles mouentur membra viſibiliter, quò mouerit bona voluntas, ad quod iuſſerit charitas. &c.* Epiſt. 57. ad Dardanum. *Deus habitare dicitur in baptizatis : quia in eis occultè agit vt ſint templum eius.* Infra. *Illa ſanctificatio qua efficimur & ſinguli, & in vnum omnes templum Dei, non eſt niſi Renatorum.*

3. Ex *Innoc.* 3. Cap. Maiores. *Quòd opponentes inducunt, fidem aut charitatem, aliaſq; virtutes Paruulis vtpote non conſentientibus, non infundi : à pleriſq; non conceditur, &c.* Nec ideo cenſet Quæſtionem problematicam, de iuſtificatione interna Paruulorum, per gratiam permanentem: ſed per virtutes vt diſtinctas à gratia gratificante. Nam refert hanc Quæſtionem vt motam ab Hæreticis contra Catholicos. *Aſſerunt,* inquit *Paruulis inutiliter baptiſma conferri. Quod nituntur probare ex Epiſt.* S. Iac. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Luc. 17. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* .i. Ex eo quod paruuli non ſint capaces charitatis, qua remittuntur peccata. Ad quod reſpondet, baptiſmum præſtare Circumciſioni : nec tantùm remittere peccata, ſed etiam introducere in regnum cælorum; ſolam autem iuſtificationem Adultorum tribui fidei & charitati actuali. Subdit. *Quamuis nonnulli concedant quòd Paruuli credunt: non per vſum, ſed habitum fidei quem ſuſcipiunt in baptiſmo; vt & alia multa verba, ſecundũ vſum communem loquendi, non ad actum, ſed ad aptitudinem referuntur &c. Fidem verò aut charitatem aliaſq; virtutes Paruulis non conferri, à pleriſq; non conceditur* .i. Plerique cenſent eas infundi : quidam concedunt Paruulos per eas habitualiter credere, diligere &c. Sed nullum relinquit dubium, quin verè & intrinſecè iuſtificentur per gratiam permanentem.

4. Ex *Clemente* 5. in Conc. Viennenſi. *Quibuſdam Theologis dicentibus, per virtutem baptiſmi Paruulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non*

*conferri*

*conferri: alijs è contra, quod & culpa ijſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad vſum. Nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis: opinionem ſecundam quæ dicit tam paruulis quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis SS. ac DD. modernorum magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.* Quæ non ſupponunt fuiſſe opinionem probabilem, negantem Baptiſmum conferre vllam gratiam poſitiuam, intrinſecam, & permanentem, vt eſt formaliter remiſſiua peccati, & Deo gratificans: ſed vt eſt virtus, ſeu principium operandi, & merendi. Cùm ſemper fuerit de fide, Baptiſmum eſſe lauacrum regenerationis in filios Dei: vtique per gratiam intrinſecam & permanentem, quaſi per quoddam ſemen Dei in nobis, 1. *Ioan.* 3. &c. vt in 4. *col.* 212. 213. Si enim hæc doctrina fuiſſet vllatenus problematica: *Eugenius* 4. in Conc. *Flor.* non eam tradidiſſet Armenis vt tam certam, & Cathechiſticam.

5. Ex Conc. *Trid.* Seſſ. 6. cap. 4. *Iuſtificatio eſt tranſlatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & Adoptionis Filiorum Dei: quæ poſt Euang. promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.* Cap. 7. *Iuſtificatio non eſt ſolùm peccatorum remiſsio: ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum; vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus; vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ &c. Huius cauſa formalis eſt Iuſtitia Dei: non qua ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit .i. quâ ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, &c. In hac impij iuſtificatione, merito Paſsionis Chriſti, per Spiritum S. Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, per* IESVM CHRISTVM, *cui inſeritur: Fidem, Spem, & Charitatem, &c.* Cap. 10. *Sic ergo iuſtificati, & Amici Dei, ac Domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renouantur, &c.* Can. 10. *Si quis dixerit homines ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit, iuſtificari: aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe; Anathema ſit.* Can. 11. *Si quis dixerit, homines iuſtificari ſolâ imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſsione: excluſâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam quâ iuſtificamur eſſe tantùm fauorem Dei; Anathema ſit.* Quæ eſt expreſſiſſima definitio huius doctrinę, & reprobatio oppoſitæ: non vt dubiæ inter Catholicos, ſed vt cum Hæreticis controuerſæ. Nihil autem definitur de entitate habituali & ſupernaturali gratiæ & virtutum: nec de infuſione ordinaria virtutum moralium; nec de diſtinctione reali gratiæ ab omnibus virtutibus infuſis; nec de iuſtificatione à peccatis, & gratificatione ac adoptione in Filios & Hæredes Dei, ex vi reali, formali, ac entitatiua ipſius gratiæ, ac virtutum, vel ex gratuita voluntate Dei. Ergo nihil horum eſt de fide: ſed probabiliora ſunt quæ ſupra.

*1. Gratiam & Virtutes infuſas eſſe veros & propriè dictos habitus.*

QVia intrinſicè & permanenter afficiunt & perficiunt potentias naturales, ad actus & effectus ſupernaturales: ſiue vt diſpoſitiones neceſſariæ, ſiue potiùs vt concauſæ partiales & principales; ergo vt veri habitus. Quamuis enim non ſupponant potentias ſufficientes ad ſuos actus, nec eis conferant ſolàm facilitatem; vt habitus naturales, & acquiſiti: non tamen tribuunt, ſed complent, perficiunt, & eleuant primam vim actiuam potentiæ ſupra ſuam naturam. Nec illa ſola facilitatio eſt de eſſentia veri habitus, nec hæc eleuatio eſt contra: ſed de perfectione habituali ſupra potentias. Cùmque ſint formæ accidentales & inhærentes: non poſſunt reuocari ad aliud genus quàm qualitatis; nec ad aliam ſpeciem, quàm habitus vel diſpoſitionis, quæ non videtur ab habitu ſpecie differre. Quia nec poſſunt eſſe quantitates molis: ſed ſolius virtutis ſeu perfectionis. Nec poſſunt eſſe qualitates perficientes animam in eſſendo, ſed in operando. Nec poſſunt eſſe relationes perficientes ad operandum: cùm hæ non ſint formaliter perfectæ, nec perfectiuæ, nec operatiuæ. Nec denique poſſunt eſſe potentiæ ſupernaturales animæ: quia ſupponunt priorem vim naturalem, vitalem, & liberam vtendi illis per gratiam. Nec eſſet poſſibile eleuari vllam vim naturalem: niſi aliqua præeſſet, ac ſubeſſet, &c. Vt ſupra in 2 à *col.* 158. ex *Scoto in* 4. *à q.* 1.

*2. Nullas virtutes morales ordinariè infundi: ſed per gratiam Dei acquiri.*

QVia ſacra Script. SS. Patres, & Concilia tribuunt earum effectus gratiæ Dei, & virtutibus Theologicis, maximè Charitati, 1. *Cor.* 13. Deinde monent ad has virtutes per gratiam & praxim acquirendas. Denique non ſunt neceſſariæ ad ſalutem, poſſuntque eædem aut ſimiles per gratiam & praxim acquiri, & experimentaliter acquiruntur: ergo non infunduntur. Nec *Innoc.* 3. ſupra, præfert, ſed tantùm refert opinionem *de Fide, Spe, alijſq; virtutibus.* Nec per illas alias virtutes neceſſariò intelliguntur aliquæ morales vltra ſpem Theologicam: ſed quædam alia dona Dei, vel vires diſtinctæ earundem virtutũ Theologicarum. Nec *Clemens* 5. præfert opinionem de infuſione gratiæ informantis & virtutum, quaſi omnium; ſed Theologicarum. Quia hæ ſunt veræ gratiæ, & ſaltem neceſſariò concomitantur gratiam ſanctificantem; nec eſſet excipienda potiùs vna virtus quàm alia, ſi infunderentur plures quàm Theologicæ. Hinc Conc. *Trid.* recolens & definiens quòd *Conc. Vien.* vt probabiliùs elegerat, ſolas virtutes Theologicas expreſſit.

*3. Infundi gratiam & virtutes ſupernaturales in eſſe.*

QVia infunduntur ad actus, effectus, & fines illos nimis ſupernaturales: quàm vt cauſis in-



Digitized by Google

intrinſecis in eſſe ſuo naturalibus, ſed in ſolo fieri, aut modo ſupernaturalibus, tribui poſſint. Quid ſit autem ſupernaturale in eſſendo, fiendo, agendo, vel alio modo : poteſt colligi ex Doctore noſtro Subtili *in 3. q. 1. Prologi, in 4. d. 43. q. 4. Quodl.* 17. & aliunde : ſed ampliùs ex noſtra *Quæſt.* 5. *in.* 2. *Sent.* De natura, naturalibus, & gratuitis Angelorum. *q.* 8. De natura, naturalibus, & gratuitis hominum. Quamuis enim *Scotus* ſtatuat ſupernaturalitatem in cauſalitate, & dependentia à cauſa ſupernaturali, eaque vel neceſſaria, vel non : hoc ipſo tamen fatetur aliqua ſupernaturalia in eſſe, quo profitetur aliquam talem cauſalitatem, & aliquorum dependentiam neceſſariam à cauſa ſupernaturali. Cur enim ab hac neceſſariò dependerent : niſi eſſent ſupernaturalia in fieri, & eſſe?

Et quamuis neget ſupernaturalitatem inter ſubiectum & formam, imò & inter ſubiectum, vt ſic, & agens: quia illud eſt naturaliter capax cuiuſuis perfectionis poſſibilis, à quouis agente potente; non tamen eam negat inter ſubiectum vt naturaliter indiſpoſitum, vel moraliter indignum, negatiuè, vel contrariè. Sed hæc videtur eſſe maxima ſupernaturalitas gratiarū & virtutum infuſarum : quod nec poſſint fieri, nec eſſe niſi ab agente ſupernaturali; non ſolùm ſupra omnem actiuitatem agentium naturalium, ſed etiam ſupra omnem diſpoſitionem, dignitatem, vel indignitatem, ſeu exigentiam naturalem vel moralem ipſius ſubiecti.

Nec in 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. negat habitus per ſe infuſos, eorumque actus eſſe propriè ſupernaturales in fiendo, eſſendo, & agendo: ſed negat eſſe ſimpliciter & abſolutè ſupernaturales .i. ſupra omnem ordinem actualem aut poſſibilem creaturarum. Sic enim *in* 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 4. docet ſolum Deum eſſe agens ſupernaturale : quia ſolus Deus non poteſt vlli creaturæ coördinari; ſed quæuis creaturæ etiam creabiles poſſunt alijs coordinari ac ſubordinari. Hinc ex *Abſolutione finali noſtri Commentarij in B. Aug. pag.* 167. 168. 169. *n.* 4. Naturalia & Supernaturalia, vt talia, non tam diſtinguuntur abſolutè in eſſendo, quàm relatiuè in patiendo & operando, vel ſecundùm leges Dei ordinarias, liberæ ordinationis, coordinationis & ſubordinationis omnium in hoc mundo, vel ſecundùm potentiam Dei abſolutam ab illis legibus communibus, & quaſdam ſecretas reſeruationes, vt *B. Aug. lib. 9. in Gen. cap.* 17. 18. Sine vllo tamen præiudicio diſtinctionis inter ſupernaturalia in eſſe, & in fieri vel modo. Nam ſi nulla ſunt aut eſſe poſſunt ſupernaturalia niſi ex libera Dei reſeruatione, & exemptione ab hoc ordine naturali : illa erunt ſupernaturalia in eſſe, quæ nullo modo poſſunt produci ab vlla cauſa huius ordinis naturalis; in fieri autem vel modo tantùm, quæ poſſunt quidem fieri à cauſis huius ordinis, non tamen tam ſubitò, tam procul, vel alio modo ſupernaturali, ſed modo quodam & ordine naturali, per diſpoſitiones ſubiecti, & cauſarum proportionem ac applicationem. Si vero ſunt aut eſſe poſſunt aliqua tam ſupernaturalia, vt ex natura ſua ſeu intrinſeca perfectione non poſſint fieri cauſaliter aut diſpoſitiuè, nec ſubordinari aut coordinari in exiſtendo, agendo, vel patiendo, cum vllis alijs creaturis : illa ſunt ſupernaturalia in eſſendo abſolutè, reliqua in fieri vel modo. Sed vt ex Scoto ſupra, ſolus Deus eſt ſic ex ſe ipſo ſupernaturalis, ſeu ſupra omnem poſſibilem coordinationem : omnia autem creabilia, ſunt ordinabilia coordinabilia, & ſubordinabilia inter ſe, aut ſibi ſimilia. Hinc non poſſunt eſſe ſupernaturalia in eſſendo, ſupra omnem ordinem poſſibilem: ſed ſupra hunc actualem, ex aliqua perfectione ordinis ſuperioris.

N. 5. Ad naturalitatem non ſufficit ſola aliqua prima ac remota capacitas paſſiua, vel actiua : nec ad ſupernaturalitatem eſt neceſſarius exceſſus omnis talis capacitatis, ſed tantùm omnis ſufficientis diſpoſitionis, & cauſalitatis naturalis. Nam actus beatifici nec ſunt naturales, nec minùs ſupernaturales, quia ſunt actus vitales ipſius etiam potentiæ naturalis : ſed eò ſunt ſupernaturaliores, quo ad eos minùs ſufficit potentia naturalis cum quouis habitu, magiſque neceſſaria eſt influētia immediata ipſius obiecti ſupernaturaliſſimi.

N. 6. Supernaturalia reſpectu ordinis inferioris, nec ſunt inter ſeipſa ſupernaturalia, nec connaturalia : ſed conſupernaturalia, & quædam alijs ſupernaturaliora. Quia quamuis omnia fuerint à Deo ab æterno ordinata : non tamen lege æquè ordinariâ ac immutabili; nec independenter à potentiâ Dei abſoluta, ſolâque eſſentialiter reſpectu omnium poſſibilium ſupernaturali. Nam Ordo gratiæ per merita Chriſti reſtitutæ, non ſolùm eſt magis gratuitus : ſed & efficacior, ac ſupernaturalior primo ordine ſupernaturali gratiarum. Quia influentia Dei neceſſaria cauſis etiam ſupernaturalibus ad ſuos effectus, non eſt propriè his cauſis gratia, ſed naturæ : influentia autem ex ſe efficax eſt illis maxima gratia, & ſupernaturaliſſima. Quamuis enim cauſæ ſupernaturales, vt gratia, & virtutes habituales, exigant à Deo neceſſariam aliquam influentiam ad verum & bonum ſupernaturale: cùm tamen non ſint cauſæ ex ſe infallibiliter efficaces, non exigunt à Deo influentiam ex ſe efficacem, ſed tantùm neceſſariam. Quæ vt illis neceſſaria, & à Deo vt Authore naturæ & gratiæ ſuo modo debita, non eſt propriè illis gratia, nec ſupernaturalis : ſed vt eſt ex ſe efficax, & ſupra neceſſariam exigentiam cauſæ. Hinc ſola hæc efficacia gratiæ eſt abſolutè ſupernaturalis, ſeu ſupra omnem ordinem poſſibilem cauſarum ſecundarum : videturque eſſe ipſa voluntas Dei actualis, vel eius actio abſoluta ab omni propria lege & promiſſione.

7. Actus fidei & ſpei diſponentes ad iuſtificationem, videntur ex ſe ſupernaturales in eſſe, non autem tantùm in fieri, vel modo. Imo videntur perfectiores ſuis habitibus, tam in eſſendo, quàm in operando, & diſponendo ad completam ac perfectam iuſtificationem formalem, per charitatem actualem & habitualem. 1. Quia ſiue diſponant realiter ſiue tantùm moraliter, ſeu ſecundùm gratioſas Dei promiſſiones ac acceptationes, vt vitales & liberi ſunt meritorij de congruo ipſius iuſtificationis, magiſque repugnant peccato

actualis

Digitized by Google

actuali & habituali, quàm ipſi habitus fidei, & ſpei. 2. Plus mouent ad charitatem actualem & iuſtificantem, quam ſoli habitus ſine actu. 3. Sæpè oriuntur ex maiori auxilio ſupernaturali. 4. Habitus ſunt propter actus, vt media propter fines: ergo illi nō ſunt his perfectiores. 5. Habitus permanentes ſunt vicarij actuum tranſeuntium: vt qui non poſſumus iuſtificari actu continuo, iuſtificemur habitu permanente, & ſupplente, ac inclinante ad frequentationem & perfectionem iuſtificationis actualis. Hinc non eſt neceſſarius actus charitatis vt diſpoſitio ad iuſtificationem, ſicut eſt actus fidei & ſpei: quia actus charitatis æquè aut perfectiùs iuſtificat, quàm habitus charitatis. Nec obſtat quòd habitus infundantur, non autem actus. Tum quia actus tam ſupernaturaliter à Deo producuntur: vt etiam in nobis creari dicantur, *Eph.* 2. Tum quia charitas etiam actualis infunditur ac inſpiratur, *Rom.* 5. 8. *ſeſſ.* 6. *Trid. Can.* 3. *Arauſ. Can.* 6. Nec minus eſt inſpirari, quàm infundi, *Gen.* 2. Tum quia actus non declinant ad imperfectionem potentiæ naturalis: ſed eleuantur ad perfectionem gratiæ actualis, cui etiam videntur identificari. Sed de iuſtificatione per omnem veram charitatem, actualem, & habitualem: ſub propria *Quæſt.* 19. Hęc autem non niſi ad explicandum verum conceptum rerum ſupernaturalium.

Qui conceptus cùm ſit relatiuus ad oppoſitum vel inferiorem ordinem rerum naturalium: hac quoque comparatione & oppoſitione explicari poteſt. Vt enim naturale non ſolùm eſt à cauſa naturali, ſed etiam ſecundùm diſpoſitionem & exigentiam ſubiecti: ſic & ſupernaturale eſt ſupra omnem vim actiuam, & diſpoſitionem naturalem, vel moralem, ſeu exigentiam ſubiecti. Porrò pluribus titulis poteſt quid eſſe naturale, & ſupernaturale, vt debitum vel indebitum ſubiecto. 1. Titulo & quaſi iure naturali exiſtentiæ. Hoc enim ipſo quo Deus vult naturam aliquam exiſtere: conſequenter debet illam producere, & conſeruare, eique cooperari ad ſuum finem naturalem. Vnde nec hæc productio, nec conſeruatio, nec cooperatio Dei generalis, eſt vlli rei ſupernaturalis; ſed connaturalis, & à Deo vt Authore naturæ conſequenter debita ſuæ propriæ Sapientiæ.

2. Titulo eſſentiæ: quo eſſentia habet quaſi jus naturale ad ſuas partes eſſentiales, proprietates, & accidentia neceſſaria. Vnde hæc non ſunt illi gratuita, nec ſupernaturalia: ſed connaturalia, & quaſi debita.

3. Titulo habituum naturalium, ſeu acquiſitorum: quibus debetur concurſus cauſæ primæ, æquè neceſſarius habitibus, ac potentiæ, ad operandum, & cooperandum. Ideoque nec hic concurſus eſt gratuitus, aut ſupernaturalis: ſed connaturalis, & quaſi debitus habitui, aut ſubiecto habituato.

4. Titulo diſpoſitionis, ſeu ordinis ſupernaturalis inter ipſas gratias: vt hoc ipſo quo Deus dat priorem, velit etiam dare conſequentes.

5. Titulo habituum ſupernaturalium: quibus eſt neceſſarius, & conſequenter debitus influxus actualis Dei, ſecundùm inclinationem illorum habitum. Qui influxus quamuis ſit gratuitus & ſupernaturalis ipſi ſubiecto naturali: eſt tamen connaturalis ſeu conſupernaturalis talibus habitibus.

6. Titulo Sacramentorum: quibus præter gratiam habitualem conferunt iis ad aliquas gratias actuales, neceſſarias & conuenientes fini cuiuſlibet Sacramenti. Quæ gratiæ ſunt magis gratuitę & ſupernaturales ipſis Sacramentis: quàm gratiæ actuales habitibus infuſis; quia illæ debentur ex ſola inſtitutione & promiſſione Dei, hæ ex perfectione illorum habituum.

7. Titulo meritorum propriorum: quibus debentur de condigno, vel de congruo aliquæ gratiæ, etiam actuales.

8. Titulo meritorum alienorum de congruo: quibus vnus alteri impetrat quaſdam gratias actuales.

9. Titulo meritorum Chriſti de condigno: quibus debentur omnes gratiæ ſecundùm intentionem Chriſti, & acceptationem Dei. Sed hi tituli meritorum non reddunt gratias Dei minùs gratuitas, & ſupernaturales. 1. Quia debentur ſoli Chriſto, condignè. 2. Quia merita noſtra & aliena pro nobis, ſunt ex gratuita promiſſione & acceptatione Dei. 3. Quia fiunt ex gratia Dei gratuita & ſupernaturali.

10. Titulo neceſſitatis: quo Deus vt Author naturæ & gratiæ ſupplet defectus communes. Vt deficiente Cauſa ſecunda, Deus ſupplet generando viuentia ex materia diſpoſita. Mouet grauia ſurſum, & leuia deorſum, ad cauendum vacuum. Sed hæc prouidentia Dei non eſt gratuita, & ſupernaturalis: quia eſt neceſſaria ad conſeruandum totum ordinem naturalem. Quòd ſi Deus hoc titulo infallibiliter ſuccurrit cauſis ſecundis ad ſuos fines naturales: cur non & cauſis liberis ad ſuum finem ſupernaturalem, vel ſaltem moralem? *Reſp.* 1. Quia cauſæ liberè id demeruerunt. 2. Quia cauſæ naturales ſunt determinatæ ad ſuas operationes, & fines naturales: ideoque naturaliter exigunt à Deo auxiliū determinatum, cuiuſq; priuatio eſſet violenta, contra impetum naturalem illis à Deo ipſo inditum. Sed cùm cauſæ liberæ ſint ex ſe indeterminatæ, poſſintque ſeipſas determinare: non debetur ipſis determinatum auxilium, ſed ſufficit aliquod accommodatum earum libertati, & inclinationi etiam vitioſæ. Vnde ſi detur illis auxilium ſpeciale ad verum & bonum: eſt gratuitum & ſupernaturale libertati indifferenti, & inclinatæ ad falſum & malum.

Sed præ omnib' ſunt gratuitæ, & ſubiectis ſuis ſupernaturales primæ gratiæ actuales, præuenientes omnia merita, exceptis Chriſti, omnemque diſpoſitionem priorem: eoque magis gratuitæ, & ſubiectis ſupernaturaliores, quo præueniunt indigniores præ alijs, æquè aut minùs indignis, in laudem gloriæ gratiæ Dei, *Eph.* 1. Quæ tamen non ſunt ideo perfectiores, ſed potiùs minùs perfectæ, gratijs poſterioribus: quia vt in naturalibus, ſic & in gratuitis, Deus procedit ab imperfectioribus ad perfectiora. Niſi neceſſaria ſit prima gratia efficacior & perfectior, ad euin-
cendam

Digitized by Google

certum de præterito, præſenti, & futuro, quoad ſtatum habitualem, & conſeruationem, ac cooperationem illi ſtatui debitam ab Authore naturæ, & gratiæ ordinariæ.

Ergo dependentia illa Sanctorum, & Beatorum, eſt à potentia Dei abſoluta ab omni ſua promiſſione, & ordinatione etiam gratuita ac ſupernaturali: & à gratia actuali acceptandi omnes habitus & actus etiam gratuitos & ſupernaturales, ad iuſtificationem, gratificationem, & glorificationem, vltra omnem eorum intrinſecam perfectionem, cauſalitatem, formalitatem, condignitatem. Hinc 1. *Ioan.* 4. Deus prior dilexit nos. *Eph.* 1. *Prædeſtinauit*, prælegit nos *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, &c.* Ergo nullus habitus gratiæ eſt cauſa actiua vel formalis, ſed effectus dilectionis noſtræ à Deo, ad gloriam æternam. Quæ cùm ſita ſit in clara viſione & fruitione eſſentiæ Diuinæ, vt ſpeculi ſeu obiecti nonniſi liberrimè viſibilis ab extra: non poteſt ſubeſſe vlli cauſæ aut cauſalitati neceſſariæ. Reliqua ſub difficultatibus obijciendis

## *Difficultates.*

*1. Contra illam certitudinem fidei.*

SAcræ *Script.* Conc & Patres poſſunt intelligi de gratia actuali realiter tranſeunte, ſed moraliter permanente, ad ſtatum gratiæ vel virtutis gratuitæ, ſeu ad habendum ſubiectũ illius gratiæ præteritæ liberum ab omni culpa præterita, & Deo gratum ad gloriam; eique ſpecialiter aſſiſtendum ad ſimiles gratias actuales, & actus Deo gratos, donec quis liberè demereatur. Sicuti ex *B. Aug.* culpa originalis tranſit reatu, manet actu concupiſcentiæ: culpa actualis tranſit actu, manet reatu, ſeu morali imputatione Dei, quaſi in ſtatu habituali donec remittatur. Nec Sacræ *Script.* Conc. aut Patres videntur plus exigere ad internam illam iuſtificationem, renouationem, gratificationem, adoptionem, regenerationem in filios Dei. Nam *Trid. Seſſ.* 6. *cap.* 7. & *Can.* 11. tantùm definit de Adultis contra hæreticos, nos non iuſtificari per ſolam imputationem iuſtitiæ Chriſti, aut per ſolùm fauorem extrinſecum Dei: *excluſa gratia & Charitate quæ in nobis per ſpiritum S. diffundatur & inhæreat; ſed etiam per voluntariam receptionem gratiæ, donorum*, & virtutum Theologicarum. Gratia autem actualis cùm ſit accidentalis & interna, verè inhæret, & potiùs diffunditur in anima, ac voluntariè recipitur, quàm vlla permanens ſeu & ſtabilis. Diffundi enim & voluntariè recipi, eſt potiùs gratiæ tranſeuntis & perceptibilis, quàm permanentis & imperceptibilis.

*Reſp.* Conc. *Trid. ſeſſ.* 6. agit de iuſtificatione in communi, niſi reſtringat ad Adultos. Sed expreſſiùs etiam de iuſtificatione Paruulorum per baptiſmum, *Seſſ.* 5. *Can.* 4. Si quis Paruulos recentes ab vteris Matrum baptizandos negat &c. Anathema ſit. *Can.* 5. Si quis per IESV Chriſti gratiam quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat &c. Anathema ſit. In renatis autem nihil odit Deus &c. Quia veterem hominem exuentes & nouum induentes, Innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti &c. *Seſſ.* 7. *Can.* 6. 7. 8. De collatione veræ gratiæ internæ per Sacramenta, omnibus ex opere operato &c. De baptiſmo *Paruulorum*, eorumque ſtatu inter Fideles, *Can.* 12. & 13. Cùm autem gratiæ actuales non ſint niſi ad operandum, præueniendo, vel cooperando: nulla talis poteſt conferri paruulis, nec ab eis voluntariè recipi ante vſum rationis. Qui non datur eis ordinariè in baptiſmo, ſicut *Ioanni Baptiſtæ* in vtero. Vt patet ex *B. Auguſt. Epiſtolâ* 57. *ad Dardanum, q.* 2. Si, *Luc.* 1. eſt in illo puero acceleratus vſus rationis, & voluntatis: vt intra viſcera materna, iam poſſet agnoſcere, credere, conſentire: hoc in miraculis habendum Diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum eſt exemplar naturæ &c. Neſcire autem Diuina Paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, ſi verbis velimus oſtendere: vereor nè ſenſibus noſtris videamur facere iniuriam &c. Quod vocibus & motibus reluctantur, non eis imputatur &c. Si vterentur rationis & voluntatis arbitrio: quantum mali eſſet reſiſtere tantæ gratiæ? Et *Epiſt.* 23. *ad Boniſ.* Vt in 4. *Col.* 199. 200. Infuſio quidem & diffuſio gratiæ eſt actualis & tranſiens: ſed gratia infuſa, eſt permanens & inhærens; non ſolum vt accidens, ſed permanens. Cum enim hæc inhærentia addatur infuſioni: non opponitur ſoli imputationi & fauori extrinſeco; ſed etiam ſoli gratiæ actuali, vt accidenti & præteritæ. Inhærere enim plus dicit quàm accidere. Nec voluntaria receptio ſeu conſenſus eſt ſolùm in id quod percipitur: ſed etiam in id quod creditur, & ſperatur. Nec poteſt eſſe vera ſanctitas, per ſolam imputationem gratiæ actualis, vel actus præteriti: vt ſunt peccata, & merita aut demerita poſt actum præteritum. Quia culpæ ſunt priuatiuæ: ſanctitas autem eſt poſitiua. Nec merita & demerita ſunt tam ad mercedem, vel pœnam præſentem, quàm ad futuram: ſed Sanctitas ſeu iuſtitia eſt ſtatus præſens.

Nec ſola præſentia & aſſiſtentia Dei ab benè operandum, poteſt eſſe quaſi inhabitatio ſtabilis ſeu ordinaria: niſi ex ordinatione Dei ſit annexa gratiæ ſeu virtuti intrinſecæ ac permanenti, quæ potiùs exigat ſpecialem Dei beneuolentiam, & ordinariam aſſiſtentiam huic perſonæ in hoc ſtatu, quàm alteri, vel eidem extrà hunc ſtatum.

Denique cùm ſtatus gloriæ ſit futurus intrinſecus, & æternus: non poteſt eſſe præparatio ad illum ordinata, niſi per gratias & virtutes etiam intrinſecas, & ſaltem vſque ad gloriam permanentes, vel in ipsâ gloriâ perficiendas. Nec aliter intelligi poſſũt Sacræ Script. Côc. & Patres, de hac præparatione, renouatione, adoptione, regeneratione, deſponſatione, & ornatu interiori animarum, ad futuram gloriam. Vt de *Veſte* illa nuptiali, *Matt.* 22. De induendo nouo & interiori, homine, *Eph.* 4. De Stola illa prima, Annulo, & Calceamentis, *Luc.* 15. Quæ metaphoræ exigunt ſtatum intrinſecum.

& oppoſita naturali; an verò ſupponat perfectionem naturalem & moralem, vt ſibi ſubordinatam in eodem actu, ſpecie, & numero. Vt patet ex integro *Quodl.* euiſque potiori contextu ſuprà relato, *col.* 363. 364.

In quem ſenſum noſter *Velaſco, Tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 20. Conceptus formalis ſupernaturalitatis, vt talis, non eſt abſolutus, ſed relatiuus &c. *N.* 25. Ens naturale & ſupernaturale, vt talia, licet formaliter differant: non tamen differunt ſpecie. Quia cùm ſint eſſentiæ abſolutæ, non poſſunt conuenire nec differre ſpecie per hos reſpectus. *N.* 16. Idem habitus qui nunc infunditur, potuiſſet à Deo concreari: vel creari aliqua creatura exigens tales habitus, vel etiam potens illos producere &c. Tunc autem tales habitus, & eorum actus eſſent naturales: quia pertinerent ad tale vniuerſum &c.] Non quòd poſſet dari vis naturalis generandi, ſeu acquirendi tales habitus: ſed diſponendi ad tales habitus à Deo infundendos; ſicut diſponitur corpus humanum ad infuſionem animę rationalis.

Quę nè impingāt in Cęſuras *Pij* 5. *Greg.* 13. contra Prop. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.11. *Baij*: De donis nō propriè gratuitis, & ſupernaturalibus, ſed potiùs naturalib⁹ hominū & Angelorū, in primo ſtatu ſuę creationis: intelligantur conditionatè. Si Deus ordinaſſet vt ſicut corpori humano ſemper infundit animam rationalem, independenter ab omnibus meritis vel demeritis: ita animæ creatæ infunderet habitum qui non poſſet aliter acquiri, cenſeri poſſet connaturalis animæ, ſicut anima corpori. Sed prima ordinatio hominum & Angelorum fuit gratuita, & dependens à meritis vel demeritis. Neque tamen infuſio talis habitus ad ſuum finem, poſſet eſſe tam naturalis, quàm creatio animæ ad finē propriū naturalē animandi corp⁹, conſtituendi hominē, & operandi rationaliter ac moraliter. Idē Author ibidē. *N.* 23. Ens naturale & ſupernaturale quoad ſubſtantiam, vt talia, ſolùm differunt tanquam ens potentiale ſeu perfectibile reſpectu ſui actuantis, ſeu perficientis &c. *Infra.* Naturale non deſtruitur à ſupernaturali, ſed perficitur.] Exemplificat in animali & rationali, in corpore humano & anima &c. *N.* 28. Naturalia & ſupernaturalia, vt talia formaliter, non differunt ſpecie: ſed materialiter ſeu eſſentialiter poſſunt differre ſpecie. *N.* 29. Metaphiſicè poteſt idē ens dici naturale, & ſupernaturale: ſed Moraliter non niſi ſupernaturale; quia denominatio debet ſumi à digniori. *N.* 38. Licet principium naturale denominetur ſupernaturale à ſuo comprincipio ſupernaturali, quando fit vnum totale: non tamen inde mutatur natura principij naturalis. Alioquin, vt monet *Scotus in* 2. *d.* 3. *q.* 8. intellectus & voluntas non eſſent veræ potentiæ, ſed ipſi habitus ſupernaturales &c. Vnde, *Tom.* 1. *diſp.* 15. *q.* 5. dixi quòd principium ſupernaturale non datur ad ſupernaturalitatem potentiæ, ſed actus: Qui æque eſſet ſupernaturalis, ſi habitus non inhæreret, ſed aſſiſteret potentiæ. *N.* 32 Deus eſt author naturalis & ſupernaturalis per eandem Omnipotentiam ad effectus huius Vniuerſi, vel non. *N.* 35. Ens eſt naturale vel ſupernaturale, ſecundùm varios ſtatus naturæ. Ex *Scoto q.* 1. *Prologi*, & *Quodl.* 14. de ſtatu naturæ inſtitutæ, deſtitutæ, reſtitutæ] i. Quoad hos reſpectus, non quoad perfectionem abſolutam pro omni ſtatu. *N.* 37. Hinc ſupernaturale poteſt eſſe principium naturale obiectiuū; &c. Quia intellectus eſt principium naturale intelligendi quodlibet ens: excepto Deo; qui ſolus eſt obiectum liberum, &c. Ex *Scoto in* 1. *d.* 3. *q.* 11. & *in* 4. *d.* 10. *q.* 8. Deus vt eſt ens, eſt intelligibilis à quouis intellectu: ſed vt eſt ens infinitum, non eſt infinitè intelligibilis. Sic ergo intelligibilitas eſt paſſio entis ſupernaturalis! ſed modus intelligibilitatis, naturaliter, vel ſupernaturaliter, non eſt paſſio modi entitatis, naturalis, vel ſupernaturalis; quia quodlibet ens poteſt intelligi naturaliter, vel ſupernaturaliter, ex parte intellectus, vel habitus. *N.* 40. Entia naturalia & ſupernaturalia, etiam quoad ſubſtantiam, non neceſſariò differunt in indiuiduo, &c. Quòd ſi differant, vt habitus acquiſiti, & infuſi: hæc differentia eſt materialis, &c. *N.* 41. Si comparemus habitum fidei, cum alijs, in ratione entis: diſtinguitur etiam ſpecie ab omnibus alijs entibus. *N.* 42. Licet Deus eſſet *ſimul condens naturam, & largiens gratiam*: tamen gratia infuſa quæcumque tunc eſſet, non pertinet ad conſeruationem vniuerſi. Vnde principia ſupernaturalia cenſenda ſunt, quæ non pertinent ad iſta naturalia. *N.* 43. Gratia formaliter non opponitur naturæ, ſed debito: ſiue ſit ens naturale, ſiue ſupernaturale.] .i. Ex hac ſola denominatione: ſed omnis gratia eſt etiam ſupernaturalis in eſſe, vel in modo.

*Parte* 2. Omnes conueniunt quòd qualitas poſſit eſſe ſupernaturalis, ſed non, an quantitas, & relatio. *N.* 47. Quantitas & relatio extrinſecùs adueniens, poteſt eſſe ſupernaturalis. Ipſa autem naturalitas & ſupernaturalitas eſt relatio huius vel illius ordinis. *N.* 46. Subſtantia poteſt etiam eſſe ſupernaturalis, ſiue deberentur ipſi habitus infuſi, aut contineret eos vnitiuè, eſſetq; impeccabilis, ſiue non. Quia poſſet Deus creare Angelum, vel aliud non pertinens ad ordinem & perfectionem huius vniuerſi. Alioquin eſſet tantùm ſupernaturalis quoad modum. *N.* 48. Supernaturale poteſt ſumi. 1. Pro quouis dono indebito. 2. Pro ſupernaturali quoad modum, ſeu fieri, à cauſa ſupernaturali. 3. Quoad ſubſtantiam, ſeu rem ipſam, vt neceſſariò dependentem à cauſa ſupernaturali: ſiue quia eius obiectum eſt omninò ſupernaturale; ſiue quia eſt tantæ perfectionis eſſentialis aut indiuidualis, vt ſpecies infuſæ Chriſti, etiam circa obiecta naturalia & materialia.] In quē ſenſū & nos *quæſt.* 11. De perfectione ſupernaturali, etiam ſubſtantiali ac ſingulari naturæ humanæ Chriſti.

*N.* 50. Probat hanc diuiſionem ex *Scoto q.* 1. *Prologi, & in* 3. *d.* 13. *q.* 3. Quòd gratia Chriſti ſit ſumma, etiam ſupernaturaliter. Quòdque ſubſit aliquid in actibus noſtris ſupernaturalibus, cur per ſe dependeant ab habitibus infuſis, vel à Deo illos ſupplente. *N.* 52. Perſeitas iſta dependendi à principio naturali, vel ſupernaturali, non eſt eſſentialis & quidditatiua: ſed pro ſtatu vel ordine huius vniuerſi. *N.* 54. Entia primò

creata, erant naturalia : quia à Deo vt Authore naturæ, & erant ipſæ naturæ huius vniuerſi, ad effectus naturales, &c. Quare conceptus ſupernaturalitatis ſemper ſupponit conceptum naturalitatis. N. 55. Gratia non eſt idem quod ſupernaturale, ſed communiter. 56. *Scotus in* 2. *d.* 3. *q.* 9. ait ſpeciem impreſſam, & abſtractiuam S. Trinitatis, eſſe naturalem : quia non pertinet ad ordinē gratiæ; & ſupernaturalem, quia per ſe pendent à principio ſupern. Sed non ſumit ibi gratiā formaliter, pro dono indebito, &c. ſed materialiter, pro merito ordinato ad gloriam, ac pro dono realiter vel moraliter indebito.] Videtur tamen gratia æquè formaliter ſumi pro medio ordinato ad gloriam : ac pro dono realiter vel moraliter indebito. Quamuis enim denominetur à gratis dando : definitur tamen potiùs à fine dandi. Hinc *B. Aug.* ſæpè negat dona gratuita creationis, conſeruationis, & concurſus Dei generalis, eſſe gratias propriè dictas. N. 57. *Vaſquez* & alij ſumunt ſupernaturalitatem quoad ſubſtantiam, ex ipſo ente ſupernaturali : nos ex hac compoſitione vniuerſi, ſeu ex his, & non alijs: quorum productionem Deus ſibi ſoli reſeruauit, vel alijs ſibi ſoli reſeruatis &c. Nec ipſi poſſunt negare ſupernaturalitatem quoad ſubſtantiam ſumi poſſe ex ordine ad cauſam : etſi hic ordo eſſet per ſe, perſeitate eſſentiali. Vt actus vitalis eſt naturalis quoad ſubſtantiam : quia per ſe dicit dependentiam à potentia naturali, & vitali.] Quod videtur contra denominationem ſumendam à principali, vt ſupra. Nec enim cenſendus eſt *Scotus* præferre potentiā habitui infuſo quoad perfectionem eſſendi, & cauſandi : ſed tantùm quoad vitalitatem, & libertatem vtendi. Niſi tamen voluntas ſubſit potiùs gratiæ habituali, & actuali, ad vſum bonum : quàm hæc illius libertati; vt *in* 2. *Sent. q.* 5. & 8. Ne ergo videatur tota naturalitas & ſupernaturalitas deferri ſoli libertati & potentiæ Dei abſolutæ: ſed ordinatæ, & ordinanti omnia ſecundùm eorum perfectionem & conuenientiam ad ſuum finem naturalem, vel ſupernaturalem.

#### 4. *Pro infuſione virtutum moralium.*

DEus creauit hominem rectum, *Eccleſ.* 7. Iuſtitiā originali omnium ſuarum virium : ergo infudit ei virtutes etiam morales. Anima Chriſti fuit plena gratiā infuſā, & omnibus virtutibus decentibus. Sacra Script. ſæpè recenſet varias virtutes inter dona Dei infuſa. Charitas eſt Reginā virtutum, etiam moralium : ergo non infunditur ſine his. Virtutes morales ſolent à Deo peti & impetrari : ergo & infundi. *Sap.* 8. Sapientia ſobrietatem, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem : quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. *Infra.* Non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. *Iac.* 1. Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, &c. Omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Denique, tales virtutes ſine dubio ſunt poſſibiles : nec à multis acquiruntur aut acquiri poſſunt in via; ergo infunduntur. Quod videtur ſupponere *Alenſis p.* 3. *q.* 72. *S. Bon. in* 3. *d.* 35. 36. *Reſp.* ad omnia ex Doct. noſtro Subtili *in.* 3. *d.* 36. *n.* 27. Sufficere poſſe virtutes infuſas, & gratias actuales : nec eſſe neceſſarias virtutes morales in patria; vel tunc infundi poſſe, vel acquiri. *Ad* 1. *Adam* fuit creatus vir perfectus, in naturalibus, moralibus, & in gratia, ac iuſtitia originali omniū virtutum; ſed hæc iuſtitia nec fuit nobis conſeruata, nec reſtituta, niſi eminenter. *Ad* 2. Non decebat animam Chriſti creari priuatam vllā perfectione: ſed cùm hoc fuerit ipſi proprium, & à tam paucis Sanctis participatū, non eſt ordinaria talis infuſio. *Ad* 3. Virtutes in ſacra Script. recenſitæ inter dona Dei, vel ſunt Theologicæ, vel ſūt variæ gratiæ actuales ad exercendas & acquirendas virtutes, vel ſunt actus imperati virtutum Theologicarum, vel ſunt quædam gratiæ gratis datæ ad opera exteriora, vel eſt quædam vis, aut vires ſpirituales animæ ad fortiter agendum & patiendū pro Chriſto. *Ad* 4. Charitas eſt Regina omnium virtutum, eminenter & imperatiuè : non neceſſariò concomitanter; quia non indiget comitatu moralium. Ad reliqua. Petuntur, docentur, impetrantur à Deo virtutes morales : non per earum infuſionem; ſed gratiæ actualis, vt neceſſariæ & efficacis ad eas exercendas & acquirendas. Vix enim, imo nè vix quidem poſſunt ſine vitio exerceri, & acquiri : niſi per aliquam gratiam actualem. Vt patet ex tota Quæſt. noſtra 7. & 8. *in* 2. *Sent.* ſpecialiter à *col.* 478. *ad* 490. de neceſſitate gratiæ actualis. Quòd non eſt contra cenſuram *Pij* 5. in hac Prop. 25. D. *Baij* : *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Quia Infideles & Philoſophi ante ſtatum fidei præueniuntur & diſponuntur varijs gratijs actualibus, per quas poſſunt cauere aliqua peccata, & exercere aliqua opera virtutum. Vt patet ex iiſdem Quæſt. & *Col.*

#### 5. *Contra identitatem gratiæ cum virtute Charitatis.*

SAcra Script. *Innoc.* 3. cap. Maiores, *Conc. Vien.* & *Trid.* ſupra, diſtinguunt gratiam ſanctificantem à virtutibus, & ab ipſa charitate : ergo non ſolis verbis, nec ſolis conceptibus, ſed realiter. Deinde habent effectus formales diſtinctos, & ſubordinatos .i. Remiſſionē peccatorum, & Amicitiam Dei : quorum hic ſupponit illum; ergo non ſunt eiuſdem cauſæ formalis. Denique opinio *Scoti* eſt contra *Alenſem* ſupra, *col.* 57. *Art.* 2. 6. Contra *S. Bon. q.* 3. *in* 2. *d.* 27. *q.* 2. *In* 3. *d.* 27.

*Reſp.* *Ad* 1. Non diſtinguunt realiter vt res diferentes exiſtentiā reali : nec tamen ſolis verbis, aut conceptibus noſtris, ſiue formalibus, ſiue obiectiuis; ſed etiam moraliter, ex varijs earum effectibus valdè differentibus, eidem tamen cauſæ poſſibilibus, ob ſuam perfectionem ac eminentiam. Cùm enim ſit maxima participatio perfectionis diuinæ : vt hæc continet plurimas formaliter, & omnes virtualiter; ſic & ſuo modo gratia & charitas. Hinc vt Deus verè dicitur & eſt formaliter Veritas, Sapientia, Bonitas, Sanctitas, Iuſtitia, &c. virtualiter autem & eminenter omnia : ſic & perfectiſſimum Dei donum verè dicitur & eſt gratia remiſſiua peccati, gratificans Deo, Charitas Dei & proximi, &c. Quæ enim

Digitized by Google

enim in imperfectioribus multiplicantur: in perfectioribus magis magiſque viniuntur, & identificantur. Nec Sacra *Script. Conc. & PP.* copulant gratiam cum donis, virtutibus, & ipſâ Charitate, ad diſtinctionem realem: quia certum eſt gratiam eſſe donum, & dona ac virtutes eſſe gratias, & quidem neceſſariò concurrentes ad remiſſionem peccatorum, iuſtificationem, ſeu ſanctificationem, & gratificationem; ſed potiùs ad expreſſionem eorum quæ ſub nomine communi & ratione gratiæ continentur, ſiue vt ſpecies realiter & eſſentialiter diſtinctæ, ſiue vt effectus eiuſdem rei. Vt patet ex 1. *Cor.* 13. charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. Ex cap. *Maiores, & Conc. Vien.* ſupra: ſed præcipuè ex *Conc. Trid.* In quo, vt monet noſter *Vega lib. 7. cap.* 27. cauendum eſt ne legatur *Can.* 11. *Excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundantur & inhæreant*, quaſi eſſent duæ: ſed *diffundatur atq; inhæreat*, vt vnica; imò potiùs *diffunditur atq; inhæret.* Quia refertur ad illud *cap.* 11. *ex Rom.* 5. *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atq; ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc ſimul infuſa accipit homo per* IESVM *Chriſtum cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem. Nam fides niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neq; vnit perfectè cum Chriſto, neq; Corporis eius viuum membrum efficit.* Vbi quædam lectio habet: *Hæc omnia ſimul. &c.* &, *Cui inſeritur per fidem, ſpem, & charitatem.* Sed hæc omnia ſimul, non poſſunt referri niſi ad fidem, ſpem, & charitatem, quæ ſimul infundantur ad vniendum perfectè cum Chriſto. Ergo omnis gratia aut virtus ad hoc neceſſaria, ſub his continetur. *Ad* 2. Effectus formales gratiæ & charitatis ſunt tam ſubordinati & connexi: vt vix poſſint eſſe niſi eiuſdem cauſæ realis, quæ ſit & gratia & Charitas; aut ex illis æquè poſſent diſtingui plures gratiæ inter ſe, vna remiſſiua peccatorum, altera ſanctificatiua ſubiecti in ſe, altera gratificatiua Deo. Æquè enim differunt hi effectus formales inter ſe, ac ab effectu formali charitatis, ſeu habendi Deum charum. Quia gratia Deo gratificans, eſt vera amicitia reciproca: quâ Deus nos gratos ſeu charos habet ad gloriam; non tantùm extrinſecè, ſeu ſolo ſuo actu proprio, ſed ſuo dono ſeu effectu & affectu habituali amicitiæ nobis infuſo. Ergo Deus eodem dono reali & infuſo reddit nos ſibi gratos ſeu charos, quo ſeipſum nobis. Nec obſtat quòd ipſe prior diligat nos, quàm nos illum. Quia id de dilectione actuali, æterna, & intrinſeca Deo: vel de prioritate naturæ, perfectionis, & originis, non temporis .i. Deus eadem dilectione ſeu beneuolentia actuali & æterna, vult nos futuros, eodem tempore & inſtanti ſibi gratificare .i. facere gratos ſeu charos, & nos ſibi. Vel eodem actu quo ab æterno vult nos obiectiuè futuros ſibi gratos & charos: vult & ſe nobis futurum charum. Ergo vt Deus eodem actu interno, & actione externa: ſic & eodem reali effectu & affectu nobis infuſo, nos ſibi gratificat formaliter per gratiam, & ſe nobis formaliter per charitatem. *Ad* 3. *Alenſis* in Supplemento *partis* 3. *col.* 57. *à* 2. refert vtramq; ſententiam problematicè. Nam, *Si cui*, inquit, *videtur hanc partem ſuſtinere .i. diſtinguentem realiter, poteſt facilè ad argumenta reſpondere.* S. Bon. *in* 2. *d.* 27. *a.* 1. *q.* 2. An gratia gratum faciens & virtus gratuita eſſentialiter differant. *Reſp.* Differunt vt habitus, ſed non vt gratuiti: quia eadem gratiâ ſunt gratuiti. *Q.* 3. An gratia gratum faciens, & gloria, eſſentialiter differant? *Reſp.* Non &c. Quia gratia eſt inchoatio gloriæ, & gloria conſũmatio gratiæ. Ergo *Quæſt.* 2. non diſtinguit hanc gratiam realiter à charitate viæ, & patriæ: quia hæc eſt ipſa gloria inchoata, vel conſummata. *In* 3. *d.* 27. *a. q.* 3. De diſtinctione charitatis à gratia, problematicè, verbatim vt *Alenſis* ſupra *coll.* 57. Qui 4. *parte q.* 58. De pœnitentia, vt eſt gratia. *M.* 1. An ſit gratia. *Reſp.* Eſt gratia, vt eſt ex gratuita Dei miſericordia, & vt gratificat Deo ſuum ſubiectum, & eius actum: eſt autem virtus, vt expedit potentiam ad puniendam culpam. *M.* 3. An pœnitentia deleat peccata vt gratia, vel vt virtus? *Reſp.* Vt idem eſt forma perficiens naturam, & virtus operans: & idem *Quod* habet plura *Quibus.* Sic gratia pœnitentiæ, eſt *Qua* deletur culpa, & anima ad Deum conuertitur, ac ei gratificatur: virtus autem pœnitentiæ, eſt *Qua* fit digna remiſſione culpæ & pœnæ, pœnitendo.] Quantò potiùs hæc de identitate reali, & ſola diſtinctione formali inter gratiam, & virtutem charitatis? *S. Bon. in* 4. *Diſt.* 17. *Parte* 1. *a.* 1. *&* 2. vt *Alenſis* ſupra. Inter alia, *Art.* 2. *Ad* 1. *Arg. Gratia priùs habet vim agentis, quàm informantis &c.* Non ſolùm de gratia actuali, & habituali, ſed de eadem. Ergo cenſet eandem rem habere vim agentis ſeu virtutis, & formæ gratificantis. Quo ſenſu autem illa ſit prior hac: pertinet ad difficultatem ſequentem.

### 5. *Contra iuſtificationem per fauorem extrinſecum, vltra gratiam & virtutes infuſas.*

SAcra Scriptura ſæpè tribuit noſtrã iuſtificationem imputationi Dei. Vt *pſal.* 31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. *Rom.* 5. Peccatum non imputabatur. *Rom.* 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. 2. *Cor.* 5. Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum. 1. *Cor.* 1. Chriſtus factus eſt nobis Sapientia à Deo, & Iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. *Rom.* 5. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.] Atqui illud per imputationem: ergo & hoc. Hinc *S. Bern. Epiſt.* 190. *ad Innoc. Papam.* Iuſtum me dixerim: ſed illius Iuſtitiâ qui factus eſt nobis iuſtitia à Patre. *Rom.* 10. 1. *Cor.* 1. Si mea traducta culpa: non & mea inducta iuſtitia?] Sed cùm hæc intelligenda ſint ex *S. Aug.* & Sacro. *Conc. Trid. Seſſ.* 6. *cap.* 16. De iuſtitia Dei & Chriſti, cauſaliter & meritoriè, noſtrâ autem formaliter & intrinſecè: ex eodem *Trid. Seſſ.* 6. *cap.* 7. & *Can.* 11. intelligenda ſunt de iuſtificatione perfecta, per gratiam & virtutes infuſas; non autem ſuppletâ per imputationem iuſtitiæ



Digitized by Google

Chriſti, vel per gratiam externam, ſeu fauorem Dei. Quia gratia & virtutes infuſæ à Deo, ſunt meliores, digniores, & formaliter ac cauſaliter præſtantiores in omni indignitate & malitia culpę actualis & habitualis. Ergo ex ſe ſufficiunt ad perfectam iuſtificationem. Suntque diſpoſitio proportionata ad gloriam, imo & quædam eius inchoatio: ergò ex ſe formaliter gratificant Deo, & per ſuos actus merentur ſui augmentum & perfectionem. Quid enim dignius charitate & fruitione æterna: quàm eiuſdem amicitia, Charitas, & amor propter ſeipſum, ſuper omnia? Quod ſi hæc non ſufficerent ad diſponendum & merendum, niſi ex ordinatione Dei gratuita: hæc tam poſſet ſola ſufficere extrinſecè, quàm ſupplere illorum defectum intrinſecum.

*Reſp.* Ad Sacras Script. De imputatione Dei: non iniquâ, falsâ, vel inani; ſed æquâ, verâ, & efficaci rei imputatæ, aut non. *Ad* alias, de noſtra iuſtitia Dei aut Chriſti .i. nobis à Deo infuſâ per merita Chriſti. Sic enim ſacra Script. ſæpiſſimè loquitur, in ſenſu cauſali, non formali, vel in vtroque ſimul. Vt *Deut.* 30. Deus dicitur vita noſtra, *pſal.* 70. Patientia noſtra. *Ioan.* 18. Ego, inquit Chriſtus, ſum reſurrectio & vita. & alibi paſſim. Hinc *B. Aug. Lib.* 14. *Trin. cap.* 12. Dicitur iuſtitia Dei: non ſolùm qua ipſe iuſtus eſt, ſed quam dat homini cum iuſtificat impium. *Lib. De Spiritu & Litera cap.* 9. Iuſtitia Dei: non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem cùm iuſtificat impium. *Cap.* 10. Iuſtitia Dei dicitur: quòd impertiendo eam, iuſtos facit; ſicut Domini eſt ſalus qua ſaluos facit. *Cap.* 22. Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, 2. *Cor.* 2. Paulò poſt eandem gratiam vberius commendans, vſque ad indumentum iuſtitiæ fidei &c. intulit: Vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo; non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos ab eo facti. *Cap.* 32. Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, *Rom.* 5. non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos; ſicut iuſtitia Dei, qua iuſti eius munere efficimur. Hinc *Trid. Seſſ. 6. cap.* 16. Quæ iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iuſtificamur: illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum.] Nec inobedientia Adami fuit nobis imputata, niſi cauſaliter, ſeu demeritoriè: ſicut obedientia Chriſti, meritoriè. Qui etiam eſt ſenſus ſatis expreſſus *S. Bern.* ſupra. *Quæ mihi iuſtitia facta eſt, mea non eſt* .i. non à me, nec ex me. *Si mea traducta culpa: Cur non & mea indulta iuſtitia?* Ergo per traductionem, non per imputationem. Quæ tamen non excludunt, ſed potiùs ſupponunt ſemper aliquam gratiam externam, ſeu fauorem Dei: non tantùm quo infundit gratiam & virtutes; ſed etiã quo has ordinauit, & acceptat non ſolùm ad tales & tantos effectus ſuos extra ſe, ſed etiam circa ſeipſum vt obiectum quantumuis liberum. Quod non ſolùm non eſt contra, ſed etiam ſecundùm ipſum *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 7. Vbi non ſolùm recenſet cauſas reales, ſed & miſcet morales, noſtræ iuſtificationis. Deinde. *In ipſa*, inquit, *iuſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Chriſtũ cui inſeritur.* Non inſeritur autem realiter: nec dicit per ſe iuſtificare, ſed infundi in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum; ſignificans potiùs concomitantiam, quàm effectum realem. *Nam fides niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neq; vnit perfectè cum Chriſto, neq; corporis eius viuũ membrum efficit.* Ergo ſtatuit perfectionem iuſtificationis in hac vnione & incorporatione cum Chriſto. Quæ cùm non ſit realis, ſed moralis: non perficitur iuſtificatio, niſi hac moralitate, ſeu ordinatione & acceptatione Dei; non ſolum ob merita Chriſti præterita, ſed etiam ob hanc vnionem moralem cum Chriſto. *Can.* 11. Non reprobat imputationem iuſtitiæ Chriſti, nec fauorem Dei: ſed illam *ſolam*, vel hunc tantùm, *excluſâ gratiâ & charitate infuſa.* Ergo ſupponit aliquam imputationem, & fauorem.

*Ad rationes.* Sint gratia & virtutes infuſæ digniores aut meliores omni indignitate & malitiâ culpæ actualis, & habitualis: non tamen ex ſe formaliter vel cauſaliter efficaces remiſſionis & iuſtificationis; quia hæc pendet à libera voluntate Dei, cui nihil æquiualere poteſt. Quamuis etiam ſint quædam diſpoſitiones, & inchoationes maioris gratiæ & gloriæ: non tamen æquiualentes, nec determinãtes liberam voluntatem Dei, & obiectũ beatificum ad ſui euidentiam, niſi ex ordinatione, promiſſione, & acceptione Dei. Vidit quidem Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona .i. Non poteſt quin Deo placeant omnia & ſingula bona poſſibilia, & exiſtentia: non tamen ad vlla neceſſariò facienda, vel conſeruanda; ſed multominùs gratuita & ſupernaturalia, quàm naturalia. Quia hęc ſunt inter ſe neceſſariò cõnexa quoad exiſtẽtiã, & ſubordinata Deo, vt cõcauſę primę quaſi connaturalizatæ, ad effectus communes & determinatos, finemque connaturalem: Illa autem ſunt reſeruata ſoli Authori gratiæ, ad effectus liberos, & finem ſupernaturalem. Quamuis enim *Scotus* ſæpè comparet infuſionem gratiæ habitualis, ad diſpoſitionem gratiæ actualis: infuſioni animæ rationalis, ad diſpoſitionem corporis humani; non tamen æqualiter, ſed tantùm ſimiliter. Corpus enim humanum, vt pars hominis, exigit naturaliter animam humanam, ad compoſitionem hominis, & conſeruationem huius ſpeciei principales & finalis huius mundi: idque ab homine, vt cauſa vniuoca, ex vi naturali generandi ſibi ſimilem ſed coexigit à Deo vt Authore naturæ & concauſa prima connaturali, ad conſeruationem ſpecierum & huius totius mundi, ſupplendo defectus cauſarum ſecundarum. Vt enim Deus ſuppleuit materiam primam, ex qua omnia naturaliter generentur: Sic & ſupplet animam rationalem, ad generationes hominum per homines; quia vt non generant materiam, ſic nec animas, niſi vt vegetatiuas & ſenſitiuas, ac identicè rationales, ſed homines ex corporibus & animabus humanis. Deus autem vt Author gratiæ & gloriæ, eſt cauſa & obiectum liberrimum, & ſupernaturaliſſimum, ſeu ſupra omnem ordinem poſſibilem: nec habet vllã concauſam ſecundam gratiæ & gloriæ, à qua diſpoſitiuè coexigi, aut determinari poſſit ad vllã gratiam vel gloriam; niſi ex vera prædictione, fideli promiſſione, vel iuſta comminatione, & quidem

citra

Digitized by Google

citra vel vltra condignum meriti aut demeriti.

*Ad vlt.* Deus non æquè ſuppleret totam internam iuſtificationem, per ſolum externum fauorem, quàm defectum illum perfectionis ſeu condignitatis, per gratiam, promiſſionem, & acceptationem: quia quamuis poſſet eſſe impunitas, non tamen vera iuſtificatio niſi eſſet interna; ſed poteſt eſſe vera, etſi non tam perfecta & condigna, ex ſola gratia infuſa.

Sed ne hæc videantur aliena à Doctrinâ *Alenſis*, & *S. Bon.* Ille *P.* 4. *q.* 72. *m.* 1. *Art.* 1. *Deus*, inquit, *iuſtificat mediante gratiâ, quamuis poßit ſine gratia, &c. Poſſet Deus acceptare creaturam rationalem non informatam gratia.* Art. 2. *Deus iuſtificat mediante gratiâ vt gratia, ad gratificandum Deo: vt virtute autem, ad rectè operandum, &c. Sæpè ponitur gratia pro virtute, & è contra: quia fortè idem ſunt in ſubſtantia.* Nec obſtat *Art.* 1. *Vt acceptus fuit Adam in ſtatu primo:* quia cenſet eum priùs fuiſſe creatum, quàm fuerit ei gratia infuſa. Nec quod ſubdit: *Gratia ſeipſa formaliter iuſtificat; Nec requiritur ad hoc alia gratia gratia*.i. Alia formalis & interna; quia certum eſt ſupponi gratiam cauſalem, ſeu cauſam gratuitam gratiæ formalis & infuſæ. Sic & *S. Bon. in* 4. *d.* 17. *P.* 1. *Art.* 1. *q.* 1. *Deus poteſt delere culpam ſine medio: ſed decreuit non delere niſi per gratiam, ad perficiendum etiam naturam.* Ad 4. *Gratia priùs naturâ eſt à Deo.* 2. *Peccatum expellit.* 3. *Subiectum perficit.* Art. 2. q. 1. ad 1. Arg. *Gratia priùs habet vim agentis, quàm informantis, &c.* i. vt *Al. q.* 77. *m.* 1. *a.* 3. *Gratia non agit propriè loquendo ad deletionem: ſed ſuâ præſentiâ omnis culpa mortalis annihilatur.* i. priùs naturâ agit quaſi formaliter, ſuâ intimâ præſentiâ, ad excluſionem culpæ, quàm informet, ſeu inhæreat. Quia prior eſt deletio culpæ, quâm ipſa informatio gratiæ. De quibus omnibus plura ſupra *Quæſt.* 12. ſed plurima in 4. ex *Alenſi, S. Bon.* & noſtris quæſt. de Sacramento pœnitentiæ, *à col.* 631. *ad.* 827.

Confirmatur ex dependentia creaturæ rationalis immediatè à ſolo Deo, vt termino perfectè iuſtificante & gratificante: mediante gratiâ & virtute infuſâ, vt vnione reali, ſed accidentali, ad Deum.

---

# QVÆSTIO. 17. *De Fide.*

*Quæ ſint certa motiua exteriora & interiora ſolius veræ fidei Chriſtianæ & Catholicæ, & qui eius proprij effectus: An illa ſint Sacra Scriptura, Eccleſia, Traditiones, Concilia, & ipſe Papa; Hi autem ſint, ipſa iuſtificatio formalis, vel ad eam diſpoſitio, & actus infallibilis credendi.*

SVpponimus ex *Al. p.* 3. *quæſt.* 74. Varias ſignificationes: ſed fidei propriam fidei informis, & formatæ.

*Quæſt.* 78. De fide formata. An ſit neceſſaria ad ſalutem. An ſit neceſſariò ex auditu. An ſit virtus. Quid ſit quoad rem; quoad definitionem; quis eius actus materialis & formalis.

*Quæſt.* 79. De obiecto fidei. An ſit de ſolo vero, vel etiam falſo. An ſit etiam de viſis, & ſcitis. An de ſolis neceſſarijs, vel etiam contingentibus: de complexis vel etiam incomplexis; de ſolo vero increato, vel etiam creato

*Quæſt.* 80. De ſubiecto fidei. In qua vi animæ ſit. An fuerit in Angelis ante lapſum. An in Adam ante lapſum. An in Chriſto adhuc mortali.

*Quæſt.* 81. De conſequentibus fidem. De certitudine conſequente. De profectu fidei quoad habitum, vel potiùs vſum. De fide vt fundamentali, ſeu fundamento fidei.

*Quæſt.* 82. De Articulis, & Symbolis fidei. De neceſſaria fide Mediatoris. De fide ſufficiente ſimplicium. De tribus Symbolis, eorumque diuiſione, & breui expoſitione.

Ex Supplemento eiuſdem in 3. p. *Coll.* 25. De numero ternario virtutum Theologicarũ. *Coll.* 26. De earum neceſſitate. 27. De hac denominatione 28. De varia ſignificatione fidei *Coll.* 29. De neceſſitate fidei formatæ. 30. Quid ſit quoad rem. 31. Quid ſit definitione. 32. De actu fidei. 33. De obiecto fidei. 34. De ſubiecto fidei. 35. De certitudine fidei. 36. De profectu fidei. 36. De comparatione fidei cùm alijs virtutibus. 38. De fide informi, & formata. 39. Quid, & quot ſint Articuli fidei. 40. Quid & quot Symbola fidei. 41. De ſufficientia communi fidei. 42. De fide ſufficiente ſimplicibus. 43. De Articulis Symboli Apoſtolici. 44. De Symbolo Patrum quod cantatur in Miſſa. 45. De Symbolo S. Athanaſij

Ex *S. Bon. in* 3. *d.* 23. De fide *Art.* 1. De fide formata, eiuſque obiecto, certitudine, & definitione. *Art.* 2. De fide informi, eiuſque origine, ſubiecto, & formatione.

*In diſt.* 24. De obiecto fidei. *Art.* 1. De eius obiecto quoad rem. *Art.* 2. De eius obiecto quoad nos. *Art.* 3. De Articulis fidei.

*In diſt.* 25. *Art.* 1. De ſufficientia Fidei. *Art.* 2. De profectu fidei.

Ex *Doctore ſubtili, in* 3. *diſt.* 23. *quæſt. vnica.* De neceſſitate fidei infuſæ. *In diſt.* 24. *quæſt.* vnica. De certitudine fidei & ſcientiæ ſimul, in eodem ſubiecto, & de eodem obiecto. *In Diſt.* 25. *q.* 1. De neceſſitate credendi, & credendorum ab Adultis, explicitè vel implicitè. *Quæſt.* 2. De neceſſario habitu infuſo voluntati ad acquirendũ fidem, non ad credendum, fide iam acquiſitâ. Deque vnitate fidei, vel ab vnico reuelante omnia, vel formaliter ex ſeipſa, ſed à Deo cauſaliter.

*Ex Prologo in* 4. *libros, quæſt.* 2. De varijs modis ſeu medijs conuincendi Infideles ad Fidem Sacræ Scripturæ, & Eccleſiæ Chriſtianæ ac Catholicæ.

Ex quo indice patet, ad tantam copiam doctrinæ vix quicquam ſuppleri poſſe: niſi quæ ab hæreticis in controuerſiam reuocantur, & hac Quæſt. præcisè proponuntur. De certis ſignis & motiuis ſolius veræ fidei Catholicæ, eiuſque virtute & modo iuſtificandi ac operandi. De quibus

cræ Script. Diſtinguit inter libros Canonicos veteris Teſt.& Noui,apud Iudæos, & in Eccl. colligitque ex ſingulis præcepta moralia. *Libris* 7. in 7. libros priores veteris Teſt. per varias *Quæſt. Lib.*4. De conſenſu Euangeliſtarum. *Libris* 2. Quæſtionum Euangelicarũ. *Libris*.2. De Sermone Domini in monte. *Libro* Imperfecto in Geneſim. *Libris* 2. De Geneſi contra Manichæos. *Libris* 12. De geneſi ad litteram. *Libris* 2. In Epiſt. ad Romanos. *Libro* in Epiſt. ad Galatas. Præter promiſcuas expoſitiones in plæraſque difficultates ſacræ Script. veteris & noui Teſt.

De ſenſu quadruplici ſacræ Scripturæ. *Lib.* 2. De Geneſi contra Manichæos, Cap.2. *Secundùm hiſtoriam, facta narrantur : ſecundùm Prophetiam, futura prænuntiantur. Quiſquis voluerit omnia ſecundùm Literam accipere .i. non aliter quàm Litera ſonat, & potuerit vitare blaſphemias, &c. præcipuus intellector habendus eſt.* Lib. De vera relig. cap. 50. *Diſtinguamus quis ſit modus interpretandæ Allegoriæ &c. Vtrum à viſibilibus antiquioribus ad viſibilia recentiora eam perducere ſufficiat : An vſq; ad animæ affectionem atq; naturam; An vſq; ad incommutabilem æternitatem; An aliæ ſignificent geſta viſibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis; An aliqua inueniantur in quibus hæc omnia inueſtiganda ſint; & quid interſit inter Allegoriam hiſtoriæ, facti, Sermonis, & Sacramenti;& quomodo ipſa locutio ſecundùm cuiuſq; linguæ proprietatem accipienda ſit.* Lib. De vtilitate credendi. cap.3. *Omnis ſcriptura veteris Teſt. quadrifaria traditur: ſecundùm Hiſtoriam, Æthiologiam, Analogiam, & Allegoriam. Secundùm hiſtoriam : cùm docetur quid geſtum ſit &c. Secundùm Æthiologiam, cùm oſtenditur quid qua de cauſa vel factum vel dictum ſit : ſecundùm Analogiam, cùm demonſtratur non ſibi aduerſari duo Teſt. ſecundùm Allegoriam, cùm docetur non ad literam, ſed figuratè intelligenda.* Sic & libro imperfecto de Geneſi cap. 2. *Lib.* 3. *Doct. Chriſt.* De ſenſu proprio & figurato, eorumque diſcretione. Quos omnes ſenſus *Al.p.*1. *q.* 1.*a.* 4. reducit ad. 4. ordinarios. 1. Eſt literalis. 2. Analogicus, ſeu eleuans ad Deum. 3. Allegoricus, ſeu relatiuus ad myſteria temporalia Chriſti. 4. Tropologicus, ſeu moralis. Ita vt ſub ſenſu Literali contineantur tres modi propriè intelligendi apud *B. Aug.* Hiſtoricè, Æthilogicè, & Analogicè : ſub ſenſu autem figurato, contineantur tres, Allegoricus, Tropologicus, & Analogicus. In quibus ſingulis ſinguli Doctores Eccleſiæ latinæ excelluerunt. *S. Hieronimus* in Literali, *S. Ambroſius* in Allegorico, *S. Auguſtinus* in Anagogico, *S. Gregorius* in Tropologico. Quamuis multæ interpretationes *B. Aug* quæ videntur impropriæ, ab eo habeantur & ſint propriæ.

Vt *lib.* 3. *Doct. Chriſt. cap.* 27. De explicandis ſacris Script. ſecundùm intentionem Authoris, aut rectam fidem. *Ille quippe Author in iiſdem verbis quæ intelligere volumus, & hanc ipſam ſententiam forſitan vidit : & certè Dei Spiritus qui per eum hæc operatus eſt, etiam ipſam occurſuram Lectori vel Authori ſine dubitatione præuidit; imò vt occurreret, quia & ipſa eſt veritate ſubnixa, prouidit.* Lib. 12. Conf. 31. *Si quid verum quiſquam in his verbis videt : cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem Deus ſacras Literas multorum ſenſibus temperauit?* Lib. 1. Gen. ad literam cap. 21. *Si Scripta Diuina poſſint ſalua fide qua imbuimur alias atq; alias parere ſententias: in nullã earum nos ita præcipiti affirmatione proijciamus &c. vt eam velimus eſſe ſcripturarum quæ noſtra eſt · cùm potiùs eam, quæ ſcripturarum eſt, noſtram eſſe, velle debeamus.* Cap. 21. *In tanta multitudine verorum intellectuum qui de paucis Verbis eruuntur, & ſanitate fidei Catholicæ muniuntur : id potiſſimum eligamus quod certum apparuerit ſenſiſſe quem legimus &c.* Lib. 4. cap. 28. *Nec quiſquam arbitretur quod dixi de luce & die ſpirituali, &c. non iam propriè, ſed quaſi figuratè atq; allegoricè conuenire, &c. Vbi enim melior & certior lux eſt, ibi verior etiam dies &c. Neq;e Chriſtus ſic dicitur lux, quomodo lapis : ſed illud propriè, hoc figuratè.*

*De conſenſu Euangeliſtarum, totiùſq; Sacræ ſcript.* Lib. 1. cap. 35. *Quicquid Chriſtus de ſuis factis & dictis nos legere voluit: hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus imperauit. Hoc quiſquis intellexerit, non aliter accipiet quod legerit : quàm ſi ipſam manum Domini ſcribentem conſpexerit.* Lib. 2. cap. 5. *Hic cognoſcendum eſt, quod deinceps ad talia intelligenda valeat: ſic vnumquemq; Euangeliſtam contexere narrationem ſuam; vt tanquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur &c.* Cap.12. *Quod alius alium ordinem verborum tenet, non eſt vtiq; contrarium : neq; ſi alius dicit, quod alius prætermittit. Vt quiſq; meminerat, vt cuiq; cordi erat, breuiùs vel prolixius eandem explicare ſententiam : ita eos explicaſſe manifeſtum eſt &c. Quiſquis autem dicit eis debuiſſe concedi, vt nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero diſcreparent: non intelligit per eos fuiſſe firmandam cæterorum hominum vera loquentium ſecuritatem. Ita enim ſalubriter diſcimus, nihil aliud eſſe quærendum : quàm quid velit ille qui loquitur.* Cap. 14. *Diuerſitas ad hoc etiam vtilis eſt : nè vno modo dictum minùs intelligatur.* Cap. 21. *Vnuſquiſq; Euangeliſta eo ſe credidit ordine debuiſſe narrare: quo Deus voluit eius recordationi ſuggerere &c.* Cap. 28. Hinc *diſcimus nihil nos in cuiuſq; verbis debere inſpicere, niſi voluntatem, cui debent verba ſeruire &c.* Cap. 42. *Non neſcientes aliquid prætermiſerunt, aut alium ordinem tenuerunt.* Cap.66. *Si quæratur cur tanta authoritas interpretationis 70. multis locis diſtet à veritate hebraica : nihil probabilius exſtimo, quàm illos 70. eo ſpiritu interpretatos, quo dicta fuerant. Quod ex eorum mirabili conſenſione firmatum eſt. Quod noſſe, eſt moribus vtile propter cauenda & iudicanda mendacia, & ipſi fidei : nè putemus quaſi conſecratus ſonus muniri veritatem &c.*

De difficultate & facilitate Sacræ Scripturæ. *Lib.* 2. *De Doct. Chriſt. cap.* 6. Multis & multiplicibus obſcuritatibu decipiuntur qui temerè legunt &c. Quod prouiſum eſſe diuinitùs non dubito : ad edomadam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio renouandum &c. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. *Cap.* 9. In ijs quæ apertè in ſcriptura poſita ſunt, inueniuntur omnia



Digitized by Google

quæ continent fidem, moreſque viuendi, ſpem ſcilicet & charitatem. *Lib.* 12. *Conf.* 14. Mira profunditas eloquiorum tuorum Domine: quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens paruulis, ſed mira profunditas Deus meus, mira profunditas! Horror eſt intendere in eam: ſed horror honoris, & tremor amoris. *Cap.* 25. Plue mihi Deus mitigationes in cor: vt patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia diuini ſunt; ſed quia ſuperbi ſunt, nec nouerant *Moyſis* ſententiam, ſed amant ſuam; non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. *Epiſt.* 3. *ad Voluſianum.* Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum: vt in eis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere; non quoad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, &c. *Lib. ſeu Epiſt.* 120. *ad Ianuarum cap.* 21. In ipſis ſacris Scripturis multò neſcio plura, quàm ſcio.

Quid ſit de fide ex ſacra Script. *Lib.* 1. *de doct. Chriſt. cap.* 9. In ijs quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem, moreſque viuendi. *Lib.* 1. *de Geneſi ad lit. cap.* 19. Tamdiu non eſt contra fidem, donec veritate certiſſima refellatur. *Lib. contra Epiſt. fundamenti, cap.* 5. Ego Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas. *Lib.* 1. *contra Creſconium, cap.* 30. Quiſquis falli metuit: Eccleſiam conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat. *Lib. de vtilitate credendi, cap.* 14. Scriptis ait crede. At Scriptura omnis ſi noua & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis, nulla confirmante ratione: non ei, ſed illis qui eam proferunt creditur. Quapropter Scripturas ſi vos Manichæi profertis, tam pauci & incogniti: nō libet credere, &c. *Lib.* 32. *contra Fauſt. cap.* 19. Videtis id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur authoritas, & ſuus cuique animus Author ſit, quid in quaque Script. probet, quid improbet .i. vt non authoritati Scripturæ ſubijciatur ad fidem, ſed ſibi Scripturam ipſe ſubijciat; non vt ideo illi placeat aliquid, quia ſcriptum legitur; ſed ideò rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima miſera, &c. Cur non potiùs Eccleſiæ? &c. *Libo* 33. *c.* 6. Quæ vnquam Literæ vllum habebunt pondus authoritatis, ſi Euangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo libro certum erit cuius ſit? &c. Vnde conſtat quid cuius ſit, niſi ſucceſſione?

*Contra ſacram Scripturam, vel eius ab Eccleſia traditionem ac interpretationem.*

1. EX *Lib.* 4. *Eſdræ, c.* 14. Tunc ſacra Script. perierat: 2. *Cor.* 3. Litera occidit, Spiritus autem viuificat. 2. *Pet.* 3. In ſcriptis *S. Pauli* ſunt quædam difficilia intellectu: quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perniciem. Hinc *B. Aug. q.* 69. *ex* 83. & alibi ſæpè, tribuit omnes hæreſes Scripturis malè intellectis: Et Eccleſia Romana earum lectionem inhibet; quia eſt periculoſa fidei, & caſtis moribus, ob varias contradictiones apparentes, & hyſtorias aut metaphoras inhoneſtas.

2. Ex diſcordia Conc. *Trid.* ab antiquis, de libris Canonicis. Vt de libris *Baruch, Eſther, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Eſdræ, Machabæorum*, de Oratione *Manaſſæ* ad finem libri 2. *Paralip.* De Hymno trium puerorum, Hyſtoria *Suſannæ*, & Draconis, *Dan.* 13. 14. de *cap. vlt. Marci*, de ſudore ſanguineo Chriſti, *Luc.* 22. de hiſtoria Adulteræ, *Ioan.* 8. de Epiſt. ad *Hebræos*. De Epiſt. *S. Iacobi, Iudæ*, ſecunda *Petri*, ſecunda & tertia *Ioannis*, & de Apocalipſi.

3. Ex varietate, & diſcordia tranſlationum ac editionum, & præferentia Latinæ antiquæ & vulgatæ: à *Trid.* contra *B. Aug. Lib.* 2. *Doct. Chriſt.*

4. Ex monitione ſcrutandi ſacras Script. *Ioan.* 5. exemplo laudato Beroenſiū, *Act.* 17. promiſſione Spiritus S. ſeu doctrinæ internæ in lege gratiæ. *Eſa.* 50. Dabo omnes filios tuos doctos à Domino. *Ier.* 31. Non docebit vltra vir proximum ſuum. *Matt.* 23. Nolite vocari Rabbi: vnus eſt enim Magiſter veſter, Chriſtus. *Ioan.* 10. Oues meæ vocem meam audiunt. 1. *Cor.* 2. Spiritualis iudicat omnia. 1. *Cor.* 12. Spiritus diuidit ſingulis prout vult. 1. *Cor.* 14. Si alij reuelatum fuerit, prior taceat, &c. 1. *Ioan.* 2. Non habetis neceſſe vt aliquis doceat vos: ſed vnctio docet vos de omnibus. Hinc Caluiniſtæ, *Art.* 4. ſuæ pſeudo-fidei: *Nos agnoſcimus*, inquiunt, *hos libros eſſe Canonicos, non tam ex communi conſenſu Eccleſiæ, quàm per teſtimonium & interiorem perſuaſionem Spiritus S. qui nos diſcernere facit à reliquis libris Eccleſiaſticis.* Et *Art.* 5. Profitentur ſacram Script. in ſenſu interno cuiuſque fidelis, ſufficere ad omnia neceſſaria fidei & ſaluti. Quamuis eorum Pſeudo-Miniſter *Maretius*, in ſua contra me Monachomachia, relata & exorciſata Exorciſmo noſtro 6. & 19. vt Cacodæmon in Energumeno fateatur non eſſe ſenſum ſuæ confeſſionis, quòd ſacræ Script. cuique ſufficiat ſine rationabili explicatione & applicatione. *Nobis*, inquit pag. 199. *principium credendi ſacris Script. eſt lumen internum fidei, quod diuinum eſt, & infallibile: ſed motiuum externum ad fidem poteſt eſſe, cum multis alijs ipſius Eccleſiæ inge Teſtimonium. Ex B. Aug. qui authoritatem Eccleſiæ conſiderauit, non in actu quodam ſignato, ſed tantùm exercito.* Pag. 102 *Porro teſtimonium Eccleſiæ fuiſſe ei motiuum duntaxat ad fidem, non tamen vltimum principium credendi, in quod fides ipſius reſolueretur, adeo vt quoad ſe authoritas Scripturæ penderit ab authoritate Eccleſiæ, ſatis patet lib. de vtilitate credendi, cap.* 16. *Nec ſtatuimus nil nobis conſtare de Scripturis, niſi ex iudicio noſtro priuato & erroneo, (hæc eſt Monachalis calumnia:) ſed dicimus fidem noſtram de Diuinitate & authoritate Scripturarum, pendere ex teſtimonio interno Spiritus S. per eaſdem Scripturas efficacis; non ſolùm ex teſtimonio externo Eccleſiæ, vt volunt Pontificij. Quamuis teſtimonium Eccleſiæ etiam admittamus, ceu primi medij per quod ipſa veritas nobis extrinſecùs annuntiatur. Sit licet incipientibus Eccleſiæ teſtimonium primum ad fidem motiuum: proficientibus tamen non poteſt eſſe vltimum credendi principium. Nam priuati alicuius hominis non poteſt dari aliud principium credendi Scripturis, quàm ipſius totius Eccleſiæ: iam autem,*

*Eccleſiam*

Digitized by Google

*Eccleſiam credere Euangelio propter Eccleſiam; adeo vt ſibi ſit formale principium credendi, vel vt alij loquuntur, formale obiectum fidei, nemo ſanus dixerit.* Contra quæ, infra.

*Reſp. Ad* 1. Liber 4. *Eſdræ* eſt apocryphus: conſtatque ex *lib.* 2. *cap.* 8. tunc adhuc ei prolatum fuiſſe librum legis Moyſi. Itaque videtur tantùm libros ſacros in ordinem recollegiſſe, recoluiſſe, & vt placet *S. Hier.* in prologo Galeato, nouis litteris hebraicis a prophanis diſtinxiſſe. 2. *Cor.* 3. Litera .i. lex præbet occaſionem peccati: niſi Spiritus .i. gratia viuificet ad illius obſeruantiam. 2. *Pet.* 3. Scriptura non deprauat ſuos lectores: ſed hæc ab illis, vt talibus, in ſuam perniciem deprauatur. Nec *B. Aug.* tribuit hæreſes ipſis ſacris Script. ſed abutentibus ad ſuũ prauum ſenſum & affectum. Nec Eccleſia Romana earum lectionem inhibet: ſed vulgarem & promiſcuam; non vt ex ſeipſa periculoſam, ſed ex defectu legentium. Quorum diſcretio ad Eccleſiam pertinet. Vt patet ex tota ſacra Script. de poteſtate Eccleſiæ circa res ſacras. *Matt.* 18. Si Eccleſiam non audierit, &c. 23. Super Cathedram Moyſi ſederunt &c. *Act.* 15. Viſum eſt ſpiritui S. & nobis &c. *Rom.* 10. Fides ex auditu, &c. 1. *Cor.* 14. Mulieres in Eccleſia taceant, &c. 1. *Cor.* 12. Nunquid omnes Doctores? Hinc *Origines Prologo Hom. 2. in Cantica*, refert eorum lectionem inter Iudæos fuiſſe inhibitam ante maturam ætatem.

*Tertul. lib. de perſcript.* Nobis curioſitate nõ opus eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Euangelium. Cùm credimus, nihil deſideramus vltra credere. Hoc enim credimus, non eſſe quod vltra credere debeamus. *Infra.* Quærendum eſt donec inuenias, & credendum vbi inueneris &c. Nemo quærit, niſi aut quia non habuit, aut perdidit. *Infra.* Symbolum nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt &c. Fides tua te ſaluum fecit, non exercitatio Scripturarum &c. *Infra.* Scripturas obtendunt &c. Non ſunt admittendi ad prouocationem de Scripturis, quos ſine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim Hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt. *Infra.* Nec periclitor dicere, ipſas quoque Scripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt Hæreticis materias ſubminiſtrarent: cùm legam oportere hæreſes eſſe, quæ ſine Scripturis eſſe non poſſent &c. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur &c. Ipſæ mulieres hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant docere, contendere &c. *S. Hier. Epiſt. ad Paulinum.* Sola Scripturarum Ars eſt quam ſibi omnes paſſim vendicant: Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. *S. Aug. Lib. de vtilitate credendi cap.* 7. Tu in eos libros ſine duce irruis: & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam, &c. *In Pſal.* 61. Hæretici ſunt *Feræ calami*: quoniam Scripturarum ſenſum pro ſuo errore peruertunt. Regula. 4. Indicis. *Cùm experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus indè ob hominum temeritatem detrimenti, quàm vtilitatis oriri: Hac in parte iudicio Epiſcopi aut Inquiſitoris ſtetur; vt cum Concilio Parochi vel Confeſſarij, Bibliorum à Catholicis Authoribus verſorum, lectionem in vulgari lingua concedere poſſint ijs quos intellexerint ex huiuſmodi lectione non damnum, ſed fidei aut pietatis augmentum capere poſſe. Quam facultatem in ſcriptis habeant.* Quę inhibitio non videtur in hoc rigore vſu recepta, vbi Catholici ſunt cum Hæreticis promiſcui: vel ab ipſis Epiſcopis ad Parochos & Confeſſarios relaxata. Quid æquius, ſuauius, & prudentius? Cùm enim Chriſtus commiſerit Apoſtolis *diſpenſationem Myſteriorum Dei*: Cur non tam ſacræ Script. quàm Sacramentorum? Nec obſtat quod ſacra Script. ſit & vocetur *Teſtamentum* vetus, ac nouum. Quia & ſacra Euchariſtia eſt Teſtamentũ Chriſti: nec tamen ſubeſt cuiuſuis conſecrationi & diſpẽſationi; ſed ſolius Eccleſiæ, per ſuos Miniſtros ad hoc ordinatos. Nec qui ſunt adhuc ſub tutoribus, habent ius vtendi liberè ſuis Teſtamentis. Nec ad eos, ſed ad Iudices competentes pertinet eorum interpretatio.

*Ad* 2. Liber *Baruch* ſolet contineri ſub *Hieremia*: vt exprimit Trid. ex *B. Aug. lib.* 18. *Ciu. cap.* 33. Quidam non *Ieremiæ*, ſed Scribæ eius attribuunt, qui vocabatur *Baruch*; ſed *Ieremiæ* celebratius habetur.] De libro *Eſther*, vel de 7. poſtremis Cap. quę non ſunt in textu hebręo; quidã dubitarunt: ſed plærique Græci & Latini integrum habent pro Canonico, vt definit *Trid.* Nec 7. poſtrema Capita cenſeri poſſunt à Græcis & Latinis ficta; ſed potiùs à Iudæis omiſſa. Libri *Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici*, & *Machabæorum*, non fuerunt fortè de Canone antiquiore Iudæorum: nec ſemper, & ab omnibus Chriſtianis pro certis & Canonicis habiti; ſed à Conc. 3. *Chartag. Innoc.* 1. *Gelaſio.* 1. & *S. Aug.* vt à *Trid.* inter Canonicos recenſiti. Vt patet ex. *B. Aug. lib. 2. Doct. Chriſt. cap.* 8. & *lib.* 2. *Retr.* 4. De Authore libri quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipſum ſicut Eccleſiaſticum *Ieſus* Filius *Syrach* ſcripſerit, non ita conſtare ſicut à me dictum eſt, poſtea didici &c.] *Lib. de cura pro mortuis cap.* 1. In *Machabæorum* libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium. *Cap.* 15. Liber Eccleſiaſticus, *cap.* 46. continet in laude Patrũ, quod Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed ſi huic libro ex Hebræorum, quia in eo non eſt, Canone contradicitur: Quid de *Moyſe* dicturi ſumus &c? *Lib. de præd. SS. cap.* 14. Non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ: qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu Lectorum Eccleſiæ tam longa annoſitate recitari; & ab omnibus Chriſt. cum veneratione Diuinæ Authoritatis audiri. *Lib.* 18. *Ciui.* 36. Libros Machabęorum, non Iudæi, ſed Eccleſia pro Cononicis habet. Nec Oratio *Manaſſes*, ad finem *lib.* 2. *Paralip.* Nec quidam *Pſalmus* 151. nec quędã appendix *Iob.* nec liber *Hermetis*, qui dicitur *Paſtor*, nec liber 3. & 4. *Machabæorum*, nec 3. & 4. *Eſdræ*, ſunt libri Canonici, aut eorum partes: quia non recenſentur, ſed vel expreſſè, vel tacitè excluduntur ab omni authentico Canone. Nam *Canon* 84. Apoſtolorum non eſt authenticus: quo

non tantùm quædam illorum, ſed & duæ Epiſtolæ *Clementis*, pro Canonicis habentur; nec citantur ab antiquis pro Canonicis. De libro 3. *Eſdræ* eſt difficultas: quia noſter primus & ſecundus, eſt Græcis primus; ideoque hi ſub ſecundo videntur continere noſtrum tertium. Sed nec Codices Hæbræi, nec Græci correctiores habent tertium: nec ex tertio quicquam prælegitur in Eccleſia; imò *Gelaſius* vnicum recipit, ſed vt Græci ſub vnico noſtros duos priores continet. Hymnus triũ Puerorum, hiſtoria *Suſannæ* & Draconis, ſunt partes *Danielis* Prophetæ, fueruntque ſemper in Eccleſia celebres: ergo meritò pro Canonicis habentur. De Cap. vlt. *Marci*, Sudore ſanguineo Chriſti, *Luc.* 22. hiſtoriâ Adulteræ, *Ioan.* 8. Epiſtolâ ad *Hebræos*, *Iacobi*, *Iudæ*, ſecunda *Petri*, ſecunda & tertia *Ioan.* & *Apocalypſi*, non eſt ratio dubitandi: Quia vel ſoli Hæretici reuocant, aut reuocarunt in dubium; vel pauci olim Catholici, ex leui ratione, necdum habuerunt pro Canonicis; ſed tota Eccleſia ſemper eis vſa fuit vt ſacris, & tandem in Canone expreſſit. Vt patet ex *B. Aug. Lib.* 1. *de pec. mer. & rem. cap.* 27. de Epiſt. ad Hebræos. *Quamuis*, inquit, *nonnullis incerta ſit: magis me monet authoritas Eccleſiarum Orientalium, quæ hunc etiam in Canonicis habent*. i. *Magis* quàm illi *nonnulli* anonimi: non autem magis quàm Eccleſia Latina, quæ ſaltem poſt Græcas hanc in Canonem recepit.

Nec obſtat quòd *S. Hier.* Præfat. in *Danielem* vocet Fabulam *Suſannæ* & Draconis, *Dan.* 13. & 14. In Prologo galeato, & Præf. in Prouerbia, neget libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, *Iudith*, *Tobiæ*, Paſtoris, & Machabæorum eſſe Canonicos, & Dogmaticos. Præf. in *Iudith* cenſeat eſſe hagiographum, non dogmaticum. Cùm tamen *Diſt.* 15. *Cap.* 3. *Sancta Romana Eccleſia*, plurimum deferat *S. Hieronymo*, in diſcernendis ſacris Script. Quia *S. Hier. Præfat in Iudith*, refert Synodum Nicænam hunc librum in numero ſanctarum Scripturarum computaſſe: ergo alibi non negat, niſi de Canone Iudæorum, vel ante Nicænum; vel diſtinguit inter ſanctas Scripturas, & Canonicas, vt priùs fuerint receptæ in Sanctas, quàm in Canonicas & Dogmaticas. Sed potuerunt poſt *Hieronymum*, vt & alia plura, canonizari, ſeu definiri. Nec *diſt.* 15. *cap.* 3. Sancta Romana Eccleſia, defert *S. Hieronymo* diſcretionem Scripturarum Canonicarum: ſed Scriptorum Eccleſiaſticorum. In *Danielem*, vel refert *Porphirium* vocaſſe fabulas, vel per has intelligit hyſtorias morales.

*Ad* 3. Veritas editionum, & tranſlationum, nec diſcordat, nec obeſt, ſed prodeſt veritati: ex earum inter ſe collatione, & relatione, ad ſenſum verum. Nam editio originalis plærorumque librorum veteris Teſt. Hebraica; *Iudith*, *Eſdræ*, & *Danielis*, fortè Chaldaica; *Machabæorum*, *Eccleſiaſtici*, Euangelij *S. Matt.* & Epiſtolæ ad Hebræos, fortè Syriaca; reliquorum autem omnium Græca: per varias tranſlationes Græcas & Latinas ſine contradictione, poteſt illuſtrari, & à corruptione præſeruari aut reſtitui. Sed vt Eccleſia Latina fuit, & eſt conſtantior in fide Chriſti: ſic & in ſua antiqua vulgata editione, & tranſlatione ſacræ Scripturæ, ex originali Hebraica & Græca. Nec *Trid.* huius approbatione & definitione, improbauit originales: ſed hanc vt propriam & communem Eccleſiæ Latinæ, noluit à perfidia Iudæorum, & fraudibus expertis Græcorum Schiſmaticorum dependere; nè vt olim Arrianiſmus, ſic vlla noua hæreſis poſſit ex ignorantia illarum linguarum, & aliqua æquiuocatione ſubrepere. Quod nullatenus eſt contra authoritatem originalium, & tranſlationis 70. ac regulas *S. Auguſtini* ſupra: quia hæ ſupponunt illorum integritatem, & Græcæ Eccleſiæ in fide ac vnitate Catholica conſtantiam. Nec vt *B. Aug.* cenſuit tranſlationem græcam 70. ex hebræis originalibus fuiſſe canonicam: ſic & Eccleſiam Græcam, & Scripturas Hebraicas ac Græcas, vel hanc tranſlationem 70. incorruptibilem ac indefectibilem, vel æquè ac Latinã. Vt patebit infra ex indefectibilitate ſolius Eccleſiæ Latinæ ſeu Romanæ, eique adhærentium. Imò ſi potuit illa tranſlatio 70. ſub Synagoga, cenſeri tantæ authoritatis, non ſolùm à *S. Aug.* ſed etiam à *S. Hier.* totaque Eccleſia Chriſti, excepto dubio facti, de ſingulorum 70. aut binorum, aut plurium, aut omnium ſimul interpretatione: quantæ potiùs authoritatis cenſenda eſt noſtra antiqua & vulgata editio latina, quam *B. Aug.* ſupra Italam vocat, à ſacro Conc. *Trid.* & generali definita?

*Ad* 4. vt *Ad* 1. Nam cuius eſt diſcernere veras Scripturas Canonicas à falſis, vel apocriphis: eiuſdẽ eſt diſcernere verum ſenſum à falſis. Non eſſe autem Spiritus priuati & incerti, ſed certi & ordinarij in Eccleſia Dei: patet ex *Matt.* 2. vbi *Herodes* congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt, &c. *Matt.* 18. Si Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Matt.* 23. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c. *Luc.* 8. Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Cœlorum: cæteris autem in parabolis. *Ioan.* 11. Coegerunt Pontifices & Phariſæi Conc. &c. Vnus autem ex ipſis *Caiphas* nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis, &c. Expedit vt vnus moriatur homo pro populo. Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, &c. *Act.* 1. Exurgens *Petrus* in medio Fratrum, dixit, &c. Viri Fratres, oportet impleri Scripturam, &c. Oportet ergo teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, &c. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper *Matthiam*. Quæ eſt quædam explicatio & applicatio illius ſacræ Script. vt & plurium aliarum, *c.* 2. 3. 4. &c. *Cap.* 15. Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria; &c. Quæ eſt etiã explicatio legis & Euangelij. Sed pluribus infra de Eccleſia, Traditione, Papa, & Concilijs. [Monitio autem ſcrutandi Scripturas, *Ioan.* 5. & laus eas legentium, *Act.* 17. eſt ad eos qui necdum credebant Chriſto, ſed Scripturis ſacris: vt ex eis diſcerent Chriſtum; non autem ad credentes Chriſto & Eccleſiæ, vt adhuc quærant fidem ex Scripturis, niſi ad aliquam confirma-

Digitized by Google

firmationem. V; *Tert.* ſupra. Nec S. Chryſ. mónet omnes promiſcuè ad lectionem ſacræ ſcript. vt fidei & ſaluti neceſſariam: ſed ſolos capaces, & potiùs ad earum memoriam & praxim moralem, quàm ad lectionem & fidem. Promiſſio illa ordinaria, non eſt facta ſingulis : ſed Eccleſiæ, & per eam omnibus fidelibus, ſed extraordinariè quibuſdam in Eccleſiâ. Vel non eſt promiſſio doctrinæ intelligendi ſacras ſcripturas : ſed gratiæ credendi & benè operandi. Vel non eſt de legendo & intelligendo ſacras Script. ſed de audendo Verbo Dei prædicato. Vt *Rom.* 10. Fides ex auditu: Auditus per verbum Dei. Vel de audiendo & intelligendo Verbo Dei interno & externo, quaſi à ſolo Deo ſeu prima Veritate, per quemlibet loquente & docente. Vel de quibuſdam gratijs gratis dandis. Vel de donis potiùs patriæ, quàm huius viæ. Vel de conſolatione & confortatione in fide, per quandam experientiam internam, & teſtimonium bonæ conſcientiæ. Nec ſacra Script. eſt lucerna lucens niſi obſcurè: nec ſufficiens ad omnes, de omnibus, aut etiam neceſſarijs illuminandos, per collationem ſui totius; quia licet hæc ſit optima interpretatio, tamen eſt plæriſque difficillima. Cumque plùres indè ſenſus occurrere poſſint: nullus poteſt eſſe certus ex ſolo iudicio humano; nec vllus eſt certus de priuato Spiritu Diuino. De quo Hæretici inter ſe præſumunt & gloriantur : ſed nullus audet de ſeipſo. Quia niſi quis ſtudioſè didicerit, facilè & promptè conuincitur de errore, propoſito duplici textu ſimili, altero ex libro Canonico, altero non : inter quos non poterit diſcernere ; vel propoſito loco difficiliori quàm vt poſſit explicare. Hinc nec *Art.* 4. ſuæ confeſſionis audent negare conſenſum communem Eccleſiæ ad diſcernendos libros Canonicos : ſed præferunt teſtimonium & interiorem perſuaſionem Spiritus S. Quam nec audent niſi implicitè ſibi ſingulis arrogare. *Nos cognoſcimus*, inquiunt .i. omnes & ſinguli profeſſores huius Articuli : *hos libros eſſe Canonicos ; non tam ex communi conſenſu Eccleſiæ, quàm per teſtimonium Spiritus S. &c.* Quaſi comparatiuè : ſed reuera negatiuè. Quia negant præfuiſſe veram Eccleſiam notoriam, continuam, & infallibilem : à qua Libros Canonicos didicerint; Ergo nonniſi à Synagoga, vel à ſua Eccleſia inuiſibili & vniuerſali Porphyriana. Quæ autem nunc fides Synogogæ, vel audentia Eccleſiæ inuiſibilis? Quod enim hinc indè ex Patribus aut hiſtorijs colligât hunc aut illum librum aliquando, alicubi, aut aliquibus fuiſſe vel necdum fuiſſe Canonicum : Quid præiudicat veræ Eccleſię quin eum potuerit & poſſit Canonizare, ſeu à non Canonicis diſcernere? Cùm ipſi tam Neoterici idipſum deferant Synogogæ, & etiamnum Spiritu priuato præſumant : tum illis primis verbis, *Nos cognoſcimus &c.* tum his vltimis, *Qui Spiritus S. facit nos eos diſcernere.* Vnde & *Art.* 5. profitentur ſacram Script. ſingulis ad fidem & ſalutem ſufficere: vtique non niſi ex illa præſumptione ſpiritus priuati. Vt tamen. 1. *Cor.* 12. Pſeudo-Apoſtoli transfigurabant ſe in Apoſtolos, & Satan in Angelū Lucis: Sic & Samuel inuerſus, ſeu Elymas ſupra. 1. Negando ſe ſuoſque profiteri ſufficientiam ſacræ Script. ſine vſu rationis aut ex ſolo Spiritu priuato. 2. Fatendo Eccleſiam poſſe eſſe aliquod motiuum externum credendi: ſed motiuum internum eſſe lumen fidei. 3. Profitendo fidem noſtram de ſacra Script. pendere à teſtimonio interno Spiritus S. *per eandem ſcripturam efficacis.* 4. Negando Eccleſiam eſſe motiuum ſeu obiectum formale, & terminatiuum, in quod fides ſacrę Script. vltimò reſoluatur, ſeu propter quod ſacræ Script. credatur. 5. Diſtinguendo *B. Aug.* conſideraſſe authoritatem Eccleſiæ ad credendum, non in actu quodam ſignato, ſed tantùm in actu exercito. Sed hæc eſt tantùm larua, non vera facies Catholica & Scholaſtica.

1. Quia *Art.* 5. Appellant *ab antiquitate, conſuetudine, multitudine, Sapientia, Concilys, Miraculis, Traditionibus &c. ad ſolā Sacram Script. vt regulā totius veritatis & reformationis, continentem omnia neceſſaria ad cultum Dei, & ſalutem.*

2. Si Eccleſia eſt fallibilis, quomodo erit certum motiuum credendi? 3. Quid eſt fidem noſtram de ſacra Script. pendere à teſtimonio interno Spiritus S. per eandem Script. efficacis: niſi tribuere totam certitudinem noſtæ fidei Spiritui priuato legentium Sacras Script. vel infallibiliter aſſiſtenti ſoli Sacræ Script. non autem Eccleſiæ proponenti ac explicanti? Cùm tamen hæretici ex eadem Script. ſenſus inter ſe contrarios eliciant. Ergo nec vero Spiritu ſingulis interno, nec aſſiſtente infallibiliter ſacræ Script. & per eam efficaci : niſi ſolis electis, & eodem Spiritu ſingulis priuato & ſecreto, ſed inter ſe ſolos communi, afflatis. In quam tandem ſecretam electionem Dei reſoluunt omnem efficaciam & certitudinem ſacræ Script. & Sacramentorum : vt ſolis electis proſint ad fidem & ſalutem. Quaſi ex illo 2. *Cor.* 4. Si opertum eſt Euangelium noſtrum, in ijs qui pereunt eſt opertum. 1. *Ioan.* Exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis. Cùm illud non ſit de Euangelio ſcripto, ſed fruſtra prædicato propriâ malitiâ excæcatis: Hoc autem non neget defectum à vera fide & gratia præſente, ſed ab æterna prædeſtinatione. 4. Diuertit & refugit ab illo ſuo ſuorumque errore, ad Doctrinam noſtram Scholaſticam, de obiecto formali, motiuo & terminatiuo noſtræ fidei. Quaſi hoc tribueremus Eccleſiæ: cū nec tribuamus ſacræ Script. nec vlli motiuo externo credendi : ſed ſoli primæ Veritati, Veracitati, aut reuelationi Dei. 5. Abutitur diſtinctione ſcholaſtica, de *actu ſignato, & exercito* : quaſi *B. Aug.* tribuat *Eccleſiæ* ſolam poteſtatem in actu ſignato, non in actu exercito, tradendi, diſcernendi, & interpretandi ſacram Script. Quæ diſtinctio cùm ſoleat potiùs applicari modis loquendi, quàm agendi : videtur Eccleſiæ tantùm deferre titulum ſine re, ſignum ſine ſignificato, poteſtatem ſine vſu ſeu exercitio, vel vt Synagogæ ſolam Literam ſine Spiritu Sacræ Script. Vt euadat circulum ſeu circuitum Impiorum inter Eccleſiam, ſacram Script. & Spiritum priuatum. Sed quaſi in quodam Labyrintho ſeipſum proprijs verborum ambagibus inuoluit. Nos autem facilè euoluimur, deferendo veræ Eccleſiæ Catholicæ certitudinem infallibilem tradendi, diſcer-

 cer-

Digitized by Google

cernendi ac interpretandi ſacram Script. Huic autem, vel potiùs Verbo Dei, ſiue ſcripto, ſiue tradito, & per Eccleſiam interpretato, certam & infallibilem ſignificationem veritatis reuelatæ, & reuelantis. Quæ ſola eſt ratio formalis credendi ſibiipſi, & omnibus á ſe reuelatis, ipſiſque ſacræ Script. ac Eccleſiæ, quas & per quas exteriùs reuelat; ſed interiùs per Spiritum S. ſoli Eccleſiæ ad hoc abſolutè promiſſum, non ſingulis niſi conditionatè. Vt latiùs infra.

## De vera Traditione.

ID eſt, de Verbo Dei non ſcripto: ſed nobis à Deo & Chriſto, vel eius Spiritu, per Apoſtolos, & Eccleſiam tradito.

1. Ex ſacra Script. *Ioan.* 14. Spiritus S. docebit vos omnia, &c. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus ille Veritatis, docebit vos omnem veritatem. 21. Sunt & alia multa quæ fecit IESVS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror capere poſſe mundũ eos qui ſcribendi ſunt libros. 1. *Cor.* 11. Nos talem conſuetudinem non habemus, &c. Laudo vos quòd ſicut tradidi vobis præcepta mea teneatis, &c. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c. 2. *Cor.* 3. Epiſtola noſtra vos eſtis, &c. Epiſtola eſtis Chriſti. 2. *Theſſ.* 2. Tenete Traditiones quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. 1. *Tim.* 6. O *Timothæe*, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates. 2. *Tim.* 1. Bonum depoſitum cuſtodi, &c. Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. 2. *Ioan.* Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum. *Act.* 20. Oportet meminiſſe Verbi Domini IESV, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere.] Ergo hoc necdum erat ſcriptum, ſed traditum. *Baruch* 3. Deus noſter adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam *Iacob* Puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.] Ergo erant veræ traditiones Verbi Dei, ante & poſt omnem Scripturam: non autem ſolùm traditiones humanæ.

2. Ex Symbolo ab Apoſtolis tradito, & omnibus ſacris Concilijs: nonniſi ex collatione & traditione Verbi Dei procedentibus. Hinc *Conc. Nic.* Si quis Traditionem Eccleſiæ non curauerit, Anathema ſit. *Trid. Seſſ.* 4. Cùm veritas & diſciplina Chriſti Libris ſcriptis, & Traditionibus ſine ſcripto contineatur: quæ Traditiones ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſque peruenerunt: hæc ſancta Synodus Orthodoxorum Patrem exempla ſecuta, omnes libros tam veteris quàm noui Teſt. cum vtriuſque vnus Deus ſit Author, necnon Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam oretenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit ac veneratur. *Infra.* Si quis autem libros ipſos integros, & Traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit; Anathema ſit.

3. Ex SS. Patribus: vt *S. Dion. de Eccleſ. Hierarch. c.* 1. Primi illi noſtri Sacerdotalis muneris Duces, ſumma illa, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis tradiderunt. *S. Baſil. lib. de Spiritu S. c.* 27. 29. Dogmata quæ in Eccleſia ſeruantur ac prædicantur, partim ex conſcripta Doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum Traditione, &c. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent. *S. Chryſoſt. in* 2. *Theſſ.* Patet quòd non omnia per Epiſtolam tradiderint Apoſtoli: ſed multa ſine Literis. Eadem verò fide digna ſunt, tam iſta, quàm illa. *S. Cypr. l.* 2. *Epiſt.* 3. In Calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, &c. Vt Calix mixtus vino offeratur. *S. Hier. in Dial. contra Lucif. & alibi.* Sed præ omnibus ex *B. Aug. lib.* 10. *in Gen. cap.* 23. Conſuetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda, neque omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio. *Epiſt.* 118. *ad Ian. Cap.* 1. Quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus: quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia celeberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Sicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio, & Aduentus Spiritus S. anniuerſaria ſolennitate celebratur. *Cap.* 5. Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia: quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. *Lib.* 2. *de Bapt. cap.* 7. Saluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia .i. non rebaptizandi. Quam credo ex Apoſtolica Traditione venientem: ſicut multa quæ non inueniuntur, in literis eorum, neque in Concilijs poſteriorum; & tamen quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. *Cap.* 9. Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum: & hæc ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem. *Lib.* 5. *c.* 23. Conſuetudo hæc ab Apoſtolorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa, &c. *Cap.* 25. Quod *S. Cypr.* nos admonet, *Epiſt. ad Pompeium*, vt ad fontem recurramus, & indè canalem in noſtra tempora dirigamus: optimum eſt, &c. *Lib. de cura pro mortuis, c.* 1. Legimus, 2. *Mach.* 12. oblatum pro mortuis ſacrificium: ſed etiamſi nullibi legeretur; non parua tamen eſt totius Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine relucet authoritas. *Lib.* 1. *contra Creſconium, cap.* 32. Quamuis huius rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum: earundem tamen etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Script. commendat authoritas; vt quoniam ſancta Script. fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſacra Script. demonſtrat. *Lib. contra Epiſt. fund. cap.* 5. Ego Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas, &c. De neceſſaria Tra-

ditione

Digitized by Google

ditione ipſius ſacræ Script. & veri ſenſus eius. *Lib. 1. contra Maximinum Arrianum. Max.* dixit. Si quid de diuinis Script protuleris, neceſſe eſt vt audiamus; hæ verò voces quæ extra Script. ſunt, nullo caſu á nobis ſuſcipiuntur. Cùm Chriſtus moneat nos, *Matt.* 15. Sine cauſa colunt me, docentes mandata hominum. *Sub finem.* Si affirmaueris de diuinis Script. Si alicubi ſcripti lectionem protuleris: nos diuinarum Script. optamus inueniri Diſcipuli. *Epiſt.* 178. ſeu Diſp. inter *B. Aug.* & *Paſcentium* Comitem Arrianum. *Paſc.* Anathematizet *Homouſion*: eò quòd in libris Dominicis minimè reperiatur. *Aug.* In aſſertione ſuæ fidei Patrem *ingenitum & incapabilem* dixit: cùm nec ingenitum nec incapabilem Scriptura alicubi teſtetur, &c.] Vt ſolent hodierni Hæretici exigere omnia noſtra ex ſacra Scriptura: nec poſſunt quicquam ſuorum inde exprimere.

*Contra Traditiones.*

1. EX ſacra Script. *Matt.* & *Marc.* 7. *&* 15. *Gal.* 1. *Coll.* 2. 1. *Petri* 1. Traditiones Iudæorum improbantur. *Deut.* 4. *&* 12. Non addetis ad verbum quòd ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo. *Apoc. vlt.* Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illũ plagas, &c. 1. *Cor.* 4. Nè ſupra quàm ſcriptum eſt, &c. *Ad Galatas* 1. Si quis vobis euangelizauerit, præter quàm quod accepiſtis, Anathema ſit. 2. *Tim.* 3. Omnis Scriptura vtilis eſt ad docendum, &c. vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

2. Ex ss. Patribus. Vt *B. Aug.* 2. *Doct. Chriſt.* 6. Nihil *ferè* eſt obſcurum in Script. quod non alibi planiſſimè dicatur. *Cap.* 9. In ijs quæ apertè in Script. poſita ſint, inueniuntur omnia quæ continent fidem, moreſque viuendi. *Lib.* 2. *De pec. mer. & rem. cap.* 36. Sine ſcriptis certis clariſque Documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio. *Lib. De vnitate Eccleſiæ, cap.* 3. Nolo humanis documentis, ſed Diuinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. *Cap.* 13. Legat mihi hoc in Scripturis ſanctis, &c. *Infra.* Hoc nobis legant, &c. *In Prologo Doct. Chriſt.* Non tentemus cum cuicredimus, &c. nè ad Euangelium audiendum, atque diſcendum nolimus ire in Eccleſias, aut Codicem legere, aut legentem, prædicantemque audire, &c.] Contra prætenſos illuminatos.

3. Ex ratione. Quia Traditiones ſunt nimis incertæ: ſacra autem Scriptura eſt certa regula. Nam Traditiones Iudaïcæ corruptæ fuerunt; non autem ſacræ Script. Hinc omnia documenta publica ſcripto confirmantur & conſeruantur.

*Reſp. Ad* 1. Improbantur Traditiones humanæ, vel corruptæ: non Diuinæ & Chriſtianæ. Inhibetur corruptio ſacræ Script, & additio contraria. 1. *Cor.* 4. *Supra*, & *Gal.* 1. *Præter* .i. contra, vt *prætergredi, tranſgredi.* Ibique ſignificat ſuperbiam: Hic, non præter Scripturam, ſed præter Verbum Dei euangelizatum, traditum, & acceptum. 2. *Tim.* 3. Non, *omnis*. i. tota ſimul: ſed quælibet Script. nec eſt neceſſaria, nec ſufficiens, ſed *vtilis* ad ſequentia, vt ad finem, non vt ad effectum proximum.

*Ad* 2. Patres ſæpè agunt contra Hæreticos ex ſacra Script. de qua cum eis conuenit. Vel excludunt rationes, mores, & verba hominum: non autem veras Traditiones Verbi Dei. Vel commendant ſacram Script. vt virtualiter ſufficientem: quia commendat veram Eccleſiam, & Traditiones. *S. Aug.* per illud, *ferè*, excipit aliqua: nec eſt facile, ſed valdè difficile totam Script. conferre, ad obſcura ex claris illuſtranda. Nec vult omnia credenda & facienda formaliter exprimi in ſacra Script, ſed ſaltem virtualiter. Nec improbat Traditionem, ſed *præſumptionem*, ſine ſacris Script. Contra Donatiſtas conuenientes in ſolis ſacris Script. meritò agit ex ſolis ſacris Script. in ſenſu certo & expreſſo: ad probandam veram Eccleſiam, ſine qua non poſſunt eſſe veræ Traditiones. In illo Prologo grauiter monet, nè ex præſumptione ſpiritus interni, contemnatur ſacra Script. vel potiùs viua doctrina Eccleſiæ. Quomodo enim, inquit, verùm eſſet, 1. *Cor.* 3. Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos: Si Deus de humano Templo reſponſa non redderet? &c.

*Ad* 3. Traditiones Chriſtianæ & Catholicæ tam ſunt certæ, quam Eccleſia earum cuſtos ac interpres: ex ſingulari prouidentia Dei, & promiſſione Chriſti. Nec ſacra Script poteſt eſſe ſuiipſius interpres, ſed quæuis documenta imò & ipſæ leges ſcriptæ, ſunt à Iudice competente interpretandæ. Nec denique Traditiones Synagogæ ſunt æquales Eccleſiæ: quia illa habebat potiùs literam ſeu corticem legis, quàm ſpiritum, eratq; defectibilis & defectura: hæc autem habet ipſum Spiritum ſacræ Scripturæ, & eſt indefectibilis in ſe, & in ſua doctrina fidei ac morum.

## *De vera Eccleſia Chriſti.*

1. EX ſacra Script. *Matt.* 16. Tu es *Petrus*, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Matt.* 18. Dic Eccleſiæ Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Ioan.* 10. Erit vnum ouile & vnus Paſtor. 1. *Tim.* 3. Eccleſia Dei eſt columna & firmamentum veritatis. 1. *Cor.* 11. Si quis videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. *Eph.* 3. Innoteſcat per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. 4. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis, &c. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. *Rom.* 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus: ita multi vnum corpus ſumus, ſinguli autem alter alterius membra. 1. *Cor.* 12. In vno ſpiritu omnes nos in vnum baptizati ſumus, &c. Omnes in vno Spiritu potati ſumus, &c. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, &c. Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia 1. Apoſtolos, &c. Nunquid omnes Apoſtoli, &c. 2. *Tim.* 2. In magna domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea: ſed & lignea, & fictilia, &c. *Rom.* 1. Fides veſtra, ô Romani, annunciatur in vniuerſo mundo. *Act.* 2. De dono omnium linguarum. *Pſal.* 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Pſal.* 34. Confitebor tibi in Eccleſia magna: in populo graui laudabo te, &c. De vera Eccleſia Chriſti prædicta, præfigurata, & verificata, vt infra ex *B. Aug.*

2. Ex ſacris Conc. & Symbolis. Vt Apoſt. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Symbol. Conſtantinop. *Credo ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* Ex præfat. Conc. Niceni. *Eccleſia Romana nullis Synodicis decretis prælata eſt cæteris Eccleſijs: ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris noſtri primatum obtinuit.* Matt. 16. *Vnde prima ſedes eſt Romanæ Eccleſiæ.* 2. *Apud Alexandriam.* 3. *Apud Anthiochiam.* 4. *Apud Hieroſolymam.*

3. Ex ſanctis Patribus: præ & pro quibus omnibus *B. Aug.* vt Signifer & Armiger Eccleſiæ, refert, & præfert omnia & ſingula eius inſignia, coniunctim, & diuiſim. Vt, coniunctim, Lib. de vtilitate credendi, cap. 5. *Chriſtus miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roborauit Religionem: quam non ſolùm hæreticorũ ineptiſſima nouitas fraudibus agens; ſed nec gentium quidem veternoſus error violenter aduerſans, aliqua ex parte conuelleret.* Cap. 17. *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumq; videamus: dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſq; ad confeſſionem generis humani, ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit; cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Libro de vera Relig. cap. 6. *Neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt Religio: ſed apùd eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes.*

Cap. 7. *Hæc enim Eccleſia Catholica per totum orbem validè latèque diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem cùm euigilare voluerint: Vtitur enim gentibus in materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.* Lib. contra Epiſt. fundamenti, cap. 4. *In Catholica Eccleſia, vt omittam ſinceriſſimam ſapientiam, ad cuius cognitionem pauci ſpirituales in hac vita perueniunt, &c. cæteram turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas, tutiſſimam facit. Vt ergo hàc omittam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis: multa ſunt alia quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa Sede* Petri *Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum; tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen: quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit; vt cùm omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia: etiam ſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum, veritas nondum ſe apertiſſimè oſtendat. Apud vos autem vbi nihil horum eſt: ſola perſonat veritatis pollicitatio.* Epiſt. 56. ad Dioſcorum. *Conantur authoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ quaſi rationis nomine & pollicitatione ſuperare. Omnium enim hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas. Sed ille fidei Imperator clementiſſimus, & per conuentus celeberrimos populorum atq; gentium, ſedeſq; ipſas Apoſtolorum, arce authoritatis muniuit Eccleſiam, & per pauciores piè doctos & verè ſpirituales viros copioſiſſimis apparatibus etiam inuictiſſimæ rationis armauit. Verum illa rectiſſima diſciplina eſt, in arcem fidei quàm maximè recipi infirmos: vt pro eis iam tutiſſimè poſitis, fortiſſima ratione pugnetur.*

*De Vnitate Eccleſiæ.*

1. IN fide. 2. Origine perſonali à Chriſto per Apoſtolos. 3. Locali, ab Hieruſalē. 4. Eiuſdē continua propagatione. 5. Vnitate Hierarchiæ. 6. Vnione contra omnes hæreſes & Schiſmata.

*I.* De Vnitate Eccleſiæ, *Cap.* 2. Quæſtio inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia: quæ vtique vna eſt &c. Hæc autem Corpus Chriſti eſt. Vnde qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poteſt. *Cap.* 4. Ipſum Caput, de quo conſentimus, oſtendat nobis Corpus ſuum de quo diſſentimus. *Cap.* 5. Seponenda ſunt quæ obſcurè poſita ſunt &c. *Cap.* 13. Deus iuſſerat tribus ſeparari, 3 *Reg.* 11. non vt Religio: ſed vt Regnum diuideretur, &c. Neque enim quia regna diuiduntur vnitas Chriſtiana diuiditur. *Lib.* 1. Contra Epiſt. Parmen. *Cap.* 4. Iam multa fruſta de illo fruſto, per totam Africam facta ſunt. Sic ſic neceſſe eſt vt minutatim ſecti, conſciſſiquè diſpereant: qui tumorem animoſitatis ſuæ, Catholicæ pacis vinculo prætulerunt. *Libro ſeu Epiſt.* 120. ad Honoratum. *Cap.* 16. Erue de manu canis *Vnicam* meam .i. *Eccleſiam. Cap.* 17. Hæc eſt *Vnica* Catholica &c. *Cap.* 24. In Eccleſia magna. Hæc eſt illa *Vnica* &c. *In Collatione tertiæ diei* cum Donatiſtis. *Cap.* 9. Reſponderunt Catholici, quod vnum tēplum fuerit, quo vniuerſi Iudæi vtebantur &c. *Cap.* 10. Eandem ipſam Vnam & Sanctam Eccleſiam, nunc habere malos permixtos &c. Multas Eccleſias in Scripturis inueniri dictas: quò tamen multæ illius Vnicæ mēbra intelligerentur. *Tract.* 6. *in Ioannem.* Stat Vnitas Eccleſiæ, quæ ſignificatur in Columba. De qua *Cant.* 6. Vna eſt Columba mea &c. In Columba vnitas: in linguis gentium ſocietas &c. Si ſuperbia fecit diuerſitates linguarum, *Gen.* 11. Humilitas Chriſti congregauit &c. *Gen.* 6. Arca Eccleſia eſt. *Infra.* Quare laniaſtis Columbam? Imò laniaſtis viſcera veſtra. Nam vobis laniatis, Columba integra perſeuerat. *In Pſal.* 101. In conueniendo Populos in vnum &c. Chriſtus vnus eſt, Eccleſia vnitas. Non reſpondet vni, niſi vnitas. *Tract.* 13. In *Ioan.* *Sponſa* es agnoſce veſtem ſponſi tui, ſuper quam miſſa eſt ſors, *Ioan.* 19. Veſtem Perſecutores non conſciderunt: Chriſtiani Eccleſiam diuidunt &c. Teneamus ergo vnitatem: præter vnitatem, & qui facit miracula, nihil

Digitized by Google

nihil eſt. *Tract.* 45. Tenete Ouile Chriſti eſſe Catholicam Eccleſiam. *Tract.* 118. Quadripartita Veſtis Chriſti, figurauit Eccleſiam toto qui 4. partibus conſtat terrarum orbe diffuſam. Tunica verò ſortita, omnium partium ſignificat vnitatem &c. Inconſutilis autem, nè aliquando diſſuatur. *Tract.* 10. *in* 1. *Ioan.* Si tu te præſcidiſti à Corpore Chriſti: Caput non ſe ſe præſcidet à Corpore ſuo. *Sermone de Emerito*, cuius meminit. 2. *Retr.* 51. Qui adoramus vnum Patrem: quare non agnoſcimus vnam Matrem? *Lib.* 4. *de ſymbolo cap.* 13. Non habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem. *Lib.* 3. *Contra Petil. cap.* 9. Securi eſtis qui Deum Patrem, & eius Eccleſiam Matrem habetis. *Serm.* 6. De tempore in 3. *Reg.* 3. Mulier quę clamabat vt puer integer ſeruaretur, Eccleſiæ Catholicæ typum gerebat: Alia Arrianam hæreſim deſignabat. *Vt lib. de* 5. *hereſibus. Cap.* 6. Quare litigamus? Si vna eſt nobis hæreditas, ſimul poſſideamus &c. Gloria in excelſis Deo: & in terra pax hominibus; non diuiſoribus ſanctæ vnitatis, ſed bonæ voluntatis. Meretrix 3. *Reg.* 3. non permiſit diuidi filium ſuum: & tu diuidis Dominum Deum tuũ?] Qua inſtantia ſæpè etiam vrget Donatiſtas: ab vnitate Chriſti vt Capitis & Sponſi Eccl. vt Corporis eius & Sponſæ, Fidei, Altaris & Sacramentorum. In *Pſal. Abecedario.* Venire Fratres, ſi vultis, vt inſeramini in vite, &c. Quarę me deſeruiſtis iam volo à vobis audire. Quam bonũ & quàm iucundũm habitare fratres in vnum, &c. *Pſal.* 132. 2. *De baptiſmo. Cap.* 6. Quare vos ſeparaſtis? Quare contra orbẽ terrarum altare erexiſtis? An grauiora ſunt crimina traditorum, quàm ſciſmaticorum?] .i. Præſtat tolerare minora mala, quàm violare vnitatem Eccleſiæ.

*Contra vnitatem illam Eccleſiæ.*

1. EX ſacra Script. quæ refert ex tunc plures diſſenſiones, & Eccleſias diſparatas, prædicitque futuras in Eccleſia varias hæreſes, & ſchiſmata: Ergo non eſt vna, vt ſupra.

2. Ex tot diſſenſionibus publicis, inueteratis, & irreconciliabilibus, inter Eccleſias nationales, præcipuè Græcam & Latinam: inter contendentes pro Papatu; denique inter ipſa Conc. generalia; non tantùm de Iuriſdictione, aut ceremonijs, ſed etiam de ſubſtantialibus fidei Chriſtianæ, & Catholicæ.

3. Ex Varijs contentionibus inter ipſos SS. *Petrum*, & *Paulum*, Græcos & Latinos, S. Cyprianum, & Stephanum Papam, SS. Hieronymum & Auguſtinum.

4. Ex *B. Aug.* De vnitate, & identitate Eccleſiæ, ab Abel vſque ad finem mundi: Ergo non continua, nec æquali, ſed ſimili, & diſſimili. Nam 3. *Reg.* 11. Synagoga ſeu Religio Iudaica fuit diuiſa cum regno, & tandem reprobata, vel mutata in Eccleſiam Chriſtianam.

5. Ex maiori, æquali, aut ſaltem ſimili vnione & vnitate Hæreticorum, Schiſmaticorum, Mahumetanorum, Iudæorum, Idololatrarum inter ſe, aut magnorum Statuũ Politicorum. Ergo non poteſt eſſe ſignum veræ Eccleſiæ Chriſti.

*Reſp. Ad* 1. Ex *B. Aug. lib.* 4. *Conf.* 8. Optimos amicos *rariſſima diſſenſione cõdire conſenſiones plurimas.* Lib. De vera Relig. cap. 6. Deum & eius Eccleſiam vti omnibus errantibus ad profectus ſuos, vt ſupra: nec plus diuidi in ſeipſa per hæreſes & ſchiſmata, quàm Corpus humanum per corruptionem & generationem partium materialium; imò fideles inde magis inter ſe vniri. Sic enim oportet hæreſes eſſe &c. 1. *Cor.* 11. Non ſunt autem plures Eccleſiæ diſparatæ: ſed plures partiales & ſubordinatæ.

*Ad* 2. Non fuerunt diſſenſiones de fide inter *Conc.* Generalia, vel Papas: ſed tantùm de facto, aut ceremonijs, legibus, vel iure aliquo variabili. Nec intra veram Eccleſiam poteſt eſſe diſſenſio pertinax, ab vlla definitione fidei: quia ſic diſſentientes, hoc ipſo eſſent extra Eccleſiam.

Sed ſperari poteſt plæroſque non pertinaciter, ſed ignoranter à vera Eccleſia diſſentire.

*Ad.* 3. Cùm inter Apoſtolos, eorumque Principes *Gal.* 2. fuerit contentio de præcedentia apud Chriſtum, & obſeruantia legis Chriſtianæ: cur non & inter Sanctos Patres, ex aliqua ignorantia, errore facti, & ſenſu proprio? Salua, imò præualente vnitate Fidei, Charitatis, & Eccleſiæ, omni motiuo & occaſioni diuiſionis.

*Ad* 4. *B. Aug.* comparat vnam eandemque Eccleſiam Chriſti, vni eidemque Corpori humano, & Ciuitati: quod Corpus eſt vnum & idem in vtero & extra, parte aliqua prænaſcente; idem paruum & magnum, mortale & glorioſum; & cuius vnius eiuſdemque Ciuitatis pars, hîc adhuc militat & peregrinatur, pars in cœlo eminet & triumphat. Nec vult priorem partem Eccleſiæ, nec ipſam Synagogam diuiſam fuiſſe, aut defeciſſe: ſed in Eccleſiam Chriſti profeciſſe; nec hanc in gloria defecturam, ſed perfectam futuram. Ex *Eph.* 5. Chriſtus mundat Eccleſiam ſuam lauacro aquæ: vt exhibeat eam ſibi glorioſam &c. *Eph.* 2. Non eſtis hoſpites & aduenæ: ſed eſtis ciues, ſeu conciues Sanctorum, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo Angulari lapide Chriſto IESV.] Vt ergo partes interiores, & radicales corporis humani, non ſunt diuiſæ ab externis, aut à corruptibilibus & adgenerabilibus: nec partes fundamentales ædificij, ab extantibus & eminentibus; nec ciues militantes & peregrinantes, à quieſcentibus, & triumphantibus. Sic nec vlli fideles Chriſti ſunt inter ſe, & ab vna eademque Eccleſia Chriſti diuiſi. Quia & ante Chriſtum erat eadem vera fides Chriſti, vt venturi.

*Ad.* 5. Ex illo Chriſti, *Matt.* 12. Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur &c. *Luc.* 16. Filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis &c. Sed ſola vera Eccleſia eſt vna eademque, & indiuiſibilis, ex ſuis proprijs principijs fidei, ſpei, charitatis, ſubordinationis, & promiſſionis Chriſti. Societas autem malorum, eſt ex pertinacia, inuidia, violentia: quæ ſunt per ſe principia propria diuiſionis; ſed per accidens, vniunt malos, non tam inter ſe, quàm contra bonos. Societas politica, videtur legibus humanis inſtructior: ſed nulla nititur ſpeciali promiſſione Dei. Hinc, vt monet *B. Aug. Lib. De vnitate Eccleſiæ* ſupra: Regna di-



Digitized by Google

na diuiduntur, indiuiſa vera fide & Eccleſia. Nec vlla ſocietas malorum eſt ex ſe, & in ſe indiuiſa: ſed plures ſimul vel ſucceſſiuè, vt eidem veræ Eccleſiæ inimicæ. Ex *B. Aug. Epiſt.* 163. Arriani Donatiſtas ſibi conciliare tentarunt. 8. *Ciu.* 25. *L.* 1. *Cōtra Petil. c.* 24. 83. De perſecutione *Gothorum, & Donatiſt. Tract. De Paſt. cap.* 8. De varijs hinc inde hæreſibus: ſed non ſimul. *Lib.* 4. *&* 10. *Ciu.* ac alibi ſæpè probat vnicum verum Deum, ex multitudine, & oppoſitione plurimorũ ſimul Pſeudo-Deorum: ſic & ſignum proprium vnicæ Eccleſiæ Dei ac Chriſti, eſt oppoſitio omnium Sectarum. Quas idem *B. Aug.* ſæpè comparat vulpibus illis Sampſonis contra veram Eccleſiam concaudatis. Signum etiam proprium eſt, quòd vera Chriſti Eccleſia ex ſola Fide, Spe, Charitate, & patientia, in ſua vnitate orta, creuerit, ac ſubſiſtat: ſed Mahumetiſmus, & pleræque hæreſes, vi, armis, & rebellionibus. Iudæi autem & hæreſes impotentes, odio Eccleſiæ, & inuidiâ notoriè tabeſcunt. Confirmatur ex illo *Eph.* 4. Vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma.] .i. Vt vnus verus Deus, contra omnes falſos, & è contra: ſic & vna vera, Eccleſia contra omnes falſas, & è contra.

## *De Sanctitate Eccleſiæ.*

1. A doctrina morali perfectæ ſanctitatis. 2. A profeſſione & obſeruantia ſaltem externa & publica conſiliorum Chriſti, ab aliquibus in Eccleſia. 3. A vera ſanctitate externa, etiam miraculoſa, aliquorum viuorum, aut ſaltem defunctorum in hac Eccleſia. 3. A Sanctitate ipſius Chriſti vt Capitis, & omnium Sanctorum: qui per hanc Eccleſiam militantem peruenerunt ad triumphantem. 5. Ex remedijs à Chriſto prouiſis Eccleſiæ ad ſanctificationem fidelium. 5. A ſanctione, ſeu ſtabili inſtitutione Eccleſiæ.

*L. De Moribus Eccleſiæ Cathol. Contra Manichæos Cap.* 1. Duæ ſunt illecebræ Manichæorum: vna cùm Scripturas reprehendunt, altera cùm vitæ caſtæ imaginem præferunt. *Cap.* 30. Meritò Eccleſia Catholica, Mater Chriſtianorum veriſſima, non ſolùm verum Deum colendum prædicas, ſed etiam proximi charitatem complecteris. Tu doces Reges proſpicere Populis: Mones Populos ſe ſubdere Regibus &c. Meritò tibi tam multi miſericordes, multi caſti, multi ſancti &c. *Cap.* 31. In laudem vitæ religioſæ Solitariæ, & Cœnobiticæ, in vera Eccleſia. *Cap.* 32. In laudem SS. Clericorum, per omnes gradus. *Cap.* 33. In laudem vitæ religioſæ intra ipſas vrbes. *Iſtis ſi poteſtis, Manichæi, obſiſtite &c. Nolite mihi colligere Profeſſores nominis Chriſtiani: nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes, aut exhibentes, &c.* Contra varios abuſus. *Nec mirum eſt in tanta copia Populorum, quoſdam eſſe quorum vitâ vituperatâ decipiatis incautos: cùm in veſtra paucitate magnas patiamini anguſtias, dum à vobis exigitur vel vnus ex ijs quos Electos vocatis, qui præcepta cuſtodiat quæ irrationabili ſuperſtitione defenditis &c. Nunc vos admoneo, vt aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.* 1. Retr. 13. in librum de vera Relig. *Quod dixi*, Cap. 25. *Non ſic accipiendum eſt vt nunc in Chriſti nomine nulla fieri miracula credantur. Nam ego ipſe quando illum librum ſcripſi, ad Mediolanenſiũ corpora Martyrũ in eadē Ciuitate cæcũ illuminatum fuiſſe noueram, & alia nonnulla &c. Libro de vera Relig. Cap.* 3. 4. De tanta ſanctitate & efficacia doctrinæ Chriſtianæ, ad ſtudium veritatis & perfectionis Euangelicæ, præ omni doctrina Philoſophica *Socratis & Platonis*: vt ſi *Plato* ipſe ſuperuiueret, fateretur non poſſe ab homine fieri, & Platonici cōuerterentur niſi obſtaret ſuperbia & inuidia. *Cap.* 55. De vera & ſancta Relig. ſeu cultu Dei, ex doctrina & praxi Eccleſiæ, ſine ſuperſtitione. *Quæſt.* 79. *ex* 83. Sancti Dei Serui in Eccleſia, quando hoc donum habere eos vtile eſt, ſecundùm publicam legem Dei imperant infimis poteſtatibus, ad quædam viſibilia miracula facienda. In illis enim ipſe Deus imperat &c. Quando videntur imperare Magi: per ſublimiorum nomina inferiores terrent &c. *Marc.* 3. *Non poteſt Satanas Satanã excludere*: quia hoc modo non exit Sathan, ſed potius in intima ingreditur. Non omnibus Sanctis iſta miracula tribuuntur: ne putentur eſſe maiora dona, quàm opera iuſtitiæ &c. Nonnunquam mali Chriſtiani, vel Schiſmatici, vel Hæretici, per nomen Chriſti, aut verba, aut Sacramenta Chriſtiana, exigunt aliquid à Poteſtatibus, quibus honori Chriſti cedere indictum eſt &c. Cùm autem non cedunt his ſignis: Deus ipſe prohibet occultis modis. Nam nullo modo Spiritus audent hæc ſigna contemnere. Contremiſcunt enim hæc, vbicumque illa proſpexerint &c.] De Sanctitate Eccleſiæ, ſeu ſacrorum ſignorum eius, ad exorcizandos, compeſcendos, vel terrendos Dæmones. Quod eſt ſignum publicum ſolius veræ Eccleſiæ Catholicæ. Quamuis enim *B. Aug.* moneat hæc etiam ab Hæreticis fieri poſſe: non tamen niſi per ſacra ſigna veræ Eccleſiæ, vt per ſignum *S.* Crucis. *Sicuti* non poſſunt validè baptiſare, niſi per Baptiſmum veræ Eccleſiæ. *Lib.* 15. *Contra Fauſtum cap.* 3. Te vera ſponſa veri Chriſti, Eccleſia Catholica, alloquar & ego pro modulo meo. Caue ſemper vt caues, Manichæorum impiam vanitatem. Noli decipi nomine veritatis: Hanc tu ſola habes, & in lacte tuo, & in pane tuo &c. *Cap.* 4. Tu es Epiſtola Apoſtolorum, ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed cordis &c. In primo præcepto eſt caſtitas nuptiarum tuarum: in 2. vnitas membrorum tuorum: Illo amplecteris diuininitatem, iſto congregas ſocietatem. *Lib. De vtilitate credendi. Cap.* 17. De Sanctitate vitæ in Eccleſia. *Pauci hoc faciunt, pauciores benè: ſed populi probant, fauent, &c.* Lib. 4. Conf. 6. *Incidi in homines ſuperbè delirantes: in quorum ore laquei Diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarũ nominis Dei, Ieſu Chriſti, Spiritus S. Et dicebant, Veritas, Veritas, & nuſquam erat in eis &c.* Lib. 22. Ciu. 8. *Etiam nunc fiunt miracula in Chriſti nomine: ſiue per Sacramenta eius, ſiue per orationes, vel memorias Sanctorum eius; ſed non eadem claritate illuſtrantur.* Subdit ac refert plurima. *Lib.* 2. Contra Iul. cap. 19. *Vſq; adeo permiſcuit ima ſummis longus dies:*

ſic

Digitized by Google

*ſint, Hilarius, Gregorius, Ambroſius?* Infra. *Talibus poſt Apoſtolos, S. Eccleſia plantatoribus, rigatoribus paſtoribus creuit, &c.*] Sicque de *Luthero, Caluino*, &c. comparatiuè ad Sanctos per quos fides & Eccleſia Catholica à tot ſæculis propagata fuit. In Pſal. 149. *Laus Dei in Eccleſia Sanctorum. Ergo Eccleſia Sanctorum Eccleſia Catholica eſt : non eſt Eccleſia hæreticorum, &c. Eccleſia Sanctorum erat antea in Codicibus, modò in Gentibus: antea tantùm legebatur, nunc & videtur, &c.* In Pſal 95. *Adorate Dominum in Atrio ſancto eius .i. in Eccleſia Catholica.*] De ſanctitate Eccleſiæ denominatiuè à ſanctitate Chriſti, ſupra Quæſt. 11. A ſanctitate Sacramentorum, & Sanctificatione peccatorum, in 4. De Sacramentis; A ſanctitate Beatorum hîc in Eccleſia Sanctificatorum, in 4. de 4. Nouiſſimis; A ſanctitate ſeu ſtabili inſtitutione, infra de indefectibilitate.

## *Contra veram Sanctitatem Eccleſiæ.*

1. EX ſacra Script. quæ refert & prædicit multa ſcandala in Eccleſia, & tandem finalem defectum à fide, & charitate. *Matt.* 18. Neceſſe eſt vt veniant ſcandala. *Luc.* 18. Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra. Imò ipſe Chriſtus ait, *Marc.* 2. *Luc.* 5. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores : ita vt vocaretur Peccatorum amicus. Ergo Eccleſia Chriſti .i. ab eo conuocata, non eſt Sancta, & Sanctorum, ſed potiùs Peccatorum. Hinc *Matt.* 6. Dimitte nobis debita noſtra. 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus : ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

2. Ex ss. Patribus. Vt *B. Aug. lib.* 13. *contra Fauſtum, cap.* 8. Miracula non facitis : quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caueremus. *Lib. de vnitate Eccleſiæ, cap.* 19. Non dicant Donatiſtæ, verum eſt hoc, &c. quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius : aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant, & exaudiuntur; aut quia ille frater, aut ſoror tale viſum vigilans vidit, aut dormiens ſomniauit. Remoueantur iſta vel figmenta hominum, vel portenta ſpirituum : aut enim non ſunt vera; aut ſi Hæreticorum ſunt, magis cauere debemus. Ex *Matt.* 24. Dabunt ſigna magna, & prodigia: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. 2. *Cor.* 11. Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, &c. Nec nos dicimus nobis credi oportere, quòd in Eccleſia Chriſti ſimus : quia ipſam commendauit *Optatus, Ambroſius*, vel alij; aut quia noſtrorum Concilijs prædicta eſt; aut quia per totum orben in locis ſanctis quæ frequentat noſtra cõmunio, tanta mirabilia fiunt, &c. Quæcumque talia in Catholica fiunt; ideo ſunt approbanda quia in Catholica fiunt : non ideò ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. *Lib.* 20. *Ciu.* 19. Dubitat an Antichriſtus, vel eius corpus tandem erat in Eccleſia vel ipſa Eccleſia Dei. Ergo hæc non eſt ſtabiliter ſancta : nec ſanctitas eſt ſignum certum Eccleſiæ Dei.

3. Ex ratione. Vera ſanctitas eſt Fides, Spes, & Charitas, ſeu Gratia à Deo infuſa, & eius operatio : atqui neque hæc, neque vllum eius ſignum eſt certum in Eccleſia Dei; ergo ſanctitas non eſt ſignum certum veræ Eccleſiæ Dei. Confirmatur, quia vera Eccleſia poteſt eſſe ſine vllo Sancto aut ſanctitate : & vera ſanctitas ac veri Sancti poſſunt eſſe extra Eccleſiam. Nam vt *B. Aug. lib. de vera Relig. cap.* 6. Sæpè ſinit Diuina Prouidentia per carnalium hominum ſeditiones expelli de Chriſtiana Eccleſia etiam viros bonos.

*Reſp. Ad* 1. Scandala in Eccleſia, ſunt ſignum ſanctitatis eius, ſeu tam ſanctæ Doctrinæ & fidei : vt ex ea fideles ſcandalizentur, ſeu offendantur de omnibus quæ ſunt contra conſcientiam, fidem, & doctrinam publicam Eccleſiæ. Non tamen prædicit Chriſtus futuram vnquã defectionem à tota fide & charitate : ſed à numero & perfectione fidelium. Vt patet ex *Luc.* 18. *Matt.* 24. & *B. Aug. De vnitate Eccleſiæ, cap.* 15. *lib.* 20. *Ciu.* 8. *Credendum eſt, nec qui credant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos.* Nec Chriſtus venit vocare Peccatores, vt ſint, vel maneant tales : ſed *ad pœnitentiam*, ſeu vt per eam ſanctificentur. In quem finem tendit illa oratio *Matt.* 6. & Confeſſio peccatorum, 1. *Ioan.* 1.

*Ad* 2. Quia Donatiſtæ conueniebant in ſacra Script. ſed contendebant de vera Eccleſia, & gloriabantur de falſis Traditionibus, Concilijs, Sanctis, Reuelationibus, & Miraculis : *S. Aug.* prouocat eos ab his, ad ſacram Script. in ſenſu proprio, & expreſſo, de vera Eccleſia, in qua & pro qua ſola fiunt vera miracula. Ideoque ſubdit, eam non manifeſtari dubijs miraculis, ſed certis : quia illa habentur vera, quæ fiunt in & pro vera Eccleſia; falſa autem, quæ contra. *Lib.* 20. *Ciu.* 19. refert quorundam ſenſum in 2. *Theſſ.* 2. quòd Antichriſtus, vel eius corpus, ſedebit in Templo, vel in Templum Dei, quod eſt ipſa Eccleſia Chriſti : ſed videtur improbare ſub his verbis. *Mira eſt hæc opinantiũ tanta præſumptio.* Vel ſi hoc non referatur ad illud : non eſt ſenſus quòd Eccleſia Chriſti ſit defectura in Antichriſtum, vel Antichriſti. De qua Cap. 8. *Sicut inſtituta hîc fuit, & erit omni tempore, in ſuis vtique qui ſuccedant naſcendo morientibus, &c. Ne quis exiſtimet eo paruo tempore Eccleſiam non futuram, &c. Credendum eſt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad eam illo tempore defuturos.* Sed quòd Antichriſtus geret ſe pro Chriſto : & ei adhærentes, pro Eccleſia Chriſti. Alioquin ſeſſio Antichriſti in vera Eccleſia Chriſti, ſupponeret eam eſſe, & non eſſe. Nec poteſt intelligi de Eccleſia quæ fuit, ſed defecerit : contra *cap.* 8. Nec de non futuro tunc alio vero & notorio Papa, ſeu Vicario generali Chriſti in Eccleſia : ſed de eius & ei adhærentium vbique perſecutione ab Antichriſto; vt à Rege Angliæ, gerente ſe pro Capite Eccleſiæ Anglicanæ. Vnde hoc ipſum eſt ſignum veræ Eccleſiæ : pati hanc aut ſimiles perſecutiones.

*Ad* 3. Non eſt certa ſanctitas vllius hic determinati in Eccleſia: ſed aliquorum indeterminatè. Eſtq; certa & publica doctrina, profeſſio, & praxis veræ ſanctificationis in Eccleſia, per Sacramenta & bona opera, &c. Nec poteſt eſſe Eccleſia ſine aliquibus Sanctis .i. ſaltem fidelibus, & Deo gratis. Nec vllus poteſt eſſe Sanctus, quin ſit in vera



Digitized by Google

Eccleſia, & de ea, re, vel voto, & iure : licet error facti poſſit cenſeri extra. An verò peccatores etiam graues, & qui ſint in, vel de Eccleſia, ſub titulis ſequentibus.

## *De nomine & re Eccleſiæ Catholicæ.*

1. AB vniuerſitate hominum, bonorum & malorum, cuiuſuis nationis, pro quibus omnibus Eccleſia Chriſti inſtituta eſt, & per quas propagatur, abſque vllius exceptione & excluſione, vt in Synagoga. 2. Ab vniuerſitate temporum : abſque vlla limitatione aut ſucceſſione alterius Eccleſiæ, vt fuit Synagogæ. 3. Ab vniuerſitate ſeu totalitate ac integritate doctrinæ & fidei : ad cultum Dei præſentem, & ſalutem neceſſariæ 4. Ab hoc ipſo nomine tam communi & proprio ſolius veræ Eccleſiæ Chriſti: vt non poſſit ab vllis hæreticis vſurpari.

Ex *B. Aug. Lib. de vera Relig. cap. 6. Neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt Religio : ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes.* Cap. 7: *Hæc enim Eccleſia Catholica per totum orbem validè lateque diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos, &c. Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & eius Eccleſiæ communicatio quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verumetiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintuè ipſi quoque Hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant* : *Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur. Lib. contra Epiſt. Manichæi, cap.* 4. vt ſupra. *Lib. imperfecto in Geneſim, cap.* 1. Mater Eccleſia, Catholica dicitur : ex eo quia vniuerſaliter perfecta eſt, & in nullo claudicat, & per totũ orbem diffuſa eſt. *In Collat. 3. diei cap. 3.* Inter hæc etiam de Catholico nomine, apud quos potiùs eſſet, pauca ab vtraq; parte inuicem dicta, & obiecta ſunt, &c. Interlocutus eſt Cognitor, ſe interim ſine cuiuſquam præiudicio, non poſſe aliter appellare Catholicos, quàm eos appellauit Imperator. *Infra.* Donatiſtæ reſponderunt, non Catholicum nomen ex vniuerſitate Gentium, ſed ex plenitudine Sacramentorum inſtitutum : & petierunt vt probarent Catholici ſibi cõmunicare omnes Gentes. *Lib. 1. contra Gaudentium, cap. 33.* Audes dicere Eccleſiam Catholicam humanum eſſe figmentum ! *Lib. 2. cap. 11.* Dulcitius Tribunus tanquã homo militaris errauit : vt ei quem ſcit aut credit Hæreticum, diceret, *Per Religionem tuam.* Cùm hæreſis non Religio, ſed Superſtitio : Religio autem non in falſitate, ſed in veritate, propria locutione dicatur, &c.] Contra Hæreticos vſurpantes, & Catholicos idiotas eis deferentes nomen *Religionis. Lib. de vnitate Eccleſiæ, cap. 2.* Quæſtio inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia: quam maiores noſtri *Catholicam* nominarunt ; vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt, &c. *Epiſt. 48. ad Vincentium.* Dicis, *Quantùm ad totius mundi pertinet partes, modica pars eſt, in compenſatione totius mundi, in qua fides Chriſtiana nominatur.* Nec vis attendere in quàm multas iam barbaras Nationes tam paruo tempore venerit Euangelium, &c. ex *Matt. 24.* Acutum autem aliquid videris dicere, cùm Catholicæ nomen, *non ex totius orbis communione interpretaris : ſed ex obſeruatione omnium præceptorum Diuinorum, atque omnium Sacramentorum.* Quaſi nos (etiamſi fortè hinc ſit appellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cuius veritatis nonnullæ particulæ etiam in diuerſis inueniantur hæreſibus,) huius nominis teſtimonio nitamur ad demonſtrandam Eccleſiam in omnibus Gentibus ; & non promiſſis Dei tam multis, tamque manifeſtis oraculis ipſius veritatis. Sed perſuadere conaris, ſolos remanſiſſe Rogatiſtas qui Catholici rectè appellari poſſint, *ex obſeruatione omnium præceptorum Diuinorum, atque omnium Sacramentorum, &c.* Si autem vniuerſos *Donatiſtas* non audimus, ſe pro Eccleſia Chriſti ſupponentes : quantò minùs *Rogatiſtas*, aduerſus ipſam partem *Donati* : vnde pars *Rogati* breuiſſimum fruſtum, de fruſto maiore præciſum eſt. Vt & ſupra, *Lib. 1. contra Epiſt. Parmen. cap. 4. In Pſal. 21. In Eccleſia magna confitebor tibi.* Eccleſia magna, orbis totus eſt. Ad partem Africæ remanſiſſe, eſtne Eccleſia magna ? *In Pſal. 34. Confitebor tibi in Eccleſia magna : in populo graui laudabo te.* In iſta enim Eccleſia quæ toto orbe terrarum diffuſa eſt, palea eſt, & frumentum : palea volat, frumentum manet. Ideò in populo *graui* laudabo te. *In Pſal. 71. Dominabitur à mari vſque ad mare, &c.* De futura amplitudine Eccleſiæ Catholicæ. *In Pſal. 95. Iudicabit orbem terrarum in æquitate.* Non partem : quia non partem emit. Totum iudicare habet : quia pro toto pretium dedit, &c. *In Pſal. 65. Iubilate Deo omnis terra.* Nemo iubilet in parte : Catholica iubilet, Catholica totum tenet. Quicumque à toto præciſus eſt, vlulare vult, non iubilare. *In Collatione* 286. Catholicorum Epiſcoporum, præter 120. abſentes, & 60. defunctos : contra 279. Epiſcopos Donatiſtarum, *Die 3. c. 8.* Donatiſtæ oſtendere tentauerunt, quòd Eccleſia Dei non cum malorum commixtione futura prædicta ſit. Ad *Matt.* 13. Faſſi ſunt in Eccleſia eſſe permixtos, ſaltem occultos malos : zizania verò inter triticum, non in Eccleſia, ſed in mundo dixerunt. De area, & palea admixta tritico, reprehenderunt, ex *Ier.* 13. *Quid paleis ad triticum?* De ouibus & hœdis qui ſimul paſcuntur, & in fine ſæculi ſegregabuntur, attingere noluerunt. Neque enim poterant dicere, hœdos à Paſtoribus ignorari : ſicut dixerunt inter retia piſces malos in mari à Piſcatoribus non videri. De *Iuda* ipſe *Cypr.* intellexit vt Catholici : quòd Dominus *Iudam* ad exemplum malorum in Eccleſia tolerandorum, pertulerit. *Cap.* 9. Catholici reſponderunt eorum literis, oſtendentes multis SS. Script. malos in Eccleſia nunc eſſe permixtos, &c. non ſolùm in ea latentes, ſed etiam cognitos & toleratos, &c. Hoc ſignificaſſe, quòd in area fuerunt animalia munda,

Digitized by Google

munda, & immunda &c. Quòd vnum Templum fuerit, quo vniuerſi Iudæi vtebantur: nec vllus Prophetarum conſtituerit ſibi aliud templum &c. *Cap.* 10. Donatiſtæ autem ad id quod ſupra redierunt, dicentes, *Mundum non bene intelligi Eccleſiam*: Deinde calumniantes, *quòd duas Eccleſias Catholici dixerint.* Catholici reſponderunt, *Eandem ipſam vnam Catholicam Eccleſiam nunc habere malos permixtos, tunc nō habiturā &c.*] Vt per omnes libros contra Donatiſtas: De Eccleſia præſente, non ſolum Iuſtorum, ſed etiam grauium & publicorum Peccatorum; quia hæreſis Donatiſtarum erat, quòd vera Eccleſia non ferat Peccatores, aut ſaltem graues & publicos, ſed eorum toleratione & mixtione pereat. Vnde non poteſt dubitari quin *B. Aug.* tales etiam peccatores in vera Eccleſia eſſe fateatur: idque etiam pertinere ad rem & nomen Catholicæ. De vniuerſitate autem temporum, ſeu eiuſdem continua ac indefectibil ſucceſſione: infra, ſub titulo Indefectibilitatis.

*Contra nomen & rem Eccleſiæ, vt Catholicæ.*

1. EX ſacra Script. *Luc.* 12. Nolite timere puſillus grex. *Matt* 20. Multi ſunt vocati, pauci verò electi.

2. Ex *B. Aug. Lib.* 1. *De Bapt. cap.* 16. Eccleſia quæ peperit *Abel*, & *Enoch*, ipſa & omnes bonos Chriſtianos. Quæ peperit *Cain*, eadem & *Iudam* &c. *Cap.* 17. Semper ab illius Eccleſiæ, quæ ſine macula & ruga eſt, vnitate diuiſus eſt, etiam qui in congregatione SS. carnali obduratione miſcetur &c. Spirituales autem non eunt foras. *Libro.*6. *cap.* 1. Secundùm præſcientiam Dei, ſicut multæ oues errant exterius: ita multos lupos inſidiari interius. *Cap.* 3. Malos non pertinere ad Sanctam Eccleſiam Dei, quamuis intus eſſe videantur. *Cap.* 24. Si in Petra eſt Eccleſia: qui ſuper arenam ſunt, quia extra petram ſunt, profectò extra Eccleſiam ſunt. *Lib.*2. *contra Petil. cap.* 108. Non ideo putandi ſunt eſſe in Chriſti Corpore, quod eſt Eccleſia: quia Sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus Sancta ſunt: ipſi autem non ſunt in illa Eccleſiæ cōpage &c. Illa quippe Eccleſia in *Petra* eſt, *Matt.* 16. Illi autem in *arena* ædificant, *Matt.* 7. Sed nè putes Eccleſiam quæ in Petra eſt, non diffundi vſque ad fines terræ: audi, *Pſal.* 60. *A finibus terræ te ad clamaui.* Sic & *Lib. de vnit. Eccleſiæ c.*21. *Lib.*19. *Ciu. cap.*7. Diabolus non eſt ſeducturus gentes, ex quibus prædeſtinata conſtat Eccleſia. *In Pſal.* 131. In his eſt domus Dei, quos prædeſtinauit & præſciuit perſeueraturos. *Tract.* 25. *in Ioan.*10. *Oues eius vocem eius audiunt.* Nouit Dominus qui ſunt eius &c. Ipſæ Oues aliquando ſe neſciunt: ſed Paſtor nouit eas &c. Secundùm præſcientiam Dei & prædeſtinationem, quàm multę Oues foris, quàm multi Lupi intus?

3. Eccleſia non potuit eſſe Catholica ab initio, nec re, nec nomine: Ergo hoc non eſt ſignum veræ Eccleſiæ; quia erat vera priuſquam eſſet, aut diceretur Catholica. Deinde poteſt deficere ab hac re, & nomine: nec tamen à vera Eccleſia. Vt patet ex eius ſtatu præſenti, & tandem ſub finem mundi futuro.

*Reſp. Ad* 1. De puſillo grege, & paucitate humilium ac Electorum ad gloriam: ſed de multitudine vocatorum, & conuocatorum ad Eccleſiam; à qua vocatione ipſa Eccleſia ſic denominatur. Poſſet etiam intelligi de puſillo grege Eccleſiæ originalis: & de paucitate Electorum, ſeu venientium ad fidem & Eccleſiā, cōparatione vocatorum non venientium. Sed Hæretici ſolent hinc gloriari de ſua paucitate, donec multiplicentur, & glorientur de multitudine. Vt patet ex *B. Aug. lib. de vnitate Eccleſiæ cap.*7. Quid eſt hæretici, quod de paucitate gloriamini? *Chriſtus traditus eſt ad mortem, vt hæreditate multos poſſideret, Eſa* 53. *&* 54. *Multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum* .i. Eccleſiæ magis quàm Synagogæ. Comparent Hæretici multitudinem ſuā in Africa, cum multitudine Iudæorum per omnes terras: & videant quàm ſint in illorum comparatione pauciſſimi &c. Comparent multitudinem Chriſtianorum per omnes gentes: & videant quàm pauci ſint in cōparatione omnes Iudæi &c. *Cap.*8. Ex *Pſal.* 2. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam omnes fines terræ. Pſal.* 21. *Conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ. Pſal* 18. *In omnem terram &c. Pſal.* 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ: Omnes gentes ſeruient ei &c. Fiat fiat.* Ite nunc Donatiſtæ, & clamate: *Non fiat, non fiat.* Vicit vos verbum Dei, dicens *Fiat, fiat. Cap.* 9. Reſpondent, cùm cœpiſſet per orbem creſcere Eccleſia: noluerunt homines perſeuerare, & defecit ex omnibus gentibus Chriſtiana Religio, excepta parte *Donati.* Quaſi verò neſcierit Spiritus Dei futuras hominū voluntates. Cur ergo non hoc potiùs prænunciauit? Hoc enim modo quo ipſi putant, quiſquis voluerit, poteſt eſſe Propheta: vt cùm ea quæ prædixerit, non fuerint impleta, reſpondeat, Homines noluerunt. *Cap.* 10. *ex. Luc.* 24. *Sic oportebat Chriſtum pati, & prædicari in nomine eius per omnes Gentes, incipientibus ab Hieruſalem &c.* Teneamus ergo Eccleſiam ex ore Domini deſignatam: vnde cœptura, & quouſque peruentura &c. *Cap.* 11. *Ex Act.* 1. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & vſq; in totam terram &c.* Ecce & hîc vnde cœptura, & quouſque peruentura Eccleſia. *Cap.* 13. Et iſta, inquiunt, credimus. Enoch *Gen.*5. inter omnes homines Deo placuit. *Gen.*7 Solus Noe cum coniuge, filijs, & nuribus ſuis in Arca meruit liberari. *Gen.* 19. Loth ſolus, cum Filiabus ſuis de Sodomis liberatus fuit. *Abraham Iſaac, Iacob.* pauci fuerunt: cæteri idolis dediti. 3. *Reg.* 10. Duæ ſolæ Tribus adhæſerunt *Salomoni* &c. *Ioan.*6. Diſcipulis 72. apoſtatantibus, ſoli 12. Apoſtoli cum Chriſto remanſerunt. His ſuam paucitatem commendare conantur &c. Ecce nos illa credimus: credant & ipſi prædicari in nomine Chriſti pœnitentiam per per omnes Gētes, incipientibus ab Hieruſalem &c. Et iſta, inquiunt, *credimus, & completa eſſe confitemur: ſed poſtea Orbis terrarum apoſtatauit, & ſola remanſit Donati communio.* Hoc nobis legant, ſicut le-

gunt de *Enoch*, &c. Sed quia ſe duabus illis tribubus comparant, &c. In Iſrael fuerunt etiam SS. Prophetæ: vt *Elias*, cui dictum eſt 3. *Reg.* 11. Reliqui mihi 7000. virorum, qui non curuauerunt genua ante *Baal*. Ideo nequaquam pars illa populi tanquam hæreſis fuiſſe deputanda eſt. Deus enim eaſdem Tribus iuſſerat ſeparari: non vt Religio, ſed vt Regnum diuideretur,&c. Deus autem nunquam iubet ſchiſma aut hæreſim fieri, &c. *Cap.* 14. Ipſos paucos *Donatiſtæ* ſe putant eſſe, &c. quibus longè pauciores *Rogatiſtas*, aut *Maximianiſtas* obijcimus. *Cap.* 15. De nobis, inquiunt, dictum eſt, *Erunt primi qui erant nouiſſimi.* Nonne iſta eſt Hæreticorum, cauenda calliditas? &c. Ita de apoſtaſia orbis terrarum: *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Quod nos intelligimus, vel propter fidei perfectionem, vel propter abundantiam iniquorum, vel paucitatem Bonorum, &c. Miror iſtos non attendere, quaſi Africa non ſit terra, &c. *Cap.* 17. Dicunt iam eſſe completum illud *Luc.* 24. quod cùm completum fuerit, veniet finis, &c.]

Sed *Epiſt.* 48. In illud, *Putas inueniet fidē in terra*: Dubitatio, inquit, cuncta ſcientis, noſtram in illo dubitationem præfigurauit, &c.] Ex quibus patent, etiam hodierni cuniculi, ſeu latebræ vulpium hæreticarum: & quaſi ars venandi ac increpandi *feras calami*, ſeu arundinis .i. latitantes in ſacris Scripturis.

*Ad* 2. *B. Aug.* ſeipſum ſatis explicat, *lib.* 7. *de Baptiſmo, c.* 51. Puto alios ita eſſe in Domo Dei, vt ipſi etiam ſint eadem Domus Dei, &c. Quæ Domus etiam Claues accepit, *Matt.* 16. Hæc quippe eſt in bonis fidelibus, & Sanctis Dei ſeruis vbique diſperſis, & ſpiritali vnitate deuinctis in eadem communione Sacramentorum, ſiue ſe facie nouerint, ſiue non: Alios autem ita dici eſſe in Domo, vt non pertineant ad cōpagem domus, nec ad ſocietatem fructiferæ pacificæque iuſtitiæ; ſed ſicut eſſe palea dicitur in frumentis, &c. Ex hoc numero innumerabili diruptis retibus hæreſes & ſchiſmata exiſtunt, in eis qui iam magis ex domo, quàm in domo eſſe dicendi ſunt. 1. *Ioan.* 2. Ex nobis exierunt, &c. *Tract.* 3. *in* 1. *Ioan.* 2. Sunt qui ſic ſūt in corpore Chriſti, quomodo humores mali: quando euomuntur, tunc releuatur corpus. Sic & mali, quando exeunt, tunc Eccleſia releuatur, & dicit quando eos euomit: Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. Si enim fuiſſent ex nobis: permanſiſſent vtique nobiſcum. Hinc multi qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum Sacramenta, &c. Quando illis tentatio venerit, volant foras: quia grana non erant.] Non quòd nullæ partes huius Domus aut Corporis Eccleſiæ, priùs verè vnitæ, poſt corrumpantur: ſed non partes principales, & formales, nec finaliter, vllæ prædeſtinatæ. In quem ſenſum reliqua omnia coincidunt. Non enim negat veram & realem vnionem præſentem, ſed æternam, eorum qui temporaliter & finaliter ſeparantur. Nec negat eos qui non ædificant bona opera ſuper Petra, ſed vana ſuper arena, fuiſſe vnquam de vera compage Eccleſiæ præſente, ſed æterna: qui hoc ipſo corrumpuntur, & paulatim à compage Eccleſiæ recedūt, quo non ſupra firmā petram Eccleſiæ & fidei ædificant ſeu operantur, ſed ſuper arena inſtabili propriæ opinionis & voluntatis.

*Ad* 3. Eccleſia fuit ab initio Catholica, inſtitutione, & fine, vt eſſet Catholica, re & nomine. Vt patet ex illo *Matt. vlt.* Euntes, baptizate omnes Gentes, &c. Nec poteſt deficere ab hac ordinatione & vera denominatione: quamuis inæqualiter actu. Nec cenſenda eſt ab actuali extenſione defeciſſe: ſed ſucceſſiuè, imò & ſimul profeciſſe ad plures Nationes quàm vnquam, etſi fortè non ad plures numero Perſonas. Vt patet ex eius profectu per totum nouum Orbem, ſine totali defectu ab vlla natione huius Orbis. De quo plura ſub titulo indefectibilitatis.

## *De nomine & re Eccleſiæ Apoſtolicæ & Romanæ.*

1. A Prima & continua eius propagatione per Apoſtolos. 2. Ab aggregatione, ſeu fundatione ſuper Apoſtolis & Prophetis, *ipſo ſummo angulari lapide Chriſto* Iesv. 3. A miſſione, commiſſione, & continua ſucceſſione totius hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ab Apoſtolis. 4. Antonomiſticè à primatu *S. Petri*, & Succeſſorum eius in Eccleſia Romana: & ab aggregatione ac ſubordinatione omnium Eccleſiarum ad Romanam, non autem ab vlla limitatione, aut dependentia à loco.

Ex *B. Aug. Lib.* 11. *contra Fauſt. cap.* 2. Vides in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas: quæ ab ipſis fundatiſſimis Sedibus Apoſtolorum, vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. *Lib.* 2. *contra Petil. cap.* 51. Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ: in qua *Petrus* ſedit, & in qua hodie *Anaſtaſius* ſedet; vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua *Iacobus* ſedit, & in qua hodie *Ioannes* ſedet; quibus nos hodie in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ, *Cathedram Apoſtolorum*? Numquid Chriſtus, *Matt.* 23. Cathedram *Moyſi* commendauit? *Lib.* 2. *contra Creſconium cap.* 37. Vos ſecundùm veſtrum errorem, vel potiùs furorem, accuſare cogimini & illas *Eccleſias*, quas in *Script*. Canonicis pariter legimus: non ſolùm *Romanorum*, quò ex Africa ordinare ſoletis paucis veſtris *Epiſcopum*; verùm etiam *Corinth. Gal. Eph. Theſſ. Philip. Hieroſol. &c.* tanquam perierint ex peccatis Afrorum, accuſare cogimini. *Lib.* 1. *contra Iul. cap.* 4. Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo Martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem *B. Innocentium* ſi audire voluiſſes: iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis reſpondere Concilijs: niſi quòd antiquitus Apoſtolica ſedes, & Romana cum cæteris perſeueranter tenet Eccleſia. Et tamen eius ſucceſſorem crimine præ-

Digitized by Google

præuaricationis accuſas: quia Doctrinæ Apoſtolicæ, & ſui Deceſſoris ſententiæ noluit refragari &c. Non eſt cur prouoces ad Orientis Antiſtites: quia & ipſi vtiqui Chriſtiani ſunt; & vtriuſque partis terrarum fides iſta vna eſt, quia Chriſtiana eſt. Et te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Eccleſia &c. Nunquid Manichæa fuit, quando iſto modo te peperit, quo iam non vis vt pariat? *Libro de vnitate Eccleſiæ cap.* 12. Quis deleuit Eccleſias Apoſtolico labore fundatas? Vos ſolas Apoſtoli Epiſtolas in lectione: nos autem Epiſtolas in lectione ac fide, & ipſas Eccleſias in communione retinemus. *C.* 17. Tenent Eccleſiæ Apoſtolico labore fundatæ, cum quanta cura ſibi prædictum ſit, *Gal.* 1. *Si quis vobis Euangelizauerit præterquàm quod accepiſtis, Anathema. In Pſal.* 44. Quotquot Apoſtoli genuerunt: non *Paulianos*, aut *Petrianos*, ſed Chriſtianos nominauerunt; quia ſemen illud ſuſcitauerunt fratri ſuo, *Deut.* 25. Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore templum *Romuli*: in quanto ibi oſtendo memoriam *Petri*. In *Petro* quis honoratur: niſi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Chriſtiani, non *Petriani*: etſi nati per fratrem defuncti, tamen cognominati nomine Defuncti, per illum nati, ſed illi nati, &c. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij* .i. Genuerunt te Apoſtoli, &c. Ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? Abſit, &c. Pro Apoſtolis Filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi, &c. De prole tua tibi creuit paternitas. *In Pſal.* 86. Fundaměta eius, &c. *Eph.* 2. Superædificati, &c. Angulus in fundamento eſt, &c. Vt Chriſtus dicitur Sanctus Sanctorum: ſic figuratè, Fundamentum fundamentorum, &c. Quare ſunt fundamenta Apoſtoli & prophetæ? Quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtrã. Quare ſunt portæ? Quia per ipſos intramus ad regnum Dei. Vna porta Chriſtus, & 12. portæ Chriſtus: quia in 12. portis Chriſtus. *In Pſal.* 126. *Sicut ſagittæ in manu potentis: ſic filij excuſſorum.* De arcu excutiuntur ſagittæ: & quãto fortior excuſſerit, tantò longiùs vadit ſagitta. Quid autem fortius Domino excutiente de arcu mandati Apoſtolos ſuos? *Tract.* 2. *in* 1. *Ioan.* 2. Nemo dubitat de Eccleſia, quia per omnes gentes eſt, quia ab Hieruſalem cœpit &c. Cùm dicimus: ſi Chriſtiani Catholici eſtis, communicate illis Eccleſijs, vnde Euangelium toto orbe diffũditur &c. Reſpondent: *Non communicamus ei Ciuitati, vbi occiſus eſt Rex noſter &c.* Pij homines: multum dolent occiſum eſſe Chriſtum, & occidunt in hominibus Chriſtum. At ille dilexit illam Ciuitatem, & miſertus eſt eius. Inde dixit incipere prædicationem ſuam. Vbi inchoata eſt Eccleſia, niſi vbi venit de cælò Spiritus Sanctus? Vbi ergo omnes linguæ ſonuerunt, omnes linguæ crediturae oſtendebantur. Iſti autem ſic honorant Chriſtum: vt dicant illum remanſiſſe ad duas linguas, Latinã, & Punicam. *Epiſt.* 86. Non tantùm Orientis Populos Chriſtianos: verùm & ipſam Eccleſiam Romanam incautus & improuidus accuſat &c. Petrus Romanos docuit: quorum fides annunciatur vniuerſo orbi. *In Pſal. Abecedario.* Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in illo ordine Patrum, quis cui ſucceſſerit videte. Ipſa eſt *Petra* quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. 1. *Retr.* 21. Scio me ſępiſſimè expoſuiſſe de Chriſto &c. Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat Lector. *Lib de Pecc. Orig. cap.* 8. Pelagius feſellit iudicium Palæſtinum: Romanam verò Eccleſiam, vbi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere non potuit. Recoluit enim B. Papa Zozimus, quid imitãdus Prædeceſſor eius *Innocentius* de ipſis ſenſerit geſtis. Attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides. *Lib.* 2. *contra duas Epiſt. Pelagij, cap.* 3. Pelagiani ſpe falſa ſperauerant nouum & execrabile dogma perſuaderi poſſe quorundam Romanorum Catholicis mentibus. *Epiſt.* 161. Manifeſtum eſt nos omnibus Eccleſijs Apoſtolicis hodie communicare: ſicut vos iſtis Eccleſijs non communicare. *Epiſt.* 162. In Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus. *Epiſt.* 165. Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt: quantò certius & verè ſalubriter ab ipſo *Petro* numeramus? *Petro enim ſucceſſit Linus, Clemens, Anacletus, Euariſtus, Alexander, Sixtus, Theleſphorus, Iginus, Anicetus, Pius, Sother, Eleutherius, Victor, Zepherinus, Calixtus, Vrbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Xiſtus, Dionyſius, Felix, Eutichianus, Gaius, Marcellinus, Marcellus, Euſebius, Milchiades, Sylueſter, Marcus, Iulius, Liberius, Damaſus, Siricius, Anaſtaſius.* In hoc Ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur.] Plura ſub titulo Papæ.

## *Contra hoc ſignum veræ Eccleſiæ, vt eſt Apoſtolica.*

CHriſtus elegit, miſit, commiſit, & promiſit idẽ omnibus Apoſtolis: ergo & omnibus Eccleſijs Apoſtolicis. Quibus *S. Aug.* ſupra, videtur deferre æqualem certitudinem: imò & præferre Eccleſiam Hieroſolimitanam. Quod ſi Romana cenſenda ſit antonomaſticè Apoſtolica: cur non potiùs aut ſaltem æquè à *S. Paulo*, qui antonomaſticè dicitur Apoſtolus, quàm à *S. Petro*? Cùm ipſe Papa in Concilijs, & extra ſoleat proteſtari ſe procedere ex authoritate Apoſtolica *SS. Petri & Pauli*: & *S. Leo* Papa Serm. 1. de Natali *SS. Petri & Pauli*, æquè tribuat *S. Paulo* ac *S. Petro* dignitatem Eccleſiæ Romanæ; *S. Chryſ. Serm. in Epiſt. ad Rom.* preferat etiam *S. Paulum*, aut ſaltem prænominet; *S. Aug.* eos inter ſe pares cenſere videatur, in poteſtate Apoſtolica. Vt *Serm.* 26. *de diuerſis.* Nunquid iſtas claues *Petrus accepit*, *Matt.* 16. & *Paulus* non accepit? Aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claues? *Serm.* 29. *de Sanctis* qui eſt 5. de *SS. Petro & Paulo.* Hodie duos Chriſtiani nomine fundatores feſta concelebrant. Et ante omnes *Tertull. lib. de præſcript.* Fœlix Eccleſia Romana: cui totam Doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt &c.

Reſp.

Digitized by Google

non tantùm quædam illorum, ſed & duæ Epiſtolæ *Clementis*, pro Canonicis habentur; nec citantur ab antiquis pro Canonicis. De libro 3. *Eſdræ* eſt difficultas: quia noſter primus & ſecundus, eſt Græcis primus; ideoque hi ſub ſecundo videntur continere noſtrum tertium. Sed nec Codices Hæbræi, nec Græci correctiores habent tertium: nec ex tertio quicquam prælegitur in Eccleſia; imò *Gelaſius* vnicum recipit, ſed vt Græci ſub vnico noſtros duos priores continet. Hymnus triũ Puerorum, hiſtoria *Suſannæ* & Draconis, ſunt partes *Danielis* Prophetæ, fueruntque ſemper in Eccleſia celebres: ergo meritò pro Canonicis habentur. De Cap. vlt. *Marci*, Sudore ſanguineo Chriſti, *Luc.* 22. hiſtoriâ Adulteræ, *Ioan.* 8. Epiſtolâ ad *Hebræos, Iacobi, Iudæ*, ſecunda *Petri*, ſecunda & tertia *Ioan.* & *Apocalypſi*, non eſt ratio dubitandi: Quia vel ſoli Hæretici reuocant, aut reuocarunt in dubium; vel pauci olim Catholici, ex leui ratione, needum habuerunt pro Canonicis; ſed tota Eccleſia ſemper eis vſa fuit vt ſacris, & tandem in Canone expreſſit. Vt patet ex *B. Aug. Lib. 1. de pec. mer. & rem. cap.* 27. de Epiſt. ad Hebræos. *Quamuis*, inquit, *nonnullis incerta ſit: magis me mouet authoritas Eccleſiarum Orientalium, quæ hunc etiam in Canonicis habent*. i. *Magis* quàm illi *nonnulli* anonimi: non autem magis quàm Eccleſia Latina, quæ ſaltem poſt Græcas hanc in Canonem recepit.

Nec obſtat quòd *S. Hier.* Præfat. in *Danielem* vocet Fabulam *Suſannæ* & Draconis, *Dan.* 13. & 14. In Prologo galeato, & Præf. in Prouerbia, neget libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, *Iudith*, *Tobiæ*, Paſtoris, & Machabæorum eſſe Canonicos, & Dogmaticos. Præf. in *Iudith* cenſeat eſſe hagiographum, non dogmaticum. Cùm tamen *Diſt.* 15. *Cap.* 3. *Sancta Romana Eccleſia*, plurimum deferat *S. Hieronymo*, in diſcernendis ſacris Script. Quia *S. Hier. Præfat in Iudith*, refert Synodum Nicænam hunc librum in numero ſanctarum Scripturarum computaſſe: ergo alibi non negat, niſi de Canone Iudæorum, vel ante Nicænum; vel diſtinguit inter ſanctas Scripturas, & Canonicas, vt priùs fuerint receptæ in Sanctas, quàm in Canonicas & Dogmaticas. Sed potuerunt poſt *Hieronymum*, vt & alia plura, canonizari, ſeu definiri. Nec *diſt.* 15. *cap.* 3. Sancta Romana Eccleſia, defert *S. Hieronymo* diſcretionem Scripturarum Canonicarum: ſed Scriptorum Eccleſiaſticorum. In *Danielem*, vel refert *Porphirium* vocaſſe fabulas, vel per has intelligit hyſtorias morales.

*Ad* 3. Veritas editionum, & tranſlationum, nec diſcordat, nec obeſt, ſed prodeſt veritati: ex earum inter ſe collatione, & relatione, ad ſenſum verum. Nam editio originalis plærorumque librorum veteris Teſt. Hebraica; *Iudith, Eſdræ*, & *Danielis*, fortè Chaldaica; *Machabæorum*, *Eccleſiaſtici*, Euangelij *S. Matt.* & Epiſtolæ ad Hebræos, fortè Syriaca; reliquorum autem omnium Græca: per varias tranſlationes Græcas & Latinas ſine contradictione, poteſt illuſtrari, & à corruptione præſeruari aut reſtitui. Sed vt Eccleſia Latina fuit, & eſt conſtantior in fide Chriſti: ſic & in ſua antiqua vulgata editione, & tranſlatione ſacræ Scripturæ, ex originali Hebraica & Græca. Nec *Trid.* huius approbatione & definitione, improbauit originales: ſed hanc vt propriam & communem Eccleſiæ Latinæ, noluit à perfidia Iudæorum, & fraudibus expertis Græcorum Schiſmaticorum dependere; nè vt olim Arrianiſmus, ſic vlla noua hæreſis poſſit ex ignorantia illarum linguarum, & aliqua æquiuocatione ſubrepere. Quod nullatenus eſt contra authoritatem originalium, & tranſlationis 70. ac regulas *S. Auguſtini* ſupra: quia hæ ſupponunt illorum integritatem, & Græcæ Eccleſiæ in fide ac vnitate Catholica conſtantiam. Nec vt *B. Aug.* cenſuit tranſlationem græcam 70. ex hebræis originalibus fuiſſe canonicam: ſic & Eccleſiam Græcam, & Scripturas Hebraicas ac Græcas, vel hanc tranſlationem 70. incorruptibilem ac indefectibilem, vel æquè ac Latinã. Vt patebit infra ex indefectibilitate ſolius Eccleſiæ Latinæ ſeu Romanæ, eique adhærentium. Imò ſi potuit illa tranſlatio 70. ſub Synagoga, cenſeri tantæ authoritatis, non ſolùm à *S. Aug.* ſed etiam à *S. Hier.* totaque Eccleſia Chriſti, excepto dubio facti, de ſingulorum 70. aut binorum, aut plurium, aut omnium ſimul interpretatione: quantæ potiùs authoritatis cenſenda eſt noſtra antiqua & vulgata editio latina, quam *B. Aug.* ſupra Italam vocat, à ſacro Conc. *Trid.* & generali definita?

*Ad* 4. vt *Ad* 1. Nam cuius eſt diſcernere veras Scripturas Canonicas à falſis, vel apocriphis: eiuſdẽ eſt diſcernere verum ſenſum à falſis. Non eſſe autem Spiritus priuati & incerti, ſed certi & ordinarij in Eccleſia Dei: patet ex *Matt.* 2. vbi *Herodes* congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt, &c. *Matt.* 18. Si Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Matt.* 23. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c. *Luc.* 8. Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Cœlorum: cæteris autem in parabolis. *Ioan.* 11. Coegerunt Pontifices & Phariſæi Conc. &c. Vnus autem ex ipſis *Caiphas* nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis, &c. Expedit vt vnus moriatur homo pro populo. Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, &c. *Act.* 1. Exurgens *Petrus* in medio Fratrum, dixit, &c. Viri Fratres, oportet impleri Scripturam, &c. Oportet ergo teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, &c. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper *Matthiam*. Quæ eſt quædam explicatio & applicatio illius ſacræ Script. vt & plurium aliarum, *c.* 2. 3. 4. &c. *Cap.* 15. Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria; &c. Quæ eſt etiã explicatio legis & Euangelij. Sed pluribus infra de Eccleſia, Traditione, Papa, & Concilijs. [Monitio autem ſcrutandi Scripturas, *Ioan.* 5. & laus eas legentium, *Act.* 17. eſt ad eos qui needum credebant Chriſto, ſed Scripturis ſacris: vt ex eis diſcerent Chriſtum; non autem ad credentes Chriſto & Eccleſiæ, vt adhuc quærant fidem ex Scripturis, niſi ad aliquam confirma-

Digitized by Google

firmationem. Vt *Tert.* ſupra. Nec S. Chryſ. monet omnes promiſcuè ad lectionem ſacræ ſcript. vt fidei & ſaluti neceſſariam: ſed ſolos capaces, & potiùs ad earum memoriam & praxim moralem, quàm ad lectionem & fidem. Promiſſio illa ordinaria, non eſt facta ſingulis: ſed Eccleſiæ, & per eam omnibus fidelibus, ſed extraordinariè quibuſdam in Eccleſia. Vel non eſt promiſſio doctrinæ intelligendi ſacras ſcripturas: ſed gratiæ credendi & benè operandi. Vel non eſt de legendo & intelligendo ſacras Script. ſed de audendo Verbo Dei prædicato. Vt *Rom.* 10. Fides ex auditu: Auditus per verbum Dei. Vel de audiendo & intelligendo Verbo Dei interno & externo, quaſi à ſolo Deo ſeu prima Veritate, per quemlibet loquente & docente. Vel de quibuſdam gratijs gratis dandis. Vel de donis potiùs patriæ, quàm huius viæ. Vel de conſolatione & confortatione in fide, per quandam experientiam internam, & teſtimonium bonæ conſcientiæ. Nec ſacra Script. eſt lucerna lucens niſi obſcurè: nec ſufficiens ad omnes, de omnibus, aut etiam neceſſarijs illuminandos, per collationem ſui totius; quia licet hæc ſit optima interpretatio, tamen eſt plæriſque difficillima. Cumque plùres indè ſenſus occurrere poſſint: nullus poteſt eſſe certus ex ſolo iudicio humano; nec vllus eſt certus de priuato Spiritu Diuino. De quo Hæretici inter ſe præſumunt & gloriantur: ſed nullus audet de ſeipſo. Quia niſi quis ſtudioſè didicerit, facilè & promptè conuincitur de errore, propoſito duplici textu ſimili, altero ex libro Canonico, altero non: inter quos non poterit diſcernere; vel propoſito loco difficiliori quàm vt poſſit explicare. Hinc nec *Art.* 4. ſuæ confeſſionis audent negare conſenſum communem Eccleſiæ ad diſcernendos libros Canonicos: ſed præferunt teſtimonium & interiorem perſuaſionem Spiritus S. Quam nec audent niſi implicitè ſibi ſingulis arrogare. *Nos cognoſcimus,* inquiunt .i. omnes & ſinguli profeſſores huius Articuli: *hos libros eſſe Canonicos; non tam ex communi conſenſu Eccleſiæ, quàm per teſtimonium Spiritus S. &c.* Quaſi comparatiuè: ſed reuera negatiuè. Quia negant præfuiſſe veram Eccleſiam notoriam, continuam, & infallibilem: à qua Libros Canonicos didicerint; Ergo nonniſi à Synagoga, vel à ſua Eccleſia inuiſibili & vniuerſali Porphyriana. Quæ autem nunc fides Synogogæ, vel audentia Eccleſiæ inuiſibilis? Quod enim hinc indè ex Patribus aut hiſtorijs colligāt hunc aut illum librum aliquando, alicubi, aut aliquibus fuiſſe vel necdum fuiſſe Canonicum: Quid præiudicat veræ Eccleſię quin eum potuerit & poſſit Canonizare, ſeu à non Canonicis diſcernere? Cùm ipſi tam Neoterici idipſum deferant Synogogæ, & etiamnum Spiritu priuato præſumant: tum illis primis verbis, *Nos cognoſcimus &c.* tum his vltimis, *Qui Spiritus S. facit nos eos diſcernere.* Vnde & *Art.* 5. profitentur ſacram Script. ſingulis ad fidem & ſalutem ſufficere: vtique non niſi ex illa præſumptione ſpiritus priuati. Vt tamen. 1. *Cor.* 12. Pſeudo-Apoſtoli transfigurabant ſe in Apoſtolos, & Satan in Angelū Lucis: Sic & Samuel inuerſus, ſeu Elymas ſupra. 1. Negando ſe ſuoſque profiteri ſufficientiam ſacræ Script ſine vſu rationis aut ex ſolo Spiritu priuato. 2. Fatendo Eccleſiam poſſe eſſe aliquod motiuum externum credendi: ſed motiuum internum eſſe lumen fidei. 3. Profitendo fidem noſtram de ſacra Script. pendere à teſtimonio interno Spiritus S. *per eandem ſcripturam efficacis.* 4. Negando Eccleſiam eſſe motiuum ſeu obiectum formale, & terminatiuum, in quod fides ſacrę Script. vltimò reſoluatur, ſeu propter quod ſacræ Script. credatur. 5. Diſtinguendo *B. Aug.* conſideraſſe authoritatem Eccleſiæ ad credendum, non in actu quodam ſignato, ſed tantùm in actu exercito. Sed hæc eſt tantùm larua, non vera facies Catholica & Scholaſtica.

1. Quia *Art.* 5. Appellant *ab antiquitate, conſuetudine, multitudine, Sapientia, Concilijs, Miraculis, Traditionibus &c. ad ſolā Sacram Script. vt regulā totius veritatis & reformationis, continentem omnia neceſſaria ad cultum Dei, & ſalutem.*

2. Si Eccleſia eſt fallibilis, quomodo erit certum motiuum credendi? 3. Quid eſt fidem noſtram de ſacra Script. pendere à teſtimonio interno Spiritus S. per eandem Script. efficacis: niſi tribuere totam certitudinem noſtæ fidei Spiritui priuato legentium Sacras Script. vel infallibiliter aſſiſtenti ſoli Sacræ Script. non autem Eccleſiæ proponenti ac explicanti? Cùm tamen hæretici ex eadem Script. ſenſus inter ſe contrarios eliciant. Ergo nec vero Spiritu ſingulis interno, nec aſſiſtente infallibiliter ſacræ Script. & per eam efficaci: niſi ſolis electis, & eodem Spiritu ſingulis priuato & ſecreto, ſed inter ſe ſolos communi, afflatis. In quam tandem ſecretam electionem Dei reſoluunt omnem efficaciam & certitudinem ſacræ Script. & Sacramentorum: vt ſolis electis proſint ad fidem & ſalutem. Quaſi ex illo 2. *Cor.* 4. Si opertum eſt Euangelium noſtrum, in ijs qui pereunt eſt opertum. 1. *Ioan.* Exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis. Cùm illud non ſit de Euangelio ſcripto, ſed fruſtra prædicato propriâ malitiâ excæcatis: Hoc autem non neget defectum à vera fide & gratia præſente, ſed ab æterna prædeſtinatione. 4. Diuertit & refugit ab illo ſuo ſuorumque errore, ad Doctrinam noſtram Scholaſticam, de obiecto formali, motiuo & terminatiuo noſtræ fidei. Quaſi hoc tribueremus Eccleſiæ: cū nec tribuamus ſacræ Script. nec vlli motiuo externo credendi: ſed ſoli primæ Veritati, Veracitati, aut reuelationi Dei. 5. Abutitur diſtinctione ſcholaſtica, de *actu ſignato, & exercito*: quaſi *B. Aug.* tribuat *Eccleſiæ* ſolam poteſtatem in actu ſignato, non in actu exercito, tradendi, diſcernendi, & interpretandi ſacram Script. Quæ diſtinctio cùm ſoleat potiùs applicari modis loquendi, quàm agendi: videtur Eccleſiæ tantùm deferre titulum ſine re, ſignum ſine ſignificato, poteſtatem ſine vſu ſeu exercitio, vel vt Synagogæ ſolam Literam ſine Spiritu Sacræ Script. Vt euadat circulum ſeu circuitum Impiorum inter Eccleſiam, ſacram Script. & Spiritum priuatum. Sed quaſi in quodam Labyrintho ſeipſum proprijs verborum ambagibus inuoluit. Nos autem facilè euoluimur, deferendo veræ Eccleſiæ Catholicæ certitudinem infallibilem tradendi, diſcer-

cernendi ac interpretandi ſacram Script. Hinc autem,vel potiùs Verbo Dei, ſiue ſcripto,ſiue tradito, & per Eccleſiam interpretato, certam & infallibilem ſignificationem veritatis reuelatæ, & reuelantis. Quæ ſola eſt ratio formalis credendi ſibiipſi, & omnibus á ſe reuelatis, ipſique ſacræ Script. ac Eccleſiæ, quas & per quas exteriùs reuelat; ſed interiùs per Spiritum S. ſoli Eccleſiæ ad hoc abſolutè promiſſum, non ſingulis niſi conditionatè. Vt latiùs infra.

## De vera Traditione.

ID eſt, de Verbo Dei non ſcripto: ſed nobis à Deo & Chriſto, vel eius Spiritu, per Apoſtolos, & Eccleſiam tradito.

1. Ex ſacra Script. *Ioan.* 14. Spiritus S. docebit vos omnia, &c. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus ille Veritatis, docebit vos omnem veritatem. 21. Sunt & alia multa quæ fecit IESVS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror capere poſſe mundũ eos qui ſcribendi ſunt libros. 1. *Cor.* 11. Nos talem conſuetudinem non habemus,&c. Laudo vos quòd ſicut tradidi vobis præcepta mea teneatis, &c. Ego enim accepi à Domino,quod & tradidi vobis,&c. 2. *Cor.* 3. Epiſtola noſtra vos eſtis,&c. Epiſtola eſtis Chriſti. 2. *Theſſ.* 2. Tenete Traditiones quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. 1. *Tim.* 6. O *Timothæe*, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates. 2. *Tim.* 1. Bonum depoſitum cuſtodi,&c. Quæ audiſti à me per multos teſtes,hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. 2. *Ioan.* Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum. *Act.* 20. Oportet meminiſſe Verbi Domini IESV, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere.] Ergo hoc necdum erat ſcriptum, ſed traditum. *Baruch* 3. Deus noſter adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam *Iacob* Puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.] Ergo erant veræ traditiones Verbi Dei, ante & poſt omnem Scripturam: non autem ſolùm traditiones humanæ.

2. Ex Symbolo ab Apoſtolis tradito, & omnibus ſacris Concilijs: nonniſi ex collatione & traditione Verbi Dei procedentibus. Hinc *Conc. Nic.* Si quis Traditionem Eccleſiæ non curauerit, Anathema ſit. *Trid. Seſſ.* 4. Cùm veritas & diſciplina Chriſti Libris ſcriptis, & Traditionibus ſine ſcripto contineatur: quæ Traditiones ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ,ad nos vſque peruenerunt: hæc ſancta Synodus Orthodoxorum Patrem exempla ſecuta, omnes libros tam veteris quàm noui Teſt. cum vtriuſque vnus Deus ſit Author, necnon Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam oretenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit ac veneratur. *Infra.* Si quis autem libros ipſos integros,& Traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit; Anathema ſit.

3. Ex SS. Patribus: vt *S. Dion. de Eccleſ. Hierarch. c.* 1. Primi illi noſtri Sacerdotalis muneris Duces, ſumma illa, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis tradiderunt. *S. Baſil. lib. de Spiritu S. c.* 27. 29. Dogmata quæ in Eccleſia ſeruantur ac prædicantur, partim ex conſcripta Doctrina habemus,partim ex Apoſtolorum Traditione, &c. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent. *S. Chryſoſt. in 2. Theſſ.* Patet quòd non omnia per Epiſtolam tradiderint Apoſtoli: ſed multa ſine Literis. Eadem verò fide digna ſunt, tam iſta, quàm illa. *S. Cypr. l.* 2. *Epiſt.* 3. In Calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, &c. Vt Calix mixtus vino offeratur. *S. Hier. in Dial. contra Lucif. & alibi.* Sed præ omnibus ex *B. Aug. lib.* 10. *in Gen. cap.* 23. Conſuetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda, neque omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio. *Epiſt.* 118. *ad Ian. Cap.* 1. Quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus: quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi,vel ab ipſis Apoſtolis,vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia celeberrima authoritas,commendata atque ſtatuta retineri. Sicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio,& Aſcenſio, & Aduentus Spiritus S. anniuerſaria ſolennitate celebratur. *Cap.* 5. Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia: quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. *Lib.* 2. *de Bapt. cap.* 7. Saluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia .i. non rebaptizandi. Quam credo ex Apoſtolica Traditione venientem: ſicut multa quæ non inueniuntur, in literis eorum, neque in Concilijs poſteriorum; & tamen quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. *Cap.* 9. Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum: & hæc ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem. *Lib.* 5. *c.* 23. Conſuetudo hæc ab Apoſtolorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa, &c. *Cap.* 25. Quod *S. Cypr.* nos admonet, *Epiſt. ad Pompeium*, vt ad fontem recurramus, & indè canalem in noſtra tempora dirigamus: optimum eſt, &c. *Lib. de cura pro mortuis, c.* 1. Legimus, 2. *Mach.* 12. oblatum pro mortuis ſacrificium: ſed etiamſi nullibi legeretur; non parua tamen eſt totius Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine relucet authoritas. *Lib.* 1. *contra Creſconium, cap.* 32. Quamuis huius rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum: earundem tamen etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Script. commendat authoritas; vt quoniam ſancta Script. fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſacra Script. demonſtrat. *Lib. contra Epiſt. fund. cap.* 5. Ego Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas, &c. De neceſſaria Traditione

Digitized by Google

ditione ipſius ſacræ Script.& veri ſenſus eius. *Lib. 1. contra Maximinum Arrianum. Max.* dixit. Si quid de diuinis Script protuleris, neceſſe eſt vt audiamus; hæ verò voces quæ extra Script. ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur. Cùm Chriſtus moneat nos, *Matt.* 15. Sine cauſa colunt me, docentes mandata hominum. *Sub finem.* Si affirmaueris de diuinis Script. Si alicubi ſcripti lectionem protuleris: nos diuinarum Script. optamus inueniri Diſcipuli. *Epiſt.* 178. ſeu Diſp. inter *B. Aug.* & *Paſcentium* Comitem Arrianum. *Paſc.* Anathematizet *Homouſion*: eò quòd in libris Dominicis minimè reperiatur. *Aug.* In aſſertione ſuæ fidei Patrem *ingenitum* & *incapabilem* dixit: cùm nec ingenitum nec incapabilem Scriptura alicubi teſtetur,&c.] Vt ſolent hodierni Hæretici exigere omnia noſtra ex ſacra Scriptura: nec poſſunt quicquam ſuorum inde exprimere.

*Contra Traditiones.*

1. EX ſacra Script. *Matt.* & *Marc.* 7. & 15. *Gal.* 1. *Coll.* 2. 1. *Petri* 1. Traditiones Iudæorum improbantur. *Deut.* 4. & 12. Non addetis ad verbum quòd ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo. *Apoc. vlt.* Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illũ plagas, &c. 1. *Cor.* 4. Nè ſupra quàm ſcriptum eſt,&c. *Ad Galatas* 1. Si quis vobis euangelizauerit, præter quàm quod accepiſtis, Anathema ſit. 2. *Tim.* 3. Omnis Scriptura vtilis eſt ad docendum, &c. vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

2. Ex ss. Patribus. Vt *B. Aug.* 2. *Doct. Chriſt.* 6. Nihil *ferè* eſt obſcurum in Script. quod non alibi planiſſimè dicatur. *Cap.* 9. In ijs quæ apertè in Script. poſita ſunt, inueniuntur omnia quæ continent fidem, moreſque viuendi. *Lib. 2. De pec. mer. & rem. cap.* 36. Sine ſcriptis certis clariſque Documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio. *Lib. De vnitate Eccleſiæ, cap.* 3. Nolo humanis documentis, ſed Diuinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. *Cap.* 13. Legat mihi hoc in Scripturis ſanctis,&c. *Infra.* Hoc nobis legant,&c. *In Prologo Doct. Chriſt.* Non tentemus cum cui credimus, &c. nè ad Euangelium audiendum, atque diſcendum nolimus ire in Eccleſias, aut Codicem legere, aut legentem, prædicantemque audire,&c.] Contra prætenſos illuminatos.

3. Ex ratione. Quia Traditiones ſunt nimis incertæ: ſacra autem Scriptura eſt certa regula. Nam Traditiones Iudaicæ corruptæ fuerunt; non autem ſacræ Script. Hinc omnia documenta publica ſcripto confirmantur & conſeruantur.

*Reſp. Ad* 1. Improbantur Traditiones humanæ, vel corruptæ: non Diuinæ & Chriſtianæ. Inhibetur corruptio ſacræ Script, & additio contraria. 1. *Cor.* 4. *Supra*, & *Gal.* 1. *Præter* .i. contra, vt *prætergredi, tranſgredi.* Ibique ſignificat ſuperbiam: Hic, non præter Scripturam, ſed præter Verbum Dei euangelizatum, traditum, & acceptum. 2. *Tim.* 3. Non, *omnis*. i. tota ſimul: ſed quælibet Script. nec eſt neceſſaria, nec ſufficiens, ſed *vtilis* ad ſequentia, vt ad finem, non vt ad effectum proximum.

*Ad* 2. Patres ſæpè agunt contra Hæreticos ex ſacra Script. de qua cum eis conuenit. Vel excludunt rationes, mores, & verba hominum: non autem veras Traditiones Verbi Dei. Vel commendant ſacram Script. vt virtualiter ſufficientem: quia commendat veram Eccleſiam, & Traditiones. *S. Aug.* per illud, *ferè*, excipit aliqua: nec eſt facile, ſed valdè difficile totam Script. conferre, ad obſcura ex claris illuſtranda. Nec vult omnia credenda & facienda formaliter exprimi in ſacra Script, ſed ſaltem virtualiter. Nec improbat Traditionem, ſed *præſumptionem*, ſine ſacris Script. Contra Donatiſtas conuenientes in ſolis ſacris Script. meritò agit ex ſolis ſacris Script. in ſenſu certo & expreſſo: ad probandam veram Eccleſiam, ſine qua non poſſunt eſſe veræ Traditiones. In illo Prologo grauiter monet, nè ex præſumptione ſpiritus interni, contemnatur ſacra Script. vel potiùs viua doctrina Eccleſiæ. Quomodo enim, inquit, verùm eſſet, 1. *Cor.* 3. Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos: Si Deus de humano Templo reſponſa non redderet? &c.

*Ad* 3. Traditiones Chriſtianæ & Catholicæ tam ſunt certæ, quam Eccleſia earum cuſtos ac interpres: ex ſingulari prouidentia Dei, & promiſſione Chriſti. Nec ſacra Script poteſt eſſe ſuiipſius interpres, ſed quæuis documenta, imò & ipſæ leges ſcriptæ, ſunt à Iudice competente interpretandæ. Nec denique Traditiones Synagogæ ſunt æquales Eccleſiæ: quia illa habebat potiùs literam ſeu corticem legis, quàm ſpiritum, eratq; defectibilis & defectura: hæc autem habet ipſum Spiritum ſacræ Scripturæ, & eſt indefectibilis in ſe, & in ſua doctrina fidei ac morum.

## *De vera Eccleſia Chriſti.*

1. EX ſacra Script. *Matt.* 16. Tu es *Petrus*, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Matt.* 18. Dic Eccleſiæ Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Ioan.* 10. Erit vnum ouile & vnus Paſtor. 1. *Tim.* 3. Eccleſia Dei, eſt columna & firmamentum veritatis. 1. *Cor.* 11. Si quis videtur contentioſus eſſe: nòs talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. *Eph.* 3. Innoteſcat per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. 4. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis, &c. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. *Rom.* 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus: ità multi vnum corpus ſumus, ſinguli autem alter alterius membra. 1. *Cor.* 12. In vno ſpiritu omnes nos in vnum baptizati ſumus, &c. Omnes in vnò Spiritu potati ſumus, &c. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, &c. Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia 1. Apoſtolos, &c. Nunquid omnes Apoſtoli, &c. 2. *Tim.* 2. In magna domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea: ſed & lignea, & fictilia, &c. *Rom.* 1. Fides veſtra, ô Romani, annuntiatur in vniuerſo mundo. *Act.* 2. De dono omnium linguarum. *Pſal.* 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Pſal.* 34. Confitebor tibi in Eccleſia magna: in populo graui laudabo te, &c. De vera Eccleſia Chriſti prædicta, præfigurata, & verificata, vt infra ex *B. Aug.*

2. Ex

Digitized by Google

2. Ex ſacris Conc. & Symbolis. Vt Apoſt. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Symbol. Conſtantinop. *Credo ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* Ex præfat. Conc. Nicæni. *Eccleſia Romana nullis Synodicis decretis prælata eſt cæteris Eccleſijs: ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris noſtri primatum obtinuit.* Matt. 16. *Vnde prima ſedes eſt Romanæ Eccleſiæ. 2. Apud Alexandriam. 3. Apud Anthiochiam. 4. Apud Hieroſolymam.*

3. Ex ſanctis Patribus: præ & pro quibus omnibus *B. Aug.* vt Signifer & Armiger Eccleſiæ, refert, & præfert omnia & ſingula eius inſignia, coniunctim, & diuiſim. Vt, coniunctim, Lib. de vtilitate credendi, cap. 5. *Chriſtus miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roborauit Religionem: quam non ſolùm hæreticorũ ineptiſſima nouitas fraudibus agens; ſed nec gentium quidem veternoſus error violenter aduerſans, aliqua ex parte conuelleret.* Cap. 17. *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumq́; videamus: dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſq; ad confeſſionem generis humani, ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit; cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Libro de vera Relig. cap. 6. *Neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt Religio: ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes.*

Cap. 7. *Hæc enim Eccleſia Catholica per totum orbem validè latèque diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem cùm euigilare voluerint: Vtitur enim gentibus in materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.* Lib. contra Epiſt. fundamenti, cap. 4. *In Catholica Eccleſia, vt omittam ſinceriſſimam ſapientiam, ad cuius cognitionem pauci ſpirituales in hac vita perueniunt, &c. cæteram turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas, tutiſſimam facit. Vt ergo hãc omittam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis: multa ſunt alia quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa Sede* Petri *Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum; tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen: quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit; vt cùm omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia: etiam ſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum, veritas nondum ſe apertiſſimè oſtendat. Apud vos autem vbi nihil horum eſt: ſola perſonat veritatis pollicitatio.* Epiſt. 56. ad Dioſcorum. *Conantur authoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ quaſi rationis nomine & pollicitatione ſuperare. Omnium enim hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas. Sed ille fidei Imperator clementiſſimus, & per conuentus celeberrimos populorum atq; gentium, ſedeſq́; ipſas Apoſtolorum, arce authoritatis muniuit Eccleſiam, & per pauciores piè doctos & verè ſpirituales viros copioſiſſimis apparatibus etiam inuictiſſimæ rationis armauit. Verum illa rectiſſima diſciplina eſt, in arcem fidei quàm maximè recipi infirmos: vt pro eis iam tutiſſimè poſitis, fortiſſima ratione pugnetur.*

### *De Vnitate Eccleſiæ.*

1. IN fide. 2. Origine perſonali à Chriſto per Apoſtolos. 3. Locali, ab Hieruſalẽ. 4. Eiuſdẽ continua propagatione. 5. Vnitate Hierarchiæ. 6. Vnione contra omnes hęreſes & Schiſmata.

I. De Vnitate Eccleſiæ, *Cap.* 2. Quæſtio inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia: quæ vtique vna eſt &c. Hæc autem Corpus Chriſti eſt. Vnde qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poteſt. *Cap.* 4. Ipſum Caput, de quo conſentimus, oſtendat nobis Corpus ſuum de quo diſſentimus. *Cap.* 5. Seponenda ſunt quæ obſcurè poſita ſunt &c. *Cap.* 13. Deus iuſſerat tribus ſeparari, 3 *Reg.* 11. non vt Religio: ſed vt Regnum diuideretur, &c. Neque enim quia regna diuiduntur vnitas Chriſtiana diuiditur. *Lib.* 1. Contra Epiſt. Parmen. *Cap.* 4. Iam multa fruſta de illo fruſto, per totam Africam facta ſunt. Sic ſic neceſſe eſt vt minutatim ſecti, conſciſſiquè diſpereant: qui tumorem animoſitatis ſuæ, Catholicæ pacis vinculo prætulerunt. *Libro ſeu Epiſt.* 120. ad Honoratum. *Cap.* 16. Erue de manu canis *Vnicam* meam .i. *Eccleſiam. Cap.* 17. Hæc eſt *Vnica* Catholica &c. *Cap.* 24. In Eccleſia magna. Hæc eſt illa *Vnica* &c. *In Collatione tertiæ diei* cum Donatiſtis. *Cap.* 9. Reſponderunt Catholici, quod vnum tẽplum fuerit, quo vniuerſi Iudæi vtebantur &c. *Cap.* 10. Eandem ipſam Vnam & Sanctam Eccleſiam, nunc habere malos permixtos &c. Multas Eccleſias in Scripturis inueniri dictas: quò tamen multæ illius Vnicæ mẽbra intelligerentur. *Tract.* 6. *in Ioannem.* Stat Vnitas Eccleſiæ, quæ ſignificatur in Columba. De qua *Cant.* 6. Vna eſt Columba mea &c. In Columba vnitas: in linguis gentium ſocietas &c. Si ſuperbia fecit diuerſitates linguarum, *Gen.* 11. Humilitas Chriſti congregauit &c. *Gen.* 6. Arca Eccleſia eſt. *Infra.* Quare laniaſtis Columbam? Imò laniaſtis viſcera veſtra. Nam vobis laniatis, Columba integra perſeuerat. *In Pſal.* 101. In conueniendo Populos in vnum &c. Chriſtus vnus eſt, Eccleſia vnitas. Non reſpondet vni, niſi vnitas. *Tract.* 13. In *Ioan.* *Sponſa es agnoſce veſtem ſponſi tui, ſuper quam miſſa eſt ſors, Ioan.* 19. Veſtem Perſecutores non conſciderunt: Chriſtiani Eccleſiam diuidunt &c. Teneamus ergo vnitatem: præter vnitatem, & qui facit miracula,

nihil

Digitized by Google

nihil eſt. *Tract.* 45. Tenete Ouile Chriſti eſſe Catholicam Eccleſiam. *Tract.* 118. Quadripartita Veſtis Chriſti, figurauit Eccleſiam toto qui 4. partibus conſtat terrarum orbe diffuſam. Tunica verò ſortita, omnium partium ſignificat vnitatem &c. Inconſutilis autem, nè aliquando diſſuatur. *Tract.* 10. *in* 1. *Ioan.* Si tu te præſcidiſti à Corpore Chriſti: Caput non ſe ſe præſcidet à Corpore ſuo. *Sermone de Emerito*, cuius meminit. 2. *Retr.* 51. Qui adoramus vnum Patrem: quare non agnoſcimus vnam Matrem? *Lib.* 4. *de ſymbolo cap.* 13. Non habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem. *Lib.* 3. *Contra Petil. cap.* 9. Securi eſtis qui Deum Patrem, & eius Eccleſiam Matrem habetis. *Serm.* 6. De tempore in 3. *Reg.* 3. Mulier quę clamabat vt puer integer ſeruaratur, Eccleſiæ Catholicæ typum gerebat: Alia Arrianam hæreſim deſignabat. *Vt lib. de* 5. *hereſibus. Cap.* 6. Quare litigamus? Si vna eſt nobis hæreditas, ſimul poſſideamus &c. Gloria in excelſis Deo: & in terra pax hominibus; non diuiſoribus ſanctæ vnitatis, ſed bonæ voluntatis. Meretrix 3. *Reg.* 3. non permiſit diuidi filium ſuum: & tu diuidis Dominum Deum tuũ?] Qua inſtantia ſæpè etiam vrget Donatiſtas: ab vnitate Chriſti vt Capitis & Sponſi Eccl. vt Corporis eius & Sponſæ, Fidei, Altaris & Sacramentorum. In *Pſal. Abecedario.* Venite Fratres, ſi vultis, vt inſeramini in vite, &c. Quarę me deſeruiſtis iam volo à vobis audire. Quam bonũ & quàm iucundùm habitare fratres in vnum, &c. *Pſal.* 132. 2. *De baptiſmo. Cap.* 6. Quare vos ſeparaſtis? Quare contra orbē terrarum altare erexiſtis? An grauiora ſunt crimina traditorum, quàm ſciſmaticorum?] .i. Præſtat tolerare minora mala, quàm violare vnitatem Eccleſiæ.

*Contra vnitatem illam Eccleſiæ.*

1. EX ſacra Script. quæ refert ex tunc plures diſſenſiones, & Eccleſias diſparatas, prædicitque futuras in Eccleſia varias hæreſes, & ſchiſmata: Ergo non eſt vna, vt ſupra.

2. Ex tot diſſenſionibus publicis, inueteratis, & irreconciliabilibus, inter Eccleſias nationales, præcipuè Græcam & Latinam: inter contendentes pro Papatu; denique inter ipſa Conc. generalia; non tantùm de Iuriſdictione, aut ceremonijs, ſed etiam de ſubſtantialibus fidei Chriſtianæ, & Catholicæ.

3. Ex Varijs contentionibus inter ipſos SS. *Petrum*, & *Paulum*, Græcos & Latinos, S. Cyprianum, & Stephanum Papam, SS. Hieronymum & Auguſtinum.

4. Ex *B. Aug.* De vnitate, & identitate Eccleſiæ, ab Abel vſque ad finem mundi: Ergo non continua, nec æquali, ſed ſimili, & diſſimili. Nam 3. *Reg.* 11. Synagoga ſeu Religio Iudaica fuit diuiſa cum regno, & tandem reprobata, vel mutata in Eccleſiam Chriſtianam.

5. Ex maiori, æquali, aut ſaltem ſimili vnione & vnitate Hæreticorum, Schiſmaticorum, Mahumetanorum, Iudæorum, Idololatrarum inter ſe, aut magnorum Statuũ Politicorum. Ergo non poteſt eſſe ſignum veræ Eccleſiæ Chriſti.

*Reſp. Ad* 1. Ex *B. Aug. lib.* 4. *Conf.* 8. Optimos amicos *rariſſima diſſenſione cōdire conſenſiones plurimas.* Lib. De vera Relig. cap. 6. Deum & eius Eccleſiam vti omnibus errantibus ad profectus ſuos, vt ſupra: nec plùs diuidi in ſeipſa per hæreſes & ſchiſmata, quàm Corpus humanum per corruptionem & generationem partium materialium; imò fideles inde magis inter ſe vniri. Sic enim oportet hæreſes eſſe &c. 1. *Cor.* 11. Non ſunt autem plures Eccleſiæ diſparatæ: ſed plures partiales & ſubordinatæ.

*Ad* 2. Non fuerunt diſſenſiones de fide inter *Conc.* Generalia, vel Papas: ſed tantùm de facto, aut ceremonijs, legibus, vel iure aliquo variabili. Nec intra veram Eccleſiam poteſt eſſe diſſenſio pertinax, ab vlla definitione fidei: quia ſic diſſentientes, hoc ipſo eſſent extra Eccleſiam.

Sed ſperari poteſt plæroſque non pertinaciter, ſed ignoranter à vera Eccleſia diſſentire.

*Ad.* 3. Cùm inter Apoſtolos, eorumque Principes *Gal.* 2. fuerit contentio de præcedentia apud Chriſtum, & obſeruantia legis Chriſtianæ: cur non & inter Sanctos Patres, ex aliqua ignorantia, errore facti, & ſenſu proprio? Salua, imò præualente vnitate Fidei, Charitatis, & Eccleſiæ, omni motiuo & occaſioni diuiſionis.

*Ad* 4. *B. Aug.* comparat vnam eandemque Eccleſiam Chriſti, vni eidemque Corpori humano, & Ciuitati: quod Corpus eſt vnum & idem in vtero & extra, parte aliqua prænaſcente; idem paruum & magnum, mortale & glorioſum; & cuius vnius eiuſdemque Ciuitatis pars, hîc adhuc militat & peregrinatur, pars in cœlo eminet & triumphat. Nec vult priorem partem Eccleſiæ, nec ipſam Synagogam diuiſam fuiſſe, aut defeciſſe: ſed in Eccleſiam Chriſti profeciſſe; nec hanc in gloria defecturam, ſed perfectam futuram. Ex *Eph.* 5. Chriſtus mundat Eccleſiam ſuam lauacro aquæ: vt exhibeat eam ſibi glorioſam &c. *Eph.* 2. Non eſtis hoſpites & aduenæ: ſed eſtis ciues, ſeu conciues Sanctorum, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo Angulari lapide Chriſto IESV.] Vt ergo partes interiores, & radicales corporis humani, non ſunt diuiſæ ab externis, aut à corruptibilibus & adgenerabilibus: nec partes fundamentales ædificij, ab extantibus & eminentibus; nec ciues militantes & peregrinantes, à quieſcentibus, & triumphantibus. Sic nec vlli fideles Chriſti ſunt inter ſe, & ab vna eademque Eccleſia Chriſti diuiſi. Quia & ante Chriſtum erat eadem vera fides Chriſti, vt venturi.

*Ad.* 5. Ex illo Chriſti, *Matt.* 12. Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur &c. *Luc.* 16. Filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis &c. Sed ſola vera Eccleſia eſt vna eademque, & indiuiſibilis, ex ſuis proprijs principijs fidei, ſpei, charitatis, ſubordinationis, & promiſſionis Chriſti. Societas autem malorum, eſt ex pertinacia, inuidia, violentia: quæ ſunt per ſe principia propria diuiſionis; ſed per accidens, vniunt malos, non tam inter ſe, quàm contra bonos. Societas politica, videtur legibus humanis inſtructior: ſed nulla nititur ſpeciali promiſſione Dei. Hinc, vt monet *B. Aug. Lib. De vnitate Eccleſiæ* ſupra: Regna di-



Digitized by Google

na diuiduntur, indiuiſa vera fide & Eccleſia. Nec vlla ſocietas malorum eſt ex ſe, & in ſe indiuiſa: ſed plures ſimul vel ſucceſſiuè, vt eidem veræ Eccleſiæ inimicæ. Ex *B. Aug. Epiſt.* 163. Arriani Donatiſtas ſibi conciliare tentarunt. 8. *Ciu.* 25. *L.* 1. *Cõtra Petil. c.* 24. 83. De perſecutione *Gothorum, & Donatiſt. Tract. De Paſt. cap.* 8. De varijs hinc inde hæreſibus: ſed non ſimul. *Lib.* 4. *&* 10. *Ciu.* ac alibi ſæpè probat vnicum verum Deum, ex multitudine, & oppoſitione plurimorũ ſimul Pſeudo-Deorum: ſic & ſignum proprium vnicæ Eccleſiæ Dei ac Chriſti, eſt oppoſitio omnium Sectarum. Quas idem *B. Aug.* ſæpè comparat vulpibus illis Sampſonis contra veram Eccleſiam concaudatis. Signum etiam proprium eſt, quòd vera Chriſti Eccleſia ex ſola Fide, Spe, Charitate, & patientia, in ſua vnitate orta, creuerit, ac ſubſiſtat: ſed Mahumetiſmus, & pleræque hæreſes, vi, armis, & rebellionibus. Iudæi autem & hæreſes impotentes, odio Eccleſiæ, & inuidiâ notoriè tabeſcunt. Confirmatur ex illo *Eph.* 4. Vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma.] i. Vt vnus verus Deus, contra omnes falſos, & è contra: ſic & vna vera, Eccleſia contra omnes falſas, & è contra.

## De Sanctitate Eccleſiæ.

1. A doctrina morali perfectæ ſanctitatis. 2. A profeſſione & obſeruantia ſaltem externa & publica conſiliorum Chriſti, ab aliquibus in Eccleſia. 3. A vera ſanctitate externa, etiam miraculoſa, aliquorum viuorum, aut ſaltem defunctorum in hac Eccleſia. 3. A Sanctitate ipſius Chriſti vt Capitis, & omnium Sanctorum: qui per hanc Eccleſiam militantem peruenerunt ad triumphantem. 5. Ex remedijs à Chriſto prouiſis Eccleſiæ ad ſanctificationem fidelium. 5. A ſanctione, ſeu ſtabili inſtitutione Eccleſiæ.

*L. De Moribus Eccleſiæ Cathol. Contra Manichæo. Cap.* 1. Duæ ſunt illecebræ Manichæorum: vna cùm Scripturas reprehendunt, altera cùm vitæ caſtæ imaginem præferunt. *Cap.* 30. Meritò Eccleſia Catholica, Mater Chriſtianorum veriſſima, non ſolùm verum Deum colendum prædicas, ſed etiam proximi charitatem complecteris. Tu doces Reges proſpicere Populis: Mones Populos ſe ſubdere Regibus &c. Meritò tibi tam multi miſericordes, multi caſti, multi ſancti &c. *Cap.* 31. In laudem vitæ religioſæ Solitariæ, & Cœnobiticæ, in vera Eccleſia. *Cap.* 32. In laudem SS. Clericorum, per omnes gradus. *Cap.* 33. In laudem vitæ religioſæ intra ipſas vrbes. *Iſtis ſi poteſtis, Manichæi, obſiſtite &c. Nolite mihi colligere Profeſſores nominis Chriſtiani : nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes, aut exhibentes, &c.* Contra varios abuſus. *Nec mirum eſt in tanta copia Populorum, quoſdam eſſe quorum vitâ vituperatâ decipiatis incautos: cùm in veſtra paucitate magnas patiamini anguſtias, dum à vobis exigitur vel vnus ex ijs quos Electos vocatis, qui præcepta cuſtodiat quæ irrationabili ſuperſtitione defenditis &c. Nunc vos admoneo, vt aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.* 1. Retr. 13. in librum de vera Relig. *Quod dixi*, Cap. 25. *Non ſic accipiendum eſt vt nunc in Chriſti nomine nulla fieri miracula credantur. Nam ego ipſe quando illum librum ſcripſi, ad Mediolanenſiũ corpora Martyrũ in eadẽ Ciuitate cæcũ illuminatum fuiſſe noueram, & alia nonnulla &c. Libro de vera Relig. Cap.* 3. 4. De tanta ſanctitate & efficacia doctrinæ Chriſtianæ, ad ſtudium veritatis & perfectionis Euangelicæ, præ omni doctrina Philoſophica *Socratis & Platonis*: vt ſi *Plato* ipſe ſuperuiueret, fateretur non poſſe ab homine fieri, & Platonici cõuerterentur niſi obſtaret ſuperbia & inuidia. *Cap.* 55. De vera & ſancta Relig. ſeu cultu Dei, ex doctrina & praxi Eccleſiæ, ſine ſuperſtitione. *Quæſt.* 79. *ex* 83. Sancti Dei Serui in Eccleſia, quando hoc donum habere eos vtile eſt, ſecundùm publicam legem Dei imperant infimis poteſtatibus, ad quædam viſibilia miracula facienda. In illis enim ipſe Deus imperat &c. Quando videntur imperare Magi: per ſublimiorum nomina inferiores terrent &c. *Marc.* 3. *Non poteſt Satanas Satanã excludere*: quia hoc modo non exit Sathan, ſed potius in intima ingreditur. Non omnibus Sanctis iſta miracula tribuuntur: ne putentur eſſe maiora dona, quàm opera iuſtitiæ &c. Nonnunquam mali Chriſtiani, vel Schiſmatici, vel Hæretici, per nomen Chriſti, aut verba, aut Sacramenta Chriſtiana, exigunt aliquid à Poteſtatibus, quibus honori Chriſti cedere indictum eſt &c. Cùm autem non cedunt his ſignis: Deus ipſe prohibet occultis modis. Nam nullo modo Spiritus audent hæc ſigna contemnere. Contremiſcunt enim hæc, vbicumque illa proſpexerint &c.] De Sanctitate Eccleſiæ, ſeu ſacrorum ſignorum eius, ad exorcizandos, compeſcendos, vel terrendos Dæmones. Quod eſt ſignum publicum ſolius veræ Eccleſiæ Catholicæ. Quamuis enim *B. Aug.* moneat hæc etiam ab Hæreticis fieri poſſe: non tamen niſi per ſacra ſigna veræ Eccleſiæ, vt per ſignum *S.* Crucis. *Sicuti non poſſunt* validè baptiſare, niſi per Baptiſmum veræ Eccleſiæ. *Lib.* 15. *Contra Fauſtum cap.* 3. Te vera ſponſa veri Chriſti, Eccleſia Catholica, alloquar & ego pro modulo meo. Caue ſemper vt caues, Manichæorum impiam vanitatem. Noli decipi nomine veritatis: Hanc tu ſola habes, & in lacte tuo, & in pane tuo &c. *Cap.* 4. Tu es Epiſtola Apoſtolorum, ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed cordis &c. In primo præcepto eſt caſtitas nuptiarum tuarum: in 2. vnitas membrorum tuorum; Illo amplecteris diuininitatem, iſto congregas ſocietatem. *Lib. De vtilitate credendi. Cap.* 17. De Sanctitate vitæ in Eccleſia. *Pauci hoc faciunt, pauciores benè: ſed populi probant, fauent, &c.* Lib. 4. Conf. 6. *Incidi in homines ſuperbè delirantes: in quorum ore laquei Diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarũ nominis Dei, Ieſu Chriſti, Spiritus S. Et dicebant, Veritas, Veritas, & nuſquam erat in eis &c.* Lib. 22. Ciu. 8. *Etiam nunc fiunt miracula in Chriſti nomine: ſiue per Sacramenta eius, ſiue per orationes, vel memorias Sanctorum eius; ſed non eadem claritate illuſtrantur.* Subdit ac refert plurima. *Lib.* 2. Contra Iul. cap. 19. *Vſq; adeo permiſcuit ima ſummis longus dies:*

ſic

Digitized by Google

*ſint, Hilarius, Gregorius, Ambroſius?* Infra. *Talibus poſt Apoſtolos, S. Eccleſia plantatoribus, rigatoribus paſtoribus creuit, &c.*] Sicque de *Luthero, Caluino,* &c. comparatiuè ad Sanctos per quos fides & Eccleſia Catholica à tot ſæculis propagata fuit. In Pſal. 149. *Laus Dei in Eccleſia Sanctorum. Ergo Eccleſia Sanctorum Eccleſia Catholica eſt: non eſt Eccleſia hæreticorum, &c. Eccleſia Sanctorum erat antea in Coditibus, modò in Gentibus: antea tantùm legebatur, nunc & videtur, &c.* In Pſal 95. *Adorate Dominum in Atrio ſancto eius .i. in Eccleſia Catholica.*] De ſanctitate Eccleſiæ denominatiuè à ſanctitate Chriſti, ſupra Quæſt. 11. A ſanctitate Sacramentorum, & Sanctificatione peccatorum, in 4. De Sacramentis; A ſanctitate Beatorum hîc in Eccleſia Sanctificatorum, in 4. de 4. Nouiſſimis; A ſanctitate ſeu ſtabili inſtitutione, infra de indefectibilitate.

*Contra veram Sanctitatem Eccleſiæ.*

1. EX ſacra Script. quæ refert & prædicit multa ſcandala in Eccleſia, & tandem finalem defectum à fide, & charitate. *Matt.* 18. Neceſſe eſt vt veniant ſcandala. *Luc.* 18. Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra. Imò ipſe Chriſtus ait, *Marc.* 2. *Luc.* 5. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores: ita vt vocaretur Peccatorum amicus. Ergo Eccleſia Chriſti .i. ab eo conuocata, non eſt Sancta, & Sanctorum, ſed potiùs Peccatorum. Hinc *Matt.* 6. Dimitte nobis debita noſtra. 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

2. Ex ss. Patribus. Vt *B. Aug. lib.* 13. *contra Fauſtum, cap.* 8. Miracula non facitis: quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caueremus. *Lib. de vnitate Eccleſiæ, cap.* 19. Non dicant Donatiſtæ, verùm eſt hoc, &c. quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius: aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant, & exaudiuntur; aut quia ille frater, aut ſoror tale viſum vigilans vidit, aut dormiens ſomniauit. Remoueantur iſta vel figmenta hominum, vel portenta ſpirituum: aut enim non ſunt vera; aut ſi Hæreticorum ſunt, magis cauere debemus. Ex *Matt.* 24. Dabunt ſigna magna, & prodigia: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. 2. *Cor.* 11. Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, &c. Nec nos dicimus nobis credi oportere, quòd in Eccleſia Chriſti ſumus: quia ipſam commendauit *Optatus, Ambroſius,* vel alij; aut quia noſtrorum Concilijs prædicta eſt; aut quia per totum orben in locis ſanctis quæ frequentat noſtra cōmunio, tanta mirabilia fiunt, &c. Quæcumque talia in Catholica fiunt; ideo ſunt approbanda quia in Catholica fiunt: non ideò ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. *Lib.* 20. *Ciu.* 19. Dubitat an Antichriſtus, vel eius corpus tandem erat in Eccleſia vel ipſa Eccleſia Dei. Ergo hæc non eſt ſtabiliter ſancta: nec ſanctitas eſt ſignum certum Eccleſiæ Dei.

3. Ex ratione. Vera ſanctitas eſt Fides, Spes, & Charitas, ſeu Gratia à Deo infuſa, & eius operatio: atqui neque hæc, neque vllum eius ſignum eſt certum in Eccleſia Dei; ergo ſanctitas non eſt ſignum certum veræ Eccleſiæ Dei. Confirmatur, quia vera Eccleſia poteſt eſſe ſine vllo Sancto aut ſanctitate: & vera ſanctitas ac veri Sancti poſſunt eſſe extra Eccleſiam. Nam vt *B. Aug. lib. de vera Relig. cap.* 6. Sæpè ſinit Diuina Prouidentia per carnalium hominum ſeditiones expelli de Chriſtiana Eccleſia etiam viros bonos.

*Reſp. Ad* 1. Scandala in Eccleſia, ſunt ſignum ſanctitatis eius, ſeu tam ſanctæ Doctrinæ & fidei: vt ex ea fideles ſcandalizentur, ſeu offendantur de omnibus quæ ſunt contra conſcientiam, fidem, & doctrinam publicam Eccleſiæ. Non tamen prædicit Chriſtus futuram vnquā defectionem à tota fide & charitate: ſed à numero & perfectione fidelium. Vt patet ex *Luc.* 18. *Matt.* 24. & *B. Aug. De vnitate Eccleſiæ, cap.* 15. *lib.* 20. *Ciu.* 8. *Credendum eſt, nec qui credant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos.* Nec Chriſtus venit vocare Peccatores, vt ſint, vel maneant tales: ſed *ad pœnitentiam*, ſeu vt per eam ſanctificentur. In quem finem tendit illa oratio *Matt.* 6. & Confeſſio peccatorum, 1. *Ioan.* 1.

*Ad* 2. Quia Donatiſtæ conueniebant in ſacra Script. ſed contendebant de vera Eccleſia, & gloriabantur de falſis Traditionibus, Concilijs, Sanctis, Reuelationibus, & Miraculis: *S. Aug.* prouocat eos ab his, ad ſacram Script. in ſenſu proprio, & expreſſo, de vera Eccleſia, in qua & pro qua ſola fiunt vera miracula. Ideoque ſubdit, eam non manifeſtari dubijs miraculis, ſed certis: quia illa habentur vera, quæ fiunt in & pro vera Eccleſia; falſa autem, quæ contra. *Lib.* 20. *Ciu.* 19. refert quorundam ſenſum in 2. *Theſſ.* 2. quòd Antichriſtus, vel eius corpus, ſedebit in Templo, vel in Templum Dei, quod eſt ipſa Eccleſia Chriſti: ſed videtur improbare ſub his verbis, *Mira eſt hæc opinantiū tanta præſumptio.* Vel ſi hoc non referatur ad illud: non eſt ſenſus quòd Eccleſia Chriſti ſit defectura in Antichriſtum, vel Antichriſti. De qua Cap. 8. *Sicut inſtituta hîc fuit, & erit omni tempore, in ſuis vtique qui ſuccedant naſcendo morientibus, &c. Ne quis exiſtimet eo paruo tempore Eccleſiam non futuram, &c. Credendum eſt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad eam illo tempore defuturos.* Sed quòd Antichriſtus geret ſe pro Chriſto: & ei adhærentes, pro Eccleſia Chriſti. Alioquin ſeſſio Antichriſti in vera Eccleſia Chriſti, ſupponeret eam eſſe, & non eſſe. Nec poteſt intelligi de Eccleſia quæ fuit, ſed defecerit: contra *cap.* 8. Nec de non futuro tunc alio vero & notorio Papa, ſeu Vicario generali Chriſti in Eccleſia: ſed de eius & ei adhærentium vbique perſecutione ab Antichriſto; vt à Rege Angliæ, gerente ſe pro Capite Eccleſiæ Anglicanæ. Vnde hoc ipſum eſt ſignum veræ Eccleſiæ: pati hanc aut ſimiles perſecutiones.

*Ad* 3. Non eſt certa ſanctitas vllius hîc determinati in Eccleſia: ſed aliquorum indeterminatè. Eſtq; certa & publica doctrina, profeſſio, & praxis veræ ſanctificationis in Eccleſia, per Sacramenta & bona opera, &c. Nec poteſt eſſe Eccleſia ſine aliquibus Sanctis .i. ſaltem fidelibus, & Deo gratis. Nec vllus poteſt eſſe Sanctus, quin ſit in vera



Digitized by Google

Eccleſia, & de ea, re, vel voto, & iure : licet error facti poſſit cenſeri extra. An verò peccatores etiam graues, & qui ſint in, vel de Eccleſia, ſub titulis ſequentibus.

---

## *De nomine & re Eccleſiæ Catholicæ.*

1. AB vniuerſitate hominum, bonorum & malorum, cuiuſuis nationis, pro quibus omnibus Eccleſia Chriſti inſtituta eſt, & per quas propagatur, abſque vllius exceptione & excluſione, vt in Synagoga. 2. Ab vniuerſitate temporum : abſque vlla limitatione aut ſucceſſione alterius Eccleſiæ, vt fuit Synagogæ. 3. Ab vniuerſitate ſeu totalitate ac integritate doctrinæ & fidei : ad cultum Dei præſentem, & ſalutem neceſſariæ 4. Ab hoc ipſo nomine tam communi & proprio ſolius veræ Eccleſiæ Chriſti: vt non poſſit ab vllis hæreticis vſurpari.

Ex *B. Aug. Lib. de vera Relig. cap. 6. Neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt Religio : ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes.* Cap. 7: *Hæc enim Eccleſia Catholica per totum orbem validè latèque diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos, &c. Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & eius Eccleſiæ communicatio quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verumetiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintuè ipſi quoque Hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant* : *Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur. Lib. contra Epiſt. Manichæi, cap.* 4. vt ſupra. *Lib. imperfecto in Geneſim, cap.* 1. Mater Eccleſia, Catholica dicitur : ex eo quia vniuerſaliter perfecta eſt, & in nullo claudicat, & per totũ orbem diffuſa eſt. *In Collat. 3. diei cap.* 3. Inter hæc etiam de Catholico nomine, apud quos potiùs eſſet, pauca ab vtraq; parte inuicem dicta, & obiecta ſunt, &c. Interlocutus eſt Cognitor, ſe interim ſine cuiuſquam præiudicio, non poſſe aliter appellare Catholicos, quàm eos appellauit Imperator. *Infra.* Donatiſtæ reſponderunt, non Catholicum nomen ex vniuerſitate Gentium, ſed ex plenitudine Sacramentorum inſtitutum : & petierunt vt probarent Catholici ſibi cõmunicare omnes Gentes. *Lib. 1. contra Gaudentium, cap.* 33. Audes dicere Eccleſiam Catholicam humanum eſſe figmentum! *Lib. 2. cap.* 11. Dulcitius Tribunus tanquã homo militaris errauit : vt ei quem ſcit aut credit Hæreticum, diceret, *Per Religionem tuam.* Cùm hæreſis non Religio, ſed Superſtitio : Religio autem non in falſitate, ſed in veritate, propria locutione dicatur, &c.] Contra Hæreticos vſurpantes, & Catholicos idiotas eis deferentes nomen *Religionis. Lib. de vnitate Eccleſiæ, cap.* 2. Quæſtio inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia: quam maiores noſtri *Catholicam* nominarunt ; vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt, &c. *Epiſt. 48. ad Vincentium.* Dicis, *Quantùm ad totius mundi pertinet partes, modica pars eſt, in compenſatione totius mundi, in qua fides Chriſtiana nominatur.* Nec vis attendere in quàm multas iam barbaras Nationes tam paruo tempore venerit Euangelium, &c. ex *Matt.* 24. Acutum autem aliquid videris dicere, cùm Catholicæ nomen, *non ex totius orbis communione interpretaris : ſed ex obſeruatione omnium præceptorum Diuinorum, atque omnium Sacramentorum.* Quaſi nos (etiamſi fortè hinc ſit appellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cuius veritatis nonnullæ particulæ etiam in diuerſis inueniantur hæreſibus,) huius nominis teſtimonio nitamur ad demonſtrandam Eccleſiam in omnibus Gentibus ; & non promiſſis Dei tam multis, tamque manifeſtis oraculis ipſius veritatis. Sed perſuadere conaris, ſolos remanſiſſe Rogatiſtas qui Catholici rectè appellari poſſint, *ex obſeruatione omnium præceptorum Diuinorum, atque omnium Sacramentorum, &c.* Si autem vniuerſos *Donatiſtas* non audimus, ſe pro Eccleſia Chriſti ſupponentes : quantò minùs *Rogatiſtas*, aduerſus ipſam partem *Donati* : vnde pars *Rogati* breuiſſimum fruſtum, de fruſto maiore præciſum eſt. Vt & ſupra, *Lib. 1. contra Epiſt. Parmen. cap. 4. In Pſal. 21. In Eccleſia magna confitebor tibi.* Eccleſia magna, orbis totus eſt. Ad partem Africæ remanſiſſe, eſtne Eccleſia magna? *In Pſal. 34. Confitebor tibi in Eccleſia magna : in populo graui laudabo te.* In iſta enim Eccleſia quæ toto orbe terrarum diffuſa eſt, palea eſt, & frumentum : palea volat, frumentum manet. Ideò in populo *graui* laudabo te. *In Pſal. 71. Dominabitur à mari vſque ad mare, &c.* De futura amplitudine Eccleſiæ Catholicæ. *In Pſal. 95. Iudicabit orbem terrarum in æquitate.* Non partem : quia non partem emit. Totum iudicare habet ; quia pro toto pretium dedit, &c. *In Pſal. 65. Iubilate Deo omnis terra.* Nemo iubilet in parte : Catholica iubilet, Catholica totum tenet. Quicumque à toto præciſus eſt, vlulare vult, non iubilare. *In Collatione* 286. Catholicorum Epiſcoporum, præter 120. abſentes, & 60. defunctos : contra 279. Epiſcopos Donatiſtarum, *Die 3. c.* 8. Donatiſtæ oſtendere tentauerunt, quòd Eccleſia Dei non cum malorum commixtione futura prædicta ſit. Ad *Matt.* 13. Falſi ſunt in Eccleſia eſſe permixtos, ſaltem occultos malos : zizania verò inter triticum, non in Eccleſia, ſed in mundo dixerunt. De area, & palea admixta tritico, reprehenderunt, ex *Ier.* 13. *Quid paleis ad triticum?* De ouibus & hœdis qui ſimul paſcuntur, & in fine ſæculi ſegregabuntur, attingere noluerunt. Neque enim poterant dicere, hœdos à Paſtoribus ignorari : ſicut dixerunt inter retia piſces malos in mari à Piſcatoribus non videri. De *Iuda* ipſe *Cypr.* intellexit vt Catholici : quòd Dominus *Iudam* ad exemplum malorum in Eccleſia tolerandorum, pertulerit. *Cap.* 9. Catholici reſponderunt eorum literis, oſtendentes multis SS. Script. malos in Eccleſia nunc eſſe permixtos, &c. non ſolùm in ea latentes, ſed etiam cognitos & toleratos, &c. Hoc ſignificaſſe, quòd in area fuerunt animalia

munda,

Digitized by Google

munda, & immunda &c. Quòd vnum Templum fuerit, quo vniuerſi Iudæi vtebantur : nec vllus Prophetarum conſtituerit ſibi aliud templum &c. *Cap.* 10. Donatiſtæ autem ad id quod ſupra redierunt, dicentes, *Mundum non bene intelligi Eccleſiam* : Deinde calumniantes, *quòd duas Eccleſias Catholici dixerint.* Catholici reſponderunt, *Eandem ipſam vnam Catholicam Eccleſiam nunc habere malos permixtos, tunc nõ habiturã &c.*] Vt per omnes libros contra Donatiſtas : De Eccleſia præſente, non ſolum Iuſtorum, ſed etiam grauium & publicorum Peccatorum; quia hæreſis Donatiſtarum erat, quòd vera Eccleſia non ferat Peccatores, aut ſaltem graues & publicos, ſed eorum toleratione & mixtione pereat. Vnde non poteſt dubitari quin *B. Aug.* tales etiam peccatores in vera Eccleſia eſſe fateatur : idque etiam pertinere ad rem & nomen Catholicæ. De vniuerſitate autem temporum, ſeu eiuſdem continua ac indefectibil ſucceſſione : infra, ſub titulo Indefectibilitatis.

*Contra nomen & rem Eccleſiæ, vt Catholicæ.*

1. EX ſacra Script. *Luc.* 12. Nolite timere puſillus grex. *Matt* 20. Multi ſunt vocati, pauci verò electi.

2. Ex *B. Aug. Lib.* 1. *De Bapt. cap.* 16. Eccleſia quæ peperit *Abel*, & *Enoch*, ipſa & omnes bonos Chriſtianos. Quæ peperit *Cain*, eadem & *Iudam* &c. *Cap.* 17. Semper ab illius Eccleſiæ, quæ ſine macula & ruga eſt, vnitate diuiſus eſt, etiam qui in congregatione SS. carnali obduratione miſcetur &c. Spiritales autem non eunt foras. *Libro.6. cap.* 1. Secundùm præſcientiam Dei, ſicut multæ oues errant exterius : ita multos lupos inſidiari interius. *Cap.* 3. Malos non pertinere ad Sanctam Eccleſiam Dei, quamuis intus eſſe videantur. *Cap.* 24. Si in Petra eſt Eccleſia : qui ſuper arenam ſunt, quia extra petram ſunt, profectò extra Eccleſiam ſunt. *Lib.2. contra Petil. cap.* 108. Non ideo putandi ſunt eſſe in Chriſti Corpore, quod eſt Eccleſia: quia Sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus Sancta ſunt : ipſi autem non ſunt in illa Eccleſiæ cõpage &c. Illa quippe Eccleſia in *Petra* eſt, *Matt.* 16. Illi autem in *arena* ædificant, *Matt.* 7. Sed nè putes Eccleſiam quæ in Petra eſt, non diffundi vſque ad fines terræ : audi, *Pſal.* 60. *A finibus terræ te ad clamaui.* Sic & *Lib. de vnit. Eccleſiæ c.*21. *Lib.*19. *Ciu. cap.*7. Diabolus non eſt ſeducturus gentes, ex quibus prædeſtinata conſtat Eccleſia. *In Pſal.* 131. In his eſt domus Dei, quos prædeſtinauit & præſciuit perſeueraturos. *Tract.* 25. *in Ioan.* 10. *Oues eius vocem eius audiunt.* Nouit Dominus qui ſunt eius &c: Ipſæ Oues aliquando ſe neſciunt: ſed Paſtor nouit eas &c. Secundùm præſcientiam Dei & prædeſtinationem, quàm multæ Oues foris, quàm multi Lupi intus?

3. Eccleſia non potuit eſſe Catholica ab initio, nec re, nec nomine : Ergo hoc non eſt ſignum veræ Eccleſiæ; quia erat vera priuſquam eſſet, aut diceretur Catholica. Deinde poteſt deficere ab hac re, & nomine: nec tamen à vera Eccleſia. Vt patet ex eius ſtatu præſenti, & tandem ſub finem mundi futuro.

*Reſp. Ad* 1. De puſillo grege, & paucitate humilium ac Electorum ad gloriam : ſed de multitudine vocatorum, & conuocatorum ad Eccleſiam; à qua vocatione ipſa Eccleſia ſic denominatur. Poſſet etiam intelligi de puſillo grege Eccleſiæ originalis : & de paucitate Electorum, ſeu venientium ad fidem & Eccleſiã, cõparatione vocatorum non venientium. Sed Hæretici ſolent hinc gloriari de ſua paucitate, donec multiplicentur, & glorientur de multitudine. Vt patet ex *B. Aug. lib. de vnitate Eccleſiæ cap.* 7. Quid eſt hæretici, quod de paucitate gloriamini? *Chriſtus traditus eſt ad mortem, vt hæreditate multos poſſideret, Eſa* 33. *&* 34. *Multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum* .i. Eccleſiæ magis quàm Synagogæ. Comparent Hæretici multitudinem ſuã in Africa, cum multitudine Iudæorum per omnes terras: & videant quàm ſint in illorum comparatione pauciſſimi &c. Comparent multitudinem Chriſtianorum per omnes gentes : & videant quàm pauci ſint in cõparatione omnes Iudæi &c. *Cap.* 8. Ex *Pſal.* 2. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam omnes fines terræ. Pſal.* 21. *Conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ. Pſal* 18. *In omnem terram &c. Pſal.* 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ : Omnes gentes ſeruient ei &c. Fiat fiat.* Ite nunc Donatiſtæ, & clamate : *Non fiat, non fiat.* Vicit vos verbum Dei, dicens *Fiat, fiat. Cap.* 9. Reſpondent, cùm cœpiſſet per orbem creſcere Eccleſia : noluerunt homines perſeuerare, & defecit ex omnibus gentibus Chriſtiana Religio, excepta parte *Donati.* Quaſi verò neſcierit Spiritus Dei futuras hominũ voluntates. Cur ergo non hoc potiùs prænunciauit? Hoc enim modo quo ipſi putant, quiſquis voluerit, poteſt eſſe Propheta : vt cùm ea quæ prædixerit, non fuerint impleta, reſpondeat, Homines noluerunt. *Cap.* 10. *ex. Luc.* 24. *Sic oportebat Chriſtum pati, & prædicari in nomine eius per omnes Gentes, incipientibus ab Hieruſalem &c.* Teneamus ergo Eccleſiam ex ore Domini deſignatam: vnde cœptura, & quouſque peruentura &c. *Cap.* 11. *Ex Act.* 1. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & vſq; in totam terram &c.* Ecce & hic vnde cœptura, & quouſque peruentura Eccleſia. *Cap.* 13. Et iſta, inquiunt, credimus. Enoch *Gen.*5. inter omnes homines Deo placuit. *Gen.*7 Solus Noe cum coniuge, filijs, & nuribus ſuis in Arca meruit liberari. *Gen.* 19. Loth ſolus, cum Filiabus ſuis de Sodomis liberatus fuit. *Abraham Iſaac, Iacob.* pauci fuerunt : cæteri idolis dediti. 3. *Reg.* 10. Duæ ſolæ Tribus adhæſerunt *Salomoni* &c. *Ioan.* 6. Diſcipulis 72. apoſtatantibus, ſoli 12. Apoſtoli cum Chriſto remanſerunt. His ſuam paucitatem commendare conantur &c. Ecce nos illa credimus : credant & ipſi prædicari in nomine Chriſti pœnitentiam per per omnes Gẽtes, incipientibus ab Hieruſalem &c. Et iſta, inquiunt, *credimus, & completa eſſe confitemur : ſed poſtea Orbis terrarum apoſtatauit, & ſola remanſit Donati communio.* Hoc nobis legant, ſicut le-

præuaricationis accuſas: quia Doctrinæ Apoſtolicæ, & ſui Deceſſoris ſententiæ noluit refragari &c. Non eſt cur prouoces ad Orientis Antiſtites: quia & ipſi vbique Chriſtiani ſunt; & vtriuſque partis terrarum fides iſta vna eſt, quia Chriſtiana eſt. Et te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Eccleſia &c. Nunquid Manichæa fuit, quando iſto modo te peperit, quo iam non vis vt pariat? *Libro de vnitate Eccleſiæ cap.* 12. Quis deleuit Eccleſias Apoſtolico labore fundatas? Vos ſolas Apoſtoli Epiſtolas in lectione: nos autem Epiſtolas in lectione ac fide, & ipſas Eccleſias in communione retinemus. *C.* 17. Tenent Eccleſiæ Apoſtolico labore fundatæ, cum quanta cura ſibi prædictum ſit, *Gal.* 1. *Si quis vobis Euangelizauerit præterquàm quod accepiſtis, Anathema. In Pſal.* 44. Quotquot Apoſtoli genuerunt: non *Paulianos*, aut *Petrianos*, ſed Chriſtianos nominauerunt; quia ſemen illud ſuſcitauerunt fratri ſuo, *Deut.* 25. Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore templum *Romuli*: in quanto ibi oſtendo memoriam *Petri*. In *Petro* quis honoratur: niſi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Chriſtiani, non *Petriani*: etſi nati per fratrem defuncti, tamen cognominati nomine Defuncti, per illum nati, ſed illi nati, &c. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij* .i. Genuerunt te Apoſtoli, &c. Ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? Abſit, &c. Pro Apoſtolis Filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi, &c. De prole tua tibi creuit paternitas. *In Pſal.* 86. Fundamēta eius, &c. *Eph.* 2. Superædificati, &c. Angulus in fundamento eſt, &c. Vt Chriſtus dicitur Sanctus Sanctorum: ſic figuratè, Fundamentum fundamentorum, &c. Quare ſunt fundamenta Apoſtoli & prophetæ? Quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtrā. Quare ſunt portæ? Quia per ipſos intramus ad regnum Dei. Vna porta Chriſtus, & 12. portæ Chriſtus: quia in 12. portis Chriſtus. *In Pſal.* 126. *Sicut ſagittæ in manu potentis: ſic filij excuſſorum.* De arcu excutiuntur ſagittæ: & quāto fortior excuſſerit, tantò longiùs vadit ſagitta. Quid autem fortius Domino excutiente de arcu mandati Apoſtolos ſuos? *Tract.* 2. *in* 1. *Ioan.* 2. Nemo dubitat de Eccleſia, quia per omnes gentes eſt, quia ab Hieruſalem cœpit &c. Cùm dicimus: ſi Chriſtiani Catholici eſtis, communicate illis Eccleſijs, vnde Euangelium toto orbe diffūditur &c. Reſpondent: *Non communicamus ei Ciuitati, vbi occiſus eſt Rex noſter &c.* Pij homines: multum dolent occiſum eſſe Chriſtum, & occidunt in hominibus Chriſtum. At ille dilexit illam Ciuitatem, & miſertus eſt eius. Inde dixit incipere prædicationem ſuam. Vbi inchoata eſt Eccleſia, niſi vbi venit de cælò Spiritus Sanctus? Vbi ergo omnes linguæ ſonuerunt, omnes linguæ crediture oſtendebantur. Iſti autem ſic honorant Chriſtum: vt dicant illum remanſiſſe ad duas linguas, Latinā, & Punicam. *Epiſt.* 86. Non tantùm Orientis Populos Chriſtianos: verùm & ipſam Eccleſiam Romanam incautus & improuidus accuſat &c. Petrus Romanos docuit: quorum fides annunciatur vniuerſo orbi. *In Pſal. Abecedario.* Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in illo ordine Patrum, quis cui ſucceſſerit videte. Ipſa eſt *Petra* quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. 1. *Retr.* 21. Scio me ſæpiſſimè expoſuiſſe de Chriſto &c. Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat Lector. *Lib de Pecc. Orig. cap.* 8. Pelagius feſellit iudicium Palæſtinum: Romanam verò Eccleſiam, vbi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere non potuit. Recoluit enim B. Papa Zozimus, quid imitādus Prædeceſſor eius *Innocentius* de ipſis ſenſerit geſtis. Attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides. *Lib.* 2. *contra duas Epiſt. Pelagij, cap.* 3. Pelagiani ſpe falſa ſperauerant nouum & execrabile dogma perſuaderi poſſe quorundam Romanorum Catholicis mentibus. *Epiſt.* 161. Manifeſtum eſt nos omnibus Eccleſijs Apoſtolicis hodie communicare: ſicut vos iſtis Eccleſijs non communicare. *Epiſt.* 162. In Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus. *Epiſt.* 165. Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt: quantò certius & verè ſalubriter ab ipſo *Petro* numeramus? *Petro enim ſucceſſit Linus, Clemens, Anacletus, Euariſtus, Alexander, Sixtus, Theleſphorus, Iginus, Anicetus, Pius, Sother, Eleutherius, Victor, Zepherinus, Calixtus, Vrbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Xiſtus, Dionyſius, Felix, Eutichianus, Gaius, Marcellinus, Marcellus, Euſebius, Miltiades, Syluester, Marcus, Iulius, Liberius, Damaſus, Siricius, Anaſtaſius.* In hoc Ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur.] Plura ſub titulo Papæ.

## *Contra hoc ſignum veræ Eccleſiæ, vt eſt Apoſtolica.*

CHriſtus elegit, miſit, commiſit, & promiſit idē omnibus Apoſtolis: ergo & omnibus Eccleſijs Apoſtolicis. Quibus S. *Aug.* ſupra, videtur deferre æqualem certitudinem: imò & præferre Eccleſiam Hieroſolimitanam. Quod ſi Romana cenſenda ſit antonomaſticè Apoſtolica; cur non potiùs aut ſaltem æquè à S. *Paulo*, qui antonomaſticè dicitur Apoſtolus, quàm à S. *Petro*? Cùm ipſe Papa in Concilijs, & extra ſoleat proteſtari ſe procedere ex authoritate Apoſtolica SS. *Petri & Pauli*: & S. Leo Papa Serm. 1. de Natali SS. *Petri & Pauli*, æquè tribuat S. *Paulo* ac S. *Petro* dignitatem Eccleſiæ Romanæ; S. *Chryſ. Serm. in Epiſt. ad Rom.* preferat etiam S. *Paulum*, aut ſaltem prænominet; S. *Aug.* eos inter ſe pares cenſere videatur, in poteſtate Apoſtolica. Vt *Serm.* 26. *de diuerſis.* Nunquid iſtas claues *Petrus accepit*, *Matt.* 16. & *Paulus* non accepit? Aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claues? *Serm.* 29. *de Sanctis* qui eſt 5. de *SS. Petro & Paulo.* Hodie duos Chriſtiani nomine fundatores feſta concelebrant. Et ante omnes *Tertull. lib. de præſcript.* Fœlix Eccleſia Romana: cui totam Doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt &c.

Reſp.

*Reſp.* Si omnes Apoſtoli fuerint æquales commiſſione: non tamen poteſtate ordinaria, quæ ad omnes eorum ſucceſſores æqualiter deſcenderit. Vt infra ſub titulis Papæ, & Conciliorum.

Nec *B. Aug.* Supponit, aut intendit omnes Eccleſias Apoſtolicas eſſe æquales: ſed non poſſe omnes deficere ab vnitate & veritate fidei. Quod autem Eccleſiæ Græcæ, ſeu Orientales, ab Apoſtolis fundatæ, cum ſuis Epiſcopis notoriè defecerunt à veritate fidei, de æqualitate Filij Dei cum Patre, de proceſſione ſpiritus S. à Patre & Filio, de duplici voluntate Chriſti, de vera Deipara *V. M.* &c. ſimulque ab vnione & vnitate cum Eccleſia Romana, Latina ſeu Occidentali: confirmat hanc eſſe principalem, radicalē, & omnium Matricem, ſolamque cum ſibi adhærentibus indefectibilem. Vt infra, ſub titulo indefectibilitatis. Nec præfert Hieroſolymitanam, poteſtate aut certitudine: ſed tantùm origine locali, in ſignum certum & facile, quòd illa ſit vera fides & Eccleſia, quæ indè orta & propagata, ſiue ibidem, ſiue alibi continuatur & radicatur. Vt enim magni fluuij conflantur & durant ex aquis vndique confluentibus: quamuis oriantur ex paruis fontibus aut torrentibus aliquando areſcentibus. Sic & vera fides ac Eccleſia, ex omnibus populis confluxit in maximum ſinum ſeu alueum indefectibilem Eccleſiæ: indeque in omnes deriuatur; quamuis origo localis aruerit, & Eccleſiæ priores origine. Quæ Eccleſia Romana denominatur antonomaſticè Apoſtolica, à *S. Petro*, potiùs quàm à *S. Paulo*, quamuis hic vocetur antonomaſticè Apoſtolus: quia hic eſt antonomaſticè Apoſtolus à Doctrina & prædicatione, ſed *S. Petrus* à poteſtate, ſtatu, & iuriſdictione ordinaria, quæ ſignificatur per Sedem Apoſtolicam. Solent autem Papæ in Cōcilijs, & extra loqui & agere ex authoritate vtriuſque Apoſtoli: quoad eorum merita, vel poteſtatem *S. Petri*, & doctrinam *S. Pauli*, vel quoad poteſtatem illius ordinariam, huius commiſſariam. Hinc *Tertull.* Felicitat Eccleſiam Romanam, ab effuſa in illam vtriuſque Doctrina cum ſanguine. *S. Aug.* tribuit vtrique claues Eccleſiæ: ſed *S. Petro* præcipuè clauē poteſtatis, *S. Paulo* clauem ſcientiæ. *S. Chryſ.* non præfert *S. Paulum*, prænominando, niſi quoad excellentiam Doctrinæ, de qua agit ex profeſſo. *S. Leo* expreſſè agit de fundatione Eccleſiæ Romanæ ab vtroque, per prædicationem *Euangelij*: non de ipſo ſtatu fundamentali, quem ibidem tribuit *S. Petro*, dicens: *O Roma per ſacram B. Petri ſedem, Caput Orbis effecta, latius præſides religione Diuina, quàm dominatione terrena.* De quo plura ſub titulo proprio Papæ.

## De indefectibilitate Eccleſiæ.

LIb. 3. *contra* Parm. *cap.* 10. Si iam tunc non erat Eccleſia, &c. vnde natus eſt *Maiorinus*, aut *Donatus*; vt per eos naſceretur *Parmenianus*, atque *Primianus*, *Lib.* 20. *Ciu.* 8. Eccleſia ex quo inſtituta eſt, hic fuit, & erit omni tempore: in ſuis vtique qui ſuccedant naſcendo morientibus. *Lib. 3. contra Iul.* 17. Si per Sanctos Antiſtites & Doctores Manichæi conſtuprauerunt Eccleſiā: dic mihi *Iuliane*, quæ te peperit? Vtrumne caſta, an meretrix, in lucem quam deſeruiſti per vterum ſpiritualis gratiæ enixa eſt? Sic & alibi ſæpè. Vt *Lib. 3. de Baptiſmo cap.* 2. Si tunc non erat Eccleſia: Vnde *Donatus* apparuit, de qua terra germinauit, de quo mari emerſit, de quo cælo cecidit? *Lib.* 1. *contra Creſc. cap* 32. Quiſquis falli metuit, Eccleſiam conſulat, &c. Vt ſupra. *In Pſal.* 47. *Deus fundauit Eccleſiam in æternum*: quid times ne cadat fundamentum? *In Pſal.* 70. *De Docuiſti me à iuuentute mea, & vſq; in ſenectam & ſenium* .i. Vſque in finem ſeculi erit hîc Eccleſia. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque in conſummationē ſæculi. Matt. vlt.* Quare iſta oportebat vt dicerētur in Script. Quia futuri erant Inimici Chriſtianæ fidei, qui dicerent: Ad paruum tempus ſunt Chriſtiani, poſtea peribunt, & redibunt Idola. *In Pſal.* 77. Quis fidelium dubitat Eccleſiam in æternum eſſe fundatam? *Pſal.* 86. Fundamenta eius, &c. Vt ſupra. *In Pſal.* 101. Si Eccleſia quæ fuit omnium Gentium, iam non eſt, perijt. Hoc dicunt qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illa non es? Vide nè tu ideo non ſis: nam illa erit, & ſi tu non ſis, &c. Quoniam quidam dicturi erant, fuit, & non eſt: *Paucitatem*, inquit, *dierum meorum nuntia mihi, &c.* Quamdiu ero in iſto Sæculo: *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; in conſummationem ſæculi. Matt.* 28. Hîc vos dicitis: *De nobis dixit, Nos eramus vſq; in conſummationem ſæculi.* Interrogetur ipſe Chriſtus, *Matt.* 24. *Prædicabitur hoc Euangelium in toto orbe terrarum, & tunc veniet finis, &c.* Quid eſt quod dicis, iam perijſſe Eccleſiam de omnibus gentibus: quando adhoc prædicatur Euangelium, vt poſſit eſſe in omnibus Gentibus? Ipſa eſt paucitas dierū: quia exiguū eſt quod finitur, &c. *Ne reuoces me in dimidium dierum meorum*: Vt Hæretici loquuntur. *In pſal.* 103. *Conc.* 1. *Fundauit terram ſuper firmamentū eius.* i. Chriſtum, 1. *Cor.* 3. Non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Ipſa eſt prædeſtinata Columna, & Fundamentum veritatis, 1. *Tim.* 3. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine.* Multi cadent: ſed Domus illa ſtat. An paruo tempore? Abſit. *In longitudinem dierum. In Pſal.* 95. Correxit Orbem terræ, qui non commouebitur. Et tu dicis non ſolùm motum poſt correctionem: ſed etiam diminutum? *In pſal.* 118. *Conc.* 20. *Quot ſunt dies ſerui tui &c.* Ne quis putaret aliquid tēporis futurum in hoc ſæculo, quo Eccleſia non ſit in terris, &c. *In pſal.* 128. *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: dicat nunc Iſrael. Etenim non potuerunt mihi.* Senectus Eccleſiæ expugnatur, ſed non timeat &c. Conſoletur ſe de præteritis exemplis. *Lib de ſymbolo cap.* 6. Eccleſia pugnare poteſt, expugnari non poteſt.

## De euidentia morali Eccleſiæ.

LIb. *de vnitate Eccl. c.* 2. Dicunt, Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, *Matt.* 24. Audiamus potiùs vocem Paſtoris noſtri dicentis: *Nolite credere.*

Digitized by Google

dere. *Cap.* 11. Præmunire voluit aures noſtras aduerſos eos quos prædixerat dicturos, *Matt.* 24. Ecce hic Chriſtus, ecce illic. Nec vlla nobis excuſatio eſt, ſi crediderimus contra vocem tam claram Paſtoris noſtri, &c. Cùm verba hominis morientis audiuntur, nemo eum dicit eſſe mentitum, &c. Quomodo ergo fugiemus iram Dei, non credentes verba nouiſſima vnici Filij Dei, ituri in Cælum, & inde proſpecturi quis ea negligat, &c. Habeo manifeſtiſſima mvocem Paſtoris mei, mihi commendantis, & ſine vllis ambagibus exprimentis Eccleſiam: mihi imputabo, ſi ab ea per verba hominum ſeduci voluero. *Cap.* 12. Euangelizata eſt nobis Eccleſia per totum orbem futura, &c. Aliud autem euangelizat qui periiſſe dicit de cætero mundo Eccleſiam, & ea parte Donati in ſola Africa remanſiſſe: Ergo Anathema ſit, aut legat mihi hoc in SS. Script. *Cap.* 16. Scriptum eſt, inquiunt, de ſponſa .i. Eccleſia, ad ſponſum *Cant.* 1. Nuncia mihi, vbi paſcis, vbi cubas? In meridie. Eò quòd *Africa* in meridiana parte ſit. Non interrogat, Vbi cubas: ſed hæc omnia ſimul, *Vbi paſcis vbi cubas in meridie? Ne fiam ſicut operta* .i. patens, *ſuper greges ſodalium tuorum.* Vbi legimus: *Nè euagari incipiam.* Reſpondet ſponſus. *Niſi cognoueris teipſam:* vbi legimus, *Si ignoras te, &c.* Non eſt autem iſta operta: quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in Domo ſunt, *Matt.* 5. Ibidem. Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta. Sed Donatiſtis velut operta eſt: qui audiunt tam lucida teſtimonia, & malunt oculis clauſis offendere in montem, quàm in eum aſcendere, qui cùm *Dan.* 2. eſſet lapis præciſus de monte ſine manibus, creuit & factus eſt mons ingens, & impleuit vniuerſam terram, &c. Quòd ſi ſponſus à ſponſa de loco familiariùs dilecto, & quodam cubili ſuo ſecreto interrogatus, reſponderet eſſe in meridie: multò probabiliùs in Ægypto, in millibus ſeruorum Dei, qui per Eremum in ſancta ſocietate viuunt, &c. vt *Matt.* 19. Si vis perfectus eſſe, &c. *Cap.* 25. Non eſt obſcura quæſtio, in qua vos fallant quos ipſe Dominus prædixit dicturos, *Matt.* 24. *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic: ecce in deſerto,* quaſi vbi non eſt frequentia multitudinis; ecce in cubiculis, quaſi in ſecretis traditionibus atque doctrinis. Habetis Eccleſiam vbique diffundi, & creſcere vſque ad meſſem: habetis Ciuitatem de qua ipſe qui eam condidit ait, *Non poteſt abſcondi Ciuitas ſupra montem conſtituta.* Ipſa eſt ergo quæ non in aliqua terrarum parte, ſed vbique notiſſima eſt. Hæc temporales aliquando etiam in ſuis frumentis patitur tempeſtates: vt in quibuſdam locis non cognoſcantur, ſed tamen illic etiam lateant. Neque diu falli poteſt diuina ſententia: quoniam creſcunt vſque ad meſſem.] Exemplificat in quodam ſeditioſo turbulentoque Concilio Africano apud Carthaginem: ex quo multi errore facti aliquamdiu auerſi fuerunt à Catholicis ad Donatiſtas; ſed multi ab errore ad veritatem & vnitatem Catholicam redierunt. Secretæ illæ *Traditiones* quæ ſupra reprobantur: non ſunt veræ Traditiones Eccleſiæ; quia hæ non ſunt ſecretæ, ſed notoriæ ex ſola inquiſitione & collatione. *Epiſt.* 48. *ad Vincentium Rogatiſtam.* O reſponſio dulciſſimi Sponſi. *Cant.* 1. *Niſi cognoueris temetipſam, exi tu in veſtigijs gregum.* Non ego te eiicio, ſed exi, vt 1. *Ioan.* 2. Non in veſtigijs meis, nec vnius gregis, ſed gregum errantium: & paſce hœdos tuos in Tabernaculis Paſtorum. Non ſicut *Petrus, Ioan.* 21. *Paſce oues meas:* nec in Tabernaculo Paſtoris, vbi eſt vnus grex & vnus Paſtor, *Ioan.* 10. Ipſa eſt quæ aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum: quando peccatores intendunt arcum, vt ſagittent in obſcura Luna rectos corde, *Pſal.* 12. Vbi legimus, in obſcuro. Sed etiam tunc in firmiſſimis ſuis eminet. Et fortaſſe non fruſtra dictum ſit de ſemine *Abrahæ, Gen.* 22. *Sicut ſtellæ cæli, & arena maris:* Vt in ſtellis cœli, pauciores, firmiores, clarioreſque intelligantur; in arena maris, magna multitudo infirmorum atque carnalium.] Exemplificat in tempore *Arrianiſmi.* Quis enim neſcit illo tempore obſcuris verbis multos parui ſenſus fuiſſe deluſos, vt putaret hoc credi ab *Arrianis,* quod ipſi credebant: Alios autem timore ceſſiſſe, & ſimulatè conſenſiſſe, &c. Quamuis illi qui tunc firmiſſimi erant, & verba Hæreticorum inſidioſa intelligere poterant, ſed pauci comparatiuè: tamen quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. *Lib.* 13. *contra Fauſtum, cap.* 13. Quo manifeſto indicio tenebo Eccleſiam Chriſti? Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta, *Matt.* 5. *Lib.* 2. *contra Petil. cap.* 32. In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Pſal.* 18. Hinc fit vt Eccleſia vera neminem lateat. *Cap.* 104. Non eſtis in montibus *Sion:* quia non eſtis in Ciuitate ſupra montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quòd abſcondi non poteſt. *Lib.* 2. *contra Creſ. cap.* 36. Extat Eccleſia cunctis clara atque conſpicua: quippe Ciuitas quæ abſcondi non poteſt, ſupra montem conſtituta, per quam Chriſtus dominatur à mari vſque ad mare. *Lib. ſeu Epiſt.* 120. ad *Honoratum cap.* 17. In medio Eccleſiæ, &c. Ad eminentiam referas, & ad manifeſtationem. *In Pſal.* 18. In ſole poſuit Tabernaculum ſuum .i. in manifeſtatione Eccleſiam, non in occulto. *In Pſal.* 98. Adorate in monte ſancto eius. Si agnoſcant Eccleſiam Catholicam: adorabunt in iſto monte, &c. In *Pſal.* 147. Quis numeret teſtimonia de Eccleſia toto orbe diffuſa? Non ſunt tot in orbe hæreſes contra Eccleſiam, quot ſunt teſtimonia pro Eccleſia, &c. Tam nullam habet dubitationem Eccleſia & vxor Chriſti: quàm Corpus Chriſti demonſtratum oculis, contrectatum manibus diſcipulorum.

*Contra Indefectibilitatem, & Euidentiam Eccleſiæ.*

1: EX ſacra Script. quæ ſæpè comparat Eccleſiam Lunæ: vt proficienti & deficienti, apparenti & diſparenti. Vt *Cant.* 6. Pulchra vt Luna. *Matt.* 24. Luna non dabit lumen ſuum. Refert ab initio mundi varios profectus & defectus, apparitiones & diſparitiones Eccleſiæ vſque ad vnum *Abel, Enoch, Noe, Abraham, Heliam;*

imò tempore Chriſti, vſque ad paucos Apoſtolos, ſub morte eius ad nullos, vel ad ſolam Deiparam, & paucos latentes. Prædicit *Luc.* 17. *Regnum Dei non venit cum obſeruatione : neque dicent, Ecce hic, aut illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt. Matt.* 24. *Surgent pſeudo-Chriſti, & pſeudo-Prophetæ : & dabunt ſigna magna & prodigia ; ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Comparat Regnum Dei, ſeu Eccleſiam etiam præſentem, *theſauro, & fermento abſcondito, Mat.* 13. Vbi & Chriſtus ſub parabolis, docet ſolos electos. *Ioan.* 10. Proteſtatur oues ſuas ſibi ſoli eſſe notas, & ſe illis. *Rom.* 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, &c. *Epheſ.* 4. Vocati eſtis in vna ſpe, &c. A qua vocatione ſecreta, cùm denominetur Eccleſia, non poteſt & ipſa non eſſe ſecretiſſima. Hinc 1. *Ioan.* 2. Ex nobis prodierunt : ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis : permanſiſſent vtique nobiſcum, &c.

2 Ex SS. Patribus, & Hiſtorijs Eccleſiaſticis: quarum duas refert *S. Aug.* ſupra. *Lib. de vnitate Eccleſiæ, cap.* 25. De occultatione veræ Eccleſiæ in Africa : breui quidem, ſed ſaltem aliquo tempore, quod potuit diutiùs durare. *Epiſt.* 48. De occultatione veræ fidei & Eccleſiæ toto orbe Chriſtiano, ſub Arrianiſmo, tempore *S. Hilarij*, de quo *S. Hier.* Orbis terrarum ingemiſcens Arrianum ſe eſſe miratus eſt.

3. Ex experientia hodierna, defectionis totius Eccleſiæ Orientalis, & plurimarum aliarum à veritate fidei, & vnitate Eccleſiæ Romanæ.

4. Ratione. Quia vera Dei vocatio & fides neceſſaria ad veram Eccleſiam, eſt occultiſſima : ergo & ipſa vera Eccleſia. Hinc Miniſtri hæreſeos in Conferentia noſtra Limburgenſi, & poſt in ſua Apologia *à pag.* 44. *ad* 58. & Monachomachia *à pag.* 61. *ad* 70. hæc de ſua Eccleſia ediderunt. 1. Quòd ſub Eccleſia vniuerſali in Symbolo, intelligant omnes & ſolos fideles, vocatos & electos à Deo, ex fundo ſuæ æternitatis. 2. Quòd hæc Eccleſia conſtet triumphante, & militante. 3. Quòd hanc vocent inuiſibilem : quia Philoſophia docet vniuerſalia qua talia, non cadere ſub ſenſus. Deinde quia eius potior pars eſt in cœlo : reliqua per terram diſperſa, non poteſt ab vllo tota cognoſci. Denique quia electio Dei & fides ſunt inuiſibiles : vnde quilibet fidelis poteſt dici viſibilis ſecundùm corpus, & inuiſibilis ſecundùm electionem & fidem : ſicut idem homo poteſt dici viſibilis & mortalis ſecundùm corpus; ſed inuiſibilis & immortalis ſecundùm animam. 4. Quòd tantùm Eccleſiæ particulares ſint viſibiles, ex ſignis exercitij publici Religionis, prædicationis puri Verbi Dei, vſus legitimi Sacramentorum, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & ipſorum corporum humanorum. 5. Quòd nunquam deſit angulus aliquis terræ filijs Dei, vbi poſſint ei liberè ſeruire, loco ſaltem Deo noto : præter diſperſos abſque exercitio. 6. Prouocant omnes Papiſtas ad exhibendum vel vnum Iota ex ſacra Script. pro Eccleſia Romana. 7. Quòd Eccleſia Romana defecerit ad Idolatriam, ſitq; illa *Babylon Apoc.* 14. 17. 8. Quòd hodierni Reformati ſucceſſerint Waldenſibus & Albigenſibus.

*Reſp.* Ad plæraque ex prædictis. *Ad* 1. Non comparatur Lunæ vt prorſus deficienti & diſparenti : ſed vt à ſuo Sole Chriſto illuminatæ ; non ſemper æqualiter, ſed ſufficienter vt præſit nocti, ad dirigendos fideles viatores in vera fide, imò & infideles ad veram fidem. Ex *Gen.* 1. *Cant.* 6. Pulchra vt Luna : ſed electa vt Sol. Nec *Matt.* 24. eſt propriè de Eccleſia : nec de tali defectu luminis ordinarij. *Aug. in Pſal.* 10. *Vt ſagittent in obſcura Luna, ſeu in obſcuro, rectos corde.* In Eccleſiæ nouitate videri plena luna non poterat, id eſt, Eccleſia, &c. Nunc quid mihi eſt in cognitis perturbari ? In *Pſal.* 103. *Conc.* 3. Fecit Lunam in tempora .i. Eccleſiam de minimo creſcentem, & quodammodo ſeneſcentem, ſed vt propinquet ad Solem. Quando obſcura erat Eccleſia, nondum apparebat, nondum eminebat : ſeducebantur homines, &c. Modò quàm cœcus eſt, qui plenâ Lunâ errat.] Ad reliquas Script. Non ſunt de Eccleſia vt iam formata ex latere Chriſti, & ab eo plenè illuminata : ſed de aliqua ſemper luce fidei in paucis fidelibus, in vel extra Synagogam; non tamen de Eccleſia Chriſti formata, nec quaſi de nouilunio Eccleſiæ, & fide ac Euangelio Chriſti adhuc latente, vel de fine, ſeu inſtante perfectione Eccleſiæ in glorioſam, & ſubito aduentu vltimo Chriſti ; vel de ſolis electis ex Eccleſia præſenti, ad futuram gloriam ; vel denique de Vocatis ſecreta illa vocatione ex vi prædeſtinationis, à qua præſens Eccleſia non denominatur, ſed à vocatione communi. De qua *Eph.* 4. Vocati eſtis in vna ſpe, &c.

*Ad* 2. Nec ſtatus ille ſolius Eccleſiæ Africanæ, ſub Donatiſmo : nec Eccleſiæ Orientalis ſub Arrianiſmo, eſt contra, ſed potiùs pro indefectibilitate & euidentia veræ Eccleſiæ, vt Romanæ, ſeu omnium ei adhærentium. Contra Donatiſmum, Arrianiſmum, & omnes hæreſes. Nec *S. Aug.* refert tunc Eccleſiam Africanam aut Orientalem defeciſſe, aut diſparuiſſe : ſed errore facti perturbatam, & quaſi obnubilatam fuiſſe. Sed vt ſol, & luna, ac ſtellæ tranſparent per nubes : ſic ſemper Eccleſia in ſuis Maioribus & lucidioribus, inter omnes breues perturbationes. Hoc enim ipſo quo tunc conſtabat Maiores Eccleſiæ pro fide exulare & latere : Eccleſia non defecerat nec diſparuerat ; ſed hac ipſa fama ſubſiſtebat & apparebat. Imò ſub ipſo timore noui nominis & errore facti, lucebat ipſa fidei & Eccleſiæ antiquitas : cauebatque ab omni noua doctrina, & praxi Religionis ; donec conſtaret nomen Homouſion non eſſe nouæ, ſed antiquæ ſignificationis, fidei, & Eccleſiæ. Nec illud *S. Hier.* eſt de ipſa Eccleſia, ſed de imperio Chriſtiano : nec de errore formali Eccleſiæ, ſed populari & materiali.

*Ad* 3. vt ſuprà. Imò ex tanta vndique impugnatione, ſine expugnatione Eccleſiæ, patet eius vera ſtabilitas & euidentia : quæ non eſt localis, ſeu vlli loco aut nationi affixa, vt quondam Synagoga ; ſed velut exercitus mobilis, ex aggregatione omnium fidelium ſub vno eodemque Duce. Vel ſicut Sol non ſimul vbique lucet : ſed totum orbem ſucceſſiuè illuminat. Vel ſicut idem corpus humanum : quamuis ex partibus materialibus

per

Digitized by Google

per corruptionem & adgenerationem ſibi inuicē ſuccedentibus. Quod tamen non iam decreuiſſe videatur: cùm habeat adhuc fideles ex omnibus gentibus ex quibus vnquam habuit, & plurimos aliunde acquiſierit; ſed tantùm ſeneſcere & marceſſere, ſub ſpe ſenilis adhuc vegetationis & accretionis. Hinc quamuis Eccleſia Romana dicatur & ſit indefectibilis: non tamen quoad locum, ſed quoad hunc ſtatum ſeu Hierarchiam, aggregationem, & ſubordinationem omnium fidelium, quocumque transferatur.

*Ad* 4. Ex noſtro exorciſmo 16. Cōtra illū quaſi præſtigioſum Gigis annulum: quo Miniſtri hæreſeos ſuam Eccleſiam deſponſare, & pro libitu viſibilem & inuiſibilem oſtentare contendunt. Quis enim non explodat illam eorum inſaniam: qua ſuæ potiùs Synogogæ quam Eccleſiæ, vniuerſalitatem ac inuiſibilitatem probant ex inuiſibilitate vniuerſalium apud Porphyrium? Quæ cùm non exiſtant realiter, ſed tantùm obiectiuè: nec eorum Eccleſia eſt vera & realis, ſed tantùm phantatica. Quis nō eos facilè conuincat formalis contradictionis, in eadem Eccleſia viſibili & inuiſibili? Cùm inuiſibilitas neget viſibilitatem: nec homo poſſit dici inuiſibilis, ſed ſola eius anima. Sic nec Eccleſia præſens: ſed ſola fides interna ſingulorum. Quis neſciat Eccleſias particulares eſſe partes vnitas, & integrales totiùs Eccleſiæ Catholicæ: quæ non ſolùm ſecundùm ſingulas, ſed etiam ſecundùm ſe totam, & ſimul viſibilis eſt. Non enim cenſetur viſibilis aut ſenſibilis ſenſibus externis, quoad corpora Fidelium, vt obiecta propria ſenſuum: ſed ratione facillima, ex illis noſtris ſignis ſenſibilibus & intelligibilibus, de quibus ſupra; non autem ex illorum ſignis, quæ vel ſunt ignotiora quàm ipſa Eccleſia, vel impertinentia ad eam ſignificandam. Cùm enim ex *Matt.* 18. omnes iniuriæ & controuerſiæ ſint referendæ ad iudicium Eccleſiæ: neceſſariò eſt viſibilis, & certior omnibus alijs ad eam referendis. Sed ad calumniam Idolatriæ, & meretricis illius Babylonicę, in Eccleſiam Romanam: ſupra, ſub titulo Eccleſiæ Apoſtolicæ & Romanæ, ac infra ſub titulo Papæ. Hîc autem non negatur tantùm illa calumnia, ſed & retorquetur in certitudinem Eccleſiæ Romanæ. Quia ſi Anti-Chriſtus ſeſſurus eſt, in Sede Eccleſiæ Romanæ, ſeu huius ſtatum vſurpaturus: ergo in ea eſſet vera ſedes ſeu ſtatus Eccleſiæ, vſque ad Antichriſtum, ſeu vſque ad finem mundi. Alioquin tot ſæculis ante nulla fuiſſet in ea Sedes ſeu ſeſſio & ſtatus veræ Eccleſiæ: ſed continuus ab initio defectus. Si Eccleſia defeciſſet ad Idolatriam SS. & imaginum: Idolatria non fuiſſet à Chriſto per Eccleſiam abolita, ſed in aliam mutata. Cùm tamen à Deo prædicta & promiſſa ſit eius abolitio perpetua, per Chriſtum & Eccleſiam: & *B. Aug.* ſæpè proteſtetur idololatriam non eſſe mutatam, ſed in perpetuum abolitam. Vt *Lib.* 20. *in Fauſt. cap.* 4. Contra hanc Fauſti calumniam: *Idola in Martyres vertiſtis, quos ſimilibus votis colitis, &c.* Serm. 109. De tempore cap. 4. *Pro ipſis Idolis repletà eſt terra Martyribus.* De quo in 4. de 4. Nouiſſ. q. 9. & ſupra quæſt. 14. Nec Antichriſtus eſt introducturus vllam aliam Idololatriam, quàm ſui ipſius. Si Eccleſia Romana eſſet illa Babilon, de qua *Apoc.* 14. 17. & *B. Aug. lib.* 18. *Ciu. cap.* 2. & 22. quæ eſt illa Eccleſia in *Babilone* Coelecta, vel collecta 1. *Pet.* 5. niſi noſtra vera? Ergo hæc Babylon vel eſt ſtatus Vrbis & Imperij Romani, conuerſus ab Idolatria, in veram Eccleſiam Chriſti; vel eſt ſtatus huius mundi, ſeu Ciuitas diaboli tandem euertenda, & condemnandi, ſaluâ & glorificatâ Eccleſiâ Chriſti *Ad vlt.* Cedimus eis originem ab *Albigenſibus*, *Waldenſibus*, & alijs hæreticis notorijs: ſed per ſecretam traducem, & monſtruoſam generationem, ex ſeminum ſeu variarum hæreſum confuſione, & participatione, nullius autem adæquatione. Ex *B. Aug. Lib. de Paſtoribus cap.* 8.

Porro cùm ipſe *B. Aug.* quamuis mitiſſimus, noluerit ferre hæc & ſimilia probra in Eccleſiam Catholicam, ſine vltione & retorſione: vt patet ex *lib.* 3. *in Iul cap.* 17. ſupra, & ex *Serm. contra Emeritum. Si rectè perſequor occultè proximo detrahentem: non rectius perſequor Dei Eccleſiam publicè blaſphementem, quando dicit, illa meretrix eſt, &c.* Quid mirum me Pſeudo-miniſtri Hottonij Calumniam idolatriæ in Eccleſiam Romanam, ſic retorſiſſe in eius Matrem vel Amitam aut Materteram, quam fama ferebat vt Sagam vel Sagacem igne probatam fuiſſe. *Quâ patientiâ ferres hanc calumniam in matrem tuam, vt Dæmoni ſuccubam: abſq; vllâ probatione? An gratam & ratam haberes hanc tuam excuſationem: quòd vt Eccleſia Romana necdum erat idololatra, quando genuit Sanctos: ſic mater tua necdum erat Saga, quando te genuit.*

Sed ad rem noſtram, de vera Eccleſia præſente: *Conc. Conſtantienſe* expreſſè condemnat errores hodiernos, inter Articulos *Ioannis Hus.* 3. *Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ &c.* 5. *Prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ.* 6. *Iſto modo Eccleſia eſt Articulus fidei.*

## *De Papa, & Concilijs Generalibus.*

1. EX ſacrâ Script. *Matt.* 12. Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur. *Matt.* 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Tibi dabo claues Regni cœlorum. *Matt.* 18. Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Luc.* 21. Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma Fratres tuos. *Ioan.* 21 Paſce oues meas, &c. *Act.* 1. Exurgens Petrus in medio Fratrum, dixit &c. *Act.* 15. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis. 1. *Tim.* 3. Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis. *Matt.* 18. Vbi fuerint duo vel tres cōgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. 28. Ecce ego vobiſcū ſū.

2. Ex Traditione & praxi ſummi Pontificis, & Conciliorum Generalium: Quorum 4. prima, ab omnibus poſterioribus habentur vt 4. Euangelia. 1. Eſt Nicænum, 118. Epiſcoporū. 2. Conſtantinop.



Digitized by Google

3. Epheſinum. 4. Chalcedonenſe.

3. Ex SS. PP. *Tertul. lib. de præſcript.* ſupra *S. Cypr. Epiſt. 3. ad Cornelium Papam.* Nauigare audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt: nec cogitare eos eſſe Romanos, quorũ fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum. *S. Hilar in Matt. 16.* Fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, &c. O beatus Cœli Ianitor. *Epiſt. 11.* Non ignoramus vnum Epiſcopum in Eccleſia Catholica eſſe debere. *S. Chryſoſt. in Rom. 1.* Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. Planum faciens, quòd nihil dictis addendum vel demendum eſſet. *S. Hier. Epiſt. 25. & 26. ad Damaſum Papam.* Mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam. *Infra.* Apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas. Ego Beatitudini tuæ .i. Cathedræ Petri communione ſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Obteſtor Beatitudinem tuam? vt mihi Epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas. *Epiſt. ad Geruntiam.* Cùm in chartis Eccleſiaſticis iuuarem *Damaſum* Romanæ Vrbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem, &c. In *Iouin.* Inter 12. vnus eligitur: vt *Capite* conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio. *S. Aug.* ſupra, & alibi ſæpè. Vt *Epiſt. 90. Conc. Carthag. ad Innoc. Papam.* Hoc geſtum Charitati tuæ intimandum duximus: vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas. *Epiſt. 92. B. Aug.* & aliorum Patrum Conc. *Milen.* ad *Innoc* Papam. Hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus: imitantes Prouinciæ Carthaginenſis Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam Beatus illuſtras, de hac cauſa conſcripſiſſe comperimus. *Epiſt. 95. Aurelij, Alipij, Aug. Euodij*, & *Poſsidij*, ad *Innoc.* Papam, contra *Pelagium* & eius Fautores. *Epiſt. 92. 93. 96. Innoc.* Papæ ad præfatos. *Epiſt. 162.* In Eccleſia Romana ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus. *Infra.* An fortè non debuit Romanæ Eccleſiæ *Melchiades* Epiſcopus, cum Collegis tranſmarinis, illud ſibi vſurpare iudicium? Qualis *B. Melchiadis* vltima eſt prolata ſententia! Quàm innocens, quàm integra, quàm prouida, atque pacifica, &c! Ecce putemus illos epiſcopos qui Romæ iudicauerunt non bonos Iudices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium eccleſiæ vniuerſæ Concilium, &c. Illos apud Imperatorem Donatiſtæ accuſare auſi ſunt. Imper. non eſt auſus de iudicio epiſc. Rom. iudicare. Dedit eis aliud Arelatenſe iudicium, aliorum epiſcoporum, &c. A quibus illi rurſus ad ipſum Imperatorem prouocare maluerunt, &c. Ipſe eis ceſſit, vt de illa cauſa poſt epiſcopos iudicaret: à Sanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus.

*Epiſt. 86.* *Petrus* Apoſtolorum *Caput*, Cœli Ianitor, & Eccleſiæ fundamentum, extincto *Simone* qui fuerat Diaboli nonniſi ieiunio vincendi figura, idipſum Romanos edocuit: quorum fides annuntiatur vniuerſo Orbi. *Epiſt. 262.* De appellatione cuiuſdam Epiſcopi Africani ab ipſo *B. Aug.* ad *Cœleſtinum* Papam. *In Epiſt. ad Gal. c. 2.* Quòd *Paulus* coram omnibus dixit *Petro*, &c. neceſſitas coëgit: vt omnes obiurgatione eius ſanarentur, &c. Firmitas & Charitas *Petri* cui ter à Domino dictum eſt *Ioan. 21.* Amas me? obiurgationem talem poſterioris Paſtoris pro ſalute gregis libentiſſimè ſuſtinebat. Nam erat obiurgatore ſuo ipſe qui obiurgabatur mirabilior, & ad imitandum difficilior. *Lib. 2. de Bapt. cap. 1.* In *Petro* primatus Apoſtolorum excellenti gratià præeminet, &c. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus primatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? *Lib. vnico, De Bapt. contra Petil. cap. 18.* Qualeſcumque fuerint *Marcellinus, Marcellus, Sylueſter, Melchiades, &c.* nihil præiudicat Eccleſiæ Catholicæ. *Lib. 1. ad Bonif. Papam, cap. 1.* Non dedignaris quamuis altiùs præſideas, eſſe amicus humilium, &c. Hæc ergo ad tuam potiſſimùm dirigere Sanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda & emendanda conſtitui. *Quæſt. 23. in Leuit.* De ſummo Sacerdotio *Moyſi* & *Aaron*: illius quidem ſingulari ac excellentiori; ſed huius, ordinario ac ſucceſſiuo, modoque ſuccedendi, in figuram ſucceſſionis in Papam. *Serm. 29. de Sanctis.* Tu es *Petrus*, &c. *Mat. 16.* Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. *Lib. 1. contra Parm. cap. 5. 6.* De iudicio Concilij Romani ſub *Melchiade* Papa, deinde Arelatenſis contra Donatiſtas. *Lib. 2. de Bapt. cap. 3.* Quis neſciat ſanctam Script. Canonicam omnibus poſteriorum Epiſcoporum literis ita præponi, vt de illa dubitari non poſſit: Epiſcoporum autem litteras per Concilia licere reprehendi; & ipſa Concilia quæ per Prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati cedere; ipſaque plenaria priora ſæpè poſterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, cum pace Catholica, &c. *Cap. 4.* Quomodo poteſt illa res ad Plenarij Concilij confirmationem perduci: niſi diutiùs per orbis terrarum regiones, multis diſputationibus & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret? *Cap. 5.* Ideò plerumque doctioribus minùs aliquid reuelatur: vt eorum patiens & humilis charitas comprobetur, &c. Vnde aliter ſapere quàm res ſe habeat, humana tentatio eſt: nimis autem amando ſententiam ſuam, vel inuidendo melioribus, vſque ad præcidendæ communionis, & condendi Schiſmatis, vel hæreſis ſacrilegium peruenire, diabolica præſumptio eſt; in nullo autem aliter ſapere quàm res ſe habet, angelica perfectio eſt. *Lib. 5. cap. 17.* Non placeo *S. Cypriano*, ſi eum S. Concilio cunctarum Gentium, cui profectò interfuit per Spiritus vnitatem, præponere affectem. *Lib. 7. cap. 57.* Nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt: id autem fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quòd in gubernatione Domini Dei noſtri vniuerſalis eccleſiæ conſenſione roboratũ eſt. Si quis me in eo Concilio vrgeret, vt dicerem quid ipſe ſentirem: ſi eo modo

Digitized by Google

modo affectus eſſem, quo eram cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem, &c. *Lib.* 4. *ad Boniſ.* Papam, *cap.* 12. Quid eſt quod dicunt, *De ſimplicibus Epiſcopis extorta ſubſcriptio eſt?* Numquid *Cypriano* & *Ambroſio* extorta eſt? Aut congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hæreſis niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inueniantur propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit. Verùm iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur: vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicam, quoniam Domino eis reſiſtente, peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur: cùm potiùs vigilantia paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium, vbicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, &c. *Lib.* 3. *contra Creſconium*, *cap.* 34. Inſeris principium Epiſtolæ Concilij Sardicenſis: vbi *Donati* Carthaginenſis Epiſcopi nomen inuenitur adſcriptum, &c. Diſce quod neſcis: *Sardicenſe* Conc. Arianorum fuit, &c. Aut ergo aliquis *Donatus* fuit non in Africa Epiſcopus: cui Carthago à veſtris addita eſt. Aut Africanam hæreſim Orientalis hæreſis ſibi tentauit iungere. Quod hinc maximè credibile eſt, quòd ad Carthaginis Epiſcopum, Romano prætermiſſo, nunquam Orientalis Catholica ſcriberet, &c. *Epiſt.* 163. De Collatione *cum Fortunio Donatiſtarum Epiſcopo.* Protulit quoddam volumen Sardicenſis Conc. &c. quòd cùm legeretur audiuimus *Donati* nomen, inter cæteros Epiſcopos quibus illi ſcripſerant. Itaq; flagitare cœpimus, vt doceretur vtrum ipſe eſſet *Donatus*, de cuius parte iſti cognominantur. *Infra.* Audieramus *Arrianos* ſibi *Donatiſtas* in Africa ſociare tentaſſe: ad aurem mihi hoc ipſum *Frater Alipius* ſuggeſſit. Tunc accepto ipſo volumine, legi *Athanaſium* Epiſcopum Alexandrinum, & *Iulium* Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, illo Concilio *Sardicenſi* fuiſſe improbatos. *Lib. de vnitate Eccleſiæ, cap.* 25. In Africa poſt illud *Secundi Tigiſitani* apud Carthaginem ſeditioſum turbulentumq; Concilium, vbi & de fœmina nobili Lucilla operata corruptio, poſtea iudicialibus geſtis commemorata eſt: cùm inde Litteræ per totam penè Africam miſſæ fuiſſent, creditum eſt litteris Concilij: neque enim aliter oportebat, &c. Saluâ enim conſciẽtiâ litteris Concilij crediderant, &c. *Lib.* 3. *in Maximinum*, *cap.* 14. De identitate naturæ Diuinæ inter Patrem & Filium. Hoc eſt illud *Homouſion* in Concilio *Nicæno* firmatum: quod poſtea in *Ariminenſi*, propter nouitatem verbi minus intellectum, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas ſub hæretico Imperatore *Conſtantio* labefactare tentauit. Sed poſt non longum tempus, libertate fidei Catholicæ præualente, longè latèque defenſum eſt, &c. Sed nunc nec ego *Nicænum*, nec tu debes *Ariminenſe* tanquam præiudicaturus proferre Concilium: Scripturarum authoritatibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. *Epiſt.* 48. Vt ſupra, de eadem perturbatione Eccleſiæ, ex illo nomine Conc. *Niceni* non intellecto, & peruerſo à Pſeudo-concilio *Ariminenſi. Lib.* 1. & 2. *contra Iulianum.* Citatis plurimis SS. Patribus Græcis & Latinis, quaſi ad *Conc.* generale. *Te*, inquit ſub epilogo ad Iulianum, *ante iſtos iudices in tuo corde conſtituo: quos non amicos meos, & inimicos tuos conſtitui Cognitores, &c. Quod inuenerunt in Eccleſiâ tenuerunt: quod didicerunt docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum vobiſcum apud iſtos Iudices agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra, &c. Quereris examen vobis & Epiſcopale iudicium denegari: ſi Epiſcopalis Synodus ex toto Orbe congregaretur, mirum ſi facilè tot poſſint illic ſedere; quia nec iſti vno tempore fuerunt, &c. Hos itaq; de alijs atq; alijs temporib⁹ & Regionib⁹ ab Oriẽte & Occidẽte cõgregatos vides: nõ in locum quò nauigare cogãtur homines; ſed in librũ qui nauigare poſſit ad homines, &c. Talibus poſt Apoſtolos Sancta Eccleſia Plantatoribus, Rigatoribus, Paſtoribus creuit, &c. Lib. de vnitate Eccl. cap.* 18. Eccleſiam ſuam demonſtrent ſi poſſunt: non in Concilijs Epiſcoporum ſuorum, &c. Sed in canonicis Sanctorum librorum authoritatibus, &c. *Cap.* 19. Quia nec nos dicimus nobis credi oportere, quòd in Eccleſiâ Chriſti ſumus: quia ipſam commendauit Optatus *Ambroſ.* &c. aut quia noſtrorum Collegarum Concilijs prædicata eſt &c.

## *Contra Definitiones Papæ, & Conciliorum.*

1. EX ſacra Script. *Matt.* 10. Tradent vos in Concilijs. *Ioan.* 11. Collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium aduerſus Ieſum &c. *Act.* 15. Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & à ſanguine, & ſuffocato. *Gal.* 2. *Paulus* reſtitit in faciem *Cephæ*: quia reprehenſibilis erat, &c. Cum vidiſſem, inquit, quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij: dixi *Cephæ* coram omnibus. Si tu cùm Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non iudaicè: quomodo cogis Gentes iudaizare? *Ergo* & *S. Petrus* & totum *Conc. Act.* 15. errabat. *Matt.* 20. Chriſtus negat primatum inter ſuos Apoſtolos.

2. Ex Patribus. Nam *Euſebius lib.* 2. *cap.* 1. refert ex *S. Clemente*, quòd *Petrus*, *Iacobus*, & *Ioannes*, quamuis à Chriſto fuiſſent prælati: non tamen ſibi vendicabant primatus gloriam; ſed *Iacobum qui dicebatur Iuſtus, Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuerunt. S. Cypr. lib.* 9. *Epiſt.* 4. *S. Ambroſius in* 4. *ad Epheſ. S. Hier. in* 1. *ad Tit.* tribuunt Hierarchiam iuriſdictionis in Eccleſiâ, electioni Cleri aut populi, ad cauendum ſchiſma relatum 1. *Cor.* 1. & ſimilia. *S. Aug. Epiſt.* 18. *ad S. Hier.* Diſtinguit tantum Hierarchiam Eccleſiaſticam, *honorum vocabulis.* Refert ſuprà & alibi ſæpè Conſtantinum Imper. dediſſe Iudices in cauſis ſacris, & per ſe ac ſuos iudicaſſe. *Lib.* 1. *contra Parmen. cap.* 7. Tribuit viciniori Eccleſiæ iudicium inter Eccleſias diſcordes. *Exiſtat*, inquit, *aliqua nobiliſſima Eccleſia. Audiamus vocem eius, &c. De cauſa veſtra nunc fortaſſe cogerer iudicare: ſi vel ita vi-*

*cina eſſem, vel ita remotâ, vt inter vos & nos non habitarent alij Chriſtiani. Lib.* 5. *de Bapt. cap.* 16. Primatus non eſt niſi in ſanctâ conuerſatione, & vitâ bonâ. *Libro de peccato Orig. Epiſt.* 105. 106. *Lib.* 1. *ad Boniſ. cap.*3. 4. Satis inſinuat Pelagium non ſolùm decepiſſe Synodũ Palæſtinam: ſed etiã Papam, & Eccleſiã Romanam; vel ſaltem potuiſſe eam fallere, cùm non exprimat non potuiſſe falli. *Lib.*2. *De Baptiſmo cap.* 1. Si Petrus potuit cogere gentes Iudaizare: Cur non & S. Cypr. errare &c. *Epiſt.*76.77. *Ad Aurelium Papam*: nec tamẽ Epiſcopum Romanum, ſed Carthaginenſem. *Epiſt.*86. Dubitat de celebri illa hiſtoria, *Symonis* magi à *S. Petro* præcipitati: & an *Eccleſia* Romana non defecerit à Traditionibus Apoſtolicis, potiùs quàm Orientales. *Lib.* 2. *de Bapt. cap.* 3. Priora Concilia Plenaria ſæpè poſterioribus emendantur. *Cap.*5. Doctioribus minùs reuelatur, &c. Vt ſupra. *Lib. De Agone Chriſtiano cap.* 30. *Lib.* 1. *Doctr. Chriſt. c.*18. *Serm.* 8. *De verbis Domini. Serm.* 26. *De diuerſis*, non tribuit S *Petro*, quæ *Matt.* 16. niſi vt figuræ Eccleſiæ, vel ipſius Chriſti.

3. *Ex* hiſtorijs Eccleſiaſticis: De Frequenti diſcordiâ inter plures Papas ſimul & ſucceſſiuè; inter plura Concilia ſimul, & ſucceſſiuè; ac inter hæc, & illos.

4. Ratione. Quia quid poteſt conſtare eſſe de fide, ex tam incertis principijs? Deinde vnde conſtat an Papa & Concilium ſimul vel ſeorſim poſſint aut non poſſint definire: cùm poſſit Papatus vacare; & ſæpè non conſtet de legitimo Papa, aut Concilio? Deniquè vnde conſtat Eccleſiam, Papam, aut *Conc.* generale, hoc vel illud, in hoc vel illo ſenſu, & modo neceſſario. i. liberè, rationabiliter, & canonicè definiſſe: niſi ex hiſtorijs, Scriptis documentis, vel teſtibus & interpretibus, quorum nihil eſt de fide.

*Reſp. Ad* 1. Sacra Script. reprobat illa Concilia Iudæorum contra Chriſtum & Apoſtolos ante mortem Chriſti: non tàm vt erronea, quàm vt maligna. Cùm *Ioan.* 11. tribuat ipſi *Caiphæ* prophetiam de Chriſto, in illo Concilio: quia *erat Pontifex anni illius.* Nec *Act.*15. nec *Gal.* 2. fuit vllus error doctrinæ: ſed de lege Moſaica paulatim abolenda, & abolita. Vt latè ex profeſſò in 4. *de Sacramento Bapt. q.*4. Sub hoc ſolo ſupplemẽto: quòd ille error moralis *S. Petri*, non erat doctrinalis, ſed ſolum perſonalis, & per inaduertentiam ſcandaloſus: nec illa inhibitio erat vt antiquæ legis, ſed vt Eccleſiæ primitiuæ. Nec Chriſtus vnquam negauit futurum Primatum inter ſuos Apoſtolos: ſed ſolis eum ambientibus; referens ſe ad ſuam electionem diuinam, & monens ipſos Primates futuros ad humile miniſterium huius officij.

*Ad* 2. Non *Apoſtolorum*, ſed *Hieroſolymorum* Epiſcopum ſtatuunt. Vt rectè corrigit *Bell. lib.* 1. *de Rom. Pont. cap.* 26. ex ipſo textu græco, & editione Colonienſi: Imò ex ipſo *S. Chryſ. hom. vlt. in Ioan.* Si quis percunctaretur, quomodo *Iacobus* Sedem *Hieroſolymis* acceperit: reſponderem, *Petrum* totius Orbis Magiſtrum hunc conſtituiſſe.] Poſſet etiam excuſari, Si *Iacobus* diceretur *Epiſcopus* Apoſtolorum .i. patriæ, & primæ reſidentiæ ipſorum. SS. Patres tribuunt Hierarchiam Eccleſiæ illi cauſæ: vt fini, ob quem Chriſtus eam inſtituit; electioni autem Cleri, aut Populi, ex ordinatione aut permiſſione Papæ, vel Eccleſiæ. *S. Aug.* non diſtinguit ſolis vanis titulis: ſed rebus ſignificatis. Refert *Conſtantinum* Imper. dediſſe Iudices. i. compuliſſe hæreticos ad ſubeundum iudicium Papæ & Epiſcoporum: non autem iudicaſſe per ſe vel ſuos, niſi audiendo, approbando, & exequendo iudicium Eccleſiaſticum, contra hæreticos rebelles Eccleſiæ. Hinc. *Epiſt.* 162. *Non eſt auſus de iudicio Epiſcoporum iudicare*: niſi tandem *veniam petiturus* .i. ex præſumptâ veniâ Eccleſiæ; approbando eius iudicium, &c. Non tribuit autem iudicium inter Eccleſias diſcordes, cuiuis viciniori: *ſed nobiliſſimæ*, inquit; vel nonniſi vt mediatrici, aut Arbitræ voluntariæ, vel Commiſſariæ. *Lib.* 5. *de Bapt. cap.* 16. Non reſtringit Primatum hierarchicum, ad ſolos Sanctos: cùm ibidem & vbique contra Donatiſtas, intendat & commendat Sanctitatem perſonalem non eſſe neceſſariam ad vllum ſtatum in Eccleſia; ſed præfert Sanctos, imò defert ius & vim Sanctificandi per Sacramenta, ſoli Eccleſiæ, vt eſt Sancta, ſeu ex eius Spiritus S. Vt latè *in* 4. *q.* 9. *de Sacramentis in genere.* Nullibi cenſet *Pelagium* fefelliſſe *Papam*, aut Eccleſiam Romanam: ſed id tentaſſe, & ad ſummum ſuſpendiſſe eius iudicium, fallaci æquiuocatione, & negatione ſuorum errorum. Vt patet ex *Lib. de peccato Orig. cap.* 8. *Pelagius feſellit iudicium Paleſtinum: Romanam verò Eccleſiam fallere non potuit, &c.* Nec ſupponit Papam potuiſſe aut poſſe falli, niſi errore facti: ſed potius non potuiſſe falli. Vt patet ex *Lib.* 1. *ad Boniſ. cap.* 3. *Pelagiani ſpe falſa putauerunt nouum & execrabile Dogma perſuaderi poſſe quorundam Romanorum Catholicorum mentibus &c. Sed ſi, quod abſit, ita fuiſſet tunc de Pelagio vel Cæleſtio in Eccleſiâ Rom. iudicatum, &c. Ex hoc potius eſſet præuaricationis nota Romanis Clericis inurenda* .i. ſine ſcitu & conſenſu Papæ. Inter quos Clericos Romanos, videntur fuiſſe *Sixtus*, & *Boniſ.* poſtea Papæ: ad quos *B. Aug.* ſcripſit *Epiſt.* 105. 106. vt aliquando deceptos hypocriſi Pelagij. *Lib.*2. *de Bapt. cap.* 1. excuſat S. *Cyprianum*: non ab æquali, ſed ſimili errore facti, cum S. *Petro*! Et *cap.* 2. ex illo dicto *Cypriani* in ſuo Conc. Africano, *Neminem iudicantes, aut à iure communionis, ſi diuerſum ſenſerit amouentes.* Quod autem ſubdit: *Neq; enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit; ſed expectemus iudiciũ D. N. I. Chriſti*: non negat primatum Papæ Romani, quem alibi ſæpè fatetur; ſed ſuſtinet libertatem ſingulorum in Concilijs, ſub ſolo iudicio interno Dei, ſine præiudicio Papæ aut Cõc. generalium ſuper omnibus Prouincialibus. *Epiſt.* 76. & 77. Vocat Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem ſuum *Papam*, vt ſuum Primatem, & Seniorem: non autem *Papam* communem totius Eccleſiæ. *Epiſt.* 86. Non dubitat de illa celebri Hiſtoria: niſi quoad originem ieiunandi ſabbatis in Eccleſiâ Rom. ex illâ Hiſtoriâ, quòd S. Petrus die Dominico cõtra *Simonẽ* Magũ pugnaturus, pridie cũ Eccleſiâ Rom. ieiunauerit. Nec imputat

Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ Rom. defectionē à Traditionibus Apoſtolicis: ſed ſolùm ex alijs objicit, & ſic reſoluit. *Interminabilis eſt iſta contentio, generans lites, non finiens quæſtiones. Sit ergo vna fides vniuerſæ Eccleſiæ: etiamſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebretur L.2. de Bapt. cap.* 3. Subdit Conc. *Plenaria* .i. Nationalia, vel needum à Papa confirmata, correctioni poſteriorum: vel etiam quælibet, quoad leges pro tempore conuenientes & mutabiles; vel quoad aliquem errorem facti, vel quoad vlteriorem explicationem. Vt patet ex his verbis: *Cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat.* Cap.5. *Doctioribus minus reuelatur* .i. ſeorſim, quàm coniunctum in Concilijs, cum minùs doctis. Non quòd doctrina non ſit vtilis, imò & neceſſaria, ad proponendam, diſcutiendam, & præparandam materiam controuerſam: ſed quod non certò definiatur, niſi ex ſpeciali & ordinariâ directione Dei, promiſſâ toti Concilio, non autem Doctioribus. *Lib. de agone Chriſtiano, &c.* Tribuit *S. Petro* illa Chriſti, *Matt. 16.* non tantùm vt *figuræ* impropriæ totius Eccleſiæ: ſed vt figuranti & repræſentanti Eccleſiam .i. vt vicem gerenti totius Eccleſiæ, eamque virtualiter continenti, vt corpus ſub capite, quod per illud loquitur & repræſentatur.

*Ad* 3. Hiſtoriæ Eccleſ. non referunt niſi diſcordias facti, ſeu incertæ electionis, ſucceſſionis, ſignificationis, aut ſenſus verborum, inter veros ac legitimos Papas, & Conc. generalia.

*Ad* 4. Hæc principia aut motiua credendi, non ſunt incerta, aut dubia de iure definiendi, ſeu proponendi, & determinandi credenda: ſed ſolùm de facto, an hic & ille ſit, aut fuerit verus Pontifex, hoc vel illud verum Conc. hæc vel illa huius aut illius libera definitio, in hoc vel illo ſenſu, aut verborum ſignificatione. Quæ quamuis ſint moraliter certa ex authenticis documentis, teſtimonijs, & interpretationibus: non videntur tamen de fide, niſi vt recepta communi conſenſu, ſaltem tacito Eccleſiæ, ſine contradictione aut dubitatione notoria & probabili in ipſa Eccleſia. Aut ſi eſt de fide hoc ipſo quo definitur: non eſt obligatio credendi, niſi conſtet moraliter ex conſenſu Eccleſiæ ſine vlla ratione dubitandi eſſe legitimè definitum in hoc ſenſu. Quo duplici ſenſu poteſt facilè intelligi quod *noſter R.P. Franciſcus à S. Clara* in ſuo ſolido Syſtemate Fidei, *cap.* 23. De neceſſaria receptione definitionū à tota Eccleſia, vt ſint de fide: & quòd *cap.* 33. de doctrina Papæ ex Cathedra .i. in Conc. generali, vt ſit de fide. Quia reuera hæc eſt eius propria Cathedra: & hoc eſt aperire os eius in medio Eccleſiæ repræſentatiuæ. Sed cur non ſit etiam de fide quòd ex officio definit, ſeu docet vt de fide, in medio, ſeu eminentia totius Eccleſiæ audientis, diſcentis, & aſſentientis, aut ſine iure probabili diſſentiendi? Cùm *B. Aug.* ſupra proteſtetur pleraſque hæreſes fuiſſe ſic condemnatas: cenſeatque non eſſe deferendum Pelagianis vllum Conc. generale; ſed ſufficere ſolius Papæ condemnationem per ſe, aut per Conc. Africana, à Papa confirmata. Cùmq; ſit tam difficile, & ſæpè impoſſibile conuocare Conc. generalia: non eſſet ſatis prouiſum Eccleſiæ à Chriſto, contra hæreſes vermiculantes; ſi differenda eſſet earum condemnatio vſque ad Conc. generale, nec poſſet eas interim Papa condemnare. Nec ideò Conc. generalia eſſent inutilia, aut Papa poſſet interim à fide deficere, & Eccleſiam inficere: ſed illa eſſet neceſſaria ad ſupplendum defectum Papæ, ſiue mortui, ſiue incerti, ſiue errantis, & notoriè diſſonantis à fide continua & publica totius Eccleſiæ præſentis, & præteritæ; ad conferendum ac communicandum de ſtatu, ſenſu, & Traditionibus Eccleſiarum; & ad conſultandum, definiendum, vel expreſſiùs approbandum & efficaciùs exequendum ipſas Papæ definitiones. Niſi fortè interim ſatis prouiſum eſſet Eccleſiæ per poteſtatem Papalem inhibendi omnem doctrinam à fide & praxi Eccleſiæ alienam vel periculoſam, vſque ad iudicium definitiuum Eccleſiæ. Sed ſi neceſſaria ſit receptio definitionum per totam Eccleſiam, vt ſint de fide: ad quid Concilia? Cur non ſufficiat definitio Papæ ſic recepta? Cùm indefectibilitas fidei promiſſa ſit præ omnibus *S. Petro*, vt Papæ, ſeu primati inter Apoſtolos: eidemque commiſſa confirmatio Fratrum ſuorum in fide, vtique per doctrinā. Nec, nocet ſed fauet quòd *B. Aug.* tribuat Eccleſiæ promiſſiones factas *Petro*, vt figuranti, ſeu repræſentanti *Eccleſiam*: quia tribuit eas Eccleſiæ vt toti, & fini: *Petro* autem non metaphoricè, vt ſoli ſigno ſeu figuræ inani Eccleſiæ; ſed verè & propriè, vt Capiti ſeu parti principali & eminentiori, quæ totum Corpus ſibi vnitum & adhærens realiter repræſentat, ſeu vt præſens demonſtrat, & virtualiter ac realiter ſimul, & ſub ſe continet. Ergo promiſſiones ei factæ vt tali, ſunt de fide interiori, & de doctrina exteriori.

Neque obeſt, ſed potiùs prodeſt, negatio illa, & conuerſio *S. Petri*. Quia vel promiſſiones illæ non erant tunc de præſenti, ſed de futurâ indefectibilitate fidei & doctrinæ, poſt primum defectum & conuerſionem: vel non defecit à fide, nec à doctrinâ, ſed à ſolâ confeſſione fidei, negando Chriſtum ex timore & periculo euidenti. Vt enim Chriſtiani qui ex irâ & furore euidenti blaſphemant, ac negant Deum & Chriſtum, non verè negant nec docent: ſic nec *S. Petrus*, nec *Marcellinus*, nec quiuis alius, negando, loquendo, aut agendo contra veram fidem, ex timore, aut quauis aliâ paſſione notoriâ, defecit à verâ fide, ſed à ſolâ confeſſione fidei, nec docuit, ſed ſcandalizauit; quia nulla eſt alicuius doctrina, niſi ex propriâ ſententiâ vt certa, & per verba ac ſigna ad eam docendā & perſuadendam alijs directa. Paſſio autem notoriè motiua ad negandum verùm, vel loquendum falſum: non eſt ſignum propriæ ſententiæ, ſed oppoſitæ. Quod ſi nec fides, nec doctrina deficit ex paſſione violentâ & notoriâ: quantominus ex errore facti, qui poteſt non ſoli Papæ, ſed etiam integro Concilio generali ſubrepere. Præter opiniones adhuc incertas, & falſam famam de errore. Quibus titulis videntur omnes Papæ Romani excuſari poſſe, ab omni defectu fidei, & doctrinæ. Vt *Honorius* à Monotheliſmo, ex errore facti, aut calumnia ſeu falſa infamia, ſupra *col.* 328. 329.

*Ioan-*

Digitized by Google

*Ioannes* 22. ab errore doctrinæ contra veram beatitdinem præſentem Sanctorum: ex priuata opinione, necdum ei certa, nec priùs definita. Idem, ab errore doctrinæ contra paupertatem noſtri Ordinis: ex priuata opinione morali, non fidei; & fortè ex graui & notoria indignatione. Alij fortè ex notoria ambitione, vindicta &c. Quia nō eſt eis promiſſa Sāctitas vitæ: ſed veritas Fidei, & Doctrinæ. In cuius figurā Pontifex antiquæ legis præferebat ad pectus in Rationali, Veritatem & Doctrinam. Vt refert, & explicat *B. Aug. q.* 117. *in Exodum.*

In reliquis plæriſque ſiſto, & refero me ad illud firmum & præclarum Syſtema. Vt ad *cap.* 47. De primatu Papæ, & Eccleſiæ Rom. non ſolùm definito à Conc. Conſtantienſi ſolius Eccleſiæ Latinæ, *Seſſ.* 8. contra hos Art. Wicleffi. 8. *Si Papa ſit præſcitus & malus: non habet poteſtatem ſuper fideles, niſi fortè à Cæſare.* 9. *Poſt Vrbanum* 6. *non eſt aliquis recipiendus in Papam: ſed viuendum eſt more Græcorum, ſub proprijs legibus.* 41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Rom. Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Error eſt*, inquit Conc. *ſi per Rom. Eccleſiam intelligat Vniuerſalem, aut Conc. generale; aut pro quanto negat primatum Summi Pont. ſuper alias Eccleſias particulares.* Seſſ. 25. contra Hus. 7. *Petrus non fuit, neq; eſt Caput S. Eccleſiæ Catholicæ.* 9. *Papalis dignitas à Cæſare inoleuit.* 10. *Nullus ſine reuelatione aſſereret rationabiliter de ſe vel alio, quòd eſſet caput particularis Eccleſiæ: nec Romanus Pont. eſt caput Rom. Eccleſiæ.* 11. *Non oportet credere quòd iſte ſit caput cuiuſcumque particularis Eccleſiæ, niſi Deus eum prædeſtinauerit.* 12. *Nemo gerit vicem Chriſti vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus.* 13. *Papa non eſt verus & manifeſtus ſucceſſor Petri, ſi viuit moribus contrarijs.* Et ſic *Art.* 20. 22. 23. *Papa non debet dici Sanctiſſimus, etiam ſecundùm Officium, &c.* Sed etiam ex *Flor.* totius Eccleſiæ Græcæ & Latinæ: in quo Græci proprio motu obtulerunt hanc profeſſionē, etiam ex ſacra Script. *Fatemur Papam eſſe Summum Pont. Vicarium Chriſti, Paſtorem ac Doctorem omnium Chriſtianorum, regentem Dei Eccleſiam: ſaluis priuilegijs ac iuribus Patriarcharum Orientis.* Poſt diſcuſſionem autem, in hanc definitionem conſenſerunt, *Seſſ.* 25. *Definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pont. in vniuerſum Orbem tenere primatum: & ipſum eſſe ſucceſſorem B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem. Datum Florentiæ in Seſſ. publica Synodali, Anno* 1439.

*Ad Cap.* 45. De SS. *Petro & Paulo*: non Coëpiſcopis Romanis, vt videtur concedere *Bellarm. lib.* 3. *de Romano Pont. cap.* 2. ex *Iren. lib.* 3. *c.* 3. nullatenùs autem vtroque Papa; ſed *Paulo* Coadiutore principali *S. Petri*, & quaſi Commiſſario generali. Vt nos ſupra, & *Bell. lib.* 2. *cap.* 27.

*Cap.* 1. De infallibilitate Conciliorum generalium: non ab vllo ſtatu intrinſeco; ſed à ſolâ Dei directione, & præſeruatione extrinſecâ.

*Cap.* 2. 3. 4. 5. De materiâ definibili: non philoſophica, nec dubia, nec ſolùm probabili, nec inutili ad ſalutem & cultum Dei; ſed certâ ſalutari, & virtualiter contenta in verbo Dei ſcripto vel tradito; eam inde neceſſariò & euidenter eliciendo, non ſolâ ratione naturali, niſi vi conditione; nec noua reuelatione, ſed infallibili Dei gratiâ ex promiſſione Chriſti.

A *Cap.* 9. *ad* 13. De certitudine & ſufficientia ſacræ Scripr. Traditionum, & Eccleſiæ præſentis, æquè ac primæuæ: ad definiendum, & credendum propter verbum Dei, & *Eccleſiam*; non vt propter obiectum formale, nec circulariter, ſed in vario genere cauſæ. *Exemplificat pag.* 88. 89. Propter *Eccleſiam* vt cauſam exemplarem credendi, vel iudicem: ſed non quomodo propter Verbum Dei externum. Videtur mihi vt ſupra, quòd propter hoc vt ſignum certum reuelationis Dei: propter *Eccleſiam*, Papam, Concilia, vt certum Teſtem, & Interpretem illius ſigni. Nec tam ſunt ſibi inuicem cauſæ: quàm nobis concauſæ motiuæ credendi. Vt adhuc infra.

*A cap.* 13. *ad* 28. De certitudine Definitionum Conciliarium: ex identitate ſeu continentia definitorum in Verbo Dei Scripto vel tradito; & ex infallibi interpretatione ac illatione totius Eccleſiæ, in Concilijs generalibus.

*Cap.* 28. *&* 33. De Certitudine doctrinę Papę.

*Cap.* 34. De conſenſu communi *SS. Patrum*: æquiualente Concilijs; vt ex *B. Aug.* ſupra. Deque relatione & Collatione Traditionum diſparatarum in Concilijs: ſicut Euangeliſtæ referunt vera diſparata, non contraria.

*Cap.* 35. De necdum motis aut iudicatis, ſed dilatis & relictis in ſuo ſtatu, vt ſemper definibilibus: non autem ſemel iudicatis probabilibus, aut tolerandis.

*Cap.* 36. De numero neceſſario ſuffragantium, ad definiendum: non ſolùm ex maiori parte, ſed communi conſenſu; nec tam ex maiori numero Epiſcoporum vnius Nationis præ alijs, quàm ex pluralitate & magnitudine Nationum &c.

*Cap.* 37. De Canone ſacræ Script. & diſcretione librorum Canonicorum.

*A Cap.* 37. *ad* 48. & vltimum, vt & *cap.* 14. applicat diffinitiones *Eccleſiæ* ad quaſdam controuerſias definitas, aut non. Inter quas *cap.* 14. cenſet non eſſe definitum in vllo *Conc.* Ignem Inferni eſſe materialem.] Sed, vt nos in 4. *Quæſt.* vlt. poteſt eſſe de fide, ex ſolo Verbo Dei, tam certo & expreſſo, vt nunquam fuerit opus definitione contra vllam hæreſim.

## *Contra hæreſes, ſchiſmata, &c.*

*Contraria veræ fidei & Eccleſiæ Chriſti, vt hæc inde magis elucеſcat.*

1. EX Sacra Script. *Matt.* 18. Portæ inferi non præualebunt &c. 18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Etnicus & Publicanus. *Matt.* 22. *Act.* 5. 15. 24. De hæreſi *Saduceorum, Hærodianorū, &c. Matt.* 24. Surgent Pſeudo-Chriſti, & Pſeudo-prophetæ &c. 1. *Cor.* 11. Oportet & hæreſes eſſe: vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. *Tit.* 3. Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correp-

Digitized by Google

correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt. 1. *Ioan.* 2. Nunc Antichriſti multi facti ſunt, &c. Ex nobis prodierunt: ſed non erant ex nobis. *Cap.* 4. Nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt; quoniam multi Pſeudo-prophetæ exierunt in mundum, &c. Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. *Epiſt.* 2. *S. Ioan.* Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Aue: communicat operibus eius malignis.

2. Ex Conc. Lateran. *Cap. Firmiter, De ſumma Trin.* Vna eſt omnium fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra quam nemo ſaluatur. *Nicolao Papa. De conſec. Diſt.* 1. Eccleſia eſt Catholicorum collectio. *Innoc.* 3. *cap. Apoſtolicam*: Vbi iudicat Præsbyterum non baptizatum, ſed fidelem, verè fuiſſe in Eccleſiâ?

3. Ex *S. Aug. lib.* 1. *Retr.* 1. *Libris tribus contra Academicos. Lib.* 6. *Confeſ.* 14. *Lib.* 9. *Ciu.* 19. *Epiſt.* 213. contra Academicos, nolentes quicquam credere vt verum & certum, ſed opinari circa omnia vt ſolùm probabilia, & veriſimilia: ſicque & contra Pſeudo-Catholicos, credentes ſola principia communia fidei, ſuſpendentes autem aſſenſum inter omnia controuerſa; imò & contra plæroſque hæreticos credentes quemlibet Chriſtianum in ſuâ fide ſaluari poſſe. *Lib. de verâ Relig. cap.* 6. Sæpè ſinit diuina prouidentia expelli etiam de congregatione Chriſtiana bonos viros [i. excommunicari errore facti, vt hæretici.] Quam iniuriam ſi patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque vllas nouitates, vel ſchiſmatis, vel hæreſis moliti fuerint: docebunt homines quàm vero affectu Deo ſeruiendum ſit, &c. vſque ad mortem defendentes eam fidem, quam in Eccleſiâ Catholicâ prædicari ſciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus: ſed exempla non deſunt, imò plura ſunt, quàm credi poteſt.] Sic & *Lib.* 1. *de Bapt. cap.* 17. *Lib.* 5. *Ciu. cap.* 18. *In Pſal.* 75. & alibi: vt retulimus & explicuimus *Tomo.* 2. *in B. Aug. col.* 78.

*Cap.* 8. Ex his hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccleſiâ, nihilominus errarent: cùm autem foris ſunt, plurimùm proſunt; non verum docendo quod neſciunt, ſed ad verum quærendum & aperiendum excitando. *Sed in ipſâ Eccleſiâ errarent* .i. vel ſolo errore morum; vel necdum errore pertinaci contra fidem; vel non in Eccleſiâ niſi apparenter, vt infra patebit.

*Cap.* 38. Eſt alius deterior cultus ſimulachrorum: quo phātaſmata ſua colunt, & quicquid animo errante cum ſuperbiâ vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obſeruant: donec fiat in animâ, nihil omninò colendum eſſe, & errare homines qui ſuperſtitioni ſe inuoluunt, & miſerâ ſe implicant ſeruitute, &c.] Directè contra Manichæos: ſed conſequenter in omnes hæreticos, tandem declinantes ad atheiſmum. Vt patet ex noſtro *Tom.* 2. in hunc locum. *Col.* 83.

*Lib. de vtilitate credendi cap.* 1. Hæreticus eſt, vt mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui cauſâ, falſas ac nouas opiniones gignit, vel ſequitur: ille autem qui huiuſmodi hominibus credit, homo eſt imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus. *Lib. contra Epiſt. fundamenti cap* 6. & *alibi ſæpè.* Superbia Mater omnium hæreticorum. *Lib.* 3. *Conf. cap.* 6. Incidi in homines ſuperbè delirantes: in quorum ore laquei Diaboli, &c. *Lib.* Quæſtionum in *Matt. cap.* 11. Solet quæri Schiſmatici quid ab Hæreticis diſtent: & hoc inueniri, quòd Schiſmaticos non fides diuerſa facit, ſed communionis diſrupta ſocietas. Nec tamen conſequens eſt, vt omnis Hæreticus vel Schiſmaticus corporaliter ab Eccleſiâ ſeparetur. Si enim falſa de Deo credit, vel de aliquâ parte doctrinæ quæ ad fidei pertinet ædificationem: ita vt non quærentis cunctatione tentatus ſit, ſed inconcuſsè credentis, nec omninò ſcientis opinione ac errore diſcordans: hæreticus eſt, & foris eſt animo; quamuis corporaliter intus videatur, &c. Illi ſoli Catholici mali rectè deputantur: qui quāuis vera credant, tamen malè viuunt. *Lib.* 4. *de Bapt. cap.* 16. Nondum hæreticum dico, niſi manifeſtatâ ſibi doctrinâ Catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit &c. Quod ſi quis idem ſentiat, & eſſe nouerit hæreſim vbi hoc docetur, & diſcitur: ſed alicuius ſæcularis emolumenti cauſâ in Catholica vnitate baptizari voluerit, vel propter hoc exire inde noluerit; non ſolùm ſeparatus habendus eſt, verùm etiam tantò ſceleratiùs, &c. *Lib.* 2. *contra Creſc. cap.* 47. Inter ſchiſma & hæreſim magis eam diſtinctionem approbo: qua dicitur ſchiſma eſſe recens diſſenſio; hæreſis autem, ſchiſma inueteratum. *Cap.* 8. Hæretici eſtis, vel quòd in ſchiſmate inueterato remanſiſtis, vel ex tuâ definitione, quòd de Eccleſiâ, quæ corpus eſt Chriſti, diuerſum ſequimini; & ſacrilegus error eſt, à Chriſtianâ vnitate ſeparatio. *Epiſt.* 48. Quis neſcit illo tempore obſcuris verbis multos parui ſenſus fuiſſe deluſos: vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipſi credebant, &c. ſupra. *Epiſt.* 162. Dixit quidem Apoſt. *Tit.* 3. Hæreticum deuita, &c. Sed qui ſententiam ſuam, quamuis falſam atque peruerſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audaciâ præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt: quærunt autem cautâ ſollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi, &c. *In Pſal.* 30. Qui viderunt me, foras fugerunt à me, &c. Ignoſcendum eſſet, ſi foras fugiſſent à me qui non videbant me, &c. Illud eſt intolerabile, quia multi qui videbant me, foras fugerunt à me .i. qui cognouerunt quid eſſet Eccleſia, exierunt foras, & hæreſes, & ſchiſmata contra Eccleſiam fecerunt. Hodie inuenis hominem natum in parte Donati: neſcit quid ſit Eccleſia, vbi eſt, tenet. Non illi euellis conſuetudinem quam ſuxit cum lacte nutricis. Illum da, qui voluitur quotidiè in Scripturis, qui legit, qui prædicat. Itane tandem non ibi videt? *Lib.* de



Digitized by Google

*de hæreſibus*. Volo facere ſi Deus velit: vnde poſſit omnis hæreſis, & quæ nota eſt, & quæ ignota, vitaris & vnde rectè poſſit quæcumque innotuerit indicari. Non enim omnis error hæreſis eſt: quãuis omnis hæreſis, quæ in vitio ponitur, niſi errore aliquo hæreſis eſſe non poſſit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo aut omninò non poteſt, aut difficillimè poteſt. Quod in proceſſu huius operis declarabitur.]Sed quod morte præuentus non præſtitit, ſuppleri poteſt ex illis ſupra, & ex hoc ipſo libro *hæreſi 69*. Donatiſtæ poſt cauſam dictam atque finitam, pertinaci diſſenſione firmata, in hæreſim ſchiſma verterunt. Et ex *lib. de vnitate Eccleſiæ, cap.* 25. Creditum eſt litteris Concilij: neque enim aliter oportebat. *Infra*. Saluâ conſcientia litteris Concilij crediderant: neque enim de hominibus aliquid incredibile dicebatur, aut eis contra Euangelium credebatur. Sed poſtquam illi furioſam pertinaciam, vſque ad diſſenſionem ſacrilegam contra totum orbem Chriſtianum, cõtentione obſtinatiſſimâ perduxerunt, atque innotuit bonis fidelibus, quos à Cæciliano alienauerat falſa criminatio: viderunt ſe, ſi in illa communione perſiſterent, non iam de quodam homine vel hominibus, ſed de Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, prauum habere iudicium, & maluerunt Chriſti Euangelio, quàm Collegarum Concilio credere, &c. Nonnulli in illa diſſenſione diutiùs errauerunt, &c. Quidam & apertiſſimæ veritati malo ſtudio contradixerunt. Illi verò eradicati vel præciſi erant: ſed non permanentes in infidelitate, manu diuina replantati ſunt, &c. Tunc enim quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt: cùm mala cupiditate agit, &c. Sed cùm pro ipſis operibus, etiam veritati apertiſſimæ qua redarguitur, reſiſtere cœperit: tunc præciditur. Et multi tales ſunt in Sacramentorum communione cum Eccleſia: & tamen iam non ſunt in Eccleſia. Alioquin ſi tunc quiſque præciditur, cum viſibiliter excommunicatur: conſequens erit, vt tunc rurſus inſeratur, cùm viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergo fictus accedat, &c. nunquid reconciliatur, nunquid inſeritur? Abſit. Sicut ergo iam denuò communicans, nondum inſertus eſt: ſic & antequam viſibiliter excommunicetur, quiſquis contra veritatem quà conuincitur & redarguitur *inimicum geſtat animum*, iam præciſus eſt.

Ex quibus patet. 1. Qui ſint Hæretici: non ſolùm profeſſione exteriori; ſed & ſolo affectu interiori; quodque nec hi ſint de Eccleſia, nec verè in Eccleſia. Vnde non videtur cum hac Doctrina *B. Aug.* conſtare poſſe opinio *Bellarm. lib. 3. de Eccleſia, cap.* 10. quòd occulti infideles ſint verè in Eccleſia, vt membra arida. Nec reſpondet ad hæc *B. Aug.* tam expreſſè contraria: ſed citat alia, vel de alijs peccatoribus, vel de fictis Chriſtianis quoad intentionem temporalium, vel de ſecretis hæreticis, tam externis quàm internis, qui videntur eſſe in Eccleſia, ſed verè non ſunt. Nec eſt alia difficultas de Papa, aut Epiſcopis, ſi eſſent occulti hæretici aut infideles: quàm de alijs qui validè exercent Iuriſdictionem quam non habent, ſed publicè videntur habere; Deo & Eccleſia ſupplente, & ijs exteriùs vtente ad ſingulos actus. Nec Eccleſia eſt viſibilis in ſingulis membris determinatis, ſed indeterminatis: nec ſecundùm ſuam formam internam, ſed externam; vt nec homo ſecundùm animam, ſed corpus; nec ſubſtantia niſi per accidens. Nec eſt plus periculi ne fides interna quám externa in Eccleſia, Concilio, aut Papa deficiat. 2. Patet non eſſe tantam difficultatem definiendi ipſam hæreſim aut hæreticum formalem: ſed diſcernendi quinam ſint tales animo, ſeu affectu pertinaci. Quamuis enim ab exteriori profeſſione meritò præſumantur tales: poteſt tamen de multis benè ſperari, qui cùm ſint baptizati, & hinc fide infuſa ac Catholica præuenti; licet à ſuis parentibus & Maioribus aliter inſtruantur, non tamen priuantur ſua prima fide infuſa, niſi credibiliùs informati, nolint credere. 3. Patet *B. Aug.* ſub hac ſpe ſuauiter inuitaſſe errantes, ad fidem: imputando crimen hæreſeos ſolis aliorum ſeductoribus. Quamuis prima illa definitio Hæretici poſſit etiam applicari eorum complicibus & ſequacibus: ex propria pertinacia & vana gloria in ſeipſis, ſeu affectatione proprij iudicij. *Lib. 4. de Baptiſmo cap.* 5. Quis peccet grauiùs, qui neſciens in hæreſim incurrit: an qui ſciens ab auaritia .i. idolatria non receſſerit? Fortè hoc facit in hæreſi ſceleris magnitudo: quod in auaritia ſcientis admiſſio. *Cap.* 20. Vtrum Catholicum peſſimis moribus alicui hæretico præponere debeamus: non audeo præcipitare ſententiam. *Lib. 2. cap.* 6. An grauiora ſunt crimina traditorum, quàm Schiſmaticorum? Idolatria gladio punita eſt, *Exod.* 22. Schiſma hiatu terræ, *Num.* 16. Quis dubitet hoc eſſe ſceleratius, quod grauiùs eſt vindicatum?] Non ex genere proprio, ſed ex damno publico. *Lib.* 4. *cap.* 18. Conſtituamus aliquem caſtum, hoſpitalem, patientem, ſobrium, ſed hæreticum: nulli vtique dubium eſt, propter hoc ſolum quòd hæreticus eſt, regnum Dei non poſſeſſurum. *Lib. 3. ad Bonif. cap.* 5, Homo caſtus, patientiſſimus, &c. cum ſuis iſtis velut laudabilibus moribus, ſi non in Deum fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vita damnandus abſcedit. *Tract. 6. in 1. Ioan.* 4. Qui non confitetur IESVM Chriſtum in carne veniſſe, non eſt ex Deo. Quare venit Chriſtus in carne? Charitas illum adduxit. Quiſquis ergo non habet charitatem, negat Chriſtum in carne veniſſe, &c. Qui ſoluit Chriſtum, non eſt ex Deo. Soluere factis intelligitur, &c. *Lib. de Paſtoribus, c.* 8. Hæretici ſunt vbique: ſed alij hic, alij ibi, &c. *Serm. 31. de verbis Apoſtoli: vt ſupra col.* 242. Reliqua moralia de Hæreſi & Schiſmate, ex *Alenſi Parte 2. Quæſt.* 181. 182. *&c.*

## *De actu & affectu Fidei iuſtificantis.*

MArc. 5. Fides tua te ſaluam fecit. 10. Fides tua te ſaluum fecit. *Matt.* 17. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, &c. *Marc.* 9. Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.

Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. *Matt. vlt.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. *Ioan.* 3. Qui credit in Filium, non perit, ſed habet vitam æternam. 21. Quia vidiſti me *Thoma*, credidiſti: beati qui non viderunt & crediderunt. *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. *Rom.* 1. *Gal.* 3. *Habacuc* 2. Iuſtus ex fide viuit. *Rom.* 3. Iuſtitia Dei per fidem IESV Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum, &c. Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. *Cap.* 4. Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, &c. Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundùm propoſitum gratiæ Dei. *Cap.* 5. Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum. *Cap.* 14. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. 1. *Cor.* 13. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, &c. 2. *Cor.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti. *Gal.* 2. Non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem IESV Chriſti. Credimus vt iuſtificemur ex fide Chriſti. *Pſal.* 95 Fides quæ per charitatem operatur. *Epheſ.* 2. Gratiâ ſaluati eſtis per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt; non ex operibus, vt ne quis glorietur. *Phil.* 3. Non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt: ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide. *Heb.* 11. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, &c. Fide plurimam hoſtiam *Abel* quàm *Cain* obtulit Deo, &c. Fide *Enoch* tranſlatus eſt. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentē ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Fide *Noë* aptauit Arcam, &c. Fide *Abraham* obediuit, &c. Fide *Sara* ſterilis concepit, &c. Fide obtulit *Abraham Iſaac*, &c. Fide *Iſaac* benedixit *Iacob* & *Eſau*. Fide *Iacob* moriens benedixit *Ioſeph*, &c. Fide *Ioſeph* moriens mandauit de oſſibus ſuis, &c. Fide *Moyſes* natus occultatus eſt, &c. Negauit ſe eſſe filium *Pharaonis*, &c. Reliquit Ægyptum, &c. Celebrauit Paſcha, &c. Fide tranſierunt mare rubrum. Fide muri Iericho corruerunt. Fide *Rahab* meretrix non periјt cum incredulis. Deficiet me tempus enarrantem de *Gedeon, Barach, Sampſon, Iephte, Dauid, Samuel*, & Prophetis: qui per fidem deuicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, &c. *Iac.* 2. Fides ſine operibus mortua eſt. Quorum quædam ſunt de fide pro fiducia: vt *Marc.* 5. & 10. Confide filia, & fili: fides tua te ſaluam, & ſaluum fecit. *Matt.* 17 *Marc.* 9. De vi fidei, ſeu fiduciæ ad miracula, &c. Quædam ſunt, aut poſſunt intelligi de fide habituali, quædam de actu, & effectu formali, vel cauſali, totali vel partiali, mediato, vel immediato.

2. Ex *S. Aug. In Epiſt. ad Rom. Prop.* 67. Corde creditur ad iuſtitiam &c. Vt breuitate fidei ad ſalutem perueniremus. *In Epiſt. ad Gal. cap.* 3. Per fidem induendo Chriſtum, omnes fiunt Filij. *Quæſt.* 76. ex 83. Iuſtificatus per fidem non potuit niſi iuſtè deinceps operari. *Lib.* 1. *ad Simplicianum quæſt.* 2. In quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorū: vt in Catechumenis &c. In quibuſdam verò tanta eſt: vt iam Corpori Chriſti, & Sancto Dei Templo deputentur 1. *Cor.* 6. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles: non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam. *Lib.* 1. *Doct. Chriſt. cap.* 18. Chriſtus dedit Claues Eccleſiæ ſuæ, *Matt.* 16. vt quiſquis in Eccleſia eius, dimitti ſibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quiſquis autem crederet, ſeque ab his correctus auerteret, eâdem fide atque correctione ſanaretur. *Lib.* 8. *Trin. cap.* 9. Valet fides ad cognitionem & dilectionem Dei non tanquam omnino incogniti, aut non dilecti; ſed quò cognoſcatur manifeſtiùs, & quò firmiùs diligatur. *Lib.* 13. *cap.* 1. Fidem ipſam videt quiſque in corde ſuo eſſe, ſi credit: vel non eſſe, ſi non credit &c. Eam tenet certiſſima ſcientia, clamatque conſcientia. *Cap.* 2. Quamuis fides ex auditu in nobis facta ſit; non tamen ad eum corporis ſenſum pertinet, &c. nec eam quiſque hominum videt in alio, ſed vnuſquiſque in ſemetipſo. *Lib.* 14. *cap.* 1. De verâ ſcientiâ Chriſtianâ, qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, &c. *Lib. de Spiritu & litera cap.* 13. De lege fidei & operum, *Rom.* 3. Quod lex operum minando imperat: hoc lex fidei credendo impetrat. *Cap.* 14. Legem ex qua dicit neminem iuſtificari, etiam in illis operibus vult intelligi, quæ quiſque fecerit, iuſtè viuit, &c. *C.* 26. Factores legis iuſtificabuntur, *Rom.* 2. *Iac.* 1. Vt ſciamus aliter eos non eſſe factores legis, niſi iuſtificentur; vt non iuſtificatio factoribus accedat, ſed vt factores legis iuſtificatio præcedat, &c. Factores legis iuſtificabūtur: quid aliud eſt, quàm iuſti iuſtificabūtur? Ac ſi diceretur: Factores legis creabūtur: nō quia erant, ſed vt ſint, &c. aut iuſtificabuntur i. iuſti habebūtur. *C.* 31. Attēde vtrū fides qua credimus Deo, vel in Deū, in poteſtate ſit: vide vtrū quiſque credit ſi noluerit, aut non credat ſi voluerit. Quod ſi abſurdum eſt, ( Quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſenſio autem volentis vtique eſt: ) profectò fides in poteſtate eſt; ſed non eſt poteſtas niſi a Deo. *Cap.* 32. Cùm ergo fides in poteſtate ſit: cùm vult quiſque, credit: & cùm credit, volens credit, &c. Charitas quæ omnia credit, 1. *Cor.* 13. non omni Spiritui credit, 1. *Ioan.* 4. ac per hoc omnia quidem credit, ſed Deo, non omnibus credit, &c. Hæc eſt fides quæ per dilectionem operatur, *Gal.* 5. non per timorem. Vnde ergo iſta dilectio .i. charitas per quam fides operatur, niſi vnde illam fides ipſa impetrauit? *Lib. de fide & operibus. cap.* 12. Videamus, nè malâ ſecuritate ſalutem perdant: ſi ad eam obtinendam, ſufficere ſolam fidem putauerint, &c. Cùm dicit Apoſt. *Rom.* 3. *Gal.* 2. iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis: non hoc agit, vt perceptâ ac profeſſâ fide, opera iuſtitiæ contemnantur; ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiāſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim iuſti-



Digitized by Google

iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum, &c. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta: aliæ Epiſtolæ *Petri*, *Ioannis*, *Iacobi*, *Iudæ*, contra eam aſtruunt fidem ſine operibus nihil prodeſſe, vt & *Gal.* 5. *Cap.* 16. Fides Chriſti, fides gratiæ Chriſtianæ .i. quæ per dilectionem operatur, poſita in fundamento, neminem perire permittit. *Cap.* 23. Inſeparabilis eſt bona vita à fide quæ per dilectionem operatur: imò verò ea ipſa eſt bona vita. *Lib. de peccato Orig. Cap.* 24. 26. 27. 32. De neceſſariâ fide Mediatoris. *Lib. de gratia & lib. Arb.* Putauerunt Apoſtolum *Rom.* 3. dicere ſufficere fidem ad ſalutem, etiamſi quis malè viuat, & bona non operetur. Abſit, &c. *In Pſal.* 31. Fides ſine operibus mortua eſt. *Iac.* 2. Quid ergo? Nulla debemus opera præponere fidei; vt ante fidem dicatur quis bene operatus. Ea enim quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt: vt magnæ vires, & curſus præter viam, &c. Bonum enim opus intentio facit: intentionem fides dirigit. *In. Pſal.* 83. Quàm multa multi hæretici non in Eccleſiâ operantur: non in nido pullos ponunt, conculcabuntur &c. 1. *Tim.* 2. Mulier ſalua erit, per filiorum generationem: ſi permanſerit in fide .i. ſi faciat opera bona in fide verâ, in fide Catholica, &c. In iſtâ fide pone pullos tuos. In iſto nido operare. *In Pſal.* 118. *Conc.* 3. In vijs Domini, quas omnes vna fides complectitur, nemo peccatum operatur, ſed confitetur. Deuiat ergo cùm peccat: & ideo peccatum viæ non tribuitur, quod à deuiante committitur; ſed in viâ fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur, &c. Ac per hoc ab iſta viâ Domini illa alienat iniquitas, quæ eſt infidelitas. In hac autem viâ Domini .i. in fide piâ quiſquis ambulat: aut peccatum non operatur, aut ſi quid à deuiante committitur, propter viam non imputatur, & tanquam non fuerit operatus, accipitur. *Tract.* 89. *in Ioan.* Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent, &c .i. Magnum peccatum infidelitatis in Chriſtum, quod ſub generali nomine vult intelligi. Hoc eſt enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata: quod vnuſquiſque ſi non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. *Tract.* 10. *in* 1. *Ioan.* 5. Qui credit quod IESVS ſit Chriſtus, ex Deo natus eſt. Multi dicunt, Credo: ſed fides ſine operibus non ſaluat. Opus autem fidei, ipſa dilectio eſt. *Gal.* 5. Fides per dilectionem operatur &c. Qui præter viam currit, inaniter currit. Quæ eſt via? Chriſtus, *Ioan.* 10. Fides Chriſtiani cum dilectione eſt: Dęmonis autem, ſine dilectione. Ex *Enchir.* Sub *Quæſt.* de Spe, & Charitate. *Lib. de perfectione iuſtitiæ cap.* 11. Quod ait, *Iob.* 27. Non reprehendit me cor meum in vitâ meâ .i. in fide eius: quia iuſtus ex fide viuit; & ideo fides eius eſt vita eius, &c. Non ergo eum reprehendit cor eius, quando reprehendit peccatum; quod habitat in membris eius; ſed non habet quam reprehendat infidelitatem eius. Ita nec in vitâ ſuâ .i. in fide ſua, à corde ſuo reprehenditur, & ſine peccato non eſſe conuincitur.

*L.* 4. *Contra Iulianum c.* 3. Vt in 2. *Sent. Col.* 338. 339. & à 480. *ad* 490. & infra, *Col.* 551. 552.

*Epiſt.* 222. *ad Conſentium* De ratione credendorum: vt ſupra *col.* 256.

*Serm.* 16. *De Verbis Apoſtoli.* De vocatione gratuita & graduali, per fidem, ſpem, & charitatem. *Cap.* 4. Quid ergo: Nihil habemus de iuſtitiâ? An habemus, ſed non totum habemus? Si fidem habemus, iam aliquid iuſtitiæ habemus. Iuſtus ex fide viuit, &c. *Cap.* 6. Priùs diſcerne fidem tuam à fide Dæmonis, &c. Adde fidei ſpem, &c. ſpeique ipſi adde charitatem, &c. *Cap* 7. Fides quæ per dilectionem operatur, ſi eſt in vobis, iam pertinetis ad prædeſtinatos, vocatos, iuſtificatos. Ergo creſcat in vobis, &c. Sine ſpe enim eſſe nō poteſt &c. Ergo & ſpes quę hic eſt pertinet ad iuſtitiam peregrinationis noſtræ. *Tract.* 40. *in Ioan.* Quid eſt fides, niſi credere quod nō vides? *Tract.* 29. *in Ioan.* Hòc eſt opus Dei, vt credatis in eum &c. Credimus *Paulo*, *Petro*: ſed non in eum. Quid eſt ergo credere in eum? Credendo amare, in eum ire, & eius membris incorporari. *Serm.* 131. *de Temp.* Credo Eccleſiam, non in Eccleſiam. *Serm.* 59. *Appendicis cap.* 1. Credo in Deum, &c. Credere illi, eſt credere vera eſſe quæ loquitur: credere illum, eſt credere quòd ipſe eſt Deus; credere in illum, eſt diligere illum. *Serm.* 237. *De Tempore cap.* 2. Fides appellata eſt ab eo, quia fit quod dicitur &c. Fac quod dicis, & fides eſt.] Sed definitio Apoſtolica fidei refertur, & optimè explicatur ab *Alenſi* ſupra *p.* 3. *q.* 78. *m.* 5.

Quæ omnia inter ſe collucent: ſed quædam ſeorſim obſtuta, ab hæreticis ad varios errores deprauantur. Vt 1 Quaſi ſola fides eſſet neceſſaria & ſufficiens ad ſalutem, etiam in adultis, ſine Sacramentis, aut vllis bonis operibus. 2. Quaſi ſola formaliter aut diſpoſitiuè iuſtificaret credentem ſibi imputari iuſtitiam Dei aut Chriſti, ad remiſſionem ſuorum peccatorum, & propriam iuſtificationem. 3. Quaſi hæc fides iuſtificans eſſet certitudo fidei de propriâ iuſtificatione, & prædeſtinatione. 4. Quaſi vera fides non eſſet niſi prædeſtinatorum. 5. Quaſi eſſet in ſingulis indefectibilis, inuariabilis, & in omnibus æqualis. 6. Quaſi eſſet inſeparabilis à charitate, imò & ipſa charitas. 7. Quaſi non eſſet alia fides, quàm certa fiducia de miſericordia Dei & Chriſti. 8. Quaſi ante ſtatum fidei omnis actus ſit malus: in fideli autem nullus ſit malus.

Contra quas hæreſes Sacrum Conc. *Trid. ſeſſ.* 6. plæraque Capita, & Canones ſuos meritò fulminat. Vt *cap.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Can.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 19. 20. 21 22. 23. 24. 27. 28. relatis *in* 2. *à col.* 289. *ad* 298. Quia ſunt directè & expreſſè contra verbum Dei ſcriptum & traditum, eiuſque ſenſum à *B. Aug.* ſupra, imò & in ipſâ ſacrâ Script. expreſſum. Quam hæretici ad hos errores deprauant: non ſolùm quoad ſenſum, ſed etiam quoad verba, addendo ſæpè fidei, *Solam*; & quædam truncando, ad alienandum à vero & proprio ſenſu. Vt *Rom.* 3. *Gal.* 2. Iuſtificationi *per fidem*, aut *non niſi per fidē*: addunt, *ſolā*, excluſâ Spe, Char. Sacramentis, & bonis operibus: cùm expreſſè tantùm

excludat

Digitized by Google

excludat opera legis Moſaicæ, & naturalia,ſeu ex nulla gratia actuali; & *nonniſi per fidem* .i. neceſſariò per fidem,non autem per ſolam fidem.Cùm enim plura ſint neceſſaria ad iuſtificationem: ſacra Script. nunc exprimit vnum, nunc aliud.

Nec *Luc.* 8. Crede tantùm, & ſalua erit: eſt tam de fide, quàm de fiducia: nec de ſola fide neceſſaria ad propriam iuſtificationem; ſed illi Patri,ad ſanationem miraculoſam ſuæ filiæ. Nec *Ioan.* 3. Qui credit in Filium, non perit: eſt ſolùm credere ei, aut eum eſſe; ſed in eum, & propter eum, Fide vtique per charitatem operante. *Gal.* 5. & *Ioan.* 17. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, &c. Nec *Rom.* 1. *Gal.* 3. *Habacuc* 2. Iuſtus ex ſola fide viuit: ſed vt ex radice, aut diſpoſitione,directione, impetratione, & primo motiuo ac motu vitæ gratuitæ. Sic & de iuſtificatione per fidem, vel ex fide, imò & fide: vel habituali, vel actuali; diſpoſitiuè, impetratoriè, vel ſi etiam formaliter, nonniſi partialiter, & initialiter. Nam *Heb.* 11. Accedentem ad Deum oportet credere. Sed fides infuſa videtur eſſe *aliquid iuſtitiæ* formalis: ex *B. Aug.* ſupra; imò & ex 1. *Cor.* 3. *Act.* 15. *Eph.* 3. De fundatione,mundatione, & habitatione Chriſti per fidem in cordibus noſtris. Nec *Rom.* 4. fidem aut actum credendi reputari ad iuſtitiam, eſt ad eam ſufficere; ſed pertinere, vel referri ad iuſtificationem. Nec *Rom.* 14. Omne quod non ex fide,peccatum eſt: in quocumque ſenſu, eſt ſolam fidem ſufficere ad non peccandum, aut non peccari niſi defectu fidei; ſed aliquam fidem eſſe neceſſariam ad non peccandum. De qua infra,ex *B. Aug.* Nec *Gal.* 5. Fides quæ per charitatem operatur: eſt ſola aut quæuis fides; ſed viua, ſeu informata, & quaſi animata ipſâ charitate per quam operatur, ſine qua ibidem nihil valet, & 1. *Cor.* 13. Nihil eſt .i. nihil prodeſt finaliter ad ſalutem, niſi priùs diſponat, dirigat, moueat, & impetret charitatem per quam operetur. Nec tamen *Iac.* 2. fides ſine operibus mortua eſt: quaſi ſine charitate, & eius operatione non ſit vera fides; ſed vt ibidem corpus ſine anima mortuum eſt, nec tamen deſinit eſſe verum corpus; ſic & vera fides ſine charitate, eiuſque, imò & ipſius fidei operatione.

Vt patet etiam ex ſingulis *B. Aug.* ſupra, vel ſatis expreſſis,vel facilè explicandis. Nam 1. Breuitas fidei .i. legis Chriſtianæ, non opponitur ibi alijs ad ſalutem neceſſarijs; ſed plurimis neceſſarijs obſeruantijs antiquæ legis. 2. Per fidem induere Chriſtum,& adoptari: non eſt per fidem ſolam, ſed per Sacramentum fidei. Ex *Rom.* 6. *Gal.* 3. Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Vel per fidem actualem, vt mouentem ad baptiſmum; vel per fidem habitualem, quaſi per veſtem partialem. 3. Iuſtificatus per fidem, non poteſt niſi iuſtè operari .i. ex directione & motiuo fidei; ſed nonniſi ex praua voluntate. 4. Illæ inchoationes fidei, ſunt gratiæ actuales, ſeu piæ cogitationes,& affectus ad fidem,baptiſmum,&c. Tanta autem perfectio, non eſt ſolius fidei, ſed viuæ, vt ſupra. 5. Niſi quis credat dimitti peccata in Eccleſia, non ei dimittuntur: quia ſine hac fide non poteſt verè vti Sacramentis Eccleſiæ; ſed ſi verè credit, eis vtitur. 6. Supponit fidei actuali aliquam cognitionem Dei actualem: ſed fidei infuſæ, aliquam inchoatam dilectionem actualem Dei; necdum tamen veræ charitatis. Vt *Trid. Seſſ.* 6. *cap.* 6. Vel ſupponit etiam fidei actuali in Deum, aliquam dilectionem Dei .i. aliquem pium affectum credendi. 7. Quilibet experitur in ſeipſo per actus proprios, an habeat fidem acquiſitam: non autem an infuſam. 8. Vera ſcientia gignit, tuetur, & perficit fidem acquiſitam: non autem infuſam. 9. Lex fidei Chriſtianæ .i. noua,& gratiæ: Lex operum .i. Moſaica,vel quælibet obligans,ſed non dans gratiam.Illa credendo impetrat gratiam neceſſariam ad hanc. 10. & 11. Negat primam iuſtificationem, non autem eius augmentum, eſſe ex obſeruantia vllius legis, ſed ex gratia. Nec tamen ſupponit nullam legem poſſe obſeruari ante iuſtificationem: ſed non totam, nec eas quæ ſunt de ipſa charitate & iuſtificatione. 12. Explicat veram libertatem credendi, ex gratia: & actum proprium credendi intellectus & voluntate; imò & ipſum obiectum proprium huius actus, ac verum ſenſum quo fides per dilectionem operatur. 13. Explicat ſacram Script. de fide ſine operibus legis. 14. De fide fundamentali, & per dilectionem operante; quæ neminem perire permittit .i. quantùm eſt ex ſe; perſeuerando, & impetrando perſeuerantiam finalem in charitate. 15. De hac fide, vt inſeparabili à vita bona: quia eſt ipſa vita bona. 16. De neceſſaria ſemper fide Mediatoris: explicitè, vel implicitè. 17. Vt 13. ſupra. 18. De fide ſine operibus mortua: & operibus ſine vlla fide aut gratia mortuis, ſeu inutilibus ad ſalutem. 19. De neceſſitate, & vtilitate veræ fidei ad bona opera ſalutaria. 20. De via fidei, in qua nulla eſt iniquitas: nec ei vlla imputari poteſt, nec vlli fideli per eam incedenti; aut peccata venialia non ei imputantur ad priuationem gratiæ, & eradicationem iuſtitiæ. 21. De peccato infidelitatis,ac perfidiæ Iudaïcæ, & finalis in Chriſtum: quo,aut ſimili tenentur,ſeu retinentur cuncta peccata; quia nec poſſunt ſeorſim dimitti, & illud eſt directè contrariũ omni pœnitentiæ & remiſſioni,ſine quo .i. quo correcto, poſſunt reliqua per pœnitentiam & Sacramenta dimitti. 22. Opus fidei per dilectionem operantis, eſt ipſa dilectio .i. fides operatur ipſam dilectionem, diſponendo, dirigendo, monendo,mouendo,impetrando; & per dilectionem,omnia ipſius dilectionis opera. Fides autem Chriſtiani, differt à fide Dæmonis: quòd illa ſit cum aliquo pio affectu ad ſuum actum & obiectum; hæc autem non, ſed cum odio proprij actus & obiecti. 23. vt 20. Nec hæc eſt impropria, ſed propria expoſitio: quia *Iob* non agit de reprehenſione in vita ſua naturali aut humana, ſed fidei. Non tamen vult *B. Aug.* ſolum peccatum infidelitatis eſſe in nobis reprehenſibile: vt perperam Hæretici contra *Trid. Seſſ.* 6. *Can.* 27. ſed vult eum qui ex fide ſua non negligit reprehendere, non ſolùm peccata actualia, ſed & omnes motus concupiſcentiæ ad peccatum, non habere quod reprehendat in vita fidei; quia reuerà viuit ex fide, & ſecundùm veram fidem. 24. Vt infra



Digitized by Google

ad cenſuras *Pij* 5. *&* *Greg.* 13. in Prop. *Baij.* 25. Vt infra inter Scholaſtica. 26. Eſt pro iuſtificatione etiam formali, ſed partiali per fidem: cùm ipſa ſit *aliquid iuſtitiæ.* Sed *cap.* 7. pertinere ad prædeſtinatos: non eſt eſſe prædeſtinatos, ſed eſſe inter illos, & in ſpe. Vnde hæc fides quæ per dilectionem operatur, non eſt ſine ſpe ſalutis. Reliqua pertinent ad definitionem, deſcriptionem, & æthymologiam fidei, & actus credendi.

Cùm ergo *Conc. Trid.* totâ *ſeſſ.* 6. tam ſapienter expreſſerit verbis proprijs verum ſenſum ſacræ Script. & *B. Aug.* de noſtrâ per fidem iuſtificatione: & ſub anathemate inhibuerit ne quis contrà ſentiat, aut loquatur: iure merito *Pius V.* ac *Greg. X.* cenſurant quaſdam Prop. *D. Baij,* quę ab hac doctrina *Trid.* diſſonant. Vt 13. 15. 66. quæ tribuunt omne meritum ſoli obedientiæ legis: non autem gratiæ infuſæ. Quaſi contra *Trid. cap.* 7. 16. De iuſtificatione per infuſionem gratiæ, & merito per influentiâ gratiæ infuſæ. *Prop.* 25. Quod omnia opera infidelium ſint peccata, & virtutes Philoſophorum ſint vitia. Quaſi contra *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 7.* De diſpoſitione ad fidem, per actus bonos, non malos. 65. Quod infidelitas purè negatiua, in his in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum ſit. Quaſi contra *Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. & 11. can. 5. & 6.* De aliquâ adhuc libertate, abſque neceſſitate abſolutâ peccandi.

Quæ cenſuræ non afficiunt vllam ſententiam *B. Aug.* nec quoad ſenſum, nec quoad integram dictionem: vt ex profeſſò *in* 2. *Quæſt.* 8. *col.* 481. 482. 483. Quia licet *B. Aug.* ſæpè exigat aliquam fidem ad non peccandum, in quouis opere, defectu finis cogniti, crediti, & intenti: ex illo *Rom.* 14. Omne quod non ex fide peccatū eſt. Non tamen exigit ſtatū fidei, à quo, aut ab eius priuatione, Fideles aut Infideles denominentur: nec actum proprium fidei infuſæ, vel acquiſitæ: ſed gratiam aliquam actualem cognoſcendi Deum, vt finem noſtrum, ſaltem in communi & confuſo, idque credendi ſeu aſſentiendi, & ad hunc finem operandi, ne quis peccet defectu veri finis. Nec vnquam *B. Aug.* expreſſit, *omnia opera infidelium eſſe peccata, & virtutes Philoſophorum eſſe vitia:* niſi ex vitio naturæ corruptæ, & aliquâ vitioſâ intentione. Sed ſæpe tribuit ipſis infidelibus, & eorum Philoſophis, aliquam Dei gratiam actualem, ad cognoſcendum verum, etiam morale, & benè operandum moraliter. Vt *lib.* 2. *Ciu.* 7. Quidam Philoſophi quædam magna, quantum diuinitùs adiuti ſunt, inuenerunt: quantum autem humanitùs impediti ſunt, errauerunt. *Lib.* 19. *c.* 14. Ne ipſo ſtudio cognitionis in peſtem alicuius erroris incurrat: opus habet Homo magiſterio Diuino, & adiutorio. *Lib.* 4. *contra Iul. cap.* 3. ex profeſſo. *Soletis negantes Dei dona eſſe virtutes quibus rectè viuitur, hoc vti Arg. quòd eas nonnunquam habeant infideles, &c. Quantò ſatiùs hæc ipſa in eis Dona Dei fatereris &c. Quantò tolerabiliùs illas quas dicis in impijs eſſe virtutes, diuino muneri potiùs, quàm eorum tribueres voluntati?* Infra. *Ex quo colligitur, etiam ipſa bona opera quæ faciunt Infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui benè vtitur malis.* Et quamuis ſæpè inculcet in illud *Rom.* 14. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: *Peccati ſpeciem de qua agebat, generali voluit probare ſententiâ, &c.* Infra. *Velis, nolis, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Subdit tamen. *Sed ne fortè tecum videar certare de verbis: aut intellige,* Marc. 6. *Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tenebroſum erit* .i. *Qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, quæ per dilectionem operatur: totum quaſi corpus quod illis operibus, velut membris conſtat, eſt plenum nigredine peccatorum. Aut certè, quoniam ſaltem concedis opera Infidelium non eos ad ſalutem æternam perducere, &c. Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratiâ, quæ datur per Chriſtum, nemini poſſe conferri, &c.* Quæ eſt tandem ſententia finalis, mentalis, & vocalis, *B. Aug.* ad quam omnes aliæ referendæ ſunt: ne vllo verbo à *Conc. Trid.* & Cenſuris *Pij* 5. diſſonare videantur; quamuis vero ſenſu conſentiant. Vt. 1. Quòd Infideles & eorum Philoſophi, ante ſtatum fidei, habeant ex gratiâ Dei actuali aliquas veras cognitiones, & bonos motus ac actus, quibus ad fidem & iuſtificationem diſponantur. 2. Quòd infideles, ex inaduertentiâ aut indeliberatione, quædam interiùs exteriùſque operentur ſine peccato. 3. Quod quædam opera Infidelium, & virtutes Philoſophorum ſint ſine peccato & vitio, quoad ſolam doctrinam moralem, vel quoad praxim operum & virtutum ex ſuo genere ſeu obiecto, non ex fine; vel non niſi ex aliquâ gràtiâ actuali. 4. Non de facto: ſed de poſſibili. Cur enim Eccleſia quaſi canonizaret acta Infidelium? Quamuis etiam *B. Aug* ſæpè videatur non excuſare vllos Infideles à peccato infidelitatis. Vt *lib. de gratiâ & lib. arb. cap.* 3. Ignorantia eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem excuſat vt ſempiterno igne non ardeat: ſi propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet; ſed fortaſſis vt mitiùs ardeat. Et alibi ſæpè de peccatis ignorantiæ & neceſſitatis. Nunquam tamen eodem ſenſu, aut verbis expreſſit illam Prop. 65. *Baij.* Sed *l. de gratia & lib. arb. c.* 3. ſuprà, vel illi *tāquā ſimpliciter neſcientes*, non ſunt verè tales, ſeu prorſus negatiuè infideles, ſed ex aliquâ voluntariâ indiſpoſitione ad fidem: vel illa infidelitas non eſt illis peccatum actuale, ſed originale, propter quod minùs puniuntur, quàm propter actuale. Sæpè enim *B. Aug.* vocat motus concupiſcentiæ, & ignorantias ex peccato originali oriundas peccata, ſeu peccatum originale. Et *Tract.* 89. in illud Chriſti: *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent* .i. infidelitatis in Chriſtum: *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Verum hi ad quos non venit Chriſtus, habeant excuſationem de peccato ſuo? Ad hæc pro captu meo reſpondeo: habere illos excuſationem; non de omni peccato ſuo, ſed de hoc, &c. Reſtat verum hi qui priuſquam Chriſtus veniret ad gentes, vitæ huius fine præuenti ſunt, poſſint habere hanc excuſationem? Poſſunt planè: ſed non ideo poſſunt effugere damnationem, &c. Siue non acceptaretur iſta excuſatio, ſiue acceptaretur:

tur:

Digitized by Google

tur: etſi non vt ab omni damnatione liberentur, certè vt aliquanto leuiùs damnentur.

Præter hæc dogmatica, vel inhibita quoad ſenſum, & modum loquendi: ſunt quædam ſcholaſticè dubia & libera. 1. An fides infuſa iuſtificet formaliter, inadæquatè. 2. An etiam ipſe actus fidei ante vel poſt infuſionem habitus. 3. An ratio ſit prior fide, vel fides ratione ſeu cognitione obiecti crediti. 4. An & quo ſenſu ſine circulo vitioſo credatur ſacræ ſcript. propter Eccleſiam, & Eccleſiæ propter ſacram Script. 5. Quodnam ſit obiectum formale credendi: an Deus, vt reuelans, ſub ratione primæ veritatis, aut veracitatis, vel ipſa eius prima reuelatio, interna vel externa. 6. An, & quæ obſcuritas ſit de eſſentia fidei, & credendi. 7. An, & quo modo ipſum obiectum formale influat etiam ſeipſo obiectiuè, mouendo, terminando, & ſpecificando actum credendi. 8. Quomodo concurrant omnes concauſæ ad credendum, & plura alia.

*Ad* 1. Non iuſtificat ſimpliciter, ſed ſecundùm quid: non ſolùm tamen diſpoſitiuè, ſed etiam formaliter. Ex *Conc. Trid. Seſſ. 6. cap.* 7. De iuſtificatione formali & perfecta per fidem, ſpem, & charitatem ſimul. Nam fides niſi ad eam accedat ſpes & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque Corporis eius viuum membrum efficit. Ergo ſaltem imperfectè. Deinde ex *B. Aug.* ſupra *Serm.* 16. De verbis Apoſtoli, vbi docet fidem eſſe aliquid iuſtitiæ; ergo iuſtificat formaliter, ſed ſecundùm quid. Denique ex ſacra Script. Quæ tribuit fidei iuſtificationem etiam ſub modo formali loquendi; non ſolùm per fidem, & ex fide, ſed & fide. *Act.* 15. *Epheſ.* 3. Nec obſtat quòd etiam fides habitualis ſit diſpoſitio ad iuſtificationem: quia vt forma imperfecta, diſponit ſubiectum ad ſpem & charitatem, vt ad concauſam formalem perfectiorem eiuſdem effectus adæquati: imo vt concauſa formalis imperfectior eiuſdem ordinis ſupernaturalis cum ſpe & charitate requirit à Deo hanc ſuam concauſam perfectiorem, quæ eſt tacita quædam & realis fidei oratio & impetratio. Vtque materia prima appetit quamlibet formam: ſed vt diſpoſita appetit perfectiorem; ſic & anima fide informata, & ſecundùm quid iuſtificata, hoc ipſo appetit, petit, & impetrat perfectiorem.

*Ad* 2. Omnis actus credendi, ex gratia actuali, ante, & poſt fidem infuſam, iuſtificat diſpoſitiuè, & meritoriè de congruò, ſeu impetratiuè: tum ex aliqua connaturali proportione & ordinatione ad vlteriorem perfectionem eiuſdem ordinis; tum ex ordinatione ſupernaturali Dei inter tales actus & habitus ſupernaturales. Sed actus fidei infuſæ, vel æquales ex æquiualente gratia actuali: videntur non tantùm plus iuſtificare diſpoſitiuè, meritoriè, impetratiuè, quàm illæ *incohoationes fidei, apud B. Aug. ad Simpl. q.* 2. ſed æquè formaliter, ac ipſa fides infuſa. Quia hæc eſt propter tales actus, vt per ſe perfectiores, vel ſaltem vt vlteriores perfectiones formales ſui ſubiecti: quarum etiam vt actualium & tranſeuntium vicem habitualiter ſupplet. Vt ſupra *quæſt.* 16. De habitibus & actibus ſupernaturalibus. Confirmatur ex ſacra Script. SS. Patribus, & Conc. æquè hunc effectum formalem tribuentibus actui huius fidei, ac ipſi habitui.

*Ad* 3. Ex *B. Aug. Epiſt.* 122. Ad *Conſentium, Quæſt.* 2. Quibus adde ex eodem ſæpè, vera & credibilia nō poſſe nobis occurrere potiùs quàm falſa: nec poſſe nos illis occurrentibus aſſentiri: niſi ex aliqua priori gratia actuali. Sed non poteſt credi vllo actu, vel aſſenſu fidei: niſi ratio, conceptu ſimplici & complexo præcognoſcat ipſa credibilia; non tamen, vt talia, niſi ex aliqua gratia actuali. Inter quæ credibilia, ſunt prima motiua exteriora credendi. .i. Verbum Dei ſcriptum & traditum, eiuſque Cuſtos, teſtis, & interpres infallibilis vera Eccleſia, Papa, Concilia, de quibus ſupra.

Ad 4. Ex *B. Aug.* contra Epiſtolam fundamenti: Non crederem Euangelio, niſi me Eccleſiæ Catholicæ cōmoueret authoritas. Sed abſit vt non credam, &c. Vt & *lib de vtil. credendi cap.* 14. Sed non æquè, nec reciprocè: Non crederem Eccleſiæ, niſi ad hoc me moueret ſacra Script. Nam, vt *cap.* 7. Fac nos nunc primùm quærere cuinam Religioni animas noſtras tradamus. Procul dubio ab Eccleſiâ Catholicâ ſumendum exordium. *Cap.* 13 Rectè igitur Catholicæ diſciplinæ maieſtate inſtitutum eſt: vt accedentibus ad religionem, fides perſuadeatur ante omnia.] Quia Eccleſia eſt prior omni ſacrâ ſcript. cui hæc eſt ſcripta & tradita: & vera Eccleſia eſt prior omni falsâ, quæ non eſt niſi ex defectione à primâ, & verâ, ſeu à Deo inſtitutâ. Sed Eccleſia vera non poteſt eſſe prior omni verbo Dei externo: quo illa ab initio collecta, conuocata, & inſtituta eſt. Vt enim Reſpublica libera inſtituitur lege naturali, quâ primi aliqui conſociantur: ſuiſque poſteris, & aſſociandis præſcribunt & tradunt leges ſuæ Reipublicæ, in ſuo Archiuo & ſenſu Maiorum ſuorum fideliter cuſtodiendas & interpretandas. Sic & vera Eccleſia primò collecta fuit Verbo Dei inſpirato, & tradito, deinde Scripto: cuius verbi & traditi & ſcripti hæc ſola Eccleſia eſt ſibi ipſi & ſuis Cuſtos, teſtis, & interpres irrefragabilis. Sed qui ab eâ defecerunt, comportant ſecum ſacras Script. Iudæi quidem Veteris Teſt. varij autem hæretici totius noui Teſt. Deo prouidente teſtimonium veræ ſacræ Script. ab ipſis inimicis: ſed verum ſenſum à ſolâ verâ primâ, & continuâ Eccleſiâ. Ideóque vt *B. Aug.* tam ſæpè vocat Iudæos mancipia Eccleſiæ, ad baiulandos ei libros ſacros Veteris Teſt. Sic & in hunc finem, & ad vſum ac interpretationem continuam totius ſacræ Script. *Oportet hæreſes eſſe.* Hinc patet non eſſe circulum vitioſum in diſcernendo, & credendo veræ Eccleſiæ ex indicijs ſacræ Script. huic autem, ex fideli cuſtodiâ, teſtimonio, & interpretatione Eccleſiæ. 1. Quia vario reſpectu perſonarum: quibus ſacra Script. videtur credibilior, vel qui eius aliqua fide præuenti ſunt, illis vera Eccleſia probanda eſt per ſacram Script. Qui needum credunt ſacræ Script. illis probanda eſt auctoritate publicâ Eccleſiâ celebrioris & credibilioris, vt *B. Aug. toto libro de vtilitate credendi.* Quibus verò nec vlla Eccleſia,

nec

nec S. Script. adhuc credibilis, aut credenda videtur: probanda, ſeu credibiliter proponenda eſt; vel priuatâ auctoritate Maiorum, quibus iure naturæ fides deferenda eſt; vel etiam rationibus, ex illis ſignis ac inſignijs ſuprà, & ex propriâ experientiâ, ſeu lectione vel auditu Verbi Dei, & fideli inquiſitione, collatione, & præferentia illius Eccleſiæ, in quâ doctrina, & praxis vitæ, ac cultus Dei dignior, & rationabilior eſt. Nam *B. Aug.* aliter proceſſit cùm Donatiſtis, & alijs hæreticis, præuentis aliquâ fide totius ſacræ Scripturæ, ad probandam inde veram Eccleſiam: aliter cum Idololatris, nulli ſacræ Scripturæ credentibus; aliter cum Iudæis, ſoli veteri Teſt. fidem deferentibus; aliter cum Manichæis, vetus Teſt. deteſtantibus, & quædam ex nouo reprobantibus. 2. Quia Eccleſia, & ſacra Script. ſunt ſe inuicem credibiliores, à priori, vel à poſteriori. Videtur autem Eccleſia credibilior à poſteriori: quia rationi naturali propinquior ſed ſacra Script. à priori, quia eſt immediatiùs à Deo per reuelationem. 3. Quia non tam ſunt cauſæ mutuæ credibilitatis: quam concauſæ credendi, ſeu motiuæ intellectus ad credendum. 4. Quia plures cauſæ diuerſi generis poſſunt ſibi inuicem eſſe cauſæ: vt patet ex materia in qua & ex qua, forma quâ, cauſa à qua, & fine propter quem non ſolùm fit ipſe effectus, ſed ipſæ cauſæ cauſant & cauſantur. 5. Plures cauſæ eiuſdem generis poſſunt ſibi inuicem eſſe cauſæ: ſed non in eodem ſingulari ſubiecto, vel actu. Sicque Eccleſia poteſt eſſe in vno ſubiecto, vel caſu, cauſa motiua credendi ſacræ Scripturæ: & hæc in alio ſubiecto, vel caſu, poteſt eſſe cauſa motiua credendi Eccleſiæ.

Ad reliqua omnia ſimul *Reſp.* 1. Ex ſacra Scrip. *Es.* 7. apud *B. Aug.* Niſi credideritis non intelligetis. *Matt.* 16. Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. *Luc.* 10. Cui voluerit filius reuelare, &c. Reuelaſti ea paruulis. *Rom.* 1. Reuelatur de fide in fidẽ. 10. Fides ex auditu, &c. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. 2. *Cor.* 3. Nos autem reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem. 2. *Cor.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. *Epheſ.* 8. Reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis, & Prophetis, &c. *Heb.* 11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. 1. *Petri* 3. Parati ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationẽ, de ea quę in vobis ſpe.

2. Ex noſtris Authoribus ſupra relatis: ſed ſingulariter ex Scoto in 3. ſupra *col.* 204. Deus poteſt ſupplere per habitum fidei infuſæ certitudinem aliquam imperfectiorem, contentam in perfectiori, quæ oriretur ex euidentiâ terminorum &c. *Diſt.* 25. *quæſt.* 2. *col.* 207.

*Ad quæſt.* Vnde fides habeat ſuam vnitatem: Poteſt dici quòd non ex vnitate primi ſui obiecti, &c. Quia Deus non mouet ſub ratione obiecti ad cognitionem omnium credibilium; nec continet omnia obiectiuè, ſed cauſaliter. Ideo habet vnitatem, vel ab vnitate reuelantis omnia, vel formaliter ex ſeipſa: non ab aliquo obiecto, ſed à Deo cauſaliter. In 1. *Quæſt.* 1. *Prologi.* Multæ veritates complexæ non potuerunt nobis innoteſcere, niſi ex aliqua à Deo reuelatione: non tantùm vt ab agente ſupernaturali pro hoc ſtatu; ſed etiam ſupplente, ſaltem imperfectè, vicem obiecti ſupernaturalis. Quodlibeto 14. De varijs differentijs inter fidem infuſam, & acquiſitam.

N. 5. Poteſt viator ex natura ſua, auditâ & intellectâ doctrinâ Eccl. firmâ credulitate aſſentiri his, quę ipſa docet de fide & moribus. Inter quæ principale eſt, de Trinitate in Diuinis. De iſta credulitate acquiſitâ, videtur *Rom.* 10. Fides ex auditu, &c. *B. Aug. contra Epiſtolam fund.* Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ authoritas compelleret. Sed vltra iſtam fidem acquiſitam, habemus fidem infuſam: & ad illam licet poſſit homo ex naturalibus ſe diſponere; non tamen ex natura intrinſeca, nec etiam concurrentibus quibuſcumque cauſis naturaliter motiuis, intellectus ad illam poteſt attingere; quia Deus illam ſolus infundit, &c. Quando fides infuſa & acquiſita inſunt eidem animæ: actus vnus & idem credendi elicitur ſecundùm inclinationem vtriuſque, &c. Ex ſola fide acquiſitâ poteſt elici actus credendi, &c. Non ex ſola fide infuſâ, de lege communi; licet Deus aſſiſtendo fidei infuſæ, poſſet mouere intellectum, &c. Vt patet de puero baptizato: quia ſi nutriretur in deſerto, vel inter Infideles, & nullam haberet doctrinam de credendis, nunquam actum rectum credendi eliceret, &c. Fides infuſa non poteſt inclinare ad aliquod falſum; quia inclinat virtute luminis diuini, cuius eſt participatio, &c. Sed fides acquiſita, communiter innititur aſſertioni alicuius teſtis qui poſſet deficere. Frequenter tamen non ſubeſt falſum, quando teſtis eſt verax. Dixi, *Communiter*: quia Deo immediatè reuelanti poſſet quis credere, credulitate acquiſitâ; niſi aliud non ſit verum reuelari à Deo, quàm actum credendi vel noſcendi cauſari immediatè à Deo, in eo cui fit reuelatio. Quando ad idem inclinat fides infuſa & acquiſita, neceſſariò acquiſitæ non ſubeſt falſum; ex infuſa concurrente ad eundem actum, &c. Ad quodcumque inclinat lumen fidei infuſæ, eſt determinatè verum, &c. Non percipio me inclinari in actum per fidem infuſam, ſed acquiſitam: quia ſcirem quòd actus meus non poſſet eſſe falſus, quod nullus experitur in ſe, vt credo, &c. Ad *B. Aug.* 13. *Trin.* 1. Intelligit fidem videri, vt animam ſemper ſe noſcere; non actu elicito, ſed perfectâ præſentiâ obiecti, &c. Aliter diceretur quòd accipit fidem pro actu credendi.

Cùm enim ſint tam multa neceſſaria ad credẽdum, tàmque varia dubia de proprio obiecto fidei, materiali & formali, *Quod*, *Quo*, *ſub Quo*, *Sine Quo non*, *Motiuo*, *Terminatiuo*, *Specificatiuo*, *Determinatiuo*, vel tantum *Vnitiuo*, de quorum ſignificatione in. 1. *Sent.* ſub *Prologo*. 1. An Deus vt Deus ſeu ſub ratione formali Deitatis, Infinitatis, Dominationis, Primæ Veritatis in eſſendo, cognoſcendo, aut loquendo & teſtando, ſeu veracitatis, ſit obiectum formale fidei; an eius locutio & noſtra auditio, ſeu reuelatio actiua & paſſiua,

Digitized by Google

paſſiua, habitualis & actualis, ſeu fides infuſa vel illuminatio actualis intellectus & obiecti credendi, ſint de ipſo obiecto formali vel non; & ſic de reliquis ad credendum neceſſarijs. Hæc tamen dubia ſpeculatiua, & quaſi in actu ſignato, omneſque inter ea opiniones Catholicæ, ſupponunt aliquod obiectum, & reliqua neceſſaria, in ſe, practicè, & in actu exercito certiſſima. Quia non dependent à noſtra determinata certitudine ſpeculatiua: ſed a ſola rei veritate, & vera praxi ac certitudine practica, exteriore & interiore, actiua & paſſiua, non tàm experimentali, quàm ſupernaturali. Inter quæ dubia, hæc videntur probabiliora, ex ſacra Script. & noſtris Doct.

## *De Obiecto, cauſis, & actu credendi.*

QVòd ſolus Deus vt verax, ſit obiectum proprium, formale, *Quod, & Quo*, motiuum, Terminatiuum, Specificatiuum, & Determinatiuum omnis actus credendi, vt eſt entitatiuè ſupernaturalis, & infallibilis: non tamen obiectiuè mouet ſeu influit ad hunc actum niſi mediatè, per ſigna certa, ſed obſcura, externa & interna. Quæ non ſolùm reddunt obiecta prudenter & ſuo modo morali euidenter credibilia: nec ſolùm mouent ad aliquam piam credulitatem, vel actū fidei acquiſitæ, ſed & infuſæ, vt eſt naturalis, verus, & certus. Nec Deus mouet naturaliter ſeu neceſſariò: ſed liberè quoad ſe, & quoad nos; ſicque cauſaliter, per fidem infuſam, & gratiam actualem, non ſolùm diſponendi, ſed & liberè ac perfectè volendi & credendi, ſupernaturaliter, & infallibiliter. Quæ gratia actualis, vt æquiualens fidei infuſæ, & participata ab eius obiecto vt infallibiliter veraci: eſt lux ipſius intellectus, & obiecti credendi, dirigens & mouens intellectum per voluntatem, ad aſſenſum per conſenſum, ſecundùm inclinationem fidei infuſæ, & exigentiam ſui Obiecti formalis, vt ſupernaturalis & infallibilis.

Quorum pleraque colliguntur ex ſacris Script. *Conc. PP.* & ſenſu communi Eccleſiæ, tribuentibus fidem noſtram, vt lumen ſpirituale, Deo vt Soli ſeu cauſæ ſupernaturali, & obiecto proprio, eiuſque infallibili veracitati ac reuelationi, per certa, ſed obſcura verba & ſigna, interiora & exteriora. Vt ſupra, & 1. *Tim.* 1. Scio cui credidi, & certus ſum. 1. *Theſſ.* 2. Accepiſtis illud non vt verbum hominū, ſed vt verè eſt verbum Dei, &c. De quo in 2. *Sent. quæſt.* 8. De neceſſitate gratiæ ad credendum. Reliqua ex noſtris Doct. præcipuè ex Subtili ſupra, in 1. *quæſt.* 1. *&* 2. *prologi.* in 3. *diſt.* 23. 24. 25. Quid enim aliud præfert, *Deum vt Agens Supernaturale ſupplere imperfectè vicem obiecti ſupernaturalis?* Deum ſupplere per habitum fidei infuſæ certitudinem quæ oriretur ex euidentia terminorum? Deum non mouere ſub ratione obiecti ad cognitionem credibilium, nec continere omnia obiectiuè, ſed cauſaliter? Fidem infuſam & acquiſitam influere ad eundem actum? Quæ omnia ſtudioſiſſimè pertractat noſter *R. P. Velaſco, Tom.* 2. *in* 3. *Sent. diſp.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Cuius pleraque ſuſpicio: ſed inter alia non capio neceſſitatem vllius fidei diuinæ, acquiſitæ per actus credendi ex gratia actuali, ante infuſionem Fidei Spei & Charitatis, non niſi ſimul; nec inuenio vllam eius mentionem in ſacra Script. *Conc. PP.* vel noſtris Doct. diſtinctam à fide infuſa, vel acquiſita diſcendo & credendo. Hinc enim non videtur acquiri vllus habitus diuinus, ſeu gratuitus, credendi ſupernaturaliter, & formaliter vt oportet: ſed tantùm naturalis aut moralis, dependenter à gratia actuali ad ſingulos actus gratuitos.

## *Difficultas prima.*

SAcræ Script. ſupra citatæ, Conc. PP. nunc tribuunt fidei Chriſtianæ obſcuritatem, & Captiuationem intellectus, nunc illuminationem & claritatem. Nec *Alenſis, S. Bon. & Scotus* contentiunt, de poſſibili fide actuali, cum probabilitate & euidentia, aut non. Vt patet 1. ex *Alenſi. q.* 78. *m.* 5. *a.* 2. Fides vt diſponit ad cognoſcendum, dicitur argumentum non apparentium. Ad 2. *Contra Damaſc.* Argumentum non apparentium .i. certitudo videndi quoad intellectum. *Ad* 5. Fides certificat nobis credenda, & varias rationes credendi: non tamen primam, ex qua eſt tota certitudo fidei. *Mem.* 6. *Art* 2. Credere eſt aſſentiri primo credito propter ſe, ſupra rationem. *Ad.* 2. Cogitare non eſt ſemper prius actu, quàm credere: ſed nunc prius, nunc ſimul, nunc poſt. *Art.* 5. Quid ſit cognoſcere per fidem. *Reſp.* Abſentia credi, præſentia videri. *Ad* 1. Cognitio fidei, non eſt propriè ſcientia. *Ad* 2. Nec credere eſt propriè videre. *Art.* 6. Prius eſt credere, ſeu aſſentiri, quàm perfectè intelligere credenda, *Eſa.* 7. *Quæſt.* 78. *M.* 2. Fides non poteſt eſſe de obiecto viſo, viſione beatificâ: ſed ſenſitiuâ aut intellectuali, quæ non ſit finis fidei. *M.* 3. Poteſt idem aliter eſſe ſcitum, creditum, & ſenſatum. *Ad vlt.* Per fidem primæ veritatis propter ſe, ceſſat aſſenſus propter rationes naturales, vt motiuum finale aſſentiendi; non autem vt diſponentes ad aſſenſum. *Quæſt.* 80. *M.* 1. *Ad* 2. Fides ad aſſenſum, non eſt ſpeculatiua, ſed affectiua circa finem. *Mem.* 2. Non fuit in Angelis ante lapſum: ſed quædam ſcientia ſpeculatiua. *Ad* 1. Cognitio ænigmatica eſt quidem rei lucidæ: ſed per medium obſcurum, & intellectu obſcuro. Quod eſt videre per ſpeculum, in ænigmate, 1. *Cor.* 13. *Mem.* 3. Non fuit in Adamo ante lapſum: ſed cognitio perficienda, non euacuanda, viſione. *Mem.* 4. Non fuit in Chriſto: ſed cognitio perfecta. *Ad* 4. Cognitio ænigmatica fidei, non ſolùm eſt imperfecta comparatiuè ad perfectiorem: ſed etiam in ſuo genere cognitionis gratuitæ. *Quæſt.* 81. *Mem.* 1. De certitudine fidei .i. conſequente fidem. Fides informis habet certitudinem conſcientiæ: formata, etiam experientiæ affectiuæ. *Ad vlt.* Fides eſt certa habenti, ſub ratione actus & habitus proprij: non ſub ratione gratuiti, & Deo accepti. *Coll.* 33. *Art.* 4. Fides & viſio poſſunt eſſe circa idem: ſed non ſecundùm idem. *Art.* 5. Fides non poteſt ſtare cum opinione formidoloſa circa idem: ſed benè cum opinione oriunda ex ratio-



Digitized by Google

nibus. *Art.* 6. Non poteſt ſtare cum ſcientia comprehenſiua, ſed manuductiua: non tantùm habitualiter, ſed & actualiter; ex motiuo principali fidei, & minùs principali ſcientiæ. *Coll.* 36. *Art.* 1. Fides non creuit additione nouorum Articulorum: ſed explicatione implicitorum.

2. Ex *S. Bon. in* 3. *D.* 23. *A.* 1. *Q.* 1. Fides eſt media inter ſcientiam & opinionem: non aliqua inde compoſitione, ſed certitudine. *Ad.* 2. Scientia eſt in verum, vt verum: fides in verum, vt ſalutare. *Ad* 4. Fides eſt rationabilior ipſa ſola ratione. *Quæſt.* 4. Fides non eſt certior ſcientiâ ſpeculatiuè: ſed affectiuè. *Ad* 1. Nihil eſt certius fide propriâ: experimentaliter. *Ad* 3. Lux increata non lucet plenè per fidem. *Ad* 4. Nec fidei, nec ſcientiæ ex ſe mixtus eſt error. *Diſt.* 24. *Art.* 1. *Quæſt.* 1. Non poteſt ſubeſſe falſum obiecto fidei. *Ad* 2. Fides non pendet ab ipſis creditis: ſed à reuelatione. *Quæſt.* 2. Eſt circa ſolum verum increatum, vt formale motiuum credendi propter ſe. *Art.* 2. *quæſt.* 1. Fides non poteſt eſſe de viſis, niſi ſecundùm aliquid latens. *Ad Arg.* Viſio patriæ excludit omnem latentiam, non viſio viæ. *Quæſt.* 2. Fides poteſt eſſe cum opinione probabili. *Quæſt.* 3. Fides non poteſt ſtare ſine aliqua latentia, & obſcuritate obiecti. *Ad* 4. Vt idem poteſt eſſe latens, & patens: ſic vno modo infra, alio ſupra rationem.

*Diſt.* 25. *Art.* 2. *Quæſt.* 1. Fides non creuit, niſi explicitè. *Quæſt.* 2. Fides profecit illuminatione, &c. non motiuo credendi, ſed affectu ſubiecti. *Quæſt.* 3. Fides non creuit certitudine obiecti, ſed noſtra: ſicque extenſiuè, intenſiuè, radicatiuè, tam in communi, quàm in ſingulis.

3. Ex Doctore noſtro *Subtili diſt.* 24. *n.* 13. *Ad Quæſt. Reſp.* Scientia propriè dicta non poteſt ſtare cum fide. *Ad* 1. *Thomas* aliud vidit, aliud credidit. *Ad* 2. Habuerunt fidem habitualem, ſed non actualem eorum quæ viderant. *Ad* 3. Effectus incompoſſibiles, non poſſunt habere cauſas compoſſibiles, *Ad* 4. Scientia poteſt eſſe cum lumine naturali, & gloriæ: ſed non cum lumine obſcuro fidei.

*Reſp.* Sacræ Script. poſſunt cointelligi de aliqua obſcuritate intellectus in credendo, & captiuitate eius à voluntate per gratiam credendi: vel de certa, ſed obſcura inclinatione ipſius fidei ad credendum; cum aliqua tamen illuminatione & claritate, imò & euidentia, ſaltem morali antecedente, omnium credibilium, ſeu credibilitatis eorum, præ omnibus oppoſitis; cumque aliqua conſequente ex fide & obiectis creditis, ad hæc ipſa & alia cognoſcenda; imò cum aliqua virtuali, & formali comitante, & intrinſeca ipſi fidei, eiuſque obiecto materiali, & formali, vt euidenter reuelanti, & reuelato per proprios effectus experimentales. Vt enim Luna & Stellæ habent ſuam lucem, quâ præſunt nocti, & collucent auroræ, ſed non ſoli: ſic & fides eſt quædam lux intellectus, & ſuorum obiectorũ, quamuis etiam aliâ luce, ſaltem minori, lucentium. Nec ſola euidentia naturalis, aut experimentalis, à ſolis effectibus proprijs, videtur eſſe tanta, vt excludat omnem lucem, certitudinem, & obſcuritatem fidei. Deinde lux non ſolùm illuminat vt *Quod*, alia obiecta ſecum viſibilia: ſed etiam oculum vt *Quo* non viſo alia videat. Sic fides & eius obiectum formale illuminat vt *Quo*, intellectum & obiecta materialia ad ea ſecum credenda & cognoſcenda. Denique cùm media probabilia non repugnent certis & euidentibus, nec probabilitas certitudini & euidentiæ noſtræ: cur repugnarent certitudini incomparabili noſtræ fidei?

Hinc noſter D. *Subtilis* poteſt cõciliari *Alenſi* & *S. Bon.* de poſſibili claritate, certitudine, & obſcuritate fidei circa idem obiectum, & in eodem actu: cum certitudine & euidentia noſtræ imperfectæ ſcientiæ & experientiæ, non autem perfectæ. Vix enim habemus vllam tantam certitutitudinem aut euidentiam; quin ſubſit aliqua incertitudo, vel ſaltem obſcuritas. Cur ergo nequeant motiua fidei confluere cum medijs ſcientiæ & experientiæ, ad eundem actum ſimul credendi & ſciendi? Imò cum ipſa viſio beata ſit tam inæqualis obiecto: dubitari poteſt cur non poſſit plus credi, quàm videri? *Reſp.* Quia ſacræ Script. Concilia, PP. & Doctores noſtri tribuunt ſoli viſioni & charitati perfectionem beatitudinis: fidei autem & ſpei, imperfectionem incompoſſibilem cum illa beatitudine. *Contra.* Vt charitas noſtra imperfecta, perficietur in fruitionem Dei præſentis & euidentis: cur fides perfici non poſſit à ſua obſcuritate, ſaluâ certitudine? Cùm poſſit habere formalem effectum æternum, & actum credendi pluſquam videri poſſit, aut ſaltem credendi aliqua abſentia vel futura quæ Deus etiam Beatis obſcurè reuelare poteſt; vt certum diem futuri Iudicij. Cùmque ipſe *Scotus* tribuat certitudinem infallibilem fidei, Deo vt ſupplenti vicem obiecti quoad certitudinem, non quoad euidentiam. *Reſp.* ex *Al. q.* 80. *m.* 4. *ad* 4. Quia cognitio fidei eſt imperfecta in proprio genere: non autem ſolâ negatione aut priuatione perfectionis compoſſibilis aut debitæ. Nec poteſt fides influere ad certitudinem viſionis beatæ, niſi influendo ad eius euidentiam: quia illa certitudo non erit fidei, ſed euidentiæ; nec *Scotus* vult Deum ſupplere in fide eandem aut æqualem certitudinem, quam obiectum influeret cum euidentia; ſed tantùm ſimilem & imperfectiorem, quamuis forſan æquè infallibilem. Nec denique poteſt à Beatis plus credi, quàm clarè, ſed inadæquatè videant eſſe in Deo: quia hæc inæqualitas non eſt ex vlla obſcuritate viſionis; ſed ex infinitate obiecti viſibilis, quam ipſam Beati vident clarè, ſed inadæquatè, ſeu non tam, quàm viſibilis eſt. Reliqua ſunt tantùm de poſſibili fide habituali in Beatis, abſque vſu actuali & cauſali, non autem ſine formali & potentiali. Quod non eſt alienum à ſacra Script. Conc. SS. PP. nec à noſtris Authoribus. Vt patebit ex *Quæſt.* 18.

## *Difficultas ſecunda.*

ALenſis, *S. Bon.* & *Scotus* diſſentiunt, de ſubiecto proprio, & alijs circa fidem. Nam *Al. q.* 78. *m.* 1. *ad* 1. Fides habet ſuam certitudinem intellectus, & affectus. *N.* 3. Fides quâ creditur, eſt in affectione: quod verò creditur, in

cogni-

Digitized by Google

cognitione. *Mem.* 5. *a.* 2. *ad* 1. Fides ponitur formaliter in affectione, materialiter in cognitione. *Quæſt.* 80. *Mem.* 1. Fides & omnes virtutes ſunt in vi rationali motiua, quæ eſt liberi Arb. *Ad* 2. Fides non eſt aſſenſio ſpeculatiua, ſed affectiua circa finem. *Ad* 3. Fides eſt in eadem vi rationali, motiuâ, cognitiuâ, & affectiuâ. *Coll.* 34. *a.* 1. Fortè in hoc conueniunt omnes, quòd fides non eſt in intellectu antecedenter ad voluntatem, ſed conſequenter.

*S. Bon. in* 3. *diſt.* 23. *a* 1. *q.* 2. Fides, vt principium merendi, eſt in libero Arb. Vt eſt habitus, afficit intellectum ſpeculatiuum; vt eſt operans per dilectionem, afficit intellectum practicum ſeu extenſum ad actum credendi, & affectum aſſentiendi, &c. Poteſtque idem habitus eſſe ad actum materialem rationis, & formalem voluntatis. *Quæſt.* 4. Fides eſt certior ſcientiâ: non ſpecularitiuè, ſed affectiuè. *Art.* 2. *q.* 2. Fides eſt acquiſita, quoad ſua obiecta materialia in intellectu & memoriâ: infuſa autem affectui, quoad ſuum formale, in aſſentientibus primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia, &c. *Ad.* 1. Fides ex auditu, *Rom.* 10. i. acquiſita, quoad ſuum materiale. *Ad* 2. Ex authoritate humanâ, eſt acquiſita: ex diuina, eſt infuſa. *Ad* 5. Paruulus baptizatus, habitu fidei infuſo, erit promptus ad aſſentiendum Articulis fidei credendis: quamuis careat cognitione materiali credendorum; ſed facilè priuatur habitu fidei, aſſentiendo erroribus perſuaſis.

*Scotus in* 3. *diſt.* 23. *n.* 12. Puer baptizatus, non plus inclinatur ad credendum actu, quàm alius, niſi acquiſierit fidem ex auditu. Et ſic *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 2. Sed abſolutè *Quodl.* 14. Si puer baptizatus nutriretur in deſerto, vel inter infideles, & nullam haberet doctrinam de credendis, nunquam actum rectum credendi eliceret. *In* 3. *Diſt.* 27. *aut Quæſtion.* 2. An fides ſupponat habitum infuſum voluntati? *Reſp.* 1. Non video contradictionem quin intellectus habens obiectum præſens poſſit per ſe intelligere, vel credere, &c. Subdit, ſufficere vt voluntas non contra moueat: imò eam in puris naturalibus ſufficere ad mouendum ſi opus ſit. Vbi & alibi ſæpè ſupponit ac exprimit fidem non eſſe niſi in intellectu. *D.* 23. Quid eſt illa duplex proportio?

*Reſp.* 1. Ex *Alen. Coll.* 34. *Art.* 1. ſupra. *Fortè in hoc conueniunt omnes, quòd fides non ſit in intellectu, niſi conſequenter ad voluntatem .i.* In adultis, niſi priùs conſentiant per gratiam actualem, quæ poteſt etiam dici gratia fidei. 2. Ex eodem & *S. Bon.* qui non ſtatuunt fidem formaliter in ſolo intellectu, nec in ſola voluntate: ſed in vi motiuâ rationali liberi arb. hoc autem in intellectu & voluntate; non vt mouentur ab obiecto, ſed vt habent vim mouendi ſe & potentias inferiores, intellectus ſaltem obiectiuè, voluntas imperatiuè. Ergo fidem eſſe in tota vi motiuâ, non eſt ei toti inhærere: ſed eam totam afficere, totam inclinare, & eleuare ad proprium obiectum & actum, qui priùs eſt volendi credere, quàm credendi. Nec obſtat quòd tribuant fidem formaliter ſoli affectui: materialiter autem quoad obiecta credenda, ſoli intellectui, & memoriæ. Quia intellectus vt practicus habet etiam ſuum propriũ & intrinſecum affectum, ſeu vim adhærendi ſuis obiectis: ſed fides eſt materialiter .i. ſubiectiuè in intellectu, vt ſpeculatiuo, in quo ſunt obiecta credibilia. 3. *Ex Scoto vt in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. De vi naturali intellectus & voluntatis: vt ſufficiente ad diſponendum, credendum, attendendum, &c. non neceſſariò ex gratia habituali, quæ non mutat ſeu perficit ſtatum naturalem in ſupernaturalem, vt gratia habitualis. Nec obſtat quòd *Scotus in* 3. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. videatur ſupponere neceſſariam eſſe fidem infuſam intellectui, nullam autem gratiã neceſſariã voluntati ad credendũ: & *Quodl.* 4. ſuprà, tribuere nobis vim diſponendi nos ex naturalibus, non tamen credendi niſi ex fide infuſâ. Quia *diſt.* 23. *quæſt.* 2. ſupponit Fidelem fide infuſâ, vel ſimul etiam acquiſitâ: cui detur gratia ordinaria actualis volendi credere, & credendi. *Quodl.* 14. negat fidem infuſam poſſe ex natura intrinſeca per vlla naturalia motiua à nobis actiuè attingi: quia Deus illam ſolus infundit; ſed cenſet nos poſſe ad eam ex naturalibus diſponi .i. ex ſtatu naturali, non tamen ſine gratia actuali. Nec contradicit *S. Bon.* quin puer baptizatus, cæteris paribus, faciliùs acquirat fidem, & credat, quàm non baptizatus: ſed cenſet talem lege communi non rectè crediturum, ex ſola fide infuſâ, ſine acquiſita. Imò, *Deus*, inquit, *aſſiſtendo fidei infuſæ poſſet mouere intellectum, &c.* Ergo ſupponit Deum ſpecialiter aſſiſtere fidei infuſæ, ſeu talibus fidelibus præ infidelibus, ad faciliùs credendum obiectis fidei infuſæ, ſi proponantur.

*Ad vlt.* Non eſt difficultas in re, quin cognitio naturalis ſit adæquatior ſuo obiecto, quàm fidei infuſæ, ſuo, ſeu Deo: ſed cur illa Geometricè, hæc Arithmeticè? *Reſp.* Non ſic comparatur cognitio naturalis, & fidei: ſed Solis, & candelæ. Vel proportio Geometrica eſt determinata ad aliquotã totius finiti ſimul: Arithmetica indeterminata ad numerũ, in infinitũ. Hinc nulla poteſt eſſe proportio geometrica ad Deum: ſed quaſi Arithmetica, vt ad numerum in infinitum. Vt partim colligi poteſt ex ipſo *Doct. ſubtili* in 4. *d.* 49. *q.* 11.

## QVÆSTIO 18. *De Spe.*

*Quod ſit eius obiectum proprium, materiale, & formale: qui eius actus, & effectus proprij, vel oppoſiti?*

DE quibus ſacra Script. *Iob.* 19. Poſita eſt hæc ſpes in ſinu meo, &c. *Pſ.* 4. Singulariter in ſpe, &c. 71. Spes mea in Deo eſt. 72. Ponere in Domino Deo Spem meam. 90. 141. Tu es ſpes mea Deus. *Prouerb.* 24. Habebis in nouiſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit, &c. Non habent ſpem futurorum mali. *Sap.* 3. Spes iuſtorum immortalitate plena eſt. *Eccli.* 24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ Spei. In me



Digitized by Google

gratia omnis vitæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis. *Rom.* 5. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: Sed & in tribulationibus; ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, &c. *Rom.* 8. Spes ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. 15. Deus ſpei, &c. 1. *Cor.* 13. Nunc manent fides, ſpes, charitas, &c. 2. *Cor.* 1. Spes noſtra firma eſt pro vobis. *Cap.* 3. Habentes igitur talem ſpem, multâ fiduciâ vtimur. *Gal.* 5. Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. *Epheſ.* 1. Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis. *Cap.* 2. Eratis ſine Chriſto, ſpem promiſſionis non habentes. *Cap.* 4. Vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. 1. *Theſſ.* 5. Induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis. *Heb.* 6. Spem ſicut Anchoram habemus, &c. 10. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem: fidelis eſt enim qui repromiſit. *Cap.* 11. Fides eſt ſperandarū ſubſtantia rerum, &c. 1. *Pet.* 1. Regenerauit nos in ſpem viuam, &c. vt fides veſtra & ſpes eſſet in Deo. *Cap.* 3. Parati ſemper ad ſatisfactionem, omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe, & fide, vt addunt quædam exemplaria. 1. *Ioan.* 3. Omnis qui habet hanc ſpem in Deo, ſanctificat ſe, &c. *Matt.* 9. Confide fili, &c. Confide filia, &c. *Ioan.* 16. Confidite, ego vici mundum. *Matt.* 14. Habete fiduciam ego ſum. 2. *Cor.* 3. Fiduciam habemus per Chriſtum ad Deum, &c. *Heb.* 3. Si fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ. 10. Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. 1. *Ioan.* 2. 3. 4. Fiduciam habeamus ad Deum. *Pſal.* 11. Fiducialiter agam in eo, &c.

Sacrum Conc. *Trid. Seſſ.* 6. *cap.* 6. In ſpem eriguntur, fidentes, &c. 7. De iuſtificatione formali per infuſionem fidei, ſpei, & charitatis. *Cap.* 9. & *Can.* 12. 13. Contra inanem fiduciam hæreticorum de ſua iuſtificatione. *Cap.* 15. & *Can.* 16. Contra temerariam præſumptionem de prædeſtinatione, ſine ſpeciali reuelatione. *Can.* 21. Si quis dixerit iuſtificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ operatur, Anathema ſit.

*S. Aug. Enchir.* 8. Fides eſt rerum bonarum & malarum, præteritarum, præſentium, & futurarum, propriarum, & alienarum, &c. Spes autem nonniſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad ſperantem pertinentium. De ſpe, *Rom.* 8. Spes quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Cùm ergo bona nobis futura eſſe creduntur, nihil aliud quàm ſperantur. Iam de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes verò ſine amore eſſe non poteſt. *Iac.* 2. Et dæmones credunt, &c. nec tamen ſperant, vel amant, &c. Propter quod Apoſt. *Gal.* 5. Fidem quæ per dilectionem operatur, approbat: quæ vtiq; ſine ſpe eſſe non poteſt, nec ſine amore ſpes, neque vtrumque ſine fide. Proinde nec amor ſine ſpe eſt: nec ſine amore ſpes; neque vtrumque ſine fide. *Cap.* 114. Ex iſta fidei confeſſione naſcitur ſpes bona fidelium, &c. Ea tantùm ad ſpem pertinent, quæ in oratione Dominica continentur. *In Pſal.* 123. Spes noſtra tam certa eſt, quaſi iam res perfecta ſit. Neque enim timemus, promittente veritate: Veritas nec falli poteſt, nec fallere. *Serm.* 16. De verbis Domini. *Cap.* 11. Fortè dicis tibi: promiſit mihi Deus indulgentiam quando me correxero, ſecurus ſum, &c. Sed dic mihi, craſtinum diem quis tibi promiſit? *Serm.* 29. De fide, ſpe, & charitate, vt donis Dei figuratis in piſce, ouo, & pane, *Luc.* 11. *Cap.* 5. Spes ouo comparatur, &c. Hortatur vt præſentia contemnamus, futura expectemus. *Phil.* 3. Quæ retro ſunt obliuiſcentes, in anteriora extendamur. Nihil tam inimicum ſpei, quàm retro reſpicere .i. in rebus quæ tranſeunt ſpem ponere, &c. *Rom.* 8. Quod videt quis, quid ſperat? Eſt ouum, nondum pullus: non videtur, quia operitur, &c. 1. *Cor.* 4. Non reſpicientes quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. *Serm.* 16. *de verbis Apoſt.* *Cap.* 7. Fides quæ per dilectionem operatur, ſine ſpe eſſe non poteſt. *Cap.* 8. Spes non erit quando erit res, &c. Spes quæ hîc eſt, ad iuſtitiam pertinet peregrinationis noſtræ &c. *Rom.* 8. Spe enim ſalui facti ſumus.

*Alenſis p.* 2. *q.* 153. De præſumptione, inter ſpecies ſuperbiæ. *Q.* 173. *memb.* 3. De deſperatione & præſumptione, vt peccatis in Spiritum S. *Q.* 174. Specialiter de deſperatione. *Parte* 3. *q.* 75. De ſpe informi. *Col.* 46. De ſpe quoad rem. 47. Quid ſit definitione. 48. An oriatur ex meritis. 49. De ſubiecto ſpei quoad potentiam. 50. De ſubiecto ſpei quoad ſubſtantiam. 51. De actibus ſpei. 52. De certitudine ſpei. 53. De obiecto ſpei. 54. De anchora ſpei, *Heb.* 6. 55. De comparatione ſpei cum alijs virtutibus. 56. De ſpe informi.

*S. Bon. in* 3. *diſt.* 26. De virtute ſpei. *Art.* 1. De ſpe in ſe, abſolutè: vt eſt virtus gratuita, Cardinalis, vel Theologica, informis vel formata, certa vel dubia. *Art.* 2. De ſpe comparatiuè ad timorem, præſumptionem, deſperationem, ad obiecta, ad merita, ad charitatem, ad ſubiectum proprium.

*Scotus in* 3. *diſt.* 26. De ſpe, vt eſt virtus Theologica, diſtincta à fide & charitate. Quæ omnia in hanc reſponſionem Dogmaticam, Scholaſticam, & Moralem colligi & reconciliari poſſunt.

## Reſponſio.

Est quædam virtus Theologica, & infuſa Spei, diſtincta realiter à Fide & Charitate: cuius obiectum formale *Quod*, eſt ſolus Deus, vt Finis noſter vltimus, ſeu ſummum bonum noſtrum ſupernaturale, nobiſque ab eodem per gratiam & merita conditionata promiſſum: formale *Quo*, eſt ipſa Fidelitas Dei in ſuis promiſſis; obiecta materialia, ſunt omnia media ad illum finem neceſſaria & ordinata, vſque ad ipſam vnionem formalem, ac beatificam; conditiones obiectiuæ, ſunt promiſſiones Dei, & arduitas ſeu difficultas ſupernaturalis huius finis, & omnium mediorum



Digitized by Google

ad illum; ſubiectum pro rium eſt ſola voluntas, in vi concupiſcibili ad vnum actum, & in iraſcibili, ad alterum. Actus eius partiales ſunt: 1. Deſiderium illius ſummi boni noſtri, & omnium mediorum, ipſiuſque peruentionis, Tentionis, ſeu vnionis beatificæ ad illud, & propter illud. 2. Erectio & promptitudo animi, ſeu omniū virium eius, ad illum finem, ex eius promiſſione; per gratiam & merita, vt media ab eodem dependentia. Vel eſt vnicus actus perfecti deſiderij, vſque ad hanc animi erectionem ordinatam, inter exceſſum præſumptionis, & defectum deſperationis: de qua erectione *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* In ſpem eriguntur, &c. Effectus eius formalis, eſt iuſtificatio partialis: *ex Rom.* 8. Spe Salui facti eſtis, vt *B. Aug. Serm.* 16. *De verbis Apoſt.* & inclinatio ſupernaturalis ad perfectè ſperandum; vt ſupra de fide formaliter iuſtificante, & inclinante ad perfectè Deo credendum. Effectus eius imperati ſunt omnes ab ea relati ad finem ſperatum, ſeu ad obiectum formale conſequendū.

## *Difficultas prima.*

SAcræ Script. videntur confundere ſpem, cum fide, & charitate Dei aut proximi, cumque ipſo obiecto ſperato. Vt *Pſal.* 90. 141. Tu es ſpes mea, &c. *Rom.* 8. Spes quæ videtur, non eſt ſpes, &c. 2. *Cor.* 1. Spes noſtra firma eſt pro vobis. *Heb.* 11. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum. *Matt.* 9. Confide, &c. *Reſp.* Cùm tàm expreſſè diſtinguantur, 1. *Cor.* 23. Fides, ſpes charitas, tria hæc: nullibi confunduntur inter ſe, nec cum ſuis obiectis; ſed ſimul commendantur, quia nonniſi ſimul infunduntur, & ad perfectionem ſubiecti ſimul requiruntur. Sub proprio etiam obiecto affectiuè & cauſaliter ſignificantur: ſed doctrinaliter, nonniſi propriè & diſtinctè. Vt *Heb.* 10. Teneamus fidei noſtræ confeſſionem: *Fidelis eſt enim qui repromiſit.* Vbi exprimitur ipſum proprium motiuum formale, & propria conditio, ſeu illius motiui applicatio ad ſperandum. *Rom.* 8. Spes quæ videtur .i. res ſperata, quæ videndo habetur: *non eſt ſpes* .i. res ſperata, ſed videndo habita. 2. *Cor.* 1. Spes noſtra firma eſt *pro vobis.* Vel quia vt ſæpè *Scotus*, per mihi aut tibi, non variatur propria ratio virtutis. Vel quia ſperatur bonum noſtrum, non vt proprium & priuatum, ſed vt commune. Vnde & oramus pro nobis in communi: non ſolum ex charitate Dei & proximi, intendendo ipſius Dei bonum, ſeu gloriam in nobis; ſed etiam ex ſpe, intendendo ipſum Deum vt ſummum bonum noſtrum, & media ad illud conſequendum. *Matt.* 9. *Confide, &c.* non confunditur ſpes cum fide: ſed perficitur in fiduciam ſeu confidentiam, quæ eſt ſpes roborata, & à timore oppoſiti liberata. Vt enim perfecta charitas: ſic & fides, & ſpes perfecta excludit timorem, aut dubitationem actualem, ſuæ propriæ perfectioni oppoſitam.

## *Difficultas. ſecunda.*

TRid. *ſeſſ. 6. cap. 6.* Ad Conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, &c.] Ergo proprium obiectum formale & motiuum ſpei, eſt miſericordia Dei & merita Chriſti; nec ſpes iuſtificat formaliter, ſed tantum diſpoſitiuè. *Reſp. Trid. cap.* 6. agit de ſola diſpoſitione ad iuſtificationem, per gratias actuales, & pios motus, ſed adhuc imperfectos, credendi, ſperandi, & diligendi Deum, qui necdum ſunt ex proprijs motiuis formalibus harum virtutum infuſarum.

Vt enim ſunt varia motiua credendi, ſed vnicum formale fidei infuſæ: ſic & miſericordia Dei, & merita Chriſti poſſunt erigere in ſpem, ſeu mouere ad ſperandum & fidendum; ſed ſola fidelitas Dei in promiſſis videtur eſſe proprium obiectum & formale ſpei perfectæ & infuſæ. Quia hæc ſola poteſt ſine illis mouere, non contrà: nec in illis, ſed in hac ſiſtit & quiſcit tota certitudo ſeu ſecuritas ſpei. *Cap.* autem 7. *Trid.* tribuit iuſtificationem infuſioni fidei, ſpei, & charitatis, ſeu his ſimul infuſis: & conſequenter etiam proprijs actibus elicitis, vel æquiualentibus; quia habitus ſunt propter actus, & ſupplent permanenter eorum perfectionem tranſeuntem, ſuoque modo etiam infunduntur, & quaſi increantur per gratiam actualem, & ex ſe efficacem noſtræ propriæ cooperationis, vt ſuprà de fide.

## *Difficultas tertia.*

SAnctus *Aug. Enchir.* 8. Spes, inquit, non eſt niſi rerum ad ſperantem pertinentium, &c. Cùm creduntur, nihil aliud quam ſperantur, &c. Spes ſine amore eſſe non poteſt, &c. Nec amor ſine ſpe eſt; nec ſine amore ſpes, neque vtrumque ſine fide.

*Reſp.* Non eſt niſi boni ſaltem communis ipſi ſperanti, cum alijs. Cùm bona, inquit, nobis futura eſſe creduntur: nihil aliud quam ſperantur. Quia ptopriè quidem creduntur futura: ſed non nobis ipſis, niſi per ſpem & fiduciam, quæ ſolet etiam dici fides, & per eam credi, ob certitudinem moralem ſimilem infallibili, quæ eſt propria fidei. Spes non poteſt eſſe ſine amore piæ concupiſcentiæ, ſeu deſiderij

## *Difficultas quarta.*

QVo ſenſu, *Alen. Parte* 2. *q.* 133. *m.* 12. refert præſumptionem inter 12. ſpecies vel gradus ſuperbiæ. *Quæſt.* 73. *M.* 3. Refert deſperationem, & præſumptionem inter ſex peccata in Spiritum S. ſeu contra bonitatem Dei; non autem contra fidelitatem vt obiectum formale ſpei. §. 2. Opponit præſumptionem iuſtitiæ: deſperationem, miſericordiæ. *Quæſt.* 174. *M.* 4. Deſperatio poteſt eſſe de ipſa potentia Dei, &c. *Parte* 3. *q.* 75. *m.* 2. *Ad Arg.* Certitudo prædeſtinationis, non eſt ipſius prædeſtinati, nec propria ſpei, ſed rei ſperatæ. *Coll.* 46. *Art.* 1. Spes nititur promiſſioni liberali Dei: vt fides primæ viritati. *Coll.* 47. Spes eſt, virtus qua ſpiritualia & æterna bona ſperantur, &c. ſeu futura beatitudo. Vel quâ quis præſumit ſe ad id quod credit



Digitized by Google

peruenturum. *Coll.* 49. *Art.* 2. Spes eſt in iraſcibili: vt fides in rationali, charitas in concupiſcibili, &c. *Coll.* 50. Spes propriè ſumpta, non eſt in vllis Beatis. *Coll.* 51. De varijs actibus ſpei. *Coll.* 52. *Art.* 2. Certitudo fidei eſt de tota complexione: Spei autem, de ſola re attributa. *Coll.* 53. Obiectum ſpei eſt bonum ſub ratione magni, ardui, æterni, & glorioſi. *Coll.* 55. *Art.* 2. *Ad* 1. Spes vt perfecta, poteſt dici poſterior charitate.

*S. Bon. in Diſt.* 26. *Art.* 2. *q.* 5. Spes eſt in affectu, vt iraſcibili, &c. Vt *Alen.* ſupra.

*Scot. in* 3. *diſt.* 26. *n.* 6. Dicitur quod ſpes diſtinguatur, quia eſt in vi iraſcibili, &c. *Contra.* Hæc vis non poteſt habere pro obiecto proprio, bonum arduum, &c. N. 17. Spes & charitas non diſtinguuntur per arduum & delectabile. *Ad vlt.* Spes & charitas ſunt in vi concupiſcibili: quia iraſcibilis non poteſt habere Deum pro obiecto immediato.

*Reſp.* *Ad* 1. Præſumptio poteſt eſſe ex Superbia, imò gradus & ſpecies ſuperbiæ, contra ſpem & obiectum formale ſpei. *Ad* 2. Deſperatio, & præſumptio, vt peccata in Spiritum S. ſunt contrà bonitatem Dei erga nos, quæ eſt proprium obiectum *Quod*, ſpei. *Ad* 3. Præſumptio eſt contra iuſtitiam Dei, & deſperatio contra miſericordiam .i. contra huius & illius effectum. *Ad* 4. Deſperatio poteſt eſſe de ipſa potentia Dei: non vt de proprio obiecto formali ſpei, ſed identicè. Quia fidelitas Dei non eſſet obiectum formale ſpei, niſi identificaret ſibi Omnipotentiam, quâ poſſit præſtare promiſſa. *Ad* 5. .i. Prædeſtinatio eſt certa in ſe: ſed non eſt certa ipſi prædeſtinato; nec hæc certitudo eſt propria ſpei, ſed rei ſperatæ, ſeu ipſius prædeſtinationis. *Ad* 6. Illæ definitiones non ſunt per ſolum obiectum formale: ſed etiam per alia bona ad illud ordinata; nec præſumere ſemper ſumitur vitioſè, ſed etiam pro confidere, & prudenter ſuſpicari. *Ad* 7. In quo videtur *Scotus* diſſentire ab *Alen.* & *S. Bon.* *Reſp.* Ex ipſo *Alen. Coll.* 49. *Art.* 2. Affectio ſpei eſt boni ardui. Sed quia affectio, & virtus eam dirigens, ſunt in eadem vi: ſiue affectio ſiue virtus propriè ſumpta, pro ſolo deſiderio boni futuri, eſt in concupiſcibili. Hinc ad *Quæſt.* de actu proprio ſpei, reſpondimus eſſe duplicem partialem: alterum ſolius deſiderij, in vi concupiſcibili; alterum erectionis animi in vi iraſcibili, ad arduitatem ſeu difficultatem ſupernaturalem boni ſperati, ex fidelitate Dei in ſuis promiſſis. Vel, eſſe vnicum actum deſiderij: ſed perfecti vſque ad hanc erectionem, ſeu eleuationem animi. Quæ non ſunt cõtra *Scotum, in* 3. *diſt.* 26. ſupra, nec *Diſt.* 34. *n.* 11. Vt vis concupiſcibilis indiget ordinari circa primò appetibilia: ſic & iraſcibilis circa offendentia. Vis ergo iraſcibilis non habet pro obiecto bonum arduum, ſed ipſum offendens: ita vt actus eius adæquatus, ſit nolle offendens, & velle vindicare. *n.* 13. Voluntas etiam habet ſuum obiectum delectabile, & offendens, &c. Sed non eſt in ea tanta diſtinctio harum virium, quanta in appetitu ſenſitiuo. De vi autem neſcio quid oporteat loqui: eſt enim verbum ſuperfluum. Nam idem eſt ratio operandi circa obiecta ſuperiora, & inferiora. *n.* 14. Spes & charitas perficiunt ſolam concupiſcibilem: quia earum obiectum non eſt nolibile, ſed volibile.

Quia *Scotus* nec diſtinguit realiter, nec potentialiter inter vim concupiſcibilem, & iraſcibilem eiuſdem voluntatis: ſed ſolo ordine priùs volendi bonum vt obiectum per ſe, quàm nolendi malum oppoſitum, vt obiectum per accidens. Nam voluntas non poteſt nolle malum propter ipſum malum, ſed propter bonum cui opponitur. Vt ergo ſolum bonum eſt motiuum nolendi malum, ſic & vis concupiſcibilis volendi bonum, eſt motiua iraſcibilis ad nolendum, cauendum, aut ſuperandum malum. Hinc *Scotus* non vult ſpem eſſe per ſe formaliter in vi iraſcibili voluntatis contra malum: ſed in vi concupiſcibili ad ſuum bonum. Non tamen negat quin virtualiter & conſequenter perficiat & moueat vim iraſcibilem ad cauendum vel ſuperandum omne malum: non ſolùm oppoſitum ſummo bono; ſed etiam ipſi ſperati, & omnibus medijs ad illum finem ordinatis. Inter quæ mala non cenſetur ipſa arduitas ſeu difficultas ſupernaturalis obiecti: ſed naturalis ſubiecti. Contra quam neceſſaria eſt erectio, ſeu eleuatio animi per virtutem ſpei, & gratias actuales ſupra omnes vires naturales, ad ipſum ſummum bonum vt ſupernaturale: cuius ſupernaturalitas, ſeu arduitas ſupernaturalis non eſt obiectum voluntatis, nec vt iraſcibilis, nec vt concupiſcibilis. *Al.* autem & *S. Bon.* non diſtinguunt ſpem á charitate, quòd illa ſit primò & per ſe in vi iraſcibili, hæc in concupiſcibili: ſed quòd illa ordinatè perficiat vim concupiſcibilem ad ſummum noſtrum bonũ ſuper omnia; vſq; ad vim iraſcibilem contra omnia mala nobis oppoſita ad ſummum bonum. Charitas autem Dei & proximi habet pro obiecto proprio ſolam Dei bonitatem in ſe: ad quam perficit ſolam vim concupiſcibilem Dei ſuper omnia, non iraſcibilem contra vlla mala ei oppoſita; quia nullum malum ei opponitur, quod poſſit impedire bonitatem Dei in ſe. *Ad* 8. *Alenſis* id negat de ſola ſpe propriè, non latè ſumpta. Quia habito obiecto formali, reliqua non videntur propria ſoli ſpei infuſæ, vel propriè ſumptæ. Non negat tamen quin poſſit etiam ſe ad illa extendere: vel quin beatus poſſit alijs necdum beatis ſperare idem ſummum bonum; ex fidelitate Dei ad omnes, & ad omnia promiſſa. *Ad* 9. Ipſemet *Alen.* ibidem ſatis diſtinguit & ordinat illos actus. *Ad* 10. Spes perfecta poteſt dici poſterior charitate: quia perficitur ipſâ re ſperatâ, ſeu eius reali habitione, quę eſt poſterior charitate viæ.

## *Reliquæ Difficultates.*

1. DE quadam certitudine iuſtificationis, & prædeſtinationis, ex fiducia ſeu ſpe perfecta: de qua *Rom.* 5. Spes non confundit, *Rom.* 8. Certus ſum, &c. 2. De merito ſperandi, ſeu operandi ex ſpe: de quo *Pſal.* 118. Propter retributionem. 3. De timore ſalutari priuationis ſummi boni ſperati, &c. Sat ſupra ex *Alen. S. Bon.* & *Scoto*; vel Quæſtione ſequenti.

QVÆSTIO

Digitized by Google

# QVÆSTIO 19. *De Charitate.*

*An, Quid, Quotuplex : Quod eius obiectum materiale, formale ; Qui eius actus, effectus, defectus,& vitia oppoſita ?*

QVibus ſacra Script.abundat. *Deut.6.Matt.22. Luc.* 10. Diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo : & proximũ ſicut teipſum.*Cant.2.* Ordinauit in me charitatem. 8. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. *Prou.* 8. Ego diligentes me diligo. *Prou.* 10. Vniuerſa delicta operit charitas. *Pſal.* 91. Qui diligitis Dominum, odite malum. 114. Dilexi quoniam exaudiet,&c. In funiculis *Adam* traham eos, in vinculis charitatis. *Matt.* 9. *Luc.* 6. Diligite inimicos veſtros. *Luc.*7.Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minùs diligit. *Ioan.* 13. Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos,&c. 14 Si diligitis me, mandata mea ſeruate, &c. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, &c. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit : & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui diligit me, mandata mea ſeruat, &c. Si diligeretis me,gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. 15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. 15. Rogo Pater, vt omnes vnum ſint, ſicut ego & tu Pater vnum ſumus.*Ioan.* 21.Diligis me plus his? Tu ſcis Domine quia amo te. Paſce agnos meos. Diligis me? Tu ſcis quia amo te. Paſce agnos meos. Amas me? Domine tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te. Paſce oues meas. *Matt.* 24. Refrigeſcet charitas multorum. *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. *Rom.* 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis. 8. Quis poterit nos ſeparare à charitate Dei? 13. Nemini quicquam debeatis, niſi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit,&c. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. 1. *Cor.* 4. Scientia inflat, charitas verò ædificat. 13. Si linguis hominum loquar,& Angelorum,&c. Si habuero omnem fidem, &c. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas : & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt,non æmulatur,non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa,non quærit quæ ſua ſunt,non irritatur,non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati,omnia ſuffert,omnia credit,omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit, &c. Nunc manet Fides,Spes,Charitas,tria hæc,maior autem horum eſt charitas. 14. Sectamini charitatem, &c. 16. Omnia veſtra in charitate fiant. 2. *Cor.* 6. In Charitate non ficta. *Gal.* 5. Fides quæ per charitatem operatur. Per charitatem ſeruite inuicem. Fructus Spiritus ſunt, charitas,gaudium, pax,&c. *Eph.* 1. Elegit nos, vt eſſemus ſancti & immaculati in charitate. 3. In charitate radicati, & fundati : vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo,& longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. 4. Supportate inuicem in Charitate. 5. Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Charitas cum fide à Deo, &c. *Phil.* 1. Charitas veſtra magis ac magis abundet. *Coloſſ.* 3. Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. 2. *Theſſ.* 3. Dominus dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti. 1. *Tim.* 1. Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, conſcientia bona,& fide non fictà. 1. *Pet.* 4. Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes : quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1. *Ioan.* 2. Qui ſeruat verbum Dei : verè in hoc charitas Dei perfecta eſt, &c. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, &c. Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. 3. Nos ſcimus quia tranſlati ſumus de morte ad vitam : quoniam diligimus fratres, &c. Qui non diligit, manet in morte. 4. Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt : & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum : quoniam Deus charitas eſt, &c. In hac apparuit charitas Dei in nobis : quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit, &c. vt *Ioan.* 3. In hoc eſt Charitas : non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe, prior dilexit nos, &c. Si ſic Deus dilexit nos : & nos debemus alterutrum diligere. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. Deus charitas eſt : & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum : vt fiduciam habeamus,&c. Timor non eſt in Charitate : ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Quoniam timor pœnam habet : qui autem timet,non eſt perfectus in Charitate. Nos ergo diligamus Deum : quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum : & fratrem ſuum odit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt : Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo : vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. 5. Qui diligit eum qui genuit : diligit & eum qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei : cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hęc eſt enim charitas Dei : vt mandata eius cuſtodiamus; & mandata eius grauia non ſunt. *Apoc.* 2. Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe, &c. Scio opera tua,&c. ſed habeo aduerſum te pauca;quod charitatem tuam primam reliquiſti, &c. 3. Angelo Laodiceæ ſcribe, &c. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus : vtinam frigidus eſſes, vel calidus; ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo, &c. Suadeo

tibi

Digitized by Google

tibi emere à me aurum ignitum, &c.

Sacrum Conc. *Trid. Seſſ. 6. cap. 6.* Deum tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt. *Cap. 7.* De iuſtificatione per infuſionem gratiæ, & donorum, fidei ſpei, & charitatis. *Seſſ. 14. cap. 4.* De contritione charitate perfecta.

*Cēſuræ Pij* 5. in hac Prop. *Baij.* 16. Nō eſt vera legis obedientia quæ fit ſine charitate. 30. Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: tam in catechumenis, quam in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. 31. Charitas quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum. 32. Catechumenus legem implet per charitatem, ante remiſſionem peccatorum, &c. 33. Diſtinctio amoris, naturalis, & gratuiti, vana eſt, &c. 35. Amor naturalis ex viribus naturæ, ex ſola philoſophia cum iniuria crucis Chriſt à nonnullis defenditur, &c. 37. Omnis amor creaturæ rationalis, aut eſt vitioſa cupiditas, aut laudabilis illa charitas, &c. 60. Diſtinctio iuſtitiæ, quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem, & quæ fit ex inſpiratione Sancti Spiritus excitantis, ſed nondum inhabitantis, reijcitur. 67. Homo in peccato mortali poteſt habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis, &c. 68. Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & voto ſuſcipiendi ſacramentum, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut Martyrij. 73. Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt: non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuū, ex toto corde tuo.

## Doctrina integra S. Aug.

*Lib. 15. Trin. 18.* Nullum donum Dei eſt excellentius charitate. Solum eſt quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia: ſed ſine charitate nihil proſunt, *1. Cor. 13.* Nec ſpiritus propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem, &c. Sine charitate fides poteſt eſſe, ſed non prodeſſe. *Gal. 5.* Fides per dilectionem operatur.

*Lib. De natura & gratia cap. 42.* Charitas, veriſſima, pleniſſima, & perfectiſſima iuſtitia eſt. *Cap. 70.* Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt; Charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt. Sed charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, *1. Tim. 1.* Quæ tunc maxima eſt in hac vita, ſi pro ipſa contemnatur hæc vita. Sed miror ſi non habet quò creſcat, cum de mortali excellerit vita.

*Serm. 20. De verbis Apoſt. cap. 1.* Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.

*Enchir. 3.* Deum colendum eſſe Fide, Spe, & Charitate. *Cap. 117.* Charitas quàm fide ac ſpe maiorem dixit Apoſt. *1. Cor. 13.* quanto in quocumque maior eſt, tanto melior eſt in quo eſt ipſa eſt autem fides Chriſti, quæ per dilectionem operatur, *Gal. 5.* Et quod in dilectione nondum habet, petit vt accipiat, *Matt. 7.* Regnat carnalis cupiditas, vbi non eſt Dei charitas. *C. 121.* Omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem, *1. Tim. 1.* Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliquā intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus S. in cordibus noſtris: nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Minuitur autem cupiditas charitate creſcente: donec veniat hîc ad tantam magnitudinem, quâ maior eſſe non poſſit, *Ioan. 15.*

*L. De perfect. iuſtitiæ c. 6.* Peccatū eſt, cùm vel nō eſt charitas quę eſſe debet, vel minor quàm eſſe debet: ſiue hoc vitari poſſit, ſiue nō; quia ſi poteſt, pręſens voluntas hoc facit; ſi autē non poteſt præterita voluntas hoc facit; & tamen vitari poteſt, &c. *Cap. 8.* Cur non pręciperetur homini iſta perfectio charitatis: quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, ſi quò currendum eſt neſciatur. Quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur? *Cap. 10.* Quis neſciat, non eſſe graue quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere: ſed perfecta Charitas foras mittit timorem, *1. Ioan 4.* Quæ tamen charitas vt habeatur, etiam tanta quanta in corpore mortis huius haberi poteſt: parum eſt noſtræ voluntatis arbitrium, niſi adiuuet gratia. *Cap. 21.* Si, excepto Capite noſtro, aſſeruntur fuiſſe vel eſſe in hac vita aliqui iuſti ſine aliquo peccato: non nimis exiſtimo reluctandum. Scio enim quibuſdā eſſe viſum, &c.

*Lib. De ſpiritu & lit. cap. 36.* Si quanto maior notitia, tanto erit maior dilectio: quantum nunc deeſt dilectioni, tantum perficiendæ iuſtitiæ deeſſe credendum eſt. Sciri enim aliquid vel credi, & tamen non diligi poteſt: diligi autem quód nec ſcitur, nec creditur, non poteſt. At ſi credendo ad tantam dilectionem Sancti peruenire potuerunt, &c. cùm ex fide peruentum erit ad ſpeciem: ipſa dilectio non ſolùm ſuprà quàm hîc habemus, ſed longè ſuprà quàm petimus & intelligimus, erit; nec ideo tamen pluſquam ex toto corde, &c. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum eſt: vt admoneremur quid fide expoſcere, quò ſpem præmittere debeamus. Ac per hoc multum in hac vita profecit: qui quàm longè ſit à perfectione iuſtitiæ, proficiendo cognouit. Sed ſi dici poteſt quædam iuſtitia minor, huic vitę competens, quâ iuſtus ex fide viuit: non abſurdè dicitur etiam ad iſtam pertinere, ne peccet. Neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ, perfectæque debetur: iam culpæ deputandum eſt. Aliud eſt enim totam nondum aſſequi charitatem: aliud nullam ſequi cupiditatem.

*Lib. 1. Solil. cap. 1.* Deus quem amat omne quod amare, poteſt, ſiue ſciens, ſiue neſciens. *Cap. 7.* Anima illam ſingularem veramque pulchritudinem cum viderit, plus amabit: & niſi ingenti amore oculum infixerit, nec ab aſpiciendo vſpiam declinauerit, manere in illa beatiſſima viſione non poterit, &c. *Cap. 9.* Amaſne aliquid præter Dei, tuique ſcientiam? Poſſem reſpondere nihil me amplius amare, pro eo ſenſu qui

Digitized by Google

qui mihi nunc eſt: ſed tutiùs reſpondeo, neſcire me, &c. *Cap.* 11. Aliud eſt exhauſta peſtis, aliud conſopita, &c. *Cap.* 13. An ſi alicuius pulchræ feminæ amore flagrares, iure ſe tibi non daret, ſi aliud abs te quicquam præter ſe amari comperiſſet: Sapientiæ ſe tibi caſtiſſima pulchritudo, niſi ſolam arſeris, demonſtrabit? Ego ſolam propter ſe amo Sapientiam, &c. Non ſolùm non inuideo cæteris: ſed etiam plurimos quæro qui mecum appetant, mecum perfruantur, tantò mihi amiciores futuri, quantò erit nobis amata communior.

*Lib. De moribus Eccleſiæ*, *cap.* 8. Diliges Dominum Deum tuum, *Matt.* 22. Dic mihi, quis ſit diligendi modus? Ne plùs minùſue quàm oportet, &c. *Ex toto*, inquit, *corde tuo*, *& tota anima tua*, *ex tota mente tua.* Quid vis ampliùs? Vellem fortaſsè, ſi viderem quid poſſet eſſe ampliùs, &c. Dicat etiam Paulus dilectionis modum, *Rom.* 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Certus ſum quòd neque mors, neque vita, &c. *Cap.* 15. Si virtus ad beatam vitam nos ducit: nihil omninò virtutem eſſe affirmauerim, niſi ſummum amorem Dei &c. Vt temperantia ſit amor, integrum ſe præbens ei quod amatur; fortitudo ſit amor, facilè tolerans omnia propter quod amatur; iuſtitia ſit amor ſoli amato ſeruiens, & propterea rectè dominans; prudentia ſit amor ſagaciter ſeligens ea quibus adiuuatur, ab eis quibus impeditur. *Cap.* 22. Nihil eſt tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur: quo ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera, &c. Niſi amatores auri, laudis, fœminarum, amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores. *Cap.* 26. Non poteſt fieri vt ſeipſum non diligat, qui diligit Deum, &c. *Matt.* 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximum tuũ ſicut teipſum. Te autem ipſum ſalubriter diligis, ſi pluſquam te diligis Deum. Agendum eſt ergo cum proximo: vt ipſe etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam teipſum, ſi non ad idem bonum adducere ſatagis, &c. Iſta ſunt quaſi cunabula charitatis Dei, &c. Sed neſcio quomodo aut pariter iſta in plenitudinem perfectionemque conſurgunt: aut inchoatur priùs Dei amor, & priùs perficitur proximi. Ad incipiendum enim citiùs nos fortaſsè in ſe diuina charitas rapit: ſed faciliùs minora perficimus, &c. *Cap.* 27. Partim ergo corpori, partim animæ hominis benefacit, qui hominem diligit, &c. *Cap.* 28. Cura corporis, ad ſanitatem animi referenda eſt, &c.

*Lib. de vera Religione*, *cap.* 46. Qui amat id ſolùm quod amanti eripi non poteſt: ille inuictus eſt, nec vllâ cruciatur inuidiâ. Id enim diligit ad quod quantò plures venerint, tantò eis vberiùs gratulatur, &c. *Cap.* 47. Ille ergo veriſſimè inuictus eſt, qui cohæret Deo: non vt ab eo aliquid boni extra mereatur; ſed cui nihil aliud quàm ipſum hærere Deo bonum eſt. *Infra.* Cùm omnibus quos pariter diligit, prodeſſe non poſſit: niſi coniunctioribus prodeſſe malit, iniuſtus eſt, &c. Non affligitur morte cuiuſquam: quoniam nouit nec ſibi perire, quod Deo non perit.

*Lib.* 1. *doct. Chriſt.* *cap.* 4. Frui, eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam: Vti autem, eſt ad id quod amas obtinendum, referre. *Cap.* 5. Fruendum eſt Deo, Patre, Filio, & Spiritu S. *Cap.* 22. Si quis ſe propter ſe diligit: non ſe refert ad Deum, ſed ad ſeipſum, &c. Si ergo teipſum non propter te debes diligere, ſed propter illum, vbi dilectionis tuæ rectiſſimus finis eſt: non ſuccenſeat alius, ſi etiam ipſum propter Deum diligis. Hæc enim eſt regula dilectionis, *Deut.* 6. *Matt.* 22. Cùm autem ait, *ex toto corde*, *tota anima*, *tota mente*: nullam noſtræ vitæ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt aliâ re velit frui; ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Quiſquis ergo proximũ rectè diligit: hoc cum eo agere debet, vt etiam ipſe toto corde, totâ animâ, tota mente diligit Deum. Sic enim eum diligens tanquam ſeipſum, totam dilectionem ſui & illius refert in illam dilectionem Dei: quæ nullum à ſe riuulum duci extra patitur, cuius deriuatione minuatur. *Cap.* 23. Non omnia quibus vtendum eſt, diligenda ſunt: ſed ea ſola, quæ aut nobiſcum ſocietate quâdam referuntur in Deum, vt homo, & Angelus; aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, vt eſt corpus, &c. Ergo 4. ſunt diligenda. 1. Quod ſupra nos eſt. 2. Quod nos ſumus. 3. Quod iuxta nos eſt. 4. Quod infra nos eſt. *Cap.* 24. Nemo ergo ſe odit: ſed neque corpus ſuum. *Eph.* 5. Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit. Quòd autem quidam quaſi perſequi videntur corpora ſua: qui hoc rectè faciunt, non id agunt, vt non habeant corpus, ſed ſubiugatum. Nam curam ſuæ valetudinis gerunt, &c. *Gal.* 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, &c. Non per odium reſiſtente ſpiritu; ſed per principatum, &c. *Cap.* 26. Cùm dictum eſt. *Diliges proximum tuum*, *ſicut teipſum*: ſimul & tui abs te dilectio non prætermiſſa eſt. *Cap.* 27. De ordine diligendi: Deum quidem propter ſe, præ nobis ipſis; proximum autem, præ corpore noſtro; quia ipſe eſt capax fruendi Deo nobiſcum, non autem corpus noſtrum. *Cap.* 28. De ordine dilectionis inter proximos. Omnes homines æquè diligendi ſunt: ſed cùm omnibus prodeſſe non poſſis; his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictiùs tibi quaſi quâdam ſorte coniunguntur. *Cap.* 29. De modo diligendi proximum propter Deũ. Velle debemus vt omnes nobiſcum diligant Deum, &c. Vt ſuprà. Deus vult diligi, non vt ſibi aliquid, ſed vt eis qui diligunt æternum præmium conferatur. *Cap.* 31. Deus diligit nos, non fruendo, ſed nobis vtendo. *Cap.* 32. Non ſic vtitur vt nos: ſed ad ſuam bonitatem, & noſtram vtilitatem, &c. *Cap.* 33 Fruendum proximis in Deo, non in ſeipſis. Ex *Apoſt. ad Philem.* Ego te fruar in Domino, &c. *Cap.* 34. Nec Chriſto ſecundùm carnem fruendum eſſe. *Cap.* 35. Plenitudo, & finis legis, eſt dilectio Dei & proximi. *Cap.* 36. Tota ſacra Script. in hunc ſenſum eſt intelligenda. *Cap.* 38. Temporale plùs diligitur antequam habeatur: vileſcit enim cùm adue-

aduenerit, &c. Æternum autem ardentiùs diligitur adeptum, quàm deſideratum, &c. *Cap.* 39. Quinam indigeant ſacris Script. aut non. Homo itaque Fide, Spe, & Charitate ſubnixus, eaque inconcuſsè retinens, non indiget Script. niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria, etiam in ſolitudine, ſine codicibus viuunt. Vnde in illis arbitror iam completum eſſe, quod dictum eſt. 1. *Cor.* 13. Siue prophetiæ euacuabuntur, &c. Manent, inquit, fides, ſpes charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas: quia & cùm quiſque ad æterna peruenerit, duobus iſtis decedentibus, charitas auctior & celſior permanebit. *Cap.* 40. Quo fine ſtudendum ſacræ Script. Cùm quiſque cognouerit finem præcepti eſſe charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, 1. *Tim.* 1. omnem intellectum diuinarum Script. ad iſta tria relaturus, ad tractationem illorum librorum ſecurus accedat.

*Quæſt.* 30. ex 83. Frui dicimur eâ re, de qua capimus voluptatem: vtimur eâ, quam referimus ad id, vnde voluptas capienda eſt. Omnis itaque humana peruerſio eſt fruendis vti velle, atque vtendis frui: & omnis ordinatio, quæ etiam virtus nominatur, fruendis frui, & vtendis vti. Fruendum autem eſt honeſtis, vtendum verò vtilibus. Honeſtatem voco pulchritudinem ſpiritualem. *Quæſt.* 35. Non eſt amandum, quod fruenti amori auferri poteſt, &c. quoniam quod amatur, afficit ex ſe amantem: amatum quod æternum eſt, æternitate animum afficit. Quid verò hoc niſi Deus? Amor autem rerum amandarum, charitas vel dilectio meliùs dicitur, &c. *Quæſt.* 36. Cùm Deus magis diligitur, quàm animus, vt malit homo eius eſſe, quàm ſuus: tunc verè animo ſummèque conſulitur. Nutrimentum charitatis eſt imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas; ſignum profectus eius, imminutio timoris; ſignum perfectionis eius, nullus timor. Quia radix eſt omnium malorum cupiditas: & conſummata dilectio foras mittit timorem. Deus ſolus timeri ſine amore non poteſt.

*Lib. de libero Arb. cap.* 12. Væ, qui nutus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuant. *Lib.* 3. *cap.* 25. Prærogato nobis Chriſti Sanguine, ei tantâ charitate inhæreamus, &c. Melior eſt animus, cùm obliuiſcitur ſui præ charitate Dei.

*In Epiſt. ad Gal.* 5. Quantò anima fixiùs inhæſerit Deo: tantò eſt incorruptior. Inhæret autem charitate. *Cap.* 6. Sectabimur quod ampliùs dilexerimus. Si tantundem vtrumque diligitur: nihil horum ſectabimur; ſed aut timore inuiti trahemur, aut fluctu timoris & dilectionis alternante quaſſati, &c. Nunquam alieni peccati obiurgandi ſuſcipiendum eſt negotium: niſi cùm examinantes noſtram conſcientiam, liquidò coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere. Quòd ſi quæ lacerauerint animum: nihil reſpondeas, donec ſaneris prior, &c. Quicquid enim lacerato animo dixeris: punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles, &c. Quòd ſi dilectione quidem talem ſuſcipis actionem: ſed inter agendum ſubrepſerit aliquid, &c. poſtea te lachrymis lauantem meminiſſe oportebit, quàm non debeamus ſuper alienorum ſuperbire peccata, quando in ipsâ correptionis iurgatione peccamus.

*Lib.* 1. *Conf. cap.* 1. Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. *Cap.* 5. Quid tibi ſum ipſe, vt amari te iubeas à me, & niſi faciam, iraſcaris mihi: & mineris ingentes miſerias? Paruane ipſa eſt, ſi non amem te? *Lib.* 2. *cap.* 1. Sylueſcere auſus ſum varijs & vmbroſis amoribus, &c. *Cap.* 2. Quid me delectabat, niſi amare & amari? Sed non tenebatur modus, ab animo vſque ad animum, quatenùs eſt luminoſus limes amicitiæ. Exhalabant nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & obnubilabant cor meum: vt non diſcerneretur ſerenitas dilectionis, à caligine libidinis. *Lib.* 3. *cap.* 1. Anima mea vlceroſa, ſcalpi auida contactu ſenſibiliũ, &c. Amare & amari dulce mihi erat, magis etiam ſi amántis corpore fruerer. Venam igitur amicitiæ, coinquinabam ſordibus concupiſcentiæ. *Cap.* 6. O Veritas, Veritas: quàm intimè etiam tunc medullæ animi mei ſuſpirabant tibi! *Lib.* 4. *cap.* 6. Bene quidam dixit de amico ſuo: Dimidium animæ meæ. Nam ego ſenſi animam meam, & amici mortui, vnam fuiſſe in duobus corporibus: & ideo horrori mihi erat vita, quia nolebam dimidius viuere, & forte mori metuebam, ne totus ille moreretur. *Vide Retract. cap.* 7. O dementiam, neſcientem diligere homines humaniter! O ſtultum hominem, immoderatè humana patientem! Recreabant me aliorum amicorum ſolatia, &c. Colloqui & corridere, & viciſſim beneuolè obſequi, ſimul legere libros dulciloquos, ſimul nugari, & ſimul honeſtari, diſſentire interdum ſine odio, tanquam ipſe homo ſecum, atque ipsâ rariſſimâ diſſenſione condire conſenſiones plurimas, &c. His ſignis à corde amantium & redamantium procedentibus, quaſi fomitibus conflare animos, & ex pluribus vnum facere. *Cap.* 9. Rea eſt humana conſcientia, ſi non amauerit redamantem, aut ſi amantem non redamauerit: nihil quærens ex eius corpore, præter indicia beneuolentiæ, &c. Beatus qui amat te, amicũ in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari ſunt, qui non amittitur, &c. *Cap.* 11. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, &c. *Cap.* 12. Si animæ placent, in Deo amentur, & rape ad eum quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus; ipſe fecit hæc, & non eſt longè. Non enim fecit & abijt: ſed ex illo, in illo ſunt. Intimus cordi eſt: ſed cor receſſit ab eo, &c. *Lib.* 6. *cap.* 16. Væ animæ audaci, quæ ſperauit ſi á te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa & reuerſa, in tergum, & in latera, & in ventrem: & dura ſunt omnia; & tu ſolus requies. *Lib.* 10. *cap.* 6. Non dubiâ, ſed certâ conſcientiâ, Domine, amo te, &c. *Cap.* 7. Quid ergo amo, cùm Deum meum amo? Quis eſt ille ſuper caput animæ meæ? Per ipſam animam aſcendam ad illum. *Cap.* 27. Serò te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, ſero te amaui, &c. *Addunt vulgaria Solil. ex Aug.* Væ tempori illi, quo non amaui te, &c. *Cap.* 29. Minùs

te

te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. *Lib.* 12. *cap.* 15. Angeli boni tenebreſcerent & frigeſcerent, niſi amore grandi Deo cohærentes, vt meridies lucerent, & feruerent. *Lib.* 13. *cap.* 7. Charitas Ab initio ſupereminens ferebatur ſuper aquas, *Gen.* 1. Cui dicam? Quomodo dicam de pondere cupiditatis, & ſubleuatione Charitatis? Affect' ſunt, amores ſunt, &c. *C.*8. Te amo Deus meus: etſi parum eſt, amem validiùs. Non poſſum metiri quantùm deſit mihi amoris, &c. Hoc tantùm ſcio, quia malè mihi eſt præter te; & omnis copia quæ Deus meus non eſt, mihi egeſtas eſt. *Cap.*9. Amor attollit nos, &c. Corpus pondere ſuo nititur ad locum ſuum: ignis ſurſum, lapis deorſum, &c. Pondus meum, amor meus: eo feror, quòcumque feror, &c.

*Lib. De catechiſandis rudibus, cap.* 10. Cogitemus quid nobis prærogatum ſit, &c. Si intellectus delectat in penetralibus ſinceriſſimis: hoc etiam intelligere delectet, quomodo charitas quantò officioſiùs deſcendit in infima, tantò robuſtiùs recurrit ad intima per bonam conſcientiam; nihil quærendo ab eis ad quos deſcendit, præter eorum ſalutem, &c. *Cap.* 11. Tunc eſt verè opus bonum, cùm à charitate iaculatur agentis intentio, & tanquam ad locum ſuum rediens, rurſus in charitate requieſcit, &c. Maiore fiduciâ deprecabimur, vt loquatur nobis Deus, quomodo volumus: ſi ſuſcipiemus hilariter, vt loquatur per nos, quomodo poſſumus, &c. *Cap.* 14. Tantam charitatem eſſe oportet in eos, pro quibus Chriſtus mortuus eſt: vt hoc ipſum quod nobis triſtibus nuntiatur, præſtò eſſe aliquem qui deſideret fieri Chriſtianus, ad conſolationem illius, reſolutionemque triſtitiæ valere debeat. *Cap.* 29. Amandus eſt Deus: non ſicut aliquid quod videtur oculis; ſed vt amatur Sapientia, Veritas, Sanctitas, Iuſtitia, & Charitas; non vt ſunt in nobis, ſed in ipſo fonte Sapientiæ.

*Lib.* 8. *De Trin. cap.* 3. Non amas niſi bonum, &c. Bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc & illud, & vide ipſum Bonum ſi potes. Ita videbis Deum: non alio bono bonum, ſed Bonum omnis boni, &c. Sic amandus eſt Deus: non hoc, & illud bonum, ſed ipſum Bonum. *Cap.* 4. Sed dilectione ſtandum eſt ad illud, & inhærendum illi: vt eo præſente perfruamur, quo abſente, nec eſſe poſſemus, &c. Sed quis diligit quod ignorat? Amatur & quod ignoratur: ſed tamen creditur. *Cap.* 6. Amamus animum iuſtum, &c. *Infra.* Cur ergo diligimus, quem credimus iuſtum: & non diligimus ipſam formam, vbi videmus quid ſit iuſtus animus? Qui amat homines: aut quia iuſti ſunt, aut vt iuſti ſint, amari debet. *Cap.*8. Nemo dicat, non noui quod diligam: diligat fratrem, & diligat eandem dilectionem, &c. Cùm de dilectione diligimus fratrem: de Deo diligimus Deum; nec fieri poteſt vt eandem dilectionem non præcipuè diligamus, qua fratrem diligimus. Ideo non poteſt Deum diligere, quem non videt, qui fratrem, quem videt, non diligit, 1. *Ioan.* 4. Quia hæc illi cauſa eſt non videndi Deum, quòd non diligit fratrem, &c. Ex vna igitur eâdemque charitate, Deum, proximumque diligimus: ſed Deum propter Deum; nos autem & proximum, propter Deum. *Cap.* 9. Vitam Sanctorum facit à nobis diligi formæ illius dilectio: & illorum vita credita, in eandem formã, flagrantiorem excitat charitatem; vt quantò flagrantiùs diligimus Deum, tantò certiùs ſereniùſque videamus. Valet ergo fides ad cognitionem, & dilectionem Dei: non vt incogniti, aut non dilecti, ſed quò cognoſcatur manifeſtiùs, & firmiùs diligatur. *Lib.* 9. *cap.* 6. Amo fidelem & fortem virum. Quod ſi de Deo credat incongrua: ſtatim amor ille offenſus, & ab indigno ablatus, in ea forma permanet, ex qua eum talem credens, amaueram. Niſi fortè ad hoc iam amo, vt talis ſit, &c. *Cap.* 8. De fruitione, vt ſupra. *Cap.* 12. Appetitus, quo inhiatur rei cognoſcendæ, fit amor cognitæ. *Lib.* 10. *cap.* 1. Rem prorſus ignotam amare omnino nullus poteſt, &c. Cùm virum bonum amamus: ex notitia virtutum amamus, quas nouimus in ipsâ veritate. *Cap.* 10. De vſu & fruitione. Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter ſe delectata conquieſcit: vtimur verò eis, quæ ad illud referimus, quo fruendum eſt, &c. *Cap.* 11. Vti, eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis: frui autem, eſt vti cum gaudio, non ſpei, ſed rei. Proinde omnis qui fruitur, vtitur: non autem omnis qui vtitur, fruitur; ſi id quod aſſumit propter aliud appetit. *Lib.* 15. *cap.* 17. Non dixit Script. 1. *Ioan.* 4. Spiritus S. eſt charitas, &c. Sed Deus charitas eſt: vt *Ioan.* 4. Deus Spiritus eſt; vt non ſit aliud ſubſtantia, aliud charitas; ſed ſubſtantia ipſa ſit charitas, & charitas ſubſtantia, & tamen propriè Spiritus S. charitas nominetur. 1. *Ioan.* 4. Dilectio Dei eſt, & Deus Dilectio eſt &c. Deus ergo ex Deo, eſt dilectio. *Cap.* 18. Nullum eſt iſto Dei dono excellentius, Vt ſuprà.

*Lib. de Virginitate cap.* 17. Gaudium Virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. *Cap.* 54. Inſpicite Virgines pulchritudinem amatoris veſtri: Cogitate æqualem Patri, ſubditum & Matri. Inſpicite vulnera pendentis, cicatrices reſurgentis, ſanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. *Cap.* 55. Hæc quãti valeant, cogitate: & quicquid amoris nuptijs veſtris impendendum habebatis, illi rependite. Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus eſt in cruce.

*Lib.* 1. *De Gen. ad litt. cap.* 7. Spiritus Dei ferebatur ſuper aquam. An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, vt rebus quas diligit, ſubijciatur? Ne faciendo opera ſua: per indigentiæ neceſſitatem, potiùs quàm per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur. *Ibidem. Cap.* 1. 2. 3. 4. 5. De tenebris & luce: quaſi de mente informi, & formatâ charitate.

*Lib,* 8. *Ciu. cap.* 9. *Plato* non dubitat hoc eſſe philoſophari, amare Deum: vnde colligitur tunc fore beatum ſtudioſum ſapientiæ, cùm Deo frui cœperit. *Lib.* 12. *cap.* 9. Deus creauit Angelos bonos cum amore caſto: ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam. *Lib.* 14. *cap.* 7. Voluntas bona vſitatiùs in Script. charitas appellatur:

dum eſt perfecta iuſtitia, &c. Plus quippè debetur ſeruitutis iuſtitiæ, quam peccato ſoleant homines exhibere, &c. Nam pœna corporis, etſi non à voluntate, tamen reuocat ab opere peccati, &c. Iuſtitia verò ſic amanda eſt: vt ab eius operibus, etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant. *Epiſtola* 89. Qui non diligit, nihil diuinæ legis adimplet: quia plenitudo legis non eſt niſi charitas.

*Lib. De continentia cap.* 13. Spiritus hominis adhærens Spiritui Dei, concupiſcit aduerſus carnem .i. aduerſus ſeipſum, &c.

*Lib. de patientia cap.* 11. *Iob* in Deo ſuo manſit immobilis, eius affixus voluntati, quem non poſſet amittere, niſi propriâ voluntate: & pro ijs quæ perdidit, eum qui abſtulit, tenuit, &c. Neque enim abſtulerat, qui nocendi habuit voluntatem, ſed qui dederat poteſtatem. *Cap.* 12. At ille ſuſtinens in carne dolores ſuos, in corde errores alienos, Coniugis corripiebat inſipientiam, amicos docebat ſapientiam, ſeruat vbique patientiam, &c. *Cap.* 17. Iuſtus tantò eſt fortior, quantò in eo maior eſt charitas Dei, &c. 1. *Cor.* 13. Charitas magnanima eſt, omnia tolerat. *Cap.* 18. Deus charitas eſt, &c. 1. *Ioan.* 4. Quiſquis contendit haberi poſſe Dei charitatem, ſine Dei adiutorio: quid aliud contendit, niſi haberi poſſe Deum ſine Deo? *Cap.* 23. Hæc propter charitatem dicta ſint: ſine qua in nobis non poteſt eſſe vera patientia. *Cap.* 26. Sicut charitas ſanctè amantium: ita patientia piè tolerantium, Dei donum eſt, &c. Si quis autem non habens charitatem, in aliquo ſchiſmate, ne Chriſtum neget, patitur ipſam crucem timore gehennarum, & ignis æterni: nullo modo culpanda, imò & hæc laudanda patientia eſt, &c. Sed exiſtimandum fortaſsè tolerabilius ei futurum iudicium, quàm ſi Chriſtum negando, cuncta illa vitaret. 1. *Cor.* 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habeam; nihil mihi prodeſt .i. ad regnum cœlorum. *C.* 27. Negandum non eſt, hoc etiam eſſe donũ Dei: ſed alia ſunt dona Filiorum. *Cap* 29. Clamemus ergo ſpiritu charitatis: liberali amore ſimus, non ſeruili timore, &c.

*Lib. De bono viduitatis, cap.* 21. Non ſunt onerosi labores amantium. Sed etiam ipſi delectant; vt venantium, aucupantium, piſcantium, &c.

*Ex prologo in Pſal.* Charitatẽ pſalmus inſtaurat, &c. *In pſ.* 44. Ecce Sponſus procedat nobis: amemus illum, vbique pulcher occurrat, &c. pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro, pulcher in intellectu. *In pſ.* 83. Quàm dilecta, &c. *In pſ.* 77. Ex corde nullo modo fieri poteſt: quod formidine fit pœnæ, non dilectione iuſtitiæ, &c. *In pſ.* 119. Sagittæ Potentis acutæ. Nouit Dominus ſagittare ad amorem: nemo pulchriùs ſagittat ad amorem, quàm qui verè verbo ſagittat; imò ſagittat cor amantis, vt faciat amantem.

*Tract.* 55. *in Ioan.* Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos .i. in Chriſtum, vel vſque ad mortem, vel intantùm vt moreretur pro eis. *Tract.* 65. Vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Non ſicut ſe diligunt, qui ſe corrumpunt: nec quia homines ſunt, ſed Dij, &c. eâ ipſâ dilectione, qua Chriſtus dilexit nos. *Cant.* 8. Valida eſt ſicut mors dilectio: imò ipſa dilectio eſt mors noſtra ſæculo, & vita cum Deo. Qui diligit Deũ, non poteſt eum contemnere præcipientem vt diligat proximum: Et qui ſanctè diligit proximum, quid in eo diligit niſi Deum? Quid enim Chriſtus niſi Deum dilexit in nobis? Non quòd habebamus, ſed vt haberemus. *Tract.* 82. Vnde diligeremus Deum, niſi ab eo priùs diligeremur? *Tract.* 83. Vbi dilectio eſt, ibi neceſſariò fides, & ſpes: & vbi dilectio proximi, ibi etiam neceſſariò dilectio Dei. *Tract.* 102. Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis. Ideò amat ille, quia nos amamus? An potiùs quia ille amat, ideò nos amamus? 1. *Ioan.* 4. Diligamus Deum, quia ipſe prior dilexit nos, &c. Ipſe vt diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. *Tract.* 123. Diligis me? Amo te. Vbi etiam demonſtratur vnum atque idem eſſe, amorem atque dilectionem. Non ergo nos, ſed ipſum amemus. Neſcio enim quo inexplicabili modo, quiſquis ſeipſum, non Deum amat, non ſe amat: & quiſquis Deum non ſeipſum amat, ipſe ſe amat. *Tract.* 124. Sic eum volo manere, &c. Cur *Ioannes* minùs diligebat Chriſtum quàm *Petrus*, ſi eam vitam ſignificabat, in qua eſt multò ampliùs diligendus? Niſi quia & ipſum amorem, qui tunc multò amplior erit needum habemus, ſed futurum expectamus, *Tract.* 4. *in* 1. *Ioan.* 3. Qui in ipſo manet, non peccat .i. inquantùm in ipſo manet. Qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare .i. contra mandatum Chriſti. Qui facit contra charitatem fraternam, non audeat gloriari ſe natum eſſe ex Deo, &c. Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & Diaboli. *Tract. in* 1. *Ioan.* 4. Charitas adduxit Chriſtum ad carnem. Quiſquis ergo non habet charitatem, negat Chriſtum in carne veniſſe. *Tract.* 7. *in cap.* 4. Deus charitas eſt. Quid ampliùs dici potuit? Si audes, fac contra Deum, & noli diligere Fratrem, &c. Dilige, & quod vis, fac. Siue taceas, dilectione taceas: ſiue clames, dilectione clames; radix ſit intus dilectionis: non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere, &c. Vis videre Deum? Deus dilectio eſt. Qualem faciem habet dilectio? Quis amat quod non videt? Laudatur charitas, & acclamatis, &c. Si placet, habete, poſſidete, gratis conſtat. *Tract.* 8. Dilectio, dulce verbum eſt, ſed dulcius factum, &c. Chriſtus vtitur virtutibus quaſi miniſtris ſuis: per has mouentur membra ad operandum. Sed quid? Quod iuſſerit charitas, &c. Quid ſi non ſit quod præſtemus? Sola beneuolentia ſufficit amanti, &c. Germaniùs amabis fœlicem hominem, cui non habes quod præſtes, &c. Nam ſi præſtiteris miſero: fortaſſis extollere te cupis aduerſus eum, &c. Omnia bona quæ vult facere charitas, & facit: agit contrà ſuperbia, & quaſi ducit equos ſuos. Sed interior eſt charitas: tollit locum malè agitatę, non malè agitantis ſuperbiæ, Væ homini, cuius Auriga ſuperbia eſt: neceſſe eſt enim vt in præceps eat. Vt autem non ſit ſuperbia, quæ agitat facta bona, quis nouit: Paſcit miſericordia, paſcit & ſuperbia,

 bia,

ducat ne alius tranſeat? *Hom.* 23. *cap.* 5. Parum tibi dimiſſum putas? Prorſus parum diligis. *Cap.* 6. Agnoſce ergo gratiam eius cui debes, & quod non amiſiſti, &c. *Hom.* 38. De omni genere amicitiæ, naturalis, moralis, & gratuitæ. *Cap.* 2. Incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine niſi Deum. Amor amicitiæ debet eſſe gratuitus, &c. Si regula amicitiæ hortatur te, vt gratis diligas: quàm gratis amandus eſt Deus? Nihil delectabilius Deo, &c. Deus non eſt qui te offendat, ſi tu eum non offendas. Sed illum non video, &c. Si fidem amas: quibus oculis videtur fides, ipſis videtur Deus. *Cap.* 4. Nunquid Iob gratis colit Deum? *Iob.* 1. Cauere debemus, ne ad prœmium diligamus Deum. Quidquid tibi aliud dederit, minus eſt quàm ipſe. Gratis cole, & ipſum accipies. *Cap.* 5. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, *Pſ.* 72. Cùm ergo cœperis amare gratis, ſecuritas eſt: quia amicum gratis amas, & ad hoc vt tecum amet Deum. *Cap.* 6. Salus ęterna amanda eſt, iſta vtenda, &c. Sed ad hoc ama Coniugem, Filium, Propinquum Inimicum. *Hom.* 4. Dimitte nobis, ſicut & nos, &c. *Cap.* 4 Si dixiſti ex toto corde, ſed ille noluit tibi dimittere: noli eſſe ſollicitus, interpella Dominum amborum. *Cap.* 5. Durum videtur, vt Dominus dicat ſeruo, Ignoſce mihi: ne incipiat ſuperbire. Quid ergo? Ante oculos Dei pœniteat, eum blandè alloquatur: blanda appellatio, veniæ eſt poſtulatio. *Cap.* 6. Si paratus es dimittere, iam dimiſiſti.

*Serm.* 7. *De tempore.* Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, amor Dei. *Serm.* 46. De 4. virtutibꝰ charitatis, ex 1. *Cor.* 13. Omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. 1. Eminuit in S. *Noe.* 2. In Abrahã. 3. In populo Iſrael. 4. In Chriſto, qui eſt vera Charitas, quæ nunquam cadit. O charitas quam magnas vires habes! De cœlo Deum depoſuiſti. Quæ tanta es in terris, quanta eris in cœlis? *Serm.* 42. Dilige, & quicquid volueris, fac. Si iraſceris, dulce eſt: quia de charitate procedit, &c. Deus Charitas eſt, 1. *Ioan.* 3. Quid dulcius Deo? Guſtate, & videte, *Pſ.* 33. *Serm.* 44. In charitate radicati, atque fundati, *Eph.* 3. Radix illa in cœlo plantatur. Corda fidelium cœlum ſunt: quia in cœlos quotidie eriguntur. Dicente Sacerdote. *Surſum corda:* ſecum reſpondeant. *Habemus ad Dominum.* *Serm.* 51. Charitas alia eſt diuina, alia humana, licita vel illicita, &c. Si non facis habitare meretricem tuam cum Matre tua, cum Sorore tua, ne offendas decus ſanguinis tui: facis habitare in corde tuo dilectionem meretricis cum dilectione Dei, & offendis decus ſanguinis Chriſti? *Serm.* 60. Qui eleēmoſynam pro ſolo amore Dei facit, abſconſè facit: quia hoc non videtur, &c. Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua .i. Quod facit amor Dei, non corrũpat vanitas mundi. *Serm.* 61. Charitatem in corde noſtro Deo inſpirante, ſi in veritate voluerimus, habere poterimus, &c. Sic totum cor obtineat charitatis dulcedo: vt locum habere non poſſit odij amaritudo. *Serm.* 214. *c.* 1. Diſcat timere, qui non vult timere. Timor non eſt in charitate, 1. *Ioan.* 4. Si ergo habere non vis timorem: priùs vide vtrum iam perfectam habeas charitatem. Si verò ante iſtã perfectionẽ timor excluditur: ſuperbia inflat, non charitas ædificat. *Cap.* 2. Diſcute itaque conſcientiam tuam, noli ſuperficiem compalpare, &c. Si hæc ita ſunt: gaude te eſſe ſine timore. excluſerit eum charitas Dei & Proximi, &c. Si autem teipſum in teipſo diligis, & de teipſo tibi places: hoc ipſum vehemenmentiùs timere debes, quia nihil times &c. Quid enim boni amat, qui fortè hoc ipſum propter hoc ipſum amat, nihil timere. *Cap.* 3. Timor quem foras charitas mittit, pungit animam, ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipſa ſalus & requies corporalis, aut aliquid tale poſt mortem, &c. Cùm verò cauet anima, ne Deus illam deſertus deſerat: timor eſt caſtus, permanens in ſæculum ſæculi. Sic & *Epiſt.* 116. Magna ſeceſſione à tumultu rerum labentium opus eſt: vt non duritiâ, non audaciâ, non vanâ gloriâ, non ſuperſtitioſâ credulitate fiat in homine, nihil timere, &c.

*Serm.* 14. *Ex additis*, *cap.* 11. Fides, ſpes, dilectionem operatur, *Gal.* 5. Comes eſt ergo fidei ſpes, deinde & charitas. Tolle fidem, perit quod credis: tolle charitatem, perit quod agis. *Cap.* 14. Latitudo charitatis eſt in bonis operibus: Longitudo in longanimitate & perſeuerantiâ, Altitudo in ſpe, &c. Profundum, eſt gratia Dei.

*Serm.* 2. *Ex diuerſis.* De charitate Dei, *Cap.* 2. Ipſe amor ſordidus nos admonet, vnde ad ſuperiora ſurgamus, &c. Amorem nemo videt, & tamen amatur. *Cap.* 3. Deum non vides: ama, & habes. *Cap.* 4. Si charius dicitur quicquid pretioſius eſt: quid charius ipſâ charitate? *Serm.* 121. *Ex diuerſis cap.* 8. Deus charitas eſt, 1. *Ioan.* 3. Ecce iam ex quantulo pignore deambulat Deus in nobis. Quid illud eſt, cuius pignus tale! &c. Vt ſuprà. *Cap.* 9. De pretio das aliquid, & arrha eſt, non pignus. *Cap.* 10. Cuius ros talis eſt, qualis eſt fons? 12. Inebriabuntur, &c. 13. Quid eſt, cuius eſt quod in te eſt, & non capitur à te? Sic diſce amare Deum. 16. De illo pignore in id æſtuet, in quo æſtuabat *Moyſes*, *Deut.* 33.

## *Doctrina S. Bernardi.*

*Lib. de diligendo Deo.* Cauſa diligendi Deum, Deus eſt: modus, ſine modo, &c. Quia ipſe prior dilexit nos, 1. *Ioan.* 4. Sic Deus dilexit mundum, &c. *Ioan.* 3. Facilè plus diligunt qui ſe ampliùs dilectos intelligunt. Cui autem minùs donatum eſt, minùs diligit, *Luc.* 7. Hinc Eccleſia, *Cant.* 3. Vulnerata charitate ego ſum. 2. Amore langueo, &c. Vide quomodo, imò quam ſine modo à nobis Deus amari voluerit: qui prior ipſe dilexit nos, tantus, & tantùm, & gratis, tantillos, & tales, &c. Cùm dilectio tendat in infinitum: quis debeat eſſe finis, vel modus noſtri amoris? *Infra.* Super eſt de prœmio diligendi Deum. Non enim ſine prœmio, etſi abſque prœmij intuitu diligendus ſit, &c. Charitas non quæ-

Digitized by Google

quærit quæ ſua ſunt, 1. *Cor.* 13. Affectus eſt, non contractus, &c. Verus amor ſeipſo contentus eſt: habet præmium, ſed id quod amatur. Nam quicquid propter aliud amare videaris: id planè amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit, &c. Verus amor præmium non requirit, ſed meretur. *Pſal.* 72. Mihi adhærere Deo bonum eſt. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Infra.* Amor eſt affectio naturalis, vna de 4. Quod ergo naturale eſt: iuſtum foret omnium Authori deſeruire, &c. Eſt & amor carnalis, quo ante omnia homo diligit ſeipſum propter ſeipſum, &c. Amor carnalis efficitur & ſocialis, cùm in commune protrahitur, &c. Oportet Deum diligi priùs, vt poſſit diligi & Proximus. Deus facit ſe diligi. 1. Beneficijs nobis neceſſarijs, 2. Experientiâ ſuæ bonitatis. *Infra.* Quoniam Deus omnia fecit propter ſeipſum: oportet nos in eundem affectum tranſire; vt nec nos ipſos, nec aliud aliquid eſſe, vel fuiſſe velimus, niſi æquè propter ipſum, ob ſolam videlicet ipſius voluntatem, non noſtram voluptatem. *Matt.* 6. Fiat voluntas tua, &c. Sic affici, Deificari eſt. Vt ſtilla aquæ multo infuſa vino, &c. Ferrum ignitum, &c. Aër luce perfuſus, &c. Alioquin quomodo omnia omnibus erit Deus? 1. *Cor* 15. Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. *Matt.* 22. Putamuſne hanc gratiam vel ex parte ſanctos Martyres aſſecutos in ſuis adhuc victorioſis corporibus? Doloris acerrimi ſenſus non potuit niſi turbare ſerenum, etſi non perturbare, &c. Animæ ſeparatæ non poſſunt ex toto tranſire in Deum: nimirum ligatæ corporibus, etſi non vitâ vel ſenſu, certè affectu naturali, &c. Itaque ante reſtaurationem corporum, non erat ille defectus animorum, qui perfectus & ſummus eſt ipſorum ſtatus, &c. Nec mirum ſi corpus iam gloriæ, conferre videtur ſpiritui: quod & mortale conſtat ipſi non mediocriter valuiſſe, &c. Meritò nominantur, & ſunt chariſſimi, *Cant.* 5. qui receptâ iam ſecundâ ſtolâ, tantò in Dei feruntur amorem liberiores & alacriores, quantò & de proprio nihil iam reſiduum eſt, quod eos ſollicitet, &c. *Cant.* 5, Bibi vinum meum cum lacte meo .i. vino diuini amoris miſcet anima ſuauitatem naturalis affectionis, qua reſumere corpus ſuum glorificatum deſiderat. Æſtuat ergo ſanctæ charitatis potata vino: ſed nondum vſque ad ebrietatem; quoniam temperat interim ardorem illum huius lactis permixtio. Ebrietas ſolet reddere immemores ſui: at non ex toto ſui oblita eſt, quæ adhuc de proprio corpore cogitat ſuſcitando. Hoc adepto, quid iam impedit à ſeipſa totam ire in Deum? *Infra.* Ex hoc iam ſummè, & ſolus diligitur Deus: quia nec noſipſos niſi propter ipſum diligimus; vt ſit ipſe præmium æternum amantium ſe in æternum. Memini me dudum ad ſanctos Fratres Carthuſienſes ſcripſiſſe Epiſtolam, de his ipſis, &c. Fortè autem alia ibi, etſi non aliena de charitate locutus ſum: & ob hoc, quædam hic illorum ſubiungere non inutile duco, &c. Cùm faciliùs ad manum meam habeo tranſcribere, quàm noua dictare. Illa eſt vera & ſincera charitas de corpore puro, &c. quâ proximi bonum, æquè vt noſtrum diligimus. Nam qui magis, aut ſolùm diligit ſuum: conuincitur non caſtè diligere bonum, quod vtique propter ſe diligit, non propter ipſum. *Pſal.* 117. Confitemini Domino, quoniam bonus, &c. Eſt qui confitetur Domino quoniam potens, & quoniam ſibi bonus, & quoniam ſimpliciter bonus eſt. Primus eſt ſeruus, & timet ſibi. 2. Eſt mercenarius, & cupit ſibi. 3. Eſt filius, & defert Patri, &c. Sola quæ in filio eſt charitas, non quærit quæ ſua ſunt. Puto de illa dictum, *Pſal.* 418. Lex Domini immaculata, conuertens animas. Nec timor quippe, nec amor priuatus conuertunt animam. Mutant interdum vultum, vel actum: affectum nunquam. &c. Vbi proprietas, ibi ſingularitas: vbi ſingularitas, ibi angulus; vbi angulus, ibi ſordes, ſiue rubigo, &c. Charitas verò conuertit animas, quas facit & voluntarias. Porrò eam dixerim immaculatam: quòd nihil ſibi de ſuo retinet. Cui nempe de proprio nihil eſt: totum quod habet, Dei eſt. Quod autem Dei eſt, immundum eſſe non poteſt, &c. Dicitur rectè charitas, & Deus, & Dei donum. Itaque Charitas dat charitatem: ſubſtantiua, accidentalem, &c. Filij Dei faciunt quòd *Rom.* 13. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. *Infra.* Nunquam erit charitas ſine timore, ſed caſto: nunquam ſine cupiditate, ſed ordinata, &c. Nam quod legitur, 1. *Ioan.* 4. Perfecta charitas foras mittit timorem: pœna intelligenda eſt, quæ ſeruili nunquam deeſt timori; illo genere locutionis, quo cauſa ponitur pro effectu. Cupiditas à charitate ordinatur: cùm nec bona niſi propter meliora appetuntur, &c. Quia carnales ſumus: neceſſe eſt vt amor noſter à carne incipiat. 1. Ergo diligit homo ſeipſum, propter ſe. Cùmque videt ſe per ſe non poſſe ſubſiſtere: Deum quaſi ſibi neceſſarium incipit per fidem inquirere, & diligere. Diligit itaque 2. Deum: ſed propter ſe, non propter ipſum. At verò cùm paulatim ſenſimque Deus innoteſcit, & dulceſcit: tranſit ad 3. gradum; vt diligat Deum, non iam propter ſe, ſed propter ipſum. In hoc gradu diu ſtatur: & neſcio ſi à quoquam quartus in hac vita perfectè apprehenditur; vt ſe diligat homo tantùm propter Deum. Aſſerant qui experti ſunt. Mihi, fateor, impoſſibile videtur. Erit cùm quis miro quodam modo oblitus ſui, & à ſe velut deficiens, totus perget in Deum, & adhærens ei, vnus cum eo Spiritus erit.

*Epiſt. ad Fratres de monte Dei,* ſeu Carthuſianos, de qua ſupra. Poſt præconia vitæ ſolitariæ, inſtruit eos de triplici ſtatu, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. *Status 1. poteſt,* inquit, *dici Animalis. 2. Rationalis. 3. Spiritualis, &c.* Sunt etenim Animales, qui per ſe nec ratione aguntur, nec trahuntur affectu: ſed vel authoritate, vel doctrinâ, vel exemplo, prouocati ſequuntur .i. imitantur. Sunt Rationales, qui per rationis iudicium habent cognitionem & appetitum boni, ſed nondum affectum. Sunt Perfecti, qui Spiritu aguntur, & illuminantur: & quoniam

ſapit

ſapit eis bonum, ſapientes vocantur. *Infra.* Amor Dei, vel amor Deus, amori hominis ſe infundens, vnũ ſecum efficit & ſpirtũ eius,& amoré eius,&c.] Poſt plurima & ſaluberrima de ſtatu animali : agit promiſcuè de ſtatu rationali, & ſpirituali.]

Anima eſt res incorporea, rationis capax, viuificando corpori accommodata. Verbatim ex *B. Aug. Lib. de Quantitate animæ. Cap.* 13. Ratio eſt aſpectus animi, quo per ſeipſum, non per corpus, verum intuetur, aut ipſa veri contemplatio, aut ipſum verum quod contemplatur, aut vita rationalis vel rationale obſequium. Ratiocinatio verò eſt rationis inquiſitio. Verbatim ex *B. Aug. lib. de immort. animæ, cap.* 6. *& alibi.* Virtus eſt filia rationis, ſed magis gratiæ, &c. Bona enim voluntas eſt mater omnium virtutum : & mala, omnium vitiorum. Ideo cuſtos animæ ſuæ ſollicitus eſſe debet quid in totum velit, vel volendum ſibi ſit, vt eſt amor Dei: quid propter illud, vt eſt amor proximi. In dilectione Dei non eſt alia diſcretio : niſi vt ſicut in finem dilexit nos, ſic in infinitum diligamus eum. Sed fines ſuos & regulas habere debet actio operantis, &c. Vbi ne oberret nimia voluntas, neceſſe eſt vt adſit, mediante obedientiâ,cuſtodiens veritas,&c. Voluntas, naturalis quidam animi appetitus eſt, &c. Cùm ſociatur veritati, amor eſt : Cùm tenet, cùm fruitur, charitas eſt, vnitas ſpiritus eſt, Deus eſt. In his cùm conſummauerit homo, tunc incipit, *Eccli.* 18. &c. Cùm vtilitati ſeu neceſſitati naturæ ſeruit, natura eſt, vel appetitus eius. Cùm ſe in ſuperflua vel noxia exponit, vitium naturæ eſt, vel ſui ipſius, &c. Voluntati citò ſatis eſt : vitijs verò eius, nunquam ſatis, &c. In eis quæ ad Deũ, cùm vult quod poteſt, laudanda eſt : cùm vult pluſquàm poteſt, regenda eſt ; cùm autem non vult quod poteſt, excitanda eſt, &c. Qui non eſt in feruore eiuſdem voluntatis, rectior iudex eſt actionis, &c. Bona ergo cuſtos voluntatis, eſt obedientia: ſiue imperij, ſiue ſolius charitatis, &c. Puriùs enim, ex 1. *Pet.* 5. ad pares, ſeu etiam iuniores, filij obedientiæ caſtificant corda ſua, quàm ad maiores, &c. *Infra.* Cùm de his quæ de Deo, vel ad Deum ſunt, cogitatur, & voluntas eò proficit, vt amor fiat : continuò per viam amoris infundit ſe Spiritus S. & omnia viuificat, &c. Et continuò memoria efficitur ſapientia : cùm ſuauiter ei ſapiunt bona Dei ; & quod ex eis cogitatum, eſt formandum in affectu, adhibet intellectui. Intellectus verò cogitantis, efficitur contemplatio amantis : & formans illud in quaſdam ſpiritualis vel diuinæ ſuauitatis experientias, afficit ex eis aciem cogitantis, illa verò efficitur gaudium fruentis ; & tunc de Deo benè cogitatur, ſecundùm humanum modum. Si tamen cogitatio dicenda eſt : vbi nil cogit nec cogitur;ſed tantũ in memoriam abundantiæ ſuauitatis Dei exultatur, iubilatur, & verè ſentitur de eo in bonitate,ab eo qui in ſimplicitate cordis quærit eum.

Sed modus hic cogitandi de Deo, non eſt in arbitrio cogitantis, ſed in gratia donantis : qui vbi vult ſpirat, quando, quomodo, quibus vult aſpirat. Sed hominis eſt iugiter præparare cor, &c. Ideo homini Deum amare volenti, vel iam amanti, ſuus ſemper conſulendus eſt animus, examinanda conſcientia : quid ſit quod in totum vult, & propter quod vult, &c. Incidentes enim cogitationes,& præteruolitantes voluntates, quibus modò vult, modò non vult : nequaquam inter voluntates,ſed pænè inter otioſas deputandæ ſunt cogitationes. Nam etſi aliquando fiunt vſque ad delectationem animi : citò tamen indè ſe excutit animus compos ſui, &c. Si quod in totum vult, Deus eſt : vtrum vſque in contemptum ſui ipſius, & omnium quæ ſunt vel eſſe poſſunt, non tantùm ex iudicio rationis, ſed etiam ex affectu mentis; vt iam voluntas amor ſit, dilectio ſit, ſit charitas, ſit vnitas Spiritus. Sic diligendus eſt Deus. Magna enim voluntas ad Deum,amor eſt,dilectio, adhæſio, charitas, fruitio : vnitas verò ſpiritus,proficientis in Deum voluntatis eſt perfectio : cùm iam non ſolùm vult, quod Deus vult, ſed ſic eſt affectus perfectus, vt non poſſit velle niſi quod Deus vult. Velle autem quod Deus vult, hoc eſt iam ſimilem Deo eſſe. Non poſſe velle niſi quod Deus vult : hoc eſt iam eſſe quod Deus eſt, cui velle & eſſe idipſum eſt. 1. *Ioan.* 3. Similes ei erimus .i. erimus quod ipſe eſt. Quibus enim poteſtas data eſt Filios Dei fieri : data eſt poteſtas non quidem vt ſint Deus, ſed quod *Deus* eſt .i. Sancti,Beati,&c.Hæc hominis eſt perfectio,ſimilitudo *Dei.* Perfectum autẽnolle eſſe,delinquere eſt,&c. Eſt autem quædam *Dei* ſimilitudo: quòd ſicut *Deus* vbique totus eſt; ſic & anima in corpore ſuo, &c. Sed eſt alia magis *Deo* propinqua, quæ in virtutibus conſiſtit, &c. Super hanc non iam ſimilitudo, ſed vnitas ſpiritus nominatur : cùm ſit homo cum *Deo* vnus ſpiritus ; non tantùm voluntate volendi idem, ſed expreſſiore quadam vnitate virtutis, aliud velle non valendi. *D*icitur autem hæc vnitas ſpiritus: non tantùm quia efficit eam, vel adficit ei ſpiritum hominis Spiritus S. ſed quia ipſa ipſe eſt Spiritus S. *Deus* charitas : cùm per eum qui eſt amor Patris & Filij, quicquid commune poteſt eſſe amborum, hoc idem homini ſuo modo fit ad *Deum*, quod cum ſubſtantiali vnitate Filio eſt ad Patrem, vel Patri ad Filium : cùm in amplexu & oſculo Patris & Filij, mediam quodammodo ſe inuenit beata conſcientia ; cùm modo ineffabili fieri meretur homo *Dei*, non *Deus*, ſed quod *Deus* eſt ex natura, homo ex gratia, &c. Quidquid tamen fidelibus hîc impartitur, ſpeculum, & ænigma eſt, &c. Vt innoteſcat quod deeſt, nonnunquam (quaſi pertranſiens) gratia perſtringit ſenſum amantis,& eripit ipſum ſibi ad gaudia ſilentia ; & pro modulo ſuo ad momentum oſtendens ei ſicuti eſt, interim & ipſum efficit in idipſum, vt ſit ſuo modo ſicut & illud eſt, &c. Vbi in die qui eſt, plus & plus videns quid ſibi deeſt : emendat in dies quidquid deliquit, &c. Sicque expreſſiorem viſionem expreſſior ſemper ſimilitudo comitatur. Impoſſibile quippè eſt videri ſummum bonum, & non amari: quouſque amor proficiat in aliquam ſimilitudinem amantis illius, qui Deum fecit ſimilem homini, &c. Tunc dulce eſt cohumiliari, compauperari, conformari, &c. Cui bono ſe intendit pius affectus ; donec vnum, vel vnus cum eo ſpiritus



Digitized by Google

ritus fuerit effectus. Quod cùm fueri perfectum, iam ſolùm mortalitatis huius velo differtur à ſumma illa beatitudine: qua tamen cùm iam in fide & ſpe fruitur, quod ſupereſt tolerabili præſtolatur patientiâ, &c. Hæc eſt perfectio, & vera hominis ſapientia, omnes in ſe continens virtutes: cùm ſicut Deus eſt id quod eſt, ſic habitus bonæ voluntatis conſolidatus & affectus eſt, vt ex ardentiſſima boni incommutabilis adhæſione, nullatenus iam videatur poſſe mutari ab eo quod eſt. *Infra.* Hæc quia iam ſapiunt ſapienti, ſapiens eſt: quia factus eſt vnus ſpiritus cum Deo, ſpiritualis eſt, &c. Et impletur in eo quod *Ioan.* 17. Pater, volo vt ſicut ego & tu vnum ſumus: ita & ipſi, vt nos, vnum ſint. *Infra.* De nonnullis quæ ad Deum ſpectant, fas eſt homini cogitare: ipſum vero quod eſt, cogitari non poteſt, niſi quantùm ad hoc ſenſu amoris illuminati attingi poteſt, &c. Credendus eſt tamen Deus, & quantùm Spiritus S. adiuuerit cogitandus, quædam vita æterna, intelligens, creans, &c. Cui vita ipſa eſſentia eſt, &c. Hoc ineffabile qui vult videre, cor mundet, &c. Hæc eſt enim facies Domini, quam nemo poteſt videre, & viuere mundo: cui ſuſpirat omnis qui affectat diligere Deum in toto corde, &c. Ad quod etiam non deſinit excitare Proximum, ſi diligit eum ſicut ſeipſum, &c. Ad quod cogitandum omninò impares ſumus: ſed ignoſcit quem amamus, &c. Vt dicamus, & cogitemus, amore eius vel amore amoris eius prouocamur & trahimur, &c. Cogitantis ergo eſt in omnibus humiliare ſemetipſum, & glorificare in ſe Deum ſuum: in contemplatione Dei vileſcere ſibi; in amore Dei ſubiectum eſſe omni humanæ creaturæ; exhibere corpus ſuum hoſtiam ſanctam Deo, &c. Præ omnibus, non plus ſapere quam oportet, *Rom.* 12. & hunc quaſi titulum in fronte ſemper habere, *Secretum meum mihi*, Eſa. 24.]

Cum ergo hoc incomparabile opus, teſtimonium habeat ab illo certo opere de diligẽdo Deo: cur hoc incertius habeatur inter opera *S. Bern.*

## *Doctrina Alenſis, S. Bon. & Scoti.*

A*lenſis p.* 1. *q.* 17. De bonitate Dei, vt obiecto proprio charitatis. *Q.* 28. 31 32. 33. De charitate Dei originali. 43. De proceſſione Spiritus S. per modum amoris. *Q.* 67. *Mem.* 3. *art.* 3. De amore appropriato Spiritui S. *Q.* 71. 72. 73. 74. De miſſione & donatione Spiritus Sancti in ſuis donis, præcipuè charitatis. *In Supplemento* 3. *Partis, à Collatione* 57. *ad* 75. De omnibus pertinentibus ad charitatem, præclaro ordine doctrinæ. *P.* 2. *q.* 124. De peccato veniali. *q.* 155. De Inuidia. *q.* 157. De Acedia. 176. De amore inordinato. *P.* 3. *q.* 76. De timore ſeruili. *P.* 4. *à q.* 54. *ad* 114. De pœnitentia eiuſque perfectione ex charitate.

*S. Bon. in* 1. *diſt.* 1. De fruitione & vſu, ac proprio vtriuſque obiecto. *Diſt.* 17. De charitate Dei, & noſtra. *In* 3. *à. diſt.* 27. *ad* 33. De habitu, vnitate, modo, diſtinctione, ordine, perfectione, duratione, comparatione charitatis noſtræ ad Deum, ac proximum, & Dei ad nos. Deinde iterum *Diſt.* 34. 35. 36. inter alia dona Spiritus S. & de connexione virtutum. *In* 4. *à Diſt.* 14. *ad* 23. De pœnitentia. *Diſt.* 49. De beatitudine.

*Doctor Subtilis in* 1. *diſt.* 1. De fruitione & vſu, ac vtriuſque obiecto. *diſt.* 17. De charitate Dei, & noſtra. *In* 3. *à. diſt.* 27. *ad* 33. *& ſub* 36. *In* 4. *à diſt.* 14. *ad* 23. De Pœnitentia. *diſt.* 49. De Beatitudine.

Ex quibus omnibus, non ſolùm promiſcuis, ſed & ſcholaſticè ordinatis, pleraque de charitate ſatis conſtare poſſunt: exceptis paucis in controuerſiam reuocatis, quæ expreſſiùs proponenda & reſoluenda ſunt. 1. An ſit quædam vera charitas Dei propter ſe, necdum tamen ſuper omnia. 2. An quæuis charitas Dei infuſa formaliter iuſtificet, aut non. 3. An quiuis actus veræ charitatis formaliter iuſtificet, vel ad hoc vltimò diſponat, aut non. 4. An vel quo ſenſu Deus poſſit à nobis ex puris naturalibus diligi, propter ſe, & ſuper omnia.

## *Reſponſio.*

EX hac tota doctrina concordi, ſacræ Script. Sactorum Conc. Summorum Pontificum, SS. Patrum, & Doctorum noſtrorum. 1. Non poteſt eſſe vera charitas Dei niſi propter ſeipſum, & ſuper omnia etiam poſſibilia ſimul, irreferibiliter, & incomparabiliter: ſeu exceſſu quodam non quidem infinito, ſed in infinitum; nec ſolùm ſuper omnia alia vt obiecta, ſed etiam ſupra omnem aliam dilectionem, & modum diligendi, ſiue naturalem, ſiue etiam ſupernaturalem. 2. Hinc quæuis charitas Dei infuſa formaliter iuſtificat. 3. Imò & quiuis actus eius, ſiue ex ipſa charitate infuſa elicitus, ſiue ex gratia actuali æquiualente habituali. 4. Sine qua habituali vel actuali, non poteſt vllis naturæ viribus Deus tàm perfectè diligi: ſed ex minori gratia minus perfectè; ex nulla autem gratia actuali, non poteſt diligi vt oportet ad iuſtificationem, nec ad diſpoſitionem aliquam ſalutarem, nec ad obſeruantiam legis naturalis de diligendo Deo, nec ad cauendum omnem defectum culpabilem, in ipſo actu diligendi Deum. Quæ omnia vt inter ſe connexa, etiam coniunctim probantur ex omnibus ſuprà relatis & collatis: de ſumma perfectione veræ charitatis, non ſolùm habitualis, ſed & actualis; de effectu iuſtificationis non ſolum attributo gratiæ ac charitati habituali, ſed expreſſiùs ac frequentiùs actuali; deque ſumma obligatione diligendi Deũ propter ſe ſuper omnia, & grauiſſima neceſſitate alicuius gratiæ ſaltem actualis, ad cauendum malum & benè operandum, quantò magis ad diligendum Deum vt oportet, ſine defectu etiam culpabili?

Sed 1. ſpecialiter, ex modo illo tàm perfectè diligendi Deum toto corde, tota anima, totis viribus, &c. quæ perfectio vt finalis, non poteſt eſſe obligatoria, niſi vt poſſibilis; non per

ſolas

Digitized by Google

ſolas vires naturales, ſed & auxiliares gratiæ. Quamuis enim non videatur exigi niſi tota vis naturalis: quia tamen hæc non eſt totalis, nec ſufficiens, niſi ad actus naturales, ſed quædam etiam actiua, ſed modica & remota ad perfectiſſimum modum naturalem diligendi Deum, non poteſt ſola nec tota applicari ad diligendum Deum, niſi ex gratia habituali vel actuali, tam perfectè diligendi. 2. Ex *B. Aug. lib. De natura & gratia c.* 47. *Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt.* Ergo quæuis charitas formaliter iuſtificat. 3. Ex *Conc. Arauſ. Can.* 25. Prorſus Dei donum eſt diligere Deum. Ipſe vt diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit, &c. *Trid. ſeſſ. 6. cap.* 6. Inter diſpoſitiones ad iuſtificationem ex gratia actuali, recenſet quandam inchoatam dilectionem Dei, vt fontis omnis iuſtitiæ, de qua infra. Sed *Can.* 7. tribuit formalem iuſtificationem completam charitati vt infuſæ, non vt tali, nec tantæ. *Can.* 3. Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt & gratia iuſtificationis conferatur; Anathema ſit. *Seſſ.* 14. *cap.* 4. docet contritionem charitate perfectam Deo reconciliare, &c. De quibus infra ad ſingulas difficultates.

4. Ex Cenſuris *Py* 5. *in Prop.* 30. 31. 32. 67. 68. 69. *D. Bay* ſupra. Quæ cenſurantur, quia negant omnem veram Charitatem per ſe infuſam eſſe remiſſiuam peccati.

5, Ex *Alen. col.* 57. *Art.* 1. *Ad* 5. Charitate actuali non diligitur Deus infinitè: ſed in infinitum, ſupra omnia bona in infinitum creabilia. *Art.* 5. Charitas eſt vnica ſpecie: quia habet vnum idemque ſummum Bonum pro obiecto proprio. *Art.* 6. Habitus Charitatis non poteſt eſſe informis: quia repugnat omni peccato. *Coll.* 61. De modo diligendi Deum. *Art.* 1. Charitas non habet modum mediocritatis, intenſionis, vel remiſſionis, &c. *Art.* 2. Non obligat ad totalem perfectionem: ſed ad principalitatem, excludendo omnem affectum contrarium, & æqualem. Sic & *S. Bon.* & Doctor Subtilis. Vt *Diſt.* 27. *num.* 17. *Super omnia*, debet intelligi, extenſiuè & intenſiuè, affectu maiori ſimpliciter, ſeu magis repugnanti oppoſito. Dico igitur quòd hoc poteſt impleri in via, &c. *Num.* 19. Habitus charitatis, quoad ſubſtantiam actus, dat ei maiorem intenſionem, quàm potentia æquali conatu: & quò potentia creata eſt perfectior, eò plus deficit in actu, ſi non habeat charitatem proportionatam Arithmeticè, non Geometricè .i. proportionatam obiecto; non quaſi partialiter, ſed in infinitum. Subdit autem de proportione geometrica inter voluntates finitas & charitatem; non autem inter hanc & illas ad Deum. *Diſt.* 28. *num.* 2. Charitas eſt habitus, quo Deus habetur charus: non vt bonum priuatum, ſed commune, & condiligendum ab omnibus ei gratis. Hinc patet qualiter ſit vnus, &c.

6. Ex ipſa ratione diligendi Deum propter ſe .i. vt ſummum Bonum in ſe & abſolutè: Ergo & *ſuper omnia*, irreferibiliter, & incomparabiliter, ſeu exceſſiuè in infinitum; non ſolo exceſſu intenſiuo, ſed entitatiuo, & ſpecificatiuo perfectiſſimæ dilectionis. Non poteſt enim diligi propter ſe, vt ſummum Bonum, ſeu affectu ei proportionato, quin etiam diligatur ſuper omnia in infinitum. Hinc falluntur qui diſtinguunt veram charitatem Dei propter ſe, vt imperfectiorem, à charitate Dei ſuper omnia, vt perfectiori intenſiuè, vel etiam ſpecificè. Quia nec poteſt Deus ſic diligi propter ſe, quin ſic diligatur ſuper omnia: nec poteſt dari perfectior ſpecies ſeu modus diligendi Deum, nec ſola intenſio gradualis & accidentalis poteſt tantum modum diligendi perficere; aut ſola remiſſio accidentalis actus à tam perfecto modo deficere. Reliqua ex 2. *Sent. q.* 8. de neceſſitate, ſufficientia, & efficacia gratiæ, vel ex ſequentium difficultatum compoſitione.

## *Difficultas* I.

SAcræ Script. Conc. Cenſuræ, SS. Patres, vt *B. Aug. Bern.* & plerique Doctores Scholaſtici diſtinguunt inter charitatem perfectam & imperfectam, etiam quoad effectum iuſtificandi formaliter, vel diſpoſitiuè. Vt *Luc.* 7. Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. *Io.* 14. Maiorem charitatem nemo habet, &c. 1. *Ioan.* 4. Perfecta charitas foras mittit timorem .i. peccati, vel Dei propter peccatum, &c. *Trid. Seſſ. 6. cap.* 6. Deum diligere incipiunt. *Can.* 3. Diligere vt oportet, &c. *Seſſ.* 14. *cap.* 4. Contritio charitate perfecta. Cenſuræ *Py.* 5. De charitate vt perfecta. *S. Aug.* ſupra De charitate perfecta & imperfecta, ac vtriuſque defectu vel effectu. vt *Col.* 570. *&c.* Imò exigunt pœnitentiam in adultis ad iuſtificationem.

*Reſp.* Nec ſacræ Script. nec Conc. nec Cenſuræ, nec Patres diſtinguunt inter veram charitatem vt perfectiorem, & imperfectiorem, ad effectum iuſtificandi, nec ad hunc exigunt perfectiorem, nec hunc ei tribuunt vt perfectiori, ſed vt veræ charitati. *Prou.* 16. *Iac.* 5. 1. *Pet.* 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Imò & ſæpè tribuunt iuſtificationem quaſi formaliter actibus imperatis ex charitate: vt eleëmoſynæ, *Tobiæ* 4. *Eccli.* 3. *Dan.* 4. *Luc.* 11. Date eleëmoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Ac ex *Luc.* 7. *Quia dilexit multùm* .i. perfectè, ex vera charitate vel gratiâ æquiualente. Quod autem ſubdit, *Cui minùs dimittitur, minùs diligit*: non ſupponit neceſſariam eſſe perfectiorem charitatem ad remiſſionem plurium & grauiorum peccatorum, quàm minorum & pauciorum mortalium, niſi quoad reatum pœnæ. Sed remiſſio multorum .i. omnium peccatorum tribuitur multæ dilectioni .i. Charitati: Minor autem, aut minorum remiſſio .i. nulla, aut nullorum, vel non formalis & completa, ſed ſolùm diſpoſitiua tribuitur minori dilectioni, vel minori modo diligendi. Quamuis enim *B. Aug. Hom.* 23. *ex.* 50. videatur hanc dilectionem plùs vel minùs, tribuere remiſſioni maiori vel minori, vt motiuo diligendi, potiùs quàm remiſſionem dilectioni: non tamen negat, ſed ſupponit etiam dilectionem priorem, vt cauſam remiſſionis, ex illo Chriſti *Remittuntur ei peccata multa,*



Digitized by Google

*quoniam dilexit multùm.* Quod non poteſt intelligi vt ſequentia, *Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit*, quaſi à poſteriori de dilectione vt effectu & ſigno: ſed à priori, de ea vt cauſa remiſſionis. Vt & 1. *Ioan.* 4. Diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos .i. A priori vt cauſa, & motiuo diligendi Deum. *Ad* 2. Maiorem Charitatem nemo habet, &c .i. Non quoad affectum, ſed effectum. *Ad* 3. Perfecta charitas foras mittit timorem. i. Perfecta abſolutè, non comparatiuè ad imperfectam. Quia ibidem: *Timor non eſt in charitate, &c* .i. Charitas Dei cùm ſit ſummi boni, cui nihil boni deeſſe, nihil mali intrinſecè timeri poteſt: non generat vllum proprium timorem de ſuo obiecto; ſed timor mali eſt ex amore obiecti cui malum accidere poteſt. Quem amorem & timorem, ſaltem actualem, perfecta charitas ſaltem etiam actualis, excludit à ſeipſa, & paulatim à proprio ſubiecto, minuendo amorem amicitiæ & concupiſcentiæ, ad ſubiecta, & obiecta mutabilia, quibus timeri poteſt. Nec obſtat, quod timor ſaltem offenſæ diuinæ, videa eſſe ex charitate: quia cùm Deus non poſſit offendi in ſeipſo, eſt potius timor offendendi, ſeu noſtræ aut alienæ offenſæ actiuæ, quàm paſſiuæ ipſius Dei; non ex charitate directa Dei, ſed reflexa noſtri, & proximi.

*Ad* 4. Vt ex *B. Aug. lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. Inchoatio fidei non eſt fides perfecta: ſic nec inchoatio dilectionis eſt charitas; ſed amor ſpei aut piæ concupiſcentiæ, ſeu deſiderij Dei vt fontis omnis iuſtitiæ. Qui amor in hoc differt à ſpe: quod hæc ſit Dei vt boni ardui, ſeu difficilis, ille autem boni iuſtificantis: differt à charitate, quod hæc ſit Dei vt ſummi boni abſolutè, ille autem ſit Dei vt ſummi boni noſtri, ſeu vt à nobis participabilis.

*Ad* 5. Deum diligi ſicut oportet, vt iuſtificationis gratia conferatur: non eſt diligi ex charitate; nec reſtringitur, nec refertur ad hunc effectũ vt formalem vel proximum, ſed finalem. Nec ſolùm vt oportet .i. per gratiam: quia hoc præponitur; ſed vt debetur ex lege naturali referendi omnia ad Deum vt finem.

*Ad* 6. Contritio charitate perfecta .i. non quaſi ex charitate priùs infuſâ, vel elicitâ, aut imperatâ; ſed ex vero motiuo charitatis, vt diſtincto à motiuis ſpei, & timoris, ad attritionem. De quibus *in* 4. *quæſt.* 2. De Sacramento pœnitentiæ: ex *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 4.

*Ad* 7. Cenſuræ *Pij V.* non ſunt de charitate perfecta, comparatiuè ad imperfectam, ſed abſolutè. Quæ *Prop.* 30. dicitur *perfecta & ſincera, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.* Prop. 67. Dicitur *vera*: & quamuis ad expreſſionem addatur *etiam perfecta*; idem tamen ſupponitur ibidem de *vera*.

*Ad* 8. *S. Aug.* non cenſet vllam charitatem infuſam eſſe imperfectam, ad ſuum effectum formalem iuſtificandi, imò nec ad ſuum proprium actum elicitum: ſed ad actus aliquos imperandos, vel continendos, ex difficultate ſubiecti. Vt patet ex *col* 569. *Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt.* col. 570. *Peccatum eſt, cùm vel non eſt charitas quæ eſſe debet, vel minor quàm eſſe debet* .i. actualis. *Col.* 577. *Parua & imperfecta bona voluntas S. Petri*, dicitur *charitas* .i. actualis.

*Ad* 9. Pœnitentia neceſſaria in adultis ad iuſtificationem, eſt formalis, vel virtualis: vt in 4. *De Sacramento Bapt. q.* 7. *De ſacramento pœnitentiæ, q.* 5. *col* 760. 761. 762. 763. 764. 765.

## *Difficultas ſecunda.*

Ex *B. Aug.* Supra. 1. *col.* 569. *Enchir.* 17. Charitas dicitur eſſe *ipſa fides Chriſti quæ per dilectionem operatur.* 2. Ibidem. *Regnat carnalis cupiditas, vbi non eſt Dei charitas.* Contra cenſuras in *Prop.* 30. 31. 32. 33. 34. 35. 37. 39. 60. 67. *D. Baij.* 3. *Col.* 570. Quòd ex ſolo timore pœnæ nihil fiat vt oportet. 4. Ibidem. Quod charitas hic ſit tanta, qua maior eſſe non poſſit. 5. *Ibid.* Quod ipſa charitas minor quàm eſſe debet, ſit peccatum. 6. *Infra.* Quod Deus ametur ab omnibus, ſiue ſcientibus, ſiue neſcientibus: cùm paulò ſuprà neget diligi poſſe quod nec ſcitur, nec creditur. 7. *Col.* 773. *q.* 36. Deus *ſolus timeri ſine amore non poteſt.* 8. Ibidem. Quaſi neceſſariò ſectemur quod plus diligimus. 9. *Col.* 575. *Lib.* 8. *Trin.* 4. Amatur quod ignoratur, ſed creditur. 10. *Ibidem.* Quaſi dilectio fraterna eſſet ipſe Deus 11. *Col.* 576. *cap.* 9. Quaſi fides ſupponeret aliquam dilectionem Dei. 12. *Col.* 577. Quaſi ſola infuſio charitatis, vel charitas infuſa, ſit gratia efficax. 13. *Col.* 578. *Epiſt.* 120. 148. *Col.* 579. 581. 582. 583. Quaſi ex ſola charitate poſſint obſeruari mandata Dei, aut peccata caueri: non autem ex ſpe vel timore Dei. Contra *Trid. ſeſſ.* 6. *& can.* 8. 31. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *& can.* 5.

*Reſp. Ad* 1. Non eſt ſenſus quòd ipſa fides ſit charitas, vel charitas ſit ipſa fides: ſed quòd ipſa fides Chriſti quam commendat *Apoſt. Gal.* 5. ſit quæ per dilectionem operatur. Vel quòd ipſa iuſtitia, de qua priùs immediatè, ſit fides quæ per dilectionem operatur. Cui fidei vt per dilectionem operanti, *S. Aug.* tribuit omne opus ſalutare: non vt cauſæ principali, quaſi per inſtrumentalem, aut inferiorem; ſed 1. vt cauſæ materiali, ex ſe informi & mortua, per ſuam formam vitalem & vim actiuam. 2. Vt cauſæ diſponenti, dirigenti, & mouenti obiectiuè ipſam ſpem & charitatẽ, proponendo obiecta motiua ad benè operandum. 3. Vt cauſæ imperfectæ & partiali, per ſuam concauſam perfectiorem. 4. Non ſolùm per dilectionem charitatis, conſequenter: ſed etiam antecedenter, per pium aliquem motum, ſeu affectum ad credendum. Qui poteſt etiam dici quædam dilectio Dei per quam fides impetrat, ſeu mouet ad orandum & impetrandum. 5. Per dilectionem operatur .i. per gratiam actualem, quam impetrat ſeu exigit ad benè operandum, ſecundùm ſuam directionem & inclinationem. Vt enim ordine naturæ materia prima appetit ac requirit formam ſuam ab agente naturali, vel ab ipſo Authore naturę: ſic & fides tanquam prima diſpoſitio, appetit, ac requirit, & impetrat ab Authore gratiæ perfectionem ſupernaturalem, & media neceſſaria ad illam. Quod poteſt etiam dici ſuo modo mereri, ſaltem de congruo: quatenus fides eiuſdem ordinis

Digitized by Google

ordinis ſupernaturalis cum ſpe & charitate, eſt digna conſortio harum virtutum in eodem ſubiecto. 6. Ex Apoſt. *Gal.* 5. Sola fides quæ per dilectionem operatur, valet in Chriſto: non ad excluſionem ſpei, & timoris Dei; ſed præputij, & circumciſionis, ſeu naturæ, & legis Moſaicæ.

*Ad* 2. Non quaſi nullus dari poſſit affectus medius, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, inter vitioſam cupiditatem & charitatem Dei: quod eſſet contra illas cenſuras; ſed quòd vbi nulla eſt charitas Dei, ſeu nullus pius affectus erga Deum, ibi regnet ſeu prædominetur vitioſa cupiditas; non ſemper, ſeu in omni actu, ſed habitu. *Ad* 3. vt infra *ad* 13.

*Ad* 4. Charitas non dicitur hic tanta, qua maior eſſe non poſſit ipſo affectu, ſed effectu moriendi pro Chriſto, *Ioan* 13.

*Ad* 5. Non quòd vlla charitas infuſa poſſit eſſe peccatum: ſed quòd actus eius, vt ex defectu voluntatis eſt minor quàm eſſe debet, poſſit eſſe peccatum veniale.

*Ad* 6. Id eſt, Amor cuiuſuis boni apparentis aut participati, eſt ex natura ſua relatiuus ad Deum vt ſummum Bonum & finem vltimum, ſiue ſciatur, ſiue neſciatur. Sed non poteſt amari Deus ipſe actu elicito, niſi ſciatur diſtinctè, vel credatur obſcurè & confusè. Præter neſcientiam illam, ſeu ignorantiam Dei myſticam, in amando Deum ſupra omnem eius cognitionem poſſibilé.

*Ad* 7. Deus ſolus timeri ſine amore non poteſt. 1. Deus ſolus .i. ſine reſpectu ad pœnam noſtram: quia ex ſe ſolo, non eſt niſi amabilis. 2. Sine amore .i. non ſemper actuali & explicito, ſed ſaltem naturali & implicito, ex quadam inclinatione ad amandum ipſum ſummum ac verum Bonum, in omni apparenti vel participato. 3. Quia timor omnis mali ſupponit amorem ſaltem naturalem boni oppoſiti omni malo, quod Bonum eſt ipſe Deus. 4. Non poteſt ſalubriter timeri ſine amore ſaltem conſequente: ſeu niſi timore diſponente, & ordinato ad amoré; ſicut acus non pungit ac penetrat vtiliter, ſine filo conſequente, ex *B. Aug.* ſæpè. 5. Ex mente *S. Aug.* & toto illo contextu ibidem: *Solus Deus timeri ſine amore non poteſt; quia initium ſapientiæ timor Domini*, Prou. 1. *Nemo eſt quippe qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem*: vt patet, inquit, in domandis beſtijs, timore præualente voluptati. *Sed ratio cùm ſeruit cupiditati, vt homines non timeantur, ſuggerit latere poſſe commiſſa, &c. Eo fit, vt homines quos nondum delectat pulchritudo virtutis: niſi pœnis à peccato deterreantur, & quod celant hominibus, Deo celare non poſſe conſtituant, difficilius domentur quàm feræ. Vt autem timeatur Deus, diuina prouidentia regi vniuerſa perſuadendum eſt, &c. Iam verò cùm aliqua non peccandi conſuetudo, quod oneroſum putabatur, facile eſſe perſuaſerit: incipiat guſtari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis; vt charitatis libertas præ ſeruitute timoris emineat, &c.* Hinc de toto ordine ſeu proceſſu diſciplinæ Chriſtianæ, per timorem, ad ſpem, & charitatem. Vnde, *Deus ſolus timeri ſine amore non poteſt*: quia ſolus nec falli, nec fallere poteſt; nec eum poteſt latere ſolus timor pœnæ, abſque vllo amore, ſed cum horrore iuſtitiæ. Probat autem intentum ex *Prou.* 1. *Quia initium ſapientiæ timor Domini*: vel de initio intrinſeco, & timore filiali; vel de initio extrinſeco, & quouis timore diſponente ad ſapientiam, ſeu ſcientiam ſapidam & affectiuam Dei. Nec intendit Deum non poſſe timeri quouis timore, ſed ſalutari: nec ſine amore ipſius Dei, ſed ſine aliquo amore, deſiderio, ſeu conſenſu in bonum; quia oppoſitum pateret, & diſpliceret Deo.

*Ad* 8. Sectamur quod amplius diligimus actu, .i. volumus: non autem ſemper quod amplius diligimus habitu, & ſolo affectu, ſed plærumque.

*Ad* 9. Vt ad 6. Amatur quod ignoratur diſtinctè: ſed creditur obſcurè & confusè.

*Ad* 10. Hinc fortè, & aliunde, *Magiſter Sent.* concepit ſuum errorem, quòd charitas Dei in nobis ſit ipſe Spiritus Sanctus: ſed vt tota doctrina *B. Aug.* ibidem eſt anagogica, ab omni vero, bono, & iuſto, ad ipſam primam Veritatem, Bonitatem, & Iuſtitiam Dei; ſic & à dilectione experimentali proximi, ad ipſam primam dilectionem originalem Dei, quæ eſt ipſe Deus. Nam dicens, *Cùm de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus Deum*: ſatis exprimit per particulam *de*, nos non diligere Deo formaliter, nec vt principio quo; ſed tantùm originaliter, per quandam participationem ipſius dilectionis Diuinæ. Nec obſtat quòd hic explicet illud 1. *Ioan.* 4. Qui non diligit fratrem quem videt, &c. Quaſi diligendo fratrem eſſet viſurus Deum in ipſa dilectione fraterna; quia non clarè vel diſtinctè, ſed anagogicè, vt ſupra.

*Ad* 11. Supponit fidei aliquam notitiam, & dilectionem Dei: vel elicitam, vel naturalem; ſed ex qua facilè, ſaltem per aliquam gratiam actualem, ſcintillent quidam ſimplices conceptus & affectus Dei.

*Ad* 12. Non ſtatuit gratiam efficacem in ſola, nec in ipſa charitate infuſa, quæ eſt potiùs terminus ipſius gratiæ efficacis: nec in ſola infuſione actuali charitatis, ſed etiam fidei, ſpei, timoris Dei; & in quauis gratia actualiter in nobis operante, & cooperante. Quam tamen *S. Aug.* ſæpè vocat victricem delectationem, ac dilectionem: non tam ipſius Dei immediatè, quàm benè operandi, ex conſenſu & complacentia ipſius bonitatis in opere. Vt latè ex profeſſo in 2. *Sent. quaſt.* 8. De efficacia gratiæ, *à col.* 502. *ad* 513.

*Ad* 13. Vt ibidem *col.* 511. 512. 513. & in 4. *col.* 766.

Quæ omnia confirmantur. 1. Ex noſtro *Alen. parte* 2. *q.* 175. De peccatis ex timore inordinato. *Quaſt.* 176. De peccatis ex amore proprio. *Parte* 3. *q.* 76. De timore ſeruili. *Mem.* 2. Timor ſeruilis Dei, vt eſt pœnæ á Deo inferendæ, ſuo modo continens à peccato, & diſponens ad perfectiorem timorem, & amorem, eſt donum Dei: non autem vt excludens amorem Dei, aut iuſtitiæ, & includens adhuc aliquem affectum actualem peccandi. *Ad* 4. Deus timore ſeruili non timetur propter aliud, ſed propter ſeipſum: timetur enim, quia eſt potentiſſimus inferendi pœnam. Vnde plus timetur potentia inferendi,

quàm ipſa pœna, &c. *Mem.* 3. Actus timoris ſeruilis eſt bonus: quia voluntate actuali non peccandi, quamuis conditionali excludit omnem voluntatem actualem peccandi, licet non habitualem abſolutam. Sicque exponit *B. Aug.* vbique.

2. Ex *S. Bon. in* 3. *d.* 34. *Art.* 1. *q.* 1. Vt credere pœnas futuras, ſic & eas timere, eſt donum SS. ad emolliendum cor, & reſtringendum à peccato, &c. *Ad* 2. Timor mali, habet etiam ſuum exemplar in Deo, vt ab omni malo remotiſſimo. *Ad* 3. Timor ſeruilis diſponit ad perfectionem: non ob pœnas vt præſentes & expertas, ſed vt futuras & creditas. Sicque de amore Dei, ob bona præſentia, vel futura, & credita. *Quæſt.* 2. Vſus timoris ſeruilis non eſt bonus meritoriè, ſed diſpoſitiuè: ſi non includat vllam voluntatē actualem; ſed tantùm habitualem peccandi. *Ad* 1. Timor non includit ſemper voluntatem actualem peccandi, &c. Vt *Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 4.

3. Ex *Scoto diſt.* 15. De timore paſſionis & mortis ab ipſo Chriſto. *Diſt.* 34. Supponit donum timoris Dei vt iuſti, & pœnæ vt ab eo inferendæ, inter alia dona Dei.

## *Difficultas* 3.

Ex *S. Bern.* Negat ipſas animas Martyrum diligere Deum ex toto corde, ante Reſurrectionem. Nec timor, inquit, nec amor priuatus conuertunt animam. Mutant interdum vultum, vel actum: affectum nunquam, &c. Vbi proprietas, ibi ſingularitas: vbi ſingularitas, ibi angulus; vbi angulus, ibi ſordes ſiue rubigo, &c. Charitas verò conuertit animas, quas facit & voluntarias. *Infra.* Perfecta charitas foras mittit timorem .i. pœnam, vt effectum timoris. 3. Amor Dei, vel amor Deus, amori hominis ſe infundens, afficit eum ſibi, & amans ſeipſum de homine Deus, vnum ſecum efficit & ſpiritum eius & amorem eius. 4. Cur feruens charitate indiget directore & cuſtode, potiùs per charitatem, quàm obligationem obedientiæ. 5. Quid ſit quod cogitatum eſt, & formandum in affectu, adhibere intellectui: intellectum cogitantis, effici contemplationem amantis: formare in experientias ſpirituales, & afficere ex eis aciem cogitantis, &c. 6. Cur præteruolitantes voluntates cenſeat tantùm inter otioſas cogitationes. 7. Quo ſenſu poſſit quis hìc eſſe in affectu tam perfectus, vt non poſſit velle niſi quod Deus vult, hocque ſit eſſe, quod Deus eſt? 8. Quo ſenſu vnitas ſpiritus noſtri cum Deo, ſit ipſe Spiritus Sanctus?

*Reſp. Ad* 1. Vt *S. Bern. Serm. De Feſto omnium Sanctorum*, videtur negare ſanctis animabus perfectam viſionem Dei: ſic & hìc perfectam fruitionem ante Reſur. Ex illo *B. Aug. lib.* 12. *in Gen. cap.* 45. Ineſt animæ naturalis appetitus corpus adminiſtrandi: quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud ſummum cœlum, quamdiu non ſubeſt corpus, cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat, &c. *Lib.* 1. *Retr.* 14. De ſanctis hominibus iam defunctis, vtrùm ipſi ſint in illa poſſeſſione, meritò quæritur. Iam enim corpore corruptibili exuti ſunt: ſed adhuc expectāt Reſur. corporis ſui, &c. Vtrùm ad contemplandam Veritatem facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant: non eſt hìc locus diſputando requirere, &c. Sed *S. Bern.* ex hoc dubio *B. Aug.* de ſola perfectione intenſiua viſionis Dei, videtur negare eis abſolutè, negare claram viſionem præſentem, & fruitionem Dei ex toto corde: quaſi quieſcerent in ſola contemplatione humanitatis Chriſti. Quod quamuis facilè excuſaretur ab hæreſi poſteriori *Lutheri*, & *Caluini*, contra definitionem *Benedicti* 12. *Conc. Flor.* & *Trid. Seſſ.* 25. vix tamen à priori errore *Tertulliani, Vigilantij, &c.* contra ſenſum communem & perpetuum Eccleſiæ. Hinc Card. *Bellarm. lib.* 1. *de Beat. SS. c.* 5. optimè quidem interpretatur quædam *S. Bernardi*, vt diſcipuli *B. Aug.* de perfectiori viſione & fruitione Dei, etiam intenſiuā poſt Reſur. quàm ante. Sed hæc reſponſio non ſufficit ad omnia *S. Aug.* multò minùs *S. Bern.* Vnde noſter *Alphonſus à Caſtro*, ſub hæreſi 6. contra beatitudinem SS. precatā veniā, fatetur *S. Bern.* in hoc erraſſe. Sed cùm *Bellarm.* ibidem producat tot tantaque teſtimonia SS. *Aug.* & *Bern.* pro vera beatitudine SS. *non iam in fide, ſed in ſpecie*: quis credat eos non tantùm à ſenſu communi Eccleſiæ, ſed etiam à ſeipſis hac in re diſſenſiſſe? Itaque vt *in* 4. *de* 4. *Nouiſſimis, Quæſt.* 7. ad difficiliora *S. Aug.* ſic & hìc *Sancti Bern.* qui *Serm.* 3. *De Feſto omnium SS.* tribuit expreſsè Sanctis animabus *Stolam primam* .i. propriam beatitudinem animarum, vt diſtinctam à *Stola ſecunda*, ſeu à gloria corporum. Quod ergo *Serm.* 2. 3. *&* 4. De quiete animarum ſub altare Dei .i. ſub humanitate Chriſti, vt obiecto ſuæ quietis & contemplationis: in quo videtur diſſentire à *B. Aug.* poteſt ſic ad conſenſum & concentum inter ſe & cum Eccleſia reduci. Duplex eſt affectus naturalis animæ rationalis: alter ad corpus ſuum animandum, & in ſuo toto perficiendum; alter ad perfectam viſionem & fruitionem Dei, vt obiecti ſui primarij. Cùm ergo *S. Aug.* & *S. Bern.* opinantur, affectu naturali animo ad corpus abſens, eiuſdem ſimul intentionem ad Deum minui, non obſtrui: non negant animæ ſeparatæ omnem claram viſionem, & fruitionem Dei; ſed tam intenſam ac poſt Reſur. Nec *S. Bern.* vult affectum animæ rationalis ad viſionem & fruitionem Dei, ſed ad corpus proprium, quieſcere vſque ad Reſur. in Corpore Chriſti glorioſo, vt in ſuo Capitali & certo pignore propriæ Reſur. vnde & diſtinguit hanc quietem poſt mortem Chriſti, vt in paradiſo, ſeu cœlo, & *luce magna*, à quiete ante mortem Chriſti, vt in *tenebris, inferno*, ſeu *limbo*. Denique per quietem animarum quaſi ſub humanitate Chriſti, ſolet *S. Bern.* intelligere quandam temperiem lucis & caloris, velut ex illius vmbra ſeu mediatione. Vt *Serm.* 31. *in Cant.* Ad illud *Thren.* 4. In vmbra tua viuemus inter gentes. Et *Luc.* 1. Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Non de ſola vmbra obſcuræ fidei; ſed etiam de luce & viſione temperata, quaſi per ſpeculum ſacræ humanitatis, non terminans aut terminatum, ſed tranſparens vſque ad ipſam Deitatem. Quo etiam ſenſu videtur *S. Aug.* 21. *Ciu.* 29. tribuere Beatis

poſt

Digitized by Google

poſt Reſur. non ſolum viſionem Dei in ſeipſo immediatè, ſed etiam per omnes creaturas: quantò potiùs per ipſam, & in ipſa ſacra humanitate Chriſti, eiuſque vnione hypoſtatica, quæ non poteſt perfectè videri ſine ſuo termino, ſeu perſona & natura Diuina? Nec obſtat quod *B. Aug.* referat hanc viſionem Dei ad perfectionem poſt Reſur. ſed *S. Bern.* ſuam illam quietem, ad imperfectionem antè Reſur. Quia poſſet nunc verè, ſed minùs perfectè videri Deus, ex minori illuminatione, obumbrante Chriſti humanitate: poſt Reſur. autem perfectiùs, ex perfectiori illuminatione ad penetrandum omnia media, & perfectiori euidentia ac tranſparentia obiecti per omnia media.

Sic & poſſet intelligi *Serm.* 4. Oſtendet nobis filius ſemetipſum: non in forma ſerui, ſed in forma Dei, &c. Vt 1. *Ioan.* 3. Videbimus eum ſicuti eſt .i. Non mediante forma ſerui, ſeu ſacra humanitate, eiuſque vnione, ſed ſicuti eſt in ſeipſo, ſupra omnem vnionem.

Hinc ex *S. Bern.* Vera & clara viſio ac fruitio ante Reſur. poſſet adhuc eſſe imperfecta, & perfici poſt Reſur. 1. Extenſiuè, ad obiecta ſecundaria in Deo. 2. Intenſiuè, ex intenſiori influentia obiecti, & intellectus ac voluntatis. 3. Immediatè, ſine vllo ſpeculo medio, quantumuis claro & tranſparente, tamen obumbrante: ſed videndo potiùs ſpeculum ſacræ humanitatis in Deo, quàm Deum in hoc ſpeculo. Ne autem hic ſenſus videatur nimis irrationabilis: *S. Aug.* & *Bern.* non tribuunt hanc imperfectionem beatitudinis appetitui naturali animarum ad ſua corpora, vt cauſæ per ſe: quia per ſe non plus impedit à perfecta viſione vel fruitione antè Reſur. quàm poſt, cùm eminenter ſatietur ſolo obiecto beatifico. Sed vt, inquit, *B. Aug.* 12. *in Gen.* 35. *Sine alia latentiore cauſa, ſiue quia ineſt naturalis appetitus, &c.* Quam cauſam latentiorem *infra* ſic exprimit. *Cum anima hoc corpus ſpiritale receperit*: *perfectum habebit naturæ ſuæ modum* .i. ſtatum in ſuo toto. Extra quem ſtatum, ſi humanitas eſt entitas totalis, & actio eſt propria totius: quid mirum ſi Deus nollet tàm beatificare partem, quàm totum, vel extra, quàm in ſuo toto? Quid mirum ſi totum, aut pars & potentiæ in ſuo toto, plus agerent, quàm extra? Quid mirum ſi ipſum obiectum beatificum plus influeret & ſplenderet: non ſolum in ſingulos totos, quàm in ſingulorum animas; ſed in totum ac perfectum regnum Dei poſt Reſur. quàm ante? Quo ſenſu *S. Aug. Serm.* 103. *ex Diuerſis, de SS. Perpetua & Felicitate.* Hæc vita beatorum Martyrum, eſt parua particula promiſſionis, imò ſolatium dilationis] .i. reſpectu totalis beatitudinis omnium beatorum ſimul, quæ erit incomparabiliter maior quàm ſingulorum, & redundabit in ſingulos. *S. Bern. Serm.* 5. *de feſto omnium SS.* Sancti expectant nos, vt in nouiſſimo die magno feſtiuitatis, omnia ſimul in virum perfectum cum ſuo tam excelſo Capite membra concurrant.

Quod autem de clara viſione, hoc & de fruitione Dei ex toto corde, &c. Quia vt *B. Aug. col.* 570. & alibi ſæpè: *Quantò maior notitia, tantò erit maior dilectio; &c.* Sed cur *S. Bern.* ſubdit *col.* 585. Animæ ſeparatæ non poſſunt ex toto tranſire in Deum. Itaque ante Reſur. non erit ille defectus animorum, qui perfectus & ſummus eſt ipſorum ſtatus? *Reſp.* Quia habent adhuc quod ſibi ipſis ex charitate appetant: non poſſunt à ſeipſis affectiuè deficere, & ſoli Deo toto affectu inhærere, ac in eum obiectiuè transformari, qui eſt perfectus & ſummus beatorum ſtatus.

*Ad* 2. *Nec timor, nec amor priuatus* .i. proprius, ſeu ſibi ſoli timens vel amans, malum aut bonum commune, nil curans alios, *conuertunt animam*, formaliter, imò nec diſpoſitiuè. *Mutant interdum vultum vel actum* .i. exteriorem: *nunquam affectum* .i. habitualem, imò nec actualem in bonum. *Vbi proprietas*, ſeu illa appropriatio boni communis, *ibi ſingularitas*, ſeu cura ſui ſolius, & incuria aliorum: *vbi ſingularitas, ibi Angulus* .i. quædam contractio animi, contraria charitati communi. *Vbi talis angulus, ibi ſordes, &c* .i. vitia, metaphoricè ſeu comparatiuè ad angulos locales. De quo Scotus propriè *in* 3. *diſt.* 28. Charitas eſt habitus quo Deus habetur charus: non vt bonum priuatum, ſed commune, & condiligendum, &c. *Perfecta charitas foras mittit timorem*: non quemlibet, ſed vt pœnalem.

*Ad* 3. *Amor Dei, vel amor Deus, amori hominis ſe infundens*: non formaliter, ſed cauſaliter: *afficit eum ſibi*, vel vt obiecto, vel etiam vt cauſa principali; *& amat ſeipſum de homine, Deus* .i. per ipſum hominem, ſeu per amorem etiam humano, *vnum ſecum efficit & ſpiritum eius, & amorem eius*; non vnitate identitatis, ſed vnionis.

*Ad* 4. Feruentior affectu charitatis, non eſt intellectu lucidior ad effectum: ideoque indiget directore; non tam imperioſo, quàm participe & experto eiuſdem charitatis.

*Ad* 5. Adhibere intellectui cogitationes formandas in affectu: eſt recolligere multiplicitatem cogitationum, ad ſimplicem conceptum, qui faciliùs formatur in affectum. *Intellectum cogitantis effici contemplationem amantis* .i. cogitationem coagitatam, perfici in ſimplicem contemplationem, & amorem. *Formare quid in experientias ſpirituales*: eſt plus experiri affectu, quàm cognoſcere. *Afficere ex eo aciem cogitantis*: eſt inde quaſi acuere intellectum ad perfectiorem cognitionem.

*Ad* 6. *Præteruolitantes voluntates: quibus nunc volumus nunc volumus, etiam vſque ad delectationem animi, ſed à qua citò ſe excutit compos ſui* .i. indeliberatæ, ſeu ſine conſenſu perfecto.

*Ad* 7. *Non poſſe hîc velle niſi quod Deus vult* .i. ex affectu habituali, non contra libertatem actualem. *Hoc autem eſſe quod Deus eſt* .i. per ſimilitudinem & participationem, non per identitatem aut æqualitatem. Vt patet ex toto contextu.

*Ad* 8. *Vnitas ſpiritus noſtri cum Deo, eſt ipſe Spiritus S.* .i. obiectiuè, vel cauſaliter, non formaliter, &c.

## *Difficultas* 4.

Ex *Alen. S. Bon.* & *Scoto.* Nam *Alen.* non videtur ſibi ipſi ſatis conſtare, de fide, & ſpe

euacuanda

euacuanda per gloriam, non autem charitate; nec *S. Bon.* & *Scotus*, *Alenſi*. Quia cùm hîc ſæpè exprimat P. 3. *q.* 79. *m.* 2. *col.* 74. *art.* 1. & 2. fidem & ſpem repugnare ſtatui gloriæ: ſub finem tamen *col.* 74. *art.* 1. *Si*, inquit *fides & ſpes ſumantur vt perficiunt Imaginem Dei, & habilitant ad actus perfectionis communes viæ & patriæ, non euacuabuntur.* Ergo ſupponit eas ſic perficere & habilitare, non vt ſic euacuari. Sed *S. Bon. in* 3. *diſt.* 31. *art.* 2. *q.* 1. & 2. reſoluit abſolutè, fidem & ſpem, actu & habitu euacuari in gloria. Vt & *Scotus* in 3. *d.* 31. *q. vnica, n.* 2. *Nullus*, inquit *habitus manet ibi fruſtra: inclinationes autem fidei & ſpei eſſent ibi fruſtra; ergo habitus non manent.* 2. *Scotus* videtur diſſentire à *S. Bon. Alen. S. Aug.* imò & *ſacris Conc. in* 3. *d.* 27. *q. vnica, n.* 15. *Quòd ex puris naturalibus quæuis voluntas, ſaltem in ſtatu naturæ inſtitutæ, poſſit diligere Deum ſuper omnia.* Vt & *Quodl.* 17. De dilectione Dei naturali & meritoria, quaſi eiuſdem ſpeciei, ſupra *col.* 362. 363. 364.

*Reſp. Ad* 1. Vt ſupra *col.* 558. Poteſt controuerti, an ſola Charitas actu & habitu perſeueret ac perficiatur in gloria, vel etiam fides & ſpes aliquo actu, vel ſaltem habitu coëxiſtat, vel coexiſtere poſſit cum ſtatu gloriæ. Negant *S. Bon.* & *Scotus* de facto, quoad actum & habitum expreſsè: non tamen tam abſolutè & tam expreſsè de poſſibili. *Alenſis* autem negat expreſsè de actu proprio & imperfecto, fidei & ſpei: non autem tam expreſsè de habitu, imò nec abſolutè de omni actu poſſibili. Sed videtur dubitare, an præter actum intrinſecè imperfectum fidei, & ſpei, non poſſit eſſe aliquis perfectus, aut perfectibilis; tum formalis, iuſtificandi & ornandi, ſeu perficiendi imaginem Dei; tum cauſalis, habilitandi potentias ad aliquam perfectionem aſſentiendi quibuſdam veris necdum euidentibus, & deſiderandi bona necdum præſentia. Hinc & nos ſupra *col.* 558. & 566. cenſuimus non eſſe impoſſibile; nec abſolutè contra Authores noſtros, poſſe fidem & ſpem coëxiſtere habitu, imò & aliquo actu, cum ſtatu gloriæ. Quia præter actus formales, & potentiales, compoſſibiles: videntur quædam beatis eſſe certa, necdum euidentia, & ab eis adhuc deſiderari quædam bona propria & aliena, ad quæ perfectè credenda & deſideranda; videntur fides & ſpes poſſe adhuc habere aliquẽ vſum in gloria.

*Ad* 2. Vt ex profeſſo in 2. *Sent. Quæſt.* 8. De neceſſitate gratiæ, à *col.* 478. *ad* 490. Et in 4. *col.* 757. 758. 759. Quibus adde 1. *Scotus* hîc reſtringit ſe ſaltem ad *ſtatum naturæ inſtitutæ*: qui non erat ſine gratia habituali & actuali. 2. Id opponit directè *S. Thomæ*, neganti naturam ad hoc ſufficere ſine habitu infuſo: ergo *Scotus* hîc intendit Deum poſſe diligi ſuper omnia, ſine habitu infuſo, non autem ſine gratia actuali. 3. *Ex puris naturalibus* .i. non vitiatis. 4. Ex ſolo ſtatu naturali .i. ſine ſtatu gratiæ. Ergo cùm gratiæ actuales non ſint ſtatus gratiæ: non excluduntur per ſtatum purè naturalem. 5. Ex puris naturalibus, prout opponuntur libertati ordinariæ .i. non ex libero vſu voluntatis; ſed ex ſyndereſi, & quadam ſecreta ſympathia, ſeu vi naturali ſubitò eliciendi, aut patiendi primos quoſdam motus mirabiles amoris Dei ſuper omnia, ſiue ſint actus, ſiue paſſiones amoris. Vt enim patimur quoſdam primos malos motus à ſenſualitate, vel eius obiecto: ſic & primos motus bonos à mente vſque ad ſenſualitatem, ex ſyndereſi naturali & eius obiecto nonniſi bono; ſed illos ſæpè, hos rarò, ob vitia naturæ noſtræ rationalis, & familiariorem attentionem ac intentionem ad varios ſenſus & ſenſibilia, quàm ad propriam mentem & mentalia. Nec hi primi motus boni, ſunt ſemper gratuiti, ſed aliquando naturales: quia alioquin per tales motus, gratiæ Dei eſſent nobis certæ, & experimentales; nec ſyndereſis naturæ noſtræ rationalis eſt extincta, aut tam ſopita, quin ſubinde quaſi dormitando euigilet, & velut ex denſis nubibus, emicet ac fulguret. Vt elegantiſſimè *B. Aug. lib.* 2. *contra Academicos* ad ſuum quondam Mœcenatem Romanianum. *Nitaris & tu non ſolùm votis, ſed etiam voluntate, atque tua illa naturali mentis altitudine: quæ in te, proh nefas, illis rerum domeſticarum nubibus quaſi fulmen inuoluitur, &c. Sæpè audiuimus murmura tua: & fulgura fulminibus propiora conſpeximus. Quis enim tam ſubitò vnquam tantum intonuit tantumque lumine mentis emicuit: vt ſub vno fremitu rationis, & quodam coruſcamine temperantiæ, vna die illa libido moreretur.* Et *S. Cypr.* vel Author De Cardinalibus Chriſti operibus, ſub eius Prologo. *Guſtamus*, inquit, *delibamus, odoramus, & propè eſt: cumque acceſſeris, longiùs abit. Et quomodo fulgur nubes diſrumpit, ac repentina coruſcatio non tam illuminat, quàm hebetat oculum: ita aliquando neſcio quo motu tangeris, & tangi te ſentis; eum tamen qui te tangit non intueris. Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinſecùs, quæ effari non ſufficis: vt dubitare non poſſis quin iuxta, imò intra te ſit qui te ſollicitat; nec tamen ſicuti eſt ſe tibi videndum concedit.* Quamuis enim tribuant hos motus Deo vt præſenti, & mouenti: non tamen niſi per gratiam actualem & præuenientem; ſed etiam aliquando per influentiam connaturalem ipſi ſyndereſi naturali. Nec poteſt certò diſcerni quando hinc, vel indè: niſi quòd hi motus vt naturales, ſint minùs conſtantes, minùs efficaces, magiſque ex aliqua præuia diſpoſitione, ac vano quodam impetu naturali, & affectiuo ad ſolum obiectum, vt ſolet flamma vel vita deficiendo magis moueri, ſicque mouendo deficere; ſed motus gratiæ præuenientis ſint conſtantiores & efficaciores alicuius conſenſus, minuſque ex præuia diſpoſitione ac impetu naturali, nec ſint ſolùm affectiui ad Deum vt obiectum, ſed etiam motiui ad eum vt finem per conſenſum, intentionem, & electionem mediorum. De quibus differentijs, deuotiſſimus *Thomas à Kempis lib.* 3. *c.* 49. Et noſter *Titelmannus in Eccleſ.* 9.

6. Ex puris naturalibus quoad ſubſtantiam: quæ poſſunt eſſe, ſintque ſæpè gratuita, & ſupernaturalia quoad aliquem modum & finem.

7. Ex puris naturalibus .i. intrinſecis & poſitiuis: non negando, ſed ſupponendo varias gratias extrinſecas, & negatiuas, ſeu amotiuas aut moderatiuas oppoſitorum.

8. Poteſt diligere Deum ſuper omnia, *ex puris naturalibus*: fortè per extremum potentiæ, ſed nun-

Digitized by Google

nunquam adhibet ſeu exerit totam vim ſuam naturalem ſine auxilio gratiæ. Vt in 2. *Sent. q.* 8. ex *B. Aug.* ſæpè.

9. *Super omnia* .i. alia à ſe: vel ſi etiam ſupra ſe, & omnia alia à Deo; fortè nonniſi extenſiuè ad ſingula, vel ad omnia nobis nota, non autem poſſibilia & cognoſcibilia. Nec ſat *ſuper omnia*, nec *ſicut oportet* ac præcipitur: niſi ex aliquo auxilio gratiæ Dei. Non enim ad hoc ſufficit diligere Deum ſuper omnia extenſiuè, imò nec intenſiuè, & comparatiuè ad omnia alia minùs dilecta: ſed neceſſarius eſt exceſſus in modo, fine, efficacia, victoria, & perfectione eſſentiali dilectionis Dei, ſuper omnia alia diligibilia, & omnem aliam dilectionem, contrariam, aut diſparatam. Quam perfectionem dilectionis vt obligatoriam non reſumit *Scotus* N. 17. eſſe poſſibilem ex puris naturalibus: ſed, inquit, *in via; non tamen ex toto corde, &c.*

Nec dubitat *Quodl.* 17. de differentia eſſentiali inter dilectionem Dei naturalem, & meritoriam: ſed an ex his reſpectibus an ex differentijs oppoſitis ac incompoſſibilibus in eodem actu, ſpecie & numero; imò potiùs inter ſe metaphiſicè ſubordinatis. Vt patet ex contextu illius *Quol.* ſupra, *col.* 362. 363. 364. *Et à col.* 467. *ad* 473. à 477. *ad* 492. De naturalibus, & ſupernaturalibus.

Ne autem hæc ſententia *Doctoris* noſtri *Subtilis*, videatur minùs tuta, aut certa: ſed tutior & certior oppoſitâ. *Pius* 5. & *Greg.* 13. meritò cenſurant has Prop. *D. Baij* 33. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis quo Deus amatur vt Author naturæ, & gratuiti quo amatur vt Beatificator: vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata.* 35. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum iniuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.* 36. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis .i. quod ex ſolis naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit.* 37. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, &c. aut laudabilis charitas, &c.* Quia, & quatenus ſonant contra veram aliquam libertatem poſt peccatum ſuperſtitem, vt naturaliter actiuam ad bonum ſaltem naturale. Deinde quia ſunt nimis acerbæ, contra bonos mores, & modeſtiam doctrinæ. Denique quia & quatenus ſunt contra Doctorem noſtrum Subt. eiuſque diſcipulos: non ſolum hîc *in* 3. *diſt.* 23. Sed & *diſt.* 25. *quæſt.* 2. *Et in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *In* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *Quodl.* 17. *& alibi.*

Nec obſtat *Concil. Arauſ.* 2. *Can.* 25. Donum Dei eſt diligere Deum, &c. Nec *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 3. Quia hoc ſatis explicat illud, de dilectione Dei *ſicut oportet, vt iuſtificationis gratia conferatur* .i. ad hunc finem; vel *ſicut oportet* .i. dignè Deo; vel debitè ex ipſa lege naturali diligendi Deum propter ſe, & ſuper omnia, &c. vt ſuprà.

Quanta ſit autem in hoc concordia Doctoris *Subtilis*, cum *Irrefragabili*, & *Seraphico*: patet ex *Alen. P.* 2. *q.* 30. De dilectione naturali Angelorum. *M.* 1. *art.* 1. Deus eſt diligibilis naturaliter, vt Author & Conſeruator naturæ. *Art.* 2. Dilectio naturalis eſt ſuo modo minùs perfecto, ordinata: non autem contrariè inordinata, &c. Deus nec plus nec minùs diligitur dilectione naturali concupiſcentiæ, quàm ipſe diligens: quia ſic condiligitur; ſed dilectione adhæſionis id plus diligitur, quod eligitur & præfertur. *Ad* 1. Dilectio naturalis eſt ſumma, Dei vt ſummi boni concupiſcibilis: ſed ipſius diligentis, vt cui ſummè concupiſcitur; vnica tamen dilectione. *Ad* 2. Natura non eſt ſufficens ad diligendum Deum ex toto corde, &c. *Ad* 7. Natura poteſt diligere creaturam propter ſe: non tamen Deum propter ſe, niſi ex gratia; quia poteſt ex ſe deficere, non perfici. *Art.* 3. Dilectio naturalis Dei propter ipſum diligentem, non eſt fruitio ſui ipſius: quia non vt propter finem, ſicut fruitio; ſed propter rationem ex parte ſubiecti inclinantem à natura ad talem actum. *Quæſt.* 31. De dilectione electiua ſeu libera. *M.* 3. Angeli boni ſic diligunt Deum propter ipſum, & præ ſeipſis, vt ſummum bonum in ſe: quod ratio vt ratio, & voluntas vt libera poteſt velle; non natura concupiſcere, niſi reflexè. *M.* 4. *Ad* 2. Identitas naturæ vt talis, eſt ratio dilectionis naturalis. *Quæſt.* 96. *M.* 1. *Ad* 9. Primus homo poterat Deum diligere propter ſe, amore amicitiæ, & concupiſcentiæ. Nec ad hoc neceſſaria fuit charitas, aut vlla virtus gratum faciens: ſed ſufficiebat dilectio naturalis. Eſt enim naturæ inſtitutæ ita diligere Deũ, ex prima maximè rectitudine: ſed eſt gratiæ captiuare affectum in obſequium Chriſti, diligendo; vt intellectum, credendo.

*S. Bon. in* 2. *diſt.* 3. *p.* 2. *art.* 3. De dilectione naturali Angelorum. *Quæſt.* 1. Tempore naturæ inſtitutæ, tam homo quàm Angelus erat habilis ad diligendum Deum propter ſe, & ſuper omnia. *Ad* 1. Quamuis natura appetat Deum ſibi: propter eum tamen, & ſuper omnia. *Ad* 2. Non poteſt naturaliter eleuare ſe ſupra ſuum poſſe: ſed bene ſupra ſuum eſſe vt obiectum, ſeu ad obiectum, ſupra ſe. *Ad* 3. Motus naturæ inſtitutæ, eſt ob Deum vt nobis ſummum bonum. *Diſt.* 28. *art.* 2. Libero arb. relicto in puris naturalibus, poſſet in tale bonum, Deo ſibi cooperante vt alijs creaturis. *Infra.* Licet poſſet in aliquod bonum morale: vix tamen, aut nunquam faceret.] Quæ quia minùs perfectè collata, & conciliata fuerunt *in* 2. *col.* 479. 482. 483. 484. hîc ſuppleatur. 1. Vt *Alen p.* 2. *q.* 30. *M.* 1. *A.* 1. tribuit Angelis dilectionem naturalem Dei: ſic & *Scotus* hic ac alibi. 2. Vt ille *Art.* 2. docet hanc dilectionem Dei naturalem, eſſe minùs perfectè ordinatam: non tamen contrariè inordinatam, nec quaſi mediam; ſed compoſſibilem, & conuenientiorem dilectioni gratuitæ quàm vitioſæ: ſic & *Scotus Quodl.* 17. 3. Vt ille *Quæſt.* 31. diſtinguit dilectionem Dei naturalem ab electiua ſeu libera, & vtramque à gratuita: ſic & nos ſuprà. 4. Vt *S. Bon. in* 2. *D.* 3. *p.* 2. *art.* 3, tribuit vim naturalem diligendi Deum propter ſe & ſuper omnia, ſeque eleuandi ſupra ſeipſum obiectiuè, &c. Sic & *Scotus in* 3. *diſt.* 28. & alibi ſæpe.



Digitized by Google

Nec in hoc *S. Bon.* & *Scotus* contradicunt *Alenſi*, neganti dilectionem naturalem Dei propter ſe & ſuper omnia, &c. Quia *Alen. Q.* 3. *Art.* 2. § 2. *Reſp.* & *Ad* 1. 2. & *Art* 3. *Ad* 1. ſatis explicat dilectionem naturalem Dei non eſſe propter nos, vt propter finem: ſed vt propter ſubiectum, ſine quo Deus non poſſit naturaliter diligi. Non quin Deus poſſit naturaliter à nobis plus diligi, quàm nos ipſi: ſed nonniſi eodem actu nobis condiligi, vt ſummum bonum noſtrum, ſeu noſtri proprij ſubiecti, vt minoris boni. Quia tanta eſt identitas naturalis noſtri, nobiſcum: vt nec poſſimus eſſe ſine nobis, nec quicquam diligere niſi nobis, vt ſubiectis, & obiectis condilectis. Sed hæc condilectio Dei vt ſummi boni noſtri, ſeu nobis: eſt dilectio Dei ſupra nos, & ſuper omnia alia bona noſtra. Nec eſt ſola dilectio concupiſcentiæ, prout opponitur, ſed neceſſariò coniungitur amicitiæ Dei. Qui non poteſt ſic diligi vt ſummum bonum nobis: niſi ſit, & condiligatur vt ſummum bonum in ſe. Neque hoc eſt contra differentiam ordinariam inter amorem concupiſcentiæ, & amicitiæ: ſed contra ſolum exercitium naturale huius ſolius, vt perfectioris, ſine illa imperfectiori.

Quod confirmatur ex *Thren.* 3. De magna gratia & perfectione finali. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit: quia leuauit ſe ſuper ſe.* Quam perfectionem *S. Bon.* ſuprà, non tribuit ſolis viribus naturæ: ſed diſtinguit inter *leuare ſe ſupra ſe* .i. ſupra ſuum poſſe, & ſupra ſe vt obiectum ſui ipſius. Illud eſt, & ſine dubio cenſet eſſe naturaliter impoſſibile: hoc autem etiam naturaliter poſſibile; ſed non ſine ſeipſo vt coobiecto, & condilecto, vt *Alen.* ſuprà. Quod eſt poſſe naturaliter Deum diligi propter ſe, & ſuper omnia: non tamen ſolum, nec ex toto corde; ſed ſimul nobiſcum infra Deum, vt ſummum bonum noſtrum.

# QVÆSTIO 20.

## *De virtutibus moralibus, & cardinalibus: vitijſq; oppoſitis.*

1. EX Sacra Script. *Leuit* 20. *Deut* 6. de legibus Dei moralibus. *Pſal.* 83. Ibũt de virtute in virtutem, &c. Sap. 8. Sapientia ſobrietatem, & prudentiam docet, & iuſtitiam & virtutem: quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus. *Infra.* Sciui quoniam aliter non poſſum eſſe cõtinens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum. *Eccleſ.* 7. Deus fecit hominem rectum. *Eccli.* 7. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute perrũpere iniquitates. 17. Deˀ veſtiuit hominẽ virtute. *Eccli.* 44. Laudemus viros glorioſos, &c. Homines magni, virtute & prudentiâ ſuâ præditi, &c. Viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt, &c. Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nunciet Eccleſia. Eſa 11. De 7. Donis Spiritus S. *Baruc.* 3. Diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, &c. Deus adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam *Iacob* puero ſuo, &c. *Matt.* 5. 6. 7. 19. *Luc.* 6. 10. 11. 12. De lege & perfectione Euangelica. *Rom. Cor.* 12. *Eph.* 4. *Pet.* 4. De varijs Donis Spiritus S. 1. *Cor.* 13. Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. *Gal.* 5. Opera ſeu vitia carnis, &c. Fructus autem Spiritus ſunt, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas, &c.

2. Ex *S. Aug. Quæſt.* 40. *ex* 83. De honeſto & vtili, fruendis & vtendis, fruitione & vſu, ordinatè ſeu virtuoſè.

[Honeſtatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam ſpiritualem propriè dicimus: Vtilitatem autem, Diuinam prouidentiam.] Quæ honeſtas vt in ipſo Deo formaliter, obiectiuè, vel virtualiter & eminenter, eſt proprium obiectum formale virtutis Moralis Chriſtianæ, & dignum ſua fruitione, ſeu amore propter ſe.

*Q.* 31. *ex* 83. *Doctrina integra Ciceronis de virtutibˀ*, *L. de Officijs.* Virtus eſt animi habitus, naturæ modo, atque rationi conſentaneus. Habet partes 4. Prudentiam, Iuſtitiam, Temperantiam, Fortitudinem. Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum, & neutrarum ſcientia. Partes eius, memoria *præteritorum*, intelligentia *præſentium*, prouidentia *futurorum.* Iuſtitia eſt habitus animi, communi vtilitate conſeruatâ, ſuam cuique tribuens dignitatem. Eius initium eſt à naturâ: deinde quædam in conſuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, poſtea, &c. legum metus & religio ſanxerunt. Naturâ ius eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis inſeruit: vt Religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſeruantiam, veritatem. Religio eſt quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, curam cæremoniamque affert: Pietas, per quam ſanguine coniunctis, patriæque beneuolens officium, & diligens tribuitur cultus: Gratia, in quâ amicitiarum & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur: Vindicatio, per quam vis aut iniuria, &c. defendendo aut vlciſcendo propulſatur: Obſeruantia, per quam homines aliquâ dignitate antecellentes cultu quodã & honore dignamur: Veritas, per quam immutata ea quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt dicuntur. Conſuetudine autem ius eſt, quod aut leuiter naturâ iactatum, aluit & maius fecit vſus: vt Religionem, &c. Aut quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit. Quod genus Pactum eſt, Par, Lex, Iudicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit: Par, quod in omnes æquale eſt: Iudicatum, de quo alicuius aut aliquorum iam ſententijs conſtitutum eſt. Lege ius eſt, quod in eo ſcripto quod populo propoſitum eſt vt obſeruet, continetur.

Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio: Cuius partes, Magnificentia, Fidentia, Patientia, Perſeuerantia. Magnifi-

Digitized by Google

Magnificentia, eſt rerum magnarum & excelſarum, cum animi amplâ quadam & ſplendidâ propoſitione, cogitatio atque adminiſtratio. Fidentia eſt per quam magnis & honeſtis in rebus multùm ipſe animus † in ſe fiduciæ cum certâ ſpe collocauit. Patientia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio. Perſeuerantia eſt in ratione boni conſideratâ ſtabilis & perpetua permanſio. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Eius partes, Continentia, Clementia, Modeſtia. Continentia, eſt per quam cupiditas, concilij gubernatione regitur: Clementia, per quam animi temerè in odium alicuius illecti incitatique comitate retinentur: Modeſtia, per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem cõparat authoritatem. Atque hæc omnia propter ſe ſolùm, vt nihil adiungatur emolumenti, petenda ſunt, &c. Propter ſe autem vitanda ſunt, non ea modò quæ ijs contraria ſunt, vt fortitudini ignauia, &c. verùm etiam illa quæ propinqua videntur, abſunt autem longiſſimè. *Vt fidentiæ, cui contraria eſt diffidentia, videtur propinqua audacia: Perſeuerantiæ, pertinacia: Religioni, ſuperſtitio, &c. Infra.* Sunt etiam multa quæ nos cùm dignitate, tùm fructu quoque ducunt. Quo in genere eſt, gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude: Dignitas, alicuius honeſtatis, & cultu, & honore, & verecundiâ digna authoritas: Amplitudo, eſt potentia, aut Maieſtas, aut aliquarum copiarum magna abundantia: Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius causâ quem diligit, cum eius pari voluntate. Hic quia de ciuilibus cauſis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, &c. ne fortè qui nos de omni amicitiâ dicere exiſtimarint, reprehendant.]

Quæ quidem *B. Aug.* refert: ſed non ſingula approbat. *Cicero* recenſens Fidentiam illam de ſeipſo, inter partes fortitudinis: deficit à vera virtute humilitatis Chriſtianæ, ad vitium præſumptionis ſeu præfidentiæ. Ex *Aug. Epiſt.* 52. ad Macedonium. De vera beatitudine, virtute, & ſapientia Chriſtiana: contra falſam illam & præſumptuoſam Philoſophorum infidelium. *Acutiſſima, inquit, & excellentiſſima ingenia, tantò in maiores errores ierunt, quantò præfidentiùs tanquam ſuis viribus cucurrerunt, &c. Si ergo nos virtus vera delectat: dicamus ei, Diligam te, Domine, virtus mea* Pſal. 17. *Quanta eſt autem vanitas, hominem in ſeipſo fidere vt beatus ſit: quando nec mentem poteſt vendicare ab erroribus, niſi Deus adſit lux mentium, &c. Itaq; non erunt veræ virtutes tuæ: niſi à quo acceperis ſentiens, eiq; gratias agens, eas ad ipſius cultum, etiam in tuis iſtis honoribus ſæcularibus conferas, &c.*

*Epiſt.* 55. *Ad Dioſcorum.* De veritate, & humilitate Chriſtiana. Chriſto, mi Dioſcore, vt tota pietate te ſubdas, velim: nec aliam tibi ad veritatem viam munias, quam quæ munita eſt ab illo. Ea eſt autem primò Humilitas. 2. Humilitas. 3. Humilitas: & quoties interrogares, hoc dicerem. Non quod alia non ſint præcepta: ſed niſi humilitas omnia præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu ſuperbia. Vitia quippe cætera in peccatis: ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt.

*Lib.* 1. *Retr.* 1. Retractat nimiam laudem Philoſophorum Infidelium. 1. *Retr.* 3. Diſplicet mihi quòd Philoſophos non vera pietate præditos, dixi virtutis luce fulſiſſe. *Lib. De moribus Eccleſiæ* reducit 4. virtutes morales ad quatuor affectus amoris, vt ſupra *col.* 465. *Lib.* 1. *De libero arb. cap.* 13. Prudentia, eſt appetendarum & vitandarum rerum ſcientia. Fortitudo, eſt qua omnia incommoda, & damna rerum in noſtra poteſtate conſtitutarum, contemnimus. Temperantia, eſt affectio coercens & cohibens appetitum ab ijs rebus quæ turpiter appetuntur. Iuſtitia eſt qua ſua cuique tribuuntur. *Lib.* 2. *cap.* 19. Virtutes quibus rectè viuitur, magna bona ſunt, &c. Ideo virtute nemo malè vtitur: quia opus virtutis eſt bonus vſus illorum, quibus etiam non benè vti poſſumus. Nemo autem benè vtendo malè vtitur. *Lib. De vera Relig. c.* 16. Tota vita Chriſti diſciplina morum fuit: & hæc eſt diſciplina naturalis Chriſtianis. *Lib.* 22. *contra Fauſt. c.* 43 Ratio iuſtitiæ non tantùm quid factum ſit, verùm etiam quare factum ſit intuetur. *Cap.* 70. Animæ virtutis capaces ac fertiles, præmittunt ſæpè vitia, quibus hoc ipſum indicant, &c. *Lib. De bono coniugali, cap.* 20. Virtutes animi aliquando in opere manifeſtantur, aliquando in habitu latent, &c. *Lib. De virginitate, cap.* 47. Latent iſta in facultatibus & viribus animorum: tentatione panduntur, experientiâ probantur. *Lib.* 2. *Ciu.* 7. Quidam Philoſophi infideles, quædam magna, quantùm diuinitùs adiuti ſunt, inuenerunt: quantum autem humanitùs impediti ſunt, errauerunt. *Lib.* 5. *cap.* 12. Quidam infideles pro amore laudis multa alia vitia compreſſerunt. *Cap.* 15. Quibus Deus non erat daturus vitam æternam: ſi neque hanc eis terrenam gloriam concederet, non redderetur merces bonis actibus eorum .i. virtutibus. *Cap.* 19. Virtutes habenti, magna virtus eſt, contemnere gloriam: quia contemptus eius in conſpectu Dei eſt, &c. Virtus quæ ſine vera pietate ſeruit hominum gloriæ, nequaquam Sanctorum exiguis initijs comparanda eſt, quorum ſpes poſita eſt in gratia Dei, &c. *Cap.* 20. Contra quandam picturam virtutum, ſeruientium voluptati, vel humanæ gloriæ. *Lib.* 8. *cap.* 8. Præfert philoſophiam æthicam ſeu moralem *Platonis*, omnibus alijs Infidelium: quia agnoſcit Deum pro ſummo Bono, & fine vltimo. *Lib.* 14. *cap.* 5. Etiam Platonicis fatentibus, non ex carne tantùm afficitur anima, vt cupiat, metuat, lætetur, & triſtetur: ſed etiam ex ſeipſa his poteſt motibus agitari. *Cap.* 6. Si voluntas peruerſa eſt, peruerſos habebit hos motus: ſi autem recta eſt, etiã laudabiles erũt, &c. Quid eſt cupiditas & lætitia, niſi voluntas in eorum conſenſionem quæ volumus? Quid eſt metus ac triſtitia, niſi voluntas in diſſenſionem ab his quæ nolumus? *Cap.* 7. Recta itaque voluntas eſt bonus amor, & voluntas peruerſa eſt malus amor. Amor inhians habere quod amatur, cu-

piditas eſt : id autem habens, eoque fruens, lætitia ; fugiens quod ei aduerſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt. *Cap. 9.* Contra Apathiam Stoicorum. Si vt ſine his affectionibus viuatur, quæ contra rationem accidunt, mentemque perturbant : bona planè, & maximè optanda eſt ; ſed non eſt huius vitæ, &c. Porrò ſi Apathia illa dicenda eſt, cùm animum contingere non poteſt vllus affectus : quis hunc ſtuporem non omnibus vitijs iudicet eſſe peiorem ? &c. Non enim quia durum aliquid, ideo rectum : aut quia ſtupidum eſt, ideo ſanum. *Lib. 19. cap. 1.* De 280. ſectis Philoſophorum moralium, circa fines bonorum & malorum. *Cap. 13.* De pace omnium inter ſe. *Cap. 20.* Non eſt vera ſapientia, quæ intentionē ſuam in his quæ prudenter diſcernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, iuſteque diſtribuit, non in illum dirigit finem vbi erit Deus omnia in omnibus. *Cap. 25.* Virtutes quas ſibi animus habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſæ vitia ſunt potiùs quàm virtutes. Nam licet à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cùm ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur : etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt ; & ideo non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt. *Lib. 21. cap. 16.* Nonnunquam apertiſſima vitia alijs vitijs vincuntur occultis, quæ putantur eſſe virtutes : in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa. Tunc itaque victa vitia deputanda ſunt : cùm Dei amore vincuntur, nec aliter quàm per Mediatorem, &c.

*Lib. 4. contra Iul. cap. 3.* Soletis negantes Dei dona eſſe virtutes quibus rectè viuitur, hoc vti arg *Quòd eas nonnunquam habeant Infideles. Infra.* Exempla nobis opponitis impiorum : qui ſolis libertatis ingenitæ viribus, & miſericordes, & modeſti, & caſti inueniuntur, & ſobrij. Quantò ſatiùs hæc ipſa dona Dei in eis fatereris, &c. Nunquid ſibi quiſque corpus condidit, & eius tribuendum eſt voluntati, quòd malâ naturalia magis minúſue perpetitur? Quantò ergo tolerabiliùs illas quas dicis in impijs eſſe virtutes, Diuino muneri potiùs tribueres, quàm eorum voluntati? Abſit vt in eo ſit vera virtus, niſi fuerit iuſtus: Abſit vt ſit verè iuſtus, niſi viuat ex fide, &c. Si ad ſcholam *Pythagoræ* prouoces, vel *Platonis* : veras virtutes non eſſe dicebant, niſi quæ menti imprimuntur ab illa forma Dei, &c. *Infra. Virtus eſt animi habitus, naturæ modo, atque rationi conſentaneus.* Sed quid ſit conſentaneum liberandæ atque beatificandæ naturæ mortalium, neſcierunt, &c. Noueris non officijs, ſed finibus, à vitijs diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt quod faciendum eſt : finis verò, propter quem, &c. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter quod fieri debere, vera ſapientia præcipit : etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine, peccatum eſt, &c. Nam, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *Rom. 14.* Peccati ſpeciem de qua agebat, generali voluit probare ſententia, &c. *Infra. Sed*, inquis, *ſi dicatur quia caſtitas infidelium caſtitas non eſt : eadem fronte dicetur, quia corpus Paganorum corpus non ſit, &c.* Abſit, vt ſi non eſt vera virtus qua gloriatur impius, non ſit verum corpus quod operatur Deus, &c. *Si*, inquis, *vincuntur peccata peccatis, quantò magis virtutibus?* Quaſi negemus adiutorium Dei tantùm valere, ſi velit, &c. Cur autem non fiat : quis cognouit ſenſum Domini? Vnde ſcimus, ne fortè ſuperbè viueremus, vt ſub quotidiana remiſſione peccatorum viuamus? *Infra. Si Gentilis*, inquit, *nudum operit : nunquid quia non ex fide, peccatum eſt?* Prorſus, &c. Non per ſeipſum factum : ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum, &c. Si vitium eſt malè miſereri : proculdubio vitium eſt infideliter miſereri. Quòd ſi & ipſa per ſeipſam naturali compaſſione opus eſt bonum : etiam iſto bono malè vtitur, qui infideliter vtitur, &c. Ex quo colligitur etiam ipſa bona opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui benè vtitur malis, &c. Omne enim, velis nolis, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *Rom. 14.* *Ego*, inquis, *ſteriliter bonos dixi homines qui non propter Deum faciunt, &c.* Ne fortè tecum videar certare verbis, &c. Quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine peccato : hoc ſcio quia non ea facit voluntas bona, &c. Illud velis nolis obtineam, quod amor mundi, & fruendi creaturis, ſine amore Creatoris, non eſt à Deo : Amor autem Dei quo peruenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo per Chriſtum. Per hunc benè quiſquis vtitur etiam creaturis : ſine hoc, nullus benè vtitur.

*Lib. 1. De nupt. & concup.* Abſit pudicum veraciter dici : qui non propter Deum veram fidem ſeruat vxori. *Lib. 1. c. 1. ad Simpl.* Non habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem : niſi vel maius ingenium, vel minora peccata; addamus etiam ſi placet honeſtas vtileſque doctrinas, &c. Sed cùm hoc ſtatuero, me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, &c. *Lib. 4. De Bapt. cap. 18.* Conſtituamus aliquem caſtum, continentem, hoſpitalem, patientem, ſobrium, ſed hæreticum : nulli dubium eſt, propter hoc ſolum regnum Dei non poſſeſſurum. *Lib. De Continentia. Lib. De patientia* : Vt de Donis Dei.

*Lib. 2. ſeu Epiſt. 22. Ad Hieron. in Iac. 2.* De connexione virtutum, & vitiorum. *Epiſt. 19. c. 2. ad S. Hier.* Cauendum eſt ne ſicut Philoſophi quædam facta hominum media dicamus inter rectè factum & peccatum, &c. Quid apud te timeam nomen Philoſophorum? Qui non propterea vani ſunt, quia omnia falſa dicunt : ſed quia & falſis plerique cõfidunt, & vbi vera inueniuntur dicere, à Chriſti gratia, qui eſt ipſa Veritas, alieni ſunt.

*Epiſt. 11. S. Hier. ad Aug.* Legalia non ſunt indifferentia inter bonum & malum, vt Philoſophi diſputant. Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria : inter vtrumque indifferens, ambulare, &c.

*Epiſt. Pelagij ad Demetriadem, cap. 3.* Quàm multos Philoſophorum audiuimus, legimus, & vidimus caſtos, patientes, liberales, abſtinentes, benignos, &c. Vnde autem illis hæc bona, niſi de naturæ bono? &c. Quòd ſi etiam ſine Deo homines oſtendunt quales à Deo facti ſunt : vide quid Chriſtiani facere poſſunt? Quorum in melius in-

ſtaurata

Digitized by Google

ſtaurata natura eſt, & qui Diuinæ quoque gratiæ iuuantur auxilio. *Cap.* 4. Eſt enim in animis noſtris naturalis quædam, vt ita dicam, ſanctitas: quæ velut in arce animi præſidens, exercet boni malique iudicium. Huius legis meminit Apoſt. *Rom.* 2. Hac lege vſi ſunt omnes quos inter Adam atque Moiſen ſanctè vixiſſe, atque placuiſſe Deo Script. commemorat. *Cap.* 9. Nulla alia cauſa nobis difficultatem benè faciendi facit, quàm longa conſuetudo vitiorum. *Cap.* 11. Spirituales diuitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo iure laudanda, in his meritò præ cæteris preferenda es: quæ niſi ex te, & in te eſſe non poſſunt.] Contra quam *B. Aug. lib. de gratia Chriſti, cap.* 37. Iſtam epiſtolam legi, mihique penè perſuaſerat, &c. Sed cùm in manus meas & alia veniſſent: vidi ſub ambigua generalitate quid ſentiret, &c. Naturam in melius inſtauratam, remiſſionem vult intelligi peccatorum: auxilium verò diuinæ gratiæ, poteſt & hic ponere in reuelatione doctrinæ. Et *Epiſt.* 143. Ad *Iulianam* Viduam, matrem *Demetriadis.* Abſit vt hæc libenter audiat virgo Chriſti. Non ait, *In te, & ex te eſſe poſſunt: ſed, Niſi ex te, & in te eſſe non poſſunt.*

*Lib. De Muſica cap.* 16. Negabis ne, in illa Beatitudine animam conſpicere Veritatem, immaculatam manere, nihil moleſtiæ pati poſſe, & vni Deo ſubdi? Hæc ergo contemplatio, ſanctificatio, impaſſibilitas, & ordinatio: aut ſunt illæ quatuor virtutes perfectæ, aut ne de nominibus cum res conueniant fruſtrà laboremus, pro iſtis virtutibus quibus in laboribus vtitur anima, tales quædam potentiæ, in æterna vita ei ſperandæ ſunt, &c.

*Lib.* 14. *Trin. cap.* 9. Si Deo regenti eſſe ſubditum, eſt iuſtitiæ; immortalis eſt omninò iuſtitia, &c. Fortaſſis & aliæ tres virtutes, prudentia ſine vllo periculo erroris, fortitudo ſine moleſtia, temperantia ſine repugnatione: vt prudentiæ ſit nullum bonum Deo præponere, vel æquare; fortitudinis, ei firmiſſimè cohærere; temperantiæ, nullo defectu noxio delectari. Nunc autē quod agit Iuſtitia ſubueniēdo miſeris, prudētia in præcauendis inſidijs, fortitudo in perferendis moleſtijs, Temperantia in coercendis delectationibus prauis: non ibi erit, vbi nil mali erit.

*S. Proſper Lib.* 4. *contra Collatorem*, ſeu Caſſianum. *Cap.* 13. *Dubitari*, inquit, *non poteſt ineſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta: ſed niſi hac opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire.* Contra. *Virtutes cum vitijs habitare non poſſunt. Virtus principaliter Deus eſt: virtutum ſemina præuaricatione primi Parentis euerſa ſunt. Remanſit autem ſolus Animus, qui non virtus, ſed virtutis habitaculum eſt. Puto iſtum ſimilitudine decipi falſarum virtutum, &c.*

## Ex Alenſi S. Bon. & Scoto.

AL. in *Suppl. A coll.* 1. *ad* 25. De virtutibus in genere: ſed 24. De ſingulis ſpeciebus. *A coll.* 25. De Theologicis. *A coll.* 76. De Cardinalibus in genere. *Art.* 1. An ſint neceſſariæ, &c. *Art.* 2. An ſint plures, &c. *Art.* 3. Quot & quæ ſint. *Art.* 4. De varijs rationibus ſingularum. *Art.* 5. Cur dicantur Cardinales? Cur non dicantur infuſæ: cùm etiam infundantur? cur dicantur politicæ? cur dicantur principales, & quæ principalior. *Art.* 6. De earum ſubiectò: an ſint in vi ſenſitiua, rationali, affectiua, concupiſcibili, vel iraſcibili. *Art.* 7. De vario ordine harum 4. virtutum inter ſe. *Art.* 8. De harum origine: vt ſunt morales, radicaliter ex natura, completè ab exercitio & auxilio gratiæ; vt gratuitæ, à Deo. *Art.* 8. De earum duratione etiam in patria: vt & *Coll.* 1. 11. 20. 21. *A Coll.* 77. *ad* 90. De Prudentia, eiuſque varijs modis, ſpeciebus, definitionibus, ſubiecto, actibus, medio, obiecto, partibus, & varijs comparationibus. *A Coll.* 89. De Temperantia, eiuſque nomine, modo, varijs definitionibus, obiecto ſeu materia, actibus, comparationibus, & varijs diuiſionibus, partibus, ſpeciebus, & fructibus. Ita vt nihil hic deſit ad integritatem & perfectionem doctrinæ de Prudentia & Temperantia: ſed de Iuſtitia & Fortitudine.

Quæ ſuppleri & perfici poteſt. 1. Ex ipſomet, *Parte* 1. *q.* 39. De miſericordia & iuſtitia Dei. Vt *M.* 1. Iuſtitia Dei eſt ex cōdecentia ſuæ bonitatis, &c. *M.* 2. De iuſtitia communiſſimè ſumpta, pro decentia bonitatis: communiter, pro iuſtitia retributiua meritorum bonorum & malorum; & ſtrictè ſumpta, pro iuſtitia vindicatiua. *Memb.* 3. *Art.* 4. Iuſtitia latè ſumpta, pro condecentia bonitatis, eſt etiam condecentia poteſtatis, ſapientiæ, diſpoſitionis, ipſiuſque miſerationis ac æquitatis; ſicque ad omnia Dei opera. *Parte* 2. *q.* 135. De iudicio præſumptuoſo. *Memb.* 1. De non vſurpando iudicio Dei. *Memb.* 2. De non vſurpanda ex ſe vlla iuriſdictione. Imò per omnes Quæſt. de iuſta punitione Angelorum & hominum peccatorum: Deque vitijs, vt oppoſitis virtutum. *Parte.* 3. *Quæſtione* 1. *&* 2. De iuſta reparatione, & ſatisfactione per Chriſtum pro genere humano. *Quæſt.* 25. De iudicio vltimo, vt iuſtiſſimo. *A Quæſt.* 26. *ad* 50. De iuſtitia Legum & iudiciorum. *Quæſt.* 72. De comparatione inter Virtutes, Dona, Fructus, Beatitudines.

*Parte* 4. *Q.* 54. De virtute pœnitentiæ. *Art.* 2. Eſt ſpecies iuſtitiæ, ſeu puniendi ſeipſum, ad reddendum Deo, Eccleſiæ, & ſibi ipſi debitum ob peccatum. *Quæſt.* 84. De ſatisfactione. *Quæſt.* 86. De Reſtitutione. In ipſo Suppl. diuidendo virtutem moralem, in has 4. & ſingulas inter ſe variè comparando.

2. Ex *S. Bon. In* 3. *Diſt.* 33. De virtutibus Cardinalibus. Vt *Alen.* in Supplemento. *Diſt.* 34. *P.* 1. *De* 7. Donis Spiritus S. comparatiuè ad virtutes, & inter ſe. *Quæſt.* 1. Virtutes ſunt ad agendum rectè, Dona expeditè, Beatitudines perfectè. *P.* 2. De Dono Timoris. *Diſt.* 36. De ſex alijs Donis. *Quæſt.* 5. Donum fortitudinis conſiſtit in tolerandis arduis: non tantùm ad honeſtatem moralem, vt virtus fortitudinis; ſed ad perfectam Chriſti imitationem. *Diſt.* 36. De connexione virtutum inter ſe, & Donorū inter ſe.

 Opuſcu-

Opuſculis,de virtutibus card. De 7. Donis, De Luminaribus Eccleſiæ, Centiloquio, Breuiloquio, Compendio theologicæ veritatis. Quorum ſumma eſt : quod Prudentia rectificet vim rationalem, Fortitudo iraſcibilem , Temperantia concupiſcibilem , Iuſtitia rectificet omnes vires ad proximum , ad ſeipſum, & ad Deum : Ideoque non ſit tantùm virtus ſpecialis , ſed & generalis, comprehendens totius animi rectitudinem , &c. Quodque ſint 4. gradus ſingularum. 1. Vt ſunt Politicæ. 2. Vt ſunt purgatoriæ. 3. Vt ſunt animi purgati. 4. Vt ſunt Exemplares in ipſo Deo.

3. Ex Doctore *Subtili,in* 3. *Diſt.* 33. De ſubiecto virtutum moralium : non in ſolo appetitu ſenſitiuo; ſed & in voluntate humana , Angelica imò & Diuina , circa paſſiones in genere , vel etiam noſtras moderandas. *Quia per mihi & tibi, non variatur formalis habitus.* Sic & in Deo poſſet poni virtus moralis,vt & Charitas. Si non placet: poteſt negari ; quia virtus non eſt niſi circa difficile , ob inclinationem oppoſitam appetitus ſenſitiui; vel quia virtus non generatur , niſi ex electione abſolutâ & efficaci. *Art.* 3. Virtus moralis non refert opus ad Deum : ſed ſola charitas. Nec ideo virtus moralis fruitur : quia frui , non eſt tantùm non referre, ſed referre contrariè.

*In Diſt.* 34. De differentia inter virtutes,Dona , Beatitudines & fructus. *Num.* 4. Ex *S.Bon.* Per virtutes agitur rectè , per dona perfectè , per Beatitudines expeditè.*Contra.* Eâdem virtute agitur hoc triplici modo. *Num.* 6. Ad hanc. quæſt. Poteſt dici ſine aſſertione, quod in via , præter habitus ſpeculatiuos , non ſunt neceſſarij niſi 4. morales,& 3. theologici.] Subdit breuem, ſed integram doctrinam , de 4. virtutibus , earumque ſpeciebus ſubalternis:quæ ſufficere poteſt ad Supplementum *Alen.* de Iuſtitia & fortitudine.

*Diſt.* 36. De connexione virtutum moralium inter ſe , ſingularum cum prudentia , moralium cum Theologicis , & Theologicarum inter ſe. *Num.* 8. Virtutes morales non ſunt omnes neceſſariò connexæ : quia ſingulæ ſunt hominis perfectiones partiales , circa diuerſas materias. *Num.* 11. *Ad Art.* B. *Aug.* 4. *contra Iul.* 2. Videtur negare veras virtutes ſine charitate. *Contra.* Idem *lib. de Patientia , &c. Num.* 26. Poteſt dici quòd nulla virtus inclinat ad finem vltimum, niſi mediante charitate , &c. Ideoque ſunt imperfectæ ſine charitate. Quia tamen hęc imperfectio non eſt earum in propria ſpecie : quælibet poteſt eſſe perfecta in ſua ſpecie , ſine charitate. *Num.* 25. Non ſunt neceſſariæ virtutes morales infuſæ , &c. *In* 4. *Diſt.* 14. *Quæſt.* 1. & 2. De Pœnitentia, vt eſt ſpecies iuſtitiæ vindicatiuæ in ſeipſum,quaſi in alterum. *Diſt.*15. *Quæſt.*1. De ſatisfactione. *Quæſt.*2.3.& 4. Doctrina integra de iure & iuſtitia , omnique iniuriâ, & obligatione reſtituendi , ac ſatisfaciendi. *Diſt.* 46. De Iuſtitia Dei , & quauis alia inter nos.

Cenſura *Pij* 5. & *Greg.* 13. in hanc Prop. 25. inter Baianas. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.*

Circa cuius poſteriorem partem , eſt grauiſſima difficultas huius Quæſt. An hæc cenſura non afficiat vllam doctrinam B. *Aug.* quoad ſenſum, vel verba expreſſa. Circa reliquam doctrinam ſacræ Script. *Aug.*& noſtrorum Authorum vix eſt alia difficultas,quàm de concordia,& ſufficientia.

## *Reſponſio.*

*Reſp.* Cenſura *Pij* 5.& *Greg.*13. in illam *Prop.* 25. inter Baianas, non afficit vllam doctrinam *B. Aug.* quoad ſenſum , vel verba expreſſa ac integra : nec eſt vlla diſcordia,aut defectus doctrinæ inter noſtros Authores, qui non facilè ex eiſdem conciliari, & ſuppleri poſſit.

Prius patet ex *Tomo* 2.ſeu Commentario noſtro in omnia & ſingula *B. Aug.* opera : ſpecialiter ex *Abſolutione finali*,de æquitate harum Cenſurarum in omnes,& ſingulas Prop. Baianas; quia & quatenus diſſonant à ſacro Conc. *Trid.* imò & à ſenſu ac contextu *B. Aug.* Vt hæc 25. ſonat contra *Trid. Seſſ. 6. cap. 6.* De diſpoſitione infidelium adultorum ad fidem & iuſtificationem,per aliqua bona opera & virtutes ex aliqua gratia actuali ante ſtatum fidei,à quo vel eius priuatione,denominantur Fideles aut Infideles. Et contra *Can.*7. Quòd *non omnia opera ante iuſtificationem facta, ſint peccata.* Imò & contra *B. Aug.* qui ſæpe & expreſsè ſuprà , tribuit Infidelibus quædam minora Dei dona etiam moralia, & veras virtutes, ac bona earum opera , ex aliqua gratia actuali ante fidem habitualem , ſeu ſtatum fidei. Vt in 2. *Sent. Quæſt.* 8. *à col.* 478 *ad* 484. De neceſſitate alicuius gratiæ actualis, ad omnia vera & bona moralia : *Sine quibus*, inquit *B. Aug. lib. de ſpiritu & litera, cap.* 28. *difficillimè vita peſſimi cuiuſlibet hominis inuenitur*, quantò minùs cuiuſuis Philoſophi etiam infidelis ? Nec obſtat *cap.* 27. *Si hi qui naturaliter quæ legis ſunt, faciunt*, Rom. 2. *nondum ſunt Chriſtiani, ſed impij, quorum tamen quædam facta ſecundùm iuſtitiæ regulam , meritò rectéq; laudamus : ſi diſcutiatur quo fine fiant , vix inueniuntur qui iuſtitiæ debitam laudem , defenſionemq; mereantur.* Quia illud, *vix*, nec negat omnia, nec multa aut multorum talium bona opera moralia : ſed finem , & talibus debitam laudem iuſtitiæ. Nec ſupponit tales poſſe ſaltem aliqua bene , ſeu debito fine operari, abſque vllo auxilio gratiæ : ſed vel relinquit ſub dubio, vel potiùs indicat quod ſæpe ſupra, etiam talibus , ſed rarò dari gratiam aliquam bene operandi. Hinc meritò *Pius* 5. cenſurat etiam hanc *Prop.* 22. inter Baianas. *Cum Pelagio ſentiunt qui textum Apoſtoli,* Rom.2. *intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Quia eſt contra ipſum *B.Aug.*qui præfato *cap.* 27. & 28. refert & approbat illius *Rom.* 2. duplicem ſenſum. 1. De Gentibus ad fidem conuerſis. 2.De necdum conuerſis , ſed quibus talia opera nihil proſint, niſi fortè vt mitiùs puniantur.

Sed ad tuendam hanc Cenſuram , vt æquiſſimam & ab omni ſenſu & textu integro *B. Aug.* alienam : Non omnia opera infidelium ſunt peccata. 1. Quia quædam ſunt naturalia, vel ex inaduertentia, aut indeliberatione non ſunt peccata. 2. Quia quædam fortè ſunt indifferentia. 3. Quia quædam fiunt ex aliqua gratia , quamuis necdum diſponente ad iuſtificationem , præſeruante

Digitized by Google

uante tamen à malitia. 4. Quia quædam fiunt ex gratia diſponente ad fidem & iuſtificationem, ante infuſionem ſeu ſtatum fidei. Nec obſtat quòd *B. Aug.* tam ſæpe inculcet, ſolam fidem prodeſſe, quæ per dilectionem operatur: & omne quod non eſt ex fide, eſſe peccatum. Quia id non de ſola fide infuſa & habituali: à qua fideles, & ſine qua infideles dicuntur, & ſunt; ſed vt *Lib. 1. ad Simpl. q. 2.* de quauis *inchoatione fidei*; ſeu cognitione diſtincta vel confuſa Dei vt finis bene operandi ſaltem moraliter. 5. Quia etſi Conc. *Trid. Seſſ. 6. can.* 25. definiat Iuſtos non peccare venialiter in quolibet opere bono: non tamen definit nunquam peccare venialiter in opere bono. Sed opus poteſt eſſe bonum ſimpliciter, cum aliquo defectu veniali: ergo poſſunt eſſe aliqua opera infidelium, cum aliquo defectu veniali; quæ tamen non ideo ſint, aut dicantur ſimpliciter peccata. Nec obſtat quòd bonum vt ſic, ſit ex integra cauſa: malum autem ex ſingulis defectibus. Quia opus bonum, aut peccatum ſimpliciter, dicitur quoad ſubſtantiam actus, ex genere ſuo, ſeu obiecto: ex circumſtantijs autem ſecundùm quid. Hinc licet finis plurimùm importet ad bonitatem, vel malitiam operis: vt eſt tamen ſola circumſtantia, non autem ingreditur ipſum obiectum actus, non eſt de eſſentia operis boni vel mali ſimpliciter. Sed quando finis bonus vel malus intenditur vt obiectum ipſius actus, non autem ſolùm vt finis ad quem refertur: tunc eſt de eſſentia actus boni vel mali ſimpliciter. Cùm ergo fit aliquid boni ex obiecto, ab infidelibus, aut alijs peccatoribus: quamuis illud obiectum non referatur actualiter ad Deum vt finem; ſi tamen ille actus, aut eius obiectum non ſit contra finem vltimum, ſeu non intendatur & affectetur vt finis vltimus, non eſt peccatum ſimpliciter, ſed bonum opus, licet non actu relatum, tamen vt ſic referibile ad Deum. Vt patet ex noſtro *Alen. S. Bon. & Scoto* ſuprà. Nec *B. Aug.* vult eſſe peccatum ſimpliciter, ex ſola negatione vltimi finis, vt actualiter & diſtinctè intenti. 6. Quia non agitur de incerta veritate facti, aut factorum perſonalium: ſed de poſſibili. Ergo omnia opera infidelium eſſe peccata .i. Infideles non poſſe non peccare ſimpliciter in quouis opere; nec dari eis vnquam vllam gratiam ad non peccandũ.

Nec eſt minùs falſum, *Virtutes Philoſophorum eſſe vitia.* 1. Quia non fruſtra contenditur de eorum factis, & fine incerto: ſed de poſſibili, ex ſola natura, aut philoſophia & ſtudio naturali; vel ſaltem ex aliqua gratia actuali. 2. Quia cùm Philoſophi potiùs dicantur à certa Doctrina, quàm à perſonis, & factis aut defectibus perſonalibus, & incertis: dicere, *Virtutes Philoſophorum eſſe vitia*: eſt, vt ſolent hæretici, reprobare omnem Philoſophiam, ſeu eius doctrinam naturalem & moralem, vt vitioſam, ſeu vitiorum pro virtutibus; & conſequenter praxim Chriſtianam & Catholicam vtendi aliqua etiam doctrina philoſophica ad Theologiam Scholaſticam, & myſteria fidei explicanda. 3. Quia ipſe *B. Aug.* ſæpe in multis approbat Philoſophiam infidelium, præcipuè Platonicam & moralem: eàque vtitur contra hæreticos, ipſoſque eius authores infideles. Vt patet ex ſuprà citatis: ſed præcipuè ex *Lib. 8. Ciu. 9.* Vbi præfert hanc doctrinam Platonicam: quia agnoſcit *Deum pro ſummo bono, & fine vltimo.* Ergo virtutes ſecundum hanc doctrinam non ſunt vitia: ſed veræ, & perfectæ virtutes, etiam ex fine vltimo. 4. Quia ſi de praxi virtutum agatur: virtutes horum Philoſophorum, vt talium, propriè ſunt quæ exercentur ſecundùm talem Philoſophiam: ergo non ſunt vitia, ſed veræ virtutes. 5. Imò ſi agatur de praxi perſonali: quis ſcit vtrum nulli, aut nullus eorum vnquam exercuerit, vel exercendo acquiſierit vllam veram virtutem; ſaltem per gratias actuales ad hoc neceſſarias? Cùm *B. Aug. Lib. de vera Relig. cap.* 3. 4. & alibi ſæpe cenſeat Philoſophos Platonicos, per hanc doctrinam & praxim virtutum fuiſſe diſpoſitos ad religionem Chriſtianam. 6. Quia ſi de vitijs & virtutibus actualibus agatur: *virtutes Philoſophorum eſſe vitia*, eſt contra ea quæ ſuprà de omnibus operibus infidelium. Si de virtutibus & vitijs habitualibus: cùm naturaliter generētur ex actibus, non tam vt ſunt boni vel mali ex fine, quàm ex obiecto; nec per ſe inclinent in finem vt finem, ſed in obiecta propria, & ad actus vt obiectiuè nõ circumſtantionaliter ſimiles ijs per quos geniti ſunt: hinc habitus virtutum non ſunt vitia.

Confirmatur ex ipſo *B. Aug.* Qui vtitur doctrinâ Ciceronis, *Q. 30. ex 38. L. 4. cõtra Iul. 3.* refert ſcholã *Pythagoræ & Platonis* docuiſſe, *nõ eſſe veras virtutes niſi quæ menti imprimuntur à forma, ſeu virtute exemplari ipſius Dei.* Qua doctrina ipſemet vtitur *l. 14. Trin. 15. Regulæ Iuſtitiæ ſcriptæ ſunt in libro lucis illius quæ Veritas dicitur: Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur: ſicut imago ex annulo in ceram tranſit, & annulum non relinquit. Qui verò non operatur, & tamen videt: ab illa luce auertitur, à qua tamen tangitur.* Sic & toto libro 8. *De Trin. & libro de Magiſtro*

*Lib. 4. contra Iul. 3.* non negat virtutes infidelium: ſed tribuit eas dono Dei; non quoad ſola naturalia, ſed quoad ipſas virtutes morales, vt acquiſitas ex naturalibus; quæ Deus non ſine aliqua gratia dat aliquibus meliora, aut minus mala, quàm alijs. Infra. *Non per ſeipſum factum, &c* .i. Non quod ipſa bona opera virtutum non ſint per ſe bona: *ſed de iis non in Domino gloriari, eſt peccatum.* Infra. *Si vitium eſt, malè miſereri: eſt & infideliter miſereri.* Non quod ſit habitus, ſed actus, & abuſus vitioſus; non ex ſolo ſubiecto, ſed ex modo miſerendi, malè vel infideliter. *Quòd ſi & ipſa per ſeipſam naturali compaſſione opus eſt bonum: etiam iſto bono malè vtitur, qui infideliter vtitur* .i. Non ſola paſſione aut compaſſione naturali, & habituali; nec ſolo bono opere naturali, ſed & voluntario ac morali. Nec obſtat *Lib. 2. de lib. arb. cap. 9. Virtute nemo malè vtitur, &c* .i. Virtute ipſa formali, vt coniuncta rectæ rationi. Poteſt enim quis abuti virtute materiali, ſeu ipſo habitu virtutis: non ſolùm vt obiecto, ſed etiam eius inclinatione habituali ad finem vel aliquam circumſtantiam malam; vt affectu caſtitatis, ad vanam gloriam, vel ad negandum vxori debitum.

Infra.

# IN LIBRVM QVARTVM.

## DE VII. SACRAMENTIS ET IV. NOVISSIMIS.

*Quia hæc Doctrina eſt hodie circa Fidem valdè cõtrouerſa, & ad ſacram praxim Eccleſiæ neceſſaria: tractanda eſt potiùs Dogmaticè, ſecundum Definitiones ſacrorum Conciliorum, & moraliter ac practicè ſecundum pios mores & praxim Eccleſiæ; quàm Scholaſticè, ſecundum varias rationes ac opiniones liberas Scholaſticorum antiquiorum, niſi ad eas Fidei Catholicæ conciliandas, & conformiores præferendas.*

### Doctrina Sacri Conc. Florentini.

#### DE SACRAMENTIS.

NOuæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, ſcilicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema-Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam figurabant: Hæc verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.

Horum quinque prima ad ſpiritualem vniuſcuiuſque hominis in ſeipſo perfectionẽ, duo vltima ad totius Eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur diuina Euchariſtiæ alimonia. Quòd ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam-Vnctionem: Per Ordinem verò Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur.

Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tãquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. Quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem .i. ſpirituale quoddã ſignũ à cæteris diſtinctiuum imprimunt in anima indelebile: vnde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua verò quatuor, characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

### *De Sacramento Baptiſmi.*

PRimum omnium Sacramentorũ locum tenet Baptiſmus; quod vitæ ſpiritualis ianua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cùm per primum hominem mors introierit in vniuerſos: niſi ex aqua & Spiritu ſancto renaſcamur, non poſſumus (vt inquit veritas) in regnum cœlorum introire.

Materia huius Sacramenti eſt aqua vera, & naturalis: nec refert frigida ſit, an calida. Forma autem eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti: vel, Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, verum perficiatur baptiſma; quoniam cum principalis cauſa ex aqua baptiſmus virtutem habet ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum. Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis, non ſolum Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laicus & mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.

Huius Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœnæ quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum & Dei viſionem perueniunt.

### *De Sacramento Confirmationis.*

SEcundum Sacramentum eſt Confirmatio: cuius materia eſt Chriſma, confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.* Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus: Et cùm cæteras vnctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre; quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum vicem tenent Epiſcopi) quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant. Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem, ex rationabili & vrgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotum chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe confirmationis Sacramentum.

Effectus autem huius Sacramenti eſt, quòd in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, vt Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungi-



Digitized by Google

inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue crucem eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, propter quod ſigno Crucis ſignantur.

## *De Sacramento Euchariſtiæ.*

TErtium eſt Euchariſtiæ Sacramentum: cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideò admiſcetur, quoniam iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum, creditur ipſum dominum in vino aqua permiſſo hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde quia hoc conuenit Dominicæ Paſſionis repræſentationi. Inquit enim B. Alexander Papa quintus à B. Petro: *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia domino offeruntur, panis & vinum aquâ permiſtum offerri debet; quia vtrumq́ue, id eſt, ſanguis & aqua, ex latere Chriſti profluxiſſe legitur.* Tertiò etiam conuenit ad ſignificandum huius Sacramenti effectum, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, &c.

Forma huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem conuertuntur: ita tamen quòd totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini; ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione factâ totus eſt Chriſtus.

Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur: ſequitur quod per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur; omnemq́ue effectum quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam ſpiritualem & hoc Sacramentum operatur.

## *De Sacramento Pœnitentiæ.*

QVartum Sacramentum eſt Pœnitentia: cuius quaſi Materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarũ prima eſt cordis contritio: ad quam pertinet, vt doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris Confeſſio: ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt Satisfactio pro peccatis ſecũdum arbitrium Sacerdotis: quæ quidem præcipue fit per orationem, ieiunium, eleëmoſynam.

Forma huius Sacramenti eſt. *Ego te abſoluo*, &c.

Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, habens authoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. Effectus huius Sacramenti eſt abſolutio à peccatis.

## *De Sacr. Extremæ Vnctionis.*

QVintum Sacramentum eſt extrema Vnctio: cuius Materia eſt oleum oliuæ per Epiſcopum benedictum. Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet: qui vngendus eſt in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius Sacramenti eſt hæc: *Per iſtam ſanctam Vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per viſum*, &c. Et ſimiliter in alijs membris. Effectus verò eſt mentis ſanatio: in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc Sacramento habetur Iacobi 5.

## *De Sacramento Ordinis.*

SExtum Sacramentum eſt Ordinis, cuius Materia eſt illud, per cuius traditionem confertur Ordo. Sicut Præsbyteratus, traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò, per libri Euangeliorum dationem: Subdiaconatus, per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem; & ſimiliter de alijs, per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma Sacerdotij talis eſt: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis & mortuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, & ſic de aliorum Ordinum formis. Ordinarius miniſter huius Sacramenti eſt Epiſcopus: Effectus, augmẽtum gratiæ, vt quis ſit idoneus Miniſter.

## *De Sacramento Matrimonij.*

SEptimum eſt Sacramẽtum Matrimonij: quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundũ Apoſtolũ *Eph.* 5. Cauſa efficiens Matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus. Tria ſunt bona Matrimonij: 1. Proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. 2. Fides, quam vnus coniugũ alteri ſeruare debet. 3. Indiuiſibilitas Matrimonij, propter hoc quod ſignificat indiuiſibilem coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere: non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cùm Matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum ſit.

# Doctrina Sacri Conc. Tridentini.

## CANONES DE SACRAMENTIS.

1. SI quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quàm 7. videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramẽtum, Anathema ſit.

2. Si quis dixerit ea ipſa nouæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, Anathema ſit.

3. Si quis dixerit hæc 7. Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, Anathema ſit.

4. Si

4. Si quis dixerit, Sacramēta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint: Anathema ſit.

5. Si quis dixerit hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendā inſtituta fuiſſe: Anathema ſit.

6. Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ perfectionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus: Anathema ſit.

7. Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi ritè ea ſuſcipiant; ſed aliquando & aliquibus: Anathema ſit.

8. Si quis dixerit ipſa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam cōſequendam ſufficere: Anathema ſit.

9. Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt: Anathema ſit.

10. Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem: Anathema ſit.

11. Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramēta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia: Anathema ſit.

12. Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere aut conferre Sacramentum: Anathema ſit.

13. Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi cōſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libitu omitti, aut in nouos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe: Anathema ſit.

## De Baptiſmo.

1. SI quis dixerit Baptiſmū Ioannis habuiſſe eandem vim cū Baptiſmo Chriſti: Anathema ſit.

2. Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini IESV CHRISTI, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto: ad methaphoram aliquam detorſerit: Anathema ſit.

3. Si quis dixerit in Eccleſia Romana, quæ omniū Eccleſiarū Mater eſt & magiſtra, nō eſſe veram de Baptiſmi Sacramēto doctrinam: Anathema ſit.

4. Si quis dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum: Anathema ſit.

5. Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem: Anathema ſit.

6. Si quis dixerit Baptiſatum non poſſe, etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere: Anathema ſit.

7. Si quis dixerit baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuerſæ legis Chriſti ſeruādæ: Anathema ſit.

8. Si quis dixerit baptizatos liberos eſſe ab omnibus S. Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare nō teneātur niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint: Anath. ſit.

9. Si quis dixerit ita reuocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, vt vota omnia quæ poſt baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in baptiſmo ipſo iam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & fidei quam profeſſi ſunt detrahatur, & ipſi baptiſmo: Anathema ſit.

10. Si quis dixerit peccata omnia quæ poſt baptiſmum fiunt, ſola recordatione fidei & ſuſcepti baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri: Anath. ſit.

11. Si quis dixerit verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi qui apud infideles fidem Chriſti negauerit, cùm ad pœnitentiam conuertitur: Anathema ſit.

12. Si quis dixerit neminem eſſe baptizandum niſi ea ætate qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo: Anathema ſit.

13. Si quis dixerit paruulos, eò quòd actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos: aut præſtare omitti eorum baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ: Anathema ſit.

14. Si quis dixerit huiuſmodi paruulos cū adoleuerint interrogādos eſſe an ratum habere velint quod Patrini eorum nomine dum baptizarentur polliciti ſunt, & vbi ſe nolle reſponderint ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant: Anathema ſit.

## De Confirmatione.

1. SI quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe quàm catecheſim quandam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant: Anathema ſit.

2. Si quis dixerit iniurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Cōfirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt: Anathema ſit.

3. Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotē: Anathema ſit.

*De reali præſentia Domini noſtri I. C. in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.* Cap. 1. Seſſ. 13.

PRincipio docet S. Synodus & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo S. Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dn̄m N. I. C. verum Deum atq; hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter, ſub ſpecie illarū rerum ſenſibilium contineri. Nec enim hæc inter ſe pugnāt, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cœlis aſſideat, iuxta modū exiſtendi naturalē: & vt multis nihilominus alijs in locis, ſacramētaliter præſens, ſua ſubſtanti nobis adſit, ea exiſtēdi



Digitized by Google

ratione: quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſimè credere debemus: ita enim maiores noſtri oẽs, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerũt, apertiſſimè profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramẽtum in vltima cœna Redemptorem noſtrũ inſtituiſſe: cùm poſt panis viniq́; benedictionẽ, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinẽ, diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt. Quæ verba à ſanctis Euangeliſtis cõmemorata, & à diuo Paulo poſtea repetita, cùm propriam illam, & apertiſſimã ſignificationem præ ſe ferãt, ſecundũ quam à Patribus intellecta ſunt: indigniſſimũ ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & prauis hominibus, ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, cõtra vniuerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri: quæ iã quam columna, & firmamentum veritatis, hæc ab impijs hominibus excogitata commenta, velut Satanica deteſtata eſt, grato ſemper & memore animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.

### *De ratione inſtitutionis huius ſanctiſſimi Sacramenti.* Cap. 2.

ERgo Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mũdo ad Patrem, Sacramentũ hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabiliũ ſuorũ, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriã præcepit, ſuamque annũciare mortem donec ipſe ad iudicandum mundũ veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquã ſpiritalem animarũ cibum, quo alãtur & cõfortentur viuẽtes vitã illius qui dixit, *Ioan. 6.* Qui mãducat me & ipſe viuet propter me: & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ fœlicitatis, adeoq́; ſymbolum vnius illius Corporis cuius ipſe Caput exiſtit, cuiq́; nos tanquam mẽbra arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione aſtrictos eſſe voluit, vt id ipſum omnes diceremus, neque eſſent in nobis ſchiſmata.

### *De excellentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua Sacramenta.* Cap. 3.

COmmune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymbolũ eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem: verum illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramẽta tunc primũ ſanctificandi vim habent, cũ quis illis vtitur; at in Euchariſtia, ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt. Nondũ enim Euchariſtiam de manu Dñi Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe quod præbebat. Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, verum Dñi noſtri corpus verumq́; eius ſanguinem ſub panis & vini ſpeciẽ vnà cũ ipſius anima & diuinitate exiſtere: ſed corpus quidẽ ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum: ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinẽ ſub ſpecie panis, animamq́; ſub vtraq́;, vi naturalis illius cõnexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Dñi, qui iam ex mortuis reſurrexit nõ amplius moriturus, inter ſe copulantur: Diuinitatem porrò, propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem. Quapropter veriſſimum eſt tantundem ſub altera ſpecie, atq́; ſub vtraque contineri. Totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte: Totus item ſub vini ſpecie & ſub eius partibus exiſtit.

### *De tranſubſtantiatione.* Cap. 4.

QVoniam autem Chriſtus Redemptor noſter Corpus ſuum, id quod ſub ſpecie panis offerrebat, verè eſſe dixit: ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri: & totius ſubſtantiæ vini, in ſubſtantiam ſanguinis eius: quæ cõuerſio cõuenienter & propriè à ſancta Catholica Eccleſia Tranſubſtãtiatio eſt appellata.

### *De Cultu & Veneratione huic ſanctiſſimo Sacramento exhibenda.* Cap. 5.

NVllus itaq́; dubitandi locus relinquitur, quin oẽs Chriſti fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultũ, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſ. Sacramento in veneratione exhibeant. Neq́; enim minus eſt adorandum, quod fuerit à Dño vt ſumatur inſtitutũ. Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducẽs in orbem terrarũ dicit, Et adorent eum oẽs Angeli Dei: quẽ Magi procidentes adorauerũt: quẽ deniq́; in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe, ſcriptura teſtatur. *Luc. 24.*

Declarat præterea S. Synodus, piè & religioſè admodum in Dei Eccleſia inductum fuiſſe hunc morẽ, vt ſingulis annis peculiari quodã & feſto die, præcelſum hoc & venerabile Sacramentũ ſingulari veneratione ac ſolennitate celebraretur, vtque in proceſſionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circũferretur. Æquiſſimum eſt enim ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani oẽs ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dñm & Redemptorem, pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur. Ac ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere: vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.

### *De aſſeruando Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.* Cap. 6.

COnſuetudo aſſeruandi in ſacrario S. Euchariſtiam, adeo antiqua eſt, vt eam ſeculum etiam Nicæni Concilij agnouerit. Porrò deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & in hũc vſum in Eccleſijs conſeruari, præterquàm quod cum ſumma æquitate & ratione coniunctum eſt, tum multis in Concilijs præceptum inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicę Eccleſiæ more eſt obſeruatũ. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.

De

Digitized by Google

## De præparatione quæ adhibenda eſt, vt dignè quis ſanctam Euchariſtiam percipiat. Cap. 7.

SI non decet ad ſacras vllas functiones quempiam accedere niſi ſanctè: certè quò magis ſanctitas & diuinitas cœleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentius cauere ille debet, ne abſque magna reuerētia & ſanctitate ad id perciendum accedat: præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus. 1. Cor. 11. Qui mādu cat & bibit indignè, iudicium ſibi mādu cat & bibit, non dijudicans corpus Dñi. Quare communicare volenti, reuocandum eſt in memoriam eius præceptum, Probet autem ſeipſum homo. *Ibid.* Eccleſiaſtica autē cōſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali cōfeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab ijs ſacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modo non deſit illis copia confeſſoris. Quod ſi neceſſitate vrgente ſacerdos abſq; præuia confeſſione celebrauerit, quamprimū confiteatur.

## De vſu admirabilis huius Sacramenti. Cap. 8.

QVo ad vſum autem, rectè & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc ſanctū Sacramentum accipiendi diſtinxerunt. Quoſdam enim docuerunt ſacramentaliter duntaxat id ſumere, vt peccatores: alios autem ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt: Tertios porrò, ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter. Hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant & inſtruunt, vt veſtem nuptialem induti, ad diuinam hanc menſam accedant. In ſacramentali autē ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt Laici à ſacerdotibus cōmunionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos, tāquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, iure ac merito retineri debet.

Demum autem paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, rogat & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, vt omnes & ſinguli qui Chriſtiano nomine cēſentur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo iam tandem aliquando conueniant & concordent, memoreſque tantæ maieſtatis & tam eximij amoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis eius ea fidei conſtantia & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate & cultu credant & venerētur, vt panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is verè eis ſit animæ vita & perpetua ſanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cæleſtem patriam peruenire valeant, eundem panem Angelorum quem modo ſub ſacris velaminibus edunt, abſque vllo velamine manducaturi. Quoniam autem non eſt ſatis veritatem dicere, niſi & detegantur & refellantur errores: placuit ſanctæ Synodo hos canones ſubiungere, vt omnes iam agnita doctrina Catholica, intelligāt quoque quæ illis hæreſes caueri vitarique debeant.

## Canones de Sacramento Euchariſtiæ.

1. SI quis negauerit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti ac proinde totum Chriſtum: Sed dixerit tantummodo eſſe in eo vt in ſigno vel figura aut virtute; anathema ſit.

2. Si quis dixerit in ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini vnà cum corpore & ſanguine Domini noſtre Iesv Christi, negaueritq; mirabilem illam & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini: quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

3. Si quis negauerit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta totum Chriſtum contineri, anathema ſit.

4. Si quis dixerit peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: Sed tantum in vſu dum ſumitur, non autem ante vel poſt, & in hoſtijs ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur vel ſuperſunt non remanere verū corpus Domini; anathema ſit.

5. Si quis dixerit vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionē peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema ſit.

6. Si quis dixerit in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum vnigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ etiam extremo adorandum, atque ideò nec feſtiua peculiari celebritate venerandum: neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem ſolenniter circungeſtandum, vel non publicè vt adoretur populo proponēdum, & eius adoratores eſſe Idolatras; anathema ſit.

7. Si quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere vt illa ad infirmos honorificè deferatur, Anathema ſit.

8. Si quis dixerit Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter ac realiter, Anathema ſit.

9. Si quis negauerit omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint,



Digitized by Google

peruenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum iuxta præceptum SanSanctæ Matris Eccleſiæ, Anathema ſit.

10. Si quis dixerit non licere Sacerdoti celebranti, ſeipſum communicare, Anathema ſit.

11. Si quis dixerit ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indignè atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur: Statuit atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

## De Sacramento Pœnitentiæ.

### *De eius neceſſitate & inſtitutione.* Cap. 1.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam in baptiſmo ipſius beneficio & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus aliud ab ipſo baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus diues in miſericordia cognouit figmentum noſtrum: illis etiã vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſteà in peccati ſeruitutem & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem Pœnitentia vniuerſis hominibus qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam qui baptiſmi Sacramẽto ablui petiuiſſent, vt peruerſitate abiecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur. Vndè Propheta. *Ezech.* 18. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit. *Luc.* 13. Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis. Et Princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus baptiſmo initiãdis pœnitẽtiam commendans dicebat. *Act.* 2. Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Porrò nec ante aduentum Chriſti pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante baptiſmum. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflauit in diſcipulos ſuos dicens. *Ioan.* 20 Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit: & Nouatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tãquam hæreticos exploſit atque condemnauit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probãs & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annunciandi, contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falſo detorquent.

### *De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptiſmi.* Cap. 2.

CÆterum hoc Sacramentum multis rationibus à Baptiſmo differre dignoſcitur. Nam præterquàm quod materia & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet: cõſtat certè baptiſmi miniſtrum iudicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminẽ iudicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi (inquit Apoſtolus) 1. *Cor.* 12. de ijs qui foris ſunt iudicare? Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro baptiſmi, ſui corporis membra ſemel efficit. Nam hos, ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptiſmo ablui, (cùm id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat) ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, vt per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitẽtes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi & alius Pœnitentiæ fructus: per Baptiſmum enim Chriſtum induentes noua prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen nouitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, diuina id exigente iuſtitia, peruenire nequaquam poſſumus; vt meritò pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit. Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe baptiſmus.

### *De partibus & fructu huius Sacramenti.* Cap. 3.

DOcet præterea ſancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe, *Ego te abſoluo, &c.* Quibus quidẽ de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationẽ ſunt neceſſariæ. Sunt autẽ quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempè Cõtritio Confeſſio, & Satisfactio: qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo: quam interdum in viris pijs & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi Spiritus conſolatione conſequi

Digitized by Google

ſequi ſolet. Hæc de partibus & effectu huius Sacramenti ſancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententias damnat, qui pœnitentiæ partes, incuſſos conſciẽtiæ terrores & fidẽ eſſe contẽdunt.

## De Contritione. Cap. 4.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniã peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ & voto pręſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus hanc contritionem non ſolum ceſſationem à peccato & vitæ nouæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odiũ continere: iuxta illud *Ezech.* 18. Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & Spiritum nouum. Et certè qui illos ſanctorum clamores conſiderauerit. *Pſal.* 50. Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ, & alios huius generis: facilè intelligit eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet prætereà, etſi contritionem hanc aliquãdo charitate perfectam eſſe cõtingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur: ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam. Illam verò contritionem imperfectam quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ: declarat non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verumetiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum; non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore vtiliter concuſſi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt; & miſericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falſo quidam calumniantur Catholicos ſcriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre: quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit; ſed & falſo docent contritionem eſſe extortam & coactam, non liberam & voluntariam.

## De Confeſſione. Cap. 5.

Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, vniuerſa Eccleſiã ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: quò, pro poteſtate clauium, remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, nec æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent in cõfeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum aduerſus duo vltima decalogi pręcepta commiſſa, quæ nonnunquam animum grauius ſauciant, & periculoſiora ſunt ijs quæ in manifeſto admittuntur. Nam venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquàm rectè & vtiliter citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur (quod piorum hominum vſus demõſtrat) taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs expiari poſſunt. Verum cùm vniuerſa mortalia peccata etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant: neceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent: procul dubio omnia miſericordiæ diuinæ ignoſcẽda exponunt. Qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinẽt: nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere: quod ignorat, medicina non curat. Colligitur prætereà, etiã eas circunſtantias in confeſſione explicandas eſſe quæ ſpeciem peccati mutant: quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant, & fieri nequeat vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnã quam oportet pro illis pœnitentibus imponere. Vndè alienum à ratione eſt docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe, aut vnam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem: ſed & impium eſt confeſſionem quæ hac ratione fieri præcipitur impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt poſtquàm quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur. Pro quibus fideliter cum Propheta dicimus. *Pſal.* 50. Ab occultis meis munda me Domine. Ipſa verò huiuſmodi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, grauis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolationibus leuaretur. Quæ omnibus dignè ad hoc Sacra-

Digitized by Google

hoc Sacramentum accedentibus per abſolutionem certiſſimè conferuntur. Cæterum quo ad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem: etſi Chriſtus non vetuerit quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum & ſui humiliationem, cùm ad aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Vndè cum à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus magno vnanimique conſenſu ſecreta Confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modo etiam vtitur, fuerit ſemper commendata: manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat: ſed vt præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis cùm ad annos diſcretionis perueniſſent impleretur. Vnde iam in vniuerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo & maximè acceptabili tempore quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat & amplectitur tanquam pium & meritò retinendum.

## *De miniſtro huius Sacramenti & abſolutione.* Cap. 6.

CIrca Miniſtrum autem huius Sacramenti, declarat ſancta Synodus falſas eſſe & à veritate Euangelij pœnitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines præter Epiſcopos & Sacerdotes, clauium miniſterium pernitiosè extendunt, putantes verba illa Domini: Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlo, & quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retēta ſunt, ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcuè contra inſtitutionem huius Sacramenti ita fuiſſe dicta, vt quiuis poteſtatem habeat remittēdi peccata: publica quidem per correctionem, ſi correctus acquieuerit; ſecreta verò per ſpōtaneam confeſſionem cuicunque factam. Docet quoque etiam Sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tanquam Chriſti miniſtros functionem remittendi peccata exercere, eoſque prauè ſentire qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamuis autem abſolutio Sacerdotis, alieni beneficij ſit diſpenſatio: tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annunciandi Euangelium, vel declarādi remiſſa eſſe peccata; ſed adinſtar actus iudicialis, quo ab ipſo velut à iudice ſententia pronunciatur; atque ideò non debet pœnitens adeò ſibi de ſua ipſius fide blandiri, vt etiam ſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſoluendi deſit, putet tamen ſe propter ſolam ſuam fidem verè & coram Deo eſſe abſolutum. Neque enim fides ſine pœnitentia remiſſionem vllam peccatorum præſtaret: nec is eſſet niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem ioco ſe abſoluentem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulo requireret.

## *De caſuum reſeruatione.* Cap. 7.

QVoniam igitur natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxat feratur: perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc affirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſoluerentur. Vndè meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare. Nec dubitandum eſt (quando omnia quæ ordinata ſunt à Deo ordinata ſunt) quin hoc quidem Epiſcopis omnibus in ſua quiſque diœceſi (in ædificationem tamen non in deſtructionem) liceat, prò illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate. Præſertim quo ad illa quibus excōmunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſeruationem conſonum eſt diuinæ authoritati non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſunt: extra quem articulum Sacerdotes cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitātur, vt ad ſuperiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant.

## *De ſatisfactionis neceſſitate & fructu.* Cap. 8.

DEmùm quo ad ſatisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita vna maximè noſtra ætate ſummo pietatis prætextu impugnatur ab ijs qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt: ſancta Synodus declarat falſum eſſe omninò & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur: quibus præter diuinam traditionē hic error quàm manifeſtiſſimè reuincitur. Sanè & diuinæ Iuſtitiæ ratio exigere

videtur

Digitized by Google

videtur; vt aliter ab eo in gratiam recipiatur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter verò, qui ſemel à peccatis & dæmonis ſeruitute liberati,& accepto Spiritus ſancti dono ſcienter tẽplum Dei violare,& Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint: & diuinam clementiam decet, ne ita nobis, abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur,vt occaſione accepta, peccata leuiora putantes; velut iniurij & contumelioſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur,theſaurizantes nobis iram in die iræ: proculdubio enim magnopere à peccato reuocant,& quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitioſos habitus malè viuendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior vlla via in Eccleſia Dei, vnquam exiſtimata fuit, ad amouendum imminentem à Domino pœnam, quam vt hæc pœnitentiæ opera homines, cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu qui pro peccatis noſtris ſatisfecit,ex quo omnis noſtra ſufficiẽtia eſt, conformes efficimur: certiſſimam quoque inde arrham habentes; quod ſi compatimur & conglorificabimur.Neque verò ita noſtra hæc ſatisfactio eſt quam pro peccatis noſtris exoluimus, vt non ſit per Chriſtum Ieſum. Nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil poſſumus;eo cooperante, qui nos confortat omnia poſſumus: ita non habet homo vnde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Debent ergò Sacerdotes Domini,quantum ſpiritus& prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo,alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis; vt ſatisfactio quam imponunt:non ſit tantum ad nouæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum: ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claues Sacerdotum non ad ſoluendum duntaxat;ſed ad ligandũm conceſſas; etiam antiqui patres,& credunt,& docẽt:neque propterea exiſtimarunt Sacramentum pœnitentiæ eſſe forum iræ, vel pœnarum. Sicut nemo vnquã Catholicus ſenſit, ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum nouatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam nouam vitam eſſe docent; vt omnem ſatisfactionis vim & vſum tollant.

## *De operibus ſatisfactionis.* Cap. 9.

DOcet præterea tãtam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem; vt non ſolum pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis: ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.

## *Doctrina de Sacramento extremæ Vnctionis.* Cap. 1.

VIſum eſt autem ſanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de pœnitentia adiungere, ea quæ ſequuntur de Sacramento extremæ Vnctionis, quod non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummatiuum exiſtimatum eſt à Patribus. Primum itaque circa illius inſtitutionem declarat & docet, quod clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit de ſalutaribus remedijs aduerſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum viuerent ab omni grauiori ſpiritus incommodo poſſint;ita extremo Vnctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio muniuit.Nam etſi aduerſarius noſter, occaſiones per omnem vitam quærat & captet, vt deuorare animas noſtras quoquo modo poſſit: nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ neruos intendat, ad perdendos nos pœnitus, & à fiducia etiam (ſi poſſit) diuinæ miſericordiæ deturbãdos, quam cum impendere nobis exitum vitæ proſpicit. Inſtituta eſt autem ſacra hæc Vnctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum noui Teſtamenti, à Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum,ac promulgatum. Infirmatur (inquit) quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum & alleuiabit Dominus,& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis; vt ex Apoſtolica traditione per manus acceptâ, Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum & effectum huius ſalutaris Sacramenti. Intellexit enim Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, nam vnctio aptiſſimè Spiritus ſancti gratiam, qua inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Formam deindè eſſe illa verba Per iſtam vnctioem, &c.

## *De effectu huius Sacramẽti.* Cap. 2.

REs porrò & effectus huius Sacramẽti illis verbis explicatur, & oratio fidei ſaluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dñs,;& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia eſt Spiritus S. cuius vnctio delicta,ſi quæ ſint adhuc expiãda, ac peccati reliquias abſtergit,& ægroti animã alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſubleuatus & morbi incommoda ac labores leuiùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit,& ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animi



Digitized by Google

animi expedierit conſequitur. Iam verò quod attinet ad perſcriptionem eorum qui & ſuſcipere & miniſtrare hoc Sacamentum debent, haud obſcurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & oſtenditur illic proprios huius Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ præsbyteros;quo nomine eo loco, non ætate ſeniores aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinati per impoſitionem manuum Presbyterì. Declaratur etiam eſſe hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur: vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti ſubſidio iuuari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli Iacobi ſententiam docent hanc vnctionem, vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem:& qui illam iam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationum duntaxat in primitiua Eccleſia referenda eſſet, & qui dicunt ritum & vſum quem ſancta Romana Eccleſia in huius Sacrmenti adminiſtratione obſeruat, Iacobi Apoſtoli ſententiæ repugnare, atque ideò in alium commutandum eſſe: & denique qui hanc extremam Vnctionem à fidelibus ſine peccato contemni poſſe affirmant. Hæc enim omnia manifeſtiſſimè pugnát cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. Nec profectò Eccleſia Romana aliarum omnium Mater & Magiſtra, aliud in hac adminiſtranda Vnctione (quantum ad ea quæ huius Sacramenti ſubſtantiam perficiunt) obſeruat, quam quod beatus Iacobus præſcripſit. Nec verò tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere & ipſius Spiritus ſancti iniuria eſſe poſſet.

Hæc ſunt quæ de Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramentis ſancta hæc œcumenica Synodus profitetur & docet atque omnibus Chriſti fidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem canones inuiolabiliter ſeruandos eſſe tradit, & aſſerentes contrarium perpetuò damnat & anatematizat.

## *Canones de Sacramentis Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis.*

1. SI quis dixerit in Catholica Eccleſia pœnitétiam non eſſe verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, Anathema ſit.

2. Si quis Sacramenta confundens ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi duo Sacraméta diſtincta non ſint; atque ideò Pœnitentiã non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, Anathema ſit.

3. Si quis dixerit verba illa Domini Saluatoris, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi peccatá in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit: detorſerit autẽ contra inſtitutionem huius Sacramẽti ad authoritatem prædicandi Euangelium, Anathema ſit.

4. Si quis negauerit ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confeſſionem, & Satiſfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: Aut dixerit duas tantùm eſſe pœnitentiæ partes; terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio vel abſolutione qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, Anathema ſit.

5. Si quis dixerit eam contritionem quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & vtilem dolorem nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: demum illum eſſe dolorem coactum & non liberum ac voluntarium, Anathema ſit.

6. Si quis negauerit Confeſſionem Sacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino: aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſeruauit & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti & inuentum eſſe humanum, Anathema ſit.

7. Si quis dixerit in Sacramenro Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ ſunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circunſtantias quæ peccati ſpeciem mutant: ſed eam Confeſſionem tãtum eſſe vtilem ad erudiendum & couſolandum pœnitentem, & olim obſeruatam fuiſſe tantùm ad ſatiſfactionem canonicam imponendam: aut dixerit eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle diuinæ miſericordiæ ignoſcendum: aut demum non licere confiteri peccata venialia, Anathema ſit.

8. Si quis dixerit Confeſſionem omnium peccatorum, qualẽ Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam à pijs abolendam: aut ad eam non teneri omnes & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles iuxta magni Concilij Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno; & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus vt non confiteantur tempore Quadrageſimæ, Anathema ſit.

9. Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitẽti, modo tantum

credat

credat ſe eſſe abſolutum: aut Sacerdos non ſeriò ſed iocò abſoluat, aut dixerit non requiri confeſſionem pœnitentis vt Sacerdos ipſum abſoluere poſſit, Anathema ſit.

10. Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſoluendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis: ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum, Quæcumque ligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo: & quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſoluere poſſit peccata, publica quidem per correctionem duntaxat, ſi correctus acquieuerit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem, Anathema ſit.

11. Si quis dixerit Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quo ad externam politiam, atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere quominus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, Anathema ſit.

12. Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam quam fidem qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, Anathema ſit.

13. Si quis dixerit pro peccatis quo ad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, vt ieiunijs & orationibus, eleẽmoſynis vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitẽtiam eſſe tantũ nouam vitã, Anathema ſit.

14. Si quis dixerit ſatisfactiones quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes, Anathema ſit.

15. Si quis dixerit claues Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſoluendum non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clauium & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe quòd virtute clauium, ſublatâ pœnâ æternâ pœna temporalis plærumque exoluenda remaneat, Anathema ſit.

## *Canones de Sacramento extremæ Vnctionis.*

1. SI quis dixerit extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à beato Iacobo Apoſtolo promulgatum. Sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, Anathema ſit.

2. Si quis dixerit ſacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum, Anathema ſit.

3. Si quis dixerit extremæ Vnctionis ritum & vſum quem obſeruat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Iacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, Anathema ſit.

4. Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ quos B. Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungẽdum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate, ob idque proprium extremæ Vnctionis miniſtrũ non eſſe ſolum Sacerdotẽ, Anathema ſit.

## *Doctrina de Communione ſub vtraque ſpecie, & paruulorum.* Seſſ. 21.

SAcro-ſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, cum de tremendo, & ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, varia diuerſis in locis errorum monſtra, nequiſſimi Dæmonis artibus circunferantur, ob quæ in nonnullis prouincijs multi à Catholicæ Eccleſiæ fide, atque obedientia videantur diſceſſiſſe: cenſuit ea, quæ ad Communionem ſub vtraque ſpecie, & paruulorum pertinent, hoc loco exponenda eſſe. Quapropter cunctis Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de ijs aliter vel credere, vel docere, vel prędicare audeãt, quàm ex his decretis explicatũ, atque definitum.

## *Laicos & Clericos non conficientes, non aſtringi Iure Diuino ad Communionem ſub vtraque ſpecie.* Cap. 1.

ITaque ſancta ipſa Synodus, à Spiritu ſancto, qui ſpiritus eſt ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & pietatis, edocta, atque ipſius Eccleſiæ iudicium & conſuetudinem ſecuta, declarat ac docet, nullo diuino præcepto laicos, & clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum: neq; vllo pacto, ſalua fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat: nam etſi Chriſtus Dominus in vltima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio, & traditio eò tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini ad vtramque ſpeciem accipiendam aſtringantur. Sed neque ex ſermone illo, apud Ioannem ſexto, rectè colligitur, vtriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe: vtcunque iuxta varias ſanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: dixit etiam: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Et deniq; qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.



Digitized by Google

### *Eccleſiæ poteſtas circa diſpenſationem Sacramenti Euchariſtiæ.* Cap. 2.

PRæterea declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramẽtorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret, id autem Apoſtolus non obſcurè viſus eſt innuiſſe, cùm ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei; atque ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe ſatis conſtat, cùm in multis alijs, tum in hoc ipſo Sacramento, cùm, ordinatis nonnullis circa eius vſum: Cætera, inquit, cùm venero, diſponam.

Quare agnoſcens ſancta mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet: tamen progreſſu temporis, latiſſimè iam mutatâ illa conſuetudine, grauibus & iuſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habẽdam decreuit: quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ authoritate pro libito mutare non licet.

### *Totum & integrum Chriſtum, ac verum Sacramentum, ſub qualibet ſpecie ſumi.* Cap. 3.

INſuper declarat, quamuis Redemptor noſter, vt antea dictum eſt, in ſuprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit: tamen fatendum eſſe, etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum verumque Sacramentum ſumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.

### *Paruulos non obligari ad Communionem Sacramentalem.* Cap. 4.

DEnique eadẽ ſancta Synodus docet paruulos, vſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſiquidem per Baptiſmi lauachrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiã in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſeruauit: vt enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt.

## *CANONES.*

1. SI quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes, & ſingulos Chriſti fideles vtranque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere: Anathema ſit.

2. Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non iuſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, vt laicos, atque etiam clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret: aut in eo erraſſe: Anathema ſit.

3. Si quis negauerit, totum, & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem, & authorem, ſub vna panis ſpecie ſumi, quia, vt quidam falsò aſſerunt, non ſecũdum ipſius Chriſti conſtitutionem ſub vtraque ſpecie ſumatur: Anathema ſit.

4. Si quis dixerit paruulis, antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ Communionem: Anathema ſit.

Duos verò articulos, aliàs propoſitos, eos nondum tamen excuſſos, videlicet: An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes ſub vna tantùm panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus: &, An, ſi honeſtis, & Chriſtianæ charitati cõſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis vſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit: & quænam ſint illæ: Eadem ſancta Synodus, in aliud tempus, oblata ſibi quàm primùm occaſione, examinandos, atque definiendos reſeruat.

## *Doctrina de Sacrificio Miſſæ.* Seſſ. 22.

SAcroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Sedis Apoſtolicæ Legatis, vt vetus abſoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Euchariſtiæ myſterio in ſancta Catholica Eccleſia fides atque doctrina retineatur, in ſua puritate, propulſatis erroribus atque hæreſibus, conſeruetur: de ea, quatenus verum, & ſingulare ſacrificium eſt, Spiritus ſancti illuſtratione edocta, hæc, quæ ſequuntur, docet, declarat, & fidelibus populis prædicãda decernit.

### Caput 1.

QVoniam ſub priori teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo, propter Leuitici ſacerdotij imbecillitatem conſummatio non erat: oportuit, Deo, patre miſericordiarum, ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguẽdum no erat: in cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragẽdum, repræſentaretur: eiuſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur: Sacerdotem

ſecundum

Digitized by Google

ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarãs, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit: & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit. Nam celebrato veteri Paſchate, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſraël immolabat, nouum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum trãſtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt: quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obſcurè innuit Apoſtolus Paulus, Corinthijs ſcribens, cùm dicit: Non poſſe eos qui participatione menſæ Dæmoniorum polluti ſint, menſæ Domini participes fieri; per menſam, altare vtrobique intelligens. Hæc denique illa eſt, quæ per varias ſacrificiorum, naturæ, & legis tempore ſimilitudines figurabatur: vtpote quæ bona omnia, per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio & perfectio complectitur.

## Caput 2.

ET quoniam in diuino hoc Sacrificio quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus cõtinetur, & incruentè immolatur, qui in Ara Crucis ſimul ſeipſum cruẽtè obtulit: docet ſancta Synodus, Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt, ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti, ac pœnitentes, ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum Pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit, vna enim eademque eſt hoſtia, idemque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit; ſolâ offerendi ratione diuerſâ. Cuius quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur: tantùm abeſt, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apoſtolorum traditionem, offertur.

## Caput 3.

ET quamuis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit: non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronauit: Vndè nec Sacerdos dicere ſolet: Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule: ſed Deo, de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat: vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

## Caput 4.

ET cùm ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimũ Sacrificium: Eccleſia Catholica, vt dignè reuerenterque offerretur ac perciperetur, ſacrum canonem multis ante ſæculis inſtituit, ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem, & pietatem quandam redoleat, menteſque offerentium in Deum erigat. Is enim conſtat cùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum pijs inſtitutionibus.

## Caput 5.

CVmque natura hominum ea ſit, vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli: propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quædã ſummiſſa voce, alia verò elatiore, in Miſſa pronunciarentur, inſtituit. Cæremonias item adhibuit, vt myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina & traditione, quò & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.

## Caput 6.

OPtaret quidem Sacro-ſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi huius Sacrificij fructus vberior prouenirer: nec tamen ſi id non ſemper fiat, propterea Miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, vt priuatas & illicitas, damnat, ſed probat, atque adeò commendat. Siquidem illæ quoque Miſſæ verè communes cenſeri debent, partim quòd in eis populus ſpiritualiter communicet; partim verò, quòd à publico Eccleſiæ Miniſtro non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.

## Caput 7.

MOnet deinde ſancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent: tum quòd Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit. Quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cùm aquæ in Apocalypſi beati Ioannis populi dicantur: ipſius populi fidelis cum Capite Chriſto vnio repræſentatur.

## Caput 8.

ETſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem: non tamen expedire viſum eſt Patribus, vt vulgari paſſim lingua celebraretur.

Quamobrem retento vbique cuiuſque Eccleſiæ antiquo, & à ſancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Matre & magiſtra probato ritu, ne oues Chriſti eſuriant, neúe paruuli panem petant, & non ſit qui frangat eis: mandat ſancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Miſſarum celebrationem vel per ſe, vel per alios ex ijs quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant: atque inter cætera ſanctiſſimi huius ſacrificij myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis & Feſtis.

## Caput 9.

QVia verò aduerſus veterem hanc, in ſacroſancto Euangelio, Apoſtolorum traditionibus, ſanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi diſſeminati ſunt errores, multaque à multis docentur, atque diſputantur: ſacro-ſancta Synodus poſt multos, grauesq; his de rebus, maturè habitos tractatus, vnanimi Patrum omnium conſenſu, quæ huic puriſſimæ fidei, ſacræque doctrinæ aduerſantur, damnare, & à ſancta Eccleſia eliminare, per ſubiectos hos canones, conſtituit.

## *CANONES.*

1. SI quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium: aut quod offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari: Anathema ſit.

2. Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem: Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes: aut non ordinaſſe, vt ipſi, alijque ſacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum: Anathema ſit.

3. Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantùm eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti: neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus offerri debere: Anathema ſit.

4. Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio, in Cruce peracto, per Miſſæ ſacrificiũ: aut illi per hoc derogari: Anathema ſit.

5. Si quis dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione, apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit: Anathema ſit.

6. Si quis dixerit, Canonem Miſſæ errores continere, ideòque abrogandum: Anathema ſit.

7. Si quis dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica vtitur, irritabula impietatis eſſe, magis quàm officia pietatis: Anathema ſit.

8. Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramẽtaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas: Anathema ſit.

9. Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſima voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe: aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere: aut aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eò quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem: Anathema ſit.

## *Decretum de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ.*

QVanta cura adhibenda ſit, vt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur: quiuis facilè exiſtimare poterit, qui cogitarit, maledictum in ſacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligẽter. Quod ſi neceſſariò fatemur, nullum aliud opus adeo ſanctum, ac diuinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo viuifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidiè immolatur: ſatis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt interiore cordis munditia, & puritate, atque exteriore deuotionis ac pietatis ſpecie peragatur. Cum igitur multa iam ſiue temporum vitio, ſiue hominum incuria, & improbitate irrepſiſſe videantur, quæ à tanti Sacrificij dignitate aliena ſunt, vt ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem reſtituatur: decernit ſancta Synodus, vt ordinarij locorum Epiſcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere ſedulò curent, ac teneantur: quæ vel auaritia, idolorum ſeruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix ſeiuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix, induxit. Atque, vt multa paucis comprehendantur: in primis, quod ad auaritiam pertinet, cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Miſſis nouis celebrandis datur: necnon importunas, atque illiberales eleẽmoſynarum exactiones, potiùs quàm poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu non lõgè abſunt, omninò prohibeant. Deinde, vt irreuerẽtia vitetur: ſinguli in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat. Neminem prǽterea, qui publicè, & notoriè criminoſus ſit, aut ſancto altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant: neúe patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinarijs deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus aut regularibus quibuſcunque peragi: ac niſi prius qui interſint, decenter compoſito corporis habitu, declarauerint ſe mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non ſolum corpore, adeſſe. Ab Eccleſijs verò muſicas eas vbi ſiue organo, ſiue cantu laſciuum, aut impurum aliquid miſcetur, item ſæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant: vt domus Dei verè domus orationis eſſe videatur, ac dici poſſit. Poſtremò, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur: edicto, & pœnis propoſitis caueant ne ſacerdotes alijs, quàm debitis horis, celebrent, neúe ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ

ab Eccleſia

Digitized by Google

ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili vſu receptæ fuerint. Quarundam verò Miſſarum, & candelarum certum numerũ, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quàm à vera religione, inuentus eſt, omnino ab Eccleſia remoueant: doceantque populum, quis ſit, & à quo potiſſimũ proueniat ſanctiſſimi huius Sacrificij, tam pretioſus ac cœleſtis fructus. Moneant etiam eundem populum, vt frequenter ad ſuas parochias, ſaltem diebus Dominicis, & maioribus Feſtis accedant. Hæc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum ordinarijs ita proponuntur, vt non ſolùm ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint: ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam, vt Delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant: atque ad ea inuiolatè ſeruanda, cenſuris Eccleſiaſticis, alijſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant: non obſtantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque.

## *Doctrina de Sacramento Ordinis.* Seſſ. 23.

### Caput 1.

SAcrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta ſunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in nouo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit: fateri etiam oportet, in ea nouum eſſe viſibile, & externum ſacerdotium, in quod vetus tranſlatum eſt. Hoc autem ab eodem Domino Saluatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus in ſacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem eius, necnon & peccata dimittendi, & retinendi, ſacræ literæ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.

### Caput 2.

CVm autem diuina res ſit tam ſancti ſacerdotij miniſterium, conſentaneum fuit, quò dignius & maiore cum veneratione exerceri poſſet, vt in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diuerſi eſſent miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſeruirent: ita diſtributi, vt, qui iam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad maiores aſcenderent. Nam non ſolùm de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis ſacræ literæ apertam mentionem faciunt: & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda ſunt, grauiſſimis verbis docent: & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque vniuſcuiuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarij in vſu fuiſſe cognoſcuntur: quamuis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad maiores ordines à Patribus, & ſacris Concilijs refertur, in quibus & de alijs inferioribus frequentiſſimè legimus.

### Caput 3.

CVm Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum vnanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam cõferri: dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis. Inquit enim Apoſtolus: Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.

### Caput 4.

QVoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt: meritò ſancta Synodus damnat eorum ſentẽtiam, qui aſſerunt noui Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere: ac ſemel ritè ordinatos, iterùm laicos effici poſſe, ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. Quod ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè noui Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata, confundere: perinde ac ſi contra beati Pauli doctrinam omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores. Proinde ſacro-ſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locũ ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere: & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, à Spiritu ſancto, regere Eccleſiam Dei: eoſque presbyteris ſuperiores eſſe: ac Sacramentum Confirmationis conferre: miniſtros Eccleſiæ ordinare: atque alia pleraque peragere ipſos poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet inſuper ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum nec populi, nec cuiuſuis ſæcularis poteſtatis, & magiſtratus conſenſum, ſiue vocationem, ſiue authoritatem ita requiri, vt ſine ea irrita ſit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut ſæculari poteſtate, ac magiſtratu vocati & inſtituti, ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt: & qui ea propria temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures, & latrones, per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. Hæc ſunt, quæ generatim ſanctæ Synodo viſum eſt Chriſti fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis & proprijs Canonibus in hunc, qui ſequitur, modum damnare conſtituit, vt omnes, adiuuante Chriſto, fidei regula vtẽtes, in tot errorum tenebris, Catholicã veritatẽ facilius agnoſcere & tenere poſſint.

## *CANONES.*

SI quis dixerit, non eſſe in nouo teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum: vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum

rum corpus & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi: ſed officium tantùm, & nudum miniſterium prædicandi Euangelium: vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes: Anathema ſit.

2. Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & maiores & minores, per quos, velut per gradus quoſdam, in ſacerdotium tendatur: Anathema ſit.

3. Si quis dixerit, Ordinem, ſiue ſacram ordinationem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum: vel eſſe figmẽtum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis: aut eſſe tantum ritum quendam eligendi miniſtros verbi Dei & Sacramentorum: Anathema ſit.

4. Si quis dixerit, per ſacrã ordinationem non dari Spiritum ſanctum: ac proinde, fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum ſanctum: aut per eam non imprimi characterem: vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe: Anathema ſit.

5. Si quis dixerit, ſacrã Vnctionem, qua Eccleſia in ſancta ordinatione vtitur, non tantùm non requiri, ſed contemnendam & pernicioſam eſſe: ſimiliter & alias Ordinis cœremonias: Anathema ſit.

6. Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex epiſcopis, presbyteris, & miniſtris: Anathema ſit.

7. Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem: vel Ordines ab ipſis collatos ſine populi, vel poteſtatis ſecularis conſenſu aut vocatione irritos eſſe: aut eos, qui nec ab Eccleſiaſtica & Canonica poteſtate ritè ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliundè veniunt, legitimos eſſe verbi & Sacramentorum miniſtros: Anathema ſit.

8. Si quis dixerit, Epiſcopos, qui autoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos ac veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum: Anathema ſit.

## *Doctrina de Sacramento Matrimonij.* Seſſ. 24.

MAtrimonij perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens, diuini Spiritus inſtinctu pronunciauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniungi, Chriſtus Dominus apertius docuit, cùm poſtrema illa verba tanquam à Deo prolata, referens dixit: Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro: ſtatimque eiuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tantò ante pronunciatam, his verbis confirmauit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatem cõfirmaret, coniugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit, quod Paulus Apoſtolus innuit dicens: Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: Mox ſubiungens: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Cùm igitur matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Chriſtum gratiâ præſtet: meritò inter nouæ legis Sacramenta annumerandum, ſancti Patres noſtri, Concilia, & vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt: aduerſus quam impij homines huius ſæculi inſanientes non ſolùm perperam de hoc venerabili Sacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo prætextu Euangelij libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata conſuetudine aliena, ſcripto & verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſti fidelium iactura: quorum temeritati ſancta, & vniuerſalis Synodus cupiens occurrere, inſigniores prædictorum Schiſmaticorum hæreſes & errores, ne plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipſos hæreticos, eorumque errores decernens anathematiſmos.

## CANONES.

SI quis dixerit, Matrimonium non eſſe verè, & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſiam inuectum, neque gratiam conferre: Anathema ſit.

2. Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum: Anathema ſit.

3. Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, vt plures impediant, & dirimant: Anathema ſit.

4. Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs conſtituendis erraſſe: Anathema ſit.

5. Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à coniuge, diſſolui poſſe matrimonij vinculum: Anathema ſit.

6. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatũ, per ſolemnẽ religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi: Anathema ſit.

7. Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm docuit & docet, juxta Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonij vinculum non poſſe diſſolui: & vtrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere: mœchariq; eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero alij nupſerit. Anathema ſit.



Digitized by Google

8. Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges, quo ad thorum, ſeu quo ad cohabitationẽ, ad certum, incertùmue tẽpus fieri poſſe decernit: Anath. ſit.

9. Si quis dixerit, clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolenniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto: & oppoſitum nil aliud eſſe, quàm damnare Matrimonium: poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam vouerint, habere donum: Anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.

10. Si quis dixerit, ſtatum coniugalem anteponendum ſtatui virginitatis, vel cœlibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm iungi Matrimonio: Anathema ſit.

11. Si quis dixerit, prohibitionem ſolennitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab ethnicorum ſuperſtitione profectam: aut benedictiones & alias cæremonias, quibus Eccleſia in illis vtitur, dãnauerit: Anat. ſit.

12. Si quis dixerit, cauſas Matrimoniales non ſpectare ad iudices Eccleſiaſticos: Anathema ſit.

## *Decretum de reformatione Matrimonij.* Cap. I.

TAmetſi dubitandum non eſt, clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit: & proinde iure damnãdi ſint illi, vt eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant: quique falsò affirmant, Matrimonia à filijs familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe: nihilominus ſanctà Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. Verùm cùm ſancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientium iam non prodeſſe; & grauia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam cõtraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt: cui malo cùm ab Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, ſuccuri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco ſacri Lateranenſis Concilij, ſub Innocentio III. celebrati, veſtigijs inhærendo præcipit, vt in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur: vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuſcuiuſque prouinciæ ritum. Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimoniũ malitiosè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes: tunc vel vna tantùm denunciatio fiat: vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denũciationes in Eccleſia fiant: vt, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & iudicio ſancta Synodus relinquit. Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote: de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt: eos ſancta Synodus ad ſic cõtrahendum omnino inhabiles reddit: & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat. Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes qui ſine Parocho, vel Sacerdote huiuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem ſancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem Sacerdotalem, in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: ſtatuitq; benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij Sacerdoti concedi poſſe: quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel priuilegio, non obſtante. Quòd ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſiue Regularis, ſiue ſecularis ſit, etiamſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere cõtendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia Matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & teſtium nomina, diemq; & locum contracti Matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Poſtremò ſancta Synodus coniuges hortatur, vt antequàm contrahant, vel ſaltem triduò ante Matrimonij conſummationem, ſua peccata diligenter cõfiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ prouinciæ alijs, vltra prædictas, laudabilibus conſuetudininibus, & cæremonijs hac in re vtuntur, eas omnino retineri ſancta Synodus vehemẽter optat. Ne verò hæc tam ſalubria præcepta quẽquam lateant, Ordinarijs omnibus præcipit, vt quamprimùm poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in ſingulis ſuarum diœceſum Parochialibus Eccleſijs, idq; in primo anno quàm ſæpiſſimè fiat: deinde verò quoties expedire viderint. Decernit inſuper, vt huiuſmodi decretum in vnaquaq; Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis, in eadem Parochiâ factæ numerãdos.

### CAPVT 2.

DOcet experientia, propter multitudinẽ prohibitionem, multoties in caſibus prohibitis ignoranter cõtrahi Matrimonia: in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur: vel ea non ſine



magno

Digitized by Google

# EX IV. PARTE DOCTORIS NOSTRI ALENSIS.

A Qvæstione I. ad 9. *eò breuiùs, quò plura reſumunt ex* p 3. à q. 27. ad 60. *& infra ſub noſtris Quæſt. reſumuntur.*

Qvæst. 1. De Sacramentis in genere, per 7. *Membra*. 1. Quid ſit? *Reſp*. Eſt ſignum rei ſacræ, &c. Vt *p*. 3. *q*. 55. & nos infra *col*. 37. 40. *Mem*. 2. De eorum neceſſitate, per 3. Art. *Ad* 1. *Reſp*. Illi parti magis adhæreo, quòd Sacramenta ſtatum naturæ lapſæ reſpiciunt. *Ad vlt. Arg*. In primo ſtatu fuiſſent fruſtra: quia tunc homo non fuiſſet ſubiectus ſignis: vel inde præſenſiſſet ſuum caſum. Vt infra *col*. 61. 67. 113. 637. *Mem*. 3. per 5. *Art*. De eorum inſtitutione, vel inſpiratione, obligatoria vel non, &c. Vt infra *col*. 83. *Mem*. 4. De eorum conuenientia, & varijs differentijs: vt infra *col*. 50. 113. 114. *Mem*. 5. per 2. *art*. De eorum vi, ex fide ſaltem implicita Paſſionis Chriſti, &c. Vt *p*. 3. *q*. 56. & infra à *col*. 43. *Mem*. 6. per 2. *art*. De eorum duratione vſque ad Chriſtum, vel finem mundi, &c. Vt *p*. 3. *q*. 59. 90. & infra à *col*. 177. *Mem*. 7. De effectu proprio Sacramentorum nouæ legis, ſanctificandi ex ſe: aliorum autem, nonniſi ex fide, &c. Vt *p*. 3. *q*. 60. & infra à *col*. 43.

Qvæst. 2. per 5. *Membra*. 1. De eorum numero. *Reſp*. Erant plura quàm decimæ, oblationes, & ſacrificia. Vt *p*. 3. à *q*. 51. *ad* 60. *Mem*. 2. per 4. *art*. De Matrimonio legis naturæ. *Reſp*. Fuit inter vnicum & vnicam, non inter parentes & proles: in officium, & Sacramentum vnionis futuræ Chriſti cum Eccleſia, &c. Vt *p*. 3. *q*. 27. *m*. 4. *art*. 4. & infra *col*. 83. 113. & à *col*. 860. Sed nota hìc *art*. 1. *ad* 3. Incarnationem Chriſti non eſſe ſolùm ob peccatum. *Mem*. 3. per 2. *art*. De pœnitẽtia legis naturæ. *Reſp*. Non fuit inſtituta in paradiſo: ſed aliquo modo indita à natùra, &c. Vt *p*. 3. *q*. 27. & infra *q*. 59. *col*. 636. *Mem*. 4. per 7. *art*. De varijs ſacrificijs antiquis, &c. Vt *p*. 3. *q*. 58. 59. & infra à *col*. 240. *Mem*. 5. De Sacramento Decimationis: vt *p*. 3. *q*. 51.

Qvæst. 3. De congruo illorum tempore, per 3. *Mem*. Ad quæ *Reſp*. Præcepta legis naturæ erant obligatoria: non Sacramenta, niſi neceſſaria & ſalutaria ex fide & deuotione fidelium.

Qvæst. 4. per 3. *Mem*. De initio, duratione, & fine Eccleſiæ. *Ad* 1. *Reſp*. Dicitur incæpiſſe ab Abel: quia fuit primus Martyr & teſtis Chriſti, *Matt*. 23. ſemper Sanctus, & ob primum ſignum fidei eius in ſacra ſcript. *Ad* 2. *Reſp*. Corpus Eccleſiæ numquam fuit Acephalum: ſed ſemper ſub Chriſto. *Ad* 3. Eccleſia numquam deſinet.

Qvæst. 5. per 4. *Mem*. De remedio contra peccatum orig. ante Circumciſionem. *Ad* 1. *Reſp*. Fuit remedium fidei pro paruulis, *cum aliqua deuotione exteriori offerentium, &c.* Vt *p*. 3. à *q*. 51. *ad* 60. & infra *q*. *noſtra* 5.

Qvæst. 6. per 4. *Mem*. De Sacramentis legis ſcriptæ, eorumque neceſſitate, varietate, vtilitate, duratione, & ceſſatione, &c. Vt *p*. 3. *q*. 32. & *q*. *noſtra* 4. Sed hìc *Mem*. 3. *art*. 1. dum ait, *Definitio Sacramenti non exigit expreſſionem ſigni*: videtur *definitio* irrepſiſſe pro *inſtitutione*, de qua agit ibi ex profeſſo.

Qvæst. 7. per 10. *Mem*. & plurimos *art*. De Circumciſione, eiuſque definitione, inſtitutione, obligatione, octaua die, cultro lapideo, efficacia, irreiterabilitate, duratione, & ipſius Chriſti. Ex quibus *Mem*. 4. *art*. 1. Non obligabat omnes poſteros Abrahæ: ſed hæredes futuros terræ promiſſionis. *Art*. 3. Sine præiudicio, Paruuli ante diem 8. poterant ſaluari fide parentum, per oblationes & ſacrificia. *Ad* 4. Videtur nullus mortuus incircumciſus in deſerto: vel tunc potuerunt ſaluari remedio legis naturæ. *Mem*. 6. *Art*. 1. Dies 8. erat eſſentialis ad ſignificationem, non ad purgationem. *Art*. 2. Ante diem 8. non debuit circumcidi paruulus, etiam in articulo mortis. *Mem*. 7. *Art*. 1. Non imprimebat characterem interiorem: ſed diſtinguebat delendo originale. *Art*. 4. §. 1. Videtur mihi ſine præiudicio, quod per eam dabatur gratia tollens peccatum orig. minuens concupiſcentiam, & præſtans vim reſiſtendi. §. 2. Ex eius vi non dabatur gratia operandi meritoriè.

Qvæst. 7. per 7. *Mem*. De Sacramentis legis nouæ. *Mem*. 1. *Art*. 1. De varijs definit. *Art*. 2. Quòd ſint ſigna voluntaria gratiæ creatæ, & præſentis. *Mem*. 2. per 4. *Art*. De eorum inſtitutione, & neceſſitate: verbatim vt infra *col*. 83. 113. *Mem*. 3. per 7. *art*. & plurimos §. De varia Materia, Forma verbali aut non, à Chriſto vel per Apoſtolos inſtitura, ſignificatione, & cauſalitate. Vt infra *col*. 58. 59. 72. 83. 113. 114. *Adde ex art*. 5. §. 3. *Aliqui volebant dicere quòd tantùm ſint cauſa ſine qua non: vt traditio annuli vel libri eſt cauſa collationis officij vel beneficij, ſed ſic non eſſent niſi ſigna & indicia, nec differrent à Sacramentis veteris legis, niſi quòd hæc indicarent gratiam vt in præſenti, illa vero vt in futuro, &c.* vt col. 59. §. 4. *Actio Sacramenti vt eſt Sacramentum, non eſt per ſenſibilẽ qualitatem in ſe: ſed per virtutem formæ intelligibilis, quæ eſt benedictio quâ agit diſponendo vt tali facta intinctione vel inunctione circa corpus, fiat à virtute ſpirituali talis ſanctificatio in anima.* §. 6. *Virtus ſanctificans eſt in ipſis materialibus: non in elemento ſolùm, nec ſolùm in verbo, ſed in illis ſimul; cũ actu exercito.* §. 7. *Deus iuſtificat vt cauſa efficiens ſeparata: gratia, fides, & charitas, vt cauſa coniuncta; Miniſtri, miniſtrando; Sacramenta, diſponendo; mandata Dei, dirigendo; opera, exercendo.*

*Mem*. 4. De effectu: vt col. 114. M. 5. De Miniſtris. 6. De duratione. 7. De numero, Sunt 7. &c.

EX

Digitized by Google

## QVÆSTIO I.

*Vtrum nomen Sacramenti rectè vſurpetur in Eccleſia Catholica, & quo ſenſu?*

QVAMVIS cùm de re conſtat, non ſit altercandum de nomine: ne tamen hodierni hæretici vel in hoc puncto præualere videantur;

*Reſpondetur*, Optimè vſurpari hoc nomen in Eccleſia: ſimpliciter quidem & abſolutè, pro ſuo principali ſignificato .i. pro Sacramento nouæ legis; ſub aliquâ autem additione, pro ſuo etiam communi ſignificato, non tantùm ſacri ſecreti, ſed etiam ſigni ſacri, conſecrati, vel conſecratorij, ſeu ſanctificantis.

*Probatur* I. Ex ipſa ethymologia huius Latini nominis, à ſacrando ſeu conſecrando.

II. Ex huius originali Græco, quod eſt *μυστήριον*, probabiliùs à verbo *μυέω* .i. conſecro: vnde & *μύστης* .i. Miniſter ſacer.

III. Ex vtriuſque originali Hebræo מלואה .i. conſecratio, à verbo מלא .i. impleo perficio.

IV. Ex vſu etiam profano Sacramenti, apud Varronem lib. 4. de lingua Latina, & alios, pro iuramento, voto, & pignore ſacro.

V. Ex vſu ſacræ Scripturæ: non tantum pro ſacro ſecreto, vt *Tob. 12. Eph. 1. & 3. 1. Tim. 3.* ſed etiam pro ſigno ſacro. *Dan. 2. Apoc. 1. 17.* & quidem in noua Lege ſanctificante. *Eph. 5. Sacramentum hoc magnum eſt, in Chriſto & Eccleſia.* Vt patebit infra, de Sacramento Matrimonij.

VI. Ex vſu antiquiſſimo PP. Tertulliani *lib. de præſcript. cap. 16.* S. Cypriani *lib. 1. Epiſt. 1. l. 2. Epiſt. 3. l. 4. Epiſt. 7.* Hilarij *in Pſal. 21.* S. Hieron. *in cap. 4. Ezech.* S. Ambr. toto expreſſo opere *De ijs qui initiantur* .i. conſecrantur myſterijs, ſeu Sacramentis Baptiſmi & Euchariſtiæ. Sed vice omniū B. Aug. Qui *Lib. 1. de Doctrina Chriſt. cap. 2.* diſtinctâ tota materia Theologica in Res & Signa ſacra. lib. 2. cap. 1. definit *Signum eſſe id quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cogitationem venire.* Deinde diſtinguit ſigna in *naturalia*, quæ ſignificent ſine voluntate ſeu appetitu ſignificandi; & in *ſigna data*, quæ procedant ex appetitu ſignificandi, etiam inter ipſa bruta, prout explicat *Cap. 2.* Vnde patet quantum differat hæc diuiſio Auguſtiniana, ab illa communi in *ſigna naturalia & ex inſtituto*, vtique rationali ac libero: quamuis ſoleant inter ſe confundi. *Cap. 3.* ſubdiuidit *ſigna data* inter homines, ſecundum quinque ſenſus, præcipuè viſum & auditum, præferens verba reliquis omnibus ſignis, in numero & ſignificatione; exemplificans tamen eodem *cap. 3. & lib. 3. cap. 9.* ipſa etiam Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ. Non quòd his etiam præterat verba ſignificationis humanæ: ſed quòd & ipſa Sacramenta conſtent Verbis tanquam formis efficácioribus, ſecundum illud B. Aug. *Tract. 80. in 15. Ioan. Vnde tanta virtus aquæ, niſi faciente verbo &c?* De quo infra. Vel quia non agit hîc ex profeſſo niſi de ſignis verbalibus, & de eorum propria aut figurata ſignificatione, ad expoſitionem ſacræ Scripturæ. Vnde nec deſcendit ad Sacramenta per ſubdiuiſionem ordinatam in ſigna ſpeculatiua, rememoratiua, demonſtratiua, vel prognoſtica, & in practica: ſed tantum incidit in occaſionem commendandi ſigna Sacramentalia nouæ Legis, & reprobandi ſigna ſacrilega ſuperſtitioſa ac magica: in quibus teſte Tertull. ſuprà, *Diabolus ipſas quoque res Sacramentorum diuinorum æmulatur.*

Epiſt. 5. ad Marcellinum: *Signa* (inquit) *cùm ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Epiſt. 23. ad Bonif. *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent, omninò Sacramenta non eſſent.* Lib. 10. de Ciuit. cap. 5. *Sacramentum* (inquit) *id eſt, ſacrum ſignum.* Epiſt. 119. ad Ianuarium cap. 1. *Sacramentum eſt in aliquâ celebratione, cùm rei geſtæ ita rememoratio fit, vt aliquid etiam ſignificari intelligatur, quod ſanctè accipiendum eſt.* Lib. 20. contrà Fauſtum cap. 13. *Quod certâ conſecratione non fit &c. alimentum eſt refectionis, non Sacramentum Religionis.* Cui non repugnat quod *lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ.* Panem benedictum Catechumenorum vocet etiam *Sacramentum*: Quia id tantùm (inquit) *ſecundum quendam modum ſuæ ſanctificationis*, non autem ſimpliciter. Vt patet ex illo textu, & ex noſtra Anatomia, *Tomo 2. col. 241. 450.*

Lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. *In nullum nomen Religionis coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio: quorum vis valet plurimùm &c.* Cap. 16. *Quid ſunt aliud quæque corporalia Sacramenta, niſi quædam quaſi verba viſibilia? Sacroſancta quidem &c.* Lib. 15. Ciuit. c. 26. *Ex latere Chriſti Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.*

*Lib. de vera Religione cap. 17. l. 3. de Doctrinâ Chriſtianâ cap. 9. l. 19. contra Fauſtum cap. 13. Epiſt. 23. & 119. cap. 1.* ac alibi ſæpè, De ſignificatione principali & abſoluta Sacramenti, pro Sacramentis nouæ Legis: de quibus ſucceſſiuè.

VII. Ex poteſtate Eccleſiæ inſtituendi vel appropriandi nomina rebus & ſignis ſacris. *Nobis enim*, inquit B. Aug. l. 10. de Ciuit. c. 23. *ad certam regulam loqui fas eſt: ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur impiam gignat opinionem.* Vndè & hoc nomen Sacramenti in hunc ſenſum per omnes Linguas vulgares orbis Chriſtiani meritò præualuit. Cùm enim conſtet Chriſtum in lege gratiæ prouidiſſe hominibus ex corpore & anima compoſitis, non tantum gratias quaſdam ſpirituales ac ſecretiſſimas, ſed etiam omnia media ac remedia exteriora ſalutis: oportet ea certo aliquo nomine proprio vel appropriato diſcerni, ac commendari; nec alio conuenientiori quàm nomine Sacramenti, à ſacrando & ad ſacrandam mentem, vt medium ad hoc ordinarium: ſicut fundamentum ad fundandum, documentum ad docendū, ornamentum ad ornandum.

VIII. Ex Regula illa communi, ſupponendi nomina ſimpliciter poſita pro ſuo principali ſignificato.

IX. Ex Doctrina ſacri Con. Flor. & Trid. ſuprà de 7. tantùm Sacramentis nouæ Legis; cum inhibitione

tione *dicendi* eſſe plura vel pauciora. Vnde patet reliqua ſigna ſacra nouæ Legis non poſſe *dici* ſimpliciter Sacramenta, ſed tantùm Sacramentalia vel Ceremonias ſacras.

### OBIECTIONES.

1. Sacramentũ à conſecrando videretur tantùm ſignificare cõſecrationem Euchariſtiæ aut ſacrorum Miniſtrorũ. *Reſp.* Ita quidem Antonomaſticè: ſed communiter, conſecratio ſignificat quamlibet actiuam aut paſſiuam appropriationem alicuius rei ad vſum aut finem ſacrum; perfectè autem, per intrinſecam ad hoc ſanctificationem. Hinc Sacramenta à ſacrando paſſiuè ſunt conſecrata ad ſacram aliquam ſignificationem: actiuè autem, ſunt etiam conſecratoria, extrinſecè vel intrinſecè. Prima verò res ex ſe ſacra vel ſancta, ſeù Sanctitas ipſa: à qua & ad quam immediatè vel mediatè omnia conſecrantur, eſt Deus; & quidem ordine aliquò pluſquàm naturali.

2. Sacra Script. & antiqui Patres aliter vtuntur hoc nomine, vel indifferenter ad alia: Ergo licet etiamnum vti. *Reſp. 1.* Non vti aliter nec ad alia, niſi ſub aliqua additione aut circumſtantia determinante. *Reſp 2.* Licere quidem referre vſum antiquum: non tamen vti omni antiqua libertate loquendi ſacræ Script. & Patrum, ſicut nec agendi; ſed ſequendum eſſe vſum communem Eccleſiæ. Alioquin liceret etiamnùm vti legalibus, nec eſſet abſtinendum niſi ab Idolatria, fornicatione, ſanguine ac ſuffocato *Act. 15.* Liceret vti nomine Cœnæ cum hæreticis, pro ſacra Communione, iam matutina, & nonniſi à ieiunis. Liceret abuti nomine Religionis cum eiſdem, ex *Coloſſ. 2.* pro ſuperſtitione, ac ipſa eorum irreligione: contra expreſſam monitionem B. Aug. *lib. 2. contra duas Epiſt. Gaudentij cap. 11. 12. 13.* Tomo noſtro 1. *col. 870. Tomo 2: col. 675.* Liceret abuti ipſo nomine Dei ex *Pſal. 46. 49. 80. 81.* pro Dæmonibus, vel Angelis, aut hominibus &c.

3. Conc. Flor. & Trid. ſupra vocant antiquæ legis Sacramenta, ſicut & nouæ: Ergo æquè ſignificãtur hoc nomine. *Reſp.* Additionem *antiquæ legis*, abſtrahere aut extendere ſignificationem ad hæc etiam imperfectiora ſignificata: additionem autem *nouæ legis*, non extendere ſignificationem, ſed tantùm exprimere principale ſignificatum, quod equidem ſignificaretur ſine illa, dicẽdo *7. ſunt Sacramẽta.*

4. Datur conceptus vniuocus Sacramenti ad omnia ſigna ſacra, multomagis ad omnia verè ſanctificantia: qualia fuerunt Remedium legis naturæ, & Circumciſio; ergo & hæc poſſunt inde denominari Sacramenta. *Reſp. 1.* Non omnia denominari poſſe ſimpliciter aut communiter, ſicut à paucioribus concipi poſſunt: ſed loquendum cum multis, ſentiendum autem cum paucis. *Reſp. 2.* Denominari fuiſſe, non autem eſſe Sacramenta: ſicut homo mortuus &c. *Reſp. 3.* Denominari cum aliqua additione abſtrahente ad illum communem cõceptum. *Reſp. 4.* Nec prætenſum illum conceptum vniuocum Sacramenti eſſe certum, nec eius inferiora eſſe æqualia, aut æqualiter hoc nomine ſignificari; ſed principaliter ac ſimpliciter, Sacramentum nouæ Legis.

## QVÆSTIO 2. SCHOLASTICA.

*Vtrum Sacramentum habeat aliquam rationem vniuocam, communem ad omnia ſua ſignificata, & particularem ac propriam ſuo principali ſignificato, ſecundùm quas definiri poſſit, & quomodo?*

Reſp. Ex Doctoribus noſtris, Alenſi *q. 1.* B. Bonauent. & Scoto *q. 2. in diſt. 1. Libri 4.* & aliũde: Non habere quidem vnam aliquam rationem realem; habere tamen vnam, & cõmunem & particularem rationem moralem, ſuo modo morali quadam definitione explicabilem. Nam præter cõmuniſſimam illam ſignificationem nimis æquiuocam, *rei ſacræ*, ſiue ſecretæ, ſiue ſignificatæ, ſiue ſignificantis, de quibus ſupra: habet vnam communem & quaſi vniuocam rationem formalem, ſed moralem ac relatiuam *ſigni ſacri.* à ſacra inſtitutione & ſignificatione rei ſacræ, præteritæ, præſentis, aut futuræ; quantumuis fundetur ac reſultet ex pluribus materialibus per accidens aggregatis. Habet & perfectiorem rationem cõmunem *ſigni ſacri*, ſuo modo ſanctificantis: ſed perfectiſſimam & ſolis Sacramentis nouæ Legis propriam, quæ his definitionibus explicatur.

1. Sit Iſidori lib. 6. Ethym. cap. 18. *Sacramentum eſt, per quod ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretiùs ſalutem operatur.*

2. Magiſtri Sent. diſt. 1. ex B. Aug. 10. Ciuit. 5. *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ.* Non tantùm vt ſupra q. 1. de quouis ſigno etiam ſpeculatiuo, rememoratiuo, aut prognoſtico; nec cuiuſuis *rei ſacræ*, exteriùs ac denominatiuè tantùm: ſed de ſigno Demonſtratiuo ac Practico, ſeu efficaci ipſius *rei ſacræ*, ideſt, hoc ipſo ſigno verè ac interiùs conſecratæ ſeu ſanctificatæ; idque ex publica ac ordinaria Dei inſtitutione per merita Chriſti.

3. Eſt eiuſdem ibidem. *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ forma viſibilis.* GRATIÆ, vtique formaliter ſanctificantis. FORMA, non informans, inhærens aut exemplaris tantùm: ſed & repræſentans, & quaſi imprimens ſubiecto ſuum illum gratiæ effectum. Vnde & ibidem explicatur, *quod eiuſdem gratiæ imaginem gerat, & cauſa exiſtat.* VISIBILIS, ideſt, ſenſu externo perceptibilis: denominatione vtique communi à ſenſu perfectiori. Quamuis enim contendi poſſit, vtrum ſit de ratione aut perfectione Sacramenti, vt ſit ſenſibile ſenſu externo: cùm poſſint eſſe ſigna aliqua ſacra imaginaria, vt viſiones Prophetarum; & de facto actus ſpirituales ac ſupernaturales pœnitentiæ & aliarum virtutum ſint nobis quædam ſigna noſtræ iuſtificationis; non tamen ſatis certa, nec publica, vt debent eſſe Sacramenta, quibus Fideles inter ſe communicent.

4. Hugonis lib. 1. parte 9. cap. 2. *Sacramentum eſt corporale vel materiale elemẽtum, foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem ac ſpiritalem gratiam.*

*Elementum.* i. ſignum ipſum materiale, reſpectu ſui formalis. Reliqua vt ſupra.

5. & 6. Pij V. ſeu Catechiſmi Romani cap. 3.

*Sacra-*

Digitized by Google

*Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram iuſtificationem inſtitutum.* Et cap. 3. *Eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & iuſtitiæ tum ſignificandæ tum efficiendæ vim habet.*

7. Ipſius Sacri Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. *Commune eſt Sanctiſſimæ Eucharistiæ cum reliquis Sacramentis: Symbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem.* Vbi vtendo verbatim & coniunctim vtraque illa definitione Magiſtri, ex B. Aug. 10. Ciu. 5. vtramque plurimum commendat, in ſenſu noſtro ſupra, vt patet ex ſeq. Niſi quod nomine Symboli magis exprimat ſignum publicum & commune.

8. Et vltima, ſit Doctoris noſtri Subtilis q. 2. in diſt. 1. huius lib. 4. *Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, gratiam vel effectum gratuitum ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans, ad ſalutem viatoris ordinatum.* In eundem aliarum ſenſum, ſed magis explicitum & diſtinctum inter Sacramentũ Euchariſtiæ & reliqua: quòd hæc ſignificent immediatè ipſam ſanctificationem, ſeu gratiam formaliter & actualiter ſanctificantem: illud autem immediatè ſignificet *effectum* ſummè *gratuitum* realis præſentiæ Chriſti, & gratiam ipſam ſubſiſtentem, ſeu Authorem omnis gratiæ præſentem; in ordine tamen ad ſanctificationem formalem & actualem communicantium. Quam diſtinctionem nõ tantùm Scotus hîc breuiter exprimendam duxit his verbis, *gratiam vel effectum gratuitum*: ſed latius Sacrum Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. *Reliqua*, inquit, *Sacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author ante vſum eſt.*

Ex quibus omnibus definitionibus inter ſe collatis pleræque difficultates hinc reſiliunt.

OBIECTIONES.

1. Res ſunt valdè æquiuocè ſacræ: Ergo & ſigna rerũ Sacrarũ. *Reſp.* Res poſſe dici quaſi vniuocè ſacras, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè ſacratas, ab vſu aut fine ſacro, vt ſupra. *Reſp. 2.* Signa etiam dici poſſe quaſi vniuocè ſacra, à ſola ſacra inſtitutione.

2. Hæc nomina, Deus, Gratia, Sanctificatio &c. ſunt ſigna rerum Sacratiſſimarum, ipſiuſque ſanctificationis realis, nec participant nomen aut rationem vllam Sacramenti: ergo Sacramentum non eſt nomen commune habens aliquam rationem communem ſigni rei ſacræ.

*Reſp.* Sacramentum eſſe ſignum non tantùm rei quæ ſacra eſt, ſed quatenus ſacra eſt; nec tantùm ex inſtitutione profana, ſed ſacra; ſicque eſſe ſignum ſacrum ſeu conſecratum ad ſignificandum rem ſacratiorem. Nomina autem illa nec ſunt ſacra ab inſtitutione, ſed profana; nec rerum ſacrarum vt ſacræ ſunt, ſed vt res quædam ſunt. Ita Alenſis.

3. Sacramenta antiquæ legis fuerunt tantùm figuræ & vmbræ futurorum. *Hebr. 10.* Ergo non conueniunt vniuocè cum noſtris in aliqua ratione cõmuni, ſicut nec homo pictus cum viuo.

*Reſp. 1.* Fuiſſe quidem tantùm figuras reſpectu futurorum: ſed & ſacras, & rei ſacræ tùm futuræ, tùm legalis illius temporis.

*Reſp. 2.* Aliqua quidem fuiſſe immediatè figuras & vmbras noſtrorum Sacramentorum: ſed omnia vltimatè futurorum bonorum æternorum. *Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Vbi vel per *imaginem rerum* ſignificat ipſam præſentiam euidentem bonorum æternorum, ſicut per ſpeciem vt oppoſitam fidei & ænigmati *2. Cor. 5.* Vel comparat etiam præſentia Sacramenta cum præteritis, vt imaginem perfectam cum vmbra: quæ ſicuti eſt etiam imperfecta quædam imago ſeu ſimilitudo; ita & illa habuerunt quandam rationem imperfectam Sacramenti. Sicut & pictura hominis habet aliquam rationem communem formæ exterioris & ſigni externi naturæ humanæ, cum forma ipſa corporali hominis viui.

4. *Saluos vos facit Baptiſma non carnis depoſitio ſordium &c.* 1. Petri 3. Vnde & poteſt validè baptizari aqua ſordida. Ergo Sacramentum non debet eſſe ſignum repræſentãs ſuum effectum, nec verum eſt illud Aug. Epiſt. 23. ſupra col. 34.

*Reſp. 1.* Aquam tantùm per accidens eſſe ſordidam, ex natura autem ſua & vſu communi eſſe ad ablutionem, ſicque aptam ad ſignificandam ipſius etiam animæ mundationem. 2. Formam Sacramentalem perficere defectum materiæ etiam in ſignificando. 3. Significationem Sacramentalem nõ eſſe naturalem, ſed ex ſacra inſtitutione: quamuis in rebus aptis ad ſignificandum. 4. Illud *1. Petri 3.* non negare hanc ſimilitudinem naturalem, ſed ei negare formalem aut etiã cauſalem iuſtificationem. De quo latiùs infra. 5. Illud Aug. intelligendum eſſe de completa ſimilitudine ſacræ inſtitutionis, ex ſuppoſita aliqua ad hoc aptitudine naturali aut artificiali, ſine qua *omninò*, inquit, *Sacramenta non eſſent.* Quia ſine ſimilitudine ſacræ inſtitutionis, nõ eſſent formaliter Sacramenta; vel ſine illa aptitudine non eſſent materialiter Sacramenta, id eſt non fuiſſent à Deo aſſumpta ad rationem Sacramentorum.

5. Videntur illæ definitiones conuenire etiam alijs ſacris ſignis gratiæ ſanctificantis: vt, linguis igneis *Act. 2.* verbis quibus Chriſtus abſoluit Magdalenam *Luc. 7.*

*Reſp.* Sacramenta eſſe ſigna practica, ordinaria, ſeu ad hunc finem à Deo communiter inſtituta: linguæ autem igneæ *Act. 2.* non fuerunt ſignũ practicum ſeu efficax, nec ordinarium illius gratiæ, ſed tantùm indicatiuum & miraculoſum; verba verò illa Abſolutionis, etſi fortè practica, non fuerunt ordinariæ inſtitutionis.

6. Formæ Sacramentorum ſignificant ſuos effectus ex inſtitutione humana: ergo quamuis efficiant, non tamen ſignificãt ex inſtitutione diuina.

*Reſp.* Non ſignificare efficaciter niſi ex inſtitutione diuina; nec ſignificationem illam humanam eſſe de perfecta aut etiam communi ratione Sacramenti, ſed tantùm ſacram ſignificationem ex aliqua inſtitutione diuina.

7. Prætenſæ illæ definitiones videntur valdè differentes, & defectuoſæ à perfectis definitionibus per genus & differentiam.

*Reſp.* Eſſe accomodatas morali rationi perfectiori Sacramenti, per genus ſigni ſacri rei ſacræ, & differentiã ſigni practici talis ſacræ ſignificationis efficacis, & talis ſignificati ſacri. Quamuis definitio Hugonis ſit materialior: Scoti autem noſtri Formalior. De quibus adhuc ſub ſingulis Sacramentis.

8. Videntur omnes conuenire Remedio Legis naturæ & Circumciſioni: ergo non ſunt propria Sacramentis nouæ Legis.



Digitized by Google

Reſponſio ſupponit Quæſtionem de ſignificatione & virtute illius Remedij & Circumciſionis.

## QVÆSTIO 3. DOGMATICA.

### *Vtrum Sacramenta ſint efficacia gratiæ, inſtrumentaliter, & immediatè, ex Opere Operato, ſeu ex vi ſuæ inſtitutionis & applicationis: An verò tantùm obiectiuè, mediatè, vel ex Opere Operantis impetratoriè aut meritoriè.*

RESP. Eſſe efficacia priori modo, nõ autem poſteriori tantum. Eſt de Fide ex *ſeſſ. 6 cap. 7. & ſeſſ. 7 Can. 5. 6 7. 8.* Sacri Conc. Trid. cõtra omnes hæreticos huius ſeculi: qui quamuis videri velint deferre magnã vim Sacramẽtis nouæ Legis, negant tamen veram eorum efficaciam. Nam Anabaptiſtæ tribuunt eis tantùm vim quandam doctrinalem & exemplarem pretenſæ vitæ ſpiritualis: Swingliani vim tantùm obligatoriam ſuſcipientiũ erga Chriſtum & Eccleſiam: Lutherani & Caluiniſtæ, vim tantùm obiectiuam mouendi ſuſcipientes ad fidem illorũ iuſtificantem tanquam per Verbum Dei prędicatum aut per miracula ſeu mirabilia ſpectacula, picturas, vel ſigilla promiſſionũ diuinarũ de iuſtificatione credentium ſe iuſtificari aut eſſe iuſtificatos per merita Chriſti, ſecundũ Lutheranos; vel ſe eſſe prædeſtinatos, ſecundum Caluiniſtas. Vt patet ex ſeſſ. 6. Conc. Trid. de Iuſtificatione *Cap. 7. & Can. 12. 13. ac 14.* contra Lutheranos: *Cap. autem 12. ac 13. & Can. 15. 16. 17.* contra Caluiniſtas. Et ex Cõfeſſione Auguſtana Lutheranorũ, ac Antidoto Caluiniano in Trid. ad *Can. 7. ſeſſ. 7.* & aliunde.

*Fundatur 1.* Hæc Doctrina Catholica, & euertitur oppoſita, ex ſacrâ Scripturâ.

Quæ præfigurat hanc veram cauſalitatem ſpiritualem noſtrorum Sacramentorum, in verâ cauſalitate corporali figurarum: vt, vim baptiſmalem ſaluandi à peccatis, in ſalute octo animarum à diluuio per arcam *1. Pet. 3.* in vera ac reali Circumciſione carnis *Coloſſ. 2.* in verâ ac reali ſubmerſione Ægyptiorum, & ſaluatione Iſraëlitarum per mare rubrum &c. *1. Cor. 10.* Vbi & ſubditur *Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis.*

Prædicit etiam hanc veram cauſalitatem noſtrorum Sacramentorum, præ illis antiquis. Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Michææ 7. *Proijciet in profundum maris peccata veſtra.* Zach. 13. *In illa die erit fons patens domus Iacob, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ, &c.* de futuro noſtro Baptiſmo, ſecundum B. Hieron. *epiſt. 87.* ad Oceanum. B. Aug. *in Pſalm. 113.* Porrò ſacra ſigna antiquæ Legis æquè diſtinguebant, obligabãt, & obiectiuè mouebant ad fidem illius legis, ac noſtra: ergo hæc omnia ſunt intelligenda de perfectiori cauſalitate noſtrorum.

Denique hanc ſatis exprimit ſub formâ cauſali Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu S. &c.* Luc. 3 *Ego Baptizo vos in aquâ: ille autem baptizabit vos in Spiritu ſancto.* Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Actorum 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorũ.* Act. 22. *Baptizare & ablue peccata tua.* Eph. 5. *Mundans eam lauacro aquæ &c.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum Regenerationis.* Et alibi ſæpe, prout ſub Tractatu de ſingulis Sacramentis recurret. Nõ ſolet autem ſacra Script. ſic abſolutè loqui de ſola prædicatione verbi Dei, miraculis, aut alijs ſignis ſacris: & quamuis ſubinde tribuat etiã noſtris Sacramẽtis vim quandã ſecundariam monendi, diſtinguẽdi, obligandi, ſine præiudicio primariæ virtutis cauſaliter ſanctificandi; nunquam tamen fictitiam illam vim Lutheranam & Caluiniſticam confirmandi fidem illam temerariam prætenſæ iuſtificationis aut prædeſtinationis. Cùm autem Caluiniſtæ contendant nihil eſſe credendum niſi in ſacra Scriptura expreſſum: hoc ipſo ſatis conuincuntur temerariæ ac præſumptuoſæ fidei; quo docent, à ſuſcipientibus Sacramenta, certò credendũ ſe eſſe prædeſtinatos ac iuſtificatos; abſque vlla ſingulari expreſſione, imò & contra varias communes monitiones ſacræ Scripturæ. Eccleſ. 9. *Nemo ſcit vtrum amore an odio dignus ſit.* Rom. 11. *Noli altum ſapere ſed time, &c.* 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat &c.*

*Probatur 2.* Ex ſacris Concilijs: Nicæno, ſecundùm verſionem Alphonſi Piſani. *Aquam vides, conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam.* Conſtantinop. 1. in Symbolo: *Credimus* (inquit) *vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Flor. & Trid. ſuprà: Mileuitano, Arauſicano & alijs, quibus olim definita eſt vnitas Baptiſmi ſingulorum, & valor Baptiſmi paruulorum: quæ ſupponũt hanc veram cauſalitatem Baptiſmi. Quomodo enim moueret infantes ad fidem, aut confirmaret in fide actuali? & cur non poſſent adulti rebaptizari ad renouandam aut confirmandam hanc fidem, æquè ac poſſunt ſæpe catechizari, doceri, ac moueri ad credendũ?

*Prob. 3.* Ex antiquis ac ſanctis PP. ad ſingula Sacramenta ſucceſſiuè citandis. Hîc autem, ex Tertull. lib. de Reſurrectione carnis, de pleriſque Sacramentis ſimul. *Caro* (inquit) *abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima conſecretur; caro ſignatur, vt anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur; caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt anima Deo ſaginetur.*

Sed expreſſiſſimè & vice omnium ex B. Auguſtino. Qui *lib. 3. Doct. Chriſt. cap. 9. lib. 19.* contrà Fauſtum *cap. 13. Epiſt. 118.* ad Ianuarium *cap. 1.* & alibi ſæpè, præfert in hac etiam virtute & cauſalitate, Sacramenta noſtra antiquis: quæ erant obiectiuè æquè efficacia, aut efficaciora noſtris.

*Libris 7.* de Baptiſmo. 6. contrà Iulianum, & alijs, de interna ſanctificatione infantium per *occultiſſimam ſui Spiritus gratiam*: quam Deus per Baptiſmum *latenter infundit & paruulis*, inquit Lib. 1. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 9. Non alia vtique quam hâc cauſalitate poſſibili in paruulos. Ibidem ac alibi ſæpè docet valorem ac ſanctitatem Sacramentorum eſſe independentem à Miniſtris & ſuſcipientibus. Vt lib. 4. de Baptiſmo cap. 12. *Cùm Baptiſma verbis Euangelicis datur: qualibet peruerſitate ea intelligat ille per quem datur, vel ille cui datur: Ipſum per ſe ſanctum eſt, propter illum cuius eſt.* Cap. 13. *Sanctitas Sacramenti nec ab immundis pollui poteſt.* 14. *Sacramentum per ſe ſanctum eſt.*

Sæpiſſimè tribuit vim ſingularem ſignis, & præcipuè formis Sacramentalibus. Vt libro 19. contra Fauſtum cap. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet*

Digitized by Google

*valet plurimum: & ideo contempta ſacrilegos facit. Impiè quippè contemnitur, ſine quo non poteſt perfici pietas.* Lib. 3. de Baptiſmo cap. 10. *Sacramento ſuo diuina virtus aſſiſtit.* Lib. 6 cap. 25. *Deus adeſt verbis Euangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt: & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum; vt hominis ſiue antequam baptizetur, ſiue cum baptizatur, ſiue poſteà quandoque ad ſe veraciter conuerſo idipſum valeat ad ſalutem. Ante* quidem, non niſi quodam voto Baptiſmi: *poſt autem.* non niſi ex impreſſione alicuius virtutis. Tract. 80. in Ioan. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat?* De quo infra. Hãc autem vim refert in merita Chriſti 15. Ciu. 26. & alibi.

Sed nullibi expreſſius de vi illa ſanctificandi ex Opere Operato, quàm lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. *Cur Abrahæ præceptum eſt vt omnem deinceps infantem maſculum octauo die circumcideret. qui nondum poterant corde credere, vt eis deputaretur ad iuſtitiam: niſi quia & ipſum per ſeipſum Sacramentum multum valebat?* Quod ſi hoc de Circumciſione, quanto magis de Baptiſmo & reliquis Sacramentis nouæ Legis?

*Probatur 5.* Varijs experientijs miraculoſis: tùm ipſius B. Cypriani circà ſeipſum. *Lib 2 Epiſt. ad Donatum*: tùm B. Auguſtini *lib. 4. confeſſ. cap. 4* circà ſuum Sodalem, vi baptiſmi extrà vſum rationis ei collati ſubitò conuerſum; tùm publica illa ex hiſtorijs Eccleſiaſticis, circà Geneſium Mimum, Baptiſmo ioco ſuſcepto in fidelem Chriſti Martyrem ſeriò transformatũ. Quæ experientiæ miraculoſæ interiores & exteriores, quamuis non ſint effectus ordinarij Sacramentorum: probant tamen eorum ſecretã ac ordinariam efficaciã ex Opere Operato, ſeu ex vi ſuæ inſtitutionis ac applicationis.

*Probatur 6.* Plurimis rationibus collectis ab efficacia propria Sacramentorum circà ſolos & omnes recipientes, quamuis cœcos, ſurdos, infantes, aut vſu rationis priuatos, & incapaces omnis alterius effectus Sacramentalis quàm ex Opere Operato: non autem circà Miniſtros, aut alios præſentes quantumuis attentos, & capaces omnis Operis Operantis & motuum obiectiuorum. Reliquæ probationes elicientur ex ipſis obiectionibus retortis.

### *OBIECTIONES EX SACRA SCRIPTVRA.*

I. ABacuc 2. Rom. 1. Gal. 3. Hebr. 10. *Iuſtus ex fide viuit.* Et alibi ſæpè iuſtificatio tribuitur fidei, negando eam Operibus, tam Operatis quàm Operantium. Vt Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Non autem, Qui non baptizatus fuerit. Rom. 3. *Arbitramur iuſtificari hominẽ ſine Operibus legis.* Cap. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam: Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Gal. 2. *Non iuſtificatur homo ex Operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti &c.*

*Reſp. 1.* Iuſtum ex fide viuere, originaliter ex *Abacuc 2.* non eſſe idem quod iuſtificari: ſed conſtanter expectare euentum promiſſionum Dei, ex fide veracitatis ac fidelitatis in promittente. Quod Gallicè dici ſolet, *Viure en eſperance.* Vt patet ex cõtextu Abacuc 2. & Hebr. 10. imò & Rom. 1. Sed Gal. 3. extenditur ad iuſtificationem: non cauſalem, formalem, & habitualem perſonarum, ſicut per Sacramenta; ſed ad iuſtificationem ſeu excuſationem Operum à culpa & pœna, & ad valorem eorum apud Deum; non ex vi ipſius legis literalis, præcipientis aut prohibentis; ſed ex fide per charitatem Operante illa opera. Vt patet ex contextu, & maximè ex relatione ad finem totius Epiſtolæ expreſſum cap. 5. *In Chriſto Ieſu neque Circumciſio aliquid valet neque præputium: ſed fides quæ per charitatem operatur.*

*Reſp. 2.* Ex Trid. *ſeſſ. 6. cap. 6* Primam Iuſtificationem peccatorum adultorũ tribui alicui eorum fidei actuali: non cauſaliter nec formaliter, ſed diſpoſitiuè. Hebr. 11. *Oportet accedentem ad Deum credere.*

*Reſp. 3.* Ex Trid. *ſeſſ. 6. cap. 7. & 8* Cauſam efficientem inſtrumentalem noſtræ iuſtificationis internæ eſſe Sacramenta: ſed cauſam formalem, eſſe fidem, ſpem, & charitatem infuſam; ſicque fidem, *ſine qua nemo poteſt placere Deo.* Hebr. 11. non eſſe formam adæquatam, ſed tantùm radicalem ac fundamentalem noſtræ iuſtificationis.

*Reſp. 4.* Salutem noſtram aliquando tribui ſimpliciter & abſolutè fidei: ſed viuæ & per charitatem operanti. Vt ſupra *Gal. 5.* Nõ tamen ad excluſionem Sacramentorum, nec ipſius Dei & Chriſti.

*Reſp. 5.* Salutem noſtram aliquando tribui fidei: non ad excluſionem Sacramentorum aut bonorum operum, vt peruertunt hæretici; ſed ad ſignificandam reliquorum omnium originem, vſum & applicationem ex fide, mouente ad reliqua omnia media ac remedia ſalutaria.

*Reſp. 6.* Sæpè tribui fidei: expreſsè ad ſolam excluſionem legis Moſaïcæ & Operum eius. Vt patet ex *Rom. 2. 3. 4. Gal. 3. 5.* Vnde hæretici ſolent ab *Operibus Legis*, vtique antiquæ, truncare *Legis*: vt videantur excludi omnia bona opera & Sacramenta etiam Legis nouæ.

*Reſp. 7.* Matth. 28. non reſumi, *Qui non baptizatus fuerit*: ſed tantùm, *Qui non crediderit*; tùm quia adultus non baptizatur ſalubriter, niſi priùs actualiter crediderit; tùm quia nemo ſaluatur per Baptiſmum niſi ei infundatur fides; tùm denique quia ſicut Infantes Baptizati ſaluantur fide infuſa, abſque actuali; ita & adulti non Baptizati poſſunt ſaluari fide actuali per charitatem operante, cum voto implicito Baptiſmi.

OBIECT. 2. *Gen. 17.* Dixit Deus ad Abraham: *Hoc eſt pactum meum inter me & vos. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum &c.* Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*: ex Gen. 15. Infra. *Quomodo ergo reputata eſt? in Circunciſione, an in præputio? Non in Circunciſione, ſed in præputio. Et ſignum accepit Circunciſionis, ſignaculum Iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio Patris noſtri Abrahæ.* Ergo, cùm Circumciſio fuerit verum Sacramẽtum: hæc non ſunt cauſæ inſtrumentales iuſtificationis præſentis; ſed tantùm *pacta*, ſeù ſigna promiſſionum diuinarum, noſtræque erga eum obligationis, & diſtinctionis ab infidelibus: vel ad ſummum, *ſignacula*, ſeu ſigilla iuſtitiæ per fidem acceptæ, ſeù præexiſtentis.

*Reſp.* Retorquendo in aduerſarios, hinc conuinci Sacramenta eſſe ſigna efficacia iuſtificationis præſentis. Tùm quia *Gen. 15.* non dicitur, Abraham tunc primò iuſtificatum fuiſſe, credendo illi promiſſioni Dei: cùm credibiliùs ſit eum iuſtificatum fuiſſe ab infantia remedio aliquo Legis naturæ, & priùs referatur ipſum credidiſſe Deo, & fuiſſe

iuſtum ac obedientem Deo; ſed de ſingulari actu ac augmẽto iuſtificationis. Tùm quia *Gen. 17.* Circumciſio vocatur quidem pactum & ſignum promiſſionum Dei: ſed pactum cuiuſdam pacis & amicitiæ; non tantùm inter Deum & Abrahamum, ſed etiam ſemen Abrahæ; & ſignum non tantum promiſſionum aliarum, ſed vel maximè huius in ipſo pacto expreſſæ: *Infans 8. dierum circumcidetur in vobis &c. Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit: delebitur anima illa de populo ſuo.* Et è contra: cuius caro circumciſa fuerit, non delebitur. Quod non poteſt intelligi de lege aliqua occidendi infantes 8. dierum incircumciſos: quia non erant rei huius omiſſionis, ſed tantùm eorum parentes. Ergo de perditione vel ſalute ſpirituali animæ per purgationem aut non, à peccato originali; & de aggregatione aut non, ad populum Dei Fidelem. Atqui non potuit eſſe tale pactum pacis inter Deũ & infantes *Filios iræ*, niſi per iuſtificationem à peccatis: nec eſſe ſignum veræ aggregationis ad populum Fidelem, niſi per infuſionem veræ Fidei & gratiæ iuſtificantis; ergo fuit tale pactum & ſignum inſtrumentale veræ iuſtificationis. Tùm quia *Rom. 4.* Commendatur quidem Iuſtitia Abrahæ ante Circumciſionem ex Fide & obedientia eius ad Deum; vt deprimeretur inter nouos Chriſtianos nimia æſtimatio Circumciſionis: non tamen negatur ille effectus Sacramentalis Circumciſionis circa infantes Abrahæ, imò nec circa ipſum Abraham. Quia fuiſſe in ipſo ſignaculum iuſtitiæ præexiſtentis, non negat auxiſſe in illo iuſtitiam: tùm ex merito ſubeundi ipſam circumciſionem in tanta ætate, tùm ex vi Sacramentali ipſius Circumciſionis. Nec nomen ſignaculi aut etiam ſigilli ita ſupponit præexiſtentiam rei ſignatæ aut ſigillatæ: quin etiam admittat ſignificationem documenti, aut inſtrumenti collatiui alicuius officij, beneficij, aut debiti in eo expreſſi.

Obiect. 3. Deus ſolet quibuſdam ſignis rememoratiuis & prognoſticis, quaſi ſuis teſtimonijs cõfirmare in nobis memoriam, & fidem ſuarum promiſſionum. Vt patet ex Iride *Gen. 11.* Rore, & vellere *Iud. 6.* Vmbra retrograda. *4. Reg. 20. Eſa. 39.* Ex conceptu Virginis *Eſa. 7.* & Eliſabeth ſterilis in ſignum conceptus Mariæ Virginis *Luc. 2.* Ergo & ita confirmauit promiſſionem remiſſionis peccatorum, & prędeſtinationis electorum ſuorum, ſignis Sacramentalibus. *Reſp.* Sacramẽta eſſe quidem ſigna beneuolẽtiæ Dei ad ſalutem noſtram: nõ tamen talia. Quia talia ſigna confirmatiua & teſtimonia debent eſſe nobis certiora, & notiora ſuis ſignificatis: Sacramenta autem non ſunt nobis certiora aut notiora promiſſis Dei generalibus de remiſſione peccatorum, & electione quorundam; nec ſunt vllatenus ſigna certa ſecretiſſimæ illius prædeſtinationis ſingulorum. Ergo non ſunt talia ſigna, & teſtimonia diuina: Alioquin non liceret conferre Sacramenta, niſi Sanctis & prædeſtinatis, aut ſub conditione ſanctitatis ac prædeſtinationis ſingulorum; ne teſtimonium Dei applicaretur rebus falſis aut incertis, ſicque exponeretur periculo falſitatis.

Obiect 4. Sacra Scriptura tribuit Sacramentis etiam nouæ legis, vim diſtinguendi, obligandi, rememorandi, monendi, & mouendi fideles obiectiuè, exemplariter, tropologicè, allegoricè, & anagogicè. Vt de Baptiſmo *Rom. 6.* De reliquis autem ſucceſſiuè.

*Reſp.* Tribui has omnes ſignificationes, & cauſalitates improprias, ac ſecundarias: ſine præiudicio propriæ ac primariæ ibidem, vel alibi ſæpius expreſſæ. Sicut ſacra Scriptura habet ſuos ſenſus tropologicos, allegoricos, anagogicos, ſaluo, ac ſuppoſito litterali ſeu proprio.

Obiect. 5. Sacra Script. ſoli Deo reſeruat noſtram iuſtificationem. Vt Eſa. 47. *Ego ſum qui deleo iniquitates veſtras dicit Dominus.* Luc. 5. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?*

*Reſp.* Reſeruare ſoli Deo, vt cauſæ principali: abſque excluſione Chriſti à cauſalitate meritoria, aut Sacramentorum ab inſtrumentali. Sed ridiculum eſt quòd quidam Hæretici citent pro ſe illud Phariſæorum contra Chriſtum *Luc. 5.* ac ſi quis citaret pro ſe verba diaboli aut impiorum relata in ſacra Scriptura.

Obiect. 6. Matt. 2. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. *Ego Baptizo, vel baptizaui vos aqua, vel in aqua: ille autem baptizabit vos Spiritu, vel in ſpiritu ſancto*: inquit S. Ioan. Baptiſta de Chriſto. Ergo Chriſtus non baptizat, ſeu mundat inſtrumentaliter ipſo Sacramento Baptiſmi: ſed ſolo Spiritu ſeu virtute Spirituali. Id enim exigit illa comparatio & antitheſis inter Baptiſmum S. Ioannis & Chriſti.

*Reſp.* Retorquendo in oppoſitum. Tùm quia Ioannes Baptizabat aqua *in pœnitentiam*, inquit: ſeu monendo, & mouendo ſuos auditores, & ſpectatores ad pœnitendum; non tantum illo ſigno baptiſmali, ſed etiam *prædicando pœnitentiam in remiſſionem peccatorum*. Ergo Chriſtus baptizat efficacius, etiam Sacramentaliter ex opere operato: Alioquin non eſſet vlla comparatio, nec à minori ad maius. Nam S. Ioannes obiectiuè, exemplariter, doctrinaliter, æquè & plus mouebat ſuo baptiſmo & verbo monitorio, ad pœnitentiam & iuſtificationem, quam Miniſtri Baptiſmi Chriſti. Tùm quia Chriſtus dicitur hic verè & propriè baptizaturus: Ergo vero, & nouo ac proprio Baptiſmo ſuo, ſeu ſuæ inſtitutionis. Atqui mundatio ſpiritualis tantùm nec eſt propriè dictus Baptiſmus, nec nouus & proprius Chriſti, ſed Dei ab initio: Ergo Chriſtus baptizat ſuo nouo & proprio Baptiſmo Sacramentali, diſtincto à Baptiſmo Ioan. tam quoad formam verbalem, quam quoad cauſalitatem & effectum Spiritualem, & immediatè ex Opere Operato. Tùm quia dicitur hîc Chriſtus baptizare, & baptizaturus: Et tamen *Ioan. 4.* dicitur non baptizaſſe, ſed Diſcipuli eius: Ergo prædicitur ſemper baptizaturus per ſuos Miniſtros; non tantum quia ex inſtitutione Chriſti, ſed etiam ex meritis, & in nomine ac perſona eius. Vnde & 1. Cor. 11. *Quiſque veſtrum dicit, Ego ſum Pauli, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* In quæ B. Aug. Tract. 6. in Ioan. *Petrus baptizet, Chriſtus baptizat: Paulus baptizet, Chriſtus baptizat, &c.* Hinc meritò cauſalitas Sacramentalis dicitur ex Opere Operato: non tantum Miniſtri ſed etiam ipſius Chriſti. Si enim Eſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis Domine*: quanto magis

magis Chriſtus omnia & ſingula Sacramēta? Non tantùm ab inſtitutione, ſed etiam ab actuali eorum operatione per ſua merita, & ſuos Miniſtros. Vnde & ſunt ſancta ac ſalutaria independenter à Miniſtris & ſuſcipientibus. Ex B. Aug. ſupra. Tum denique quia Baptizare *Spiritu*, aut in *Spiritu*, non eſt ſolo *Spiritu*, ſed etiam *Spiritu*; nec negat aquam aut formam Sacramentalem, ſed addit potentiam, virtutem, & effectum ſpiritualem. Præter relationem illam à Chriſto Act. 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Ad prædicendum ſingularem illum, ac miraculoſum, ſed metaphoricum baptiſmum ſeu diluuium Spiritus ſancti, in die Pent. ſub ſigno venti validi & linguarum ignearum: quæ fortè inſinuantur *Spiritu* illo & *igni* Matt. & Marc. 3.

OBIECT. 7. Matt. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Ergo baptizandum eſt doctrinaliter, non autem propriè cauſaliter. *Reſp.* 1. Hoc non poſſe intelligi de Baptiſmo infantium. 2. Ibi exprimi de docendis adultis infidelibus ante eorum Baptiſmum; ad amouendū obicem infidelitatis, & prauæ voluntatis. 3. Non poſſe intelligi de docendo, & baptizando coniunctim, nec ex neceſſitate Sacramenti, nec præcepti: tùm quia doctrina poteſt pluribus annis præcedere Baptiſmū: tùm quia non poteſt adhiberi incapacibus doctrinæ, capacibus tamen Baptiſmi; tùm quia ſic non plus liceret docere non Baptizando, quàm Baptizare non docendo.

OBIECT. 8. Sacra Script. tribuit vim principalem Baptiſmi, Verbo doctrinæ, Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ*: vtique doctrinali ſeu prædicato. Vt & Ioan. 6. *Verba vitæ æternæ habes.* *Reſp.* Verbo vitæ ſignificari quidem aliquando ſacram doctrinam: Hîc autem propriè ſolam formam Sacramentalem, vt præcipuè viuificantem, ſeu regenerantem. Tum quia verbum vitæ coniungitur hîc ſuæ materiæ propriæ, ſeu lauacro: Tum quia refertur ad formam verborum ſatis expreſſam Matth. 28 *Baptizantes eos, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Tum quia referendum eſt ad effectum illum *regenerationis* expreſſum, & attributum huic etiam lauacro *Tit. 3.* Verba autem vitæ æternæ *Ioan. 6.* relatiua ſunt ad totam Chriſti doctrinam, quatenus neceſſaria, & ſalutaris eſt ad vitam æternam, de qua ibi.

OBIECT. 9. Petri 3. *Saluos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium; ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* Vbi ſalus Sacramentalis negatur Baptiſmo, ſeu ablutioni corporali, & tribuitur bonæ conſcientiæ, ſeu fiduciæ in Deum, & reſurrectioni Chriſti. *Reſp.* Salutem hîc tribui Baptiſmati: interno quidem formaliter; externo autem, ſeu Sacramento cauſaliter: Non quatenus eſt formaliter nec cauſaliter ablutio ſordium corporalium; quia nec in hac eſt vera ſalus, nec ſignum aut vis Sacramenti; ſed ſignum & vis huius Sacramenti conſiſtit in lauacro aquæ, & verbo vitæ, ſiuè abluat ſordes corporales ſiuè non, vt ſupra *Col. 5.* Vera autem & propria ſalus formalis huius Sacramenti, eſt mundatio interna per gratiam, ab omni reatu culpæ, & pœnæ. Quæ ſalus optimè hic ſignificatur per ſuum propriū fructum ſecuræ prorſus conſcientiæ apud Deum, & per ſuam cauſam exemplarem, Reſurrectionis Chriſti ab omnibus huius corporis ac vitæ miſerijs. Vt Rom. 4. *Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram* & latius cap. 6. *Vt & nos in nouitate vitæ ambulemus &c.*

OBIECTIONES EX SS. PATRIBVS.

I. PAtres ſæpè vocant formas Sacramentorum, preces ſacras, inuocationes, benedictiones &c. Ergo tribuunt eis tantum vim impetratoriam.

*Reſp.* Sæpè ita vocare formas ceremoniales circa materiam remotam, aut perſonas: ſed aliquando etiam formas ipſas Sacramentales; non quaſi habeāt tantùm vim impetratoriam, cū ibidem eaſdem præferant reliquis omnibus precibus impetratorijs; ſed quia aliquæ exprimuntur inſtar precum, omnes autem includunt quandam implicitam inuocationem Dei ad effectum Sacramenti. Quia non ſunt efficaces ex ſe, aut etiam realiter; ſed tantùm moraliter, ex inſtitutione & promiſſione Dei verificandi earum ſignificationes, cauſando realiter earum ſignificata.

Si replicetur, preces tantùm impetratorias niſi etiā diuinis promiſſionibus exauditionis. *Reſp.* Nec has preces eſſe propriè externas, ſed internas; nec habere promiſſionem abſolutam hic & nunc impetrandi gratiam ijs pro quibus fiunt; nec applicari ſubiectiuè ſeu ſubiectis præſentibus, ſed obiectiuè etiam abſentibus; & quidem ſub conditionibus nimis incertis, alicuius gratiæ ſaltem actualis, & perſeuerantiæ in orando.

Si duplicetur, promiſſiones Sacramentales ſupponere etiam in Miniſtris bonam intentionem, in recipientibus autem aliquā ſaltem piam diſpoſitionem, ſuo modo meritoriam, vel impetratoriam.

*Reſp.* Non ſupponi in Miniſtris intentionem meritoriè bonam, ſed moraliter tātùm: in ſubiectis autem non ſupponi neceſſariò vllam diſpoſitionem meritoriam, aut impetratoriam, imò nec actualem, aut poſitiuam, ſed tantùm præuiam in adultis, negatiuam autē in paruulis. Nec derogari efficaciæ Sacramentorum ex Opere Operato, per diſpoſitiones ſubiectiuas, etiam neceſſariæ capacitatis ad effectum ſingulorum Sacramentorum: imò nec per diſpoſitiones actiuas, ſuo modo meritorias, aut impetratorias maioris gratiæ, quàm ex ſolo Opere Operato. Prout infra q. de Subiectis Sacramētorū.

Si triplicetur, pleraque Sacramenta ſupponere in ſuis ſubiectis ſtatum gratiæ, ad eius augmentum: Baptiſmum autem adultorū, & pœnitētiam ſupponere fidem, & contritionem aliquam de peccatis, ſaltem habitualiter perſeuerantem; imò & Baptiſmum infantium ſupponere ſaltem fidem, & charitatem Eccleſiæ pro ipſis.

*Reſp.* Pleraque ſupponere ſtatum gratiæ: non vt meritorium aut impetratoriū; ſed tantum vt capacitatem aut conditionem neceſſariam ad proprium effectum illorum Sacramentorum, qui eſt augmentum gratiæ: fidem autem & contritionem eſſe conditionem neceſſariam adultorum, ad tollendum obicem propriæ infidelitatis ac prauæ voluntatis actualis, ſuo modo perſeuerātis vſque ad actualem reuocationem: quæ cum non ſit in infantibus propria,

Digitized by Google

propria, ac poſitiua, ſed tantùm originalis, & priuatiua, non eſt amouenda per diſpoſitionem aliquam propriam & actualem; ſed tantùm per infuſionem gratiæ habitualis ex meritis ſolius Chriſti, per ſuos Miniſtros ac Sacramenta applicatis, in fide ac charitate obiectiua Eccleſiæ; non formali vel actuali cuiuſquam pro ipſis; ſed communi obiectiuâ ac habituali, ipſis habitualiter communicata.

Si quadruplicetur, ſupponi etiam conditiones valdè ſecretas & incertas, ad effectum Sacramentorum, imo & ipſum prætenſum effectum Sacramentalem. Quia ſupponitur diſpoſitio amotiua obicis, ad quam ſequitur infuſio gratiæ.

*Reſp.* 1. Conditiones intentionis in Miniſtris, & diſpoſitiones in ſubiectis, eſſe experimentales: non tantùm vnicuique in ſeipſo, ſed etiam exteriùs per ſigna voluntariæ miniſtrationis, ac ſuſceptionis, ideoque non eſſe moraliter ſecretas, ac incertas, ſed certas: imò nec fortè ipſum ſtatū gratiæ requiri ad augmentum gratiæ per pleraque Sacramenta, niſi in quantum ille ſtatus poteſt eſſe moraliter certus. 2. Ad ſolam amotionem obicis non ſequi infuſionem gratiæ ſine Sacramento: niſi obex amoueatur per actum iuſtificationis, aut vltimæ diſpoſitionis ad iuſtificationem, ex certa promiſſione Dei. De quo q. de Subiectis Sacramentorum.

II. Ex S. Hier. in Eſa. 4. *Homo tantùm aquam tribuit: Deus autem Spiritum ſanctum.*

*Reſp.* 1. Vt ſupra, ad obiectionem 4. & 5. ex ſacra Scriptura.

*Reſp.* 2. Hinc tantùm appropriari Deo cauſalitatem realem gratiæ: moralem autem non negari homini, per vel ad aquæ infuſionem.

*Reſp.* 3. Nec cauſalitatem illam moralem eſſe propriè donationem moralem: Quia donatio eſt rei propriæ, ab habente; non autem rei alienæ, à diſpenſante, & miniſtrante tantùm.

III. Ex eodē in Epiſt. ad Epheſ. 5. *Aqua lauit corpus, animam doctrina mundauit.* Reſp. 1. Eum ſolum ſic interpretari. 2. Tropologicè tantùm. 3. De breui doctrina ſolius formæ Sacramentalis. 4. De mundatione poſteriori, ab erroribus, & vitijs. 5. De mundatione diſpoſitiua ad Baptiſmum adultorum, per fidem & pœnitentiam. Nam probat ex illo Heb. 10. *Aſperſi corda à conſcientia mala*, vtique diſpoſitiuè per pœnitētiam, *& abluti corpus aqua munda.* Vtique ad mundandam animam.

IV. Ex B. Aug. lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. *Quid ſunt quæque Sacramenta: niſi quædam quaſi verba viſibilia?*

*Reſp.* Reddere ex profeſſo hanc rationē mutandi Sacramenta antiqua in noua: ſicut verba futuri temporis de Chriſto venturo, morituro &c. mutata ſunt in verba præteriti temporis de Chriſto nato, mortuo &c. Comparare tamen etiam Sacramenta nouæ legis verbis communibus: non quoad cauſalitatem; ſed quoad ſignorum Sacramētalium ſicut & verborum tranſitum, virtutis autem & effectus ſpiritualis ſtabilitatem. Non enim ait: *quid ſunt niſi verba?* Sed, *niſi quædam quaſi verba &c.* Subdit autem: *Sacroſancta quidem, veruntamen mutabilia & temporalia. Deus enim æternus eſt: nec tamen aqua & omnis illa actio corporalis quæ agitur cum baptizamus, & fit, & tranſit, æterna eſt. Vbi rurſus etiam illæ ſyllabæ celeriter ſonantes, cum dicitur Deus, niſi dicantur, non conſecratur. Hæc omnia fiunt, & tranſeunt: virtus tamen quæ per iſta operatur, iugiter manet; & donum ſpirituale quod per iſta inſinuatur æternum eſt.* Vnde patet ipſa virtus, & cauſalitas, ac effectus noſtrorum Sacramentorum. Quod enim exigit dictionem Dei ad cōſecrationem: intelligatur vt in abſolutione Anatomiæ noſtræ *Col. 86. finali*; vel de conſecratione ceremoniali aquæ baptiſmalis; vel de conſecratione efficaci totius actionis baptizandi, dicendo Deū Patrem &c. in ipſa forma Baptiſmi; ſed propriiſſimè hîc, *niſi dicatur*, id eſt, niſi dicēdo effluat. Donum autem illud ſpirituale, & æternum: non tantùm eſt gloriæ, ſed & gratiæ, quæ eſt etiā vita æterna *Rom. 6.* Nec *inſinuatur* tantùm ſignificando, ſed etiam infundendo. Vt *Col. 240. Tomi noſtri in B. Aug.*

V. Ex B. Aug. quæſt. 84. in Leuit. *Quomodo & Moyſes ſanctificat, & Dominus? Non enim Moyſes pro Domino: ſed Moyſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum; Dominus autem inuiſibili gratia per Spiritum ſanctum: vbi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum. Nam ſine iſta ſanctificatione inuiſibilis gratiæ, Sacramenta viſibilia quid proſunt?* Ergo non agnoſcit efficaciam noſtrorū Sacramentorū præ illis Moſaïcis.

*Reſp.* Hîc ex occaſione ſanctificationis illius Moſaïcæ legalis ac extrinſecæ Sacerdotum antiquæ legis: agi etiam de vera ſanctificatione intrinſeca à ſolo Deo, ſiue per vſum aliquem Sacramentorum antiquæ, aut nouæ legis, ſiue non. Nam quamuis ſacri ritus Moſaïci conſecrandi Sacerdotes non ſanctificarent intrinſecè ex *Opere Operato*: poterant tamen vt quædam preces impetrare gratiam aliquam actualem, & ſic mouere ſuſcipientes ad interiorem animi conuerſionem, ac iuſtificationem: ſine qua reuera *Sacramenta quid proſunt?* In quo comparantur quidem hic omnia: non tamen ad æqualitatem. Nam quantum præferat efficaciam noſtrorum, ſatis patet ſuprà, & infrà q. propria de hac differentia ac præferentia. Quæ nec hîc prorſus latet, ſub aliquot exemplis proprijs Sacramentorum nouæ legis.

VI. Ex B. Aug. *Tract. 80. in illud Ioan.* Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis. *Quare non ait* propter Baptiſmum quo loti eſtis: *niſi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum &c. Vnde tanta virtus aquæ vt corpus tangat & cor abluat? Niſi hoc faciente verbo: non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quod ſine dubio vt mundare poſſit, conſecratur & Baptiſmus &c. Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia: vt per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, tantillum etiam mundet infantem &c.* Ergo Sacramenta non ſanctificant per ſe ex Opere Operato: ſed tantum per verbum fidei prædicatum, & mouens ad fidem, ac pœnitentiam, aliumvè actum iuſtificantem, mediante ad hoc gratia aliqua actuali promiſſa verbo Dei æquè ac Sacramentis.

*Reſp.* Retorquendo etiam hunc locum difficilem, pro cauſalitate Sacramentali. Nam occaſione mundationis concionatoriæ per ſermonem Chriſti. *Ioan. 15.* tractat B. Aug. de omni mundatione etiam Sacra-

Digitized by Google

Sacramentali *per verbum Dei quod prædicatur: non quia dicitur, ſed quia creditur.* Quæ nõ tantùm ſignificant verbum, ſeu ſermonem quo formaliter *prædicatur*, cuius prædicatione Auditores mouentur ad fidem, quodque prædicando *dicitur*, & cui prædicato *creditur* aut credendum eſt: ſed etiam verbum quod obiectiuè *prædicatur*, & creditur, ac applicatur cum materia Sacramentali. Quod eſt ipſa forma Sacramẽtalis: non *quatenus dicitur*, ſeu eſt ſonus tranſiens; ſed *quatenus creditur*, ſeu credendũ eſt habere virtutẽ Dei aſſiſtentem, & permanentem, qua Sacramenta *conſecrantur*, ſeu perficiuntur in ſua vi ſignificandi ac ſanctificãdi, Sacramentaliter, ſubiectiuè, & formaliter, ſeu per applicationem ſubiectiuam, ad infuſionem gratiæ ſeu formæ ſanctificantis; non autem tantum obiectiuè, ſeu per propoſitionem obiectiuam, vel ad ſummum per motionem alicuius gratiæ actualis, ex prædicatione verbi Dei.

In quem etiam ſenſum intelligantur ſimiles comparationes Sacramentorum cum verbo Dei: niſi fortè intelligendæ ſint anagogicè, de illo Verbo Dei vnico, ac æterno. *Vt hom. 26. ex 50.* De quo ſub Sacramento Euchariſtiæ.

VII. Ex S. Bernardo ſerm. de Cœna Domini. *Sicut inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum: ita diuiſiones gratiarum diuerſis ſunt traditæ Sacramentis.* Ergo non efficaciter, vt ſuprà.

*Reſp.* Imò hinc non tantùm probatur pluralitas & differentia Sacramentorum, ac gratiarum Sacramentalium: ſed etiam vera illa cauſalitas Sacramẽtalis, ſed moralis tantum, de qua q. ſequenti. Sicut illæ inueſtitiones, ſeu collationes actuales beneficiorum aut officiorum, fiunt per applicationem ſignorum ad hoc inſtitutorum.

OBIECTIONES EX RATIONIBVS.

AB hac quaſi impoſſibili, vel irrationabili, aut alia rationabiliori cauſalitate Sacramentali: De quibus q. ſequenti.

---

## QVÆSTIO 4. SCHOLASTICA.

*Vtrum hæc cauſalitas Sacramentorum ſit realis, per ſecretam aliquam eorum influentiam in animam, vel vſque ad ipſam productionem gratiæ ſanctificantis, vel ad eius vnionẽ cum anima, vel ad aliquam animæ diſpoſitionem: An verò moralis tantum, & quomodo?*

REſp. Non eſſe realem vt ſupra, contra totam ſcholam S. Thomæ *in 4. diſt. 1. q. 1. art. 4. & 3. p. q. 62 a. 2.* ſed moralem tantùm, ſecundum expoſitionem Doctorum noſtrorum, Seraphici & Subtilis. Nam Seraphicus *diſt. 1. q. 4.* per duas laterales. *Reſp. ad 2.* relatâ priori illa opinione & modis eius: *Eſt* (inquit) *etiam aliorum magnorum Magiſtrorum circa hoc opinio, dicentium quod in Sacramentis non ſit cauſalitas, neque virtus aliqua, nec effectiua, nec diſpoſitiua ad gratiam, quæ ſit qualitas vel proprietas aliqua abſoluta, ſed per quandam aſſiſtentiam; Sacramento enim dicunt aſſiſtere diuinam virtutem, quæ eſt cauſa gratiæ, & fidem & deuotionem ſuſcipientis, quæ diſponunt ad gratiam.* Subdit ſimile Naaman à Deo ſanati in aqua Iordanis ad verbum Eliſæi. *4. Reg. 5. Sic in Sacramentis dicunt quòd ad prolationem verbi aſſiſtit virtus diuina aquis, & infundit gratiam, & regenerat; dum homo ſubijcit ſe ei per fidei profeſſionem & obedientiam. Dicunt ergo, quòd Sacramenta dicuntur habere virtutem, & dicuntur cauſa, & dicuntur efficere ſecundum communem modum loquendi propter aſſiſtentiam diuinæ virtutis.* Infra. *Huic poſitioni pietas fidei non repugnat, & ratio conſentit &c. Sicut igitur litteræ Regiæ annulo Regis ſigillatæ magnæ ſunt dignitatis, & virtutis, & valoris, & magna dicuntur & poſſe & facere: tamen in eis nulla virtus eſt abſoluta, ſed ſola ordinatio per aſſiſtentiam virtutis Regiæ &c. Sic intelligendum in Sacramentis &c. Vtraque harum poſitionum ſatis videtur probabilis: hæc tamen mihi videtur ad ſuſtinendum facilior; neſcio tamen quæ ſit verior, quia cum loquimur de his quæ ſunt miraculi, non multum adhærendum eſt rationi. Concedimus ergo quod Sacramenta nouæ legis ſunt cauſa, & efficiunt, & diſponunt, extenſo nomine vt dictum eſt: Et hoc ſecurum eſt dicere: vtrum autem plus habeant, nec volo affirmare, nec negare.*

Cuius modeſtiæ veſtigia, ſed ſecuriùs ac liberiùs proſequens Doctor noſter Subtilis q. 5. §. Ad 1. & 2. q. *Ad quæſt.* inquit, *dico, quod cùm neceſſitas eorum quæ ſunt ad finem ſumatur à fine &c. finis autem Sacramenti ſit gratia &c. & hic finis poſſit haberi per Sacramenta abſque eorum actione propriè dicta ad gratiam, vel diſpoſitionem præuiam: ſequitur quod non ſit ponenda talis actio, cùm nec iſta plura ſint neceſſaria, nec manifeſtè ponibilia. Qualiter autem cum hoc ſaluetur quod Sacramenta ſint cauſa gratiæ, non tantùm per accidens, & quod per Sacramenta habetur gratia, ſicut ſancti loquuntur: Dico breuiter, quod omnis diſpoſitio neceſſitans quæ non eſt ratio receptiui ad formam poteſt aliquo modo dici cauſa actiua, ſiue inſtrumentalis reſpectu illius formæ. Sacramẽtum autem ſeu eius ſuſceptio eſt talis diſpoſitio immediata ad gratiam: ergo &c.* Maiorem probat exemplo tum cauſæ meritoriæ reſpectu premij, tum motus reſpectu termini, & hac ratione: Quia cauſa diſpoſitionis proximæ ad aliquam formam, eſt cauſa illius formæ, cùm tamen diſpoſitio quam cauſat, non cauſet phyſicè illam formam. Infra.

*Eſt ergo modus iſte: ... od ſuſceptio Sacramenti eſt conditio neceſſitans ad effectum ſignatum: non per aliquam formam intrinſecam, ſed per aſſiſtentiam Dei; non neceſſariam abſolutè, ſed ſecundum potentiam ordinatam: Diſpoſuit enim Deus vniuerſaliter, & de hoc Eccleſiam certificauit, quod ſuſcipientibus tale Sacramentum ipſe conferet effectum ſignificatum. Nec obſtat quod ſuſceptio Sacramenti ſit aliquid circa corpus &c. quia ſufficit quod diſpoſitio & forma ſint in eodem ſuppoſito, maximè in moralibus.* Infra. *Tenendo quod inſtrumenta artificialia non ſunt formaliter actiua; ſed tantùm receptiua prioris effectus ordinati ad vlteriorem: apparet magis quomodo Sacramentum poteſt dici inſtrumentum, licet non habeat virtutem actiuam propriè reſpectu termini, ſed ſit quidam effectus prior ordinatus ad gratiam.*

In cuius verbis illud tantùm explicatu neceſſarium occurrit, quidnam per diſpoſitionem illam neceſſitantem ad formam, *quæ non eſt ratio receptiui*, intelligatur. Pro cuius intellectu, aduertendum eſt duplicis generis diſpoſitiones eſſe: quædam ſunt rationes receptiui, ſeu rationes recipiendi, habentes ſe



Digitized by Google

ex parte ſubiecti, & conſtituentes illud in proxima potentia ſeu aptitudine ad recipiendam formam, & hæ non dicuntur actiuæ reſpectu formæ ad quam ſubiectum diſponunt. Aliæ ſunt rationes proximæ agendi, habentes ſe ex parte agentis, ac mediantes potiùs inter agens & effectum, quàm inter ſubiectum & formam: quo modo ſe habet motus reſpectu motoris ſeu mouentis, & termini ad quem; & quaſi qualibet vltima diſpoſitio ad aliquam formam ſubſtantialem. Et hæ diſpoſitiones dicuntur actiuæ inſtrumentaliter: phyſicè quidem, ſi ſint aliquo modo proportionatæ effectui, & in eum realiter influant; moraliter autem tantùm, ſi proportionatæ non ſint, nec realiter influant in effectum, ſed tantùm moraliter quaſi determinent & neceſſitent agens principale ad agendum. Quomodo videntur vltimæ diſpoſitiones ad aliquam formã præſtantiorem ipſâ cauſâ diſponẽte, tantùm moraliter cauſare: determinando, & quaſi neceſſitando Cauſam primam ex quodam debito authoris naturæ, ad producendum formam quam tales diſpotiones exigunt. Hoc modo & ſenſu vult Doctor Subtilis Sacramenta eſſe diſpoſitiones & cauſas inſtrumentales morales, quæ applicatæ ſubiectis, ſeu hominibus non ponentibus obicem, exigant à Deo effectum ſignatum: non quaſi precariò, ſed tum prætio meritorum Chriſti præuiſorum vel annexorum, tum debito promiſſionis diuinæ; ſicque Deum quaſi moraliter determinent ac neceſſitent ad eum cauſandum.

*Colligitur* 1. Ex Sacra Script. Quæ ſoli Deo reſeruat iuſtificationem internam, æquè ac creationem, ſupra *Col. 48. Obiect. 5.* Et Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus &c.* Tribuit vim Sacramentalem præcipuè Verbis: quæ nec ſunt, nec agunt realiter *Eph. 5.* ſupra *Col. 49 Obiect. 1.* Imò expreſsè diſtinguit iuſtificationem internam ac realem ſolius Dei, ab externa & morali Sacramenti, Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* vtique realiter à ſolo Deo. Vt Matth. 18. *Quæ ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlo.* Quid ſibi vult *in cœlo*: niſi in ſecreto à ſolo Deo?

2. Ex SS. Patribus, qui iuſtificationem internam ac realem ſoli Deo reſeruant, & diſtinguunt ab externa morali ac Sacramentali, quam etiam verbis præcipuè tribuunt. Vt ſupra *Col. 50. 51. 52.* Quibus adde S.Cypr. ſerm. de Baptiſmo. *Remiſſio peccatorum*, inquit, *ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, propria eſt Spiritus S. Ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet.* S. Aug. 15. Trin. cap. 26. *Quantus Deus eſt qui dat Deum? Neque enim aliquis Diſcipulorum Chriſti dedit Spiritum S. Orabant vt veniret in eos quibus manus imponebant, non autem ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiamnùm ſeruat Eccleſia.* De Oratione vtique non tantùm impetratoria, ſed & Sacramentali.

Vt & lib. 5. De Baptiſmo cap. 20. *Si ad hoc valet* Ioan. 9. Deus peccatores non audit: *vt per peccatores Sacramenta non celebrentur: Quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur? Cùm dare nemo poſſit quod non habet: quomodo dat homicida Spiritum ſanctum? Deus ergo dat, etiam ipſo baptizante &c.*

Quamuis enim hæc fortè de precibus ceremonialibus, diſtinctis à forma Sacramentali: vt videtur ex *lib. 3. cap. 14. Et lib. 6. cap. 25.* hæ tamen ſatis ſignificant internam ſanctificationem fieri realiter à ſolo Deo. Nec obſtat quod *lib. 5. cap. 20.* interſerat, malum Miniſtrum *etiam intùs baptizare.* Quia *intus* ibi non ſignificat in anima, ſed in Eccleſia: ad diſtinctionem ab hæreticis baptizantibus extra. Eſt autem hæc opinio profundè radicata in Doctrina B. Aug. de impaſſibilitate reali ſpiritus à corpore. *Lib. 6. de Muſica cap. 4. & 5. Lib. 12. de Geneſi ad lit. cap. 16 Lib. 21. Ciuit. cap. 10.* Ex Tomo noſtro 2. in B. Aug. ſub indice Scolaſtico *col. 79. diff. 2.* Sed expreſſiſſima videtur lib. 4. de Bapt. cap. 23. *Quid valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita ſanctificatio Sacramenti, difficilè eſt dicere &c.* Lib. 3. cap. 10. *Sacramento ſuo diuina virtus aſſiſtit &c.* Lib. 6. cap. 25. *Deus adeſt verbis Euangelicis ſuis &c.* vt ſupra *col. 44. 45.* De effectu etiam diu poſt Baptiſmum.

3. Ex Sacris Conc. Conſtantinop. in Symbolo: quo omnis *Remiſſio peccatorum* Symboli Apoſtolici, videtur tribui vni ac ſoli Baptiſmati: non realiter & actualiter, ſed tantùm moraliter & fundamentaliter. Ex B. Aug. Tomo noſtro 2. *col. 622. 623. diff. 6.*

Ex Conc. Flor. ſupra, Trid. ſeſſ. 7. can. 6. & communi doctrina. Quod Sacramenta nouæ legis *& contineant & conferant gratiam non ponentibus obicem.* Quod ſicut nequit intelligi de continentia reali: ita nec de collatione reali, ſed morali tantùm, ex *S. Bon. diſt. 1. q 3. Trid. cap. 5.* Quod ſine Sacramentis vel eorum voto non fiat iuſtificatio: quod non ſonat cauſalitatem realem, ſed tantùm moralem, aut conditionem ſine qua non, & cum qua. Can. 7. & 8. *Dari gratiam per Sacramenta ex Opere Operato.* Quod nec ſignificat agens aut actionem phyſicam, ſed tantùm moralem, imò terminum tantùm actionis phyſicæ.

4. Sed Efficacius conuincitur rationibus, ab incongruitate, difficultate, imò & impoſſibilitate talis cauſalitatis aut actionis realis Sacramentorum in animas, ad effectum tam ſpiritualem & ſupernaturalem.

De incongruitate, S. Bon. ſupra Reſp. ad Q. 2. lateralem. *Cauendum eſt ne dum nimis damus corporalibus ſignis ad laudem, ſubtrahamus honorem gratiæ curanti, & animæ ſuſcipienti.*

De Difficultate, idem ibidem. *Valdè difficile eſt intelligere qualiter illa virtus detur ſicut qualitas abſoluta: difficilius quando detur. Difficile etiam eſt intelligere cui detur, Verbo ſcilicet an Elemento, quæ ſunt duo nihil vnum facientia. Difficile etiam eſt ſcire quamdiu duret. Difficile eſt ſimiliter valdè intelligere quomodo influat. Difficile etiam cuius natura ſit in ſeipſa, & multa talia &c.* Myſteria autem fidei, quantum fieri poteſt, ſunt intelligibiliter & credibiliter explicanda.

De abſoluta autem impoſſibilitate cauſalitatis realis in Sacramentis ad gratiam, vel in animam: Doctor noſter Subtilis. *Quæſt. 1. 4. & 5.* Ex quibus plures huius impoſſibilitatis rationes diſtingui poſſunt, ex parte termini, ſubiecti in quo & in quod, ac huius ipſius cauſalitatis ſeu modi cauſandi.

1. Ex tota *Quæſt. 1.* Ab impoſſibili creatione ſeu actione reali vllius creaturæ ad terminum creationis. Et ex q. 5. §. 5. Quòd gratia & quælibet ad eam

diſpo-

diſpoſitio aut forma ſupernaturalis ſit proprius terminus creationis; quia *nequit educi ex potentia naturali ſubiecti: quod æquè eſt in potentia obedientiali ad omnem talem formam.* Vnde neceſſariò ſequeretur impoſſibilitas intenta: niſi aſſumptum & ſubſumptum eſſent grauioris difficultatis. De qua *2. diſt. 1. 26. 27.* Interim non eſt ſuſpendēda certa cauſalitas Sacramentorum, ab incerta poſſibilitate cauſalitatis realis.

2. Ex *Q. 5. §. 5.* Ab impoſſibili cauſalitate reali formæ conſecratoriæ, vel Sacramenti Euchariſtiæ conſecrati, ad ipſum effectū tranſſubſtantiationis.

3. Ex *Q. 5. ibidem.* Ab impoſſibilitate agendi inſtantaneè per cauſam exiſtētem tantùm ſucceſſiuè: Sacramenta autem non ſunt niſi ſucceſſiuè, gratia vel quæuis ad eam ſpiritualis ac ſupernaturalis diſpoſitio, cum ſit indiuiſibilis & in ſubiecto indiuiſibili, non poteſt produci ſucceſſiuè ſed tantùm inſtantaneè; ergo non per Sacramenta phyſicè, ſed tantùm moraliter.

4. *Ibidem.* Ab incapacitate plurium verborum & ſyllabarum ſucceſſiuè perficientiū integras formas Sacramentales, ad ſimul cauſandum realiter, vel imprimēdum vllam cauſalitatem realem vltimæ ſyllabæ vel literæ, quæ etiam ſucceſſiuè eſt.

5. Ex eadem *Q. 5. §. 6.* Ab impoſſibilitate agendi realiter abſque vlla vi aut motione intrinſeca ad agendum: Sacramenta autem, cum ſint aggregata ex partibus ſucceſſiuis, non ſunt capacia vllius talis virtutis aut motionis intrinſecæ, nec indiuiſibilis nec diuiſibilis per partes ſucceſſiuas Sacramenti; ergo non poſſunt eſſe inſtrumenta agendi realiter.

6. Ex eodem in *diſt. 44. q. 2.* Ab impoſſibili actione reali corporis in Animā ſpiritualem. *Ibidē.*

7. Ab impoſſibili actione reali cauſarum naturalium & corporalium, ad effectus ſpirituales & ſupernaturales. De qua alibi.

8. Ab impoſſibili actione reali alicuius cauſæ non exiſtētis: Sacramēta autem iuſtificant quando deſinunt, imò deſierunt; ergo non actione reali, ſed morali tantum.

9. Ab impoſſibili actione reali abſque entitate reali: Sacramenta autem non ſunt entia realia, ſed tantum moralia; nec agunt ſecundum aliquam entitatem naturalem ac realem, ſed moralem tantùm: Ergo nec realiter, ſed moraliter.

10. Ab ipſa ſubdiuiſione opinionis contrariæ in varios inexplicabiles modos prætenſæ cauſalitatis realis: vel ad ipſam gratiam, vel ad præuiam aliquam diſpoſitionem, vel ad eius cum anima vnionem; per aliquam vim permanentem, aut tranſeuntem, impreſſam Sacramento, vel partibus eius.

OBIECTIONES.

1. ALenſis noſter *q. 8. m. 3. 4. 5.* improbat illā collationem moralem Gratiæ, *Sicut Beneficij alicuius Eccleſiaſtici per literas Epiſcopales:* profertq; ac explicat, *non difficilem* diſpoſitionem Sacramentalem ipſius animæ ad gratiam. *Reſp.* Eum *ſine præiudicio melioris ſententiæ, opinando nihil aſſerendo*, inquit §. 1. Improbare tantùm extrinſecam conditionem ſine qua non, vel indiciū gratiæ: non autem inſtrumentum morale ſubiecto iuſtificādo impreſsū. Præferre tamen ſuam illam diſpoſitionem Sacramentalem animæ ad gratiam, collationi morali abſque vlla diſpoſitione ſubiecti. Sed hanc tandem explicare de diſpoſitione tantùm morali, aut certè non intrinſeca ipſius animæ ad gratiam. Nam §. 1. exponit diſponi animam ad gratiā quodam *charactere & ornatu.* Sed inquit infra, *non difficili intellectu: quia hoc tantùm eſt animas aliquo modo ſignare.* Non charactere proprio, & intrinſeco animæ, qui per 3. Sacramenta imprimitur: ſed toti homini, & corpori ac animæ in toto, vt patet ex §. 3. vbi dicitur eſſe *Diſpoſitio totius, & animæ vt vnitæ corpori.* Qui nil eſt aliud quam forma totius Sacramēti, vt impreſſa homini: Per quam corpus & anima in ſuo toto exteriùs ſanctificetur, ſeu denotetur & ſecernatur; ſicque hoc ipſo diſponatur ad internam ſanctificationem. Addit §. 3. *Sacramenta ſunt cauſæ per modum materialis diſponentis, vel efficientis largè ſumendo. Diſponunt enim hominem & aptiorem reddunt ad gratiæ ſuſceptionem, & etiam gratiam, infuſam ad operandum expeditiorem. Vnde ſunt cauſæ gratiæ, non quoad eſſe, ſed ineſſe, modo conuenientiori, & quoad modum operandi expeditiorem.* Quod totum intelligi debet, vel de diſpoſitione tantùm morali ipſius animæ in toto, vt ſupra: vel de diſpoſitione reali ſolius animæ ſeu virtutis ſenſitiuæ in ſuo ſubiecto. Ad quam neceſſaria eſt vis aut motio ſupernaturalis, potiùs aſſiſtens quam inhærens Sacramentis. Sicuti naturaliter diſponitur corpus humanū ad animam rationalem eiuſque operationes.

2. Sacra Script. PP. Conc. tribuunt Sacramētis cauſalitatem propriè dictam: non tantùm illam metaphoricam. *Ex q. 3. ſupra. Reſp.* Hanc eſſe in ſuo genere morali proprijſſimā, annexis præcipuè meritis Chriſti. Ac ſi cui Diplomate Pōtificio aut Regio conferretur aliquod Beneficium aut officiū, ex incomparabili merito Patris eius defuncti.

*Contra.* Merita ſunt præcipua cauſa moralis gratiæ & gloriæ, ex promiſſione Dei: nec tamen ſunt Sacramenta. *Reſp.* Merita propria nō poſſe eſſe Sacramenta. 1. Quia ſunt oppoſitæ cauſalitatis moralis. i. ex Opere Operantis. 2. Quia ſunt potiùs opera interna, quàm externa. 3. Quia non tam ſunt cauſa gratiæ in fieri, quam futuræ & à Deo retribuendæ. Merita autem Chriſti annexa non auferre, ſed conferre & perficere cauſalitatem Sacramentalem, ex Opere Operato ab ipſo Chriſto.

OBIECT. 2. Anima poteſt à Deo eleuari ad recipiendam quamlibet formam ſupernaturalem, imò & ad eliciendos actus ſupernaturales: Ergo & Sacramenta ad recipiendam vim vel motionem tranſeuntem, ad actionem ſupernaturalem.

*Reſp.* Negando conſeq. Tum quia eleuatio ſupponit aliquod eſſe reale ac permanens, illius quod eleuatur. Tum quia hæc eleuatio, & potentia quædam obedientialis ad illam, ſupponit aliquam remotam proportionem, ſeu capacitatem actiuam, vel paſſiuam ad illam actionem & paſſionem. Non eſt enim conceptibile quòd corpus poſſit eleuari ad recipiendam formam vel actionem Spiritualem, aut ens ſucceſſiuum ad formam permanentem, vel è contra: quia quælibet forma ſupponit aliquam capacitatem ſui effectus formalis, cui identificatur.

3. Artifex poteſt eleuare ſuum inſtrumentum ad effectum formarum artificialium, per impreſſionem ſuæ motionis artificioſæ: Ergo multò magis poteſt Deus eleuare Sacramenta ad actionem realem iuſtificationis. *Reſp.* Neg. conſ. Tum quia artifex



Digitized by Google

artifex ſupponit quandam aptitudinem ſui inſtrumenti ad hoc. Tum quia non poteſt eleuare ſuum inſtrumentũ ad aliquam actionem realem in ipſas formas artificioſas: ſed tantum ad motionem aliquam localem circa ſubiectum, ex qua, forma artificioſa reſultat. Tum quia artifex potiùs dependet à ſuo inſtrumento, quam illud eleuet: Deus autem quamuis ſit independens in ſe; non tamen poteſt quidlibet per quidlibet fieri. De quo in 1. circà Omnipotentiam Dei.

4. Deus poteſt ſupplere defectum cauſæ 2. exhibendo concurſum perfectiorem: Ergo & poteſt conferre gratiam per Sacramenta. *Reſp*. Neg. Conſ. Quia ſupplere & perficere, ſupponit aliquam ſaltem remotam proportionem, ac capacitatem. Alioquin non eſſet ſupplere, & perficere, ſed totaliter cauſare.

5. Cauſalitas realis Sacramentorum eſt ad maiorem gloriam Omnipotentiæ Dei, *Qui plus poteſt facere quàm nos intelligere. Eph. 3.* Ergo &c. *Reſp*. Nec hîc agi de Omnipotentia Dei, ſed de poſſibilitate rei: & pertinere ad gloriam Omnipotentiæ Dei, vt habeat aliquos effectus ſibi ſoli proprios, omni Creaturæ incommunicabiles.

6. Cauſalitas realis Sacramentorum plurimum commendaret eorum dignitatem. Ergo &c. *Reſp*. Imò nimium commendaret, ad quandam potiùs admirationem quam ſalutem. Ad quam æquè nobis commendatur per cauſalitatem moralem, vt æquè ſalutarem.

7. Hoc ſenſu Sacramenta non erunt cauſæ, ſed tantùm conditiones ſine quibus non. *Reſp*. Non erunt cauſæ reales ſed morales: non tamen tantùm conditiones ſine quibus non; ſed & per quas Deus applicatur, ſeque ipſum fideliter applicat ad realem iuſtificationem talium ſubiectorum.

8. Hoc ſenſu Sacramenta eſſent tantùm velut quædam ſigna magica: ad quorum applicationem à ſuis maleficis, cacodæmones maleficia ſignificata operantur. *Reſp*. Potius ſigna magica eſſe noſtrorũ Sacramentorum æmula figmenta, ſecundùm illud Tertul. ſuprà *col 38.* Ab his tamen plurimum differentia; tum ſuâ illa maleficentiâ, ab horum beneficentia; tum ſuâ fallaciâ ab horum infallibilitate; tum ſua maligna applicatione etiam inſenſibili & obiectiua, ab horum applicatione ſenſibili & ſubiectiua, &c.

## QVÆSTIO V.

### Partim Scholaſtica, partim Dogmatica.

*An & quæ fuerint ante legem nouam talia Sacramenta: & quanta præ omnibus noſtrorum excellentia.*

RESP. Nullum fuiſſe in Statu Innocentiæ, nullũ ex Lege Moſaica: ſed duo ſub Lege Naturæ lapſæ; alterum ab initio, omnibus commune; alterum Circuncifionis, ſpeciale Poſteris Abrahæ: ad veram & Sacramentalem remiſſionem peccati Originalis. Saluâ noſtrorum præ his & omnibus alijs excellentia, in continenda ac conferenda gratia. Prior ac potior pars eſt communior Doctorum, antiquorum & recentiorum, ſed præcipuè noſtrorum: Aleſis *4. p. q. 1. M. 2. Art. 1. 2. q. 7. M. 3. Art. 3. M. 7. Art. 2. & 3.* S. Bon. D. *1. p. 2. Art. 1. q. 1. 2. Art. 2. q. 1. & 3. D. 2. Art. 1. q. 1.* Scoti *q. 3. 6. 7.* & omnium ſequacium.

*Colligitur 1.* Ex Sacris Script. Sap. *10. Deus eduxit Adamum à delicto ſuo:* Ergo per remedium aliquod non tantùm proprium, ſed & commune. *Gen. 4. 8. 14.* & alibi ſæpè referuntur homines ſancti & eorum ſacrificia Deo grata: Ergo ex aliqua Dei ſanctificatione & inſtitutione ſalutari. *Gen. 22.* præcipitur Abrahamo immolatio filij ſui Deo, & *Pſal. 105.* reprobatur immolatio filiorũ & filiarum dæmonijs: Ergo proles ſolebant quodam modo offerri vero Deo, quamuis non illo extraordinario. *Leuit. 12.* In lege purificationis non fruſtra oblatio fiebat pro prolibus recens natis.

2. Ex S. Cypr. De Card. Chriſti Oper. cap. de Circ. *Originale peccatũ quod à primis parentibus in totam huius generis ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari: licet vim plenam ſignificandi nõ habuerint, donec ad rem ipſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine.* S. Ambr. *Epiſt. 84. & alijs.*

Sed expreſſiſſimè & conſtantiſſimè ex S. Aug. lib. 5 contra Iul. cap. 11. *Non eſt credendum* (inquit) *& ante datam Circumciſionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides, nullo Sacramento, eius opitulatos fuiſſe paruulis ſuis: quamuis quid illud eſſet aliqua neceſſaria cauſa ſcript. latere voluerit. Nam & ſacrificia eorum legimus, quibus vtiq; Sanguis ille figurabatur qui ſolus tollit peccata mundi &c.*

Lib. 19. contra Fauſtum, *cap. 11.* ſupra *col. 38.* Vbi Sacramẽta veræ Religionis dicũtur *plurimùm valere.*

Lib. qq. ad Oroſium q. 2. *Voluntas Dei nunquam defuit iuſtitia pietatique mortalium.* Infra. *Salus Religionis huius per quam ſolam veram ſalus vera veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit.*

Quæ licet *2. Retr. 31. & lib. de Præd. SS. cap. 9.* explicet de dignitate ex prædeſtinatione: quis dubitet plurimos prædeſtinatos ex tunc natos fuiſſe? De quo Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 439.*

Epiſt. 57. ad Dardanum. *Sacramentum regenerationis noſtræ manifeſtum eſſe voluit manifeſtus Mediator. Erat autem antiquis iuſtis aliquod occultum: cùm tamen & illi eadem fide ſalui fierent quæ fuerat ſuo tempore reuelanda.* Infra. *Si Circumciſio antiquis Sanctis pro Baptiſmo fuiſſe creditur: quid de his qui ante Deo placuerunt, non tamen ſine fide?*

Lib. 2. de Nuptijs & Conc. cap. 11. *Dicat quare interiret anima eius de genere ſuo, ſi circumciſus die non eſſet octauo?* Gen. 17. *Dicat ſi poteſt quomodo puer iſte Teſtamentum Dei diſſipauit octauo dierum &c? Tunc ergo diſſipauit, non hoc de imperata Circumciſione, ſed illud de ligni prohibitione, &c.* Infra. *Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, quæ erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis valebat & paruulis Originalis veteriſque peccati, ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo eſt inſtitutus. Nõ quod ante Circumciſionem iuſtitia fidei nulla erat &c. Sed Superioribus temporibus omnimodo latuit Sacramentum iuſtificationis ex fide: Eadem tamen fides Mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis &c.*

Idem

Digitized by Google

Idem lib. 16. Ciu. cap. 27. *Quia Circumciſio ſignum regenerationis fuit: non immeritò paruulum propter originale peccatum quo primum Dei diſſipatum eſt Teſtamentum, generatio diſperdet, niſi regeneratio liberet. Sic intelligenda ſunt hæc diuina verba, tanquam dictum ſit: Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere eius, quia Teſtamentum meum diſſipauit; quando in Adam cum omnibus etiam ipſe peccauit &c.*

Lib. 3. contra Iul. cap. 18. *Cur ipſe Iſaac niſi Baptiſmatis Chriſti ſigno Circumciſus die octauo fuiſſet, periſſet anima eius de populo ſuo? Explica ſi potes, tanta pœna quo merito plecteretur, niſi ab hac illo Sacramento liberaretur?*

Lib. 2. contra literas Petil. cap. 72. *Antiquum populus Dei Circumciſionem pro Baptiſmo habuit.*

Lib. 4. de Bapt. cap. 24. ſupra col. 45. vbi ſic tribuit Circumciſioni vim propriam Sacramentalem ex Opere Operato: *Ipſum per ſe ipſum Sacramentum multum valebat.*

Quem ſubſequuntur S. Gregorius lib. 4. Moral. *cap. 2. & 3.* Ven. Beda *in Luc. 2.* S. Bern. *ſerm. 3. de Circumciſ. & 2. de Aſſumpt.* Innoc. 3. cap. *Maiores.* Deinde plerique Scholaſtici.

Altera pars, Salua noſtrorum excellentia &c. Eſt de fide. 1. Ex Sacra Script. Ioan. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus.* Hebr. 10. *Omnia in figura contingebant eis.* Hinc lex noua, gratiæ dicitur & eſt.

2. Ex ipſo S. Aug. lib. de vera Rel. *cap. 17.* lib. 3. Doctr. Chriſt. *cap. 9.* lib. 19. contra Fauſtũ *cap. 13.* Epiſt. 23. & 118. & 119. & alibi ſæpè: vbi inter varias comparationes & excellentias, præfert etiam noſtra Sacramenta antiquis vt *virtute maiora, ac ſalubriora.*

3. Sed expreſsè ac dogmaticè ex Flor. & Trid. ſupra. *col. 1. & 4. can. 2.* Vnde reſultat præcipua ex difficultatibus ſequentibus.

DIFFICVLTATES SEV OBIECTIONES.

1. EX diſtinctione illa Conc. Flor. inter Sacramenta legis antiquæ & nouæ: *quòd illa non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant &c. ſupra.*

Doctores noſtri ſupra, referunt quorundam opinionem facilem ad conciliandam hanc diff. Quòd per Sacramenta antiqua remittebatur peccatum Originale abſque vlla infuſione gratiæ. Quia tamen eam improbant, non vt abſolutè impoſſibilem, ſed vt contrariam legi Dei ordinariæ, nec ſatis concordat Doctrinæ B. Aug. aliundè reſpondendum eſt.

*Reſp.* Ergo 1. Conc. Flor. ibi non proceſſiſſe definiendo dogmaticè, ſed tantum docendo catechiſticè. Vt patet tùm ex fine generali Conciliorũ, definiendi tantùm quæ ſunt fidei contra hæreſes ac hæreticos: tùm ex fine ſpeciali præfixo huic inſtructioni Armenorum; tùm ex tota forma huius inſtructionis; tum ex finali diſtinctione *Eug. 4.* inter dogmaticè definita, & doctrinaliter propoſita. Tum maximè ex Sacro Conc. Trid. *Can. 2.* hanc diſtinctionem plurimùm moderãte. Sed quia huic Doctrinæ Flor. non eſt contradicendũ: & Trid. *Can.* illo 2. quamuis non exprimat hanc diſtinctionem Flor: ſupponit tamen aliquam maiorem quàm ſolo ritu externo.

*Reſp. 2.* Ex doctrina Alẽſ. *q. 7. M. 7. a. 3* & S. Bon. *diſt. 1. p. 3. Art. 3. q. 3.* vbi refert varias ad hoc ſui tẽporis opiniones. 1. Quòd per circumciſionẽ tãtùm remittebatur culpa Orig. ſeu debitum habendi gratiam. 2. Quod conferebatur etiam aliqua ad hoc gratia: non tamen ex vi Sacramenti, ſed ex ſola liberalitate Dei. 3. Quod remittebatur culpa per gratiam: ſed tantùm quatenus remiſſiua eſt. Sicuti ſanguis Chriſti eſt quidem etiam ſub ſpeciè panis: ſed tantùm per concomitantiam. 4. Quod remittebatur omnis culpa per gratiam ad hoc ſufficientem, ſed modicam reſpectu noſtri Baptiſmi, nec ſufficientẽ perficiendis potẽtijs ad ſuas operationes. Improbatis autẽ tribus prioribus: nõ tam ab impoſſibili, quam ex lege Dei ordinaria remittendi culpam per gratiam præſentem, & ad futurã gloriam: approbat quartam. Quæ vt prior Conc. Florentino, poteſt ab eo intenta fuiſſe, aut ſaltem ſecundum eam facilè explicari. Si enim ipſa Sacra Script. paſſim diſtinguens legem nouam ab antiqua penes gratiam; imò negans donationem gratiæ ante Chriſtum *Ioan. 1. & 7.* rectè explicatur de rara & modica gratia comparatiuè ad legem nouam: Cur non rectè eodem modo explicetur Cõc. Flor. Cùm loquatur ibi comparatiuè & moraliter: quomodo quod parum eſt moraliter pro nihilo reputatur?

*Reſp. 3.* Ex doctrina Apoſtoli ad Romanos, Gal. &c. De noua lege gratiæ ſeu charitatis, antiqua autem timoris: non quod ſub antiqua lege non iuſtificarentur fideles eadem forma gratiæ; ſed rariùs & imperfectiùs, non tantùm ex motiuis timoris Dei, ſed etiam per gratiam ſeruiendi Deo ex timore potiùs quàm charitate. Vnde & gratia nouæ legis meritò dicitur & eſt Adoptionis: illa autem tantùm ſeruitutis. Cur ergo hoc ſenſu non poſſit etiam exponi illud Flor. Quod Sacramenta antiquæ legis non cauſabant *gratiam* ſub hac ratione gratiæ nouæ legis, ſed tantùm ſub illa antiquæ: nec ad operandum meritoriè ex charitate, ſed tantùm ſeruiliter ex timore.

*Reſp. 4.* Ex illo Ioan. 7. *Moyſes dedit vobis circumciſionem: non quia ex Moyſe, ſed ex Patribus:* Conc. Flor. in hoc tantùm diſtinguere Sacramenta nouæ legis, à Sacramentis legis antiquæ, id eſt Moſaïcæ: non autem à prioribus, legis naturæ. Quamuis enim Alenſis & S. Bon. ſupra doceant Circumciſionem eſſe legis Moſaicæ: non tamen quo ad initium ſeu inſtitutionem, ſed quoad præparationem & durationem. Scotus autem hîc q. 6. §. 2. *Quod autem* inquit, *Deus voluit illud inſtituere ante legem Moyſi, arguit quod non ſit remedium præcisè huius legis, ſed nec lex illud euacuauit ſed confirmauit.*

*Reſp. 5.* Comparationem & diſtinctionem illam Flor. fieri inter hæc & illa in cõmuni, non in ſingulari: quod hæc omnia conferant gratiam, non autem illa. ſupple omnia, ſed pauciſſima.

*Reſp. 6.* Nec vlla illorum cauſaſſe gratiam vt noſtra, cum quibus ibi fit comparatio. Quia noſtra continent virtualiter gratiam, per merita Chriſti moraliter annexa, & illam actu conferunt: illa autem nõ habebãt merita Chriſti annexa ſed tantùm



Digitized by Google

præuiſa, ſicque non continebant virtualiter ſeu virtutem illam conferendi gratiam, nec eam cauſabant abſque illa intrinſeca virtute cauſandi, ſed potius figurabant dandam, non tantùm nunc in veritate, ſed etiam tunc actu, in aliquam vmbram futuræ donationis liberalis, per Paſſionem Chriſti. Ita vt tunc paſſio Chriſti præuiſa moraliter cauſaret: nunc autem exhibita & moraliter annexa vt virtus intrinſeca, quâ Sacramẽta noſtra verè cauſant gratiam, non illa. Quod multùm commendat efficaciam moralem noſtrorum Sacramentorũ præ illis.

Obiect. 2. Act. 15. *Deus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas* .i. deſeruit. Ergo non prouidit de Sacramento illo communi. *Reſp.* De gentibus & adultis infidelibus, deſertoribus Dei, & veræ Religionis eius.

Obiect. 3. Rom. 2. *Quæ vtilitas Circumciſionis?* 1. Cor. 7. *Circunciſio nihil eſt.* Gal. 4. & 6. *Circunciſio nihil valet &c.* *Reſp.* Vel de Circumciſione iam abolita per legem nouam: vnde *Gal. 6.* non dicitur ſimpliciter *nihil valere*; ſed *in Chriſto Ieſu* .i. in lege Chriſti. Vel de Circumciſione nihil amplius valente adultis, & quondam validè Circumciſis, ſine fide ac lege Chriſti, & ſine obſeruantia mandatorum *1. Cor. 7.*

Obiect. 4. Rom. 4. Circumciſio dicitur fuiſſe tantùm *Signaculum Iuſtitiæ* prius acceptæ. *Reſp.* Ex *col. 46. 47.* ſupra. Hoc addito, quòd cùm Circumciſio fuerit ſignum ſpecialis fauoris Dei erga poſtecos Abrahæ: non fuiſſet fauor ſed grauamen intollerabile, niſi fuiſſet compenſatum collatione gratiæ.

Obiect. 5. Ante Circumciſionem fuit Remedium legis naturæ: Ergo non fuit ad hoc neceſſaria aut inſtituta; vel fuit grauamen Iudæorum præ reliquis omnibus populis, quibus remedium illud legis naturæ ſufficiebat.

*Reſp.* Hoc grauamen Circumciſionis fuiſſe compenſatum maiori gratia, doctrina legis, ſpeciali protectione Dei, promiſſione Chriſti, & præparatione ad illum. Sicut onus noſtrum Confeſſionis Sacramentalis abundè compenſatur gratia & fructibus eius.

Obiect. 6. Ex S. Greg. relato de Conſecr. diſt. 4. ex lib. 4. moral. *Quod agit apud nos*, inquit, *aqua Baptiſmi, hoc egit apud veteres pro paruulis vel ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij.* Imò ipſe B. Aug. ſupra videtur illud remedium legis naturæ tribuere Fidei, vel alicui Sacrificio: Ergo non alicui Sacramento.

*Reſp.* Ex Scoto noſtro *q. 7. Ad 1.* De ſola aliqua proteſtatione externa fidei obiectiuæ in Chriſtum, ſuper Paruulis, diſtincta à Sacrificio formali pro adultis. Pro vt paruuli dicuntur baptizari in fide Eccleſiæ, infra de Baptiſmo: & Sacrificium Euchariſtiæ habet etiam rationem Sacramenti. Sed adultis ſatis prouiſum fuiſſet per gratiam actualem à Deo immediatè, vel virtute alicuius ſacrificij collatam, ad fidem contritionem & charitatem.

Obiect. 7. S. Iuſtinus Martyr *Dial. contra Tryphonem*, Irenæus *lib. 4. cap. 3.* Epiphan. *Hæreſ. 8.* Chryſ. *hom. 27. in Gen.* & alij negant Circunciſionem ſanctificaſſe. *Reſp.* Ex Scoto *q. 6. §. 6.* vt ſup. ad Obiect. 1. tripliciter. 1. De modica & quaſi nulla gratia Circunciſionis, comparatiuè ad Baptiſmum. 2. De negatione gratiæ; vt diſpoſitionis ad gloriam in illo ſtatu. 3. De nulla fortè vi ſanctificandi, vltra remiſſionem culpæ. Hic *modus*, inquit Scotus, *videtur eſſe de mente Magiſtri*, hac *diſt. 1.* Adde 4. Tunc Patres Oratoriè depreſſiſſe Iudęorũ præſumptionem de ſua Circumciſione. 6. Græcos fortè PP. ita ſenſiſſe, & idcirco Conc. Flor. eorum opinioni in hoc, abſque vllo fidei præiudicio, detuliſſe.

Obiect. 8. Ipſe B. Aug. Epiſt. ad Hier. de Circumciſione agens: *Cur non dicam*, inquit, *præcepta illa veterum Sacramentorum, nec bona eſſe quia non eis homines iuſtificantur, vmbræ enim ſunt prænunciantes gratiam qua iuſtificamur; nec tamen mala, quia diuinitus præcepta ſunt &c.* Et Quæſt. 25. in Num. *Si ipſa attendantur, nullo pacto poſſunt mederi: Si autem res ipſæ quarum ſunt Sacramenta inquirantur, in eis inueniri poteſt purgatio peccatorum.*

*Reſp.* B. Aug. ibi agere contra difficilem illam obſeruantiam omnium legaliũ, ipſiuſque Circumciſionis, tanquam ab initio legis nouæ inutilem, paulatim abolitam, & tandem prorſus illicitam. *Cur mihi*, inquit, *non licet dicere Paulum &c. tunc illa vetera Sacramenta paululùm obſeruando veraciter commendare debuiſſe &c. Sicut defuncta corpora Neceſſariorum Officijs deducenda erant quodammodò ad ſepulturam, nec ſimulatè ſed religioſè: non autem deſerenda continuò, vel inimicorum abtrectationibus tanquam canum morſibus proijcienda. Proinde nunc quiſquis Chriſtianorum ea celebrare voluerit: erit impius ſepulturæ violator &c.* Vbi præcipuè loquens de Circumciſione vt mortua & ſepulta ſub noua lege: ſupponit potius ipſam olim fuiſſe viuam & ſalutarem. Nec obſtat quod vtatur illo *Ezech. 20.* vbi Deus dicit ſe illi populo dediſſe præcepta *non bona*. Quia illud tantùm accomodat ex præterito ad intentum præſens. Alioquin *non bona* .i. dura, nec moraliter bona ex ſuo obiecto, ſed tantum ex obedientia ac inſtitutione Dei. Per illa autem quæ *nullo pacto poſſunt mederi*, ſupra: vel intelligit tantùm ſacrificia legalia de quibus ibi: vel ipſa ex ſe non poſſe mederi, ſed ex vi ſignificatæ Paſſionis Chriſti.

Obiect. 9. Sic varia ſacrificia pro peccatis, cum promiſſione remiſſionis *Leuit. 4. 5. 6.* fuiſſent vera Sacramenta: Ipſaque Baptiſmus Ioannis *in Remiſſionem peccatorum.* Marci 1. Mat. Luc. 3.

*Reſp.* Negando paritatem: Quia Remedium legis naturæ & Circumciſ. erat pro peccato Orig. paruulorum; illa autem ſacrificia pro peccatis actualibus, & ſæpè tantùm legalibus adultorum; ideoque ad quandam tantum mundationem legalem, vel erant tantùm motiua obiectiuè ad pœnitentiã, aut ad ſummum impetratoria alicuius ad hoc gratiæ actualis. Vnde & remiſſio illa tribuitur ibi futuræ orationi Sacerdotis pro ipſis. Pro vt etiam de Baptiſmo Ioannis reſponderi poteſt: quod mouerit ad pœnitentiam per aliquam gratiam actualem pœnitendi.

Obiect. x. Circumciſio non fuit communis, ſed propria ſolis maſculis Iudæorum: Ergo nõ fuit Sacramentũ. *Reſp.* Neg. Conſeq. Quia cùm iam *in Chriſto Ieſu nec ſit maſculus nec fœmina*, ſed indifferentia ſexus ad ſalutem: Sacramentum tamen Ordinis eſt proprium ſolis maſculis. Deinde non deerat

alteri

Digitized by Google

alteri ſexui remedium illud legis naturæ. Pro quo, quaſi adhuc valido, quidam *Campanella* libro nuper Romæ edito & approbato, tinnire præſumit præ tantis Eccleſiæ campanis, contra neceſſitatem Baptiſmi. *De qua infra.*

Obiect. 11. Si fuiſſet tale remedium commune legis naturæ, etiam inter Iudæos, rituum ſuorum tenaciſſimos: extaret adhuc inter eos aliqua eius praxis, Traditio, aut memoria. *Reſp.* Illud Remedium non dici legis naturæ intrinſecè aut indelebiliter, ſed tantùm inchoatiuè ab initio naturæ lapſæ. Si ergo quæ ſunt de ipſa lege naturæ ſeu naturali lumine rationis, vt cognitio vnius veri Dei, eiuſque vera Religio, & plura præcepta eiuſdem legis, potuerunt inter omnes Gentes aboleri: quid mirum de Remedio illo inſtitutionis ſeu inſpirationis diuinæ inter eas abolito? Si Iudæi excæcati ſunt vſque ad pertinacem ignorantiam Chriſti: quid mirum ſi vſque ad obliuionem illius Remedij? Deinde Remedium illud non erat fortè determinatum ad certam formam proteſtandæ fidei: ideóque faciliùs vſu & abuſu variari & aboleri potuit.

Denique fuit fortè inter Iudæos determinatum ad quoſdam ritus legales circa proles natas: quibus ſicut & alijs Iudæi etiamnùm vtuntur, abſque vera eorum ſignificatione. Quis ſcit vtrùm illa apud B. Aug. lib. 1. Conf. cap. 7. *Neſcio qua remedia, quibus matres & nutrices dicunt ſe expiare prauos corporu & animi motus in pueris, ex peccato Originali oriundos*: non fuerint adhuc quædam illius remedij ſecreta veſtigia, mutata tandem apud Chriſtianos in curam adhibendi eis Baptiſmum, ſignum S. Crucis &c?

Obiect. 12. Potuiſſet Deus remittere culpam illam, abſque vllo remedio, vel abſque exteriori & Sacramentali. *Reſp.* Non agi de potentia aut neceſſitate abſoluta: ſed ordinaria, ac conuenienti ad praxim communem & certiorem veræ Religionis, ad medendum quaſi veneno ſenſibili per Antidota ſenſibilia, ad maiorem à Deo dependentiam per Sacramenta ex Opere Operato, quàm per bona opera interna &c.

*Replica.* Sic etiam fuiſſet aut conueniſſet ſtatui innocentiæ aliquod Sacramentum, ad conſeruationem & augmentum gratiæ, ad praxim communem Religionis, humilitatis, obedientiæ. *Reſp.* Nec hominem tunc indiguiſſe, nec decuiſſe aut ordinatum fuiſſe: vt homo ante omnem culpam dependeret in gratia à creaturis inferioribus, ſed à ſolo Deo. Ita Alenſis *in Diſt. 1. qu. 1. M. 2. Art. 1. M. 3. Art. 3.* S. Bon. *Diſt. 2. Art. 1. q. 1.* Scotus *Diſt. 1. q. 3.*

*Duplica.* Homo tunc dependebat à ligno vitæ ad immortalitatem, à Matrimonio ad multiplicationem: cur non etiam ab aliquo Sacramento ad conſeruationem & augmentum gratiæ. *Reſp.* Illam dependentiam fuiſſe ſecundùm corpus, non animam.

*Triplica.* Videtur illud coniugium fuiſſe etiam ad maiorem animorū vnionem per charitatem: Vnde ad *Epheſ. 5.* vocatur *Magnum Sacramentum.*

*Reſp.* Non inter Adamum & Euam, niſi præfiguratiuè: ſed *in Chriſto*, inquit Apoſtolus, *& Eccleſia*; non tantùm in illis vt in Termino ſacræ ſignificationis; nec tam inter ipſum Chriſtum & Eccleſiam, quàm inter Fideles Chriſti & Eccleſiæ.

Nec videtur inter Adamum & Euam fuiſſe ad conſeruationem vel augmentum charitatis Sacramentaliter; ſed meritoriè, per exercitium reciprocum charitatis. Sic & potuit tunc eſſe vera praxis communis Religionis, humilitatis, obedientiæ, ex abundantia gratiæ & perfectionis interioris, & ad meritum maioris, abſque dependentia à Sacramentis. Quod videtur innui Eſa. 65. *Secundùm dies ligni erunt dies populi mei* .i. Ligni vitæ, ſecundùm paraphraſim Chaldaïcam, ſeu ſtatus innocentiæ, erit ſtatus Gloriæ: quoad hanc ſimilitudinem colendi Deum animo & corpore rediuiuo, abſque vlteriori dependentia à Sacramentis. Sed expreſſiùs B. Aug. lib. 6. de Muſica cap. 4. *Mirare quomodo facere aliquid in anima corpus poteſt. Hoc enim fortaſſè non poſſet, ſi non peccato primo ſubijceretur &c.*

## QVÆSTIO 6. DOGMATICA.

### *Quot & quæ ſint noua Legis Sacramenta: quovè modo inter ſe conueniant, ac differant?*

Reſp. Eſſe ſeptem, nec plura, nec pauciora, Baptiſmum Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: hæc autem omnia & ſola vniuocè conuenire, in continenda ac conferenda gratia ſanctificante, ex inſtitutione, ac meritis Chriſti annexis, ſicque ex Opere Operato ipſius Chriſti; differre tamen inæquali perfectione, neceſſitate, ſignificatione, efficacia, & quibuſdam proprijs aliquorū, aut ſingulorū ſignificatis, effectibus, & fine.

Eſt de fide, quoad hunc numerum, conuenientiam, & inæqualitatem, non quoad hanc totam explicationem. Vt patet ex Trid. ſupra *ſeſ. 4. & 5. can. 1. 2. 3. 4. 7.*

Contra Lutherum ac Lutheranos, nunc vnicum, nunc duo tantùm, & tandem tria Sacramenta in ſua Confeſſ. Auguſtana profitentes, Baptiſmum, Panem, & Pœnitentiam.

Contra Zuinglium ac Zuinglianos, agnoſcentes tantùm Baptiſmum & Cœnam, vel etiam Matrimonium, pro Sacramentis.

Contra Caluinū *lib. 4. Inſtit. cap. 14.* & in *Antid. Trid.* Reformantem Sacramenta ad tria, Baptiſmū, Cœnam, & Ordinationem; ſed à ſuis poſteà Reformatum ad duo tantùm, Baptiſmum & Cœnam. Quamuis enim & ipſe aliquando tantùm numeret duo: tamen *cap. 19. lib. 4. Inſtit.* explicat de duobus toti Eccleſiæ communibus.

Probatur 1. Ex Sacra Script. quæ licet nullibi verbatim ac ſimul hunc numerum, conuenientiam, & inæqualitatem exprimat: his tamen ſeptem ſeorſim hanc propriam rationem Sacramentorū nouæ Legis tribuit. Vt patebit ad ſingula Sacramenta.

2. Ex Traditione, & continua praxi horum Sacramentorum in Eccleſia Dei. Prout etiam patebit ad ſingula.

3. Ex varijs Concilijs de quibuſdam horum Sacramentorum ſeorſim: ſed de omnibus, ac ſingulis coniunctim, non tantum in Trid. ſuprà, ſed etiam in Florentino, de conſenſu totius Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ſub Eugenio 4. ſuprà.

4. Ex varijs teſtimonijs SS. Patrum: pro ſingulis quidem Sacramentis infra ad ſingula; hîc autem pro omnibus, aut plerìſque ſimul.

Tertul.

Digitized by Google

Tertul. de reſurr. carnis ſuprà *col. 44.* & lib. 1. in Marcionem: vbi refert materias quinque Sacramentorum, videlicet aquam, panem, & oleum.

Sed vice omnium S. Aug *Epiſt. 181.* ad Honoratum. *Quantus in Eccleſia fieri ſolet concurſus: Alijs Baptiſmum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem ac erogationem &c.*

In Pſalm. 103 *Reſpice ad munera Eccleſiæ, munera Sacramentorum, in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris Sacramentis:* cætera *autem ſupponunt adhuc plura.*

In Pſalm. 146. Tract. 118. in Ioan. *Niſi ſignum crucis adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſiue oleo quo chryſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur: nihil eorum ritè perficitur* .i. ritu Eccleſiæ.

Epiſt. 119. ad Ianuarium. De vſu *aquæ, frumenti, vini, & olei, ad Sacramenta Chriſtiana.*

Lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. *Deus exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur &c.* vt ſupra col. 56.

Lib. de vera Relig. cap. 17. *Populus in veteri lege multis Sacramentis onerabatur. Pauca Sacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem populi Chriſtiani continerent.* Porro 7. quàm ſunt pauca comparatiuè ad illa?

Lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 9. *Hoc temporis quædam pauca pro multis eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicut eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Chriſti.*

Vbi *pauca* comparatiuè, & *ſicut* exemplificatiuè tantùm, ſupponunt adhuc plura.

Lib. 19 contra Fauſtum cap. 13. *Prima Sacramenta ablata ſunt, quia impleta: & alia ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Vtique comparatiuè ad tam multa. Quod certè ſignificat plura quam duo.

Epiſt. 118. ad Ianuarium cap. 1. *Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem noui populi colligauit: ſicut eſt* non enumerãdo, ſed exemplificãdo, *Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipſius, & ſi quid aliud,* non dubitando ſed ſupponendo, *in Scripturis Canonicis commendatur:* ſaltem implicitè, accedente & explicante Traditione ac praxi Eccleſiæ. Vnde & ſupra *3. Doct. Chriſt. 9.* refert ea ſimul ad Chriſtum & ad Traditionem Apoſtolicam. Hìc autem ſubdit, *Quæ non ſcripta ſed tradita ſunt,* videri ab Apoſtolis aut Concilijs Statuta .i. Quæ nullatenus in S. Script. cõmendantur.

Lib. contra literas Petil. cap. 104. *Sacramentum Chryſmatis in genere viſibilium ſignaculorum Sacroſanctorum eſt, ſicut & Baptiſmus.* Vbi ſub eodem *genere,* ſupponit adhuc plura.

Lib. 2. contra Parmen. cap. 13. De Baptiſmo & Ordinatione, *Vtrumque Sacramentum eſt &c.*

*In Pſal. 146.* Alligat contritiones eorum. *Quæ ſunt iſta alligamenta? Temporalia Sacramenta &c.* Infra exemplicat *in manus impoſitione ab aliquo præpoſito,* ad ſanandum contritos corde.

Lib. de bono coniugali cap. 18. *In noſtrarum nuptijs, plus valet ſanctitas Sacramẽti, quam fœcunditas vteri.*

Cap. 24. *Non ſoluitur vinculum coniugale niſi coniugis morte: ſicut manet in Ordinatis Sacramentũ Ordinationis.*

Supereſt Teſt. pro Extrema vnct. Quæ cùm *Iacobi 5.* commendetur & hanc Epiſt. B. Aug. *2. Doctr. Chriſt. 8.* agnoſcat pro Canonica: cui meliùs applicetur illud Aug. ſuprà. *Et ſi quid in Script. Canonicis commendetur?* Præter ea quæ latiùs ad ſingula Sacramenta.

5. Ex hac doctrina expreſſa communi & conſtanti omnium Doctorum Scholaſticorum, ab annis pluſquam 400.

6. Ex confeſſione totius Eccleſiæ Græcæ, quantumuis Schiſmaticæ, & æmulæ noſtræ. Vt patet ex quadam cenſura Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, ad errores Lutheranorum, qui eum deſuper conſuluerant & ſollicitarant.

7. Ex concordi conſtantia Catholicorum, & diſcordi inconſtantia Hæreticorum circa numerum Sacramentorum. De qua ſuprà.

8. Ratione ſeu congruentia huius numeri, ad perfectam prouidentiam ſupernaturalem Sapientiæ Dei, circa Eccleſiam ſuam & fideles viatores. Prout optimè diſtribuit Conc. Flor. ſuprà *col. 1.* Soletque etiam diſtribui per 7. remedia, contra 7. genera vel pericula peccatorum: & per 7. media, ad 7. virtutes, tres Theol. & 4. Morales.

Hæc de Fide: Ratio autem probabilior & conſequentior illius conuenientiæ & differentiæ eſt. Quia cùm præter conuenientiam communiſſimam inter omnia Sacramenta, & communem cum Remedio legis Naturæ ac Circumciſionis, ſignificãdi ſaltem demonſtratiuè remiſſionem peccati, & gratiam tunc conferri ex inſtitutione Dei: Sacramenta Nouæ legis habeant inter ſe ſpecialem ac excellentiorem rationem; non videtur ſpecialior aut excellentior, quàm quod ex inſtitutione ac meritis Chriſti actu annexis contineant virtualiter ſeu vim illam moralem conferendi gratiam, ex Opere non Operando, ſed Operato; potiùs ipſius Chriſti, quàm Miniſtri vel Subiecti.

Cumque ex Trid. *ſeſſ. 7. can. 3.* nõ ſint omnia *inter ſe paria, ſed aliqua ratione aliud alio dignius:* quamuis præcipuè intendi videatur excellentia illa Sacramenti Euchariſtici, de qua ſuprà *col. 7.* hinc tamen expanditur magnus rationis ſinus, ad varias illas cõparationes differentias ac excellentias. Quarum ſingulis proprijſſima & quaſi ſpecifica, videtur eſſe relatiua non tantùm ad proprios effectus formales cuiuſuis habitualis gratiæ Sacramentalis, ſed etiam ad proprios ſingulorum Sacram. effectus finales, per proprias gratias actuales ſingulorum ad illos fines. De quibus ſingulis, ad ſingula Sacramenta.

## OBIECTIONES.

1. AB authoritate negatiua S. Script. antiquorum Symbolorum, & Patrum, pro 7. Sacramentis. *Reſp.* Nec vllum alium numerum ab initio expreſſum fuiſſe Scripto: ſed hunc Traditione & praxi obſeruatum, donec inde exprimendus ſeu definiẽdus fuit. Vt ſuo loco de Sacra Script. Eccleſiæ, Triditionibus, & Concilijs.

2. Ioan. 19. De latere Chriſti *exiuit ſanguis & aqua* .i. duo Sacramenta, Baptiſmi & Euchariſtiæ, ſecundum ſacros Interpretes. Ergo non ſunt plura.

*Reſp.*

*Reſp.* A multis quidem exemplificari in illis duobus Sacramentis: à nullo tamen excludi plura. Sed ab ipſo S. Ioanne huius myſterij Teſte ac Interprete, non exponi de vllo numero, ſed de ſola efficacia Baptiſmi, & reliquorum Sacramentorum, ex admixto Sanguine ſeu virtute Paſſionis Chriſti. Nam 1. Ioan. 5. *Chriſtus venit per Aquam, & Sanguinem: non in Aqua ſolum, ſed in Aqua, & Sanguine.* vt ſuprà. Hinc *extra de celebr. Miſſ.* Sanguis ille exponitur pro ſacro ſigno *Redemptionis*: Aqua vero, *Regenerationis.* In quem etiam ſenſum S. Aug. *lib. 12.* contra Fauſtum *cap. 8. Tract. 15. in Ioan. & Sent. 329. S. Proſperi*, refert formationem Euæ ex latere Adami dormientis, in figuram Eccleſiæ formatæ ex latere Chriſti mortui, ſub ſigno illo fluxus Sanguinis & Aquæ. Ergo per omnia Sacramenta, ad totius Eccleſiæ formã pertinentia. Nec obſtat quod *15 Ciuit. 26.* exponat oſtiũ laterale Arcæ, in figuram vulneris lateralis Chriſti: *Vnde* (inquit) *Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur*: quia hinc poſſunt intelligi omnia quibus ſanctificantur. Vt & *Lib. 12.* contra Fauſtum *cap. 16. Sacramentũ remiſſionis peccatorũ, quod de Chriſti latere aperto manauit.* Id eſt Sacrum Signũ omnis remiſſionis Sacramentalis aut non, ex meritis Paſſionis Chriſti. Neque obſtat quod *lib. 2.* de Symbolo *cap. 6* De fluxu illo Sanguinis & Aquæ: *Hæc ſunt*, inquit, *gemina Eccleſiæ Sacramenta.* Quia ſubdit, *Aqua in qua eſt ſponſa purificata: Sanguis ex quo inuenitur eſſe dotata.* *Ex quò*, vtique meritoriè: *dotata* autem, omnibus medijs ac remedijs ſalutaribus. Quid quòd *lib. 3.* contra Maximinum *cap. 22.* applicet illud 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis*, quæ tria de Corpore Chriſti exierunt: in ſignum trium perſonarũ diuinarum, vnius eiuſdemque naturæ? Vnde patet hinc nihil certi de numero Sacramentorum ſtatui poſſe.

3. Ex Symbolo Conſtant. *Confiteor vnum Baptiſma, in remiſſionem peccatorum*: ergo non ſunt plura Sacramenta. Tum quia hîc æquè fuiſſent expreſſa: Tum quia illud vnum ſufficit ad remiſſionem peccatorum. *Reſp.* Id tantùm de vnico, ſeu irreiterabili Baptiſmo in eodem: quod tunc contra hæreticos exprimendum erat; ſed implicitè de omnibus Sacramentis, in Symbolo Apoſtolico, ſub *S. Eccleſia, Sanctorum communione, & remiſſione peccatorum*, per omnia Sacramenta adhæc cõuenientia. Cùm enim Baptiſma ſit irreiterabile: non poteſt ſufficere ad neceſſariam frequentationem, ſanctificationem, communionem, & remiſſionem peccatorum inter fideles viatores.

4. Ex S. Aug. *lib. 1. de nuptijs, & concup. cap. 33. & lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 7.* Vnico Baptiſmo remitti cuncta peccata etiam futura. *Reſp.* Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 622. 623.* ex ipſo B. Aug. ibidem: *Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſtea niſi præcederet?* Item. *Quia niſi Eccleſia eſſet baptizata, infructuosè diceret, Dimitte nobis &c.* .i. Baptiſmo omnia etiam futura fieri remiſſibilia, per ſequentia Sacramenta. De quo latius ſub Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ.

5. Ex eodem ſupra *col. 61.* Sacramenta nouæ legis ſunt *pauciſſima*: ergo non 7. *Reſp.* Non *pauciſſima* Arithmeticè, abſolutè, ac indiuiſibiliter; ſed moraliter, comparatiuè tam ad Moſaïca, quàm ad perfectè prouidendum toti Eccleſiæ, tam paucis Sacram. & ſecundũ quandam latitudinem huius etiã ſuperlatiui. Sicuti moraliter dici ſolent homines maximi, minimi, plurimi, aut pauciſſimi, ſecundum locum, tẽpus, finem, morem, &c. .i. valdè pauci &c.

6. Chriſtus *Ioan. 13.* videtur his verbis, *Niſi lauero te non habebis partem mecum*: Et infra, *Sicut feci vobis ita & vos faciatis*: æquè inſtituiſſe Sacramentum, ac Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*: & Mat. 26. *Hoc facite &c.* *Reſp.* Neg. paritatem: Quia hîc nec eſt promiſſio gratiæ ex Opere Operato, nec inſtitutio huius Operis materialis; ſed tantum exemplũ & commendatio humilis charitatis. Vnde nec ſubditur *Hoc ipſum facite &c.* ſed, *Exemplum dedi vobis, vt ſicut &c.* Hinc SS. Patres vocant tantùm illam lotionem Chriſti, Sacramentũ .i. ſacrum exemplar. De quò B. Aug. epiſt. 119. cap. 19. *Ne lotio pedum ad ipſum Sacramentũ Baptiſmi videretur pertinere: multi hoc in conſuetudinem recipere noluerunt.*

7. Martyrium ſaltem puerorum pro Chriſto videtur habere rationem Sacramenti, ex ſenſu communi Eccleſiæ. *Reſp.* Habere quidem aliquam æquiualentiam ſaltem in paruulis necdum baptizatis: non tamen Dei inſtitutionem, ſed etiam prohibitionem actionis, & tantùm priuilegium paſſionis; nec ſignificationem Sacramentalem, ſed potius diſſimilitudinem, nec certam cauſalitatem ex Opere Operato æqualiter in omnes, ſed fortè tantùm meritoriam in adultis, ſecundùm S. Bon. *diſt. 4. p. 2. q. 2. & 3.* verbatim ex Alenſi *q. 22. m. 5. art. 1.* Quibus conciliari poteſt Scotus *diſt. 4. q. 3. & 6.* Si hic tantùm de paruulis, illi de adultis intelligãtur.

8. Confeſſio Fidei *Luc. 12. Rom. 10.* & quædam alia bona opera videntur habere promiſſiones quaſi Sacramẽtales. Vt Eleemoſyna *Tob. 4. Dan. 4. Luc. 11.* & Conſilia Euangelica *Mat. 19.* *Reſp.* Habere tantùm promiſſiones meritorum perſonalium & priuilegiatorum, ſecundum Fidem, & Charitatem Operantis.

9. Signum S. Crucis, quidam panis benedictus, Oratio Dominica, ex B. Aug. ſupra *col. 38. & 61.* ac aliundè, videntur habere non tantùm nomen, ſed etiam rationem aliquam Sacramenti. *Reſp.* Vt ibidem ſuprà, ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 241. 450. 1111. 1219. ſerm. 29. c. 2.* & infra Q. de Ceremonijs.

10. Lib. 10. Ciuit. 5. *Sacrificium* definitur *eſſe Sacramentum*: & applicatio ſacrificij eſt efficax ex Opere Operato: Conſecratio autem diſtinguitur à Sacramento Euchariſtiæ ſecundum Scotum; Ergo ſunt plura Sacramenta quam 7. *Reſp.* Sacrificium eſſe Sacramentum .i. *Signum ſacrum*, ibidem: Eius autẽ applicationem fieri tantum obiectiuè, per intentionem inſenſibilem: Conſecrationem verò eſſe de Sacramento Euchariſtiæ in fieri, imò & moraliter imprimi ac ineſſe ſpeciebus conſecratis. De quibus ſub Sacramento Euchariſtiæ.

11. Tot ſunt Sacramenta quot eorum ſubiecta & applicationes. *Reſp.* Tot quidem numero: ſed eſſe præciſè 7. quaſi ſpecie, aut genere morali, ſeu quadam aggregatione plurium ſignorum ſub vna ſignificatione Sacramentali, vel ſubordinatione ad eundem proximum finem. Prout infra, de Sacramento Ordinis.

## QVÆSTIO 7. SCHOLASTICA.

### *An, quæ, & quotuplex ſit Materia, Forma, Intentio, & Compoſitio neceſſaria ad Sacramenta nouæ Legis?*

DE Materia, & Forma Sacramentorum, ex illo B. Aug. de ſolo Baptiſmo. Tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentũ:* Magiſter Sent. diſt. 1. *Duo ſunt in quibus Sacramentum conſiſtit, ſcilicet verba & Res: verba, vt inuocatio Trinitatis; Res, vt Aqua, Oleum, &c.*

Alenſis Q. 8. M. 3. Art. 1. *Vtrum omnia Sacramẽta habeant materiã &c. Reſpondent quidam quod illud intelligitur de Sacramentis quæ propriè ſunt nouæ Legis, quæ non ex Lege naturæ vel ſcripta originem duxerunt &c. Vel poteſt dici quod etiam in illis, prout ſunt Sacramenta Eccleſiæ, requiritur aliquid ſenſibile pro quodam genere materiæ, &c.* §. 1. *Dicendum quod non omnia habent eandem materiam, ſed differentem, ſicut habent differentem effectum.*

Art. 2. *Vtrum omne Sacramentum nouæ Legis habeat Formam.* §. 1. *Si dicatur Forma, quâ Sacramentũ accipit complementum, in omni Sacramento eſt aliqua forma: ſi vero dicatur forma verborum quâ fit ſanctificatio, non eſt in omni Sacramento &c.* §. 2. *Ad illud, vtrum Forma ſanctificationis ſit in verbis: videtur dicendum (ſine præiudicio melioris ſententiæ) quod ſic, & quod aliqua Forma verborum vtitur Eccleſia in ſingulis Sacramentis; ſed quædam ſunt benedictiones, quæ non pertinent ad ſubſtantiam &c. Quia Verbum Incarnatum, per quod Sacramenta habent virtutem, in Lege noua innotuit, & ab eo propriè habent inſtitutionem, & ſanctificationem.* §. 3. & 4. De inſtitutione Materiæ, & Formæ omnium Sacramentorum. De qua Q. ſequenti.

Art. 3. *De eorum ſufficientia in quibus Sacramenta conſiſtunt, &c. Duo ſunt in quibus Sacramenta conſiſtunt, Verba & Res,* ex Mag. & Aug. ſupra.

S. Bon. d. 1 in illud Mag. ſupra. *Videtur quod male diuidat: quia omne verbum eſt Res.* Item: *Quia Hugo dicit quod conſiſtunt in Rebus, Dictis, & Factis.* Reſp. *Res arctatur hic ad viſibilia, & Magiſter ſtrictiùs accipit Sacramenta, quàm Hugo.* De quibus plura ſub Sacramentis in ſpecie.

Scotvs noſter *diſt.* 3. *q.* 2. occaſione formæ baptiſmalis. *Propriè loquendo de forma, prout eſt altera pars Compoſiti, Forma Sacramẽti eſt ipſa relatio Signi, quæ formaliter eſt tale Sacramentum,* vt Alenſis ſupra: *Et Materia eſt totum fundamentum ipſius relationis. Verùm ſi in fundamento iſto ſint plura, ex quibus aliquo modo fit vnum Sacramentum, quæ non omninò æqualiter ſe habent, ſed alterum ſit quaſi præuium & determinabile, alterum quaſi poſterius & determinatio præcedentis: primum poteſt dici quaſi Materia, & alterum Forma, &c. Quod eſt principalius & actualius, poteſt dici forma reſpectu potentialioris &c. Spiritualius reſpectu minus ſpiritualis.* Infra. *Pars principalior in ſignificãdo, ſunt verba: quia* B. Aug. 2. Doctr. Chriſt. 1. *verba inter homines obtinuerunt principatum in ſignificando.*

Qvæst. 3. Ex occaſione Materiæ Baptiſmalis. *Materia propriè eſt totum illud quod eſt ibi ſenſibile, in quo fundatur relatio ſigni, quod eſt formale &c. Sed ſicut in illo toto ſenſibili aliquid eſt principalius, vt vltimatè determinans, & ideo dicitur Forma: Ita aliquid eſt minus principale vel determinabile, & illud dicitur Materia. Sed tale poteſt intelligi vel proximum ad ſignificandũ, vel remotum: Proximum in Baptiſmo, eſt ipſa ablutio.* Infra. *Ablutio quaſi formalis non eſt inſtituta tanquam ſignum, vel pars ſigni: ſed ipſa ablutio effectiuè facta ab aliquo abluente.* Infra. *Iſto modo intelligendo, lotio eſt Materia proxima, quaſi per ſe fundamentum, vel pars fundamenti iſtius ſignificationis: Aqua autem eſt Materia remota, quæ applicatur corpori in iſta lotione.*

De intentione autem, ex illo B. Aug. lib. 7. De Bapt. cap. 53. *Si totum ludicrè ageretur &c.* Ad quod Magiſter diſt. 6. breuiter & negatiuè.

Sed Alensis noſter longè, latè, ac profundè. Q. 13. M. 1. A. 1 *Neceſſariò requiritur intentio baptizantis: quia eſt opus voluntatis rationabilis & deliberatæ* &c. *propter reuerentiam Sacramẽti, & cautelam baptizati* &c. Infra. *Vt non ſe exponat cuicumq; ſuſpecto. Alia ratio. Baptizans efficitur Miniſter Eccleſiæ per hoc quod intendit Eccleſia: vnde neceſſariò requiritur intentio. Similiter eſt de virtute verbi; quia nullam habet niſi mediante diſpenſatione Miniſtri Eccleſiæ.* Infra. *Hæreticus eo quod intendit quod intendit Eccleſia, efficitur Miniſter Eccleſiæ. Si enim non intendit quod intendit Eccleſia, ſed quod hæreſis infidelium, non baptizaret.* Infra. *Cùm baptizans ſit agens ſecundum propoſitum, neceſſariò requiritur in huiuſmodi actione intentio. Sed actio baptizantis eſt relata ad actionem Dei. Propoſitum enim Eccleſiæ, eſt quod Miniſter abluat exterius, vt Deus abluat interius.* Infra. Greg. in moral. *Non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni. Vnde dicitur accedere verbum ad elementum, quando cum intentione profertur* &c. *Verbum enim ibi ſumitur propriè ſecundùm quod profertur cum intentione* &c. *Vel Aug. non intendit determinare omnia quæ requiruntur ad Sacramentum, ſed quæ ad opus exterius Sacramenti: vt,* Elementum *quod eſt materiale, & verbum quod eſt formale.* Infra. *Sed ſi requiritur intentio baptizantis, non eſt baptizatus paruulus &c.* Reſp. *(ſine præiudicio) quod in caſu iſto piè ſupponi poteſt, quod ſummus Sacerdos ſupplebit, cùm virtus ſua non ſit alligata Sacramentis* &c. *Si hoc non faciat: in nullo præiudicatum eſt Eccleſiæ, nec paruulo: cum ſola gratiâ & abſque omni debito remittat Dominus peccata* &c. *Diuinâ prouidentiâ rationabiliter prouiſum eſt, vt ſine intentione quæ eſt quaſi vita operationis & dux, ipſa operatio efficaciam non habeat.* Infra. *Ad hoc quod dicit Aug.* Si totum ludicrè factum eſt &c. *Quia opus exterius poteſt exerceri cum intentione baptizandi, vel ludendi tantùm:* implorandum eſt diuinum oraculum, *vt Dominus oſtendat ſi ſit baptizatus .i. ſi ſic ludendo, intendebatur baptizare, vel ludere tantum.* Infra. *Intentio facit Miniſtrum Eccleſiæ* &c. *Vnde Aug.* Quando baptizat hæreſis: non baptizat vnde diuiſa eſt ab Eccleſia, ſed vnde coniuncta. *Coniuncta eſt autem per hoc quod intendit quod intendit Eccleſia.* Infra. *Baptizanti, ratione actualis miniſterij intentio eſt neceſſaria: ne excellentia Sacramenti actio irrationalis, & impetuoſa præiudicet &c.* Infra. *Intentio inſinuatur* Matt. vlt. *in hoc quod dicitur* Baptizantes &c. *In opere enim quod fit ſecundum propoſitum, requiritur intentio &c. Ad vltimum, non requiritur quod baptizans intendat quod verba efficaciam habent ſignificandi* &c. *Sed requiritur quod intendat facere quod facit Eccleſia in baptizando.*

Art. 2. *Vtrum intentio recta requiratur &c.* Reſp. *Intentio eſt directiua eius cuius eſt, in finem: finis autem*

rei eſt duplex ſc. Terminus vel complementum rei, & vtilitas rei. Sic in Sacramento duplex eſt finis: vnus qui eſt eius complementum, ex acceſſu verbi ad elementum, modo debito; & alius qui eſt vtilitas baptizati vel baptizantis &c. Prima intentio eſt de neceſſitate Sacramenti: Secunda tantùm de congruitate: Prima non habet rectum vel obliquum, ſed ſecunda.

Art. 3. Vtrum poſſit eſſe intentio ſine fide. Reſp. Intentio faciendi quod facit Eccleſia poteſt eſſe ſine fide intendentis. Infra. Actus intentionis duplicem habet reſpectũ: ad intendentem, & ad id quod intenditur, quod eſt facere quod facit Eccleſia. Secundùm primam relationem, poteſt eſſe intentio ſine fide &c. Secundùm 2. non poteſt eſſe intentio recta ſine fide Eccleſiæ. Ad vlt. Non ſequitur, ſi intendit Eccleſia, quòd propter hoc intendit quicquid intendit Eccleſia.

Art. 4. Concedimus &c. quòd intentio Eccleſiæ eſt abluere exterius, vt Deus abluat interius. Vnde intendere facere quod facit Eccleſia, eſt intendere abluere exterius vt Deus abluat interius. Quia intentio dirigit operationem: non ſtat in illa ablutione intentio Eccleſiæ, nec baptizantis. Vnde actio hac ratione intentionis eſt relata &c.

S. Bon. diſt. 5. art. 1. q. 2. ad 3. Intentio poteſt eſſe reſpectu operis, non reſpectu finis. Ad 4. Hæreticus benè intendit facere quod facit Eccleſia, & tamen credit quod Eccleſia nihil faciat: quia reſpectu alterius eſt intentio, & credulitas. Nam credulitas non eſt reſpectu effectus &c. Nihilominus intendit facere id opus non tantum vt eſt actus ablutionis corporis, verum etiam vt eſt actus quidam conſuetus ab Eccleſia: & hoc intendendo facere, quamuis principaliter non intendat effectum, intendit tamen ex conſequenti.

Dist. 6. p. 2. art. 2. quæſt. 1. An intentio ſit de neceſſitate Baptiſmi. Reſp. In omni Sacramento neceſſaria eſt intentio: quia Sacramentum non habet eſſe ſuum à natura, ſed ab inſtitutione, &c. Poteſt tamen, & alia ratio aſſignari, &c. Ad hoc quod ſit Sacramentum neceſſe eſt quod Forma & Elementum ad vnum ordinentur &c. Inſtitutio Chriſti ordinauit, non tamen arctauit &c. Ideò neceſſarium eſt interuenire intentionem Miniſtri, quâ intendit illo actu & verbo talem effectum dare, vel quod facit Eccleſia facere, vel ſaltem quod Chriſtus inſtituit diſpenſare: alioquin verbum & elementum vt diſiuncta talem effectum non faciunt.

Ad 1. Non accedit verbum ad elementum niſi adſit intentio iungens. Ad 3. Si fictio non remouet hanc intentionem, non impedit ſuſceptionem Sacramenti. Reliqua ex Alenſi ſupra.

Quæst. 2. An recta intentio ſit neceſſaria ad Baptiſmum. Verbatim vt Alenſis ſupra.

Scotus noſter diſt. 6. q. 5. Vtrum in baptizante requiratur intentio baptizandi: Diſtinguit intentionem ipſius actus inde exercendi liberè, ab intentione finis eius proximi vel remoti, in communi vel particulari: prout propriè intentio diſtinguitur ab alijs actibus etiam liberis ac elicitis voluntatis.

Dico ergo, inquit, quod oportet Miniſtrum habere intentionem reſpectu actus quem exercet &c. Quia actus debet eſſe humanus in eo, & non caſualis. Eſt enim actus ad quem Deus obligauit &c. Super fortuita autem non cadit obligatio &c. Si autem loquamur de intentione reſpectu finis: dico quod intentio finis vltimi nullo modo requiritur in baptizante &c. Requiritur tamen intentio finis proximi, vel in particulari, vel generali: in particulari, vt ſi intendat iſtum intrare legem Chriſtianorum ſeruandam; in generali, ſi intendit facere circà iſtum quod Chriſtiani ſolent facere circa ſuos. Ratio eſt congrua &c. Quia Deus voluit actum iſtum exercitum à Miniſtro eſſe humanum: non tantùm vt eſt talis actus in natura &c. Sed in quantum eſt actus alicuius vt Miniſtri exercẽtis ſignum Dei &c.

Quæst. 6. Vtrum in baptizante requiratur intentio actualis. Diſtinguitur communiter de intentione actuali & habituali &c. Sed poſſet apponi virtualis. Ille enim dicitur actualiter intendere, qui habet actum elicitum reſpectu eius quod intendit: ille autem dicitur habitualiter intendere, qui habet habitum inclinantem ipſum ad talem actum. Sed aliquis eſt minùs perfectè intendens quàm primo modo, & perfectiùs quàm ſecundo: Ergo eſt medium inter iſta duo. Infra. Ad propoſitum dico, quod ſola intentio habitualis non ſufficit in baptiſmate: quia propter iſtam non dicitur actus humanus &c. Nec requiritur in baptizante ſemper intentio actualis: quia non obligauit Deus hominem ad impoſſibile, vel nimis difficilè, &c. Ex his concludo quod ſufficit virtualis: hoc eſt, quòd aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua nunc verè deſcendit actus baptizandi &c. abſque omni motu voluntatis contrario interueniente. Infra. Poteſt ergo dici quod in appetitu ſenſitiuo ſiue phantaſia eſt aliqua diſpoſitio ſecundum quam mouet, ceſſante actu voluntatis imperantis eis. Vel aliter, quòd ſiue voluntas actu intendens aliquid relinquat in potentijs inferioribus, ſiue non: ordinatè tamen habet ſuas volitiones reſpectu finis, & eorum quæ ſunt ad finem: & cum actum inferioris potentiæ imperauerit, poteſt ille actus inferior imperatus manere, licet intentio nec prima nec ſecunda maneat; & dum manet ille actus, voluntate quantumcunq; diſtracta, dicitur manere intentio virtualis.

Quam Doctrinam, de neceſſitate alicuius Materiæ, Formæ, & Intentionis ſaltem faciendi quod Eccleſia facit: reliqui omnes Scholaſtici quoad rem ipſam approbant, & ipſum etiam Conc. Flor. ac Trid. ſupra confirmat. Sed de illa Materiali & Formali ratione, Reali & Verbali, propriè vel impropriè, intrinſecè vel extrinſecè, imò & de obiecto fine ac modo intentionis, plura hac Q. Scholaſticè propoſita ac reſoluenda ſunt, Dogmaticis Q. ſequenti reſeruatis.

RESPONSIO.

Reſp. Ex Flor. ſupra, Hæc omnia Sacramenta tribus perfici: videlicet, Rebus tanquam Materia, Verbis tanquam Forma, & Perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum Intentione faciendi quod facit Eccleſia. Dogmaticè quidem, quoad horum neceſſitatem, prout ſubditur, Quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum; ſed tantùm Scholaſticè & accomodè, quoad hanc explicationem, quæ nimis eſt Philoſophica, Metaphorica, & Æquiuoca, quàm vt definita vel etiam fortè definibilis ſit.

Nam omnia Sacramenta perfici his tribus, non poteſt intelligi intrinſecè, ſed tantùm neceſſariò: cùm perſona Miniſtri ſit extrinſeca Sacramento, nec poſſit cuilibet Sacramento ſua materia realis, & forma verbalis intrinſecè aſſignari; Ergo ſiue intrinſecè ſiue extrinſecè, cauſaliter, finaliter, ſubiectiuè, obiectiuè, &c. ſecundùm neceſſariam exigentiam cuiuſlibet Sacramenti, & quemlibet ſenſum accomodum huius conſtructionis, perfici tribus &c.

Res hîc non poteſt ſumi pro quouis ente, nec

pro materiali, permanente, ſenſibili, reali, prout opponitur ſpirituali, inſenſibili, tranſeunti, morali, aut verbis propriè dictis: quia ſic totum Sacramentum eſt res materialis & ſenſibilis; quædam autem videntur perfici ſolis factis, abſque alijs rebus aut verbis, quædam ſolis verbis, vt de ſingulis patebit. Sed ſumi debet pro ſubiecto morali totius actionis, aut ſignificationis Sacramentalis: vel pro ſigno materiali ſeu imperfectiori, reſpectu ſui formalioris ſeu perfectioris in ſignificando.

Nec VERBA poſſunt hîc aliter ſumi, quàm pro ſigno illo formali aut perfectiori, reſpectu ſui materialis, ſeu imperfectioris in ſignificando: analogicè ad verba propriè dicta, ex Scoto & B. Aug. ſuprà. Vt patebit ſub ſingulis Sacramentis. Quanto minus ſumi poſſunt pro verbis Concionatorijs ad Auditores, aut precatorijs ſeu Benedictorijs & Ceremonialibus circa materiam remotam, vel perſonas? Cùm nec vlla verba propriè dicta ſint de neceſſitate cuiuſuis Sacramenti: tamque expreſsè diſtinguatur officium concionandi & orandi, ab officio adminiſtrandi Sacramenta *1. Cor. 1. & 10.* Et vbi verba propriè dicta ſunt neceſſaria, præciſæ verborum formulæ ad hoc in ſacra Script. exprimantur, vel traditione & praxi continuâ ſuppleantur, tamque religiosè obſeruentur ac diſtinguâtur à precibus impetratorijs vel ceremonialibus tantùm. Particula (TANQVAM) non ſignificat ſpecificatiuè, aut reduplicatiuè, huius rei vel comparationis proprietatem: ſed metaphoricè, quandã improprietatem, & ſimilitudinem tantùm. Hinc ſub Sacramento Pœnitentiæ reſumitur Col. 2. lin. 43. per *quaſi*: quod nonniſi improprietatem ſignificat.

MATERIA, vt ſingulis Sacramentis accõmodari poſſit, non poteſt reſtringi ad materiam ex qua, ſeu compoſitionis, vt patebit de Sacramento Euchariſtiæ & Pœnitentiæ: ſed extendenda eſt ad omnem materiam, *ex qua* ſeu cõpoſitionis, *in Qua* ſeu ſubiectionis ac diſpoſitionis, *De Qua* ſeu conuerſionis, *Circa Quam* ſeu cuiuſuis operationis; ad materiam proximam & remotam vel remotiorem, totalem vel partialem, permanentem vel tranſeuntem, communem vel particularem, determinatam vel indeterminatam, certam vel dubiam, neceſſariam eſſentialem ſeu immutabilem, vel non neceſſariam &c. de quarum ſignificatione & vſu ſucceſſiuè.

Nec FORMA reſtringi poteſt ad formam Compoſitionis: ſed extendi debet ad formam quaſi inhærentem, informantem, componentem, adhærentem, conſtitutiuam, exemplarem, impreſſiuam, vel actiuam: ad formam quaſi partialem vel totalem, ad quaſi formam partis ſuæ materialis, vel ſui totius, ad formam moralem, quaſi artificialem vel naturalem, quaſi accidentalem vel ſubſtantialem, quaſi Phyſicam vel Metaphyſicam.

ET PERSONA MINISTRI, vt cauſâ vtique inſtrumentali morali, ex officio vel inſtitutione & virtute cauſæ principalis: non tantùm per applicationem naturalem, aut materialem Sacramentorũ, ſed etiam moralem, Miniſterialem, ac ceremonialem, vt ſequitur.

DE INTENTIONE.

C*Vm intentione* .i. Non tantum ex quolibet vſu rationis, ac liberæ voluntatis; ſed tendentis in aliquem finem, per aliquod medium. Hoc enim propriè ſignificat intentio, prout etiam diſtinguitur ab ipſa electione mediorum ad finem.

*Faciendi quod Eccleſia facit.* Ad exprimendum finem illum proximum, & medium ad illum. Finis enim neceſſariò intendendus, eſt praxis huius totius actionis Sacramentalis, quatenus eſt ceremonialis Eccleſiæ: medium autem ad hunc finem, ſunt hæ actiones morales, ad totam illam formalem referibiles. Hoc enim ſatis ſignificatur per prius verbum *faciendi*, vtique exteriùs, & per ſequens *quod* relatiuum ad poſterius verbum *faciendi*, vtique etiam exterius; *Eccleſiaſticè*, ſeu more *Eccleſiæ*, non ſolius Catholicæ, ſed cuiuſlibet Chriſtianæ, ſecundum hanc ſaltem Chriſti inſtitutionem, ſiue creditam ſiue non. *Faciendi*: vtique ſeriò, abſolutè, hîc & nunc, hoc opere circa hanc materiam & ſubiectum præſens ſaltem confuſè determinatum; non autem tantùm fingendi, narrandi, proponendi, differendi, aut referendi in diſtans vel futurum, aut ſuſpendendi à præſenti. Hæc enim omnia importat verbum *faciendi* hoc opere externo. *Quod &c.* Vtique totum hoc ipſum ſimul ac integrè.

Et hæc quidem de obiecto, actu, fine, & medio huius intentionis: De modo autem intendendi, nõ neceſſario actualiter, nec tantùm habitualiter, ſed ſaltem virtualiter: optimè Scotus noſter ſupra.

Verùm ſicut ad maiorem diſtinctionem induxit tertium modum intentionis virtualis: ita & poſteriores quartum modum intentionis interpretatiuæ; non pro cuiuſuis priuato libitu, ſed moraliter ac imputabiliter, ſeu concomitanter aut conſequenter tantùm ad cauſam aliquam moralem aliquando præuolitam. Ita vt intentio actualis ſit ipſe actus continuus intentionis: Intentio habitualis, ſit vel ſola inclinatio habitualis infuſa aut acquiſita, vel quædam inde diſpoſitio proximior ad hunc actum liberum: Intentio virtualis, ſit vel ipſe actus imperans, vel eius extenſio practica ad aliquem actum continuum aut plures ſucceſſiuè & conſequenter imperatos, vel horum continuatio aut ſucceſſio ex illius imperio non reuocato. Denique intentio interpretatiua vel interpretabilis, ſit tantùm quædam rationabilis ac moralis imputabilitas eorũ quæ non ſunt in ſe volita, ſed tantùm remotè præuolita in ſua cauſa: ſeu quæ ſcienter ſolent concomitari aut conſequi aliquid præuolitum & factum, quamuis illa nec ſint in ſe volita dum fiunt, nec aliquando in ſe præuolita, ſed etiam prænolita fuerint. Quæ intentio, interpretatio, & imputabilitas ſæpè ſufficit ad malum morale, vel in ipſo effectu, vel ſaltem in ſua cauſa: nõ autem ad bonum, nec ad valorem Sacramenti. Tùm quia Bonum ex integra cauſa, Malum autem ex ſingulis defectibus: Tùm quia talia ſunt tantùm obiectiuè & remotè libera in ſua cauſa, non autem practicè fiunt liberè: Sacramenta autem debent practicè fieri ſenſibiliter & liberè.

Quia vero Scotus noſter ſupra mouet difficultatem, an vel quæ virtus ab intentione actuali imprimatur potentijs inferioribus, vel etiam actibus imperatis, in quâ poſt actum elicitum virtualiter perſeueret: ad maiorem ſecuritatem de noſtris intentionibus, videtur hîc diſtinguenda attentio & intentio, imo & electio quaſi ſpeculatiua circa

obiectum

Digitized by Google

obiectum aut eius actum de futuro, à practicâ imperatiua & executiuâ circa actum non tam vt obiectum, quàm vt effectum.

Deinde diſtinguenda eſt attentio, & intentio directa ad obiectum & actum vt obiectum, à reflexâ ſeu ab ipſa reflexione qua ſola aduertitur ſeu recognoſcitur illa attentio & intentio ad hoc obiectum, vel actum.

Denique probabiliter ſciendum, & prudenter confitendum eſt, ſæpè actualiter attendi & intendi directè, quod reflexè non percipitur: nec præuiam intentionem ac attentionem ad obiectum & actum de futuro, eſſe neceſſariam, imò nec ſufficientem; ſed practicam illam Imperatiuam & executiuam, quæ non requirit attentionem ad obiectum internum, ſed applicationem ad opus externum imperatum ab intentione actuali, ſiue præterita, ſiue adhuc præſente & cauſaliter tendente in actum externum, quamuis non reflectendo ad obiectum eius internum, ſed memoriâ etiam euagâte ad alia. A quibus reuocanda quidem eſt attentio ad opus externum: non tamen ab opere externo ad eius obiectum internum, ſed potiùs ab obiecto interno ad opus eius externum. Nec obſtat quod voluntas non feratur in incognitum, aut quòd illa fieri poſſent tantum habitualiter. Nam vel voluntas præſupponit non autem requirit continuam cognitionem obiecti, ad eius volitionem: vel continua cognitio eſt tantum neceſſaria ad volendum obiectum, non autem ad exequendum actum: nec inclinatio habitualis impedit, ſed potius ita facilitat intentionem & executionem actualem, vt præ facilitate non aduertatur. Ex B. Aug. l. De Quantitate Animæ cap. 35. Et ex Scoto noſtro de facili ac imperceptibili deliberatione ac libertate iuratorum habitualium in 3. d. 39. q. 1.

## DE COMPOSITIONE.

EX his, compoſitio Sacramentorũ vel eſt actiua, vel paſſiua: Actiua quidem à Miniſtro eiuſque intentione ſigna Sacramentalia conferente ac referente: Paſſiua autem aut formalis, eſt tum ipſorum Sacramentorũ ex ſuis ſignis & ſignificatione compoſitorum, tum ſignorum partialium inter ſe compoſitorum ac componentium. Vtraque tamen tantum eſt moralis, & metaphorica, comparatiuè ad aliquam realem, artificialem, vel naturalem, accidentalem vel ſubſtantialem, Phyſicam, vel Metaphyſicam.

Si comparetur compoſitioni artificiali ex pluribus partibus ſub eadem totali forma artificiali: tunc omnia ſigna Sacramentalia erunt quaſi materia reſpectu totius ſignificationis Sacramentalis, tanquam formæ totalis vel totius. Si comparetur compoſitioni artificiali ex vnico ſubiecto & ſua forma artefacta: tunc quaſi materia cuiuſuis Sacramenti remotiſſima erit ipſa perſona cui totum ſignum Sacramentale quaſi imprimitur ſeu applicatur; remota erit res aliqua permanens ſub qua applicatur, proxima totum ſignum applicatum: forma autem illius quaſi materiæ remotæ & remotiſſimæ, erit tota actio Sacramentalis ei applicata; huius autem materiæ proximæ, erit tota ſignificatio Sacramentalis. Ita etiam ſi comparetur compoſitioni naturali accidentali, ſeu ex ſubiecto & accidenti naturali. Si autem comparetur compoſitioni naturali, ac ſubſtantiali: tunc quaſi materia Sacramenti erit proxima ſeu prior actio Sacramentalis minus ſignificatiua: forma autem erit verbalis, vel altera actio ſignificationis Sacramentalis perfectiua, vt ſupra. Si comparetur compoſitioni metaphyſicæ ex genere & differentia: materiale Sacramentorum erit ſignum potentiale & indeterminatum in ſignificando; formale, erit ſignum perfectiuum & determinans ſignificationem Sacramentalem. Si comparetur iterum conſtitutioni metaphyſicæ cuiuſuis rei per ſuam formalitatem ſeu formam totius: tunc totum ſignum Sacramentale eſt quaſi materiale conſtitutum; forma autem conſtitutiua eius in ratione Sacramenti, eſt ipſa Sacramentalitas ſeu tota ſignificatio ac cauſalitas Sacracramentalis. Ex noſtro Alenſi ac Scoto ſupra.

Porrò ad has omnes morales quaſi compoſitiones Sacramentorum, neceſſaria eſt & ſufficit tanta coniunctio moralis ſignorum Sacramentalium tam inter ſe quàm ſecundũ locum & tempus, ſubiectum & Miniſtrum: vt ſatis appareat conferri ab eodem Miniſtro, eidem ſubiecto, ad eundem effectum. Vt ſub ſingulis Sacramentis.

## OBIECTIONES.

1. PErfici tribus ſonat intrinſecè: Ergo Conciliũ ſic eſt intelligendum. *Reſp.* Nec Concilium ibi propriè loqui aut intelligi poſſe, & hanc conſtructionem vſurpari in omni genere cauſæ, imò & extrinſecam perfici dicitur aliquid arte, inſtrumento, ſuo fine, imo & tempore.

2. Poſſet dici propriè & intrinſecè perfici, non ipſa perſonâ extrinſeca Miniſtri, ſed eius intentione obiectiuè & moraliter afficiente ac perficiente totam actionem Sacramentalem, vt talis ſit. *Reſp.* Ita quidem dici poſſe: ſed hîc aliter exprimi, imo & aliter exponi ſeu applicari pluribus Sacramentis.

3. Plura ſunt neceſſaria ad valorem Sacramentorum, quàm hæc tria, videlicet ſubiectum eiuſque diſpoſitiones: ergo hæc tria intrinſecè. *Reſp.* 1. Tantùm hæc tria eſſe neceſſaria ad omnia & ſingula Sacramenta: vt patet ex Sacramento Eucharistiæ ante omnem eius receptionem. 2. Non requiri vllam intentionem aut actionem ſubiecti ad valorem Baptiſmi paruulorum. 3. Hæc tria eſſe neceſſaria & ſufficere ad valorem Sacramenti in ſe: quod quamuis non poſſit exiſtere niſi in aliquo ſubiecto, excepto Sacramento Euchariſtiæ; non eſt tamen Sacramentum vt paſſio & in ſubiecto, ſed vt actio moralis & ſacra, à Miniſtro ſic intendente. Ex Scoto noſtro ſupra. 4. Hæc tria ſubdiuidi poſſe in plura: ſed præcipuè tertium, in perſonam ipſam Miniſtri, poteſtatem conferendi, intentionem neceſſariam ad conferendum, & ſubiectum capax cui conferatur.

4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ referunt Baptiſmum ab Athanaſio puero alijs pueris colludentibus collatũ, fuiſſe approbatum: ergo non eſt neceſſaria intentio vt ſupra. *Reſp.* Ex Sozomeno *cap. 16* Nicephoro *lib. 8. cap. 40.* fuiſſe approbatum ex circumſtantijs

 actionis

actionis feriæ, à pueris in Eccleſia obſeruatæ, & inter ſe exercitæ, quamuis ad iocum extrinſecè relatæ.

5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ referunt quendam Geneſium Mimum ludicrè & tamen validè baptizatū fuiſſe. *Reſp.* Ex Adone in Martyrol. 8. Kal. Decemb. fuiſſe baptizatum ab accerſito Sacerdote, ſed ioco in ſerium conuerſo ante Baptiſmum actualem.

6. S. Aug. *lib. 7. de Bapt. cap. 53.* dubitat de valore Baptiſmi ludicrè collati, requiritque ſpecialem Dei reuelationem de eius valore aut non. Reſpondent aliqui ibi tantùm agi de Baptiſmo ludicrè ſuſcepto, non autem collato: Sed veriùs ad mentem S. Aug. Vaſquez *in 3. part. diſp. 138. cap. 4.* de Baptiſmo ludicrè collato & recepto. Tum quia B. Aug. ibi orditur à Miniſtro & collatione Baptiſmi: tum quia proſequitur promiſcuè de collatione & receptione; tum quia exprimit, *Si totum ludicrè ageretur*, vtique tam conferendo quam recipiendo. Prout & nos Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 374.* Cui addo B. Aug. ibi opponere hunc caſum ſibi tam incertum, priori certo, ibidem à ſe ſic reſoluto: *Nequaquam dubitarem habere eos Baptiſmum, qui vbicumq; & à quibuſcumq; illum verbu Euangelicu conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent &c. Vbi autem,* inquit, *neque vlla ſocietas eſſet ita credentium, neque qui acciperet ita crederet, ſed totum ludicrè ageretur: vtrùm approbandus eſſet Baptiſmus qui ſic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum concordi oratione expectandū eſſe cenſerem.* Hinc ſatis exprimit hunc caſum, de Baptiſmo collato & recepto abſque fide, nō tantum perſonali cuiuſquam, ſed nec vllius Eccleſiæ, & conſequenter abſque vlla intentione faciendi quod facit Eccleſiâ: & de toto ludicrè geſto, non autem tantùm extrinſecè ad iocum relato; denique de reuelatione & oraculo ordinario Eccleſiæ in aliquo Concilio Generali: In quo, inquit, B. Aug. *Si quis me vrgeret vt dicerem quid ipſe ſentirem* &c. *Nequaquam dubitarem* &c. vt ſuprà. Quod cum in Conc. Trid. præſtitum & reſolutum ſit: eadem eſt ſententia Aug. quæ Concilij Trid. Porrò noſtra Reſponſio *Col. 374. Anat.* non eſt approbatio oppoſiti: ſed tantum ratio aliqua dubitandi; ne B. Aug. videatur nimis irrationabiliter dubitaſſe.

7. Zacharias Papa Epiſt. ad Bonifacium, vt refertur *de conſecr. diſt. 4. Can. Retulerunt*, approbat Baptiſmum *in nomine Patria & filia & ſpiritua ſancta*: niſi ex intentione per hoc introducendi errorem aut hæreſim. Ergo nec formæ ſunt determinatæ ad certum ſenſum, & ſola intentio erroris aut hæreſis vitiat Sacramentum. *Reſp.* Ex his verbis Zachariæ, *Si ille baptizauit, non errorem introducens aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis: non poſſumus conſentire vt denuò baptizentur.* Ergo vult hanc formam tantùm grammaticè corruptam, ex circumſtantia perſonæ ac facti ſatis determinari ad eundem ſenſum: poſſeq; determinari ad alium; non ex ſola ſecreta intentione, ſed ſuo modo notoriâ, introducendi errorem aut hæreſim contra ſenſum eſſentialem huius formæ.

8. Innoc. 3. cap. Maiores de Baptiſmo: *Tunc characterem imprimit Sacramentalis operatio, quando praua voluntatis obicem non inuenit obſiſtentem.* Ergo non requirit intentionem Miniſtri. *Reſp.* Ibi tantùm agi de neceſſaria aut non, diſpoſitione ſubiecti, non autem de Intentione Miniſtri.

9. Innocentius 4. *cap. Si quis puerum, extra de Bapt.* docet non requiri ad valorem Sacramenti, vt Miniſter *gerat in mente facere quod facit Eccleſia.* Reſp. *Dummodò intendat baptizare*: vt idem, ibidem tertiò inculcat. Vnde tantùm excludit neceſſitatem intendendi finem ab Eccleſia intentum, videlicet interiùs ſanctificandi.

10. S. Thomas *3. p. q. 64. a. 8. ad 2.* docet non requiri intentionem Miniſtri, ſed ſufficere intentionem Eccleſiæ expreſſam in ipſo Sacramento: *Ad 3.* autem docet ſufficere intentionem habitualem Miniſtri. *Reſp. 1.* Vt nos ſuprà, ad ſecuritatem Miniſtri, non requiri præuiam eius intentionem mentalem ſeu ſpeculatiuam de futuro, nec alicuius obiecti aut finis: ſed ſolam practicam ipſius Sacramenti, quæ eſt practicè, & obiectiuè communis Eccleſiæ; non autem quaſi ſufficeret intentio obiectiua Eccleſiæ ſignificata in Sacramento, aut intentio formalis cuiuſquam de Eccleſiâ, abſque ſimili intentione perſonali ipſius Miniſtri. *Reſp. 2.* Sufficere intentionem habitualem: non in actu primo, ſed in ſuo actu 2. elicito, vel imperato; quia habitus non tantum facilitat actus elicitos, ſed etiam imperatos, ac imperantes.

11. Alenſis ſupra, requirit neceſſariò intentionem veræ Eccleſiæ, non hæreſis, aut hæreticorum; requirit intentionem faciendi quod Eccleſia intendit, non autem tantùm quod facit; denique requirit intentionem ſanctificationis internæ. *Reſp. 1.* Quamuis videatur quibuſdam in his à communi diſſentire: nō tamen reprobare intentionē cuiuſuis hæreſis, ſed hæreticam in ipſa praxi Sacramentali. Vt patet ex citato & adhoc ipſum applicato textu ibidem: de hæreſi quatenus materialiter iuncta vel ſeiuncta eſt ab Eccleſia, in ipſa vtique praxi Sacramentali. *Reſp. 2.* Nunc requirere intentionem *faciendi quod facit Eccleſia*, nunc *quod intendit Eccleſia*: *Non tamen,* inquit, *quicquid intendit*; nec quod remotè intendit, ſed tantùm quod proximè & practicè, videlicet hoc totum quod facit, ſeu totalem actionem Sacramentalem, vt formaliter Chriſtianam, ex partibus eius materialibus ad hoc ipſum collatis, ac relatis. *Reſp. 3.* Requirere intentionem ipſius ſanctificationis internæ: non neceſſariò in ſe, directè, ac diſtinctè; ſed tantum in ſua cauſa, ac ſigno Sacramentali, & intentione obiectiua Eccleſiæ, confuſè, relatiuè, & conſequenter, ex vi & ordine inſtitutionis, non autem intentionis, quæ nil poteſt derogare inſtitutioni. Prout ſatis innuit Alenſis, & expreſsè præſupponit non requiri intionem finis extrinſeci, ſed tantum intrinſeci Sacramento, ſeu perfectionis eius ac complementi: expreſſius autem S. Bon. ſuprà.

12. Hæc intentio finis interni videtur illa interpretatiua de qua ſuprà: cur ergo requiritur, nec tamen ſufficit ad Sacramentum aut meritum, cùm ſufficiat ad peccatum. *Reſp. 1.* Non eſſe propriè illam interpretatiuam, ex qua poſſit imputari Miniſtro bonus ille finis intrinſecus etiam ab eo nolitus: Tum quia bonum ex integrâ cauſâ, malum autem ex ſingulis defectibus: Tum quia alius eſt ordo rerum

rerum

Digitized by Google

rerum inter ſe ex natura rei, aut lege ſuperiori; alius obiectiuè, in cognitione & voluntate operantis. Hinc B. Aug. ſpecialiter imputat ſoli Deo eiuſque inſtitutioni, ac pietati Eccleſiæ ſeu fideliũ, fructum Sacramentorum quæ à malis Miniſtris prauâ fide, ac intentione miniſtrantur., Vt patet ex Tomo 2. noſtræ Anat. *vol 366. 367.*

23. Catharinus Author Catholicus docet ſufficere intentionem faciendi quod facit Eccleſia materialiter actu externo. *Reſp.* Quoſdam ei hanc opinionem inter alias imputare ad aliquam temeritatem & hæreticorum affinitatem: verùm facilè excuſari, & ab illis diſcerni poteſt; quod illi minùs requirant intentionem in Miniſtro quàm in recipiente Sacramentum, nec intentionem liberam ac ſeriam ipſius operis materialis; hîc autem requirat perfectiorem intentionem in Miniſtro quam in recipiente, & quidem practicè liberam ac ſeriam, faciẽdi quod facit Eccleſia, ſaltem actu illo externo, quamuis nõ vt Sacramentali, & à Chriſto inſtituto. In quo fortè tantùm vult ſufficere intendi hanc praxim, vt eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, ſiue vt ceremonialis tantùm, ex ſolius Eccleſiæ inſtitutione, ſiue vt Sacramentalis ex inſtitutione ipſius Chriſti: Cùm hinc tantùm prætendat maiorem ſecuritatem, facilitatem & independentiam Sacramentorũ à negligentia, ignorantia, & malitia Miniſtrorum, ſalua neceſſaria intentione faciendi quod facit Eccleſia. Cuius multiplex ſenſus eſſe poteſt. 1. Naturaliter, habitualiter, conſequenter, & exteriùs tantùm, abſque vllo vſu interiori rationis & libertatis: quod nullatenùs ſuſtineri poteſt. 2. Moraliter ſed materialiter tantùm, quo ad ſingulas illas actiones rationales ac liberas: quòd nec ſuſtineri poteſt; quia ſic ſufficeret ſola intentio libera narrandi, repræſentandi, diſcẽdi, docendi, accuſandi, condemnandi, irridendi illas actiones. 3. Adhuc materialiter & moraliter, ſed quoad totalem actionem ex pluribus partialibus intentam & quaſi compoſitam. 4. Formaliter, ſed tantum ſpecificatiuè quoad actiones partiales & totalem, ſecundum quod Eccleſiaſtica eſt, ſiue ceremonialis tantùm, ſiue Sacramentalis ex inſtitutione Chriſti. 5. Formaliter & reduplicatiuè, quoad hanc totalem actionem quia Eccleſiaſtica & Chriſtiana, ſeu Sacramentalis & à Chriſto inſtituta eſt: exprimendo hanc rationem formalem obiectiuam intentionis.

Tertio ſenſu fortè ſufficeret intentio reuera *faciendi* materialiter totum ſimul *quod* Eccleſia facit: quia intentio videtur tantùm neceſſaria ad componendum totum illud materiale, vt inde formalitas Sacramentalis reſultet, ex ſola Chriſti inſtitutione independenter ab vlteriori intentione Miniſtri. Sed vix poteſt illud totum intendi, quin reduplicatiuè aut ſaltem ſpecificatiuè intendatur, ob, vel ſecundum rationem formalem praxis Eccleſiaſticæ aut Sacramentalis: vixque eſt vlla maior difficultas ſic intendendi formaliter, quàm materialiter, ob neceſſariam connexionem notoriam huius formalitatis cum illa totalitate.

Hinc patet facilitas & ſecuritas moralis huius intentionis, à periculo ignorantiæ, negligentiæ & malitiæ Miniſtrorum. Quia vix poſſunt liberè exercere materialiter totam actionem Sacramentalem, abſque intentione ſufficienti. Cùm nec ignorantia aut negligentia volendi ſalutem, aut etiam ipſam rationem formalem Sacramentalem, imò nec malitia interna nolendi, poſſit integram actionem Sacramentalem fruſtrare ſuo effectu. Imò nec maligna prænolitio ſpeculatiua ſolius operis materialis, & prænolitio rationis formalis, ſeu praxis Eccleſiaſticæ ac Chriſtianæ; excludat ſufficientem intentionem practicam ab ipſo Opere Operato: ſed illa potius hinc excludatur. Quid quod ipſa intentio practicè narrandi, diſcendi, docendi, reprobandi, irridendi ipſum integrum opus: poſſit tantùm eſſe relatiua totius Operis ad hos fines extrinſecos, vel tantùm partialis totius Operis; non excluſa, ſed incluſa alia etiam intentione reuera totum illud coniunctim faciendi, ſub ſua ratione morali & ceremoniali, tanquam ſuperſtitioſa aut ridicula. Ita vt multò difficiliùs ſit malitioſa intentione vitiare, quam ſimplici & practica perficere Sacramentum.

## QVÆSTIO 8.

### Dogmatica, Scholaſtica, Moralis.

*Quæ ſit cauſa Principalis, Meritoria, Inſtrumentalis, & Miniſterialis Sacramentorum nouæ Legis: quoad eorum inſtitutionem, efficaciam, determinationem, vel ſaltem validam & licitam applicationem.*

POſt qq. de nomine, & ratione communi propria ac perfectiſſima Sacramentorũ nouæ Legis, eorumque partibus ſubiectiuis, & quaſi integrantibus: nulla videtur ordine naturæ & doctrinæ propinquior hac, ſeu à qua ratio & cognitio Sacramentorum magis dependeat. Quæ quia tota ſimul hoc ordine in communi non tractatur à noſtris, ſed à S. Thoma *q. 64. per 10. art.* excepta præpoſitione effectuum, poſtpoſitione numeri, & omiſſione ſubiecti: nos Doctrinam noſtrorum in hunc ordinem ad delectum recolligamus.

Magiſter Sent. de cauſa quidem finali in communi: ſed vix de effectiua vt ſupra, niſi breuiter ſub Prologo, & indirectè ſub efficacia gratiæ, deinde in ſpeciali ſub ſingulis Sacramentis.

Alenſis autem, ſuo ordine, magis ex profeſſo ac in communi *Q. 1. De Sacramentis in Genere.* M. 3. a. 4. *A quo facta ſit inſtitutio Sacramentorum* &c. *Ad quod dici poteſt quod inſtituta ſunt à Deo authoritate, ab homine puro ſolo Miniſterio, à Chriſto authoritate & Miniſterio &c.*

Q. 8. *De Sacramentis nouæ Legis in genere* M. 2. a 1. *Vtrum omnia habuerint inſtitutionem à Chriſto* &c. *Ad quod dici poteſt, quod digniora ſunt Sacramentis veteris Legis, & per digniorem inſtituta, ſcilicet per Chriſtum, vel Apoſtolos, authoritate ipſius & doctrina. Sed duo inſtituit per ſeipſum, Baptiſmum & Euchariſtiam* &c. *Sacramentum verò Confirmationis & Extremæ vnctionis dedit per Apoſtolos: niſi fortè impoſitione manus factâ paruulis* Mat. 19. *intelligatur Confirmatio. Legitur etiam quod diſcipuli* Mar. 6. *vngebant oleo infirmos & curabantur* &c. *Alia vero tria quandam habent additionem à Domino in Euangelio* &c. Reliqua conſequenter ſub Sacramentis in ſpecie.

S. Bon.

Digitized by Google

S. Bon. Sequens ordinem Magiſtri ſui, vix etiam quicquam de hoc in communi, niſi in Prologo: De pio noſtro Samaritano Chriſto Domino, deque fluxu ſanguinis & aquæ ex eius latere, in ſignum confectionis & inſtitutionis Sacramentorũ ex eius meritis, per mixtionem ſanguinis cum aqua, quaſi verbi cum elemento; & Spiritus cum Sacramento. Sed ſub ſingulis Sacramentis in ſpecie, prorſus ſecundum mentem Alenſis Magiſtri ſui.

Scotus autem noſter de his in cõmuni promiſcuè multa: nunc à communiſſimis ad particularia profundiſſimè deſcendens, nunc à particularibus ad communia celſiſſimè aſcendens.

Nam *diſt. 1. q. 1. & 4.* ſed reſoluta ſub 5. Et *diſt. 6. q. 5.* hoc totum aliquoties reſumit à diſtinctione inter cauſam principalem, primam aut ſecundam, & inſtrumentalem: quòd Prima agat ex virtute propria prorſus independenter: Secunda, ex virtute quidem propria ſeù intrinſeca in actu primo, ſed participata, & nonniſi dependenter à Prima: Inſtrumentalis autem, vel non agat propriè, ſed tantùm recipiat aut ſit prior aliquis effectus ad vlteriorem ordinatus, vt ſunt & agunt inſtrumenta artis; vel non agat niſi diſpoſitiuè ad effectũ principalem; vel nonniſi ex actuali motione, ſed intrinſeca & tranſeunte, à ſuo principali. Statuit enim pro certo agi non poſſe, niſi ex aliqua vi intrinſeca agenti, vel permanente vel tranſeunte.

De cauſa principali inſtitutionis Sacramentorum *diſt. 1. q. 3.* diſtinguit inſtitutionem quoad ſolam determinationem ſigni etiam practici, vt porrectionis manus aut oſculi in ſignum practicum amicitiæ, ab inſtitutione quoad certam efficaciam ſignificati. Hunc autem modum inſtitutionis Sacramentorum docet eſſe ſoli Deo proprium; quia ſolus poteſt ſe determinare ad efficaciam illam ordinariam gratiæ: illum autem modum eſſe communicabilem creaturæ; quia hæc poteſt determinare aliqua ſigna practica, ſeù quę moneant, moueant & obligent ad effectum ſignificatum, poteſtque Deus dare optionem ſeù determinationem ſignorũ ſub promiſſione gratiæ à ſe conferendæ ad eorum applicationem. Sed vtrumque requirit ad completam & perfectam inſtitutionem Sacramentorum: Neque eius locutio cõditionata, eſt ex aliquo deſuper dubio: ſed tantùm ex certa ſuppoſitione. *Si*, inquit, *eſt de ratione Sacramenti quòd ſit efficax: de ratione eius propriè dicta eſt quod à ſolo Deo poſſit inſtitui. Si autem non eſt de ratione eius* &c. *ſaltem perfectio requirit vt inſtituatur à Deo* .i. Si non eſt de communi ratione Sacramenti, vt ſit efficax gratiæ: perfectio Sacramenti requirit hanc efficaciam, quæ non poteſt inſtitui niſi à Deo.

Hinc *diſt. 2. q. 1. concl. 2.* De Sacramentis nouæ Legis: *Omnia*, inquit, *inſtituta ſunt à Chriſto vel à Deo* &c. *De Baptiſmo* Ioan. 3. Mat. vlt. *De Euchariſtia:* Ioan. 6. Mat. 26. *De Confirmatione* Ioan. 20. *Accipite Spiritum S.* vel Act. 2. *De Pœnitentia* Ioan. 20. Mat. 16. *De Extrema vnct.* Iac. 5. Mar. 6. *De Matrimonio* Mat. 19. *De Ordine* Mat. 26. *Hoc facite.* Ioan. 20. *Quorum remiſeritis* &c. *Quod autem hæc omnia à ſolo Deo fuerint inſtituta, patet per illud quod tactum eſt in generali*, ſupra. Ergo ſine dubio. *Nulli enim competit inſtituere ſignum practicum, niſi vel reſpectu alicuius actus ſui proprij, vel alicuius qui ſubeſt ſibi quo ad illum actum: Sacramentum autem eſt ſignum practicum reſpectu effectus Dei propriè, & Deus non poteſt in actu proprio alicui alij ſubeſſe. Ergo &c.* Intellige, vel de inſtitutione completa & perfecta, vel de ſigno practico & certo, vel de ſubeſſe alteri etiam moraliter ad aliquem actum: vt hæc cum illis conſtent. Nam nec poteſt ab aliquo alijs inſtitui ſignum practicum, niſi ei moraliter ſubſint ad actum ſignificatum.

De cauſa principali & meritoria. *Sacramenta nouæ Legis à ſolo Deo habent efficaciã tanquã à cauſa principali*, vt ſupra: *A Chriſto autem patiente, tanquam à cauſa meritoria* &c. *Quia nihil poteſt inueniri gratius Trinitati, quàm ſit tota culpa & offenſa generis humani diſplicens & ingrata, niſi ſit obſequium perſonæ magis dilectæ, quàm tota illa communitas quæ offendit fuerat vel debebat eſſe chara ſi non offendiſſet* &c. *Talis perſona non eſt niſi Chriſtus, & tale obſequium eius paſſio* &c.

De cauſa autem Miniſteriali. diſt. 5. q. 1. *Quacumq; malitiâ Miniſter ſit malus, ſiue hæreſis, ſiue ſchiſmatis, ſiue morum, ſalua vnitate Eccleſiæ: Si intendit facere quod facit Eccleſia, & ſeruet modum Eccleſiæ, verè confert Baptiſmum, & talis Baptiſmus verè habet effectũ &c. Quia ita placuit Chriſto inſtituere.* Ioan. 1. *Hic eſt qui baptizat. Et ſunt plures rationes congruentiæ* &c. Intellige, *ſalua vnitate Eccleſiæ* .i. cum Eccleſia in hoc, vel fortè ipſius Eccleſiæ in ſe, vt factum eius intendi poſſit. Ex B. Aug. *ſupra col. 80.*

*Diſt. 6. q. 1.* De requiſitis in Miniſtro, vt ſit capax totius actionis Sacramentalis realis & verbalis ex intentione, & ordinariè vt ſit homo viator ad vtendum remediis ſenſibilibus in Eccleſia: ſine præiudicio Miniſterij extraordinarij Angelorum.

Q. 5. *Miniſter eſt cauſa ſecunda reſpectu ablutionis: non tantùm vt ablutio eſt, ſed vt Sacramentalis; & ideò habet propriam intentionem, cùm ſit agens voluntarium & non naturale* &c. *Sed reſpectu principalis effectus, ſcilicet gratiæ, poteſt dici inſtrumentum reſpectu Dei diſpoſitiuum*, &c. quæ de intentione ſupra.

Ex his omnibus quædam ſunt Dogmatica, quædam Scholaſtica, quædam Moralia.

## RESPONSIO DOGMATICA.

CAuſa principalis, hypoſtaticè inſtrumentalis, & meritoria de condigno totius completæ inſtitutionis Sacramentorum nouæ Legis, quoad efficaciam gratiæ, & determinationem omnium neceſſariorum ad eorũ valorem & fructum, eſt Chriſtus Dominus ſecundum ſuam diuinitatem & humanitatem: Cauſa vero ordinaria Miniſterialis, ſunt homines viatores; non tantùm Prædeſtinati, Iuſti, Fideles, aut Chriſtiani; neque omnes indifferenter ad omnia, ſed pro differentia Sacramentorũ; nonniſi tamen in miniſtrando vtentes ratione & intentione ſaltem faciendi quod Eccleſia facit. Ita expreſsè & definitiuè Trid. *ſeſſ. 7. can. 1. 10. 11.* contra nouas & antiquas aut renouatas hæreſes. Quæ quidem omnia ſimul recolligi poſſunt 1. Ex tota Sacra Script. nobis hæc præcinente ac præfigurante ſub antiquis illis Sacrificijs & Sacramentis, exhibente ac benigniſſimè nobis inculcante gratiam & miſericordiam Dei ſpecialem in noua Lege, referente ad hoc nomen vitam paſſionem mortem &c.

Iuſt

Iesv Christi Saluatoris, Mediatoris, Redemptoris noſtri; fundationem Eccleſiæ ab eodem ſuper ſeipſo, inſtitutionem Sacramentorum, Officia, Commiſſiones, Miſſiones, & varias eorum adminiſtrationes *vt à Miniſtris Christi & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* 1. Cor. 4.

2. Ex Symbolis & Articulis Fidei, de Omnipotentia Dei, meritis Chriſti, ſanctitate Spiritus ſancti, ſanctificatione Eccleſiæ, Communione Fidelium, & Remiſſione peccatorum: vtique per media ac remedia ordinaria Sacramentorum.

3. Ex hac Eccleſiæ traditione & praxi continua Sacramentorum: *Cuius robore tenebatur orbis terrarũ, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus nouitatem.* Aug. 2. *Bapt.* 9.

4. Ex Sacris Concilijs contra hæreſes oppoſitas. Vt ex illo *plenario* ſæpè citato à B. Aug. l. 2. de Baptiſmo *cap. 3. 4. 5. 7. 9.* & alibi: quo approbatum ſit Baptiſma etiam ab Hæreticis collatum, exceptis Pauliniſtis, qui cap. 19. iubentur rebaptizari: non defectu Miniſtri, ſed formæ legitimæ, teſte S. Hier. Dialogo contra Luciferianos. Ex Concil. Carthaginenſi. 1. apud B. Aug. *lib. 2. de Bapt. cap. 2.* contra Donatiſtas rebaptizantes baptizatos ab hæreticis, & quibuſuis peccatoribus ſaltem grauioribus aut publicis. Ex Cõſtantienſi ſeſſ. 8. cõtra art. 4. Ioannis Wicleff: *Quod ſi Epiſcopus vel Sacerdos ſit in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non baptizat.* 8. *Quod ſi Papa ſit præſcitus & malus, non habet poteſtatem ſuper Fideles.* Et ſeſſ. 15. contra eoſdem reſumptos à Ioanne Hus *art. 3. 8. 20. 22.* Ex Flor. & Trid. ſupra *col. 1 2. 3. 4* Sed expreſſius *can. 1.* contra omnes Hæreticos negantes inſtitutionem 7. Sacramentorum à Chriſto. *Can 10.* contra quoſdam Lutheranos, tribuentes omnibus baptizatis æqualem poteſtatem conſecrandi & conferendi omnia Sacramenta. *Can. 11.* contra Lutheranos & Caluiniſtas negantes neceſſitatem intentionis in Miniſtris Vt patet ex Calu. in Antidoto huius Can. *Canon. 12.* non videtur contra Lutheranos aut Caluiniſtas: vt patet ex Conf. Auguſtana art. 8. & ex Calu. in Antid. ad hunc art. ſed contra Anabaptiſtas, vel Huſſitas, vt ſupra in Conc. Conſtant.

5. Ex SS. Patribus. Ambr. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Author Sacramentorũ quis eſt, niſi Dominus* Iesvs? S. Hieron. contra Luciferianos. Sed præ omnibus S. Aug. tota priori parte Tomi 7. contra Donatiſtas, & alibi ſæpè. Vnde pauca ſupra *col 44. 45. 48. 53 68. ex l. 5. de Bapt. c. 20.* & ex *Ep. 118.* De Chriſto ipſo Authore. *col 69. 70* De ſanguine & aqua ex latere Chriſti. Plura autem ſub ſingulis Sacramentis, ad parcendum repetitioni.

6. Ex omnibus Doctoribus Scholaſticis, ſub cõmuni parabola pij Samaritani. *Luc. 10.*

7. Ex ipſa ratione per fidem conuictâ. ac conuincente, Sacramenta non poſſe habere certam efficaciam gratiæ, niſi ex voluntate ac inſtitutione & meritis condignis Chriſti: cuius ſit ex proprio officio Saluatoris & Fundatoris Eccleſiæ, prouidiſſe de omnibus medijs ac remedijs neceſſarijs ad vſum ſalutarem determinatis, & rationabiliter ac moraliter applicandis, per Miniſtros notos ac certos ad ſingula ordinatos.

## RESPONSIO SCHOLASTICA.

Solus Deus poteſt Sacramenta complerè, aut propriè & formaliter inſtituere, quo ad ſignificationem efficacem gratiæ: Solùs Chriſtus, ſeu Deus per naturam hypoſtaticè aſſumptam, condignè promereri; ſed per creaturam rationalem materialiter & moraliter tantùm determinare & applicare. Omnia tamen ad eorum vſum ſalutarem proximè neceſſaria, à ſolo Chriſto immediatè determinata ſunt: ſingulorum materia, in ſuo genere aut ſpecie naturali aut morali; forma verbalis, in ſuo vero & proprio ſenſu, ſecundum exigentiam materiæ & finis proximi; omnes effectus, in ſuo gradu; Miniſtri & Subiecta capacia; horumque ac illorum conditio, diſpoſitio, intentio, & cauſalitas neceſſaria ac ſufficiens: quæ nec eſt nec eſſe poteſt, niſi moralis inſtrumẽtalis in actu 1. ad ipſam gratiã; per actionem Sacramentalem vt inſtrumentalem in actu 2. ſed eſt naturalis ad actiones ipſas materiales, moralis autem & propria etiam cauſæ 2. ad ipſam totam actionem quatenus moralis in ô & Sacramentalis eſt; quia ad has vt ſic, habet propriam vim naturalem ac moralem, non autem ad gratiam. Quorum pleraque ſunt ſaltem Scholaſticè & Theologicè certa ac communia: reliqua probabiliora.

1. Ex Qu. 3. & 4. ſupra. 2. Ex doctrina, explicatione & rationibus Scoti noſtri ad hanc Quæſt. 3. Ex Reſp. Dogmatica ad hanc Q. 4. Ex pluribus Sacris Script. quæ *Ioan. 1. & 1. Cor. 1.* ac alibi ſæpè appropriat Baptiſmum & eorum fructum ac reliqua Sacram. ſoli Chriſto. *1. Cor. 3.* Tribuit fundamentum & fundamentalia Fidei, qualia ſunt Sacramenta, ſoli Chriſto. *1. Cor. 4.* & alibi ſæpè vocat ipſos Apoſtolos, tantùm Miniſtros Chriſti & Diſpenſatores myſteriorum Dei. Quæ ſupponunt totam inſtitutionem, determinationem, & vtilitatem à Chriſto Domino, vt ſupra.

5. Ex pluribus locis SS. PP. ſingulariter B. Aug. 2. contra Parm. 8. & alibi de ratione perfectiori ſolius Mediatoris Chriſti. *3. de Bapt. 16* & alibi, De diſtinctione Sacramenti ſeù actionis Sacramentalis Miniſtri, ab actione ſpirituali ſolius Dei. *Lib. 3. cap. 17. 18. lib. 5. cap. 11. lib. 6. cap. 1. 4. 14. lib. 7. c. 12.* de quadam remiſſione Sacramentali peccatorũ per ſolam fidem ac pietatem Eccleſiæ & SS. fidelium, de qua infra. *Lib. 2. contra Creſc. cap. 21.* & alibi, De æquali Baptiſmo Chriſti per bonos & malos: *Baptizant*, inquit *quoad viſibile miniſterium & boni & mali: inuiſibiliter autem per eos ille Baptizat, cuius eſt viſibile Baptiſma & inuiſibilis gratia.*

6. Sed efficaciſſimè ex Conc. Trid. *ſeſſ 6. can. 1.* Vbi per inſtitutionem à Chriſto, abſolutè ac ſimpliciter, ſatis ſignificat propriè, completè, immediatè. Et *can. 13.* per diſtinctionem Sacramentorũ ab eorum ritibus. Et *ſeſſ. 14. can. 1* per inſtitutionem Extr. vnct. à Chriſto, non à S. Iacobo.

## RESPONSIO MORALIS.

Miniſtri Sacramentorum ex Lege naturæ vel poſitiua, diuina vel Eccleſiaſtica, obligantur 1. Ad magnam curam ac diligentiam moralem miniſtrandi integrè ac validè Sacramenta: adhibendo

niſtro, ſed ab immunditia legali ex cōtactu mortui: applicaturque ibidem contra peccata recidiua.

9. Chriſtus *Ioan. 20.* dedit Apoſtolis Spiritum ad remittenda peccata: Ergo ſine eo nō eſt poteſtas remittendi. *Reſp. 1.* De gratia collata in ſacra ordinatione, ad digne miniſtrandum. 2. De hac ipſa gratis data, ſeu poteſtate remittendi. 3. De neceſſaria aſſiſtentia Spiritus S. ad remittendum. 4. De neceſſaria infuſione gratiæ ad remiſſionem. 5. De neceſſaria ſanctitate Eccleſiæ ad remiſſionem. De qua infra.

10. S. Cypr. contendit vſque ad mortem, etiam contrà Stephanum Papam, Baptiſmum collatum ab Hæreticis non valere: vt patet ex eorum epiſtolis reciprocis, & ex B. Aug. paſſim contra Donatiſtas. *Reſp. 1.* Ex Scoto noſtro *diſt. 5. q. 1.* Non omnia eſſe neceſſariò explicitè credenda, donec definiantur: hoc autem necdum fuiſſe definitum, nec explicitè credendum tempore Cypriani. Vt B. Aug. *lib. 1. De Bapt. cap. 18. lib. 2. c. 29.* & alibi ſæpè. *Reſp. 2.* Ex ipſo B. Aug. ſparſim per omnes libros contra Donatiſtas: ſed confertim, & verbatim Epiſt. 48. *Si ſancti Cypriani te delectat auctoritas: cur in eo te non delectat quod vnitatem orbis terræ diligendo tenuit &c.* ſed *correxiſſe ſententiam non inuenitur &c. Fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis qui hoc errore nimium delectati ſunt. Quamuis non deſint qui hoc Cyprianū prorſus non ſenſiſſe contendant: ſed ſub eius nomine fuiſſe confictum &c. Sicut non defuerunt qui ſub nominibus Apoſtolorū multa confingerent &c. Nos tamen duas ob res non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum: quod & ſtilus eius habet quandam propriam faciem, quā poßit agnoſci, & quod ibi magis contra vos noſtra cauſa monſtratur inuictior &c. Porro Cypr. aut non ſenſit omnino quod eum ſenſiſſe recitatis: aut hoc poſtea correxit in regula veritatis, aut hunc quaſi næuum ſui candidißimi pectoris cooperuit vbere charitatis &c. Acceßit quod tanquam ſarmentum fructuoſißimum, ſi quid in eo fuerat emendandum, purgauit Pater falce paßionis.* Ita & *lib. vnico de Bapt. cap. 13. l. 1. de Bapt. cap. 18. lib. 2. cap. 5. lib. 5. cap 17.*

11. Alij etiā ss. Patres ante & poſt S. Cypr. approbant tantùm Sacramēta Chriſti & Eccleſiæ, reprobant autem Hæreticorum. *Reſp. 1.* Dici Chriſti & Eccleſiæ, quæcumque ſunt ſecundum illius inſtitutionem, & huius praxim eſſentialem: eſſe autem propria hæreticorum, quæ ſunt ab eis ficta, vel corrupta ſubſtantialiter. *Reſp. 2.* Sacramenta hæreticorum .i. ab eis animo hæretico actiuè & paſſiuè vſurpata, meritò improbari: quia inter adultos vtrimque illicita, & nonniſi ex graui neceſſitate aut ignorantia inuincibili ſalutaria.

12. Quidam etiam ss. Patres è contrà videntur approbare valorem & fructum Sacramentorum independenter ab omni bonitate & malitia Miniſtrorum, imo & ab ipſo vſu rationis. Nam B. Aug. *Tract. 5. in Ioan.* ſuſtinet Baptiſmum non poſſe vitiari ab ebrioſo: Ergo non requirunt neceſſario intentionem. *Reſp. 1.* De independentia Sacramentorū à vitijs, ſeu à malitia habituali, & ſic ab ebrioſitate Miniſtrorum. 2. De independentia Sacramentorum à malitia eorū etiam actuali, ſed extraſacramentali. 3. De malitia etiam actuali circà Sacramenta: ſed ea ſupponente, & eis abutente ad alios fines. 4. De malitia etiam antecedente, non tamen intrinſecè vitiante.

13. B. Aug. lib. 3. de Bapt. cap. 18. *Cui remiſeritis &c.* Ioan. 20. *Pax Eccleſiæ dimittit peccata &c. non ſecundum arbitrium hominum, ſed Dei, & orationes Sanctorū.* Lib. 5. c. 21. *Sacramentum gratiæ Deus dat etiam per malos: ipſam vero gratiam nonniſi per ſeipſum, vel per Sanctos ſuos.* Lib. 6. cap. 1. *Non malignis ſed iuſtis dictū eſt* Ioan. 20. *Si cui dimiſeritis &c.* Cap. 14. *Non permiſit Deus baptizare niſi bonos &c.* Lib. 7. c. 12. *Oſores fratrum non habere poteſtatem dimittendi peccata.* Reſp. ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 366. 367. 323 & Ep. 23.* 1. Illud Chriſti Ioan. 20. *Si cui dimiſeritis &c.* ſæpe extendi à B. Aug. ad omnem modum dimittendi peccata, etiam extra Sacramenta, per Orationem Dominicam. Quo ſenſu ſoli boni dimittunt aliena peccata, & hinc ſibi ac alijs impetrant remiſſionem per gratiam Dei. 2. Malos non remittere peccata quà mali ſunt, ſeu ſecundùm ſuam malitiam, ſed ſecundum inſtitutionem Chriſti, & Charitatem Eccleſiæ, ſeu preces Sanctorum pro peccatoribus. 3. Solum Deum dare gratiam tanquam ſuam & ex ſe: per bonos tamen tanquam huius ſuæ charitatis, ac donationis participes; non autem per malos quamuis Sacramentum applicantes, nihil tamen intrinſecè ad gratiam conferentes. 4. Ad applicationem Sacramentorum æquè per malos ac bonos, à Deo conferri gratiam: Hanc tamen collationem non eſſe vllatenus imputandam Miniſtris malis, qui eam nullatenus intendunt, merentur, aut impetrāt, quin potius demerentur; ſed ſoli Chriſto, Eccleſiæ, ac pijs Miniſtris, qui piam aliquam intentionem ac charitatem ad hoc conferūt. Per hæc enim B. Aug. diſcernit tantùm bonos à malis, ad tuendam independentiam Sacramentorū quoad valorem & fructū à malitia Miniſtrorū. Plura de Bapt. & Pœn.

14. Nemo poteſt dare quod non habet: membrū aridum non poteſt alijs vitam influere, & ſimilia multa quæ Donatiſtæ ſolebant accumulare.

*Reſp.* Ex oppoſitis ſimilibus: tùm naturalibus, ſolis viuentia generantis, caloris ignientis, panis nutrientis, lucis cœnum illuminantis; tum moralibus, pauperis famuli dona ſui Domini diſtribuentis, ægri alios pharmaco ſanantis; tùm artificialibus, aquæ per ſuos canales irrigantis, clauis aut ſigilli æquè vtilis ex ære ac auro &c. Ex B. Aug. *Tract. 5. in Ioan. lib. 3. De Bapt. 10. lib. 3 in creſc. 8 Nazian. Orat. de Bapt.* Quia Miniſtri non ſunt cauſæ vniuocæ, aut ex principio intrinſeco: ſed prorſus æquiuocæ, & tantùm morales inſtrumentales, vt ſupra.

15. *Angeli ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus noſtræ ſalutis.* ad Hebr. 1. Animæ beatæ habent ſuos characteres indelebiles. Homines Beati ſunt capaces miniſtrandri ſigna Sacramentalia. B. Aug. l. 2. contra Parm. cap. 15. *Quod attinet ad Baptiſmi Sanctitatem, adeſt Deus qui det, ſiue per ſe ipſum, ſiue per Angelum, ſiue per hominem ſanctum, ſiue per iniquum.* Nec vllibi Dogmaticè expreſſum aut definitum eſt ſolū hominem viatorem eſſe Miniſtrum ordinarium; & multæ hyſtoriæ Eccleſiaſticæ referunt adminiſtrata fuiſſe Sacramenta per Angelos. *Reſp.* Beatos eſſe adminiſtratores noſtræ ſalutis ſpiritualiter, non Sacramentaliter. B. Aug. ibi ex profeſſo probare ac variè exemplificare Deum etiam extra-ſacramentaliter & extraordinariè dona ſua diſtribuere per ſe ipſum, vel per Angelos ſuos: per *Sanctitatem* autem *Baptiſmi*

 ibi,

Digitized by Google

ibi, non tantùm intendere collatam per Baptiſmū, ſed etiam ante & extra per ſanctas inſpirationes Dei & Angelorum diſponentes ad ipſum Baptiſmū, vel ad ſimilem ſanctificationem internam. Vt patet ex contextu. *Tom. 1. noſtræ Anat. col. 448.* Eſſe autem tam certum homines viatores eſſe Miniſtros ordinarios Sacramentorum: quàm certum eſt non eſſe alijs ordinariè commiſſum; quàm certum eſt Eccleſiam eſſe viſibilem in adminiſtratione ſuorum Sacramentorum, ad neceſſariam communionem inter fideles viatores; quàm certum eſt Spiritus non eſſe corporeos, nec poſſe propriè vitaliter operari vllas actiones Sacramentales, præcipuè loquendi; denique quàm certum eſt Beatos eſſe extra ſtatum viæ ac ſenſibilis communicationis ordinariæ nobiſcum. Cui certitudini & commiſſioni Dei ordinariæ, nihil derogant extraordinariæ, ſi conſtet eſſe à Deo. Ex Scoto diſt. 6. q. 5. S. Thoma 3. p. q. 64. art. 7.

## OBIECTIONES SCHOLASTICÆ.

1. QVòd quæ priùs Dogmaticè, poſteà reſoluantur Scholaſticè: ſpecialiter exprimēdo *immediatè*, quaſi non eſſet ſatis expreſſum ſub ipſa inſtitutione à Chriſto, non ab Apoſtolis aut Eccleſia.

*Reſp.* Quędam prius reſoluta Dogmaticè de facto, poſtea reſolui Scholaſticè de poſſibili: exprimi autem *immediatè &c.* ad excuſandum Alenſem & S. Bon. ab errore iam condemnato, ne deroget eorum honori & reliquæ doctrinæ. Quamuis enim id iam videatur Scholaſticè certum: necdum tamen Dogmaticè. 1. Quia Trid. ſupra tantùm definit inſtitutionem omnium & ſingulorum 7. Sacram. à Chriſto: quæ cùm ex Scoto ſupra conſiſtat in certa promiſſione gratiæ, poteſt ſaluari mediante aliqua ſignorum determinatione. 2. Quia Trid. ſub decreto de Sacram. profitetur ſe intendere extirpationem hæreſum: atqui hæc opinio nec erat hæreſis, nec radix eius; ergo non fuit intenta eius extirpatio & condemnatio. 3. Quia hoc tantùm definitur ad tuendum veram rationem, numerum, vim & differentiam Sacram. nouæ Legis ab antiquis, contra hæreticos illa negantes &c. 4. Quia faciliùs eſt conuincere hæreticos de his & horum à Chriſto inſtitutione, quàm immediatè & determinatè, aut quod hoc ſit de eſſentia Sacram. nouæ legis: Ergo hoc non eſt definitum propter illud. 5. Quia non eſt credibile tot Doctores illius opinionis peritos, vel etiam diſcipulos, & memores, intendiſſe abſolutam eius condemnationem, abſque maiori expreſſione, *immediatè & determinatè*: ſed potiùs hanc expreſſionem ac condemnationem ex profeſſo ſuſpendiſſe. 6. Quia certum eſt non omnia eſſe à Chriſto æquè determinata: ſed quædam ad materiam ſpecificam, alia ad genericam, naturalem, moralem, vel artificialem: quædam ad formam magis minuſvè expreſſam, indicatiuè, imperatiuè, vel optatiuè: quædam ad perſonas magis minuſvè cōmunes. 7. Quia non derogat inſtitutioni Chriſti quod fuerit vſus aliqua materia ab antiquo determinata, vt in Matrim. ex Alenſi ſupra: Ergo nec determinanda. 8. Quia Trid. *ſeſſ. 24.* determinauit aliquid iam neceſſarium ad valorem Matrim. Ergo non definit omnia fuiſſe à Chriſto vltimò determinata. 9. Quia aliquæ materiæ ſunt tantùm morales aut artificiales: omnes autem formæ ſunt indeterminatæ ad voces materiales. 10. Quia *ſupplere ea quæ deſunt paſſionibus Chriſti* Coloſſ. 1. nihil derogat meritis Chriſti: Ergo nec eius inſtitutioni, determinare aliquid. 11. Quia B. Aug. ſupra tantùm requirit ad Sacramenta, *commendationem Sacræ Script.* Ergo non excludit, ſed potius innuit aliquam poſteriorem determinationem. 12. Quia potuit cōmendari ac committi ſpecialiter à Chriſto aliqua determinatio neceſſaria ad valorem, longè diſtincta à cōmiſſione generali ordinandi ritus decentes. 13. Quia Trid. non reſumpſit hanc Definitionem de Confirmatione: de qua tamen illa opinio erat. 14. Quia non definit vtrum omnia à Chriſto ante vel poſt ſuam Aſcenſionem: Ergo non vtrum immediatè ac determinatè ad omnia. 15. Quia potuit Chriſtus per aduentum Spiritus S. inſpiraſſe Apoſtolis reliqua determinanda. 16. Quia ante Trid. non fuit ſolius Alenſis & S. Bon. ſed etiam plurium, Chriſtum ſua doctrinā vel inſpiratione inſtituiſſe. Imò ipſe Scotus videtur non fruſtra diſtinxiſſe, *à Chriſto, vel Deo:* & *Ioan. 20. vel Act. 2.* adeò vt nec in hoc directè contradicat Alenſi & S. Bon. 17. Quia poſt Trid. plerique adhùc diſputant & reſoluunt tantùm Scholaſticè, hoc iam videri aut eſſe de Fide: Teſte ipſo Vaſques *diſp. 135. in q. 64. cap. 1.* quamuis contendat eſſe de Fide. Imò & quidam expreſſè docent necdum eſſe de Fide: vt Sotus *diſt. 1. q. 5. art. 2.* Tiletanus *in defenſ. Trid. contra Kemnitium, ad can. 1. ſeſſ. 7.* Nec poteſt noſter Aretinus excuſare Alēſem ex *Q. 1. M. 3.* quin extendat illud *Miniſterium puri hominis* ſaltem ad determinationem aliquam neceſſariam. Vt patet ſupra, & clarius ſub Sacram. Confirm.

2. OBIECT. S. Aug. lib. 3. contra Petil. c. 54. *Miniſter ad diſpenſandum verbum aut Sacramentum aliquid eſt: ad mundandum autem & iuſtificandum nihil eſt.* Ergo non plus per Sacram. quàm per verbum. *Reſp.* ex ſeq. *Quia hoc non operatur in interiori homine niſi per quem creatus eſt homo.* Hunc effectū non plus realiter cauſat Sacramento, quam verbo prædicato: ſed plus moraliter.

3. Scotus nunc vult Sacramēta eſſe inſtrumenta actiua, nunc paſſiua, nunc eſſe cauſas, nunc effectus, nunc actiones Miniſtri, nunc eſſe diſpoſitiones actiuas, nunc paſſiuas. *Reſp.* Eſſe inſtrumenta in actu 2. ipſius Dei vt cauſæ principalis, Miniſtri verò vt cauſæ moralis etiam inſtrumentalis Dei, ſed in actu 1. Sicque & eſſe effectus Miniſtri intendentis, & eſſe actiones eius, & eſſe cauſas ſeu diſpoſitiones actiuas & actuales, imprimētes ſubiecto diſpoſitionem paſſiuam ſeu formalem exteriorem & moralem, ad gratiam internam. In quibus ex recentioribus etiam extraneis mentem Scoti noſtri fideliter ſequitur & aſſequitur Vaſques *diſp. 132. cap. 5. & diſp. 135. cap. 3.* Excepto quod hanc cauſalitatem moralem & inſtrumentalem ex ſolo Opere Operato, independenter ab omni merito aut impetratione operantis, nimis impropriè vocet & velit eſſe quandam impetrationem: cùm ei etiam opponatur, nec ſit vlla motio obiectiua ſimilis impe-

Digitized by Google

impetrationi, niſi ex annexis meritis Chriſti; ſed potius moralis diſpoſitio & determinatio tam ſubiecti ad gratiam, quàm Dei ad eius infuſionem, quaſi connaturaliter, ex fidelitate promiſſionis, non ex amicitia aut gratia erga Miniſtrum.

4. Sacramenta forent valida, & ſaltem paruulis ſalutaria, deficiente etiam tota fide & vnitate Eccleſiæ. Sufficeret enim intentio illis vtendi vt ceremonijs alicuius ſiue veræ ſiue falſæ vel fictæ religionis, aut Eccleſiæ, ſiue ſit aut fuerit, ſiue non; ſiue ex opinione quod ſint veræ ac bonæ ceremoniæ, ſiue falſæ ac malæ. Sic enim credibile eſt ſub lege naturæ, abolita Fide & Religione veri Dei, potuiſſe prodeſſe paruulis vſum remedij Legis naturæ inter Idololatras, ex antiqua memoria aut ſcripto: ſicque de Circumciſione inter Samaritas, & iam de Baptiſmo Chriſtiano inter Mahumetanos olim Chriſtianos, & inter Hæreticos & Schiſmaticos, apud quos defecit Fides & vnitas Eccleſiæ. Ergo fruſtra Scotus & B. Aug. ſupra, & nos ex illis.

*Reſp. 1.* Non fruſtra B. Aug. tam grauiter inde dubitaſſe, *Vbi nulla eſſet ſocietas ita credentium, neque qui acciperet ita crederet &c.* Nec Scotum fruſtra excepiſſe, *ſalua vnitate Eccleſiæ.* 2. Nec B. Aug. nec Scotum mouiſſe dubium ſpeculatiuum de tam impoſſibili & vniuerſali nō exiſtentia actuali & præterita Eccleſiæ & fidei: ſed hunc tantùm excepiſſe vnitatem Eccleſiæ ab illo ſuo propoſito: illum autem reſtrinxiſſe ſuum dubium ad ſocietatem actualem & localem. Nam per *vbi* non ſignificat *ſi* vel *ſi quando*, ſed *ſicubi* vel *ſi ibi*, vbi caſus ſupponitur. 3. Suppoſita Dei inſtitutione, ad valorē Sacramenti inſtituti non eſt neceſſaria exiſtentia actualis aut præterita, nec fides vlla formalis aut habitualis Eccleſiæ vel alicuius: ſed ſola Fides ſeu veritas obiectiua Sacramenti inſtituti, & Eccleſiæ cui ſeu pro qua inſtitutum eſt. Quia inſtitutio præcedit exiſtentiam, eſtque vera ac valida antecedenter ad exiſtentiam & fidem Eccleſiæ. Vnde & Baptiſmus Chriſti quo Eccleſia cōſociatur, erat æquè validus ab initio ac nunc: valeretque ad aſſociandos nouos Chriſtianos, ſi per impoſſibile omnes defeciſſent. Et hoc eſt quod vult B. Aug. Tract. 80. in Ioan. *Non quia dicitur, ſed quia creditur &c.* ſupra col. 53. Nec id hîc reuocat in dubium: ſed accumulat plura ſimul ad illud grande dubium. Nec eſt neceſſaria intentio faciendi *quod Eccleſia facit* actu, aut habitu, ſeu more & praxi iam conſueta: ſed quod facit debito, ſeu inſtituto faciendi pro Eccleſia formanda vel formata. Sacramenta enim ex ſua inſtitutione ſunt communia & publica, non priuata & perſonalia: non niſi tamen circa perſonas ſingulares practicari poſſunt.

## QVÆSTIO 9.

### Dogmatica, Sholaſtica, & moralis.

*Qui ſint capaces, obligati, diſpoſiti ad validè, licitè & fructuosè recipienda Sacramenta? An & quæ fides, conſenſus, intentio, pietas ad hoc neceſſaria? quis obex ac fictio contraria? & ſi quæ ad fructum reuiuiſcentia.*

HÆc de ſubiecto Sacramentorum, nec à noſtris nec ab alijs Authoribus, in communi, ſed in particulari tractari ſolent, ob magnam quoad hæc Sacramentorum differentiam: ex quibus tamen quædam in commune reuocari poſſunt.

Alenſis Q. 17. *De conditionibus paruuli baptizandi:* nihil pro communi.

Quæſt. 18. *De conditionibus adulti baptizandi.* M. 1. *Si quis inuitus poſſit baptizari &c.* Reſp. *Quod duplex eſt coactio: ſufficiens*, ſeu prorſus violenta, & *inducens* &c. *Inuitus priori modo, non baptizatur &c. Inductus autem, aut intendit tantùm alios illudere, vel mortem euadere: & tunc quia non eſt intentio, non eſt Sacramentum* &c. *Aut vult id quod facit Eccleſia circa ſe fieri, potiùs quàm perire: tunc ſiue credat ſiue non, ſiue velit habere gratiam ſiue non, recipit Sacramentum.*

M. 2. *De ficto.* Art. 1. Reſp. *Quod in adulto ad Baptiſmum*, ſeu eius fructum, *requiritur contritio*, ſeu aliqua pœnitentia interna: *Quia baptizandus ponit obicem gratiæ, ſcilicet voluntatem permanendi in peccato; quod non facit paruulus.* Infra. *Gratia & culpa vel ad inuicem comparantur, vel reſpectu ſubiecti: ſi ad inuicem, fortior eſt gratia; ſi reſpectu ſubiecti, ſic fortiùs dicitur in quod liberum arbitrium magis conſentit.*

Art. 2. §. 1. *In fide Eccleſiæ largè ſumpta miniſtratur Baptiſmus: & ſi militans Eccleſia erraret, quod tamen non contingit vniuerſaliter, nihilominùs ipſa triumphans adiuuaret.*

§. 2. *Fictio infidelitatis, ſeu infidelitas non impedit quin baptizatus ſuſcipiat Sacramentum.*

§. 3. *Huiuſmodi fictio impedit ſuſceptionem rei .i. gratiæ.* Infra. *Veritas eſt in Sacramento, ſed falſitas in ficto.* Infra. *Nihil magis repugnat gratiæ quam culpa, ſecundum oppoſitionem formæ: ſed fictio ſecundum oppoſitionem reſiſtentiæ.*

§. 6. Pro paruulis *ſufficit fides Eccleſiæ quæ eſt: vel ſi deficeret, ſufficeret meritum fidei quod fuit in Eccleſia. Sicut enim orationibus Sanctorum in via Deus reconciliatur* &c. *ſic meritis Sanctorum qui ſunt in patria* &c. *Hoc dicit Aug. ad Bonif.* &c. *Sed ſicut ſpecies ſemper ſaluatur in aliquo indiuiduorum: ſic fides in aliquo fidelium* &c.

Art. 3. *Nolens negatiuè, id eſt, nullo modo volens, affectu aut effectu, nec ſuſcipit Sacramentum, nec rem Sacramenti. Nolens autem priuatiuè, id eſt, non habens voluntatem*, ſeu habens nolitionem *affectus, nihilominus aſſentiens in effectu, ſuſcipit ipſum Sacramentum.*

Art. 4. *Quod Baptiſmus habeat illam efficaciam recedente fictione, quam ante habuiſſet ſine fictione* &c. *Quia non eſt opus hominis, ſed Dei; & ideò nunquam poteſt eſſe mortuum* &c. *Recedente fictione character baptiſmalis facit quod feciſſet Baptiſmus.*

M. 3. *De amentibus & dormientibus.* Reſp. *Quod ſicut dicitur in Decretali, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione conſtiterant: Characterem non recipiunt. Secus autem ſi Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptiſmi* &c.

Magiſter Sent. diſt. 4. de differentia ſuſcipientium Baptiſmum: *Aliquos ſuſcipere Sacramētum & rem Sacramenti, aliquos Sacramentum & non rem, aliquos rem & non Sacramentum.*

S. Bon. in diſt. 4. dub. 2. Reſp. *Sufficit fides Eccleſiæ quæ eſt: vel ſi hæc deficeret, ſufficeret meritum fidei quod fuit in Eccleſia &c.* verbatim longo contextu vt Alenſis ſupra.

Parte 1. a. 1. q. 1. Ad 3. *Fictio ſimpliciter aufert totum effectum: & hæc eſt voluntas mortaliter peccandi.*



Digitized by Google

*Fictio ſecundùm quid, quæ eſt venialis, non impedit ingreſſum gratiæ.*

Art. 2. Q. 1. Reſp. *Coactio eſt duplex, ſufficiens & inducens, vt Alenſis ſupra.*

Q. 2. Conc. *Fictus recipit Sacramentū, ſed non rem.* Reſp. ad Arg. *Fictus dicitur qui aliud exterius prætendit, aliud habet interius.*

Q. 3. Conc. *Baptiſmus cum imprimat Characterem in fictè accedente, recedente fictione conſequitur effectum ſuum, cum non ſit iterabile Sacramentum.*

In diſt. 6. p. 2. dub. 3. *Dormientem adultum, ſi prius conſenſit, baptizari: ſi diſſenſit, non baptizari.*

Scotus noſter in diſt. 4. q. 1. Paruulos neceſſario baptizandos: contra Pelagium.

Q. 4. *Qui aliquando vſus eſt ratione, ſupponitur nunc habitualiter conſentiens, vel diſſentiens, ſecundum quod ſe habuit actualiter immediatè ante.* Infra. *Non conſentiens poteſt intelligi contrariè vel negatiuè: negatiuè, tantùm negat actualem conſenſum: contrariè vero, ponit actualem diſſenſum. Diſſentiens actu, aut diſſentit ſimpliciter, aut ſecundum quid &c. Qui vt fugiat aliquod incommodum vult aliquid, ſimpliciter vult illud: vt proijciens merces &c. ſimpliciter volens proijcit; ſed ſecundum quid nolens, id eſt ſub conditione; quia nollet ſi poſſet alio modo ſaluare vitam. Vtroq; modo .i.* ſimul *diſſentiens nō recipit Sacramētum &c. Si autem ſecundum quid diſſentiat, ſed ſimpliciter conſentiat in ablutionem, eo modo quo illam intendit Eccleſia, recipit Sacramentum &c. Sicut qui non credit verba incantationis poſſe habere aliquem effectum, tamen concedit incantanti quod dicat illa verba ſuper ſe, illa intentione qua ſolet, dicendo in corde ſuo, valeant quantum poterunt iſte verè diceretur incantatus &c. Si quis autem non conſentiat tantum negatiuè: dico quod recipit Sacramentum, ſi conſenſit virtualiter quia noluit Deus obligare hominem ad impoſſibile vel nimis difficile &c. Et ita eſt vniuerſaliter in alijs Sacramentis.* Infra.

*Nunquid & ille qui ſolùm conſenſit habitualiter, recipit? Nunquid ille qui tantum negatiuè non conſenſit, nec diſſenſit? De primo poſſet dici quod talis iudicatur habitualiter conſentiens, qui aliquando habuit conſenſum actualem, non interueniente diſſenſu: & talis licet vtens ratione, recipit Sacramentum &c. De 2. licet difficilè eſſet aliquem talem inuenire, tamen ſi quis eſſet omnino non conſentiens nec diſſentiens, tam actualiter quam habitualiter, & tamen vtens ratione, non eſſet capax Baptiſmi: quia videretur contemnere.*

Quæſt. 5. *Fictus dicitur qui aliud prætendit exteriùs, aliud habet interiùs. Poteſt eſſe fictus dupliciter: vno modo quòd oſtendat ſe velle &c. & tamen oppoſitum habet in animo; & ille non recipit Sacram. Quia ſimpliciter eſt nolens reſpectu ablutionis Sacramentalis.* Infra. *Alio modo poteſt eſſe fictus, oſtendendo ſe eſſe diſpoſitum, & tamen non eſt interiùs: vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum de quo nullo modo atteritur &c. Qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum quod tunc committit vel priùs commiſit, & nullo modo ſibi diſplicet, nullo modo recipit gratiam.* Infra. *Poteſt dici quod illa fictio non dimittitur niſi per veram pœnitentiam: ſed ea dimiſſa, habet Baptiſmus effectum ſuum reſpectu omnium pecc. præcedentium, quæ tamen non erant cauſa fictionis in Baptiſmo.* Exemplificat in Attrito de 6. pecc. non de ſeptimo. &c. *Sicut Deus ſigno ſuo priùs aſtitiſſet ad cauſandum effectum eius &c. Ita paratus eſt ſemper poſt ſuſceptionem &c. Nec oportet dicere characterem in ficto aliquid operari, ſed ſolùm quod Deus ex eadem pactione aſſiſtit &c.* Infra. *Poſſet aliter dici quòd quando aliquis verè pœnitet de fictione illa, gratia infunditur ſibi perfectior quam eſſet illa quæ præciſè virtute pœnitentiæ infunderetur &c.* Infra. *Tertio modo poteſt dici quod ille pœnitens de fictione, tantùm recipit gratiam virtute pœnitentiæ.*

Quæſt. 6. Reſp. *Poſt Baptiſmum promulgatum per modum præcepti, quilibet qualitercumq; iuſtificatus, cum quo Deus non diſpenſauit ſpecialiter, tenetur ad Baptiſmū affectu, & pro loco & tempore effectu, ſi manet viator. Quia lex omnes obligat &c. Et quia quilibet viator tenetur eſſe membrum Eccleſiæ &c. Et quia videretur gratiam contemnere &c.*

Quibus addi poteſt 1. diſtinctio inter ſubiectum naturale vel materiale tantùm, & morale: non tantùm ex inſtituto, aut voluntate aliena; ſed etiam propria, ſeù ſeipſum ſubijciens Sacramentis.

2. Inter capacitatem remotam, & propinquam, aut proximam applicationis.

3. Inter diſpoſitionem ſubiectiuam, & conditionem ſine qua non, etiam ex parte ſubiecti: quòd hæc ſit remotior, naturalis aut moralis tantùm, & æquè negatiua ac poſitiua; illa autē ſit propinquior, nonniſi ſupernaturalis, & poſitiua. Nam diſpoſitio purè negatiua, eſt potius conditio ſine qua non.

4. Inter neceſſitatem alicuius conditionis aut diſpoſitionis neceſſitate medij aut Sacramenti, vel tantùm neceſſitate præcepti.

5. Inter culpam commiſſam, vt moraliter, habitualiter, imò tantùm interpretatiuè perſeuerantem ſeu inexiſtentem donec reuocetur, ſicque formaliter remiſſibilem per gratiam: & inter obicem gratiæ ac Sacramenti, ſeu tenacem affectum actualem virtualem aut habitualem ſed liberum ſeù non reuocatum, ipſius ſubiecti ſeù voluntatis, ad ſuum actum præteritum vel eius obiectum; ſicque non tantum formaliter oppoſitum, ſed & quaſi contrariè reſiſtentem diſpoſitioni neceſſariæ, & actiuitati gratiæ ac Sacramenti. Sicut frigus non eſt obex caloris quatenus formaliter ſed actiuè eſt illi contrarium ac reſiſtens in ſubiecto. Nec tenebræ vt priuatio, nec feneſtra vt corpus opacum eſt obex luminis, ſed illuminationis, vt eſt clauſa, & quaſi reſiſtens illuminationi alicuius loci.

6. Inter obicem & fictionem: quòd obex poſſit eſſe ſine fictione, non è contra: quodque obex ſit magis potentialis etiam ante Sacramentum, fictio magis actualis in ipſo Sacramento.

7. Inter fictionem perſonæ incapacis pro capaci, fictionem conſenſus falſi pro vero, fictionem culpabilem diſpoſitionis neceſſariæ ad fructum, & fictionem inculpabilem ex ignorantia aut inaduertentia inuincibili.

### RESPONSIO DOGMATICA.

OMnes & ſoli homines viatores ſunt ſaltem remotè capaces Sacramentorum aliquorum vel alicuius: proximè autem, quibus ſuo modo applicari poſſunt; ſed ſoli Baptizati ſunt proximè capaces reliquorum. 2. Nunquam vſi ratione non indigent vllo conſenſu, fide, aut diſpoſitione propria

ad

Digitized by Google

ad valorem aut fructum Sacramentorum quorum capaces ſunt. 3. Adulti autem vtentes aut vſi ratione, indigent aliquo conſenſu ſaltem præuio non reuocato, ad valorem: aliquo etiam motu Fidei, ac diſplicentia propria & ſupernaturali ſuorum peccatorum actualium ſaltem mortalium, ad fructum Sacramenti. Totum eſt de Fide, partim expreſſum in ſacra Script. Vt ſupra *Quæſt. 3.* De efficacia Sacram. ex Opere Operato. *Quæſt. 8.* De cauſa Sacram. *col. 102.* & infra ſpecialiter de Baptiſmo: partim definitum in ſacris Conc. Mileuitano, & Carthag. contra Pelagianos, Arauſicano, Viennenſi ſub Clem. V. Flor. ſupra. Trid. *ſeſſ. 5. can. 4. & 5. ſeſſ. 6. cap. 5. & 6.* de neceſſario conſenſu & diſpoſitione adultorum ad iuſtificationem. *ſeſſ. 7. can. 11. 12. 13 14.* de Bapt. contra Anabaptiſtas & ſimiles: Denique proclamatum ac decantatum in Symbolo, ſub vnitate Baptiſmi: vtique omnibus Viatoribus communi, ac in ſingulis vnico ſeù irreïterabili. Sicut Eph. 4. *Vnus Dominus. vna Fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & Pater omnium &c.* De quibus omnibus particularius ſub Sacramento Baptiſmi & reliquis: Exceptis prouiſionaliter ſequentibus.

Conc. Carthag. 3. cap. 6. *Placuit vt corporibus defunctorum Euchariſtia non detur &c. Cauendum eſt ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat.* Cap. 34. *Ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntas eorum teſtimonium ſui dixerit, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum eſt.*

Conc. Arauſ. 1. cap. 11. *Subitò obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt: ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.*

## RESPONSIO SCHOLASTICA.

Sacramenta validè ſed abſque fructu ſuſcepta, defectu diſpoſitionis neceſſariæ, aut ex fictione oppoſita: ad ſuum fructum reuiuiſcunt, ſuppleta eadem diſpoſitione, & correcta fictione; culpabili quidem, per pœnitentiam Sacramentalem in re vel voto; inculpabili autem, per ſolam diſpoſitionem omiſſam. Ad valorem Sacramenti non eſt neceſſarius conſenſus vel intentio ſupernaturalis ſubiecti, ſicut nec Miniſtri; nec actualis aut virtualis ſubiecti, vt eſt Miniſtri, ſupra; nec conſenſus habitualis alicuius inclinationis ſeù affectus; nec præuius conſenſus abſolutus, expreſſus, diſtinctus, & practicus, in ipſum Sacramentum; nec tamen ſufficit conſenſus interpretatiuus in ſolam cauſam, nolito effectu: ſed neceſſarius eſt & ſufficit verus aliquis conſenſus internus, aliquo ſigno expreſſus, nullo oppoſito reuocatus; quamuis tantum generalis, confuſus, timore extortus, conditionalis, & permiſſiuus, in externam Religionem Chriſtianam. Qui quidem dici poteſt habitualis & interpretatiuus, quamdiu non reuocatur: excepta inclinatione, & nolitione expreſſa effectus in ſua cauſa.

Ad fructum Sacramentorum, conditiones tantùm ſubiecti non ſunt neceſſariò intrinſecè ſupernaturales, ſed ſolùm extrinſecè ex prouiſione Dei ſupernaturali & relatione ad finem ſalutarem ac ſupernaturalem: Diſpoſitiones autem ſubiecti ad fructum Sacramenti, neceſſariò ſunt intrinſecè ſupernaturales; non habituales, ſed actuales; non actualiter exiſtentes, ſed quæ ſaltem ſubiectum actualiter diſpoſuerint, & diſpoſitum reliquerint.

Quæ omnia vel ſunt Scholaſticè ac Theologicè certa, vel probabiliora: Tum ex principijs Fidei de quibuſdam Sacramentis irreiterabilibus *ſeſſ. 7. Trid. can. 9.* De diſpoſitione neceſſaria ad iuſtificationem *ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 3.* Tum ex Traditione & praxi Eccleſiæ, circa adminiſtrationem aut approbationem Sacramentorum. Tum ex doctrina ss Patrum, præcipuè B. Aug. & Doctorum Scholaſticorum ex B. Aug. Tum ex varijs rationibus & congruentijs: De quibus omnibus diſtinctiùs & expreſſiùs ſub ſingulis Sacramentis, paucis interim ex B. Aug. hîc quaſi oppignoratis.

Lib. 1. de Bapt. cap. 12. *Qui fictus acceſſerat non denuò baptizatur: ſed ipſa pia correctione, & veraci confeſſione purgatur; vt quod datum eſt tunc valeat ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Infra. *Si autem dixerint, per vim tanti Sacramenti dimiſſa quidem illi eſſe peccata, ſed per fictionem illius rediiſſe continuò &c. Hoc etiam in eis intelligant fieri qui extra Eccleſiæ communionem baptizantur &c. tanquam redeunte obſcuritate, quam lux in tranſitu excuſſerat.*

Lib. 6. cap. 25 *Deus ſanctificat Sacramentum ſuum: vt homini ſiue antequam baptizetur ſiue cum baptizatur, ſiue poſtea quandoq; ad ſe veraciter conuerſo, idipſum valeat ad ſalutem.*

Lib. 1. De Adult. coniug. cap. 28. *Ego non ſolùm alios Catechumenos, verùm etiam ipſos qui viuentium coniugijs copulati retinent adulterina conſortia, cùm ſaluos corpore non admittamus ad Baptiſmum: tamen ſi deſperati & intra ſe pœnitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum cum cæteris abluatur. Quis enim nouit vtrùm fortaßis adulterinæ carnis illecebra vſque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri? Quæ autem Baptiſmi, eadem reconciliationis eſt cauſa: ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit.*

## RESPONSIO MORALIS.

Omnes adulti, quantumuis aliundè non ſine voto Baptiſmi iuſtificati, obligantur ad ſuſcipiendum re ipſa ſaltem Baptiſmi Sacramentum: ex Lege diuina ac Euangelica, & ratione Scoti ſupra. 2. Ad curam & diligentiam moralem ſibi poſſibilem, ſuſcipiendi Sacramenta validè. 3. Fructuoſè. 4. Deuotè. 5. Cæremonialiter. 6. Ordinatè, ab habentibus iuriſdictionem ordinariam vel delegatam. 7. Licitè tàm ex parte ſua quam Miniſtri, ſeu citra omnem Eccleſiæ prohibitionem. Vnde nec excommunicatus ante abſolutionem poteſt Sacramenta ſuſcipere: nec vllus extra grauem neceſſitatem poteſt ea ſcienter exigere à Miniſtro inhabili excommunicato, aut indigno, &c. Vt ſupra de obligationibus Miniſtrorum: de quibus diſtinctius ſub ſingulis Sacramentis.

## OBIECTIONES PROMISCVÆ.

1. Qvidam olim baptizabantur pro mortuis *1. Cor. 15.* Ergò & ipſi mortui ſaltem mediatè. Imo & ſolebant miniſtrari ipſis mortuis Sacramenta Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ex *Conc. 3. Carthag.* ſuprà. *Reſp.* Vel vtrumque fuiſſe abuſum inualidum,

Digitized by Google

lidum, vt patet ex illo Conc. Vel *Baptizari pro mortuis* ibi, idem eſſe quod patiendo ſatisfacere pro illis. Prout Chriſtus ſolet paſſionem ſuam vocare Baptiſmum.

2. Corpus baptizatur propter animam: vnde & minima pars extans ſolet baptizari; quia tota anima ei ineſt. Ergo vel maximè ipſa anima ſeparata eſt capax Baptiſmi, vel in corpore aſſumpto, vel in ſuo cranco, vt quæ S. Macario inde reſpondiſſe fertur. Confirmatur quia animæ Purgatorij ſunt adhuc in via, eiſque applicantur Sacrificia & Indulgentiæ, per ſigna etiam externa: Cur non ergo etiam Sacramenta, ſaltem abſolutionis, quæ non requirit ſubiectum cui ſenſibiliter applicetur?

*Reſp*. Totum hominem baptizari per corpus, ſeu partem eius principalem, aut ex neceſſitate & probabiliter per quamlibet extantem vt Scot. ſuprà: Animam autem non baptizari per ſuum corpus, aut totũ; ſed ſolùm hoc, ob fructũ principalem animæ. Quæ quidem non eſt capax vllius Sacramenti. 1. Quia Sacramenta non applicantur niſi ſenſibiliter, & ſubiectiuè: fructus autem Sacrificij, & Indulgentiæ, mentaliter, & obiectiuè in quauis diſtantia. 2. Quia animæ ſeparatæ non ſunt capaces præſentiæ ordinariæ, ac ſenſibilis. 3. Quia ſunt extra viam quod ſtatum gratiæ, quæ confertur & augetur per Sacramenta: non autem quoad pœnam, & gloriam. 4. Quia cùm ſint ſpirituales, non ſunt ſeorſim ſubiecta agenti & actioni materiali. 5. Quia ſunt extrà iuriſdictioné Eccleſiæ. 6. Quia non ſunt propriè capaces Confeſſionis Sacramentalis per ſigna vitalia. 7. Quia non ſunt perſonæ demonſtrabiles per formam Sacramentalem Abſolutionis.

3. Infantes necdum nati nõ ſunt capaces vllius Sacramenti: & quilibet eſt proxiù è capax Sacramenti Euchar. *Reſp*. Illos eſſe capaces intrinſecè, aut ſaltem remotè: non baptizatos autem, nequidem propriè eſſe capaces moraliter, & formaliter ex Chriſti Inſtitutione; ſed tantùm localiter, & materialiter, Sacramenti Euchariſtiæ, quamuis non dependeat in fieri aut eſſe à ſuſcipiente.

4. B. Aug. *2. Bapt. 12.* ſuprà, concedit peccata remitti etiam fictis in ipſo inſtanti Sacramenti, ſed redire. Item requirit *veracem Confeſſionem* ad corrigendam fictionem. Ergo non vt nos ſuprà.

*Reſp*. Ex noſtra Anat. *col. 361. 362.* non hoc concedere niſi ad hominem ex aliena ſententia: ad conuicendum etiam inde ſuum intentum, de non rebaptizandis Hæreticis, aut Schiſmaticis. Hîc autem per Fictionem vel intelligere inculpabilem, corrigendam ſola Confeſſione, ſeu Pœnitentiâ internâ: vel etiam culpabilem & corrigendam Confeſſione, ſeu Pœnitentia Sacramentali: Non quatenus fictio illa eſt prior, ſed poſterior Sacramento, tanquam obex actualis inter Sacramentum ſuſceptum, & effectum gratiæ impeditum.

5. Idem *1. De Adulter. coniug. 28.* ſuprà, ſupponit ſolum propoſitum peccatoris pœnitendi tandem finaliter, ſufficere ad eius Baptiſmum, & Abſolutionem: ſi interim priuetur vſu rationis, & capacitate pœnitendi aut petendi Sacramenta. *Reſp*. Ex noſtra Anat. *col. 664. 665.* Hoc propoſitum expreſſum ſaltem ſignis publicis & communibus pœnitendi, ſufficere poſſe Miniſtris ad præſumendum, ſeu confidendum de eorum pœnitentia vera, præſenti aut præterita, & eos deſuper licitè baptizandum, aut abſoluendum: non tamen ſufficere ad valorem, aut fructum Sacramentorum, niſi reuera ſubſit aut ſubfuerit ille conſenſus, vel diſpoſitio de qua ſuprà. Quod autem ait *Qui nouit &c.* non ſignificat id ſolum ſufficere ad valorem aut fructum: ſed tantùm ad ſperandum quod prout ſtatuerant, ita & eos verè pœniteat, aut pœnituerit. Supponit enim ibi expreſsè B. Aug. *Tales intra ſe pœnitentes iacere.* Vel fortè loquitur de quondam pœnitentibus publicè, ſed ſecreto relabentibus, & proponentibus tandem finaliter & efficaciter pœnitere.

6. Innoc. 3. Cap. Maiores extra de Bapt. *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenit obſiſtentem.* Ergo non exigit conſenſum, ſed tantùm non diſſenſum.

*Reſp*. De obice contrariæ voluntatis etiam habitualis ac interpretatiuæ, ex priori aliquo non reuocato diſſenſu à Chriſtiana Religione, vel conſenſu in oppoſitam, vel contemptu quodam ſaltem implicita omnis Religionis.

7. Alenſis, & Bon. ſupra, ſupponunt conſenſum & diſpoſitionem omnium, ad fructum Sacramentorum: ideoque neceſſario ſupleri in paruulis, per conſenſum, fidem, & charitatem formalem Eccleſię pro ipſis. *Reſp*. Quod ſicut voluntas ſolius Adæ per generationem imputatur paruulis ad peccatum Originale: ita & voluntas ac inſtitutio ſolius Chriſti, per Sacramentum regenerationis imputatur eis ad conſenſum, diſpoſitionem, & gratiam. Sed quia voluntas, inſtitutio, & Doctrina Chriſti eſt, vt hoc ipſum in Eccleſia credatur, & fiat, prout etiam creditur, & fit: hinc paruuli & regenerantur per fidem formalem Eccleſiæ, mouentem vtique ad hanc praxim, oriundam practicè & ſaltem remotè ex hac fide & charitate fidelium; & regenerantur obiectiuè per fidem, in fide, & ex fide illa ſeu veritate obiectiua credita, aut credenda, huius inſtitutionis Chriſti. Ita vt vtraque expoſitio de fide obiectiua & formali Eccleſiæ, in vnam coaleſcat.

8. Scotus ſupra *quæſt. 5.* diſſendit ab Alenſi, de Charactere in ficto correcto ſupplente vicem Sacramenti. *Reſp*. Non eſſe difficilem conciliationem: quod Character tunc ſuppleat vicem Baptiſmi; non operando realiter, imò nec moraliter inſtrumentaliter ac cæremonialiter, vt Sacramentum ſuprà; ſed tantum repræſentando Sacramentum ſuſceptum: vt ſignum eius ſpirituale, vel diſponendo paſſiuè ſubiectum ad gratiam.

9. Scotus ibidem non conſtat ſibi de correctione fictionis, & reuiuiſcentia Sacramenti, aut non: ſupponitque baptizandum poſſe eſſe verè attritum de ſex peccatis mortalibus, & actu ſibi complacere in ſeptimo; ita vt ſola fictio culpabilis circa ſeptimum ſit corrigenda per pœnitentiam Sacramentalem. *Reſp*. Scotum ſibi hîc optime conſtare de corrigenda fictione, & reuiuiſcentia Sacramenti ad ſuũ fructum, ſiue ex vi ipſius Sacramenti præteriti, ſiue præſentis contritionis, aut pœnitẽtiæ Sacramẽtalis. Vtrum autem hic ſibi ſatis conſtet, cum ſua doctrina de attritione & contritione ad *diſt: 14.* ibi ex profeſſo diſcutietur. Hîc autem ſufficiat ſolùm

peccatum

Digitized by Google

peccatum fictionis eſſe corrigendum pœnitentia Sacramentali: Reliqua autem omnia ante Baptiſmum commiſſa, etiam poſt Baptiſmum remitti per pœnitentiam internam, vel præmiſſam ante Baptiſmum, vel ſuppletam. Quia peccata non ſubſunt Sacramento Pœnitentiæ, niſi ſecundùm omiſſionem vel commiſſionem poſt Baptiſmum, non ante.

10. Reſponſio ſecunda de ſufficiente conſenſu conditionali & permiſſiuo, non videtur conuenire cum doctrina Scoti ſuprà *Quæſt.* 4. de conſenſu & diſſenſu *ſimpliciter vel ſecundum quid, ſeu ſub conditione.* Nam, inquit, *vtroque modo diſſentiens non recipit Sacramentum.* Et infra: *Non conſentiens nec diſſentiens non eſſet capax Baptiſmi.* Cõſenſus autem permiſſiuus, aut etiam conditionalis tantùm, præcipuè ſub conditione de futuro, non eſt conſenſus, ſed coactio aut propoſitum de futuro conſenſu, includitque diſſenſum abſolutè. *Reſp.* Scotum intelligere *vtroq; modo* ſimul, id eſt, & ſimpliciter & ſecundum quid, ſeu neutro horum modorum conſentientem, non recipere Sacramentum. Conſentiens autem permiſſiuè & conditionatè, altero horum modorum conſentit, altero tantùm diſſentit. Conſentit quidem ſecundùm diſtinctionem Scoti, ſimpliciter & abſolutè, quatenus ex vi huius conſenſus ſubijcit ſe Sacramento, permittens ſaltem ſe baptizari: ſed ſecundùm diſtinctionem aliorum, tantùm ſecundùm quid & conditionatè; quia non ob Sacramentum ipſum, ſed ob conditionem annexam. Per conſenſum enim permiſſiuum, non intelligimus ſolam permiſſionem externam: neque tamen præuium aliquem conſenſum tantùm elicitum; ſed practicum, imperantem, & exſequentem hanc permiſſionem, continendo ſaltem ab oppoſito, vt ſuprà de intentione practica Miniſtri ad agendum, ita hic ſubiecti ad permittendũ. Per conſenſum autem cõditionatũ de præterito, præſenti aut futuro: non intelligimus ſuſpenſum in ſeipſo formaliter; ſed reuera elicitum, ſuſpenſum autem tantùm in executione, ab aliqua conditione: quæ ſi ſit præſens aut præterita, reddit conſenſum abſolutum: ſi fuit futura ante conſenſum, fit præſens ante vel per executionem: ſicque conſenſus ille eſt tantum conditionalis elicitiuè, ſed abſolutus executiuè: Qui poteſt compati diſſenſum conditionalem alicuius velleitatis aut nolleitatis præſentis, etiam actualis: quæ ſolet exprimi per *vellem* aut *nollem* aut *mallem*; non tantùm ſignificando præſentem inclinationem quaſi habitualem ad actum futurum, ſed etiam præſens aliquod velle aut nolle inefficax, relatiuum ad futurum efficax ſub conditione. Prout latiùs in B. Aug. *Tomo 2 noſtra Anat col. 688. 689. 690.*

11. Sacramenta ſunt actiones actu efficaces, ſeu neceſſariò terminatæ ad ſuum ſubiectum, paſſionem, & effectum: ergo non poſſunt eſſe valida ſine effectu, nec dependere à conſenſu ſeu diſpoſitione ſubiecti. *Reſp.* 1. Eſſe actiones, non quatenus naturales ac materiales, quæ neceſſariò terminantur vt ſupra: ſed morales ac ceremoniales, quæ dependent à tota inſtitutione Chriſti quoad Miniſtros, ſubiecta capacia &c. 2. Eſſe actiones, ſed tantum diſponentes. ſicque neceſſariò terminatas ad ſuam paſſiuam diſpoſitionem exteriorem ſubiecti, ſi ſubſit capacitas interior & diſpoſitio neceſſaria ad terminum interiorem illius diſpoſitionis exterioris.

Reliquæ Obiectiones vel ſunt præuentæ ſub quæſt. 3. & 4. de efficacia Sacramentorum ex Opere Operato, vel ſupplebũtur infra de Sacramentis in ſpecie.

---

## QVÆSTIO X.

### Dogmatica & Sholaſtica.

*Quis & quotuplex finis & effectus Sacramentorum, quantus & quando conferatur, quantaque horum neceſſitas ad illum finem.*

FInis eſt primus in intẽtione, ſed effectus vltimus in executione: Hinc Quæſtio de fine, effectu, & neceſſitate Sacramentorum ad illum, partim priùs partim poſteriùs tractari ſolet.

Magiſter Sent. *Diſt.* 1. De triplici cauſa finali inſtitutionis Sacramentorum: ad *humiliationem, eruditionem, & exercitationem.*

Alenſis noſter *Quæſt.* 1. *M.* 2. *a.* 1. De neceſſitate Sacram. in ſtatu innoc. aut non. Vbi poſt multa problematicè, *Illi*, inquit, *parti magis adhæreo, quod Sacramenta ſtatum naturæ lapſæ reſpiciunt.* Quod non videtur noſter Aretinus ſatis aduertiſſe, citans hinc Alenſem in oppoſitum.

Art. 2. *De neceſſitate Sacramentorum in ſtatu naturæ lapſæ.* Reſp. *Neceſſaria fuerunt Sacramenta ſtatim poſt lapſum &c.*

Ad 3. *Licet Sacramenta veteris Legis aut naturæ non haberent cauſalitatem per ſe gratiæ: non tamen erant ſuperuacua.* Non quod non habeant: ſed etſi non &c.

Ad 4. *Sacramenta fuerunt & ſunt neceſſaria ad ſuſceptionem gratiæ, vt diſponatur ad gratiam qui ſubijcitur Sacramentis, vel qui ſe ſubijcit &c.*

Ad 5. *Si quæratur quare Deus non iuſtificat vt tota cauſa, etiam formaliter.* Reſp. *Quia eſt immenſus & indefinibilis.* Si quæratur quare *non glorificat, vt tota cauſa.* Reſp. *Propter defectum creaturæ &c. Quæ nullo modo habet diſpoſitionem neceſſitatis ad fruendum Deo. Si quæratur quare non ſanctificat ſine Sacramentis* Reſp. *Quia in hoc derogaretur Diuinæ Iuſtitiæ, &c. ſubijciendo peccatorem creaturæ inferiori ſe, cui adhærẽdo peccauit &c.*

*Art.* 3. De triplici vtilitate Sacramentorum in ſtatu naturæ lapſæ, vt Magiſter ſupra: idque contra triplicem defectum ex peccato, ſecundum tres animæ vires; contra ignorantiam ſecundum vim rationalem, contra ſuperbiam ſecundum vim iraſcibilem, contra concupiſcentiam ſecundum vim concupiſcibilem.

Memb. 3. art. 3. *De inſtitutione paucorum Sacramentorum tempore Legis naturæ.* §. 2. *De inſtitutione Sacramentorum à quo homo indiguit gratia reparante:* idque *vel per ordinationem, vel per inſpirationem, vel per promulgationem.*

Quæſt. 8. M. 2. Art. 2. §. 1. *De neceſſitate Sacramentorum nouæ Legis.* Reſp. ad 1. *Tria ſunt ante & poſt Chriſtum neceſſaria ad ſalutem, Fides & Sacramenta Fidei, & Opera bona.* Infra. *Breuiori modo eſt ſapientis operari: vbi hoc poteſt eſſe ſine derogatione congruentiæ, ſapientiæ, vtilitatis, & bonitatis. Ad aliud: Dicendum quod beneficium Paſſionis Chriſti oportet aſſequi exercitio*



Digitized by Google

Sacramentorum &c. Infra. *Quæ erant ordinata ad Chriſtum vt figuræ tantùm, ceſſare debebant: quæ verò vt perficienda in ſe ſicut moralia, non debebant ceſſare; quæ in alijs perfectioribus ſuccedentibus, debebant ceſſare vt illis perfectiora ſuccederent.* Sub finem. *In ſacrificijs exercetur opus exterius, quo ſignatur interiùs Deo offerendum ab homine: in Sacramentis exercetur opus exterius, quo ſignatur gratia conferenda homini à Deo.*

§. 2. Reſp. *Neceſſe fuit tempore gratiæ aliqua Sacramenta inſtitui præcedentibus perfectiora: quia ſunt in documentum, meditamentũ, & ornamentũ &c.* Infra. Ad 1. *Sacramenta veteris Legis erant cum onere, ſub timore &c. Noua Legis ſunt in alleuiationem à peccato, ſine grauitate, tanquam filijs in libertate conſtitutis.*

Memb. 4. *De effectu Sacramentorum.*

Art. 1. Reſp. *Omnia Sacramenta quæ ſunt cauſa gratiæ ratione Operis Operati, ornant ipſam animam, & ornando quodammodo ſignant &c. Non tamen impreſſione perpetua, cuiuſmodi eſt ſignatio Characteris propriè &c. Quâ ſit diſcretio vt de cæterò non ſecretur.*

Art. 2. *De effectu reformationis contra malum.* §. 1. *De effectu Sacramentorum ad bonum. Vtrum eadem gratia ſit in Sacramentis, virtutibus & donis?* Reſp. *Differunt ratione, gratia Sacramentalis, & gratia virtutum & donorum: vt illa propriè ſit ad ſanandum &c. Hæc ad facilè vel expeditè operandum vel ſuſtinendum. Tamen cum gratia Sacramentali datur gratia ad benè operandum.* Ad obiecta. *Cùm vtrobique ſit gratia gratum faciens: non tamen oportet eadem ratione determinari, propter effectuum diuerſitatem; nec ex virtute omnis Sacramenti nouæ Legis datur gratia gratũ faciens,† ſed ex data tunc vel prius datur aliquis effectus illius gratiæ. v. g. vt quis dignè accipiat Euchariſtiam, exigitur quod habeat gratiã gratum facientem, & ex vi Sacramenti datur effectus illius gratiæ.* Ad aliud. *Ex eadem gratia in ſubſtantia tollitur culpa & datur habilitas ad benè operandum: licet nos ita ratione diſtinguamus.* Infra. *Gratia in Sacramentis, aliquem proprium effectum determinat, qui diſtinguitur ab effectu appropriato donis & virtutibus.*

Reliqua ſub Sacramento Baptiſmi.

Quæſt. 19. *De Charactere.* Mem. 1. Art. 1. *Quid ſit ſecundum nomen?* Dionyſ. De Eccleſ. Hier. *Character eſt ſignum ſanctum communionis Fidei & ſanctæ ordinationis accedenti datum à Hierarcha.* Infra. *Character eſt ſignum gratiæ demonſtratiuum: quia quantum eſt de ſe ponit gratiam in præſenti &c.* Infra. *Character per ſe non tenet ſimpliciter rationem Sacramenti: ſed cum exteriori ablutione ac forma verborum.* Ad aliud &c. *Character quantum eſt in ſe, eſt ſignum demonſtratiuum ipſius Fidei: ſed quod eam non demonſtret actu hoc ſtat per ſuſcipientem qui obicem opponit. Vel non oportet quod vbi eſt Character ibi ſit Fides, ſed Sacramentum Fidei &c. Quare plus Fidei, quam alterius virtutis? Fides magis reſpicit potentiam cognitiuam &c. Similiter Character.* Ad aliud. *Dion. ibi diffinit Characterem in ſuo optimo &c.*

Ad vlt. *Dionyſ. intendebat determinare cuius eſt officium &c.*

Art. 2. *Quid ſit Character ſecundum rem: Vtrum aliquid ſolum in reſpectu, vel abſolutè ens in anima?*

Reſp. *Quidam ponebant quod Character idem eſt quod ſignũ, & nihil addit abſolutum, ſicut nec ſignatio in circulo; & eſt in anima vel potentijs nulla facta mutatione: vnde eſt pura relatio &c. Sicut conſecratio in Eccleſia &c. Sed hoc non eſt verum: quia Character dicit aliquam aſſimilationem, & configurationem ad Chriſtum, ſicut Character Beſtiæ ad diabolum.* Apoc. 14. *Sed aſſimilatio fundatur ſuper qualitate &c.* Infra. *Dicendum quod Character cùm ſit in anima, & ſit qualitas ſpiritualis, quòd eſt habitus, non paſſio nec potentia, ſi accipiatur habitus largè: ſi autem ſtrictè, ſic quia eſt perpetuus, ideò vt habitus. Sed quia non perficit ſed diſponit ad vlteriorem perfectionem gratiæ, eſt diſpoſitio &c. Vnde videtur eſſe quoddam lumen ſpirituale, ſed diminutum reſpectu gratiæ, ſignatum ſuper nos.* Pſal. 4. *Nec eſt habitus ad agendum ſimpliciter, ſed ad diſponendum.*

Membr. 2. *Ad quid ſit Character? Dicitur quod eſt ad ſignificandum, & ad diſponendum, & ad aſſimilandum &c.* Reſp. *Quod Character eſt ſignaculum Sacramentale: ideò gratiam ſignificat, imò aliquo modo præparat; quia vſus Sacramentorum non eſt tantùm in ſignificando ſed in efficiendo quodammodò, & ideò habet aliquam ſimilitudinem cum gratia, quæ eſt ſimilitudo Dei: ideò aliquo modo configurat Deo, & aſſimilat gregi Domini, & per hoc diſtinguit ab his qui non ſunt de grege, vel etiam diſtinctionem facit in eodem grege ſecundum aliam & aliam rationem aſſimilandi.* Ad 1. *Character cum exteriori ſigno facit vnum Sacramentum.* Infra. *Eſt ſignum dignitatis &c. Aſſimilatur appropriatè filio, qui Character dicitur* Hebr. 1. *Vel quia baptizati dicuntur Chriſtum induere, & quia reſpicit Fidem.* Exemplificat in armis alicuius regis & habitu Religionis, quæ ſunt ex ſe talia ſigna &c. Ad vlt. *Sicut in grege materiali non ſufficit diſtinctio per colorem album & nigrum: ſed requiritur aliquod ſignum ſpeciale quo diſtinguuntur oues albæ ab inuicem.*

Memb. 3. *Vtrum ſit in anima ſecundùm ſe, aut determinet aliquam vel aliquas potentias.* Reſp. *Quòd Character ineſt animæ mediantibus potentijs.* Infra. *Quidam dicunt, & non abſque ratione quod Character eſt in cognitiua propter rationem ſignificandi &c. Quidam quod in tota imagine propter rationem configurandi &c. Dicendum quod Character propriè eſt in vi cognoſcitiua &c.* Ad 1. *Reſpicit principaliter cognitiuam, ſecundariò motiuam.* Ad 2. *Non eſt ſemper diſpoſitio in eadem potentia in qua actus &c. Quia cognitio diſponit ad affectionem & motum gratiæ.* Ad vlt. *Nihil impedit vnum accidens eſſe in pluribus potentijs quando radicantur in vno. Sicut vna gratia in pluribus potentijs, vna ſanitas in pluribus membris &c. Vna imago in tribus potentijs &c. Ternarius vnus in tribus hominibus. Sic poteſt dici de Charactere.*

Memb. 4. *Vtrum virtus imprimat Characterem ſicut Sacramentum.* Reſp. *Nec gratia in ſe nec virtus imprimunt characterem: quia Character eſt ſignum indelebile, gratia autem tàm in ſe quàm in virtutibus eſt delebilis &c.* Ad 2. *Imprimitur in Sacramentis nouæ Legis, non veteris &c. Perpetuitas Characteris ſecuta eſt incarnationem perpetuam.*

Memb. 6. Reſp. *Solùm in Baptiſmo Chriſti imprimi Characterem &c. Quia forma verborum expreſſiua Trin. eſt ratio quare imprimatur character Baptiſmalis.*

Membr. 7. De numer. characterum, *quare tantùm ſint tres.* Reſp. *Character eſt ſignum perfectiuum & perpetuum Redemptoris in Fidelibus: vnde poteſt accipi differentia characterum tum ex parte Dei, tum ex parte Redemptoris, tum ex parte ipſorum Sacramentorum reſpicientium ſtatum Fidei determinatum &c. Tres autem ſunt ſtatus fidei, genita, roborata, & multiplicata &c.*

Memb.

Digitized by Google

Membr. 8. Reſp. *Differunt per eſſentiam Character Baptiſmi & Confirmationis.* Ad 1. *Signum communicans fidei, eſt ſicut genus ad vtrumq; Characterem.*

Membr. 9. *De effectu Characteris.* Reſp. *Character quantùm eſt de ſe ſemper habilitat ad gratiam.*

Membr. 10. *Poſſe eſſe ſimul Characterem Chriſti & diaboli: quia ille eſt perpetuus, non hic.*

Membr. 11. Reſp. *Quidam dicunt quod Chriſtus aſſumpſit Characterem Ordinis non Bapt. nec Conſ. Aliter videtur dicendum, quod nullum habuit Characterem: Quia diſponit ad gratiam, aſſimilat Deo &c. Vnde in Chriſto nō fuit Character creatus ſed increatus.*

S. Bon *in diſt. 1. dub. 7.* De triplici cauſa inſtitutionis Sacramentorum. *Vnius rei vnicus eſt finis &c.* Reſp. *Vna eſt ſola cauſa principalis, ſc. animæ ornatus ſiue reparatio: ſed quia anima plures habet potentias, poſſunt fines plurificari &c.*

*Dub. 8.* De fine humiliationis. *Anima eſt ſupra creaturas: Ergo ſi eis ſe ſubijcit, peruertitur in hoc ordo naturalis.* Reſp. *Cùm propter peccati demeritum & Dei præceptum homo Sacramentis ſe ſubijcit, quia ſunt gratiæ ſignum: magis præcepto quam rei ſenſibili ſe ſubijcit &c. & magis ſignato quam ſigno &c.*

*Dub. 10.* De fine exercitationis. *Corporalis exercitatio ad modicum eſt vtilis.* Reſp. *Solo exteriori ritu ad modicum valet: iuncta deuotioni mentis, eſt ſpiritualis ac multum vtilis.*

Part. 1, Art. 1 Quæſt. 1. Conc. *Sacramenta debuerunt inſtitui neceſſariò, non neceſſitate ineuitabilitatis, ſed congruentiæ: cùm Deus potentiam ſuam Sacramentis non alligauerit.*

Quæſt. 6. *An gratia Sacramentalis ſit eadem per eſſentiam cum gratia virtutum.* Conc. *Eſt eadem, licet plures connotet effectus.* Infra. *Cum dico gratiam virtutum, dico gratiam gratum facientem, & habitum ſubſtratum: & gratia gratum faciens vna eſt, ſed habitus ſubſtrati alij & alij. Cùm dico gratiam Sacramentalem: non tantùm dico gratiam, ſed etiam effectum curationis: & gratia quidem vna eſt, ſed effectus curationis plures ſunt.*

In *Diſt. 6. Quæſt. 1. 2. 3. 4. 5.* verbatim vt Alenſis ſupra *Quæſt. 19. Membr. 1. 2. 3. 4. 5.* De Charactere.

Scotus noſter in diſt. 1. quæſt. 3. *Vtrum debuerit inſtitui aliquod Sacramentum.* De 1. *Non poteſt probari neceſſario: neque à priori, quia Deus extra ſe nihil agit neceſſariò: neque à poſteriori ſicut à fine, quia abſolutè poßibile eſſet effectum inuiſibilem haberi ſine tali ſigno. Sed quod congruum fuit Sacramentum inſtitui probatur &c. Congruum fuit Sacramentum inſtitui propter cognitionem & deſiderium cauſandum in Viatore reſpectu effectus inuiſibilis.* Infra. *Congruum eſt etiam omnibus viatoribus aliquibus ſignis exterioribus communicare & conuenire, per quæ etiam ab alijs diſtinguantur.* Infra. De 4. [ Debuit eſſe aliud & aliud in alia Lege &c. Quia Lex perfectior requirit adiutoria perfectiora &c. ]

Diſt. 1. Quæſt. 3. N. 4. *Sacramenta non poſſunt habere actionem ſuam in inſtanti, quia verba non poſſunt habere eſſe in inſtanti.*

N. 5. *Si fingatur illam ſyllabam habere eſſe in inſtanti: (quòd ideo fictio eſt, quia formatio huius ſyllabæ eſt cum motu locali aëris, & motus non eſt in inſtanti &c.) nulla vna ſyllaba ponitur Sacramentū ſed tota oratio &c. Nec ſyllabæ præcedentes vllam diſpoſitionem relinquunt ante vltimam.*

Quæſt. 6. ad 4. *Dico quod Sacramentum magis propriè ſignificat illum effectum in anima ad quem confertur gratia in Sacramento, quam ſignet ipſam gratiam. Vnde gratia exiſtente vna in anima: Sacramenta tamen diuerſa diſtinguuntur penes diuerſa ſignificata propria, quæ ſunt diuerſi effectus eiuſdem gratiæ.*

Diſt. 4. Quæſt. 7. *Vtrum omnes baptizati æqualiter recipiant effectum Baptiſmi &c. Cùm ad gratiam concurrat cauſa principalis, meritoria, & ipſe ſuſcipiens &c. Deus aliquam gratiam regulariter diſpoſuit conferre cum iſto ſigno, ita quod nulli minorem &c. Verum quia Deus prædeſtinauit diuerſos electos ad diuerſos gradus gloriæ, & hoc ante determinationem huius ſigni ad tantam gratiā &c. & ordinato ad maiorem gloriam rationabiliter poteſt conferri maior gratia: poteſt Deus diſponere conferre alicui ſuſcipienti præcisè illam gratiam quæ requiritur ad certitudinem ſigni, & alicui maiorē, de ſpeciali beneuolentia &c.*

De 2. *Potuit Chriſtus pro prædeſtinato ad maiorem gloriam plenius offerre Paßionem ſuam &c. Eſt inæqualitas in ſuſcipientibus gratiam per Circumciſionem & Baptiſmū, & fortè etiam in baptizatis ante & poſt Paßionem. Si autem propter ſpecialem oblationem in voluntate Chriſti ſit inæqualitas gratiæ aliquibus nunc baptizatis: dubium eſt de facto, ſed poßibilitas eſt oſtenſa.*

De 3. *Paruuli nullam habent inæqualitatem ad gratiam ex parte ſui: Poteſt tamen in parentibus vnius eſſe maior motus quam alterius pro ſuo paruulo, vel in aliquibus alijs: propter quorum merita Deus vni paruulo poteſt conferre maiorem gratiam quam alteri; non virtute Baptiſmi ſed meriti. Et fortè hoc modo parentes B. Nicolai meruerunt ſibi maiorem gratiam &c. Hac ratione magis optandum eſt puerum baptizari à bono Sacerdote quàm à malo. Si autem ſint adulti, cū poßint eſſe inæqualiter diſpoſiti ſequitur inæqualis effectus.* Infra. *Peccatū veniale non prohibet gratiam & meritum ſimul.* Hinc *ſi adultus non ponit obicem peccati mortalis, &c. aliquem motum habet diſponentem quo caret paruulus; nonobſtante quod ille habeat veniale peccatum ſimul.*

## DE CHARACTERE.

Diſt. 6. *Character ſignificat idē quod figura* Heb. 1. Figura ſubſtantiæ, *Græcè Character.* Apoc. 13. 14. 16. 19. Character Beſtiæ &c. *Generalius accipitur pro ſigno: & hoc modo Baptiſmus poteſt dici Character, & forma verborum in Sacramento &c. Sed Theologi concipiunt communiter per Characterem quoddam ſignum ſpirituale, impreſſum à Deo ſuſcipienti Sacramentum non iterabile &c. Eſt ſignum aßimilatiuum, diſtinctiuum, rememoratiuum Sacramenti ſuſcepti, conformatiuū Chriſto, obligatorium &c.* Infra.

*Ad quæſtionem poteſt dici quod licet Characterem ineſſe animæ non poßit probari per rationem naturalem, neque in vniuerſali propter finem &c. neque in particulari per experientiam, ſicut nec de Gratia vel Charitate: licet etiam non poßit probari ex creditis manifeſtè, ſiuè quæ ſunt explicitè de ſubſtantia Fidei, ſiuè quæ continentur in Scriptura, ſiuè quæ manifeſtè per Sanctos ſunt elicita ex creditis; quia non apparet habitudo eius ad talia credita: tamen poni poteſt; quia nō repugnat ipſi animæ habere, nec Deo talem formam imprimere. Sed ne fruſtra, oportet aliquam auctoritatem habere &c. Aliquæ allegantur non concludētes ex Aug* lib. 1. & 6. de Bapt. cap. 1. *Vbiq; in iſta authoritate poteſt Character benè accipi pro Baptiſmo.*

*Breuiter, vt habetur* extra de Hæreticis, Ad abolendam, *ſentiendum eſt de Sacramentis Eccleſiæ ſicut ſentit Romana Eccleſia: videtur autem ſentire Characterem imprimi in anima, ſicut dicit* Innoc. III. extra de Bapt. cap. Maiores: *Qui fictè accedit ad Baptiſmum, Characterem recipit Chriſtianitatis.* In fine. *Tunc Characterem imprimit Sacramentalis operatio* &c. *Etſi prima auctoritas poſſet exponi: tamen ſecunda videtur expreſſè loqui &c. Propter ergo ſolam auctoritatem Eccleſiæ, quantùm occurrit ad præſens, eſt ponendum Characterem imprimi. Ad hoc autem poni poſſunt tres congruentiæ. 1. Congruum eſt ad formam perfectam poni aliquam diſpoſitionem &c.* 2. *Congruit Deum non inſtituiſſe Sacramenta vana: ergo quod a nullo recipiantur verè, quin habeant aliquem effectum &c.* 3. *Congruit receptum in familiam Chriſti diſtingui à non recepto per aliquid intrinſecum ſibi. Tertia eſt magis rationabilis &c. Duæ aliæ habent probabilitatem &c. Sed ſecunda eſt nimis vniuerſalis &c.* Vnde poteſt & debet reſtringi ad Sacramenta quæ non poſſunt iterari ad recuperandum fructum.

Infra. *Nec valet Arg. negat. Si nec Dion. nec Damaſc. ergo nullus: ſufficit enim auctoritas Eccleſiæ, ex Aug. contra Epiſt. Fund.*

Infra. *Non quaſi Character ſit medium agens inter primum agens & paſſum: non enim pono Characterem habere aliquam virtutem actiuam reſpectu gratiæ cauſandæ; ſed Deum aſſiſtere illi tanquam ſigno inuiſibili ad cauſandam gratiam recedente obice. Eſt ergo diſpoſitio ex parte ſuſceptiui: quia eſt forma prior ſine qua non recipitur poſterior; non quaſi ſit ratio ſuſceptiui reſpectu poſterioris, ſed quod priùs inſit quam poſterior, de potentia ordinaria.*

Ad 5. *Nulla forma poteſt eſſe in anima quam non poſſit Deus de potentia abſoluta delere &c. Sed Deus ordinauit nullam formam ſupernaturalem delere niſi propter aliquod demeritum inhærens animæ: reſpectu autem Characteris delendi nulla poteſt eſſe cauſa demeritoria.*

Infra. *Concedi poteſt de Circumciſione quod ibi imprimebatur Character aliquis &c. eiuſdem rationis cum Charactere Baptiſmali, vel alterius. Si eiuſdem, vel non imprimebatur per Baptiſmum circumciſi &c. Vel alius eiuſdem rationis, ſaltem ſi Character ponatur relatio. Vel poſſet dici illum Characterem differre ſicut imperfectum à perfecto &c. Et tunc non imprimeretur nouus, ſed primus perficeretur.*

*Quæſt. 10.* [An Character ſit forma abſoluta? *Reſp.* Ad Quæſt. poteſt dici quod ſicut nō poteſt probari aliquam formam realem imprimi aliam à gratia & virtutibus &c. Ita non poteſt probari Characterē, ſi ponatur forma realis, eſſe formam abſolutam vel reſpectiuam; quia vtrumque ſaluari poteſt. *Infra.* Sed ſi ponatur forma abſoluta, neceſſe eſt dicere quòd pertineat ad genus qualitatis. *Infra.* Poteſt poni in 2. ſpecie qualitatis, vel etiam in prima; nec alterum iſtorum poteſt euidenter improbari. *Infra.* Quia habitus ſupernaturalis poteſt eſſe principium agendi vel reſiſtendi *&c.* Et vnus poteſt eſſe diſpoſitio ad alium. Et Character poteſt eſſe habitus indifferēs, vel tantùm remotè inclare ad actus bonos.

*Quæſt. 11.* An ſit in eſſentia animæ &c. *Reſp.* Supponendo *ex lib. 2. d. 26.* quòd gratia idem eſt cum charitate, & per conſequens eſt primò in voluntate: & quòd iſta diſpoſitio ad formam eſt in eodem ſuſceptiuo cum forma, *&c.* Congruum eſt ponere Characterem formaliter in voluntate *&c.* Et ſi Character eſt ſignum obligationis animæ ad Deum, rationabile eſt quòd ponatur in potentia cuius eſt primò obligari.]

Ex his, abſque mutuo extraneo, videtur hæc Quæſtio ſatis inſtructa ad reſolutionem, ſaltem Scholaſticam: ſuppoſita diſtinctione notoriâ. 1. Inter finem obiectiuum, & formalem: inter finem operis, & operantis: inter finem communiſſimum rerum omnium, communem omnium Sacramentorum, particularem aliquorum, & proprium ſingulorum. 2. Inter effectum etiam communem omnium, particularem aliquorum, & proprium ſingulorum: item inter effectum principalem gratiæ, & ſecundarium Characteris. 3. Inter gratiam tantùm gratis datam, ad bonum alienum aut commune potiùs quàm proprij Subiecti: & gratiam gratum facientem, formaliter, diſpoſitiuè, vel præſeruatiuè: 4. Inter iuſtificationem gratificationem ſeu ſanctificationem formalem, vel cauſalem & actualem. 5. Inter iuſtificationem à peccato per gratiam, vel primò primam, quæ ſupponit nullam vnquam habitam, vel ſecundò primam, quæ ſupponit amiſſam: & inter iuſtificationem intenſiuā per gratiā ſecundam ſeu gratiæ augmentū. 6. Inter gratiā Sacramētalem, & extra-Sacramētalem. 7. Inter Sacramenta mortuorum, ſeu per ſe inſtituta ad iuſtificationem à peccatis, per conſtitutionem aut reſtitutionem in gratiâ: & inter Sacramenta viuorum, ſeu per ſe inſtituta ad augmentum gratiæ; quamuis fortè per accidens & hæc aliquādo conferant primam gratiam, & illa ſecundam, de quo ſub ſingulis. 8. Inter neceſſitatem ſimpliciter & abſolutè, ſecundum ipſam Dei omnipotētiam: & ſecundùm quid, ſub conditione, ex aliqua ſuppoſitionè, ſecundum potentiam Dei ordinariam. 9. Inter neceſſitatem medij ad ſalutem, ſiue ad tollendum obicem ſalutis, ſiue ad diſpoſitionem neceſſariam: & inter neceſſitatem præcepti obſeruandi ad cauendum peccatū. Neceſſitas medij infert ſemper neceſſitatem præcepti naturalis ad eos qui ſunt capaces procurandi ſalutem propriam & alienam: ſed neceſſitas præcepti non ſupponit aut infert neceſſitatem medij, niſi occaſione peccati cui medium ac remedium neceſſarium ſit. Illa ſeorſim reperitur tùm in paruulis incapacibus præcepti, tum in adultis ſæpè excuſatis à præcepto, nunquam tamen à medio neceſſario: Hæc in ſolis adultis. 10. Inter neceſſitatem communem Eccleſiæ, omnium & ſingulorum, vel tantùm aliquorum. 11. Inter neceſſitatem realem, ſeu rei in ſe, & moralem ſeù perſonalem difficultatem. 12. Inter neceſſitatem Sacramentorum in re ſeu reali eorum ſuſceptione: & in voto, propoſitio, ſeu voluntate ſaltem implicita obſeruandi omnia Dei præcepta & media ac remedia ex eius inſtitutione ad ſalutē neceſſaria. 13. Inter ſalutem ęternam, præſentem, & finalem viæ, quæ conſequenter æterna eſt. Non eſt hîc Quæſtio de fine vltimò, obiectiuo, & communiſſimo rerum omnium, qui eſt Deus ipſe eiuſque gloria: Nec de fine noſtro vltimo formali ac æterno, qui eſt viſio ac fruitio Dei, niſi conſequenter: Nec de fine morali Miniſtrorum, ſeu ab eis intendendo: Nec de neceſſitate ſecundùm Omnipotentiam Dei, de quâ nunquam præſumendum; ſed de fine formali & proximo, & de effectu morali ipſorum Sacramentorum

Digitized by Google

torum in ſuis Subiectis ſeu Viatoribus,& de neceſſitate ſecundùm potentiam Dei ordinariam, de qua ſola ſperandum ac confidendum eſt.

### RESPONSIO DOGMATICA.

FInis & Effectus communis ac principalis omnium & ſingulorum Sacramentorum, eſt ſalus finalis viatorum, & præſens eorum iuſtificatio ſeu ſanctificatio formalis, per gratiam Fidei, Spei, & Charitatis. Finis & Effectus particularis ac ſecundarius trium Sacramentorum irreiterabilium, eſt impreſſio characteris, ſeu Signi cuiuſdam realis, ſpiritualis, ac indebilis in anima. Finis & effectus proprius ſingulorum, eſt expreſſus per formas Sacramentales ſingulorum: de quo Scholaſticè infra. Ad finem ſalutarem viatorum omnia & ſingula Sacramenta ſunt Eccleſiæ Dei neceſſaria in communi, tam neceſſitate medij quàm præcepti: vt patet ex Flor. ſupra *col. 1.* Quædam ſunt omnibus & ſingulis, quædam aliquibus neceſſaria neceſſitate medij in re vel voto: vt Sacramentũ Baptiſmi omnibus, Pœnitentiæ autem, relapſis, ex Trid. ſupra *col. 5. can. 4. & col. 13 cap. 4.* Quædam ſunt tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti, naturalis aut poſitiui. diuini vel Eccleſiaſtici: exigentè graui aliqua difficultate præſente, ſiue perſonali ſiue communi; vel exigentè magna vtilitate, quam non liceat cõtemnere aut negligere; vel exigẽte determinato tempore, vt confeſſionis ac communionis annuæ, vel finalis. Quædam ſunt tantùm conſilij, ad maiorem perfectionem aut ſecuritatem: vt frequentatio Sacramenti Pœnitentiæ & Cõmunionis.

Denique quædam ſunt tantùm libertatis, permiſſionis, & indulgentiæ pro imperfectis: vt Sacramentum Matrimonij. De quibus ſingulis ſucceſſiuè.

Pleraque conſtant ex definitione Sacri Conc. Trid. De Iuſtificatione formali per gratiam infuſam Fidei,Spei & Charitatis. *ſeſſ 6 cap. 7.* & de cauſali ac inſtrumentali neceſſaria per Sacramenta in re vel voto *ibidem, & ſeſſ. 7. can. 4. 5. 6. 7. 8.* De quo ſat ſupra, *q. 3. 4. 6.* Donec de Gratia & iuſtificatione ex profeſſo. Sed hîc ſtudioſè indaganda ac ſolidè fundanda eſt doctrina Dogmatica de Charactere. 1. Ex ſacris Conc.

Trid. *ſeſſ. 7. Can. 1.* ſupra *col. 5.* ſub anathemate oppoſiti, definit *imprimi animæ Characterem, id eſt, ſignum quoddam ſpiritale & indelebile* in tribus Sacramẽtis irreiterabilibus: *vnde ea iterari non poſſunt.* Vbi videtur etiam condefiniri Characterem eſſe cauſam irreiterabilitatis: quamvis & ex hac ille quaſi à poſteriori probari poſſit.

Flor. ſupra *col. 1.* idem verbatim docet: excepto anathemate oppoſiti.

Innoc. III. cap. Maiores de Bapt. *Qui fictè ad Baptiſmum accedit Characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum &c.* Infra. *Tunc Characterem imprimit Sacramentalis operatio, cùm obicem contrariæ voluntatis non inuenit obſiſtentem.*

Cap. Ad abolendam, de Hæreticis, ex Lucio Papa ſecundùm gloſſam. *Vniuerſos qui de Sacramento Corporis & Sanguinis* D. N. IESV CHRISTI, *vel de Baptiſmate, ſeu peccatorum Confeſſione, Matrimonio, vel reliquis Sacramentis Eccleſiaſticis aliter ſentire aut docere non metuunt quàm ſancta Romana Eccleſia prædicat & obſeruat &c. vinculo perpetui anathematis innodamus.* Quibus accedit authoritas Gregorij IX. qui hanc compagem Decretalium approbauit.

Conc. illud antiquum & plenarium, de quo B. Aug. lib. 6. de Bapt. cap. 1. *Satis eluxit Paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ toto orbe diffuſæ, per quos poſtea plenarij Cõcilij authoritate originalis conſuetudo firmata eſt: ouem quæ foris errabat, & Dominicum Characterem à fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad Chriſtianæ vnitatis ſalutem ab errore corrigi à captiuitate liberari, à vulnere ſanari; Characterem tamen Dominicum in ea potius agnoſci quàm improbari.*

2. Ex Sacra Script. 2. Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus, & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Ephel. 1. & 2. *Signati eſtis Spiritu ſancto.* Coloſſ. 2. *Circumciſi eſtis &c.* Vbi & alibi ſæpè comparat Baptiſmum Circumciſioni, etiam quoad ſignaculum aliquod perpetuum. Ita enim & hanc, & præfatas ſignaturas Sacræ Scripturæ ſancti PP. interpretantur.

3. Ex Sanctis PP. Dionyſ. Areop. *cap. 2. Eccleſ. Hier.* Apud Alenſem & S. Bon. ſupra. Quod quia Scotus noſter *quæſt. 9.* ex Vercellenſi interprete, monet eſſe conſutum ex truncis partibus à proprio ſenſu alienis: ad certiora procedamus.

Cyrill. Hier. catech. 4. *Spiritus ſanctus tempore Baptiſmi animam tuam obſignat.* Baſil. orat 13. *Quomodo vendicabit te Angelus ſibi, ſi non agnouerit ſignaculum &c.* Ita & Nazian. orat. in ſanctum lauacrum.

Chryſoſt. homil. 2. in Ephel. *Signati ſunt Iſraëlitæ, ſed Circumciſionis notâ vt pecora: nos autem vt filij &c.*

Epiph. Hær. 8. *Circumcidit nos à peccatis, & obſignat.* Ambr. *De ijs qui initiantur cap. 7. Accepiſti ſignaculum ſpiritale.*

Sed pro & præ omnibus ex B. Aug. lib. 2. in Parmen. c. 13. De Bapt. & Ordinatione. *Vtrumq; Sacramentum eſt, & quadam conſecratione datur &c. Ideoq; non licet iterari.* Infra. *Manebit ad pœnam vſurpatoris quod datum eſt &c. Si qui furtim æs percuſſiendo ſignauerint: Nonne illis punitis regale ſignum theſauris regalibus cogetur inferri? Aut ſi quis nota militari priuatum aliquem ſignet &c. An fortè minus hærent Sacramenta Chriſtiana quam corporalis hæc nota? &c.* Tomo. 1. noſtræ Anat. col. 442. 443. Lib. 6. de Bapt. cap. 1. ſupra. Epiſt. 23. *Sacramentum Baptiſmi ſufficit ad conſecrationem, quæ reum facit hæreticum extra Dominicum gregem Dominicum habentem Characterem.* Quæ verba deſunt noſtræ Anat. Epiſt. 50. *Plus habet iuris quod in eis Dominicus Character agnoſcitur: qui in eis non violatur.* Lib. 1. contra Creſc. Cap. 32. *Nunquid apud Samaritanos circumciſus poſſet iterum circumcidi? Hæretici Nazareni & Circumciſionem habent Iudæorum, & Baptiſmum Chriſtianorum. Si quis eorum ad Iudæos venerit, non poteſt iterum circumcidi: ſic cùm ad nos venerit, non debet iterum baptizari.* Serm. De Emerito. *Si Donatus in nomine Donati baptizaret, deſertoris Characterem infigeret &c. Nunc vero ipſe deſertor Characterem fixit Imperatoris ſui &c. Attende fidem, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Iſte eſt Character Imperatoris mei: Ite Baptizate,&c.*

Porrò de irreiterabilitate trium Sacramentorum paſſim per omnes Libros & Tractatus contra Donatiſtas. Specialiter *lib. 1. de Bap. cap. 1. lib. 2. cap. 14.*



Digitized by Google

*lib. 3. cap. 10. 14. 15. lib. 4. cap. 10. 15. lib. 5. cap. 5. lib. 6. cap. 1. 25. 44. Tract. 5. & 6. in Ioan.*

Sed nihil mihi videtur magis conuincere ex B. Aug. quam illud lib. 3. de Bapt. cap. 16. *Aliud eſt Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit* Act. 5. *Aliud operatio Spiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri ſolet, aliud operatio eiuſdem etiam Spiritus, quam niſi boni habere non poſſunt.* Vbi expreſsè diſtinguit Sacramentum à duplici eius effectu ſpirituali: altero in ſolis bonis, altero etiam in malis.

Quartò rationibus & congruentijs Doctorū noſtrorum ſupra: præcipuè ab irreiterabilitate trium tantum Sacramentorum, non niſi ob quendam eorum proprium effectum indelebilem, ac irrenouabilem: Ab irrecuperabili fructu irrito horum Sacramentorum, niſi quaſi per hoc ſemen ſeu diſpoſitionem animæ impreſſam: A neceſſaria quadam interna ac immutabili conformitate Chriſtianorum inter ſe ad Chriſtum, diuerſitate ab extraneis, & ordinata diſtinctione ab inuicem, ſecundùm triplicem gradum, Baptizatorum, Confirmatorum, & Ordinatorum.

Si enim quilibet res ſuas ſub proprio aliquo ſigno, quantum poteſt ſtabili, impreſſo, inciſo, inuſto, ſibi vendicat: Si principes ſuos famulos domeſticos, milites, Officiarios, ſuis proprijs ſymbolis honorarijs, quantùm poſſunt adhærentibus, inſigniunt ac diſtingunt: Quidni Chriſtus ſuos quaſi famulos, milites, Officiales ſuis characteribus intrinſecè afficiat, ornet, diſcernat.

OBIECTIO.

S. Aug. ſerm. de Emerito, ſeipſum ſatis pro vbique explicat de Charactere externo ipſius Sacramenti ſeu formæ Sacramentalis: quæ tantùm moraliter & denominatiuè ſubiecto impreſſa ſit, & obiectiuè in memoria Dei, Angelorum, ac Eccleſiæ. *Reſp.* Imò & hinc ex Charactere externo formę Sacramentalis, eiuſque infixione, ſeu impreſſione ac attentione, probari ac agnoſci Characterem internum, ſtabilem, infixum ac impreſſum: ſicuti ex cauſa eaque notiori, effectus occultior; ex ſigillo materiæ denſæ, forma eius impreſſa aquæ vel aëri ſeu materiæ raræ, ſi hæc ſit tenax ſuæ formæ, ſicut Spiritus eſt tenaciſſimus ſuæ. Quod *ſi Donatus in nomine ſuo baptizaret, infigeret ſuum Characterem* .i. vel nullum vel falſum: ad probandum externum non infigi niſi ad ſuum internum, & hunc ex illo. *Iſte eſt Character &c.* .i. Signum demonſtrabile & impreſſiuum Characteris interni & expreſſi.

Nec poteſt intelligi de Charactere tantùm externo, eiuſuè denominatione ac memoria; nec de fide aut gratia interna: Quia B. Aug. & reliqui SS. PP. vocāt Characterem ſpiritualem, indelebilem, impreſſum animæ, à Spiritu S. Tribuunt illum actiuè & paſſiuè peſſimis etiam peccatoribus, reſtringunt ad tria Sacramenta, horum irreiterabilitatem eò referunt, diſtinguunt valorem horum Sacramentorum, & quendam eorum inſeparabilem effectum communem bonis & malis, à principali & ſalutari fructu bonorum.

RESPONSIO SCHOLASTICA.

Gratia formaliter ſanctificans dicitur, & eſt Sacramentalis: non tantum extrinſecè & denominatiuè ab hac ſua cauſa; ſed etiam intrinſecè à communi & proprio ſingulorum Sacramentorum fine & effectu, tum formali ac præſenti, tùm cauſali & futuro ex inclinatione & ordinatione huius habitualis ad ſuos actus & effectus proprios, per gratias actuales ad hoc oportunè neceſſarias. Hæc gratia potuit quidem ex intentione Dei & Chriſti inæqualiter determinari: videtur tamen æqualiter determinata ad gradum aliquem ſuo ſaltem proprio fini ac effectui neceſſariū; ſed pro inæquali diſpoſitione ſubiecti inæqualem. Huius collatio, eſt determinata ad eſſe completum & perfectum totiùs Sacramenti, ſeu applicationis eius: niſi præueniatur per Sacramentum in voto, aut differatur ex obice præſenti. Quod cùm phyſicè & moraliter fiat per motum ſucceſſiuè: nec eſt nec cenſetur perfectum quamdiu fit, ſed quamprimùm factum eſt & deſijt, ſeu deſinit extrinſecè. Character vel eſt forma abſoluta ex prima aut ſecunda ſpecie qualitatis, vel relatio realis extrinſecus adueniens: prout expreſſè Scotus ſupra; non autem prout imperiti perperam referunt ac interpretantur tantùm de relatione rationis, ſeu ſola denominatione. Cùm Scotus tam hîc quam alibi ſæpè ſeipſum tam clarè explicet de vera relatione reali intrinſeca quidem animæ, ſed inquit, *extrinſecus* ſeu ab extrinſeco *adueniente*, & per ſeipſam terminante actionem qua producitur: ad diſtinctionem à relatione intrinſecus adueniente, ſeu ex ſuo fundamento poſito termino neceſſariò reſultante. Prout optimè refert, ſed non ſequitur Bellar. *lib. 2. de Sacram. in genere cap. 19.* Vnde mirum eſt Vaſqueſium, qui Bellarminum de Sacramentis in pleriſque ex profeſſo ſequitur, ſoletque doctrinam Scoti fideliter referre, eiuſque & aliorum antiquorum doctrinam à cenſuris recentiorum tueri, in hac opinione Scoti referenda adeo hallucinari potuiſſe *diſp. 134. cap. 2. in 3. p. q. 63* Quamuis & opinionē Durandi de ſola relatione rationis, excuſet ab errore condemnato per Trid. quaſi tantùm intendat definire Characterem contra Hæreticos negantes ſpecialem poteſtatem conſecrandi & adminiſtrandi Sacramēta, & contendētes eſſe omnibus Chriſtianis communem ac æqualem. Cùm tamen Trid. æquè definiat de Charactere Baptiſmi & Cōfirm. ac Ordinis.

Totum probabiliùs elicitur ex priori doctrina, & per ſequentes Obiect. diſcutitur.

OBIECTIONES.

1. Vnde conſtat de fructibus illis conſequentibus ex Sacramentis? *Reſp. 1.* Ex Sacra Script. SS. PP. & communi doctrina ac ſenſu Eccleſiæ, Sacramenta prodeſſe ad fines proprios & communes, proximos & remotos: Quod fieri nequit in adultis niſi per actus & gratias actuales. 2. Ex ſpeciali obligatione annexa Sacramentis ad Leges Chriſti ac Eccleſiæ: quæ requirit ſpeciales gratias actuales, 3. Ex ipſa ratione gratiæ & virtutum habitualium, quæ requirunt gratias ſeu motiones actuales ſecundùm ſuam inclinationem habitualem.

2. Eſt contra omnem experientiam in paruulis & adultis: cùm multi initiati & viuentes Sacramentis ſint peiores, & alij meliores, inclinatione & moribus. Teſte S. Aug. *Lib. 1. ad Simpl. q. 2. Lib. 1. de pecc. mer. & rem. cap. 21.* Reſp. ex Scoto *in 4. d. 4 q. 2.*

*in ſ.*

Digitized by Google

*in 1. d. 17. q 3. in 3. d. 23. q. 1.* Habitum ſupernaturalem non inclinare experimentaliter ad ſuos actus & effectus: ſed profundiùs ac ſecretiùs. *2.* Non inclinare actu, ſine habitu acquiſito, à quo diſcerni nequit. *3.* Inclinare potentiam liberam per auxilia ſpecialia, nō neceſſitare. *4.* Inclinare potius ad actus & effectus ſalutares & finales, quàm ad affectus inefficaces. *5.* Quoſdam ex abuſu Sacramentorum fieri peiores: ex vſu autem nonniſi meliores. *6.* Hos fructus Sacram. moraliter percipi poſſe, ex motibus ſolito melioribus, intentione puriori, animo humiliori & pœnitentiori de peccatis quotidianis, & tandem fine ſalubriori. *7.* Credibile eſſe plurimos finaliter ſaluari per gratias Sacramētales etiam actuales. *8.* B. Aug. admirari quaſdam conuerſiones & gratias extraordinarias, ſine preiudicio Sacramentalium. Nam & paſſim improbat virtutes apparentes Hæreticorum ac Infidelium, vt vitioſas *Tom. 2. noſtræ Anat. à col. 715. ad 124.* Et dubitat vtrum Catholicus peſſimus non ſit præferendus hæretico optimo *col. 308.*

3. Scotus q. 9. negat Characterem poſſe probari, ſed tantùm credi ex authoritate Eccleſiæ: cùm tamen nihil definiatur ex nouis reuelationibus, ſed ex Sacra Script. vel Traditionibus SS. PP. *Reſp.* Non poſſet, inquit Scotus, *probari ex manifeſtè creditis, aut inde manifeſte elicitis.* 2. *Quantum*, inquit, *occurrit modò.* 3. Definitum eſſe ex Traditione, non neceſſariò vllo Scripto expreſſa, ſed praxi ac ſenſu communi Eccleſiæ, indeque recollecta.

4. Scotus q. 10. dubitat an Character ſit forma realis, repetens: *Si eſt forma realis &c.* Ergo contra fidem. *Reſp. 1.* Ex Valqueſio ſupra, fortè needum hoc eſſe definitum: ſed tantùm quòd ſit quædam poteſtas moralis, ſpiritualis, ac immutabilis, actiua vel paſſiua ad Sacramenta: non autem omnibus communis & mutabilis, vt contendunt hæretici. 2. Illud, *Si*, non eſſe dubitationis, ſed ſuppoſitionis: quòd etſi Character ſit forma realis, non ſequatur eſſe abſolutam.

5. Scotus q. 10. eſt problematicus an character ſit relatio vel forma abſoluta: contra Alenſ. ſupra. *Reſp.* Hunc loqui de relatione prædicamentali reſultante ex fundamento: illum de relatione transcendente, & propria actione ab extrinſeco producibili. De qua in 3. d. 1.

6. Idem q. 10. vult eſſe qualitatem 2. aut 1. ſpeciei, ſi eſt forma abſoluta: Alenſis non 2. ſed 1. *Reſp.* Saltem conuenire de 1. ſpecie: de 2. eſſe quæſtionem de nomine.

7. Idem q. 10. tribuit etiam Circumciſioni ſuum Characterem, contra Alenſem & S. Bon. ſupra. *Reſp. 1.* Scotum non tam tribuere, quàm ſuſtinere nec inde derogari Baptiſmali *2.* Alenſem negare Circumciſioni Characterem, vtique perfectū: Scotum non negare imperfectum, & vmbratilem, perficiendum baptiſmali. Sicuti rudis præfiguratio alicuius formæ aut imaginis, non eſt ipſa forma aut imago ſed perficitur in illam.

8. Idem q. 11. Docet Characterem eſſe in voluntate, vt diſpoſitio eſt in eodem ſubiecto cum forma ad quam diſponit: contra Alenſem ſupra. *Reſp.* Scotum loqui de ineſſe ſubiectiuè, proximè, formaliter: Alenſem autem etiā obiectiuè, identicè, terminatiuè, mediatè. Vt patet eius exemplis: Sicut B. Aug. de inexiſtentia reciproca trium potentiarū in eadem anima & inter ſe, in ſignum exiſtentiæ reciprocæ trium perſonarum diuinarum. *Lib. 5. Trin. cap. 20. col. 346. noſtræ Anat.* & alibi.

9. Dubiū Scoti *d. 4. q. 7* De inæquali gratia baptiſmali infantium morientiū, ex inæqualitate prædeſtinationis, ſupponit quendam modum prædeſtinandi, derogat efficaciæ ex Opere Operato, & prouidentiæ Dei ordinariæ, fauetque Caluiniſmo de iuſtificatione prædeſtinatorum tantùm, contra *Trid. ſeſſ. 6 can. 17.* *Reſp. 1.* Meritò ſupponere illum modum prædeſtinandi, de quo ſuo loco. *2.* Non derogare illi efficaciæ: quia hoc vel maximè eſſet ex Opere Operato ſolius Dei & Chriſti; minimè autem ex Opere Operātis, Miniſtri vel Subiecti. *3.* Nō derogare prouidentiæ Dei ordinariæ: quia hæc eſſet ordinaria, ſicut eſt inæqualitas gratiæ in adultis, ex inæqualitate diſpoſitionis. *4.* Neque fauere illi Caluiniſmo neganti gratiam ac iuſtificationem etiam ordinariam ac Sacramentalem omnibus reprobis; ſed tantum præferre electos in iuſtificatione, ſicut conſtat præferri in prædeſtinatione. *5.* Hoc Scoti dubium non eſſe irrationabile: quamuis enim Deus electis ad maiorem gloriam prouidere poſſit & ſoleat de vſu rationis & gratia merendi; cui tamen non meritò dubium videatur, vtrum non tantum titulo mercedis, ſed etiam hæreditatis ſit aliqua inæqualitas futuræ gloriæ; & vtrum de hoc ſecreto prædeſtinationis conſtare poſſit ex morte tot infantium baptizatorum.

10. Alterum dubium vel opinio Scoti *d. 4. q. 1.* de inæquali gratia baptiſmali infantium, ex inæquali deuotione adultorum pro ipſis: eſt contra efficaciam ex Opere Operato, cōtra tale meritum ſolius Chriſti, & ſecuritatem practicam de Miniſtris. *Reſp.* Nō eſſe de inæquali gratia habituali, nec de merito condigno illius gratiæ: ſed de gratijs actualibus ex precibus & meritis alienis de congruo. Vnde nulla incertitudo de inæquali ſanctificatione infantium per quoſlibet Miniſtros; ſed meritò maior cura & deuotio Parentum pro ſuis baptizandis & baptizatis. Vt patet exemplo Scoti. Nec obſtat quod opinetur *maiorem illam gratiam S. Nicolai fuiſſe in eo principium illorum bonorum operum*: Tum quia gratia actualis eſt tale proximum principium: Tum quia annecti poteſt moraliter & quaſi habitualiter ipſis Baptizatis, vel Sacramento & eius effectui proprio, ex precibus & meritis alienis, prout infra de fructu cæremoniarum Eccleſiaſticarum. Neque obeſt, ſed prodeſt, quod infantes videantur incapaces gratiæ actualis. Non ſunt enim capaces actiuè niſi ex vſu rationis & voluntatis: ſed ſunt capaces paſſiuè, tùm gratiæ gratis datæ in actu 1. & 2. tùm diſponentis ad eorum ſanctificationem. Nam & natiuitas infantium, & cura parentum, & intentio Miniſtrorū, & Sacramenti applicatio, ſunt tales circa ipſos gratiæ. Vnde vel S. Nicolaus abſtinebat actiuè, intrinſecè, moraliter & meritoriè, ex vſu rationis & gratiæ habitualis actualiſque: vel tantùm paſſiuè, extrinſecè & materialiter, in ſignum tam communis gratiæ habitualis latentis in Baptizatis etiam infantibus, quàm illius ſingularis ſibi impetratæ à parentibus; non tantùm gratis datæ ad aliorū exem-

plum

Digitized by Google

plum ſalutare, aut in ſignum futuræ ſanctitatis; ſed etiam corpus & animum diſponentis ad futuram ſanctitatem.

11. Quid ſibi vult Alenſis *col. 114.* ✠ *Reſp.* Ex præcedente eius Obiect. ac Reſp. per gratiam gratum facientem intelligere eam quatenus *ſanatiua eſt* à malo: per eiuſdem effectum, non tantum intelligere futurum aliquem actualem, ſed præſentem formalem & perfectiuum ad bonum. Quo ſenſu Euchariſtia non confert gratiam gratum facientem, id eſt quatenus ſanatiua eſt: ſed ſecundam aliam rationem ſeù effectum formalem eiuſdem gratiæ, videlicet nutriendi ſeù conſeruandi, perficiendi, & benè operandi.

---

## QVÆSTIO XI.

### Dogmatica, Scholaſtica, & Moralis.

*Quid & quotuplicia ſint Sacramentalia, quantæ neceſſitatis, vtilitatis, & obligationis?*

Sacramentalia, vel ſunt ſolæ Ceremoniæ circa Sacramenta, vel omnes ab aliqua ſimilitudine cum Sacramentis. Porrò ceremoniæ ſunt quæcumque ſacræ obſeruantiæ exteriores circa cultum Dei, ex virtute Religionis. Quæ ex B. Aug. 2. Retr. 37. præcipuè quidem denominantur à carendo: poſſunt tamen diſtingui. 1 In priuatiuas quaſi caremonias, carentias, ſeu abſtinentias: & poſitiuas. 2. In ceremonias ex ſe indifferentes, à ſolà virtute Religionis imperatas: & morales ſeu ex proprio etiam Obiecto bonas. 3. In naturales ſeu ex communi inſtinctu naturæ, vt ſunt genuflexio, proſtratio, tunſio pectoris, coniunctio manuum, ſuſpectio, & ſimiles: Diuinas, ſeu ex ſpeciali inſtitutione Dei, aut Chriſti; Iudaïcas, ſeu ex inſtitutione Synagogæ, & Eccleſiaſticas, ſiue ab Apoſtolis, ſiue ab eorum Succeſſoribus, ſiue à Concilijs vniuerſalibus, aut Prouincialibus inſtitutas. 4. In ceremonias directè ac immediatè circa Cultum Dei, vel circa perſonas, loca, tempora, aut res alias ad Cultum Dei conſecrandas.

Porrò Difficultas Dogmatica eſt. An ceremoniæ Catholicæ ſint etiã Diuinæ, & Eccleſiaſticæ ſint licitæ, neceſſariæ, vtiles, ac obligatoriæ: Scholaſtica, ad quæ, & quàm ſint vtiles, ac efficaces: Moralis, quæ, & quàm ſint obligatoriæ ex ſolo iure Eccleſiaſtico.

### RESPONSIO DOGMATICA.

Neceſſariæ ſunt aliquæ Ceremoniæ Eccleſiaſticæ ad Cultum Dei: omnes Catholicæ ſunt licitæ, honeſtæ, & vtiles; ſed Sacramentales & Sacrificiales ſunt præcipuè obligatoriæ. 1. Ex Trid. ſuprà *ſeſſ. 7. can. 13.* 2. Ex poteſtate Eccleſiæ diſpenſandi *1. Cor. 4* diſponendi *1. Cor. 11.* ordinandi *1. Cor. 14.* præcipiendi, & obligandi ſubditos *Luc. 10. Math. 16. Act. 15. Rom. 13.* Subditi eſtote propter cõſcientiam. *2. Cor. 13 Hebr. 13.* 3. Exemplis, & traditione mixtionis aquæ cum vino conſecrando, ex ipſius Chriſti inſtitutione. Teſte *B. Cypr. lib. 2. ep. 3.* Sacræ Communionis Ordinariæ non niſi à ieiunis, Teſte B. Aug. Epiſt. 118. cap. 5. *An ieiunandum & poſt cœnam offerendum: an poſt oblationem cœnandum? Ad hæc Reſp. vt quid horum ſit faciendũ, ſi Diuina Script. præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum &c. Similiter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Cap. 6. *Placuit Spiritui S.* vt & Act. *15. vt in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani corpus Dominicum prius intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.* Infra. *Chriſtus non præcepit quo deinceps Ordine ſumeretur: vt Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat ſeruaret hunc locum. 1.* Cor. 11. *Cætera cum venero ordinabo.* De quibus ſingulis, ſub ſingulis Sacramentis.

### OBIECTIONES.

1. Apoſtolus *1. Cor. 7.* Non vult cuiquam laqueum inijci. *Gal 5.* Non vult fideliũ conſcientias in ſeruitutem redigi. *Reſp.* Priori loco non velle continentiam inuitis præcipi, quam Chriſtus voluit eſſe liberam: poſteriori, nolle redigi in ſeruitutem Legis Iudaicæ, contra libertatem Chriſtianam: quæ non eſt à Præceptis Eccleſiæ, ſed à peccato per gratiam etiam actualem, & à iugo Legis Iudaicæ, ex B. Aug. *col. 183. 184. 460. 470.* Tomi 2. noſtræ Anat.

2. Chriſtus *Mat. 15. vt & Iſa. 26.* reprehendit traditiones hominum circà Cultum Dei. *Reſp.* Ceremonias Eccleſiæ non eſſe traditiones hominum: ſed ex iuſſu Chriſti, & inſtinctu Spiritus S. vnde Act. 15. *Placuit Spiritui* S. *& nobis &c.*

3. Chriſtus *Ioan. 4* prædicit, ac indicit tempus non adorandi amplius Deum in illo monte neque Ieroſolymis, *ſed in Spiritu, & veritate.* Ergo non in Ceremonijs *Reſp.* Neg. conſ. Quia hinc tantum excluditur Cultus Ceremonialis Iudæorum, & ſuperſtitioſus Samaritanorum, & limitatio Cultus Dei ad illa loca; ac perſonas: non autem cultus etiam externus per totum orbem ex Spiritu, & veritate nouæ Legis, De quo plura ſub ſacrificio.

4. Nihil addendum aut detrahendum verbo Dei *Prou. 30. Deuter. 4. ac 10.* Ergo nec Ceremoniæ. *Reſp.* Non eſſe corrumpendum, aut falſificandum verbum, & præcepta Dei, detractione veri, vel additione falſi.

5. Ceremoniæ Eccleſiæ imitantur ſuperſtitiones gentilium, ac Iudæorum. *Reſp. 1.* Hanc eſſe calumniam Vigilantij apud Hieron. & Manichæorum apud B. Aug *lib. 20 contra Fauſtum cap. 1.* 2. Non imitari; ſed aliquas corrigere, reuocare ac referre ad verum Dei Cultum.

6. Ex B. Aug. epiſt. 119. *Religionem quàm pauciſſimis & manifeſtiſſimis Sacramentis miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſeruilibus oneribus premunt: vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum.* Quod videtur contra tot Ceremonias, & Præcepta Eccleſiæ. *Reſp.* Ex noſtra Anat. *col. 47. & 379.* Hæc & ſimilia B. Aug. eſſe contra abuſus priuatos, & *præſumptiones*, inquit, *humanas*, eaſque ſuperſtitioſas vanas & inutiles, prout ibidem exemplificat: non autem contra, ſed pro approbatis ab Eccleſia Dei: *Quæ*, inquit, *abuſus condemnat, & corrigere ſtudet.* Nec grauat, ſed corrigit, dirigit, ac perficit fideles paucis præceptis communibus, vel potius determinatione Legis Naturalis ac Diuinæ

ad

Digitized by Google

ad ſuam moderatam obſeruantiam, ex auxilio ſpeciali gratiæ Dei ſub noua Lege, præ antiqua.

7. Ceremoniæ Eccleſiæ celebrandi Sacramenta ac Sacrificium lingua Latina, ſunt contra fructum fidelium, & contra ſacram Script. *1. Cor. 14.* Vbi reprehenduntur loquentes & orantes linguis in Eccleſia, ad quas idiotæ non poterant reſpõdere *Amen.* *Reſp. 1.* Solius Eccleſiæ, cuius eſt inſtituere, eſſe etiã iudicare quænam ſint decentiores ac magis ſalutares. *2.* Vſum cæremonialem linguæ Latinæ eſſe venerabiliorem, & vniformiorem. *3.* Non eſſe contra fructum fidelium: quia verba illa non tam diriguntur ad audientes, quàm ad Deum ipſum, & frequenti vſu ſatis innoteſcunt. ſi quem autem minorem fructum intelligentiæ, compenſant alijs pluribus ac maioribus, de quibus infra. *4. 1. Cor. 14.* Non reprehendi hunc vſum publicum, cui etiam ab idiotis in Eccleſia reſpõdetur *Amen*: Sed abuſum quendam priuatum doni linguarum ad publicam oſtentationem, vel exceſſum quorundam priuatum ac indiſcretum in preces & laudes Dei, ac iubilationes, ad admirationem potius quam inſtructionem fidelium idiotarum ac inexpertorum.

8. *Non quòd intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore.* Mat. 15. Et ſic de reliquis externis. *Reſp.* Ex verbis Chriſti ibidem: *Quia quæ procedunt ex ore, de corde exeunt.* Ideſt, nihil coinquinat niſi quatenus procedit ex corde per conſenſum. Vt patet ex toto contextu, & ex B. Aug. tùm alibi ſæpè, tùm expreſſiſſimè lib. de Continent. cap. 2. *Quæ ſententia* Matt. 15. *Si tota de ore cordis accipiatur, abſurda eſt: neque enim coinquinat vomitus, ſputum &c. Sed priora verba pertinent ad os carnis, poſteriora ad os cordis &c. De corde enim exeunt cogitationes &c. Ita cætera malefacta hominum, quos ſolus coinquinat in cogitatione conſenſus. Cùm enim fit iſta cõſenſio tunc exit ex ore cordis quod coinquinat hominem.* Hinc nec fructus Adæ & Euæ vetitus, nec vlla alia res materialis aut naturalis, nec actio externa coinquinat hominem: ſed conſenſus ille inobediens, ſeu inobedientia conſenſus.

RESPONSIO SCHOLASTICA.

SAcræ Ceremoniæ ſunt valdè vtiles ac ſalutares in Eccleſia. 1. Ad exercendam & proteſtandam Fidem noſtram: vt ſigno Crucis &c. 2. Ad renouandam memoriam Myſteriorum. 3. Ad inſtructionem rudiorum potius per talia ſigna quam per verba. 4. Ad excitandam deuotionem & reuerentiam etiam internam. 5 Ad vnitatem & grauitatem Religionis Chriſtianæ. 6. Ad diſtinctionem Fideliũ ab Infidelibus & Hæreticis, inter etiam idiotas: vt hoc tempore, ſigno Sanctæ Crucis. 7. Ad quaſdam gratias Dei actuales. 8. Ad remiſſionem peccatorum venialium. 9. Ad remiſſionem pœnarum temporalium. 10. Contra tentationes & vexationes dæmonum. 11. Ad ſanitatem & varia beneficia temporalia, contra morbos & alia mala temporalia.

Vt patet ex communi ſenſu ac vſu antiquo & moderno Eccleſiæ ad illos fructus; teſte B. Aug. *Epiſt. 119.* De qua ſuprà. *Lib. de Catechiz. rudibus cap. 20. Tract. 118. in Ioan.* & paſſim contra Pelagianos, de exorciſmo baptiſmali. Ad quos fructus proſunt 1. Saltem obiectiuè mouendo potentias. 2. Sympaticè, ſeu ex quadam ſympatia animæ ad corpus in ſuis motibus: ex B. Aug. *lib. 2. ad Simpl. qu. 4. Et de cura pro mort. cap. 5. Tomo 2 noſtra Anat. col. 163. 164.* 3. Ex impetratione, & ſatisfactione, vel merito vtentium actiuè vel paſſiuè. 4. Ex annexa impetratione Eccleſiæ per ſuas ſeu ſuorum preces. 5. Quaſi ex Opere Operato, ſeu promiſſo ſpeciali Chriſti. *Luc. 10. & Marc. 16.* contra dæmones. Nam B. Aug. *l. 83. qq. 79.* [Cùm, inquit, dæmones non cædunt his ſignis: Deus ipſe prohibet occultis modis &c.] *Tomo 2. noſtra Anat. col. 138.* 6. Ad remiſſionem tamen venialium & gratias actuales, non niſi per aliquos pios animi motus: ad hos non niſi per gratias actuales; ad illas, tantùm impetratoriè ex apprecatione Eccleſiæ. Tum quia non extat vlla certior promiſſio: tum quia videtur hæc prærogatiua ſolius ſacrificij Miſſæ, eſſe Propitiatorium ex Opere Operato, & conferre gratias actuales: tum denique quia ipſa Sacramenta habent certiorem vim conferendi gratias habituales, quam actuales.

RESPONSIO MORALIS.

QVamuis conſtet ex Sacro Conc. Trid. ſupra, ſacras Eccleſiæ cæremonias Sacramẽtales non poſſe ſine *peccato contemni, nec pro libitu omitti, vel mutari*: nõ tamen idẽ æquè conſtat Dogmaticè de omnibus; imò nec Scholaſticè de vllis, quantùm obligent, & vnde: vtrum ex ipſa Lege Eccleſiæ ſub peccato etiam mortali, an verò ex Lege Dei naturali vel poſitiua colendi Deum, nil negligendi, obediendi Eccleſiæ, non contemnendi, non ſcandalizandi, ordinem non perturbandi &c. vel ex aliqua harum legum ab Eccleſia determinatione; quia tanta obligatio conſcientiæ videri poteſt ſupra omnem vim obligatiuam ſicut & cognitiuam ac executiuam Eccleſiæ. Satis tamen conſtat moraliter de hac obligatione, ſaltem proximè & determinatè ex Lege Eccleſiæ, ſecundùm cuiuſuis rei grauitatem & importantiam ad finem Legis: ſiue ex ſola authoritate Dei, ſiue etiam & potius ex participata Eccleſiæ, æquè ad ligandum ſeu obligandum, ac ad ſoluendum vel abſoluendum *Matt. 16. Ioan. 20.* Sed ſub reſtrictione ad grauiorem materiam, perfectiorem conſenſum, liberiorem potentiam, & faciliorem obedientiam ac excuſationem. De quibus ex profeſſo Theologi Morales ſub Legibus ac principijs moralibus. Quoad hanc autem controuerſiam Dogmaticam, optimè & nouiſſimè rarũ illud par Fratrũ Walburgenſiũ in ſuo examine principiorũ Fidei, Controuerſia 8. *pag. 420.* redigunt tandem aduerſarios ad Quæſtione de nomine.

In vtramq; huius *Reſp.* partem exponi poteſt illud B. Aug. lib. 3. Conf. cap. 3. *Quæ contra mores hominum ſunt, pro morum diuerſitate vitanda ſunt: turpis enim pars eſt ſuo vniuerſo non congruens. Cùm autem Deus aliquid contra morem aut pactum iubet, faciendum eſt.* Et Epiſt. 118. cap. 2. *Quod neque contra Fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur ſocietate, ſeruandum &c. Propter Matrem meam conſului de hac re B. Ambroſium. Reſpondit &c. Cùm Romam venio, ieiuno Sabbatho: cum hic ſum non ieiuno. Sic etiam tu ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi &c. Senſi ſæpè dolens multas perturba-*

plum ſalutare, aut in ſignum futuræ ſanctitatis; ſed etiam corpus & animum diſponentis ad futuram ſanctitatem.

11. Quid ſibi vult Alenſis *col. 114.* ✱ *Reſp.* Ex præcedente eius Obiect. ac Reſp. per gratiam gratum facientem intelligere eam quatenus *ſanatiua eſt* à malo: per eiuſdem effectum, non tantum intelligere futurum aliquem actualem, ſed præſentem formalem & perfectiuum ad bonum. Quo ſenſu Euchariſtia non conferi gratiam gratum facientem, id eſt quatenus ſanatiua eſt: ſed ſecundam aliam rationem ſeù effectum formalem eiuſdem gratiæ, videlicet nutriendi ſeù conſeruandi, perficiendi, & benè operandi.

---

## QVÆSTIO XI.

### Dogmatica, Scholaſtica, & Moralis.

*Quid & quotuplicia ſint Sacramentalia, quantæ neceſſitatis, vtilitatis, & obligationis?*

SAcramentalia, vel ſunt ſolæ Ceremoniæ circa Sacramenta, vel omnes ab aliqua ſimilitudine cum Sacramentis. Porrò ceremoniæ ſunt quæcumque ſacræ obſeruantiæ exteriores circa cultum Dei, ex virtute Religionis. Quæ ex B. Aug. 2. Retr. 37. præcipuè quidem denominantur à carendo: poſſunt tamen diſtingui. 1 In priuatiuas quaſi carremonias, carentias, ſeu abſtinentias: & poſitiuas. 2. In ceremonias ex ſe indifferentes, à ſolà virtute Religionis imperatas: & morales ſeu ex proprio etiam Obiecto bonas. 3. In naturales ſeu ex communi inſtinctu naturæ, vt ſunt genuflexio, proſtratio, tunſio pectoris, coniunctio manuum, ſuſpectio, & ſimiles: Diuinas, ſeu ex ſpeciali inſtitutione Dei, aut Chriſti; Iudaïcas, ſeu ex inſtitutione Synagogæ, & Eccleſiaſticas, ſiue ab Apoſtolis, ſiue ab eorum Succeſſoribus, ſiue à Concilijs vniuerſalibus, aut Prouincialibus inſtitutas. 4. In ceremonias directè ac immediatè circa Cultum Dei, vel circa perſonas, loca, tempora, aut res alias ad Cultum Dei conſecrandas.

Porrò Difficultas Dogmatica eſt. An ceremoniæ Catholicæ ſint etiã Diuinæ, & Eccleſiaſticæ ſint licitæ, neceſſariæ, vtiles, ac obligatoriæ: Scholaſtica, ad quæ, & quàm ſint vtiles, ac efficaces: Moralis, quæ, & quàm ſint obligatoriæ ex ſolo iure Eccleſiaſtico.

#### RESPONSIO DOGMATICA.

NEceſſariæ ſunt aliquæ Ceremoniæ Eccleſiaſticæ ad Cultum Dei: omnes Catholicæ ſunt licitæ, honeſtæ, & vtiles; ſed Sacramentales & Sacrificiales ſunt præcipuè obligatoriæ. 1. Ex Trid. ſuprà *ſeſſ. 7. can. 13.* 2. Ex poteſtate Eccleſiæ diſpenſandi *1. Cor. 4* diſponendi *1. Cor. 11.* ordinandi *1. Cor. 14.* præcipiendi, & obligandi ſubditos *Luc. 10. Math. 16. Act. 15. Rom. 13.* Subditi eſtote propter cõſcientiam. *2. Cor. 13 Hebr. 13.* 3. Exemplis, & traditione mixtionis aquæ cum vino conſecrando, ex ipſius Chriſti inſtitutione. Teſte *B. Cypr. lib. 2. ep. 3.* Sacræ Communionis Ordinariæ non niſi à ieiunis, Teſte B. Aug. Epiſt. 118. cap. 5. *An ieiunandum & poſt cœnam offerendum: an poſt oblationem cœnandum? Ad hac Reſp. vt quid horum ſit faciendũ, ſi Diuinæ Script. præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum &c.* Similiter *etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Cap. 6. *Placuit Spiritui S.* vt & Act. *15. vt in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani corpus Dominicum prius intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.* Infra. *Chriſtus non præcepit quo deinceps Ordine ſumeretur: vt Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat ſeruaret hunc locum.* 1. Cor. 11. *Cætera cum venero ordinabo.* De quibus ſingulis, ſub ſingulis Sacramentis.

#### OBIECTIONES.

1. APoſtolus *1. Cor. 7.* Non vult cuiquam laqueum iniici. *Gal 5.* Non vult fideliũ conſcientias in ſeruitutem redigi. *Reſp.* Priori loco non velle continentiam inuitis præcipi, quam Chriſtus voluit eſſe liberam: poſteriori, nolle redigi in ſeruitutem Legis Iudaicæ, contra libertatem Chriſtianam: quæ non eſt à Præceptis Eccleſiæ, ſed à peccato per gratiam etiam actualem, & à iugo Legis Iudaicæ, ex B. Aug. *col. 183. 184. 460. 470.* Tomi 2. noſtræ Anat.

2. Chriſtus *Mat. 15. vt & Iſa. 26.* reprehendit traditiones hominum circà Cultum Dei. *Reſp.* Ceremonias Eccleſiæ non eſſe traditiones hominum: ſed ex iuſſu Chriſti, & inſtinctu Spiritus S. vnde Act. 15. *Placuit Spiritui* S. *& nobis &c.*

3. Chriſtus *Ioan. 4* prædicit, ac indicit tempus non adorandi amplius Deum in illo monte neque Ieroſolymis, *ſed in Spiritu, & veritate.* Ergo non in Ceremonijs *Reſp.* Neg. conſ. Quia hinc tantum excluditur Cultus Ceremonialis Iudæorum, & ſuperſtitioſus Samaritanorum, & limitatio Cultus Dei ad illa loca; ac perſonas: non autem cultus etiam externus per totum orbem ex Spiritu, & veritate nouæ Legis, De quo plura ſub ſacrificio.

4. Nihil addendum aut detrahendum verbo Dei *Prou. 30. Deuter. 4. ac 10.* Ergo nec Ceremoniæ. *Reſp.* Non eſſe corrumpendum, aut falſificandum verbum, & præcepta Dei, detractione veri, vel additione falſi.

5. Ceremoniæ Eccleſiæ imitantur ſuperſtitiones gentilium, ac Iudæorum. *Reſp. 1.* Hanc eſſe calumniam Vigilantij apud Hieron. & Manichæorum apud B. Aug *lib. 20 contra Fauſtum cap. 1.* 2. Non imitari, ſed aliquas corrigere, reuocare ac referre ad verum Dei Cultum.

6. Ex B. Aug. epiſt. 119. *Religionem quàm pauciſſimis & manifeſtiſſimis Sacramentis miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſeruilibus oneribus premunt: vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum.* Quod videtur contra tot Ceremonias, & Præcepta Eccleſiæ. *Reſp.* Ex noſtra Anat. *col. 47. & 379.* Hæc & ſimilia B. Aug. eſſe contra abuſus priuatos, & *præſumptiones*, inquit, *humanas*, eaſque ſuperſtitioſas vanas & inutiles, prout ibidem exemplificat: non autem contra, ſed pro approbatis ab Eccleſia Dei: *Quæ*, inquit, *abuſus condemnat, & corrigere ſtudet.* Nec grauat, ſed corrigit, dirigit, ac perficit fideles paucis præceptis communibus, vel potius determinatione Legis Naturalis ac Diuinæ



Digitized by Google

ad ſuam moderatam obſeruantiam, ex auxilio ſpeciali gratiæ Dei ſub noua Lege, præ antiqua.

7. Ceremoniæ Eccleſiæ celebrandi Sacramenta ac Sacrificium lingua Latina, ſunt contra fructum fidelium, & contra ſacram Script. *1. Cor. 14.* Vbi reprehenduntur loquentes & orantes linguis in Eccleſia, ad quas idiotæ non poterant reſpōdere *Amen.* *Reſp. 1.* Solius Eccleſiæ, cuius eſt inſtituere, eſſe etiā iudicare quænam ſint decentiores ac magis ſalutares. *2.* Vſum cæremonialem linguæ Latinæ eſſe venerabiliorem, & vniformiorem. *3.* Non eſſe contra fructum fidelium: quia verba illa non tam diriguntur ad audientes, quàm ad Deum ipſum, & frequenti vſu ſatis innoteſcunt. ſi quem autem minorem fructum intelligentiæ, compenſant alijs pluribus ac maioribus, de quibus infra. *4. 1. Cor. 14.* Non reprehendi hunc vſum publicum, cui etiam ab idiotis in Eccleſia reſpōdetur *Amen*: Sed abuſum quendam priuatum doni linguarum ad publicam oſtentationem, vel exceſſum quorundam priuatum ac indiſcretum in preces & laudes Dei, ac iubilationes, ad admirationem potius quam inſtructionem fidelium idiotarum ac inexpertorum.

8. *Non quòd intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore.* Mat. 15. Et ſic de reliquis externis. *Reſp.* Ex verbis Chriſti ibidem: *Quia quæ procedunt ex ore, de corde exeunt.* Ideſt, nihil coinquinat niſi quatenus procedit ex corde per conſenſum. Vt patet ex toto contextu, & ex B. Aug. tùm alibi ſæpè, tùm expreſſiſſimè lib. de Continent. cap. 2. *Quæ ſententia* Matt. 15. *Si tota de ore cordis accipiatur, abſurda eſt: neque enim coinquinat vomitus, ſputum &c. Sed priora verba pertinent ad os carnis, poſteriora ad os cordis &c. De corde enim exeunt cogitationes &c. Ita cætera malefacta hominum, quos ſolus coinquinat in cogitatione conſenſus. Cùm enim fit iſta cōſenſio tunc exit ex ore cordis quod coinquinat hominem.* Hinc nec fructus Adæ & Euæ vetitus, nec vlla alia res materialis aut naturalis, nec actio externa coinquinat hominem: ſed conſenſus ille inobediens, ſeu inobedientia conſenſus.

RESPONSIO SCHOLASTICA.

SAcræ Ceremoniæ ſunt valdè vtiles ac ſalutares in Eccleſia. 1. Ad exercendam & proteſtandam Fidem noſtram: vt ſigno Crucis &c. 2. Ad renouandam memoriam Myſteriorum. 3. Ad inſtructionem rudiorum potius per talia ſigna quam per verba. 4. Ad excitandam deuotionem & reuerentiam etiam internam. 5 Ad vnitatem & grauitatem Religionis Chriſtianæ. 6. Ad diſtinctionem Fideliū ab Infidelibus & Hæreticis, inter etiam Idiotas: vt hoc tempore, ſigno Sanctæ Crucis. 7. Ad quaſdam gratias Dei actuales. 8. Ad remiſſionem peccatorum venialium. 9. Ad remiſſionem pœnarum temporalium. 10. Contra tentationes & vexationes dæmonum. 11. Ad ſanitatem & varia beneficia temporalia, contra morbos & alia mala temporalia.

Vt patet ex communi ſenſu ac vſu antiquo & moderno Eccleſiæ ad illos fructus; teſte B. Aug. *Epiſt. 119.* De qua ſuprà. *Lib. de Catechiz. rudibus cap. 20. Tract. 118. in Ioan.* & paſſim contra Pelagianos, de exorciſmo baptiſmali. Ad quos fructus proſunt 1. Saltem obiectiuè mouendo potentias. 2. Sympaticè, ſeu ex quadam ſympatia animæ ad corpus in ſuis motibus: ex B. Aug. *lib. 2 ad Simpl. qu. 4. Et de cura pro mort. cap. 5. Tomo 2 noſtra Anat. col. 163. 164.* 3. Ex impetratione, & ſatisfactione, vel merito vtentium actiuè vel paſſiuè. 4. Ex annexa impetratione Eccleſiæ per ſuas ſeu ſuorum preces. 5 Quaſi ex Opere Operato, ſeu promiſſo ſpeciali Chriſti. *Luc. 10. & Marc 16.* contra dæmones. Nam B. Aug. *l. 83. qq. 79.* [Cùm, inquit, dæmones non cedunt his ſignis: Deus ipſe prohibet occultis modis &c.] *Tomo 2. noſtra Anat. col. 138.* 6. Ad remiſſionem tamen venialium & gratias actuales, non niſi per aliquos pios animi motus: ad hos non niſi per gratias actuales; ad illas, tantùm impetratoriè ex apprecatione Eccleſiæ. Tum quia non exſtat vlla certior promiſſio: tum quia videtur hæc prærogatiua ſolius ſacrificij Miſſæ, eſſe Propitiatorium ex Opere Operato, & conferre gratias actuales: tum denique quia ipſa Sacramenta habent certiorem vim conferendi gratias habituales, quam actuales.

RESPONSIO MORALIS.

QVamuis conſtet ex Sacro Conc. Trid. ſupra, ſacras Eccleſiæ cæremonias Sacramētales non poſſe ſine *peccato contemni, nec pro libitu omitti, vel mutari*: nō tamen idē æquè conſtat Dogmaticè de omnibus; imò nec Scholaſticè de vllis, quantùm obligent, & vnde: vtrum ex ipſa Lege Eccleſiæ ſub peccato etiam mortali, an verò ex Lege Dei naturali vel poſitiua colendi Deum, nil negligendi, obediendi Eccleſiæ, non contemnendi, non ſcandalizandi, ordinem non perturbandi &c. vel ex aliqua harum legum ab Eccleſia determinatione; quia tanta obligatio conſcientiæ videri poteſt ſupra omnem vim obligatiuam ſicut & cognitiuam ac executiuam Eccleſiæ. Satis tamen conſtat moraliter de hac obligatione, ſaltem proximè & determinatè ex Lege Eccleſiæ, ſecundùm cuiuſuis rei grauitatem & importantiam ad finem Legis: ſiue ex ſola authoritate Dei, ſiue etiam & potius ex participata Eccleſiæ, æquè ad ligandum ſeu obligandum, ac ad ſoluendum vel abſoluendum *Matt. 16. Ioan. 20.* Sed ſub reſtrictione ad grauiorem materiam, perfectiorem conſenſum, liberiorem potentiam, & faciliorem obedientiam ac excuſationem. De quibus ex profeſſo Theologi Morales ſub Legibus ac principijs moralibus. Quoad hanc autem controuerſiam Dogmaticam, optimè & nouiſſimè ratū illud par Fratrū Walenburgenſiū in ſuo examine principiorū Fidei, Controuerſia 8. *pag. 420.* redigunt tandem aduerſarios ad Quæſtione de nomine.

In vtramq; huius *Reſp.* partem exponi poteſt illud B. Aug. lib. 3. Conf. cap. 3. *Quæ contra mores hominum ſunt, pro morum diuerſitate vitanda ſunt: turpis enim pars eſt ſuo vniuerſo non congruens. Cùm autem Deus aliquid contra morem aut pactum iubet, faciendum eſt.* Et Epiſt. 118. cap. 2. *Quod neque contra Fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur ſocietate, ſeruandum &c. Propter Matrem meam conſului de hac re B. Ambroſium. Reſpondit &c. Cùm Romam venio, ieiuno Sabbatho: cum hic ſum non ieiuno. Sic etiam tu ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi &c. Senſi ſæpè dolens multas perturba-*

*tiones fieri per quorundam contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem in rebus huiuſmodi &c.* Contra nimis contentioſos circa rubricas &c.

## *RECOLLECTIO ET CONFIRMATIO totius Doctrinæ.*

DOctrina de nomine, ratione, inſtitutione, vniuocatione, ſignificatione, efficacia gratiæ ex Opere Operato, materia & forma, Miniſtris & Subiectis, eorumque neceſſaria aut non, bonitate, poteſtate, fide, intentione, conſenſu, aut diſpoſitione; de neceſſitate, fine, effectibus Gratiæ & Characteris, fictione, & reuiuiſcentia, ac cæremonijs Sacramentorum: ſed ſpecialiter de efficacia tantùm morali gratiæ ſanctificantis, & quidem communi quondam etiam remedio Legis naturæ, ac Circumciſioni, ſed iam propria ac excellenti Sacramentorum nouæ Legis; de æquali aut inæquali effectu gratiæ per idem Sacramentum; de ratione abſoluta vel relatiua Characteris; totâque reliqua Doctoris noſtri Subtilis: non tantum eſt ſubtilior qualibet oppoſita; ſed etiam probabilior, ſecurior, & conformior Fidei Catholicæ.

### RELIQVIÆ DIFFICVLTATVM.

1. CIrca 1. & 2. *Quæſt.* Quomodo poſſit conſiſtere vniuocatio inter Sacramenta noua & antiqua, ex q. 2. abſque nomine communi Sacramenti q. 1. *Reſp. 1.* Vniuocationem nihil obſtare, quin nomen Sacramenti habeat ac ſignificet ſuum principale ſignificatum particulare, quando ſimpliciter ponitur pro aliquo particulari: & habeat ac ſignificet ſuum cōmune ſignificatum, quando ponitur pro communi. 2. Sacramentum prædicari potius de ſuis Subiectis ſecundum exiſtētiam, quam ſecundum eſſentiam: Tum quia agitur frequentius de eorum exiſtentia; Tum quia eſſentia eſt tantum moralis, dependens ab inſtitutione & deſtitutione, nō autem æternæ veritatis, vt ſunt eſſentiæ rerū naturalium. Hinc Sacramenta abolita, non ſunt amplius Sacramenta, nequidem ſecundum eſſentiam Sacramenti, ſed tantum fuerunt. Sicut homo mortuus, ſiue ſignificet cadauer, ſiue totum quod deſijt, non eſt homo: quia prædicatum contrahitur ad exiſtentiam in ſubiecto per illud adiectum ſubiecti.

*Diff. 2. circa 3. & 4.* Quomodo Sacramenta ſint immediatè efficacia gratiæ, & tamen moraliter tantùm: vtique mediante ipſa actione reali Dei, & diſpoſitione interna ſubiecti. *Reſp. 1.* Deū eiuſq; actionem realem eſſe cauſam & actionem principalem: non mediantem ſeu ſubordinatam; ſed ſibi ſubordinantem cauſam & actionem Sacramentalem. Quæ determinat tantum cauſalitatem & actionem realem Dei hic & nunc ad hoc ſubiectum, & hunc effectum. 2. Nec diſpoſitionem internam mediare: ſed ſupponi actioni ſeu diſpoſitioni externę Sacramentali, tanquam vltimæ ad effectum.

*Diff. 3. circa q. 3. & 4.* Quo ſenſu Sacramentum ſit ſignum ſenſibile ac efficax gratiæ, & tamen moraliter tantùm: cùm ſenſibilitas & efficacia ſint de ratione Sacramenti, moralis autem illa efficacia ſit inſenſibilis. *Reſp.* Nec efficaciam realem nec moralem eſſe ſenſibilem in ſe, ſed tantum credibilem vel intelligibilem: nec eſſe de ratione Sacramenti vt ſit ſenſibiliter efficax, ſeu vt ſit ſenſibile ſecundum ſuam rationem eſſentialem; ſed tantum ſecundum ſuam materiam & formam externam.

*Diff. 4.* Hæc doctrina de Circumciſione & Remedio Legis naturæ videtur contra Script. *Rom. 4.* [Quæ vtilitas Circumciſionis? Primùm quidem quia credita ſunt eis eloquia Dei.] Et maximè cōtra Flor. ſupra: quomodo ergo conformior Fidei &c.

*Reſp. 1.* Quià eſt credibilior & perſuaſibilior ad reddendam rationem huius noſtræ Fidei de efficacia Sacramentorum: vt per ſe patet. 2. Quia conformior Sacræ Script. eiuſque expreſſæ interpretationi à B. Aug. ſupra, imo & ab Innocentio III. Cap. Maiores, De Baptiſmo.

Nam & Sacra Script. eſt expreſſior pro hoc fructu Circumciſionis, quam illa neg. Rom. 4. quæ eſt valdè dubia vtrum de Circumciſione etiam ante Legem Chriſti; & vtrum de prima, & principali vtilitate Circumciſionis ſeu Iudæorum ad Legem Chriſti præ alijs. Et expoſitio B. Aug. & Innoc. 3. eſt longè diſtinctior, & particularior: approbata *à Greg. 9. & 13* in ipſo iure ſupra, & *de Conſecr. diſt. 4. cap. 5. & 6.* præualetque illi generaliori doctrinæ Eug. 4. quæ recipit tot accomodationes, de quibus ſupra: præter illam adhuc Scoti *d. 4.* & Innoc. ſupra: quod Circumciſio tantùm liberabat à culpa originali; nonniſi quidem per gratiam, ſed ad hanc remiſſionem, non autem ad vllum augmentum gratiæ in ſubiectis iam iuſtificatis.

# DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SVppoſita doctrina fundamentali Cōcilij Florentini, & Dogmatica Trid. ſupra, de hoc Sacramento: Magiſter Sent. per Baptiſmū Ioānis in nomine Chriſti venturi, *diſt. 2.* tranſit *diſt. 3.* ad definitionem Baptiſmi Chriſti per *ablutionem corporis exteriorem ſub præſcripta verborum forma*: ordinaria *In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* ſalua diſpenſatione ſub initio Eccleſiæ baptizandi *In Nomine* IESV CHRISTI &c. De quibus infra. *Diſt. 4.* De Sacramento tantum, re ſeu effectu Sacramenti, & re ac Sacramento ſimul, deque gratia baptiſmali Infantium, vt ſupra & infra. *Diſt. 5.* De poteſtate miniſteriali baptizandi, vt ſupra in cōmuni. *Diſt. 6.* De capacibus aut incapacibus Baptiſmi, & Cæremonijs eius.

Alenſis autem noſter ordinatiùs per 15. qq.

*Quæſt. 9.* de Baptiſmo Ioan. per 9. Membra, doctrinæ communis, & ſpecialis. M. 3. a. 1. De hac ſpeciali forma Baptiſmi Ioannis: *Ego Baptizo te in Nomine* .i. in Fide *Chriſti venturi*, vtique per manifeſtationem & effectum Redemptoris. *M. 4.* De Baptiſmo non Ioānis, ſed Chriſti *in remiſſionem peccatorū*. *M. 7.* Contra opinionē Magiſtri Sent. circa valorē Baptiſmi Ioannis ex Fide Chriſti, ad recipiendum Spiritum ſanctū per impoſitionem manuū, abſque Baptiſ-

Digitized by Google

Baptiſmo Chriſti: eiuſque excuſatione, per concurſum Baptiſmi Flaminis cum Baptiſmo Fluminis, ſicut & Circumciſionis cum Baptiſmo Fluminis, ad aliquod tempus.

*Quæſt. 10.* De Exorciſmo & Catechiſmo ante Baptiſmum: quod in paruulis Exorciſmus præcedat Catechiſmum, nec tantum præſignificet effectũ baptiſmi, ſed habeat etiam ſuam vim ad ſaluté corporis & animæ, contra cacodæmones ac impedimenta Baptiſmi; ex virtute Dei aſſiſtente ac miniſterio Angelorum. In Adultis autem Catechiſmus præcedat ac diſponat ad fidem, exorciſmum, & Baptiſmum; ſed ſignificet tantùm Sacramentum Fidei in paruulis, & obliget ſponſores pro ipſis.

*Quæſt. 11.* per 7. Membra. De varijs definitionibus baptiſmi, per varia cauſarum genera: De quibus infra.

*Quæſt. 12.* per tria Membra. De inſtitutione Baptiſmi: congruè poſt Circumciſ. Materialiter *Mat. 3.* in Baptiſmo Chriſti: formaliter *Mat. vlt.* Ad finem Regni cœleſtis, *Ioan. 3.* Ad effectum præſentem ſalutis *Marc. vlt.* Significatiuè *Ioan. 19.* Sub neceſſitate ab eius promulgatione, ſub conſilio ab eius priuata notitia, vt *Ioan. 3.*

*Quæſt. 13.* De his quæ pertinent ad eſſentiam Baptiſmi, per 4. Membra.

*Memb. 1. per 4. Art.* De intentione Baptizantis, vt ſupra col. 73.

*Memb. 2. per 3. Art.* De materia aquæ naturalis, De quantitate ſufficiente ad immerſionem vel aſperſionem, & de diſtinctione ac materiali tantùm denominatione Baptiſmi Aquæ.

*Membr. 3.* De forma Baptiſmi, *per 4. Art. 1.* De neceſſitate formæ vocalis. *2.* De neceſſaria integritate formæ. *§. 1.* non quoad pronomen perſonale, *Ego.* *§. 2.* ſed quoad expreſſionem actus baptizandi; non verbo abluendi cõmuni ad varias ablutiones, ſed huic proprio. *§. 3.* quoad expreſſionẽ Sanctiſſ. Trinitatis, niſi olim diſpenſatiuè in nomine Iesv Christi. *§. 4.* quoad pronomen demonſtratiuum *Te*, non hunc aut illum: Et *in nomine* .i. in fide, vtique Eccleſiæ, vt ſæpè ſupra.

*Art. 3.* De variatione formæ, per additionem, ſubſtractionem, tranſmutationẽ, corruptionem, immutationem. *§. 1.* Mutationem huius nominis *Pater* in *Genitorem &c.* non valere, nec verbi *Baptizo*, in *abluo*: quia non ſignificant idem ex impoſitione aut inſtitutione. *§ 2.* Corruptionem ſolius pronuntiationis, non derogare ſenſui *ex accommodatione vſus.* Vt ſupra col. 80. *§. 3.* Detractionem ſeu minutionem materialem alicuius literæ aut ſyllabæ, ſaluo ſenſu *primo vel accommodato*, non eſſe contra valorem formæ. *§. 4.* Additionem ante poſt vel inter, niſi peruertat aut corrumpat ſenſum, non nocere. *§. 5.* Tranſpoſitionem verborum inter ſe, ſaluo ſenſu expreſſo, valere: confuſo autem ſenſu numero & ordine perſonarum, non valere.

*Art. 4.* De diuerſitate formarum. *§. 1.* Formam, *In nomine* Iesv Christi, fuiſſe ad tempus inſpiratam Apoſtolis. *§. 2.* Forma congruentior & ordinaria ex inſtitutione Chriſti. eſt *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* *§. 3* Hæc forma Græcorum *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*: habet quidem ſuas rationes; non tamen eſt tam ſignificatiua, certa, & ſecura ac noſtra; ideóque conſultum foret, ſic baptizatos, ſub conditione in forma noſtra rebaptizare †.

M. 4. De immerſione, per *6. Art. 1.* De Baptiſmo per immerſionem vel aſperſionem. 2. Per immerſionem vnam aut trinam, pro more cuiuſque Eccleſiæ. 3. De valore Baptiſmi per tot quot immerſiones. 4. De Trina immerſione ordinaria ac congruentiori. 5. Dubium de prima immerſione, intellige ex dubio formæ concomitantis. 6. De virtute tantum potentiali aquæ ex contactu Chriſti, ideſt ex eius ordinatione in materiam huius Sacramenti: quæ non reducitur ad actum niſi actuali exercitio.

Quæſt. 14. *A quo Baptiſmus habeat ſuam virtutem?* *M. 1.* Non ex contactu aut benedictione aquæ, niſi ordinatè & remotè, vt ſupra. *M. 2.* Ex Paſſione Chriſti vt cauſa meritoria, ex Reſurrectione vt ſigno exemplari.

Quæſt. 15. *De poteſtate baptizandi.*

*M. 1.* De poteſtate auctoritatiua ſolius Dei, excellentiæ ſolius Chriſti, miniſteriali ſolius hominis. *M. 2.* Non autem vllius cooperationis poſſibilis ad gratiam. *M. 3.* Nec Chriſtum habuiſſe poteſtatem remittendi peccata vnde homo, ſed vnde Deus. *M. 4.* Ioannem Bapt. neſciſſe Chriſtum ante eius Baptiſmum, tam perfectè ac tunc.

Quæſt. 16. *De cõditionibus baptizantis* per 8. Mẽbra. *M. 1.* Solis Sacerdotibus licere ex officio: reliquis ex neceſſitate. *M. 2. A. 1.* Deum eſſe totam cauſam in ſanctificando; ſed primam cauſam reſpectu Miniſterij. *A. 2.* Miniſtrum non peccare baptizando ex officio & neceſſitate: intellige ſi hîc & nunc non poſſit conuerti. *Art. 3.* Æqualiter baptizari per bonum & malum Miniſtrum. *M. 3. A. 1.* Hæreticos in forma & intentione Eccleſiæ validè baptizare. *A. 2.* Hæreticos indiſtinctè, & quodam modo generali poſſe intẽdere quod Eccleſia, quamuis oppoſitũ in ſpeciali. *A. 3.* Aliud eſt habere ius ex ordine, aliud ex vnitate Fidei &c. *A. 4.* Infideles etiam poſſe baptizare. *M. 4.* Diabolum non poſſe baptizare, etiam ex impoſſibili intentione. *M. 5.* Ebrios non priuatos vſu rationis, quamuis balbutientes, validè baptizare. *M. 6.* Plures poſſe eundem ſimul integrè baptizare: non autem ſeorſim abluendo & pronuntiando. *M. 7.* Tot poſſe ſimul ab eodem baptizari, quot aqua aſpergi, ſub forma communi *Baptizo vos* &c. non autem poſſe plures baptizare ſub forma communi *Nos baptizamus*; quia *nos* non ſignificat *ego & ego*; ſed ego tu vel ille: ſicut *vos* ſignificat *te & te.* *M. 8.* Neminem poſſe baptizari à ſeipſo: quia nec à ſe generari, nec regenerari.

Quæſt. 17. *De conditionibus paruuli baptizandi.* *M. 1.* Paruulus eſt capax Sacramenti Baptiſmi. *M. 2.* Non poteſt baptizari in vtero, ex inſtitutione Dei: & quia necdum eſt de foro Eccleſiæ, aut capax huius beneficij perſonalis. *M. 3.* Natus ex parte poteſt ſecundum illam baptizari: prorſus vt hinc Scotus ſupra. *M. 4.* Saluo meliori iudicio, non eſt ſecanda Mater viua ad baptizandam prolem incertæ vitæ. *M. 5. A. 1.* Non eſt differendus Baptiſmus in finem vitæ. *A. 2.* Paruuli quam primum fieri poteſt baptizandi. *M. 6.* Etiam aliundè ſanctificati debent baptizari.



Digitized by Google

Quæſt. 18. *De conditionibus adulti baptizandi.*
*M. 1.* De conſenſu neceſſario ad Baptiſmũ, vt ſupra col. *105. M. 2. A. 1.* De contritione neceſſaria ad fructum Baptiſmi: intellige perfecta, vel imperfecta. *A. 2. §. 1.* De neceſſaria Fide Eccleſiæ, vt col. *105.* *§. 2* De infidelitate nonobſtante Sacramento.
*§. 3.* De fictione impediente fructum Baptiſmi, vt col. *105. §. 4.* De fide neceſſaria ad fructũ Baptiſmi. *§. 5.* Non fide baptizantis, ſed baptizati. *§. 6.* De ſufficienti Fide Eccleſiæ pro paruulis. *A. 3.* De valido Sacramento non obſtante fictione & contemptu. *A. 4.* De fructu Baptiſmi, correcta fictione. *M. 3.* De amente & dormiente baptizãdo aut non, ſecundum conſenſum aut diſſenſum præcedentem.

*Quæſt. 19. per 11* Membra, vt ſupra col. *114.*

Quæſt. 20. *De effectu Baptiſmi contra malum.* M. 1. Art. 1. *Baptiſmus eſt per ſe ad tollendam originalem culpam: actualis vero tollitur ex Baptiſmo & contritione.* Art. 2. *Si plenè percipitur eius efficacia, omnis culpa deletur, & reſtituitur homo in priſtinam innocentiam quantum ad animam.* M. 2. Art. 3. *Gratia Dei in Baptiſmo non requirit gemitum, ſed omnia gratis condonat.* Art. 2. *§. 1. Sacramento Baptiſmi contulit Deus primos & præcipuos effectus Paſſionis ſuæ .ſc. mundationem à culpa, & ſolutionem pretij.* Infra. *Pœna æterna pœnitus deletur, & temporalis quoad dominium, non ſimpliciter &c. quia pœnæ etſi ſint perſonales, ſunt tamen à natura. §. 2. Remanet concupiſcentia poſt Baptiſmum, licet diminuatur.* *§. 3. Fomes non tollitur ſed dicitur præterire quoad dominium & neceſſitatem inclinandi ad culpam, vel inquantùm culpa eſt; non autem inquantùm eſt pœna, nec quantùm ad poſſibilitatem inclinandi ad culpam &c. Baptiſmus abſoluit ab omni pœna ſatisfactoria, impoſita & aſſumpta, non ab omni contracta &c. Quia congruum fuit has pœnalitates in nobis relinqui ad manifeſtandam æquitatem Dei, & meritum Chriſti, & ad meritum liberi arbitrij. Art. 3. Baptiſmus tollit carentiam viſionis Dei: à Paſſione Chriſti.*

Quæſt. 21. *De effectu Baptiſmi quantum ad collationem boni.* M. 1. A. 1. *Confertur paruulis gratia ſanctificationis à peccato Originali merito Paſſionis Chriſti, aliena Fidei, & virtute Baptiſmi.*

Art. 2. *Quidam ponunt paruulos ſolùm liberari à peccato Orig. ſed in ſeparatione animæ virtutes illis conferri &c. Alij virtutes eis dari quantùm ad radicem, non quantùm ad habitus: quia datur eis gratia delens culpam. non habilitans potentias &c. Alia eſt opinio communis quod virtutes conferuntur paruulis quantùm ad habitus, non actus.*

Memb. 2. De augmento gratiæ & virtutum in adultis per baptiſmum.

Memb. 3. De æqualitate aut non, gratiæ Baptiſmalis. *Reſp. Concedi poteſt gratiam datam in Baptiſmo æqualis eſſe efficaciæ quantùm ad effectum remiſſionis culpæ, & hoc de virtute Sacramenti: non autem quo ad alios effectus; ſed maioris vel minoris efficaciæ ſecundùm proportionem Fidei & præparationem.* Infra. *Gratia menſuratur ſecundùm liberalitatem dantis, non æqualitatem ſuſcipientis, ſed ſecundùm quod ſe præparat &c. Ideò æqualiter omnibus paruulis dat de lege communi. Quia tamen poteſtas eius non eſt alligata Sacramentis, non eſt neceſſe quod ſemper det æqualiter, ſed poteſt facere cui vult priuilegium ſpeciale &c. Quod patet exemplo à quibuſdam mammas ſugentibus, in quibus apparuit gratia efficacior.* Hinc ſine dubio Scotus ſupra col. 117.

*Memb. 4.* De Illuminatione Baptiſmali per fidem & gratiam.

*Memb. 5.* De Fœcundatione Baptiſmali ex ſemine virtutum & donorum.

*Memb. 6.* De Incorporatione Baptiſmali Corpori Chriſti per gratiam, diſtincta ab Euchariſtica.

*Memb. 7.* De varia apertione Ianuę Cœleſtis, per Baptiſmum, per Paſſionem Chriſti, per Reſurr. Aſcenſ. ſed potiùs per meritum Paſſionis.

*Quæſt. 22.* De Comparatione variorum Baptiſmatum inter ſe.

*Memb. 1.* Alia Baptiſmata non fuiſſe propriè Sacramenta.

*M. 2.* De nouem Baptiſmatibus. 5. Præfiguratiuis, Diluuij. Maris rubri, Nubis illius. *1. Cor. 10.* Aquæ luſtralis ex cinere vitulæ rufæ. *Hebr. 9.* Et Baptiſmi Ioannis. 4. Quæ habent vim Baptiſmi, ſc. Fluminis, Flaminis, Sanguinis, & Ignis, ſeu linguarum ignearum *Act 2.*

*M. 3.* Solum Baptiſmũ ex aqua & Spiritu S. eſſe perfectum: reliqua *omnia diminuta in ſignificando, vel cauſando.*

*M. 4. Art. 1.* Solum Sacramentum Baptiſmi dici propriè Baptiſma.

*Art. 2.* Sicut Martyrium & Pœnitentia nonniſi impropriè dicuntur Baptiſmata: ſic nec Sacramẽta.

*Art. 3.* Per Martyrium & Pœnitentiam non imprimi Characterem Baptiſmalem: ſed ei reſpondere aureolam in Martyre.

*Art: 4.* De ſupplemento Baptiſmi, plenè ac perfectè per Martyriũ ex fide & cauſa iuſta: per Pœnitentiam autem non tam plenè ac perfectè quoad remiſſionem pœnæ.

*Art. 5.* De ſufficientia Martyrij & Pœnitentiæ ad ſalutem: *non contempto Baptiſmate fluminis, ſed exiſtente voluntate &c.* *M. 5. Art. 1.* De exceſſu reciproco inter Baptiſmũ & Martyriũ: *Licet Baptiſmus Martyrij ſit præcellens ratione dignitatis, ſtatus, & Priuilegij: tamen Baptiſmus Fluminis præcellit ratione maioris virtutis, & vtilitatis &c. Non enim virtute Martyrij confertur gratia gratum faciens: gratia enim huiuſmodi eſt Baptiſma Martyrij, non è conuerſo.* Et paulo ſupra: *Liberat ſolum à veniali, non à mortali: quia præſupponit charitatem, aliter nihil valeret ad ſalutem.*

*Art. 2.* De excellentia Baptiſmi Ioan. præ reliquis figuratiuis.

Quæſt. 13. *De Sacramentalibus in Baptiſmo.*

*M. 1.* De numero Sacramentalium olim in Baptiſmo ſolemni adultorum, & connumeratione ipſius immerſionis à S. Dion. *Eccl. Hier.* non tantùm Sacramentalis, ſed ad Sacramentum pertinentis.

M. 2. De hoc numero ſecundùm Rabbanum. *Illa duo de appoſitione ſalis & linitione ſputi. poſt erant addita: & nihil prohibet plura eſſe modo quàm fuerunt à principio.*

M. 3. De comparatione numeri S. Dionyſij cum numero Rabbani.

M. 4. De alio ſeptenario numero ex quodam Canon. *30. q. 1. Peruenit.*

*Mem. 5.* De veſte candida, & vnctione Chriſmatis in fronte poſt Baptiſmum: non ad dandam, ſed ad ſignificandam gratiam datam.

*Mem. 6.* De vero Baptiſmo etiam extrà Eccleſiã, vt ſæpè ſupra: Tum quia peccatũ Originale non iteratur; tùm quia homines nimis liberè peccarent; tum

Digitized by Google

tum quia Chriſtus tantum ſemel mortuus eſt; tum quia non poteſt imprimi nouus character Baptiſmalis, cum ſit indelebilis; tum denique quia Deus ita inſtituit.

S. Bon. in diſt. 2. poſt breuem commentarium & pauca dubia circà textum Magiſtri: *Art. 1.* Per tres Quæſt. de inſtitutione, & numero Sacramentorum nouæ Legis, vt ſuprà *col. 83. 84.* Sed *Art. 2.* De Baptiſmo Ioan. per 3. quæſtiones.

*Quæſtio 1.* De inſtitutione Baptiſmi Ioan. à Deo principaliter, ſed per Ioannem vt adminiſtratorem plenarium.

*Quæſtio 2.* De inſtitutione Baptiſmi Ioan. ad præfigurandum & annunciandum Baptiſmũ Chriſti, eique aſſuefaciendum: non autem ad cauſandam gratiam.

*Quæſtio 3.* De inſufficientia Baptiſmi Ioan. quantumuis ex fide Chriſti ac SS. Trinitatis: nec eo ſolo, ſed & Baptiſmo Chriſti baptizatos per Philippum Diaconum, accepiſſe Spiritum S. per impoſitionem manuum à Petro & Ioanne. *Act. 8. In diſt. 3.* Poſt pauca dubia circà textum Magiſtri. *Art. 1.* In priorem partem diſt. De quidditate Baptiſmi per 3. quæſtiones.

*Quæſt.* 1. De ſignificatione & ratione materiali Baptiſmi, pro aqua lauacri ſecundum Hugonem, vel pro ipſa actuali ablutione, ſecundùm Magiſtrum: ſed pro vtroq; ſecundum S. Bon. Pro aqua quidem nonniſi abluente, & pro lotione nonniſi per aquam. Aqua perfectiùs ſignificat gratiã: ablutio perfectiùs eius effectũ ſeu collationẽ actualem.

*Quæſt.* 2. De neceſſaria integritate formæ verbalis, ad Sacramentum Baptiſmi: ex inſtitutione Dei, perfecta profeſſione Fidei, & perfecta ſignificatione Verbi incarnati.

*Quæſt.* 3. De ſpeciali neceſſitate Fidei, non perſonalis cuiuſquam, ſed Eccleſiæ: de cauſa meritoria, & principali huius Sacramenti. *Art. 2.* De forma verbali huius Sacramenti per 3. qq.

*Quæſt.* 1. De neceſſitate exprimendi verbaliter ipſum actum baptizandi: ex inſtitutione Dei.

*Quæſt.* 2. De neceſſaria expreſſione diſtincta totius SS. Trinitatis &c. Non neceſſariò ex fide cuiuſquam perſonali, ſed Eccleſiæ. *Ad 3. Arg.* Diſpenſatum & inſpiratum fuiſſe Apoſtolis vt tunc etiam baptizarent in Nomine Ieſu Chriſti: ob implicitam ſignificationem totius Trinitatis, & ad commendationem huius Nominis.

*Quæſt.* 3. De mutatione, additione, corruptione tranſmutatione, interpoſitione, contrà ſenſum, & valorem formæ, aut non: vt Alenſis ſupra. Excepto quod *Ad 4. Arg.* videatur concedere valorem formę tranſmutato Ordine perſonarũ: quia Ordo originis ſatis ſignificatur ipſis nominibus perſonarum. *Ad 5.* autem extendit interpoſitionem ad ipſam diſcontinuationem formæ: quæ interrumpat ſenſum & intentionem, aut non.

In partem 2. diſt. 3. Art. 1. Quæſt. 1. De congruà inſtitutione huius Sacramẽti in aqua, natura ſua tranſparente, & mundãte: ad ſignificandos effectus huius Sacramenti.

*Quæſt.* 2. De ſola remota ordinatione, determinatione, ſeu electione aquæ in materiam huius Sacramenti, & ad eius effectum, per ablutionem, & formam verbalem: abſque vlla vi intrinſecà aquæ ex contactu corporis Chriſti.

*Art. 2. Quæſt. 1.* De trina, vel vna immerſione ſufficiente ad integritatem Baptiſmi, ſecundum morem cuiuſuis Eccleſiæ, ſed præcipuè Romanæ vtentis trina immerſione.

*Quæſt. 2.* De valore Baptiſmi per aſperſionem, more Eccleſiæ gallicanæ: ſecuriùs tamen & vſitatiùs per immerſionem.

*Art. 3. Quæſt. 1.* De excluſione Circumciſionis per Baptiſmum: vt Alenſis ſupra.

*Quæſt. 2.* De neceſſitate & vtilitate Circumciſionis vſque ad promulgationem Nouæ Legis: licito autem vel illicito eius vſu ſucceſſiuè, ſecundum propagationem eiuſdem Legis & diſpẽſationem, ac diſcretionem Apoſtolorum, ex mente S. Hier. Sed ex mente B. Aug. De neceſſitate, & vtilitate Circumciſionis vſque ad inſtitutionem Baptiſmi: licito autem eius vſu vſque ad promulgationem Legis nouæ; ſed illicito poſt ſufficientem eius promulgationem: ſicque ex oppoſito de vtilitate Baptiſmi ab eius inſtitutione, neceſſitate autem à promulgatione.

In *diſt. 4. 1. p. a. 1.* De ſuſcipientibus Baptiſmum per 3. qq.

*Quæſt. 1.* De remiſſione totius culpæ, & reſtitutione in primam innocentiam animæ, per dignam ſuſceptionem Baptiſmi.

*Quæſt. 2.* De remiſſione totius pœnæ æternæ & temporalis, ſatisfactoriæ, impoſitæ, vel aſſumptæ: non tamen contractæ, & cõnaturalis, vt Alenſ. ſup.

Quæſt. 3. De æquali effectu Baptiſmi in omnibus quoad impreſſionem Characteris, remiſſionem culpæ & reſtitutionem innocentiæ: non tamen quoad habilitationem ad bonum, ſed pro diſpoſitione ſubiecti.

Art. 2. De ſuſpientibus fictè.

*Quæſt.* 1. De fictione conſenſus, ex coactione contrà valorem Sacramenti: vt ſuprà *col. 105.*

*Quæſt.* 2. De fictione impediente ſolam rem ſeu fructum Sacramenti: vt ſupra *col. 106.*

*Quæſt.* 3. De fructu Sacramenti conſequente, correcta fictione: vt ſuprà *col. 106.*

*In 2. partẽ diſt. 4. Art. 1.* De ſanctificatione adultorum præter Baptiſmum.

*Quæſt. 1.* De neceſſitate & ſufficientia Baptiſmi flaminis, ſeu Pœnitentiæ, ad ſalutem: non tamen contempto, ſed ſi fieri poteſt, adhibito Baptiſmo fluminis, vt Alenſ. *col. 135.*

*Quæſt. 2.* De maiori efficacia Baptiſmi Sanguinis quam fluminis intenſiuè ad liberationem finalem à malo culpæ & pœnæ, & ad conſummationem gratiæ: ſed minori extenſiuè, ad pauciores perſonas, ad peccata tantùm venialia, ad ſolam confirmationem in gratia; non autem ad collationem gratiæ, & impreſſionem Characteris: vt Alenſ. ſupra.

*Quæſt. 3.* De triplici differentia Baptiſmi Sanguinis, à vera ratione Sacramenti: vt ſupra.

*Art. 2.* De ſanctificatione paruulorum per Sacramentum Baptiſmi.

*Quæſt. 1.* De remiſſione peccati Originals in paruulis per baptiſmum, merito Paſſionis Chriſti, & Fidei alienæ, vt ſupra,

*Quæſt. 2.* De integro fructu huius Sacramenti in paruulis, quoad gratiam & habitus virtutum: vt

Alenſis ſupra. Niſi quod magis exprimat *Ad 3.* Paruulos ita habilitari per has virtutes infuſas, contra impedimēta culpæ, concupiſcentiæ & praui habitus: vt eorum animæ ſolutæ à corpore ſtatim habeant operationes ſibi conuenientes.

*Quæſt. 3.* De æquali gratia baptiſmali in paruulis, lege communi: verbatim vt Alenſis ſupra, & ex his Scotus *diſt. 4 q. 7.*

*Diſt. 4. A. 1. q. 1.* De poteſtate ordinaria Sacerdotū, ſufficiente Laicorū, ſed extra neceſſitatem inhibitā: nulla tamen dæmonum, nec mancorum aut mutorum ſimul aut ſeorſim in vllum; nec eiuſdem in ſeipſum, nec plurium ſimul in vnum ſub prima perſona plurali, ſed vnius in plures ſub 2. perſona plurali. Ex inſtitutione Dei, neceſſaria intentione, veritate ac integritate formæ, & rationibus Alenſis ſupra. Sed quod de nullitate Baptiſmi à pluribus, videtur intelligendum ſub prima perſona plurali, vel ab vno manco, altero muto, partialiter tantùm concurrentibus: non autem de pluribus ſimul integrè materiam & formam miniſtrantibus, ſingulis in prima perſona. Nam præcipuam huius rationem reddit ex pronomine *Nos*: niſi,inquit, *ſecundùm quod Papa de ſe vnico dicit*, Nos, *& in vulgari hoc vtimur languagio.*

*Quæſt. 2.* De poteſtate Hæreticorum validè baptizandi: obſeruata materia, forma,& intentione faciendi quod facit Eccleſia.

*Art. 3.* De poteſtate baptizandi cum fructu.

*Quæſt. 1.* De re, ſeu fructu Baptiſmi collati etiam à malo Miniſtro. *Quæſt. 2.* De re, ſeu fructu huius Sacramenti collati etiam ab hæretico.

*Art. 3.* De varia poteſtate Dei, Chriſti, & Miniſtrorum.

*Quæſt. 1.* De poteſtate authoritatis,cooperationis, excellentiæ, inuocationis, inſtitutionis, & miniſterij: quarum prima eſt ſolius Dei incommunicabilis, vltima ſolius puri hominis, ſecunda communicabilis & cōmunicata Chriſto homini. Vt Alenſis ſupra.

*Quæſt. 2.* De poteſtate humana Chriſti dimittendi peccata, diſpoſitiuè & meritoriè tantùm: Diuina autem, realiter & cauſaliter per infuſionem gratiæ.

In *Diſt. 6. P. 1. Art. 1.* De irreiterabilitate Baptiſmi *per 6. qq. 1.* De Charactere vt qualitate & habitu vel diſpoſitione animæ, non autem alterius ſpeciei, multominus relatione,minimè autē denominatione ſeu conſecratione tantùm extrinſeca. Vt Al. ſupra. 2. De fine Characteris, ad ſignificationem & præparationem gratiæ, configurationem, diſtinctionē. Vt ſupra. 3. De ſubiecto Characteris in anima, ſecundùm imaginem proprietatem & veritatem. 4. De impreſſione Characteris per ſola Sacramenta fidei genitæ, roboratæ, multiplicatæ: non per alia, nec per virtutes. Vt ſupra. 5. De indelebilitate Characteris, vllo contrario ſignaculo. 6. De irreiterabilitate Baptiſmi, ex indelebili ac irreuocabili Charactere.

In *Diſt. 6 P. 2. Art. 1.* De Baptizandis aut non.

*Quæſt. 1.* De non Baptizandis necdum natis, ſeu pueris adhuc in vtero: quia non ſunt adhuc noti nec de foro Eccleſiæ. Vt Alenſis ſupra.

*Quæſt. 2.* De Baptizandis etiam aliundè iuſtificatis: ad obedientiam, humilitatem, & vnitatem ſeu incorporationem Eccleſiæ.

*Art. 2. per 2. qq.* De neceſſaria intentione ad Baptizandum. Vt *col. 74.*

*Art. 3.* De Sacramentalibus Baptiſmi.

*Quæſt. 1.* De Catechizādis ante Baptiſmum adultis, ad inſtructionem & obligationem: paruulis autem, ad obligationem tantùm per Patrinos.

*Quæſt. 2.* De efficacia Exorciſmi Baptiſmalis, non tantùm ad ſolennitatem, & ſignificationem gratiæ dandæ, ſed etiam ad cohibendum diabolum,& preſeruandum baptizandos ab eius impedimentis. Et de reliquis Ceremonijs Baptiſmi: vt in Ritualibus.

Scotus autē noſter *in diſt. 2. quæſt. 1.* De Efficacia Sacramentorū ex Paſſione Chriſti, vt *col. 85. 2.* De rebaptizandis Baptiſmo Chriſti quibuſuis baptizatis tantùm Baptiſmo Ioannis.

In *diſt. 3. quæſt. 1.* De propria definitione Baptiſmi: vt infra. 2. De propria neceſſaria ac præciſa forma Baptiſmi: vt infra. 3. De Materia remota & proxima Baptiſmi. 4. De inſtitutione Baptiſmi, & excluſione Circumciſionis, vt infra.

In *diſt. 4 quæſt 1.* De baptizandis paruulis. 2. De gratia eorum Baptiſmali. 3. De non baptizandis niſi natis ſaltem ex parte. 4. De neceſſario cōſenſu adultorum. 5. De fictione eiuſque correctione. 6. De baptizandis etiam aliunde iuſtificatis. 7. De æquali aut inæquali gratia baptiſmali. 8. De pueris expoſitis baptizandis aut non, abſolutè vel ſub conditione, ex ſignis certis aut incertis quod ſint vel non ſint baptizati. 9. De iure baptizandi pueros etiam Iudæorum ac Infidelium ſub principibus Chriſtianis. Vt infra.

*In diſt. 5. quæſt. 1.* De independentia Baptiſmi à malitia Miniſtri, ſalua materia, forma, & intentione. 2. De licita receptione Baptiſmi à quouis & quantumuis malo Miniſtro, in graui neceſſitate ac periculo, non extra. 3. De obligatione non occidendi ad Baptizandum, nec omittendi Baptiſmum alicuius ex timore aut ſcrupulo eum occidendi; ſed deponendi talem ſcrupulum, & baptizandi.

In *diſt. 6. qu. 1.* De poteſtate Baptizandi. 2. De Baptiſmo vnius à pluribus & ſingulis integrè: Et plurium ſimul ab vno. 3. De neceſſaria coniunctione morali Ablutionis & formæ. 4. De neceſſaria diſtinctione Baptizantis à baptizato. 5. *&* 6. De neceſſaria intentione Baptizantis. 7. De irreiterabilitate Baptiſmi. 8. De pœnis rebaptizantium & rebaptizatorum: eorumque excuſatione aut non, ex ignorantia iuris aut facti. 9. 10. 11. De Charactere: vt *col. 116. 117. 118.*

Quam totam Doctrinam hinc inde quaſi prælibatam, in quæſtiones pauciores,grauiores,& conſequentiores reſumamus.

## QVÆSTIO 1. SCHOLASTICA.

### *Quid ſit Baptiſmus, & quâ formaliori ratione à reliquis Sacramentis differat?*

QVod *col. 37.* de nomine Sacramenti: hoc & hîc de nomine Baptiſmi,abſolutè & ſimpliciter, pro ſuo principali ſignificato; non tantùm ablutionis Sacramentalis, ſed etiam totius huius Sacramenti. Ex Alenſi *col. 132.* Quamuis enim ethymologicè

Digitized by Google

logicè ſit ſynonimum ablutioni: ex vſu tamen cõmuni ac ſenſu Chriſtiano eſt appropriatum huic Sacramento. Vnde & Flor. *col. 1.* & Trid. *col. 5.* ac alibi ſæpè enumerant, & ſignificant hoc Sacramentum nomine Baptiſmi ſimpliciter. Vocatur autem etiam ſæpè Sacramentum Baptiſmi: non tam tranſitiuè, reſpectu ablutionis exterioris aut interioris, quàm intranſitiuè .i. Sacramentum quod eſt Baptiſmus. Ex Scoto *diſt. 3. q. 1.* Sed quoad rem & rationem ac differentiam propriam huius Sacramenti:

RESPONSIO.

NOn malè deſcribitur à Magiſtro Sent. diſt. 3. *Eſt ablutio corporis exterior facta ſub verborum forma praſcripta.* Nec malè ab Hugone *lib. 2.* de Sacram. p. 6. c. 12. *Eſt aqua diluendis criminibus ſanctificata per verbum Dei.* Meliùs à Doctore noſtro Subtili diſt. 3. q. 1. *Eſt ablutio hominis aliqualiter conſentientis, facta ab alio, in aqua, ſimul certa verba cum intentione proferente, ſignificans efficáciter ex inſtitutione Diuina ablutionem anima à peccato.* Vel. *Eſt Sacramentum ablutionis anima à peccato &c.* Sed optimè ac formaliſſimè ex Catechiſmo Conc. Trid. ſeu Pij V. imò ex ipſis ſacræ Script. viſceribus *Ioan. 3. Tit. 3. Ephes. 5.* *Eſt Sacramentum regenerationis, per lauacrum aqua in verbo vita.*

Nam deſcriptiones Magiſtri & Hugonis, ſunt ſaltẽ materiales: ſiue per ſolam materiam proximam aut remotam, tanquam per totum fundamentum Sacramenti, ſub circumſtantia formæ determinantis; ſiue potiùs per materiam & formam coniunctim, prout ſatis expreſsè Magiſter, & in eundem ſenſum: Hugo, De *aqua* non tantum vt materia remota, nec tantum vt *ſanctificata* ceremonialiter, ſed Sacramentalier, *per verbum Dei* ſeu formam Sacramentalem. Scotus autem accomodatè ad vtrumque ſenſum: ſed propenſiùs in hunc. Nam prior eius circumſcriptio ex omnibus neceſſarijs intrinſecè aut extrinſecè, eſt materialis vt ſupra: Poſterior eſt formalior, ex genere Sacramenti, & differentia circumſcripta. Sed poſtrema definitio eſt formaliſſima: quia ex ſuo genere proximo Sacramenti, & propriјſſima ac expreſſiſſima differentia quaſi ſpecifica, formaliter conſtitutiua ac diſtinctiua huius Sacramenti à reliquis, per rationem formalem regeneratiui, ſeu intrinſecè relatiuam ad proprium ac proximum finem & effectum regenerandi: ſicut potentiæ ſpecificantur & diſtinguuntur à ſuis obiectis, & actibus proprijs .i. ab intrinſeco ordine ad illa. Cum enim Sacramenta ſint tantum entia moralia, & relatiua: non habent formaliores differentias, quam moraliter relatiuas ad ſuum proprium ac proximum finem. Finis autem proprius ac proximus huius Sacramenti eſt regeneratio formalis, ſeu gratia quatenus dicitur & eſt regeneratiua. 1. Quia confert primum eſſe, ac principium intrinſecum & formale totius vitæ ſpiritualis ac ſupernaturalis. 2. Quia reſtituit ad primum illum ſtatum innocentiæ. 3. Quia reparat noſtram ab illo degenerationem: Ad quæ duo regeneratio relatiua eſt. 4. Quia ſicut creatio eſt ex nihilo, generatio ex ſolo ſubiecto nihil agente: ita & hæc regeneratio, abſque vlla neceſſaria actione aut diſpoſitione ſubiecti, vt in paruulis. 5. Quia hoc Sacramentum eſt ſpecialiter inſtitutum pro genitis & natis ante vſum rationis, ſupponitque tantum eorum generationem & natiuitatem. 6. Sicut reſurrectio erit regeneratio corporum ad immortalitatem *Mat. 19.* ita & hæc animarum, ad ſuam vitam æternam, *Ioan. 3* 7. Quia ſicut generatio eſt ſubſtantialis, alteratio accidentalis: ita & gratia Baptiſmalis eſt quaſi ſubſtantialis, ſeu fundamẽtalis, & *ſperandarũ ſubſtantia rerum* Heb. 11. reliquæ autem quaſi accidentaliores & mutabiliores. 8. Quia ſicut generatio humana eſt filiorum naturalium: ita & hæc regeneratio eſt Chriſtianorum, ſeu filiorum Eccleſiæ Matris. 9. Quia hæc eſt etiam regeneratio intrinſeca in Filios adoptiuos Dei Patris. 10. Sicut vetus homo dicitur in nobis naturaliter generari: ita & nouus, hoc Sacramento in nobis regenerari *Rom. 6. Ephes. 4.* 11. Quia ſicut primus Adam in nobis quaſi naturaliter generatur: ita & ſecundus Adam ſeu Chriſtus in nobis quaſi regeneratur, *& habitat per fidem in cordibus noſtris.* *Ephes. 4. 1. Cor. 15.* 12. Quia ſicut omnis paternitas humana eſt quædam ſimilitudo & participatio Paternitatis Diuinæ *Eph. 3.* ita & hæc filiatio ac regeneratio Baptiſmalis eſt quædam participatio Filiationis Diuinæ. 13. Quia ſicut generatio, ac filiatio naturalis dat ius quoddam ad alimenta & hæreditatem: ita & hæc regeneratio ac filiatio Baptiſmalis, ad reliqua Sacramenta, ad gratias neceſſárias, & ad hæreditatem æternam. 14. Quia ſicut Auctor naturæ dans eſſe aut vitam naturalem, conſequenter dat neceſſariam conſeruationem, potentias, & influentias connaturales ad operandũ: ita & Deus vt Auctor gratiæ conferens per hoc Sacramentum primum eſſe, ac principium vitæ ſupernaturalis, ſimul aut conſequenter confert virtutes ſupernaturales, & gratias actuales neceſſarias tam ad illius vitæ conſeruationem, quam ad harum operationes conuenientes. Quæ gratiæ actuales dicuntur etiam Sacramentales ac Baptiſmales, quatenus ſunt ſpeciales Chriſtianorum baptizatorum, & conſequentes ex hoc Sacramẽto ac regeneratione formali. 15. Quia quamuis hoc Sacramentum ſicut & reliqua ſanctificet per infuſionem Fidei, Spei, & Charitatis ſimul: vocatur tamen & eſt ſpecialiter Sacramentum fidei Chriſtianæ; non tam acquiſitæ, vel acquirendæ, ac obligatoriæ ex vi huius profeſſionis Sacramentalis; quàm primò quaſi fundamentaliter, radicaliter, & ſeminaliter infuſæ per Baptiſmum, ad hanc regenerationem. 16. Quia ſicut generatio naturalis eſt ad participationem naturæ ſimilis generantis: ita & hæc regeneratio eſt ad quandam participationem, ſeu conſortium naturæ Diuinæ. *2. Pet. 1.* 17. Quia ſicut regeneratio propriè dicta aut perfecta eſt in ſimilitudinem naturæ intellectualis, & filiatio eſt ex hac ſimilitudine: ita & hæc regeneratio ac filiatio Baptiſmalis eſt in ſimilitudinem, vel ex ſimilitudine fidei habitualis ac infuſæ, cum ſuo obiecto. 18. Quia ſicut Filius ſeu verbũ Dei generatur ſecundum perfectionem intellectualem Dei: ita & hæc regeneratio Baptiſmalis eſt ſecundum perfectionem intellectualem fidei infuſæ. 19. Quia ſicut Filius ſeu Verbum Dei formaliter ſecundum intellectum, eſt etiam identicè Filius dilectionis Dei *Coloſſ. 1.* .i. non tantum dilectus, ſed etiam eiuſdem dilectionis cum Patre: ita & hoc Sacramentum eiuſque gratia

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentalis eſt quidem radicaliter, imò & formaliter fidei: ſed conſequenter, & concomitanter etiam Spei ac Charitatis Filialis Dei, ad perfectam adoptionem ac participationem naturæ Diuinæ.
20. Sicut generatio humana & legitima reddit genitum non tantum participem naturæ humanæ, ſed etiam eiuſdem familiæ cum generante: ita etiam hæc generatio eleuat hominem etiam intrinſecè ad ſtatum & dignitatem ſupernaturalem Filiorũ Dei.
21. Sicut adoptio legalis confert quantam poteſt rationem ſed tantùm extrinſecam filiationis: ita & hæc regeneratio ac adoptio Baptiſmalis non tantùm extrinſecam coram Eccleſia, ſed etiam intrinſecam coram Deo. De qua adoptione ex profeſſo in *lib. 3.*

Quæ tam variæ rationes huius regenerationis Baptiſmalis, elicitæ ex ſacris Script. ac Concilijs, & ſæpè etiam expreſſæ à S S. Patribus, ſpecialiter in præfationem Orationis Dominicæ: ſunt quidem pleræque morales aut myſticæ, nec ita adæquatè inter ſe diſtinctæ; ſeſe tamen inuicem explicant, ſupponuntque profundiſſimum aliquod myſterium huius regenerationis & adoptionis Baptiſmalis. Quod frequentiùs in memoriam reuocandum, & Chriſtifidelibus commendandum ac inculcandum foret. Hinc patet differentia & excellentia huius Sacramenti, non tantùm præ Circumciſione, quæ olim potius ſtigmatizabat in ſeruos, conferendo gratiam aliquam timoris, & ſeruitutis, quàm regenerabat in filios per gratiam adoptionis & charitatis; ſed etiam præ alijs pleriſque Sacramentis.

OBIECTIONES.

1. QVo ſenſu, Aqua, vel ablutio Baptiſmalis poteſt enuntiari de hoc toto Sacramento, ſecundũ definitiones Magiſtri, Hugonis, & Scoti? *Reſp.* Ex Scoto *diſt. 3. q. 1.* deſcriptiones illas procedere ex opinione quod ablutio ſeu aqua quatenus abluens, ſit totum fundamentum rationis Sacramentalis, ſub circumſtantia formæ & aliarum conditionum: ſeu, vt inquit Scotus, *quod ablutio circumſtantionata ſit Baptiſmus*; ſecundum opinionem autem quod materia & forma ſint compartes fundamentales, coniunctim enuntiari debent de hoc Sacramento. Quod videtur ſatis exprimi in definitione Magiſtri per particulam *ſub*, non tantùm ſignificantem ſimplicem coniunctionem, ſed etiam vt materiæ *ſub* ſua forma. Et ſic de Hugone ac Scoto. Niſi quod Scotus videatur quaſi problematicè accommodare ſuas definitiones in vtrumque ſenſum: propendens tamen in poſteriorem; non tantum ex doctrinâ ſua cõmuni de materia & forma Sacramentorum, ſed & hic ſingulariter, *quod verba non eſſent ſimpliciter neceſſaria, niſi eſſent ſignum vel pars ſigni.*

2. Quod Scotus in vtraque ſua definitione requirat conſenſum in baptizato: contra Baptiſmum paruulorum, & doctrinam propriam *diſt. 4. quæſt. 1. 2. 3. 4 ſupra.* *Reſp. 1.* Ex ipſo Scoto ibidem, de *aliquali tantum conſenſu*, ſeu rationabiliter præſumendo, aut interpretando, ſiue proprio ſiue alieno. 2. Ex eodem *diſt. 4. q. 2.* Sufficere conſenſum Eccleſiæ, aut ipſius Chriſti pro paruulis. 3. Ex *col. 113. obiect. 7* Quod ſicut ſola voluntas Adæ imputatur paruulis ad peccatum: ita & ſola voluntas Chriſti ad conſenſum; præter conſenſum Eccleſiæ, & ipſius Baptizantis.

3. Praua voluntas Adæ iuſtè imputatur paruulis ad peccatũ Orig. Ergo & ad diſſenſum habitualem à Baptiſmo, reuocandum aliquo conſenſu particulari, & actuali. *Reſp. 1.* Ex Abſolutione noſtræ Anat. *col. 174* cauendum hîc eſſe à Cenſura propoſitionis *46. & 47.* Baij: Quod peccatum originis ſit ita *habitualiter voluntarium, & dominetur paruulo: vt morientes ſine Baptiſmo inde Deum odio habeant, & blaſphement*; Quia, inquit, idem Baijus in quadam ſua Apologia, *vnde talis iam vtens ratione poſt mortem aliter ſe haberet actu, quam habitu?* Sed, vnde adulti non baptizati viuunt ſine actuali odio, ac blaſphemia Dei? Mors autem eorum in tali ſtatu eſt terminus immutabilis in peius aut melius.

*Reſp. 2.* Prauam voluntatem Adæ non imputari paruulis in actum, nec in habitum, aut conſenſum vel diſſenſum habitualem: ſed tantum directè in priuationem gratiæ, & conſequenter in relaxationem naturæ ad ſuas inclinationes: quæ quamuis in particulari ſint vitioſæ, ſunt tamen ad bonum in communi; indeque meritò cenſentur conſentire.

*Reſp. 3.* Eadem æquitate voluntatem Chriſti, Eccleſiæ, & Miniſtri imputari paruulis in conſenſum ad bonum: quâ voluntas Adæ potuit eis imputari ad malum.

4. Tota natura humana erat in Adamo, & conſequenter omnium hominum futurorum voluntates in eius voluntate: non ſic in Chriſto, Eccleſia, aut Miniſtris. *Reſp.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. à *col. 533. ad 538.* eodem & potiori iure omnium hominum conſenſum eſſe in voluntate Chriſti, & conſequenter Eccleſiæ aut Miniſtrorum eius, ac fuit in Adam: & omnes æquè, imò potius participare poſſe ex plenitudine gratiæ Chriſti, quàm ex natura integra, aut corrupta Adami. Quia ſiue iure quodam connaturali naturæ humanæ hypoſtaticè aſſumptæ, ſiue ex pacto poſitiuo, Chriſtus eſt caput & origo omnis gratiæ. *Ioan. 1.* Sed quia Adamus fuit primus creatione, ad generationem reliquorum: non potuit ſuſpendi qualitas generationis à conſenſu, ſeu optione generandorum: Chriſtus autem ſuo Sacramento regenerans paruulos & adultos, ſupplet cõſenſum in paruulis, exigit ab adultis.

5. Ierem. 3. *Amodo voca, me Pater meus.* Deut. 32. *Nunquid ipſe eſt Pater tuus qui poſſedit & fecit & creauit te?* Ergo regeneratio & filiatio non eſt propria baptizatorum. *Reſp.* Neg. conſ. Illa enim communis Paternitas ac filiatio eſt tantùm ſecundùm creationem in aliquam ſimilitudinem naturalem Dei, vt patet ex illo *Deut. 32.* Hæc autem eſt ſecundùm ſpecialem ſimilitudinem ſupernaturalem Dei in baptizatis, à prima quaſi delineatione per Characterem indelebilem, vſque ad perfectionem viſionis, ac fruitionis Dei. Sicut enim generatio imprimit quandam phyſionomiam parentum: ita & regeneratio quandam primam ſimilitudinem Chriſti ac Chriſtiani.

6. Circumciſio, & Remedium Legis naturæ conferebant aliquam primam gratiam eiuſdem rationis cum Baptiſmali: Ergo æquè regenerabant.

*Reſp. 1.* Ex *col. 601. 602. 603. 604.* ſupra. 2. Contuliſſe gratiam eiuſdem rationis communis remittendi peccata, & ab illis iuſtificãdi: non autem fortè eiuſdem nominis aut denominationis, gratum faciendi ſimpli-

Digitized by Google

ſimpliciter. 3. Gratiam Baptiſmalem conferre ius proximum ad hæreditatem: illam autem tantùm ius remotum ad ſalutem, mediante futura redemptione quaſi ſeruorum. 4. Hanc gratiam Baptiſmalem inclinare ad operandum per Charitatem, ſeu per gratias actuales diligendi Deum & proximum: illam autem, vel non inclinaſſe ad benè operandum, vel non ad meritoriè; ſeu per Charitatem, & gratias actuales diligendi; ſed per timorem ſeruilem, & per auxilium ſeruiendi Deo ex tali timore. 5. Non contuliſſe tunc gratiam niſi ex fide & præfiguratione Mediatoris ac Sacramentorum eius: ſicque ex voto quaſi implicito, & quadam participatione futuri Baptiſmi Chriſti.

6. Pſalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Ergo contritio & pœnitentia Sacramentalis ſemper regenerauit & regenerat. *Reſp. 1.* Cor mundum creari, id eſt, fieri mundum. 2. Solam munditiem cordis æquè ac ex nihilo ſubiecti creari, ſeù ex ſola gratia præueniente omnem noſtram cooperationem. 3. Creari tantùm mundum à culpa: non autem recreari ſeù regenerari in ſtatum innocentiæ. 4. Non creari ſeù regenerari per pœnitentiam, abſque labore & paſſione ipſius cordis. 5. Non creari mundum niſi ex voto implicito Baptiſmi inſtituti aut olim inſtituendi, ſeù ex fide Mediatoris. 6. Non creari mundum in Baptizatis: niſi ex diſpoſitione characteris. 7. Hoc non eſſe regenerari in nouum hominem: ſed tantùm ſanari aut reſuſcitari à morte peccati, in eundem hominem interiorem, ſeu ſtatum gratiæ præteritū. Vt patet ex figurâ Lazari *Ioan. 11.*

7. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* B. Aug. Epiſt. 57. q. 2. *Eam ſcilicet reputans primam natiuitatem quæ fit matre pariente, non concipiente &c. Si igitur homo regenerari in vtero poteſt: renaſcitur antequam naſcatur. Quod fieri nullo modo poteſt &c.* Ergo Baptiſmus non eſt Sacramentum regenerationis: ſed renaſcentiæ, ſeu exterioris tantum apparentiæ inter filios Dei, & Eccleſiæ. *Reſp. 1.* Ex eo quod ſubdit Chriſtus Ioan. 3. *Quod natum eſt ex carne caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Infra. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo.* Nam prius, eſt contra illud Nicodemi ſuprà; *Numquid poteſt quis in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?* Quaſi reſponderet Chriſtus: *Natum* .i. genitum *ex carne, caro eſt,* ſiue ſemel, ſiue iterum naſcatur ex vtero, quia inde non mutat rationem carnis: *& quod natum eſt ex Spiritu,* ſeù regeneratum, *Spiritus eſt.* Non enim differt generari & *naſci ex carne* tanquam ſubſtantia, ſicut ex vtero tanquā loco: multominus generari aut regenerari, & naſci aut renaſci Spiritu, ſeu ſpiritualiter: quod eſt verè fieri ſpiritualem coram Deo, non ex occulto in publicum, ſed ex nihilo in nouum ſtatum ſpiritualem. Poſterius, reddit rationem illius comminationis non introeundi, & promiſſionis introeundi in regnum Dei, quaſi diceret: Niſi quis regeneretur in membrum Corporis Chriſti qui deſcendit de Cœlo, non aſcendet in Cœlum. Cum enim introire in Regnum Dei ſit intrare in Eccleſiam, & conſequenter in gloriam: nec in illam, nec in hanc intratur niſi per veram & intrinſecam incorporationem, ſeu regenerationem in membrum Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia: Ex B. Aug. *lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 30. 31. Tract. 12. in Ioan. ſerm. 14 de verbis Apoſtoli,* & alibi ſæpè. *Reſp. 2.* Ex ipſa *Epiſt. 57.* Vbi verbatim ſæpè vocat hoc *Sacramentum regenerationis,* & ex profeſſo probat hoc Sacramento ſingulos, & omnes in vnum fieri templum Dei, & à Deo ſpiritualiter inhabitari.

8. Eſt proprium Sacramento Euchariſtiæ incorporare Corpori Chriſti: ex *Ioan. 6.* Niſi manducaueritis &c. Quod B. Aug. *lib. 1. de pecc. meritis & remiſſ. cap. 20.* & alibi ſæpè extendit etiam ad infantes Baptizatos. *Reſp. 1.* Ex Alenſi ſupra *col. 135. M. 6.* Incorporationem *per ſimilitudinem effectus ad cauſam,* eſſe propriam Euchariſtiæ: ſed per primam gratiam, eſſe propriam Baptiſmi. *Reſp. 2.* Euchariſtiam eſſe Sacramentum nutritionis ſpiritualis, ad generationis ſeu incorporationis Corpori Chriſti vero: quæ ſupponit regenerationem Baptiſmalē in Corpus Chriſti Myſticum, ſeù eius Membrum. *Reſp. 3.* Ex *Tomo 2. noſtræ Anat. col. 442. 443.* B. Aug. ſæpè ex illo *Ioan. 6.* inferre neceſſariam participationem Corporis Chriſti Myſtici quod eſt Eccleſia, tam ab infantibus quàm adultis, per vnitatem Fidei & Baptiſmatis: prætér obligationem adultorum ad communionem proprij Corporis Chriſti in Euchariſtia. Inde enim B. Aug. ex profeſſo intendit probare neceſſitatem Baptiſmi: non vt præcepti, ſed medij ad ſalutem etiam infantium.

9. *Pater noſter dimitte nobis &c.* Matt. 6. *Pater peccaui &c.* Luc. 15. Ergo adoptio non fundatur in Baptiſmo, ſeu regeneratione Baptiſmali. *Reſp.* Hanc Orationem Dominicam eſſe propriam Chriſtianorum, & illam parabolam videri de peccatore Chriſtiano: indeque potius probari adoptionem filiorū Dei fundari in regeneratione baptiſmali: quæ ſicut non prorſus deletur per quodlibet, imò nec fortè per vllum peccatum; ita nec prorſus illa adoptio, ſeu titulus, imò nec ſpeciales quædam gratiæ actuales peccatorum baptizatorum, ſeu eorum vocationes, ac reuocationes ad gratiam & fidem baptiſmalem: niſi ex nimio demerito, obſtinatione, ac reprobatione baptizatorum, ſeu regeneratorum, ab hoc fauore baptiſmali.

10. *1. Cor. 1.* Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare. *1. Cor. 4.* In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. Ergo Euangeliū regenerat, fundatque correlationem Patris, & Filij, non autem Baptiſma. *Reſp. 1.* Prædicationem Euangelij ex Officio eſſe Epiſcopalem, & ex maiori Dono ſapientiæ, ac intelligentiæ, quæ non non eſt occupanda facilioribus. 2. Generare tantum diſpoſitiuè, remotè, obiectiuè: non autem cauſaliter & proximè. 3. Illā tamen mereri nomen Patris ſpiritualis per quandam participationem, potius quam Miniſterium Baptiſmi: quia illa eſt laborioſa, & ex opere operantis; hoc autem tantum ex Opere Operato: illa magis aſſimilat Diſcipulos docenti, ſecundum fidem ac veritatem, quàm hoc quod poteſt etiam eſſe ab infideli & ignaro huius totius veritatis. 4. Sed illam fundare tantùm paternitatem & filiationem exteriorem, & inter homines: Baptiſmum autem, interiorem inter baptizatos & Chriſtum ac Deum, ſub cuius nomine, & ex cuius quaſi ſemine baptizantur ac regenerentur.

11. Regeneratio eſt ad primam vitam ſupernaturalem

ralem & innocentiam: Fides autem non eſt hæc vita; quia nec iuſtificat ſeu viuificat, ſed viuificatur, eſtque mortua ſine Charitate, & moritur niſi per dilectionem operetur *Phil. 3. Iac. 2.* *Reſp. 1.* Per Baptiſmum ſeminari, ſeu plantari ſaltem aliquod ſemen, vel radicem huius vitæ, quæ remoto obice viuificet. 2. Ipſam fidem eſſe principium etiam intrinſecum huius vitæ ſeu iuſtificationis. Nam B. Aug. *ſerm. 16.* de verbis Apoſt. cap. 4. *Si fidem habemus, iam aliquid iuſtitia habemus*: non tamen ſufficientis ad iuſtificandum ſimpliciter. 3. Hanc vitam Fidei non poſſe mori inſtar corporis, per priuationem ſeu ſeparationem totius vitæ à ſeipſa: ſed vel per extinctionem totius Fidei, ſicut & Spei, ac Charitatis; vel per ſolam priuationem perfectionis vitalis, quæ eſt Charitas. Sic fides dicitur mortua inſtar corporis: ideſt priuata ſua perfectione vitali Charitatis, non autem ſua propria ac radicali vitalitate.

12. Ex *1. Ioan. 3.* Qui natus eſt ex Deo non peccat, & non poteſt peccare. quia ſemen Dei manet in illo: ] atqui baptizati poſſunt peccare. & frequẽter peccant; ergo non ſunt ex Deo nati, ſeu regenerati per Baptiſmum. *Reſp. 1.* Baptizatum non poſſe peccare, moraliter: ideſt hoc ſpeciali titulo debere cauere peccatum; in ò & difficulter peccare, renitente conſcientia, memoria, ac gratia Baptiſmali. 2. Non poſſe etiam abſolutè peccare ſecundum ſtatum ſpiritualem huius regenerationis, nec ſecundum inclinationem gratiæ, nec ſecundum dictamen Fidei, nec ſecundum impreſſionem Characteris; ſed poſſe peccare quatenus geniti ſunt, & filij Adæ. 3. De natiuitate æterna prædeſtinatorum: quod non poſſint peccare pertinaciter, & finaliter. De quibus ſuo loco magis ex profeſſo: hic tantum monendo cauendum eſſe à Can. 10. de Baptiſmo ſupra. col. 5.

13. 1. Ioan. 3. *Qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & ſimus.* Infrà *Qui non eſt iuſtus non eſt ex Deo.* Cap. 4. *Qui diligit fratrẽ ex Deo natus eſt.* Ergo regeneratio & filiatio tribuenda eſt Charitati, non Sacramento Fidei. *Reſp. 1.* Tribui Charitati Dei erga nos, tanquàm cauſæ principali. 2. Tribui Charitati noſtræ erga Deum & proximũ, tanquam cauſæ formali perfectiuæ. 3. Tribui etiam Fidei tanquam cauſæ formali & radicali, ibidem: *Qui confitetur Chriſtum, ex Deo eſt.* Cap. 5. *Omnis qui credit quoniã Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Hinc B. Aug. l. 3. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. *Peccant & Filij Dei* 1. Ioan. 1. *Sed ea conditione qua ſunt Filij huius ſaeculi: Qua vero gratia ſunt Filij Dei, non peccant.* 1. Ioan. 3. *Filios autem diaboli infidelitas facit: Quia non habent in interiori homine cur eis dimittatur quicquid committitur. Illi autem Filij Dei cum confitentur peccata &c. Fidelis eſt & iuſtus qui dimittat eis &c.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 697. 699. 700. & 858. 859. diſſ. 5. col. 1055. 1056 1100 Tract. 89 in Ioan. 1117. 1118 1121. & col. 70. 71. 72.* Indicis Dogmatici: De vera libertate ſpirituali Chriſtianorum, contra falſam ac prætenſam quorundam hæreticorum.

14. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Ioan. 8. Atqui Chriſtiani non faciunt opera Chriſti: ergo non ſunt regenerati in filios per Baptiſmum. *Reſp.* Imo è contrà: ſicut enim Chriſtus docet Iudæos ex generatione Abrahæ, & Circumciſione obligatos fuiſſe ad opera Abrahæ: ita & potiùs Chriſtianos ex regeneratione ad opera Chriſti; ergo nonniſi ex gratia regenerationis. Cur autem non ſint, aut videantur talia Chriſtianorum opera, præ non Chriſtianis: præter ea quæ ſupra *col. 123. 124.* ad obiect. Addi poteſt 1. Propter inæquales complexiones & inclinationes naturales ad malum. 2. Propter inæqualem educationem moralem. 3. Propter inæquales habitus morales. 4. Ob quandam antiperiſtaſin ſpiritualem inter malitiam naturalem ac habitualem, & inclinationem aliquam intrinſecam ac ſupernaturalem Chriſtianorum ad bonum: contra quam illa malitia quaſi acuitur & intenditur, fauẽte aut negligente libera voluntate. 5. Ex frequenti, & graui, ac pertinaci abuſu libertatis: inde areſcente quaſi ipſo fonte Baptiſmali gratiarum Sacramentalium, vſque ad horribilem cordis obdurationem, tandem etiam finalem. 6. Ob maiorem eamque duplicem malitiam interiorem infidelium, fingendi aliquam exteriorem virtutis vmbram: minorem autem malitiam interiorem fidelium, quam fides & gratiæ baptiſmales quodam fræno conſcientiæ moderantur coram Deo potiùs quam coram hominibus. Ex B. Aug. ſupra. 7. Ob quandam quaſi febrim Chriſtianorum, à bono in malum & è contra: vſque ad quandam quaſi criſim in melius aut peius.

15. Si Filij, & hæredes Dei, cohæredes Chriſti. *Rom. 8.* Sed nec ſoli nec omnes Chriſtiani ſunt hæredes Dei & cohæredes Chriſti: Ergo nec ſoli nec omnes regenerati, ac Filij. *Reſp. 1.* Poſſe intelligi de Filijs Dei, non ſola regeneratione, ſed prædeſtinatione: quorũ Caput & primogenitus eſt Chriſtus. Vt patet ex contextu ſequẽti. 2. Ex præcedẽte: *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed Spiritũ adoptionis in quo clamamus Abba Pater. Ipſe enim Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quod ſimus Filij Dei &c.* Poſſe intelligi de Filijs, hæredibus & cohæredibus ex vi regenerationis baptiſmalis: ſed ſub conditione ſequẽte pro adultis, *Si tamen compatimur*, ſeù niſi proprio demerito exhæredentur. 3. Baptizatos & Chriſto regeneratos, ex vi ſolius regenerationis eſſe hæredes, non mercenarios: Quia ex hac ſola gratia adoptionis abſque vllo proprio merito condigno vel congruo. 4. Iuſtificatos per contritionem aut actum Charitatis, non tantùm fieri hæredes gloriæ: ſed hanc etiam inde aliquo modo mereri. 5. Iuſtificatos olim per Remediũ Legis naturæ aut Circumc. inde non tam eſſe *Filios ex libera*, quam *ſeruos ex Ancilla.* Vt patet ex *Rom. 8.* ſupra, & *Gal. 4.* verbatim. 6. Paruulos nõniſi ex fide Mediatoris, & præfiguratione ac quadam participatione futuri Baptiſmi, fuiſſe aſcitos ad minorem aliquam cohæreditatem. 7. Adultos contritos, nec fieri, nec vnquam factos fuiſſe filios & hæredes: niſi ex voto Baptiſmi etiam futuri. Nam *1. Cor. 10.* & *Gal. 2.* & Iudæi dicuntur in ſuis figuris *Baptizati*. & Chriſtiani ſuo Baptiſmo *Circumciſi*: Et paſſim, ſolus Chriſtus Mediator & Saluator omnium; non tantùm per ſuam Paſſionem, ſed etiam per ſuam fidem explicitam vel implicitam, formalem vel obiectiuam ſui & ſuorum mediorum ac remediorũ ſalutarium. De qua vi Baptiſmi in re & voto, in ſe & ſuis figuris quæſt. ſequenti.

QVÆ-

Digitized by Google

## QVÆSTIO 2.

### Dogmatica & Scholaſtica.

*An, quæ, & quanta ſit vis ſpecialis huius Sacramenti præ alijs: intenſiuè & extenſiuè, in re & voto, in ſe & ſuis figuris, circa præſens, præteritum, & futurum.*

POſſent quidem tractari ſub qq. de inſtitutione, neceſſitate, fine, & effectibus huius Sacramenti: ſed hæc Q. eſt propinquior eſſentiæ ſeu ſignificationi ac efficaciæ Baptiſmali, & diſtinctior in ſuas difficultates Dogmaticas, & Scholaſticas. Quarum Dogmaticæ ſunt. 1. De vi huius Sacramenti præ Baptiſmo Ioannis, præ Circumciſione ac Remedio Legis naturæ, & præ quibuſdam ſaltem ex 7. Sacramentis nouæ Legis. 2. De vi huius Sacramenti ante, poſt, vel tantùm quando actu confertur: ex B. Aug. l. 6. de Bapt. cap. 25. *Deus ſanctificat Sacramentum ſuum: vt homini ſiuè antequam baptizetur, ſiue cum baptizatur, ſiue poſtea quandoque ad ſe veraciter conuerſo idipſum valeat ad ſalutem.* 3. De quadam vi Baptiſmali remittendi etiam peccata futura: ex B. Aug. l. 1. de nupt. & concup. cap. 33. *Eodem lauacro aquæ mundantur etiam quæ poſterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur.* 4. De vi remittendi omnem culpam, aut etiam pœnam peccati Orig. & actualis: nonobſtante reliqua concupiſcentia, ac pœnalitate. 5. De quadam prætenſa vi liberandi ab omni alia obligatione. 6. De quadam prætenſa vi remittendi omnia peccata ſequentia, per ſolam ſui recordationem, ac fidem ſeu fiduciam remiſſionis. 7. De quadam prætenſa vi aut valore Baptiſmi in voto, etiam pro paruulis. Circa quæ omnia ſunt quædam definitiones Fidei, magis minuſvè expreſſæ.

Scholaſticæ autem 1. An Baptiſmus Ioannis participauerit ſaltem aliquam vim non Sacramentalem ex inſtitutione, & relatione ad Chriſtum eiuſque Baptiſmum. 2. An Remedium Legis naturæ, Circumciſio, Contritio, aut dilectio Dei, ſeu Baptiſmus Flaminis, imò & Sanguinis, habuerint, vel habeant aliquam vim ex præfiguratione, ſimilitudine, fide, vel voto explicito aut implicito Baptiſmi Chriſti. 3. An Baptiſmus habeat aliquam vim ex voto maiorum circa paruulos. 4. Quam vim habeat in voto circa adultos, ſeu quo ſenſu. 5. Quam vim habeat poſt actualem collationem ad effectus futuros.

### RESPONSIO DOGMATICA.

EST de fide Sacramentum Baptiſmi habere vim ſpecialem præ Baptiſmo Ioannis, præ Sacramentis antiquis, & quibuſdam ſaltem Legis nouæ. 2. Eſt de fide habere vim remittendi omnem culpam, originalem & actualem, ac pœnam propriè dictam. 3. Eſt de fide non habere vim Sacramentalem remittendi peccata ex ſola fide, aut memoria, Baptiſmi præteriti, vel voto futuri, abſque vllo actu pœnitentiæ, contritionis, vel dilectionis Dei. 4. Eſt de fide non habere vllam vim remittendi peccata futura, per quandam anticipationem: nec liberandi à legibus Eccleſiæ, aut votis perfectionis, ſed potius obligandi. Quia hæc omnia vel ſunt expreſſa in ſacris Script. De regeneratione & innocentia Baptiſmali ſupra *quæſt. 1.* & infra *quæſt.* de effectibus vel expreſsè definita in ſacris Conc. ſingulariter Trid. ſub Anathemate contra hæreſes oppoſitas.

Seſſ. 5. Can. 3. *Si quis* peccatum orig *vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quam per meritum vnius Mediatoris Ieſu Chriſti &c. aut negat ipſum Ieſu Chriſti meritum per Baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum tam adultis quam paruulis applicari: Anathema ſit.* Vbi non tantùm videtur expreſsè definita neceſſitas meriti Chriſti, ſed etiam neceſſitas huius Sacramenti ad hoc meritum applicandum: exceptâ applicatione per actum contritionis, ac dilectionis Dei, de qua infra. Neque hæc ſola exceptio relaxat, ſed firmat regulam, & neceſſitatem generalem Baptiſmi in re.

*Can. 4.* De neceſſitate Baptiſmi infantium, ad remiſſionem peccati originalis, abſque vlla alia exceptione, vt *Can. 3.*

Can. 5. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam quæ in Baptiſmate confertur reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet &c. Anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis &c.* Rom. 8. *ſed innocentes & puri ſunt &c. ita vt nihil eos prorſus ab ingreſſu cœli remoretur.* Ergo per reatũ pecc. orig. intelligit totius culpę & pœnę.

Seſſ. 6. cap. 3. *Niſi in Chriſto renaſcerentur nunquam iuſtificarentur.* Cap. 4. *Tranſlatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.* Ex Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

*Cap. 5.* De neceſſaria diſpoſitione in adultis ex gratiâ præueniente.

*Cap. 6.* De neceſſaria illa diſpoſitione adultorum etiam ad Baptiſmum: per actualem aliquam Fidem, Spem, inchoatam dilectionem, ac pœnitentiam, *quam* inquit, *ante Baptiſmum agi oportet.*

Cap. 7. *Cauſa inſtrumentalis primæ iuſtificationis eſt*, inquit, *Sacramentum Baptiſmi quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli vnquam iuſtificatio contingit &c.*

*Cap. 14.* De neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ *ſaltem in voto* pro relapſis.

Can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum teneri ex fide ad credendum ſe certò eſſe ex numero prædeſtinatorum: Anathema ſit.*

*Seſſ. 7. Can. 2.* De differentia inter Sacramenta nouæ Legis & antiquæ, pluſquam ritu externo. *Can. 3.* De quadam etiam inæqualitate inter Sacramenta nouæ Legis. *Can 4.* De neceſſitate Sacramentorum nouæ Legis, in re vel voto: non autem ſufficientia ſolius fidei ad iuſtificationem & ſalutem. *Can. 1.* De diuerſitate Baptiſmi Ioannis à Baptiſmo Chriſti. *Can. 5.* De neceſſitate Baptiſmi. *Can. 6.* De amiſſibili gratia Baptiſmali quolibet peccato mortali. *Can. 7. 8. 9.* De obligatione Baptizatorum: non tantum ad Fidem, ſed ad Leges Eccleſiæ, & vota propria. *Can. 10.* Peccata Baptizatorũ non remitti, vel fieri tantum venialia, ſola Fide, aut recordatione ſuſcepti Baptiſmi. Quibus ſatis expreſsè definitur tota noſtra Reſponſio Dogmatica: vt diſtinctius patebit ſub obiectionibus.



Digitized by Google

RESPONSIO SCHOLASTICA.

CErtum eſt iam Theologicè & Scholaſticè, Baptiſmum Ioannis non habuiſſe vllam vim Sacramentalem: ſed probabilius, habuiſſe ex inſtitutione Dei per Ioannem, & ſpeciali ac proxima relatione ad Chriſtum eiuſque Baptiſmum, quandam vim etiam ſpecialem diſponendi & mouendi ad pœnitentiam, per annexas aliquas gratias actuales; vel vim ſpecialem eas impetrandi, & ſatisfaciẽdi pro peccatis. Si enim id tribuitur Ceremonijs Eccleſiæ, & ſingulariter quorundam Sanctorum precibus, imò & gratijs gratis datis prædicandi verbum Dei, & mouendi ad pœnitentiam: quanto magis Baptiſmo Ioannis, eiuſque prædicationi? 2. Probabile eſt Circumciſionem & remedium Legis naturæ, habuiſſe vim ſuam Sacramẽtalem participatam non tantum ex fide & voto futuri Mediatoris, ac Paſſionis eius; ſed etiam ex aliqua præfiguratione Baptiſmi Chriſti, & voto quodam maiorum pro paruulis. Tum quia in fide illa & voto futuri Mediatoris, includitur etiam fides & votum mediorum, ac remediorum eius: quorum primum eſt hoc Sacramentum. Tum quia ſacra Script. vocat Circumciſos quaſi in figura baptizatos, & baptizatos quaſi circumciſos. *1. Cor. 10. Coloſſ. 2.* Tum quia Decretũ Eugenij ſupra, tribuit Sacramentis antiquæ Legis præfigurationẽ gratiæ dandæ per Paſſionẽ Chriſti. Quamuis autem neget cauſaſſe gratiam: id tamen de illis in genere, non autem de Circumciſione: de qua oppoſitum ſupponit, exprimit, & quaſi definit Innoc. 3. *Cap. Maiores.* Quod cùm Eug. 4. in particulari non corrigat, ſed Greg. 9. & 13. pro Doctrina publica Iuris Canonici exponat: ſine dubio excipitur ab illis Sacramentis antiquæ Legis, vel ab illa negatione generali Eug. 4. vel illa tantùm præfigurando cauſabant, & cauſando præfigurabant. Vt ſupra *col. 64* 3. Probabilius eſt votum huius Sacramenti nec habuiſſe nec habere vllam vim Sacramentalem, circà adultos: ſed tantùm rationem conditionis intrinſecæ contritioni vel Charitati, & vim ſpecialem obiecti mouentis ac terminantis, ſeu perficientis actum Fidei, Spei, Contritionis, & Charitatis: circa paruulos autem, non habere niſi vim aliquam ſpecialem impetrandi eis ipſum Sacramentũ vel effectũ Baptiſmi. Ita enim Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 4.* explicat implicitum votum Sacramẽti Pœnitentiæ in ipſa Contritione; nec plus aut minus poteſt tribui precibus & voto maiorum pro paruulis, ſalua neceſſitate huius Sacramenti, & ſola exceptione Contritionis ac dilectionis Dei, quæ eſt tantùm diſpoſitio aut meritum perſonale propriæ iuſtificationis, non autem alienæ. 4. Probabilius etiam eſt hoc Sacramentum habere vim Sacramentalem in futurum, præ reliquis ſpecialem aut ſaltem certiorem: non tantùm ad gratiam & virtutes infuſas, correcto obice; ſed etiam ad gratias actuales & opportunas, ſecundum exigentiam proprij finis & inclinationem gratiæ, ac virtutũ. Vt patet ex quæſt. 10. ſupra, ſine præiudicio aliorum Sacramentorũ: De quibus ſucceſſiuè.

Denique probabile eſt piam memoriam Baptiſmi ſuſcepti habere vim ſpecialem renouandi Fidem, Spem, & Charitatem Baptiſmalẽ, per gratias actuales pœnitendi, cauendi peccata, & viuendi ſecundum ſtatum baptiſmalem. Quia Sacramentũ habet hanc promiſſionem annexam: niſi ex grauiſſimo demerito obdurationis, & priuationis omniũ gratiarum Sacramentalium. Vtrum autem baptizati relapſi ab ipſa fide vſque ad ſolum Characterem Baptiſmalem, hinc adhuc ſint participes alicuius gratiæ actualis præ alijs non baptizatis: ſub doctrina de gratia. Interim videtur prouiſionaliter quod ſic: niſi ex grauiori præ reliquis demerito obdurationis; quia Character eſt ſemper aliqua remota diſpoſitio ad gratias baptiſmales, & ſymbolum internum familiæ ac ſtatus, cui ex ſpeciali promiſſione debetur.

Quæ quia non ſunt adeò expreſſa in ſacra Script. aut expreſſè & dogmaticè definita, imò nec inde euidenter ac neceſſario elicita; ſed tantum ex communi DD. Scholaſticorum conſenſu, vel plurium, aut pauciorum æqualis, aut inæqualis auctoritatis opinione, & ratione: non videntur eſſe ſupra certitudinem, aut extrà probabilitatem Scholaſticam. Si quæ tamen difficultas circà hæc Scholaſtica, aut illa Dogmatica: ex ſequentibus obiectionibus magis eluceſcet.

OBIECTIONES PROMISCVÆ.

1. NIſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. *Ioan. 3.* Ego baptizo vos in aqua: ille baptizabit vos in Spiritu S. *Mat. 3 Marc. 1. Ioan. 3.* Si quis dixerit Baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti: Anathema ſit. *Seſſ. 7. Trid. can. 1. de Baptiſmo.* Atqui non habere eandem vim, non eſt tantùm non habere æqualem, ſed nullam Sacramentalem; quia non comparatur in aliqua vi communi, ſed negatur habere eandem, vtique communem, & Sacramentalem. Ergo hoc eſt expreſſiſſimum in ſacra Script. & Conc. Trid. nec tantùm certum Scholaſticè, ſed etiam Dogmaticè. Nam nec Trid. fruſtra hunc Canonem vibrauit Dogmaticè, nec fruſtra deſuper inter controuerſias Fidei contenditur etiã Dogmaticè. Hinc & *de Conſecr. diſt. 4. cap. Aliud.* Baptizati Baptiſmo Ioãnis erant rebaptizandi. *Act. 19* B. Aug. *Tract. 5. in Ioan. l. 5. de Bapt. cap. 9. l. 2. contra lit. Petil. cap. 33. Enchir. cap. 49.*

*Reſp.* Hinc quidem haberi poſſe de Fide: non tamen tam expreſsè, quin Magiſter Sent. *diſt. 2.* ex Baptiſmo Chriſti à Ioanne, ex apparitione Spiritus S. ex relatione ad remiſſionem peccatorum, ex quodam loco B. Ambr. paulò aliter ſenſerit, nec id ſoleat hæreſeos cenſurari: Imò ipſe B. Aug. lib. 6. de Bapt. cap. 9. *Nulli prorſus hominum legimus conceſſum baptizare in aqua pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: quod Ioanni conceſſum eſt &c.* Cap. 10. *Quanquam credam ita baptizaſſe Ioannem, vt ab eo baptizatis in ſpe remitterẽtur peccata, reipſa vero in Domini Baptiſmo &c. tamen ne quis contendat etiam in Baptiſmo Ioannis dimiſſa eſſe, ſed ampliorem ſanctificationem per Baptiſmum Chriſti eſſe collatam: non ago pugnaciter &c.* Nec illa rebaptizatio *Act. 19.* conuincit: quia & Circumciſi, & Baptizati Baptiſmo Flaminis, ſeu contritione iuſtificati, erant equidem baptizandi. Nec Trid. negat omnem vim ſimilem Sacramento Pœnitentiæ: ſed eandem cum Baptiſmo, ex ſolo Opere Operato: vnde & ſoli adulti baptizabantur à Ioanne, & monebantur ac mouebantur ad pœnitentiam internam ac externam &c. Nec Trid. fruſtra ſuum canonem vibraſſet:

Digitized by Google

vibraſſet: ſed contra hæreticos tribuentes Sacramentis ſolam vim mouendi obiectiuè verbis aut alijs ſignis doctrinalibus, ſicut & Baptiſmo Ioãnis. Nec fruſtra deſuper contenderetur etiam Dogmaticè: propter illam comparationem, & intentam ab hæreticis conſequentiam ad noſtra vera Sacramẽta.

Obiect. 2. S. Greg. 4. moral. c. 2. Et S. Bern. *Epiſt. 77.* tribuunt Remedium antiquum paruulorum ſoli fidei Maiorum. Schola S. Thomæ tribuit totam vim Circumciſionis ſoli fidei: cùm tamen *Innoc. 3. cap Maiores de Bapt.* inferat vim Baptiſmi ex illo *Ioan. 3.* Niſi quis renatus fuerit: ſicut vim Circumciſionis ex illo *Gen. 17.* Cuius caro circumciſa non fuerit &c. Ergo non videtur magis de fide quod Baptiſmus habeat vim Sacramentalem ex Opere Operato, quam Circumciſio, vel remedium Legis naturæ. Hinc & B. Aug. ipſam vim Baptiſmi ſæpè etiam tribuit fidei. Vt tract. *80. in Ioan. ſerm 30. de verbis Domini.*

*Reſp. 1.* Ex tota q. 3. ſupra. 2. Tribui ſoli fidei obiectiuæ ſeu obiecto fidei quatenus tale. 3. Tribui actui externo quatenus eſt quædam ſaltem implicita proteſtatio fidei. 4. Tribui fidei actuali tanquã neceſſariæ diſpoſitioni adultorum. 5. Tribui fidei infuſæ partialiter, formalem iuſtificationem: quæ & cauſaliter eſt effectus Sacramenti, & formaliter ipſius fidei. 6. Vaſqueſium *1. p. diſp. 184.* referre planam & concordem ſententiam Scholæ noſtræ de Circumciſione ad remiſſionem peccati Originalis per gratiam: Ex Gen. 17. S. Aug. S. Greg. S. Bern. Epiſt. 77. Hugone, Ruperto, Innoc. 3. Valdè autem diſcordem negatiuam: non tam S. Thomæ, quam interpretum eius, in varios ſenſus & diſſenſus: Cùm ex proprio textu vix videatur à nobis diſſentire. Nam 3. p. q 62. art. 6. *Sacramenta*, inquit, *veteris Legis non habebant in ſe aliquam virtutem: ſed ſolum ſignificabant fidem per quam iuſtificabantur.* Infra. *Circumciſio erat ſolum ſignum fidei iuſtificantis.* Qu. 70. art. 1. *Circumciſio erat quædam proteſtatio fidei, & præfiguratiua Baptiſmi.* Art. 4. Reſp. *In Circumciſ. conferebatur gratia: non ex virtute Circumciſionis, ſed ex virtute fidei Paſſionis Chriſti, cuius ſignum erat Circumciſio; ita quod homo qui accipiebat Circumciſionem profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro paruulis.* Infra. *Quia Baptiſmus operatur inſtrumentaliter in virtute Paſſionis Chriſti, non autem Circumciſio: ideo Baptiſmus imprimit Characterẽ incorporantem Chriſto, & copioſiorem gratiam confert quam Circumciſio. Maior enim eſt effectus rei iam præſentis quam Spei.* Ad 2. *Probabile eſt quod parentes fideles pro paruulis natis aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent: quod erat quoddam ſignaculum fidei,* vtique ante Circumciſionem. Ad 4. *In Circumciſione auferebatur Orig. peccatum ex parte perſonæ; remanebat tamen impedimentum intrandi in Regnum Cælorum, ex parte totius naturæ.* Ad 5. *Adulti quando circumcidebantur, conſequebantur remiſſionem, non ſolum Orig. peccati, ſed etiam actualium: non tamen quod liberarentur ab omni reatu pœnæ.* Ex quibus meritò Vaſques ſupra, *cap. 4.* reducit Sententiam S. Thomæ ad hoc, vt Circumciſio iuſtificaret *ex vi Fidei ſignificatæ.* Quod vix eſt aliud quam quod dici ſolet de noſtro etiam Baptiſmo, *ex Fide Eccleſiæ*; vtique obiectiua, non autem neceſſariò formali, vel actuali cuiuſquam. Nec hinc videtur S. Thomas aliter intelligi poſſe de Circumciſione. Nam *non habuiſſe in ſe virtutem &c.* nihil aliud ſonat quàm non habuiſſe ex vi talis actus materialis, aut ceremonialis: ſed ex fide ſignificata, ſeu ex obiecto fidei; non tantùm futuro, Chriſti & paſſionis eius, ſed etiam præſenti, ſeu à Deo inſtitutæ Circumciſionis. Prout B. Aug. de ipſa vi Baptiſmi, *non quia dicitur, ſed quia creditur,* ſupra *col. 53.* Quod autem Baptiſmus operetur *inſtrumentaliter, ſed non Circumciſio*: non negat, imò expreſſè tribuit Circumciſioni aliquam gratiam remiſſiuam peccati Orig. ſed tantùm præfert gratiam & vim Baptiſmi. Quam vocat *inſtrumentalem* potius quam Circumciſionis: propter nunc præſentem ac annexam virtutem Paſſionis Chriſti. tunc autem tantum præuiſam & diſtantem. Quamuis enim omnia Sacramenta poſſint dici inſtrumenta Dei, tanquam cauſæ primæ: non tamen inſtrumenta Mediatoris, vt Cauſæ meritoriæ tantùm futuræ, ſed præſentis: quæ ſub ratione futuri agit tantum obiectiuè, non autem propriè inſtrumentaliter. Hinc mirum eſt ex hoc textu S. Thomæ tot tamque differẽtes inter ſe & à nobis opiniones elici potuiſſe, contrà certam remiſſionem peccati Orig. ſiue per Circumciſ. ſiue in ipſa Circumc. ſiue ex vi huius ſolius Operis Operati ac à Deo ad hoc inſtituti, ſiue ex vi annexæ ſignificationis & Fidei obiectiuæ; ſiuè ex neceſſaria etiam fide aliqua formali, vel actuali adultorum, tam pro paruulis quam pro ſeipſis. Quorum nihil repugnat eſſentiæ, ſed tantum derogat alicui perfectioni & efficaciæ Sacramentali. Vt patet ex Sacramentis nouæ Legis: inter quæ Baptiſmus eſt reliquis efficacior ex Opere Operato, ſeu independentior à diſpoſitione ſubiecti.

7. Has tamen opiniones, quamuis contrarias doctrinæ *Innoc. 3.* non eſſe contra fidem, ſed etiam Scholaſticè liberas. Tum quia *Innoc. 3.* non videtur ibi formaliter diffinire, ſed tantum ad quæſt. doctrinaliter reſpondere. Tum quia non comparat Baptiſmum cum Circumciſ. æqualiter, ſed ſimiliter. Tum quia præcipuè intendit valorem Baptiſmi paruulorum ad eorum ſalutem. Tum quia prætendunt aliquam diſtinctionem inter illam comminationem *Gen. 17.* & hanc promiſſionem *Ioan 3.* Tum quia prætẽdunt Decretum Eug. 4. & Trid. *ſeſſ. 7. can. 2.* ſibi fauere: cùm tamen doctrina tam expreſſa, diſtincta, ac particularis Innoc. 3 non corrigatur per illam tam generalem Eug. & Trid. à qua tot titulis excipitur Circumciſio: imo & hoc ipſo potius approbetur, quo à *Greg. 9. & 13.* totaque Eccleſia in ipſo iure communi, ſaltem doctrinaliter & iuridicè, proponitur & acceptatur. Ad quod reſpondet Vaſquez definiri quidem valorem Baptiſmi paruulorum ad ſalutem: non autem condefiniri rationem illam ex Circumciſione. Sed quamuis non omnes rationes definiendi, condefiniantur: vt patet ex illa definitione *Synodi 7. Actione 3. Angelos depingi poſſe, quia habent corpora*: ipſa tamen ratio formalis definiendi neceſſariò condefinitur; imo & ratio principalis perſuadendi, expreſſaque ſuppoſitio alicuius Principij tanquam certioris. Vnde ſi hæc doctrina *Innoc. 3.* eſſet diffinitiua de Baptiſmo: eſſet condiffinitiua de Circumc. quia procedit ex ſuppoſitione tanquam certiore, quod Circumciſio iuſtificabat

paruulos ex illo *Gen. 17.* expreſſiùs de paruulis, quam *Ioan. 3.* Non eſt ergo doctrina diffinitiua: nec oppoſita quoad hoc eſt contrà fidem; ſed eò improbabilior, quò contrà doctrinam tam authenticam, publicam, iuridicam, expreſſam, diſtinctam, & particularem; & quo eſt in ſeipſa inconſtantior, incertior, & in plures opiniones diuiſa.

Obiect. 3. Cùm Conc. Trid. ſub Anathemate definiat *ſeſſ. 7. can. 2.* Sacramenta nouæ Legis differre *plus quam ritu externo* ab antiquis: & *can. 3. Hæc ipſa ſeptem non eſſe prorſus inter ſe paria*: & *can. 1.* de Baptiſmo, *Baptiſmum Ioan. non habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti*: videtur ſatis expreſſum quod hæc nouæ Legis plus differũt ab illis quam inter ſe, tantumque differunt ab illis quantùm à Baptiſmo Ioannis. Atqui inter ſe differunt inæquali efficacia Sacramentali gratiæ, à Baptiſmo Ioannis totali: Ergo & ab illis antiquis. Hinc B. Aug. lib. 2. in Petil. cap. 37. *Sicut aliud eſt Circumciſio, aliud quod octauo die baptizatorum celebramus: Sic alius fuit Baptiſmus Ioannis, alius Chriſti.*

*Reſp. 1.* S. Aug. hæc ibi tantùm diſtinguere & comparare materialiter: ſine præiudicio inæqualis diſtinctionis formaliter & cauſaliter. De qua idem alibi, & nos ex illo ſupra *col. 60.*

*Reſp. 2.* Hæc ab illis diſtingui plus quam inter ſe, etiam quaſi genericè ex fine proprio.

*Reſp. 3* Tres illos Canones valdè differre. Nam primus ſtatuit tantùm aliquam differentiam *plus quam ritus externi*: quæ in minimo ſaluari poteſt. 2. Negat omnimodam *paritatem* ſeu æqualem *dignitatem*: quod ſupponit communem rationem Sacramentalem. 3. Negat *eandem vim*: Ergò Sacramentalem: quia non fit comparatio in vi aliqua cõmuni; ſed negatio *eiuſdem*, non tantùm æqualis, ſed Sacramentalis. Quod quia etiam hinc ratione elicitur: necdũ videtur ſatis expreſsè ac Dogmaticè definitũ.

Contra. Nec Canone *illo 3.* expreſsè definitur *Hæc ſeptem Sacramenta* non eſſe inter ſe æqualis efficaciæ, ſed *dignitatis*: vnde ergo de fide, quod Baptiſmus habeat vim ſpecialem præ quibuſdam alijs ex ſeptem? *Reſp. 1.* Tum ex ſacra Script. quæ expreſsè & propriè tribuit huic Sacramento vim regeneratiuam, quæ eſt maior medicinali vel augmentatiua: ſinè præiudicio virtutis cõſecratiuę corporis Chriſti in Euchariſtia. 2. Ex *can. 9.* de vi imprimendi Characterem: quæ etiam eſt maior quoad hoc. 3. Ex hoc ipſo *can. 3.* quo fit comparatio inter *hæc ſeptem Sacramenta*: vtique in ratione Sacramentali; ſicque in vi maiori, vel minori. Nec obſtat comparatio etiam in *dignitate*, ad excellentiam Euchariſtiæ: quia & huius *dignitas* non tantùm eſt ex ſacratio ſignificato; ſed ex vi maiori conſecrandi.

Obiect. 4. Trid. *ſeſſ. 6. cap. 4.* docet primam iuſtificationem fieri non poſſe *ſine lauacro regenerationis, vel eius voto*: ex *Ioan. 3.* Niſi quis renatus fuerit. *Seſſ. 7. can. 4.* ſub Anathemate definit, *ſine Sacramentis, aut eorum voto per ſolam fidem neminem iuſtificari.* Vnde ergo conſtat neceſſitas Baptiſmi, ſi datur hæc exceptio: aut ſolum votum Baptiſmi non prodeſſe ſine contritione; aut votum vnius non poſſe prodeſſe alijs, præcipuè paruulis in neceſſitate? *Reſp. 1.* Conſtare ex ſtabili promiſſione Dei remittendi peccata contritis, ac diligentibus Deum; nunquam reuocata; ſed magis magiſque confirmata: 2. Ex Trid. *Seſſ. 14. cap. 4.* reconciliationem *non eſſe adſcribendam ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur*: vtique ex vera ratione contritionis, & conuerſionis ad Deum, & ad obſeruantiam omnium mandatorum eius. 3. Ex illa ipſa Lege: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* Quæ ſupponit aquam Spiritui, præfertque Spiritum in vi regenerandi: imo & aliquoties comparatur ac opponitur Baptiſmo ſolius Spiritus. *Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. Act. 1.* 4. Ex *Innoc. 3. Cap. Apoſtolicam.*

Denique ex hac ipſa exceptione ſolius perfectæ contritionis ac dilectionis Dei: quæ firmat illam Legem generalem, excludens omnem aliam exceptionem. Hinc optimè conſiſtunt promiſſiones, & Leges Dei, per Baptiſmum in re vel voto, ſeu in Spiritu contritionis ac Charitatis: qui & vocari ſolet Baptiſmus flaminis. Sed cum ſit perſonalis, nec poſſit ſine miraculo communicari paruulis: non poteſt illis prodeſſe niſi per preces & ſacrificia, impetratoriè.

Obiect. 5. Trid. *ſeſſ. 6 cap. 4. Poſt Euangelium,* inquit, *promulgatum &c.* Ergo votum illud non videtur intrinſecum ipſi contritioni: ſed habere aliquam vim propriam Sacramẽtalem ex inſtitutione. *Reſp. 1.* Ante promulgationem Euangelij Legem Baptiſmi necdum obligaſſe: ſicque votum explicitum Baptiſmi necdum fuiſſe intrinſecum contritioni. 2. Etiam ante promulgationem fuiſſe intrinſecum contritioni votum ſeu propoſitũ implicitum obſeruandi omnia etiam futura præcepta & media neceſſaria ad ſalutem. 3. Nõ fruſtra exprimi votum Baptiſmi præ reliquis, tanquam ſingularis alicuius neceſſitatis. 4. Contritionem ante inſtitutionem Baptiſmi fuiſſe ex fide Mediatoris, & conſequenter ac ſingulariter huius medij ſummæ neceſſitatis: ideſt ex promptitudine animi ad credendum Mediatori, & vtendum hoc medio inſtituendo & reuelando.

Obiect. 6. Trid. *ſeſſ. 7. can. 2.* inhibet ſub Anathemate ne illud *Ioan. 3.* Niſi quis &c. ad metaphoram aliquã detorqueatur: atqui illa extenſio ad Sacramentum in re vel voto, eſt detorſio ad metaphoram: cum talis Baptiſmus non ſit niſi metaphoricus. *Reſp. 1.* Non inhiberi, ex vi illius Canonis, niſi detorſionem à proprietate veræ aquæ naturalis & Baptiſmalis, ad aliquam metaphoram aquæ: vt patet ex textu. 2. Inhiberi tantũ in detorſionem, non autem explicationem ac extenſionem implicitæ ſignificationis. 3. Non inhiberi metaphoras neceſſarias, & communes, ſed ſuperfluas, & abſtruſas, ac alienas à ſenſu expreſſo. 4. Non inhiberi ne *Baptiſmus* ſumatur etiam pro effectu interno huius Sacramenti: ne *renaſci* ſumatur iam pro effectu interiori, quam Sacramento exteriori: ne, *renatus fuerit*, extendatur ad tempus futuræ promulgationis: ne, *ex*, ſumatur cauſaliter, materialiter, & incompletè: & ne ſignificet neceſſitatem *Spiritus* cum *Aqua*, non autem *Aqua* cum *Spiritu*: ne, *Spiritu*, poſſit ſumi cauſaliter pro Deo ipſo, ſeu eius virtute aſſiſtente Sacramento, vel formaliter pro ipſa gratia regenerationis; vel diſpoſitiuè aut etiam formaliter, pro gratia actuali contritionis, ac dilectionis Dei.

Obiect. 7. 8. Quid ad B. Aug. ſupra ex *l. 6. de Baptiſmo cap. 25.* de valore Baptiſmi ad ſalutem etiam

ante,

Digitized by Google

ante, & poſt. *Reſp. 1.* De quodam fructu, ſeu diſpoſitione antebaptiſmali, per preces, & ceremonias, ac ſpem, & deſiderium Baptiſmi. *Contrà.* Loquitur de Baptiſmo, tam paruulorum quam adultorum: Refert æqualiter valorem *ſiue ante, ſiue cum quis baptizatur, ſiue poſt*; & tribuit eundem valorem eidem Sacramento, dicens, Idipſum valeat ad ſalutem. *Reſp. 2.* De valore Baptiſmi in actu primo, ex eius ſanctificatione ſeu ſacra inſtitutione, & aſſiſtentia Dei ad actum 2. *Contrà.* Agit de Baptiſmo actuali, eiuſque à Deo conſecratione, ſanctificatione, & applicatione etiam actuali: vt patet ex textu. *Reſp. 3.* Poſſe ſuſtineri prioritatem aliquam naturæ, aut cauſalitatis, inter actionem Sacramentalem & eius paſſionem ac effectum in ſubiecto. *Contrà.* *Ante, & Poſt*, ibi ſignificant prioritatem & poſterioritatem temporis: vt patet ex contextu, ſingulariter ex *poſt quandoque &c.* ſeu, quandocumque. *Reſp. 4.* De voto Baptiſmi ſufficiente ad ſalutem cum contritione, vel dilectione Dei, vt ſuprà. *Contrà.* Non reſtringitur ad adultos pro ſe ſolis: Ergo etiam poteſt extendi ad paruulos. *Reſp.* Satis reſtringi, tum ex communiori doctrinâ de adultis, niſi extendatur ad paruulos. Tùm hic expreſſè de *homine, ſiue antequam baptizetur, &c.* cùm ſoleat exprimere paruulos. Tùm ex *veraci conuerſione* poſt Baptiſmum: de qua ibidem, & infra.

Obiect. 9. Quid ad B. Aug. *lib. 1. de nupt. & concup. cap. 33.* ſuprà, imò & *cap. 23. 25.* quaſi Baptiſmo remittantur omnia peccata futura, aut ſaltem quæ erant peccata non imputentur baptizatis? *Reſp.* ex Tom. 2. noſtræ Anat. *col. 622. 623. 624. 625.* Hinc quidem Hæreticos captaſſe occaſionem ſuæ illius præſumptuoſæ impeccabilitatis poſt Baptiſmum, & imputatitiæ tantum iuſtificationis per ſolam fidem, ac memoriam Baptiſmi: contrà quos Trid. *ſeſſ. 5. can. 5. ſeſſ. 6. can. 9 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. ſeſſ. 7.* de Baptiſmo. *can. 6 8 9. 10.* Inde tamen potiùs errorem ſuum corrigere debuiſſe. Nam *cap. 23.* docet quidem concupiſcentiam *non eſſe peccatum in regeneratis*: ſed ſubdit, *quando illi ad illicita non conſentitur.* Et *cap. 24.* vocat eam non tantum *filium peccati*; ſed etiam *multorum peccatorum matrem, quando illi ad turpia conſentitur.* Vnde dum ait cap. 25. *dimitti illam in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur*: ſiue intelligatur de concupiſcentia in actu 1. quæ baptizatis non imputetur amplius in peccatũ Orig. ſiue de motibus concupiſcentiæ, qui non amplius imputentur illis in peccata actualia: ſupponit quód ſupra & alibi toties exprimitur, *quando ad illicita non conſentitur*: & quod *lib de pecc. mer. & remiſſ. cap. 9.* de iuſtificatione per infuſionem *occultiſſimæ gratiæ etiam in paruulis*; & alibi ſæpè. per *diffuſionem Charitatis in cordibus noſtris*; per *impreſſionem iuſtitiæ in animam &c.* Vt patet ex Indice Dogmatico *ad Tomum noſtrum 2. col 47. 48.* & ex Indice Scholaſtico *col. 88.* Vtrum autem & quæ imputentur non baptizatis ad peccatum, non autem baptizatis: eſt alia diff. de qua ſub libertate neceſſaria ad peccandũ. Cap. autem 33. ſubdit: *Eodem lauacro non ſolum omnia nunc remittuntur, ſed etiam quæ poſterius contrahuntur: non vt Baptiſma quoties peccatur toties repetatur; ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit vt nõ ſolum antea, verum etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur: vel poſteà, niſi præcederet? In ipſa quoque Oratione Dominica quo fructu diceretur*, Dimitte nobis &c. *niſi ab eis qui baptizati ſunt?* Ita & *lib. 3. contra duas Epiſt. Pelag. Cap. 3.* De fide Baptiſmali, qua Filij Dei quantumuis peccatores fiunt capaces & mouentur ab intrinſeco ad confeſſionem ac remiſſionem peccatorum: vt ſuprà *col. 146.* Et lib. 4. cap. 7. *Per lauacrum aquæ exhibetur Chriſto Eccleſia ſine macula & ruga.* Epheſ. 5. *Quia niſi eſſet baptizata, infructuoſè diceret, Dimitte nobis debita noſtra.* Non quaſi omnia peccata per Baptiſmum fiant venialia, & remiſſibilia ſola hac Oratione Dominica contra Trid. *ſeſſ. 7. can. 10* de Baptiſmo; ſed pro ſua grauitate aut leuitate, vel hac oratione, vel pœnitentia & confeſſione etiam Sacramentali. Nam per hanc Orationem, *Dimitte nobis &c.* tanquã ex inſtitutione Chriſti ſolis baptizatis ſalutarem, ſatis ſignificat Sacramentalem: tum quia hæc ſola oratio fuit & eſt omnibus peccatoribus etiam non baptizatis ſalutaris. Tùm quia nec eſt baptizatis tam certa ad remiſſionem peccati, niſi ſit Sacramentalis, ſeu niſi à Deo ordinatè & Sacramentaliter petatur, *Dimitte nobis &c.* Tùm quia iungit eam aliquando confeſſioni, ac pœnitentiæ. Tùm quia *Enchir. cap. 71.* diſtinguit eius vim ſatisfaciendi pro leuibus peccatis, à vi delendi etiam *ſceleratè geſta*: ſed *vita pœnitendo in melius mutata.* De quo ſub Sacramento Pœnitentiæ.

Obiect. 10. B. Aug *Homil. 27. cap. 2.* Dimitte nobis &c. *Quæ*, inquit, *debita dimiſit in Baptiſmo, iterum vt dimittat oramus.* Ergo Baptiſmus non habet perfectam vim dimittendi. *Reſp. 1.* Ex *Tom. 2. noſtræ Anat. col. 1160.* De peccatis recidiuis poſt Baptiſmũ, eiuſdem generis aut ſpeciei. 2. De dimiſſo originali in Baptiſmo, & dimittendis poſteà actualibus inde oriundis. 3. De remittenda ſeu minuenda concupiſcentia, eiuſuè inclinatione ad malum. Quod nihil derogat remiſſioni & innocentiæ Baptiſmali ab omni reatu culpæ & pœnæ, qui poſſet vel minimum impedire fruitionem vitæ æternæ: Vt patet in baptizatis morientibus ante vſum rationis, vel relapſum. Hinc ignorãtia, infirmitas, concupiſcentia, mortalitas, & reliqua naturæ noſtræ corruptæ vitia, poſt Baptiſmum non habent amplius vllam rationem formalem culpæ aut pœnæ, ſed tantum cuiuſdam pœnalitatis.

Contra. Imò hinc patet dimitti culpam ante pœnam: quid autem differt pœnalitas à pœna? *Reſp. 1.* Dimiſſam fuiſſe culpam actualem Adami ante pœnam: non autem noſtram originalem, 2. Dimitti totam culpam & pœnam perſonalem ſingulorum in Baptiſmo: non autem pœnam communem totius naturæ, vſque ad ſecundam regenerationem ſeu reſurrectionem. 3. Hanc eſſe tantùm communem conditionem naturæ, ex peccato ad ſuum proprium ſtatum naturalem relapſæ. 4. Eſſe tantùm quandam naturę imperfectionem, & difficultatem laborioſam ac experimentalem: non in pœnam ſeu punitionem perſonalem peccati Orig. huic & illi perſonaliter remiſſæ; ſed tantum ad humiliationem, & virtutis exercitationem.

*Contrà.* Naſcimur omnes, & renaſcimur inæqualiter ſub hac pœna, ſeu pœnalitate ſecundum inæquales

quales

Digitized by Google

quales complexiones naturales: Ergo vel non ex peccato Orig. vel ex inæquali, nec remittitur per Baptiſmũ. *Reſp.1.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 621.* & ex eius Abſolutione, *col. 146. Ad. 51.* De æqualitate peccati Orig. & æquali eius remiſſione formaliter, ſeù imputabiliter; non autem materialiter; ſiue concupiſcentia ſit ipſe reatus culpæ Orig. ſiue tantùm pœnæ: De qua diff. ſuo loco ex profeſſo. Id eſt, nec plus nec minùs vitij materialis, imputari ad plus vel minus culpæ aut pœnæ formalis. *2.* Eandem gratiam Baptiſmalẽ æquè remittere intrinſecè totam rationem formalem, ſeù imputabilitatẽ culpæ & pœnæ: ac æquè ordinare, diſponere, ſeù gratificare immediatè ad gloriam. *3* Gratiam & virtutes infuſas æquè perficere intellectum & voluntatem, ad operandum æquè gratè ſeu meritoriè. *4.* Inæqualitatem complexionis etiam vitioſæ non eſſe ex ſolis cauſis naturalibus: ſed ex inæquali aut differenti prædeſtinatione vel non, vt ſuo loco ex B. Aug. *5.* Hanc in renatis compenſari gratijs Sacramentalibus proportionatè: ſicque non habere rationem pœnæ, ſed materiæ & occaſionis gratiarum actualium, ad humiliationem animi, & exercitiũ virtutis. *Contra.* Plerumque etiam in renatis ignorantia & concupiſcentia præualet ad peccatum: vnde ex *ſeſſ. 5. Trid. can. 5* & *B. Aug. lib. 1. de Nupt. & Conc. cap. 21.* Vocatur ab Apoſtolo peccatum *Rom. 7.* quia eſt ex Orig. peccato, & origo peccatorum actualiũ. Quomodo ergo nihil eſt damnationis his qui ſunt in Chriſto Ieſu *Rom. 8.* ideſt, regeneratis? *Reſp.* Nihil in eis eſſe damnabile ſeu imputabile ad culpam aut pœnam: niſi ex proprio conſenſu actuali, aut negligentia reſiſtendi, nec deeſſe renatis gratiam Sacramentalem diligẽtiæ ac reſiſtentiæ, niſi ex proprio demerito actuali ac perſonali. Vt patet prouiſionaliter ex indice Dogmatico ad *Tom. 2. noſtra Anat. col 49 50. 51. 52.*

OBIECT. 11. *De voto Baptiſmi pro paruulis.* Tùm quia Trid. nullibi excipit paruulos. Tùm quia Sacra Script. æquè promittit media neceſſaria paruulis, ac adultis. Tùm quia venenum Adę nocuit paruulis genitis: Ergo & illis prodeſt antidotum Chriſti *Rom. 5* Tùm quia prouidentia Dei videtur plus fauere paruulis, quam adultis. Tùm quia paruuli ſunt minus indigni tali remedio. Tùm quia æquum eſt vt qui aliena cura perierũt aliena etiam cura ſaluentur. Tùm quia Lex gratiæ eſt fauorabilior, atqui olim ſaluabantur fide maiorum: ergo & nunc. Tùm quia remedium contritionis pro adultis non eſt abolitum: Ergo nec remedium antiquum fidei pro paruulis. Tùm quia mors matris fœtæ pro Chriſto, prodeſt fœtui ad Baptiſmũ ſanguinis: ergo & contritio ad Baptiſmum flaminis. Tùm quia neceſſitas Baptiſmi non plus excludit votũ pro paruulis, quam pro adultis. Tùm quia ita Caiet. *in 3 p. q. 88. a. 3.* Hugo de S. Vict. *l 2. de Sacram. p. 6. c. 2.* Gerſon *ſerm. de Nat. Mariæ.* Alenſis *p. 4 q. 13. m. 1. a. 1. m. 3. a. 2 §. 3. ad 4.* S. Bon. *d. 3. p 1. a 2. q. 2. ad 1. d. 6. p. 2 a. 2 q. 1. ad 5.* Richard. *in 4 d. 3. a. 2. q. 3. ad 5.* Antiſi dor *l. 3. Summæ Tract. 3. cap. 4. q. 2.* Durand. *in 4. d. 6 q. 2* Adrian. *in 4. q. vlt. de Bapt.* Ekius in Cent. citatus à Vega *l. 5. de iuſtif. cap. 16.* & alij plures.

Ad quam diff. noſter Andreas Vega ſuprà, Alphonſus de Caſtro *Hæreſ 9.* & plerique reprobant opinionẽ Caietani, de certo aliquo remedio paruulorum præter Baptiſmum in re, tanquam prorſus erroneam contra Fidem, ſacram Script. & Definitiones Conciliorũ: quanto magis opinionẽ cuiuſdã recentioris Campanellæ, eiuſdem cum Caietano profeſſionis ac ingenij, in Opuſculo nuper edito, de Remedio Legis naturæ pro paruulis, quaſi necdum abolito. Sed Vaſqueſius *3. p. q. 68. a. 3. diſp. 151. cap. 1.* diſtinguit opinionem Caietani ab opinione Gerſonis, & Alenſis: quod Caiet. ſtatuat Baptiſmũ in voto ſeu votum maiorum, tanquam certum remedium ſalutis pro pueris periclitantibus, aut etiam morientibus in vtero: Gerſon cum ſuis, fateatur nullũ eſſe certum pro illis remedium: neque tamen de eis deſperandum, ſed poſſe eis ex ſola Dei miſericordia ſalutem impetrari: Alenſis cum S. Bon. & ſuis, tantùm ſperari poſſe quod Chriſtus tanquam ſummus Sacerdos ex Dei miſericordia ſuppleat defectus ſuorum Miniſtrorum, quoad intentionem & formam aut fortè etiam materiam ſufficientem; quia non alligauit potentiam ſuam Sacramentis.

*Cap. 2.* Excuſat opinionem Caiet. à cenſura hæreſeos, ad notam ſolius erroris: quaſi nec præfati cenſores eam ſatis conſtanter aut expreſsè hæreſeos cenſurarint. Nec Pius V. qui eam deleri iuſſit, tam grauiter cenſurauerit: Nec id conuincatur Ioan. 3. ex neceſſitate Baptiſmi; quia in re vel voto, tam pro paruulis quam adultis:. Nec id ſatis conuincat noſter vega. De quo infra.

*Cap. autem 3.* Omnes illas opiniones & Authores inuoluit ſub eadem cenſura temeritatis, & praxim orandi pro pueris periclitantibus, aut morientibus ſine Baptiſmo, ſtultitiæ ac ſuperſtitionis.

*RESPONSIO.*

AD cuius cenſuræ reformationem: *Reſp.* Opinionem Caiet. Campanellę, & ſimilium, à noſtro Vega optimè conuinci hæreſis materialis, ſeu erroris contra fidem expreſſam in ſacra Script. & ſacris Conc. Alias autem opiniones cum ſua praxi, non mereri vllam cenſuram; ſed potius commendationem. Prius conuincit Vega 1. Ex condemnatione huius opinionis inter errores Wiclef *ſeſſ. 15.* Conc. Conſtant. *Paruulos ſine Baptiſmo poſſe ſaluari.* Nec excuſat, ſed magis accuſat quod Vaſquez prætendit id fuiſſe tantum condemnatum *ſtoliditatis*: eo quod Wiclef quaſi deliraret illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* intelligendũ eſſe de aqua quæ fluxit ex latere Chriſti. Quia *omnis hæreticus ſtultus, non è contra*: ex B. Aug. *lib. de geſtis Pelag.* Nec poteſt eſſe alia ratio Caietani, quam illa Wiclef: ex virtute Paſſionis Chriſti independente à Baptiſmo Sacramentali. Quæ metaphora aquæ, eſt expreſsè contra Trid. *can. 1. de Baptiſmo.*

2. Ex decreto Eugenij: *Niſi ex aqua, & Spiritu renaſcamur &c.* vt *Ioan. 3.* ſeu ex neceſſitate huius medij: quod non erit neceſſarium, ſi ſic poſſit ſuppleri.

3. Ex Flor. de libris Canonicis: *Quod pueris non poſſit alio remedio ſubueniri, quàm Sacramento.* Quod quamuis Vaſquez neget ſe in Concilij textu potuiſſe reperire: non potuit tamen Vega tantum textum inde citatum ſomniaſſe.

4. Ex Trid. *ſeſſ. 5. can. 3. ſupra col. 149.* Quod non poteſt, vt vult Vaſquez, reſtringi ad ſolam neceſſitatem

Digitized by Google

tatem meriti Chriſti: ſed expreſsè extenditur ad neceſſariam applicationem huius meriti per Baptiſmũ.
5. Ex Trid. *ſeſſ. 6. cap. 4. ſeſſ. 7. can. 4.* De Baptiſmo *can. 2. 5. ſeſſ. 14. can. 4.* De neceſſitate Baptiſmi, & Pœnitentiæ Sacramentalis in re vel voto implicito cõtritioni: quæ cum ſit actus perſonalis cuiuſque, non poteſt meritoriè communicari aut applicari alteri: ſeu, cum contritio ſit dolor de peccato proprio, non de alieno; nõ poteſt vnus pro altero validè conteri.
6. Ex certitudine fidei ſub qua B. Aug. id conuincit & ſæpè ſupponit *Epiſt. 105. 106. 107. libris 6.* cõtra Iulianũ & alijs contra alios Pelagianos, ſine dubio ex antiquioribus Eccleſiæ definitionibus. Nam *lib. 3. de anima cap. 9. Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire poſſe ad originalium veniam peccatorum: ſi vis eſſe Catholicus.* Nec obſtat quod cap. 12. *Noli credere, noli dicere, nec docere ſacrificium Chriſtianorum pro ijs qui non baptizati de corpore exierunt offerendum: Si vis eſſe Catholicus.* Quia lib. 1. cap. 9. *Quis offerat*, inquit, *Corpus Chriſti niſi pro eis qui membra ſunt Chriſti? Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate cum Chriſto, aut morte pro Chriſto.* Quo B. Aug. explicat ſeipſum de non offerendo Sacrificio pro Defunctis ſine Baptiſmo, tanquam pro membris Chriſti, quoad certum & proprium fructum propitiatorium Sacrificij, cuius ſolius ſunt capaces qui ſunt membra Chriſti, & Eccleſiæ: Alij autem ſunt etiam capaces fructus impetratorij ſeu precarij.
7. Ex traditione, ſenſu, conſenſu, ac praxi totius Eccleſiæ, procurãdi tam ſolicitè pueris Baptiſmum, tanquam vnicum medium neceſſarium, nunquam autem ſupplendi vllo alio tanquam ſufficiente.
8. Ex certa fide primæ gratiæ ac perſeuerantiæ prorſus gratuitæ: De qua ſæpiſſimè ac efficaciſſimè conuincuntur Pelagiani à B. Aug. ex morte infantium ante, vel poſt Baptiſmum, abſque parentum aut maiorum cura vel incuria, ſola Dei prouidentia.
9. Ipſa exceptione Baptiſmi in voto implicito contritioni, vel dilectioni Dei: *quæ firmat regulam*, ſeu neceſſitatem generalẽ medij *Ioan. 3.* excluditq; omne aliud medium ſufficiens ad ſalutem: ſine præiudicio Martyrij priuilegiati extra vel intrà vterum.

Poſteriùs patet. *1.* Ex tot tantorumque virorum authoritate. *2.* Ex tot rationibus huius obiectionis, ſupra: quæ ſaltem conuincunt hanc opinionem non eſſe temerariam. *3* Ex tot Sacræ Script. teſtimonijs, de inſcrutabilibus Dei Iudicijs ac exceſſu miſericordiæ: porrò ſi eſſet de fide hunc vel illum paruulum extinctum ſine Baptiſmo eſſe damnatũ, illa ſecretiſſima iudicia Dei caderent ſub experientiam; nec in vllo caſu miſericordia Dei excederet rigorem illius Legis, ac iudicij. *4.* Ex ſanctificatione quorundam in vtero, teſte S. Script. *5.* Ex poſſibili vſu rationis & voluntatis in vtero, ad contritionem, & dilectionem Dei. *6.* Ex probabili opinione, quod peccatum veniale poſſit remitti in primo inſtanti ſeparationis: cur non & orig. per actum animæ ſeparatæ? *7.* Ex opinione probabili apud Scotum ſupra col. 117. quod poſſit plus gratiæ vni quam alteri impetrari in Baptiſmo: cur non etiam poſſit aliquid gratiæ impetrari ſine Baptiſmo? *8.* Ex poſſibili præſeruatione puerorum à morte in vtero, & reſtitutione vitæ vſque ad Baptiſmum. *9* Ex communi quaſi axiomate antiquorum DD. *Deum non alligaſſe potentiam ſuam Sacramentis.* *10.* Ex poſſibili ſuſpenſione abſolutæ condemnationis poſt mortem. *11.* Ex promiſſione & certa relatione variorum miraculorum: abſque vlla huius exceptione. *12.* Ex frequenti promiſſione Dei, ac vi impetrandi quidlibet ſalutare: abſque vlla certâ huius exceptione. *13.* Ad intentum noſtrorum Auctorum: ex quadam congruitate, vt Chriſtus qui per ſuos Miniſtros baptizat, ſecretos eorum defectus ſaltem precariò ſuppleat. *14.* Ex praxi publica fidelium, deferendi & exponendi pueros extinctos ſine Baptiſmo, ad loca miraculis celebriora: ſpectante, permittente, & fauente Eccleſia. *15.* Ex approbatione huius praxis per frequentia miracula. *16.* Ex doctrina S. Bern. Ep. 77. Vſque ad ſufficiẽtem Euãgelij promulgationem antiqua valuiſſe Sacramenta: *An vero vltra, penes Deum eſt, non meum definire.* *17.* Ex ipsâ doctrinâ B. Aug. quamuis rigidiſſimi circà damnationem plurimorum infantium, extrà & intrà vterum ſine Baptiſmo morientium, ex ſolo ſecreto prædeſtinationis, aut reprobationis. Nam ſæpè excipit Omnipotentiam Dei abſolutam à ſuis legibus ordinarijs: vt patet ex Ind. noſtro Scholaſtico ad *Tom. 2. col. 77.* Negat quidem omne meritum, aut impetrationẽ primæ gratiæ propriæ: non tamen alienæ. Porrò ſi poteſt impetrari cuilibet adulto quantumuis indigno: cur non puero minus indigno? *Lib. 3. de Bapt. cap. 17. 18. l. 6. cap. 1. 4. 14. lib. 7. cap. 18. Epiſt. 23* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 365. 366 922. 923. 926.* tribuit remiſſionem peccatorum ſpecialiter in Baptiſmo paruulorum, Fidei, Spei, Charitati, & precibus Eccleſiæ ac *Sanctorum*, inquit, *Spiritualium*: Ergo preces Eccleſiæ habent aliquam ad hoc vim ſaltem impetratoriam. Hinc lib. 1. de Anima, & eius orig. cap. 10. *Quis ſcit* inquit, *vtrum Dinocrates puer Septennis, Frater S. Perpetua Martyris, poſt Baptiſmum à Patre impio fuerit alienatus à Chriſto: propter quod in damnationem mortis ierit, nec inde niſi pro Chriſto moritura Sororis precibus donatus exierit?* Vbi potius concedit poſterius quàm prius: neutrum tamen excludit ab impetratione poſſibili.

Nec his obſtat ratio Vaſqueſij à neceſſitate ſpecialis ad hoc reuelationis: hæc enim non eſt neceſſaria ad ſperandum, aut orandum extraordinaria ſeu ſuprà reuelationes ac decreta Dei ordinaria: ſed contrà reuelationes, præcepta, & decreta abſoluta: vt patet ex *Tomo 2. noſtra Anat. col 570. 659.* Nec vlla ſpecialis reuelatio neceſſaria eſt ad ſperandum, ac orandum: ſed tantùm ad credendum. Ad ſperandum autem & orandum, ſufficit communis reuelatio poſſibilium, & promiſſionum generalium: Sub quibus hoc ipſum etiam contineri poteſt. Niſi quod ſpes, & preces publicæ ac communes Eccleſiæ nitantur reuelationibus, & promiſſis Dei ordinarijs: preces priuatæ, nitantur etiam extraordinarijs.

Nec B. Aug. ſuprà ſupponit S. Perpetuã id oraſſe ex ſpeciali reuelatione: quia vbi eam neceſſariam duxit, videlicet ad agendum contrà præcepta, ibi expreſſit, non autem hîc. Vt patet ex *col. 495. noſtra Anat. in lib. 1. Ciu. c. 26.* Ad rationes obiect. *Reſp.* In noua Lege ſatis imò & meliùs prouiſum eſſe paruulis quam vnquam: tum per facillimum Baptiſmum



Digitized by Google

mundum in re; tum per independentiam ab incerta fide, & merito Miniſtrorum aut maiorum; tum per maiorem vim impetrandi eis gratiam baptiſmalem; tum denique per priuilegium Martyrij. Nec eos priuari Baptiſmo flaminis: quia nec dum eius capaces ſunt. Neque hinc quidquam derogari antidoto Chriſti, extenſiuè, aut intenſiuè. Non extenſiuè: quia hoc non eſt ſolus Baptiſmus; ſed omnia eius merita, quæ ſiue per Sacramenta, ſiue per ſacrificium, ſiue per preces, aut bona opera, omnibus applicari, & ab omnibus participari poſſunt. Multo minùs intenſiuè: quia merita Chriſti ſunt ad remiſſionem plurium, ac grauiorum peccatorum, quàm Originalis ex Adamo. *Rom. 5.* per maiorem gratiam ſaltem formaliter ſub ratione gratuitæ, quàm Originalis, imò & ſub ratione ſanctificantis ac gratificantis Deo ad gloriam.

OBIECT. 14. *Contra vim intenſiorem Baptiſmi.* Baptiſmus ex ſua inſtitutione confert tantùm primam gratiam: Ergo habet minorem vim intenſiuè, quam quæ conferunt augmentū gratiæ. *Reſp. 1.* Ex q. 1. Hanc primam gratiam eſſe regenerationis: ideoque eſſe maiorem augmentationis. 2. Eſſe maiorem gratiam ſub formali ratione gratiæ prorſus gratuitæ, abſque vllo merito aut neceſſaria diſpoſitione ſubiecti. 3. Fortè primum illum gradum gratiæ eſſe maiorem reliquis ſingulis ſeorſim. 4. Baptiſmum eſſe neceſſarium omnibus quantumuis interiùs ſanctificatis: Ergo habere vim intenſiùs ſanctificandi. 5. Conferre plures & maiores gratias Sacramentales actuales. 6. Conferre capacitatem ad reliqua Sacramēta, eorumque gratias: quæ ideò ei etiam tribuuntur. Vt patet ex B. Aug. ſuprà. Reliqua ſub Quæſt. de neceſſitate huius Sacramenti.

## QVÆSTIO 3.

### Dogmatica, & Scholaſtica.

*Quæ, qualis, & quanta Materia remota & proxima, ſit neceſſaria ac ſufficiens ad valorem huius Sacramenti?*

SIcut ordine naturæ, & compoſitionis, ita & doctrinæ, ac cognitionis Materia eſt prior ſua forma. Suppoſitâ ergò ratione, diſtinctione, ac neceſſitate alicuius Materiæ in Sacramentis nouæ Legis, *ex col. 72. 73. 76. 78. 79.* Circa materiam huius Sacramenti difficultas Dogmatica eſt. An, qualis, quanta aqua & ablutio ſit neceſſaria, & ſufficiens ad valorem huius Sacramenti. Difficultates Scholaſticæ. 1. Quæ nam ſit vera aqua naturalis, quæve eius mutatio ſubſtantialis, aut accidentalis. 2. Quæ, qualis & quanta ablutio ſufficiat. 3. An ablutio actiua, vel paſſiua.

RESPONSIO DOGMATICA.

MAteria huius Sacramenti eſt aqua vera, naturalis, propriè dicta, fluida, ſufficienter & realiter applicata ſub ſua forma ad ablutionem hominis: ſiue per immerſionem, ſiue per infuſionem, ſiue per aſperſionē. Ex *Ioan. 3. Epheſ. 5. Tit. 3. Act. 8.* De fonte aquæ: *Ecce aqua quis prohibet me baptizari.* Mat. vlt. *Baptizātes eos, &c.* Et vbicūque baptizati dicuntur *abluti. 1. Cor. 6. Hebr. 11.* Ex *Cap.* Firmiter. *Cap.* In quadam. *Cap.* Ad abolendam. Sed verbatim & ex profeſſo ex Decreto Eugenij ſuprà *col. 1. & Trid. col. 5. can. 2.* De neceſſitate aquæ veræ naturalis, & propriè dictæ. Contrà Hæreticos *Gnoſticos*, non tam baptizantes quàm vngentes: Ex S. Iren. *lib. 1. cap. 18.* Contra *Seleucianos* & *Hermianos*, non vtentes Baptiſmo aquæ ex B. Aug. *Hæreſ. 59.* Contra *Iacobitas*, igne & quadam aduſtione pro Baptiſmo abutentes: ex catalogo Hæreticorum Bernardi Lutzemburgij. Contra *Paulicianos*, aqua tantùm metaphorica pro Baptiſmo vtentes, ſub his Chriſti verbis: *Ego ſum aqua viua. Ioan. 4.* ex Euthymio *2. p. panoplia tit. 21.* Contra *Flagellantes*, proprio ſanguine ſeipſos, vel alios baptizantes: ex eodem Catalogo verbo *Flagellantes*, & Alphonſo De Caſtro verbo *Baptiſmus.* Denique contrà priuatos ſaltem abuſus aliquorum Hæreticorum huius ſæculi, baptizandi aqua roſacea, aut pretioſiori, quaſi in honorem.

RESPONSIO SCHOLASTICA.

1. CErtum eſt non eſſe neceſſariam aquam elementarem: ſed ſufficere aquam naturalem communem, ac vſualem; quia vix imò ne vix quidem purè elementaris reperiri poteſt.

2. Probabilius videtur non ſolum mutationem realem, ſed etiam moralem, quæ aufert aquæ nomē, æſtimationem, & vſum communem aquæ, eſſe ſubſtantialem in hoc Sacramento: alioquin tantùm accidentalem; quia Sacramenta ſunt inſtituta ad communem captum, & vſum hominum. Vnde patet facilè iudicium de pluribus liquoribus: quorum incerta eſt diſtinctio realis ac ſpecifica, ab aqua.

3. Probabile eſt non ſufficere quantillumcumque aquæ & ablutionis, ſeu fluxus eius ſuper quantillacumque parte corporis: ſed requiri aquam, & fluxū ſufficientem ſuper aliqua magna parte aut principaliori corporis. Quia hoc videtur neceſſarium ad lauacrum aquæ *Epheſ. 5.* & ad baptiſmum ac ablutionem hominis ſaltem denominatiuè, ſeu ad denominationem totius.

4. Videtur etiam probabilius ablutionem Sacramentalem, ex mente etiam Doctoris noſtri Subtilis, formaliter eſſe actiuam, ſeu actionem ipſam exteriorem abluendi, non autem ablutionem paſſiuam, ſeu eius receptionem in ſubiecto. Tum quia ſuprà *col. 55.* Scotus docet Sacramentum cauſare gratiam, vt eſt diſpoſitio actiua, ſeu ex parte agentis, non autem vt paſſiua ſubiecti. Tum quia *col. 73. l. 4.* expreſsè docet *ablutionem actiuam*, ſeu quà actiua eſt, eſſe Sacramentalem, non autem *ablutionem formalem.* Nec per hanc *formalem* intelligit ſolum quaſi contactum aquæ, abſque vllo eius fluxu, vel receptione ab agente: vt putat Vaſquez *diſp. 141. cap. 2.* & alij, cum noſtro etiam Aretino, *d. 3. q. 3. a. 2.* ſed fluxum etiam receptum ab agente. Nam dicit *Aquam lauare corpus quaſi formaliter*: non lauat autem per ſolum contactum, abſque vllo fluxu, vel aquæ ſuper corpus, vel corporis per aquam. Subdit, *ſed homo dicitur lauare corpus cum aqua, quaſi propriè actiuè. Solus contactus corporis ab aqua, vtique ſub aliquo fluxu, quæ eſt quaſi ablutio formalis, non eſt inſtituta tanquam ſignū vel pars ſigni: ſed ipſa lotio effectiuè facta ab aliquo abluente.* Infra. *Sufficit lotio corporis ab aqua alio hoc agente*

Digitized by Google

*agente &c. Oportet iſtum contactum corporis ab aqua fieri ab alio cauſante.* Vbi ſemper opponit ablutionem etiam actiuam agentis, ablutioni formali corporis per aquam: quæ eſt quidem formalis per aquam, ſed eſt paſſiua corporis vt ſubiecti.

Tum ex *col. 140.* vbi definit Baptiſmum eſſe *ablutionem, vel Sacramentum ablutionis*: non tàm formalis, aut paſſiuæ, quàm actiuæ; quia ſignificat præcipuè reſpectum agentis ad paſſum, tàm ex ratione communi Sacramenti, quàm ex neceſſaria concomitantia intentionis, & formæ verbalis in agendo.

Nec obſtat quod diſt. 6. q. 2. de Baptiſmo eiuſdem à pluribus, vel plurium ſimul ab eodem. n. 4. *Videtur ſequi quod Sacramentum Baptiſmi magis eſt baptizatio paſſiua quam actiua: quia plurificata baptizatione actiua, non plurificatur paſſiua &c. Baptizatus propriè ſuſcipit Sacramentum: ſuſcipit autem propriè ablutionem paſſiuam, non actiuam.* Et. n. 6. *Plures ſimul aſpergens dicendo,* Ego baptizo vos, *baptizat ſimul omnes. Sed vtrum ſit vnus Baptiſmus? Videtur quod non: quia plures ſunt baptizati, per conſequens plures baptizationes paſſiuæ, & ita plures actiones, & plures Baptiſmi. Sed oppoſitum videtur; quia non eſt niſi vnica forma &c. Poſſet tamen magis concedi quod ſint plures Baptiſmi, tenendo illud quod dictum eſt, quod Sacramentum Baptiſmi eſt baptizatio paſſiua &c. Illa etiam forma non eſt ſimpliciter vna.* Num. 8. ad 1. *Si idem baptizat plures, hoc eſt pluribus baptizationibus paſſiuis.* Tùm quia hæc nimis problematica, conditionata, & relatiua ad aliorum ſenſum: quàm vt illis derogare poſſint, ex propria ſententia. Tùm quia hæc tantùm ex quadam neceſſitate, aut difficultate explicandi Baptiſmum eiuſdem à pluribus, & plurium ab eodem ſimul. Tùm quia Baptiſmus & Sacramentum Baptiſmi poteſt intelligi actiuè & paſſiuè, tranſitiuè & intranſitiuè. Tum quia *n. 8. Ad Tertiam*, concedit in eundem ſenſum, vnica prolatione formæ Euchariſticæ conſecrari plures Hoſtias, fierique ibi plures conſecrationes paſſiuas & Euchariſtias: non quaſi ſint ibi plures formæ aut pronuntiationes Sacramentales; ergò nec plures ablutiones Sacramentales. Tùm quia Baptiſmus ſeu Baptizatio paſſiua non ſignificat præciſè ipſam ablutionem materialem: ſed totam rationem Sacramentalem Baptiſmi, vt iam compoſitam & applicatam ſubiecto. Tùm denique quia forma ſeu eius pronuntiatio non eſt Sacramentalis quatenus paſſiuè recipitur, & quaſi plurificatur in ſubiectis: ſed quatenus tendit in ſubiectum & ad effectum, ſeu quatenus ſuo effectu conſecrat ſubiectum; ergo nec materia proxima, ſeu ablutio &c. Neque hinc eſt difficultas de Baptiſmo ſingulorum: cùm actio & paſſio ſit idem realiter in fieri, & in eodem ſubiecto; ſed vt ab agente ſit actio; vt in ſubiecto, ſit paſſio. Vt monet Scotus *diſt. 6. q. 2. n. 4.* Sed formale Sacramenti eſt potiùs in cauſalitate & actione, quam in paſſione. Quod ſignificat ipſa forma: *Ego baptizo te &c.* Imò & *Baptizetur &c.* vtique hac actione Sacramentali.

## *OBIECTIONES.*

1. PRæter Baptiſmum fluminis ſeù aquæ, datur Baptiſmus flaminis: Ergo non ſola aqua materialis, ſed & ſpiritualis eſt materia Baptiſmi. *Reſp.* Nec Baptiſmum ſpiritualem flaminis eſſe Sacramentum Baptiſmi: nec Actum illum ſpiritualem, aut gratiam ſiue actualem ſiue habitualem, diſpoſitiuè vel formaliter iuſtificantem, eſſe materiam, ſed potiùs cauſam aut formam huius Baptiſmi, ſeu mundationis ſpiritualis.

2. Datur etiam Baptiſmus Sanguinis: de quo ipſe Chriſtus, *Baptiſmo habeo baptizari &c.* Luc 12. Ergo ſanguis eſt etiam materia Baptiſmi. *Reſp.* Nec Baptiſmum ſanguinis eſſe Sacramentum, vt ſupra *col. 71.* nec ſanguinem eſſe eius materiam: quia poteſt eſſe ſine effuſione ſanguinis; ſed eſſe mortem pro Chriſto, æquiualentem Baptiſmo, vel ex charitate adultorum, vel ex priuilegio minorum.

3. Fluxus aquæ & ſanguinis ex latere Chriſti ſignificat materias Sacramentorum: atqui non fluxit inde aqua naturalis, ſed vel ſupernaturalis, vel tantum pituita; ergo hæc eſt etiam materia. *Reſp. 1.* Ex *col. 69. 70.* 2. Ex Innoc. 3. *cap. In quadam*, de celebr. Miſſ. *Sicut fuit verus Spiritus & verus ſanguis: ita procul dubio vera aqua &c. Nam ſi non fuiſſet aqua ſed phlegma &c. qui vidit & teſtimonium veritati perhibuit: profectò non aquam ſed phlegma dixiſſet &c.* 3. Hanc aquam ſupernaturalem in modo ſeu in fieri, fuiſſe naturalem in ſubſtantia &c. 4. Aquam naturalem hîc non opponi ſupernaturali, ſed artificiali.

4. *Mat. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.* Prædicitur Baptiſmus Chriſti *in Spiritu & igne*: ergo vel ignis eſt etiam materia Baptiſmi, vel aqua tantùm methaphorica, ſicut & ignis.

*Reſp. 1.* Ex *col. 48. 49.* De Baptiſmo illo non Sacramentali in die Pent. *2. Spiritu & igne* non ſignificari materiam, ſed vim ſpiritualem baptiſmi Chriſti. *3.* Vim illam ſpiritualem non tribui, ſed comparari igni, ideſt, *Spiritu* vt *igni*: Sicque vel non eſſe metaphoram, vel ſatis exprimi ac applicari. *4.* Hinc ſignificari conuenientiam Baptiſmi Chriſti cum Baptiſmo Ioannis, in materia aquæ: ſed diuerſitatem in vi ſpirituali. Vt *1. Ioan. 5.* Chriſtus venit non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine &c. *5. Spiritu & igne* non opponi, ſed apponi aquæ Baptiſmali Chriſti. *6.* Hinc etiam poſſe ſignificari vnicum baptiſmum Ioannis per aquam: ſed plures Chriſti, fluminis, flaminis, & ſanguinis. *7.* Per illũ ignem poſſe etiam propriè intelligi ipſum ignem Purgatorij. *8.* Etſi metaphoricè ſumatur pro igne tribulationis: non idem ſequi de aqua; tum quia *Ioan. 3.* non poteſt aqua & Spiritus niſi propriè ſumi; tum quia hîc expreſsè ſupponitur proprietas aquæ materialis.

5. Baptiſmus per immerſionem & quidem trinam fuit ab initio Eccleſiæ habitus pro neceſſario: Tum ex *Rom. 6.* in ſignũ mortis Chriſti vt cauſæ meritoriæ, ſepulturæ Triduanæ & Reſur. vt cauſæ exemplaris, & effectus baptiſmalis, ſeu mortis & ſepulturæ veteris hominis, ad regenerationem noui. Tum ex *Mat. vlt.* in ſignũ SS. Trinitatis. Tùm ex *can. 49. & 50.* Apoſtolorũ. *Si quis Epiſcopus aut presbyter nõ trinam merſionem vnius myſterij celebret: ſed ſemel mergat in Baptiſmate quod dari videtur in Domini morte; deponatur.* Tùm ex Pelagio Papa *Epiſt. ad Gaudentium*, apud Gratianum *Can.* Multi, *de Conſecr.* diſt. 4. *Euangelicum præceptum* Mat. vlt. *nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam merſione vnicuique Baptiſma tribuere.* Tùm ex Traditione Chriſti & Apoſt. ſecundùm Tertull. *libro de Corona militis cap. 3.* S. Baſil. *lib. de Spiritu S. cap. 15. & 27.* S. Hier. *Dial. contra Lucif.*

Tùm denique quia à Theodor. *lib. 4. hæret. fabul.* oppoſitum recenſetur inter hæreſes Eunomij: *Ipſe quoque ſubuertit ſancti Baptiſmi ritum à Domino & Apoſtolis ab initio traditum, & contrariā Legem apertè tulit, dicens non oportere ter mergere eum qui baptizatur, nec Trinitatem inuocare, ſed ſemel baptizare in mortem Chriſti.* Ergo eſt de neceſſitate Sacramenti, aut ſaltem præcepti diuini.

*Reſp. 1.* Ex S. Cypr. Epiſt. nunc 76. vbi ad Quæſtionem de ægris baptizatis ſola perfuſione vel aſperſione *Neque*, inquit, quenquam mouere debet quod aſpergi vel perfundi videntur ægri, cùm gratiam Dominicam conſequũtur.] 2 Ex reſponſione S. Greg. Magni Epiſt. 41. *Reprehēſibile nullatenus eſſe, quādo & in tribus merſionibus perſonarū Trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas aſſignari.* 3. Ex Conc. 4. Toletano: quo nō ſolùm approbatur, ſed etiam ſtatuitur vt deinceps nonniſi vna merſione baptiſmus cōferatur; tùm ad conformitatē, tum ad diſtinctionem ab Arianis ſub hac trina merſione prætendētibus diſtinctionem naturæ inter perſonas Diuinas. 4. Ex Baptiſmo triū milliū eodem die *Act. 2* Vtique nonniſi aſperſione, aut perfuſione. 5. Hinc ad ſummum fuiſſe tantùm ab initio præceptum, ad expreſſionem ſignificationē ss Trin. Mortis, Sepulturæ, Reſurrectionis Chriſti, & fructus Baptiſmalis; qua ſignificatione adultis per doctrinam ſatis inculcata ac publicata, ceſſante ratione præcepti, hæc quoque obligatio ceſſauit? Vt patet ex varia & approbata conſuetudine Eccleſiæ. Nec plus exigunt rationes Obiectionis. Nam eſſentialis ſignificatio Baptiſmi ſatis exprimitur per quamlibet ablutionem, & formam verbalem: nec baptizati abſq; vlla immerſione, vnquam rebaptizari iubentur; nec tam agitur de immerſione, quam de neceſſaria inuocatione SS. Trin. contrà prætenſionem baptizandi in vna ſola morte Chriſti. Vt patet ex textibus.

Obiect. 5. Si quælibet immerſio ſufficeret, cur non proiectio & ſuffocatio abſque emerſione, vel extractione: contrà Scotum *diſt. 5. q. 3. Quia*, inquit, *Baptiſma ordinatur ad vitam*, non talis immerſio ſeu proiectio. *Reſp. 1.* Scotum videri ibi tantum loqui ex aliena opinione: *Dicitur*, inquit. 2 Hanc opinionem & rationem non eſſe improbabilem: quia actiones Sacramentales debent eſſe ſacræ ac ſalutaris ſignificationis, qualis illa actio nō eſſet. 3. Ablutionem Sacramentalem debere eſſe ab agente habente materiam applicandam in ſua poteſtate, & illam actualiter applicante: proijciens autem in aquam, nec habet amplius ſubiectum proiectum, nec aquam in ſua poteſtate, nec ſic applicat. 4. Ablutio Sacramentalis debet eſſe Sacramentaliter & ceremonialiter talis; qualis non eſt illa proiectio. Non quod emerſio ſit de neceſſaria ſignificatione: vnde ſi immerſus ſub forma Baptiſmi, ſubmergeretur, hoc non derogaret valori Baptiſmi.

6. Si eſſet neceſſarius fluxus aquæ ſuper magna aut principali parte corporis, nec ſufficeret quantillaſcumque contactus: Baptiſmus per aſperſionem multorum ſimul ſub eadem forma cōmmuni, non eſſet validus: contra praxim antiquam, & modernam baptizandi plurimos ſimul infideles, exemplo illo probabili *Act. 2.* *Reſp. 1.* Hanc formam baptizandi non eſſe licitam, niſi ex graui neceſſitate. 2. Aſperſione ad faciem, ab hac principali corporis parte totum denominari, & eſſe baptizatum. 3. Solum contactum vnius guttæ abſque vllo fluxu per faciem, non cenſeri Baptiſmum: ideòque in tali caſu neceſſitatis, baptizatos deſuper monendos eſſe; vt ſi quid deſit, ſaltem ſub conditione ſuppleatur.

7. Anima eſt tota in quantillacumque parte corporis: ergo ſufficit quantillacumque aſperſio ad valorem Baptiſmi. *Reſp. ex col. 110.* & ex Scoto *diſt. 4. q. 3.* hanc quidem probabilitatem ſufficere ad licitè baptizandum ex graui neceſſitate: ſed ſub obligatione rebaptizandi conditionatè, ad ſecuritatem; quia nec anima, nec corpus propriè baptizatur; ſed homo ſecundum corpus ſeu tantam corporis partem, à qua poſſit & ſoleat homo totus denominari lotus ac baptizatus.

8. Ex *1. Pet. 4.* de ablutione ſordium corporis: præuenitur *col. 42 & 49.*

9. Ex B. Aug. Tract. 81. *Accedit verbum ad elementum &c.* Ergo vel eſt neceſſaria aqua elementaris, vel non eſt neceſſaria naturalis, ſed ſufficit etiam artificialis: quia hæc poteſt eſſe eiuſdem ſubſtantię, eſtque etiam ad lotionem vſualis. *Reſp. 1.* Illud B. Aug. non intelligi de puro aquæ elemento: ſed prout exſtat. 2. Extendi ad quamlibet materiam Sacramenti: non vt elementarem, ſed vt partem primam, ac præſuppoſitam ſuæ formæ; vt patet ex *col. 40. 76. 77.* 3. Aquam artificialem ſeu calore ignis ex tam varijs rebus elicitam ac reſolutam, vix poſſe eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum naturali: vt probat Scotus *diſt. 3. qu. 3. à nu. 3* tùm ex differentiâ qualitatum, tùm ex eodem modo ſubitæ generationis per vim ignis. 4. Aquas artificiales non eſſe communiter & principaliter vſuales ad ablutionem, ſed ad alios ſpeciales effectus.

10. Quid de thermis, & aquis Spadanis, ſeu per mineralia ſcaturientibus, & ad potum ac ſanitatem corporum potius quam ad ablutionem ordinatis, & vſitatis? *Reſp.* Has aquas nec naturaliter, nec moraliter diſtingui, quoad ſubſtantiam & vſum communem etiam abluendi, ab alijs aquis: ſed tantùm quoad aliquam qualitatem, vel admixta ramenta ſeu atomos quoſdam mineralium.

11. Quid de ſaliua, vrina, & ſimilibus humoribus digeſtione naturali reſolutis? *Reſp.* Non ſufficere: *ex Innocentio 3.* titulo de Baptiſmo cap. 5. *Poſtulaſti vtrum paruuli ſint pro Chriſtianis habendi, quos in articulo mortis propter aquæ penuriam & abſentiam Sacerdotis, aliquorum ſimplicitas in caput & pectus ac inter ſcapulas pro Baptiſmo aquæ ſaliua conſperſione diniuit.* Reſp. *Quod cum in Baptiſmo verbum & elementū neceſſariò requirantur* Matt. 28. Ioan. 3. *dubitare non debes illos verum non habere baptiſmum, in quibus non ſolum vtrumque, ſed eorum alterum eſt omiſſum.*

12. Quid de lixiuio, cereuiſia, iure carnium, & ſimilibus? *Reſp. 1.* Ex Scoto, *diſt. 3. q. 3. n. 5.* non eſſe iudicium Theologi ſed Philoſophi naturalis, de illa mutatione ſubſtantiali, aut non: vtendum autem eſſe in dubio tribus regulis ex *q. 2. n. 10.* Regula 1. *Si poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt eligenda.* 2. *Si non adeſt poſſibilitas, via tutiſſima proxima eſt tenenda.* 3. *Ceſſante impoſſibilitate cautè eſt ſupplendum*, ideſt, repetendum Sacramentum ſub conditione & forma præſcripta Titulo De Bapt. c. 2. *Si baptizatus es; non*



Digitized by Google

te baptizo: *Sed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris &c.* Reſp. 2. Saltem moraliter facilè diſcerni poſſe lixiuium per cineres potius imbuiſſe nouam aliquam qualitatem ad lauandum, quàm mutaſſe ſubſtantiam vel vſum aquæ, imò nec nomen: reliqua verò, ſi non ſubſtantiam phyſicam, ſaltem moralem, & nomen ac vſum cōmunem aquæ. Niſi fortè cereuiſia ſit tam tenuis, & ius carnis adhuc tam crudum, ac macrum, vt potius aqua cenſeatur, & ſit.

13. Quid de niue, grandine, glacie? Reſp. Ex Scoto *diſt. 3. q. 3.* eſſe quidem adhuc aquam, ſed non fluidam, nec aptam ad ablutionem, niſi per reſolutionem &c.

## QVÆSTIO 4.

### Dogmatica, & Scholaſtica.

*Quænam verba, conſtructio, & forma integra ſit neceſſaria aut non, ad valorem huius Sacramenti.*

DE forma Sacramentorũ non cōcionatoria aut doctrinali, ſed conſecratoria &c. Dogmaticè à *col. 43. ad 54.* Scholaſticè autem *col. 72 76 78. 79. col. 132. 136. 137.* Quibus ſuppoſitis, ſuperſunt difficultatés ſpeciales de forma huius Sacramenti: Dogmaticæ quidem. 1. Quæ ſit forma ſufficiens huius Sacramenti. 2. Quæ neceſſaria neceſſitate Sacramenti. 3. De forma Eccleſiæ latinæ. 4. De forma Eccleſiæ græcæ. 5. De forma in nomine Chriſti. 6. De forma in morte Domini. 7. De neceſſaria expreſſione, & ſenſu expreſſo huius formæ.

Scholaſticæ autem. 1. De vſu quondam huius formæ aut non, *In nomine* IESV CHRISTI. 2. De neceſſario ſenſu expreſſo formæ latinæ. 3. De neceſſario ſenſu formæ græcæ. 4. De neceſſaria integritate huius formæ. 5. De eius mutatione ſubſtantiali vel accidentali tantùm. 6. De obligatione vtendi forma ordinaria.

RESPONSIO DOGMATICA.

HÆc forma Eccleſiæ latinæ, *Ego te Baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*: Eſt ſufficiens, & in ſenſu expreſſo neceſſaria, ad valorem huius Sacramenti. In quem eundem ſenſum expreſſum, valida eſt etiam forma illa Eccleſiæ græcæ: *Baptizetur talis ſeruus Chriſti, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*: Non autem *in morte Domini*, vel in ſolo *nomine* IESV CHRISTI, vel ſub vlla alia forma ab hoc expreſſo ſenſu aliena. Eſt de Fide. 1. Ex illo Mat. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*: Supplente tamen traditione, & ſenſu ac praxi Eccleſiæ. Quamuis enim hic inſinuetur baptizandum eſſe ſub breui verborum forma, exprimente doctrinam ac Fidem ss. Trinitatis: niſi tamen inde ſuppleretur, poſſet intelligi de baptizando in virtute ac Fide, non autem ſub hac verbali pronunciatione. 2. Ex varijs Eccleſiæ definitionibus contra varias hæreſes ac hæreticos. 1. Contra quoſdam tempore Apoſtolorum baptizantes *In nomine trium principij expertium, vel trium filiorum, vel trium Paracletorum*: vt patet ex Can. 48. Apoſtolorum. 2. Contra Gnoſticos, baptizantes *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis* IESV: vel quibuſdam alijs quaſi magicis verbis Hæbraicis: ex S. Irenæo *lib. 1. aduerſus Hæreſes cap 18.* 3. Cōtra Paulianos ſeu Paulianiſtas, à Paulo Samozateno: de quibus B. Aug. hæreſi 44. *Iſtos baptizãdos eſſe in Eccleſia Catholica, Nicæno Conc. conſtitutum eſt. Vnde credendum eſt eos regulam Baptiſmatis non tenere.* Id eſt, formã; prout exprimit Innoc. 1. Epiſt. 22. *Quia*, inquit, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti non baptizabant.* Et S. Greg. Magnus *lib. 9. Epiſt. 61.* de *Cataphrygis.* Sicque intelligendus Hier. contra Lucifer. Poteſtque colligi ex Conc. 1. Cōſtant. can. 7. 4. Contra quoſdam ſaltem Arianos, ipſam formam Baptiſmi ſuo errore corrũpentes: vt patet ex can. 8. Conc. 1. Arelat. de Conſecr. *diſt.* 4. can. *De Arianis qui propria Lege ſua vtuntur, vt rebaptizentur placuit. Si ad Eccleſiam aliqui ex hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ Fidei Sacerdotes, ſymbolum: & ſi peruiderint in Patre & Filio & Spiritu ſancto eſſe baptizatos, manus tantùm eis imponant. Quod ſi interrogati non reſponderint Trinitatem, baptizentur.* Vnde ſatis patet aliquos vſos fuiſſe vera forma, alios abuſos corrupta. Nec obſtat, antiquiora exemplaria loqui de *Afris*, non de *Arrianis*. Non enim fruſtra nec ſolo caſu Canon ille inſcribitur *de Arianis* &c. Sed potuerunt aliqui Afri ex tunc eſſe Ariani. Hinc poſſent conciliari variæ difficultates de hoc Arrianorum errore aut non. 5. Contra Macedonianos, baptizantes *in nomen Dei increati, & in nomen Filij creati, & in nomen Spiritus ſanctificatiui*: teſte S. Epiph. *hæreſi 77.* 6 Contra Eunomianos, baptizantes *in morte Chriſti*, vel ſub ſola inuocatione *Chriſti mortui*: ex Socrate *lib. 9. cap. 40.* & Theodor. *lib. 4. cap.* De Eunomio.

De qua etiam hæreſi *can. 49. & 50.* Apoſt. & Pelagius Papa Epiſt. ad Gaudentium ſupra. Videtur enim idem error baptizandi *in morte Chriſti*, vel in ſolo *nomine Chriſti*, aut *Chriſti mortui.* 7 Cōtra hæreſim quorundam Græcorum, reprobantium formam noſtram ordinariam, tanquam inualidam: vt patet ex Conc. Lateran. ſub Innoc. 3. *cap. 4.* vt refertur Titulo de Bapt. *cap. 6.* Contra quos etiam fortè Concil. Florent. vel Eugenius 4. ad finem Concilij ſupra *col. 1.* approbans vtramque formam, ſub eodem ſenſu expreſſo cauſæ principalis ac inſtrumentalis, ſeu actus exerciti per Miniſtrum, & ss. Trinitatis. 8. Denique cōtra pleroſque Hæreticos hujus ſæculi: vtentes quidem communiter forma ordinaria; non tamen vt neceſſaria & conſecratoria. Ideoque nec ſunt communiter rebaptizandi: quia non ſolent ex hoc errore interiori omittere aut corrumpere formam neceſſariam. Hinc nec vllo Canone Tridentini condemnantur vllius erroris ſpecialis ac practici, circa formam Sacramenti: ſed tantùm erroris generalis ac ſpeculatiui. Vt patet ex *ſeſſ. 7. can. 4. 5. 6. 7. 8.* & de Baptiſmo *can. 3. 4.*

RESPONSIO SCHOLASTICA.

PRobabile quidem eſt formam baptizandi, *in nomine* IESV CHRISTI, abſque alia expreſſione ss. Trinitatis, quondam ex Dei diſpenſatione valuiſſe: ex *Act. 2. 8. 10. 19.* S. Ambr. *lib. 1. de Spiritu S. cap. 8.* Nicolao Papa *De cōſecr. diſt. 4. Can. A quodam Iudæo.* Magiſtro Sent. Alenſi. S. Bon. ſupra *col. 131.* S. Thom. *p. 3. q. 66. art. 6 ad 1.* Scoto *diſt. 3 q. 2. n. 9.* & ple-

pleriſque. Non tamen etiamnùm valere: contra Magiſtrum Sent. *d. 8.* & paucos alios. Imò probabilius videtur nunquam valuiſſe in ſolo nomine IESV CHRISTI: ſed *in nomine Patris & Filij eius* IESV CHRISTI *&c.* vel in nomine .i. ex Fide, virtute, meritis, ac inſtitutione Chriſti, ad diſtinctionem à Baptiſmo Ioannis: vt patet ex *Act. 2. 8. 10. 19.* vnde illa opinio aut coniectura manauit. Tùm quia conſtat ex Reſponſione Dogmatica, expreſſionem SS. Trinitatis eſſe neceſſariam: Tùm quia non ita conſtat de prætenſa diſpenſatione: Tùm quia non eſt credibile in hac tanta Lege ab initio diſpenſatum fuiſſe: Tùm quia Sacra Script admittit, imò & ſatis inſinuat alium facilem ſenſum: Tùm quia nomen IESV CHRISTI potuit aliter æquè commendari: Tùm quia non conſtaret de reuocatione illius prætenſæ diſpenſationis; cùm tamen toties in Eccleſia, abſque vlla exceptione definita ſit neceſſitas huius formæ expreſſæ.

Probabile etiam eſt formam illam Græcam, originem habuiſſe ab illa æmulatione inter fideles, pro ſuis Patribus ſeu Miniſtris Baptiſmi *1. Cor. 1.* ad tribuendum expreſſius Baptiſmum ſoli Deo & Chriſto: ex S.Thoma *3. p. q. 66 art. 5.* Scoto *diſt. 3. q. 2.* & pleriſque. Nō eſt tamē in hoc cautior aut tutior, ſed minus quam noſtra Latina ac Romana. Tùm quia Romana ſatis expreſsè tribuit totū Deo, *In nomine &c.* Tùm quia Eccleſia Romana eſt cuſtos fidelior ac certior totius doctrinæ ac praxis Fidei: Tùm quia non habuit illam æmulationem: Tùm quia latet adhuc æqualis aut maior occaſio æmulationis ſub forma græca, ac ſub latina. Nam & *baptizetur*, ſonat imperatiuè, pluſquam *baptizo* indicatiuè: & neceſſariò ſignificat hunc actum exercitum baptizantis; & æquè ſignificat perſonam à qua & quæ baptizatur.

Probabilius quoque eſt neceſſariam eſſe expreſſionem totius cauſæ inſtrumētalis actualis, ſeu actus exerciti ab hoc Miniſtro, circa hoc ſubiectū: & cauſę principalis, ſeu vnius Dei ac trium Perſonarum diuinarum; ideoque verbum *baptizetur* eſſe potiùs imperatiui modi quam optatiui, & vel ex ſe vel ex circumſtantia facti ſignificare tam perſonam à qua, quam quæ baptizetur: nec verbum *baptizandi* mutari poſſe in verbum *abluendi*, nec *nomen* vnius Dei in *nomina*, nec nomina perſonalia in originalia. Quia Flor. ſeu Eugen. 4. ſupra *col. 1.* docet *perfici Sacramentum, ſi exprimatur actus qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum inuocatione SS. Trinitatis*: non exprimitur autem actus exercitus in optatiuo; nec integrè per verbum abluendi, quod ſignificat tantùm actionem profanam vel partialem, *baptizo* autem ſacram & totalem; nec ſatis determinatè, niſi ab hoc agente circa hoc ſubiectum; nec exprimitur diſtinctè, SS. Trinitas vt cauſa principalis, ſub ratione vnius Dei, niſi vt ſupra. Deinde ibidem, *Baptizetur*, inquit, *talis ſeruus Chriſti, &c.* vel *baptizatur manibus meis talis &c.* Quā forma expreſsè & determinatè ſignificatur actus ab agente circa hoc ſubiectum, vt ſupra. Denique *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, expreſsè ſignificat vnum nomen eſſentiale, & tria perſonalia: ſub qua certa & præciſa nominum forma, hæc Fidei profeſſio facienda eſt. Nam ſicubi, vel maximè hic obſeruanda eſt illa B. Aug. regula *lib. 10. Ciuit. cap. 23. Nobis non niſi ad certam regulam loqui fas eſt &c.* vt ſupra.

Reliqua de integritate, aut variatione huius formæ ſubſtantiali vel accidentali: ex noſtro Alenſi, S. Bon. & Scoto ſupra *col. 130.* ſub hac tantùm duplici ac vlteriori cautela. 1. Quod hæ & ſimiles formæ Sacramentales ſint quidem Sacramentaliter ſignificatiuæ ex inſtitutione Diuina: ſuppoſitā tamen aliqua humana; non prorſus eadem, ſed ſimili ſeu proportionata. Vnde etſi verbum, *baptizetur*, ſonaret tantùm optatiuè: ſicut in forma Extremæ vnctionis verbum *indulgeat*; Sacramentaliter tamen ſignificat potiùs imperatiuè & practicè, vel pluſquam demonſtratiuè ſeu indicatiuè. Sed quia forma Extremę Vnct. *Iac. 5.* refertur per modum orationis, & ſit etiam ſignificatiuè practica *per iſtam ſanctam Vnctionem &c.* non ſic autē forma Baptiſmi: probabilius eſt hanc non eſſe optatiui modi.

2. Quòd abſque mutatione materiali formæ verbalis, poſſet ſenſus eius in alium etiam oppoſitum mutari: non tantùm ex alia pronuntiatione aut ironia; ſed ex prioris ſignificationis deſtitutione, & inſtitutione nouæ, ſeu alio vſu ac ſenſu communi. Hinc fortè S. Athan. ſerm. 3. cōtra Arianos. *Ariani in periculum veniunt ne amittant integritatem myſterij: loquor autem de Baptiſmo* &c. *Qui quæſo non planè vanum ac inutile fuerit Baptiſma, quod ab illis datur: cùm id non niſi ſpecies ſit & inane ſimulacrum* &c? *Qui cum Ario ſentiunt, etiamſi recitent ſcripta, proloquanturque ipſa nomina: fruſtrantur illuduntque ijs qui ab ipſis Baptiſma recipiunt.* Quod vel de periculo intentionis in Miniſtris, vel de periculo fictionis in ſubiectis, vel de periculo corrumpendi formam exteriorem, vel potiùs de periculo corrumpendi ſenſum communem eiuſdem formæ, intelligi poteſt: prout etiam apud pleroſque corrupta fuit ſignificatio Homouſij, ab Arrianis toto orbe prædominantibus.

De obligatione huius aut illius formæ: infra Quæſt. Morali de Miniſtris, & ſubiectis.

Pleraque horum ſunt ex Doctrina noſtri Alenſis, & S. Bon. ſupra *col. 132. 136.* Doctrina autem Scoti huc vſque ſuſpenſa, hæc eſt, *diſt. 3. q. 2.*

Priori parte quæſt. De neceſſitate ſeu obligatione Miniſtri ex officio proprio, ad vtendum forma ordinaria ſuæ Eccleſiæ, etiam Græcæ: quamdiu ab Eccleſia Romana toleratur.

Poſteriori parte, De neceſſitate Sacramenti, ſeu de forma neceſſaria ad eius valorem: diſtinguit verba in minus principalia, non neceſſariò exprimentia Miniſtrum vllo nomine aut pronomine, ſed tantùm actum ſub indicatiuo aut alio modo, & ſuſcipientem in 2. aut 3. perſona: Et in verba principalia, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Circa quæ examinat quadruplicem mutationem. 1. Quaſi ſecundùm ſubſtantiam, mutando hæc verba in alia. 2. Secundùm quantitatem, minuēdo vel addendo, ante, poſt, vel inter. 3. Secundùm qualitatem, ſeu terminationem ac pronuntiationem. 4. Secundùm vbi, tranſponendo verba. De qualibet harum mutationum ſupponit quod inde deficere poſſit intentio neceſſaria: de qua diff. infra.

Primam mutationem ſubdiuidit in 5. modos. 1. Mutando ſolam vocem materialem, in aliam eiuſdem prorſùs ſignificationis. 2. Mutando in contra-

contrarium vel prorsùs diſparatum. 3. Mutando nomina perſonalia, in propria non perſonalia. 4. Mutando nomina diſtincta, in vnicum nomen TRINITATIS collectiuè. 5. Mutando illa in nomen Chriſti, connotans perſonas. Primus modus valet, ſed non licet. 2. Nullatenus valet. 3. Non videtur valere: quia hæc nomina perſonalia ſunt à Chriſto Eccleſiæ tradita, eſtque probabile habere efficaciam præ alijs. Nec 4. valet: quia non eſt explicitùs, vt *Matth. 28.* 5. Quondam valuit & licuit: ſed dubium an & nunc valeat. *Videtur*, inquit, *quod ſic baptizans peccaret mortaliter, imò omninò nõ baptizaret*: ob Legem *Matth 28.* promulgatam nec reuocatam, & rationem diſpenſandi tranſactam. Relabitur tamen in dubium de valore talis Baptiſmi, & ad tres regulas in dubijs practicis: de quibus ſupra.

*De 2.* mutatione. Quælibet additio repugnãs verbis principalibus, aut eorum diminutio, vel conditio non exiſtens, vel interruptio moralis quoad ſenſum, eſt contra valorem formæ: non autem ſyncopatio alicuius ſyllabæ, ſaluo ſenſu & captu cõmuni. Quod tamen ex reuerentia Sacramenti cauendum, ſub periculo grauis peccati.

*De 3. patet*, inquit *ex cap.* Retulerũt *de conſecr. d. 4.*

*De 4.* Si tranſpoſitio variat ſenſum, non valet: ſecùs ſi non variat. Vt tranſpoſitio ſolius ordinis inter perſonas: de qua videtur aliter Alenſi *col. 132.* ſed de graui confuſione illius ordinis.

*Ad 2. Arg.* Chriſtus expreſſit verba principalia, & actum ac ſuſcipientem: ſed reliquit Eccleſiæ determinare verba certæ perſonæ & modi. Ad 3. *Poſſibile eſt quod verba aliqua materialiter ſumpta, ſint forma* &c. *Imò potuit Deus inſtituere verba non ſignificatiua. Aliter poteſt dici, quod oratio ſit vera pro vltimo inſtanti prolationis*: vt de Euchariſtia *diſt. 8 q. 2. Tunc*, inquit, *non erit ſenſus, baptizo, ideſt Sacramentum Baptiſmi confero: ſed baptizo, ideſt abluo*: de qua diff. infra. Ad 4. & 5. Quòd *Ego* non ſit de neceſſitate, *neque vt expreſſum, neque vt implicitum verbo*: ſed eſt obligatorium ſaltem *à tempore Alexãd. 3. cap. Si quis puerum.* Ad 7. ex B. Aug. 5. *Trin. 7.* Idem eſt genitor qui pater: ſed non ſignificant *eundem primum conceptum &c.*

OBIECTIONES PROMISCVÆ.

1. MAtt. 28. Græcè non eſt, *In nomine &c.* ſed *in nomen*: ergò hæc forma non bene exprimitur Latinè. *Reſp. 1.* Hinc quidem colligi poſſe aliquam differentiam ab *Act. 2 & 10.* vbi habetur *In nomine* .i. quaſi ex Fide, virtute & merito Chriſti; ſed *Act. 8. & 19.* haberi etiam *in nomen*, vt *Matt. 28.* 2. *In nomine* poſſe quidem intelligi ex Fide, virtute, merito, fama, confeſſione, profeſſione Chriſti &c. vbi id contextus exigit aut patitur: ſed *Matt. 28.* ſub forma Baptiſmi non poſſe intelligi niſi *per nomen*, ſeu virtute non tantùm principali vnius Dei & trium Perſonarum; ſed etiam Sacramentali huius formæ verbalis.

2. Ex *diſt. 4. de conſecr.* Nicolaus Papa *cap. 24. A quodam Iudæo.* Pelagius Papa *cap. 30. Si reuera.* Zacharias Papa *cap. 88. Retulerunt.* Et Alexander 3. Titulo *De Bapt. cap. 1. Si quis puerum*: Sibi inuicem contradicunt de valore huius formæ. *Reſp.* Pelagium, Zachariam, & Alexandrum conuenire de neceſſaria expreſſione SS. Trinitatis: Alexandrum autem videri exigere pronomen *Ego*; ſed gloſſa exponit de integro ſenſu abſque expreſſo pronomine, & componit cũ Zacharia *cap. Retulerunt.* Hi autem tres videntur conciliari non poſſe cum Nicolao. Nam hic ex profeſſo ad conſulta Bulgarorum reſpondet, Baptizatos à quodam Iudæo non eſſe rebaptizandos, *ſi baptizati fuerint in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti: ſicut in Actu Apoſt. exponit S. Ambr.* Alexander autem 3. reſoluit quod ſi quis baptizans puerum non dixerit, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen*: puer non ſit baptizatus. Vbi ex additione *Amen* ſatis patet nec *Ego* eſſe de integritate. Pelagius. *Si qui ſolummodò ſe in nomine Domini baptizatos forſitan confitentur: ſine cuiuſquam dubitationis ambiguo, eos in SS. Trinitatis nomine baptizabis.* Zacharias. *Si ille qui baptizauit dicens: Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta: non errorem inducens aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis: non poſſum conſentire vt denuò baptizentur.*

Reſpondet Canus *lib. 6. de locis cap. 8.* Hos Pontifices non definiſſe hæc publicè: ſed ita priuatim reſpondiſſe ad propoſitas ſibi deſuper quæſtiones. Quem ideò Vaſquez *diſp. 143. cap. 3.* in quæſt. *66. art. 6.* de temeritate cenſurat: cùm tamen ipſemet tandem *cap. 4.* fateri cogatur Nicolaum Papam in hoc cum B. Ambr. Magiſtro Sent. & pluribus alijs erraſſe; ſed id vt alij Papæ non definiuiſſe. Quia alij deſuper conſulti, ita reſoluerunt: ipſe autem extendit hoc ſuum reſponſum ex priuata opinione vltra cõſultationem, quæ tantùm erat an Baptiſmus à Iudæo eſſet validus: pro vt & Innoc. 3. extendit ſuam ad valorem Circumciſ. *Cap. Maiores.* Alij reſponſum Nicolai reſtringunt ad tempus Apoſtolorum: alij exponunt de non rebaptizandis talibus abſolutè, ſed tantùm conditionatè: Gloſſa de valido, ſed illicito Baptiſmo ſub hac forma.

Quibus omnis collatis; *Reſp. 1.* Hos 4. Pont. non diſſentire doctrina Pontificia ſeu definitiua: ſed tantùm perſonali ac priuata opinione. Vt vult Canus ſupra: nec temerè; ſed ex æqua ratione, ac optimo fine cauendi diſſenſionem in doctrina definitiua, & abſque contradictione. 2. Non diſſentire directè in doctrina principali à ſingulis intenta: ſed tantùm incidentali. Vt patet ex textu ſingulorũ. 3. Reſponſum Nicolai quoad incidentale, eſſe tantùm conditionatum: ſi certò *Baptizati ſint &c.* Alioquin non potuiſſet abſolutè *conſtare tales non eſſe denuò baptizandos*: ſed ſaltem ex dubio ſub conditione rebaptizandos. Cum enim eſſet poſterior Pelagio & Zacharia, non potuit ignorare ſuorum prædeceſſorum, & communem ſaltem opinionem contrariam, neque hanc ſuam ſupponere vt certam. 4. Eſſe relatiuum ad Actus Apoſtolorum, & ſuſpenſum ab expoſitione S. Amb. quæ cum ſit tam obſcura ac incerta, non potuit fundare reſponſum tam certum & abſolutum. Nam & Actus Apoſtolorum quoad hoc ſunt incertiſſimi ſenſus, & quidem potiùs oppoſiti, apud pleroſque antiquos PP. Græcos & Latinos. Vt patet ex prædictis: & vltra ex *Act. 19.* vbi referuntur quidam baptizati *in nomine Chriſti*: quia nequidem audiuerant nomen Spiritus ſancti in Baptiſmo Ioannis; Ergò audiebatur in Baptiſmo Chriſti. *Ex Rom. 6. & Gal. 3.* Vbi omnes

dicuntur

Digitized by Google

dicuntur *baptizati in Chriſto*, ſicut 1.Cor. 10. *Omnes in vno Spiritu*: non tamen hoc ipſo nomine, ſed virtute. Ex S. Hilario *lib. de Synodis*. & S. Baſilio *lib. de Spiritu S. cap. 12.* Qui ex his & ſimilibus S. Script. locis colligũt, vnâ perſona nominata, alias non negari; ſed ſupponi. Ex S. Fulgentio, qui *lib. de Incarn cap 11.* hoc nomine communi Chriſto cum Patre & Filio, probat eius diuinitatem, ſeu naturæ identitatem: vt baptizari in nomine Chriſti. *Act. 2. 8. 10. 19.* ſit in nomine Dei tribus Perſonis cõmuni, vel etiam in nomine perſonali Chriſti, tanquam æquali nomini Patris & Spiritus ſancti. Expoſitio autem S. Ambr. videtur eſſe æquè incerti ſenſus, & huius poſtremi potiùs quàm vllius. Hinc enim intendit etiam æqualitatem trium Perſonarum, ex identitate nominis communis, & conſignificatione ac fide trium perſonarum: quamuis ſub vnica in S. Script. expreſſa, alijs tamen concreditis, & in ipſo facto ſuppoſitis. Nec obſtat quod ibi Nicolaus Papa: *Si in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in Chriſti nomine baptizati ſunt: vnum quippe idemque eſt.* Vel quia illud *tantùm* non excludit alias Perſonas, ſed ſolùm nomen SS. Trin. vel quia ibi *in nomine*, non in nominatione, ſed in Fide vel explicita SS. Trinitatis, vel implicita ſolius Chriſti. Nam cùm ageretur de Baptiſmo à Iudæo, totum videbatur inde pendere, vtrum ille cùm non eſſet Chriſtianus, baptizaſſet vero Baptiſmo ſecundùm fidem SS. Trinitatis, vel ſaltem Chriſti, ſeu ex intentione & obſeruantia inſtitutionis Chriſti. Sic enim, vt ſubdit Nicol. *Vnum idemq; eſt*, ſeu æquiualens.

OBIECT. 3. S. Aug. *lib. 3.* de Bapt. *cap. 14.* & lib. 6. *cap. 25.* ad formam Baptiſmi requirit neceſſariò *verba Symboli*. *Reſp.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 365. 367. 373.* non de toto Symbolo Apoſtolico noſtræ Fidei: ſed de *Symbolo*, inquit, *Euangelico*, ſeu de forma ipſa Baptiſmali ex verbis Euãgelij *Mat. 28.* Nam lib. 2. de Bapt. cap. 14. *Fieri poteſt vt homo integrum habeat Sacramentum, & peruerſam fidem: ſicut fieri poteſt, vt integra teneat verba Symboli, & tamen non rectè credat.* De quo autem Symbolo, ſubdit c. 15. *Si Euangelicis verbis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum.* Lib. 4. cap. 12. *Cùm Baptiſma verbis Euangelicis datur: qualibet ea peruerſitate intelligat ille per quem datur, vel ille cui datur: ipſum per ſe ſanctũ eſt, propter illum cuius eſt.* Lib. 6. cap. 25. diſtinguens preces ceremoniales ab hoc ſymbolo neceſſario: *Illa Euangelica verba ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari, tantùm valent; vt per ea ſic euacuentur quæcumque in prece vitioſa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur &c. Multi quippe irruunt in preces etiam ab hæreticis compoſitas &c. Deus adeſt verbis Euangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt &c. Cæterùm quis neſciat non eſſe Baptiſmum Chriſti: ſi verba Euangelica quibus Symbolũ conſtat illic defuerint.* Hinc non tantùm patet hanc ipſam formam vocari Symbolum, ſeu ſignum & breuem quandam Profeſſionem Fidei: ſed quàm ſit etiam improbabile vllam aliam formam valere aut vnquam valuiſſe.

*Contra.* Lib. 3. cap. 14. Comparat integritatem Sacramenti integritati Symboli: & exemplificat verba illa Symboli *ſiue de ipſa Trin. ſiue de Reſurr. vel aliquid aliud.* Ergò de integro Symbolo Fidei. *Reſp.* Poſſe quidem ibi ſic intelligi, quando non addit *Verba Euangelica*: ſed ibidem ſubdit. *Fieri poteſt vt Catechumenus credat aliquid contra Catholicam fidem: cui tamen errori verba Symboli non repugnant &c. Si talia credens in Catholica baptizetur &c. Nunquid denuò baptizandus eſt? Quid ita? Quia illa ſanctitas Sacramenti verbis Euangelicis conſecrata ſuper eum integra permanebit &c.* Ergo ſemper de eodem Symbolo Euangelico Baptiſmi, eiuſque integra notitia ac vſu actuali: non obſtante errore Fidei, *cui tamen verba Symboli non repugnant.* Non quaſi ſolus error internus repugnans verbis huius Symboli, ſit contra valorem Sacramenti: ſed vel diuertat ab eo, vel vitiet conſenſum neceſſarium, vel nonniſi expreſſus cum ipſo Symbolo, ſicque ei etiam exteriùs repugnans.

OBIECT. 4. Quòd Flor. ſeu Eug. 4. ſupra *col. 1.* videatur aliter referre vel interpretari formam Græcorum, quàm ſoleat: addendo *Talis*, &, *manibus meis* &c. Deinde quod requirat expreſſum actum ipſius Miniſtri, non expreſſionem ſubiecti. Denique quòd non requirat expreſſionem actus, ſed tantùm inuocationem cauſæ principalis: cum tamen ſicut hic eſt potior, ita & potius exprimendus videatur.

*Reſp. 1.* Ex Conc. Later. ſub Innoc. 3. *cap. 4.* Formam Græcorum non iam approbari, quàm tolerari: non tamen toleraretur, niſi quodam ſenſu quoad valorem tacitè approbaretur. 2. Eug. 4. in Flor. videri exprimere illum ſenſum, ſub quo approbatur: addendo *Talis*, &. *manibus meis*: non quaſi hæc verbatim exprimenda ſint; ſed quod ipſa facti circumſtantiâ exprimantur. 3. Non exprimi hunc actum Miniſtri exercitum, niſi circa hoc ſubiectũ: actum autem Miniſtri æquè intelligi poſſe paſſiuè ac actiuè; ſed in forma Latina magis exprimi actiuè, in Græca magis paſſiuè. 4. Ex noſtro Aleſ. *q. 13. m. 3. a. 2. §. 2.* Reſp. *Quod expreſſio actus baptizandi eſt de forma, ſicut Statutum eſt in Conc.* .i. *ab Alex. 3. cap.* Si quis puerum &c. de Bapt. *Ad 1. Actio hominis eſt relata. Vnde operatione hominis operatio Chriſti intelligitur, non è conuerſo. Item. Cùm operatio hominis exprimitur, exprimitur & modus operationis &c. Ad aliud, homo baptizat In nomine Patris &c. per hoc excludit à ſe auctoritatem &c. Ad aliud, ſicut intentio eſt de neceſſitate: ſic verbum Baptizo &c. Per hoc enim exprimit baptizans ſe tingere non ad lauandum, ſed ad baptizandum. Ad aliud. Vt referatur intentio baptizantis ad actum exercitum, neceſſaria eſt expreſſio huiuſmodi &c. Ad vlt. Si diceretur, intendo baptizare: non exprimeretur actus vt eſt actus; ſed vt eſt intentus.* 6. Æquè & meliùs exprimi cauſam principalem, eiuſque actum, quàm miniſterialem. Nam Miniſter nec neceſſariò exprimitur perſonaliter, non nominaliter nec pronominaliter: cauſa autem principalis, eſſentialiter & perſonaliter. Actus Miniſtri exprimitur quidem, ſed tantùm miniſterialiter & inſtrumentaliter, ſub ſua cauſa & actu principali: imò non exprimitur vt actus eius, ſeu opus operantis; ſed vt opus operatum, ſub his verbis *In nomine &c.* .i. ex phraſi originali Hæbraica, per vim non tantùm principalem & ſpiritualem Dei ac SS. Trin. ſed etiam inſtrumentalem horum verborum. Vt ſupra *Obiect. 1.* Quod quidem meliùs videtur exprimi paſſiuè ſub forma Græca: verùm niſi ſub intelligatur actiuè,

& quaſi

Digitized by Google

& quaſi imperatiuè, *Baptizetur à me*, vel *manibus meis*, hoc ipſo actu: ſed tantùm optatiuè & inuocatiuè, non ſatis exprimet actum exercitum Miniſtri, & vim Operis Operati. Nec obſtat quod Miniſter non poſſit imperare cauſæ principali: quia imperat ſuo actui, ſignificatque ſuum actum hîc & nunc imperatū: imò & ex inſtitutione videtur ſuo modo poſſe imperare effectum; vt *Ioſue 10.* dicendo quaſi Soli & Lunæ *Sta.* Neque huic obſtat inuocatio cauſæ principalis: tùm quia illud *Sta* erat etiam implicita inuocatio Dei, ad ſiſtendum ſolem: tùm quia hæc inuocatio non eſt tantùm precaria, ſed practica, ac executorialis, ſeu determinatiua cauſæ principalis, ſub hac forma reuerentiali.

OBIECT. 5. Ex Scoto *diſt. 3. q. 2.* ſupra, de neceſſaria expreſſione actus & ſuſcipientis, non autem Miniſtri: quia hic non exprimitur verbis Chriſti *Matt. 28.* contra Decretum Eug. & Reſponſionem noſtram Scholaſticam. *Reſp. 1.* Decretum Eug. videri potiùs ex hac doctrina Scoti elicitum: vt patet ex collatione. 2. Aliud eſſe *exprimi actum qui per ipſum exercetur Miniſtrum*, aliud exprimi ipſum Miniſtrum proprio nomine vel pronomine. 3. Non poſſe exprimi hunc actum exercitum, niſi exprimatur eius ſubiectum. 4. Poſſe hunc actum exprimi ſine tanta expreſſione huius Miniſtri: non tamen ſine expreſſa dependentia ab hoc agente, ſeu Miniſtro. 5. Chriſtum *Matt. 28.* vtrumque, ſed illud magis expreſſiſſe.

OBIECT. 6. Ex Scoto ibidem. *Quòd ſi varians intendit vti verbis quibus vtitur, tanquam forma Eccleſiæ præciſè: non baptizat &c.* Quaſi qui intenderet vti verbis non neceſſarijs tanquam neceſſarijs, deficeret intentione neceſſaria. *Reſp. 1. ex col. 80. Obiect. 7.* *Reſp. 2.* De intentione abſolutè, vel conditionatè expreſſa, & repugnante valori ipſius formæ. 3 De ſuſpenſione interiori conſenſus aut intentionis ab hoc ipſo, quòd quis nolit vti forma, niſi præciſè vt tali ac tanta, non autem pro quali aut quanta valere poteſt. Vt patet ex tota reliqua doctrina huius Quæſt. & ſpecialiter de 3. variatione.

7. Quòd Scotus non meminerit mutationis totius ſenſus, per communem vſum vel abuſum contrarium, nec per ſolum accentum interrogationis, ironiæ, admirationis. *Reſp.* Satis meminiſſe tùm ſub 1. mutatione ſecundùm ſubſtantiam, non tantùm materialem vocum, ſed etiam formalem ipſius ſignificationis: tum ſub 3. mutatione ſecundum qualitatem, ſeu variam pronuntiationem.

8. Ex eodem ibidem *Ad 3.* Quaſi hæc forma materialis vocum, ſiue ſignificatiua ſiue non, ſiue huius ſiue illius ſignificationis, ſit valida. *Reſp. 1.* Non de tali inſtitutione ac valore actuali, ſed de poſſibili tantùm. 2. De inſtitutione & valore etiam actuali formarum Sacramentalium, non ex vi ſuæ ſignificationis Grammaticalis, ſed Sacramentalis: imò nec in rigore ac præciſè ſecundùm illam, ſed ſecundum hanc, illi tamen conuenientem, & accommodatam. De quo ſub *diſt. 1. q. 2.*

9. Ex eodem ibidem *Ad 3.* Quod *Baptizo* ſignificet *abluo*, non autem totum Sacramentum: contra hanc reſponſionē noſtram Scholaſticam, ex Alenſi ſupra. *Reſp.* Ex hac 2. & conditionata Scoti reſp. ſequi potiùs quòd *Baptizo* ſignificet plus quam *abluo*, Ideſt, *Sacramentum Baptiſmi confero.* Tùm quia Flor. ſupra docet exprimi actum Miniſtri, qui non eſt ſola ablutio, ſed tota Sacramentalis actio: Tùm quia hæc forma poteſt adhuc durare vera poſt finem ablutionis actiuæ; ergò *Baptizo* non tantùm ſignificat ablutionem, ſed totum Sacramentum: Tùm quia non eſt par ratio cum forma conſecrationis, quæ ſignificat effectum ſuum in eſſe, hæc autem totum actum in fieri: tùm quia gloſſa *in cap. Multi ſunt, de conſecr. diſt. 4.* Gabriel, *diſt. 3 q. 1. a. 3.* & alij, ex & cum noſtro Alenſi docent quòd *mergo te* & ſimilia non ſint ſynonima verbo *Baptizo*; ſiue quia hoc ſignificet totam actionem Sacramentalem, ſiue ablutionem vt ſacram & cæremonialem; non autem tantùm profanam aut communem, vt illud.

10. Quòd Alenſis *q. 13. m. 3. a. 4. §. 3.* ſupra *col. 133* ✠ conſulat rebaptizare Græcos ſub cōditione: contra Concil. Later. & Flor. ſupra. *Reſp. 1.* Non contra ſenſum Later. & Flor. ſed abuſum fortè Græcorum, & alienationem ab illo ſenſu. 2. Ex ſenſu fortè Conc. Later. contra Græcos reprobantes formam Latinam, & nolentes communicare in ſenſu neceſſario. 3. Non quaſi ſola inhibitione Eccleſiæ Romanæ, ex valida fieri poſſet inualida, ſed tantùm illicita. 4. Quòd fortè tunc erat minùs certa. 5. Quòd fortè poſſet ab Eccleſia aboleri illa ſignificatio, ſicque fieri inualida. Ex his fortè poſſet excuſari error ille *Innoc. 4. in cap. 1. De Bapt.* & quorundam Canoniſtarum, quaſi forma græca non valeat in Eccleſiæ Latina, nec è contra.

## QVÆSTIO 4.

### Scholaſtica, Hiſtorica, & Moralis.

### *Quando Sacramentum Baptiſmi fuerit à Chriſto inſtitutum, & Circumciſio abolita?*

SVppoſita inter omnes Chriſtianos doctrina Dogmatica, de expreſſa huius Sacramenti à Chriſto inſtitutione: ex *Ioan. 3. Mat. & Marc. vlt.* ac aliunde ſuprà, à *col. 83.* ad *104.* & à *col. 131.* hucuſque: & de abolitione Circūciſionis, omniūq; legaliū, ex *Rom. 3.* Quæ vtilitas Circūciſionis? *1. Cor. 7.* Circumciſio nihil eſt, nihil prodeſt. *Gal. 2. 3. 5.* Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit &c. Ex Conc. Apoſtolorum *Act. 15.* ex S. Epiph. *Hæreſi 18. & 20.* B. Aug. *Hæreſi 8. & 9.* Ebionis, Cherynthi, & Nazaræorum, confundentium Iudaiſmum cūm Chriſtianiſmo. Ex Innoc. 3. Cap. Maiores, *Reſpondemus quod Baptiſma Circumciſioni ſucceſſit: abſit enim vt in illam damnatam hæreſim incidamus, quæ perperam aſſirmabat legem cum Euangelio, & Circumciſionem cum Baptiſmo ſeruandam.* Superſunt tantùm difficultates Scholaſticæ, Morales, ac Hiſtoricæ: De prima inſtitutione, Cōſilio, Præcepto, promulgatione, obligatione, neceſſitate huius Sacramenti; & de reuocatione, abolitione, inhibitione Circumciſionis: vtrum ante vel poſt Chriſti mortem, Reſurr. Aſc. Pent. & quando; ex varijs ac incertis ſacræ Script. indicijs & opinionibus ſeu conjecturis hinc inde elicitis. Quarū hæc eſt Doct. noſtri Subt. *d. 3. q. 4.*

1. Quòd Baptiſmus Chriſti fuerit inſtitutus ante eius expreſſionem & vſum Ioan. 3. & 4. ſed incerto tempore determinatiori.

2. Quòd fuerit inſtitutus & promulgatus ſub conſilio



Digitized by Google

conſilio, ante ſolemnem eius promulgationem, ſub præcepto & neceſſitate, Ieroſolymis in die Pentecoſtes, & alibi ſucceſſiuè: ex *Ioan. 3.* de ſecreta reuelatione neceſſitatis Baptiſmi Nicodemo. *Ioan. 15.* de neceſſitate promulgationis ad obligationem legis poſitiuæ. *Act. 2. & Eſa. 2.* de Sion exibit lex &c. Ex commendatione, ac obſeruantia legis ab ipſo Chriſto; & ex congruitate ſepeliendi Synagogam cum honore, ac introducendi ſuauiter legem gratiæ.

3. Quòd promulgatio ſub conſilio Diuino, obliget ad non contemnendum: ſub præcepto, obliget ad obſeruandum. Conſiliũ autem, vel præceptum humanum ſuperioris, non obliget ad non contemnendum, ideſt, ad illud iudicio approbandum, ſi ſit nimis inutile, ac irrationabile: præceptum tamen obliget ad non contemnendum ipſo facto, ſed obſeruandum, ex *Matt. 13.* Quia nemo tenetur approbare falſum.

4. Circumciſionem fuiſſe Iudæis neceſſariam, vſque ad primam inſtitutionem & notitiam Baptiſmi: Hinc non neceſſariam, ſed vtilem vſque ad ſolemnem eius promulgationem in die Pentecoſtes: ab hac fuiſſe inutilem, ſed adhuc licitam inter Iudæos pluribus annis, vel ad incertum tempus, vel vſque ad euerſionem Ieruſalem & diſperſionem inter gentes, vel vſque ad ſpecialem inhibitionem Dei per Apoſtolos, aut ſucceſſores; ſed illicitam fuiſſe gentilibus conuerſis ad fidem Chriſti, ab ipſa ſolemni promulgatione Baptiſmi, vel ab illo Concilio Apoſtolorum *Act. 15.* quo declarantur liberi à legalibus, excepta abſtinentia, *non neceſſaria ſed congrua*, inquit, *à ſanguine & ſuffocato*, ad facilitandam ſocietatem cum Iudæis.

5. Hæc colligi ex celebri illa deſuper controuerſia, inter Principes Apoſtolorum *Gal. 2.* & tantò poſt inter S. Hieronymum pro innocentia S. Petri, ac S. Aug. pro veracitate S. Pauli, vel potiùs ſacræ eius *Epiſt. ad Gal.* In qua præfatus cap. 1. *Quæ ſcribo vobis ecce coram Deo, quia non mentior:* refert *cap. 2* *Se iterum aſcendiſſe Hieroſolymam*, nec ibi Titum diſcipulum ſuum *cum eſſet Gentilis, compulſum fuiſſe circumcidi; neque ſe ad horam ceßiſſe quibuſdam falſis fratribus &c.* Sed *Iacobum, & Cepham, & Ioannem qui videbantur columnæ eſſe, dextras ſocietatis ſibi & Barnabæ dediſſe &c. Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam: ſe ei in faciem reſtitiſſe; quia reprehenſibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentilibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat ſe, timens eos qui ex Circumciſione erant; & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi &c. Sed cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij: dixi Cephæ coram omnibus. Si tu cùm Iudæus ſis gentiliter viuis & non Iudaïcè, quomodo Gentes cogis iudaïzare?* In qua controuerſia: *Salua*, inquit Scotus, *reuerentia, teneo cum Paulo & Auguſtino*: quia Apoſtoli in ſuis actibus & verbis vt homines potuerunt errare: non tamen vt Sacri Scriptores, ex B. Aug. *Epiſt. 19.* ad Hier. Ergò Petrus in hoc verè reprehenſibilis fuit &c. Sed quo ſenſu: cùm ipſe etiam Paulus circumciderit diſcipulum ſuum Timothæum *Act. 2.* & ſeipſum legaliter purificauerit *Act. 21?* *Reſp.* 4. modis. 1. Quia reprehenſibile fuit in Eccleſia Gentium Antiochiæ, non conformare ſe illi Eccleſiæ. 2. Quia hoc exemplo quaſi neceſſario aut meliori, Petrus ſua auctoritate *cogebat Gentes iudaïzare.* 3. Quia hoc facto ſimulabat aliquid contra ſuam mentem. 4 Quia non vtebatur ſua auctoritate, ſed nimium timebat ſcandalizare Iudæos: cùm non eſſet materia ſcandali, ſed è contrà. *Matt. 15.* Quorum ſingula potuerunt eſſe peccatum veniale potiùs, quam mortale &c.

De quibus vix quicquã Alẽſ. expreſsè & diſtinctè: ſed tantùm ſupra *col. 132.* ex *q. 12.* & *q. 7. m 9* De duratione Circumciſionis. *Ad 1. Arg.* De fœdere æterno *Gen. 17.* *Reſp.* Æternum ibi accipi pro ſæculo. Ad aliud, de Chriſto Circumciſo. *Reſp. Non ad exemplum imitationis, ſed ne Iudæis daret occaſionem incredulitatis, & vt appareret filius Abrahæ.* Ad aliud, de Circumciſ. Timothæi *Act. 16.* *Reſp.* Ex Aug. *Ad cauendum ſcandalum Iudæorum; nec poſuit ibi ſpem Apoſtolus, ſed ne videretur legis inimicus*: vt Chriſtus *Mat. 8.* miſit leproſum offerre munus legale.

Sed S. Bon. totam illam doctrinam Scoti prælineauit *diſt. 3 p 2. a. 3. q. 1.* Conc. *Inſtituto Baptiſmo, Circumciſionem debuiſſe ceſſare.* Quæſt. 2. *Nec eam, nec legalia ceſſaſſe ante promulgationem Euangelij quantùm ad obſeruantiam, nec quantùm ad efficaciam vniuerſaliter: quia creditur in his qui diſtabant habuiſſe efficaciam.*

Reſp. Ad Arg. S Hier. *Duo tempora inſtituit: vnum condendi Euangelium, ab Aduentu Chriſti vſque ad Paßionis conſummationem: Aliud promulgationis, ab aduentu Spiritus S. vſque ad finem mundi. Similiter intellexit quòd legalia conuenit dupliciter ſeruare: vel ex præcepto tanquam neceſſaria ad ſalutem, vel ex diſpenſatione; non quia bona ſint, ſed quia inde elicitur bonum. Conceßit ergo legalia ſeruari debere quovſque veritas Euangelij promulgaretur: ita vt nulli poſt acceptam notitiam veritatis liceret illa ſeruare, niſi illis ad quos non peruenerat prædicatio Euangelij, vel etiam Apoſtolis maioribus, ex diſpenſatione, & pia quadam ſimulatione.* Act. 15 1. Cor. 9. Gal. 2.

Aug. *autem triplex tempus intellexit: condendi Euangelium, promulgandi conditum, & cuſtodiendi iam promulgatum. 1. Ab aduentu Chriſti vſque ad Paßionis conſummationem: quo tempore ſunt legalia infirmata, & in morte Chriſti mortua. 2. A Paßione Chriſti vſque ad diuulgationem Euangelij in omnes Gentes.* Pſalm. 18. *Et hoc tempore ſunt legalia ad tumulum deducta. 3. Ab illo tempore vſque ad mundi finem: in quo legalia ſunt quaſi in tumulo clauſa &c. Dixit ergo Aug. quod 1. tempore legalia ſeruari poterant tamquam viua, propter ſalutis neceßitatem, vel vtilitatem. 2. ab his etiam qui audierant Euangelium, propter honeſtatem: quia Synagoga cum honore erat ducenda ad tumulum, non quaſi idololatra ſtatim abijcienda: & propter proximi vtilitatem, ne Iudæi à fide reuocarentur. 3. Nullo modo ſunt ſeruanda; quia qui iam ſeruaret non eſt materni corpuſculi honorator, ſed ſepulturæ impudens reuelator. Et ita poſuit, quod Petrus & Paulus ſeruauerunt: non tantùm ſimulatoriè, ſed etiam veraciter &c.* Similiter, *quod Petrus veraciter reprehenſus ſit à Paulo* Gal. 2. *non quia legalia ſeruabat; ſed quia ſuo exemplo Gentiles iudaïzare cogebantur. Nam ſi ibi tantùm fuit ſimulatio: propter ſcandalum vitandum liceret relinquere veritatem &c. Rurſus ſi Paulus tantùm ſimulatè reprehendit Petrum* Gal. 2. *falſum ergo dixit & mentitus eſt &c. Sed quis audeat dicere &c. Ideo modo ſoluendi Aug. adhærent qui melius ſentiunt. Vnde Hugo de S. Vict. præter rationem Aug. aliam aßignat. Quia nec natura, nec ratio ſuſtinet repentinas mutationes &c. Creditur ſicut dicit Bern. quod legalia habuerint efficaciam in his qui diſtabant,*

Digitized by Google

*bant, & præceptis reſtringi adhuc non poterant: non autem in his qui ſcire poterant.*

Ad 3. *Ioan. 3. Chriſtus hoc dixit Nicodemo quaſi conſilium in occulto.* Ad 4. *Petrus reprehenſibilis erat: non quia malè faceret, ſed aliquantulùm incautè &c. Credo quod fuit in eo aliqua culpa, licet non mortalis &c. nec eſt excuſandus ab vna leui negligentia, ne Paulus accuſetur grauiùs mendacij culpa.*

In quorum pleriſque, plerique conſentiunt: quidam in quibuſdam infra objiciendis diſſentiunt. Noſtra autem reſponſio eſt.

## RESPONSIO.

OPtimè Doctores noſtri Alenſis, S. Bon. & Scotus tàm inter ſe, quàm cum Sacra Script. Sacris Conc. ac Patribus conſentiunt, de tempore inſtituti ac neceſſarij Baptiſmi, & abolitæ Circumciſionis.

Quòd inter ſe &c. patet ex collatione Doctrinæ ſupra. Quod cum Sacra Script. De Baptiſmo quidem patet ex collatione cum illo Mat. 3. *Ego à te debeo baptizari &c. Sine modo &c.* Ioan. 1. *Quid baptizas ſi tu non es Chriſtus &c?* Ioan. 3. *Rabbi, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat & omnes veniunt ad eum.* Cap. 4. *Audierunt Phariſæi quod* IESVS *plures diſcipulos facit, & baptizat quàm Ioannes: quanquam* IESVS *non baptizaret, ſed diſcipuli eius.* Vtique extraneos, vel ordinariè: vt S. Paulus *1. Cor. 1.* Non eſt enim credibile quod miſerit diſcipulos ſuos ad baptizandum, multò minus ordinauerit Apoſtolos ſuos in Sacerdotes, niſi priùs à ſe immediatè vel mediatè baptizatos: prout innuit Ioan. 3. *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet.* Imò *Matt. 3.* videtur etiã baptizaſſe ſuum Baptiſtam: quanto potiùs Matrem propriam? De abolitione autem legalium, ex ſacris Script. ſupra.

Quòd cum ſacris Conc. patet ex ipſo Trident. *ſeſſ. 6. cap. 4.* De neceſſitate Baptiſmi in re vel voto, *poſt Euangelium promulgatum.*

Quòd cum SS. PP. patet ex collatione cum B. Aug. ex profeſſo Epiſt. 108. *Poſtquam Chriſtus in Eccleſia ſua Sacramentum noui Teſt. pro Circumciſione dedit, & dixit Ioan. 3.* Si quis &c. *Non debemus quærere quando quiſque fuerit baptizatus: ſed quoſcumque legerimus in Corpore Chriſti quod eſt Eccleſia, pertinere ad Regnum Cælorum, non niſi baptizatos intelligere debemus: niſi fortè quos anguſtia paſſionis inuenit, quibus ipſa paſſio pro Baptiſmo deputata eſt. Non omnia quæ facta ſunt, etiam ſcripta inueniuntur &c. De Domino ſcriptum eſt* Ioan. 3. & 4. *Et quia* baptizabat plures quàm Ioannes, & quia ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli eius. *Tunc ergò baptizabat, non per ſeipſum, ſed per diſcipulos ſuos: quos intelligimus iam fuiſſe baptizatos, ſiue Baptiſmo Ioannis vt nonnulli arbitrantur, ſiue quod magis credibile eſt Baptiſmo Chriſti. Neque enim miniſterio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos ſeruos, per quos cæteros baptizaret: qui non defuit illius humilitatis miniſterio, quando eis lauit pedes, & Petro reſpondit:* Qui lotus eſt &c. *Vbi intelligitur quod Petrus iam baptizatus fuerat.* Et ſimilia *lib. 3. de anima cap. 9. Tract. 4. 5. 6.* in Ioan. Vt Tract. 5. *Quos baptizauit Iudas, non ſunt iterum baptizati.* Tract. 6. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Ioan. 1. *Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat: Iudas baptizet, hic eſt qui baptizat.* Et alibi ſæpè De Baptiſmo. De abolita autem Circ. & legalibus, ex profeſſo *lib. 19.* contra Fauſtum *cap. 17. & 18.* & Epiſt. *8. 9. 19* ad S. Hier. in *Gal. 2.* Vt S. Bon. & Scotus ſupra: exceptis paucis ſuppletis *Tomo 2. noſtræ Anat. col. 911. 912.* & referendis ac ſupplẽdis infra per diſtinctas obiectiones.

Sed verbatim & coniunctim ex collatione S. Bon. & Scoti cum *Epiſt. 77.* S. Bern. ad quam S. Bon. ſupra ſe refert. *Satis profectò ex his quantùm reor apparet, quod damnatio non baptizatorum, & fruſtratio Circumciſorum, & euacuatio ſacrificiorum, quæ fortè contrà originale peccatũ ritus obſeruauit antiquus, generaliter iam tunc minimè cœperit, quando Nicodemo clam dictum eſt:* Niſi quis renatus fuerit &c. *Sed nec quando Apoſtolis palàm iniunctum eſt:* Ite & docete omnes Gentes &c. Mat. 28. *Sed ex eo tempore tantùm cuique cœpit antiqua obſeruatio non valere, & non baptizatus quiſque noui præcepti reus exiſtere, ex quo præceptum ipſum inexcuſabiliter ad eius peruenire potuit notitiam. Sanè paruulis, & necdum ratione vtentibus quia ſola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati præuaricatio, tamdiu credendum eſt antiqua valuiſſe Sacramenta, quamdiu palam interdicta fuiſſe non conſtiterit. An verò vltra, penes Deum eſt, non meum definire.*

## OBIECTIONES.

1. EX Magiſtro in *4. diſt. 3.* Quod Chriſtus inſtituerit Baptiſmum ſuum quando Baptiſmum Ioannis ſuſcepit: quia tunc aquam in Baptiſmi ſui materiam conſecrauit, ex conſenſu SS. PP. & SS. Trin. myſterium in ſignificationem formæ Baptiſmalis apparuit: & Mat. 3. Ioannes Baptiſmo Chriſti ſe ſubmiſit dicens, *Ego à te debeo baptizari*: Chriſtus autem reſpondens, *ſine modo* &c. videtur tantùm præuenire Ioannem hac ſua humilitate, & collationem Baptiſmi ſui differre poſt ſuſceptum Baptiſmum Ioannis. *Reſp.* Has quidem coniecturas eſſe probabiles: ſed nec certas, nec probabiliores illa Scoti incertitudine. Tùm quia SS. PP. tribuunt tantùm conſecrationem illam aquæ contactui Corporis Chriſti, non autem ſpeciali inſtitutioni. Tùm quia illa apparitio SS. Trinitatis non fuit ſub expreſſa verborum forma, ſed ſub alijs ſignis partim viſis, partim auditis. Tùm quia illud Baptiſtæ ad Chriſtũ, fuit tantùm debitæ humilitatis ac dependentiæ: hoc autem Chriſti ad Baptiſtam, habet nimis varios & incertos ſenſus, quàm vt poſſit certã opinionem fundare, vel certiorem illa incertitudine Scoti.

2. Quod per inſtitutionem Baptiſmi ſub conſilio, non fuiſſet reuocatum præceptum Circumciſionis in ſignum populi Iudaici: ſicut nec populus ille fuit per hoc abolitus. *Reſp.* Circumc. fuiſſe primariò inſtitutam in remedium neceſſarium maſculis Iudæorum, contra peccatum Originale: ſecundariò autem & conſequenter tantùm, in ſignũ illius populi: ideoque inſtituto & conſulto Baptiſmo vt medio perfectiori, hoc ipſo ceſſaſſe neceſſitatem & obligationem Circumciſionis: neque hinc populum illum ſicut nec Circumciſionem, nec plura alia eiuſdem populi ſigna publica ac communia, ſtatim abolita, ſed paulatim abolenda fuiſſe.

3. Sola inſtitutio Legis diuinæ obligat omnes conſcios ſub ſola excuſatione ignorantiæ inculpabilis: Leges autem humanæ non obligant ſine pro-

 mulgatione,

Digitized by Google

mulgatione; vel quia Legiſlatores nolunt, vel quia non poſſunt aliter obligare. Ergo non rectè Scotus ſupra. *Reſp.* Eſſe de ratione Legis, ſaltem poſitiuæ, vt ſit communis & publica, ac conſequenter ſub tali ratione promulgata: alioquin non tam eſſet Lex, quàm Præceptum aliquod ſpeciale. Ergo Baptiſmus non fuit inſtitutus ſub ratione Legis & medij communis ac neceſſarij, ante promulgationem communem.

4. Fuit ab initio promulgatus ante, vel per vſum publicum. *Ioan. 3. & 4.* Ergò ex tunc neceſſarius. *Reſp.* Ex tunc fuiſſe tantùm promulgatum, ſeu propoſitum ſub conſilio melioris & perfectioris: necdum autem ſub ratione Legis communis, nec Præcepti ſpecialis. Quia cùm eſſet inſtitutus in medium ac remedium cōmune toti mundo: poterat quidem & congruebat primò proponi ac conſuli Iudæis; non tamen obligatoriè promulgari, niſi ſub ratione Legis communis: prout cœpit promulgari à feſto Pentecoſtes, coram Romanis & Iudæis *ex omni natione quæ ſub Cœlo eſt*, & ſub dono omnium linguarum *Act. 2.*

5. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* Ergò ex tunc fuit medium neceſſarium & obligatoriū. *Reſp.* neg. conſeq. Quia fuit potiùs prædictio quàm indictio huius neceſſitatis ac obligationis: vt Ioan. 6. *Niſi manducaueritis &c.*

Contra *Niſi quis renatus fuerit &c.* ſignificat paſſiuè neceſſitatem medij: *Niſi manducaueritis*, ſignificat actiuè neceſſitatem præcepti tantùm: neceſſitas autem medij non pendet ab vlla notitia, ſicut neceſſitas & obligatio præcepti. *Reſp. 1.* Illud *Ioan. 3.* prædici paſſiuè; quia de omnibus tam infantibus, quibus breui erat futurus neceſſarius neceſſitate ſolius medij quàm adultis quibus erat futurus paſſiuè & actiuè neceſſarius neceſſitate medij & præcepti: hoc autem *Ioan. 6.* prædici actiuè; quia pro ſolis adultis, ſiue ex ſola neceſſitate præcepti, ſiue etiam medij. De quo ſub Sacramento Euchar. *Reſp. 2.* Ioan. 3. fuiſſe tantùm priuatam ac ſecretam propoſitionem huius medij, ſub ratione obiecti credibilis, & ſuo tempore neceſſariò credendi ac obſeruandi: necdùm autem hîc & nunc actiuè obligantem ad illud obſeruandum vel etiam credendum. Vt patet ex tota illa ſuaui ac familiari inſtructione ac perſuaſione Nicodemi à Chriſto ante omnem vſum aut ſaltem mentionem conſequentem Baptiſmi Chriſti: Sed *Ioan. 6.* fuiſſe publicam propoſitionem, imò & obligationem credendi. Vt patet tùm ex verbo actiuo; tùm ex comminatione ac inculcatione; tùm expreſſa ibi quorundam incredulitate, duritia cordis, & quorundam etiam diſcipulorum apoſtaſia à Chriſto; tùm denique ex Fide ac confeſſione Petri. Nec his obſtat ſed fauet B. Aug. *lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 20.* confirmans illud *Ioan 3.* ex hoc *6.* etiā de paruulis: non eodem vtrobique modo, ſed accomodato paruulis & adultis. Vt planiùs ſub Sacram. Euchar.

6. Chriſtus obſeruauit Circumciſionem & legalia, proteſtans *Mat. 5.* ſe non veniſſe ſoluere Legem, ſed adimplere. *Reſp. 1.* Obſeruaſſe ex humilitate, non obligatione. *2.* Ad redimendam & finiendam, non confirmandam obligationem. *3.* Non veniſſe ſoluere ſeu violare Legem etiam ceremonialem, ſed vt figuras in ſe ipſo adimplere, & earum vmbras ſua veritate illuſtrare. *4.* De Lege naturali & morali non ſoluenda ſeu relaxanda, ſed perficienda exemplo ſuo & doctrina. Vt patet ex *Matt. 5.* & ex B. Aug. ſub Indice noſtro Dogm. *col. 70. 71.* *5.* Nec ſoluiſſe ipſam Legem poſitiuam Decalogi: contra Dom. Sotum *lib. 2. de Iuſt.* & quoſdam alios. Vt patet tùm ex *Mat. 5.* & frequenti inculcatione eiuſdem Decalogi in nouo Teſt. Tùm ex B. Aug. qui *lib. 15.* contra Fauſt. Eccleſiæ Chriſti Sponſæ Decalogum appropriat, & gratulatur, ſub nomine *lapidei Dypticbij*, contra calumnias & blaſphemias Fauſti. *Lib. de Spiritu & litt. cap. 4.* ſuſtinet non eſſe Legem occidentem, ſed obſeruandam à Chriſtiano, excepto ſabbato Iudaico. Lib. 3. contra 2. Epiſtolas Pelag. cap. 10. *Nunquid noſtri ſumus non ad nos pertinere ipſum Decalogum, excepta ſabbati obſeruatione carnali, quæ ſpiritualem ſanctificationem quietemq; ſignificat?* Nec obſtat hæc exceptio, aut quod hoc ſolum videatur eſſe poſitiuum: tùm quia hæc ſola exceptio firmat omnia reliqua, tùm quia obligat ad aliam determinationem temporis; tùm quia ſunt fortè quædam etiam aliæ obligationes, vltra præciſam Legem naturæ; tùm quia non videtur fuiſſe Lex propria Iudæorum, ſed communis omnium, excepta quadam obſeruātia ſabbati; tùm quia nullo iure eſt reuocata, ſed potius confirmata; tum denique quia vltra obligationem Legis naturæ, poteſt etiam habere obligationem Legis poſitiuæ.

7. Ex Gal. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Teſtificor omni circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ Legis faciendæ.* Quæ vel ſunt contradictoria, vel ſignificant libertatem vtendi alterutra Lege. *Reſp. 1.* Prius poſſe intelligi de Galatis pro tunc Chriſtianis ex Gentiliſmo: poſterius de tunc Chriſtianis ex Iudaiſmo. *2.* De ſolis tunc Chriſtianis ex Gentiliſmo: quòd circumcidendo ſe, & priuentur fructu Chriſtianiſmi, & ex conſcientia erronea ſeſe obligent ad omnia onera Iudaïſmi.

8. Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem *Luc. 16.* Circumciſio autem non ex Moyſe, ſed ex Sanctis PP. *Ioan. 7.* Ergò Legalia ſunt abolita, ante Circumciſionem &c. *Reſp.* De Lege prophetante ſeu figurante vſque ad Ioannem incluſiuè: de Circumciſione autem, quoad inſtitutionem antè, ſed pro futuro ſpeciali populo, qui in communem populum Chriſtianū cum Gentilibus coagulandus erat, nouo quaſi coagulo ſacri Baptiſmatis, ſanato vulnere, & abſterſo ſanguine ac cicatrice Circumciſionis.

9. Conſummatum eſt. *Ioan. 19.* Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt Legis tranſlationem fieri. *Hebr. 7.* Ergò omnia Legalia fuerunt abolita per mortem Chriſti. *Reſp.* De conſummatione & tranſlatione vel ſpeciali ibi expreſſa, vel de communi in veritate, & cauſa, ac effectu proximo.

10. Meliùs prouiſum fuiſſet ſaluti hominum per primam inſtitutionem obligatoriam Legis Chriſtianæ, ſub excuſatione ignorantiæ inuincibilis, & per concurſum Remedij Legis naturæ ac Circumciſionis, vſque ad ſufficientem propoſitionem Fidei Chriſtianæ vnicuique. Nam per abolitionem huius ac illius Remedij, & neceſſitatem noui, ſiue à morte Chriſti, ſiue à publica & communi promulgatione ante ſufficientem huius propoſitionem vnicuique;

cuique: plurimi ex ignorantia inuincibili fruſtrati eſſent omni remedio neceſſario. *Reſp. 1.* Id videri velle S. Bern. 2. Iudæorum adultos vix potuiſſe ex tunc excuſari à pertinacia, & conſequenter à damnatione & illo damno ſuorum paruulorũ. 3. Gentiles equidem diu ante ſuâ culpâ caruiſſe Remedio Legis naturæ. 4. Fuiſſe indignos & demeruiſſe notitiam ac Fidem noui illius Remedij. 5. Non fuiſſe obligatos ſub præcepto, ante ſufficientem propoſitionem, aut poſſibilem comparationem notitiæ. 6. Fuiſſe ex ſe & ſua culpa auerſos à Fide, & medijs ac remedijs ſalutaribus. 7. Horum paruulos fuiſſe etiam hoc remedio indignos. 8. Priuationem ergò remedij non poſſe tribui niſi eorum indignitati, & maiorum demeritis: prouiſionem autem, perſuaſionem, & vſum ſalutarem, ſoli gratiæ Dei per merita Chriſti.

OBIECT. 11. *Ex Gal. 2. Act. 16. 21. & S. Hier.*

Poteſt ille error *Act. 2.* intelligi de alio Cepha: vel illa reprehenſio S. Pauli, & reprehenſibilitas S. Petri intelligi ſimulatè, & vt S. Hier. loquitur, *diſpenſatiuè*, id eſt, diſcretè & accommodatè ad captum & ſalutem præſentium: non autem mendaciter, vt S. Aug. capiebat. Ergò totum ſic intelligendum eſt ſecundùm S. Hier. ad ſaluandum honorem vtriuſque Apoſtoli, abſque vllo præiudicio Sacræ Script. cùm Apoſtoli & ſpecialiter S. Petrus poſt ſuam conuerſionem à negatione Chriſti, confirmatus fuerit in gratia. *Reſp. 1.* Nullatenus intelligi poſſe de alio Cepha, quàm de S. Petro, ſub eodem contextu aliquoties expreſſo. *Reſp. 2.* Non poſſe intelligi de ſimulatione, ſeu diſſimulatione ex condicto inter SS. Petrum & Paulum: Tùm quia vt inculcat B. Aug. *Epiſt. 19.* Paulus ante proteſtatur *coram Deo ſe nõ mentiri*: Tùm quia ſubdit, ſe *in faciem reſtitiſſe Petro; quia reprehenſibilis erat, nec rectè ambulabat ad veritatem Euangelij*, ob cauſam ibidem expreſſam. Nec obſtat quod textus græcus habeat *ſecundum faciem reſtiti ei, quia reprehenſus erat*, quaſi à Iudæis de eo ſcandalizatis: hic enim ſenſus eſt prorſus contrarius toti contextui, qui admittit quidem Paulum non affectu interiori, ſed exigit effectu exteriori verè reſtitiſſe S. Petro in faciem non contemptibiliter, ſed ſecundùm faciem, ſeu præſentiam publicam, & coram omnibus: non quia ab alijs iniuſtè reprehenſus, ſed quia verè reprehẽſibilis & reprehendendus, ob cauſam ibi expreſſam. *Reſp. 3.* Non poſſe intelligi de licita diſſimulatione, diſpenſatione, accõmodatione S. Petri cum Iudæis & Gentilibus: Tùm quia Eccleſia illa localis non permittebat talem accommodationem cum Iudæis: Tum quia veritas ac veracitas æquè in factis ac dictis non patitur talem fictionem, vt conuincit B. Aug. *libris de & contra mendacium*: Tùm quia Fides ac Religio obligat ad confeſſionem ac profeſſionem in tali occaſione ac periculo ſeductionis: tum quia perſonæ authoritas obligabat ad maiorem conſtantiam & liberiorem veritatis proteſtationem: tum denique quia Sacræ Script. veracitas obligat nos ad ſenſum ſinceriorem. *Reſp. 4.* Poſſe intelligi de vera reprehenſibilitate S. Petri, eiuſque vera reprehenſione à S. Paulo, abſque vlla culpa formali, ſed tantùm materiali S. Petri, ex ſolo errore facti, ſeu inaduertentia naturali ad obligationem præſentem, & periculum ſcandali. De quo meritò potuit ac debuit reprehendi, ſeu ab illo errore ac inaduertentia corrigi. *Reſp. 5.* Nec S. Petrum, nec alios Apoſtolos ita fuiſſe confirmatos in gratia, quin potuerint, & venialiter peccauerint, ex *1. Ioan. 3.* *Reſp. 6.* Nihil hoc derogare S. Petro, vel arrogare S. Paulo, ſed potius è contrà: ex B. Aug. in Epiſt. ad Gal. 2. *Quod Paulus coram omnibus dicit Petro, neceſſitas coegit, vt omnes obiurgatione illius ſanarentur &c. Firmitas & Charitas Petri &c. obiurgationem talem poſterioris Paſtoris pro ſalute gregis libentiſſimè ſuſtinebat. Nam erat obiurgatore ſuo ipſe qui obiurgabatur mirabilior, & ad imitandum difficilior.* *Reſp. 7.* Neque hinc quicquam derogari S. Hier. vel arrogari S. Aug. tum quia S. Hier. Epiſt. 11. inter Auguſtinianas *cap. 3.* ſatis excuſat ſeipſum ab opinione contraria Auguſtino, tanquam non ſua, ſed ex antiquioribus relata, contra calumnias infidelium in Principes Apoſtolorum. *Cap.* autem *4.* imputat quidem B. Aug. quaſi errorem Nazaræorum, de licito Iudaiſmo cum Chriſtianiſmo: Sed B. Aug. *Epiſt. 19.* humiliter fatetur ſe ei præbuiſſe aliquam occaſionem huius imputationis Epiſt. ſua *8. cap. 4.* non reſtringendo licitum vſum legalium inter Iudæos ad vllum tempus. *Fateor*, inquit, *in eo quod Epiſtola continet mea, minùs me poſuiſſe: Illo dumtaxat tempore, quo primum Fidei gratia reuelata eſt. Tunc enim hoc non erat perniciosum, niſi ab omnibus Chriſtianis deſererentur. Proinde potiùs culpanda eſt negligentia mea, quia hoc non addidi, quam obiurgatio tua. Veruntamen longè ante ſcribens contra Fauſtum, quomodo eundem locum breuiter explicauerim, & hoc illic non prætermiſerim, legere poterit ſi non dedignetur benignitas tua.* Lib. 19. cap. 17. & 18. *Reſp. 8.* B. Hier. & Aug. non tantum contendiſſe de nomine: ſed etiam de re, & quidem dignâ tali ac tanta contentione. Nam S. Aug. minus expreſſerat ſuam mentem non tantum circa terminum licitum vtendi legalibus ſupra, ſed etiam circa differentiam vtendi eis inter S. Petrum & Paulum; quod ille eis vteretur quaſi *ex ſimulatione fallaciæ*, hic autem *ex compaſſione miſericordiæ*. Vnde meritò S. Hier. Epiſt. 11. cap. 4. *Totius ſermonis tui hic ſenſus eſt: vt Petrus non errauerit, quòd hi qui ex Iudæis crediderant, putauerit Legem eſſe ſeruandam; ſed quod Gentes coëgerit iudaizare; non docentis imperio, ſed conuerſationis exemplo &c. Si hoc verum eſt: in Cherinti & Hebionis hæreſim dilabimur &c. Qui noſtro vulnuſculo medendum putas, quod acu punctum: huius ſententiæ medearis vulneri, quod lancea percuſſum eſt.* Infra: *Nec multum intereſt inter meam & tuam ſententiam: quia ego dico & Petrum & Paulum timore fidelium Iudæorum, Legis exercuiſſe imò ſimulaſſe mandata: tu autem aſſeris hoc eos feciſſe clementer, non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu: dummodò illud conſtet, vel metu vel miſericordia eos ſimulaſſe ſe eſſe quod non erant.* Quod quamuis B. Aug. vtcumque explicuiſſet metaphoricè *Epiſt. 9. cap. 4.* comparatione Apoſtoli erga Iudæos. *1. Cor. 9.* cum Miniſtro febricitantis; qui fit ægroto quaſi ægrotus, non mentiendo ſe habere febres, ſed ei miniſtrando vt ſibi ſic affecto miniſtrari vellet: *Epiſt. 19. cap. 3.* idipſum reexplicat propriè, ex Lege diligendi proximum ſicut ſeipſum; & liberandi eum ab errore; non ſimul errando, aut eundem ſimulando errorem, quo peius erraret; ſed abſque vllo errore aut erroris ſimulatione,



Digitized by Google

vtendo inter Iudæos liberè ac licitè legalibus, nec vt neceſſarijs, nec vt malis, & docendo eorum tunc adhuc liberum & licitum vſum. Sed cùm S. Hier. *Epiſt. 11. cap. 4.* S. Petrum à mendacio officioſo, ſeque ab eius patrocinio, ſub titulo *honeſtæ diſpenſationis, & prudentiæ* Apoſtolicæ excuſaſſet: & à B. Aug. *Epiſt. 19. cap. 2.* inſtaretur: *Quid hoc ſibi vult oro te? Aut enim hoc eſt quod ego appello officioſum mendaciũ, vt hæc diſpenſatio ſit officium honeſtè mentiendi: aut quid aliud ſit omninò non video; niſi fortè addito nomine diſpenſationis, fiat vt mendaciũ non ſit mendacium &c. An ſi officiosè mentiatur quiſque, culpandus eſt: ſi diſpenſatiue, approbandus?* Ad hanc B. Aug. inſtantiam non legitur S. Hier. ſeſe vlterius explicaſſe. Ideoque videntur hæſiſſe in controuerſia etiam hodierna, de licito aut illicito vſu vel abuſu reſtrictionum mentalium, æquè in factis ac dictis ſimulatis, ſeu alienis à mente ſimulantis, cùm ſint ad eam ſignificandam: quæ S. Hier. ſub honeſta illa diſpenſatione ac prudentia, ſeu relatione & accommodatione ad finem bonum, à mendacio officioſo diſcernebat: S. autem Aug. nullius boni finis, aut mali cauendi prætextu, excuſabat. Vt patet non tantùm ex his Epiſtolis: ſed ex duobus integris libris, altero de mendacio, altero contra mendacium: & ex noſtra deſuper Anatomia, *Tom. 2. à col. 141. ad 145. à 677. ad 684. à 916. ad 921.*

*De ſimulatione licita aut non.*

EX quibus ne quæuis ſimulatio aut diſſimulatio licita, nec quæuis illicita videatur: cùm quædam vitæ communi neceſſaria, quædam contraria ſit, hac quaſi porta, ſera, ac claue includi ac excludi poteſt. Ne liceat vnquam vti illâ S. Petri, ex timore mali proprij *Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.* Nec illâ eiuſdem, timore mali alieni *Gal. 2.* Nec vlla alia contraria Religioni, Iuſtitiæ, Charitati, Veracitati, ſeu obligationi non mentiendi; nec ex honeſta diſpenſatione S. Hier. nec ex vlla prætenſione boni: Sed tantùm liceat ea vti ex libertate & affectu S. Pauli *1. Cor. 9. Gal. 2.* ac doctrina Aug. tùm negatiuè, non exponendo vlli periculo ſecretam veritatem, niſi prævalente neceſſitate; tùm poſitiuè vtendo quidem ſignis veris ac proprijs ſecundùm ſuam veram ac propriam ſignificationem & finem, verè ac propriè; ſed liberis ac indifferentibus, ſeu indeterminatis, liberè, ad propriã etiam ac ſecretam intentionem, contra fraudem ac malitiam alienam, cui notitia veritatis nec debetur, nec ad abuſum prodenda eſt. Exemplo Christi *Ioan. 7. Mat. 22. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 16.* Abrahæ, Iſaac, Iacob, *Gen. 12. 20. 26. 27.* S. Athan. lect. 2. Noct. Quia ille eſt abuſus ſignorum contra varias Leges naturæ: Hic eſt vſus eorum liber prudens & verus, ſecundùm aliquam eorundem ſignificationem, & ſenſum vtentis, non falsò interpretãtis & abutentis.

10. OBIECT. *Ex Alenſi. S. Bon. Scoto.*

Quod Alenſ. ſuprà *col. 132. q. 12.* velit Baptiſmum formaliter inſtitutum fuiſſe *Mat. 28.* non ſic S. Bon. & Scotus. *Reſp.* Alenſem ibi per inſtitutionem formaliter, non intelligere quoad formam & completam rationem Sacramenti; ſed expreſſionem ipſius formæ in Script. Sicut nec ibidem per inſtitutionem finis & effectus, poteſt aliud intelligere quàm expreſſionem. Hinc S. Bon. eius ſtudioſiſſimus diſcipulus *diſt. 3. p. 2. a. 1. q. 1. ad 5.* ex eius intentione *Reſp.* Baptiſmum Chriſti fuiſſe primò ab eo inſinuatum facto, *Mat. 3.* verbo, *Ioan. 3.* Deinde inſtitutũ, cùm cœpit baptizare per diſcipulos *Ioan. 3. & 4.* Denique confirmatum facto, fluxu Sanguinis & aquæ ex latere *Ioan. 19.* verbo, miſſione illa generali ad baptizandum *Mat. vlt.*

---

## QVÆSTIO 5.

### Dogmatica, Scholaſtica, Moralis.

*Qui ſint Miniſtri huius Sacramenti, neceſſarij aut ordinarij, ex inſtitutione Dei aut Eccleſiæ: quæve eorum conditio, qualitas, præſentia, conſenſus, intentio, vnitas, diſtinctio, poteſtas & obligatio, ad validè vel licitè miniſtrandum?*

DE conditione hominis viatoris, & ratione vtentis: de qualitate bonitatis & malitiæ, fidei & infidelitatis: de conſenſu & intentione, ſat ſupra in communi, à *col. 73. ad 83. col. 85. 86. 87. & 105. ad 113.* & quædam de his in ſpeciali *col. 133. 138. 139.* Sed ſubſunt quædam grauiores difficultates reſoluendæ ac diſtinguendæ in Dogmaticas, Scholaſticas & Morales, quas Scotus minùs diſtinctè tractat diſt. 6. quæſt. 1. *An ſolus Sacerdos poſſit baptizare?* Reſp. *Cùm oporteat baptizantem abluere baptizatum actiue, neceſſaria eſt ei virtus motiua &c. Cùm oporteat ipſum proferre verba: neceſſe eſt poſſe loqui. Cùm requiratur intentio, neceſſe eſt habere vſum rationis &c. Cum ergo multi non Sacerdotes habeant hæc tria, ſequitur quod ſimpliciter poſſint baptizare &c. Si bonus Angelus baptizaret in corpore aſſumpto &c. non fieret niſi de præcepto Dei &c. Si malus &c. non eſſet ſine certa reuelatione credendum, quod malus baptizaret.* Infra. *Congruit ſolum hominem viatorem baptizare: congruum tamen eſt inter viatores ſolum Sacerdotem baptizare ex officio &c. Quia quanto aliquis habet maiorem Auctoritatem in Eccleſia, tantò magis pertinet ad eum recipere in Eccleſiam, & per conſequens baptizare. Vnde magis competeret Epiſcopo quam ſimplici Sacerdoti, ſi ſufficere poſſent Epiſcopi &c.*

*Quæſt. 2.* De vnitate aut pluralitate Miniſtrorum, ad vnitatem Baptiſmatum. *Reſp. 1.* Plures ſimul poſſe vnum eundemque validè baptizare: ſingulis conferentibus totam materiam & totam formam; non autem vno miniſtrante vnam partem, alio vel alijs alteram. *2.* Vnum poſſe ſimul plures validè baptizare, eos ſimul aſpergendo aut immergendo ſub forma communi: *Baptizo vos &c.* non tamen licitè niſi in extrema neceſſitate. *3.* Reliquum de monſtro bicipiti vel ſimili, baptizando diſtinctè, vel ſimplici vel duplici Baptiſmo, ſub forma propria vel communi, abſolutè vel conditionatè, prout certùm aut dubium eſſe vnius aut duplicis animæ: pertinet etiam ad Quæſtionem de Subiectis.

*Quæſt. 3.* De neceſſaria ſimultate ablutionis & pronuntiationis formæ: ſuo etiam modo pertinet ad Miniſtros,

Miniſtros, eorumque miniſterium. *Reſp. Dico quod talis ſimultas requiritur, qualis in humanis &c. Dum tamen vnum non finiatur complete ante inceptionem alterius.*

*Quæſt. 4.* De neceſſaria diſtinctione perſonali baptizantis à baptizato: ex *cap. Debitum de Bapt.* ex Baptiſmo Chriſti à Ioanne, ex ipſa forma Baptiſmi, & ex effectu Regenerationis, non niſi ab alio: Eſt Dogmatica.

*Quæſt. 5. & 6.* De intentione, ſat ſupra *col. 74. 75.*

*Quæſt. 7.* De vnitate numerica, ſeu irreiterabilitate Baptiſmi in eodem ſubiecto: ex ſola Chriſti inſtitutione, principaliter contra peccatum originale quod eſt irreiterabile; & ad regenerationem, plenam, ac gratuitam remiſſionem totius culpæ & pœnæ, & ad incorporationem Chriſto ac Eccleſiæ, quæ non congruit iterari: vt ſupra *col. 139.* Eſt etiam Dogmatica, De conſecr. *diſt. 4.* Sed æquè vel potiùs pertinens ad Quæſt. ſeq. de Subiectis.

*Ad arg.* Conſecratio Euchar. non eſt Sacramentum, ſed Sacramentalis: nec licet eam iterare ſuper eadem materia, nec collatio Euchar. eſt Sacramentum.

*Quæſt. 8.* De pœna irregularitatis in reiterantes Baptiſmum actiuè vel paſſiuè: eſt moralis, & tam huius quam ſeq. quæſt. *Reſp. 1.* Ignorantiam iuris Diuini non excuſare ab hac culpa aut pœna: nec ignorantiam iuris Canonici: quia talis culpa ſciri & caueri debet, aut ſi cui ſit dubia, conſulendi ſunt peritiores; ideòque nemo poteſt excuſari à pœna canonica ad cauendum ſuperaddita. In qua publica ſolus Papa diſpenſat: Epiſcopus autem in occulta, *ſeſſ. 24. Trid. c. 5. Reſp. 2.* Ignorātiā probabilē facti ſeu prioris Baptiſmi, excuſare totaliter à culpa & pœna: dubium autem rationabile excuſare iteratum Baptiſmum ſub conditione: ex *cap. 2. de Bapt.* & *cap. Ex literarum de Apoſtatis.* Quia non tenetur quis *facere ſtrictam inquiſitionem* de priori Baptiſmo, vbi non eſt ratio dubitandi: nec pœnæ ſunt ampliandæ, ſed reſtringendæ.

Nec obſtat, de conſecr. diſt. 4. *Qui bis ignoranter baptizati ſunt, non indigent pro eo pœnitere, niſi quod ſecundùm Canones ordinari non poſſunt.* Tùm quia non eſt maior ratio de baptizato, quàm baptizante: tùm quia hoc c. *Qui bis &c.* eſt tantùm Theodori Epiſco- Cantuar. non autem Papæ, à quo ſolo ferri poteſt talis Lex communis: tùm quia non conſtat talia omnia à Gratiano compilata eſſe confirmata à Papa ad obligandum: ne quidem vt Gregorius 9. approbat libros 5. Decretalium, & Bonif. 8. lib. 6. pro ſcholis & iudicijs publicis: tùm quia nec gloſſa, nec gloſſatores ad hoc citant vllum certum Canonem. *Sed*, inquit, *multiplicant concordantias ad vnum vocabulum, & alibi vbi eſt verbum maximi ponderis, tranſeunt ſicco pede.* Quod ipſum quidam Sacræ Script. expoſitores nimiùm imitantur. Meritò tamen monet noſter Scholiaſtes in hanc Quæſt. ad maiorem ſecuritatem Confeſſariorū, etiam ignorantiam ſolius cenſuræ ab ea excuſare, ex probabili opin. Couar. *c. Alma mater.* Suar. *T. 5. d. 4. ſect. 9.* Sanch. *l. 9. d. 32.* Nau. *c. 27. n. 16. &c.* Imò & Scoto *diſt. 3. q. 2. n. 10.* vbi ait ignorantiam culpabilem non excuſare à cenſura. Ergò & hic intelligendus eſt de culpabili.

Ad qq. etiam morales de Miniſtro pertinet *q. 8. diſt. 4. Quid faciendum ſit de paruulo expoſito.* Reſp. Si conſtet ex certis ſignis appoſitis non eſſe baptizatum, abſolutè baptizandus eſt: ſi neutrum conſtat ex certis ſignis aut teſtibus fide dignis, ſaltem ſub conditione baptizandus eſt. Ex *cap. 2. de Bapt. & cap. 90. 91. 92. 93.* De conſecr. *diſt. 4.*

*Quæſt. 9.* vtrum paruuli Iudæorum & infidelium ſint inuitis parentibus baptizandi? *Reſp.* Principes Chriſtianos poſſe cogere ſubditos infideles ad Baptiſmum ſuarum prolium, ſeu vt etiam ipſis inuitis baptizentur: imò & poſſe cogere ipſos parentes ad ſubeundum Baptiſmum, ſaltem ſub graui mulcta, aut pœna exilij; prouidendo tamen ne tales pueri baptizandi aut baptizati periculum mortis aut peruerſionis à parentibus infidelibus patiantur. Ex Conc. Tolet. 4. *cap. De Iudæis. d. 45.* vbi licet inhibeatur ne cui vis nimia ad credendum inferatur: ſatis tamen approbatur exemplum religioſſimi Principes *Siſebuti*, qui ſuos ſubditos coëgerat ad Fidem Chriſtianam. Nam Principes Chriſtiani non tenentur tolerare ſed abolere externam ſaltem profeſſionē & praxim infidelitatis inter ſuos ſubditos: ideoque poſſunt tales mulctis & exilio proſequi, ſicque cogere ad profeſſionem ſaltem externam Fidei Chriſtianæ. Cùm ſub Imperio & Regnis quæ ſunt aut fuerunt Chriſtiana, non debeatur libertas contraria. Vt B. Aug. ex profeſſo *Epiſt. 48. & 50.*

Quibus deeſſe videtur triplex Q. ſpecialis. *1.* De Miniſtro non baptizato, de quo B. Aug. *lib. 2. contra Parm. cap. 13.* mouet ſpecialem diff. *2.* De Miniſtro ordinario ex officio, iure Diuino, an Eccleſiaſtico. *3.* De valido, an licito Baptiſmo à quolibet, in ſola neceſſitate vel etiam extra. Nam Flor. non ſe ſatis exprimit: Trid. autem vix quicquam deſuper in ſpeciali; quia vix vlla noua hæreſis id exigebat. Quamuis enim Bell. *lib. 1. de Bapt. cap. 7.* referat Calu. *lib. 4. inſtit. c. 15. 21. 22.* & in Antid. *ſeſſ. 7. can. 10.* nolle hoc Miniſterium alijs quàm Ordinarijs, in vlla neceſſitate licere: non tamen ex alia hæreſi, quàm quòd Baptiſmus non ſit tantæ neceſſitatis. Quorum omnium hæc ſit diſtincta reſolutio.

## RESPONSIO DOGMATICA.

MInister huius Sacramenti neceſſariùs ac ſufficiens ex inſtitutione Dei, eſt quilibet homo viator, vtens ratione, & motu corporis neceſſario, ſiue bonus ſiue malus, ſiue fidelis ſiue infidelis, ſiue baptizatus ſiue non: diſtinctus tamen perſonaliter à Baptizante. Ex Cap. *Debitū De Baptiſmo.* Cap. *Firmiter De Summa Trinitate.* Cap. *Ad abolendam de hæreticis.* Cap. *A quodam Iudæo de conſecr. diſt. 4.* Diſtinctiùs autem ex Decreto Eug. ſupra *col. 2.* Sed prorſùs Dogmaticè ac definitiuè, ex Trid. *ſeſſ. 7. Can. 3. de Bapt.* ſupra *col. 5.* vbi approbatur doctrina Eccleſiæ Romanæ de Bapt. ſub Anathemate oppoſitæ: hæc eſt autem doctrina & praxis communis Eccleſiæ Romanæ; ergò Dogmatica. Hinc enim ſuppleri poteſt ad certitudinem Fidei, ſi quid priùs non ſatis Dogmaticè definitum videatur. Quamuis ſola

ſola traditio conſenſus & praxis communis de hoc Sacramento, ſit ſatis definitiua: præter communes definitiones de Miniſtris Sacramentorum in genere ſupra *col. 86. 87.* & Sanctorum PP. auctoritates ac rationes tam communes quam ſpeciales de hoc Sacramento, quæ non ex ſe ſed principijs Fidei radicatæ, videntur etiam concurrere ad certitudinem Fidei. Quarum aliquæ ſub obiect.

## *RESPONSIO SCHOLASTICA.*

MInister ordinarius huius Sacramenti, ſeu ex officio proprio, non eſt ſolus Epiſcopus, ſed & Parochus Sacerdos: ex commiſſione ordinaria aut ſolemni, ſimplex Sacerdos: Diaconus, ex neceſſitate: quilibet, ordinatè. Tùm quia ita docet Flor. ſupra, de Sacerdote & reliquis, nullatenus reſtringendo ad ſummos Sacerdotes, ſeu Epiſcopos: tũ quia *1. Cor. 1.* ſatis negatur eſſe proprium officium Apoſtolicum baptizare: tùm quia commiſſio baptizandi *Mat. vlt. Act. 2. 8.* & alibi videtur cõmunis Apoſtolis & alijs diſcipulis: tùm quia officium conſecrandi Cropus Chriſti verum, eſt proprium omni Sacerdoti; ergò & quædam capacitas conſecrandi Corpus Chriſti myſticum, ſeu ei incorporandi per Baptiſmum: Tùm quia Sacerdotes videtur ex ſua ordinatione eſſe maturi & iam capaces paternitatis in Eccleſia, ſeu regenerandi Chriſto filios per Baptiſmũ, non autem inferioris gradus quaſi ætatis. Tùm deniq, quia cùm ad hoc Epiſcopi nullatenus ſufficere poſſint, videtur à Chriſto prouidendum fuiſſe de Miniſtris ſufficientibus ex officio proprio. Reliqua ex Scoto ſupra, & ex Obiect. infra.

## *RESPONSIO MORALIS.*

MInistri huius Sacramenti tantò grauiùs obligantur ad communes obligationes Miniſtrorum ſupra *col. 87. 87.* quantò hoc Sacramentum eſt maioris neceſſitatis: & quantò magis minuſue ex officio proprio, iure ac iuſtitia miniſtratur, vel tantùm ex charitate, in tanta neceſſitate. Quod non eget alia probatione, quàm ſola diſtinctione inter obligationem iuſtitiæ ex officio proprio, & ſolius charitatis ex neceſſitate: ac explicatione huius tantæ obligationis ad obſeruanda ſaltem neceſſaria huic Sacramento & ſuſcipientium ſaluti. Reliqua etiam partim ex *col. 87. 88. 166.* ſupra, partim hîc ex Scoto, partim ex Obiect. infra.

## *OBIECTIONES PROMISCVÆ.*

### *1. contra Baptiſmum à non baptizato.*

EX B. Aug. lib. 2. contra Parm. cap. 13. *Alia quæſtio eſt: Vtrum ab eis qui nunquam fuerunt Chriſtiani poſſit Baptiſmus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum eſt, ſine auctoritate tanti Concilij quantum tantæ rei ſufficit &c.* Vnde ergò iam de Fide? *Reſp. 1.* Ex contextu præcedenti, non dubitando, ſed declinando hanc diff. impertinentem ad propoſitum. *2.* Ex lib. 7. de Bapt. cap. 53. *Si quis me in eo Conc. vrgeret vt dicerem quid ipſe ſentirem: Si eo modo affectus eſſem quo cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem habere eos Baptiſmum, qui vbicumque & à quibuſcumque illum verbis Euangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſet.*

*Contra.* Hinc quidem ſatis patet opinio priuata Aug. ſed vnde certitudo Fidei, abſque vlla deſuper definitione Concilij? *Reſp. 2.* Ex illis oraculis ſummorum Pontificum ſupra citatis, expreſſa doctrina Flor. & communi Anathemate Trid. in oppoſitum.

*Contra.* Illa non videntur definitiua: ſed tantùm inhibitiua doctrinæ aut praxis oppoſitæ, ſub Anathemate. *Reſp. 3.* Eſſe prorſus definitiua: nam & *cap. Ad abolendam de hæreticis,* Lucius 3. Anathematizat vt hæreticos, qui de hoc *& reliquis Sacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt, quam Sancta Romana Eccleſia prædicat & obſeruat.* Et Trid. ſupra *ſeſſ. 7. Can. 2. de Bapt.* Et Decretum Lug. ſiue ſub, ſiue poſt Flor. videtur ſatis definire ea ſaltem quæ ſunt expreſſa & practica, ex communi ſenſu ac praxi Eccleſiæ: cùm vis præcipua definiendi conſiſtat in hoc communi conſenſu Eccleſiæ, tanquam de Fide; nec eſſet ſatis prouiſum Eccleſiæ, ſi eſſet minùs certa praxis tam neceſſarij Sacramenti.

*Contra.* Non baptizati needum ſunt membra Chriſti: Ergò non poſſunt adgenerare ſeu incorporare; nec dare quod non habent. *Reſp.* Ex *Tomo 2. noſtræ Anat. col. 359. 368. 371. Tract. 6 11. in Ioan* ad has & ſimiles obiectiones: non tàm Miniſtrum quàm Chriſtum baptizare per Miniſtrum: per ſe autem ſolum, regenerare ſpiritualiter. Et *col. 89. 100. 101. 105. Obiect. 10.* De regeneratione Baptiſmali per Chriſtum ſeu eius nomine, & quaſi ex eius ſemine. Vnde ſicut cauſæ naturales non pendent in ſua vi ab applicante: ita nec Sacramentales à Miniſtro baptizato ſeu incorporato.

### *2. Contra diſtinctionem Baptizantis à baptizato.*

Ex *cap. Debitum, de Bapt.* vbi Innoc. 3. ad caſum ſibi propoſitum de Iudæo. qui in extrema neceſſitate ſeipſum baptizauerat immergendo & dicendo, *Ego baptizo me in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti Amen*: Reſpondet quod inter baptizantem & baptizatum debeat eſſe diſcretio; ſed *ſi talis continuò deceſſiſſet, ad cæleſtem patriam protinus euolaſſet.* Ergò videtur tantùm requirere diſcretionem extra neceſſitatem. *Reſp.* Neg. conſ. Subdit enim: *Propter Sacramenti Fidem, non propter Fidei Sacramentum* .i. ex magna fiducia, quòd talis percepiſſet ipſum fructum Baptiſmi, merito viuæ Fidei & voto Baptiſmi. Nam ibidem *Innoc. 3.* reddit rationes huius neceſſariæ diſtinctionis. *1.* Ex ipſa commiſſione Baptiſmi directa ad alios: cui addi poteſt forma expreſſa ad alterum. *2.* Exemplo Chriſti non à ſeipſo, ſed à Ioanne baptizati. *3.* Ex effectu Regenerationis *Ioan. 3.* & neceſſaria diſtinctione inter generantem & genitum. *4.* Ex ipſa relatione paternitatis & filiationis, inter baptizantem & baptizatum.

*Contra.* Hæc quidem Theologicè & Scholaſticè: ſed non Dogmaticè. *Reſp.* Vt ſuprà, ex cap. *Ad abolendam*: & ex Trid. necnon conſenſu ac praxi totiùs Eccleſiæ, tanquam de Fide: præter expreſſam definitionem in ipſa commiſſione & forma baptiſmali.

### *3. Contra Baptiſmum à Laico, & ius baptizandi.*

B. Aug. ſupra l. 2. contra Parm. cap. 13. *Sicut habent in Baptiſmo quod per eos dari poſſit, ſic in ordinatione ius dandi &c. Quanquam etſi laicus aliquis pereunti dederit neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet,*

*acciperet dandum eſſe addidicit : neſcio an quiſquam piè dixerit eſſe repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris vſurpatio eſt : ſi autem neceſſitas vrgeat, aut nullum ; aut veniale delictum eſt.* Ergo non baptizati non habent quod dent : nec eſt certum laicum in neceſſitate ; multo minùs extrà; validè aut licitè baptizare. Deinde quid iuris in necdum baptizatos : cum necdum ſint ſubditi Eccleſiæ ? *Reſp.* ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col.* 355. 359. haberi in Baptiſmo quod dari poſſit : ſed nō quo, ſeu non ipſam poteſtatem dandi ; nec in ordinatione haberi poteſtatem validè dandi Baptiſmum, ſed ius dandi ordinatè, ac licitè. Non quaſi ius in ipſas perſonas baptizandas : ſed ad ipſam actionem Sacramentalem, vt patet ex ſequentibus. Nec illud, *neſcio*, eſt dubitantis : ſed potiùs admirantis an quis *piè*, ſeu non niſi impiè, de valore talis Baptiſmi dubitare poſſit. Denique, *aut nullum , aut veniale , &c.* pro maiori minorivè neceſſitate.

4. Greg. 2. ad Bonif. *Can. Quos à Paganis , de Conſecr. diſt.* 4. iubet baptizatos à Paganis denuò baptizari. *Reſp.* Ad hanc, & ſimiles ; de rebaptizandis talibus ſub conditione vel etiam abſolutè, ex periculo, vel præſumptione prioris Baptiſmi inualidi, defectu veræ formæ.

5. Tertul. *lib. de Baptiſmo.* S. Hier. *dialog. contra Lucif.* tribuunt ius baptizandi ex officio ſolis Epiſcopis : fauetque ratio ; quia ſicut ſoli Principes, aut Magiſtratus poſſunt conferre ius Patriæ, aut ciuile : ſoli Prælati Ordinum Religioſorum poſſunt recipere ad ſuos Ordines ; ita videntur ſoli Epiſcopi poſſe ex officio recipere in Eccleſiam. *Reſp.* Solos Epiſcopos ex vi ſtatus Epiſcopalis habere iuriſdictionem in Corpus Chriſti myſticum , ſeu eſſe Epiſcopos alicuius Eccleſiæ : ſimplices autem Sacerdotes ex ſua ordinatione habere tantùm vim conſecrandi Corpus Chriſti ; non autem vllam iuriſdictionem, niſi diſtinctè collatam ab Epiſcopis ; ſed hanc poſſe etiam eſſe ordinariam in locum & perſonas, ad verbum Dei, & Sacramenta miniſtranda. Talis eſt Parochorum : Qui ſicut habent perſonas, & locum iuriſdictionis ordinariæ : Ita & poſſunt intrà locum ſuæ iuriſdictionis, ex officio, non tantùm perſonis ſuæ iuriſdictionis Sacramenta miniſtrare, ſed etiam nouas in ſuam, & Eccleſiæ iuriſdictionem baptizando recipere.

6. Ex Rituali Romano, confertur Diacono in ſua ordinatione ius *miniſtrandi ad altare, baptizandi, & prædicandi* : Ergò æquè & pluſquam Sacerdoti. *Reſp.* Conferri tantùm eis poteſtatem miniſtrandi in his Epiſcopo, ac Sacerdoti : vel ad hæc tantùm ex eorum commiſſione.

*Contrà.* Confertur illis officium miniſtrandi ad altare : ergò & baptizandi, ac prædicandi. *Reſp.* Miniſterialiter tantùm ad hæc, ſicut & ad altare.

*Contrà.* Confertur plus Diaconis quàm inferioribus : atqui etiam laici poſſent ſic miniſtrare. *Reſp.* Neg. Min. *1.* Quia ſoli Diaconi poſſunt miniſtrare in Baptiſmo ſolemni. *2.* Illis ſolis poteſt Baptiſmus ſolemnis committi , aut ſine tanta neceſſitate. *3.* In neceſſitate non licet inferioribus præſente Diacono.

*Contrà.* Nec licet alijs niſi ordinatè : non laicis coram Clericis , nec mulieribus coram viris , nec alijs coram baptizatis : ergò nihil conferretur ſpeciale Diaconis. *Reſp.* Hanc præferentiam deberi Diaconis ex officio & iure proprio ſui Ordinis : reliquis tantùm ex ordinatione Eccleſiæ ; & decentia ſtatus ac ſexus, niſi peritia aut imperitia baptizandi aliud exigat.

7. Ex diuerſis & quaſi aduerſis Sanctorum PP. ſententijs, & ſacrorum Canonum Decretis , de Baptiſmo à laicis aut mulieribus, ex ſola neceſſitate aut non. *Reſp. 1.* Non poſſe intelligi de valore in ſola neceſſitate , non extra. Quia ex col. 84. Sacramenta ſunt à Chriſto determinatè inſtituta quoad omnia neceſſaria : ergò quod valet in neceſſitate , valet etiam extra, ſed non ſemper licet. *Reſp. 2.* Facilè & accomodatè conciliari poſſe, per validè vel licitè, abſolutè vel conditionatè, certò aut dubiè, certitudine infallibili aut morali, dubio rationabili aut irrationabili : excepto fortè quodam confuſo Canone ; *Si quis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur : debent ab eo baptizati iterum baptizari , & ipſe vlterius non ordinetur.* cauſa 1. q. 1. quaſi ex Iſidoro. Qui tamen in emendationibus Decreti Gratiani non decernitur ; ſed quaſi tantùm proponitur, & per ſequentia corrigitur : *Sed Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi , licet Paganus ſit qui baptizat.*

8. Ex Scoto *d. 6. q. 2.* Non poſſunt eſſe plures cauſæ totales eiuſdem effectus : quia dependeret à ſingulis & non dependeret ; ergò nec plures Miniſtri totales eiuſdem Baptiſmi. *Reſp. 1.* Poſſe eſſe plures ſimul cauſas morales eiuſdem gratiæ : quia poteſt pluribus ſimul ac ſufficienter imputari. *2.* Poſſe dici partiales ipſius Sacramenti materialis. *3.* Talem Baptiſmum vnius à pluribus ſimul, futurum vnicum formaliter : quia vnius tantùm ſignificationis Sacramentalis. *4.* De poſſibili aut impoſſibili dependentia eiuſdem à pluribus cauſis totalibus : alibi ex profeſſo.

9. Cur nequeant plures eundem partialiter baptizare, ſub hac vera forma cōmuni, *Nos baptizamus te* : id eſt, conferimus tibi Sacramentum Baptiſmi ? *Reſp. 1.* Ex inſtitutione Chriſti & praxi contraria Eccleſiæ. *2.* Ex Cōmiſſione illa Chriſti coniunctim *Baptizantes eos in nomine &c.* *3.* Ad repræſentandam in Miniſtro vnicam cauſam principalem , & vnicam trium perſonarum operationem. *4.* Si vel, *baptizo*, ſignificet ſolam actionem materialem , non poteſt verificari de non abluente : ſiue ſignificet totam actionem Sacramentalem , non poteſt verificari de cauſa ſolius partis.

10. Sacramentū Euchar. ſeorſim conſecratur vnica forma, ſub tot quot ſpeciebus panis & vini diſtinctis, ſimul & ſucceſſiuè , & recipitur ab ipſo cōſecrante : Cur non idem de Baptiſmo ? *Reſp. 1.* Ex *diſt. 3. q. 6.* quia non eſt talis vnitas inter ſpecies panis & vini , qualis eſt materiæ & formæ in Sacramento Baptiſmi : neutra enim ſpecies conſecrationis eſt alterius materia aut forma ; ſed vtraque ſeorſim conſecrata habet ſuam integram ſignificationem Sacramentalem, non tamen ſacrificialem. *Reſp. 2.* Ex



Digitized by Google

eodem *q. 2.* Nec collationem nec receptionem, imò nec conſecrationem Euchar. eſſe Sacramentum, ſed ſpecies conſecratas ac permanentes: quæ licet diſtribuantur, & ſub eis dici ſoleat miniſtrari Sacramentum; non tamen miniſterio Sacramentali, cùm poſſint etiam à Diacono miniſtrari, imò & olim ſolerent à fidelibus ſumi abſque vllo Miniſtro. *Reſp. 3.* Formam conſecrationis plurimū differre à formis aliorum Sacramentorum in ſignificando, cauſando, & conſtituendo Sacramento: ideòque habere quidem aliqua ſimilia in conſecratione plurium ſimul ſpecierum ab vno, ſub vna eadem forma, & eiuſdem ſpeciei; cum Baptiſmo plurium ſimul ab vno, & vno ſimul à pluribus; multa tamen diſſimilia. *Reſp. 4.* Fortè non requiri etiam tantam coexiſtentiam materiæ baptiſmalis cum ſua forma, quin ſufficiat coexiſtentia moralis, ſeu moraliter ad inuicem correlatiua, ſecundùm communem captum hominum. Nec verbum præſentis temporis videtur reſtringi ad inſtans imperceptibile deſitionis aut inceptionis materiæ vel formæ: ſicque ſubeſſet aliqua, ſed diſſimilis ſimilitudo cum neceſſaria coexiſtentia morali conſecrationis vtriuſque ſpeciei, ad vnitatem ſacrificij. Nec videtur Scotus aliud intendere.

11. *Contra Baptiſmum Infidelium inuitis parentibus.* Lex gratiæ non eſt contraria Legi naturæ: neque Principes habent ius ad media ſupernaturalia; ergò non poſſunt cogere ſubditos ad Fidem, nec ad Baptiſmum ſuarum prolium. Confirm. ex Concilio Tolet. 4. ſupra. *Reſp. 1.* Libertatem ad malum non eſſe veram libertatem, nec de Lege naturæ, ſed contra: vt patet ex tot Legibus poſitiuis, Diuinis & humanis, quibus hæc praua libertas coërcetur. 2. Principes Chriſtianos habere ius & obligationem miniſterialem ſeu executorialem pro Eccleſia. 3. Habere ius & obligationem tuendi ſuum ſtatum in pace & quiete, per conſeruationem & conformitatem veræ & antiquæ Religionis. 4. Infideles non habere vllū ius habitandi & propagandi ſe in vllo regno Chriſtiano: ſed ſubijci legibus localibus, nec ſibi ſolis generare proles, ſed etiam populo & Principi cuius ſunt; ideòque poſſe ad hoc etiam inuitos cogi. 5. De Conc. Tol. ſat ſupra.

12. Circumciſio obligabat quantumvis ſub periculo vitæ: ergò & Baptiſmus: contra Scotum *diſt. 5. q. 3.* Confirmatur ex obligatione tàm adulti baptizandi, quam Miniſtri, ſub periculo etiam vitæ propriæ. *Reſp. 1.* Ex differentia legis nouæ ab antiqua. *Contrà.* Lex noua potiùs præfert vitam æternam corporali quàm antiqua: ergò & potiùs obligat ad neceſſaria ſaluti ſub periculo vitæ, quàm antiqua. *Reſp. 2.* Non eſſe expreſſum præceptum baptizandi, ſicut non occidendi: ſed tantùm eſſe expreſſam neceſſitatem medij, *Niſi quis* &c. *Ioan. 3.* *Contrà.* Eſt de Lege naturæ vti medio neceſſario ad ſalutem: ergò non eſt opus expreſſione, ſed & ſatis exprimitur ſub lege diligendi proximum. Deinde idem erat de Circumciſione. Denique licet vti remedijs ſub aliquo vitæ periculo ad cauendam mortem corporalem, vel maiora eius pericula: quantò potiùs Baptiſmo, ad cauēdam mortem æternam? *Reſp. 3.* Ex ipſa inſtitutione Baptiſmi ſub materia & forma facili, & procul ab omni vitæ periculo: ideòque Baptiſmum, ſeu ablutionem ipſo facto & ſigno notoriè mortiferam, iam non fore Sacramentalem; nec vnquā eſſe neceſſariò mortiferam, niſi in apprehenſione & conſcientia erronea. Sed vbi reuera eſſet impoſſibilis, vt in illo caſu proiectionis pueri ex ponte vel turri in aquam, de quo ſupra *col. 166.* adhibenda eſt doctrina B. Aug. lib. contra mendacium *cap. 18. & 20.* Ne quidem eſſe vel leuiter mentiendum ad procurandum alicui Baptiſmum. *Si quis, inquit, baptizandus in poteſtate ſit Infidelium, ad quem perueniri non poſſit, vt lauacro Regenerationis abluatur, niſi deceptis mentiendo cuſtodibus* &c. *Quomodo iubeat veritas vt homo baptizetur eſſe mentiendum, ſi non iubet caſtitas vt homo baptizetur eſſe mœchandum* &c? Infra. *Pater exaudit orantem, vt valeat ſine mendacio ſubuenire, cui vult Pater ipſe, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, ſubueniri.* Et ita de reliquis.

Aliud erat de Circumciſione à Deo determinata ad hoc ipſum etiam periculum: eſtque etiam aliud de ſubordinatione & relatione naturali partium ad ſuum totum, & medijs ac remedijs naturalibus ad vitæ huius conſeruationem ordinatis: ſupernaturalia autem non excedunt ſuam inſtitutionem, & dependent in ipſo vſu à gratia & prouidentia Dei ſpeciali. Vnde nec ſunt violenter adhibenda contra ordinem prouidentiæ, occidendo v. g. Matrem aut prolem ad baptizandum.

13. Quilibet quantumvis peccator & infidelis, poteſt & tenetur miniſtrare hoc Sacramentum in extrema neceſſitate: Ergò & licitè in peccato ac infidelitate: contra Reſp. Moralem. *Reſp. 1.* Relatiuè ad *col. 88. n. 3.* 2. De obligatione Miniſtri ſaltem ex officio ad ſtatum probabilem gratiæ, vel Contritionem poſſibilem: ex Gelaſio Papa. 3. *Cap. Sacroſancta 1. q. 1.* *Reſp. 3.* Peccatores obligari ad baptizandum, non vt peccatores, ſed vt homines: qui poſſunt hîc & nunc per Contritionem probabilem reſtitui in ſtatum probabilem gratiæ. 4. Infideles vel excuſari, vel tantò grauiùs accuſari propria infidelitate. 5. Ex B. Aug. *lib. 2. contra Parmen. cap. 10.* Quod omnia Sacramenta *obſint indignè tractantibus. 1. q. 1.* Vbi non diſtinguuntur indignè tractantes ex officio ab alijs: ſed videntur omnes, inæqualiter tamen, obligari ad aliquam ſaltem non indignitatem, ſeu reuerentiam, ſi non ad ipſam dignitatem ſtatus gratiæ.

14. Cur nequeat Miniſter validè, aut licitè rebaptizare, æquè ac Sacramentaliter reabſoluere: cùm non deſit in Miniſtro poteſtas, ſed tantùm in ſubiecto diſpoſitio vel capacitas; nec plus operetur Baptiſmus abſolutè, quàm conditionatè, nec minùs hic quàm ille. *Reſp. 1.* Ex *col. 117. 118. 119. 120. 121. 122.* De Charactere. *Reſp. 2.* ex *diſt. 6. q. 7.* Scoti ſuprà, De ireïterabilitate Baptiſmi. *Reſp. 3.* Hanc eſſe originaliter ex inſtitutione Diuina, ſed quaſi formaliter per Characterem Baptiſmalem, vnico Baptiſmo indelebiliter imprimendum: notoriè autem ex Sacra Script. vt de notitia ac fide Characteris ſuprà: & vltra ex Hebr. 6. *Non rurſùm iacientes fundamentum pœnitentiæ* &c. *Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis*

Digitized by Google

*poſitionis quoque manuum* &c. *Impoſſibile enim eſt eos qui ſemel ſunt illuminati* &c. *rurſus renouari ad pœnitentiam*: vtique Baptiſmalem. Nam hæc ſola eſt fundamentalis, illuminatiua, renouatiua, & impoſſibilis iterari.

Ex Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma.* Non tantùm vnum commune omnium, ſed etiam vnicum ſingulorum: ſicut vnicus Deus, & vnica Fides non formalis & interna, ſed obiectiua & externa, ſeu vnicum Fidei Symbolum. Alioquin cur potius vnum Baptiſma, quam vnus homo, vna Euchariſtia, vna Pœnitentia &c.

Ex Symbolo Fidei. *Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*; vtique vnicum ad talem remiſſionem, contra Anabaptiſmũ, non autem tantùm vnum commune, de quo tunc nullum erat dubium.

Ex Conc. Later. *cap. Firmiter.* De ſumma Trin. Viennenſi ſub Clem. 5. *cap. 1.* Flor. & Trid. ſupra.

Ex B. Aug. Tract. 11. in illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. *Sicut vterus non poteſt repeti, ſic nec Baptiſmus.*

*Reſp. 3.* Scotum optimè referre totam cauſam in hanc inſtitutionem Baptiſmi: tam intrinſecè quoad veram materiam & formam, quàm extrinſecè quoad capacitatem Subiecti & Miniſtri. Ita vt & Subiectum ſemel affectum Baptiſmo, eiuſque Charactere intrinſeco ac indelebili, ſit prorsùs incapax vlterioris impreſſionis paſſiuæ, & Miniſter prorsùs incapax vlterioris impreſſionis actiuæ, ſeu actionis Sacramentalis; nec talis iterata ablutio aut forma verbalis ſit Sacramentalis: ſicuti nec forma Cõſecrationis à laico, ſuper charta aut aqua, vel ſuper materia iam conſecrata. *Reſp. 4.* Baptiſmum ſub conditione expreſſa non tantùm eſſe ad ſuſpendendam intentionem, quæ æquè mentaliter ſuſpendi poſſet: ſed etiam ad obſeruandam & proteſtandam fidem vnici ſeu irreïterabilis Baptiſmi.

---

## QVÆSTIO 6.

### Dogmatica, Scholaſtica, Moralis.

*Qui ſint capaces, diſpoſiti, & obligati ad hoc Sacramentum validè, licitè, & fructuosè recipiendum.*

AD eligendas, ſecernendas, ac reſoluendas grauiores ſub hoc titulo difficultates Dogmaticas, Scholaſticas, & Morales: reuocanda eſt in memoriam hæc doctrina ex communi *à col. 104. ad 113.* & variæ deſuper Doctoris noſtri Subt. hinc inde quæſtiones.

Ex *diſt. 4. q. 1.* An paruuli ſint baptizandi. *Reſp.* Eſſe de fide contra Pelagium. Vt *col. 108. 100. 139.*

*Quæſt. 3.* An paruuli in ventre Matris baptizari poſſint. *Reſp.* Nonniſi ſecundùm aliquam partem, vel maiorem ſeu principalem à qua totum denominari poſſit, & abſolutè baptizari; vel ſecundùm partem minorem ex neceſſitate, & ſub obligatione rebaptizandi conditionatè. Non quia puer in vtero ſit adhuc coniunctus ſuæ cauſæ corruptionis, ex B. Aug. *lib. 6. contra Iul. cap. 14.* ſed quia non poteſt ibi verè Sacramentaliter ablui. *Sicut*, inquit, *nec inuolutus in corio, nec proiectus de ponte.*

*Quæſt. 6.* An conſentiens poſſit recipere Sacramentum. Reſp. *col. 106. 107. 108. 112. & infra.*

*Quæſt. 5.* An adultus fictus recipiat effectum Baptiſmi. Reſp. *vt col. 106. 107. 108. 100. 110.*

*Quæſt. 6.* An iuſtificati teneantur ad ſuſceptionem Baptiſmi. *Reſp. affirm.* Tùm ex lege promulgata: Tùm ad incorporationem Eccleſiæ: Tùm ad cauendũ contemptum & ſcandalũ &c. Ad Arg. Reſp. ex Ioan. 13. *Qui lotus eſt &c.* eſſe probabile Apoſtolos fuiſſe baptizatos: quia Chriſtus fecit eos poſtea Sacerdotes, & contulit eis poteſtatem abſoluendi ac baptizandi, &c. Nec fuit vlla ratio cum eis in hoc diſpenſandi. *Idem*, inquit, *ſupponendum eſt de B. Virgine: niſi fortè ipſa ſit excepta ab illa lege &c. Quia fortè habuit in Conceptione Filij ſui illam plenitudinem gratiæ, ad quam Deus diſpoſuit eam peruenire.*

Ad aliud. *Baptizatus Baptiſmo ſanguinis, ſi poſteà eſt nobiſcum viator, tenetur affectu, & pro loco & tempore recipere effectu Sacramentum* &c. *Si autem Baptiſmus ſanguinis ſit completus: quia ſic baptizatus moritur, non eſt obligatus ad præceptum viatoris. Ad aliud. Nullus recipit fruſtrà Baptiſmum: quia gratia ibi augetur, niſi peruenerit ad terminum; etſi fortè priùs peruenerit additur ibi meritum, nec eſt fruſtrà poſt plenitudinem gratiæ addere opera meritoria.*

Ad aliud. *Non ſit falſum ſignum: quia vel ibi confertur gratia aliqua, vel nulla: & tunc eſt ſignum verum practicum reſpectu gratiæ in eſſe* &c. *Ablutio à peccatis vel ſignificatur vt tunc in fieri, vel tanquam infienda, quantum eſt ex parte Sacramenti, ſi aliquid ineſſet à quo anima eſſet abluenda.*

*Quæſt. 7.* An omnes Baptizati recipiant æqualiter effectum Baptiſmi. *Reſp. vt col. 123. 125. obiect. 9. & 10.* affirmatiuè quidem ex vi ſolius Sacramenti: ſub aliquo autem dubio ex vi inæqualis prædeſtinationis, inæqualis applicationis meritorum [illegible]iſti, & inæqualis deuotionis parentum, aut [illegible]orum pro paruulis.

*Quæſt. 8. & 9.* De paruulis expoſitis, & infidelium, ad obligationem Miniſtrorum reuocata fuit. Sicut & *q. 2. d. 6.* De Baptiſmo plurium ab vnico. *4.* De diſtinctione neceſſaria baptizandi à baptizante. *7.* De irreïterabili Baptiſmo in eodem ſubiecto. *8.* De culpa, & pœna reiterantium Baptiſmum, tam recipiendo, quam conferendo.

Quæ quidem doctrina tempore Scoti ſufficiebat, extinctâ antiqua peſte, tùm *Caina* illa contra *piſciculos* fontis baptiſmalis ſeu infantes, ex *Tert. lib. de Bapt.* quæ & *Herodiana* dici poſſet: tùm Pelagiana, tùm recentiori Henriciana ac Petrobruſiana, cuius meminit S. Bern. *ſerm. 66.* & *Epiſt. 240.* Sed cum iam plures hæreſes in perniciem infantium conſpirent; nouo & potentiori doctrinæ antidoto muniendi ac curandi ſunt.

Nam Lutherus & quidam eius Sectatores exigunt in omnibus etiam infantibus fidem actualem, ad fructum Baptiſmi: & conſequenter negant pueros ante vſum rationis eſſe capaces ſalutis baptiſmalis: quamuis eos ſoleant baptizare, ex opinione ridicula, quod eis infundatur Fides actualis.

Caluinus & eius Sectatores negant Baptiſmum, eiuſque effectum eſſe neceſſarium pueris prædeſtinatis, aut oriundis ex parentibus baptizatis.

Anabaptiſtæ negant valere aut licere Baptiſmum puerorum ante adultam ætatem, ſeu vſum rationis ſufficientem ad liberam Fidem & obligationem Baptiſmalem, & eouſque differunt ſuorum Baptiſmum, vel prius baptizatos rebaptizant.

Eraſmus & Eraſmiani contendunt Baptiſmũ puerorum non fuiſſe olim in Eccleſia vſitatum, & poſtquam adoleuerint, reſtituendos eſſe libertati circa obligationem baptiſmalem: ſicque praxim Eccleſiæ reprehendunt, & in fauorem Anabaptiſtarum declinant. Contra quos omnes optimè quadrat illud B. Aug. in Pelagianos: *Sinite* IESVM *etiam paruulis eſſe* IESVM, ſeu Saluatorem per Baptiſmum.

Quædam etiam inter Scholaſticos difficultates maiores excreuerunt, de Baptiſmo adultorum: vt de obligatione, conſenſu, intentione, & diſpoſitione adultorum ad valorem & fructum Baptiſmi. De quibus ſat ſuprà: exceptâ Pœnitentia Baptiſmali, quæ & quanta ſit neceſſaria.

*RESPONSIO DOGMATICA.*

PVeri extra vterum ante omnem vſum rationis, ſunt capaces Sacramenti Baptiſmi, totiuſque fructus ac obligationis Sacramentalis: & ex tunc quantocitiùs baptizandi, ac abſolutè obligandi. Ad valorem autem Baptiſmi adultorum, neceſſarius eis eſt aliquis vſus rationis, & cõſenſus volũtatis: ſed ad fructum, neceſſaria eis eſt aliqua Fides actualis, & Pœnitentia ſupernaturalis, ſaltem de peccatis mortalibus.

Ex Sacra Scriptura. Ioan. 3 *Niſi quis renatus fuerit &c.* Mat. 19 Marc. 10. Luc. 18 *Sinite paruulos venire ad me: talium enim eſt regnum Cælorum, &c.* Quamuis etiam tropologicè: tamen propriè de pueris ibidem Christo portatis & oblatis. Mat. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Vtique & paruulos, ex doctrina maiorum. *Act. 16 1. Cor. 1. Baptizantur integræ domus ſeu familiæ.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ*: vtique totam Eccleſiam. De conſenſu autem, Fide, & pœnitentia adultorũ. Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet baptizari.* Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Act. 3. *Pœnitemini, vt deleantur peccata veſtra &c.*

Ex Conc. Mileuit. Can. 2. *Quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat: Anathema ſit.* Ex quodam Afric. *can. 76* ex Conc. Later. ſub Innoc. 3. *cap. Maiores, de Bapt.* Viennenſi, ſub Clemẽte V. Trid. *ſeſſ. 5.* Can. 5. *Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus nati &c. Anathema ſit.* Can 5. De fructu Baptiſmi etiam in paruulis. *Seſſ 6 cap. 4.* De neceſſitate Baptiſmi in re vel voto. *Cap. 5 & 6.* De diſpoſitione neceſſaria adultorum per aliquam Fidem & Pœnitentiam ante baptiſmalem, eamque ſupernaturalem, ſeu ex auxilio gratiæ. *Can. 1. 2 3.* De neceſſario auxilio gratiæ *ad credendum ſeu pœnitendum ſicut opportet* .1. Salubriter. *Seſſ. 7. De Bapt. Can. 5* De generali neceſſitate Baptiſmi contra Caluiniſtas. *Can. 12. 13. 14.* Contra Anabaptiſtas & Eraſmianos: ſed & implicitè *Can. 13.* contra Lutheranos, exigẽtes Fidem actualem etiam in paruulis ad Baptiſmum.

Ex Conſtanti traditione ab Apoſtolis de Baptiſmo paruulorum: ex qua toties B. Aug. infra conuincit Donatiſtas & Pelagianos.

*Lib. 1. Conf. cap. 12.* Deplorat dilationem ſui Baptiſmi, & grauiter improbat illum abuſum. *Lib. 4. vſque ad cap. 7.* refert ſuam & ſuorum diſpoſitionem ad Baptiſmum, per Fidem ac Pœnitentiam internam, ſeu præteritorum peccatorum diſplicentiam. *Libris 7. De Baptiſmo* tam paruulorum, quam adultorum. *Lib. 1. De peccat. mer. & remiſſ.* cap. 9. *Christus dat ſui Spiritus occultiſſimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis.* Cap. 16. Paruulos ſine Baptiſmo de corpore exeuntes, *in damnatione omnium mitiſſima futuros.* Cap. 19 *Si paruuli pœnitentes dicendi non ſunt, quia ſenſum pœnitendi nondum habent: nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi non habent.* Cap 20. *An quiſquam dicere audebit quod ad paruulos hæc ſententia non pertineat &c.* Cap. 23. *Quis audeat dicere non eſſe Chriſtum Infantiũ Saluatorẽ &c.* Cap. 24. *Non dubitemus etiam pro infantibus baptizandis Chriſti Sanguinem eſſe fuſum.* Cap 27. *Qui crediderit & baptizatus fuerit &c.* Marc. 16. *Quis autem neſciat credere eſſe infantibus baptizari; non credere autem, non baptizari.* Lib. de pecc. Orig. *cap. 21.* refert fallaciam Pelagij ad Innoc. Papam. *tanquam infantibus remiſſio peccatorum, verborum ſonitu diceretur, non rerum ageretur effectu.* Libris 6. perfectis, & 4. imperfectis contra Iulianum, pro neceſſitate & fructu Baptiſmi paruulorum. *Epiſt. 105. 106. 107.* Lib. 3. De anima cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire poſſe ad originalium veniam peccatorum: ſi vis eſſe Catholicus.*

Sed quaſi ex profeſſo ad hoc totum noſtrum intentum Epiſt. 23. ad Bonif. De Baptiſmo paruulorum.

*Quæris à me quomodò proſit paruulis cùm baptizantur, maiorum Fides.* Reſp. *Tantam eſſe Sacramenti huius virtutem &c.* Infra. *Vt paruulus poſſit regenerari per officium voluntatis alienæ, cùm offertur conſecrandus, facit hoc vnus Spiritus ex quo regeneratur oblatus.* Infra. *Nec te moueat quod quidam non ea Fide ad percipiendum Baptiſmum paruulos ferunt &c. Non enim non regenerantur, quia non hac intentione offerunt. Celebrantur enim per eos neceſſaria myſteria.* Infra. *Difficillimam quæſtionem tibi propoſuiſſe viſus es: quid eſt quod quando paruuli ad Baptiſmum feruntur, pro eis parentes tanquam Fide dictores reſpondent?* Infra. *Reſpondetur paruulus credere qui Fidei nondum habet affectum, propter Fidei Sacramentum: & conuertere ſe ad Deum, propter conuerſionis Sacramentum &c. Itaque paruulum, etſi nondum Fides illa quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius Fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſa mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Cùm autem homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetit: ſed intelligit, eiuſque veritati conſona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non poteſt, valebit Sacramentum ad eius tutelam aduerſus contrarias poteſtates: & tantùm valebit, vt ſi ante rationis vſum ex hac vita emigrauerit, per ipſum Sacramentum, commendante Eccleſia charitate, ab illa condemnatione quæ per vnum hominem intrauit in mundum, Chriſtiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelis eſt, etſi habeat Fidei Sacramentum: longèque melior eſt ille paruulus, qui etiamſi*

*Fidem*

Digitized by Google

*Fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contraria cogitationis opponit, vnde Sacramentum eius ſalubiter percipit.*

*Epiſt. 57.* Ad Dardanũ. q. 2. priorem epiſtolã quaſi proſequens: *Cùm cõmemoraſſes te Legiſſe librum meũ de Baptiſmo paruulorũ .i. l. 1. de pecc. mer. & remiſſ. addidiſti.* De prægnantibus quid ſentias,cupio cognoſcere: cùm credulitatis fidẽ pro puero mater Ioannis Baptiſtæ reſponderit. Infra. Reſp. *Neque dictum eſt, credidit infans, ſed exultauit: Neque ipſa dixit exultauit in Fide, ſed in gaudio. Videmus autem exultationem etiam pecorum &c. Sed hæc mira tanquam Matri Domini reddita reſalutatio,facta eſt diuinitùs in infante &c. Quanquam etſi adeò eſt illi puero acceleratus vſus rationis & voluntatis, vt intra viſcera materna iam poſſet agnoſcere, credere, conſentire &c in miraculis habendum diuinæ potentiæ &c. Nec quod factum eſt in Ioanne contemno, nec inde regulam figo: imò id in illo mirabiliter prædico, quia in alijs non inuenio &c. Neſcire autem diuina paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, ſi verbis velimus oſtendere: vereor ne ipſis ſenſibus facere videamur iniuriam &c.* Infra. *Vnde quando eis Chriſtianâ gratiâ ſubuenitur: quod vocibus quibus poſſunt & motibus reluctantur, non eis imputatur, donec Sacramenta peragantur,quia neſciunt quid faciunt &c. Porrò ſi iam vterentur rationis & voluntatis arbitrio &c. quantum mali eſſet reſiſtere tantæ gratiæ &c? Dicimus ergò in baptizatis paruulis, quamuis id neſciant, habitare Spiritum ſanctum. Sic enim eum neſciunt, quamuis ſit in eis, quemadmodum neſciunt & mentem ſuam: cuius in eis ratio velut quædam ſcintilla ſopita eſt, excitanda ætatis acceſſu.* Infra. *Itaque quamlibet ſententiam de hominibus habeamus adhuc intra materna viſcera conſtitutis, eos necne donari poſſe aliquo ſanctificationis modo, propter Ioannem* Luc. 1. vel Ierem. 1. *tamen illa ſanctificatio, qua efficimur & ſinguli templa Dei, & in vnum omnes templum Dei, non eſt niſi renatorum, quod niſi nati homines eſſe non poſſunt &c Si quis dicat* Luc. 1. *quod in ea natum eſt &c.* Ioan 3. *Niſi quis renatus fuerit &c. ſi igitur homo regenerari per gratiam in vtero poteſt: quomodo reſtat adhuc illi naſci? Renaſcitur ergò antequam naſcitur, quod fieri nullo modo poteſt. Sacramentum porrò regenerationis noſtræ manifeſtum eſſe voluit, manifeſtatus Mediator: erat autem antiquis iuſtis aliquod occultum &c. Quod ſi Circumciſio pro Baptiſmo fuiſſe creditur: quid de his qui ante Deo placuerunt, non tamen ſine Fide?* Hebr. 10.

Quæ ſi literiones Eraſmiani non vt mures aut glires rodere, ſed vt Fideles ac ſagaces Eccleſiæ canes odorari ac lambere maluiſſent: ſua illa inſania non laboraſſent.

### RESPONSIO SCHOLASTICA.

PRobabile eſt non tantùm ad remiſſionẽ actualium mortalium, ſed etiam venialium, ipſiuſque peccati Originalis per Baptiſmum, in adultis requiri aliquam pœnitentiam ſeu diſplicẽtiam eorum. Tùm ex neceſſaria diſpoſitione Fidei, Spei, & cuiuſdam inchoatæ dilectionis, ad primã iuſtificationem adultorum *ſeſſ. 6. Trid. cap. 4.* Tùm ex B. Aug. qui totis lib. contra Iulianum contendit ſtatum peccati originalis, imò & reliquæ inde concupiſcentiæ eſſe malum & odiendum, imò expreſsè lib. *de corrept. & gratia* cap. 6. *Si nondum regenerati ſunt, prima cauſa cur obiurgati ſibi debeant diſplicere, eſt quia fecit Deus hominem rectum ab initio, ac per hoc prima prauitas ab homine eſt &c. An verò ideò iſta prauitas corripienda non eſt in homine, quia non eius propria ſed communis eſt? Imò verò corripiatur & in ſingulis quod omnium eſt &c. Corripiatur origo damnabilis: vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur &c.* Et Epiſt. 48. *Neminem ab errore ad veritatem, vel à quocumque ſeu magno ſeu paruo peccato, ſine pœnitentia tranſire poſſe.*

Sed pro certo, [illegible] Theologicè habendum, nequidem ad remiſſionem mortalium per Baptiſmum neceſſariam eſſe perfectam contritionem, imò nec tantam pœnitentiam, quàm poſt relapſum; ſed ſufficere quantillamcumque veram pœnitentiam, ſeu attritionem ſupernaturalem. Tùm ex *ſeſſ. 6.* Trid. *cap. 4.* De neceſſitate Baptiſmi in re vel voto, ad primam iuſtificationem: vnde patet diſtinctio inter iuſtificationem adultorũ per Sacramentum, & per eius votum, ſeu contritionem. Tùm ex *ſeſſ. 6. cap. 6.* de diſpoſitione adultorum ad primam iuſtificationem per *fidem, ſpem, inchoatam Dei dilectionem, & pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Quam per hoc diſtinguit à neceſſaria pœnitentia poſt relapſum: quantò magis à perfecta contritione ex perfecta etiam charitate? Nam hæc inchoata Dei dilectio eſt *tanquam fontis iuſtitiæ*, inquit, ſeu deſideriũ iuſtificationis ab eo participandæ: perfecta autem contritio ex charitate, eſt propter offenſam Dei, & Charitas perficiens illam contritionem, eſt ipſius Dei propter ſeipſum. Tùm ex *ſeſſ 6. cap. 7.* De Sacramento Baptiſmi tanquã cauſa inſtrumentali primæ iuſtificationis adultorũ: non eſſet autem talis cauſa ordinaria, ſi præſupponeret perfectam contritionem, & conſequenter ipſam primam iuſtificationem. Tùm ex *ſeſſ. 7.* de vera & neceſſaria iuſtificatione per Sacramenta ex Opere Operato, & de vi diuerſa Baptiſmi Chriſti à Baptiſmo Ioannis: qui tamen etiam per contritionem iuſtificabat. Tùm ex *ſeſſ. 13 c. 4.* de diſtinctione inter *contritionem aliquando charitate perfectam, Deoq́ reconciliantem ante Sacramentum: & imperfectam, quæ attritio dicitur; quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur: quæ ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ; non quidem ſine Sacramento per ſe ſufficiat ad iuſtificationem, diſponat tamen ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento.* Quod ſi hoc ad Sacramentum Pœnitentiæ: quantò magis ad Sacramentum Baptiſmi? Tùm denique ex cenſura & inhibitione Pontificia propoſitionis *16. 31. 32. 67. 68.* inter Baijanas, de neceſſitate & inſufficientia charitatis perfectæ, & contritionis ex hac charitate, ad iuſtificationem. Vnde conſtat talem contritionem & charitatem ſemper iuſtificare: ſicque non poſſe eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad primam iuſtificationem per Sacramentum. Nec licet vti vel abuti diſtinctione inter contritionem & charitatem magis minuſvè perfectam: quia Conc. *Trid. ſeſſ. 13. cap. 4.* & Cenſura illa ac inhibitio Pontificia ad mentem Conc. eſt de contritione perfecta, prout ibi diſtinguitur ab imperfecta ſeu attritione; excludens omnes alias diſtinctiones prætenſas ipſius cõtritionis perfectæ. Prout nos latius diſcreuimus totam B. Aug. doctrinam ab illis propoſitionibus Baijanis, & à prætenſa neceſſitate contritionis perfectæ, ad primam iuſtificationem, *Tomo 1. noſtra Anat.* ſub Indice Dogmatico *col. 48. 49.*

48. 49. 61. 62. & ex profeſſo ſub Abſolutione finali totius operis à col. 155. ad 167. Vt infra de Pœnitētia.

RESPONSIO MORALIS.

Omnes adulti non baptizati, iure diuino, naturali, & poſitiuo nouæ Legis, nondum autem Eccleſiaſtico, obligantur ad procurandum ſibi Baptiſmi Sacramentum & fructum, omneſque conditiones ac diſpoſitiones neceſſarias: & ad cauendum non tantùm periculum priuationis ſeu mortis ante Baptiſmum, ſed etiam damnum nimiæ dilationis.

Tùm ex neceſſitate huius medij ac remedij ad ſalutem: Tùm ex neceſſitate præcepti, ab eius promulgatione: Tùm ex incertitudine veræ ac perfectæ Contritionis ſeu Baptiſmi in voto: Tùm ex incertitudine vitæ præſentis: Tùm ex graui interim damno ſpirituali. Dixi autem, needum ex Lege Eccleſiæ: quia needum ei ſubditi ſunt.

OBIECTIONES PROMISCVÆ.

Pleræque præuentæ ſunt ad Quæſt. 3. in communi, & 2. ac 3. de hoc Sacramēto. De reliquis.

1. Sit *Lutheranorum*: Quòd Sacra Script. *Mat. vlt. Act. 2. 8.* exigat aliquem vſum rationis ad cognitionem & fidem in baptizandis: ergò cum paruuli ſint capaces Baptiſmi, nec tamen cognitionis ac Fidei actualis, debet eis ſupernaturaliter infundi.

*Reſp. 1.* Sacram Script. referre primam miſſionem & executionem docendi, conuertendi, & baptizandi adultos, priuſquam eorū proles baptizari poſſent. 2. Paruulos non habentes obicem erroris aut prauæ voluntatis, ſed tantùm priuationem Fidei ac gratiæ ſanctificantis, non indigere vlla diſpoſitione, ſed ſola infuſione Fidei ac gratiæ habitualis per Sacramentum Baptiſmi. 3. Prætenſam diſpoſitionem Fidei actualis non poſſe infundi per Baptiſmum: quia ſupponit illam diſpoſitionem, nec eſt inſtitutus ad diſponendum animū, ſed ad ipſam iuſtificationem, ſeu infuſionem gratiæ iuſtificantis.

2. *Caluiniſtarū*, ex prætenſa prædeſtinatione, & ſufficienti iuſtificatione proliùm à peccato originali in ſuis parentibus baptizatis *1. Cor. 7. Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.*

*Reſp. 1.* Prætenſam prædeſtinationem non excuſare, ſed potiùs obligare ad Baptiſmum, tanquam ad medium ex ipſa prædeſtinatione prouiſum ac ordinatum ad ſuum finem: cuius priuatio eſt ſignum non prædeſtinationis vt ſæpè monet B. Aug. *Reſp. 2.* Proles non generari ex parētibus, quatenus Chriſtiani aut baptizati ſunt, ſeu ex vi illius ſtatus: ſed quatenus homines, imò & carnales ſunt, ſeu ex carnis concupiſcentia; ideòque tales naſci, & renaſci debere. *Reſp. 3.* Illud Apoſt. *1. Cor. 7.* vel eſſe tantùm de quadam ſanctificatione ſeu honeſtate legali, vel etiam de vera ſanctificatione per Baptiſmum. Monet enim Apoſtolus coniuges ad fidem conuerſos, ne deſerant prius connubium cum infidelibus conſentientibus in cohabitationem: quia fidelis ſanctificatur per infidelem, & eorum filij non ſunt immundi, ſed ſancti; ergò vel quia ſunt legitimi coniuges & legitimæ proles, vel quia illi ab inuicem conuertuntur, & hi à parentibus fidelibus per Baptiſmum ſanctificantur. Ita & B. Aug. contra Pelag. *lib. 2. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 9. 25. & 26. lib. 3. cap. 8. & 9.* ſub duplici ſimili. 1. Quod ex circumciſis non naſcebantur circumciſi. 2. Quòd ex ſemine tritici ſine palea, generetur triticum cum palea. Cap. 9. *Non facit*, inquit, *generatio, ſed regeneratio Chriſtianos.*

3. *Anabaptiſtarum & Eraſmianorum*: Quòd Chriſtus fuerit baptizatus anno 30. ætatis. Deinde quòd Baptiſmus habeat graues obligationes, & ſuas ſacras ac ſalutares ſignificationes, quarum pueri needum capaces ſunt ante vſum rationis. Præterea quod Baptiſmus habeat vim remittendi omnem culpam & pœnam etiam quorumcunque peccatorum actualium: ergò ſit differendus poſt omnia illa peccata, & grauiora peccandi pericula, ad maiorem remiſſionem, & pleniorem effectum. Denique quod olim SS. PP. id conſulebant, nec erat aliter Concilijs ſtabilitum: teſte Nazian. *ſerm. de Bapt.* & *B. Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 24.* *Reſp. 1.* Nec Chriſto fuiſſe neceſſarium Baptiſmum, nec illi fuiſſe periculum in mora, nec id fuiſſe exemplum ætatis, ſed humilitatis. *Reſp. 2.* Nec obligationes Baptiſmi eſſe graues, ſed leues ac ſuaues, nec eſſe aut futuras vnquam liberas, ſed neceſſarias, nec obligare actu ante vſum rationis, nec vllatenus eſſe in præiudicium ſed fauorem ac ſalutem infantium. *Reſp. 3.* Baptiſmum eſſe primariò inſtitutum ad remiſſionem peccati originalis: Sacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem actualium; ideòque Baptiſmum habere finem primarium ſuæ inſtitutionis in paruulis; nec eſſe expectandum finem ſeu fructum ſecundariū cum tanto periculo ſalutis, & damno ſpirituali, quod vix & rarò compenſaretur Baptiſmo finali. *Reſp. 4.* Nec Nazianzenum id conſulere niſi extra periculū mortis, nec vltra triennium: & interim frequens mortis periculum perſuaſiſſe contrarium: B. Aug. verò ibidem proteſtari oppoſitum. Nam cap. 23. *Quid valeat ſanctificatio Sacramenti &c. traditum tenet vniuerſitas Eccleſiæ, cùm paruuli infantes baptizantur: qui certè nondum poſſunt corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem; quin etiam flendo & vagiendo ipſis myſticis vocibus obſtrepunt.* Cap. 24. *Et ſi quis in hac re auctoritatem diuinam quærat (quanquam quòd vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur): tamen veraciter conijcere poſſumus quid valeat in paruulis Baptiſmi Sacramentum, ex circumciſione carnis.*

4. Omnium ſimul, ex B. Aug. cap. 24. *In infantibus qui baptizati moriuntur, gratia Omnipotentis implere credenda eſt, quod nec corde credere poſſunt, nec ore confiteri ad ſalutem*: Ergò non ex vi Sacramenti cùm baptizantur, ſed ex Dei miſericordia cùm moriuntur. Vt & *Epiſt. 23.* ad finem ſupra, de fructu Baptiſmi paruulorum ante vſum rationis morientium, ex ſola commendatione Eccleſiæ. *Lib. 1. de pecc. mer. cap. 19. & 27* De extrinſeca tantùm denominatione credendi, pœnitēdi, &c. *Reſp.* Ex Tom. 2. noſtræ Anat. *col. 369. 444. 926. 927.* De obligatione infantium baptizatorū ad iuſtificationem & praxim bonorum operum in adulta ætate, ſi ſuperuiuerent, ex vi gratiæ & profeſſionis baptiſmalis: non autem quaſi de ſuſpenſa iuſtificatione habituali vſque ad ætatem adultam. Nam illo *cap. 24.* comparat in hoc infan-

Digitized by Google

infantes cum bono illo latrone: in quo Chriſtus *compleuit quod illi deerat ex Sacramento Baptiſmi*, ſi non fuit baptizatus. Compleuit autem per baptiſmũ flaminis ante eius mortem: ergò & per Baptiſmum Sacramentalem complet tunc in paruulis gratia habituali, quod deeſt ipſis de actibus proprijs, præſentibus aut futuris. Vnde & ſubdit: *Cùm alij pro eis reſpondent, valet ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt*: ergò ex tunc *conſecrantur intrinſecè* per Baptiſmum.

*Epiſt. autem 23. ſupra*, non ſignificat quod Baptiſmus paruulorum ex tunc *eis tantùm valeat* ad externam præſeruationem à diabolo: ſed etiam ad internam ab eius ſeruitute ſeù peccato originali liberationem; imò & *tantùm valeat* .i. adhuc plus, videlicet ad ipſam ſalutem æternam. Nec ſignificat quòd ſi ante rationis vſum paruulus ex vita emigrauerit, tunc priùs percipiet primum fructum internum ſui Baptiſmi: quantò enim potiùs in ipſo actuali Baptiſmo? ſed quòd tunc remotè ex vi Baptiſmi præteriti, proximè autem ex fide ac gratia præſenti, à condemnatione liberetur; non quaſi ex priuilegio, ſeu ſpeciali Dei miſericordia, & precibus Eccleſiæ; ſed ex præteritis precibus Eccleſiæ, & miſericordia Dei ante Baptiſmum, ex Lege autem ordinaria ſeu inſtitutione ipſius Baptiſmi. Subdit enim *paruulum non tantùm baptizatum*, ſed etiam baptizandum, eſſe longè meliorem infideli baptizato: *qui etiamſi fidem non habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit. Vnde Sacramentum eius ſalubriter percipit* .i. ex hac non oppoſitione ante Baptiſmum, percipit ſalubriter Baptiſmum, ſeu fructum eius ſalutarem. Denique tàm eadem epiſt. quàm *lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 19. & 27.* per denominationem illam quaſi extrinſecam credendi, & pœnitendi, ab externa & aliena profeſſione Fidei, & renuntiatione diabolo pro paruulis: non reuocat illam *occultiſſimam gratiã quam Chriſtus in Baptiſmo latenter infundit & paruulis*, ibidem *cap. 9.* à qua paruuli dici poſſunt intrinſecè, ſed habitualiter fideles, pœnitentes, ſperantes, & diligentes; ſed ſupponens hanc, addit & duplicem denominationem extrinſecam, alteram à ſponſione, ſeu profeſſione maiorum pro paruulis, vt patet ex illo *cap. 19.* alteram ab ipſo Sacramento fidei, ſeu ſigno Sacramentali Baptiſmi *Ex Epiſt. 23.* Vbi comparat Sacramentum fidei ſeu Baptiſmi, Sacramento Corporis Chriſti: quod ſicut hoc *ſecundum quendam modum eſt Corpus Chriſti*; Ita & illud ſit fides. Porrò *quidam* ille *modus* non tantùm eſt communis, quo *Sacramenta ex quadam ſimilitudine ipſarum etiam rerum nomina accipiunt*, vt paulò ſuprà: ſed etiam principalis ac excellens quo Sacramentum Corporis Chriſti denominatur & eſt Corpus Chriſti, ab ipſo Corpore Chriſti realiter præſente, ac contento; ita & Sacramentum fidei ſeu Baptiſmus dicatur fides, ab ipſa fide habituali præſente, & per Baptiſmum infuſa, ac impreſſa. Hinc ex B. Aug. pueri ante vſum rationis dici poſſunt credere 1. extrinſecè ante baptiſmum, fide aliena. 2. adhuc extrinſecè ipſo actuali baptiſmo tanquam ſigno fidei. 3. intrinſecè ſola fide habituali. 4. extrinſecè & intrinſecè ſimul, ipſo ſigno Sacramentali fidei, & fide præſenti actu infuſa: ſicut ſigillum imprimens & impreſſum, dicitur & eſt ſigillum. Ita & Sacramentum Corporis Chriſti dicitur & eſt Corpus Chriſti.

5. *Contra Baptiſmum paruulorum.*

B. Aug. refert, ſed non videtur reſoluere fallaciam illam Pelagianorum contra Baptiſmum paruulorum. Nam, inquit Epiſt. 105. *Dicunt veraciter quidem reſpondere paruulos per ora geſtantium: non tamen quia ſibi remittuntur, ſed quia credunt quod in Eccleſia, vel in Baptiſmo remittuntur, in quibus inueniuntur. Ac per hoc nolunt eos ita baptizari in remiſſionem peccatorum, tanquam in eis fiat ipſa remiſſio, ſed quoniam in eo baptiſmate baptizantur, quo fit in quibuſque peccatoribus remiſſio peccatorum. Fieri quidem poteſt, vt hæc verſipellis aſtutia ſubtiliùs & acutiùs ex otio refellatur &c.* Quod nullibi videtur præſtitiſſe: ſed tantùm eandem difficultatem mouiſſe. Lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. c. 18. *Illi mouent, qui dicunt paruulos non propter remittendum peccatum percipere Baptiſmum, ſed vt creentur in Chriſto, & ipſius regni participes fiant.* Cap. 19. *Forſitan ſicut peccatores non ſunt, ita nec iuſti ſunt &c.* Lib. 2. de pecc. origin. contra Cœleſtium cap. 21. *Pelagius ita perhibetur ſolitus reſpondere*: ſine Baptiſmo paruuli morientes, quò non eant ſcio, quo eant neſcio .i. *non ire in Regnum Cælorum ſcio: quò verò eant ſe neſcire dicebat; quia dicere non audebat in mortem eos ire perpetuam &c. Iam verò in eodem lib. Fidei ſuæ ad eundem Papam Innocentium, ſeipſum tegendo nudauit dicens*: Baptiſma vnum tenemus, quod iiſdem Sacramenti verbis in infantibus quibus etiam in maioribus dicimus eſſe celebrandum. *Non ſaltem dixit, eodem Sacramento &c. Sed* iiſdem Sacramenti verbis: *tanquam infantibus remiſſio peccatorum verborum ſonitu diceretur, non rerum ageretur effectũ. Viſus eſt tamen ad tempus aliquid dicere, quod Fidei Catholicæ conueniret: ſed illam ſedem vſque in finem fallere non potuit.*

Reſp. 1. ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 613. 615. 964.* & latiùs *89. 90. Indicũ*: Epiſtolâ quidem *105.* ſuſpendere pleniorem, non tamen præterire ſufficientem confutationem. Præuenit enim ibidem dicens: *Quia fidelis Deus in verbis ſuis, eius Eccleſia nullo modo fallaciter paruulos in remiſſionem peccatorum baptizat; ſed vt fide agatur quod agitur, vtique fit quòd dicitur &c.* Subdit autem: *Veruntamen ſecundùm ſuam illam calliditatem non inueniunt quid ad hoc reſpondeant, quòd exorcizantur & exufflantur infantes &c. nec audent dicere hæc in Eccleſia mendaciter geri. Sed Deo gratias quòd ſaltem per corda & ora maiorum credere paruulos confitentur. Sicut ergò audiunt Ioan. 3.* Qui non renatus fuerit &c. *Sic audiant Marc. 16.* Qui non crediderit condemnabitur. *Quia ſicut eos renaſci, ita etiam credere per corda & ora confitentium confitemur, &c.* vt ſupra *col. 199.*

Lib. autem de pecc. origin. cap. 21. aliam eiuſdem Pelagij fallaciam ſeu latentis hæreſis velamen reuelat, & diſcernit à liberis extra Fidem opinionibus de Elia, Enoch, &c. Cap. 23. *Quis non ſciat multa ignorari ſalua Chriſtiana Fide, & alicubi errari ſine aliquo hæretici Dogmatis crimine.*

Cap. 23. *Sed in cauſa duorum hominum, quorum per vnum*

Digitized by Google

*vnum venumdati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur a peccato, propriè Fides Chriſtiana conſiſtit.*

Cap. 25. *Quapropter quiſquis humanam contendit in qualibet ætate naturam non indigere medico ſecundo Adam, quia non eſt vitiata in primo Adam: non eſt in aliqua quæſtione, in qua dubitari vel errari ſalua Fide poteſt; ſed in ipſa regula Fidei, qua Chriſtiani ſumus, gratia Dei conuincitur inimicus &c.* Vnde toto libro reprobat diſtinctionem Pelagianam triplicis vitæ ſeu ſtatus iuſtorum in hoc mundo. 1. Ex natura. 2. Sub lege. 3. Sub gratia: conuincitque nullum vnquam fuiſſe iuſtificatum niſi ex fide & gratia Chriſti Mediatoris, antiquis etiam iuſtis reuelata; nec hanc vnquam defuiſſe etiam paruulis. *Sed*, inquit cap. 30. *ante Abraham vtrum aliquo corporali & viſibili Sacramento iuſti vel eorum paruuli ſignarentur, Scriptura non exprimit: ipſe tamen Abraham ſignum accepit Circumciſionis &c.* Gen. 17. Rom. 4. vt ſuprà.

Sed tandem libris 6. contra Iulianum totum Pelagianiſmum vſque ad extremam ſcintillam ſub quouis cinere latentem velut quodam doctrinæ diluuio extinguens ac ſubmergens, omnes fluctus ac tumores Pelagianos ſacræ Arcæ ſeu naui Eccleſiæ, ipſiſque cunis baptiſmalibus infantium, ad placidè & ſecurè ſupernatandum, ſubſtrauit. Inter quæ illam quoque ſubtilitatem ita retundit lib. 6. cap. 5. *Etſi nulla ratione indagetur: verum tamen eſt quod antiquitùs veraci fide Catholica prædicatur & creditur per Eccleſiam totam: quæ filios fidelium nec exorcizaret nec exufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum erueret. Quod* lib. 1. de nupt. cap. 20. *à me poſitum eſt: ſed tu id commemorare timuiſti, tanquam ipſe ab orbe toto exufflandus, ſi huic exufflationi contradicere voluiſſes. Fruſtra te intorques aduerſus communem matrem ſpiritalem: quæ non te aliter peperit, quàm ſicut iam non vis vt parturiat; contra cuius viſcera ſatis acutis telis tibi videris armatus &c. Tunc vera eſt Dei gratia, ſi hoc rebus exhibeat, quod verbis ſonat. Quomodo autem hoc facit, ſi eum exufflat in quo nouit non eſſe quod pellat: ſi eum lauat in quo nouit non eſſe quod abluat?* Infra. *Reatus ille, qui ſola regeneratione dimittitur, quemadmodum cum ineſſet non ſentiebatur, ita eius ablatio fide creditur, non carne vel mente ſentitur &c.*

6. Ex Scoto *diſt. 4. q. 6. ſupra.*

Quòd quamuis iuſti ſint baptizandi, & ipſa B. Virgo fuerit baptizata, niſi fortè fuerit excepta, ob plenitudinem gratiæ ab ipſa Chriſti conceptione: cum tamen ex B. Aug. non videatur poſſe verificari Sacramentalis ſignificatio Baptiſmi, niſi per remiſſionem peccati Originalis; alioquin verificari poſſet in paruulis per ſolam ſanctificationem, abſque neceſſaria ſuppoſitione peccati Orig.

*Reſp. ex col. 89. 90. Indicis Tom. 2. noſtræ Anat.* Ad verificandum Baptiſmum iuſtorum ſufficere quòd ex ſe, ſeu ex ſua inſtitutione conferat primam gratiam remiſſiuam peccati Originalis ſi inſit, vel augeat gratiam præexiſtentem: Non poſſe autem conferre primam gratiam remiſſiuam paruulis, niſi ſuppoſito peccato Originali, nec in eis tantùm augere gratiam. 1. Quia Baptiſmus eſt præcipuè inſtitutus pro paruulis, quibus nullum eſt aliud medium, aut remedium ordinarium ſalutis, cùm adulti poſſint etiam ſaluari perfecta contritione, ac dilectione Dei: ergò in illis debet habere ſuam propriam materiam, finem, & effectum primarium ſuæ inſtitutionis. 2. Quia Baptiſmus eſt tantùm paruulis neceſſarius neceſſitate medij: adultis autem etiam neceſſitate Præcepti. Ergò eſt paruulis neceſſarius ad tollendum aliquid ſaluti contrarium, & conferendum aliquid ſalutare, imò & ſaluti neceſſarium: adultis autem poteſt eſſe neceſſarius tantùm ad non peccandum, & ſalutaris ad augmentum gratiæ. 3. Quia Baptiſmus paruulorum eſt communis omniū: ergò non poteſt ſalua veritate habere exceptionem ſuæ ſignificationis actualis in illis omnibus. 4. Quia S. Aug. inſtat præcipuè ab exorciſmo, & exufflatione ceremoniali Baptiſmi paruulorum: quæ ceremoniæ ſupponunt in eis peccatum Orig. nec fuerunt adhibitæ, aut ſunt adhibendæ iuſtificatis, quantominus B. Virgini MARIÆ? 5. Illam exceptionem *B. Virginis à Scoto*, & rationem excipiendi ob plenitudinem gratiæ à conceptione Chriſti: eſſe tantùm ſub dubio & conditione poſſibili. poſſeque extendi non tantùm ad completam plenitudinem totius gratiæ B. V. ſed etiam vltra menſuram gratiæ Baptiſmalis. *Reſp. 6.* Completâ gratiâ huius vitæ, ex Scoto ſuprà, non ideò bona opera meritoria eſſe fruſtra: vel quia hoc ipſo quo fiunt propter Deum, habent ſuum finem principalem, ex B. Aug. *lib. de vera Religione cap. 45. Tom. 2. noſtræ Anat. col. 84.* Vel quia habitura ſunt fructum maioris gloriæ, ſiue tunc etiam augendæ gratiæ, ſiue non: de quo alibi ſuo loco. Porrò ſuſceptio Baptiſmi ab adultis iam completè iuſtificatis, eſſet obedientia meritoria &c.

7. *Contra Reſponſionem Scholaſticam.*

Peccatum Veniale non eſt contra Deum, eius gratiam, aut Sacramentum: Originale non eſt etiam aliqua auerſio à Deo, ſed tantùm priuatio gratiæ: Nec Mortale tranſactum ſemper relinquit aliquam à Deo auerſionem, aut affectum peccandi, ſeu peccati præteriti vel futuri; ſed ſæpè etiam diſplicentiam naturalem; Ergò nec hoc nec illa ſunt obices amouendi per pœnitentiam ante Baptiſmū. Deinde Baptiſmus non debet eſſe difficilis ac pœnalis, ſicut Sacramentum Pœnitentiæ: Ergò non eſt ei neceſſaria pœnitentia, vel non talis ac tanta. Denique ſi quælibet auerſio à Deo & inclinatio habitualis ad peccandum eſſet obex amouendus per Pœnitentiam ante Sacramentum: non ſufficeret ad hoc Attritio ex timore aut ſpe, imò nec quælibet Contritio ex Charitate; ſed neceſſaria eſſet perfectiſſima, excludens omnem concupiſcentiam huius vitæ.

*Reſp. 1. à col. 43.* De efficacia Sacramentali ex Opere Operato: ſpecialiter *col. 50. 51.* & à *col. 104.* ſed ſingulariter 107. 108. De neceſſitate alicuius pœnitentiæ, non ad mœrendum aut propriè impetrandum, ſed ad amouendum obicem prauæ voluntatis. Quamuis enim Conc. Trid. *ſeſſ. 13. cap. 4.* videatur hanc diſpoſitionem vocare impetrationem: non tamen propriè & in rigore, prout impetratio eſt ex Opere Operantis ſeu impetrantis; ſed ex ipſo Opere Operato ſeu inſtituto & applicato, ſignificatque prorsùs gratuitam remiſſionem peccati per infu-

ſionem

Digitized by Google

ſionem gratiæ, remoto obice per Pœnitentiam.

*Reſp. 2. Ex Tom. 2. noſtræ Anat. col. 47. 48. Iudicum.* De iuſtificatione etiam ex timore & ſpe diſponente: & *col. 61. 62. 63.* De Pœnitentia Sacramentali. Sed directè & ex profeſſo à *col. 155. ad 171.* noſtræ Abſolutionis finalis, de ſufficientia Attritionis cum Sacramento, contra Propoſitionem *16. 30. 31. 32. 68.* ex cenſuratis à Pio V. & Gregorio XIII. exigentibus Charitatem, & tamen negantibus eius ſufficientiam, aut Contritionis ex Charitate cum voto Sacramenti, ad remiſſionem peccatorum.

*Reſp. 3.* Peccatum Veniale eſſe aliquam ſaltem à Deo ac fine vltimo declinationem ad creaturam, ex aliquo conſenſu libero voluntatis: ideòque neceſſariam eſſe aliquam reflexionem ac directionem ad Deum, per pœnitentiam formalem vel virtualem, ad eius remiſſionem poſitiuam, infuſione gratiæ.

*Reſp. 4.* Peccatum Originale vel eſſe vel habere ſaltem annexam vitioſam concupiſcentiam, eiuſque motus neceſſarios: quorum complacentia voluntaria eſt obex gratiæ, non diſplicentia autem eſt quædam tacita complacentia; ideòque diſplicentia eſt neceſſaria ad hunc obicem amouendum. Ex Rom. 7. *Quod odio malũ hoc facio &c. Infœlix ego homo quis me liberabit?* &c. *gratia Dei per Ieſum Chriſtum.*

*Reſp. 5.* Peccatum mortale ex pleno conſenſu poſt actum non tantùm relinquere prauum habitum acquiſitum ac impreſſum, & quandam inde naturalem ſeu neceſſariam inclinationem ad ſimiles actus; nec tantùm relinquere reatum culpæ ac pœnæ; ſiue in macula aliqua animæ, ſiue obiectiuè *in occultis legibus Dei, quæ conſcriptæ ſunt quodammodo in mentibus Angelorum,* ex B. Aug. *lib. 6. in Iul. cap. 19. col. 736. 737. noſtræ Anat.* ſiue ſubiectiuè moraliter & imputatiuè in ipſa conſcientia peccatoris, ſiue qualitercumque, (de quo diſt. 14. q. 1.) qui habitus aut reatus culpæ & pœnæ, non eſt ille obex amouendus per pœnitentiam ante Sacramentũ; ſed ipſum etiam conſenſum liberum moraliter perſeuerare, donec liberè, verè, integrè, & abſolutè reuocetur. Et hunc eſſe obicem amouendum ſeu reuocandum per pœnitentiam. Non ſic autem reuocatur per diſplicentiam aliquam naturalem, ſiue naturaliter ſequitur actum ipſum peccandi, ſiue etiam moraliter eliciatur: ſed tantùm per diſplicentiam ſupernaturalem; vel quia hæc ſola à Deo acceptatur ad reuocationem ſufficientem; vel quia non poteſt verè, integrè, & abſolutè, ac efficaciter reuocari ab hoc & omni conſenſu peccandi, ſolis naturæ viribus abſque vllo gratiæ auxilio; ſed tantùm fictè, partialiter, conditionatè, inefficaciter, & vitioſè, ſeu ab vno vitio in aliud.

*Reſp. 6.* Non requiri pœnitentiam quæ excludat ipſum naturalem affectum, ſiue habitualem, ſiue actualem ad materiam peccati præteriti aut futuri: ſed ſufficere vt excludat affectum ſeu conſenſum liberum, ſiue actualem, ſiue illum præteritum moraliter perſeuerantem ac imputabilem, donec diſſenſu libero, æquè imputabili & acceptato, reuocetur. Ad quod ſufficere poteſt motiuum boni aut mali ſupernaturalis ad verum Dei timorem & ſpem ex gratia aliqua actuali: quia hoc præualet omni motiuo boni aut mali naturalis ad peccandum, ſiue ex timore huius, ſiue ex deſiderio illius.

*Reſp. 7.* Neceſſariam eſſe talem etiam pœnitentiam baptiſmalem, ſed non tantam quanta ad Sacramentum Pœnitentiæ: vel quia non tam intenſa, vt videri poteſt ex Scoto *diſt. 14. q. 2.* vel quia non tam efficax, tam extenſa, tam diſtincta, tam difficilis, pœnalis & laborioſa, ac illa: quæ debet eſſe efficax ipſius Confeſſionis Sacramentalis, longè difficilioris Baptiſmo; debet eſſe extenſa ad omnia peccata confitenda; debet eſſe fortè diſtincta de ſingulis peccatis, ad auellendum affectum ab eorum materia, & reuocandum proprium ac frequentem conſenſum; debet eſſe executiua ſatisfactionis pœnalis &c. De quibus ſuo loco.

8. *Contra Reſponſionem Moralem.*

Ex Ioan. 15. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* B. Aug. Tract. 89. *Vtrum hi ad quos non venit Chriſtus habeant excuſationem de peccato ſuo* &c. *Ad hæc pro captu meo reſpondeo, habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc* &c. *Reſtat inquirere vtrũ hi qui priuſquam Chriſtus veniret in Eccleſia ad Gentes, vita huius fine præuenti ſunt, poſſint habere hanc excuſationem? Poſſunt planè: ſed non ideò poſſunt effugere damnationem.* Infra. *Siue non acceptaretur iſta excuſatio, ſiue acceptaretur: etſi non vt ab omni damnatione liberentur, certè vt aliquantò lenius damnarentur.* Lib. de gratia & lib. arb. c. 3. *Nec ipſi ſine pœna erunt qui legem Dei neſciunt:* ex Rom. 2. & Luc. 12. *Aliud eſt enim neſciſſe aliud ſcire noluiſſe.* Pſalm. 35. *Sed & ignorantia eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat vt ſempiterno igne non ardeat: ſi propterea non credidit, quia non audiuit omninò quod crederet, ſed fortaſſis vt mitiùs ardeat.* Pius 5. & Greg. 13. cenſurant hanc propoſitionem 65. *Infidelitas purè negatiua in his in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

Quæ omnia nec videntur inter ſe ſatis conſtare, nec cum noſtra Reſponſione de omnium obligatione ad Baptiſmum.

*Reſp. 1.* ex Scoto *diſt. 3. quæſt. 4.* hanc obligationem incœpiſſe quidem ab illa ſolemni promulgatione in die Pentecoſtes: ſed inde ſucceſſiuè propagatam fuiſſe ordine publicationis. De qua videtur iam verificatum illud *Pſalm. 18.* In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Contrà.* Promulgatio publica non peruenit ad omnes, & ſingulos: ergò nec obligat omnes & ſingulos etiam ignorantes; alioquin lex æquè obligaſſet ante promulgationem, vel per primam & vnicam. *Reſp.* Non poſſe obligare niſi ſub forma, & expreſſione obligationis: Nec poſſe obligare publicè ac communiter, niſi ſub hac publica ac communi expreſſione: Nec cenſeri legem extendi ad eos quibus non publicatur; quia tamen lex eſt communis obligationis, non eſt opus vt ſingulis intimetur ad obligandos ſingulos; ſed ſufficit publicari ſingulis diſtinctis nationibus, ad quas ſinguli pertinent.

*Reſp. 2.* Aliud eſſe omnes & ſingulos obligari, aliud omnes & ſingulos formaliter peccare contra legem: aliud excipi ſeu excuſari ab obligatione legis ex



Digitized by Google

eius ignorātia, aliud excuſari à culpa tranſgreſſionis.

*Reſp.* 3. Ex Tom. 2. noſtræ Anat. *col.* 54. 58. 59. 625. 719. 722. 723. 800. 1101. Chriſtum, & B. Aug. excuſare quidem ab illo peccato contrà legem poſitiuam credendi huic, & in hanc perſonā Chriſti non tamen excuſare ab omni obligatione credendi; nec excuſare à damnatione defectu medij neceſſarij ad ſalutem, ſiue noti, ſiue ignoti; nec excuſare ex toto à culpa, & pœna, ſed à tanta; nec omnes, & pro certo, ſed quoſdam & ſub dubio; quia ignorantia poteſt eſſe magis minuſvè culpabilis, aut inculpabilis.

*Reſp.* 4. Illam prop. 65. meritò cenſurari, de infidelitate non tantùm negatiua erroris poſitiui, aut omiſſionis volūtariæ, ſed purè negatiua omnis etiam aduertentiæ & conſenſus formalis, virtualis, aut interpretatiui, & de peccato actuali, ac formaliter imputabili, *in his etiam in quibus Chriſtus non eſt prædicatus*. Hæc enim ſunt contrà Trid. *ſeſſ.* 6. de diſpoſitione infidelium ad gratiam, & de libertate ac gratia obſeruandi Mandata Dei. Nullatenus autem eſt cenſuratum, talem infidelitatem eſſe peccatum materiale, vel in regeneratis eſſe aliquid ipſius peccati Originalis, vel infidelitatem non purè negatiuam, ſed ſuo modo ipſi infideli voluntariam ex aliqua propria & culpabili pertinacia, negligentia aut alienatione intellectus vel voluntatis à veritate credenda, eſſe peccatū actuale. Quæ omnia poſſent habere aliquam probabilitatem ex B. Aug. nullam autem vel apparentiam præfata Propoſitio 65.

*Reſp.* 5. Legem Baptiſmi ſemel publicatam in aliqua natione obligaſſe omnes etiam poſteros ad credendum & obediendum: ſicque non videri vllum poſſe excuſari ab hac obligatione. Tùm quia lex illa diuina nullatenus dependet à ſubditorum acceptatione: Tùm quia fuit tam credibiliter publicata, vt obligauerit ad credendum. Tum quia Marc. 16. dicuntur Apoſtoli *prædicaſſe vbique Domino cooperante, ac ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Tùm quia ſunt vbique aliqua memorialia prædicationis Apoſtolicæ, vſque ad extremos Indos Orientales: per quos facilè potuit etiam ad viciniores Occidentales peruenire; niſi fortè ex ſecreto aliquo ordine prædeſtinationis, vel illorum demerito ac alienatione volūtaria à veritate etiam incognita. Vt conijcit B. Aug. lib. ſex quæſt. contra Paganos *quæſt.* 2. *Tom.* 2. *noſtræ Anat. col.* 438. 439. Tùm denique quia ſiue poſteri propria, ſiue maiorum culpa defecerint à fide: non potuerunt inde abſolui ab hac obligatione, non tantùm temporali & perſonali ſingulorum, ſed nec perpetua ac communi omnium.

*Reſp.* 6. Plures poſſe adhuc excuſari ab hac culpa formali infidelitatis, & omiſſionis: vel ex pura ignorantia facti, ſeu inaudita hac lege, & obligatione: vel ex quadam naturali obliuione, ac inaduertentia, quæ pertinet etiam ad ignorantiam facti: vel inculpabili informatione contraria à parentibus aut maioribus, contrà credibilitatem huius legis & præconum eius, quæ etiam eſt ſaltem partim ignorantia facti: vel ex quadam incapacitate naturali, ac perſonali percipiendi hanc veritatem, & obligationem eiuſque credibilitatem. Vt patet *ex col.* 73. 74. *noſtræ Anat.*

*Reſp.* 7. Errorem, & ignorantiam prauæ diſpoſitionis non excuſare, ſed potiùs accuſare: quia reddit effectum voluntarium in cauſa. Vt patet *ex col.* 34. 800. 1100. 1101.

*Reſp.* 8. Ignorantiam ex culpa actuali necdum remiſſa, non excuſare: ex omni culpa remiſſa, excuſare: ex ſola culpa originali, excuſare ſaltem partim ab actuali. Tùm quia vna culpa non excuſat, ſed potius accuſat aliam præcipuè oriundam ex ſe: Tùm quia Deus non remittit culpam, niſi perfectè quoad totam eius imputabilitatem. Tùm quia ignorantia ex ſola culpa originali non habet vllam rationem culpæ, ſed pœnæ: ergò non poteſt ſuos effectus inficere malitia culpæ. Tùm quia defectus ex tali ignorantia non ſunt participes vllius libertatis ad peccandum, ſaltem demeritoriè. Tùm denique quia ita videtur ſentire B. Aug. ex *col.* 623. 624. 625. *noſtræ Anat.* Nec obſtat quod ignorantia iuris naturalis non videatur in nobis excuſabilis, ſed imputabilis: Tùm quia hæc lex Chriſtiana, non eſt ſolius iuris naturalis, ſed etiam poſitiui: Tum quia ignorantia iuris naturalis ex peccato Originali, non eſt imputabilis ad culpam ſaltem actualem, ſed ad iuſtam pœnam, & ad alias inde conſequentes: Tùm quia ſic etiam quælibet ignorantia facti eſſet imputabilis ad culpam: cùm obliuio & inaduertentia videatur etiam ex peccato Originali. Tùm denique quia ignorantia quæ non eſt culpa formalis, ſed tantùm pœna: nec eſt libera cauſaliter, nec poteſt liberè generare culpam formalem, ſed tantùm materiam aut occaſionem culpæ.

## QVÆSTIO 7.

### Dogmatica, & Scholaſtica.

*Qui ſint fines, effectus, neceſſitas, & ſupplementa huius Sacramenti?*

DE ratione, ac diſtinctione inter varios fines, & effectus, inter neceſſitatem medij & præcepti: deque finibus, & effectibus, ac vtraque neceſſitate Sacramentorum in communi, *à col.* 119. *ad* 126. De fine & effectu proprio ac principali huius Sacramenti, *à col.* 140. *ad* 148. De reliquis finibus, & effectibus ſeu fructibus, deque eius neceſſitate in re, vel voto, *à col.* 148. *ad* 162. Itavt hæc quæſtio ſit tantùm ad recolligendam ſparſam ac præuentam ibi doctrinam, eandemque magis diſtinguendam & Dogmaticè ac Scholaſticè exprimendam: de effectu non tantùm gratiæ ſanctificantis, ſed etiam virtutum, tam per Baptiſmum paruulorum quam adultorum, & de ſupplemento Baptiſmi, non tantùm per Baptiſmum flaminis ſeu ſpiritum contritionis & charitatis, ſed etiam per Baptiſmum ſanguinis, ſeu Martyrium adultorum, & puerorum, extra vel intra vterum.

Nam de infuſione gratiæ & virtutum per Baptiſmum paruulorum, mouit quidem & retulit, ſed non reſoluit difficultatem Scholaſticam ſui temporis Innoc. III. cap. Maiores. Clemens autem V. in Conc. Viennenſi vt refertur *in Clement.* 1. *de Summa Trin. cap.* 1.

Digitized by Google

*cap. 1.* approbat quidem, ſed non definit infundi gratiam & virtutes habituales etiam paruulis per Baptiſmum. Florent. definit conferri gratiam per omnia Sacramenta nouæ Legis: baptizatos ſpiritualiter regenerari, & huius Sacramenti effectum eſſe remiſſionem omnis culpæ & pœnæ. Trid. *ſeſſ. 5. can. 4. & 5.* etiam infantes regenerari per Baptiſmũ, fierique innocentes, puros, hæredes Dei &c. *ſeſſ. 6. cap. 7.* Iuſtificationem adultorum *non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed & ſanctificationem ac renouationem interiorem, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* Infra. *Cauſam formalem iuſtificationis eſſe iuſtitiam Dei: non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, & non tantum reputamur, vel nominamur, ſed & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes &c. Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, & ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, per Ieſum Chriſtum cui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem &c.*

Hinc videri poſſet, ante Tridentinum non fuiſſe definitam remiſſionem peccatorum per infuſionem gratiæ, imò necdum ſatis definitam eſſe de paruulis, ſaltem quoad infuſionem virtutum.

De ſupplemento autem Baptiſmi per eius Votum, Trid. ſuprà ſæpè & expreſsè: ſed de ſupplemento per Martyrium adultorum vel puerorum, nihil niſi fortè ſub ipſo voto Baptiſmi. Hinc quidam cenſent ſolum Martyrium nemini ſufficere ad ſalutem: Alij ſuffeciſſe ſolis Innocentibus pro Chriſto occiſis, ante inſtitutam neceſſitatem Baptiſmi: Alij ſufficere quibuſlibet pueris pro Chriſto, ſeu in odium Chriſti occiſis, etiam intrà vterum: Alij ſufficere etiam quibuſuis adultis voluntariè mortem propter Chriſtum patientibus: Alij quibuſuis etiam peccatoribus, formaliter vel virtualiter attritis: Alij denique nonniſi contritis de mortalibus, vel iuſtis ex charitate patientibus. Inter quas opiniones nobis electio difficilis eſt: non tantùm ex æquilibrio oppoſitarũ hinc inde auctoritatum ac rationum, ſed etiam ex apparenti diſcordia Doctoris noſtri Subtilis *diſt. 4. qu. 3. & 6. diſt. 14. qu. 1.* ab Alenſi & S.Bon. ſuprà *col. 135. 137.* Quæ tamen omnia ſic conciliari poſſe videntur.

RESPONSIO DOGMATICA.

Remiſſio peccatorum quoad totam culpam & pœnam, tam in Baptiſmo Paruulorum quam adultorum, fit per infuſionem gratiæ inhærentis ac permanentis, & earum virtutum quarum ille eſt propriùs effectus formalis, ſiue ex natura rei, ſiue ex ordinatione Dei. Qua etiam gratia ſaluati ſunt omnes illi ſancti Innocentes, per mortem pro Chriſto eis ab Herode illatam: ſaltem ex ſpeciali priuilegio ſeu acceptatione diuina.

Prior pars eſt de Fide. 1. Ex Sacra Scriptura, quæ exigit talem iuſtificationem. *Pſalm. 5* Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua &c. *Ioan. 3.* Niſi quis renatus fuerit. *Epheſ. 5.* Mundans eam &c. *Tit. 3.* Saluos nos fecit. *Hebr. 10.* Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo. *Rom. 5.* Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris &c. Quæ nec de paruulis nec de adultis aliter intelligi poſſunt.

2. Ex Conc. Mileuitano, Carthag. 4. & reliquis ſupra citatis, pro neceſſario Baptiſmo ad regenerationem, & ſalutem. Nam regeneratio magis ſignificat veram internam realem & permanentem mutationem: quàm quælibet alia mutatio, iuſtificatio, aut ſanctificatio. Vnde nec Innoc. III. nec Clemens V. nec Eug. IV. ſupra, poſſunt intelligi de vllo dubio quoad rem, ſeu radicem realem gratiæ, & virtutum: ſed tantùm quoad aliquam formalitatem, & denominationem gratiæ habitualis & virtutum, quatenus ſunt operatiuæ cauſaliter, & non tantùm informatiuæ. Tùm quia eſſet contra tot expreſſas Script. & Conc. priora. Tùm quia eodem contextu probant neceſſariam regenerationem Baptiſmalem ad ſalutem, ex *Ioan. 3.* Tùm quia ibidem expreſsè diſtinguũt inter Sacramentum, & rem Sacramenti. Tùm quia erat tunc nimis notoria tota illa B. Aug. doctrina ſuprà, & ſupereminens ſententia ex lib. 1. de peccat. mer. & remiſ. *Sicut Chriſtus dat ſui Spiritus occultiſſimam Fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: ſic & Adam occulta tabe tabificauit omnes &c.*

3. Ex Flor. ſupra *col. 2.* De collatione gratiæ per Sacramenta nouæ Legis, non antiquæ.

4. Ex Trid. Quod tandem hoc ipſum expreſſiùs & formaliùs ſub anathemate definiuit, contra renouatas hæreſes oppoſitas. Nam *cap. 7.* definit hanc eſſe cauſam formalem veræ iuſtificationis: ergò definit eam eſſe communem omnibus. Tantùm enim diſtinguit adultos à paruulis, quoad diſpoſitiones neceſſarias: non autem quoad ipſam iuſtificationem & eius quatuor cauſas, efficientem, meritoriam, inſtrumentalem, & formalem.

5. Ex SS. PP. ſingulariter Aug. ſupra *col. 197.*

6. Ex ipſa ratione veræ realis internæ ac permanentis iuſtificationis, ſanctificationis, & diſpoſitionis, dignificationis ſeu gratificationis ad gloriam. De quibus ſicut & de diſtinctione gratiæ à virtutibus, alibi magis ex profeſſo.

Poſterior pars eſt etiam de Fide: ex traditione & praxi publica ac Dogmatica Eccleſiæ, colendi & inuocandi omnes illos Innocentes abſque exceptione, vt Beatos Martyres. Quia necdum erat neceſſarius Baptiſmus: & illa mors pro ipſa perſona Chriſti, totaliſque præciſio vitæ, præualet Circumciſioni, fuitque æquiualens Baptiſmo. Nec poteſt ſupponi omnes fuiſſe ante mortem iuſtificatos per Circumciſionem &c. Tùm quia non eſt credibile nullos fuiſſe præuentos ante octauum diem vel etiam ante otium eos circumcidendi: Tùm quia ſola opinio iuſtificationis per Circumciſionem, non ſufficeret ad fundandum tam certam traditionem & praxim Dogmaticam: Tùm quia nulla fit talis exceptio, nulla conditio, nulla ſuppoſitio: Tùm quia ex hac certâ traditione SS. PP. ab antiquo huc vſque publicis præconijs hos æquè ac alios SS. Martyres honorarunt, vt patebit infra: & tota Eccleſia per eos æquè ac alios Deum publicè inuocat, *Deus cuius præconium Innocentes Martyres non loquendo ſed moriendo confeſſi ſunt &c.*



Digitized by Google

*RESPONSIO SCHOLASTICA.*

OMne verum Martyrium completum, ſupplet, & excedit vicem Baptiſmi, plenaria remiſſione, & actuali liberatione ab omni culpa & pœna per collationem actualem gratiæ finalis, & gloriæ. Martyrium autem puerorum pro Chriſto, ſiue extrà ſiue intrà vterum, eſt priuilegiatum ex ſpeciali Dei acceptione: Tùm ab exemplo illo SS. Innocentium: Tùm ex Lege gratiæ, & Paſſione Chriſti efficaciore poſt, quam ante: Tùm ex propria repræſentatione Mortis Chriſti: Tùm ex nullo in eis obice gratiæ, & hac extrema neceſſitate ſalutis pro ipſo Chriſto Saluatore: Tùm ex communibus promiſſionibus Sacræ Script. in fauorem patientium, & præcipuè morientium pro Chriſto, vtique etiam ex voluntate aliena, quando necdum poteſt eſſe propria: Tùm denique ex applicatione illius exempli SS. Innocentum ad ſimiles caſus neceſſitatis à SS. Patribus infra.

Sed Martyrium ordinarium adultorum; non eſt quælibét mors pro Chriſto, vel veritate aliqua aut virtúte Chriſtiana, ſeu in eius odium illata: ſed etiam ab ipſo patiente proprio conſenſu actuali, virtuali, vel habituali voluntariè propter Chriſtum acceptata; præferendo Chriſtum efficaciter vitæ propriæ, ex hâc ipsâ Charitate. Cùm enim præferre Chriſtum efficaciter vitæ propriæ, ad quàm naturaliter reliqua ómnia referuntur, ſit diligere Chriſtum appretiatiuè ſuper omnia: non poteſt ſic præferri niſi perfecta Charitate actuali vel habituali, ſicque nec eſſe vllum verum Martyrium, niſi ex Charitate.

In quem ſenſum conſpirant omnes auctoritates Sacræ Script. Sacrorum Conc. & SS. Patrum, omnes opiniones Scholaſticorum, eorumque rationes, ac praxis Eccleſiæ.

Nam 1. Sacræ Script. promittunt quidem ſalutem patientibus propter iuſtitiam, vtique Chriſtianam *Mat.* 5. & 1. *Pet.* 3. Confitentibus Chriſtum, vtique vſque ad mortem pro ipſo, vt ſuprà, *Luc.* 12. Perdentibus animam ſeu vitam propter Chriſtum, *Marc.* 8. Sed exigunt perfectam pœnitentiam, ſeu contritionem, dilectionem, aut Sacramentum, ad remiſſionem peccatorum & ſalutem. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus ita vt ardeam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte &c. Non diligamus verbo neque lingua ſed opere & veritate.* Cap. 5. *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus.* Ioan. 15. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea ille eſt qui diligit me.* Ioan. 14. *Si diligitis me mandata mea ſeruate &c. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea: ille eſt qui diligit me.* Cap. 15. *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Maiorem hàc dilectionem nemo habet quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis &c.* Vnde patet dilectionem neceſſariam ac ſufficientem ad verum Martyrium, & eius fructum, non eſſe ſpeculatiuam, affectiuam, aut tantùm elicitam: ſed efficacem, ſeu imperantem ac imperatam, vſque ad præferendum efficaciter Chriſtum vitæ propriæ, ſeu ad contemnendam vitam propriã pro fide; doctrina & obſeruantia mandatorum aut conſiliorum eius.

2. Sacrum Conc. Trid. non meminit alterius medij ad ſalutem, quàm Sacramenti in re, vel voto: ergò ſub Sacramento in voto comprehendit ipſum Martyrium, ſupponitque non poſſe eſſe verùm, niſi ex perfecta contritione formali, vel virtuali, ſeu ex hac efficáci dilectione finali potiùs patiendi mortem, quàm non obſeruandi mandata Dei.

3. Praxis Eccleſiæ colendi, & inuocandi Martyres, ex ſola certitudine mortis in odium Chriſti illatæ, & voluntariè propter Chriſtum toleratæ, ſupponit hanc ipſam veram tolerantiam & gratiam tolerandi iuſtificare, ſicque eſſe veram contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia: de qua ſola certum eſt quod ſufficiat ad iuſtificandũ, & cum Martyrio ad beatificandum. Cùm enim ex B. Aug. ſerm. 17. de verbis Apoſt. *Iniuria ſit orare pro Martyre*: Non poteſt tanta certitudo fundari ſuper tam incerta opinione, ſed ſuper certa illa charitate Martyrij. Nec obſtat quod hæc etiam charitatis intentio ſit incerta & occulta, poſſitq; ſubeſſe alia etiam vitioſa. Sufficit enim ad hanc certitudinem practicam colendi, & inuocandi Deum per ſuos Martyres, hæc certitudo moralis abſque vlla alia ratione dubitandi. Quamuis enim ſubeſſet alia etiam vitioſa intentio, ſeu prætenſio inefficax: hac ſola efficaci ac principali corrigeretur.

Neque etiam obſtat pertinax illa quorundam mors pro ſua hæreſi aut vana gloria, vel etiam naturaliter conſtans pro veritate, fidelitate aut honeſtate naturali, ex B. Aug. *q.* 82. *ex* 83. & *lib.* 1. *de Ciu.* Tùm quia illa pertinacia, vanitas, aut naturalitas, ab hac facile diſcernitur. Tùm quia in tanto mortis periculo vix illa diſſimulari aut hæc ſimulari poteſt. Tùm quia tanta gratia vix poteſt ita latere quin emicet. Nam cùm nuper relegeretur quædam Epiſtola F. Richardi de S. Anna ex carcere Iaponenſi ad ſuos & noſtros Confratres: ſolo auditu ſpirat affectum inſtantis Martyrij. Tùm quia Eccleſia non procedit ad hæc, niſi maturè & conſideratè. Tùm denique, quia ſpecialiter à Spiritu S. dirigitur.

4. SS. Patres ita ſeipſos ac ſe inuicem explicant. Nam S. Cypr. de Card. Chriſti operibus ſerm. de ſtella & Magis, ab exemplo SS. Innocentium infert: *Vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauacrum Animæ ſanguinem eſſe efficacem, quàm ſanctificatas verbis ſolemnibus aquas: cùm nec ſanguis hoc elemento careat &c. Spiritus vero S. & aquis, & ſanguini ſuperfertur &c. Ipſe enim eſt qui hoc, vel alio modo baptizat, & ad idem refertur quod pura fide agitur &c.* Sub qua neceſſitate, videtur præcipuè includere extrema infantium, qui non poſſunt vti alio remédio: nec excipere minorem Adultorum, ſed ab eis exigere ſpiritum fidei & charitatis, qui non requirit moram, ad verum Martyrium.

Idem Epiſt. ad Iubaianum. *Nunquid poteſt vis Baptiſmi maior eſſe aut potior quam confeſſio quam paſſio: vt qui coram hominibus Chriſtum confitetur, & ſanguine ſuo baptizetur &c? Tamen hoc Baptiſma hæreticis non prodeſt &c. quia ſalus extra Eccleſiam non eſt.* Vbi quamuis falsò inferat contra Stephanum Papam, Baptiſmum hæreticorum non valere: verè

tamen

Digitized by Google

tamen ſupponit, extra Fidem, ac Charitatem Eccleſiæ non eſſe verum Martyrium, aut non ſalutare.

*S. Aug. l. 4. de Bapt. cap. 17.* approbat quidem hanc veram S. Cypr. ſuppoſitionem: ſed improbat illationem. *Aliud eſt,* inquit, *non habere, aliud non vtiliter habere &c.*

Cap. 22. *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, de latrone illo,* Luc. 23. *non leue documentum idem Beatus Cyprianus aſſumit. Quod conſiderans, inuenio non tantùm paſſionem pro Chriſti nomine id quod ex Baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem conuerſionemq́; cordis, ſi fortè in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt: ſed dum patitur credidit &c.* Vbi non tribuit eius ſalutem Martyrio, ſed conuerſioni cordis: Cùm tamen alibi tribuat ei aliquam rationem Martyrij. Nec per temporis anguſtias, excipit à valore extra illam neceſſitatem: ſed monet de obligatione ad Baptiſmum extra neceſſitatem; & de periculo ne non ſit vera cordis conuerſio. niſi cum voto & effectu baptiſmi poſſibilis.

Vt lib. de Orig. animæ cap. 9. *Ex quo dictum eſt,* Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*: & Mat. 10. *Qui perdiderit animam ſuam* &c. *Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate cum Chriſto, aut morte pro Chriſto. Vnde & latro ille* Luc. 23. *à S. Cypr. inter Martyres computatur &c. Tanto namque pondere appenſum eſt, quod confeſſus eſt crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro eo crucifixus &c. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando diſcipulorum marcuit &c.* Vbi totum refert in ſecretam cordis conuerſionem, ſoli Deo notam. Subditque poſſe dici baptizatum fuiſſe *aqua illa de Chriſti latere emicante*: vel etiam antequam *damnaretur ad mortem, Baptizatum fuiſſe.* Quòd etiam *2. Retract. 18. & 55.* monet credibilius eſſe. De qua Beati Aug. ſollicitudine pro Baptiſmo boni Latronis, cùm necdum eſſet ſub neceſſitate medij aut præcepti: non eſt quod miretur Vaſquez *3. parte diſp. 153. ad finem cap. 1.* Tùm vt habeatur pro membro Chriſti. Tùm quia cùm fuiſſet magnus peccator, nec eius mors eſſet certum Martyrium, nec tanta appareat cordis contritio, vt mereatur illam Chriſti repromiſſionem: non eſt incredibile ipſum poſt ſua crimina cum alijs concurriſſe ad prædicationem Ioannis, & inde ad Baptiſmum Chriſti. Solet tamen B. Aug. eius ſalutem tribuere ſubitæ conuerſioni cordis: Vt lib. 2. in Creſc. cap. 9. *Conuerſio voluntatis repentè mutauit non ſolum in telonio peccatorem, verum etiam in cruce latronem.* Quia hæc eſt certior: vt vt ſit de Baptiſmo in re.

*Lib. 13. de Ciuit. cap. 7.* ex profeſſo de morte necdum baptizatorum pro Chriſto. *Tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi ablueretur ſacro fonte Baptiſmatis. Qui enim dixit* Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* dixit Matth. 10. *Qui me confeſſus fuerit.* Mat. 16. *Qui perdiderit animam ſuam propter me &c. Hinc* Pſalm. 115. *Pretioſa mors SS.* Vbi totum refert in abundantiam gratiæ & meritum ita morientium: *Quia*, inquit, *maluerunt, Chriſtum confitendo, finire hanc vitam, quàm eum negando ad eius Baptiſmum peruenire &c. Sed quando niſi abundantia gratiæ Spiritus illius qui vbi vult ſpirat, tantùm Chriſtum amare poſſent &c.* prorſus in ſenſum & confirmationem noſtræ reſponſionis.

Lib. de Patientia cap. 26. *Si quis non habens charitatem, in aliquo ſchyſmate, ne Chriſtum neget patitur ipſam crucem timore iehennarum & ignis æterni: nullo modo culpanda, imò & laudanda patientia eſt &c. ſed exiſtimandum fortè tolerabilius ei futurum iudicium, quàm ſi Chriſtum negando cuncta illa vitaret.* Ex 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus vt ardeam, charitatẽ autem non habeam, nihil mihi prodeſt &c.* Quia nec talis hæreticus & ſchyſmaticus formaliter, pro Chriſto patitur, ſeù præferendo Chriſtum, ſed propriam de Chriſto opinionem, vitæ propriæ, aut iehennam morti temporali. Quod ſi Chriſtum ipſum eiuſque fidem doctrinam & mandata verè præferret vitæ propriæ: non eſſet formaliter hæreticus aut ſchyſmaticus, ſed hoc ipſo eſſet conuerſus. Præter ea quæ col. 162. noſtræ Abſolutionis finalis.

Lib. de S. Virginitate cap. 44. *Vnde ſcit Virgo ne fortè nondum ſit matura martyrio: illa vero mulier iam poſſit bibere calicem?* Vbi exigit quandam etiam perfectionem charitatis ad verum Martyrium.

Epiſt. 28. ad S. Hier. illud libri 3. de lib. arb. c. 23. *Quis nouit quid paruulis de quorũ cruciatibus duritia maiorũ contunditur, aut exercetur fides, aut miſericordia probatur, in ſecreto iudiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſeruet Deus?* explicat ab exemplo ſanctorũ Innocentium: *De ijs qui pro Chriſti nomine etiam neſcientes patiuntur, vel Sacramento Chriſti iam imbuti ſunt.* Ergo non æqualiter ſentit de adultis. Nec per neſcientes intelligit alios quam illos de quibus id explicat .i. paruulos, vel ſimiles.

Serm. 33. De diuerſis: *Multi ducunt Martyrium in lecto, prorſus multi &c.* .i. Qui tentati ad vtendum remedio aliquo ſuperſtitioſo, malunt mori; Ergò cùm hoc requirat ad quandam ſimilitudinẽ Martyrij: quanto magis ad propriè dictum Martyrium?

Lib. qq. in Mat. cap. 17. *Qui nolunt,* inquit, *mori vt perfecti fiant: velint & perfecti ſunt*: vbi ſtatuit perfectionem charitatis in præferenda voluntate Dei, vitæ propriæ.

S. Bern. Epiſt. 77. *Non aliundè Martyrium niſi ex fidei merito illam obtinuit prærogatiuam vt ſingulariter vice Baptiſmi, ſecurè ſuſcipiatur.* Infra. *Sic ſola fides & mentis ad Deum conuerſio ſalutem ſine dubio operatur.*

5. Ex communi doctrina Scholaſticorum, de Baptiſmo fluminis, flaminis & ſanguinis: Non quod baptiſmus fluminis poſſit prodeſſe adultis ſine præuio flamine, ſeù afflatu Spiritus ſancti; nec quod flamen hoc proſit ſine voto ſaltem implicito Baptiſmi; aut Martyrium poſſit eſſe vel prodeſſe ſine afflatu Spiritus S. Sed quod perfectus afflatus Spiritus S. ſuppleat Sacramentum Baptiſmi quo ad remiſſionem culpæ & infuſionem gratiæ: Baptiſmus autem ſanguinis, ſeù pœna illa mortis pro Chriſto, ſuppleat remiſſionem totius pœnæ, & excedat ipſâ actuali collatione gloriæ.

6. Ex concordia Doctoris noſtri Subtilis cum noſtro Alenſi & S. Bon. ſupra. Nam ille *d. 4. q. 3.* ſupponit tantùm Martyrium priuilegiatum puerum



Digitized by Google

extra vterum: infertque idem de pueris intra vterum. *Quæſt. 6.* Supponit baptizatum ſeu iuſtificatum Baptiſmo ſanguinis, poſſe adhuc ſuperuiuere, & obligari ad Baptiſmum fluminis: Ergò non vult iuſtificari ex Opere Operato per ipſam mortem pro Chriſto, ſed per præuiã charitatem moriendi pro eo.

*D. ſt. 14 quæſt. 1. num. 17.* De non neceſſaria pœnitentia formali ſed ſaltem virtuali, *per motum feruentem dilectionis in Deum. Vt in actu feruoris ad Martyrium ſtatim ſuſtinendum: vbi fortè non eſſet cogitatio de aliquo peccato mortali priùs cõmiſſo.* In lib. 3. diſt. 15. ſub finem. Ad 3. *Petrus ex paſſione crucifixionis ſua inquantùm imperata à voluntate.*

Hinc non capio vnde Doctiſſimus noſter Aretinus in *diſt. 4. q. 3. a. 1.* colligat opinionem Scoti contrariam Alenſi & S. Bon. cùm nec hi negent Martyrium priuilegiatũ infantium, ſed ſperent etiam defectus Miniſtrum Baptiſmi, à Chriſto ex priuilegio ſpeciali ſuppleri. Vt ſupra *col. 159.*

## QVÆSTIO 8. MORALIS.

### *Quæ ſint ceremoniæ Baptiſmi, & cuius ſignificationis, ac obligationis?*

DE Doctrina Dogmatica ac Scholaſtica in cõmuni ſatis à *col. 125. ad 130.*

*RESPONSIO MORALIS.*

CEremoniæ Baptiſmales in ritualibus ab Eccleſia præſcriptæ, ab omnibus ad quos pertinent publicè obſeruandæ ſunt: priuatim autem ex graui neceſſitate omitti, & poſteà ſuppleri poſſunt. Ex Innoc. 3. *cap. 3. De Sacramentis non iterandis.*

Porrò quamuis fuerint olim plures in praxi, quando plerique adulti conuerſi ſolemniter baptizabantur in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes: noſtræ tamen etiam hodiernæ illam adhuc antiquitatem in plerisque imitantur, & inde quadam traditione ac praxi continua Eccleſiæ manarunt. Prout vel ex vnico B. Aug. recolligi poteſt. Nam *lib. 6. de Bapt. cap. 25.* & alibi ſæpè meminit aquæ benedictæ & conſecratæ ad baptizandum, ſeu ſacri lauacri: quod S. Dionyſ. *cap. 2. Eccleſ. Hier.* vocat *Matrem adoptionis*, nos *Baptiſterium, & ſacros fontes.*

*Lib. 6. in Iul. 5.* & alibi, per Exorciſmum, exufflationem, abrenuntiationem diabolo ante Baptiſmum, probat peccatũ Orig. *Epiſt. 23.* & alibi ſuprà *col. 119.* ſæpè repetit, ac explicat ceremoniam ſponſorũ pro paruulis: non quaſi ioco ſed ſeriò; ſub obligatione præſtandi promiſſum, & gerendi curam de paruulis educandis in fide & moribus Chriſtianis, in ſupplementum parentum. Circa quos puerorum ſuſceptores ſunt varia iura antiqua & noua Trid. *ſeſſ. 24. c. 2.* cautè obſeruanda, præcipuè à Miniſtris ordinarijs huius Sacramenti: non tantùm ob periculum peccandi, ſed etiam contrahendi quædam impedimenta Matrimonij ineundi, vel initi. De quibus Caſuiſtæ ex profeſſo.

De ſigno crucis & vſu ſalis benedicti, ante & ſub Bapt. lib. 1. conf. cap. 11. *Signabar iam ſigno crucis & condiebar eius ſale* &c. Lib. de Catech. Rudibus cap. 20. *Crucis Chriſti ſigno in fronte hodiè tanquam in poſte ſignandus es.* Tract. 118. *Sine ſigno Crucis nil ritè perfici col. 61.* De vſu ſacri luminaris, in illud *Pſal. 65.* Tranſiuimus per ignem & aquam &c. *In Sacramentis & in Catechizando & in Exorcizando adhibetur prius ignis &c. Poſt ignem autem, venitur ad Baptiſmum.* De quadam benedictione, & manus impoſitione ante Baptiſmum. *Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 26.* De Catechiſmo baptizandorum. *Lib. de catechizandis rud. Libris de ſymb. ad Catechum.* & pluribus Serm. *ad Competentes.* Cuius etiam quædam formula obſeruatur circa infantes, in ſignum fidei infundendæ per Baptiſmum, & acquirendæ poſt. De vnctione Bapt. *ſerm. 20.* de tempore. *Omnes qui ad ſalutare Baptiſma conſequendum Eccleſiæ offeruntur, & chryſma & oleum benedictionis accipiunt.* Sub finem, ex figura illa Helizæi *4. Reg. 4.* circa puerum mortuum. *Chriſtus os ſuper os quodammodò poſuit, quando inſufflando Spiritum dedit Ioan. 20.* Quod B. Aug. ſolet applicare etiam ad remiſſionem peccatorũ per Bapt.

De Ceremonia, Liniendi ſputo os & nares puerorum, exemplo Chriſti *Marc. 7. Ioan. 3.* ad præſignificandum & eis quaſi apprecandum confeſſionem Fidei, & odorem ſeu famam bonam vitæ Chriſtianæ: S. Ambr. *l. vnico de his qui initiantur myſterijs, & l. 1. de Sacramentis cap. 1.*

Sed de omnibus, aut plerisque ſimul, & ex profeſſo S. Dionyſ. *de Eccleſiaſtica Hier. cap. 2.* Rabbanus, & alij, ex quibus noſter Alenſis ſupra.

Reliqua ex quæſt. 11. in genere, à *col. 126. ad 130.* Hoc tantùm ſuppleto, quòd hæ ſacræ ceremoniæ plurimum proſunt Fidelibus Catholicis, ad diſtinctionem, & auerſionem ab hæreticis baptizatis: ne quaſi eiuſdem Baptiſmatis coagulo cum eis coaleſcant. Hinc enim non tantùm Iudæi, & alij infideles non baptizati: ſed etiam hodierni hæretici quantumuis baptizati, à Catholicis & maximè idiotis communiter fœtere dicuntur; quia, inquiunt, ſine ſale, & vnguento baptizati ſunt. i. non fuerunt in Baptiſmo quaſi conditi ſacro ſale & chriſmate, contra putrefactionem prauæ doctrinæ, ac hæreſeos.

### *Recollectio harum 9. quæſt.*

1. De ratione, & diſtinctione formali huius Sacramenti à reliquis, per propriũ finem & effectum regenerationis. 2. De vi ſpeciali huius Sacramenti præ reliquis intenſiuè & extenſiuè. 3. De propria Materia remota, & proxima huius Sacram. 4. De eius propria ac integra forma. 5. De eius inſtitutione, & Circumciſionis abolitione. 6. De Miniſtris huius Sacramenti. 7. De ſubiectis capacibus, diſpoſitis, & obligatis ad hoc Sacramentum. 8. De finibus, effectibus, & neceſſitate aut ſupplementis huius Sacramenti. 9. De Ceremonijs Baptiſmi.

Porro ſicut piſces ex fontibus & riuulis oriundi, quamuis in mare deſluant, ad ſuam Originem contra quantũlibet aquæ impetum renituntur: Ita & Chriſtiani ad fontem ac innocentiam baptiſmalem; tùm per frequentem eius memoriam, tùm per riuulos perennes gratiarum Sacramentalium. Hinc eò diutius ac libentius in doctrina huius ſacri lauacri quaſi natauimus: nec inde ita emergamus, quin nos frequenti eius memoriæ remergamus.

DE

Digitized by Google

# DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

MAgiſter Sent. vnicâ ac breui *diſt. 7.* vt infra ex S. Bon. & Scoto.

Sed Alentis noſter fusè à q. 24. ad 29. incluſiuè.

*Quæſt. 1.* De inſtitutione Confirm. *Memb. 1.* A quo ſit inſtituta. *Reſp.* Quòd nec à Chriſto *Mat. 19.* imponendo manus pueris: nec ab Apoſtolis *Act. 8.* Imponendo manus: quia ſine expreſſa materia, & forma; ſed poſt Apoſtolos, à Concilio Meldenſi, inſtinctu Spiritus S. quoad materiam, formam, & virtutem ſanctificandi.

*Memb. 2.* De integritate Confirmationis. *Art. 1.* De materia, *an ſit neceſſaria, quæ, & qualis.*

*§. 1. Reſp.* Eſſe neceſſariam, ne ſpes ponatur in Miniſtro, & ad humiliandos homines ſub hoc ſigno, & ad conformitatem Eccleſiæ.

*§. 3. Reſp.* Hanc materiam eſſe Chriſma, confectum ex oleo & Balſamo. *§. 3.* Eſſe Chriſma ab Epiſcopo conſecratum.

*Art. 2.* De forma verborum. *§. 1.* An ſit aliqua neceſſaria. *Reſp.* Quòd ſic: nam Apoſtoli *Act. 8.* ſola manuum impoſitione, abſque certa materia, & forma, non confirmabant Sacramentaliter.

*§. 2.* Quæ ſit forma neceſſaria. *Reſp.* Quòd hæc ſit conueniens ad conferendum robur confitendi viriliter fidem Chriſti coram inimicis: *Conſigno te ſigno Crucis & confirmo te chryſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

*§. 3. Reſp.* Quòd licet hæc qua vtitur Romana Eccleſia ſit ſecuriſſima: *Nihilominus aliæ etiam ſufficiant, & ſint potius tolerandæ, quam cum ſcandalo damnandæ. Ad formam hanc vt æſtimo requiritur expreſſio conſignationis, & confirmationis, cum materia, & inuocatione SS. Trinit.*

*§. 4. Reſp.* Quòd Chriſma in conſecratione Epiſcopi virtutem accipit baptizatum confirmandi in gratia: & illa virtus perducitur in actum vnctione, & prolatione formæ præſcriptæ &c. ]

*Quæſt. 25.* De vtilitate, aut neceſſitate huius Sacramenti in genere.

*M. 1. Reſp.* Hoc Sacramentum eſt maximæ vtilitatis. *M. 2. Reſp.* Non eſſe neceſſarium ad ſalutem.

*Quæſt 26.* De eius vtilitate ſpeciali.

*M. 1.* De gratiâ huius Sacramenti. *Art. 1.* An in eo conferatur noua gratiâ, & diſtincta à Baptiſmali. Reſp. *Quòd non ſolum augeatur gratia Baptiſmalis; ſed & detur noua per eſſentiam, & ad aliud. Illa enim eſt ad peccatorum remiſſionem: hæc ad confirmationem.* Ad 1. *Confirmatio eſt perſonæ baptizatæ, non ipſius gratiæ Baptiſmalis, propriè, & per ſe.* Ad 2. *Gratia dicitur quatenus animā perficit, & gratificat: virtus in quantum actus elicit; ſed gratia Sacramentalis tollit defectū animæ, & potentias expedit ad opera virtutum; non autem elicit per ſe. Gratia Confirmationis tollit quandam puſillanimitatem, & inducit audaciam confitendi Chriſtum: quod eſt opus fidei eliciiuè, & fortitudinis imperatiuè.* Ad 3. *Gratia operans & cooperans ad idem tendunt: illa incipiendo, hæc proficiendo: imò eadem actio elicitur ex his, eo modo quo continuum vnum dicitur; non ſic gratia baptiſmalis & Confirmationis.*

*Art. 2.* An hoc Sacramento detur gratia gratum faciens. *Reſp. Quod in Baptiſmo detur gratia gratum faciens de non grato: in Confirmatione autem detur gratia gratum faciens, ſeu gratiorem de iam grato.*

*Art. 1.* Videtur ſupponere baptizatum Baptiſmo flaminis & contritum, non recipere gratiam per Baptiſmum fluminis, vel Sacramentum pœnitentiæ: quia prius gratia collata eſt ex voto Sacramenti: non ſic de Baptiſmo, & Confirmatione. Sed ſubdit: *Non tamen negandum quin gratia primò data in Baptiſmo flaminis augmentetur in Baptiſmo: & ſic de contritione & Sacramento Pœnitentiæ.*

*Art. 3.* An ex gratia Baptiſmali & Confirmationis *fiat vna per eſſentiam.* Reſp. Ex §. 1. & 2. *Sine præiudicio,* inquit, *melioris ſententiæ, & ſaluo iudicio meliori, opinando, non aſſerendo*: gratiam quidem augeri à Deo effectiuè, & per bona opera diſpoſitiuè, ſiue ſola multiplicatione eiuſdem in ſeipſa abſq; vlla additione extrinſeca, ſiue infuſione nouæ: contra opinantes ſolam quantitatem molis eſſe capacem augmenti. Gratiam tamen Baptiſmalem non augeri intrinſecè gratiâ Confirmationis, & ſic de reliquis: ſed eſſe gratias etiam ſpecie diſtinctas, ſeque inuicem tantùm roborare ac expedire ad ſuas operationes, perficiendo ſubiectum ſeu potentias ab aliquo defectu, ac difficultate operandi. *1.* A ſimili duplicis lucis in eodem puncto. *2.* A diſtinctione inter gratias medicinales ſingulorum Sacramentorum. *3.* A diſtinctione inter Characteres Sacramentales. *4.* Ex perfecta ſimplicitate gratiæ, & incapacitate compoſitionis ex imperfecta ac potentiali, & perfectiori. *5.* Ex conditione lucis ſpiritualis in gratia: quæ eſt quidem capax augmenti, non tamen per compoſitionem ex alia luce. *6.* Ex inæqualitate ipſarum ſubſtantiarum ſpiritualium quantumuis ſimplicium: quanto magis qualitatum ſpiritualium? *7.* Et præcipuè, ex proprio fine ſingulorum Sacramentorum, & ſingularum gratiarū Sacramentalium.

*Art. 4.* An conferatur gratia ad actum virtutis an ad actum doni. Reſp. *Quòd gratia huius Sacramenti expediat fidem, & eliciat actum confeſſionis Chriſti: excitet autem donum Fortitudinis vt imperet illum actū.*

*Membr. 2.* De vtilitate ſpeciali. *Art. 1.* An habeat effectum ſpecialem gratiæ. Reſp. *Quod hoc Sacramentum habet effectum ſpecialem primum, ac principalem: ſed ratione connexionis virtutum & donorum, omnes alias virtutes expedit, ac promouet.*

Ad 1. *Gratia prout perficit & reformat animam, ſortitur nomen gratiæ: ſecundùm quod mouet potentias ad eliciendum actus primos virtutum, virtus dicitur: ſecundùm quod ad opera media donorum, donum dicitur: ſecundùm quod ad opera vltima beatitudinum, beatitudo dicitur.*

*Art. 2.* Quis ſit huius effectus proprius, & principalis. *Reſp.* In Sacramento Euchariſtiæ *datur robur primo & propriè ad amandum, & ex conſequenti ad*

fortiùs

Digitized by Google

*fortiùs vniendũ Chriſto & membris eius: In Sacramento autem Confirmationis datur robur ad confitendum fidem Chriſti.*

Art. 3. *An ad roborationem gratiæ Baptiſmalis requiratur gratia Confirmationis.* Reſp. *Quòd gratia Baptiſmalis adminiculo virtutis diuinæ de ſe ſufficit aliquo modo ad ſuiipſius roborationem, & confirmationem: ſed in aliquibus propter infirmitatem nimiam, neceſſaria eſt gratia confirmationis, non autẽ omninò eſt neceſſaria.*

*Ad* 2. Gratia non augetur minori commixtione contrarij, ſed maiori participatione gratiæ.

*Ad* 4. An Confirmatio detur ad confitendum fidem Chriſti. *Reſp.* Dari ad confitendum fidem Chriſti contrà perſecutores fidei: non autem propriè ad confirmationem in ſtatu baptiſmali. Ex Rom. 12. *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.*

*Quæſt.* 27. De comparatione Confirmationis ad Baptiſmum.

*Memb.* 1. An hoc Sacramentum ſit poſterius Baptiſmo. *Reſp.* Quòd ſic: *quia eſſe confirmatum ſequitur eſſe iuſtificatum.*

*Membr.* 2. Vtrum ſit maius quoad munus gratiæ. *Reſp.* Gratia Confirmationis præſupponit gratiam Baptiſmalem, & ſic eſt maior; ſed præcisè non eſt tantæ efficaciæ; quia viuificare mortuum, eſt maior gratia & potentia, quam ſanare, vel fortificare. ]

*Vnum Sacramentum dicitur maius altero: vel propter rem ſubſiſtentem, vt Euchariſtia; aut propter effectum, vt Baptiſmus; aut propter ſignificationem Chriſti & Eccleſiæ, vt Matrimonium; vel ob Miniſtri auctoritatem, vt Confirmatio; aut quia maiorem confert ſtatum, vt Sacramentum Ordinis.*

*Quæſt.* 28. De diſpenſatione huius Sacramenti.

*Mem.* 1. Quis poſſit confirmare. *Art.* 1. An non confirmatus poſſit confirmare. Reſp. Quod non; *quia confirmans habet quandam auctoritatem reſpectu confirmandi &c. Niſi præſtita eſſet auctoritas aliunde, vt ab Eccleſia.*

*Art.* 2. An quilibet confirmatus poſſit confirmare. *Reſp.* Quod non, ſed ſolùm Miniſter Eccleſiæ; *quia confirmare eſt habentis dignitatem & auctoritatem.*

*Art.* 3. An quilibet Sacerdos poſſit confirmare, vel ſolus Epiſcopus. *Reſp. ex* §. 1. 2. & 3. Non poſſe hoc Sacramentum conferri à ſimplici Sacerdote, ſed à ſolis Epiſcopis: niſi ex commiſſione Papæ in caſu ſpeciali, non autem communi vnicuique. Vnde confirmans propria auctoritate, ſeu ex ordine ac officio proprio, non obſtante Eccleſiæ inhibitione, validè confirmat: confirmans autem ex ſola commiſſione D. Papæ, ſi inhibeatur, non poteſt validè confirmare.

*Memb.* 2. Quis debeat, aut poſſit confirmari.

*Art.* 1. An omnes ſint confirmandi. *Reſp.* quod ſic: *ſed maximè qui ſunt de acie pugnantium pro fide.*

*Art.* 2. An non Baptizatus poſſit confirmari. *Reſp. ex* §. 1. & 2. quod non, nequidem quoad characterem Confirmationis; quià gratiâ regenerationis præcedit gratiam corroborationis, & character Baptiſmalis eſt fundamentum reliquorum characterum Sacramentalium. Ex Innocentio III. *De Presbytero non baptizato.*

*Membr.* 3. Quis poſſit vel debeat confirmandum tenere.

*Art.* 1. An non confirmatus poſſit *tenere*. *Reſp.* Quod non: quia ſicut confirmandus debet ab alio *teneri*, vt oſtendatur in illo impotentia ſtandi per ſe in tentationibus ſine gratia Confirmationis: ita non confirmatus non poteſt alium *tenere*, ſimiliter in ſignum impotentiæ; quia nec poteſt per ſe ſtare. ]

*Art.* 2. An mulier poſſit *tenere* confirmandum.

*Reſp.* Quod ſic: dummodo ſit confirmata &c.

*Art.* 3. An indifferenter poſſit vir *tenere* fœminam, & fœmina virum. *Reſp.* Quod ſic, ex 30. *q.* 1. *Si aliquis*: niſi aliter obſeruetur in aliqua Eccleſia. ]

*Membr.* 4. An Chriſtus fuerit confirmatus.

*Reſp.* Quod non &c.

*Membr.* 5. De tempore Confirmationis.

*Art.* 1. Vtrum ante annos diſcretionis. Reſp. *Quod tempus magis congruum, eſt innocentia: Tum quia in adulta ætate habebit ſuam efficaciam: tùm propter periculum mortis, & priuationis maioris gratiæ, & culpæ parentum. Art.* 2. Quanto tempore confirmati debeat eſſe *ſub diſciplina chryſmatis, ſeu obſeruare vnctionem in capite.* Reſp. *Conueniens eſſe vt 7. diebus, pro 7. donis Spiritus S.*

*Membr.* 6. De loco vnctionis. *Reſp.* Quòd in fronte, vbi eſt ſedes verecundiæ: *quia hoc Sacramentum eſt contrà confuſionem & verecundiam confitendi nomen Chriſti.* Infra. *Hæc vnctio fit in modum crucis, vt in crucifixo, & per crucifixum ſit tota ſpes & fiducia victoriæ.*

*M.* 7. De iteratione huius Sacram. *Art.* 1. An ſit iterabile. *Reſp.* Quod non: *tùm quia imprimit characterem; tùm quia datur quadam conſecratione, tùm quia morbus ille ex culpa originali non iteratur.*

*Art.* 2. An imprimat charact. rem. *Reſp.* Quòd ſic: ex neceſſitate diſtinctionis inter triplicem ſtatum Fidei, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum: & ex diſpoſitione ſeu ſigno exteriori ac Sacramentali huius diſtinctionis.

### *Ex S. Bon. in diſt. 7. per 3. Articulos.*

*Art.* 1. De integritate ſeu perfectione huius Sacramenti.

*Quæſt.* 1. An ſit neceſſaria forma verborum?

*Reſp.* Neceſſariam eſſe formam ordinariam, relatam ex Alenſi ſupra. *Ad* 1. & 2. *Arg.* De inſtitutione huius Sacramenti, idem prorſus quod Alenſis ſupra: excepta determinatione Conc. Meldenſis. *Ad* 3. Docet expreſſius quam Alenſis hoc Sacramento confirmari hominem ad credendum corde, & confitendum ore Chriſtum crucifixum, contra opprobrium Iudæorum, & periculum vitæ; ideòque in forma exprimi duplicem actum ſignandi frontem ad liberam confeſſionem, & confirmandi cor ad fidem.

*Quæſt.* 2. An ſit neceſſaria materia?

*Reſp.* Vt Alenſis ſupra: nec Apoſtolos, nec alios ab ipſis fuiſſe confirmatos Sacramentaliter, ſed ſigno miraculoſo; quo cum Apoſtolis deficiente, inſtitutum ſit hoc Sacramentum, ſeu ſignum ordinarium, ſub ſua forma, materia, & efficacia.

*Quæſt.* 3. An poſſit conferri ab alio, quàm ab Epiſcopo?

*Reſp.*

Digitized by Google

*Reſp.* Quòd non, ſupple ex dubio 1. in textum, *auctoritate propria*: poſſe tamen à Summô Pontifice committi ſimplici Sacerdoti, vt Alenſis ſupra.

*Art.* 2. De efficacia huius Sacramenti.

*Quæſt.* 1. An conferat gratiam gratum facientem?

*Reſp.* Conferre, vt Alenſis ſupra.

*Quæſt.* 2. An conferatur eadem gratia in Confirmatione quæ in Baptiſmo?

*Reſp.* Quidam dicunt quod differunt eſſentialiter, ſicut virtutes & dona &c. *Alij quod diſtinctæ manent in anima, nec vna auget aliam, nec confirmat niſi per accidens, quia confirmat hominem. Tertio modo poteſt dici quod gratia gratum faciens in anima eſt vna: quia vna anima & vni gratificatur, & tota gratia tollitur vno peccato.*

*Propter hoc dicendum aliter, quòd ſicut in virtutibus gratuitis eſt vna gratia in omnibus, ſed habitus ſubſtrati alij & alij: ſic in gratia Sacramentali eſt vna gratia gratum faciens, ſed ratione effectuum diſtinguuntur; & quia Sacramentum ſignat gratiam in tali effectu, ideò Sacramenta ſunt diuerſa.*

*Quæſt.* 3. An ſit maior gratia Confirmationis quàm Baptiſmi? *Reſp.* Verbatim, vt Alenſis ſupra.

*Art.* 3. De vſu huius Sacramenti.

*Quæſt.* 1. An ſit generalis? *Reſp.* Affirm. vt Al. ſup.

*Quæſt.* 2. An ſit de neceſſitate ſalutis. *Reſp.* Non ſimpliciter, ſed conditionatè &c. Scilicet pugnanti & volenti vincere. *Infra.* Ex inſtitutione Eccleſiæ nullus excipitur: & ideò ſi quis contemnit, periculo ſe exponit. *Ad 2.* Neceſſaria eſt hæc Confirmatio ad ſtandum: non tantùm propter impellentem, ſed etiam propter interiorem debilitatem.

*Quæſt.* 3. An hoc Sacramentum poſſit dari ante Baptiſmum? *Reſp.* Quod non, vt Alenſis ſupra.

### *Ex Doctore Subtili in diſt. 7. per 5. Quæſtiones.*

*Quæſt.* 1. Quid ſit Sacramentum Confirmationis? De materia & forma, de ſuſcipiente & Miniſtro, & conditionibus hinc inde requiſitis.

Reſp. *Sacramentum Confirmationis eſt vnctio hominis viatoris, aliqualiter conſentientis, vel libero abitrio nunquam vſi, facta in fronte in figura crucis, cum chriſmate ſanctificato, à Miniſtro idoneo, ſimul cum intentione debita inungente, & certa verba proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina vnctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum conſtantia Fidem Chriſti.* Vnde patent omnia quæſita: excepta 1. compoſitione chriſmatis ex oleo & balſamo. 2. hâc Forma expreſſâ: *ſigno, vel conſigno te ſigno crucis, confirmo te chriſmate ſalutis, vel ſanctificationis, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* 3. Miniſtro ordinario, qui eſt ſolus Epiſcopus, & commiſſario Papæ, qui poteſt eſſe ſimplex Sacerdos.

Obiect. 1. Quòd Chriſtus non ſic inſtituerit, nec Apoſtoli ita vtebantur &c. Reſp. *Quòd Chriſtus non alligauit potentiam ſuam Sacramentis: & ideò ſiue in terris, ſiue poſt Aſcenſionem potuit confirmare Apoſtolos ſine tali materia & forma. Cùm Apoſtolis etiam in primitiua Eccleſia potuit diſpenſare: ſed ceſſantibus talibus miraculis, Miniſtri debuerunt hanc materiam & formam obſeruare. Supponitur enim inſtitutum à Deo, licet in Script. non legatur: fortè quia Hiſtoriographi eam vſque ad illud tempus non produxerũt &c. Toto autem tempore Apoſtolorum fortè mãſit donum linguarum in Sacramento Confirmationis. Nec eſt improbabile multa eſſe tradita à Chriſto Eccleſiæ per Apoſtolos, quæ in Script. non legimus.*

Obiect. 2. Quòd non ſit neceſſaria aqua conſecrata ad Baptiſmum &c. *Reſp.* Omnem aquam fuiſſe conſecratam contactu Chriſti, non ſic materiam Confirmationis: deinde Baptiſmum eſſe Sacramentum neceſſitatis, ideòq; ſufficere aquam communem.

Obiect. 3. Ex S. Greg. *Epiſt. 26. ad Ianuarium.* De conceſſione facta Presbyteris, vngendi chriſmate baptizatos in frontibus, vbi deſunt Epiſcopi. *Reſp.* 1. De vnctione ſolo oleo: ſed hoc eſt nimis contra textum. 2. De ſola permiſſione ſeu toleratione ad vitandum ſcandalum: ſed hoc eſt contra regulam iuris. 3. Ex S. Hier. *ad Tit. 1.* & Euagrio Papa *diſt. 93. cap. 24.* Olim Epiſcopos ſolo iure Eccleſiæ præpoſitos fuiſſe Præsbyteris. *Quod ſi verum eſt: Greg. tantum reuocauit inhibitionem eis factam &c.* De quo oportuniùs ſub Sacramento Ordinis. 4. Quod ſi à principio non licuit ſimplici Sacerdoti: Papa tamen potuit quemlibet Sacerdotem illius regionis facere Epiſcopum, quantùm ad iſtũ actum, nõ conferendo ſibi ſimpliciter gradũ Epiſcopalem.

*Quæſt.* 2. An hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem? *Reſp.* Non ſimpliciter, ſed ne contemnatur ab adultis.

*Quæſt.* 3. An hoc Sacramentum ſit dignius Baptiſmo? *Reſp.* Sacramentum Baptiſmi eſſe ſimpliciter perfectius: Hoc autem tantùm ex ſuppoſitione Baptiſmi, & reſpectu dignioris Miniſtri.

*Quæſt.* 4. An hoc Sacramentum poſſit iterari? *Reſp.* Nec licitè nec validè iterari poſſe: ex inſtitutione Diuina, ex ſtatu proprio in Eccleſia, & ex impreſſione Characteris.

*Quæſt.* 5. An & quæ ſit pœna iterantium hoc Sacramentum? *Reſp.* Nullam: quia nec vlla eſt lata, nec pœnæ ſunt ampliandæ, ſed reſtringendæ.

Ex his reſultant ac ſuperſunt quædam difficultates: Dogmaticæ, De vera ratione, inſtitutione, & integritate huius Sacramenti: Scholaſticæ, De proprio fine ac effectu huius Sacram. eiuſque diſtinctione reali aut formali: Morales, De obligatione Miniſtorum, & ſubiectorum capacium &c. circa hoc Sacram. Quæ omnia ſub hac vnica Quæſtione proponi, & triplici Reſponſione reſolui poſſunt.

## QVÆSTIO VNICA.

## Dogmatica, Scholaſtica, & Moralis.

### *Quænam ſint de Sacramento Confirmationis Dogmaticè aut Scholaſticè certiora vel probabiliora, quæ moraliter obligatoria?*

#### RESPONSIO DOGMATICA.

Svb ritu ordinario Confirmationis in Eccleſia Romana, eſt verum & propriè dictum nouæ Legis Sacramentum irreiterabile, in augmentum gratiæ à Chriſto Domino inſtitutum: Cuius materia neceſſaria eſt Chriſma, ex oleo & balſamo compoſitum,



Digitized by Google

tum, ab Epiſcopo benedictum, & vnctio frontis in ſignum crucis: Forma neceſſario exprimit hanc materiam chriſmatis, vnctionem externam Miniſtri in ſignum crucis, & confirmationem internam à Deo, ac tribus Perſonis diſtinctis. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus, pollice dextro: Commiſſarius ſolius Papæ, ſolus Sacerdos: Subiectum eſt omnis ac ſolus baptizatus necdum confirmatus, ſecundùm frontem; vel nunquam vſus ratione, vel ſuo modo conſentiens, vt *col.* 224. de Baptiſmo, ad valorem; vel adhuc in gratia, aut reſtitutus in gratiam, ad eius augmentum.

Pleraque ſunt de Fide contra antiquam hæreſim Nouatianorum, Arrianorum, deinde Armenorum, Waldenſium, Wicleffi, & tandem renouatam Lutheranorum, Caluiniſtarũ, & omnium Hæreticorum huius ſæculi: qui hunc ritum varijs blaſphemijs ac ſacrilegijs perſequuntur; vſque ad ſacrilegam comparationem ſacri Chriſmatis cũ ſtercore, à Caluino in Antid. *Trid. ſeſſ. can. 2. de Confirm.* & inunctionem ocrearum, ab eiuſdem ſacrilegis ſectatoribus: ad imitationem Arrianorum, à quibus ampulla vitrea ſacri chriſmatis per feneſtram proiecta, collidi non potuit, teſte *Optato Mil. lib. 2. in Parm.*

Reliqua ſunt in praxi, ex ipſa ſignificatione formæ, & immediata manus impoſitione, ac ſpeciali ad hoc conſecratione Epiſcopali pollicis dextri: contra quaſdam ſingulares ac temerarias opiniones.

Vtrumque autem colligitur 1. ex ſacra Script. *Matth. 19.* Oblati ſunt Chriſto paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autẽ increpabant eos. IESVS verò ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium eſt enim Regnum Cœlorum: & cùm impoſuiſſet eis manus abijt inde.] Ad quid illa impoſitio manuum, niſi ad effectum, vel ſignum aliquod Confirmationis? *Ioan. 14. 15. 16.* Chriſtus promittit omnibus Fidelibus confirmationem aliquam in Fide per Spiritũ S. contra tentationes: ergo inſtituit aliquod ſignum ordinarium huius ſuæ promiſſionis. Hinc *Act. 8. & 19.* Soli Apoſtoli *imponebant manus baptizatis, vt acciperent Spiritum ſanctum*: vtique ad illam Chriſti imitationem, & ex eius inſtitutione. Nec obſtat quòd non legantur ibi vſi Chriſmate, ſeu vnctione, aut certa verborum forma: tùm ex quodam priuilegio ac diſpenſatione Apoſtolica, Eccleſiæ naſcenti neceſſaria: tùm quia ſub hoc partiali ſigno omnia neceſſaria ſubintelligi poſſunt: tùm quia alibi inſinuantur. 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos, & vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Epheſ. 1. & 4. *Signati eſtis Spiritu S.*

1. Pet. 2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium &c.* Vtique ab vnctione communi ac Sacramentali Confirmationis. Vt infra.

1. Ioan. 2. *Vnctio quam accepiſtis ab eo maneat in vobis.* Quæ huic etiam vnctioni Sacramentali applicat B. Aug. Tract 3. in hanc Epiſt. Cyrill. catecheſi 3. Theodor. in hunc locum, & alij. *Heb. 6.* Apoſtolus inter *fundamenta* Fidei Chriſtianæ, *non rurſus iacienda*, numerat *Baptiſmum*, & quandam communem *impoſitionem* manuum. Quam autem niſi hanc, & ſub hac reliquum neceſſarium?

2. Expreſsè definitur: tùm in genere de tota Doctrina & Sacramentis Eccleſiæ ſupra *col. 1. 2. 3.* tùm in ſpeciali de hoc Sacramento. Ex Conc. Elibertino *Can. 38.* De Confirmatione baptizatorum per manus impoſitionem ab Epiſcopo. Ex *Arelat. 2.* ſub Syluestro Papa *Can. 17.* De Hæreticis baptizatis, recipiendis ad Eccleſiam, *cum Chriſmate & manus impoſitione*, contra Nouatianos. Ex Laodicenſi *Can. 7.* De vngendis ſancto Chriſmate Nouatianis ad Fidem conuerſis. Ex Meldenſi apud Gratianum de *conſecr. diſt. 5. Can. vlt.* De hoc Sacramento non niſi ab Epiſcopis ieiunis miniſtrando. Ex Tarraconenſi apud eundem ibidem *Can. 8.* De non iterando hoc Sacramẽto, ſicut nec Baptiſmo. Ex Carthag. 4. *c. 6.* de petẽdo Chriſmate ab Epiſcopis. Ex Arauſ. 1. *Can. 1. & 2.* de vſu Chriſmatis à Præsbiteris. Ex 6. Synodo *cap. 7.* De chriſmandis, & eorum ſusceptoribus coram Epiſcopo. Ex doctrina Conc. Flor. ſeu Eug. 4. ſupra *col. 2.* quæ tota exprimitur ſub noſtra Reſponſione. Denique ex Trid. *ſeſſ. 7. Can. 1. 2. & 3.* De hoc Sacramento Confirmationis, eiuſque ſacro Chriſmate, ac ordinario Miniſtro ſolo Epiſcopo, ſub Anathemate hæreſis oppoſitæ. Quæ definitio ſolius *Miniſtri ordinarij*, ſatis ſupponit doctrinam Flor. de extraordinario &c.

3. Deriuatur ex continua traditione, & praxi rituali Sacrorum Pontificum ac Eccleſiæ. Quam refert S. Dion. *cap. 2. & 4. Eccl. Hier.* Clemens I. *lib. 3. Conſtit. Apoſt. cap. 16. & 17. Lib. 7. cap. 44. & Epiſt. 4.* monet Epiſcopos & omnes baptizatos, ad hoc Sacramentum ritè miniſtrandum & ſuſcipiendum. Fabianus Papa & Martyr *Epiſt. 2. ad Epiſcopos Orient. c. 1.* refert Chriſtum in vltima Cœna docuiſſe Apoſtolos ritum conficiendi ac conſecrandi Chriſmatis, & conſequenter vſum Sacramẽtalem. Ipſe Conſtant. Magnus in ſuo Edicto *col. 2.* refert ritum quo à S. Syluestro confirmatus fuit: *Septiformis*, inquit, *gratiæ Spiritus S. adhibuit beati Chriſmatis vnctionem, & vexillum crucis liniuit in mea fronte dicens: ſignet te Deus ſigillo Fidei, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Melchiades Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 2. *In Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur.* Infra. *Rogaſtis vos informari, vtrum maius eſſet Sacramentum, manus impoſitio Epiſcoporum, aut Baptiſmus. Scitote vtrumque magnum eſſe Sacramentum: & ſicut vnum à maioribus fit, ita & magis venerandum &c.* apud Gratianum de conſecr. *diſt. 5. cap. 2. & 3.* Ob quam eius cum Baptiſmo comparationem, Caluinus in eum ſupra inuehitur: os ſacrilegũ &c. Sed præmunitur à B. Aug. Epiſt. 162. *O virum optimum, ô filium Chriſtianæ pacis, ô patrem Chriſtianæ plebis.* Nec enim præfert hoc Sacramentum Baptiſmo, niſi ratione Miniſtrorum digniorum ac venerabiliorum.

Innoc. I. Epiſt. 1. ad Decentium cap. 3. *Presbyteris Chryſmate baptizatos vngere licet: ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis qui tradunt Spiritum Sanctum.*

S. Greg. lib. 3. Epiſt. 9. idem monet, & in cap. 1. Canticorum. *In vineis Engaddi balſamum naſcitur: quod cum oleo, Pontificali benedictione Chriſma efficitur.*

Vbi

*tur, quo dona Spiritus ſancti exprimuntur.* Epiſt. 26. *Vbi Epiſcopi deſunt, vt Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus &c.* De quo infra.

Sed Innoc. 3. Tit. De ſacra Vnct. ex profeſſo docet ac diſtinguit ſacram vnctionem exteriorem ab interiori, treſque Sacramentales tàm inter ſe, quàm à ceremonialibus tantùm: exemplificans primo vnctionem Sacramentalem in Extrema, ex *Iac.* 5. deinde ſic procedens. *Ad exhibendum exteriorem vnctionem benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum, vel infirmorum: & conficitur Chriſma, quod ex oleo fit & balſamo, myſtica ratione &c.* Infra. *Hoc vnguento caput & manus Epiſcopi conſecrantur.* Infra. *Brachium verò Principis oleo delinitur: vt oſtendatur quanta ſit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis poteſtatem. Quia verò* 1. Pet. 2. *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium: &c. idcirco in nouo Teſt. vnguntur etiam omnes Chriſtiani: bis ante Baptiſmum, ſcilicet oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter ſcapulas; & bis poſt Baptiſmum, ſcilicet Chryſmate ſancto, primùm in vertice, deinde in fronte.* Infra. *In fronte vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur quod credit* Mat. 10. Rom. 10. Infra. *Per frontis chriſmationem, manus impoſitio deſignatur: quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentũ datur, & robur. Vnde cum cæteras vnctiones ſimplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere: hanc non niſi ſummus Sacerdos, ideſt Epiſcopus, debet conferre,* ex Act. 8. *Vngitur præterea cùm conſecratur Altare, cùm dedicatur Templum, cùm benedicitur calix: ex Mandato Legis* Exod. 30. *& exemplo S. Sylueſtri &c. Verùm vnctionis Sacramentum aliud quidem efficit & figurat, tàm in nouo quàm in veteri Teſt. vnde non iudaizat Eccleſia cùm vnctionis celebrat Sacramentum &c.*

4. Quod Sacri Pontifices tradunt ritualiter, confirmatur doctrinaliter. Ex Tertull. lib. de reſurr. carnis: *Caro vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminatur.* S. Cypr. l. 1. Epiſt. vlt. *Vngi quoque eum neceſſe eſt, qui baptizatus ſit: vt accepto Chriſmate eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* Lib. 2. Epiſt. 1. *Tunc demùm plenè ſanctificari & eſſe Filij Dei poſſunt, ſi Sacramento vtroque naſcantur.*

S. Cyrill. Hieroſol. Catecheſi 3. de Sacramento Confirmationis: *Quemadmodum panis Euchar. poſt S. Spiritus inuocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti: ſic & ſanctum hoc vnguentum poſtquam conſecratum eſt, eſt Chriſma Chriſti &c. Et corpus quidem iſto viſibili vnguento perungitur, anima vero ſancto ac viuifico ſpiritu ſanctificatur.*

S. Ambr. lib. 3. de Sacram. cap. 2. *Poſt fontem ſequitur vt perfectio fiat &c.* Lib. de ijs qui initiantur cap. 7. *Serua quod accepiſti: ſignauit te Deus Pater, confirmauit te Chriſtus.* S. Hier. contra Lucif. *Exigis vbi ſcriptum ſit, Epiſcopos per Manus impoſitionem conferre baptizatis Spiritum S.* Reſp. *In Actis Apoſtolorum. Sed etiamſi Scripturæ authoritas non ſubeſſet: totius tamen orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.*

Sed pro & præ reliquis ex B. Aug. Primò quidem ſub expreſſo nomine & re Sacramenti irreïterabilis.

Lib. 2. contra Epiſt. Petil. cap. 104. in illud Pſal. 132. Sicut vnguentum in capite. *Et in hoc vnguento Sacramentum Chriſmatis vultis interpretari: quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut & Baptiſmus; ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis &c.* Infra. *Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis & malis poteſt &c. ab inuiſibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum eſt.*

2. Ex ſacro ſigno impoſitionis manuum, & effectu eius Sacramentali.

Lib. 3. de Bapt. cap. 16. *Quis nunc expectat, vt quibus manus ad accipiendum Spiritum S. imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuiſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina Charitas inſpirari.*

Lib. 5. cap. 20. *Deus exaudit deprecantem ſuper capita eorum quibus manus imponuntur &c.* vt ſupra col. 68.

Lib. 15. Trin. cap. 26. *Neque aliquis diſcipulorum Chriſti dedit Spiritum S. Orabant quippè vt veniret in eos quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia. Denique & Simon Magus non ait* Act. 8. *Date & mihi hanc poteſtatem vt dem Spiritum S. ſed cuicumque impoſuero manus, vt accipiat Spiritum ſanctũ &c.*

Tract. 6. in illud 1. *Ioan.* 7. Cognoſcimus quia manet in nobis &c. *Nunquid quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit vnuſquiſque veſtrûm vtrum linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita peruerſo corde aliquis veſtrûm fuit, vt diceret, non acceperunt Spiritum S.*

3. Ex nómine Chriſti ac Chriſtiani, à ſacro Chriſmate & vnctione communi Chriſtianorũ, cum fructu ac participatione vnctionis ſpiritualis.

In Titulum Pſalm. 26. *Chriſtus à Chriſmate. Non ſolùm autem caput noſtrum vnctum eſt: ſed & corpus eius nos ipſi &c. Ideò ad omnes Chriſtianos pertinet vnctio &c. Inde autem apparet Chriſti corpus nos eſſe: quia omnes vngimur &c. Vnctio illa perficiet nos ſpiritualiter in illa vita quæ nobis repromittitur &c. Vngimur enim modò in Sacramento: & Sacramento ipſo præfiguratur quiddam quod futuri ſumus.*

Tract. 3. in illud 1. *Ioan.* 2. Vnctionem habetis à Sancto &c. *Vnctio ſpiritualis ipſe eſt Spiritus S. cuius Sacramentum eſt in vnctione viſibili &c.*

In illud *Pſalm.* 44. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis. *Quo oleo niſi ſpirituali? Oleum enim viſibile in ſigno eſt, oleum inuiſibile in Sacramẽto.*

Tract. 33. in Ioan. *Perrexit in montem Oliueti, in montem Chriſmatis &c. Chriſti enim nomen à chriſmate dictum eſt &c. Ideo autem nos vnxit: quia luctatores contra diabolum fecit.* Hinc ſententia 342. B. Proſperi ex S. Aug. De Chriſmate. *Chriſti nomen à Chriſmate, ideſt vnctione. Quia ideò omnis Chriſtianus ſanctificatur: vt intelligat ſe non ſolum Sacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra diabolum fieri luctatorem.*

Lib. 15. Trin. 26. *Deus vnxit* Iesvm *Spiritu ſancto. Non vtique oleo viſibili: ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur oleo, quo baptizatos vngit Eccleſia.*

4. Ex ſignatione quadam Sacramentali, & ſigno

Chriſti, ſeu ſigno crucis, in fronte Chriſtianorum, ipſorum etiam regum, impreſſo & permanente, ad militiam, pugnam, luctam contra diabolum & perſecutores: non ergo tantùm ceremoniali & quotidiano, in memoriam Crucifixi; ſed etiam ſacræ Confirmationis, vel eius memoriali.

Tract. 118. *Niſi ſignum Crucis adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue aquæ ex qua regenerantur, ſiue oleo quo Chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur &c. Quomodo per id quod mali faciunt nihil boni ſignificatur: quando per crucem Chriſti quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum eius bonum nobis omne ſignatur?* Idem ſerm. 59. & 77. Appendicis de diuerſis.

In Pſalm. 36. *Confirmat iuſtos Dominus* .i. ad ſuſtinendum. *Crux à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum.* Vt & ſerm. 18. de verbis Domini cap. 9. *Hanc etiã reges nunc in fronte portant.* Vbi exprimitur & verbum, & finis proprius, & ſignum confirmandi. Nam transferre ad frontem, portare in fronte, importat plus quàm leuem motũ manus aut digiti in ſignum crucis, abſque vlla impreſſione ac ſtatu: videturque alludere ad illud Conſtantini Imper. ſupra. Hinc aliter loquitur de leui motu manus in ſignum crucis in Pſalm. 50. *Mali Chriſtiani ſi in circo expaueſcunt, continuò ſe ſignant.* Serm. 59. de diuerſis in Append. *Elegit crucem quæ leui motu manus exprimitur.* Aliter ſupra, & infra.

Lib. 19. contra Fauſtum cap. 14. *Si antiqui iuſti pro prænuntiatiuis Sacramentis omnia perpeſſi ſunt, quantò magis nunc pro Baptiſmo Chriſti, pro ſigno Chriſti?* Lib. de catechiz. rud. cap. 26. *Interrogandus eſt an hæc credat, atque obſeruare deſideret. Quod cùm reſponderit, ſolemniter vtique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus.* Mos autem Eccleſiæ erat ſolemniter baptizatos, ſimul ſignandi ſeu confirmandi, & ad Sacram. Euchariſtiam introducendi. Vt B. Aug. ibidem, & alibi ſæpè inſinuat, de ſacra cõmunione baptizatorum, etiam infantium. Sed expreſſiùs S. Dion. Areop. cap. 2. Eccleſ. Hier. *Baptizatum indutum alba veſte ad Pontificem ducunt: ille diuino prorſus vnguento virum ſignat, Euchariſtiæ participem eſſe pronuntiat &c.* Innoc. 1. *Epiſt. 1. c. p. 1.* S. Ambr. De ijs qui initiantur, & de Sacram. Denique frequens comparatio Crucis Chriſti cum vexillo, imò & cum ſymbolo aliquo, & impreſſo charactere militari: videtur præcipuè intelligenda de hoc ſigno Sacramentali S. Crucis, imprimente ſignum indelebile militiæ Chriſtianæ, diſtinctum à ſigno Baptiſmali ſolius familiæ, & digniori ſacræ ordinationis. Eſt enim proprium huic Sacramento: armare ſeu roborare ad pugnam patientiæ, pro fide Chriſti.

RESPONSIO SCHOLASTICA.

NVlla eſt DD. noſtrorum inter ſe nec ab Eccleſia diſſenſio, ſed conſenſio: de inſtitutione huius Sacramenti ab ipſo Chriſto; deque fine ac affectu proprio augendi eandem ſpecie ac numero gratiam realem in eodem ſubiecto; ſed tantùm formaliter ſeu ſpecie formali ex fine proprio diſtinctam, ad confirmandum baptizatos in Fide & gratia baptiſmali, contra difficultates intrinſecas ac extrinſecas, per ſpeciales gratias actuales ex vi huius Sacramenti & gratiæ eius habitualis, aut etiam Characteris permanentis à Deo opportunè conferendas. Vt ſupra *col. 120. 123.* de Sacram. in genere. *140. 141.* de Bapt. in ſpecie. *220. 221. 222. 223. 224.* de hoc ipſo Sacramento. Si quæ autem ſubſint difficultates, infra ſub ſuis obiectionibus diſcutientur.

RESPONSIO MORALIS.

MIniſtri huius Sacramenti, iure naturali ac poſitiuo, Diuino ac Eccleſiaſtico, grauiter obligantur ad obſeruantiam omnium rituum neceſſariorum & ordinariorum in conſecratione & vſu ſacri Chriſmatis, & ad prouidentiã ac diligentiam moralem ne qui ſuorum ſubditorum huius Sacramenti fructu priuentur. Vt ſupra *col. 87. 88. 126. 127. 128. 129.* De Sacram. in genere: & *218.* De Bapt. in ſpecie: excepto quòd hoc Sacramentũ non ſit tantæ neceſſitatis; ſed huius ritus ſint ſolemniores & ſecretiores, vt propriè Epiſcopales. Quorum aliqui verſantur circa confectionem ac conſecrationem Chriſmatis, alij circa ipſam ſacram Confirmationem. De quibus quò minùs certum eſt, quinam pertineant ad integritatem Sacramenti, aut non: eò religioſiùs obſeruandi ſunt. Fideles autem baptizati non videntur vllo iure Poſitiuo, Diuino vel Eccleſiaſtico, ad realem ſuſceptionem huius Sacramenti obligari: ſed tantùm Lege naturali, ad eius reuerentiam & vſum, ex ſpeciali ac probabili neceſſitate. De ſuſceptore & reliquis obligationibus *col. 222. 223. 224.* ſupra, & ſub obiectionibus infra.

OBIECTIONES.

1. *Ex Sacra Script. contra hoc Sacramentum.*

Promiſſiones illæ mittendi Spiritum S. ad confirmationem, non fuerunt communes & in perpetuum, ſed ſpeciales pro Apoſtolis & Diſcipulis in primitiua Eccleſia, vel pro paucis quibuſdam Sanctis in Eccleſia. Impoſitiones illæ manuũ non fuerunt Sacramentales, ſed tantùm precatoriæ ac commendatitiæ ad varios effectus. Vt patet ex Marci 6. *Super ægros manus imponent* &c. *Act. 6.* Apoſtoli *orantes imponunt manus Stephano, Philippo, & Procoro* ad miniſtrandum menſis. *Act. 9.* Ananias imponit manus Paulo *vt viſum recipiat.* Act. 13. *Ieiunantes & orantes imponentesque manus Paulo & Barnabæ, dimittunt eos*, ad euangelizandum. *Matt. 19.* Offerebantur pueri Chriſto *vt manus eis imponeret & oraret: Diſcipuli autem increpabant eos.* Ergo tantùm ad aliquam benedictionem precatoriam, ex fide ac deuotione offerentium, non autem ex inſtitutione Chriſti. Denique ſignationes & vnctiones illæ ſunt interiores ac ſpirituales: non autem exteriores ac Sacramentales. Hinc & Alenſis & Bon. ſupra ſupponunt pro certo non exſtare huius Sacramenti inſtitutionẽ in Sacra Script. *Reſp.* Hoc Sacramentum non eſſe quidem expreſſum in Sacra Script. ſed ita implicitum ac impreſſum, vt per traditionem & praxim Eccleſiæ, ac Doctrinam SS. PP. inde facilè exprimi ac explicari poſſit. Quamuis enim promiſſiones illæ fuerint immediatè & excellenter ad Apoſtolos, qui primitias Spiritus acceperunt: ſuo tamen modo conſequenter ad totam Eccleſiam & omnes Fideles, ad quos ipſe Chriſtus extendit ſuam promiſſionem. Ioan. 17. Mat. vlt. & S. Petrus *Act. 3.* ex illo Ioëlis.

*Effun-*

Digitized by Google

*Effundam de Spiritu meo ſuper omnē carnem.* Quāuis etiam referantur variæ manus impoſitiones Sacramentales & non Sacramentales: illa tamen *Act. 8. & 19.* tam certa, abſoluta, & ordinaria ſuper baptizatis, vt acciperent Spiritum S. vtique ſecūdùm promiſſum Chriſtî *Luc. vlt. Act. 1.* ad confirmationem in Fide Chriſti: non poteſt eſſe niſi propria huius Sacramenti. Aliæ autem vel erant miraculoſæ & propriæ Eccleſiæ primitiuæ, vel etiam Sacramentales, ſed aliorum Sacramentorum, de quibus infra. Nec rationi Sacramentali obſtat oratio, vt ſupra *col. 50.* & infra de Sacramento Extremæ Vnctionis. Nec illa Chriſti oratio aut benedictio videtur fuiſſe inefficax, aut tantùm extraordinaria: ſed ordinaria & efficax, vt patet ex ipſo facto & dicto Chriſti ibidē. Denique quamuis Sacra Script. præcipuè ſignificet ſignationem & vnctionem interiorem: ſubſignificat tamen etiam exteriorem & Sacramentalem, à qua etiam illa interior ita denominatur: alioquin cur ita potiùs quàm aliter denominaretur? De propria opinione Alenſis & S. Bon. infra.

Obiect. 2. *contra materiam huius Sacramenti.* Apoſtoli fuerunt confirmati, & confirmauerunt abſque Chriſmate vel vnctione. Chriſma ſignificat oleum aut vnctionem communem, non autem ex balſamo: vt patet ex ſupra citatis. Balſamum eſt rariſſimum, ac pretioſiſſimum: ergò non videtur neceſſarium ex inſtitutione Chriſti ad Sacramentum commune omnibus baptizatis; niſi fortè ex præcepto, quandò haberi poteſt. Vnde & Innoc. III. *cap. Paſtoralis, De Sacramentis non iterandis*, conſultus an ſolo oleo confirmatus, eſſet denuò confirmandus: reſpondit *in talibus nihil iterandum eſſe; ſed cautè ſupplendum quod omiſſum erat.*

*Reſp.* Apoſtolos vel ex priuilegio ita confirmatos fuiſſe ac confirmaſſe, vel etiam manus imponendo vnxiſſe ac vngendo impoſuiſſe: nec ſacram Script. Patres aut Conc. Flor. hoc negare, aut oppoſitum ſupponere; ſed nomine Confirmationis idem nunc ſignificari, quod tunc illa manuum impoſitione.

*Reſp. 2.* Chriſma ſignificari quidem aliquandò per Synecdochen vel Antonomaſiam, ſeu à parte totum, vel per excellentiam, nomine olei & vnctionis: ſed vſu proprio & antiquiſſimo Eccleſiæ ſignificare vnguentum & vnctionem ex balſamo. *Reſp. 3.* Modicum balſami ſua præſtantia ac flagrantia ſufficere ad plurimum Chriſmatis, nec vnquam defuiſſe aut defuturum Eccleſiæ ex ſpeciali prouidentia Dei; quæ etiam ſuperiori ſæculo ex Indijs prouidit de vero balſamo approbato à Paulo 3. & Pio 4. Vnde & Fabianus Papa Epiſt. 2. grauiter reprehendit quoſdam Epiſcopos, qui quòt annis ſacrum Chriſma non renouabant, ſed eodem ad triennium vtebantur.

*Reſp. 4.* Ad hoc Sacramentum non requiri tantùm oleum & balſamum: ſed Chriſma inde confectum ac conſecratum: quod non ſonat ſolùm præceptum, ſed determinat materiam neceſſariam. Non ſic de aqua vino miſcendo ad conſecrationem Calicis.

*Reſp. 5.* Formam quidem ordinariam conſecrandi Chriſma non eſſe fortè neceſſariam, nec ſemper & vbique eandem, ſed ſaltem aliquam. Vt patet ex ſacris Conc. traditione, praxi, ac doctrina PP. ſupr. ſpecialiter ex S. Cypr. *lib. 1. Epiſt. 12.* contendente quòd hæretici non poſſint conſecrare Chriſma, vtique ad validè confirmandum. Cui reſpondens B. Aug. lib. de Bapt. *cap. 20.* non negat neceſſitatem huius conſecrationis ad confirmandum; ſed negat non poſſe Chriſma ab hæreticis conſecrari; quia vtique poteſtas conſecrandi Chriſma eſt ordinis Epiſcopalis, Donatiſtæ autem habebant etiam veros Epiſcopos. *Reſp. 6.* Innoc. 3. ibi non reſpondere præcisè ad caſum propoſitum: ſed doctrinaliter & communiter. Vt patet ex illo titulo & contextu.

Obiect. 3. *Contra formam huius Sacramenti.* Nullibi extat certa forma huius Sacramenti, ſed referuntur variæ: vt in Edicto Conſtantini ſupra, & ab Alcuino ex Rituali etiam Romano ante annos octingentos: *Signa eos Domine ſigno Crucis, ego Confirmo te In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Deinde ad quid duo verba, & expreſſio duplicis actus, materiæ remotæ ac proximæ, ſanctæque Trinitatis, potiùs quàm in alijs Sacramentis? *Reſp. 1.* Ex inſtitutione, traditione, & ſecreta praxi Eccleſiæ, potiùs quàm ex publicatione huius formæ; ad maiorem venerationem, vt monet S. Dion. Areop. cap. vlt. Eccl. Hier. 2. Ex varijs fragmentis huius formæ apud SS. PP. vel etiam integris, eiuſdem ſignificationis. Nam illa ab Alcuino relata, non plùs imò minùs differt ab hodierna & ordinaria Romana, quàm forma Græca baptizandi à Latina: de qua ſat ſupra *col. 168.* Sub verbo autem confirmandi videtur æquè exprimi materia propria Confirmationis, ac ſub verbo baptizandi materia propria baptiſmi. Sed forma illa Conſtantini ſupra, non videtur integra, nec verbatim ac ritualiter, ſed breuiter & tantùm occaſionaliter relata. 3. Ad hoc Sacramentum requiri duplicem actum externū Miniſtri, videlicet ſignandi & vngendi, præter actum internum Dei ac SS. Trinitatis: ideòque illos duos actus duplici verbo exprimi, hunc autem ſub nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. 4. Ex ſacris Conc. ſupra, quæ definiunt veram doctrinam & praxim Sacramentorum in Eccleſia Romana.

Obiect. 4. *Contra Miniſtros huius Sacramenti.* *Act. 9.* Ananias non Epiſcopus impoſuit manus Paulo, *vt impleretur Spiritu ſancto.* Conc. Arauſ. 1. Can. 12. *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderent, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum Chriſmate & benedictione conſignari placet.* S. Greg. l. 2. Epiſt. 26. *Vbi Epiſcopi deſunt, Presbyteri etiam in frontibus baptizatos tangere debent.* S. Hier. contra Lucif. monet *honoris gratia ſolos Epiſcopos imponere manus, non ex neceſſitate.* Ita & S. Ambr. in Eph. 4. & Aug. qu. 101. Noui Teſtam. Denique ſi conſecrare Chriſma ac confirmare eſt ſolius ordinis Epiſcopalis, quomodo poſſet committi non Epiſcopis? Si eſt ſolius iuriſdictionis Epiſcopalis, cur non etiam ante ordinationem? Si eſt etiam communis ordinis Sacerdotalis, cur ſolus Epiſcopus eſſet Miniſter ordinarius? *Reſp. 1.* Ananiam impoſuiſſe manum Paulo *vt viſum reciperet*: quamuis etiam relatiuè ad confirmandum cum hoc miraculo in Fide & maiori ad Deum conuerſione, vt hinc *impleretur Spiritu S.* *Reſp. 2.* Conc. Arauſ. videri intelligendum de reconci-



Digitized by Google

conciliatione extrema hæreticorum, per ſupplementum benedictionis ac Chriſmationis baptiſmalis. Quæ reconciliatio & Chriſmatio erat fortè reſeruata Epiſcopis: vel quia præſente Epiſcopo non licet Præsbyteris ſignare Chriſmate: vt patet ex *diſt. 96, Gratiani cap. 11.* & aliunde.

*Reſp. 3.* Hanc eſſe tantùm conceſſionem, ſeu commiſſionem ſpecialem Præsbyteris Sardiniæ: quam videntur imitati plures Summi Pontifices. *Leo 10. Adrianus 6. Greg. 13.* & alij, ad Confirmationem & Ordinationem Clericorum in minoribus, à ſimplicibus Sacerdotibus, & ſpecialiter à Franciſcanis apud Indos, in abſentia & diſtantia Epiſcoporum extra Prouinciã. Vt patet ex Bulla Leonis X. *1521.* & Adriani VI. *1522.* confirmatiua prioris, in Bullario noſtri Rodriquez.

*Reſp. 4.* S. Ambroſium & Auguſtinum intelligendos eſſe de quodam errore Ægyptiorum, ſicut & & Nicolaus I. Epiſt. ad Hincmarum Rhemenſem, de quodam errore Græcorũ. Sed S. Hieronymum explicandum eſſe, vel de hoc honore Epiſcopali ex ſola Chriſti inſtitutione, vel de non neceſſitate abſoluta huius Sacramenti, vel de ordine Epiſcopali olim Presbyteris communi, non autem iuriſdictione ac honore: De qua graui diff. ſub Sacramento Ordinis.

*Reſp. 5.* Ex inſtitutione Chriſti, vt monet Alenſis *quæſt. 28. art. 3. §. 1.* Quæ hanc poteſtatem ordinariam conſecrandi Chriſma, & Confirmandi, tribuit ſoli dignitati Epiſcopali: poteſtatem autem committendi, ſoli Epiſcopo principali. Vt patet ex hac praxi, & nulla vnquam alia in Eccleſia approbata. Non quaſi neget Aëſis eſſe Ordinis Epiſcopalis: ſed ſecundũ hanc ſolam Chriſti inſtitutionem, ac vſum Eccleſiæ. Vnde non eſt opus vlteriori indagine, quomodo communicari poſſit ſimplici ordini Sacerdotali. Quamuis cùm ſit quidam gradus proximus Epiſcopali: non ſit mirum poſſe ei committi aliquid Epiſcopale.

OBIECT. 5. *Ex B. Auguſtino.*

Lib. 2. contra Petil. *cap. 104.* B. Aug. tribuit illud Donatiſtis: *In hoc*, inquit, *vnguento Sacramentum Chriſmatis vultis interpretari.* Deinde ex contextu videtur potiùs intelligi de Chriſmate ſacræ ordinationis: quam alibi expreſſiùs comparat, & coniungit Baptiſmo. Vt lib. 2. contra Parm. c. 13. *Vtrumque Sacramentũ eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur: illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur; ideòque in Catholica vtrumque non licet iterari, ne ipſi Sacramento fiat iniuria.* Cur enim potiùs duo inter ſe compararet quàm tria, ſi eſſent inter ſe comparabilia?

Lib. 3. de Bapt. cap. 16. De illa manus impoſitione, cui ibidem ac alibi videri poteſt tribuiſſe rationem Sacramenti, ſubdit: *Manus autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt: quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem?* Reliquis locis poteſt intelligi de manus impoſitione reconciliatoria, ad participandum Spiritum Charitatis: vel de ordinatoria, vel de cæremonialibus; ſicut de vnctione.

*Reſp. 1.* B. Aug. ex hac applicatione Pſalm. 132. *Sicut vnguentum in capite &c.* ab ipſo Petil. Donatiſta, eum optimè conuincere de valore Baptiſmi, æquè ac ſacræ Ordinationis & Confirmationis, quamuis ab impijs, vel impijs conferatur. Nam *vnguentum in capite* .i. in Chriſto: *in barba* .i. in Apoſtolis & Præpoſitis. *In ora veſtimenti*, ideſt, in omnibus Fidelibus. *De hac*, inquit, *ora veſtis, per omnes Gentes vnitas tota connectitur: cur ergò ipſi capiti reſiſtitis, & in hoc vnguento, Chriſmatis Sacramentũ vultis interpretari? Quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus: ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis, & ideo nec ad barbam Aaron, nec ad oram veſtimenti eius pertinentibus*, vtique interiùs coram Deo. Vnde patet hîc agi non tantùm de vnctione ſacræ Ordinationis, ſed etiam Confirmationis, communi fidelibus etiam peſſimis. Lib. autem 2. contra Parm. cap. 13. non niſi de Baptiſmo & ſacra Ordinatione: quia ibi agitur de valore Baptiſmi à Miniſtris etiam hæreticis, qui per hæreſim non amittunt Baptiſmum ſuum, aut ſacram Ordinationem, nec ius ſeu poteſtatem validè baptizandi, ſed tantùm licitum vſum huius poteſtatis. *Cur*, inquit, *qui Baptiſmum amittere non poteſt, ius dandi amittere poſſit? vtrumque enim Sacramentum eſt &c.* vt ſupra. Infra. *Si vtrumque Sacramentum eſt quod nemo dubitat: cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt &c. Cur non poteſt dari vbi non rectè datur: cùm poſſit haberi vbi non rectè habetur?* Sed hinc duplex difficultas. 1. Quòd ſupponat poteſtatem baptizandi fundari in ipſo Baptiſmo. Ad quam *col. 190. Obiect. 1.* Altera, quòd contendat ius baptizandi conferri per ſacram Ordinationem: cùm non videatur conferri niſi iuriſdictio, quæ per hæreſim publicam amittitur. De qua ſub Sacramento Ordinis: Interim, vel per ius dandi intelligit ipſam iuriſdictionem, quæ non amittitur per hæreſim ſeù ſchyſma toleratum: vel intelligit potius ipſum characterem Ordinis, qui eſt ius ſeù fundamentum iuriſdictionis.

*Reſp. 2.* Inter varias manus impoſitiones, illam eſſe propriam huius Sacramenti, quæ ſuccedit ei de qua *Act. 8. & 19.* Qualis eſt de qua Aug. locis ſupra citatis: excepto illo obiecto ex *lib. 3. de Bapt. cap. 16.* Qui eſt de manus impoſitione reconciliatoria, ſiue Sacramentali, ſiue extra Sacramentali, ad pacem & charitatem in Eccleſia. De hac enim ex profeſſo agit ab initio capitis 16. & poſt eius diſtinctionem à Confirmatoria, ſub finem capitis eandem reſumit, & ſic proſequitur cap. 17. *Nam Petro Dominus dedit poteſtatem vt illud ſolueretur in Cælis, quod ille ſoluiſſet.* Extendit autem hanc poteſtatem remittendi peccata, ad ipſas orationes Sanctorum, pro reconciliatione peccatorum, & fructu Sacramentorum quæ etiam à peſſimis Miniſtris conferuntur. Prout nos latè *col. 365. 366. 367. noſtra Anat.* Vnde & hęc Manus impoſitio reconciliatoria dicitur tantùm eſſe oratio ſuper hominem: vel quia eſt tantùm extra Sacramentalis & impetratoria: vel ſi eſt Sacramentalis, habet vim ac fructum ex illis orationibus Sanctorum: vel denique quia ipſa abſolutio Sacramentalis, quamuis ſub forma abſoluta, habet tamen vim orationis efficacis ex Opere Operato, vt ſupra à *col. 43. ad 54.*

Sed cur hæc potiùs quàm confirmatoria, dicetur

nihil

nihil aliud eſſe quàm oratio ſuper hominem.

Reſp. 3. *Nihil aliud &c.* non negat effectum Sacramentalem, ſed negat aliud ſignum Sacramentale, quàm ipſam formam verbalem. Nam Manus impoſitio reconciliatoria non eſt actio aliqua materialis in ſubiectum, ſicut confirmatoria: ſed eſt tantùm Oratio ſuper hominem, id eſt abſolutio verbalis, vt ſupra. Vocatur tamen etiam manus impoſitio: tùm ab vſu poteſtatis iudiciariæ in hoc Sacram. tùm à ſigno cæremoniali eleuandi Manum ſuper pœnitentem, in ſignum huius poteſtatis. Hinc nec ſignificat nec imprimit ſubiecto aliquid indelebile, ſicut Baptiſmus, Confirmatio & ſacra Ordinatio.

*Reſp.* 4. De ſignatione & vnctione exteriori & interiori, huiuſque ab illa impreſſione, ſat ſuprà.

OBIECTIO 5. *Contra Doctrinam Alenſis ac S. Bonau. De inſtitutione huius Sacramenti in Conc. Meldenſi, vel poſt Chriſtum & Apoſt.*

*Reſp.* 1. à *col.* 83. *ad* 104. ſpecialiter 102. 103.

*Reſp.* 2. Etiam ex S. Bon. & Scoto ſufficere quod Sacramenta nouæ Legis ſint inſtituta à Chriſto, ſiue ante mortem aut Aſcenſionem, ſiue poſt.

*Reſp.* 3. Alenſem non negare inſtitutionem huius Sacramenti à Chriſto: ſed *Matth.* 19. vel vllo loco in Sacra Script. expreſſo: imò ſæpè tribuere Chriſto inſtitutionem omnium Sacramentorum, ſaltem per ſuum Spiritum ſanctum.

*Reſp.* 4. Non negare inſtitutionem materiæ, formæ, ac efficaciæ Sacramentalis, in potentia, ab ipſo Chriſto immediatè: ſed tantùm quoad inchoationum & vſum, ſeu tempus determinatum vtendi hoc Sacramento ordinario, non autem amplius ſola manuum impoſitione. Quòd non aſſerendo, ſed tantùm coniiciendo determinat circa Conc. aliquod antiquum Meldenſe: cuius fortè Alenſis habuerit aliquod memoriale, quòd ad nos non peruenerit. Vnde nec S. Bon. eius meminit: quamuis ſit eiuſdem opinionis, excepta huius Concilij mentione.

Quod autem hæc ſit mens Alenſis, colligitur ex *col.* 132. vbi diſtinguit inſtitutionem ipſius Baptiſmi, *materialiter, formaliter, cauſaliter, finaliter, ſignificatiuè*, ſub conſilio, ſub neceſſitate, prout in S. Script. exprimitur: & ex eius modo loquendi de non inſtitutione, ſed tantùm approbatione & confirmatione Sacramenti Pœnitentiæ, Ordinis, & Matrimonij à Chriſto Domino in noua Lege; quia non primò & totaliter, ſed ex aliqua inchoatione ante Legem nouam. Vnde patet eum per inſtitutionem intelligere totalem, inchoatam & completam. Quòd autem non abutatur hoc nomine, patet: tùm ex vſu communi nominum ſimpliciter & abſolutè, pro ſuo completo ac integro ſignificato, quandò conſtat ex pluribus: tùm ex vſu ſpeciali, de inſtitutione Baptiſmi ſub conſilio, ſub præcepto, ſub neceſſitate medij: tùm denique ex ipſa vi & ſignificatione inſtitutionis, determinatæ ad ipſum vſum & tempus vtendi.

OBIECTIO 7. *Contra eundem Alenſem, de effectu proprio huius Sacramenti.*

Quaſi eſſet aliqua gratia numero & ſpecie diſtincta à baptiſmali in eodem ſubiecto, ſupra *col.* 221. quòd videtur S. Bon. corrigere *col.* 224. Nec poteſt excuſari de ſola diſtinctione formali: quia exemplificat in duplici luce ſimul realiter, probatque ex reali diſtinctione inter Characteres Sacramentales.

*Reſp.* 1. ex *col.* 221. art. 3. *Sine præiudicio*, inquit, *melioris ſententiæ, & ſaluo meliori iudicio, opinando non aſſerendo &c.* Vnde patet hanc eſſe potiùs propoſitionem opinionis ſub ſua probabilitate, quàm aſſertionem. Quòd autem non ſit prorſus improbabilis, patet ex annexis ibidem rationibus. Quibus addi poſſet ex 1. *Reſp.* de diſtincto aliquo habitu virtutis infuſæ, præter augmentum gratiæ ſanctificantis: ex neceſſitate diſtincti habitus ad tam diſtinctos actus, & ex difficultate capiendi & explicandi quomodo diſtincti gradus eiuſdem gratiæ diſtinctè inclinarent ad tam diſtinctos actus & effectus. Niſi quòd illa diſtincta inclinatio non ſit ex ipſa rei natura, ſed ex inſtitutione ac promiſſione Dei conferendi diſtincta auxilia gratiæ actualis, ex vi diſtinctorum Sacramentorum, & diſtinctorum graduum eiuſdem gratiæ habitualis in eodem ſubiecto. Quòd difficiliùs eſt apud Alenſem ibidem, eſt quo ſenſu gratia augeri poſſet ſola multiplicatione ſui ipſius in ſeipſa, quaſi abſque noua additione ſeu infuſione. Sed cùm hoc comparet multiplicationi panum à Chriſto, quæ non fuit per creationem propriè dictam ex nihilo, ſed tamen per veram ac realem productionem & augmentationem, vel ſolius formæ ſubſtantialis, vel etiam ipſius materiæ: non videtur etiam hîc aliud intendere quàm poſſibilem augmentationem gratiæ intenſiuè, ex priori gratia, abſque creatione, ſeu noua prorſùs infuſione; non tamen abſque vera productione intenſiua eiuſdem gratiæ.

OBIECTIO 8. *Contra Scotum quæſt.* 1.

Quòd ſupponat Papam poſſe quemlibet Sacerdotem facere Epiſcopum quoad actum confirmandi: cùm ſit actus Ordinis Epiſcopalis, qui non poteſt niſi integrè conferri; & Alenſis neget illum actum poſſe committi niſi in caſu ſpeciali. *Reſp.* Scotum per *facere Epiſcopum quoad illum actum*, nihil aliud intendere, quàm facere participem huius functionis Epiſcopalis, per ſolam commiſſionem, non autem quaſi per ſemi-Ordinationem Epiſcopalem: Alenſem autem negare tantùm, committi poſſe communiter vnicuique extra caſum ſpecialem neceſſitatis, ſiue validè, ſiue licitè; quia hoc eſſet contra Ordinem ac iuriſdictionem Epiſcopalem.

OBIECT. 9. *Contra Scotum d.* 7. *q.* 2. *& d.* 17. *q.* 1. Quòd neget obligationem ex lege Eccleſiæ, ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum: cùm Alenſis *qu.* 25. *M.* 2. *ad* 1. & S. Bon. *diſt.* 7. *art.* 3. *q.* 2. his ipſis verbis contrarium doceat: *Ex inſtitutione Eccleſiæ eſt, quòd nullus ab hoc Sacramento excipitur, ſed omnes ſuſcipere debent, vt ſint ſtrenui pugnatores: & ideò ſi quis cùm habet locum, tempus, & opportunitatem, negligendo contemnit, periculo ſe exponit.* *Reſp.* Non de inſtitutione obligante omnes, abſque exceptione ab illa obligatione: ſed de inſtitutione admittente omnes ad hoc Sacramentũ, abſque vllius exceptione. Vnde nec tribuunt peccatum omiſſioni, ſed negligentiæ & contemptui: nec imputant ad certum peccatum, ſed ad periculum peccandi. Ad argumenta de neceſſitate Confirmationis ad rationem aut plenitudinem

Digitized by Google

dinem hominis Chriſtiani: reſpondent diſtinguendo inter Chriſtianum ex ſolo Charactere baptiſmali familiæ Chriſti, & Chriſtianum militiæ Chriſti ex Charactere Confirmationis: item inter plenitudinem ſufficientiæ ex Baptiſmo, & abundantiæ ex Confirmatione.

OBIECT. 10. *Contra cæremonias ſacri Chriſmatis & Confirmationis.*

Quòd illa anhelatio Epiſcopi ſuper ampulla Chriſmatis, genuflexio, adoratio, ſalutatio verbalis ſacri Chriſmatis, & forma conſecrandi illud his verbis: *Hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis præparatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum*, ex Pontificali Romano, ipſo die Veneris ſancto. Deinde illa Capitis ſeu frontis Confirmatorum faſciatio: illa eorundem alapa ab Epiſcopo, illa adhibitio ſuſceptoris ſeu patrini ad tenendum confirmandum etiam adultum coram Epiſcopo, & contractio cognationis ſpiritualis, ac impedimenti Matrimonij: videntur vel ſuperſtitioſæ, ſeu excedere conditionem creaturæ inanimis, & ſolius materiæ Sacramentalis; vel nimis leues & indignæ grauitate Epiſcopali; vel nimis pueriles circa iam adultos & prouectæ ætatis.

*Reſp.* Nihil hîc ſuperſtitioſum aut indignum: ſed omnia accōmodata dignitati Sacramenti ac Miniſtrorum eius, & ſuſcipientium ac ſpectatorum vtilitati & eruditioni. Nam inhalatio illa Epiſcopi, ad imitationem Chriſti Mat. 20. ſignificat aſſiſtentiam Spiritus ſancti: genuflexio, adoratio, & ſalutatio verbalis, vel eſt directè, vel ſaltem relatiuè ad Deum ſeu Spiritum S. aſſiſtentem, & ad Chriſtum æquè ſubſignificatum & repræſentatum, ac ſub figura Crucis vel Crucifixi: forma illa conſecrationis ſeu benedictionis ſacri Chriſmatis, eſt ſignificatiua ſui finis: faſciatio capitis ſeu frontis, eſt ad ſignificandum curam conſeruandi gratiam Confirmationis, & ad præſeruandum ſacrum Chriſma ab irreuerentia contactus: alapa ab Epiſcopo, eſt in memoriam ſuſceptæ Confirmationis, & in documentum patientiæ pro Chriſto ex vi huius Sacramenti: Adhibitio patrini, eſt ad ſignificandam impotentiam ſubſiſtendi per ſe ante Confirmationem, & gratiam ſubſiſtendi in Fide per Confirmationem: Denique contractio cognationis ſpiritualis & impedimenti Matrimonij moderata per Trid. ſupra *col. 35.* eſt ad maiorem reuerentiam huius Sacramenti. Reliqua ex praxi, Ritualibus, & Caſuiſtis.

---

# RECOLLECTIO.

*TOta huius Sacramenti Doctrina ad hanc vnicam Quæſtionem ſub tribus Reſponſionibus ſat recollectâ, ſola animi intentio ac deuotio ad finem & fructum proprium huius Sacramenti recolligenda eſt: vt ſicut fons baptiſmalis nimia ſui obliuione quaſi nobis areſcens, frequenti ac deuota memoria in ſuas gratias Sacramentales reſcaturit, & diuinum illud germen Regenerationis ac Chriſtiani generis nimis profundè defoſſum ſuffocatur, ſed quadam replantatione regerminat; ita & finis ac fructus huius Sacramenti, ſeu arma Fidei ac militiæ Chriſtianæ, nimio neglectu quandam rubiginem in animo contrahunt, ſed frequenti ac deuota recordatione quaſi repolita, ſuis radijs Sacramentalibus refulgent; quibus animus incaleſcens, ad generoſos huius ſacræ militiæ motus acuitur, & vſque ad quendam Martyrij ſtatum, ſeu ſtabilem ac efficacem vitæ etiam propriæ pro Fide Chriſti contemptum, grandeſcit ac matureſcit.*

DE SA-

Digitized by Google

# DE SACRO-SANCTO SACRIFICIO AC SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

## *INVOCATIO.*

### Ex S. Dion. cap. 2. Eccleſ. Hier.

*SEd ô tu Diuiniſſimum Sanctiſſimumque Sacramentum, diſcoopertis ænigmatum veſtibus quæ ſymbolicè tibi circumiacent, perſpicuè nobis manifeſtum euadas, mentisque noſtræ oculos ſingulari & quæ obtegi nequit luce perfice.*

### Prælineatio totius Doctrinæ.

*Ex Magiſtro Sententiarum à diſt. 8. ad 13.*

*Diſt. 8.* De Nomine & Figuris Euchariſtiæ, eius inſtitutione, forma conſecrationis, Sacramento, & re Sacramenti.

*Diſt. 9.* De ſumptione Sacramentali à bonis & malis: ſpirituali autem à ſolis bonis.

*Diſt. 10.* Contra inſaniam negantium veram præſentiam Corporis Chriſti in hoc Sacramento, & veram conuerſionem panis & vini.

*Diſt. 11.* De modo huius conuerſionis, & de duplici ſpecie conſecrationis, ac aquæ mixtione.

*Diſt. 12.* De ſubiecto, & fractione ſpecierum conſecratarum, earumque ſignificatione: De vera quoque ratione huius Sacrificij, & fine ac fructu inſtitutionis.

*Diſt. 13.* De conſecratione & miniſtratione huius Sacramẽti à prauis etiam Sacerdotibus: non tamen, inquit, *ab hæreticis, ſchiſmaticis, vel excommunicatis*, defectu ordinis vel intentionis; deque vera ſumptione Sacramentali à ſolis hominibus, non à brutis animalibus.

*Ex noſtro Alenſi, à quæſt. 29. ad 53. incluſiuè.*

*Quæſt. 29. per 3. Membra, & aliquot art.* De congrua præfiguratione, numero, & comparatione figurarum huius Sacramenti.

*Quæſt. 30. per 2. Membra & plures art.* De neceſſitate, aut congruitate inſtitutionis huius Sacramenti, ſub lege noua, non ante.

*Quæſt. 31. per 2. Membra.* De vnitate huius Sacramenti, quamuis ſub duplici ſpecie: Ab inſtitutione, & vnitate rei contentæ, ſignificatæ, & cauſatæ; Deque propriori ratione Sacramenti, in ſpeciebus conſecratis, an in ipſo Corpore Chriſti.

*Quæſt. 32. per 9. Membra.* De neceſſariâ materiâ conſecrationis, ex vi Sacramenti, vel præcepti: ſeu de pane azymo vel fermentato, de vino aqua mixto, de aceto, muſto, agreſti &c.

*Quæſt. 33. per 4. Membra & plures Art. ac §.* De neceſſitate, integritate, & ſenſu vtriuſque formæ conſecrationis, ſecundum ſe totam, & ſingulas partes.

*Quæſt. 34. per 4. Membra, & plures Articulos.* De vi formæ verbalis ad conſecrandum, totali vel finali pronunciatione, comparatiuè ad vim ordinis Sacerdotalis, & ad opus creationis, ac conceptionis virginalis.

*Quæſt. 35. per 6. Membra.* De Miniſtro, ſeu poteſtate conſecrandi: An ab Angelo, laico iuſto, ſolo Epiſcopo, vel à ſolo ac omni Sacerdote, quamuis malo, hæretico, ſchiſmatico, degradato.

*Quæſt. 36. per 10. Membra, & quoſdam art.* De ipſo vſu conſecrationis: quo loco, tempore, altari, ſuper quibus pannis, in quo calice & patena, ſub quibus ornamentis Sacerdotalibus aut Pontificalibus, coram quibus; An ab vnico, vel pluribus ſimul conſecrantibus, quâ verborum ſerie, & ſub qua totius Miſſæ ſolemnitate.

*Membr. 6. Art. 5. Ad 3. Arg.* Refert Papam non vti baculo paſtorali, niſi in Diœceſi Treuirenſi: in memoriam miſſi à S. Petro proprij baculi ad reſuſcitandum S. Maternum in villa quæ dicitur Elegia: qui in hodiernum diem exhibetur in Eccleſia Treuirenſi.

*Quæſt. 37.* Seu prolixus Tractatus, in tres Miſſæ partes, & ſubdiuiſus in ſua membra, articulos, & plurimos §. De toto ſolemni Miſſæ officio, & ſingulis eius ritibus ac ceremonijs, in omnem ſenſum, ac ſignificationem: præcipuè ex Decreto Gratiani de conſecr. *diſt. 1. & 2.* & Innoc. 3. De ritibus totius Miſſæ: ſeu libello de ſacro Altaris myſterio.

*Quæſt. 38. per 8. Membra & quoſdam art.* De ipſo effectu conſecrationis: ſeu de verâ conuerſione ſubſtantiali totius panis in totum Corpus, & totius vini in Sanguinem Chriſti: non autem partium in partes, vel in totum; concomitante Diuinitate, Anima, Corpore, ac Sanguine Chriſti reciprocè.

*Quæſt. 39. per 3. Membra & duos art.* De modo loquendi, ſeu de expreſſione huius conuerſionis, per *poſſe, fieri, eſſe, de*, vel ex pane &c.

*Quæſt. 40. per 3. Membra, & 8. Art. ac plures §.* De continentia quaſi actiua, & paſſiua: ſeu de ſpeciebus continentibus, earumque exiſtentia, & operationibus ac paſſionibus ſine ſubiecto; & de contentis ſub ſpeciebus, ſeu de præſentia totius Corporis, & Sanguinis Chriſti, cum tota ſua quantitate, ſub vtraque ſpecie, & qualibet eius parte; non circumſcriptiuè, nec diffinitiuè, ſed ſuprà omnem modum naturalem.

*Quæſt. 41. per 3. Membra & plures art. ac §.* De efficacia huius Sacramenti, per communionem Sacramentalem, & ſpiritualem, ad remiſſionem peccatorum venialium, præſeruationem à mortalibus, augmentum gratiæ & virtutum, in viatoribus iuſtificatis, & ad hunc fructum diſpoſitis.

*Quæſt. 42. per 5. Membra.* De fractione ſpecierum, non autem Corporis Chriſti in ſe, & de diſtinctione ac ſignificatione partium.

*Quæſt. 3. per 4. Membra.* De cõmunione ſpirituali, Sacramentali, & vtraque ſimul.

*Quæſt. 44. per 7. Membra.* De prima ſumptione, & datione ſpeciali huius Sacramenti ab ipſo Chriſto.

*Quæſt. 45. per 3. Membra, & quoſdam Art.* De manducatione



Digitized by Google

ducatione conſueta in Eccleſia, vel potiùs de capacitate, & capacibus huius Sacramenti.

*Quæſt. 46. per 5. Membra & aliquot Art.* De conditionibus, ſeu diſpoſitione ſpirituali ſuſcipientium.

*Quæſt. 47. per 4. Membra & aliquot Art.* De conditionibus, ſeu diſpoſitione corporali.

*Quæſt. 48. per 9. Membra.* De conditionibus, ſeu diſpoſitione exteriori.

*Quæſt. 49. per 6. Membra, & paucos Art.* De diſpenſatione, ſeu quibus diſpenſari poſſit hoc Sacramentū.

*Quæſt. 50. per 7. Membra:* A quibus diſpenſari poſſit, aut non.

*Quæſt. 51. per 4. Membra, & 2. Art.* De frequentia & neceſſitate communicandi.

*Quæſt. 52. per 7. Membra.* De actu manducandi, comparatione ad manducantem: ſeu de quibuſdam eius circumſtantijs licitis, aut illicitis.

*Quæſt. 53. per 5. Membra, & 3. Art.* De actu manducandi, in comparatione ad manducatum, ſeu de quibuſdam eius circumſtantijs.

### *Ex S. Bon. à diſt. 8. ad 13. incluſiuè.*

*Diſt. 8. Parte 1. Art. 1. 2. 3.* De figuris Euchariſtiæ, earumque ſufficientia & comparatione.

*Art. 2. Quæſt. 1. 2. 3.* De inſtitutione huius Sacramenti in Lege noua, ante paſſionem, in vltima cœna, ab ipſo Chriſto, ſub eadem ac vnica forma conſecrationis.

*Parte 2. Art. 1. Quæſt. 1. & 2.* De forma conſecrationis Panis, & Calicis.

*Art. 2. per 2. Quæſt.* De ſignis, ac ſignificatis, & vnitate huius Sacramenti.

*In diſt. 9. Art. 1. per 4. Quæſt.* De duplici communione, ſpirituali per piam Fidem ac memoriam, & Sacramentali, vt Sacramentalis eſt: deque communione Sacramentali tantùm ipſius Chriſti.

*Art. 2. per 4. Quæſt.* De vera & reali, ſed tantùm Sacramentali communione malorum.

*In diſt. 10. Parte 1. Art. vnico, per 5. Quæſt.* De vera exiſtentia Corporis & Sanguinis Chriſti, in ſua integra quantitate, ſub qualibet parte ſpecierum conſecratarum; non circumſcriptiuè nec diffinitiuè, ſed ſupra omnem modum naturalem.

*Parte 2. Art. 1. per 4. Quæſt.* De vi conſecrationis ſeu conuerſionis, comparatiuè ad creationem & ad conceptionem Chriſti: An inſit, vel tantùm adſit formæ verbali, & ad quantam ſimul materiam.

*Art. 2. per 2. Quæſt.* De inconceptibilitate naturali Corporis Chriſti ſub Sacramento, eiuſdemque etiam inuiſibilitate oculo glorioſo.

*In diſt. 11. Parte 1. Art. vnico per 6. Quæſt.* De vera, ac inſtantanea conuerſione totius panis & vini, abſque eorum tamen annihilatione, in totum Corpus & Sanguinem Chriſti.

*Parte 2. Art. 1. per 4. Quæſt.* De materia huius Sacramenti, eiuſque integritate, ac neceſſitate.

*Art. 2. per 2. Quæſt.* De prima conſecratione ab ipſo Chriſto, quoad materiam, & corpus mortale an immortale.

*In diſt. 12. Parte 1. Art. 1. per 3. Quæſt.* De exiſtentia accidentium ſine ſubiecto.

*Art. 2. per 5. Quæſt.* De operatione harum ſpecierum ſeparatarum.

*Art. 3.* De fractione huius Sacramenti, eiuſque ſignificatione.

*Parte 2. Art. 1. per 3. Quæſt.* De efficacia huius Sacramenti, in ſolis iuſtis, an etiam peccatoribus, ad remiſſionem peccatorum, & augmentum virtutum.

*Art. 2. per 3. Quæſt.* De neceſſitate huius Sacramenti, aut vtilitate, & frequentatione vel non.

*In diſt. 13. Art. 1. per 4. Quæſt.* De poteſtate Sacerdotali conſecrandi hoc Sacramentum.

*Art. 2. per 2. Quæſt.* De traiectione materiali Corporis Chriſti in ventrem muris, vel ſtomachum hominis.

*Ex Doctore noſtro Subtili à diſt. 8. ad 13. incluſiuè.*

*In diſt. 8. Quæſt. 1.* An Euchariſtia ſit Sacramentum nouæ Legis 2. De præciſa forma conſecrationis. 3. An poſſit recipi à non ieiunis.

*In diſt. 9. Quæſt. vnica.* An exiſtens in peccato mortali peccet mortaliter recipiendo Sacramentū Euchariſtiæ.

*In diſt. 10. per 9. Quæſt.* 1. De poſſibili exiſtentia reali Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. 2. De poſſibili præſentia locali eiuſdem corporis in diuerſis locis ſimul. 3. De poſſibili præſentia Chriſti ſimul in cœlo & in Euchariſtia. 4. De identitate partium & totius Corporis Chriſti, ac proprietatum eius, ſub naturali exiſtentia, & ſub Sacramentali. 5. De identitate actuum immanentium in Chriſto, naturaliter, & Sacramentaliter exiſtente. 6. De poſſibili, aut impoſſibili motu corporali Corporis Chriſti in Euchariſtia. 7. De poſſibili aut non, actione naturali tranſeunte Corporis Chriſti in Euchariſtia. 8. De naturali conceptibilitate aut non, Corporis Chriſti in Euchariſtia, ab intellectu creato. 9. De inuiſibilitate Corporis Chriſti in Euchar. oculo corporali.

*In diſt. 11. per 7. Quæſt.* 1. De poſſibili tranſubſtantiatione. 2. De poſſibili conuerſione cuiuſlibet creaturæ in quamlibet. 3. De conuerſione panis in Corpus Chriſti. 4. De annihilatione panis, aut non, in hac conuerſione. 5. De congrua expreſſione verbali huius conuerſionis. 7. De vino neceſſario ad conuerſionem in Sanguinem Chriſti.

*In diſt. 12. per 6. Quæſt.* 1. De exiſtentia alicuius accidentis ſine ſubiecto in Euchar. 2. De exiſtentia ſolius quantitatis, an vero reliquorum etiam accidentiū extrà ſubiectum. 3. De poſſibili actione horum accidentium extrà ſuum ſubiectum ſubſtantiale. 4. De eadem quantitate neceſſaria aut non ad actiones creatas circà accidentia in Euchar. 5. De corruptione accidentium circà Euchariſtiam. 6. De mutatione aut corruptione circà Euchariſtiā, exigente reſtitutionem alicuius ſubſtantiæ.

*In diſt. 13. per 2. Quæſt.* 1. De actione cauſæ principalis & inſtrumentalis, ad hanc conuerſionem. 2. De poteſtate Sacerdotali ad hanc cōſecrationem.

Quibus, ad faciliorem collationem, imitationem, conciliationem, delectum, & ſupplementum prælineatis: cùm ratio ſacrificij ſit mixta, ſed prior Sacramentali ab hac quæſt. exordiamur.

QVÆ-

Digitized by Google

## QVÆSTIO I.

*An & quæ ſit ratio, vnitas, diſtinctio, ac excellentia huius Sacrificij & Sacramenti?*

PLerique hæretici fatentur aliquam rationem Sacramenti, ſaltem in ſigno: negant autem omnem veram rationem ſacrificij Euchariſtici, cooperando etiam Antichriſto ad abolendum hoc iuge Sacrificium *Dan. 11.* contra publicam profeſſionem ac ſtudium totius Chriſtianæ Religionis. Quamuis autem Magiſter Sent. *diſt. 2.* moueat hanc quæſtionem: *Si quod gerit Sacerdos propriè dicatur ſacrificium &c. Ad hoc breuiter dici poteſt, illud quod offertur & conſecratur à Sacerdote vocari ſacrificium & oblationem: quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificij in ara crucis &c.* ex SS. Amb. & Aug. de quibus infra. Vix tamen reſumitur ac promouetur, ſed potius ab antiquis Scholaſticis ſupponitur ac tractatur ſub nomine ac ratione ſolius Sacramenti.

De cuius propria ratione ac vnitate Sacramentali Alenſis noſter *quæſt. 30. m. 1. art. 3. ad 1. & 2. Arg.* videtur ſolam rationem ſigni, non autem cauſæ Sacramentalis, tribuere ſacris ſpeciebus: ſubdit tamen. *Licet ſpecies hæ cum verborum forma præſcripta non efficiant Corpus Chriſti: efficiunt tamen quod eſt, ſeu ſit ſub his ſpeciebus, & ita efficiunt aliquo modo quod figurant.*

Et *quæſt. 31.* De vnitate huius Sacramenti. *Mem. 1.* An ſit vnum & quo modo: Reſpondet antè vſum habere vnitatem à re ſignificata & cauſata ſi: ab effectu gratiæ, & charitatis inter Fideles. *Ad Arg. 10.* Ad eſſe, inquit, Sacramenti, requiritur res cum ipſo ſigno: vna autem ſpecie non repræſentatur res Sacramenti integrè & perfectè; ideo non eſt perfectum Sacramentum in eſſe Sacramenti.

*Mem. 2.* Cur ſub duplici ſpecie? *Reſp. 1.* Ad ſignificandum ſub ſpecie panis effectum vnionis, ſub ſpecie vini memoriam Sanguinis. 2. Ad ſignificandum ſub illa ſpecie vnionem hypoſtaticam, ſub hac autem redemptionem noſtram. 3. Ad ſignificandam aſſumptionem & redemptionem corporis & animæ humanæ: illius ſub ſpecie panis, huius ſub ſpecie vini. 4. Ad ſignificandam difficultatem credendi, ſub ſpecie panis: facilitatem autem ac iucũditatem, ſub ſpecie vini. 5. In ſignum immolationis Chriſti in ſua vita, ſub ſpecie panis; in morte, ſub ſpecie vini. 6. In ſignum fructus in corpore, ſub ſpecie panis; in anima, ſub ſpecie vini.

*Mem. 3.* Vtrum ſit proprius Sacramentum, ſacræ ſpecies, an ipſum Corpus Chriſti ſub illis? *Reſp.* Sub ratione ſigni ſenſibilis eſſe ipſas ſpecies: ſub ratione autem cauſæ, eſſe Corpus Chriſti.

S. Bon. *diſt. 8. parte 2. art. 2. q. 1.* An ſint tria in hoc Sacramento? *Reſp.* Eſſe tria, ſpecies viſibiles, Corpus Chriſti verum, & Corpus Chriſti myſticum: Primum eſſe ſignum ſecundi & tertij; ſecundum eſſe rem primi, & ſignum ac cauſam tertij.

*Quæſt. 2.* An hoc Sacramentum ſit vnum? *Reſp.* Non eſſe vnum vnitate ſimplicitatis, ſed integritatis in ſigno, & ordinationis ad vnionem Corporis Chriſti myſtici: idque diſpoſitiuè, ex naturali ordinatione panis & vini ad vnam integram refectionem; complerè autem, ab inſtitutione & ordinatione diuina horum ſignorum, ad hanc vnam perfectam ſignificationem & effectum.

Scotus *diſt. 8. quæſt. 1.* An Euchariſtia ſit Sacramentum nouæ Legis?

*Euchariſtia eſt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, veraciter contenti ſub ſpeciebus panis & vini, poſt conſecrationem factam à Sacerdote, ſub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex inſtitutione diuina veraciter ſignans Corpus & Sanguinem Chriſti ſub eis realiter contineri.*

Qua definitione breuiter probata, à poſſibili, actuali, & congrua inſtitutione Chriſti, ſubdit definitum eſſe verum Sacramentum: *Quia eſt ſignum veraciter repræſentans ex inſtitutione Diuina; & licet non gratiam accidentalem, tamen effectum aliquem Dei gratuitum, ſcilicet eſſe Corporis Chriſti ſub tali ſpecie*, vt ſupra diſt. 1. qu. 2.

De vnitate autem *non indiuiſibilitatis ſed integritatis* huius Sacramenti: vt S. Bon. ſupra.

De quadruplici excellentia huius Sacramenti præ alijs. 1. In veraciſſima ſignificatione Corporis Chriſti, independenter à diſpoſitione ſuſcipientium. 2. In continentia reali, ſui ſignificati. 3. In ſignificatione gratiæ ſubſtantialis, non autem tantùm accidentalis. 4. In ſtatu ac permanentia huius Sacramenti, poſt conſecrationem ante vſum: quia nec conſecratio eſt Sacramentum, ſed eius cauſa; nec vſus ſeu ſumptio eſt Sacramentum, ſed tantùm Sacramenti applicatio.

De efficacia tantùm morali huius Sacramenti, vt *diſt. 1. quæſt. 4. & 5.*

Denique de tota ratione Sacramentali in ſolis ſpeciebus conſecratis: non autem in ipſa conſecratione aut forma conſecratoria.

*Diſt. 13. n. 6.* De ratione ſacrificiali, eiuſque diſtinctione à Sacramentali: *Offertur Hoſtia non conſecrata, & tunc eſt Sacrificium non Sacramentum: ſicut Hoſtia conſecrata in pixide, eſt Sacramentum, non Sacrificium.*

Cui ſupplendum eſt ex B. Aug. l. 10. Ciu. c. 1. *Quæ λατρεία Græcè nuncupatur, & Latinè interpretatur ſeruitus, ſed ea qua colimus Deum: vel quæ θρησκεία Græcè, Latinè autem religio dicitur, ſed ea quæ nobis eſt erga Deum; vel quam Theoſebeiam, nos verò non vno verbo exprimere, ſed Dei cultum poſſumus appellare: hanc ei tantùm deberi dicimus, qui verus eſt Deus.*

Cap. 4. *Quis ſacrificandum cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit.*

Cap. 5. *Sacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij Sacramentum .i. ſacrum ſignum eſt.* Infra. *Quoniam illud quod ab omnibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificij.*

Cap. 6. *Proinde verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus. Vnde ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium.* Rom. 12. *Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam &c. Si ergo corpus, quantò magis anima ipſa cum ſe refert ad Deum, fit ſacrificium.* Infra. *Tota*



Digitized by Google

*ipſa ſocietas Sanctorum, vniuerſale ſacrificium offertur Deo &c. Hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum: Multi vnum corpus ſumus in Chriſto.* Rom, 12. *Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto, frequentat Eccleſia: vbi eidem demonſtratur, quod in ea oblatione quam offert, ipſa offeratur.* Ex quibus omnibus præter Quæſtionem illam Dogmaticam, an ſit, reſultant variæ difficultates Scholaſticæ, quæ & in quo ſita ſit formalis ratio, vnitas, & diſtinctio huius ſacrificij, & Sacramenti. Omnes quidem ſupponunt ſacrificium eſſe cultum externum Latriæ, diſtinctum à laude Dei verbali, & à ſola adoratione communi, conſiſtereque in aliqua & alicuius rei oblatione etiam externa ad honorem ſeu proteſtationem excellentiæ diuinæ: ſed quidam exigunt ad rationem ſacrificij realem aliquam conſumptionem aut immutationem rei oblatæ, alij non. Hinc quidam ſtatuũt rationem huius ſacrificij in oblatione materiæ conſecrandæ, alij in ſola conſecratione, alij in oblatione cõſecratæ, alij in ſumptione ſeu conſumptione ſaltem Sacerdotali, alij in his omnibus aut aliqubus ſimul. De ratione quoque Sacramentali, aliqui conſtituũt eam in ipſa conſecratione, alij in ſpeciebus conſecratis, alij in Corpore & Sanguine Chriſti contento, alij in ipſo vſu aut ordinatione ad ſumptionem. Quidam etiam diſtinguunt hoc Sacramentum in duo quaſi ſpecie, & tot numero quot ſunt ſpecies panis & vini: alij diſtinguunt tantùm numero; alij ne quidem numero.

RESPONSIO DOGMATICA.

SVb Euchariſtia eſt verum ac propriè dictũ nouæ Legis ſacrificiũ & Sacramentum. Eſt de Fide.

1. Ex figuris huius Sacrificij, aut Sacramenti. *Gen.* 14. In oblatione illa panis & vini, à Melchiſedech. *Exod.* 12. In Agno illo Paſchali. *Exod.* 16. In Manna. *Exod.* 24. In aſperſione cruenta populi poſt datam legem, his verbis: *Hic eſt Sanguis Teſtamenti &c. Exod.* 25. *Leuit.* 2. 21. *Num.* 4. & alibi ſæpè, in varijs Sacrificijs cruentis animalium, & incruentis ſimilæ, panum propoſitionis, & libaminum vini. Quæ omnia 1. *Cor.* 10. *Coloſſ.* 2. *Hebr.* 10. cenſentur vmbræ, & figuræ rerum ſacratiorum in noua Lege: non poſſunt autem verificari niſi in hoc Sacrificio, vel Sacramento; ergo fuit in illis præfiguratum. Quid enim illa Sacrificia cruenta, niſi Sacrificium Chriſti in cruce: quid incruenta farinæ, panis & vini, niſi hoc Sacrificiũ ac Sacramentũ adumbrant?

2. Ex varijs Prophetijs noui ac perfectioris Sacerdotij, Sacrificij, ac Sacerdotum nouæ Legis. *Pſalm.* 109. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech. *Prou.* 9. Sapientia ædificauit ſibi domum, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam ſuam. *Eſa.* 19. Cognoſcent Ægyptij Dominum in illa die, & colent eum Hoſtijs &c. Erit altare Domini in medio Ægypti. *Eſa.* 66. Aſſumam ex eis Sacerdotes. *Ier.* 33. De Sacerdotibus nõ interibit qui offerat holocauſtomata. *Malach.* 2. Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum &c. Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda &c. *Daniel.* 12. De iugi illo ſacrificio ſub finem mundi aliquamdiu publicè defecturo. Quæ omnia non poſſunt verificari niſi de aliquo, & quidem hoc vnico, ordinario & quotidiano nouæ Legis Sacrificio ac Sacramento incruento. Nam nec Sacrificium Chriſti cruentum habet ordinarium Sacerdotium, ac plures Sacerdotes, & altaria; nec eſt ſecundum ordinem Melchiſedech; nec eſt iuge ſeu continuum & quotidianũ, nec oblatum in omni loco, ſeu per totum orbem. Sacrificia autem ſpiritualia, nec habent proprium Sacerdotium, Sacerdotes, aut altare; nec ſunt ſecundum ordinem Melchiſedech; nec ſuccedunt, aut vnquam deficient, ſed ſunt Legis naturæ, ſemperque fuerunt ac erunt; nec ſunt, aut fuerunt, toto orbe per omnes gentes; nec ſunt ex ſe munda, ſeu Deo grata, ſed ex deuotione operantium.

3. Ex ipſa Chriſti Domini præmonitione. *Ioan.* 4. Venit hora, & nunc eſt, quando neque in monte hoc, neque Ieroſolymis adorabitis Patrem &c. ſed veri adoratores adorabunt in Spiritu & veritate. Non de adoratione tantum ſpirituali, quæ eſt Legis naturæ, nec incepit à noua Lege: ſed de propria adoratione Sacrificiali nouæ Legis, de qua ibi ex profeſſo agitur, & diſtinguitur ab illa Iudæorum, & Samaritanorum: quòd hæc nouæ Legis, ſit in Spiritu & veritate; non quaſi tantùm ſpiritualis, ac intellectualis, ſine loco; ſed per veram fidem ac gratiam ſpiritualem Chriſti ad totum Orbem extenſa: illa autem Iudæorum tantùm litteralis & præfiguratiua, Samaritanorum falſa, & vtraque ad ſuum locum & populum reſtricta. *Ioan.* 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis &c. De manducatione non tantùm ſpirituali, nec tantùm Sacramentali: ſed etiam Sacrificiali, ſeu de quadam Sacrificatione Corporis & Sanguinis Chriſti, ad manducandum & bibendum.

4. Ex ipſa Chriſti inſtitutione, ſub varijs verbis Latinis aut Græcis, *dandi, frangendi, fundendi* in præſenti, *ex calice, pro nobis*, & mandato id ipſum *faciendi*. Quæ omnia ſignificant Chriſtum reuera tunc ſeipſum obtuliſſe, & id ipſum fieri præcepiſſe. Vt patet ex collatione *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. De qua latius quæſt. ſequenti.

5. Ex *Act.* 2. De illa ſacra fractione panis. *Cap.* 6. De ſacro illo miniſterio ad quod Stephanus ibi ordinatur. *Cap.* 13. De illa *liturgia* ſeu ſacro quodam ritu publico miniſtandi Deo immediatè. 1. *Cor.* 10. De calice illo *benedictionis, & pane fractionis*, ac participatione Corporis & Sanguinis Chriſti ex menſa Domini: comparatiuè ad Altaria, & Sacrificia Iudæorum, ac Gentilium. *Hebr.* 7. De neceſſaria tranſlatione Legis cum Sacerdotio. *Hebr.* 13. De noſtro *altari* ex quo Iudæi non participant.

6. Ex traditione, & praxi publica totius Eccleſiæ à ſuis incunabilis: vt patet ex antiquiſſimis Liturgijs, ſeu Ritualibus, Templis, Altaribus, & vaſis ſacris huius Sacrificij & Sacramenti, inter omnes nationes orbis Chriſtiani.

7. Ex ſacris Conc. *Niceno* 1. *can.* 14. Ne qui offerendi Sacrificij non habent poteſtatem, ijs qui offerunt

Digitized by Google

runt Corpus Chriſti porrigant. *Leodicano can.* 19. De ſacrificio ſeu oblatione facienda à ſolis Epiſcopis, aut. præsbyteris. *In 6. Synodo can.* 28. De incruento ſacrificio. *Can.* 32. De aqua vino miſcenda in ſacrificio. *In Later.* Cap. Firmiter, De ſumma Trin. & *Cap. Ad abolendã*, De hæreticis. *In Vien. Sub Clem.* 5. contra octauum errorem Begadorum. *In Conſtant.* contra *Art.* 4. & 5. Wicleffi. In Flor. ſeu Decreto Eug. Sed tandem expreſſimè ac diſtinctiſſimè in Trid. De hoc quidẽ Sacramento, *ſeſſ.* 13. *per* 8. *cap. &* 11. Canones: de ſacrificio autem *ſeſſ.* 21. *per* 9. *cap. &* 9. *can.* ſub Anathemate omnium errorum appoſitorum, vt ſupra *col.* 24.

3. Ex SS. Patribus. Vt ex illo S. Andreæ Apoſtoli: *Ego omnipotenti Deo quotidie Agnum immaculatum ſacrifico.* Compendioſè autem, ex frequenti eorum in hunc ſenſum expoſitione omnium præfatarum figurarum, Prophetiarũ, ac ſacrarum Script. Sed vice omnium ex B. Aug. *lib.* 9. *Confeſ. cap.* 12. De morte Matris ſuæ: *Cum offerretur*, inquit, *pro ea ſacrificium pretij noſtri.* Cap. 13. *Memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit: vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam. Quotquot legerint meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ.* Libr. 16. contra Fauſtum cap. 10. *Templum, altare ſacrificium Sacerdotes in nouo Teſt. reperiri.* Lib. 19. cap. 11. *In nullum nomen Religionis coagulari homines poſſe, niſi aliquo Sacramentorum conſortio*: ſub quibus præcipuè intelligit ſacrificium.

Lib. 20. c. 18. *Chriſtiani peracti à Chriſto ſacrificij memoriam celebrant, Sacro-ſancta oblatione, & participatione Corporis, & Sanguinis Chriſti.*

Cap. 21. *Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo ſacrificium offerimus. Quis enim antiſtitum aſſiſtens altari aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule &c?* Infra. *Cùm ad cultum Latriæ pertineat oblatio ſacrificij, nullo modo tale quid offerimus Martyri, vel ſanctæ Animæ.* Lib. 12. De varijs figuris huius ſacrificij, ac Sacramenti, vt ſupra.

2. *Retract.* 11. De Hymnis ad altare, ante, & poſt ſacrificium.

Lib. 2. qq. Euang. q. 33. in Luc. 15. *Vitulus ille, in Corpore, & Sanguine Dominico, & offertur Patri, & paſcit totam domum.*

Lib. 4. Trin. 14. *Quid tam carè ac gratè ſuſcipi poſſet, quam caro ſacrificij noſtri?* Epiſt. 118. ad Ianuar. de ſacris ritibus huius Sacrificij, ac Sacramenti. *Lib. de S. Virginit. cap.* 45. De commemoratione SS. Martyrum ad altare. *Epiſt.* 120. ad Honoratum cap. 19. *Eſt magnum Sacramentum in ſacrificio noui Teſt. quod vbi, & quomodo, & quando offeratur, cum fueris baptizatus, inuenies. Epiſt.* 49. ſeu lib. ſex. qq. contrà Paganos q. 3. *Quæ res antiqua ſit ſacrificium &c. Significatiua autem ſunt omnia talia ſacrificia &c. Verum hæc cum exhibentur Deo ſecundum eius inſpirationem atque doctrinam, vera Religio eſt: cùm autem dæmonibus, noxia ſuperſtitio.* Infra. *Quod nunc offerimus, non ſolum Euangelicis, ſed etiam Propheticis litteris demonſtratur.* Lib. de Spiritu, & litt. cap. 11. *In ipſo veriſſimo, & ſingulari ſacrificio, Domino Deo noſtro gratias agere admonemur.* Lib. 8. Ciuit. Dei cap. 27. *Nec nos Martyribus templa ſacerdotia, ſacrificia conſtituimus, &c. Quoniam non ipſi ſed Deus eorum nobis eſt Deus &c. Quis audiuit Sacerdotem ad altare dicere, Offerimus tibi ſacrificium Petre, vel Paule &c? Non iſta eſſe ſacrificia Martyrum nouit, qui nouit vnum quod illic offertur ſacrificiũ Chriſtianorum.*

Lib. 10. cap. 1. 4. 5. 6. vt ſupra. Cap. 19. *Sicut orantes atque laudantes, ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus: ita ſacrificantes, non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe nouerimus, quàm illi cuius in cordibus noſtris inuiſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus.* Cap. 20. *Chriſtus & Sacerdos eſt, & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium &c. Huius ſigna erant ſacrificia priſca Sanctorum &c. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.* Lib. 17. cap. 4. & 5. De præfiguratione, & prædictione mutandi Sacerdotij ac ſacrificij Aaronici, in hoc noſtrum Euchariſticum, ex illo Heli. 1. Reg. 2. *Iacta me in vnam partem Sacerdotij tui manducare panem &c. Quod addidit*, manducare panem, *etiam ipſum Sacerdotij genus eleganter expreſſit: de quo Sacerdos ipſe* Ioan. 6. *Panis quem ego dedero caro mea eſt. Ipſum eſt ſacrificium non ſecundum ordinem Aaron, ſed Melchiſedech.*

Cap. 17. *Ex eo quod iam nuſquam eſt Sacerdotium, & ſacrificium ſecundum ordinem Aaron, & vbique offertur ſub Sacerdote Chriſto quod protulit Melchiſedech quando benedixit Abraham* Gen. 4. *Quis ambigere permittitur de quo iſta dicantur?* Cap. 20. *Sacrificium, & oblationem noluiſti &c.* Pſalm. 39. *Quia pro illis omnibus ſacrificijs corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur.* Lib. 18. cap. 35. in Malach. 1. ſupra: *Hoc ſacrificium, per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu vſque ad occaſum Deo iam videamus offerri, ſacrificium autem Iudæorum ceſſare: quid adhuc exſpectant alium Chriſtũ?* Lib. 20. cap. 9. De commemoratione piarum animarum ad altare. *Cap.* 10. in illud *Apoc.* 20. Erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, &c. *Non de ſolis Epiſcopis, & Presbyteris qui propriè iam in Eccleſia vocantur Sacerdotes: ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus, ſic omnes Sacerdotes; quoniam membra ſunt vnius Sacerdotis.* Vt 1. Pet. 2. *Plebs ſancta, regale Sacerdotium.* Cap. 21. De prædicto Sacerdotio nouæ Legis ſecundum ordinem Melchiſedech. ex Iſa. 66.

*Cap.* 26. In illud *Malach.* 3. Erunt Domino ſacrificia offerentes in iuſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. *Fortaſſis*, inquit, *tempus illud commemorat quo primi homines in Paradiſo fuerunt: tunc enim puri atque integri ſeipſos Deo hoſtias offerebant &c. Quod ſi reſpondetur eos etiam meritò dici poſſe offerre Hoſtias & Sacrificia in iuſtitia, qui offerunt in fide &c. Nunquid dicturus eſt quiſpiam hoc fidei tempus illi fini eſſe coæquandum, quando igne iudicij mundabuntur qui offerunt hoſtias in iuſtitia?* Subdit ergo alium ſenſum: non de ſacrificijs propriè dictis veteris, aut nouæ Legis; ſed de perfecto ſacrificio ſpirituali Beatorum.

*Lib.* 22. *cap.* 8. De fundo quodam liberato ab infeſtatione dæmonum, hoc ſacrificio ibidem celebrato, à Sacerdote ad hoc Miſſo ab ipſo B. Aug.

*Lib.* 1. De Anima & eius orig. cap. 9. *Quis offeras*



Digitized by Google

tatem Sacramentalem, neceſſaria eſt forma & actio conſecrationis, vt cauſa illius extrinſeca; præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti, vt terminus intrinſecus; vſus ſeu ſumptio actualis, vt conditio, ſeu applicatio ad vlteriorem effectum; ſed ſpecies conſecratæ, vt ſubiectum & fundamentum huius totius Sacramentalitatis, ſeu ſignificationis ac cauſalitatis Sacramentalis, qua Sacramentalis eſt.

Cuius vnitas quaſi ſpecifica ſubqualibet ſpecie eſt ab vnitate quaſi ſpecifica vtriuſque gratiæ ſignificatæ & cauſatæ. Vnitas autem, vel diſtinctio numerica, pendet à quadam vnione, vel ſeparatione morali, ſeu ordinatione vnius aut plurium ſimul ſpecierum ad eandem, vel diſtinctam vtriuſque gratiæ ſignificationem ac cauſalitatem.

Quorum omnium communis ratio, à maiori & adæquatiori conformitate cum doctrina Catholica, & Auguſtiniana, omniumque opinionum Scholaſticarum ad eundem finem relatione: ex ſubiectis obiectionibus diſtinctiùs apparebit.

### OBIECTIONES CONTRA *Reſponſionem Dogmaticam.*

1. EX *Dan. 11.* De Deo illo *Mabuzim*, ſeu Idolo Antichriſti, quaſi eſſet noſtrũ Miſſæ ſacrificiũ. *Reſp.* Eſſe tantùm ridiculam calumniã: cùm nec ſubſit vlla ſimilitudo nominis, nec ſignificationis: nec prædicatur futurus ille cultus publicus; ſed ſecretus ſolius Antichriſti, ſeu Regis illius Aquilonaris, hoſtis Romanorum, & veri ac iugis ſacrificij. Quod ſi ex prima litera nominis Miſſæ liceret calumniari: cur non ex duabus primis Martini Lutheri, & ſic de quolibet nomine?

2. Ex *Hebr. 5.* de Chriſto: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Qui in diebus carnis ſuæ preces ad eum qui poſſit eum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia &c. Didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam &c. appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech. De quo nobis grandis ſermo &c.*
Cap. 6. *In Cœlum pro nobis introiuit* IESVS, *ſecundùm Ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.*
Cap. 7. *Hic enim Melchiſedech Rex ſalem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omniũ diuiſit Abraham: primùm quidem interpretatur Rex Iuſtitiæ, deinde autem & Rex ſalem, quod eſt Rex pacis, ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum &c.* Vbi nulla fit comparatio in oblatione panis & vini, ſed in precibus, lachrymis, obedientia, benedictione, decimis, iuſtitia, pace, & præcipuè in æternitate cuiuſdam Sacerdotij ſpiritualis pro nobis in cœlo orando &c. Imò nec *Gen. 14.* fit mentio vllius Sacrificij panis & vini à Melchiſedech: ſed tantum ab eo prolati panis & vini, ſeu cuiuſdam conuiuij exhibiti Abrahæ ad quãdam refectionem, & gratulationem de victoria.

*Reſp.* Ex Gen. 14. *Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit Abrahæ, qui dedit ei decimas ex omnibus.* Proferre autem *Gen. 4. Iudic. 6.* in rebus ſacris, vel ſignificat offerre, vel adducere ad ſacrificium. Nec erat vlla alia ratio proferendi panem & vinum, ex officio Sacerdotali, niſi ad Sacrificium, & ad participandũ ex ſacrificio. Nec obſtat quod in Hebræo non ſit *Enim*, ſed *Et erat &c.* Tùm quia *Gen. 20. 30. Eſa. 64.* & alibi ſæpè, *&*, æquiualet *Enim.* Tùm quia hic contextus id exigit, & punctuatio Hebræa potius refert hoc officium Sacerdotale ad prolationem panis & vini, quàm ad benedictionem, aut decimarum receptionem. Tùm quia hæc ſunt relatiua ad illam ſacram prolationem panis & vini. Tùm denique quia ita B. Aug. toties ſupra, ex ſenſu, ac conſenſu communi totius antiquitatis. Nec ſit mirum Apoſtolum ad *Heb. 5. 6. 7.* non exprimere hanc comparationem, ſed plures alias. Tùm quia ſupponebat illam, vt ſatis expreſſam *Gen. 14.* & notoriam ex inſtitutione & praxi ſacræ Euchariſtiæ. Tùm quia ſatis expreſſerat *Cap. 5.* Omnem Pontificem *conſtitui ad offerendum dona, & ſacrificia* ſecundum ordinem ſui Sacerdotij. Tùm quia negando Chriſtũ eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech: ſatis exprimit hoc propriũ genus Sacrificij ac Sacerdotij incruenti. Tùm quia hoc ſuppoſito, contendit Apoſtolus probare huius excellentiam, præ Sacerdotio ac Sacrificio Aaronico. Ad quam probandam non profuiſſet apud Hebræos comparatio illius panis & vini à Melchiſedech oblati, cum ſacrificijs Aaronicis animalium, quæ viderentur ex ſe perfectiora: hinc vtitur comparatione ipſius Melchiſedech, qui erat tantum figura Chriſti, cum Abraham, Leui, & Aaron, in Sacerdotijs. Primò quòd quamuis Abraham eſſet etiã tantus Sacerdos, & Patriarcha ipſius Leui ac Aaron: rediens tamen victor, dat decimas Melchiſedech, & ab eo benedicitur tanquam à Sacerdote maiore. *Quantus,* inquit, *hic, cui & decimas dedit Abraham &c. Quod minus eſt à meliore benedicitur.*

2. Quòd Melchiſedech ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia, ſine initio aut fine vitæ, expreſſis in Scriptura: hoc ipſo præfigurauerit æternum Chriſti Sacerdotium, abſque vllius alterius ſucceſſione. Porrò nec Melchiſedech fuiſſet potiùs figura Chriſti quam Aaron, in benedicendo, aut decimando tantùm: nec Chriſtus eſſet Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi offerret per ſuos Miniſtros quod Melchiſedech præfigurauit; ſed eſſet potius Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Aaron, ſi ſe tantùm obtuliſſet cruentè, & hanc tantùm cruentam ſui oblationem in æternum exhiberet. Non enim eſt Sacerdos huius, vel illius ordinis, niſi quoad ſpecialem præfigurationem. Quamuis autem fuerit etiam præfiguratus quibuſdam ſacrificijs cruentis, & incruentis panis & vini ex Lege Moyſi: ſacrificium tamen, & Sacerdotium eius in æternum, non fuit præfiguratum niſi in illo ſacrificio & Sacerdotio perſonali & proprio Melchiſedech.

OBIECT. 3. *Hebr. 7.* Apoſtolus de figura illa Melchiſedech, *Gen. 14.* & æterno Chriſti Sacerdotio. *Pſalm. 109. Alij, inquit, plures facti ſunt Sacerdotes ſecundum legem, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum ſempiternum habet Sacerdotium.* Ergo Lex noua non

habet

Digitized by Google

habet vllum alium Sacerdotem aut ſacrificium. *Reſp.* Apoſtolum reddere hanc rationem ſucceſſionis plurium ſummorum Sacerdotum ſub antiqua Lege: vnici autem ſummi Sacerdotis ſub Lege noua. Qui licet nullum habeat ſucceſſorem: ſicuti tamen olim ſummi Sacerdotes habebant inferiores Miniſtros; ita & potius Chriſtus ſuos Vicarios & Miniſtros, per quos immediatè & actualiter exerceat ſuum illud Sacerdotium in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

OBIECT. 4. Hebr. 9. *Chriſtus introiuit in cœlum vt appareat vultui Dei pro nobis: neque vt ſæpè offerat ſemetipſum &c. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem ſemel ad deſtructionem peccati, per Hoſtiam ſuam apparuit.*

Cap. 10. *Omnis Sacerdos præſto eſt quotidiè miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens Hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata, hic autem vnam pro peccatis offerens Hoſtiam &c. Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* Infrà. *Voluntariè peccantibus nobis non relinquitur pro peccatis Hoſtia, &c.*

1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, &c.* Ergo non eſt aliud quàm ſacrificium crucis, nec alia eius repetitio, quam eiuſdem apud Deũ ab ipſo Chriſto exhibitio.

*Reſp. 1.* Non eſſe aliud ſacrificium materialiter, quoad ipſam rem oblatam, ſeu ſacrificatam: ſed tantùm quoad modum ſacrificandi.

*Reſp. 2.* Non eſſe etiam aliud, quoad vim meritoriam, & ſatisfactoriam: ſed tantùm quoad eius applicationem, ac diſtributionem, præ reliquis etiam medijs ac remedijs à Chriſto Mediatore ad hoc ordinatis. Quod ſatis patet ex his ipſis ſacris Script. de ſola illa oblatione cruenta, quâ Chriſtus ſeipſum immediatè obtulit, & omnia merita, ac ſatisfactiones ſuas conſummauit. Sicut enim *non oportuit eum frequenter pati ab origine mundi*, ad veram rationem, & fructum aliquem ſacrificiorum præfiguratiuorum: ità nec ad veram rationem, & fructum huius ſacrificij rememoratiui. Nec eſſet *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ſola ſua cruenta oblatione, eiuſdemque apud Patrem in æternum exhibitione, aut vnica ſui Corporis & Sanguinis ſub ſpeciebus panis & vini in vltima Cœna oblatione. Nec vnica ſui oblatione tam propriè & per ſe *conſummaret in æternum ſanctificatos*: niſi hoc etiam Sacrificio & Sacramento: in quo ſolo immediatè ac perſonaliter ſanctificat.

5. Agnus Paſchalis nec fuit ſacrificium, ſed tantùm memoriale tranſitus ex Ægypto, nec figura Euchariſtiæ, ſed mortis Chriſti innocentis.

Reſp. Ex Luc. 22. *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Itaque epulemur &c.* Ergo & Agnus paſchalis fuit, & Chriſtus eſt verum ſacrificium, ad inde verè epulandum in viaticum. Quatenus autem ſacrificium Agni Paſchalis fuit cruentum, præfigurauit mortem Chriſti: ſed quatenus inſtitutum in 14. Lunæ ad veſperam, & ad comedendum in viaticum, præfigurauit ſacrificium, & Sacramentum Euchariſtiæ eadem die, & veſpera, ad eundem finem à Chriſto inſtitutum. Prout latiùs Quæſtione ſequenti.

6. Reliquæ Figuræ & Prophetiæ antiquæ fuerunt tantùm de Sacerdotio, & ſacrificio Chriſti, ac ſpirituali Chriſtianorum. *Reſp.* Fuerunt de futuro nouo ſacrificio, ac Sacerdotio propriè dicto, & de pluribus eligendis ac conſecrandis Sacerdotibus, & altaribus, iiſque publicis, vſque ad publicam illam abolitionem ab Antichriſto, ſub figura Antiochi Regis, & iugis ſacrificij Iudæorum, ſeu duorum Agnorum quotidiè, manè & veſperi offerendorum, cum ſimila & vino *Exod. 29. Num. 28.* Quæ non poſſunt verificari de ſola morte Chriſti & ſacrificijs ſpiritualibus Chriſtianorum.

7. *Ioan. 4.* Sacrificiũ ſeu adoratio ſpiritualis nouę Legis opponitur ſacrificijs externis Iudæorum, & Samaritanorũ: ergo ſub noua Lege ſunt tantùm ſacrificia ſpiritualia. *Reſp. 1.* Non opponi illis quatenus erant exteriora: ſed quatenus erant vel falſa aut ſuperſtitioſa, vel nimis materialia ac litteralia, ſine Spiritu veræ Fidei ac deuotionis, & quatenus erant limitata ſeu reſtricta ad certum locum & populum. Vt patet ex contextu.

8. *Ioan. 6.* Nulla fit mentio realis ſacrificij aut manducationis, ſed tantùm ſpiritualis; ex B. Aug. ſæpè. *Reſp.* De veritate ac realitate ſacrificij, & manducationis: ſed modo quodam ſpirituali, de quo ex B. Aug. Quæſt. ſequenti.

9. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* Nulla fit mentio ſacrificij Euchariſtici, ſeu oblationis panis & vini: ſed tantùm diſtributionis, & memorialis, ac Teſtamenti: quo nobis à Deo & Chriſto aliquid promittitur & donatur; non autem Deo offertur, aut à nobis offerendum committitur. *Reſp.* Totam illam rei ſeriem, & verba quibus refertur, ſignificare ſacram actionem, & inſtitutionem ſacrificialem ac Sacramentalem: tùm ex collatione cum figura illa ſacrificiali Agni Paſchalis, & inſtanti ſacrificio crucis: tùm ex illa poſt Cœnam extraordinaria reſumptione, benedictione, & diſtributione panis & vini, ſeu Corporis & Sanguinis inde diſtinctè conſecrati, in memoriale perpetuũ Paſſionis Chriſti; ſub verbis *Faciendi*, quod Leuit. *9. 14. 15. 23. 24. Num. 6. 8. 14. 28.* & alibi ſæpè, etiam Hebraïcè, ſumitur pro ſignificare; *Frangendi*, *Fundendi* etiam in præſenti, & ex ipſo *Calice*, & *pro nobis*, quæ ſignificant oblationem, & libationem. Nec obſtat, ſed fauet nomen ac ratio Teſtamenti: ſiue pro pacto æterno ac inuiolabili huius inſtitutionis, in confirmationem totius nouæ Legis, ſicut *Exod. 24.* antiquũ Teſt. fuerat confirmatum Sanguine ſacrificij; ſiue pro hoc Sacratiſſimo legato ad ſupremum Dei honorem, ſeù pro quodam hæreditario ſacrificio nobis ad honorandum & placandum Deum, indeque Sacramentaliter participandum, prouiſo.

10. Ex difficultate ac diſſenſione Scholaſticorum, in aſſignanda vera & propria ratione, oblatione, & immutatione ſacrificiali in Miſſa. *Reſp.* Hanc non eſſe de veritate huius ſacrificij: ſed de formali ac propria eius ratione. Quæ quò pluribus modis ſecundum varias opiniones verificatur: eò magis veritas ipſa confirmatur. De quibus infra.

OBIEC-

Digitized by Google

## OBIECTIONES

### *Contra Reſponſionem Scholaſticam.*

### 1. *Ex B. Auguſtino.*

B. Aug. *10. Ciuit. 5.* confundit Sacrificium externum cum Sacramento, illudque opponit vero ſacrificio: quod *cap. 6.* docet eſſe *omne opus bonum propter Deum*; nec vllibi exigit inſtitutionem, oblationem, conſecrationem, conſumptionem, aut rem permanentem, ad ſacrificium; ſed tantum ſignificationem, & relationem ad Deum.

*Reſp. 1.* Non confundere, ſed illud definire per Sacramentum in communi, vt eſt *ſignum ſacrum*: à ſacra etiam Dei inſtitutione, vel inſpiratione, vt ſupra à *col. 37. ad 43.* Nam B. Aug. *q. 2.* contra Paganos: *Quibus ſacris diuinitati congruerent, voluntatem Dei ſecuti ſunt qui rectè ſapuerunt.* q. 3. *Hæc cùm exhibentur Deo ſecundum eius inſpirationem, atque doctrinam, vera Religio eſt.* Quia ſolius Dei eſt, veram Religionem, & cultum ſibi gratum inſtituendo acceptare. Vt Alenſis noſter 3. p. q. 58. M. 1. Nec obſtat quod *q. illa 3.* Idololatræ non cenſeantur reprehenſibiles ex vſu ſacrificiorum: ſed tantum ex eorum abuſu, ad cultum falſorum Deorũ. Quia hinc quidem tantùm cenſentur reprehenſibiles Idololatriæ: ſed cultus ſolùm humanus etiam veri Dei, reprehenditur vanitatis, ac ſuperſtitionis. *Mat. 15. Marc. 7. Ioan. 4. & alibi ſæpè.*

*Reſp. 2.* Hic ſacrificium viſibile non opponi inuiſibili contrariè, vt falſum vero: ſed relatiuè, vt ſignum, rei ſignificatæ, & vt propriè dictum, metaphorico. Vt patet 1. ex *Cap. 4.* Vbi comparat nos omnes & ſingulos templo, & cor noſtrum altari, *ad ſacrificandum hoſtiam humilitatis & laudis, igne Charitatis.* Quibus metaphoris, ſignificat verum & proprium Cultum Dei internum. 2. Ex *Cap. 5.* Vbi opponit ſacrificium propriè ac ſimpliciter dictum, ſacrificio laudis, ſpiritus contribulati, & miſericordiæ, *ex Pſalm. 49. 50. Oſeæ 6.* Subditque, *quod ab omnibus appellatur ſacrificium* .i. propriè, ac ſimpliciter dictum, *ſignum eſt veri ſacrificij.* Quod *cap. 6.* definit *eſſe omne opus bonum propter Deum*: quo quis corpus & animam refert ad Dei obſequium, ex *Rom. 12.* Sed *cap. 19.* diſtinguens ſacrificium propriè dictũ, ab oratione & laude Dei mentali ac vocali; comparanſque ſacrificium viſibile reſpectu inuiſibilis, cum ſignis verbalibus reſpectu rerum ſignificatarũ: ſatis explicat ſe non opponere vt verũ falſo, ſed vt rem veram ſuo vero ſigno. Ex Alenſi *3. p. q. 58. M. 1.* *Contra.* B. Aug. vocat ſolum inuiſibile *verum ſacrificium*: ergo in ratione ſacrificij. Reſp. ex Alenſi ibidem: *Veritas ſigni dependet à veritate rei, ſicut dicitur ſermo verus, & homo.* Adde verum dici poſſe à fine & fructu ſacrificij grati Deo: imò & à vera ſignificatione ſpirituali excellentiæ Diuinæ. Sed veritas obiectiua rei, non appropriat, ſed potius impropriat, ſeu alienat nomen ſacrificij à propria ratione ſacri ſigni ſenſibilis. Nec obſtat quod opus bonum externum ſit etiam ſignum interni: quia non dicitur hic verum ſacrificium quatenus externum; ſed quatenus internum, ſeu interiùs ad Deum relatum. Subdit enim: *Si propter Deum non fit, non eſt ſacrificium.*

*Reſp. 3.* Exigere inſtitutionem, oblationem, conſecrationem, & conſumptionem alicuius rei permanentis, in honorem Dei, ſeu in ſignum externum veri cultus interni Deo debiti ob ſupremum eius dominium: tùm ex omnibus ſacrificijs antiquis, præfiguratiuis noſtri cruenti ac incruenti, de quibus ſupra: tùm ex eodem *lib. 10. Ciuit. cap. 1.* Vbi docet ſacrificium eſſe verum & proprium cultum externum Dei, Religionis & Latriæ, ſeu ſeruitutis Deo debitæ. Quæ cùm non poſſit eſſe Deo vtilis, debet eſſe honoraria, ſeu ſignificatiua ac proteſtatiua ſupremi eius dominij, noſtræque ab eo totalis dependentiæ, quoad eſſe & non eſſe. Ad quam honorariam ſignificationem, cùm nihil ex ſe, vel ex nobis ſufficere aut Deo placere poſſit: neceſſaria eſt ipſius Dei inſtitutio in ſigno aliquo ad hoc conueniente. Porrò quid aptius ad profitendam hanc ſeruitutem & illud dominium, quam oblatio? Non quaſi donatio, quæ eſſet potius honoraria donantiũ, quam Dei recipientis, (*Beatius enim eſt dare quam accipere. Act. 20.*) Nec vt redditio, aut retributio, quæ ſupponeret aliquid noſtrum, quamuis à Deo acceptum; ſed vt quædam confeſſio, quòd nihil vllo iure ſit noſtrum reſpectu Dei, ſed omnia ipſius pleno iure. Quid aptius ad proteſtandum nos nequidem habere vllum ius vtendi vllâ re reſpectu Dei: quàm conſecratio, ſeu tranſlatio irreuocabilis ab omni vſu noſtro profano, ad ſolum vſum ſacrum honoris Dei? Quid aptius ad profitendum ſupremum Dei dominium, noſtramque & omnium ab eo dependentiam quoad eſſe & non eſſe: quàm conſumptio rerum nobis etiam neceſſariarum, aut vtilium, in hunc ſolùm Dei honorem? Quid aptius re aliqua ſubſtantiali, nobiſque pretioſa, ſed conſumptibili: ad hanc oblationem, conſecrationem, & conſumptionem; noſtramque ſub hoc ſigno ſubmiſſionem quoad eſſe & non eſſe, abſoluto illi dominio Dei? Nam noſtræ actiones tranſeuntes, cùm ſint tam faciles, quaſi à nobis, & neceſſariò deſinant: non ſunt tam aptæ ad ſacram illam ac honorariam oblationem, conſecrationem, & conſumptionem.

*Reſp. 4.* B. Aug. *10. Ciuit. 6.* Per omne opus bonũ propter Deum, ſeu relatum aut referendũ ad Deum, vt ſit verum ſacrificium ſpirituale, ſeu res ſignificata ſacrificio externo: non intelligere opus bonum ex quouis genere, nec ex quauis ad Deum relatione; ſed immediatè ac elicitiuè ex virtute Religionis, ad cultum Dei; quamuis directiuè ac imperatiuè ex virtute Fidei, Spei, Charitatis, & relatiuè aut referibiliter ad beatificam illam inhæſionem.

Hinc *cap. 4. & 6.* ſupra, & *55. de vera Religione*, explicat Religionem à religendo vel religando, & adhærendo Deo vt obiecto finali, ſed per medium colendi Deum debita ſeruitute Latriæ. Pro vt latiùs *Tomo 2. noſtra Anat. à col. 85. ad 91.*



Digitized by Google

## OBIECTIO 2.

*Quomodo hæc definitio, & ſignificationes, ac ſignificata ſacrificialia, ſub ſola conſecratione Euchariſtiæ inuolui, ac euolui poſſint?*

Reſp. Pluribus modis: non inter ſe contrarijs, nec ab inſtitutione, & ſignificatione ſacrificiali alienis; ſed primarijs vel ſecundarijs, adæquatis vel inadæquatis.

1. Vt conſecratio externa Euchariſtiæ, ſub duplici ſpecie panis & vini ſeorſim, ſit ſignum ſacrum commemoratiuum ſacrificij cruenti, ſeu effuſi Sanguinis & ſeparationis Animæ à Corpore Chriſti.

Quod ſacrificium cruentum quamuis fuerit viſibile: quatenus tamen præteritum, iamque ſolius fidei obiectum, poteſt dici inuiſibile; ſicque ſacrificium præſens Euchariſtiæ poteſt dici ſignum viſibile illius iam inuiſibilis, ſicut ſacrificia antiqua erant tunc ſigna ſenſibilia illius inuiſibilis vt futuri. Quæ quidem commemoratio Euchariſtica plurimùm commendatur ab ipſo Chriſto in inſtitutione huius ſacrificij: ſed ſupponit præſentem aliquam, & veram rationem ſacrificialem, quæ ſit ſignificatiua illius præteritæ. Nec videtur cur requireret præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti: niſi ad aliquam veram, realem & præſentem, non autem præteritam tantùm aut apparentem eius oblationem, conſecrationem, immutationem. Sicut enim antiqua ſacrificia fuerunt quidem præfiguratiua veri ſacrificij Chriſti cruenti & incruenti: ſed per aliquam veram, realem & tunc præſentem oblationem, conſecrationem, & conſumptionem alicuius materiæ ſacrificatæ; ita & hoc ſacrificium, vt ſit commemoratiuum præteriti cruenti, debet eſſe præſens, habereque veram aliquam oblationem, conſecrationem & immutationem alicuius rei præſentis. Deinde ſicut proprietas ſacrificij propitiatorij aut impetratorij ſupponit rationem eſſentialem ſacrificij, latreuticam, ſeu honorariam Dei: ita & hæc proprietas ſacrificij Euchariſtici, ſeu regratiatorij, & cõmemoratiui mortis Chriſti, non alienat, ſed ſupponit communem illam, & eſſentialem rationem ſacrificij. Non enim poteſt eſſe verè ac intrinſecè ſacrificium per ſolam repræſentationem præteriti, ac extrinſeci ſacrificij: niſi & ipſa repræſentatio ſit intrinſecè ſacrificialis, fiatque per veram realem ac præſentem oblationem, conſecrationem, & immutationem alicuius rei præſentis. Denique definitio B. Aug. & ſacra illa ſignificatio ſacrificij viſibilis videtur relatiua ad ſacrificium ex ſeipſo inuiſibile, non autem tantùm ex eius præteritione, aut futuritione.

2. Vt conſecratio externa Euchariſtiæ ſit ſignum ſacrum illius ſacrificij inuiſibilis ſeu ſpiritualis, quo ipſe Chriſtus ſeipſum voluntariè interius ſacrificauit, offerendo, conſecrando, & patiendo vſque ad mortem, in ſupremum Dei honorem, ſeu profeſſionem ſuæ humanæ dependentiæ quoad vitam & mortem, eſſe & non eſſe, à ſuo proprio ac abſoluto Dominio diuino, quamuis relatiuè ad noſtram ſalutem. De quo ſacrificio ſpirituali Chriſti Eſa. 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Ioan. 17. *Ego pro eis ſanctifico meipſum* .i. conſecro, & dedico Deo ad mortem: & Alenſis 3. p. q. 53. M. 2. A. 1. Sacrificium Chriſti duplex fuit, ſpirituale, & corporale. Sed ex definitione illa B. Aug. videtur ſacrificium viſibile, & præſens, eſſe ſignificatiuum alicuius præſentioris ſacrificij inuiſibilis, quàm illius ſpiritualis ſed præteriti Chriſti: nec poſſe eſſe illius præteriti ſignificatiuum, niſi per ſignum aliquod & ſignificatum realiter ac ſacrificialiter præſens.

3. Vt conſecratio externa ſit ſignum illius ſacrificij inuiſibilis Chriſti: non tam quatenus actu præteritum, quàm quatenus virtualiter præſens, ac perpetuum, tàm in ſuo merito, quàm in eodem Chriſti affectu humano ac ſacrificiali erga ſuam Diuinitatem & ad noſtram ſalutem. Sed ſicut hoc ſacrificiũ Euchariſtiæ eſt actuale & actualis ſignificationis ſacrificialis: ita & videtur demonſtratiuè ſignificare aliquod actualius ſacrificium inuiſibile Chriſti Domini.

4. Vt ſit ſignum veri ſacrificij inuiſibilis ipſius Sacerdotis, aut Eccleſiæ ſpiritualiter offerentis. Ex Ioan. 4. *Veri adoratores adorabunt in ſpiritu, & veritate.* Et 10. *Ciuit. 5. ac 6.* vbi illud ſacrificium inuiſibile, ſignificatum viſibili, videtur exponi de bono opere relato ad Deum. *Cap. 20.* & alibi ſæpè, Eccleſiam per ſacrificium Euchariſtiæ ſeipſam etiam offerre, vt Corpus Chriſti myſticum cum ſuo Capite. Sed hinc non ſatis conſtaret de veritate ſigni, ac ſignificati ſacrificialis: cùm non ſit certum, vel Miniſtrum, vel Eccleſiam ſpiritualiter ſacrificare quoties exteriùs ſacrificat.

5. Vt ſit ſignum ſacrificij inuiſibilis, ſeu ſpiritualis: non ſemper actualis, ſed obiectiui Deo debiti, ſeu quòd ſicut exteriùs ſignificatur, ita & interiùs Deo debeatur cultus oblationis, conſecrationis, & ſubmiſſionis vſque ad mortem, & non eſſe, in honorem ſupremi illius Dominij Dei. Quod quidem ſufficere poſſet ad ſacrificium quatenus tantùm miniſterialiter noſtrum eſt: ſed quatenus principaliter eſt ipſius Chriſti, non tantùm vt ſacrificati, ſed etiam vt *Sacerdotis in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech* ſuo modo ſacrificantis, videtur ſi non ad eſſentiam, ſaltem ad perfectionem huius ſacrificij requiri aliquod ſacrificium inuiſibile ac ſpirituale ipſius Chriſti.

6. Vt ſacrificium viſibile Euchariſtiæ ſit ſignum ſacrum inuiſibilis ſacrificij materialis Corporis & Sanguinis Chriſti realiter præſentis: ſed cùm hoc ſacrificium viſibile non tantùm ſumatur materialiter pro ſigno ſacro, ſeu reipſa ſignificãte, ſed potius formaliter pro ipſa ſacra ſignificatione: videtur ſacrificium inuiſibile ſumendum non tantùm pro materiali ſignificato, ſed etiam pro ipſa formali ſacrificatione ſpirituali ipſius Sacerdotis principalis, ac inuiſibilis.

7. Vt hoc ſacrificium viſibile ſit ſignum ſacrum totius inſtitutionis Chriſti, ſeu ſacrificij inuiſibilis à Chriſto inſtituti, & hac ipſa inſtitutione ab ipſo in perpetuum ſacrificandi, offerendi, conſecrandi, conſumendi in ſupremum honorem Dei. Sed ſicut ſacrificiũ externum à Chriſto inſtitutum eſt, vt quotidie realiter & actualiter frequentetur: ita & ſacrificium inuiſibile.

8. Vt

8. Vt ſacrificium viſibile ſit ipſa oblatio, conſecratio, & conſumptio exterior panis & vini, in ſe, aut ſuis ſpeciebus, ſiue per factionem & libationem, ſiue per ſacram expoſitionem in cibum & potum, ſiue per ſumptionem actualem: ad ſignificandum ſacrificium inuiſibile oblationis, conſecrationis, & conſumptionis, ſeu conuerſionis totius ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ſub ſolis ſpeciebus, quaſi exuuijs panis & vini; profitendo per hoc ſupremū Dei Dominiū ad conuerſionem cuiuſlibet in quodlibet, totiuſque naturæ dependentiam ad omnem ſupernaturalem mutationem, & ſpecialiter naturæ humanæ, quæ ſicut pane & vino nutritur, ita & ſignificatur. Sed cum hoc ſit ſacrificium materiale Corporis & Sanguinis Chriſti, ex ſacro Conc. Trid. *ſeſſ. 23.* ſub præfatione, & *cap. ac can. 1.* non poteſt illud intelligi de ſacrificio viſibili aut inuiſibili ſolius panis & vini, aut panis & vini abſolutè & diſtinctè: Ergo deberet intelligi de pane & vino vt termino à quo, & relatiuè ac conuerſiuè in Corpus & Sanguinem Chriſti, quæ non niſi ex illis, & ſub eorum forma ſacrificari poſſunt. Cùmque oblatio ſiue verbalis, ſiue eleuatio Hoſtiæ, & conſecratio ſeu benedictio, ſiue etiam verbalis, ſiue per ſignum ſanctæ Crucis, ipſaque fractio, fuſio, ſumptio, ante vel poſt ſacrificium, ſint extra eſſentiam ipſius ſacrificij, neque ex tam determinata Chriſti inſtitutione: debet aliqua oblatio & conſumptio ſacrificialis, tam ſignificatiua, quam ſignificata, eſſe intrinſeca alicui actui extrinſeco ſacrificandi. Qui actus exterior non poteſt eſſe niſi pronuntiatio formæ, Offertoria, Conſecratoria, & Conſumptiua ipſius Termini à quo, ſeu panis & vini, in Terminum ad quem, ſeu Corpus, & Sanguinem Chriſti. Solus enim hic actus eſt eodem inſtanti offertorius ſacrificij materialis, ſiue immediatè ſacrificandi ſiue actu ſacrificati, ad hoc ipſum realiter præſentis ac præſentati, ex vi aliqua morali huius actus: eſt conſecratorius eiuſdem ſacrificij, ſiue ſacrificandi ſiue ſacrificati, ſeu dedicatorius & applicatorius ad hunc ſolum vſum ſacrum: Denique eſt conſumptiuus eiuſdem ſacrificij, ſiue ſacrificandi, ſiue ſacrificati, in ſupremum illum Dei honorem. Dixi, *ſiue ſacrificandi, ſiue ſacrificati,* abſtrahendo à Termino à quo, & ad quem, vel referendo illum àd hunc, & hunc ex illo. Sicut enim Agnus viuus erat ſacrificium ſacrificandum, & occiſus ſacrificatum: ita vel ſubſtantia panis & vini immediatè conuertenda, & conuerſa: vel ſolum Corpus Chriſti immediatè hìc ſacrificandum, & actu ſacrificatum. Actus autem interior, eſt tùm ipſius Diuinitatis, realiter efficax illius ſignificationis: tùm ſacræ humanitatis, ſaltem moraliter, ſed principaliter & ſpiritualiter ſacrificantis, offerendo, conſecrando, immutando, ſiue ſubſtantiam panis & vini in ſeipſum, ſiue ſeipſum ſub forma panis & vini, in ſupremum illum honorem Dei.

9. Vt hoc ſacrificium inuiſibile ſit ſolius Corporis & Sanguinis Chriſti: viſibile, etiam eiuſdem ſolius, ſed ſub ſolis ſpeciebus panis & vini, ſeu ſolâ earum formali oblatione, conſecratione, vel ſaltem conſumptione; Corporis autem & Sanguinis Chriſti, tantùm denominatiuè à pane & vino in ſe conuerſis, vel eorum ſpeciebus ſibi appropriatis. Quia hoc ſacrificium eſt vnicum & nouæ Legis, ſub qua omnia ſacrificia præfiguratiua deſierunt. Ergo nullum eſt hic ſacrificium, nec totale, nec partiale panis & vini, ſed ſolius Corporis & Sanguinis Chriſti: quod cum ſit hìc ex termino à quo panis & vini, & ſub eorum forma ſibi appropriata, poteſt denominari quoad omnia ſacrificalia, tam ab illis, quam ab his. Deinde ad finem ſacrificij, ſeu ad honorem ſupremi Dominij Dei æquè ſufficit actus aliquis perfectiuus, ac deſtructiuus: ergo non eſt opus corruptione aliqua ſiue panis, ſiue Corporis Chriſti; ſed potius perfectione illius quidem ſubſtantiali in Corpus Chriſti, huius autem vel ſubſtantiali realis reproductionis, vel accidentali præſentiæ & ſtatus ſpiritualioris.

Sed quamuis hoc ſacrificium ſit vnicum, nec amplius præfiguratiuum futuri alicuius alterius ſacrificij: nihil tamen obſtat panem & vinum conſacrificari in Corpus & Sanguinem Chriſti, & ſacrificialiter ſignificare ac ſignificari in hoc ſacrificio. Quamuis etiam ſpecies panis & vini ſenſibiliter eleuentur, conſecrentur, frangantur, fundantur, libentur, exponantur, & conſumantur: ſupernaturaliter autem extra proprium ſubiectum ac ſtatum eleuentur, & ipsâ intima præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti quaſi intrinſecè conſecrentur, patianturque tantam mutationem ſupernaturalem; non videtur tamen ratio propria huius ſacrificij ſubſtantialis ſaluari poſſe in ſola præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti ſub illis, earumve conſecratione ac immutatione ſignificatiua, abſque vera aliqua & reali in ipſo Corpore & Sanguine Chriſti ſignificata & verificata. Tùm quia nec panis & vinum poſt conuerſionem, nec ſpecies conſecratæ denominant propriè Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed tantùm metaphoricè: cùm tamen verè & propriè ſacrificentur. Tùm quia ſi ad hoc ſacrificium ſufficeret Corpus & Sanguinem Chriſti non in ſeipſis ſed in ſolo ſigno ſacrificari, quoad immutationem, aut conſecrationem: cur non etiam ſufficeret ſolo ſigno offerri & repræſentari, non autem realiter præſentari? Nec obſtat quòd B. Aug. Epiſt. 23. *Semel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo: & tamen in Sacramento quotidie immolatur.* Nec quod de conſecr. diſt. 2. quaſi ex SS. Proſp. & Aug. *Cùm frangitur Hoſtia, cùm ſanguis de Calice in ora Fidelium funditur: quid aliud quam Dominici Corporis in cruce immolatio, eiuſque Sãguinis de latere effuſio deſignatur?* Hinc enim tantùm negatur immolatio cruenta: non autem ſub ſignis incruentis Sacrificij cruenti, vera & intrinſeca ratio ſacrificij ſubſtantialis Corporis & Sanguinis Chriſti in ſeipſo. De quo latius ſequenti quæſt.

x. Hoc ſacrificium viſibile eſſe ſignum ſacrum inuiſibilis ſacrificij, ſeu oblationis, conſecrationis, & perfectionis ſupernaturalis Corporis Chriſti, totiuſque ſacræ Humanitatis, in ſupremum honorem ac gloriam perfectionis Diuinæ. Si enim colitur Deus ſacrificio honorario ſui ſupremi Dominij: cur non etiam ſacrificio honorario totius ſuæ perfe-



Digitized by Google

ctionis Diuinæ, primi Principij, vltimi Finis, ſummi Boni, Omnipotentiæ, æternitatis, immenſitatis, miſericordiæ, iuſtitiæ, &c. Quarũ omniũ ſuprema participatio, offertur, conſecratur, & realiter repræſentatur in ſacra humanitate, ſub ſpeciebus panis & vini. Quæ enim poteſt eſſe maior participatio, aut repræſentio Omnipotentiæ Diuinæ, quàm hæc efficacia verbi, ac inſtitutionis Chriſti? Quæ immenſitatis Diuinæ: quàm hæc multiplicatio præſentiæ incircumſcriptæ, ac indefinitæ Humanitatis Chriſti? Quæ repræſentatio æternitatis, ſeu vitæ æternæ ac indefectibilis: quam hic ſtatus Sacramentalis impaſſibilis, immortalis, ac immutabilis? Quæ ſummæ bonitatis: quam hæc expolitio & cõmunicabilitas ſacræ Humanitatis Chriſti? Quæ Miſericordiæ diuinæ: quàm hæc ſacræ Humanitatis, ad conſolandam noſtram miſeriam? Quæ Iuſtitiæ Diuinæ: quam hæc eius quotidiana placatio? Quæ primi principij bonorũ omnium: quam hic fons Euchariſticus gratiarum? Quæ vltimi finis, motiui, & terminatiui: quàm appetibilitas ſacræ Humanitatis in Euchariſtia, adhæſio, inhæſio, nutritio ſpiritualis, & quædam affectiua transformatio, ſignificata ipſa conuerſione reali panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti?

Denique, quæ perfectior ratio ſacrificij tam viſibilis, ſeu ſignificatiui, quàm inuiſibilis, ſeu ſignificati? Ex ipſo B. Aug. *10. Ciuit. 4.* de obiecto & actu ſacrificij inuiſibilis. *Ipſe eſt fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis &c. Hunc ergo religentes, vnde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quieſcamus &c. Bonum enim noſtrum nihil eſt aliud quam ei cohærere &c. Hoc enim bonũ diligere ex toto corde præcipimur* Matt. 22. *Hic eſt Dei cultus & vera Religio, hæc tanto Deo debita ſeruitus &c.* Cap. autem 5. De ſacrificio viſibili, ſeu ſignificatiuo illius inuiſibilis. *Cap. 6.* Iterum de illo ſacrificio vero inuiſibili. *vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo.* Quod eſt proprijſſimum huius ſacrificij.

Sed quamuis hæ ſint p[i]iſſimæ, ac veriſſimæ ſignificationes Anagogicæ huic Sacrificio inuolutæ: ſicut tamen ſenſus Metaphorici, Anagogicus, Allegoricus, & Tropologicus ſacræ Script. ſupponunt proprium litteralem; ita & ſignificationes Anagogicæ perfectionũ Dei, Allegoricæ Corporis Chriſti Myſtici ſeu Eccleſiæ, Tropologicæ ſeu doctrinales ac exemplares Humilitatis, Obedientiæ, Patientiæ, Charitatis & reliquarum virtutum Chriſti in Euchariſtia, ſupponunt ſignificationem eſſentialem, propriam, & ſacrificialem, ſeu Latreuticam ſupremi Dominij Dei, per profeſſionem noſtræ ab eo, & ſub eo infinitæ dependentiæ ac ſubmiſſionis vſque ad ipſam mortem, & non eſſe, imò & indignitatis viuendi, ac eſſendi coram ipſo. Quia cum ſimus creati ad obſequium honorarium Dei: nos ipſi potiùs honoràmur qualibet participatione perfectionum eius: honoramus autem eum, illa humilitate, & ſubmiſſione; ſed quia & aliquam debemus alijs creaturis, Deus ſibi ſoli reſeruauit ſacrificalem externam, in ſignum Latriæ illius internæ ſibi ſoli propriæ, & ſupremo iure Dominij debitæ. Aliæ autem perfectiones intrinſecæ Dei, quæ non ponunt aut ſupponũt vllam creaturam: ſunt quidem omni honore digniſſimæ; ſed non habent vllos debitores ſeu ſeruos à quibus iure ſibi proprio exigant, ſed tantùm iure ſupremi Dominij, fundato in Omnipotentia & productione ad extra.

Hinc nec Incarnatio Chriſti, nec Reſurrectio à morte ad vitam, aliæue mutationes perfectiuæ, habent vllam rationem aut denominationem ſacrificij: Imo nec ſacrificia ſpiritualia bonorum operum denominantur ſacrificia, niſi quatenus aliquid offerũt, ſeu referunt, & quaſi conſecrant ac conſumunt; vt corpus per ieiunia ac labores, potentias per actus, cor per contritionem, bona temporalia per eleëmoſynas &c. immediatè in honorem, ſeu rationabile obſequium Dei *Rom. 12.* quamuis relatiuè ad finem vltimum adhærendi Deo. Quia latriæ Dei eiuſque obiectum ac finis proprius, non repugnat, ſed ſubordinatur charitati eiuſque obiecto, ac fini: nec adhærere, aut inhærere Deo ex charitate, excludit, ſed includit ac ſupponit obligationem Religionis, ſeu Latriæ; nec vlla perfectio amoris Dei, minuit ſed potiùs perficit hanc ſeruitutem ſeu recognitionem ſupremi eius Dominij. Sed S. Aug. expreſſit potiùs relationem ad finem vltimum inhærendi Deo, vt perfectionem latriæ: imò dum ait, *vt ſancta Societate inhæreamus Deo*, ſatis inſinuat Societatem & colligationem honorariam ad inhærendum ſeu adhærendum Deo; non identicè aut æqualiter, nec confuſè, aut tam intimè, quin ſemper ſub diſtãtia à Deo infinita, & inter nos ordinata ac decenti honorarium famulitium & quaſi pediſequiũ Dei. Vt *Tom 2. noſtra Anat. col. 90 91.*

XI. Itaque præmiſſis, & admiſſis tot & plurimis alijs ſacris ſignificationibus ſecundarijs huius ſacrificij, primaria, eſſentialis, & proprijſſimè ſacrificialis eſt: Vt hoc ſacrificium viſibile ſit ſacrum ſignum ſacrificij inuiſibilis ſeu ſpiritualis; quo ipſe Chriſtus vt ſummus Sacerdos ac Ceremoniarcha, prout per ſuos Miniſtros exteriùs ſacrificantes ſignificat, ita & interiùs, verè, realiter, & actualiter hìc & nunc offert, conſecrat, & inſumit, imò conſumit ſuam ſacram Humanitatem ſub ſpeciebus panis & vini, in Latriam, Homagium, Honorem, ſeu recognitionem publicam ac debitam, ſupremi Dominij ſuæ Diuinitatis, & dependentiæ ac promptiſſimæ ſubmiſſionis ſuæ Humanitatis cum omnibus ſuis bonis intrinſecis & extrinſecis, non quidem executiuè ſed quantum eſt ex ſe efficaciter, vſque ad mortem, & annihilationem. Offert ſeu exhibet hìc & nunc realiter præſentem: non vt ſuam ſeu ſuiipſius, ſed ſolius Diuinitatis pleno iure. Conſecrat, ſeu hìc & nunc dedicat, & applicat ad hunc ſolum ſacrum vſum. Inſumit hìc & nunc, imò & conſumit in hunc ſacrum vſum, ac finem.

*1.* Exponendo Corpus & Sanguinem, in hoc conuiuium honorarium Dei. Sicut enim parato, & expoſito conuiuio, vino fuſo &c. ſumptus impenſi & conſumpti dicuntur *Sap. 7. Matt. 22.* ita & expoſito Corpore & Sanguine Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini.

*2.* Subeundo veram, realem, intrinſecam ac nouam præſentiam ſub ſpeciebus conſecratis in altari, ad verba conſecrationis: quamuis abſque deſcenſu, aut priuatione præſentiæ cœleſtis; non tamen abſque nouitate huius præſentiæ realis, & quadam inclinatione ſeu profundiſſima adoratione ſpirituali & corpo-

Digitized by Google

corporali totius ſacræ humanitatis coram ſua Diuinitate: Anima non tantum realiter concomitante, ſed & intentionaliter, ſeu humiliter ac reuerenter præcedente, ſeſeque in infinitum ſuæ Diuinitati ſubmittente.

3. Subeundo hîc & nunc intrinſecè priuationem aliquam ſuæ propriæ præſentiæ naturalis: vel ſaltem nouam præſentiam punctualem ſeu indiuiſibilem ſui Corporis; modo quidem in ſe perfectiori, ac ſpiritualiori; non tamen abſque priuatione ſuæ proprietatis ac perfectionis corporalis ſeu connaturalis; nec abſque ſignificatione ſacrificiali & ſacrificatione ſpirituali, ſeu proteſtatione quaſi nihili ſuæ Humanitatis coram Diuinitate.

4. Tanta multiplicatione huius præſentiæ Sacramentalis: abſque vlla quidem reali ſeparatione Animæ, vel Sanguinis, vel accidentium à Corpore, aut partium ab inuicem diuiſione; non tamen ſine vera & reali ac intrinſeca præſentiarum multiplicatione, ab inuicem diſtinctione, & quaſi in infinitum diuiſione: verà vtique ſignificatione, & vero affectu, ac aliquo ſaltem intrinſeco effectu conſumptionis; non tantùm Sacramentalis, in noſtram nutritionem ſpiritualem; ſed etiam ſacrificialis, ſeu immolationis, diſperſionis, & effuſionis coram Deo.

5. Tam frequenti deſitione, ac priuatione præſentiæ Sacramentalis, conſumptis ſacris ſpeciebus: vel potius, expoſitione ſacrificiali exteriori ac interiori Corporis & Sanguinis Chriſti per conſecrationem, ad hanc tam frequentem priuationem præſentiæ Sacramentalis.

6. Tam frequenti fortè etiam reproductione, & deſitione ſubſtantiali Corporis & Sanguinis Chriſti: vel expoſitione per conſecrationem, ad definendum per ſacrarum ſpecierum conſumptionem.

7. Vera reali, ac intrinſeca priuatione vitæ humanæ ac naturalis in actu ſecundo, ſeu omnium motuum vitalium corporalium, ex vi huius præſentiæ ac exiſtentiæ Sacramentalis: ſub hoc vero ſigno, ac ſignificatione ſacrificiali in re inanimi, vero affectu & expoſitione ſpirituali Chriſti ad omnem exanimationem, & hoc ipſo effectu priuationis totius vitæ corporalis ex vi huius exiſtentiæ, ac præſentiæ.

Sic enim ſpiritualiter ab ipſo Chriſto verificantur quæcumque ex eius inſtitutione, & ſub eius nomine ac perſona à Miniſtris ſacrificialiter ſignificantur. Sic Chriſtus per ſuos quidem Miniſtros miniſterialiter, per ſeipſum autem principaliter, perſonaliter, & actualiter fungitur illo ſuo Sacerdotio in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſub ipſis ſpeciebus panis & vini. Sic veri adoratores nouæ Legis adorant in Spiritu & veritate: quanto magis ipſemet Chriſtus? Sic communis illa definitio ſacrificij à B. Aug. ſupra, huic etiam propriè dicto ſacrificio præ alijs bonis operibus, appropriatur: in ſupplementũ *Tom. 2. noſtræ Anat. col. 623. diff. 1.* & Abſolutionis finalis *col. 174.* côtrà *Prop. 44.* optimo iure præ reliquis inhibitam *à Pio V. & Greg. XIII.* quia nimiùm fauet hæreticis, & derogat vero ac propriè dicto ſacrificio Miſſæ.

Sic etiam facilè componuntur variæ Sententiæ & Doctrinæ de ſacrificijs, & de hoc ipſo ſingulari. Vt, diſtinctio illa communis ſacrificij in Latreuticum, Regratiatorium, Propitiatorium, & Impetratorium: non quaſi per differentias eſſentiales, quæ ſola eſt latreutica; ſed per proprietates, fructus, ac fines ſecundarios.

Et Doctrina noſtri Alenſis *3. p. q. 51. m. 2.* de quadruplici fructu, ac fine ſacrificiorũ. *1.* Ad honorem diuinæ Maieſtatis. *2.* Ad ſignationem veritatis. *3.* Ad timorem ſeueritatis. *4.* Ad ſpem, ſeu amorem bonitatis. Quamuis enim & ipſum honorem Dei referat inter quatuor vtilitates hominum: ſicut tamen *Mem. 3.* monet miſericordiam non dici ſacrificium, vt eſt vtilis proximo, ſed vt relata ad Deum; ita licet ſit vtiliſſimum homini honorare Deum ſacrificijs, non tamen ſunt ſacrificia vt nobis vtilia, ſed vt Deo honorifica. *Signatio Veritatis*, poteſt extendi ad omnem veram ſignificationem, quæ poſſit elici ex ſignis ſacrificialibus: ſicut & docet B. Aug. de omni ſenſu vero à quocumque elicibili ex ſacra Script. quod fuerit prouiſus & intentus à Spiritu S. *Tom. 2. noſtra Anat. col. 186. 226.* Quanta ergò fœcunditas veritatum Fidei ſub hoc ſacrificio: quod non fruſtrà à Chriſto totius Fidei myſterium, & quaſi compendium vocatur? Hinc facile euolui poſſunt non tantùm myſteria ſacræ Humanitatis, Incarnationis, Vitæ, Mortis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Chriſti: vt patet ex ipſo Canone Miſſæ; ſed etiã myſteria Diuinitatis, Eſſentia ac perfectionum diuinarum, communicationis eiuſdem Eſſentiæ ad intrà, creationis, gratificationis, & glorificationis ſecundum Corpus & Animam. Quæ licet ſint potius piæ, ac otioſæ contemplationis, quàm huius noſtræ Scholaſticæ profeſſionis: Exemplificetur tamen ſignificatio communicationis eſſentiæ Diuinæ, in communicatione eiuſdem Corporis Chriſti: Dictio verbi æterni, in dictione Corporis Chriſti &c. *Timor*, inquit, *diuinæ ſeueritatis*, elicitur ex illa ſacrificiorum immolatione, præcipuè antiqua & cruenta, in ſignum noſtri reatus: quanto magis ex ipſa Chriſti innocentiſſimi morte quondam cruenta, & quotidiana incruenta, pro nobis. Exemplificat autem ſpem miſericordiæ, & amorem Bonitatis diuinæ, in hoc ipſo ſacrificio Euchariſtico. Nec obſtat quod *Membr. 5.* explicet B. Aug. *10. Ciuit. 5.* de ſacrificio ſoli Deo offerendo, tanquam principio & fini omnium bonorum: quia ſupremum illud Dominium Dei, & debitum ſacrificij, fundatur in hoc, quòd cùm Deus ſit principiũ & finis omnium bonorum, omnia optimè conſumantur in eius honorem: cùm quæ ſunt propter hominem, optimè conſumantur in eius vſum.

## OBIECTIO 3.

### *Ex Doctrina noſtri Alenſis & Scoti, de hoc Sacrificio, & Sacramento.*

QVòd Alenſis *4. p. q. 30. M. 1. a. 3. ad. 1. & 2. Arg.* fateatur ſpecies conſecratas dici Sacramentum in ratione ſigni, non cauſæ: & *q. 31. M. 3.* reſpondeat Corpus Chriſti eſſe propriùs Sacramentum in ratione cauſæ, ſpecies autem conſecratas in ratione ſigni. Scotus autem *diſt. 8. q. 1. vt & diſt. 1. q. 2.* velit hoc Sacramentum eſſe ipſas ſpecies conſecratas: ſed ipſum Corpus Chriſti præſens, eſſe ſignificatum huius Sacramenti; & *ad 3. Arg.* nec formam conſecrationis eſſe formam ſeu partem huius



Digitized by Google

huius Sacramenti, ſed ſolas ſpecies conſecratas eſſe totum fundamentum ſignificationis Sacramentalis. *Diſt. 13. q. 2. num. 6. Si obijcis.* Supponit oblationem non pertinere ad rationem conſecrationis: ſed offerri hoſtiam non conſecratam, & tunc eſſe ſacrificium non Sacramentum: ſicut Hoſtia conſecrata in pixide eſt Sacramentum, non ſacrificium. Quæ nec videntur inter ſe conſtare, nec cum noſtra Reſponſione Scholaſtica.

*Reſp. 1.* Ex Alenſi *4. p. q. 30. M. 1. a. 3. Ad 1. & 2.* Negare ſpeciebus cauſalitatem *efficientis*, ſed tribuere eis *materialem*, ſiue diſpoſitiuam, ſiue moraliter adiunctam, qualis eſt, inquit, *aqua in Baptiſmo.* Subdit: *Licet ſpecies hæ cum verborum forma præſcripta non efficiant Corpus Chriſti: efficiunt tamen quòd eſt ſub his ſpeciebus, & ita efficiunt aliquo modo quòd figurant.* i. Efficiunt quòd ſit ſub his ſpeciebus, non autem quod eſt ſubſtantialiter.

*Quæſt. 31. M. 3.* Reſpondet quidem Corpus Chriſti eſſe *propriùs* Sacramentum ſub ratione cauſæ, ſpecies autem ſub ratione ſigni ſenſibilis: ſed negat Corpus Chriſti eſſe vllatenus Sacramentum in ratione ſigni ſenſibilis; non negat autem ſpecies eſſe Sacramentum etiam ſub aliqua ratione cauſæ moralis, minus tamen propriè quam Corpus Chriſti. Cùm ergo non neget, ſed tribuat ſolis ſpeciebus rationem ſigni Sacramētalis, & aliquam cauſalitatem moralem, quæ potiùs Sacramentalis eſt, quam vlla cauſalitas realis: hinc tribuit integram rationem Sacramentalem ſolis ſpeciebus. Tribuit autem Corpori Chriſti propriorem cauſalitatem: non Sacramentalem, ſed meritoriam, aut etiam realem ſi quæ ſit; vel quia Corpus Chriſti eſt ſubſtantia cui potiùs cauſalitas conuenit quam accidentibus; vel quia fuit inſtrumentum merendi; vel quia eſt id propter quod virtus diuina adeſt ſpeciebus; vel denique quia eſt fortè id quo Deus realiter & inſtrumentaliter operatur. De quo infra.

*Reſp. 2.* Scotum *diſt. 1. q. 2. diſt. 8. q. 1.* tribuere Sacramento gratiam accidentalem, vel præſentiam gratuitam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis: non vt effectum totalem, ſed immediatum; ordinatum tamen ad nutritionem ſpiritualem per augmentū gratiæ ſanctificantis, multò potiùs quàm character vt res Sacramenti ordinetur ad effectum vlteriorem gratiæ ſanctificantis.

*Reſp. 3.* Ibidem ad 3. Arg. Hoc Sacramentum habere talem formam verborum, qualem materiam panis & vini: vtramque videlicet Sacramento extrinſecam; illam qua hoc Sacramentum conficitur, hanc ex qua conficitur, neutram ex qua conſtet, ſeu componatur; quia vtraque tranſiens eſt, cùm totum Sacramentum ſit permanens. Vt patet ex Concil. Flor. & Trid. ſupra col: 1. 3. 7. 8. 9. de permanentia, adoratione, & ſumptione huius Sacramenti: nec verba autem, nec panis & vinum vllatenus permanent, adorantur, ſumuntur &c. Nec ideò hoc Sacramentum duplicandum eſt: alterum in fieri, conſtans ex forma verborum & materia panis & vini, vel ſola collatione ac ſumptione Euchariſtiæ: Alterum in eſſe, conſiſtens vel in ſolis ſpeciebus conſecratis, vel in ſolo Corpore Chriſti contento, vel in vtroque ſimul; ſed in ſola qualibet ſpecie conſecrata. Tùm quia Sacra Conc. loquuntur de hoc Sacramento tanquam vnico ac ſingulari: nec vocantur hæc Sacramenta, niſi reſpectu diſtinctarum vel plurium ſpecierum conſecratarū. Tùm quia ipſum Corpus Chriſti non eſt ſignum ſenſibile, & continens, ſed ſignificatum & contentum credibile huius Sacramenti: quod denominatur & adoratur vt Corpus Chriſti; ſicut vas aut calix vini dicitur vinum & bibi, pro contento, vel ex calice. Tùm quia ſola accidentia ſunt formaliter ſignum ſenſibile ſuæ propriæ ſubſtātiæ ſignificatæ, contentæ, & ſubintellectæ: ergo & ſubſtantiæ ſuccedentis. Tùm quia ſpecies, vt panis & vini præteriti, ſunt ſignum ſenſibile Corporis Chriſti præſentis: non autem vt inſtitutæ & conſecratæ continent Corpus Chriſti; quia hoc totum hic & nunc eſt actu inſenſibile. Tùm quia ipſum Corpus Chriſti non eſt ſignum efficax ſui ipſius, vel ſuæ præſentiæ: ſed conſecratio in fieri, ſpecies conſecratæ in eſſe. Tùm quia Corpus Chriſti non nutrit Sacramentaliter, ſenſibiliter, ex ſola inſtitutione, ſolo Opere Operato, extrinſecè moraliter, nulla vi propria ſibi intrinſeca, ſed ſola extrinſeca aſſiſtente: quæ cauſalitas Sacramentalis rerum ſenſibiliū, corruptibilium, inanimatarum, aut actionum tranſeuntium, imò moralium tantùm, non eſt digna Corpore Chriſti, quod nutrit modo perfectiori. Nam ſicut gratia ſanctificans nutrit formaliter: ita Corpus Chriſti ſub Sacramento nutrit intrinſecè, ſubſtantialiter, virtualiter, vitaliter, meritoriè, finaliter, ſpiritualiter, realiter, vi propria ſeu ſibi intrinſeca aut ſaltem realiter vnita. Tùm denique quia inſtitutio & promiſſio Sacramentalis præſentiæ & nutritionis Sacramentalis, non eſt facta formaliter Corpori Chriſti, quod ex ſe præſens eſt & perfectiùs nutrit: ſed formæ panis & vini præteriti; ſub qua Corpus Chriſti eſt panis ſeu cibus, ſed viuus, Spiritualis & perfectior, non Sacramentalis.

*Reſp. 4.* Conſecrationem verbalem, nec eſſe Sacramentum, nec partem Sacramenti: ſed tantùm extrinſecè & cauſaliter Sacramentalem. Tùm quia eſt formaliter ipſum ſacrificium immediatè relatiuum ad honorem Dei: non autem niſi conſequenter ad ſanctificationem alicuius ſubiecti; vt patet ſupra à *col. 259.* & ex ipſa forma Conſecrationis relatiua Corporis & Sanguinis Chriſti *pro nobis*, priùs quàm *nobis*. Quamuis enim priùs dicatur, *Accipite & comedite*: Cauſalis tamen *enim*, ſignificat cauſam priorem accipiendi & comedendi eſſe, quòd ſit traditum & fuſum, imò tradatur fundaturque ſacrificialiter pro nobis, per ipſam conſecrationem verbalem.

Tùm quia eſt tantùm Sacramentalis extrinſecè, & cauſaliter, mediante ipſo Sacramento conſecrato. Tùm quia Sacramentum eſt ſignum moraliter efficax gratiæ, vel effectus gratuiti: non cuiuſuis gratis dati: ſed ſalutaris, & ex ſacra inſtitutione, ac Opere Operato Sacramentaliter ordinati ad ſanctificationem formalem ſubiecti capacis; itavt illud *gratiæ vel &c.* non ſignificet effectus diſparatos, ſed immediatos & ſubordinatos. Porrò conſecratio verbalis nō ſignificat ex ſe immediatè Corpus Chriſti, ſeu eius præſentiam ad noſtrā ſanctificationem: ſed ſimpliciter ad eſſe *hoc*, vel *hic*, vel ſacrificialiter *pro nobis*, vt ſupra.

Tùm

Digitized by Google

Tùm quia ſignificatio illa formæ verbalis non poteſt determinari ad Sacramentalem per ipſas ſpecies conſecratas: quia hæ eſſent potiùs materia illius formæ verbalis, & harum ſignificatio Sacramentalis eſſet potiùs per illam determinanda, ſi eſſet pars formalis huius Sacramenti.

Tùm quia hæc forma verbalis non verſatur circa ſubiectum capax veteræ aut nouæ ſanctificationis intrinſecæ: nec enim panis aut vinum, nec eorum ſpecies, nec Corpus & Sanguis Chriſti poſſunt ita ſanctificari.

Tùm quia hæc forma verbalis non ſignificat vllum actum exercitum, aut exercendum circà alterum: ſed tantùm Corpus, aut præſentiam propriam quaſi ipſius conſecrantis, in perſona Chriſti.

Tùm quia promiſſio Sacramentalis gratiæ non eſt facta ipſi formæ verbali: ſed ſpeciebus panis & vini conſecratis.

Tùm quia conſecratio aquæ Baptiſmalis aut Chriſmatis, ſiue ceremonialis ante vſum, ſiue Sacramentalis in ipſo vſu, non eſt Sacramentalis, nec vt Sacramentum, nec vt pars Sacramenti, quatenus conſecrat aquam aut Chriſma; ſed tantùm quatenus ſacro vſu aquæ & Chriſmatis conſecrat ſuſcipientes: ergo nec hæc conſecratio vt panis & vini, aut ſpecierum, aut Corporis & Sanguinis Chriſti, eſt Sacramentum, vel pars Sacramenti.

Tùm quia materia ex qua Corporis & Sanguinis Chriſti nec eſt Sacramentum, nec pars Sacramenti: cùm tamen etiam ſignificatiuè & ſuo modo deſinendo moraliter cauſet præſentiam Corporis Chriſti; Ergo nec forma conſecrationis.

Tùm denique quia conſecratio verbalis, ſiue actiua, ſiue paſſiua, quaſi formaliter, ſeu moraliter, ſed inſenſibiliter afficit ac denominat ſpecies conſecratas: ab actu quidem præterito ac ſenſibili conſecrationis; ſed virtualiter, ac inſenſibiliter permanente, & moraliter verificante, ac cum ipſis ſpeciebus conſeruante præſentiam Corporis Chriſti vſque ad conſumptionem ſpecierum conſecratarum. Ergo conſecratio verbalis non eſt Sacramentum diſtinctum à ſpeciebus conſecratis: ſed illas efficit & afficit conſecratas; nec eſt pars huius Sacramenti, quia nec afficit illas permanenter, nec ſenſibiliter.

*Reſp.* 5. Nec ſumptionem Euchariſtiæ eſſe Sacramentum, aut partem, ſed tantùm vſum Sacramentalem huius Sacramẽti: cõtrà Gabrielem *diſt.* 8. *q.* 1.

Tùm quia ſumptio non eſt ſignum nutritionis, niſi vt eſt alicuius alimenti ſenſibilis: nec eſt ſignum nutritionis ſpiritualis, niſi vt eſt ſpecierum conſecratarum. Tùm quia non eſt moraliter efficax nutritionis ſpiritualis: ſed tantùm conditio, & applicatio ſigni moraliter efficacis. Tùm quia actio tranſiens non eſt nutritiua, nec capax ſignificationis ac cauſalitatis, ſeu virtutis moralis nutriendi. Tùm quia promiſſio virtutis Sacramentalis, nutriendi Sacramentaliter, eſt annexa ſacris ſpeciebus, non autem earum ſumptioni tranſeunti.

*Reſp.* 6. De ſacrificio Euchariſtiæ, ex ipſo Scoto *Quodlib.* 20. *n.* 21. Vbi ſic habet. *Dici poteſt quod bonum reddendum virtute ſacrificij, non correſpondet præciſè bono contento in Euchariſtia. Illud enim bonum æquale eſt quando Euchariſtia ſeruatur in pyxide: & tamen non tunc æquiualet Eccleſiæ, ſicut quando offertur in Miſſa; ſiue hoc indiſtinctè dicatur oblatio Euchariſtiæ, ſiue ſit conſecratio, ſiue perceptio, ſiue oblatio, vel operatio aliqua Sacerdotis in perſona Eccleſiæ. Vltra ergo bonum contentum in Euchariſtia, requiritur oblatio Euchariſtiæ. Iſta non eſt accepta niſi ſit offerentis accepti &c.*

Num. 23. *Ex iſtis patet quod ſicut Euchariſtia non præciſè ratione rei contentæ plenè acceptatur, ſed oportet vt ſit oblata: ſic nec plenè acceptatur oblata, niſi ratione bonæ voluntatis alicuius offerentis. Non præciſè ipſius celebrantis: quia hoc pertinet ad meritum perſonale, non ad virtutem ſacrificij; nec ipſius Chriſti offerentis, quia etſi hic offeratur vt contentum in ſacrificio, non tamen hic immediatè offert ſacrificium*, ex Hebr. 9. *Ergò ratione voluntatis Eccleſiæ generalis &c.* Hinc patet propriè dictam oblationem ſacrificialem eſſe ipſius Corporis & Sãguinis Chriſti, ab ipſo Chriſto per ſuos Sacerdotes. Quod autem ait, *ſiue ſit conſecratio, ſiue oblatio, ſiue perceptio &c.* relinquit tantùm ſub dubio in quo ſit partialis aut totalis ratio ſacrificij formalis, ſeu ipſius ſacrificationis. Non negat autem propriè offerri ſeu ſacrificari immediatè ab ipſo Chriſto, ſpiritualiter & Latreuticè in Euchariſtia: ſed negat tantùm offerri ab eo meritoriè, ſatisfactoriè, impetratiuè, vel etiam applicatiuè pro aliquo, prout ſolet à Sacerdotibus Miniſtris offerri, & applicari. Vt patet ex eius Script. Hebr. 9. & ratione, quòd Chriſtus non offerat ſæpius ſemetipſum immediatè; quia, inquit, æquiualeret Paſſioni Chriſti. Deinde quia obſecratio fit per aliquid magis acceptũ quam ſit ſupplicatio obſecrantis: Ergò Chriſtus in ſacrificio Miſſæ non eſt ipſe obſecrans immediatè, ſed Sacerdos nomine Eccleſiæ. Quæ non de oblatione Sacrificiali, & Latreutica in honorem Dei; ſed de impetratiua, & applicatiua ad ſalutẽ noſtrã.

Denique quod ait *diſt.* 3. *q.* 2. offerri Hoſtiam non conſecratam, & tunc eſſe ſacrificium non Sacramentum: debet intelligi de Hoſtia proximè conſecranda, prius tantùm natura quam conſecrata ſit; poteſtque intelligi tam de Corpore Chriſti vt necdum hic & nunc conſecrato, ſed actualiter conſecrando; quam de pane & vino vt necdum actu conſecrato, ſed hic & nunc actualiter in Corpus & Sanguinem Chriſti conſecrando, vt nos ſupra. Et tunc, inquit, eſt ſeu fit ſacrificium, vtique actuale.

## QVÆSTIO 2. DOGMATICA.

*An hoc Sacrificium & Sacramentum ſit ipſius Corporis & Sanguinis Chriſti, verè, propriè, & realiter præſentis ſub ſpeciebus conſecratis.*

Negant plerique Hæretici, ex proditorijs Iudæ viſceribus oriundi. Qui *Ioan.* 6. ad primam huius veritatis propoſitionem, inter Capharnaïtas obmurmurantes, & Diſcipulos palam Apoſtatantes, omnium ſaltem ſecretum hæreſiarcham egit. Nam relata & à Chriſto reprobata illa contradictione & apoſtaſia ab hac veritate; probataque, ac approbata ſuorum, & ſingulariter S. Petri fidelitate: Subdit, *Nonne ego vos* 12. *elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? Dicebat autem de Iuda Simonis Iſcariothis: hic enim erat*

*erat traditurus eum.* Quæ monitio & præmonitio de Iuda, fuiſſet valdè importuna, niſi relatiuè ad illa priora, & ad ſubſecuta *Matth. 27. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.* Vbi Chriſtus toties ſuper omnia conqueritur de hoc ſuo proditore, eiuſque proditione: non tantùm externa & cruenta, ad mortem; ſed etiam interna ac incruenta ad hanc ſuam menſam & panem ſeu cibum ſuum Euchariſticum; ſub quo proditoriè ſumpto, ipſe *Diabolus intrauit in cor Iudæ,* ſeu in plenam poſſeſſionem cordis eius. Vnde & *Act. 1.* ex deſperatione *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius*: ex quorum putredine inſtar verminum ac ſerpentum, abſque vlla legitima ſerie ſeu ſucceſſione per interrupta ſæcula variæ hæreſes ac hæretici Sacramentarij ſcaturierunt; ſed omniũ peſſimi, Iudæque proditoris ſequaciſſimi, qui hanc primæ Veritatis ſinceritatem, de falſa quadam, mendaci ac proditoria tantùm promiſſione & fictione præſentiæ ſuæ Sacramentalis diffamant.

Quibus præluſiſſe videtur quidam *Bertramus*, ſuo illo ſeductorio opere de Sacramento Altaris, ad Carolum Regem, vel Maximum illum ſub annum 800. vel illum Craſſum circa annum 880. Quod cùm ex editione Baſileenſi perpendiſſem: ſuſpicatus ſum eſſe alicuius recentioris impoſtoris; vſque ad collationem cum antiquo eiuſdem Manuſcripto celeberrimi Monaſterij Lobbienſis, ſolo titulo differente; quòd in illa editione præſcribatur ad Carolũ Magnum Imperatorem; in hoc Manuſcripto, ad Carolum Regem.

Hinc ex ſimilitudine erroris, videtur Berengarius & Berengariani circa annum 1050. prodijſſe, & in publicam hæreſim erupiſſe: contra quam Lanfrancus, Guitmundus, & Algerus Scholaſticus Leodienſis, viri doctiſſimi ac fideliſſimi illius ætatis.

Quo quaſi breui incendio, magna diligentia ac opera exſtincto, poſt aliquot ſimiles hæreſis formas ſeu deformitates: excuſſa tandem noua eiuſdem hæreſeos ſcintilla à Ioanne Wicleff, circa annũ 1370. per totam Bohemiam; inde à quibuſdam Lutheranis & Swinglianis circa annum 1525. per totam Germaniam; Denique à Caluino & Caluiniſtis circà 1540. per totam Galliam, totum quaſi orbem Chriſtianum ſui incendij fumo, ac fuligine ſub quadam reformationis larua deformauit.

### RESPONSIO DOGMATICA.

HOc Sacroſanctum Sacrificium ac Sacramentum Euchariſticum eſt ipſius veri Corporis & Sanguinis, totiuſque ſacræ Humanitatis Chriſti, verè, propriè, realiter, ac ſubſtantialiter præſentis, ſub ſpeciebus conſecratis: non autem tantùm metaphoricè, ſignificatiuè, obiectiuè, accidentaliter, virtualiter, aut quouis modo ſpirituali excludente illam veram, realem, ſubſtantialem, & intimam præſentiam. Eſt de fide, imò & præcipuum fidei noſtræ Catholicæ myſterium: contrà omnes hæreticos ab hac ſancta fide ac veritate Apoſtatas.

Primò quidem, expreſſiſſimè ex Sacris Scripturis. Hæc enim veritas fuit præfigurata & prædicta Figuris illis ac Prophetijs antiquæ Legis, de quibus ſuprà. Quæ cùm ex *Coloſſ. 2. & Hebr. 11.* fuerint tantùm vmbræ noſtræ Euchariſtiæ futuræ: ſi hæc non haberet veram ac realem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti, ſed tantùm eius ſignificationem, nihil haberet præ illis, ſed multò minùs realitatis & ſignificationis. Nam quædam ſaltem figuræ antiquæ Legis erant ex rebus viuis, carne & ſanguine, vt de Agno Paſchali &c. Aliæ ex rebus miraculoſis, vt de Manna cæleſti: Aliæ ex rebus aut euentibus miris, vt de illo pane & vino oblatis à Melchiſedech &c. Quæ omnia habuiſſent plus realitatis & ſacræ ſignificationis, quàm ſacra noſtra Euchariſtia: niſi huic verè ac realiter ſubeſſet, quod illis futurum præfigurabatur.

Hæc eadem veritas fuit ab ipſo Chriſto *Ioan. 6.* prædicta ac promiſſa ſuis Diſcipulis, & Populo Iudaïco: qui prægustato pane illo Chriſti miraculoſo, in deſerto multiplicato, in quoddam præludiũ prouiſionis ac multiplicationis Euchariſticæ, turmatim ſequebatur Chriſtum ex deſiderio panis prægustati. Cui Chriſtus: *Quæritis me*, inquit, *non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis &c. Dixerunt ad eum: quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit* IESVS: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille? Dixerunt ei: quod tu facis ſignum, vt videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres noſtri manducauerunt Manna in deſerto.* Pſalm. 77. *Panem de Cælo dedit eis &c.* Quaſi dicerent: fac & tu tale quid, vt credamus tibi. *Dixit ergo eis* IESVS: *Amen, Amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de Cælo; ſed Pater meus dat vobis panem de Cælo verum. Panis enim verus eſt qui de Cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine ſemper da nobis panem hunc. Dixit autem eis* IESVS. *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet in æternum.* Infra. *Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet, Ego ſum panis viuus qui de Cælo deſcendi &c. Reſpondit* IESVS. Infra. *Amen, Amen dico vobis: qui credit in me habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ: Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto, & mortui ſunt; hic eſt panis de Cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur. Ego ſum panis viuus qui de Cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum; & panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Ex quibus huc vſque patet origo & ſucceſſio huius Doctrinæ, à pane illo materiali, ſed miraculoſo, in deſerto multiplicato & deſiderato: ad Manna illud olim in deſerto Iudæis à Deo prouiſum in figuram etiam noſtræ Euchariſtiæ; & hinc ad panem verum, panem viuum, panem vitæ, panem fidei, panem de Cælo, panem ex tunc datum à Patre, & adhuc à Chriſto dandum in futuro, panem qui ſit ipſe Chriſtus, & panem qui ſit eius caro danda pro mundi vita. Qui tertius panis quamuis ſub tot titulis, debet eſſe idem, & in illo Manna præfiguratus: ne ſubſit nimia & continua æquiuocatio ac confuſio ſignificationis. Hi enim tituli panis non repugnant: ſed eidem optimè conueniunt & inter ſe. Hunc eſſe panem, eſt eſſe cibum: eſſe panem verum, non eſt eſſe panem mate-

mate-

Digitized by Google

materialem ex frumento, ſed eſt eſſe verum cibum in ratione cibi. Eſſe panem viuum, non eſt contra rationem veri panis, ſeu cibi; ſed mortui vel inanimati, ad diſtinctionem huius cibi viui, & vitaliter ac incorruptè cibantis, ab omni alio, non cibante niſi præmortuo, vel corrupto. Eſſe panem vitæ, eſt non eſſe tantùm viuum in ſe formaliter, ſed viuificantem cauſaliter. Eſſe panem Fidei, ſeu credendum, non eſt contra, ſed de ratione cibi veri, viui ac viuificantis. Eſt enim eſſe obiectum & alimentum Fidei: quod neceſſariò eſt verum, etiam in ratione cibi, & viui, & viuificantis. Eſſe panem de cœlo, ſeu cœleſtem, non eſt eſſe tantùm obiectiuum, ſpiritualem aut imaginarium, ſed vt *Matt. 6.* Superſubſtantialem, ſeu ſupernaturalem; non tantùm ex ſua origine, ſed etiam ex ſua ſubſtantia humana & diuina; ad diſtinctionem non tantùm à pane ſeu cibo naturali ac terreſtri, ſed etiam ab illo Manna cœleſti, ſeu tantùm ſupernaturali in ſua cauſa ſeu origine. Eſſe panem ex tunc datum à Patre: non eſt etiam contra, ſed de ratione veri cibi, ſed futuri, ſeu dati in cibum futurum. Eſſe panem à Chriſto dandum pro mundi vita: non eſt eſſe tantùm dandum ad mortem cruentam; ſed eſt eſſe dandum ſub ratione veri cibi, tùm in ſacrificium incruentum, tùm in Sacramentum, ad noſtram etiam viuificationem. Hunc panem eſſe ipſum Chriſtum, & eius Corpus aut Carnem, non eſt etiam contra, ſed de vera ratione huius cibi veri, viui, viuificantis, cœleſtis, ſeu ſupernaturalis vt ſupra: quia hæc omnia non poſſunt niſi illi conuenire. Prout hinc ſeu ex his panis huius epithetis omnium optimè elicit noſter Chriſtophorus A Capite Fontium, in ſuo illo incomparabili opere contra Sacramentarios *à cap. 7. ad 14.* Hæc ex prima parte huius textus. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Dixit eis Iesvs: *Amen Amen dico vobis, niſi manducaueritis Carnem Filij hominis & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem & bibit meũ Sanguinem habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis qui de Cœlo deſcendit. Non ſicut manducauerunt Patres veſtri Manna & mortui ſunt: qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Ex hac 2. parte textus, idem noſter *A Capite Fontium* elicit potentiſſimas rationes pro veritate Corporis Chriſti in Eucharistia. I. *Cap. 14. 15. & 16.* ex illo Iudæorum inter ſe litigio: non de vero cibo, de vera carne, de vera manducatione, de vero ſenſu horum verborum Chriſti, imò nec de omnipotentia Dei ad hoc ipſum præſtandum; ſed de impotentia Chriſti ſeu huius hominis ad tantum promiſſum: *Quomodo*, inquiunt, *poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Quibus ſimiles, imò & multò peiores ſunt Hæretici aut Chriſtiani *Quomodiſtæ*, & *Quariſtæ*; qui cùm profiteantur diuinitatem ac omnipotentiam Chriſti, de hac eius veritate ac veracitate, & modo poſſibili ac fine rationabili verificandi ac præſtandi hanc ſuam prædictionem ac promiſſionem, non tantum in ſeipſis dubitant, ſed etiam *Quomodizant*, & *Quarizant*, ſeu afflati illo antiquo ſerpentis ſibilo *Gen. 3. Cur &c.* hæc Chriſti verba vt falſa, impoſſibilia, & irrationabilia exſibilant, contra rationem fundamentalem fidei Chriſtianæ: quæ non exigit à Chriſto modum poſſibilem, aut finem rationabilem ſuorum dictorum; ſed profitetur illud αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit, & illud *Epheſ. 3.* Potens eſt Deus omnia facere ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus.

Nec obſtat exemplum Deiparæ Virginis Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud*; aut monitum *1. Pet. 3.* reddendi rationem noſtræ Fidei: quia nec hoc, nec illud ex vllo dubio de propriè dicta veritate, aut rei poſſibilitate; ſed ex perfectione Fidei, & promptitudine voluntatis ad conſenſum, & executionem quouis modo Deiparæ Virgini reuelando.

II. *Cap. 17. 18. 19.* Ex illo reſponſo Chriſti, iuratorio, præceptorio, comminatorio, promiſſorio, de manducanda Carne Filij hominis, & bibendo eius Sanguine: quæ ſingula exigunt proprium ſenſum loquendi ac intelligendi. Quem cum Iudæi non crederent eſſe poſſibilem, ſi tantùm fuiſſet impropriè dictus ac credendus, debuiſſet tunc à Chriſto credibiliùs in ſenſu à ſeimento proponi, non autem iurando, præcipiendo, comminando, promittendo, in ſenſu propriè dicto confirmari. Nam expreſſio illa *Carnis & Sanguinis Filij hominis*, hunc ſenſum appropriat, excluditque ſenſum improprium carnis non humanæ aut Filij hominis, ſed tantùm figuratæ, imaginariæ, aut obiectiuæ. Iuramentũ illud Chriſti, *Amen Amen &c.* ſeu per ſuam propriam veritatem ac veracitatem, eodem capite deſuper octies repetitum, vt nuper obſeruauit noſter D'Aſtroy in ſuo Lucido Compendio ac interpretatione Gallica præfati Operis in Sacramentarios: exigit ſenſum propriſſimum Chriſti Iurantis, ad captum audientium, & excellentiam rei iuratæ, condignam tanto totieſque repetito Iuramento, tanti Iurantis; vt ſit ſinceriſſimum ac certiſſimum primæ Veritatis teſtimonium, nec vllatenus in vanum, ſed de veritate condigna aut proportionata. *Hebr. 6.*

Cum enim Chriſtus Dominus *Mat. 5.* non tantùm inhibuerit iuramentum in vanum, ſed etiam monuerit cauendum omne iuramentum, conſuluerítque ſimplicem ac ſinceram affirmationem aut negationem: cur hic adhibuiſſet tantum, totieſque repetitum veritatis iuramentum, niſi de re veriſſima, digniſſima & extremæ neceſſitatis ad credendum, in ſenſu non tantùm ſecreto, ſed expreſſo à iurante, & ad captum audientium quibus iurabat?

Præceptum etiam illud comminatorium, *Niſi manducaueritis, &c.* non poteſt ferri niſi in ſenſu proprio, & ad captum audientium, à quibus credendum & obſeruandum eſt, ad cauendam pœnam: Alioquin eſſet tyrannicum & ſcandaloſum, contra finem præcepti, totiuſque Legis. Vt patet ex omnibus præceptis & prohibitionibus actionum, non niſi propriè dictis. Quis enim aliter capiat illud Gen. 2. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quo-*

*cumque enim die ex illo comederis, morte morieris &c.*

Promiſſio quoque vitæ æternæ & Reſurrectionis propriè dictæ, non fit niſi propriè dictæ manducationi, & propriè dictæ Carnis Chriſti: alioquin non eſſet fidelis ac ſincera promiſſio ex intentione præſtandi promiſſum, ſed tantùm illudendi promiſſarijs.

*Cap. 21. & 22.* Optimè explicat & applicat quæ ſequuntur: *Caro enim mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*: non tantùm ad excludendam omnem Metaphoram ſeu improprietatem carnis & ſanguinis, ſed etiam cibi & potus, ac manducationis & bibitionis eius, per aduerbium *verè*: quod non tantùm ſignificat veritatem ipſius rei, aut cibi & potus, vt ſupra per adiectiuum verus; ſed etiam proprietatem loquendi, excluſâ omni falſitate, fictione, aut metaphoricâ improprietate, à ratione aut nomine cibi & potus. Quam etiam proprietatem cibi & potus confirmat particula cauſalis *enim*: reddens rationem manducandi Carnem, & bibendi Sanguinem Chriſti; quia Caro eius verè eſt cibus, & Sanguis eius verè eſt potus. De ſimilibus autem locutionibus metaphoricis, inter Obiectiones.

Cap. 25. *Ex ſequenti promiſſione: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in eo*: infert vnionem realem inter extrema realia, & realiter præſentia, ideſt, inter manducantes, & Chriſtum manducatum in Euchariſtia: ex perfecta charitate, fruente ſeu adhærente obiecto realiter præſenti, non autem abſenti vel tantùm repræſentato.

Sequens etiam comparatio viuentium propter Chriſtum manducatum, cum Chriſto viuente propter Patrem, multùm facit: quia Chriſtus viuit propter Patrem, ex eius Diuinitate præſentiſſima; Ergò & nos ex eius humanitate realiter præſente.

*Multi ergo audientes ex Diſcipulis dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Sciens autem* Iesvs *quia murmurarent de hoc Diſcipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergò videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius? Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam: verba quæ locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt; ſed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio* Iesvs *qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum &c. Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergò* Iesvs *ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes &c.*

Ex quibus hæc eadem veritas nulla nube obuoluitur, ſed pluribus radijs tranſparet. 1. Quòd multis etiam ex Diſcipulis Chriſti, de duritia ſermonis, ſeu difficultate credendi, conquerentibus, Chriſtus nihil de hac verborum ſuorum veritate aut proprietate remiſerit. 2. Quod murmurantes, de accepto, non autem eis dato ſcandalo, redarguerit. 3. Quòd eis prædixerit maiorem adhuc difficultatem credendi realem ſuam hic præſentiam, poſt ſuam Aſcenſionem. 4. Quòd horum verborum ſuorum fidem tribuat Spiritui gratiæ viuificanti: non autem carni, ſiue ſenſui aut intellectui humano, ſiue literæ ſeu dictioni aut emphaſi verborum. 5. Quòd defectum aut difficultatem credendi hanc veritatem, imputet eorum etiam in reliquis incredulitati. 6. Quòd ex tunc vel illa occaſione multis Diſcipulorum à Chriſto deficientibus, nulla eos molliori interpretatione reuocauerit. 7. Quòd nec duodecim Apoſtolos, de quibus Mat. 13. Marc. 4. Luc. 8. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem in parabolis*, non demiſerit vlla priuata expoſitione, ſed inquit, *vultis & vos abire?* q.d. Prædixi, iuraui, præcepi, promiſi, minatus ſum, expreſſi & confirmaui hanc veritatem quantum fieri poteſt; ſi nec vos vultis credere, nihil habeo quod reuocem; qui non vult adhærere fide, non eſt quod adhæreat corpore &c. 8. Quod ſicut S. Petrus *Matt. 16.* communi omniũ nomine fidem diuinitatis Chriſti: ita & huius & cuiuſlibet veritatis à Chriſto reuelatæ, hic profeſſus ſit.

Denique hæc veritas ex toto contextu radiat continua inculcatione: non tantùm Corporis & Sanguinis Chriſti, ſeu Incarnationis credendæ; ſed etiam in ratione veri cibi & potus verè integrè & diſtinctè manducandi ac bibendi, ſub proprio iuramento, præcepto, cõminatione, promiſſione &c. Quæ cum proponantur credenda, agenda, cauenda, ſperanda: non patiuntur vllum ſenſum improprium ſeu alienum à proprijs obiectis credendi, agendi, ſperandi &c. Vnde mirum eſt quoſdam etiam Catholicos interpretes totum hunc contextum ad ſolam fidem Incarnationis Chriſti referre: cùm hæc ſola non habeat veram & diſtinctam rationem cibi & potus, nec eius fides vllam veram ac diſtinctam rationem manducationis & bibitionis, vt ſupra. Quidquid autem pro vel contra, ex ſacris Conc. ac PP. inter Obiectiones infra.

### *Ex ipſa inſtitutione huius Sacrificij ac Sacramenti.*

Mat. 26. *Cœnantibus eis accepit* Iesvs *panem, & benedixit ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis & ait: Accipite & comedite, Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in illum diem cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.*

Marc. 14. *Manducantibus illis, accepit* Iesvs *panem, & benedicens fregit & dedit eis, & ait: Sumite, Hoc eſt Corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia iam non bibam de genimine vitis vſque in diem illum cum illud bibam nouum in regno Dei.*

Luc. 22. *Euntes parauerunt Paſcha. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de ge-*

*neratione*

Digitized by Google

*ratione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic eſt Calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Ioan. 13. *Ante diem feſtum Paſchæ &c. Cùm* IESVS *dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Et cœna facta &c. Surgit à cœna, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum &c. Dicit ei Petrus: non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei* IESVS*: Si non lauero te non habebis partem mecum &c. Cùm recubuiſſet iterùm &c. dixit eis &c. Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me &c. Ille eſt cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt buccellam introiuit in eum Sathanas &c.*

1. Cor. 11. *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis: quoniam Dominus* IESVS *in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic Calix nouum Teſtamentum eſt in meo Sanguine, hoc facite quotieſcumq; bibetis in meam commemorationem. Quotieſcumq; enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaque quicumque manducauerit panem hunc & biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini.*

Quæ ſingula, quantò magis omnia inter ſe collata, primo conſpectu, auditu & ſenſu conuincunt veram ac realem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti, reprobantque ſolam eorum figuram aut ſignificationem.

I. Ex ſingulari illa dilectione finali Chriſti, & deſiderio celebrandi hoc vltimum Paſcha cum Diſcipulis ſuis. *Luc. 22. Ioan. 23.* Non ad ſolam commemorationem, aut ſignificationem Corporis & Sanguinis ſui: Ergò ad veram ac realem communicationem. Nam non erat amplius tempus ſeipſum figurandi aut ſignificandi; ſed re ipſa exhibendi. Cumque per Incarnationem & familiarem conuerſationem ſeipſum exteriùs realiter præſentem eò vſque exhibuiſſet: quò vlteriùs ferri poterat illa finalis dilectio ac deſiderium, niſi ad intimam ac realem præſentiam, quæ eſt finis dilectionis ac deſiderij?

II. Ex illa inſolita vltimæ Cœnæ interruptione, ad lauandos pedes Diſcipulorum, ante Cœnam Sacramentalem, ſub tam ſeria ac ſeuera comminatione: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; non tantùm quoad participationem vitæ æternæ, ſed huius etiam Cœnæ Sacramentalis. Quæ tanta præparatio, mundatio, & comminatio, non erat ad ſolam buccellam panis, vel hauſtum vini in memoriam Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ iam expreſſius celebrata fuerat in Agno Paſchali.

III. Ex ſacra illa ac ſingulari panis & vini à Chriſto aſſumptione, benedictione, ac diſtributione: non ad ſolam refectionem aut vſum humanum & naturalem; ſed ad vſum ſacratiorem, ſupernaturaliorem, ac miraculoſiorem, quàm in tota priori parte cœnæ, & in duplici illa miraculoſa panum multiplicatione. Ergò non ſolùm ad inſtituendam aliquam memoriam, ſed veram ac realem præſentiam ſui Corporis & Sanguinis.

IV. Ex his verbis, *Accipite & comedite*, aut *ſumite & bibite, & hoc facite*: quæ cum ſint præcepta aut monita, ſignificant actiones propriè dictas, reales, & exteriores, comedendi, bibendi, faciendi, &c. non autem tantùm ſignificandi, fingendi, credendi, &c. Quis enim non niſi ridiculè inuitaret hoſpites ad menſam ſtratam pictis tantùm epulis; moneretque ſuos conuiuas, vt inde acciperent, comederent & biberent, recordando, credendo &c?

V. Ex vnica ac certa ſignificatione propriè dicta horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*: plurimis autem & incertiſſimis metaphoris, ſeu improprijs, vel circa pronomen *Hoc*, vel circa verbum *eſt*, vel circa nomen *Corpus*, vel circa pronomen *meum*. Vnde patet veritatem punctualem ac indiuiſibilem horum verborum conſiſtere in ſenſu propriè dicto: à quo tot falſi & quaſi adulteri ſenſus metaphorici deprauantur. Quid enim eſt aliud *2. Cor. 2.* Adulterare verbum Dei: niſi varios inde ſenſus ſpurios ab vnico & ſincero ſenſu propriè dicto alienos deprauare? Porrò non tantùm *indocti illi ac inſtabiles hæretici difficiliora* Sacræ Script. *deprauant 2. Pet. 3.* ſed omnes promiſcuè ac ſtudioſiſſimè incumbunt violandis ac ſacrilegè adulterandis his ipſis ſacratiſſimis, virgineis, ac facillimis Chriſti verbis.

Hinc quidam peruertunt *Hoc* in *Hîc*: alij per hoc intelligunt hanc totam actionem Cœnæ: alij panem materialem, alij metaphoricum ſeu ſpiritualem, inuertendo totam propoſitionem: *Corpus meum eſt hoc* .i. alimentum quoddam ſpirituale.

Alij adulterant verbum *eſt* in ſignificat: alij in dicitur ſeu denominatur, quaſi per communicationem idiomatum inter panem & Corpus Chriſti: non tantùm præſens vt volunt Lutherani, ſed etiam abſens vt volunt Sacramentarij.

Alij deprauant Corpus in ſolam figuram ſeu ſignum Corporis abſentis: Alij in cauſam vel effectum, vel vicem, ſeu vim aliquam vicariam Corporis Chriſti: Alij in Corpus Chriſti myſticum, ſecundum varias metaphoras. Alij denique ludunt ac illudunt circa pronomen *meum*, quaſi non intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè .i. panis meus à me creatus &c. Qui omnes adulterini ſenſus, ſola inter ſe conciſione, & cum vnico integro & propriè dicto collatione, ſeipſos confundunt, & hunc ipſum à ſua vnitate, integritate, & proprietate commendant.

VI. Ex huius Affirmationis, *Hoc eſt Corpus meum*, breuitate, ſimplicitate, integritate, eadem verbali à tribus Euang. & Apoſt. relatione, proprijsque ſingularum partium inter ſe conſtructione, aliena ab omni improprietate vel eius nota.

Nam pronomen, *Hoc*, eſt relatiuum ad id quod à Chriſto comedendum dabatur: & quamuis hîc non exprimatur, ſupponitur tamen *quia*, vel *enim*, ſeu ratio cauſalis comedendi quod à Chriſto porrigo-



Digitized by Google

batur; quia *Hoc eſt*, vel, *Hoc eſt enim Corpus meum*: prout exprimitur in forma conſecrationis, qua ex Traditione vtimur, & Ioan. 6. *Caro enim mea &c.* Imò & Luc. 22. *Hic eſt enim &c.* Quo, *enim*, ſiue expreſſo ſiue ſuppoſito, videtur reddi ratio cur poſt cœnam legalem & vſualem Apoſtoli iubeantur adhuc comedere & bibere: quia videlicet proponitur ipſis nouum, vltimum, nec vnquam prægustatum ferculum ipſius Corporis & Sanguinis Chriſti, poſt paſtum ſufficientem ex cibo & potu vſuali ac legali. Eſt etiam demonſtratiuum alicuius ſubiecti præſentis, cui prædicatum realiter identificari, & Grammaticè conuenire poſſit. *Hoc* autem, ſubſtantiuè, ſignificat quidem ſubiectum demonſtrabiliter præſens, ſed minus notum ac indeterminatum, determinandum per prædicatum: vnde non poteſt hîc ſignificare panem ex ſe notiorem, ſeu apparentiorem, & cui Corpus Chriſti identificari nequit; ſed ſolùm Corpus Chriſti ſub communi ratione entis ibi demonſtrabilis & contenti. Sed, *Hoc*, adiectiuè, non poteſt afficere niſi ſubſtantiuum eiuſdem neutri generis, ſiue Græcè ſiue Latinè.

Est. Cùm hoc verbum ſit propriiſſimum, & ſimpliciſſimū, in quod reliqua omnia reſoluuntur; ſitque ex ſua propria inſtitutione ſubſtantiuū, ſignificans copulam imò & identitatem realem prædicati cum ſubiecto; nec ſit vllus alius vſus improprius huius verbi in Sacra Scriptura, niſi ſub aliqua expreſſa nota metaphoræ ſeu improprietatis: non poteſt hîc alienari ab hac ſua propria ſignificatione; quia nullum ſubeſt hîc veſtigium alicuius improprietatis, ſed omnia hanc ſignificandi proprietatem exigunt.

Deinde cùm hoc verbum ſit myſticum, & proprio vſu ipſius Dei & Chriſti in Sacra Script. ſignificet ipſam ſubſtantiam & veritatem Diuinam, vt *Exod. 3.* & alibi: quomodo poteſt hîc alienari à propria ſignificatione ſubſtantiali, non tantùm humana, ſed etiam diuina?

Denique cùm ſit verbum morale, ſignificans ipſam veritatem ſeù veracitatem, ſimplicitatem, & ſinceritatem loquendi, ex conſilio ac exemplo ipſius Chriſti Matth. 5. *Sit ſermo veſter Eſt Eſt, Non Non.* 2. Cor. 1. *Non fuit in Chriſto Eſt & Non Eſt, ſed Eſt in illo erat:* Siue myſticè, vt B. Aug. lib. de Magiſtro *Cap. 6.* Intelligis nihil aliud dixiſſe quàm Eſt appellatur quod in illo erat .i. Deus, vt *Exod. 3.* Siue moraliter .i. Erat tam verax & ſincerus in loquendo, vt non inuolueret Eſt & non Eſt, ſeù ſenſus oppoſitos. Quantominùs in hac tam breui, & expreſſa, docendi monendi & præcipiendi forma?

Ergo ſub hac affirmatione non incluſit, ſed excluſit omnem eiuſdem Corporis & Sanguinis ſui negationem: non excluſiſſet autem, ſed incluſiſſet negationem abſolutam Corporis & Sanguinis ſui, imò excluſiſſet veram eius affirmationem abſolutam, ſi non ſignificaſſet realem præſentiam, ſed tantùm eius figuram ac memoriam; quia hæc nec eſt nec dicitur propriè & abſolutè eſſe, ſed non eſſe Corpus Chriſti. Ergo non ſignificauit hanc, ſed illam.

Corpus. Quamuis hoc nomen Philoſophicè ſit genericum ad omnia materialia, opponaturque ſoli Spiritui: vſu tamen communi ac familiari ipſius Chriſti ac Sacræ Script. ſignificat corpus humanū, prout opponitur animæ humanæ; ſicque non poteſt extendi ad panem, multò minùs formaliter ad ſolum ſignum Corporis Chriſti; ſed neque ad corpus myſticum, quod reuera nec eſt vnū corpus, nec humanū, nec vnquam dicitur corpus, niſi ſub aliqua alienatione à vera & propriè dicta ratione corporis.

Meum. Hoc pronomen ita appropriat nomen Corporis, Corpori humano Chriſti loquentis, perficitque totum ſenſum proprium huius propoſitionis: vt nec ſuſpendatur ad vlla priora vel poſteriora, nec poſſit niſi ridiculè aliò detorqueri. Quorum pleraque ex noſtro A Capite Fontium contra Sacramentarios.

VII. Ex ſequentibus, *Luc. 22.* Latinè, *Quod pro vobis datur*, Græcè *datum*. *1. Cor. 11.* Latinè *tradetur*, Græcè *fractum*. Quamuis enim prior ſenſus ſit abſolutus & independens: hinc tamen in proprio ſenſu plurimùm commendatur. Siue enim idem ſit hic, pro nobis dari & frangi, ſeù eſſe datum & fractum actu, quòd priùs incruentè ſacrificari: ſiue idem quòd proximè tradendum ac ſacrificandum, ſeù incipere tradi, pati, ac ſacrificari: diſtinguit hoc Corpus Chriſti pro nobis ſiue datum ac fractum, ſiue tradendum, ab omni alio non pro nobis dato aut tradendo, ſeù ſacrificato; atqui nec panis nec ſignum Corporis Chriſti eſt pro nobis datum fractum aut traditum, ſed verum & propriè dictum Corpus Chriſti; ergò & hoc & hîc realiter præſens demonſtratur.

VIII. Ex ſequentibus Matt. 26. *Hic eſt enim Sanguis meus noui Teſtamenti.* Marc. 14. *Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti.* Luc. 22. *Hic eſt Calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo* 1. Cor. 11. *Hic Calix nouum Teſtamentū eſt in meo ſanguine.* Quæ licet videantur verbatim differre: in eundem tamen integrum ſenſum confluunt, ſatis expreſſum hac noſtra forma rituali, *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei.* Cuius totius, & ſingularum partium propria ſignificatio ſatis patet ex forma Corporis ſuprà: niſi quod hîc nomen Calicis videatur ſumi metaphoricè, pro Sanguine contento; ſed vel hinc propriiſſimè exprimitur potus Sanguinis, ſeu Sanguis vt potabilis ex Calice, non autem vt impotabilis effuſus, aut in venis; vel per Calicem Sanguinis, non ſignificatur impropriè ipſe Sanguis contentus, ſed continens Sanguinem, ſeu ipſa continentia Sanguinis; vel nonniſi per metaphoram æquè facilem & vulgarem, ac ipſa propria locutio; vel denique per tam facilem metaphoram, & tamen toties ibi propriè explicatam. Porrò nouū Teſtamentum, ſiue in recto ſiue in obliquo, non videtur quidem de integritate huius ſenſus proprij: quia poteſt integrè intelligi hic Calix eſſe Sanguinis Chriſti vt contenti, & in Sanguine Chriſti, vt eo ipſo conſecratus; poteſt tamen etiam intelligi hunc Calicem eſſe Teſtamentum nouum, ſeu Inſtrumentum vltimæ beneuolæ, ac beneficæ voluntatis Chriſti, aut pacti ſeu fœderis pacifici, ex vi Sāguinis contenti; vel ipſum Sanguinem contentum eſſe teſtimonium authenticum & efficax illius vltimæ voluntatis & fœderis. Sed nomen Teſtamenti, ſiue pro teſtimonio vltimæ voluntatis, ſiue pro fœdere pacifico, plurimùm confirmat proprietatem loquendi, & expreſſam intentionem ad captum commu-

Digitized by Google

communem. Hanc enim interpretationem exigunt Teſtamenta, teſtimonia, & pacta, ex ipſo iure, & praxi communi, eorumque fine proprio, ad cauendas diſſenſiones, & finiendas contentiones. Quod de Teſtamento aut fœdere, hoc de pignore, dote, obſide, & qualibet cautione, ſeù re bona fide promiſſa aut tradita ad ſecuritatem pacti: vt ſicut haberetur pro illuſore ac impoſtore, qui pro re promiſſa, legata, aut tradita in pignus, dotem, cautionē &c. obtruderet ſolā illius rei picturam; ita qui pro Corpore & Sanguine Chriſti ſolum eius memoriale, nullam habens proportionem ad id pro quo oppignoratur &c.

Auget hanc proprietatem Teſtamenti, nomen & ratio *noui*, relatiuè ad antiquum: quod cùm in figuram noui fuerit ſancitum vera ac propriè dicta aſperſione ſanguinis ſacrificialis *Exod. 24. Heb. 9.* Calix noui Teſtamenti non conſecratur niſi infuſione veri ac propriè dicti Sanguinis Chriſti; nec hoc Teſtamentum quotidie renouatur, niſi noua intinctione & quaſi inſcriptione ex ipſo Sanguine Chriſti. Quòd autem in forma noſtra rituali additur, *Noui & æterni Teſtamenti, Myſterium Fidei*: Supponit Teſtamentum morte Teſtatoris confirmatū, irreuocabile, *Heb. 9.* & in ſenſu proprio executioni mandatum ac perpetuò mandandum, ſicut & æternum eiuſdem Teſtatoris Sacerdotiū, ſupra *col. 254.* Eſt vero *Myſterium Fidei*, vel per antonomaſiam ſeu excellentiam huius, vel compendium totius fidei: quo titulo exigit etiam proprietatem loquendi, ex illo B. Aug. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 9. *In ijs quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem, moreſque viuendi, ſpem ſcilicet & charitatem.*

IX. Ex ſeq. Mat. 26. *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Marc. 14. *Qui pro multis effundetur.* Luc. 22. *Qui pro vobis fundetur*: Græcè *effunditur*, ſeu *actu effuſus*, non tam ſanguis quàm calix Sanguinis. Nam, inquit, *Hoc poculum nouum Teſtamentum in Sanguine meo, quod pro vobis effuſum actu, ſeu effunditur.* Fuſus eſt autem, & funditur verè ac propriè; verus ac propriè dictus ſanguis Chriſti pro nobis: Ergo & eſt verè propriè ac realiter præſens. Sed ibidem, ante hunc Calicem Sanguinis, manducato Agno Paſchali, & propinato Calice vini, prædicit Chriſtus: *Ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei &c. Non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat.* Ergo cibus & potus Sacramentalis, quem poſt illum legalem aut viſualem porrigit, dicens, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*: nec eſt panis & vinum, nec ſola figura aut memoriale ſed ipſa veritas Corporis & Sanguinis Chriſti. Cur autē illa prædictio *Mat. 26. & Marc. 14.* referatur poſt cibum & potum Sacramentalem: & *Luc. 22.* ac *1 Cor. 11.* hoc totum dicatur fieri in memoriam Chriſti ſeù mortis eius: infra inter Obiectiones.

## *Ex vſu & praxi Eccleſiæ primitiuæ.*

1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Corporis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Chriſti eſt?* Ergo vera & realis, veri ac realiter præſentis: Tum quia hîc proponitur & opponitur contra realem communicationem Idolothytorum: Tum quia affirmatur per interrogationem, excludendo omne dubium: Tum quia hoc tribuitur benedictioni conſecratoriæ, & fractioni immolatitiæ, quæ non eſſent neceſſariæ ad ſolam aliquam ſignificationem Sacramentalem, vt patet in alijs Sacramentis. Hinc non poteſt intelligi de benedictione tantùm precatoria cibi & potus, aut ceremoniali ante conſecrationem verbalem: ſed de ipſa conſecratione verbali, tam ab ipſo Chriſto quàm ex eius inſtitutione. De qua benedictione infra ex profeſſo.

*Quoniam vnus panis, vnum Corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Ergo hîc eſt vbique idem cibus & potus Sacramentalis, quoad veram ac realem præſentiam eiuſdem Corporis & Sanguinis Chriſti: nam nec ex ſola vnitate ſpecifica panis & vini, quibus omnes homines nutriuntur, nec ex ſola ſimilitudine ceremoniali Iudæorum in veſcendo, ſunt aut dicuntur omnes homines, vel Iudæi inter ſe, vnum Corpus.

1. Cor. 11. *Quicumque manducauerit panem, & biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini &c. Non diiudicās Corpus Domini* .i. Non credens, non diſcernens, vel non ſumens illud tanquam verum Corpus Domini. Porrò quamuis & figurarum antiquarum, & aliorum Sacramentorum, ac ſacrarum Imaginum Chriſti abuſus, vel vſus indignus, fuerit, ſitque culpabilis: non tamen eſt reatus ipſius Corporis & Sanguinis Chriſti. Ergo hic eſt abuſus ſeu vſus indignus ipſius Corporis, & Sanguinis Chriſti realiter præſentis.

## *Ex Profeſſione huius veritatis ab Apoſtolis & SS. Patribus huc vſque.*

1. S. Andrea Apoſtolo, vt ſupra *col. 248.*
2. S. Ignatio Martyre, Epiſt. ad Smyrnenſes, contra quoſdam Hæreticos: *Non confitentur Euchariſtiam eſſe carnem Saluatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt.*
3. S. Dionyſio Areop. *cap. 3 Eccl. Hier.* vt *col. 140.*
4. Iuſtino Martyre in Apol. 2. ad Anton. Imper. *Quemadmodum per verbum Dei Incarnatus Ieſus Chriſtus, & Carnem & Sanguinem pro ſalute noſtra habuit: ſic etiam per preces verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam factum cibum &c. illius Incarnati* IESV *& Carnem & Sanguinem edocti ſumus.*
5. S. Irenæo lib. 4 contra Hæreſes c. 34. *Quomodo conſtabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ ſunt, Corpus eſſe Domini ſui, & Calicem Sanguinis eius &c? Quomodo dicunt Carnem non percipere vitam, quæ à Corpore & Sanguine Domini alitur?*
6. Tertull. lib. de Reſurr. Carnis. *Caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur, vt anima Deo ſaginetur.*
7. Origene *Homil. 13.* in Exod. 25. *Reos vos eſſe & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat.* Hom. 5. in Euang. *Quando manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur.* Hom. in Librum Num: *Tunc in Ænygmate erat Manna cibus; nunc autem in ſpecie caro verbi Dei, & verus cibus*, vt Ioan. 6. Homil. 17. *Tu es verus populus Iſraël, qui ſcis ſanguinem bibere, & noſti carnem verbi Dei comedere.*
8. S. Cypr. Serm. 5. de lapſis. *Vis infertur Corpori eius & Sanguini: & plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Deum negauerunt.* Serm. de



Digitized by Google

Oratione Dominica. *Panem noſtrum vocamus: quia Chriſtus noſter, qui Corpus eius contingimus, panis eſt &c.* Serm. de Cœna Domini. *Panis non effigie ſed naturâ mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt Caro: & ſicut in Perſona Chriſti humanitas apparebat, & latebat diuinitas; ita Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe effudit eſſentia.* Infra. *Lex eſum ſanguinis prohibet, Euangelium præcipit vt bibatur.* Ibidem. *Vſque hodie hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum Corpus ſuum creat, ſanctificat, benedicit, & piè ſumentibus diuidit.*

9. S. Hylar. l. 8. Trin. *Caro mea verè eſt eſca* &c. Ioan. 6. *De veritate Carnis & Sanguinis non eſt relictus ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt; & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit &c.*

10. S. Cyrill. Hyeroſol. Catech. 4. *Chriſtus dicit, Hoc eſt Corpus meũ: quis deinceps audeat dubitare &c?* Ibid. *Aquam mutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum: & non erit dignus cui credamus quod vinum in ſanguinem transmutauit? Sub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis.* Ibidẽ. *Sic Chriſtophori erimus .i. Chriſtum ferentes: cum eius Corpus & Sanguinem in membra noſtra receperimus.* Ibid. *Ne conſideres tanquam nudum panem & vinum: Corpus enim eſt & Sanguis Chriſti.* Infra. *Sciens panem tunc non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat: ſed eſſe Corpus Chriſti*; & ſic de vino & ſanguine.

11. S. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Panis eſt ante verba Sacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit Caro Chriſti.* Cap. 5. *Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti: & tu dicis, Amen, hoc eſt, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Lib. de myſterijs cap. 9. *Quantis vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit?* Infra. *Sermo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat: non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant?*

Lib. 1. in cap. 1. Luc. *Non dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur.*

Lib. 3. de Spiritu S. cap. 12. *Per ſcabellum* Pſal. 98. *terra intelligitur, per terram autem Caro Chriſti: quam hodie quoque in myſterijs adoramus.*

12. S. Baſil. lib. de Bapt. cap. 2. *Quantò maius eſt &c. tantò terribilius in anima impuritate Corpus Chriſti contingere.* Lib. de Spiritu S. Cap. 27. *Verba inuocationis, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit?* Epiſt. ad Ceſtiriam. *Communicare per ſingulos dies de ſacro Corpore & Sanguine Chriſti pulchrum eſt*, ex Ioan. 6. &c. *Nos idcircò quater in ſingulis hebdomadis communicamus.*

13. Greg. Nyſſ. in Oratione Catech. cap. 36. 37. *Quemadmodum paruum fermenti totam maſſam ſibi ſimilem reddit: ſic & corpus illud quod à Deo factum eſt immortale in noſtrum corpus ingrediens, totum in ſe transfert atque commutat &c.* Ibid. *Conſiderandum quomodo fieri queat, vt vnum illud corpus aſſiduè per totum orbem tot fidelium millibus impertiatur &c.*

Infra. *Rectè etiam nunc Dei verbo ſanctificatum panem in Dei verbi Corpus credimus immutari &c.*

14. Greg. Nazian. Oratione 2. de Paſchate. *Abſque dubio comede Corpus & Sanguinem bibe* &c. *Neque fidem deneges, conſtans eſto &c.* Orat. de Obitu Sororis. *Ad altare cum fide procumbit, eumq́ qui ſuper illud colitur magno clamore obteſtans &c.*

15. S. Ephrem lib. de Natura Dei non ſcrutanda cap. 5. *Participa immaculato Corpori Domini tui, fide pleniſſima, certus quòd Agnum ipſum integrum comedis.*

16. S. Epiph. in Anchorato. *Voluit per gratiam dicere, Hoc meum eſt &c. Et nemo non fidem habet ſermoni: qui enim non credit eſſe ipſum verum, excidit à gratia & ſalute.*

17. Optat. Mileuit. lib. 6. contra Parmen. *Quid eſt altare, niſi ſedes Corporis & Sanguinis Chriſti?* Infra. *Hoc tam immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam Calices Sanguinis Chriſti portatores.*

18. B. Gaudentij Epiſcopi Tract. 2. de Exodo. *Qui producit de terra panem, de pane rurſus (quia & poteſt & promiſit) efficit proprium Corpus: & qui de aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum.* Infra. *Cùm panem conſecratum porrigeret, ſic ait: Hoc eſt Corpus meum &c. Credimus cui credidimus: neſcit mendacium veritas.*

19. S. Chryſoſt. Hom. 60. ad Popul. Antioch. & 83. in Matth. *Quoniam dixit, Hoc eſt Corpus meum; nulla dubitatione teneamur, ſed credamus &c.*

Hom. 5. in Matth. *Qui animam ſuam pro te poſuit: quare dedignabitur ſuum tibi tradere Corpus.* Ibidem. *Quot dicunt, vellem formam eius videre &c. Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis.*

Hom. 3. de incomprehenſibili Natura Dei. *Cùm ego diſputo, frequentes ad finem vſque dicendi patientiſſimi perſeueratis: cùm autem Chriſtus communis omnium Magiſter & Dominus in ſacris myſterijs ſe oſtenſurus eſt, vacua Eccleſia redditur. Proh fidem Chriſtianam!*

Plura ex S. Chryſ. in pleriſque lectionibus 2. Noct. infra Octauam Corporis Chriſti: Et ex Cypr. Ambr. vtroque Cyrillo, & Aug.

S. Hier. in cap. 26. Matt. *Quomodo in præfiguratione Melchiſedech panem & vinum offerens fecerat: ipſe quoque Chriſtus veritatem Corporis & Sanguinis ſui repræſentauit* .i. iterum præſentem exhibuit.

In Pſalm. 109. *Melchiſedech obtulit panem & vinum: ſic & tu offeres corpus & ſanguinem tuum &c.*

Epiſt. ad Hedibiam q. 2. *Dominus* Iesvs *ipſe conuiua & conuiuium, ipſe comedens & qui comeditur.*

In cap. 1. ad Eph. *Dupliciter Caro Chriſti intelligitur: vel ſpiritualis illa de qua* Ioan. 6. Caro mea verè eſt cibus &c. *vel quæ crucifixa eſt &c. Iuxta hanc diuiſionem & in ſanctis eius alia eſt caro quæ viſura eſt ſalutare Dei, alia quæ regnum Dei non queat poſſidere.* In Epiſt. ad Tit. *Tantùm intereſt inter panes propoſitionis & Corpus Chriſti, quantum inter imaginem & veritatem.*

### *Præ omnibus S. Auguſt.*

Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 56. 57. 58. 59. 60.* Indicis Dogmatici, ordine Retractationum.

Lib. 9. Confeſſ. cap. 3. vt ſupra *col. 248.*

Lib. 12. contra Fauſtum cap. 8. Ex figura Euæ *Gen. 3.* quæ ſicut verè ac realiter ex corpore Adami, & omnes realiter ex vtroque: ita & de reali communicatione Corporis & Sanguinis Chriſti.

*Cap. 10.* Ex figura ſanguinis Abel clamantis ad Deũ ad

Digitized by Google

de terra Gen. 4. *Habet magnam vocem Chriſti Sanguis in terra: cum eo accepto ab omnibus reſpondetur Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum.* col. 234. noſtræ Anat. Cap. 28. Ex figura Ioſephi. *Videmus honorem Chriſti in orbe terrarum erogatione frumenti ſui ſibi omnia ſubiugâtis.* col. 235. noſtræ Anat.

Lib. 20. cap. 13. *Noſter panis & Calix non quilibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis Corpus Chriſti, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, alimentum eſt refectionis, non Sacramentum Religionis: niſi quod benedicimus gratiaſque agimus Deo in omni munere &c.* col. 241. 242. noſtræ Anat.

Lib. 2. qq. Euang. q. 33. Ex Allegoria filij prodigi Luc. 15. *Iſtæ Epulæ nunc celebrantur per orbem terrarum. Vitulus enim ille in Corpore & Sanguine Dominico & offertur Patri, & paſcit totam domum.* q. 38. Ex allegoria Lazari & canum lambentium vlcera eius Luc. 16. *Paſsiones Domini in Sacramentis Corporis & Sanguinis eius per totum iam orbem ſuauitate lambunt deuotiſsima &c.* col. 277.

Lib. 3. Trin. cap. 4. *Nec linguam, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus: ſed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem &c. Quod cùm per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur vt ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei &c.* col. 285. 286.

Cap. 10. Ab apparitione reali Dei & Angelorum ſub varijs formis: ad præſentiam realem Corporis Chriſti ſub ſpecie panis & vini. *Infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vſum Religionis aſſumatur: & ſi nunquam diſcant experimento vel ſuo vel aliorum, & nunquam illam ſpeciem rerum videant, niſi inter celebrationes Sacramentorum cùm offertur & datur, diciturque illis auctoritate grauiſsima cuius Corpus & Sanguis ſit: nihil aliud credent niſi omnino in illa ſpecie Dominum oculis apparuiſſe mortalium, & de latere tali percuſſo liquorem illum omnino fluxiſſe &c.* col. 286. 287.

Lib. 3. de conſenſu Euang. c. 1. *Ioannes de Corpore & Sanguine Domini hoc loco nihil dixit: ſed planè alibi multò vberius hinc Dominum locutum eſſe teſtatur.* i. Ioan. 6. Vnde patet ibi prædici quod refertur *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. &c.* col. 352.

Lib. 5. de Baptiſmo, cap. 8. *Sicut Iudas non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe Diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens, non efficit vt quia ipſe malus eſt, malum ſit; aut quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim & Sanguis Domini erat etiam illis de quibus.* 1. Cor. 11. *Qui manducat indignè iudicium ſibi manducat & bibit &c.* col. 370.

Lib. 1. ſeu Epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 3. *Neuter exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentũ certatim honorare contendunt. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere: & ille honorando non audet vllo die prætermittere &c.*

Cap. 6. *Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani primùm Dominicũ Corpus intraret quàm cæteri cibi &c.* col. 376. 377.

Lib. 2. contra Petil. cap. 37. *Aliud eſt Paſcha quod Iudæi adhuc de oue celebrant: Aliud quod nos in Corpore & Sanguine Domini accipimus,* vt col. 430. 431.

Lib. in Creſc. cap. 25. *De ipſo Corpore & Sanguine Domini, vnico ſacrificio pro ſalute noſtra, quamuis* Ioan. 6. *Niſi quis manducauerit &c. Nonne Apoſt. docet* 1. Cor. 11. *etiam hoc pernicioſum malè vtentibus fieri &c.* vt col. 433.

Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 26. *Quod accipiunt Cathecumeni, quamuis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur &c.* vt col. 450.

Lib. ſeu Epiſt. 120. ad Honoratum in Pſalm. 21. *Manducauerunt & adorauerunt omnes Reges terræ &c. Et ipſi quippe adducti ſunt ad menſam Domini, & accipiunt de Corpore & Sanguine Chriſti: ſed adorant tantùm, non ſaturantur, quoniam non imitantur.* Porrò ſupra. *Lib. 2. ad Ian. c. 6.* monet non adorari ſolas figuras Chriſti.

Quæſt. 57. in cap. 17. Leuit. *Cùm Dominus dicat* Ioan. 6. *Niſi manducaueritis Carnem meam & biberitis meum Sanguinem &c. Quid ſibi vult quòd à ſanguine ſacrificiorum tantoperè Populus prohibetur?* vt col. 642. 643. & priùs 121. 122. De quo adhuc inter obiectiones. Sed nulla fuiſſet hic ratio dubitandi, aut facillima reſpondendi: ſi illud de non bibendo ſanguine reali, hoc de bibendo ſolo ſigno Sanguinis Chriſti intelligi poſſet; & æquè tunc per præfigurationem, ac nunc per ſolam commemorationem bibi potuiſſet.

Lib. 1. contra Aduerſ. Legis & Proph. cap. 19. ex 1. Cor. 10. *Nonne qui de Sacrificijs manducant, ſocij ſunt altaris? vt intelligerent ita ſe iam eſſe ſocios Corporis Chriſti, quemadmodum illi ſocij ſunt altaris.*

Cap. 24. *Videte ſi non ſunt iſti ex illo genere hominum, qui* Ioan. 6. *dixerunt, durus eſt hic ſermo &c. Niſi quod excuſabiliores ſunt qui verba diuina quæ non intelligebant, non in maledictione ſed in benedictione horribilia non ferebant &c. Dominus autem talia dicebat* Ioan. 6. *quæ amari præciperet, non timeri: & tamen quæ infidelitas ſuſſerat, Caro mea verè eſt cibus &c. Si ergo Dei ſapientia verbis Sacramento congruis paſcens animam credentem, non curauit inſipientiam nauſeantem: quantò magis &c?*

Lib. 2. cap. 9. *Chriſtum Ieſum Carnem ſuam nobis manducandam, bibendumq; Sanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare quàm perimere, & humanum ſanguinem potare quàm fundere &c.* vt *col. 671. 672. 673.*

Epiſt. 43. ad Maximum Paganum: qui cum exprobraret Chriſtianos in locis abditis colere Deum ſuum viſibiliter præſentem: B. Aug. nec negat nec affirmat; ſed huius veritatis incapaci diſſimulat, cùm poſſet facillimè reſpondere per ſolam illam commemorationem, ſi hæc ſola ſubeſſet. Vt *col. 930. 932.*

Epiſt. 86. ad Caſulanum. *Dicit ceſſiſſe pani pecus: tanquam neſciens & tunc in Domini menſa panes propoſitionis poni ſolere, & nunc ſe de Agni immaculati corpore partem ſumere. Dicit ceſſiſſe poculo ſan-*

guinem:

Digitized by Google

guinem: *non cogitans etiam nunc ſe accipere in poculo ſanguinem &c.* De mutatione veteris Legis in nouam, vt *col. 954. 955.*

In Pſalm. 10. *Chriſtus Traditorem ſuum tanta patientia pertulit: vt ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut cæteris Apoſtolis traderet.* De qua confectione & commendatione *col. 995.*

In Palm. 21. *Manducauerunt & adorauerunt &c.* vt ſupra *col. 285.*

In titulum Pſalm. 33. *Pſalmus Dauid, cùm mutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum & abijt.* Ex 1. Reg. 21. apud B. Aug. Conc. 1. Dauid apud Achis Regem ſimulans ſe fatuum *mutauit vultum ſuum coram ipſis, & affectabat, & tympanizabat ad oſtia Ciuitatis, & ferebatur in manibus ſuis, & procidebat ad oſtia Portæ, & ſaliuæ decurrebant ſuper barbam eius &c.* Quæ omnia allegorizat in figuram Chriſti inſtituentis hoc ſacrificium & Sacramentũ Corporis ſui. *Abimelech* .i. *Patris mei Regnum. Achis* .i. *Quomodo. Dauid* .i. *Manu fortis. Nondum erat ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini: quod Fideles norunt, & qui Euangelium legerunt. Quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum &c. De quo* Pſal. 109. & Gen. 14. *Sublatum eſt ſacrificium Aaron, & cœpit eſſe ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Ergo mutauit neſcio quis vultum ſuum. Quis eſt iſte neſcio quis? Non ſit neſcio quis: Notus eſt enim D. N. Ieſus Chriſtus &c.* Infra. *Mutauit ergo vultum ſuum Dauid coram Abimelech .i. coram Regno Patris ſui, & dimiſit populum Iudæorum &c.* Infra. *Et coram Achis mutauit vultum ſuum, & dimiſit eum &c. Achis .i. Quomodo eſt. Recordamini* Ioan. 6. *Niſi quis manducauerit Carnem meam &c. Diſcipuli eius non potuerunt tolerare, quaſi dicentes, Quomodo eſt? Erat ergo in illis regnum ignorantiæ, quaſi Rex Achis &c. Quia Chriſtus mutauerat vultum ſuum: quaſi furor & inſania videbatur, dare carnem ſuam manducandam, & bibendum ſanguinem &c. Sed Regi Achis inſanire videbatur .i. ſtultis & ignorantibus: ideo dimiſit eos & abijt. Fugit corda eorum intellectus, ne eum poſſent comprehendere. Et quid dixerunt?* Ioan. 6. *Quomodo poteſt hic nobis dare manducare carnem ſuam? Ille autem ſacramenta prædicabat, & affectabat, & tympanizabat &c.* Infra. *Vt tympanum fiat, corium in ligno extenditur &c. Tympanizabat .i. crucifigebatur. Ad oſtia Ciuitatis .i. Cruce aperiebat corda mortalium. Et ferebatur in manibus ſuis. Hoc in hominibus quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum, ait: Hoc eſt Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis.* Infra. *Dimiſit eum & abijt. Ad quos abijt? Ad Gentes. Decurrebant ſuper Barbam Dauid ſaliuæ .i. quaſi verba infantilia. Nonne erant tanquam infantilia verba: Manducate Carnem meam, & bibite Sanguinem? Sed iſta verba tegebant virtutem ipſius. Virtus enim in barba intelligitur.*

*Conc. 2.* Priora omnia recapitulans: *Quomodo,* inquit, *ferebatur in manibus ſuis? Quia cum commendaret ipſum Corpus & Sanguinem ſuum, accepit in manus ſuas quod norunt Fideles: & ipſe ſe portabat quodammodo cum diceret, Hoc eſt Corpus meum &c.* Vt *col. 1002. 1003.* De modo illo mirabili portandi ipſum Corpus ſuum: qui non poteſt intelligi ſignificatiuè tantùm, ſed realiter. Nimis enim facile & ridiculum foret ſeipſum depictum portare.

In Pſalm. 45. *Iam ſecuri bibite ſanguinem quem fudiſtis.* Vt *col. 1012.*

In Pſalm. 65. *Fuſus Domini ſanguis donatus eſt homicidis, ne dicam Deicidis &c. Modo homicidis donatus eſt fuſus ſanguis Innocentis: & ipſum ſanguinem quem per inſaniam fuderunt, per gratiam biberunt.* Vt *col. 1020.*

In Pſalm. 98. *Chriſtus ſuſcepit de terra terram; quia caro de terra eſt; & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit &c.* Vt *col. 1041. 1042. 1043.* Reliqua ſub ſua Obiectione.

In Pſal. 103. *Peruenit panis & vinum Chriſti ad Imperatores, ad Reges, ad Nobiles &c. col. 1048.*

Tract. 11. in Ioan. *Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſtum? Reſpondet, credo, & ſignat ſe cruce Chriſti &c. Interrogemus eum, Manducas Carnem & bibis Sanguinem Filij Hominis? Neſcit quid dicimus, quia* Iesvs *non ſe credidit ei.* Infra. *Neſciunt Catechumeni quid accipiunt Chriſtiani.* Vnde & B. Aug. paſſim: *Norunt fideles &c.* Ad hanc vtique diſtinctionem, non ſolùm ab Infidelibus, ſed & à Catechumenis. Qui cùm crederent Chriſto, vterentur eius ſignis ſacris, noſſent ac fide perciperent Corpus Chriſti verum ac myſticum: necdum tamen Sacramentale ac Sacramentaliter; Ergo hoc & aliud eſt, & perfectiùs ac realiùs.

Ibidem infra. *Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Spiritus ei loquitur, & ille carnem ſapit.* Vt Ioan. 6. *Scandalizati ſunt quidam &c. Putabant enim hoc dicere* Iesvm, *quòd eum poſſent circumciſum ſicut agnum coquere & manducare &c. Dominus autem expoſuit eis ne carnaliter intelligerent &c. Hunc ſpiritum non ſapiebat iſte Nicodemus &c.* Atqui illud Chriſti *Ioan. 3.* erat de vera reali & propriè dicta, ſed Sacramentali Regeneratione: Ergo & *Ioan. 6.* de reali, ſed Sacramentali manducatione Corporis & Sanguinis Chriſti.

Tract. 26. in Ioan. 6. *Ego ſum panis vitæ &c. Aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quàm multi de Altari accipiunt, & accipiendo moriuntur* 1. Cor. 11. *Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Non quia malum accepit: ſed quia bonum malè malus accepit &c. Patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt &c.* 1. Cor. 10. *Aliud illi, aliud nos: ſed ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali. Bibebant,* inquit, *de ſpiritali ſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus: Petra Chriſtus, in ſigno; verus Chriſtus, in Verbo & in carne &c.* Vbi diſtinguit Chriſtũ in ſolo ſigno Petræ, à vero Chriſto in Verbo & in carne. Quem vult fuiſſe & eſſe eundem cibum ſpiritualem: ſed olim tantùm in ſigno futuri, nunc autem præſentem. Infra. *Panis quem ego dabo Caro mea eſt &c.*

Ioan. 6.

Digitized by Google

Ioan. 6. *Vocatur caro, quod non capit caro &c. Norunt Fideles Corpus Chriſti, ſi Corpus Chriſti non negligant eſſe &c.* i. Norunt verum Corpus Chriſti ſub hoc Sacramento, ſi iam ſint incorporati Eccleſiæ; quia hoc myſterium ſolis baptizatis & Eccleſiæ incorporatis communicabatur.

Infra. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem in me manet & ego in illo* Ioan. 6. *Ac, per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procaldubiò nec manducat ſpiritaliter Carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti.* Vbi diſtinguens communionem ſpiritualem & ſalutarem, à ſola Sacramentali & damnabili Corporis & Sanguinis Chriſti: fatetur hanc etiam eſſe veri Corporis Chriſti.

Tract. 27. *Durus eſt hic ſermo &c.* Ioan. 6. *Non crediderunt aliquid magnum dicentem: ſed prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum; quia diſponebat* Iesvs *Carnem quâ indutum erat Verbum, velut conciſam diſtribuere credentibus in ſe.* Quid autem magnum in ſolo ſigno? Vt *col. 1082. 1033. 1084. 1085. 1086. 1087.* Et infra ad Obiectiones.

Tract. 62. *Quid erat panis Traditori datus, niſi demonſtratio cui gratiæ fuiſſet ingratus? Non autem vt putant quidam, tunc Iudas Chriſti Corpus accepit. Intelligendum eſt enim quod iam omnibus eis diſtribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui &c.* Vbi expreſsè diſtinguit inter panem illum vt ſolum ſignum, & Corpus Chriſti eiuſque Sacramentum. Vt *col. 1096.*

Tract. 84. Prou. 23. *Si ſederis cœnare ad menſam potentis, intellige quæ apponuntur tibi: ſciens quia te talia oportet præparare. Nam quæ menſa eſt potentis, niſi vnde ſumitur Corpus & Sanguis eius qui animam ſuam poſuit pro nobis?* Vnde infert nos ex communione Corporis & Sanguinis Chriſti diſcere & obligari ad impendendum & rependendum nos Chriſto ad ſalutem proximi. Ergò verè & realiter vtrinque. Vt *col. 1099. 1100.*

Tract. de decem Chordis cap. 10. *Noſti pretium tuum, noſti quò accedis, quid manduces, quid bibas, imò quem manduces, quem bibas &c.* Vt *col. 1123.*

Serm. 11. de verbis Domini cap. 11. *Nunquid Iudas quamuis primum ipſum manibus Chriſti confectum Sacramentum Corporis & Sanguinis eius cum cæteris Diſcipulis manducaret & biberet,* Luc. 22. *manet in Chriſto aut Chriſtus in eo? Non ergò quocumque modo quiſquam manducauerit Carnem & biberit Sanguinem Chriſti, manet in Chriſto, & in illo Chriſtus: ſed certo quodam modo, quem vtique ipſe videbat quando iſta dicebat. Sic qui blaſphemauerit quodam modo &c. non remittetur ei.* Cap. 12. *Quiſnam ſit iſte blaſphemandi modus vel potius immoderatio &c.* Vnde patet quòd illa modificatio mãducandi Carnem & bibendi Sanguinem Chriſti, non ſit impropria, ſeu in ſolo ſigno: quia illam comparat cum modificatione illius blaſphemiæ immoderatæ ac irremiſſibilis, *Mat. 12.* Vt *col. 1134.* Qui ſenſus huius modificationis hic expreſſiſſimus, ſupponendus eſt vbi non eſt expreſſus.

Serm. 33. c. 1. *Paratâ iam Cœnâ, immolato Chriſto, commendatâ quam ſciunt fideles Cœna Domini, eiuſque manibus & ore firmatâ &c.* Cap. 4. *Cœnam manibus ſuis conſecratam Diſcipulis dedit &c. Ipſam Cœnam fide quotidie manducamus &c. Ipſa eſt quæ nunc præparatur. Quàm multi etiam nunc in ipſa Cœna iudicium ſibi manducant & bibunt &c.* Vt *col. 1137. 1138.*

Serm. 2. de verbis Apoſt. cap. 1. de Corpore & Sanguine Domini. *Audiuimus veracem Magiſtrum cõmendantem nobis pretium noſtrum, ſanguinem ſuum.* Ioan. 6. *Corpus dixit eſcam, Sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoſcunt fideles &c.* Niſi manducaueritis &c. *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* i. *Putatis quia de hoc Corpore meo quod videtis partes facturus ſum, & membra mea conciſurus, & vobis daturus? Certè qui integer aſcendere potuit, conſumi non potuit. Ergò & de Corpore & Sanguine ſuo dedit nobis ſalubrem refectionem, & tam magnam breuiter ſoluit de ſua integritate quæſtionem &c.* Vt Tract. 26. 27. in Ioan. Sed hîc breuiùs & expreſſiùs, De veracitate Chriſti, & vera eius manducatione, ſalua eiuſdem integritate.

Serm. 29. cap. 5. *Noſtis fideles quale teſtimonium perhibeatis Sanguini Chriſti quem accepiſtis: certè enim dicitis, Amen.*

Serm. 215. de Tempore. *Videte ſi iuſtum eſt vt ex ore Chriſtianorum, vbi Corpus Chriſti ingreditur luxurioſum canticum quaſi venenum diaboli proferatur.*

Serm. 48. de Sanctis. *Ad pignus ipſius quotidie dicis, Amen. Pignus quod accepiſti quotidie erogatur tibi. Noli de ſpe deſperare qui viuis ex pignore.* Porrò pignus debet eſſe ſaltem æquè pretioſum ac res pro qua oppignoratur &c. *col. 1101.*

Serm. 83. de diuerſis. *Panis ille quem videtis in altari, ſanctificatus per verbum Dei, Corpus eſt Chriſti: Calix ille, imò quod habet Calix, ſanctificatum per verbum Dei, Sanguis Chriſti eſt &c. col. 1208.*

Serm. 87. *Norunt fideles Chriſtum in fractione panis. Non enim omnis panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti fit Corpus Chriſti &c. col. 1209.*

Serm. 113. cap. 2. *Tantò dulciùs in illo loco propter natalem Cypriani Sanguis bibitur Chriſti: quantò deuotiùs ibi propter nomen Chriſti Sanguis fuſus eſt Cypriani &c. col. 1214.*

Plura citantur quaſi ex B. Aug. ab Algero, eiuſque coæuis contrà Berengarium, à Gratiano diſt. 2. Decreti, à Thoma Waldenſi in ſuis Antiquitatibus Fidei, & alijs; quæ recollegimus *Tomo 1. noſtræ Anat.* in ſupplemento ad finem Indicis Poſſidij; ſed iam non extant apud B. Aug. Vt illud quaſi ex Sententijs Proſperi. *Fideliter fatemur ante conſecrationem eſſe panem & vinum quod natura formauit: poſt conſecrationem verò, Carnem Chriſti & Sanguinem, quod benedictio conſecrauit.* Item. *Hoc eſt quod dicimus, Sacrificium Eccleſiæ duobus conſtare: viſibili ſpecie, & inuiſibili* D. N. Iesv Christi *Carne & Sanguine, Sacramẽto, & re Sacramenti. Sicut Chriſti perſona conſtat ex Deo, & homine &c.* Item. *Caro eius eſt quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & Sanguis eius quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus.*

Item, ex quodam Serm. ad Neophytos. *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: Hoc accipite in*



Digitized by Google

*Calice, quod effuſum eſt de Chriſti latere.* Item ex loco incerto: *Sicut de Virgine per Spiritum S. vera Caro ſine coitu creatur: ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſticè idem Corpus Chriſti conſecratur.*

Imò quidam citant ex B. Aug. in Pſalmos. *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorũ manibus velut in vtero Virginis Filius Dei incarnatur &c.* Alij addunt: *O Sacerdos Dei Vicarie & Pater Chriſti, quem conſecrando in Sacramento genuiſti &c.*

*Ex poſteris B. Aug. eiuſdem 5. ætatis.*

S. Cyrill. Alex. lib. 4. cap. 13. in illud Ioan. 6. *Quomodo poteſt &c. Firmam fidem myſterijs adhibentes, nunquam illud, quomodo, aut cogitemus, aut proferamus.*

Lib. 10. cap. 13. *Nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti Chriſtum in nobis habitare?* Infra. *Non habitudine ſolum, quæ per Charitatem intelligitur: verùm etiam participatione naturali.* Infra. *Non credis mihi? Chriſto fidem præbe.*

S. Leone Serm. 6. de Ieiunio ſeptimi menſis. *Hoc ore ſumitur quod fide creditur: & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, a quibus contra id quod accipitur diſputatur.*

Ex 6. ætate. S. Remigius tempore Clodouei in Cap. 10. prioris ad Cor. *Panis quem frangimus &c. licet panis videatur: in veritate Corpus Chriſti eſt.* Infra. *Panis tranſit in Corpus Chriſti: nec ſunt duo corpora, ſed vnum corpus.*

Ex 7. S. Greg. Homil. 22. in Euang. *Sanguis Agni ſuper vtrumque poſtem ponitur: quando non ſolum ore Corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.*

Lib. 4. dialog. cap. 58. *Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri &c?*

Ex 8. S. Ioan. Damaſc. l. 4. de fide Orth. c. 14. *Si verbum Dei viuens eſt, & efficax &c. Non poteſt panem Corpus ſuiipſius facere, & vinum & aquam Sanguinem? Dixit Deus: Hoc eſt Corpus meum &c. Hoc facite &c. & omnipotenti eius præcepto donec veniat efficitur.* Infra. *Non eſt figura panis & vinum, Corporis & Sanguinis Chriſti: abſit enim hoc, ſed eſt ipſum Corpus Domini deificatum.* Infra. *Etſi quidam exemplaria Corporis & Sanguinis Domini panem & vinum vocauerunt, vt Deifer Baſilius: non tamen poſt ſanctificationem, ſed priuſquam ſanctificaretur iſta oblatio, ita vocabant.*

S. Epiph. in ſeptima Synodo Act. 6. *Nunquam inueniet neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres incruentum illud Sacrificium quod à Sacerdote offertur, imaginem dixiſſe: verùm ipſum Corpus & ipſum Sanguinem.*

Ex 9. Theophylact. in cap. 6. Ioan. *Non dixit, panis quem ego dabo, figura eſt carnis: ſed caro mea eſt. Transformatur enim arcanis verbis &c. Panis qui manducabatur à Chriſto, in Corpus eius mutabatur &c. Et nunc panis in Carnem Domini mutatur. Non apparet nobis Caro: vt non abhorreamus ab eius eſu.* Infra. *Quomodo poteſt &c? Quando cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animam, ingreditur ſimul, quomodo? Ita & Nicodemus* Ioan. 3. *Quomodo &c.*

Paſchaſius Corbienſis, ex profeſſo, lib. de Corpore & Sanguine Domini in Sacramento Euchariſtiæ. *Nullus moueatur, quin in myſterio vera ſit Caro & Sanguis, dum ſic ille voluit qui creauit &c. Licet figura panis & vini hic ſit: tamen nihil aliud quam Caro Chriſti & Sanguis poſt conſecrationem credenda ſunt &c. Non alia planè quam quæ nata eſt de Maria, & paſſa in Cruce &c. Si quis iſta non credit, ſi vidiſſet Chriſtum in Cruce, quomodo Deum illum intelligeret, niſi per fidem prius crediddiſſet? Ita & in Corpore, vbi ſpecies alia monſtratur.* Infra. *Quia Chriſtus ſic voluit, vt Caro eius eſſet & Sanguis: in nullo dubites, ſi Deum credis &c. Nec mirum ſi Spiritus S. qui hominem Chriſtum in vtero Virginis ſine ſemine creauit: etiam ipſe panis ac vini ſubſtantiam, Carnem Chriſti & Sanguinem inuiſibili quotidie potentia per Sacramenti ſui ſanctificationem operatur &c.* Quod probat ex *Ioan. 6.* Subdit. *Nec figuram negare poſſumus: Sed ſi figura eſt, quomodo veritas?* Infra. *Veritas eſt, dum Corpus Chriſti & Sanguis, virtute Spiritus, in verbo ipſius, ex panis vinique ſubſtantia efficitur: figura verò, dum Sacerdos quaſi aliud exterius gerens, ob recordationem ſacræ Paſſionis ad aram venit &c.*

*Ex 10.* Auctores contrà Berengarium, Tom. 4. Biblioth. ſanctæ, *Lanfrancus, Guitmundus, Algerus &c.*

*Ex 11.* S. Anſelmus in 1. Cor. 11. *Senſibus quidem exterioribus videtur eſſe panis: ſed ſenſibus cognoſcitæ mentis, quia hoc eſt Corpus meum, non aliud, ſed idem ſubſtantialiter quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem.*

*Ex 12.* S. Bernardus in vita S. Malachiæ. *Fuit,* inquit, *quidam Clericus Scholis in oculis ſuis: qui præſumpſit dicere, in Euchariſtia eſſe tantummodò Sacramentum, & non rem Sacramenti .i. ſolam ſanctificationem, non Corporis veritatem.* Subdit miraculum, quo S. Malachias coëgit illum incredulũ ad fidem.

*Ex 13.* Omnes antiquiores Scholaſtici.

*Ex 14.* Poſteriores Scholaſtici.

*Ex 15.* A tempore Concilij Conſtãt. & Florentini, omnes Scriptores contra Huſſitas, Wicleffiſtas &c.

*Ex 16.* A Conc. Trid. omnes Scriptores contra Lutheranos, Caluiniſtas &c.

*Ex Traditione & Sacris Concilijs.*

1. Ex Lyturgijs omnium nationum Chriſtianarum *Tom. 4. Biblioth. ſanctæ.*
2. Ex antiquiſſimis Baſilicis, Altaribus, vaſis ſacris, pijs fundationibus, ad cultum Chriſti Domini in hoc Sacrificio, ac Sacramento Euchariſtiæ.
3. Ex celeberrimis miraculis, & eorum hucuſque certiſſimis indicijs, ac fama conſtantiſſima per totum orbem Chriſtianum.
4. Ex varijs hæreſibus ſucceſſiuè extinctis, & per integra ſecula interruptis: vel contrà veritatem Incarnationis aut Mortis ipſius veri Chriſti, & conſequenter contrà veritatem Corporis eius in Euchariſtia, quales fuerunt antiquiores hæreſes: vel directè contrà ipſam præſentiam realem Corporis Chriſti in hoc Sacramento. Quarũ prima videtur fuiſſe Iconomachorum, ab anno 700. contendentium vnicam eſſe figuram ſeu imaginem Chriſti Euchariſticam, ab eo inſtitutam; reliquas omnes abolendas. Vt patet ex Actis Conc. Nic. 2. ſeu 7. Syn.
5. Ex Actis Conc. Nicæni 1. Biblioth. Vaticanæ.



Digitized by Google

*Ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & calicem: ſed attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius Corpus & Sanguinem verè non ſumentes credere &c.* Imò & can. 14.

Ex Synodo Epheſina, vna ex quatuor principalibus, contra Neſtorium: cui S. Cyrillus pro Cœleſtino Papa præſedit. Ex qua ſeu ex Epiſtola S. Cyrilli in ea approbata, refert noſter A Capite Fontium. *Sicut incruentam celebramus in Eccleſiis ſacrificij ſeruitutem: ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, participes ſancti Corporis & Sanguinis Chriſti; non vt communem carnem percipientes, quod abſit; nec vt viri ſanctificati, ſed verè viuificatricem, & ipſius Verbi propriam factam &c. Quamuis dicat* Ioan. 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis &c. non tamen eam vt hominis vnius ex nobis, ſed vt verè propriam eius factam, qui propter nos Filius hominis eſt factus, & vocatus.*

Ex Nicæno 2. ab anno 781. Act. 6. Tom. 3. *Nemo vnquam ſanctorum Apoſtolorum, aut Patrum noſtrorum, incruentum noſtrum ſacrificium imaginem illius dixerit.* Nam Ioan. 6. *Niſi comederitis carnem Filij hominis &c.* Matth. 26. *Accipite, edite, Hoc eſt Corpus meum &c. non autem dixit, Sumite, edite imaginem Corporis mei &c. Legas quo vſque voles, nunquam inuenies incruentum illud ſacrificium imaginem dixiſſe, verùm ipſum Corpus & Sanguinem. Attamen ante ſanctificationis conſecrationem, quibuſdam Patribus piè ſanè viſum eſt antitypon .i. exemplar ſimilis formæ, nominare &c.* Infra. *Iſti ſacrorum imaginum cupientes contemplationem obſcurare, aliam imaginem introduxerunt, quæ ſanè non imago eſt, ſed Corpus & Sanguis. Verùm falſo ſophiſmate ſeipſos ſubuertunt, hanc ſacram oblationem poſitione fieri dicentes. Verùm quemadmodum iſtud dicere aperta inſania eſt: ſic & imaginem aſſerere Corpus & cruorem Domini, eiuſdem eſt dementia &c. Deinde quadantenùs veritatem contingunt, confeſſi diuinum Corpus panem fieri. At ſi imago Corporis eſt, non poteſt ſane fieri diuinum Corpus &c. Idemque quod inſani homines patiuntur, iam hoc, iam illud imaginantes: & nunc quidem ſanctum ſacrificium noſtrum imaginem ſacri Corporis Chriſti, nunc autem ſacrum & diuinum Corpus aſſerunt.*

Ex quodam Conc. Later. ſub Nicolao II. circa annum 1057. contra hunc errorem Berengarij Diaconi Andegauenſis.

Ex Conc. Lateran. ſub Innoc. 3. cap. 1. [ Verum Chriſti Corpus & Sanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, tranſſubſtantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem, poteſtate diuina. ]

Ex Conc. Vien. ſub Clem. V. quo inſtituitur Feſtum Corporis Chriſti, eiúſque decernitur adoratio ſub hoc Sacramento.

Ex Conc. Conſtantienſi quo Seſſ. 6. condemnantur hi tres primi errores Wicleffi. 1. *Subſtantia panis & vini materialis manent in Sacramento Altaris.* 2. *Accidentia panis & vini non manent in eo ſine ſubiecto.* 3. *Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè & realiter, in propria perſona corporali.*

Seſſ. 13. Definitur *integrum Chriſti Corpus & Sanguinem tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri*: contrà contendentes pro cõmunione omnium ſub vtraque ſpecie.

Ex Conc. Flor. quo definitur, *in pane triticeo, ſiue azymo, ſiue fermentato, Corpus Chriſti veraciter confiteri: traditurq́, Armenis hac doctrina fidei de Sacramento Euchariſtiæ & reliquis, ſupra* col. 1. 2. 3.

Ex Conc. Trid. Seſſ. 13. & reliquis ſupra à *col.* 7.

Denique ex Conc. Vniuerſaliſſimo omnium ſimul ætatum ab origine Eccleſiæ: exemplo B. Aug. l. 1. contra Iulian. cap. 4.

## Apoſtrophe S. Aug. ad Iulianum.

*CVm te viderem inſano conuitio turbulentum, introduxi te ſedandum in SS. Patrum pacificum, honorandúmque Conuentum. Obſecro te aſpice illos aſpicientes quodammodò te, & manſuetè ac leniter dicentes tibi: ita ne fili Manichæi,* vel idololatræ *ſumus? An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes? Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo Martyrio coronare.* Infra. *Non eſt cur prouoces ad Orientis Antiſtites: quia & ipſi vtiq́; Chriſtiani ſunt, & vtriuſque partis terrarum Fides iſta vna eſt.* Infra. Cap. 5. *Sedeat ergo etiam Greg. Nazianz. S. Baſilius, S. Chryſoſtomus &c.*

Lib 2. cap. 10. *Te ante iſtos Iudices in tuo corde conſtituo: quos non amicos meos & inimicos tuos, in hac noſtra diſceptatione conſtitui Cognitores &c. Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt: nondum vobiſcum apud iſtos Iudices agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis contra vos latas ſententias recitamus.* Infra. *An quia non numerandas ſed ponderandas cenſes eſſe ſententias, & addis multitudinem nihil prodeſſe cœcorum: etiam iſtos cœcos,* imò & idololatras, *dicere audebis?* Infra. *Quereris examen vobis & Epiſcopale iudicium denegari &c. Si Epi-*

*ſcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur: mirum ſi tales poſſent illic facilè tot ſedere &c. Hos itaque de alijs atque alijs temporibus & regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos vides &c. Talibus poſt Apoſtolos S. Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, paſtoribus creuit &c.*

RATIONES.

QVantumuis hoc ſit myſterium Fidei, & opus abſolutæ voluntatis Dei, ſuprà omnem noſtræ rationis naturalis indaginem: non tamen contra, ſed ſecundum ipſam Dei dignitatem, & ſapientiæ Diuinæ perfectionem ac ordinem, imò & noſtram inde participationem, ac ſtatum ſupernaturalem. Quod hîc quibuſdam veræ rationis ſcintillis, ex ipſo quaſi ſilice cordis humani, ſed attritu ſeu monitu Chriſti ac SS. Patrum, excuſſis, eſt illuſtrandum ac præmuniendũ: contra varias Pſeudorationes ſeu vmbras, ſub fumo ac nebula naturæ corruptæ apparentes.

Nam ex hac monitione Chriſti Ioan. 6. *Hoc vos ſcandalizat?* ſcintillat & coruſcat in nobis quædam non tam interrogatio quam admiratio: quòd homines ex proprio affectu corrupto malitiæ, ſuperbiæ, inuidiæ, ipſum Chriſtum metientes, indignum Deo ac Chriſto ducant, quod ipſi dedignarentur; & vnde Fidem, Spem, Charitatem, & maximam diuinæ ac humanæ perfectionis eius æſtimationem concipere deberent; inde ſcandalum infidelitatis, diffidentiæ, & blaſphemiæ captent, ac contrahant.

Quid enim dignius diuina ac humana bonitate & charitate Chriſti: quàm hæc tanta tamque intima non tantùm ſuæ diuinitatis, ſed & humanitatis cõmunicatio? Vnde & meritò gratulamur: *Non eſt natio alia quæ habeat Deos appropinquantes, ſibi ſicut Deus noſter adeſt nobis.*

Quid dignius eius in nos paternitate, noſtraque ab eo adoptione, & per Baptiſmum regeneratione: quàm hæc noſtra nutritio; non tantùm quaſi ex ſudore paterno, aut lacte materno, ſed etiam ex toto ſeipſo? Vnde & meritò concinitur illud quaſi noſtrum votum impletum: *Quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* & S. Chryſ. hom. 61. ad populum Antioch. *Parentes quidem alijs ſæpè filios tradunt alendos: ego autem, inquit Chriſtus, carnibus meis alo.* Ita & homil. 83. in Matth.

Quid dignius fraterna ac filiali Chriſti charitate: quàm ſic nobis ſeu naturæ noſtræ humanæ, à qua accepit, Corpus & Sanguinem rependere? Vt S. Chryſ. ibidem. *Volui frater veſter fieri, carni propter vos & ſanguini communicaui: vobis viciſſim ipſam carnem & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum, trado.*

Quid dignius eiuſdem erga Eccleſiam ſuam charitate coniugali: quàm hæc ipſa reciproca non tantùm animi, ſed ipſius etiam Corporis communicatio? De qua verificari poſſit illud Gen. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* & Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & Eccleſiâ.*

Quid Sapientius, in remediũ non tantùm culpæ, ſed & cuiuſuis maculæ originalis: quàm vt qui ex reali participatione naturæ corruptæ Adami infecti ſumus, reali quoque participatione innocentiſſimæ naturæ humanæ Chriſti paulatim primæ innocentiæ reſtituamur?

Quid Sapientius, quàm vt quorum Animæ ex vnione reali cum Corpore vitiato vitioſæ ſunt: ex vnione reali cum ſanctiſſimo Corpore Chriſti ſanctificentur?

Quid Sapientius hac ſacra diſpoſitione per vnionem noſtram realem cum ſacra Chriſti humanitate, ad vnionem tandem realem, ac beatificam cum eius diuinitate?

Quid Sapientius, ad illud votum, ac intentum Chriſti Ioan. 17. *Volo Pater vt omnes vnum ſint, ſicut ego & tu Pater vnum ſumus, vt ſint conſummati in vnum*: quàm hic omnium fidelium conuictus, ex vno eodemque ſingulari ac integro cibo & potu Corporis & Sanguinis Chriſti?

Ex quibus rationis ac fidei noſtræ ſcintillis, earumque in cœlum vſque coruſcatione, nobis hæc veritas interlucens: non tantùm non ſcandalizat; ſed omnem animi contradictionem demulcens, ſibi totique Chriſtianæ Religioni eius aſſenſum conſenſum & affectũ conciliat, deuincit, ac conuincit eſſe vero Deo veraque eius Religione digniſſimam.

OBIECTIONES EX SACRA SCRIPT.

1. Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo eis non ſitiet in æternum. Dixit ei mulier: Domine da mihi hanc aquam vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.* Infra. *Dixit* IESVS: *Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis.* Ioan. 7. *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quæ non niſi de fide intelligi poſſunt: Ergo nec hîs ſimilia *Ioan. 6.*

*Reſp.* Eſſe valdè diſſimilia. 1. Quia Samaritana *Ioan. 4.* primo auditu perperam intelligens Chriſtũ de Aqua propriè: ſtatim correcta fuit & inſtructa de aqua fidei. 2. Quia hinc illa ſtatim appetijt, & petijt hunc potum: hi autem è contra. 3. Chriſtus *Ioan. 4.* non inculcat illud toties iurando cõminando promittendo &c. vt *Ioan. 6.* 4. Diſcipuli ſtatim etiã correcti, ac inſtructi fuerunt à Chriſto de cibo tantum ſpirituali: *Meus*, inquit, *cibus eſt vt faciam voluntatem Patris.* Vnde patet cibum ſpiritualem eſſe obiectum deſiderij: deſiderium eſſe quãdam famem ſpiritualem illius cibi; ſed executionem deſiderij, & aſſecutionem rei deſideratæ, eſſe ipſam manducationem ſpiritualem. Quæ non poſſunt conuenire manducationi Corporis Chriſti per ſolam eius fidem, nec per ſolum eius deſiderium: ſed non niſi per aliquam realem eiuſdem fruitionem. 5. Quia *Ioan. 7.* quamuis *fluxus ille fluminum è ventre*, per ſe ſatis ſignificet metaphoram: ſubditur tamen ſtatim eius expoſitio, *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.*

OBIECT. 2. *Ioan. 6.* Panis & Caro Chriſti de ſe inuicem affirmãtur: Ergo non niſi figuratè. Deinde ſatis explicatur de pane fidei, & de manducatione credendo. Denique totum tandem reſoluitur in

ſenſum

Digitized by Google

ſenſum ſpiritualem ſeu improprium his verbis. *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam: verba quæ ego locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt.*

*Reſp.* 1. Hîc per panem expreſsè ſignificari cibum. 2. Non vocari panem communem, ſed ſub aliquo titulo proprio Corpori Chriſti. 3. Vocari panem à termino à quo, ſeu materia ex qua, vel à forma exteriori panis, more communi ſacræ Script. De quo latius quæſt. ſeq. 4. Vocari panem fidei, ſeu comedendum credendo, vt verum & reale obiectum credibile & verè comeſtibile: vt ſupra & latius infra. 5. *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam:* nullatenus reuocare prædictionem, promiſſionem, & comminationem iuratoriam Chriſti, à ſenſu proprio ad aliquem improprium manducationis, aut carnis manducandæ: ſed referre totum affectum & effectum credendi, in efficaciam verbi Diuini, & Spiritus ſeu gratiæ intelligendi; non autem in vllũ ſenſum, vel intellectum carnalem, ſeu naturalem. Quaſi diceret: Non eſt carnis ſeu naturæ, ſed Spiritus, ſeu gratiæ, credere. Porrò hæc mea verba non ſunt humana, & inania: nec ſenſu carnali ac naturali excipienda aut credibilia; ſed Spiritus & vita ſunt, ſeu procedunt ex Spiritu & vita diuina, vel ſpirant & aſpirant Spiritum & vitam fidei, vel excipienda & credenda ſunt Spiritu vitæ ſeu gratia fidei. De quo latius ex B. Aug. infra. Vnde & ſubdit: *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credũt &c. Propterea dixi vobis: quia nemo poteſt venire ad me,* vtique per fidem, *niſi fuerit ei datum à Patre meo*, vtique per gratiam fidei.

Obiect. 3. Ioan. 16. *Expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero Paracletus non veniet ad vos &c.* Ergo Chriſtus non eſt hîc nobiſcum realiter, ſecundum ſuam humanitatem, ſed tantùm ſecundũ ſuam Diuinitatem: quia illa eius præſentia eſſet contra noſtram ſalutem, aut perfectionem Fidei, Spei, ac Charitatis erga Diuinitatem, ex nimio affectu ad humanitatem præſentem. Vt patet nõ tantum exemplo Apoſtolorum, quibus Chriſtus *Ioan. 17.* quaſi exprobat, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad Patrem vado*: ſed etiam experientia plurimorum, qui ita lactantur Sacramento Euchariſtiæ, vt vix poſſint ablactari ad Diuinitatem Chriſti.

Hinc quæ de præſentia Chriſti, vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine eius *Matt. 18.* vel vbique nobiſcũ vſque in finem huius ſæculi *Mat. 28.* & *Ioan. 14.* Si quis diligit me &c. ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus; ac *Epheſ. 3.* Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris; non niſi ſecundum diuinitatem intelligenda ſunt.

*Reſp.* Ex Tom. 2. noſtræ Anat. *col. 1102. 1103. 1104.* De ſola priuatione præſentiæ ſenſibilis, non autem realis ac Sacramentalis Chriſti, ad perficiendam Fidem & Charitatem, non tantum Diuinitatis, ſed etiam ſacræ Humanitatis. Quia præſentia ſenſibilis eſt tantum obiectum motiuum & terminatiuum cognitionis & affectus ſenſibilis ac naturalis: ſed præſentia realis Sacramentalis eſt obiectum & myſterium Fidei, exercens & perficiens nos in Fide & dilectione ſpirituali Chriſti, non tantum ſecundum Diuinitatem, ſed etiam ſecundum ſacram Humanitatem, vt coniunctam & participem Diuinitatis ſeu perfectionum Diuinarum in hoc præcipuè Sacramento. Quod probat Aug. ibidem *Tract. 94.* ex illo *2. Cor. 5.* Etſi noueramus ſecundum carnem, Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus.] Etiam ipſam, quippè carnem Chriſti non ſecundũ carnem nouit, qui verbum carnem factum ſpiritualiter nouit. Quod enim illud, *ſecundum carnem*, non ſignificet ipſam Chriſti carnem, ſed tantùm noſtrum de ea ſenſum carnalem: probat B. Aug. *Tract. 98.* ex illo *1. Cor. 2.* Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum. *Proinde*, inquit, *nec. ſic paruuli ſunt lactandi vt ſemper non intelligant Deum Chriſtum: nec ſic ablactandi vt deſerant hominem Chriſtum &c.* Ad quem ſenſum reducit illud *1. Cor. 2. & 3.* de diſtinctione inter carnales ſeu animales, & ſpirituales ſeu perfectos: & *Hebr. 5. & 6.* de lacte paruulorum ſeu imperfectiorum, & ſolido cibo Maiorum ſeu perfectiorum.

Quæ autem de præſentia Chriſti ſecundum Diuinitatem per Fidem & Charitatem: non excludunt, ſed potius commendant ſpecialem etiam aliquam præſentiam realem, ſed Sacramentalem ſecundum ſacram Humanitatem. Nam & Fideles perfectiſſimè congregantur in nomine Chriſti ſub hoc Sacrificio & Sacramento: & propriiſſimè Chriſtus nobiſcum eſt, ad nos venit, in nobis manet, ſeu habitat per Fidem & Charitatem, ſecundùm ſuam ſacram Humanitatem, vel gratiam aliquam quaſi eiuſdem vicariam: cùm ſecundùm ſolam Diuinitatem ſit vbique ac ſemper; nec ſit Chriſtus niſi vtriuſque ſimul naturæ; ſitque ſingulariter in hoc Sacramento obiectum Fidei & Charitatis; ergò non niſi realiter præſens, etiam ſecundũ ſuam ſacram Humanitatem. Quia ſecundum ſolam Diuinitatem eſt vbique obiectum Fidei & Charitatis.

## Obiect. 4. *Ex verbis inſtitutionis.*

PRonomen *Hoc* non videtur demonſtrare poſſe niſi panem quem Chriſtus aſſumpſit, & ſuper quo dixit *Hoc &c.* priuſquam Corpus Chriſti eſſet ibi demonſtrabile. Verbum *Eſt*, propriè non ſignificat fieri, ſed ſupponit eſſe: nec poteſt identificare prædicatum ſeu Corpus Chriſti, cum ſubiecto, ſeu pane demonſtrato: Ergò ſignificat tantùm quandam inter ea conuictionem, vel ſimilitudinem, eo ſenſu quo *Semen eſt verbum Dei, petra erat Chriſtus, Chriſtus eſt vitis &c.* Nomen, *Corpus*, poteſt ſupponere pro ſigno memoriali Corporis Chriſti: prout nomina ſæpè ſupponunt pro ſeipſis, & ſigna prognoſtica, aut commemoratiua pro ſuis ſignificatis. *Hoc facite in meam commemorationem: &, Hæc quotieſcumq; feceritis in mei memoriam facietis*: exigunt hunc ſenſum improprium omnium prædictorum. Denique, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* Matth. 26. Marc. 14. conuincit Apoſtolos non bibiſſe niſi vinum in memoriam Sanguinis ſeu mortis Chriſti. Quamuis enim S. Lucas videatur hæc referre ad priorem aliquem calicem vini: S. Aug. *lib. 3.* de conſenſu Euang. *cap. 1.* monet Lucam id narraſſe per anticipationem.

*Reſp.* Pronomen, *Hoc*, non demonſtrare id quod

Chriſtus primò accepit in manus ſuas: ſed quod poſt benedictionem & hanc formam conſecrationis, *dedit &c.* Quamuis enim *Mat. 26.* referat, *Deditque Diſcipulis ſuis & ait, Accipite & comedite, Hoc eſt enim Corpus meum*: non tamen ſignificat Chriſtum hæc dixiſſe poſtquam dediſſet actu; ſed dediſſe hæc dicendo,& hæc dixiſſe dando. Prout exprimit S. Lucas 22. *Dedit eis dicens*: Quomodo enim dixiſſet, *Accipite & comedite*, poſtquam iam dediſſet actu, & accepiſſent, ac comediſſent? Ergo ſenſus eſt Chriſtum prius hæc dixiſſe quàm daret actu: ſicque demonſtraſſe Corpus ſuū, ſiue ſub ratione huius cibi; ſiue ſub ratione contenti ſub his ſpeciebus, vt vult S. Thom. *3. p. q. 78. a. 2. & 5.* ſiue vt mauult Scotus *diſt. 8. q. 2.* ſub ratione huius entis.

Hinc verbum, *Eſt*, non ſignificat hoc .i. hunc panem fieri Corpus Chriſti: ſed hunc cibum, hoc contentum, vel hoc ens eſſe Corpus Chriſti: ſicque verè identificat prædicatum, cum ſubiecto; non autem ſignificat coniunctionem aliquam aut præſentiam, vel ſimilitudinem Corporis Chriſti cum pane.

Quamuis enim verbum, *Eſt*, aliquando etiam in ſacra Script. ſumeretur impropriè, ſeu tantùm ſignificatiuè: non tamen ordinariè nec indifferenter; ſed non niſi rarò,& ex neceſſitate, aut ſimilitudine contextus. Alioquin omnia fidei noſtræ myſteria potuiſſent ac poſſent ab hæreticis per talem ſignificationem, ac ſimilitudinem eiudi. Porrò nec hic contextus exigit talem ſignificationem, nec eſt vllatenus ſimilis, aut capax talis ſignificationis: ex vi pronominis demonſtratiui, poſſeſſiui, relatiui, totiuſque contextus ſupra *col. 278.* Cui prorsùs diſſimilis eſt illa propoſitio, *Semen eſt verbum Dei*, totuſque eius contextus. Nam nec demonſtrat vllum ſemen ſingulare; & ex profeſſo explicat parabolam illam ſeminis per omnes ſuas ſignificationes: nec tamen verbum *Eſt* ibi tàm ſumitur ſignificatiuè, quàm ſubſtantiuè; vt ſit ſenſus, ſemen illud non materiale, ſed ſpirituale de quo loquor, eſt verbum Dei, quamuis ſemen tantùm materiale quod Chriſtus non intendebat, ſignificet verbum Dei. *Petra autem erat Chriſtus*: non ſignificatiuè de petra illa materiali; ſed ſubſtantiuè de petra ſpirituali, ſignificata per illam materialem: vt ſit ſenſus, Petra autem illa ſpiritualis, ſeu ſignificata, erat verè Chriſtus. Ex Apoſt. 1. Cor. 10. *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Vtique conſequens & ſpiritualis, non autem illa materialis. *Chriſtus eſt vitis vera*: nec dicitur de hac vel illa vite ſingulari, nec de vlla vite materiali, nec de veritate talis ſubſtantiæ materialis, ſed de veritate fructificationis, vt patet ex interpretatione conſequente: nec verbum, *Eſt*, ibi ſumitur tàm ſignificatiuè quàm ſubſtantiuè, vt ſit ſenſus: Chriſtus eſt vitis ſpiritualis fructificans &c.

De nomine & proprietate *Corporis mei*, ſat ſupra *col. 277.* Tantum autem abeſt vt *Hoc facite in meam commemorationem &c.* vel minimum reuocet, quin potius confirmet totum ſenſum proprium. Nam pronomen, *Hoc*; iterum demonſtrat vel ipſum Corpus Chriſti, vel hoc ipſum factum Chriſti, non autem tantum aliquid huic vel illi ſimile, quod vtique non poſſet propriè dici hoc. Verbum, *facite*, vel ſignificat more S. Scripturæ, Sacrificare, vt ſupra *col. 347.* vel ſaltem ſignificat verè & realiter aliquid ſacrum facere, & quidem idem quod Chriſtus fecit, non autem tantum fingere aut ſignificare: vel denique eſt præceptum hoc ipſum faciendi, ſicque non niſi in ſenſu proprio præcepti. Finis faciendi *in commemorationem Chriſti*: non ſignificat vllam improprietatem, ſed relationem eiuſdem facti propriè dicti in commemorationem non tantum mortis Chriſti, ſed & ipſius Chriſti, & huius facti ac inſtitutionis eius. Hæc eſt enim perfecta ipſius Chriſti in hoc ipſo eius facto commemoratio. Sicuti, ſi quis teſtamento legaret alicui amico ſuum annulum geſtandum in ſui commemorationem: per hunc finem geſtandi, non alienaret ſed potiùs appropriaret ſignificationem annuli eius. Vel ſi quis ſtatueret Teſtamento vt poſt ſuam mortem omnes ſui amici epularentur ex ſuo cibo & potu, in ſui memoriam: hic finis non impropriaret, ſed vel maximè appropriaret ſignificationem,& epularum,& cibi ac vini proprij ipſius Teſtatoris. Ita &c.

Quoad dictum & prædictum Chriſti *Luc. 22.* ante *Matth. 28.* & *Marc. 14.* poſt conſecrationem & ſumptionem Corporis & Sanguinis Chriſti: quidam vtrumque confundunt in vnum, per anticipationem, poſtpoſitionem, aut recapitulationem eiuſdem: alij variè diſtinguunt ac verificāt vtrumque. Quorum optimè noſter A Capite Fontium *cap. 47.* tùm ex toto vtroque contextu; tùm ex mandato *Hoc faciendi*, ſeu totum quod Chriſtus fecit; tùm ex praxi ſacrificij conſecrandi ac ſumendi exemplo & mandato illo Chriſti; tùm ex illo S. Hier. Epiſt. ad Hebidiam *q. 2.* contra Chiliaſtas, qui hinc & aliundè fingebant ſibi reditum ac Regnum millenarium Chriſti in hoc mundo, comedendo & combibendo nobiſcum. *Nos autem*, inquit S. Hier. *audiamus &c. Hoc eſt Corpus meum &c. Hic eſt Sanguis meus &c.* Infra. *Dominus* IESVS *ipſe conuiua & conuiuium, ipſe commedens & qui commeditur: illius bibimus Sanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus; & quotidiè in Sacrificijs eius de genimine vitis veræ nouum vinum bibimus de Regno Patris, nequaquam in vetuſtate literæ, ſed in nouitate Spiritus &c.* Hinc illud dictū Chriſti ab hoc differre videtur: quod illud *Luc. 22.* ſit ante, hoc poſt mentionem Corporis & Sanguinis Chriſti: illud prædicat, *Ex hoc non manducabo illud Paſcha donec impleatur in Regno Dei &c. Non bibam ex generatione vitis, donec Regnum Dei veniat*: hoc autem Matth. 26. *Non bibam Amodò de hoc genimine vitis, vſque in diem illum cum illud bibam vobiſcum nouum in Regno Patris mei.* Illud verificari poteſt per conſequentem ſtatim inſtitutionem & ſumptionem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ab ipſo etiam Chriſto; ex vi illius, *Amodò*, quod ſupponit eum tunc bibiſſe ex illo genimine vitis, ſeu ex calice proprij Sanguinis quem ſuis Apoſtolis propinabat. Hoc verificari poteſt per Reſurrectionem Chriſti, & eiuſdem renouati Corporis & Sanguinis conſecrationem ac ſumptionem, ab ipſo etiam Chriſto poſt Reſurrectionem, vel ſaltem ab eius

Digitized by Google

eius membris & Corpore Eccleſiæ. Quæ quidem vt diſtincta, videtur ipſe S. Lucas eodem *cap. 22.* bis quoque retuliſſe: primò poſt Cœnam Legalem ac Sacramentalem, vt ſupra: deinde, paucis interpoſitis, *Et ego*, inquit Chriſtus, *diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum; vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo &c.* Quod non niſi de hac menſa Sacramentali propriè intelligi poteſt.

Quòd autem S. Aug. lib. 3. de conſenſu Euang: *cap. 1.* ob vtriuſque ſimilitudinem videtur hæc ad vnum idemque referre, quaſi *Luc. 22* præoccupatum; *Matt. 22.* ſuo ordine narratum: nihil derogat huic veritati Corporis & Sanguinis Chriſti. Quia ſic, *non bibam de generatione, vel de hoc genimine vitis*, referendum eſt vel ad vinum antea potatum, vel ad ipſum vinum conſecratum ſeu conuerſum.

OBIECT. 5. Act. 1. *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum ſic veniet.* Hinc credimus Chriſtum aſcendiſſe in Cœlum, ſedere ad dexteram Patris, indeque nonniſi ad extremum Iudicium venturum. Ergò non eſt verè ac propriè hic & illic in Sacramento. Nam Matth. 24. *Si dixerint vobis, Ecce hic, aut illic eſt Chriſtus, nolite credere.* Matt. 26. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis &c.*

*Reſp.* Quòd ſi agatur de poſſibili præſentia reali Chriſti in Cœlo & in hoc Sacramento, pertinere ad propriam Quæſtionem Scholaſticam, de qua infra: Si autem de facto ipſo, ex ſola authoritate Sacræ Scripturæ, Reſpondetur primò ex illo Chriſti Ioan. 6. *Si ergo videritis Filium Hominis aſcendentem vbi erat priùs.* Vbi, vel ex poſſibili ac futura Aſcenſione ſuæ integræ Humanitatis, corrigit ſcandalum ac errorem Iudæorum, de ſui quaſi per partes diuiſione in cibum & potum, ex B. Aug. ſupra: vel prædicit hanc ipſam obiectionem & incredulitatem.

*Reſp. 2.* Ex noſtro A Capite Fontiũ *cap. 134.* Quod ſi liceret ex vno Fidei articulo alium æquè expreſſum, ad ſenſum improprium traducere: æquè poſſet ex hac expreſſiſſima veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, deprauari realis Aſcenſio Chriſti in Cœlum, ad ſolam aliquam apparentiam, & ſic de reliquis.

*Reſp. 3.* Conciliandas eſſe ſacras Scripturas in ſenſu proprio, poſſibili, & congruo cuilibet contextui. Porrò *Act. 1.* nimis patet ſenſum proprium eſſe de Aſcenſu præterito, & Aduentu futuro Chriſti glorioſo ac viſibili, *Sic veniet &c.* Senſum proprium *Matt. 24.* eſſe de vera Fide & Eccleſia Chriſti: ſenſum proprium *Matt. 26.* eſſe de præſentia miſerabili ſeu miſericordiæ noſtræ capaci ac indigenti: Sed *Ioan. 6. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* Senſum proprium eſſe de vera ac reali præſentia Corporis Chriſti Sacramentali, ſecreta ac inſenſibili, ſub ſpecie panis & vini.

*Reſp. 4.* Hanc autem eſſe poſſibilem, patet. *1.* Ex Dei omnipotentia, nulláque huius præſentiæ impoſſibilitate. *2.* Ex ipſius Dei præſentia vbique. *3.* Ex præſentia reali animæ rationalis in tot membris ſui corporis. *4.* Ex vera ac reali, non autem illuſoria, vel tantùm imaginaria aut intellectuali apparitione Chriſti *Act. 9.* Quando Saulo petenti quis es Domine? Reſpondit, *Ego ſum* IESVS *&c.*

De qua reali apparitione Ananias ibidem teſtatur; *Dominus* IESVS *qui apparuit tibi in via.* Et ipſe Apoſt. *1. Cor. 15.* refert & comparat hanc Chriſti apparitionem poſt Aſcenſionem, cum alijs, vtique realibus, poſt Reſurrectionem.

*Reſp. 5.* Ex *2. Cor. 12.* Vbi Apoſtolus dubitans de ſuo raptu in tertium Cœlum, *ſiue in corpore, ſiue extra corpus*; cùm non ignoraret interim corpus ſuum hic deorſum fuiſſe: ſupponit non fuiſſe impoſſibile ſed poſſibile ſimul realiter in tertio Cœlo & in terra fuiſſe. Ex noſtro A Capite Fontium *cap. 138. 139.*

*Reſp. 6.* Ex ſtatu glorioſo & quaſi ſpirituali Corporis Chriſti rediuiui, inſtar Angelorum in ſubtilitate & agilitate. De quo Quæſt. Scholaſtica.

OBIECT. 6. Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem exhibuit ſe videndum & tangendum, ad probandam veritatem ac identitatem ſui Corporis: Ergo vbi aliter apparet, non eſt realiter præſens; alioquin illuderet ſenſibus. *Reſp.* Neg. conſeq. Quia non poteſt quidem palpari niſi Corpus: ſed & Corpus fieri poteſt actu inuiſibile ac impalpabile. Vt patet ex varijs miraculis, & ex ipſo imperceptibili tranſitu Chriſti per medium Iudæorum *Luc. 14.* Neque illa Chriſti diſparitio, aut hæc eius ſub ſpecie panis & vini, ſicut & *Ioan. 20.* ſub ſpecie Hortulani apparitio, eſt aut fuit illuſio vel deceptio; ſed potiùs vera inſtructio & ſignificatio; hæc quidem veræ præſentiæ Corporis & Sanguinis ſui in cibum & potum; illa autem, veræ Reſurrectionis Chriſti tunc necdum à Maria Magdalena creditæ. Reliqua ex Sacra Script. recurrent inter Obiectiones ex Patribus.

OBIECT. 7. Ex Matth. 15. *Omne quod intrat in os in ſeceſſum mittitur*: ergo Corpus Chriſti non intrat in os, ſed ſolus panis. *Reſp.* Ex Guidmundo, & præcipuè Algero lib. 2. cap. 1. contra Berengarium, hancque eius ſicut & noſtrorum Sacramentariorum obiectionem ſtercorariam, ore & auribus Chriſtianis indignam, qua tamen etiamnum multos idiotas inficiunt: illud Chriſti *Matth. 15.* eſſe tantùm de cibo materiali ac corruptibili corporum mortaliũ, contra delectum ſuperſtitioſum talium ciborum, qui omnes habent ſuas fæces in quas reſoluuntur; nullatenus autem de cibo ſpirituali ipſius animæ, vel etiam corporis glorioſi. Quamuis enim Corpus Chriſti in Sacramento ſit verè corpus, & verè cibus: non eſt tamen cibus corporalis, nec corporis, cibans corpora, vel corporaliter; ſed eſt cibus ſpiritualis, cibans tantùm ſpiritualiter ſeu virtualiter animas, nec habet vllas fæces in quas reſoluatur. Imo nec cibus corporalis, corporis immortalis ac glorioſi, quamuis comeſtus & digeſtus, reſolueretur in fæces ac ſeceſſum. Vt patet ex vera & vitali Chriſti manducatione poſt Reſurrectionem *Luc. , & Ioan. vlt. Act. 10.* Sed mirum eſt præfatos authores contra Berengarium, ad hanc obiectionem, ac expreſſam inſtantiam corruptionis experimentalis ſpecierũ conſecratarum, imò & poſſibilis inde nutritionis, non meminiſſe reſtitutionis aut ſubſtitutionis prioris vel vllius materiæ aut ſubſtantiæ, ad corruptionem aut nutritionem, pro vt nunc explicari ſolet: ſed reſpondere,

pondere,

Digitized by Google

pendere, quòd ſicut hic non eſt ſed tantùm videtur eſſe panis, ita nec hæc fiant, ſed tantùm fieri videantur; quia ſola ſubſtantia materialis non autem accidentia deſinunt in fæces aut materiam, vt nec ſpecies columbæ aut ignis, ſub quibus Spiritus S. apparuit, ex B. Aug. lib. 2. contra Max. cap. 19. *Quid deinceps inde fiat*, inquit Algerus, *ſi ſupradictæ rationes non videntur ſufficere: Deo, cuius eſt, fideliter & honeſtè committatur.* Cum non eſſet diſtinguēdus niſi ille eſſet realis, non autem hic. *Ad 8.* De hac litera occidente, *Niſi manducaueritis &c.* Occidit quidem in ſenſu cruento Capharnaitarum; ſed viuificat in ſenſu incruento proprio ac reali quamuis Sacramentali. *Ad 9.* De Sanguine Verbi, non carnis .i. Non amplius de ſanguine animalium vt olim; nec tantùm de ſanguine hominis ſed etiam de ſanguine Verbi Diuini, vtique effuſo, inquit, *in remiſſionem peccatorum.* *Ad 10.* De egeſtione huius etiam cibi materialis: vel loquitur tantùm de cibo communi, ſanctificato per benedictionem ordinariam; vel de pane tantùm ceremoniali Catechumenorum; vel de accidentibus, quæ poſſunt dici materialia reſpectu Sacramenti; vel denique de ipſa materia quæ reſtituitur corruptis accidentibus. *Ad 11.* Id eſt quod dedit Apoſtolis in cibum & potum, tradidit militibus crucifigendum &c. *Ad 12.* Vel de vino ante conſecrationem, vt ſigno quodam Sanguinis; vel de ſpeciebus vini poſt conſecrationem. Nec illa comparatio eſt ad æqualitatem: ſed tantùm ad aliquam ſimilitudinem. Imò hoc S. Cypr. ibi probat Sanguinem Chriſti Euchariſticum non eſſe aquam, ſed vinum: quia Chriſtus dixit, *Ego ſum vitis vera*: Et ex *Gen. 49. ac Eſa. 47.* lauit in vino ſtolam ſuam in vero ac propriè dicto ſanguine ſuo. *Ad 13.* Vt ſupra in communi, de repræſentando realiter ac perſonaliter, prout hic à S. Hieron. opponitur præfigurationi.

### *Obiectiones communes ex Patribus.*

QVòd quidam eorum nunc vocent panem & vinum Corpus & Sanguinem Chriſti: nunc eius repræſentationem, figuram, ſimilitudinem, typum Symbolum &c. Vt Iuſtinus Martyr ſupra, dum ait Carnem noſtram ali ex Euchariſtia. Tertull. *lib. 1. contra Marcion.* vocat Euchariſtiam *Panem in quo Chriſtus Corpus ſuum repræſentat.* Lib. 3. & lib. cōtra Iudæos, exponens illud Ieremiæ, *Venite mittamus lignum in panem eius &c. .i. in Corpus eius. Sic enim Chriſtus reuelauit, panem Corpus ſuum appellans, vt & hinc intelligas Corporis ſui figuram panis dediſſe.* Lib. 4. *Acceptum panem Corpus ſuum illum fecit, dicendo hoc eſt Corpus meum .i. figura Corporis mei.*

Origines Homil. 16. in Num. *Bibere dicimur Sanguinem Chriſti, etiam cum ſermones eius recipimus.* In Matth. 26. *Panis quem Deus verbum Corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animarum.* Hom. 17. in Leuit. *Niſi manducaueritis &c.* Ioan. 6. *Hæc litera occidit.* Hom. 9. in Leuit. *Non hæreas in ſanguine Carnis, ſed diſce potius ſanguinem Verbi &c.* In Matt. 15. *Et ille cibus qui ſanctificatur per verbum Dei, iuxta illud quod habet materiale, in ſeceſſum mittitur.* S. Cypr. ſerm. de Vnctione Chriſmatis. *Dedit Chriſtus in ſua menſa Apoſtolis panem & vinum: In Cruce verò manibus militum Corpus tradidit vulnerandum.* Epiſt. 3. ad Cæcilium. *Nec poteſt videri Sanguis Chriſti eſſe in Calice, quando vinum deſiſt Calici, quo Chriſti Sanguis oſtenditur.* Infra. *Sic Calix Domini non eſt aqua ſola aut vinum ſolum, quomodo nec Corpus Domini poteſt eſſe farina ſola aut aqua ſola.* S. Hier. in cap. 26. Matt. *Poſt typum Paſcha, Chriſtus aſſumit panem, & ad verum Paſchæ tranſgreditur Sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech fecerat, ipſe quoque veritatem Corporis & Sanguinis ſui repræſentaret &c.*

*Reſp. 1.* In communi, per panem vel intelligere cibum, vel materiam ex qua Corpus Chriſti conſecratur, vel denominare panem à ſola forma exteriori, vt latius quæſt. ſequenti de ipſa Tranſubſtantiatione: Per repræſentationem, ſignificare ipſam iteratam exhibitionem præſentiæ realis: per ſignum, figuram, typum, ſymbolum Corporis & Sanguinis Chriſti; vel ſignificare panem & vinum ante conſecrationem, quatenus habent aliquam analogiam ad Corpus & Sanguinem Chriſti; vel ipſam formam ſeu ſpecies panis & vini poſt conſecrationem, quatenus ſunt ſigna demonſtratiua Corporis & Sanguinis Chriſti præſentis ac latentis.

*Reſp. 2.* In particulari: Ad 1. illa verba, *ex quo &c.* referuntur ad cibum ſeu panem ex quo fit Euchariſtia, non autem ad ipſum cibum Euchariſticum. *Ad 2.* Vt in communi, de ſignificatione repræſentandi. *Ad 3.* De ligno miſſo in panem ſeu Corpus Chriſti ex *Ier. 11.* cùm inde ſignificetur crucifixio veri Corporis Chriſti, non poteſt de pane crucifixo niſi denominatiuè intelligi. *Ad 4.* De data *panis figura Corporis Chriſti*: videtur ſignificari ipſam figuram ſeu formam panis datam eſſe in figuram ſeu ſignum ſacrum Corporis Chriſti præſentis, ſicut priùs erat ſignum naturale ſubſtantiæ panis. *Ad 5.* Quaſi de interpretatione Corporis pro figura Corporis Chriſti: non eſt interpretatio ipſius Corporis, ſed pronominis (hoc): vt ſit ſenſus, Hoc quod eſt vel hactenus fuit tantùm figura, nunc eſt Corpus meum. Vel Hoc .i. hæc figura, vel contentum ſub illa, eſt Corpus meum. Vel denique, Hoc quamuis ſit realiter Corpus meum: eſt tamen etiam figura ſeu ſignum tàm demonſtratiuum quàm rememoratiuum Corporis mei. *Ad 6. & 7.* De cibo & potu verbi Dei, eſt tantùm expoſitio myſtica, ſupponens, imò ſatis exprimens ipſam propriam, diſtinguendo potum Sacramentalem à potu verbi Dei.

### *Obiectiones ex S. Auguſtino, ordine Retract.*

1. Ex lib. contra Adimantum cap. 12. *Ex eo quod ſcriptum eſt* Deut. 12. *Sanguinem pecoris animam eius eſſe &c. poſſum interpretari præceptum illud in ſigno eſſe poſitum. Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc eſt Corpus meum: cùm ſignum daret Corporis ſui.* Infra. *Quod lex dixit fundendum eſſe ſanguinem, nec in eſcam aſſumendum, quia ſanguis eſt anima: eſſe poſitum dicimus ſicut alia multa & penè omnia Script. illarum Sacramenta figuris plena ſunt &c. Sic eſt enim ſanguis anima, quomodo Petra erat Chriſtus* 1. Cor. 10. *Notum eſt autem filios Iſrael Petrâ percuſſâ bibiſſe in eremo*

Exod.

Digitized by Google

Exod. 17. *Nec tamen ait, Petra ſignificabat Chriſtum: ſed Petra erat Chriſtus. Quæ rurſus ne carnaliter acciperetur, ſpiritalem illam vocat: ideſt, illam ſpiritaliter intelligi docet.*

Ad hanc Obiect. refert Bellarminus *lib. 2. de Euchar. cap. 24.* tres Reſp. *1.* Hoc non eſſe S. Auguſtini ex propriâ ſententia, ſed ex opinione Manichæorum: ad tuendam contra Manichæos veritatem ſacræ Script. in veteri Teſt. ex veritate ſimilis locutionis in ipſo nouo Teſt. ſecundum ipſorummet errorem, qui negabant Chriſtum habuiſſe verum Corpus proprium, aut in eo verè paſſum fuiſſe, ſed tantùm in ſigno & apparentia.

*2.* Sacramentum Euchariſtiæ eſſe ſignum Corporis Chriſti: non tamen vt abſentis, ſed vt realiter præſentis & contenti. Sicut ſanguis eſt ſignum continens ſeu conſeruans animam in corpore.

*3.* Ipſum Corpus Chriſti eſſe ſignum ſuiipſius vt crucifixi ac immolati. Sed contra. Nulla ſubeſt ratio ex toto contextu alienandi hoc à propria ſententia Auguſtini: nec fit comparatio cum ſanguine in ipſis venis ſignificante ac conſeruante præſentiam animæ; ſed cum ſanguine effuſo ac potabili, ſignificante potiùs mortem & abſentiam animæ; nec dicitur hoc eſſe ſignum mortis Chriſti, ſed ipſius Corporis Chriſti; nec tantùm fit comparatio cum Sanguine, ſed & cum petra, & alijs figuris antiqui Teſt.quę denominabãtur ab ipſis rebus præfiguratis.

*Reſp.* Confirmando & augendo priores reſponſiones. *1.* B. Auguſtinum ſæpè tam acutè argumentari & conuincere aduerſarios ex propria ſententia, vt vix percipiatur. Vnde & *lib. 1. Retract. cap. 9.* & de Dono perſeuer. *cap. 11. 12.* ita explicat ſua quædam ex *lib. 3.* de libero arbitrio *cap. 20. 21.* Hîc tamen expreſſè, à propria reſponſione, quòd ſanguis dicatur anima bruta, non humana *Deut. 12. Leuit. 17.* declinat etiam ad reſponſionem ſecundùm errorem Manichæorum: quamuis omnes animæ eſſent promiſcuæ, ſanguis dici poſſet anima ſignificatiuè. Sed ſingulariter ad hoc noſtrum intentum *lib. 20.* contra Fauſtum *cap. 11.* prout ibidem ad quandam Obiect. monebimus.

*Reſp. 2.* Ex Tomo noſtræ Anat. *col. 121. 122.* prohiberi *Deut. 12. & Leuit. 17.* effuſionem cuiuſuis ſanguinis ad eius eſum vel potum, ſeu eſum & potum ſanguinis ſiue effundendi ſiue effuſi: *Quia*, inquit, Leuit. 17. & Deut. 12. ex Græco, *anima omnis carnis ſanguis eius eſt*: ex Hebræo, *anima omnis carnis ſanguis eius*: ex vulgata, *anima omnis carnis in ſanguine eſt*: imò Deut. 12. *Sanguis pro anima eſt.* Non, *in ſanguine*, ſubiectiuè, informatiuè, aut localiter: ſed ſignificatiuè, & conſeruatiuè. *Pro anima* .i. vel vice animæ, ſeu vitæ, vel in ſolum ſacrificium pro ſalute animæ: non autem etiam in cibum, ſicut carnes animalium. Sed hæc lex finaliter eſt contra crudelitatem & cruentam effuſionem ac potationem ſanguinis humani, ſeu antropophagiam. Vnde & *Act. 15.* aliquamdiu reſumitur in noua Lege abſtinentia à *ſanguine & ſuffocato.* Siue ergò ſanguis ſit ſiue necdum ſit effuſus: nec debet cruentè effundi in potum, nec effuſus potari; quia ſanguis ſignificat & conſeruat animam .i. non eſt ordinatus ad potum, ſed ad conſeruationem animæ ſeu vitæ præſentis, niſi in ſacrificium ſeu proteſtationem ſupremi Dominij Dei ſuper vita & morte omnium viuentium. Vt patet ex B. Aug. *qu. 57. in Leuit. 17. col. 642. noſtræ Anat. Quid eſt quòd prohibendo edendum ſanguinem dicit, Anima omnis carnis ſanguis eſt?* Infra. *In omni carne etiam hominis caro deputatur. An quia per ipſum maximè in hac carne viuitur &c. ipſam vitam corporis vocauit animam &c? vita itaque iſta temporalis maximè ſanguine continetur in corpore. Sed quid eſt quod ait: Dedi vobis eum ad altare Dei, vt exoret pro anima veſtra?* Infra. *Reſtat itaque vt quoniam pro anima noſtra exorat Mediator ille, qui omnibus ſacrificijs illis præſignrabatur: illud appelletur anima quod ſignificat animam &c.* Vt Gen. 41. *Septem ſpicæ, ſeptem anni ſunt &c. Septem boues ſeptem anni ſunt.* 1. Cor. 10. *Petra erat Chriſtus. Non enim dixit, Petra ſignificat Chriſtum: ſed tanquam hoc eſſet, quod vtique per ſubſtantiam non hoc erat, ſed per ſignificationem &c. Quærendæ etiam locutiones, per id quod continet id quod continetur: vt quoniam anima ſanguine tenetur in corpore &c. eius nomen ſanguis acceperit. Sicut Eccleſia dicitur locus quò Eccleſia congregatur &c.* Infra. *Sed quid ſibi vult quòd à ſanguine ſacrificiorum tantoperè populus prohibetur: ſi illis vnum hoc ſignificabatur à cuius ſanguine in alimentum ſumendo non ſolùm nemo prohibetur*, Ioan. 6. *Sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur qui volunt habere vitam?* Quæ eſt potiùs admiratio, quàm quæſtio: Nec reſoluitur vt prior illa quæſtio per ſolam ſignificationem, ſeu potum ſolius ſigni ſanguinis Chriſti: ſed vt longè grauior & mirabilior, quadam admiratione ſuſpenditur. Cur quæſo? niſi quia Deus noluit vnquam homines cruentari ſorbendo ſanguine: ſed olim ſub ſigno illo ſacrificiorum cruentorum ſola fide participare morti cruentæ Chriſti, nunc autem etiam re ipſa, ſeu reali ſed incruenta participatione eiuſdem ſanguinis effuſi. Ex quibus ſupereſt tantùm difficultas de ſenſu quo *1. Cor. 10.* Petra erat Chriſtus. De quo ex profeſſo *Tract. 26. in Ioan.* Sed ſub hac monitione, ne quid hic difficultatis ſuperſit: comparatione harum propoſitionum, *Sanguis eſt anima. Hoc eſt Corpus meum, Petra erat Chriſtus, ſeptem ſpicæ ſunt ſeptem anni*; non omnes fieri aut intendi à B. Aug. ad æqualitatem; ſed tantùm ad aliquam ſimilitudinem magis minuſvè adæquatam. Nam ſupra in *Leuit. 17.* inquirit adhuc locutiones his poſterioribus perfectiores ad ſignificandum contentum per continens: vt iturque nomine Eccleſiæ. Ergò ad verificandum quòd ſanguis ſit anima, ſicut Sacramentum Euchariſtiæ eſt Corpus Chriſti; non ſufficit ipſi ſola ſignificatio, ſed requirit etiam continentiam ac præſentiam realem ſui ſignificati. Nec obſtat quod Eccleſia non ſemper actu contineat fideles præſentes, ſicut nec ſanguis ſemper animam: quia comparationes nunquam ſunt vſque ad identitatem; ſufficitque hæc comparatio in ratione contentiui, non autem neceſſariò in ratione continentis actu. Sed hoc habet Sacramentum Euchariſtiæ præ Sanguine & Eccleſia: quòd illud inſeparabiliter contineat, quamdiu eſt, hæc autem ſeparabiliter.

*Reſp. 3.* Ex ipſo Chriſto 1. Cor. 11. *Hoc facite in meam*



Digitized by Google

*meam commemorationem &c.* & ex Apoſtolo ibidem: *Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Vbi, quòd Chriſtus dixit in ſui memoriam: Apoſtolus explicat, in memoriam mortis eius: vel quod Chriſtus dixit de Corpore & Sanguine ſuo ſeorſim, in ſui memoriam: hoc Apoſtolus coniunctim, in memoriam mortis eius; quia ſingulæ ſpecies ſeorſim ſunt in memoriam Chriſti, ſeu Corporis aut Sanguinis eius; ſed coniunctim, ſunt in memoriam mortis ſeu effuſi Sanguinis & vitæ ex Corpore. Nam nec realis præſentia, nec identitas ſignificati eſt contra rationem ſigni: ſed potiùs de veritate ac perfectione eius. Vt præclarè explicat noſter A Capite Fontium *cap. 123.* ſub voce *Sacramentaliter*: ex ipſa veritate, perfectione, ac exemplificatione ſignorum. Nam ſicut hædera appenſa non eſſet verum ſed falſum ſignum, ſi intra domum non eſſet verum vinum, realiter præſens, & vendibile: ita nec eſſet verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, niſi realiter contineret Corpus & Sanguinem Chriſti in cibum & potum. Vnde & ſoluit non ſolum hanc ex B. Aug. ſed & huic ſimiles ex alijs PP. ipſa verbali ſolutione Paſchaſij ſupra col. *290.* Quibus adde, quòd quando hoc Sacramentū vocatur figura Corporis Chriſti: non intelligatur vt antiquæ figuræ Chriſti futuri, nec vt nouæ rememoratiuæ præteriti, ſed vt vmbræ Corporis præſentis, vel potiùs vt figuræ ſuorum corporum, excepta inhærentia. Nam Corpus Chriſti eſt æquè præſens, imò & præſentius ſpeciei conſecratæ, quàm vllum Corpus ſuæ propriæ figuræ. Quia hæc ineſt tantùm ſuo Corpori ſecundum exteriorem ſuperficiem: Corpus autem Chriſti côexiſtit intimè toti ſpeciei conſecratæ; ſed dicitur ſubeſſe, non ſubiectiuè aut localiter, ſed tantùm ſignificatiuè & demonſtratiuè, contentiuè, retentiuè, ſeù conſeruatiuè. Sicut ergò ſi quæ dicatur alicuius forma aut figura, non negatur, ſed affirmatur ſubeſſe realiter eius verum Corpus: ita cùm hoc Sacramentū dicitur figura Corporis Chriſti. Sed hæc dicitur potius figura quàm forma: Quia forma eius propria & intrinſeca eſt humana: Hæc autem eſt figura & quaſi larua alterius Corporis ſcilicet panis & vini. Idem noſter A Capite Fontiū *Cap. 108.* De identitate reali ſigni ac ſignificati.

*1.* Ex communi modo loquendi & agendi, exhibendo ſeipſum præſentem Iudici aut Principi ad refricandam ſuiipſius memoriam. *2.* Ex ratione obiecti præſentis, mouentis ſenſus, & inde memoriam. *3.* Ex illo S. Aug. quod moriens obliuiſcatur ſui qui viuens oblitus fuit Dei. *4.* Exemplo veræ Mannæ *Exod. 16.* reſeruatæ in memoriam dati in deſerto. *5.* Ex prece noſtra communi, vt Deus meminerit noſtri. Adde *6.* ex Guidmundo *lib. 2.* Chriſtū ipſum *Luc. 2* dici *poſitum in ſignum* etiam ſuiipſius: ſicut quis ſuo motu ſignificat ſeipſum viuentem, propitium, iratum &c. Monet tamen Euchariſtiam ſæpius dici Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti intranſitiuè, quàm tranſitiuè. Sed Algerus *lib. 1. cap. 5. & 18.* potiùs diſtinguit Sacramentum Corporis Chriſti ab ipſo Corpore. Landfrancus etiam exemplificat in apparitione Chriſti fingentis ſe longius ire *Luc. 24.* i. ad cœlum, ex B. Aug. *contra Mend. cap. 13.* Sic & de varijs apparitionibus Dei, Angelorum, & Chriſti hominis, verè præſentium ſub varijs formis.

*Reſp. 4.* Nō dubitauit Dominus dicere, *Hoc eſt Corpus meum*: Non de dubio in ipſo Chriſto cuius non erat capax: ſed in nobis, ſeu in ſuis verbis, eorumque vero ac proprio ſenſu. Ideſt, nec ſub vllo dubio dixit, nec vlli dubio vel occaſioni dubitandi expoſuit: *Cum ſignum daret Corporis ſui.* Ergò tale ſignum dabat, cui non ſuberat nec ſubeſt ratio dubitandi, quin ſit, ſeu verè ſignificet & contineat Corpus Chriſti realiter præſens. Subdit autem longam expoſitionem de Carne & Sanguine regnum Dei non poſſeſſuro: ſed in corpus ſpirituale, verum tamen & humanum, immutando *1. Cor. 15.* Non tantùm ad conciliandum quòd ſanguis ſignificatiuè & conſeruatiuè dici poſſit vita & anima humana: ſed etiam quòd hoc ſignum Corporis Chriſti ſignificatiuè & contentiuè poſſit verè dici Corpus Chriſti; non ſenſibile & extenſum, ſed iam ſpirituale ac modo ſpirituali, verum tamen & reale verè & realiter præſens.

Reſp. 5. *Cùm daret ſignum Corporis ſui*: poſſe intelligi de hoc ſigno verbali, quo & ſignificauit, & fecit, & dedit Corpus ſuū realiter præſens in cibum.

OBIECTIO 2.

Ex lib. 3. De Doctrina Chriſtiana cap. 16. *Si preceptiua locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem, aut beneficentiam iubens, non eſt figurata: ſi autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt.* Vt Ioan. 6. *Niſi manducaueritis &c. facinus vel flagitium videtur iubere. Figura eſt ergò præcipiens Paſsioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recondendum in memoria quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit.*

*Reſp. 1.* Ex Bellarm. *lib. 1.* de Euchar. *cap. 7.* figuram eſſe in modo manducandi, non autem in re ipſa: quia figura eſt tantùm in eo quod eſſet ſcelus vel flagitium, videlicet cruentè & per partes ſectas manducare ac bibere, in ſenſu Capharnaïtarum. Vt monet B. Aug. in Pſalm. 98. & Tract. 27. in Ioan. non autem incruentè & integrè, modo ſpirituali ſeu Sacramentali; ſed vero ac reali, quamuis in memoriam Mortis Chriſti, vt *1. Cor. 11.*

*Reſp. 2.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 184. 185. 186.* retorquendo hanc ipſam obiectionem, ad confirmandam veram ac realem præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento. Nam S. Aug. ſtatuit hic regulam certam interpretandi propriè verba Sacræ Script. ſecundùm veritatem, puritatem, charitatem, & omnem perfectionem Deo dignam; nec vnquam declinandi ab hac proprietate verborum, niſi exigente eadem dignitate Dei & doctrinæ eius: nihil autem eſt dignius veritate, puritate, & charitate Dei, quàm dare nobis verum Corpus & Sanguinem ſuum ſub Sacramento, in cibum & potum, ad nutritionem ſpiritualem animarum, nihil indignius veracitate & charitate Dei, quàm fingere, & illudere verbis metaphoricis tanquam proprijs ſupponendo nobis ſolam figuram Corporis & Sanguinis ſui pro veritate, & inducendo nouum genus

idolo-

Digitized by Google

idololatriæ pro vero Dei cultu; ergò hæc verba Chriſti intelligenda ſunt in ſenſu proprio, & nullatenus metaphorico, niſi ſecundum id quod eſſet ibi flagitioſum vel facinoroſum. Nihil autem eſt tale, ſed oppoſitum in dando & recipiendo realiter, ſeu Sacramentaliter inuiſcerando nobis Corpore & Sanguine Chriſti: ergò in hoc nulla eſt figurata ſed propriiſſima locutio, etiam ſecundum expreſſam intentionem B. Aug. Quòd autem ait, *flagitium vel facinus videtur iubere* Ioan. 6. *figura eſt ergo &c.* reſtringendum eſt ad id quòd videtur eſſe facinus ſeu flagitium, videlicet comedere Corpus, & bibere Sanguinem Chriſti modo cruento, & antropophagico; ſiue flagitioſè per inſanam cupiditatem, ſiue facinoroſè per rabidam crudelitatem. Sub Sacramento autem ſumenda ſunt duobus oppoſitis modis: puriſſimè, contra omnem rationem flagitij; & pijſſimè, contra omnem rationem facinoris.

Confirmatur ex inclinatione naturali amantium ad mutuam & intimam præſentiam, ſeſeque inuicem inuiſcerandum ſi fieri poſſet ſine ſuffocatione, diuiſione, aut læſione. Hinc Gal. 4. *Si fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.* Et quædam bruta animalia ex hoc affectu naturali catulos ſuos ſtringendo ſuffocare, imò & deuorare dicuntur.

*Reſp.* 3. Ex eodem noſtro Tomo 2. Nequidem in ipſa vera ſignificatione comedendi Corpus, aut bibendi Sanguinem Chriſti, eſſe vllam metaphoram: quia non eſt dandus locus metaphoræ in tam ſincero ac ſerio Chriſti præcepto ac promiſſo, vltra neceſſitatem, & expreſſam hîc intentionem B. Aug. Nulla eſt autem neceſſitas impropriæ manducationis aut bibitionis: tum quia non ſignificat propriè ſolam comeſtionem per maſticationem aut diuiſionem cibi, nec bibitionem per fluxum localem potus: ſed tantùm traiectionem cibi nutritiui, & potus liquidi per os in ſtomachum: tùm quia non eſt neceſſaria diſtinctio comedendi & bibendi; ſed idem poteſt ſimul comedi & bibi: tùm quia eadem ſubſtantia diſtinctè poteſt comedi & bibi, ſub diſtinctis accidentibus: tùm quia non eſt propriè ſubſtantiæ ſecundùm ſe comedi & bibi diſtinctè, ſed ſecundùm ſua accidentia: tùm denique quia comedere & bibere ſolent ſignificare integram refectionem, qualis eſt hîc.

Quæ quidem cum ſint tantùm moralia, ſufficit exemplificari. Quis enim non dicat & ſentiat grana ab auibus comedi, quæ integra deglutiuntur: aut minora animalia quæ à maioribus integra deuorantur? Quis dubitet offas liquidas, carnes eliquatas, lac, & ſimilia ſimul comedi & bibi? Quis dubitat ſubſtantiam ſecundùm ſe non eſſe ſiccam aut humidam, concretam aut fluidam & liquidam, ſed ſecundùm ſua accidentia? Quis dubitat bibi etiam potum fiſtulâ infuſum per os in ſtomachum &c?

*Reſp.* 4. Figuram ex B. Aug. non eſſe in eo quod verè *videtur*, aut videri ſeu intelligi debet in ſenſu proprio, fideli, & debito verbis Chriſti: ſed in eo quod *videtur iuberi* ſenſu humano, infideli, & Capharnaïco quaſi comedendo & bibendo ſeu laniando cruentandum foret Corpus Chriſti, vel ora noſtra eius Sanguine: cùm hinc tantùm ſignificetur figuratè imbibendam eſſe memoriam, intellectum, & voluntatem pia recordatione, fide, affectu, & fructu Paſſionis Dominicæ. Quod patet tùm ex *Ioan.* 6. Vbi Chriſtus errorem illum imputat incredulitati, non autem verborũ improprietati: tùm ex *Tract.* 27. B. Aug. ſupra, vbi etiam hanc incredulitatem imputat eorum prauæ voluntati, & ſenſui humano: tùm ex B. Aug. hîc, vbi dum ait, *ſi flagitium aut facinus videtur iubere, figurata eſt*: per *videtur* intelligit prout videri debet, ex vi verborum, & fide debita loquenti. Dùm autem ſubdit, *Niſi manducaueritis &c. facinus aut flagitium videtur iubere*: intelligit videri tantùm ex vitio videntis, non iubentis. Tùm denique ex Apoſtolo hanc ipſam figuram commendante 1. Cor. 11. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: Mortem Domini annunciabitis*: ſeu eius fidelem memoriam, affectum & fructum imbibetis.

OBIECTIO 3.

Ex lib. 4. cap. 28. Vbi refert ex S. Cypr. de Sacramento Calicis. *Calix vino mixtus offeratur. Nam cum dicat Chriſtus*, Ioan. 15. *Ego ſum vitis vera: Sanguis Chriſti non aqua vtique eſt, ſed vinum; nec poteſt videri Sanguis eius quo redempti ſumus eſſe in Calice, quando vinum deſit Calici, quo Sanguis Chriſti oſtenditur.*

*Reſp.* Hoc eſſe potius pro. 1. Quia alioquin æquè repræſentaretur Sanguis Chriſti per aquam, aut aliũ liquorem, quàm per vinum, aut nonniſi per vinum rubrum. 2. Quia ſi Chriſtus eſt vitis vera, debet habere ſuum vinum, ſeu potum Sanguinis ſui: ſicut vinum dicitur ſanguis vuæ *Deut.* 22. Neque enim vitis aut vua ſibi ipſi habet vinum, ſed ad potum noſtrum. 3. Quia, *non poteſt*, inquit, *videri Sanguis eius quo redempti ſumus eſſe in calice &c.* quæ ſupponunt verè ineſſe vt poſſit videri & oſtendi. Nec enim poteſt intelligi de videri, oſtendi, & tamen non ineſſe: quia hoc eſſet indignæ falſitatis ac fallaciæ.

OBIECTIO 4.

Ex lib. 12. contra Fauſtum cap. 29. *col.* 235. 236. *noſtra Anat.* differatur in Tract. 26. ſuper Ioan.

OBIECTIO 5.

Ex lib. 20. contra Fauſtum cap. 11. *Chriſtus ſecundùm præſentiam ſpiritalem nullo modo pati poſſet: ſecundùm verò præſentiam corporalem, ſimul in Sole, & in Luna, & in cruce eſſe non poſſet.* Ergò nec poteſt eſſe realiter in cœlo, & quaſi vbique in Sacramento.

Ad Reſp. ſupponendus eſt ſequens contextus. Ex *cap.* 11. *Fauſtus ait, ex viribus S. Spiritus, aut ſpiritali profuſione terram quoque concipientem gignere patibilem* IESVM, *qui eſt vita & ſalus hominum, omni ſuſpenſus eſt ligno. O demens &c. Poteſtne terra de ſpiritu S. concipere patibilem* IESVM: *&* MARIA *non potuit?* Infra. *Cum omnes arbores crucem ipſius eſſe dicatis: cur non ſicut illum verum* IESVM *Ioſeph ille ab Arimathia de cruce depoſuit, vt ſepeliret: ita & vos poma decerpitis, vt* IESVM *veſtro ventre ſepeliatis?* Infra. *Dicite nobis, quot Chriſtos eſſe dicatis. Aliuſne eſt quem concipiens terra patibilem gignit &c. Alius quem Iudæi crucifixerunt ſub Pontio Pilato, & tertius ille per Solem Lunamq; diſtentus? An vnus atque idem*



Digitized by Google

*ex quadam ſui parte ligatus in arboribus ex quadam verò liber &c? Quòd ſi ita eſt: ille quem ſub Pontio Pilato paſſum eſſe conceditis, cùm eum ſine carne fuiſſe narretis &c. ſecundùm præſentiam ſpiritalem illa pati nullo modo poſſet: ſecundùm præſentiam verò corporalem ſimul & in Sole, & in Luna, & in Cruce eſſe non poſſet. Proinde ſi corpus non habuit, non eſt crucifixus: ſi autem habuit, quæro vnde habuerit, cùm omnia corpora ex tenebrarum gente eſſe dicatis &c. Vnde cogimini aut ſine corpore dicere crucifixum, aut in phantaſmate potius quàm in veritate viſum fuiſſe crucifigi, aut non omnia corpora de gente eſſe tenebrarum, ſed eſſe etiam corpus Diuinæ ſubſtantiæ, quod tamen poſſit occidi, aut ex gente tenebrarũ mortale corpus habuiſſe Chriſtum &c. Si autem propterea* IESVM *dicitis eſſe in arboribus, &* IESVM *crucifixum ſub Pontio Pilato, &* IESVM *per Solem Lunamq; diſtentum, quia totum hoc ex vna eademq; ſubſtantia eſt: cur non & cætera millia Numinum veſtrorum hac appellatione concluditis?*

Ex cap. 12. *Aut cur non totum ſimul vnus Chriſtus, ſi propter vnam ſubſtantiam & in arboribus Chriſtus, & in perſecutione Iudæorum Chriſtus, & in Sole ac Luna Chriſtus? Nempe vias omnes veſtra phantaſmata perdiderunt, nempe nihil aliud ſunt quàm viſa furentium.*

Ex cap. 13. *Cur autem arbitretur Fauſtus parem nobis eſſe religionem circa panem & calicem, neſcio: Cùm Manichæis vinum guſtare, non religio ſed ſacrilegium ſit &c. Noſter autem panis & calix, non quilibet (quaſi propter Chriſtum in ſpicis & ſarmentis ligatum, ſicut illi deſipiunt) ſed certâ conſecratione myſticus fit nobis Corpus Chriſti, non naſcitur. Proinde quòd non ita fit, quamuis ſit panis & calix: alimentum eſt refectionis, non Sacramentum religionis &c. Vobis autem per fabulam veſtram in eſcis omnibus Chriſtus ligatus apponitur, adhuc ligandus veſtris viſceribus, ſoluendusque ructatibus &c. Quomodo ergò comparas panem & calicem noſtrum, & parem religionem dicitis errorem longè à veritate diſcretum: peius deſipiens quàm nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere exiſtimant.*

Hinc *Reſp. 1.* Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 241. 242.* Hæc tantùm videri contra opinionem illam Scholaſticam, quòd Corpus Chriſti poſſit eſſe in pluribus ſimul locis etiam corporaliter & extenſiuè: non autem contra præſentiam ſpiritualem ſeu indiuiſibilem ipſius Corporis Chriſti, inſtar ſpirituum; nec contra plures ſimul tales eiuſdem corporis præſentias Sacramentales, inſtar eiuſdem animæ in pluribus partibus corporis.

Verum nec ſunt hæc ex mente Auguſtini contra plures ſimul poſſibiles præſentias extenſiuas eiuſdem corporis: ſed tantùm contra illud delirium Manichæorum, quòd Chriſtus ſit patibilis in omnibus plantis, ſuſpenſus ex omni arbore quaſi ex cruce, & diſtentus ſecundum ſuas virtutes per Solem & Lunam: neque tamen habeat vllum verum corpus ſecundum quod poſſit pati, ſuſpendi, diſtendi: cùm ſecundum præſentiam ſpiritualem ſuæ Diuinitatis, ſit prorſus impaſſibilis & indiuiſibilis.

Nec videatur abſolutè ſupponere verum corpus non poſſe ſimul eſſe in Sole, Luna, & Cruce: ſed tantùm ad hominem, ſeu ſecũdum eorum errorem, qui nec poterant concipere nec credere vllam entitatem aut præſentiam ſpiritualem, ſed tantùm corporalem, & diuiſibilem; nec diſtinguere ipſam ſubſtantiam à ſua præſentia, & extenſione, ſed tantùm imaginari Chriſtum ſecundum ſuas virtutes, & ſuas partes entitatiuas eſſe diſtentum per Solem, Lunam, plantas, &c. Nam de diſtentione per partes entitatiuas in plantis ſat patet ex præmiſſis. De diſtentione autem virtutum ſuarum ex cap. 8. *Itane deteſtanda & anathematizanda ſtultitia, Chriſtus per Solem Lunamque diſtentus: hic virtute habitans, hic ſapientia: nec hic perfectus & plenus, i.e. in Sole ſapiens, nec in Luna præpotens &c.* Hoc ergò inſano ſenſu, nec verum corpus, nec vllum ens poteſt ſimul eſſe in Sole, Luna, Cruce, ſeu in quibuslibet pluribus ſimul locis: quia eſſet contra identitatem aut integritatem cuiuſuis entis, ita diſtendi ſeu diuidi à ſeipſo ſecundum ſuas virtutes & partes entitatiuas.

*Reſp. 2.* Ex noſtris Exorciſmis contra Samuelem inuerſum, ſeu Elymam Magũ *Act. 13.* ab Anno 1635. qui cum ſuo Hottonio, in noſtris Conferentijs Lymburgenſibus publicè conuicto, patrocinans, cenſurâ ſua 15. in noſtram illam Conferentiam, exprobraret nobis hunc Manichæiſmum, quòd *ſicut illi Chriſtum in Sole adorabant, ita, & nos Deum, Chriſtum, & SS. in imaginibus &c.* Nos ei hunc inter alios, cum fœnore Manichæiſmos rependimus. Vos ipſi eſtis qui cum Manichæis inſanitis, Chriſtum æquè & potius in Sole adorandum eſſe, quàm in Euchariſtia: cùm hanc tantùm Chriſti figuram eſſe contendatis. Vnde cum B. Aug. in Pſalm. 103. *Adora ergò & Petram, Ouem, Leonem, &c.* Cui Manichæiſmo cum replicaſſet *pag. 184.* ſuæ Monachomachiæ, *Nos Chriſtum nec in Sole nec in Euchariſtia adoramus: quòd nec ſoli adſit, nec pani, præſentia corporali. Euchariſticum panem dicimus vocari Chriſtum figuratè: vt, Petra Chriſtus 1. Cor. 10. ex Tertull. l. 4. contra Marc. Aug. contra Adym. cap. 12. Porrò illa verba: Adora ergò & Petram &c. non extant Pſalmo 113. ſed eximiæ ſententiæ contra imaginum cultum:* Nos *pag. 235.* noſtrorum Exorciſmorum ſic duplicauimus: O Ludi-magiſtrum necdum grammaticum, ſed tantùm figuriſtam, & quidem veteris Teſt. Qui hanc figuram ſeu ſignum demonſtratiuum Chriſti præſentis apud Tertull. & B. Aug. ſupra, velit interpretari ex illis figuris Chriſti tantùm venturi: cùm B. Aug. ibidem expreſsè compararet hoc ſignum reſpectu Chriſti ſignificati, cum ſanguine reſpectu animæ; vt ſicut ſanguis in corpore eſt ſignum animæ præſentis, ita & ſpecies conſecratæ ſint ſignum Chriſti præſentis. Declinans autem à recto illius cõparationis Pſeudoreformatorum cum Manichæis, non in adoratione actuali, ſed in iure æquali, imò potiori ſecundum ipſum, adorandi Chriſtum in Sole, Agno &c. tanquam in perfectioribus eius figuris, quàm in Euchariſtia: ex hoc, inquam, recto declinans ad obliquum, contra cultum ſacrarum Imaginum occaſione *Pſalmi 113.* citati *pro 103.* velit nolit relabitur in hanc rectiſſimam comparationem. Quòd ſicut Manichæi teſte B. Aug. *lib. 20.* contra Fauſtum & alibi, Fidem & Latriam quam negabant Chriſto in Sacramento, deferebant Idolis ſuorum phantaſmatum: ita & hi

ſuo

Digitized by Google

ſuo Pythoni, ſeu genio familiari in ſuo cerebro.

Quàm comparationem hic proſequamur. 1. Frequens eſt illa B. Aug. monitio, non eſſe adorandas figuras illas Chriſti,& ſigna inania, pro ipſo Chriſto *lib.* 2. ad Ianuarium *cap.* 6. in *Pſalm.* 93. 103. & alibi. Frequens eſt etiam eiuſdem doctrina, adorandi Corpus Chriſti in Euchariſtia: vt *Epiſt.* 120. ad Honoratum, *in Pſalm.* 21. 98. & alibi: Ergò hæc non eſt ſignum inane, ſed Chriſti realiter præſentis & contenti; ſub quo debetur ei adoratio, non tantùm ex vi huius realis præſentiæ, ſed etiam ex vi huius ſigni ad hoc à Chriſto inſtituti. Cùm enim ipſi Pſeudo-reformati contendant cum Iconoclaſtis ſupra col. 292. hanc eſſe ſolam Chriſti imaginem ſacram; ab ipſo in ſui memoriam inſtitutam, reliquas autem omnes abolendas: deberent ei ſaltem aliquam venerationem, imò & Chriſto ſub illa, perfectam adorationem.

2. Sed ipſi contempto & conculcato etiam hoc Sacramento, nec Chriſtum vt realiter præſentem, nec vllam eius ſacram imaginem: ſed ſub prætextu adorandi eum ſola fide in ſpiritu & veritate, adorant tantùm cum Manichæis ſupra, Chriſtum quendam phantaſticum ſine Corpore & Sanguine, ſeu ſua propria de Chriſto Euchariſtico phantaſmata, & ſub illis ſuum illum ſpiritum ſeu genium priuatum. Cùm B. Aug. *lib.* 20. *contra Fauſt. cap.* 15. hanc vt propriam idololatriam internam Manichæorum, condemnet præ idololatria externa Gentilium.

3. Sicut Manichæi ſupra, negabant Chriſtũ in vero & proprio corpore humano, ſed ficto paſſum: ita & Pſeudo-reformati dùm contendunt hìc non eſſe verum Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed tantùm figuram: cùm tamen Chriſtus dixerit eſſe Corpus ſuum pro nobis traditum, & Sanguinem pro nobis effuſum; conſequenter negant Corpus Chriſti fuiſſe pro nobis traditum, & verum Sanguinem effuſum, ſed tantùm figuratum.

4. Sicut Manichæi negabant hìc omnem veram, realem, certam, ac determinatam præſentiam ſpecialem Chriſti, ſed illam virtualiter & ſpiritualiter extendebant vbique, & præcipuè imaginabantur ſursùm per ſydera: ita & noſtri Hæretici Vbiquitarij; non tantùm qui ex præſentia diuina Chriſti vbique fingunt quandam etiam vbique præſentiam Corporis Chriſti; ſed etiam qui fingunt ſibi quandam ſpiritualem & virtualem præſentiam ac influentiam etiam realem Corporis Chriſti à ſummo cœlo vſque ad hoc Sacramentum, nec dignantur ſuam fidem ac imaginationem deorsùm humiliare ad hoc, tanquam indignum præſentia Chriſti,& ſua illa cogitatione, ſed ſursùm attollunt ad cœlos & ſydera, indeque inexplicabilem vertiginem patiuntur, ac in ſua ridicula phantaſmata cum Manichæis relabuntur.

*Reſp.* 3. Ex col. 241. 242. noſtræ Anat. Non tantùm hinc nihil contra nos, & multa contra illa phantaſmata Manichæorum,& noſtrorum Pſeudo-reformatorum: ſed etiam plurima pro vera ac reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in hoc Sacramẽto colligi poſſe. 1. Quod B. Aug. expreſsè contendat pro veritate eiuſdem Corporis & Sanguinis Chriſti nati, crucifixi, mortui, & etiamnùm glorioſi: contra varia figmenta quaſi ſpiritualia, re vera autem phantaſtica Manichæorũ; & ſpecialiter, quod omne corpus humanum ſit de gente tenebrarum, ſeu à malo principio, idcòque Chriſto indignum; & conſequenter contrà errorem noſtrorum Pſeudo-reformatorum, & Pſeudo-ſpiritualium, qui conclamant *ſolum ſpiritum viuificare, carnem* autem nequidem Chriſti, *quicquam prodeſſe.* Vnde patet quàm procul fuerit B. Aug. ab hoc Manichæiſmo, ſeu contemptu & excluſione veri Corporis humani Chriſti ab hoc Sacramento: quamque propendeat in identitatem veri Corporis humani Chriſti, quamuis iam ſpiritualis ſeu glorioſi, vbicunque eſt, aut verè dicitur eſſe. 2. Quod B. Aug. agat tantùm hìc contra *diſtentionem* quandam Chriſti ſecundum ſuas virtutes & partes entitatiuas, per Solem, Lunam, & plantas: & contra talem præſentiam corporalem, ſeu diuiſionem eiuſdem ſubſtantiæ, tanquam impoſſibilem, & contrariam eius identitati, ac integritati. Quam etiam identitatem ac integritatem in hoc Sacramento vbique tuetur, contra prætenſam illam dilaniationem ac conciſionem, à Capharnaïtis,& hodiernis eorum ſectarijs. Vt patuit ſupra & latius infra in *Pſalm.* 98. & *Tract.* 25. *in Ioan.* Quâ ſaluâ, nihil deeſt ad veritatem ac proprietatem Corporis & Sanguinis Chriſti in hoc Sacramento, ex mente B. Aug. hìc & vbique. 3. Quòd B. Aug. expreſsè fateatur veram præſentiam ſpiritualem non tantùm diuinam, ſed etiam Chriſti vt veri hominis eſſe poſſibilem in pluribus ſimul locis: ſed ſub qua Chriſtus nullo modo pati poſſit. Talis eſt autem præſentia Chriſti Sacramentalis. 4. Quòd *cap.* 11. ſupra inferat, quòd ſi omnia in quibus Chriſtus dicitur ſint eiuſdem ſubſtantiæ, cur non omnia vocentur etiam nomine Chriſti? Vnde ſequitur, quod ſi Chriſtus non ſit ſubſtantialiter in Euchariſtia: cur potius vocetur Chriſtus aut eius Corpus, quam reliqua eius ſigna ſacra? 5. Quòd B. Aug. *cap.* 13. abſolutè reprobet omnem cõparationem veræ Religionis, cum Manichæiſmo, circa panem & calicem: cùm ſubeſſent tot comparationes ſi noſtra Euchariſtia eſſet tantùm ſignum Chriſti in cœlo præſentis, vel præſentiæ eius imaginariæ ſeu obiectiuæ. Potuiſſet enim Fauſtus ad illa omnia B. Aug. replicare, ſe ſuoſque credere Chriſtum eſſe in Sole, Luna,& plantis ſignificatiuè, obiectiuè, virtualiter &c. vt iam loquuntur Pſeudo-reformati.

6. Quia B. Aug. diſtinguit noſtram Religionem à Manichæiſmo, quoad Euchariſtiam: quòd illi *deſiperent Chriſtum in omnibus ſpicis & ſarmentis naturaliter eſſe ligatum*, ſeu quaſi coagulatum, indeque quaſi reſolui in panem & vinum: *Noſter autem*, inquit B. Aug. *panis & calix, non quilibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis Corpus Chriſti, non naſcitur.* Quo quid expreſſiùs dici aut explicari poteſt? Nec obſtat quod hìc vocetur panis & calix: tùm quia idem eſt quod cibus & potus; tùm quia additur *noſter*, ſeu noſtræ Religionis; tùm quia denominatur à materia ex qua; tùm denique quia hìc ſingulariter ita vocatur ante ipſam conſecrationem. Vnde cùm B. Aug. diſtinguit noſtram religionem

à Manichæiſmo, in eo quod *illis ſacrilegium eſſet guſtare vinum*: non ſequitur, quod nobis religio ſit guſtare vinum; ſed ex pane & vino conſecrare & ſumere Corpus & Sanguinem Chriſti. Ex quo etiam patet noſtra à Manichæiſmo diſtantia: quòd illi ex vino, quòd delirabant eſſe naturâ ſuâ peſſimum, & ipſum fel draconis infernalis, non crederent fieri poſſe verum Sanguinem Chriſti. Nam ſi id credidiſſent, non iam vinum, ſed Sanguinem Chriſti ſub ſpecie vini libenter guſtaſſent. Neque etiam obſtat, quòd quædam exemplaria B. Aug. non habeant *Corpus Chriſti*: ſed tantum *myſticus fit nobis, non naſcitur*: tùm quia pleraque manuſcripta habent, *Corpus Chriſti*: tùm quia illa antitheſis inter *fieri*, & *naſci*, refertur ad Corpus Chriſti propriè naſcibile: tùm quia ſi referatur ad panem & vinum, quod non naſcatur, ſeu naturaliter generetur, ſed certa conſecratione nobis myſticus fiat: quid *fit nobis*, niſi *Corpus Chriſti*? Quomodo id *fit nobis*, niſi verè fiat? Quomodo myſticus, niſi ſacratiſſimè ac ſecretiſſimè? Qua certa conſecratione: niſi efficaci, à Deo inſtituta ac determinata, præ omnibus benedictionibus ceremonialibus?

7. Quia non tantùm præfert hanc certam conſecrationem omnibus alijs benedictionibus cibi & potus: ſed expreſsè excludit à veritate huius Sacramenti omnem panem & vinum non ita conſecratum.

8. Quia reprobat hunc Fauſti errorem, tanquam peiorem ac inſipientiorem errore Gentilium, *qui nos propter panem & calicem, Cererem & Liberum colere exiſtimabant*: Ergò & hi errabant, qui putabant nos pane & vino colere Cererem & Liberum: ſed peiùs & inſipientiùs Manichæi, qui Chriſtum fingebant vel realiter & partialiter, vel tantùm phantaſticè hinc inde diſtentum per ſydera, plantas, ſpicas, vuas, &c.

### OBIECTIO 6.

### *Ex lib. 3. Trin. cap. 4. & 10.*

*Cap. 4.* Docet B. Aug. Chriſtum ab Apoſtolo fuiſſe prædicatum verbo, ſcripto, & Sacramento Corporis eius. Ergò ſub ſimili aliqua ratione ſigni ac ſignificandi. Subdit, Hoc Sacramentum *ſanctificari operante inuiſibiliter Spiritu Dei*: ſed vt primo motore, mouente Miniſtros ad hoc, ſicut & ad alia præcipuè bona opera. *Cap. 10.* Diſtinguens ſigna diuina in permanentia & poſt vſum tranſeuntia, exemplificat illa in ſerpente æneo & ſacris literis; hæc autem in Euchariſtia: *Sicut*, inquit, *panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento conſumitur*. Subdit autem, hæc eſſe quidem ſacra, ſed non mira. Quæ non poſſunt verificari de tanto myſterio, ſed de ſolo ſigno ſacro. Deinde huic præfert ſigna miraculoſa per Angelos facta, & effert ſupra notitiam hominum: hoc autem tantùm ſupra notitiam infantium ſeu puerorum, qui necdum ſciunt vnde fiat, & niſi edocerentur, putarent Chriſtum ſub tali forma apparuiſſe. Ergò qui ſciunt vnde & quomodo fiat, ſciunt eſſe tantùm ſignum rememoratiuum Chriſti.

Ad Reſponſionem ſupponendus eſt etiam totus hic contextus. Ex cap. 4. *Nihil fit viſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili atque intelligibili aula Summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, &c. Si ergò Apoſtolus Paulus potuit ſignificando prædicare Chriſtum aliter per linguam ſuam, aliter per Epiſtolam, aliter per Sacramentum Corporis & Sanguinis eius. (Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus: ſed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ Paſſionis. Quod cùm per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur: non ſanctificatur vt ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei. Cum hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur: mouens primitùs inuiſibilia Miniſtrorum, ſiue animas hominum, ſiue occultorum ſpirituum ſibi ſubditas ſeruitutes.) Quid mirum ſi facit Deus quæ vult ſenſibilia atque viſibilia, ad ſeipſum in eis ſignificandum & demonſtrandum: non ipſâ ſuâ quâ eſt apparente ſubſtantiâ?*

*Cap. 5. 6. 7. 8. 9.* proſequitur varia Dei opera naturalia aut mirabilia, per bonos vel malos Angelos, ex prima cauſa & voluntate diuina.

*Cap. 10.* Redit ad illa opera quatenus à Deo fiunt vel aſſumuntur in ſigna ſacra vel diuina & miraculoſa vel ordinaria, per Angelos vel homines, ad repræſentandum Deum ipſum, vel Angelos, vel quidlibet aliud ſacrum ſignificandum. Inter quæ: *Aliquando*, inquit, *ad hoc fit eadem ſpecies, vel aliquantulum manſura, ſicut potuit ſerpens ille æneus* Num. 21. *ſicut poſſunt & literæ, vel peracto miniſterio tranſitura, ſicut panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento conſumitur. Sed quia hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt: honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. Itaque illa quæ per Angelos fiunt, quo difficiliora & ignotiora, eo mirabiliora ſunt nobis &c.* Infra. *Verum hæc non ita præiudicant rebus intelligendis, tanquam ſi hominis nomen ſcribatur auro, & Dei atramento. Illas etiam nubes & ignes quomodo fecerint vel aſſumpſerint Angeli ad ſignificandum quod annunciabant, etiamſi Dominus vel Spiritus S. illis corporalibus formis oſtendebatur: quis nouit hominum? Sicut infantes non nouerunt quod in Altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vſum religionis aſſumatur. Et ſi nunquam diſcant experimento vel ſuo vel aliorum, & nunquam illam ſpeciem rerum videant, niſi inter celebrationes Sacramentorum cum offertur & datur, dicaturque illis auctoritate grauiſſima cuius Corpus & Sanguis ſit: nihil aliud credent, niſi omninò in illa ſpecie Dominum oculis apparuiſſe mortalium, & de latere tali percuſſo liquorem illum omninò fluxiſſe.*

Hinc ergò Reſpondetur, non tantùm totam obiectionem diſſolui, ſed etiam in aduerſarios multis titulis reſilire. 1. Quia Apoſtolus ſignificando prædicabat quidem Chriſtum, verbo, ſcripto, & hoc Sacramento: ſed tam differenter, vt nec ipſum nomen Chriſti vel Corporis & Sanguinis eius, ſiue dictum, ſiue ſcriptum, vocari poſſet Chriſtus, aut Corpus & Sanguis eius, ſed hoc ſolum Sacramentũ.

Atqui

Digitized by Google

Atqui nomen Chriſti, aut Corporis & Sanguinis eius, poteſt dici Chriſtus, & Corpus & Sanguis eius, ſignificatiuè, eſtque dignum ſuo honore relatiuè ad prototypum: ergò hoc Sacramentum dicitur, & eſt Corpus Chriſti pluſquam ſignificatiuè; adoraturque vt realiter præſens, non autem tantùm relatiuè ad prototypum abſens.

2. Ex illa diſtinctione inter viſibilem ſpeciem huius Sacramenti, & inter excellentiam tanti Sacramenti.

3. Ex illa diſtinctione inter motus corporales, per manus hominum, quibus materia conſecranda præparatur, & formatur in illam ſpeciem viſibilem: & inter precem myſticam, conſecrationem, & operationem inuiſibilem Spiritus S. quâ ſanctificatur *vt hoc ſit tam magnum Sacramentum.*

4. Ex diſtinctione communis prouidentiæ Dei vt primi motoris, ad illos motus exteriores Miniſtrorum, in præparanda materia & forma externa huius Sacramenti: ab illa prouidentia ſpeciali, ſpirituali, & gratuita, aut gratis data, qua Deus mouet *inuiſibilia Miniſtrorum*, ſiue ad cognitionem & fidem, ſiue ad religioſam voluntatem, ſiue ad debitam intentionem prece myſtica conſecrandi & ſanctificandi, vt hoc ſit tantum Sacramentum, ſiue Deus ad hoc immediatè moueat animos Miniſtrorum per ſuam gratiam, ſiue per miniſterium ſuorum Angelorum.

5. Ex *cap. 10.* Satis patet non præferri formas externas miraculoſas, ſub quibus Deus aut Angeli apparent, huic Sacramento, niſi quoad ſpeciem externam & viſibilem: quæ non fit miraculoſè ſicut illæ, ſed tantùm per manus hominum.

6. Illas formas miraculoſas dici ſupra captum hominum in fieri, ſeù modo illo miraculoſo quo fiunt: Hanc autem tantùm ſupra captum puerorum; quia maiores ſciunt vnde & quomodo fiat per manus hominum; pueri autem qui hanc formam extra ſacrificium ac ſacram Communionem non vident, neſciunt vnde fiat.

7. Quia opus eſt authoritate grauiſſima ad dicendum & perſuadendum eis eſſe ipſum Corpus & Sanguinem humanum Chriſti.

8. Quia alioquin non aliud inde crederent, quam Chriſtum ſub illa ſpecie aliquando apparuiſſe, & hunc liquorem ex illo latere manaſſe.

Vnde præter confirmationem expreſſiſſimam veræ ac realis præſentiæ Corporis Chriſti in hoc Sacramento: colligitur materiam olim etiam religioſè ac ceremonialiter præparatam fuiſſe ſub forma diſtincta à pane communi, & pueris ipſis notiſſimo; imò & ſub aliqua forma crucifixi, ex cuius aperto latere videri poſſet pueris liquor ille fluxiſſe; hancque formam fuiſſe etiam tunc ſub ſacrificio eleuatam ſeu expoſitam aſpectui etiam puerorum circumſtantium.

### OBIECTIO 7.

### *Ex Epiſt. 23. B. Aug. ad Bonifacium.*

*Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo: & tamen in Sacramento omni die populis immolatur; nec vtique mentitur qui reſponderit immolari? Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſunt non haberent, omninò Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumq; etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergò ſecundum quendam modum Sacramentum Corporis Chriſti Corpus Chriſti eſt, Sacramentum Sanguinis Chriſti Sanguis Chriſti eſt: ita Sacramentum Fidei Fides eſt, &c.*

Atqui Sacramentum Fidei, ſeu Baptiſmus, non eſt propriè Fides, ſed tantùm ſignificatiuè: ergò nec Sacramentum Corporis Chriſti eſt propriè Corpus Chriſti, ſed ſignificatiuè tantùm; *Secundum quendam*, inquit, *modum*, quo ſigna *ipſarum rerum nomina accipiunt*, & quo paruuli denominantur credere extrinſecè à ſolo Sacramento Fidei, ſeu credendi.

*Reſpondet Bellarm.* quadrupliciter. 1. Ex Paſchaſio *Epiſt. ad Frudegardum*, & Lanfranco *lib. contra Berengarium*: Sacramentum Corporis Chriſti & eſſe realiter ſeu continere Corpus Chriſti præſens: & tamen eſſe tantùm *ſecundùm quendam modum*, ſeu ſignificatiuè Corpus Chriſti vt immolatum; ſeu non eſſe propriè ſed tantùm ſignificare ſui ipſius cruentam immolationem. Vt Chriſtus *Luc. vlt. finxit ſe longius ire*: ſeu hac ſua fictione ſignificauit ſuam inſtantem Aſcenſionem. Nam B. Aug. hinc tantum *quodammodò* verificat quòd Chriſtus dicatur quotidiè immolari: cùm tamen ſemel tantùm immolatus ſit in ſeipſo, nec ampliùs immoletur niſi in hoc Sacramento ſuæ immolationis.

2. Ex Guitmundo *lib. 2. in Bereng.* De Sacramentis antiquis: quòd illa non fuerint propriè, ſed tantùm ſignificatiuè Corpus Chriſti: non autem de ipſo Sacramento Euchariſtiæ. Sed hoc eſt nimis alienum à toto contextu.

3. Ex eodem, de Sacramento Euchariſtiæ, quatenus non eſt propriè ſed tantùm ſignificatiuè Corpus Chriſti myſticum. Verum non agitur hîc de Corpore Chriſti myſtico: ſed de immolato.

4. Ex Algero *lib. 1. cap. 5.* De Sacramento Euchar. ſeu ſpeciebus conſecratis: Quòd quamuis ſignificent & contineant Corpus Chriſti præſens; non tamen ſint aut dicantur propriè Corpus Chriſti, ſed *quodammodò* .i. vt ſignum continens pro re contenta. Quæ reſponſio eſt facillima: ſuppoſito quòd ſolæ ſpecies conſecratæ ſint Sacramentum Euchariſtiæ.

*Reſpondet 5.* Cardinalis Peronius *contra Pleſſæum*: hunc textum B. Aug. apud Bedam non habere illud *quodammodò*, ſeu *ſecundum quendam modum*: apud Paſchaſium autem illud *quodammodò* non afficere ipſum verbum *eſt*, ſed ſolum aduerbium *ſicut*: ſeu ſignificare tantùm ſimilitudinem aliquam, non autem æqualitatem.

6. *Reſpondet* idem. *Quodammodò*, ſpecificatiuè, non diminutiuè. Id eſt, non quouis modo communi, ſed ſpeciali huius Sacramenti; non tamen improprio ſeu alieno à propria ſignificatione, ſed modo etiam propriè dicto. Prout B. Aug. Epiſt. 28. ad Hier. dicit animam hominis *ſuo quodam modo* eſſe immortalem: & *Epiſt. 3.* ad Voluſianum Deum *quodammodò* vniri homini.

*Reſpondet 7.* Sacramentum Fidei non tantùm eſſe aut dici Fidem ſignificatiuè & extrinſecè: ſed eam etiam cauſare ac continere intrinſecè, ex B. Aug. *lib. 1.*

*lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 8. & lib. 3. cap. 2.*

Sed cùm B. Aug. intendat verificare Reſponſionem parentum pro paruulis baptizandis, quòd videlicet credant, quaſi iam actu crederent: non videtur poſſe verificari per Fidem infuſam, vel per comparationem cum modo proprio, & ſpeciali quo Sacramentum Corporis Chriſti ſit vel contineat realiter Corpus Chriſti præſens.

*Reſp. 8.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 924. 925. 926.* Paruulos à B. Aug. tripliciter dici credere & velle. *1.* Ante Baptiſmum per ſuos ſponſores. *2.* Per ipſum actualem Baptiſmum, tanquam per ſignum actuale credendi. *3.* Per Fidem habitualem infuſam in Baptiſmo, priuſquam poſſit prodire in actum. Porrò quamuis proponat quæſtionem de reſponſione ſeu ſponſione credendi, pro paruulis ad Baptiſmũ oblatis: extendit tamen reſponſionem ad paruulos actu baptizatos, & ad Fidem etiam infuſam. Subdit enim: *Nihil autem aliud eſt credere, quàm Fidem habere &c. Itaque paruulum etſi nondum Fides illa quæ in credentium voluntate conſiſtit: iam tamen ipſius Fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur: ita etiam fidelis vocatur; non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo &c.* Non inane Sacramentum Fidei tantùm futuræ aut promiſſæ: ſed verè ac realiter præſentis & infuſæ, quantumuis occultæ ac imperceptibilis in paruulis: ergò & de hoc quodam modo ſpeciali præſentiæ Corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. Quòd enim hic *quidam modus*, non ſit diminutus ſeu improprius, ſed verus proprius ac ſpecialis, imò & excellens communem modum proprium, patet ex B. Aug. non tantùm in ſimilibus à Peronio relatis, ſed etiam in hoc ipſo *quodam modo* expreſſiſſimo *Serm. 11. de verbis Domini.* Vbi exponit illud Chriſti *Mat. 12.* de peccato irremiſſibili blaſphemiæ in Spiritum S. non de omni blaſphemia, nec de quouis ſed de maximo & peſſimo modo blaſphemiæ: idque ex comparatione illius comminationis, cum hac Chriſti promiſſione *Ioan. 6.* Qui manducat meam Carnem, in me manet, & ego in illo &c. *Nunquid & Iudas,* inquit, *manet in Chriſto, aut Chriſtus in eo? Non ergò quocumq; modo quiſquam manducauerit Carnem & biberit Sanguinem, manet in Chriſto, & in illo Chriſtus: ſed certo quodam modo, quem vtique ipſe videbat cum iſta dicebat. Sic igitur, Qui blaſphemauerit &c. Quiſnam autem ſit iſte blaſphemandi modus, vel potius immoderatio, ordo poſtulat vt dicamus &c.* De blaſphemia impœnitentiæ finalis. Qui modus blaſphemandi cum ſit maximus ſeu peſſimus, ſed ſecretus: modus quoque manducandi Corpus Chriſti non eſt improprius, ſed proprius, ſpecialis, ac excellens, quantumuis ſecretiſſimus.

Nec obſtat illud, *Semel immolatum eſſe Chriſtum in ſeipſo: quotidie autem in Sacramento &c.* Quia *in ſeipſo*, &, *in Sacramento*, non opponuntur quoad rem immolatam, ſed tantùm quoad modum immolandi, cruentè vel incruentè. Quorum vterque eſt proprius: ille communis, hic ſpecialis & ſecretus, quamuis illius etiam ſignificatiuus.

OBIECTIO 8.

*Ex Epiſt. 57. Ad Dardanum.*

*Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt, nec erunt. Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi ſint: & ideò neceſſe eſt vt non ſint &c.* Ergò nec Corpus Chriſti poteſt eſſe realiter ſine extenſione locali in Sacramento, nec ſpecies conſecratæ ſine ſubiecto. Augetur diff. quòd B. Aug. adeò ſupponat diuiſibilitatem eſſe eſſentialem corpori: vt lib. *de quantitate animæ cap. 31.* ad experientiam de quodam verme ſecto in plures partes, & in ſingulis diu ſuperuiuente, ſeſeque mouente, malit concedere tales animas diuiſibiles non eſſe animas ſed corpora, quàm vllam animam eſſe diuiſibilem, aut corpus indiuiſibile *col. 50. 51. noſtræ Anat.* Et lib. 6. de muſica cap. 17. *Si hæc,* inquit, *terræ ademeris*, .i. ſuas dimenſiones, *nihil erit. col. 72. noſtræ Anatomiæ.*

*Reſp. 1.* Ex Bellarm. *lib. 3. de Euchar. cap. 7.* Beatum Aug. ibi diſtinguere immenſitatem Chriſti ſecundùm Diuinitatem, ab eius finita præſentia ſecundùm humanitatem, directè contra Lutheranos vbiquiſtas; imò & à præſentia ſecundùm formam humanam externam & ſenſibilem, quæ non poteſt eſſe ſine extenſione externa. Corpus autem etiam humanum & quantum, poſſe eſſe non tantùm ſine ſpatio aut loco continente: ſed etiam abſque vlla extenſione per ſpatium, aut cõextenſione ad locum externum; non tamen ſine partibus & ordine partium inter ſe.

*Reſp. 2. Ex col. 601. 602. 603. noſtræ Anat.* Illud & ſimilia B. Aug. poſſe intelligi vel de corpore quantitatiuo, non autem ſubſtantiali: vel etiam de corpore ſubſtantiali, non vt neceſſariò actu extenſo, ſed neceſſariò conſtante partibus naturaliter extenſibilibus. Sed tantùm loqui ac intelligendum eſſe de neceſſitate & dependentia naturali corporum inferiorum à ſpatijs localibus, & qualitatum à corporibus ſubiectis. Quia opponit independentiam Dei à rebus quibus præſens eſt, huic dependentiæ corporum à ſuis ſpatijs, & qualitatum à ſuis corporibus. Ergò ſicut illa independentia, ita & hæc dependentia naturalis eſt, ſecundùm inſtitutionem, ordinem & finem tam corporum ad componendũ & replendũ hunc mundum, quàm qualitatum, ad afficiendum corpora ſubiecta; ſine quo fine & ordine tanquam inutilia deſinerent, niſi Deus ea in alium finem ſupernaturalem conſeruaret, prout conſeruat Corpus Chriſti & accidentia panis in Euchariſtia. Nihil ergò hæc contra, ſed potiùs pro: quia nec præſentia Corporis Chriſti eſt corporalis, ſed ſpiritualis ſeu inſtar ſpirituum, qui potiùs hic ſupponuntur eſſe ſine ſpatijs localibus. Nec Corpus Chriſti hic ſit præſens quaſi ad replendum ſpatium vacuum, quod repletur ipſa quantitate panis: ſed tantùm ad ſuccedendum pani in eſſe & vice alimenti, ſeu in cibum ſupernaturalem, & ad verificandam propriam inſtitutionem. Nec accidentia panis conſeruantur ad inhærendum Corpori Chriſti, aut illud intrinſecè afficiendum: ſed tantùm ad illud ſignificandũ & continendum; non quaſi ſuperficialiter & localiter,

Digitized by Google

liter, ſed intimè & cauſaliter ſaltem moraliter, ſeu quaſi ad illud tenendum, ſiſtendũ ſeu arreſtandum.

Nec obſtat illa quaſi opinio B. Aug. *col. 50. 51. & 70. noſtræ Anat.* Tùm quia illa eſt de indiuiſibilitate animæ, non autem de eſſentiali neceſſaria & proxima diuiſibilitate cuiuſlibet corporis, aut rei corporalis. Nam ibidem ab indiuiſibilitate puncti exemplificat indiuiſibilitatem animæ. Et *lib. de Agone Chriſtiano cap. 24. col. 168. 169. noſtræ Anat.* expreſsè docet Chriſtum potuiſſe Corpus ſuum ad quam vellet ſubtilitatem redigere. Vt patet ex eius Natiuitate, Reſurrectione, Aſcenſione, penetratiuè per alia corpora integra. Tùm quia *col. 70.* poteſt intelligi quòd *terra ſine ſuis dimenſionibus, nihil erit.* Id eſt nihil apparebit, ſeu erit quaſi nihil, vt ſæpè de materia prima loquitur. Vel poteſt intelligi de inſeparabilitate dimenſionis aptitudinalis aut internæ, non autem actualis & externæ. Vel denique & potiùs, per *Hæc quæ ſi terræ ademeris nihil erit*: non ſunt intelligendæ dimenſiones præcedentes, ſed potius proprietates ſequentes, videlicet, *vnitas, ſimilitudo, & ordo*, ſecundum ſpeciem, qua partes inter ſe conueniunt, ab alijs differunt, & inter ſe ac cum alijs connectuntur; & coordinantur. *Sine quibus*, re vera, *terra nihil eſſet.*

### OBIECTIO 9.

### *Ex lib. 2. contra Aduerſ. Legis & Proph. cap. 24. De verbis Chriſti* Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus &c.*

*Dei Sapientia verbis Sacramento congruis paſcens animam credentem, non curauit inſipientiam nauſeantem &c.* Et *lib. 2. cap. 9.* ſubdit, talia figuratè dicta in S. Script. eſſe ſapienter audienda, comparatque varias locutiones Sacræ Script. varijs Scripturis nominis Dei ex *auro lucido*, vel *nigro atramento*. Ergò ſupponit hanc Chriſti locutionem eſſe impropriam, ſeu figuratam, & ſapienter audiendam.

*Reſp.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 671. 672. 673.* Beatum Aug. ibi intendere honeſtum vſum ac ſenſum Sacræ Scripturæ in ſua illa comminatione Deut. 28. *Quod exierit per eius femora comedet &c.* comparatiuè ad hanc promiſſionem Chriſti · *Qui manducat meam Carnem &c. Ioan. 6.* Porrò illa comminatio fuit realiter ac propriè verificata de comeſtione infantium à ſuis matribus præ nimia fame: ergò & hæc promiſſio veri ac propriè dicti Corporis Chriſti in verum cibum ac potum, ex charitate.

Deinde, ſicut B. Aug. hîc honeſtat illam Dei comminationem, non ex aliquo improprio ſenſu, ſed ex eius fine, ad horrorem culpæ & pœnæ æternæ: *Deus*, inquit, *turpe aliquid non turpiter, ſed minaciter dixit, vt hoc horreretur, ne illud committeretur.* Ita hæc promiſſio honeſtatur ſuo motiuo, & fine Charitatis, ac modo incruento & Sacramentali manducationis: non autem improprio, ſeu tantùm ſignificatiuo Corporis Chriſti. Denique illa Sapientia Dei loquentis, & fidelis audientis, non poteſt conſiſtere in ſenſu tantùm improprio ac ſignificatiuo Corporis Chriſti: quia hic potiùs procederet ex fallacia loquentis, & diffidentia audientis; ſed conſiſtit in ſenſu accomodato ad ſuum illud motiuum, finem, & modum honeſtum, incruentum, ſeu Sacramentalem. Præter plures alias ibidem circumſtãtias, imò & expreſſas ſententias pro vera ac reali præſentia Corporis Chriſti in Sacramento. De figura autem huius locutionis, ſat ſupra *Obiect. 2.* Comparatio verò illa variorum verborum, cum varijs coloribus quibus nomen Dei ſcribitur: nec refertur ad hoc Sacramentum Corporis Chriſti, ſed ad omnia ſacra ſigna; nec derogat præſentiæ rei ſignificatæ.

### OBIECTIO 10.

### *Ex B. Aug. in Pſalm. 3.*

*Miranda Chriſti patientia, quòd Iudam tamdiu pertulit, cùm eum adhibuit ad conuiuium, in quo Corporis & Sanguinis ſui figuram Diſcipulis ſuis tradidit & commendauit*: Ergò non ipſum Corpus & Sanguinem, ſed tantum figuram.

Reſpondent Bellarm. Peronius & alij: vel de figura Corporis & Sanguinis Chriſti præſentis, ſeu de ſpeciebus conſecratis: vel de ipſo Corpore & Sanguine Chriſti realiter præſente; ſed ſub figura ſeu ſigno rememoratiuo ſacrificij cruenti: vel de figura expreſſa non differente ſubſtantialiter ab ipſa rei veritate, vt *Hebr. 1.* Filius Dei dicitur *Figura ſubſtantiæ Patris.*

Sed quia B. Aug. *Tract. 59.* diſtinguit inter panem illum Iudæ & Apoſtolorum, tanquam inter *panem Domini, & panem Dominum*: Tract. 62. inter panem intinctum porrectum Iudæ, & Sacramentum Corporis Chriſti: Reſponderi poſſet de ſolo conuiuio legali, in quo Chriſtus ſolam figuram Corporis ſui, ſeu Agnum Paſchalem Diſcipulis ſuis tradidit.

Reſpondetur tamen de ipſo conuiuio Sacramentali, in quo Chriſtus Iudæ vt & reliquis Apoſtolis ſuis tradidit figuram non tantùm inanem rememoratiuam aut prognoſticam, ſed ſolidam & demonſtratiuam Corporis & Sanguinis ſui realiter præſentis, ac contenti. Tùm quia in *Pſalm. 10.* monet Chriſtum *tradidiſſe Iudæ ſicut & cæteris Apoſtolis primam Euchariſtiam manibus ſuis confectam, & ore ſuo commendatam.* Tùm quia *Tract. 62.* expreſsè refert ſacram Euchariſtiam prius diſtributam fuiſſe Iudæ proditori cum cæteris Apoſtolis, deinde porrectam ſoli Iudæ buccellam illam panis intinctam, in ſignum prioris eius ingratitudinis, ac proditionis. Nec obſtat illud lib. 2. in Petil. cap. 106. *Apoſtoli cum Iuda iam Domini venditore, & à Domino demonſtrato, ſacroſanctam Cœnam communicauerunt*: quia *Matt. 26. & Marc. 14.* videtur quidem referri hæc demonſtratio ante ſacram Communionem; ſed *Luc. 22.* poſt Communionem, *Ioan. 13.* ſub incerto vtrum ante vel poſt. Vnde videtur potiùs à Matt. & Marc. referri per anticipationem: ideoque illud, *iam*, tantùm afficere venditionem præcedentem, non autem ipſam demonſtrationem; vel afficere demonſtrationem, ſed vt nunc, non autem ex tunc præcedentem; vel denique afficere aliam demonſtrationem Iudæ per aliqua Chriſti verba ante ipſam buccellæ intinctæ porrectionem. Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 432.*



Digitized by Google

Tùm quia refertur hic à B. Aug. pro maximo beneficio, quòd Chriſtus adhibuerit etiam Iudam ad hoc conuiuium cum reliquis Apoſtolis; ergò non ad conuiuium ſolius inanis figuræ, ad quod omnes Iudæi adhibebantur; ſed ſolidæ, ſeu veræ ac realiter continentis ac demonſtrantis ſuum figuratum, ſeu Corpus & Sanguinem Chriſti.

Tùm quia tam hîc quam Pſalm. 10. tribuitur mirandæ patientiæ Chriſti, quòd Iudam eò vſque pertulerit: ergò non tantùm vſque ad figuram inanem etiam imperfectiorem antiquis; ſed quaſi impreſſam ac expreſſam, ſeu realiter demonſtrantem ac continentem ipſum Corpus Chriſti præſens: Cuius figuræ vſus indignus, ſeu abuſus, ſit reatus ipſius Corporis & Sanguinis Chriſti contenti, ex *1. Cor. 11.*

Tùm denique quia hîc non agitur de figura ſeu metaphora loquendi, vt ſupra *col. 307. 308.* nec de figura ſeu præfiguratione futuri, aut tantùm rememoratiua præteriti, quales erant figuræ antiquæ Legis, res autem hîc figurata tunc nec erat præterita nec futura; ſed de vera ac reali figura diſtincta ac perfectiore omnibus figuris antiquæ Legis, conueniente & propria Legi nouæ, ſed imperfectiore ſola futura rei euidentia. Ex Hebr. 10. *Vmbram habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Et 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Porrò hæc ratio figuræ propriæ nouæ Legi, medians inter figuras Legis antiquæ, & ipſam rerum euidentiam, eſt eſſe figuram realiter ſed obſcurè ac occultè continentem & demonſtrantem ſuum figuratum præſens. Quales figuræ ſeu ſigna ſunt omnia Sacramenta nouæ Legis: hoc quidem, etiam Corporis Chriſti realiter præſentis; reliqua, ſolius gratiæ ſanctificantis. Solent tamen potiùs vocari ſacra ſigna, quàm figuræ: ad diſtinctionem à figuris antiquæ Legis. Sed vera ac propriè dicta ratio figuræ & formæ realis, eſt continere & repræſentare ſeu demonſtrare rem ipſam præſentem: vt patet ex figuris ac formis rerum naturalium *col. 306.* In ò & ex hoc ipſo vſu Sacræ Scripturæ *Hebr. 1.* Figura ſubſtantiæ Dei. *Phil. 2.* Forma Dei, Forma ſerui, &c. Vbi per figuram & formam ſignificatur ipſa viua rei expreſſio, vſque ad identitatem & æqu....atem cum ſuo exemplari. Nec quod *Phil. 2.* ſubditur, *Et habitu inuentus vt homo*: excludit, ſed includit ipſam veritatem naturæ humanæ. Ex vſu etiam ipſius B. Aug. in *Pſalm. 32. 93.* de figuratione ſeu expreſſione noſtri timoris ac triſtitiæ, in ipſo Chriſto. *Tract. 124. ſerm. 26. de diuerſis,* & alibi ſæpè, de figuratione Eccleſiæ in S. Petro. Imò lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 25. de transformatione Corporis Chriſti ſub alia effigie.

Ad B. Aug *Tract. 59.* de pane Domini, & pane Domino, Reſp. ex *Tomo 2. noſtræ Anat. col. 1096.* Ita diſtingui inter cibum illum Iudæ & Apoſtolorum: non re ipſa, ſed fide, affectu, & fructu manducantiũ.

### OBIECTIO 11.

Quòd B. Aug. Conc. 1. & 2. in Pſalm. 33. in Pſalm. 3. 10. 21. & ſerm. 83. de diuerſis vocet inſtitutionem huius Sacramenti, tantùm *commendationem Corporis Chriſti*, imò *humilitatis ac imitationis eius.* Concione autem 2. in hunc Pſalm. modificet illam portationem Chriſti à ſeipſo. *Ipſe ſe portabat quodammodò &c.* Vt ſupra col. 276. 277.

*Reſp.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 1003. 1105.* per illam commendationem non excludi, ſed potius confirmari veram ac realem præſentiam Corporis Chriſti. Tùm quia hîc bis repetitur Chriſtum commendaſſe *ipſum* Corpus & Sanguinem ſuum. Tùm quia commendatio eſt alicuius rei pretioſæ, velut thezauri occulti. Tùm denique quia commendatio tantæ humilitatis ac imitationis Chriſti, in hoc Sacramento, ſupponit ipſam veram ac realem præſentiam eius in cibum & potum ſub ſpecie panis & vini: alioquin non ſubeſſet vllum exemplum humilitatis ac imitationis. Nam *Serm. 127.* de tempore. *Vnde*, inquit, *commendauit Dominus Corpus & Sanguinem ſuum, niſi de humilitate ſua? Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur &c.*

*Reſp. 2.* Ad illam modificationem: *Ipſe ſe portabat quodammodo, cùm diceret, Hoc eſt Corpus meum*: nec afficere ipſum Corpus Chriſti, ſed tantùm eius portationem, ſeu modum portandi ſeipſum: nec reuocare modum proprium, abſolutum, ac mirabilem portandi ſeipſum, de quo Concione 1. ſed tantùm ſpecificare ſeu diſtinguere ab omni modo viſibili ac naturaliter poſſibili: quantò magis ab illo facillimo ac ridiculo modo portandi ſeipſum in ſolo aliquo ſigno quaſi in pictura ſuiipſius. De qua modificatione ſupra *col. 318.*

### OBIECTIO 12.

### *Ex B. Aug. in Pſalm. 98.*

Vbi comparat adorationem Corporis Chriſti ſub Sacramento, adorationi Dei ad terram, tanquam ad ſcabellum pedum eius: monenſque ſicut à terra, ita & ab hoc Sacramento eleuandum eſſe ſpiritaliter animum ad Deum & Chriſtum, ſubdit, *Spiritaliter intelligite quæ locutus ſum* Ioan. 6. *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri Sanguinem illum quem fuſuri ſunt qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendaui: ſpiritaliter intellectum viuificabit vos &c.*

Reſpondet Bellarm. *lib. 2. cap. 24.* & alij ex Lanfranco ac alijs *contra Bereng.* De identitate Corporis Chriſti quod ſubſtantiam, non quoad modum, ſpeciem, & qualitates. Nam *1. Cor. 15.* negatur idem corpus reſurrecturum quoad qualitates: vt explicat ipſe B. Aug. Epiſt. 146. & alibi ſæpè. Et refert B. Ambr. lib. 2. de Pœnit. cap. 10. quendam vita ac moribus in melius mutatum rectè de ſeipſo dixiſſe, *Ego non ſum ego.*

Sed quia hinc omnes hæretici Sacramentarij à Berengario huc vſque inſultant contra veritatem ac identitatem realem Corporis Chriſti in Euchariſtia: contenduntque per, *non hoc corpus*, negari eandem ſubſtantiam quæ demonſtratur ac affirmatur per, *Hoc eſt Corpus meum*; & negationem eſſe totius aut ſaltem principalis ſignificati: quamuis hactenus optimè reſponſum ſit quoad rem & modum ſimilem loquendi S. Script. & SS. Patrũ; ad conuincendam tamen omnem prauitatem ac pertinaciã hæreticam,

*Reſpon-*

*Reſpondetur* ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 1042. 1043. 1103.* ad tres hic diff. *Ad 1.* Adorationem Chriſti in Euchariſtia, non comparari adorationi Dei ad terram materialem, quaſi æqualiter: ſed tantùm quoad aliquam ſimilitudinem externam inclinationis, ad explicandum illum verſum Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Quod quia propriè de ipſa terra materiali intelligi nequit: *Conuerto me,* inquit B. Aug. *ad Chriſtum, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra. Suſcepit enim de terra terram: quia caro de terra eſt, & de carne* MARIÆ *carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit. Inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat?* Ioan. 6. *Spiritus eſt qui viuificat caro nihil prodeſt. Ideò & ad terram quamlibet cùm te inclinas atque proſternis: non quaſi terram intuearis; ſed illum Sanctum cuius pedum ſcabellum eſt quod adoras: propter ipſum enim adoras. Ideò ſubiecit: Quoniam Sanctum eſt. Quis Sanctus eſt? In cuius honore adoras ſcabellum pedum eius.* Vnde patet quanta ſit differentia inter veram adorationem illius terræ ſpiritualis ſeu Corporis Chriſti in Euchariſtia, & inclinationem tantum ad terram materialem.

*Ad 2. diff. Reſp.* Nec monitionem illam eleuandi animum à terra materiali ad Deum, & ab Euchariſtia ad Chriſtum, eſſe æqualem, ſed tantum ſimilem ac plurimùm differentem: nec eſſe de eleuatione locali aut imaginaria, ſed de ſpirituali & obiectiua, intellectuali & affectiua, ſuper omnia ſenſibilia & phantaſmata, ad veram intelligentiam, & affectum ſpiritualem circa ſuum obiectum occultum. Vt ſicut inclinando ſe exteriùs ad terram, tanquam ad ſcabellum Dei, ſeu infimum operum eius, adorandus eſt Deus in Spiritu & veritate, tanquàm verè & ſpiritualiter, ſed realiter præſens: ita & proſternendo ſe coram Sacramento Euchariſtiæ, adorandus ſit Chriſtus; non quaſi tantum præſens ſursùm in Cœlo, ſed æquè realiter in Sacramento; nec quaſi eleuando imaginariè cogitationem & affectum ab hoc Sacramento ad locum aliquem imaginarium in Cœlo, vt ſolebant Beguinæ & Beguardi, cùm ſpecies conſecratæ ſint eminentiores, ſeu digniores quouis loco imaginario; ſed corrigendo potius omnem talem ſenſum ac affectum ad talia ſenſibilia & phantaſmata de Chriſto in hoc Sacramento, & eleuando animum ad veram intelligentiam & affectum ſpiritualem Chriſti, vt hîc ſpiritualiter, ſed verè ac realiter præſentis. Hoc enim eſſe intentum B. Aug. patet ex ſeq. *Et cum adoras illum ne cogitatione remaneas in carne, & à Spiritu non viuificeris. Tunc autem de carne ſua locutus erat:* Niſi *quis manducauerit &c.* Ioan. 6. *Acceperunt illud ſtultè carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quoſdam de Corpore ſuo, & daturus illis.* Et ſic de corrigendis ſimilibus erroribus, oriundis ex quaſi ſenſibili aut imaginabili præſentiâ Corporis Chriſti in hoc Sacramento.

*Ad 3.* eamque grauiſſimam *diff.* ex textu ſequenti: *Verba quæ locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt.* Ioan. 6. .i. *Spiritaliter intelligite quod locutus ſum: Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri Sanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentū aliquod vobis cōmendaui: ſpiritaliter intellectum viuificabit vos &c. Reſp.* Non tãtum ex ſimili, ſed eadem prorſus locutione B. Aug. de non identitate Chriſti hominis glorioſi, ſecum ipſo mortali. *Tract. 95.* in illud *Ioan. 16.* Ad Patrem vado, & iam non videbitis me. *Heccine iuſtitia nunquam Chriſtum videre, & in eum tamen credere? Quid eſt, & iam non videbitis me: niſi quomodo ſum cùm vobiſcum ſum? Tunc enim erat adhuc mortalis &c. Hunc ergo Chriſtum* .i. *talem Chriſtum, cum tranſiſſet de hoc mundo ad Patrem, non erant iam viſuri: & ipſa eſt iuſtitia fidei, de qua* 2. Cor. 5. *Etſi noueramus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iam non nouimus &c. Quando me videbitis quod tunc ero, non videbitis me quod ſum vobiſcum modò. Non videbitis me humilem, ſed excelſum, non mortalem ſed ſempiternum, non iudicandum ſed iudicaturum &c.* Quid ſimilius hac negatione huius Chriſti, & expoſitione talis Chriſti, illi negationi huius Corporis Chriſti pro tali? Quæ expoſitio neceſſariò conuincitur ex hoc ipſo contextu: quo B. Aug. profitetur eſſe ipſum Corpus Chriſti, ex Maria Virgine, & tamen negat eſſe *hoc*: ergo profitetur identitatem quoad ſubſtantiam, negat autem tantum quoad formam externam. Prout ſatis inſinuatur, non negando ſimpliciter *hoc Corpus*, ſed *hoc quod videtis*, ſeu prout videtur; neque hunc Sanguinem, *ſed quem fuſuri ſunt*, ſeu modo cruento. Ratio autem propria huius locutionis reddi poteſt: quia quamuis pronomen, *hoc*, ſit ſubſtantiale, & demonſtratiuum ſubſtantiæ: non tamen niſi ſub proprijs accidentibus demonſtratiuis; nec eiuſdem tantùm ſubſtantiæ Phyſicè aut Metaphyſicè, ſed etiam eiuſdem moraliter. Hinc ſubſtantia Corporis Chriſti quamuis eadem Phyſicè in Euchariſtia poſt reſurrectionem, quæ fuerat ante: quia tamen non eſt demonſtrabilis ſub eadem forma, ſed prorſus diuerſa; nec eſt eadem moraliter, ſed prorſus diuerſa ſecundum ſenſum & æſtimationem humanam: meritò humana etiam locutione, dicitur non hoc iam corpus quod ante. Vnde & Sacra Script. *1. Cor. 15.* negat identitatem moralem corporũ poſt reſurrectionem: *Gal. 2.* identitatem moralem Apoſtoli ſecum ipſo, *Viuo ego iam non ego.* Et B. Aug. ſæpè mouet quæſtiones de identitate inter corpora poſt reſurrectionem & ante: imò & de quadam conuerſione omniũ Beatorum in Deum, qua ſit Deus omnia in omnibus *1. Cor. 15.* vtique moraliter, non phyſicè, vt ſupra.

Nec obſtat quod Corpus Chriſti fuerit adhuc mortale quando Chriſtus *Ioan. 6.* prædixit, & *Mat. 26.* dixit *Hoc eſſe Corpus ſuum*: de quo B. Aug. *Non hoc Corpus &c.* quia quamuis eſſet adhuc mortale ſub modo ſuo naturali exiſtendi, non tamen ſub modo Sacramentali. Nec ſolutio ſupponit tunc fuiſſe immortale: ſed ſicut idem realiter corpus poteſt moraliter dici hoc & non hoc, propter differentiam mortalis ab immortali & glorioſo: ita & potiùs ob differentiam inter modum exiſtendi naturalem & ſacramentalem, corporalem ac ſpiritualem, diuiſibilem ac indiuiſibilem?



Digitized by Google

quàm Corpus Chriſti. *Dicite mihi*, inquit, *quid vobis plus eſſe videtur, Verbum Dei, an Corpus Chriſti? Dicere debetis, quòd non ſit minus Verbum Dei quàm Corpus Chriſti. Et ideò quanta ſollicitudine obſeruamus quando nobis Chriſti Corpus miniſtratur, vt nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat: tanta ſollicitudine obſeruemus ne verbum Dei quod nobis erogatur de corde noſtro pereat; quia non minus reus erit qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm qui Corpus Chriſti in terram negligentia ſua cadere permiſerit.*

Reſpondet Bellarm. Non comparari hîc ſonum aut litteram, ſed ipſam veritatem verbi Dei, cum Corpore Chriſti: ſub qua comparatione, ſicut veritas verbi Dei eſt æterna & immutabilis, ita & Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt immortale & indiuiſibile: ſicut veritas nobis communicatur ſignis vocalibus & ſcriptis, ita & Corpus Chriſti in hoc Sacramento: ſicut eſt graue peccatum contemnere aut negligere veritatem, ita & Corpus Chriſti vel eius Sacramentum in terram abijcere, vel irreuerenter aut negligenter tractare, plus quàm materias aliorum Sacramentorum.

Adde 1. hanc comparationem intelligi poſſe: vel inter primam veritatem Verbi Dei, & ipſum Corpus Chriſti: vel inter quamlibet veritatem particularem, & Corpus Chriſti: vel inter ipſas voces aut litteras Verbi Dei, & ſigna ſacra ſeu ſpecies conſecratas Corporis Chriſti: vt prima vel quælibet veritas non ſit minor ſeu minus digna ipſo Corpore Chriſti; nec illius voces aut litteræ, huius ſignis ſacris, ſeu ſpeciebus conſecratis.

Adde 2. Quòd ſicut vox vel littera Verbi diuini eſt ſignum Primæ vel cuiuſlibet veritatis: non vt futuræ, præteritæ, vel abſentis; nec tantùm vt obiectiuè, ſed etiam realiter præſentis: ita & hoc Sacramentum ſit ſignum demonſtratiuum Corporis Chriſti realiter præſentis. Niſi quòd præſentia veritatis non ſit ita limitata ad ſua ſigna, ſicut præſentia Corporis Chriſti ad ſuum Sacramentum. Neque hinc licet ab hac præſentia quaſi tantùm obiectiua veritatis, inferre hîc præſentiam tantùm obiectiuam Corporis Chriſti: quia B. Aug. toto *lib. de Magiſtro, lib. 8. Trin. cap. 2. & 3. ſerm. 40. de tempore*, & alibi ſæpè ſupponit præſentiam non tantùm obiectiuam, ſed & realem veritatis vbique, & ſpecialiter vbicumque concipi poteſt: tùm ex immenſa præſentia Dei, tùm ex opinione Platonica de quadam reali exiſtentia naturarum ante & extra ſua ſingularia. Vt patet ex *col. 72. 73. 74. 300. 301. 318. 319. 335 336. 1088. 1168. noſtra Anat.*

*OBIECTIO 16.*

Quòd B. Aug. ſæpè reſtringat præſentiam Corporis Chriſti ad vnum locum. Vt lib. 20. contra Fauſtum ſupra à col. 309. Tract. 30. in Ioan. *Sic audiamus Euangelium, quaſi præſentem Dominum. Surſum eſt Dominus: ſed etiam hic eſt veritas Dominus. Corpus enim in quo reſurrexit vno loco eſſe poteſt: veritas eius vbiq; diffuſa eſt.* Tract. 50. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Si bonus es, habes Chriſtum, & in præſenti & in futuro: in præſenti per fidem, in præſenti per ſignum, in præſenti per Baptiſmatis Sacramentum, in præſenti per Altaris cibum & potum &c. Si autem malè verſaris, videris habere in præſenti Chriſtum: quia intras Eccleſiam, ſignas te ſigno Chriſti, baptizaris Baptiſmo Chriſti, miſces te membris Chriſti, accedis ad Altare Chriſti. In præſenti habes Chriſtum: ſed malè viuendo non ſemper habebis. Poteſt & ſic intelligi &c. Secundum Maieſtatem, prouidentiam, & gratiam, impletur quod ab eo dictum eſt*, Matth. 28 *Ecce ego vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſæculi. Secundum carnem autem quam aſſumpſit, non ſemper habebitis vobiſcum. Quare? Quoniam aſcendit in Cœlum, & non eſt hîc &c.* Tract. 94. *Expedit vobis vt ego vadam &c. id eſt vt hæc forma ſerui auferatur à vobis.* Serm. 40. de verbis Domini cap. 6. *Quomodo ſi Angeli deſcendunt ad Chriſtum, hîc eſt: ſi aſcendunt ad illum, ſurſum eſt? Quomodo probamus & illic eum eſſe, & hîc? Reſpondeat nobis Paulus, cui Chriſtus* Act. 9. *Saule, Saule. Vnde clamat? De cœlo. Ergò ſurſum eſt. Quid me perſequeris? Ergò deorſum eſt.* Vtique ſecundum corpus Eccleſiæ in quo perſecutionem patitur.

Reſpondet Bellarm. *Ad 2.* Non negari Corpus Chriſti poſſe eſſe in pluribus locis: ſed tantùm diſtingui inter præſentiam Corporis Chriſti, & veritatis Chriſti; quòd illa poſſit reſtringi ad vnum locum, hæc autem non, ſed neceſſariò vbique ſit. *Ad 3.* De ſola præſentia Chriſti viſibili.

*Sed Reſpondetur* ad ſingula, ex Tomo 2. noſtræ Anat. *Ad 1.* ſupra à *col. 309. ad 314.* hoc addito: Quod *col. 310.* eodem ſenſu Chriſtus *ſecundum præſentiam corporalem non poſſit eſſe ſimul in Sole, Luna, & Cruce*, quo ſenſu ibidem dicitur *ſecundum præſentiam ſpiritalem nullo modo pati poſſe*: cum tamen ex *lib. 21. Ciu. cap. 10.* Spiritus pati poſſint ab igne ſupernaturaliter; ergò illa hîc intelligenda ſunt naturaliter.

*Ad 2. Reſp. ex col. 1088.* vt Bell. ſupra. Deinde de præſentia Chriſti morali, loquendo, docendo, &c. Quo ſenſu Chriſtus ſecundum corpus non eſt amplius hîc: ſed tantùm ſecundum ſuum Euangelium & veritatem. Vt idem Bell. ibidem, ex Tract. 10. B. Aug. in Epiſt. Ioan. vbi ait: *Iam non inuenis loqui Chriſtum in terra: aſcenſurus dixit verba nouiſſima, poſt ipſa verba non eſt locutus in terra.* Denique de præſentia naturali Corporis limitata ad vnum locum. Vt patet ex ipſo contextu, & fine audiendi Euangelium, imò ipſam veritatem, non tantùm Domini, ſed Dominum, vbique non tantùm obiectiuè ſed & realiter præſentem.

*Ad 3. Reſp. ex col. 1093. 1094.* & ex toto contextu eiuſque fine explicandi quomodo pauperes ſemper habeamus nobiſcum ad eis benefaciendum, non autem Chriſtum: præſentia vtique morali, indigente, aut capace noſtri humani obſequij. In quem finem toties diſtinguit varios modos præſentiæ: inter quos aſſignat etiam præſentiam per Altaris cibum & potum, eamquam diſtinctam à præſentia per ſolam fidem, per ſolum ſignum S. crucis, & per Sacramentum Baptiſmatis, ſeu per eius gratiam baptiſmalem: ergò præſentia Chriſti *per Altaris cibum & potum*, eſt realis & perſonalis. Nec obſtat quod *aſcenderit in Cœlum & non ſit hîc*: tùm quia *non eſt hîc* moraliter, ad illum finem humani obſequij aut beneficij, de quo ibidem: tùm quia propter diuerſum modum exiſtendi poteſt etiam moraliter dici *non hoc*, vt ſuprà: quantò magis non hîc?

*Ad 4. Reſp. ex col. 1202.* Præſentiam realem & ſacramentalem Corporis Chriſti nullatenus impedire, ſed promouere fidem & affectum noſtrum ſpi-



Digitized by Google

ritualem ; ideòque hanc præſentiam non fuiſſe nobis ſubtrahendam, ſed ſolam præſentiam ſenſibilem ac experimentalem humanitatis Chriſti, quæ diuerteret aut diſtraheret fidem & affectum ſpiritualem à Chriſti diuinitate. Provt ipſe B. Aug. ibidem explicat. *Non poteſtis capere ſpiritum, quamdiu ſecundùm carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum.* Vnde 2. Cor. 5. *Etſi noueramus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. Etiam ipſam quippe carnem Chriſti non ſecundum carnem nouit, qui verbum carnem factum ſpiritaliter nouit.*

*Ad 4. Reſp. ex col. 1139.* Corpus Chriſti verum non eſſe hîc propriè *deorſum*: quia non eſt hîc localiter, nec vllatenus relatiuè ad loca. Sicut enim B. Aug. philoſophatur de exiſtentia & præſentia ſpirituum, abſolutè ab omni relatione & differentia locali. *col. 48. 49. 50. 57. 58. 65. 120. 328. 329. 405. 585. 907.* ita & de præſentia ſpirituali Corporis Chriſti in hoc Sacramento.

Nec obſtat quod *Ioan. 6.* dicantur Angeli aſcenſuri & deſcenſuri ſuper Filium hominis: imò etiamnùm deſcendere ad Chriſtum in Altari. Illud enim ſatis verificatur in Chriſto adhuc viſibiliter hîc conuerſante. Nam ibidem, *Videbitis Angelos &c. Ioan. 2.* cùm iam non videantur, ſeu appareant: hoc autem verificari poteſt de deſcenſu Angelorum ad aliquos effectus ſalutares circa nos, virtute & reſpectu huius Sacramenti. Alioquin reſpectu Chriſti, vbicumque ſit, non deſcendunt propriè Angeli tanquam ad inferiorem ſe, ſed aſcendunt tanquam ad ſuperiorem dignitate.

Adde, Corpus Chriſti verum pati etiam perſecutionem in Sacramento, per blaſphemias & ſacrilegia Sacramentariorū: nec Corpus Chriſti myſticum ſeu Eccleſiam pati grauiorem perſecutionem, quàm propter Corpus Chriſti verum, ſeu fidem ac cultum eius in hoc Sacramento.

*OBIECTIO 17.*

Quòd B. Aug. ſæpè tribuat fidei ſeu deuotioni fidelium, præſentiam, manducationem, & effectum Corporis Chriſti: ergò non niſi de præſentia obiectiua, & quaſi virtuali. Nam lib. 1. contra Epiſt. Parm. cap. 6. *Idem ſacrificium tale cuique ſit, quali corde ad accipiendum acceſſerit.* Tract. 25. in Ioan. *Quid paras dentes & ventrem: crede & manducaſti.* Tract. 26. *Credere in eum, hoc eſt manducare panem viuum. Qui credit in eum manducat, inuiſibiliter ſaginatur, quia inuiſibiliter renaſcitur.* Infra. *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum: in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere.* Serm. 33. de verbis Domini cap. 4. *Ipſam Cœnam quotidiè fide manducamus.* Cap. 5. *Noli parare fauces, ſed cor &c.* Serm. 140. de tempore cap. 2. *Habeto fidem, & tecum eſt quem non vides &c.*

*Reſp.* ex Tomo 2. noſtræ Anat. *Ad 1.* Ex col. 357. Non fieri in ſe, ſed *cuique tale* quoad fructum, *quali corde* ſeu diſpoſitione percipitur. *Ad 2.* Ex col. 1082. Vel de ſola communione ſpirituali, per fidem Incarnationis Chriſti, & gratiæ ad omne opus bonum neceſſariæ, vſque ad illud Ioan. 6. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille*: vel de communione ſpirituali potiùs quàm Sacramentali; vel de hac non niſi ex illa. Vnde ſubdit: *Diſcernitur quidem ab operibus fides* Rom. 3. *Et ſunt opera quæ videntur bona ſine fide Chriſti, & non ſunt bona; quia non referuntur ad finem ex quo ſunt bona. Noluit diſcernere ab opere fidem: Ipſa eſt enim quæ per dilectionem operatur .i.* Vel ipſam fidem ſeu actum fidei noſtræ vocat opus Dei: Vel non diſcernit opus externum fidei ſeu actum imperatum, ab elicito & imperante. Hinc, *Quid paras dentes & ventrem?* Ieiunio, vel fame ac appetitu naturali: Cùm hoc opus non ſit bonum niſi ex fide. *Crede & manducaſti*: vel ſpiritualiter, ſola fide, ſeu fideli deuotione fructum ſacræ communionis præueniente aut participante; vel etiam ſacramentaliter, fide per charitatem operante ſeu imperante ipſam communionem ſacramentalem. Vt illud, Crede & mādcaſti, ſignificet facilitatem huius operis optimi.

*Ad 3. Reſp. vt ad 2. ex col. 1083. 1084. 1085.* ſed præcipuè ex textu ſequenti: *Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritaliter Corpus eius, nec bibit eius Sanguinem: licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentū Corporis & Sanguinis Chriſti.* Vnde patet, priorem illam quaſi definitionem, māducandi Corpus & bibendi Sanguinem Chriſti, per *manere in Chriſto & illum manentem in ſe habere*: non eſſe quaſi formalem ab intrinſeco, ſed cauſalem ab ipſo fructu ſeu fine manducationis. Quod ipſum ita exprimit Tract. 27. *Signum quia manducauit hoc eſt, ſi manet & manetur, ſi habitat & inhabitatur.* Patet etiam quod ſupra, *Quid paras dentes & ventrem? Crede & manducaſti*: non excludere communionem Sacramentalem, ſed tantùm præferre ſpiritualem, & hanc ad illam eiuſque fructum & finem exigere.

*Ad 4. Reſp.* ex *col. 1137. 1138.* vt ſupra *ad 2. & 3.* Quòd patet ex toto contextu. Cap. 1. *Commendata quam ſciunt fideles Cœna Domini, eiuſque manibus & ore firmata.* Cap. 4. *Cœnam manibus ſuis conſecratam diſcipulis dedit. Ipſam fide quotidiè manducamus.*

Cap. 5. *Noli parare fauces, ſed cor. Modicum quid accipimus, & in corde ſaginamur. Non ergò quod videtur, ſed quod creditur paſcit.* Quæ autem Cœna fidelibus nota, manibus & ore Domini firmata & conſecrata, fide quotidiè manducetur, in qua modicum quid accipiatur, ad ſaginandum cor, non ex eo quod videtur, ſed quod creditur: niſi hæc ipſa Cœna Sacramentalis? Quaſi diceret: non ſunt ad eam parandæ fauces, ſed cor; quia modicum per fauces ſenſibiliter traijcitur, ſed cor ſaginatur ex eo quod ſubeſſe creditur.

*Ad 5. Reſp.* ex col. *1177.* & eodem contextu: *Conſoletur te*, inquit, *fractio panis: abſentia Domini non eſt abſentia. Habeto fidem, & tecum eſt quem non vides.* Ergò conſolatio illa eſt de vera & reali, ſed occulta præſentia Chriſti: ad quam conſolationem, non autem ad illam ipſam præſentiam, neceſſaria eſt fides huius præſentiæ.

*OBIECTIO 18.*

Quòd B. Aug. ſoleat explicare veritatem huius propoſitionis, *Hoc eſt Corpus meum*: per hanc & ſimiles, *Petra erat Chriſtus.* Vt lib. contra Adim. cap. 12. Lib. qq. in Leuit. q. 57. in Cap. 17. ſupra col. 303. 304.

Digitized by Google

*304. 305.* Lib. 12. contra Fauſt. c. 29. *Si Petra Chriſtus propter firmitatem* 1. Cor. 10. *cur non & manna, tanquam panis viuus &c?* Lib. 2. Trin. cap. 6. *Non ſicut dicimus Filium Petram* 1. Cor. 10. *ita poſſumus dicere Spiritum S. columbam vel ignem.* Cuius non videtur aliam rationem reddere, quàm quod petra illa præerat & aſſumebatur in ſignum permanens: Hæc & ſimilia, fiebant in ſignum tranſiens. Lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 4. *Chriſtus erat lignum vitæ* Gen. 2. *Sicut Petra.* 1. Cor. 10. *Rectè quippè appellatur, quod ad eum ſignificandum præceſſit &c.* Lib. 13. Ciuit. *cap. 21.* idem.

Tract. 26. in Ioan. *Petra erat Chriſtus* 1. Cor. 10. *Inde panis inde potus. Petra Chriſtus in ſigno: verus Chriſtus, in Verbo & in Carne, &c.* Homil. 27. *ex 50.* vt Tract. 26.

*Reſp.* Ex noſtra Anat. & ſingulis contextibus.

*Ad 1. & 2.* vt ſupra *col. 304. 305. 306.*

*Ad 3. Reſp.* ex col. *235. 236. noſtræ Anat.* Illam quidem Petram, & Manna fuiſſe ſigna & denominata à Chriſto futuro: ſed hoc Sacramentum eſſe ſignum demonſtratiuum, & denominatum à Chriſto realiter præſente & contento. Quæ quidem differentia ſatis patet ex illo contextu, eiuſque intento probandi omnes figuras antiquas Chriſti potuiſſe æquè denominari à Chriſto, ſeu ab aliqua eius ſimilitudine, ac illa Petra à firmitate, vel effuſione aquæ ex eius percuſſione, in figuram fundendi Sanguinis Chriſti. Vnde & ſubdit: *Cur ergo non & nubes Chriſtus & columna?* Quod autem ait, *Cur non & Manna Chriſtus, tanquam panis viuus qui de Cœlo deſcendit?* non ſignificat æqualitatem, ſed potiùs inæqualitatem inter hæc ſigna, eorumque denominationes à Chriſto: tùm ex illo *tanquam*, reddente rationem propriam illius denominationis impropriæ: tùm ex propria denominatione huius panis ſeu cibi viui, non illius Mannæ: tùm ex magis proprio deſcenſu huius è Cœlo, quàm illius, videlicet Mannæ.

*Ad 4. Reſp.* ex *col. 284. 314. 315. 316.* ſupra, & *235. 285. 287.* noſtræ Anat. totoque contextu ac intento B. Aug. diſtinguendi inter varias apparitiones Dei & Perſonarum Diuinarum ac Angelorum ſub varijs formis & figuris, ac inter varias hinc inde denominationes. Nam lib. 2. Trin. cap. 6. *Quanquam illa columba Spiritus dicta ſit* Matt. 3. &c. *non tamen ita poſſumus dicere Spiritum S. & Deum & columbam, aut Deum & ignem, ſicut dicimus Filium & Deum & Hominem: nec ſicut dicimus Filium Agnum Dei* Ioan. 1. Apoc. 5. *nec ſicut dicimus Filium Petram &c. Illa enim Petra iam erat in creatura &c. Sicut Iſaac Chriſtus erat cùm ad ſe immolandum ligna portabat. Acceſſit iſtis actio quædam ſignificatiua iam exiſtentibus: non autem ſicut illa columba & ignis ad hæc tantummodò ſignificanda repentè extiterunt.* Vbi diſtinguit improprias ſignorū illorum denominationes: non tantùm ab illa propria Chriſti Dei & Hominis; ſed etiam inter ſe, à maiori vel minori ſignorum illorum ſtabilitate & ſimilitudine. Sed *lib. 3. cap. 4.* diſtinguit propriam ſignificationem ac denominationem Corporis & Sanguinis Chriſti in hoc Sacramento, ab omnibus alijs improprijs ſignis: *Nec linguam,* inquit, *nec membranas, nec ſignificantes ſonos, nec ſigna litterarum Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus:* Vtiquè propriè aut cōmuniter, nam ſic etiam dici poſſunt impropriè & metaphoricè; *ſed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem &c.* Vt ſupra *col. 315. 318.*

*Ad 5. & 6.* De ligno vitæ, eiuſque denominatione à Chriſto præfigurato. *Reſp.* ex vtroque contextu, diſtingui inter figuras tantùm verbales & reales: quòd illæ non ſupponant aliquam rem exiſtentem, ſed tantùm verba, vel res fictas ad ſignificandum: hæ autem ſupponant rerum ipſarū exiſtentiam, quamvis relatam ad ſignificandum. Cùm autem lignum vitæ fuerit figura realis huius Sacramenti, ſeu Chriſti in hoc Sacramento: nec illa nec ſimiles figuræ poſſunt æquè denominari à Chriſto futuro, ac hoc Sacramentum à Chriſto exiſtente ac præſente.

*Ad 6. & 7. Reſp.* ex *col. 287. 288.* ſupra, & ex col. *1083.* noſtræ Anat. comparari Iudæos olim fideles, in manducando Manna & bibendo aquam de Petra, cum Chriſtianis fidelibus ſumentibus Corpus & Sanguinem Chriſti: quòd illi tanquam patres fidelium Chriſtianorum ſecundùm fidem, quamuis ſub diuerſis ſignis ac figuris, eadem fide perciperent Corpus & Sanguinem Chriſti ſeu fructū Paſſionis eius, qua nos; ſicque eundem cibum & potū ſpiritualem, non tantùm eundem inter ſe, ſed etiā eundem nobiſcum: quia eundem futurum, quem nos præſentem; ſed nos ſub Sacramento demōſtratiuo ac continente realem eius exiſtentiam ac præſentiam; illi ſub figuris eiuſdem exiſtentiæ ac præſentiæ futuræ: imò & ex meritis Chriſti præuiſis ex tunc participabāt eundem aliquem nobiſcum fructum ſpiritualem, ſeu gratiam quæ eſt etiam huius Sacramenti. Vt patet ex his verbis B. Aug. *Patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt* 1. Cor. 10. *Spiritalem vtique eandem: nam corporalem alteram; quia illi Manna, nos aliud; ſed Patres noſtri, non Patres illorum &c. Et omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos: ſed ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali. Bibebant,* inquit, *de ſpiritali ſequente eos Petra: Petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno: verus Chriſtus, in Verbo & in Carne &c.* Vbi ita tribuit Chriſto rationem cibi & potus: vt diſtinguat Chriſtum in ſigno ſeu figura Petræ & Mannæ, à vero Chriſto in Verbo & in Carne, qui etiam vt ſic ſit cibus & potus. Ergò ſub Sacramento Euchariſtiæ: quia extra, nec habet veram rationem cibi, nec potus, multò minus diſtinctam rationem cibi à potu.

Hom. 27. [Omnes eundem cibum ſpiritalem manducauerunt &c. *1. Cor. 10.* Quid ergò? Hoc erat Manna illud, quod ego nunc accipio? Ergo nihil modo venit, ſi ante iam fuit? Quomodo ergo eundem, niſi quia addidit, ſpiritalem? Infra. *Breuiter ergò dixerim: Quicumq; in Manna Chriſtum intellexerunt, eundem quem nos ſpiritalem cibum manducauerunt: quicumq; autem de Manna ſolam ſaturitatem quæſierunt, Patres infidelium, manducauerunt, & mortui ſunt. Sic etiam eundem potum. Petra enim Chriſtus* 1. Cor. 10. *Eundem ergò potum quem nos, ſed ſpiritalem: id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. Audiſti eundem potum: Petra erat Chriſtus.*

Non

*Non enim alter Chriſtus tunc, alter nunc. Altera quidem illa Petra* Exod. 17. *Alter lapis ad caput Iacob* Gen. 28. *Alter aries inhærens vepribus* Gen. 22. *idem tamen Chriſtus: ideò eundem cibum, ideò eundem potum &c. Sed intelligentibus & credentibus &c. Tunc enim Chriſtus venturus, modò Chriſtus venit. Venturus & venit diuerſa verba ſunt, ſed idem Chriſtus.* Infra. *Eligitur* IESVS *Naue &c. Sicut ergò ille non verus* IESVS, *nec illa terra promiſsionis vera ſed figurata: ita Manna non cibus verè cœleſtis, ſed figuratus; ita Petra illa non verè Chriſtus, ſed figuratus; ita omnia &c.* Infra. *Figura Petra iacens, figura virga percutiens, figura aqua fluens, figura & Moyſes dubitans &c. Dubitauit Moyſes quando lignum acceſsit ad Petram: dubitauerunt Diſcipuli quando viderunt Dominum crucifixum &c. Quare Petrus dubitauit? quia lignum Petræ propinquauit.* Infra. *Per mortem corporalem Moyſi, figurata eſt mors ipſius dubitationis &c. Hoc certè expoſitum & intellectum, quantò dulcius quàm Manna?* Ex quibus omnibus recolligi poſſunt variæ Reſponſiones & differentiæ inter, Hoc eſt Corpus meum: &, Petra erat Chriſtus &c.

1. Quòd B. Aug. non comparet has dictiones ad æqualitatem: ſed tantùm ad aliquam ſimilitudinem; nec acquieſcat huic, ſed quærat & inueniat locutionem ſimiliorem, qua continens denominatur à ſuo contento, imò & nominatur ſuum contentũ. Vt locus conuocationis Fidelium, vocatur Eccleſia: cùm Eccleſia ſit ipſa conuocatio ſeu Fideles conuocati. Sed ſicut nomen Eccleſiæ, vſu communi appropriatur loco ordinario, nomen vini ipſi vaſi actu continenti & conſeruanti: ita & nomen Corporis Chriſti eſt appropriatum ſuo Sacramento, idipſum realiter continenti ac conſeruanti. Vt ſupra *col. 305.*

2. Quòd nec hæc Petra materialis dicatur Chriſtus, nec Chriſtus hæc Petra: ſicut, *Hoc eſt Corpus meum*, non autem, hic panis eſt Corpus meum; quia diſparata non poſſunt dici aut eſſe eadem inter ſe.

3. Quòd *1. Cor. 10.* non dicatur, *Petra eſt*, ſed *erat Chriſtus*: ſicut Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. *Hoc eſt Corpus meum*; quia figuræ illæ nunquam fuerunt Chriſti vt exiſtentis, ſed tantùm vt futuri ſecundum ſuam ſacram humanitatem.

4. Quòd *1. Cor. 10.* non illa Petra materialis vt figura Chriſti: ſed Petra ſpiritualis præfigurata per illam figuram, propriè dicatur & ſit Chriſtus. Vt ſupra col. 298. *Bibebant enim*, inquit Apoſt. 1. Cor. 10. *de ſpiritali conſequente eos Petra: Petra autem erat Chriſtus.* Vtique conſequens & ſpiritalis, ſeu præfigurata Petra, non autem illa materialis & figuratiua. Quamuis enim quidam hoc explicent de Petra illa materiali, quatenus ſpirituali ſeu typica, & effluxu ſuæ aquæ Iudæos in eremo aliquo vſque conſequente, aut eis ad potum obſequente: melius tamen B. Aug. de Petra ſpirituali præfigurata ſeu de ipſo Chriſto: quem etiam, ſeu ex quo vult fuiſſe & eſſe eundem cibum & potũ ſpiritualem fideliũ antiquæ & nouæ Legis. Tùm quia ſoli Fideles videntur bibiſſe de illa Petra ſpiritali, quæ erat Chriſtus: tùm quia Petra illa materialis, vt typica, non ſequebatur Iudæos in deſerto, imò nec eius aqua ſurſùm per montes, cùm paulò poſt iterum paſſi ſint defectum aquæ *Num. 20. 22.* Tùm denique quia optimè conuenit tàm fidelibus illis antiquis, præbibiſſe ſeu participaſſe per fidem de ſpiritali conſequente eos Petra, ſeu de fructu Chriſti venturi; quàm ipſi Chriſto venturo, ſicque illos conſequente ſuo aduentu poſteriori, & tamen ex ſe eis cibum & potum ſpiritalem fidei per anticipationem prouidente. Hinc fortè & Chriſtus in noua Lege ſæpè ſignificatur nomine Petræ: vtique ſpiritualis, à qua & Petrus denominatur, vt obſeruat B. Aug. *Serm. 13. de Verbis Domini.*

5. Quòd B. Aug. ſæpè vtatur propoſitionibus inuerſis, in quibus ſubiectum videtur prædicari & è contra: prout aliquoties obſeruauimus in noſtra Anat. Vndè ſi quando earum ſenſus videatur difficilior, conuertendæ ſunt ad ſenſum faciliorem. Vt, hæ ſunt difficiliores, Agnus, Vitis, Petra, Manna eſt Chriſtus: quàm, Chriſtus eſt Agnus, Vitis, Petra, Manna; quia prædicatum accõmodandum eſt potiùs ſubiecto recipienti, in ſenſu conuenienti, quàm è contra.

*OBIECTIO* 19.

Quòd B. Aug. tam ſæpè moneat & inculcet verba Chriſti de hoc Sacramento eſſe ſpiritualiter intelligenda. Vt in Pſalm. 98. *Verba quæ ego locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt.* Ioan. 6. *Spiritaliter intelligite quod locutus ſum &c. Sacramentum aliquod vobis commendaui: ſpiritaliter intellectum viuificabit vos.* Tract. 27. in Ioan. *Verba quæ ego locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt, ideſt ſpiritaliter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritaliter, Spiritus & vita ſunt: intellexiſti carnaliter, etiam ſic Spiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt.* Serm. de verb. Apoſt. *Tunc vita vnicuique erit Corpus & Sanguis Chriſti: ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur in ipſa veritate ſpiritaliter manducetur, ſpiritaliter bibatur &c.*

*Reſp.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. & ex his ipſis textibus. & varia doctrina B. Aug. Hanc frequentem monitionem ac inculcationem B. Aug. nullatenus eſſe contra veram & realem exiſtentiam, præſentiam, & cõmunionem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub hoc Sacramento: ſed tantùm contra ſenſum illum carnalem ſeu rudem, crudelem, & ſcandaloſum Capharnaitarum. Vt patet ex ſingulis textibus citatis. Nam in Pſalm. 98. col. 1041. 1042. noſtræ Anat. *Niſi quis manducauerit &c.* Ioan. 6. *Acceperunt illud ſtultè, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de Corpore ſuo, & daturus illis: & dixerunt, Durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non ſermo: etenim ſi duri non eſſent, ſed mites dicerent ſibi, Non ſine cauſa dicit hoc, niſi quia eſt ibi Sacramentum latens &c.* Vnde quicquid ibidem ſequitur, de ſenſu ſpirituali Corporis Chriſti, aut manducationis eius, proferuntur tantùm ad corrigendum illum errorem & ſcandalum Capharnaïtarum. Vt patet ex *col. 272. 273. 274. 275. 307. 308. 309.* ſupra, & ex ſequentibus.

Tract. 27. in Ioan. *col. 1085. 1086.* noſtræ Anat. *Durus eſt hic ſermo &c.* Ioan. 6. *Non crediderunt magnum aliquid dicentem: ſed prout voluerunt ita intellexerunt; & more hominum, quia diſponebat* IESVS *Carnem qua indutum erat Verbum veluti conciſam diſtribuere credentibus in ſe. Hoc vos ſcandalizat? ſi ergò* 

*videritis*

Digitized by Google

*videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius. Illi putabant erogaturum eum Corpus ſuũ, ille autem dixit ſe aſcenſurum in Cœlum, vtiq; integrum &c. Certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat Corpus ſuum. Vel tunc videbitis quia gratia eius non conſumitur morſibus. Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. O Domine quomodo Caro non prodeſt quicquam? cùm dixeris, Niſi quis mãducauerit is Carnem meam &c.* Ioan. 6. *Non prodeſt quicquam, ſed quomodo illi intellexerunt: carnem quippè intellexerunt quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur &c. Accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit Charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum. Nam ſi caro nihil prodeſſet: Verbum caro non fieret &c. Verba quæ ego locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt, id eſt ſpiritualiter intelligenda ſunt &c. vt ſupra.* Vtique directè contra ſenſum illum nimis rudem ac crudelem Capharnaïtarum: ſed & contra nimis inanem ac vanum Sacramentariorum, quaſi hæc ſpiritualitas eſſet quædam rei inanitas: cùm ſpiritualia ſint veriora, realiora, & ſolidiora corporalibus. Nam vt *col. 1086. noſtræ Anat.* Sicut Capharnaïtæ ex prauo affectu ad hanc veritatem, eam perperam intellexerunt *prout voluerunt*, inquit B. Aug. Ita & hodierni Sacramentarij deprauant hunc verum ſenſum ſpiritualem B. Aug. ad ſuum proprium ſenſum fictitium, de Corpore Chriſti eiuſque manducatione, phantaſticè, obiectiuè, vel ad ſummum virtualiter: quaſi hoc eſſet ſpiritaliter intelligi apud B. Aug. cùm nihil minus ſit. Siue enim hæc ſpiritalitas B. Aug. intelligatur de Corpore Chriſti vt hîc & nunc immortali, impaſſibili, ſubtili, indiuiſibili, ſicque etiam ſpiritualiori in hoc Sacramento quàm in ipſo Cœlo: ſiue de præſentia eius Sacramentali, non corporali ſeu extenſa aut cöextenſa inſtar aliorum corporum, ſed ſpirituali ſeu indiuiſibili inſtar animæ rationalis in corpore, aut ſpirituum vbi ſunt: ſiue de manducatione Corporis Chriſti non corporaliter & diuiſibiliter, ſed ſpiritualiter & integraliter: ſiue potius de intelligentia ſpirituali huius Corporis, præſentiæ, & manducationis, non autem apprehenſione ſenſuali & phantaſtica. Quid ſpiritualius, glorioſius, & perfectioni diuinæ ſimilius, hac exiſtentia, præſentia, & manducatione ſpirituali, inſenſibiliter, indiuiſibiliter, in infinitum? Quid carnaliùs ac animaliùs ſentiri poteſt de Corpore Chriſti glorioſo, quàm quod Sacramentarij exprobrant de eius diuiſione, diſtantia à ſeipſo, corruptione in vermes, & indigna ab hominibus aut beſtijs contrectatione? quæ in corpus glorioſum ac ſpiritale nullatenus cadere poſſunt. Quid fallacius, inanius, & illuſioni dæmonum ſimilius illo quaſi ſubtiliorum Sacramentariorũ figmento, ſolius præſentiæ imaginariæ vel obiectiuæ Corporis Chriſti, in eorum potius cerebro quàm in hoc Sacramento? Nec enim ſpiritualia minus verè & realiter, ſed etiam veriùs & realiùs exiſtunt quàm corporalia. Neque B. Aug. hîc aliter loquitur aut intendit de ſpiritu ac ſpirituali, quàm de vero, reali, & exiſtente; aut de vera & ſpirituali intelligentia obiecti realis, verè exiſtentis in hoc Sacramento. Exponit enim illa Chriſti, *Spiritus eſt qui viuificat*, de ſpiritu Fidei & Charitatis: *Caro non prodeſt quicquam*; tùm de ſenſu illo carnali, ac erroneo; tùm de ipſa carne Chriſti ſine ſpiritu diuino in ſe, aut gratiæ in nobis: *Verba quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*; tùm de ſpirituali intelligentia in nobis, tùm de vi ſpirituali ac viuificante etiam in ſeipſis.

Nec obſtat quòd ſupra neget Chriſtum erogaturum Corpus ſuum: quia ſubdit, *Non eo modo quo putatis erogat Corpus ſuum*, id eſt non modo Capharnaïco. Nec quòd infra neget hanc *gratiam conſumi morſibus*: quaſi non ipſum Corpus Chriſti, ſed quædam inde gratiæ cõmunicarentur. Quia & ipſum Corpus Chriſti, ſeu eius communio realis, eſt & vocatur gratia; & inſtrumentum non tantùm remotum, ſed etiam proximum realiter ac intimè applicandum ad fructum gratiæ ſanctificantis.

Serm. 2. de verbis Apoſt. *Hoc vos ſcandalizat? Si ergò videritis Filiũ Hominis aſcendentem vbi erat prius? Id eſt, putatis quia de hoc Corpore meo quod videtis partes facturus ſum, & membra mea conciſurus, & vobis daturus? Certè qui integer aſcendere potuit, conſumi non potuit. Ergò & de Corpore & de Sanguine ſuo nobis dedit ſalubrem refectionem, & tam magnam breui tẽpore ſoluit quæſtionem.* Ad quam integritatem, contra illam conciſionem & quaſi lanienam Corporis Chriſti, hîc & vbique refertur frequens illa monitio B. Aug. intelligendi & manducandi Corpus Chriſti ſpiritualiter, id eſt indiuiſibiliter, ſed verè ac realiter. Quem ſpiritualem modum intelligendi quælibet etiam corpora, explicat doctrina illa Beati Aug. lib. 8. Trin. 4. col. 316. *Cauendum eſt ne credens animus id quod non videt, fingat ſibi aliquid quod non eſt &c.* De concipienda veritate rerum corporalium abſque vlla fictione phantaſtica formarum aut figurarum. *Lib. 2. Solil. col. 41. lib. de Magiſtro col. 73. Epiſt. 117. 218. col. 947. 948. 952.* Quod corporalia & mutabilia non ſint vera nec intelligibilia qua talia, ſed tantùm quà ſpiritualia ſeu in ſuis idæis ſpiritualibus. Deque duplici modo intelligendi: ab intrinſeco, ſeu ex ipſis principijs intellectualibus, vel Fidei: & ab extrinſeco. *i.* ex ſenſibus & phantaſmatibus, ſeu eorum directione aut monitione, corrigenda ab intrinſeco. De quibus ſuo loco ex profeſſo. Quorum prior videtur eſſe ille ſpiritualis, adhibendus circa hoc myſterium Corporis Chriſti: poſterior autem, hic cauendus; quia eſt obnoxius errori Capharnaïtarum & ſimilibus. Quod, inquit B. Aug. in Pſ. 54. ipſe S. Petrus Ioan 6. *Nondum intelligebat: ſed bona eſſe verba piè credebat.* Sed quia hæretici etiã Idiotæ promiſcuè abutũtur hac vera & reali ſpiritualitate S. Aug. ad ſua propria phantaſmata: exẽplificetur eis vera & realis, quamuis ſpiritualis & Sacramentalis exiſtentia, & præſentia Corporis Chriſti. *1.* In veriſſima ac realiſſima, quamuis ſpiritualiſſima exiſtentia & præſentia Dei vbicumque apparet, videlicet in omni creatura. *2.* In vera, ac reali, quamuis ſpirituali & ſupernaturali exiſtentia ac præſentia Verbi Diuini ad ſuam ſacram Humanitatem, vt *col. 67. & 68. noſtræ Anat.* *3.* In vera ac reali, quamuis ſpirituali exiſtentia & præſentia Angelorum ad corpora ab eis aſſumpta, ac mota. *4.* In vera ac reali præſentia, ac exiſtentia, quamuis etiam



Digitized by Google

vt *Coloſſ. 1.* ſupra: & maius ſupplere minus, vt *Ioan. 16.* Spiritus S. miſſus vice Chriſti, & ideo ab ipſo etiam B. Aug. *Serm. 185. de Tempore* vocatus *Vicarius Chriſti*; non vt ſui Principalis, ſed vt ſupplens ac perficiens ſpiritualiter vicem Chriſti abſentis, eiuſque opus inchoatum in nobis. Et idem poteſt ſupplere ac perficere ſeipſum in operando, creſcendo, proficiendo &c.

OBIECTIO 21.

Quòd, & cur B. Aug. tam ſæpè declinet à ſenſu proprio, ſeu litterali, huius veritatis, ad allegoricos, tropologicos, & anagogicos. *Reſp. 1.* Quia ſuo tempore non erat controuerſia inter fideles in Eccleſia, de ſenſu proprio: vnde tam ſæpè proteſtatur, *Norunt Fideles &c.*

2. Quia cùm ſatis conſtaret de ſenſu proprio, conſultum erat exponere fructus ac fines huius Sacramenti, per varias allegorias, tropologias, & anagogias, ad augendam ei reuerentiam ac deuotionem.

3. Ex more S. Aug. ſupponendi ſenſum nudum, & proprium, ex ipſo textu ac Maiorum ſuorum interpretatione: & ornandi illum ſuis allegorijs, tropologijs, & præcipuè anagogijs. Vt patet ex frequenti proteſtatione, non præiudicandi ſenſui proprio, ſeu litterali, per ſuas allegorias, tropologias & anagogias. *Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 2. & alibi.* Vnde & quinies diſtinctis conatibus incubuit in ſenſum geneſeos. Vt patet *ex col. 30. Indicu biblici ad Tom. 2. noſtræ Anat.* Et quidem opere principali 12. Librorum ex profeſſo de Geneſi ad litteram, ſæpè videtur quadam mentis agilitate ac ſubtilitate à ſenſu proprio ad ſuas anagogias euolare: cùm tamen ſenſum proprium, ſed ſolito ſpiritualiorem intendat. Vt lib. 4. cap. 28. *Nec quiſquam arbitretur quòd dixi de luce ſpiritali, & de condito die ſpiritali: non iam propriè, ſed quaſi figuratè conuenire, ad intelligendum diem, & veſperam, & mane &c. Vbi enim melior, & certior lux eſt, ibi verior etiam dies &c. Neque enim & Chriſtus ſic dicitur lux, quomodo lapis: ſed illud propriè, hoc verò, figuratè.* Vnde quando toties monet de Corpore Chriſti, eiuſque intelligentia, ac manducatione ſpirituali: non diſtinguit hæc à veris, proprijs, & realibus, ſed tantùm à falſis, & nimis imperfectis ac indignis Chriſto Domino. Cùm enim per ſpirituale non improprietet, ſed perficiat veram ac propriam rationem lucis, in Angelis & Chriſto Domino: nec per ſpirituale impropriat, ſed perficit veram, propriam & realem rationem præſentiæ Corporis Chriſti in hoc Sacramento.

4. Ex ſtatu Eccleſiæ Africanæ tempore S. Aug. inter multos adhuc Infideles & Catechumenos: qui needum erant capaces huius expreſſæ veritatis. Vnde & ita ſtudioſè ac cautè Fidelibus eam innuit, ac commemorat: vt tamen Infidelibus ac Catechumenis occultet: velut qui rem pretioſiſſimam modicùm euolueret, & ſubitò obuolueret, ac recluderet. Vt patet *ex col. 285. Epiſt. 42. & 287. Tract. 11.* Imò & ex eius pleriſque teſtimonijs, ad Fideles quidem ſatis explicitis, ſed ibidem ad Infideles quaſi replicatis, ac recluſis. Alius autem & maturior erat iam ſtatus Fidelium in Eccleſia Græca & Latina, ſeu Romana: ideoque & Patres eiuſdem, aut etiam prioris ætatis, in his Eccleſijs, liberiùs hanc veritatem exprimebant, ac publicabant. Neque hinc ſequitur hanc veritatem non fuiſſe tunc: ergò nec nunc explicitè, & neceſſariò credendam ad ſalutem.

Quia fuit ſemper expreſsè tradita, inquit Scotus *d. 10. q. 1. n. 3.* Eſtque nimis expreſſa in ſacra Script. nimis publicata, nimis ſæpè & expreſsè definita, & inter Catholicos, ac Hæreticos notorios pro Symbolo Fidei controuerſa; quam vt excipi poſſit à neceſſitate explicitè ſciendi ac credendi ad ſalutem. De qua neceſſitate credendorum implicitè, vel explicitè, alibi ex profeſſo.

OBIECTIO 22. *Ex poſteris B. Aug.*

Quòd Cyrillus Alex. in Epiſt. à Conc. Epheſ. approbatâ, neget communionem Euchariſtiæ eſſe comeſtionem hominis. Theodoretus *Dialog. 1.* moneat Chriſtum commutaſſe nomina inter Corpus Chriſti & ſymbolum eius. *Dialogo 2.* Sacramentũ poſt conſecrationem manere in priori ſubſtantia. Theophylactus *in cap. 14. Marc.* doceat panem commutari *in virtutem Carnis Chriſti*. Quidam Ioannes Scotus tempore Caroli Magni circa annum 800. Deinde Bertramus ſeu Retramus circa annum 880: Berengarius circa annũ 1050. expreſsè, & publicè verbo & ſcripto oppoſitũ docuerint. Quòd ipſe S. Bern. paulò poſt Berengarium, circa annum 1150. Sermone 33. in Cantica. *Angelus (inquit) ex adipe frumenti ſaginatur: me interim oportet quodam Sacramenti cortice eſſe contentum.* Infra. *Non pari iucunditate ſumitur cortex Sacramenti & adeps frumenti.*

*Ad 1. Reſp.* Non negare eſſe manducationem veri hominis, ſed puri hominis, contra Neſtorium: ſicque affirmare eſſe manducationem Chriſti hominis & Dei.

*Ad 2. Reſp.* Ex eodem textu; *Volebat enim eos propter nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratia credere.*

*Ad 3.* Eiuſdem, per priorem *ſubſtantiam*, Græcè *naturam*, ſignificare, vt ſolet, ipſam vim naturalem accidentium.

*Ad 4. Theophyl. Reſp.* Panem *verti in virtutem*: non extrinſecam & diſtantem, ſed intrinſecam, & præſentem; ſicque in rem ipſam Carnis Chriſti. Aut certè panem mutare vim ſuam nutriendi corpus, in rem & vim propriam carnis Chriſti, nutriendi animam.

*Ad 5. Reſp.* Tres illos ſeductores nullius eſſe aut vnquam fuiſſe authoritatis. Nam ille Ioannes Scotus, noſtro Subtili pluribus ſæculis antiquior, nullos habuit ſuo tempore ſectatores.

Bertramus, ſeu Retramus, quamuis glorietur ſe ſcribere iuſſu glorioſiſſimi Regis Caroli, quem editio Baſileenſis fingit fuiſſe Carolum Magnum, cùm potiùs fuerit Carolus Craſſus: confutatus tamen à Paſchaſio Corbeienſi, fuit inglorius, eiuſque liber tanta obliuione ſepultus; vt cùm ex prælo Baſileenſi hoc tandem ſæculo prodiiſſet, ipſi Cardinali Peronio, & pluribus alijs viris peritiſſimis ſuſpectus fuerit alicuius impoſturæ, ſeu ſuppoſitionis.

Sed nec Berengarius poteſt eſſe vllius apud hodiernos etiam Hæreticos authoritatis. Tum quia infamis fuit de alijs etiam erroribus, contra legitimũ

duo Conc. ſub Leone IX. priùs Romæ, poſteriùs Vercellæ; & exprimat Conc. Turonenſe ſub Victore II. præſidentibus eius legatis: Hic autem ordine temporis, referat 1. Conc. Vercell. ſub Leone IX. deinde Turonenſe, *præſente*, inquit, *Venerabili nunc Papa Gregorio*, vtique VII. *Romano tunc Archidiacono*: in quo Bereng. *propria manu Sacramēto cōfirmauit panem & vinum in Sacrificio Domini, non vmbraticè ſed verè Chriſti Carnem & Sanguinem fieri.* Denique Romanū, inquit, *Generale*, ſub Nicolao Papa II. vt ſuprà. Subdit autem aliquot differētias Bereng. *Omnes quidem*, inquit, *in hoc conueniunt: quia panis & vinum eſſentialiter non mutantur: ſed vt extorquere à quibuſdam potui, multū in hoc differūt. Quòd alij nihil alind omnino de Corpore & Sanguine Domini Sacramentis iſtis ineſſe, ſed tantummodò vmbras hæc, & figuras eſſe dicunt. Alij, vt quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt ibi Corpus & Sanguinem Domini latenter ſed reuera contineri, & vt ſumi poßint ita quodammodò impanari. Et hanc ipſius Berengarij ſubtiliorem eſſe ſententiam aiunt. Alij verò ſolebant olim putare. quod panis & vinum ex parte mutentur, & ex parte remaneant. Alijs videbatur panem & vinum ex toto quidem mutari: ſed cum indigni accedunt, iterùm in panem & vinum reuerti &c.* Deinde ſingulas Berengarianorum reprobat calumnias: ſed præcipuè toto *lib. 1.* eam quæ ex attritu dentium ſuprà, tandem vt nos; excepta diſtinctione, huius attritus, pro ſolo contactu, preſſurâ aliqua, vel comminutione, & confuſius poſſibili verificatione de ipſo Corpore Chriſti etiam immediatè; reuera tamen & de facto nonniſi mediatè per ſolas ſpecies, ſalua Corporis Chriſti integritate, ac impoſſibilitate.

Sed mirum eſt eum non meminiſſe illius alterius Conc. Rom. ſub Greg. VIII. quod refert Thomas Waldenſis *Tom. 2. de Sacramentis cap. 43.* & ex eo Bellarm. *lib. 1. de hoc Sacram. cap. 1.* & *lib. 3. cap. 21.* & Heſſelius De reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia *pag. 15.* in quo Berengarius abiurauerit ſuam hæreſim impanationis, & profeſſus fuerit veritatem tranſſubſtantiationis anno 1079. Niſi hoc geſtum ſit, poſt Guitmundum, vel hunc eius librū.

Algerus quondam Scholaſticus Eccleſiæ Leodienſis circà annum Domini 1090. ſecundùm Trithemium, refert ſub prologo varias ſui illius ſæculi hæreſes contra veritatem Euchariſtiæ.

*Alij*, inquit, *panem & vinum non mutatum, ſed ſolùm Sacramentum, ſicut aquam Baptiſmatis Corpus Chriſti non verè, ſed figuratè vocari dicunt &c. Alij dicunt panem non ſolum Sacramentum, ſed in pano Chriſtum quaſi impanatum, ſicut Deum in carne perſonaliter incarnatum.*

*Alij panem & vinum in Carnem & Sanguinem mutari: ſed non Chriſti, ſed cuiuſlibet Filij hominis ſancti, & Deo accepti; vt compleatur quod Chriſtus dixit* Ioan 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis* &c. *Alij autem gratiæ derogantes, dicunt Sacerdotum malis meritis ita inuocationum diuini nominis annullari: vt eorum indigna conſecratione non debeat panis in Chriſti Carnem conuerti. Alij mutari quidem in Carnem Chriſti: ſed malis meritis ſumentium non permanere Carnem Chriſti, ſed iterùm reuerti in purum Sacramentum panis & vini. Alij, quod eſt deterius dicunt per comeſtionem in fœdæ digeſtionis conuerti corruptionem.* Quas & ſingulas hæreſes Berengarianas, præclaro opere trium librorum, omnium optimè ac doctiſſimè confutat. De quibus ſingulis & nos ſucceſſiuè: tam ex ipſo, quam aliunde. Sed hæc & hic ſufficiant ad intentum, conuincendi illam Berengarij infamiam perfidiam ac periuria: indèque infamandi omnes etiam hodiernas hæreſes tanquam putres fæces Berengarianas.

*Ad 6. Reſp.* S. Bern. Ibi tantùm comparare fidem memoriam & contemplationem huius vitæ noſtræ, ex ſignis noſtris ſacris, cum præſentia intuitiua, & viſione beatifica Dei: non autē Sacramentū Euchariſtiæ, tanquam ſignum inane aut rememoratiuum tantùm, cum ipſa Corpore Chriſti: quod etiam comprehendit ſub cortice, furfure & palea, reſpectu illius adipis frumenti, ſeu Diuinitatis qua veſcuntur & ſaginantur Angeli.

---

## QVÆSTIO 3. DOGMATICA.

### *Vtrum ſub ſpeciebus conſecratis ſuperſit aliquid ſubſtantiæ panis & vini: an vero tota per conſecrationem conuertatur in Corpus & Sanguinem Chriſti?*

HÆreſis illa Berengariana, de quadam Impanatione Corporis Chriſti in Euchariſtia, ex Guitmundo & Algero ſuprà, varias ex tunc radices egit, & nunc in plures etiam diſtinctos ramos prodijt. Quam enim ſolum Impanationem Guitmundus vocat: Algerus ſuprà Verbi Incarnationi comparat; vel ex quadam tantum ſimilitudine intimæ præſentiæ, aut alicuius vnionis accidentalis; vel etiam ex paritate vnionis hypoſtaticæ, prout Algerus eam reprobat *lib. 1. cap. 6.* Quo ſenſu Rupertus Abbas Tuitienſis, ipſi quaſi Algero coæuus, *lib. 6. in Ioan. & lib. 2. de diuinis officijs cap. 2. & 9.* exponit panem fieri, & eſſe Corpus Chriſti, per aſſumptionem hypoſtaticam à Verbo: ſicque duplex eſſe Corpus Chriſti; alterum humanum, alterum quaſi panaceum; & hoc quidem ſolum ab indignis recipi; illud autem ſimul à ſolis dignis: vtrumque tamen dici poſſe vnum, & alterum de altero, ex vnitate ſuppoſiti. Ne autem hinc videretur Deus dici poſſe panis, ſicut dicitur homo: quidam Ioannes Parienſibus, teſte Waldenſi *Tom. 2. de Sacram. cap. 65.* excogitauit panem tantùm aſſumi mediante Corpore Chriſti, non autem cōaſſumi toti Humanitati. Hæreſis autem à Guitmundo ſuprà relata, de partiali tantùm mutatione panis & vini: diſtingui poteſt in mutationem tantùm quoad formam ſubſtantialem panis, prout perperam ſentire videtur Durandus *in 4. quæſt. 3. diſt. 11.* & in mutationem quoad ſolam materiam panis, vt refert & reprobat S. *Thomas 3. 4. q. 75. a. 6.* & in mutationem alicuius partis integrantis, alicuius non, quaſi ad communionem Fidelium & digniorū ex partibus conuerſis, indignorum autem ex alijs.

Plerique Lutherani, cum quibus nobis hæc controuerſia eſt, nolunt eſſe de fide aliquid ſubſtantiæ panis manere, vel nō manere cum Corpore Chriſti in Euchariſtia: ſed probabilius eſſe ex Scripturis, quòd maneant, ſimulque de inuicem dici, ac eſſe poſſint panis & Corpus Chriſti, per vnionem panis cum Corpore, ſicut in Chriſto verificatur Deus de homine; nō tamen hypoſtaticè, ſed potiùs intimè: Denique verificari *Hoc eſt Corpus Chriſti*, per vbiquitatem



Digitized by Google

tatem Corporis Chriſti, ſeu concomitantiam Verbi Diuini vbique, ex vi vnionis hypoſtaticæ?

Quæ ſententia ſicut Berengarianis apud Guitmundum ſuprà videbatur eſſe ſubtilior, & doctrinæ Catholicæ vicinior: ita Lutheranis, imò & quibuſdam Catholicis videtur ſaltem minùs contraria, minùſque pernicioſa. Sed non fruſtra B. Ambr. *Tom. 2. lib. de Fide contra Arianos*, monet hæreſes eò pernicioſiores & fallaciores eſſe, quò Fidei Catholicæ ſimiliores.

RESPONSIO DOGMATICA.

SVb ſpeciebus conſecratis nihil ſupereſt ſubſtantiæ panis & vini: ſed tota & quælibet eius pars in conſecratione deſinit, & conuertitur in veram, propriam, & totam ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti: quæ conuerſio propriè Tranſſubſtantiatio vocatur. *Conc. Flor. & Trid. ſupra col. 3. & 8.*

1. *Ex Sacra Scriptura.*

Ex veritate verborum Chriſti Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt*, Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur &c. Hic eſt Sanguis meus, ſeu Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur &c.* Quæ ſimul & æquiualenter inuoluunt, non eſſe panem, non eſſe vinum, nec quicquam aliud diſparatum à Corpore & Sanguine humano Chriſti: quia nihil poteſt eſſe vnum & plura, idem & aliud à ſe, neque aliter verificari poſſunt, quàm per ſolam tranſſubſtantiationem ſeu conuerſionem totius ſubſtantiæ panis & vini, in veram & propriam ſubſtantiam totalem Corporis & Sanguinis Chriſti.

Nam non poſſunt vllatenus verificari per quandam vbiquitatem Humanitatis Chriſti cum ſua Diuinitate. Tum quia hæc eſt prorſus fictitia, abſque vlla auctoritate, vel ratione: Tum quia eſt directè contrà articulos Fidei de deſcenſu Chriſti ad inferos, Aſcenſione ad cœlum, deſcenſu futuro ad Iudiciũ; contra authoritatem totius Sacræ Script. quæ paſſim tribuit ei præſentiam determinatam; & contra ſenſum ac conſenſum totius Eccleſiæ & SS. Patrum à primo ad vltimum. Vt patet vel ex ſola Epiſtola 57. B. Aug. ad Dardanum Tom. 1. noſtræ Anat. à col. 765. Tom. 2. à col. 699. *Hodie mecum eris in Paradiſo* Luc. 23. *Homo Chriſtus illo die ſecundùm Carnem in ſepulchro, ſecundùm animam in inferno futurus erat: Deus verò, idem ipſe Chriſtus, vbique ſemper eſt &c. Cauendum eſt ne ita Diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem Corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbiq; vt Deus &c. Nam & nos in Deo viuimus* Act. 17. *nec tamen ſicut ille vbiq; ſumus &c.* Tum quia eſt impoſſibilis communicatio formalis Attributorum Diuinorum. Tum quia vnio hypoſtatica non exigit vt Humanitas ſit vbicunque eſt Diuinitas: ſicut nec membrum vnitum Animæ eſt per totum corpus cum ipſa Anima. Tum quia ex hac vbiquitate quidlibet eſſet Corpus Chriſti. Tum denique quia nec vbiquitas Corporis Chriſti ſufficeret ad verificandum hoc & illud, ſed tantum hîc & vbique eſſe Corpus Chriſti. Quamuis enim Diuinitas ſit vbique præſentiſſima: non poteſt tamen de quolibet demōſtratiuè dici, hoc eſt Deus: ſed tantùm, hîc eſt Deus.

Nec poſſent verificari per vnionem hypoſtaticam panis & vini. Tum quia hæc eſt etiam prorſus fictitia, abſque vlla ratione, vel auctoritate. Tum quia eſt contra authoritatem totius Sacræ Script. Eccleſiæ, ac SS. Patrum, appropriantium hoc priuilegium vnionis hypoſtaticæ, ſoli Humanitati Chriſti. Tum quia Chriſtus dixit Hoc eſſe Corpus ſuum tradendum ad mortem, hunc eſſe Sanguinem ſuum fundendum: Ergo nonniſi de Corpore & Sanguine ſuo humano. Tum denique quia nec ſufficeret ad hæc verificanda, per cōmunicationem idiomatum, attributorum, ſeu proprietatum. Nam ex vi vnionis hypoſtaticæ plurium naturarum, proprietates earum non communicantur, nequidem denominatiuè, ſingulis naturis: quantominùs earum partibus? ſed ſoli ſuppoſito plurium naturarum; vt patebit ex Doctrina de Incarnatione. Vnde nec Corpus, nec Humanitas Chriſti, ſed tantùm homo poteſt dici Deus: nec Corpus Chriſti poteſt dici Anima Chriſti, aut è contra, nec caro Chriſti poteſt dici Sanguis Chriſti, aut caput poteſt dici pes vel è contrà. Ita etiam quamuis panis côvniretur Corpori Chriſti: nullatenus poſſet dici, multò minùs eſſet Corpus Chriſti, vel è contrà. Vtrùm autem eſſet vel dici poſſet Deus aut homo, vel è contra: ſuo loco ex profeſſo.

Neque poſſet verificari panem, vel hoc contentum eſſe Corpus Chriſti, per ſimplicem Impanationem, totalem, aut partialem, ſeu per ſolam intimam præſentiam, vel quamlibet aliam vnionem. Tum quia quamuis omnia ſint Deo intimè præſentia, & ab eius illapſu eſſentialiter dependeant: *Non enim fecit & abijt, ſed ex illo in illo ſunt*, inquit B. Aug. *lib. 4. conf. 11.* de nullo tamen, aut ſuper nullo demonſtratiuè dici poteſt, hoc eſt Deus. Tum quia licet Chriſtus reſurgendo eſſet intimè præſens lapidi: non potuiſſet tamen verè dici ſuper illo lapide, hoc eſt Chriſtus. Tum quia ſuper terra, aqua, aut pane in quibus lateret aurum, non eſſet verum dicere, hoc, ſed tantùm hîc eſt aurum. Tum quia de duobus diſtinctis ſuppoſitis, quantumuis intimè præſentibus, non rectè diceretur hoc: quia per hoc demonſtratur aliquid determinatum, & æquiualenter diſtinguitur à quouis alio. Tum quia licet ſuper crumena ſolius auri, aut vaſe ſolius vini contenti, poſſet dici, Hoc eſt aurum aut vinum: non tamen ſuper pane aut forma propria panis contenti, Hoc eſt Corpus Chriſti; quia illa ſunt tantùm talium ſigna continentia, & ſupponentia pro contentis; panis autem non eſt vllius rei ſignum continens, nec forma panis contenti poſſet ſimul eſſe ſignum ſupponens pro alio contento. Tum quia pronomina demonſtratiua, ſimpliciter poſita, non afficiunt niſi ſubſtantiam determinatam, demonſtrabiliter præſentem ſub ſuis proprijs ſignis demonſtratiuis: atqui ſi quid ſubſtantiæ panis & vini perſeueraret ſub ſuis proprijs accidentibus, eſſet ſub illis demonſtrabiliter præſens. non autem ſubſtantia latens Corporis & Sanguinis Chriſti; ergo illa ſola demonſtraretur, non hæc. Tum quia eſſet fallacia aliena à Chriſti ſimplicitate & ſinceritate, ita miſcere, ac confundere ſigna & ſignificata inter ſe, & vnum pro alio aut cum alio ſupponere. Vt ſi quis ita miſceret aquam vino, lacti, oleo,

Digitized by Google

oleo, totumque denominaret vinum, lac, oleum. Nec obſtat quod hæc mixtio ſit in fraudem & damnum alienũ, illa autem Corporis Chriſti cum pane, eſſet in beneficiũ: quia eſt etiam indignum Chriſti ſinceritate fallendo benefacere; & ſubeſſet grauis occaſio ac periculum panilatriæ. Tum denique quia pronomen *Hoc*, abſolutè, demonſtrat totum contentum: pronomen, *Hic*, demonſtrat quaſi locum ſeu ſolam ſuperficiem continentem, aut ſpatium vacuum alio corpore; ergo nec ſuper pane, nec ſuper forma panis contenti, poſſet dici *Hoc*, nec propriè *Hic* eſt Corpus Chriſti.

Nec obſtat quod hoc ſignum Corporis Chriſti ſit ex inſtitutione Dei, quæ præualet omni ſignificationi naturali. Tum quia ex inſtitutione Dei non eſt ſignum tantùm demonſtratiuum Corporis Chriſti vt hic, nec tantùm contentiuum vt in hoc, ſed vt *Hoc eſt, &c.* Vnde & Guitmundus lib. 3. *Hos impanatores ſuos ipſe Dominus verbo oris ſui interfecit, cùm ait, hoc eſt Corpus meum: non, in hoc latet Corpus meũ &c.* Tum quia Chriſtus inſtituit ſignum ſenſibile Corporis ſui, non autem ſubſtantiam inſenſibilem. Tum quia vna ſubſtantia non eſt apta vt ſit ſignum alterius intrà ſe ſed extrà, vt hædera ſignificat vinum: niſi ſit apta ad continendum aliud à ſe, vt nucleus nucem, vas vinum &c. Panis autem & vinum non habent vllam aptitudinem ad continendum intrà ſe Corpus & Sanguinem humanum, ſed vt potiùs in eo contineantur, & in idipſum conuertantur.

Confirmatur poſitiuè & negatiuè ex tota Sacra Script. quæ nihil vnquam ita propriè ſignificat, denominat, aut demonſtrat: niſi ex vera aliqua, ac reali mutatione. Vt *Gen. 2.* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. *Gen. 19.* De virga Moyſi verſa in colubrum, & reuerſa in virgam. *Ioan. 2.* De aqua vinum factâ. Quid quod ipſe diabolus *Mat. 4.* fateatur nihil poſſe verè & propriè de nouo dici niſi fit: nihil eſſe aliud, niſi fiat: *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.*

2. *Ex Sacris Concilijs.*

Hoc ipſum expreſsè definitur in plurimis Sacris Concilijs Generalibus. Vt in Concilio Romano quod Guitmundus & Lamfrancus ſupra, generale vocant, ſub Nicolao II. circa annum 1060. contra Berengarium. Sed expreſſiùs in altero Conc. Romano ſub Greg. VII. anno 1079. à quo Berengarius coactus fuit ſua confeſſione exprimere, quod à priori illo Concilio intentum, ſed minus expreſſum fuerat. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in Altari per myſterium ſacræ orationis, & verba Redemptoris noſtri, ſubſtantialiter conuerti in veram & propriam ac viuificatricem Carnem & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti Corpus, quod natum eſt de Virgine, pro ſalute mundi oblatum in cruce, & quod ſedet ad dexteram Patris &c. non tantum per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed etiam in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ; nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sacra Euangelia. Tunc Dominus Papa præcepit Berengario vt de Corpore & Sanguine Domini nunquam vlterius cum aliquo diſputare, vel aliquem docere præſumeret: excepta cauſa reducendi ad fidem eos qui per eius doctrinam ab hac receſſerant.* Ex Actis eiuſdem Conc. editis Louanij 1551. In qua tandem vltima profeſſione ac pœnitentia fertur, & à Gerſone *ſerm. 1. de Cœna Domini* ac alijs refertur, Berengariũ ſuperuixiſſe, ac obijſſe inter ſpem veniæ, & timorem pœnæ pro aliorum ſeductione. Ex quodam memoriali edito Louanij 1551. inter varia opuſcula contra Berengariũ *pag. 94.*

Expreſſiſſimè autem, etiam quoad ipſum verbum Tranſubſtantiandi, in Concilio illo Lateranenſi maximo, ac vniuerſaliſſimo, ſub Innoc. III. anno 1215. Can. 1. De Fide Catholica. Vbi inter alia: *Verum Chriſti Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur: Tranſubſtantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem, poteſtate Diuina.* In alio Conc. Romano Generali 1413. contrà hos articulos Wicleff tanquam hæreticos. 1. *Subſtantia panis & vini materialis manet in Sacramento Altaris. 2. Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.* In Conc. Generali Conſtantienſi anno 1414. *ſeſſ. 8.* contrà eoſdem articulos. In Flor. generaliſſimo, aut ſaltem in inſtructione Armenorum ex conſenſu totius Eccleſiæ Latinæ & Græcæ: *Subſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem Chriſti conuertuntur.* Vnde nec Græci vnquam deſuper contra Latinos contenderunt: ſed & Patriarcha Conſtantinopolitanus quamuis ab ipſis Lutheranis conſultus, & contra Eccleſiam Romanam prouocatus, eorum tamen Cõfeſſionem Auguſtanam in multis, & præcipuè in hoc ipſo cenſurauit. Denique & perfectiſſimè in Conc. Trid. *Seſſ. 13. Can. 2. & Cap. 4. vt ſupra*: idque ex ipſis verbis Chriſti, ſeu *quia verè dixit eſſe Corpus ſuũ quod ſub ſpecie panis offerebat.* An vero hæc ſit ipſa integra ac expreſſa ratio credendi, ab ipſo ſacro Cõc. condefinita, vel quid minùs: infra ſub obiectione propria.

3. *Ex Traditione & Doctrina Patrum.*

Neque hoc eſt vllius in Eccleſia nouitatis, ſed antiquiſſimæ, & continuæ Traditionis, Profeſſionis, & Doctrinæ SS. Patrum. Vt patet ex ſelectis eorum ſententijs ſupra *à col. 281. ad 291.* pro reali præſentia Corporis Chriſti: quarum pleræque ſupponunt, exigunt, aut exprimunt realem conuerſionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti.

Vt illa Iuſtini & Irenæi *col. 281.* Quæ exprimunt panem fieri Corpus Chriſti *per preces & gratias Verbi Dei.* Imo & illa obiectio ex Tertull. col. 302. *Acceptum panem Corpus ſuum illum fecit, dicendo, Hoc eſt Corpus meum.* Quamuis enim addat. i. *Figura Corporis mei*: per hoc tamen non reuocat quin verè fecerit; ſed potius exprimit quòd panis qui olim erat tantùm figura Corporis Chriſti, factus ſit & fiat ipſum Corpus Chriſti. Fieri enim tantùm figuram Corporis Chriſti, hac ſola quaſi inſtitutione verbali: nec eſt verè propriè ac realiter aliquid fieri, nec eſt etiam de nouo fieri talem figuram, aut ſaltem fieri expreſſiorem; cum olim eſſet æquè expreſſa in panibus Azymis, Propoſitionis, pane oblato à Melchiſedech &c. Illa Cypriani *col. 282.* De pane *non effigie, ſed natura mutato, & omnipotentiâ Verbi caro facto.* Illa Cyrilli de *mutatione aquæ in vinum, & tranſmutatione*

Digitized by Google

*ratione vini in Sanguinem.* Illa S. Ambroſij, *De Conſecratione, qua de pane fit Caro Chriſti.* Qua *definit eſſe quod natura formauit, & eſt quod benedictio conſecrauit*: Denique *qua ea quæ ſunt ſeu erant ante, mutantur in id quòd ante non erant, &c.* Illa Greg. Niſſæni, *De mutatione panis ſanctificati Verbo Dei in Corpus Chriſti.* Illa Gaudentij *col. 282.* Corpus & Sanguinem Chriſti æquè fieri de pane & vino, ac ſolet panis de terra, & vinum factum eſt de aqua *Ioan. 2.* Illa S. Chryſ. ibi ſuppoſita ex lectionibus infra Octauam Corporis Chriſti Hom. 83. in Mat. *Qui ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt.* Et Hom. de Euchar. in Encœnijs, *ſicut cera igni adhibita &c. ſic & hic puta myſteria conſumi Corporis ſubſtantiâ.* Illa B. Aug. ex figura Euæ realiter ex corpore Adami. col. 283. & col. 284. *Noſter panis & calix non quilibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis Corpus Chriſti, non naſcitur &c.* Cui conſonat, col. 289. ſerm. 83. *Non omnis panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti fit Corpus Chriſti.* Et ſerm. 28. de Verbis Domini, qui iam eſt 5. in Appendice. *Dixi vobis quod ante verba Chriſti quod offertur panis dicatur: vbi verba Chriſti deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed Corpus appellatur &c.* Illa eiuſdem ibidem *Non ſanctificatur vt ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei.* Illæ eiuſdem *col. 288. 289.* De confectione, formatione, conſecratione Euchariſtiæ manibus, & ore Chriſti. *Col. 289.* De benedictione & ſanctificatione ſpeciali panis per Verbum Dei. Et plures ibidem ac *col. 290.* Quibus adde ex noſtro ſupplemento ad Indicem Poſſidij Tomo 1. noſtræ Anat. illam relatam à Thoma Waldenſi Tomo 2. cap. 83. ex antiquiſſimo manuſcripto libri B. Aug. de Corpore & Sanguine Domini. *Nec credendum eſt quòd ſubſtantia panis & vini remaneat: ſed panis in Corpus Chriſti, & vinum in Sanguinem conuertitur.*

Sed illa Beati Auguſtini videtur efficaciſſima, quæ nobis *col. 288. & 335. 326.* elapſa, hùc opportuniſſimè recurrit, ex Tract. in *Ioan. 26.* Verba vitæ æternæ habes. *Vitam enim æternam habes in miniſtratione Corporis & Sanguinis tui. Et nos credimus quia tu es Chriſtus Filius Dei viui. Id eſt, quia ipſa vita æterna tu es, & non das in Carne & Sanguine tuo niſi quod es.* Quamuis enim totum illud Caput 6. Ioan. perperam reſtringeretur ad donationem Corporis & Sanguinis Chriſti noſtræ Fidei & ſaluti, per ſolam Incarnationem & Mortem: hæc tamen negatiua B. Aug. *Non das in Carne & Sanguine tuo niſi quod es*: extendit ſe ad omnem donationem, includens in hac Sacramentali, ipſam Carnem & Sanguinem perſonalem Chriſti, & ab ea excludens quicquid non eſt de eſſe Chriſti, ſicque totam ſubſtantiam panis & vini.

Huc etiam pertinent quæ B. Aug. de poſſibili conuerſione cuiuſlibet Corporis in quodlibet lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 12. *Omne Corpus in omne corpus mutari poſſe, non defuerunt qui aſſererent: Corpus autem aliquod conuerti in Animam, fieriq; naturam corpoream, nec quenquam ſenſiſſe ſcio, nec fides hoc habet.* Et cap. 20. *Omne corpus in omne corpus mutari poſſe, credibile eſt: quodlibet autem Corpus mutari poſſe in Animam, credere abſurdum eſt.* Col. 403. noſtræ Anat. Quodque de poſſibili tranſmutatione Corporis Chriſti in quamuis formam, lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 25. *Non quia Dominus non poterat transformare carnem ſuam, vt alia reuera eſſet effigies. quam ſolebant illi contueri &c. Quale vult enim corpus de qualicumq; corpore, verum de vero facit, qui de aqua vera verum vinum fecit. Sed non ita fecerat, cum apparuit illis in alia effigie Luc. 24. col. 350.* Quid quòd nec ipſam Corporis in Spiritũ, nec omniũ in Deum conuerſionem prorſus impoſſibilem cenſeat? *Lib. 1. Trin. cap. 8. & 10. Lib. 22. Ciuit. cap. 29. ſerm. 102. de diuerſis cap. 19.* De quo Quæſt. Schol.

Ex Poſteris B. Aug. illa ſent. S. Remigij col. 290. *Panis tranſit in Corpus Chriſti: nec ſunt duo corpora ſed vnum.* S. Ioannis Damaſc. *Dixit Deus, Hoc eſt Corpus meum: Hoc facite &c. & Omnipotenti eius præcepto donec veniat efficitur.* Theophylact. *Transformatur arcanis verbis &c.* Quibus adde ex Bell. illam Gregorij Papæ I. teſte Paulo Diacono in eius vita: *Deus ea poteſtate qua cuncta fecit ex nihilo, panem & vinum aqua mixtum in Carnem & Sanguinem ſuum Spiritus ſui ſanctificatione conuertit.* Illam Vener. Bedæ Serm. de Epiph. *Panis & vini creatura in Sacramentum Carnis & Sanguinis Spiritus ſanctificatione transfertur.* Et plures alias *ex qq. ſeq.*

Quàm autem fuerit hæc antiqua, conſtans & cõmunis totius Eccleſiæ Traditio, Profeſſio, & Doctrina, vel inde patet: quòd contrà Ioannis illius Scoti, Bertrami, Berengarij profanas vocum nouitates, ſubitò tot tantique Eccleſiæ vigiles, quaſi edito hoſtilitatis indicio, totam Eccleſiam ad tot Concilia Generalia concitarunt. Inter quos Paſchaſius Corbeienſis, S. Anſelmus, S. Bernardus ſupra *col. 291.* Lantfrancus, Guitmundus, Algerus ſuprà. Quibus adde plurium aliorum opuſc. edita Louanij 1551. ſed præ reliquis Tractatum inſignem Vener. Petri Cluniacenſis Abbatis, ſancto Bernardo & Algero familiaris, contra hæreſim Petrobruſianorũ & Henricianorum, ſed & duplicem Berengarianorum. Vt patet ex hoc ſpecimine. *Verba veſtra iſta ſunt. Corpus Chriſti ſemel tantum ab ipſo Chriſto in Cœna factum eſt &c. Exinde neque confectum ab aliquo, neque alicui datum eſt &c.*

[Si hæreſis hæc veſtra Berengarianis limitibus contenta eſſet, quæ veritatem quidem Corporis Chriſti, ſed non Sacramentũ negabat &c. ad moderni temporis doctos & Catholicos viros, Lantfrancum, Guitmundum, Algerum vos mitterem &c. Quorũ alter Archiepiſcopus Cantuarienſis, alter Epiſcopus Auerſanus, Tertius ante Canonicus & Magiſter Leodienſis, dehinc noſtro tempore Monachus & Præſbyter in Monaſterio Cluniacenſi (vbi etiam liber eius habetur) puræ, ac deuotæ conuerſationis extitit. Horum primus de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti, *benè, plenè, perfectè*: ſequens, *melius, plenius, perfectius*: vltimus, *optimè, pleniſſimè, perfectiſſimè* diſſeruit &c. *Sed quia errorem errore, hæreſim hæreſi, nequitiam nequitia ſuperaſtis: non tantum veritatem Carnis & Sanguinis Chriſti, ſed & Sacramentum negatis; & ſic abſque ſummi & veri Dei ſacrificio eius populum eſſe cenſetis.*] Quam hæreſim doctiſſimè reprobat, ex ſacrificijs antiquæ Legis, & ex inſtitu-

tione

Digitized by Google

tione ac praxi huius, Mat. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*. 1.Cor. 11. *Hoc facite quotieſcumq́, &c. donec veniat*: Sed & inde præſentiam realem Corporis Chriſti, ac conuerſionem totius panis & vini conuincit; & hanc exemplificat in vera conuerſione miraculoſa virgæ Moyſis in ſerpentem, aquæ in ſanguinem *Exod. 8.* Aquæ in vinum *Ioan. 2.* naturali autem, panis & vini in corpus & ſanguinem humanum per nutritionem, aquæ in glaciem, & huius in criſtallum, ſub eadem ſpecie viſibili &c. Quod optimè exemplificari poſſet in quibuſdam veris panibus, conuerſis in lapideos, ſub eadem prorſus forma panis, tam quoad cruſtam, quam quoad micam. Ex propria curioſa & oculata horum panum circumſpectione: inter quos vnus quaſi medius videtur cultro ſectus, refertque tam perfectè ſectionem & diſtinctionem cruſtæ à mica poroſa, vt fallat oculos etiam proximos & attentiſſimos. Prout quilibet experiri poteſt Gandaui ad ſanctæ Pharaildis: vbi illi panes aſſeruantur, & pro pio ſpectaculo exhibentur, in memoriam conuerſionis miraculoſæ horum panum, in pœnam eius quæ hos panes mutuo negauerat S. Pharaildi, ad erogandum pauperibus.

4. *Ex rationibus.*

Quæ ſupra ad primum & præcipuum fundamentum ex Sacra Script. multiplicatæ, & accumulatæ, reduci poſſunt ad ipſum primum principium eſſendi, vel non eſſendi, & ad finem proprium moralem loquendi. Nam primum illud principiũ, *Quodlibet eſt aut non eſt*: vel, *Nihil poteſt ſimul eſſe & non eſſe*: non tantùm eſt veriſſimum contradictoriè; ſed etiam poſitiuè cõtrariè & diſparatè. Vt ſit ſenſus: Quidlibet eſt aliquid determinatè & diſtinctè, aut nihil eſt: ſeu, Nihil poteſt eſſe, & non eſſe aliquid determinatè & diſtinctè; nihil poteſt eſſe aliquid, & ſimul eſſe aliud, ſeu non illud. Siue enim de eſſe exiſtentiæ: nihil poteſt exiſtere, niſi in ſingulari determinatè ac diſtinctè. Siue de eſſe eſſentiæ cõmunis, ſaltem in ſuo genere cõpletæ: nihil poteſt eſſe formaliter plurium eſſentiarum. Siue de eſſe naturæ & ſuppoſiti: nihil finitum poteſt eſſe, nequidem hypoſtaticè ac denominatiuè, plurium naturarum ſingularium aut ſubſiſtentiarum; ex harum inter ſe, & totius Suppoſiti finiti neceſſaria limitatione ad vnum; alioquin poſſet eſſe ſimul tot quot naturarũ & ſubſiſtentiarum in infinitum, ſic que omnium ſimul poſſibilium. Eſt enim ſolius Dei ex infinita perfectione, poſſe eſſe plurium perſonarum, & aſſumere ac ſuſtentare hypoſtaticè plures naturas.

Finis autem proprius & moralis loquendi, eſt ad ſignificandum omnia & ſingula determinatè & diſtinctè prout ſunt in ſe, & in noſtris conceptibus: nonniſi per verba ſignificantia determinatè & diſtinctè omnia & ſingula. Ergo nec ſuper pane, nec ſuper forma panis contenti poſſet verè dici, Hoc eſt Corpus meum: quia Hoc ſignificat demonſtratiuè, determinatè, ac diſtinctè totum contentum, vt ſuprà *col. 347*. Præter plures rationes congruas apud antiquos Scholaſticos, Alenſem *4. p. q. 38. m. 1.* & alios. Vt ad cauendam idololatriam panis, ad puriorem refectionem ſpiritualem ex ſolo Corpore Chriſti ſine pane, ad maius meritum fidei, ad immediatiùs adhærendum Chriſto &c.

OBIECTIO I.

*Ex Sacra Script. & Patribus.*

Sacramentũ Euchariſtiæ, à Chriſto, Euangeliſtis, Apoſtolo, & Patribus æquè vocatur panis & vinum ac Corpus Chriſti, & ſæpè vocatur vtrumque ſimul: Ergo eſt ſeu continet vtrumque. *Reſp.* Nec æquè vocari, nec vocari ſimul, quaſi ſimul eſſet vtrumque, ſed valdè differenter. *1.* Quia ſemper vocatur abſolutè ſimpliciter & expreſsè Corpus & Sanguis Chriſti: vix autem vnquam panis & vinum, niſi ſub aliqua excellentia, vel alienatione à propria ratione panis & vini, vt panis viuus, panis cœleſtis, panis hic per excellentiam, Panis & Calix Domini, vtique perſonaliter. *2.* Quia ſæpè res denominantur à materia, vel termino à quo. Vt *Gen. 2.* quia Eua erat ex coſta Adami vocatur os eius; quia homo eſt ex terra vocatur terra. *Exod. 7.* Quia ſerpens ille erat ex virga Moyſi, vocatur virga. Ita hoc Sacramentum confectum ex pane & vino, ſic inde denominatur. *3.* Sæpè ipſa materia ante conſecrationem ita vocatur. *Ex Damaſc. ſupra col. 290. Et Conc. 2. Niceno* col. 291. *4.* Quia denominatio ſolet ſumi ab accidentibus, proprietatibus, ac effectibus, potiùs quam ab ipſa rei ſubſtantia: quantò magis hæc, à forma externa, odore & ſapore panis &c. *5.* Quia panis & vinum in Sacra Script. ſæpè ſignificant cibum & potum etiam ſpiritualem: vt Luc. 14. *Beatus quĩ manducabit panem in Regno Dei.* Luc. 11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem.* Pſ. 77. *Panem cœli dedit eis.* Pſalm. 115. *Calicem ſalutaris accipiam.* Matt. 20. *Poteſtis bibere calicem &c.* Pſalm. 22. *Calix meus inebrians.* Pſalm. 103. *Vinum lætificat cor hominis.* 59. *Potaſti nos vino compunctionis.* Prou. 9. *Sapientia miſcuit vinum &c. Comedite panem, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Quòd autem hæc denominatio aliquo horum ſenſuum intelligenda ſit: patet tum ex præfatis eius circumſtantijs, tum ex præfata repugnantia, in qua neceſſe eſt vt panis & vinum cedant Corpori & Sanguini Chriſti in proprietate horum nominum, ſicut & in rei veritate; tum ex SS. PP. interpretatione, *à col. 281. ad 293.*

OBIECTIO II.

*Iterum ex Sacra Script. & PP.*

Quòd huic Sacramento ſæpè tribuant Naturam, Formam, & quædam propria materiæ, ac ſubſtantiæ panis & vini. Vt 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus.* Luc. 22. *De hoc genimine vitis.* Irenæus l. 4. c. 34. *Euchariſtiam conſtare re terrena, & cœleſti.* Gelaſius Papa *lib. 2.* contra Eutythetem, *Naturam panis & vini manere in Euchariſtia.* Iuſtinus ſuprà *col. 281.* comparans Euchariſtiam Incarnationi Chriſti. Ipſe S. Aug. toties repetens *col. 284. 289.* Panem & vinum myſticè fieri, benedici, conſecrari, ſanctificari nobis in Corpus Chriſti: quæ non excludunt, ſed quaſi ſupponunt, & includunt panem & vinum. Et *col. 280. 290.* comparans & ipſe hoc Sacramentum non tantùm Incarnationi Chriſti ex V. Matre, ſed etiam vnioni hypoſtaticæ naturæ humanæ & Diuinæ: imò quadam epiſt. ad Irenæũ citata, *De conſec. diſt. 2. cap. 45. & in 4. d. 10.* explicans ſuum illud,



Digitized by Google

*Non hoc corpus &c. in Pſalm. 98.* col. 323. ſuprà. *Ipſum,* inquit,*quidem,& non ipſum: ipſum inuiſibiliter, non ipſum viſibiliter.* Vt ſuprà col. 325. *Hic Chriſtus, & non hic Chriſtus: Hoc corpus, & non hoc corpus.* Quæ cùm non poſſint eſſe contradictoria, ſeu ſecundum idem: ſunt diſparata, ſecundum Corpus Chriſti,& panem. Nam accidentia non poſſunt dici hoc viſibile, ſed contentum ſub illis.

*Damaſc. lib. 4. cap. 10.* comparat hanc conuerſionem nutritioni: Ergo ex materia permanente.

*Reſp.* ad 1. Ex *col. 343.* ſuprà. Adde *1.* per fractionem ſignificari etiam ipſam immolationem, ſeu ſacrificationem Corporis Chriſti. *2.* Fractionem ſeu diuiſionem eſſe propriam quantitatis. Vnde & Scholaſtici ad *d. 12.* Alenſ. *q. 42. m. 2.* S. Bon. *diſt. 12. art. 3. q. 2.* docent hîc ſolam quantitatem ſpecierum frangi, ſeu in partes diuidi: quia ipſa eſt ex ſe diuiſibilis, redditque corpus diuiſibile quod ſua inhæſione extendit. Non ſic autem Corpus Chriſti hîc.

*Ad 2. Reſp.* Vt ſuprà *col. 299.* vel de vino Cœnæ vſualis, vel de ſpecie vini quæ eſt etiam ex vite, vel fortè potius de fructu charitatis ſeu gaudio ſpirituali. Vt patet ex ſequentibus: *donec bibam illud vobiſcum nouum &c.*

*Ad 3. Reſp.* Ex ipſis verbis Irenæi. *Sicut Euchariſtia ex duabus rebus conſtat, terrena & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Quæ nec intelligenda ſunt ad æqualitatem, ſed tantum ad aliquam ſimilitudinem; nec propriè de re ſeu materia terrena & cœleſti, vt per ſe patet; nec neceſſariò de re ſubſtantiali, nec de vtraque re permanente; ſed de re ſeu termino ex quo tranſeunte,& re ſeu termino ad quem permanente cum ſola re accidentali panis. Quod optimè conuenit huic comparationi: ad ſignificandum tranſitum ſeu mutationem corporum corruptibilium in incorruptibilia, exceptâ materia permanente.

*Ad 4. Reſp.* Nec videri eſſe Gelaſij Papæ: ſed illius Cæſarienſis, de quo S. Hier. de Script. Eccl. Et naturam ſæpè ſumi pro ipſa vi & proprietate naturali, qualis eſt ipſius panis in Euchar.

*Ad 5. Reſp. 1.* Non comparare quoad vnionem hypoſtaticam vtriuſque ſimul, nec reliqua ad æqualitatem: ſed tantum aſſimilare verbum conſecratoriũ Euchariſtiæ, Verbo incarnanti ſe, ac incarnato; identificare autem Carnem & Sanguinem Incarnationis, cum Carne & Sanguine Euchariſtiæ.

*Ad 6.* Ex Aug. col. 284. 289. *Reſp. 1.* Per illam benedictionem, ſanctificationem & conſecrationem, ſatis ſignificari verificationem formæ conſecratoriæ, vt ſupra. *2.* Panem & vinum non poſſe in ſeipſis benedici, ſanctificari & conſecrari, cum ſint incapacia veræ ac internæ ſanctificationis: Ergo per hæc ſignificatur ſacrificari, ſeu realiter, ac totaliter conſumi in ſupremum cultum Dei, conuertique in id quod eſt verè ac intrinſecè ſanctũ. *3.* Illud myſticum nihil ſignificare improprium: ſed ſacrum & religioſum ſecretum, & vim pluſquam naturalem huius conſecrationis. *4.* Per illud, *fieri*, non ſignificari panem & vinum permanenter ſed tranſeunter fieri Corpus Chriſti, ſeu in illud conuerti: cùm ſit impoſſibile fieri Corpus Chriſti, & manere ſimul panem & vinum. *5.* Per *fieri nobis*: non negatur, ſed exprimitur verè fieri, quamuis ad ſalutem noſtram. Quodque id ſit fieri realiter, patet ex ſequenti comparatione & negatione naſcendi, & ex neceſſaria ad hoc operatione inuiſibili Dei. *6.* Quædam exemplaria habere tantum, *myſticus fit nobis non naſcitur*: ſed alibi ſæpè exprimi quid nobis fiat, videlicet *Corpus Chriſti*; idque ibidem ſupponi ſub illo *myſtico fieri, non naſci*, præ alio *fieri, ſeu benedici* exteriori ciborum corporalium.

*Ad 7.* Ex eodem *col. 289. 290. Reſp. 1.* vt ſupra ad *5. 2.* Hic expreſsè comparari Euchariſtiam quoad ſolam viſibilem ſpeciem panis & vini, & inuiſibilem Carnem & Sanguinem Chriſti: cum humana natura viſibili & diuina inuiſibili in Incarnatione. *3.* Cõparari conſecrationem Corporis Chriſti in Euchariſtia cum generatione Corporis Chriſti in vtero Virginis: quoad identitatem Corporis, & ſimilitudinem virtutis ſupernaturalis; non autem quoad materiam ex Qua, eiuſque permanentiam.

*Ad 8.* Ex Epiſt. ad Iren. *Reſp. 1.* Hanc Epiſt. non exſtare, nec vllam huius Irenæi aut Epiſt. memoriam in Indice Poſſidij: ſed quædam tantùm fragmenta ex Gratiano, Magiſtro &c. à nobis *Tomo 1. noſtræ Anat.* recollecta, in ſupplemento ad Indicem Poſſidij; ideoque non inde, ſed ex *Tract. 95. in Ioan.* reſpondendum duxi ad illud, *Non hoc Corpus*, ſupra *col. 323. 324. 325.* Sed ex illo certo *Tract. 95.* hæc Epiſt. incerta poteſt perſuaderi, & hinc illa reſponſio magis explicari & applicari.

*Reſp. 2.* Hic, *Non ipſum viſibiliter,* idem eſſe quod in Pſ. 98. *Non hoc Corpus quod videtis*, & quod Tract. 95. *Non hunc Chriſtum.* i. *non talem*: negatione vtique ab ipſo B. Aug. relata ad ſolam viſibilitatem, paſſibilitatem, & formam ac ſtatum naturalem; non autem ad hanc ipſam & eandem ſubſtantiam inuiſibilem Corporis Chriſti ſub ſpecie panis. Non ſunt ergo hæc contradictoria, ſeu ſecundum idem; nec diſparata ſecundum Corpus Chriſti, & panem; ſed ſecundum Corpus Chriſti & ſpeciem panis, vel potius priuationem propriæ formæ viſibilis. Super quam ſolam cadit hæc negatio: non autem ſuper ipſa demonſtratione. Quæ quidem affirmatiuè, afficit Chriſtum in ſe, ſub propria forma & ſtatu naturali: negatiuè autem, afficit eundem ſub forma & ſtatu diuerſo; nec demonſtrat panem vt contentum, nec ſola accidentia vt cõtinentia, aut vt quaſi vacua; ſed ſolum Chriſtum vt ſub hac aut illa forma viſibilem, aut inuiſibilem.

*Ad 7.* Ex Damaſc. *Reſp.* Has & ſimiles comparationes non eſſe ad æqualitatem: ſed tantùm ad aliquam ſimilitudinem; & ad perſuadendam hanc conuerſionem ſupernaturalem vt poſſibilem & conuenientem, ex illa noſtra naturali ac appetibili; imò & ex illa ipſa nutritione Chriſti ante mortem, vel quadam etiam quaſi Tranſubſtatiatione cibi ab eo verè comeſti poſt Reſurrectionem.

## OBIECTIO III.

Ex Sacris Script. ac Patribus à quibus negari videtur indignis veritas Sacramentorum, & ſpecialiter Corporis & Sanguinis Chriſti: Ergo, illis ſaltem eſt tantum panis.

Digitized by Google

*Reſp. 1.* Ex *q. 8. & 9.* de Sacram. in gen. *à col. 83. ad 113.* non negari ipſis vera Sacramenta, ſed verum finem ſeu fructum ſalutarem Sacramentorum.

*Reſp. 2.* Ex col. *321. 322.* De vera communicatione Corporis Chriſti ipſi Iudæ cum reliquis Apoſtolis: ſicque de eiuſdem ad hoc ipſum faciendum conſecratione.

*Reſp. 3.* Ex 1. ad Cor. 11. *Qui manducat indignè iudicium ſibi manducat &c. Reus eſt Corporis, & Sanguinis Domini.*

*Reſp. 4.* Ex ipſa forma conſecrationis: *Hoc eſt &c.* quæ afficit ſpecies conſecratas, ſeſeque ſuper illis permanenter verificat, quamdiu ſunt.

OBIECTIO IV.

Ex Sacris Script. & PP. in quibus multa talia dicta verificantur ſine Tranſubſtantiatione aut vlla conuerſione. Vt Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt &c.* Ioan. 6. *Ego ſum panis.* Ioan. 20. *Inſufflauit eu dicens, Accipite Spiritum ſanctum.* Gen. 2. *Hoc nunc os &c.* Exod. 16. *Man-hu? quid eſt hoc? Iſte eſt panis &c.*

*Reſp. Ad 1.* Verbum Caro factum eſt, hypoſtaticè, & Synecdochicè: quorum neuter ſenſus poteſt hic locum habere, vt ſupra.

*Ad 2.* De pane *viuo*, qui ipſe Chriſtus erat.

*Ad 3.* Flatum illum non dici Spiritum ſanctum.

*Ad 4.* Satis ibi explicari materialiter, & Synecdochicè. *Ad 5.* Manna fuiſſe ex ſe panem, ſeu cibum à Deo datum ad veſcendũ. Præterquam quod hæc forma toties repetita, ac inſtituta, cum tot circumſtantijs ſenſum propriũ exigentibus, ſit incomparabilis cum vllis alijs obiter & longè aliter dictis.

OBIECTIO V.

Ex nouitate nominis, & rei ſignificatæ per Tranſubſtantiationem: contra illud Apoſt. *1. Tim. 6.* Prophanas vocum nouitates deuita. *Reſp.* Nec rem, nec nomina æquiualentia Tranſubſtantiationi vnquam in Eccleſia defuiſſe: vt patet ex præfatis; ſed & rem & varia nomina ſub hoc vnico propriè exprimenda fuiſſe, ad diſtinctiorem doctrinam ac profeſſionem publicam huius veritatis; non contra Apoſt. de cauendis *profanis vocum nouitatibus*, ſed ſecundùm eundem, *2. Tim. 1.* de *habenda forma ſanorum verborum* Tit. 1. & 2. *de doctrina, & verbo ſano.* Hæc enim nec eſt vox prophana, ſed ſacra; nec noua, ſed in ſuis æquiualentibus, ac ſenſu proprio antiqua, & notoria; nec ſuperflua, ſed vtilis & tempori neceſſaria. Quales in Eccleſia plures ſucceſſiuè, ſeu ſub illis tanquam proprijs Symbolis, veritates Fidei publicatæ, contra hæreſes oppoſitas præualuerunt.

OBIECTIO VI.

Quòd Rupertus, Durandus ſuprà, & alij tam poſt quam ante Conc. Later. abſque vlla hæreſeos labe, docuerint ſubſtantiam, naturam, materiam, vel formam panis cum Corpore Chriſti ſupereſſe: ergò nec poſt nec ante fuit de Fide.

*Reſp. 1.* Nullam eſſe hæreſim aut hæreticum ſine pertinacia. *2.* Ante Conc. Later. fuiſſe etiam de Fide: ſed non ita notoriè, explicitè, ac publicè; quia Concilia illa anteriora contra Berengariũ vel non fuerunt tam generalia, vel non tam publicata, vel non tam expreſsè ad omnes ſub cõmuni Lege ac Symbolo Fidei. *3.* Quoſdam nomine ſubſtantiæ, naturæ, materiæ, aut formæ communis Pani & Corpori Chriſti, intellexiſſe aliquid ſubſtantiale commune tantum obiectiuè, non autem realiter & ſingulariter. Quoſdam per ſubſtantiam & naturam panis intellexiſſe ipſam vim nutriendi. Quoſdam per materiam potuiſſe intelligere potentialitatem aliquam ad eſſe panis, non autem ipſam materiam realem & actualem. Quoſdam per formam propriam panis, intellexiſſe totam formam accidentalem, vel artificialem: non autem quaſi panis non conſtet vlla propria forma ſubſtantiali. Quem errorem quidam tribuũt Scoto *in 4. diſt. 11. q. 6.* Maiori *qu. 1.* & Gabrieli *qu. 2.* Noſter autem Aretinus *in 4. diſt. 11. qu. 3. a. 3.* abſolutè negat vel verbotenus eſſe Scoti. Sed dubio *2. in quæſt. 6.* refert quidem opinionem problematicam Scoti, Vtrum panis coctus differat ſpecie ſeu forma ſubſtantiali à paſta, an verò tantum artificiali: ibidem tamen monet quòd ſi panis non differret ſubſtantialiter à paſta, haberet ipſam formam ſubſtantialem paſtæ, adde vel ipſius farinæ, aut tritici, non autem ſolam artificialem panis cocti quà coctus eſt. Quod etiã partim obſeruat Vaſquez *diſp. 180. c. 7.* ſed nõ ſatis diſtinguit formam artificialem panis cocti, quæ poſt conſecrationem ſupereſt, à forma ſubſtantiali paſtæ, farinæ, vel tritici, quæ eſſet etiam forma ſubſtantialis panis cocti, ſi per cocturam nulla alia generaretur; neque hæc dici poſſet ſupereſſe poſt conſecrationem cum forma artificiali.

OBIECTIO VII.

Quòd Scotus *in 4. d. 11. q. 3. §. Hic duo videnda ſunt*, referat ex Innoc. III. de offici. Miſſæ *p. 2. c. 26.* fuiſſe tres opiniones: Vna, quòd panis maneat cum Corpore Chriſti: Alia, quòd non maneat, nec conuertatur, ſed deſinat eſſe. *3.* Quòd panis tranſubſtantietur in Corpus & Sanguinem Chriſti. Quarũ nullam cenſurat de hæreſi, vel errore contra Fidem: ſed potius excuſat, ſalua vera ac reali præſentia Corporis Chriſti, quaſi hæc ſola eſſet de fide.

Nam pro prima opinione tanquam probabili profert multa, quæ ad hoc reduci poſſunt. Quòd in credibilibus, non ſint plura ac difficiliora proponenda, quàm neceſſe ſit: veritas autem Euchariſtiæ quoad ſignum, & ſignificatũ, æquè, & facilius ſaluari poſſit cum ſubſtantia panis, quàm cum ſolis accidentibus ſine ſubiecto; tum quia ſubſtantia panis eſt conuenientius ſignum nutritionis ſpiritualis; tum quia deſitio panis quoad materiam, & conſeruatio accidentium ſine ſubiecto, ſunt duo miracula vltra præſentiam realem Corporis Chriſti; tum quia æquè verificari poteſt hoc contentum ſub ſigno panis eſſe Corpus Chriſti, ac contentum ſub ſolis accidentibus; tum denique, quia ſignificatio Corporis Chriſti ex eius inſtitutione, non excludit ſed admittit etiam ſignificationem naturalem ſubſtantiæ panis per ſua propria accidentia.

*Infra.* Refert varias rationes oppoſitas S. Thomæ. *1.* Quòd illa opinio ſit contra adorationem Chriſti in Euchariſtia, ne ſimul adoretur panis. *2.* Quòd ſit contra principalem ſignificationem Euchariſtiæ. *3.* Quòd ſit contra purum eius vſum ſpiritualem. *4.* Quòd ſit contrà hanc præſentiã realem Chriſti, abſque



Digitized by Google

abſque vlla eius mutatione. 5. Quòd ſit contrà expreſſam veritatem formæ, *Hoc eſt, &c.* non autem, *Hic eſt Corpus meum.*

Ad quas rationes ita ſtudioſè & quaſi ſeriò conatur reſpondere.

*Ad 1.* Reſp. *Non valere*: quia non adoratur continens, ſed tantùm contentum: alioquin æquè adorarentur ſpecies continentes, ac panis continens.

*Ad 2. Reſp.* Significationem naturalem nihil derogare principali ſignificationi ex inſtitutione.

*Ad 3.* Reſp. *Non valere*: quia & ipſæ ſpecies nutriunt. Ex *1.Cor.11.* Vnus quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Sed hinc nil ſeriò.

*Ad 4. Reſp ex diſt. 10. q. 1.* Corpus Chriſti fieri hîc præſens, nullam aliam præſentiam deſerendo.

*Ad 5.* Inquit, *Nihil ad B. id eſt ad rem*: Quia, *Hoc*, id eſt *Corpus* contentum, ſiue ſub accidentibus, ſiue ſub ſubſtantia panis, *Eſt Corpus meum*: & ſic etiam, *Hic eſt Corpus meũ.* Sed maluit Chriſtus dicere *Hoc* quàm *Hic*: quia magis exprimitur veritas, licet vtrumque dictum eſſet verum.

*Infra.* Reſpondet communiter teneri, nec panem manere, nec annihilari, ſed conuerti in Corpus Chriſti: hancque conuerſionem, ſeu tranſubſtantiationem eſſe de Fide; non tamen ex hoc ſenſu expreſſo Sacræ Script. ſeu formæ conſecrationis, ſed ex definitione, declaratione, & electione huius ſenſus ab Eccleſia, in Conc. Lateran. ſub Innoc. III. Quæ videntur eſſe contra expreſſionem huius veritatis in Sacra Script. contra eius Fidem ante Conc. Later. & contra Doctrinam ac definitionem Trid. Bellarm. *lib. 3. de hoc Sacram. cap. 23.* fideliter diſcernit hanc doctrinam Scoti ab hæreticis, fatendo non eſſe de fide, nec omnino improbabile, hanc veritatem non exſtare tam expreſsè in Sacra Script. vt poſſit euidenter conuinci ſine Eccleſiæ declaratione; multumque commendando hanc relationem Sacræ Script. à Scoto ad ſenſum Eccleſiæ. Sed ſolùm improbat in hac Doctrina Scoti, quòd cenſuerit veritatem tranſubſtantiationis non fuiſſe dogma Fidei ante Conc. Later. ſub Innoc. III. *Quia*, inquit, *non legerat Conc. Rom. ſub Greg. VII. nec conſenſum illum Patrum*, de quo ſuprà.

Idem præſtat Vaſquez pro hac Doctrina Scoti, contra Kemnitium: ſed eam cenſurat, & corrigit ex Trid. *ſeſſ. 13. cap. 4.* quaſi Scotus doceret verba conſecrationis verificari poſſe per ſolam præſentiam Corporis Chriſti, abſque tranſubſtantiatione: Conc. autem Trid. non tantùm definiret Tranſubſtantiationem ex veritate horum verborum, ſed etiam hanc ipſam ſuam rationem definiendi condefiniret.

Noſter autem Aretinus in *d. 11. q. 3. a. 2.* ſuſtinet nihil in hac Scoti Doctrina eſſe vlla correctione dignum, vel à Conc. Trid. correctum: nec formam conſecrationis euidenter conuincere veritatem tranſubſt. nec Scotũ negare fuiſſe Dogma Fidei ante Conc. Later. ſed tantùm aſſerere multa in illo fuiſſe magis expreſſa quam ante.

Sed Reſpondeat ipſe Scotus verbatim pro ſeipſo. d. 10. q. 1. §. *De primo dico quod Corpus Chriſti eſſe verè ibi realiter, eſt ſimpliciter de ſubſtantia Fidei: eo modo quo veritas alicuius Sacramenti pertinet ad Art. Fidei. Iſta enim veritas à principio fuit expreſsè tradita, ex quo Euchariſtia fuit inſtituta &c.* vt nos ſuprà. Infra. *Vnde eſt ſimpliciter hæreſis hodie ſentire quod non ſit ibi realiter verum Corpus Chriſti.*

Diſt. 11. q. 3. §. *Hic duo videnda ſunt &c. De primo ſicut recitat* Innoc. de Officio Miſſæ p. 2. cap. 26. *circa hoc erant tres opiniones: vna quod panis manet, & tamen cum ipſo verè eſt Corpus Chriſti. Alia, quod panis non manet, & tamen non conuertitur, ſed deſinit eſſe &c. 3. Quod panis tranſubſtantiatur in Corpus, & vinum in Sanguinem. Quælibet autem iſtarum voluit ſaluare quòd ibi verè eſt Corpus Chriſti: quia iſtud negare eſt planè contra fidem. Expreſsè enim à principio inſtitutionis Euchariſtiæ fuit de veritate Fidei, quòd verè ibi & realiter Corpus Chriſti continetur.* Infra. *Quantùm ergo ad iſtum articulum, Reſpondeo: Quòd communiter tenetur quod nec panis manet, nec annihilatur, ſed conuertitur in Corpus Chriſti, &c. Principaliter autem videtur mouere, quod de Sacramentis tenendum eſt ſicut tenet Sancta Romana Eccleſia: vt habetur* extra de hæreticis, Ad abolendam: *Nunc autem ipſa tenet Panem tranſubſtantiari in Corpus, & vinum in Sanguinem: vt manifeſtè habetur,* Extra de Summa Trin. & Fide Cath. *Firmiter credimus &c.* Infra.

Ad 1. Arg. *Dico quòd benè fuiſſet Deo poſſibile, inſtituiſſe quòd Corpus Chriſti verè eſſet præſens, ſubſtantia panis manente, vel cum accidentibus pane annihilato: & tunc fuiſſet ibi veritas Euchariſtiæ &c. Sed ſic non eſt modo tota veritas Euchariſtiæ: non enim ſic inſtituit &c.*

*Et cùm dicitur quòd ad veritatem Euchariſtiæ nihil requiritur, niſi verum ſignum, & ſignificatũ.* Reſp. *Verum eſt, eo modo quo ſignum eſt inſtitutum &c. Quòd non eſt nunc præciſè, quòd Corpus ſit cum pane, vel cum accidentibus panis indiſtinctè: ſed ſub accidentibus, vt ſub ſigno.*

Ad 2. *Dico quòd non eſt aliquis articulus arctandus ad intellectum difficilem, niſi ille intellectus ſit verus &c. Quia nullus alius intellectus ſpecialis verus eſt. Sic autem ſupponitur de intellectu huius articuli.*

*Et tunc* Ad 3. *Vbi ſtat vis, dicendum quòd Eccleſia declarauit iſtum intellectum eſſe de veritate Fidei, in illo Symbolo edito ſub Innoc. III.* in Conc. Later. Firmiter credimus &c. *Vbi explicitè ponitur veritas aliquorum credendorum magis explicitè quàm habebatur in Symbolo Apoſt. vel Athanaſij, vel Nicæno. Et breuiter: quicquid ibi dicitur eſſe credendum, tenendum eſt eſſe de ſubſtantia Fidei; & hoc poſt iſtam declarationem ſolemnem factam ab Eccleſia.*

*Et ſi quæras quare voluit Eccleſia eligere iſtum intellectum ita difficilem huius art. cum verba Script. poſſent ſaluari ſecundum intellectum facilem, & veriorem ſecundùm apparentiam, de hoc articulo. Dico quod eo Spiritu expoſitæ ſunt Scripturæ, quo conditæ: & ita ſupponendum eſt quod Eccleſia Catholica eo Spiritu expoſuit quo tradita eſt nobis Fides, Spiritu ſcil. veritatis edocta; & ideo hunc intellectum eligit, quia verus eſt. Non enim in poteſtate Eccleſiæ fuit facere iſtud verum, vel non verũ: ſed Dei inſtituentis &c.*

Vnde patet quidem Scotum præferre veritatem realis præſentiæ Corporis Chriſti in Euchariſtia, quoad ſenſum expreſſum in forma conſecrationis, & ab initio explicitè credendum: non tamen negare veritati Tranſubſtantiationis ſuum etiam ſenſum & fidem implicitam ab initio, nec explicitam ante Conc. Later. Non enim refert tres illas opiniones tanquàm ſingulas tunc adhuc vel ante Cõc.

Later,

Digitized by Google

Later. opinabiles: ſed *Erant*, inquit, &c.

Nec reſpondet *communiter teneri &c.* quaſi hoc necdum eſſet de Fide: ſed vel quod totum ſequens non ſit de Fide, videlicet panem non annihilari; vel quod ex tunc cõmuniter non tantùm in Scholis, ſed in tota Eccleſia; nec tantùm implicitè, ſed etiam explicitè teneatur, ſeu credatur.

Nec *principaliter* moueri ad hanc fidem auctoritate *S. Eccleſiæ Rom.* negat, ſed potius ſupponit motiuum aliquod Sacræ Script. quamuis minus principaliter exprimens ac determinans hanc veritatem, non tamen minus principale in ſe. Nec *poſſibilitas inſtituendi* realem præſentiam Corporis Chriſti cum pane, reuocat in dubium; ſed ſupponit, confirmat & exprimit aliter à Chriſto inſtitutum eſſe.

Nec *electio huius ſenſus ab Eccleſia*, ſupponit, ſed expreſsè negat alium ſenſum verum ab Eccleſia eligibilem: quia non eſt alius verus, nec eſt in poteſtate Eccleſiæ facere alium verum, nec poteſt eligere falſum; neque hæc electio eſt inter plures ſenſus veros, ſed huius vnici veri & diſtincti ab omnibus falſis.

Nec obſtat quod Scotus videatur tam ſtudioſè referre, ac tueri rationes oppoſitas, contra reſponſiones S. Thomæ: Tum quia non ſunt diſſimulandæ vllæ difficultates in re tanti momenti: Tum quia reſponſiones S. Thomæ poſſunt pati has & ſimiles replicas, Tum quia non omnes hæ replicæ ſunt ex mente Scoti, vnde nec omnes reſumit aut ſupponit in ſuis proprijs reſponſionibus. Tum denique quia prætendit & conatur melius reſpõdere: referendo totum ad hanc inſtitutionem Chriſti, & declarationem Eccleſiæ; tam quoad hanc præciſam formam conſecrationis, quàm quoad hunc eius vnicum ſenſum verum ex intentione ac inſtitutione Chriſti, quicquid ſit de ſignificatione grammatica ex inſtituto ac vſu humano. Cui tamen etiam ipſe Chriſtus ſuam ſignificationem Sacramentalem accommodauit: non tamen ad eam arctare debuit.

Nam ex eodem Scoto D. 8. q 2 §. *Propter hoc &c.* Hæ verborum formæ non ſunt efficaciter conſecratoriæ quatenus ſunt veræ grammaticaliter aut logicè: ſed Sacramentaliter, ſeu ex inſtituto Diuino. Vnde nec ex earum veritate grammatica infertur veritas præſentiæ Corporis Chriſti, quaſi à priori: ſed potiùs quaſi à poſteriori, ſeu ex ſigno quodam inſtitutionis Diuinæ, & ſignificationis ac efficaciæ Sacramentalis, ſecundùm ſignificationem & ſenſum communem huius formæ. Ex illo B. Aug. *Epiſt.* 23. ad Bonif. *Si Sacramenta*, tàm quoad formas quàm materias, *quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent, omninò Sacramenta non eſſent.* Vt ſuprà *col* 38.

Quantus ergo abuſus hæreticorum, hac tam ſanâ, Catholica, & expreſſa Doctrina Scoti! Sed & nimius quorundam Catholicorum zelus, carpendi potius, quam diſcendi, & intelligendi. Nec quem offendat illud Scoti ſupra, quòd *verba Script. poſſent ſaluari ſecundùm intellectum facilem, & veriorem ſecundùm apparentiam de hoc articulo*: Tùm quia hæc eſt tantùm Quæſtio, & Obiectio: Tùm quia ſenſus *facilior & verior ſecundùm apparentiam*, non eſt verus; ſed opponitur huic tanquam ſoli vero in ſe: Tum denique quia hoc ipſo quo facilior eſt, eo minùs verus cenſeri debet in tanto myſterio Fidei. Nec moueat quòd Trid. videatur denuò definire tranſubſtantiationem, ex ipſa veritate grammaticâ formæ conſecratoriæ, eamque condefinire, ſicque hanc Scoti doctrinam corrigere. Tum quia Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. quaſi ex Scoto ſupra, docet Chriſtum *diſertis, ac perſpicuis verbis* expreſſiſſe præſentiam realem Corporis & Sanguinis ſui in Euchariſtia: non ſic autem *Cap.* 4. de Tranſubſtantiatione. Tum quia *Cap.* 4. docet tantùm, *veritatem Tranſubſtant. ſemper in Eccleſia perſuaſam fuiſſe: quia Chriſtus quod ſub ſpecie panis offerebat, Corpus ſuum verè eſſe dixit; idq; ibi S. Synodus denuò declarat.* Vnde patet quantum diſtinguat hanc rationem perſuadendi, ac denuò declarandi, à propria, expreſſa, & clara ratione definiendi: quodque illud, *ſemper in Eccleſia perſuaſum fuiſſe*, minus ſignificet quàm, *ab omnibus explicitè creditum fuiſſe*; nec plus, imo minus quàm illud Scoti ſuprà, *in Concil. Lateranenſ. poni explicitè veritatem aliquorum, credendorum magis explicitè quàm ante.* Non enim ibi fruſtra diſtinguit Scotus *explicitè poni*, ab *explicitè credendis*: ſed ad ſuppondũ etiam fidem cõmunem ſaltem implicitam ante Later. explicitam autem poſt, ab illa tunc explicita propoſitione. Tum denique quia Conc. Trid. *Can.* 2. definiens hanc doctrinam ſub Anathemate, non reſumit illam rationem perſuadendi: Ergo nec inde definit, multo minus eam condefinit. Sicut nec rationes perſuadendi aut credibiliter proponendi, ſolent eſſe ipſæ propriæ rationes definiendi, aut credendi, multo minus condefiniri.

OBIECTIONES

Ex rationibus & experientijs circa hoc Sacramentum, referantur ad quæſt. Scholaſticas, De varijs modis explicandi & conciliandi has veritates fidei cum illis rationibus ac experientijs, & è cõtrà.

## QVÆSTIO 4. DOGMATICA.

*An hoc Sacramentum ſit adorandum, & omnibus etiam infantibus, ac peccatoribus, aut Sacrificio præſentibus, ſub vtraque vel altera ſpecie communicandum.*

SVb qua quæſt. reliquæ grauiores Fidei Controuerſiæ conſequenter proponuntur: vt Dogmaticè, & diſtinctè à qq. Scholaſticis tractentur. Quarum præcipua eſt, De Communione ſub vtraque ſpecie. 2. De Adoratione. 3. De cõmunione etiam infantiũ. 4. Omnium peccatorum. 5. Omnium Sacrificio Miſſæ præſentium.

Vt vulpes illæ *Iud.* 15. caudis ſuccenſis colligatæ, ſed dentibus frendentes ac inuicem mordentes: ita & omnes huius ſæculi Hæretici, in hac cauda ſeu fine incendendi totam meſſem Eccleſiæ, ſeu hoc frumentum electorum, conſpirant; quaſi in fauorem populi Chriſtiani, pro communione omnium ſub vtraque ſpecie, contra Prælatos Eccleſiæ ac Sacerdotes, velut ſibi ſolis Calicem vſurpantes, populum vera aut integra Chriſti communione, vel aliquo eius fructu, aut ſaltem iure communicandi priuarent. Sed quamuis in hac cauda ſeu fine con-



Digitized by Google

ſpirent: ore tamen, & dentibus ſeu verbis, & rationibus plurimum diſſentiunt, ac contendũt. Nam Huſſitæ huius rebellionis Anteſignani ab anno *1512.* in Bohemia, prætendunt mandatum Chriſti *Ioan. 6.* communicandi ſub vtraque ſpecie. De quo ſub propria obiectione. Lutherus vult laicis ab Eccleſia deberi communionem ſub vtraque ſpecie. Quidam autem Lutherani negant etiam integritatem, & concomitantiam Corporis & Sanguinis Chriſti ſub alterutra ſpecie: Alij negant fructum integrum: Alij prætendunt inſtitutionem, & mandatum Chriſti diſpenſandi & communicandi ſub vtraque ſpecie: Alij ſolum ius ſeu libertatem cuiuſque ita communicandi.

Denique Sacramentarij exigunt tantum vtramque ſpeciem, ad veram figuram & commemorationem Corporis & Sanguinis ſeu mortis Chriſti, ſecundum inſtitutionem, & prototypum Chriſti: exaggerando & exprobrando Eccleſiæ Catholicę quaſi ſacrilegam violationem huius inſtitutionis ac figuræ, per communionem ſub altera tantum ſpecie. Cùm ipſi ſint rei ſacrilegæ violationis omnium ſacrarum imaginum: nec cenſeant eſſe neceſſariam communionem Sacramentalem ſub vlla ſpecie; ſed ſolam memoriã, & fidem Mortis Chriſti, ſiue ex ſigno comeſto, ſiue viſo, ſiue vnius, ſiue alterius, ſiue vtriuſque, ſiue nullius ſpeciei; totam Eccleſiam priuare contendant vera & reali præſentia Corporis Chriſti, illudendo ei ſolâ inani figura vtriuſque ſpeciei.

Porrò ſicut nos omnes Chriſto in Euchariſtia adorationem & triumphum harmonicè accinimus & concinimus: ita & ipſi omnes è contrà cacophonicè conclamant; ſed præ omnibus Sacramentarij, tanquam contrà publicam ἀρτολατρείαν ſeu Panilatriam, ad rauſim vſque reclamant. Lutherani autem, etiam inter ſe inæqualiter ſubmurmurant: plerique contra adorationem illam publicam extrà vſum ſacræ Cõmunionis; aliqui tamen etiam in vſu ipſo, ob rationes infra obijciendas.

Vt autem hoc Sacramentum inhonorent, ac prophanent: Ex cibo regio, vertunt quaſi in cauponarium, ſeu communem omnium præſentium: ex cibo ſolido ac ſuperſubſtantiali, in leuiſſimum, & quaſi in pultes infantium: ex pane Angelorum, in ſiliquas porcorũ, ſeu peſſimorum etiam peccatorum, præſumentium ſibi in hoc Sacram. omnia remitti. Ex citatis à Bell. *lib. 4. cap. 17.* & ex obijciendis infra.

### RESPONSIO DOGMATICA.

Hoc Sacroſanctum Sacramentum, ſeu eius contentum, tam extrà quam in ipſo Sacrificio & ſacra Cõmunione eſt ab omnibus adorandum, & cultu Latriæ colendum: non autem omnibus Sacrificio præſentibus, nec quibuſvis peccatoribus, ſed ſolis pœnitentibus, & à peccatis mortalibus in re vel voto Sacramentaliter abſolutis; nec infantibus ſed adultis, nec neceſſariò ſub vtraque ſpecie, ſed extraſacrificialiter ſub ſola ſpecie panis communicandum. Ex Sacro Conc. Trid. ſuprà col. 8. cap. 5. col. 9. cap. 7. 8. col. 10. can. 5. 6. col. 11. can. 11. col. 22. 23. cap. 1. 2. 4. col. 24. can. 1. 2. 4. col. 26. Quæ ſingula ſuo ordine probantur.

### *De Communione ſub ſola ſpecie panis.*

I. Ex figuris antiquis huius Sacramenti, Agno Paſchali, Manna, Panibus propoſitionis: quæ non habuerunt vllum potum myſticum. Imò & ex omnibus ſacrificijs cruentis: quorum carnes erant quidem in cibum, exceptis holocauſtis: nunquam tamen ſanguis vel libamina in potum. Panis autem & vinum oblatum à Melchiſedech, fuit potius figura huius noſtri Sacrificij quam Sacramenti, ſeu communionis Sacramentalis. Quid quod Chriſtus ex pane multiplicato tot millia hominum in figuram huius Sacramenti pauit, non potauit?

II. Ex *Ioan. 6.* Vbi aliquoties æquè promittitur vita æterna, & fructus huius Sacramenti ſub vna ſpecie, ac ſub vtraque. *Hic eſt panis de Cœlo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur &c. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternũ &c. Qui manducat me ipſe viuet propter me &c. Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

III. Ex ipſa inſtitutione, poſt eſum ceremonialem Agni Paſchalis, abſque potu ceremoniali: ſub diſtinctis formis, diſtinctis ſpeciebus, imò & diſtincto mandato prius comedendi & hoc faciendi, deinde illud *Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* Vbi & disiunctiuè ſubditur. *Qui manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.*

IV. Exemplo Chriſti *Luc. 24.* Vbi, *Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis: & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum &c. in fractione panis.* Quæ relatio tam ſimilis inſtitutioni Euchariſtiæ, & actio Chriſti tam extraordinaria hoſpiti ad menſam alienam, eiuſque agnitio ex quadam ſacra fractione ſeu conſecratione & oblatione panis: Denique tam ſubita diſparitio abſque vlla mentione Calicis, perſuaſit etiam SS. Patribus vel fuiſſe conſecrationem, & communionem ſub ſola ſpecie panis, vel ſaltem quoddam eius memoriale ac exemplum.

V. Ex vſu Eccleſiæ primitiuæ tempore Apoſt. *Act. 2. Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ, & cõmunicatione fractionis panis, & orationibus.* Quæ communicatio & fractio panis, tam religioſè relata cum ſacra Doctrina & Oratione, & laudabili in illis perſeuerantia Fidelium, abſque vlla mentione ſacri calicis, aut potus: non poteſt intelligi de perſeuerantia in commeſſationibus prophanis, ſed tantùm de frequentatione ſacræ Euchariſtiæ, prout etiam vertit Sirus interpres: nec de communione ſub vtraque ſpecie; tum quia ibidem refertur bis hæc fractio panis, & ſemel *cap. 20.* infra, abſque vlla mentione Calicis. Tum quia eodem cap. 2. *Frangebant,* inquit, *circa domos panem*: ſeu circumferebant ſecretò per domus priuatas, ex metu perſecutionis, quod vix de calice fieri potuiſſet.

Tum denique quia *Act. 18. & 29.* refertur inter Iudæos conuerſos & conſequenter communicantes in illa fractione panis, fuiſſe multos Nazaræos, à vino abſtinentes, & huius abſtinentiæ tenaciſſimos.

Act. 20. *Vna Sabbathi cum conueniſſemus ad frangendum panem &c.* Quid ſibi vellet illa conuentio Eccleſiæ in magno Cœnaculo, vnâ .i. primâ Sabbathi, ſeu

Digitized by Google

ſeu die Dominica, ad frangendum panem, & audiendum ab Apoſt. Paulo verborum Fidei: niſi ſacram Communionem ſub ſpecie panis, abſque vlla ibi mentione calicis; cùm alibi, vbi vſus calicis interuenit, non omittatur?

VI. Ex Officio *Diſpenſandi, Diſponendi, Honeſtè ordinandi Myſteria Dei*, commiſſo Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus. *1. Cor. 4. 11. 14.* Porrò officium diſpenſandi &c. non ſignificat ſolam obligationem, ſeruitutem, & executionem: ſed etiam poteſtatem ac diſcretionem interpretandi intentionem Chriſti cõmittentis, & diſtribuendi ad ſalutem Fidelium.

VII. Ex integritate,& vita Chriſti ſub quauis ſpecie. Ioan. 6. *Ego ſum panis &c. Qui manducat me &c* .i. non tantum aliquid mei. Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt &c.* Rom. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur.* 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt.*

VIII. Ex integritate Sacramentali, ſeu ſignificationis & fructus Sacramentalis, ſub qualibet ſpecie, Nam præter promiſſiones æquales cuilibet ſpeciei *Ioan. 6.* ſuprà. ſub qualibet ſpecie Sacramentaliter conſignificatur totus Chriſtus in ſuo Corpore, vtique viuo & hypoſtaticè vnito: conſignificatur integra refectio ſpiritalis, quæ non habet diſtinctionem cibi & potus: æquè ſignificatur vnitas Eccleſiæ,& vnio ſpiritualis membrorum ſub vnica ſpecie ac ſub vtraque. Vt 1. Cor. 10. *Vnus panis, vnum Corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus*: imò & quælibet ſpecies eſt memoriale Paſſionis Chriſti. Nam *1. Cor. 11.* ad conſecrationem ſub qualibet ſpecie dicitur, *Hoc facite in meam commemorationem.* Deinde quælibet ſpecies ſumpta ſeorſim ab altera, eſt quoddam memoriale ſeparati quondam Sanguinis à Corpore. Denique hoc memoriale non tam, aut non tantùm conſiſtit in ſumendo, quàm in exhibendo, ſpectando, & credendo Corpus & Sanguinem Chriſti ſub diſtinctis ſpeciebus.

IX. Ex antiqua traditione & praxi continuâ Eccleſiæ, communicandi ſub vnica, vel vtraque ſpecie. Tum quia ſolebat, maximè tempore perſecutionis, prouideri fidelibus laicis in longum tempus, de ſacra Euchariſtia ſub ſpecie panis conſeruanda & ſumenda. Vt patet ex Cypriano *Serm. de lapſis.* & S. Ambroſio *in oratione de obitu Satyri*, & alijs. Quod ſub ſpecie vini nec factum refertur, nec fieri potuiſſet. Tum quia ſolebat etiam ſicut nunc ad ægrotos deferri ſub ſpecie panis. Vt patet ex Euſeb. *lib. 6. Hiſt. cap. 36.* S. Paulino *in vita S. Ambroſij*,& alijs. Quod de calice vini nunquam refertur, vixque reuerenter fieri poſſet. Tum quia ſecreti Manichæi, cum abhorrerent vinum vt fel Draconis, ad latendum Romæ, ſolebant communicare cum Catholicis ſub ſola ſpecie panis. Vt patet ex Leone Papa *Serm. de Quadrag.* Vnde & iuſſit obſeruari eos qui nunquam communicarent ſub ſpecie vini. Tum quia ſolebat tradi fidelibus Euchariſtia in manus. Vt patet ex B. Aug. *Lib. 2. contrà Parm. cap. 7. lib. 2. contra Petil. cap. 23.* Sozom. *lib. 8. Hiſt. cap. 5.* & Niceph. *lib. 13. cap. 7.* de quadam hæretica, quæ fingens ſe Catholicam,excepit in manus ſacram Euchariſtiam, & clam dedit ancillæ, ab eaque recepit panem prophanum, quem palam comederet loco Euchariſtiæ, ſed ſubito in lapidem conuerſus fuit. Tum quia ſolebant aliquando Clerici priuari ſacra Communione Clericali, & redigi ad Communionem Laicam. Vt patet ex *Epiſt. 1.* Fœlicis Papæ *cap. 2.* ex Cõc. Elibert. *can. 76.* Sardic. *cap. 2.* Agath. *cap. 2. & 5.* Quam quidem Laicam Communionem fuiſſe tantùm ſub ſpecie panis, vel inde patet: Quod ibidem aliqui priuentur etiam Laica communione vſque ad mortem. Tum quia ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ Latinæ, nunquàm à Græcis in tot Concilijs repræhenſa, Feria 6. Paraſceues non ſacrificatur, in memoriam Sacrificij cruenti illius diei, ſed communicatur ſub ſola ſpecie panis reſeruata ex Sacrificio Feriæ 5. Tum ex antiquiſſimo more non conſecrandi niſi Calicem vini: quomodo ergo ex illo Calice potuiſſet totus populus communicare? niſi vt Alcuinus in ſuo Rituali Romano ab annis iam 800. inſinuat Cap. de Ordine celebrandi Miſſam, videlicet effundendo modicum ex Calice conſecrato, in magnum Calicem vini & aquæ populo diſtribuendum, potiùs ad abluendam, & deglutiendam ſpeciem panis, quàm ad ſacram Communionem ſub ſpecie vini. Vnde fortè hucuſque moris fuit præbere populo poſt ſacram Cõmunionem aliquid vini ad ablutionem: quæ cùm etiam ob varia incõmoda exoleſcat, quantò potiùs ſacra Cõmunio ſub ſpecie vini conſecrati?

X. Ex SS. aut antiquis Patribus. Vt Tertull. lib. 2. ad vxorem. *Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes: & ſi ſciuerit panem, non illum credit eſſe qui dicitur.* Quomodo ergo virgo aut vxor Chriſtiana, ſub Patre, aut Marito Ethnico, prægustaſſet etiam vinum quamuis conſecratum?

S. Cyprianus *Serm. de Orat. Dominica & alij,* per *Panem noſtrum quotidianum*, aut *ſuperſubſtantialem*, intelligunt ſacram Euchariſtiam ſub ſpecie panis, non autem ſub ſpecie vini.

S. Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 5. *Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti*: vtique porrigendo illud ſub ſola ſpecie panis: & tu dicis, Amen.

S. Hier. Epiſt. ad Euſtochium. Quod Chriſtus *Luc. 24.* in Emmaus Cleophæ domum, in Eccleſiam conuerterit, conſecrando panem Euchariſticum. Reliqui etiam PP. à *col. 281. ad 292.* aliquoties loquuntur de Communione Corporis Chriſti ſub ſola ſpecie panis, ſeu abſque expreſſione alterius ſpeciei. Vt B. Aug. col. 284. lin. penult. *Placuit Spiritui S. vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani primùm Dominicum Corpus intraret quàm cæteri cibi. Col. 289.* Serm. 89. *Norunt Fideles Chriſtum in fractione panis: non enim omnis panis; ſed accipiens benedictionem Chriſti, fit Corpus Chriſti.* Vt & *ſerm. 140.* De Tempore. cap. 2. *Vbi voluit Dominus agnoſci? in fractione panis. Securi ſumus, panem frangimus, & Dominum agnoſcimus. Noluit agnoſci niſi ibi, propter nos, qui non eum viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eramus eius carnem &c. Conſoletur te fractio panis, abſentia Domini non eſt abſentia.* Lib. 3. De conſenſu Euang. c. 25. *Nec quiſquam ſe Chriſtum agnouiſſe arbitretur, ſi eius particeps Corporis non eſt* .i. *Eccleſiæ: cuius vnitatem in Sacramento panis cõmedat*

Apoſto-

Digitized by Google

*Apoſtolus* 1. Cor. 11. *vt cum eis panem benedictum porrigeret aperirentur oculi eorum*, &c.

XI. Ex varijs & celeberrimis miraculis ſanguinei liquoris, ex ſpecie panis conſecrata effuſi, in fidem veri ſanguinis contenti. Quorum vnum refert Alexand. Alenſis *p. 4. q. 53. m. 1. antiquæ editionis*: ſed eorum plurima ſpectacula vſque in hodiernum diem aſſeruantur, & exhibentur.

XII. Ex prouidentia Chriſti, inſtituendi hoc Sacramentũ ſub ſpecie & modo omnibus vbique moraliter & reuerenter poſſibili, & communicabili: Atqui ſunt multi à natura vel educatione à vino prorſus abſtemij, ſunt vaſtæ Regiones Septentrionales in quibus vix poſſet prouideri de vino ſufficienti ad communionem omnium ſub ſpecie vini; tanta eſt etiam fidelium multitudo & concurſus ad communionem præcipuè Paſchalem, vt vix eis poſſet abſque concuſſione & periculo ac frequenti effuſione ſub ſpecie vini miniſtrari; nec ab omnibus mundis & immundis ex eodem Calice promiſcuè potari poteſt abſque nauſea naturali, & periculo contagionis, ex fœda ac morbida inhalatione, muſtacum intinctione, & ſaliuæ defluxione. Ergo &c.

XIII. Ex abrogata paulatim, & mutata conſuetudine ac libertate primitiuæ Eccleſiæ cõmunicandi ſub vtraque vel alterutra ſpecie: in Conſuetudinem & Legem Communem, à ſacris Canonibus & Concilijs latam, vel approbatam & confirmatam, communicandi extraſacrificialiter ſub ſola ſpecie panis, ad commodiorem & vniformem modum communicandi in Eccleſia; ex illa poteſtate diſpenſandi myſteria Dei, de qua ſuprà.

XIV. Ex Conc. Conſtant. *ſeſſ. 13.* quòd *hæc Conſuetudo ad euitanda aliqua pericula, & ſcandala, ſit rationabiliter introducta &c. quodq́; pertinaciter dicere hanc Conſuetudinem & Legem obſeruare, eſſe ſacrilegum aut illicitum. cenſeri debeat erroneum, & hæreticũ.* Ex Conc. Baſil. *ſeſſ. 30.* Quòd Fideles non obligentur ex præcepto Chriſti ad communionem ſub vtraque ſpecie: *ſed Eccleſia ordinare habeat quomodo ipſis miniſtretur.*

Ex Conc. Trid. *ſeſſ. 13. c. 5. ſupra, col. 5.* De Adoratione publica Chriſti in hoc Sacramento, per quatuor capita, & totidem canones ſupra *col. 22. 23. 24.* valdè doctrinaliter. *Cap. 7. & Can. 5. 11.* De neceſſaria præparatione ad ſacram Communionem, per pœnitentiam & confeſſionem Sacramentalem pecc. mortalium. *Seſſ. 21.* De more & *lege* communicandi ſub ſola ſpecie panis: Ex poteſtate diſpenſandi, diſponendi, & ordinandi omnia honeſtè in Eccleſia *1. Cor. 4. 11. 14. ſupra.* Et de non neceſſaria communione Sacramentali paruulis. *Seſſ. 22. cap. 6.* ſupra *col. 26.* De non neceſſaria communione præſentium Sacrificio Miſſæ.

### *De Adoratione.*

I. EX Diuinitate Chriſti ſub hoc Sacramento adorabili, vt præſente per ſingularem concomitantiam hypoſtaticam.

II. Ex præceptis adorandi Deum *Deut. 6. Matt. 4.*

III. Ex Adoratione Chriſti hominis, Mat. 2. *Procidentes adorauerunt eum: & obtulerunt ei Aurum, Thus & Myrrham.* Phil. 2. *In nomine* IESV *omne genu flectatur.* Heb. 3. *Adorent eum omnes Angeli eius &c.* Apoc. 5. *Seniores ceciderunt coram Agno &c. Et audiui vocem Angelorum multorum dicentium, Dignus eſt Agnus qui occiſus accipere virtutem, & Diuinitatem &c.*

IV. Ex Figuris, & Prophetijs huius Sacrificij, & Dei ac Chriſti, in eo ac ſub eo ſingulariter adorandi. Vt ſupra *col. 245. 247.*

V. Ex ſpeciali Prophetia adorandi Deum ſub hoc Sacramento. Pſal. 21. *Manducauerunt & adorabunt*, vel vt nunc legimus, *adorauerunt omnes diuites*, vel, *pingues terræ.* Pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius.* B. Aug. interprete.

VI. Ex monitione illa Chriſti *Ioan. 4.* nunc ſpecialiter adorandi Deum in Spiritu, & veritate .i. Vt verè & adorabiliter in ſe præſentem, non autem tantùm in ſignis & figuris, vt olim.

VII. Ex antiqua, & continua praxi ac Traditione publica totius Eccleſiæ. Vt ſupra *col. 247.*

VIII. Ex Doctrina SS. Patrum adorandi Deum & Chriſtum, vt præſentem in hoc ſacrificio. *col. 248. 249. 250. & à col. 281. ad 291.* Specialiter, ex illo B. Ambr. lib. de Spiritu Sancto cap. 12. *Per ſcabellum*, Pſalm. 98. *terra intelligitur: Per terram autem, Caro Chriſti, quàm hodie quoq́; in myſterijs adoramus, & quam Apoſtoli in Domino* IESV *adorauerunt.* S. Chryſoſt. Hom. 6. *Adora, & communica.* Greg. Nazianz. De obitu Sororis: *Ad altare cum fide procumbit.* B. Aug. *lib. 9.* Conf. *cap. 13.* Quòd ſancta Monica *haberet animam ſuam ligatam vinculo fidei ad hoc Sacramentum pretij noſtri* .i. religioſè affectam ac deuotam. Epiſt. 118. ad Ian. cap. 3. *Saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt, &c.* Cap. 6. De Communione nonniſi à ieiunis, *in honorem tanti Sacramenti.* Epiſt. 120. ad Honoratũ c. 27. *Diuites adorant tantum, non etiam ſaturantur.* In Pſal. 21. *Manducauerunt & adorauerunt diuites terræ.* vt ſupra. In Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius vt ſupra.* Lib. 10. de Ciuit. cap. 20. *Cùm Chriſtus in formâ Dei ſacrificium cum Patre ſumat: tamen in forma ſerui maluit ſacrificium eſſe, quàm ſumere &c.* Et ſimilia ſæpè. Sed ſingulare eſt: Quòd B. Aug. *Epiſt. 44.* non neget, ſed tacitè fateatur quod ſibi *Epiſt. 43.* à quodam Maximo Pagano de cultu Euchariſtiæ ſic exprobratum erat. *Quis ſit iſte Deus, quem vobis Chriſtiani quaſi proprium vendicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis?*

IX. Ex Sacro Conc. Trid. *ſeſſ. 13. cap. 5. & can. 6.* ſupra, *col. 8. & 10.*

Sed Lutherani & Caluiniſtæ vt hoc Sacramentum eiuſque contentum prophanent: contendunt nihil eſſe aut continere ſacri permanenter, extrà vſum communionis: ſed tantùm tranſeunter, in ipſo vſu actuali Communionis, vel alicuius actionis ad eam relatæ. Tum ex inſtitutione Chriſti ad hunc ſolum vſum: Tum ex ſimilitudine cum Baptiſmo & alijs Sacramentis tranſeuntibus: Tum ex antiqua praxi ſtatim conſumendi reliquias ſacræ Communionis, vel eas comburendo, vel communicando pueris adhuc innocentibus.

Contra 1. Ex Forma conſecratoria verborum: quæ afficit ac verificat hic & nunc permanenter & demonſtra-

Digitized by Google

monſtrabiliter Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis,quamdiu ſunt ſaltem demonſtrabiliter. 2. Eadem forma verificat ſuum ſignificatum ante ſacram Cõmunionem: cùm hæc ſit ipſa ratio communicandi. 3. Ex eadem forma conſecratoria vini in Calice. 4. Ex *1. Cor. 10. & 11.* vbi aliquoties reperitur panem & vinum conſecratum, ſeu poſt conſecrationem eſſe Corpus & Sanguinem Chriſti. 5. Ex nulla reſtrictione huius veritatis ad vllum vſum actualem. 6. Ex omnibus Liturgijs, in quibus diu ante conſecratur quam cõmunicetur. 7. Ex praxi perpetua conſeruandi ſacram Euchariſtiam ad communionem infirmorum, & abſentium vel diſtantium in Eremis, aut latentium tempore perſecutionis. Vt patet ex *Apologia 2.* Iuſtini, ex Concil. Niceno 1. *Can. 13. 14.* ex quadam Epiſtola S. Baſilij ad Cæſariam, de Anachoretis ſecum Euchariſtiam in Eremum deferentibus. Ex Euſebio lib. 6. Hiſt. cap. 36. De ſacra Euchariſtia miſſa ad Serapionem ſenem &c. 8. Ex vſu, & veneratione ſacrorum altarium & vaſorum, in quibus ſacra Euchariſtia conſecrabatur aut conſeruabatur. Vt patet ex Clement. Rom. lib. 8. Conſtit. cap. 13. vel 20. de Paſtophorijs, quæ iam vocantur Ciboria ſacræ Euchariſtiæ, & ex antiquiſſimis Altaribus ac vaſis ſacris quæ in hodiernum diem exhibentur.

9. Ex Martyrijs, & miraculis celeberrimis pro honore Euchariſtiæ, etiam extra ſacram Communionem. 10. Ex Sanctis vel antiquis Patribus ſupra relatis. Vt S. Chryſ. *Homil. 24. in 1. Cor. 10.* De eodem Chriſto in Altari, qui fuit in præſepi. Aug. *in Pſalm. 33.* De Chriſto in Euchariſtia manibus portato. *Serm. 83. De diuerſis.* De Corpore & Sanguine Chriſti ſuper Altari. *Lib. 19. contra Fauſtum cap. 14.* De morte ſubeunda pro *ſigno* Chriſti. *Homil. 26.* De cauendo ne quid ex ipſo Corpore Chriſti de manibus communicantium cadat in terram. *Serm. 73. in Append.* De requie Animarum ſub Altari, Apoc. 6. *Quia ſuper altare Corpus Domini offertur. S. Hier. Epiſt. ad Ruſticum.* De S. Exuperio, quòd ex inopia voluntaria in caniſtro Corporis Chriſti portaret. *S. Cyrill. Epiſt. ad Caloſyrium:* De inſania aſſerentium Euchariſtiam vim ſuam amittere ex reſeruatione in alteram diem. Ex S. Ambroſ. de obitu Satyri fratris ſui *cap. 7.* Vbi refert Fideles ſolitos fuiſſe ſacram Euchariſtiam ſecum contrà omnia pericula portare: cuius appenſione ad collum in quodam orario frater eius naufragium euaſit. 11. Ex ratione & fine principali ſacræ Euchariſtiæ, ad ſacrificium: ſecundariò autem ad ſacram Communionem Fidelium. 12. Ex Definitione expreſſa ſacri Conc. Trid. *ſeſſ. 13. cap. 5. 6. can. 4. 6. 7. ſupra col. 8. 10.*

### *De non neceſſaria Communione Sacramentali infantium.*

1. EX Quæſt. *1. 2. 6. 7.* totoque Tractatu de Sacramento Bapt. ſeu de eius efficacia & effectu regenerationis, & gratiæ Baptiſmalis, tanquam medio ac remedio ſufficiente ad ſalutem, ante vſum rationis. *à col. 140. ad 220.*

2. Ex prædictione & inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ, ad conſeruationem vitæ ſpiritualis ſeu gratiæ, contra pericula peccandi & excidendi à gratia. Vt patet ex *Ioan. 6. ſupra*: Pueri autem baptizati, ante vſum rationis non ſunt huic periculo obnoxij; ergò nec eis hoc Sacramentum eſt neceſſarium.

3. Ex *Ioan. 6. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* Vbi prædicitur, inſtituitur, præcipitur, vel prohibetur hæc manducatio, moraliter, dignè vel indignè: Ergò nonniſi pro vtentibus ratione.

4. Ex Traditione & ſenſu communi Eccleſiæ, de ſalute omnium infantium Baptizatorum, morientium ante vſum rationis.

5. Ex conſenſu omnium SS. PP. ipſiuſque S. Aug. ex quo quaſi ſolo mouetur tota diff. Vt patebit infra ad Obiect.

6. Ex Doctrina ac definitione expreſſa Sacri Conc. Trid. *ſeſſ. 21.* De ſacra Communione *cap. 4. ſupra col. 23.*

### *De Communione in ſtatu gratiæ, non ſcienter extra.*

1. EX figuris antiquis huius Sacramenti, pro ſolis mundis. *Num. 4. Leuit. 22. 1. Reg. 21.*

2. Ex parabola Chriſti *Matth. 23.* De eiecto illo conuiua ſine veſte nuptiali.

3. Ex *Luc. 15.* de Filio prodigo, prius reconciliato Patri, quam admiſſo ad conuiuium illius Vituli ſaginati.

4. Ex *Ioan. 4.* De inſtitutione huius Sacramenti, non niſi ad conſeruandam, & augendam vitam gratiæ.

5. Ex *Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14.* De indigna illa communione Iudæ.

6. Ex *1. Cor. 10.* De neceſſaria vnitate ſeu charitate ad participandum Euchariſtiæ.

7. Ex *1. Cor. 11.* De probando ſeipſo ad non indignè communicandum: ſeu de cauenda indigna communione, medio moraliter certiori, Pœnitentiæ Sacramentalis.

8. Ex Traditione, & praxi piorum Fidelium.

9. Ex Doctrina & monitione SS. Patrum ſuprà, *qu. 1. 2. & 3.* ſpecialiter S. Cypr. lib. 3. Epiſt. 14. *Nondùm Exomologeſi finita, Euchariſtia illis datur: cùm ſcriptum ſit.* 1. Cor. 11. &c. Epiſt. 15. *Ante Exomologeſim grauiſſimi delicti Euchariſtiam dare: ideſt, ſanctum Domini Corpus prophanare &c.* Epiſt. 16. *Cùm in minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, Exomologeſis fiat: Quantò magis in his grauiſſimis?* Lib. 4. ſerm. 5. de lapſis. *Ante Exomologeſim factam criminis, vis infertur Corpori & Sanguini Chriſti: & plus modò in Dominũ manibus atque ore delinquunt,* videlicet eum indignè recipiendo, *quàm cùm Dominum negauerant.* B. Aug. Tract. 26. in Ioan. *Quam multi de Altari accipiendo moriuntur, &c.* 1. Cor. 11. *Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Videte ergo Fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, Innocentiam ad Altare apportate. Peccata etſi ſunt quotidiana: vel non ſint mortifera &c.*

10. Ex frequenti punitione miraculoſa indignorum. 1. Cor. 11. *Ideo inter vos multi infirmi, & dormiunt multi.*



Digitized by Google

S. Cypr. Serm. de lapſis. *Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum &c.* De puella infante quæ prius paſta idolotyto, reluctata fuit, & reuomuit ſacrum Calicem. De quadam ætatis prouectæ, quæ cōmunicans indignè *velut quadam venena lethalia intra fauces admiſit*. De quadam quæ *aperta arca in qua ſacram Eucharistiam ad communicandum obſeruabat, igne inde ſurgente deterrita eſt*. De alio *qui acceptâ Euchariſtiâ, cinerem ſe ferre apertis manibus inuenit*. B. Aug. Epiſt. 23. Miraculum circà illam puellam infantem refert in pœnam & monitionem Maiorum, *quid ipſi facere debeant*.

11. Ex Doctrina & definitione Sacri Conc. Trid. *ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11.* ſupra *col. 9. & 11.*

### *De non neceſſaria Communione Sacramentali aſtantium ſacrificio.*

1. EX figuris Sacrificiorum antiquorum: de quibus non neceſſariò veſcebantur aſtantes.
2. Ex indeterminato præcepto Chriſti *Ioan. 6.* ad tempus aut locum.
3. Ex præcepto *Hoc faciendi*, ad ſolos Sacerdotes. *Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.*
4. Ex Communione Apoſtolorum tantùm, in vltima Cœna.
5. Ex graui monitione illa Apoſtoli, non communicandi indignè. *1. Cor. 11.*
6. Ex more & lege communicandi ante omnem alium cibum, non autem ſic audiendi ſacrum. *Epiſt. 118. B. Aug.*
7. Ex independentia Sacrificij in ſe, & ſuo valore, à communione aſtantium.
8. Ex nulla alia obligatione: vel aſtantium, communicandi Sacramentaliter ex quolibet Sacrificio; vel Sacerdotum, diſtribuendi omnibus aſtantibus de Sacrificio.
9. Ex Sacro Cōc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6.* ſupra *col. 26.*

### *Obiectiones contra Communionem ſub vtraque ſpecie.*

1. EX Ioan. 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Ergo nonniſi ſub duplici ſpecie ſimul: altera manducabili, altera potabili.

*Reſp.* Ex Bellarm. *lib. 4. de Euchar. cap. 25.* tripliciter .i. Hìc tantùm præcipi ſumptionem Corporis & Sanguinis Chriſti: non autem ipſum modum ſumendi. Quia hoc præcipitur vt medium ſeu remedium neceſſarium ad conſeruationem vitæ ſpiritualis: Vnde nec obligat Catechumenos qui necdum ſunt ad hanc vitam per Baptiſmum regenerati; neque infantes baptizatos, qui ante vſum & abuſum rationis non poſſunt gratiam regenerationis amittere. Porrò hoc medium ac remedium vitæ conſeruandæ, non conſiſtit in modo ſumendi: ſed in vera ſumptione, & vero Corpore & Sanguine Chriſti, æquè ſumpto ſub vna, ac ſub vtraque ſpecie.

*Contrà.* Poteſt præcipi remedium aliquod ſub certo modo, ad obedientiam. *Reſp.* Potum ſub ſpecie vini non eſſe modum obedientiæ ſed multo faciliorem & gratiorem comeſtione ſub ſpecie panis.

2. Hoc præceptum non eſſe intelligendum coniunctiuè, ſed diſiunctiuè .i. *Niſi manducaueritis, aut biberitis &c.* vel, *Si non manducaueritis, neque biberitis.* Quia ſtatim promittit vitam manducantibus tantùm. Qui ſenſus eſt frequens in Sacris Script. ex phraſi Hebraïca, & Syriaca. Vt Act. 3. *Argentum, & Aurum non eſt mihi* .i. Nec hoc nec illud.

3. Hoc præceptum quoad vtrumque modum ſumendi, non afficere ſeu obligare ſingulos, ſed aliquos, vel omnes tantùm in communi. Vt ſit ſenſus, Niſi manducaueritis, & biberitis &c .i. Niſi aliqui ex vobis, vel niſi Eccleſiâ ſacrificet, & ſumat ſub vtraque ſpecie Corpus & Sanguinem meum, non habebitis vitam, ſeu hunc fructum vitalem inter vos. Vt Gen. 2. *Creſcite, & multiplicamini.* Ex B. Aug. l. 3. Doct. Chriſt. cap. 17. *Sciamus omnia alia communiter omnibus præcipi, alia ſingulis quibuſque generibus perſonarum.*

*Reſp. 4.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 184. 185. 186.* Comedi & bibi, non ſemper ſignificare diſtinctum modum ſumendi cibum & potum: ſed vel tantum integram refectionem, vel traiectionem cibi & potus per os in ſtomachum, ſiue ſimul eodem modo, ſiue ſucceſſiuè & diſtinctè. Nam & lac & ſorbitiunculæ dicuntur ſimul comedi & bibi: ſpecialiter quæcumque habent ſimul vim cibi & potus; quam habet Corpus & Sanguis Chriſti ſub qualibet ſpecie, videlicet ſpiritualiter nutriendi, & exhilarandi inſtar vini. Vnde ſicut Medici præſcribunt pharmaca: non autem modum ea ſumendi, niſi ſit neceſſarius aut ſalubrior: Ita & hîc Chriſtus; nec eſt ſalubrior Communio ſub ſpecie vini, quàm ſolius panis. Et ſicut huic præſcriptioni Medici, *Niſi manduces panem & bibas vinum morieris*: ſatisfaceret infirmus, comedens, ac bibens ſimul offam panis & vini; ita & ſatisfit huic præcepto Chriſti ſub vnica ſpecie.

### OBIECTIO II.

CHriſtus *Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* diſtinctè ait, *Comedite, accipite, bibite, Hoc facite, Bibite ex hoc omnes: & biberunt ex illo omnes.* Ergò inſtituit communionem ſub vtraque ſpecie, ac diſtincto modo comedendi, & bibendi: vel pro omnibus Fidelibus, vel pro ſolis tunc Apoſtolis eorumve ſucceſſoribus, nullatenus autem pro alijs.

*Reſp. Ex Bell. ibid.* Illa Chriſti diſtinctè, *Comedite, Hoc facite &c.* dirigi ad ſolos Apoſtolos eorumque in Sacerdotio Succeſſores: tum quia, *Hoc facere*, ad eos ſolos pertinet: tum quia ad eos ſolos dicitur *Mat. 26. Bibite ex eo omnes*, de quibus Marc. 14. *Biberunt ex eo omnes*: Tum denique quia cùm illud *omnes* non poſſit extendi ad Infideles, nec ad infantes, nec ad abſtemios &c. neceſſario reſtringendum eſt accommodatè ad reliqua ibidem. Addo, Chriſtum dediſſe cōmunionem ſub ſpecie panis, ante conſecrationem calicis: abſque vlla relatione ad calicem conſecrandum, & conſecratum poſt Cœnam.

Sed *contrà: Hoc facite*, includit non tantùm conſecrationem, ſed & diſtributionem ac modum diſtribuendi alijs ſub vtraque ſpecie: alioquin non conſtaret de poteſtate diſtribuendi alijs. *Reſp. 1.* Per *Hoc facite*, primò intendi ac exprimi poteſtatem ac mandatū conſecrandi: quod eſt propriè ac præcipuè



Digitized by Google

facere quod Chriſtus fecit; poſſet tamen etiam ſubintelligi mandatum, Hoc diſtribuendi quoad ſubſtantiam; ſed non quoad omnem modum eundem. Nam nec modus propriè ſignificatur per *Hoc*; nec vnquam potuit ac poteſt idem prorſus modus obſeruari; & nimis conſtat ex prædictis, modum diſpenſandi, diſponendi, & omnia honeſtè ordinandi eſſe commiſſum Apoſtolis & Succeſſoribus. Adde ex Bell. ibi Chriſtum non dixiſſe, *Comedite ex hoc omnes*, ſicut dixit *Bibite ex eo omnes*: quia ſingulis dabat ſingulas buccellas; calicem autem vnũ, ex quo omnes ſucceſſiuè biberent. Nec Chriſtum ad calicem repetijſſe, *Hoc facite*, niſi conditionatè. *1. Cor. 11.*

*OBIECTIO III.*

Ibidem dicitur Sanguis Chriſti effundendus, imo & fundi in hoc Sacrificio: non tantùm pro Apoſtolis eorumvè Succeſſoribus, ſed etiam *pro multis* alijs. Funditur autem hic in potum; Ergo etiam pro alijs in ratione potus ſalutaris. *Reſp. 1.* Pro *multis*, ibi idem eſſe quod pro *omnibus*, ſeu ad ſalutem omnium. *2.* Pro *multis* ſpecialiter .i. pro electis. *3.* De fuſione quidem etiam incruenta: *ſed*, inquit, *pro multis in remiſsionem peccatorum*; non autem illis omnibus etiam in potum. Quia remiſſio peccatorum eſt effectus effuſionis cruentæ, & ſuo etiam modo incruentæ: non autem ipſius potus; ſed diſtinctus & præparatorius ad ipſum potum, vt ſuprà.

*OBIECTIO IV.*

Chriſtus *Luc. 22.* benedixit ac fregit tantùm more ſuo ceremoniali: vel certè ex poteſtate abſoluta, non autem quaſi ordinaria, conſecrandi & communicandi ſub vnica ſpecie. *Reſp.* Siue conſecratoriè, ſiue ceremonialiter tantùm: ſaltem in ſimilitudinem & exemplum Euchariſtiæ, ſic etiam diſtribuendæ, non autem ſic conſecrandæ; quia nec expreſsè refertur ibi conſecraſſe.

*OBIECTIO V.*

Act. 2. *Frangebant circa domos panem* .i. diſtribuebant pauperibus. Vt Eſa. 58. *Frange eſurienti panem tuum. Reſp.* Ex circumſtãtia illiùs textus ſuprà, non poſſe intelligi de fractione tantùm eleëmoſynaria, ſed religioſa: de qua tam expreſsè 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?*

*OBIECTIO VI.*

*1. Cor. 11.* Refert Apoſtolus ſe accepiſſe à Domino quæ ibi tradit de inſtitutione, & diſtributione Euchariſtiæ omnibus capacibus, ſub vtraque ſpecie.

Addit enim præ Euangeliſtis. *1.* Diſtinctionem ſui proprij præcepti circa honeſtum modum Cœnæ Dominicæ, ab hac Traditione Dominica, tanquam præcepto Domini: deinde æquè poſt conſecrationem Calicis, ac panis, *Hoc facite in meam commemorationem*: præterea, *Quotieſcumq; manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*; vtique æquè in communicando, ac conſecrando: Denique plurima de communione promiſcua ſub vtraque ſpecie.

*Reſp. 1.* Præceptum illud Apoſtoli eſſe tantùm contra abuſus ibi relatos ante vel poſt ſacram Communionem: nec ibi opponi toti ſequenti Traditioni, tanquam mandato ſolius Chriſti.

*2.* Traditionem illam Chriſti ſe extendere ad verba Chriſti: non autem ad ſequentia Apoſtoli.

*3.* Ad Calicem non repeti ſimpliciter, *Hoc facite in meam commemorationem*: ſed, *Quotieſcumq; illud bibetis*, vtique ſacrificialiter.

*4.* Ex vi huius cauſalis, *Quotieſcumq; enim &c.* referri ad eundem modum ſacrificialem de quo ante.

*5.* Hanc autem illationem Apoſt. *Itaque quicumq; &c.* referri quidem ad omnes communicantes: ſed diſiunctiuè, *Quicumq; manducauerit, vel biberit, &c.* .i. ſiue manducauerit, ſiue biberit indignè. Ergo ſupponit hæc ſeorſim fieri poſſe indignè: ſicque non neceſſariò ſimul.

*6. Cætera*, inquit, *cùm venero diſponam*: referri poſſe etiam ad modum cõmunicandi ſub alterutra ſpecie, & quidem potius ſub ſola ſpecie panis, contra illum abuſum ebrietatis de quo ibi, *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Quamuis enim non ſit veriſimile quod ſe inebriarent ex vino conſecrato: tamen conferebant multum vini ad conſecrationem, & communionem omnium ex Calice. Quod vinum prægustando, aut reliquum conſumendo poterant ſe ibi aliqui inebriare. Nec aliter Scotus ſupra, ex propria Sent. ſed obijciendo ex Gloſſa ord. quæ poteſt intelligi de panibus oblatis & benedictis ante conſecrationem, non autem de ipſis conſecratis.

*OBIECTIO VII.*

Ex SS. aut antiquis Patribus: qui referunt communionem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpecie panis & vini, fuiſſe communem, imò æquè inſtitutam pro omnibus fidelibus. Vt S. Ignat. Epiſtola ad Philadelph. *Vnus eſt panis omnibus confractus, vnum poculum omnibus diſtributum.* Origen. Homil. 16. in Num. *Populus Chriſtianus in vſu habet ſanguinem bibere.* S. Cypr. lib. 1. epiſt. 2. *Quomodo ad Martyrij poculum idoneos facimus: ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini admittimus?* S. Chryſ. Hom. 18. in 2. ad Cor. *Nihil differt Sacerdos à ſubdito: quando fruendum eſt horrendis myſterijs &c. Non ſicut in veteri Lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem vero populus: verum omnibus vnũ Corpus proponitur, & poculũ vnũ.* B. Aug. ſuprà, à *col. 284. ad 289.* Theophyl. in 1. Cor. 11. *Tremendus hic Calix, pari conditione eſt traditus, &c.*

*Reſp. 1.* Vt ad Sacras Script. ſuprà. *2.* De communione quondam ſub vtraque, vel alterutra ſpecie. *3.* De neceſſaria Communione Corporis & Sanguinis Chriſti, ſiue ſub vtraque, ſiue ſub alterutra ſpecie. *4.* De Sacrificio Sanguinis Chriſti cruento, vel incruento, pro omnibus. *5.* De æquali communione omnium ſine acceptione perſonarum: prout etiam nunc. Quod enim ſoli Sacerdotes communicent ſub vtraque ſpecie: non eſt ex acceptione perſonarum, ſed ex ratione ſacrificij. *6.* De vnitate Calicis & Sanguinis Chriſti in Eccleſia: non tamen nec æquè neceſſariò omnium potu. *7.* De neceſſaria Carnis, & Sanguinis Chriſti concomitantia. *8.* De ſumendo aut bibendo Sanguine Chriſti, ſiue in cibum ſiue in potum. Vt Tertul. lib. de Reſurr. *Caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur.* S. Cypr. ſerm. de Cœna Domini. *Lex eſum Sanguinis prohibet, Euangelium præcipit vt bibatur &c. Potus*, inquit, *& eſus ad eandem pertinent rationem.* B. Aug. qu. 57. in Leuit.



Digitized by Google

in Leuit. *Ab huius Sacrificij Sanguine in alimentum ſumendo, non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum omnes exhortantur.* 9. De Communione Sanguinis ſub propria ſpecie vini, in ſymbolum expreſſius Martyrij, ſeu rependēdi Chriſto ſanguinem, tempore perſecutionis. Vt ex S. Cypr. ſuprà, Et B. Aug. *col. 288. Tract. 84. col. 289. ſerm. 113.* 10. Sæpè de ipſo facto Chriſti. Vt S. Ign. ſuprà.

OBIECTIO VIII.

Ex ipſis decretis Canonicis, & Concilijs *diſt. 2. De conſecr. Cap. 7.* ex Iulio Papa. *Quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis: nec hoc in Euangelio teſtimonium recipit &c. Seorsùm enim panis, ſeorſum Calicis commendatio memoratur.*

*Cap. 10.* ex Gelaſio Papa. *Comperimus quod quidam ſumpta tantummodò Corporis ſacri portione, à Calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procul dubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuiſio vnius eiuſdemque Myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.*

Conc. Conſtant. ſeſſ. 13. *Licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit & dederit Sacramentum ſub vtraque ſpecie Diſcipulis: hoc non obſtante, obſeruanda eſt Eccleſiæ conſuetudo. &c.* Quaſi præ Chriſti inſtitutione.

Conc. Baſil. declarauit Bohemis licere communionem ſub vtraque ſpecie.

Conc. Trid. aliquoties reuocat in dubium, an liceat priuare laicos communione ſub vtraque ſpecie. Vt *Seſſ. 21. can. 4.* & tandem ad finem *ſeſſ. 22.* refert ad iudicium Summi Pontificis.

*Reſp. ad 1.* Meritò corrigi illum abuſum tam contrà cōmunionem ſub vnica ſpecie, quam ſub vtraque, quando erat in vſu.

*Ad 2.* Gelaſium vel loqui de ſolis Sacerdotibus ſacrificantibus, provt indicat titulus Gratiani: vel contrà quoſdam ſecretos hæreticos Manichæos, & Priſcilianiſtas, qui *ex ſuperſtitione*, inquit, *abſtinebant à Calice*, vt ſupra ex S. Leone *ſerm. de Quadrag.* Sed quæ ſequuntur videntur potiùs referri ad ſolos Sacrificantes: quamuis ſit etiam *grande ſacrilegium, abſtinere* à ſacro Calice, ex hæreſi Manichæorum.

Ad 3. Conc. Conſt. ibi corrigere duos errores contrà conſuetudinem Eccleſiæ: alterum præſumendi communionem ſub vraque ſpecie: alterum cōmunicandi poſt Cœnam, vel prandium. Contra hunc priùs definit quòd *licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit & ſuis Diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraque ſpecie panis & vini hoc Ven. Sacram. tamen hoc non obſtante ſacrorum Canonum auctoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, quod huiuſmodi Sacramentum nec conficiatur poſt Cœnam, nec ſumatur à non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis aut alterius neceſſitatis.* Deinde procedit contra alterum errorem.

*Ad 4.* Negatur declaraſſe eis licere, abſque Eccleſiæ diſpenſatione: ſed refertur ab Ænea Syluio *cap. 52. Hiſt.* Bohemicæ, ſub conditione credendi non eſſe neceſſarium iure Diuino.

*Ad 5.* Conc. Trid. ſuſpendiſſe tantùm ſuum Iudicium de diſpenſando aut non, cum aliqua Natione aut Regno, quoad vſum ſacri Calicis, ex quibus rationibus & ſub quibus conditionibus: tandemque retuliſſe ad prudentiam & arbitrium Summi Pontificis. Vt patet ex fine *Seſſ. 22.*

*OBIECTIO IX. EX RATIONIBVS.*

*1.* A communi potu ſpirituali Iudæorum ex Petra in deſerto. *1. Cor. 10.* 2. A quodam calice cōmuni Idololatrarum, ad cōmunem Fideliū. Ex *1. Cor. 10.* 3. A Dono & quaſi Legato communi Corporis, & Sanguinis Chriſti. 4. A neceſſaria integritate Chriſti in Euchar. Ergo ſub vtraque ſpecie. 5. Ab obligatione noſtra ad hanc integritatem, ex vi verborum & ſpecierum. 6. Ab inſtitutione huius Sacramenti, in expreſſam commemorationem Mortis Chriſti: non tantum ſacrificando, ſed etiam cōmunicando. Vnde *diſt. 2. de conſecr. cap. 35.* quaſi ex B. Aug. inter Sententias Proſperi. *Cùm frangitur Hoſtia, dum Sanguis de Calice in ora Fidelium funditur: quid aliud quàm Dominici Corporis in cruce immolatio, eiuſq; Sanguinis de latere effuſio deſignatur?* Ita & Lantfrancus, & Alenſis noſter *q. 52. m. 4.* ac alibi ſæpè. 7. A minori fructu huius Sacramenti ex vnica ſpecie, quàm ex vtraque. Vt vult Alenſ. *4. p. q. 53. m. 1.*

*Reſp. Ad 1.* Potum illum fuiſſe figuram diſparatam, nec relatiuam ad Manna.

*Ad 2.* Hos Calices ibi non comparari, ſed opponi: nec dici hunc æquè communem, aut neceſſarium omnibus Fidelibus ad potum; nec fuiſſe olim vllum talem Calicem cæremonialem Iudæorū; quia Sanguis aut vinum Sacrificiorum, ſignificans ipſam vitam & animam, ſoli Deo libabatur.

*Ad 3.* Hoc donum, ſeu legatum, eſſe ipſum Corpus & Sanguinem Chriſti: quod integrè datur ſub qualibet ſpecie. Vt, ſi cui legatum centum florenorum integrè præſtaretur in auro, vel argento. Si cui legatum quotidiani panis & vini, integrè præſtaretur in offa panis & vini.

*Ad 4.* Nullam eſſe dependentiam vnius formæ conſecratoriæ ab altera, in veritate aut efficacia: ſed integritatē Chriſti ex qualibet forma & ſub qualibet ſpecie, eſſe ex vi immortalitatis, & vnionis hypoſtaticæ. *Ad 5.* Hanc obligationem eſſe Sacerdotum, ad integritatem Sacrificij: non autem omniū communicantium, ad integritatem Communionis.

*Ad 6.* De fractione, & infuſione, ac ſignificatione tantùm ceremoniali: non autem eſſentiali, aut neceſſaria ad integritatem Sacrificij, vel ſacræ Communionis. Nam ſignificatio eſſentialis, eſt mortis Chriſti ſeu effuſi Sanguinis vſque ad mortem, non autem infuſi, nec effuſi poſt mortem.

*Contrà.* Ad quid ergo eſt tam neceſſaria Communio ſacrificantium, ſub vtraque ſpecie: & cur potius horum, quam aliorum? *Reſp.* Vel ad conſumptionem eſſentialem Sacrificij ab ipſo Sacerdote ſacrificante: vel ad expreſſiorem ſignificationem conſumptionis & acceptationis eſſentialis in ipſa conſecratione, ab ipſo Sacerdote quaſi vice Dei acceptante, & in ſeipſum ac ſuum vſum conuertente: vel ad alendum primò ex altari & ſacrificio, ipſum Sacerdotem ſacrificantem: Vel ad expreſſiorem repræſentationem mortis Chriſti, vt nobis ſalutaris, ſeu effuſi Sanguinis eius in nos, non autem tantùm extrà ſe: vel ad perfectiorem ſignificationem ſepulturæ Chriſti, quaſi in viſceribus Sacerdotis. Vel denique ad hæc & plura ſimul, vel ad aliquid horum aut aliqua, potius à vel in Sacerdote, quam alijs: quia cuius eſt ſacrificare eſſentialiter, eiuſdem eſt perficere integraliter, ac exprimere

mere

Digitized by Google

mere ſignificationes ſacrificiales.

*Ad 7.* Hanc opinionem Alenſ. eſſe quaſi ſingularem: eundemque ibi præferre maiorem reuerentiam Sacramenti, ac vſum communem Eccleſiæ, huic minori fructui aliquorum communicantium. Non enim vult eſſe minorem fructum proprium gratiæ ſanctificantis aut Sacramentalis: ſed tantùm expreſſioris ſignificationis, & inde feruentioris Fidei ac deuotionis ſenſibilis. Nec obſtat quod vocet fructum *maioris meriti & efficaciæ:* quia non de merito & efficacia ex opere operato, ſed operantis, ſeu deuotiùs communicantis, ex motiuo expreſſioris ſignificationis. Qui fructus ſuppleri poteſt ex fideli ſpectaculo & apprehenſione ac memoria vtriuſque ſpeciei: ſed & multùm ſuperari, humilitate, obedientia, & conformitate ad hanc Legem & morem Eccleſiæ.

## *Obiectiones contra Adorationem publicam Euchariſtiæ.*

Obiect. I. Chriſtus promiſit tantùm ſuam præſentiam ad ſacram Communionem. *Matt. 26.* Accipite, & comedite, *Hoc eſt &c.* Ergo non eſt permanenter præſens, ſed tantùm ſub ſacra Cõmunione. *Reſp. 1.* Non tantùm promiſiſſe *Hoc erit &c.* ſed demonſtratiuè affirmaſſe, *Hoc eſt Corpus meum.* 2. Non promiſiſſe ſuam præſentiam *ad ſacram Cõmunionem,* tanquam ad ſignum efficax, demonſtratiuum aut conſeruatiuum ſuæ præſentiæ: ſicut promiſit ſuam præſentiam ad ſpecies conſecratas; ſed tantùm ad aliquem finem ſuæ præſentiæ. 3. Non ad communionem, vt ad finem eſſentialem, intrinſecum aut neceſſario concomitantem; ſed ſecundarium, poſteriorem, & ſupponentem ipſum eſſe permanens Corporis & Sanguinis Chriſti. 4. Finem eſſentialem, intrinſecum, ac principalem huius præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, eſſe ipſum Sacrificium, ſeu adorationem Dei, de qua quæſt. 1. Sicut finis Sacrificiorum antiquorum erat publica Latria Dei: quamuis inde plerumque participarent Sacerdotes, & miniſtrantes materiam. 5. Hinc, Chriſtum non tantùm eſſe præſentem realiter & permanenter: ſed etiam ſacrificialiter, & adorabiliter; nec tantùm vt eſt Sacerdos, & Hoſtia ſecundùm ſolã Humanitatem, ſed etiam vt obiectum adorationis cui ſacrificatur ſecundùm ſuam naturam, ac Perſonam Diuinam, imò & toti Chriſto. Obiectum enim Adorationis eſt Perſona Diuina, eiuſque totum intrinſecè ac hypoſtaticè: quamuis ratio formalis adorandi ſit ſola natura, aut etiam Perſona Diuina.

Obiect. II. Hæc forma, *Hoc eſt Corpus meum:* ſatis ſe verificat & verificatur in ipſa conſecratione; non autem neceſſariò extrà, niſi in ipſa communione, ad quam tam expreſsè à Chriſto refertur.

*Reſp.* Neg. Aſſumptum. Tum quia hæc forma non eſt materialiter de ſeipſa, quaſi ipſa vel ſub ipſa ſit Corpus Chriſti: ſed eſt de ſuo ſignificato demonſtrato, & demonſtrabiliter præſente ac contento ſub ſpeciebus panis à Chriſto in manus aſſumpti. Tum quia Corpus Chriſti eſt quid permanens: Ergo non ſubeſt tantum actioni tranſeunti. Tum quia verbum, *Eſt*, ſignificat permanentiam. Tum quia non poteſt verificari *Hoc eſſe Corpus Chriſti*, niſi ſit permanenter quamdiu eſt Hoc demonſtrabile. Quamuis enim ad verificandum aliquid eſſe hîc, ſufficiat præſentia eius actualis quando dicitur: non tamen ad verificandum *Hoc eſſe &c.* quia *Hîc eſſe* ſignificat tantum præſentiam etiam amouibilem; ſed *Eſſe hoc*, ſignificat eſſentiam, aut exiſtentiam tam in ſe, quàm ſub hoc proprio ſigno demonſtratiuo permanentem, & ab eo æquè inſeparabilem, ac quælibet res à ſuis proprijs accidentibus. Alioquin de hoc ipſo ſimul verificari poſſet *Non eſt hoc.*

Obiect. III. Ex alijs Sacramentis nouæ Legis; quæ non conſiſtunt in forma permanente, nec in materia aliqua benedicta, nec in ſubiecto aliquo, effectu, ſigno aut contento realiter permanente; ſed in actione aliqua aut paſſione tranſeunte. Ergo nec Euchariſtia: cùm conſtet forma verborum tranſeunte, eſt aut continet realiter aliquid permanens. *Reſp.* Ex figuris antiquæ Legis, & ex forma conſecratoria, hoc Sacramentum differre ab alijs, quòd ſit habeatque ſuum contentum realiter permanens: nec intrinſecè conſtet forma verbali aut materia; ſed tantùm de hac per illam fiat ſeu conſecretur. Vt ſuprà *col. 75. 76.*

Obiect. IV. Chriſtus eſt tantùm occultè præſens in Euchariſtia: Ergo non adorabiliter; quia ad publicam adorationem requireretur præſentia notoria & glorioſa. Alioquin Deus adorandus eſſet in omni loco & creaturâ: cum tamen non adoretur publicè niſi in Cœlo, vbi eius præſentia eſt notoria & glorioſa. *Reſp.* Præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſt. eſſe & notoriam & glorioſam, Fidei noſtræ Catholicæ, iam publicæ & vniuerſali: ex qua Fide, non autem ex ſenſibus vera illa adoratio in Spiritu & veritate procedit. *Ioan. 4.* Nec Deus adoratur tantùm vt in cœlo, nec vt ibi notoriè aut glorioſè apparet, ſed creditur: neque tamen æqualiter & publicè in qualibet Creatura; ſed in omni loco ſpeciali ſuæ præſentiæ, & præcipuè in locis ſacris ſeu ad hoc ſpecialiter conſecratis. Cultu autem interno ac priuato vbique adorandus eſt in Spiritu & veritate. Ex B. Aug. *in Pſalm. 98.* ſuprà *col. 324.*

*Contrà.* Chriſtus vult tantùm eſſe præſens manducabiliter, ſub ſpecie cibi & potus: Ergò non adorabiliter; quia adoratio requirit maiorem reuerentiam Maieſtatis præſentis, quàm ferat manducatio.

*Reſp.* Hanc præſentiam & manducationem non tantùm nihil repugnare, ſed & optimè conuenire Adorationi, imo & eſſe veram Adorationem, ſeu confeſſionem ac proteſtationem Supremæ Maieſtatis Diuinæ, noſtræque totalis ab ea dependentiæ. Non eſt enim manducatio quaſi alicuius cibi nobis incorporandi, & in nos conuertendi: ſed vt nos ipſos intimè ſupremo Dominio poſſidentis, & in ſeipſum tanquam finem vltimum conuertentis. Prout SS. Patres ſæpè obſeruant ac inculcant, Nec Chriſtus ſub hac forma manducabili ſe occultat, ne agnoſcatur & adoretur: prout quidem Principes aliquando ſub habitu diſſimulato latere volunt; ſed potius vt ex hac ipſa ſpecie, & fractione panis agnoſcatur, excipiatur & adoretur vt ſupremus, ac intimus Dominus, Poſſeſſor, Conſeruator, & Finis vltimus corporis, animæ, & vitæ noſtræ.



Digitized by Google

OBIECTIO V. Ex *praxi antiqua*.

1. Clemens Romanus *Epiſt. 2.* iubet ne plus in altari conſecretur, quàm populo ad Communionem ſufficiat: ſi quid autem ſuperſit, à Clericis conſumatur. 2. *Orig. vel Cyrill. hom. 5. in Leuit. 7.* notat Chriſtū non diſtuliſſe, nec differri iuſſiſſe Euchariſtiam in craſtinum. 3. *Iſichius l. 2. in Leuit. cap. 8.* refert morem Eccleſiæ comburendi id quod ſupererat. 4. *Nicephor. lib. 17. cap. 25.* & alij, referunt alium etiam morem conſumēdi reliquias Euchariſtiæ, per pueros innocentes. 5. Humbertus *lib. contra Niceiam*, reprehendit morem Græcorum, vtendi præſanctificatis, ſeu Euchariſtia præconſecrata. 6. Conc. Tolet. 1. & alia prohibent conſeruari Euchariſtiam. 7. Imò Gabriel Biel *Lect. 36. in Can. Miſſæ*, monet Chriſtum non conſecraſſe Euchariſtiam, ad eam honorificè conſeruandam: ſed ad vſum Communionis. 8. Quicquid ergo ex antiquis in oppoſitum refertur: poteſt intelligi de abuſu, vel de vſu & reuerentia Euchariſtiæ tanquam alicuius ſacræ reliquiæ, vel de noua eius conſecratione apud infirmos, abſentes, vel latentes.

*Reſp. Ad 1.* Ibidem expreſsè caueri ne reliquiæ ſacræ Euchariſtiæ ad vſus neceſſarios conſeruandæ, nimis multiplicentur, ne putreſcant in Sacrario.

*Ad 2.* Chriſtum nec diſtuliſſe nec differri iuſſiſſe; imò & prohibuiſſe differri ſacram Communionem ſacrificialem: neque etiam nunc iuberi, aut conſuli dilationem; ſed potius præſentem ac frequentem Communionem: neque tamen Chriſtum prohibuiſſe aliquando differri aliquorum ſacram Cōmunionem extraſacrificialem; ſed præcepiſſe prouideri omnibus in Eccleſia de ſacra Communione neceſſaria aut ſalutari. Quod fieri nequit toties quoties per nouū ſacrificium: ſed per ſolam conſeruationem Euchariſtiæ conſecratæ. Origen. autem ſuprà, vtitur hoc exemplo non dilatæ ſacræ Communionis: ad probandum non eſſe differendum ſacrificium laudis, & bonorum operum.

*Ad 3.* Solas ſpecies corruptas, aut ineptas ad ſacram Communionem, fuiſſe aut eſſe comburendas. Vt patet ex Guitmundo & Algero, *lib. 2. cap. 1.*

*Ad 4.* Hunc morem fuiſſe tantùm de reliquijs ſuperfluis, non tantùm præſenti Communioni, ſed etiam prouiſioni neceſſariæ.

*Ad 5.* Reprehendit morem Græcorum, celebrandi nimis ſæpè ex ſolis præſanctificatis, ſeu præconſecratis: Quia hoc non eſt verum & actuale ſacrificium; ſed tantùm ſacrificatum.

*Ad 6.* Concilia non prohibere conſeruationem publicam Euchariſtiæ in Eccleſia: ſed priuatam reſeruationem & exportationem olim conſuetam; propter abuſus, etiam ad veneficia. Vt patet ex Conc. *Later. 3. cap. 20.*

*Ad 7.* Chriſtum non conſecraſſe tantùm ad conſeruationem: ſed primariò ad Sacrificium, ſecundariò ad ſacram Communionem; actualem quidem in ipſo Sacrificio, aptitudinalem autem etiam poſt.

*Ad 8.* Non potuit eſſe abuſus tam antiquus, publicus, communis, & continuus: nec alius vſus quàm vt veri Corporis Chriſti ſicut ante; quia ad ſacram Communionem Corporis Chriſti ſicut ante, quamuis interim etiam ad alios ſacros vſus. Nec potuit Euchariſtia cōſeruata reconſecrari ad ſacram Cōmunionem: tum quia fruſtra fuiſſet conſeruata; tum quia fruſtra fuiſſet delata procul ad infirmos, ſi ibi potuiſſet & debuiſſet conſecrari; tum quia ſæpè deferebatur per Diaconos; tum quia non poteſt conſecrari niſi ſacrificialiter; tum quia nullibi fit vlla mentio talis fictitiæ reconſecrationis.

*Contrà.* Ex B. Aug. lib. 1. contra Parm. *Idem ſacrificium tale cuiq́; fit quali corde ad accipiendum acceſſerit.* Tract. 19. Apoſtoli *manducabant panem Dominum*, Iudas *autem panem Domini.* Sent. 139. Proſperi ex B. Aug. *Qui diſcordat à Chriſto: nec manducat Carnem eius, nec Sanguinem bibit: etiam ſi tantæ rei Sacramentum ad iudicium ſuæ præſumptionis quotidiè indifferenter accipiat.* Ergo eadem Euchariſtia ſemel conſecrata, incipit & deſinit eſſe aut non eſſe Corpus Chriſti, in Communione digna aut indigna.

*Reſp.* Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 355. 356. 357. 372. 432. 433. 1095. 1096.* *Ad 1.* Fieri cuique tale: non in ſeipſo, ſed in effectu, quali corde recipitur: ſicut de Deo Pſ. 17. *Cum Sancto Sanctus eris, cum peruerſo peruerteris.* 2. De fide & affectu manducantium .1. Illi manducabant, vt ipſum Dominum: Hic autem tantùm vt panem Domini. 3. De affectu & fructu manducandi. Nam de reipſa lib. 5. de Bapt. cap. 8. *Corpus Domini erat, etiam illis de quibus.* 1. Cor. 11. *Qui manducat indignè &c.* Lib. 1. contra Creſc. cap. 25. *Ipſum Corpus Domini fieri pernicioſum malè vtentibus.* Tract. 62. *De Corpore Chriſti dato etiam Iudæ &c.* 4. De vero fine manducandi.

OBIECTIO VI.

Ex incertitudine veræ adorationis, ac periculo Idololatriæ. De quo ipſe Alenſis. q. 37. de 2. parte Miſſæ. M. 2. a. 4. *In adoratione Corporis Chriſti poteſt eſſe error, ſi ſimpliciter adoratur: cùm fortaſſè qui videtur conſecrare non conſecrat; vel quia non eſt Sacerdos, vel quia non intendit conſecrare, vel quia non dicit verba conſecratoria. Vnde nec Hoſtia eleuata eſt adoranda, nec quod ſub illa ſpecie continetur. Propter quod ſine præiudicio dico, quòd Saluator debet adorari, qui creditur eſſe ſub illa ſpecie quæ ibi tractatur, ſub hoc ſenſu verborum: Adoro te Chriſte quem credo eſſe ſub hac ſpecie quam video.*

*Reſp.* Ad hoc ſufficere certitudinem fidei de vera ac reali præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis: certitudinem autem moralem, abſque ratione probabili dubitandi, de vera conſecratione harum ſpecierum. Nam ſi hoc non ſufficeret ad adorandum, nec ſufficeret ad cōmunicandum. Sicut enim certitudo illa moralis de veris & proprijs parentibus, ſufficit, & obligat ad eos honorandos vt tales: ex B. Aug. *lib. de vtilitate credendi cap. 13.* Ita & ad Chriſtum in Euchariſtia adorandum: Cùm nulla ſubſit probabilis ratio dubitandi de Sacerdotio, intentione, ac verbali conſecratione Sacerdotis. Quamuis enim aliquid deeſſe poſſet, aut etiam deeſſet: adoratio non eſſet Idololatria, ſed ipſius Chriſti in ſe, quamuis piè ac rationabiliter crederetur, ſeu pro certo moraliter haberetur eſſe vbi non eſſet. Quia non adoratur locus, aut præſentia, ſed perſona vt præſens. Quo ſenſu Alenſis ſupra: non de errore & peri-

Digitized by Google

& periculo morali Idololatriæ, ſed de errore abſolutè poſſibili; nec de adoratione tantùm conditionali, ſed abſoluta; ex certitudine quidem fidei de perſona & præſentia Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis; morali autem de harum conſecratione. Quod autem aliter ſonat in Alenſi ſupra, *Si ſimpliciter adoratur &c. Nec Hoſtia eleuata eſt adoranda, nec quod ſub illa continetur*: eſt tantùm obiectio. Quia & ante & poſt docet abſolutè adorandam eſſe, vt ſupra.

OBIECTIO VII.

Ex nouitate tanti tamque publici cultus Euchariſtiæ: cùm *1. Cor. 11.* Fideles eam non adorarent, ſed inde ſe ſaturarent ac inebriarent. Vt patet ex textu & Gloſſa ord. ac Comment. S. Ambr.

*Reſp. 1.* Non ſe inebriaſſe ex vino conſecrato: ſed vel præguſtato, vel ſuperfluo conſecrationi, vel ex memoriali menſæ Dominicæ; prout etiam aliquando fit in eius die anniuerſaria. Quia dicuntur ibi aliqui inebriati ex Cœna præſumptà: ſiue autem *præ* ſeu ante *ſumpta*, ſiue *præ* Euchariſtia allata ac prolata, ſiue ei prælata, ſiue ſibi præ alijs arrogata; ſemper diſtinguitur ab ipſa Euchariſtia, omnibus communi ac æquali. Deinde, quia illa quorundam eſuries non tantùm opponitur aliorum ebrietati, ſed etiam ſaturitati: Ergo non quoad cibum & potum Sacramentalem, quia nec illa eſuries, nec hæc ebrietas erat ſpiritualis, ex defectu vel abundantia Euchariſtiæ; ſed tantùm corporalis, cuius ſaturitas non poterat eſſe ex ſola ſpecie panis. Denique quia Apoſtolus relegat illam cœnam ab Eccleſia ad ſingulorum domos prophanas: Ergo non erat Euchariſtica. Gloſſa autem & S. Ambr. (quamuis non videatur eius eſſe) facilè intelligi poſſunt de oblatis, & benedictis ante ipſam conſecrationem: prout etiamnùm in multis locis ſolent offerri, & benedici. Imò illa indigna mixtio, ſiue ante, ſiue poſt, ſiue ſimul, tanto magis diſtinguit Cœnam illam ab Euchariſtica.

*Reſp. 2.* Ex B. Aug. in *Pſalm. 21. & 54.* ſuprà, De communione & ſaturitate ſpirituali pauperum: manducatione autem & adoratione, non tamen ſaturitate ſpirituali diuitum.

*Reſp. 3.* Sacram Euchariſtiam fuiſſe etiam ex tunc adoratam: ſed needum tam publico, ac ſolemni cultu, ante abolitionem totius Idololatriæ, & plenam victoriam fidei Chriſtianæ; ne Idololatræ, aut Catechumeni quandam inde occaſionem vel credendi difficultatem captarent.

*Reſp. 3.* Hunc cultum non debuiſſe ſua antiquitate deficere, vel latere: ſed cum fide Chriſtiana proficere, & promoueri vſque ad hunc publicũ toto orbe Chriſti triumphum, ei tandem ab Vrbano IV. decretum, & à Clem. V., Conc. Vienn. & Trid. confirmatum; ſubiugata, & in triumphũ raptata omni infidelitate, ac ſenſuũ & rationis humanæ præſumptuoſa contradictione, ſolaque Fide, Spe, ac Charitate gratulante, acclamante, & adorante.

*OBIECTIONES.*

*Pro neceſſaria Communione Sacramentali Infantium.*

*1.* Ex B. Aug. in Ioan. 6. Niſi *manducaueritis &c.* Quod non tantum vt præceptum diſtinctè manducandi Carnem & bibendi Sanguinem Chriſti, ſed etiam vt medium omnibus neceſſarium B. Aug. ſæpè comparat illi Ioan, 3. Niſi *quis renatus fuerit &c.* extenditque non tantum ad omnes tunc præſentes, ſed etiam futuros; nec tantùm adultos, ſed etiam infantes. Vt lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. *cap. 20.* [Dominum audiamus non quidem hoc de Sacramento ſancti Lauacri dicentem, ſed de Sacramento S. Menſæ ſuæ, quò nemo ritè niſi Baptizatus accedit: *Niſi manducaueritis Carnem meam; & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* An vero quiſquam etiam hoc dicere audebit; quòd ad paruulos hæc ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione Corporis huius & Sanguinis in ſe habere vitam: quia non ait, *Qui non manducauerit*, ſicut de Baptiſmo, *Qui non renatus fuerit*; ſed ait, Si *non manducaueritis*, velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod vtique non valent paruuli? Sed qui hoc dicit, non attendit quia niſi omnes iſta ſententia teneat, fruſtra etiam ætas maior id curat. Poteſt enim, ſi non voluntatem ſed verba loquentis attendas, eis ſolis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur: quia non ait, *Qui non manducauerit*; ſed, *Si non manducaueritis.* Et vbi eſt quod eodem loco de hac ipſa re ait Ioan. 6. *Panis quem ego dedero, Caro mea eſt pro ſæculi vita?* Quis autem ambigat ſæculi nomine homines ſignificatos eſſe, qui naſcendo in hoc ſæculum veniunt? Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data eſt, quæ data eſt pro ſæculi vita: Et ſi non manducauerint Carnem Filij hominis, nec ipſi habebũt vitam. Ita & *Cap. 24.* & *lib. de pecc. Orig. cap. 18.*

*Epiſt. 107.* [Scimus etiam paruulos ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos, vel bonum, vel malum. Geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per alios &c. Vnde & ipſi ſi in illa parua ætate moriuntur, vtique ſecundum ea quæ per Corpus geſſerunt .i. tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora geſtantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati ſunt, quando Carnem Chriſti manducauerunt vel non manducauerũt, quando Sanguinem biberũt vel non: ſecundum hæc ergo quæ per corpus geſſerunt, non ſecundum ea quę ſi diu hic viuerent geſturi fuerant, iudicantur. Ita *Epiſt. 93. 106.* Et *Epiſt. 23.* refert ex S. Cypr. *ſerm. de lapſis* praxim antiquam ſacræ Communionis infantium. Sed Dogmaticè *lib. 1. contra Iul. cap. 4.* [S. Innocentio vide quid reſpondeas: qui *Epiſt. 93.* definiuit paruulos, niſi manducauerint Carnem Filij Hominis, vitam prorſus habere non poſſe. Ita & *lib. 3. cap. 12. ſerm. 8. de Verbis Apoſtoli. lib. 5. Hypogn. cap. 5. & alibi.*

*Reſp. 1.* Ex Annotatione in *Tom. 7.* Operũ B. Aug. *Editionis Antuerp. 1576. Ad cap. 20. lib. 1. De pecc. mer. & remiſſ.* Senſum B. Aug. non eſſe de neceſſaria Communione ſeu participatione reali proprij Corporis Chriſti, per Sacramentum Euchariſtiæ, ad ſalutem etiam infantium: ſed tantùm de neceſſaria Communione, participatione, ſeu incorporatione ſpirituali, Chriſto & Eccleſiæ, per Fidem ac Charitatem, ex Sacramento Baptiſmi. Quòd ipſe Beatus Aug. ſæpè explicat per ſufficientiam Baptiſmi ad

ſancti-

ſanctificationem & ſalutem & per incorporationem baptiſmalem Corpori Chriſti. Vt cap. 19. *Si paruulus percepto Baptiſmate de hac vita emigrauerit: perficietur in illo lumine veritatis.* Et *Cap. 21. 22. &c.* Lib. 2. cap. 28. *In Baptiſmo plena & perfecta fit remiſſio peccatorum &c.* vt ſuprà *col. 139. ad 219.* de Sacramento Baptiſmi.

Beda in *1. Cor. 10.* ex B. Aug. *Nulli eſt dubitandum vnumquemq; fidelium Corporis & Sanguinis Dominici tunc eſſe participem: quando in Baptiſmate membrum efficitur Chriſti; nec alienari ab illius panis Calicisq; conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat Calicemq; bibat, de hoc ſeculo migrauerit in vnitate Corporis Chriſti conſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipſe hoc quod illud Sacramentũ ſignificat inuenit,* vel *inuenitur.*

Lib. 3. de pecc. meritis cap. 4. *Homines vitam æternam habere non poſſe præter Chriſti Corpus: cui vt incorporentur Sacramento Baptiſmatis imbuuntur.*

Epiſt. 93. quæ eſt Innoc. Papæ. *Paruulos æternæ vitæ præmiis, etiam ſine Baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducauerint Carnem Filij Hominis, & biberint eius Sanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine generatione defendunt, videntur mihi ipſum Baptiſmum velle caſſare.* Adde ex Epiſt. 23. ſuprà, col. 199. Sed expreſſiſſimè, Lib. 3. De pecc. mer. & remiſſ. cap. 4. *Nihil agitur aliud cum paruuli baptizantur, niſi vt incorporentur Eccleſiæ .i. Corpori Chriſti membriſque ſocientur.* Infra. *Niſi manducauerint Homines Carnem eius, hoc eſt participes facti fuerint Corporis eius, non habebunt vitam.* Quid expreſſiùs?

*Reſp. 2.* Ex Bell. *lib. 1. de Euchar. cap. 17.* Non de neceſſaria Cõmunione Sacramentali infantium reipſa, nec voto explicito: ſed tantum implicito; quia infantes dum baptizantur, acquirunt ius ad Euchar. & renaſcuntur cum appetitu ſupernaturali huius nutritionis, ex Fide & Charitate Chriſti, ac Eccleſiæ.

Sed difficultas eſt, quòd B. Aug. duobus illis textibus expreſſis in Obiectione, intendat paruulos ita obligari ad obſeruantiam huius præcepti *Ioan. 6.* vt etiam de eius obſeruantia aut non obſeruantia iudicandi ſint.

Itaque *Reſp. 3.* Ex *Tom. 2. noſtræ Anat. col. 443.* De neceſſitate medij in paruulis, participandi Corpori & Sanguini Chriſti ſaltem per Baptiſmum: quo Chriſto & Eccleſiæ incorporentur.

*Reſp. 4.* De obligatione maiorum, & adultorum, ex iure Naturali & Diuino, ad Baptiſmum paruulorum.

*Reſp. 5.* De obligatione remota, & obedientia quadam habituali aut virtuali infantium, ad obſeruantiam huius medij & præcepti, æquè ac credendi, pœnitendi, diligendi, & totius Legis Chriſtianæ. Quod enim hoc ſit intentum B. Aug. patet ex toto contextu *Cap. 19. eiuſdem lib. 1.* De pecc. mer. & remiſſ. *Si paruuli rectè Fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantiũ quodammodò profitentur: cur non & pœnitentes &c. Totum hoc fit in ſpe, vi Sacramenti &c.* & Epiſt. 23. ſuprà *col. 204. 205.*

Imò ex communi Doctrina & praxi Eccleſiæ, habendi infantes Baptizatos quaſi profeſſos totius Legis Chriſtianæ, ſeu ad eam ex vi Baptiſmi obligatos.

OBIECTIO II.

Ex praxi antiqua ſollicitè præbendi ſacram Communionem etiam paruulis ſtatim à Baptiſmo. De qua S. Dionyſ. *cap. 2. & vlt. Eccl. Hier.* S. Cypr. *ſerm. de lapſis.* S. Aug. *lib. 3. Trin. c. 10.* & *Epiſt. 23.* S. Greg. in antiquo eius Miſſali: vbi ordinatur, *vt paruuli ſtatim poſt Baptiſmum, ſi opus ſit, prius lac ſugant, quàm ad Euchariſtiam deferantur.* Ergo SS. Patres, & Eccleſia ab antiquo cenſuit Communionem Sacramentalem etiam infantibus eſſe neceſſariam: aut ſaltem valdè ſalutarem. Quo iure ergò priuantur?

*Reſp.* Satis conſtare ex præfatis, & quidem Dogmaticè ex ſacro Conc. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 4.* Cõmunionem Sacramentalem nec ex medio, nec ex præcepto eſſe neceſſariam pueris, nondum ratione vtentibus. An verò ſint eius capaces ad augmentum gratiæ ſanctificantis, vel tantum ad aliquos alios fauores ſpirituales, non ſatis conſtat. Credibilius videtur ex noſtro Alenſi *q. 49. m. 5.* antiquæ editionis, quæ ex nouâ citatur *qu. 11. m. 2. art. 3. §. 1.* Pueros ante vſum rationis non eſſe capaces Communionis Sacramentalis, ad augmentum gratiæ ſanctificantis. Tum quia Chriſtus videtur non inſtituiſſe niſi Cõmunionem moralem ſeu voluntariam *Mat. 26.* Accipite & comedite &c. Tum quia Aug. videtur Euchariſtiam vocare cibum grandium *7. Conf. 10.* Tum quia ſicut nutritio corporalis requirit calorem naturalem: ita & hæc nutritio Sacramentalis aliquam deuotionem. Tum quia nutritio non eſt tantùm ad augmentationem, ſed etiam ad aliquam reſtaurationem corruptionis: quæ non poteſt fieri in paruulis. Tum denique quia Eccleſia non videtur omnes pueros ante vſum rationis Communione Sacramentali priuare potuiſſe, aut ſaltem priuatura fuiſſe, ſi eſſet ipſis tam ſalutaris. Poſſet enim ipſis prouideri de Communione eis conuenienti abſque vlla irreuerentia Sacramenti. Nec obſtat tam antiqua & ſollicita conſuetudo. Tum quia potuit eſſe tantùm ceremonialis, ad expreſsè ſignificandum pueros per Baptiſmum incorporari Chriſto, ac Eccleſiæ. Tum quia potuit eſſe ad plures alios fines, pueris etiam ſalutares: vt ad quandam eorum maiorem conſecrationem, præ omnibus ſacris vaſis quibus ſacra Euchariſtia continetur: & ad ſingularem Dei protectionem ac fauorem contra malignos ſpiritus, & varia illius ætatis pericula. Vt ſatis inſinuat S. Cypr. *ſerm. de lapſis.* & B. Aug. *Epiſt. 23.* non tantùm exemplo illius puellulæ; ſed & à ſimili ibidem expreſſo, de paruulo baptizato. *Valebit Sacramentum ad eius tutelam aduerſus contrarias poteſtates &c.* ſuprà *col. 199. 204.* Neque enim eſt neceſſaria capacitas fructus ac finis primarij, ad ſecundarios: vt contendit Vaſques *diſp. 212. cap. 2.* Quia B. Aug. *lib. 22. Ciu. cap. 8.* applicauit ſacrificium Euchariſtiæ ad liberandam domum ab infeſtatione dæmonum: S. Clara vſa eſt ſacrâ Euchariſtiâ contra periculum hoſtium, ſæpè exportatur & opponitur incendio, Satyrus frater S. Ambroſij appendit ad collum in Orario vt euaderet naufragium. Nec obſtat quòd vſus proprius manducationis ſupponat capaci-

Digitized by Google

capacitatem nutritionis. Hæc enim puerorum manducatio, non eſt propriè moralis & ſacramentalis: ſed tantùm quædam intima receptio & applicatio, ſicut in viuo ac ſacro vaſculo, varijs periculis expoſito, & indigente hoc præſeruatiuo; eratque olim honeſtior illa conſumptio, quàm per ignem &c.

Hinc ad praxim illam antiquam ſatis: videtur tamen etiam fuiſſe. 1. Ad commendandum Baptiſmum infantium, ante adultam ætatem. 2. Ad imbuendum pueros doctrina & praxi ſacræ Euchariſtiæ ac Communionis: Vt patet ex B. Aug. *Lib. 3. de Trin. cap. 10.* ſuprà *col. 284. 315. De Infantibus*, id eſt pueris iam huius etiam doctrinæ capacibus. 3. Ad commendandum adultis communicantibus innocentiam & humilitatem: Vt Chriſtus *Matt. 19.* Sinite paruulos venire ad me &c. Sed ſiue pueri ante vſum rationis ſint capaces fructus Sacramentalis, ſiue non: cùm non ſit eis neceſſarius, nec poſſet omnibus prouideri ſub communi ſpecie panis, nec ſub ſpecie panis intincti, vt olim, ſine frequenti vomitu, aut effluxu irreuerenti; nec poſſint diſcerni capaciores ante vſum rationis, ab alijs: Eccleſia horum omnium expertiſſima, & diſpenſatrix prudentiſſima, meritò præfert reuerentiam Sacramenti, & vniformitatem ſacræ Cõmunionis, fructui illi paruulorũ.

OBIECTIONES

*Pro Communione conſciorum peccati mortalis.*

1. Ex illo Chriſti Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis: & ego reficiam vos.* 2. Ex Matt 26. Vbi Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum expreſsè *in remiſſionem peccatorum.* 3. Ex inſtitutione huius Sacramenti, non tantùm ſub ratione cibi, ſed etiam Medicinæ. 4. Ex B. Ambr. lib. 3. de Sacram. cap. vlt. *Si quotieſcumq́, effunditur Sanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur: debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur.* De conſecr. diſt. 2. c. 14. 5. Ex S. Hilario, apud Grat. de conſecr. diſt. 2. cap. 15. *Si non ſunt tanta peccata vt excõmunicetur quis: non ſe debet à medicina Corporis & Sanguinis Domini ſeparare.* Sed eſt potius B. Aug. Epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 3. *Si peccata tanta non ſunt vt excommunicandus quiſquam iudicetur: non ſe debet à quotidiana medicina Dominici Corporis ſeparare.* 6. Quia non quælibet peccata mortalia ſunt excommunicatione digna.

*Reſp. Ad 1.* Nõ eſſe inuitationem immediatè ad hanc refectionem Sacramentalem: ſed ad Fidem, Pœnitentiam, & tandem etiam ad ſacram Cõmunionem.

*Ad 2.* Non inſtitui ibi aut vllibi hoc Sacramentũ *in remiſſionem* actualem, & formalem peccatorum: ſed vel ſolam effuſionem cruentam Sanguinis Chriſti prædici in remiſſionem peccatorum, tanquam in proprium finem & fructum; inſtrumentaliter per Sacramenta, diſpoſitiuè per gratias actuales, & actus adultorum; formaliter autem per fidem & gratiam infuſam: vel tribui tantum fuſioni incruentæ, ſeu huic ſacrificio Euchariſtiæ, aliquam vim ad remiſſionem peccatorum; vel quoad culpam, per gratias actuales, & motus pœnitentiæ; vel immediatè quoad pœnam.

*Ad 3.* Eſſe medicinam tantùm præſeruatiuam: vel ſanatiuam tantùm à venialibus, & à praua inclinatione originali vel habituali ad peccandũ; non autem à mortalibus. Quia ſicut medicina non applicatur mortuis, ſed tantùm viuis: ita nec hoc Sacramentum eſt ad reſuſcitandum mortuos à peccato mortali, vt Sacramentum Pœnitentiæ; ſed tantùm ad præſeruandos aut ſanandos viuos vitâ gratiæ.

*Ad 4. vt ad 2. & 3.* De remiſſione peccatorũ quotidianorum ſeu venialium, quoad culpam: vel omnium iam remiſſorum, quoad pœnam reſiduam; vel de remiſſione omnium etiam quoad culpam; mediante gratia actuali ad pœnitentiam; vel de remiſſione ſeu minutione prauæ inclinationis originalis vel habitualis; vel de remiſſione per præſeruationem ab omnibus aut pluribus, vel grauioribus, ſecundùm B. Aug. lib. 2. Conf. cap. 7. *Omnia mihi dimiſſa fateor: & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Hom. 23. in illud *Luc. 7.* Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem modicum dimittitur, modicum diligit &c. *Parum tibi dimiſſum putas? Agnoſce gratiam eius cui debes & quod non admiſiſti &c.* col. 195. 196. noſtræ Anatomiæ.

*Ad 5. & 6.* Aliam eſſe excommunicationem exteriorem Eccleſiæ, propter ſola peccata externa & grauiora, etiam pertinaciæ: aliam interiorem ipſius Dei, ex inſtitutione huius Sacramenti ſub ratione cibi, & medicinæ viuorum vita gratiæ, non autem mortuorum morte peccati, qui hoc ipſo ab hoc cibo & medicina excommunicati ſunt, quo eius incapaces & indigni ſunt.

OBIECTIONES

*Pro Communione Sacramentali omnium præſentium ſacrificio Miſſæ.*

1. Ex participatione ſacrificiorum antiquorum à miniſtrantibus etiam ſolam materiam. 2. Ex illo Chriſti Matt. 26. *Accipite & manducate &c. Hoc facite &c. Bibite ex eo omnes.* 3. Exemplo Chriſti, diſtribuendi omnibus præſentibus, ipſi etiam Iudæ. 4. Ex *1. Cor. 9.* Qui Altari deſeruiunt, de Altari participant. 5. Ex *1. Cor. 10.* De vnitate Fidelium ex hoc ipſo ſymbolo vnionis, oppoſito communioni Idololatrarum ex Idololatis. 6. Ex Anacleto Papa Epiſt. 1. De conſecr. d. 2. cap. 10. *Peracta conſecratione omnes communicent, qui nolunt Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana obſeruat Eccleſia.* 7. Ex B. Aug. in Pſal. 58. De conſecr. d. 2. cap. 67. *Edent pauperes & ſaturabuntur.* Pſalm. 58. *Quid edunt? Quod ſciunt fideles &c. Diuites quid? Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ.* Pſalm. 21. *Non dixit, & ſaturati ſunt. Adorant quidem Deum: ſed humanitatem nolunt exhibere. Exigitur de manducante quod manducat: Non prohibeantur manducare à diſpenſatore, ſed moneantur timere exactorem.* 8. Ex B. Aug. Ep. 118. *Dixerit quiſquam non quotidie accipiendam Euchariſtiam &c. Alius contra &c. Rectius quis dirimat litem &c. Faciat vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum &c. Si peccata tanta non ſunt vt excommunicandus quiſquam iudicetur: non ſe*



Digitized by Google

*debet à quotidiana medicina Dominici Corporis ſeparare.* *9.* Ex ratione conuiuij & conuiuarum, nonniſi ad conueſcendum. *10.* Ex quotidiana neceſſitate. *11.* Ex ipſo Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6.* videtur omnibus præſentibus deberi.

*Reſp. Ad 1.* Quædam ſacrificia conſumpta fuiſſe in ſolum Dei honorem: Alia ex toto, vel parte ceſſiſſe in vſum Sacerdotum tantùm, vt panes propoſitionis: Alia ceſſiſſe etiam partim miniſtrantibus materiam, quales nec ſunt omnes præſentes Sacrificio Miſſæ.

*Ad 2.* Vt ſæpè ſuprà, hæc non referri ad omnes, ſed ad ſolos Apoſtolos præſentes, & eorum in Sacerdotio ſucceſſores.

*Ad 3.* Iudam quoque fuiſſe ibidem conſecratum in Sacerdotem ex *Act. 1.* & necdum fuiſſe publicum proditorem, qui à Chriſto publicè excommunicaretur, ſeu à prima ſacra communione repelleretur.

*Ad 4.* De ſacris Miniſtris, & ſtipendio victus. Nec omnes fideliter præſentes Sacrificio, hoc ipſo ſolo ita deſeruiuit altari, vt mereantur cõmunionem Sacramentalem, ſed quandam participationem ſpiritualem huius Sacrificij, vel etiam Sacramenti.

*Ad 5.* Hoc non eſſe Symbolum ſolius Fidei, ſed etiam Charitatis: ideòque nec Fideles extrà Charitatem eſſe eius capaces, multominùs eis deberi; nec in charitate toties quoties renouandum eſſe.

*Ad 6.* Inſcribi à Gratiano & exponi de ſolis ſacris Miniſtris Altaris. Quod tamen fuit tunc tantùm iuris Eccleſiaſtici.

*Ad 7.* De non repellendis à ſacra Communione diuitibus auaris, ſeu non liberalibus rerum ſuarum, nec tamen rapacibus alienarum: ſed tantùm monendis, Deum carò ab eis exacturum hoc Corporis & Sanguinis ſui Symbolum, niſi & ipſi inde fiant rerum ſuarum liberales.

*Ad 8.* Eſſe tantùm conſilium B. Aug. ad pacandam conſcientiam, & contentionem de quotidiana Communione aut non: non autem eſſe libertatem cuiuſque communicandi pro ſuo libitu, independenter ab Eccleſia eiuſque Miniſtris; ſed ex bona ac pia fide, & conſcientia propria, ſubordinatione, ac obedientia Eccleſiæ. Nec illud, *Si peccata tanta non ſunt &c.* eſt proprium conſilium B. Aug. ſed eſt quorundam ſententia, quam B. Aug. non approbat nec reprobat, niſi ne quis ex conſcientia ſcrupuloſa priuet ſeipſum hac quotidiana medicina.

*Ad 9.* Eſſe quidem conuiuium, ex quo omnes fideles, & præcipuè fideliter præſentes participant, ſaltem ſpiritualiter: non tamen omnes neceſſario Sacramentaliter; nec æqualiter, ſed ordinatè, & dependenter à diſpenſatoribus myſteriorum Dei. Sicut enim catelli edunt de micis quæ cadunt de menſis Dominorum ſuorum *Matth. 15.* & ſerui de reliquijs ferculorum, imò Miniſtri honorarij ex menſa poſteriori: ita & humiles ac pij fideles, ſunt conuiuæ & participes huius conuiuij cum Sacerdotibus.

*Ad 10.* Eſſe conſilium B. Aug. ſupra, imò & ſacri Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6.*

*Ad 11.* Eſſe conſilium, & deſiderium S. Eccleſiæ: ſed ſub ſua diſpenſatione, ac obedientia; non autem ex neceſſitate, ad valorem, vel integritatem Sacrificij, aut ſacræ Communionis, nec pro cuiuſque libitu.

## *Supplementum Dogmaticum.*

Ad obiectionem 12. à col. 323. ad 327. ex B. Aug. in Pſalm. 98. quaſi ex perſona Chriſti.

*Spiritaliter intelligite quod locutus ſum. Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum Sanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui: ſpiritaliter intellectum viuificabit vos. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari: oportet tamen inuiſibiliter intelligi.* Ergo tantùm *hoc Corpus* Sacramentaliter, obiectiuè, virtualiter: ſeu in hoc ſigno ſacro, vt obiecto fidei, habente aliquam virtutem, ſeu meritum annexum veri Corporis & Sanguinis Chriſti, ſeu mortis eius.

Reſpondit Paſchaſius Abbas Corbeienſis ab anno circiter 880. contra hæc & ſimilia illius Bertrami coæui ſui, de quo *col. 341.* lib. de Corpore & Sanguine Chriſti in Euchariſtia *per 22. cap.* 1. Ex omnipotentia Dei. 2. Ex neceſſaria fide, notitia, & praxi communi huius Sacramenti inter omnes fideles. 3. Ex doctrina communi de Sacramentis, ab aliquo ſacro ſecreto, vel conſecratione interiori credenda. Quamuis autem tantùm numeret tria, Baptiſmum, Chryſma, & Corpus ac Sanguinem Domini: non tamen reſtringit ad illa. *Cap. 4.* Ex verbis Chriſti *Ioan. 6. Matth. 26.* & ex figura exteriori ac ſenſibili Sacramenti, ſed veritate interiori, ac credenda Corporis Chriſti. Vt *Hebr. 1.* Chriſtus dicitur & eſt figura ſubſtantiæ Diuinæ. Quo Cap. profert, quaſi ex ſe, aliquot integros textus qui à Gratiano citantur quaſi B. Aug. *De Conſecr. diſt. 2. cap. 72.* *Cap. 5.* Ex Figura Agni Paſchalis & Mannæ: ſub quibus Patres noſtri *1. Cor. 10.* eandem eſcam figuratiuè manducauerunt, quam nos ſpiritualiter. *Cap. 6.* Ex neceſſaria manſione in Chriſto, *Ioan. 6.* ſeu ſtatu gratiæ, ad ſacram Communionem ſalutarem: & ex digna vel indigna Communione, in ſtatu gratiæ, aut peccati mortalis. [Ille, inquit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo, *Ioan. 6.* qui renatus ex aqua & Spiritu, nullo mortali crimine reus tenetur &c. Alioquin, inquit Chriſtus, niſi prius in me maneat & ego in illo: carnem meã manducare non poteſt &c.] Sed hoc non obſtat quin ſit etiam imò potius promiſſio effectus huius Sacramẽnti.

*Cap. 7.* Ex triplici Corpore Chriſti: proprio, communi Eccleſiæ, & membris ſingulorum, in vnum verum ac integrum Chriſti Corpus, conſecratione, ac communione Sacramentali. *Epheſ. 5.* Erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnũ eſt, in Chriſto, & Eccleſia. Et ex figura ligni vitæ in Paradiſo. Subdit autem ſæpè typicè Corpus Chriſti interpretari debere, vt vnum Corpus ex omnibus perficiatur: *quia hæc ſunt dotalia, hæc myſtica, vt Chriſtus & Eccleſia vnum Corpus ſolidius confirmetur. Alioquin quomodo auderet Apoſtolus aſſerere Chriſti Eccleſiam de Carne & de oſſibus eius conſtare?*

*Cap. 8.* Ex grauiſſima punitione, ac deſertione Iudæ, poſt indignam communionem: & ex fide ſingularis præſentiæ Dei ac Chriſti in altari ipſius Corporis

Digitized by Google

Corporis Chriſti, poſt conſecrationem. [ *Vnde*, inquit Sacerdos, *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectum Diuinæ Maieſtatis tuæ.* *Infra.* Diſce quia Deus Spiritus illocaliter vbique eſt &c. Cogita ſi quippiam corporeum poteſt eſſe ſublimius, cùm ſubſtantia panis & vini in Chriſti Carnem & Sanguinem efficaciter interiùs commutatur. Putáſne aliud eſſe altare vbi Chriſtus Pontifex aſſiſtit, quàm Corpus ſuum: per quod & in quo Deo Patri vota fidelium & fides credentium offertur? Quod ſi veraciter Corpus Chriſti altare illud cœleſte creditur: iam non aliundè Carnem & Sanguinem, quam de ipſo Chriſti Corpore ſumere puta &c.] De Angelorum præſentia. *Hebr. 1.* De porrectione Corporis Chriſti in Euchariſtia à ſolo Chriſto. *Quis enim Carnem ipſius & Sanguinem, niſi ab ipſo iure percipit cuius eſt Caro?*

*Cap. 9.* Ex quotidiana oblatione eiuſdem Corporis Chriſti ad varios fines: de quibus *q. 1. à col. 204.* ſed ſingulariter ad Communionem Sacramentalem, & vnionem realem Fidelium cum Chriſto & inter ſe. *Nam*, inquit, *ſi Verbum Caro factum eſt, & nos verè Verbum Carnem in ipſo Corpore Dominico ſumimus: quomodò Chriſtus in nobis manere naturaliter iure non eſtimatur?* Ex *Ioan. 3. 6. 17.*

*Cap. 10.* Ex prædictis à Chriſto *Ioan. 6. 12. 15.* de ſeipſo vt pane viuo, vt cibo vero, vt grano frumenti, vt Viti vera: & ex varijs horum Figuris, ac Prophetijs.

*Cap. 11.* Ex mixtione aquæ cum vino: tum in memoriam fluxus Sanguinis & aquæ ex Chriſti latere: tum in commendationem Baptiſmi, & Euchariſtiæ: tum in ſignum noſtræ mixtionis cum Chriſto &c. *Etiam ob hoc*, inquit, *aqua conſecratur: non quod aqua permaneat, ſed vertatur in ſanguinem.*

*Cap. 12.* Ex conſecratione & quaſi creatione Corporis Chriſti: non merito conſecrantis, ſed verbo Creatoris; ſicut in vtero Virginis &c. *Vnde.* inquit, *Sacerdos non ex ſe dicit. Quia Creator Creatoris fieret.*

*Cap. 13.* Ex ſola panis & vini apparentia: ſed certa fide ac veritate Corporis & Sanguinis Chriſti; tum contrà ſcandalum Infideliū, tum ad exercendam fidem & affectum fidelium, potiùs in Chriſtum latentem, quam apparentem.

*Cap. 14.* Ex frequenti apparitione Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis.

*Cap. 15.* Ex formis conſecratorijs Corporis & Sanguinis, *Matt. 26. Luc. 22.* comparatis cum forma Baptiſmi: qua ſicut verè regeneratur noua creatura; ita hic creatur Corpus & Sanguis Chriſti.

*Cap. 16.* Ex ſola denominatione extrinſeca Corporis & Sanguinis à pane & vino, & è contrà: abſque vlla reliqua ſubſtantia panis & vini.

*Cap. 17.* Ex figura Mannæ *Exod. 16.* quoad æqualitatem eius qui plus & minus collegerat: in ſignum æqualis ac indiuiſibilis præſentiæ Corporis Chriſti ſub qualibet ſpecie. Et ex theſauro abſcondito in agro *Matt. 13.* applicato huic Sacramento.

*Cap. 18.* Ex ipſa inſtitutione huius Sacramenti ante mortem Chriſti poſt figuram Paſchæ: ad verificationem huius & aliarum figurarum, ad commemorationem ſuæ Paſſionis, ad ſpem immortalitatis, ad faciliorem fidem huius veritatis &c.

*Cap. 19.* Ex ipſa neceſſitate Corporis Chriſti: non tantum animabus, ſed & corporibus noſtris, ad reſurrectionem & immortalitatem.

*Cap. 20.* Ex ſacra Communione à ieiunis, in honorem tanti Sacramenti. *Epiſt. 118. B. Aug.* & ex nutritione tantùm ſpirituali. *Vnde friuolum eſt*, inquit, *ſicut in libro Apocrypho legitur, in hoc myſterio cogitare de ſtercore, ne cōmiſceatur in alterius cibi digeſtionem.*

*Cap. 21.* Ex Calice Paſſionis, conſecrationis, & noui Teſtam. præfigurati in illo veteri. *Exod. 14.* De quo Luc. 22. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiſcum nouum &c. Sicut enim in ſuis eſurit & ſitit: ſic quoque bibit &c.* De horum figuris & prophetijs.

*Cap. 22.* Ex communione perfectiorum, quaſi ex Agno: pœnitentium autem, quaſi ex hædo, ſed eodem Chriſto. *Exod. 12. Luc. 15.*

*Epiſtolâ ad Frudegardum.* Contra eius dubium, ex B. Aug. *lib. 3. Doctrinæ Chriſt. cap. 9. ſupra col. 307. Obiect. 2.* Per illud expreſſum Beati Aug. ſerm. ad Neophitos. *Hoc accipite in pane, quod pependit in Cruce: Hoc accipite in Calice, quod manauit de Chriſti latere.* Deinde per coniunctionem figuræ & veritatis Corporis Chriſti in hoc Sacramento. Denique per modum loquendi B. Aug. de figura ſeu Sacramento, & rei veritate contenta: ex Epiſt. 23. ad Bonif. *Sicut ſecundùm quendam modum Sacramentum Corporis Chriſti, Corpus Chriſti eſt: ſic Sacramentum Fidei Fides eſt.* Vt ſupra *col. 306. Obiect. 2.* Confirmat ex S. Cyrillo & Synodo Epheſyna, de qua *infra.* Sed expreſſiùs ad Obiectionem & ſupplementū propoſitum, quadam expoſitione in illud *Matt. 26.* Accipite & comedite, Hoc eſt Corpus meum &c.

[ Audiant qui volunt extenuare hoc verbum *Corporis*, quòd non ſit Caro Chriſti &c. neſcio quid volentes plaudere aut fingere, quaſi quædam virtus ſit Carnis & Sanguinis &c. vt Dominus mentiatur & non ſit vera caro eius &c. Non dixit, *Hæc eſt, vel in hoc myſterio eſt quædam virtus, vel figura Corporis mei*: ſed ait non fictè, *Hoc eſt Corpus meum.* Et ideò *Hoc eſt* quod dixit: non quod quiſque fingit. *Infrà.* Vnde miror quid velint nunc quidam dicere: non re eſſe veritatem Carnis Chriſti, vel Sanguinis; ſed in Sacramento virtutem quandam Carnis & non carnem, figuram & non veritatem, vmbram & non Corpus: cùm hîc ſpecies accipiat veritatem; & figura veterum hoſtiarum, Corpus. Vnde veritas ait Matth. 26. *Hoc eſt Corpus meum*: & non aliud quam *quod pro vobis tradetur &c.*] De integritate Corporis Chriſti quantumuis communicati: ſicut & Charitatis diffuſæ, id eſt Spiritus ſancti. De tacita confeſſione huius veritatis ab Apoſtolis ſuo ſilentio, ad illud Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum.* De duplici calice *Luc. 22.* altero in figura, altero in veritate: De quo nouo ipſe Chriſtus bibit nobiſcum & in nobis.

De figura, fide, & veritate ſimul, Euchariſtiæ: quia fides Chriſti eſt de veritate non apparente. *Hebr. 11.* & B. Aug. Epiſt. 23. *Sacramentum fidei fides eſt*: non tantùm in ſigno, ſed etiam in veritate præſente. Vt *col. 318.* Confirmat ex Synodo Epheſyna: de qua ſupra, & infra.



Digitized by Google

*Adelmannus* ex Scholaſtico Leodienſi Epiſcopus Brixienſis, quondam Berengarij condiſcipulus & commenſalis: cum quadam Epiſtola familiari monuit, eiuſque errores redarguit; ab vnitate Eccleſiæ, authoritate Sanctorum, veritate verborum Chriſti, omnipotentia Dei, Fide verorum ſed non apparentium, exemplo Baptiſmi quo quis verè regenerari creditur quamuis nihil appareat, ita & Corpus Chriſti verè cõſecratur &c. Sed nihil circa hanc ex B. Aug. difficultatem.

*Reſpondit Lanfrancus*, ad noſtrum intentum, ab anno circiter 1060. contrà Berengarium. *Verè dici poſſe, & ipſum Corpus quod de Virgine ſumptum eſt nos ſumere, & tamen non ipſum: Ipſum quidem, quantum ad eſſentiam, veræq; naturæ proprietatem atque virtutem; non ipſum autem, ſi ſpectes panis viniq; ſpeciem.* Infra. Ad hanc Obiect. Bereng. ex B. Aug. in perſona Chriſti: *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis* &c. *In his verbis exultas* &c. *Calumnioſa iſta obiectio eſt. Qui enim ſuperius eſt teſtatus quod Carnem quam de Matre Virgine ſumpſit, ipſam nobis ad manducandum ſalubriter tribuit: quomodo huic tam præclaræ ſententiæ, alia contrariâ potuit obuiare? Abſit tam peruersè ſentire de Columna Eccleſiæ*, ſeu B. Aug. *De quo Cæleſtinus Papa in decretis ſuis aſſerit; quod nec ſaltem ſiniſtræ ſuſpicionis rumor dum viueret eum aſperſit. Imò reuera id dixit quod Catholica Eccleſia fideliter credit: quodq; ego in profeſſione fidei ſuperius breuiter comprehendi, videlicet Ipſum eſſe Corpus, & non ipſum. Neque enim eo quo ipſi putabant modo credimus quod viſibile Chriſti Corpus comedamus &c. ſed potiùs id credimus quod non videmus, vt valeat eſſe fides* &c. *Vnde B. Aug. exponens quod obſcurè poſuit*: [ *Et ſi neceſſe eſt*, inquit, *viſibiliter illud celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi &c.* ]

Reſpondit Guitmundus ab anno 1070. lib. 2. *Berengarium mouere permaximè ſolet*, illud B. Aug. in Pſ. 98. *Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis* &c. *Ergo ait Bereng. reſtat vt vmbra tantùm ſit Corporis & figura. Quod ſi ſuperiora B. Aug. diligenter aduertiſſet, nunquam ex his forſitan erroris huius calumniã perſtrinxiſſet. In eodẽ quippe Pſalm. hæc prædixerat B. Aug.* [ *De Carne Mariæ Carnem accepit, & in Carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit.* ] *Si ergo ipſam Carnem &c. quomodo non hoc Corpus: niſi quia ipſam Carnem dat nobis manducandam in eadem ſubſtantia, non hoc autem Corpus .i. in eadem forma? Ac ſi diceret: Corpus quidem meum dabo vobis; ſed non hoc quod videtis .i. non tale quale videtis; non in hac forma, non in hac ſpecie quam videtis. Alioquin cur addidit, Quod videtis, cùm ſufficeret dixiſſe non hoc: niſi quia hoc ſecundum eſſentiam, non hoc ſecundum quod videtis? Denique vt hoc Aug. ſenſiſſe cognoſcas: recenſe quod in eis qui ſcandalizati ſunt culpauerat &c.* [ *Putauerunt enim*, inquit, *quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo & daturus illis &c.* ] In Pſalm. 98. *Ergo ſi putaſſent ſe accepturos carnem integram, & viuam, ſicut ſpiritu vegetatur &c. vtique non erraſſent.* Infra. Ad hanc inſtantiam Berengarij.

[ *Hoc*, inquit, pronomen eſt: pronomina autem ſubſtantiam ſine qualitatibus ſignificant. Cùm igitur dicit, *Non hoc Corpus*: de ſubſtantia, non de qualitatibus dicit. ] *Hic exclamare compellor*, ex 1. Cor. 11. & Iſa. 29. *Vbi eſt litteratus? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam ipſi Grammatici figuras etiam loquendi tradiderunt & laudauerunt. Quis eſt qui reprehendatur ſi dicat. Non ſum ego ille: tu non es qui ſolebas &c. Sed & Dialectici, res differre & eaſdem eſſe etiam ſecundùm qualitates dicunt &c. Cur & Hoc pronomen non poſſit idem pati?* Infra. *Ipſa, pronomen eſt &c. Cùm igitur Aug. dicit, Ipſam carnem nobis manducandam dedit, ſubſtantiam non figuram nos manducare dicit. Cùm idem Aug. dixerit in ſermone ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: & Hoc accipite in Calice, quod effuſum eſt de Chriſti latere: ſubſtantiam non figuram nos manducare & bibere declarauit. Facilius B. Aug. in vno, quam in pluribus vel ipſe errare, vel codices eius ab aliquo falſatore corrumpi potuerunt. Igitur aut infirma eſt tua ratiocinatio, aut nobis plurimùm proficit &c. Si dicas, Ipſam Carnem nobis manducandam dedit .i. ipſius Carnis figuram: &, Hoc accipite in pane. i. huius Corporis figuram &c. Nos eodem modo tuum pronomen reſoluimus: Non hoc Corpus quod videtis dabo vobis &c .i. non huius Corporis figuram, non vmbram, ſed veritatem.*

Reſpondit Iuo Carnutenſis ab anno circiter 1088. Libello de Corpore Domini ad Haymericum Abbatem Aquitinenſem. *Dixiſti te hærere in quibuſdam verbis B. Aug.* [ *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, neque bibituri illum Sanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Quod ſic intelligi poteſt: quia & Ipſum eſt, & non ipſum: ipſum quidem materiali eſſentia; ſed non ipſum, viſibili forma. Vnde & ſubditur,* [ *Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, neceſſe eſt tamen inuiſibiliter intelligi.* ] *Ipſi enim qui receſſerunt à Domino, putabant quòd Carnes Domini viuentis beſtiali more eſſent in fruſtra ſciſſuri, & aut elixas, vel aſſas in verubus comeſturi: quod ſi nollent, non poſſent eius eſſe diſcipuli. Nos autem ſic immolatum Chriſtum manducamus & bibimus: vt integrum eum ad dexteram Patris manere credamus. Non in partes ſciſſum neque cruentum Corpus eius fidelium ore percipitur. Et hoc eſt quod dicitur:* [ *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis* ] *Neque enim quod de altari ſumimus, B. Aug. verum Corpus eſſe negaret: qui hoc in pleriſque locis euidenter affirmat. Vnde in quodam ſerm. de verbis Euang.* [ *Quod videtis in altari, panis eſt & calix, quod etiam oculi renuntiant. Quod autem fides poſtulat inſtruenda, Panis eſt Corpus, Calix eſt Sanguis.* Infra. *Quomodo*, inquit, *Panis eſt Corpus, vel quod habet Calix eſt Sanguis? Iſta, fratres, ideo dicuntur Sacramenta: quia aliud videtur, aliud intelligitur. Item in ſerm. ad Neophytos. Hoc accipite in pane quod pependit in cruce: Hoc accipite in Calice, quod manauit de Chriſti latere &c.* ]

*Reſpondit Algerus* ab anno 1120. Lib. 1. cap. 9. Ex quadam Epiſt. quaſi B. Aug. ad Irenæum. [ *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec bibituri Sanguinem illum quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Ipſum quidem & non ipſum: ipſum inuiſibiliter, non ipſum viſibiliter.* ] *Quaſi diceret: ipſum quidem ſecundùm inuiſibilem ſubſtantiam, & non ipſum ſecundùm viſibilem formam.*

Cap. 10. *Sed ex hac B. Aug. ſent. Non hoc Corpus &c. nata eſt Hæreſis tempore Cæleſtini Papæ, & Cyrill. Alexandr. quæ dicit panem & vinum altaris, non in propriam Carnem & Sanguinem Chriſti qui iam in cælo erat poſſe mutari: ſed in Carnem & Sanguinem cuiuſlibet Filij hominis iuſti & ſancti, qui templum Dei & merito ſuo Corpus Chriſti eſſet. De quo* Ioan. 6. *Niſi manducaueritis*

*Carnem*

Digitized by Google

*Carnem Filij Hominis &c. Igitur 150. Epiſcopi in Epheſo congregati, contra hanc hæreſim ita ſcripſerunt Neſtorio Epiſcopo hæreticorum.* [ *Sanctificamur participes ſancti Corporis & pretioſi Sanguinis Chriſti: non vt communem Carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati; ſed vt verè viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Et ideo quamuis dicat, Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis: non tamen eam vt vnius ex nobis hominibus exiſtimare debemus &c.* Ex Paſchaſio & Lanfrãco ſupra.

Non videtur tamen hæc hæreſis, & Concilium fuiſſe directè de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia: ſed de proprio Corpore Chriſti hypoſtaticè, in Incarnatione: conſequenter tamen in ipſa etiam Euchariſtia.

Subdit Algerus. *Ne tamen verbis B. Aug. Non hoc Corpus quod videtis &c. ad hanc dignitatem aſpirare præſumat aliquis, vt ſuum vel alicuius Corpus de vulgo æſtimet ſumi in Sacramento &c.* B. Aug. lib. 4. Trin. cap. 14. *Caro Sacrificij noſtri Corpus effectum Sacerdotis noſtri &c.* Item Cap. 11. *Iterum Aug. ad Iren.* [ *Non hoc Corpus quod videtur manducaturi eſtis. Ipſum quidem & non ipſum. ipſum inuiſibiliter & non ipſum viſibiliter.* ] *Vnde & ſubditur.* [ *Si neceſſe eſt viſibiliter illud celebrari, neceſſe eſt inuiſibiliter intelligi.* ]

Reliquas autem difficultates doctiſſimè proſequitur ac exequitur, tribus ſuis libris. Primo, de veritate ſolius Corporis Chriſti in Euchariſtia, contra Berengarianos. Lib. 2. Ex profeſſo quidem, de puritate & incorruptibilitate ſacræ Euchariſtiæ in fæces & excrementa: contra *fœdiſſimam*, inquit, *hæreſim ſtercoriſtarum*, ſacram etiam Euchariſtiam huic corruptioni ſubijcientium, ex illo Chriſti Mat. 15. *Omne quod intrat in os ventrem & in ſeceſſum vadit*; ſed hinc ſæpè regreditur, imò vix egreditur intentum libri 1. *Lib. 3.* De valore Sacrificij & Sacramentorum, independenter à Fide, & merito Miniſtrorũ.

Quod opus quamuis Petrus Abbas Cluniacenſis ſuprà, meritò tanti faciat: Bellarm. tamen *De ſcript. Eccleſ.* modeſtè cenſurat. *1.* Ex lib. 2. cap. 1. quaſi de incorruptibilitate ſpecierum conſecratarum in ſtomacho, vel à muribus, aut vermibus. *2.* Ex *cap. 8.* De quadam ſententia Paſchaſij ſupra *cap. 14.* attributa B. Aug. *3.* Ex *cap. 10.* quaſi tribueret iuri Diuino conſecrationem in Azymo. De quibus & nos inter Scholaſtica.

Hinc & Gratianus *De Conſecr. diſt. 2. cap. 45.* & Magiſter Sent. *diſt. 10.* & antiqui Scholaſtici videntur conſequenter & verbatim retuliſſe eandem reſponſionem, ſeu expoſitionem B. Aug. quaſi ex quadam eiuſdem Epiſt. ad Irenæum.

Card. Bell. *lib. 2. de Euchar. cap. 24.* quoad hanc diff. refert ſe ad reſponſionem & expoſitionem Lanfranci ſupra: Ex *1. Cor. 15.* Vbi corpus mortale dicitur non illud quod immortale. Ex *Epiſt. 146.* B. Aug. vbi & alibi ſæpè exponit illud. *1. Cor. 15.* Caro & Sanguis Regnum Dei non poſſidebunt: de corpore mortali. Ex S. Ambr. *l. 2. de pœnit. c. 10.* vbi refert quendam vita & moribus mutatum rectè dixiſſe, *Ego non ſum ego.* Et ex S. Hier. in *cap. 1. ad Epheſ.* vbi eodem ſenſu dicit aliam eſſe Carnem Chriſti in Euchariſtia, quam fuerit in Cruce.

Card. Peronius contrà Pleſſæum, & alij ex noſtris contrà Sacramentarios, illuſtrant eandem reſponſionem varijs & ſimilibus loquendi modis, ex Sacra Script. SS. Patribus, & vſu communi.

Nos autem ſuprà *à col. 323. ad 336.* ex obſeruatione in Tract. 95. B. Aug. in Ioan. col. 1103. noſtras Anat. ad tantum cumulum reſponſionum contulimus & noſtrum minutum, ſeu exemplum eiuſdem locutionis B. Aug. de *non hoc Chriſto .i. non tali* poſt reſurrectionem, quàm ante: & ratiunculam huius moralis locutionis, ex magna mutatione, ac diuerſitate morali.

Sed quia quotidiè occurrunt nouæ hæreticorum replicæ: Et *dies diei eructat verbum, ac nox nocti indicat ſcientiam*: ſupplendum videtur ad hanc & pleraſque difficultates, per ſequentes replicas ac reſponſiones.

REPLICA I.

Quòd illa reſponſio, & expoſitio, quaſi ex Epiſt. B. Aug. ad Irenæum, *Ipſum & non ipſum &c.* non ſit B. Aug. cùm nec B. Aug. nec Poſſidius in Indice, nec Beda vllibi meminerint vllius talis Epiſt. vel Irenæi, ad quem B. Aug. potuerit ſcripſiſſe. Quamuis enim multæ Epiſt. & alia opuſcula B. Aug. exciderint: pleraque tamen aliquam ſui memoriam impreſſam reliquerũt; hæc autem Epiſtola prorsùs nullam, ante ſubitam expreſſionem ab Algero ſuprà. Et licet Lanfrancus, Guitmundus, & Iuo, quadam ſimili verborũ forma vtantur: non tamen vt Beati Aug. multo minus ex quadam eius Epiſtola ad Irenæum, ſed ex ſeipſis.

RESPONSIO.

*Reſp.* Nos idcircò noluiſſe vti hac tam expreſſa, ſed incerta, & huic calumniæ ſeu replicæ expoſita reſponſione, & expoſitione quaſi ipſius B. Aug. Quam conijcerem ab Algero præſumptam fuiſſe B. Aug. ex Lanfranco & Guitmundo ſuprà: quia ab eis contexitur, & optimè quadrat ipſis verbis Auguſtini, ſicut & ab his ac alijs antiquis Scriptoribus plures ſententiæ S. Aug. & aliorum Patrum contexuntur, abſque diſtinctione: Niſi Algerus hanc præciſam verborum formam aliquantulùm ab illis differentem bis citaret ex determinata Epiſt. B. Aug. ad Irenæum. Vndecumque tamen eam Algerus deprompſerit: quoad ſubſtantiam & potiora verba elicitur ex illo ipſo contextu Beati Aug. in Pſalm. 98. vbi poſt, *Non hoc corpus quod videtis &c.* ſubdit quaſi hanc ipſam expoſitionem *Sacramentum aliquod vobis commendaui: ſpiritaliter intellectum, viuificabit vos. Etſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari: oportet tamen inuiſibiliter intelligi.* Nam *illud viſibiliter celebrari*, eſt *ipſum viſibiliter non eſſe*: *inuiſibiliter* autem *intelligi*, eſt *ipſum eſſe*: quia celebratur quoad ſolam memoriam celebrem; ſed intelligitur quoad eſſe.

REPLICA II.

Reſponſio illa Guitmundi ad inſtantiam Berengarij, ex vi huius pronominis, in multis deficit. *1.* Quia cùm hîc agatur de proprietate loquendi, refugit ad figuras grammaticas. *2.* Quia cùm hîc agatur de eſſe aut non eſſe ſimpliciter & abſolutè loquendo: recurrit ad quendam modum dialecticum eſſendi & loquendi, tantùm ſecundum quid. *3.* Quia æquiparat pronomen relatiuum Ipſa, cum demonſtratiuo Hoc. *4.* Quia æquiparat verbum ſubſtantiuum eſſendi hoc, cùm verbo actiuo manducandi: cùm verbum ſubſtantiuũ ſignificet ipſum eſſe vel eſſentiam vt ſic: verbum autem actiuum manducãdi, referatur ad obiectum ſenſibile vt tale.



Digitized by Google

Hinc ſi, *Hoc eſt Corpus meum*, intelligendum eſſet propriè; ſubſtantialiter, imò & totaliter, vt ſup. *qu. 2. & 3.* quantò magis *Non* hoc Corpus, negaret proprietatem, ſubſtantiam, & totalitatem Corporis Chriſti? cum negatio ſit magis proprij, principalis, & totalis ſignificati, quam affirmatio.

RESPONSIO.

*Reſp.* Ad hanc replicam plurimis complicatam, ex triplici obſeruatione in hæc verba B. Aug. *Non hoc Corpus quod videtis &c.* 1. Hæc, quamuis quaſi ex perſona Chriſti, non tamen eſſe ipſius Chriſti, ſed B. Aug. Ideòque nihil poſſe derogare veritati, proprietati, & ſimplicitati verborũ Chriſti. 2. Hæc B. Aug. *Non hoc Corpus quod videtis &c.* Non eſſe relatiua ad illa Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*: ſed ad illa Chriſti Ioan. 6. *Niſi manducaueritis Carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem &c.* Quæ ſicut diſtinctè ſignificant has actiones, & obiecta ſeu materiam manducandi & bibendi: ita & hæc, *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, neque bibituri illum Sanguinem &c.* non negant ipſam ſubſtantiam aut præſentiam Corporis ſeu Carnis, & Sanguinis; ſed ſolam illam rationem & diſtinctionem materiæ ſenſibiliter & diſtinctè manducabilis, & bibilis, ſolùmque talem modum manducandi, & bibendi. Quod optimè colligit Guitmundus ſuprà, ex illo *Quod videtis*, & ex reliquis ibidem circumſtantijs. 3. *Non hoc Corpus quod videtis &c.* non tantùm non negare, ſed potiùs ſupponere veram & propriam ſubſtantiam huius Corporis & Sanguinis: quia negatio illa non afficit ipſam ſubſtantiam in ſe, vt ſup. *col. 355.* ſed tantùm eius viſibilitatem, ſeu manducabilitatem viſibilem, modũque cruentum manducandi, & bibendi. Hinc tota illa contricata replica facilè extricatur.

*Ad 1. Reſp.* Guitmundum non refugere ex propria ſententia ad figuras: ſed ipſum Berengariũ ex propria Grammaticâ confutare: nec agere de figura horum verborum Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*; ſed illorum B. Aug. *Non hoc &c.* vel illorum Chriſti *Ioan. 6.* non de eſſendo hoc vel illud, ſed de manducando vt ſuprà. Quamuis non ſit contra veritatem & proprietatem, ſeu cõmunem vſum loquendi, admittere figuram continentis pro contento & è contra, ſub formis conſecratorijs Corporis & Sanguinis Chriſti. Sed præſtat immediatè ſignificare ipſum contentum, aut ſupponere continens pro contento: quàm figuratè referre ſeu transferre ſignificationem continentis ad contentum.

*Ad 2.* vt ad 1. De reſponſione ad hominem: vel ad ſimilitudinem aliquam, non æqualitatem; imò & ad æqualitatem. Nam illa Chriſti affirmatio, *Hoc eſt Corpus meum*: eſt de eſſe & modo loquendi ſimpliciter & abſolutè. Vt patebit ad Replicam 3.

*Ad 3.* Æquiparare hæc in ſignificando ſubſtantiam, contra inſtantiam Berengarij: non autem in demonſtrando: imò ſæpè dici, *Hoc ipſum*, ad maiorem expreſſionem identitatis.

*Ad 4.* Non comparari hanc negationem Aug. cum illa affirmatione Chriſti, vt ſupra: Sed nec hanc negationem eſſe maiorem illa affirmatione; quia hæc eſt de eſſe ſimpliciter, illa ſecundùm viſibilitatem, & modum comeſtibilis ac bibilis.

REPLICA III.

Si, *Non hoc Corpus &c.* non negat ſubſtantiam ſimpliciter, ſed tantum ſecundùm viſibilitatem Corporis, effuſibilitatem Sanguinis, & modum cruentum comedendi: quia ſubditur, *quod videtis, quem fuſuri ſunt &c.* Ergo, *Hoc eſt Corpus meum*: non affirmat eſſe ſimpliciter, ſed tantum ſecundùm quid; quia ſubditur, *quod pro vobis datur, funditur &c.* ſeu ſecundum quod dari poteſt in cibum, fundi in potum. Ergo non de proprio ac perſonali Corpore & Sanguine humano: ſed tantùm de comeſtibili & bibili, quod tunc præ manibus habebat.

RESPONSIO.

*Reſp.* neg. paritatem. 1. Quia hîc non ſubditur, *Quod vobis datur, aut vobis funditur,* videlicet in cibum & potum: *ſed pro vobis datur, pro vobis funditur in remiſſionem peccatorum.* 2. Quia plerique textus exprimunt, *Quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur*: Ergo non de Corpore panis, aut Calice vini. 3. Quia de Traditione inſtante ad paſſionem, mortem, & effuſionem vitæ ac Animæ cum Sanguine. Ergo non alterat: nec diminuit, ſed magis appropriat, & confirmat ſignificationem abſolutam, totius ſubſtantiæ humanæ: quæ non fuit paſſa, ac mortua ſecundum aliquam ſui figuram ſeu apparentiam, ſed non niſi in ſeipſa. 4. Quia Corpus non videtur ſimpliciter & immediatè quo ad ſubſtantiam, ſed tantùm ſecundùm & per ſua accidentia. Sanguis non funditur aut effunditur ſimpliciter ſecundùm ſubſtantiam: ſed ſecundùm locum & qualitatem liquidi. Vnde & eadem ſubſtantia Sanguinis vt liquida funditur, vt concreta non: plumbum vt liquidum funditur, vt ſolidum non. Imò nec cibus aut potus comeditur aut bibitur ſecundùm ſuam ſubſtantiam: vt infra patebit; ſed nutrit ſecundùm eam. Comeditur autem vel bibitur, ſub hoc vel illo modo ſicci aut liquidi, mobilis per os in ſtomachum, ad digeſtionem & nutritionem. Nam & eadem ſubſtantia poteſt ſub ratione ſolidi comedi, ſub ratione liquidi bibi, ſub ratione fumi nec comedi nec bibi, & tamen ſugi & ſumi etiam in ſtomachum ad nutritionem. Non poteſt autem quis mori, niſi ſimpliciter quoad naturam humanam.

5. Quia cùm S. Aug. opponat hic *quod videtur*, cùm eo *quod intelligitur*: non videtur immediatè & ſimpliciter ſecundùm ſubſtantiam: ſed intelligitur; Ergo negatio Corporis *quod videtur* eſt tantùm ſecundùm *qualitates viſibiles*, affirmatio autem eius *quod intelligitur* eſt ſimpliciter, in eſſendo.

REPLICA IV.

Illud Chriſti Ioan. 16. *Iam non videbitis me*, & B. Aug. Tract. 95. *Non hunc Chriſtũ.* i. *non talem erant viſuri Apoſtoli*: nimis differt ab illo Chriſti Ioan. 6. *Niſi manducaueritis &c.* Matt. 26. *Accipite, & comedite, Hoc eſt Corpus meum*: & B. Aug. in Pſalm. 98. *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis &c.* quàm vt hoc inde verificari & explicari poſſit. *col. 323. 324. 325.* Quia illud eſt de eodem videndo, aut non videndo: hoc de manducando, & non manducando. Porrò Corpus potiùs manducatur quoad ſubſtantiam, quam videatur. Deinde ratio illa moraliter

raliter

Digitized by Google

raliter loquendi, ac intelligendi ſecundùm magnam earundem mutationem ac differentiam moralem: æquè admittit locutionem ac ſenſum moralem in illis Chriſti verbis Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus. Caro mea verè eſt cibus.* Matth. 26. *Hoc eſt Corpus meum*: videlicet moraliter, æquiualenter, virtualiter quoad fructum ſpiritualem nutritionis, & applicationem meritorum Chriſti.

RESPONSIO.

*Reſp.* 1. Tract. illo 95. non tantùm dici *Hunc Chriſtum.* .i. *talem non erant iam viſuri &c.* Sed etiam quaſi ex perſona Chriſti, *quando me videtis quod tunc ero, non videbitis me quod ſum modo*: vbi agitur de videndo Chriſto non tantùm ſenſibiliter ſecundùm qualitatem externam, ſed etiam intellectualiter ſecundùm eſſe, ſeu ſtatum eius moralem; realem, ſupernaturalem, & glorioſum: ſecundùm quem ſicut hic non videtur ita nec māducatur; ſed ſicut videtur hic ſub ſola ſpecie panis & vini, ita & manducatur.

*Reſp.* 2. Corpus & Sanguinem Chriſti quo ad ſubſtantiam potius videri ſeu percipi viſu, etiam corporali, quàm comedi & bibi. Quia actio videndi eſt perfectior, quàm comedendi & bibendi. Hæc enim ſolet includere octo. 1. Motionem localem materiæ ad os, in ore, & in ſtomachum. 2. Maſticationem, alterationem, & mixtionem aliquam cibi & potus in ore. 3. Contactum aliquem vitalem cibi & potus. 4. Guſtum eius. 5. Diſtinctū modum comedendi, & bibendi. 6. Continentiam cibi & potus in ſtomacho. 7. Digeſtionem. 8. Nutritionem corporalem. Quorum nihil poteſt afficere aut penetrare ad ſubſtantiam Corporis Chriſti in ſe, multo minùs quàm cognitio. Nam nec Corpus & Sanguis Chriſti in ſe quo ad ſubſtantiam poteſt hîc à nobis moueri, ſed tantùm à Deo vel à ſeipſo ad motum ſpecierum. Nec poteſt à nobis comminui, diuidi, extendi, miſceri: ſed tantùm ſpecies conſecratæ. Nec poteſt à nobis alterari, tangi, guſtari ſecundùm ſubſtantiam, quantitatem, aut qualitatem propriam & intrinſecam, ſed tantùm per ſpecies conſecratas. Nec poteſt à nobis diſtinctè, ſolidè, aut liquidè, comedi & bibi. Nec poteſt à nobis & in nobis localiter contineri. Nec poteſt à nobis digeri, nec in aliquam nutritionem corporalem conuerti: quia quamuis ſit Corpus & Sanguis; non eſt tamen in ſe ſecundùm ſuam propriam ſubſtantiam cibus & potus corporalis, id eſt corporum, ad aliquam nutritionem corporalem; ſed tantùm cibus ſpiritualis animarum, ſub ſpecie cibi & potus corporalis.

*Reſp.* 3. Hanc manducationem quamuis veri Corporis Chriſti realiter præſentis: ex inſtitutione tamen Chriſti eſſe moralem, ſacram ſeu ſacramentalem, & ſpiritualem; ideòque non naturaliter ac materialiter, ſed moraliter ac ſpiritualiter eloquendam, ac intelligendam. Hinc meritò B. Aug. *Spiritualiter intelligite &c. Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis &c.* .i. non modo naturali, materiali & crudeli; ſed morali, religioſo, Sacramentali, & ſpirituali.

*Reſp.* 4. Chriſtum eſſe panem, Carnem & Sanguinem eius verè eſſe cibum & potum: exigit ſenſum moralem, ſpiritualem, & virtualem beneficentiæ & nutritionis ſpiritualis: *Hoc autem eſſe Corpus &c.* exigit ſenſum ſubſtantialem, & formalem eſſendi verū ac proprium ſeu perſonale Corpus Chriſti; quamuis ſub modo quodam exiſtendi ſpirituali, & conuenienti ad nutritionem ſpiritualem, per communionem Sacramentalem.

REPLICA.

Non dicitur ſimpliciter, *Hoc eſſe Corpus, hunc eſſe Sanguinem Chriſti*: ſed ad manducandum ac bibendum: tum ex verbis *Accipiendi & manducandi ac bibendi*; tum ex cibo & potu ſuper quo dicitur. Ergo hæc æquè ac illa poſſunt intelligi moraliter, ſpiritualiter, æquiualenter, ac virtualiter.

*Reſp.* neg. paritatem. Quia, *Hoc eſſe Corpus*, ſignificat formaliter Hoc ipſum eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ: non autem modum illum moralem ſpiritualem & virtualem, qui ſignificatur expreſsè per Chriſtum eſſe panem viuum, Carnem eius & Sanguinem eſſe cibum & potum. Nec verba præuia accipiendi & comedendi, aut ſpecies cibi & potus minuunt, ſed ſupponunt ſenſum formalem ac ſubſtantialem eſſendi, quamuis ad finem ſpiritualiter alendi. Quia vt Paſchaſius ſuprà: Chriſtus non dixit, *Hæc eſt virtus Corporis mei*, ſed *Corpus meum, quod &c.* De quo nullatenus poteſt verificari *Hoc non eſſe Corpus Chriſti*; ſed benè non eſſe panem, aut cibum vel potum materialem, corporalem, ſed moralem, ſpiritualem, ſupernaturalem: Et, *Non hoc Corpus quod videtur* .i. non quatenus ſenſibile, paſſibile, diuiſibile, &c. *manducaturi eſtis*, vtique ſenſibiliter, paſſibiliter &c. Quo ſenſu etiam communi, idem ſubſtantialiter, dici poſſe moraliter non idem, non manducari nec bibi quoad ſubſtantiam, vel nùnc manducari nunc bibi, nunc ſimul bibi & manducari: patet plurimis exemplis moralibus ſupra *col. 308. 325. 371.*

Quibus adde, verè ac moraliter dici ſolere, non comedi farinam aut paſtam, ſed panem coctum: Non comedi carnem crudam, ſed coctam; quia non ſunt eiuſdem ſpeciei moralis in ratione comeſtibilis, quicquid ſit de reali: Non comedi propriè moraliter pillulas & pharmaca, quia non ſumuntur ſub ratione cibi ad nutritionem, ſed tantùm medicinæ, ideòque nec ſoluunt ieiunium morale: Non comedi, nec bibi fumos & nidores, qui tamen ſuguntur in ſtomachum, & quibus coci ali dicuntur: Non comedi, nec bibi quæ influunt aut infunduntur in ſtomachum, abſque proprio motu vitali: Non comedi nec bibi ventum aut aërem, quamuis vitaliter hauriatur ad conſeruationem vitæ corporalis, ſicut Corpus, & Sanguis Chriſti ſumitur ad conſeruationem vitæ ſpiritualis: Non bibi aquam vel vinū concretum in glaciem, ſed liquidum: non fœces aut vinum fœculentum, ſed defœcatum, & igni eliquatum: Nec comedi crudum ſanguinem concretum, ſed farcitum & coctum; non ob differentiam realem, ſed moralem. Nunquam autem verè dicitur aliquid comedi aut bibi, multo minus eſſe ſimpliciter, quod tantùm manducatur aut bibitur, vel eſt apparenter, virtualiter aut æquiualenter. Nam qui comederet Carnem quorundam piſcium vt ſturionum, vel conditam inſtar vitulinæ, pro vitulina: quamuis eſſet æqualis nutritionis, falsò diceretur

Digitized by Google

retur comedere vitulinam. Qui biberet cereuiſiam ceruſeam pro vino rubro, vel mulſum pro vino Hiſpanico: quamuis æquiualeret ad potum, non poſſet verè dici bibiſſe vinum. Imo qui venderet talia pro vino, vel ſupponeret argentũ aut cuprum pro auro, ſtannum pro argento, cryſtallum pro lapide pretioſo, vel vnum puerum pro alio; quamuis æquiualenter ad vſum, & finem; communi ſenſu ac iudicio morali pro impoſtore aut illuſore haberetur. In quam de Chriſto blaſphemiam incidunt, qui hæc eius verba, *Hoc eſt Corpus meum*: non propriè ac formaliter, ſed tantùm virtualiter aut æquiualenter interpretantur. Quaſi hoc eſſet loqui ſpiritualiter, quod ſubtiliter ad fallendum: vel non eſſet nimis indignum Chriſto, ſubtiliter fingere & fallere, vt proſit. Cùm nihil mali faciendũ, aut falſi dicendũ ſit ad quantumuis bonum: Nec inde Chriſtus nobis profuiſſet; ſed plurimùm nocuiſſet, dato ac relicto tanto tantique erroris, ac Idololatriæ ſcandalo.

Velut, ſi Rex Catholicus, ad proſperum regimen Belgij, mitteret in præfecturam & poſſeſſionem Belgij, ſuppoſititium aliquem, pro vero filio ac hærede, munitum literis, ſigillo, omnique authoritate Regia: quis non eum bona fide vt talem exciperet, ac tueretur, vſque ad æquè expreſſas & authenticas reuocatorias? Præter ea quæ contra prætenſam illam tantùm æquiualentiam, virtualitatem & influentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia *col. 338.* Præcipuè quòd hinc, & reliqua Sacramenta æquè dici poſſent Corpus Chriſti. Nec obſtat quòd & per Baptiſmum dicamur mãducare, & bibere Carnem & Sanguinem Chriſti: quia nec Baptiſmus nec baptizatus vnquam dicitur Corpus Chriſti ſimpliciter, multo minus æquè ac Euchariſtia; ſed vt *col. 351. 352. 353.*

REPLICA VI.

Chriſtus *Ioan. 6.* affirmat & præcipit manducationem ſui Corporis, & bibitionem ſui Sanguinis: S. Aug. in *Pſal. 98.* negat vt ſupra. Imò *lib. 3. Doct. Chriſt. cap. 9.* vult illam Chriſti manducationem & bibitionem eſſe tantùm communicationem, & piam ac ſuauem memoriam Paſſionis Chriſti. Ergo vel Chriſtus non fuit locutus de ſua propria Carne & Sanguine, vel de non propriè dicta manducatione & bibitione, vel B. Aug. contradicit Chriſto; & quidem negatiuè, quoad omnem verum modum manducandi & bibendi.

RESPONSIO.

*Reſp. 1.* Chriſtum loqui propriè de ſua Carne, & Sanguine, illiuſque comeſtione & bibitione: non tamen modo communi, ac naturali, ſiue exiſtendi ipſius Carnis & Sanguinis, ſiue comedendi & bibendi; ſed modo perfectiſſimo ſeu Sacramentali; qui tamen hac ſua perfectione non eſt improprius aut metaphoricus, quaſi ad ſimilitudinem quandam modi communis, ſed ex ſe propriiſſimus, ſingulariſſimus, & diſſimillimus modo communi, ac imperfectiſſimo. Proprietas enim & perfectio exiſtendi, & manducandi ac bibendi, non eſt ſumenda à modo communi, ac imperfecto, ſed à perfectiori: qui eſt exiſtere quidem & comedere ac bibere realiter, ſeu re ipſa; ſed quo ſpiritualiori eo perfectiori modo. Nam ex B. Aug. *lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 2.* Lux ſpiritualis magis propriè ac perfectè eſt, lucet, ac illuminat, quàm corporalis. Nec Chriſtus minùs propriè ac perfectè, ſed & perfectiùs vitaliter comedit poſt Reſurrectionem, in probationem naturæ humanæ, quàm ante: quia ſine vlla ſui ipſius aut cibi corruptione. Et *Serm. 63. de diuerſis*, modus nutriendi & generandi ſine corruptione, eſſet perfectior: fuiſſetque ſine dubio in ſtatu innocentiæ. Quo modo etiam verè ac realiter comeſtum fuiſſet de ligno vitæ: abſque comedentium aut fortè comeſti corruptione. Ergo hic modus Sacramentalis exiſtentiæ, ac mãducationis Corporis, & bibitionis Sanguinis Chriſti: eſt realiſſimus, & propriiſſimus.

*Reſp. 2.* B. Aug. in *Pſalm. 98.* negare tantùm modum communem ac imperfectum; imò & horribilem exiſtendi manducabiliter, ſeu in ratione cibi & potus, ſub propria ſpecie ſenſibili Corporis & Sanguinis humani, & ſic manducandi ac bibendi: Non autẽ negare, ſed expreſsè affirmare modũ ſpiritualẽ, ſimulque Sacramentalem realiter exiſtendi, manducandi, & intelligẽdi. *Sacramentũ, ait, aliquod vobis cõmendaui: ſpiritaliter intellectũ viuificabit vos* .i. modo ſpirituali, qui & Sacramentalis, ac realiſſimus; quia eſt totius ſimul indiuiſibiliter. Quò enim quidlibet eſt magis totum ac ſimul, eò realius: vt patet in Deo & Spiritibus, ipſiſque corporibus denſioribus minus extenſis ac raris; ſed propriiſſimè in cibo & potu, qui dicitur & eſt eò ſubſtãtialior, quo plùs alimenti ſolidi aut liquidi ſimul continet ſub minori quantitate. Hinc B. Aug. *Tract. 59.* Apoſtoli manducabant panem Dominũ. *Tract. de 10. chordis c. 10.* Noſti quem manduces. *Epiſt. 118.* & ſæpè ſupra, à *col. 284. ad 290.* Corpus Chriſti mãducatur, *corde & ore*. Ergo B. Aug. non opponit hîc ſpirituale, Sacramentali, ac reali: ſed modo corporali, diuiſibili, ſenſibili, cruento, corruptibili; prout ex *1. Cor. 15.* ſæpè opponit in modo exiſtendi, Corpus glorioſum ſibi ipſi mortali. Itaque, *Non hoc quod videtis &c.* .i. Non hoc modo, non ſub hac formâ viſibili: Imò nec hoc totum viſibile, vt conſtans hac ſubſtantia & forma viſibili. Sed *lib. 3. Doctr. Chriſt. cap. 16.* transfigurat tantùm in piam memoriam Paſſionis Chriſti, modum illum crudelem comedendi & bibendi. De quo à *col. 307.*

*Reſp. 3.* Nec nos hîc negare verum, propriiſſimum, perfectiſſimum, & realiſſimum illum modum Sacramentalem exiſtentiæ, & manducationis, ac bibitionis Corporis & Sanguinis Chriſti: ſed modum crudelem manducandi & bibendi Carnem & Sanguinem humanum ſub propria ſpecie, & modum communem manducandi mouendo, tangendo, guſtando, maſticando, alterando, digerendo, & conuertendo rem ipſam comeſtam. Nec obſtat illa Confeſſio Berengarij *col. 342.* quia intelligenda eſt mediatè per ſpecies cõſecratas, vt ibidem *col. 343.* explicatur. Vnde etiam patet Chriſtum æquè imò potiùs videri poſſe per ſpecies conſecratas, quàm tangi frangi, hocque imperfecto modo comedi: quia minùs repugnat Corpori Chriſti in Euchariſtia videri in ſeipſo, quàm tangi, frangi, alterari, digeri, &c. Hinc quando dicitur participari, aut per partes recipi: intelligendum eſt de partibus ſpecierum conſecratarum, vel de participatione gratiæ Sacramentalis.

QVÆS-

Digitized by Google

## QVÆSTIO 5. SCHOLASTICA.

*Quomodò hæc tam mirabilis præſentia Sacramentalis Corporis & Sanguinis Chriſti, ac Tranſubſtantiatio panis & vini, credibiliùs fieri, ac explicari, ſeù naturæ & rationi conciliari poſſint?*

NIſi credideritis non intelligetis. *Eſa. 70. apud 70.* Nam fides quidem vincit, conuincit, velat, captiuat, triumphat: non tamen excæcat, confundit, retundit, conſtringit; ſed ſub ſua caligine ſcintillans, emicans, coruſcans, reuelat, illuminat, ſerenat, acuit, ac relaxat ſuorum fidelium *intellectum in obſequium Chriſti*. 2. Cor. 10. ad *reddendam* ſui ſuorumque myſteriorum *rationem*, cuiuis etiam rigido exactori 1. *Pet.* 3. Hinc tot tantaque fidelium ingenia, tot tamque credibiles ac poſſibiles huius myſterij modós excogitarunt: vt non tantùm ſatis, ſed etiam *nimis credibilia* ſint, *Pſal.* 92. quàm vt vel non credi rationabiliter, vel ſatis fideliter credi poſſint: ſed ſemper profitendum ac exclamandum ſit illud Marc. 9. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*. Quæ credendi, aut ſatis credendi, & intelligendi difficultas, ex proprio obiecto aut modo ſupernaturali: videtur nobis oriri ex oppoſita ratione naturali, & natura ac proprietatibus rerum omnium; vt Entis, Vnius, Eiuſdem, Subſtantiæ, & Accidentium: cùm oriatur ex fallaci conſuetudine ac experientia ſenſuum & phantaſmatum. Nam ſicut nubes & tenebræ videntur nobis è cœlo deuolui ſuper Hemiſphærium noſtrum: cùm tamen euaporent, aut reſultent è terra, ſupra cuius vapores & vmbram omnia ſunt lucida & ſerena. Ita & ſæpè videtur nobis ex luce rationis & rerum natura deſcendere: quod tantùm procedit ex vmbra ſenſuum & phantaſmatum, ſupra quæ ſemper lucet ratio & veritas. Nihil ergo in hoc myſterio incredibile aut impoſſibile apparet, niſi ex ſenſu: nihil intelligibile niſi ſupra ſenſum & phantaſmata. Supra quæ, centrũ huius lucis ac veritatis eſt quaſi punctum indiuiſibile: ſed circumferentiæ infinitæ. Intra quam Doctores Scholaſtici, ſinguli ſuis radijs à centro emicantibus ad eundem ſcopum huius veritatis collimant: neque hac veritate, ac ſtudioſa æmulatione, vt cenſet Vaſq. *diſp.* 181. *c.* 1. rei veritatem inuoluũt, aut eius notitiam confundunt; niſi nimia contentione extricandi idem ſtamen intricent, & ſeipſos ac inuicem à ſcopo & centro diuertant. Sed quò plures intelligendi modos excogitant; eò pluribus credibiliter, & omnibus credibiliùs exponunt. Merito enim omnibus credibiliùs eſt: quod non vnico, ſed pluribus modis credibiliter proponi poteſt. Cùmque omnes ſint eiuſdem rationis participes: pro varia tamen corporis & animi diſpoſitione, & gratiæ diſtributione, variè perſuadentur ac mouentur. Hinc ita referamus ac conferamus varios explicandi modos: vt nullum ſaltem probabilem reprobemus; ſed Fidei Catholicæ conuenientiorem præferamus.

Ne autem nimis confusè procedamus, nec tamen plus amplectamur quàm hâc Quæſt. ſtringere poſſimus: diſtinguamus & reſtringamus ac perſtringamus omnes difficultates & modos explicandi adæquatè vel inadæquatè diſtinctos. Primò quidẽ obiectiuè ex ratione Entis, Vnius, Eiuſdem, Subſtantiæ, Accidentis, Spiritus, Corporis, Organici, Humani, totius Quantitatis, omnium Qualitatum, Relationum, Actionum, Paſſionum, Vbi, Situs, Quando Habitus. Deinde ſubiectiuè. 1. Ex Termino à quo, ſeu ſubſtantia Panis & vini, eiuſque deſitione. 2. Ex Termino ad quem, ſeu Corpore & Sanguine Chriſti, eiuſque inceptione ac ſtatu Sacramentali. 3. Vtrimque ſimul, ſeu ex illorum in hæc Tranſubſtantiatione. 4. Ex ſpeciebus conſecratis, ſeu earum exiſtentia extra ſubiectum & inter ſe, omnique actione ac paſſione. 5. Ex accidentibus Corporis & Sanguinis ſub ſtatu Sacramẽtali, Quantitate, Qualitate, Forma, Figura, Situ, Actu vel Actione, Paſſione, Motu, Præſentia, Duratione, Viſibilitate, Intelligibilitate, &c. De quibus, præ omnibus conſulamus Doctores noſtros.

### *Ex Doctrina Alenſis.*

Quæſtione 33. Memb. 3. a. 2. §. 3. Ad hoc vlt. Arg. *Tranſubſtantiatio eſt mutatio ſubſtantiæ in ſubſtantiam: propter quod videtur quod dicendum eſt, Hoc eſt ſubſtantia mea.* Reſp. *Quod longè meliùs dicatur, Hoc eſt Corpum meum: quia cum ſubſtantia contineat tam corpus quam animam, poſſet quis ex hoc accipere occaſionem erroris, vt crederet Tranſubſtantionem Sacramentaliter eſſe in Corpus & Animam. Præterea Tranſubſtantiatio reſpicit propriè id quod tranſmutatur, non id in quod. Hoc eſt per ſe ſubſtantia panis, non Corpus ſimpliciter. Licet enim Corpus ſubſtantia tranſmutetur: non tamen Corporis quantitas, ſeu corpus quantitatiuum.* §. 2. Reſp. Ad 3. *In alijs Sacramentis exercetur opus aliquod à Miniſtro, præter prolationem verborum &c. ſic non eſt hic. Nihil enim acquiritur Chriſto, cùm conſecratur Corpus eius.* Infra. *Miniſterio hominis non acquiritur hic aliquid Sacramento .i. Corpori Chriſti &c. Tanta eſt excellentia huius Sacram. quòd excedit quicquid hominis eſt, etiam intellectum ipſum: ideò non debuit hic exprimi operatio hominis ſicut in alijs.* Infrà. *Hæc tranſmutatio, eſt entis ſimpliciter, in ens ſimpliciter: vnde non eſt ibi aliquid exprimendum per verbum fiendi.*

Quæſtione 34. M. 1. art. 2. ad vlt. *Virtus ſupernaturalis data eſt his verbis &c.* Ad 4. *Hæc virtus non efficit aliquid circa Corpus Chriſti: ſed circa elementum conuertendũ.* M. 3. art. 1. Reſp. *Quamuis nihil eſt difficile apud Deum &c. tamen maiori atteſtatur virtuti creatio, quàm Tranſubſtantiatio.* Art. 2. *Virtus tranſubſtantiandi, & cõcipiendi Corpus Chriſti, ſe habent vt excedentia & exceſſa &c.* Ad 1. *In tranſubſtantiatione nihil fit noui circa ſubſtantiam Corporis Chriſti.* Ad 2. *Opinando non aſſerendo, Caro Virginis non eſt in propinquiore diſpotione ad Corpus Chriſti, quam panis & vinũ: quia hæc ſunt apta ad conuerſionem naturalem in Corpus humanum, non ſic Caro Virginis in Corpus Chriſti.*

Quæſt. 38. M. 1. *An ſit vera conuerſio panis in Corpus Chriſti.* Sub Reſp. *Dicendum quòd ſit conuerſio in Corpus quod eſt. Nec propter hoc eſt alimentum alicuius: quia totum mirabiliter conuertitur in totum.*

Propter quod nec nouum aliquod ſit ibi, nec maius.

M. 2. An totus panis conuertatur in Corpus Chriſti.

Reſp. Dicendum eſt quod totum tranſit in totum, ſolùm accidentibus remanentibus. Ad 1. Quædam mutationum ſunt naturales, & qualibet talis exigit aliquid commune: quædam ſunt ſuprà naturam. De talibus non eſt verum. Infrà. Hic virtus ſupernaturalis eo quod non requirit ſubiectum actionis, tranſmutat vnum in aliud, nullo permanente in vno quod fuit in alio. Vnde virtus conuertens panem in Corpus Chriſti, non requirit aliquid permanens: ſed deſinente materia panis ſicut & forma, conuertit panem in Corpus Chriſti. Ad 3. In pane eſt obedientia reſpectu fieri, non reſpectu facti: quia Corpus Chriſti non eſt hic factum. Ad 6. Panis & Corpus Chriſti habent aliquid commune, communitate generis & prædicationis: non autem communitate ſubiecti mutationis.

M. 3. An in hac conuerſione ſit annihilatio panis. Reſp. Poſuerunt quidam quod ſic &c. Tum quia nihil de pane remanet: tum quia videbatur eis indignum quod aliquid extraneum in Corpus Chriſti conuerteretur. Vnde videbatur eis rationabilius quòd panis cederet in Corpus Chriſti: non mutando locum, ſed deſinendo eſſe; & Corpus Chriſti ſuperueniret, quàm quod panis in Corpus Chriſti conuerteretur. Cuius contrarium habetur de conſec. diſt. 4. Ex Euſeb. Emiſſ. Præterea ſi annihilaretur panis modo prædicto, Corpus Chriſti eſſet præſens ſub Sacramẽto in altari ſolummodò per deſcenſum de Cælo: & ita ſimul & ſemel transferretur ad infinita loca. Propter hoc dicendũ quòd ſubſtantia panis non eſt in nihilum redacta, ſed in melius commutata .i. in Corpus Chriſti: non tamen de pane illo accipit eſſe Corpus Chriſti; ſed ipſa eſſentia panis ſine omni mutatione facta in Corpore Chriſti, mutatur in illud. Vnde Hugo. Non ſic Corpus Chriſti in pane conſecrari dicimus: vt de pane Corpus Chriſti eſſe incipiat &c. Nec ipſam ſubſtantiam panis & vini in nihilum redactam, quia deſijt eſſe quòd fuit: ſed mutatam potiùs, quia cœpit eſſe aliud quod non fuit. Ad 1. Annihilari duas habet intentiones: vnam, cuius nihil manet &c. & ſic nihil eſt aliud quam deſinere quoad eſſe ſubſtantiale & partium. Alio modo, quando penitus deperit, & quicquid illius eſt, nec fit aliqua mutatio eius in aliud. Ad 2. Panis non ſe habet in aliqua ratione cauſalitatis reſpectu Corporis Chriſti: tamen eſt cauſa ſine qua non eſſet ſub ſpeciebus.

Ad 3. Quo ponitur omnes creaturas conuerti in Corpus Chriſti: ad quod ſequitur annihilatio vniuerſi. Dicendum quod non eſt verum: quia eſſet mutatum in Corpus Chriſti. Aliter poteſt dici, quod eſſet annihilatum: quia ad eſſe vniuerſi requiritur numerus rerum & ordo, qui non conuerteretur in Corpus Chriſti &c. Nec tamen dicendum eſt quod omnino annihilaretur: quia illa quæ ſunt de eſſe materiali vniuerſi non annihilantur, imò in aliud conuertuntur. Infrà. Verum eſt quod fuit panis, eſt nihil & non ens: nec ſequitur, ergo annihilatur, niſi addatur, & non eſt conuerſus in aliud. Infrà. Si exiſtentia Corporis Chriſti ſuccederet deſitioni panis: ita quod nullo modo conuerteretur in Corpus Chriſti: illa deſitio eſſet annihilatio ſicut ſi non ſuccederet; ſed non eſt ſic. Infrà. Forma in actione naturali non conuertitur, ſed annihilatur: ſed panis licet priuetur eſſe proprio, conuertitur in melius, &c. Actus ſeu forma panis annihilatur: quia totale panis conuertitur in totale Corporis Chriſti. Infrà. Panis non conſeruatur in eſſe panis: & quoad illud eſſe, cedit in nihilum: non tamen in nihilum ſimpliciter, quia conuertitur in aliud quod eſt nobilioris eſſe. Infrà. Corpus Chriſti non efficitur aliquid nouum quantùm ad eſſe ipſius: efficitur tamen aliquid nouum quantùm ad eſſe ſub Sacramento.

M. 4. Ad quod genus motus habeat hæc mutatio reduci. Art. 1. Reſp. Hæc eſt mutatio ſubſtantiæ, non accidentiũ. Art. 2. Reſp. In hac mutatione non eſt corruptio &c. Corruptio enim priuationem dicit, non negationem. Neque ibi eſt generatio: Corpus enim Chriſti non generatur. Infrà. B. Aug. Non dicit aliquid fieri circa Corpus Chriſti quantùm ad eſſe: ſed quantùm ad eſſe in Sacramento.

Art. 3. Reſp. Conuerſio iſta non eſt motus augmenti, vel nutrimenti: quia non eſt vnio aliqua, ſed ſolum tranſitio. Infrà. Hæc eſt mutatio ſingularis & mirabilis, quæ nullam habet aliam ad plenum conſimilem: licet in parte alijs aſſimiletur.

Art. 4. An loci mutatio ſit annexa huic conuerſioni. Reſp. Dicendum eſt quod ipſa elementa virtute verborum conuertuntur in Corpus & Sanguinem Chriſti: nulla facta mutatione circa Chriſtum; neque generationis, neque corruptionis, neque augmenti, vel diminutionis, vel alterationis, neque † mutationis ſecundùm locum. Vnde cum Damaſc. Non deſcendit Chriſtus de cælo, vt ſit ſub ſpeciebus panis & vini: ſed virtute verborum ſubſtantia panis & vini conuertitur in Corpus & Sanguinem Chriſti, ipſis exiſtentibus eiſdem omnino in cælo, & ſub ſpeciebus Elementorum.] Ad hoc quod quis mutet locum duo exiguntur. 1. Quod ſit vbi priùs non fuit. 2. Quòd non ſit vbi priùs fuit. Primum eſt inuenire in propoſito, non ſecundum &c.

M. 5. An panis tranſeat in carnem tantùm: an in Carnem, Sanguinem, Animam, & Diuinitatem: ſicq; de vino. Reſp. Totus Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie: nihilominùs panis tantùm tranſit in Carnem, & vinum in Sanguinem. Sed quia totus Chriſtus eſt indiuiſibilis: ideo totus eſt ſub vtraque ſpecie, ſed caro ſub ſpecie panis per Tranſubſtantiationem, Sanguis per concomitantiam commixtionis, Anima per concomitantiam coniunctionis, Deitas per concomitantiam vnionis &c. Similiter ſub ſpecie vini eſt tantum Sanguis per Tranſubſtant. &c. Infrà. Conuerſio non fit panis in Corpus Chriſti, cui inſeparabiliter coniuncta eſt anima, in quantùm huiuſmodi. Infrà. Si quæratur, qua virtute eſt ibi anima: dicendum, quòd virtute verbi increati operantis per verbum creatum conuerſionem panis in Corpus Chriſti animatum, & in quantum huiuſmodi. Et ſic de Sanguine. Et hoc ſonat, Hoc eſt Corpus meum .i. illud quod meum eſt, quod habet Sanguinem admixtum. Neque enim intentio proferentis, neque virtus ipſius verbi extenditur ad conuerſionem elementi in Corpus Chriſti vt eſt Corpus inanimatũ, & exſangue: ſed potius vt eſt animatum & cum Sanguine. Quale fuit Corpus Chriſti quod contulit Diſcipulis in Cœna. Vnde tribus concurrentibus eſt ibi tam anima quam Sanguis, ſcil. virtute verbi, intentione conſecrantis, & inſeparabilitate iſtorum à Corpore. Reſp. ad 1. Dicendum quod virtute verborum principaliter & per ſe eſt ibi Caro Chriſti, in quam conuerſus eſt panis: alia vero ex conſequenti .i. ratione indi-

Digitized by Google

*indiuiſibilitatis eorum à Carne. Vnde etſi ibi quodammodo virtute verborum: hoc non eſt principaliter ſed conſequenter.*

M. 6. *An pars panis conuertatur diſtinctè in partem Corporis Chriſti: an totus indiſtinctè in totum.* Reſp. *Totus panis conuertitur indiſtinctè in totum Corpus: non diſtinctè pars in partem.* Ex illo Innoc. III. *Vtrum partes in partes, aut totum in totũ, aut totale tranſeat in totale: nouit ille qui facit &c. Si tamen quærentis inſtat improbitas: ego ſalua fide conceſſerim quod totalis panis in totale Corpus conuertitur; ita quod nulla pars panis tranſit in aliquam partem Corporis.*] *Et ſicut ipſe dicit de materialibus ſiue quantitatiuis, ego dico de ſubſtantialibus.* Infra. *Mutatio qua fit conuerſio totius in totum, maioris eſt perfectionis ſiue completionis illâ qua fit conuerſio partis in partem.*

M. 7. *An hæc conuerſio ſit ſucceſſiua, an ſubita.* Reſp. *Dicendum quod eſt in inſtanti.* Infrà. *Virtus non operatur ſecundùm naturam verbi, ſed ſecundum voluntatem conferentis &c. Nec dicendum eſt in inſtanti quo eſt conuerſio, verbum omnino non eſſe: quia etſi non ſit quantum ad eſſe ſucceſſionis; eſt tamen quantùm ad eſſe virtutis &c. Operatio autem eſt à virtute, & virtus eſt in inſtanti: vnde & inſtanti operari poteſt.*

M. 8. *Vtrum idem ſit inſtans in quo primo ſit Corpus Chriſti, & inſtans in quo vltimo ſit panis, an aliud.* Reſp. *Sicut linea terminatur in puncto qui eſt actu &c. ſolummodò enim in linea ſunt duo puncta actu, licet infinita potentia. Similiter tempus terminatur ad inſtans actu: nec eſt in tempore ſimul & ſemel niſi vnũ inſtans actu, etſi ſint multa potentia. Similiter dico de momento in motu &c. Cùm ergo dicitur panis eſt in quolibet inſtanti illius totalis temporis: dicendum quod in illo totali non eſt niſi vnum inſtans actu, licet multa potentiâ. Vnde eo modo quo ſunt ſcil. potentiâ: ſic eſt eſſe in eis. Cùm igitur infertur, ergo eſt in penultimo: iam numeratur vt actu ens & ſimpliciter, quod non erat niſi potentia & ſecundum quid.*

*Vel poteſt aliter dici, quòd vt inſtantia ſunt potentia in tempore: ſic inter quælibet duo eſt tempus medium. Vt ſunt actu numerata: ſicut vnitas poteſt eſſe conſequenter vnitati, ſic inſtās inſtanti. Vt in linea non eſt punctus continuus puncto: ſed inter quælibet duo eſt linea media. Quæ ſi diuidatur, erunt duo puncta, inter quæ non eſt linea media &c. Ad id quod quæritur quid ſit in inſtanti in quo eſt mutatio: an panis an Corpus Chriſti. Dicendum quod eſt Corpus Chriſti: quia in eodem inſtanti eſt mutari, & mutatum eſſe.*

Quæſt. 39. M. 2. art. 2. *Quicquid ſignificat innouationem aliquam circà Corpus Chriſti, eſt falſum.*

Quæſt. 40. *De continentia Sacramenti Euchariſtiæ.*

Membr. 1. Art. 1. *An poſſint accidentia eſſe ſine ſubiecto.* Reſp. *Cùm ſubſtantia & accidens differant per eſſentiam: poteſt Deus illa ſeparare.* Infra. Ad id quod obijcitur, *Accidentis eſſe eſt ineſſe: dicendum* vt Baſil. in Exam. *Quæ nobis intellectu ſunt ſeparabilia: poſſunt in ipſo actu à factore naturæ, à ſeipſis diſtare.* Exemplificat in igne & eius flamma, ſeu luce. *In propoſito Deus non ſeparat eſſe ab ente: ſed à modo ſuo naturali. Ineſſe, non definit propriè eſſentiam accidentis, ſed prout concernit modum eſſendi.* Infrà. *Quantitas habet eſſe in maiori abſolutione quam aliud accidens. Nec dico quod Deus non poſſet albedinem ſtabilire ſine omni quantitate: licet hoc non poſſit intelligi.*] Vbi ad ſenſum deeſt Non. Infra. *Subſtātia & accidens præter hoc quod differunt in modo eſſendi: ſuis eſſentijs differunt. Et modi ipſi ſeipſis differunt. Quod igitur ſubſtantia non poſſit fieri accidens: non eſt tantùm propter modos eſſendi qui conſequuntur eſſentialia, ſed propter diſparationem eſſentiarum.*

Art. 2. *An ſint hic ſine ſubiecto.* Reſp. *Eſſe ſine ſubiecto.* Ad 1. *Sicut Deus contulit eis eſſe ſine ſubiecto: ſic & efficere idem quod ſubſtantia panis & vini.* Ad 2. *Color non definitur per eſſe in ſubiecto, ſed per eſſe motiuũ viſus.* Infrà. *Quantitas videtur magis ſeparabilis à materia, quàm aliquæ formæ ſtabiles, vt Carneitas &c. Inde eſt quod fortè præcedat in materia formas ſubſtantiales &c. Quia prius per naturam eſt ſubſtantia corporea, quam caro: & cùm eſt corporea, ſtatim eſt ibi corpus quantitas, ſuperficies, & linea &c. Cùm quantitas ſit primùm accidens, ſuper quam ſuperordinantur alia: Ipſâ ſeparatâ à ſuo ſubiecto, ſimul omnia ſegregantur. Sicut ſi quis à ſcuto picto ſeparat pannum ſubſtratum coloribus: tollit ipſos colores. Dicendum eſt igitur quod color, figura, & accidentia illa habent quantitatem pro ſubiecto, & illam denominant &c. Sed quantitas in ſe reflectitur, & ſe denominat & alia.* Infrà. *Quod ſpecies putreſcit eſt per naturam: quia ei virtute diuina relicta eſt natura ſubſtantiæ &c. Quia virtus operatiua naturalis quæ prius fuit in ſubſtantia panis, mirabiliter relicta eſt hic in ſpecie panis.*

Ad vlt. *Vinum non conſecratum, appoſitum ſpeciei, diuidit illam: ſub cuius ſingulis partibus diuiſis eſt totus Chriſtus &c. Si autem eſſet commixtio, & poſitio, quod peruentum eſſet ad terminum commixtionis, ita quod ſpecies quæ fuit Sacramentum Sanguinis, non eſſet: dico quod tunc non eſſet ſpecies vini.*

M. 3. *De operatione accidentium.*

Art. 1, §. 1. Reſp. *Species iſtæ operantur immutando ſenſum.*

Ad 1. *Abſtractio intellectus à materia, abſtrahit à conditionibus quæ ſunt hic & nunc &c. Licet indiuiduatio ſit à materia naturaliter: ſupra naturam conſeruatur hæc ſpecies in eadem indiuiduitate.*

Ad 2. *Conſeruatur in eiſdem proprietatibus.*

§. 2. Reſp. *Species iſtæ habent eandem virtutem quam habebant in eſſe proprio & naturali. Vnde* Innoc. *In quo ſimilitudo deficeret, in eo Sacramentum non eſſet: ſed ſe proderet, & locum fidei auferret &c. Quia prout ſunt non priuantur virtute, nec proprietatibus naturalibus: ſed naturaliter exeunt in opera propria per naturam.*

Ad 1. *Cùm ſenſus ſuſcipiat ſpecies materiales ſine materia: manifeſtum eſt quod nec materia, nec eſſe in materia eſt cauſa ſuſceptionis huiuſmodi. Similiter obiecta non immutant ratione materiæ in qua ſunt: ſed virtute propria. Paries enim non immutat, ſed color parietis. Propter hoc quocumq; modo ſit ſenſibile, ſiue in ſubiecto, ſiue non: eodem modo agit in ſenſum.*

Ad 2. *Senſus interior non naturaliter apprehendit rem vt eſt in materia: quia ratio & modus quo res eſt obiectum illius, non eſt ipſius rei vt eſt huiuſmodi.*

Ad 3. *Rei ſeparatæ à materia ſecundum ſuam naturam, non eſt proportio cum ſenſu.*



Digitized by Google

Ad vlt. *Operationes ſpecierum & ſenſus ſunt naturales: quia non ſunt præter quantitatem. Poſito autem, per impoſſibile, ſenſibilé exiſtere ſine quantitate, non moueret ſenſum &c. & ita quod videtur oportet eſſe quantum. Similiter color † non eſt color, nec ſapor eſt ſapor, niſi quantus. Non enim eſt color, ſiue ſapor ſine diſtentione. Et ita nullum ſenſibile eſt in ſua natura niſi ſit in quantitate: ſenſibile tamen eſt quantum per accidens &c.*

Art. 2. *De operatione refectionis.* §. 1. Reſp. *Quidam dicunt quod accidentia iſta non alunt: ſed odor vini cerebrum turbat & inebriat, ex* 1. Cor. 11. *Alij quod ſpecies iſtæ nutriunt: & hoc patet ad ſenſum. Alij quod ſuſcipiens ſpecies alitur &c. ſed ex ſubſtantia in quam conuertuntur. Alij dicunt quòd ſuſcipiens alitur ex priori ſubſtantia reſtituta. Vt vult* Innoc. IV. lib. de offic. Eccl. *Hæc opinio videtur mihi vera & ſecura.* §. 2. Reſp. *Concedo quod virtus vini mirabiliter relicta in ſpecie, poteſt naturaliter agere in guſtum, & in tanta quantitate fumi, quod inebriaret naturaliter &c. ſicut virtus vini quæ itaq; diffundit ſe, ita quod ſine aliquo vſu ſubſtantiæ vini inebriet.* Ad 1. *Dico refectionem eſſe quando replentur loca euacuata &c. nutritionem, per vnionem alimenti cum alendo.*

Art. 3. *De operatione conuerſionis.* Reſp. *Quod accidentia iſta non habent potentiam conuertendi aliam ſubſtantiam in Sacramentum. Quia non fit conuerſio niſi per virtutem verbi.* Infrà. *Poteſt dici, ſine præiudicio, quòd quocumq; humido, appoſito & diuiſo ſecundùm partes ſpeciei continentis, non eſt ibi Sacramentum &c. cùm ergo obijcitur, quòd ex tali appoſitione ſpecies illæ maiorem occupant locum: iam non eſt ſpecies quæ fuit ante, &c. Sicut non eſt eadem albedo numero quæ eſt minus & magis intenſa, &c. Ex illa appoſitione fit alia ſuperficies quam prius; quia alia quantitas, & ita deſinit eſſe Sacramentum.* Infrà. *Completa eſt mixtio quando non eſt aſſignare aliquam partem ſecundùm exiſtentiam veritatis in mixto. ſecundùm materiam, neq; ſecundùm ſpeciem, quæ ſit differens ab alia.*

*Aliter reſpondent aliqui, quòd ſiat vna quantitas, cuius pars eſt in ſubiecto, alia ſine ſubiecto: ſicut pars vna poteſt eſſe alba alia nigra. Hoc autem non videtur conſonum rationi: cùm humidum ſit terminabile proprio termino, &c.*

Art. 4. *De operatione tranſmutationis.* §. 1. *An corruptio ſit naturalis.* Reſp. *Quod ſic. Quia in his formis relinquitur natura contrarietatis.* §. 2. *De generatione vermis.* Reſp. *Quia quæ per ſe ſunt ad corruptionem, ſunt à natura: Operatio iſta dicenda eſt naturalis ſimpliciter; ſecundùm quid tamen poteſt dici mirabilis.*

M. 3. *De contento huius Sacramenti.* Art. 1. *Ad* 1. Videtur terminare exiſtentiam extenſam Corporis Chriſti in cœlo: non tamen expreſſè negat poſſibilem ſimul alibi. *Art.* 2. *Reſp.* Totum Chriſtum Sacramentaliter non contineri ſub vtraque ſpecie: ſed Carnem ſub ſpecie panis, Sanguinem ſub ſpecie vini. | *Art.* 2. *Reſp.* Chriſtum Deum, & hominem integrè & realiter contineri ſub ſpecie panis: Ex illo B. Aug. *Nobiſcum eſt veritas Dominus .i. Chriſtus in ſua veritate naturæ duplicis, vel veritas increata.* Ad 2. *Sine præiudicio, in ſpecie panis eſt corporeitas, ſiue Corporis quantitas &c. Vnde ſimul ſunt Corpus ſubſtantia, & Corpus accidens.* Subdit, quantitatem extrà ſubiectum poſſe eſſe cum alia in ſubiecto: mentem autẽ Philoſophi eſſe duo corpora ſubſtantialia non poſſe eſſe ſimul. *Art.* 4. *Reſp.* Corpus Chriſti eſſe ſub his ſpeciebus, in ſua quantitate. *In hoc Sacramento,* inquit, *quædam ſunt ſecundùm naturam, vt accidentia in quantitate: quædam ſuprà naturam, vt accidentia ſine ſubſtantia: quædam ſuprà naturam & intellectum, vt quod Chriſtus ibi ſit in tota ſua quantitate &c. Licet Corpus Chriſti non excedat formam illam: non tamen eſt eiuſdem quantitatis.* Infrà. *Partes non ſunt ibi in confuſione, neque eſt pes vbi eſt manus. Neque pars habet ſitum alterius partis, neque ſitum totius: ſed Corpus Chriſti habet ibi partem extrà partem in debita quantitate.* Infrà. *Etſi quantitas non facit ad cibationem: facit tamen ad Sacramenti veritatem, & perfectionem; vt corpus contentum ſit habens omnem perfectionem &c. Eſt conuerſio ſubſtantiæ quantæ, in quantam &c. Si eſſet ibi tantùm veritas ſubſtantiæ: non verè diceretur Corpus Chriſti. Si Corpus Chriſti eſſet ibi ſine debita quantitate: eſſet ibi imperfectum, & non in ſuo benè eſſe.*

Art. 5. *An totus Chriſtus ſit ſub forma totali, an totus ſub qualibet parte.* Reſp. *Duplex eſt poſitio.* 1. *Quod ſub totali ſpecie ſit totũ Corpus, non ſub vlla parte indiuiſa. Sed & hoſtia eſt vna actu, plures potentiâ &c.* Exemplo S. Aug *De ſpeculo integro & fracto. Fractio non eſt cauſa, ſed conditio ſine qua non.* Addit exemplum vnius vermis actu: qui eſt plures potentia. *Alia eſt poſitio quòd totum Corpus continetur ſub qualibet parte. Et hæc mihi videtur ſana, & vera: quia tota conuerſio fit ex vi verborum ante fractionem: non autem poſteà ex fractione.* Infrà. *Pronomen Hoc demonſtrat Corpus Chriſti, etſi ſub mille partibus contineretur &c. Dicunt quidam quod quamuis anima ſit in qualibet parte corporis, tamen ſemel eſt: ita & Corpus Chriſti. Sed melius videtur, quod eſt ibi ſemel prout continetur à tota forma, & pluries prout à pluribus, non tamen infinities: quia nec Hoſtia eſt diuiſibilis in infinitas partes ſecundùm ſpeciem; ſed ſecundùm materiam, vt volunt Philoſophi. Licet Corpus non extendat ſe extra formam panis, non propter hoc dicitur continualiter contineri &c. Licet Corpus Chriſti non peruenit ad ſimplicitatem ſpiritus, quantum ad ſubſtantiam: habet modum conformem exiſtendi, imo minus arctatur quantùm ad aliquid quàm Spiritus. Si autem quæritur ſub quot & quibus partibus conſiſtat Corpus Chriſti totum: dicendum quod ſub quibus & quot eſſet ſubſtantia panis: vnde ſub minimis, non ſecundùm quantitatem, ſed ſecundùm ſpeciem.*

Art. 6. *An Corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus diffinitiuè.* §. 1. Reſp. *Quod Corpus Chriſti ſimul non continetur diffinitiuè ſub ſpeciebus: plures enim ſunt ſpecies continentes ipſum ſimul, & ſemel. Quia vero plures materiæ in pluribus locis ſimul in ipſum poſſunt conuerti: non habent terminum ſubſtantiæ limitatum ad locum vnum.*

Ad 1. *Corpus Chriſti inquantùm eſt indiuiduum continetur in loco diffinitiuè: ſed quia plura in ipſum conuertuntur, non habet eſſe diffinitiuum in loco vno.* Ad penult. *Quòd ſic Corpus poſſet eſſe vbiq; vt Deus.* Reſp. *Saltem oportet quot Sacerdos habeat locum. Quod ſi eſſent tantũ tria loca: poſſet eſſe vbique; non ſicut Deus ex ſua immenſitate, ſed propter locorum paucitatem.* Ad vlt. *Corpus Chriſti tenet medium inter eſſe immenſum, & definitiuum: nec eſt omnino immobile, nec motum vel immotum; ſed mota ſpecie, per accidens mouetur.*

§. 2. Reſp. *Sine præiudicio, Corpus Chriſti vt contentum ſub toto, continetur diffinitiuè ſub vna ſpecie: ſed vt contentum ſub ſingulis eius partibus, ſic non continetur diffinitiuè.*

§. 3. Reſp. *Conuerſio Sacramentalis in Corpus Chriſti vnitum Diuinitati, eſt coniuncta cauſa quare Corpus*



Digitized by Google

*Chriſti ſimul & ſemel eſt in locis diuerſis. Ex vnione enim Corporis cum Deitate, poteſt ipſum Corpus eſſe in pluribus locis: ex conuerſione panis in ipſum Corpus, illud poſſe reducitur in actum.*

Ad 1, videlicet. *Si daretur aliquibus verbis virtus conuertendi panem in Corpus Petri: tunc Corpus Petri poſſet eſſe in pluribus locis, vt ſi fuerit huiuſmodi conuerſio in pluribus locis. Dicendũ quod non ex hoc cõtingeret eſſe in pluribus locis: ſed fieret conuerſio in Corpus Petri exiſtentis in loco; nec ex multiplicatione conuerſionis multiplicaretur eſſe ipſius in locis diuerſis. Non enim corpus quodcumq; habet poßibilitatem vt ſit in pluribus locis: ſed † ſolum illud, quod per vnionẽ in Diuina natura accedit ad participationẽ proprietatis Deo conuenientis, qui eſt vbique &c. Vel poteſt dici quod ratio eſt multiplicata conuerſio. Sed hoc poſito, videtur quod ſimiliter poſſet contingere de Corpore Petri.*

Art. 7. *An Corpus Chriſti contineatur ſub Sacramento localiter ſeu circumſcriptiuè, vt idem ſit quod circumſcriptibiliter paßiuè non actiuè.* Reſp. *Quod non propriè: quia commenſuratio ſubtraheret ei debitam quantitatem: configuratio, debitam figuram.* Ad hoc Notat, Corpus Chriſti contineri à ſigno, ſicut Corpus ſubſtantia à Corpore quantitate. Corpus enim Chriſti quaſi replet vacuitatem quæ eſſet ex conuerſione panis. *Sed ſub 4. differentijs.*

1. Quod quantitas panis continens non inſit Corpori Chriſti. 2. Quod non commenſuretur. 3. Quod quælibet pars contineat totum. 4. Quod quantitas panis non contineat Corpus Chriſti quaſi ſuperficies localis: Sed ipſa cum Corpore Chriſti ſic contineatur à ſuperficie Corporis ambientis. Porrò proprietates loci continentis ſunt. 1. Adæquatio. 2. Cõmenſuratio. 3. Conterminatio partium locati ac loci. Infra. *Alia eſt ordinatio partium in toto, alia totius in loco: & ab hac abſtrahitur Corpus Chriſti vt eſt ſub Sacramento. Quadam proprietates Corporis reſpiciunt corpus abſolutè, quadam ad aliud. Ab abſolutis non abſtrahitur ſub Sacramento, ſed à relatiuis.* Infrà. *Corpus Chriſti poteſt dici moueri hic, & quieſcere ibi.* Infrà. *Non videtur veritati contrarium, quod Corpus Chriſti ſub Sacramento ſtet, aut ſedeat, ſicut in cœlo: ex quo iſta poſitiones quodammodo ordinationem partium in toto reſpiciunt; ſed ſub Sacramento non eſt configuratio, & conterminatio partium continentis & contenti.* Infrà. *Corpus Chriſti eſt extenſum parte extrà partem: nec tamen continetur ſecundùm iſtam extenſionem à Sacramento. Vnde continentia non eſt ſecundùm hanc extenſionem: ſed contentum ſecundùm illã.* Sub finem. *Si negetur vniuerſaliter Corpus Chriſti eſſe in loco definitiuè, falſum eſt: Si particulariter verum eſt. Hic habet locum verbum Aug.* Si ratio quæritur non eſt mirabile: Si exemplũ quæritur non eſt ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe quod fatemur nos intelligere non poſſe. ]

Art. 8. *An Chriſtus contineatur ſub Sacramento comprehenſibiliter.* §. 1. *An ab intellectu viatoris.* Reſp. *Non poteſt comprehendi à viatore naturaliter: ſed poteſt auxilio fidei & gratia, credendo, & concordando ratione. Quia intellectus naturaliter procedit ex ſenſibus & phantaſmatibus.* §. 2. *An exiſtentia Corporis Chriſti ſub Sacramento ſit ſupra intellectum comprehenſoris.* Reſp. *Hac exiſtentia Chriſti eſt ita ſuprà omnem modum eſſendi rei corporalis: quòd viſus quantumvis glorioſus ex ſe non poßit illum attingere, ſicuti eſt. De Beata Virgine etſi pium eſt ſupponere quod ſit ſibi datum videre Chriſtum viſu corporali, prout eſt ibi: hoc magis ex priuilegio, quam communi dono gloria. Comprehendere enim non tantum eſt ſuprà ſenſum, ſed ſuprà intellectum.* Ad. 1. *Modus exiſtendi eſt ad quem vis ſenſitiua non poteſt attingere. Qua circumſtant ſunt etiam ſupra intellectum. Nihilominus † intellectus hoc videt clare.*

Quæſt. 42. *De fractione Hoſtia.* M. 1. Reſp. *corpus chriſti verum non frangitur: imò in quotcumq; partes ſpecies diuiditur, ipſum corpus eſt totum & integrum.* Ad 1. *Ex Aug. & confeſſ. Bereng. dictum eſt ratione ſpecierum; nec modus iſte loquendi eſt tenendus. Recipit tamen Eccleſia confeßionem Bereng. & publicauit, quamuis minùs expreſſam, ad elidendũ eius errorẽ &c. Dicitur corpus chriſti manducari ratione incorporationis: non quia manducans illud ſibi incorporat, ſed è contra.* Ex B. Aug. 7. Conf. x.

Memb. 2. Reſp. *Fuit opinio quod ibi non eſt vera diuiſio, ſed tantùm apparens &c. Fuit alia, quòd homo frangit, ſed nihil frangitur: quia accidentia frangi per ſe non poſſunt &c. Eſt alia rationabilis, quòd vera diuiſio eſt ibi, vera quantitas, vera ſoliditas.*

Membr. 3. Reſp. *Quicquid eſt indignum corpore chriſti, conuenit ſpeciei &c. Non cadunt in idem numero, ſpecies continens, & corpus chriſti &c. Eadem ratione qua ſpecies dicitur Sacramentum, dicitur Hoſtia conſecrata: ratione panis cuius erat ſpecies &c. Conſecratio reſpicit propriè ipſam ſpeciem, non corpus contentum. Vnde alia eſt Hoſtia conſecrata in hoc Altari, quàm in illo. Si obÿciatur, quod Hoſtia eſt illud quod offertur. Et panis dicitur Hoſtia, vt patet in oblatione &c. Qui etſi non offeratur in ſe, offertur illud in quod conuerſum eſt, vel eſt ſaltem cauſa donationis: Offerimus de tuis donis ac datis, Hoſtiam &c.*

Memb. 4. Reſp. *Ipſa fractio Paßionem chriſti ſignificat.* Ex ſent. Proſperi. *Dum frangitur Hoſtia &c.*

Memb. 5. Reſp. *Nulla pars ſpeciei eſt vacua à continentia corporis chriſti. Nec ſequitur quòd contentum ſit eiuſdem figura cum continente &c. Quia non eſt commenſuratio nec configuratio &c. Duplex eſt repletio: quadam reſpicit inanitatem quantitatis, quadam ſubſtantia &c. corpus chriſti non replet hic inanitatem quantitatis, ſed ſubſtantia.*

## *Ex Doctrina Scholaſtica S. Bonau.*

[ *Diſt. 10. part. 1. art. 1. q. 1.* An Chriſtus ſit in Sacramento altaris ſecundùm veritatem. *Reſp. affirm. vt Alenſ. ſup.* Quia quamuis Corpus Chriſti terminum habeat in cœlo, quantùm ad exiſtentiam naturalem: non quantùm ad poteſtatem conuerſionis in ipſum.

*Ad 2.* Illa virtute ſupernaturali Corpus Chriſti fit alibi: qua aliud conuertitur in ipſum.

*Quaſt. 2.* An Corpus Chriſti ſit in altari ſecundùm quantitatem ſuam naturalem. *Reſp.* Quidam dixerunt quod non &c. Sed hæc poſitio quamuis non ſit erronea; eſt tamen errori propinqua; quia ſubſtantia corporea non poteſt benè eſſe ſine ſua quantitate, & accidentibus; multo minus corpus viuens, organicum.

*Ad 1. ex Aug. de veritate chriſti vbique. Reſp.* Non diſtinguere veritatem ſubſtantiæ ab accidentibus, ſed à ſenſibili apparitione.

*Quaſt. 3.* An Corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus diffinitiuè. *Reſp. vt Alenſis ſuprà.* Nec immenſè eſt ſicut Deus: nec omnino diffinitiuè, ſicut aliquod indiuiduum; ſed medio modo, ſicut Deus per gratiam



Digitized by Google

non eſt in omnibus, ſed in pluribus. Si quæratur ratio &c. Credo quia plura conuertuntur in ipſum totũ, & in pluribus locis. Si quæratur quare plura: quia Dominus inſtituit. Si quæratur ratio inſtitutionis: quia eſt cibus ſpiritualis, & communis. Aptitudinem autem cibandi ſpiritualiter, habet ex vnione cum Diuinitate: actum verò, ex exiſtentia ſub Sacramento. *Vbi videtur ſupplere doctrinam Alenſis ſuprà.*

*Quæſt. 4. & 5.* An Corpus Chriſti ſit dimenſiuè ſub illis ſpeciebus. *Reſp. Neg. vt Alenſ. ſuprà.*

*Quæſt. 5.* An Corpus Chriſti ſit in qualibet parte Hoſtiæ. *Reſp. Aff. vt Alenſis ſuprà.*

*Parte 2. Art. 1. q. 1.* An ſit æqualis vel maioris virtutis panem in Corpus Chriſti conuertere, quàm aliquid de nouo creare. *Reſp.* Maius eſſe creare quantùm ad terminũ ad quem in eſſe, & à quo ex nihilo, quàm tranſubſtantiare: ſed hoc maius eſt quantùm ad præſentiam Chriſti in altari. *Ad 4.* Quod creatur non habet vllam potentiam vt ſit: Corpus autem Chriſti habet aliquam vt ſit in pluribus locis.

*Quæſt. 2.* An virtus tranſubſtantiandi ſit nobilior virtute concipiendi Chriſtum. *Reſp.* Virtus principalis tranſubſtantiandi, & concipiendi Chriſtum eſt in ſe æqualis: ſed in manifeſtanda omnipotentia inæqualis; in hac laudatur Dei Maieſtas, in illa magis captiuatur ratio noſtra. Sed virtus inſtrumentalis concipiendi Chriſtum fuit longè præſtantior in Beata Virgine, quam tranſubſtantiandi ſit in Sacerdote.

*Ad 1.* Per conſecrationem nihil nouum fit: ſed ſolùm vt quod erat in cœlo, idem ſine mutatione ſit in Altari.

*Quæſt. 3.* An virtus tranſubſtantiandi ſit data verbo prolato. *Reſp.* Quoſdam tribuere ei virtutem ſpiritualem: ſed tantùm in panem, non in ipſũ Corpus Chriſti. Sed quia non videtur intelligibile: eſt alia via, quod virtus verbi non ſit aliqua qualitas per quam operetur, ſed ex diuina inſtitutione. *Vt ſuprà col. 54. 55.*

*Quæſt. 4.* Non pertinet ad has diſſ. ſed ad Quæſt. de Materia & Forma. Infra Quæſt. de Materia.

*Art. 2. q. 1.* An exiſtentia Corporis Chriſti in Sacramento ſit ſupra intellectum viatoris. *Reſp. propè vt Alenſ. ſuprà.*

*Quæſt. 2.* An exiſtentia Chriſti ſub Sacramento ſit ſupra ſenſum comprehenſoris. *Reſp.* Quod ſic: quia eſt ſupra omnem modum corporalem exiſtendi.

*Ad 1.* Credo, *inquit*, quod intellectus Beati conuerſus ad ſenſum, certis indicijs cognoſceret quodãmodò eſſe ibi Corpus Chriſti. Vt B. Aug. *lib. 22. Ciu. cap. 4.* de viſione Dei per oculum glorioſum: ſicut quis videt aliquem viuere ex actibus vitalibus.

*Diſt. 11. Art. 1. qu. 11.* An ſit vera conuerſio panis in Corpus Chriſti. *Reſp. affirm. vt Alenſ. ſuprà.*

*Quæſt. 2.* An totus panis conuertatur in Corpus Chriſti. *Reſp.* Totum panem conuerti, ſolis accidentibus remanentibus.

*Ad 4.* In illa mutatione nihil poteſt eſſe commune: quia idem Corpus Chriſti non poteſt habere nouam materiam aut formam.

*Quæſt. 3.* An iſta conuerſio ſit annihilatio. *Reſp. Quod non, vt Alenſ. ſuprà.*

*Quæſt. 4.* An panis conuertatur in totum Chriſtũ. *Reſp.* Præcisè conuerti in Corpus Chriſti &c. *vt Alenſis ſuprà.*

*Quæſt. 5.* An hæc conuerſio ſit inſtantanea. *Reſp. affirmatiuè, vt Alenſis.*

*Ad 4.* Refert ac improbat quatuor opiniones de deſitione panis, & inceptione Corporis Chriſti. 1. Quod panis deſinat in tempore, quia eſt quid temporale: Corpus Chriſti in inſtanti, quia eſt particeps æternitatis. 2. Quòd eodem inſtanti quoad rem, ſed differenti ratione. 3. Quòd eodem inſtanti reali, ſed differenti virtute. 4. Quòd alio & alio inſtanti ſignato quoad rem, prout menſurat duas actiones. Sed quia nec panis nec Corpus Chriſti poſſunt eſſe eodem inſtanti communi: nec duo inſtantia poſſunt ſe immediatè conſequi, nec poteſt panis vllo priori temporis deſijſſe, quam Corpus Chriſti incipiat eſſe præſens: *eſt quinta*, inquit, *opinio*, quòd & panis habeat proprium inſtans ſuæ deſitionis, & Corpus Chriſti proprium inſtans ſuæ inceptionis, inter ſe diſtincta & conſequentia: ſed non poſſint aſſignari duo inſtantia conſequentia, aut ſimul, temporis communis.

*Diſt. 12. p. 1. Art. 1.* De exiſtentia accidentiũ ſine ſubiecto. *Quæſt. 1.* An accidentia poſſint eſſe ſine ſubiecto. *Reſp. affirm. vt Alenſis ſuprà.* Poteſt tamen, *inquit*, dici aliter, quod eſt accidens vt accidens, & eſt accidens ſecundum ſpecies ſeu differentias ſpeciales. Nam inquantum comparatur ad ſubiectũ habet dici accidens, in quantum ad operationem habet dici hoc &c. Comparatio accidentis ad propriam operationem ſecundùm aptitudinem, eſt eſſentialis, & inſeparabilis: Comparatio verò ſecundùm actum, conſequitur eſſentiam &c.

*Quæſt. 3.* An ſit verum accidentia eſſe ſine ſubiecto. *Reſp.* Aliqui volunt dicere quod illæ ſpecies ſint in aëre circumfuſo: ſed illud manifeſtè falſum eſt; tum quia non denominant aërem circumiacentem; tum quia impoſſibile eſt accidens tranſmigrare de ſubiecto in ſubiectum; tum quia locum replent & aërem excludunt.

*Art. 2.* De actione, & mutatione illorũ accidentiũ.

*Quæſt. 1.* An poſſint conuerti in alimentum. *Reſp.* Aliqui dixerunt quod accidentia illa non reficiunt, nec conuertuntur in alimentum &c. Sed communior eſt opinio quod percipiens Sacramentum alitur & nutritur.

*Ad 1.* Aliqui dicunt quod accidentia conuertuntur in ſubſtantiam, in quam conuerteretur ipſa panis ſubſtantia ſi adeſſet. *Infra.* Non quia de quantitate fiat ſubſtantia tantùm: ſed quia fit ſubſtantia quanta. Et hæc opinio ſatis eſt probabilis. Aliorum opinio eſt, quod ſuſcipiens ſpecies alitur: quia ſubſtantia reuertitur quæ prius ibi fuerat. Et iſta fuit poſitio Innocentij &c. Hunc autem modum credo probabiliorem, & ſecurum. *Ad 4.* Vterque modus ſatis probabilis videtur &c. Quis autem ſcit vtrùm Deus ſic vel ſic faciat. *Infrà.* Si quæras vtrum ſit creatio vel generatio vel alia mutatio: ſanè poteſt dici quod ſicut conuerſio eſt mutatio ſingularis, ſic & reuerſio.

*Quæſt. 2.* An accidentia habeant vim conuertendi

alia

Digitized by Google

alia in Sacramentũ. *Reſp.* Quod non, *vt Alenſis ſup.*

*Quæſt.* 3. An operatio ſpecierum ſit naturalis vel miraculoſa. *Reſp.* Quod operationes illarum ſpecierum in ſenſus ſunt naturales: quia in quantitate habent eſſe conueniens immutationi ſenſuum.

*Ad* 3. Aliter poteſt dici ſecuriùs & breuiùs &c. quòd cùm per naturam omnis virtus operans vel ſit ſubſtantialis, vel ſaltem ab illa dependeat: ſubſtantia circumſcriptâ, ſi vlterius accidens operetur, eſt miraculum. Si autem loquamur per comparationem ad obiectum, ſic dico quod accidentia habent multas operationes ibi naturales. ] *Per obiectum intelligit tam ſubiectum quam effectum talis actionis vel virtutis agendi.*

*Art.* 3. De fractione ſpecierum. *Q.* 1. An Corpus Chriſti in Euch. frangatur. *Reſp. Quod non: verbatim vt Alenſis ſuprà.*

*Quæſt.* 2. An ſub ſpeciebus ſit vera fractio. *Reſp. verbatim vt Alenſis.*

## Doctrina Scholaſtica Scoti.

### Dist. X. Quæstio I.

Vtrum poſſibile ſit Corpus Chriſti ſub ſpecie panis & vini realiter contineri. Hic duo ſunt declaranda.

1. Quid tenendum. 2. Qualiter illud eſt poſſibile. *De 1. ſat ſuprà per qq. Dogmaticas.*

*De 2.* Multa videntur hic impoſſibilia implicari ſequendo principia Philoſophorum. 1. Quod quantum ſit ſimul cum quanto, vel ſubſtantia corporis ſine ſua quantitate. 2. Quod maius ſit cum minori in loco æquali. 3. Quod incipiat hîc eſſe Corpus Chriſti, ſine mutatione propriè dicta. 4. Quòd idem quantum ſit in diuerſis locis realiter. De alijs alibi, Hîc autem, De poſſibili inceptione Corporis Chriſti hîc abſque mutatione locali: & de poſſibili eius quantitate hîc ſine ſuo modo quãtitatiuo. *De 1.* dicitur communiter. Quòd hoc eſt propter conuerſionem panis in Corpus Chriſti &c.

*Contra 1.* Præſentia eſt accidens differens & poſterius ipsâ ſubſtãtiâ: ergo non poteſt eſſe terminus cõuerſionis ſubſtãtialis. 2. Poſſet fieri Corpus Chriſti præſens cum ipſa ſubſtantia panis: & panis conuerti in Corpus Chriſti iam præſens. 3. Ex hac conuerſione, panis potius fieret intimè præſens Corpori Chriſti in cœlo, quàm Corpus Chriſti hic ſub ſpecie panis. 4. Deus poſſet conuertere panem in Corpus Chriſti vt in cœlo. 5. Panis quantus poſſet cum ſua quantitate conuerti in Corpus Chriſti multò maius. Ergo ex vi conuerſionis, Corpus Chriſti non fit præſens ſub ſpeciebus panis. *Quantum ergo ad iſtum Artic. &c.* Diſtinguit mutationem quaſi localem, in priuationem prioris præſentiæ, & acquiſitionem nouę: quę poſſit eſſe ſine priuatione prioris; quia eſt per accidens quod mutatio præſentiæ fiat ex hoc vel illo loco; ſed ſolum eſt per ſe vt fiat ex non hoc loco, ſeu non hac præſentiâ, ad hanc. Impoſſibile eſt autem Corpus Chriſti ex non præſente hîc fieri hîc verè ac realiter præſens: abſque aliqua mutatione reali, vel in ipſo, vel in eo cui realiter præſens fit. Ergo neceſſaria eſt acquiſitio huius pręſentiæ, ſine priuatione prioris. *Quæ, tamen,* inquit, *non poteſt dici propria mutatio localis:* tum quia non eſt priuatiua prioris vbi: tum quia non eſt propriè acquiſitiua alicuius vbi, ſed ſimplicis præſentiæ, veræ tamen & realis, qualis eſt præſentia Angelica: niſi quod per hanc Corpus Chriſti non determinetur ad vnicam, ſicut Angelus. *Sic ergo non eſt inconueniens Corpus Chriſti eſſe de nouo præſens alicui non habenti nouam formam abſolutam, nec nouum reſpectum: vel ſi habet nouum, & Corpus Chriſti habebit nouum; quia ſi ſpecies ſunt de nouo præſentes Corpori Chriſti, & Corpus eſt de nouo præſens eis &c.*

De 2. *Dicitur quod quantitas Corporis Chriſti non eſt ſub ſpecie niſi concomitanter.*

*Contra 1.* Siue ſit primus terminus tranſubſt. ſiue ſecundus: ſi eſt ibi habet ſuas proprietates neceſſarias. 2. Panis erat ſub ſuo modo quantitatiuo: ergo & Corpus Chriſti debet eſſe ſub ſuo. *Aliomodo dicitur quod partes Corporis Chriſti non ſunt extra ſe inuicem in Hoſtia: quia ſicut poſſibile eſt quod corpus ſit ſimul cum corpore; ita & quod pars vna Corporis ſit ſimul cum alia.*

*Sed contrà.* Illud tollit à Corpore Chriſti poſitionem in toto, & figuram &c. Si enim non diſtet caput à pede, ſed totum ſubintrat totum vſque ad minimam partem: iam non habebit ordinem partium in toto neceſſarium ad corpus animatum, nec figuram.

*Dico ergo aliter &c. præſuppoſito ordine partium in toto: poſitio ſeu ſitus dicit vltra hoc ordinem partium ad locum, ſiue ad partes loci, vel locantis: quod partes coextendantur partibus loci &c. Hanc autem poſſibile eſt Deum poſſe ſeparare à quanto, manente etiam poſitione prima, ſeu ordine partium in toto: non ſolùm per negationem termini, ſicut poſſet facere aliquod corpus quantũ extra vniuerſum; ſed etiam poſito termino &c.*

*Quod probo: Quia corpus ſe habet contingenter ad quamcumq́ poſitionem partium in loco: ergo & ad omnem.* Infrà. *Si quæras quid ſit quantitatem ſeruari ſine poſitione extrinſeca? Dico quod non eſt aliud, niſi abſolutum conſeruari ſine reſpectu extrinſecus adueniente. Sic etiam coexiſtentiam ſeu præſentiam conſeruari ſine poſitione illa, nihil eſt aliud niſi vnam relationem extrinſecam conſeruari ſine alia.* Infrà. *Ex dictis,* Ad 1. *Concedo hic aliquam mutationem, qua ſpecies fiunt præſentes Corpori Chriſti, & nouam præſentiam Corporis ad ſpecies: vel ſi non placet vti vocabulo mutationis, dicatur nouus reſpectus extrinſecus adueniens, ſine omni mutatione.* Ad 3. *Pars eſt extra partem, prout extra per ſe reſpicit ipſas partes Corporis: non autem locum vel partes loci.*

### Quæstio II.

*Vtrum idem Corpus poſſit eſſe ſimul localiter in diuerſis locis.*

*Hic tenetur à multis concluſio negatiua.* 1. *Quia ſic poſſet eſſe in infinitum ſicut Deus.* 2. *Quia ſic idem haberet ſimul multa contradictoria, aut contraria.* 3. *Quia ſic idem eſſet ſimul vnum & plura. Non ſic autem nunc in cœlo & in Sacramento: quia quæ conueniunt ſimpliciter Corpori Chriſti extenſiuè, non conueniunt ei Sacramentaliter.* 4. *Quia ſic corpus eſſet extrà ſuos proprios terminos: quod nec Angelus eſſe poteſt.* 5. *Quia qualibet res terminatur ad vnicam ſpeciem: ergo & ad*

vnicum

Digitized by Google

*vnicum locum. 6. Quia plura loca, & vbi, ſunt ſimul inter ſe, & in eodem incompoſſibilia.*

Quibus Scotus addit alias rationes proprias. 1. Quia ſic agens etiam naturale poſſet inducere nouum vbi, ſine priuatione prioris: cùm natura non intendat per ſe corruptionem. 2. Quia ſic materia poſſet eſſe naturaliter ſub duabus formis ſubſtantialibus: ſi idem alimentum in pluribus locis à pluribus comederetur. 3. Sic quilibet igniculus vbique præſens poſſet omnia ſimul incendere. 4. Idem poſſet hìc nutriri, & alibi non. 5. Idem poſſet hìc & alibi in duplum & triplum nutriri.

*Contrà.* Nec eſt ex terminis impoſſibile, nec inde euidenter ſequeretur vlla contradictio. 1. Quia non plus repugnat idem Corpus eſſe in pluribus ſimul locis, quam plura corpora eſſe ſimul in eodem loco: atqui poſſunt plura eſſe ſimul; ergo & idem in pluribus. Nam poſſibilius eſt ſtare multitudinem poſteriorum cum vnitate prioris, quàm è contrà: ergò poſſibilius eſt plura loca correſpondere vni locato: quàm vnum locum pluribus locatis.

2. Æquè eſt poſſibilis conuerſio quantitatis panis in quantitatem Corporis Chriſti, ac ſubſtantiæ in ſubſtantiam: & poteſt ſubſtantia quanta æquali Corpori Chriſti, conuerti in Corpus Chriſti quantum.

3. Corpus Chriſti eſt Sacramentaliter in pluribus locis: ergo poteſt à Deo fieri in pluribus, modo ſuo naturali.

4. Quia Angelus poteſt eſſe ſimul in pluribus locis diffinitiuè: ergo & corpus ſuo modo circumſcriptiuè. *Dico ergò ad Quæſt. quod Deo ſimpliciter eſt poſſibile idem Corpus ſimul facere in diuerſis locis localiter: quia plures reſpectus poſſunt fundari in eodẽ fundamento ad diuerſos terminos; ergò & plura vbi ſeu reſpectus eiuſdem quanti ad diſtincta loca continentia.* Infrà. *Mirùm eſt quod quia imaginatio non ſeparat locum à corpore, nec percipit vnum plurificari ſine alio, ideò dicatur ſimpliciter impoſſibile. Sed ſequendo rationem, plurificato poſteriori, non eſt neceſſe prius plurificari &c. Nec reſpectus ad vnum locum adæquat totum fundamentũ, potius quam alij reſpectus, aut quam præſentia ſubſtantia adæquet ſuam ſubſtantiam.*

*Pro ſoluendis Arg. pono tres prop.* 1. Quæ ſunt eſſentialiter priora ipſo vbi, non variantur propter vbi. 2. Sicut ſubiectum in vno loco reciperet eandem formam abſolutã à duobus agentibus ſibi ibidem approximatis: ſic & in pluribus locis. 3. Sicut agens ad diuerſa ſibi approximata in vno loco: ſic & in pluribus.

*Ad 1. Arg.* Ipſimet concedunt vniuerſum conuerti poſſe in Corpus Chriſti Sacramentaliter, ita & localiter: nec tamen eſſet vbique vt Deus ex vi ſuæ immenſitatis. *Ad 2.* Applicat tres illas propoſitiones. Vt quia mors & vita ſunt quid abſolutum, priuatiuum, vel poſitiuum, non variantur propter variationem vbi. Si ergò moritur hìc, moritur & ibi. Sed non, ſi vulneratur hic, ergò & ibi: quia vulneratio dicit diuiſionem continui vt hìc, ab aliquo hìc diuidente. Si tamen hìc habet vulnus, habet & alibi. *Infrà.* Primi & ſoli termini incompoſſibiles cuiuſlibet mutationis, ſunt priuatio & forma: ſed concomitantia poſſunt eſſe compoſſibilia. Vt animatio & inanimatio ſunt ſoli termini incompoſſibiles illius mutationis ſubſtantialis.

*Ad 1.* Ex ſuis ration. *Reſp.* Aliqua ſunt repugnantia reſpectu virtutis limitatæ, quæ non ſunt ſimpliciter incompoſſibilia: vt virginem parere &c. *Ad 2.* Non ſequitur quòd eadem materia informaretur pluribus ſimul formis ſubſtantialibus: ſed vel vna virtus totaliter vinceret aliam, vel vna plus minuſvè ex illo alimento conuerteret in ſuam ſubſtantiam. *Ad 3.* vt ad 2. *Ad 4.* Nutriretur in vno loco ex cibo alibi ſumpto; vel vtrobique. *Ad 5.* Eſſet remiſſior actio in omnia ſimul, quàm in ſingula &c.

Ad Arg. principalia, initio quæſt. *Ad 1.* Corpus habens vbi ſuperiùs & inferiùs, eſſet ſuperiùs & inferiùs. *Ad 2.* Relationes contrariæ, diſtantiæ & propinquitatis, æquè ac ſimilitudinis & diſſimilitudinis, poſſunt ineſſe eidem ſecundùm diuerſa fundamenta. *Ad 3.* Sicut idem temporale non poteſt eâdem temporalitate eſſe ſimul in diuerſis temporibus: ſic nec idem locabile eâdem localitate eſſe ſimul in duobus locis &c. *Ad 4.* Poterit in vno vbi quieſcere localiter, & in alio moueri &c. Imò & moueri ex vno loco, ad ſeipſum in alio, & ſeipſum inde excludere &c. quia propter identitatem Corporis, non aufertur ratio mobilis, nec motiui. *Ad 5.* Omnis actus immanens in hoc vbi, ineſſet ſed non inficeret vbique.

## Qvæstio III.

*Vtrum Corpus Chriſti poſſit eſſe ſimul in Cœlo & Euchar.* Concluſio eſt certa cuilibet fideli.] Ad quod reſumit ac repetit pleraque ex *1. & 2.* quæſt. Sed ſingulariter exprimit ſpecies conſecratas non eſſe rationem formalem Corpori Chriſti eſſendi hìc: quia nec ſunt formaliter in Corpore Chriſti, nec per eas aliquid ineſt ei formaliter.

*Ad 1. Arg.* Ex B. Aug. *Reſp.* De congruitate, non neceſſitate, vt Corpus Chriſti glorioſum ſemper ſit in cœlo. *Ad 2.* Quantitas eſt tantùm ratio fundamentalis remota eſſendi in loco: non autem proxima, nec propriè ratio formalis. *Ad 3.* Falſum eſt quæcumque vni & eidem ſunt eadem, eſſe eadem inter ſe: niſi de vniformi vnitate illius tertij in ſe, & illorum inter ſe; quia ſi eſt minor vnitas illius tertij in ſe, non poteſt concludi maior vnitas aliorum inter ſe, per vnitatem eorum in tertio. Eodem modo niſi illud tertium cum quo alia ſunt ſimul, ſit limitatum ſecundùm illam vnitatem qua ipſa ſunt ſimul cum illo tertio, non ſequitur ſimultas eorum inter ſe: nec qui Pariſijs ſimul eſſet cum aliquo, eſſet ſimul cum illo qui cũ eodem tertio eſſet Romæ, &c. Quia quod ſimul eſt in duobus locis, illimitatum eſt quantum ad vbi: ideò quæ ſunt ſimul cum illo, non oportet quòd ſint ſimul inter ſe. *Ad 4.* Etſi totum vt diſtans non continuetur ſibi ipſi vt diſtanti: tamen in vtroque termino diſtantiæ eſt verè idem habens eandem continuitatem partiũ in toto. Vnitas continui, eſt continuitas eius ex partibus: identitas eius ad ſeipſum, non eſt continuitas eius; ſed vnitas totius ad ſeipſum eſt vera identitas.

*Ad 5.* De motu & quiete eiuſdem ſimul, vt ſuprà & infrà.

Qvæstio

Digitized by Google

QVÆSTIO IV.

*Vtrum Corpori Chriſti corporaliter & Sacramentaliter exiſtenti, inſint eadem partes & proprietates.*

¶ Hîc duo ſunt videnda. 1. De ſuppoſito. 2. De quæſito. Supponitur enim Corpus Chriſti vtroque modo exiſtere &c. Sed dubium eſt quæ contineat vt eſt in Euchar. *Reſp.* Corpus Chriſti accipi pro primo perfectibili ipſius animæ, nec formaliter cõtinere animam, nec Sanguinem, nec accidentia: quia hæc differunt eſſentialiter; & ſi fuiſſet conſecratum in triduo mortis Chriſti, fuiſſet ſine anima & Sanguine. De quo *diſt. 11. q. 3.*

De primo quæſito, per concomitantiam, vel conſequentiam: poteſt intelligi vel neceſſariò ſimpliciter, & abſolutè; vel tantùm ſecundùm quid, ex conſequentia, aut ſuppoſitione.

*Concl. 1.* Non eſt neceſſarium ſimpliciter vt Corpus Chriſti habeat in Euchariſtia quicquid habet naturaliter: quia non eſt neceſſe ſimpliciter vt ſit in Euchar. nec erit poſt Reſurr.

*Concl. 2.* Nec eſt ſimpliciter neceſſarium, vt habeat ſub modo naturali, quicquid ſub Sacramentali: quia exiſtentia Corporis Chriſti eſt indifferens ad vtrumque modũ, & neuter eſſentialiter dependet ab altero. *Infrà.* Ex hac Concl. ſequitur. 1. Quòd ante Incarnationem potuit ita verè fuiſſe Euchariſtia, ſicut nunc. 2. Poſſe Corpus Chriſti deſinere eſſe ſub modo naturali, & verè ac realiter manere in Euchariſtia. Nec inde ſequeretur Corpus potuiſſe incipere per Incarnationem, cùm iam eſſet ante in Euchariſtia: quia potuiſſet idem poſteà Incarnari ex B. Virgine; ſed non tunc primò incipere ſimpliciter. Nec ſequeretur quod poſſet deſinere eſſe, & non deſinere: quia ſic non deſineret ſimpliciter, ſed tantùm ſub modo naturali.

*Concl. 3.* De neceſſitate ſecundùm quid, neceſſe eſt eaſdem proprietates & partes ſimul ineſſe Corpori Chriſti ſub vtroque modo. 1. Quia nullum prius & abſolutum deſinit eſſe aut variatur propter reſpectus extrinſecùs aduenientes, aut variatos. 2. Quia non poſſunt verificari ſimul contradictoria abſoluta de eodem ſecundùm idem: eſſent autem talia, idem corpus habere hîc aliquid abſolutum, & non habere ibi; quia hæc affirmatio abſoluta & negatio, non inſunt nec dicũtur *ſecundùm hîc vel alibi*, ſed abſolutè.

*1. Arg.* Negatur conuerſionem eſſe rationem præſentiæ &c. quia alia eſt præſentia animæ, alia Corporis Chriſti: cùm tamen panis non conuertatur in animam.

*Ad 2.* Si Sanguis eſt tantùm concomitanter ſub ſpecie panis: non eſt hîc bis eodem modo &c. Si autem Sanguis eſt per ſe pars Corporis animati, eſt quidem bis ex vi Sacramenti; non tamen eodem modo, ſed ſub ſpecie panis eſt tantùm vt pars, ſub ſpecie vini eſt per ſe primò. Ad reliqua ſatis ex prædictis.

Subdit alium dicendi modum, quòd etiam abſoluta poſſint ineſſe Corpori Chriſti in vno loco, & non in alio, abſque contradictione: quia Corpus Chriſti poſſet eſſe quantum hîc, quantitate quæ eſſet tantùm in cœlo: cùm præſentia quantitatis differat à præſentia corporis. Et ſic de præſentia animæ.

*Contrà.* Vbicumque Corpus eſt quantum, habet principium eſſendi quantum. Item deſinente corpore Chriſti ſub modo naturali aut eius quantitate: non eſſet quantum in Sacramento &c. Sub quo dubio relinquit ſuſpenſam reſponſionem.

QVÆSTIO V.

*Vtrum quæcumq; actio immanens ineſt Chriſto naturaliter exiſtenti, inſit ei in Euchariſtia.*

*Reſp. Concl. 1.* Chriſto vt hîc concomitanter ineſt omnis operatio, quæ primo ei ineſt vt in cœlo.

*Concl. 2.* Nulla ſenſatio poteſt primò ineſſe Chriſto vt in Sacramento.

*Concl. 3.* Operatio ſpiritualis poteſt primò ineſſe Chriſto vt in Euchariſtia.

*Concl. 1.* Probatur 1. Quia Operatio eſt forma abſolutâ: Ergò ineſt non obſtante quouis reſpectu præſentiæ.

*Contrà.* Operatio magis includit reſpectum, quàm aliæ formæ abſolutæ.

Dico quòd licet ſit in fieri continuè: poteſt tamen fieri & ineſſe ſine obiecti præſentia vel approximatione. Si obijcias, ad operationem requiritur etiam reſpectus ad obiectũ &c. Dico quod non oportet obiectum in ſe eſſe præſens propter terminationem actus: ſed tantum propter cauſationem. Vt patet de vidente creaturam in Eſſentia diuina.

2. Probatur prima concl. Ex intellectione Chriſti vt viatoris 3. Ex dolore ſenſitiuo, & morte inde ſecutura etiam in Euchariſtia.

*Concl. 2.* Probatur: Quia Chriſtus non eſt ibi modo extenſo, nec magis paſſibili ab vllo agente naturali, quam ſi Angelus eſſet præſens.

*Concl. 3.* Prob. Quia anima Chriſti intelligit æquè independenter à ſenſibus ac Angeli: ergò poteſt hîc intueri præſentia hîc: non autem in cœlo, ſi nimia diſtantia impediat intuitionem creatam. Hinc infert Chriſtum habere hic primo quoſdam actus ſpirituales, quos tantùm concomitanter habet in cœlo.

*Ad 1. Arg.* Non requiritur præſentia obiecti ad actum ſentiendi, niſi vt eſt eius cauſa. *Ad 2.* Organa ſenſuum ſunt hîc verè quanta, & tanta quanta in cœlo: nec extenſio requiritur ad actum ineſſe, ſed ad infieri primò. *Ad 3.* Diſtantia non impedit concomitantiam. *Ad 4.* Ad ſentiendum hic præſentia, oporteret ſenſationem primò hic fieri: non autem ad ſentiendum hic concomitanter abſentia.

QVÆSTIO VI.

*Vtrum Corpori Chriſti in Euchar. exiſtenti poſſit ineſſe motus corporalis.*

*Concl. 1.* Corpus Chriſti vt in Euchariſtia non poteſt primò moueri, mutatione propriè dicta, à virtute creata. Quia non eſt approximatum localiter.

*Concl. 2.* Poteſt primò moueri motu propriè dicto, immediatè à Deo. Quia eſt hîc capax formæ: ergo immediatè à Deo.

*Concl. 3.* Poteſt moueri motu extenſiuè ſumpto. Quia de facto mouetur, & eſt vbicumque Hoſtia circumfertur: poſſetque à Deo etiam extra Hoſtiam moueri, ſub eodem modo exiſtendi.

*Concl. 4.* Hoc modo & motu non mouetur niſi imme-



Digitized by Google

immediatè à Deo, ad motum Hoſtiæ à quocumque: quia Corpus Chriſti non adhæret Hoſtiæ niſi ex voluntate & ordinatione Dei; nec eſt vllo modo ſub ratione mobilis ab vlla virtute creata. Ac ſi Angelus eſſet voluntariè præſens lapidi: non moueretur moto lapide, niſi à ſeipſo &c. Nec eſt nouum miraculum quod Corpus Chriſti moueatur ad motum Hoſtiæ: ſed ex eadem inſtitutione Dei, & conſecratione ſub illis ſpeciebus.

*Concl. 5.* Concomitanter mouetur ad omnem formam abſolutam, vt in cœlo, & ab eodem agente. Quia abſolutum non variatur propter reſpectum extrinſecum: vt toties ſupra exemplificatur in alteratione, augmentatione, nutritione, & corruptione. Nec tamen, inquit, dico quod ſi Corpus corrumperetur in exiſtentia naturali, corrumperetur etiam in Euchariſtia. Quia corruptio propriè eſt ſeparatio formæ à materiâ permanente: non maneret autem in Euchariſtia materia ſine formâ &c. Nam primum ſignatum Euchariſtiæ eſt Corpus ex materia & forma, ſiue includat Sanguinem ſiue non: ſed ſeparata forma corporis à materia, non manet primum illud ſignatum; ergò nihil eius maneret. Non materia alibi ſub alia forma, propter contradictionem exiſtendi ſimul: neque materia hic ſine forma; quia non continetur hîc niſi quà pars totius: Ergò &c.

*Contrà.* Ex Quæſt. 4. maneret res Euchariſtiæ, etſi corpus nuſquam haberet exiſtentiam naturalem. *Reſp.* Toto corpore deſinente ſub modo naturali exiſtendi, non deſinere ſub alio: quia ſic tantùm amittit vnum modum exiſtendi; ſed corruptâ formâ corporis quoad eſſe, totum corpus corrumpi; nec materiam poſſe ſupereſſe, quia non eſt Sacramentaliter niſi vt aliquid totius.

*Concl 6.* Non mouetur concomitanter in Sacramento, motu locali qui in cœlo, nec aliquo ſimili: Quia talis motus eſt reſpectiuè ad locum in fieri & eſſe.

*Ad 1.* Illa diuiſio lateris quæ fiebat in cruce, non fieret primo in Sacramento: ſed ipſum latus fuiſſet etiam in ſe diuiſum ſub Sacramento, non tamen extenſiuè ad locum. *Ad 2.* Si nutriretur primo alicubi, eſſet nutritum concomitanter alibi. *Ad 3.* Ex Concl. 4. *Ad 4.* Ex Concl. 2. Iterum ad Arg. de nutritione monet quòd ſi nutritio eſſet neceſſaria alibi ad conſeruationem vitæ mortalis: non poſſet hic viuere niſi nutriretur ibi. Sed ſi tantùm eſſet Sacramentaliter: poſſet ſic immortaliter viuere ſine nutritione & reſpiratione. Alij tamen contendunt hanc concomitantium operationum & formarum abſolutarum non eſſe neceſſariam, nec poſſibilem naturaliter, ſed tantùm ſupernaturaliter & conſequenter.

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrum Chriſtus in Euchariſtia poſſit naturaliter transmutare aliud à ſe.*

*Concl.* Chriſtus non poteſt vti in Euchar. aliqua potentia corporea, ſiue corporis mixti, ſiue animati: quia talis potentia requirit ſubiectum approximatum localiter.

*Concl. 2.* Chriſtus in Euchar. poteſt vti quacumque potentia actiua ſpirituali, tum immanente, tum tranſeunte, tum in ſe ipſum, tum extra ſe: ad intelligendum, volendum, illuminandum, loquendum ſpiritualiter Angelis, vel fortè etiam hominibus præſentibus, ad mouendum animam & corpus ſuū, ſpecies conſecratas, & alia extra ſe, motu quaſi loli, non progreſſiuè, ſed ſimul. Quia hæc potentia & eius vſus non requirit vllam extenſionem: vt patet in Angelis.

*Ad 1. Arg.* Reſp. De potentia actiua quantum eſt ex ſe. *Ad 2.* De nutritione, vt ſupra. *Ad 3.* De reſpiratione. *Reſp.* Chriſtum non indigere hic reſpiratione. *Ad 4.* De potentia motiua, vt ſupra.

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrum intellectus creatus poſſet videre exiſtentiam Corporis Chriſti in Sacramento.*

*Concl. 1.* Intellectus noſter pro ſtatu viæ non poteſt naturaliter videre Corpus Chriſti vt ibi exiſtens. Quia dependet à ſenſibilibus, ſaltem quoad viſionem exiſtentiæ.

*Concl. 2.* Intellectus ſiue Angelicus, ſiue animæ ſeparatæ, ſiue hominis Beati, naturaliter poteſt videre exiſtentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. *1.* Quia nullus modus exiſtendi poteſt impedire intellectionem cuiuſuis entis, ſeu ſubſtantiæ ex ſe intelligibilis à tali intellectu. *2.* Quia talis intellectus poteſt videre præſentiam, vel abſentiam ſubſtantiæ panis ſub ſpeciebus: ergo & Corporis Chriſti. *3.* Quia totum ens creatum eſt proportionatum tali intellectui, tam ad cognitionem intuitiuam, quàm abſtractiuam: cùm hæc ab illa non differat niſi ex abſentia, vel præſentia obiecti. *4.* Quia ſupernaturalitas in fieri ab Agente, non facit ſupernaturale in eſſe vel intelligi: cùm ſubſtantiæ naturales ſint perfectiores ſimpliciter, accidentibus ſupernaturalibus; & Angeli habeant principia naturalia cognoſcendi omnes rerum ſpecies, ergò & virtutum ſupernaturalium.

*Concl. 3.* Intellectus Beatus nullo modo per actum beatificum videt Corpus Chriſti in Euchariſtia. Quia hoc non eſt obiectum beatificum, nec in eo ſpecialiter incluſum.

*Ad 1. Arg.* Quantumcumque aliquid ſupernaturaliter fiat, poſt quam poſitum eſt ineſſe, eſt quoddam ens naturale, & proportionatum intellectui naturali. ] An hinc neget omnem effectum ſupernaturalem in eſſendo, alibi ex profeſſo.

*Ad 2.* Non omnis cognitio fidei eſt ſimpliciter perfectior quacumque naturali etiam Angelica.

*Ad 3.* Angeli mali potuiſſent naturaliter cognoſcere Virginitatem MARIÆ, & alia ſecreta naturæ & gratiæ, niſi eis à Deo occultarentur. De quo *in 2. diſt. 9.* Et ſic exponendus eſt *S. Dion. 4. Diu. Nom.* & S. Ambr. *in Luc. 1.* Damaſc. autem *lib. 4. cap. 5.* Vbi ait, *quæ ſupra naturam ſunt non capi niſi fide, & hoc myſterium eſſe ſupra rationem & intellectum*: intelligendus eſt de intellectu humano aut Angelico impedito.

*Ad 4.* Futura contingentia non poſſunt naturaliter præſciri: ſed iam facta poſſunt videri &c. Reliqua ex prædictis.

QVÆSTIO

Digitized by Google

## QVÆSTIO IX.

*Vtrum Corpus Chriſti vt eſt in Sacramento poſsit videri oculo corporali.*

*Hîc dicitur* quòd nullus oculus poteſt videre naturaliter Corpus Chriſti in Euchariſtia. *1.* Quia non poteſt ibi eſſe contactus. *2.* Quia color habet quantitatem pro per ſe ſubiecto. *3.* Quia ſpecies non poteſt hic deriuari ab obiecto per mediũ. *4.* Quia Corpus Chriſti habet hic exiſtentiam ſubſtantiæ ſpiritualis.: Ergo nec ſupernaturaliter poteſt videri.

*Contra 1.* Angelus mouet localiter corpus ſine contactu: Item. Viſus perfectiſſimus poteſt percipere minimum ſenſibilis ſpeciei conſecratæ, ſub quo Corpus Chriſti eſt.

*Contrà 2.* Sicut color eſt in Corpore Chriſti quanto; ſed hîc non extenſo: ita nec ipſe coextenditur. *Sed ſi inferas, Ergo non poteſt alterare medium: nihil ad B.*

*Ad 3.* Licet hæc exiſtentia ſimilis Angelicæ: non tamen aufert ſenſibilitatem ſenſibilium.

*Ad Quæſt. ergo Dico 1.* Quòd Deus de potentia abſoluta poſſet cauſare in quouis oculo viſionem Corporis Chriſti in Euchariſtia. Quia hæc viſio eſt forma abſoluta: ergo poteſt produci à Deo independenter a præſentia vel influentia obiecti. Ex *lib. 1. diſt. 3.*

*Dico 2.* Quòd nulla viſio, etiam ſic cauſata, poſſet eſſe Corporis Chriſti vt hîc primò: quia vt hîc nec cauſaret, nec terminaret primò viſionem, defectu præſentiæ ad hoc proportionatæ. Nec miraculum ad hoc iuuat: quia Corpus vt hîc abſolutè non eſt viſibile, nec vt cauſatiuum viſionis, nec vt terminatiuum: miraculum autem non eſt ad id quod includit contradictionem.] Addit hîc Scholiaſtes, Eſſet viſio Corporis Chriſti vt hîc ſpecificatiuè.

*Ad 1. Arg.* Ab infallibilitate Beatorum in videndo. *Reſp.* Quod nec noſter, nec eorum viſus fallatur, videndo ſuum viſibile: ſed intellectus noſter, inde erroneè iudicando de ſubſtantia. Intellectus autem Beatus videret intuitiuè ſubſtantiã ſub accidentibus.

*Ad 2.* Negatur quod lux punctualis eſſet viſibilis, aut diffunderet ſe. *Ad 3.* De reflexione luminis à puncto. *Reſp.* Non reflecti à luce punctuali, ſi quæ ſit, ſed à primo obiecto.

## DIST. II. QVÆSTIO I.

### *An Tranſubſtantiatio ſit poſſibilis.*

*Art. 1.* Quid ſit? *Tranſubſtantiatio eſt tranſitio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam. Totalis* .i. Non tantùm alicuius partis, vel totius quoad aliquam partem, nec quoad ſolam rationem totius, vt in generatione: ſed, *Totalis* .i. Quoad totum & omnes eius partes. *Subſtantiæ &c* .i. Non tantùm alicuius accidentis, aut totius accidentalis, quæ tranſitio potius Tranſaccidentatio diceretur: ſed totius ſubſtantialis & omnium partium eius ſubſtantialium, in totum ſubſtantiale. Seu eſt tranſitio totalis ſubſtantiæ, nec in ſe tota, nec in vlla ſui parte permanentis, ſed totaliter deſinentis eſſe, in aliam ſubſtantiam *totaliter incipientem eſſe.*] Intellige ſimpliciter, vel ſecundùm quid.

*Art. 2.* De poſſibilitate huius tranſubſtantiationis: ſed à Deo ſolo. Quia poſſibilis eſt talis deſitio vnius, & inceptio alterius: ſed ſoli Deo; quia virtus creata ſemper requirit ſubiectum permanens ſuæ actionis, & effectus. Solus autem Deus habet potentiam ſuper totum eſſe & non eſſe, ad producendum ex nihilo, reducendum in nihilum, & transferendum ab vno totali eſſe, ad aliud, ſine medio.

Art. 3. *An ſit mutatio.* Refert, & refutat opinionem quòd Tranſubſtantiatio ſit mutatio obiectiuè, non ſubiectiuè: vt de generatione Filij Dei, *lib. 1. diſt. 5.*

*Contrà.* 1. Ex 6. *Phyſ.* Mutatio eſt quo aliquid poteſt aliter ſe habere nunc quam priùs: quod tantùm conuenit ſubiecto.

*2.* Quia hîc nec ſubiectum, nec obiectum, ſeù terminus ad quem mutatur. Si dicatur, quod obiectiuè verificatur in creatione pro termino ad quem: hîc autem pro termino à quo, ſeu pane qui conuerſione mutatur.

*Contrà.* Terminus à quo non manet: & ſic non ſe habet aliter quam priùs; nec ſequitur, aut idem eſt mutari quod conuerti, aut è contrà.

*Dico ergo* propriè loquendo, quod Tranſubſtantiatio non eſt mutatio &c. Quia mutatio præter ſubiectum quod mutatur, & formam ſecundùm quam mutatur, & habitudinem ſubiecti ad formam: formaliter importat ſucceſſionem immediatam informationis ad non informationem, & è conuerſo.

*Infrà.* Si autem velis extẽdere mutationem ad Tranſubſt. poteſt dici ex 5. *Phyſ.* quod triplex eſt mutatio. 1. Ex non ſubiecto in ſubiectum. 2. Ex ſubiecto in ſubiectum. 3. Ex ſubiecto in non ſubiectum: Extendendo ſubiectum ad quodlibet ens poſitiuum.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum ſit poſſibile quodlibet ens conuerti in quodcumque.*

*Art. 1.* De conuerſione Dei in creaturam. *Dico quod non:* quia nihil poteſt conuerti, nec vt terminus à quo, nec vt terminus ad quem, niſi cuius eſſe & non eſſe totaliter ſubeſt virtuti conuertentis.

*Art. 2.* De conuerſione creaturæ in creaturam.

*Dico.* Quodlibet poſſe conuerti in quodlibet: quia ſubeſt potentiæ diuinæ quantùm ad eſſe totale & non eſſe.

*Ad 1. Arg.* Verbum eſſe Incarnatum non dicit verbũ eſſe terminũ alicuius actionis tranſeuntis &c.

*Ad 2.* Deus non poteſt eſſe terminus vllius actionis ſeu productionis; ſed tantùm obiectum operationis intellectualis.

Ad Argumenta in oppoſitum. *Ad 1.* Nihil poteſt conuerti in Deum. *Ad 2.* Etſi quantitas panis conuerteretur in quantitatem Corporis Chriſti: non tamen eſſet hîc ex vi conuerſionis. Quia genitum fit vbi eſt, & manet materia ex qua fit: ſed talis conuerſio non fieret ex termino permanente.

*Contrà.* Materia non eſt ratio eſſendi in loco, ſed quantitas: quæ non manet eadem in genito & corrupto. *Dico.* Quod materia ſecundum ſe habet eſſe in loco definitiuè: vt ſub quantitate, circumſcriptiuè. Ideò recipit formam vbi præfuit. *Infrà.* Eſto quod terminus conuerſionis ſit vbi præfuit con-

uerſum: non tamen neceſſariò ibi localiter, nec adæquatè.

*Ad* 3. Ex B. Aug. *7. de Gen. ad litt. cap. 4.* Reſp. Omne corpus habere aliquam potentiam naturalem ad conuerſionem in quodlibet corpus: non ſic autem in ſpiritum; nec tamen ideò impoſſibilitatem.

*Ad* 4. Abſolutum poſſe conuerti in reſpectiuum, & è contra: ſed non ſine fundamento, & termino illius reſpectiui.

QVÆSTIO III.

*Vtrum panis conuertatur in Corpus Chriſti in Euchar.*

Hic duo videnda ſunt. De *Art. 1.* quid ſit tenendum: ſat ſuprà *à col. 357. ad 361.*

*De 2. Art.* Quomodo poſſit declarari, ſunt duo declaranda. 1. Quomodo poſſit fieri Tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti præexiſtens. 2. Quid poſſit eſſe formale in termino ad quem conuerſionis. *De 1.* Siue ad Tranſubſt. non requiratur niſi quod vterque terminus ſit ſubſtantia, & ſit plenè in obedientia agentis quantum ad totale eſſe & non eſſe: ſiue requiratur mutua conuertibilitas, propter principium potentiale: vtrumque ſaluatur in propoſito. Quia tam panis, quam Corpus Chriſti totaliter eſt in poteſtate Dei, quantùm ad totale eſſe & non eſſe: Habent etiam materiam eiuſdem rationis, &c. Subdit, ac refutat opinionem quòd Deus poſſit conuertere quodlibet corpus in quodlibet: quia ipſe ſolus agit in materiam, vt eſt quid, & omnino indiſtincta; ſicque poteſt eam facere cuiuſlibet formæ, ac corporis. Quod ſi intelligeretur vt ſonat, de materia verè ac realiter exiſtente: quaſi ex materia panis fiat materia inexiſtēs Corpori Chriſti: meritò refutatur à Scoto, vt contra fidem Tranſubſt. Sed videtur intentū Ægydij, Durandi, & ſimilium fuiſſe de materia ex ſe tantùm potentiali, nec exiſtente niſi ex vi formæ in aliquo Corpore. Quo ſenſu non eſſet expreſſè contra fidem.

*Quantùm ergo ad iſtum Art. Dico* quòd poſſibilitas abſoluta conuerſionis panis in Corpus Chriſti, eſt ex plena obedientia vtriuſque termini, reſpectu virtutis Diuinæ. *Sed hic eſt dubium*, propter terminum ad quem præexiſtentem &c. *Dici poteſt*, quòd eſt impoſſibile Tranſubſt. partialem eſſe in præexiſtens; quia illa eſt mutatio &c. ſed oppoſitum eſt in Tranſubſt. totali &c. Sed iſtud non ſufficit: quia licet non oporteat terminum iſtius Tranſubſt. eſſe nouum propter rationem mutationis: videtur quòd oportet eſſe nouum, quia eſt terminus nouæ actionis &c. Vnde etiam Filius Dei qui eſt terminus actiuæ generationis Patris: per illam accipit eſſe, & perſonam eſſe, & Deum eſſe.

*Si dicas*, Tranſubſt. non eſt niſi actio deſtructiua &c. Hoc non videtur probabile, quia eſt inter terminos poſitiuos.

*Poteſt dici*, quòd Tranſubſt. poteſt duobus modis intelligi. 1. Quòd ſit ad ſubſtantiam, vt per ipſam accipientem eſſe. 2. Quòd ſit ab ſubſtantiam, vt per ipſam accipientem eſſe hîc. Prima poteſt dici *productiua* ſui Termini ad quem; ſecunda *adductiua*; quia per ipſam adducitur terminus vt ſit hîc. Sub alijs verbis: poteſt eſſe vel ad identitatem ſui termini, vel ad præſentialitatem eius alicubi. Primo modo non poteſt eſſe ad ſubſtantiam quæ præfuit: quia non videtur poſſe poni in ſubſtantiam manentem ſecundùm eſſe ſuum antiquum. Sed ſecundo modo benè poteſt eſſe &c.

*Si obijcitur* 1. Quòd iſta ſecunda non eſt Tranſubſt. quia terminus eius non eſt ſubſtantia vt ſubſtantia, ſed eſt præſentia &c. 2. Tunc erit terminus ad quem per Tranſub. alicubi, vbi prius non fuit, contrà *diſt. 10. q. 1.* 3. Quot eſſent hic præſentiæ, tot conuerſiones.

*Ad* 1. Poteſt dici quod ſubſtantia eſt terminus ipſius Tranſubſt. quia ſuccedit ſubſtantiæ: non tamen habet eſſe ſubſtantiale nouum, ſed tantùm præſentiam nouam. *Ad* 2. Dico quod Tranſubſt. primo modo dicta, non facit terminum ad quem eſſe vbi non præfuit: & ita debet intelligi *diſt. 10. q. 1.* ſed ſecundo modo dicta, includit mutationem quandam ad ſimplicem præſentiam. *Ad* 3. Poteſt dici quòd non eſt ibi niſi vnicum primò præſens, quod eſt vnicum ſignatum huius ſigni &c.

*Pro iſta via* videtur eſſe ratio iſta: quia eo modo terminus prior conuertitur in poſteriorem, quomodo hic ſuccedit illi: ſed terminus poſterior non ſuccedit priori ſecundùm eſſe ſimpliciter, ſed ſecundùm eſſe hic; ergo nec panis conuertitur in Corpus Chriſti, niſi ſecundùm eſſe hic.

*Si dicas* quod abſolutè eſſe Corporis ſuccedit ipſi eſſe panis: quia Corpus manet ſecundùm ſuū eſſe ſimpliciter, pane deſinente eſſe. *Contrà.* Hoc non eſt ſuccedere ſicut terminum termino: quia ſic Sol poſſet dici ſuccedere cuicumque corrupto.

*Secundum hanc* viam poteſt teneri, quòd termini iſtius tranſitus ſunt incompoſſibiles, eo modo quo terminant: quia ſic non ſunt ſimul, licet de potentia abſoluta Dei poſſint eſſe ſimul. Sicut inter aërem & ignem. *Contrà.* Per conuerſionem qua Corpus Chriſti vt hîc, ſuccedit pani vt hîc, non deſinit panis eſſe niſi vt hîc, & per conſequens non deſinit eſſe ſimpliciter. Reſponſionem quære, infrà *Quæſt. 4.*

*De 2. Art.* Seu de formali termino ad quem Tranſubſt. *Dico* quòd ſicut in conuerſo ſunt materia & forma: ita & in termino ad Quem. Ponitur enim hîc compoſitum primò conuerti in compoſitum: & ita in vtroque termino aliquod eſſe formale, & aliquid materiale. Subdit opinionem S. Thomæ *3. part. quæſt. 75. art. 6.* Terminum primum huius conuerſionis eſſe Corpus Chriſti, vt compoſitum ex materia & anima intellectuali: non quatenus hæc formaliter cōſtituit animal, aut hominem in eſſe hominis vel animalis; ſed quatenus continens virtualiter omnes inferiores formas ſubſtantiales, conſtituit formaliter corpus in ratione corporei, ſeu corporis ſubſtantialis. Quaſi non poſſet eſſe corpus, vt compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali mixtionis, corporeitatis, corporis organici, vel humani. 1. Quia ſicut vnius entis non poteſt eſſe niſi vnum eſſe: ita niſi vna forma ſubſtantialis quæ dat eſſe rei. 2. Quia forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter: accidentalis autem tantùm ſecundum quid. 3. Quia ſi genus ſumeretur ab vna forma, & ſpecies ab alia: prædicatio generis de ſpecie non eſſet per ſe primo modo. 4. Quia fruſtrà plures formæ; cùm perfectior contineat virtualiter imperfectiores.

Addit opinionem Ægidij *Theor. 28.* quòd terminus

minus huius conuerſionis ſit corpus quantitatiuum, ſeu vt cōpoſitum ex materia & modo quantitatiuo.

Subiungit diſtinctionem Henr. Gandenſis *quodl.* 2. 3. 4. Quod ſolus homo poſſit habere duplicem formam ſubſtantialem: quia producitur à cauſa ſecunda ſecundùm corpus, à ſola prima ſecundùm animam rationalem; ſed quod forma corporis, non poſſit ineſſe ſine anima rationali.

Quas omnes earumque prætenſas rationes longè lateque refutat pluribus ac efficacioribus: ad ſuſtinendum Corpus Chriſti, vt eſt terminus proprius huius conuerſionis, eſſe compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali corporeitatis, ſeù eiuſdem Corporis Chriſti ſiue viui ſiue mortui. Quarum hæ ſunt ſelectiores.

1. Ex *n.* 28. Quia ſub Hoſtiâ à Chriſto conſecrata in vltima Cœna, fuiſſet idem verùm Chriſti Corpus in triduo mortis: ergo idem eadem formâ corporeitatis.

2. *Ibid.* Quia ratio illa corporei, vt diſtincta à ratione hominis, & animalis, ex conſtitutione animæ intellectualis, eſt tantùm conceptus aliquis formalis vel obiectiuus, præciſus ab exiſtentia reali: ergò non poteſt eſſe terminus huius conuerſionis realis quoad exiſtentiam.

3. Ex *n.* 30. Corpus reale vel eſt mathematicum ſeu quantitatiuum, vel naturale, ſeu ſubſtantiale: illud non poteſt eſſe terminus Tranſubſt. ergo hoc.

4. *Ibid.* Ex propria forma Sanguinis: quæ nec eſt rationalis, nec quantitatiua.

5. Ex *n.* 31. Hoc eſt Corpus meum: non ſignificat ſeorſim carnem, aut oſſa &c. ſed coniunctim omnes partes, ſub vno aliquo compoſito ſubſtantiali primo animabili; ergò ſub forma ſubſtantiali diſtincta ab Anima.

6. *Ibid.* Ex SS. Patribus, De identitate Corporis & Sanguinis Chriſti viui, mortui, & rediuiui.

7. Ex *n.* 38. Quomodocumque moriatur aliquod corpus, ſtatim eſt idem cadauer: ergo non producitur in inſtanti à quocumque corrumpente, ſed erat ante.

8. Ex *n.* 39. Prius eſt corpus quàm poſſit animari: Ergo non conſtituitur ipſâ animâ.

9. Ex *n.* 41. 42. Ex potentia materiæ ad plures formas ſubſtantiales, inter ſe ſubordinatas vni vltimæ ac principali.

10. Ex ſingulis mutationibus ad ſingulas formas ſubſtantiales, vnica autem ad totalem.

11. Ex vnico vltimo termino, ſeù vnica forma totali terminante totam mutationem.

12. *n.* 43. & 44. Quia forma ſubſtantialis non dat eſſe ſimpliciter, prout opponitur nihilo: cùm & materia prima opponatur nihilo, & forma accidentalis det eſſe oppoſitum nihilo; ſed prout Eſſe ſimpliciter eſt natura ſua priùs, & opponitur eſſe ſecundùm quid, ſeù natura ſua poſteriori.

13. Ex *n.* 44. Quia inter formas ſubſtantiales poſterior eſt ſemper perfectior: inter accidentales autem è contrà.

*Num.* 46. *Ad* 1. S. Thomæ: vnius entis ſimplicis, eſt vnicum Eſſe ſimplex: compoſiti autem, ſunt plura Eſſe partialia, & vnum Totale ſeu completum vnica forma Totali.

*Num.* 50. *Ad* 2. S. Thomæ: Ex ratione 12. & 13. ſuprà. De eſſe ſimpliciter & ſecundùm quid.

*Num.* 52. *Ad* 3. De prædicatione: prædicatum acceptum à forma poſteriori non dicitur per ſe de ſubiecto accepto à forma priori &c. nec preciſè acceptum à forma priori, & præciſè à poſteriori inter ſe, prædicantur per ſe; quia neutrum includitur in altero. Ponēdo autem genus accipi à forma priori, & differentiam à forma poſteriori: nec genus per ſe prædicabitur de differentia, nec è contrà. Quod concedo: ſed non ſequitur quòd genus non prædicetur per ſe de ſpecie; quia hæc non importat præciſè ſuam differentiam, ſed etiam rationem ſui generis. *Infra.* Si quæras quare magis hîc quam ibi &c. *Reſp.* Quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud .i. ſunt primæ rationes quarum non datur prior.

*Num.* 54 *Ad* 4. Eſt hîc neceſſitas ponendi plura: quia animâ ſeparatâ, corpus manet: ergo neceſſaria eſt aliqua forma propria qua corpus ſit Corpus; non illud genus ſubalternum ſubſtantiæ vel eius indiuiduum, ſed pars huius compoſiti.

*contrà.* Illa forma Corporis fuit tantum diſpoſitio neceſſaria ad animationem: ergo nec illa non manet ſine anima, nec anima ſequatur niſi illâ corruptâ. *Reſp.* Formam illam corporis diſponere: non tamen neceſſitare, ſed ſufficere ad animationem; quia requiruntur etiam qualitates conſequentes, non neceſſariæ ad formam corporis, ſed ad animationem eius.

## Resolvtio Scoti.

*Dico quòd* Corpus Chriſti per ſe includit materiam, & ad minus vnam formam mixti, priorem intellectiua: & per iſtam formam eſt in actu partiali, & eſt proximum receptiuum animæ intellectiuæ; licet non ſit per illum in genere Corporis, niſi per reductionem. Et in iſtud compoſitum quod per ſe eſt pars hominis, fit per ſe conuerſio panis totius in totum, & partium in partes: & per conſequens, hæc forma eſt formalis terminus conuerſionis, ſeù forma termini conuerſionis.

Ad Arg. 1. quæſtionis reſponſum fuit *Quæſt.* 4. *Dogmatica.*

Ad Arg. princ. quæſt. quoad 1. 2. 3. ex quæſt. 4. Dogm. *Ad* 4. patet ex Tranſubſt. adductiua. *Ad* 5. patet ex compoſitio ſubſtantiali Corporis. Conuerſio enim in compoſitum accidentale aut quantitatiuum, eſſet potiùs *Tranſaccidentatio*, aut *Tranſquantitatio*, quam *Tranſubſtantiatio.*

## Svpplementvm de Transvbstantiatione.

Ex quod lib. 10. *An Deus poſſit ſpecies in Euchariſtia conuertere in aliquid præexiſtens.*

Quamuis hæc quæſtio ſit de poſſibili conuerſione ſpecierum conſecratarum: ſupplet tamen quod ſupra minus explicatum, ac reſolutum videtur, de actuali vel poſſibili conuerſione panis in Corpus Chriſti præexiſtens; vel adducendo tantùm, vel producendo, aut reproducendo aliquid in ipſo, vel nec adducendo nec quicquam noui producēdo. Diſtinguit ergo hanc quæſtionem ex parte Termini à Quo, ſeu ſpeciei conſecratæ in tres Art.

1. De termino à quo ſeu ſpecie. 2. De Termino ad Quem præexiſtente. 3. De ipſa conuerſione.

*De 1.* Reſoluit nullam eſſe impoſſibilitatem conuertendi totaliter ſpeciem conſecratam, ſeu quantitatem & qualitates illas ſeparatas, in quodcumque. Quia ſubſunt totaliter Omnipotentiæ Dei quoad eſſe & non eſſe, vt ſuprà. Subdit expoſitionem & diſtinctionem inter conuerſionem totius cathegorematicè .i. quoad rationem totius cōpoſiti ex partibus: & ſyncathegorematicè .i. quoad omnes & ſingulas eius partes.

*Contra*, inquit. *1.* Sic æquè poſſet conuerti Corpus in Spiritum, vel vnus Spiritus in alium. Quod tamen negat B. Aug. *lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 12. & 20.* *2.* Sic ſubſtantia poſſet conuerti in accidens, & fieri inhærens; Abſolutum in reſpectiuum, & è contrà. *3.* Ex illa poteſtate in Totale eſſe aut non eſſe non ſequitur poſſe Tranſubſtantiari, ſed tantùm creari, & annihilari.

*Ad 1. Reſp.* Ex intentione B. Aug. De prima rerum productione & modo producendi: abſolutè autem, De poſſibilitate aut impoſſibilitate naturali ex aliquo ſaltem remoto principio naturæ, ſeu ſubiecto communi. Monet tamen ad ſupplendum intentum Boëtij, naturam humanam non poſſe conuerti in diuinam: quòd Deus non minus, ſed plus excedat in ratione termini omnem potentiam actiuam, quàm quædam naturalia excedunt omnem potentiam naturalem.

*Ad 2.* Concedit poſſe conuerti: ſed nec ſubſtantiam conuerſam futuram amplius ſubſtantiam, ſicque ſubſtantiam non inhæſuram: nec abſolutum futurum amplius abſolutum, & è contrà.

*Ad 3.* Non eſſe tantùm contrà poſſibilem conuerſionem totalem quantitatis, ſed cuiuſuis rei. Idcircò addidimus ſupra ad rationem Scoti, quælibet ſubeſſe Omnipotentiæ Dei quoad eſſe vel non eſſe totale, & quodlibet ex quolibet, vel poſt quodlibet. Quia ſi ſubeſt quoad eſſe quidlibet ex nihilo, ſeu poſt nihilum: Quid ni quoad eſſe quidlibet ex quolibet, & poſt quodlibet?

*De 2.* Supponit ex myſterio Euchar. non eſſe impoſſibilem conuerſionem totalem in aliquid præexiſtens: ſed refert ac refutat rationem Ægydij, vt ſuprà. Et quia materia vt hæc exiſtens, eſt prior ſua forma: & eſt eadem ſub qualibet forma ſuccedente.

Explicat autem tripliciter quomodo poſſit aliquid totaliter conuerti in præexiſtens. *1.* De præexiſtente quod fuit, ſed non eſt quando fit conuerſio in ipſum. *2.* De præexiſtente actu, ſed ſubeunte aliquam innouationem in conuerſione. *3.* De præexiſtente, abſque vlla innouatione. *De 1.* Nulla eſt diff. *De 2. ſuprà.* Qui modus videtur hic etiam à Scoto approbari his verbis. *Videtur poſſibilis: quia ita videtur de facto ponendū in Euchar. Corpus enim Chriſti præhabens & retinens idem eſſe ſimpliciter, per iſtam conuerſionem fit de nouo præſens ſpeciei panis.*

Sed *contrà*, inquit *1.* Sic Corpus Chriſti eſſet tantùm terminus conuerſionis ſecundùm præſentiam. *2.* Sic non poſſet conuerti quantitas: quia eſt ipſa ratio locandi, ſeu præſentiæ. *3.* Quia terminus ad Quem deberet fieri præſens localiter, vbi definerct quantitas: ſicque eſſet bis præſens localiter. *4.* Poſſet conuerti in plura corpora, quæ deberent eſſe ſimul localiter.

*Ad 1.* Si terminus per ſe Tranſubſtantiationis eſt ſubſtantia, & ſecundùm eſſe ſubſtantiæ: cùm Corpus ſecundùm eſſe ſubſtantiæ non ſuccedat pani, propriè loquendo de ſucceſſione; quia etſi habeat Eſſe poſt Eſſe panis, non tamen incipit habere illud eſſe deſinente pane. Quod videtur neceſſarium ad hoc quod propriè diceretur ſuccedere ibi in eſſe: Alioquin poſſet dici Sol ſuccedere vermi corrupto &c. ] Negat ergo ſecundum hoc eſſe aliquid per ſe terminum ad quem, ſecundùm quod ſuccedit Termino à Quo. *Quia ſecundùm idem eſt prius, & nunc manens, & per conſequens propriè alteri non ſuccedens.* Quod autem noua & antiqua exemplaria conſequenter & abſque vlla diſtinctione ſubdunt: *Corpus Chriſti, diceretur eſſe terminus ad Quem Tranſubſt.* non videtur ita poſſe conſtrui cum præcedentibus: ſed hæc de Corpore Chriſti, referenda eſſe ad illud ſuprà, *ſi Terminus per ſe &c.* totumque intercipiendum vnà parentheſi, ab his verbis (*Cum corpus &c.* vſque ad, *ſuccedens*) ſic enim cohæret etiam cum ratione ſequenti: *Quia illa non eſt productiua termini ad quem; ſed tantum conuerſiua alterius in ipſum &c.* Poſſet tamen, inquit, concedi, quòd ſecundùm illud eſt nouitas in termino ad Quem, ſecundùm quod ſuccedit termino à Quo accipiendo propriè ſuccedere; & tunc non eſſet hic nouitas in termino niſi ſecundùm præſentiam.

*Ad 2. & 3.* Deus poſſet terminum conuerſionis aliter facere præſentem. quàm fuit ipſum conuerſum. Vt nunc Corpus Chriſti eſt aliter hîc præſens quam fuit panis: nec quantitas panis eſt ei ratio eſſendi hîc.

Subdit tamen: nec eſſe impoſſibile vt idem ſit ſimul in pluribus locis extenſiuè: nec vt plura ſint ſimul in eodem loco.

Tertius modus conuerſionis in præexiſtens, abſque vlla eius innouatione: declaratur ex conſeruatione eiuſdē creaturæ, abſque vlla eius innouatione. *Sicut*, inquit, *Deus* eodem velle creat, in quantùm vult hoc eſſe poſt non eſſe, & conſeruat in quantùm vult hoc eſſe quaſi poſt idem eſſe: ſic eodem velle conuertit aliud in iſtud; quia vult illud eſſe poſt illud. Vel vt paulò ſuprà: *conuertit illud in iſtud; quia facit eſſe iſtius, etſi non propriè, tamen aliquomodo ſuccedere in eſſe illius.* Non requiritur autem, vt ſit terminus actionis, quòd ſimpliciter & propriè ſuccedat alteri tanquam nouum: vt patet in conſeruatione. *Si arguitur*, quòd etiam in Diuinis terminus actionis accipit eſſe per illam. *Poteſt dici* Terminus conuerſionis accipere eſſe in ordine ad conuerſum: in quantùm Deus vult iſtud eſſe poſt illud. *Aliter*, quod iſta conuerſio non eſt productiua ſimpliciter, ſed æquiualenter: quia ad hoc ſufficeret, ſi terminus non eſſet.

*Contrà.* Sic poſſet dici Deum conuertere omnia quæ corrumpuntur, in Solem &c. *Aliter* poteſt declarari, quòd Corpus Chriſti ſit per ſe terminus Tranſubſtantiationis, licet concomitetur præſentia &c. Ergò ſine hac vel quacumque nouitate alicuius poſterioris ipſo eſſe Corporis Chriſti, poſſet Corpus eſſe terminus conuerſionis.

De 3. principali .i. de panis deſitione, an ſit annihilatio vel non, *q. 4.*



Digitized by Google

## QVÆSTIO IV. IN DIST. II.

### *Vtrum panis in conuerſione in Corpus Chriſti, annihiletur?*

*Hic dicitur &c.* Refert opinionem Henrici *quodlib. 9. 11. 12.* quòd panis non annihiletur, nec poſt conuerſionem nihil ſit, ſed aliquid: non aliquid panis qui præfuit, nec aliud à Corpore Chriſti in quod conuerſus eſt, ſed aliquid, aliquitate ipſius Corporis.

*Contra. 1.* Terminus vnius conuerſionis includit non eſſe alterius: Ergo non poteſt includere aliquitatem eius. 2. Corpus Chriſti nullo modo aliter ſe habet in ſe poſt conuerſionem quam ante: ergo nec panis conuerſus vllo modo habet eſſe vel aliquitatem in ipſo Corpore Chriſti. 3. Si aliquitas Corporis poſt conuerſionem ſit ipſius panis, hîc eſſet adhuc formaliter aliquid illa aliquitate: vel ergo eſſet aliquid panis, vel Corporis; nō panis, quia id nec eſt, nec eſſe poteſt aliquitate corporis; nec corporis, quia nihil aliud ab eo poteſt eſſe aliquid eius aliquitate.

4. Aliquid, & res conuertuntur, ex *Auic. 1. Metaph.* Ergo panis poſt conuerſionem non poteſt eſſe aliquid, quin ſit res. Res autem ex eodem, prout à reor, idem eſt quod opinabile: prout à ratitudine, idem eſt quod ratum. Panem conuerſum eſſe aliquam rem, primo modo, eſt eſſe nihil. 2. modo, non poteſt eſſe quid ratum, nec quidditate panis conuerſi, nec quidditate Corporis diuerſa à quidditate panis.

*Alio modo &c.* Refert opinionem Ægydij *Theor. 1. & 34.* quòd panis non annihiletur per conuerſionem in Corpus Chriſti: quia panis & Corpus Chriſti habent commune ſubiectum, ſubſtantiam, & potentiam ad conuerſionem reciprocam.

*Contrà. 1.* Si hæc communitas ſubiecti ſeu materiæ, ſubſtantiæ, & potentiæ reciprocæ ſufficeret ad non annihilationem: nullum corpus poſſet annihilari, niſi omnia ſimul annihilarentur; quia aliàs maneret communis materia, ſubſtantia corporea, & potentia ſeu poſſibilitas conuerſionis. 2. Si panis annihilaretur, æquè eſſet in potentia materiæ Corporis Chriſti, ac nunc cùm conuertitur: Ergo, hac potentia nonobſtante, annihilari poteſt. 3. Hæc conuerſio non eſt propriè mutatio: ergo nihil requirit commune, ſed tantùm duos terminos incompoſſibiles.

*Ad Quæſtionem &c.* Reſp. 1. Nihil panis manere poſt conuerſionem. 2. Panem non annihilari, ſaltem hac conuerſione. Prius ſupponit iam ſatis probatum. Secundum probat: quia terminus ad quem huius conuerſionis non eſt nihil, ſed Corpus Chriſti; ergo panis qui in illud conuertitur non annihilatur.

*Contrà.* Etſi deſitionem panis comitetur poſitio Corporis Chriſti hîc: vt tamen illa diſtinguitur ab hac, videtur eſſe annihilatio, quia terminus ad quem eſt nihileitas panis.

*Confirmatur 1.* Corruptio ſecundùm propriam rationem, vt diſtinguitur eſſentialiter à generatione concomitante, non eſt annihilatio: quia materia corrupti manet, & negatio ad quam terminatur corruptio, eſt tantùm priuatio formæ in ſubiecto apto nato; ergo deſitio panis eſt annihilatio, quia nihil eius manet, ſed terminatur ad purum non eſſe panis, aut vllius partis eius.

*Confirmatur 2.* Quia eſt per accidens quòd cum deſitione panis concurrat poſitio Corporis Chriſti hîc: Ergo hæc non variat propriam rationem illius.

*Hic diceretur &c.* Proponit vnam Reſponſionem, quòd Tranſubſtantiatio non ſit quaſi duplex mutatio, deſitionis panis, & inceptionis Corporis Chriſti hîc: ſed ſit vnica conuerſio termini à Quo poſitiui, in terminum ad quem poſitiuum.

*Contrà.* Panem non eſſe, non eſt formaliter Corpus Chriſti eſſe hîc, nec è conuerſo: quia poſſet panis non eſſe, Corpore Chriſti non poſito hîc, & è conuerſo &c. Ergo ſunt duo tranſitus quidditatiuè diſtincti.

*Hic poteſt dici &c.* Panem non annihilari ſimpliciter. 1. Quia terminus annihilationis eſt purū nihil .i. nihil termini à quo manet in termino ad quem. 2. Quia non terminatur ad aliquam priuationem in ſubiecto apto nato, vt corruptio. 3. Quia nec terminatur ad negationem tantùm in aliquo poſitiuo diſparato, ſeu in Corpore Chriſti: ſed ad negationem ſimpliciter extra genus, ſeu extra omne poſitiuum. Quod patet etiam requiri ad annihilationem: quia in corruptione aëris in ignem, præciſà priuatione formæ aëris in materia communi, eſt adhuc negatio formę aëris in forma diſparata ignis, quæ ſufficit ad non annihilationem.

*Sed tertium magis cogit &c.* Hic reſumit & ponderat ſecundam illam confirmationem ſuprà, ex duplici ratione concomitante, deſitionis, & inceptionis: quarum vna non variat aliam. 1. Quia ſi panis annihilaretur, & Corpus Chriſti poneretur hîc præſens: omni eodem modo ſe haberet tam panis quàm Corpus Chriſti, quoad eſſe & non eſſe, ſicut nunc: Ergo panis æquè nunc annihilatur, ac tunc. 2. Sicut non eſt noua diſparatio, ſic nec negatio panis conuerſi eſt noua aut propria in Corpore Chriſti: ſed neceſſaria, & communis in omni diſparato, ſeu alio à pane. Ergo nihil afficit deſitionem panis, aut inceptionem Corporis Chriſti. 3. Quia nouum non eſſe panis terminat hanc eius deſitionem: ergo non ex diſparatione quam ſemper habuit, non tantùm à Corpore Chriſti, ſed & à quolibet alio à ſe. 4. Diſparatio Corporis Chriſti à pane in eſſendo, æquè fuit ante Tranſubſtātiationem: ergo Corpus Chriſti non includit nouam negationem eſſe panis, niſi vt hîc; ſed vt hîc non pertinet ad genus ſubſtantiæ, ergo negatio vt hîc non per ſe terminat deſitionem in ipſo Corpore Chriſti.

*Iſtarum rationum aliqua poſſunt euadi. 1.* Negando ſufficere ad annihilationem vt termini omni eodem modo ſe habeant quoad eſſe & non eſſe &c. niſi addatur negatio ſucceſſionis. Quia priuſquā res creetur, eſt æquè nihil ac poſt quam totaliter deſijt: nec tamen poteſt dici annihilata priuſquam fuerit.

2. Reſpondendo, quòd negatio inter diſparata, non ſit negatio, niſi eſſendi alia à ſeipſis: alioquin diſparata non poſſent ſimul eſſe entia; ſed negatio panis conuerſi in Corpus Chriſti, eſt noua in Corpore Chriſti, vt contradictoria eius affirmationi.

*Sed contrà.* Negatio contradictoria eſt purum nihil ſui oppoſiti poſitiui: ergò deſitio panis eſſet in purum nihil.



Digitized by Google

*Si dicatur* quòd non eſſe panis negat eſſe panis in Corpore Chriſti, vt hîc contradictoriè: in Corpore autem Chriſti ſimpliciter, tantùm diſparatè: Hoc improbatur, quia terminus poſterior vt hîc, non eſt ratio nouæ incompoſſibilitatis ad aliquid prius naturaliter .i. inter eſſe panis & Corporis Chriſti &c.

*Poteſt ergo teneri &c. 1.* Quòd deſitio panis ſit annihilatio abſolutè panis: quia ipſi eſſe panis ſimpliciter ſuccedit non eſſe panis ſimpliciter, quamuis per accidens coniungatur per ſucceſſionē præſentiæ Corporis Chriſti hîc ad non præſentiam panis hîc.

2. Quòd hac conuerſione, panis non annihiletur: quia quædam Tranſubſt. eſt qua terminus accipit ſimpliciter eſſe, quædam autem qua terminus accipit hîc eſſe. De primâ, fortè poſſet ſaluari quod deſitio termini à quo non eſt ſimpliciter annihilatio: quia ibi per ſe terminus ad quem inceptionis, eſſet oppoſitus termino à quo deſitionis; & ita poſſet ibi negatio termini à quo, vt in termino ad quem, terminare deſitionem. Sed in propoſito, vbi tantùm eſt Tranſubſt. adductiua, terminus ad quem per ſe mutationis poſitiuæ, non opponitur termino à Quo mutationis priuatiuæ: & ita non poteſt eſſe ratio concludendi negationem eius.

*Poſſet ergo dici*, quòd conuerſio iſta eſt ſicut ſubſtantiæ in ſubſtantiam, non quoad eſſe ſubſtantiæ, ſed quoad hîc eſſe: vt ſicut Corpus vt hîc ſuccedit pani vt hîc, ita panis vt hîc conuertatur in Corpus vt hîc; & illæ mutationes licet ſint inter ſubſtantias, non tamen vt inter terminos ſubſtantiales; ſed tantùm inter præſentias & non præſentias ſubſtantiarum. *Infra.* Et patet ſatis pulchra correſpondentia: quia ſicut Corpus Chriſti habet nouam præſentiam, non perdendo antiquam: ita & panis perdit antiquam, non acquirendo aliam. Quia ergo non acquiritur nec perditur per hanc conuerſionem niſi eſſe aut non eſſe hîc: non acquiritur, nec perditur eſſe ſubſtantiale; & per conſequens non annihilatur, imò non deſtruitur panis hac cōuerſione &c. Oportet ergo quod deſinat eſſe alia deſitione, ab eſſe ad non eſſe eius ſimpliciter. Illud autem non eſſe eius, licet quaſi concomitetur præſentiam corporis vt hîc: non tamen vt terminum eiuſdem generis; & per conſequens, ſi iſta deſitio ſit annihilatio, nullo tamen modo conuerſio eſt annihilatio. Vt, ſi crearetur Angelus, & fieret præſens ſpeciei panis deſinentis eſſe: conuerſio panis in Angelum eſſet tantùm vt hîc, quamuis nouum eſſe Angeli concomitaretur nouam illam præſentiam. ]

Hinc infert conuerſionem quo ad eſſe & non eſſe, non poſſe fieri inter terminum à quo permanentem, & ad quem præexiſtentem: ſed quo ad eſſe & non eſſe hîc, poſſe fieri inter terminum à quo tantùm deſinentem eſſe hîc, & terminum ad quem tantùm incipientem eſſe hîc &c.

Ad 1. & 2 Arg. pro annihilatione. *Reſp.* Ad eam non ſufficere vt nihil panis, aut partium eius, maneat in ſe. vel in Corpore Chriſti: ſed etiam requiri, ne quid ei vt terminus per ſe ſuccedat.

*Ad 3.* Negat formam corrupti annihilari: Tum quia manet in potentia, non proxima ſed remota eiuſdem materiæ cum qua componebat totum corruptum: vnde nec eadem numero naturaliter inde reproduci poteſt. Tum quia deſinit tantùm in priuationem. Tum denique quia non deſinit in nihilum, ſeu in negationem eſſendi ſimpliciter extra omne genus entis: ſed tantùm in aliquo diſparato &c. vt ſuprà.

*Ad 4. Reſp.* Quòd ſicut creatio non eſt tantùm productio totius ſubſtantiæ, ſed ex nihilo: ita & annihilatio non ſit tantùm corruptio totius, ſed per ſe vſque ad nihilum.

*Ad 1. Arg.* contra annihilationem, ab authoritate S. Ambr. *De pane fit Corpus Chriſti &c. Reſp.* Non in eſſe ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſeu in eſſe hîc.

*Ad 2.* vt ad 4. *Ad 3.* Ex B. Aug. *quæſt. 21. ex 83.* Deum non poſſe eſſe cauſam non eſſendi, ſeu annihilationis: Reſpondet non poſſe annihilare agendo poſitiuè; ſed tantùm non conſeruando, negatiuè.

## *Supplementum ex B. Aug.*

Quod quamuis Scholaſticè ſufficere poſſit ad hanc inſtantiam, vel ad illud B. Aug. non tamen ad plura, nec ad mentem eiuſdem. Non enim vult tantùm Deum non poſſe poſitiuè annihilare, quod eſt nimis euidens: ſed nec poſſe eſſe ex ſeipſo vllam cauſam realem aut moralem, poſitiuam aut negatiuam, quaſi formalem aut effectiuam vllius mali. Nam quæſt. illa *21. ex 83.* Vtrum Deus non ſit author mali. *Reſp.* Non eſſe authorem vllius mali naturæ, aut culpæ: cùm ſit tantùm Author eorum quæ ſunt, & in quantùm ſunt bona ſunt: ab illo tamen eſſe mala pœnæ; quia ſic bonū & iuſtum eſt mala culpæ puniri. Hinc & mortem eſſe à Deo *Eccl. 11.* in pœnam culpæ: neque à Deo factam *Sap. 1.* poſitiuè, aut moraliter ex ſe ſeu proprio motu permiſſam, ſed ex demerito culpæ. Sed *lib. de morib. Manichæorum* c. 2. *Quomodo poteſt ille qui omnium quæ ſunt cauſa eſt vt ſint, cauſa eſſe rurſus vt non ſint .i. vt ab eſſentia deficiant, & ad non eſſe tendant?* Realiter quidem loquendo, non poteſt vllatenùs formaliter ſeu participatiuè eſſe cauſa non eſſendi; quia eſt ipſum eſſe per eſſentiam. Nec poteſt cauſaliter etiam negatiuè ſecundùm potentiam ordinariam eſſe cauſa non eſſendi, deficiendo ex ſeipſo à conſeruatione: vt patet ex Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti &c.* Multo minùs poteſt moraliter eſſe cauſa mali culpæ, aut pœnæ ex ſeipſo, deficiendo à gratia, aut iraſcendo ſine noſtro demerito. Prout latiùs ſuo loco ex profeſſo. Sed hinc ſatis ad mentem Aug. contra prætenſam annihilationem panis, quaſi ex proprio motu, ac inſtitutione Dei: cùm non poſſit eſſe abſolutè, vel ſaltem de potentia ordinaria cauſa non eſſendi; ſed tantum eſſendi, & perficiendi opera ſua, ſicque conuertendi panem in melius, ac perfectius Corpus Chriſti.

Accedat ex eodem B. Aug. *lib. 1. de lib. Arbitrio cap. 6. 7. & 8.* Nullatenus poſſe eligi non eſſe: atqui conuerſio totalis & realis in Chriſtum eſt aliquid appetibile: vt patet ex pijs ſanctorum deſiderijs; ergo non eſt annihilatio. Nec Scotum aliter ſenſiſſe, quantumuis hic problematicus videatur: patet ex ſequenti Supplemento.

*Supple-*

Digitized by Google

## *Supplementum ex Quodlibato* 10.

DE 3. *Principali* tenetur communiter quòd in conuerſione totali non eſt annihilatio termini à quo,&c. vt ſupra vſque ad Arg. principale. Dupliciter poteſt aliquid eſſe commune terminis: communitate reali, vt materia; vel rationis. Priori modo, termini conuerſionis totalis non poſſunt habere aliquid commune; ſed poſteriori, debent ſaltem habere cōmunem conceptum entis. Et hoc ſufficit ad excludendum rationem creationis & annihilationis.

*Aliter* poſſet poni communis habitudo ad idem agens,&c. Quod etiam ſufficit ad excludendum annihilationem: quia nihil propriè non ſubiacet agenti.

*Ad oppoſitum, &c.* Cùm natura nihil corrumpat niſi producendo aliquid incompoſſibile: Euchariſtia non corrumpitur, niſi producendo aliquod compoſitum per accidens incompoſſibile Euchariſtiæ.

Sed numquid tunc producitur aliqua ſubſtantia? *Reſp.* Non actione naturæ: Quia non habet paſſum de quo producat ſubſtantiam. Si ergo tunc ſubſtantia producatur, hoc eſt actione Dei. *Infra.* De ipſa autem deſitione Euchariſtiæ, duplex eſt opinio. 1. Videtur eſſe Innoc. *De officio Miſſæ parte* 3. quòd ſi tanta fiat alteratio circà ſpecies, quòd panis eis affectus non eſſet conueniens nutrimentum, deſinat eſſe Euchariſtia; & in eodem inſtanti actionè Diuina fiat ibi noua ſubſtantia quæ nata eſt affici illa qualitate: hec autem eſt ſubſtantia panis; & tunc illa manet vſque ad generationem nouæ ſubſtantiæ, &c. Alia eſt opinio, quòd Euchariſtia manet quamdiu ſunt qualitates quæ poſſent afficere ſubſtantiam panis: licet ipſa ſic affecta non eſſet conueniens nutrimentum. Non ergo deſinit eſſe Euchariſtia niſi quando deſineret ipſa ſubſtantia panis.

## DIST. 12. *Quæſtio* 1.

### *Vtrum in Euchariſtia ſit aliquod accidens ſine ſubiecto?*

H*Ic dicitur, &c.* Refert ac refutat ſententiam *S. Thom. q.* 1. *Art.* 1. *& aliorum.* Quòd ſi accidens ſeparetur à ſubiecto, Deus dat ei nouum eſſe: quia non poteſt tunc habere eſſe totius cui prius accidebat.

*Contra.* 1. Accidens habet propriam entitatem eſſentialem: ergo & proprium eſſe, ſeu exiſtentiam diſtinctam à ſubiecto, nec eſt formaliter per eſſe ſubiecti. 2. Subiectum habet eſſe ante accidens: ergo accidens producitur in eſſe diſtincto. 3. Quia qua actione vel mutatione tale accidens acciperet nouum eſſe? 4. Quodnam eſſe acciperet? Non ſubſtantiale: quia hoc non eſt eſſe accidentis: non accidentale, quia iam illud habebat, nec erit independentius priori.

*Aliter dicitur.* Refert opinionem Henrici *quodl.* 4. quòd Deus det accidenti extrà ſubiectum quandam virtutem ſupernaturalem per ſe exiſtendi.

*Contra.* 1. Vt ſupra. 2. Eſſet iam naturale accidenti habere, vel poſſe habere talem virtutem ſibi datam ſupernaturaliter. 3. Impoſſibile eſt ſubſtantiam accipere inhærentiam & depēdentiam à ſubiecto: ergo nec accidens recipere virtutem per ſe exiſtendi.

## *Ad Quæſtionem, &c.*

DIſtinguit inter rationem per ſe, ſeu formalem accidentis, materialem abſolutam denominatam ab accidente,& reſpectiuam. Deinde inter eſſe aut nō eſſe in ſubiecto, actu, vel aptitudine.

*Concl.* 1. Eſt contradictio, accidens formaliter non eſſe in ſubiecto, actu vel aptitudine. Quia ſic eſt ipſa inhærentia.

*Concl.* 2. Eſt contradictio, Accidens reſpectiuum eſſe actu ſine fundamento, ſeu ſubiecto proximo. Quia reſpectus eſt eſſentialiter alicuius ad aliquid.

*Conc.* 3. Accidens abſolutum eſt neceſſariò aptum ineſſe: poteſt tamen non ineſſe actu ſubiecto. Quia differt realiter à ſubiecto: nec ab eo depēdet eſſentialiter, ſed tantum cauſaliter aut ſubiectiuè. Quam,& omnem aliam cauſalitatem, cauſa Prima poteſt perfectè ſupplere.

*Contra* 1. Inhærentia eſt de eſſentia accidentis *ex Philoſ.* ſæpe: Quia non eſt accidens ipſius accidētis. 2. Relatio creaturæ ad Deum eſt eadem ſuo fundamento: ergo & reſpectus accidentis ad ſubiectū. 3. Accidens non poteſt concipi ſine reſpectu ad ſubiectum: ergo nec eſſe. 4. Inhærentia ſaltem eſt proprietas ex eſſentia ipſius accidentis: ergo inſeparabilis.

*Ad* 1. Negat aſſumptum. Quia nec Philoſophus vnquam ſenſit reſpectum eſſe de eſſentia abſoluti: nec vnquam dixit, ineſſe actu, eſſe de eſſentia accidentis, aut accidens non eſſe niſi ens alterius entis, aut non eſſe ens niſi æquiuocè vel analogicè ad ſubſtantiam: Cùm ſæpè doceat accidentia abſoluta eſſe principia agendi realiter & intētionaliter, eſſeque terminos actionum realium; ſed tantum dixit *accidentia dici entia eo quod taliter entis*.i. vel dici talia, vel *eo quod* non formaliter, ſed cauſaliter. Comparauit autem ea cum ſubſtantia in ratione entis, ſicut alia ſana cum animali in ratione ſanitatis: non æqualiter,ſed ſimiliter; in ſignificanda, cauſanda, conſeruanda entitate ſubſtantiæ, ſicut alia ſana ſignificant cauſant conſeruant ſanitatem animalis. Nec inhærentia accidentis inhæret, ſed eſt ratio formalis inhærendi: nec differt realiter ab ipſo accidente, ſed inhærentia aptitudinalis eſt ipſum accidens vt aptum inhærere, inhærentia actualis eſt ipſum accidens actu inhærens.

*Ad* 2. *Reſp.* Negādo paritatem: quia dependentia creaturæ à Deo eſt eſſentialis, non autem ab vlla cauſa ſecunda: nec tamen creatura materialiter definitur per Deum, quanto minus accidens per ſubiectum? Niſi quòd forma ſiue accidentalis ſiue ſubſtantialis, non poſſit perfectè concipi ſinè aptitudine ad ſuum finem intrinſecum informandi, ſubiectum.

*Ad* 3. *Reſp.* Poſſe quidem concipi: non tamen ſatis expreſsè, perfectè, ac completè ad eius definitionem. Deinde facilè concipi ſine inhærentiæ actuali, non ſine aptitudinali. Denique non poſſe



Digitized by Google

à corpore, nec quantitatem coloris à colore: dicerent qualitatem hîc non eſſe in quantitate, ſed quantitatem quæ apparet eſſe ipſius qualitatis.

*Ad* 1. *Arg. Reſp.* Quodlibet accidens hîc eſſe ſine ſubiecto vltimo, non ſine proximo.

*Ad* 2. Accidens poſſe eſſe ſubiectum proximum, non vltimum accidentis.

*Ad* 3. Cōcedit æqualem dependētiam aptitudinalem inter abſoluta: Sed reſpectiua eſſentialiùs dependere à ſuo proximo fundamēto, quàm remoto.

*Ad* 4. Accidentia relatiua neceſſariò eſſe in ſubiecto proximo: non præcisè quatenus accidentia, nec quatenus præcisè relatiua, ſed coniunctim quatenus accidentia relatiua. Vt, homo nec eſt riſibilis vt eſt animal, nec vt rationale: ſed vt animal rationale. Quamuis relatio præcisè ſupponat, & neceſſariò exigat fundamentum, & terminum.

## Quæſtio 3.

*Vtrùm accidentia in Euchar. poſſint habere quamcumq; actionem quàm poterant habere in ſubiecto.*

His eſt, *&c.* Refert opinionem S. Thom. *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *a.* 1. Quòd formæ ſubſtantiales non ſint principium proximum agendi: Sed agant per qualitates tanquam propria inſtrumenta; non tantum ad producenda accidentia, ſed etiam formas ſubſtantiales, &c.

*Contrà.* 1. Quid eſt accidentia agere in virtute ſubſtantiæ? Nam non eſt aliquid ſubſtantiale, vel accidentale, abſolutum aut reſpectiuum, quo v. g. ſpecies conſecratæ dici poſſint agere in virtute panis non exiſtentis.

2. Nulla eſt realis habitudo ſpecierum conſecratarum ad panem qui deſijt: nec eſt aliquid ab eo realiter impreſſum ipſis ſpeciebus conſecratis; quia non poteſt eſſe aliquid ſubſtantiale panis; ergò cōtinetur inter accidentia ſub ſpeciebus cōſecratis.

3. Si ſit tantùm ſubordinatio cauſæ inferioris ad ſuperiorem, in cauſando: requirit neceſſariò exiſtentiam & influentiam actualem illius cauſæ ſuperioris, in cuius virtute agitur; quia cauſa in actu & effectus in actu ſimul ſunt, vel non ſunt; nec poteſt non ens habere vllam rationem cauſæ actualis aut virtualis.

4. Nihil agit inſtrumentaliter, quando agit virtute propria permanēte, & ſufficiente ad effectum, abſque vlla præmotione aut concurſu actuali illius cuius dicitur eſſe inſtrumentum: ergò ſpecies conſecratæ, cùm non agant ex vlla præmotione, aut motione vel concurſu actuali panis qui deſijt, non agunt eius virtute.

*Dico ergò ad quæſtionem, &c.* Diſtincta triplici actione ſubſtantiali, accidentali, reali & intentionali: *Reſp.* Species conſecratas nullatenus poſſe agere inſtrumentaliter, aut diſpoſitiuè, ad generandum ſubſtantiam, virtute panis non exiſtentis. Vt patet ex præfatis rationibus. 1. Quia generatio non eſt terminus proprius & intrinſecus, ſed tantum extrinſecus alterationis. Nec eſt verum formam ſubſtantialem non eſſe principium agendi immediatè, ſed tantum per accidentia 2. Quia ad agendum per accidentia, debet & ipſa agere ad effectum ſibi proportionatum, qui eſt ſubſtātialis, 3. Proprietates, & potentiæ diſtinguuntur à ſubſtantia, à qua immediatè procedunt. 4. Non poſſunt omnia accidentia produci tantùm mediatè à ſubſtantia, procedendo in infinitum: ergò debent aliqua ab ea produci immediatè. 5. Ex 7. Metaph. *cap.* 9. Neceſſe eſt ſubſtantiam præexiſtere ad producendum: non autem quantum, vel quale. 6. Cùm agere ſit perfectionis: cur ſubſtantia perfectior accidente, non poſſet immediatè agere? 7. Illa forma eſt principium agendi, in qua genitum aſſimilatur generāti: ſed aſſimilatur in forma ſubſtantiali; ergò hæc eſt principium generandi. 8. Quia quamuis Deus agat per cauſas ſecundas: agit tamen etiam proximè per ſe; imò agendo per cauſas 2. agit etiam proximè. Ergò & formæ ſubſtantiales.

*Concl.* 2. Quod accidēs non poſſit eſſe principium effectiuum generandi ſubſtantiam principaliter. Quia quælibet ſubſtantia eſt perfectior accidente: cauſa autem principalis non poteſt eſſe imperfectior ſuo effectu.

*Contra.* Obiectum imperfectius poteſt eſſe cauſa intellectionis. Cœlum eſt cauſa viuentium, &c.

*Reſp.* Licet, inquit, hæc propoſitio, Simpliciter imperfectius ſecundum ſpeciem vel genus, non poteſt eſſe totale principium actiuum reſpectu perfectioris: ſit mihi æquè nota ac vlla in Philoſophia; quâ negatâ, poſſet proteruiendo dici quod totum vniuerſum ſit factū à muſca, &c. Probo tamen. 1. Quia aliàs, nec Deus poſſet facere effectum vllius creaturæ. 2. In cōcurſu cauſæ vniuocæ cum æquiuoca, illa eſt dependens ab hâc, & hæc perfectior illa: nam cauſæ ſecundæ, quæ ſolæ poſſunt eſſe vniuocæ, dependent eſſentialiter à prima: hæc autem quæ non poteſt eſſe niſi æquiuoca, non dependet ab vlla. 3. Sicut Deus ſeu Deitas formaliter dat eſſe proprium Dei: ſed cauſaliter nonniſi eſſe participatum, & infinitè imperfectius ſe; ita ſi cauſæ ſecundæ æquiuocæ poſſent dare formaliter eſſe, darent ſibi æquale, ſed quia dant cauſaliter dant imperfectius ſe. 4. Si effectus poſſet eſſe ſimpliciter perfectior ſua cauſa principali: à quo eſſet ille exceſſus perfectionis?

*Dico ergo*, quòd propter nullas inſtantias negandum eſt illud notum ex terminis: quod totale cauſans non poteſt eſſe imperfectius ſuo cauſato; & quod talis cauſa æquiuoca ſit perfectior ſuo effectu; quia ſpecies ſunt vt numeri nunquam æquales.

*Ad* 1. Inſtantiam, de Obiecto imperfectiore intellectionis. *Reſp.* Eſſe tantum eius cauſam partialem: poteſt autem maior perfectio eſſe ab alia cauſa partiali. *Ad* 2. & 3. Inſtantiam, de viuis genitis à cœlo: potiùs ſunt immediatè à Deo quàm à cauſa totali imperfectiori. De quo *in* 2. *diſp.* 18.

*Conc.* 3. Accidens ſine ſubiecto ſaltem ſubſtantiali, poteſt eſſe ex ſe principium omnis actionis accidentalis, realis & intentionalis, æque ac ante.]

Hinc, poſt plures oppoſitas replicas, tandem reſoluit, Agens accidētale non poſſe immediatè corrumpere aut generare ipſam formam aut compoſitum ſubſtantiale: nec vllum gradum ei incompoſſibilem, nec vltimum gradum qualitatis ei neceſſarium & ſufficientē; ſed tantùm diſpoſitiuum aut indiſpoſitiuum: neceſſarium autem & ſufficientem



Digitized by Google

cientem, poſſe tantùm deficere aut oriri ad corruptionem aut generationem formæ ſubſtantialis, à qua naturaliter emanat & conſeruatur. Quod explicatur, *Ad* 3. ex differentia inter quantitatem & formam ſubſtantialem: quòd illa non cauſet aut conſeruet, nec determinet ſibi neceſſariò gradū aliquem qualitatis, ſicut hæc, cum quo conſiſtere poſſit, & ſine quo non; ideòque tota qualitas ſeparata poſſit corrumpi à ſuo contrario alterante; non autem tota qualitas ſubiecti ſubſtantialis, niſi ad corruptionem prioris formæ ſubſtantialis conſeruantis, & generationem nouæ incompoſſibilis. Vt, ignis determinat ſibi gradum caloris cum quo eſſe poſſit, & ſine quo non: quē ſaltem cōſeruat ad ſuiipſius conſeruatiōnē, quod non facit quantitas.

*Ad rationes principales. Ad* 1. Deſtructo priori à quo poſteriùs dependet in agendo vel eſſendo, deſtruitur poſterius in eo in quo dependet: niſi Primum independens ſuppleat vicem illius prioris.

*Ad* 2. Negat hoc eſſe Ariſtotelis 1. metaph. Actio eſt tātùm ſuppoſiti: Sed, Actio eſt circa ſingularia; concedit tamen actionem eſſe ſuppoſiti vel quaſi ſuppoſiti, vt Quod, tantùm denominatiuè & mediante principio Quo. Quod etiam poteſt denominari à ſua actione: maximè ſi ſit quaſi ſuppoſitum per ſe extrà ſubiectum; non per aliquid poſitiuum, ſed ſola negatione informandi. Nec enim eſt neceſſe Quod agit diſtingui à Quo: vt patet in anima, ſi ei identificantur potentiæ. Aliud eſt de Quo partiali & totali eſſendi: quale eſt Anima, & humanitas reſpectu hominis; niſi quod ſicut Humanitas eſt id quo eſt homo, nec differt ab ipſo realiter, ſed tantùm modo intelligendi; ita quando id quo agitur eſt principium totale agendi vt extra ſubiectum, vel fortè etiam in ſubiecto nullam propriam cauſalitatem habente, idem eſt realiter Quo & Quod formaliter agit.

*Ad tandem* partem eiuſdem argumenti, de quantitate mathematica. *Reſp.* Hanc abſtrahere à qualitatibus naturalibus: nec vt ſic poſſe agere aut ſentiri; quia quamuis ſit ſenſibile commune, non poteſt tamen agere aut ſentiri ſine ſenſibili proprio alicuius ſenſus: qui cùm ſit primo potentia receptiua ſui proprij obiecti, non poteſt priùs ab alio recipere ſeu immutari. Quod de ſentiendo, hoc & de intelligendo dependenter à ſenſibus: ab intellectu autem independente, poſſet quantitas ſola percipi; ſed non eſt ſola in Euchariſtia.

*Ad* 3. Principale, ex Philoſopho 1. *De gen.* Agens & patiens cōmunicare in materia ſeu ſubiecto materiali. *Reſp.* de Agente vniuoco, non æquiuoco, quale eſt Deus: vel de communicatione aptitudinali, non autem neceſſariò actuali.

*Ad* 4. *Ex* 7. *Metaph.* Quod Idea non poſſit eſſe principium generandi compoſitum; quia eſt forma tantum. *Reſp.* Philoſophum in hoc erraſſe, quaſi de neceſſario ordine cauſarum. Cùm enim concedat intelligentias mouere Cœlum, ſicque facere Cœlum motum, quod eſt cōpoſitum per accidens: cur prima intelligentia ſeu Deus non poſſit facere compoſitum per ſe, ſeu ipſum cœlum?

Non tamen negat, ſed potius ſupponit quòd forma ſeparata poſſit agere: ſed non producere ſubſtantiam compoſitam, niſi mediante corpore; ſicque de qualitate ſeparata, quod non poſſit producere compoſitum ex ſubiecto & qualitate; non autem quin ſi poſſet per ſe eſſe, poſſit per ſe agere & producere qualitatem in ſubiecto. An verò forma ſubſtantialis quæ eſt Principium vniuocè generandi, ſi eſſet extra ſubiectum poſſet generare, vel ſola prima ſubſtantia: require, inquit, ſuprà in hac *quæſt.* Sed non videtur hic expreſſè reſolutum: niſi quòd forma materialis non quanta, qualis eſſet forma ſubſtantialis extrà ſubiectum, non poſſit agere in ſubiectum quantum; ſed præuia aliundè diſpoſitione naturali prima ſubſtantia ſuppleret.

*Ad* 5. Quòd hinc ſpecies intelligibiles, & charitas extrà ſubiectum poſſent intelligere & diligere, ſicque beatificari. *Reſp.* Negando paritatem. Nam ſi ſint tantùm principium partiale, ac minus principale cum intellectu & voluntate, non poſſent agere niſi cum intellectu & voluntate: ſed ſi eſſent intimè aut ſatis præſentes, quāuis non inhærerēt, viderentur poſſe concurrere cum intellectu & voluntate ad actum; quia inhærentia nihil eis confert ad agendum. Sicut charitas in patria immediatè cauſabit ſui viſionem, quamuis non inſit intellectui ſed voluntati.

Si verò ſpecies intelligibilis & charitas eſſet principiū totale producendi: non ſic tamen recipiendi intellectionem, & amorem, niſi in ipſo intellectu & voluntate. Intelligere autem eſt pati, ex Philoſ. 3. *de Anim.* .i. habere intellectionem potiùs quam producere. Sed ſic poſſent cauſare actus ſuos in intellectu & voluntate præſente. Quod ſi eſſent totale principium actiuum, & proprium ac proximum receptiuum ſuorum actuum: tunc eſſet difficultas.

## Quæſtio 4.

*Vtrum omnis tranſmutatio quæ poteſt fieri ab agente creato circa accidentia in Euchar. manente, neceſſariò requirat eandem quantitatem manere.*

Hic eſt, &c. Refert opinionem Godfridi *quod l.* 11. & aliorum, ſub duplici Concluſione.

*Conc.* 1. Quòd in quauis rarefactione & condenſatione, etiam ſpecierum conſecratarum, fiat prorſus alia & alia quantitas: ſicque etiam de qualitate in intenſione & remiſſione. 1. Quia termini motus ſunt incompoſſibiles. 5. *Phyſ.* Nam ſubiectum & terminus à quo debet realiter diſtingui à termino ad quem. 2. Quælibet pars quanti rarioris aut denſioris, eſt rarior aut denſior: ergò nulla manet pars eadem prioris quantitatis. 3. Quia prior quantitas non poteſt eſſe in eodem ſubiecto cum poſteriori: Ergo non poſſet rareſcere niſi ex adgeneratione nouæ ſubſtantiæ ſub noua quantitate.

*Concl.* 2. Quòd in rarefactione, & condenſatione ſpecierum conſecratarum, ſit motus ſine ſubiecto. 1. Quia ſicut ſpecies virtute diuina habent eſſe: ita & fieri, ac motū ſine ſubiecto. 2. Quia omnia fiunt in eis extrà ſubiectū, ac ſi fierent in ſubiecto. 3. Quia ad eſſentiam motus ſufficit forma in fieri, ſeu eius fluxus à non eſſe ad eſſe: Ergo etiam extrà ſubiectum. Nec ſequeretur talem formam creari. Tum quia non eſt interruptio in eſſe, ſed continuatio

Digitized by Google

nuatio formæ eiuſdem ſpeciei. Tum quia non eſt ex nihilo: ſed à minori quantitate ad maiorem, ex quadam vi naturali, vt maior fiat ex minori.

Neque Corpus Chriſti deſinit eſſe ob hanc realem nouitatem, ac differentiam ſpecierum: quia ex hac mutatione reali, ſubſtantia panis & vini ſi ſubeſſet, non deſineret. Nec eſt neceſſarium ſubiectum ad hanc mutationem realem quantitatis, niſi ſecundum continuam ſucceſſionem.

*Quantum ad iſtam, &c.* Monet non eſſe quidem multum curandum de prima Concl. niſi propter ſecundam: Quia ſiue tota quantitas ſuccedens ſit noua, ſiue pars eius, eadem eſt difficultas de ſubiecto vtriuſque. Improbat tamen etiam primam Concl. 1. Quia ſi non maneret eadem quantitas: nec eadem accidentia quæ ſunt immediatè in quãtitate. 2. Quia omnes ſenſus renuntiant manere eadem numero ſenſibilia. Nec eſt abſurdum vti hac experientia ſenſuum circa ſua propria ſenſibilia: inter quæ eſt ipſe numerus. 2. *de Anim. Sed iſtud,* inquit, *non pondero: quia nullus ſenſus iudicat de radijs ſolis vtrum ſint ijdem vel alij continuè in medio.* 3. Quia à quocumque rarefiant aut condenſentur ſpecies, manẽt qualitates eiuſdem rationis: ergo non producuntur nouæ numero eiuſdem ſpeciei, à tot contrarijs agentibus. 4. Ignis rarefaciens ſpecies vini albi & rubri, dulcis & amari, non poſſet reproducere eundem colorẽ & ſaporem. 5. Quia Godf. Quodl. 6. Vult ſubſtantiam formaliter indiuiduari per quantitatem; ergò corrupta hac quantitate, non maneret hic panis.

*Ad* 1. *Primæ Concl.* Concedit terminos per ſe, ſeu priuationẽ & formam eſſe incompoſſibiles: negat tamen de terminis concomitantibus, ex diſt. 10. q. 2. Porrò prior quantitas in rarefactione, & condenſatione, vel qualitas in intenſione & remiſſione, non eſt per ſe terminus à quo, nec ſubiectum illius mutationis: ſed eſt terminus à quo concomitans, & tota poſterior eſt terminus ad quem. Qui quãuis numero differret à priori: non tamen ſe toto, ſed vt includit etiam priorem.

*Ad* 2. inquit, *quære Reſponſ.* Subdit fortè non quamlibet partem ſecundùm materiam ſeu in infinitum minorem: ſed tantùm quamlibet ſecundùm ſpeciem, ſeu ſub qua alicuius rei ſpecies ſit conſeruabilis, fieri rariorem; per ingenerationem corpuſculorum ſubtiliorum, quæ ſeipſa, & totum reliquum corpus magis extendant, vi quadam propulſandi partes viciniores. Exemplificari poſſet ex vi venti incluſi, ad motus terræ: ex vi pulueris noſtri tormentarij, &c.

Additio conijcit, dici poſſe raritatem non eſſe nouam quantitatem, ſed tantùm eius modum, ſeu extenſionem: vel quamlibet partem rariorem eſſe maiorem; non noua totali, nec duplici, ſed vna totali quantitate homogenea, ex parte priori & alia noua.

*Quantum ad 2. Concl. vbi eſt pondus fundamentale Quæſt.* Retorquet rationes Gotfridi in ipſum 1. Si tota quantitas noua & totaliter produceretur, vel crearetur ex nihilo, vel minor totaliter conuerteretur in maiorem, vi æquiualente creationi. 2. Si maior quãtitas non ſuccederet minori, ſed acciperet eſſe totale poſt non eſſe crearetur; ergò & nunc &c. 3. Neceſſaria eſt vis productiua ſecũdùm perfectionem rei producendæ & modi producendi: ergò ad totalem productionem quantitatis neceſſaria eſſet vis creatiua.

4. Si prior & minor quantitas totaliter deſinit: nihil prorſus confert ad productionem totalem maioris. 5. Si maior quantitas ſuccederet, ſeu produceretur totaliter poſt aliud ſibi contrarium, crearetur: ergo & poſt minorem priorem quantitatem, ſi eſt ſibi æquè incompoſſibilis. 6. Nulla vis poſſet eſſe in minori quantitate, totaliter deſinente, ex qua poſſet produci maior: ſed tantùm quædam incompoſſibilitas cum maiori ſuccedente. Ergo hæc crearetur. 7. Anima quamuis ſuccedens, & immanens corpori organico, creatur: quia ex non eſſe ſui, ergo & potiùs maior quantitas, ſi totaliter ſuccederet minori totaliter deſinenti. 8. Quantitas rarefacta Hoſtiæ conſecratæ, ſi differt numero & totaliter à priori, æque differt ac quantitas alterius Hoſtiæ non conſecratæ: ergo Corpus Chriſti non plus erit ſub illa, quàm ſub hac. 9. Corpus Chriſti eſt præſens per conſecrationem ſub hac ſpecie & quantitate conſecrata: ergo ſub nulla alia non conſecrata. 10. Si, vt vult, panis eſſet hîc per quantitatem, non maneret hîc ſub alia totali quantitate: quia per aliam quantitatem fieret alibi, vel non coexiſteret maiori quantitati. 11. Agens creatum non poteſt cauſare accidens abſolutum extra ſubiectum: ergo nec motum, ſeu fluxum alicuius formæ ſine ſubiecto, quamuis non ſit de eſſentia eius vt fiat in ſubiecto.

*Ad* 1. Rationem Godfr. pro ſua *Concl.* 2. Concedit vtrumque fieri poſſe ſupernaturaliter, neutrum aliter. *Ad* 2. Quantitas in ſubiecto non poteſt moueri ſine ſubiecto: ergo nec extrà niſi ſupernaturaliter, &c. *Ad* 3. Probat tantùm poſſibile ſupernaturaliter. Nec poſſet dici motus rarefactionis aut ipſa raritas eſſe in tota quantitate, vt in ſubiecto: quia ſubiectum ſupponitur eſſe permanenter, vt ei ſimul ac ſucceſſiue ineſſe poſſit.

## *Ad Quæſtionem, &c.*

DIſtinguit 4. mutationes poſſibiles in Euchariſtia permanente.

1. Ad vbi. 2. Ad qualitatem ſine mutatione quantitatis. 3. Ad qualitatem cum aliqua mutatione quantitatis. 4. Ad quantitatem primò. De 1. & 2. non eſt diff. niſi de mutatione figuræ, quæ tamen non mutat quantitatem, ſed tantùm relationem partium inter ſe & extra.

Sed de 3. & 4. eſt diff. ſiue fiat tota quantitas noua, ſiue aliquid eius: niſi rarefactio explicetur per illam ingenerationem corpuſculorũ ſubtilium, vt ſupra. Sed mirum eſſet quid hîc generaretur ſubtilius vino ex rarefactione: & quòd ſtatim ad rarefactionem noua ſubſtantia generaretur, & corpus Chriſti deſineret; nec vlla ſubſtantia eadem poſſet rarefieri aut condenſari.

*Sed quid &c.* Hinc problematicè voluit & reuoluit, vtrùm ſiue tota, ſiue pars noua quantitatis, poſſit naturaliter produci ſine ſubiecto. Videtur, inquit, quod non. 1. Quia immediatè conſeruatur à Deo extrà ſubiectum: ergò non poteſt vt ſic naturaliter corrũpi aut produci. 2. Quia quantitas non habet



Digitized by Google

contrarium: ergò non poteſt corrumpi, niſi defectu ſubiecti, vel alicuius accidentis ſibi neceſſarij. Ergò quãtitas noua extra ſubiectum, nec corrumpitur nec producitur niſi à ſolo Deo immediatè: non nouo miraculo; ſed ex eadem voluntate qua inſtituit myſterium Euchar. ſupra omnem experientiam ſenſuum.

*Aliter dicitur, &c.* Refert aliam opinionem, quod in rarefactione fiat pars noua quantitatis in eodem ſubiecto, vel extra: motus autem rarefactionis ſit per ſe ad qualitatem raritatis, per accidens ad nouum gradum quantitatis in ipſa quantitate; non tamen vt in ſubiecto, quia noua pars quaſi adgeneratur priori, ſub ſimili modo exiſtendi, abſque nouo miraculo. Sicut nutrimentum adgenerabatur, & coaſſumebatur in Chriſto.

*Contra.* 1. Si vinum non conſecratum apponatur ſpeciebus conſecratis, quantitas eius non ſit ſine ſubiecto per hanc coniunctionem: ergò nec per rarefactionem. Nec eſt ſimile de adgeneratione in Chriſto: quia ibi pars adgenerabatur toti ſuppoſito, ideoque ad ſimilem modum exiſtendi huius totius, ſine nouo miraculo. Sed hîc pars noua quantitatis non exigit ſimile eſſe alteri parti ſine nouo miraculo. *Et quia tota raritas eſt per ſe terminus illius alterationis* .i. rarefactionis: *tota habet pro ſuo proprio ſubiecto totam quantitatem, ſicut pars partem; ergò tota raritas præſupponit totam quantitatem maiorem.* Breuiter ergò, vel oportet quod quantitas non ſit alia, actione agentis creati: vel quòd hoc poſſit agere ſine ſubiecto in quod agat.

*Contra hoc.* Agens creatum requirit paſſum propter duo. 1. Propter ſe, ſeu virtutem ſuam limitatam, cui neceſſaria eſt concauſa materialis. 2. Propter ſuum effectum compoſitum ex materia & forma, quæ forma nec poteſt naturaliter exiſtere, nec fieri extra ſubiectum. Ergò non poteſt agere niſi in ſubiectum in ſe, vel primo agente ſupplente vicem ſubiecti, ſeu cauſalitatem eius extrinſecam. Sed cauſalitas ſubiecti eſt receptio formæ: impoſſibile autẽ eſt Deum habere rationem receptiui formæ. Deinde etſi Deus ſuppleret cauſalitatem ſubiecti: Agens creatum non aget ſine nouo miraculo. Ad quas diff. à Scoto motas, ſed irreſolutas, dici ſolet: Deum ſupplere cauſalitatem materialem, non materialiter, ſed effectiuè.

*De quarta*, inquit, *mutatione* .i. ad quantitatem per ſe, facilius reſoluit nullam hîc eſſe poſſibilem augmentationem aut diminutionem propriè dictam ſpecierum conſecratarum: quia non ſunt animatæ; ſed tantùm appoſitionẽ & diuiſionem.

*Sed diuiſio*, inquit, non eſt propriè mutatio aliqua eiuſdem ſubiecti: ſed tantùm reductio partium quæ prius erant continuè in ſuo toto, ex potentia ſeu partibus potentialibus, ad actum ſeu partes actuales actu diſtinctas, & diſcontinuas. Cuius quaſi mutationis ſubiectum eſt tota eadem entitas poſitiua partium, ſiue in toto, ſiue extrà: Excepta continuitate, cuius ſola corruptio videtur eſſe diuiſio.

*De Appoſitione*, cenſet poſſe quantum non conſecratum apponi, imò & continuari ſpeciebus conſecratis, in eandem quantitatem: cuius mutationis ſubiectum ſit etiam tota entitas poſitiua partium vnitarum, vt de diuiſione ſupra. Niſi quod continuatio ſit per realem, ac poſitiuam vnionem partium: diuiſio autem per ſolam priuationem huius vnionis. Sed pro certo ſupponens partem conſecratam manere extra ſubiectum, non conſecratã autem in ſuo priori ſubiecto: mouet diff. de termino huius vnionis, an ſit in ſubiecto, vel non. *Reſp.* Quære, &c.

*Additio* ſupplet, quòd cùm Corpus Chriſti non ſit hîc ſub aliquo indiuiſibili: terminus indiuiſibilis talis vnionis non ſit de ſpecie conſecrata, ſed de non conſecrata, &c. vel poſſe dici, quamuis minus probabiliter, quòd diuiſio & continuatio quantitatis ſit tantum motus localis partium ab inuicem, vel ad inuicem. Sed quamuis inſit talis motus: ſubeſt tamen quædam etiam vnio partium vel eius priuatio.

*Ad Argum. principalia.* *Ad* 1. *Reſp.* Non eſſe de eſſentia motus aut mutationis, vt ſit alicuius alterius ſubiecti quã ipſius formæ ſeu termini in fieri. *Ad* 2. Philoſ. putauit non poſſe fieri niſi compoſitum ex ſubiecto & forma aliqua producta. *Ad* 3. Negat non poſſe fieri aliam mutationem circa quantitatem, quam augmentationis vel diminutionis, quæ ſunt propriæ animatorum.

## Quæſtio 5.

### *Vtrum poſſibile ſit in Euchariſtia fieri tranſmutationem corruptiuam illorũ accidentium.*

*Hic dicitur, &c.* Refert ſententiam S. Thomæ *hîc q.* 2. *a.* 2. *&* 3. *p. q.* 77. *ar.* 4. Quòd accidentia ſeparata eodem triplici modo corrumpi poſſunt, quo vnita. 1. Ad corruptionem ſubiecti, quod eſt hîc quantitas. 2. Per ſuum contrarium in eodem ſubiecto. 3. Per diuiſionem in tam paruas partes, vt ſub eis panis ſubſtantia deſineret.

*Contra* 1. Quantitas non habet hîc modum ſubſtantiæ poſitiuum: ſed tantum inhærentiam: nec habet in ſe principium corruptionis, ſeu compoſitionem ex parte potentiali & actuali, vt ſubſtantia materialis; ergò non eſt ſic corruptibilis.

2. Quantitas non exigit certam qualitatem, ſicut ſubſtantia: ſed eſt indifferens ad omnem; ergò nec eſt hinc corruptibilis, ſicut ſubſtantia.

*Dico ergo ad quæſt.* Reſpondet ſuppoſita diſtinctione quantitatis à ſubſtantia & qualitatibus, qualitates ſpecierum conſecratarum, quæ non requirunt aliam quantitatem, poſſe naturaliter corrumpi per contrarias in eadem quantitate. Quia habent eandem quantitatem pro immediato ſubiecto communi: nec virtus agentis dependet à ſubiecto ſubſtantiali, & remoto, niſi ad ſuſtentandum ſubiectum immediatum, videlicet quantitatem, quæ hîc à Deo ſuſtentatur. Ad quarum qualitatum tantam corruptionem, vt ipſius panis ſubſtantia ſi ſubeſſet deſineret, deſinit & Corpus Chriſti: ex eadem inſtitutione qua Corpus Chriſti exiſtit ſub ſolis ſpeciebus conſecratis panis & vini, non autem alterius ſubſtantiæ. Sed ſi quantitas non differret realiter à ſua ſubſtantia, & qualitatibus: eſſet eadem difficultas de corruptione qualitatum, quæ de corruptione quãtitatis, *Quæſtione* 4.

*Ad* 1. *Arg.*

Digitized by Google

*Ad* 1. *Arg. Reſp.* Ibi agi tantùm de formis reſpectiuis, non de abſolutis. *Ad* 2. Illud Boetij, eſſe de forma ſeu actu ſimplici, nullatenus potentiali, qualis eſt ſolus Deus. *Ad* 3. Philoſophum ſemper falsò ſupponere neceſſitatem materiæ. *Ad* 4. Qualitas non corrumpitur in nihil, ſed in contrarium, vel in minorem gradum eiuſdem: quantitas autem non corrumpitur hîc naturaliter, quia non habet hîc ſubiectum.

## Quæſtio 6.

*Vtrum in aliqua tranſmutatione facta circà Euchariſtiam, neceſſe ſit ſubſtantiam aliquam actione diuina redire.*

HIc *eſt &c.* Refert opinionem Innoc. *de officio Miſſæ. p.* 3. redire eandem ſubſtantiam panis quæ deſijt: quia Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis ad ſignificationem nutritionis ſpiritualis; ergò quando corrumpitur ſpecies nutrimenti, deſinit ibi eſſe Corpus Chriſti, & reſtituitur ſubſtantia panis ad nouam generationem; idque ex vi huius inſtitutionis abſque nouo miraculo.

*Contra* 1. Hinc ſequeretur panem ſimul ibi eſſe, & corrumpi, ſeu non eſſe. 2. Corpus Chriſti non maneret donec ſpecies ſint corruptæ, vel eſſet ſimul aliquo inſtanti cum ſubſtantia panis. 3. Tota alteratio ſpecierum poteſt fieri in eadem quantitate: ergò non eſt opus vllam ſubſtantiam redire ante finem alterationis.

*Ad* 1. Fortè, inquit, non eſſet inconueniens dicere quod non manet Euchariſtia, niſi quamdiu manent ſpecies vt conuenientes nutrimento: poſſent autem ſic alterari vt non conueniant nutrimento antequam totaliter corrumpantur, ſicut poſſet panis &c. Sed tunc difficile eſſet inuenire certum gradum alterationis, vſque ad quem præcisè maneret Euchariſtia.

*Ad* 2. Diceretur ſubſtantiam non redire propter alterationem, ſed propter generationem quæ ſequitur. Sed hæc non eſt ſufficiens ratio reditionis.

*Eſt alia, &c.* Refert opinionem S. Thomæ hîc *art.* 2. *&* 3. Redire materiam: quæ exponitur, non de materia prius annihilata, quaſi hæc non poſſet eadem numero redire; nec de materia prius conuerſa in corpus Chriſti, quaſi conuerſum non poſſet redire niſi Corpus Chriſti, vel eius materia in illud conuerteretur; ſed de noua materia creata, ad ſupplendum tantundem materiæ, quantum deſijt in Tranſſubſt.

*Contra hanc, vt contra priorem.* Deinde hæc materia ante generationem eſſet ſine forma, nec generatio eſt ſine corruptione. Denique poteſt æque reproduci materia quæ deſijt, ac noua creari: nec eſt vlla ratio cur Corpus Chriſti aut eius materia deberet in illam conuerti.

*Tertia*, inquit, *opinio*, eſt Ægidij *Theor.* 44. 45. Ex ipsâ quantitate conſecratâ generari nouam formam ſubſtantialem, indeque ſequi nouam materiam, vel virtute Diuina ipſam quantitatem fieri materiam.

*Contra* 1. Forma ſubſtantialis non poteſt informare accidens vt proprium ſubiectum. 2. Forma præſupponit potentiam ſubſtantialem, vt ex genere ſuo priorem. 3. Forma ſubſtantialis eſt conſtitutiua vnius per ſe compoſiti ſubſtantialis cum ſuo ſubiecto. 4. Forma ſubſtantialis non poteſt dependere à quantitate vt ſubiecto. 5. Non poteſt educi ex quantitate tanquam ſubiecto. 6. Ignis genitus ex quantitate & forma ſubſtantiali, nec eſſet vniuocè ignis, nec vniuocè ageret. 7. Ex hac generatione ſequeretur proceſſus ad plurimas alias ex eadem quantitate pro materia. 8. Si quis diu nutriretur ex talibus ſpeciebus, tandem non conſtarent vlla materia, ſed tantũ quantitate ſpecierũ conſecratarum & forma ſubſtãtiali.

*Quarta*, inquit, *eſt Opinio* Richar. *a.* 2. *q.* 2. Creari in ſpeciebus conſecratis poſſibilitatem conuerſionis in nouam materiam & formam ſubſtantialem.

*Contra* 1. Illa poſſibilitas nihil eſt actu: ergò non poteſt eſſe creata. 2. Materia non producitur per generationem, ſed ei præſupponitur. 3. Fruſtra crearetur talis poſſibilitas, &c.

*Dico ergò Ad quæſt.* per 4. Concl.

*Concl.* 1. Mutationes compoſſibiles cum ipſa Euchariſtia, non exigunt vllum reditum ſubſtantiæ: quia quantitas poteſt eſſe earum ſubiectum.

*Concl.* 2. In talibus mutationibus de facto nulla redit ſubſtantia, nec completa, nec incompleta: quia nunquam eſt ibi Corpus Chriſti cum alia ſubſtantia, ſed accidentia ſub quibus eſt Corpus Chriſti manent ſine ſubiecto.

*Concl.* 3. In trãſmutatione ſubiectiua Euchariſtiæ, manente eadem quantitate, non eſt neceſſe redire vllam ſubſtantiam. Intellige ad illam alterationem, ad quam ſufficit quantitas pro ſubiecto.

*Concl.* 4. Siue per alterationem, ſiue per mutationem quantitatis corrumpatur Euchariſtia: De facto immediatè à Deo in inſtanti corruptionis redit ſubſtantia compoſita ad quam diſponunt accidentia corrumpentis, cui talia accidentia conueniunt, & quam etiam in eodem inſtãti afficiunt. Quia ita Deus cõſequenter inſtituit, nec alius modus eſt neceſſarius, ſufficiens, aut conuenientior inſtitutioni.

Tranſmutatio autem compoſibilis Euchariſtiæ eſt, inquit, quælibet alteratio, cuius terminis eſſet compoſſibilis pani ſi ſubeſſet: & mutatio per diuiſionem, coniunctionem, rarefactionem, vel condenſationem quantitatis, quæ non repugnet ſubſtantiæ panis ſi ſubeſſet. Mutatio autem incompoſſibilis Euchariſtiæ, eſt quæcumque corruptiua quantitatis, & qualitatis neceſſariæ ad exiſtentiam panis. Vnde, inquit, ſi poſſent ſpecies conſecratæ calefieri vſque ad gradum repugnantem pani: quamuis maneret eadem quantitas, corrumperetur Euchariſtia, deſineret Corpus Chriſti, & rediret ſubſtantia compoſita, vt *Concl.* 4.

*Ad* 1. *Arg. Reſp.* Ex præfatis. *Ad* 2. *Reſp.* Agens naturale non poſſe agere naturaliter niſi in paſſum: ideoque ſupponendum ei eſſe ſubiectum proportionatum, &c. *Ad* 3. Agens naturale neceſſario agit quantum poteſt: ſed hîc non poteſt, &c.

*Ad* 4. Deus ſinit res agere proprias motu, &c. 7. *Ciu.* 30. Ex ſua vi propria, quæ nihil poteſt, niſi in ſubiectum.

DIST. 13.

Digitized by Google

Circa deſitionem totius ſubſtantiæ panis & vini. *1.* Deſinere tantùm eſſe hîc, ſeu ſub ſuis proprijs ſpeciebus. *2.* Deſinere eſſe quoad totalem exiſtentiam, non quoad eſſentiam & naturam. *3.* Deſinere eſſe quoad hanc totam ſubſtantiam panis & vini: non autem quoad rationem etiam ſingularem, Entis, Subſtantiæ, Corporis, &c. *4.* Deſinere eſſe quoad formam & totam materiam actualem: non tamen quoad potentialem, ſeu potentiam etiam proximam. *5.* Deſinere totaliter in nihilum. *6.* Deſinere quidem totaliter ſeu quoad ſuam totam, totalem & partialem ſubſtantiam: non tamen annihilari, nec corrumpi; ſed totaliter in melius conuerti, ſeu tranſubſtantiari.

Circa inceptionem Corporis & Sanguinis Chriſti. *1.* Per ſolam inceptionem exiſtendi hîc. *2.* Per ſubſtitutionem ac ſucceſſionem, quaſi ad replendum hoc vacuum ſubſtantiæ, ſeu ſupplendam abſentiam panis & vini. *3.* Per ſucceſſionem & ſubſtitutionem ſub iiſdem accidentibus, nõ in ratione ſubiecti, ſed ſignificati ac demonſtrati. *4.* Per quandam ſpecierum conſecratarũ ſuſtentationem ſubſtantialem, abſque inhæſione, aut vlla vnione. *5.* Per aliquam vnionem virtualem, ſeu dependentiam harum ſpecierum à Corpore Chriſti. *6.* Per quandam reciprocam conſeruationem Corporis Chriſti præſentis, ab his ſpeciebus. *7.* Per quandam vnionem formalem, vel ſubſtantialem, vel accidentalem, vel reciprocam, ad ſpecies, vel ad Corpus & Sanguinem Chriſti terminatam. *8.* Per ſucceſſionem Corporis Chriſti non tantùm ſub accidentibus panis: ſed etiam in eſſe Subſtantiæ, Corporis, & cibi ſpiritualis pro corporali. *9* Per ſucceſſionem in conſeruatione & dependentia ſubſtantiali à Deo ſub iiſdem ſpeciebus. *10.* Per hanc ſucceſſionem ex ſolo decreto ſeu inſtitutione Dei, abſque vlla mutatione aut nouitate ſubſtantiali vel accidentali ipſius Corporis Chriſti, ſed ſolius panis & vini, ac ſpecierum conſecratarũ. *11.* Per ſolam nouam præſentiam formalem ſpecierum conſecratarum ad Corpus Chriſti terminatam: huius autem Corporis veram quidem & realem ad illas ſpecies præſentiam; non tamen intrinſecè, ſed tantùm terminatiuè, & virtualiter, quadam eius applicatione ad ſpecies, vt ad organum ſuarum operationum Sacramentalium. Sicut Deus eſt omnibus realiſſimè & intimè præſens: terminando omnium præſentiam ad ſe. Sicut Diuinitas eſt præſentiſſima ſuæ ſacræ humanitati: terminando eius vnionem hypoſtaticam ad Perſonam Diuinam. Sicut Angeli ſunt realiter præſentes ad corpora aſſumpta aut mota. Sicut anima eſt realiter & intimè præſens ſuo corpori animato ad ſuas operationes, excepta informatione. *12.* Per nouam præſentiam intrinſecam, ſed indiuiſibilem Corporis Chriſti ad ſpecies conſecratas. *13* Per reproductionem ſubſtantialem Corporis & Sanguinis Chriſti toties quoties ſimul in eodem eſſe totali. Quamuis enim idem non poſſit eſſe niſi vnicæ eſſentiæ: Cur tamen non poſſit pluries ſimul exiſtere, ſeu habere ſimul non tantùm plures præſentias, ſed & exiſtentias etiam ab inuicem independentes, ſeu plures dependentias ſubſtantiales, actuales, & ſingulas ſufficientes ad exiſtendũ?

Circa exiſtentiam, actionem, & paſſionem ſpecierũ conſecratarum. *1.* Quantitatem ſubſtantiæ panis & vini eſſe ipſam materiam, & cum ea deſinere; ſed modum quendam extenſionis eius manere. *2.* Quantitatem ſubſtantiæ deſinere, ſed manere quantitatem ſingularum qualitatum. *3.* Eandem quantitatem & qualitates ſubſtantiæ deſinentis, manere: ſed ſingulas æquè ſupernaturaliter conſeruari extra ſubiectum. *4.* Solam quantitatem conſeruari extra ſubiectum: qualitates autem inhærere formaliter eidem quantitati cui ante. *5.* Species conſecratas conſeruari formaliter extra ſubiectum, modo aliquo ſubſtantiali per ſe exiſtendi. *6.* Conſeruari tantùm extra ſubiectum negatiuè: eadem vel maiori actione ſupplendo cauſalitatem materialem ſubiecti. *7.* Non poſſe agere aut pati naturaliter, defectu ſubiecti & principij ſubſtantialis ac fundamẽtalis. *8.* Agere poſſe naturaliter, ex vi propria, ſufficienti, & independente à ſubiecto in agendo, ſed tantùm in exiſtendo. *9.* Pati poſſe ſeu recipere naturaliter à quouis agente, in quantitate ſeparata. *10.* Quantitatem ipſam non poſſe naturaliter corrumpi, aut realiter mutari, defectu ſubiecti. *11.* Poſſe vel non poſſe naturaliter corrumpi aut produci totam diſpoſitionem accidentalem neceſſariam ac ſufficientem ad ſubſtantiam, quæ non poteſt naturaliter generari, defectu materiæ.

Circa exiſtentiam, actionem, & paſſionem, realem aut intentionalem, Corporis Chriſti cum omni ſua perfectione ſubſtantiali ac accidẽtali in Euchariſtia. *1.* Corpus Chriſti eſſe hic ſine ſua quantitate: ſi hæc non diſtinguatur ab extenſione locali. *2.* Diſtingui, & eſſe hic integrè quoad partium inter ſe continuitatem, ordinem, ac ſubordinationem, abſque ſuo modo naturali, ſeu vlla extenſione locali extra ſe. *3.* Ex Ockamo *in 4. q. 5.* poſſe etiam ſic naturaliter agere & pati, vt extra Euchariſtiam: ſed ſuſpendi, ex dote impaſſibilitatis, vel hoc myſterio Fidei. Quia habet ſaltem omnia eadem principia agendi, præcipuè intentionabiliter ac indiuiſibiliter: ergo poſſet naturaliter videri &c. *4.* Nec poſſe agere nec pati naturaliter, vlla actione corporea, ſed tantùm ſpirituali. *5.* Poſſe aut non poſſe, vt ſic, ſupernaturaliter videri viſu corporeo: quod priuilegium Alenſis ſupra tribuit ſoli Deiparæ; quia extenſio externa eſt de neceſſitate obiecti viſibilis, vel potentiæ, vel ſpeciei viſibilis, vel ipſius viſionis, vel nullius horum. *6.* Poſſe vel non poſſe naturaliter videri ab intellectu humano vel Angelico, glorioſo vel non: quia vel modus ille exiſtendi eſt ſupernaturalis in eſſe & cognoſci, vel tantùm in fieri &c.

Circa deſitionem Corporis Chriſti, & reſtitutionem alterius ſubſtantiæ aut materiæ. *1.* Corpus Chriſti deſinere, corruptis ſpeciebus extra rationem cibi & potus. *2.* Deſinere, corruptis ſpeciebus extra rationem ſenſibilis. *3.* Deſinere corruptis ſpeciebus, extra rationem diſpoſitionis neceſſariæ ad ſubſtantiam panis & vini. 4. Has tres rationes poſſe, aut non poſſe reipſa ſeparari: quia fortè fruſtrà eſſet ſubſtantia panis & vini, niſi eſſet ſenſibilis, & conueniens ad cibum ac potum: vel hîc finis non



Digitized by Google

eſt intrinſecus & neceſſarius ad exiſtendum; vel quia poteſt adhuc coaleſcere & reſtitui in cibum & potum. 5. Corpus Chriſti deſinere prout incepit eſſe, ſubſtantialiter vel accidentaliter. 6. Conuerti vel potiùs non conuerti in ſubſtantiam ſuccedẽtem. 7. Species corruptas, deſinente Corpore & Sanguine mutari aut conuerti, vel potiùs non conuerti aut mutari in ſubſtantiam conſequentem. 8. Eandem materiam panis & vini reproduci ac reſtitui, vel aliam nouam creari, ad naturalem generationem. 9. Nil poſſe ibi naturaliter ex materia reſtituta in inſtanti ſine diſpoſitione generari: ſed potiùs totum compoſitum ſimul à Deo, omnia ſupernaturaliter ſupplente, produci, &c.

## *Reſponſio noſtra Scholaſtica.*

TOtum myſterium Tranſubſtantiationis, pluribus modis à ſolo Deo immediatè fieri, & à nobis ratione naturali concipi ac explicari poteſt: ſed de facto probabiliùs fieri explicatur.

1. Non per annihilationem, ſed per ſolam deſitionem panis & vini, directè quoad præſentiam ſub proprijs ſpeciebus: conſequenter tamen etiam quoad exiſtentiam; quia hæc non datur, nec conſeruatur inter ſubſtantias materiales ac corruptibiles, niſi ſub quantitate, & qualitatibus proprijs, ad huius mundi integritatem, & actiones ac paſſiones ſuas.

2. Per veram realem ac ſubſtantialem conuerſionem, ſeu ceſſionem panis & vini, & ſucceſſionem formalem Corporis & Sanguinis Chriſti: non tantùm vt cibi & potus ſpiritualis pro corporali; nec tantùm in eodem loco, præſentiâ vel ſub eâdem ſpecie panis & vini; nec ſolùm in officio ſubſtantiali ſubſtandi, & ſuſtentandi ſpecies conſecratas, ſola adhæſione morali, abſque vlla inhæſione vel vnione reali; nec tantùm in eſſe communi ſubſtantiæ corporalis, aut in quauis exiſtentia actuali: ſed tum in vice, ordine, ac iure proprio eſſendi ſeu exiſtendi, ſupplendique cedentem ac deſinentem exiſtentiam panis & vini, ſub ſpeciebus conſecratis: tùm ſub propria ratione termini ad quem; nulla ſui productione, ſed ſola ſua exiſtentiâ & præſentiâ actuali præſentiam ac exiſtentiam panis ab eiſdem ſpeciebus formaliter excludentis, eiuſque deſitionem immediatè terminantis; tum ſub ratione finis melioris, cui, in quem, & propter quem panis ſuo eſſe cedit ac deſinit.

Nam ſubſtantiæ materiales & corruptibiles habent ſuam ſucceſſionem in exiſtendo, prout exigunt diſpoſitiones: cùm ergò tota diſpoſitio naturalis ad exiſtentiam panis & vini, per conſecrationem fiat ſupernaturalis ad exiſtentiam & conſeruationem Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub eâdem diſpoſitione ſeu ſpecie conſecrata: Hæc ſucceſſio non eſt tantùm accidentalis inter ſubſtantias quoad præſentiam; ſed etiam ſubſtantialis, quoad exiſtentiam, ſeu ius exiſtentiæ ac conſeruationis ſubſtantialis & Sacramentalis, ſiue dependenter ſiue independenter à priori, ex vi conſecrationis. Non quòd Corpus Chriſti ſuccedat in ipſam actualem ac formalem exiſtentiam, ſicut nec in præſentiam panis deſinentis: ſed in diſpoſitionem eius ad exiſtendum, ſicque in vicem, ordinem, & quaſi ius quoddam ſubſtantiale exiſtendi.

Deinde, ſicut generatio vnius eſt corruptio alterius: ita & conſecratio Corporis Chriſti eſt excluſio panis ab eiſdem ſpeciebus. Non ex vlla repugnantia coexiſtendi eodem tempore, imò nec loco: ſed coexiſtendi hoc idem; & ex ordinatione ſupernaturali non coexiſtendi, ſed ſuccedẽdi ſub eadem diſpoſitione ſeu ſpecie conſecrata .i. tranſlata à pane ad Corpus Chriſti; & ex ſubordinatione panis & vini ad Corpus & Sanguinem Chriſti, ſicut naturaliter ad Corpus & Sanguinem humanum; non per oppoſitionem ſed diſpoſitionem, nec per neceſſariam generationem, ſed ſucceſſionem animæ præexiſtentis ad deſitionem panis. Ita de ſucceſſione formali Corporis Chriſti præexiſtentis, excepta partialitate aut totalitate panis deſinentis. Eſt enim per accidens ad conuerſionem formalem, quòd forma aut terminus ſuccedens producatur, quia non præexiſtit.

Denique quia hæc ſucceſſio non à eſt perfectiori ad imperfectius, ſed ab imperfectiori ad perfectius: non eſt annihilatio, nec corruptio, aut defectio; ſed perfectio panis deſinentis in ſuum proprium finem perfectiorem.

3. Ex ſolâ Dei inſtitutione verificandi formam conſecrationis, & ordinatione nouæ illius ſucceſſionis ſupernaturalis ac ſubſtantialis: non per vim aliquam realem, ſed tantùm per exigentiam cõſecrationis ſeu veritatis verbalis: nec per vllam Dei actionem ſubſtantialem; ſed per ſolam ſuſpenſionem conſeruationis præſentię ac exiſtentiæ panis & vini, continuatâ eâdem prorſus conſeruatione ſeu dependentia ſpecierum conſecratarum extra omne ſubiectum ſubſtantiale, in exiſtendo, agendo, & patiendo, ad ſecretum Sacramentale; & per productionem ac conſeruationem ſolius præſentiæ Sacramentalis, qua Corpus Chriſti formaliter fit præſens, cum tota ſua perfectione ſubſtantiali & accidentali, ſuſpenſo tantùm neceſſario Dei concurſu ad extenſionem localem.

Qui modus explicandi eſt conformior Sacræ Script. Quæ ſub forma conſecrationis, non ſignificat aliquid fieri, ſed *eſſe*; nec tantùm *hic eſſe*, quaſi loco panis, vel in ipſo aut cum ipſo; ſed *Hoc* ſubſtantiale non accidentale, totale non partiale, pro pane ſeu vice panis apparentis ac deſinentis, *eſſe Corpus Chriſti*. Tribuitque Corpori Chriſti ſtatum glorioſum immortalem ac perfectiſſimum: quem non decet ſubeſſe continuæ mutationi ſubſtantiali, imò nec accidentali, niſi ad reſpectus præſentiæ & ſimiles, nihil perfectionis aut imperfectionis inferentes.

Sacris Concilijs: quæ diſtingunt nomen & rem Tranſubſtantiationis, à cõuerſione ſubſtantiali partiali: quanto magis ab omni accidentali ſubſtantiarum? Ergò ad eam non ſufficit ſola ſucceſſio ad præſentiam: ſed ſaltem vt ſupra, & infra.

Sanctis PP. Qui ſupra *col. 248. 249. & à 251. ad 290. 349. 350. 351.* hanc Tranſubſtantiationem exprimunt per fieri, creari, confici, tranſmutari, transformari,

Digitized by Google

formari, conuerti, &c. De quorum ſenſu & modo loquendi Quæſt. ſequenti.

Sed ſpecialiter S. Aug. ſupra, contra annihilationem eiuſque appetitum. De appetibilitate autem conuerſionis in Chriſtum & Deū. *7. Conſ. 10.* Cibus ſum grandium &c. Nec tu me in te mutabis, ſed tu mutaberis in me *&c.*

*Tract. 26. in illud Ioan. 6.* Qui manducat me, in me manet & ego in illo. *Quæſt. 69. ex 83. Serm. contra Arianos cap. 37. lib. 1. Trin. cap. 8. Serm. 102. In illud. Gal. 2.* Viuo ego iam non ego. Et *1. Cor. 15.* Vt ſit Deus omnia in omnibus. Quæ quamuis non de conuerſione reali, ſed de affectu experimentali SS. non tamen vt impoſſibili aut inordinato; ſed perfectiſſimo, cedendi Deo, & conſumendi in eius honorem totum eſſe creatum. Nam etſi hæc non foret propriè dicta conuerſio in Deum: Tum quia Deus non ſubeſt Omnipotentiæ quoad eſſe vel non eſſe; Tum quia Deus non poteſt ſuccedere in eſſe Creaturæ: ſi tamen eſt appetibile totaliter conſumi in honorem Dei, cur non etiam conuerti in Corpus Chriſti? Et ſi conſumi totaliter in finem honoris Dei non eſſet annihilari: quanto minus conuerti in Corpus Chriſti? Nec obſtat quòd deſiderium ſupponat ac includat ipſum deſiderantem: quia ſupponit tantùm ipſum vt cauſam & ſubiectum ſui deſiderij; non autem vt obiectum Quod, nec Cui, niſi ſit deſiderium concupiſcentiæ. De quibus alibi ex profeſſo.

Idem S. Aug. lib. de immort. animæ cap. 8. *Nulla res ſe facit aut gignit: alioquin erat antequam eſſet.* Lib. 1. Trin. cap. 10. reprobat præ omnibus eos *qui putant Deum eius eſſe potentiæ vt ſeipſum ipſe genuerit. Nulla enim omnino res eſt quæ ſeipſam gignat vt ſit.* Quæ quia refert ad probandam neceſſariam diſtinctionem realem perſonalem, inter Perſonas Diuinas producentes & productas, & ad Infinitatem Eſſentiæ Diuinæ, quòd poſſit pluribus Perſonis cōmunicari: videtur etiam contra reproductionem ſubſtantialem Corporis Chriſti in hoc Sacramento; quia ſi poſſet reproduci, cur non à ſeipſo iam præexiſtente? Cur non pluribus ſuppoſitis cōmunicari?

Denique eſt conformior rationi ſuperiori: quæ facilè conuincit inferiorem à ſenſibus & phantaſmatibus dependentem, ex ſuis principijs ſuperioribus. Quale eſt illud Scoti toties inculcatum ſuprà.

Quòd prius natura non neceſſariò dependeat in ſuis prioribus, à poſteriori: Atqui entitas, vnitas, veritas, totaque perfectio ſubſtantialis & accidentalis Corporis Chriſti, eſt natura prior qualibet ſua præſentia aut modo præſentiæ; ergò Corpus Chriſti eſt in illis omnibus independens ab hac, poteſtque ſaluis omnibus illis ſubire quamlibet huius mutationem, varietatem, ac multitudinem.

Confirmatur, & declaratur. Quia eſt cuiuſuis accidentis poſſe adeſſe & abeſſe ſine ſubiecti corruptione, aut ſubſtantiali mutatione. Vnde quamuis plura accidentia abſoluta, vt color, odor, ſapor, calor vini afficiant & conſtituant idem ſubiectum rubrum, olidum, ſapidum, calidum: non tamen vllatenus diuidunt aut diſtinguunt realiter ſubſtantiam vini. Plurimæ relationes ſimilitudinis & diſſimilitudinis, æqualitatis & inæqualitatis, Paternitatis & Filiationis referunt idem prorſus ſubiectum ad plurimos & diſtantiſſimos terminos: Cur ergò plures ſimul præſentiæ, ſiue locales, ſiue indiuiſibiles, diuiderent aut diſtinguerent ſubſtantialiter ſuum ſubiectum; nec poſſent illud idem ſuo proprio modo æquè referre, ſeu præſentem facere ad plurimos ac diſtantiſſimos terminos?

Quicquid enim hîc impoſſibile videtur, eſt tantùm ab experientia ſenſuum ac corporū ſenſibilium, inter ſe localiter & ſenſibiliter diſtinctorum ac ordinatorum: & ex impoſſibili ſenſu, phantaſmate, & quouis conceptu inde pendente, non tantùm rerum ſpiritualium, ſed & ſubſtantiæ materialis, ſine ſua extenſione continua ac externa. Cùm tamen ratio ſuperior conuincat inferiorem, ſuis etiam proprijs experientijs, quantum hæc ab inuicem differant. Quis enim non percipit eandem rem fieri poſſe maiorem vel minorem, condenſatione & rarefactione? Sæpè plus eſſe materiæ ſub parua quantitate, quàm ſub maiori: plus virtutis etiam corporalis in pupilla ocelli, quàm in maxima mole? Quis non obſeruat tot ſpecies ſenſibiles obiectorum in ſpeculis, in pupilla oculi, in aure, in aëre medio, & maximè in cerebro aut memoria ſenſitiua, intimè, diſtinctè, indiuiſibiliter coëxiſtere? Quis nō miratur aciem oculi quadam virtute in momento ad Cœlum vſque emicare? Quis non experitur ſpirituum vitalium & animalium, quamuis corporalium, ſubtilitatem & agilitatem? Quis non ſubitò ſentit & dolet in qualibet ſimul corporis parte? Quis non ſæpè conuincit ac corrigit falſas obiectorum ſenſibilium & ſenſatorum apparentias: vt vnius pro alio, plurium pro vnico, vnici pro pluribus, tam in vigilia quam in ſomno? Tam ſtultum eſt ergo conſulere ſenſus & phantaſiam noſtram, quàm ipſorum brutorum animalium, de obiectis intellectus & fidei: vel quàm auditum de coloribus, viſum de ſonis, tactum de vtriſque. Vt rectè obſeruat & monet Algerus in Præfatione ad Opus ſuum. Quis non fatetur Deum eſſe vbique totaliter & indiuiſibiliter præſentem, Angelos vbi operantur, Animas ſaltem rationales, imò & fortè omnes ex B. Aug. libro de quant. Animæ, in toto corpore animato: ſalua ſua identitate ac vnitate? Quis Chriſtianorum non credit æqualia de Chriſti Incarnatione, Conceptione, & Natiuitate ex Virgine, Reſurrectione ex ſepulchro clauſo, ingreſſu ad Diſcipulos ianuis clauſis, Aſcenſione ſupra Cœlos, futura omnium Reſurrectione. De quibus B. Aug. lib. de Agone Chriſt. cap. 24. *Chriſtum feciſſe de Corpore ſuo quod voluit, potuiſſeq́, illud redigere ad quantam vellet ſubtilitatem.* Ergò vſque ad præſentiam indiuiſibilem. *Lib. 21. Ciuit. cap. 7.* De poſſibili reſurr. corporum &c. *Si Infideles contra quos agimus, quando eis rerum vim mirabilem proponimus aliarum, reſpondere ſolent: Vis eſt iſta naturæ &c. Cùm Deus ſit author naturarum omnium: cur volunt nos fortiorem reddere rationem, quando reſpondemus hanc eſſe voluntatem Omnipotentis Dei?* Cap. 8. *Quomodo eſt contra naturam, quod Dei fit voluntate: cùm volūtas tanti vtique Conditoris, condita cuiuſque rei natura ſit?* Infra. *Sicut non fuit*



Digitized by Google

*impoßibile Deo quas voluit inſtituere: ſic ei non eſt impoſſibile, in quidquid voluerit, quas inſtituit mutare naturas.* Ita & *lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 15. 17. 18.* ac alibi ſæpè: non de natura, pro ipſa rerum eſſentia immutabili, ſed pro rerum inter ſe differentium ordinatione & ſubordinatione in exiſtẽdo, agendo, patiẽdo. Ne tamen videatur hoc eſſe effugium ignorantiæ: aut ſenſus & ratio inferior non ſatis egiſſe cauſam ſuam, ſatisfiat varijs eius obiectionibus, ac replicis.

OBIECTIO I.

Prius quidem natura non dependet à poſteriori, quoad eſſentiam: ſed quoad exiſtentiam, conſeruationem, & modum exiſtendi: *1.* Quia natura non poteſt exiſtere ſine ſuis proprietatibus. *2.* Corpus corruptibile nec poteſt produci, nec conſeruari ſine diſpoſitione accidentali. *3.* Nihil poteſt exiſtere niſi alicubi. *4.* Nihil fieri in aliquo ſubiecto niſi alicubi. *5.* Nihil fieri alicubi niſi per productionem ibi, vel motum eò. *6.* Nihil poteſt fieri alicubi, niſi deſinat eſſe alibi. *7.* Non poteſt aliter exemplificari. *8.* Sed nec eſſe aut concipi: quia quælibet natura eſt limitatæ eſſentiæ, virtutis, & præſentiæ: Ergò incapax plurium aut maioris in infinitum. *9.* Nihil poteſt moueri ſimul ad loca diſtantia, aut eſſe in pluribus locis diſtantibus, niſi diuidatur & diſtet à ſeipſo. *10.* Quodlibet corpus eſt neceſſariò vnum & continuum ſecum ipſo: ergò incapax locorum diſcontinuorum. *11.* Quodlibet corpus neceſſariò terminatur aliquâ formâ aut figurâ: ergò nec poteſt ſimul pluribus inter ſe repugnantibus intrinſecè terminari, nec extrinſecè commenſurari. *12.* Quia plures ſimul præſentiæ ad diſtinctos terminos, diſtraherènt ſuum ſubiectum ad ſingulos terminos diſtantes: ergò non poſſunt ſimul eidem totali ſubiecto conferre ſuos effectus formales.

*Reſp.* Hoc principium Scoti eſſe de prioribus & poſterioribus ex natura ſua realiter diſtinctis: deq́ue illorum ab his independentia; non tantùm eſſentiali, quoad formalem conſtitutionem eſſentiæ; ſed etiam abſolutè neceſſaria ad eius exiſtentiam aut conſeruationem. *Ad 1.* inſtantiam oppoſitam, negatur abſolutè de proprietatibus realiter diſtinctis, quamuis naturaliter emanantibus: quia hæc emanatio à Deo ſiſti poteſt ſola ſuſpenſione concurſus neceſſarij. *Ad 2.* Negatur etiam de potentia Dei abſoluta, de qua hîc agitur: quia quicquid diſpoſitiones ad hoc conferant, à Deo ſuppleri poteſt. *Ad 3. Reſp.* Vel hanc eſſe neceſſariam præſuppoſitionem Entis per eſſentiam, ad omnem participationem eſſendi, & nonniſi ei coexiſtendi ac adhærendi: vel eſſe tantùm illuſionem ſenſitiuam ac phantaſticã, quaſi de neceſſario aliquo ſpatio, loco, aut termino exiſtentiæ, coexiſtentiæ, ac præſentiæ realis: cùm ratio & quaſi experientia conuincat, nec totum hunc mundum poſſe eſſe in tali ſpatio aut loco reali; nec creatùras ſpirituales poſſe ita inexiſtere; nec vllũ corpus neceſſariò ita ineſſe, ſed poſſe extra omne ſpatium & locũ ſubſiſtere. Quod ſi quæ præſentia realis naturaliter reſultet ex ſubiecto ad terminum realem, eoque variato varietur: cur hæc reſultantia à Deo ſiſti ac ſuſpendi nequeat?

*Ad 4.* Negatur hanc præſentiam neceſſariò fieri in ſubiecto vt hîc exiſtente ac præſente: quia ipſa eſt prima ratio formalis hîc exiſtendi.

*Ad 5. & 6. Reſp.* ex *col. 412.* acquiri poſſe nouam præſentiam abſque priuatione prioris: quia mutatio non eſt per ſe à termino à quo poſitiuo, ſed à priuatione termini ad quem, ſeu nouæ præſentiæ, ad nouam præſentiam. *Ad 7.* Non poteſt exemplificari identicè aut æqualiter: ſed aliquo modo ſimiliter, in pluribus ſaltem virtualiter ſimul præſentijs animæ rationalis, Angelorum, ipſiuſque Dei, imò & obiectorum ſenſibilium aut ſenſuum in pluribus ſpeciebus ſenſibilibus. *Ad 8.* Vt infra obiect. 5. *Ad 9. & 10. Reſp.* Idem non diſtare à ſeipſo, ex diſtantia præſentiarum aut terminorum: Nec vnitatem identatis totalis vel partialis pendere ab vnitate continuationis; nec corpus priuari ſua propria continuitate per diſtantiam locorum aut terminorum. *Ad 11.* Quamuis idem corpus non poſſet ſimul pluribus formis aut figuris intrinſecè terminari: poteſt tamen extrinſecè cõmenſurari ad plures terminos; tùm quia eadem forma ac figura poteſt eſſe ſimilis ac æqualis pluribus ſimul terminis quantumuis diſtantibus; tùm quia poſſunt plures diuerſæ formæ ac figuræ inadæquatè coxiſtere in eodem ſpatio; tùm quia poteſt idem quantum ſucceſſiuè figurari diuerſis figuris, abſque vlla ſubſtantiæ aut quantitatis mutatione, vt patet in materia molli aut liquida, & in omnem formam aut figuram mutabili. *Ad 12.* Negatur ſubiectum diſtrahi ſeu diuidi in ſe entitatiuè, ſed tantùm relatiuè ad terminos diſtantes, per diuerſas præſentias. Nec enim idem corpus repugnat diuerſis præſentijs ad diſtantes terminos: nec diuerſæ præſentiæ, inter ſe, aut eidem corpori, ad diuerſos terminos & effectus formales. Quia nec repugnat ex ratione entis, nec ex ratione ſubſtantiæ finitæ, nec ex ratione corporis, nec ex ratione quantitatis, nec ex ratione relationis, nec ex ratione huius, aut plurium præſentiarum: cùm & idem ſpiritus poſſit adeſſe pluribus ſimul corporibus; & idem corpus æquè poſſit ſimul eſſe præſens pluribus diſtantibus, ac plura ſimul inter ſe. Nec quantitas poteſt eſſe ratio vnicæ & continuæ præſentiæ poſſibilis, quæ eſt potius ratio extenſionis ad plures & diſtantes terminos: quantò minus relatio præſentiæ, quæ ex ſe eſt relatiua ſubiecti extra ſe. Vt ex ſequentibus eluceſcet.

Confirmantur hæc omnia, ex illo Epheſ. 5. *Deus poteſt plus facere, quàm nos intelligere.* Et B. Auguſtini Epiſt. 3. ad Voluſianum: *Demus Deum aliquid facere poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe.* Et ex Algero præfatione in ſuum opus. *Cùm homo non ſentiatur à Lapide, nec intelligatur à pecude: nunquid ſe minus eſſe intelligit? ſic Deus &c. Quantò enim ſenſu vel intellectu longè ſunt à nobis, quæ ſub nobis facta ſunt: tantò & incomparabiliter ampliùs longè ſumus ab eo qui nos fecit.* Non quaſi de omnimoda inconceptibilitate ac inexplicabilitate huius myſterij ab omni apparente contradictione: ſed de noſtra incapacitate illud naturaliter inueſtigandi, comprehendendi, vel clarè aut diſtinctè cognoſcendi.

OBIECTIO II.

Impoſſibile eſt corpus eſſe alicubi præſens ſine ſuis partibus, non habere partes diſtinctas; & eſſe quantum, nec extenſum, nec diuiſibile. Quæ omnia ſequuntur ex præſentia reali Corporis Chriſti.

*Reſp.*

Digitized by Google

*Reſp.* Corpus Chriſti hîc & habere ſuas partes, entitatiuè diſtinctas, & intrinſecè quantas, & remotè diuiſibiles, non confuſas ſed ordinatè continuas ac cohærentes: non tamen localiter extenſas, ſeu coëxtenſas ad locum; quia ratio formalis corporis quanti non conſiſtit in extenſione quadam locali ſeu relatiua ad locum; ſed in extenſione abſoluta, ſeu continuatione ac cohærentia partium inter ſe.

*OBIECTIO III.*

Si idem corpus poſſet eſſe ſimul in pluribus locis: poſſet idem ſimul eſſe ſub oppoſitis formis, cõtrariè, priuatiuè, ac negatiuè. Poſſet enim in vno calefieri ab igne, in alio frigefieri in aqua: in vno vigilare ac videre, in alio dormire nec videre: in vno quieſcere, in alio ambulare: in vno ſedere, in alio ſtare; in vno occidi ac mori, in alio non.

*Reſp.* Ex tribus regulis Scoti ſuprà, *col. 414. 415.* Quæ tamen non videntur intelligendæ quaſi forma abſoluta producta in corpore vno loco, ex vi illius productionis, inhæſionis, ac præſentiæ ſit futura vbicumque eſt ſubiectum: ſed de conſequentia morali, & de naturali ac neceſſariâ emanatione præſentiæ vbicumque eſt ſubiectum. Quia accidentia abſoluta videntur habere ſuas præſentias diſtinctas à præſentia ſubiecti. Nec obſtat quod Scotus velit eſſe impoſſibile, vt forma abſoluta alicuius ſubiecti non ſit vbicumque eſt ſubiectum: quia non afficit illud vt hic vel ibi, ſed abſolutè. Tùm quia Scotus ſubdit ibidem nec improbat alium modum ſentiendi: tùm quia non poteſt eſſe in ſubiecto quin illi inhæreat, illudque afficiat, qualificet & denominet vbicumque ſit; cùm in hoc non dependeat à termino, ſicut formæ relatiuæ: non autem quod neceſſariò habeat totidem præſentias quot ſubiectum.

*OBIECTIO IV.*

Indignum eſſet, Corpus Chriſti glorioſum eſſe ita contractum ſub minutis illis ſpeciebus: vt nec habere poſſet ſuum decentem ſtatum, nec operationes naturales, ſed varias paſſiones motus ac mutationes indecentes.

*Reſp.* Ex præfatis, nec hanc præſentiam indiuiſibilem ac inſenſibilem, nec ſuſpenſionem operationum naturalium, nec ipſam corruptionem ſpecierum conſecratarum eſſe indignam aut contra ſtatum glorioſum Corporis Chriſti: ſed eſſe potius glorioſam participationẽ ac ſimilitudinem intimæ præſentiæ diuinæ, & quandam adorationem eiuſdem, vt ſupra à *col. 258. ad 268.*

Quamuis enim partes Corporis Chriſti ſeſe intimè penetrent: non tamen confundunt ac comprimunt, ſed ordinatiſſimè ſine vlla preſſura, imò vel contactu ſenſitiuo, continuè coexiſtunt ac cohærẽt. Nec Chriſtus ad ſuas præſentias Sacramẽtales quaſi continuò volitat, agitatur aut mouetur, ſiue per medium, ſiue non: ſed ex præſente aut non præſente hîc & ibi, fit aut deſinit eſſe hîc & ibi præſens. Sicut & fit huic & illi ſimilis & diſſimilis, æqualis & inæqualis &c. abſque vlla ſui ſed terminorũ tantùm alteratione, perfectione, aut imperfectione. Neque ex ſpecierum conſecratarum indigna contrectatione aut corruptione inficitur aut malè afficitur, ſeu Corpore vel animo indigna patitur: ſicut nec ipſa Diuinitas ex abuſu creaturarũ, quibus intimè præſens eſt; quia hinc nec corpore nec animo tangitur aut mouetur.

Quamuis enim abutentes ſacris ſpeciebus ſint potiùs rei Corporis & Sanguinis Chriſti, quàm abutentes creaturis ſint rei Diuinitatis inexiſtentis: quia ſpecies conſecratæ non habent vllam aliam ſubſtantiam, aut ſunt ad vllum vſum profanum, ſicut aliæ creaturæ quibus Deus ineſt; non tamen ſunt rei ab vllo effectu nocendi Chriſto, ſed tantùm ex prauo affectu, contemptu, aut neglectu; ſicut & qui Deum blaſphemant & offendunt.

*OBIECTIO V.*

Corpus Chriſti non poteſt eſſe ſimul præſens tot tamque diſtantibus ſpeciebus conſecratis, earumque locis, circumſcriptiuè, nec diffinitiuè, nec immenſè: Ergò nullo modo.

*Reſp 1.* Ex col. *408. 409.* De facto nullatenus ſubeſſe aut ineſſe ſacris ſpeciebus, vel earum loco, localiter, circumſcriptiuè, ſeu extenſiuè, quaſi in aut ſub cortice, inuolucris, aut ſuperficie continente: ſed tantùm in & ſub illo ſigno certo, demonſtratiuo, & contentiuo Corporis Chriſti præſentis; non tantùm intra profundum ſpecierum, ſed etiam per totam ſuperficiem, non tamen extra. Vnde corrigenda eſt imaginatio idiotarum, quaſi Chriſtus ineſſet, ſubeſſet, aut contineretur ſub tenui ſuperficie exteriori, vt velo, intra aliquod concauũ ſpecierũ: cùm tantùm dicatur contineri realiter; tùm quia in & ſub illo ſigno certo, tùm quia præcisè & adæquatè non autem extra, tùm quia moraliter & immobiliter adhæret ſpeciebus, tum denique quia virtualiter moraliter quaſi ab illis tenetur, ſiſtitur & retinetur vſque ad earum corruptionem.

*Reſp. 2.* Nec eſſe præſens definitiuè, ſeu quaſi finitiuè & limitatè ad hanc aut illam præſentiam, ad has vel illas ſacras ſpecies, earumve locum aut ſpatium: cùm ſit & poſſit eſſe præſens pluribus & maioribus in infinitum; ſed eſſe præſens finitè, non autem immenſè; quia nec eſt neceſſariò præſens ex vi immenſitatis vt Deus, nec vbique ſed ſub his ſolis ſpeciebus, nec actu ſed tantùm potentia infinitis, ſeu diuiſibilibus & conſecrabilibus in infinitum. Quantis autem vel quantillis ſimul vel ſeorſim ſit aut poſſit fieri & eſſe præſens actu: pendet ex forma conſecrationis, ſeu quantitate per illam demonſtrabili ac conſecrabili, humano ſenſu ac vſu perceptibili, ad ſacrum vſum vel adorationem conſeruabili, & ad ſpeciem ac exiſtentiam panis & vini ſufficiente. Nec Sacra Conc. definiunt de minimis particulis mathematicè aut metaphyſicè: cùm tales fortè non ſint niſi obiectiuè in noſtris conceptibus; ſed tantùm realiter, actualiter, & moraliter, ad ſenſum & vſum humanum, ac finem Sacramentalem. Reliqua ex Alenſi, S. Bonauentura, & Scoto ſupra.

*Reſp. 3* Æquè poſſe eſſe præſens pluribus & diſtantibus locis circumſcriptiuè, ac Sacramentaliter: Tùm quia omnia poſſibilia, ſunt Deo æquè poſſibilia; tùm quia præſentia circumſcriptiua corporum eſt naturalior; tùm quia præſentia Sacramentalis requirit modum quendam ſpiritualem in corpore quanto, & mirabilem illam conſeruationem quantitatis abſque extenſione locali; tùm quia pluralitas præ-



Digitized by Google

præſentiæ circumſcriptiuæ nullam præ Sacramentali ſpecialem repugnantiam, aut maiorem ſed potiùs minorem difficultatem inuoluit. Nam minus repugnat aut difficilè eſt corpus quantum excedere localiter ſuam naturalem extenſionem, quod videtur etiam naturaliter fieri per rarefactionem: quàm priuari tota ſua extenſione naturali, & redigi ad ſtatum indiuiſibilem, quod nulla condenſatione fieri poteſt. Quoad diſtantiam aut terminorum, tantò minor eſſet circumſcriptiuè quàm Sacramentaliter, quantò plures eiuſdem corporis extenſiones eſſent maiores, ſibique inuicem viciniores. Nec obſtant plures ſimul configurationes. Quia eadem forma ac figura abſoluta & intrinſeca relatiuè ſimul configuratur omnibus ſimilibus figuris & formis extrinſecis quantumuis diſtantibus, totidem relationibus ſimilitudinis: cur ergò non poſſit etiam idem corpus eiuſdem formæ ac figuræ referri pluribus ſimul præſentijs localibus ad terminos quantumuis inter ſe diſtantes, ab eodem tamen corpore præſente indiſtantes?

### OBIECTIO VI.

Si Corpus Chriſti eſſet realiter præſens ſub ſpeciebus conſecratis, poſſet naturaliter percipi, non tantùm intellectu, ſed etiam ſenſibus: tùm quia Chriſtus poſt Reſurrectionem probauit Apoſtolis veritatem ac identitatem ſui Corporis per experientiam ſenſuum; tùm quia Corpus Chriſti eſt obiectum naturaliter proportionatum intellectui & ſenſibus humanis.

Reſp. ex col. *408. 410. 420.* Corpus Chriſti eſſe quidem obiectum ex ſe proportionatum, ſed non ſub modo hîc exiſtendi proportionato: tùm quia intellectus dependet in cognitione intuitiua ab obiecto realiter præſente, mouente, terminante, ac determinante, & ſpecificante; tùm quia noſter intellectus naturaliter dependet à ſenſibus ac ſenſibilibus, ſaltem quoad exercitium & cognitionem intuitiuam; tùm quia nec obiectum poteſt mouere, nec ſenſus ab eo moueri niſi extenſiuè. Quamuis enim ſpecies ſenſibiles ſint quaſi ſpirituales, & ſuo modo indiuiſibiles repræſentatiuè: non tamen entitatiuè, nec ſubiectiuè, nec obiectiuè; ſed & diuiduntur in minores ad diuiſionem ſubiecti, vt patet ex partibus ſpeculi fracti; nec repræſentant obiectum, nec afficiunt ſubiectum niſi vt extenſum; quia ſenſibilia propria non mouent ſine communi, quod eſt quantum extenſum. Chriſtus autem poſt ſuam Reſurrectionem exhibebat Corpus ſuum præſens extenſiuè & proportionatè ad ſenſum.

### OBIECTIO VII.

Eſſet fictio & illuſio indigna Chriſto, & iniurioſa ſenſibus, intellectui, imò & fidei noſtræ: ita latere & apparere ſub ſignis ordinarijs & extraordinarijs tàm incertis. Nam præter incertitudinem materiæ, formæ, conſecrationis, intentionis, & perſonæ conſecrantis: quæ etiam referuntur apparitiones extraordinariæ, ſiue ſenſitiuæ, ſiue imaginariæ, perturbent fidem veræne an tantùm apparentis præſentiæ Chriſti.

*Reſp. Ex col. 377. 379.* & aliunde. Nec eſſe vllam fictionem, nec illuſionem, nec incertitudinem moralem: ſed veram & certam demonſtrationem realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti; non ſolis ſpeciebus conſecratis, ſed ipſa præcipuè forma conſecrationis, à Sacerdotibus notorijs. De quibus nullum ſubeſt dubium morale: quo vel fides vel praxis huius Sacramenti turbetur; quia fides acquieſcit certitudini infallibili primæ Veritatis de hac inſtitutione, non autem de hoc facto; praxis autem, certitudini morali huius etiam facti. Quæ praxis & certitudo quamuis abſolutè materialiter falli poſſit: nunquam tamen formaliter, moraliter, & finaliter, ſeu in ſui operis rectitudine ac perfectione. Eſſet autem Chriſto indignum, nobiſque iniurioſum, ſi verbis fingeret quod re ipſa non exhiberet. Nec apparitiones illæ extraordinariæ fallunt aut turbant: ſed monent ac mouent ſenſus, imaginationem, & rationem inde pendentem, ad acquieſcendum fidei; non quòd Chriſtus ſub formis extraordinarijs realiter præſens ſit, quod non eſt fidei; ſed ſub ſacris ſignis ordinarijs quamdiu ſunt.

### OBIECTIO VIII.

*Ex diſcordia Scholaſticorum, & Scoti ab Alenſi ac S. Bon. & Scotiſtarum inter ſe.*

DD. Scholaſtici non poſſunt inter ſe conuenire de vllo certo modo Tranſubſtantiationis panis ac vini, & exiſtentiæ ac præſentiæ Sacramentalis Corporis Chriſti. Ergo nullus eſt certus ac poſſibilis. Imò nec Scotus conuenit cum Alenſi & S. Bon. nec Scotiſtæ inter ſe. Nam Alenſis ſupra *col. 401. 402. q. 33. 34. 38. M. 1. M. 3. ad Arg. 3. M 4. a. 2. 3.* & ſingulariter *4. col. 403.* expreſsè & diſtinctè negat *omnem mutationem circa Corpus Chriſti, ſiue generationis, ſiue corruptionis, ſiue augmenti, ſiue diminutionis, ſiue alterationis, ſiue mutationis localis.* Col. *401. quæſt. 34.* Tribuit expreſsè vim realem & ſupernaturalem verbis conſecrationis, in panem & vinū ſeu materiam: non autem in ipſum Corpus Chriſti; eamque comparat cum vi Creationis, ac Conceptionis ſeu Incarnationis Chriſti. *Col. 402. M. 3. ad 3.* Ex profeſſo ſuſtinet panem non annihilari, ſed conuerti: alioquin Corpus Chriſti fieret præſens *per deſcenſum è Cœlo ad infinita loca.* Ad *3. Arg.* vult ſolum compoſitum naturale conuerti, formam autem annihilari. *Col. 403. Ad 4.* Iterùm, Corpus Chriſti fieri præſens hac cōuerſione, non autem deſcenſu è Cœlo. *Col. 404. M. 7.* De vi illa conſecrationis verbalis. *quæſt. 39. Quicquid ſignificat innouationem aliquam circa Corpus Chriſti, eſt falſum.* Col. 405. lin. 1 2. & col. 406. lin. 5. 6. *Nec colorem eſſe colorem, nec ſaporem ſaporem, niſi ſit quantus & extenſus.* Ibidem.

*A 2.* Deſinente Corpore Chriſti materiam panis & vini reſtitui. *M. 3. A 1. ad 1.* Corpus Chriſti habere terminum in Cœlo quoad exiſtentiam naturalem: non quoad Sacramentalem. *Col. 407. 408. q. 40. A. 6. §. 3. ad 1.* Solum Corpus Chriſti poſſe eſſe in pluribus locis, ex vnione hypoſtatica: eſſe autem actu, ex conuerſione panis in ipſum.

*Ad 7.* Quod Corpus Chriſti ſub Sacramento ſtet aut ſedeat, ſicut in Cœlo. *Col. 409. lin. 5.* Quod exiſtentia Sacramentalis ſit ſupra intellectum: *nihilominus intellectus hoc clarè videt.*

S. Bon.

Digitized by Google

S. Bon. *à col. 409. ad 412.* prorsùs vt Alenſis: ſingulariter quaſi de impoſſibili exiſtentia eiuſdem in pluribus locis, niſi per conuerſionem: excepta vi tantùm morali verborum tranſubſtantiandi &c. vt & *col. 54. 55.* de Sacramentis in genere.

Sed Scotvs, è contra *col. 412. 413.* de neceſſaria mutatione aliqua ſaltem accidentali Corporis Chriſti, ad præſentiam Sacramentalem. *Col. 414. 415.* De poſſibili præſentia etiam naturali, ſeu extenſiuè in pluribus locis. *Col. 416. Conc. 2.* Exiſtentiam Sacramentalem potuiſſe eſſe ante ipſam Incarnationem: naturalem deſinere poſſe ſaluâ Sacramentali. *Ad 1.* Conuerſionem non eſſe rationem huius præſentiæ. *Col. 419.* Exiſtentiam Sacramentalē Corporis Chriſti eſſe naturaliter viſibilem ab intellectu creato. *Col. 421* De poſſibili mutatione cuiuſlibet creaturæ in quamlibet: quia ſubſunt totaliter Omnipotentiæ Dei quoad eſſe & non eſſe. *Col. 422. 423.* De tranſubſtantiatione productiua ſubſtantiæ non præexiſtentis, & de adductiua ſubſtantiæ præexiſtentis, ad nouam præſentiam, ſeu locum termini à quo. *Col. 426. 427.* Ita problematicè, promiſcuè, & confusè de Tranſubſtantiatione productiua, vel adductiua Corporis Chriſti: vt & Scotiſtæ inter ſe de eius mente diſſentiant. *Col. 428. 429. 430.* Æquè problematicè & confusè de panis annihilatione, aut non: ſed nimis expreſsè de Tranſubſtantiatione tantùm accidentali ſecundùm præſentiam, inter panem & Corpus Chriſti. *Ad 3.* Formam corrupti non annihilari. *Col. 435. 453.* Qualitates diſtingui & poſſe exiſtere ſine quantitate. *Col. 455. Conc. 4.* Corruptâ Euchariſtiâ redire ſubſtantiam compoſitam, ad quam diſponunt accidentia. *Col. 457.* De vi & actione tantùm morali inſtrumentali, conſecrationis verbalis, & conſecrantis.

*Reſp. 1.* vt col. 459. DD. Scholaſticos conuenire de aliquo, imò & pluribus modis poſſibilibus: ſed tantùm diſſentire quinam ſint poſſibiles, quis probabilior, & quis de facto. Qua etiam contentione & quaſi ingeniorum inter ſe colliſione, plurimæ ſcintillæ lucis rationalis excutiuntur.

*Reſp. 2.* DD. noſtros vix inter ſe, re ipſa, ſed ſolo loquendi modo differre. Nam Alenſis & S. Bonau. negant tantùm omnem mutationem Corporis Chriſti in Euchariſtia, ab vna forma ad aliam: non autem negant, ſed ibidem exigunt nouam præſentiam ſine priuatione prioris.

Scotus autem *col. 413.* fatetur hanc non poſſe dici propriè mutationem localem. De poſſibili qualitate ſine quantitate ipſius ſubſtantiæ, non eſt diſſenſio: ſicut nec de poſſibili qualitate Corporis Chriſti ſine extenſione exteriori ac ſenſibili; ſed tantùm de differentia qualitatis ſenſibilis à propria quadam quantitate ſeu extenſione intrinſeca, neceſſaria ad rationem ſenſibilis. Cuius diff. vtramque partem Scotus ſupponit eſſe probabilem. De viſibilitate intellectuali aut non, huius myſterij: Alenſis vult eſſe ſupra intellectum noſtrum, vel vt dependentem à phantaſmatibus, ſed non in ſe; vel quoad quid aut aliquid ſui, non autem quoad intuitionem ſic præſentis; vel tantùm, inquit, *quoad ea quæ circumſtant*, ſeu quoad vim illam Omnipotentiæ Dei. Scotus autem vult eſſe obiectum proportionatum intellectui naturali ſecundùm ſe. De annihilatione panis, aut formæ cuiuſuis corporis corrupti: Alenſis vult, non partes ſed totum conuerti: ideòque non hoc, ſed illas annihilari. Scotus autem negat formam corrupti annihilari, ob rationes relatas *col. 430. ad 3.* Neuter tamen vult panem aut vinum annihilari: vt patet ex *col. 402. & 428. ad 432.*

## *Difficultates reales.*

1. Quo ſenſu Alenſis *col. 408.* velit ſolum Corpus Chriſti poſſe eſſe in pluribus locis: quaſi hæc poſſibilitas ſit ex vnione hypoſtatica: quod videtur fauere Lutheranis Vbiquiſtis.

*Reſp. 1.* Non ex propria ac certa ſententia: Quia ſubdit, *Vel poteſt dici &c.*

*Reſp. 2.* Ex S. Bonau. *col. 410. à lin. 1.* Non de hac poſſibilitate abſoluta ſolius Corporis Chriſti: ſed de aptitudine & dignitate ex vnione hypoſtatica; qua præ omnibus corporibus ſit dignum hac quaſi participatione immenſitatis Dei, & virtute communis cibi ſpiritualis, non vnico ſed pluribus locis exponendi ac communicandi. *Reſp. 3.* Saltem phantaſiam illam impoſſibilis exiſtentiæ eiuſdem corporis in pluribus locis, faciliùs conuinci ex vnione hypoſtatica Corporis Chriſti ad Deum vbique præſentem. Non quòd ſicut eſt vnitum Deo vbicumque Deus ſit: ita & ſit immediatè præſens omnibus quibus Deus ipſe præſens eſt; quia vnio illa eſt ſubſtantialis, & ad ſolum Deum terminata, præſentia autem eſt accidentalis, & relatiua extra Deum. Sed cùm poſſit eſſe vnitum ſubſtantialiter Deo quantuſcunque ſit: quantò magis eſſe præſens pluribus ſimul terminis à ſe inuicem diſtantibus?

*Diff. 2.* Quòd Alenſis *col. 402. 404.* & S. Bon. *410.* ex Euſeb. Emiſſ. & Damaſc. pro certo ſupponant Corpus Chriſti non poſſe fieri præſens in Sacramento, niſi per conuerſionem, vel deſcenſum è Cœlo: cùm Scotus ſupponat poſſe ibi creari de nouo, vel reproduci, vel adduci, abſque vllo deſcenſu vel receſſu à loco priori.

*Reſp. 1.* Alenſem loqui de Corpore Chriſti vt iam præexiſtente in Cœlo. *2.* De poſſibili, ſaluâ tota perfectione Corporis Chriſti. *3.* Supponere quòd ibi habeat adæquatam præſentiam ſuæ quantitati naturali, ſicque non poſſit acquirere nouam niſi quaſi alienam, ſeu alicuius alterius corporis deſinentis, eique cedentis ſuam præſentiā. Si enim ex Scoto in *3. d. 13. q. 2.* Qualitas poteſt habere ſummū poſſibile ſuæ intenſionis: cur non corpus, maximum ſuæ extentionis, aut præſentiæ? *4.* Mundm eſſe plenum ſuis corporibus, nec vacare locum Corpori Chriſti, niſi aliquo alio corpore ei cedente ex hoc mundo. Scotus autē è contra *col. 414.* ex Quæſt. 2. in Diſt. 10. *Mirum eſt*, inquit, *quòd ſequentes rationem, tantum ſequuntur imaginationem &c. Sed excluſa imaginatione, ſequendo rationem &c. Vix eſt aliqua habitudo accidentalior ſuo fundamento quàm ſit vbi &c. Et tamen in alijs non ita proteruè aſſeritur impoſſibilitas plurificationis habitudinum circa idem fundamentum. Si inſtes, quòd plures reſpectus poſſunt fundari in eodem fundamento, quando vnum eorum non adæquat totum funda-*

*fundamentum: hic autem vnum vbi adequat totam rationem quanti, inquantùm locabile eſt. Hoc videtur ſine ratione dictum: quia reſpectus qui oritur ex natura fundamenti, magis videtur adæquari fundamento, quàm ille qui extrinſecus aduenit. Sed ad duos terminos poſſunt eſſe in eodem fundamento duæ æqualitates*: ergò & duæ præſentiæ. *Confirmatur*: *Quia non magis adæquat quantitatem ſua præſentia ad locum, quàm ſubſtantiam ſua præſentia conueniens: ſed ſubſtantia ponitur habere plures præſentias in multis altaribus, & cùm hoc eſt præſens in Cœlo; Ergò &c.* Quæ adæquatio vel inadæquatio naturalis aut poſſibilis, quantitatis cum ſua materia, forma, aut compoſito, vel extenſionis localis cum ſuo quanto, vel cuiuſuis præſentiæ cum ſuo ſubiecto: videtur eſſe propria ratio poſſibilis aut impoſſibilis præſentiæ maioris aut plurium ſimul, ſiue diuiſibilium ſiue non, in eodem, ad plures terminos etiam diſtantes inter ſe; quia nulla alia excogitari poſſe videtur.

*Replica 1.* Ergò ſaltem diſſentiunt, quòd illi ſupponant hanc adæquationem, hic è contra.

*Reſp.* Nec in hoc diſſentire: ſed illos vel loqui de impoſſibili, ſaluâ totâ perfectione Corporis Chriſti, vel ſine nouo ac diſtincto miraculo: hunc autem de poſſibili abſolutè. Imò nec diſſentire de impoſſibili augmentatione, extenſione, aut multiplicatione ſubſtantiæ, quantitatis, aut præſentiæ Corporis Chriſti in infinitum: quia illi *col. 407. A. 6. Ad 1. col. 409. qu. 3.* nolunt Corpus Chriſti eſſe poſſe vbique actu, nec in tot quot locis, ſed limitatè. Hic autem in *3. d. 13. q. 2.* vult gratiam Chriſti eſſe ſummam abſolutè ſeu adæquatè poſſibilem in ſe & ſuo ſubiecto: ergò multò potius corpus aliquod habere limitatam capacitatem quantitatis, extenſionis, & præſentiæ eiuſdem, ac pluriū ſimul. Et in *in 2. d. 2. q. 6.* inter multa dubia, pro certo habet dari maximū Angelicę præſentiæ: Alioquin Angelus eſſet immenſus: quantò magis dari maximū cuiuſuis corporis in ſua ſpecie, & ſpecialiter corporis humani reſpectu ſuæ animæ, huiuſque præſentiam ac capacitatem animandi eſſe etiam extenſiuè limitatam; ſingulariter autē Corpus Chriſti habere ſimul totam ſuā perfectionem etiam extenſiuam? Quamuis enim extenſio localis, & multiplicatio præſentiæ Sacramentalis ſit quædam participatio perfectionis Diuinæ, repræſentatiuè: quia tamen eſt tantùm relatiua, ſecundùm Scotum non eſt perfectio realis; imò nec moralis in corpore humano, quod requirit proportionem ſuæ ſpeciei, quæ in Chriſto eſt perfectiſſima. Nec ideò poteſt habere tot quot, & tantas quantas præſentias: Quia ſupponerent quandam infinitam actu perfectionem ſubiecti, capacem tot tantarumque præſentiarum.

*Replica.* Quid confert Tranſubſtantiatio ad nouam præſentiam, vltram propriam & adæquatam: cùm vna non poſſit fieri alterius. *Reſp.* Vnam non fieri alterius intrinſecè nec abſolutè: ſed relatiuè, terminatiuè, & quaſi appropriatiuè .i. Vt ſicut Corpus ſuâ propriâ exiſtentiâ formali, ſuccedit in alterius exiſtentiam. iure quodam exiſtendi pro ipſo: ita & propria formali præſentia ſuccedat in alterius præſentiam, ad eundem terminum, pro ipſo.

*Diff. 3.* Quod Alenſis & S. Bon. pro certo habeant Corpus Chriſti non fieri præſens per vllam ſui mutationem, aut productionem ſubſtantialem: Scotus autem ita problematicus ſit; vt à ſuis etiam in vtramque partem diſtrahatur.

*Reſp.* Scotum tantùm eſſe problematicum de varijs modis poſſibilibus Tranſubſtantiationis, ſiue per primam productionem termini ad quem, ſiue per eiuſdem poſtquam deſijt reproductionem, ſiue per eiuſdem exiſtentis conſeruationem, ſiue per ſolam adductionem, ſiue per ſolam conſeruationem eiuſdem Corporis in Cœlo ad deſitionem panis in terra, abſque vlla noua præſentia aut apparentia. In quo optimè conuenit cum Alenſi *col. 406. Ad 1.* De poſſibili conuerſione panis in corpus Petri exiſtentis in eodem loco. Sed eſſe ſatis reſolutum de Tranſubſtantiatione actuali nonniſi adductiua, imò & de impoſſibili reproductiua exiſtentis actu, patet.

1. Ex pleriſque eius Quæſtionibus de poſſibili: ſemper tamen ſuppoſitâ aut etiam expreſsè prælatâ adductiuâ. Nam *quodl. 10.* eſt tantùm de poſſibili: cùm Quæſtio *3. & 4. in diſt. 11.* ſint de facto, in eiſque tam ſtudioſè reſoluat Arg. oppoſita, & ſaluet, imò & *col. 430.* laudet hunc modum Tranſubſtantiationis. Nec obſtat quòd procedat per *Poſſe dici &c.* Quia ſic ſolet humiliter exprimere ſuam ſententiam: ſicut alienam per, *Dicitur &c.*

2. Patet ex eius rato principio, quòd nihil idem, ſecundùm idem poſſit dependere pluribus ſimul totalibus dependentijs eiuſdem cauſalitatis, quarum ſingulæ ſeorſim ſufficiant. Ergò nec Corpus Chriſti exiſtens poteſt reproduci, imò nec noua conſeruatione actuali totali ac per ſe ſufficiente conſeruari. Quia vel reproduceretur aut conſeruaretur ſecundùm idem, aut nouum aliquid ſubſtantiale, vel tantùm ſecundum nouam eiuſdem præſentiam. Non primum: Tùm quia idem ſecundùm idem adæquatè terminat ſuam adæquatam dependentiam: tùm quia totalitas vnius negat totalitatem, imò & partialitatem alteriùs: tùm denique quia quamuis ſufficientia potentialis vnius poſſet compati vtramque ſimul dependentiam actualem; ſufficientia tamen actualis vnius excludit actualitatem alterius; quia ſufficientia illa actualis vnius eſt eius formalitas, ſeu terminatio formalis vtrimque adæquata, æquè excludens actualitatem alteriu, ac quælibet forma excludit aliam à ſuo proprio effectu formali. Non 2 quia ſi: vel non eſſet idem prorsùs Corpus Chriſti ſubſtantialiter: vel ſi eſſet tantùm modus quidam ſubſtantialis, tantùm de nouo dependeret ſecundum illum modū, non autem ſecundum idem. Non 3 quia hæc eſſet tantùm dependentia accidentalis ſecundum præſentiam.

3. Patet ex alio principio Scoti, quo hìc ex profeſſo vtitur ad probandum Corpus Chriſti non futurum præſens in Euchariſtia per reproductionem ſubſtantialem: quia productio aut reproductio termini naturâ ſuâ prioris ac realiter diſtincti, non poteſt per ſe immediatè attingere terminum naturâ ſuâ poſteriorem ac realiter diſtinctum, qualis eſt noua præſentia reſpectu Corporis Chriſti. Ergò Tranſubſtantiatio non fit per reproductionem: Quia fit aut elicitur ex vi ſeu veritate formæ conſecra-

Digitized by Google

ſecratoriæ, quæ exigit præſentiam demonſtrabilem, & dicitur ex Perſona Chriſti vt iam præexiſtentis, ac habentis actu Corpus ſuum.

4. Patet ex alio Scoti principio: Quòd acquiſitio nouæ præſentiæ nec ſupponat reproductionem eiuſdem ſubſtantiæ, nec priuationem prioris præſentię. Vt patet ex noua præſentia animæ rationalis ad nouas partes materiæ quæ adgenerantur, & tandem ad magnum corpus virile à corpuſculo infantis.

5. Quia illa tam frequens reproductio, & conſequenter deſitio ſubſtantialis Corporis Chriſti eſſet contra ſtatũ eius glorioſum ac immortalem *Rom. 6. 1. Cor. 15.*

6. Quia ille modus eſſet longè incredibilior, & implicatior apparentibus repugnantijs, inter vnum idemque corpus, indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio: & inter ſæpiùs productũ & reproductum ſimul actu in pluribus locis diſtantibus, diſtante quoque ipſa productione à reproductione, & producto à reproducto. Quæ facilè explicantur ſine reproductione ſubſtantiali, per ſolam diſtinctionem ac diſtantiam ſecundùm præſentiam.

*Replica.* Sic nimis facilè & leuiter explicaretur tantùm myſterium, per ſolam adductionem, quaſi eſſet potiùs ſucceſſio accidentalis ſeu tranſlocatio, quàm Tranſubſtantiatio: cùm ex Scoto *col. 430.* nec Corpus Chriſti hîc ſubſtantialiter incipiat, nec panis ſubſtantialiter deſinat hâc conuerſione.

*Reſp. 1.* Quòd cùm ex *1. Pet. 3.* reddenda ſit ratio fidei noſtræ, tam de hoc quam de alijs eius myſterijs: non ſint proponenda incredibiliter, ſed modo credibiliori ſaltem rationi ſuperiori, qui eſt ſemper nimis difficilis rationi inferiori, à ſenſu & phantaſia dependenti. Difficultas enim credendorum, non eſt in eorum fieri aut eſſe: ſed in credi. Vnde quantumuis hoc myſterium facilè fieret: quò tamen à noſtra cognitione naturali ſecretiùs, eò creditu difficiliùs. Neque Deo eſt facilior, aut nobis notior ſuſpenſio conſeruationis ſubſtantialis, emanationis naturalis, & conſeruatio accidentalis ſpecierum extra ſubiectum, quàm vlla productio ſubſtantialis.

*Reſp. 2.* Tranſubſtantiationem non eſſe conuerſionem ſubſtantialem termini ad quem: ſed formaliter ſolius termini à quo, ſeu panis & vini, in terminum ad quem, ſeu Corpus & Sanguinem Chriſti. Cùm ergò ſit formaliter ſolius panis & vini, ſed Corporis & Sanguinis Chriſti tantùm terminatiuè: non tam habet rationem Tranſubſtantiationis à termino ad quem, quàm à termino à quo. Vnde conuerſio totalis ſubſtantiæ in accidens: eſſet potiùs tranſubſtantiatio formaliter, quàm tranſaccidentatio terminatiuè tantùm, provt Scotus eſt interpretãdus, *diſt. 11. q. 2. Ad vlt.* Quanto potiùs, cùm hæc conuerſio ſit formaliter totius ſubſtantiæ panis & vini, non in præſentiam vacuam, ſed in ſubſtantiam præſentem Corporis & Sanguinis Chriſti: ſolâ ſubſtantiâ ſubſtantialiter præcedente ac formaliter ſuccedente, in ſtatum ſubſtantialem panis & vini, præſentiâ autem tantùm reſultante. Nam ſi Corpus Chriſti ante conſecrationem eſſet intimè præſens pani: hic conuerteretur in illud, abſque vlla noua huius ſubſtantia aut præſentia. Vt ſi conuerſiones naturales fierent per ſolam nouam vnionem formarum tranſlatarum de ſubiecto in ſubiectum.

*Reſp. 3.* Si formæ ſubſtantiales non corrũperentur, ſed transferrentur de vno ſubiecto & compoſito ad aliud: cur non eſſent conuerſiones ſubſtantiales, ſine vlla corruptione aut generatione ſubſtantiali?

*Replica.* Eſſet noua ſaltem vnio ſubſtantialis, vel etiam entitas totius, quæ non eſt hic.

*Reſp.* Si effectus formalis conferri poſſet ſola præſentiâ aut identificatione cum ſuiecto, abſque vlla noua entitate: cur hæc ſucceſſio ſubſtantiæ exiſtentis ad ſubſtantiam exiſtentem, in illa ſubſtantiali compoſitione, non eſſet conuerſio ſubſtantialis? Quanto magis conuerſio panis ſaltem conſequenter deſinentis quoad ſubſtantiam, eſt Tranſubſtantiatio in Corpu. Chriſti ſuccedens: non incipiendo eſſe, ſed formaliter & ſubſtantialiter extrinſecè terminando, ſeu excipiendo & ſubeundo deſinentem exiſtentiam panis, vt ſuprà; ſuamque illi immediatè continuando, connectendo, contiguando, aut coordinando: vt inter partes continuas, ſucceſſiuas, aut diſcretas, & coordinatas, excepta vnione reali.

*Diff. 4.* Quòd Alenſis ſupra tribuat Chriſto in Euchar. ſeſſionem aut ſtationem, vt in cœlo: ex Scoto autem ſuprà *col. 413.* ſitus dicat ordinem partium ad locum, qui non eſt in Euchar. *Reſp. 1.* Ex ipſo Alenſi *col. 408.* Alia eſt ordinatio partium in toto, alia totius in loco &c. Non videtur veritati contrarium quod Corpus Chriſti ſub Sacram. ſtet aut ſedeat ſicut in cœlo: ex quo iſtæ poſitiones quodammodò ordinationem partiũ in toto reſpiciunt &c.] .i. Quodammodò, vtique minùs proprio, verificari poteſt. Sicut, ex Scoto *col. 413.* in Corpore quanto extra hunc mundum: vt in Corpore Chriſti ſupra ſummum Cœlum ſtante aut ſedente: per inæqualem diſtantiam actualem, vel aptitudinalem partium inter ſe, vel per proportionem aut figuram intrinſecam totius, æquè ac formam faciei.

*Diff. 5.* Quòd Scotus *col. 415. in d. 10. qu. 2. Ad 3.* fateatur ſicut idem non poteſt eſſe ſimul in diuerſis temporibus, *eadem* vtique *temporalitate*: ita nec in pluribus locis ſimul, *eadem* vtique *locatione*. Ad 4. Idem in pluribus ſimul locis, poſſe ſimul quieſcere & moueri, oppoſitis etiã motibus ad ſeipſum, & à ſe ipſo ſecundùm diuerſa loca: *Sicque*, inquit Scotus, *idem homo habens mille vbi, poſſet ſolus facere choreas, & maximum exercitum in campo.* Quæ ſunt inconceptibilia.

*Reſp. 1.* Ex ipſo Scoto ibidem, *Hæc eſſe* tantùm *puerilia*, ex ſenſu & phantaſia: ſicut & pleraque apparentia contra veritatem Euchar.

*Reſp. 2.* Non eſſe inconceptibilia intellectualiter, imò & quodam modo phantaſticè: cùm motus locales non ſint ex ſe aut ex ſuis terminis oppoſiti; idemque ſimul moueatur ſeu alteretur ad tot qualitates, reſpectus, & terminos æquè differentes, diſparatos ac diſtantes, ac ſunt vllæ præſentiæ ſeu termini motus localis. Quid quòd ijdem Cœli inferiores ſimul moueantur tot motibus circularibus quaſi oppoſitis, & conſequenter ad varias ſimul præſentias, & in pluribus ſimul temporibus intrinſecis ac proprijs ſuorũ motuum.



Digitized by Google

motuum. Tempus autem commune & extrinſecum vel eſt tantùm imaginarium, vel eſt ſucceſſio primi motus ac mobilis in ſuo motu: cuius cùm nullæ partes poſſint eſſe ſimul, ſed tantùm ſucceſſiuè, quid mirum non poſſe idem permanens eſſe ſimul in præſenti, præterito, & futuro, ſicut poteſt ſimul eſſe in pluribus locis ſimul etiam exiſtentibus. Quamuis Deus & Angeli, imò & quælibet entia permanentia ſuo modo coexiſtant, motibus, & ſibi temporibus ſuccedentibus & prætereuntibus. Nec eſt inconceptibile ſpiritus inſtantaneè moueri, ſeu tranſire poſſe à loco ad locum ſeu terminum diſtantem, ſiue immediatè, ſiue per medium: ſicque eſſe ſimul in extremis aut etiam medijs. Prætenſæ autem illæ choreæ & exercitus ex eodem in plurimis locis propè ſeipſum præſente: turbat tantùm & ſtupefacit phantaſiam, vix autem intellectui mouet admirationem.

Sed quia pleræque difficultates credendi ſunt phantaſticæ: *nec eſt alia materia falſarum opinionum, niſi quod homines ſequantur phantaſmata ſua*, ex B. Aug. *lib. 6. de Muſica cap. 11.* Et ex eodem lib. de vera Relig. cap. 35. *Si hæc intueri palpitat mentis aſpectus: quieſcite, nolite certare niſi cum conſuetudine corporum: ipſam vincite & victa erunt omnia &c. Agite otium, ſeu vacate & videte* Pſalm. 45. *Non*, inquit, *otium deſidiæ: ſed otium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis. Hæc enim phantaſmata tumoris & volubilitatis, conſtantem vnitatem videre non ſinunt.*

Ad finem huius Quæſt. imò & totius profeſſionis noſtræ Scholaſticæ expreſſum *1. Petri 3.* reddendi rationem huius etiam fidei noſtræ: iterum luſtremus ac illuſtremus difficiliora: non ſola ratione naturali ex principijs naturalibus, ſed & ſupernaturali ex principijs fidei, vel alijs credendis ac creditis; nec tantùm ratione ſuperiore & metaphyſica, ex primis principijs intellectualibus; ſed etiam inferiore morali, accomodata Chriſtianis ac Infidelibus, doctis & idiotis, vſque ad ipſos etiam ſenſus externos & internos, ex varijs eorum experientijs, & rerum omnium, naturalium, artificialium, & moralium principijs.

## ILLVSTRATIO DIFFICVLTATVM.

### *Ex principijs Fidei.*

1. EX communibus principijs credendi Sacræ Scripturæ, Traditioni, Eccleſiæ, Sacris Concilijs, Patribus, &c.

2. Ex proprijs principijs credendi Figuris, Prophetijs, Prædictioni, Inſtitutioni, verbali à Chriſto expreſſioni, praxi ſacræ Script. Traditioni, & Definitionibus huius myſterij &c. De quibus Quæſt. *1. 2. 3. 4* Dogmaticè.

3. Ex alijs credendis ac creditis inter omnes aut pleroſque Chriſtianos: vel minus expreſſis in ſacra Script. vel maioris, vel æqualis, vel ſimilis difficultatis ad credendum.

4. Ex fide vnius Dei, & trium Perſonarum eiuſdem naturæ ſingularis improductæ: ad faciliorem fidem vnius eiuſdemque Corporis Chriſti irreproducti in pluribus locis, & pluriū ſimul præſentiarum relatiuarum in eodem ſubiecto, ad terminos inter ſe diſtantes. Si enim eadem Natura eſt capax plurium ſimul perſonarum relatiuarum, origine priorum & poſteriorum, inter ſe realiter differentium, & tamen eiuſdem ſingularis naturæ: cur idem Corpus non ſit capax plurium ſimul præſentiarum, & plures præſentiæ ſint incompoſſibiles in eodem ſubiecto ad diſtantes Terminos? Cùm illa naturæ Diuinæ infinita capacitas ſit participabilis; nec poſſit minùs quàm ſic participari: ſintque minùs oppoſitæ, tam inter ſe quàm in eodem ſubiecto, plures præſentiæ relatiuæ ad plures terminos ab inuicem diſtantes, quàm plures perſonæ correlatiuæ in eadem ſingulari natura; quia perſonæ ſunt formaliter incommunicabiliores præſentijs.

5. Ex fide productionis internæ Perſonarum Diuinarum, abſque productione eſſentiæ Diuinæ: ad fidem poſſibilis productionis plurium præſentiarum, abſque reproductione ſubſtantiali corporis præſentis.

6. Ex Dictione ſpirituali & æterna Verbi Diuini, ſeu Filij Dei, & initiali rerum omnium: ad veram ſeu efficacem dictionem verbalem Corporis & Sanguinis Chriſti.

7. Ab infinita bonitate Diuina, & ſumma Chriſti humana: ad hanc communicationem realem Corporis & Sanguinis proprij.

8. Ab Omnipotentia Dei ſupra noſtrum captum: ad poſſibilitatem huius myſterij.

9. Ab vbiquitate & immenſitate Dei: ad poſſibilem participationem plurium præſentiarū eiuſdem ſubiecti, ad plures terminos.

10. Ab Æternitate Dei coexiſtente ſimul omnibus temporibus poſſibilibus: ad poſſibilem participationem coexiſtendi pluribus ſimul locis.

11. Ab infinita ſubſtantialitate, ſpiritualitate, & qualibet perfectione Diuina: ad poſſibilem eius aliquam naturalem & ſupernaturalem participationem & repræſentationem in qualibet creatura.

12. A prima creatione rerum ex nihilo: ad poſſibilem conuerſionem panis & vini in Corpus Chriſti realiter præſens.

13. Ex prima cauſalitate, & neceſſaria rerum omnium à ſolo Deo dependentia in fieri & eſſe: ad poſſibilem productionem ac conuerſionem cuiuſlibet ex quolibet immediatè; & ad quemlibet rerum omnium inter ſe ordinem, ſubordinationem, coexiſtentiam, dependentiam, ac ſucceſſionem.

14. Ab initio & creatione omniū verorum & realium locorum, ſpatiorum, & temporum, nulloque tali ante vel extra hunc mundum: ad corrigendam noſtram phantaſiam, & quaſi neceſſariam præſuppoſitionem æternam cuiuſdam loci, ſpatij, & temporis, ante omnia creata aut creabilia. De quo ex B. Aug. Tomo 2. noſtræ Anat. *col. 42. cap. 17. col. 132. Quæſt. 29. 222. 223. 600. 602.*

15. A creatione ac conſeruatione huius totius Vniuerſi, ex creaturis ſpiritualibus & corporalibus inter ſe ordinatis ac ſubordinatis quoad eſſentiam, exiſtentiam, coexiſtentiam, præſentiam, diſtantiam, actiones & paſſiones, reales & intentionales; ad quamlibet aliam Deo poſſibilem earum inter ſe ordinationem & ſubordinationem.



Digitized by Google

16. Ex creatione, vnione ſubſtantiali, & præſentia accidentali animæ rationalis, ſpiritualis, ac indiuiſibilis, ſiue intrinſeca, ſiue terminatiua ad corpus humanum, ſiue ad totum, ſiue ad partes principales, continuas aut diſcretas, ſimul aut ſucceſſiuè cōgenitas, ſub quantitate & extenſione proportionata huic materiæ, formæ ſeu animæ, & toti compoſito, ad ſuam ſpeciem, finem intrinſecum, ac effectum formalem, materialem, & cauſalem. Vnde cùm eadem anima poſſit fieri & eſſe indiuiſibiliter præſens pluribus partibus etiam diſtantibus: cur non & Corpus Chriſti pluribus ſimul locis?

17. Ex varijs miſſionibus & apparitionibus Sanctorum Angelorum: qui tamen *ſemper in cœlis vident faciem Patris.* Matth. 18. & quorum aliqui ſpecialiter *adſtant ſemper ante Deum.* Tob. 12. Luc. 1. Ergò poſſunt eſſe ſimul realiter & perſonaliter præſentes in locis diſtantiſſimis. Hinc B. Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 16. non dubitat quin Sancti Martyres poſſint ſimul adeſſe in diuerſis locis: ſed tantùm vtrum adſint per ſeipſos, vel per Sanctos Angelos.

18. Ex prima creatione lucis, eiuſque diuiſione à tenebris ante ipſa prima luminaria. Quod quamuis ſoleat exponi de primo aliquo corpore lucido: non tamen incredibiliter de prima luce extra ſubiectū; ad credibilem etiam conſeruationem accidentium extra ſubiectum in Euchariſtia.

19. Ex omnibus Figuris, Prophetijs, & proprijs teſtimonijs huius veritatis. *à col. 270. ad 281.*

20. Ex fide Incarnationis Dei in minimo corpuſculo: & vnionis hypoſtaticæ, non ſolius Animæ, ſed & Corporis Chriſti, ad Perſonam Filij Dei, vbique præſentis, vt ſuprà *col. 461.* Cur ergò non poſſet hîc iterum reduci ad minimam ſpeciem panis & vini.

21. Ex Natiuitate Chriſti, ſaluâ Deiparæ Virginitate: ad credendam etiam coexiſtentiam intimam omnium partium Corporis Chriſti inter ſe, & cum quantitate panis in Euchariſtia.

22. Ex incremento Corporis Chriſti, & noua aut maiori præſentia ac vnione animæ ad nouas partes Corporis, harumque aſſumptione hypoſtatica: abſque vlla coextenſione animæ vel Dei ad Corpus. Sicut Corpus Chriſti eſt præſens in Euchar.

23. Ex Chriſti Transfiguratione, ſeu diſparitione formæ ordinariæ, & vera ac reali apparitione glorioſæ ante Reſurr. poſt autem, quaſi non glorioſæ, abſque vlla falſitate: ſicut in Euchar.

24. Ex tanta paucorum panum multiplicatione *Ioan. 6.* in ſignum & fidem multiplicabilis præſentię Corporis Chriſti ſub ſpecie panis.

25. Ex illa imperceptibili euaſione & tranſitu Chriſti per medium Iudæorum volentium eum lapidare. *Luc. 4.* Ad hanc imperceptibilem præſentiam Sacramentalem.

26. Ex illa confeſſione diabolica Omnipotentiæ Dei, conuertendi ſubitò lapides in verum panem. *Matth. & Luc. 4.* ad redarguendam infidelitatem piuſquàm diabolicam huius conuerſionis Sacramentalis.

27. Ex illa vtique celerrima & inuiſibili tranſlatione paſſiua Chriſti ab ipſo diabolo, ex deſerto ſupra pinnaculum Templi: hinc ſuper montem *excelſum valdè,* vtique remotiſſimum. *Matt. 4.* Et ex reditu ſine dubio Chriſti ad ſuos inuiſibili ac inſtantaneo: ad conuincendos Chriſtianos infideles huius myſterij, quòd plus tribuant ſubtilitatis & celeritatis diabolo in Corpus Chriſti, quàm ipſi Chriſto in Euchar. Quò referri poteſt & ſubita tranſlatio Habacuc *Dan. 14.* ex Iudæa in Babilonem, cum prandiolo parato: in ſignum quotidiani cibi noſtri Sacramentalis è cælo.

28. Ex promiſſa à Chriſto ſua præſentia, vtique noua, futura, reali & perſonali, inter ſuos hîc vſque ad finem mundi. *Mat. 18. 28.* Ad fidem & ſpem quòd ſit hæc ipſa præſentia Sacramentalis. Quia cùm Apoſtoli deſiderarent præſentiam Chriſti, vtique Dei & hominis: promiſſio non fieret nec verificaretur ſincerè de ſola præſentia diuina per gratiam; quia hæc non eſt noua de futuro, nec perſonalis Chriſti vt hominis.

29. Ex Reſurrectione Chriſti, & penetratione clauſi ſepulchri. Cùm & facilè ſit Deo Camelum tranſire per foramen acus. *Luc. 18.*

30. Ex ingreſſu eiuſdem ad Diſcipulos ianuis clauſis *Ioan. 20.* Ad credendum omnes partes Corporis Chriſti eſſe æquè intimè ac penetratiuè tam inter ſe quam cum quantitate panis in Euchar. ac cum lapide ſepulchri & ianuis clauſis.

31. Ex frequenti & ſubita eiuſdem apparitione ac diſparitione perſonis & locis diſtantibus: in ſignum & fidem ſuæ ſubtilitatis & agilitatis glorioſæ, ac poſſibilis præſentiæ Sacramentalis & indiuiſibilis in pluribus ſimul locis etiam diſtantibus. Credibilius enim eſt Chriſtum diſparendo non neceſſariò inde receſſiſſe, vt alibi appareret: nec interim à ſuis realiter abfuiſſe, nec de loco in locum per medium quaſi volitaſſe; ſed potiùs ad plures ac diſtantes perſonas inſtantaneè tranſiſſe, ſicque eodem ſaltem inſtanti ſingulis præſentem fuiſſe, cur non & interim apud ſingulos aliquamdiu manſiſſe?

32. Ex illa apparitione ac præſentia perſonali Chriſti Saulo. *Act. 8.* Ego ſum IESVS &c. 1. Cor. 15. *Nouiſſimè,* inquit Paulus, *viſus eſt & mihi &c.* Cùm tamen Chriſtus non abeſſet è Cœlo: Ad fidem veræ ac realis præſentiæ Corporis Chriſti in Cœlo, & in Euchariſtia.

33. Ex illo raptu Apoſtoli vſque ad tertium Cœlū. *2. Cor. 12.* Nam inquit, *Siue in corpore, ſiue extra corpore, neſcio, Deus ſcit.* Quòd B. Aug. *lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 3. 4. &c.* exponit de vero Cœlo, & de vera viſione ſaltem intellectuali, & intuitiua: Ergò obiecti realiter præſentis à realiter præſente; ſi non corpore, ſaltem anima: non ſeparata interim à corpore mortuo, ergò realiter vtrimque præſente. Imò Apoſtolus dubitando, an corpore ſimul cum anima: teſtatur id eſſe poſſibile. Nec dubitat quin corpore viſibiliter manſerit deorsùm præſens ſocijs ſui illius itineris: ergò dubitat vtrum non fuerit ſimul præſens corpore & anima locis tam diſtantibus. Quis ergo dubitet de poſſibili & actuali præſentia reali Corporis Chriſti in Cœlo & in Euchariſtia?

34. Ex immortalitate Chriſti. *Rom. 6.* Reſurrectione Corporum in ictu oculi, tantaque ſpiritualitate ſeu ſubtilitate agilitate & differentia omnium



Digitized by Google

corporũ glorioſorũ, à ſeipſis ante, quaſi eſſent alia. *1. Cor. 15.* Ad fidem tantæ ſpiritualitatis Corporis Chriſti, ſaluâ ſuâ identitate ſubſtantiali & perfectione accidentali; vt poſſit eſſe, ſitque præſens inſtar ſpirituum tot tamque diſtantibus ſimul locis.

35. Ex futura ſimilitudine *Matt. 22.* imò & æqualitate hominum Beatorũ cum Angelis. *Luc. 20.* non tantùm quoad gloriam animarũ, ſed & corporum: Nec tantùm in non nubendo; ſed etiam in vtendo tam facilè ſuis corporibus animatis, ac illi quibuſuis aſſumptis, imò & ſpiritibus proprijs. Alioquin animæ beatæ adhuc impedirentur ſuis corporibus: ne poſſint eſſe vbicumque & quamprimùm volunt. Quis autem Beatorum ex charitate Dei & proximi non vellet eſſe in inſtanti ſimul præſens pluribus amicis diſtantibus, ad maiorem Dei gloriam, & eorum ſalutem? Quis non æſtimet grauamen corporis, non poſſe tam promptè exequi hanc voluntatem?

36. Ex illa potentia Dei faciendi pluſquam poſſimus intelligere. *Epheſ. 3.* Ad credendum hoc myſterium etiam ſupra captum noſtræ rationis.

37. Ex ſequela Agni quocumque ierit. *Apoc. 14.* Quò autem iam iret Agnus, niſi ad hoc ſacrificium incruentum? Et quò illi ſequerentur eum, niſi quaſi ad hoc ſpectaculum, & honorarium pediſequium, in quauis decenti diſtantia.

38. Ex illo præcepto Chriſti diligendi inuicem, ſicut dilexit nos *Ioan. 16.* ad credendum hunc realem effectum dilectionis Chriſti, pluſquam fraternæ, filialis, paternæ, maternæ, coniugalis &c. vt col. 244. Quæ dilectiones fundantur in reali cõmunicatione Carnis & Sanguinis; ergo & illa Chriſti.

39. Ex illo voto Chriſti *Ioan. 17.* Vt omnes vnum ſint, ſicut ipſe & Pater vnum ſunt: Ad credendum hoc ex nùnc inchoari, per hunc conuictum, & vnionem realem in Corpore Chriſti præſente. Vt *col. 295.*

40. Ex donatione & communicatione ſecundi Adam Chriſti, præ illo primo, qui tantùm erat *forma ſeu figura futuri* .i. Chriſti *Rom. 5.* Atqui ex illius carne & oſſe fuit realiter formata Eua, & nos omnes ex eius participatione generamur: ergò & tota Eccleſia, & nos omnes ac ſinguli ex huius reali communione ac participatione reficimur, reparamur, & ad perfectionem beatificam præparamur; vt ſicut in Adam omnes realiter ceciderunt & mortui ſunt, ita & in Chriſto realiter omnes reſurgant, & in eodem realiter ad Cœlũ aſcendant. Ex *1. Cor. 15. & Ioan. 3.* Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis qui eſt in Cœlo. Vt & *col. 295.*

Præter alia plura inter Quæſtiones Dogmaticas occurrentia, vel inter ſequentia principia rationalia, artificialia, aut moralia occurſura. Vt ex proprietate Teſtamenti, *Mat. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.* & ex realitate ac valore pignoris vel arrhæ præſentis promiſſionum Chriſti. Quod licet tribuatur Spiritui *2. Cor. 1. 5. & Epheſ. 5.* non tamen ſine, ſed cum ipſo Corpore Chriſti. Ex *Ioan. 6.* Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, vtique mortua. Vt *col. 279. 280. 289.* ex ipſo B. Aug. & *col. 296. 335.* ex eodem.



## *Ex Principijs Rationalibus.*

1. EX ſola negatione euidentis impoſſibilitatis ſeu contradictionis, coram ſolo iudicio intellectuali. Quæ ſola negatio ſufficit ad credendum tantæ auctoritati, quæcumque non ſunt euidenter contra lumen naturale, quantumuis ſint ſuprà. Porrò non eſſe euidenter contra, vel inde patet: quòd nulli fidelium videatur eſſe contra, alijs autem videatur tantùm ſeu appareat eſſe contra. Si enim eſſet euidenter contra: non tantùm omnibus videretur ſeu appareret, ſed eſſet certum ac euidens. Imò nec eſt ſupra, ſed ſecundùm verum lumen rationis: plus eſſe tribuendum fidei, & Omnipotentiæ Dei quàm vlli rationi; nec tamen illam eſſe contra hanc, ſed ſuprà.

2. Ex dependentiâ huius noſtræ rationis à ſenſibus ac phantaſia: & facili ac frequenti experientia noſtri imperfecti vſus rationis, ita confuſi cum vſu ſenſuum & phantaſmatum; vt vix ab inuicem diſcerni poſſint, hicque vt plurimùm illi præualeat, eumque ad varios errores etiam circa ſenſibilia, quantò magis circa intelligibilia ſeducat.

3. Ex illis primis principijs eſſendi aut non eſſendi: ſeu ex ſola impoſſibilitate eſſendi & non eſſendi ſimul. Vnde *2. Cor. 1.* Non fuit in Chriſto Eſt & non Eſt, ſed Eſt in illo erat: vt *col. 298.* Atqui nec præſentia realis & Sacramentalis Corporis Chriſti in pluribus ſimul locis, nec Tranſubſtantiatio panis & vini, includunt eſſe & non eſſe eiuſdem, ad idem, ſecundùm idem: vt patet ex hac tota Quæſt. ergò eſt poſſibilis, ac credibilis, & de facto credenda.

4. Quicquid eſt in Ente per eſſentiam, hoc eſt participabile, imitabile ſeu repræſentabile in creaturis ſeu Entibus per participationem: atqui Deus eſt immenſus & vbique, eſſetque ſimul in pluribus quantumuis diſtantibus mundis, ſi eſſent; ergò hoc eſt participabile & repræſentabile in poſſibili exiſtentia alicuius creaturæ ſimul in pluribus locis diſtantibus. Hoc enim non eſt contra, ſed potiùs de ratione creaturæ, eſſe veſtigium ſeu repræſentare poſſe quamlibet perfectionem Diuinam. Vnde & ipſum myſterium SS. Trinitatis habet non tantùm ſui veſtigia, ſed etiam imaginem in creaturis.

5. Potentia Dei eſt adæquata eius intellectui: Ergò illa non reſtringitur ad captum noſtri intellectus; ſed quicquid Deo intellectu concipi & idæis diuinis obiectiuè formari poteſt, hoc vel eſt ex ſe, vel ab eo fieri poteſt. Atqui Deus poteſt infinitè plus concipere, & obiectiuè formare quàm nos: non poſſet autem infinitè plus, ſi quod eſt ſupra captum noſtrum in hoc myſterio, nec ipſe concipere, & in ſuis idæis formare poſſet; ergò & poteſt concipere, & exequi, ac de facto exequitur.

6. Potentia Dei eſt etiam adæquata eius voluntati: Atqui Deus poteſt hoc myſterium velle, quia eſt maximè ſecundùm eius bonitatem ac beneficentiam; ergò & poteſt facere, & de facto facit. Quis enim non experitur ſuam miſeriam, nolendi malum quod facit, & volendi bonum quod non facit, aut plus boni quàm poſſit? Et quis non tribuit perfectioni ac Beatitudini Dei nihil mali poſſe facere aut velle, & poſſe facere quicquid poteſt velle,

Digitized by Google

velle, & velle ac facere quicquid dicit aut promittit?

7. Ratio Eſſentiæ realis non eſt eſſe incommunicabilem, ſed poſſibilem, & communem, aut communicabilem pluribus ſingularibus, vel ſaltem ſuppoſitis: ergo non eſt contra vllius rei eſſentiam communicari pluribus ſimul præſentijs. Quia plures ſimul præſentiæ minùs inter ſe repugnant, quàm plures ſingularitates, aut plura ſuppoſita.

8. Ratio Entis Exiſtentis eſt: non tantùm eſſe poſſibile, ſed eſſe actu; ſiue ex ſeipſo, ſeù ex propria neceſſitate eſſendi; ſiue à ſua cauſa, ex nihilo ſui, ſeù ex ſola poſſibilitate eſſendi, vel ex aliqua ſui parte, vel ex toto aliquo alio à ſe. Ergo non eſt contra rationem exiſtentiæ aut exiſtentis, eſſe in pluribus locis: quia hoc non eſt contra omnes illos modos exiſtendi.

9. Sola Eſſentia & exiſtentia abſoluta, ſiue finita ſiue infinita, eſt in ſe ſuo modo formaliter perfecta ſeu completa, & prior omni alio reſpectu quàm dependentiæ creaturæ à Creatore: non vt priùs in ſe perfecta eſſentialiter, quàm perfectibilis accidentaliter; ſed vt prorſus imperfectibilis formaliter vllo reſpectu. Tum quia reſpectus tantùm refert formaliter ſuum ſubiectum ad aliud: Ergo non perficit formaliter intrinſecè. Tum quia vnum non poteſt formaliter & intrinſecè perfici vllo ſibi extrinſeco: Ergo nec ſolo intrinſeco reſpectu ad illud. Tum denique quia reſpectus præſupponunt totam perfectionem ſubiecti ſeù fundamenti, ex qua reſultent. Hinc & ex Scoto ſupra *col. 413.* Corpus Chriſti eſt capax plurium præſentiarum ad diſtinctos terminos, abſque vlla mutatione ſuæ perfectionis eſſentialis vel accidentalis: quia præſentiæ ſunt tantùm reſpectus ad extra; nec neceſſarij ab intrinſeco, ſed vel ex perfectione aut exiſtentia ſubiecti reſultantes, vel varijs motibus etiam ab extrinſeco agente naturali variabiles. Cur non ergo à Deo ſolo ſimul in eodem ſubiecto ad diſtinctos & diſtantes terminos produci ac conſeruari poſſint: cùm ſimul habere poſſint eoſdem effectus formales, quos ſucceſſiuè? Vt ſuprà.

10. Vnitas & identitas Corporis Chriſti in Euchar. eſt præciſa eius eſſentia & ſubſtantia, indiuiſa in ſe, quia tota vbique, & inconfuſa cum eſſentia aut ſubſtantia panis & vini, quæ definit.

11. Veritas eius eſt conformitas in eſſendo & exiſtendo: non cum noſtro conceptu; ſed cum ſua Idæa, ſeu conceptu formali, obiectiuo, vel cum eſſentia Dei vt ab eo participata.

12. Bonitas eius, eſt vel eius completa perfectio eſſentialis & ſubſtantialis in ſe: vel relatiuè ad menſuram & approbationem voluntatis Dei, ſicut veritas ad intellectum.

13. Subſtantia Corporis Chriſti in Euchariſtia, cùm ſit ipſa ratio ſubiectiua & ſuſtentatiua plurimorum ſimul accidentium abſolutorum & relatiuorum, abſque vlla ex ſe exceptione: non poteſt eſſe ex ſe incapax plurium ſimul præſentiarum.

14. Neque ſubſtantia corporalis ſeu materialis poteſt eſſe ratio huius incapacitatis. Tùm quia materia quò eſt potentialior & imperfectior: eò capacior eſt plurium ſimul formarum accidentalium, præcipuè relatiuarum, quæ ſubiectum non perficiunt, quàm ſubſtantia ſpiritualis. Tùm quia forma materialis quò minùs adæquatè actuat ac perficit materiam, eò plus potentialitatis ac capacitatis ſeu cuiuſdam vacuitatis relinquit ad quaſlibet formas accidentales. Tùm quia quò forma materialis & totum corpus eſt corruptibilius, eò dependentius à diſpoſitione accidentali, & ab extrinſecis conſeruatiuis aut corruptiuis: vnde tantò plures reſpectus ab intrinſeco & ab extrinſeco reſultant. Tùm quia Corpus Chriſti eſt corpus humanũ, & organicum, plurimis ſimul formis accidentalibus, & fortè etiam ſubſtantialibus ſubordinatis, indigens, plurimis hinc inde ſimul reſpectibus dependens. Tum denique quia ratio ſubſtantiæ corporalis vltra ſpiritualem videtur tantùm conſtare partibus: non tantùm materiali & formali, ſed etiam materialibus ac integrantibus; ſiue actualibus, ſiue tantùm potentialibus; ſiue entitatiuè & integraliter inter ſe ordinatis vnitis ac ab alijs diſtinctis, ſiue tantùm quantitatiuè vnibilibus ac diuiſibilibus. Atqui hæc integritas materialis non eſt incapacitas, ſed potiùs neceſſitas plurium ſimul accidentium, & præſentiarum, ſaltem partialium: imò & fortè adæquatarum, ad plures terminos tali materiæ non quantæ intimè compoſſibiles. Ergo ſi quæ incapacitas plurium ſimul præſentiarum: non eſt ex corpore ſubſtantiali, ſed fortè ex quantitatiuo, ſeù ex ipſa quantitate.

15. At nec quantitas poteſt eſſe incapax plurium ſimul præſentiarum ad diſtinctos, imò nec ad diſtantes terminos. Quia ſiue afficiat immediatè materiam primam, ſiue totum corpus: vel formaliter ordinat partes ſui ſubiecti, inter ſe vt chaos quoddam confuſas; vel eas ex ſe tantùm potentiales, formaliter actuat; vel vt ex ſe entitatiuè diſtinctas ſed intimas aut contiguas, formaliter vnit; vel entitatiuè vnitas, formaliter & intrinſecè continuat, aut diſtinctiùs & ſtabiliùs connectit; vel ſubiectũ ſuũ formaliter tendit extendit ac coextendit intra ſe abſolutè ad ſuas formas excipiendas; vel aptat etiam formaliter ſuum ſubiectum ad extenſionem localem ſeù coextenſionem extra ſe, & ad diuiſibilitatem realem. Non autem habet vllum effectũ formalem reſpectiuum, cùm ſit forma abſoluta: nec negatiuum, cùm ſit forma poſitiua nulli cõtraria, multò minùs vlli præſentiæ vel pluribus ſimul. Tùm quia ordinat, diſtinguit, vnit, extendit ac coextendit tàm partes ſui ſubiecti inter ſe, quàm ad plurimas ſimul formas intrinſecas, ac intimè præſentes: ſicque ad plurimas etiam inter ſe ſimul præſentias intimas, & alios reſpectus mutuos. Tùm quia ſaltem formaliter eſt apta, & aptat ſubiectum ad extenſionem, coextenſionem, & repletionem localem, extra ſe, & ad diuiſibilitatem externam ac realem: non tanquam ad effectum ſuum formalem, & neceſſariò actualem; ſed cauſalem, virtualem, potentialem, à Deo in fieri dependentem, ideoque ab eodem ſuſpenſibilem. Ergò hinc non eſt formaliter incapax, ſed potiùs capax plurium ſimul præſentiarum partialium ad plures terminos inter ſe diſtantes, & totalium ad plures terminos diſtinctos inter ſe intimè compoſſibiles: imò & quantùm eſt ex ſe, ad plures inter ſe diſtantes, niſi vel præſentiæ ipſæ ſint inter ſe incompoſſibiles, vel diſtantia terminorum repugnet earum ſimul effectui formali.



Digitized by Google

16. Atqui plures præſentiæ ſimul in eodem ſubiecto, ad terminos inter ſe diſtantes, non repugnant quoad effectus ſuos formales, aut ſuppoſitiones & conſequentias abſolutè neceſſarias & incompoſſibiles: Ergo ſunt abſolutè compoſſibiles &c. Subſumptum probatur 1. Quia illæ præſentiæ non ſuppoſunt neceſſariò fieri per motionem & amotionem totius ſubiecti, vel tractionem ac diſcerptionem partium eius ab vno loco ad alios: ſed per ſolam immutationem actiuam Dei & paſſiuam ſubiecti, ex non hoc aut illo loco, ad hunc & illum ſimul.
2. Quia priuationes plurium locorum diſtantium ſunt ſimul in eodem ſubiecto: Ergò & plures loci ſeu præſentiæ in illis poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Plures enim priuationes ſimul includunt plures aptitudines ad plures ſimul formas eis oppoſitas, niſi hæ inter ſe ſimul repugnent. 3. Quia plures præſentiæ non ſunt quaſi plures cauſæ vel actiones quibus ſubiectum cauſaliter huc & illuc ſimul trahatur aut diſtrahatur: ſed ſunt tantùm plures relationes coexiſtentiæ, propinquitatis, inexiſtentiæ, aut continentiæ, quæ nihil agunt in ſubiectum, ſed tantùm in eo fiunt, illudque ſuo proprio modo formaliter referunt ad ſuos terminos. 4. Quia præſentiæ non inſunt ſuis terminis, ſed tantùm ſuis ſubiectis: ergò poſſunt plures ineſſe eidem ſubiecto ad terminos inter ſe diſtantes, abſque vlla diſtantia intrinſeca harum præſentiarum à ſuo ſubiecto, vel inter ſe. 5. Quia idem ſubiectum priori loco immotum, poteſt ſimul fieri præſens vel appropinquari pluribus ſimul locis vel terminis, intra ſe aut propè productis, vel aliundè ſimul appropinquatis: Ergo non eſt neceſſe ſubiectum loco ſuo moueri, trahi, aut diſtrahi ad plures præſentias. 6. Relationes paternitatis, filiationis, ſimilitudinis, diſſimilitudinis, æqualitatis, inæqualitatis, & diſtantiæ localis, referunt ſimul formaliter ſua ſubiecta ad terminos inter ſe diſtantiſſimos, abſque vlla inter ſe ipſas, aut à ſuo ſubiecto diſtantia, aut proprij ſubiecti diſtractione: cur ergò ſolæ præſentiæ referendo ſuum ſubiectum ad plures terminos inter ſe diſtantes, vel ſeipſas ab inuicem, vel à ſuo ſubiecto, vel ſubiectum à ſeipſo, aut partes à partibus formaliter referendo diſtraherent? 7. Relationes & reſpectus ſeu tendentiæ intentionales potentiarum & actuum immanentium ad obiecta & fines quantumuis diſtantes: nec egrediuntur, nec mouent aut diſtrahunt entitatem ſui ſubiecti, aut quicquam extra ſuum ſubiectum. Cur ergò præſentiæ, referendo formaliter ſubiectum ſuum, quaſi egrederentur, & traherent vel diſtraherent ſuum ſubiectum extra ſe? 8. Actiones ſeu influentiæ & & tendentiæ reales cauſarum in ſua ſubiecta & effectus quantumuis diſtantes, nec mouent, nec diſtrahunt, nec minuunt ipſas cauſas: ſed integrè & immotè ſuo modo attingunt ſimul ad tot quot ſubiecta & effectus diſtantiſſimos, ſiue mediatè ſiue immediatè: cur ergò plures præſentiæ referendo ſimul ſuum ſubiectum ad terminos diſtantes, illud traherent ac diſtraherent à ſeipſo? 9. Præſentia non poteſt habere hunc effectum formalem proprium, continendi, contrahendi, retinendi, applicandi, & adæquandi ſuum ſubiectum vnico loco ſeù termino: Tum quia non ſic Deus, Angeli, Anima rationalis ad ſuum Corpus. Tum quia illa ſunt potius Agentis & actiuitatis, quàm formalitatis. Tum quia quantitas formaliter extendit, non reſtringit ſuum ſubiectum: Ergo nec præſentia quantitatiua. Tum quia adæquare formaliter eſt æqualitatis, fundamentaliter quantitatis. Tum quia proprius effectus formalis huius præſentiæ non eſt quaſi ipſam eſſe præſentem: ſed hac ipsà ſubiectum eius eſſe præſens hic ſeu huic loco aut termino: non autem non eſſe præſens alibi. Non enim, ſicut eſſe hoc, vel vnum, eſt non eſſe illud: ita eſſe hic eſt non eſſe ibi. Sed ſemper & abſolutè repugnat hoc eſſe illud, aut vnũ aliud, ſeu vnum idemque eſſe plura, ſiue ſucceſſiuè ſiue ſimul: non repugnat autem idem eſſe hic & ibi ſucceſſiuè; ergo nec repugnat abſolutè, eſſe ſimul. Nec enim diuerſæ formæ repugnant abſolutè ſimul in eodem ſubiecto: niſi quatenus inde vnum idemque eſſet hoc & illud, ſeu aliud & aliud: per eſſe autem hic & ibi ſimul, non fit hoc & illud ipſum vbi eſt, nec aliud & aliud; ergo non eſt impoſſibile. 10. Quia plus eſt poſſibilitatis in ſubiecto ad cauſam primam & ſupernaturalem, quàm potentiæ realis propinquæ & naturalis ad cauſas ſecundas & naturales: Hæ poſſunt mouere & moueri ad plures præſentias ſucceſſiuè, imò & ſimul, ſaltem ad terminos immediatos & continuos: Ergo poſſunt à Deo recipere plures ſimul præſentias ad terminos diſtantes. 11. Deus poteſt quidlibet producere: non ex aliquo loco aut ſpatio, ſed ex nihilo, ſeu ex ſola poſſibilitate, ad exiſtentiam, præſentiam, ſpatium, aut locum realem & actualem. Quanto magis poteſt in eodem exiſtente, plures ſimul præſentias ad terminos diſtantes? 12. Plus diſtat eſſe hic, à non eſſe, quàm eſſe alibi ab eſſe hic: quidlibet poteſt ex nihilo, & ex nullibi fieri hic: ergo potiùs hinc, vel ex non alibi fieri ſimul alibi. 13. Ante creationem poterat quidlibet creari vbicumque: ergo poſt creationem hic, adhuc ſimul fieri alibi. 14. Non eſt minus ſed plus poſſibilitatis in & ex ſubiecto exiſtente, quam in & ex nihilo: in & ex nihilo erat ſimul poſſibilitas ad eſſe hic & vbicumque; ergo & poſt. 15. Sed ſicut in nihilo non eſt vlla poſſibilitas realis: ita fortè non eſt poſſibilis cauſalitas realis Corporis ſubiecti ad plures ſimul præſentias in locis diſtantibus. 16. Quia cauſalitas realis ſubiecti, vel eſt tranſitus eius ab vna forma ad aliam, vel ſaltem præſuppoſitio ſubiecti exiſtentis alicubi, ad excipiendam & ſuſtentandam ibi actionem Agentis & effectum eius: cùm autem hæc præſentia ſit prima ratio formalis eſſendi hic, non poteſt hæc produci in ſubiecto vt præſuppoſito alibi; quia conſtitueret formaliter præſens ibi non autem hic, ſicque non eſſet hæc: nec poteſt produci in ſubiecto vt præſuppoſito hic; quia eſſet hic priuſquam præſens hic. Ergo non fit ex, imò nec in ſubiecto neceſſariò præſuppoſito, vt exiſtente, vel non vt exiſtente vllibi: nec ab Agente dependente à ſubiecto, aut limitata aliqua eius præſentia vel diſtantia, ſed non niſi ab Agente ſupernaturali.

XVII. Non tantùm non repugnant formaliter plures ſimul

ſimul præſentiæ in eodem ſubiecto ad diſtantes terminos: ſed nec antecedenter nec conſequenter. Quia hoc tantùm præſupponit Omnipotentiam ac voluntatem Dei & poſſibilitatem rei: non autem exiſtentiam, præſentiam, aut cauſalitatem ſubiecti vel vllius termini ſeu loci, aut vllius præſentiæ in vllo loco. Nec infert neceſſariò vllam eiuſdem ſubiecti pluralitatem aut diuiſionem à ſeipſo, aut identitatem cum vllo alio, vel aliorum ſecum, aut identitatem præſentiarum inter ſe, aut indiſtantiam terminorum, aut diſtantiam ipſarum præſentiarum ab eodem ſubiecto. Neque horum quicquam ſequitur ex illo principio: Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe: aut, Quæ differunt in aliquo tertio, differunt inter ſe. Quia hinc non plus ſequitur, quàm quòd tantùm inter ſe conueniant, aut differant, quantum conueniunt aut differunt in tertio, ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidentaliter, ſiue abſolutè, ſiue relatiuè, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè, terminatiuè aut denominatiuè.

### *De Poſſibili exiſtentia Accidentium extra ſubiectum.*

*1.* EX diſtinctione reali. *2.* Ex communi ratione accidentis. *3.* Ex ratione accidentis abſoluti. *4.* Ex prædiſpoſitione ſubiecti. *5.* Ex poſterioritate ſubiecti. *6.* Ex prioritate ſubiecti. *7.* Ex emanatione aut productione in ipſo ſubiecto. *8.* Ex quauis cauſalitate reali ſubiecti. *9.* Ex corruptione ſubiecti totalis perſeuerantibus accidentibus. *10.* Ex condenſatione, rarefactione, & augmentatione ſalitis ſæpè iiſdem accidentibus, ipſaque formâ, aut figurâ. *11.* Ex intenſione ac remiſſione eorumdem accidentium in eodem ſubiecto. *12.* Ex faciliſſima mutatione & reſtitutione ſimillimorum accidentium in eodem ſubiecto. *13.* Ex dependentia ſpecierum ſenſibilium in ſpeculis, oculis, ac medijs, quaſi à ſolis obiectis. *14.* Ex diſtincta, plurium ſimilium accidentium, vt ſpecierum & luminum coexiſtentia. *15.* Ex dependentia radiorum & lucis aut luminis, quaſi à ſolo ſole aut corpore lucido. *16.* Ex incomparabiliter maiori eorum dependentia à Deo & minori à ſubiecto. *17.* Ex potentia primæ cauſæ ſupplendi omnes cauſalitates inferiores, excepta intrinſeca compoſitione. *18.* Ex poſſibili ſuſtentatione, vt formarum ſubſtantialium ſine inhæſione. *19* Ex poſſibili eorundem ſuſtentatione ſine informatione: vt natura ſuſtentatur à ſuppoſito. *20.* Ex poſſibili eorum ſuſtentatione abſque vlla reali vnione: ex ſola tali ordinatione. *21.* Ex poſſibili ſuſtentatione accidentium quadam inter ſe adhæſione. *22* Ex poſſibili ſingulorum modificatione ſubſtantiali. *23.* Ex minima ex vix vlla cauſalitate ſubiecti ad ſuſtentanda accidentia. *24.* Ex potentialitate ſeu perfectibilitate ſubiecti ab accidentibus, eorumque indigentia. *25.* Ex actuatione ac perfectione ſubiecti ab accidentibus abſolutis. *26.* Ex quaſi ſola neceſſitate finali ſeu finis accidentium perficiendi ſubiectum: qui poteſt à Deo mutari in finem aliquem ſupernaturalem. *27.* Ex poſſibili effectu formali accidentium inter ſe, vel ſingulorum in ſeipſis, extra ſubiectum ſubſtantiale. Nam & quantitas eſt quanta, qualis &c. Et qualitas eſt quanta, & lux eſt alba &c.

### *De vſu harum omnium Rationum.*

NOn quaſi ſingularum, ſed ſaltem plurium ſimul ſufficientium ad huius noſtræ Fidei credibilitatem, contra omnem apparentiam impoſſibilitatis. Quæ tamen omnes voluuntur & reuoluuntur circa poſſibilem cauſam & effectum formalem, abſque vlla alia cauſa aut effectu ſibi extrinſeco. Quia omnes aliæ cauſæ & effectus dependent totaliter à ſolo Deo: ſola autem cauſa & effectus formalis identificantur, ideòque hæc ſola identitas ſuppleri nequit.

### OBIECTIO *Ex B. Aug. Epiſt. 57.*

*SPatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt, nec erunt. Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi ſint, & ideò neceſſe eſt vt non ſint.*

*Reſp. 1.* vt ſuprà. *col. 319. 320.* *Reſp. 2.* Poſſe etiam intelligi non de Corporibus ſine ſpatijs, ſed de ipſis ſpatijs ſine corporibus; quia hæc re vera nihil ſunt, ex mente ipſius B. Aug. *Tomo 2. noſtræ Anat. col. 42 131. 132. 222. 223. 600. 602.* *Reſp. 3.* Poſſe & intelligi de ſpatijs locorum: quòd ſine corporibus locatis ac locantibus nuſquam ſint aut eſſe poſſint, formaliter; quia ſunt inter ſe correlatiua. *Reſp. 4.* De corporibus abſque omni qualitate, & de qualitatibus corporeis abſque omni corpore: quia fruſtrà eſſent, cùm & illa ſine his nimis imperfecta ſint, & hæ ſine illis non habeant finem naturalem ſuæ exiſtentiæ ac conſeruationis. Sicut idem B. Aug. ait de anima, *Quod deficientibus organis corporis, quaſi non habens cur adſit, abſcedit, Tomo 2. noſtræ Anat. col. 403.* Nec his obſtat quod B. Aug. *Epiſt. 57.* hoc refert ad excellentiam Dei, qui non dependet ab eis quibus præſens eſt, ſicut corpora à ſpatijs locorum, & qualitates à corporibus in quibus ſunt: quia hæc vtrimque præſentia ſunt; & tam aut plus dependent ſpatia locorum à corporibus, & corpora à qualitatibus: quàm corpora à ſpatijs, aut qualitates à corporibus, inſuntque & continentur aut conſeruantur ab inuicem.

*Reſp. 5.* Poſſe intelligi de materia prorſus informi: quòd fortè non poſſit exiſtere ſine vlla forma; vel quia ipſa exiſtentia eſt aliqua formalitas; vel quia non poteſt exiſtere niſi diſtinctè, determinatè, & ſingulariter.

*Reſp. 6.* Subiecta & eorum accidentia formaliter non poſſe eſſe ſeparata: nec materialiter, ſine aliqua ad inuicem ordinatione potentiali & formali. Sicut accidentia quædam moralia & artificialia, vt veſtimenta: non poſſent eſſe ſine aliqua conformitate aut configuratione ad veſtiendũ: quamuis poſſunt exui, complicari, aut conſeruari extra ſuum ſubiectum, ad eundem vel alium finem.

*Reſp. 7.* Corpora quantitatiua non poſſe exiſtere ſine aliquo termino locali intrinſeco: Nec qualitates ſine aliquo termino intrinſeco ſuæ intenſionis ac extenſionis. Quia hoc eſt de ratione entis finiti. Et ſic de quouis ente creato ac finito.

*Ex*

Digitized by Google

### *Ex ſimilibus naturalibus.*

1. EX præſentia Dei in creaturis. 2. Ex præſentia Angelica ad corpora vel ſpatia: neceſſariò indiuiſibili; ſed cur neceſſariò per totum aliquod ſpatium, & non in extremis ſine medio; cùm nihil dependeat à ſpatio, nec ab eius extremis, aut medio? 3. Ex præſentia animæ rationalis ad ſuum corpus: etiam neceſſariò indiuiſibili; ſed cur in toto corpore continuo, non autem in ſolo capite & corde diſtantibus inter ſe, niſi ad animationem, & neceſſarium influxum vitalem toto corpore? Corpus autem Chriſti animat ſpecies, nec eſt præſens vni dependenter ab alia, nec ex vna influit in aliam.

4. Ex ſubtilitate & agilitate Angelorum bonorum & malorum: ad motus, ac mutationes etiam reales corporum. Vt patet 1. ex motibus Cœlorum. 2. Ex varijs apparitionibus & beneficijs SS. Angelorũ ac Spirituum, relatis & expertis. 3. Ex varijs apparitionibus ac maleficijs dæmonum, translationibus etiam realibus, & imperceptibilibus ſagarum per miras anguſtias locorum. 4. Ex quibuſdam ſtupendis effectibus magorum. 5. Ex miris motibus energumenorum, vſque ad expertum vomitũ ferramentorum realium incomparabiliter excedentium anguſtias faucium.

5. Ex multiplicatione eiuſdem naturæ realis in ſuis ſingularibus: & primorum parentum in ſuis poſteris. 6. Ex generatione, organizatione, & perfectione minimorum corpuſculorum animatorum.

7. Ex eiuſdem materiæ rarefactione & condenſatione. 8. Ex mirabili & inſenſibili ſpirituum vitalium & animalium ſubtilitate, & agilitate. 9. Ex tantorum obiectorum viſibilium quaſi continua emanatione, & cum pupilla minimi ocelli proportione, huiuſque tanta capacitate, aut vi ad tot, tanta, tamque diſtantia emicandi. 10. Ex eiuſdem vocis à tot auditoribus & auribus perceptione. 11. Ex capacitate memoriæ ſenſitiuæ, tot ſimul obiectorum aut ſpecierum ſenſibilium, intimè, diſtinctè, & ordinatè coexiſtentium: quot ſucceſſiuè poſſunt per omnes ſenſus externos intrare. 12. Ex illa quamuis materiali & ſenſibili, quaſi tamen ſpirituali & indiuiſibili tot tantorumque repræſentatione. Quod præ reliquis corporalibus ſatis mirari non poteſt B. Aug. 10. Conf. cap. 8. *col. 249. Tomi 1.* noſtræ Anat. 13. Ex naturali reflexione ac apparitione obiectorum integrorum in aqua limpida, nubibus, ſpeculis, corumque partibus diuiſis, in diuiſa ac indiuiſibili obiectorum repræſentatione.

### *Ex ſimilibus artificialibus.*

1. EX ſpeculis artificialibus, quæ idem obiectũ variè repræſentant. 2. Ex arte optica, pictoria, fabrili &c. minima maximis proportionãdi. 3. Omnes Cœlorum orbes ac motus ſub minimis ſpherulis imitandi. 4. Minuſcula horologia ſuis minimis rotulis & ponduſculis ad motum & ſonum continuum quaſi animandi. 5. Vniuerſum orbem geographicè in paruum globum aut planum contrahendi. 6. Vrbes, Regiones, exercitus, pugnas, ipſoſque motus vitales ſub vnius vnguis anguſtia ſculpendi aut pingendi, tantumque ſpectaculum ſuper tantillo quaſi theatro exhibendi. 7. Ex ipſa agilitate Hiſtrionũ, & celeritate motuum: qua obiecta præſentia ita voluunt & reuoluunt, vt longè aliter appareant quam ſint. Quod ſi ars omnem noſtrorum ſenſuum attentionem ſuperat: quantò potiùs in hoc fidei myſterio non fallacia, ſed veritate ſuperatur? 8. Ex nouis illis proſpectiuis ſeù perſpectiuis, quibus obiecta diſtantiſſima fiunt quaſi præſentiſſima. 9. Ex ſecretis Alchimiæ, ſeù eliciendi aurum & argentum ex alijs metallis: & reſoluendi quælibet corpora in ſecreta latentia.

### *Ex Moralibus.*

1. EX obiecto ſeu bono Morali, quod eſt ſui cõmunicatiuum, & appetitui conueniens etiam realiter ac corporaliter. 2. Ex bonitate ac charitate paterna, materna, coniugali, communicandi realiter propriam ſubſtantiam ad generationem & nutritionem. Vt col. 294. 3. Ex appetibili præſentia reali Corporis Chriſti in Euchar. in omnibus fidelibus. Vt ſupra de Tranſſubſt. *col. 431. 452.* Ergò eſt conuenientiſſima charitati etiam ordinatæ. 4. Ex pio ac ordinato deſiderio Sanctorum, realis quoque ac reciprocæ præſentiæ propriæ ad omnia altaria & ſpecies conſecratas. Qualis erat affectus S. FRANCISCI expreſſus hac adoratione: *Adoramus te Chriſte hic & ad omnes Eccleſias tuas &c.* 5. Ex quouis affectu etiã naturali amicitiæ, ad realem præſentiam pluriũ etiã amicorum diſtantium: qui non poteſt naturaliter ferri ad impoſſibile. 6. Ex affectu etiam concupiſcentiæ. 7. Ex appetitu naturali rerum omnium coaleſcendi in vnum cum ſui ſimilibus: vt patet ex ipſis elementis. Hinc cùm & Corpus Chriſti habeat hunc appetitum naturalem ad totam maſſam generis humani eliquatam à ſuis ſordibus per Baptiſmum: credibile eſt huic appetitui naturali ſatisfieri in Euchar. ne quid in eo ſit incompletum. 8. Ex fidelitate, veracitate, & ſinceritate dicendi & faciendi: Vt col. 278. 9. Ex Lege naturali diligendi Deum ex toto &c. Ergò credibile eſt Chriſtum diligere Deum etiam in nobis, & ex nobis, vt ſuæ naturæ.

10. Ex Lege diligendi proximum ſicut ſeipſum, .i. ad eandem ſecum dilectionem Dei. 11. Ex Lege faciendi alteri quod quis ſibi vellet fieri, & è cõtra: quis autem non optaret hoc fieri? 12. Ex Lege honorandi, alendi Patrem, Matrem & proprias proles ex propria ſubſtantia. Vt patet ex S. Chryſ. *Hom. 60.* ad pop. Ant. & ex natura omnium animalium ac amantium, vt col. 308. 13. Ex Lege & ſenſu naturali ad paſcendum eſurientes. 14. Ex Lege coniugij, relictis omnibus adhærendi vxori. 15. Ex ſympathia naturali quarundam rerum, ſpecialiter corporum humanorum, & ſingulariter conſanguineorum etiam mortuorum. Vt patet ex quorundam deliquio ad conſpectum ſanguinis alieni: & ex quodam naturali ſenſu ad mortem abſentium; & ex ſtillatione è corpore occiſo ad præſentiam conſanguineorum, vel etiam ex naturali diſparia ad præſentiam occiſoris. 16. Ex Lege humana connaturali, legitimæ ad alimenta prolium. 17. Dotis ad alendas vxores. 18. Teſtamentorum ac piorum Legatorum de rebus veris ac proprijs. 19. Promiſſionum, Sponſionum, Pacto-

Paſtorum, Pignorum, Arrharum, Hypothecarum realium & ſufficientium. 20. Obſidium verorum in bellis &c. 21. Eorundem ſepulchrorum inter conſanguineos &c. *col. 273. 279. 280. 289.* Hinc quid connaturalius quàm Corpus Chriſti intra nos quaſi ſepiliri, nobis in Obſidem pacis, in Dotem, Legitimam, Legatum, Pignus, Arrham, & Hypothecam realem vitæ æternę donari? Quid mirùm, fructum ventris Deiparæ viſcera humana non abhorrere?

22. Ab exemplari Chriſti miſericordia: paſcendi eſurientes, potandi ſitientes &c. 23. Ex reali vnione Capitis cum ſuo Corpore. 24. Ex habitatione ac operatione Chriſti in nobis: etiam per præſentiam & gratiam Sacramentalem. Quę quò moraliora: eò faciliora ad perſuadendum.

*Contra 4. Rat. col. 474.* Subiectum diſtat à ſeipſo ſecundùm plures ſimul præſentias ad diſtantes terminos: ergò & ipſæ diſtant inter ſe. *Reſp.* Nec ſubiectum, nec præſentias eius intrinſecè diſtare: ſed tantùm terminatiuè, ſeu ſecundùm ſolos terminos.

### *Specimen practicum harum Quæſtionum.*

INcidi nuper in quẽdam Negotiatorem, Sacramẽtariũ: cum quo nolens cõtendere, nec tamen ieiunum dimittere, remiſi eum ad contendendũ aut potiùs conueniendũ cum ſuo aduerſario in via *Mat. 5.* .i. cum ipſo Verbo Dei, toties tamq; expreſſo *Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 6. 1. Cor. 11.* de veritate & proprietate Corporis & Sãguinis Chriſti in Euchar. Nam qui id toties tamque expreſsè de ſeipſo vel ſuis mercibus diceret: ſibi vtique propriè credi vellet; non autem de falſa, ficta, aut ſibi ſimili perſona, vel mercibus; non de lana, panno, vel vino Patrio, pro Anglico, Francico, vel Hiſpanico; nec de parte pro toto. Quantò potiùs Chriſto propriè & integrè credendum eſt: non autem cum eo contendendũ. Hoc enim non eſt Chriſto aut verbis eius credere: ſed potiùs ea proprio iudicio reformare. *A col. 271.*

Reſpõdit ſe credere Sacræ Script. ſe ipſam ibidem & alibi interpretanti: Accumulatis hinc inde varijs coniecturis. Quibus omnibus ad hominẽ replicaui: Hæc verba Chriſti, toties tamq; expreſſa, non poſſe alienari à proprio ſenſu, niſi per expreſſiora: non autem per has tam tenues cõiecturas ac ſuſpiciones.

1. Ex *Matth. 26.* Hoc facite in meam commemorationem. *Reſp.* Id eſt, *Hoc* ipſum *facite*, quod ego: non tantùm huic ſimile. Sed & in memoriam mei, & huius meæ actionis, ac paſſionis tunc inſtantis. Quæ autem horum perfectior commemoratio, quam repræſentatio eiuſdem Corporis & Sanguinis præſentis? Quod expreſſius memoriale defuncti vel occiſi patris: quàm ipſum eius Corpus & Sanguis? Quis dubitet de vero & propriè dicto dono aut legato reali: quia legatur in memoriam defuncti? Quis dubitet, imò non potiùs certus ſit de ſepultis veris corporibus ſuorum parentũ, ſub eorum monumentis, & Epitaphijs memorialibus? Si cui diceres, Accipe has merces ſuper verbo meo, & vtere in memoriam mei, ſeu meæ fidelitatis: nonne veritatem & ſinceritatem harum mercium cõmendares? Si moriens cõmendares filio tuo artificium & negotium tuũ, dicens, Fac hoc & illud in memoriã mei: velles ne per hoc eum tantùm aliqua tui ſimilia fingere; & non potiùs eadem, eiuſdem materiæ, formæ, & fidelitatis realiter facere? Vt *col. 298. 299.*

2. Ex *Ioan. 6.* Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam &c. *Reſp.* Non de Carne Chriſti, Spiritu Dei viuâ ac viuificâ: ſed de ſenſu noſtro carnali, & incapaci huius fidei. De Spiritu autem gratiæ Chriſti, ad hanc fidem neceſſario: Et de verbis eius ſpiritualibus vitalibus & efficacibus ſui ſignificati. Vt *col. 295. 296. 334. 335. 336. 337. 338.*

3. Quaſi ex ſimilibus *Ioan. 15.* Ego ſum vitis vera &c. *1. Cor. 10.* Petra autẽ erat Chriſtus. *Reſp.* Ex his confirmari proprium ſenſum illorum. 1. Quia hæc ibidem exponuntur pro ſuo ſignificato ſpirituali.
2. Non demonſtrant hanc vel illa vitem aut Petram.
3. Nec dicũt eſſe ſimpliciter, ſicut illa: ſed tantùm ſecundùm aliquid ibi expreſſum. Vt & *Pſ. 27.* Vxor tua ſicut vitis &c. *Act. 4.* Hic eſt lapis in caput Anguli &c. Ac ſi de filio tuo diceres: Hic eſt baculus .i. ſolatium ſenectutis meæ. *col. 303. 304. 305. 331.*

4. Ex *Mat. 5.* De orando Patre vt in Cœlo, non in Sacramẽto. *Reſp.* Quaſi verò non fuiſſet tunc orandus Chriſtus in terra: aut Deus non ſit orandus vbique: aut Cœlum Dei non ſit potiùs mens noſtra, vel Corpus Chriſti, vel ipſius Dei ſecretiſſima præſentia, & excellentia, quàm vlla localis altitudo?

5. Ex *Ioan. 4.* De adorando Patre in Spiritu & veritate. *Reſp.* Quaſi verò non ſic adoretur in Chriſto *Mat. 2. 8. 14. 15. Luc. 24. Phil. 2. Hebr. 1. Apoc. 5.* Nec prædictũ ac præceptum foret adorandũ in hoc ipſo Sacramento. *Pſalm. 21. 98. col. 367.* Aut non ſic adoretur, ex fide & affectu ſpirituali ſuæ realis præſentiæ diuinæ & humanæ in Euchar. non autẽ phantaſticè in proprio cerebro. *col. 255. 367. à 375. ad 380.*

6. Ex *Ioan. 6.* De ſalutari receſſu Chriſti à nobis. *Reſp.* De abſentia ſenſibili: non de ſpirituali, reali, etiam humana. Nam *Ioan. 14.* Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos &c. Vado & venio ad vos &c. *col. 296. 297. 329. 330.*

7. Ex *Mat. 24.* De Chriſto non hîc aut illic: Donec tandem vt fulgur veniat. *Reſp.* Ex col. *300. 329.* Eſſe expreſsè de ſtabilitate eiuſdem doctrinæ ac Eccleſię Chriſti vſq; in finem mundi, contra Pſeudo-Chriſtos & Pſeudo-reformatores: Sed & aduentũ eius vltimum inſtar figuris viſibilis, exemplificare ſubitam & intimam pręſentiam Sacramentalẽ Corporis Chriſti inſtar fulguris inuiſibilis, imò & fulminis rerum ſubſtantiã, ſalua forma exteriori ſubitò cõſumentis.

8. Ex *Mat. 28.* De præſentia pauperum nobiſcum, non Chriſti. *Reſp.* Ex textu, De ſola præſentia miſera ac miſerabili. Vt *col. 300.*

9. Ex *Act. 1. 2. 3.* De Aſcenſione Chriſti in cœlum, ſeſſione à dextris Dei, ſuſceptione eius in cœlum, vſque ad reditum finalem. *Reſp. 1.* Ex col. *278. 471.* De ęquali Veritate, Fidelitate, Voluntate, & Potentia Chriſti, in ſuis dictis & factis. 2. Ex col. *300. 301.* De finali reditu Chriſti viſibili & glorioſo: *Act. 1.* Sic veniet &c. 3. Ex col. *274. 289.* De prædicta *Ioan. 6.* hac ipſa Diff. 4. Ex *Act. 7.* De Iesv ſtante à dextris Dei. *Apoc. 14.* De ſequentibus Agnũ *quocunq; ierit.* Quò autem iret Agnus Dei, niſi vt victima ad altare? Vnde patet illam Aſcenſionem & Seſſionem,

non eſſe quaſi erectionem ſtatuæ immobilis: ſed ſtatum & quietem Chriſti glorioſam ac æternam. Cui nil obſtat præſentia, nec oblatio eius in Altari: ſicut nec Deo, deſcēſus & incarnatio perſonalis in vtero. Quamuis enim ſemel tantùm realiter oblatus ſit cruentè & propitiatoriè: Cur non quotidiè latreuticè & incruentè? Cur non ęquè nunc cōmemoratiuè, ac olim præfiguratiuè? Cur non æquè Corpore ac Spiritu *Rom. 12.* cùm & nos & ipſe conſtet vtroque? Cur non æquè hic in Altari, ac in cœlo? Ad quid ergo noſtrum Altare, Miniſtri eius, & Sacerdotes? *1. Cor. 9. Heb. 7. 10. 13.* In quo ergo iuge Sacrificiū, *Dan. 12.* & ſummum Chriſti Sacerdotiū in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech? *Pſal. 109. Heb. 5. 7.* Vbi exhibetur & adoratur Agnus Dei vt occiſus *Apoc. 5.* & ipſe adorat Deū Patrem *Ioan. 4.* niſi profundiſſima reuerētiā vſq; ad Altare? *A col. 246. ad 265.*

---

## QVÆTIO 6. SCHOLASTICA.

### *Quâ Verborum formâ verè & propriè exprimenda ſit Tranſubſtantiatio?*

QVamuis enim ſubſint etiam Dogmatica: à potiori tamen Quæſt. noſtras denominamus.

Porrò licet difficultas moueri poſſet, de fieri aut eſſe hîc vel ibi, ſursùm aut deorsùm, in, ſub, ad, cum ſpeciebus conſecratis vel earum loco: de quibus *col. 457.* Hîc tamen præcipuè mouetur de modo & ſenſu verè ac propriè conſtruendi hæc verba, poſſe, fieri, conſecrari, confici, creari, conuerti Tranſubſtantiari, eſſe, cum præp. Ex, De, In, ac nominibus panis & vini, Corporis & Sāguinis Chriſti.

[ ALENSIS Quæſt. 29. *De expreſſione. 1. Per verbum poſſe. 2. Per fieri. 3. Per eſſe.*

Memb. 1. *An hac ſit vera: Panis poteſt eſſe Corpus Chriſti.* Reſp. Nec eſſe propriam, nec communiter, nec abſolutè veram: ſed tantùm connotando ordinem ad Cauſam ſupernaturalem. *Quia nulla eſt potentia panis reſpectu Corporis Chriſti, lege natura.* Infra. *Cuius enim eſt potentia, eius eſt actus.*

Memb. 2. Art. 1. *An hac ſit concedenda: Panis ſit Corpus Chriſti?* Reſp. Quod non, niſi fieri ſumatur pro mutari, conuerti, &c. Quia fieri & facere ſonat motum & ſucceſſionem. Intellige naturaliter. Nam *Facere*, inquit, *dictum de Deo, confusè copulat quamlibet operationem Dei* .i. conuenientiorem huic ſignificationi. *Hic verò copulat actum mutationis.*

*Sed idem videtur, ſi dicatur panis mutatur &c.* Reſp. *Quòd panis cum verbo mutandi, ſupponit pro pane præterito; quia in inſtanti mutationis, iam non eſt panis, ſed fuit: Sed cum verbo fiendi, pro pane exiſtente. Quod enim fit aliquid, adhuc eſt in fieri propriè ſumpto.*

*Art. 2.* De Verbo fiendi, cū præpoſitione De vel Ex. *Reſp.* Propoſitiones cauſales per De vel Ex, non eſſe veras: ſed tantùm ſignantes ordinem terminorum, abſq; vlla mutatione abſoluta circa Corpus Chriſti, ſed circa ſolum panem & vinum. Nec poſſe dici Corpus Chriſti fieri de forma verbali, ſicut de materia: quia fieri *De*, non tantùm ſignat ordinem ſucceſſionis, ſed inter terminos à quo & ad quem.

Membr. 3. *De verbo Eſt: An hac ſit vera, Quod fuit panis eſt Corpus Chriſti.* Reſp. *Quod non. 1. Quia Quòd, eſt relatiuum identitatis. 2. Verbum ſubſtantiuum eſt nota identitatis eorum qua copulat: cùm panis & Corpus Chriſti non ſunt idem &c. Hinc talia dicta SS. referenda ſunt ad ſpecies, non ad ſubſtantiam: vt ſit ſenſus, Sub qua ſpecie erat panis, eſt Corpus Chriſti. Nec eſt concedendum propriè, quod fuit, vel eſt, vel erat, fuit, vel eſt, vel erat Corpus Chriſti. Vel, Panem fuiſſe, vel fore, vel eſſe Corpus Chriſti: eſt verum, vel ſcitum, vel huiuſmodi. Ad aliud* Reſp. *Quod inter totum conuerſum in totum, nulla ſit vnio aut identitas, niſi in genere remoto.* Hinc ad B. Ambr. & Aug. *col. 289.*

S. BON. d. 11. p. 1. a. 1. q. 1. *An illa conuerſio debeat exprimi per verbum ſubſtantiuū.* Reſp. per 4 Regulas. *1.* Omnia verba ſignantia identitatē panis ad Corpus Chriſti, faciunt ſermonem falſum &c. *2.* Omnia verba ſignantia innouationem circa Corpus Chriſti, ſunt falsè dicta: quæ autem ſignant conuerſionem & tranſitum, verè dicuntur; & quia generari dicit innouationem, fieri poteſt dicere tranſitū &c. ideò cum verbo fiendi poteſt concedi, non cum verbo generandi &c. Vnde hæc eſt magis propria, *Panis fit Corpus*: quàm, *De Pane fit Corpus*: & hæc eſt impropria, *Corpus Chriſti fit*; ſed conceditur, *Fit hîc.*
*3.* Verbum, *Poteſt*, abſolutè dictum, facit propoſitionem falſam: vt, *Panis poteſt eſſe Corpus Chriſti.*
*4.* Omnes præpoſitiones cauſalitatem importantes reddunt locutionem falſam &c. Hinc infert illam eſſe veram & propriam, in qua verbum non ſignat identitatem, nec innouationem, nec ordinem naturalem: ſed ſolùm conuerſionem, cum præpoſitione importante tranſitum, non cauſam. ]

SCOTVS diſt. 11. q. 1. *An conuerſio panis in Corpus Chriſti poßit verè exprimi, & quibus propoſitionibus.*

*Reſp. 1.* Non poteſt verè ſignari per verbum eſſendi aut fiendi, nec per poſſe aut poſſibile ſecundùm differentiam temporis: Quia eſſe notat vnionem extremorū, eſſentialem vel accidētalem, pro tempore quod aſſignat: pro nulla autem differentia temporis habent hæc extrema vnionem, ſed diſparationem.
*2.* Panis nec fit, nec factus eſt, nec fiet Corpus Chriſti, nec è conuerſo: quia nec fit ſimpliciter, nec fit ſecundùm formam prædicati ſeu Corporis Chriſti, nec è conuerſo. *3.* Panis non poteſt, nec potuit, nec poterit eſſe Corpus Chriſti, nec è contra: Quia falſa eſt de poſſibili, cuius impoſſibilis eſt de ineſſe.

*Dico ergò &c.* Si vera debet eſſe prædicatio: oportet alterum extremorum in obliquo accipere, denotando ordinem in alterū, vel cum præpoſitione *Ex*, vel cum *De*, ad terminum à quo. Vt *2. Metaph. 3.* Ex mane fit meridies &c. Ita *Ex*, vel *De* pane fit Corpus Chriſti. Alio modo addendo termino ad quem præpoſitionem *In*. Vt, Panis tranſit in Corpus Chriſti &c. Sed hæc eſt magis propria: quia non denotat aliquid commune manere, ſicut præpoſitio *Ex*. Nulla autem propoſitio cum mutari, vera eſt.

CONCILIATIO. Optimè DD. noſtri, de vero ac propriè dicto modo loquendi ac exprimendi hoc myſterium Fidei. Nam Alenſis, de fieri extrinſecè & ſucceſſiuè, per verba conſecrationis: *Bonau.* De fieri intrinſecè à ſolo Deo in inſtanti. *Alenſis* De Mutatione totali totius in totum: *Scotus*, contra mutationem ſubiectiuam. Ille non ęquè approbat *Ex*, ac *De*, hic non æquè improbat *De*, ac *Ex*. Sed omnes de *tranſitu*, non ſubiecti per medium: ſed Termini à quo *tranſeuntis* omne mediū; non in ſe manendo,

Digitized by Google

ſed inde deſinendo in ſuum conterminum ad quem.

Quoad quaſdam autem locutiones improprias, morales, & populares SS. Patrum, & communes Ritualium ac Fidelium: qualis eſt illa S. Greg. *Ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri &c. Sacrificium in Cœlos rapi &c.* Illa Canonis Miſſæ: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli &c.* quodque dici ſolet Chriſtū realiter deſcendere &c. S. Bonau. *Dubio 3. & 4. in diſt. 11.* reducit eas ad ſignificandam ſingularem influentiam cœleſtem, & æqualem Angelorum reuerentiam ad Corpus Chriſti in Altari ac in Cœlo; eorumque preces pro acceptatione noſtri ſacrificij apud Deum. Quamuis autem Corpus Chriſti nec deſcendat hùc, nec hinc aſcēdat: quia tamen idiotæ non poſſunt capere fieri hîc realiter præſens ſine deſcenſu, nec poſſunt aliter exprimere ſuam fidem de reali præſentia: non ſunt ob hoc reprobandi; ſed tantùm monendi ne ſub hoc deſcenſu intelligant vel receſſum è Cœlo, vel tranſitum per ſpatium medium, ſed immediatè inde ad ſpecies conſecratas: vel potiùs ſi capere poſſint, per ſubitam hîc ex non hîc, non autem hinc vel inde præſentiam, nec plus è Cœlo quàm ex alio Sacramento priùs conſecrato.

## QVÆSTIO 7. SCHOLASTICA.

### *Quæ, quotuplex, quanta, quamque præſens eſſe debeat materia huius Sacramenti?*

*Ex Doctrina Alenſis.*

AD cuius ſenſum, præmonendum eſt, multa doceri de ſignificatione naturali, aptitudinali, Ante-ſacramentali, quæ non de Sacramentali.

Quæſt. 32. *De integritate huius Sacramenti reſpectu materiæ.* Membr. 1. *De Materia panis & vini.* Art. 1. *Cur tantùm ſub ſpeciebus panis & vini inſtitutum ſit hoc Sacramentum?*

*Reſp. 1.* Ob expreſſiorem ſignificationem effectus ſpiritualis. Nam ſicut panis præ cæteris cibis corpus reficit & ſuſtentat, & vinum lætificat ac inebriat: ſic Corpus & Sanguis Chriſti animum. *2.* Ob ſimilitudinem vnius panis & vini, ex multis granis & racemis, cum vnitate Eccleſiæ ex multis fidelibus. *3.* Ob communiorem vſum panis & vini, in cibum & potum. *4.* Ad diſtinctionem à Sacramentis, & ſacrificijs cruentis antiquæ legis. Hinc patet *Reſp.* ad Obiect. quòd figuræ antiquæ legis expreſſiùs repræſentarent mortem Chriſti cruentam: hoc tamen ex inſtitutione expreſſiùs ſignificet gratiam præſentem, imò & paſſionem præteritam. ] Intellige non tantùm ex ordinatione huius Sacramenti ad cibum, & potum: quæ ſignificat traditionem Chriſti ad mortem, & paſſionem, vt ſubdit Alenſis; ſed potiùs ex verbis ipſius inſtitutionis in memoriam Paſſionis ac mortis Chriſti.

Art. 2. *An vtraq; ſpecies ſit de integritate huius Sacramenti.* Reſp. Quoad efficaciam rei contentæ, & ſignificatæ .i. Corporis & Sanguinis Chriſti, vnica ſpecies eſt de integritate: quia in vtraque totus Chriſtus cōtinetur. Quoad efficaciam ſignificati, ſed non contenti .i. gratiæ: vtraque eſt de integritate, quia ſumpto hoc Sacramento dignè in vtraque ſpecie, maior eſt effectus vnionis Corporis myſtici cum Capite, quam ſumpto cum altera. Quoad ſolam autem ſignificationem, vtraq; ſimul eſt de integritate: quia neutra ſignificat diſtinctè Corpus & Sanguinem, neutra integram refectionem. Subdit ad Obiect. Sumptionem ſub vnica ſpecie non eſſe tantæ efficaciæ reſpectu gratiæ, quantæ ſub vtraque. ] Intellige vt ſuprà *col. 376. ad 7.* Niſi quòd ibi videatur vocari ab Alenſi fructus maioris meriti, & efficaciæ: cùm tamen hîc non occurrat expreſſio meriti. Hinc ergò addi poteſt, exprimi tantùm maiorem efficaciam vnionis Corporis Myſtici cum ſuo Capite, ex vtraque ſpecie quam ex vnica. Qui maior effectus poteſt tribui ſacrificio, eiuſque ſpeciali participationi per vtramque ſpeciem. Poteſt & tribui maiori deuotioni ex ſpeciali gratia actuali: non tantùm ex motiuo externo vtriuſque ſpeciei, ſed etiam ex vi interna ſacrificij.

*Memb. 2.* Cur potius conficiatur Corpus Chriſti de pane triticeo, quam alio: cum triticeus non ſit ſat vilis, ad repræſentandam Chriſti ignominiam, nec tam communis ad vſum.

*Reſp. 1.* Quia hic panis eſt optimum hominis nutrimentum. *2.* Quia triticum eſt etiam medicamentum purgatiuum pectoris, ex quodam Iſaac medico. *3.* Quia Chriſtus *Ioan. 12.* comparat ſe grano frumenti. *4.* Ex inſtitutione Chriſti. *5.* Ex figuris panum olim oblatorum, non niſi ex tritico.

*Ad 1. Obiect. Reſp.* Paſſionis ignominiam ſatis ſignificari in panis ſpecie, eiuſque fractione, ac manducatione.

*Ad 2. Reſp.* Hunc panem eſſe omniū communiſſimū.

*M. 3.* An confici debeat ex azymo, vel fermentato? Ventilatâ inter Græcos & Latinos hac controuerſia. *Reſp.* Chriſtum ſuum vltimum Paſcha comedisse cum Diſcipulis *14.* Luna: quo die non erat fermentatum in domibus Iudæorum *Exod. 12.* ideòque & conſecraſſe in pane azymo. *1.* Ex Mat. *26.* Primo die azymorum &c. Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha &c. Et parauerunt Paſcha. *Exod.* autem *12.* primo die azymorū non erit fermentū in domibus veſtris. *2.* Marc. *14.* Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli quò vis eamus & paremus vt manduces Paſcha? *3.* Luc. *22.* Venit dies Azymorum in qua neceſſe erat occidi Paſcha. *Infra.* Et parauerunt Paſcha. *4.* Exod. *12.* Primò menſe 14. primi menſis ad veſperam comeditis Azyma *vſque* ad diem 21. eiuſdem mēſis ad veſperam. 7. diebus fermentatum non inuenietur in domibus veſtris: qui comederit fermentatum peribit Anima eius de cœtu Iſraël. *5.* Chriſtus non venit ſoluere legem, ſed adimplere. *6.* Ex *1. Cor. 5.* Non in fermento veteri, ſed in Azymis &c. *7.* Ex Traditione Eccleſiæ Romanæ à primis Apoſtolis fundatæ: præ Conſtantinopolitana, tanto poſteriori.

*Ad 1. Obiect.* Græcorum, quod Chriſtus celebrauerit ſuum vltimum Paſcha 13. Luna: quia ſicut Agnus Typicus, ita & verus dedebat immolari 14. Luna. *Exod. 14. Reſp. 1.* Hanc figuram fuiſſe impletam eadem 14. Luna, per comeſtionem vtriuſque agni in vltima Cœna. *Reſp. 2.* Fuiſſe eadem die completam per inchoationem Paſſionis Chriſti, nocte immediatè ſequente, & ad 15. diem pertinente. *Reſp. 3.*



Digitized by Google

Diem 15. legalem, & ſolemnem cœpiſſe à veſpera ad veſperam. A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. *Leuit. 23.* Vnde veſpera immolationis Agni ad veſperam, poteſt intelligi de veſpere ſequẽti. Notat autem illum ordinem legalem, quo nox diem præcedebat, fuiſſe ſignum figurarum præcedentium veritatem. *Ad 2.* Ex Ioan. 13. Ante diẽ feſtũ Paſchæ &c. Cœna facta &c. *Reſp.* Diem feſtũ Paſchæ fuiſſe 15. Paſcha autem cœpiſſe à 14. ante ipſum diem feſtũ. *Leuit. 23.* Menſe 1. die 14. ad veſperum, Phaſe Domini eſt .i. Paſcha: & 15. die menſis huius ſolennitas Azymorum Domini eſt. In quo inquit Græci aberrant.

*Ad 3.* Ex Ioan. 18. Vbi Iudæi ipſa die mortis Chriſti non introierunt in Prætorium ne contaminarentur, ſed manducarent Paſcha: vnde videtur necdum fuiſſe tempus illud manducandi.

*Reſp.* Paſcha aliquando ſumi pro die ſeu veſpera immolandi Agni Paſchalis: aliquando pro Agno Paſchali Typico; aliquando pro ipſo vero Agno Paſchali. *1. Cor. 15.* Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Quandoque pro feſto Azymorũ, quandoque pro omni cibo Paſchali, ſeù comedẽdo illis ſeptẽ dieb⁹ Paſchalibus. Quomodo ſumitur *Ioã. 18.*

*Ad 4.* Ex *Luc. 23.* Quod ſanctæ mulieres præparauerint vnguenta ipſa die mortis Chriſti: quæ non licuiſſet, ſi fuiſſet 15. ſeu primus dies feſtus Azymorum, qui erat obſeruandus vt Sabbatum abſque vllo opere, Exod. 12. *Reſp.* Ex *Leuit. 23.* Illo die fuiſſe tantum interdicta ſeruilia: quale nõ erat illud opus miſericordiæ. Sabbato autem ſequenti, quod erat omnium celeberrimũ, non licuiſſet illa præparatio.

*Contrà.* Marc. 16 Cùm tranſiſſet Sabbatum emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. *Reſp 1.* De vlteriori emptione. 2 Ex Innoc. Eas nõ fuiſſe amplius ſub littera, ſed ſub gratia. 3. Et ante, & poſt Mortem Chriſti, præparaſſe aromata ad vnctionem eius.

*Ad 5.* Ex *Luc 22.* Appropinquabat dies feſtus Azymorum: Ergo necdum erant Azyma. *Reſp.* Agnum Paſchalem fuiſſe comeſtum 14 die, veſpere ſub initium diei ipſius 15. quo incipiebant Azyma. Adde *Luc. 22.* ſubdi: Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. *Ad 6.* Ex *Mat. 26.* Non in die feſto &c. Ergo non die feſto Azymorum. *Reſp.* Illud fuiſſe tantum conſilium Potiorum ex Iudæis: ſed poſtea mutatum, ac præcipitatum. *Ad 7.* Quod Chriſtus noluerit ſeruari ritum Iudæorum: ideoque nec in Azymis conſecrari. *Reſp.* Hoc non eſſe iudaïzare, præfigurando: ſed ex noua Chriſti inſtitutione veritatem exprimere. *Ad 8.* Ex ſacra ſignificatione fermenti *Mat. 13.* *Reſp.* Ex ſacratiore Azymi, *1. Cor. 5.* *Ad 9.* Ex figura Azymorum abolenda. *Reſp* vt ad 5. Alioquin abolenda etiam eſſet figura panum primitiarum: qui erant fermentati *Leuit. 7* *Ad 10.* Ex 2. *Cor. 3.* Littera occidit &c. *Reſp.* Ex *Amos 4.* Sacrificate de fermentato laudem: Exprobrando, non approbando. *Ad 11.* Ex nomine Græco panis, pro fermentato. *Reſp.* Nomen etiam Græcum panis, eſſe commune Azymis & fermentatis. *Exod 28. Num. 6.* *Ad 12.* De vino albo, & rubro. *Reſp.* Poſſe etiam vtrumque panem conſecrari: ſed potiùs Azymum. 1. Ad imitationem Chriſti. 2. Ad expreſſionem puritatis rei contentæ. 3. Ad repræſentandam omnẽ ſimplicitatẽ Chriſti. 4. Ad cõmendandam puritatem. *Ad 13.* Ex S. Anſelmo Epiſt. de Azymo. *Reſp.* De indifferentia, ad valorem conſecrationis. *Ad 14.* Vnde ortum habuerit hæc controuerſia inter Græcos & Latinos. *Reſp.* Quòd Eccleſia primitiua conſecrabat in Azymo: ſed contra errorem de neceſſaria obſeruantia legalium, vſque ad eius abolitionem conſecrauit in fermentato; deinde Eccleſia Latina reſumpſit in Azymo, ſed Græci præ ſuperbia noluerunt ſe conformare. Ex Leone Papa.

Membro 4. *An confici poſſit ex omni genere panis?*

*Reſp.* Ex ſolo Triticeo: ob inſtitutionem Chriſti. *Sunt autem,* inquit, *plura genera tritici habentia ſolummodò differentias accidentales. Vt fortè ſpelta & canditb, de quibus confici licet & conficitur, in quibuſdam terris.*

*Ad 1. Arg.* Ex communi ratione & vſu panis &c. *Reſp.* Quod licet Chriſtus ſit Hoſtia communis pro omnibus: non oportuerit tamen pane generaliori repræſentari; quia panis vt panis non eſt repræſentatiuus illius generalitatis. *Ad 2.* Ex incertitudine panis purè triticei. *Reſp.* Potiorem partem præualere: ſicut vinum aquæ mixtæ. *Ad 3.* De intentione conſecrandi panem hordeaceum. *Reſp.* Non valere defectu materiæ inſtitutæ. *Ad 4.* Non ſufficere cribrationem farinæ hordeaceæ. *Ad 5.* Ex ratione ſigni ſenſibilis &c. *Reſp.* Sacramenta eſſe ſigna ſenſibilia quoad ſimilitudinem naturalem: non autem quoad ipſam inſtitutionem, quæ non eſt tantùm ſecundum differentias ſenſibiles, ſed in quibuſdam etiam ſecundum ſpecificas. *Ad 6.* De pane Azymo, & fermentato. *Reſp.* Non differre ſpecie. *Ad 7.* De pane duplicis paſtæ coagulatæ, non permixtæ. *Reſp.* Sine præiudicio, tria eſſe de neceſſitate huius Sacramẽti, materiam de qua, & non alias formam verborum, & intentionem. Illud autem de quo: eſt panis de frumento, ex Conc. Carthag. Vnde quod panis eſt de frumento, tranſubſtantiatur: quod de ſiligine, non. Numquid ſi frumento addatur piper, conuertitur in Corpus Chriſti?

Memb. 5 *An aqua miſcenda ſit vino.* Art. 1. *An naturalis, vel etiam artificialis.* *Reſp.* Miſcendam eſſe naturalem, non artificialẽ: Ex inſtitutione Chriſti. *Ad 1. Arg. Reſp.* Aquam artificialem poſſe quidem conuerti in vinum, & ſic conuerſam conſecrari: ſed ante non licitè miſceri ad conſecrationem. *Ad 2.* Negat aquas artificiales, elicitas ex roſis, ruta &c. eſſe eiuſdem inter ſe ſpeciei, aut cum naturali qua vſus eſt Chriſtus. *Ad 3. Reſp.* Grauiter etiam peccaturum qui pinſeret panem conſecrandũ aqua roſacea: ſed validè conſecraturum.

Art. 2. *An aqua ſit de ſubſtantia huius Sacramenti?*

*Reſp.* Aquam vino conſecrando miſceri. *1.* Exẽplo & præcepto Chriſti. ex S. Cypr. *2.* In ſignum vnionis Corporis myſtici cum Chriſto. *3* In ſignũ Paſſionis Chriſti ex amore. *4.* In ſignum noſtræ cum Chriſto vnionis per amorem. *5.* In ſignum ſalutis noſtræ per Paſſionem Chriſti. *6.* In memoriam fluxus Sanguinis & aquæ ex latere Chriſti. Hanc tamen mixtionem non eſſe neceſſariam ad rationem & perfectionem huius Sacramẽti, quo ad eſſe ſpirituale .i. efficaciam & veritatem effectuum: ſed tantùm quò ad rationem & perfectionem eſſe Sacramentalis, ſeù ſignificationis expreſſioris.

*Ad 1. Arg.* Ex Luc. 22. & Alex. Papa, de neceſſaria commemoratione Paſſionis Chriſti, & fluxus ſanguinis & aquæ de latere. *Reſp.* Hunc non eſſe finem per ſe, proprium & intrinſecum huius Sacramenti: ſed tantùm acceſſorium. *Ad 2.* Ex Apoc. 17. & Iul. Papa, De ſignificanda vnione Corporis Myſtici cum capite. *Reſp.* Quòd Sacramentũ *non ſit per ſe cauſa huius vnionis: ſed potiùs Fides & Charitas ſumentium. Qui enim ſpiritualiter communicant aſſequuntur hunc effectũ vnionis.* Nota ad diff. De efficacia maiori vtriuſq; ſpeciei vt ſup. *Ad 3.* Quòd ex ſimila non conſperſa non poſſit fieri Sacramentum: Ergo nec vino ſine aqua. Ex S. Cypr. *Reſp.* Negando paritatem: quia poteſt eſſe vinum ſine aqua: non autem panis ſine hac conſperſione farinæ. *Ad 4.* Quòd ſicut neceſſarium eſt ſignum rei contentæ: ita & rei tantùm ſignificatæ. *Reſp.* Neceſſarium eſſe ſignum Corporis Myſtici ſignificati: ſed non vnionis cum Capite; quia habet eſſe & ſignum diſtinctum à Sacramentali.] Intellige non de vnione charitatis quæ eſt proprius effectus huius Sacramẽti: ſed de vnione, non cauſatâ; ſed diſtinctè ſignificatâ per illam mixtionem aquæ, ſicque mouente ad maiorem deuotionem, vt ſuprà.

*Ad 1.* Ex oppoſitis quòd Chriſtus non legatur miſcuiſſe. *Reſp.* Ex *Ioan. vlt. Conc. 3. Carthag.* Sicut alia multa ita & hoc Traditum eſſe: nec fuiſſe opus referri; quia erat moris communis. *Ad 2.* Quòd alia materialia Sacramentorũ maneant quo ad ſubſtantiam vel proprietatem: cur non & aqua hîc? *Reſp.* Quia aqua debet conuerti in vinum vt ſit ſignum non cauſa Vnionis illius Corporis Myſtici cum Capite, per quandam conuerſionem in Deum. Sed Corpus Chriſti verum ſub Sacramento eſt ſignum & cauſa vnionis membrorum inter ſe per charitatem. Intellige de ſigno per ſpecies, ſicut de cauſalitate Sacramẽtali ſpecierum per memoriam Corporis Chriſti. *Ad 3* vt ad 2. *Ad 4.* In Sacramentis nouæ Legis nihil eſſe ſignum quod non ſit cauſa rei ſignatæ. *Reſp. Signum efficax ſimpliciter, vel vt cauſa diſponens, vel ſine qua non, eſt ſignũ manens ſignum: vnde hæc mixtio eſt ſolùm ſignificans non efficiens, niſi vt excitans ad amorem & vſum huius Sacramenti.* Vt & nos ſupra, de maiori fructu duplicis ſpeciei. *Ad 5.* Quòd hæc mixtio non fuerit præfigurata à Melchiſedech. *Reſp.* Non omnia & ſingula fuiſſe præfigurata.

*Ad 6.* De puritate vini æquè ac panis, in ſignum puri ſanguinis. *Reſp.* Hanc ſimilitudinem non eſſe finem per ſe huius Sacram. Sed vnitatem ac charitatem.] Adde vinum aqua mixtum ſignificare ſanguinem temperatum. *Ad 7. Vt ad 3.* ex oppoſitis. *Ad 8.* Quòd Corpus Chriſti ſit ſignum illius vnionis, abſque vlla mixtione aquæ. *Reſp.* Quòd ſpecies repræſentet Corpus Chriſti verum, & myſticũ: Corpus Chriſti verum repræſentet myſticum, & huius vnionem in ſe, non cum Capite, niſi per accidens; ſed aqua mixta per ſe repræſentet vnionem cum Capite. *De Conſecr. d. 2.* Si enim &c. *Ad 9.* Quòd aqua ſit ſignum regenerationis. *Reſp.* In Baptiſmo eſſe ſignum ablutionis, hîc vnionis. *Ad 10.* Quòd ſigna Sacramentorum ſint diſtincta. *Reſp.* Quòd tantùm propria & principalia. *Ad 11.* Quòd Chriſtus homo ſit eiuſdem ſpeciei cum ſuis membris. *Reſp.* Chriſtũ habere præ alijs perfectionem repræſentabilem vino reſpectu aquæ. *Ad 12.* Quòd aqua non repræſentet feruorem Fidei & Charitatis. *Reſp.* Significare vnionem, non cauſam formalem eius. *Ad 13.* De præuia mixtione aquæ in dolio. *Reſp.* Hanc mixtionem debere eſſe Sacramentalem; ante Miſſam in Miſſis priuatis; poſt Euang. in ſolennibus.

Art. 3. *In qua quantitate debeat aqua poni.* Reſp. *In tam parua vt abſorbeatur à vino, & non maneat per ſe.* 1. Vt ſignificet vnionem, & conuerſionem in Deũ. 2. Abſorptionem & annihilationem noſtræ mortalitatis. 3. Vocationem & conuerſionem gentium. *Ad 1.* De aqua diſtincta à Sanguine in fluxu à latere Chriſti. *Reſp.* Non eſſe eiuſdem ſignificationis cum hac mixtione aquæ cum vino. *Ad 2.* Quòd mixtio ſit mixtilium alteratorum vnio. *Reſp.* Mixtionem aquæ cum vino, non eſſe talem propriè ſed communiter dictum, vſque ad conuerſionem aquæ in vinum. *Si quæratur quanta aqua ſufficiat huic mixtioni.* Reſp. *Quòd vna gutta. Ad vlt.* Quòd aqua mixta non poſſit eſſe ſignum niſi maneat in ſe, vel aliquid ſui. *Reſp.* Significationem huius vnionis exigere deſitionem aquæ, abſque vlla eius ſpecie.

Memb. 6. *An Sanguis poßit conſecrari ex vino puro ſine aqua?* *Reſp.* Quod ſic &c. *Ad 1.* Ex S. Cypr. de conſecr. diſt. 2. *Calix Domini non eſt aqua ſola & vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur. quomodò nec Corpus Domini poteſt eſſe farina niſi adunetur.* Reſp. ex Innoc. Non comparari hæc quoad non poſſe eſſe ſimpliciter: ſed quoad non licere: aut non poſſe, vt ſit Calix Domini ſecundùm eius exemplum ac præceptum. *Ad 2. & 3.* Ex facto Chriſti, ad neceſſitatem Sacramenti. *Reſp.* Chriſtum non tantùm inſtituiſſe quæ ſunt neceſſitatis, ſed etiam perfectioris ſignificationis. *Ad 4.* vt ad 3. *Ad 5.* Quòd aqua ſit de materia à Chriſto inſtituta. *Reſp.* Non eſſe de materia neceſſaria: ſed tantùm acceſſoria ad expreſſiorem ſignificationem. *Ad 6.* Quòd vnio membrorũ cum capite ſit de neceſſitate huius Sacramenti: ergò & eius ſignum. *Reſp.* Signis neceſſarijs Corporis vt non Accidentalis ſignificari etiam vnionem eius cum Capite: ſed tantùm expreſſiùs hac mixtione. *Ad vlt.* Ex inſipiditate aquæ & ineptitudine ad hanc ſignificationem. *Reſp.* Imò vel hinc eſſe aptam ad ſignificandum populum inſipidum, fieri ſapidum vnione ad Chriſtum.

Memb. 7. *An poßit conſecrari ex omni genere vini: vt ex moris, ex frumento &c.* Reſp. *Quod ſicut panis debet eſſe ex frumento:* ſic vinum de vite. Quia Ioan. 15. comparat ſe viti veræ: Et ipſe conſecrauit ac inſtituit vinum de vite. De conſecr. diſt. 2. cap. In Sacramento. *Ad 1.* Quòd quælibet aqua ſufficiat ad Baptiſmum. *Reſp.* Quòd quælibet aqua naturalis ſit eiuſdem ſpeciei: non ſic vinum ex moris, cum vino de vite. *Ad 2* Ex difficultate habendi vinũ vbique, *Reſp.* Deum ſemper prouidere: nec eſſe vllũ locum fidelium ad quem non poſſit transferri vinum. *Ad 3* Ex communi aqua ad Baptiſmum. *Reſp.* Hoc eſſe Sacramentum extremæ neceſſitatis. *Ad 4.* De vino ex frumento ſeu ceruiſia. *Reſp.* Non eſſe ad hoc inſtitutum: ſed & vinum de vite longè eſſe conuenientius ad ſacras ſignificationes & ſignificata huius Sacramenti.

Membr. 8. *An Sanguis poßit confici de aceto.* Reſp.

 *Quod*

Digitized by Google

*Quod ſit quidam ignis & calor radicalis vini in ſe*, quo non euaporato, vinũ eſt idem in ſua ſpecie: quamuis corrumpatur & euaporet quidam ignis & calor *fluxibilis* vini, quo eſt calidum effectiuè, & à quo Medici denominant naturam vini. *Ad 2. Arg.* negat ſignificationes odoris & ſaporis eſſe de neceſſitate Sacramenti: ſicut nec coloris rubri vel albi. *Ex Innoc. 3. de Miſſa.* *Ad 3.* Ex neceſſaria ratione potus. Reſp. *Acetum mixtum aqua eſſe potabile, & in aliquibus terris delectabiliter bibi, vt in Tuſcia: maximè acetum quod vinum iudicandum eſt.* *Ad vlt. ex S. Metaph.* quòd acetum non ſit vinũ. *Reſp.* Vel de vino quoad ſuam perfectionem: vel de aceto vltimæ corruptionis. *Dicendum eſt ergò*, inquit, ex Innoc. *quod vno modo ſumpto conficitur de aceto: & in aliquibus regionibus ſolùm conficitur ex aceto; quia ad illas non poteſt deferri vinum in ſuo eſſe potiſſimo.* ] Intellige de vino acido, necdum tamen aceto.

Memb. 9. *An Sanguis poſſit confici ex muſto dulci, & agreſta de vite?* Quod ex muſto dulci, patet ex Innoc. & de conſecr. *diſt. 2. cap. Cùm omne &c.* De agreſta. *Reſp.* Quod Sanguis non poſſit inde confici: quia non eſt eiuſdem ſpeciei cum vino, ſicut nec paſta cum pane. Ad eſſe enim vini requiritur quod liquor ſit digeſtus. *Ad 1. Reſp.* Maturum & immaturum eſſe ſigna differentiæ ſpecificæ. *Ad 2.* Quòd agreſta ſit propinquior vino quàm acetum. *Reſp.* Non eſſe propinquiorem ſpecie: ſed accedere ad ſpeciem, acetum autem declinare à ſpecie, adhuc intra ſpeciem.

### *Ex Doctrina S. Bonauenturæ.*

Diſt. 11. P. 2. Art. 1. Quæſt. 1. *An Sacramentum Corporis & Sanguinis debeat confici in ſpecie panis & vini?* Reſp. Quod ſic, ob cõgruentias Alenſis ſuprà. *Ad 1. 2. & 3.* ex comparatione figurarum antiquarũ. *Reſp.* Hoc Sacramentum ſicut & omnia nouæ legis eſſe perfectioris ſignificationis & efficaciæ ex forma verbali, & quo ad gratias Sacramẽtales. *Ad 4.* Quòd panis & vinum non ſint naturalia, ſed artificialia. *Reſp.* Eſſe quidem à natura, ſed perfici opere humano: in ſignũ quod Chriſtus fuerit etiam ex ſe cibus & potus, ſed decoctus & expreſſus in ſua Paſſione. *Ad 5.* De ſignificanda Paſſione Chriſti. *Reſp.* Significari ipſa coctione panis, & expreſſione vini: nec hanc ſignificationem eſſe principalem, ſed cibi & potus ſpiritualis. *Ad 6.* De lacte paruulorum. *Reſp.* Ex B. Aug. *7. Confeſſ. cap. 10.* Hunc cibum non eſſe niſi fidelium grandiorum. *Ad 7.* Quòd hic cibus & potus ſanet infirmos: vinum autem eis noceat. *Reſp.* Hoc Sacramentũ eſſe tantùm conualeſcentium, ſicut & vinum. *Ad 8.* Quòd hoc Sacramentum extinguat concupiſcentiam, vinum autem accendat. *Reſp.* Non accendere, niſi per exceſſum: ſed reficere & exhilarare.

Quæſt. 2. *An vtraque ſpecies ſit de neceſſitate Sacramenti?* Reſp. Eſſe quoad ſignificationem expreſſiorem: non quoad efficaciam, in ſenſum Alenſis ſuprà. *Ad 1. & 2. Reſp.* Totum contineri ſub vnica ſpecie, ſed perfectiùs ſignificari ſub vtrâque: fideles autem communicare ſub vnica ſpecie; quia communicant ad efficaciam. Nam quoad ſignificationem, *ſufficit quod Eccleſia facit in eorum præſentia.* Vt nos ſupra, col. 375. 376. *Ad 3. Reſp.* Significandum eſſe Sanguinem in memoriam Paſſionis ac Redemptionis: animam autem ſpiritualem non poſſe conuenientiùs ſignificari quàm Sanguine. *Ad 4.* De vnica ſpecie Baptiſmi. *Reſp.* Ex varijs congruentijs duplicis ſpeciei, ſpecialiter ad ſignificandam faciliorem & ſuauiorem refectionem ſub ſpecie vini, laborioſiorem ſub ſpecie panis.

Quæſt. 3. *An aqua ſit de integritate huius Sacramẽti?* Reſp. *Quod non: ſed eſſe quid annexum materiæ ad expreſſiorem ſignificationem.* *Ad 1.* Ex S. Cypr. libr. 2. Epiſt. 3. Quod non poſſit offerri aqua ſola, nec vinũ ſolum, &c. *Reſp.* Non poſſe benè, vel de iure. Vnde Alex. dicit, *Non debere.* *Ad 2.* Quòd Corpus Chriſti non poſſit conſecrari in ſola farina. *Reſp.* Quia farina per ſe non eſt cibus, ſicut vinum eſt per ſe potus. *Ad 3.* Ex facto Chriſti. *Reſp.* Chriſtum conſecraſſe vinum aquâ mixtum: ſed aquâ iam in vinum conuerſa: non tamen ſic inſtituiſſe vt neceſſarium, ſed præceptũ. *Ad 4.* De ſignificanda vnione cum Chriſto. *Reſp.* Satis ſignificari per vnionem membrorum inter ſe, vtique ſub ſuo Capite. *Ad 5.* De ſignificando fluxu Sanguinis & aquæ ex latere Chriſti. *Reſp.* Illam aquam potius reciprocè ſignificari per aquam Baptiſmi: vel hoc non eſſe Sacramentum illius, ſed illud eſſe potiùs figuram huius. *Ad reliqua*, vt Alenſis ſupra, excepta Quæſtione finali: *An omittens mixtionem aquæ peccet mortaliter?* Reſp. *Qui ex hæreſi vel contemptu omitteret, peccat mortaliter: Qui negligit, nullam habens diligentiam, peccat mortaliter. Qui negligit non habens diligentiam plenam, peccat venialiter, ſed grauiter; quia hoc Sacramentum cum omni diligentia eſt conſecrandum.*

Quæſt. 4. *An Sacramentum Euchar. poſſit confici in omni pane & vino?* Reſp. *In ſolo & omni pane de tritico, & vino de vite, ſiue eiuſdem ſiue differentis ſpeciei:* ex Conc. 3. Carthag. *Ad Arg.* vt Alenſis ſupra. Art. 2. Quæſt. 1. *An Chriſtus confecerit in azymo vel fermentato?* Reſp. Vt Alenſis verbatim quoad multa.

### *Ex Doctrina Scoti.*

Diſt. 11. Quæſt. 6. *Vtrum ſolus panis triticeus cum aqua elementari coagulatus, ſit conueniens materia conuerſionis in Corpus Chriſti?* Reſp. affirmatiuè, vt ſupra: ex *Diſt. 2. de conſecr. cap. 1.* & ex Chriſti inſtitutione, facto, & congruentijs. Sed mouet tria dubia. *1.* De amido. *2.* De paſta non cocta. *3.* De azymo, vel fermentato.

*Ad 1. Reſp.* Non licere ſub peccato vti ſcienter materia tàm dubia ad conſecrandum, & præcipue ad præparandum hoſtias conſecrandas. Videtur tamen ſupponere tàm acetum quàm agreſtam differre ſpecie à vino: ex frigiditate aceti & calore vini. Quod facile conciliari poteſt cum Alenſi: diſtinguendo acetum à vino acidulo, valdè conuenienti ad potum humectantem, ac refrigerantem; & frigus illius aceti cõtrariũ potui, ex frigore diſconueniẽti.

*Ad 2. Reſp.* Eſſe quidem probabile quod panis coctus non differat ſpecie à paſta cruda: paſtam tamen non eſſe conſecrabilem: quia nec eſt cibus nec panis vſualis, à Chriſto inſtitutus pro materia conſecrationis.

Digitized by Google

tionis. Cenſet tamen quod panis recens, ſolâ compreſſione quaſi in paſtam redactus, ſit conſecrabilis: quia cum ſit coctus, eſt panis; *nec recedit à ratione panis conſecrabilis, niſi manifeſtè recedat à ratione panis vſualis.* *Ad 3.* maioris Difficultatis. *Reſp.* in ſenſum Alenſis ſuprà.

### *Supplementum Dogmaticum, & Morale.*

*De pane & vino conſecrationis.*

Ex S. Epiph. *Hæreſi 26. 27. 48.* Et B. Aug. *Hæreſi 46. & 64.* ac alijs: quoſdam antiquos hæreticos, cruenta farina ſanguine pueri innocentis, crudeliter & ſacrilegè abuſos fuiſſe, quaſi ad ſuam Euchariſtiam: alios ſpurciſſima ſeminis humani, aut etiam ſanguinis menſtrui commixtione: alios ex fatua quadam ſobrietate, ſolius aquæ conſecratione.

Quoad Moralia. *1.* Frumentum aliquando ſumi pro omni genere granorum, in cibum humanum: aliquandò pro ſolo tritico, in panem proprium hominum. *2.* Siliginem aliquando & alicubi ſumi pro præſtantiſſimo genere tritici: aliàs & alibi, imò plerumque pro ſpecie prorsùs differente, & deficiente à natura tritici. *3.* Speltam degenerare à proprio ſemine tritici, ex ſolo defectu fundi: vt notorium eſt in tota regione Leodienſi; ſed hoc ſufficere ad degenerandum tota ſpecie. *4.* Reliqua granorum dubiorum genera, vel differre ſolo nomine, vel ſpecie: vixque eſſe nota in hac regione. *5.* Non tantùm habendam eſſe rationem naturæ frumenti aut cibi: ſed etiam panis & vſus eius moralis ac humani, ad materiã conſecrationis. Vnde nec grana ad paſtum communem animalium, nec placentæ aut lagana ex farina condita butyro, lacte, aut quouis alio liquore potiùs quàm aqua, ſufficiunt ad rationem moralem panis: quia non ſunt ad vſum proprium & cõmunem panis humani, comedendi cum alijs cibis ad nutritionem; ſed ſunt ad vſum condiendi, delectandi, &c. *6.* Ex doctrina communi de Sacram. in genere, *col. 77. 78.* Cauendum eſſe ab omni materia dubia ſine extrema neceſſitate: eòque grauiùs, quò maius periculũ, & maioris ſacrilegij. Quòd hîc eſt omnium maximum: abutendi ſacra conſecratione, abſque vlla vnquam poſſibili neceſſitate. Et ſic de vino dubio. *7.* Materiam conſecrationis non ſufficere proximè, moraliter, & practicè: niſi ſecundùm ſe totam ſit moraliter præſens Sacerdoti, & proportionata, ac determinata in numero & quantitate, ad demonſtrationem illam verbalem, ſenſibilem, & ad intentionem ac cõſecrationem Sacerdotis. Vnde moraliter, practicè & iudicioſè diſcerni poteſt, de numero, paruitate, quantitate, præſentia neceſſaria, ſufficiente aut excedente, ad valorem conſecrationis. De quibus iterùm, agendo de forma conſecratoria, & intentione Miniſtri. *8.* De ratione autem metaphorica huius materiæ & differentia ab alijs naturalibus, moralibus & Sacramentalibus: ſat ſuprà in communi à *col. 72. ad 89.*

### *Supplementum Dogmaticum.*

*De pane Azymo & fermentato.*

Ex Bell. *l. 4. cap. 7.* Quòd hæc Controuerſia orta ſit circa 1053. Supple, Non de origine huius diuerſæ Conſuetudinis inter Græcos & Latinos: cùm ab Alenſi ſuprà, ex eodem Leone IX. vtique eâdem Epiſt. ad Michaëlem Epiſc. Conſtant. referatur ad Eccleſiam primitiuam; ſed de eruptione tandem in ſchiſma, & hæreſim, ſeu pertinaciam Græcorum, tàm pro ſuo illo more, quàm contra morem Eccleſiæ Romanæ, vt illicitum & inualidum. Ex qua controuerſia hæretici noſtrates captant occaſionem inſultandi. Tota autem dependet ab exemplo, præcepto, & inſtitutione Chriſti: an prima die azymorum 14. Luna, an vero 13. Circa quod Bellarminus varias refert opiniones.

*1.* S. Thomæ *in 14. Diſt. 11. Quæſt. 2. Art. 2.* Satis conſtare ex Euangelijs Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentũ, manducato Agno Paſchali: qui non poterat manducari niſi cum pane azymo *Exod. 12.* quacumque die id acciderit. *2.* Græcorum, Chriſtum manducaſſe ſuum vltimum Paſcha Luna 13. primi menſis, cum pane azymo: ſed poſt hanc cœnam legalem, reſumpſiſſe panem fermentatum ad cœnam vſualem & Sacramentalem; quia tunc nondum incœperant dies azymorum, ſed incipiebant ſequenti die 14. ſub veſperam, Chriſto iam mortuo. *3.* Ruperti in *23. Leuit. & 26. Matth.* Chriſtum celebraſſe ſuum vltimum Paſcha communiter. 14. Luna ad veſperam: ſed ſequenti die 15. non fuiſſe feſtum azymorũ; quia cum incideret in feriam 6. ſeu vigiliam Sabbathi, Iudæi ex antiqua traditione non celebrabant duos dies feſtos continuos, ſed priorem transferebant in ſequentem, ſicque illo anno feſtum azymorum in Sabbatum ſequens. *4.* Pauli Burgenſis in *26. Matt.* Illo anno tàm ipſum Paſcha quàm Feſtum azymorum fuiſſe tranſlatum in 15. diem Lunæ ad veſperam, quæ tunc erat noſtra dies Veneris. Sed rectè monet Bell. traditionem illam nunquam fuiſſe, niſi prouidendi ne vnquam feſtum Azymorum incideret in vigiliam Sabbathi: quia lex illa feſti Azymorum 15. primi menſis, non erat præcisè ſecundùm curſum aſtronomicum Lunæ, ſed cõmunem Iudęorũ. Prout nũnc inter Chriſtianos feſta celebrantur, & ſingulariter feſtũ Paſchatis, Dominica poſt diem 14. Lunæ Martij. *5.* Eſt communis Theologorum *in 4. Diſt. 11.* Chriſtum celebraſſe Paſcha legale, ſuumque inſtituiſſe, die 14. ad veſperam: à qua inchoabatur primus dies ſolemnis ex 7. azymorum; nec licebat Iudæis vti, vel habere domi panem fermentatum.

*Cap. 8.* Probat hanc ſententiam. *1.* Ex *Mat. 26. Marc. 24. Luc. 22.* Vt Alẽſis ſuprà. *2. Num. 9.* Vbi lex ita determinat 14. diem celebrandi Paſcha: vt ſi non poſſit illa die celebrari, potius differatur in 14. menſis ſequentis. *3.* Ex eo quòd Chriſtus non clam celebrauerit ſuum illud Paſcha, aut ſub vlla cautela & præmonitione ſecreti: ſed exigente die feſto, & inſtantibus Apoſtolis, *Vbi vis paremus tibi Paſcha?* præſente ipſo proditore. *4.* Ex Ioan. 13. *Ante diem feſtum, &c.* Quod autẽ de feſto immediatè ſequenti, patet: quia reliqui Apoſtoli putarũt his verbis Chriſti; *Quod facis fac citius*, Iudam emiſſum fuiſſe tàm ſerò, vt emeret neceſſaria in diem feſtũ. *5.* *Ioan. 18.* Iudæi reſpondent Pilato ſibi non *licere interficere quenquam* .i. die feſto: nam de alijs diebus oppoſitũ patet ex *Ioan. 8. Act. 7. 24.* *6.* Ibidem, Pilatus offert Iudęis optionem cõſuetudinis Paſchalis, dimittendi eis

Digitized by Google

## QVÆSTIO 8. SCHOLASTICA.

### *Quæ ſit integra forma Conſecrationis, cuius ſignificationis, & quantæ efficaciæ.* *Ex Doctrina Alenſis.*

### *Quæſt.* 33. De integritate Formæ

MEm. 1. Quæ ſit forma Conſecrationis? *Reſp.* Quòd virtus data eſt à Domino his verbis, *HOC EST CORPVS MEVM.* Quæ autem apponuntur alia à B. Amb. & à Canone, non ſunt eſſentialiter de forma, ſed illis exprimitur finis ſeu vſus Sacramenti.

*Membr.* 2. An Chriſtus conſecrauerit ſub hac forma. *Reſp.* De hoc eſt multiplex opinio. 1. Quod Chriſtus conſecrauit hoc verbo ſubmiſsè: Deinde expreſſerit clarè, ad docendum hanc formam. 2. Quod conſecrauit hac forma ſemel tantùm dicta: non tamen eodem ordine relata; ſed Accepit panem & benedixit dicens, *HOC EST CORPVS MEVM:* Fregit & dedit Diſcipulis ſuis dicens; *Accipite & comedite.* 3. Quòd Chriſtus conſecrauit ſecreta benedictione, deinde fregit dicens, &c. & contulit huic formæ vim conſecrandi. 4. Quod virtus erat in manibus Chriſti, per quam ſola voluntate conſecrauit, &c. Secundæ opinioni videtur mihi magis eſſe conſentiẽdum, ex verbis Euangelij & SS. PP. de conſecr. *diſt.* 2.

*Innoc.* autem dicit quòd Chriſtus diuina virtute confecit, & poſt formam expreſſit, &c. quia priùs erat virtus Domini quàm verborum.

*Mem.* 3. De dubijs circa hanc formam totam, & partes eius, per 4. Artic.

*Art.* 1. De dubijs circa hanc totam formã: quia non ſignificat efficaciter actum ipſum cõſecrandi, vt in alijs Sacramentis. *Reſp.* Quòd hæc eſt forma, prout per eam virtute à Deo collata conſecratur Corpus Chriſti, &c.] Ideſt non eſt efficax ex modo loquendi aut ſignificandi actum ipſum exercitum: ſed ex inſtitutione & virtute à Deo collata; ſatis tamen etiam ſignificata per hanc ipſam formam Sacramentalem.

*Art.* 2. De partibus huius formæ per 5. paragraphos. §. 1. Quid demõſtretur per pronomen *Hoc*? *Reſp.* Quidam dicunt quòd Sacerdos non dicit hæc verba vt ſua: ſed vt Chriſti materialiter & recitatiuè. Sed idem quæritur de verbis Chriſti. Alij dicunt quòd hæc oratio, ſicut & plures aliæ, non eſt vera niſi pro vltimo inſtanti pronunciationis, quo *Hoc* demonſtrat Corpus Chriſti: ſed nec conſtat de illo inſtanti, & eſſet ſenſus identicus, Hoc Corpus meum, eſt hoc Corpus meum.

Aliter dicunt quidam, quòd per *Hoc* fiat demonſtratio ad ſenſum, ſubſtantiæ panis: non abſolutè, ſed vt eſt terminus tranſſubſtantiationis in Corpus Chriſti. Sed &c. Videtur quòd aliter ſit dicendum.

*Nota ergò*, quòd hæc oratio, *Hoc eſt Corpus meum* eſt ſignificatiua ex prima ſui inſtitutione; operatiua, ex formæ Sacramentalis inſtitutione, &c. Quà eſt ſignificatiua, *Hoc* demonſtrat ſignatum per ſignum: quà eſt operatiua, inſinuatur aliud in aliud conuertendum. Vndè cùm dicitur, *Hoc eſt Corpus meum:* hîc eſt intelligibilis demonſtratio ſignati, per ſignum conuertendum in ſignatũ, &c. Cùm dicitur, *Petra eſt Chriſtus* .i. ſignificat Chriſtum, &c. Hæc ſignificatio non eſt quantùm ad ſenſum, ſed quãtùm ad intellectum; quia non ſentitur, ſed intelligitur Chriſtus per Petram &c. Dicatur, Hæc Petra eſt Chriſtus &c. demonſtratione ad intellectum, demonſtratur ſignatũ per ſignum &c. Cùm ergò dicitur demonſtrato pane, qui eſt ſignum Corporis Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum:* eſt demonſtratio ſignati per ſignum: Sicut ſi diceretur, *Hæc Petra eſt Chriſtus*; ſed qua intentione regulatur opus in Sacramentis. Intentio autem conſecrantis eſt: vt virtute horum verborum panis mutetur in Corpus Chriſti, &c. Vnde cum dicitur, *Hoc eſt Corpus meum:* ſenſus eſt, Signatũ hoc ſigno, quod eſt panis tranſſubſtantiandus in Corpus meum, eſt Corpus meum, &c. Cùm igitur quæritur quid demonſtratur per pronomen, Hoc: dicendum, quod ſignatum per panem tranſſubſtantiandum in Corpus Chriſti, demonſtratione ad intellectum ſignati per ſignum. Sic patet quod aliud eſt dicere, *Hoc eſt Corpus meum:* quàm *Corpus meum eſt Corpus meum, &c.* Ad id quod quæritur vtrum ſit hìc demonſtratio ad ſenſum, vel ad intellectum: dicendum quod ad intellectum; quia per ſignum ſenſibile panis intelligitur Corpus Chriſti, vt per ſuum ſimile, &c. Quia panis cum proprietatibus ſuis habet ſimilitudinem analogiæ cum Corpore Chriſti. *Infra.* Hæc enim eſt vera, Signatum per panem conuertendum in Corpus Chriſti, eſt Corpus Chriſti. Concedit tamen per pronomen *Hoc* demonſtrari quod actu eſt, &c. Quia non tantùm demonſtratur hoc verbo ſignificatum per panem: ſed per panem vt eſt conuertendus in Corpus Chriſti, &c. *Ad illud ex Gloſſa*, Quod ſub ſpecie panis videtur, &c. ly. videtur copulat pro viſione intellectuali, &c. Vnde ſenſus eſt, *Hoc eſt Corpus meum, quod intelligitur ſub ſpecie panis.* Sed cùm ſub ſpecie panis non ſit Corpus Chriſti, niſi finita prolatione: videtur quod demonſtratio pronominis reſpicit finem prolationis. *Reſp.* Quod dico, *Sub*, non notat *ſub* continentiæ, eo modo quo facta tranſmutatione Corpus Chriſti eſt ſub ſpecie panis: ſed notat *ſub* ſignationis, eo modo quo ſignatum eſt *ſub ſigno.* Sed contra hoc videtur dicere Innoc. *Non ſicut hæreticus deſipit, Hoc eſt Corpus meum: ideſt ſignificat Corpus meum;* vt Petra erat Chriſtus. *Reſp.* Aliud eſt dicere Corpus Chriſti ſignatum pane conuertendo in Corpus Chriſti demonſtrari per pronomen *Hoc*, cùm dicitur, *Hoc eſt Corpus meum:* qui quidem panis virtute verborum conuertitur in Corpus Chriſti: quàm dicere verbis iſtis Corpus Chriſti tantùm ſignificari, & nunquam eſſentialiter eſſe ſub ſpeciebus. *Infra.* Intentio conficientis eſt, vt prolatione totalis formæ verborum conuertatur panis in Corpus Chriſti: non autem prolatione huius pronominis *Hoc* &c. Licet enim hæc oratio totalis ſit operatiua virtute ſibi collata à Domino: non propter hoc ſubtracta eſt ſibi propria ſignificatio, quam

nihil horum. *Reſp.* Quod quædam verba addita ſumuntur ex vno Euangelio, quædam ex alio: Euangeliſtæ autem concordant in verbis, in quibus eſt virtus conſecrandi: in alijs non conueniunt quoad verba, conueniunt tamen qnoad intellectum. *Ad 1.* De mutatione verborum in Baptiſmo: cùm dicimus *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, propriè dicuntur nomina Perſonarum; ſed cum dicitur *In nomine Genitoris, Geniti & Flaminis*; potiùs accipiuntur nomina *Notionum* &c. Præterea illa ſunt de forma Baptiſmi: Sed, *Manducate*, non eſt de forma. Accipitur tamen ex *Luc. 22.* Deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. *Ad 2.* Licet, *Omnes*, non ſit expreſſum in Matthæo: intelligitur tamen, quia ſacramentalis ſumptio eſt omnium, &c. Ex parte autem Sanguinis exprimitur, &c. quia Corpus ſignat vnionem in charitate, quæ non eſt omnium: Sanguis autem Redemptionem omnium quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam.

*Membro 4.* De forma conſecratoria Calicis. *Art. 1.* Quæ ſit integra forma. *Reſp.* Sine præiudicio, quòd forma inſtituta ab Eccleſia, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*: eſt forma tradita à Domino, per SS. Apoſtolos Petrum & Paulum. Ex *1. Cor. 11.* Vndè Innoc. 1. *Romana Eccleſia illud ſemper integra fide ſeruauit, quod ab ipſis Apoſtolis Petro Paulo accepit:* Et Innoc. 3. *Credimus quòd formam verborum, ſicut in Canone reperitur, & à Chriſto Apoſtoli, & ab Apoſtolis eorum acceperunt Succeſſores Ad 1. & 2. Argumen.* ex Quæſt. noſtra 3. ſuprà.

*Art. 2.* De partibus huius formæ. §. 1. De *Calice.* Reſp. *In forma à Domino tradita fuit, Calix.* 1. Quia in hoc Sacramento ſignatur Sanguis Chriſti, vt effuſus in pretiũ, & miniſtratus, in potum: Sanguis autem de ſe neutrum dicit expreſſè; ſed vtrumque, cum Calice paſſionis & potus.

*Ad 1. & 2. Arg.* Videtur ſupponere tranſumptionem, ſeu metaphoram, & improprietatem aliquam, ſignificando ſanguinem contentum, per calicem continentẽ: & quòd intẽdens ſignificationem propriam Calicis continentis pro ſeipſo, ſine tranſlata, pro ſanguine contento, non conſecraret.

*Reſp.* Poſſe quidem ex Alenſi admitti hanc metaphoram, vt facillimam & neceſſariam ad ſignificandum finem proprium ac intrinſecum, potandi: ſed hinc ex eodem poſſe etiam negari omnem improprietatem. Quia *Ad 1.* Reſpondet *quòd expreſſio maior, in pretium & potum, ſit cauſa huius Tranſumptionis. Ad 2.* Quod quis poſſet æquè abuti ſimplici nomine *Sanguinis*, ac duplici *Calicis ſanguinis*, contra ſenſum & intentionem neceſſariam. §. autem ſeq. *Ad 2. & 3.* Reſpondet *ea ſupponere quod Calix tranſumptiuè ſumatur pro ſanguine.* Ergò ipſe non ſupponit. Quæ inter ſe & cum quæſt. noſtra dogmatica de ſenſu nonniſi proprio huius formæ, conciliari poſſunt. 1. De neceſſitate huius Metaphoræ ad ſenſum expreſſiorem totius formæ. 2. Imò de proprietate totius formæ, quamuis ex metaphora huius vocis, neceſſaria ad ſenſum proprium totius. 3. De proprietate *Calicis* ad ſignificandum Sanguinem contentum ſub ratione potus. Nec eſt mirum quod qui intenderet conſecrare tantùm Calicem continentem, non conſecraret contentum.

4. Vt ipſe Alenſis, *Ad 3.* quòd metaphora *Calicis exponatur hîc per demonſtrationem*: ſicque reſoluatur in ſenſum proprium. *Ad 4 Arg.* Reſpondet non dici Cibum Corporis, ſicut dicitur Calix ſeu potus Sanguinis: *quia Corpus Chriſti de ſe eſt cibus: ſed Sanguis non eſt potus, niſi vt propinatur Calice paſſionis.* [Non quaſi Corpus humanum Chriſti ſit cibus ex ſe ſub propria ſpecie, ſed nonniſi ſub ſpecie panis: Nec tamen Sanguis ſit æquè potus ex ſe ſub ſpecie vini. Quia Corpus Chriſti ſub ſpecie panis non indiget alio cõtinente, vt habeat rationem cibi, & inde comedatur: ſed Sanguis nec ſub propria ſpecie, nec ſub ſpecie vini, vt in venis, vel in vaſe maiori, aut effuſus, habet rationem proximam potus, ſed vt in Calice ad ebibendum continente. Vt ſupra, *Col. 278 280.*

§. 2. Cur non potiùs dicatur *Sanguis*, quàm *Sanguinis.* Reſpondet, *ſine præiudicio, quòd, Hic eſt Calix, non dicit Sanguinem, ſed vinum conuertendum in Sanguinem Vnde, Sanguinis, eſt genitiuus hunc finem importans, &c.* vt ſupra. Ad Arg. ſatis patet ex §. 1. & ex Quæſt. 3. Dogmatica.

*Art. 3.* De his verbis additis formæ: *Noui & æterni Teſt. Myſterium Fidei.*

§. 1. Vtrum ſint de forma. *Reſp.* Quod non: quia illis non fit Tranſubſtantiatio: ſed ſunt propriè declaratiua excellentiæ huius Sacramenti.] Supponit autem his non fieri: quia his non ſignificatur. Vt patebit ex quæſt. 34. ſeq.

§ 2. De ſenſu illorum verborum additorum: *Reſp.* His tribus verbis, *Noui & æterni Teſtamẽti, &c.* tria ſignificari. 1. Eſt noui Teſt. confirmatio. 2. Secretorum Fidei inſinuatio. 3. Peccatorum remiſſio. Infra Ad 4. Cum in omnibus Sacramentis ſit aliquod ſecretum credendum: tamen modo ſingulari dicitur hoc Sacramentum *myſterium Fidei*, propter conuerſionem, & continentiam, &c. Baptſ. autem dicitur *Sacramentum Fidei*: quia eſt ianua Sacramentorũ, & ab eo eſt primus ſtatus Fidelium. Dicitur ergo *myſterium Fidei*: quia totum Fidei eſt, &c. Dicitur *Charitatis*: quia eſt indicium diuinæ charitatis, & allictiuum ad charitatem, & vnitiuum charitate. Addi poteſt, *inquit, quod conuenientius dicitur myſterium Fidei quam charitatis: quia myſterium propriè dicitur ſecretum, quod conuenit Fidei, &c. Charitas autem facit quaſi experimentaliter omnia manifeſta. Ad 5. & 6.* Addi potiùs poſt Sanguinem, *In remiſſionem peccatorum*: quam poſt Corpus; quia effuſio Sanguinis ſignificat mortem Chriſti; quæ eſt cauſa meritoria remiſſionis peccatorum: nec tamen his verbis dici hoc Sacramentum eſſe in remiſſionem peccatorum, *licet remiſſio peccatorum ſit fortaſſis effectus huius Sacramenti*; ſed Sanguinem eſſe effuſum in remiſſionem peccatorum. *Poteſt tamen*, inquit, *hoc Sacramentum etiam dici in remiſſionem peccatorum*, vt ſignum mortis Chriſti, & vt motiuum compaſſionis ac remiſſionis, aut ſaltem in remiſſionem pœnæ: Baptiſmus autem & Pœnitentia, non tantum ſunt ſigna, ſed & cauſa remiſſionis.

Ad id, quòd cum Sanguis Chriſti ſit effuſus pro



Digitized by Google

omnibus quo ad ſufficientiam, ſed pro ſolis Electis quoad efficaciam: quales erant Diſcipuli & plures alij. Vel *pro vobis* ſacerdotibus, & *pro multis* .i. ſubditis veſtris.

## *Quæſt.* 34. De virtute verborum Conſecrationis.

M*Embro* 1. De virtute horum verborum in ſe. *per* 3. *Art.*

*Art.* 1. An ſit aliqua. *Reſp.* Eſſe aliquam, ſed relatiuè ad Sacerdotem proferentē. *Art* 2. An inſit vis aliqua creata, vel tātùm adſit increata, ad illam conuerſionem? *Reſp.* Dicunt quidam quòd dicitur fieri conuerſio virtute verborum, &c. non quia aliqua qualitas ſit data verbo, per quam operetur; ſed ex diuina inſtitutione fit, vt iſto verbo prolato à Sacerdote ſuper panem, cum intentione, panis tranſubſtantietur, &c. Iſta poſitio virtuti & nobilitati Sacramentorum nouæ legis præiudicat. Propter quod dicendum, quod verba tradita à Chriſto habent virtutem à Verbo increato, conuertendi elementa in Corpus Chriſti & Sanguinem, &c. Nec hoc excludit quin ibi virtus increata ſit intimè operans: ſicut in omnibus vbi cooperatur virtus creata. *Ad* 1. *Arg.* Ex S. Aug. & Damaſc. Fieri per Spiritum Sanctum, non excludit virtutem verborum.] Nota hic citari Auguſtinum De verbis Domini: *Sicut de Virgine per Spiritum S. vera caro ſine coitu creatur: ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſtice idem Corpus & Sanguis creatur.* vt *col* 290. *Ad* 2. Maius eſt quod Deus factus eſt homo, non deſinens eſſe Deus: quàm quod panis fiat caro deſinens eſſe panis, &c. *Ad* 5. Ex S. Amb. & Euſeb. *De conſecr. diſt.* 2. Virtus diuina non hic operatur vt tota cauſa: ſed per verbum. *Ad aliud.* Virtus data verbis non efficit aliquid circa Corpus Chriſti: ſed circa elementum conuertendum, &c. *Ad aliud.* Virtus infinita non requirit ſubiectum de quo, nec in quo, ſed ſolum in quod: virtus naturalis requirit ſubiectum de quo & in quo: media, de quo, ſed non in quo, vt in propoſito. *Ad vlt.* Virtus ſupernaturalis data eſt his verbis, & aliorum Sacramentorum: quorum virtute res Sacramentorum efficiuntur, virtute diuina cooperante, &c. Sicut in operibus naturæ, licet virtus increata ſit intimè operans, tamen actioni naturæ tribuitur productio: ſic in ſupernaturalibus, licet virtus creata ſit operatiua; tamen operatio eſt tribuenda virtuti ſupernaturali.

*Art.* 3. An virtus data verbis poſſit conuertere quantumcumque materiæ? *Reſp.* Sine præiudicio, quod non eſt data virtus verbis conuertendi elementa cuiuſcumque quantitatis: ſed ſuper qua rationabiliter conuerteretur intentio ordinata, ſeu conformis aliquo modo intentioni Eccleſiæ, quæ eſt conſecrare tantùm ad vſum fidelium, &c. Dicit enim Hugo: *Ex quo Sacramentum contra inſtitutionem celebratur, irritum deputatur.* Vnde vt mihi videtur, hoc tamen non aſſero: in hoc Sacramento requiritur intentio conficiendi vt ſumatur in vſum, &c. *Accipite & comedite.* Si quis ergo intenderet conſecrare totum panem qui eſt in foro, non conſecraret. *Sed contra:* Si quis intenderet conſecrare ſolùm vt poſſet Corpus Chriſti adorare, nunquid non conſecraret? *Reſp* Sine præiudicio, quod ſic: quia intendens ſic veneratione Corporis Chriſti, ſpiritualiter ſumit, licet nō ſacramētaliter.

*Memb.* 2. An ſit maior poteſtas ordinis, quàm verbi? *Reſp.* Non eſt omnino vniuoca actio, prout eſt Sacerdotis, & verbi: ſed Sacerdotis eſt magis, poteſtate; verbi autem influentiâ, ſeu ipſa actiuitate. *Infra.* Virtus verbi eſt efficiens per modum influentis propinquè: virtus Ordinis, per modum ordinantis, & dirigentis in finem, ſua videlicet intentione.

*Mem.* 3: De virtute verborum comparatiuè ad alia opera mirabilia.

*Art.* 1. An ſit minor quàm ad creandum ex nihilo? *Reſp.* Quamuis nihil ſit dificile apud Deum, ſed omnia æque facilia: tamen ſecundùm reſpectum effectuum ad potentias, maiori atteſtatur virtuti creatio, quàm tranſſubſtantiatio. *Ex Innoc.* Quia in opere creationis deficit res initialis, & ſubiectum actionis: in opere Trāſſubſtantiationis, tantùm ſubiectum actionis. *Ad* 1. *Arg.* Eſt conceptio communis quod multa facta ſunt ex nihilo: idcirco facilùs creditur quàm tranſſubſtantiatio. *Ad* 2. Magis eſt de impio facere pium, quàm creare cœlum & terram: quia illud eſt opus recreationis gratiæ, & conuerſionis liberi arbitrij repugnātis. *Ad* 4. & 5. Difficultas creationis eſt ex diſtantia ſumma terminorum: Difficultas generationis, eſt ex reſiſtentia aliqua contrarij; ſed neutra harum difficultatū eſt in ſubita illa Tranſſubſtantiatione.

*Art.* 2. An virtus Tranſſubſtantiationis ſit maior quam conceptionis virginalis Corporis Chriſti? *Reſp.* Quod virtus tranſſubſtantiandi & concipiendi habent ſe vt excedentia & exceſſa, quantùm ad aliqua: tamen virtus illa quæ eſt conceptionis, ſimpliciter eſt maior & excellentior.] Subdit varias comparationes, inter quas. *Ratione purgationis eius ex quo, ideſt B. V. & productionis eius ad quod .i. Chriſti, maior eſt virtus cōceptionis; quia melior.* *Ad* 1. In tranſſubſtantiatione nihil fit noui circa ſubſtantiam Corporis Chriſti. *Ad* 2. Dico opinando non aſſerēdo: quod caro Virginis non eſt in propinquiore diſpoſitione ad Corpus Chriſti, quam panis & vinum: quia hæc ſunt apta ad conuerſionem naturalem in corpus humanum, non ſic caro Virginis in Corpus Chriſti. *Ad B. Aug.* Conceptio dicitur creatio nomine extenſo.

Sed quare conceptio tribuitur Spiritui ſancto, tranſſubſtantiatio Verbo? *Reſp.* Quia illa fuit initium gratiæ ante Chriſtum, hæc eſt Chriſti vt Verbi incarnati.

*Mem.* 4. De virtute verborum comparatiuè ad tempus.

*Art.* 1. An panis & vinum ſimul conuertantur, vel ſucceſſiuè. *Reſp.* Quidam dixerunt quod nonniſi ſimul, &c. Sed aliter dicendum eſt, quod ſucceſſiuè, non ſimul. Quia eſt Sacramentum mortis Chriſti. 1. *Cor.* 11. Ideoq; ſignificat diſtinctè, ſub ſpeciebus diſtinctis, ſucceſſiuè conſecratis, Corpus & Sanguinem Chriſti.

*Art.* 2. Quid ſi poſt Conſecrationem Corporis, Sacerdos non poſſit conſecrare Sanguinem?

*Reſp.* ab

Digitized by Google

*Reſp.* ab Innoc. 3. *Sit liberum Epiſcopo vel alteri Presbytero Conſecrationem proſequi cœpti officij*. Infra. *Ergo ſequens Sacerdos debet incipere vbi defecit alius: ſi autem neſcitur, à Capite Secretorum, &c. Verum ne vlla fiat iteratio Sacramenti*, inquit Innoc. *tutius indicatur vt talis oblatio ſtudioſiſſimè recondatur, & ſuper aliam totum officium celebretur.*

## Ex Doctrina S. Bonauenturæ.

DIſt. 8. P. 2. Art. 1. Quæſt. 1. An forma Conſecrationis panis, ſit hæc: *Hoc eſt Corpus meum.* Reſpondet quod ſic: referendo ex Alenſi plures illas opiniones, de dictione ac ſignificatione huius formæ, & præferendo ac exponendo opinionem Alenſis: Quod ſignificet & ſit vera etiam dum profertur; non tamen demonſtratiuè ad ſenſum, ſed ad intellectum; non vt ſimile in ſimili, ſed vt ſignatum in ſigno. Vt ſit ſenſus: *Hoc* .i. ſignatum per Hoc, Eſt Corpus meum: Et hæc ſignatio eſt vera, etiamſi nihil fieret. Sed ex Domini inſtitutione & Sacerdotis intentione eſt conuerſiua: vt ſit ſenſus, Signatum per hoc ſignum conuertendum in Corpus meum, eſt Corpus meum. Vt Alenſis ſupra. Sub finem. *Notandum*, inquit, quod ſicut in Verbo æterno eſt Veritas & Omnipotẽtia: ſic in verbo ab eo prolato, eſt veritas & efficacia &c. Ideo debuit dicere veritatem ſicuti eſt, per indicatiuum. Et quia non eſſet verum: iunxit verbo ſuo efficaciam. Et quia mandauit alijs facere & dicere, nec iubet aliquem eſſe falſum: ideo in ore eorum dedit verbo efficaciam. Ideo verbum *eſt* in hac oratione, non identitatem nec ſimultatem ſignat: ſed, hoc eſſe corpus .i. ad huius verbi prolationem hoc totum tranſire in corpus. Reliqua vt Alenſis ſupra.

*Quæſt. 2.* An forma conſecrationis Calicis ſit hæc, *Hic eſt Calix Sanguinis mei.* Reſp. *Quod hæc ſit forma recta & congrua: ſed vtrum ſit tota, an quod ſequitur ſit de integritate, dubium eſt; creditur tamen quod eſt tota, ſed quod ſequitur non eſt fruſtra, nec reſecandum, &c.* Subdit: *vtrum autem quæ traditur in Euangelijs ſit forma quâ conficiatur: quis audeat negare, aut præſumat aſſerere, cùm neſciamus an ipſi intenderint formam deſcribere, an verba narrare.* Sub finem refert ſe ad prædicta de variatione formarum ſacramentalium, ſaluo earum ſenſu & efficacia. Reliqua vt Alenſis ſupra.

## Ex Doctrina Scoti Diſt. 8.

QVæſt. 2. Vtrum illa ſit forma præciſa Conſecrationis Euchariſtiæ, quæ ponitur in Canone Miſſæ.

Diſtinguit in tres Articulos. 1. An ſit vna forma. 2. Quæ. 3. Quid ſignet. De primo patet ex Quæſtione præcedente, quòd nulla verba ſint forma Euchariſtiæ, ſed conſecrationis eius. Et ſic intelligendo: Dico quod ſicut hoc Sacramentum eſt vnum vnitate integritatis, non indiuiſibilitatis: ita etiam eſt vna conſecratio vnitate integritatis, & tamen duæ conſecrationes partiales, quarum vna eſt efficax ſine alia, &c.

De 2. Dico quod verba conſecrationis ſunt quatuor: *Hoc, eſt, corpus, meum. Enim* non eſt de eſſentia formæ: ſed ſecundùm quendam Doctorem, ſignat ordinem conſecrationis, ad eius vſum: *Accipite & comedite, &c.* Alia ratio poteſt aſſignari: quòd *enim* ponatur ad continuandum; ne verba quæ ſunt de forma, proferantur ſine præcedentibus.

Sed mouet dubium, an his ſolis quatuor verbis, ſine vllis præcedentibus, conſecrari poſſit. Hinc quia hæc quatuor videntur ſufficienter ſignificare, & conſequenter efficere: Indè, quia ſine præcedentibus viderentur tantùm ſignificare corpus Sacerdotis conſecrantis. Vndè *Ambroſ.* de Conſec. diſt. 2. *Conſecratio quibus verbis fit? Accipite & edite ex hoc omnes: Hoc eſt Corpus meum.* Sed hoc, inquit Scotus, non eſt intelligendum tanquam ſint eſſentialiter pertinentia ad neceſſitatem Conſecrationis: ſed tanquam neceſſario præmittenda, ad ſenſum horum verborum ex perſona Chriſti. Vnde non ſine cauſâ Eccleſia ita connexuit totum Canonem Miſſæ.]

Subdit duo dubia de forma conſecrationis Sanguinis. 1. Quod nullus Euangeliſtarum referat eam qua vtimur: & Græci alia vtantur, *Hic eſt Sanguis*. 2. Quæ verba pertineant ad formam qua vtimur.

*Ad 1.* Reſpondet, ſine dubio formam noſtram eſſe certam, ex traditione Eccleſiæ ab Apoſtolis: Nec Euangeliſtas referre præciſè formam conſecrandi, ſed rem geſtam: nec formam illam Græcorum ab Eccleſiâ Romanâ reprobari; ſed formam noſtram ordinariam eſſe de neceſſitate miniſtri ſeu præcepti.

*Ad 2.* Reſpondet ex communi ſententia: *Hoc facite &c.* non pertinere ad formam. 1. Quia non plus ad formã Sanguinis, quam Corporis. 2. Quia eſt præceptum de vſu. 3. Quia eſt collatio poteſtatis. De prioribus autem verbis, *Noui & æterni Teſtamenti, qui pro vobis, &c.* non eſſe nobis certiſſimè traditum, an aliquod eorum pertineat ad formam: ideoque eſſe periculoſum aſſerere, non autem periculoſum ignorare, ſed *indiſcretum* exigere certitudinem præciſæ formæ ad conſecrandum aut conferendum Sacramentum. Fortè enim nullus eſt qui pro certo ſciat, quæ ſint verba præciſa ordinationis in Sacerdotem. Quod ergo conſilium, inquit? Dico quod Sacerdos intendens facere quod facit Eccleſia, legens diſtinctè verba Canonis à principio ad finem, verè conficit: nec eſt tutum velle vti præciſè his verbis pro conſecratione Sanguinis; ſed ſecurior eſt ſimplicitas, proferendi verba ſub ea intentione qua Chriſtus inſtituit eſſe proferenda, quæ de formâ vt de forma, quæ ad reuerentiam, ad reuerentiam.

Sed quid, ait, ſi ante omnia prolata contingeret mori Sacerdotem: nunquid eſſet Sanguis conſecratus? Dico hic, ſicut ſi quis inciperet ſic loqui, *Hoc eſt Corpus meum*: non eſſet adorandum niſi ſub conditione, ſi verè conſecratum eſt: nec tamen iterum abſolute, imo nec conditionate conſecrandum; quia non eſt neceſſarium ad ſalutem, ſicut in Baptiſmo. Talem autem materiam ſumendam ac conſumendam fore poſt Communionem, ſub intentione conditionatâ.



Digitized by Google

ſignificationem totius conceptus complexi, & partium eius pro eodem vltimo inſtanti prolationis. *Infra.* Sed remanet difficultas, quomodo iſta propoſitio eſt vera pro vltimo inſtanti, &c. Quia priùs natura oportet rem eſſe, quàm oratio ſit vera, &c. Non ergò iſta veritas præcedit naturaliter cõuerſionem: Sed ſequitur, & per conſequens iſta ratio vt vera, non eſt conuerſiua.

## Reſolutio Scoti.

PRopter hoc dico: quod tota illa Diſputatio in 13. *Concl.* ſubtilis eſt & logica, &c. Sed Theologo ſufficit, quod iſta Oratio, vt tale ſignum ſenſibile inſtitutum à Deo, eſt inſtrumentum Dei ad Conſecrationem, quæ ſequitur in vltimo inſtanti: ita vt Deus aſſiſtat ei tanquam diſpoſitioni præuiæ efficaci, &c.

Breuiter ergo diceret Theologus, quod qualitercumque Logicus ſaluet iſtam propoſitionem eſſe veram: ſaltem non eſt oratio Sacramentalis vt vera; ſed vt tale ſignum ſenſibile præcedens tempore aut ſaltem naturâ ſuam veritatem; ſicut diſpoſitio continua in tempore præcedit vltimum inſtans, &c.

*Si quæras*, an vt vera, an vt falſa propoſitio ſit conuerſiua? Dico quod neque ſic, neque ſic: ſed vt neutra, & prior ſuâ veritate. 1. Quia fundamentum eſt naturâ prius ſuâ relatione accidentali. 2. Quia prius concipitur aliqua propoſitio à diſcipulo, quàm percipiatur eſſe vera vel falſa. 3. Quia poteſt Deus inſtituere aliquam orationem non ſignificatiuam, ad cuius prolationem aſſiſtat ad effectum in fine prolationis. Ergò pro certo hæc propoſitio vt ſignum vocale eſt ſignum efficax conſecrationis: quia eſt diſpoſitio præuia cui Deus ex pacto aſſiſtit ad effectum in termino; ſiue ipſa propoſitio ſignificet talem effectum (quod verum eſt in propoſito, & congruum;) & hoc nudè, .i. nec vt vera, nec vt falſa in quantum eſt diſpoſitio; ſiue ſignificet vt propoſitio vera, vel pro tunc, vel pro inſtanti quo cauſabitur id ad quod eſt diſpoſitio; & hoc vel prius, vel poſterius naturâ quàm in illo inſtanti cauſetur.

Poſſet quidem hîc aliter diſtingui: quod in vltimo inſtanti prolationis. 1. Ordine naturæ eſt cõceptus vt neuter. 2 Operatio diuina cauſans id quod deſignat. 3. Veritas huius cõceptus. Et ſic oratio etiam vt habẽs ſuum conceptũ proprium, licet non vt verum, ſit prior veritate. Sed iſtud implicat quædam, &c. Nec eſt neceſſarium ad hanc orationem, vt eſt ſacramentalis: quia conceptus qui ponitur per eam haberi in vltimo inſtanti, nullo modo eſt inſtrumentum Dei ad illam actionem Dei in 2. inſtanti naturæ; quia Deus ad operationem ſuam non vtitur aliquo ſacramentali, niſi ſenſibili. Sic ergo ſufficiat Miniſtro intendere proferre iſtam orationem eo modo quo Chriſtus inſtuit proferendam: & ſic habetur intetio debita, & inſtrumentum cui Deus aſſiſtit ad cauſandum in vltimo inſtanti talem effectum.

Ex iſtis patet de ſenſu conſecrationis vini, &c. Ideò autem ponitur *Calix*: quia conſecratur Sanguis in ratione potus: nec liquor habet rationem potus niſi vt in vaſe, &c. Corpus autem conſecratur vt cibus ſolidus, &c.

*Ad 1. Arg. Hoc*, demonſtrat ſingulare entis, non panem nec accidentia: quia demonſtrat pro inſtanti completæ prolationis, vel ex vi ſermonis, vel ex intentione proferentis.

*Ad 2. Enim* ponitur ad continuationem. *Ad 3.* Vt *Meum*, ex vi ſermonis referatur ad perſonam Chriſti, debet prius fieri mentio Chriſti. Ad reliqua ex Corpore Quæſtionis.

## *Supplementum Dogmaticum de forma Conſecrationis.*

QVod Græci contendant præter formam ververborum Chriſti, neceſſariam eſſe aliquam precem ad conſecrationem: Lutherani & Caluiniſtæ, vel nullam formam verbalem eſſe neceſſariam, vel ſolam concionatoriam, aut precatoriam, aut hiſtoricam ſeu commemoratiuam rei à Chriſto geſtæ; aut ſolam & totam formam verborum Chriſti in S. Scripturâ relatam. Sed Eccleſia Catholica vtatur certis formis conſecratorijs, ex perſonâ & verbis proprijs Chriſti, traditis, & in eumdem ſenſum expreſſis ab Euangeliſtis & Apoſtolo: ſaltem vt neceſſarijs, ſi non eadem certitudine ſufficientibus; reliquis autem vt obligatorijs. Vt patet ex Traditione, Praxi, Ritualibus, Definitione Sacri Concil. Flor. & Trid. ſupra *col. 5.7.8. cap. 1. & 4.* Vbi conſecratio Sanguinis & Corporis Chriſti tribuitur veritati verborum Chriſti, quibus expreſſè ſignificatur. Ex varijs ac expreſſis teſtimonijs SS. Patrũ ſupra. Col. *282.* ex S. Cyril. & Ambr. Qui & ait Sacerdotẽ cõſecrare ſolis verbis Chriſti col. *283.* ex S. Chryſ. col. *288.* ex S. Aug. *290.* ex S. Damaſ. *349.* ex Tertul. & ex prædictis de forma Sacram. *à col. 43. ad 54. à 72. ad 76. à 160. ad 177.* Et ex Quæſt. ſequenti De Miniſtro conſecrationis.

## *Obiectiones.*

1. EX Liturgijs S. Clementis *lib. 8. Conſtit. cap. 12.* & SS. Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi: quæ poſt verba Chriſti adhuc precantur *Panem iſtum fieri Corpus Chriſti*: ante quam precem vt conſecratoriam, S. Baſilius vocat adhuc materiam conſecrationis antitypa Corporis & Sanguinis Chriſti. Vt monet S. Damaſc. & Epiph. ſupra *col. 290. Reſp.* Ex ipſis Patribus Græcis ſupra, & ex Confeſſione Græcorum in Concil. Flor. Conſecrationem fieri ſolis verbis Chriſti: ſed addi precem, *vt fiat nobis Corpus Chriſti*, ſeu vt ſit nobis ad ſalutem. Prout & nos ante Conſecrationem precamur, *vt fiat nobis, &c.* poſt autem, *vt ab Angelis deferatur in Cœlum.* Quo fortè etiam ſenſu poſt conſecrationem ante precem illam græcam, S. Baſilius vocat ipſas ſpecies conſecratas antitypa, ſeu prototypa aut exemplaria noſtræ indè nutritionis & ſalutis, aut ipſius Corporis Chriſti præſentis.

*Obiect. 2.* Ex SS. Patribus qui tribuunt conſecrationem precibus myſticis. *Reſp.* Vel de totâ Liturgia, vel de toto Canone Miſſæ, vel de prece implicitâ. Vt *col. 50.*

*Obiect. 3.* Hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*: nec poſſe

Digitized by Google

Nec obſtat, ſed potiùs fauet, quod hoc & illud dicatur hic fieri *ex vi verborum*: quia dùm dicitur ſolum Corpus Chriſti fieri præſens ex vi ſuæ formæ conſecratoriæ, ſolum autem Sanguinem ex vi ſuæ, ſed vtrumque concomitanter: expreſsè diſtinguitur vis moralis verborum, cui ſoli tribui poteſt illa diſtinctio, à vi reali & realiter efficaci concomitantię. Vnde & vis verborum ſolet dici & eſſe tantùm moralis, in dictis, promiſſis, contractibus, chyrographis, teſtamentis, &c. ad obligandum moraliter, aut ius aliquod morale tribuendum.

*Contrà.* Alenſis *col. 101.* expreſsè improbat hanc ſolam vim moralem ex inſtitutione & aſſiſtentia virtutis diuinæ, tribuens maiorem & ſupernaturalem: quia illa ſola derogaret virtuti & dignitati Sacramentorum nouæ Legis.

*Reſp.* Ita quidem videri: ſed cùm idem toties ſuprà reſtringat hanc cauſalitatem ad ſolum terminum à quo, excipiens ab ea terminũ ad quem: & *col. 404. M 7.* exprimat, verbum non eſſe in inſtanti quo cauſat: Et *col. 501.* Non operari niſi ex intentione conſecrantis, ſecundùm inſtitutionē Chriſti, & praxim Eccleſiæ: quid poſſet poſitiuè, realiter, & actualiter cauſare ad ſolam deſitionem panis? niſi fortè accidentia diſponentia ad generationem nouæ formæ & corruptionem panis, quòd hic dici nequit. Quid à cauſa non exiſtente? niſi mediante ſuo aliquo priori effectu & virtute in eo relicta, quod nec hic concipi poteſt. Quid & quomodo ex intentione conſecrantis &c. niſi moraliter? Itaque non intendit actionem aliquam verborũ poſitiuam ac realem ex vi ſupernaturali eis intrinſeca: neque tamen ſolam vim Dei, quaſi alienam, precariam, & aſſiſtentem; ſed vim meritoriam, principalem, perſonalem ac propriam ipſius Chriſti ac Dei, ad verificationem & executionem propriorum verborum: non tantùm ex antiqua inſtitutione; ſed etiam ex præſenti & actuali gratia gratis data, ſecundum exigentiam ſignificationis ac veritatis verbalis. Hinc Alēſis *col. 501.* tribuit hanc vim Verbo increato: & *col. 497.* vult veritatem ſignificationis dependere ab efficacia, & efficaciam à veritate ſignificationis: *Cui, inquit, inquantùm eſt huiuſmodi, data eſt virtus tranſubſtantiandi.* Cui .i. ſignificationi, imò & eius ſimplici veritati obiectiuæ, vt intendendæ à conſecrante, & formaliter ac actualiter verificandæ per moralem pronuntiationem: non autem vt actu verificatæ vel falſificatæ, per aſſenſum vel diſſenſum formæ iam pronuntiatæ. Vnde ſubdit: *Quando virtus eſt in ſuo actu in inſtanti &c.* Quæ quidem efficacia meritoria, & executiua propriorum verborum Sacramentalium Chriſti, videtur ſufficere ad dignitatem Sacramentorum nouæ Legis, & diſtinctionem ab antiquis, vt à *col. 54. ad 67.* Imò & ad excellentiam huius formæ conſecratoriæ, expreſſiuæ ſolius perſonæ Chriſti, & demonſtratiuæ Corporis ac Sanguinis eius præſentis. Hinc enim eſt quaſi Forma exemplaris, impreſſiua, & expreſſiua, ſeu aſſimilatiua ſui effectus. Vnde & Alēſis *col. 596.* tribuit ei quandam aſſimilationem. Nec obſtat quod S. Bonau. *col. 503.* videatur hoc negare: quia negat tantùm ſimilitudinem entitatiuam, non repræſentatiuam.

Pluribus ergò titulis Sacramenta nouæ Legis ſunt digniora & efficaciora antiquis. *1.* Ab effectu gratiæ ſanctificantis. *2.* A forma Sacramentali expreſſiore. *3.* A vi meritoria Chriſti, præſentiore ac realiore. *4.* Ab ipſa Perſona Chriſti realiter exiſtente, & per ſuos Miniſtros operante. *5.* Ab actuali gratia hîc & nùnc gratis data ad operandum. Hoc autem Sacramentum eiuſque forma conſecratoria eſt reliquis præſtantior. *1.* Ab effectu contento. *2.* A conſecratione per expreſſionem ſolius Perſonæ Chriſti & rei contentæ. *3.* Ex quadam aſſumptione morali horum verborum ab ipſo Chriſto, eorumque propria executione. *4.* Ab illa aſſimilatione & demonſtratione rei contentæ. Quæ cùm ſufficiant ad dignitatem, nec excedant moralitatem: ſufficiunt etiam ad DD. noſtrorum conciliationem.

*Diff. 4.* Quòd Scotus videatur nimis reuocare in dubium formam præciſam conſecrationis, ſeu eius independentiam ab antecedentibus & conſequentibus: cùm Trid. ex ſolâ veritate, ſeu expreſsâ ſignificatione huius formæ, definiat realem præſentiam Corporis Chriſti, & tranſubſtantiationem panis & vini. *Reſp.* Non reuocare in vllum dubium neceſſitatem huius præcisè formæ: nec ſolam rationem propriam ſignificatiuam & efficacem huius formæ; ſed tantùm ſufficientiam & independentiam eius ab antecedentibus & conſequētibus, ad ſuum integrum ſenſum formalem ex perſonâ Chriſti, imò nec hoc tam reuocare in dubium, quàm in minus certũ. Nec Trid. definit hanc veritatem obiectiuam ex his præcisè verbis: ſed ex eorum ſenſu completo.

*Diff. 5.* Quòd Alenſis tribuat ipſi Corpori Chriſti efficaciam Sacramentalem: ergò & compoſitionem huius Sacramenti ex ſpeciebus ſacris, vt ſignificatiuis, & Corpore Chriſti vt efficaci. *Reſp. 1. Ex col. 265. 266. 267. 268.* Reſp. *2.* Sacramentum eſſe vnum ſignum immediatè ſenſibile & efficax: ideòque non poſſe componi ex vnâ parte ſenſibili ſed inefficaci, ex aliâ efficaci ſed non ſenſibili. *Reſp. 3.* Sacramentum eſſe ſignum efficax tantùm inſtrumentaliter & proximè: Corpus Chriſti autem nec hic eſſe ſenſibile, nec efficax, niſi per ſpecies conſecratas. *4.* Hoc Sacramentum poſſe dici efficax, vt *Quod*: Corpus Chriſti, vt *Quo*, meritoriè.

*Diff. 6.* Quòd forma conſecratoria videatur Sacramentalis, vel vt pars, vel vt Sacramentum per ſe: quia eſt ſignum efficax immediatè, inſtrumentaliter, & proximè, præſentiæ Sacramentalis Chriſti ad noſtram ſalutem. *Reſp. Ex col. 266. 267. 268.* Reſp. *2. Ex col. 41. Et à 72. ad 78.* De materiâ, & formâ verbali Sacramentorum in communi. *Reſp. 3.* Nec eſſe partem huius Sacramenti; quia eſt eius cauſa extrinſeca & tranſiens, ipſum autem eſt eius effectus permanens: Nec eſſe diſtinctum Sacramentũ; quia nec habet diſtinctum ſignificatum, nec diſtinctam ſignificationem, niſi ſecundùm fieri & eſſe. Quæ non diſtinguunt Sacramenta, ſicut nec alias cauſas.

*Diff. 7.* Quòd conſecratio paſſiua videatur eſſe forma moralis intrinſeca ſpecierum conſecratarum, & huius Sacramenti. *Reſp. 1.* A col. *265.* ad *269.* *Reſp. 2.* Conſecrationem paſſiuam eſſe tantũ in fieri, non autem in eſſe, ſeu permanenter.



Digitized by Google

*Reſp.* 3. Hanc poſt actum non eſſe ſenſibilem, & ſenſibiliter permanentem.

*Contra.* Ex *col.* 71. *Obiect.* 11. videtur eſſe de Sacramento Euchar. eique moraliter impreſſa, vt forma determinans ſpecies ad ſuam ſignificationem, conſtituens eas conſecratas, & diſtinguens ab alijs.

*Reſp.* De Euchar. in fieri, non in eſſe permanenti, ſub quo ſolo eſt Sacramentum: nec determinare, conſtituere, diſtinguere formaliter, nec ſenſibiliter; ſed tantùm cauſaliter, denominatiuè, memorialiter &c. vt à *col.* 265. *ad* 269.

*Diff.* 8. Quòd Alenſis & S. Bon. *col.* 501. reddant conſecrationem nimis incertam, reſtringendo eam ad ſolum finem & vſum Sacramentalem: cum validè conſecrari poſſit etiam ad ebrietatem, ſacrilegia, blaſphemias &c. *Reſp.* 1. Alenſem extendere eius valorem etiam ad finem adorationis, & communionis ſpiritualis. 2. *Sine præiudicio*, inquit, *non aſſero* .i. non eſt eius abſoluta ſententia. 3. *Ex col.* 73. 74. 77. 78. De neceſſaria intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, vel quod Eccleſia facit. 4. Ex neceſſaria limitatione præſentiæ moralis. 5. Ex neceſſaria demonſtrabilitate per pronomen *Hoc*: quod non extendit ſe ſimul ad plura, niſi moraliter præſentiſſima & vnita. 6. Ex ſolo neceſſario fine intrinſeco ac Sacramentali conſecrationis ſub ſpeciebus panis & vini, in cibum & potum ſpiritualem: non autem extrinſeco conſecrantis. Vnde patet neceſſariam eſſe & ſufficere intentionem finis intrinſeci, implicitam ac relatiuam ad inſtitutionem Chriſti & praxim Eccleſiæ: nonobſtante quolibet extrinſeco fine conſecrantis: requiri autem quantitatem moraliter, ac demonſtrabiliter, & determinatè præſentem.

## QVÆSTIO 9. MORALIS.

### *An, qua, qualis, quanta, & quorum ſit poteſtas validè vel ordinatè conſecrandi & diſpenſandi hoc Sacramentum.*

### Ex Doctrina Alenſis.

QVæſt. 35. De conſecratione huius Sacramenti, quoad poteſtatem.

*Memb.* 1. Vtrum Angelus poſſit conſecrare. *Reſp.* Quod non: quia illi ſoli habent poteſtatem, quibus à Domino, quando hoc Sacramentum inſtituit, datum eſt officium conſecrandi, immediatè Apoſtolis, alijs mediatè. Nec congrueret Angelo, vt homini. 1. Quia verba propriè ſunt hominis, non Angeli. 2. Quia inter Deum & hominem purum, Angelus non eſt medius. 3. Quia non viderentur eſſe Miniſtri Chriſti. 4. Quia homines non ſatis humiliarentur: ſi tantum ab Angelis, non ab hominibus dependerent. 5. Quia hæc poteſtas procedit à Chriſto Capite, ad ſua membra: quæ non ſunt Angeli, ſed homines.

*Ad* 1. *&* 2. *Reſp.* Ex illis congruentijs. *Ad* 3. Ex illo Canonis, *Iube hæc perferri per S. Angelum tuũ &c.* *Reſp.* Per hæc, vel ſignificari hanc ipſam oblationem & orationem Fideliũ, vel Corpus Chriſti myſticum, non autem ipſum verum. *Ad vlt.* Ex illo S. Greg. *Eodem momento & in Cælum rapitur miniſterio Angelorum, conſociandum Corpori Chriſti, & ante oculos Sacerdotis videtur in Altari.* *Reſp.* Panem rapi in Cælum .i. conuerti in Corpus Chriſti, & videri in Altari per ſuas ſpecies: Corpus autem Chriſti verum conſociari Corpori Chriſti myſtico in hoc Sacramento. Nec miniſterium illud Angelorum eſſe Sacramentale aut ſacrificiale: ſed tantùm honorariæ & inuiſibilis aſſiſtentiæ.

*Memb.* 2. An Laicus iuſtus habeat poteſtatem cõnſecrandi. *Reſp.* Quod non, ſed ſoli Sacerdotes. Quia hæc poteſtas eſt annexa Ordini Sacerdotali: Ex Fide, authoritate Eccleſiæ Romanæ, Traditione ab Apoſtolis, & Ratione. 1. Quia hoc Sacramentũ eſt in maximâ veneratione habendum: Ergò conſecrandum ac diſpenſandum per ſolos Sacerdotes. 2. In omni Religione cultus primarius ſacrificandi Deo, eſt proprius Sacerdotibus. 3. Quia in omnibus agentibus perfectiora habent proprias operationes. 4. Quia offerens Sacrificium mediat quaſi inter Deum & Populum: Ergò diſtinguitur, & excellit dignitate ac poteſtate. Laicus autem qui eſt aut videtur iuſtus, poteſt eſſe aut fieri malus.

*Ad* 1. *Arg.* Licet iniuſtus non placeat Deo: poteſt tamen eius opus placere. *Ad* 2. Conſecratio non poteſt exerceri à Laico iuſto, quà iuſtus: quia hoc ipſo fieret iniuſtus. *Ad* 3. Alia eſt dignitas meriti alia officij ſeu authoritatis. Ad quod citat Aug. *Non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur Creatoris.* *Ad* 4. Sacra communio eſt maior, ſeu ſalubrior: ſed conſecratio eſt maior poteſtate & authoritate. *Ad* 5. Valere Baptiſmum à laico, ex neceſſitate huius Sacramenti. *Ad* 6. In ordinatione Sacerdotali confertur ſpecialis poteſtas ad conſecrandum, non ſic ad baptizandũ. *Ad* 7. Ex 1. *Pet.* 2. Iuſti non dicuntur Sacerdotes ab Ordine Sacerdotali: ſed ab actu offerendi ſeipſos Deo, vt *Rom.* 12.

*Memb.* 3. An ſolus Epiſcopus poſſit conſecrare. *Reſp.* Quod licet ob dignitatem Corporis Chriſti, deceret officium conſecrandi eſſe proprium Epiſcopis, imò ſolius Summi Pontificis: tamen Sapientia diuina aliter diſpoſuit; tum ad maiorem cultum Dei, tum ad noſtram maiorem vtilitatem.

*Ad* 1. 2. 3. Ex Confirmatione, & conſecratione Chriſmatis, Baſilicarum, & Monialium à ſolis Epiſcopis. *Reſp.* Hæc reſeruari Epiſcopis ad reſpectum & honorem: cõſecrationem autem Corporis Chriſti non reſeruari, ad Dei cultum & fructum noſtrum.

*Memb.* 4. An Sacerdos malis moribus habeat poteſtatem conſecrandi? *Reſp.* Quod æque ac bonus. Vt ſupra *col.* 85. 86. 89. 100. 101.

Sed mirum eſt quod ipſe cum Gratian. 1. *q.* 1. & Magiſtro *d.* 13. citet quaſi ex B. Aug. lib. de Corpore Domini: *In miniſterio Corporis & Sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur Creatoris.* Cùm nec hoc, nec Liber talis extet: ſed tantùm Sermo 2. de Verbis Apoſt. ſimilis tituli. De quo *Tomo* 1. *noſtræ Anat. in Supplemento Indicum, & col.* 1643.

*Ad* 1. *&* 2. *Arg.* *Reſp.* Hanc poteſtatem conferri ad conſeruari indignis ad aliorum ſalutem, & eorum confuſionem. *Ad* 2. Ex amiſſione priuilegij per abuſum

Digitized by Google

ſum. *Reſp.* Indignos nihil inde boni percipere: & eos quidem id demereri; non tamen priuari, quia eſt donum perpetuum. *Ad 4.* Ex B. Aug. *Reſp.* De congruo, vt qui curam habet alios ſanandi, ipſe ſit ſanus, *Luc. 4. Medice cura te ipſum.* Infra. Miniſter malus ſubordinatur Deo in ſuo miniſterio, quamuis non in bonitate vitæ: nec malitia vitæ opponitur bonitati Ordinis aut officij, ſed ſunt diuerſi generis. De quo ſupra *col. 101.*

*Memb. 5.* An hæreticus ordinatus poſſit conſecrare. *Reſp.* Aliquos diſtinxiſſe inter hæreticos notorios ab Eccleſiâ condemnatos, & occultos, aut non condemnatos: quaſi non illi, ſed hi poſſent; ſed eſt de fide omnes poſſe, obſeruatâ formâ & intentione faciendi quod facit Eccleſia. Probat ex B. Aug. *ad Parm.* vt ſupra *col. 86. 87. 189. 190. 191. 192. Ex Tomo 2. noſtra Anat. col. 358. 359. Ad 1. Reſp.* Non eſſe verũ Sacrificium extra Eccleſiam .i. extra formam Eccleſiæ: vel non eſſe verum quoad fructum & finem. Nec hæreſis repugnat intentioni, neceſſariæ: quia poſſet eſſe in alio puncto quam in hoc; & licet eſſet in hoc, poſſet haberi intentio generalis Eccleſiæ.

*Ad 2.* Haberi poſſe intentionem conſecrandi in fide Eccleſiæ. *Ad 3.* Odit Deus ſacrificia hæreticorum: quo ad horum malitiam propriam, non illorum bonitatem ſoli Deo propriam &c. ] In quo Arg. ſupponitur Miſſa dici à miſſione cœleſti ad conſecrationem, tribuiturque Aug. nec negatur hic ab Alenſi.

*Ad 4.* Ex comparatione Hierarchiæ Eccl. cum cœleſti. *Reſp.* Debere eſſe hic talem ſubordinationem, ſed non ſemper obſeruari. *Ad 5.* Impotentia ſoluendi & ligandi eſt ex defectu iuriſdictionis, quæ non eſt neceſſaria ad conſecrandum. Ad reliqua, vt à *col. 87. ad 104. &c.* Diſtinguendo inter poſſe validè, & licitè, inter hæreticos obſeruantes formam & intentionem debitam, & non obſeruantes: inter Sacramenta hæreticorum ſecundùm eorum hæreſim, vel eorum adminiſtrationem ſeu diſpenſationem ſacrilegam: inter falſa & inania quoad fructum, vel quoad rem.

§. *1.* An Schiſmatici poſſint conſecrare. *Reſp.* Poſſe, vt ſupra de Hæreticis.

*Memb. 6.* An degradati poſſint conſecrare? *Reſp.* Degradatum habere poteſtatem conſecrandi, non ius exequendi, vt ſupra. Sed ad *2. Arg.* Videtur ſupponere quòd in Ordine Epiſcopali non imprimatur character: non tamen ex propria opinione, quam ſubdit ibidem. *Infra.* Ne Aug. in hac ſententiâ penitùs reprobemus: intelligamus aliud eſſe poteſtatem diſtribuendi ſacros Ordines: aliud eius exequutionẽ.

## *Ex Doctrina S. Bonauenturæ.*

In *Diſt. 13.* De neceſſarijs ad conſecrandum validè, & licitè.

*Dub. 1.* An Sacerdos ſcienter malus, vel irregularis, obligatus ad Sacrum, aut jam indutus ad celebrandum, poſſit aut non celebrare. *Reſp.* Poſſe cum contritione poſſibili, & propoſito confitendi. Subdit: Ideò ſanum conſilium eſt, vt homo ſe ante diligenter præparet, & non cogitet de ſe ſed de Sacramento.

*Dub. 2.* Quis grauiùs peccet, qui indignus, ex timore fingit tantùm ſe conſecrare, aut conſecrat ſed non communicat: an qui indignè conſecrat & communicat. *Reſp.* Illum grauiùs peccare, quam hunc: quia magis violat inſtitutionem.

*Dub. 3.* Cur Miſſa ſic denominetur? *Reſp.* A Miſſione Chriſti ad nos, & hinc ad Deum: vnde, *Ite, Miſſa eſt &c.* Quaſi ex B. Aug. Serm. de Corpore Chriſti, à Magiſtro in hæc verba citato: *Recolite nomen & aduertite veritatem: Miſſa enim dicitur, eò quod cœleſtis nuntius ad conſecrandum viuificum Corpus adueniat &c* .i. inquit S. Bon. ex Innoc. *Ipſe Chriſtus vt magni conſilij Angelus.* Cùm tamen nihil horum iam apud Aug. ibi: ſed tantùm *Serm. 91. & 237.* De tempore, fiat ſimplex mentio huius nominis Miſſa.

*De Dubio 4.* Quid ſit Hæreticus? Alibi ex profeſſo.

*Art. 1. Quæſt. 1.* An omnis Sacerdos poſſit conficere? *Reſp.* Quod ſic, vt Alenſis ſupra.

*Quæſt. 2.* An ſoli Sacerdotes poſſint conficere? *Reſp.* Affirm. vt Alenſis ſupra.

*Quæſt. 3.* An poteſtas conſecrandi reſideat magis in Sacerdote, quàm in verbo? *Reſp.* Qui dicunt quod verbum habet virtutem quandam quæ eſt qualitas abſoluta & cauſa efficiens cõſecrationis: ponũt quod poteſtas conficiendi reſidet principaliter penes verbum; quia eſt verbum Chriſti &c. Alia poſitio eſt quod virtus verbi eſt ſolùm ordinatio ad talem effectum, ab habente Chriſti ſignaculum. Et ſecundum hoc vna eſt poteſtas conſiſtens in Miniſtro & in verbo. Sicut in litteris Papalibus, vna vis eſt in ſcripto & ſigillo. *Infra.* Hæc tria quaſi vna ordinatione concurrunt: Ordo, verbum, & elementum. Penes elementum eſt ordinatio per modum potentiæ paſſiuæ: penes verbum ordinatio potentiæ actiuæ, ſimiliter penes Sacerdotes. Sed in Sacerdote poteſtas eſt generalis & mediatè; in verbo ſpecialis & immediatè &c. Quantùm ad ſubſtratum, poſſet dici quod nobilior eſt poteſtas Sacerdotis.

*Ad Obiect.* Quod Sacerdos non poſſit niſi per verbum, quod eſt proprium Chriſti, & huius Sacramenti. *Reſp.* Quod verbum prolatum & habet ordinationem, & virtutem diuinam aſſiſtentem. Ratione primi, ſe habet ad Sacerdotem vt inſtrumentum: ratione virtutis aſſiſtentis, vt agens nobilius. Sed non ſequitur quod verbum ſit nobilius: benè tamen immediatiùs. Subdit priorem opinionem non eſſe impoſſibilem.

*Quæſt. 4.* An melior ſit Miſſa boni Sacerdotis quàm mali? *Reſp.* Eſſe æquales quoad ſubſtantiale conſecrationis: quamuis ſint inæqualis deuotionis exemplaris, & impetrationis. Vnde, inquit, *ſi quis libentius audiat Miſſam Sacerdotis deuotioris, credo quòd benè faciat &c. Ad 1. & 2.* Cur quorundam Miſſæ prohibeantur, & ſpecialiter Hæreticorum, Schiſmaticorum, Simoniacorum, & fornicariorum notoriorum ordine iuris, vel euidentia facti? *Reſp.* In pœnam, correctionem, & exemplum: quia hæc quatuor genera peccatorum ſunt ſpecialiter contra quatuor fructus huius Sacramenti.

## *Ex Doctrina Scoti.*

In *Diſt. 13. Quæſt. 1.* An ſola actione diuina poſſit confici Corpus Chriſti. De qua ſuprà *col. 445. 447.*

*Quæſt. 2.* An quilibet Sacerdos proferens verba conſecrationis cum intentione debita, & circa ma-

 teriam

Digitized by Google

teriam conuenientem, poſſit cõficere Euchariſtiam.

*Ad Quæſt. dico*, quod conficere vt principalis cauſa nulli poteſt competere niſi ſoli Deo: vt cauſa inſtrumentalis, vel potiùs vt Miniſter, poteſt competere alicui homini; quia ſic Deus ordinauit. Sic ergò loquendo poteſt intelligi dupliciter: vno modo abſolutè &c. alio, ordinatè.

Loquendo de poſſe ſimplicitur, nil requiritur vltra materiam debitam, niſi vt Miniſter, qui ſit Sacerdos, poſſit proferre verba, & habere intentionem debitam faciendi quod intendit Eccleſia facere &c. Sed vnde habet Eccleſia &c? *Reſp.* Ex illo Chriſti: *Hæc quotieſcumque feceritis &c.* Vbi loquitur Apoſtolis, vel non niſi Diſcipulis: quibus non ſuccedunt niſi Sacerdotes &c. Idem habetur ex illo *1. Cor. 10.* Panis quem frangimus &c. Si enim quilibet poſſet conficere: non oporteret aliquem alijs frangere.

Quòd omnis Sacerdos potens proferre verba cum intentione, poſſit conficere: patet per authoritates *Extra de Summa Trin. &c.*

*Si obijciatur* de degradato quod non maneat Sacerdos; quia ſpoliatur priuilegio Clericali, & traditur Curiæ ſæculari. *Reſp.* Non eſt eſſentiale ordini habere illud priuilegium, *quia videtur conceſſum ab Imperatore Conſtantino*, i. Executiuè. Subdit autem, contra Iuriſtas, degradatum non tam priuari hoc priuilegio, quam iudicium eius delegari ab Eccleſia Iudici ſeculari. An verò ſit de iure Diuino, Eccleſiaſtico, aut Ciuili: non decidit.

Ad illud Magiſtri *d. 13.* quaſi ex Offertorio Miſſę, *Offerimus tibi &c.* Quòd Sacerdos hæreticus aut ſchyſmaticus non conſecret, quia non offert in perſona propria, ſed Eccleſiæ, à qua tamen præciſus eſt.

*Reſp.* Non aſſentiendo in hoc Magiſtro; vt quidam volunt: nec negando neceſſitatem cuiuſuis; ſed illius verbalis oblationis ad ſacrificiũ: *Quia*, inquit, *offertur hoſtia non conſecrata, & tunc eſt ſacrificium non Sacramentum &c.* vt ſupra *col. 254. 269.* de ſacrificio ſacrificando, non autem ex tunc ſacrificato.]

Poteſtque etiam hæreticus non credens virtuti conſecrationis in particulari, validè intendere quod intendit & facit Eccleſia in genere & confusè. Reſtat de poſſe ordinatè conficere &c. ex parte Miniſtri, loci, & Temporis.

*Art. 1.* De requiſitis ex parte Miniſtri &c. Quædam ſunt amotiones impedimentorum, quædam appoſitiones diſpoſitionum. *De 1.* Sunt vel culpa tantùm, vel pœna tantùm, vel nec pœna nec culpa. *De 1. & 3. dict. 9.* Reſtat de impedimento pœnæ Canonicæ &c. quæ eſt aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradus recipiendi &c. Multæ ſunt non fundatæ ſuper aliqua pœna vel defectu naturali &c. aliquæ fundantur ſuper defectus naturales. Non enim voluit Eccleſia quaſcumque perſonas defectuoſas miniſtrare in Altari: vt nec *Leuit. 21.* Iſti autem defectus ſunt in quibus eſſet ſcandalum puſillorum &c. *Diſt. 25. & Extra de corpore vitiatis &c.*

*2.* Eſt appoſitio conuenientium ornamentorum. *De Conſecr. D. 1.* Quæ autem ſint expoſuit Innoc. *De Offic. Miſſæ P. 1. cap. 10.* Sunt 6. Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus, & Planeta. Quibuſdam tamen locis non ſolet Cingulum benedici. De his omnibus, ſi quæritur quæ pœna Miniſtri attentantis? *Reſp.* Si eſt mutus, non poteſt attentare loqui. Si non vtitur ratione, non poteſt attentare intentionem. Si non eſt Sacerdos, & attentat facere vt Sacerdos: non ſolum peccat mortaliter & nihil facit, ſed irregularis eſt &c. *Extra de Clerico non ordinato cap. illegit 2.* maximè ſi miniſtrans ſciat talem pœnã ſibi inflictã.

Sed ignorantia iuris non excuſat: quia tenetur ſcire &c. ignorantia autem facti excuſat. *Eodem Tit. cap. Apoſtolicæ.* Niſi fama veridica & publica ſibi manifeſtet quod ſit tali pœna impeditus. *Ibid. cap. Illud.* Infra. Etſi peccet grauiter in excommunicatione minori celebrans: nullius tamen irregularitatis pœnam incurrit. *Ibidem.* De Simoniaco & peccatore notorio, dubium eſt &c. Ille videtur ſimpliciter inhabilis, ex *diſt. 13. Maritum, & 1. Q. 1.*

De peccatore notorio, certum eſt quod peccet mortaliter, conficiendo: non tantùm quia eſt in mortali; ſed quia ſcandalizat. Sed eſtne irregularis? Licet prohibeatur *D. 13. Nullus*, audiri Miſſam concubinarij &c. tamen pœnæ non ſunt ampliandæ.

Idem de publico vſurario &c. De infamia autem qui pœnituit, an celebrando fiat irregularis: *non eſt dicendum quod ſic, niſi inueniatur in Iure.*

De celebrante ſine ornamentis aliquibus, vel non conſecratis, non inuenitur pœna irregularitatis. Breuiter, ex quo iſta eſt pœna iuris poſitiui, quando non infligitur non incurritur.

*De 2. Art.* Ex parte loci propriè dicti, requiritur quod non ſit interdictus, & quod ſit ſanctificatus &c. niſi caſus neceſſitatis occurrat. *De Conſecr. diſt. 1.* Nullus Miſſas celebrare præſumat niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis &c.

Caſus autem ſunt, ſi Eccleſiæ ſint deſtructæ, vel non poteſt accedi ad Eccleſiam conſecratam &c. Non enim videtur quod præceptum ſanctificandi Sabbatum voluerit Eccleſia impedire, per aliquod minoris obligationis &c. Cùm non debeat quis reſtringi ab obſeruatione magis neceſſarij, per minus neceſſarium.

Oratoria non poſſunt haberi niſi conſecrata, de licentia Epiſcopi. *De conſecr. diſt. 1.* Licet quidem habere, non autem Miſſas ibi celebrare, niſi in caſibus ſupradictis. Oratorium ſacrũ facere non licet, niſi auctoritate Epiſcopi, *Ibidem.* Iſtius loci requiritur ornatus, ſcilicet lumen. *De celebr. Miſſ. cap. vlt.*

De loco autem mobili remotus, eſt Altare lapideum, *De conſecr. D. 1.* Propinquus, ſunt vaſa, & patena ex auro vel argento, vel ad minus ex ſtanno, *De conſecr. D. 1.* Iſta omnia debent eſſe conſecrata.

Siue autem Altare ſit fixum ſiue portatile, non eſt magna differentia, ſi ſit in loco conſecrato: ſed in non conſecrato, ex priuilegio noſtro ab Honorio III. *Extra de priuilegijs cap. In his.*

Oportet autem non eſſe enormiter fractum, *Extra de conſecr. Eccl.* Calicem etiam & patenam oportet eſſe conſecratam. *Ibidem.* Oportet Altare eſſe ornatum duabus tobaleis, vbi eſt mos Eccleſiæ, conſecratis: & quod magis præciſum eſt, corporali de ſyndone munda.

Si quæritur quæ pœna &c. *Reſp.* Non incurri irregularitatem niſi celebrando in loco interdicto à Iudi-

Iudice. *Extra de Clerico excomm.* Non autem à iure, ob pollutionem notoriam, ſanguine vel ſemine. Et celebrando in Calice non idoneo. *Extra de celebr. Miſſ. cap. vlt.*

Sed quia infligitur ſimul propter multa: dubium eſt an propter quodcumque ſeorſim.

*De 3. Art.* Ex parte temporis: à principio auroræ vſque ad Nonam Miſſa congruè celebratur. *De conſecr. diſt. 1. Nocte ſancta &c. & §. De ieiuniis &c.* In Sabbato ſancto circa noctis initium Miſſarum ſolemnia ſunt celebrãda. Quia pars diei poſt Nonam computatur cum nocte diei ſequentis. Vnde dicitur: *Hæc nox eſt &c.* Terminus horę nonę colligitur ex cõſuetudine Eccleſiæ &c. Neceſſarium eſt legere Introitum, Orationes, Epiſtolam &c. Nec fortè abſolutè conficere quis poſſet, niſi præmitteret verba per quę ſignificet ſe proferre in Perſona Chriſti, vt *d. 8. q. 2.*

Vltimum eſt, quod celebrantem oportet habere aliquem Reſpondentem in perſona totius Eccleſiæ.

*Ad 3. Arg.* Oblatio facta à malo, æqualem habet efficaciam ſicut à bono: ſi Oblatio Sacramenti vt talis, habet efficaciam. Sed ſi multa alia concurrentia per modum Orationis multum faciant ad efficaciam Miſſæ, quod videtur probabile: ſequitur quod Miſſa melioris erit melior. *Infra.* In Miſſa non eſt tantùm meritum mali ac boni: & per conſequens Deus non habet recompenſare tantùm pro iſta ſicut pro illa.

*Ad 5.* In caſu neceſſitatis Diaconis conceditur diſpenſare Corpus Chriſti: ſed non conficere.

### *Supplementum Dogmaticum.*

1. Ex col. 85. 86. 89. 100. 101. De Miniſtris Sacramentorum in genere.

2. Ex Bellarm. *lib. 4. cap. 16.* de Miniſtro Sacram. Euchar. & aliunde. Quòd Lutherus, *lib. de capt. Babyl.* & de inſtituendis Miniſtris, de Miſſa abrogãda, & de Notis Eccleſiæ, contendat quemlibet Chriſtianum baptizatum, imo *& lib. de Miſſa priuata edito 1034.* ipſum diabolũ poſſe validè conſecrare Euchar. neminem tamen id poſſe ordinatè, niſi ex commiſſione: idque ex ſuo illo erroneo principio, quòd Sacramenta non operentur niſi obiectiuè excitando fidem, nec imprimant vllum characterem. Vnde mirum eſt Lutheranos in illo diſſentire à Luthero: cùm conſentiant in hoc eius principio. Caluinus autem *lib. 4. Inſtit. cap. 1. 3. 13.* & reliqui Sacramentarij, è contra: nullum Sacramentum valere niſi à publico Miniſtro ad hoc ordinato.

Sed ex Fide Catholica, neceſſarium eſſe ordinem Sacerdotalem ad validè conſecrandum, & iuriſdictionem ad licitè diſpenſandum. Quod fundatur in illo Chriſti Luc. 22. *Hoc facite &c.* Quòd nõ poteſt ibi referri ad ſolam manducationem: quia non fit priùs eius mentio *Luc. 22.* ſed, *Accepit panem, benedixit, & dedit dicens; Hoc eſt Corpus meum &c. Hoc facite &c.* Deinde quamuis apud alios Euang. priùs etiam fiat mentio manducandi: cur, *Hoc facite &c.* non referretur ad illud totum, aut non æquè, imò & potius ad actionem illam principalem conſecrandi, quàm diſtribuendi & ſumendi: cum ſine conſecratione, nec diſtribui, nec ſumi poſſit? Nec obſtat illud 1. Cor. 11. *Hoc facite quotieſcumque biberitis &c.* quaſi relatiuè ad illum ſolum actum. Quia de conſecratione Corporis prædicit, *Hoc facite &c.* Deinde ſubdit poſt conſecrationem Calicis, *Hoc facite quotieſcumque biberitis &c.* Non de quocumque potu, ſed de hoc ſacrificiali, qui neceſſariò priùs fit aut conſecratur, quàm bibatur &c.

Cum ergò, *Hoc facite &c.* ſit mandatum conſecrandi, ſumendi, & diſtribuendi, nec ad hæc omnia omnes obligentur, ſed ſoli Sacerdotes: conſequens eſt eos ſolos habere poteſtatem validè conſecrandi, & ordinariam diſpenſandi.

Nec obſtat quod S. Thomas *3. p. Q. 81. Art. 11.* illud, *Facite*, extendat ad omnes: non enim quoad conſecrandum & diſtribuendum, ſed tantùm quoad ſumendum.

Definitur autem expreſsè in Conc. Nicæno 1. *Can. 14.* Lateran. magno ſub Innoc. III. *Cap. 1. Conſtant. ſeſſ. 8.* Flor. & Trid. ſupra. *col. 3. 23. 24. 25. 27.* Tùm ex illo mandato hoc faciendi: tùm ex *1. Cor. 4.* de officio diſpenſandi Myſteria Dei: Tùm ex vero ſacrificio ſupra *col. 246. 247. 248.* Tùm ex Traditione ac praxi Eccleſiæ in ordinandis ad hoc Sacerdotibus, in conſecrando per ſolos Sacerdotes, & in diſpenſando non niſi dependenter ab illis. Tùm deniq; ex doctrina SS. PP. S. Dion. Areop. *cap. 5. Eccleſ. Hier.* S. Ignat. *Epiſt. ad Trallianos.* Clem. *lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 31. & lib. 8. cap. vlt.* Iuſtini *in Apol. 2.* Tertull. *de Præſcript.* S. Cypr. *lib. 1. Epiſt. 2. & 9. lib. 3. Epiſt. 25.* S. Athan. *Apol. 2. contra Arian.* S. Baſil. *lib. 2. de Bapt. cap. 8.* S. Epiph. *Hær. 79.* nequidem B. Virgini hoc fuiſſe conceſſum. S. Chryſ. *lib. 3. & 6. De Sacerdotio, & alibi:* in hoc Sacerdotes eſſe ipſis Angelis ſuperiores. S. Hier. *Epiſt. 6. ad Heliodorum:* Abſit vt de his ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt &c. per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui claues regni Cœlorum habentes, quodammodo ante diem Iudicij iudicant. Et alibi ſæpè. S. Ambr. *lib. De dignitate Sacerdotali.* S. Aug. ſupra *col. 248. 249. 250.* de vero & propriè dicto Sacrificio, Sacerdotio, & Altari nouæ Legis. Et ſpecialiter. *Epiſt. 181. ad Honoratum.* De neceſſitate Paſtorum, etiam tempore perſecutionis, ad miniſtrandum Sacramenta.

### *Supplementum Scholaſticum.*

1. A *col. 73. ad 83.* de neceſſaria intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit.

2. Ex *col. 493. 495.* De hac inſtitutione Chriſti. *495. 509.* De forma conſecrationis, qua & ipſe Chriſtus, non autem ſola ſecreta benedictione conſecrauit. *501. 503. 507.* De actiuitate morali tam huius formæ vt principij Quo, ſeu proximi, vel ipſius actionis Sacramentalis, quam Sacerdotis vt principij Quòd. Imò ex impoſſibili cauſalitate reali formæ conſecratoriæ & conſecrãtis, ad deſitionem panis & realem tranſubſtantiationem, ſeu conuerſionem ſubſtantialem in Corpus & Sanguinem Chriſti: confirmatur ſola cauſalitas moralis Sacramentorum.

3. A col. *187. ad 196.* De Miniſtris Baptiſmi.

4. Col. *492. 513.* De poteſtate conſecrandi materiam determinatè præſentem. Quibus adde ſingu-



Digitized by Google

larem diff. de conſecratione à pluribus ſimul Sacerdotibus, vt à Neomyſtis cum Epiſcopo. *Reſp.* Abſolutè quidem poſſe ſimul abſoluere formam conſecrationis & conſecrare: vix tamen, imò ne vix quidem moraliter, & in praxi; ideòque conſultius eſſe vt Neomyſtę tantùm materialiter formam pronuntient, vel non niſi ſub intentione conſecrandi, ſi ſimul cum Epiſcopo formam conſecrationis abſoluant. Hic enim mos Eccleſiæ videtur potiùs ad diſcendum vſum, & ſignificandum acceptam poteſtatem conſecrandi, quàm ad eam hîc & nunc abſolutè exercendam. Nec obſtat quod Neomyſtæ non ita moneantur: quia hoc ipſo quo nonniſi cum Epiſcopo conſecrare iubentur, ſatis monentur de ſuſpendenda ſua propria, ab eius intentione, qua non poteſt ſuſpendi efficacia formæ. Quamuis enim Alenſis *q. 36. M. 8.* Videatur velle ita ſuſpendere Cardinales conſecrantes cum Summo Pont. Subdit tamen ex Innoc. *Siue priùs ſiue poſteriùs proferant, referri debet eorum intentio ad inſtans prolationis Epiſcopi. Et tunc omnes ſimul conſecrant. Quanquam nonnulli conſentiant quod qui priùs pronuntiat, ille conſecrat: nec aliorum defraudatur intentio, quia factum eſt quòd intendunt.* Hæc Innocentius.

*Supplementum Morale.*

De poteſtate morali Sacerdotis non tantùm validè conſecrandi: ſed etiam licitè diſpenſandi, tam Sacramentum conſecratum, quam fructum ipſius ſacrificij.

*Diff. 1.* An diſpenſatio huius Sacramenti poſſit etiam committi Diaconis, Clericis inferioribus, imò & laicis, circa alios, aut ſaltem ſeipſos. *Reſp.* Non poſſe iure ordinario diſpenſari, niſi ſaltem remotè & dependenter à Sacerdotibus, ſeu eorum conſecratione: poſſe tamen iure Diuino committi Diaconis, tanquam ad hanc etiam diſpenſationem commiſſariam ordinatis; ſed poſſe tantùm per alios mitti, tradi, & ſumi, non propriè diſpenſari. Quia diſpenſatio importat officium, iudicium, ac diſcretionem perſonarum: quæ nunquam fuit commiſſa niſi Diaconis, defectu Sacerdotum ſufficientium; ſed ſola miſſio ad perſonas determinatas ac diſtantes, & prouiſio ſacræ Euchar. ab ipſis etiam laicis ſuo loco & tempore ſumendæ, quando non erat tutum eam aliter miniſtrare ac diſpenſare. Quæ tamen praxis, multiplicatis iam Sacerdotibus, & acquiſita Eccleſię libertate, ita exoleuit: vt non poſſit licere, niſi eadem reuoluta neceſſitate. De quibus diſtinctius Alenſis.

*Quæſt. 50.* A quibus ſit diſpenſandum Euchariſtiæ Sacramentum?

*Memb. 1.* Vtrum à mulieribus. *Reſp.* Quod non, *De conſecr. diſt. 2. cap. Peruenit*, Quia hoc officium pertinet ad Mediatores, ſexus perfectioris, & conformioris principali Mediatori. *Ad 1. Arg.* Quòd Chriſtus fuerit nobis datus per Deiparam Virginem.

*Reſp.* De datione per conceptionem & partum, qui eſt proprius illius ſexus. *Ad 2.* Quòd fœmineus ſexus ſit ad hoc deuotior. *Reſp.* Eſſe infirmiorem ac imperfectiorem, minùſque Chriſto conformem.

*Ad 3.* Quòd plus ſit ſumere quàm diſpenſare. *Reſp.* Eſſe plus quoad fructum, non quoad officium.

*Memb. 2.* An à laicis? *Reſp.* Quod non. *De conſecr. d. 2.* Quia hoc eſt officium principale &c.

*Ad 1. Arg.* Ex Baptiſmo. *Reſp.* Illud eſſe Sacramentum neceſſitatis, hoc dignitatis. *Ad 2.* Ex ſanctitate quorundam laicorum. *Reſp.* Hoc non pertinere ad perſonarum ſanctitatem, ſed ad officij dignitatem: illa enim eſt ad opera propria & perſonalia; hæc ad publicum miniſterium Chriſti. *Ad 3.* De Charitate faciente quod vult. *Reſp.* De voluntate ordinata.

*Memb. 3.* An à Diaconis? *Reſp.* In neceſſitate licere. *diſt. 93.* Præſente Præsbytero Diaconus Euchariſtiam, ſi neceſſitas vrget, iuſſus eroget. ] Nota dici, *iuſſus*: quia Epiſcopo vel Præbytero longè poſitis, non iuſſus poteſt. ] Vnde videtur hunc morem tempore Alenſis needum fuiſſe prorsùm abolitum.

*Memb. 4.* An à Sacerdotibus fornicarijs? *Reſp.* Quidam ſunt notorij, quidam publici, quidam occulti &c. Crimen redditur notorium. *1.* Per ſententiam. *2.* Per confeſſionem iure factam. *3.* Per rei euidentiam. A nullo tali ſuſcipiendum eſt vllum Sacramentum &c. Publici ſunt, ex fama: & à talibus dùm tolerantur ab Eccleſia, nec ſuſpenduntur, poſſunt ſuſcipi Sacramenta. *15. q. vlt. cap. vlt.* Item. *Extra de cohab. Clericorum.* Euidentia operis explicat notorium facti: de quo in ſequenti Decretali habetur, quod iam non indiget teſtibus, cum nulla poſſit tergiuerſatione celari. Eſt igitur regula: A notorijs non ſunt ſuſcipienda Sacramenta; ſed à publicis, quouſque ab Epiſcopo ſuſpendantur; multò fortiùs à fornicatoribus occultis.

*Memb. 5.* An à Simoniacis? *Reſp.* Quod non. *Ex diſt. 32.* Quidam dicunt de Simoniaco notorio: Alij melius, quod etiam occultus eſt ſuſpenſus à Canone *1. q. 1.* non tantùm quoad ſe, vt quilibet peccator in mortali; ſed etiam quoad alios qui ſciunt, vt vitent cum ſaltem in occulto. Hoc tamen de Simoniaco in Ordine intelligi debet. *Infra.* De Simoniaco in beneficio: aut eſt beneficium cum cura animarũ, & talis etiam ſuſpenſus eſt ipſo iure &c. Aut eſt ſimplex beneficium: & tunc vel delictum eſt notorium, vel occultum, de iure vel facto. In primo caſu, eſt ſuſpenſus ipſo iure, vt quilibet in mortali. *1. q. 1.* In ſecundo, quoad ſe, & quoad alios. *Extra de temp. Ord. c. Quæſitum.*

*Memb. 6.* An ab hæreticis, ſchyſmaticis & excõmunicatis? *Reſp.* Quod à nullo horum notorio, vllum Sacramentum recipi poteſt, excepto Baptiſmo ex neceſſitate. *11. q. 1. & 3. 24. q. 1. & de conſecr. d. 4.* Excommunicatus autem minore excommunicatione nec debet celebrare, nec Sacramentum ſuſcipere, nec conferre. *Extra. De Sent. Excomm.* Alioquin peccat grauiter, ſed non contrahit Irreg.

*Memb. 7.* An hoc Sacramentum à talibus diſpenſatum conferat gratiam? *Reſp.* Conferre ipſum Corpus Chriſti: non autem gratiam inobedientibus, niſi ignorantia excuſet. ]

Diff. 2. An & quæ iuriſdictio requiratur ad licitè diſpenſandũ alijs hoc Sacramentũ? *Reſp.* Requiri iuriſdictionem ordinariam, aut ab aliquo ordinario delegatam. Vt patet ex Conc. Carthagin. *1. cap. 7.* Ne qui in alia Eccleſia communicent ſine litteris

litteris ſui Epiſcopi. Et ex iure ac praxi Eccleſiæ, communicandi ſuo loco, tempore, modo, ſub vna, vel altera, aut vtraque ſpecie, & excommunicandi ex hac vel illa culpa graui ac pertinaci. Fundaturque in illo officio ac Mandato faciendi *Luc. 22.* paſcendi *Ioan. 22.* diſpenſandi *1. Cor. 4.* Et in ipſa ratione paſtus ſpiritualis, qui non pertinet niſi ad Paſtores ordinarios, immediatos, Superiores, vel Summum omnium, aut ex alicuius eorum commiſſione. Ex qua Regulares mendicantes, vt Paſtorum coadjutores, habent per ſua priuilegia à Summo Pontifice iuriſdictionem delegatam diſpenſandi ſacram Euchariſtiam omnibus Chriſti fidelibus: excepta Cōmunione Paſchali, ſeu qua quis intendit implere præceptum Eccleſiæ de communione annua à ſuo Paſtore. De quibus priuilegijs alibi ex profeſſo.

*Diff. 3.* De neceſſario ſtatu gratiæ, Iure naturali, Diuino, aut Eccleſiaſtico, ad licitè conſecrandum, ſumendum, vel miniſtrandum hoc Sacramentum.

*Reſp.* Ad licitè conſecrandum & cōmunicandum, neceſſariam eſſe certitudinem moralem de proprio ſtatu gratiæ, abſque rationabili conſcientia vllius peccati mortalis, vel ex præuia eorum pœnitentia Sacramentali: niſi quis graui neceſſitate aliena, aut periculo ſcandali, vel propriæ infamiæ, defectu cōfeſſarij præſentis, ſufficientis, & competentis cogatur hic & nunc conſecrare & communicare ex ſola certitudine morali Contritionis, & propoſito pœnitentiæ Sacramentalis quam primùm ſine illo periculo fieri poterit, vel ſaltem ſuo loco & tempore ſi non ita conſecrauit, ſed tantùm communicauit.

Ad licitè autem diſpenſandum, videtur etiam ſub graui peccato neceſſaria aliqua certitudo de ſtatu gratiæ: non tamen tanta; ſed ex probabili conſciētia, aut Contritione aliqua, cum propoſito Pœnitentiæ Sacramentalis.

1. Ex neceſſaria illa munditie legali ad ſacrificia & ſacra antiquæ Legis. 2. Ex gratia nouæ Legis collata ſacris Miniſtris in eorum ordinatione ad has ſacras functiones. 3. Ex fine proprio ac intrinſeco huius Sacramenti, conſeruandi & augendi gratiam: cui ſacrilegè opponitur communio extra gratiam. 4. Ex ſingulari repræſentatione perſonæ Chriſti in conſecrando, & ſuo modo in diſpenſando. 5. Ex illo Apoſt. *1. Cor. 11.* Probet autē ſeipſum homo &c. non tantùm probatione, ſeu examine, & purgatione interiori ac incertiori; ſed etiam certiori, exteriori, & ordinaria à Chriſto Domino in noua Lege ad maiorem certitudinem promiſſa, qualis eſt Sacramentalis. 6. Ex ſacro Conc. Trid. ſupra *col. 9. cap. 7.* & *col. 10. can. 9.* De hoc ipſo præcepto, eiuſque expreſſa definitione ac declaratione, vt ſupra. Vnde colligi poteſt hoc præceptum eſſe partim iuris naturalis, de reuerentia Deo debita, eiuſque Sacroſanctæ præſentiæ Sacramentali, contra omne ſacrilegium: partim ex iure Diuino nouæ Legis, de inſtitutione & vſu huius Sacramenti: partim Apoſtolico & Eccleſiaſtico, imò ipſius Sacri Conc. Trid. ſaltem quoad obligationem Sacerdotū quamprimùm confitendi. Quæ iura & tituli obligandi, quia nec æquè nec expreſsè afficiunt ſolam diſpenſationem: ad hanc non videtur tam neceſſaria, nec tanta certitudo gratiæ, ſed ſufficere probabilis, aut interna pœnitentia: cùm Chriſtus non reiecerit à ſua præſentia, aut etiam contactu, peccatores pœnitētes, ante iuſtificationem.

### *Conciliatio noſtrorum.*

Vix eſt vlla hîc neceſſaria Conciliatio inter noſtros Doctores: ſed inter noſtrum Scholiaſtem & Commentatorem Scoti, eiuſque textum expreſſum. Quòd illi ad *diſt. 6. q. 8. n. 1. & 2. & ad d. 13. q. 2. n. 10.* velint Scotum excuſare ignorantiam aliquam iuris, à culpa & cenſura: cùm *diſt. 6. q. 8.* tàm expreſsè & abſolutè doceat nec ignorantiam iuris Diuini excuſare à culpa, nec ignorantiam iuris Canonici, à cenſura. Et *diſt. 3. q. 2. n. 10.* Ignorantiam iuris potiùs aggrauare. Quod ergò illi volunt Scotum dicere aut ſaltem inſinuare ignorantiam probabilem aut inculpabilem excuſare: non habet vllam ex textu apparentiam, in ſacro Miniſterio Baptiſmi vel Euchariſtiæ: niſi fortè circa aliqua minoris momenti; ex eo quòd Scotus videatur hanc ſuam doctrinam de inexcuſabili ignorantia iuris reſtringere ad talem & tantum actum. *Quia*, inquit diſt. 6. q. 2. *quando iuri diuino additur pœna Canonica: ſufficit quod quis teneatur ſcire præceptum diuinum, etſi neſciat à iure Canonico pœnam eſſe inflictam.* Et diſt. 13. q. 8. *Quia tenetur qui ſe exponit ad tantum actum ſcire iura ſecundum quæ poteſt exercere talem ac tantum actum: & ideò talis ignorantia iuris non excuſat, ſed fortè magis aggrauat.* Ex quibus meritò colligitur hanc doctrinam Scoti non eſſe de omnibus perſonis: ſed de ijs ſolis qui ad aliquos actus ex officio tenentur: nec eſſe de omnibus eorum actibus ac circumſtantijs; ſed de *talibus ac tantis*, ſeu de principalibus. Vt ſupra Dogmaticè *col. 369. 370. 384. 385.*

Reliquæ difficultates morales, Quæſt. ſequenti: De ſacra Communione dignorum vel indignorum. Et Quæſt. vltima: De Ceremonijs huius Sacramenti ac ſacrificij, earumque obligatione.

---

## QVÆSTIO 10. MORALIS.

### *Quid & quotuplex ſacra Communio, qui eius capaces, digni, diſpoſiti, obligati; quivè ea priuandi aut non?*

### Ex Doctrina Alenſis.

Q*Væſt. 43.* De manducatione huius Sacramenti in generali.

*Membr. 1.* De manducatione Sacramentali, Spirituali, & vtraque ſimul.

*Membr. 2.* De diſtinctione inter manducationem Sacramentalem, & Spiritualem, ex triplici cauſa. 1. Ex diſpoſitione aut indiſpoſitione communicantium. 2. Ex communione ſolo ore, vel corde, ſeu fide & charitate. 3. Ex communione ſolius veri Corporis Chriſti, vel etiam myſtici per charitatem.

*Memb. 3.* De manducatione ſpirituali ſpecialiter.

*Reſp.* In comeſtione ſpirituali ſunt plures actus, ad inſtar materialis. 1. Maſticatio, per diſcretam conſiderationem eius quod ſumendum eſt. 2. Delectabilis refectio ex conſideratione bonitatis & pretioſitatis

Digitized by Google

tioſitatis eius quod ſumitur. 3. Aſſimilatio per fidem. 4. Incorporatio per charitatem. Ad ſpiritualem ergò manducationem, inquit, requiritur conſideratio fidei, & affectio amoris.

*Ad 1. Arg*. Quòd manducatio ſpiritualis ſit per fidem, quæ ſæpè eſt ſine Charitate: & quamuis ſit cum dilectione, non tamen manducamus quicquid credimus & diligimus. *Reſp*. Non manducari quicquid creditur, nec quicquid diligitur: ſed tantùm quod habet rationem cibi ſpiritualis, expoſiti ad noſtram nutritionem ſpiritualem. *Ad 2*. Quòd manducans incorporet ſibi cibum: hîc autem incorporetur ipſi cibo. *Reſp*. Sufficere hanc ſimilitudinem, quamuis cum diſſimilitudine: quòd quia in manducatione corporali manducans eſt maioris virtutis, conuertit in ſe cibum: hîc autem, cibus maioris virtutis conuertit in ſe ſuum manducantem.

*Membr. 4*. De manducatione Sacramentali, vt talis eſt. *Reſp*. Quòd manducare Sacramentaliter, eſt manducare Sacramentum vt Sacramentum &c. Ad hoc autem neceſſaria eſt intentio & regulatio ſecundum fidem ipſius manducantis, vel aliorum &c. Vnde ſi quis hæreticus intendit accipere quòd Eccleſia credit: quamuis ipſe non credat, Sacramentaliter comedit.

*Quæſt. 44*. De manducatione huius Sacramenti in ſpeciali: & 1. De manducatione facta in Cœna Domini.

*Memb. 1*. An Chriſtus ſumpſerit proprium Corpus ſuum in Cœna? *Reſp*. Quod ſicut Chriſtus ſuſcepit Sacramentum Baptiſmatis &c. ita & Corporis ſui: non ad ſuum aliquem fructum, ſed ad exemplum noſtrum. Vnde Chryſ. *in Mat. 26*. Bibit ex eo: vt audientes hoc, non dicerent: quid ſanguinem bibo, & carnem manduco &c. Vt *Ioan. 6*. De quo etiam refert ſe ad plures alias authoritates. Vt *Heb. 11*. Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini; & ipſe participauit eiſdem. Quamuis ad litteram de Incarnatione: hùc tamen etiam accomodatè. *Leuit. 8*. Ex figura ſanguinis illius quo priùs tingebatur Sacerdos, quam filij eius. Ex S. Hier. *de conſecr. diſt. 2*. Quod Chriſtus fuerit conuiuium & conuiua. Et ex quodam verſu: *Rex ſedet in Cœna turba cinctus duodenâ: ſe tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.*

*Ad 1. Arg*. Qùòd cum non fuerit à ſe diuiſus, non potuit eſſe ſumens & ſumptus. *Reſp*. Chriſtũ fuiſſe quidem & eſſe ſemper eundem numero quoad ſubſtantiam: fuiſſe tamen & eſſe ſimul numeroſè.] Videlicet ſecundum ſpeciem externam, & præſentias; idque ſufficere ad ſumptionem ſuiipſius.

*Membr. 2*. An Chriſtus ſeipſum ſumpſerit ſpiritualiter, vel Sacramentaliter? *Reſp*. Dicunt quidam quod nec Sacramentaliter, nec ſpiritualiter &c. Quia hæc diuiſio eſt tantum membrorum Chriſti, ad ſuum aliquem fructum. Alij verò dicunt quod ſpiritualiter manducauit: quodque ibi fuit vnio per actum amoris, & effectus in membris eius &c. Dicendum eſt quod ſpiritualiter non manducauit, ſed tantùm Sacramentaliter, extendendo Sacramentalem manducationem ad illam quæ attingit certa cognitione. Quia Chriſtus fuit vltimatæ perfectionis, ſeu ſanctitatis.

*Ad Arg*. Ratio ſumendi tantùm Sacramentaliter, eſt incapacitas efficaciæ ſpiritualis: vel ob plenitudinem gratiæ, vt in Chriſto; vel ob indignitatem, vt in peccatore.

*Memb. 3*. An Chriſtus tunc dederit Diſcipulis ſuis Corpus ſuum mortale, an immortale? *Reſp*. Eſt vna opinio Hugonis, quòd dederit immortale & impaſſibile &c. Alia Magiſtri Sent. & aliorum, quòd dederit illis tale Corpus quale habuit. Sed ſine præiudicio videtur quòd licet aliqui ponant diuerſas opiniones, vnum tamen habent intellectum &c. Dicendum eſt ergò, quod vt vult Hugo, Chriſtus tenebat ſe manibus ſub forma panis: & quod in quantum ſe tenens, erat paſſibilis & mortalis, in quantum tenebatur, impaſſibilis & immortalis &c. Cum enim ſint quatuor dotes corporis glorioſi: ipſe adhuc paſſibilis, nunc vnam accepit, nunc aliam, vt voluit. *Infra*. Si ergò hoc eſſe potuit &c. quid mirum ſi in eo quod dabat mortalis fuit, & in eo quod dabatur immortalis?

*Ad Arg*. Quod Chriſtus dedit tale Corpus, quale tunc habuit. *Reſp*. Dedit Corpus paſſibile & mortale: non tamen vt tale ſub Sacramento. *Infra*. Si fuiſſet Euchariſtia reſeruata in pixide vſque ad diem Paraſceue: An Chriſtus fuiſſet in pixide viuus vel mortuus? Dico ſine præiudicio, quod mortuus, quando moriebatur in cruce &c. Si quæratur quare non poſſit dici ſimul viuus & mortuus, ſicut paſſibilis & impaſſibilis, vt vult Hugo & Innoc. *Reſp*. Quia eſſe viuum & mortuum dicunt eſſe & non eſſe ſimpliciter: non ſic eſſe paſſibile & impaſſibile.

*Memb. 4*. An Chriſtus dederit Corpus ſuum Iudæ. *Reſp*. Quod ſic. 1. Ex *Ioan. 3*. de intincto pane porrecto Iudæ, & de ingreſſu Sathanæ poſt buccellam. Non quod intinctus ille panis fuerit Corpus Chriſti: ſed poſt diſtributum Corpus Chriſti. 2. Ex illo Mat. 26. *Dedit eis*, ſine exceptione: & *Bibite ex hoc omnes*. 3. Ex varijs gloſſis deſuper. 4. Ex Chryſ. *Hom. 81. in Matth. & in 1. Cor. 11*. Petrus accepit ad vitam, Iudas ad mortem. Quibus adde B. Aug. ſupra, *col. 288*.

Rationes Alenſis. 1. Ex Sapientia diuina, in exemplum benefaciendi inimicis, & in documentũ huius diſpenſationis. 2. Ex Dei miſericordia, ad reuocandum Iudam à malo, & mouendum ad bonum. 3. Ex Dei iuſtitia, quoad augmentũ culpæ & pœnæ: ad quas reuocantur aliæ ex SS. Dion. & Chryſ.

*Ad 1. Arg*. De non danda occaſione peccati. *Reſp*. Hanc non fuiſſe occaſionem mali: ſed ſummũ abuſum tanti boni ad tantum malum. *Ad 2. Ex Matt. 7*. De non dando Sancto canibus. *Reſp*. Hoc eſſe tantùm pro diſpenſatoribus Sacramentorum: non pro Chriſto prouiſore generali omnium. *Ad 3*. Ex illicita diſpenſatione huius Sacramenti indignis. *Reſp*. Chriſtum fuiſſe Dominum, non diſpenſatorem: nec Miniſtros poſſe alienis diſpenſare, nec ſuorum occulta crimina prodere, nec Chriſtũ reuelaſſe Ioanni crimen Iudæ, niſi ſecretò. *Ad 4*. De hoc exemplo Chriſti, dandi indigno, etiam non petenti, abſque vlla præmonitione &c. *Reſp*. Eſſe tantùm exemplum non recuſandi peccatori occulto publicè ſe offerenti: qualis tunc erat Iudas. Quem tamen Chriſtus

ſatis

Digitized by Google

ſatis publicè & cōmuniter monuit dicens, Hoc eſſe Corpus ſuum: & prædicens culpam ac pœnam ſuæ proditionis.

*Memb. 5.* An Corpus Chriſti reſeruatum in pixide vſque ad mortem Chriſti moreretur? *Reſp.* Quòd etſi Chriſtus eſſet mortuus in pixide, non tamen fuiſſet ei mors illata ab agente in pixide, vt in cruce &c.

Ad id quod infertur &c. Hæc propoſitio, Chriſtus crucifigitur, aut lanceatur in pixide &c. ſi determinet tantùm ſubiectum, vt ſit ſenſus, Chriſtus qui eſt in pixide lanceatur, vera eſt: ſi autem determinet prædicatum, falſa eſt. Eſſet enim ſenſus: Chriſtus perforatur lancea in ipſa pixide &c. Pati & mori ſignificant paſſionem innatam: crucifigi & lanceari, illatam &c. Cùm dicitur pati in pixide, notatur aliquid inferri Corpori Chriſti in pixide &c. Cùm dicitur mori, notatur ſimpliciter animam ſeparari à corpore.

*Memb. 6.* An conſecratione facta in triduo ſepulturæ Chriſti, fieret Anima præſens cum Corpore, vel Corpus ſine Anima? *Reſp.* Potuiſſe & poſſe Deum facere Animam Chriſti extra Corpus ſuum ſub forma propria humana, eſſe in eodem corpore ſuo ſub ſpecie panis: non tamen congruere Diuinæ Sapientiæ, nec Corpori Chriſti eſſe alicubi viuum, & alicubi mortuum. *Infra.* Non eſſent iſtæ contradictoriæ: Hæc caro alicubi eſt viua, alicubi non eſt viua; ſed ſubcontrariæ. Hæc autem eſſet ei contradictoria: Nuſquam eſt viua, vel non eſt viua. Vt ſupra *col. 414. 416.* Vbi nec Scotus hanc opinionem reprobat.

*Quæſt. 45.* De manducatione quam frequentat Eccleſia. *1.* Quoad conditiones perſonarum.

*Memb. 1. Art. 1.* An creatura irrationalis manducet Sacramentaliter? *Reſp.* Quòd nec Sacramentaliter, nec propriè carnaliter: quia nec attingit vllatenus ipſum contentum per modum cogniti vel crediti: nec diuidit ſubſtantiam, ſed tantùm accidentia.

*Art. 2.* An Corpus Chriſti traijciatur in ventrem creaturæ irrationalis? *Reſp.* Quidam opinantur quod Corpus Chriſti continetur ſub ſpeciebus vbicumque ponantur, &c. Alij quòd Corpus Chriſti nullo modo deſcendit in ventrem bruti: quia Chriſtus non eſt ſub illo Sacramento niſi ad vſum humanum &c. Videtur mihi quòd prima opinio ſit tenenda. Si enim canis vel porcus deglutiret hoſtiam conſecratam: non video cur Corpus Chriſti non ſimul traijceretur in ventrem; ſed benè quòd non poſſet comedi ab aliqua creatura tali. Vſus enim hominis eſt finis conſecrationis huius Sacramenti, non finis collationis. ] i. commotionis. Vt *col. 514.*

*Ad 1.* Ex *Matth. 15.* Quòd intrat in os &c. *Reſp.* Quòd Corpus Chriſti non intrat in os bruti vt cibus: ſed ſola ſpecies, Corpus autem cum ſpecie &c. Facta autem comminutione ſpeciei: ſicut ſola panis conuerſione incipit eſſe ſub illis ſpeciebus, ſic ſola reuerſione deſinit eſſe ibi; ita quod nulla ibi ſit mutatio, nec localis, nec alia: vt ſupra *col. 403. 404.*

*Memb. 2.* Vtrum Angeli aliquo modo ſumant Corpus Chriſti? Videtur quòd ſic: quia dicitur, Panis Angelorum, panis de cœlo &c. *Reſp.* Ad ſumptionem Corporis Chriſti requiritur vnio naturæ, fidei, & dilectionis: vnde cùm non habeant vnionem naturæ, non manducant Corpus Chriſti Sacramentaliter.

*Ad 1. Arg. Reſp.* Deum eſſe cibum Angelorum ſecundùm ſolam naturam diuinam: hominum autem, ſecundùm vtramque &c. Quamuis ex *1. Pet. 1.* & Angeli deſiderent in Chriſtum conſpicere.

Ad illud B. Aug. quòd in Chriſto manere ſit ipſum manducare. *Reſp.* De manere in ipſo per vnionem naturæ, & veram ſumptionem Sacramenti &c. *Ad illud*, de Angelo manducante in aſſumpto corpore. *Reſp.* Nec ſic ſumi Sacramentaliter, abſque vnione naturæ.

*Memb. 3.* An fideles ante inſtitutionem huius Sacramenti manducarent Corpus Chriſti ſpiritualiter? *Reſp.* Quod etſi fidem habuerint huius Sacramenti inſtituendi: quia tamen necdum erat conſecratum aut inſtitutum, non manducarunt illùd.

*Ad 1. Arg.* ex *1. Cor. 10.* *Reſp.* Eos manducaſſe Manna credendo in Chriſtum vt futurum cibum ſpiritualem: non autem vt futurum, & iam exiſtentem cibum Sacramentalem.

*Quæſt. 46.* De conditionibus ſumentium hoc Sacramentum, ex parte mentis.

*Memb. 1.* An quis poſſit ſumere Corpus Chriſti ſine peccato mortali, vel veniali? *Reſp.* Quod ſic: Ex merito, & varijs fructibus ſacræ Communionis.

*Ad 1. Arg.* Ex illo *Eccl. 9.* Nullus ſcit &c. *Reſp. 1.* De odio vel amore finali. *2.* De non abſoluta certitudine: ſed ſpe ac fiducia ſufficiente ex indicijs ſalutaribus.

*Ad 2.* Ex *1. Ioan. 1.* Si dixerimus quia peccatum non habemus &c. *Reſp.* De peccatis venialibus, vel contra ſuperbiam, ac præſumptionem innocentiæ.

*Ad 3.* Ex Prou. 20. *Reſp.* Eſſe contra præſumptionem de munditia cordis: cùm tamen *Matth. 5.* ſint Beati mundo corde.

*Memb. 2.* De exiſtente in peccato mortali.

*Art. 1.* An verè manducet Corpus Chriſti? *Reſp.* Aliqui dicebant quod non &c. Sed hoc eſt erroneum &c. Vt ſæpè ſupra.

*Art. 2.* An manducet illud Sacramentaliter? *Reſp.* Ad manducationem completam requiritur triplex vnio. *1.* Per naturam. *2.* Per cognitionem. *3.* Per Charitatem &c. Sicut non habens Charitatem, nullo modo manducat ſpiritualiter: ſic nec habens vllam cognitionem fidei, manducat Sacramentaliter.

*Memb. 3.* An exiſtens in peccato mortali, ſemper peccet mortaliter ſumendo Corpus Chriſti?

*Art. 1. Reſp.* Quod peccet mortaliter: ex *1. Cor. 11.*

*Art. 2.* An ſemper &c. *Reſp.* Quod quicumque ſcienter eſt in mortali: ſi accedit, peccat mortaliter: ſed vt dicunt, qui eſt in mortali ignorans, licet accedat, in aliquo caſu non peccat, quandò atteritur, & credit ſe contritū ſufficienter, licet non ſit; & cum hoc fecerit quæ Eccleſia ordinat exteriùs. Ad *1. Cor. 11.* Qui manducat indignè &c. diſtinguit inter indignū, & indignè &c. *Infra.* Dici poteſt, quod qui facit quod in ſe eſt .i. cum omni diligentia & modo quo poteſt & debet præparat ſe: tunc Dominus facit quod in ſe eſt, .i. confert gratiam. Sed licet faicat quod in ſe eſt, .i. præparet ſe diligenter



Digitized by Google

ſecundum conſcientiam ſuam, ita quod non ſit ſibi conſcius peccati: non eſt conſequens quod Dominus faciat quod in ſe eſt .i. conferat gratiam. Ex *1. Cor. 4.* Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.] Vbi corrigit illud vulgare. Tandem ſub finem. [Dico ergò ſine præiudicio, quod quando exiſtens in mortali non habet conſcientiam mortalis, & præparat ſe ſufficienter ſecundùm conſcientiam ſuam &c. in ipſa ſuſceptione confertur ei gratia, & reſurgit à morte peccati, & vnitur Corpori Chriſti &c. Vnde dico, quòd membra quæ ſunt vnita fortius vniuntur: & quandoque gratia collata vnit non vnitum. Ex B. Aug. *Serm. quodam de verbis Euang.* Qui manducat me viuet propter me.

*Memb. 4.* An plùs peccet hæreticus ſumendo Corpus Chriſti, quàm exiſtens in alio genere peccati? *Reſp.* Quòd infidelitas ſit maius peccatum, quàm indigna communio credentis: ſed quod huius indigna communio ſit maius peccatum quam illius, ob maiorem contemptum. *Vnde*, inquit, *hæreticus indignior accedit, credens autem in mortali, magis indignè.* *Infra.* Applicat huic myſterio illud Richardi de S. Vict. *Nonne cum fiducia dicere poterimus: ſi error eſt, à teipſo decepti ſumus &c.* Vnde error fidei maximum peccatum eſt: quia eſt ex maximo contemptu &c. Nam niſi hæreticus eſſet magis peruerſus quàm alius peccator: citiùs crederet hoc Sacramentum, quàm alius peccator præparet ſe ad dignè ſuſcipiendum.]

*Membr. 5.* An plus peccet manducans in peccato ſpirituali, an in carnali? *Reſp.* Quod ſe habent vt excedentes & exceſſi. Minùs enim peccat qui manducat Corpus Chriſti in peccato gulæ, quàm qui in peccato deſperationis, vel inuidiæ: & magis qui in peccato luxuriæ, quam iræ &c. *1.* Ob maiorem contrarietatem in effectu. *2.* Ob maiorem contemptum ex certitudine peccati carnalis, non ita ſpiritualis: *3.* Ob maiorem immunditiem & pronitatem ad opera carnis. *Infra.* Peccata ſpiritualia faciunt peccatorem indigniorem: luxuria autem acceſſum indigniorem.

*Quæſt. 47.* De conditionibus ſumentium hoc Sacramentum, ex parte carnis.

*Memb. 1.* De pollutione nocturna in ſomno.

*Art. 1.* An impediat ſacram Communionem? Reſpondet ſeuerè, & abſolutè, quòd ſic: partim ex neceſſitate, ſeu indignitate mentis & corporis, & ex peruerſo inde ordine naturæ rationalis, qui non ſolet naturaliter reparari niſi ſpatio 24. horarum; partim ex congruitate. *1.* Quia illa delectatio eſt nimis contraria Paſſioni Chriſti, & noſtræ compaſſioni. *2.* Quia in pollutione eſt nimius receſſus à Deo, contra acceſſum Dei ad nos in hoc Sacram. *3.* Propter corruptionem contrariam incorruptioni huius Sacramenti. *Propter quod*, inquit, *non eſt accedendum: niſi cauſa aliqua ſpecialis interueniat.*

*Art. 2.* De cauſis aſſignatis à S. Greg. ex quibus liceat aut non. *Reſp.* Meritò S. Greg. *d. 6. cap. 1.* diſtinguere inter illuſionem ſeu pollutionem ex ſola naturali infirmitate, quæ nil impedit: ex crapula, ſeu exceſſu, non tamen mortali, cibi aut potus, quæ nec impedit abſolutè, niſi animum concuſſerit: & ex præmeditatione voluntaria quamuis veniali; eò magis impediente, quò magis inclinat mentem ad cogitationes & affectiones inordinatas, & fortiorem relinquit impreſſionem, eſtque inde magis effectiuè & voluntariè; ex crapula autem, oritur potius materialiter & ſubreptitiè.

*Memb. 2.* An poſt Actum coniugalem liceat communicare? *Reſp.* Quod ſic, ſi ex cauſa reddendi debitum: quod non, ſi ex libidine. *De conſec. d. 2. c. 21.*

*Memb. 3.* An patientes menſtrua aut fluxum ſeminis poſſint communicare? *Reſp.* Quod ſic: quia hæc naturæ infirmitas, eſt tantùm immunditia illa legalis, quæ figurabat aliquid culpæ.

*Membr. 4.* An mulieres ſtatim poſt partum poſſint ingredi Eccleſiam, & communicare? *Reſp.* Quod ſic: niſi ex reuerentia velint aliquamdiu abſtinere. *Infra.* Quia partus fit in magna immunditia, qua inſinuatur peccatum originale &c. non debet mulier accedere ad ſacram cõmunionem antequam ſit purificata ſecundùm inſtitutionem & conſuetudinem Eccleſiæ.

*Memb. 5.* An leproſi poſſint & debeant communicare? *Reſp.* Quod ſic: nec Sacerdoti leproſo ſit interdicta celebratio Miſſæ priuatim, aut inter alios leproſos, niſi ſit nimiæ deformitatis.

*Quæſt. 48.* De conditionibus ſumentium hoc Sacramentum, ex parte conuerſationis exterioris.

*Memb. 1.* An pœnitentes debeant communicare? *Reſp.* Quod ſic: niſi ſint pœnitentes publicè, aut etiam ſecretò ante reconciliationem cum Deo & Eccleſia.

*Memb. 2.* An Torneatores poſſint communicare? *Reſp.* Quod milites quamdiu ſunt in propoſito & voluntate torneandi, non debent accedere: quia non ſunt in ſtatu ſaluandorum. Tum quia Torneamenta ſunt inhibita: *Extra De Torneam.* Tum quia peruerſè exercentur: tum quia ſunt cauſa multorũ malorum. Aliqui dixerunt quòd non durat prohibitio: quia iam fiunt ab armatis &c. ſed vt exiſtimo, adhuc durat &c. quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. *Rom. 3.*

*Memb. 3.* An Baliſtarij & Sagittarij poſſint communicare. *Reſp.* Quòd in bello iuſto licet vti armis ad ſui & ſuorũ, & maximè Reipubl. defenſionem: & qui propter has cauſas vtuntur armis, nec propoſitum habent vtendi alia cauſa, poſſunt ad ſacram communionem accedere. Qui autem indifferenter &c. grauiter peccant, etiam ratione interdictionis anathematis. Talia autem genera armorum interdicta ſunt: quia ſunt maximè mortifera.

*Membr. 4.* An pugiles poſſint communicare? *Reſp.* Quòd non: quia mortaliter peccat, qui monomachiam exercet: nec excuſatur conſuetudine, licet Eccleſia toleret ſicut meretrices & vſurarios. Ita & qui arma ad hoc benedicunt. *32. qu. 5.* Subdit duas opiniones: alteram, potiùs eſſe moriendum quàm acceptandum duellum: alteram, licitè acceptari in cauſa criminali, ſi à Iudice offeratur vel inferatur, nec ſit aliud remedium. Sed præfert primam opinionem.

*Membr. 5.* An Aleatores poſſint communicare? *Reſp.* Quòd non: ex *d. 35. cap. Epiſcopus &c.* Dicũtur autem

Digitized by Google

autem Aleatores, qui ludum Aleæ & taxillorum ducunt in conſuetudinem. Tales enim non ſunt in ſtatu ſaluandorum. 1. Ob deſiderium lucrandi & ſpoliandi proximum. 2. Ob vſuram grauiſſimam. 3. Ob mendacia, periuria, blaſphemias, fraudes. 4. Ob ſcandalum. 5. Ob contemptum prohibitionis Eccleſiaſticæ. Ludus verò Aleæ dicitur, qui ſortibus ſiue vicibus fortunæ nititur.

*Memb. 6.* An diuinatores, ſacrilegi, & carminatrices, ſeu incantatrices poſſint communicare? *Reſp.* Quod non. *c. 95. de conſec. d. 2. & 26. q. 5.* & extra *de ſortilegijs cap. 1.* Quia exercentes ſortilegia & diuinationes, ſiue artem magicam, non ſunt in ſtatu ſaluandorum. ] Hinc patet, eum loqui de talibus.

*Membr. 7.* An Hiſtriones poſſint communicare? *Reſp.* Quod nullus exiſtens in peccato mortali ſcienter debet communicare: ſed ſiue ſit Hiſtrio, ſiue alius, poſt conuerſionem non debet illi negari gratia Communionis. *De conſecr. d. 2. cap. 96.*

*Ad Arg. ex d. 2. de conſecr.* quaſi ex Hilario Papa, reuera autem ex B. Aug. *Epiſt. 118.* vt ſupra *col. 384. 385. ad 5. & 6.* Sed hîc per Hiſtriones intelligendi ſunt Magi, vel ſcandaloſi, vel infames.

*Memb. 8.* An Choreatrices poſſint cõmunicare? *Reſp.* Quòd quibus innoteſcunt mala ex vſu chorearum, cum geſtibus & cantibus quibus ſe & alios incitant ad laſciuiam: dum perſeuerant in hac voluntate, non poſſunt communicare; quia mortaliter peccant &c. Æſtimo tamen quod quandoque aliquas excuſat à peccato mortali ſimplicitas, innocentia, & puritas intentionis.

*Memb. 9.* An Fardantes ſiue Fucantes ſe, aut crines adulterinos ſiue mortuorum ſiue viuorum aſſumentes, poſſint communicare? *Reſp.* Multæ ſunt cauſæ quare tales grauiter peccant, & indignas ſe efficiunt ſacra Communione. 1. Eſt contumelia Creatoris. 2. Contemptus verbi Dei. 3. Fictio & mendaciũ. 4. Iniuria propriæ naturæ. Ex S. Cypr. Ergo ſiue ſint ſolutæ, ſiue ſint coniugatæ, peccant mortaliter. Non tamen nego quin permiſſum ſit coniugatis ornare ſe honeſtè, propter maritos: ſed ſine falſitate. Ex B. Aug. *De Conſecr. d. 5. c. 38. Infra.* Quidam dicunt quod ſi fœmina haberet maculam, quam velaret ne deformis appareret, aut fluxum capillorum pateretur, & ſtuppis ſuppleret ne deformitas riſum pareret, aut marito ſcandalum, non peccaret mortaliter. Similiter ſi ne maritus eius propter deformitatem ſcandalizaretur, & adulterium incurreret. Sed prima diffinitio, inquit, mihi videtur melior & certior. ] Quæ quidem ſeueræ opiniones ſunt prudenter applicandæ: ſed conuincunt nimiam huius ſeculi indulgentiam, & relaxationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

*Quæſt. 49.* Quibus diſpenſandum ſit hoc Sacramentum?

*Memb. 1.* An Sacerdos debeat dare Corpus Chriſti ei quem per confeſſionem ſcit eſſe in mortali? *Reſp.* Debet eum monere in ſecreto, eique negare ſi petat in ſecreto. Si verò petat in publico: aut eius peccatum eſt publicum, aut priuatum: ſi publicum, negare debet, nec prodit, quia publicum eſt: ſi priuatum, oportet dare, ne deterius contingat. Ex B. Aug. *De Conſecr. d. 2. & 2. Quæſt. 1.* ac exemplo Chriſti, reſpectu Iudæ.

*Ad 1. Arg.* De non danda medicina alicui mortifera. *Reſp.* Sacerdotem eſſe tantùm diſpenſatorem doni ac debiti alieni: quod non eſt ex ſe mortiferum, ſed ſalubre.

*Ad 2.* De non proijciendo Corpore Chriſti in ſterquilinium. *Reſp.* Non proijci à Miniſtrante, ſed ab indigno & indignè petente.

*Ad 3.* Quòd non ſit faciendum contra veritatem, propter ſcandalum. *Reſp.* Hanc nec eſſe totam rationem, nec potiſſimam: ſed potiùs debitum vitandæ proditionis criminis ſecreti. Vnde ex *Innoc. 3.* in hoc non fit contra veritatem: quia neceſſitas iuris compellit &c.

*Ad 4.* Quòd præſtaret crimen prodi, quàm nouum committi. *Reſp.* Ex Innoc. 3. Nunquam eſſe nobis peccandum, ne quis alius peccet.

*Ad 5.* Ex lege faciendi alteri quod tibi velles fieri. *Reſp.* Petens publicè, debet velle ſibi dari: quia iuſtum eſt; ſed non debet petere.

*Ad 6.* Quod non ſit dandus gladius furioſo. *Reſp.* Reddendum fore gladium furioſo repententi, ſi non conſtaret eſſe furioſum. Nec eſſet ſcandalum, ei negando gladium, reuelare eum eſſe furioſum.

*Ad 7.* Ex *Mat. 7. & 15.* De non dando Sancto aut pane filiorum canibus. *Reſp.* Non voluntariè, ſed tantùm iure coactè.

*Memb. 2.* An Corpus Chriſti dandum ſit ſuſpectis de aliquo crimine?

*Art. 1.* An ſit dandum talibus? *Reſp.* Si quis eſt ſuſpectus ſuſpicione violenta & communi, orta ex infamia publica: neque in publico, neque in occulto dandum eſt talibus Corpus Chriſti; tùm ob infamiam publicam, tùm ob præſumptionem violentam, niſi ſatisfecerit Eccleſiæ per purgationem, vel alio modo. *De conſecr. d. 2.* Si autem hæc ſuſpicio ſit ſingularis, ſolius Sacerdotis: non eſt neganda cõmunio ſi petatur in publico, ſecùs in priuato. Sed ſi ſuſpicio eſt tantùm probabilis, ſiue ſit ſingularis, ſiue ſit communis, non eſt neganda.

*Ad 1. & 2. Arg.* De præſumendo bono. *Reſp.* In dubio: tunc autem non eſt dubium, ſed iure certum. Si autem Sacerdos per Confeſſionem, vel alio modo crederet ſuſpectum eſſe innocentem, poſſet ei conferre Corpus Chriſti: vel in publico, ſi ſuſpicio eſſet particularis, vel in priuato ſi ſuſpicio eſſet publica &c.

*Art. 2.* An Corpus Chriſti dandum ſit ad purgationem ſuſpectorum? Videtur quod ſic, *ex 11. quæſt. 5.* *Reſp.* Dicunt quidam quod talis purgatio non eſt reprobanda &c. *Ex 26. q. 5. Non licet.* Aliter poteſt dici & ſaniùs, quod prædictum decretum eſt abrogatum, nec indicenda ſit talis purgatio. Vel forte non eſt intentio decreti &c. ſed vt reus hoc timore contereretur, & purgaret ſe à peccato. Cùm hoc ſit tentare Deũ: Nec Corpus Chriſti ſit ad prodendum reum, ſed potiùs ad occultandum.

*Memb. 3.* An dandum ſit Energumenis? *Reſp.* Non eſſe dandum Energumenis poſſeſſis ex propria culpa, & blaſphemis: ſed benè, vexatis à dæmone, ex ſola permiſſione Dei, ad purgationem; vt hoc Sacramento



Digitized by Google

mento muniantur & præualeant.

*Membr. 4.* An dandum ſit phræneticis vel amentibus? *Reſp.* Non eſſe dandum amentibus à natiuitate, nec furioſis actu: ſed fidelibus vſis ratione, ex fide & voto huius Sacram. vel in aliquo lucido interuallo. *Ex 1. Cor. 11. & 26. q. 26.*

*Ad Arg.* A ſimili de Baptiſmo dormientium. *Reſp.* Corpus Chriſti non poſſe ſumi niſi morali comeſtione &c.

*Memb. 5.* An paruulis dandum ſit Corpus Chriſti? *Reſp.* Non eſſe dandum paruulis, necdum vtentibus ratione ad diſcernendum hunc cibum ſpiritualem ab alijs.

*Ad 1. Arg.* Ex *d. 4. de conſecr. cap. Si quis.* Reſp. Non intelligi de tam paruulis.

*Ad 2.* Ex innocentia paruulorum baptizatorum. *Reſp.* Eſſe incapaces præparationis & Communionis Sacramentalis: ad quam non ſufficiunt habitus virtutum, abſque vllo vſu.

*Ad 3. ex d. 4. de conſecr. cap. In Eccleſia.* Reſp. Ibi per Corpus & Sanguinem Chriſti, ſignificari vnionem cum Eccleſia.

*Mem. 6.* An liceat dare peccatori petenti, hoſtiam non conſecratam, pro Euchariſtia? *Reſp.* Quod non. Tùm exemplo Chriſti: tùm ex incerto ſtatu eius interiori: tùm ex tali illicita ſimulatione & falſitate. Vt Extra *de celebr. Miſſarum cap.* De homine: In ſimili, de Præsbytero qui finxerat ſe celebrare &c.

*Quæſt. 52.* De actu manducandi in comparatione ad manducantem.

*Membr. 1.* An Corpus Chriſti debeat ſumi ieiuno ſtomacho? *Reſp.* ex B. Aug. *Epiſt. 118. cap. 6.* de conſecr. d. 2. *Placuit Spiritui S. vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani primùm Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.*

*Ad Arg.* Exemplo Chriſti poſt cœnam, & monitione Apoſtoli *1. Cor. 11.* priùs domi manducandi. *Reſp.* Ex B. Aug. *Epiſt. 118. cap. 5. 6. 7. De conſecr. diſt. 2.* Chriſtum inſtituiſſe tantùm eſſentialia & principalia, reliqua commiſiſſe Apoſtolis ordinanda: Eccleſiam autem aliquamdiu toleraſſe ſacram Communionem poſt prandium in die Cœnæ Domini.

*Memb. 2.* An ſtatim poſt ſacram Communionem liceat ſumere cibum cõmunem? *Reſp.* Multùm conuenire vt aliquantulum abſtineatur &c.

*Memb. 3.* An liceat eadem die pluries ſumere Corpus Chriſti? *Reſp.* Quòd non, ſine neceſſitate. Ex vnica morte Chriſti. *De conſecr. d. 1.* Sufficit Sacerdoti vnam Miſſam in die celebrare: quia Chriſtus ſemel paſſus eſt.

*Ad 1. Arg.* De Sacerdote bis in die celebrante. *Extra de celebr. Miſſ.* Reſp. Poſſe eſſe neceſſitatem bis celebrandi, ſicque neceſſariò bis cõmunicandi: non ſic autem extra ſacrificiũ. Ad illud *S. Ambr.* Debeo ſemper accipere, qui ſemper pecco. *Reſp.* De præparatione animi ad quotidie communicandum. *Ad 3.* Ex ſumptione plurium hiſtoriarũ ſimul. *Reſp.* Hanc non eſſe niſi vnam Communionem.

*Memb. 4.* An ſit neceſſe Sacerdotem toties cõmunicare quoties celebrat? *Reſp.* Quòd ſic. *De conſecr. d. 2. cap. Relatum.* Quia Cõmunio eſt complementum ſacrificij: & quantum ad ſignum, ex B. Aug. *lib. Sent. Proſp. de conſecr. d. 2.* & quantum ad efficaciam Sacramenti.

*Ad 1. Arg.* Ex ſubita neceſſitate dandi hoſtiam conſecratam moribundo. *Reſp.* Poſſe inde partem dari. *Ad 2.* De conſecrando potiùs indignè, quàm ſimul etiam communicando. *Reſp.* Grauius peccari non ſumendo, quàm ſumendò.

*Memb. 5.* An actus manducandi ſit, videndo, maſticando, vel guſtando &c. *Reſp.* Quod ſumptio Sacramentalis habeat fieri comedendo. *1.* Quia Mors Chriſti expreſſiùs ſignificatur comeſtione. *2.* Quia etiam effectus Sacramenti ſic expreſſiùs ſignificatur, ſiue ſit nutritio, ſiue vnio &c.

*Ad 1. 2. & 3. Arg.* Quòd cibus ſpiritualis ſumatur viſione Dei in patria. *Reſp.* Quod guſtus ſit potiùs ad refectionem ſpiritualem: nec viſio ſpeculatiua Dei, ſit tota merces, ſine experientia guſtus: nec fides viæ illi viſioni correſpondeat, niſi per dilectionem operetur *Gal. 5.* *Ad 4.* Ex potiori hîc obiecto viſibili, quàm guſtabili. *Reſp.* Guſtum expreſsiùs repræſentare finem & effectum huius Sacramenti. Adde viſum & viſibile hîc ordinari ad guſtum. *Ad 5.* Quòd manducatio ſit per fidem: fides autem ex auditu *Rom. 10.* *Reſp.* Auditum & fidem ordinari ad ſacram Communionem, per guſtum.

*Membr. 6.* An peccator peccet videndo Corpus Chriſti? *Reſp.* Quòd non: ſed quòd ſit ei licitum & ſalutare, ad recordationem Paſſionis Chriſti &c.

*Ad 1. Arg. Reſp.* Non eſſe tantam irreuerentiam in viſu, quàm in guſtu. *Ad 2. Ex 1. Reg. 6.* De Bethſamitis percuſſis ob viſam arcam Dei. *Reſp.* Quia præceptum erat ne nuda videretur &c. in ſignum quod idiotis nõ licet ſcrutari arcana Dei in ſacra Script.

*Memb. 7.* An liceat peccatori vel laico, aliquo caſu tangere Corpus Chriſti? *Reſp.* Quod ſic. v. g. ſi iaceret in luto, vel eſſet expoſitum porco aut cani &c.

*Ad 1. Arg.* Ex ſacra ad hoc ordinatione. *Reſp.* Hanc eſſe ad Conſecrationem & diſpenſationem: non autem excludere omnem aliorum contactum ex tali neceſſitate. *Ad 2.* Ab exemplo *Oſæ 2. Reg. 6.* *Reſp.* Id eſſe in figuram & exemplum Sacerdotum indignè celebrantium. *Ad 3.* Quòd Chriſtus magis abhorreat culpam, quàm lutum vel canem. *Reſp.* Non diſplicere ei hanc fidem & reuerentiam peccatoris.

*Quæſt. 53.* De Actu manducandi, in comparatione ad manducatum.

*Memb. 1.* An liceat ſumere Corpus Chriſti, ſub ſola ſpecie panis. *Reſp.* Vt à *col. 565.*

*Memb. 2.* An Euchariſtia intret in ventrem, vt cæteri cibi. *Reſp.* Quidam dicunt quod non ſolum in ventrem: ſed quocumque illæ ſpecies deferuntur. Alij quòd etiam manet in ventre, quo vſque refectionis operatio compleatur. Alij quod manet tantùm vſque ad completam ſumptionem. Alij quod quamdiu ſpecies ſunt cum aliquo ſenſu .i. ſenſibili, aptitudine. Omnes conſentiũt quod tamdiu eſt Corpus Chriſti in illis ſpeciebus, quamdiu eſt ratio Sacramenti: Hanc autem eſſe quamdiu eſt ſpecies panis, vel quamdiu eſt habilis ad refectionem humanam &c. vel vſque ad completam manducationem &c. vel quamdiu eſt ſignũ ſenſibile. *1. & 4.* opinio videtur

Digitized by Google

videtur vera. *2. & 3.* habet aliquid veri, aliquid falſi. *Subdit.* Quidam dixerũt quod Corpus Chriſti nunquam intrat in ventrem: ſed quando glutitur, tranſeat in mentem. Ex illo quaſi B. Aug. *Quamdiu habes in ore, tamdiu eſt in te: & non ducitur in ſeceſſum, ſed rapitur in exceſſum.* Quod patet nihil eſſe: cum ſolus Deus poſſit intrare in ſubſtantiam animæ &c. Si loquamur de intratione quantum ad cibandi efficaciam: ſic Corpus Chriſti non vadit in ventrem, ſed in mentem, vt dicunt Sancti. Si loquamur quantùm ad ſubſtantiam, ſic vadit in ventrẽ.

*Ad 1.* Ex *Mat. 15. Reſp.* Chriſtum ibi loqui de cibis corporalibus, qui mutãtur in comedentem. *Ad 2.* Ex adoratione Chriſti vbicumque ſit. *Reſp.* Non eſſe adorandum exteriùs, vt in ventre: quia non poteſt conſtare quamdiu ibi ſit. Deinde in ipſa ſumptione eſſe adorandum. *Æſtimo autem*, inquit, *quod vbicumque creditur eſſe, ſiue in ventre ſuis, ſiue in ore vel ſinu viri aut mulieris: ibi ſit adorandum interiùs, non exteriùs. Solent enim aliqui deferre Corpus Chriſti, vt de illo aliquid flagitioſum faciant &c.*

*Memb. 3.* An Corpus Chriſti euomatur? Quidam dicunt quod non, idque intelligi de ſolo Sacramẽto. Sed *Reſp.* quòd ſic, ſi ſpecies perſiſtant in ſuo vero eſſe. Ex Beda & alijs *De conſecr. d. 2.*

*Ad 1. Reſp.* Euomi ob neceſſariam coexiſtentiam cum ſpecie conſecrata. *Ad 2. Reſp.* ex Membr. 2. *Ad 3.* De nimis graui pœna Canonica: *de conſecr. d. 2. Reſp.* Hanc eſſe ad maiorem cautelam; & ob culpam negligentiæ ac temeritatis.

*Membr. 4.* An Corpus Chriſti ſit ſumendum ſub propria ſpecie carnis?

*Art. 1. Reſp.* Non debuit dari ſub ſpecie propria Carnis, ſed panis & vini. *1.* Ad meritum fidei. *2.* Contra horrorem. *3.* Contra opprobrium infidelium. *Infra.* Sed ſi poſt conſecrationem appareret forma Carnis aut pueri: eſſetne ſumenda? *Reſp.* Quod non: ex S. Hier. *in Leuit. De conſecr. d. 2.* De hoſtia quæ in commemoratione fit, edere licet: de illa verò quam Chriſtus in ara Crucis obtulit, ſecundùm ſe non licet. ] Vnde debet reponi in aliquo vaſe mundiſſimo, & haberi pro reliquijs. *Contra.* Qui celebrat, debet Corpus Chriſti ſumere. Ad hoc dicunt quidam quòd debet toties quoties celebrare, donec ſumpſerit. Hoc autem, vt æſtimo, non oportet: ſed in tali caſu ſufficere poſſet ſumptio ſpiritualis; quia non debet ſumi niſi ſub ſpecie quam Chriſtus inſtituit.

*Art. 2.* De tribus illis cauſis non ſumendi, niſi ſub ſpecie panis & vini, earumque approbatione. Ex S. Greg. S. Aug. & varijs rationibus ac miraculis.

*Art. 3.* An quod apparet ſub forma carnis vel pueri in altari, ſit Corpus Chriſti? *Reſp.* In caſu propoſito nihil me ſcire confiteor. Vnde dico tantùm opinando: Videtur inſipientiæ meæ, quòd quando poſt conſecrationem apparet puer vel caro aut ſanguis, eſt verus Chriſtus ſeu Chriſti; quia hoc fit ad roborandam fidem huius Sacramenti &c. Ergò debet fieri per indicia vera, & non ficta: quando illæ apparitiones fiunt à Deo, non autem ab homine, vel fortè diabolo. Colligit etiam ex eo quod Guidmundus, exemplo Lanfranci, vocet talem Carnem & Sanguinem Domini: Et ex eius adoratione.

*Ad 1. Arg.* Ex duplici tantùm forma Chriſti. *Reſp.* Verum eſſe regulariter, citra miraculum. *Ad 2.* Quòd talis caro apparens aliquando putreſcat, vt in Marchia Tereuiſana. *Reſp.* Quod non, quando eſt à Deo. Adde quod ſi ſpecies conſecrata poſſit putreſcere: cur non & miraculoſa? *Ad 3.* Ex ſpecie panis forte adhuc latentis ſub forma carnis apparentis. *Reſp.* Ipſam Carnem Chriſti velatam ſpecie panis poſſe à Deo reuelari, ſeu tranſparere. Si autem quæratur quomodo poſſet ſimul apparere & velari, vel ita apparere cum ſit glorioſa. *Reſp.* Sicut Angelus in corpore aſſumpto oſtendit ſe cui vult, aut non: & ſicut Chriſtus rediuiuus apparuit.

*Memb. 5.* An reſolutis ſpeciebus conſecratis redeat ſubſtantia panis & vini? *Reſp.* Ex Innoc. Sicut miraculosè ſubſtantia panis conuertitur in Corpus Chriſti: ſic ipſum *quodammodo* miraculosè reuertitur, cùm deſinit eſſe &c. Hoc facit diuina virtus in conſummatione iſtius Sacramẽti: exigente eius fine, gratia fidei, ordine deſinendi vt incipiendi, & naturâ rerum conſeruationem appetente. Quòd ſi panis tranſiret in Corpus Chriſti, & Sacramentum deſineret eſſe, nec Chriſtus eſſet niſi in Cælo: ſubſtantiæ panis quæ tranſijt nullus remaneret actus, nec locus, nec vſus. Quod nec natura, nec Conditor naturæ debet facere. Si ergò hoc Sacramentum ita peragitur, vt nec faciat præiudicium naturæ, nec gratiæ, nec fini, nec ordini rerum: reſtat quod redit ſecundum Innoc. Quod *ad præſens* tenemus: quia inter cæteros modos videtur magis conſonus fidei, rationi, & ſenſui, qui manifeſtè ſentit ſe refici. Et quia cùm panis tranſit non fit annihilatio: ideò cum redit non eſt creatio, nec recreatio; ſed mutatio ſingularis competens conuerſioni. Et quia non dicitur aliquid redire in ſimili: ideò eſt reuerſio panis eiuſdem, non alterius.

*Ad 1. Arg.* Quòd non eſt, non poteſt redire. *Reſp.* Poſſe æquè redire, ac tranſire. *Ad 2.* Sicut conuerſio non ponebat mutationem niſi in termino initiali: ſic reuerſio niſi in termino finali. Sed ſicut à ſe tranſijt in aliud: ſic ab alio redit ad ſe. Et illud neceſſe eſt ponere. Nam ex tranſitu panis in Corpus Chriſti, *neceſſariò fit corpus in pluribus locis.* Si ergò poſt conſummationem Sacramenti nuſquam reperitur niſi in Cœlo: *neceſſe eſt quod ſoluatur prior conuerſio, per reditum panis ab illo in quod tranſijt. Ad 3.* Quod ſi fiat reuerſio ſoluatur conuerſio. *Reſp.* Per hoc Corpus Chriſti non conuerti in panem: ſed ſicut prior conuerſio nullam ponebat mutationem in Corpore Chriſti, ſic nec reuerſio. *Ad 4.* Non eſt contra Dei bonitatem vti pane ad aliquem finem nobiliorem: quo obtento redeat ad ſuum eſſe, & finem naturalem. Ad reliqua *Reſp.* Panem non redire propter accidentia: ſed ad nouam conuerſionem ſubſtantialem, quæ non poteſt fieri ex Corpore Chriſti. Hæc potiùs de Tranſubſt. ſed ad conſtantiam Doctrinæ.

### *Ex Doctrina S. Bonauentura.*

*Diſt. 9.* De Communione ſpirituali & ſacramentali, per 6. dubia in textum Magiſtri, & duos Art.



Digitized by Google

ac plures Quæſt. vt Alenſis ſupra, paucis exceptis.

*Art. 1. Quæſt. 1.* De duplici modo communicandi, ex triplici principio. Vt Alenſis.

*Quæſt. 2.* De Communione ſpirituali per fidem: Vt Alenſis.

*Quæſt. 3.* De Communione Sacramentali: verbatim vt Alenſis.

*Quæſt. 4.* De Communione Sacramentali, non ſpirituali, ipſius Chriſti: vt Alenſis.

*Art. 2. Quæſt. 1.* De Communione Sacramentali indignorum: vt idem.

*Quæſt. 2.* De peccato mortali cōmunicandi ſcienter in ſtatu pecc. mort. Vt Alenſis.

*Quæſt. 3.* De excuſatione præparantis ſe probabiliter, ſed non ſufficienter. Vt Alenſis.

Niſi quod tantùm exprimat excuſationem à peccato: non autem fructum remiſſionis pecc.

*Ad 4. Arg.* Monet indeuotionem hîc ſumi contrariè, pro peccandi propoſito.

*Quæſt. 4.* De peccato, dandi Corpus Chriſti peccatori publico: negandi occulto; quia habet ius exterius petendi.

*Diſt. 13. Art. 2. Quæſt. 1.* An Corpus Chriſti traijciatur in ventrem muris. Refert duas opiniones. 1. Quòd Corpus Chriſti adhæreat inſeparabiliter ſpeciebus incorruptis, in quouis loco; nec ideò à mure manducetur, cùm nullatenus ab eo attingatur; nec inde vileſcat, ſed potiùs glorificetur: noſtra autem ſuperbia inde confundatur, quæ loca humilia & viles veſtes refugit. 2. Quòd Corpus Chriſti nullatenus deſcendat in ventrem muris: quia eſt tantùm ordinatum ad vſum humanum &c. *Et hæc,* inquit, *opinio, communior eſt, & certè honeſtior, & rationabilior &c.*

*Quæſt. 2.* An Corpus Chriſti deſcendat in ventrem hominis. Refert verbatim ex Alenſi *q. 5. M. 1. a. 2.* illas 4. opiniones. Deinde ſubdit.

Videtur prima opinio nimis ampla: quia tunc & mus in ventrem traijceret, & in cloacam deſcēderet. Quod aures piæ abhorrent, & ſi diceremus hæretici & infideles deriderent nos. Similiter 4. opinio videtur nimis arcta &c. Nec verbum Hugonis intelligendum eſt quoad actum ſentiendi, ſed quoad idoneitatem. Et ſentit etiam homo deſcenſum cibi quouſque quieſcat in ſtomacho.

*De dualus medijs &c.* probabile eſt, quòd ſumptione completa, cùm iam Sacramentū habuit finem ſuum, deſinit eſſe Sacramentū &c. Quamdiu enim Chriſtus eſt ſub ſpeciebus illis, eſt adorandus: ſed ſtultus eſſet qui adoraret Chriſtum in ventre manducantis.

## *Conciliatio cum Alenſi.*

1. Quòd non diſſentiant quin Corpus Chriſti nullatenus manducetur Sacramentaliter, imò nec realiter ab vlla beſtia. 2. Quod neuter propriè opinetur, ſed magis minuſvè adhæreat huic, vel illi opinioni. 3. Quod S. Bon. ſupponat Sacramentum non ſumi etiam materialiter à mure, niſi corroſum & corruptum in ratione Sacramēti: ab homine autem. ſumi adhuc integrum vſque in ſtomachum. 4. Quòd S.Bon. extendat quartam opinionem ad perſeuerantiam Sacramenti quamdiu eſt ſenſibile aptitudine.

Vnde iudicat ſecurius,& auctoritatibus conformus, quòd quando ſpecies ſacræ euomuntur, ſint adhuc Sacramentum, & contineant Corpus Chriſti. Hinc tantùm diſſentire videntur: quòd Alenſis plus deferat ſtabili inſtitutioni Chriſti: S. Bon. cuidam honeſtati, & captui humano. Sed eos in hoc ipſo conciliet Scotus *col. 417. 418.* Quòd Corpus Chriſti non moueatur à mouente ſpecies conſecratas: ſed à ſolo Deo, ſeu à ſeipſo ad motum ſpecierum; ſicque nec comedatur, nec traijciatur in ventrem muris. Cumque non ſit indecens, ſed glorioſum Deo eſſe vbique: cur non deceat Corpus Chriſti eſſe, vbi eſt eius diuinitas?

## *Ex Doctrina Scoti.*

*Diſt. 8. Quæſt. 3.* An Sacramentum Euchariſtiæ poſſit recipi à non ieiunis? *Reſp.* Poteſt quis recipere hoc Sacramentum. 1. nec Sacramentaliter nec ſpiritualiter. 2. Sacramentaliter, non ſpiritualiter. 3. Sacramentaliter & ſpiritualiter. 4. Spiritualiter, non Sacramentaliter. Primo modo, recipiendo hoſtiam conſecratam: ſed non ex fide huius Sacramenti. 2. Ex fide, ſed ſine diſpoſitione neceſſaria ad eius fructum. 3. Ex fide & debita diſpoſitione. 4. Solo affectu debito, abſque externa Cōmunione. De ſolo tertio modo habet hæc Quæſt. difficultatē.

Diſtinguo ergò de ieiunio naturæ, & Eccleſiæ: Hoc non ſoluitur niſi per aliquam refectionem extraordinariam contra morem Eccleſiæ: non per ſacrarum ſpecierum ſumptionem, vel medicinam, vel potum ſaltem poſt prandium. Sed ieiunium naturæ, eſt carentia cibi ſuſcepti in ſtomacho, vel in via ad ſtomachum: ita quod nihil intret ſtomachum à pricipio illius diei. Similiter diſtinguo debere aut licere, regulariter, vel in caſu particulari.

Dico, quòd regulariter oportet ſuſcipientem eſſe ieiunum ieiunio naturæ: ex inſtitutione Chriſti, per ſe vel per ſuos Apoſtolos aut Eccleſiam, ad reuerentiam Sacramenti. Non tamen in periculo mortis, ad communicandum pro viatico: nec in neceſſitate perficiendi ſacrificium; quia hoc præceptum eſt maius illo. *De conſecr. d. 2.* Subdit modum ſupplendi ſine ſcandalo conſecrationem vini, quando poſt ſumptionem percipitur non fuiſſe vinū ſed aquam: reſumendo à, *Simili modo, poſtquàm cœnatum eſt &c.*

Ad Arg. Ex *1. Cor. 11.* Si quis eſurit domi manducet. *Reſp.* Non ante Euchariſtiam, ſed poſt: quia ibidem repræhenduntur qui pranſi communicabant.

*Diſt. 9. Quæſtio vnica.* An exiſtens in peccato mortali peccet mortaliter percipiendo Sacramentū Euchariſtiæ? *Reſp.* Poteſt quis eſſe in peccato mortali tripliciter. 1. Peccando actu. 2. Poſt peccatū oblitum ſine pœnitentia. 3. Poſt pœnitentiam, ſed non Sacramentalem.

Qui communicat peccando actu mortaliter: ſimpliciter manducat indignè. Qui communicat in peccato mortali præterito, ex culpabili negligentia recordandi & pœnitendi: minus quidem, ſed grauiter peccat. Ex *1. Cor. 11.* Probet autem ſeipſum homo &c. Si autem ex obliuione naturali, non peccat. Quia talis obliuio eſt inculpabilis: nec impedit valorem cōtritionis aut confeſſionis, ad ſalutem: nec

Digitized by Google

nec requiritur maior certitudo ad ſacram Communionem. Alioquin ſemper ſubeſſet periculum peccandi, nec eſſet Sacramentum viatorum, quorum non eſt alia certitudo. *Propter hoc dico, quod diligenti inquiſitione facta ſecundum poſſibilitatem noſtra fragilitatis, & præmiſſa Contritione ac Confeßione quanta videtur homini ſufficere: ſi tunc communicet, non peccat; imò ſi qua alia lateant, per iſtud Sacramentum remittuntur.*

*De 3. dico*, quod ſi occurrat opportunitas, tenetur priùs confiteri, quàm cõmunicare. Quia non tantùm debet reconciliari Deo, ſed Eccleſiæ, ad hoc vt dignè recipiat Sacramentum Eccleſiaſticæ vnitatis. Si autem non occurrat opportunitas confitendi, ſi poteſt ſine ſcandalo, tenetur non communicare &c. Si vero occurrit ſcandalum, niſi ſtatim communicet: vt ſi eſt indutus ad celebrandum, nec habet in promptu *idoneum Confeſſorem*, tunc cum Contritione, & voluntate confitendi tempore opportuno, poteſt celebrare vt ſcandalum euitetur. Et ſi quis cùm eſt conſuetudo in aliqua Religione vel Eccleſia vt omnes communicent, non habet tunc *idoneum Confeſſorem*: poteſt tunc non confeſſus cõmunicare &c. vt euitet ſcandalum &c. Quia dilatio confeſſionis in actu, quæ nunc habetur in effectu, non excludit quin ſit etiam membrum Eccleſiæ militantis, habile ad actus in quibus membra communicant, & tenetur vitare ſcandalum proximi.

## *Supplementum Dogmaticum.*

1. Ex *85. 107. 108.* Quòd ſoli homines viatores ſint capaces miniſtrandi & ſuſcipiendi Sacramenta: ſpecialiter autem hoc, quod non conſecratur niſi propriè loquendo, nec realiter ſuſcipitur niſi comedendo, Communione exteriori, quæ non poſſunt eſſe niſi inter homines viatores. Contra errorem & abuſum reprobatum in Conc. Carth. *3. cap. 6.* ingerendi Euchariſtiam corporibus defunctorum.

2. Ibid. & *col. 198. 368. 380. 381.* Quòd ſoli baptizati ſint capaces reliquorum Sacramentorum: ſpecialiter huius, quoad fructũ nutritionis ſpiritualis, quæ ſupponit regenerationem. Nec obſtat *Innoc. 3. cap. Veniens de Bapt.* quem ſequitur *Marſil. in 4. q. 6. a. 2.* quia vel loquuntur tantùm de Cõmunione ſpirituali Catechumenorum, vel de ſola Communione reali abſque fructu Sacramentali, vt de pueris infra vel de pane benedicto Catechumenorum. De quo B. Aug. *lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 26.* Cùm non poſſit offerri Corpus Chriſti, niſi pro eis qui ſunt de Corpore Chriſti, ex B. Aug. *1. de anima 9.* quantò minùs eis dari? Nec illud *Ioan. 6.* Niſi manducaueritis &c. ſe extendit ad paruulos, niſi quoad neceſſitatem regenerationis in Corpus Chriſti myſticum, ad participandum Sacramentaliter vero Corpori Chriſti. Vt patet ex *col. 381. 382. 383.*

3. Ex *col. 369. 384.* De neceſſario ſtatu gratiæ ad Communionem Sacramentalem.

## *Supplementum Scholaſticum.*

1. Ex *col. 108. 368. 370. 381. 383.* De neceſſario aliquo vſu rationis ac fide, ad Communionem Sacramentalem. Quæ doctrina Scholaſtica Alenſis ſupra, videtur conformior inſtitutioni & mandato Chriſti, dandi & recipiendi moraliter ſeu voluntariè hoc Sacramentum: & praxi hodiernæ, non dandi amplius vllis nunquam vſis ratione. Nec obſtat alia praxis antiqua, vt patet ex *col. 383. 384.*

Sed *Diff.* eſt inter Scotum ſupra. *col. 449. 450.* & Alenſem hîc, quoad reditum aut non, eiuſdem numero ſubſtantiæ panis & vini ad corruptionem ſpecierum & nouam generationem. *Reſp.* Scotum referre quidem & agitare illam opinionem *Innoc. & Alenſis*: non tamen ex propria ſententia reprobare; ſed etiam quaſi implicitè approbare ibid. *Conc. 4.* Quòd in inſtanti corruptionis redeat ſubſtantia compoſita, ad quam diſponunt accidentia &c. Redire autem propriè eſt eiuſdem numero: quod præfuit, ſaltem quoad materiam. Vt autem ſit corruptio ſubſtantialis, ſupponit etiam reditũ eiuſdem quoad formam, quæ corrumpatur. Nec obſtat quod Scotus tantùm exponat reditum ſubſtantiæ generandæ: quia per huius expreſſionem, non negat; ſed potiùs ſupponit reditum ſubſtantiæ corrumpendæ, ex qua noua generetur.

## *Supplementum Morale.*

1. Quòd Scotus hîc non videatur ſatis expreſſiſſe ieiunium naturale etiam à medicina, & ab omni extrinſeco in ſtomachum traiecto: non autem ab omni humore intrinſeco, aut ſaliua ſeu inſtar ſaliuæ. Niſi per illud, *Nihil*, intelligat non tantùm nihil cibi, ſed etiam nihil extrinſecum. Quodque ait, *vel in via &c.* non vult ſolui hoc ieiunium per ea quæ ſumuntur vſque ad fauces, quamuis expuantur, vel non perueniant ad ſtomachum: ſed per hoc excipit ea quæ aliunde diſtillant in ſtomachum, quàm per os & fauces: vt ſit ſenſus, quòd quæ per viam cibi vſque ad ſtomachum ingrediuntur ſtomachum, ſoluant hoc ieiunium.

2. Quòd non ſatis exprimat hanc legem ieiunij eſſe tantùm Eccleſiaſticã, ab ipſis Apoſtolis. Quamuis enim à B. Aug. *Epiſt. 118.* tribuatur placito Spiritus S. eidem tamen Spiritui S. per SS. Apoſtolos tribuitur lex abſtinendi à ſuffocatis & ſanguine *Act. 15.* Vnde excipiendi ſunt ab hac lege omnes caſus iuris naturalis, aut diuini. Qualis eſt caſus neceſſariæ præſeruationis huius Sacramenti à periculo grauis irreuerentiæ, ex iure naturali. Caſus neceſſariæ perfectionis ſacrificij ſub vtraque ſpecie, ex iure diuino. Caſus neceſſariæ Communionis pro viatico ægroti, toties quoties de vita periclitatur, in eodem etiam morbo: ex maiori iure, ac neceſſitate. Denique fortè etiam caſus vitandi ſcandali, infamiæ, aut mali alicuius publici, defectu Miſſæ diebus feſtis aut Dominicis, aut viatici pro infirmis prouidendi. Non quod liceat Sacerdoti non ieiuno toties quoties conſecrare pro viatico neceſſario, etiam extra ritum Miſſæ: vt vult Maior *in 4. diſt. 9. q. 3.* ſed quod poſſit occurrere tanta neceſſitas, celebrandi Miſſam ad vitandũ ſcandalum, infamiam, aut graue malum: vt reuera præualeat ieiunio. Qui caſus in particulari pendent ex prudenti ponderatione ac præponderatione legum inter ſe.

3. Quòd Scotus non ſatis exprimat, an communicans

Digitized by Google

cans in peccato mortali oblito, per hoc Sacramentũ recipiat gratiam, abſque vlla, vel cum aliqua ſaltem attritione de peccato oblito. Sed videtur id ſatis ſupponere in præmiſſa illa contritione & præparatione ad ſacram Communionem: quæ includit ſaltem virtualem pœnitentiam de omnibus quæ obſtant dignæ Communioni. Quæ Doctrina Scoti optimè concordat cum Alenſi ſupra *Quæſt. 46.* Nec diſcordat à S. Bon. *diſt. 9. art. 2. q. 3.* Quia hic nunquam diſſentit ab Alenſi, niſi valdè expreſsè: hic autem non ſe ſatis exprimit, de vera præparatione per aliquam Pœnitentiam ſupernaturalem.

4. Quòd Scotus neceſſitatem præconfitendi tribuat obligationi reconciliandi ſe Eccleſiæ, ante ſacram communionem: quaſi tantùm pro peccatis externis, contra periculum ſcandali. Sed poteſt intelligi de reconciliatione Deo per Eccleſiam, Sacramento exteriori ac certiori, ad communicandum cum ea in tanto etiam Sacramento gratiæ ſuppoſitæ & augendæ.

5. Quòd Scotus tantùm exprimat periculum ſcandali, & defectũ Confeſſarij idonei, ſine præuia Confeſſione & Abſolutione Sacramentali: cùm Conc. Trid. *ſeſſ. 13. cap. 7.* exprimat neceſſitatem vrgentem celebrandi aut communicandi, & defectum Confeſſarij. *Reſp. 1.* Scotum optimè reuocare omnes vrgentes neceſſitates ad periculum ſcandali: contra Vaſqueſium, qui *diſp. 208. cap. 2. & diſp. 209. cap. 3.* negat periculum ſcandali ſufficere ad Cõmunionem actiuam aut paſſiuam alicuius indigni, ſed ſolum periculum infamiæ: quaſi inde non poſſet dari ſcandalum ſed tantùm accipi, nec vnquam omittendum ſit vllum præceptũ propter periculum ſcandali. Non tantùm quia ſub nomine ſcandali ſolet intelligi periculum cuiuſuis mali publici, proprij aut alienĩ: ſed etiam quia ſæpè ſubeſt periculum propriè ſcandalizandi alios, ſic reuelando proprium aut alienum peccatum occultum, & præbendo occaſionem humanæ fragilitati reuelandi aliena peccata, aut eadem imitandi, aut perſonas contemnendi, aut murmurandi, indignandi, vindicandi &c. imò & ſacram noſtram Religionem in ludibrium, opprobriũ, & horrorem traducendi. Quæ incomparabiliter præualent periculo infamandi ſeipſum aut complicem: cùm peccatores minùs habeant iuris ad ſuam famam contra reuerentiam huius Sacramenti; quàm alij ne inde ſcandalizentur. *Reſp. 2.* Scotum etiam ſub defectu idonei Confeſſarij optimè ſignificaſſe non tantùm defectũ cuiuſuis capacis ad abſolutionẽ Sacramentalem: ſed etiam ad abſoluendum directè ac integrè, & ad cauendum ſimile periculum ſcandali vel infamiæ. Nec obſtat, ſed potiùs fauet Trid. tam per *vrgentem* illam *neceſſitatem*; quæ latè patet; quàm per *copiam Confeſſarij*, quæ non tantùm ſignificat ſimplicem capacitatem abſoluendi, ſed etiam ſecuritatem, fiduciam, oportunitatem, ſeu præſentiam & commoditatem moralem. Nec eſt contra S. Bonau. dubio 1. *in diſt. 13.* Quia ibi loquitur de more Religioſorum confitendi ſub ſacro cantato: abſque ſcandalo, aut infamia de vllo grauiori peccato, ſaltem inter perſonas conſcientioſas.

# QVÆSTIO XI.

## *Qui ſint effectus, fructus, & finis proprius huius Sacroſancti Sacrificij?*

### Ex Doctrina Alenſis.

QVæſt. 41. De efficacia Sacramenti Euchariſtiæ. *Membr. 1.* De ablatione mali.

*Art. 1.* An virtute huius Sacramenti deleantur peccata venialia. *Reſp.* Quod ſic: ex illo S. Ambr. *Debet ſemper accipere, qui ſemper peccat.*

Ex Innoc. 3. *Debet venialia, & cauet mortalia.* Et ex Magiſtro Sent. *diſt. 12.* Quia hoc Sacramentum eſt in augmentum virtutis, & medicinam quotidianæ infirmitatis.

*Ad 1. Arg.* Quòd Contritio hic neceſſario deleat venialia. *Reſp.* Gratiam Contritionis opponi ſolis mortalibus, non venialibus: quia hæc non auertunt à Deo, ſed tantùm diuertũt inordinatè ad creaturã.

*Ad 2. Reſp.* Gratiam delere ſimul omnia peccata mortalia: quia omnibus opponitur, quatenus auertunt à Deo: non ſic autem venialia.

*Ad 3.* Quod vel nulla, vel omnia venialia ſimul deleantur. *Reſp.* Deleri vi huius Sacramẽti quæ ſunt ex defectu Charitatis, & Fidei, tanquam finis eius primarij, & ſecundarij: prout ad plura, vel pauciora ſe extendit deuotio communicantium. *Ad 4.* infra. *Ad 5.* Quod venialia magis inhæreant, quam mortalia. *Reſp.* Non magis inhærere: ſed oriri ex cauſa tenaciore. *Ad 6. & 7.* Quod ſi deleret venialia, non eſſent confitenda: ſicut nec mortalia ante Baptiſmum commiſſa. *Reſp.* Non conſtare quænam venialia remittantur: nec eſſe ſimile de peccatis ante Baptiſmum, quia venialia non tollunt gratiam. *Ad 8.* Quod ſicut peccatũ mortale actuale eſt obex Baptiſmi, ita & veniale ſit obex huius Sacramenti. *Reſp.* Peccatũ mortale actuale eſſe obicem, non veniale: quia mortalia non poſſunt remitti niſi omnia ſimul, ſed venialia etiam ſeorſim.

*Art. 2.* An virtute huius Sacramenti deleantur mortalia. §. 1. An quoad culpam, *Reſp.* Ex Innoc. 3. *A malo liberat, & conſeruat in bono: venialia delet, & cauet mortalia.* 1. Ex tota Oratione Domin. *Mat. 5.* 2. Ex illo B. Aug. 1. *De Anima 9.* De non offerendo Corpore Chriſti niſi pro membris Chriſti. 3. Ex illo Ambr. De Innocentiã ad altare apportanda. 4. Ex 1. *Cor. 11.* De manducantibus indignè.

Hinc *Ad 1. Arg.* De modo quo hic remittuntur mortalia: per præſeruationem, & emendationem. *Ad 2. Reſp.* Non de vnione prima cum Chriſto, ſed conſtantiore. *Ad 3. Reſp.* De purgatione omnium ſordium, quoad reliquias. *Ad 4.* Non de prima, ſed de continuata viuificatione. *Ad 5.* Ex illa Collecta, Sit ablutio ſcelerum &c. *Reſp.* De perfecta ablutione. *Ad 6.* ex *Ioan. 6.* Viuet in æternũ &c. *Reſp.* Non de merito vitæ æternæ: ſed de corroboratione in bono ad vitam æternam. *Nam*, inquit, *gratia gratum faciens eſt cauſa merendi; ſed virtus Sacramenti cooperatur merenti, roborando, & conſeruando.* *Ad 7.* Ex æquali ſigno, & vi Paſſionis Chriſti in Baptiſmo, ac Euchariſtia. *Reſp.* Quod Baptiſmus ſignificet primò Paſſionem Chriſti in fieri: Euchariſtia

Digitized by Google

riſtia, ipſum Chriſtum paſſum. Nec hoc eſt contra, ſed pro excellentia huius Sacramenti, quod non ſit niſi filiorum.

*Ad 8.* De efficacia huius Sacrificij. *Reſp.* Eſſe ex ipſa morte Chriſti.

*Ad 9.* Videtur concedere Paſſionem Chriſti fuiſſe ſignū huius Sacrificij: ſed *Reſp.* De ſigno exemplari huius, non exemplato. Subdit enim, immolatio illa melior fuit, quam iſta: ſed iſta eſt in memoriā illius.

§. 2. An quantum ad pœnam. *Reſp.* Sine præiudicio, quod effectus iſtius Sacramenti non eſt dimiſſio pœnæ principaliter: nihilominus dimittitur pœna frequenter, ſed magis ex diſpoſitione ſuſcipientis. Ex figura Agni Paſchalis comedendi cum lactucis agreſtibus, *Exod. 12.*

*Ad 1. Arg.* Quòd ſi indigna Cōmunio, eſt ad culpam, & pœnam: quanto potius digna Communio liberat à culpa, & pœna? *Reſp.* Neg. paritatem: quia illud eſt ex iuſtitia citrà condignum: hoc autem ex ſola gratia, ſine comparatione ad Iuſtitiam.

*Ad 2.* Ex hac quaſi violenta medicina. *Reſp.* Hanc medicinam non nocere indignis, vlla ſua violentia: ſed ſola eorum indignitate.

*Memb. 2.* De collatione boni. An hoc Sacramento augeantur virtutes. *Reſp.* Quod ſic: ſed potius quoad robur, contra aduerſitates, remedium contra voluptates, & medicinam venialium: quam quoad augmentum ſecundùm eſſentiam virtutum; ideoque hinc non perueniri ad ſummum gradum virtutum in via.

*Ad Omnia Arg. Reſp.* Virtutes augeri per Baptiſmū quoad expeditionem ſuorum actuum: per confirmationem, quoad facilitatem confitendi fidem Chriſti contra ardua; per hoc Sacramentū, quoad maiorem radicationem, ex charitate feruentiori ac fortiori. Primus, & proprius effectus huius Sacramenti eſt vnio membrorum cum Chriſto Capite, & inter ſe, per Charitatem.

*Memb. 3.* In quibus hoc Sacramentum habeat efficaciam.

*Art. 1.* An in malis ſeu iniuſtis. *Reſp.* Quod non: propter eorum ingratitudinem, & contemptum.

*Ad 1.* Ex Fabiano Papa præcipiente omnibus trinam in anno Communionem, in Paſchate, Penthecoſte, & Natali Domini: exceptis maioribus criminibus. *Reſp.* Omnia peccata mortalia dici maiora, reſpectu venialium, quæ etiam iudicanda ſunt.

*Ad 2.* Ex reuiuiſcentia effectus in Baptiſmo. *Reſp.* Baptiſmum imprimere characterem, diſponentem ad gratiam, ſubſequente pœnitentia: Ex hoc autem Sacramento indignè ſumpto, ſubiectum non diſponitur, ſed potius opponitur eius effectui.

*Ad 3.* Quòd charitas Chriſti in hoc Sacramento bene ſapiat, ſeu placeat etiam indignis. *Reſp.* Non vt oportet: niſi guſtui qui eſt eius particeps.

*Ad 4.* Ex Damaſc. à ſimili carbonis igniti. *Reſp.* Quod ſicut carbo ignitus auget ſibi ſimile, ſed nocet ſuo contrario: ita & Caro Chriſti.

*Ad 5.* De eo qui cum ſit in mortali ignorans, attritus & confeſſus communicat. *Reſp.* Sine præiudicio, quod non aſſequatur effectum Sacramenti, quantum eſt ex vi ipſius: quia tamen largitas Diuina non eſt limitata, nec virtus eius alligata Sacramentis, piè poteſt ſupponi quod gratiam aliquam, vel donum aſſequatur à Domino.

*Art. 2.* An habeat efficaciam in quibuſuis iuſtis. *Reſp.* Quod quandoque accedant tam tepidè, & indeuotè, vt nullum reportent commodum, licet non incurrant offenſam mortalem. Requiritur ergo, vt ſe præparent, & cum deuotione, ac reuerentia accedant, ex *1. Cor. 11.*

*Ad 1.* Ex non obice. *Reſp.* Hanc ipſam omiſſionem, eſſe obicem. *Ad 2.* Ex Cōmunione ſpirituali cuiuſuis iuſti manentis in Chriſto. *Reſp.* Communionem ſpiritualem non eſſe cuiuſuis digni: ſed dignam, prout opponitur indignæ, 1. Cor. 11. *Ad 3. & 4.* De carbone ignito, & innocentia apportanda ad altare. *Reſp.* vt ſupra, hancq; innocentiā debere eſſe etiam ab omiſſione decentis diſpoſitionis. *Infra.* Exiſtimo ſine præiudicio, quod iuſtus ad ſacram Communionem, licet negligens fuerit in præparando ſe modo debito & ſufficienti: dummodò non cadat à iuſtitia, aſſequatur aliquo modo effectum principalem huius Sacramenti .i. vnionem firmiorem cum Capite & membris, & inde fortior efficiatur contra tentationes. Hoc opinando dico, non aſſerendo.

*Ad vlt. Reſp.* Iuſtum cōmunicantem cum conſcientia erronea peccati mortalis, peccare mortaliter ex contemptu.

*Art. 3.* An hoc Sacramentum habeat maiorem efficaciam in ſumente Sacramentaliter & ſpiritualiter, quam ſpiritualiter tantùm. *Reſp.* Quod ſic. Valet enim, inquit, Communio Sacramentalis ad guſtum ſpiritualem Diuinitatis, & tranſlationem ad Diuina &c. Valet ad cognoſcendum diuinam liberalitatem &c. Vnde æſtimo quod incentiua carnis ſedantur ex Sacramentali manducatione. Item, ad cognoſcendum Diuinam Sapientiam &c. Valet etiam ad augmentum meriti, ex recordatione Paſſionis Chriſti.

*Ad 1.* Quod manducatio ſpiritualis ſit per fidem, & dilectionem. *Reſp.* Quod nihilominus manducans Sacramentaliter aſſequatur inde aliquod commodum &c. Quia Corpus Chriſti aſſumptum Sacramentaliter, tranſit in Animam per effectum aliquem. Vnde *Hugo de S. Vict.* Tranſit de ore ad cor &c. *Ad 2.* Quod contactus ſpecierum nihil proſit, nec magis contingatur Corpus Chriſti guſtu, quam viſu. *Reſp.* Dominum dediſſe Sacramento virtutem operandi, quando inſtituit vt manducaretur. *Ad 3.* Ex illo Aug. Quid paras dentem & ventrem &c. *Reſp.* De ſola Communione ſpirituali. *Ad 4.* Ex illo *Ioan. 16.* Si non abiero Paracletus non veniet ad vos. *Reſp.* Tunc toti ſenſibus intenti, & contenti ſola Humanitate Chriſti, non eleuabant mentem ad eius Deitatem: ſed hîc & nunc adhærendo veritati cōtra omnes ſenſus, eleuamur ad eius Diuinitatem.

*Art. 4.* An in Beatis habeat aliquam efficaciam. *Reſp.* Quod non per ſe loquendo: ſed tantùm per accidens, & occaſionaliter.

*Ad 1.* Cur offeratur pro paruulis Innocentibus. *Reſp. 1.* Ad conformitatem Eccleſiæ. 2. Ad deuotionem fidelium maximè parentum. 3. In memoriam Redemptionis & ſalutis. 4. In ſignum vnionis



Digitized by Google

nis eorum cum Corpore Chriſti myſtico. 5. Ad ſolatium animarum Purgatorij. 6. Ad laudem Dei.

*Ad 2.* Ex Secreta B. Leonis. *Annue nobis Domine, vt Animæ famuli tui Leonis hæc proſit Oratio.* Reſp. *Ab Innoc. 3.* Quòd in pleriſque orationibus continetur, *Proſit vel proficiat huic vel illi Sancto talis oblatio ad honorem & gloriam* : vt magis ac magis glorificetur in terris &c.

### *Ex Doctrina S. Bonauenturæ.*

*Diſt. 12. part. 2. art. 1. quæſt. 1.* An hoc Sacramentum habeat aliquam efficaciam in aliquo viro iuſto. *Reſp.* Quod non habeat efficaciam niſi in dignè accedente. ex 1. Cor. 11. *Ad 1.* Negat virum iuſtum ſine vlla præparatione recipere fructum Sacramenti. *Ad 2.* Quod ipſa omiſſio ſit obex. *Ad 3.* Negat virum iuſtum ſpiritualiter manducare, niſi motu Fidei, & Charitatis. *Ad 4.* A ſimili de carbone ignito. *Reſp.* Opus eſſe conuerſione animi ad hoc viuũ memoriale Paſſionis Chriſti.

*Quæſt. 2.* An hoc Sacramentum habeat aliquam efficaciam in aliquo peccatore. *Reſp.* Quod non, ſecundum forum commune, & generalem inſtitutionem huius Sacramenti: non limitando liberalitatem Dei, quin poſſit & aliquando etiam hic remittat omnem culpam &c. Vt Alenſis.

*Quæſt. 3.* An efficacia Euchariſtiæ ſit remiſſio venialium, & augmentatio virtutũ. *Reſp.* Quod cùm hoc Sacramentum ſit vnionis: effectus eius primus eſt vnitos magis vnire, aut maiori vinculo, ſeu maiori charitate, aut eodem ſtrictiori, ſeu actu euſdem habitus feruentiori, aut firmiùs ſeu eodem habitu magis radicato. Dicitur ergo magis vnire: quia dignè accedentem, reddit feruentiorem, vt carbo ignitus; & reddit fortiorem vt bonus cibus. Hinc iuuat ad conſumendum rubiginem peccati venialis: & ad vitandum omnia ſcelera. Ex quibus valet ad augmentum virtutum, & maximè charitatis, quæ eſt vinculum: non quantum ad eſſentiam, ſed quantum ad feruorem, & radicationem. Feruor enim minuitur quotidiè per venialia, & radicatio: ideo oportet reſtaurari &c. Vt Alenſis.

### *Ex Doctrina Scoti, ſparſim.*

1. Sub definitione Sacramenti, *ad ſalutem viatoris.* ſupra *col. 41.*
2. Sub cauſalitate morali gratiæ per Sacramenta. *col. 55. 84. 85.*
3. De excellentia Sacramentorũ nouæ Legis, præ alijs in conferenda gratia. *col. 60.*
4. De effectu communi Sacramentorum nouæ Legis. *col. 117.*
5. Ex definitione huius Sacramenti *diſt. 8. quæſt. 1.* ſupra *col. 245.* per ſuum quidem primarium ſignificatum & realiter contentum: ſed ſuppoſito ſignificato & effectu ac fine tam communi omniũ, quam proprio huius Sacram. ſanctificandi quadam nutritione ſpirituali. Vt patet ex eius Reſp. ad 1. Arg. Quod non ſit *primò ſignum accidentalis gratiæ, ſed ſubſiſtentis.*
6. Ex *diſt. 8. q. 3.* De communione ſpirituali & Sacramentali, ad effectum & finem proprium nutritionis ſpiritualis. Vbi Scotus ait: *Talis verè nutritur, & Chriſto vnitur ac incorporatur.*
7. Ex *Diſt. 9. q. vnica.* De neceſſaria diſpoſitione ad fructum ſacræ Cõmunionis, ſeù ad augmentum gratiæ: imò & ad remiſſionem mortalium ſi quæ lateant.

### *Supplementum Dogmaticum.*

1. Ex Conc. Flor. ſupra *col. 1.* De effectu cõmuni omniũ, & ſpeciali huius Sacramenti: *Renati,* inquit, *roboramur, & nutrimur diuina Euchariſtiæ alimonia.* Et col. 3. *Huius Sacram. effectus quem operatur in anima digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum per gratiam &c.* Contra errorem Meſſalianorum, & Armenorum, qui ibi ex profeſſo inſtruuntur: quoſque noſter Alphonſus à Caſtro ſub *Hæreſi 8.* refert nullam vim aut effectum ſpiritualem tribuiſſe huic Sacram.
2. Ex Trid. ſupra *col. 7. cap. 2.* De fine & fructu huius Sacramenti, alendi, & conſeruandi vitam ſpiritualem, liberandi à culpis quotidianis, & præſeruandi à mortalibus &c. *Cap. 3.* De fructu communi inuiſibilis gratię, & ſingulari excellẽtia huius Sacramenti. *Col. 9.* De præparatione & vſu ſalutari huius Sacramenti. Col. 10. can. 5. *Si quis dixerit, vel præcipuum effectum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire Anathema ſit.*
3. Ex efficacia. ac effectu cõmuni Sacramentorum nouæ Legis à *col. 43. & 113.* contra hæreſim communem huius ſæculi.
4. Ex figuris antiquis, ſingulariter Mannæ, applicatis fini ac fructui huius Sacram. ab ipſo Chriſto *Ioan. 6. & Apoſt. 1. Cor. 10.*
5. Ex frequenti promiſſione Chriſti *Ioan. 6.* Vt ſupra *col. 271. 272.*
6. Ex ipſa inſtitutione ſub ſigno nutritionis ſpiritualis, & ſub mandato accipiendi, comedendi, faciendi, in remiſſionem peccatorum, in memoriam Paſſionis Chriſti: vtique non fruſtrà, ſed ad eius fructum, ac participationem.
7. Ex SS & antiquis Patribus, à *col. 281. ad 292.* huic Sacramento tribuentibus nutritionem ſpiritualem, quandam vnionem cum Chriſto, & in eum transformationem, vnionem fideliũ inter ſe per charitatem, extinctionem fomitis, feruorem charitatis, impinguationem, & inebriationem animi, imò & quandam corporum noſtrorum cum Corpore Chriſti vnionem, & participationem immortalitatis. Ex varijs etiam Sacræ Script. locis proprijs vel accõmodatis. Quæ quamuis proponantur ſub varijs metaphoris: non tamen verbis inanibus, ſed veræ ac realis ſignificationis, de qua Scholaſtici.

### *Supplementum Scholaſticum.*

*Diffic. 1.* Quod cum ſit de fide omnia Sacramenta nouæ Legis conferre gratiam ſanctificantem, vel eius augmentũ: Alenſis & S. Bonauentura ſuprà videantur huic Sacramento tribuere tantùm quendam maiorem feruorem, corroborationem, & radicationem charitatis in animo, per gratias actuales, abſque vllo augmento habituali.

Reſp.

Digitized by Google

*Reſp. 1.* Ex *col. 114. 126.* De gratia Sacramentali in communi. Et ex *220. 221. 222. 237.* De gratia Baptiſmali, Confirmationis & Euchariſtiæ, vel intenſiuè vnitis, vel diſtinctis in eodem ſubiecto.

2. Ex *col. 54. 55.* De Doctrina Alenſis, S. Bonau. & Scoti, quoad efficaciam realem, vel moralem Sacramentorum nouæ Legis ex opere operato.

3. Ex *col. 113. 114. 115. 116. 117.* De eorundem doctrina, quoad finem & effectum Sacramentorum nouæ Legis.

4. Ex Doctrinâ Alenſis, paulò ſupra. De remiſſione peccatorum latentium, per ſacram Communionem: vtique non niſi infuſione alicuius gratiæ.

5. Ex Quæſt. 41. Alenſis *Membr. 1. art. 1. ad 4.* Quòd licet gratia gratum faciens non ſit effectus huius Sacramenti: tamen perfectio eius eſt effectus &c. Ratione igitur huius augmenti gratiæ delet gratia venialia. ] Ergo diſtinguit gratiam gratum facientem, ab eius augmento, ſeu perfectione gratiorem faciente.

6. Ex *Memb. 2.* Quòd hoc Sacramento augeantur virtutes: quas non diſtinguit ab ipſa gratia, vt patet ex *col. 221.* Deinde quod *magis* ad robur, remedium & medicinam, *quam* ad augmentum &c. Ergo *etiam* ad augmentum. Denique *magis*, inquit, *quam ad augmentū ſecundùm eſſentiam virtutum*: quam vocat ipſam gratiam, vt gratia eſt .i. Hoc Sacramento augeri potius virtutem Charitatis qua Charitas eſt, ad conſtanter, ac perſeueranter reſiſtendum malo, & bene operandum ac perſeuerandum. Ita vt hic ſit finis proprius huius Sacramenti: non tantùm per gratias actuales, ſed etiam per gratiam, ſeu Charitatem habitualem; quâ quis non tantùm ab extrinſeco auxilio, ſed etiam ab intrinſeco ac permanente principio ferueat, roboretur reſiſtat, perſeueret, radicetur &c. Et ex vi huius principij extrinſeci, ac permanentis, conferantur gratiæ actuales oportunæ, eique proportionatæ. Quæ & ideo dicuntur propriæ ac Sacramentales huius Sacramenti.

Nec mirum primum gradum gratiæ dici eſſentiam, radicem, & fundamentum reliquorum: quia primus eſt ad eſſe, reliqui ad operandum.

In eundem ſenſum S. Bonau. *diſt. 12. p. 2. art. 1. qu. 3.* Quod effectus huius Sacramenti ſit, *magis vnire*: vel maiori vinculo, ſeu charitate; vel eodem vinculo ſtrictiori, ſeu habitu, ſed actu feruentiori; vel eodem vinculo firmiori, ſeu habitu magis radicato. Quorum primum membrum S. Bonau. non negat: ſed potius ſupponit ſecundo & tertio, dum comparat carboni ignito ac ignienti, & cibo etiam intrinſecè roboranti. Nec obſtat quod ſubdit, *Valet ad augmentum virtutum, & maximè Charitatis: non quoad eſſentiam, ſed quoad feruorem vel radicationem.* Quia nec ipſe diſtinguit Charitatem à gratia, quam vocat eſſentiam Charitatis: intenditque hîc aſſignare proprium effectum, ac finem huius Sacramenti, non autem communem omnium, qui eſt gratia ſub ratione eſſentiali gratiæ. Quis enim non diſtinguit eſſentiam qualitatis, quæ ſaluatur in primo gradu, ab eius intenſione vt accidentali ipſi qualitati? Et quot ſunt opiniones Philoſophicæ, de intenſione qualitatum per nouos gradus eiuſdem aut inæqualis perfectionis, vel per maiorem radicationem in ſubiecto &c? Confer hanc Diff. *col. 114.* † *cum 126.* †

*Diff. 2.* De explicandis & applicandis illis SS. Patrum metaphoris, ad proprios & reales effectus huius Sacramenti.

*Reſp. 1.* Non eſſe diffic. de augmento gratiæ habitualis.

2. Finem, ac effectum proprium nutritionis, & maioris vnionis ſpiritualis cum Chriſto & Eccleſia: non tantum eſſe per gratiam aut Charitatem habitualem & permanentem; ſed etiam per actuales, huic fini, ac principio intrinſeco neceſſarias, debitas, ſeu à Chriſto promiſſas, ad omnes bonos motus & motiua huius finis, contra omnia mala oppoſita. Nam ſicut Deus dando potentias naturales, addixit eis auxilia neceſſaria ad earum operationes: ita & infundendo habitus ſupernaturales, debet eis neceſſarias gratias actuales.

3. Hinc ſequi pleroſque alios fructus ſpirituales: vel tanquam media ad illum finem, vel tanquam inde reſultantes.

4. Nam præſeruat à mortalibus, quatenus per gratias actuales diuertit, moderatur, vel ſuperat tentationes.

5. Delet venialia, vel immediatè ex ipſo ſtatu maioris Charitatis, vel per gratias ad actus oppoſitos, meritorios, ſatisfactorios, impetratorios.

6. Extinguit vel moderatur fomitem concupiſcentiæ actu & habitu, per eaſdem gratias.

7. Illuminat intellectum, & mouet affectum ad Deum & Diuina, per bonos motus & motiua.

8. Vnit, impinguat, inebriat, transformat in Chriſtum, metaphoricè: ad ſignificandos affectus & effectus proprios perfectæ Charitatis, imitandi, adhærendi, fruendi, delectandi, excedendi, & incomparabiliter præferendi obiectum amatum, eiuſque bonum, ſubiecto amanti.

Cùm enim Charitas ſit potius Dei quam noſtra: plus afficit nos Deo & Chriſto, quam nobis; pluſque inclinat ab bonum Dei quam noſtrum; imò plus ad Deum vt ſuum, & bona Dei vt ſua, quam ad nos, & noſtra. De quo effectu & affectu, ex propria experientia S. Bernardus, Ad Fratres de Monte Dei. *Cùm voluntas eò proficit, vt Amor fiat: continuò per viam amoris infundit ſe ſpiritus vitæ, & omnia viuificat &c. Memoria efficitur ſapientia: cùm ſuauiter ei ſapiunt bona Dei, &c.* Infra. *Vnitas ſpiritus cum Deo, voluntatis eſt perfectio: cùm iam non ſolùm vult quod Deus vult; ſed ſic non tantùm affectus, ſed eſt in affectu profectus, vt non poſſit velle niſi quod Deus vult &c. Quod iam eſt eſſe quod Deus eſt: cui velle & eſſe idipſum eſt. Non eſt eſſe Deum, ſed quod Deus eſt .i. Sanctum &c.* Infra. *Dicitur autem hæc vnitas ſpiritus: non tantùm quia efficit eam, vel afficit ei ſpiritum hominis Spiritus ſanctus; ſed quia ipſa ipſe eſt Spiritus ſanctus. Cùm qui eſt amor Patris & Filij, hoc idem homini ſuo modo fit ad Deum, quod cum ſubſtantiali vnitate Filio eſt ad Patrem, &c.* ] Affectiuè & obiectiuè, non realiter: vt alibi ex profeſſo.



Digitized by Google

9. Vnit ipſa Corpora, tam noſtra inter ſe, quàm cum Corpore Chriſti: non tantùm præſentiâ reali, & quadam inde extrinſecâ denominatione, aut morali conſecratione in vaſa viua ac ſacra Corporis Chriſti; ſed etiam intrinſeca participatione, temperiè, ac ſympathia cum ipſo Corpore Chriſti. Cùm enim Corpora contrahant temperiem bonam, aut malam, ex frequenti alimento: cur non ex frequenti communione Corporis Chriſti, ad finem ſpiritualem minuendi concupiſcentiam animi; non tantùm indirectè, diuertendo imaginationem ab obiectis concupiſcentiæ, & diffundendo quandam ſuauitatem vſque in appetitum ſenſitiuum præ omni delectatione carnali; ſed etiam directè, temperando Sanguinem, & humores, ac contemperando Corpori & Sanguini Chriſti? Cui fructui ſacræ Communionis plurimum fauet. S. Chryſ. homilia 61. ad populum Antiochenum.

10. Ex Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* De Reſurrectione ad vitam æternam ac beatam Corporis & animæ, ſub aliqua fortè ſpeciali dote gloriæ, iure, merito, ſeu titulo ſacræ communionis: ſub conditione intrinſeca perſeuerantiæ finalis. Qui effectus morales ſacrarum ſpecierum, ſunt reales ipſius Chriſti: ex affectu vitali & actuali ſacræ humanitatis præſentis, erga deuotè communicantes. Quamuis autem ſint experimentales: non tamen extra *Myſterium Fidei*; quia non poſſunt diſcerni à ſimilibus naturalibus, aut gratis datis. Quos cum peſſimi præ optimis experiri poſſint: non eſt quod vel illi inde præſumant, vel hi diffidant.

*Diff.* 3. An ſit probabile hoc Sacram. remitti peccata oblita, aut etiam fructum eius reuiuiſcere.

*Reſp.* 1. Prius eſſe valdè probabile 1. Ex promiſſione & inſtitutione Chriſti, ac monitione Apoſtoli, probandi ſeipſum, & ſic dignè cõmunicandi. Quæ tantùm exigunt diligentiam moraliter poſſibilem, ad ſacram Communionem eiuſque fructum. Cur enim non ſufficeret ad fructũ, quod ſufficit ad mandatum Chriſti, & monitum Apoſtoli: ſaltem ſuppoſita aliqua pœnitẽtia ſeu diſpoſitione ſupernaturali, ad omnem iuſtificationem adultorum neceſſaria?

2. Ex Sacro Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 15. vbi definiens *præcipuum fructum non eſſe remiſſionem peccatorum*: ſupponit ſaltem hunc eſſe aliquem eius fructũ.

3. Ex dono Corporis, & fuſione actuali Sanguinis Chriſti, ſpecialiter pro cõmunicantibus, *in remiſſionem peccatorum*, abſque reſtrictione aut limitatione.

4. Ex conſenſu Doctorum noſtrorũ ſupra, & communiori. Nec obſtat quod Alenſis & S. Bon. videantur loqui tantùm de potentia & liberalitate Dei abſoluta, ſupra omnem legem ordinariam huius Sacramenti. Quia quamuis ſit ſupra vim per ſe ac directè nutriendi & augendi vitam: non tamen eſt ſupra vim eius indirectè & conſequenter viuificandi mortuos. Cùm non ſit tantùm cibus, ſed etiam vita ipſa: eiuſque effectus ſit gratia ſufficiẽs etiam ad primam viuificationem, nec fruſtrandum ſit ſuo effectu, ſine obice ſeu culpa actuali ſubiecti.

*Sed poſterius*, De reuiuiſcẽtia, vix eſt probabile, defectu auctoritatis, & rationis: niſi fortè remoto obice, & ſuppleta diſpoſitione ante conſumptionem ſacrarum ſpecierum in ſtomacho.

*Diff.* 4. Cùm ſacra Communio Sacramentalis ſit ſucceſſiua, quandonam habeat ſuum effectum: an initio, medio, aut fine ſumptionis, vel conſumptionis ſacrarum ſpecierum in ſtomacho. *Reſp.* Ex varijs variorum coniecturis. 1. Caietani, conferri gratiam continuò & intenſiuè quamdiu durat deuotio communicantis, ante conſumptionem ſacrarum ſpecierum in ſtomacho. 2. Aliorum, conferri intenſiuè gratiam quamdiu durat ſumptio. 3. Conferri totam in inſtanti melioris diſpoſitionis. 4. Conferri gratiam in inſtanti conſumptarum ſpecierum, quo Chriſtus deſinit eſſe præſens in ſeipſo, relicta ſeu impreſſa ſua gratia. 5. Probabilior, conferri gratiam propriam huius Sacramenti in inſtanti completæ manducationis, ſeu ſumptionis & quietis in ſtomacho. 1. Quia promiſſiones Chriſti fiunt communicantibus, vt ſuſcipientibus hoc Sacramentum: ergo pro completa Communione, ſeu ſuſceptione. 2. Quia gratia confertur ſub ſigno cibi ſenſibilis ac manducabilis: ergo completa ſenſibili manducatione. 3. Quia alias poſſet quis captare, vel pluribus fructum Sacramentalem communicare, ſub eadem ſpecie cõſecrata: vel fruſtrari fructu ſacræ Cõmunionis, defectu ſolius digeſtionis in ſtomacho. Nec obſtat quod cibus non alat niſi digeſtus, & conſumptus: quia hoc Sacramentum non alit nos formaliter ſui in nos conuerſione; ſed tantum ſignificatiuè, virtualiter, ac moraliter. Quamuis piè credendum ſit, quòd quamdiu ſpecies Sacramentales in ſtomacho perſeuerant: Chriſtus inſtar fontis viui, ſub illis ſcaturiat gratias actuales in animas.

*Diff.* 5. An plus gratiæ conferatur per plures, maiores, aut vtramque ſimul ſpeciem, quàm per vnicam, vel pauciores, ac minores.

*Reſp. A col.* 363. *ad* 376. Nec plus nec minus gratiæ ſub quauis ſpecie conferri: niſi ex inæquali deuotione cõmunicantium. 1. Ex æquali promiſſione Chriſti. 2. Ex æquali contento ſub qualibet ſpecie. 3. Ex æquali gratia ordinaria Sacramentorũ, erga omnes homines. 4. Ex iure, ac praxi Eccleſiæ diſpenſandi ſacram Euchariſtiam inæqualiter quoad ſacras ſpecies: ergò non cum inæqualitate gratiæ.

5. Quia Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. definit poteſtatem Eccleſiæ miniſtrandi Sacramenta, pro *ſuſcipientium vtilitate, ſeu Sacramentorum veneratione*. Quas duas regulas videtur copulare. Et *cap.* 3. declarat, communicantes ſub vnica ſpecie, *nulla per hoc gratia ad ſalutem neceſſaria priuari*: ex æqualitate contenti. Ergo per hanc gratiam non neceſſariam, intelligit totalem huius Sacr. Aut poſſent æquè priuari totali, quæ nec eſt ad ſalutem neceſſaria. Nec ſequitur neceſſitas perſonalis cuiuſque. Nec æqualitas contenti ſufficeret contra querimonias laicorum, niſi inferret æqualitatem gratiæ.

Nec obſtat noſter Alenſis: Tum quia ex tunc Eccleſia paſſa eſt inde magnam perturbationem, ad quam ſedandam hæc ſententia eſt multo conuenientior: Tum quia Alenſis nec agit de effectu gratiæ habitualis, ſed actualis; nec ex ſolo opere operato,

ſed

Digitized by Google

ſed ex deuotione communicantium, ac motiuo externo ſpecierũ. Vt ſupra *col. 376.*

Quòd enim Quæſt. 32. Art. 1. *Sumpto hoc Sacramento dignè in vtraque ſpecie, maior eſt effectus vnionis Corporis myſtici cum Capite, quam ſumpto ſub altera.* Infrà. *Sumptio in vna ſpecie non eſt tanta efficacia in quantum reſpicit ſignificatum, & non contentum, quanta eſt in vtraque.* Et Quæſt. 53. Membr. 3. *Licet ſumptio ſub vna ſpecie ſufficiat: illa tamen quæ eſt ſub duabus, eſt maioris meriti; tum ratione augmentationis deuotionis, tum ratione fidei dilatationis actualis, tum ratione ſumptionis completioris. Sumptio ſub vtraque ſpecie, vt tradidit Dominus, eſt maioris efficaciæ, & complementi &c.* Totum refertur ad meritum & deuotionem communicantium, ex diſtincto motiuo expreſſiori ſpecierum: non autem ad proprium fructum Sacramentalem. De quo vix agit hic expreſsè & diſtinctè: Tum quia ſupponit ex Cõmuni: tum quia hic non ſeparantur. Vt patet ex *Diffic. 1.* & ex Supplemento ſequenti.

### *Supplementum Morale.*

De obice huius Sacramenti, ſeu gratiæ Sacramentalis: An ſit ſolum peccatum mortale, habituale vel actuale, an veniale: ſat ſupra ex Alenſi, & S. Bonau. Videlicet ſolum peccatum mortale actuale eſſe obicem totius fructus Sacramentalis: non autem habituale; multo minus vllum peccatum veniale, habituale, vel actuale, negligentiæ, ſeu omiſſionis, vel commiſſionis, eſt obex totius, ſed tantum alicuius fructus Sacramentalis. Quia ſi eſſet obex voluntarius totius fructus Sacramẽtalis, hoc ipſo eſſet peccatum mortale actuale. Deinde quia ſufficit ad gratiam aliquam huius Sacramenti Communio ſpiritualis in charitate habituali, ex pio aliquo motu fidei & ſpei, actuali, virtuali, vel etiam habituali ſeu interpretatiuo: Vt patet à *col. 104. ad 113.* & ex ſacra Communione Fidelium etiam extra vſum rationis. Quæ Communio ſpiritualis poteſt ſtare cum quolibet peccato veniali, etiam actuali: imò & cum aliquo defectu veniali ipſius fidei ac ſpei neceſſariæ ad ſacram Communionem.

Denique quia hoc Sacramentum non videtur ex ſe limitatum ad vllum gradum gratiæ: ſed tantùm ex deuotione ſuſcipientium; quia eſt ad perfectionem Charitatis, & ad toties quoties communicandum. Neque ideo minus eſt efficax ex opere operato: quia vel meritum præſens aut præcedens communicantis eſt neceſſaria diſpoſitio ad maiorem gratiam huius Sacramenti; vel eſt concauſa meritoria eiuſdem maioris gratiæ, cum ipſo Sacramento.

Hinc patet quàm ſit conſulta frequentatio ſacræ Cõmunionis. Vt ex ipſo ſacro Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6. ſup. col. 25.* Vbi optat, *vt fideles quotidie cum Sacerdote celebrante etiam Sacramentaliter communicarent, ad participandum vberiorem eius fructum.* Nec obſtat Doctrina ac Conſilium Alenſ. ac S. Bon. ſupra: quia eſt tantùm per accidens, ad exercendam humilitatem, & acuendum maiorem appetitum, ſeu affectum ſacræ Communionis. Conſtat enim ipſum S. Bon. correctum fuiſſe à quadam diffidentia frequentis Communionis, miraculoſa ſacræ Hoſtiæ in os eius illatione. Vnde & lib. de profectu Relig. cap. 21. *Licet,* inquit, *tepidè: accedas fiducialiter, confidens de miſericordia Dei, quia quo magis æger, magis indiges medico.*

Reliqua, moralia, ſeu de bono aut malo morali, licito, illicito, aut conſultiori ſeu meliori: Quæſt. x. xi. & xiii. ſequenti.

---

## QVÆSTIO 12.

## Scholaſtica, & Moralis.

### *An, quæ, & quanta ſit neceſſitas huius Sacramenti, Medij aut præcepti, in re vel voto, iure Naturali, Diuino, vel Eccleſiaſtico.*

### Ex Doctrina Alenſis.

Qvæſt. 1. De neceſſitate Sacramentorum in ſtatu Innoc. *col. 113.*

*Quæſt. 8.* De neceſſitate & effectu Sacram. nouæ legis. *col. 113. 114.*

*Quæſt. 51.* De frequentia communicandi.

*Membr. 1.* An expediat communicare quotidiè. *Reſp.* Quòd determinatio relinquenda eſt piæ credulitati accedentis. Ex B. Aug. *Epiſt. 118.*

*Ad Arg.* Ex B. Ambr. de Conſecr. d. 2. *Reſp.* Sic viue vt merearis quotidiè accipere &c.

*Art. 2.* De ſententia B. Aug. *lib. de Eccl. Dogm.* Quotidie Euchariſtiam accipere, nec laudo, nec vitupero. *Contra.* Anacl. Papa *De Conſecr. d. 2.* iubet omnes peracta conſecratione communicare. *Fabian. ibid.* Saltem ter in anno, in Paſcha, Pent. & Natali Domini. Sother Papa, ſaltem in Cœna Domini. *Solutio.* B. Aug. loquitur de bonis: Alij ſecundum varietatem temporum. In primitiua Eccleſia conſueuerant omnes fideles quotidie cõmunicare: Deinde ter in anno. Tandem tenentur ſemel in anno. *Extra de pœn. & remiſſ. Cap. Omnis vtriuſq; ſexus &c.*

*Memb. 2.* An Sacerdos omnino ceſſans à conſecratione, & communione, ex reuerentia, peccaret. *Reſp.* Ex *Innoc. 3.* Quod nec multum debet homo ceſſare à ſumptione Corporis Chriſti, nec ſumere ſine magna ſui probatione: quia *Ioan. 6.* Niſi manducaueritis &c. *1. Cor. 11.* Probet autẽ ſeipſum &c.

*Ad 1.* Ex B. Aug. quaſi ex lib. de Ecc. Dogm. ſed Epiſt. 118. Faciat vnuſquiſque quod piè credit eſſe faciendum, &c. id dici de communicando quotidie aut non. Vt patet ex *Tom. 2. noſtra Anat. col. 376.* Cui adde decretum ſacri Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6.* in fauorem quotidianæ Cõmunionis. *Infra.* Æſtimo tamen quod ſi quis Sacerdos non habens curam animarum, nec officium, nec beneficium, ob reuerentiam ſuæ indignitatis ceſſaret ſemper à celebrando, niſi ſibi iniungeretur: quod non peccaret mort.

*Memb. 3.* An magis expediat frequentare ſacram Communionem quàm abſtinere ex reuerentia? *Reſp.* Quòd per ſe loquendo magis expedit dignè accedere, quàm ex reuerentia ceſſare. Quia qui dignè aſſequitur effectus Sacramenti, non autem qui ceſſat. Occaſionaliter tamen magis expedit ceſſare ad tempus, quàm frequẽter accedere: quia aliquandò contingit



Digitized by Google

tingit quod ceſſatio eſt cauſa maioris deuotionis & reuerentiæ. *Infra.* Æſtimo quòd quis tantum meretur confidentia & præparatione, quantum reuerentia & timore.

Ad illud *Arg.* Quòd qui accedit, intendit commodum proprium: qui non accedit, maximè attendit gloriam Dei. *Reſp.* Quòd accedens intendat etiam repræſentare ſummam Charitatem, Potentiam & Sapientiam Chriſti in hoc Sacram. vnde magis redundat in gloriam Dei, quàm ceſſatio.

*Mem. 4.* An ſit neceſſe manducare Corpus Chriſti? *Reſp.* Hoc Sacramentum non eſſe de neceſſitate ſalutis, quantum eſt ex ſui inſtitutione: ſed ſi hoc eſt, eſt de mandato ſuperaddito. v. g. Eccleſia conſtituit vt fideles ſemel communicent in anno, & in morte.

Ad 1. Ex *Ioan. 6. Reſp.* Eſſe de manducatione ſpirituali per fidem. Ad 2. ex cap. Omnis vtriuſque ſexus. *Reſp.* Id eſſe ex præcepto Eccleſiæ. *Ad 3.* ex Innoc. 3. *Reſp.* De manducatione ſpirituali aut Sacramentali ex præcepto Eccleſiæ.

*Ex Doctrina S. Bonauenturæ.*

*Diſt. 1.* Dubio 1. & Parte 1. *A. 1. q. 1.* De neceſſitate Sacramentorum. *col. 16.*

*Diſt. 12. P. 2. Art. 2.* De frequentatione huius Sacramenti.

*Quæſt. 1.* An ſit neceſſarium accedere ad Sacramentum Euchariſtiæ. *Reſp.* Quòd hoc Sacramentũ non eſt de neceſſitate ex ſua inſtitutione: ſed ſi eſt, eſt ex aſſumpto officio &c. Vt, cùm Sacerdos viuit de altari &c. Sin ſecus, non tenetur magis quam alius, niſi ex æquo & bono. Vel ex mandato Eccleſiæ, vt fideles communicent ſemel in anno, & in morte. Vnde ſi quis negligit, non eſt ſine contemptu: ideo peccat mortaliter &c. Ex *lib. 6. Cap.* Omnis vtriuſque ſexus &c.

*Ad 1.* Ex Ioan. 6. *Reſp.* De ſola manducatione ſpirituali adultorum per Fidem & Charitatem, paruulorum autem per incorporationem. *Ad 5. Reſp.* Officium Sacerdotale non imponi, vt quis neceſſariò exequatur ſed pro loco & tempore, vt ſibi videbitur expedire.

*Quæſt. 2.* An habenti libertatem, ſit melius frequenter accedere quam tardè. *Reſp.* Quod ſic, per ſe loquendo, & ſuppoſita præparatione. *Quod ſi quis ſit in ſtatu Eccleſiæ primitiuæ, conſultum eſt quotidie communicare: ſi in ſtatu Eccleſiæ finalis ſeu frigido, raro; ſi in medio, aliquando ceſſare vt diſcat reuereri, aliquando accedere vt inflammetur amore, & tunc ſequi experientiam ſui profectus.*

*Ad 1. Arg.* Quod B. Aug. id relinquat cuiuſuis conſcientiæ. *Reſp.* Quia quibuſdam vtile eſt frequentare, quibuſdam raro: quia *credo quod maiorem efficaciam recipiat homo in vna Miſſa vel communione cum bona præparatione, quàm in multis ſine.*

*Quæſt. 3.* An homo propter immunditiam debeat ſe retrahere ab hoc Sacram. *Reſp.* Quod ſola immunditia corporalis non impediat ſacram Communionem, niſi cum aliqua impuritate mentis &c.

*Ex Doctrina Scoti ſparſim.*

*In 3. diſt. 41. q. vnica.* Alia Sacramenta à Baptiſmo, & Pœnitentia fortè non ſunt, neceſſaria: aut ſi ſunt, ſunt ſatis facilia &c. ] Quod videtur intelligendum de neceſſitate medij. Conſtat enim aliter de neceſſitate præcepti.

*In 4. diſt. 1. q. 3.* De neceſſitate Sacramentorum aut non. *col. 116.*

*In 4. diſt. 8. q. 3.* De præcepto Eccleſiaſtico ieiunij ad ſacram Communionem. Ibidem, de præcepto Diuino conſecrandi integrè, & ſumendi ſub vtraque ſpecie, quoad Sacerdotes.

*Diſt. 9. quæſtio vnica.* De præcepto Diuino non cõmunicandi indignè, ſeu ſcienter in ſtatu peccati: Et de præcepto Eccleſiaſtico communicandi ſemel in anno. Ex cap. Omnis vtriuſque ſexus.

*Supplementum Dogmaticum.*

*Col. 110.* De neceſſitate Sacramentorũ in genere. *Col. 148. 311.* De neceſſitate & ſufficientia Baptiſmi in re pro paruulis, in voto ſaltem pro adultis. Sed ſpecialiter *col. 368. 381. 382. 383.* De non neceſſaria Cõmunione Sacramentali infantium, contra ſpecialem errorem & praxim Græcorum, & aliorũ Orientalium. *385. 386.* De non neceſſaria Communione Sacramentali omniũ præſentium ſacrificio Miſſæ.

*Supplementum Scholaſticum.*

De neceſſitate medij in re vel voto, explicito vel implicito, ſaltem adultis: an vero ſolius præcepti. De quà re videtur eſſe magna contentio inter Scholaſticos: cùm ſit potius de nomine. Quidam enim extendunt neceſſitatem medij ad neceſſitatem præcepti neceſſariò obſeruandi ad non peccandum, aut etiam ad promerendam ſalutem, vel ſaltem ad votum ſeu propoſitum obſeruandi præcepta: alij reſtringũt ad omnia & ſola media omnibus intrinſecè vel extrinſecè neceſſaria ad ſalutem, præciſo quouis præcepto. Videtur autem rationabilior & moderatior explicatio, ac diſtinctio huius neceſſitatis *col. 119.*

Ex qua, nec eſt abſolutè neganda, nec abſolutè tribuenda Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ neceſſitas medij ad ſalutem: quia ſic eſſet omnibus medium realiter neceſſarium, & efficax ad primam iuſtificationem, vel perſeuerantiam finalem, vel perfectionem aliquam intrinſecam neceſſariam ad ſalutem æternam; ſed variè diſtinguenda, ac reſtringenda eſt. 1. Ad neceſſitatem quandam non tam medij, ſeu cauſæ inſtrumentalis, quam finis ad quem reliqua omnia media ordinantur. Nam & Sacramentũ Baptiſmi, & reliqua ordinantur ad hoc Sacramentum, eiuſque effectum Sacramentalem: non tanquam ad medium ſibi aut ſuis effectibus neceſſarium; ſed tanquam ad finem, ac perfectionem ſuo modo implicitè intendendam, vel potius intentam ac incluſam in ipſa inſtitutione Sacramentorum; vt videlicet ſint quædam inchoationes huius tandem perfectionis finalis. Sicq; poteſt dici neceſſaria paruulis, ea ipſa neceſſitate qua Baptiſmus ad hunc etiam finem eſt inſtitutus, vt baptizati ſint capaces Euchariſtiæ, & perfectionis eius. Quæ neceſſitas eſt diſtincta ab obligatione, & propoſito implicito obſeruandi legem Chriſtianam: quia illa neceſſitas eſt ex ipſa inſtitutione, ac ordine Sacramentorum inter ſe, & ſubiectorum ad illa: hæc autem obligatio eſt ex

Digitized by Google

ex aliquo noſtro conſenſu & ſuſceptione Sacramentorum ſub hac conditione, & obligatione.

2. Non eſſe aliter neceſſariam in re, vel voto adultis ad primam iuſtificationem: niſi quod expreſſiùs teneantur ſe conformare huic inſtitutioni, ac ordini Sacramentorum, & aliquo modo intendere ac prætendere ad perfectionem Chriſtianam, tandem finaliter perfectè diligendi Deum ex toto corde &c. per media ad hoc neceſſaria, & à Deo ordinata; ſed ſacra Euchariſtia eiuſque vſus videtur neceſſarius ad perſeuerantiam & profectum debitum in gratia & charitate. Ex illo *Ioan. 6.* Niſi manducaueritis &c. ita explicato & applicato à B. Aug. ſup. *col. 381. 382.* Deinde ex ſacro Conc. Flor. & Trid. ſuprà, ac SS. Patribus commendantibus neceſſitatem Sacroſanctæ Euchar. vt panis ſeu cibi quotidiani. Denique ex neceſſitate gratiarum actualium ad perſeuerantiam & finem proprium huius Sacramenti. Quæ gratiæ actuales quamuis etiam præueniant omnem noſtrum conſenſum, & vſum Sacramenti ad primam iuſtificationem: non videntur tamen eſſe ordinariæ ad perſeuerandum, & proficiendũ in gratia & charitate, niſi ex vi huius Sacramenti. Nam ex vi Baptiſmi, gratiæ Sacramentales videntur tantùm eſſe ad viuendum ſeu perſeuerandum in vita, ſeu radice vitali fidei: Ex vi Confirmationis, ad roborandam fidem contra tentationes violentas, & ſic de cæteris Sacramentis, ad fines aliquos particulares huius viæ & vitæ; ſed ex vi ſacræ Euchariſtiæ ac Communionis, ad perſeuerandum & proficiendum in charitate vſque in finem.

*Supplementum Morale.*

## De neceſſitate iuris Naturalis, Diuini, & Eccleſiaſtici.

Ex neceſſitate Medij ad perſeuerantiam & profectum finalem: ſequitur obligatio iuris naturalis, ſeu luminis rationalis, vtendi ſacra Euchariſtia & Communione vt neceſſaria ad perſeuerantiam profectum & ſalutem finalem. Quæ obligatio non eſt determinata, niſi negatiuè ad nunquam contemnendum, aut negligendum eius vſum in graui neceſſitate: poſitiuè autem, ad vtendum Sacramentaliter, aut ſaltem ſpiritualiter in qualibet graui neceſſitate. Quæ quia non eſt grauis, niſi ob periculum peccati mortalis: non videtur hæc obligatio afficere pueros priuſquam ſoleant periclitari, & experiri, ac apprehendere periculum peccandi mortaliter. Sed afficit adultos, ſaltem ad viaticum in periculo mortis, & extrema illa neceſſitate perſeuerandi finaliter. Deinde in quauis graui, ac experimentali neceſſitate gratiarum actualium, ad cauendum peccatum mortale, reſiſtendo tentationibus & perſeuerando in gratia. Quia quamuis gratiæ tunc neceſſariæ poſſint impetrari oratione, & animi humiliatione: non tamen vt per media tam certa ordinaria & poſſibilia, quam ſacra communio in re vel voto, ſeu Sacramentalis, aut ſpiritualis. Denique videtur etiam eſſe obligatio naturalis ad præueniendam aliquando, & profitendam hanc noſtram neceſſitatem, ipſa frequentatione ſacræ Communionis Sacramentalis, aut ſaltem ſpiritualis, & cultu exteriori huius Sacro-ſancti Sacrificij, & Sacramenti.

Obligatio iuris diuini videtur ſatis expreſſa *Ioan. 6.* Niſi manducaueritis &c. Et in ipſa inſtitutione ſub mandato *accipiendi, comedendi, hoc faciendi &c.* Vnde Trid. *ſeſſ. 13. cap. 2.* docet Chriſtum præcepiſſe nobis ſui memoriam in hac ſacra Communione. Nec enim inſtituit hoc Sacramentum ſub aliqua forma conſilij, ſed præcepti: & quidem de re, & ad finem tam neceſſarium.

Sed quia obligatio illa iuris Naturalis, & Diuini, non eſt ſatis poſitiuè determinata: fuit ab initio Eccleſiæ obſeruata Communione fidelium quotidiana: partim ex obligatione, contrà perſecutiones fidelium; partim ex primitiua illa fidelium deuotione. Sed hac deuotione tepeſcente, communis obligatio iuris Naturalis & Diuini varijs præceptis Eccleſiaſticis variè determinata fuit, & tandem in Conc. Later. ſub Innoc. III. ad annuam ſaltem Communionem Paſchalem De Pœnit. & remiſſ. Cap. *Omnis vtriuſque ſexus Fidelis, poſt quam ad annos diſcretionis peruenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reuerenter ad minùs in Paſcha Euchar. Sacram. niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Quod & confirmat Trid. ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis negauerit omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, non teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum iuxta Præceptum S. Matris Eccleſiæ, Anathema ſit.*

Hinc patet 1. obligari omnes & ſolos Fideles, adultæ, ac diſcretæ ætatis. Sed quid de Fidelibus necdũ baptizatis, aut de Infidelibus baptizatis, & quantæ ætatis, ac diſcretionis? *Reſp. 1* Hoc præceptum extendi tantùm ad Fideles baptizatos: quia necdum baptizati, non ſunt capaces huius Sacramenti, nec Eccleſiæ ſubditi: Baptizati autem Infideles, extrà Eccleſiam, ſi ſint pertinaces, ac publicè rebelles, & contemptores Legum, ac pœnarũ Eccleſiaſticarum, fruſtrà eis obligarentur; niſi adhuc lateant in Eccleſia inter Fideles. *Reſp. 2.* Hanc ætatem diſcretionis eſſe pluſquam ſimplicem vſum rationis: nec tamen perfectiorem eius ſtatum, ſeu prudentiam quaſi vniuerſalem; ſed capacem diſcernendi cognitione, fide, ac reuerentia hoc Sacramentum, non tantùm à reliquis cibis prophanis, ſed etiam eius veritatem Fidei communis, ab erroribus communibus & apparentibus ad ſenſum. Quia *1. Cor. 11.* hæc ipſa diſcretio requiritur. Et B. Aug. l. 3. de Trin. cap. 10. monet infantes *non noſſent quid in altari ponatur: niſi dicatur illis auctoritate grauiſſima cuius Corpus & Sanguis ſit &c. ſupra col. 284.* Poſſent priùs diſcernere quaſi cibum ſacrũ à prophano: nec tamen obligantur ad ſacram Communionem, niſi vt eſt Corporis & Sanguinis Chriſti realiter præſentis. *Reſp. 3.* Ætatem huius diſcretionis & obligationis habere ſuam latitudinem, ab anno circiter decimo ad 14 ſecundùm varias complexiones naturales, & inſtructiones morales puerorum, ſub prudenti iudicio ſuorum Maiorum. Nam B. Aug. *lib. 9. conf. 6.* refert

Digitized by Google

refert ſuam, ſuique filij Deodati præmaturam diſcretionem ad bonum, & malum. Et *lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 13.* improbat excuſationem puerorum à peccatis, vtique etiam grauioribus, vſque ad 14. annum. Et *lib. 3. de Trin. cap. 10.* vocat adhuc infantes, ſeu pueros necdum perfectè loquentes, quibus auctoritate grauiſſima inculcabatur cuius Corpus & Sanguis ſit ſub Euchar. vtique ad eorum inſtructionem & ſacram Communionem. Sed quia leges ſunt communes: non obligant niſi ſecundum captum & communem ætatem diſcretionis.

2. Ex his verbis, *Reuerenter ſuſcipiens*: videtur non tantùm præcipi Communio quoad ſubſtantiam: ſed etiam digna, ac ſalutaris. Tum quia ad hoc videtur exigi illa diſcretio, & hæc reuerentia, non tantum exterior, ſed & interior. Tum quia cùm ſit determinatio præcepti Diuini ac Naturalis, videtur eius etiàm finis cadere ſub hoc præcepto. Tum quia hoc præceptum communicandi iungitur præcepto confitendi ad eundem finem. Tum denique quia pœnæ illæ grauiſſimæ non viderentur ferendæ, niſi ad talem finem. Vnde qui ſcienter indignè cõmunicat non videtur ſatisfacere huic præcepto: quamuis alij aliter ſentiant.

3. Ex his, *Ad minus in Paſcha*. i. tempore Paſchali, à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè, vel etiam citius, aut ſerius, vbi Eccleſiæ conſuetudo obtinuit: non videtur ita reſtringi præceptum ad hoc tempus, vt eo neglecto obligatio exſpiret, donec ei ſatisfiat: Quia non tantum eſt præceptum affirmatiuum tunc communicandi: ſed etiam negatiuum non differendi vltra annum, & determinatiuũ præcepti Naturalis & Diuini, de quo ſuprà.

4. *Ex his, Niſi fortè de proprio Sacerdotis Conſilio, &c.* Colligitur hanc Cõmunionem Paſchalem reſeruari proprijs Paſtoribus, ſeù eorum prudenti iudicio, & iuriſdictioni aut delegationi Quod & cõmuni Eccleſiæ praxi ac frequenti reſolutione firmatum eſt. Nec tamen his verbis datur Paſtoribus facultas diſpenſandi in hoc præcepto, quoad ſubſtantiam: ſed tantùm quoad tempus hîc præſcriptum.

5. *Alioquin &c.* Quæ cenſura non eſt ſententiæ latæ, ſed ferendæ.

*Conciliatio cum Alenſi, & S. Bon. ſuprà.*

Quod tribuant ſoli præcepto Eccleſiaſtico obligationem communem omnium fidelium, communicandi determinato tempore Paſchali, imò & in periculo mortis: non autem negent hanc obligationem radicari in iure Naturali, ac Diuino, ſeu in neceſſitate, ac inſtitutione huius Sacramenti ad ſalutem, vt ſuprà; ſed hoc potius ſupponant, ne Eccleſia videatur reducere conſilia Chriſti ad præcepta, ſed determinare caſus neceſſitatis.

## QVÆSTIO 13.

### Dogmatica, Scholaſtica, Moralis.

*De fructu, applicatione, & participatione Sacrificij Miſſæ.*

DE eius eſſentia, ac excellentia, quatenus Latreuticum & Euchariſticum eſt: ſat ſuprà, Dogmaticè, Scholaſticè, & Moraliter. à *col. 244. ad 269.* Hîc autem de fructu eius propitiatorio & impetratorio, ac vtriuſque efficaci applicatione, & participatione. De quibus vix quicquam Alenſis aut S. Bon. ex profeſſo: ſed tantùm hinc inde incidenter. Vt Alenſ. *3. p. q. 58. & 4. p. q. 2. & 29.* De Sacrificijs antiquis, & huius etiam noſtri præfiguratione. *Quæſt. 37.* De officio Miſſæ. *Tract. 2. M. 2. & 3.* De priori & poſteriori memoria ſeu commendatione viuorum, & defunctorum. S. Bonau. in 4. *diſt. 45. art. 2. q. 2.* Reſp. Quod celebratio Miſſæ proſit ſiue fiat à bonis, ſiue à malis. *Quæſt. 3.* Reſp. *Ad 4.* Quòd ſacrificium Altaris proſit determinatè &c. Sed Scotus præter id quod obiter *col. 245. 269.* Ex *diſt. 13. n. 6.* De materia huius ſacrificij ſupplet, ac tractat abundè hanc quæſtionem.

## QVODLIBETO XX.

*An Sacerdos obligatus ad dicendam Miſſam pro vno & pro alio, ſufficienter ſoluat debitum dicendo vnam Miſſam pro ambobus?*

Hic præmittendum eſt, quòd Miſſa non ſolum valet virtute meriti, ſiue Operis Operantis: ſed etiã virtute Sacrificij, & Operis Operati. Vel non ſolùm valet virtute meriti perſonalis Sacerdotis offerentis: ſed etiam meriti generalis Eccleſiæ, in cuius perſona per Miniſtrum communem offertur.

Alioquin Miſſa mali Sacerdotis nulli valeret in Eccleſia: quod reputatur inconueniens. Ex *Ioan. 6.* Panis quem ego dabo Caro mea eſt pro mundi vita &c.

Ex hoc tria videnda ſunt. 1. Si Miſſa pro duobus tantùm valet iſti, ac pro eo ſolo: merito perſonali celebrantis. 2. Si tantùm valet merito Generalis Eccleſiæ offerentis. 3. Si iſte ſimpliciter ſoluit debitum vtrique.

*De primo Art.* Inter opera meritoria habet magis rationem meriti applicabilis alteri &c. Poteſt autem valere alicui. 1. Specialiſſimè ipſi oranti, quando eſt in gratia &c. Nec poteſt iſte voluntate ordinata ſic illud alteri dare, quòd non ſit ſuum meritum &c. 2. Generaliſſimè, toti Eccleſiæ: nec enim debet orans aliquem excludere, ſed ex intentione habituali omnes includere. 3. Medio modo valet ei cui per orantem ſpecialiter applicatur.

Habet ergo *Art.* iſte Diff. Hoc 3. modo.

1. Quia quod debetur medio modo ei pro quo ſpecialiter oratur, eſt determinatum ad certum gradum. Si ergo totum detur iſti tanquam præmium modo medio debitum: nullum bonum debitum orationi iſti dabitur alteri &c.

*Confirmatur.* Quia æquali merito præcisè debetur æquale bonum, ſeu præmium &c. nunc autem ex æquali deuotione celebrans habet opus perſonale æquè meritorium & æquè deuotè celebrat pro iſto, ſicut vtroque ſimul; Ergò &c.

Diceretur, quòd quando quis ſimul pro duobus orat, licet ſit meritum æquale ſecundùm intenſionem, ac pro vno: eſt maius ſecundùm extenſionẽ &c.

Ad primam Maiorem *Reſp.* ſecundùm intenſionem, vel extenſionem &c.

Decla-

Digitized by Google

Declaratur 1. Bonum ſpirituale proportionatur Spiritui, &c. ergò communicatur ſine diuiſione. 2. Lumen æqualiter illuminat plura ac ſingula, vox æquè immutat auditum multorum, ac vnius. 3. Ex S. Hier. *de conſecr. diſt. 3. Cap. Non mediocriter*. Cùm pro centum animabus Pſalmus vel è Miſſa dicitur: nihil minus quam ſi pro vna qualibet ipſarum diceretur, accipitur.

*Poteſt dici*, quòd pro æquali merito non debetur ſecundùm ſtrictam iuſtitiam bonum numeroſiùs, ſicut nec intenſiùs: quia plura bona æqualia æquiualent maiori intenſiuè, in omni iuſta retributione, & commutatione.

*Confirmatur*. Quia tunc ſecundùm ordinatam Charitatē deberet quilibet orare pro quocūque.

*Dices*. Quòd per modum ſatisfactionis non tantùm valet pro pluribus, ſicut pro vno: quia pœna debita non relaxatur, niſi aliquid æquiualens ſoluatur.

*Contra*. Tunc poſſet quis impetrare primam gratiam quotcumque peccatoribus, ſicut vni. *Item*. Sicut plures pœnæ æquiualent vni maiori, nec relaxantur niſi per opus maius vel plura ſatisfactoria: ſic de pluribus bonis impetrandis. 2. Amicus per ſupplicationem ſuam meretur maius vni, quam multis. 3. Voluntas vt eſt cauſa elicitiua, vel imperatiua, non cauſat æqualem effectum in multis, ac in vno &c. Similiter videtur quod minus bonum intenſiuè mereatur pluribus.

*Si dicas*, Hoc verum eſt quando deuotio minuitur ex diſtractione circa plures. *Contra*. Non oportet celebrantem pro multis tunc de eis actu cogitare: ſed ſufficit quòd ante recollegerit iſtos, & intentionem ſuam Deo obtulerit, &c. Verum eſt quòd attentio ad ſingulos minuitur in communi: Sed deuotionē quæ eſt motus mentis in Deum non oportet minui.

*Exemplum*. Non minùs deuotè celebrat quis de omnibus Sanctis, quàm de vno, &c. Sic quando oratur pro communitate, maior compaſſio poteſt haberi, & maius deſiderium impetrandi, quàm ſi pro vno, &c. Non ergò minùs bonum tunc impetrat ſingulis ob minutionem deuotionis: Sed quòd merito ſuo correſpondeat aliquod bonum certum.

*Ad 1*. Etſi Spiritus extenſiuè non diuidantur: tamen numeraliter diſtinguuntur, & habent bonitatem naturalem magis extenſiuè, imò æquiualentem magis intenſè, &c. Per hoc diſtinguitur pluralitas in Diuinis, à pluralitate in creaturis, &c. Bonum ſpirituale communicatur ſine diuiſione quantitatiua: tamen cum diſtinctione, & ita requirit diſtinctum meritum.

*Contrà*. Saltem bonum ſpirituale non communicatur per partes: ergò ſi virtute huius Miſſæ debetur vnum bonum vtrique, non reddetur per partes, &c. quia qui ſpiritum, aut ſpirituale recipit, recipit totum.

*Reſp*. Ex B. Aug. 6. *Trin*. 8. In his quæ non mole magna ſunt, idem eſt maius eſſe quod melius. Licet autem maius non poſſit actu diuidi: tamen habet plura parua ſibi æqualia.

*Ad Confirm*. Si poſſibile eſſet eundem Spiritum diſtribui multis in valore, ſicut hîc, &c. vnicuique minùs bonum daretur, & fortè etiam realiter Spiritus minùs communicaretur, ſi tranſcenderet ſuum ſuſceptiuum proportionatum: vt fortè anima non æquè viuificaret Corpus, quantumcumq; creſceret, &c.

*Contra priora exempla* Non poſſum æquè portare duo æqualia, ac vnum. *Si dicatur*, quòd non æquè poteſt mouendo, ſed alterando: quando plura ſunt agenti æquè approximata.

*Dico* quòd ſi moueretur vna pars continui alia non mota, ſolueretur continuitas, ex *5. Metaph. Text. 8.* Eſt ergò aliqua differentia inter motum localem, & alios motus: quia ſemper totum continuum ſecundùm ſe totum, eſt mobile adæquatum mouenti; ita quod non aliqua pars eius ſine alia eſt mobile adæquatum. In motu autem alterationis, aliqua pars ipſius mobilis poteſt eſſe mobile adæquatum mouenti tantæ virtutis, &c. Imò in motu generaliter verum eſt, quòd ab iſto mouente nihil ſimul mouetur, niſi ſuum mobile adæquatum, vel quod in illo realiter includitur, vel æquiualenter, ſicut minus in maiori: & ſic quod poteſt ſimul mouere illud mobile tanquam adæquatum, non poteſt ſimul aliud maius, vel minus; poteſt tamen ſimul mouere duo, quæ non excedunt mobile adæquatum, &c. Intelligo adæquatum, non ſecundùm totum conatum; ſed quantumcumque modico conatu. Vt Cœlum eſt mobile adæquatum intelligentiæ. *2. de Cœlo Text. 21.*

*Ad Exempla illa Dico* quòd quælibet pars, paſſi proportionati agenti, poteſt æquè perfici &c. Vt patet in luce & ſono, quæ ſe multiplicant ſphæricè, &c. Quòd ergò æquè illuminentur plura illuminabilia, ſicut vnum: verum eſt quando ſunt partes eiuſdem illuminabilis adæquati &c. In propoſito autem duo illi pro quibus oratur, non ſunt per ſe partes, ſed vtrumque eſt per ſe ſuſceptiuum adæquatum boni reddendi, &c.

*Contrà*. Remotiora minus illuminantur, &c. hîc autem non eſt talis remotio, ſed tantum diſtinctio recipientium.

*Reſp*. Duo mobilia poſſe æque approximari: neceſſariò concludit eſſe partialia realiter, vel æquiualenter contenta in vno mobili adæquato: quod ſemper eſt imaginari Sphæricum circa centrum ipſius Agentis, &c. *Ad S. Hier. Reſp.* ex Gloſſa. 1. Referendo hæc ad ipſum celebrantem, quod nihil minus accipiat, ſpecialiſſimè. 2. Referendo ad illum caſum, quod non minus valet vna Miſſa dicta pro centum cum hilaritate cordis: quam pro quolibet cum anxietate. Hoc fuit forte ſecundum intentionem *B. Hier.* ad conſolationem Monachorum: quod ſi pro multis tenerentur orare, non oportet tot Pſalmos legere, quia vergeret in faſtidium; ſed meliùs ſatis fit illis, ſi pro eis dicantur pauciores cum hilaritate. Meliùs etiam valet dicenti: ſi poteſt ſtare cum obligatione eius.

*De 2. Art.* Tria ſunt videndà. 1. Si in poteſtate Sacerdotis ſit applicare certæ perſonæ, bonum quod debetur Eccleſiæ, vel alicui, virtute Sacrificij.



Digitized by Google

2. Si pro ſuo libitu. 3. Si æquè valet vni, quando applicatur & alijs.

*De primo* videtur quod non. 1. Quia eſt agentis principalis applicare virtutem Sacrificij. 2. Non habet ius applicandi alicui quòd non debetur ſibi vt Miniſtro, &c.

*Dico* tamen, quod eſt in poteſtate Sacerdotis aliquo modo applicari virtutem Sacrificij. Ex B. Aug. *cap. 77. vel 89.* nunc *110.* Enchrid. Et *Serm. de Cathedra S. Petri.* De hoc Sacrificio pro Defunctis. Nec vlli hoc magis conuenit quam Sacerdoti diſpenſatoriè.

*Ad 1. & 2. Reſp.* Non applicari à Sacerdote iure aut merito perſonali: ſed ex ordine & officio Sacerdotali.

*De 2.* An pro libitu, &c. Quod non, ſed ſecundum beneplacitum Dei: quia ipſe ſolus eſt Dator. *Contra.* Sacerdos non poteſt habere certitudinem de hac volutate Diuina, &c. Ergo nullam haberet authoritatem applicandi. Poteſt ergo dici, quod vbi habetur doctrina certa de applicatione, eſt ſic facienda: ita quod ſi contrarium fiat, forte nec ei cui applicatur valet, & applicanti nocet, quia peccat. Cum autem oratio poſſit tripliciter applicari. 1. Specialiſſimè. 2. Generaliſſime. 3. Specialiter. Prima applicatio determinata eſt ipſi oranti. 2. Toti Eccleſiæ: ex regula Charitatis ad ſeipſum, & proximum. 3. Aliquando determinata eſt ex ordinatione Eccleſiæ: quæ in diuerſis Parochijs inſtituit diuerſos Sacerdotes, qui tenentur officiare, & celebrare ſpecialiter pro ſuis Parochianis. Similiter in diuerſis Collegijs ſunt Sacerdotes inſtituti ad offerendum Sacrificium Altaris, & ſpecialius pro illisq; ſunt in tali Collegio. Ex S. Hier. ad Ruſticum 2. *q.* 1. Omnis Eccleſiaſticus ordo ſuis Rectoribus regitur, &c. Non tantum ad correctionem, ſed ad reconciliationem per orationes, & Hoſtiam ſalubrem.

*Similiter* videtur determinari applicatio ex Iuſtitia, illis qui prouident, vel prouiderunt Miniſtris de neceſſaria ſuſtentatione. Hoc modo multi dotauerunt Monaſteria & Eccleſias, &c. Et eſt obligatio rationabilis: Ex *1. Cor 9.* Nullus tamen præſumitur ſe & ſuum Collegium ſic alicui obligare: quòd non poſſit de cætero alteri ſuffragia aliqua promittere.

Quorum orationes & oblationes ſunt ſic determinatæ, non poſſunt eas pro libitu alijs ita ſpecialiter applicare: quia faceret iniuſtitiam, ſubtrahendo illis debitum, &c. Illa applicatio medio modo, poteſt habere multos gradus, &c. Eſto igitur quod ex ordine Eccleſiæ, vel ex beneficio recepto tenetur offerre quis medio modo, & hoc in primo gradu pro vno: non præiudicat illi ſi in 2. gradu offerat vel applicet alij, & in tertio gradu tertio, & ſic de quibuſuis gradibus; quia nunquam applicatio facta in gradu poſteriori, ſubtrahit aliquid illi cui facta eſt in gradu priori.

*Cui autem* fieri debeat applicatio, & in quo gradu, dubium eſt. An Curatus debeat prius applicare ſuo Parochiano, quàm patri, vel matri: videtur quod de lege naturæ plus obligatur parētibus, &c. Sed contra, videtur quod obligatio ſpiritualis filiationis præualeat. Alij ſunt Sacerdotes non habentes curam, nec præbendam, &c. Et tales magis poſſunt liberè applicare: debent tamen ſe conformare beneplacito ſummi Sacerdotis, quantum poſſunt concipere. Probabiliùs autem concipitur in communi: vt parentibus, benefactoribus, Principibus, & Prælatis. Ex 1. *Tim. 2.* Et mortuis, ex *2. Mach. 12.*

*Siſtendo etiam* ſic in communi, dubium eſt quibus debet applicare in gradu priori, vel poſteriori. Nam in aliquibus eſt maior indigentia: vt in mortuis, in peccatoribus, &c. Tamen ex alia parte, videtur vtilius Viatori augeri gratiam & merita, quàm mortuo ſolā pœnam remitti. Videtur etiam quis magis obligatus exiſtenti in charitate, quàm peccatori, &c. Tutius ergo videtur facere talem applicationem generalem. D*igneris* D*omine oblationem iſtam ſpecialiter acceptare, pro illis pro quibus noſti me teneri ſpecialiter offerre, & in illo gradu in quo noſti me teneri pro eis.* Et ſi in ſpeciali determinetur ad aliquem, vel aliquos: tutius eſt quod fiat ſic ſub conditione, *Si tibi placet.*

*De 3.* Dici poteſt quod Miſſa non tantum valet virtute Sacrificij applicata pluribus in eodem gradu, ſicut vni ſoli, &c. Quia bonum quod debetur virtute Sacrificij correſpondet ſecundum plenam Iuſtitiam alicui merito finito, & certi gradus in Eccleſia. Sed *Art. 1.* patet bonum reddendum correſpondere merito perſonali celebrantis. Non ita patet hîc cui merito correſpondet bonum reddendum virtute Sacrificij.

*Dici poteſt,* quod non correſpondet præcisè bono contento in Euchar. Illud enim æquale eſt quando ſeruatur in pixide: & tamen tunc non æquiualet Eccleſiæ, ſicut quando offertur in Miſſā; ſiue dicatur oblatio Euch. ſiue conſecratio, ſiue perceptio, ſiue operatio aliqua Sacerdotis in perſona Eccleſiæ. Vltra ergo bonum contentum in Euchariſtia, requiritur oblatio Euchariſtiæ. Iſta non eſt accepta, niſi ſit offerentis accepti. Ex *Gen. 4. Luc. 21. Eccl. 34.* Vnde ſi Iudæus obtuliſſet Patri Chriſtum, volentem vel non: non fuiſſet iſta oblatio accepta, &c. Sicut Euchariſtia non plenè acceptatur præcisè ratione rei cōtentæ, ſed oportet quod ſit oblata: ſic nec plene acceptatur oblata niſi ratione bonæ voluntatis alicuius offerentis.

Non autem plene acceptatur ratione voluntatis ipſius celebrantis: quia hoc pertinet ad meritum perſonale, non ad virtutem Sacrificij. Nec immediate ratione voluntatis ipſius Chriſti offerentis: quia etſi hîc offeratur, non tamen immediate offert. Ex *Heb. 9.* vt ſupra *col. 269.* Alioquin videretur quod vnius Miſſæ celebratio æquiualeret Paſſioni Chriſti, &c. quia ſit in eius commemorationem, & per eam obſecrando. Obſecratio autem ſit cōmuniter per aliquid magis acceptum ei qui rogatur, quàm ſit ſupplicatio Obſecrantis. Propter quod enim vnūquodq; & illud magis, &c.

Ergo acceptatur ratione voluntatis Eccleſiæ generalis: illa autē habet rationē meriti finitam. Et eſto quod acceptaretur ratione volūtatis Chriſti vt inſtitentis oblationē, & dantis ſibi valorē & acceptationē: tamē non æquiualeret, nec acceptaretur

ſicut

Digitized by Google

ſicut Paſſio Chriſti; & ita meritum eſſet finitum, cui correſpondet bonum debitũ virtute Sacrificij.

Sed cum acceptetur ratione voluntatis generatis Eccleſiæ: nunquid ſimul Eccleſiæ Triumphantis, & Militantis? Non videtur: imò hoc Sacrificium eſt proprium Eccleſiæ militanti, ſicut & Sacramentum in quo eſt. *Contra.* Ergo ſi nullus Viator eſſet in gratia, virtus Sacrificij eſſet nulla. Si vnus ſolus eſſet in gratia, æquaretur merito perſonali illius. Qualiter etiam ad meritum iſtud concurreret, qui nihil cogitat de oblatione?

Additio. *Dici poteſt.* 1. *Quod in eo eſt voluntas virtualis, vel ſaltem habitualis, vt Deus acceptet preces Eccleſiæ.* 2. *Non quòd Chriſtus nunc mereatur: ſed quod meruerit hoc meritum, ad illud meritum applicari.* 3. *Quod nunquam erit Eccleſia ſine aliquo in charitate:* ex Luc 20. *Ego rogaui pro te, &c.*

*De 3, Art principali.* Dico quod Sacerdos poteſt teneri ad Miſſam pro iſto: vel ex liberali promiſſione, vel ex ſtricta obigatione. Non per conuentionem pro temporali: quia illa videtur Simoniaca. Nec valet quòd Sacerdos communicaret pro temporali ſuum laborem corporalem: quia non vellet quis pro eo tantum dare. Sed eleemoſyna liberaliter offertur, cum mendicatione orationis: & recipiens tenetur ſecundum iuſtitiam liberaliter exaudire mendicantem orationem ſuam; tamen ſine conuentione, & commutatione obligat ſe ad orandum pro Bènefactore; vel ſi eſt Communitas, eius Prælatus ſe pro tota obligat, vel ipſam totam obligat, vel ipſa tota ſe totam obligat.

*Si primo* modo teneatur, in poteſtate promittentis fuit promittere quantum voluit: & tantum ſe obligauit, non plus. Si tamen iſte intellectus poſſit ſine mendacio ſtare cum verbis, *De Sponſal. cap. 10.* Secundum promiſſorem ſit interpretatio: quia liberum fuit verba latè concipere.

Si autem teneatur ex ſtricta obligatione, &c. Poteſt dici quod pro ambobus ſimul non ſoluit debitum: diſtinguendo tamen de verbis obligationis, quod aut ſunt certa & ſimpliciter determinata ad vnum intellectum, vt ad dicendum Miſſam pro iſto, vnà cum alijs pro quibus tenetur; vel ita ſpecialiter ſicut poteſt Sacerdos ſpecialius applicare & meritum perſonale, & virtutem Sacrificij. In quo caſu, patet quod ſatisfacit, ſi ſecundum intellectum, & aliter non. Aliquando autem verba obligationis poſſunt intelligi ſtrictius & minus ſtrictè: vt, Dicam pro te vnam Miſſam, vel celebrabo pro te. Et in iſto caſu videtur quod verba accipienda ſunt ſecundum intẽtionem obligantis. *De iure iurando, Cap. veniens.* Et *de Sponſ. cap. Ex litt.*

Sed videtur quod verba obligationis ſint accipienda ſecundum intellectum quem habet ille cui ſit obligatio. *22. q. 5.* Quacumque arte verborum quis iuret, Deus ita accipit ſicut ille cui iuratur intelligit. *Reſp.* Ad hoc dubium videtur haberi *De Sponſ. Ex litt.* Si alter non intellexerit quod alter propoſuit: ad communem verbi intelligentiam recurratur.

*Sed quæres*, quæ ſit habenda de talibus verbis? Videtur quod obligans diſtrictè Sacerdotem ad celebrandum pro ſe, intendit obligare eum ad id quod eſt ſibi vtilius, & licitum: nunc autem, quod maximum bonum quod debetur virtute meriti perſonalis, & etiam Sacrificij, medio modo alicui totum applicaretur, eſt ei vtilius, & licitum, &c. Ergo ſic intendit.

*Ad 1. Arg.* Quòd verba intelligenda ſint ad mentem promittentis. *Reſp.* Non eſſe præſumendum quod quis ſe velit obligare ad illicitum, aut repugnans priori obligationis: niſi exprimatur.

*Ad 2.* Etſi videatur quod quis velit ſe obligare ad minus quod poteſt ſtare cum verbis quæ acceptat is cui fit obligatio: tamen neceſſaria ſit obligatio ſecundum communem verborum intelligentiam, quando alter alterũ plane non intellexit.

Sed an in nullo caſu ſatisfiat vnâ Miſsâ pro pluribus. Dicitur quod ſic: quia rationabilis conſuetudo acceptandi & celebrandi anniuerſaria in Eccleſijs in quibus eodem die non celebratur niſi vna Miſſa pro mortuis: interpretatur obligationem celebrandi ſimul pro pluribus, ſi eadem die concurrant, &c. Secus eſt de pauperibus Religioſis, & Sacerdotibus, &c. quia non habent rationem ſic acceptandi Anniuerſaria, &c.

*Aliter.* Poteſt quis cedere iuri ſuo, &c. Iſta ceſsio rationabiliter intelligenda eſt fieri, quando is cui fit obligatio bene nouit hanc conſuetudinem Eccleſiæ, &c. Sed ſi quis eam neſciens intendat obligare ad quantum obligaret Sacerdotem ſimplicem: non videtur quod iſti ſatis ſit niſi ſibi reddatur tantum, &c.

*Dici poteſt*, quod æque requiritur Iuſtitia in Eccleſia Collegiata, ſicut à ſimplici Sacerdote: niſi quis cedat iuri ſuo ſaltem implicitè, acceptando pro ſe conſuetudinem illius Eccleſiæ, quam non debet præſumi acceptare niſi ſit ſibi nota, &c.

*Dico ergo*, quod ſi ex conſuetudine in hac Eccleſia eſt inconueniens plures Miſſas dici de mortuis eodem die: non licet ſe obligare ſecundum iuſtitiam ad plures.

Et cum dicitur quod eſt rationabilis conſuetudo celebrandi Anniuerſaria in proprijs Eccleſijs. *Dico*, non ſtare cum alio abſolute rationabili: niſi procuretur Miſſa propria dici ab alio Sacerdote.

Similiter de Eccleſijs dotatis ad tantum numerum Miſſarum, vel ſuffragiorum, pro quibus Miniſtri ſufficiunt: quod non poſsint ſe licitè obligare ad plura, niſi intẽdant procurare ſolui per alios.

*De 3.* Quando ſunt plures obligationes ad idem numero, vt ad ieiunandum *Feria 6.* Quatuor Temporum, & Vigilia, & ieiunio noſtræ Regulæ: ſatisfacio vno actu ieiunandi. Secus eſt ſi ad idem in ſpecie: quia obligatio non eſt ad impoſsibile, &c. Nunc autem eſt alia, & alia obligatio completa, & ad idem in ſpecie, dicendi Miſſam: ergo non ſatisfit niſi diſtinctè. *Confirmatur*, quia aliud, & aliud induxit ad obligationem: ergo ad aliud & aliud correſpondens inductiuo.

*Ad Arg.* Principale, patet *ex 2. Arg.* Quia virtus Sacrificij non adæquatur valori contenti in Sacrificio: ſed correſpondet alicui merito in Eccleſia; nec adæquatur merito Paſsionis Chriſti, ſed pro quanto illam repræſentat, & virtute illius Deum placat, & bonum impetrat.



Digitized by Google

## *Supplementum Dogmaticum.*

QVód ſit de fide, Sacrificium Miſſæ non eſſe tantùm Latreuticum, ſeu honorarium Dei, & Euchariſticum ſeu in gratam commemorationem Chriſti: Sed eſſe etiam ex ſe viuis & defunctis ſaluberrimum, ſeu propritiatorum pro culpis aut pœnis, & impetratorium omnium beneficiorum ſalutarium. Contra hæreſim 53. Aërij apud B. Aug. & omnes hodiernas.

1. Ex Sacrâ Scripturâ. *Iob. 1. Leuit. 4. 5. 6. 7. 2. Reg. vlt. 2. Mach. 3. & 12.* ac alibi ſæpè: De Sacrificijs legis naturæ, & Moſaicæ, pro viuis & defunctis, eorumque peccatis, ac varijs beneficijs impetrandis; ſiue tantùm præfigurarent vim huius noſtri Sacrificij, cuius etiam erant figuræ; ſiue potius præfigurando etiam aliquid ad hæc valerent, vt ſupra *col. 248. 249. Ioan. 6.* Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita: Etiam in hoc Sacrificio, ſub ſpecie panis, ex Scoto ſuprà. *Luc. 22* Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis datur. Hic eſt Calix Sanguinis mei qui pro vobis funditur: Vtique etiam in hoc Sacrificio incruento. Vt ſupra, *col. 279. 280. Math. 26.* In remiſsionem peccatorum, &c. abſque vllâ reſtrictione ad Sacrificium cruentum. *Luc. 22. 1. Cor. 11.* In meam commemorationem, &c. non inanem, ſed ſalutarem. *Heb. 5. 7. 8. 9. 10.* De officio Sacerdotali, ad offerenda ſacrificia pro peccatis proprijs, & alienis. *1. Tim. 2.* De omni genere precum: ſed præcipuè publicarum, pro omnibus hominibus, pro Regibus, &c. vt quiètam & trāquillam vitam agamus. Denique ex omnibus promiſſis ac monitis S. Script. orandi, impetrādi, faciendi, & patiendi, etiam pro aliorum ſalute. Vt patet ex illâ oratione Dominicâ *Mat. 5.* Quantò potiùs ex officio Sacerdotali offerendi hoc Sacrificium pro omnibus, applicando eis merita & ſatisfactiones Chriſti? Cùm hoc Officium ſit publicum, & merita ſint communia, nec Chriſtus fruſtra realiter præſens offeratur, ſed ad noſtram ſalutem: hæque oblatio non ſit ſimplex oratio, ſed infiniti pretij exhibitio.

2. Ex omnibus Liturgijs, ſeu Ritualibus huius Sacrificij, pro viuis & defunctis, eorumque peccatis, & quibuſuis beneficijs ſalutaribus: idque ex ſpeciali memoria, ac commendatione Sacerdotis offerentis. Vnde patet authoritas commendandi apud Deum, ex officio, & actu illo Sacerdotali.

3. Ex traditione, praxi, exemplis, & Doctrina SS. Patrum: ſpondente pro omnibus B. Aug. *lib. 9. Conf. cap. 12. & 13.* De hoc Sacrificio pro Matre ſua defuncta, ſupra *col. 248.* Sed latius *Tom. 2. noſtræ Anat. col 215.* lib. de ſancta Virg. *cap. 43. ſerm. 17.* de Verbis Apoſt. & alibi, de pia commemoratione Sanctorum ad Altare. *lib. 1. de orig. Animæ cap 9.* De oblatione huius Sacrificij pro omnibus membris Chriſti. *lib. de cura pro mortuis cap. 1.* De precibus & Sacrificijs pro defunctis, ex 2. *Mach. 12.* Enchir. *cap. 110. Serm. 32. de verbis Apoſt. Epiſt. 64.* & alibi ſæpè, de oblatione huius Sacrificij pro defunctis. *lib. 20. de Ciuit cap. 8.* de liberatione cuiuſdam Domus ab infeſtatione dæmonum, oblato ad id ibidem iuſſu B. Aug. hoc Sacrificio, à quodam ex eius Præsbyteris. *Quæſt. 57. in Leuit.* Illis Sacrificijs vnum hoc ſignificabatur, in quo fit remiſſio peccatorum: A cuius Sanguine in alimentum ſumendo nemo prohibetur, &c. vt *col. 505.*

4. Ex Conc. 3. Carthag. *cap. 29.* Bracar. *1. & 3. Can. 1. & cap 34 39.* & pluribus alijs Prouincialibus: Sed tandem ex Doctrina Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. ac expreſſiſſima Definitione, *Can 3.* ſuprà *col. 25. 26 27.*

## *Supplementum Scholaſticum.*

QVamuis ſit de Fide hoc Sacrificium eſſe ex ſe ſaluberrimum viuis, & defunctis, ad remiſſionem culparum aut pœnarum, & impetrationem omnium beneficiorum ſalutarium, independenter à ſanctitate, aut merito perſonali Sacerdotum: non ſunt tamen paucæ nec leues difficultates Scholaſticæ, de valore & applicatione huius Sacrificij.

*Diff. 1.* An valor proprius huius Sacrificij ſit ex ſolo merito, ſatisfactione, & impetratione præteritâ Chriſti: an vero etiam ex aliqua præſenti. *Reſp.* Vim propriam huius Sacrificij, non eſſe merendi, aut ſatisfaciendi actu, ſed applicandi merita & ſatisfactiones præteritas Chriſti: per aliquam tamen impetrationem actualem ipſius etiam Chriſti præſentis. Quia quamuis ex *Heb. 7. 9.* 10. *11.* Chriſtus morte ſuâ conſummauerit noſtram redemptionem meritoriè, & ſatisfactoriè: non tamen eam efficaciter applicauit aut applicat, niſi diſtributiuè, per media ac remedia ad hoc ordinata. Quorùm primum & vniuerſaliſſimum ad primas gratias actuales & præuenientes, eſt hoc Sacrificium: Sacramenta autem, ad gratiam habitualem, & ſacramentales. Sed quia ex *Rom. 8. Heb. 9 10 1. Ioan 2.* Chriſtus eſt adhuc propitiatio pro peccatis noſtris, & actu interpellat ac patrocinatur coram Deo pro nobis: cur non actualiter in hoc Sacrificio æquè ac potiùs quam in Cœlo, cùm hîc ſit finis proprius huius Sacrificij, & præſentiæ eius ſacrificialis? Nec obſtat quòd Sacerdos videretur fruſtra applicare, aut ipſe Chriſtus non priùs meruiſſe, ſi hîc & nunc adhuc impetraret. Quia hîc & nunc impetrat executionem ſui illius meriti, per applicationem Sacerdotalem: ſeu impetrat fructum actualem, quem Sacerdos applicet determinatis ſubiectis. Oratio enim & impetratio reſpicit Deum ac eius donum: ſed applicatio, ſubiectum.

*Diff. 2.* An, & quomodo hæc vis applicandi merita & ſatisfactiones Chriſti ſit ex opere operato, ſeu ex vi propriâ huius Sacrificij: cùm nulla fiat applicatio exterior, nec poſſit eſſe certa & efficax ad tot tantaque beneficia, circa tot perſonas, tàm diſtantes, etiam indeterminatas ac indiſpoſitas.

Reſp. *Card. Bell. lib 2. de Miſſâ cap. 4.* Docet hoc Sacrificium habere quidem vim ex ſe, ſeu ex opere operato, independenter à ſanctitate aut deuotione Sacerdotis: non tamen ſacramentaliter, ſeu inſtrumentaliter; ſed tantum impetratoriè, per modum orationis, non tantùm mentalis aut verbalis, ſed & realis; eò gratioris & efficacioris, quò & res oblata, & offerens principalis eſt Deo gratior; non tamen valoris infiniti, vt Sacrificium crucis. 1. Quia res hîc oblata nec realiter patitur,



Digitized by Google

nec conſumitur, vt in ſacrificio cruento. 2. Quia hîc Chriſtus offert ſeipſum per Sacerdotes: ibi obtulit per ſe ſolum immediatè. 3. Quia Chriſtus voluit ibi totum ſimul impetrare: non autem eandem mortem realiter frequentare: hîc autem vult applicare, diſtribuere, diſpenſare.

Sed *Diff.* eſt ſaluandi veram efficaciam tantùm impetratoriè: cùm vis impetrandi orationis non ſit tàm certa ac infallibilis; ſed diſtincta, imò & oppoſita virtuti ex Opere operato. Vt patet à *col 43. ad 54.*

*Reſp. 1.* Vim, ſeu valorem huius Sacrificij eſſe propriè ex opere operato, quoad determinatam applicationem ſatisfactionum Chriſti, ad remiſſionem pœnarum temporalium: ad reliqua autem beneficia, non eſſe tàm propriè ex opere operato, ſed impetratoriam, vt Bell. ſupra: non tamen ex incertà deuotione, aut oratione Sacerdotis; ſed ex certâ, infallibili, ac præſenti ipſius Chriſti, per ſolam Sacerdotis intentionem, ac applicationem, ſiue orando, ſiue non. Quia vis propriè dicta ex opere operato eſt ad aliquam gratiam immediatè, ex ſolâ Dei inſtitutione, independenter ab omni actuali merito operantis, ſed tantùm ab aliquâ diſpoſitione, aut capacitate ſubiecti: hoc autem ſacrificium valet tantum ſic ad remiſſionem pœnæ, non autem ad reliqua, niſi mediante aliquo actuali merito orationis, & impetrationis: ergò ad illud ſolum, non autem ad reliqua propriè ex opere operato. Deindè quia ſola illa remiſſio eſt expreſſè promiſſa in inſtitutione huius ſacrificij, ad *remiſſionem peccatorum.* Denique ſola illa videtur eſſe poſſe immediatè determinata ad certam pœnam, & portionem ſatisfactionis Chriſti: reliquæ autem gratiæ impetrabiles, ſunt nimis indeterminatæ, quàm vt propriè ex opere operato conferantur. Nec tamen ſub incertâ impetratione, ex ſolâ communi promiſſione, ac conditione precum noſtrarū ſeu orationis, dependenter à ſtatu orantium, à perſeuerantiâ orandi, & à motu, ac motiuo ſupernaturali: ſed ex certa, ac ſingulari inſtitutione huius orationis ſacrificialis, ipſius Chriſti præſentis, obiectiuè applicandæ per Sacerdotes; non propriâ aliquâ oratione mentali aut verbali, multò minùs eius frequentatione; nec ex aliquo motu aut motiuo ſupernaturali, ſed ſolâ tali intentione morali circa obiecta ſeu perſonas intentas, quali conferuntur Sacramenta circa ſubiecta, ſeu perſonas recipientes. Vndè credibile eſt nunquam hanc impetrationem ac applicationem eſſe inefficacem alicuius ſaltem gratiæ interioris vel exterioris, ad finem intentum: quia cùm hoc ſacrificium offeratur etiam contra quemlibet obicem voluntatis, ſeu ad conuerſionem cuiuſuis peccatoris: non poteſt inde fruſtrari omni ſuo fructu, ſicut Sacramenta. Qua ſua efficacia excedit etiam omnia Sacramenta. Vnde & hæc vis meritò ſolet etiam vocari ex opere operato, vtique ipſius Sacerdotis: ſed ex opere etiam actuali Chriſti operantis, ſeu hîc & nunc impetrantis.

*Diff. 3.* Quo ſenſu hoc ſacrificium valere poſſit, ad remittenda quæcumque crimina, etiam quo ad culpam: cùm non poſſint remitti ſine pœnitentiâ.

*Reſp.* Non habere vim immediate remittendi peccata, per infuſionem gratiæ habitualis: ſed tantùm mediate, conferendo ſpeciales aliquas gratias actuales præuenientes, & excitantes ad pœnitentiam. 1. Quia nec ipſum Sacrificium cruentum remittit immediate peccata. 2. Quia hoc eſt ad remiſſionem peccatorum, ſine reſtrictione ad vlla, vel ad ſolam pœnam. 3. Quia illa ſanctificatio per infuſionem vel augmentum gratiæ, eſt propria Sacramentorum, vel etiam meritorum: quæ omnia eſſent fruſtrà, ſi idem fieret per hoc ſolum ſacrificium. 4. Quia ita expreſſe Trident. *Seſſ. 22. cap 2. ſupra col 25.*

*Diff. 4.* An valor proprius huius Sacrificij, ſit finitus an infinitus *Reſp.* Valorem applicandi merita & ſatisfactiones Chriſti, ad remiſſionem pœnæ, eſſe finitum, & determinatum ad certam participationem, maiorem vel minorem inter plures vel pauciores: valorem autem impetrandi gratias actuales ad remiſſionem culpæ, & quæuis alia beneficia ſalutaria, ſufficere in infinitum; nec eſſe ex ſe regulariter determinatum, ſed determinari ad plus minuſuè ab actuali acceptatione & impetratione. Quia hoc Sacrificium ex ſuâ inſtitutione ac praxi Eccleſiæ frequentatur pro iiſdem perſonis ad eundem effectum. Deinde eius valor non adæquatur dignitati principalis offerentis, aut rei oblatæ: ſed ex inſtitutione, ac acceptatione Chriſti ordinatur ad quotidianum Dei Cultum, & ad applicationem, diſtributionem, ac diſpenſationem meritorum & impetrationum Chriſti. Denique quia quantumuis excellat, non tamen tranſcēdit totā rationē orationis, ac impetrationis: quæ quamuis fundetur in fidelitate promiſſionis, ſemper tamen dependet ab aliqua gratuitâ & actuali liberalitate acceptationis. Cuius magna eſt differentia, quoad gratias actuales, circa perſonas pro quibus hoc Sacrificium offertur.

*Diff. 5.* A quibus hoc Sacrificium offerri poſſit *Reſp. 1.* Offerri principaliter, ſed & actualiter à Chriſto Domino, per ſuos Sacerdotes, Vt ſupra *Col. 259, 263.* & alibi. Ex *Heb. 7. Pſal. 109.* & ex ſacris Concilijs ac Patribus, à quibus Chriſtus dicitur hîc à ſeipſo offerri. 2. Offerri Miniſterialiter: & propriè Sacrificialiter, per Sacerdotes: non tantùm vt Miniſtros Chriſti, ſed etiam Eccleſiæ. Quia ſacra Scripr. Concilia, & Paters tribuunt hoc & reliqua omnia ſacra Officia miniſterio Eccleſiæ: non tantum quia in publicam eius vtilitatem, vel ex eius nomine ac debito; ſed etiam ex quodam eius merito, ac dignitate. 3. Offerri ſeu coofferri ab omnibus fidelibus, concredentibus & conſentientibus, ſpecialiter præſentibus, aut cooperantibus: per Sacerdotes, non tanquam ſuos Miniſtros, ſed ſuos principales Sic enim *Exod. 5. Leuit. 23.* & in Can. Miſſæ dicuntur offerre.

*Diff. 6.* Pro quibus hoc Sacrificium offerri poſſit. *Reſp.* Poſſe offerri directè vel indirectè pro omnibus viuis & defunctis: Exceptis notoriè ac ſingulariter damnatis. Ex B. Aug. *col 570. 659. 660.* noſtræ Anat. Quia omnes ſunt capaces alicuius fructus huius Sacrificij. Nam viui capaces ſunt omnium: Defuncti in Purgatorio, remiſſionis pœnarum:



Digitized by Google

Beati, impetrationis gloriæ accidentalis, &c. vt ſupra ex Alenſi. Nec obſtat 1. illud B. Aug. 1. *de orig. Animæ 9.* Quis offerrat Corpus Chriſti, niſi pro eis qui membra ſunt Chriſti? Quia id tantùm de mortuis ſine Baptiſmo ante vſum rationis. *Tom 2 noſtræ Anat. col. 659, 666.*

2. Quod Conc. Bracear. 1 *Can* 35. inhibeat offerri pro Cathecumenis. Elibert. *Can* 29. pro Energumenis. Quia illud, de Cathecumenis ſua culpa ſine Baptiſmo defunctis: hoc de Energumenis à maligno ſpiritu agitatis, non publicè & nominatim commendandis, ob horrorem & ſcandalum illius temporis.

3. Quod excommunicati priuentur Eccleſiæ ſuffragijs, &c. Quia priuantur tantum publicè, & directe: non autem priuatim & indirecte. Quod enim poſſit etiam publicè orari & offerri pro conuerſione omnium infidelium: patet. 1. Ex 1. *Eſd.6.* & 1. *Mach* 12. 2. Ex 1. *Timot.* 2. 3. Ex commendatione Chriſti, orandi pro perſecutoribus.

4. Ex praxi communi ac publica Eccleſiæ. 5. Ex doctrina & ratione SS. Patrum, ſingulariter B. Auguſt. *Tract. 44 in Ioan. Epiſt. 59. 107. & alibi.* Quia orando pro conuerſione Infidelium, oratur pro pace & propagatione ipſius Eccleſiæ. Quæ quidem hîc tantum breuiter & prouiſionaliter perſtringuntur: vſque ad proprias deſuper Controuerſias.

*Diff.* 7. Quod nec Magiſter Sent. nec Alenſis, nec S. Bonau. huius doctrinæ meminerint. *Reſp.* Satis meminiſſe *diſt. 12.* De Sacrificio, cui hæc annexa ſunt. Sed ſpecialiter Alenſis q. *37. m. 2. a. 2. §. 1. & m. 3. a. 3. §. 1.* ſub memoria illa ſeu commendatione Sacerdotali viuorum, & defunctorum: quæ commendatio ſupponit ſpecialem Sacerdotum ex officio & actu Sacerdotali ad hoc auctoritatem. Vbi inter alia: *Æſtimo*, inquit Alens. *quod ſi Sacerdos proferendo hæc verba, ſuos etiam inimicos amplecteretur: vtiliùs ſibi, & Deo acceptabiliùs offerret.* Quo autem res minùs erat tunc controuerſa, & certior in praxi: eo minùs expreſsè ac ex profeſſo tractata. Quamuis Scotus, Quodl. 20. per tot *Dicitur*, & *Dici poteſt*, ſatis indicet quædam etiam ſuæ ætatis dubia ſpeculatiua.

*Diff. 8.* Quòd Scotus ipſe videatur totus dubius, & irreſolutus. *Reſp.* Non niſi circa dubia & incerta ſpeculatiuè: ſatis autem reſolutum eſſe practicè, per *Dico*, imò & ſæpe per *Dici poteſt*, prout opponitur aliorum *Dicitur* &c. Supponit enim pro certo diſtinctionem inter valorem Sacrificij ex opere operantis, ſeu ex merito proprio ac perſonali Sacerdotis, pro maiori vel minori eius ſanctitate, & deuotione: & ex opere operato, ſeu ex vi propriâ Sacrificij; ſed mouet dubiũ an virtus propria Sacrificij procedat tantùm ex inſtitutione & merito Chriſti, an verò etiam ex merito generali Eccleſiæ, cui ſæpè tribuitur virtus Sacramentorum. Vt *Tom. 2. Anat. col. 366. & 922. 923.* Deinde diuidit ac tractat ſuam quæſtionem per tres Articulos principales: Primum, per triplicem valorem orationis, & multa ſimilia naturalia & moralia: Secundum, per tres articulos ſubalternos: Tertium tractat & reſoluit nõ tàm de valore, quàm de ipſâ æquitate applicationis Sacerdotalis. Vtitur autem nomine, & ſignificatione meriti: non tantùm proprie & perfectè, pro merito condigno gratiæ & gloriæ, aut pro ſatisfactione pœnæ; ſed etiam pro merito congruo ſolius orationis, ac impetrationis. De quibus ſuo loco ex profeſſo. Sed quòd ſub *Art. 2.* videtur fundare virtutem propriam huius Sacrificij ex opere operato, in merito Eccleſiæ Vniuerſalis, non autem Chriſti: ſupponit quidem merita præterita Chriſti; ſed negat tantùm meritum, ac ſatisfactionem præſentem & actualem Chriſti, vt immediatè & ſacrificaliter offerentis; non autem eiuſdem orationem ac impetrationem etiam præſentem & actualem. Quo etiam ſenſu. *col. 263 269.* & hîc *Diff. 1 2.3.*

## *Supplementum Morale.*

De poſſibili, ac valida applicatione ſuprà: hîc autem de æqua, licita, ac perfecta moraliter.

*Diff. 1.* Quòd videatur indignum & Simoniacum, applicare fructum ſpiritualem Sacrificij, pro lucro aut ſtipendio temporali. *Reſp.* Ex Scoto ſuprà ſub *3. Art.* non applicari pro lucro, aut ſtipendio, tanquam pro pretio, ex contractu quodam permutationis: ſed pro illo beneficio gratuito temporali, tanquam pro motiuo & inductiuo rationabili, ex gratitudine, & reciproca Charitate, ac fidelitate in dictis, & promiſſis. Eodem iure naturali quo orandum eſt pro benefactoribus: & Diuino, quo Miniſtri Altaris ex ſuo Miniſterio ſuſtentandi ſunt, *1. Cor. 9.* Quod nullam præ ſe fert Simoniæ labem, vel ſpeciem commutationis rei temporalis pro ſpirituali: ſed veracitatis, fidelitatis, gratitudinis & Charitatis, pro beneficentiâ & Charitate. Nec obeſt, imo prodeſt; quod munus tempore non ſit æquale, nec proportionatum fructui ſpirituali: quia hinc patet non procedi ex iuſtitiâ commutatiua, quæ ſpectat rerum æqualitatem; ſed ex reciprocâ Charitate, gratitudine, veracitate & fidelitate, quæ ſunt ſupra rerum materialium æſtimationem. Quamuis & munus debeat eſſe proportionatum ſuſtentationi: non vt pretium fructus ſpiritualis, nec laboris annexi, niſi extraordinarij; Sed vt medium neceſſarium ad vitam & operationem ipſam ſacrificialem Miniſtri, æquè ac eſt neceſſaria materia conſecrationis, vaſa ſacra, & reliqua.

*Diff. 2.* Quòd videatur alienum à Charitate ſuiipſius, aut inordinatum, ſeipſum priuare fructu ſpirituali ſacrificij, pro alijs.

*Reſp. 1.* Ex Scoto ſuprà, meritum & fructum gratiæ ac gloriæ, ex Sacrificio, ſicut & ex quouis alio bono opere, eſſe perſonalem ac proprium operanti, incommunicabilem alteri: meritum ſatisfactionis propriæ pro pœnis, eſſe communicabilem; ſed fructum Sacrificij ex opere operato, ſeu ex inſtitutione, ac merito Chriſti, non eſſe proprium Sacerdotis, ſed commiſſum eius diſpenſationi. Ex quo poteſt quidem & ipſe participare: ſed poteſt imo & tenetur alijs communicare.

*Reſp.* Quod qui ex Charitate proximi ſeipſos non tantùm fructu Sacrificij; ſed etiam propriæ ſatisfactionis

Digitized by Google

ſatisfactionis priuat, ad communicandum alijs: non minuat, ſed augeat bonum proprium ſpirituale; mutando fructũ ſatisfactionis, in maiorẽ fructum Charitatis, & gratiæ ac gloriæ conſequentis.

*Reſp.* 3. Cauendum tamen eſſe ab affectu & motiuis indignis hac communicatione ac applicatione fructus ſpiritualis. Vndè meritò quidam vir pijſſimus ex noſtris, malebat veſci pane & aquâ, quam ſuas ſatisfactiones conſumere in cibum & potum: non defectu, ſed affectu Charitatis ordinatæ, & ſtudio humilitatis ac ſobrietatis propriæ.

*Diff.* 3. Quòd per illos fructus, & eorũ ſtudioſam diſpenſationem ac reſeruationem, videatur remitti attentio & intentio ad maiorem Dei gloriam, tanquam finem principalem & eſſentialem Sacrificij. *Reſp.* Nullatenus inde remitti, ſed potiùs exerceri, & perfici: quia hæc diſpenſatio eſt realis proteſtatio, imò & executio ſummæ illius bonitatis, ac liberationis Dei, & Chriſti, ſeipſum & ſuas gratias ac merita cõmunicantis. Quo nihil glorioſiùs.

*Diffic* 4. Quòd videatur iniquum, ditiores, & ſalutis propriæ negligentiores, viuos, & defunctos, plus participare de fructu huius Sacrificij, quam pauperes: cùm tamen B. Aug. in *Enchir. cap.* 10. *Et libro de cura pro mortuis cap.* 1. & alibi toties inculcet, quemlibet recepturum prout geſſerit in ſuo corpore, nec vlli poſt hanc vitam quicquam profuturum, niſi prout meruerit in hâc vitâ. *Reſp.* 1. Quòd ſicut nulla eſt in Deo iniquitas, aut acceptio perſonarum, eligendo & præferendo, quos voluerit ad ſuas gratias actuales: ita nec ad fructus huius Sacrificij. *Reſp.* 2. Ex B. Aug. Defunctos non iuuari Sacrificijs, aut viuorum ſuffragijs, niſi prout meruerint .i. vt ipſe B. Aug. exponit, niſi tàm benè vixerint, vt non indigeant, quales ſunt beati; aut tàm malè vixerint, vt alieno auxilio prorſus indigi ſint, quales ſunt damnati; ſed mediocriter ſeu imperfectè, ac negligenter, quales ſunt plerique fideles diuites, ſuæ tamen ſalutis curam habentes, hoc ipſo quo procurant ſibi fructum huius Sacrificij. *Reſp.* 3. Deum non ideo priuare Sacrificium aut eius applicationem ſuo effectu: ſed prouidere, vt prout defuncti meruerũt, ſeu ſalutem propriam curauerunt, aut neglexerũt; ita etiam à viuis curetur aut negligatur; reuocando eos ad piam ac ſollicitam curam viuorum, vel permittendo eorum obliuionem ac negligentiam.

*Diff.* 5. Quòd videatur eſſe magnæ diffidentiæ de fructu huius Sacrificij, fundare tot in perpetuum, & multiplicare pro eiſdem perſonis, maximè defunctis, ad eundem fructum. *Reſp.* 1. Non ad eundem fructum indiuiſibilem, ſed diuiſibilem, remiſſionis variarum pœnarum, vel eiuſdem maioris per partes. 2. Sæpè etiam ad gratias, & beneficia ſpecie vel numero differentia. 3. Ad eiuſdem continuationem, vel augmentationem. 4. Ad vtilitatem aliorum indigentium. 5. Ad ſecuritatem ab omni periculo infidelitatis, aut obliuionis naturalis Sacerdotum. 6. Ad maiorem Dei gloriam, ex frequentiâ Sacrificiorum. Vnde patet fundationem, & multiplicationem Sacrificiorum, non eſſe ex vllâ eorum differentiâ: ſed potiùs ex maximâ fiduciâ, & ſtudio gloriæ Dei; quamuis etiam ex incertâ proportione fructus ſingulorum Sacrificiorum, cum debito pœnarum expiandarum, ac gratijs nobis neceſſarijs.

*Diff.* 6. Quod illa tot pauperum Sacerdotum & aliorum victitatio, ex ſtipendijs Miſſarum, videatur quædam indigna earum nundinatio: Contra B. Aug. Epiſt. 64. *Oblationes pro Spiritibus dormientium, quas verè adiuuare aliquid credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ: atque omnibus petentibus præbeantur, neque vendantur; ſed ſi quis pro Religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus erogetur.*

*Reſp.* 1. Ex Tom. 2. noſtræ Anat. *col.* 943. 944. hæc eſſe tantùm contra abuſum oblationum cibi & potus ſuper ſepulchris mortuorum, ad ebrietatem, & auaritiam: Vt patet ex toto contextu illius Epiſtolæ. 2. Poſſe extendi & intendi à minori ad maius, ſeu ab illis oblationibus ad ipſum Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti. 3. Hoc ipſum præcipuè intendi ſub illis *Oblationibus, quas verè adiuuare aliquid credendum eſt.* 4. Hæc non eſſe contra vllum hodiernum abuſum publicum in Eccleſiâ: ſed potiùs in magnam eius commendationem; quod & ille quondam abuſus cibi & potus oblati ſuper ſepulchris mortuorum ſit iam abolitus, nec Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti oblatum vlli vendatur, ſed omnibus Fidelibus gratis præbeatur, & nonniſi ad ſuſtentationem pauperum Sacerdotum pecunia pro Sacrificio offeratur aut acceptetur. 5. Quod ſi hæc de non acceptandâ pecunia pro ſacrificijs, niſi hîc & nunc erogandâ alijs pauperibus: non eſſe obligationis, ſed conſilij ac perfectionis; vt Eccleſiâ potiùs aliundè ex ſuis prouentibus aut Fidelium elemoſinis ſuſtentet omnes Sacerdotes ac Miniſtros Altaris, quàm ex ſtipendijs pecuniarijs pro ſingulis Sacrificijs. Vt Apoſtolus 1. *Cor.* 9. proteſtans de iure viuendi ex Euanglio & Altari, noluit illo vti, ſtudio & exẽplo perfectionis. 6. Omnes Eccleſiaſticos eſſe Miniſtros Altaris proximè vel remotè, & ex eius miniſterio viuere: ſed eos perfectiùs, ſibiq; ac Eccleſiæ ſalubriùs, qui ex quotidianis Miſſarũ ſtipendijs in diem victitant, quàm qui prouentibus & pinguibus præbendis abundant. Tùm quia hoc præfiguratum fuit. *Num.* 18. *Ioſue.* 13. 1. *Reg.* 2. Lege illa ſuſtentandi Miniſtros Altaris ex Sacrificijs quotidianis, abſque alijs poſſeſſionibus; quia, inquit Deus, *Ego pars & hæreditas tua,* &c *Num.* 18. Tum quia pauperes Sacerdotes immediatiùs ex Sacrificio quotidiano victitantes, eiuſdem ſtudioſiores ac diligentiores ſunt. Tùm quia Sacerdotes Beneficiati debent fructus Sacrificiorum ſuis fundatoribus: quò autem ſunt plures pauperes, eò minora ſtipendia, & fructus Sacrificij etiam pauperibus communiores. Quamuis tàm ſit indignum ſuſtentationem pauperum Sacerdotum parui æſtimari: quàm pauperibus defectu ſtipendij in neceſſitate negari.

*Diff.* 2. An ſit perfectionis, non offerre Sacrificium pro perſonis & gratijs determinatis: ſed pro omnibus in communi, *ad intentionem Dei, & Chriſti in Cruce,* vt præſcribunt prima ſtatuta noſtræ Reformationis.

*Reſp.* Quidam hanc oblationem Sacrificij relatiuè ad intentionem Dei & Chriſti in Cruce, nimis improbant: vt alienam ab inſtitutione applicandi ſeu determinandi ipſam intentionem Dei &

Chriſti. Sed hæc relatio habet ſuos veros ſenſus perfectæ applicationis.

1. Ad intentionem Dei æternam, ſeu ad ſalutem earũ, quibus Deus ab alterno hic & nunc ſpecialiter prodeſſe & applicari voluit: referendo nos ad Dei notitiam & perfectiſſimam regulã noſtræ volũtatis. Nam Deus non tantùm vult omnes homines communiter ſaluos fieri: ſed & multos ſingulariter per certa media ſuo loco & tempore applicanda.

2. Ad intentionem Chriſti in Cruce: quia nec eſt tantùm mortuus pro omnibus communiter; ſed & pro multis ſingulariter, per hanc aut illam applicationem Sacrificij.

3. Ad intentionem actualem Chriſti, vt realiter præſentis & oblati ad impetrandum etiam fructum applicationis Sacerdotalis.

4. Ad exequendam intentionem diuinam & humanam Chriſti. Prout ex profeſſo in lib. 1. ſent. De conformitate voluntatis noſtræ cum diuina: nõ obiectiuè & elicitiuè, ſed executiuè. Cùm enim Sacerdos ſit Miniſter Chriſti: non tantùm ei curandum eſt vt validè miniſtret, applicet ac diſpenſet fructum Sacrificij; ſed etiam licitè & perfectè, ad intentionem ſui principalis. Quæ applicatio coincidit in illam ipſam Scoti ſupra. Quid eſt enim aliud offerre ad intentionem Dei & Chriſti: quàm prout vult & nouit offerendum eſſe ordine Charitatis & Iuſtitiæ.

## Diff. Dogmatica, Scholaſtica, & Moralis.

AN & quomodò hoc Sacrificium poſſit prodeſſe Defunctis ex opere operato: cum iam non ſint *ſuper terram*, vbi ſolui aut abſolui poſſint à pœnis *Mat 16. 18.* Sed infrà, ſeu extrà Iuriſdictionẽ Eccleſiæ; nec vlla alia Sacram. eis applicari poſſint? *Reſp.* 1. Ex Suppl. Dogm. ſupra, fructum huius Sacrificij non eſſe minùs certum pro defunctis quam pro Viuis; quia fauores ſunt potius ampliandi ad defunctos indigentes, &c. 2. Sacramenta applicari tantũ ſubiectiuè & ſenſibiliter; Sacrificium autem obiectiuè & mentaliter, ideòq; extendi ad omnes capaces fructus eius. 3. Defunctos in Gratiâ non eſſe extrà Cõmunionem nobiſcum ſpiritualem: vt adhuc membra Corporis Chriſti. 4. Fortè adhuc ſubeſſe alicui Iuriſdictioni Eccleſiæ, ad ſolutionẽ ſeu abſolutionẽ a pœnis: nec illud *Matt. 16. & 18. Super terram*, afficere ipſos abſoluẽdos, ſed abſoluẽtes; nec vllis opponi, ſed componi & ſupponi abſolutioni Dei in Cœlo. 5. Hanc Diff. eſſe cõmunem omnibus ſubſidijs pro Defun. De quibus ſingulis ſuo loco ex profeſſo; ſed eò certiorẽ eſſe fructum Sacrificij pro Defunctis ex opere operato, quò & propriè ſacrificialis eſt, & ipſius Chriſti præſentis, & comparatur cum fructu viuorũ. Nec obſtat quod Sacrificijs annecti ſoleant aliæ etiàm Orationes, Elemoſynæ, & Indulgentiæ: quia hæc tantum ad maiorẽ fructum, non autem ad certiorẽ, ſed potiùs minùs certum, tàm pro viuis quàm pro Defunctis. Tũ quia dignitas Sacerdotalis eſt certior de acceptatione Dei, quàm quælibet priuata. Tum quia certior eſt poteſtas Eccleſiæ per Sacramenta & Sacrificia, vt media ab ipſo Chriſto determinata: quã per quæuis alia. Tum quia ſiue ex ſola inſtitutione, ſiue ex impetratione actuali Chriſti præſentis, fructus hîc eſt certior quolibet non Sacramentali.

# QVÆSTIO 14.

## De ceremonijs Sacrificialibus.

EX *Doct. Alenſis quæſt. 36.* De conſecratione quantum ad vſum. *Memb. 1.* De loco Cõſecrationis. *Reſp.* Non licere extra locum Deo dicatum: niſi ex neceſſitate, vel Epiſcopi commiſſione, & in Altari portatili. Ex *diſt. 1. de Conſecr. Cap. Sicut. Et cap Concedimus. Et cap. Miſſarum.* Vbi exprimitur neceſſitas combuſtarum Eccleſiarum, & itineris: ad celebrandum etiam in Tentorijs.

*Ad Arg.* Ex vnico loco ſacrificandi in Lege antiquâ. *Reſp.* Hoc fuiſſe in figuram Sacrificij crucis.

*Memb. 2.* De tempore Conſecrationis. *Reſp.* Miſſas conuentuales regulariter celebrari horâ tertiâ, diebus Feſtis; quia Chriſtus tunc crucifixus fuit linguâ Iudæorum: hora ſexta, in profeſtis; quia tunc crucifixus fuit: Horâ nonâ, in quadrageſimâ & diebus ieiuniorum; quia tunc Chriſtus expirauit, &c. Vt Scotus *col. 520.*

*Memb. 3.* De Altari lapideo: vt cõmuni, forti, & durabili. Ex 1. Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus.*

*Memb. 4.* De panno conſecrationis, ſeu Corporali: non ſericeo, nec tincto; ſed lineo, albo, & conſecrato. Ex *diſt 2. de Conſec. cap Conſulto.*

*Memb. 5.* De Calice & patenâ, non niſi ex auro, argento, vel ſtanno. De Conſec. *diſt. 1. Cap Calix.*

*Memb. 6.* De indumentis conſecrantis. *Art. 1.* De amictu, Albâ, Cingulo, Stolâ, Manipulo, Planetâ ſeu Caſulâ ſimplicium Sacerdotum, & varijs ſingulorum ſignificationibus. § *1.* De ratione huius Senarij veſtium Sacerdotalium. *Art. 2.* De Caligis, Sandalijs, Succinctorio, Tunicâ, Dalmaticâ, Mitrâ, Chyrotecis, Annulo, & Baculo Epiſcoporum: & ſingulorum ſacris ſignificationibus Chriſti. *Art. 3.* De ſingulorum ſignificationibus tropologicis, ſeu moralibus circa ipſos Epiſcopos. *Art. 4.* De Pallio Archiepiſcopali, eiuſque formâ, ac ſignificationibus. *Art. 5.* De ratione huius numeri. *Ad Arg.* Cur Summus Pontifex non vtatur baculo: Vt ſupra *col 141.*

*Memb 7.* De vnico Miniſtro neceſſario ac ſufficienti ad licitè celebrandum. Imò quòd quidam *ponant Recluſum ſolum celebrare poſſe:* Statutum autem non celebrandi, niſi coram duobus reſpondentibus, Ex *diſt. 1. de Conſec. cap. Hoc quoque, &c.* vſu abrogatum eſſe; nec Sacerdotem alloqui præſentes, ſed totam Eccleſiam.

*Memb. 8.* De eâdem Conſecratione à pluribus ſimul Cardinalibus Præsbiteris, cum Summo Pontifice. Vt ſupra *col 521. 522.*

*Memb 9.* De obligatione vtendi verbis conſuetis ante Conſecrationem: non tamen ex neceſſitate ad validè conſecrandum.

*Memb. 10.* De Confeſſione, oblatione, & thurificatione ad inchoandum Sacrum: horumque ſignificatione. Vbi nota ex *Apoc. 8.* per oblationem incenſi ſignificari, offerri Deo *de orationibus Sanctorum:* Quia non omnes exaudiuntur, ſed tantùm ſalutares.

*Quæſt. 37.* De toto Officio Miſſæ, per tres magnos Tractatus, & plura Membra minora, ſed plurimos Articulos ac Paragraphos, vſque ad minimas Ceremonias Miſſæ Solemnis: Ex Innoc. 3. Vt patet ex eius hac de re Opuſculo.

EX

Digitized by Google

### Ex Opuſculo S. Bon. De expoſitione Miſſa.

*Cap. 1.* De varijs ſignificationibus veſtium Sacerdotalium. *Cap. 2.* A nomine Miſſæ vſque ad Offertorium. *Cap. 3.* Ab Offertorio vſque ad Canonem Miſſæ. Inter alia: *Rotunditas Hoſtiæ, æternitatem Dei deſignat.* *Cap. 4.* A Canone ad finem Miſſæ. Inter alia: Hoſtiam conſecratam eleuari. *1.* Ad veniam & gratiam Dei. *2.* Ad omne bonum neceſſarium huic vitæ. *3.* In ſignum noſtri iuris & prætentionis ad Cælum. *4.* Ad oſtentandam Omnipotentiam Dei in conſecratione. *5.* Ad mirandam eius Sapientiam. *6.* Ad profitendam eius liberalitatem. *7.* Ad exhibendam eius Bonitatem. *8.* Ad erigendum hoc quaſi vexillum Eccleſiæ. *9.* Ad proponendum & ſequendum exemplum Chriſti &c. Quibus ſupponendus eſt finis proprius adorationis: & apponi ac exponi poſſunt plurimæ aliæ ſignificationes. Vt in memoriam eleuationis Chriſti in Crucem. In memoriam Aſcenſionis eius in Cælum. In ſignum mediationis inter nos & Deum. In ſignum noſtræ per fidem ſubiugationis. In ſignum ſcuti ſeu protectionis contra iram Dei. In ſignum albi ſeu ſcopi noſtri ad collimandum. Quaſi in velum expanſum naui Eccleſię, ad proſperum ventum. Quaſi in numiſma ſeu pretium Deo oblatum, & calicem propinatum.

### Ex Doctrina Scoti col. 518. 519. 520.

### Supplementum Dogmaticum.

*1.* A *col. 126.* ad *130.* De cæremonijs Sacramentalibus in genere. *2.* Ex 1. Reg. 15. *Melior eſt obedientia quàm victimæ.* *3.* Ex obſeruantiâ quarundam cæremoniarum ſacrificialium etiam ſub Lege Naturæ. *4.* Ex vſu quarundam cæremoniarum ab ipſo Chriſto in vltimâ Cœna. *5.* Ex præceptis & monitis Apoſtoli. *1. Cor. 4. 9. 10. 11. 14.* circa locũ, tempus, & alias circumſtantias. *6.* Ex Decretis Summorum Pontificum, & Sacrorum Conc. relatis à Gratiano *de Conſec. diſt. 1. 2. 3.* & à Greg. 9. *lib. 3. Decretalium. titulo 41. De celebratione Miſſarum.* *7.* Ex pleriſque Patribus antiquis à *col. 245.* ad *250.* & à *281.* ad *293.* Qui inter eſſentialia aut neceſſaria huius Sacrificij & Sacramenti, meminerunt etiàm loci, temporis, modi &c. *8.* Specialiter ex S. Dyon. Areop. *De Eccl. Hyer. cap. 3.* Vbi ad hoc ipſum inuocato diuiniſſimo Sacramento, vt *col. 240.* ſupra: *Quanquam, inquit, vnum ſimplexq́, principium habens, ſacrà figuorum varietate hominum ſtudio augetur &c. Ex his rurſus ſe ad Monadem ſuam colligit, atque in vnum redigit eos qui ad ſe ſanctè ducuntur.* *9.* Ex B. Aug. Epiſt. 118. vt ſuprà *col. 127.* & pluribus alijs eius locis, à col *243.* ad *257.* ex quibus pleræque cæremoniæ huius Sacrificij recolligi poſſunt. *10.* Ex varijs & antiquiſſimis Liturgijs, Syriacis, Chaldaïcis, Arabicis, Græcis, & Latinis: ſub nomine SS. Iacobi, Marci, Baſilij, Chryſoſtomi &c. *Tom. 6. Bibliothecæ SS. Patrum per Margarinum De La Bigne.* *11.* Ex varijs & antiquis Interpretibus Græcis, & Latinis harum ſacrarum cæremoniarum: relatis eodem *Tom. 6. Bibliot.* *12* Ex Sacro Concil. Trid. *ſeſſ. 22. ſuprà col. 26. 27. & 28.* De cæremonijs credendis & obſeruandis in celebratione Miſſæ.

### Diſſicultates Dogmaticæ.

*Diſſ. 1.* Ex *Ioan. 4.* & *Malac. 2.* De Adorando & Offerendo vbique ſub noua Lege, *in ſpiritu & veritate*: Vt ſuprà, *col. 246. 247.* Ergò liberè, abſque obligatione ad tot cæremonias & circumſtantias loci, temporis, &c.

*Reſp.* Negando Conſeq. Quia illud *In omni loco, Malach. 2.* non ſignificat vbique actu, nec quolibet loco, indifferenter: ſed prædicit hunc cultum Dei publicum, futurum communem omnibus populis & Regionibus, vt diſtinctum ab illo Iudæorum, reſtricto ad ſolum templum Hyeroſolimitanum. Illud autem Ioan. 4. *In ſpiritu, & veritate*: diſtinguit hunc cultum Dei, vt verum, ab illo falſo Samaritanorum; & vt ſpiritualem, ab illo tantùm literali & præfiguratiuo Iudæorum. Sed ſicut anima ſpiritualis, non excludit, ſed requirit corpus ſibi conueniens: ita & hic cultus Dei ſpiritualis, exigit cæremonias corporales, ſibi, ſuo obiecto, ac ſubiecto conuenientes. Nec illa, *Neque in monte hoc, neque Hyeroſolymis*: excludunt omnem cæremoniam loci ſacri; ſed extendunt hunc cultum vt ſuprà, & præferunt cultum ſpiritualem ac principalem, cuiuis cæremoniali.

*Diſſ. 2.* Ex *1. Cor. 14.* De vſu linguæ Latinæ in hoc publico Dei cultu: contra finem ac fructum cõmunem populi. *Reſp. 1.* Ex *col. 128.* ſuprà. *2.* Ex *col. 26. 27.* cap. 8. Trid. 3. Ex B. Aug. *lib. de Magiſtro cap. 1.* De oratione vocali Sacerdotum, *ſignificandæ mentis ſuæ cauſa*, id eſt finis ac intentionis: vt *audientes, conſenſione quadam, per commemorationem, ſuſpendantur in Deũ.* Non autem vt percipiant ſignificationes grammaticas ſingularum vocum: ſed vt moneantur & moueantur ad attentionem & intentionem finis. Quod facilè fit frequenti vſu paucorum verborum: quibus etiàm Idiotæ reſpondere ſolent. Vt patet ex B. Aug. ſuprà, à *col. 248.* ad *250.*

*Diſſ. 3.* Contrà Miſſas priuatas: cùm ex ſuâ inſtitutione, & ipſis cæremonijs antiquis ſalutandi, reſpondendi, communicandi, ſint publicæ & communes. Vndè S. Chryſoſt. *Homil. 18. in 2. ad Cor. & Hom. 3.* ad Epheſ. *Fruſtrà*, inquit, *habetur Oblatio quotidiana: cùm nemo ſit, qui ſimul participet.* Infrà. *An non ſatius fuerit prorſus non comparuiſſe?* Hinc S. Franc. quadam Epiſt. monet vt quotidiè vnica Miſſa in ſingulis Conuentibus fiat: *ſecundùm* formam S. Romanæ Eccleſiæ. *Reſp.* Miſſas poſſe dici & eſſe priuatas. *1.* A loco. *2.* A tempore. *3.* A ſubmiſſa voce. *4.* A paucorum, vel etiam ſolius Sacerdotis præſentiâ. *5.* Ab eius ſolius communione Sacramentali. *6.* A priuatâ applicatione alicuius fructus. Vt patet ex *col. 370. 385. 356. 566. ad 575.* Sed non poſſe eſſe priuatas, ſeu vlli ità appropriari quoad finem & fructũ: quia Sacerdos eſt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, ad colendum & propitiandum Deum hoc Sacrificio; ideòque non poteſt ſibi vel vlli hunc fructum & cultum ita appropriare, quin ſit communis, ſeu ex perſonâ Chriſti & pro Eccleſiâ. Salutationes autem & reſponſiones, ſunt tantùm cæremoniales, ſignificantes illam Communionem ſpiritualem huius cultus & fructus. Ad S. Chryſ.



Digitized by Google

*Reſp.* Eum non reprobare ſolam fidelem humilem, ac obedientem præſentiam: ſed tantùm ſui temporis negligentiam ſacræ Communionis Sacramentalis; vt eſſet quaſi eius contemptus publicus, ſæpè intereſſe, & vix vnquàm communicare. Vt patet ex illo S. Ambr. lib. 5. de Sacramentis cap. 4. *Si quotidianus eſt hic panis: cur vt Græci facere conſueuerunt, poſt annum illum ſumitis?* Ad illam Epiſt. S. Franc. *Reſp.* Non ne reliquæ Miſſæ eſſent priuatæ: ſed ad maiorem deuotionem omniũ circa vnam. Quòd autem ſubdit, Secundùm formam S. Rom. Eccleſ. non quoad vnicam Miſſam, ſed quoad ſolemnem, vel quoad ritum Miſſæ.

*Diff. 4.* De vſu tot tamque prætioſorum vaſorum, tantoque apparatu: contrà humilem paupertatem Chriſtianam, facilitatem ac communitatem huius cultus Dei, & contrà exempla antiquorum Sanctorum, qui vaſa ſacra in neceſſitates pauperum expendebant, & conquerebantur *quondam Sacerdotes aureos ligneis calicibus vſos fuiſſe, nunc autem è contrà.* Vt refert Gratianus *de Conſecr. diſt. 1. c. 44.*

*Reſp. 1.* Ex illo Chriſti Ioan. 12. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum: me autem non ſemper &c.* Contrà ſimilem murmurationem Iudæ proditoris, de effuſo à Mariâ Magdalenâ vnguento pretioſo ſuper caput ſuum: quaſi ex aliquâ curâ pauperum, reuerà tamen ex auaritiâ & inuidiâ. *2.* Ex prædictione *Eſa. 49. Pſal. 71.* Reges futuros nutritios Chriſti & Eccleſiæ: huiuſque inchoatione *Mat. 2* in illâ Chriſti à tribus Magis adoratione; *apertis theſauris ſuis*, & indè oblato ei Auro, Mirrhâ, & ſingulariter *Thure*, in ſignũ & ad ſumptus Sacrificij. *3.* Ex depoſitis Fidelium ad pedes Apoſtolorum *Act. 4. 5.* ſine dubio ad cultum Dei, & neceſſitates Eccleſiæ. *4.* Ex *diſt. 1. de Conſec. cap. 44.* Eccleſiam ex conuerſione Infidelium, & Fidelium liberalitate, paulatim vſque ad tantum decus & maieſtatem cultus Diuini excreuiſſe. *5.* Non in decrementum, ſed potiùs accrementum ipſius etiàm cultus interioris. *6.* Nec ad theſaurizandum ſuperflua, ſed in alias etiàm neceſſitates Eccleſiæ & pauperum, ſaluis neceſſarijs ad hunc cultum Dei. *7.* Neque mirum eſſe quòd pauciores Sacerdotes, quondam primitias ſpiritus habẽtes, eſſent quaſi aurei, cùm præ paupertate, calicibus ligneis vterentur: ſed non degeneraſſe in Sacerdotes ligneos, ex vſu calicum aureorum. *8.* Nec humilitatem aut paupertatem Chriſtianam eſſe ad cultum publicum Dei: ſed ad vſus proprios ac priuatos. *9.* Denique ab initio Eccleſiæ hucuſque non deficere ſed ſufficere, & potiùs in dies proficere ſumptus neceſſarios tot Eccleſijs, Altaribus, Vaſis ſacris, & Miniſtris etiam pauperrimis huius Sacrificij, toto orbe terrarum, ex ſingulari Dei prouidentiâ, & Fidelium deuotione.

*Diff. 4.* Quòd quædam cæremoniæ videantur ſuperſtitioſæ: vt Cerei accenſi clarâ die: Obſeruatio dierum & horarum, contrà *Gal. 4.* Ieiunium naturale ab omni extrinſeco. *Reſp.* Nihil horum eſſe ſuperſtitioſum, ſed omnia religioſa. Nam & hunc vſum ſacrorum cereorũ ex profeſſo tuetur S. Hier. contrà Vigilantium: in ſignum Fidei, Spei, Charitatis, lætitiæ, & honoris; in quem etiam finem ſolent eſſe ignes triumphales. Et B. Aug. *Epiſt. 118. cap. 6*, teſtatur placuiſſe Spiritui S. *Vt Corpus Chriſti priùs intraret in os Chriſtiani, quam cæteri cibi*: non quàm aër, aut ventus, aut ſaliua &c. vt illud it Lutherus *lib. de abrogandâ Miſſâ*, ipſi B. Aug. imò potiùs ſibiipſi. Cùm nullum ſit ieiunium à reſpiratione, nec ab intrinſecâ defluxione: ſed à cibo, potu, medicinâ, & à quouis extrinſeco indecente ſacram Communionem, niſi ex graui neceſſitate. Nec obſeruatio diei & horæ ad hoc Sacrificium, eſt contra illud Gal. 4. *Dies obſeruatis & menſes, & tempora &c.* vel Iudaicè in figuram futurorum, vel ex fiduciâ in ipſas differentias temporum: ſed in memoriam diei & horæ Paſſionis Chriſti, in publicam proteſtationem huius Fidei &c.

*Diff. 6.* Quòd ex defectu cæremonialium, inhibeantur ipſa eſſentialia huius Sacrificij: cùm ex Scoto ſuprà *col. 519.* præceptum ſanctificandi Sabbatum, & colendi Deum hoc Sacrificio, ſit maioris obligationis quàm vtendi cæremonialibus. *Reſp.* Ex diſt. 1. de conſec. c. 11. *Satius eſt* (inquit Felix Papa Epiſt. 1.) *Miſſam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis vbi fieri non oportet: niſi pro ſummâ cõtingat neceſſitate. Vnde*, Deut. 12. *Ne offeras in omni loco: ſed quẽ elegerit Dominus. In domibus tamen nullatenus licet.* Et ſic de cæremoniis aut circumſtantiis principalibus, ſeu maioris momẽti ad decus & honorem huius Sacrificij. Quia cùm hoc Sacrificiũ ex proprio fine ſuo ſit honorarium Dei, nec ſit nobis tantæ neceſſitatis, vt hæc illi fini præferri poſſit: potiùs eſt ex honore & obedientiâ differendum, quàm indecenter offerendũ. Nec obſtat quod illud ex *Deut. 12.* & pleraq; ſint cæremonialia quaſi antiquę Legis: quę non poſſunt obligare contrà Legem Naturæ & Gratiæ colendi Deum hoc Sacrificio, diebus determinatis. Quia illa non obligant vt ſunt antiquæ legis: ſed vt ex lege naturæ & gratiæ colẽdi Deũ vt & vbi vult *col. 256.* renouata & applicata ab Eccleſiâ ad decorem huius cultus Dei. Cùm autem concurrũt determinatio tẽporis, loci, & modi incompoſſibilis: vel omittendum eſt Sacrificiũ, vel illa determinatio ac obligatio præferenda eſt, quę eſt magis ad finem proprium huius Sacrificij, ſeu ad honorem Dei. Neque etiàm obſtat quòd eſſentialia Sacrificij ſint magis ad honorem Dei quàm omnia cæremonialia, ſicque illa nunquam omittenda forẽt propter horum defectum. Quia eſſentialia ſunt magis ad honorem Dei ſpiritualem & indefectibilem coram Deo: cæremonialia, ad honorem Dei exteriorem & defectibilẽ apud nos; ideòq; huic magis præcauendũ. Nec Scotus vult obligationem publicã diei feſti præualere omnibus alijs cæremonialibus: ſed Eccleſię cõſecratæ. Quis enim cenſuerit licere die feſto celebrare ſine Altari, ſine Calice, aut vllo apparatu Sacerdotali? Niſi fortè ex ſingulari Dei inſtinctu: vt refert Niceph. lib. 8. cap. 31. S. Lucianum Martyrem in carcere conſecraſſe ſuper proprio pectore.

Diff. 7. Ex diſt. 1. de Conſecr. cap. 1. *Sicut non alij quam Sacerdotes debent Miſſas cantare, nec Sacrificia ſuper Altari offerre: ſic nec in aliis quàm Deo ſacratis locis.* Cur tanta neceſſitas Altaris, loci ſacri,

vestium

veſtium ſacrarum &c. Reſp. *Sicut*, non æqualiter, ſed ſimiliter: vt ſicut eſt actio externa ſoli Deo ſacra per Miniſtrum ſacrum, ex perſona & meritis Chriſti; ita non fiat niſi in altari, loco, & ſub habitu ſacro, ad diſtinguendam exteriùs hanc actionem à prophana, exprimendam eius fundationem ſuper Chriſto, & appropriandam ſoli Deo, his ipſis etiam ſacris ſignis.

*Diff. 8.* De Canone Miſſæ. Quòd quædam nunc dicantur ſubmiſsè, quæ ſolebant aut ſolent in alijs Liturgijs conuenientiùs pronuntiari altâ voce: vt ipſa verba Conſecrationis, quibus Populus vt olim & adhuc alibi, fideliter reſpondeat *Amen*. Quędam videantur falſa: vt, *Iube hæc perferri &c. Quæ tibi offerimus &c.* quaſi offerretur panis & vinum. *Pro redemptione Animarũ &c.* quaſi non eſſent redemptę. Quædam videantur ineptè repeti: Vt, *Hæc dona, hæc munera &c. Benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem &c.* Quædam indignè comparare hoc, cum ſacrificio Abel, Abrahæ, Melchiſedech &c. *Reſp.* Canonem noſtrum, ſeu Ritum regularem ac ſtabilem, totâ antiquitate venerabilem, nullo Hæreticorum circumlatratu reprehenſibilem aut corrigibilem eſſe. Nàm ſuo illo continuo ac ſecreto ſilentio, præ alijs omnibus Liturgijs commendat ac conciliat huius Myſterij venerationem, & omnium ad illud attentionem ac intentionem: præcauetque ſacrorum verborum euulgationem, contemptum & abuſum. Qualem refert Alcuinus ab annis ſuprà 800. De quibuſdam Paſtoribus ouium: qui cùm inter ſe colludentes imitarentur ſacram Conſecrationem: ad terrorem abutentium, & in exemplum perpetuum, ſubito fulmine ludicrum illud Altare ac Sacrificium conſumptum fuit. Nec eſt opus altâ Conſecratione, vt Populus honore quodam labiorum reſpondeat *Amen*: ſed præſtat vt ipsâ Adoratione Sacerdotis, & eleuatione Hoſtiæ conſecratę, moneatur & moueatur ad adorandum. Nec eſt ibi vel vmbra falſi, de aliquâ latione, vel Altari materiali in Cælo, vel de Sacrificio ipſius panis & vini, vel de primâ noſtrâ redemptione: ſed de commendatione huius noſtræ Oblationis apud Deũ, deque præparatione panis & vini ad futurum ſacrificium, & de applicatione noſtræ redemptionis per Sacrificium. Nec quicquàm ineptè repetitur: ſed ad meritam inculcationem tanti Myſterij, & ad diſtinctam ſignificationem, & ad imitationem ipſius S. Scripturæ Rom. 12. *Hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium &c.* Denique nulla eſt hic indigna comparatio cum ſacrificijs antiquis, quaſi ad æqualitatem rerum oblatarum: ſed tantùm quoad ſimilitudinem, & ad deuotionem offerentium.

*Diff. 9.* Quòd varij ſitus, motus, geſtus, habitus videantur eſſe inanes ac leues. *Reſp.* Omnes eſſe vel ex ipſius rei naturâ ad reuerentiam: vt inclinationes, genuflexiones &c. Vel ad pœnitentiam, & orationem &c. vt tunſio pectoris, iunctio & eleuatio manuum ac oculorum, ex *Pſal. 141. 1. Tim. 1.* Vel ex ſimilitudine, ac inſtitutione Eccleſiæ, ad explicandam aliquam implicitam ſignificationem Sacrificialem aut Sacramentalem: vt mixtio aquæ, eleuatio, oſtenſio, fractio Hoſtiæ, thurificatio, frequentia ſigna crucis, in memoriã Paſſionis Chriſti. Vel ad exprimendum, monendum, & mouendum affectum Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, &c. Quæ ſi ex præſcripto Eccleſiæ grauiter & modeſtè fiant: non poteſt quin benè afficiant vtentes & ſpectatores.

*Diff. 10.* Ex B. Aug. *Epiſt. 119.* vt ſupra *col. 127.* Reſp. Vt ibidem: addendo, quàm multa & difficilia ſacrificia antiquæ Legis, hoc vnico tamque facili redempta & abolita ſint.

## Supplementum Scholaſticum.

### *De variâ ratione & fine harum Cæremoniarum.*

*1.* Quòd cùm hoc Sacrificium & Sacramentum ſit tantùm inſtitutum à Chriſto quoad eſſentialia, nec poſſit exerceri niſi ſub modo & circumſtantiâ particulari: neceſſariò modificatur ab Eccleſiâ ad exercitium, ſuo aliquo modo regulari ac honeſto. Cùm enim ſit actio publica & miniſterialis, ex perſonâ Chriſti pro Eccleſia: non eſt gerenda ſeu exercenda pro cuiuſlibet affectu, libitu, aut iudicio; ſed ex Lege ſeu præſcripto Eccleſiæ. Nam cùm Caluiniſtæ ab initio nollent vti vlla certa ceremonia: ſinguli pro libitu ridiculè ſe habebant, nec ſciebant quo ſitu aut geſtu conſiſtere.

*2.* Quòd ſicut habitus debet eſſe conueniens perſonæ: ita & hic modus cæremonialis, ipſi eſſentiæ & fini huius Sacrificij.

*3.* Quòd cùm hoc Sacrificium ex fine proprio ſit honorarium Dei: modus eius cæremonialis debet eſſe honorarius, & condecens ac regularis; prout ſunt honores decreti Regibus ac Principibus, & ab eorum Cæremoniarchis obſeruati, ad maiorem decentiam & vniformitatem.

*4.* Quòd quia hæ Ceremoniæ ex fine proprio ſunt honorariæ: magis obligant quàm aliæ circà alia Sacramenta. *5.* Sed quia hoc Sacrificium eſt etiam in memoriam Chriſti, & præcipuè Paſſionis eius: cæremoniæ debent conuenire ad explicanda illa memorialia implicita. *6.* Et quia colendus eſt Deus in ſpiritu & veritate, ſeu ex fide, cognitione, & affectu conueniente: eius cæremoniæ debent eſſe ad hoc ipſum monitoriæ & motiuæ, ſicque tropologicæ. *7.* Quia eſt etiam ad vnionem & vnitatem Fidelium: ipſæ cæremoniæ debent eſſe conformes ac vniformes. *8.* Quia eſt ad ſpem ſalutis æternæ, & ad perfectionem charitatis: cæremoniæ quoque debent eſſe anagogiæ, ſeu monitorię & motiuæ ad Deum & æterna. *9.* Denique quia hoc Sacramentum & Sacrificium eſt Nouæ Legis, efficax & plenum omnis gratiæ: nec ipſæ cæremoniæ debent eſſe inanes, ſeu tantùm ſignificatiuæ; ſed etiam alicuius efficaciæ, aut ſaltem impetrationis gratiarum, ad omnes ſuos fines & ſignificationes; ex inſtitutione Eccleſiæ, ex connexione cum ipſis eſſentialibus, & ex fide, deuotione, ac obedientiâ vtentium actiuè, & obiectiuè.

Quantæ autem ſignificationis, vtilitatis, & importantiæ ſint: patet non tantùm Dogmaticè ſuprà, ſed etiam hìc Scholaſticè, ex tot tantiſque



Digitized by Google

earum Interpretibus, relatis *Tom. 6. Bibl. Patrum.* Ex quibus quædam Specimina promamus.

1. Ex Alcuino ab anno circiter 700. de Officijs Eccleſiaſticis, & ſpecialiter de celebratione Miſſæ. Vbi inter alia monet in Præfatione Miſſæ, Cherubim & Seraphim Hæbraïcè eſſe maſculini generis, pluralis numeri: ſed Cherubin & Seraphin Græcè, eſſe neutri generis pluralis numeri. Vt & Innoc. 3. *lib. 2. de ſacro Altaris myſterio cap. 61.* Et ex eo Alenſis noſter *Quæſt. 37. P. 2. M. 1. Art. 3. §. 2.* Alludit etiam ad B. Aug. ſuprà *col. 280.* Monens hanc oblationem non naſci, ſed Conſecratione fieri *Benedictam, Adſcriptam, Ratam, Rationabilem &c.* i. ex pane & vino irrationabili, fieri ipſum Corpus humanum Chriſti &c.

2. Ex S. Germano Archiep. Conſtantinop. ab anno 700. in ſuâ quâdam Theoriâ, ſeu contemplatione myſticâ Miſſæ. Vbi inter alia cenſet coronam Sacerdotalem, non tantùm eſſe in memoriam coronæ ſpineæ Chriſti: ſed etiam S. Petri, quaſi ei, adhuc viuente Chriſto, ab incredulis & illuſoribus Verbi Dei caput attonſum fuerit, & ob hanc illuſionem Chriſtus cum pretioſâ Fidei petrâ, & primatu Eccleſiæ coronauerit. Per crateres vini conſecrandi, commemorat etiam vbera B. Virginis. Per hanc incruentam victimam, *Ipſas*, inquit, *viuas Paſſiones Chriſti.* Per obſignationem Populi ab Epiſcopo, ſubindicat quaſi futurum aduentum Chriſti, anno 6500. ex quâdam computatione digitorum. *Vt & Hyppolitus è Roma, & S. Cyrill. & Chryſ. dicunt de Anti-chriſto.* Meminit Indorum celebrantium hoc myſterium &c. Cui etiam applicat illud Ioan. 17. *Pro eis ſanctifico meipſum &c.* valdè piè & catholicè, de hoc vero Sacrificio & Tranſſubſtantiatione: exceptâ declinatione ad errorem Græcorum de Conſecratione per preces Sacerdotis, poſt verba Chriſti.

3. Ex Strabone ab anno circiter 800. de rebus Eccleſiaſticis. Vbi *cap. 7.* notat linguam Theotiſcam, accomodaſſe ſibi quædam ſacra nomina ex Græco & Latino: vt *Kylch* à Calice, *Kyrch* à κυριος, quaſi Dominica, & plura alia etiam nomina prophana, vt Patris, Matris, Lunæ, Menſis &c. Cùm tamen haberet ſua propria, quæ idem Author ibidem refert, ſed iam prorsùs exoleta. *Cap. 15.* Hoc eſſe verum Corpus Chriſti, & pignus illius vnitatis quam nunc ſpe, poſteà re tenebimus cum Chriſto. *Cap. 16. alias 20.* De frequentiâ cõmunicandi, citat Librum de Dogm. Eccleſ. non vt B. Aug. ſed vt Gennadij Præsb. Maſſil. *Cap. 17.* Refert Leonem Papam eadem die ſepties vel nouies celebraſſe: Bonifacium verò Archiep. Mogunt. ſemel tantùm: quos etiam monet non extitiſſe diu ante ſe. *Cap. 22.* De Traditione Miſſæ Romanæ à S. Petro, eiuſdemque proſecutione ab eius ſucceſſoribus, & de integritate Fidei in Eccleſia Romana. Refert quoſdam ſuo tempore tantùm ſemel in die cõmunicaſſe, etiamſi pluribus Miſſis intereſſent: quoſdam toties quoties. *Cap. 24.* De vaſis & veſtibus ſacris. Refert illud vulgatum S. Bonifacij Martyris & Epiſcopi: *Sacerdotes quondam aureos, ligneis Calicibus vſos fuiſſe: nunc autem è contrà* &c.

4. Ex quodam Magiſtro Floro ab annis 800. in quadam paraphraſi totius Miſſæ.

5. Ex Myſtagogiâ Eccleſiaſticâ cuiuſdam Maximi Monachi. *Cap. 9.* Per ingreſſum Pontificis in Eccleſiam, ſignificari aduentũ Chriſti in carne. *Cap. 10.* Per conuentum Populi, ſignificari conuerſionem Infidelium & Peccatorum. *Cap. 11.* Per ſacras Lectiones, ſignificari monitiones Dei. *Cap. 12.* Per Cantica, ſignificari motiua ad amorem Dei &c. *Cap. 23.* De refugio ad Eccleſiam, quaſi ad aſylum & templum pacis. *Cap. 25.* aliàs 15. Quàm ſit ſalutare conuenire ad Eccleſiam tempore S. Synaxis: Quia Deus operatur in præſentes ſignificata ſacrorum ſignorum.

6. Ex Tractatu Stephani Epiſcopi Eduenſis ab anno 950. De Sacramento Altaris. *Cap. 10.* Inter veſtes Sacerdotales meminit cuiuſdam mappulæ ad ſiccandum ſtillicidia oculorũ. *Cap. 12.* Per quinque conuerſiones ad Populum, ſignificari quinque apparitiones Chriſti in die Reſurr. *Cap. 13.* De Canone Miſſæ. *Hæc dona*, nobis à Deo data: *Hæc munera*, Deo à nobis oblata: *Hæc ſancta Sacrif.* i. ad Sacrificium præparata: *Illibata* .i. integra, non vitiata. Quòd Filius Dei dicatur Oblatio *Adſcripta* ſacris Script. indelebiliter: & vt Verbum Patris, Forma omnium, ac Liber vitæ. *Cap. 18.* Hoſtiam frangi in 3. partes, ad honorem SS. Trinitatis, pro triplici ſtatu Fidelium, in Cælo, Terrâ, & Purgatorio, &c.

7. Ex quodam Micrologo ab anno 1080. De Eccleſiaſticis Obſeruantijs. *Cap. 17.* Per fractionem Hoſtiæ vult ſignificari percuſſionem lateris Chriſti: per partem miſſam in Calicem, ſignificari reunionem Corporis Chriſti cum Anima in ſuâ Reſurr. Per partem ſumptam à Sacerdote, Eccleſiam viuentium: per partem reſeruandam pro viatico, Fideles defunctos &c. *Cap. 23.* De totâ ſerie Miſſæ prout nunc &c.

8. Ex verſibus cuiuſdam Hildeberti Cœnomanenſis Epiſcopi.

*Sub Cruce ſub verbo Natura mutatur, & Aram*
*Panis honorificat Carne, cruore Calix.*
*Presbiter idcircò cùm verba venitur ad illa,*
*In quibus Altari gratia tanta datur.*
*Tollit vtrumq; notans quòd ſit communibus eſcis*
*Altior, & quiddam maius vtroq; gerat.*

9. Ex Tractatu cuiuſdam Nicolai Epiſcopi Methonenſis. Inter alia Dogmatica: comparat hoc Sacramentum quaſi eſcæ, ad ineſcandos piſces: monetque opus nobis fuiſſe hâc nouâ carne Chriſti, noſtrâ corruptâ per peccatum.

10. Ex quadam collatione B. Sammonæ Archiep. Gazæ, cum Achmed Saraceno. In quâ varijs interrogationibus docet veritatem huius myſterij, per conuerſionem alimenti in corpus humanum, per generationem hominis ex ſemine, per creationem totius mundi verbo Dei, per ſimilitudinem ſpeculi fracti in plures partes integrè repræſentãtes, & eiuſdem vocis in plurimis auribus idem ſignificantis. Tandem ad Quæſtionem Achmed, *An hoc ſit verum Corpus Chriſti, vel tantùm eius exemplar.* Reſp. *Abſit eſſe tantùm exemplar. Chriſtus enim dixit, Hoc eſt Corpus meum: non autem, exemplar.*

11. Ex

Digitized by Google

11. Ex Tractatu cuiuſdam Nicolai Cabaſilæ Archiep. Theſſ. quamuis Græci ſciſmatici, inſignis tamen Interpretis ſacrarum Cæremoniarum, ab anno circiter 1350.

*Cap. 1.* Quæ ante Sacrificium fiunt, ſignificare facta ante mortem Chriſti: quæ autem poſt fiunt, ſignificare facta poſt mortem Chriſti. *Cap. 2.* Quòd panis & vinum offerantur Deo, tanquam primitiæ vitæ humanæ. *Cap. 4.* Quòd Deus nobis pro pane terreno cœleſtem retribuat. *Cap. 9.* Quòd ſicut viris fortibus pro Patriâ, eriguntur ſtatuæ: ita & hęc ſit quaſi ſtatua, ſed viua proprij Corporis, Chriſto erecta. *Cap. 16.* Quòd hoc ſit velut quoddam corpus integrum hiſtoriæ, ſeu totius vitæ Chriſti, ſed præcipuè Paſſionis eius: nec variæ ſignificationes inter ſe repugnent; ſed ſint ſicut eædem veſtes, quæ & corpus tegunt, & ornant, ac perſonæ ſtatum deſignant. *Cap. 27.* Inter erronea de conſecratione perficiendâ precibus Sacerdotis poſt verba Chriſti: profitetur verũ Sacrificium & conuerſionem panis in Corpus Chriſti. *Cap. 32.* Non ſacrificari panem, ſed Corpus Chriſti: nec eſſe hîc tantùm figuram Sacrificij, ſed verum Sacrificium, ex non ſacrificato, in ſacrificatum. *Cap. 37.* Græcos infuſione aquæ calidæ in Myſteria etiàm poſt Conſecrationem, vt refert etiàm S. Germ. ſignificare Aduentum Spiritus S. *Cap. 38.* Eccleſiam hic ſignificari & contineri: vt membra in corde, rami in radice, palmites in vite. *Cap. 39.* Acclamari Chriſto, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* *Cap. 42.* Hoc Myſterium prodeſſe Oblatione, & Communione.

*Cap. 43.* Quaſi Animæ extra corpus æquè hinc participent à Sacerdote æterno, ac in corpore à Miniſtro. *Cap. 44.* Quaſi Chriſtus nec fuerit nec ſit interceſſor precibus, ſed reipsâ, & opere Naturæ humanæ aſſumptæ. *Cap. 45.* Quaſi Animæ ſine corpore ſint aptiores ad fructum huius Myſterij, quam in corpore: quodque omne bonum Animarum hinc participetur. Vndè & Chriſtus Sanctorum fruitionem vocauerit Cœnam. *Cap. 47.* Hoc donum eſſe Deo acceptum: non manu aut ſinu, ſed in proprium corpus. *Cap. 48.* Offerri pro Beatis. *1.* In gratiarum actionem. *2.* Quatenùs Sancti ita diligunt Deum, vt ducant ſibi offerri quod offertur Deo: vt & Deus imputat ſibi dari, quod datur pauperibus propter ſe. *3.* Quatenùs eſt eis gratiſſimum, quòd quaſi Deum per nos colant. *4.* Gratulando eis de eorum bono, vt noſtro. *Cap. 49.* Præter ea quæ 47. 48. *Pro ipſá,* inquit, *Oblatione qua aguntur gratiæ: alias rurſùs gratias Deo debemus &c. Quodq́; id volumus & operamur, idem ipſe eſt qui operatur in nobis.*

*Cap. 50. & 51.* Oblationem panis & vini dici *Rationabilem* .i. verbalem, ad diſtinctionem à reali, ſolaque ſacrificiali; quâ non tantùm dicitur, ſed fit Corpus Chriſti. *Cap. 52.* Quòd hoc Sacrificium ſit etiam Supplicatorium: ſed vocetur potiùs Euchariſticum, à gratiarum actione, vt maiore ac meliore &c.

12. Ex Tractatu Venerabilis Odonis Epiſc. Cameracẽſis, per 4. Diſtinctiones, in Canonem Miſſę.

Diſt. 1. *Sacrificia illibata &c.* De integritate Hoſtiæ offerendæ. *Pro Fidei cultoribus* .i. non ſolùm credentibus, ſed & viuentibus ſecundùm fidem.

Diſt. 2. *Et omnium circumſtantium &c.* Monet ſolitarios hæc & ſimilia referre ad omnes Fideles.

Diſt. 3. *Adſcriptam.* Per ſcriptum, intelligit Verbum Dei, quatenùs eſt imago, & quaſi ſcriptura aut ſculptura Patris, habens in ſe formam rerum omnium. Per *Adſcriptam*, intelligit Corpus Chriſti, vt vnitum Verbo tanquàm priori ſcripto æterno, ad incorruptionem, vt vox ſcribitur ne pereat. Per *Ratam*, intelligit fixam & certam. Per *Rationabilem*, intelligit Chriſtum vt hominem, & eius oblationem honeſtam ſeu decentem. Per *Acceptabilem* in ſe & ex ſe, monet ne diſpliceat ex parte offerentis. *Benedixit* .i. inquit, *Corpus ſuum fecit. Non enim*, inquit, *poſt benedictionem dixiſſet, Hoc eſt Corpus meum: niſi in benedictione factum eſſet. Fregit* &c. Quaſi Corpus Chriſti æquè ſub ſpeciebus panis tangatur & comedatur, ac ipſa ſubſtantia panis, quandò eſt ſub eiſdem &c. *Hic eſt Calix Sanguinis mei.* Intranſitiuè .i. Sanguis meus. *Qui pro vobis & pro multis*: Diſcernendo inter bonos, & malos. *Iube hæc perferri &c* .i. hanc noſtram deuotionem &c. *Non transfertur loco, vt de pane fiat Caro Chriſti: transfertur tamen ab Altari ad Cælum; quia de pane ad Deum.*

Diſt. 4. *Per quem ſemper hæc omnia bona creas &c.* Quia qui ſemel Verbi ſui Corpus creauit ex Virgine: quotidie de pane creat eius Carnem, & de vino Sanguinem. ] &c. valdè pia & catholica: exceptâ illa opinione Cõſecrationis à Chriſto quaſi per ſolam per Benedictionem. Subdit tamen: *Tolle verba Chriſti, non fiunt Sacramenta Chriſti.*

13. Huic meritò ſubiungitur eius penultimus ſucceſſor Illuſtriſſ. Frãciſcus Vanderburg, cũ ſuo ſacro Miſſæ Cæremoniali, pijſſimè interpretato, in ſenſum præcipuè allegoricorum, ſeu memorialem Paſſionis Chriſti.

14. Sed optimè & adæquatè ex Innoc. III. Papa, Opuſculo, imò & magnorum operum eius maximo, tantoque Pontifice ac primo Sacri Ordinis noſtri Inſtitutore, digniſſimo, ſex Librorum de S. Altaris myſterio, inter tot tantaſque ſui Officij ac temporis ſollicitudines: prout ipſemet humillimâ excuſatione in Epilogo profitetur.

*Lib. 1. per 64. Cap.* De omnibus Miniſtris huius Sacrificij, eorumque veſtitu & apparatu: in omnes ſenſus ac ſignificationes.

*Lib. 2.* Ab acceſſu Pontificis aut Sacerdotis ad Altare, vſque ad Canonem: in omnes etiam ſenſus ac ſignificationes ſingularum Cæremoniarum per 61. *Cap.* Sed *Cap. 44.* videtur potiùs approbare ſignũ Crucis à dextra ad ſiniſtram, quàm more hodierno à ſiniſtra ad dextram: ex varijs ſignificationibus. Niſi dextrâ ſumat à re ſignata, non à ſignante.

*Lib. 3.* A Canone ad Conſecrationem.

*Lib. 4.* De Conſecratione & eſſentialibus huius Sacrificij ac Sacramenti per 44. cap. Ex communi Doctrina Fidei: mouendo quidem varias & ſubtiles diff. Scholaſticas; ſed problematicè, & modeſtiſſimè. Niſi quod videatur propendere in aliquot opiniones exoletas. *Cap. 6.* Quaſi Chriſtus conſecrauerit benedicendo. *Cap. 13.* Quaſi Iudas ac-



Digitized by Google

ceptâ buccellâ intinctâ exierit ante ſacram Communionem. *Cap. 15.* Quaſi Chriſtus ex ore tranſeat in cor, nec hæreat in ſtomacho ſub ſpecie conſecratâ. *Cap. 16.* Quaſi ſpecies euomitæ non ſint ampliùs eædem, ſed tantùm ſimiles. De quibus ſat ſupra: necdum autem de ſequenti.

CAP. 39.

MOuet Quæſtionem à recentioribus renouatam: *An aqua cum vino conuertatur in Sanguinem?* Videturque propendere in partem affirmatiuam: ſicut & *Cap. Cum Marthæ, De celebr. Miſſarum.* Sed quia Alenſis noſter ſuprà *col. 487. Memb. 5. Art. 1. 2. & 3. S. Bon. col. 491.* & expreſſiùs Scotus *Diſt. 11. Quæſt. 7.* docet *aquam non conuerti in Sanguinem, niſi priùs ſit conuerſa in vinum*: quòd ibi ſuppoſuimus, hîc expreſsè ſupplemus. Quia nec S. Script. nec ſacra Concilia, nec SS. Patres vnquàm meminerunt alterius materiæ conſecrationis, ſeu conuerſionis ac Tranſubſtantiationis in Corpus & Sanguinem Chriſti, quàm panis & vini: aut præſentię Sacramentalis Corporis & Sanguinis Chriſti ſub alijs ſpeciebus, quàm panis & vini. Imò *Luc. 22.* exprimit vinum *de genimine vitis*: Et Flor. ſupra col. 3. *Vinum de vite, cui ante Conſecrationem aqua modicißima admiſceri debet.* Trid. autem ſeſſ. 22. cap. 7. *Monet præceptum eſſe ab Eccleſiâ Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miſceant &c.* exemplo Chriſti, in ſignum ſacrum *fluxus aquæ cum Sanguine è latere Chriſti, & vnionis Populi fidelis cum Capite Chriſto.* Ergò aqua nullatenùs eſt materia Conſecrationis à Chriſto inſtituta. Alioquin, Cur ex præcepto Eccleſiæ? Cur aqua modiciſſima? Cur ſolo exemplo Chriſti? Cur in ſignum tantùm, & non potiùs in materiam, ſi talis eſſet?

Nec obſtat. 1. Quòd quædam Concilia & Patres grauiter moneant miſcendam eſſe aquam vino offerendo aut conſecrando, imò & multùm aquæ: nec poſſe vinum offerri aut conſecrari ſine aquâ mixtâ; comparentque hanc mixtionem, mixtioni aquæ cum farinâ ad panem conſecrandum, vt S. Cypr. *Epiſt. 61.* Quia vel monent de graui præcepto & obligatione: vel de Oblatione & Conſecratione cæremoniali, ſeu præparatoriâ materiæ; vel de miſcendâ & conuertendâ aquâ in vinum, ante & ad conuerſionem in Sanguinem, vt dici ſolet cibum eſſe comedendum vt conuertatur in Carnem, vinum bibendum vt conuertatur in Sanguinem, vtique mediatè; vel denique quia multùm commendant illam imitationem Chriſti, & duplicem ſacram ſignificationem; ſupponũtque perfectam mixtionem, ſeu conuerſionem aquæ in vinum. Vt patet ex illâ ipſâ comparatione S. Cypr. Sicut enim aqua miſcetur farinæ, vſque ad conuerſionem in panem conſecrandum: ità & aqua vino, vſque ad conuerſionem in vinum, non autem in aliud tertium. Nec imitatio Chriſti, aut ſacræ illæ ſignificationes exigunt conuerſionem aquæ immediatè in Sanguinem: ſed vel nullam, vel nonniſi mediante conuerſione in vinum. Quia exemplũ illud Chriſti eſt tantùm ad imitationem moralem: non autem ad efficaciam aut effectum Sacramentalem. Fluxus autem aquæ diſtinctæ à Sanguine ex latere Chriſti, potiùs repræſentatur per diſtinctionem aquæ à vino, quàm per vllam conuerſionem: Nec illa aqua erat de veritate Corporis aut Sanguinis Chriſti: nimiſque differt fluxus ex Corpore cum Sanguine, à conuerſione in Sanguinem, quàm vt ille per hanc ſignificandus ſit. Sed hæc mixtio aquæ cum vino ante vllam conuerſionem, videtur potiùs ſignificare virtutem Sacramentorum manare ex latere ſeu meritis Chriſti: & Sacramentum aquæ ſeu Baptiſmi, præſupponendum eſſe Sacramento Euchariſtię. Denique cùm vnio Populi cum Chriſto, non ſit conuerſio in Chriſtum: potiùs ſignificatur per mixtionem aquæ cum vino, quàm per eius conuerſionem ſubſtantialem. Cumque Populus non vniatur tàm immediatè ac perfectè Chriſto in hoc Sacramento, quin mediantibus alijs: hoc videtur potiùs ſignificari per neceſſariam conuerſionem aquæ in vinum, vt poſſit conuerti in Sanguinem Chriſti.

Nec obſtat. 2. Quòd fortè aqua non ſemper conuertatur in vinum ante Conſecrationem: indèque ſequeretur totum contentum Calicis non conuerti in Sanguinem, nec eſſe demonſtrabile per pronomen *Hic*, nec adorabile, nec ſaluo ieiunio potabile. Tùm quia experientiâ conſtat, aquam vino permixtam facilè in vinum conuerti: cùm ex eâ vinum ipſum generetur. Tum quia ſi quæ aqua videatur à vino ſecerni aut elici: eſt potiùs ſubtilior pars vini. Tum quia ſi nimium aquæ, aut à vinulo non conuertatur: quid inde? Non enim demonſtratur, conſecratur, aut adoratur totum quod eſt cum pane & vino, aut cum panis & vini ſpeciebus: ſed ſolùm panis & vinum, aut quod eſt ſub eorum ſpeciebus, vt ſignis proprijs; non plus autem aqua, aut quod eſt ſub ſpeciebus aquæ, quàm quilibet alius liquor permixtus, vel muſca illapſa, vel aër & atomi in poris panis, vel grana, aut farina hordeacea concocta &c. Quæ ſi fortè cum ſacris ſpeciebus ſumantur: nullatenùs ſoluunt ieiunium rationabile.

Nec obſtat. 3. Quod potus communis vini lymphati videatur eſſe materia Conſecrationis. Tùm quia S. Script. & Conc. vocant *vinum de vite*, vt ſuprà. Tùm quia potus cõmunis vini, non eſt aquæ ſimul, ſed ad ſummum, aqua temperati. Tùm quia vinum potiùs temperatur aquâ in ſe conuerſâ quàm commixtâ. Tùm quia cùm hæc materia ſit tàm ſacra: ſicut panis conſecrandus debet eſſe purus ab omni non pane; ità & vinum ab omni non vino. Tùm denique quia conuerſio aquæ in vinum, debet præſignificare conuerſionem in Sanguinem.

Nec obſtat. 4. authoritas *Innoc. III.* Quia in hoc Opuſc. *Cap. 29.* eſt tàm dubius & problematicus: vt nec audeat definire, an aqua cum vino mediatè vel immediatè conuertatur in Sanguinem: an verò nec mediatè nec immediatè in Sanguinem, ſed in illam aquam quæ fluxit de latere Chriſti. Cap. 30. vel 31. *Quibuſdam*, inquit, *non abſurdum videtur, quòd aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per Conſecrationem tranſit in Sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum tranſire, cùm multo vino modicum infunditur aqua?* Cap. 32. *Cautum eſt in Canone*, diſt. 2. c. 1. 2. 3. *quod non poteſt Calix Domini aqua ſola eſſe, neque vinum ſolum, niſi vtrumq́; miſcea-*

Digitized by Google

miſceatur. Et Cypr. *Calix Domini non eſt aqua ſola, nec vinum ſolum &c.* Non poteſt .i. non debet: *quia,* inquit, *non dicitur poſſe fieri, quod de iure non fit.*

*Cap.* autem. *Cùm Marthæ De Celebr. Miſſarum*, refert deſuper plures opiniones. 1. *Quòd vinum & aqua commixta in Calice diuinâ virtute mutentur in illa duo quæ fluxerunt de latere Chriſti.* 2. *Quòd aqua cum vino tranſubſtantietur in Sanguinem: cum in vinum tranſeat mixta vino.* 3. *Quòd aqua non tranſeat in Sanguinem: ſed maneat prioris vini accidentibus circumfuſa; ità quòd vini ſaporem aſſumat &c. Contingit igitur accidentia mutare ſubiectum, ſicut & ſubiectum accidentia. Sed nec creditur abſurdum, ſi aqua in Corpore Chriſti eſſe credatur: cùm legatur de ipſius latere proceſſiſſe &c. Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in Sanguinem tranſmutari; vt expreſſiùs eluceat proprietas Sacramenti &c.* Vtique ſecundùm illam opinionem ſecundam: *Cùm in vinum tranſeat mixta vino.* Quæ inter ſe collata, ſunt pro noſtrâ & communi ſententiâ, non contrà.

*Lib. 5.* A Conſecratione vſque poſt Orationem Dominicam, per 29. Cap.

*Lib. 6.* Hinc vſque ad finem Miſſæ per 14. Cap.

Quæ omnia tam breuiter commemorantur: vt ex huius vulgati Opuſculi lectione ſuppleantur. Sub hac monitione: quòd quamuis pleræque cæremoniæ verbis adiunctis ad varios ſenſus promiſcuè referantur: propriiſſimè tamen, ad decorem ſacrificij; Allegoricè, in memoriam Chriſti viui, mortui, rediuiui, & Eccleſiæ Militantis, Triumphantis & adhuc in Purg. patientis; Tropologicè, in exemplar & doctrinam bonorum morum; Anagogicè, in motiuum ſurſùm ad Deum & æterna.

## Supplementum Morale.

### *De obligatione Cæremoniarum Sacrificialium.*

*Diff. 1.* Quantæ ſint obligationis? *Reſp.* Ex *col. 129.* Eſſe eò grauioris aut leuioris, quò plus minuſvè important ad finem propriũ Sacrificij, ſeu ad decorem huius cultus Dei: ex Lege Naturali, & Diuina Chriſti, determinata varijs legibus Eccleſiæ, relatis à Gratiano de conſec. *diſt. 1. 2. 3.* à Gregorio 9. *l. 6. Decret. Tit. de Celebr. Miſſarum*, & alibi: renouatis, moderatis, & auctis, à S. Conc. Trid. *ſeſſ. 22.* Decreto *De obſeruandis in celebratione Miſſæ*, commiſſo executioni & diſcretioni Epiſcoporum; ſed ſpecificatis & ſub grauiori aut leuiori obligatione expreſſis in Cæremoniali, ſeu Rubricis noui Miſſalis. De quibus ſingulis inter alios ex profeſſo *Gauantus*: diſtinguens eas *P. 3. Tit. 11.* in præceptiuas, grauioris obligationis, & directiuas leuioris. Illæ, inquit, ſunt. 1. Quæ exprimunt præceptũ ſub mortali, vel graui peccato. 2. Quæ pertinent ad integritatem Sacramenti vel Sacrificij. 3. Quæ ex cõmuni ſenſu ſunt de re graui. 4. Quæ afficiunt Miſſas Conuentuales Eccleſiarum Collegiatarũ &c. Ex quibus & alijs principijs iuris Naturalis, Diuini, & Eccleſiaſtici poſſunt iudicioſè diſcerni quæ ſint ex ſua materia grauioris aut leuioris obligationis: exceptâ ſemper obliuione, inaduertentiâ, neceſſitate, aut ſcandalo quæ interuenire poſſunt.

*Diff. 2.* Quòd, *De Conſecr. diſt. 1. cap. 4. 5. 6. 7. 8.* inhibeantur ædificationes, conſecrationes, dedicationes Eccleſiarum, ſine facultate Sedis Apoſtolicæ: cùm tamen *cap. 2. 3. 7. 9. 11. 12. 14. 25. 34.* videatur eſſe proprium Epiſcoporum in locis ſuæ Iuriſdictionis. *Reſp.* Illam inhibitionem, vel fuiſſe tantùm, de fundatione Eccleſiarum Cathedralium ſeu Epiſcopatuum: vel illam facultatem fuiſſe generalem, citra inhibitionem ſpecialem: vel fuiſſe inhibitionem ne Infideles conuerterentur & colligerentur niſi in vnitatem Eccleſiæ Catholicæ, ſignificatam hac dependentia Eccleſiarum ab eadem S. Sede. vt inſinuatur cap. 8. Vel denique hanc inhibitionem fuiſſe ab antiquo relaxatam.

*Diff. 3.* Quòd ibidem *cap. 1. 2. 11. 12. 14. 15. 24. 33.* tam grauiter inhibeatur ne Miſſa celebretur niſi ſuper Altari ſaltem portatili, & in loco ab Epiſcopo conſecrato aut deſignato: cùm tamen ibidem toties relaxetur ad caſus neceſſitatis. Qui *Cap. 30.* exemplificantur, quando Eccleſiæ ſunt combuſtæ, aut iter agitur: vt tunc celebrari poſſit in Capellis, Tentorijs, vel etiam ſub Dio, ſuper Altari portatili. Qui duo caſus videntur extendi poſſe ad ſimiles vel maiores neceſſitates. Vnde cùm Trid. inhibeat celebrare extra Eccleſias conſecratas, vel Oratoria ab Epiſcopo deſignata: non ſatis conſtat vtrum reuocet an non exceptiones illas iuris antiqui, & varia priuilegia; vt Sixti IV. FF. Minoribus, *Celebrandi non ſolùm in Oratorijs & locis quibus degunt, ſed etiam in quocumq; loco honeſto, ſuper Altari portatili.* Alexandri VI. ijſdem, *Celebrandi etiam in cameris ſecularium, vel plateis, ſi non fuerint loca inhoneſta.* Honorij III. *lib. 5. Decretal. cap. In his.* FF. Minoribus & Prædicatoribus, *Celebrandi vbicumq; fuerint ſuper Altari viatico, ſine aſſenſu Prælatorum.* Pauli III. & Greg. X. Presbyteris Societatis, pro ſuis domibus aut miſſionibus, *Non obſtante hoc Decreto Trid. Reſp. 1.* Ex noſtro Roderico *Tom. 1. q. 43. a. 4. 5.* Nõ reuocare. Quia Conc. Trid. tantùm monet Epiſcopos, *Ne patiantur alibi celebrari &c.* Ergò non reuocat Priuilegia; ſed committit executionem & diſcretioni Epiſcoporum, *Non obſtantibus priuilegijs Regularium.* Qui quamdiu ab Epiſcopis non coguntur, non tenentur ſeipſos vſu ſuorum priuilegiorum priuare. Cùm & illud Honorij III. ſit inſertum Corpori Iuris: nec cenſeatur niſi expreſsè reuocari.

*Reſp. 2.* Quòd cum iam ſatis conſtet Epiſcopos non tolerare, ſed ſaltem tacitè inhibere, & practicare deſignationem illam Oratoriorũ: non ſit tutum vti priuilegijs oppoſitis; niſi ex graui neceſſitate, & conſenſu ſaltem rationabili, ſeu interpretatiuo Epiſcoporum abſentium & diſtantium. Nec illæ exceptiones iuris antiqui videntur independentes ab omni iudicio Epiſcoporum.

*Diff. 4.* An Trid. ibidem, monendo Epiſcopos *vt caueant ne Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent, Non obſtantibus &c.* reuocet omnia antiqua exẽpla, mores, iura, caſus neceſſitatis, & varia priuilegia: Pij 2. *vt Generalis FF. Minorum poſſit dare Fratribus facultatem celebrãdi vna hora ante auroram.* Sixti 4. vt *Sacerdotes Obſeru. cauſa neceſſitatis poſſint ante & poſt horam ſtatutam ab Eccleſia celebrare.* Leonis X.

vt

Digitized by Google

*vt ijdem de licentia ſuorum Superiorum illicò poſt Matutinum, & poſt meridiem celebrare poßint, præſertim quando eſt præceptum audiendi Miſſam, & Fratres debent iter agere, nec poſſunt ante meridiem peruenire ad locum honeſtum celebrandi: imò & in æſtate ante Matutinum Chori vel infra.* Greg. 13. vt *Presbyteri Societatis poßint celebrare vna hora ante auroram & poſt meridiem: ex cauſa legitima, de licentia ſui Præpoſiti Generalis, vel ab eo Deputati.*

*Reſp.* Ex noſtro Roderico ibid. *Art. 1. 2. 3. 5.* Nihil reuocare: ſed committere executioni ac diſcretioni Epiſcoporum, ſeque referre ad ius & morem ordinarium. *1.* Ne quis celebret pluſquam ſemel in die, exceptâ die Natiuitatis, & caſibus neceſſitatis. *2.* Ne feria 6. Paraſceues. *3.* Ne vnquam veſperè, nequidem die Iouis, aut Sabbato S. vt olim. *4.* Vt nonniſi ab aurora, ad meridiem, vel circa: ex *diſt. 1. de Conſecr. cap. 48. 50. 51. 53. & l. 3. Decretal. cap. 3.* Sed cùm ius & mos celebrādi ab aurora ſeu initio diei, ſit in fauorem populi ad audiendum ſacrum ante labores diurnos, vt patet ex *cap. 48. de Conſecr. diſt. 1.* initium diei ſeu auroræ æſtimandū eſt ſecundùm varias regiones, & dierū ac noctium inæqualitates, circiter ſeſqui-hora, aut etiam duplici apud nos in hyeme ante ſolis ortū. Nec Pius 5. aut Rubricæ Miſſalis videntur inhibere, niſi præſumptionem, & libertatem aliter celebrandi: abſque neceſſitate, aut priuilegio rationabili, vel ſaltem tacitâ permiſſione Epiſcoporum, quorum diſcretioni ſacrum Conc. Trid. hæc omnia cōmittit.

*Diſſ. 5.* An Eccleſia conſecrata violetur quolibet homicidio, effuſione ſanguinis & ſeminis, ſepulturâ infideliū & excōmunicatorum: nec poſſit inibi celebrari, ante eiectionem cadauerū, & recōciliationem ab Epiſcopo? vt *cap. 19. 20. 21. 22. 24. 27. 28. 38.* diſt. 1. de conſecr. *Reſp.* Non niſi in caſibus grauibus, iniurioſis, notorijs, & poſſibilibus. Quia cùm hæ leges Eccleſiæ ſint ad horrorem publicū talium ſacrilegiorū, & ad maiorem venerationem locorum ſacrorū, & in dubio præferenda ſit poſſeſſio conſecrationis: eſſet contra finem harum legum, eas obſeruare in caſibus leuioribus, licitis, ſecretis, dubiis aut impoſſibilibus, contra vim potentiorum, & infidelium prædominantium. Vnde cùm ſtatus hæretici in Belgio occupaſſent Eccleſias Catholicas, & decreuiſſent in eis earumq; Cœmiterijs ſuæ etiā irreligionis exercitia, ac ſuorum ſepulturas: conſultiùs fuit Catholicis diſſimulare & tolerare hanc prophanationem, quàm Eccleſias, & cultum Dei publicum deſerere: cùm nec poſſent cadauera eijcere, nec quotidiè Eccleſias reconciliare. Deinde cùm Epiſcopus poſſit deſignare loca ſacra ad hunc cultum Dei: cur non etiam violata? Denique quamuis *Cap. Aqua de Conſecr. Eccleſ.* inhibeatur cōſuetudo reconciliandi Eccleſias benedictione Sacerdotali: non tamen Aquâ ad hoc exorcizata vt in Pontificali, qua facilè reconciliari poſſunt.

*Diſſ. 6.* De Altari. Quale & quantum eſſe debeat, & quibus caſibus violetur? *Reſp.* Debere eſſe lapideum, Chryſmate & ſacris Reliquijs ab Epiſcopo conſecratum, ſtabile vel portatile, ſeu viaticum, ſufficiens Hoſtiæ & Calici, & ſuo modo ornatum. Si ſtabile ſit, violari cum totâ Eccleſiâ: ſed ſpecialiter per grauem fractionem, vel ſeparationem à baſi, vel corruptionem ſigilli. Si verò ſit portatile, non pollui cum Eccleſia: ſed per tantam fractionem, vt maior pars non ſufficiat Hoſtiæ & Calici &c.

*Diſſ. 7.* An Calices, Corporalia, & Ciboria, continentia immediatè Corpus & Sanguinem Chriſti, ſint conſecranda, aut benedicenda, & à quibus.

*Reſp.* Calices eſſe conſecrandos à ſolis Epiſcopis vnctione Chryſmatis, & reconſecrandos poſt fractionem & refectionem, aut grauem eorum abuſum, ſeu indecentiā: non autem poſt leuem aliquam contrectationem aut mutationem. Reliqua autem videri æquo iure benedicenda, ab Epiſcopis, aut Sacerdotibus ad hoc priuilegiatis, imò & ex ſola commiſſione Epiſcopi. Quia quamuis non æquè exprimatur de ciborijs ac de corporalibus: ſufficit tamen mandatum *cap. Sanè de celebr. Miſſ.* honeſtè conſeruandi ſacras Hoſtias; & Rubricæ ac forma huius benedictionis ad finem Miſſalis.

*Diſſ. 8.* An liceat vti opera ſacrarum virginum & honeſtarū mulierū, ad lauanda & reſarcienda ſacra corporalia & purificatoria? *Reſp.* Ex praxi, licere, poſt leuem ablutionem à ſacris Miniſtris.

*Diſſ. 9.* An liceat vti puellis adhuc innocentibus ad miniſtrandum & reſpondendum ſacro? *Reſp.* In his regionibus Germanicis licere: ſaltem ex aliqua neceſſitate celebrandi, & defectu alterius Miniſtri. Quia hæ needum cenſentur nomine mulierū, quibus iura & Rubricæ inhibent. Deinde quia totus populus ſolebat reſpondere Amen: prout etiam nunc Moniales ex ſuis Oratoriis. Denique quia in his ſaltem regionibus ſolent tales puellæ ad hoc inſtrui.

*Diſſ. 10.* An liceat legere Miſſam ante Officiū Diuinum? *Reſp.* Gauantum *P. 2. Tit. 1.* conferre 20. Authores pro & contra, ſequēdo partem negatiuam Rubricæ, vt tutiorem: Sed *Reſp.* ex noſtro Roderico *Tomo 1. Quæſt. 43. Art. 3.* iam ſaltem licere ex honeſta neceſſitate: quicquid ſit de antiqua obligatione. Quia hæc iam opinio & praxis inualuit: nec conſtat de illa obligatione; eſtque minùs tutum ſequi opinionem obligantem.

*Diſſ. 11.* An liceat celebrare Miſſas ſiccas, ſeu abſque conſecratione. *Reſp.* Non licere: niſi fortè ad exercendos priuatim Nouio-Myſtas; quia cū verba & ſigna non conueniant rebus, ſunt quaſi illuſoria.

*Diſſ. 12.* An non liceat celebrare defectu alicuius ex tribus mappis. vel Crucis ſuper Altari, vel vnius ex duobus cereis &c. *Reſp.* Nunquam licere ſub dubio circa eſſentialia: nec ex contemptu neglectu, aut cū defectu ordinario vllius Cæremoniæ notabilis. Sed ſæpè licere, & potiùs celebrandū quàm omittendum eſſe, cum aliquo defectu caſuali harū aut ſimilium minùs notabilium, ſeu importantium ad honorem externum Dei, vt ſupra *col. 527.* Quæ autem tales cenſendæ ſint, pendere ex captu communi, & circumſtantijs actualibus, vel ex lege aliqua & praxi notoria & expreſſa. Qualis videtur *De Celebr. Miſſ. Cap. Literas.* De quodam Præsbytero priuando officio & beneficio: quia quadam die defectu Hoſtiæ & Calicis præſumpſerat celebrare in fermentato & ſcypho ligneo, ac aliàs ſine aqua & igne, ſiue ex malitia, ſiue ex nimia ignorantia. Minutiora ex Gauanto: ſed moderando circa defectus caſuales.

BREVIARIVM

Digitized by Google

# BREVIARIVM HIEROGLYPHICVM SANGVINE CHRISTI RVBRICATVM,

## *totius Theologiæ ſeu Sapientiæ & Deuotionis Chriſtianæ.*

### *Principia Supponenda.*

1. QVòd omnes creaturæ ex natura ſua ſint quædam veſtigia, imò & quaſi *nutus* vitales Sapientiæ Dei præſentis. *Sap. 13. Rom. 1. S. Aug. lib. 2. de Libero Arb. cap. 16.* Verba autem ſint ſigna Doctrinalia ex inſtitutione humana; & ſi ſint ſacra ſeu ſacræ Scripturæ, vltra propriam ſignificationem & veritatem Fidei, ex præuiſione, prouiſione, & intentione Spiritus Sancti ſubſignificent Allegoricè, Tropologicè, & Anagogicè, quicquid vnquam veri à quoquam ſubintelligi poteſt. Ex *Matt. 5. & B. Aug. libro 3. Doct. Chriſt. cap. 27. libro 12 Conf. cap. 31.* Quanto potiùs Sacro-ſancta Euchariſtia eſt tot ſacrarum & ſecretarum ſignificationum ac ſignificatorum: vt ſit quaſi Breuiarium Hieroglyphicum, & obiectum adæquatum materiale ac formale totius Theologiæ Chriſtianæ? Ex B. Aug. *lib. 10. Ciuit. cap. 19.* & alibi: *Sacramenta ſunt quaſi verba viſibilia.* Libro 2. Doctr. Chriſt 3. *Chriſtus Sacramento Corporis & Sanguinis ſui ſignificauit quod voluit.* libro 3. Trin. cap. 4. *Apoſtolus aliter prædicauit Chriſtum per linguam ſuam, aliter per Epiſtolam, aliter per Sacramentum Corporis & Sanguinis eius.*

2. Quòd nec creaturæ, nec verba ipſius Sacræ Script. ſint ex ſe efficacia ſuæ ſignificationis: ſed tantùm doctrinalia ab extrinſeco, ſeu monitoria animi, ad conſulendum deſuper in nobis ipſis Oraculum primæ Veritatis ac Sapientiæ. Ex *Mat. 23. Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Et B. Aug. toto libro de hoc Magiſtro & Magiſterio. Hoc autem Sacrificium & Sacramētum non ſit tantùm efficax ſuæ ſignificationis principalis: ſed omniū gratiarū.

3. Quòd cùm ſit Latreuticum, Euchariſticum, Propitiatorium, & Impetratorium: Allegoricum Tropologicum, Anagogicum: Demonſtratiuum, Commemoratiuum, Prognoſticum: non eſt vllatenus ſignum inane; ſed ſaltem impetratorium alicuius gratiæ præuenientis, & adiuuantis ad omnes fines harum ſignificationum.

4. Quòd vt Latreuticum eſt ſacrum ſignum Eſſentiæ, Perſonarum & perfectionum diuinarum vt adorabilium, & creaturæ adorātis, ac per cuius Sacrificium adoratur: Vt Euchariſticum, non eſt commemoratiuum ſolius paſſionis Chriſti, ſed omnium beneficiorum Dei: Vt Propitiatorium, eſt ſignum diſpenſatiuum meritorum & ſatisfactionum Chriſti: Vt impetratorium, eſt ſignum orationis ac impetrationis, non tantùm præteriti, ſed & præſentis ac actualis Chriſti. *Col. 263.*

5. Quòd cùm hoc ſit *in memoriam Chriſti*, non autem ſolius paſſionis eius: poſſit extendi ad omnia Chriſti myſteria, hîc etiam realiter ſuo modo repreſentata. Ex Luc. 22. *in meam commemorationem.* Pſalm. 103 *Memoriam fecit mirabilium ſuorum: eſcam dedit timentibus ſe.*

6. Quòd vt Sacramentum, ſignificet ex aliqua ſimilitudine: ſed vt Sacrificium, potius ex infinita diſſimilitudine.

7. Quòd quæ à col. 446. ad 480. ad fidem: hîc ſupponantur, & quædam repetantur, quædam inde vel aliunde eliciantur ad deuotionem.

### *Conſequentiæ.*

HInc 1. Sicut mors Chriſti realis: ita & hæc Sacramentalis eſt etiam pro quibuſuis mortuis, ſeu peccatoribus, ad primam vitam gratiæ. Ex *Ioan 6. Luc 22. & B. Aug. ſupra col. 381. & 543.*

2. Vt Chriſtus *Matt. 5.* conſuluerat, pro ſuis Crucifixoribus orans, *Luc. 23.* quoſdam eorum conuertit *Act. 2.* Ex B. Aug. ſupra *col. 287.* Monuitque per Apoſt. Rom. 12. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malū*: ſic & hîc orat pro ipſis ſacrilegis, & vi huius ſacrificij euincit quorundam malitiam.

3. Vt Chriſtus varios mortuos reſuſcitauit: ita & hîc varios peccatores, ad vitam gratiæ.

4. Vt *Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8.* Reſuſcitauit puellam recens mortuam in domo, quaſi dormiētem, à ſomno: ita & hîc à peccato ſolius conſenſus. Sicut candela recens extincta leui flatu aut ex viciuâ flammâ facilè reaccenditur.

5. Vt *Luc. 7.* Reſuſcitauit filium Viduæ exportatum ad ſepulchrum: ſic & hîc peccatores à prauis operibus.

6. Vt *Ioan. 11.* Reſuſcitauit Lazarum à triduo ſepultum & fœtentem: ita & hîc peccatores à quâuis peccatorum mole ac putredine.

7. Vt Deus *Gen. 2.* Corpori humano inſpirauit animam, & nunc fœtibus inſpirat vitam. Elizæus *4. Reg. 4.* Incumbens ſuper puero mortuo, eum reanimauit. Chriſtus *Ioan. 20.* inſpirauit Apoſtolis Spiritum Sanctum: ita & hîc non tantùm reſtituit, ſed etiam confert primam vitam gratiæ ipſis infidelibus.

8. Vt Chriſtus non tantùm ſanauit aut liberauit venientes, adductos, aut apportatos ad ſe: ſed etiam Energumenos à ſe fugientes, renitentes, & coactos *Matt. 8. Marc. 9.* Ita & hoc Sacrificium prodeſt non tantùm voluntarijs, ſed etiam quâdam conſuetudine, aut communi ſocietate chriſtianâ portatis, imò & reſpectu humano, timore aut obligatione ad hoc Sacrificium frequentandum coactis.

9. Vt Chriſtus *Marc. 9.* Exigit, dat, & exercet primam fidem ad ſua miracula, *Si potes credere, &c. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Et Ioan. 11. *Credis hoc? Credo Domine, &c.* Ita & hîc ac hinc primò fides concipienda, examinanda, & exercenda eſt: eius ſaltem affectum profitendo, defectum confitendo, & perfectionem deſiderando.

10. Quòd Chriſtus promiſit confeſſioni & paſſioni exteriori pro fide *Matt. 10. Rom. 10.* Hoc & ſuo modo interiori. Hinc patienter & fortiter ſuſtinendæ ſunt omnes ſenſuum ac rationis humanæ tentationes: non cum eis contendendo, ſed



Digitized by Google

Beati, impetrationis gloriæ accidentalis, &c. vt ſupra ex Alenſi. Nec obſtat 1. illud B. Aug. 1. *de orig. Animæ 9.* Quis offerrat Corpus Chriſti, niſi pro eis qui membra ſunt Chriſti? Quia id tantùm de mortuis ſine Baptiſmo ante vſum rationis. *Tom 2 noſtræ Anat. col. 659, 666.*

2. Quod Conc. Braccar. 1 *Can 35.* inhibeat offerri pro Cathecumenis. Elibert. *Can 29.* pro Energumenis. Quia illud, de Cathecumenis ſua culpa ſine Baptiſmo defunctis: hoc de Energumenis à maligno ſpiritu agitatis, non publicè & nominatim commendandis, ob horrorem & ſcandalum illius temporis.

3. Quod excommunicati priuentur Eccleſiæ ſuffragijs, &c. Quia priuantur tantum publicè, & directè: non autem priuatim & indirectè. Quod enim poſſit etiam publicè orari & offerri pro conuerſione omnium infidelium: patet. 1. Ex 1. *Eſd. 6.* & 1. *Mach* 12. 2. Ex 1. *Timot.* 2. 3. Ex commendatione Chriſti, orandi pro perſecutoribus.

4. Ex praxi communi ac publica Eccleſiæ. 5. Ex doctrina & ratione SS. Patrum, ſingulariter B. Auguſt. *Tract. 44 in Ioan. Epiſt. 59. 107. & alibi.* Quia orando pro conuerſione Infidelium, oratur pro pace & propagatione ipſius Eccleſiæ. Quæ quidem hîc tantum breuiter & prouiſionaliter perſtringuntur: vſque ad proprias deſuper Controuerſias.

*Diff.* 7. Quod nec Magiſter Sent. nec Alenſis, nec S. Bonau. huius doctrinæ meminerint. *Reſp.* Satis meminiſſe *diſt. 12.* De Sacrificio, cui hæc annexa ſunt. Sed ſpecialiter Alenſis *q. 37. m. 2. a. 2. §. 1. & m. 3. a. 3. §. 1.* ſub memoria illa ſeu commendatione Sacerdotali viuorum, & defunctorum: quæ commendatio ſupponit ſpecialem Sacerdotum ex officio & actu Sacerdotali ad hoc auctoritatem. Vbi inter alia: *Æſtimo*, inquit Alens. *quod ſi Sacerdos proferendo hæc verba, ſuos etiam inimicos amplecteretur: vtiliùs ſibi, & Deo acceptabiliùs offerret.* Quo autem res minùs erat tunc controuerſa, & certior in praxi: eo minùs expreſsè ac ex profeſſo tractata. Quamuis Scotus, Quòdl. 20. per tot *Dicitur*, & *Dici poteſt*, ſatis indicet quædam etiam ſuæ ætatis dubia ſpeculatiua.

*Diff. 8.* Quòd Scotus ipſe videatur totus dubius, & irreſolutus. *Reſp.* Non niſi circa dubia & incerta ſpeculatiuè: ſatis autem reſolutum eſſe practicè, per *Dico*, imò & ſæpe per *Dici poteſt*, prout opponitur aliorum *Dicitur* &c. Supponit enim pro certo diſtinctionem inter valorem Sacrificij ex opere operantis, ſeu ex merito proprio ac perſonali Sacerdotis, pro maiori vel minori eius ſanctitate, & deuotione: & ex opere operato, ſeu ex vi propriâ Sacrificij; ſed mouet dubiũ an virtus propria Sacrificij procedat tantùm ex inſtitutione & merito Chriſti, an verò etiam ex merito generali Eccleſiæ, cui ſæpè tribuitur virtus Sacramentorum. Vt *Tom. 2. Anat. col. 366. & 922. 923.* Deinde diuidit ac tractat ſuam quæſtionem per tres Articulos principales: Primum, per triplicem valorem orationis, & multa ſimilia naturalia & moralia: Secundum, per tres articulos ſubalternos: Tertium tractat & reſoluit nõ tàm de valore, quàm de ipſâ æquitate applicationis Sacerdotalis. Vtitur autem nomine, & ſignificatione meriti: non tantùm proprie & perfectè, pro merito condigno gratiæ & gloriæ, aut pro ſatisfactione pœnæ; ſed etiam pro merito congruo ſolius orationis, ac impetrationis. De quibus ſuo loco ex profeſſo. Sed quòd ſub *Art. 2.* videtur fundare virtutem propriam huius Sacrificij ex opere operato, in merito Eccleſiæ Vniuerſalis, non autem Chriſti: ſupponit quidem merita præterita Chriſti; ſed negat tantùm meritum, ac ſatisfactionem præſentem & actualem Chriſti, vt immediatè & ſacrificaliter offerentis; non autem eiuſdem orationem ac impetrationem etiam præſentem & actualem. Quo etiam ſenſu. *col. 263 269.* & hîc *Diff. 1 2. 3.*

## *Supplementum Morale.*

DE poſſibili, ac valida applicatione ſuprà: hîc autem de æqua, licita, ac perfecta moraliter.

*Diff. 1.* Quòd videatur indignum & Simoniacum, applicare fructum ſpiritualem Sacrificij, pro lucro aut ſtipendio temporali. *Reſp.* Ex Scoto ſupra ſub *3. Art.* non applicari pro lucro, aut ſtipendio, tanquam pro pretio, ex contractu quodam permutationis: ſed pro illo beneficio gratuito temporali, tanquam pro motiuo & inductiuo rationabili, ex gratitudine, & reciproca Charitate, ac fidelitate in dictis, & promiſſis. Eodem iure naturali quo orandum eſt pro benefactoribus: & Diuino, quo Miniſtri Altaris ex ſuo Miniſterio ſuſtentandi ſunt, *1. Cor. 9.* Quod nullam præ ſe fert Simoniæ labem, vel ſpeciem commutationis rei temporalis pro ſpirituali: ſed veracitatis, fidelitatis, gratitudinis & Charitatis, pro beneficentiâ & Charitate. Nec obeſt, imo prodeſt; quod munus tempore non ſit æquale, nec proportionatum fructui ſpirituali: quia hinc patet non procedi ex iuſtitiâ commutatiua, quæ ſpectat rerum æqualitatem; ſed ex reciprocâ Charitate, gratitudine, veracitate & fidelitate, quæ ſunt ſupra rerum materialium æſtimationem. Quamuis & munus debeat eſſe proportionatum ſuſtentationi: non vt pretium fructus ſpiritualis, nec laboris annexi, niſi extraordinarij; Sed vt medium neceſſarium ad vitam & operationem ipſam ſacrificialem Miniſtri, æquè ac eſt neceſſaria materia conſecrationis, vaſa ſacra, & reliqua.

*Diff. 2.* Quòd videatur alienum à Charitate ſuiipſius, aut inordinatum, ſeipſum priuare fructu ſpirituali ſacrificij, pro alijs.

*Reſp. 1.* Ex Scoto ſuprà, meritum & fructum gratiæ ac gloriæ, ex Sacrificio, ſicut & ex quouis alio bono opere, eſſe perſonalem ac proprium operanti, incommunicabilem alteri: meritum ſatisfactionis propriæ pro pœnis, eſſe communicabilem; ſed fructum Sacrificij ex opere operato, ſeu ex inſtitutione, ac merito Chriſti, non eſſe proprium Sacerdotis, ſed commiſſum eius diſpenſationi. Ex quo poteſt quidem & ipſe participare: ſed poteſt imo & tenetur alijs communicare.

*Reſp.* Quod qui ex Charitate proximi ſeipſos non tantùm fructu Sacrificij; ſed etiam propriæ

ſatisfactionis

Digitized by Google

ſatisfactionis priuat, ad communicandum alijs: non minuat, ſed augeat bonum proprium ſpirituale; mutando fructū ſatisfactionis, in maiorē fructum Charitatis, & gratiæ ac gloriæ conſequentis.

*Reſp. 3.* Cauendum tamen eſſe ab affectu & motiuis indignis hac communicatione ac applicatione fructus ſpiritualis. Vndè meritò quidam vir pijſſimus ex noſtris, malebat veſci pane & aquâ, quam ſuas ſatisfactiones conſumere in cibum & potum: non defectu, ſed affectu Charitatis ordinatæ, & ſtudio humilitatis ac ſobrietatis propriæ.

*Diff. 3.* Quòd per illos fructus, & eorū ſtudioſam diſpenſationem ac reſeruationem, videatur remitti attentio & intentio ad maiorem Dei gloriam, tanquam finem principalem & eſſentialem Sacrificij. *Reſp.* Nullatenus inde remitti, ſed potiùs exerceri, & perfici: quia hæc diſpenſatio eſt realis proteſtatio, imò & executio ſummæ illius bonitatis, ac liberationis Dei, & Chriſti, ſeipſum & ſuas gratias ac merita cōmunicantis. Quo nihil glorioſiùs.

*Diffic 4.* Quòd videatur iniquum, ditiores, & ſalutis propriæ negligentiores, viuos, & defunctos, plus participare de fructu huius Sacrificij, quam pauperes: cùm tamen B. Aug. in *Enchir. cap. 10. Et libro de cura pro mortuis cap. 1.* & alibi toties inculcet, quemlibet recepturum prout geſſerit in ſuo corpore, nec vlli poſt hanc vitam quicquam profuturum, niſi prout meruerit in hâc vitâ. *Reſp. 1.* Quòd ſicut nulla eſt in Deo iniquitas, aut acceptio perſonarum, eligendo & præferendo, quos voluerit ad ſuas gratias actuales: ita nec ad fructus huius Sacrificij. *Reſp. 2.* Ex B. Aug. Defunctos non iuuari Sacrificijs, aut viuorum ſuffragijs, niſi prout meruerint.i vt ipſe B. Aug. exponit, niſi tàm benè vixerint, vt non indigeant, quales ſunt beati; aut tàm malè vixerint, vt alieno auxilio prorſus indigi ſint, quales ſunt damnati; ſed mediocriter ſeu imperfectè, ac negligenter, quales ſunt plerique fideles diuites, ſuæ tamen ſalutis curam habentes, hoc ipſo quo procurant ſibi fructum huius Sacrificij. *Reſp. 3.* Deum non ideo priuare Sacrificium aut eius applicationem ſuo effectu: ſed prouidere, vt prout defuncti meruerūt, ſeu ſalutem propriam curauerunt, aut neglexerūt; ita etiam à viuis curetur aut negligatur; reuocando eos ad piam ac ſollicitam curam viuorum, vel permittendo eorum obliuionem ac negligentiam.

*Diff. 5.* Quòd videatur eſſe magnæ diffidentiæ de fructu huius Sacrificij, fundare tot in perpetuum, & multiplicare pro eiſdem perſonis, maximè defunctis, ad eundem fructum. *Reſp. 1.* Non ad eundem fructum indiuiſibilem, ſed diuiſibilem, remiſſionis variarum pœnarum, vel eiuſdem maioris per partes. 2. Sæpè etiam ad gratias, & beneficia ſpecie vel numero differentia. 3. Ad eiuſdem continuationem, vel augmentationem. 4. Ad vtilitatem aliorum indigentium. 5. Ad ſecuritatem ab omni periculo infidelitatis, aut obliuionis naturalis Sacerdotum. 6. Ad maiorem Dei gloriam, ex frequentiâ Sacrificiorum. Vnde patet fundationem, & multiplicationem Sacrificiorum, non eſſe ex vllâ eorum differentiâ: ſed potiùs ex maximâ fiduciâ, & ſtudio gloriæ Dei; quamuis etiam ex incertâ proportione fructus ſingulorum Sacrificiorum, cum debito pœnarum expiandarum, ac gratijs nobis neceſſarijs.

*Diff. 6.* Quod illa tot pauperum Sacerdotum & aliorum victitatio, ex ſtipendijs Miſſarum, videatur quædam indigna earum nundinatio: Contra B. Aug. Epiſt. 64. *Oblationes pro Spiritibus dormientium, quas verè adiuuare aliquid credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ: atque omnibus petentibus præbeantur, neque vendantur; ſed ſi quis pro Religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus erogetur.*

*Reſp. 1.* Ex Tom. 2. noſtræ Anat. *col. 943. 944.* hæc eſſe tantùm contra abuſum oblationum cibi & potus ſuper ſepulchris mortuorum, ad ebrietatem, & auaritiam: Vt patet ex toto contextu illius Epiſtolæ. 2. Poſſe extendi & intendi à minori ad maius, ſeu ab illis oblationibus ad ipſum Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti. 3. Hoc ipſum præcipuè intendi ſub illis *Oblationibus, quas verè adiuuare aliquid credendum eſt.* 4. Hæc non eſſe contra vllum hodiernum abuſum publicum in Eccleſiâ: ſed potiùs in magnam eius commendationem: quod & ille quondam abuſus cibi & potus oblati ſuper ſepulchris mortuorum ſit iam abolitus, nec Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti oblatum vlli vendatur, ſed omnibus Fidelibus gratis præbeatur, & nonniſi ad ſuſtentationem pauperum Sacerdotum pecunia pro Sacrificio offeratur aut acceptetur. 5. Quod ſi hæc de non acceptandâ pecunia pro ſacrificijs, niſi hîc & nunc erogandâ alijs pauperibus: non eſſe obligationis, ſed conſilij ac perfectionis; vt Eccleſiâ potiùs aliundè ex ſuis prouentibus aut Fidelium elemoſinis ſuſtentet omnes Sacerdotes ac Miniſtros Altaris, quàm ex ſtipendijs pecuniarijs pro ſingulis Sacrificijs. Vt Apoſtolus *1. Cor. 9.* proteſtans de iure viuendi ex Euanglio & Altari, noluit illo vti, ſtudio & exēplo perfectionis. 6. Omnès Eccleſiaſticos eſſe Miniſtros Altaris proximè vel remotè, & ex eius miniſterio viuere: ſed eos perfectiùs, ſibiq; ac Eccleſiæ ſalubriùs, qui ex quotidianis Miſſarū ſtipendijs in diem victitant, quàm qui prouentibus & pinguibus præbendis abundant. Tùm quia hoc præfiguratum fuit. *Num. 18. Ioſue. 13. 1. Reg. 2.* Lege illa ſuſtentandi Miniſtros Altaris ex Sacrificijs quotidianis, abſque alijs poſſeſſionibus; quia, inquit Deus, *Ego pars & hereditas tua*, &c *Num. 18.* Tum quia pauperes Sacerdotes immediatiùs ex Sacrificio quotidiano victitantes, eiuſdem ſtudioſiores ac diligentiores ſunt. Tùm quia Sacerdotes Beneficiati debent fructus Sacrificiorum ſuis fundatoribus: quò autem ſunt plures pauperes, eò minora ſtipendia, & fructus Sacrificij etiam pauperibus communiores. Quamuis tàm ſit indignum ſuſtentationem pauperum Sacerdotum parui æſtimari: quàm pauperibus defectu ſtipendij in neceſſitate negari.

*Diff. 2.* An ſit perfectionis, non offerre Sacrificium pro perſonis & gratijs determinatis: ſed pro omnibus in communi, *ad intentionem Dei, & Chriſti in Cruce*, vt præſcribunt prima ſtatuta noſtræ Reformationis.

*Reſp.* Quidam hanc oblationem Sacrificij relatiuè ad intentionem Dei & Chriſti in Cruce, nimis improbant: vt alienam ab inſtitutione applicandi ſeu determinandi ipſam intentionem Dei &

Chriſti. Sed hæc relatio habet ſuos veros ſenſus perfectæ applicationis.

1. Ad intentionem Dei æternam, ſeu ad ſalutem earũ, quibus Deus ab alterno hic & nunc ſpecialiter prodeſſe & applicari voluit: referendo nos ad Dei notitiam & perfectiſſimam regulã noſtræ volũtatis. Nam Deus non tantùm vult omnes homines communiter ſaluos fieri: ſed & multos ſingulariter per certa media ſuo loco & tempore applicanda.

2. Ad intentionem Chriſti in Cruce: quia nec eſt tantùm mortuus pro omnibus communiter; ſed & pro multis ſingulariter, per hanc aut illam applicationem Sacrificij.

3. Ad intentionem actualem Chriſti, vt realiter præſentis & oblati ad impetrandum etiam fructum applicationis Sacerdotalis.

4. Ad exequendam intentionem diuinam & humanam Chriſti. Prout ex profeſſo in lib. 1. ſent. De conformitate voluntatis noſtræ cum diuina: nõ obiectiuè & elicitiuè, ſed executiuè. Cùm enim Sacerdos ſit Miniſter Chriſti: non tantùm ei curandum eſt vt validè miniſtret, applicet ac diſpenſet fructum Sacrificij; ſed etiam licitè & perfectè, ad intentionem ſui principalis. Quæ applicatio coincidit in illam ipſam Scoti ſupra. Quid eſt enim aliud offerre ad intentionem Dei & Chriſti: quàm prout vult & nouit offerendum eſſe ordine Charitatis & Iuſtitiæ.

## *Diff. Dogmatica, Scholaſtica, & Moralis.*

AN & quomodò hoc Sacrificium poſſit prodeſſe Defunctis ex opere operato: cum iam non ſint *ſuper terram*, vbi ſolui aut abſolui poſſint à pœnis *Mat 16. 18.* Sed infrà, ſeu extrà Iuriſdictionẽ Eccleſiæ; nec vlla alia Sacram. eis applicari poſſint? *Reſp. 1.* Ex Suppl. Dogm. ſupra, fructum huius Sacrificij non eſſe minùs certum pro defunctis quam pro Viuis; quia fauores ſunt potius ampliandi ad defunctos indigentes, &c. 2. Sacramenta applicari tantũ ſubiectiuè & ſenſibiliter; Sacrificium autem obiectiuè & mentaliter, ideòq; extendi ad omnes capaces fructus eius. 3. Defunctos in Gratiâ non eſſe extrà Cõmunionem nobiſcum ſpiritualem: vt adhuc membra Corporis Chriſti. 4. Fortè adhuc ſubeſſe alicui Iuriſdictioni Eccleſiæ, ad ſolutionẽ ſeu abſolutionẽ a pœnis: nec illud *Matt. 16. & 18. Super terram* afficere ipſos abſoluẽdos, ſed abſoluẽtes; nec vllis opponi, ſed componi & ſupponi abſolutioni Dei in Cœlo. 5. Hanc Diff. eſſe cõmunem omnibus ſubſidijs pro Defun. De quibus ſingulis ſuo loco ex profeſſo; ſed eò certiorẽ eſſe fructum Sacrificij pro Defunctis ex opere operato, quò & propriè ſacrificialis eſt, & ipſius Chriſti præſentis, & comparatur cum fructu viuorũ. Nec obſtat quod Sacrificijs annecti ſoleant aliæ etiàm Orationes, Elemoſynæ, & Indulgentiæ: quia hæc tantum ad maiorẽ fructum, non autem ad certiorẽ, ſed potiùs minùs certum, tàm pro viuis quàm pro Defunctis. Tũ quia dignitas Sacerdotalis eſt certior de acceptatione Dei, quàm quælibet priuata. Tum quia certior eſt poteſtas Eccleſiæ per Sacramenta & Sacrificia, vt media ab ipſo Chriſto determinata: quã per quæuis alia. Tum quia ſiue ex ſola inſtitutione, ſiue ex impetratione actuali Chriſti præſentis, fructus hic eſt certior quolibet non Sacramentali.

# QVÆSTIO 14.

## *De ceremonijs Sacrificialibus.*

EX *Doct. Alenſis queſt. 36.* De conſecratione quantum ad vſum. *Memb. 1.* De loco Cõſecrationis. *Reſp.* Non licere extra locum Deo dicatum: niſi ex neceſſitate, vel Epiſcopi commiſſione, & in Altari portatili. Ex *diſt. 1. de Conſecr. Cap. Sicut. Et cap Concedimus. Et cap. Miſſarum.* Vbi exprimitur neceſſitas combuſtarum Eccleſiarum, & itineris: ad celebrandum etiam in Tentorijs.

*Ad Arg.* Ex vnico loco ſacrificandi in Lege antiquâ. *Reſp.* Hoc fuiſſe in figuram Sacrificij crucis.

*Memb. 2.* De tempore Conſecrationis. *Reſp.* Miſſas conuentuales regulariter celebrari horâ tertiâ, diebus Feſtis; quia Chriſtus tunc crucifixus fuit linguâ Iudæorum: hora ſexta, in profeſtis; quia tunc crucifixus fuit: Horâ nonâ in quadrageſimâ & diebus ieiuniorum; quia tunc Chriſtus expirauit, &c. Vt Scotus *col. 520.*

*Memb. 3.* De Altari lapideo: vt cõmuni, forti, & durabili. Ex 1. Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus.*

*Memb. 4.* De panno conſecrationis, ſeu Corporali: non ſericeo, nec tincto; ſed lineo, albo, & conſecrato. Ex *diſt 2. de Conſec. cap Conſulto.*

*Memb. 5.* De Calice & patenâ, non niſi ex auro, argento, vel ſtanno. De Conſec. *diſt. 1. Cap Calix.*

*Memb. 6.* De indumentis conſecrantis. *Art. 1.* De amictu, Albâ, Cingulo, Stolâ, Manipulo, Planetâ ſeu Caſulâ ſimplicium Sacerdotum, & varijs ſingulorum ſignificationibus. § *1.* De ratione huius Senarij veſtium Sacerdotalium. *Art. 2.* De Caligis, Sandalijs, Succinctorio, Tunicâ, Dalmaticâ, Mitrâ, Chyrotecis, Annulo, & Baculo Epiſcoporum: & ſingulorum ſacris ſignificationibus Chriſti. *Art. 3.* De ſingulorum ſignificationibus tropologicis, ſeu moralibus circa ipſos Epiſcopos. *Art. 4.* De Pallio Archiepiſcopali, eiuſque formâ, ac ſignificationibus. *Art. 5.* De ratione huius numeri. *Ad Arg.* Cur Summus Pontifex non vtatur baculo: Vt ſupra *col 141.*

*Memb 7.* De vnico Miniſtro neceſſario ac ſufficienti ad licitè celebrandum. Imò quòd quidam *ponant Recluſum ſolum celebrare poſſe:* Statutum autem non celebrandi, niſi coram duobus reſpondentibus, Ex *diſt. 1. de Conſec. cap. Hoc quoque, &c.* vſu abrogatum eſſe; nec Sacerdotem alloqui præſentes, ſed totam Eccleſiam.

*Memb. 8.* De eâdem Conſecratione à pluribus ſimul Cardinalibus Præsbiteris, cum Summo Pontifice. Vt ſupra *col 521. 522.*

*Memb 9.* De obligatione vtendi verbis conſuetis ante Conſecrationem: non tamen ex neceſſitate ad validè conſecrandum.

*Memb. 10.* De Confeſſione, oblatione, & thurificatione ad inchoandum Sacrum: horumque ſignificatione. Vbi nota ex *Apoc. 8.* per oblationem incenſi ſignificari, offerri Deo *de orationibus Sanctorum*: Quia non omnes exaudiuntur, ſed tantùm ſalutares.

*Queſt. 37.* De toto Officio Miſſæ, per tres magnos Tractatus, & plura Membra minora, ſed plurimos Articulos ac Paragraphos, vſque ad minimas Ceremonias Miſſæ Solemnis: Ex Innoc. 3. Vt patet ex eius hac de re Opuſculo.

EX

Digitized by Google

**Ex Opuſculo S. Bon. De expoſitione Miſſæ.**

*Cap. 1.* De varijs ſignificationibus veſtium Sacerdotalium. *Cap. 2.* A nomine Miſſæ vſque ad Offertorium. *Cap. 3.* Ab Offertorio vſque ad Canonem Miſſæ. Inter alia: *Rotunditas Hoſtiæ, æternitatem Dei deſignat.* *Cap. 4.* A Canone ad finem Miſſæ. Inter alia: Hoſtiam conſecratam eleuari. 1. Ad veniam & gratiam Dei. 2. Ad omne bonum neceſſarium huic vitæ. 3. In ſignum noſtri iuris & prætentionis ad Cælum. 4. Ad oſtentandam Omnipotentiam Dei in conſecratione. 5. Ad mirandam eius Sapientiam. 6. Ad profitendam eius liberalitatem. 7. Ad exhibendam eius Bonitatem. 8. Ad erigendum hoc quaſi vexillum Eccleſiæ. 9. Ad proponendum & ſequendum exemplum Chriſti &c. Quibus ſupponendus eſt finis proprius adorationis: & apponi ac exponi poſſunt plurimæ aliæ ſignificationes. Vt in memoriam eleuationis Chriſti in Crucem. In memoriam Aſcenſionis eius in Cælum. In ſignum mediationis inter nos & Deum. In ſignum noſtræ per fidem ſubiugationis. In ſignum ſcuti ſeu protectionis contra iram Dei. In ſignum albi ſeu ſcopi noſtri ad collimandum. Quaſi in velum expanſum naui Eccleſię, ad proſperum ventum. Quaſi in numiſma ſeu pretium Deo oblatum, & calicem propinatum.

**Ex Doctrina Scoti col. 518. 519. 520.**

**Supplementum Dogmaticum.**

1. A *col. 126.* ad 130. De cæremonijs Sacramentalibus in genere. 2. Ex 1. Reg. 15. *Melior eſt obedientia quàm victimæ.* 3. Ex obſeruantiâ quarundam cæremoniarum ſacrificialium etiam ſub Lege Naturæ. 4. Ex vſu quarundam cæremoniarum ab ipſo Chriſto in vltimâ Cœna. 5. Ex præceptis & monitis Apoſtoli. *1. Cor. 4. 9. 10. 11. 14.* circa locũ, tempus, & alias circumſtantias. 6. Ex Decretis Summorum Pontificum, & Sacrorum Conc. relatis à Gratiano *de Conſec. diſt. 1. 2. 3.* & à Greg. 9. *lib. 3. Decretalium. titulo 41. De celebratione Miſſarum.* 7. Ex pleriſque Patribus antiquis à *col. 245.* ad 250. & à 281. ad 293. Qui inter eſſentialia aut neceſſaria huius Sacrificij & Sacramenti, meminerunt etiàm loci, temporis, modi &c. 8. Specialiter ex S. Dyon. Areop. *De Eccl. Hyer. cap. 3.* Vbi ad hoc ipſum inuocato diuiniſſimo Sacramento, vt *col. 240.* ſupra: *Quanquam*, inquit, *vnum ſimplexq́, principium habens, ſacrâ ſiguorum varietate hominum ſtudio augetur &c. Ex his rurſus ſe ad Monadem ſuam colligit, atque in vnum redigit eos qui ad ſe ſanctè ducuntur.* 9. Ex B. Aug. Epiſt. 118. vt ſuprà *col. 127.* & pluribus alijs eius locis, à col 248. ad 250. ex quibus pleræque cæremoniæ huius Sacrificij recolligi poſſunt. 10. Ex varijs & antiquiſſimis Liturgijs, Syriacis, Chaldaïcis, Arabicis, Græcis, & Latinis: ſub nomine SS. Iacobi, Marci, Baſilij, Chryſoſtomi &c. *Tom. 6. Bibliothecæ SS. Patrum per Margarinum De La Bigne.* 11. Ex varijs & antiquis Interpretibus Græcis, & Latinis harum ſacrarum cæremoniarum: relatis eodem *Tom. 6. Bibliot.* 12 Ex Sacro Concil. Trid. *ſeſſ. 22. ſuprà col. 25. 27. & 28.* De cæremonijs credendis & obſeruandis in celebratione Miſſæ.

**Difficultates Dogmaticæ.**

*Diff. 1.* Ex *Ioan. 4.* & *Malac. 2.* De Adorando & Offerendo vbique ſub noua Lege, *in ſpiritu & veritate*: Vt ſuprà, *col. 245. 247.* Ergò liberè, abſque obligatione ad tot cæremonias & circumſtantias loci, temporis, &c.

*Reſp.* Negando Conſeq. Quia illud *In omni loco, Malach. 2.* non ſignificat vbique actu, nec quolibet loco, indifferenter: ſed prædicit hunc cultum Dei publicum, futurum communem omnibus populis & Regionibus, vt diſtinctum ab illo Iudæorum, reſtricto ad ſolum templum Hyeroſolimitanum. Illud autem Ioan. 4. *In ſpiritu, & veritate*: diſtinguit hunc cultum Dei, vt verum, ab illo falſo Samaritanorum; & vt ſpiritualem, ab illo tantùm literali & præfiguratiuo Iudæorum. Sed ſicut anima ſpiritualis, non excludit, ſed requirit corpus ſibi conueniens: ita & hic cultus Dei ſpiritualis, exigit cæremonias corporales, ſibi, ſuo obiecto, ac ſubiecto conuenientes. Nec illa, *Neque in monte hoc, neque Hyeroſolymis*: excludunt omnem cæremoniam loci ſacri; ſed extendunt hunc cultum vt ſuprà, & præferunt cultum ſpiritualem ac principalem, cuiuis cæremoniali.

*Diff. 2.* Ex *1. Cor. 14.* De vſu linguæ Latinæ in hoc publico Dei cultu: contra finem ac fructum cõmunem populi. *Reſp. 1.* Ex *col. 128.* ſuprà. 2. Ex *col. 26. 27.* cap. 8. Trid. 3. Ex B. Aug. *lib. de Magiſtro cap. 1.* De oratione vocali Sacerdotum, *ſignificandæ mentis ſuæ cauſa*, id eſt finis ac intentionis: vt *audientes, conſenſione quadam, per commemorationem, ſuſpendantur in Deũ.* Non autem vt percipiant ſignificationes grammaticas ſingularum vocum: ſed vt moneantur & moueantur ad attentionem & intentionem finis. Quod facilè fit frequenti vſu paucorum verborum: quibus etiàm Idiotæ reſpondere ſolent. Vt patet ex B. Aug. ſuprà, à *col. 248.* ad 250.

*Diff. 3.* Contrà Miſſas priuatas: cùm ex ſuâ inſtitutione, & ipſis cæremonijs antiquis ſalutandi, reſpondendi, communicandi, ſint publicæ & communes. Vndè S. Chryſoſt. *Homil. 18. in 2. ad Cor. & Hom. 3.* ad Epheſ. *Fruſtrà*, inquit, *habetur Oblatio quotidiana: cùm nemo ſit, qui ſimul participet.* Infrà. *An non ſatius fuerit prorsùs non comparuiſſe?* Hinc S. Franc. quadam Epiſt. monet vt quotidiè vnica Miſſa in ſingulis Conuentibus fiat: *ſecundùm* formam S. Romanæ Eccleſiæ. *Reſp.* Miſſas poſſe dici & eſſe priuatas. 1. A loco. 2. A tempore. 3. A ſubmiſſa voce. 4. A paucorum, vel etiam ſolius Sacerdotis præſentiâ. 5. Ab eius ſolius communione Sacramentali. 6. A priuatâ applicatione alicuius fructus. Vt patet ex *col. 370. 385. 356. 566. ad 575.* Sed non poſſe eſſe priuatas, ſeu vlli ità appropriari quoad finem & fructũ: quia Sacerdos eſt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, ad colendum & propitiandum Deum hoc Sacrificio; ideòque non poteſt ſibi vel vlli hunc fructum & cultum ita appropriare, quin ſit communis, ſeu ex perſonâ Chriſti & pro Eccleſiâ. Salutationes autem & reſponſiones, ſunt tantùm cæremoniales, ſignificantes illam Communionem ſpiritualem huius cultus & fructus. Ad S. Chryſ.



Digitized by Google

*Reſp.* Eum non reprobare ſolam fidelem humilem, ac obedientem præſentiam: ſed tantùm ſui temporis negligentiam ſacræ Communionis Sacramentalis; vt eſſet quaſi eius contemptus publicus, ſæpè intereſſe, & vix vnquàm communicare. Vt patet ex illo S. Ambr. lib. 5. de Sacramentis cap. 4. *Si quotidianus eſt hic panis: cur vt Græci facere conſueuerunt, poſt annum illum ſumitis?* Ad illam Epiſt. S. Franc. *Reſp.* Non ne reliquæ Miſſæ eſſent priuatæ: ſed ad maiorem deuotionem omniũ circa vnam. Quòd autem ſubdit, Secundùm formam S. Rom. Eccleſ. non quoad vnicam Miſſam, ſed quoad ſolemnem, vel quoad ritum Miſſæ.

*Diff. 4.* De vſu tot tamque prætioſorum vaſorum, tantoque apparatu: contrà humilem paupertatem Chriſtianam, facilitatem ac communitatem huius cultus Dei, & contrà exempla antiquorum Sanctorum, qui vaſa ſacra in neceſſitates pauperum expendebant, & conquerebantur *quondam Sacerdotes aureos ligneis calicibus vſos fuiſſe, nunc autem è contrà.* Vt refert Gratianus *de Conſecr. diſt. 1. c. 44.*

*Reſp. 1.* Ex illo Chriſti Ioan. 12. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum: me autem non ſemper &c.* Contrà ſimilem murmurationem Iudæ proditoris, de effuſo à Mariâ Magdalenâ vnguento pretioſo ſuper caput ſuum: quaſi ex aliquâ curâ pauperum, reuerà tamen ex auaritiâ & inuidiâ. 2. Ex prædictione *Eſa. 49. Pſal. 71.* Reges futuros nutritios Chriſti & Eccleſiæ: huiuſque inchoatione *Mat. 2* in illâ Chriſti à tribus Magis adoratione; *apertis theſauris ſuis,* & indè oblato ei Auro, Mirrhâ, & ſingulariter *Thure*, in ſignũ & ad ſumptus Sacrificij. 3. Ex depoſitis Fidelium ad pedes Apoſtolorum *Act. 4. 5.* ſine dubio ad cultum Dei, & neceſſitates Eccleſiæ. 4. Ex *diſt. 1. de Conſec. cap. 44.* Eccleſiam ex conuerſione Infidelium, & Fidelium liberalitate, paulatim vſque ad tantum decus & maieſtatem cultus Diuini excreuiſſe. 5. Non in decrementum, ſed potiùs accrementum ipſius etiàm cultus interioris. 6. Nec ad theſaurizandum ſuperflua, ſed in alias etiàm neceſſitates Eccleſiæ & pauperum, ſaluis neceſſarijs ad hunc cultum Dei. 7. Neque mirum eſſe quòd pauciores Sacerdotes, quondam primitias ſpiritus habẽtes, eſſent quaſi aurei, cùm pręe paupertate, calicibus ligneis vterentur: ſed non degeneraſſe in Sacerdotes ligneos, ex vſu calicum aureorum. 8. Nec humilitatem aut paupertatem Chriſtianam eſſe ad cultum publicum Dei: ſed ad vſus proprios ac priuatos. 9. Denique ab initio Eccleſiæ hucuſque non deficere ſed ſufficere, & potiùs in dies proficere ſumptus neceſſarios tot Eccleſijs, Altaribus, Vaſis ſacris, & Miniſtris etiam pauperrimis huius Sacrificij, toto orbe terrarum, ex ſingulari Dei prouidentiâ, & Fidelium deuotione.

*Diff. 4.* Quòd quædam cæremoniæ videantur ſuperſtitioſæ: vt Cerei accenſi clarâ die: Obſeruatio dierum & horarum, contrà *Gal. 4.* Ieiunium naturale ab omni extrinſeco. *Reſp.* Nihil horum eſſe ſuperſtitioſum, ſed omnia religioſa. Nam & hunc vſum ſacrorum cereorũ ex profeſſo tuetur S. Hier. contrà Vigilantium: in ſignum Fidei, Spei, Charitatis, lætitiæ, & honoris; in quem etiam finem ſolent eſſe ignes triumphales. Et B. Aug. *Epiſt. 118. cap. 6.* teſtatur placuiſſe Spiritui S. *Vt Corpus Chriſti priùs intraret in os Chriſtiani, quam cæteri cibi*: non quàm aër, aut ventus, aut ſaliua &c. vt illud it Lutherus *lib. de abrogandâ Miſſâ*, ipſi B. Aug. imò potiùs ſibiipſi. Cùm nullum ſit ieiunium à reſpiratione, nec ab intrinſecâ defluxione: ſed à cibo, potu, medicinâ, & à quouis extrinſeco indecente ſacram Communionem, niſi ex graui neceſſitate. Nec obſeruatio diei & horæ ad hoc Sacrificium, eſt contra illud Gal. 4. *Dies obſeruatis & menſes, & tempora &c.* vel Iudaïcè in figuram futurorum, vel ex fiducia in ipſas differentias temporum: ſed in memoriam diei & horæ Paſſionis Chriſti, in publicam proteſtationem huius Fidei &c.

*Diff. 6.* Quòd ex defectu cæremonialium, inhibeantur ipſa eſſentialia huius Sacrificij: cùm ex Scoto ſuprà *col. 519.* præceptum ſanctificandi Sabbatum, & colendi Deum hoc Sacrificio, ſit maioris obligationis quàm vtendi cæremonialibus. *Reſp.* Ex diſt. 1. de conſec. c. 11. *Satius eſt* (inquit Felix Papa Epiſt. 1.) *Miſſam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis vbi fieri non oportet: niſi pro ſummâ cõtingat neceſſitate. Vnde,* Deut. 12. *Ne offeras in omni loco: ſed quẽ elegerit Dominus. In domibus tamen nullatenus licet.* Et ſic de cæremoniis aut circumſtantiis principalibus, ſeu maioris momẽti ad decus & honorem huius Sacrificij. Quia cùm hoc Sacrificiũ ex proprio fine ſuo ſit honorarium Dei, nec ſit nobis tantæ neceſſitatis, vt hæc illi fini præferri poſſit: potiùs eſt ex honore & obedientiâ differendum, quàm indecenter offerendũ. Nec obſtat quod illud ex *Deut. 12.* & pleraq; ſint cæremonialia quaſi antiquę Legis: quę non poſſunt obligare contrà Legem Naturæ & Gratiæ colendi Deum hoc Sacrificio, diebus determinatis. Quia illa non obligant vt ſunt antiquæ legis: ſed vt ex lege naturæ & gratiæ colẽdi Deũ vt & vbi vult *col. 256.* renouata & applicata ab Eccleſiâ ad decorem huius cultus Dei. Cùm autem concurrũt determinatio tẽporis, loci, & modi incompoſſibilis: vel omittendum eſt Sacrificiũ, vel illa determinatio ac obligatio præferenda eſt, quę eſt magis ad finem proprium huius Sacrificij, ſeu ad honorem Dei. Neque etiàm obſtat quòd eſſentialia Sacrificij ſint magis ad honorem Dei quàm omnia cæremonialia, ſicque illa nunquam omittenda forẽt propter horum defectum. Quia eſſentialia ſunt magis ad honorem Dei ſpiritualem & indefectibilem coram Deo: cæremonialia, ad honorem Dei exteriorem & defectibilẽ apud nos; ideòq; huic magis præcauendũ. Nec Scotus vult obligationem publicã diei feſti præualere omnibus alijs cæremonialibus: ſed Eccleſię cõſecratæ. Quis enim cenſuerit licere die feſto celebrare ſine Altari, ſine Calice, aut vllo apparatu Sacerdotali? Niſi fortè ex ſingulari Dei inſtinctu: vt refert Niceph. lib. 8. cap. 31. S. Lucianum Martyrem in carcere conſecraſſe ſuper proprio pectore.

Diff. 7. Ex diſt. 1. de Conſecr. cap. 1. *Sicut non alij quam Sacerdotes debent Miſſas cantare, nec Sacrificia ſuper Altari offerre: ſic nec in aliis quàm Deo ſacratis locis.* Cur tanta neceſſitas Altaris, loci ſacri,

veſtium

Digitized by Google

veſtium ſacrarum &c. Reſp. *Sicut*, non æqualiter, ſed ſimiliter: vt ſicut eſt actio externa ſoli Deo ſacra per Miniſtrum ſacrum, ex perſona & meritis Chriſti; ita non fiat niſi in altari, loco,& ſub habitu ſacro, ad diſtinguendam exteriùs hanc actionem à prophana, exprimendam eius fundationem ſuper Chriſto, & appropriandam ſoli Deo, his ipſis etiam ſacris ſignis.

*Diff. 8.* De Canone Miſſæ. Quòd quædam nunc dicantur ſubmiſſè, quæ ſolebant aut ſolent in alijs Liturgijs conuenientiùs pronuntiari altâ voce: vt ipſa verba Conſecrationis, quibus Populus vt olim & adhuc alibi, fideliter reſpondeat *Amen*. Quędam videantur falſa: vt, *Iube hæc perferri &c. Quæ tibi offerimus &c.* quaſi offerretur panis & vinum. *Pro redemptione Animarũ &c.* quaſi non eſſent redemptę. Quædam videantur ineptè repeti: Vt, *Hæc dona, hæc munera &c. Benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem &c.* Quædam indignè comparare hoc, cum ſacrificio Abel, Abrahæ, Melchiſedech &c.

*Reſp.* Canonem noſtrum, ſeu Ritum regularem ac ſtabilem, totâ antiquitate venerabilem, nullo Hæreticorum circumlatratu reprehenſibilem aut corrigibilem eſſe. Nàm ſuo illo continuo ac ſecreto ſilentio, præ alijs omnibus Liturgijs commendat ac conciliat huius Myſterij venerationem, & omnium ad illud attentionem ac intentionem: præcauetque ſacrorum verborum euulgationem, contemptum & abuſum. Qualem refert Alcuinus ab annis ſuprà 800. De quibuſdam Paſtoribus ouium: qui cùm inter ſe colludentes imitarentur ſacram Conſecrationem: ad terrorem abutentium, & in exemplum perpetuum, ſubito fulmine ludicrum illud Altare ac Sacrificium conſumptum fuit. Nec eſt opus altâ Conſecratione, vt Populus honore quodam labiorum reſpondeat *Amen*: ſed præſtat vt ipsâ Adoratione Sacerdotis, & eleuatione Hoſtiæ conſecratę, moneatur & moueatur ad adorandum. Nec eſt ibi vel vmbra falſi, de aliquâ latione, vel Altari materiali in Cælo, vel de Sacrificio ipſius panis & vini, vel de primâ noſtrâ redemptione: ſed de commendatione huius noſtræ Oblationis apud Deũ, deque præparatione panis & vini ad futurum ſacrificium, & de applicatione noſtræ redemptionis per Sacrificium. Nec quicquàm ineptè repetitur: ſed ad meritam inculcationem tanti Myſterij, & ad diſtinctam ſignificationem, & ad imitationem ipſius S. Scripturæ Rom. 12. *Hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium &c.* Denique nulla eſt hic indigna comparatio cum ſacrificijs antiquis, quaſi ad æqualitatem rerum oblatarum: ſed tantùm quoad ſimilitudinem, & ad deuotionem offerentium.

*Diff. 9.* Quòd varij ſitus, motus, geſtus, habitus videantur eſſe inanes ac leues. *Reſp.* Omnes eſſe vel ex ipſius rei naturâ ad reuerentiam: vt inclinationes, genuflexiones &c. Vel ad pœnitentiam, & orationem &c. vt tunſio pectoris, iunctio & eleuatio manuum ac oculorum, ex *Pſal. 141. 1. Tim. 1.* Vel ex ſimilitudine, ac inſtitutione Eccleſiæ, ad explicandam aliquam implicitam ſignificationem Sacrificialem aut Sacramentalem: vt mixtio aquæ, eleuatio, oſtenſio, fractio Hoſtiæ, thurificatio, frequentia ſigna crucis, in memoriã Paſſionis Chriſti. Vel ad exprimendum, monendum, & mouendum affectum Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, &c. Quæ ſi ex præſcripto Eccleſiæ grauiter & modeſtè fiant: non poteſt quin benè afficiant vtentes & ſpectatores.

*Diff. 10.* Ex B. Aug. *Epiſt. 119.* vt ſupra *col. 127.* Reſp. Vt ibidem: addendo, quàm multa & difficilia ſacrificia antiquæ Legis, hoc vnico tamque facili redempta & abolita ſint.

## Supplementum Scholaſticum.

### *De variâ ratione & fine harum Cæremoniarum.*

1. Quòd cùm hoc Sacrificium & Sacramentum ſit tantùm inſtitutum à Chriſto quoad eſſentialia, nec poſſit exerceri niſi ſub modo & circumſtantiâ particulari: neceſſariò mòdificatur ab Eccleſiâ ad exercitium, ſuo aliquo modo regulari ac honeſto. Cùm enim ſit actio publica & miniſterialis, ex perſonâ Chriſti pro Eccleſia: non eſt gerenda ſeu exercenda pro cuiuſlibet affectu, libitu, aut iudicio; ſed ex Lege ſeu præſcripto Eccleſiæ. Nam cùm Caluiniſtæ ab initio nollent vti vlla certa ceremonia: ſinguli pro libitu ridiculè ſe habebant, nec ſciebant quo ſitu aut geſtu conſiſtere.

2. Quòd ſicut habitus debet eſſe conueniens perſonæ: ita & hic modus cæremonialis, ipſi eſſentiæ & fini huius Sacrificij.

3. Quòd cùm hoc Sacrificium ex fine proprio ſit honorarium Dei: modus eius cæremonialis debet eſſe honorarius, & condecens ac regularis; prout ſunt honores decreti Regibus ac Principibus, & ab eorum Cæremoniarchis obſeruati, ad maiorem decentiam & vniformitatem.

4. Quòd quia hæ Ceremoniæ ex fine proprio ſunt honorariæ: magis obligant quàm aliæ circà alia Sacramenta. 5. Sed quia hoc Sacrificium eſt etiam in memoriam Chriſti, & præcipuè Paſſionis eius: cæremoniæ debent conuenire ad explicanda illa memorialia implicita. 6. Et quia colendus eſt Deus in ſpiritu & veritate, ſeu ex fide, cognitione, & affectu conueniente: eius cæremoniæ debent eſſe ad hoc ipſum monitoriæ & motiuæ, ſicque tropologicæ. 7. Quia eſt etiam ad vnionem & vnitatem Fidelium: ipſæ cæremoniæ debent eſſe conformes ac vniformes. 8. Quia eſt ad ſpem ſalutis æternæ, & ad perfectionem charitatis: cæremoniæ quoque debent eſſe anagogiæ, ſeu monitorię & motiuæ ad Deum & æterna. 9. Denique quia hoc Sacramentum & Sacrificium eſt Nouæ Legis, efficax & plenum omnis gratiæ; nec ipſæ cæremoniæ debent eſſe inanes, ſeu tantùm ſignificatiuæ; ſed etiam alicuius efficaciæ, aut ſaltem impetrationis gratiarum, ad omnes ſuos fines & ſignificationes; ex inſtitutione Eccleſiæ, ex connexione cum ipſis eſſentialibus, & ex fide, deuotione, ac obedientiâ vtentium actiuè, & obiectiuè.

Quantæ autem ſignificationis, vtilitatis, & importantiæ ſint: patet non tantùm Dogmaticè ſuprà, ſed etiam hic Scholaſticè, ex tot tantiſque

carum Interpretibus, relatis *Tom. 6. Bibl. Patrum.* Ex quibus quædam Specimina promamus.

*1.* Ex Alcuino ab anno circiter 700. de Officijs Eccleſiaſticis, & ſpecialiter de celebratione Miſſæ. Vbi inter alia monet in Præfatione Miſſæ, Cherubim & Seraphim Hæbraïcè eſſe maſculini generis, pluralis numeri: ſed Cherubin & Seraphin Græcè, eſſe neutri generis pluralis numeri. Vt & Innoc. 3. *lib. 2. de ſacro Altaris myſterio cap. 61.* Et ex eo Alenſis noſter *Quæſt. 37. P. 2. M. 1. Art. 3. §. 2.* Alludit etiam ad B. Aug. ſuprà *col. 280.* Monens hanc oblationem non naſci, ſed Conſecratione fieri *Benedictam, Adſcriptam, Ratam, Rationabilem &c.* i. ex pane & vino irrationabili, fieri ipſum Corpus humanum Chriſti &c.

*2.* Ex S. Germano Archiep. Conſtantinop. ab anno 700. in ſuâ quâdam Theoriâ, ſeu contemplatione myſticâ Miſſæ. Vbi inter alia cenſet coronam Sacerdotalem, non tantùm eſſe in memoriam coronæ ſpineæ Chriſti: ſed etiam S. Petri, quaſi ei, adhuc viuente Chriſto, ab incredulis & illuſoribus Verbi Dei caput attonſum fuerit, & ob hanc illuſionem Chriſtus cum pretioſâ Fidei petrâ, & primatu Eccleſiæ coronauerit. Per crateres vini conſecrandi, commemorat etiam vbera B. Virginis. Per hanc incruentam victimam, *Ipſas*, inquit, *viuas Paſſiones Chriſti.* Per obſignationem Populi ab Epiſcopo, ſubindicat quaſi futurum aduentum Chriſti, anno 6500. ex quâdam computatione digitorum. *Vt & Hyppolitus è Roma, & S. Cyrill. & Chryſ. dicunt de Anti-chriſto.* Meminit Indorum celebrantium hoc myſterium &c. Cui etiam applicat illud Ioan. 17. *Pro eis ſanctifico meipſum &c.* valdè piè & catholicè, de hoc vero Sacrificio & Tranſſubſtantiatione: exceptâ declinatione ad errorem Græcorum de Conſecratione per preces Sacerdotis, poſt verba Chriſti.

*3.* Ex Strabone ab anno circiter 800. de rebus Eccleſiaſticis. Vbi *cap. 7.* notat linguam Theotiſcam, accomodaſſe ſibi quædam ſacra nomina ex Græco & Latino: vt *Kylch* à Calice, *Kyrch* à κύριος, quaſi Dominica, & plura alia etiam nomina prophana, vt Patris, Matris, Lunæ, Menſis &c. Cùm tamen haberet ſua propria, quæ idem Author ibidem refert, ſed iam prorsùs exoleta. *Cap. 15.* Hoc eſſe verum Corpus Chriſti, & pignus illius vnitatis quam nunc ſpe, poſteà re tenebimus cum Chriſto. *Cap. 16. alias 20.* De frequentiâ cōmunicandi, citat Librum de Dogm. Eccleſ. non vt B. Aug. ſed vt Gennadij Præsb. Maſſil. *Cap. 17.* Refert Leonem Papam eadem die ſepties vel nouies celebraſſe: Bonifacium verò Archiep. Mogunt. ſemel tantùm: quos etiam monet non extitiſſe diu ante ſe. *Cap. 22.* De Traditione Miſſæ Romanæ à S. Petro, eiuſdemque proſecutione ab eius ſucceſſoribus, & de integritate Fidei in Eccleſia Romana. Refert quoſdam ſuo tempore tantùm ſemel in die cōmunicaſſe, etiamſi pluribus Miſſis intereſſent: quoſdam toties quoties. *Cap. 24.* De vaſis & veſtibus ſacris. Refert illud vulgatum S. Bonifacij Martyris & Epiſcopi: *Sacerdotes quondam aureos, ligneis Calicibus vſos fuiſſe: nunc autem è contrà* &c.

*4.* Ex quodam Magiſtro Floro ab annis 800. in quadam paraphraſi totius Miſſæ.

*5.* Ex Myſtagogiâ Eccleſiaſticâ cuiuſdam Maximi Monachi. *Cap. 9.* Per ingreſſum Pontificis in Eccleſiam, ſignificari aduentū Chriſti in carne. *Cap. 10.* Per conuentum Populi, ſignificari conuerſionem Infidelium & Peccatorum. *Cap. 11.* Per ſacras Lectiones, ſignificari monitiones Dei. *Cap. 12.* Per Cantica, ſignificari motiua ad amorem Dei &c. *Cap. 23.* De refugio ad Eccleſiam, quaſi ad aſylum & templum pacis. *Cap. 25.* aliàs *15.* Quàm ſit ſalutare conuenire ad Eccleſiam tempore S. Synaxis: Quia Deus operatur in præſentes ſignificata ſacrorum ſignorum.

*6.* Ex Tractatu Stephani Epiſcopi Eduenſis ab anno 950. De Sacramento Altaris. *Cap. 10.* Inter veſtes Sacerdotales meminit cuiuſdam mappulæ ad ſiccandum ſtillicidia oculorū. *Cap. 12.* Per quinque conuerſiones ad Populum, ſignificari quinque apparitiones Chriſti in die Reſurr. *Cap. 13.* De Canone Miſſæ. *Hæc dona*, nobis à Deo data: *Hæc munera*, Deo à nobis oblata: *Hæc ſancta Sacrif.* i. ad Sacrificium præparata: *Illibata* .i. integra, non vitiata. Quòd Filius Dei dicatur Oblatio *Adſcripta* ſacris Script. indelebiliter: & vt Verbum Patris, Forma omnium, ac Liber vitæ. *Cap. 18.* Hoſtiam frangi in 3. partes, ad honorem SS. Trinitatis, pro triplici ſtatu Fidelium, in Cælo, Terrâ, & Purgatorio, &c.

*7.* Ex quodam Micrologo ab anno 1080. De Eccleſiaſticis Obſeruantijs. *Cap. 17.* Per fractionem Hoſtiæ vult ſignificari percuſſionem lateris Chriſti: per partem miſſam in Calicem, ſignificari reunionem Corporis Chriſti cum Anima in ſuâ Reſurr. Per partem ſumptam à Sacerdote, Eccleſiam viuentium: per partem reſeruandam pro viatico, Fideles defunctos &c. *Cap. 23.* De totâ ſerie Miſſæ prout nunc &c.

*8.* Ex verſibus cuiuſdam Hildeberti Cœnomanenſis Epiſcopi.

*Sub Cruce ſub verbo Natura mutatur, & Aram*
*Panis honorificat Carne, cruore Calix.*
*Presbiter idcircò cùm verba venitur ad illa,*
*In quibus Altari gratia tanta datur.*
*Tollit vtrumq; notans quòd ſit communibus eſcis*
*Altior, & quiddam maius vtroq; gerat.*

*9.* Ex Tractatu cuiuſdam Nicolai Epiſcopi Methonenſis. Inter alia Dogmatica: comparat hoc Sacramentum quaſi eſcæ, ad ineſcandos piſces: monetque opus nobis fuiſſe hâc nouâ carne Chriſti, noſtrâ corruptâ per peccatum.

*10.* Ex quadam collatione B. Sammonæ Archiep. Gazæ, cum Achmed Saraceno. In quâ varijs interrogationibus docet veritatem huius myſterij, per conuerſionem alimenti in corpus humanum, per generationem hominis ex ſemine, per creationem totius mundi verbo Dei, per ſimilitudinem ſpeculi fracti in plures partes integrè repræſentātes, & eiuſdem vocis in plurimis auribus idem ſignificantis. Tandem ad Quæſtionem Achmed, *An hoc ſit verum Corpus Chriſti, vel tantùm eius exemplar.* Reſp. *Abſit eſſe tantùm exemplar: Chriſtus enim dixit, Hoc eſt Corpus meum: non autem, exemplar.*

*11.* Ex

Digitized by Google

11. Ex Tractatu cuiuſdam Nicolai Cabaſilæ Archiep. Theſſ. quamuis Græci ſciſmatici, inſignis tamen Interpretis ſacrarum Cæremoniarum, ab anno circiter 1350.

*Cap.* 1. Quæ ante Sacrificium fiunt, ſignificare facta ante mortem Chriſti: quæ autem poſt fiunt, ſignificare facta poſt mortem Chriſti. *Cap.* 2. Quòd panis & vinum offerantur Deo, tanquam primitiæ vitæ humanæ. *Cap.* 4. Quòd Deus nobis pro pane terreno cœleſtem retribuat. *Cap.* 9. Quòd ſicut viris fortibus pro Patriâ, eriguntur ſtatuæ: ita & hęc ſit quaſi ſtatua, ſed viua proprij Corporis, Chriſto erecta. *Cap.* 16. Quòd hoc ſit velut quoddam corpus integrum hiſtoriæ, ſeu totius vitæ Chriſti, ſed præcipuè Paſſionis eius: nec variæ ſignificationes inter ſe repugnent; ſed ſint ſicut eædem veſtes, quæ & corpus tegunt, & ornant, ac perſonæ ſtatum deſignant. *Cap.* 27. Inter erronea de conſecratione perficiendâ precibus Sacerdotis poſt verba Chriſti: profitetur verũ Sacrificium & conuerſionem panis in Corpus Chriſti. *Cap.* 32. Non ſacrificari panem, ſed Corpus Chriſti: nec eſſe hîc tantùm figuram Sacrificij, ſed verum Sacrificium, ex non ſacrificato, in ſacrificatum. *Cap.* 37. Græcos infuſione aquæ calidæ in Myſteria etiàm poſt Conſecrationem, vt refert etiàm S. Germ. ſignificare Aduentum Spiritus S. *Cap.* 38. Eccleſiam hic ſignificari & contineri: vt membra in corde, rami in radice, palmites in vite. *Cap.* 39. Acclamari Chriſto, *Benedictus qui venit in nomine Domini. Cap.* 42. Hoc Myſterium prodeſſe Oblatione, & Communione.

*Cap.* 43. Quaſi Animæ extra corpus æquè hinc participent à Sacerdote æterno, ac in corpore à Miniſtro. *Cap.* 44. Quaſi Chriſtus nec fuerit nec ſit interceſſor precibus, ſed reipsâ, & opere Naturæ humanæ aſſumptæ. *Cap.* 45. Quaſi Animæ ſine corpore ſint aptiores ad fructum huius Myſterij, quam in corpore: quodque omne bonum Animarum hinc participetur. Vndè & Chriſtus Sanctorum fruitionem vocauerit Cœnam. *Cap.* 47. Hoc donum eſſe Deo acceptum: non manu aut ſinu, ſed in proprium corpus. *Cap.* 48. Offerri pro Beatis. 1. In gratiarum actionem. 2. Quatenùs Sancti ita diligunt Deum, vt ducant ſibi offerri quod offertur Deo: vt & Deus imputat ſibi dari, quod datur pauperibus propter ſe. 3. Quatenùs eſt eis gratiſſimum, quòd quaſi Deum per nos colant. 4. Gratulando eis de eorum bono, vt noſtro. *Cap.* 49. Præter ea quæ 47. 48. *Pro ipsâ,* inquit, *Oblatione qua aguntur gratiæ: alias rurſus gratias Deo debemus &c. Quodq́; id volumus & operamur, idem ipſe eſt qui operatur in nobis.*

*Cap.* 50. *&* 51. Oblationem panis & vini dici *Rationabilem* .i. verbalem, ad diſtinctionem à reali, ſolaque ſacrificiali; quâ non tantùm dicitur, ſed fit Corpus Chriſti. *Cap.* 52. Quòd hoc Sacrificium ſit etiam Supplicatorium: ſed vocetur potiùs Euchariſticum, à gratiarum actione, vt maiore ac meliore &c.

12. Ex Tractatu Venerabilis Odonis Epiſc. Cameracẽſis, per 4. Diſtinctiones, in Canonem Miſſę.

Diſt. 1. *Sacrificia illibata &c.* De integritate Hoſtiæ offerendæ. *Pro Fidei cultoribus* .i. non ſolùm credentibus, ſed & viuentibus ſecundùm fidem.

Diſt. 2. *Et omnium circumſtantium &c.* Monet ſolitarios hæc & ſimilia referre ad omnes Fideles.

Diſt. 3. *Adſcriptam.* Per ſcriptum, intelligit Verbum Dei, quatenùs eſt imago, & quaſi ſcriptura aut ſculptura Patris, habens in ſe formam rerum omnium. Per *Adſcriptam*, intelligit Corpus Chriſti, vt vnitum Verbo tanquàm priori ſcripto æterno, ad incorruptionem, vt vox ſcribitur ne pereat. Per *Ratam*, intelligit fixam & certam. Per *Rationabilem*, intelligit Chriſtum vt hominem, & eius oblationem honeſtam ſeu decentem. Per *Acceptabilem* in ſe & ex ſe, monet ne diſpliceat ex parte offerentis. *Benedixit* .i. inquit, *Corpus ſuum fecit. Non enim*, inquit, *poſt benedictionem dixiſſet, Hoc eſt Corpus meum: niſi in benedictione factum eſſet. Fregit* &c. Quaſi Corpus Chriſti æquè ſub ſpeciebus panis tangatur & comedatur, ac ipſa ſubſtantia panis, quandò eſt ſub eiſdem &c. *Hic eſt Calix Sanguinis mei.* Intranſitiuè .i. Sanguis meus. *Qui pro vobis & pro multis*: Diſcernendo inter bonos, & malos. *Iube hæc perferri &c* .i. hanc noſtram deuotionem &c. *Non transfertur loco, vt de pane fiat Caro Chriſti: transfertur tamen ab Altari ad Cælum; quia de pane ad Deum.*

Diſt. 4. *Per quem ſemper hæc omnia bona creas &c.* Quia qui ſemel Verbi ſui Corpus creauit ex Virgine: quotidie de pane creat eius Carnem, & de vino Sanguinem. ] &c. valdè pia & catholica: exceptâ illa opinione Cõſecrationis à Chriſto quaſi per ſolam per Benedictionem. Subdit tamen: *Tolle verba Chriſti, non fiunt Sacramenta Chriſti.*

13. Huic meritò ſubiungitur eius penultimus ſucceſſor Illuſtriſſ. Frãciſcus Vanderburg, cũ ſuo ſacro Miſſæ Cæremoniali, pijſſimè interpretato, in ſenſum præcipuè allegoricorum, ſeu memorialem Paſſionis Chriſti.

14. Sed optimè & adæquatè ex Innoc. III. Papa, Opuſculo, imò & magnorum operum eius maximo, tantoque Pontifice ac primo Sacri Ordinis noſtri Inſtitutore, digniſſimo, ſex Librorum de S. Altaris myſterio, inter tot tantaſque ſui Officij ac temporis ſollicitudines: prout ipſemet humillimâ excuſatione in Epilogo profitetur.

*Lib.* 1. *per* 64. *Cap.* De omnibus Miniſtris huius Sacrificij, eorumque veſtitu & apparatu: in omnes ſenſus ac ſignificationes.

*Lib.* 2. Ab acceſſu Pontificis aut Sacerdotis ad Altare, vſque ad Canonem: in omnes etiam ſenſus ac ſignificationes ſingularum Cæremoniarum per 61. *Cap.* Sed *Cap.* 44. videtur potiùs approbare ſignũ Crucis à dextra ad ſiniſtram, quàm more hodierno à ſiniſtra ad dextram: ex varijs ſignificationibus. Niſi dextrâ ſumat à re ſignata, non à ſignante.

*Lib.* 3. A Canone ad Conſecrationem.

*Lib.* 4. De Conſecratione & eſſentialibus huius Sacrificij ac Sacramenti per 44. cap. Ex communi Doctrina Fidei: mouendo quidem varias & ſubtiles diff. Scholaſticas; ſed problematicè, & modeſtiſſimè. Niſi quod videatur propendere in aliquot opiniones exoletas. *Cap.* 6. Quaſi Chriſtus conſecrauerit benedicendo. *Cap.* 13. Quaſi Iudas ac-



Digitized by Google

ceptâ buccellâ intinctâ exierit ante ſacram Communionem. *Cap. 15.* Quaſi Chriſtus ex ore tranſeat in cor, nec hæreat in ſtomacho ſub ſpecie conſecratâ. *Cap. 16.* Quaſi ſpecies euomitæ non ſint ampliùs eædem, ſed tantùm ſimiles. De quibus ſat ſupra: necdum autem de ſequenti.

CAP. 39.

MOuet Quæſtionem à recentioribus renouatam: *An aqua cum vino conuertatur in Sanguinem?* Videturque propendere in partem affirmatiuam: ſicut & *Cap. Cum Marthæ, De celebr. Miſſarum.* Sed quia Alenſis noſter ſuprà *col. 487. Memb. 5. Art. 1. 2. & 3.* S. *Bon. col. 491.* & expreſſiùs Scotus *Diſt. 11. Quæſt. 7.* docet *aquam non conuerti in Sanguinem, niſi priùs ſit conuerſa in vinum*: quòd ibi ſuppoſuimus, hic expreſsè ſupplemus. Quia nec S. Script. nec ſacra Concilia, nec SS. Patres vnquàm meminerunt alterius materiæ conſecrationis, ſeu conuerſionis ac Tranſubſtantiationis in Corpus & Sanguinem Chriſti, quàm panis & vini: aut præſentię Sacramentalis Corporis & Sanguinis Chriſti ſub alijs ſpeciebus, quàm panis & vini. Imò *Luc. 22.* exprimit vinum *de genimine vitis*: Et Flor. ſupra col. 3. *Vinum de vite, cui ante Conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* Trid. autem ſeſſ. 22. cap. 7. *Monet præceptum eſſe ab Eccleſiâ Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miſceant &c.* exemplo Chriſti, in ſignum ſacrum *fluxus aquæ cum Sanguine è latere Chriſti, & vnionis Populi fidelis cum Capite Chriſto.* Ergò aqua nullatenùs eſt materia Conſecrationis à Chriſto inſtituta. Alioquin, Cur ex præcepto Eccleſiæ? Cur aqua modiciſſima? Cur ſolo exemplo Chriſti? Cur in ſignum tantùm, & non potiùs in materiam, ſi talis eſſet?

Nec obſtat. *1.* Quòd quædam Concilia & Patres grauiter moneant miſcendam eſſe aquam vino offerendo aut conſecrando, imò & multùm aquæ: nec poſſe vinum offerri aut conſecrari ſine aquâ mixtâ; comparentque hanc mixtionem, mixtioni aquæ cum farinâ ad panem conſecrandum, vt S. Cypr. *Epiſt. 61.* Quia vel monent de graui præcepto & obligatione: vel de Oblatione & Conſecratione cæremoniali, ſeu præparatoriâ materiæ; vel de miſcendâ & conuertendâ aquâ in vinum, ante & ad conuerſionem in Sanguinem, vt dici ſolet cibum eſſe comedendum vt conuertatur in Carnem, vinum bibendum vt conuertatur in Sanguinem, vtique mediatè; vel denique quia multùm commendant illam imitationem Chriſti, & duplicem ſacram ſignificationem; ſupponũtque perfectam mixtionem, ſeu conuerſionem aquæ in vinum. Vt patet ex illâ ipsâ comparatione S. Cypr. Sicut enim aqua miſcetur farinæ, vſque ad conuerſionem in panem conſecrandum: ità & aqua vino, vſque ad conuerſionem in vinum, non autem in aliud tertium. Nec imitatio Chriſti, aut ſacræ illæ ſignificationes exigunt conuerſionem aquæ immediatè in Sanguinem: ſed vel nullam, vel nonniſi mediante conuerſione in vinum. Quia exemplũ illud Chriſti eſt tantùm ad imitationem moralem: non autem ad efficaciam aut effectum Sacramentalem. Fluxus autem aquæ diſtinctæ à Sanguine ex latere Chriſti, potiùs repræſentatur per diſtinctionem aquæ à vino, quàm per vllam conuerſionem: Nec illa aqua erat de veritate Corporis aut Sanguinis Chriſti: nimiſque differt fluxus ex Corpore cum Sanguine, à conuerſione in Sanguinem, quàm vt ille per hanc ſignificandus ſit. Sed hæc mixtio aquæ cum vino ante vllam conuerſionem, videtur potiùs ſignificare virtutem Sacramentorum manare ex latere ſeu meritis Chriſti: & Sacramentum aquæ ſeu Baptiſmi, præſupponendum eſſe Sacramento Euchariſtię. Denique cùm vnio Populi cum Chriſto, non ſit conuerſio in Chriſtum: potiùs ſignificatur per mixtionem aquæ cum vino, quàm per eius conuerſionem ſubſtantialem. Cumque Populus non vniatur tàm immediatè ac perfectè Chriſto in hoc Sacramento, quin mediantibus alijs: hoc videtur potiùs ſignificari per neceſſariam conuerſionem aquæ in vinum, vt poſſit conuerti in Sanguinem Chriſti.

Nec obſtat. *2.* Quòd fortè aqua non ſemper conuertatur in vinum ante Conſecrationem: indèque ſequeretur totum contentum Calicis non conuerti in Sanguinem, nec eſſe demonſtrabile per pronomen *Hic*, nec adorabile, nec ſaluo ieiunio potabile. Tùm quia experientiâ conſtat, aquam vino permixtam facilè in vinum conuerti: cùm ex eâ vinum ipſum generetur. Tum quia ſi quæ aqua videatur à vino ſecerni aut elici: eſt potiùs ſubtilior pars vini. Tum quia ſi nimium aquæ, aut à vinulo non conuertatur: quid inde? Non enim demonſtratur, conſecratur, aut adoratur totum quod eſt cum pane & vino, aut cum panis & vini ſpeciebus: ſed ſolùm panis & vinum, aut quod eſt ſub eorum ſpeciebus, vt ſignis proprijs; non plus autem aqua, aut quod eſt ſub ſpeciebus aquæ, quàm quilibet alius liquor permixtus, vel muſca illapſa, vel aër & atomi in poris panis, vel grana, aut farina hordeacea concocta &c. Quæ ſi fortè cum ſacris ſpeciebus ſumantur: nullatenùs ſoluunt ieiunium rationabile.

Nec obſtat. *3.* Quod potus communis vini lymphati videatur eſſe materia Conſecrationis. Tùm quia S. Script. & Conc. vocant *vinum de vite*, vt ſuprà. Tùm quia potus cõmunis vini, non eſt aquæ ſimul, ſed ad ſummum, aqua temperati. Tùm quia vinum potiùs temperatur aquâ in ſe conuerſâ quàm commixtâ. Tùm quia cùm hæc materia ſit tàm ſacra: ſicut panis conſecrandus debet eſſe purus ab omni non pane; ità & vinum ab omni non vino. Tùm denique quia conuerſio aquæ in vinum, debet præſignificare conuerſionem in Sanguinem.

Nec obſtat. *4.* authoritas *Innoc. III.* Quia in hoc Opuſc. *Cap. 29.* eſt tàm dubius & problematicus: vt nec audeat definire, an aqua cum vino mediatè vel immediatè conuertatur in Sanguinem: an verò nec mediatè nec immediatè in Sanguinem, ſed in illam aquam quæ fluxit de latere Chriſti. Cap. 30. vel 31. *Quibuſdam*, inquit, *non abſurdum videtur, quòd aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per Conſecrationem tranſit in Sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum tranſire, cùm multo vino modicum infunditur aqua?* Cap. 32. *Cautum eſt in Canone*, diſt. 2. c. 1. 2. 3. *quod non poteſt Calix Domini aqua ſola eſſe, neque vinum ſolum, niſi vtrumq́ miſcea-*

*miſceatur.* Et Cypr. *Calix Domini non eſt aqua ſola, nec vinum ſolum &c.* Non poteſt .i. non debet: *quia,* inquit, *non dicitur poſſe fieri, quod de iure non fit.*

*Cap.* autem. *Cùm Marthæ De Celebr. Miſſarum,* refert deſuper plures opiniones. 1. *Quòd vinum & aqua commixta in Calice diuinâ virtute mutentur in illa duo quæ fluxerunt de latere Chriſti.* 2. *Quòd aqua cum vino tranſubſtantietur in Sanguinem: cum in vinum tranſeat mixta vino.* 3. *Quòd aqua non tranſeat in Sanguinem: ſed maneat priorū vini accidentibus circumfuſa; ità quòd vini ſaporem aſſumat &c. Contingit igitur accidentia mutare ſubiectum, ſicut & ſubiectum accidentia. Sed nec creditur abſurdum, ſi aqua in Corpore Chriſti eſſe credatur: cùm legatur de ipſius latere proceſſiſſe &c. Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in Sanguinem tranſmutari; vt expreſſiùs eluceat proprietas Sacramenti &c.* Vtique ſecundùm illam opinionem ſecundam: *Cùm in vinum tranſeat mixta vino.* Quæ inter ſe collata, ſunt pro noſtrâ & communi ſententiâ, non contrà.

*Lib. 5.* A Conſecratione vſque poſt Orationem Dominicam, per 29. Cap.

*Lib. 6.* Hinc vſque ad finem Miſſæ per 14. Cap.

Quæ omnia tam breuiter commemorantur: vt ex huius vulgati Opuſculi lectione ſuppleantur. Sub hac monitione: quòd quamuis pleræque cæremoniæ verbis adiunctis ad varios ſenſus promiſcuè referantur: proprijſſimè tamen, ad decorem ſacrificij; Allegoricè, in memoriam Chriſti viui, mortui, rediuiui, & Eccleſiæ Militantis, Triumphantis & adhuc in Purg. patientis; Tropologicè, in exemplar & doctrinam bonorum morum; Anagogicè, in motiuum ſursùm ad Deum & æterna.

## Supplementum Morale.

### *De obligatione Cæremoniarum Sacrificialium.*

*Diff. 1.* Quantæ ſint obligationis? *Reſp.* Ex *col. 129.* Eſſe eò grauioris aut leuioris, quò plus minuſvè important ad finem propriū Sacrificij, ſeu ad decorem huius cultus Dei: ex Lege Naturali, & Diuina Chriſti, determinata varijs legibus Eccleſiæ, relatis à Gratiano de conſec. *diſt. 1. 2. 3.* à Gregorio 9. *l. 6. Decret. Tit. de Celebr. Miſſarum,* & alibi: renouatis, moderatis, & auctis, à S. Conc. Trid. *ſeſſ. 22.* Decreto *De obſeruandis in celebratione Miſſæ,* commiſſo executioni & diſcretioni Epiſcoporum; ſed ſpecificatis & ſub grauiori aut leuiori obligatione expreſſis in Cæremoniali, ſeu Rubricis noui Miſſalis. De quibus ſingulis inter alios ex profeſſo *Gauantus*: diſtinguens eas *P. 3. Tit. 11.* in præceptiuas, grauioris obligationis, & directiuas leuioris. Illæ, inquit, ſunt. 1. Quæ exprimunt præceptū ſub mortali, vel graui peccato. 2. Quæ pertinent ad integritatem Sacramenti vel Sacrificij. 3. Quæ ex cōmuni ſenſu ſunt de re graui. 4. Quæ afficiunt Miſſas Conuentuales Eccleſiarum Collegiatarū &c. Ex quibus & alijs principijs iuris Naturalis, Diuini, & Eccleſiaſtici poſſunt iudicioſè diſcerni quæ ſint ex ſua materia grauioris aut leuioris obligationis: exceptâ ſemper obliuione, inaduertentiâ, neceſſitate, aut ſcandalo quæ interuenire poſſunt.

*Diff. 2.* Quòd, *De Conſecr. diſt. 1. cap. 4. 5. 6. 7. 8.* inhibeantur ædificationes, conſecrationes, dedicationes Eccleſiarum, ſine facultate Sedis Apoſtolicæ: cùm tamen *cap. 2. 3. 7. 9. 11. 12. 14. 25. 34.* videatur eſſe proprium Epiſcoporum in locis ſuæ Iuriſdictionis. *Reſp.* Illam inhibitionem, vel fuiſſe tantùm, de fundatione Eccleſiarum Cathedralium ſeu Epiſcopatuum: vel illam facultatem fuiſſe generalem, citra inhibitionem ſpecialem: vel fuiſſe inhibitionem ne Infideles conuerterentur & colligerentur niſi in vnitatem Eccleſiæ Catholicæ, ſignificatam hac dependentia Eccleſiarum ab eadem S. Sede. vt inſinuatur cap. 8. Vel denique hanc inhibitionem fuiſſe ab antiquo relaxatam.

*Diff. 3.* Quòd ibidem *cap. 1. 2. 11. 12. 14. 15. 24. 33.* tam grauiter inhibeatur ne Miſſa celebretur niſi ſuper Altari ſaltem portatili, & in loco ab Epiſcopo conſecrato aut deſignato: cùm tamen ibidem toties relaxetur ad caſus neceſſitatis. Qui *Cap. 30.* exemplificantur, quando Eccleſiæ ſunt combuſtæ, aut iter agitur: vt tunc celebrari poſſit in Capellis, Tentorijs, vel etiam ſub Dio, ſuper Altari portatili. Qui duo caſus videntur extendi poſſe ad ſimiles vel maiores neceſſitates. Vnde cùm Trid. inhibeat celebrare extra Eccleſias conſecratas, vel Oratoria ab Epiſcopo deſignata: non ſatis conſtat vtrum reuocet an non exceptiones illas iuris antiqui, & varia priuilegia: vt Sixti IV. FF. Minoribus, *Celebrandi non ſolùm in Oratorijs & locis quibus degunt, ſed etiam in quocumq; loco honeſto, ſuper Altari portatili.* Alexandri VI. ijſdem, *Celebrandi etiam in cameris ſecularium, vel plateis, ſi non fuerint loca inhoneſta.* Honorij III. *lib. 5. Decretal. cap. In his.* FF. Minoribus & Prædicatoribus, *Celebrandi vbicumq; fuerint ſuper Altari viatico, ſine aſſenſu Prælatorum.* Pauli III. & Greg. X. Presbyteris Societatis, pro ſuis domibus aut miſſionibus, *Non obſtante hoc Decreto Trid.* *Reſp. 1.* Ex noſtro Roderico *Tom. 1. q. 43. a. 4. 5.* Nō reuocare. Quia Conc. Trid. tantùm monet Epiſcopos, *Ne patiantur alibi celebrari &c.* Ergò non renocat Priuilegia; ſed committit executionem & diſcretioni Epiſcoporum, *Non obſtantibus priuilegijs Regularium.* Qui quamdiu ab Epiſcopis non coguntur, non tenentur ſeipſos vſu ſuorum priuilegiorum priuare. Cùm & illud Honorij III. ſit inſertum Corpori Iuris: nec cenſeatur niſi expreſsè reuocari.

*Reſp. 2.* Quòd cum iam ſatis conſtet Epiſcopos non tolerare, ſed ſaltem tacitè inhibere, & practicare deſignationem illam Oratoriorū: non ſit tutum vti priuilegijs oppoſitis; niſi ex graui neceſſitate, & conſenſu ſaltem rationabili, ſeu interpretatiuo Epiſcoporum abſentium & diſtantium. Nec illæ exceptiones iuris antiqui videntur independentes ab omni iudicio Epiſcoporum.

*Diff. 4.* An Trid. ibidem, monendo Epiſcopos *vt caueant ne Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent, Non obſtantibus &c.* reuocet omnia antiqua exēpla, mores, iura, caſus neceſſitatis, & varia priuilegia: Pij 2. *vt Generalis FF. Minorum poſſit dare Fratribus facultatem celebrādi vna hora ante auroram.* Sixti 4. vt *Sacerdotes Obſeru. cauſa neceſſitatis poſſint ante & poſt horam ſtatutam ab Eccleſia celebrare.* Leonis x.

vt

Digitized by Google

# BREVIARIVM HIEROGLYPHICVM SANGVINE CHRISTI RVBRICATVM,

## totius Theologiæ ſeu Sapientiæ & Deuotionis Chriſtianæ.

### Principia Supponenda.

1. QVòd omnes creaturæ ex natura ſua ſint quædam veſtigia, imò & quaſi *nutus* vitales Sapientiæ Dei præſentis. *Sap. 13. Rom. 1. S. Aug. lib. 2. de Libero Arb. cap. 16.* Verba autem ſint ſigna Doctrinalia ex inſtitutione humana; & ſi ſint ſacra ſeu ſacræ Scripturæ, vltra propriam ſignificationem & veritatem Fidei, ex præuiſione, prouiſione, & intentione Spiritus Sancti ſubſignificent Allegoricè, Tropologicè, & Anagogicè, quicquid vnquam veri à quoquam ſubintelligi poteſt. Ex *Matt. 5. & B. Aug. libro 3. Doct. Chriſt. cap. 27. libro 12 Conf. cap. 31.* Quanto potiùs Sacro-ſancta Euchariſtia eſt tot ſacrarum & ſecretarum ſignificationum ac ſignificatorum: vt ſit quaſi Breuiarium Hieroglyphicum, & obiectum adæquatum materiale ac formale totius Theologiæ Chriſtianæ? Ex B. Aug. *lib. 10. Ciuit. cap. 19.* & alibi: *Sacramenta ſunt quaſi verba viſibilia.* Libro 2. Doctr. Chriſt 3. *Chriſtus Sacramento Corporis & Sanguinis ſui ſignificauit quod voluit.* libro 3. Trin. cap. 4. *Apoſtolus aliter prædicauit Chriſtum per linguam ſuam, aliter per Epiſtolam, aliter per Sacramentum Corporis & Sanguinis eius.*

2. Quòd nec creaturæ, nec verba ipſius Sacræ Script. ſint ex ſe efficacia ſuæ ſignificationis: ſed tantùm doctrinalia ab extrinſeco, ſeu monitoria animi, ad conſulendum deſuper in nobis ipſis Oraculum primæ Veritatis ac Sapientiæ. Ex *Mat. 23. Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Et B. Aug. toto libro de hoc Magiſtro & Magiſterio. Hoc autem Sacrificium & Sacramētum non ſit tantùm efficax ſuæ ſignificationis principalis: ſed omniū gratiarū.

3. Quòd cùm ſit Latreuticum, Euchariſticum, Propitiatorium, & Impetratorium: Allegoricum Tropologicum, Anagogicum: Demonſtratiuum, Commemoratiuum, Prognoſticum: non eſt vllatenus ſignum inane; ſed ſaltem impetratorium alicuius gratiæ præuenientis, & adiuuantis ad omnes fines harum ſignificationum.

4. Quòd vt Latreuticum eſt ſacrum ſignum Eſſentiæ, Perſonarum & perfectionum diuinarum vt adorabilium, & creaturæ adorātis, ac per cuius Sacrificium adoratur: Vt Euchariſticum, non eſt commemoratiuum ſolius paſſionis Chriſti, ſed omnium beneficiorum Dei: Vt Propitiatorium, eſt ſignum diſpenſatiuum meritorum & ſatisfactionum Chriſti: Vt impetratorium, eſt ſignum orationis ac impetrationis, non tantùm præteriti, ſed & præſentis ac actualis Chriſti. *Col. 263.*

5. Quòd cùm hoc ſit *in memoriam Chriſti*, non autem ſolius paſſionis eius: poſſit extendi ad omnia Chriſti myſteria, hîc etiam realiter ſuo modo repreſentata. Ex Luc. 22. *in meam commemorationem.* Pſalm. 103 *Memoriam fecit mirabilium ſuorum: eſcam dedit timentibus ſe.*

6. Quòd vt Sacramentum, ſignificet ex aliqua ſimilitudine: ſed vt Sacrificium, potius ex infinita diſſimilitudine.

7. Quòd quæ à col. 446. ad 480. ad fidem: hîc ſupponantur, & quædam repetantur, quædam inde vel aliunde eliciantur ad deuotionem.

### Conſequentiæ.

HInc 1. Sicut mors Chriſti realis: ita & hæc Sacramentalis eſt etiam pro quibuſuis mortuis, ſeu peccatoribus, ad primam vitam gratiæ. Ex *Ioan. 6. Luc 22. & B. Aug. ſupra col. 381. & 543.*

2. Vt Chriſtus *Matt. 5.* conſuluerat, pro ſuis Crucifixoribus orans, *Luc. 23.* quoſdam eorum conuertit *Act. 2.* Ex B. Aug. ſupra *col. 287.* Monuitq́ue per Apoſt. Rom. 12. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malū*: ſic & hîc orat pro ipſis ſacrilegis, & vi huius ſacrificij euincit quorundam malitiam.

3. Vt Chriſtus varios mortuos reſuſcitauit: ita & hîc varios peccatores, ad vitam gratiæ.

4. Vt *Matt. 9. Marc. 5 Luc. 8.* Reſuſcitauit puellam recens mortuam in domo, quaſi dormiētem, à ſomno: ita & hîc à peccato ſolius conſenſus. Sicut candela recens extincta leui flatu aut ex vicinâ flammâ facilè reaccenditur.

5. Vt *Luc. 7.* Reſuſcitauit filium Viduæ exportatum ad ſepulchrum: ſic & hîc peccatores à prauis operibus.

6. Vt *Ioan. 11.* Reſuſcitauit Lazarum à triduo ſepultum & fœtentem: ita & hîc peccatores à quâuis peccatorum mole ac putredine.

7. Vt Deus *Gen. 2.* Corpori humano inſpirauit animam, & nunc fœtibus inſpirat vitam. Elizæus *4. Reg. 4.* Incumbens ſuper puero mortuo, eum reanimauit. Chriſtus *Ioan. 20.* inſpirauit Apoſtolis Spiritum Sanctum: ita & hîc non tantùm reſtituit, ſed etiam confert primam vitam gratiæ ipſis infidelibus.

8. Vt Chriſtus non tantùm ſanauit aut liberauit venientes, adductos, aut apportatos ad ſe: ſed etiam Energumenos à ſe fugientes, renitentes, & coactos *Matt. 8. Marc. 9.* Ita & hoc Sacrificium prodeſt non tantùm voluntarijs, ſed etiam quâdam conſuetudine, aut communi ſocietate chriſtianâ portatis, imò & reſpectu humano, timore aut obligatione ad hoc Sacrificium frequentandum coactis.

9. Vt Chriſtus *Marc. 9.* Exigit, dat, & exercet primam fidem ad ſua miracula, *Si potes credere, &c. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Et Ioan. 11. *Credis hoc? Credo Domine, &c.* Ita & hîc ac hinc primò fides concipienda, examinanda, & exercenda eſt: eius ſaltem affectum profitendo, defectum confitendo, & perfectionem deſiderando.

10. Quòd Chriſtus promiſit confeſſioni & paſſioni exteriori pro fide *Matt. 10. Rom. 10.* Hoc & ſuo modo interiori. Hinc patienter & fortiter ſuſtinendæ ſunt omnes ſenſuum ac rationis humanæ tentationes: non cum eis contendendo, ſed



Digitized by Google

nundam malitiam, concupiſcentiam, & tentationes plurium ac grauiorum.

40. Hinc frequenter recurrendum ad hoc Sacrificium, tanquam ad vmbram Corporis Chriſti *præſentis*, & ad temperiem Sanguinis eius, contra feruorem concupiſcentiæ, & ſcintillas tẽtationum.

41. Cauendum à peccatis actualibus ſub hoc ipſo Sacrificio, contra eius finem ac fructum proprium, & gratias ad hoc ipſum actuales: ſub pœnâ priuationis, ac violatæ protectionis, & reprobationis. Ex *Apoc. 22. Foris canes*, &c. qui ipſam Eccleſiam & ſacra Altaria fœdant ſuis ſordibus, &c. Prout ipſe B. Aug. humiliter cõfitetur *lib. 3.* ſuarum Confeſſionum.

42. Hinc vt Abraham *Gen. 22.* apprehendit *arietem hærentem cornibus inter vepres*, eumque ſacrificauit pro filio ſuo Iſaac: ita & primi motus animales ſub hoc ſacrificio ſubitò allidendi ſunt ad Altare, vt *Paruuli Babilonis Pſal. 136.* ne creſcant & inualeſcant.

43. Non tantùm hoc Sacrificium prodeſt peccatoribus ad memoriam, pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum: ſed & ſacra Communio bonæ Fidei, ad remiſſionem peccatorum forte adhuc latentium: per infuſionem Gratiæ directè ad augmentum; ſed & ſufficientis ac neceſſariæ ad primam Iuſtificationem.

44 Nec tantùm mouet hoc Sacrificium ad pœnitentiam imperfectam ex timore malorum, aut ſpe bonorum: ſed etiam ad Contritionem Charitate perfectam, ex plurimis ac perfectiſſimis motiuis Charitatis Chriſti. De quibus ſuprà & infrà.

45. Si tantum prodeſt peccatoribus ad remiſſionem: quantum Iuſtis ad augmentum Gratiæ & Virtutum? Exemplo ipſius Chriſti præſentis, per gratias ad hoc ipſum actuales. Si enim mouent exempla Chriſti præterita, quãtò magis præſentia?

46. *Accedite & illuminamini, Pſal. 33.* Tàm per ſpectaculum horum ſacrorum ſignorum, quàm per radios ſpirituales Gratiæ emicantis. Vt Luc. 24. *Cognouerunt eum in fractione panis.*

47. Hinc enim non tantum radiant Fidei ac intellectui fideli perfectiones glorioſæ, diuinæ ac humanæ Chriſti: vt Spiritualitas, Sapientia, Bonitas, Omnipotentia, Immenſitas, &c. naturæ Diuinæ: Subtilitas autẽ, Agilitas, Impaſſibilitas, &c. naturæ humanæ; ſed etiam Perfectiones morales ſeu Virtutes à nobis imitabiles.

48. Quantum hîc exemplum veritatis, veracitatis, ſinceritatis, Fidelitatis, & Conſtantiæ immutabilis, Diuinæ & humanæ Chriſti, in ſuis dictis & promiſſis: abſque vllâ fictione, æquiuocatione, conditione, reſtrictione mentali, aut reuocatione, ob quamlibet noſtram malitiam & ingratitudinem; non ſine gratiâ ſpeciali & actuali ad horum omnium imitationem.

49. Quantum hîc exemplum & Gratia Religionis, Deuotionis, & Adorationis ſeu Cultus Dei. Vt ſupra *à col. 258. ad 267.*

50. Quanta quamque exemplaris Obedientia Chriſti, parendi & comparendi ad intentionem & vocem cuiuſlibet Sacerdotis: non ſine gratiâ imitationis.

51. Quanta quamque exemplaris Humilitas Chriſti, ſub quibuſuis ſpeciebus Conſecratis, vſque ad earum corruptionem: cum ſpeciali gratiâ imitationis. Vt, & pluſquam olim in ſua Conceptione, ac Natiuitate in Bethleem ſeu domo panis. Ex S. Bernardo.

52. Quanta quamque exemplaris hîc Patientia Chriſti, inter tot tamque ingratos, ac ſacrilegos: abſque vllo tœdio, aut noſtri faſtidio: vt quondam Matt. 17. Marc. 9. Luc. 9. *Generatio incredula & peruerſa, quouſque vos patiar, quouſque vobiſcum ero?* ſed cum gratiâ continuâ imitationis ac emendationis.

53. Quanta quamque exemplaris Temperantia, Sobrietas, & Frugalitas, in hoc ſuo conuiuio, ſub ſolâ ſpecie modici panis & vini: non ſine ſpeciali gratia imitandi.

54. Quanta quamque exemplaris Caſtitas Chriſti, exhibendi & communicandi Corpus ſuum tanto amoris affectu, tàm intimè ac immediatè, tàmque inſenſibiliter, ſpiritualiter, & procul ab omni ſenſualitate: cum ſpeciali gratiâ imitandi.

55. Quanta quamque exemplaris Chriſti Miſericordia ſpiritualis, & corporalis: cum gratiâ imitandi; nec tantùm Proximis, ſed & ipſi Chriſto hîc rependendi.

56. Quanta quamque exemplaris Iuſtitia Chriſti, ſeipſum toties offerendo Deo ad æqualitatem, & ſuas gratias diſtribuendo ſecundum noſtram neceſſitatem ac diſpoſitionem.

57. Quantum hîc exemplum Principum, deferendi Sacerdotio Chriſti, continendi ſe intra ſphæram ſuæ Iuriſdictionis, vtendi potentiâ ordinariâ ac ordinatâ, rariſſimè abſolutâ: ad imitationem Chriſti ſub ſpeciebus Conſecratis.

58. Quantum hîc exemplum Status Eccleſiaſtici, ſe ſuaque Populo liberaliter communicandi, ad eum ſibi & Chriſto conciliandum. Ex figurâ Patriarchæ Ioſeph, qui diſtributione frumenti populo indigenti, totam Ægyptum acquiſiuit Pharaoni. De quo B. Aug. *lib. 12.* contra Fauſtum *cap. 26. Videmus nunc honorem Chriſti, erogatione frumenti ſui ſibi omnia ſubiugantis.*

59. Quantum hîc exemplum Status ac vitæ Religioſæ, Clauſtralis arctiſſimæ, Actiuæ & Contemplatiuæ, Pauperrimæ ab omni appropriatione Accidentium, imò & ſuipſius; Caſtiſſimæ ab omni contactu etiam proprio; ſimul tamen Amiciſſimæ ac Vnitiſſimæ; denique Obedientiſſimæ, Humilimæ, Patientiſſimæ, Deuotiſſimæ, vt ſupra. Quæ eſt imitabilis actiuè, circumferendo & repræſentando mortificationem Sacramentalem Chriſti *2. Cor. 4.* Et Contemplatiuè, ſuper omnia ſenſibilia ac phantaſmata, &c.

60. Quantum exemplum Societatis ac Vnitatis Populi Chriſtiani. Ex *1. Cor. 10. Vnus panis, & vnum Corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.*

61. Quantum exemplar ac motiuum omnium Fidelium, ſuo modo miniſtrandi Altari, ad viuendum corpore & ſpiritu ex Altari. *1. Cor. 9. Ioan. 6.*

62. Si enim Reges Infideles *Eſdræ 1. 2. Mach. 3.* miniſtrarunt Altari & Sacrificijs antiquæ Legis ſumptus neceſſarios Sacrificijs, ad Regnorum ſuorum



Digitized by Google

ſuorum proſperitatem: quanto magis Principes Chriſtiani per tot & tantas fundationes Eccleſiarum, ſumptus neceſſarios Miniſtrorum, & protectionem contra Infideles?

63. Si tot Infideles & Hæretici militant Antichriſto contra *hoc iuge Sacrificium Dan. 12.* quantò potiùs Duces & Milites Chriſtiani, ſeruiant ac militent Chriſto, eiuſque Altari ac Sacrificio, contra Anti-chriſtum; vt viuant ex Altari quaſi ex pane munitionis, *de micis quæ cadunt de menſâ Dominorum ſuorum* Sacerdotum, *Matt. 15.* Non autem vt vix eis micas relinquant ad victum & Sacrificium.

64. Si Pilatus & Iudæi ſtatuerunt milites cuſtodes Sepulchri Chriſti *Matt 27.* quanto glorioſiùs & ſalubriùs Nobiles ac Fideles milites Chriſtiani profitentur ſe Miniſtros, Cuſtodes, Præſidiarios Chriſti in Altari, ſuis circumquaque vicarijs vexillis, inſignijs, & ſtatuis aut figuris?

65. *Omnis labor hominis eſt in ore eius.* Eccli. 6. Cùm ergò omnes ſibi ipſis laborent ad ſuam ſuorumque ſuſtentationem corporalem: quanto ſalubriùs & honeſtiùs Chriſto eiuſque Altari ac Sacrificio laborent, ac elaborent agros & vineas ad materiam Conſecrationis; omnia opera fabrilia ad locum Sacrificij, omnes texturas, picturas, &c. ad ornatum Altaris & Templi: vt non tantum inde viuant Spiritu per Gratiam; ſed etiam corpore, quaſi ex ſuperfluis fragmentis & reliquijs neceſſariorum ad Sacrificiū? Cum ipſe Rex Venceſlaus ex Duce Bohemiæ, coluerit vineam ad Sacrificium.

66. Quid quod omnes Angeli ac Beati ſint Miniſtri Altaris, indeque ſuo modo participent vitam & gloriam æternam ſeu eſſentialem, vel quandam ſaltem accidentalem. Hinc & ſæpè apparuiſſe perhibentur, vel ad proteſtandam ſuam inuiſibilem præſentiam, vel ſuam è cœlo ad Chriſtum & ad Altare reuerentiam. Ex *Apoc. 5.* De Agno quaſi occiſo, &c.

67. Quamuis autem ſubſint hîc ſigna, motiua & gratiæ omnium virtutum: nonniſi tamen ad perfectionem Charitatis: ad quam omnia collimant.

68. Nam materia Conſecrationis Corporis, vnita ex pluribus granis, & ordinata ad nutritionem, ſignificat vim propriam vniendi Fideles inter ſe, & cum Chriſto per charitatem.

69. Materia Conſecrationis Sanguinis, ſeu vinum, ſignificat vim quandam inebriandi, per quendam exceſſum ſeu perfectionem Charitatis ſupra omnem rationem. Ex illo *Pſal. 22. Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Et Iudic. 9. *Vinum lætificat Deum & homines.* Mixtio autem aquæ, ſignificat vim abſorbendi nos obiectiuè in Deum per Charitatem.

70. Tranſſubſtantiatio ſeu conuerſio realis panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ſignificat vim conuertendi nos ſpiritualiter, ſeu obiectiuè & affectiuè in Chriſtum, eadem perfectione charitatis, qua Apoſtolus Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.*

71. Sed forma conſecrationis perfectiùs ſignificat & exigit affectum & effectum perfectiſſimæ charitatis.

72. Nam Conſecratio realis panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti: prouocat quandam æmulationem & affectum perfectæ Charitatis ad conuerſionem ſaltem ſpiritualem.

73. Ceſſio panis & vini ex proprio eſſe & accidentibus, ad ſucceſſionem Corporis & Sanguinis Chriſti: ſignificat effectum exemplarem perfectiſſimæ Charitatis.

74. Conſecratio ex propriâ perſonâ Chriſti, exigit vim perfectiſſimæ Charitatis, transformandi in Chriſtum: imò & Sacerdotem perſonâ, animo, & corpore, obiectiuè & affectiuè transformat in Corpus & Sanguinē Chriſti, ac in Chriſtum ipſum.

75. Sacra Communio ſignificat vim quandam intimæ vnionis, nutritionis, conuerſionis, poſſeſſionis, fruitionis, & operationis Chriſtiformis, ſeu quaſi ſoliùs Chriſti in nobis. Vt Gal. 2. *Viuo ego iam non ego: viuit in me Chriſtus.* Coloſ. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* In quod Corn. à Lapide citat hæc quaſi B. Aug. *Eia dulciſſime Deus, hoc mihi tecum pactū erit. Planè moriar mihi ipſi, vt tu ſolus in me viuas: totus intra me ſilebo, vt tu loquaris in me: totus quieſcam, vt tu ſolus opereris in me.*

76. Sed ſacra Communio Sacerdotalis, ſi & quantùm eſt Sacrificio eſſentialis aut integralis, videtur eſſe ſignum gratiſſimæ & intimæ acceptationis huius Sacrificij ab ipſo Deo: ſicque exigit Sacerdotem perfectâ Charitate in Deum ipſum transformatum; imò & transformat eum in illum ſtatum Deiformem.

77. Frequentatio quotidiana huius Sacroſancti Sacrificij ac Sacramenti, videtur ſignificare vim quandam perficiendi Charitatem in infinitum, vſque ad perfectionem diligēdi Deum *ex toto, &c. & proximum ſicut ſeipſum.* Nec tantùm *ex toto corde, totâ mente, totis viribus noſtris:* ſed & omnium communicantium ſimul ad condiligendum Deum vnitis, imò & humanis ac diuinis ipſius Chriſti in nobis, pro nobis, & tanquam noſtris. Vt cùm Deus ſit bonum commune ac infinitum, dignum amore communi ac infinito: non ametur amore priuato, nec tantùm à ſingulis, ſed ab omnibus ſimul ad hoc in vnum affectum vnitis; nec ſufficienter ſeu condignè & adæquatè ab omnibus ſimul vnitis, niſi vt in ipſum Deum affectu trāſformatis, ſeu ab ipſo ſolo Deo ſeipſum infinitè amāte, hincque noſtrum omnium defectum infinitum ab illâ infinitâ perfectione Charitatis, ſupplente in nobis per ſacram ac frequentem Comunionem, & in ipſum Chriſtum ac Deum transformationem.

78. Hinc & quædam perfectio Charitatis noſtræ ſignificatur quodam languore *Cant 2.* non negligentiæ aut tepiditatis: ſed exertæ ac expertæ totius noſtræ actiuitatis & incapacitatis, vſque ad defectum & quaſi deliquium amoris, ſub infinito illo exceſſu Obiecti amabilis.

79. De quo Pſal. 72. *Quid mihi eſt in Cælo? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Quæ videntur propriè prædicta, aut præcipuè intenta de Charitate perfectâ huius Sacramenti. Quid enim nobis euidenter in cœlo: niſi quod hîc

realiter

Digitized by Google

realiter in Sacramento? Quid à Deo, aut præter Deum poteſt hîc deſiderari in Sacramento? Deficimus corde & corpore, ſeu omnibus viribus corporis & animi, ſub exceſſu tantæ Bonitatis. Deus cordis noſtri & pars, imò totum noſtrum in hoc Sacramento, ſuppleat hunc noſtrum defectum amandi: & vt S. Ber. ad Fratres de monte Dei, *Amans ſeipſum de homine Deus, vnum ſecum efficiat & ſpiritum eius & amorem eius.*

80. Eodem refertur illud Pſal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in Atria Domini. Cor meum & Caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos. Altaria tua Domine virtutũ,* &c. Quaſi expreſsè prædiceret hoc Altare ſeu Sacrificium & Sacramentum futurum motiuum tantæ ſpei ac dilectionis in Deum Subdit autem hunc etiam quaſi profectum ac perfectionem Sacramentalem: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, &c. Etenim benedictiones dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion,* &c.

81. Nec aliò referri poſſe videtur illud Zachar. 9. *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius: niſi frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines?* Cùm & hoc prædicatur de aduentu Meſſiæ: nec aliud excogitari poſſit *Frumentum electorum*, multo minùs *vinum germinans Virgines.* Quæ omnia & ſingula ſpirant hanc vim Sacramentalem perficiendi in nobis charitatem: ex adæquato & perfectiſsimo motiuo diligendi Chriſtum & Deum, quod eſt hoc ſolùm eius *pulchrum* ſimul & *bonum*, vtique propriũ & ſummum, fructuſq; proprius electionis ac virginitatis. Quamuis enim hoc ſit maximũ Sacramentum, non tantùm duorum, ſed & omnium ſimul in carne vnâ, ſeu vnico Corpore Chriſti proprio & myſtico *Gen. 2.* & *Eph. 5.* non tamen ad vllam corruptionem aut diuiſionem; ſed ad vnionem, integritatem ac perfectionem dilectionis Dei, vt ſupra 77.

82. Hoc ipſum fuit olim adumbratum in Mannâ, quaſi in pane cœleſti Angelorum. *Exod. 16. Num. 11. Pſal. 77.* Non quod propriè eſſet de cœlo, aut indè paſcantur Angeli: ſed quia ex *Sap. 16.* erat ſacrum ſignum illius Sapientiæ ac dulcedinis diuinæ, quâ & Beati ſuo modo paſcuntur in cœlo, & nos noſtro modo in Sacramento. Porrò ſi illud Manna Iudæorum erat conditum *Suauitate omnis ſaporis* ſenſualis: in ſacrum ſignum & motiuum diligendi eius *dulcedinem* originalem *Sap. 16.* quantò magis hoc Sacramentum, continens realiter ipſam Bonitatem diuinam ac humanam Chriſti, & ſæpè experimentaliter prægustum eius ſpiritualem, ſed virtualiter ac infallibiliter omnem gratiam dilectionis eius.

83. Quod olim adumbratum ac prædictum: Hoc ſæpè & expreſsè à Chriſto promittitur & inculcatur *Ioan. 6.* ſub nomine & re Panis viui, Panis vitæ, Vitæ æternæ, Vitæ in Chriſto, Vitæ propter Chriſtum, Spiritus viuificantis, Spiritus vitalis, &c. Quæ omnia conclamant perfectionem Charitatis. Non enim tantùm ſignificant vitam primam, ſeu in actu primo: nec vitam tenuem, debilem, mortalem; ſed ipſam vitam formaliter, eiuſque viuacitatem, æternitatem, ſpiritualitatem, actualitatem, & efficaciam, quæ ſunt ſolius perfectæ Charitatis. Ex *1. Cor. 13.*

84. Quòd Chriſtus promittit *Ioan. 6.* hoc optat, orat, & impetrat Ioan. 17. *Vt omnes eius Fideles inter ſe & in ipſo vnum ſint, ſicut ipſe vnum eſt cum Patre, & vt ſint conſummati in vnum.* Quæ ſimilitudo & participatio non tantùm vnitatis ſubſtantialis, ſed & eiuſdem infinitæ Charitatis Perſonarum Diuinarum inter ſe, ac *conſummatio in vnum:* eſt finis & fructus proprius huius Sacramenti, plurimis eius ſignis expreſſiſſimus. Nam eodem loco & tempore quo Chriſtus hæc pronuntiauit, hoc Sacramentum inſtituit: ita vt illa ſint huius explicatio, & hoc ſit illorum executio, vſque ad Beatam illam ac beatificam huius totius operis coronidem. 1. Cor. 15. *Donec Deus erit omnia in omnibus:* vtique obiectiuè & affectiuè, perfectiſſima illa charitate fruitionis; non tantùm ſingulorum, ſed & omnium ſimul, tanquam vnius fruentis, fruitionis, & obiecti fruibilis. Quæ perfectio ac fruitio beatifica, huius etiam Sacramenti virtuti tribuenda videtur: tanquàm *vita* illa *æterna* Ioan. 6. *Et Charitas indefectibilis* 1. Cor. 13. Tum quia hoc Sacramentum eſt illius ſignum ſacrum ſaltem prognoſticum: nec inane, ſed alicuius ſaltem impetrationis. Tum quia eſt ex ſe efficax gratiarum Sacramentalium, ad perſeuerantiam finalem in eadem Charitate, tandem beatifica. Tum denique quia eſt hîc quædam actualis inchoatio illius fruitionis beatificæ.

85. Hæc autem perfectio non eſt ſoliùs Charitatis Dei, ſed & Proximi: quæ eò eſt perfectior, quò minùs ſeorſim fluit, ſed immediatiùs confluit in ſolam Charitatem Dei, vt B. Aug. *1. Doct. Chriſt. 22.* Porrò perfectio Charitatis viæ, eſt dilectio Proximorum ad condiligendum Deum: eò perfectiùs extenſiuè & intenſiuè, quo pluribus cordibus & gratijs ad hoc ſolùm vnitis ac intentis. Ex B. Aug. 4. Conf. cap. 12. *Si animæ placent in Deo amentur, & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus. Ipſe fecit nos, & non eſt procul. Non enim fecit & abijt: ſed ex ipſo in ipſo ſumus.* Cum autem ſinguli ad ipſam perfectionem diligendi Deum peruenerint: tunc tandem perfectiſsimè ac immediatiſsimè condiligent, ac confruentur; ſingulorum inæqualitate nihil derogante vnitati ac integritati totius dilectionis & fruitionis communis. Quia vera Charitas non eſt priuata, & proprietaria ſuiipſius: ſed ſicut habet pro obiecto ſummum Bonum ſuiipſius perfectè communicatiuum, ac communiſsimum; ita & ipſa eſt ſuiipſius communicatiua ac communiſsima. Nullus ergò per eam diligit aut diliget ſibiipſi Deum vt bonum proprium ac priuatum: ſed omnes & ſinguli vt ſummum Bonum omnium ac ſingulorum, & pro ſe omnibus ac ſingulis; ſeu dilectione non vt propria cuilibet diligenti, ſed vt communi omniũ condiligentium. Quòd ſi quæ alia affectio viæ vel patriæ, ſingulorum etiam ad ſeipſos: non eſt propriè Charitatis, ſed alterius virtutis. Quod totum ſatis exprimitur hoc ipſo Sacramento communi,



Digitized by Google

eiuſque Sacrâ Communione, ſuam etiàm ad hoc ipſum vim Sacramentalem habente.

86. Vt *Apoc.* 5. Agnus Dei triumphat, eique omnes Beati concinunt, *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere Virtutem, & Diuinitatem, & Sapientiam, & Fortitudinem, & Honorem, & Gloriam, & Benedictionem*: omneſque creaturæ ſuccinunt, *Sedenti in Throno & Agno, Benedictio, & Honor, & Poteſtas in ſæcula ſæculorum* Et cap. 14. *Centum quadraginta quatuor millia Virginum ſequuntur Agnum quocumque ierit*. Quò autem iret Agnus Dei: niſi ad hoc Sacrificium, & paſtum noſtrum? Ita & hîc triumphat, omneſque ſenſus ac rationes humanas victas, conuictas, & quaſi currui triumphali ac Sacramentatali vinctas in triumphum trahit: ſola Fide ei acclamante & Charitate gratulante. Ex 2. Cor. 11. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

87. Hic propriè verificatur illud Chriſti Ioan. 4. *Mulier crede mihi, &c. venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate*, &c. Ipſo Chriſto Ceremoniarcham & Sacerdotem in æternum agente, ſuamque ſacram Humanitatem profundiſsimè ſuæ Diuinitati inclinante, in quoddam homagium Latriæ, & prototypum adorandi Deum in Spiritu & Veritate. Vt *col 262. 263.*

88. Hic etiam verificatur illud Chriſti, Luc. 17. *Vbicumque fuerit corpus, congregabuntur & Aquilæ*, &c. i. Fideles & deuoti contemplatiui huius myſterij. Non vt corui fœtidis cadaueribus inhiantes, & ad pabulum concupiſcentiæ carnis ex ipſa Arca euolantes: ſed vt *Gen.* 8. renouati in Aquilas, hoc ſolo corpore viuo veſcentes. Qui autem needum in Aquilas tantæ cōtemplationis *Pſal. 102.* renouentur in Columbas, ad hanc ipſam Arcam fœderis refugientes. Renouentur in Paſſeres, circa hoc Eccleſiæ horreum volitantes & paſcentes. *Pſal* 83. Renouentur in Turtures, ibidem gementes, nidificantes, & oua ac pullos ſuos, ſeu totam ſuam ſpem ac Fiduciam in Deum ſuper hoc Altari fouētes. Non vt vlulæ, Veſpertiones, Canes, Mures, Muſcæ, &c. ſacras Eccleſias & Altaria fœdantes, &c.

89. Hîc Chriſtus quaſi quotidie transfiguratur: non vt *Philip.* 2. in formam aliquam humanam, nec vt *Matt.* 17. in formam glorioſam; ſed tam humilem & ſuauem cibi & potus; vt hîc etiàm cenſeri poſsit *ille exceſſus quem completurus erat in Hyeruſalem* Matt. 17. Cuius admiratione ac fruitione, quilibet meritò exclamet illud S. Petri Matt. 17. *Bonum eſt nos hic eſſe, &c.*

90. Hîc propriè videtur *Sapientia Dei coram eo ludere in hoc orbe terrarum, & deliciari eſſe cum filijs hominum*: vt ei non ſuffecerit fieri & eſſe hominem, ſemel inter homines vixiſſe, & ab eis vſque ad mortem crucis paſſum fuiſſe: niſi quaſi ſingulos homines intimè aſſumat, ſeque ſingulis ac ſingulos ſibi inuiſceret.

91. Hinc cultui ac deuotioni huius Sacramenti optimè conuenit illud Eccli. 32. *Hora ſurgendi non te trices* .i. Fide ac deuotione quotidiani Sacrificij Miſſæ excute omnem pigritiam & ſomnolentiam: niſi ipſe Chriſtus, vt Matt. 26. *excuſet infirmitatem carnis à promptitudine ſpiritus. Præcurre autem prior in domum tuam* .i. Sit hæc tibi prima cura diei, ante omnia negotia temporalia: vt etiàm quàdam ſanctâ æmulatione præcurras animo, & ſi fieri poteſt corpore, ad præoccupandam Chriſti benedictionem. *In domum tuam* .i. In Eccleſiam, ad Altare, tanquam ad horreum illius Paſſeris, & nidum familiarem illius Turturis ſupra *Pſal. 83.* Exemplo S. Monicæ. De quâ B. Aug. 5. Conf. 9. *Nullo die prætermittens oblationem ad Altare, bis in die mane & veſpere ad Eccleſiam ſine vllâ intermiſſione veniebat.* Lib. 9. cap. 7. *Mater mea primas vigiliarum partes tenens, orationibus viuebat.* Cap. 13. *Tantùm memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit: cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, &c. Ad pretij noſtri Sacramentum ligauit ancilla tua animam ſuam vinculo Fidei, &c. Et illic auocare* .i. ab omnibus alijs, ad hoc tanquàm negotium omnium negotiorum. Vel vt habet alia editio, *Aduocare* .i. Ex gratiâ præueniente. *Et illic lude* .i. Non ſit tibi moleſtum aut tœdioſum: ſed ſint deliciæ tuæ fidei ac deuotionis ibi eſſe. *Et age conceptiones tuas* .i. Concipe, propone meliora. *Et non in delictis & verbo ſuperbo* .i. Ne ibi pecces, aut ſtertas in peccatis, aut indè recedas in ſtatu peccati: nec tamen de te præſumas cum Phariſæo; ſed pœniteat te humiliter cum Publicano.

92. Quòd ſi, vt Matt. 5. *offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, &c. vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offerres munus tuum.* Si non effectu, ſaltem affectu ſuo loco & tempore efficaci: Cùm hæc reconciliatio ac reunio mēbrorum Corporis Chriſti, ſit finis ac effectus proprius huius Sacrificij & Sacramenti.

93. Hinc nulla deuotio conuenientior eſt huic Sacrificio & Sacramento, quàm Orationis Dominicæ: quæ & dirigi poteſt ad Chriſtum & Deum, vt in Altari ac Sacramento, tanquam in loco proprio & publico ſuæ realis præſentiæ diuinæ & humanæ, & ſuo quodam ſupremo Cælo, ſeu ſecretiſsimo, ſupra omnem ſpæram ſenſuum ac rationis humanæ. Omnes autem petitiones ſunt ad fines & fructus proprios huius Sacrificij ac Sacramenti. Sed quarta videtur proprijſsima, *panis noſtri quotidiani & ſuperſubſtantialis*: Sicut & quinta *remiſſionis peccatorum noſtrorum*, pro *noſtrâ remiſſione iniuriarum.* Nec Salutatio Angelica eſt aliena ab hoc Sacrificio & Sacramento: relatiuè ad *Benedictum Fructum ventris, &c.* Nec Symbolum Apoſtolicum, ad Confeſsionem & exercitium huius potiſsimùm Fidei: Nec recitatio Mandatorum Dei, ad probationem ſui ipſius 1. *Cor.* 10. profeſſionem obedientiæ, & impetrationem Gratiæ: Nec vllæ preces etiam vocales, aut libelli precum & roſaria, ſaltem tanquam publica & communia Chriſtianæ deuotionis inſignia.

94. Cauendum tamen ne quæ lectio aut oratio vocalis, vel mentalis diſtrahat ac diuertat animum ab attentione & intentione ad ipſum actum & finem proprium Sacrificij ac ſacræ Communionis. Ex Conc. Vien. ſub Clem. 5. contra errorem &

Begui-

Digitized by Google

Beguinarum & Beguardorum: *Quòd in contemplatione cauendum ſit ab omni motu, ne quidem ad Chriſtum adorandum in Sacrificio Miſſæ.*

95. Orandum & adorandum eſt in Sacrificio Miſſæ ac ſacrâ Communione, *in ſpiritu & veritate*: ſed vtendo etiam verbis,& ſitu, ac geſtibus neceſſarijs, aut ordinarijs,ad excitandam aut proteſtandam animi deuotionem,fidem, adorationem, humilitatem, pœnitentiam, ſpem, & charitatem debitam ac intentam Ex B. Aug. *Epiſt. 121. Cap. 11.* Quòd verba orationis ſint ſæpè neceſſaria ad monendum & mouendum animum. Et *lib. 2. ad Simp. quæſt. 4.* Ac *de curâ pro mortuis, cap 5.* Quod ſitus humilis, flexis genibus,junctis aut extẽſis manibus, proſtrato corpore, multùm proſit ad mouendum animum orantis & adorantis. *Neſcio*, inquit, *quomodò cùm hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint: eiſdem exterius factis, ille interior qui eos fecit, augetur*, &c. Vtique ex naturali Sympatiâ inter corpus & animam:vel potiùs ex quodam merito ac influentiâ maioris Gratiæ actualis, vtendo primâ illâ Gratiâ præueniente ſaltem ad illum ſitum, & geſtum corporis.

96. Vtendum autem eſt potiſſimum orationibus & ceremonijs ordinarijs Eccleſiæ, corde aut etiam ore reſpondendo, correſpondendo, coorando, & coadorando Sacerdoti Sacrificanti. Tum ad conformitatem cultus diuini. Tùm ex Spe ac fiducia hinc potius participandi Gratias actuales Sacrificij,quàm ex propria aliqua ac ſingulari deuotione. Ex B. Aug. lib. de Magiſtro cap. 1. *Non eſt*, inquit, *opus locutione cum oramus*,&c. *Niſi fortè ſicut Sacerdotes faciunt, ſignificandæ mentis ſuæ cauſâ; non vt Deus, ſed vt homines audiant, & conſenſione quâdam per commemorationem ſuſpendantur in Deum* Lib. 12. contra Fauſt. cap. 10. *Habet magnam vocem Chriſti Sanguis in terrâ: cùm eo accepto, ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen*, &c. In Pſal. 93. *Non fruſtrà reſpondeant ſurſum ſe habere cor* Vtique ad illam vocẽ Sacerdotis, *Surſum corda*, &c. Vt ſupra *col 242. 284 289* Nec obſtat quòd verba ſint Græca, Hæbrea, aut Latina: quia pauca illa iam ab omnibus intelliguntur; & vltra ſuam ſignificationem Grammaticam, ſunt ſigna publica proteſtandi Fidem &affectum ad hoc Sacrificium.

97 Adorandum eſt *in Spiritu & Veritate*,Ioan.4. .i. Nec ſolo ſitu, geſtu, ac motu corporis, nec ſolâ imaginatione,aut ſpeculatione animi: ſed ex Fide & affectu adorationis ac deuotionis conuenientis, tàm huic Sacrificio ac Sacramento, quàm omnibus Fidelibus quantùmuis Idiotis. Vt patet ex hâc ipſa doctrina Chriſti ad mulierem illam Samaritanam, *Ioan.4* Vndè & ſola Fidelium præſentia & humilis compoſitio corporis, ex ſimplici Fide, affectu, attentione ac intentione ad ſacra ſigna & ſignificata, ac finem ſaltem primarium Sacrificij, abſque vlla alia Oratione mentali vel vocali, eſt *adoratio in Spiritu & Veritate*. Non eſt enim ſola præſentia aut ſtatus otioſus: ſed tacita& realis proteſtatio Fidei, Spei, & Charitatis; ſi necdum habitualis aut affectiuæ, ſaltem huius actualis, imperatæ, ac intentæ.

98. Non ſolum vtendum eſt verbis, ſitu, & motu corporis ad comparandam aut proteſtandam deuotionem: ſed vt B. Aug. libro de vera Religione cap. 50. *Vtamur gradibus quos nobis diuina Prouidentia fabricare dignata eſt*, &c. *Cum infantia noſtra parabolis ac ſimilitudinibus quodammodò non eſt aſpernata* Hinc poſſet concipi deuotio ex figura Æuæ formatæ de latere Adæ dormientis: Ita & nos ex Corpore Chriſti, quaſi hic dormientis.

99. Ex figura Paradiſi & ligni vitæ. *Geneſ. 2.* Nam vt erant ſolius ſtatus Innocentiæ: Ita ſacra Communio ſolius ſtatus Gratiæ. Vt illa ad immortalitatem corporum: Ita hæc animarum.

100. Ex figura Sanguinis Abel. vt ſupra.

101. Ex figura ac inebriatione illa Noë *Gen. 9.*

102. Ex figura panis & vini à Melchiſedech oblati Deo in Sacrificium: ſed Abrahæ ac ſuis ad reparationem virium. *Gen. 14.*

103 Ex figura Ioſeph *Gen. 41.* In magna illa prouiſione frumenti, &c. Vt B. Aug. 12. contra Fauſt. cap. 28.

104. Ex figura *Agni Paſchalis comedendi cum pane azimo & lactucis agreſtibus: ſeu amarâ compaſſione ac penitentiâ.* Exod. 12. & Num. 9.

105. Ex illo Iob. 3. Priuſquam comedam ſuſpiro.

106. Ex figura Mannæ *Num 11.* quotidiè recollecti in cibum diuinum: Et ex figura Arcæ Fœderis aliquid Mannæ continentis *Hebr. 9.*

107. Ex figura illius panis *Iudic. 7.* qui videbatur volui tanta vi vt euerteret Caſtra Madian: recurrendo quotidie ad Altare, vt ſolent milites ad ſuum Armamentarium, & ad panem quem vocant *munitionis*. Si enim quia hoc pane regio veſcuntur, ducunt ſibi viuendum & moriendum pro Rege: quantò potius pro Chriſto & Deo, qui veſcuntur hoc pane diuino? Ex illo Ioan. 6. *Ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, viuet propter me.*

108. Ex figura Heli *1. Reg. 2* petentis ſibi ac ſuis portionem huius Panis Ex *B. Aug. 17. Ciuit. 5.*

109. Ex figura Dauid *1. Reg. cap. 21.* in vſu & eſu panum Propoſitionis, ad ſuum illud viaticum & effugium à Saule.

110. Ex figura panis illius *3. Reg. 19.* quo Elias roboratus proceſſit & peruenit *ad Montem Dei.*

111. Ex illa inuitatione Sap. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis, &c.*

112. Ex illâ monitione Prouerb. 23. *Diligenter attendendi quæ nobis ad menſam Principis apponũtur*: ad rependendum ei ſimilia .i. Corpus & Animam, vitam & mortem pro Chriſto. Vt B. Aug. ex 70. ſupra *col. 288.*

113 Ex illis Sponſæ Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, &c. *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, &c. Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, &c. Quæ non decerent Sponſam: niſi de hoc Sacramento, aut eius fructu.

114. Ex illis Sponſi Cant. 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Et 7. *vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs*, &c. De hac abundantia cibi & potus ſpiritualis in medio Eccleſiæ ſub ſpeciebus panis & vini, quaſi indè ſcaturientis, non autem aliundè infuſi.

115. Ex

Digitized by Google

## I. *De Fide Euchariſtica.*

IOan. 4. *Mulier crede mihi &c.* ait Chriſtus, de hoc ipſo Sacrificio vbique offerendo. At hæc: *Scio quia Meſſias venit &c. Ille nobis annuntiabit omnia.* Cui Chriſtus: *Ego ſum qui loquor tecum.* Ioan. 6. *Caro mea verè cibus eſt. Durus eſt hic ſermo &c. Nunquid & vos vultis abire? Quę ibimus verba vitæ æternæ habes &c.* Ioan. 8. *Tu quis es? Principium, qui & loquor vobis.* 14. *Ego ſum via, veritas & vita.* Mat. 5. *Sit ſermo veſter Eſt Eſt, Non Non.* Exod. 16. *Man-hu, quid hoc?* Mat. 26. *Accipite & comedite, Hoc eſt Corpus meum &c.* 2. Cor. 12. *Non fuit in Chriſto Eſt, & Non eſt &c.* Vt ſupra *col. 278.* Rom. 10. *Fides ex auditu.*

Si cuiuis vero, ſi principijs ſciendi, ſi cuique in ſua arte, ſi cui aut cuius verbo credendum, ſi Pythagoræ αυτος εφα, Ipſe dixit: Quid Chriſto, de Chriſto in Chriſtum? Qui eſt Principiũ, Veritas, Ars, & Verbum originale omnium. Cuius verbis accomodatis exerceamus hanc Fidem noſtram. Ioan. 9. *Credis in Filium Dei? Quis eſt Domine, vt credam in eum? Qui loquitur tecum ipſe eſt. Credo Domine, & procidens adorauit eum.* Ioan. 11. *Credis Hoc &c. Vtique Domine.* Marc. 9. *Si potes credere &c. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam,* ſeù defectũ Fidei noſtræ. Quæ quaſi nihil eſt voto noſtro, & verbo tuo: *Quia teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Pſal. 9. Adiuua præuentos, præueni adiuuandos, gratia actuali & habituali, ad captiuandum omnem ſenſum, imo & intellectũ & affectum in obſequium huius fidei. *Proba me Domine, & tenta me,* in hac fide; vt Petrum in dilectione. *Ioan. 20.* Credis ne mihi, de me, & in me, plus incomparabiliter quam tibi, de te ipſo, & in te: ſeu pluſquam omni ſenſui intellectui & affectui proprio? Æquè & potiùs vt *Hoc* ipſum in Sacramento, quàm olim in vtero, in præſepio, in Cruce, in Sepulchro, imo & in Cœlo, vt in loco?

*Tu ſcis Domine.* Ioan. 20. *Scrutator cordium.* Pſ. 7. *Adauge nobis fidem,* Luc. 17. extenſiuè ad omnia loca, tempora, ſubiecta, & obiecta capacia huius fidei. *Adauge* appretiatiuè, conſtanti præferentia huius fidei omnibus bonis & malis oppoſitis. *Adauge* intenſiuè, in infinitum. Eſto nobis non tantùm granum illud frumenti ad multiplicationem & nutritionem: ſed & ſinapis *Luc. 17.* in ſemen & feruorem fidei, ad amoliendam omnem credendi difficultatem. Supple defectum intenſionis, numero fidelium concredentium, fide præterita, præſenti, & futura Sanctorum viatorum, imò & euidentia Beatorum. Adæqua infinitam credibilitatem huius veritatis, tuo ſolo coinfinito aſſenſu. *Adauge* radicem & fundamentum fidei, accremento Spei & Charitatis. *Adauge* fidem cordis, confeſſione oris, profeſſione operis, & patientia ipſius mortis: vt *Fides per dilectionem operetur,* & patiatur. Sit morte fortior, inferno durior, imò & Charitate firmior ad reſiſtendum: ſed hæc potentior & gratior ad operandum. Quis nos ſeparet ab hac fide Chriſti? Neque mors, neque vita &c. *Rom. 8.* Verè tu es Deus abſconditus. *Eſa. 5.* O ſecretiſſimum & ſacratiſſimum totius Fidei noſtrę myſterium! ô ſymbolum honorarium, conuiuiale, militare fidelium! ô vexillum Eccleſię contra iugis ſacrificij Anti-Chriſtos, externos, & internos propriorum ſenſuum, phantaſmatum, & rationum oppoſitarum: ad bellum non offenſiuum, ſed defenſiuum, vſque ad perfectam victoriam & triumphum huius fidei ac verbi Dei, & mortem etiam cruentam corporum, ſed ſaltem ſenſuum ac rationum, *ſub* ſeu coram *Altari Dei,* inter *animas illas interfectorum propter hoc Verbum Dei Apoc. 6.* &c. *à col. 269. ad 345. à 466. ad 482. 592. 593.*

## II. *De Scientia & Sapientia Euchariſtica.*

ESaiæ 7. ex 70. *Niſi credideritis non intelligetis.* Pſ. 33. *Accedite & illuminamini. Guſtate & videte.* Pſal. 34. *Audi filia & vide.* Luc. 14. *Illuminati ſunt oculi eorũ & cognouerunt eum in fractione panis.* Ecce nobis quaſi puerũ IESVM in Tẽplo, *Luc. 2.* inter Doctores ſedentem, omnemque doctrinam humanam examinantem, & ſua veritate Euchariſtica corrigentem. *A col. 400. ad 482.* Ecce ſcholam, cathedram, librum eius: librum foris propriè & explicitè, intùs myſticè ſcriptum; librũ vitæ proprię cõmemoratiuum; librũ huius vitæ noſtræ, ſeu veræ ſcientiæ boni & mali tropologicum, in illius quondam noxij anthidotum; librum vitæ æternæ prognoſticum; librum totius Sapientiæ diuinæ anagogicum; librum æternę prædeſtinationis, vt *Apoc. 5.* clauſum, & ſeptem ſigillis munitum. Ecce librum vt Cœlum, & Cœlum vt librum plicatum. *Eſa. 34.* Vt Cœlum Cœli Domino *Pſal. 113.* Vt primum noſtrum mobile & motiuum: vt firmamentũ noſtrum & Cœlum ſtellarum, ſignis omnibus inſignitum; ſed ſolis deuotis huius Aſtrologiæ ſtudioſis diaphanum: Librũ perfectũ noui Teſtamẽti, ſed & veteris perfectiuũ, cuius iota vnũ vel apex non eſt inanis. Ecce librum & obiectũ adæquatum, Quod, Quo, de Quo, ex Quo, ſub Quo, Propter Quod, totius Theologiæ ac Sapientiæ Diuinæ. Ecce Breuiarium, Miſſale, Pontificale noſtri Ceremoniarchæ.

Nec eſt quod S. Ioan. *Apoc. 5.* defleat, non eſſe qui poſſit hunc librũ aperire & legere. Nam vt *Ezech. 3.* Comede volumen iſtud &c. Et factũ eſt in ore meo ſicut mel dulce. Cuius guſtu illuminati ſunt oculi Ionathæ. *1. Reg. 14.* Ita & hic Liber, & Agnus eius Author, Doctor, Lector, Interpres *Apoc. 5.* non tam viſu vel auditu docetur ac docet, quàm ſacra & frequenti cõmunione, ruminatione, ac digeſtione quaſi euaporante, & ex affectu intellectum illuminante. Si enim omnes creaturæ ſunt veſtigia Dei, S. Trinitatis & perfectionũ eius: ſi quælibet verba ſacræ Script. ex B. Aug. ſignificant quicquid ſubintelligi poteſt: ſi quælibet Sacrificia, conſumptione cuiuſuis creaturæ in honorem Dei, ſignificant excellentiam infinitam Eſſentiæ & perfectionum diuinarum: quantopotius hoc, & hæc eius verba ac ſigna?



Digitized by Google

Porrò hæc ſcientia Euchariſtica, non eſt illa inſipida & inflans 1. *Cor.* 8. ſed ſapientia, ſeu ſapida, & charitate condita. Cui enim *Anagogicè* non luceat & ſapiat: quod tota eſſentia ac perfectio participabilis, in ſacra Humanitate Chriſti, quaſi nihilum hîc conſumatur, in honorem Eſſentiæ ac infinitæ perfectionis Diuinæ? Cui non luceat & ſapiat Trinitas & origo inter perſonas diuinas eiuſdem Eſſentiæ & perfectionis, per Dictionem & ſpirationem mentalem: Ex communicatione totius eiuſdem naturæ humanæ Chriſti, pluribus ſimul præſentijs, à perſona præſuppoſita, per dictionem & ſpirationem vocalem; ſecundùm Corpus formaliter, ſub ſpecie & nomine panis Angelorum, qui eſt Verbum Dei; ſecundùm Sanguinem, ſub ſpecie vini, quod eſt ſymbolū Amoris, Doni, & Spiritus S.

Cui non ſubluceant & ſapiant perfectiones Dei eſſentiales, ſubſtantialis, vitalis intellectualis: Attributales, Vnitas, Veritas, Bonitas, Sapientia intellectus, Sanctitas voluntatis ex omni virtute, & Omnipotentia ad extra: Modales, ſeù illarū omnium Simplicitas, Infinitas, Æternitas, Immenſitas? 1. Ex omnium & ſingularum reali ac ſpeciali præſentia in hoc Sacram. 2. Ex perfectiſſima omnium & ſingularum participatione poſſibili à natura humana Chriſti ſub hoc Sacram. 3. Ex infinita adhuc diſſimilitudine & inæqualitate huius participationis, ab illis. 4. Ex omnibus actionibus & effectibus Sapientiæ Bonitatis & Omnipotentiæ Dei, Creatione, Conſeruatione, Tranſubſt. generatione, alteratione, motione: circa omnem creaturam, ſubſtantialem & accidentalem. Vnde & omnia ſecreta naturalia reuelantur. Vt à *col.* 400. *ad* 482.

*Allegoricè*. Quis hinc non facilè & ſapidè recolat Chriſti deſcenſum è Cœlo, Incarnationem ex S. in vtero Virginis, ac vnionem hypoſtaticā naturæ humanæ: ex hac conſecratione verbali, & vnione quaſi ſubſtantiali ſaltem morali & indiſſolubili ad ſpecies conſecratas? Natiuitatem in præſepio, & Bethlehem, ſeù Domo panis: ex hac quaſi eiuſdem renaſcentia ſub ſpecie panis? Totam eius vitam & doctrinam externam: in hac Sacramentali? Totam eius perſecutionem & paſſionem vſque ad mortem naturalem, à Iuda proditore, à Pharizæis & Sacerdotibus Iudæorum, ab Herode, à Pilato, à tortoribus & illuſoribus: Ex hac Sacramentali, à ſimilibus Anti-Chriſtis extra, & vitijs intra nos? Sepulturam realem Corporis, deſcenſum Animæ ad Inferos, Reſurrectionem vtriuſque, Aſcenſum in Cœlum, & Miſſionem Spiritus ſancti: ex Communione Sacramentali, ſpirituali, & vtraque, digeſtione ſpecierum, quaſi reditu in Cœlum, & largitione gratiarum? Corpus Chriſti myſticum, ſeu Eccleſiam viſibilem, Vnam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam, ſeu Papiſticam: Ex hoc vero Sacramentali, ſenſibili, ſacratiſſimo, vbique ab Apoſtolis, præcipuè à S. Petro, & eius in Sacerdotio ſucceſſoribus, continuato & multiplicato?

*Tropologicè*. Per exemplaria virtutum, infra.

*Prognoſticè*. Cui non luceat & ſapiat præmonitio mortis noſtræ, ex ipſa Chriſti: iudicij Diuini, ex hoc humano ante ſacram Communionem: pœnæ purgatoriæ aut, æternæ, quaſi excommunicationis.

Quis non præcogitet & prægustet illapſum ſeù præſentiam intimam ac immediatam Dei, vt obiecti abſorbentis in ſe intellectum & affectum, ad viſionem & fruitionem beatificam: ex hac conuerſione aquæ in vinum, panis & vini in Corpus & Sanguinē Chriſti, & huius intima præſentia ſub ſacris ſpeciebus, ac ſacra Communione? Dotes autem glorioſas corporum: Ex hac Sacramentali Corporis Chriſti indiuiſibilitate, immortalitate, impaſſibilitate, ſubtilitate, agilitate, & latente decore?

Vt hoc ſit totius Theologiæ obiectum materiale, & formale: Quod, vt prædicatum; de Quo, vt ſubiecto, Quo vt medio, ſub Quo vt modo, propter Quod vt finem. Hinc enim fortè Arca fœderis inter duos Cherubim, ſignificat fortè hanc plenitudinem ſapientiæ.

*Propriè*, vt ſupra de fide. *à col.* 244. *ad* 400.

## III. *De timore Euchariſtico culpæ & pænæ.*

1. NE vt Adam Paradiſo & ligno vitæ: ſic nos priuemur fructu Euchariſtiæ. *Gen.* 3.

2. Ne vt Caïn ob indignum ſacrificium & fratricidium *Gen.* 4. Ita & nos à Deo profugi.

3. Ne vt Iudæi faſtidientes Manna ex appetitu carnium. *Exod.* 16. *Pſalm.* 77. &c.

4. Ex tot tamque ſeueris Legibus antiquis, de mundicie neceſſaria ad ſacrificia illius Legis, eorumque participationem.

5. Ex culpa & pœna filiorum Heli circa ſacrificia. 1. *Reg.* 2.

6. Ex tot tantiſque pœnis pro leui viſu aut tactu Arcæ fœderis. 1. & 2. *Reg.*

7. Ne ſimus vt Capharnaïtæ, & diſcipuli increduli. *Ioan.* 6.

8. Ex culpa & pœna Iudæ: in cuius *Cor poſt Buccellam diabolus intrauit: qui & ſuſpenſus crepuit medius &c. Act.* 10. ob indignam Cōmunionem, & oſculum proditorium.

9. Ex incommunicabili menſa & calice Chriſti, cum quouis cultu dæmoniorum. 1. *Cor.* 10. vt nec Arcæ fœderis cum Dagon. 1. *Reg.* 5.

10. Ex reatu Corporis & Sanguinis Chriſti; ac Morte indignè communicantium. 1. *Cor.* 11.

11. Ne excōmunicemur à Deo ob quamlibet culpam mortalem: vt ab Eccleſia, ob ſcandaloſam & pertinacem.

12. Ex varijs minis & monitis. *Mal.* 1. Ad vos ô Sacerdotes &c. *Mat.* 5. Si offers munus tuū ad Altare. *Mat.* 15. Non eſt bonum dare panem filiorum, & mittere canibus. *Ibid.* Qui dixerit, Munus quod eſt ex me tibi proderit &c.

13. Ex quotidiano ſpectaculo iuſtitiæ diuinæ in proprium filium Mediatorem noſtrum, excipientem vindictam Dei pro nobis.

14. Ne Sanguis Chriſti toties pro nobis fruſtra effuſus, tandem etiam clamet contra nos: vt ſanguis Abel. *Gen.* 4. & *Heb.* 12. & Martyrum *Apoc.* 6.

15. Ex illo *Apoc.* 22. Foris canes &c. Ne nos vt canes, veſpertiliones, vlulæ Eccleſias ac Altaria conſpurcemus.

16. Ne vt mures & glires ſacras hoſtias corrodamus,

Digitized by Google

17. Ne vt araneæ ſacro calice nos ſubmergamus, illumque nobis ipſis veneno inficiamus.
18. Ne vt muſcæ ſacrificio inſidentes, vermiculemus: & in ipſam flammam cereorum inuolantes, ſacro illo igne crepitemus.
19. Ne hoc Manna nobis quaſi putreſcat, & in vermes ſcateat, vt *Exod. 16.*
20. Ne, vt Iob. 20. *panis* hic *in vtero vertatur in fel aſpidum*, ex indigna Communione: ſicuti corruptione ſacrarum ſpecierum poteſt humor peſſimus generari.
21. Ne vt corui & canes Agnum quaſi mortuum velut cadauer dilaniantes: ab eodem vt Leone euigilante ſubitò diſcerpamur.
22. Ne Chriſtus præſens ſit nobis cenſor, ſacræ Hoſtiæ membranæ, Sanguis fiat contra nos atramentum, ad iudicium illud conſcriptum. *Pſal. 150.*
23. Ne abutentes hoc ſacro cibo & potu, æquiſſimè puniamur fame & ſiti æterna: vt *Luc. 16.* & Deut. 32. *Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo &c. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*
24. Ne ſimus hi circa Chriſtum intra vel extra nos: vt quondam Herodes, Iudas, Pilatus, Petrus, Milites, Iudæi, Latrones, inſidiantes, negantes, irridentes, blaſphemantes &c.
25. Ne Angeli boni aut mali vindices Chriſti, tandem ab eo relaxentur in nos.
26. Ne peccando contra ipſum altare, violemus hoc vnicum refugium noſtrum: tandemque ibidem mactemur in vindictam. Vt Ioab *3. Reg. 2.*
27. Ne peccando in Chriſtū hî. & nunc pro nobis patrocinantem: *non ſit qui oret pro nobis.* 1. Reg. 2.
28. Ab exemplis vindictæ: vt in eū qui ex ludibrio vendito fructu Miſſæ auditæ alteri tentato de deſperatione, ipſe deſperans ſe ſuſpendit: & in alios, quos diabolus viuos aut mortuos, euemitis ſacris hoſtijs, abripuit.

Hinc, *Exultate ei cum tremore* Pſal. 2. *Horror eſt intendere in eum: ſed horror honoris & tremor amoris.* B. Aug. 12. Conf. 14.

## IV. *De Spe Veniæ, Gratiæ, & Gloriæ.*

EX motiuis *à col. 241. ad 476. 479. 480. 492. 493. 494. 592. 593. 594.* Sed hic expreſſiùs ad Spem relatis.
1. O Corpus Chriſti! quòd non tantùm dignis in cibum; ſed & Deo hîc pro indignis ad mortem datur, traditur, offertur, frangitur, ſeu immolatur, vt inde nobis peccatoribus venia & vita gratiæ reddatur!
2. O Sanguis Chriſti non tantùm nobis ad potum infuſe: ſed & hîc & hinc Deo pro nobis peccatoribus fuſe, effuſe, diffuſe, in ſignū Spiritus, Animæ, & vitæ gratiæ à Deo refundendæ; ad nos etiam hinc inſpirandos, animandos, viuificādos, gratificandos!
3. O Granū frumenti quotidie vbique quaſi è cælo cadens, ſeu inſtar mannæ pluens in terram: in nobis & pro nobis ſeminatum & mortificatum, ad viuificandum & multiplicandum!
4. O Frumentum Electorum, & Aceruum Tritici vallatum lilijs ſacrarum ſpecierum, quotidie vbique hac quaſi mola molendum, ſeu immolandum: in panes quaſi ſubcineritios & Propoſitionis, non ſolum ad cibum iuſtorum, ſed & propitiationem peccatorum!
5. O Vineam Noë, Viam promiſſionis, Vitem verā, Vinum virginum, Calicem Salutaris & præclarum: ſub hoc quaſi torculari vbique nobis & pro nobis Deo expreſſum: ad inebriandum Chriſtum amore, nudandum paſſione, ſopiendū morte; ad lætificandū ſeu placandum Deum, ad lauandum inde veſtes & palliū Chriſti *Gen. 39.* ſeu Eccleſiam, ad exhilarādas conſcientias hominum, ad germinandas inde virgines, ad retribuendum Domino pro omnibus quæ retribuit nobis, ad potū & inebrietatem, ſeu exceſſum charitatis ſupra omnem ſphæram rationis!
6. O Verbum Dei creans ex nihilo entis; vocans ea quæ non ſunt, reuocans ad vitam, conuertens ipſum panem & vinum in veram Corpus & Sanguinem Chriſti: Cur non etiam recreans cor mundum ex nihilo peccati, vocans & reuocans ad vitam gratiæ, & conuertens infideles ac peccatores in membra viua Corporis ſui, dicendo *vt Gen. 2. & Epheſ. 5.* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de caro mea: Et *Mat. 26.* Hoc eſt Corpus meum, etiam myſticum, aut membrum eius?
7. Si Sol è cœlo in terram, cor in omnia membra coporis ſui influit vitam: quanto potius Corpus Chriſti vt cor noſtrū intimè præſens, in ſua membra etiam paralitica?
8. Si corpus animatum digerit, adgenerat, conuiuificat, coanimat ſibi alimentum vnitum: quanto potius Corpus Chriſti peccatorem contritione vel etiam attritione & voto Sacramenti quaſi digeſtum?
9. Si Deus inſpirauit vitam terræ plaſmatæ, Helizeus puero mortuo, Chriſtus Apoſtolis Spiritū S. Quanto potiùs hîc nobis tam intimè præſens?
10. Si Chriſtus deſcendit ad inferos, ad educendos victa morte & rupto clauſtro captiuos: cur non etiam amoto obice conſenſus, ad peccatores etiam à culpa liberandos.
11. *O Emmanuel, Nobiſcum, & pro nobis Deus: quis iam contra nos?* O Mediatorem, Saluatorem, Redemptorem, Sacerdotem, Protectorem, refugiū, ſcutū, lytrū, Hoſtiam, Patronum, Legatū, Reſidentem pro nobis, in hac Aula Sacramentali, coram hoc quaſi Tribunali Dei continuò proprijs expenſis patrocinantem: imò & noſtras in ſeipſum offenſas apud Deum excuſantem; vt quondam in horto à ſomnolentia & infirmitate; vt in cruce, ab ignorantia; vt *Zach. 13.* ab amicitia. *Quæ ſunt iſtæ plagæ in medio manuum tuarum? His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Quis ſub tali ac tanto patrono & patrocinio, de cauſa quantumuis deſperata deſperet? Quis non contra ſpem in ſpem erigatur?
12. Hic petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis *Luc. 11.* Nunquam enim pulſanti ad hāc portam dici poteſt vt *Marc. 16.* Surrexit non eſt hîc &c. Nunquam hinc aberit, nec abſentiam finget, aut præſentiam & operam ſuam nobis hic negabit: nunquam hinc porta clauſa ab intus reſpondebit, vt *Math. 25.* Neſcio vos; ſed vt *Mat. 28.* Ecce ego vobiſcum ſum &c. & pro vobis:

 veſter

Digitized by Google

veſter Emanuel, veſter IESVS. Nunquã ad hanc portam mendicantibus panis in lapidem: ſed potius lapis duræ neceſſitatis vertetur nobis in panem conſolationis.

13. O verum lignum vitæ, ſed & veræ ſapientiæ, ſeu ſapidæ ſcientiæ diuinæ: non iam mortiferæ, ſed deificæ; præualente veritate & bonitate Dei, mendacio & malitiæ Diaboli! Eſto nobis Pharmacum, Balſamum, condimentum, ſal immortalitatis, & incorruptionis ſpiritualis.

14. O Arcam & Arcum fœderis, in hac quaſi nube rorida Sanguinis?

15. O Horreum veri Ioſephi noſtri, contra famem huius Ægypti! O *Schebolet* ſeu ſpica ſalutis *Iud. 12.* Theſaurum agri euangelici, & agrum theſauris, Fructũ ventris Virginei, Aceruum tritici, Frumentum Electorum!

16. O Panem non iam ſudore vultus noſtri, ſed Sanguine Chriſti piſtum, concoctum, & prouiſum!

17. O Panem cęleſtem, Panem viuum, Panem vitæ, Panem vitalem, Panem vitam, Panem noſtrum, Quotidianum, Superſubſtantialem, Panem pinguem, Medullam tritici, Delicias Regum, Panem vndique oculatum, Panem azymum ſinceritatis & veritatis; & tamen fermentũ, non malitiæ & nequitiæ, ſed feruoris & eleuationis totius maſſę humanę!

18. O Panem non priuatum, proprietarium, emptitium, diuitum faſtidientium: ſed communem, precarium, gratuitum, eleëmoſynariũ, quotidiè mendicatũm, pauperum eſurientium, quaſi ex reliquis ſpicis & vuis poſt meſſem & vindemiam Paſſionis.

19. O quaſi cruſtam grandium ſeù perfectiorum: ſed & micam Minorum ac paruulorum, eamque Sanguine Chriſti eiuſque ſapore imbutam.

19. O *Panem Angelorum* ac Beatorum; ſed & potiùs Viatorum: panem filiorum *Matt. 15.* ſed & mercenariorum *Luc. 16.* imò & catellorum, & paſſerum ac turturum, & pullorum gallinæ euangelicæ, ex micis eius victitantium, ipſarumque Aquilarum ſub hac panis ſpecie carnem viuam odorantium!

20. O Panem contra omnia ſortilegia & vulnera nobis benedictum, & verbis illis Chriſti, quaſi Altis Nominibus, ſed veris incantatum!

21. O ſacras Nundinas huius Carnis & Sanguinis, pro Spiritu gratiæ & charitatis!

22. O Viaticum, Currum, Aurigam, Cambium, Tributum, Nauim Inſtitoris quæ de longè portat panem ſuum *Prou. 8.* Pharum, Portum, Velum, Naulum, Acum nauticam, Itinerarium, Directorium, Ducem Comitem, Hoſpitem, Hoſpitium, Sepulchrum, Album, Scopum, Finem, Medium huius noſtræ peregrinationis!

23. O *Vinum meraciſſimum*, à Chriſto contra agoniam mortis prouiſum: pro illo, *felle & myrra* ſibi in cruce infecto, ad ludibrium & tormentum.

24. O *Calicem Salutaris*, & ſalutarem, nobis à Chriſto ad veram ſalutem omnium propinatum: & ad æquales hauſtus inuicem ac pro inuicem bibendum ac propinandum!

25. O *Craterem Tornatilem* ſeu circularem, *non indigentem poculis* infuſorijs: ſed fontem ſcaturientem & ſalientem in vitam æternam ad originem ſuam!

26. O Sponſorem noſtrum & Obſidem, Sponſum & Dotem, Teſtamentum & Teſtatorem, Arrham & pignus noſtræ ſalutis, Portionem & Totum noſtrum, totam Spem & Rem ſperatam!

27. Tenebo eum, nec dimittam, donec introducam eum *Cant. 3.* & ipſe nos. Non dimittam te donec benedixeris mihi, *Gen. 32.* æterna illa Benedictione *Mat. 24.* Venite Benedicti Patris mei. Eſuriui &c.

28. Hæc ſpes non confundit *Rom. 5.* Etſi occiderit me, in ipſo ſperabo *Iob. 13.* A fructu frumenti & vini multiplicati ſunt. In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. *Pſal. 4.*

## *De Charitate Euchariſtica Dei & Chriſti in nos. col. 294. 295. 479. 480. 597. 598. 599.*

CVm dilexiſſet ſuos in finẽ dilexit eos, *Ioan. 13.*

1. Pluſquam ſociali vllius amicitiæ, quæ vix eſt ad habenda omnia bona communia, minùs autem mala, nec vſque ad mortem pro amico reciproco & quaſi æquali: Hæc autem Chriſti omnia bona ſua nobis communicat, mala noſtra in ſe ſuſcipit, & quotidie ſeſe ad mortem offert pro tot quot etiam inimicis, tam indignis, & inæqualibus.

2. Pluſquam fraterna conſanguineorum, quæ vix fert multos cohæredes, quantominùs eos ſibi gratis aſſumit: Hæc autem Chriſti, quàm plurimos appetit, ſibique hoc Sacramento conſanguineos, fratres, & cohæredes facit.

3. Pluſquam filiali, quæ vix vnquam communicat aut rependit parentibus; Hæc autem Chriſti, præter totam ſuam naturam humanam quam à nobis participauit, rependit & diuinam, infiniti fœnoris.

4. Pluſquam paterna, quæ quos voluptuoſè ex tantillo ſui extra ſe generat, ſolo ſudore aut curâ propria alit: Hæc autem quos tam acerba paſſione mortis ex ſe genuit, ſe toto nutrit ſibique adgenerat.

5. Pluſquam materna: quæ quidem quos voluptuoſè in ſe concipit, moleſtè in vtero geſtat, ſuo ſuperfluo nutrit, parit, & lactat; ſed hac Chriſtus ſeipſum in nobis format, hinc nos reformat, ſibique conformat, & quaſi balſamo proprij Corporis & Sanguinis intimè condit & ſaginat.

6. Pluſquam coniugali, priores omnes excedente *Gen. 2.* ſed citra mortem, ad vnionem tantùm exteriorem, ſuperficialem, partialem, corruptibilem, irrationalem, momentaneam, & ad quandam in prole vnitatem. Hęc autem Chriſti, vltra mortem, ad intimam, totalem, honeſtiſſimam, ęternam vnionem, imò & ſecum ipſo vnitatem.

7. Pluſquam inter animam & corpus: quia hic affectus naturalis ſuperatur & diſſoluitur paſſione dolore & morte: Charitas autem Euchariſtica Chriſti vicit ac vincit omnem dolorem & mortem.

8. Pluſquam inter caput & membra, totum & partes: quorum vnio eſt corruptibilis & mutabilis: Hæc autem Chriſti cum Eccleſia, quotidiano ac tenaciſſimo huius Sacram. glutino conſolidatur.

9. Pluſquam ſuiipſius præ alijs: quia ex hac Chriſtus ſibiipſi non parcit; ſed ſeipſum quotidie nobis in cibum, & pro nobis Deo in ſacrificium cõſumit. Nec tamen prodigit: ſed charitati ſacrificat.

10. Vt

10. Vt Deus Pater dicendo & generando ſibi ab æterno Filium: ſic ſuo modo Chriſtus, dicendo & quaſi generando nobis ſub hoc Sacramento ſeipſum.

11. Vt Deus Pater & Filius conſpirando ſibi Spiritum ſanctum: ſic ſuo modo Chriſtus, ſecumipſo inſpirando nobis hîc amorem ſuum.

12. Vt Deus Pater Filius & Spiritus S. aſſumendo & vniendo hypoſtaticè hanc naturam humanam ad perſonam Filij: ſic Chriſtus hîc omnes homines ad ſe. *Ioan. 12.* Omnia traham ad meipſum.

13. Vt Perſonæ Diuinæ prædeſtinando: ſic Chriſtus hîc exequendo.

14. Vt Chriſtus ad ſuam Matrem in eius vtero & extra: ſic ad nos, in & extra nos, ſub hoc Sacram.

15. Vt Chriſtus ad Diſcipulum quem diligebat, in ſinu ſuo recumbentem: ſic ipſe in noſtro.

16. Vt idē ad omnes ſuos Ioan. 17. *Volo Pater vt omnes vnū ſint*: non tantum inter ſe, ſed ſecum ipſo; *ſicut ego & tu Pater vnum ſumus, vt ſint conſummati in Vnum* .i. in ſeipſum, præcipuè per hoc Sacram.

17. Vt, & pluſquam Adam ad Euam *Gen. 2. Eph. 5.* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quia id tantùm partialiter, & materialiter: hîc totaliter & formaliter: illi ſe inuicem totamque naturam ſua veneno illo infecerunt, cui Chriſtus hoc antidoto medetur.

19. Vt *Mat. 22.* Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Epheſ. 5.* Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit &c. Hinc Chriſtus ita ſe nobis intimè communicat, vt nos ſicut ſeipſum, & ſecum diligat.

20. Vt & pluſquam omnes amores naturales, quibus comparatur. *Prouerb. 8.* Sapientia Dei ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. *Cant. 5.* Comedite amici, & bibite, & inebriamini Chariſſimi. *Oſee 11.* Ego quaſi nutritius Ephraim &c. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.] Quibus autem potiùs, quàm conuiuijs, & Cōmunione Carnis & Sanguinis? Hinc *Heb. 2.* Quia pueri cōmunicauerunt carni & ſanguini: & ipſe Filius Dei communicauit eiſdem. Et *Cantica Cant.* contexta ſunt quaſi ex amoribus procantium & colludentiū. Nec videantur hæ cōparationes indignæ tanta Sapientia & Charitate; ſed diſcernatur ex B. Aug. *2. Conf. 2.* ſerenitas dilectionis à caligine libidinis. & *3. Conf. 1.* Vena amicitię, à ſordibus cōcupiſcētię.

*De quaſi ludo & procatione Euchariſtica.*

SApientia & Charitas Chriſti ludit hîc procando, & procatur ludendo. 1. Vt dici ſolet de facilitate operandi, & corda noſtra ſuauiter ſibi conciliandi. 2. Vt ſenex & ſapiens quaſi amore repueraſcens, & pueris colludens. 3. Vt exhibens nobis in omnibus creaturis, ſingulariter in hoc Sacram. quaſi ſpectaculum ſuiipſius, repreſentans id quod verè ac ſeriò eſt in ſeipſo, & quod fuit, egit ac paſſus eſt pro nobis. 4. Ludit hîc procando, quaſi ad fruendum nobis noſtroque amore: cùm ipſe ſe ſolo fruatur; ſed vt & nos ipſo fruamur. 5. Ludit nobiſcum, nunc abſcondendo, nunc reuelando ſe nobis, & prouocando ad quærendum. Vt *col. 604. 605.* ex Canticis. De quo etiam ludo *Pſ. 76.* Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum: & non ſum deceptus. Sed ipſe prior velatis hîc, vt & in ſua paſſione oculis, quærit & apprehendit nos, vt ludo reciproco ſub velo fidei expanſo affectu in eum feramur, eoque fruamur. Ex B. Aug. lib. 1. Conf. 6. *Gaudeat potiùs non inueniendo inuenire, quàm inueniendo non inuenire te* .i. Fide & affectu, non ſenſu & ratione. 6. Ludit procando, quaſi laruatus ſub hoc Sacram. vt *col. 605.* 7. Ludit hîc procando varijs nutibus amoris. *col. 597. 598.* Et ex B. Aug. lib. 2. de lib. Arb. cap. 16. *Væ qui nutus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuant. Nutus tui ſunt omne decus creaturarum.* Quanto magis hoc bonum & pulchrum eius *col. 599.* 8. Ludit & procatur hîc blando tactu amoris corda titillando. 9. Ludit & procatur hîc quaſi oſculo oris. *Cant. 1.* 10. Quaſi amplexu & preſſura cordis, ad expreſſionem doloris ac compunctionis peccatorū. 11. Vt *Iob. 1.* graui etiam percuſſione corporum. 12. Patientia noſtræ indignæ illuſionis ac repercuſſionis, quaſi per ludum. 13. Ludit & procatur quaſi ad reciprocum amorem alliciendo: ſed cum hoc quaſi ſacro philtro infundendo & eliciendo, imo in nobis pro nobis ſeipſum & Deum amando.

O ſacram incantationem Sapientiæ! O philtrum charitatis! O finem honeſtiſſimum ludendi, & procandi! O illuſionem & eluſionem Diaboli corriualis! O eſcam ineſcantem homines, vt piſces, & aues! *Luc. 5.*

*De Miſericordia Euchariſtica Chriſti.*

SPirituali. 1. Docendo. 2. Conſulendo. 3. Corrigendo. 4. Conſolando. 5. Condonando. 6. Tolerando. 7. Orando & placando Deū hîc pro nobis.

Quaſi Corporali. 1. Paſcendo eſurientes. 2. Potando ſitientes. 3. Veſtiendo nudos aut laceros & frigentes: tam ſeipſo, quam habitu gratiæ & virtutum. *Rom. 13.* Induimini D. I. Chriſtum. *Epheſ. 4.* Induite nouum hominem. 4. Redimendo hîc & hinc captiuos Purgatorij, & peccatores à culpis & pœnis. 5. Viſitando è cœlo quotidie infirmos, eorum vulnera & vlcera quaſi lingendo, ſeipſo quaſi vngendo, & medendo hoc Sacramento quaſi emplaſtro. 6. Excipiendo peregrinos huius viæ & vitæ quaſi hoſpitio ſuiipſius, prouidendo eis de Viatico, & reducendo imo referendo ſecum ad Patriam. 7. Sepeliendo, imò & nos ſibi ipſi conſepeliendo, & ſeipſo velut Balſamo ad æternitatem condiendo.

O Veſtis noſtra nuptialis, Veſtis polymita, Veſtis non Iacob in Eſau, ſed Eſau in Iacob transformans! O lingua vlcera noſtra quaſi lingens, & pus exſugens! O Vnguentum, ô Balſamum, ô Emplaſtrum, ô faſcia vulnerum, & membrorum conſolidandorum!

O Sanans hîc contritos corde, & alligans contritiones eorū! *Pſal. 146.* O Officina, pharmacopolia, Xenodochium, Fons, Exemplar, Pater & Mater miſericordiarum, Deus & homo Chriſte, gigne in nobis, & ex nobis in omnes, has & ſimiles miſericordias tuas.

*De Charitate debita Chriſto in Euchariſtia.*

NOs ergo diligamus Deum: quia ipſe prior dilexit nos. *1. Ioan. 4.*

1. Si Materia appetit formam: quantum nos hîc

 Chriſtum,

Digitized by Google

Chriſtũ, vt ab eo informemur & reformemur? 2. Si Materia Corporũ cœleſtium eſt inſeparabilis ab illis formis: quanto plus nos hic à Chriſto? Quis nos ſeparabit &c? 3. Si corpora diſtincta tanta vi cohærēt inter ſe ad cauendum vacuum: quanto plus hic ad cauendum peccatum inter nos & Chriſtum? 4. Si tanta vi grauia feruntur & hærent deorſum ad ſuũ centrum, leuia ſurſum: quanta nos plus hic ad Chriſtũ? 5. Si tanta eſt ſympatia inter magnetem & ferrum, ſuccinum & paleam, vt illa ad ſe rapiant, hæc rapiantur: quanta hic inter nos & Chriſtum? 6. Si tantum debent, & agunt ac patiuntur membra pro Capite, partes pro toto: quantum nos hic pro Chriſto? 7. Si Corpora imperfectiora naturaliter tendunt ad perfectiora, vt in ea conuertantur, vel ea componant ſub forma perfectiori: quantò potiùs nos hic ad Chriſtum? 8. Si tanta eſt vnio corporis ad animam, membrorum ad cor, tantus timor, fuga, dolor ſeparationis: quanta hic ad Chriſtum? 9. Si tanta eſt inclinatio naturalis potentiarum & habituum ad ſua obiecta & actus: quanta hic noſtra ſupernaturalis ad Chriſtum & amorem eius? 10. Si tanta eſt inhæſio naturalis accidentium ſubiecto, tanta quorundam relatio ad terminum, obiectũ, finem ſuum: quanta hic ſupernaturalis ad Chriſtum, vt ſubiectum ſeu fundamentum, obiectum, finem, terminum totius noſtræ dependentiæ? 11. Si tanta eſt ſympathia naturalis ad ipſa animalia innoxia, ſed præcipuè ad homines eiuſdem nobiſcum naturæ humanæ participes, præ omnibus autem ad pueros innocentes, vt moueat ad affectũ & effectus mirabiles compaſſionis, vſq; ad deliquium animi ex aſpectu vulneris aut ſanguinis humani: Quanta hic ad Chriſtum innocentiſſimum, ex diſtincta repreſentatione Carnis & Sanguinis quaſi hic adhuc ſtillantis? 12. Si tanta eſt affectio amicitiæ, ex familiaritate: quanta hic ad Chriſtum? 13. Si tanta eſt affectio gratitudinis ad Benefactores: quanta hic ad Chriſtum? 14. Si tanta eſt affectio ad affines, conſanguineos, fratres, ex tam remota aut modica communione carnis & ſanguinis, in aliquo tertio: quanto magis ad Chriſtum, ex tam frequenti communione totius Corporis & Sanguinis eius? 15. Si tanta eſt affectio filialis ad parentes, ex tantilla participatione ſubſtantiæ materialis per generationem & nutritionem: quanta hic ad Chriſtum ex participatione totius & toties? 16. Si tanta eſt affectio paterna & materna parentum ad proles, ex tantillo ſui in illis, vel ex tantilla actione ad illos: quanta hic ad Chriſtum, non ſolum vt ex Deipara genitum, aut hic & nunc ex ſubſtantia noſtra panis & vini, ſed quaſi ex noſtro pectore, dicendo & ſpirando?

15. Si tanta eſt affectio coniugalis, ad generationem, & conſeruationem ſpeciei: quanta hic ad Corpus & Sanguinem Chriſti, ex quo generatur & conſeruatur Eccleſia? 16. Si tanta eſt affectio inter Corpus & Animam: Quanta hic inter nos & Chriſtum; ſiue vt animam noſtram nos viuificantem vita gratiæ; ſiue ad corpus eius, in quo animæ noſtræ ſint potius amando, quàm in noſtris animando, & ex quo curentur à contagio Adæ.

17. Si diligendus eſt proximus propter Deum, vt nos ipſi: quantum hic Chriſtus nobis tam intimus, & propter quem reliqui omnes? 18. Si tanta eſt dilectio huius vitæ noſtræ, & conſeruationis eius ex cibo & potu: quanta huius cibi, potus, ac vitæ noſtræ æternæ? 19. Si Mater Chriſti cum Filio in vtero, tanto affectu excepta fuit à S. Elizabeth, & S. Ioanne præcurſore, hinc in vtero exultante: quanta cordis exultatione hic excipiendus eſt Chriſtus? 20. Si tanto affectu Chriſtus fuit exceptus à Maria, Martha, & alijs, in domos ſuas: quanto hic in pectora noſtra? 21. Vt Mater Chriſti excepit eum & coluit in vtero: ſic nos hic modulo noſtro. 22. Cùm Chriſtus tanta charitate hic nobis ſe totum communicet: quantilla ſaltem excipiendus eſſet? 23. Vt ſacra humanitas tanta charitate excepit & excepta fuit à Filio Dei ad vnionem hypoſtaticam: ſic illa hic noſtro modulo excipienda foret. 24. Vt Perſonæ diuinæ vnũ ſunt, non tantùm eadem naturâ diuinâ, ſed etiam charitate: ſic & nos hic cum Chriſto, participatiuè. 25. Vt Filius Dei à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio habens Eſſentiam diuinam, ex aut cum charitate, hanc refundit vnde accipit: ſic nos hic recipientes cum Chriſto charitatem, hanc totam in illum refundamus. 26. Excipiendus eſt Chriſtus non ſolo ore, ſed corde: vt ſit ipſe cor cordis noſtri, quo toto ipſummet diligamus. 27 Æmulanda, aut ſaltem imitanda foret illa panis & vini realis ceſſio, & conuerſio in Corpus & Sanguinem Chriſti: cedendo ei, ſeu primis gratiæ motibus, omnem noſtram libertatem ac vſum potentiarum, toto affectu in ipſum transformato. Vt ſupra *col. 597. 598.*

28. Transformandi quoque eſſemus ex charitate per ſacram Cõmunionem in ſtatũ Chriſti viui, ſed quaſi mortui ſub ſacris ſpeciebus: *Viuendo vita abſcondita cum Chriſto in Deo.* Coloſ. 3. & hanc *mortificationẽ* Sacramentalem Chriſti *in Corpore noſtro circumferendo*, ſeu repræſentãdo, vt in quadam vaſe ſacro ſeu Expoſitorio diaphano; *vt & vita* IESV *manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. Cor. 4. 29. Exercenda hic eſſet in ipſam perſonã Chriſti reciproca miſericordia. 1. Paſcendo eſurientem. 2. Potando ſitientem, ſeu affectantem eſſe nobiſcũ: vbiq; propagando & quaſi nutriendo Corpus & Sanguinem eius, pane & vino optimo. 3. Veſtiendo nudũ, quaſi ſacris ſpeciebus, & omni cultu religioſo interiori ac exteriori. 4. Excipiendo quaſi peregrinum, hoſpitio exteriori Templorum & vaſorum ſacrorum, ac interiori corporis & cordis noſtri. 5. Viſitando & quaſi conſolando infirmum, vulneratum, lingendo, tergendo, deflendo eius Paſſionem & Mortem. 6. Quaſi captiuum ſub ſacris ſpeciebus, redimendo ſeu inde relaxando ſacra Communione, & ſpecierũ digeſtione. 7. Quaſi mortuum ſepeliendo in corpore & corde noſtro &c. Vt nos hinc benedicat *Mat. 24.* Eſuriui & dediſtis mihi manducare &c.

30. Examinanda & exercenda foret hæc Chriſti dilectio, vt Fides & Spes *col. 592. 593. 606.* ex illo Chriſti ad S. Petrum *Ioan. 21.* Diligis me plus his? comparatiuè tum ad alia obiecta quæ diliguntur vt ſupra, tum ad alios Chriſtũ diligentes; confitendo defe-

Digitized by Google

defectum, profitendo affectum, petendo gratiam diligendi perfectius in infinitum, vſque ad illud amoris ac animi noſtri deliquium ſub exceſſu infinito huius obiecti amabilis; inuocando omnes Sanctos ad condiligendum & ſupplendum, ac tandem adhærendo acquieſcendo ſoli adæquato amori Dei & Chriſti à ſeipſo.

Plura ex *col.* 597. 598. 599. 600. ad hunc titulum.

O Chriſte Forma noſtra, Centrum noſtrum, Magnes noſter, Caput, Cor, Anima noſtra, Totũ noſtrũ, ſacrum Philtrum noſtrum, ipſeque Amor noſter: informa, reforma, trahe, rape, ama te ipſum in te ipſo quantus es, in nobis quantum ſcis vis & capere poſſumus.

*De Charitate Eucharistica ad Proximos.*

DIligatis inuicem, ſicut dilexi vos. *Ioan.* 13. 15. Vnus Panis, vnum Corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. 1. *Cor.* 10.

1. Si elementa aut qualitates contrariæ conueniunt in vnum ſubiectum, ſub vna forma mixti. 2. Si tot partes differentes, tot formæ diſparatæ, tot membra conueniunt in vnum corpus ſub eodem capite, ſub eadem Forma totali, aut anima: quanto potius nos hic & hinc omnes ſub Chriſto? 3. Si tot grana contrita in farinam, coaleſcunt & concoquuntur in vnum panem. 4. Si tot vuæ exprimuntur & confluunt in vnum & idem vinum: quanto potiùs nos omnes hic & hinc in Chriſtum? 5. Si ex familiaritate, cõuictu. 6. Collactatione, tanta cõtrahi poteſt amicitia: quanta ex ſacra Communione? 7. Si quæ bitumina & cæmenta ſunt tam tenacia ad vniendũ contraria aut diſparata: quanto plus Euchariſtia? 8. Si quæ vnguenta & balſama habent tantam vim reuniendi & conſolidandi membra diſlocata, confracta, conquaſſata, vulnerata: quantam Euchariſtia inter nos? 9. Si quæ philtra, verba, & ſigna magica habent tantam vim deprauandi amore concupiſcentiæ: quantam Euchariſtia conciliandi & reconciliandi charitate? 10. Si Prædones, Hæretici, Turcæ &c. vniuntur ad malũ ſub quibuſdam falſis aut malis ſignis: quanto potiùs & plus nos ad bonum, ſub hoc ſacro ſymbolo charitatis? 11. Si ſola communio naturæ humanæ tantum valet ad affectum & compaſſionem: quantum communio humanitatis Chriſti? 12. Si fraternitas, conſanguinitas, affinitas, ſeù tantilla & tam remota participatio materialis ex eadem corrupta carne & ſanguine, conciliat amorem: quanto potiùs ſacra Cõmunio? 13. Si offerendo munus ad altare, neceſſaria erat olim reconciliatio fraterna: quanto magis nunc ad Euchariſtiam? 14. Si ad panem noſtrum quotidianum *Mat.* 6. ſubditur, *Dimitte nobis, ſicut & nos &c.* quanto potiùs hic? 15. Si hic propinare ſibi inuicem, eſt ſignum reconciliationis: quid cõmunicare? 16. Vt prima diſcordia ex fructu vetito: ita & concordia ex hoc tam cõmendato. 17. Vt primum homicidiũ ex abuſu illius ſacrificij *Gen.* 4. Ita omnis reconciliatio ex hoc. 18. Si olim fœdera confirmabantur ſacrificijs: quanto potiùs hoc? 19. Vltimum Chriſti votum *Ioan.* 17. Vt omnes inter ſe vnum ſint, ſicut ipſe cum Patre: perficitur hoc Sacram. 20. Fidelium primitiuorum erat cor vnum & anima vna, ex quotidiana Communione. 21. Si Chriſtus eſt Mediator Dei & hominũ, reconcilians nos Deo: non erit talis inter nos? 22. Si reueremur templa, vaſa ſacra &c. propter Corpus Chriſti: quanto potiùs proximos frequenti Communione conſecratos? 23. Si Deus & Chriſtus eſt ſummum & infinitum bonum omnium: cur nos non omnibus illud diligimus & condiligimus? 24. Ad quid Chriſtus per ſacram Cõmunionem nobis infundit charitatem: niſi vt nos inuicem diligamus ad condiligendum Deũm? 25. Cur Chriſtus ſe nobis tam intimè communicat: niſi vt fiat nobis cor vnum & anima vna? 26. Vt cor & anima ad omnia membra, & hæc inter ſe: Sic Chriſtus & amor eius in nobis, & nos omnes inter nos. Qui non amat omnes partes, nec totum: qui non amat omnia membra Chriſti, vt ſint vel fiant, nec amat Chriſtum vt Caput. 27. Vt membra corporis viui & ſani inter ſe cohærent & communicant vitam, alimentum, ſpiritus vitales ac animales, ad omnem ſenſum & motum; appetunt, digerunt, conuertunt, adgenerunt ſibi alimentum, & contribuunt ſemen ad generationem: Sic omnia membra Corporis Chriſti inter ſe, ad nutritionem, augmentationem & generationem ſpiritualem. 28. Vt illa non ſe inuicem premunt, nec aduertenter offendunt, nec inde ſibi inuicem offenduntur; ſed cauent, condolent, medentur: Sic & membra Corporis Chriſti inter ſe, ex vi ſpeciali huius Sacram. 29. Vt ſpecies conſecratæ, ſiue maiores ſiue minores, differunt tantùm exterius, idem ſunt interius, eodemque amore & honore colendæ ſunt: Sic ſuo modo omnes communicantes. 30. Vt Chriſtus dilexit nos non ſolo affectu miſericordiæ ſpiritualis & corporalis, vſque ad Paſſionem & Mortem quondam cruentam, nunc autem quotidianam incruentam: ſic vult vt diligamus inuicem exemplo ſuo Euchariſtico *Ioan.* 13. lauando inuicem pedes ad ſacram Communionem, exhibendo omnia opera miſericordiæ, & præ omnibus, ab inuicem ac pro inuicem libenter patiendo, iniurias mutuas condonando, nobis ac Deo reconciliando inimicos, & conciliando quam plurimos amicos auxiliarios ad condiligendum Deum. Vt ſupra *col.* 600.

*De Charitate Eucharistica erga Defunctos.*

1. SI Infideles ex ſolo lumine & affectu naturali habuerunt ſuperſtitioſam curam ſuorum defunctorum: prouidendo eis de Naulo Charontis &c. quanto potiùs nos religioſam? 2. Cùm ſacrificia antiquæ Legis profuerint etiam defunctis, & fuerit ex tunc charitas offerendi pro eis. 2. *Mach.* 12. quanto potiùs nunc? 3. Cùm ex tunc conſultum fuerit mittere panem ſuum ſuper tranſeuntes aquas. *Eccl.* 11. & panem ac vinum conſtituere ſuper ſepulturam iuſti *Tob.* 4 ſiue in ſacrificiũ quoddam, ſiue in eleëmoſynam pro defunctis: quanto potiùs nunc ſacrificiũ Euchariſtiæ? 4. Cùm fuerint qui baptizabãtur pro mortuis 1. *Cor.* 15. ſiue ſuperſtitioſè, ſiue religioſè pœnitendo & ſatisfaciẽdo pro ipſis: quanto potiùs nunc? 5. Cùm ſanguis Abel fuerit quaſi ore terræ hauſtus: quanto potiùs Sanguis Chriſti quotidiè irrigans terrã, hauritur & penetrat vſque ad



Digitized by Google

ad viſcera Purgatorij. *6.* Cùm Sanguis Chriſti quotidiè, continuò, & tam abundè effundatur & fluat in remiſſionem peccatorum: fluxus eius non eſt ſiſtendus ſuper terram, ſed deriuandus ad omnes indigentes & capaces alicuius remiſſionis. *7.* Si non pluit aut fluit pleno canali in Purgatorium: ſaltem hinc eo diſtillet, & irroret in refrigerium. *8.* Mors Chriſti cruenta profuit vſque in Purgatoriũ: ergo & incruenta. *9.* Anima Chriſti deſcendit ſaltem ad Purgatorium: ergo & virtus huius ſacrificij. *10.* Sanguis Chriſti non tantum nobis præſentibus ſubiectiuè infunditur, ſed etiam pro multis obiectiuè: ergo pro omnibus capacibus, qui ſunt intra obiectum noſtræ Fidei, Spei, & Charitatis. 11. *Phil. 2.* In nomine IESV omne genu flectitur, etiam infernorũ. *Apoc. 5.* Omnis creatura, etiam ſub terra, benedicit Agno: ergo etiam ibi percipitur fructus ſalutaris ſacrificij eius. 12. *Apoc. 6.* Animæ ſanctæ ſunt ſub Altari: ergo inde participant. *13.* Vt *2. Cor. 9.* ſuo modo ſeruiunt Altari, ſaltem à longè reſpõdendo Amen: Ergo inde participant. *14.* Animæ defunctorũ memorantur ad Altare: ergo fiunt participes. Ex B. Aug. 20. Ciu. 9. *15.* Legitimè excuſantur, & viui pro eis ſupplent: Ergo non priuantur omni fructu. *16.* Fideles cupiunt ſepeliri propè Altare: Ergo vt animæ inde participent. *17.* Cùm animæ ſanctæ Purgatorij ſint adhuc de Corpore Chriſti myſtico: debent eſſe ſpiritualiter eius participes. *18.* Vt cor & caput influit intimis & ſecretiſſimis partibus ſpiritus naturales & animales: ſic & Chriſtus etiã animabus Purgatorij. *19.* Vt membra digeſtiua alimenti, non ſibi præ alijs retinent, ſed ſingulis etiam ſecretiſſimis diſtribuunt, & à ſingulis ſecretiſſimè ſugitur: ita & fructus ſacrificij vſque ad animas Purgatorij. *20.* Vt Medicinæ ore ſumptæ penetrant & purgant vſque ad partes ſecretiſſimas: ita & hic vſque ad animas Purg. *21.* Vt mater ex ſuo cibo nutrit prolem in vtero, & lactat extra, prole ſugente intùs & extra: ſic & Eccleſia ad animas etiam Purgatorij, & hæ ad illam. *22* Deus habet animas noſtrorum captiuas, nos hîc eius Filiũ quaſi obſidem & captiuum: impendamus hic Chriſto, quod cupimus à Deo rependi illis ſanctis animabus. *23.* Offeramus Deo reſtitutionem Filij ſui, hîc quaſi ad hoc obſidis & captiui ſub ſingulis ſacris ſpeciebus: ad liberationem ſingularum imò plurium ſimul animarum. *24.* Vt magni illi negotiatores dant vbique cambiales: ſic & petamus hîc à Chriſto pro Purgatorio. *25.* Vt Patres ſolent aliquando caſtigare proles, matre ad clamorem accurrente & mediãte: ſic Deus & Eccleſia erga animas Purgatorij. *26.* Quid Deo gratius, qui præ omnibus amat animas, *Sap. 11.* quàm ſic mediare, imò & mediando pro eis ictus excipere, aut proprium ſacrificij fructum eis cedere & Deo offerre? *27.* Quid Chriſto gratiùs quam tales ſub-mediatores, & ſui imitatores, ac diſpenſatores habere? *28.* Quid gratius Beatis, quam ſuos proximos, à nobis adhuc remotioribus, ad ſe promoueri? *29.* Quid nobis ſalubrius, quàm hinc nobis tantos amicos cõciliare: & pro fructu ſatisfactorio pœnæ, fructum gratiæ & Charitatis nobis comparare? *30.* Si miſerorum miſerendum, vt captiuorum, mancorum, paralyticorum: tales ſunt animæ extra corpora, & locum ac ſtatum merendi & ſatisfaciendi. *31.* Si proximiores præferendi: ſunt nobis proximiores Deo & ſuo fini. *32.* Quid dignius hac Chriſti per nos charitate, quàm quæ præcipuè patiuntur à Dei ſui & mutua charitate, morte fortiori, inferno etiã duriori, ad libenter ſatiſpatiendum. *33.* Iurauit Dominus, Amen, & non pœnitebit eum *Pſalm. 109.* *Mat. 5.* Non exient inde niſi reddãt nouiſſimũ quadrantem: ſed concordandum eſt cum Verbo & lege Dei, à qua traditæ ſunt Iudici & carceri. *34.* Etſi debitum ſit perſonale: ex eodem verbo & lege Dei, Caput luit ac ſoluit pro corpore, membrum pro membro: nos autem vnum ſumus cum eis charitate *Ioan. 17.* & frequenti ſacra Communione *1. Cor. 10.* Quæ intima vnitas eſt propria animarum, condiligentium Deum, & ſe omnes vt vnicam Dei. *35.* Debitum fuit hîc contractũ: Ergo ſolui poteſt in moneta & valore huius vitæ, gratioſa ſatisfactione, non neceſſariò ibi rigida paſſione. *36.* O Lex & Verbum Dei, in quocumque te hæ animæ offenderint in via *Mat. 5.* Ecce tua ipſa lege talionis *Exod. 21.* oculum pro oculo, dentem pro dente, vitam prò vita, mortem pro morte, paſſionem pro paſſione &c. Ecce omnia & ſingula tibi ex Chriſto & in Chriſto hîc & nunc integrè & cum infinito fœnore meritorum & ſatisfactionum reſtituta. Ecce tibi nouiſſimũ ſummum, quaſi *quadrantem.* 37. Nec excipi poteſt non eſſe noſtrum aut illarum: vt inde pro eis reſtitui aut ſatisfieri poſſit. Eſt enim noſtrum & illarum: non animando, ſed illud præ noſtris omnibuſque corporibus amando. *38.* Nec quod non ſit diuiſibile: vt oculus pro oculo, dens pro dente reſtituatur; quia gratior eſt quælibet pars in ſuo toto & integro. *39.* Nec quod non ſit nouiſſimus quadrans: quia non quaſi minimus nummus in ſpecie; ſed ſummus in valore, ne quidem minùs quadrante: & nouiſſimus, ſeù quaſi hic & nunc ad hoc ipſum excuſus. *40.* Nec quod hoc Corpus non ſit noſtrũ diſtributiuè quoad valorem: cum ſit noſtrum etiam conſecratiuè.

### *De Religione Euchariſtica, ſeu honoraria Dei*

*1.* EX ſignificationibus eſſentialioribus Sacrificij, à *col. 253. ad 255.* 2. Ex his tam glorioſis inſignibus generoſiſſimi Corporis & Sanguinis totiuſq; proſapiæ Chriſti: quibus non vt Aquilis, Leonibus, Tigribus, ferocitas aut potentia; ſed ſpeciebus panis & vini ſignificatur clementia ac beneficentia; & tamen omnium à Deo dependentia ad cibum & potũ, vitam & mortem, gratiam & gloriam. *3.* Ex tam glorioſa quaſi aula Euchariſtica Chriſti: tum Angelica, tum humana circa eius Altare ac Sacrificium. *4.* Ex tot quaſi feudatarijs à Chriſto dependentibus, cum eo quotidie Deo homagium exhibentibus, & quaſi ad eius mortem, ſuorũ feudorũ ſeu bonorum omnium dependentiam renouantibus. *5.* Ex tam glorioſa quaſi militia præſidiaria, tum Angelica 12. legionum, tum humana omniũ Principũ & exercituum Chriſtianorum pro Chriſto contra Anti-Chriſtos. *6.* Ex tot ſepulchris, ſtatuis, reliquijs, figuris, inſignibus, votis Fideliũ vel iam Beatorum, vel in Purgatorio, vel adhuc viuorum circa altaria;

Digitized by Google

altaria: in proteſtationem Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis, vitæ & mortis ſuæ & ſuorũ omniũ pro Altari Chriſti. *7.* Ex hac quaſi victoria & triumpho Chriſti: victis, vinctis, ac deuinctis Fide & Charitate, ad ſacras ſpecies quaſi ad currum triumphalem, omnibus fidelibus ac deuotis; ſed raptatis omnibus ſenſibus & rationibus rebellibus. *8.* Ex hac quaſi ſuprema Dataria ſpirituali Chriſti, & Patronatu Beneficiorum omnium Dei: apud quam omnes prætendunt & ſupplicant. *9.* Ex hac score glorioſiſſima menſa, & Ordine Miniſtrorũ, inde tam ſplendidè conuiuantiũ; & ex reliquijs totam Eccleſiam paſcentiũ ac exhilarantiũ, ſupra omnes figuras Salomonis *3. Reg. 14.* Aſſueri *Heſter. 1.* *10.* Ex tot quotidianis ſacrificijs, & frequentiſſima ſacra Cõmunione, velut quadam circulari & glorioſa propinatione huius Crateris tornatilis, ad gloriam Dei & Chriſti. Vt & plus quam. *1. Cor. 10.* 11. Ex tot quotidiè mendicis & reis ad hanc non anguſtam ſed Auguſtam Chriſti portam, circa Altare ſupplicantibus. *12.* Ex tam glorioſa muſica Euchariſtica, Angelica & humana, omnium vocum & organorũ &c. *11.* Ex tot tantiſque præconijs Euchariſticis, mentalibus, vocalibus, ſcriptis &c. *14.* Ex tot ceremonijs publicis & priuatis, Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis, Pœnitẽtiæ &c. *15.* Ex tot tantis tamq; pretioſis vbique templis, vaſis, & prouentibus ſacris ad hoc ſacrificium. *16.* Ex omnibus materialibus, artificijs, & operarijs, ad elaborandam materiam ſacrificij, templa, vaſa ſacra &c. Altari ſeruientibus, totoque mundo quaſi ad hunc ſolùm finem conſeruato, & ex eius reliquijs ſuſtentato.

*De Euchariſtica Deuotione.*

Id eſt, de promptitudine ac diligẽtia ad eius cultũ. *1.* Ex illo *Prou. 23.* ſupra *col. 601. 602. n. 91.* *2.* Ex *Mat. 26.* Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. *3.* Ex eo quòd *Exod. 35.* Iſraëlitæ tam *promptè & deuotè* contulerint ſua pretioſiora in Tabernaculum Domini. *4.* Ex mobilitate cælorum, & promptitudine naturali rerum omnium ad ſuos motus & fines: quanto potiùs ſupernaturali, ad motus gratiarũ Sacramentaliũ. *5.* Ex *1. Tim. 4.* Noli negligere gratia quæ eſt in te. 6. Ex *Ier. 48.* Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: Alias, *negligenter.*

*De Liberalitate Euchariſtica.*

1. *Col. 479. à 597. ad 600. à 613. ad 621.* De Bonitate & Charitate: ex qua ſequitur liberalitas ſeu affectio dandi & communicandi libenter & gratis ſua ſine parcitate. *2.* Ex Donatione & communicatione æterna ac infinita eiuſdem Eſſentiæ Diuinæ à Deo Patre, Filio: & ſpecialiter à Patre & Filio, Spiritui ſancto, ſub ratione Doni. *3.* Ex donatione ſeu communicatione hypoſtatica: quarum imago, eſt hæc Euchariſtica. *4.* Ex illo *Marc. 10.* Nemo tam bonus niſi vnus Deus: vt ſic det ſeipſum. *5.* Ex illo Chriſti Axiomate *Act. 20.* Beatius eſt dare, quam accipere. Quia illud ex bonitate & abundantia, ſaltem affectus: Hoc ex indigentia, vel auaritia. Niſi ſimul totum detur & accipiatur. *6.* Ex illo *Apoc. 5.* Dignus eſt Agnus qui occiſus accipere diuinitatem &c. i. habere acceptam. Quia qui non eſt parcus, ſed tam liberalis; dignus eſt habere vnde det & communicet. *7.* Ex *Sap. 7.* Sine inuidia cõmunico &c. *8.* Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo &c. *Phil. 2.* 9. Se naſcens dedit ſocium, conueſcens in edulium, ſe moriens in precium, ſe regnans dat in premiũ. *10.* Hilarem datorem diligit Deus. *2. Cor. 8. & 9.* De modo quaſi Euchariſtico liberaliter dandi, & honeſtè petendi ac recipiendi.

*De Gratitudine Euchariſtica.*

*1.* Ex *Pſal. 115.* Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? i. bona ſua pro malis meis. Calicem ſalutaris accipiam i. Hoc nouo & maiori beneficio ab eo accepto, nomen eius inuocabo, colam, adorabo. Vota mea Domino reddam i. Me ei deuouebo, & pro eo reciprocè potabo Calicem Paſſionis & Mortis. Nam, Præcioſa in cõſpectu Domini mors Sanctorũ eius. *2.* Ex *Prou. 23.* De obſeruandis quæ nobis ad hanc menſam Principis apponuntur: vt ſimilia rependamus i. Carnem pro Carne, ſanguinem pro Sanguine, animam pro anima, vitam pro vita, mortem pro morte. Vt ſupra *col. 288. 604.* 3. Ex Ioan. *13. 15. 16. 1. Ioan. 13. Mat. 10. 25.* vt *col. 619. 620.* De rependendo affectu & effectu dilectionis & gratitudinis Chriſto in ſuis membris, ſuis Minimis, Minoribus. *4.* Ex *Mat. 26. Marc. 14. 1. Cor. 11.* Ad Calicem, *gratias egit &c. Luc. 22.* Ad panem & calicem. *Ibid.* conſecrato corpore, ſubditur: Hoc facite in meam commemorationem. *1. Cor. 11.* etiam conſecrato calice repetitur, Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem &c. De grata vtique commemoratione. Vnde hoc ſacrificium Euchariſticum, & eſt gratitudinis Chriſti ad Deum pro nobis, & noſtri ad Chriſtum, in ſe & in ſuis. *5.* Ex graui illa querimonia Chriſti de proditoria ingratitudine Iudæ manducantis ſecum & ſeipſum *Matt. 26.*

*De Humilitate Euchariſtica.*

*1.* Erga Deum, ex ſignificationibus ſacrificialibus *col. 262. 263. 264. 621. 622.* 2. Erga nos ipſos, quaſi ſuo quotidiano deſcenſu ad nos & in nos. *3.* Quaſi quadam ſui regeneratione quotidiana ex nobis, ſeu ex noſtro pane & vino, à nobis per conſecrationem, & in nobis per ſacram Communionem. *4.* Ex minoratione Sacramẽtali tanto minus ab Angelis *Pſ. 8. Hebr. 2.* & ab ipſa forma humana ſerui *Phil. 2.* vſq; ad formam panis & vini. *5.* Ex hoc ſtatu Chriſti Sacramentali ſub qualibet minore mica & guttula: in memoriam ſuæ quandam conceptionis ſub minima forma humana, & in victoriam ac triumphum non de Maioratu, ſed de ſuo Minoratu, ſeu de ſua præ aut ſub omnibus humilitate illa omniũ exemplari. *Mat. 11.* Ad facilè intrandũ per anguſtam portam, *Mat. 7.* & tranſeundũ etiam per foramen acus. *Matt. 10.* 6. Ex hac ſua quaſi quotidiana humili renaſcentia in Bethlehem, ſeu domo panis, in ſtabulo, in præſepio, inter homines animales, & in eorum pabulum. *7.* Ex hac quaſi refaſciatione Sacramentali, ſeu ſtatu immobili corporis & membrorum ſuorum. *8.* Ex hac ſua quaſi veſte Sacramentali, tam paupere & humili, anguſta, trita, mutua, inconſutili, immutabili, accidentali panis & vini. *9.* Ex hac ſua quaſi mendicatione, nutritione, & dependentia Sacramentali à nobis. *10.* Ex hac quaſi rebaiulatione Sacramẽtali à nobis. *11.* Ex

ſua adhuc familiaritate & conuictu Sacramentali cum peccatoribus conuerſis. 12. Quòd hîc quaſi præcinctus, ſe ipſum nobis ad menſam miniſtret, vt *Matt. 20. Marc. 10. Luc. 12. Ioan. 13.* 13. Quòd in forma conſecrationis noluerit exprimi quod in ſe glorioſius eſt: ſed tantùm quòd humilius, videlicet Corpus & Sanguinem. 14. Quod velit hîc quaſi eſſe Sacerdotis, conſecratiuè. 15. Quod velit quaſi eſſe eiuſdem, diſpenſatiuè.

*De Miti Patientia Euchariſtica.*

Patitur hîc Chriſtus Sacramentaliter. 1. Sordes paupertatis, vel potius negligentiæ & auaritiæ, in ſuis templis quaſi ſtabulis, Altaribus quaſi præſepijs, vaſis ſacris quaſi fuliginoſis & æruginoſis, Corporalibus quaſi pannis menſtruatis, pane quaſi mucido, vino acido: ex quibus Sacramentaliter quaſi generetur & nutriatur; idque à ſuis Miniſtris, qui prouentus & cultũ quem debent Chriſto in Euchariſtia, impendunt ſuis prophanis domibus, menſis, vaſis, pannis, gulæ & ventri. 2. Patitur perſecutionem Herodianam & Anti-Chriſti, templorum & altarium ſuorum euerſionem ac prophanationem, cultus ſui in multis locis abolitionem, & quaſi fugam neceſſariam ad nouos fideles. 3. Patitur ſuos Capharnaitas, & diſcipulos Apoſtatas ab hac fide Euchariſtica. 4. Patitur ſuos illuſores, blaſphemos, ſacrilegos. 5. Patitur ſuos Iudas commenſales, proditores, ac venditores ſymoniacos. 6. Patitur ſuos Petros, in ſuis votis, promiſſis, propoſitis timidos, inconſtantes, ac infideles. 7. Patitur ſuos Pilatos politicos, ſeipſo ad politiam tantùm abutentes. 8. Patitur ſuos Phariſæos & hypocritas. 9. Patitur ſuos indignos Sacerdotes, qui hunc ſuum ſummum Sacerdotalem inhonorant, & tradunt Hæreticis ac Infidelibus illudendum. 10. Patitur quaſi illuſorias ſalutationes & adorationes exteriores, ſine Spiritu & veritate. 11. Patitur quaſi flagellationem, crucifixionem, adiurationem latronũ & militum circa crucem: à tot tamque indignè circumſtantibus Sacrificium Miſſæ, inſtar illorum circa crucem. 12. Patitur præcipuè ſuos carnifices & homicidas ac deicidas, indignè conſecrantes ac ſacrificantes, ſeque Sanguine Chriſti cruentantes. 13. Patitur tot & toties indignè cõmunicantes. 14. Patitur à ſingulis interius aliquid ſimile illis exterioribus. 15. Patitur hæc & hîc vt Agnus, vt columba, vt victima: ſine felle, ſine querimonia, ſine tædio huius ſui Status Sacramentalis, vincens in bono malum *Rom. 12.* In exemplum continuum patientiæ & manſuetudinis *Matt. 11.*

*De Obedientia Euchariſtica.*

1. Deo vt *Phil. 2.* vſque ad hanc quotidianam mortem Sacramentalem, & promptitudinem animi ad mortem realem. 2. Vt ſuis parentibus *Luc. 2.* ſic quantumuis indignis Sacerdotibus. 3. Vt & plus quam Reus aut ſubditus Iudici, ad primam citationem, & comparitionem perſonalem. 4. Vt & plus quam vllus arreſtatus, vinctus, aut incarceratus. 5. Vt & plus quam Sol & Luna, ſubſiſtendo ad vocem Ioſue 10. 6. Vt non ſuus hîc: ſed ſolius Sacerdotis conſecrantis, & diſpenſantis. 7. Vt ſine vllo motu proprio, aut vſu proprij iudicij & voluntatis: ſed totus expoſitus iudicio & voluntati Sacerdotum. 8. Vt & plus quam vllus religioſus profeſſus, ſuis Superioribus. 9. Vt & plus quam vlla Monialis ſub arctiſſima & velata clauſura.

*De Pœnitentia Euchariſtica.*

1. Ex tanto tamque frequenti ſono campanarum ad ſacrum ſeu Miſſam: in ſignum tantæ tamque neceſſariæ vocationis Dei ad Pœnitentiam. 2. In memoriam tubæ illius nouiſſimæ, *Surgite mortui venite ad Iudicium*: ſed præuenite corde contrito ad Sacrificium. 3. Quòd vt Lazarus nonniſi magno clamore Chriſti reuocatus fuit ad vitam: ſic nec peccatores à ſtatu peccati ad pœnitentiam & gratiam. 4. Quòd Chriſtus etiamnùm quaſi vociferando, ſeu vocando peccatores exſpiret: vt eis gratiæ ſuæ ſpiritum inſpiret. 5. Quòd Sanguis eius hîc effuſus, idem ad nos, & Deum pro nobis exclamet. *Hebr. 12.* 6. Vt campanæ ſonant contra tonitrua & fulgura: ſic conuocent ad Miſſæ & Pœnitentiæ Sacrificium; vt auertatur à nobis ira Dei, & tempeſtas reſoluatur nobisquaſi in pluuiam voluntariam pœnitentiæ ſalutaris. 7. Vt ſonant & conuocant ad extrema ſupplicia reorum: ſic ad ſacrificium Chriſti innocentis; vt hinc nos rei prouocemur vt Dauid 2. *Reg. 24.* ad propriam mortem pœnitentiæ pro peccatis noſtris; vt S. Thomas *Ioan. 11.* ad commoriendum Chriſto; vt duo illi amici ad moriendum pro inuicem, ſupra *col. 593. 594.* 8. Vt ſonant & conuocant ad ſepulturas vel funera amicorum, in habitu lugubri: ſic ad ſacrificium Miſſæ, cum luctu compaſſionis & pœnitentiæ, ex motiuo Sanguinis Chriſti à nobis & pro nobis effuſi, hîc & nunc adhuc ſtillantis coram nobis, vt conſanguineis, ſed Chriſticidis. Vt ſupra *col. 590. n. 25.* 9. Vt ſonant alicubi ad agoniam morientium: ſic ad Miſſam, quaſi ad agoniam Chriſti, & pœnitentiæ ac pœnitentium. 10. Vt ſonant in vrbibus inſtare aperturam vel clauſuram portarum: ſic conuocant peccatores ad portam miſericordiæ aperiendam in hoc ſacrificio, claudẽdam in morte inſtante, & ad ſupplicandum oportunè Chriſto tanquam Principi ingredienti ac tranſeunti. 11. Vt ſonant *Alarme*, contra hoſtes: ſic ad arma & lachrymas pœnitentiæ contra peccata, ex hoc quaſi armamentario, & pane munitionis ac lachrimarum. 12. Vt ſonant in pagis fugam, & refugium ad munitionem cœmiterij & Eccleſię, ab hoſtibus & prędonibus: ſic ad ſacrificium Miſſæ ac pœnitentiæ. 13. Vt ſonant ad aquam contra incendium: ſic ad lachrymas ex hoc fonte pœnitentiæ hauriendas &c. 14. Vt ſonant aliquando canorè, vel ad refectoriũ, aut paſtum famulorum & operariorum in magnis familijs: ſic conuocant omnes fideles & miniſtros Altaris, ad paſtum & panem quotidianum, vt panem ſudoris, doloris, lachrymarum, ſubcineritium, ſeu pœnitentiæ ſalutaris ac quotidianæ, ſed voluntariæ, ſapidæ, & conditæ ac imbutæ gratia huius ſacrificij & Sacramenti. 15. Poſſent ſonare ſeu monere & mouere reos ad hoc refugium quotidianum & quaſi continuum, à Miniſtris iuſtitiæ vindicatiuæ: impetrando ac renouãdo hinc quotidiè Saluiguardiam Chriſti ad gratiam ac ſpatiũ pœnitendi; cauendo interim ab eius abuſu ad libertatem ac impunitatem peccandi, contra ipſam Salui-guardiã.

Poſſent

Digitized by Google

*16.* Poſſent ſonare nobis quaſi vagitum Chriſti, vt balatum Agni ad ſacrificium: conuocando quaſi ad præſepium, cunas, aut Circumciſionem Chriſti in nobis; ſeu ad expungendum, medendũ, liniendum, ſi quid eum in nobis pungit, aut offendit. *17.* Poſſent nobis ſonare preces Eccleſiæ & Sanctorum, quorum etiam nomina campanæ referunt, pro peccatoribus ad pœnitentiam. *18.* Poſſunt nobis ſonare monitiones, & comminationes Verbi Dei, & Eccleſiæ, ad peccatores. *19.* Poſſunt nobis ſonare quaſi lamentationes Chriſti & Eccleſię, in hoc ſacrificio, pro peccatoribus, inſtar Dauidis pro Abſalone *2. Reg. 18.* Vt campanæ ſint quaſi illæ quondam lamentatrices mortuorum; ſed hîc & nunc monentes & mouentes omnes Fideles per gratias huius Sacrificij ad orandum pro eorum conuerſione. Vt ſolent etiam ſonare pro mortuis corpore, & animabus Purgatorij. *20.* Vt ſonant nobis horas: ſic & hanc ſalutarem pœnitẽdi, ex *Rom. 13.* *21.* Si, vt dici ſolet, cuique ſonant pro ſua phantaſia & affectu naturali: quanto potiùs pro cuiuſque gratia ſacrificiali, neceſſitate, diſpoſitione & deuotione. Vtinam poſſent ſonare loquendo, & vnicuique ſonum ſuum exprimere ac inculcare: ſed gratia Dei cui conſonant, vnicuique exprimit & inculcat, niſi aures ſibi obſtruat, aut ex tanto tamque frequenti ſono quaſi conſuetudine obtundat. *22.* Ex illo *Eccli. 32.* ſupra *col. 601. 602. n. 91.* Cui addi poteſt, De *Hora ſurgendi*, ex *Pſ. 126. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*. id eſt ante gratiã vocationis. *Surgite poſtquam ſederitis*: ſeu humilitati fueritis, *qui manducatis panem doloris*. De non ſe *tricando* ſeu volutando, nec in lecto, nec in peccato aut vitio; ſed ad Deum ſtatim conuertendo: Ex B. Aug. *6. Conf. 16.* Verſa & reuerſa in dorſum, ventrem, & latera, & omnia dura, & tu ſolus requies &c. *23.* Ex propitiatione ſeu placatione Dei per ſacrificia pro peccatis, vt *col. 566.* quanto potiùs per hoc, in quo ipſum *Corpus Chriſti pro nobis datur, Sanguis pro nobis funditur in remiſſionem peccatorum.* *24.* Ex omni ſenſu remittendi, & peccati. *1.* Quoad totam culpam præteritam, per gratiam actualem pœnitendi *vt oportet*, & infuſionem permanentis. *2.* Quoad malitiam ac libidinem peccati actualis, eam ſaltem paulatim remittendo à grauiori aut mortali, frequentiori, diuturniori, ad leuiorem, venialem, rariorem, breuiorem, per gratias ad hoc actuales. *3.* Quoad inclinationem habitualem peccandi, ex gratia continendi & remittendi, per actus & habitus oppoſitos. *4.* Quoad ipſam concupiſcentiam, eiuſq; inclinationem, motus, fomitem: continendo, remittẽdo, temperando, per maiores gratias actuales, & habituales. *5.* Quoad pœnam, remittẽdo eam ab æterna in temporalem, per gratiam pœnitentiæ & iuſtificationis: à temporali ad minorem vſque ad nullam, per gratiam ſatisfaciendi, & participandi ſatisfactionibus Chriſti. Quis ergo in tanta influentia gratiarum, frequentando hoc ſacrificiũ non moueatur ad pœnitentiam, & promoueatur ad aliquam remiſſionem peccatorum? *25.* Ex quaſi rubricis generalibus huius Breuiarij, à *col. 592.* ad *596.* 26. Ex timore Dei Eucharistico, *col. 610. 611.* 27. Ex ſpe Euchariſtica *col. 612. 613.* 28. Ex Charitate Euchariſtica Dei & proximi, ac reliquis virtutibus, ſeu earum motiuis, ad concipiendam Attritionem aut Contritionem de peccatis oppoſitis. *29.* Ex illo *Pſ. 4.* Quę dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Sacrificate ſacrificium iuſtitię &c. *Pſal. 50.* Sacrificiũ Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies &c. Hoc eſt ergo nobis ſub ſacrificio Miſſæ offerendũ, & conſacrificandum. *30.* Olim ad ſacrificium pro peccatis trahebantur tauri, hirci, arietes cornuti, & coram altari mactabantur: vt Aries ille pro Iſaac *Gen. 22.* Sic noſtra animalitas trahenda eſt ad hoc ſacrificium, & mactanda ad altare per gratiam pœnitentiæ & emendationis. *col. 595. num. 42.* 31. Vt mortui & energumeni ad Chriſtum: ſic peccatores ad hoc ſacrificiũ. *col. 592.* 32. Vt reus ad mortem damnatus, & hinc inde pro demeritis patiendo ad locum extremi ſupplicij circumductus, inſtantem mortis ictum expectat: ſic peccator patiendo circumductus ad mortem Corporis, interim coram Altari ictum ſeù motum efficacem perfectæ contritionis ſuppliciter expectet. *33.* Ex figura Agni Paſchalis *Exod. 12.* comedendi cum lactucis agreſtibus & amaris, pœnitentię & compaſſionis. *34.* Ex *Iob. 3.* Antequam comedam ſuſpiro. *Pſal. 101.* Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meũ &c. *Pſal. 101.* Cinerem tanquã panem manducabam &c. *Pſal. 126.* Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. *Pſal. 79.* Cibabis nos pane lachrymarum: ad ſignificandũ hunc panem Euchariſticũ, vt pœnitentia ſuſpirandum, lachrymis pœnitentiæ pinſendum, ſubcineritium ſeù inter cineres pœnitentiæ nobis coquendum, & dolore ac labore pœnitentiæ comparandũ. *35.* Vt lachrymæ eliciuntur punctione oculi *Eccli. 22.* inſperſione vini, iure cœparum, feruore ſynapis, qui temperatur odore panis: ſic compunctione cordis, influentia huius ſacrificij, memoria peccatorũ, feruore fidei, ſpe huius panis tẽperato. *36.* Ex pœnitẽtia Adami proſcripti à ligno vitæ, *Sap. 11.* Prodigi *Luc. 15.* Publicani *Luc. 18.* & aliorum ſupra *col. 603.* relatiuè ad hoc Sacram. *37.* Ex neceſſaria recõciliatione cum proximo ante oblationem ad Altare *Mat. 5.* quanto potiùs cũ Deo. *38.* Ex ordine diſpoſitionis, ſeu ab imperfectiori ad perfectius *Mat. 6.* inter, *Dimitte nobis &c.* Et, *Panem noſtrum &c.* *39.* Ex neceſſaria probatione & iudicio noſtro *1. Cor. 11.* ad non communicandum indignè: Vt eſt neceſſaria purgatione ſtomachi, ad bonam digeſtionem & nutritionem. *40.* Ex Iudicio liberationis à viro iniquo, ſeu peccatore ac peccato, & Cõfeſſione coram Deo ante Miſſam, ſiue ex perſona Chriſti, quaſi in horto ante paſſionem ſuam pro nobis animo pœnitentis, ſiue ex noſtra ad illius imitationem. *41.* Vt leproſi ad Sacerdotes remiſſi eundo mundati ſunt: ita pœnitentes & confitentes Deo in Miſſa remiſſi ad confeſſionem Sacramentalẽ, eundo ſolo voto mundantur, ſub obligatione tamen exequendi. *42.* Ex frequenti conuerſione Sacerdotis ad populum: in memoriam Chriſti viſitantis & excitantis diſcipulos dormitantes in horto; & ſua ad Petrum conuerſione ac aſpectu eum vt glaciem reſoluentis in lachrymas pœnitentiæ. *43.* Ex oblatione panis coagulati & concocti ex farina molita

& aquæ

& aqua : in ſignũ molendi ſeu conterendi cordis,& aqua pœnitentiæ coagulandi. 44. Ex mixtione aquæ vino : in ſignum temperandi omne gaudiũ, lachrymis pœnitentiæ. 45. Ex Memento Sacerdotis, vt Chriſti in cruce pro ſuis crucifixoribus, & pro Latrone,ad pœnitendum,& pœnitente. 46. Ex conſecratione & conuerſione reali panis & vini : ad conuerſionem animarum per pœnitentiam. 47. Ex frequenti tunſione pectoris coram Chriſto : non ad obdurandum, ſed accuſandum & emolliendum. 48. Ex eleuatione vtriuſque ſpeciei poſt conſecrationem, ad monendum & mouendum peccatores hoc ſpectaculo diſtincto Corporis & Sanguinis; imò & ipſo ſpectatore Chriſto, ſub hac ipſa ſpecie panis oculatiſſimi, circumſpicientis & ſcrutantis corda omnium. 49. Ex eleuatione Calicis ad oblationem & ſumptionem : in ſignum quaſi reciprocæ propinationis & reconciliationis cum Deo 50. Ex hac quaſi morte, ſeu expiratione Spiritus .i. gratiæ Chriſti, ad Deum placandum, in nos viuificandos, & circa nos ab hoc aëre contagioſo purgandos ac præſeruandos, velut quodam ſacratiſſimo ſuffitu, ex Thuribulo Corporis Chriſti. Quis non hinc oſcitet, aſpiret, conſpiret, reſpiret,à morte & peſte peccati ad vitam gratiæ? 51. Ex, *Domine non ſum dignus &c. ſed tantùm dic verbo &c.* Dic verbo efficaci, & conuerſiuo animi, vt & potiùs quàm panis & vini. Conſecra, Dic & Fac hoc membrum viuum Corporis tui. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. *Pſalm.* 84. Confige timore, compunge amore, contere dolore, emolli ſanguine, liquefac aſpectu. O panis deſiderabilis *Dan.* 10. Panis ligno crucis aut lancea transfixe *Ier.* 11. Panis lachrymarum, imò & ſudoris ſanguinei : panis tam lachrymabilis, tam ex te lachrymoſe, tam lachrymate à tua S. Matre, cum omnibus Sanctis, ipſiſque Angelis pacis, tamque nobis lachrymande! Stilla, reſoluere, liqueſce nobis in lachrymas compunctionis. O calix præclare! miſcere, condire nobis aqua, imò & felle ac myrrha in cruce guſtata, ſed & nobis reſeruata, amaræ pœnitẽtiæ. Pota nos vino compunctionis &c. *Pſalm.* 59. O fructus ventris Deiparæ! Eſto nobis intimum ſemen, & planta, imò vt tuis palmitibus, fructus ipſe dignus pœnitentiæ.

*De Fortitudine Eucharistica.*

1. Ex *Iud.* 7. De pane euertente caſtra Madian.
2. Ex *Pſal.* 103. De pane confirmante cor hominis.
3. Ex 3. *Reg.* 19. De *Fortitudine cibi illius*, ſeu panis, pro viatico vſq; ad montem Dei. 4. Ex 1. *Mach.* 6. De ſanguine vuæ acuente Elephantos ad prælium. 5. Ex illo S. Cypr. *l.* 1. *Epiſt.* 2. Quomodo ad Martyrij poculum idoneos facimus : ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini admittimus? vt *col.* 373. 374.

*De Sobrietate Eucharistica.*

1. Ex *Gen.* 2. Cauendo in omni cibo & potu à fructu ſcientiæ boni & mali .i. ab affectu guſtandi & experiendi delectationem. 2. Vtendo omni cibo & potu, vt medicina conditâ amara memoria noſtræ mortalitatis, & priuationis ligni vitæ vitio gulæ. 3. Cauendo à nauſea Iudaïca noſtri Mannæ, ex nimio appetitu carnium, cæparum & alliorum Ægypti. *Exod.* 16. *Num.* 11. 4. Reuerendo panem & vinum, vt materiam Euchariſtiæ : cauendo ab omni eius abuſu, quaſi ſacrilego. Hinc enim vt & olim teſte Tert. *De Corona Mil.* tam religioſè cauetur ne panis in terram cadat, indeq; ſubito ad oſculũ vſq; leuatur. 5. Comedendo panem noſtrũ quotidianum, vt Angelorũ, ſeu quotidiè mendicatum, & nobis Angelorum miniſterio à Deo ex charitate prouiſum. Vt S. Franciſcus monebat de pane amore Dei mendicato, & dato inſtinctu Angelorum. 6. Ex *Gen.* 3. & 2. *Theſ.* 3. Veſcendo pane noſtro in ſudore vultus noſtri .i. laborioſè, verecundè, temperatè, & relatiuè ad ſacram Euchariſtiam. 7. Ex ſacris olim panibus, eorumque vſu ſacro, diſtincto à prophano, vt 1. *Reg.* 21. nunc autem nonniſi ſacro. 8. Ex duplici illa ſobria refectione 4. & 5. millium hominum à Chriſto, ex 5. & 7. panibus & paucis piſcibus *Marc.* 8. *Luc.* 9. collectis ſtudioſè fragmentis. 9. Superando tentationem illam Diaboli *Mat.* 4. reſponſo Chriſti ibidem. 10. Ex benedictione panis & vini à Chriſto *Mat.* 26. *Marc.* 10. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. in materiam Euchariſtiæ : ad omnem eius vſum quaſi ſacrum. 11. Ex monitione illa 1. *Cor.* 10. manducandi & bibendi ad gloriam Dei. 12. Ex 1. *Tim.* 4. De benedicendo, ſanctificando, & ſumendo cibo ac potu cum gratiarum actione : quaſi ad imitationem Chriſti in Euchariſtia. 13. Ex more ſacro offerendi & benedicendi panes Fidelibus ad Altare, vt & olim Catechumenis, in quoddam ſacrum ſignum Euchariſtiæ, vt ſupra *col.* 285. 14. Ex ſicco ac tantillo pane,& qualicumque ac tantillo vero vino, eoque lymphato, ad conſecrationem,& conſeruationem totius Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub minimis ſacris ſpeciebus. 15. Ex conuerſione panis & vini in Corpus & S. Chriſti : ad conuerſionem cibi & potus noſtri in membrũ,& ad obſequium Chriſti. 16. Ex oblatione panis & vini : ad oblationem ſeu relationem omnis cibi & potus ad honorem Dei. 17. Ex ſacrificio ſub ſpecie panis & vini : ad quaſi ſacrificandũ Deo, ſeu conſumendum in nihilum omnem cibum & potum, affectu & effectu. *Phil.* 3. omnia arbitror vt ſtercora. *S. Hier. Epiſt. ad Paulinum.* Non eſt curandum ex quam precioſo cibo ſtercus fiat. 18. Conuertendo omnem appetitũ ſeu affectum ad Euchariſtiam, eique totum ita deuinciendo : vt nil ſuperſit alteri cibo vel potui, alteri Carni vel Sanguini. 19. Cauendo ne quid affectus furtim ad vllũ alium cibum aut potum feratur, qui ſaltem eò non referatur. 20. Faſtidiendo omnem alium cibũ & potum, vt ſiliquas animalium : ex appetitu Euchariſtiæ. Vt tandem filius prodigus *Luc.* 15. 21 Vtendo cibo & potu ex neceſſitate,ad Religionem, humilitatem, obedientiam, pœnitẽtiam &c. vt ſupra. 22. Vtendo omni cibo & potu, vt pane quotidiano, amore Dei mendicato, diſpenſato, condito : & in eius memoriam, amorem, ac gratitudinem digerendo, roſoluendo, & quaſi eructando. 23. Seruiendo Altari, & viuendo ex quouis cibo & potu, quaſi ex reliquijs, micis & furfure Euchariſtiæ. 24. Contra omnem tentationem imaginariam concupiſcentiæ : cauendum ne vt Dæmon ſuis magis & ſagis, ita & nobis illudat nummis, dapibus, & corporibus imaginarijs.

De

Digitized by Google

*De Caſtitate Eucharistica.*

1. SI etiam de Carne Chriſti, ſine Spiritu Dei *Ioan. 6.* Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquã: quid de carne cõcupiſcentiæ, noſtra & aliena? 2. Si ipſa Caro Chriſti eleuandã fuit ab oculis noſtris ad Cœlum, vt adueniret Spiritus ſanctus, *Ioan. 16.* quantomagis omnis caro noſtra & aliena, à ſenſibus & affectu noſtro? 3. Cùm ipſum Corpus Chriſti quaſi nundinetur, ſeu offeratur Deo ad lucrum Spiritus & gratiæ: quanto libentiùs & noſtrũ & omnia aliena corpora reſignemus Deo pro minima gratia? 4. Cùm ipſum Corpus Chriſti ſacrificetur, ſeù mactetur ad maiorem gloriã Spiritus Dei: cur non omnia corpora conſacrificẽtur, ſeù affectu & vſu quaſi in nihilũ immolentur ad obſequiũ Dei, vt *Rom. 12?* 5. Cùm hoc Sacramentũ, aut Corpus Chriſti ſub illo, non communicet nobis ſuum Spiritũ gratiæ, vt viſum vel guſtatum, ſed vt iam manducatum & diſparens extra omnem ſenſum, vel etiam extra ſpecies digeſtas: quanto minùs adhærendum aut confidendum alijs corporibus & ſenſibilibus? 6. Cùm Chriſtus non communicet hîc corpus ſuum ſub vllo proprio ſenſibili: quanto minùs cõmunicanda ſunt alia corpora ſenſibiliter? 7. Non eſt animæ melioris, appetere ſeu concupiſcere corpus nequidem proprium, vt minus bonum ſe: ſed corporis appetere animam, vt bonum & perfectiuum ſuum. 8. Sicut Anima Chriſti quaſi coniugata ſuo corpori, nunquam illud faſtidit deſerit aut aliud cõcupiſcit: ſic nec vlla anima poteſt pluſquam proprium corpus animare ſeù perficere, nec debet alterius corpus concupiſcere. 9. Nec animis noſtris appetendum eſt Corpus Chriſti propter ſe: ſed ad participandum inde ſpiritũ charitatis, contra concupiſcentiam noſtræ propriæ carnis ex Adamo. 10. Chriſtus noluit nobis vniri exteriùs ſub forma reciproca corporum, ſed ſub ſpecie cibi & potus, intimè vltra omnem ſenſum, vſque ad animum, communicando ſe nobis vt vnum verum ac ſummum bonum cõmune, ad quandam omnium ſecum & inter ſe vnitatem ac identitatem obiectiuè participandam, per charitatem reciprocam beneuolentiæ vnius eiuſdemque obiecti. In ſignum quod vt B. Aug. *2. Conf. 2.* hic ſit limes amicitiæ ab animo ad animum. *4. Conf. 9.* Quod nil quærendum ſit ex amici corpore, niſi ſigna beneuolentiæ. *Cap. 11.* Si corpora placent, Deum in illis lauda &c. vt ſupra *col. 606. & 616.* Contra omnem pruritum concupiſcentiæ ad vnionem & corruptionem reciprocam corporum ac affectuum: ſub fuco amicitiæ ſeù beneuolentiæ mutuæ. 11. Cùm Chriſtus hic & *Ioan. 20.* noluerit tangi: quàm cauendum eſt à contactu corporali! 12. Cùm hic noluerit Corpus ſuum videri: quantominus hîc quam vllibi, vllam putrem carnem alienæ concupiſcentiæ obijci, aut vt, & pluſquam ipſum templum & altare ornari *Pſal. 143.* ſed ex *1. Cor. 10.* pudicè velari. 13. Cùm nec Corpus ſuũ voluerit hîc vlli ſenſui ac concupiſcẽtiæ ad delectationem exponi, ſed tantùm, vt cibum ad nutritionem ſpiritualem: quantominùs vllũ aliud corpus? 14. Cùm Chriſtus hîc non tantùm nos circa ſe nobis dilectum, ſed & ſeipſum circa nos ſibi dilectiores, mortificet & priuet omni vita actuali ſeù vſu ſenſuum: quanto potiùs hanc mortificationem Chriſti ad omnia alia circumferamus? vt ſupra *col. 615.* 15. Cùm Chriſtus ſit hîc abſque tactu, viſu, aut alio ſenſu proprij corporis: quàm nobis cauendum eſt ab omni contagione ſenſuum & membrorum noſtrorum inter ſe? 16. Vt Chriſtus habet hîc omnes partes ſui corporis vniſſimas, abſque vllo mutuo contactu aut ſenſu: ſic & omnia membra Corporis ſui myſtici ſint tam vnita, & in Vnũ cõſummata charitate; vt præ vnitate non ſe inuicem ſentiant, ſed in Vnum conſentiant. Sicut nec partes continuæ, nec nimis contiguæ ſe inuicem ſentiunt. 17. Si cauendum eſt à proſtitutione & abuſu proprij vel alieni corporis, ad vllam concupiſcentiam &c. quanto potiùs à quadam proſtitutione vel abuſu ipſius Corporis Chriſti, vel membrorũ eius in nobis & alijs *1. Cor. 6.* quia ita illi incorporati ſumus per ſacram Comunionem, vt non poſſimus in abuſu ſecerni. 18. Sathan ſtimulat concupiſcentiam carnis. *2. Cor. 12.* & halitu ſuo prunas eius ardere facit *Iob. 41.* Chriſtus hîc ſuo Spiritu exufflat. 19. Corui inhiant putris cadaueribus *Gen. 8.* Aquilæ huic ſoli corpori viuo. Luc. 17. 20. Vinum prophanũ fouet venerem: Hoc autem ſacrũ germinat Virgines *Zachar. 9.* 21. Hæ ſequuntur Agnum quocunque ierit *Apoc. 14.* 22. Contra omnem concupiſcentiam carnis: eſt quaſi deſponſandũ Corpus Chriſti, vt Mediũ ſe ſolo omnes vniens & ſeparans; vtque Obiectũ in quo & Deo fruamur, & omnibus veriùs & meliùs quàm in ſeipſis. Cuius ſacrũ ſignũ eſt coniugium fideliũ. *Eph. 5.* 23. Dæmones incubi & ſuccubi ſpectris dapium, nummorũ, & corporũ, ſuis ſpurciſſimè illudũt: Chriſtus realiter, ſed caſtiſſimè vſque ad animas illabitur, & eas ſe toto, quaſi ſacro ſemine charitate fœcundat.

Hæc & plura moralia hinc facilè excogitari, & ſingulis virtutibus ac vitiis applicari poſſunt.

---

## INDEX ET THESES DE EVCHARISTIA.

1. EX Quæſt. I. *à col. 244. ad 269.* De vero & propriè dicto Sacrificio ac Sacramento Euchariſtico nouæ Legis, & vtriuſque diſtinctione.

Quòd omne ſacrificium ex fine proprio ſit Latreuticum, ſeu Homagium honorarium ſolius Dei, ſacro aliquo ſigno publico *inuiſibilis ſacrificij*, ſeu Adorationis internæ ſoli Deo debitæ: Hoc autem, & à ſacra Chriſti Humanitate quondam in cruce, & hîc & nunc actu exhibitæ, & à nobis exhibendæ; iure dominij ac perfectionis diuinæ, noſtræque ab ea dependentiæ. Cuius materia ſacrificanda & ſacrificata, eſt ſolum Corpus & Sanguis Chriſti: ipſa autem ſacrificatio formalis, ſola conſecratio ſub vtraque ſpecie ſimul; inuoluens eiuſdem oblationem, conſumptionem vſque ad mortem quandam etiam realem vitæ præſentis actualis, & acceptationem Dei, ad perfectionem eſſentialẽ Sacrificij.

Sed Sacramentum ex fine proprio ſit ſignum externũ, non niſi ſacramentaliter efficax noſtræ conſecrationis internæ: Hoc autem, & permanens noſtræ nutritionis ſpiritualis. Vnde nec eſt ipſa Conſecratio,

veſter Emanuel, veſter IESVS. Nunquã ad hanc portam mendicantibus panis in lapidem: ſed potius lapis duræ neceſſitatis vertetur nobis in panem conſolationis.

13. O verum lignum vitæ, ſed & veræ ſapientiæ, ſeu ſapidæ ſcientiæ diuinæ: non iam mortiferæ, ſed deificæ; præualente veritate & bonitate Dei, mendacio & malitiæ Diaboli! Eſto nobis Pharmacum, Balſamum, condimentum, ſal immortalitatis, & incorruptionis ſpiritualis.

14. O Arcam & Arcum fœderis, in hac quaſi nube rorida Sanguinis?

15. O Horreum veri Ioſephi noſtri, contra famem huius Ægypti! O *Schebolet* ſeu ſpica ſalutis *Iud. 12.* Theſaurum agri euangelici, & agrum theſauris, Fructũ ventris Virginei, Aceruum tritici, Frumentum Electorum!

16. O Panem non iam ſudore vultus noſtri, ſed Sanguine Chriſti piſtum, concoctum, & prouiſum!

17. O Panem cęleſtem, Panem viuum, Panem vitæ, Panem vitalem, Panem vitam, Panem noſtrum, Quotidianum, Superſubſtantialem, Panem pinguem, Medullam tritici, Delicias Regum, Panem vndique oculatum, Panem azymum ſinceritatis & veritatis; & tamen fermentũ, non malitiæ & nequitiæ, ſed feruoris & eleuationis totius maſſę humanę!

18. O Panem non priuatum, proprietarium, emptitium, diuitum faſtidientium; ſed communem, precarium, gratuitum, eleëmoſynariũ, quotidiè mendicatum, pauperum eſurientium, quaſi ex reliquis ſpicis & vuis poſt meſſem & vindemiam Paſſionis.

19. O quaſi cruſtam grandium ſeu perfectiorum: ſed & micam Minorum ac paruulorum, eamque Sanguine Chriſti eiuſque ſapore imbutam.

19. O *Panem Angelorum* ac Beatorum; ſed & potiùs Viatorum: panem filiorum *Matt. 15.* ſed & mercenariorum *Luc. 16.* imò & catellorum, & paſſerum ac turturum, & pullorum gallinæ euangelicæ, ex micis eius victitantium, ipſarumque Aquilarum ſub hac panis ſpecie carnem viuam odorantium!

20. O Panem contra omnia ſortilegia & vulnera nobis benedictum, & verbis illis Chriſti, quaſi Altis Nominibus, ſed veris, incantatum!

21. O ſacras Nundinas huius Carnis & Sanguinis, pro Spiritu gratiæ & charitatis!

22. O Viaticum, Currum, Aurigam, Cambium, Tributum, Nauim Inſtitoris quæ de longè portat panem ſuum *Prou. 8.* Pharum, Portum, Velum, Naulum, Acum nauticam, Itinerarium, Directorium, Ducem Comitem, Hoſpitem, Hoſpitium, Sepulchrum, Album, Scopum, Finem, Medium huius noſtræ peregrinationis!

23. O *Vinum meraciſſimum*, à Chriſto contra agoniam mortis prouiſum: pro illo, *felle & myrra* ſibi in cruce infecto, ad ludibrium & tormentum.

24. O *Calicem Salutaris*, & ſalutarem, nobis à Chriſto ad veram ſalutem omnium propinatum: & ad æquales hauſtus inuicem ac pro inuicem bibendum ac propinandum!

25. O *Craterem Tornatilem* ſeu circularem, *non indigentem poculis* infuſorijs: ſed fontem ſcaturientem & ſalientem in vitam æternam ad originem ſuam!

26. O Sponſorem noſtrum & Obſidem, Sponſum & Dotem, Teſtamentum & Teſtatorem, Arrham & pignus noſtræ ſalutis, Portionem & Totum noſtrum, totam Spem & Rem ſperatam!

27. Tenebo eum, nec dimittam, donec introducam eum *Cant. 3.* & ipſe nos. Non dimittam te donec benedixeris mihi, *Gen. 34.* æterna illa Benedictione *Mat. 24.* Venite Benedicti Patris mei. Eſuriui &c.

28. Hæc ſpes non confundit *Rom. 5.* Etſi occiderit me, in ipſo ſperabo *Iob. 13.* A fructu frumenti & vini multiplicati ſunt. In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. *Pſal. 4.*

### *De Charitate Euchariſtica Dei & Chriſti in nos. col. 294. 295. 479. 480. 597. 598. 599.*

CVm dilexiſſet ſuos in finẽ dilexit eos, *Ioan. 13.*

1. Pluſquam ſociali vllius amicitiæ, quæ vix eſt ad habenda omnia bona communia, minùs autem mala, nec vſque ad mortem pro amico reciproco & quaſi æquali: Hæc autem Chriſti omnia bona ſua nobis communicat, mala noſtra in ſe ſuſcipit, & quotidie ſeſe ad mortem offert pro tot quot etiam inimicis, tam indignis, & inæqualibus.

2. Pluſquam fraterna conſanguineorum, quæ vix fert multos cohæredes, quantominùs eos ſibi gratis aſſumit: Hæc autem Chriſti, quàm plurimos appetit, ſibique hoc Sacramento conſanguineos, fratres, & cohæredes facit.

3. Pluſquam filiali. quæ vix vnquam communicat aut rependit parentibus; Hæc autem Chriſti, præter totam ſuam naturam humanam quam à nobis participauit, rependit & diuinam, infiniti fœnoris.

4. Pluſquam paterna, quæ quos voluptuoſè ex tantillo ſui extra ſe generat, ſolo ſudore aut cura propria alit: Hæc autem quos tam acerba paſſione mortis ex ſe genuit, ſe toto nutrit ſibique adgenerat.

5. Pluſquam materna: quæ quidem quos voluptuoſè in ſe concipit, moleſtè in vtero geſtat, ſuo ſuperfluo nutrit, parit, & lactat; ſed hac Chriſtus ſeipſum in nobis format. hinc nos reformat, ſibique conformat, & quaſi balſamo proprij Corporis & Sanguinis intimè condit & ſaginat.

6. Pluſquam coniugali, priores omnes excedente *Gen. 2.* ſed citra mortem, ad vnionem tantùm exteriorem, ſuperficialem, partialem, corruptibilem, irrationalem, momentaneam, & ad quandam in prole vnitatem. Hęc autem Chriſti, vltra mortem, ad intimam, totalem, honeſtiſſimam, ęternam vnionem, imò & ſecum ipſo vnitatem.

7. Pluſquam inter animam & corpus: quia hic affectus naturalis ſuperatur & diſſoluitur paſſione dolore & morte: Charitas autem Euchariſtica Chriſti vicit ac vincit omnem dolorem & mortem.

8. Pluſquam inter caput & membra, totum & partes: quorum vnio eſt corruptibilis & mutabilis: Hæc autem Chriſti cum Eccleſia, quotidiano ac tenaciſſimo huius Sacram. glutino conſolidatur.

9. Pluſquam ſui ipſius præ alijs: quia ex hac Chriſtus ſibi ipſi non parcit; ſed ſeipſum quotidie nobis in cibum, & pro nobis Deo in ſacrificium cõſumit. Nec tamen prodigit: ſed charitati ſacrificat.

10. Vt

Digitized by Google

10. Vt Deus Pater dicendo & generando ſibi ab æterno Filium: ſic ſuo modo Chriſtus, dicendo & quaſi generando nobis ſub hoc Sacramento ſeipſum.
11. Vt Deus Pater & Filius conſpirando ſibi Spiritum ſanctum: ſic ſuo modo Chriſtus, ſecumipſo inſpirando nobis hîc amorem ſuum.
12. Vt Deus Pater Filius & Spiritus S. aſſumendo & vniendo hypoſtaticè hanc naturam humanam ad perſonam Filij: ſic Chriſtus hîc omnes homines ad ſe. *Ioan. 12.* Omnia traham ad meipſum.
13. Vt Perſonæ Diuinæ prædeſtinando: ſic Chriſtus hîc exequendo.
14. Vt Chriſtus ad ſuam Matrem in eius vtero & extra: ſic ad nos, in & extra nos, ſub hoc Sacram.
15. Vt Chriſtus ad Diſcipulum quem diligebat, in ſinu ſuo recumbentem: ſic ipſe in noſtro.
16. Vt idẽ ad omnes ſuos Ioan. 17. *Volo Pater vt omnes vnũ ſint*: non tantum inter ſe, ſed ſecum ipſo; *ſicut ego & tu Pater vnum ſumus, vt ſint conſummati in Vnum* .i. in ſeipſum, præcipuè per hoc Sacram.
17. Vt, & pluſquam Adam ad Euam *Gen. 2. Eph. 5.* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quia id tantùm partialiter, & materialiter: hîc totaliter & formaliter: illi ſe inuicem totamque naturam ſua veneno illo infecerunt, cui Chriſtus hoc antidoto medetur.
19. Vt *Mat. 22.* Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Epheſ. 5.* Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit &c. Hinc Chriſtus ita ſe nobis intimè communicat, vt nos ſicut ſeipſum, & ſecum diligat.
20. Vt & pluſquam omnes amores naturales, quibus comparatur. *Prouerb. 8.* Sapientia Dei ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. *Cant. 5.* Comedite amici, & bibite, & inebriamini Chariſſimi. *Oſee 11.* Ego quaſi nutritius Ephraim &c. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.] Quibus autem potiùs, quàm conuiuijs, & Cõmunione Carnis & Sanguinis? Hinc *Heb. 2.* Quia pueri cõmunicauerunt carni & ſanguini: & ipſe Filius Dei communicauit eiſdem. Et *Cantica Cant.* contexta ſunt quaſi ex amoribus procantium & colludentiũ. Nec videantur hæ cõparationes indignæ tanta Sapientia & Charitate; ſed diſcernatur ex B. Aug. 2. *Conf. 2.* ſerenitas dilectionis à caligine libidinis. & 3. *Conf. 1.* Vena amicitię, à ſordibus cõcupiſcẽtię.

*De quaſi ludo & procatione Eucharistica.*

SApientia & Charitas Chriſti ludit hîc procando, & procatur ludendo. *1.* Vt dici ſolet de facilitate operandi, & corda noſtra ſuauiter ſibi conciliandi. *2.* Vt ſenex & ſapiens quaſi amore repuerafcens, & pueris colludens. *3.* Vt exhibens nobis in omnibus creaturis, ſingulariter in hoc Sacram. quaſi ſpectaculum ſuiipſius, repreſentans id quod verè ac ſeriò eſt in ſeipſo, & quod fuit, egit ac paſſus eſt pro nobis. *4.* Ludit hîc procando, quaſi ad fruendum nobis noſtroque amore: cùm ipſe ſe ſolo fruatur; ſed vt & nos ipſo fruamur. *5.* Ludit nobiſcum, nunc abſcondendo, nunc reuelando ſe nobis, & prouocando ad quærendum. Vt *col. 604. 605.* ex Canticis. De quo etiam ludo *Pſ. 76.* Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum: & non ſum deceptus. Sed ipſe prior velatis hîc, vt & in ſua paſſione oculis, quærit & apprehendit nos, vt ludo reciproco ſub velo fidei expanſo affectu in eum feramur, eoque fruamur. Ex B. Aug. lib. 1. Conf. 6. *Gaudeat potiùs non inueniendo inuenire, quàm inueniendo non inuenire te* .i. Fide & affectu, non ſenſu & ratione. *6.* Ludit procando, quaſi laruatus ſub hoc Sacram. vt *col. 605.* *7.* Ludit hîc procando varijs nutibus amoris. *col. 597. 598.* Et ex B. Aug. lib. 2. de lib. Arb. cap. 16. *Væ qui nutus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuant. Nutus tui ſunt omne decus creaturarum.* Quanto magis hoc bonum & pulchrum eius *col. 599.* *8.* Ludit & procatur hîc blando tactu amoris corda titillando. *9.* Ludit & procatur hîc quaſi oſculo oris. *Cant. 1.* *10.* Quaſi amplexu & preſſura cordis, ad expreſſionem doloris ac compunctionis peccatorũ. *11.* Vt *Iob. 1.* graui etiam percuſſione corporum. *12.* Patientia noſtræ indignæ illuſionis ac repercuſſionis, quaſi per ludum. *13.* Ludit & procatur quaſi ad reciprocum amorem alliciendo: ſed eum hoc quaſi ſacro philtro infundendo & eliciendo, imo in nobis pro nobis ſeipſum & Deum amando.

O ſacram incantationem Sapientiæ! O philtrum charitatis! O finem honeſtiſſimum ludendi, & procandi! O illuſionem & eluſionem Diaboli corriualis! O eſcam ineſcantem homines, vt piſces, & aues! *Luc. 5.*

*De Miſericordia Euchariſtica Chriſti.*

SPirituali. *1.* Docendo. *2.* Conſulendo. *3.* Corrigendo. *4.* Conſolando. *5.* Condonando. *6.* Tolerando. *7.* Orando & placando Deũ hîc pro nobis.

Quaſi Corporali. *1.* Paſcendo eſurientes. *2.* Potando ſitientes. *3.* Veſtiendo nudos aut laceros & frigentes: tam ſeipſo, quam habitu gratiæ & virtutum. *Rom. 13.* Induimini D. I. Chriſtum. *Epheſ. 4.* Induite nouum hominem. *4.* Redimendo hîc & hinc captiuos Purgatorij, & peccatores à culpis & pœnis. *5.* Viſitando è cœlo quotidie infirmos, eorum vulnera & vlcera quaſi lingendo, ſeipſo quaſi vngendo, & medendo hoc Sacramento quaſi emplaſtro. *6.* Excipiendo peregrinos huius viæ & vitæ quaſi hoſpitio ſuiipſius, prouidendo eis de Viatico, & reducendo imo referendo ſecum ad Patriam. *7.* Sepeliendo, imò & nos ſibi ipſi conſepeliendo, & ſeipſo velut Balſamo ad æternitatem condiendo.

O Veſtis noſtra nuptialis, Veſtis polymita, Veſtis non Iacob in Eſau, ſed Eſau in Iacob transformans! O lingua vlcera noſtra quaſi lingens, & pus exſugens! O Vnguentum, ô Balſamum, ô Emplaſtrum, ô faſcia vulnerum, & membrorum conſolidandorum!

O Sanans hîc contritos corde, & alligans contritiones eorũ! *Pſal. 146.* O Officina, pharmaco-doria non polia, Xenodochium, Fons, Exemplar, Pater & Mater miſericordiarum, Deus & homo Chriſte, gigne in nobis, & ex nobis in omnes, has & ſimiles miſericordias tuas.

*De Charitate debita Chriſto in Euchariſtia.*

NOs ergo diligamus Deum: quia ipſe prior dilexit nos. *1. Ioan. 4.*

*1.* Si Materia appetit formam: quantum nos hîc

 Chriſtum,

Digitized by Google

Chriſtũ, vt ab eo informemur & reformemur ? 2. Si Materia Corporũ cęleſtium eſt inſeparabilis ab illis formis: quanto plus nos hîc à Chriſto? Quis nos ſeparabit &c? 3. Si corpora diſtincta tanta vi cohærẽt inter ſe ad cauendum vacuum: quanto plus hîc ad cauendum peccatum inter nos & Chriſtum ? 4. Si tanta vi grauia feruntur & hærent deorſum ad ſuũ centrum, leuia ſurſum : quanta nos plus hîc ad Chriſtũ? 5. Si tanta eſt ſympatia inter magnetem & ferrum, ſuccinum & paleam, vt illa ad ſe rapiant, hæc rapiantur: quanta hîc inter nos & Chriſtum ? 6. Si tantum debent, & agunt ac patiuntur membra pro Capite, partes pro toto : quantum nos hîc pro Chriſto ? 7. Si Corpora imperfectiora naturaliter tendunt ad perfectiora, vt in ea conuertantur, vel ea componant ſub forma perfectiori : quantò potiùs nos hîc ad Chriſtum ? 8. Si tanta eſt vnio corporis ad animam, membrorum ad cor, tantus timor, fuga, dolor ſeparationis : quanta hîc ad Chriſtum ? 9. Si tanta eſt inclinatio naturalis potentiarum & habituum ad ſua obiecta & actus: quanta hîc noſtra ſupernaturalis ad Chriſtum & amorem eius ? 10. Si tanta eſt inhæſio naturalis accidentium ſubiecto, tanta quorundam relatio ad terminum, obiectũ, finem ſuum: quanta hîc ſupernaturalis ad Chriſtum, vt ſubiectum ſeu fundamentum, obiectum, finem, terminum totius noſtræ dependentiæ ? 11. Si tanta eſt ſympathia naturalis ad ipſa animalia innoxia, ſed præcipuè ad homines eiuſdem nobiſcum naturæ humanæ participes, præ omnibus autem ad pueros innocentes, vt moueat ad affectũ & effectus mirabiles compaſſionis, vſq; ad deliquium animi ex aſpectu vulneris aut ſanguinis humani: Quanta hîc ad Chriſtum innocentiſſimum, ex diſtincta repræſentatione Carnis & Sanguinis quaſi hîc adhuc ſtillantis ? 12. Si tanta eſt affectio amicitiæ, ex familiaritate : quanta hîc ad Chriſtum ? 13. Si tanta eſt affectio gratitudinis ad Benefactores: quanta hîc ad Chriſtum ? 14. Si tanta eſt affectio ad affines, conſanguineos, fratres, ex tam remota aut modica communione carnis & ſanguinis, in aliquo tertio :quanto magis ad Chriſtum, ex tam frequenti communione totius Corporis & Sanguinis eius ? 15. Si tanta eſt affectio filialis ad parentes, ex tantilla participatione ſubſtantiæ materialis per generationem & nutritionem: quanta hîc ad Chriſtum ex participatione totius & toties? 16. Si tanta eſt affectio paterna & materna parentum ad proles, ex tantillo ſui in illis, vel ex tantilla actione ad illos: quanta hîc ad Chriſtum, non ſolùm vt ex Deipara genitum, aut hîc & nunc ex ſubſtantia noſtra panis & vini, ſed quaſi ex noſtro pectore, dicendo & ſpirando ?

15. Si tanta eſt affectio coniugalis, ad generationem, & conſeruationem ſpeciei : quanta hîc ad Corpus & Sanguinem Chriſti, ex quo generatur & conſeruatur Eccleſia? 16. Si tanta eſt affectio inter Corpus & Animam: Quanta hîc inter nos & Chriſtum ; ſiue vt animam noſtram nos viuificantem vita gratiæ ; ſiue ad corpus eius, in quo animæ noſtræ ſint potius amando, quàm in noſtris animando, & ex quo curentur à contagio Adæ.

17. Si diligendus eſt proximus propter Deum, vt nos ipſi : quantum hîc Chriſtus nobis tam intimus, & propter quem reliqui omnes? 18. Si tanta eſt dilectio huius vitæ noſtræ, & conſeruationis eius ex cibo & potu: quantã huius cibi, potus, ac vitæ noſtræ æternæ? 19. Si Mater Chriſti cum Filio in vtero, tanto affectu excepta fuit à S. Elizabeth, & S. Ioanne præcurſore, hinc in vtero exultante: quanta cordis exultatione hîc excipiendus eſt Chriſtus? 20. Si tanto affectu Chriſtus fuit exceptus à Maria, Martha, & alijs, in domos ſuas: quanto hîc in pectora noſtra? 21. Vt Mater Chriſti excepit eum & coluit in vtero: ſic nos hîc modulo noſtro. 22. Cùm Chriſtus tanta charitate hîc nobis ſe totum communicet: quantilla ſaltem excipiendus eſſet? 23. Vt ſacra humanitas tanta charitate excepit & excepta fuit à Filio Dei ad vnionem hypoſtaticam: ſic illa hîc noſtro modulo excipienda foret. 24. Vt Perſonæ diuinæ vnũ ſunt, non tantùm eadem naturâ diuinâ, ſed etiam charitate: ſic & nos hîc cum Chriſto, participatiuè. 25. Vt Filius Dei à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio habens Eſſentiam diuinam, ex aut cum charitate, hanc refundit vnde accipit: ſic nos hîc recipientes cum Chriſto charitatem, hanc totam in illum refundamus. 26. Excipiendus eſt Chriſtus non ſolo ore, ſed corde: vt ſit ipſe cor cordis noſtri, quo toto ipſummet diligamus. 27 Æmulanda, aut ſaltem imitanda foret illa panis & vini realis ceſſio, & conuerſio in Corpus & Sanguinem Chriſti: cedendo ei, ſeu primis gratiæ motibus, omnem noſtram libertatem ac vſum potentiarum, toto affectu in ipſum transformato. Vt ſupra *col. 597. 598.*

28. Transformandi quoque eſſemus ex charitate per ſacram Communionem in ſtatũ Chriſti viui, ſed quaſi mortui ſub ſacris ſpeciebus: *Viuendo vita abſcondita cum Chriſto in Deo.* Coloſ. 3. & hanc *mortificationẽ* Sacramentalem Chriſti *in Corpore noſtro circumferendo,* ſeu repræſentãdo, vt in quadam vaſe ſacro ſeu Expoſitorio diaphano; *vt & vita* Iesv *manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2. Cor. 4. 29. Exercenda hîc eſſet in ipſam perſonã Chriſti reciproca miſericordia. 1. Paſcendo eſurientem. 2. Potando ſitientem, ſeu affectantem eſſe nobiſcũ: vbiq; propagando & quaſi nutriendo Corpus & Sanguinem eius, pane & vino optimo. 3. Veſtiendo nudũ, quaſi ſacris ſpeciebus, & omni cultu religioſo interiori ac exteriori.

4. Excipiendo quaſi peregrinum, hoſpitio exteriori Templorum & vaſorum ſacrorum, ac interiori corporis & cordis noſtri. 5. Viſitando & quaſi conſolando infirmum, vulneratum, lingendo, tergendo, deflendo eius Paſſionem & Mortem. 6. Quaſi captiuum ſub ſacris ſpeciebus, redimendo ſeu inde relaxando ſacra Communione, & ſpecierũ digeſtione. 7. Quaſi mortuum ſepeliendo in corpore & corde noſtro &c. Vt nos hinc benedicat *Mat.* 24. Eſuriui & dediſtis mihi manducare &c.

30. Examinanda & exercenda foret hæc Chriſti dilectio, vt Fides & Spes *col.* 592. 593. 666. ex illo Chriſti ad S. Petrum *Ioan.* 21. Diligis me plus his? comparatiuè tum ad alia obiecta quæ diliguntur vt ſupra, tum ad alios Chriſtũ diligentes; confitendo defe-

Digitized by Google

defectum, profitendo affectum, petendo gratiam diligendi perfectius in infinitum, vſque ad illud amoris ac animi noſtri deliquium ſub exceſſu infinito huius obiecti amabilis; inuocando omnes Sanctos ad condiligendum & ſupplendum, ac tandem adhærendo acquieſcendo ſoli adæquato amori Dei & Chriſti à ſeipſo.

Plura ex *col.* 597. 598. 599. 600. ad hunc titulum.

O Chriſte Forma noſtra, Centrum noſtrum, Magnes noſter, Caput, Cor, Anima noſtra, Totũ noſtrũ, ſacrum Philtrum noſtrum, ipſeque Amor noſter: informa, reforma, trahe, rape, ama te ipſum in te ipſo quantus es, in nobis quantum ſcis vis & capere poſſumus.

*De Charitate Euchariſtica ad Proximos.*

DIligatis inuicem, ſicut dilexi vos. *Ioan.* 13. 15. Vnus Panis, vnum Corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. 1. *Cor.* 10.

1. Si elementa aut qualitates contrariæ conueniunt in vnum ſubiectum, ſub vna forma mixti. 2. Si tot partes differentes, tot formæ diſparatæ, tot membra conueniunt in vnum corpus ſub eodem capite, ſub eadem Forma totali, aut anima: quanto potius nos hic & hinc omnes ſub Chriſto? 3. Si tot grana contrita in farinam, coaleſcunt & concoquuntur in vnum panem. 4. Si tot vuæ exprimuntur & confluunt in vnum & idem vinum: quanto potiùs nos omnes hic & hinc in Chriſtum? 5. Si ex familiaritate, cõuictu. 6. Collactatione, tanta cõtrahi poteſt amicitia: quanta ex ſacra Communione? 7. Si quæ bitumina & cæmenta ſunt tam tenacia ad vniendũ contraria aut diſparata: quanto plus Euchariſtia? 8. Si quæ vnguenta & balſama habent tantam vim reuniendi & conſolidandi membra diſlocata, confracta, conquaſſata, vulnerata: quantam Euchariſtia inter nos? 9. Si quæ philtra, verba, & ſigna magica habent tantam vim deprauandi amore concupiſcentiæ: quantam Euchariſtia conciliandi & reconciliandi charitate? 10. Si Prædones, Hæretici, Turcæ &c. vniuntur ad malũ ſub quibuſdam falſis aut malis ſignis: quanto potiùs & plus nos ad bonum, ſub hoc ſacro ſymbolo charitatis? 11. Si ſola communio naturæ humanæ tantum valet ad affectum & compaſſionem: quantum communio humanitatis Chriſti? 12. Si fraternitas, conſanguinitas, affinitas, ſeù tantilla & tam remota participatio materialis ex eadem corrupta carne & ſanguine, conciliat amorem: quanto potiùs ſacra Cõmunio? 13. Si offerendo munus ad altare, neceſſaria erat olim reconciliatio fraterna: quanto magis nunc ad Euchariſtiam? 14. Si ad panem noſtrum quotidianum *Mat.* 6. ſubditur, *Dimitte nobis, ſicut & nos &c.* quanto potiùs hìc? 15. Si hìc propinare ſibi inuicem, eſt ſignum reconciliationis: quid cõmunicare? 16. Vt prima diſcordia ex fructu vetito: ita & concordia ex hoc tam cõmendato. 17. Vt primum homicidiũ ex abuſu illius ſacrificij *Gen.* 4. Ita omnis reconciliatio ex hoc. 18. Si olim fœdera confirmabantur ſacrificiis: quanto potiùs hoc? 19. Vltimum Chriſti votum *Ioan.* 17. Vt omnes inter ſe vnum ſint, ſicut ipſe cum Patre: perficitur hoc Sacram. 20. Fidelium primitiuorum erat cor vnum & anima vna, ex quotidiana Communione. 21. Si Chriſtus eſt Mediator Dei & hominũ, reconcilians nos Deo: non erit talis inter nos? 22. Si reueremur templa, vaſa ſacra &c. propter Corpus Chriſti: quanto potiùs proximos frequenti Communione conſecratos? 23. Si Deus & Chriſtus eſt ſummum & infinitum bonum omnium: cur nos non omnibus illud diligimus & condiligimus? 24. Ad quid Chriſtus per ſacram Cõmunionem nobis infundit charitatem: niſi vt nos inuicem diligamus ad condiligendum Deum? 25. Cur Chriſtus ſe nobis tam intimè communicat: niſi vt fiat nobis cor vnum & anima vna? 26. Vt cor & anima ad omnia membra, & hæc inter ſe: Sic Chriſtus & amor eius in nobis, & nos omnes inter nos. Qui non amat omnes partes, nec totum: qui non amat omnia membra Chriſti, vt ſint vel fiant, nec amat Chriſtum vt Caput. 27. Vt membra corporis viui & ſani inter ſe cohærent & communicant vitam, alimentum, ſpiritus vitales ac animales, ad omnem ſenſum & motum; appetunt, digerunt, conuertunt, adgenerunt ſibi alimentum, & contribuunt ſemen ad generationem: Sic omnia membra Corporis Chriſti inter ſe, ad nutritionem, augmentationem & generationem ſpiritualem. 28. Vt illa non ſe inuicem premunt, nec aduertenter offendunt, nec inde ſibi inuicem offenduntur; ſed cauent, condolent, medentur: Sic & membra Corporis Chriſti inter ſe, ex vi ſpeciali huius Sacram. 29. Vt ſpecies conſecratæ, ſiue maiores ſiue minores, differunt tantùm exterius, idem ſunt interius, eodemque amore & honore colendæ ſunt: Sic ſuo modo omnes communicantes. 30. Vt Chriſtus dilexit nos non ſolo affectu miſericordiæ ſpiritualis & corporalis, vſque ad Paſſionem & Mortem quondam cruentam, nunc autem quotidianam incruentam: ſic vult vt diligamus inuicem exemplo ſuo Euchariſtico *Ioan.* 13. lauando inuicem pedes ad ſacram Communionem, exhibendo omnia opera miſericordiæ, & præ omnibus, ab inuicem ac pro inuicem libenter patiendo, iniurias mutuas condonando, nobis ac Deo reconciliando inimicos, & conciliando quam plurimos amicos auxiliarios ad condiligendum Deum. Vt ſupra *col.* 600.

*De Charitate Euchariſtica erga Defunctos.*

1. SI Infideles ex ſolo lumine & affectu naturali habuerunt ſuperſtitioſam curam ſuorum defunctorum: prouidendo eis de Naulo Charontis &c. quanto potiùs nos religioſam? 2. Cùm ſacrificia antiquæ Legis profuerint etiam defunctis, & fuerit ex tunc charitas offerendi pro eis. 2. *Mach.* 12. quanto potiùs nunc? 3. Cùm ex tunc conſultum fuerit mittere panem ſuum ſuper tranſeuntes aquas. *Eccl.* 11. & panem ac vinum conſtituere ſuper ſepulturam iuſti *Tob.* 4 ſiue in ſacrificiũ quoddam, ſiue in eleëmoſynam pro defunctis: quanto potiùs nunc ſacrificiũ Euchariſtiæ? 4. Cùm fuerint qui baptizabãtur pro mortuis 1. *Cor.* 15. ſiue ſuperſtitiosè, ſiue religiosè pœnitendo & ſatisfaciẽdo pro ipſis: quanto potiùs nunc? 5. Cùm ſanguis Abel fuerit quaſi ore terræ hauſtus: quanto potiùs Sanguis Chriſti quotidiè irrigans terrã, hauritur & penetrat vſque ad



Digitized by Google

ad viſcera Purgatorij. *6.* Cùm Sanguis Chriſti quotidiè, continuò, & tam abundè effundatur & fluat in remiſſionem peccatorum: fluxus eius non eſt ſiſtendus ſuper terram, ſed deriuandus ad omnes indigentes & capaces alicuius remiſſionis. *7.* Si non pluit aut fluit pleno canali in Purgatorium: ſaltem hinc eo diſtillet, & irroret in refrigerium. *8.* Mors Chriſti cruenta profuit vſque in Purgatoriũ: ergo & incruenta. *9.* Anima Chriſti deſcendit ſaltem ad Purgatorium: ergo & virtus huius ſacrificij. *10.* Sanguis Chriſti non tantum nobis præſentibus ſubiectiuè infunditur, ſed etiam pro multis obiectiuè: ergo pro omnibus capacibus, qui ſunt intra obiectum noſtræ Fidei, Spei, & Charitatis.

11. *Phil. 2.* In nomine IESV omne genu flectitur, etiam infernorũ. *Apoc. 5.* Omnis creatura, etiam ſub terra, benedicit Agno: ergo etiam ibi percipitur fructus ſalutaris ſacrificij eius. 12. *Apoc. 6.* Animæ ſanctæ ſunt ſub Altari: ergo inde participant. *13.* Vt *2. Cor. 9.* ſuo modo ſeruiunt Altari, ſaltem à longè reſpõdendo Amen: Ergo inde participant. *14.* Animæ defunctorũ memorantur ad Altare: ergo fiunt participes. Ex B. Aug. 20. Ciu. 9. *15.* Legitimè excuſantur, & viui pro eis ſupplent: Ergo non priuantur omni fructu. *16.* Fideles cupiunt ſepeliri propè Altare: Ergo vt animæ inde participent. *17.* Cùm animæ ſanctæ Purgatorij ſint adhuc de Corpore Chriſti myſtico: debent eſſe ſpiritualiter eius participes. *18.* Vt cor & caput influit intimis & ſecretiſſimis partibus ſpiritus naturales & animales: ſic & Chriſtus etiã animabus Purgatorij. *19.* Vt membra digeſtiua alimenti, non ſibi præ alijs retinent, ſed ſingulis etiam ſecretiſſimis diſtribuunt, & à ſingulis ſecretiſſimè ſugitur: ita & fructus ſacrificij vſque ad animas Purgatorij. *20.* Vt Medicinæ ore ſumptæ penetrant & purgant vſque ad partes ſecretiſſimas: ita & hîc vſque ad animas Purg. *21.* Vt mater ex ſuo cibo nutrit prolem in vtero, & lactat extra, prole ſugente intus & extra: ſic & Eccleſia ad animas etiam Purgatorij, & hæ ad illam.

*22* Deus habet animas noſtrorum captiuas, nos hîc eius Filiũ quaſi obſidem & captiuum: impendamus hîc Chriſto, quod cupimus à Deo rependi illis ſanctis animabus. *23.* Offeramus Deo reſtitutionem Filij ſui, hîc quaſi ad hoc obſidis & captiui ſub ſingulis ſacris ſpeciebus: ad liberationem ſingularum imò plurium ſimul animarum. *24.* Vt magni illi negotiatores dant vbique cambiales: ſic & petamus hîc à Chriſto pro Purgatorio. *25.* Vt Patres ſolent aliquando caſtigare proles, matre ad clamorem accurrente & mediãte: ſic Deus & Eccleſia erga animas Purgatorij. *26.* Quid Deo gratius, qui præ omnibus amat animas, *Sap. 11.* quam ſic mediare, imò & mediando pro eis ictus excipere, aut proprium ſacrificij fructum eis cedere & Deo offerre? *27.* Quid Chriſto gratiùs quam tales ſub-mediatores, & ſui imitatores, ac diſpenſatores habere? *28.* Quid gratius Beatis, quam ſuos proximos, à nobis adhuc remotioribus, ad ſe promoueri? *29.* Quid nobis ſalubrius, quàm hinc nobis tantos amicos cõciliare: & pro fructu ſatisfactorio pœnæ, fructum gratiæ & Charitatis nobis comparare? *30.* Si miſeriorum miſerendum, vt captiuorum, mancorum, paralyticorum: tales ſunt animæ extra corpora, & locum ac ſtatum merendi & ſatisfaciendi. *31.* Si proximiores præferendi: ſunt nobis proximiores Deo & ſuo fini. *32.* Quid dignius hac Chriſti per nos charitate, quàm quæ præcipuè patiuntur à Dei ſui & mutua charitate, morte fortiori, inferno etiã duriori, ad libenter ſatiſpatiendum. *33.* Iurauit Dominus, Amen, & non pœnitebit eum *Pſalm. 109.* *Mat. 5.* Non exient inde niſi reddãt nouiſſimũ quadrantem: ſed concordandum eſt cum Verbo & lege Dei, à qua traditæ ſunt Iudici & carceri. *34.* Etſi debitum ſit perſonale: ex eodem verbo & lege Dei, Caput luit ac ſoluit pro corpore, membrum pro membro: nos autem vnum ſumus cum eis charitate *Ioan. 17.* & frequenti ſacra Communione *1. Cor. 10.* Quæ intima vnitas eſt propria animarum, condiligentium Deum, & ſe omnes vt vnicam Dei. *35.* Debitum fuit hîc contractũ: Ergo ſolui poteſt in moneta & valore huius vitæ, gratioſa ſatisfactione, non neceſſariò ibi rigida paſſione. *36.* O Lex & Verbum Dei, in quocumque te hæ animæ offenderint in via *Mat. 5.* Ecce tua ipſa lege talionis *Exod. 21.* oculum pro oculo, dentem pro dente, vitam pro vita, mortem pro morte, paſſionem pro paſſione &c. Ecce omnia & ſingula tibi ex Chriſto & in Chriſto hîc & nunc integrè & cum infinito fœnore meritorum & ſatisfactionum reſtituta. Ecce tibi nouiſſimũ ſummum, quaſi *quadrantem*. 37. Nec excipi poteſt non eſſe noſtrum aut illarum: vt inde pro eis reſtitui aut ſatisfieri poſſit. Eſt enim noſtrum & illarum: non animando, ſed illud præ noſtris omnibuſque corporibus amando. *38.* Nec quod non ſit diuiſibile: vt oculus pro oculo, dens pro dente reſtituatur: quia gratior eſt quælibet pars in ſuo toto & integro. *39.* Nec quod non ſit nouiſſimus quadrans: quia non quaſi minimus nummus in ſpecie; ſed ſummus in valore, ne quidem minùs quadrante: & nouiſſimus, ſeù quaſi hic & nunc ad hoc ipſum excuſus. *40.* Nec quod hoc Corpus non ſit noſtrũ diſtributiuè quoad valorem: cum ſit noſtrum etiam conſecratiuè.

*De Religione Euchariſtica, ſeu honoraria Dei*

*1.* EX ſignificationibus eſſentialioribus Sacrificij, à *col. 258. ad 255.* 2. Ex his tam glorioſis inſignibus generoſiſſimi Corporis & Sanguinis totiuſq; proſapiæ Chriſti: quibus non vt Aquilis, Leonibus, Tigribus, ferocitas aut potentia; ſed ſpeciebus panis & vini ſignificatur clementia ac beneficentia; & tamen omnium à Deo dependentia ad cibum & potũ, vitam & mortem, gratiam & gloriam. *3.* Ex tam glorioſa quaſi aula Euchariſtica Chriſti: tum Angelica, tum humana circa eius Altare ac Sacrificium. *4.* Ex tot quaſi feudatarijs à Chriſto dependentibus, cum eo quotidie Deo homagium exhibentibus, & quaſi ad eius mortem, ſuorũ feudorũ ſeu bonorum omnium dependentiam renouantibus. *5.* Ex tam glorioſa quaſi militia pręſidiaria, tum Angelica 12. legionum, tum humana omniũ Principũ & exercituum Chriſtianorum pro Chriſto contra Anti-Chriſtos. *6.* Ex tot ſepulchris, ſtatuis, reliquijs, figuris, inſignibus, votis Fideliũ vel iam Beatorum, vel in Purgatorio, vel adhuc viuorum circa

altaria:

altaria: in proteſtationem Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis, vitæ & mortis ſuæ & ſuorũ omniũ pro Altari Chriſti. 7. Ex hac quaſi victoria & triumpho Chriſti: victis, vinctis, ac deuinctis Fide & Charitate, ad ſacras ſpecies quaſi ad currum triumphalem, omnibus fidelibus ac deuotis; ſed raptatis omnibus ſenſibus & rationibus rebellibus. 8. Ex hac quaſi ſuprema Dataria ſpirituali Chriſti, & Patronatu Beneficiorum omnium Dei: apud quam omnes prætendunt & ſupplicant. 9. Ex hac glorioſiſſima menſa, & Ordine Miniſtrorũ, inde tam ſplendidè conuiuantiũ; & ex reliquijs totam Eccleſiam paſcentiũ ac exhilarantiũ, ſupra omnes figuras Salomonis *3. Reg. 14.* Aſſueri *Heſter. 1.* 10. Ex tot quotidianis ſacrificijs, & frequentiſſima ſacra Cõmunione, velut quadam circulari & glorioſa propinatione huius Crateris tornatilis, ad gloriam Dei & Chriſti. Vt & plus quam. *1. Cor. 10.* 11. Ex tot quotidiè mendicis & reis ad hanc non anguſtam ſed Auguſtam Chriſti portam, circa Altare ſupplicantibus. 12. Ex tam glorioſa muſica Euchariſtica, Angelica & humana, omnium vocum & organorũ &c. 11. Ex tot tantiſque præconijs Euchariſticis, mentalibus, vocalibus, ſcriptis &c. 14. Ex tot ceremonijs publicis & priuatis, Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis, Pœnitẽtiæ &c. 15. Ex tot tantis tamq; pretioſis vbique templis, vaſis, & prouentibus ſacris ad hoc ſacrificium. 16. Ex omnibus materialibus, artificijs, & operarijs, ad elaborandam materiam ſacrificij, templa, vaſa ſacra &c. Altari ſeruientibus, totoque mundo quaſi ad hunc ſolùm finem conſeruato, & ex eius reliquijs ſuſtentato.

*De Euchariſtica Deuotione.*

Id eſt, de promptitudine ac diligẽtia ad eius cultũ. 1. Ex illo *Prou. 23.* ſupra *col. 601. 602. n. 91.* 2. Ex *Mat. 26.* Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. 3. Ex eo quòd *Exod. 35.* Iſraëlitæ tam *promptè & deuotè* contulerint ſua pretioſiora in Tabernaculum Domini. 4. Ex mobilitate cælorum, & promptitudine naturali rerum omnium ad ſuos motus & fines: quanto potiùs ſupernaturali, ad motus gratiarũ Sacramentaliũ. 5. Ex *1. Tim. 4.* Noli negligere gratia quæ eſt in te. 6. Ex *Ier. 48.* Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: Alias, *negligenter.*

*De Liberalitate Euchariſtica.*

1. *Col. 479. à 597. ad 600. à 613. ad 621.* De Bonitate & Charitate: ex qua ſequitur liberalitas ſeu affectio dandi & communicandi libenter & gratis ſua ſine parcitate. 2. Ex Donatione & communicatione æterna ac infinita eiuſdem Eſſentiæ Diuinæ à Deo Patre, Filio: & ſpecialiter à Patre & Filio, Spiritui ſancto, ſub ratione Doni. 3. Ex donatione ſeu communicatione hypoſtatica: quarum imago, eſt hæc Euchariſtica. 4. Ex illo *Marc. 10.* Nemo tam bonus niſi vnus Deus: vt ſic det ſeipſum. 5. Ex illo Chriſti Axiomate *Act. 20.* Beatius eſt dare, quam accipere. Quia illud ex bonitate & abundantia, ſaltem affectus: Hoc ex indigentia, vel auaritia. Niſi ſimul totum detur & accipiatur. 6. Ex illo *Apoc. 5.* Dignus eſt Agnus qui occiſus accipere diuinitatem &c. i. habere acceptam. Quia qui non eſt parcus, ſed tam liberalis; dignus eſt habere vnde det & communicet. 7. Ex *Sap. 7.* Sine inuidia cõmunico &c. 8. Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo &c. *Phil. 2.* 9. Se naſcens dedit ſocium, conueſcens in edulium, ſe moriens in precium, ſe regnans dat in premiũ. 10. Hilarem datorem diligit Deus. *2. Cor. 8. & 9.* De modo quaſi Euchariſtico liberaliter dandi, & honeſtè petendi ac recipiendi.

*De Gratitudine Euchariſtica.*

1. Ex *Pſal. 115.* Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? i. bona ſua pro malis meis. Calicem ſalutaris accipiam. i. Hoc nouo & maiori beneficio ab eo accepto, nomen eius inuocabo, colam, adorabo. Vota mea Domino reddam .i. Me ei deuouebo, & pro eo reciprocè potabo Calicem Paſſionis & Mortis. Nam, Præcioſa in cõſpectu Domini mors Sanctorũ eius. 2. Ex *Prou. 23.* De obſeruandis quæ nobis ad hanc menſam Principis apponuntur: vt ſimilia rependamus .i. Carnem pro Carne, ſanguinem pro Sanguine, animam pro anima, vitam pro vita, mortem pro morte. Vt ſupra *col. 288. 604.* 3. Ex Ioan. *13. 15. 16. 1. Ioan. 13. Mat. 10. 25.* vt *col. 619. 620.* De rependendo affectu & effectu dilectionis & gratitudinis Chriſto in ſuis membris, ſuis Minimis, Minoribus. 4. Ex *Mat. 26. Marc. 14. 1. Cor. 11.* Ad Calicem, *gratias egit &c. Luc. 22.* Ad panem & calicem. *Ibid.* conſecrato corpore, ſubditur: Hoc facite in meam commemorationem. *1. Cor. 11.* etiam conſecrato calice repetitur, Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem &c. De grata vtrique commemoratione. Vnde hoc ſacrificium Euchariſticum, & eſt gratitudinis Chriſti ad Deum pro nobis, & noſtri ad Chriſtum, in ſe & in ſuis. 5. Ex graui illa querimonia Chriſti de proditoria ingratitudine Iudæ manducantis ſecum & ſeipſum *Matt. 26.*

*De Humilitate Euchariſtica.*

1. Erga Deum, ex ſignificationibus ſacrificialibus *col. 262. 263. 264. 621. 622.* 2. Erga nos ipſos, quaſi ſuo quotidiano deſcenſu ad nos & in nos. 3. Quaſi quadam ſui regeneratione quotidiana ex nobis, ſeu ex noſtro pane & vino, à nobis per conſecrationem, & in nobis per ſacram Communionem. 4. Ex minoratione Sacramẽtali tantominus ab Angelis *Pſ. 8. Hebr. 2.* & ab ipſa forma humana ſerui *Phil. 2.* vſq; ad formam panis & vini. 5. Ex hoc ſtatu Chriſti Sacramentali ſub qualibet minore mica & guttula: in memoriam ſuæ quandam conceptionis ſub minima forma humana, & in victoriam ac triumphum non de Maioratu, ſed de ſuo Minoratu, ſeu de ſua præ aut ſub omnibus humilitate illa omniũ exemplari. *Mat. 11.* Ad facilè intrandũ per anguſtam portam, *Mat. 7.* & tranſeundũ etiam per foramen acus. *Matt. 10.* 6. Ex hac ſua quaſi quotidiana humili reminiſcentia in Bethlehem, ſeu domo panis, in ſtabulo, in præſepio, inter homines animales, & in eorum pabulum. 7. Ex hac quaſi refaſciatione Sacramentali, ſeu ſtatu immobili corporis & membrorum ſuorum. 8. Ex hac ſua quaſi veſte Sacramentali, tam paupere & humili, anguſta, trita, mutua, inconſutili, immutabili, accidentali panis & vini. 9. Ex hac ſua quaſi mendicatione, nutritione, & dependentia Sacramentali à nobis. 10. Ex hac quaſi rebaiulatione Sacramẽtali à nobis. 11. Ex



Digitized by Google

ſua adhuc familiaritate & conuictu Sacramentali cum peccatoribus conuerſis. *12.* Quòd hîc quaſi præcinctus, ſe ipſum nobis ad menſam miniſtret, vt *Matt. 20. Marc. 10. Luc. 12. Ioan. 13.* 13. Quòd in forma conſecrationis noluerit exprimi quod in ſe glorioſius eſt: ſed tantùm quòd humilius, videlicet Corpus & Sanguinem. *14.* Quod velit hîc quaſi eſſe Sacerdotis, conſecratiuè. *15.* Quod velit quaſi eſſe eiuſdem, diſpenſatiuè.

*De Miti Patientia Euchariſtica.*

Repatitur hic Chriſtus Sacramentaliter. *1.* Sordes paupertatis, vel potius negligentiæ & auaritiæ, in ſuis templis quaſi ſtabulis, Altaribus quaſi præſepijs, vaſis ſacris quaſi fuliginoſis & æruginoſis, Corporalibus quaſi pannis menſtruatis, pane quaſi mucido, vino acido: ex quibus Sacramentaliter quaſi generetur & nutriatur; idque à ſuis Miniſtris, qui prouentus & cultũ quem debent Chriſto in Euchariſtia, impendunt ſuis prophanis domibus, menſis, vaſis, pannis, gulæ & ventri *2.* Patitur perſecutionem Herodianam & Anti-Chriſti, templorum & altarium ſuorum euerſionem ac prophanationem, cultus ſui in multis locis abolitionem, & quaſi fugam neceſſariam ad nouos fideles. *3.* Patitur ſuos Capharnaitas, & diſcipulos Apoſtatas ab hac fide Euchariſtica. *4.* Patitur ſuos illuſores, blaſphemos, ſacrilegos. *5.* Patitur ſuos Iudas commenſales, proditores, ac venditores ſymoniacos. *6.* Patitur ſuos Petros, in ſuis votis, promiſſis, propoſitis timidos, inconſtantes, ac infideles. *7.* Patitur ſuos Pilatos politicos, ſeipſo ad politiam tantùm abutentes. *8.* Patitur ſuos Phariſæos & hypocritas. *9.* Patitur ſuos indignos Sacerdotes, qui hunc ſuum ſummum Sacerdotalem inhonorant, & tradunt Hæreticis ac Indelibus illudendum. *10.* Patitur quaſi illuſorias ſalutationes & adorationes exteriores, ſine Spiritu & veritate. *11.* Patitur quaſi flagellationem, crucifixionem, adiurationem latronũ & militum circa crucem: à tot tamque indignè circumſtantibus Sacrificium Miſſæ, inſtar illorum circa crucem. *12.* Patitur præcipuè ſuos carnifices & homicidas ac deicidas, indignè conſecrantes ac ſacrificantes, ſeque Sanguine Chriſti cruentantes. *13.* Patitur tot & toties indignè cõmunicantes. *14.* Patitur à ſingulis interius aliquid ſimile illis exterioribus. *15.* Patitur hæc & hic vt Agnus, vt columba, vt victima: ſine felle, ſine querimonia, ſine tœdio huius ſui Status Sacramentalis, vincens in bono malum *Rom. 12.* In exemplum continuum patientiæ & manſuetudinis *Matt. 11.*

*De Obedientia Euchariſtica.*

*1.* Deo vt *Phil. 2.* vſque ad hanc quotidianam mortem Sacramentalem, & promptitudinem animi ad mortem realem. *2.* Vt ſuis parentibus *Luc. 2.* ſic quantumuis indignis Sacerdotibus. *3.* Vt & plus quam Reus aut ſubditus Iudici, ad primam citationem, & comparitionem perſonalem. *4.* Vt & plus quam vllus arreſtatus, vinctus, aut incarceratus. *5.* Vt & plus quam Sol & Luna, ſubſiſtendo ad vocem Ioſue 10. *6.* Vt non ſuus hic: ſed ſolius Sacerdotis conſecrantis, & diſpenſantis. *7.* Vt ſine vllo motu proprio, aut vſu proprij iudicij & voluntatis: ſed totus expoſitus iudicio & voluntati Sacerdotum. *8.* Vt & plus quam vllus religioſus profeſſus, ſuis Superioribus. *9.* Vt & plus quam vlla Monialis ſub arctiſſima & velata clauſura.

*De Pœnitentia Euchariſtica.*

*1.* Ex tanto tamque frequenti ſono campanarum ad ſacrum ſeu Miſſam: in ſignum tantæ tamque neceſſariæ vocationis Dei ad Pœnitentiam. *2.* In memoriam tubæ illius nouiſſimæ, *Surgite mortui venite ad Iudicium*: ſed præuenite corde contrito ad Sacrificium. *3.* Quòd vt Lazarus nonniſi magno clamore Chriſti reuocatus fuit ad vitam: ſic nec peccatores à ſtatu peccati ad pœnitentiam & gratiam. *4.* Quòd Chriſtus etiamnùm quaſi vociferando, ſeu vocando peccatores exſpiret: vt eis gratiæ ſuæ ſpiritum inſpiret. *5.* Quòd Sanguis eius hîc effuſus, idem ad nos, & Deum pro nobis exclamet. *Hebr. 12.* 6. Vt campanæ ſonant contra tonitrua & fulgura: ſic conuocent ad Miſſæ & Pœnitentiæ Sacrificium; vt auertatur à nobis ira Dei, & tempeſtas reſoluatur nobis quaſi in pluuiam voluntariam pœnitentiæ ſalutaris. *7.* Vt ſonant & conuocant ad extrema ſupplicia reorum: ſic ad ſacrificium Chriſti innocentis; vt hinc nos rei prouocemur vt Dauid *2. Reg. 24.* ad propriam mortem pœnitentiæ pro peccatis noſtris; vt S. Thomas *Ioan. 11.* ad commoriendum Chriſto; vt duo illi amici ad moriendum pro inuicem, ſupra *col. 593. 594.* 8. Vt ſonant & conuocant ad ſepulturas vel funera amicorum, in habitu lugubri: ſic ad ſacrificium Miſſæ, cum luctu compaſſionis & pœnitentiæ, ex motiuo Sanguinis Chriſti à nobis & pro nobis effuſi, hîc & nunc adhuc ſtillantis coram nobis, vt conſanguineis, ſed Chriſticidis. Vt ſupra *col. 590. n. 25.* 9. Vt ſonant alicubi ad agoniam morientium: ſic ad Miſſam, quaſi ad agoniam Chriſti, & pœnitentiæ ac pœnitentium. *10.* Vt ſonant in vrbibus inſtare aperturam vel clauſuram portarum: ſic conuocant peccatores ad portam miſericordiæ aperiendam in hoc ſacrificio, claudẽdam in morte inſtante, & ad ſupplicandum oportunè Chriſto tanquam Principi ingredienti ac tranſeunti. *11.* Vt ſonant *Alarme*, contra hoſtes: ſic ad arma & lachrymas pœnitentiæ contra peccata, ex hoc quaſi armamentario, & pane munitionis ac lachrimarum.

*12.* Vt ſonant in pagis fugam, & refugium ad munitionem cœmiterij & Eccleſię, ab hoſtibus & prędonibus: ſic ad ſacrificium Miſſæ ac pœnitentiæ. *13.* Vt ſonant ad aquam contra incendium: ſic ad lachrymas ex hoc fonte pœnitentiæ hauriendas &c. *14.* Vt ſonant aliquando canorè, vel ad refectoriũ, aut paſtum famulorum & operariorum in magnis familijs: ſic conuocant omnes fideles & miniſtros Altaris, ad paſtum & panem quotidianum, vt panem ſudoris, doloris, lachrymarum, ſubcineritium, ſeu pœnitentiæ ſalutaris ac quotidianæ, ſed voluntariæ, ſapidæ, & conditæ ac imbutæ gratia huius ſacrificij & Sacramenti. *15.* Poſſent ſonare ſeu monere & mouere reos ad hoc refugium quotidianum & quaſi continuum, à Miniſtris iuſtitiæ vindicatiuæ: impetrando ac renouãdo hinc quotidiè Salui-guardiam Chriſti ad gratiam ac ſpatiũ pœnitendi; cauendo interim ab eius abuſu ad libertatem ac impunitatem peccandi, contra ipſam Salui-guardiã.

Poſſent

Digitized by Google

16. Poſſent ſonare nobis quaſi vagitum Chriſti, vt balatum Agni ad ſacrificium: conuocando quaſi ad præſepium, cunas, aut Circumciſionem Chriſti in nobis; ſeu ad expungendum, medendũ, liniendum, ſi quid eum in nobis pungit, aut offendit. 17. Poſſent nobis ſonare preces Eccleſiæ & Sanctorum, quorum etiam nomina campanæ referunt, pro peccatoribus ad pœnitentiam. 18. Poſſunt nobis ſonare monitiones, & comminationes Verbi Dei, & Eccleſiæ, ad peccatores. 19. Poſſunt nobis ſonare quaſi lamentationes Chriſti & Eccleſię, in hoc ſacrificio, pro peccatoribus, inſtar Dauidis pro Abſalone 2. *Reg.* 18. Vt campanæ ſint quaſi illæ quondam lamentatrices mortuorum; ſed hîc & nunc monentes & mouentes omnes Fideles per gratias huius Sacrificij ad orandum pro eorum conuerſione. Vt ſolent etiam ſonare pro mortuis corpore, & animabus Purgatorij. 20. Vt ſonant nobis horas: ſic & hanc ſalutarem pœnitẽdi, ex *Rom.* 13. 21. Si, vt dici ſolet, cuique ſonant pro ſua phantaſia & affectu naturali: quanto potiùs pro cuiuſque gratia ſacrificiali, neceſſitate, diſpoſitione & deuotione. Vtinam poſſent ſonare loquendo, & vnicuique ſonum ſuum exprimere ac inculcare: ſed gratia Dei cui conſonant, vnicuique exprimit & inculcat, niſi aures ſibi obſtruat, aut ex tanto tamque frequenti ſono quaſi conſuetudine obtundat. 22. Ex illo *Eccli.* 32. ſupra *col.* 601. 602. *n.* 91. Cui addi poteſt, De *Hora ſurgendi*, ex *Pſ.* 126. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*. i. ante gratiã vocationis. *Surgite poſtquam ſederitis*: ſeu humilitati fueritis, *qui manducatis panem doloris*. De non ſe *tricando* ſeu volutando, nec in lecto, nec in peccato aut vitio; ſed ad Deum ſtatim conuertendo: Ex B. Aug. 6. *Conf.* 16. Verſa & reuerſa in dorſum, ventrem, & latera, & omnia dura. & tu ſolus requies &c. 23. Ex propitiatione ſeu placatione Dei per ſacrificia pro peccatis, vt *col.* 566. quanto potiùs per hoc, in quo ipſum *Corpus Chriſti pro nobis datur, Sanguis pro nobis funditur in remiſſionem peccatorum*. 24. Ex omni ſenſu remittendi, & peccati. 1. Quoad totam culpam præteritam, per gratiam actualem pœnitendi *vt oportet*, & infuſionem permanentis. 2. Quoad malitiam ac libidinem peccati actualis, eam ſaltem paulatim remittendo à grauiori aut mortali, frequentiori, diuturniori, ad leuiorem, venialem, rariorem, breuiorem, per gratias ad hoc actuales. 3. Quoad inclinationem habitualem peccandi, ex gratia continendi & remittendi, per actus & habitus oppoſitos. 4. Quoad ipſam concupiſcentiam, eiuſq; inclinationem, motus, fomitem: continendo, remittẽdo, temperando, per maiores gratias actuales, & habituales. 5. Quoad pœnam, remittẽdo eam ab æterna in temporalem, per gratiam pœnitentiæ & iuſtificationis: à temporali ad minorem vſque ad nullam, per gratiam ſatisfaciendi, & participandi ſatisfactionibus Chriſti. Quis ergo in tanta influentia gratiarum, frequentando hoc ſacrificiũ non moueatur ad pœnitentiam, & promoueatur ad aliquam remiſſionem peccatorum? 25. Ex quaſi rubricis generalibus huius Breuiarij, à *col.* 592. ad 596. 26. Ex timore Dei Euchariſtico, *col.* 610. 611. 27. Ex ſpe Euchariſticā *col.* 612. 613. 28. Ex Charitate Euchariſtica Dei & proximi, ac reliquis virtutibus, ſeu earum motiuis, ad concipiendam Attritionem aut Contritionem de peccatis oppoſitis. 29. Ex illo *Pſ.* 4. Quę dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Sacrificate ſacrificium iuſtitię &c. *Pſal.* 50. Sacrificiũ Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies &c. Hoc eſt ergo nobis ſub ſacrificio Miſſæ offerendũ, & conſacrificandum. 30. Olim ad ſacrificium pro peccatis trahebantur tauri, hirci, arietes cornuti, & coram altari mactabantur: vt Aries ille pro Iſaac *Gen.* 22. Sic noſtra animalitas trahenda eſt ad hoc ſacrificium, & mactanda ad altare per gratiam pœnitentiæ & emendationis. *col.* 595. *num.* 42. 31. Vt mortui & energumeni ad Chriſtum: ſic peccatores ad hoc ſacrificiũ. *col.* 592. 32. Vt reus ad mortem damnatus, & hinc inde pro demeritis patiendo ad locum extremi ſupplicij circumductus, inſtantem mortis ictum expectat: ſic peccator patiendo circumductus ad mortem Corporis, interim coram Altari ictum ſeu motum efficacem perfectæ contritionis ſuppliciter expectet. 33. Ex figura Agni Paſchalis *Exod.* 12. comedendi cum lactucis agreſtibus & amaris, pœnitentię & compaſſionis. 34. Ex *Iob.* 3. Antequam comedam ſuſpiro. *Pſal.* 101. Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meũ &c. *Pſal.* 101. Cinerem tanquã panem manducabam &c. *Pſal.* 126. Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. *Pſal.* 79. Cibabis nos pane lachrymarum: ad ſignificandũ hunc panem Euchariſticũ, vt pœnitentia ſuſpirandum, lachrymis pœnitentiæ pinſendum, ſubcineritium ſeu inter cineres pœnitentiæ nobis coquendum, & dolore ac labore pœnitentiæ comparandũ. 35. Vt lachrymæ eliciuntur punctione oculi *Eccli.* 22. inſperſione vini, iure cœparum, feruore ſynapis, qui temperatur odore panis: ſic compunctione cordis, influentia huius ſacrificij, memoria peccatorũ, feruore fidei, ſpe huius panis tẽperato. 36. Ex pœnitẽtia Adami proſcripti à ligno vitæ, *Sap.* 11. Prodigi *Luc.* 15. Publicani *Luc.* 18. & aliorum ſupra *col.* 603. relatiuè ad hoc Sacram. 37. Ex neceſſaria recõciliatione cum proximo ante oblationem ad Altare *Mat.* 5. quanto potiùs cũ Deo. 38. Ex ordine diſpoſitionis, ſeu ab imperfectiori ad perfectius *Mat.* 6. inter, *Dimitte nobis &c.* Et, *Panem noſtrum &c.* 39. Ex neceſſaria probatione & iudicio noſtro 1. *Cor.* 11. ad non communicandum indignè: Vt eſt neceſſaria purgatione ſtomachi, ad bonam digeſtionem & nutritionem. 40. Ex Iudicio liberationis à viro iniquo, ſeu peccatore ac peccato, & Cõfeſſione coram Deo ante Miſſam, ſiue ex perſona Chriſti, quaſi in horto ante paſſionem ſuam pro nobis animo pœnitentis, ſiue ex noſtra ad illius imitationem. 41. Vt leproſi ad Sacerdotes remiſſi eundo mundati ſunt: ita pœnitentes & confitentes Deo in Miſſa remiſſi ad confeſſionem Sacramentalē, eundo ſolo voto mundantur, ſub obligatione tamen exequendi. 42. Ex frequenti conuerſione Sacerdotis ad populum: in memoriam Chriſti viſitantis & excitantis diſcipulos dormitantes in horto; & ſua ad Petrum conuerſione ac aſpectu eum vt glaciem reſoluentis in lachrymas pœnitentiæ. 43. Ex oblatione panis coagulati & concocti ex farina molita & aquæ

Digitized by Google

*De Caſtitate Eucharistica.*

1. SI etiam de Carne Chriſti, ſine Spiritu Dei *Ioan. 6.* Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquã: quid de carne cõcupiſcentiæ, noſtra & aliena? 2. Si ipſa Caro Chriſti eleuandã fuit ab oculis noſtris ad Cœlum, vt aduenirer Spiritus ſanctus, *Ioan. 16.* quantomagis omnis caro noſtra & aliena, à ſenſibus & affectu noſtro? 3. Cùm ipſum Corpus Chriſti quaſi nundinetur, ſeu offeratur Deo ad lucrum Spiritus & gratiæ: quanto libentiùs & noſtrũ & omnia aliena corpora reſignemus Deo pro minima gratia? 4. Cùm ipſum Corpus Chriſti ſacrificetur, ſeù mactetur ad maiorem gloriã Spiritus Dei: cur non omnia corpora conſacrificẽtur, ſeù affectu & vſu quaſi in nihilũ immolentur ad obſequiũ Dei, vt *Rom. 12*? 5. Cùm hoc Sacramentũ, aut Corpus Chriſti ſub illo, non communicet nobis ſuum Spiritũ gratiæ, vt viſum vel guſtatum, ſed vt iam manducatum & diſparens extra omnem ſenſum, vel etiam extra ſpecies digeſtas: quanto minùs adhærendum aut confidendum alijs corporibus & ſenſibilibus? 6. Cùm Chriſtus non communicet hĩc corpus ſuum ſub vllo proprio ſenſibili: quanto minùs cõmunicanda ſunt alia corpora ſenſibiliter? 7. Non eſt animæ melioris, appetere ſeu concupiſcere corpus nequidem proprium, vt minus bonum ſe: ſed corporis appetere animam, vt bonum & perfectiuum ſuum. 8. Sicut Anima Chriſti quaſi conjugata ſuo corpori, nunquam illud faſtidit deſerit aut aliud cõcupiſcit: ſic nec vlla anima poteſt pluſquam proprium corpus animare ſeù perficere, nec debet alterius corpus concupiſcere. 9. Nec animis noſtris appetendum eſt Corpus Chriſti propter ſe: ſed ad participandum inde ſpiritũ charitatis, contra concupiſcentiam noſtræ propriæ carnis ex Adamo. 10. Chriſtus noluit nobis vniri exteriùs ſub forma reciproca corporum, ſed ſub ſpecie cibi & potus, intimè vltra omnem ſenſum, vſque ad animum, communicando ſe nobis vt vnum verum ac ſummum bonum cõmune, ad quandam omnium ſecum & inter ſe vnitatem ac identitatem obiectiuè participandam, per charitatem reciprocam beneuolentiæ vnius eiuſdemque obiecti. In ſignum quod vt B. Aug. *2. Conf. 2.* hic ſit limes amicitiæ ab animo ad animum. *4. Conf. 9.* Quod nil quærendum ſit ex amici corpore, niſi ſigna beneuolentiæ. *Cap. 11.* Si corpora placent, Deum in illis lauda &c. vt ſupra *col. 606. & 616.* Contra omnem pruritum concupiſcentiæ ad vnionem & corruptionem reciprocam corporum ac affectuum: ſub fuco amicitiæ ſeù beneuolentiæ mutuæ. 11. Cùm Chriſtus hic & *Ioan. 20.* noluerit tangi: quàm cauendum eſt à contactu corporali! 12. Cùm hic noluerit Corpus ſuum videri: quantominus hîc quam vllibi, vllam putrem carnem alienæ concupiſcentiæ obijci, aut vt, & pluſquam ipſum templum & altare ornari *Pſal. 143.* ſed ex *1. Cor. 10.* pudicè velari. 13. Cùm nec Corpus ſuũ voluerit hîc vlli ſenſui ac concupiſcẽtiæ ad delectatiorem exponi, ſed tantùm vt cibum ad nutritionem ſpiritualem: quantominùs vllũ aliud corpus? 14. Cùm Chriſtus hic non tantùm nos circa ſe nobis dilectum, ſed & ſeipſum circa nos ſibi dilectiores, mortificet & priuet omni vita actuali ſeù vſu ſenſuum: quanto potiùs hanc mortificationem Chriſti ad omnia alia circumferamus? vt ſupra *col. 613.* 15. Cùm Chriſtus ſit hic abſque tactu, viſu, aut alio ſenſu proprij corporis: quàm nobis cauendum eſt ab omni contagione ſenſuum & membrorum noſtrorum inter ſe? 16. Vt Chriſtus habet hic omnes partes ſui corporis vniſſimas, abſque vllo mutuo contactu aut ſenſu: ſic & omnia membra Corporis ſui myſtici ſint tam vnita, & in Vnũ cõſummata charitate; vt præ vnitate non ſe inuicem ſentiant, ſed in Vnum conſentiant. Sicut nec partes continuæ, nec nimis contiguæ ſe inuicem ſentiunt. 17. Si cauendum eſt à proſtitutione & abuſu proprij vel alieni corporis, ad vllam concupiſcentiam &c. quanto potiùs à quadam proſtitutione vel abuſu ipſius Corporis Chriſti, vel membrorũ eius in nobis & alijs *1. Cor. 6.* quia ita illi incorporati ſumus per ſacram Cõmunionem, vt non poſſimus in abuſu ſecerni. 18. Sathan ſtimulat concupiſcentiam carnis. *2. Cor. 12.* & halitu ſuo prunas eius ardere facit *Iob. 41.* Chriſtus hic ſuo Spiritu exufflat. 19. Corui inhiant putris cadaueribus *Gen. 8.* Aquilæ huic ſoli corpori viuo. Luc. 17. 20. Vinum prophanũ fouet venerem: Hoc autem ſacrũ germinat Virgines *Zachar. 9.* 21. Hæ ſequuntur Agnum quocunque ierit *Apoc. 14.* 22. Contra omnem concupiſcentiam carnis: eſt quaſi deſponſandũ Corpus Chriſti, vt Mediũ ſe ſolo omnes vniens & ſeparans; vtque Obiectũ in quo & Deo fruamur, & omnibus veriùs & meliùs quàm in ſeipſis. Cuius ſacrũ ſignũ eſt coniugium fideliũ. *Eph. 5.* 23. Dæmones incubi & ſuccubi ſpectris dapium, nummorũ, & corporũ, ſuis ſpurciſſimè illudũt: Chriſtus realiter, ſed caſtiſſimè vſque ad animas illabitur, & eas ſe toto, quaſi ſacro ſemine charitate fœcundat.

Hæc & plura moralia hinc facilè excogitari, & ſingulis virtutibus ac vitiis applicari poſſunt.

## *INDEX ET THESES DE EVCHARISTIA.*

1. EX Quæſt. I. *à col. 244. ad 269.* De vero & propriè dicto Sacrificio ac Sacramento Eucharistico nouæ Legis, & vtriuſque diſtinctione.

Quòd omne ſacrificium ex fine proprio ſit Latreuticum, ſeu Homagium honorarium ſolius Dei, ſacro aliquo ſigno publico *inuiſibilis ſacrificij*, ſeu Adorationis internæ ſoli Deo debitæ: Hoc autem, & à ſacra Chriſti Humanitate quondam in cruce, & hic & nunc actu exhibitæ, & à nobis exhibendæ; iure dominij ac perfectionis diuinæ, noſtræque ab ea dependentiæ. Cuius materia ſacrificanda & ſacrificata, eſt ſolum Corpus & Sanguis Chriſti: ipſa autem ſacrificatio formalis, ſola conſecratio ſub vtraque ſpecie ſimul; inuoluens eiuſdem oblationem, conſumptionem vſque ad mortem quandam etiam realem vitæ præſentis actualis, & acceptationem Dei, ad perfectionem eſſentialẽ Sacrificij.

Sed Sacramentum ex fine proprio ſit ſignum externũ, non niſi ſacramentaliter efficax noſtræ conſecrationis internæ: Hoc autem, & permanens noſtræ nutritionis ſpiritualis. Vnde nec eſt ipſa Conſecratio,

locũ circumſcript. aut definitiuum, intrinſecũ aut extrinſecum ſpeciebus, nec ad vllas differentias locales. *330. 457. 484.* De expreſſione autẽ vera & propriè dicta Tranſubſtantiationis. *1.* Per conuerſionem, & tranſitũ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti: non ſubiectiuè, ſucceſſiuè, aut per medium; ſed terminatiuè, & immediatè. *2.* Per fieri, confici, conſecrari, imò & eſſe Corporis Chriſti: non ſimpliciter, ſed quoad hoc, ſeu demonſtrabiliter; de, aut ex pane & vino, non cauſaliter, ſed terminatiuè. Non autem per vllam ſignificationem identitatis, aut vnionis extremorum: quaſi panis vel quod fuit panis, fieret, aut eſſet, vel poſſet fieri aut eſſe Corpus Chriſti. Nec S. Bon. approbans verbũ fiendi, diſſentit ab Alenſi improbante; quia hic pro fieri ſucceſſiuo conſecrationis, ille pro inſtantaneo cõuerſionis: Nec Scotus cõtra mutationem ſubiectiuam, ab Alenſi pro conuerſione totius. *482. 483.*

*7.* Ex Quęſt. 7. *à col. 484. ad 496.* De materia neceſſaria: non inhæſionis aut compoſitionis, ſed cõſecrationis & conuerſionis, neceſſariò quanta, determinata, demõſtrabili, demonſtrabiliterque pręſente conſecranti: Eaque duplici, partiali ad Sacrificium, non ad Sacramentum; Altera, omni & ſolo pane triticeo, ex farina & aqua concocto, non ſola ſpecie & proprietate naturali, ſed etiam morali, artificiali, vſuali diſcernendo, ſiue azymo ſiue fermentato, ſed exemplo Chriſti & præcepto Eccleſiæ Romanæ non niſi azymo; Altera, omni ac ſolo vero *vino de vite*, hoc ſolo proprio genere, ſpecie, & proprietate naturali caloris radicalis ac formalis, potiùs quàm accidentalis & cauſalis, diſcernendo ab agreſta immatura, aceto ſubſtantialiter corrupto, & ab aqua exemplo Chriſti & præcepto Eccleſiæ vino miſcenda & mixta, ſed non conuertibili in ſanguinem niſi ſubſtantialiter in vinum conuerſa. Vt *col. 586. 587. 535.* Dogmaticè contra Cataphriges, Manichæos, Aquarios, ſanguine, ſemine humano, aquâ ſolâ ad conſecrationem abutentes, ex B. Aug. *hær. 26. 46. 64* Græcos fermentarios, Armenos quondã aquã non miſcentes ex errore contra vnionem duarum naturarum in Chriſto, Lutheranos & Caluiniſtas, hanc mixtionem vt ſuperſtitioſam, vel potius eis inſipidam reprobantes. Reliqua Scholaſticè & moraliter: ex conſenſu Alenſis, S. Bon. & Scoti. Niſi de quodam maiori fructu vnionis ex vtraq; ſpecie, infra: & de aceto ab Alenſi approbato, ſed pro vino acidulo aut aceſcente.

*8.* Ex Quæſt. 8. à *col. 496. ad 514.* De forma, non informationis aut compoſitionis, ſed verbali conſecrationis: ſignificatiua ex inſtitutione humana & diuina; ſed hinc, non inde, moraliter non phyſicè, efficaci ſuæ ſignificationis: eaque duplici, partiali Sacrificio, non Sacramento; altera ex vi ſeu ſenſu verborum ſignificatiua, & conſecratiua ſolius Corporis ſub exuuijs panis; altera Sanguinis, ſub exuuijs vini; ſed concomitante ſacrâ Humanitate & Diuinitate. Quæ nec grammaticè, nec Sacramentaliter ſignificant, aut cauſant, niſi vt integræ & pronuntiatæ: priùs etiam naturâ quam ſint veræ vel falſæ, formaliter, non obiectiuè, ex intentione, affirmatione, aut negatione. Singula autem verba ſeorſim, & in toto ſignificant aliquid proprium, ſed relatiuè ad totum: *Hoc* quidem, ſingulare Entis, contentum, aut ſaltem ſignatum: *Eſt*, Eſſentiam aut exiſtentiam, vnionem aut identitatem: *Corpus*, humanum ſub hac formâ ſubſtantiali, ab animâ, Sanguine, & toto diſtinctum: *Meum*, hoc ſingulare & perſonale: *Hic Calix Sanguinis*, pro contento, non continente; non metaphoricè, ſed propriè, pro potu ſeu vino potabili. Ex Alenſi, S. Bon. & Scoto. Niſi quod Alenſis *col. 487 488.* tribuat his formis aliquam vim realem, intrinſecam, & ſupernaturalem: ſed tantùm ex poteſtate & intentione morali Sacerdotis, in ſolum terminum à quo, & poſt earum exiſtentiam; ergò non niſi moralem inſtrumentalem Dei; non tamen vt alteri aſſiſtentis, ac ſupplentis, ſed vt verba propria opere exequẽtis. *512.*

Quòd *col. 496. 497.* cum S. Bon. exponat, *Hoc*, pro pane conuertendo, vel eius ſignato: ſed vel ſeorſim, vel grammaticè, vel ex ſola ſimilitudine naturali aut cæremoniali, ante hanc Sacramentalem. *col. 510.*

Quòd *col. 501. 502.* Alẽſis & ex eo S. Bon. reſtringant valorem Cõſecrationis ad ſolum finem & vſum Sacramentalem: ſed ſine aſſertione, & ex neceſſariâ determinatione ac demonſtrabilitate materiæ. *514.*

Quòd *col. 504.* Scotus videatur dubitare de forma præciſa Conſecrationis: ſed tantùm eſt minus certus de independentia ſenſus à verbis prioribus. *513.*

Quòd Scotus *507.* neget has formas eſſe conuerſiuas, vt ſunt ſignificatiuæ, veræ vel falſæ: quaſi contra Alenſem *col. 496. 497.* Sed ille negat vim ſignificationis, veritatis, aut falſitatis grãmaticæ: hic vult inſtitutionẽ eſſe cõformem ſenſui proprio. *510.*

*9.* Ex Quæſt. 9. *à col. 514. ad 525.* De poteſtate miniſteriali Ordinis Sacerdotalis: neceſſaria & ſufficiente ad validè conſecrandũ, per formam ex intentione prolatam, & ad fructum proprium Sacrificij. De neceſſaria, iure naturali, diuino, & eccleſiaſtico, aut ab Eccleſia determinato, ad licitè conſecrandum, ordinaria certitudine morali de ſtatu gratiæ; per Pœnitentiam Sacramentalem, vt certiorem; aut ſaltem in graui neceſſitate celebrandi, & graui difficultate confitendi, ex periculo ſcandali, infamiæ propriæ aut alienæ, per poſſibilem Contritionem cum propoſito quamprimùm confitendi extra difficultatem aut periculum præſens. De neceſſaria & iure diuino ſufficiente poteſtate Iuriſdictionis Sacerdotalis aut Epiſcopalis, ad licitè ordinatè & ordinariè diſpenſandũ per ſe vel per Sacerdotes delegatos: extraordinariè autem ad committendũ ſolis Diaconis ex officio, ſed ad mittendũ etiã per alios, ex grauiſſima neceſſitate, niſi lex & mos obſtaret.

Denique, de obligatione Miniſtrorum, iure naturali, diuino, & eccleſiaſtico, aut ab Eccleſia determinato: non ſolùm non contemnendi, nec pro libitu omittendi aut neligendi; ſed religioſè obſeruandi totam inſtitutionem Chriſti, & ordinationem Eccleſiæ, quoad leges, cenſuras & cæremonias: pro cuiuſuis importantia ad finem proprium huius Sacrificij ac Sacramenti, & ad obedientiam, vniformitatem, & ædificationem Eccleſiæ. Dogmaticè contra præſumptionem hæreticam æqualis ad hæc poteſtatis omnium fidelium: Scholaſticè & moraliter,

Digitized by Google

liter, ex conſenſu Alenſis, S. Bon. & Scoti, aut non contra. Niſi quod quidam poſteriores Scoti interpretes velint eum excuſare aliquam ignorantiam iuris diuini, vbi nec humani. Sed fortè *ad talem ac tantum actum* officij, non ad quemlibet. *525.*

*10.* Ex Quæſt. 10. *à col. 525. ad 543.* De Communione Sacramentali: nõniſi corporali & morali, hominum vtriuſque ſimul capacium, vt Chriſti & Iudæ in vltima Cæna; ex aliqua ſaltem priori cognitione & conſenſu proprio in hoc Sacramentum. De ſpirituali, nonniſi capacium, & diſpoſitorum aut diſponentium ſe ad Sacramentalem, & eius fructũ; per fidem & charitatẽ, aut ſufficientem pœnitentiam mortalium. De vtraque ſimul: nonniſi corpore ieiuno, & animo moraliter ſecuro à mortalibus, per eorum pœnitentiam Sacramentalem; aut ex graui neceſſitate communicandi & difficultate confitendi, per ſolam contritionem cum propoſito confitendi oportunè. Ex conſenſu Alenſis, S. Bon. & Scoti. Niſi quòd Alenſis neget Corpus Chriſti ſub hoc Sacramento manducari à Brutis: ſed fateatur transferri vbique cum ſacris ſpeciebus. S. Bon. honeſtius cenſeat, non transferri in ventrem muris aut cloacam; ſed Scotus mediando conciliet, non moueri ab vllo extrinſecò, ſed vbique fideliter adhærere ſacris ſpeciebus, nec plus inde pati quàm Deus vbique.

*11.* Ex Quæſt. 11. *à col. 543. ac 552.* De fine & fructu Sacramentali, poſt completam communionem, æquali ſub qualibet aut quantalibet ſpecie, in ſubiectis æqualiter diſpoſitis, aliqua ſaltem fide & deuotione. *1.* Nutriendi & augendi vitam ſpiritalem per infuſionem gratiæ, ſeu charitatis habitualis. *2.* Conferendi maiores gratias actuales, ad exercitium, perſeuerantiam, & perfectionem eiuſdem charitatis. *3.* Illuminandi ad hoc intellectum. *4.* Mouendi & transformãdi affectum in Chriſtũ. *5.* Benè afficiendi proximis. *6.* Moderandi concupiſcentiam animi. *7.* Contemperandi ipſa Corpora Corpori Chriſti. *8.* Communicandi eis vitam immortalem. *9.* Præſeruandi à Mortalibus. *10.* A frequentia & malitia venialium. *11.* Remittendi venialia pręterita. *12.* Imò & Mortalia, ſaltem attrita, ſed ex inculpabili ſaltem hîc & nunc obliuione, necdum confeſſa. Hinc quàm conſulta ſit ad tot & tantos fructus frequentia ſacræ Communionis.

Dogmaticè ſaltem de primo fructu: De reliquis Scholaſticè, ex conſenſu Alenſis, S. Bon. & Scoti, aut non cõtra. Niſi quòd Al. *529. 530.* & S. Bon. *546.* cenſeant illam remiſſionem mortalium magis extraordinariam, quàm Scotus *col. 540.* Quodque Alenſ. & S. Bon. videantur negare hic nouam infuſionem gratiæ: non tamen quoad rem, ſed tantùm quoad diſtinctionem formalem & finalem à Charitate. Vt *col. 548.* Denique quod iidem videantur minùs fauere frequenti Communioni Sacram: ſed ad renouandam interdum deuotionem. Vt *col. 553. 554.*

*12.* Ex Quæſt. 12. *à col. 553. ad 559.* De neceſſitate huius Sacramenti. *1.* Finali, ad primam etiam iuſtificationem, per priora ad hoc ipſum ex ſua inſtitutione ordinata. *2.* Medij ordinarij in re vel voto, ad perſeuerandum in charitate. *3.* Iuris naturalis, non negligendi, ſed vtendi ad hunc finem ſacra Communione, ſaltem in graui neceſſitate: imò & ad eam præueniendam, ac profitendam hanc noſtram dependentiam. *4.* Iuris Diuini Chriſti *Ioan. 6. Mat. 26.* *5.* Eccleſiaſtici, determinantis illam obligationem iuris Naturalis & Diuini, ſaltem ad ſacram Communionem pro viatico, & annuam Paſchalem. Nec Alenſis & S. Bon. *col. 553. 554.* negant illam neceſſitatem, finis, medij, & iuris naturalis ac & diuini: ſed obligationem communem ac determinatam, niſi ab hac determinatione Eccleſiæ.

*13.* Ex Quæſt. 13. *à col. 559. ad 575.* De ſalutari Miſſæ Sacrificio pro viuis & defunctis: non ex merito aut ſatisfactione Chriſti præſente, nec ſolùm ex inſtitutione præterita; ſed etiam ex propria, præſente, & actuali ſuiipſius oblatione, impetratione, & diſpenſatione ſuorum præteritorum meritorum, per applicationem Miniſterialem cuiuſuis Sacerdotis, independenter à proprio merito, aut mandato alieno, ad fructum proprium & determinatum cuilibet Miſſæ Sacrificio; ſaltem exhibito pretio redimendi aliquotam pœnarum, & obtinendi quibuſuis peccatoribus oportunè aliquas indeterminatas gratias conuerſionis, pœnitentię, emendationis, pręſeruationis, perſeuerantiæ, & quæuis beneficia ſalutaria. De iure quoque & æquitate ſtipendij honorarij Sacerdotum, ad tam ſacrum ac ſalutare miniſterium: non ex pacto iuſtitiæ commutatiuæ, ſed ex fideli compromiſſo, religioſiſſimè obſeruando, non præſumendo de æquiualentia pluribus in infinitum. Deniq; de perfectione huius applicationis, ex ſtatuto noſtræ Reform. ad intentionem & imitationem Chriſti in Cruce, ſub illo primo *Memento* &c. non ad illam communem; ſed determinatam ex prædeſtinatione, præuiſione ac prouiſione omnium, ad hanc ipſam circa hos excutionem. Dogmaticè, de ſalutari viuis & defunctis: Reliqua Scholaſticè & Moraliter ex Scoto & aliunde.

*14.* Ex Quæſt. 14. *à col. 575. ad 591.* Dogmaticè, De neceſſitate, honeſtate, vtilitate, & obligatione cæremoniarium Miſſæ in Eccleſia Romana. Scholaſticè, De cauſis, finibus, & ſignificationibus harum cęremoniarum, in plurimos ſenſus: non fictos, ſed æquè à Deo præuiſos & prouiſos, ac omnes veri ſenſus poſſibiles ſacrę Script. ex B. Aug. *lib. 3. Doct. Chriſt. cap. 27. lib. 12. Conf. c. 31.* nec inanes, ſed alicuius gratiæ conuenientis. Moraliter, De principijs & quantitate huius obligationis, ex iure Naturali, Diuino, Eccleſiaſtico, Sacri Conc. Trid. priuilegijs, moribus, ad aliquot dubia applicatis. Moderando Scotum *518. 519* De præcepto Sacrificij obſeruando, ſine quibuſdam cæremonijs: Et Caſuiſtas circa defectus caſuales, ſeu improuiſos. *col. 579.*

*15.* A *col. 591. ad 607.* De Breuiario Hieroglyphico plurimarum ſacrarum ſignificationum, & fructuum cæremonialium huius Sacrificij.

*16.* A *col. 607. ad 615.* De praxi harum ſignificationum, ad varias Meditationes, & Conciones.

*17.* A *col. 615. ad 622.* De hoc Indice.

DE

Digitized by Google

## *Doctrina Alenſis.*

A Quæſt. *54. ad 57.* De virtute. *Quæſt. 58.* De gratia. A *59. ad 114.* De Sacramẽto Pœnitẽtiæ. QVÆST. 54. *De virtute Pœnitentiæ quoad eſſentiam. Membro 1.* Quid ſit re ipſa. *Art. 1.* An ſit virtus. Poſt multa hîc vt vbique, pro & contra. *Reſpondet* contra quoſdam, ex varijs diffinitionibus virtutis & Pœnitentiæ à B. Aug. Hanc non eſſe tantùm actum virtutis; quia ſic non eſſet niſi in pœnitente actu: nec eſſe tantùm impropriè virtutem, ſed propriè; quia non ſolùm reuocat à malo, ſed & dirigit in bonum, vt finem, ordinando liberum Arb. ad declinandum à malo, & operandum bonum, *in vindicta propria nequitiæ, quod eſt opus iuſtitiæ.* Ad Arg. oppoſita, ſupponit hanc ſuam doctrinam eſſe de habitu virtutis infuſæ, etiam paruulis baptizatis, & futuræ in patria: non quoad paſſionem doloris, quæ non eſt virtus; ſed vel quoad ſolam eſſentiam ſeù habitum, abſque vlla inclinatione ad actum; vel etiam quoad ſimplicem affectum iuſtitiæ vindicatiuæ; vel ſaltem quoad actum generalem iuſtitiæ, reddendi Deo gratias debitas &c. Imò & fuiſſe ac eſſe in ipſo Chriſto, ſaltem quoad habitus quibus eliciuntur vel imperantur actus pœnitentiæ, non quoad hunc vſum in ſeipſo.

*Art. 2.* An ſit virtus generalis vel ſpecialis. *Reſp.* Ex toto Art. Eſſe 4. actus elicitos pœnitentiæ. 1. Dolendi de peccatis commiſſis; vel ob auerſionem eorum à ſummo bonó, charitate imperante; vel ob reatum pœnæ æternæ, timore imperante; vel ob priuationem variorum bonorum, ex imperio virtutum inclinantium ad illa; *vel ad impetrandam à Deo veniam, propriſſimè, elicitiuè, & per ſe à ſola virtute pænitentiæ.* 2. Deteſtandi peccata ſua, ira per zelum imperante. 3. Puniendi ſeu vindicandi in ſeipſum, ex imperio iuſtitiæ vindicatiuæ. 4. Cauendi peccata pœnitenda, ex imperio fortitudinis & perſeuerantiæ. Quoad actum puniendi ſeipſum, ad reddendum Deo, Eccleſiæ, & ſibi ipſi ablatum per peccatum: eſt virtutis ſpecialis, ſub iuſtitia. Quoad actus autem contra omnia peccata: non eſt huius virtutis ſpecialis; ſed vel eſt odium mali, ex amore boni; vel eſt cuiuſuis virtutis aut plurium ſimul concurrentium ad ſuos fines, contra mala ſibi oppoſita; vel virtutis ſpecialis, vt contra malum in Deum commiſſum. Nec ſingulæ virtutes eliciunt ſemper dolorem de malo oppoſito, vt pœnitentia: quia hic dolor ſæpè eſt de & ex defectu aliarum virtutũ; & dolor aliarum eſt, nolendo malum oppoſitum ineſſe; pœnitentiæ, nolendo infuiſſe.

*Difficultas.* Sed cur, *Hunc actum dolendi, ad impetrandam à Deo veniam, elicit virtus pænitentiæ per ſe, ſine alterius virtutis: vnde dolere ſic propriſſimè eſt actus pænitentiæ. Reſp. 1.* Supplendum eſſe, *Siue alterius virtutis* ope aut neceſſitate. *Reſp. 2.* Actum puniendi ſeipſum, eſſe proprium ſeu ſpecialem: ſed proprijſſimè ſeu formaliſſimè, ob proprium peccatum, vt nobis à Deo remiſſibile per hanc propriam noſtri punitionem. Non ſine ſpe concomitante: ſed nec eliciente, nec imperante hunc actum, vt ſic; quia ſpes habet Deum ipſum pro obiecto, vt bonum nobis ab eo futurum ex gratia &c. Vt *q. 56. m. 2.*

*Art. 3.* An Pœnitentia ſit virtus Theologica? *Reſp.* Quod non: Quia non habet Deum pro obiecto; ſed offenſam Dei, &c. vt Latria habet honorem Deo debitum.

Nec obſtat, quòd amor boni ſit cauſa odiendi malum, & amor Dei cauſa odiendi offenſam eius: tum quia id tantùm imperatiuè; tùm quia & timor eſt cauſa odiendi malum; tum quia Pœnitentia odit peccatum vt malum proprij ſubiecti.

Hinc tamen non eſſet contra Alenſem, quòd charitas odiat peccatum vt malum ſeu offenſiuum proprij obiecti ſeu Dei. Vt *Pſalm. 96.* Qui diligitis Dominum, odite malum.

*Art. 4.* An Pœnitentia ſit virtus Cardinalis? *Reſp.* Quod ſic, ſub ſola Iuſtitia: quamuis participet 4. perfectiones, diſcernendi agenda, tenendi medium, operandi difficilia, & volendi ordinatè; quia hæ ſunt communes 4. virtutibus circa ſuas materias, non autem ſingulæ ſingularum propriæ, ſed tantùm appropriatæ.

*Memb. 2.* Quid ſit Pœnitentia, definitione. *Art. 1.* Quæ ſit ratio plurium definitionum. *Reſp. 1.* Vt eſt virtus ſpecialis iuſtitiæ, ex B. Aug. lib. de Pœnit. *Eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.* 2. Ex ſuo genere, & differentijs. *Eſt virtus vel gratia, qua mala commiſſa, cum emendationis propoſito plangimus & odimus.* 3. Ex fine ad quem, quaſi ab Aug. lib. 5. reſponſionum: *Eſt res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum.* 4. Ex fine ſeu termino à quo, cap. 24. Eccl. Dogm. *Eſt pænitenda non admittere, & admiſſa deflere.* 5. Ex ſuo ſubiecto à S. Amb. ſer. 40. *Eſt dolor cordis pro malis commiſſis &c.* 6. *Eſt correctio malæ mentis.* 7. Ex peccato oppoſito: *Eſt reuerſio ab eo quod eſt præter naturam; ad id quod eſt ſecundùm naturam.*

*Art. 1.* De veritate ſingularum. §. *1.* De 3. Defin. *Reſp.* Dici optimam: non ſimpliciter, ſed in ſuo genere, vt optimè declinat malum; & ſi ſit ſufficiens ac perfecta, reuocat omnes defectus ad perfectum. Nec obſtat *Hebr. 6.* Impoſſibile eſt &c. Quia nonniſi de renouatione baptiſmali &c.

§. *2.* De 5. Defin. *Reſp.* Quod dolor ſit neceſſarius pœnitenti, & eſſentialis pœnitentiæ. Sed ad varia Arg. explicat ſe de dolore mentis, ob peccata commiſſa: vt ex voluntarijs, per pœnitentiam fiant inuoluntaria; & de dolore liberè elicito. An autem de actu vel paſſione dolendi: infra loco proprio.

§. *3.* De 4. Defin. *Reſp.* vel de pœnitentia finali: vel de omni, quoad affectum ſeu propoſitum nunquam amplius peccandi; & nolitionem etiam abſolutam omnis peccati præteriti; quia præteritũ non fuiſſe, eſt tantùm impoſſibile ex hypotheſi, ratione temporis præteriti, non autem abſolutè ratione ipſius actus; nec eſt conformanda voluntas noſtra diuinæ in ipſo obiecto volito, ſed in obedientia volendi id quod Deus vult nos velle. i. nec peccare, nec peccaſſe.

§. 4. De 2. Defin. *Reſp.* Quod hæc differat ab illis, vt eſt pœnitentiæ reconciliatiua Deo ac Eccleſiæ, & fructuoſæ pœnitenti: idque per tres actus pœnitentiæ, dolendi de præterito, emendandi ſeu ſatisfaciendi, & cauendi pro futuro &c. Quorũ 1. videtur proprior Sacramento. 2. Virtuti pœnitentiæ. 3. Vt circa futurum, neutri.

§. 5. De 6. Defin. *Reſp.* Pœnitentia eſt correctio malæ mentis .i. malæ voluntatis, vel animæ.

§. 6. De 1. Defin. *Reſp.* Natura & ratio dictat vindicare Deum, ad eius nutum, de iniurijs & earum Reis. *Sap.* 5. Nec in hac cauſa idem eſt Reus & Iudex: quia non ſecundùm idem; nec eſt cauſa hominis iudicantis, ſed Dei. Cuilibet enim Reo peccati contra Deum, commiſſa eſt executio & punitio ſui ipſius.

QVÆST. 55. *De Subiecto Pœnitentiæ.*

*Membro 1.* De Angelis. *Art. 1.* An Angelus malus ſit ſuſceptibilis Pœnitentiæ. *Reſp.* Quod non: *Quia eſt inuertibilis.* Natura enim *rationalis ſemel vertibilis eſt de ſe* .i. determinabilis, *non pluries: niſi ex vnione eius cum aliquo mutabili.* Sed quo ſenſu, infra, & latius *in 2. Sent.*

*Art. 2.* An Angelus ante auerſionem fuerit ſuſceptibilis virtutis pœnitentiæ. *Reſp.* Quod non: quia non eſt aptus ad dolendum de commiſſis, nec ad ſubmittendum ſe ſatisfactioni, nec ad abſtinendum à peccato. Fuit quidē in Angelis virtus perfectiua, ſed non correctiua: fuit intelligentia pœnitentiæ: fuit iuſtitia generalis, & quælibet virtus cauendi à peccato ſibi oppoſito; ſed nec virtus pœnitendi, nec ad hoc libertas, niſi à coactione exteriore.

*Art. 3.* De inuertibilitate Angeli. *Reſp.* Cauſæ neceſſariæ. 1. Summa præcipitatio. 2. Impugnatio ſupernæ influentiæ. 3. Pernitioſa obſtinatio. 4. Inuincibilis deſperatio. 5. Sententiæ diuinæ definitio. Congruentiæ. 1. Quod peccauerit proprio motu. 2. Quod non tota natura. 3. Quod ex nulla infirmitate. 4. Quod ex nulla ignorantia. 5. Quòd non in vno, ſed ſinguli: nec per vnum ſuorum reparari poſſint.

Ad 2. Arg. *Preterea phantaſia diaboli agitat voluntatem eius tanto impetu, abſque vlla gratia continente, vt non poſſit nolle malum.* Vel de phantaſia aliqua organica, ex opinione quòd Angeli habeant ſua corpora: vel potiùs de memoria ſpirituali, tenaciſſima ac pertinaciſſima.

*Art. 4.* De inſuſceptibilitate illa Pœnitentiæ. *Reſp. 1.* Priuatiuè, quoad vim actiuam pœnitendi. 2. Contrariè, quo ad oppoſitionem gratiæ & remiſſioni. 3. Negatiuè, quoad omnem facilitatem, diſpoſitionem, aut potentiam naturalem ſuſceptiuam: non autem quo ad *obedientialem. Si enim Deus de poteſtate abſoluta conferret Angelo gratiam gratum facientem: conuerteretur &c.*

*Diff. 1.* Cur ſubdit: *Quantumcumq; pulſaret Deus gratia gratis data, vt recogitatione diuinæ iuſtitiæ, bonitatis &c. nunquam ex hoc prouocaretur ad pœnitentiam.* Reſp. De gratia actuali intellectuali, quæ non mutet intrinſecè voluntatem. De qua alibi.

*Diff. 2.* Sub finem: *Quolibet peccato mortali tollitur aptitudo, quæ eſt quaſi neceſſitas ad gratiam,* facientis quod in ſe eſt. *Peccato in Spiritum S. tollitur illa quæ eſt quaſi diſpoſitio. Peccato diaboli, tollitur illa quæ eſt quaſi potentia. Reſp.* Ex illo *quaſi*, & ex potentia Dei abſoluta vel ordinaria, noſtra autem paſſiua naturali vel *obedientiali.* Sed de *quaſi neceſſitate facientis quod in ſe eſt*: infra expreſſiùs.

*Membro 2.* An homo ſit ſuſceptibilis pœnitentiæ.

*Art. 1.* An in ſtatu innocentiæ *Reſp.* Quòd ſic, quo ad potentiam, non quo ad actum pro tunc.

*Art. 2.* An animæ damnatæ &c. *Reſp.* Quòd non, ex *Eccli. 11.* Si ceciderit &c. Sed *Ad 2. Arg. Reſp.* ex Damaſc. quòd Angeli ſint indigniores gratia pœnitendi. *Art. 3.* An animæ Beatæ. §. 1. An pœniteant in Patria. *Reſp.* Habere virtutem vel gratiam pœnitentiæ. Ex B. *Aug.* de virtutibus Cardinalibus in patria: quo ad vſum perfectum, non imperfectum. *lib. 1. de Moribus Eccl. & lib. 6. de Muſica c. 16.* Non autem *10. de Trin.* vt hic citatur. Ita & de Pœnitentia: vel quo ad ſolum genus iuſtitiæ, ſoluendo Deo gratias pro remiſſione offenſæ: vel etiam quoad proprium actum nolendi peccaſſe, aut ſaltem voluendi pœnituiſſe.

§. 2. An eis ſaltem diſpliceant peccata præterita. *Reſp.* Quod non: quia ſolus Deus erit eis finis & ratio omnis affectus: nec erunt memores peccatorum ad vllam diſplicentiam, ſed ad ſolam laudem Dei; nec erit locus villi diſplicentiæ aut placentiæ mali, in tanta delectatione boni. Intellige de diſplicētia formali, non virtuali, qualis eſt ipſius Dei.

*Memb. 3.* In qua vi animæ ſit virtus Pœnitentiæ.

*Art. 1.* An in vna vel pluribus. *Reſp.* In vna: quia non poteſt eſſe in pluribus ſubiectis.

*Art. 2.* In qua. *Reſp.* Quod in vi rationali motiua & libera: non in vi naturali cognitiua, concupiſcibili, iraſcibili, niſi executiuè; nec in ſynderefi, quia virtus gratuita non ſubeſt nec adeſt naturæ, ſed voluntati liberæ ad actus liberos &c.

QVÆSTIO 56. *De Ordine Pœnitentiæ.*

*Membro 1.* Quo ad eius ortum. *Art. 1.* Cur dicatur concipi timore? *Reſp.* Metaphoricè, à ſimilitudine fœtus, qui paulatim formatur: ſic pœnitentia remotè à timore &c.

*Art. 2.* Cur timore potius quàm amore. *Reſp.* Eſſe à Deo effectiuè, per nos diſpoſitiuè, faciendo quod in nobis eſt: quia qui creauit nos ſine nobis, non iuſtificat nos ſine nobis, vt infra; ſed concipi ſeu ſuſcipi frequentiùs ex timore; quia peccatores ſunt minùs diſpoſiti ad amorem. Denique minùs eſſe concipi in ſola præparatione, quàm haberi actu.

*Memb. 2.* An pœnitentia ſit prima virtus Pœnitentis. *Reſp.* Omnes virtutes quoad ſubſtantiam ſimul infundi: quoad vſum autem, ſicut motus pœnitentiæ prior eſt *in præparatione meritoria de congruo ad gratiam*; ſic virtutem infuſam pœnitentiæ priorem eſſe in remiſſione peccati. Nec obſtat quòd Fides & Spes videantur priores in diſponendo: quia niſi ſequatur pœnitentia, nil proſunt; nec prior motus fidei eſt ad timendũ aut pœnitendum, ſed ad credendum; & prior motus Spei informis, de bonis futuris ex merito, ſupponit ad merendum remiſſionem peccati per pœnitentiam formatam; motuſque pœnitentiæ à termino culpæ, eſt prior motu Spei ad terminum præmij.

Digitized by Google

Qvæst. 57. *De Pœnitentia quoad effectum.*

*Mem. 1.* An peccata dimittantur per pœnitentiam? *Reſp.* Quòd ſic, ex *Eſa. 1.* Lauamini, mundi eſtote, &c. Nec *Heb. 10. Oſee. 4. Prou. 28.* negatur peccati remiſſio, niſi pertinacis & finalis, aut ex renouatione Baptiſmi, vel noua Chriſti immolatione. Nec offenſa Dei eſt irremiſſibilis, quaſi infinita: quia quantitas culpæ non eſt ex auerſione à Deo, quæ eſt æqualis in omni culpa, ſicut cæcitas in omni cæco; ſed ex conuerſione ad creaturam, maiori vel minori libidine, &c. Adde æquè poſſe remitti offenſam infinitam à Deo infinito, ac Deum infinitum offendi infinitè.

*Mem. 2.* An culpa deleatur quauis pœnitentia? *Reſp.* Quòd non: ſed ſolâ virtute & gratiâ, quæ non datur à Deo niſi cui vult dare veniam &c. Quàm, per impoſſibile, ſi ipſe diabolus haberet, Deus eidem veniam daret. *Hac eſt*, inquit, *potiſſima cauſa irremediabilitatis diaboli &c.*

*Mem. 3.* An deletâ culpâ maneat reatus pœnæ? *Reſp.* Non neceſſariò ſimul tolli: nec miſericordiam Dei infinitam infinitè actu diffundi, ſed indefectibiliter; nec meritum Chriſti nobis adæquatè applicari ad omnem impunitatem, ſed ad longam pœnitentiam vt ſalutarem.

*Mem. 4.* An hinc tollantur reliquiæ pœnales peccatorum: vt hebetudo, infirmitas ad bonum, pronitas ad malum? *Reſp.* Non tolli quauis pœnitentiâ, ſed diminui perfectâ: ex ordinatione Sapientiæ Dei, & oppoſitione inter effectus pœnitentiæ, & illarum pœnarum.

*Mem. 5.* An pœnitens ſemper reſurgat ad tantam virtutem, à quanta cecidit? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſemper ad æqualem virtutem: ſed non æqualem ſtatum dignitatis. Alij, quòd non ſemper ad æqualem virtutem: *quod mihi videtur verius; ſed aliquando ad maiorem, aliquando ad æqualem, aliquando ad minorem*, pro majori, minori, vel æquali gratia & conatu pœnitendi. Ad *Luc. 7.* Cui plus donauit, plus diligit .i. tenetur ad plus, cæteris paribus. Ad *Rom.* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum .i. ad maiorem humilitatem & cautelam. Ad *Rom. 6.* Vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia .i. frequenter, non ſemper. Ad *Ezech. 18.* Non recordabor, &c .i. ad pœnam æternam. Ad *Heb. 6.* & alibi, de reuiuiſcentia bonorum operum. *Reſp.* Non ſecundùm quantitatem Charitatis præteritæ, ſed finalis.

*Mem. 6.* An pœnitentia reſtituat opera mortificata .i. facta in ſtatu gratiæ, non extra. *Reſp.* Quòd ſic: quia cùm talia fiant in vnitate Corporis myſtici: viuunt in eo, etſi moriantur membro facienti & morienti, donec reuniatur Corpori per Charitatem.

*Mem. 7.* An peccator poſſet ſaluari ſine pœnitentia virtute? *Reſp.* Quod non, ex varijs ſcript. nec *Luc. 7.* per Charitatem Mariæ Magd. excludi pœnitentiam.

*Mem. 8.* An ſine dolore pœnitentiali, vel voluntate pœnitendi in generali, vel ſpeciali, remitti poſſit vlla culpa? *Reſp.* Quod non, nequidem culpa venialis in articulo mortis, niſi quadam auerſione per dolorem, ex gratia & pœnitentia finali, extincto tunc affectu actuali peccandi. *Nam complacentia*, inquit, *finalis in peccato veniali, eſt contemptus mortalis.* De quo expreſſius *Quæſt. 65.*

Qvæst. 58. *De pœnitentia vt eſt gratia.*

*Memb. 1.* An ſit gratia? *Reſp.* Eſſe gratiam, vt eſt ex gratuita Dei miſericordia, & vt gratificat Deo ſubiectum ſuum & actum eius: Eſſe autem virtutem, vt expedit potentiam ad puniendam culpam, &c.

*Mem. 2.* De neceſſitate huius gratiæ. *Reſp.* Nos non poſſe velle vllum bonum ſaltem meritoriè, niſi ex gratia: quia natura noſtra ita incuruata eſt, vt non poſſit ſeipſam ſubleuare ad vllum bonum gratuitum, &c. Nec hæc voluntas eſt aliter in poteſtate noſtra: niſi quia cogi non poteſt, ſeu non vult niſi velit &c. *Zach. 1.* Conuertimini ad me, & conuertar ad vos .i. niſi deſit veſtra voluntas, conferam vobis gratiam efficacem volendi. *Ad illud Orig.* Incipere noſtrum eſt .i. inclinari: ſupple, remotè. *Ad illud S. Hieron.* Initia bonæ voluntatis in nobis ſunt &c. Non ait à nobis &c. Obedienti gratiæ excitanti, Deus infundit gratiam efficaciter volendi, &c. valdè Catholicè de neceſſitate gratiæ præuenientis: quamuis ſatis confuſè cum neceſſitate gratiæ informantis, ad iuſtificationem.

*Mem. 3.* An pœnitentia deleat peccata vt gratia, vel vt virtus? *Reſp.* Vt idem eſt forma perficiens naturam & virtus operans, & idem *Quod* habet plura *Quibus*: Sic gratia pœnitentiæ eſt *Qua* deletur culpa, & anima ad Deum conuertitur, ac ei gratificatur: Virtus autem pœnitentiæ eſt *Qua* fit digna remiſſione culpæ & pœnæ, benè operando, ſeu pœnitendo.

*Mem. 4.* De expulſione peccati per gratiam pœnitentiæ.

*Art. 1.* An infuſio gratiæ ſit naturâ prior, vel è contra? *Reſp.* Deum non expellere peccatum immediatè: ſed per infuſionem gratiæ, *vt ponunt quaſi omnes*; ſed gratiam prius naturâ ſeu cauſalitate expellere culpam, vt lux tenebras, quàm informet ac perficiat animam.

*Art. 2.* An excluſio culpæ ſit prior tempore quàm infuſio gratiæ? *Reſp.* Quod non. *Art. 3.* An ſit medium inter ineſſe culpæ, & gratiæ? *Reſp.* Nec tempus, nec inſtans: ſed eſſe diſcreta inſtantia immediata, remiſſionis culpæ, & infuſionis gratiæ, vt ſunt duo numeri immediati: expelli tamen culpam à gratia inexiſtente abſque vlla coexiſtentia; quia illa expellitur cùm primò non eſt, ſeu eodem inſtanti quo & expulſa eſt, ineſſetque niſi gratiâ expelleretur & expulſa eſſet.

*Art. 4.* An pœnitens ſit aliquando ſine culpa & gratia? *Reſp.* Poſſe quidem abſolutè, nunquam tamen eſſe, nec congruere: quia creatura rationalis eſt creata vt ſit vnita Deo per gratiam imperfectam viæ, vel perfectam patriæ; nec ſufficeret remiſſio culpæ abſque infuſione gratiæ, ad ſubſiſtendum, ſeu adhærendum Deo ſine vlla ab eo declinatione. Quod non admittit vllam latitudinem, vt ſanitas corporalis: ſed conſiſtit in indiuiſibili.

Qvæst. 59. *De inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ.*

*Mem. 1.* An debuerit inſtitui? *Reſp.* Quòd ſic, ad



Digitized by Google

ad congruitatem & magnam vtilitatem : Quia quamuis ſit quodãmodò ex dictamine legis naturæ; non tamen explicitè, nec eo modo quo inſtitutum eſt.

*Mem. 2.* Quando debuerit inſtitui? *Art. 1.* An in ſtatu innocentiæ? *Reſp.* Quòd non : ne inde captaretur occaſio peccandi, aut timendi & dolendi in illo ſtatu. *Art. 2.* An tempore legis naturæ? *Reſp.* Quod non : ſed tùnc fuiſſe tantùm virtutem, & quædam ſigna pœnitentiæ, non ex inſtitutione, ſed ex inſtinctu naturæ. *Art. 3.* An in lege ſcripta? *Reſp.* Quod non : quia non dabat ſalutem. Nec *Leuit. 4.* & *5.* erat confeſſio Sacramentalis : quia non efficax ex opere operato.

*Art. 4.* An in lege Euangelij? *Reſp.* Quòd ſic : quia hæc liberat à peccato; eſtque de lege gratiæ mutari pœnam æternam in temporalem, huiuſque magnam partem remitti in confeſſione, ex verecundia, & ſuſcepta pœnitentia, virtute clauium, totaque ſatisfactione completâ, *Claue non errante*.

*Mem. 3.* A quo debuerit inſtitui? *Reſp.* A Chriſto : quoad *materiale* quidem, *Mat. 3.* Pœnitentiam agite. *Luc. 13.* Niſi pœnitentiam habueritis &c. Quoad *formale* autem, ſeu Abſolutionem, & poteſtatem abſoluendi, *Mat. 16. & Ioan. 20.* Vel ibi fuit promiſſa, hìc collata. Porrò executio per Confeſſionem, ſatis mandatur in ipſa inſtitutione : non ſic autem Contritio; quia non eſt noſtræ poteſtatis, ſed gratiæ. De quibus infra.

QVÆST. 60. *De quidditate Sacramenti Pœnitentiæ.*

*Mem. 1.* De re huius Sacramenti. *Art. 1.* An pœnitentia interior ſeu Contritio ſit res pœnitentiæ exterioris, ſeu Confeſſionis & Satisfactionis? *Reſp.* Quòd, vt vult Magiſter & quidam, pœnitentia exterior, eſt Sacramentum interioris quoad ſignificationem, & aliquam cauſalitatem : quia non eſt efficax niſi ex Sacramento in re vel voto; & ſæpè datur vel augetur Contritio ex Confeſſione Sacramentali.

*Art. 2.* An remiſſio peccati ſit res huius Sacramenti? *Reſp.* Quod ſic : non vt eius cauſa ſimpliciter; ſed vt cauſa gratiæ remiſſiuæ, ſeu vt ſit remiſſiua peccati. Nec obſtat remiſſio quoad culpam per Contritionem priorem : *quia ſignum ſequens eſt cauſa gratiæ quoad effectum aliquem poſteriorem; vel gratia Contritionis manet in Confeſſione & Satisfactione quaſi alia & alia quoad effectus perfectionis & conſummationis.*

*Art. 3.* An res Sacramenti Pœnitentiæ ſit remiſſio culpæ, an pœnæ? *Reſp.* Pœnitentia interior ſeu Contritio eſt res & Sacramentum : non Eccleſiæ, ſed ſignum & cauſa interna remiſſionis culpæ per gratiam informantem, & mutationis pœnæ æternæ in temporalem, per dolorem *informatum*, non *informantem* vt habet textus vitiatus. Hoc autem Sacramentum Eccleſiæ, ſeu Confeſſio & Satisfactio ſub arbitrio Sacerdotis, eſt quidem ſignum remiſſionis peccati quoad culpam : *ſed ſignum & cauſa remiſſionis quoad ſolam pœnam in contritis; in attritis autem etiam quoad culpam. Securè*, inquit, *dici poteſt remiſſionem peccati eſſe à Deo effectiuè, à Sacramento diſpoſitiuè, à gratia formaliter.*

*Memb. 2.* De ſigno huius Sacramenti : an ſit ex parte confitentis, an Miniſtri. *Reſp.* Nec confeſſio eſt Sacramentalis, niſi facta Sacerdoti, nec ſatisfactio niſi ab eo iniuncta : Sed illæ vt ſic, habent potius rationem ſigni Sacramentalis gratiæ & contritionis, vt annihilantis pœnitentem & eius culpam ac pœnam : cauſæ autem, *quodammodò materialiter* : Abſolutio verò & iniunctio pœnitentiæ, magis rationem cauſæ *quodammodò formaliter*. Nec obſtat quod forma abſolutionis videatur etiam magis ſignificare : quia id potiùs grammaticè, quàm Sacramentaliter. Sed *cauſalitas ſalutis eſt maior ex parte Miniſtri* : quàm ſignificatio. De illa materialitate & formalitate cauſæ, infra : conciliando Scotum Alenſi.

QVÆST. 61. *De vnitate Sacramenti Pœnitentiæ.*

*Memb. 1.* An ſit vnum? *Reſp.* Quod ſic : quia vt ſunt plura ſigna, conueniunt in vnam quaſi annihilationem pœnitentis & peccati : vt ſunt cauſæ, ſubordinantur ad vnam ſanctificationem à culpa & pœna.

*Memb. 2.* Quomodo ſit vnum? *Reſp.* Ex vno principio gratiæ aut virtutis pœnitentiæ, vel ex vnitate Sacramenti, ſeu concurſu ad vnum ſignum & cauſam : vt *1. Ioan. 5.* Spiritus, aqua, & ſanguis vnum ſunt in Baptiſmo.

*Membr. 3.* An ſit maior vnitas pœnitentiæ virtutis, quàm Sacramenti? *Reſp.* Quòd ſic; quia Sacramentum conſtat pluribus ſignis.

*Memb. 4.* An hoc Sacramentum magis denominandum ſit à ſignificatione quàm à cauſalitate? *Reſp.* Quòd ſic : quia denominatio eſt à notiori.

QVÆST. 62. *De ordine Sacramenti Pœnitentiæ.*

*Mem. 1.* An ſit fundamentũ. *Hebr. 6.* Non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis &c. *Reſp.* Quod ſic, modo quodam communi, non autem hoc ſpeciali.

*Memb. 2.* De modo illo communi fundamenti. *Art. 1.* Quæ pœnitentia ſit fundamentum *Hebr. 6.* *Reſp.* Vt omne meritum dici poteſt fundamentum; ſic & ſuo modo quælibet virtus meritoria : ſed Pœnitentia virtus, eſt primum meritum ſeu fundamentum remiſſionis peccatorum, vt in Deum; Sacramentum, vt in Eccleſiam : motus autem Pœnitentiæ informis, ante virtutem & Sacramentum, eſt primum illud fundamentum *Hebr. 6.* ſeu *meritum remiſſionis de congruo.*

*Art. 2.* Quomodo Pœnitentia *Heb. 6.* dicatur fundamentum? *Reſp.* Fides dicitur fundamentum ſimpliciter : Pœnitentia in reparatione ædificij ſpiritualis : omnis virtus eſt ſuo modo fundamentum meriti; ſed fides Chriſti & Chriſtus ipſe eſt fundamentum fundamentorum *1. Cor. 3. Epheſ. 2.*

*Art. 3.* An hæc Pœnitentia fundamentalis *Heb. 6.* ſit ante vel poſt Baptiſmum? *Reſp.* Eſſe ante, vt patet ex textu. *Art. 4.* De numero eorum quæ *Heb. 6.* ponuntur in fundamento. §. *1.* Cur virtus & Sacramentum Pœnitentię non ibi ponantur? *Reſp.* Quia agitur hic de fundamento, ſeu motiuis rudiorum, ad Religionem Chriſtianam : niſi virtus Pœnitentiæ ſignificetur ibi ſub illis Baptiſmatibus. §. *2.* Cur non pauciora ponantur? *Reſp.* Quia tria ſunt neceſ-

neceſſaria ad ſalutem. 1. Pœnitentia. 2. Fides. 3. Baptiſmus: tria ad ſuperædificandam perfectionem. 4. Confirmatio. 5. Timor Iudicij ac pœnæ æternæ. 6. Spes Reſurrectionis. *Art. 5.* De ordine horum 6. *Reſp.* vt ſupra §. 2. Sed Diff. eſt quòd noluit Fidem eſſe fundamentum Pœnitentiæ informis: cùm *Hebr. 11. Accedentem ad Deum oporteat primò credere*, ſaltem aliquo actu; ſed fundamentum cenſetur aliquid ſtabile & permanens, non actualē & tranſiens.

*Mem. 3.* De hoc Sacramento vt dicitur à S. Hier. *prima poſt naufragium tabula. Reſp.* Eſſe primam, non ſimpliciter, ſed lapſis in peccatum mortale poſt Baptiſmum.

QVÆST. 63. *De iteratione pœnitentiæ.*

*Mem. 1.* An contingat à vera pœnitentia cadere? *Reſp.* Aliqui dixerunt quod non, ſed eſt manifeſtus error contra Script. *Matt. 28. Ezech. 33. &c.*

*Mem. 2.* An contingat iterare pœnitentiam? *Reſp.* Fuit error maximus quod non: ſed poteſt iterari in hac vita &c. Ad *Heb. 6. & 10.* De impoſſibili &c. *Reſp. 1.* Viribus naturæ. *2.* De valdè difficili. *3.* De renouatione baptiſmali. *4.* Ad *Hebr. 10.* De irreparabilitate totali. *5.* Pro poſt hanc vitam.

*Mem. 3.* An toties quoties peccatur? *Reſp.* Quod ſic. Ad *Amos 2.* Super tribus ſceleribus & 4. &c. *Matt. 18.* Septuageſies ſepties. *Hebr. 12.* Non inuenit pœnitentiæ locum. *Reſp. 1.* De impotentia noſtra naturali. *2.* De impœnitentia finali. *3.* De numero certo pro incerto. *4.* De falſa pœnitentia.

*Mem. 4.* An pluries relapſus, per pœnitentiam reſurgat? *Reſp.* Quòd ſic: quia quantumuis anima relabendo deficiat à vi actiua; eſt tamen ſemper in hac vita capax ſeu ſuſceptiua gratiæ pœnitendi.

QVÆST. 64. *De pœnitentia publica ſeu ſolemni.*

*Mem. 1.* An aliqua debeat eſſe publica? *Reſp.* Quòd ſic: *ex diſt. 5. de pœnit. cap. Petrus.* Publica noxa publico eget remedio. Nec hinc reuelatur ſecretum Confeſſionis: ſed ſatisfit à pœnitente pro ſcandalo publico.

*Mem. 2.* An pœnitentia publica ſeu ſolemnis ſit iterabilis? *Reſp.* Quòd non, ſi ſit ſolennis: ne inde vileſcat, ex B. *Aug.* Epiſt. ad Maced.

*Mem. 3.* Quæ ad ſolemnem pœnitentiam exiguntur? *Reſp.* De omnibus circumſtantijs olim conſuetis, nunc exoletis: ex *diſt. 50. & 26. q. 6. 33. q. 2.* & aliunde. Quarum præcipua videtur eſſe illa ejectio extra Eccleſiam, inſtar *Adæ* ex Paradiſo: donec, vt ille, longâ & magnâ pœnitentiâ reuertantur.

QVÆST. 65. *De Sacramento pœnitentiæ in ſpeciali, ſecundùm varios ſtatus pœnitentium.*

*Mem. 1.* De pœnitentia ante Baptiſmum. *Art. 1.* An pœnitendum ſit de peccato Orig.? *Reſp.* Quòd non ſit de eo propriè pœnitendum, ſed diſplicendum adultis huius mali conſcijs: ex B. *Aug.* de corrept. & gratia. Quia pœnitentia propriè, eſt de actu proprio; diſplicentia autem de quouis malo.

*Art. 2.* An ſit pœnitendum adultis, ante Baptiſmum, de actualibus? *Reſp.* Quòd ſic: ſed pœnitentiâ virtute, non Sacramento.

*Mem. 2.* De pœnitentia mortalium poſt Baptiſmum. *Art. 1.* De commiſſis per ignorantiam. *Reſp.* Eſſe de eis pœnitendum, ſaltem in genere, ex cognitione probabili: orando & adhibendo diligentiam vt innoteſcant, ad pœnitendũ etiam in ſpeciali.

*Art. 2.* De ſcienter commiſſis, ſed oblitis. *Reſp.* Ex recordatione probabili eſſe de eis abſolutè pœnitendum, ſaltem in genere, & de eorum obliuione culpabili: adhibendo diligentiam ad recordandum & pœnitendum in ſpeciali.

*Art. 3.* An expediat pœnitere vſque ad finem vitæ? *Reſp.* Quod ſic: quia eò vſque eſt ſalutaris. Quamuis ex B. Aug. *de Pœnit. diſt. 7.* non ſit eò vſque differenda, ne tunc non ſit vera & ſecura.

*Memb. 3.* De venialibus. *Art. 1.* De eorum grauitate. *§. 1.* An multa faciant vnum mortale? *Reſp.* Quod non: niſi per nouum conſenſum, libidinem & contemptum. Quia qui eſt in Charitate, quantumuis amet creaturam propriâ voluntate: plus incomparabiliter amat Deum Charitate in infinitum excedente ſolam voluntatem. Nec in veniali eſt vlla auerſio à Deo, vt in mortali: ſed tantùm quædam ab eo elongatio, ſeu minor amor quam ei debeatur ſecundùm vires potentiæ & charitatis; & conuerſio ad creaturam, ſeù maior amor quam ei conueniat. Quod ſi amor creaturæ creſcat *vſque ad quietem* .i. fruitionem, *degenerando in libidinem & contemptum mortalem*: *inde oritur nouum peccatum mortale.* Hinc ad omnia Arg. ex B. Aug. *cap. 81. 82.* Enchir. & aliunde. Sed quod hic de exceſſu amoris Dei in infinitũ ex charitate ſupra amorem creaturæ: non videtur intelligendum intenſiuè, ſed appretiatiuè, & toto genere.

§. 2. An aggrauent mortalia? *Reſp.* Quòd ſic, quando ſunt eorum circumſtantiæ: quamuis non habeant proportionem grauitatis cum mortalibus; habent tamen ſingula ſuam grauitatem ſeu quantitatem culpæ finitè aggrauantem quaſi infinitum pondus mortalium. Vt ſi linea ex vna parte infinita, ex alia produceretur.

*Art. 2.* An nobis inſit neceſſitas peccandi venialiter? *Reſp.* Quod ſic in genere, non autem in vllo particulari: illud ex noſtra defectibilitate & corruptione, hoc ex aliqua vera adhuc libertate non peccandi hoc nec illo actu ſingulari.

*Art. 2.* De remiſſione venialium. §. 1. An ſit pœnitendum de venialibus? *Reſp.* Quòd ſic: quia nimia eorum aſſiduitas ſine pœnitentia induceret libidinem & contemptũ. Ex *B. Aug.* ad *Seleucianum.*

§. 2. An dimittantur cum affectu ad illa? *Reſp.* Quòd non: quia peccatum conſiſtit potius in affectu, quàm in ipſo actu, &c. Nec gratia habet efficaciam contradicente libera voluntate. Hinc intellige de affectu actuali & libero, non de habituali & naturali.

§. 3. An vnum veniale poſſit dimitti ſine altero? *Reſp.* Quòd ſic: quia venialia poſſunt conſiſtere cum gratia: nec neceſſariò cohærent inter ſe; nec plus, ſed minus adhærent animæ quàm mortalia, niſi quoad quandam pronitatem & facilitatem; nec macula venialis delet in nobis imaginem Dei vt mortalis, ſed tantùm obſcurat; nec deniquè vllum veniale eſt auerſio à Deo, ſed tantùm quidam actualis ab eo receſſus ſeu defectus, non autem potentialis, ſeu



Digitized by Google

*quoad ipſam potentiam* .i. non quoad ipſam radicem voluntatis.

§.4. An veniale dimittatur ſine mortali? *Reſp.* Quòd non: quia cùm ſit macula, non deletur niſi per gratiam, quæ non compatitur vllum mortale. Sed *diff.* eſt quód *ad vlt. Arg.* dicatur veniale minuere amorem Dei in habente Charitatem: non quoad ſubſtantiam, ſed quoad radicationem, feruorem, vel promptitudinem operandi: *In exiſtente autem in mortali, non video,* inquit, *quare non poßit diminuere de illo quoad ſubſtantiam. Vnde ſi Charitas non poteſt eſſe diminuta in exiſtente in mortali: poteſt tamen amor Dei diminui in eodem.* Quæ non poſſunt intelligi, niſi de maiori difficultate amandi Deum, vel de minore amore Dei naturali aut habituali.

§.1. An venialia dimittantur poſt hanc vitam quoad culpam? *Reſp.* Quidam, vt Magiſter Sent. & alij, dicunt quòd remittantur in Purgatorio ex merito Charitatis finalis: alij quòd non niſi in fine vitæ quoad culpam, extincto tùnc affectu ad illa, poſtea autem quoad pœnam: *Alij ſubtilius, quòd remittantur in eodem inſtanti quo continuatur tempus huius vitæ cum ſequenti. Cui opinioni videtur mihi magis aſſentiendum.*

Ad obiect. *Si quis decederet in gratia cum culpa veniali: niſi obſtaret diuina ordinatio, non videtur mihi inconueniens quòd gratia poſſet delere venialia.*

*Art.* 4. De cauſa remiſſionis. §. 1. An venialia poſſint remitti ſine gratia gratum faciente? *Reſp.* Quòd non: quia omne peccatum diſplicet Deo, ideoque nullum poteſt deleri niſi per gratiam complacentiæ ſeu amicitiæ Dei. *Ad Arg.* De moriente in ſolo veniali. *Reſp.* Eſſe impoſſibile: *Si quis tamen decedat cum Orig. vel mortali & veniali ſimul: meretur pro veniali aliquantulam pœnam intenſiorem, ſed æternam ob coniunctionem cum mortali.*

§. 2. An ſola gratia ſufficiat ad remiſſionem venialis ſine aliqua pœnitentia ſeu Contritione? *Reſp.* Quidam dicunt poſſe deleri, libero arbitrio non repugnante gratiæ, & aliquo exteriùs adiuuare .i. Sacramento, vel Sacramentali &c. *Quod ad præſens non video: quomodo lib. arbit. poßit conſentire gratiæ delenti peccatum, niſi diſſentiat ipſi in particulari, vel generali, actu vel habitu &c. Dico ergò ſine præiudicio quod ſine motu voluntatis actuali vel habituali nolentis peccaſſe venialiter, non deletur veniale &c.* Sed per motum habitualem intelligit virtualem ipſius charitatis, vel propoſitum ſaltem implicitũ pœnitendi. Vnde, Ad 1. *Non video quod feruida Charitas poßit eſſe ſine tali pœnitentia.* Ad 3. *Voluntas quæ ſufficit ad deletionem venialis, eſt quaſi incomparabiliter minoris ponderationis quàm quæ requiritur ad deletionem mortalis &c. Dicunt quidam &c.* quòd ad remiſſionem mortalis neceſſaria eſſet contritio infinita, vel maior in infinitũ: niſi Deus ex miſericordia ſua, & noſtra incapacitate, remitteret pro minori; quia offenſa mortalis eſt in infinitum maior veniali. *Ad vlt.* De dormiente & moriente in veniali &c. *Si non pœnituit actu neque habitu, ſiue propoſito, in ſpeciali vel generali &c. iam factum eſt mortale per placentiam &c. Illa enim libido eſt mortalis, quæ tantam inducit placentiam, quòd homo in illo vult manere ſine propoſito & voluntate pœnitendi.* Supple, ſi tanta cõplacentia ſit etiam finaliter libera.

*Memb.* 4. De peccatis 1. *Cor.* 3. ſignificatis per lignum, fœnum, ſtipulam. *Art.* 1. An ſint mortalia vel venialia? *Reſp.* In ſenſu litterali eſſe venialia: poſſe tamen etiam alijs accommodari. *Art.* 2. De fundamento vtriuſque ædificij 1. Cor. 3. *Reſp.* Eſſe potius fidem quàm charitatem. *Art.* 3. De ſuperædificatione huic fundamento.

§. 1. An ſuperædificetur? *Reſp.* Superædificari tam bona quàm mala: mala, vt *Art.* 1. circumſtantiæ veniales bonorum operum, vel quæ nec ſunt de ædificio, nec contra: bona. 1. quia innituntur huic fundamento. 2. Quia fides viua facit ſubiectum dignum vita æterna, ſed bona opera magis dignũ &c.

§. 2. De expoſitione huius ſuperædificationis. *Reſp.* Quòd, vel per *aurum, argentum, & lapides pretioſos* intelligantur quælibet bona opera ſine mixtione venialium, vel ſola perfectiora opera.

*Art.* 4. De purgatione *ligni, fœni, ſtipulæ.* §. 1. An purgentur per ignem purgatorium, quoad pœnam? *Reſp.* Quòd ſic. *Ad* 1. Non tàm purgatur reatus, quàm anima à reatu. *Infra.* Reatus nunc dicit ſolum debitum pœnæ, purgandum ſolutione paſſionis: nunc maculam animæ, purgandum etiam per ignem, ex diuina diſpenſatione. §. 2. An per ignem materialem, an ſpiritualem? *Reſp.* Quòd per ignem materialem: vel ex vi quadam eius punitiua, vt Sacramentali ſatisfactiua; vel ſolâ gratiâ purgante, cum conſenſu voluntatis, & pœna exteriore; vel ex ſola ordinatione iuſtitiæ diuinæ; vel *vt grauis infirmitas ſobriam facit animam, virtute adiuta per pœnam.* Nec B. Aug. inde dubitaſſe: ſed ſolùm inſinuaſſe purgari etiam poſſe per ignem ſpiritualem. *Ad* 1. Ex B. Aug. poteſt dici quod ibi erit dolor ſpiritualis, & tamen ignis materialis. *Ad* 2. Purgatio eſt ſpiritualis, formaliter & effectiuè per gratiam: materialis, per corporale. *Ad vlt.* Feruentior tunc eſt Charitas &c. ſed non eſt ibi ſtatus mœrendi.

§. 3. An vnus inde liberetur ante alium? *Reſp.* Quòd ſic, ex B. Aug. in Enchir. §. 4. An inde euoletur ante iudicium? *Reſp.* Quòd ſic. Certum eſt enim ex *Coloſſ.* 2. quod Chriſtus expoliauit Principatus &c. *Ad* 1. ex *Hebr.* 11. Non acceperunt repromiſſionem &c. i. quoad conſummationem ſupernæ Ciuitatis: vel quoad tempus gratiæ.

QVÆST. 66. *De partibus pœnitentiæ Sacramentalis.*

*Memb.* 1. Cuius ſint partes. *Art.* 1. An Contritio, Confeſſio, & Satisfactio ſint partes pœnitentiæ virtutis? *Reſp.* Quod non propriè: quia hæc virtus elicit tantùm actus pœnitẽdi; ſed modus ſatisfaciendi Deo & Eccleſiæ, eſt iuſtitię generalis. *Art.* 2. An hæ ſint partes Pœnitentiæ Sacramenti? *Reſp.* Quòd ſic, completè. *Ad* 1. *Arg.* Pœnitentia non eſt ſimplex, niſi ratione potiſſimi effectus, qui eſt ſanctificatio. *Ad* 2. Confeſſio non eſt Sacramentalis, niſi fiat Sacerdoti: nec ſatisfactio, niſi ab eodem iniuncta. Licet ergo non ſint à Sacerdote vt ſunt actus: ſunt tamen ab eo vt ſunt partes Sacramenti. *Ad* 3. Contritio eſt pars Sacramenti, vt cauſa.

*Mem.* 2. An ſint partes integrales, ſubiectiuæ, vel eſſentiales? *Reſp.* Quòd nec ſint ſubiectiuæ, nec eſſen-

Digitized by Google

eſſentiales: ſed poſſint dici integrales; *non tamen quaſi totius exiſtentis vt facti, ſed vt eius quod fit.*

QVÆST. 67. *De quidditate Contritionis.*

*Memb. 1.* Quid ſit re. *Art. 1.* An ſit dolor? *Reſp.* Quod ſic: de quo Art. 2. *Ad 1. Arg.* Non eſt de impoſſibili agendo, ſed de facto. *Ad 2.* Eſt dolor de præſenti obiectiuè, & in ſuo effectu. *Ad 3.* De futuro vt præuiſo non eſt dolor, ſed timor. *Ad vlt.* Dolor qui eſt de eſſentia Contritionis, eſt diſſenſus voluntatis, ad quem ſequitur dolor. *Art. 2.* An dolor Contritionis ſit actio vel paſſio? *Reſp.* Eſt per eſſentiam diſſenſus voluntatis à peccato: ſed eſt paſſio per concomitantiam. Senſus doloris non eſt de eſſentia Contritionis: ſed diſſenſus, à quo cauſatur.

*Mem. 2.* De nomine Contritionis. *Reſp.* Contritio eſt actio agentis in ſeipſum: qui tamen inde potius dicitur contritus quam conterens, à perfectione huius actus per gratiam. Contritio dicit dolorem intenſum: compunctio dicit dolorem ſuis ſignis expreſſum. *Contritione mutatur pœna infinita, mediante gratiâ vt causâ primâ.* Vocatur potius cõtritio, quàm tritio, vel attritio. 1. Ad connotandam gratiam, vt eius concauſam principalem. 2. Ad connotanda omnia peccata & eorum circumſtantias, de quibus eſt ſimul dolendum. 3. A molendo corde in minimas partes, quaſi inter molam ſuperiorem Spei, & inferiorem timoris: non autem à fractione in maiores partes. Vt Contritio ſit quaſi tritio multorũ ſimul in minimas partes. Sed ſicut per Contritionem & Confeſſionem connotatur ſimultas multorũ: ſic per ſatisfactionẽ pro omnibus.

*Memb. 3.* Quid ſit Definitione? *Reſp.* Eſt dolor pro peccatis aſſumptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciẽdi. Dicitur, *aſſumptus*, potiùs quàm datus. 1. Quia priùs datur animæ gratia pœnitendi. 2. Quia eſt medium inter Deum dantem, & pœnitentem aſſumentem, nec excludit datum. 3. Quia debet eſſe voluntarius. Dicitur, *cum propoſito &c.* .i. ſi quis necdum ſit confeſſus, vel ſi quid deſit Confeſſioni & Satisfactioni &c. Subdit: *Contritus debet confiteri &c. Tùm quia neſcit ſe contritum: tùm quia Contritio & Satisfactio poſſibilis, eſt ſub præcepto.*

QVÆSTIO 68. *De quantitate Contritionis.*

*Memb. 1.* De eius intenſione. *Art. 1.* An poſſit intendi. *Reſp.* Sicut charitas augetur per eſſentiam à dono gratuito, & intenditur quoad feruorem à libero arbit. ſic contritio. Ex æquali enim gratia nunc elicitur motus feruentior, nunc minùs feruens. *Ad 1.* Præponderatio ſumma, non ponit ſummum ſimpliciter. *Ad 2.* Reatus non eſt infinitus intenſione, ſed duratione: nec Deus punit vſque ad condignum, ſed citra; nec vlla pœna poteſt eſſe infinita intenſiuè, ſed peccans meretur redigi in nihilum, quod quaſi infinitè diſtat ab eſſe; nec contritio delet peccatum niſi per gratiam. *Ad 3.* Contritio magis diſſentit à malo, ex maiori gratia: minuit pronitatem ad malum, ex maiori dolore. Nec intenditur nomine: ſed maiori participatione gratuiti. *Ad 4.* Intenditur eſſentialiter à maiori gratia: feruenter, à gratia & libero arb. A Deo effectiuè, à libero arbit. diſpoſitiuè, à gratia completiuè. Quæ etſi vniformiter gratificet: dum tamen à Deo magis influitur, & abundantiùs datur, magis gratificat.

*Art. 2.* An ſit æqualis vel inæqualis de omnibus ſimul peccatis. *Reſp.* Vt eſt communis & deletiua omnis culpæ in inſtanti, eſt æqualis actu, inæqualis habitu, ſeu habilitat ad plus minuſuè deteſtandum maius vel minus malum: vt eſt autem ſpecialis, diſtincta & deletiua pœnæ, ſucceſſiuè, eſt etiam actu inæqualis. *Ad 3. Arg.* à maiori dolore de mortali, quàm de veniali: *Diſtantia ſimplex inter peccata, non exigit maioritatem contritionis: ſed diſtantia quæ ponit in alio genere.* Sub finem. *Videtur mihi, quòd ex quo anima informata gratia diſplicet malum, quia eſt malum: neceſſario magis diſpliceat maius malum actu cognitum. Vnde ſine præiudicio dico, quòd ſi cui non plus diſpliceret peccatum valdè enorme, quàm paruum: non eſſet ſufficienter contritus.* Infra. *Nec maior charitas ſemper exercet maiorem contritionem, ſed etiam minorem quàm poſſit: nec inde gratia eſt omnino otioſa.*

*Art. 3.* An contritio poſſit eſſe nimis parua ad ſalutem. *Reſp.* Sicut minima gratia gratum faciens & charitas ſufficit ad delendum quodlibet peccatum: ſic minima contritio; qui hæc informatur gratia. Non autem ſufficit minimus diſſenſus volũtatis, qualis de omiſſo obolo: ſed minima paſſio doloris; quia hæc non eſt libera, ſicut ille.

*Ad 1. Arg.* Definitio contritionis inſinuat eius intenſionem, per propoſitum confitendi & ſatisfaciendi. *Ad 2.* Vt minima gratia gratis data non ſufficit: ſic nec minimus dolor, ſed debet habere certam menſuram Deo notam, vt informetur gratia, ſitque contritio. *Ad vlt.* Peccator in peccato, non poteſt facere quòd in ſe eſt, vt gratiam recuperet: quia hoc eſt conſentire gratiæ præuenienti, quæ non eſt in eius poteſtate. Nec vlli conſtare poteſt an fecerit quod in ſe eſt.

*Art. 4.* An contritio poſſit eſſe nimia. *Reſp.* Non poteſt eſſe nimia quoad actum diſplicentiæ, vixque vnquam eſt nimia quoad paſſionem doloris: ſed poſſet eſſe tantus dolor, vt eſſet temperandus. Si quis tamen inaduertenter eum non temperaret: non credo quòd peccaret: ſi verò aduertenter, excederet metas virtutis & ſic contritionis. *Ad 1.* De medio virtutis: dicunt quidam quòd ſicut in theologicis modus eſt non habere modum: ſic & in contritione. Hoc autem non intelligo, quòd contritio habeat Deum pro obiecto, magis quàm iuſtitia, &c. *Infra* Obſeruatio medij eſt neceſſaria in periculo detrimenti: ſed in ipſo actu contritionis non eſt periculum. *Ad 3.* Dolor ſine gaudio, vt in deſperatis, poteſt eſſe nimius: ſed talis non eſt contritio, cum ſpe veniæ. *Ad 4.* Dolor mouens ad ſibi manus inferendas, non eſt contritionis. *Infra.* Peccator eſt dignus morte: non tamen debet eam ſibi inferre. Si quis neſciens mortem incurreret ex nimio dolore, non eſſet illi periculum: ſed ſi præſenſiſſet debet cauere.

*Art. 5.* An contritio debeat eſſe maxima? *Reſp.* Diſplicentia peccati debet eſſe maxima: non autem ipſa paſſio doloris. *Ad 1. Arg.* Affectio ſeu paſſio poteſt eſſe maior vel minor ex æquali cauſa, pro varia diſpoſitione ſubiecti, & experientia aut inexperientia

rientia obiecti. *Ad.* 2. Debet eſſe tantum odium peccati quantus amor Dei: non tamen tantus dolor, quia hic pendet etiam ex diſpoſitione ſubiecti & experientia obiecti. *Infra.* An aliqua contritio ſit maxima? Æſtimo quòd illa qua deletur culpa & pœna tota, eſt maxima in efficacia: ſed nulla eſt hîc maxima intenſiuè, qua maior haberi non poſſit: niſi fortè quis inde moreretur, ſicut viſum eſt de aliqua perſona. Illa poteſt dici minima, qua minor non eſſet informabilis gratia. Media vel ſaltem minima eſt ſub præcepto, non maxima.

*Art.* 6. An pœnitens debeat malle quamuis pœnam etiam æternam, quàm peccare, vel peccaſſe. *Reſp.* Quòd non abſolutè, ſed tantum conditionatè. Tùm quia hæc non ſunt eligibilia: ergo neutrum eſt præeligibile. Tùm quia pœna æterna eſt cum culpa æterna, peiore quauis temporali. Tùm denique quia punitio innocentis à Deo eſſet iniqua: ergo eſſet maius malum, qualibet culpa noſtra. Sed ſi poſſet eſſe pœna æterna ſine culpa noſtra & iniuſtia Dei: illa eſſet malenda, & potiùs ſubeunda quàm offendere aut offendiſſe Deum. Ex B. *Anſel.* de ſimil. Mallem innocens in Iehennam intrare, quàm cœlum peccati ſorde pollutus, &c.

*Art.* 7. An quantitas contritionis ſit ſecundùm maiorem auerſionem à Deo, vel conuerſionem delectationis in creatura. *Reſp.* Quòd ſecundùm maiorem auerſionem, non conuerſionem: niſi quatenus hæc illam auget. Quia ex illa eſt grauitas peccati, potiùs quàm ex hac: & grauiora peccata habent plus auerſionis à Deo, quàm delectationis in creatura. Nam auerti à Deo, eſt difformari eius voluntati, ſicut conuerti, eſt conformari: grauiora autem peccata, ſunt magis aliena ſeù difformia &c.

*Mem.* 2. De quantitate contritionis quoad durationem. *Art.* 1. An ſit inſtantanea vel ſucceſſiua. *Reſp.* Quoad ſuam introductionem timore, ſpe &c. eſt ſucceſſiua: Quoad ſuum eſſe informatum gratia ſeu gratificationis, eſt inſtantanea, ſic enim videtur textus corrigendus: quo ad motum ipſum diſplicentiæ, eiuſque durationem, eſt ſucceſſiua. *Infra.* Diſplicentia peccati, cùm ſit actus affectionis, & ſic habens partem extra partem, non poteſt impartibili menſurari: ſic nec dolor reſultans. Ex B. Aug. *lib.* 8, *de gen.* Animus mouetur per tempus &c. *Infra.* Ad *Aug.* de viſione & radiatione in inſtanti .i. tempore indiuiſibili ex parte noſtra, ſeu imperceptibili. *Infra.* Cùm delectatio ſit paſſio mulcebris animæ, habet partem extra partem: ſed propter continuationem ſine interruptione, dicitur in quolibet inſtanti fieri. ] Sed quæ pars in re & ſubiecto tam ſpirituali? *Reſp.* Non intrinſecè, extenſiuè, & ſubiectiuè: ſed. 1. Intenſiuè. 2. Specificè aut genericè, per plures actus ſimul aut ſucceſſiuè. 3. Continuatiuè. 4. Obiectiuè, ad plura obiecta vel circumſtantias ſucceſſiuas. 5. Senſitiuè ſeu experimentaliter, nonniſi in gradu & mora ad hoc neceſſaria. *Sub finem.* Omnes actiones animæ gratuitæ ſunt ſupra tempus, quo ad eius variationem: non tamen omnes, ſed *quædam Deiformes,* ſunt ſupra tempus, quoad menſurationem.

*Art.* 2. An pœnitens teneatur ſemper conteri in hac vita. §. 1. De tentione neceſſitatis ſeu obligationis. *Reſp.* Semper obligari ad diſplicendum de peccatis commiſſis: non tamen pro ſemper, ſeù ad continuò exequendum; ſed quando opportunè recordatur. Quia hæc eſt obligatio præcepti affirmatiui. Ex B. Aug. lib. de vera & falſa Pœnit. *cap.* 8. 13. 19. Pœnitere eſt pœnam tenere: vt ſemper puniat quod commiſit &c. *Infra.* Dolor contritionis ſtat cum charitate perfecta &c. Vt contritio eſt purgatiua culpæ, ſufficit ſemel &c. Vt ſatisfactoria pœnæ, debet eſſe perpetua. §. 2. De vtilitate: An expediat continuò dolere. *Reſp* Multùm expedire. *Mat.* 5. Beati qui lugent. *Pſal.* 50. Nec hoc obſtat, ſed prodeſt ad gaudendum ſemper in Domino.

§. 3 De compoſſibilitate huius doloris & gaudij: ex B. Aug. Semper doleas, & de hoc dolore gaudeas. *Reſp.* Dolor & gaudium contritionis non ſunt contraria: ſed ille eſt materia huius; nec hoc eſt tam paſſio, quam complacentia voluntaria illius.

*Art.* 3. An animæ Purgatorij conterantur. *Reſp.* Non eſt in Purgatorio contritio Sacramentalis, aut meritoria, ſed ſolutoria. Quia hic eſt ſtatus merendi, ibi ſoluendi, in patria recipiendi.

QVÆST. 69. *De obiecto contritionis.*

*Memb.* 1. An debeat eſſe de peccato commiſſo. *Reſp.* Quòd ſic. vt q. 54. *Ad* 1. Non eſt electio neceſſariorum aut impoſſibilium, quoad executionem: ſed quoad complacentiam aut diſplicentiam. Nec lib. Arb. dicitur electiuum à neceſſaria præelectione rationis: ſed ab indeterminatione voluntatis. *Ad* 2.3.4.5. Conformitas noſtræ voluntatis cum Deo non debet eſſe quoad idem volitū, ſeu volendo idem quod Deus: ſed quoad motum & modum volendi, quo Deus vult nos velle. Licet enim Deus non velit nos non peccaſſe: vult tamen nos velle non peccaſſe. *Infra.* Nota quòd eſt triplex conformitas .i. Perfecta, quoad volitum, motum vel modum, & finem volendi. 2. Sufficiens, in volendo quòd Deus vult nos velle. 3. Deficiens ab obiecto, modo, vel fine volendi. Vt, malus filius vult patrem ſuum mori, ad ſuam vtilitatem: quem Deus vult mori ad ad eius ſalutem. *Ad* 6. *&* 7. Quod omne verum & bonū debeat placere: quale eſt ipſum peccaſſe, cùm ſit à Deo. *Reſp.* Eſſe fallaciā mutati medij, à veritate ſigni ad veritatem rei, & à deformitate actus ad eius ſubſtantiam, ſicque à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. *Infra.* Ex eo quod res eſt dicitur oratio vera: non ex eo quod eſt ſicut ſignificatur eſſe &c. Corrige, *Non ex eo &c. ſed ex eo &c.*

*Memb.* 2. An etiam de pœnis. *Reſp.* Nonniſi conſequenter. Quia dolor ex timore pœnæ & gratia gratis data, non eſt contritionis, licet ad eam diſponat: ſed dolor ex gratia gratum faciente, de contemptu, & offenſa Dei potiùs actiua quàm paſſiua. Quia ſi per impoſſibile Deus poſſet nobis eſſe offenſus ad pœnam, ſine noſtra culpa: non eſſet tam inde dolendū, quàm ex culpa noſtra. *Infra.* Pœna debet nobis placere, vt ſatisfactoria, non vt læſiua naturæ.

*Memb.* 3. An debeat eſſe de actu peccati, & de eius deformitate. *Reſp.* Propriè & per ſe dolendum eſſe de malitia actus: non de ſubſtantia, niſi quatenus mala.

*Memb.* 4.

*Memb. 4.* An de peccato originali. *Reſp.* Quòd propriè de ſolo actuali. Vt *qu. 65. M. 1. a. 1. Ad 1.* Peccato Originali eſt quis à Deo auerſus nominaliter, ſeù in eſſe aut ſtatu auerſo: ſed non participialiter, ſeù in actu proprio auerſionis. *Ad 3.* Conſenſus noſter in Adam, non eſt liberi Arbit. ſed inclinationis naturalis.

*Memb. 5.* An de peccato Veniali. *Reſp.* Quòd de omni veniali, in ſpeciali vel generali: vt *q. 65. M. 3. a. 3. Ad 2.* Gratia informans opponitur etiam veniali, vt diſponit ad mortale. *Infra.* Peccans venialiter, minùs amat Deum quàm debeat: non quoad minutionem radicis ſeù charitatis; ſed actuum qui ineſſent niſi peccaret. Vt minui ſeù præcindi dicuntur peccata morientis, à futuris ſi ſuperuiueret. *Infra.* Non tenemur plus dolere de mendacio veniali, quàm de quouis damno temporali: *quia dolor ſpiritualis gratia informatus, eſt efficacior pro paruo veniali, quàm dolor maxim' ſenſibilis pro damno tēporali.*

*Memb. 6.* An de peccatis ex triſtitia, vt de inuidia, &c. *Reſp.* Quod ſic: quia omne peccatum fit ex aliqua libidine, cum delectatione ſeù complacentia ſaltem mali alieni, vel etiam propriæ malæ triſtitiæ de bono alieno. Vnde dolor contritionis ſemper punit aliquam prauam delectationem ſeù complacentiam.

*Memb. 7.* An de peccatis per ignorantiam. *Reſp.* Quòd ſic, ſaltem in genere: vt *q. 65. M. 2. a. 1.*

*Memb. 8.* An de peccatis oblitis. *Art. 1.* An de illis eſſe poſſit aliqua contritio. *Art. 2.* An ſufficiat generalis. *Reſp.* Vt *qu. 65. M. 2. a. 2.* Addit, *Ponere aliquem prorſus oblitum, abſque omni conſcientia, eſt ponere eum extra ſtatum ſalutis. Infra.* Poſſet diuidi contritio in ſingularem, de peccatis ſingulariter conſideratis: ſpecialem, de peccatis diſtinctè oblitis, ſed confuſè recordatis; & generalem de omnibus Dei offenſis. *Infra.* Pœnitens ſemper tenetur ad ſingularem contritionem de omnibus mortalibus oblitis: non tamen pro ſemper, ſed quādo opportunè recordatur. *Infra.* Contritio generalis de venialibus, non tollit ſemper culpam & pœnam temporalem: ſed de mortalibus, tollit culpam & pœnam æternam. *Infra.* Qui de peccato oblito, ſed per contritionem generalem remiſſo, non conteritur ſingulariter cùm recordatur: peccat mortaliter ex contemptu. *Hoc tamen dico opinando, non aſſerendo. Infra.* Non eſt artis determinare quando homo fecerit quòd in ſe eſt, & peccatum dimiſſum ſit: ſed ſolius Dei & gratiæ, &c. Poteſt quis nullius eſſe ſibi conſcius: nec tamen in hoc iuſtificari, *1. Cor. 4. Art. 3.* An contritio de culpa obliuionis, ſufficiat ad remiſſionem oblitorum. *Reſp.* Quòd ſic: quia oritur ex dolore de ipſis peccatis oblitis.

*Memb. 9.* De peccato futuro. *Art. 1.* An quis de eo conteri debeat. *Reſp.* Quòd non. *1.* Quia contritio excludit certitudinem, imò & præſumptionem peccandi. *2.* Quia dolor eſt de præſenti, timor de futuro. *3.* Quia pœnitentia eſt de commiſſis vel omiſſis. *Art. 2.* An ſit de ratione contritionis reſpicere futurum. *Reſp.* Non vt Sacramentalis, ſed vt virtut.s. Quia virtus importat propoſitum perſeuerandi. Hinc non eſt verè pœnitens, qui non habet propoſitum nunquam recidiuandi. *Art. 3.* An poſſit eſſe de vno peccato, ſine alio. *Reſp.* Quòd non, cum complacentia in vllo alio. Quia vera contritio informatur gratia.

QVÆST. 70. *De effectu Iuſtificationis impij.*

*Membr. 1.* Quid ſit iuſtificatio. *Reſp.* Eſt rectitudo liberi Arbit. à Deo, in ſuum finem. *Infra.* Hinc anima fit Deo grata &c.

*Memb. 2.* An contritio habeat vim iuſtificandi. *Reſp.* Ad iuſtificationem adulti neceſſaria eſt præcedens * attritio vel contritio pro veniali vel mortali: quia nemo eſt qui originali non addat venialia. *Infra.* Iuſtificatio reſpicit meritum congrui exiſtens: non condigni, niſi ſubſequens.

*Memb. 3.* An habeat vim iuſtificandi à culpa. *Reſp.* Quòd ſic, ex gratia annexa. *Infra.* Contritio ſumitur communiter pro omni dolore de peccato: ſed propriè, pro dolore informato & cauſato à gratia gratum faciente.

*Memb. 4.* An habeat vim iuſtificandi à pœna. *Art. 1.* An à pœna æterna. *Reſp.* Per ſe loquendo, gratiâ dimittitur culpa: ſed cum diſſenſu perpetuo voluntatis, & deteſtatione peccati ſine fine, dimittitur reatus pœnæ æternæ, non tantùm ex vi voluntatis, ſed gratiæ ſimul. *Infra.* Effectus gratiæ ex ſe, eſt delere culpam: cum dolore actuali vel habituali .i. virtuali voluntatis, delere reatum pœnæ æternæ: cum dolore ſenſibili, delere pœnam purgatorij, proportionatè; cum operibus miſericordiæ, delere pœnam temporalem. *Infra.* Gratia habet quandam infinitatem ex ſe: quia *Sap. 1.* Iuſtitia perpetua eſt, &c. *Art. 2.* An à pœna temporali. *§. 2. & 3. Reſp. 1.* Peccans mortaliter, meretur pœnam æternam & temporalem, imò annihilationem: ſed abſolutus à culpa & pœna æterna, obligatur ad temporalem purgatorij, vel præſentem iniunctam *claue non errante.* *2.* Contritio habet vim iuſtificandi à pœna temporali. *3.* Poteſt eſſe tanta vt ab omni iuſtificet: ſed non minor. Quia gratia annexa, nec eſt per ſe contraria pœnæ, ſed culpæ; nec directè ordinata contra illam, ſed hanc.

QVÆST. 71. *De effectu Purgationis à reliquijs peccati.*

*Mem. 1.* An contritio purget ignorantiam. *Reſp.* Purgare diſpoſitiuè ignorantiam & errorem ex peccatis actualibus oriundum, conuertendo ad lumen veritatis: non autem ignorantiam quaſi naturalem ex ſolo peccato originali.

*Memb. 2.* An abluat ſordes affectus. *Reſp.* Abluere ſimul inſtantaneè omnes ſordes culpæ mortalis, per gratiam infuſam: ſed ante & poſt ſucceſſiuè, ſordes affectus inordinati contractas ex peccatis actualibus.

*Memb. 3.* De ſanatione animæ. *Art. 1.* An ſit poſſibilis. *Reſp.* Quòd ſic: quia anima non moritur ſubſtantialiter, ſed tantùm accidentaliter, priuatione gratiæ. *Art. 2.* An quis mereri poſſit ſanationem animæ. *Reſp.* Non ſanationem ab ipſa morte peccati: ſed à languore reliquo. *Art. 3.* De cauſa huius ſanationis. *§. 1.* An per virtutes. *Reſp.* Per virtutes & earum vſum ſanari paulatim, ſed non integrè in hac vita, infirmitatem ad bonum, & pronitatem ad malum. *§. 2.* An per omnes partes pœnitentiæ?



Digitized by Google

tentiæ? *Reſp.* Quòd ſic: quia infirmitas animæ non eſt tantùm ad operandum bonum, & reſiſtendum malo: ſed ipſe etiam reatus pœnæ, quatenus obligat ad ſatisfactionem, impedit ſeu diſtrahit ſtudium merendi ſimpliciter. *Infra.* Deus ſanat Contritos corde, *Pſal. 146.* ſed non ſolâ Contritione. *Infra,* Confeſſio eſt quaſi ruptio apoſtematis: ſed Contritio eſt eius punctio. *Infra.* Sanitas animæ eſt commenſuratio virium ſecundùm affectiones ſuas, in reconciliatione ad Deum & Eccleſiam. *Art. 5.* De ordine ſanitatis, ad oppoſitam ægritudinem. *Reſp.* Non poſſe eſſe ſimul ſimpliciter circa idem: ſed ſecundùm quid; quia ſunt varij gradus ſanitatis & ægritudinis. *Art. 6.* De modo ſanationis, ſubitò an ſucceſſiuè. *Reſp.* Infirmitas ex originali non ſanatur; quia eſt quaſi inſita naturæ: quæ autem ex actuali, ſanatur ſucceſſiuè donec ſatisfactum ſit, & *quandoque plus fortè.*

QVÆST. 72. *De neceſſarijs ad iuſtificationem.*

*Mem. 1.* An cum Contritione neceſſaria ſit infuſio gratiæ? *Art. 1.* An Deus iuſtificet immediatè, vel mediante gratiâ? *Reſp.* Quòd mediante gratiâ: quia quamuis poſſit ſine gratia; decreuit tamen non tantùm reſtituere innocentiam, ſed etiam naturam debilitatam habilitare ad bonum. *Infra.* Nobilioris conditionis eſt iuſtificare per gratiam, quàm ſine. Ad illud *Eſa. 43.* Ego ſum qui deleo, &c. Solus Deus delet effectiuè: ſed gratia formaliter; nec Deus poteſt eſſe vllius forma perfectiua, ſed exemplaris omnium, &c. Poſſet Deus acceptare creaturam rationalem non informatam gratia: † vt acceptus fuit *Adam* in ſtatu princip: ſed plus congruit diuinæ Bonitati & humanæ Redemptioni gratificatio ſeu iuſtificatio per gratiam. *Ad vlt.* Gratia ſeipſa formaliter iuſtificat: nec requiritur ad hoc alia gratia gratiæ, &c. Iuſtificatio magis dicitur actus vel ſtatus in habitu gratiæ, quàm habitus. *Art. 2.* An mediante gratiâ vt gratiâ, vel virtute? *Reſp.* Mediante gratiâ vt gratiâ, ad gratificandum Deo: vt virtute autem, ad rectè operandum. Sed iuſtificatio potiùs denominatur à virtute quàm gratia. *Infra.* Ad *Rom. 3.* Iuſtificati per gratiam .i. per fidem. Deinde ſæpè ponitur confuſè gratia pro virtute, & è contra: *quia fortè idem ſunt in ſubſtantia.* Denique, ſaltem in iuſtificatione concurrunt. Iuſtificatio dicitur potiùs à Iuſtitia, quàm ab alia virtute. 1. Quia ad eam aliquid requiritur ex parte Dei & noſtri. 2. A complemento iuſtitiæ generalis, potiùs quàm ſpecialis. Ad iuſtificationem paruulorum ſufficit pro eis fides Eccleſiæ, & meritum Chriſti. *Infra.* Gratia eſt quâ anima viuit in ſe ſpiritualiter: fides, Charitas & iuſtitia, quibus viuit in ſuis viribus, &c. Gratia vnit ipſam animam cum vita prima, quæ ſeipſâ viuit: Fides vnit cognitiuam cum vita prima, vt eſt Veritas: Charitas vnit affectiuam cum eadem, vt eſt Bonitas: Iuſtitia vnit operatiuam cum eadem, vt eſt æqualitas. *Art. 3.* An iuſtificatio ſit à Deo per Potentiam, Sapientiam, vel Bonitatem? *Reſp.* Eſſe à tota Trinitate per has tres perfectiones.

*Memb. 2.* An requiratur vniuerſalis expulſio culpæ? Supponit quòd ſic: de culpis mortalibus. *Ad 1. contra.* Non eſſe ſimile cum Sacramento Baptiſmi, quòd poteſt recipi ſacramentaliter, & non ſpiritualiter. Aliqui tamen ponebant quòd fictè pœnitentes accipiant Sacramentum Pœnitentiæ ſacramentaliter: verè pœnitentes, ſpiritualiter. Quòd ego non video.

*Memb. 3.* De motu liberi arbitrij. *Art. 1.* An etiam requiratur. *Reſp.* Ad iuſtificationem adultorum, requiri etiam motum liberi Arb. non ut cooperantis, ſed obedientis ad conſenſum.] *Non cooperantis* .i. Non ex æquo, aut æquè primò, vel non ad ipſam gratiam aut iuſtificationem. *Ad 1.* Deus operatur in nobis ſine nobis ſimul facientibus: non ſine nobis conſentientibus. *Ad 2.* Non eſt tractus coactionis, ſed inductionis. *Ad 3.* Deus non operatur ſecundùm infinitatem ſuæ potentiæ: ſed congruentiam ſuæ prouidentiæ, & noſtræ libertatis. *Art. 2.* Cuius virtutis ſit ille motus. *Reſp.* Dicunt quidam quòd non vnius, ſed plurium, ad Deum, & contra peccatum, &c. Vel poteſt dici, quòd ſit fidei, per appropriationem. *Rom. 5.* Iuſtificati ex fide, &c.

*Mem. 4.* Cur hæc 4. nec plura requirantur. *1.* Motus liberi Arb. *2.* Infuſio gratiæ. *3.* Contritio. *4.* Remiſſio peccati. *Reſp.* Quia cùm Deus non iuſtificet nos ſine nobis, ſintque duo termini iuſtificationis: duo requiruntur ex parte Dei, & duo ex parte noſtra. *Infra.* Timor eſt principium remotum iuſtif. ſed amor propinquũ &c. * Si homo non eſſet lapſus, adhuc per gratiam iuſtificaretur: ideo gratia hîc diſtinguenda eſt à contritione &c. Ordine intelligentiæ *1.* Gratia eſt à Deo. *2.* Culpam expellit. *3.* Animam informat &c. Non eſſe peccati, eſt ex præſentia Gratiæ. *Infra.* Niſi plura ſimul caperentur ab intellectu: periret collatio & iudicium plurimorũ.] Supple, Hæc 4. requiri ſimul formaliter: Nam ad hæc 4. plura prærequiruntur; vt gratiæ præuenientes, & variæ diſpoſitiones.

QVÆST. 73. *De ordine inter hæc 4. neceſſaria.*

*Mem. 1.* De ordine infuſionis gratiæ, ad alia tria. *Art. 1.* Ad motum liberi arbitrij. *Reſp.* Quòd motus liberi arbitrij qui eſt à gratia gratis data, ſeu præueniente, non eſt ex his 4. ſed qui eſt à gratia gratum faciente, eaque informatur: Quo, infuſio gratiæ ſolùm eſt prior naturâ. *Art. 2.* De ordine eius ad Contritionem. *Reſp.* Infuſio gratiæ & contritio ſunt ſimul tẽpore: † Sed illa eſt prior hac, naturâ. *Infra.* Si anima rationalis haberet aliquas operationes naturales in corpore ad ſui receptionem; ſimul infunderetur & operaretur; operationes tamen eius vt eſt electiua neceſſariò fiunt in tempore. *Infra.* In omni cooperatione oportet quod gratia præueniat: & ita in Contritione. *Ad vlt.* Anima non poteſt operari meritoriè, niſi ſanata: potiùs nominaliter, quàm participialiter, quia opus ipſum iuſtificationis eſt in eodem inſtanti quo ſanatur; poſt autem, quæ eliciuntur ab habitibus virtutũ.] Quod poteſt intelligi vel de Opere formali, vel cauſali iuſtificationis. *Art. 3.* An gratia præcedat peccati expulſionem? *Reſp.* vt *quæſt. 58. m. 4. a. 1. 2. 3.* Quòd vt tollens peccata, prior eſt natura: vt habitus perficiens animam, poſterior. *Infra.* Videtur quod hæc diſtinctio ſit ſuſtinenda. *Infra.* Gratia non agit, propriè loquendo, ad deletionem: ſed ſuâ præ-

Digitized by Google

præſentiâ omnis culpa mortalis annihilatur &c. Eodem inſtanti culpam expellit, & animam informat: ſed priùs naturâ, quàm hoc.

.. *Mem.* 2. De ordine motus lib. Arb. ad Contritionem. *Reſp.* Videtur mihi quòd motus liberi Arb. ſit conſentire gratiæ, ex inſtinctu Fidei, maximè quoad articulos de remiſſione peccatorum & retributione meritorum: Contritio autem ſit diſplicentia & deteſtatio peccati &c. Licet vterque motus ſit liberi Arbit. ſed ille ad bonum, hic à malo. *Ad vlt.* Hæc non ordinantur inter ſe quoad maiorem efficaciam, in iuſtificando: ſed quoad congruentiam. 1. Eſt infuſio gratiæ à qua motus lib. Arb. & Contritionis informantur, fiuntque gratuiti. 2. Motus liberi Arbit. quo gratiæ aſſentitur. 3. Contritio quâ à peccato diſſentit. 4. Peccati expulſio. Nam congruit ordo: vt 1. ſit id quo reliqua gratificantur. 2. Quo bonum placet. 3. Quo malum diſplicet. 4. Quod ex his ſequitur. ]

Nec obſtat alia enumeratio, nec prior diſpoſitio, & expulſio peccati quàm informatio gratiæ, ſupra 1. Quia vel alibi enumerantur promiſcuè, vel ordine exiſtentiæ: hic autem ordine gratificationis, ſeu vltimæ diſpoſitionis gratificatæ ſaltem formaliter ad expulſionem peccati. 2. Quia infuſio & intima præſentia gratiæ, quâ poteſt expelli culpa, eſt natura prior ipſa inhærentia & informatione. 3. Quia gratia priùs naturâ informat, perficit, & gratificat actum liberi arb. & contritionis, vt diſpoſitionem vltimam ad excluſionem peccati: quàm formaliter excludat culpam ſibi contrariam, & informet ac gratificet ſubiectum. 4. Quia hi actus vt informati gratia, ſunt adhuc natura priores ſeu præſuppoſiti gratiæ informanti, omnique eius effectui formali: exceptâ gratificatione horum actuum pro vltima diſpoſitione ſubiecti ad gratiam & eius effectus in ſubiecto.

*Memb.* 3. De ordine Contritionis ad expulſionem peccati. *Reſp.* Quòd Contritio vt gratiâ informata eſt prior naturâ expulſione peccati. Quia eſt diſpoſitio ſubiecti ad expulſionem peccati: quæ priùs ad hoc ipſum gratificatur per gratiam, quàm peccatum expellatur. Sed vt ad illuminationem aëris nebuloſi neceſſarius eſt ante & poſt ventus exſufflans nebulas aut nubes: ſic actus illi ad expulſionem peccati & iuſtificationem. *Ad* 1. Actus poteſt informari à gratia dupliciter. 1. Producendo ipſum in eſſe: & tùnc gratia gratificans & habilitans eſt prior in anima. 2. Non producendo ipſum actum, ſed adueniendo animæ quando liberum arb. eſt in actu conſono gratiæ, ſimulque informando potentiam & actum; ſed actum priùs naturâ vt diſpoſitionem, quàm potentiam: & talis actus non ſequitur informationem, ſed præcedit & diſponit ad remiſſionem culpæ. Quod non facit vllus actus elicitus à gratia gratum faciente: ſed à gratia gratis data, ſeu actuali & præueniente. ] An verò per hoc neget gratiæ informanti omnem influentiam in actum informatum: an ſolam primam productionem, necdum hinc ſatis conſtare poteſt.

QVÆST. 74. *De differentia Attritionis & Contritionis.*

*Memb.* 1. An ſint idem? *Reſp.* Quòd ſimpliciter differant. *Ad* 1. Eſt vnus motus continuus: non tamen ita ſimplex quin habeat partem Attritionis à gratia gratis data, & partem Contritionis à gratiâ gratum faciente, &c. Eſt vnus motus in genere naturæ: ſed diuerſi in genere moris. Nec eſt eadem voluntas eliciens: cùm enim quis atteritur de aliquibus, adhuc habet malam voluntatem ad alia, nec vniuerſaliter dolet: cùm autem gratia infunditur & conteritur, illam malam voluntatem dimittit, & ſimpliciter de omnibus dolet. *Ad* 2. Inter motus diſparatos, quales ſunt hic, non intercedit quies. *Ad* 3. Gratia non additur vt noua circumſtantia: ſed eſt nouus motor, & nouum efficit dolorem in genere moris. Nec ſolum debet tribui gratiæ qualitas operis: ſed ſubſtantia operis. Ex *Bern.* de libero arb. *Ad* 4. Non ſunt vt incompletum & completum eiuſdem, ſed diuerſi generis.

*Memb.* 2. An Attritio præcedat Contritionem? *Reſp.* Quòd ſic, lege communi. *Zach.* 1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Sicut enim ad iuſtificationem ex parte Dei requiritur gratia gratis data: ſic ex parte noſtra dolor Attritionis. Vnde ad conſummatam iuſtificationem à culpa & pœna, requiritur triplex dolor. 1. Antecedens Attritionis. 2. Coëxiſtens Contritionis. 3. Subſequens Satisfactionis. Et vt Contritio eſt ex motu liberi Arb. inſtinctu Fidei formatæ: ſic Attritio inſtinctu Fidei informis &c. Hęc autem lex communis, non præiudicat priuilegio ſpeciali.

*Memb.* 3. An Attritio ſtare poſſit cum Contritione? *Reſp.* Quòd non. *Ad* 1. & 2. Non habent oppoſitionem vt ſunt dona Dei: ſicut Fides informis & formata, amor ſeruilis & initialis, virginitas & caſtitas coniugalis; ſed ob annexa & concomitantia. *Ad* 3. Mala voluntas non eſt de ſubſtantia Attritionis: ſed concomitatur.

*Memb.* 4. An Attritio poſſit fieri Contritio? *Reſp.* Non quoad ipſum actum, ſed quoad habitum illius actus. *Ad* 1. Fides informis poteſt fieri formata: quia eſt habitus permanens: non ſic Attritio tranſiens. Deinde Attritio eſt à gratia gratis data: Contritio à gratum faciente. Denique quia hi actus differunt ſpecie, materialiter & formaliter. *Ad* 2. Dicunt quidam quòd ſi Attritio non interrumpatur, adueniente gratiâ fiat Contritio. Videtur tamen aliter, vt ſupra: quòd hic actus non ſit ita ſimplex quin habeat partem & partem, quarum vna non poſſit eſſe alia. *Ad* 3. Non eſt ſimile de diſpoſitione ad habitũ: quia illa eſt etiam permanens. *Ad* 4. Si tolleretur ab Attritione illa imperfectio quæ eſt ex timore pœnæ: non informaretur gratia adueniente; quia motus eius ſemper deficit in progreſſu. *Contra.* Sic & motus Contritionis deficit in progreſſu. *Dicendum* quòd informatur ex informatione liberi Arb. cuius eſt motus. Nec eſt ſimile de imperfectione Contritionis ex timore initiali pœnæ, & Attritionis ex timore ſeruili: quia ablatio imperfectionis ab Attritione, ponit eam extra genus ſuum ingratuitorũ; à Contritione, non ponit eam extra genus ſuum gratuitorum. Vt autem Attritio nominat habitum, ſeu diſplicentiam peccati radicatam in anima, vnde inſurgunt motus frequenter:



Digitized by Google

Attritio poteſt fieri Contritio &c. Diſtinguendum eſt inter fidem informem dæmonum, quæ tantùm declinat pœnam, non autem poteſt inclinare ad præmium: & fidem informem quæ poteſt etiam inclinare ad præmium æternum; & hæc generat Attritionem poſſibilem fieri Contritionem, non illa.

*Ad 5.* Opus mortuum ipſius peccati non poteſt reuiuiſcere: ſed opus mortui poteſt viuificari. *Ad 6.* Timor quo quis ceſſat à peccando, & libenter relinqueret peccatum, ac pro eo ſatisfaceret, ſi Deus daret gratiam, poteſt fieri initialis: non autem timor quo quis retrahitur, ſed libenter peccaret; & hic tamen ad illum diſponit. *Ad 7.* Pœnitentia *Iudæ* non potuit fieri contritio: quia ex ſolo reſpectu pœnæ, non præmij; nec ex ſpe de Dei Bonitate, ſed ex deſperatione.]

Ex hac tota Quæſt. ſatis colligi poteſt, non omnem Attritionem includere adhuc voluntatem actualem peccandi: ſed quandam perfectiorem excludere omnem; & hanc, non illam, eſſe diſpoſitionem ſufficientem cum Sacramento ad remiſſionem peccati. *Trid. Seſſ. 14. c. 4.*

QVÆST. 75. *De origine Contritionis.*

*Memb. 1.* An ſit donum Spiritus S. *Reſp.* Dicunt quidam, quòd comprehendatur ſub dono pietatis. Poteſt dici quòd eſt donum cōmuniter ſumptum, comparatiuè ad dantem liberaliter, ſine ſpe retributionis, vt *Iac. 1.* non autem propriè, pro gratia ſuperaddita virtuti ad promptiorē operationem, vt *Iſa. 9.* *Ad 1.* Timor eſt potiùs donum, quam dolor: quia plus mouet ad operandum &c.

*Mem. 2.* An ſit motus alicuius virtutis, & gratię. *Reſp.* Quòd ſic, vt *quæſt. 54.* *Ad 1.* Dolere de malo commiſſo, naturæ eſt: ſed vt oportet, & meritoriè, eſt gratiæ. *Ad 2. & 3.* Sat ſupra.

*Memb. 3.* An ſit virtutis generalis vel ſpecialis. *Reſp.* Eſſe ſpecialis, elicitiuè: vt *q. 54. m. 1.*

*Memb. 4.* An ſit virtutis Theologicæ, vel Cardinalis. *Reſp.* Non Theologicæ, ſed Cardinalis, ſeu pœnitentiæ reducibilis ad Iuſtitiam. Quia eius obiectum non eſt Deus, ſed offenſa Dei.

*Ad Arg.* Diligimus Deum offenſum: non offenſam eius; ſed conterimur de Deo offenſo.

*Memb. 5.* An pœnitentia poſſit impleri in via. *Reſp.* Quòd ſic, quantum ſufficit ad ſalutem: conuerſione ad Deum ex toto corde, abſque vlla à Deo auerſione, aut oppoſita conuerſione; non tamen ex toto, abſque vllo defectu.

QVÆST. 76. *De Confeſſione Pœnitentiæ.*

*Memb. 1.* Quid ſit Confeſſio. *Reſp.* Eſt declaratio legitima peccatorum propriorum, coram Sacerdote.

*Memb. 2.* De neceſſitate Confeſſionis. *Art. 1.* An ſit neceſſaria. *Reſp.* Eſſe neceſſariam Pœnitenti. *1.* Ex inſtitutione & præcepto Chriſti, & Eccleſiæ. *2.* Ex congrua reconciliatione cum Eccleſia. *3.* Ex varia vtilitate, ad cognitionem peccatorum, ad ſatisfactionem, ad conſcientiæ ſecuritatem, ad remiſſionem culpæ, ad augmentum gratiæ, ad cautelam futurorum, ad gloriam Dei. *Ioſ. 7.* Da gloriam Deo, & confitere. *Ad Arg.* Confeſſio intelligitur per Contritionem, cum propoſito confitendi. *Infra.* Vt in iure rerum, non eſt Iudex in propria cauſa: ſic & multò magis in iure morum, peccator non eſt Iudex in propria cauſa; vt poſſit videlicet renuntiare huic foro, & differre ad forum purgatorij. *Infra.* Voluntas habitualis reputabatur pro facto. *Infra.* Ad *Amb.* de S. *Petro*, Non inuenio quid dixerit, &c. Poſſet eſſe tanta & tàm certa Contritio, &c. Sed nunquam tàm certo conſtat peccatum eſſe remiſſum; nec tùnc Confeſſio erat adhuc præcepta, &c. Ad illud S. *Chryſ.* Lauent lachrymæ quod pudet confiteri. i. de Confeſſione ſecreta, vel de vi Contritionis ad confitendum contra omnem verecundiam. *Infra.* Chriſtus remiſit peccata ſine Confeſſione: non ad noſtram imitationem, ſed ad ſuam excellentiam diuinam. *Art. 2.* An Confeſſio neceſſaria, ſit ſolius cordis, vel etiam oris. *Reſp.* Quòd ſemper fuerit neceſſaria Confeſſio Cordis Deo: ſed Confeſſio oris homini, non niſi poſt eius inſtitutionem. Ad B. *Aug.* in Pſal. 31. Dixi confitebor, &c. i. de Contritione cum voluntate confitendi. *Art. 3.* Quando fuerit neceſſaria. *§. 1.* An in lege Naturæ. *Reſp.* Quòd non vocalis, & ſacramentalis, ſed mentalis ſoli Deo: quæ eſt diſplicentia malitiæ conſideratæ. *§. 2.* An in lege *Moyſi*? *Reſp.* Quòd non. Ad *Leuit. 16. Num. 5. Ioſ. 5. Prou. 28. Eccl. 4. Iſa. 43.* *Reſp.* De quadam Confeſſione in genere, per ſacrificia pro peccatis, & de præfiguratione, ac prædictione futuræ Confeſſionis ſacramentalis. *§. 3.* An ſacramentalis ſit neceſſaria in Lege Euangelij. *Reſp.* Quod ſic, vt *m. 2.* *Ad Arg.* ex iugo leuiori. *Reſp.* Comparatiuè inter totam legem Moyſi & nouam, inter gratiam & fructum huius & illius &c. *§. 4.* An ſufficiat ſine oblatione. *Reſp.* Quod ſic &c.

*Memb. 3.* De inſtitutione Confeſſionis. *Art. 1.* An in Lege noua. *Reſp.* Quod ſic: vt *M. 2.* Nec eſt contra Legem naturæ reuelare ſuam turpitudinem Sacerdoti, ad finem bonum & neceſſarium, curationis, remiſſionis, ſatisfactionis, &c.

*Art. 2.* Vbi & quando. *Reſp.* Quoad materiale pœnitentiæ, *Mat. 4.* Pœnitentiam agite &c. Quoad formale Abſolutionis, *Mat. 16. Ioan. 20.* *Ad 1.* Noluit Chriſtus præcipere confeſſionem, ne eſſet extorta, nec occaſio recidiuandi: ſed dare Sacerdotibus poteſtatem abſoluendi, ad ſalutem indigentium & recurrentium. Poſtea Apoſtoli monuerunt negligentes *Iac. 5.* *Ad 2.* Confeſſio fuit à Chriſto inſtituta, ab Apoſtolis tradita, à S. *Iac. 5.* promulgata.] Non quòd neget præceptum diuinum confeſſionis: ſed expreſſum ac determinatum.

QVÆST. 77. *De vſu Confeſſionis.*

*Memb. 1.* Qui debeant confiteri. *Art. 1.* An non conſcij peccati mort. *Reſp.* Quòd ſic, ſaltem in genere, ſemel in anno, ex præcepto Eccleſiæ &c. imò & quædam venialia, ex æquo & bono, ad reuerentiam Euchariſtiæ. *Art. 2.* An etiam non conſcij peccatorum venialium. *Reſp.* Quòd ſic, in genere, ſe eſſe peccatores: ſi non actu, ſaltem habitu, & reatu alicuius culpæ præteritæ, vel pœnæ adhuc reliquæ. *Ad vlt.* In dubijs debet quis interpretari contra ſe &c.] Supple, in dubijs de veniali aliquo defectu in bono opere: non autem ſemper de mortali. *Art. 3.* An & perfecti. *Reſp.* Quòd ſic: ex inſtitutione prima ab Apoſtolis ſub pręcepto, promulgata

gata à *S. Iac. 5.* ſuperaddita ſeu determinata à Conc. Generali Later. promulgata ab *Innoc. 3.* ex neceſſitate communi, ad reuerentiam Euchariſtiæ, & ad diſcretionem gregis Dominici.] Nec hîc negat præceptum Chriſti: ſed ſupponit minùs expreſſum, & indeterminatum. *Art. 4.* An & obſtinati. *Reſp.* Non cum ipſa obſtinatione peccandi: ſed ab hac conuertendi ad confitendum.

*Mem. 2.* Quid ſit confitendum. *Art. 1.* An peccatũ Orig. *Reſp.* Quod non: quia non fit actu proprio. *Art. 2.* An manifeſta, vel ſolùm occulta. *Reſp.* Omnia mortalia. *1.* Vt Sacerdos ea ſciat in hoc foro. *2.* Vt reus ipſe ſit hîc accuſator ſui. *Art. 3.* An & peccata cordis. *Reſp.* Quod ſic. *Ad Chryſ.* Non quaſi diſtinctè peccata Cordis delenda ſint Contritione; Oris, Confeſſione; Operis, Satisfactione: ſed ſingula, his tribus. *Ad illud Aug.* Vbi oritur peccatum, ibi moriatur .i. Si occultè occultè, ſi publicè publicè, ad reparandum ſcandalũ. Vel, in ipſo primo ortu, abſque vllo progreſſu. *Art. 4.* An etiam peccata aliena. *Reſp.* Quòd non: niſi ſint circumſtantiæ neceſſariæ proprij peccati; & tunc abſque vlla proditione criminis alieni, quò cautiùs fieri poteſt. Vt, Mulier cognita à proprio Epiſcopo: confitendo de quodam magno Prælato. *Infra.* In caſu neceſſitatis pro futuro: valdè cauendum eſt ne quis alium accuſet in confeſſione; ſed tutiùs eſſet extra conſultare. *Art. 5.* An peccata venialia. *Reſp.* Quòd non ex præcepto: ſed ex conſilio & vtilitate; niſi ſubſit dubium conſcientiæ de mortali, relinquendũ iudicio Confeſſarij; vel niſi ex præcepto Confeſſionis annuæ. *Ad 1.* Peccatum per ſe & ſimpliciter, ſupponit pro mortali. *Infra.* Peccans venialiter, non offendit Deum auerſione &c. Contritio & Satisfactio ſunt magis morales & neceſſariæ ex lege naturæ, quàm confeſſio &c. Venialia non egent reconciliatione Eccleſiæ. *Infra.* Maiora crimina reſeruantur maioribus: ſed venialia nullis. *Art. 6.* An oblita. *Reſp.* Quòd non, niſi in generali, aut niſi redeant in memoriam. *Ad 1.* Erit grauior pœna pro oblitis, quàm pro confeſſis ſpecialiter. *Ad 2.* Negligentia ex qua obliuio, punietur. *Art. 7.* An peccata per ignorantiam. *Reſp.* Quòd non, niſi quantùm innoteſcunt. Aug. *l. de Fide &c.* de ea quæ ignoranter nupſerat viro alterius. *Ad 1.* Expedit talia cõfiteri in genere. *Ad vlt.* Concedo quod pro illis debeat fieri contritio & ſatisfactio in genere: ſicut olim ſacrificia pro peccatis per ignorantiam. *Art. 8.* An confitendę ſint radices peccatorum: ignorantia, infirmitas ad bonũ, malitia ad malum. *Reſp.* Quòd non, niſi quatenus ſunt voluntariæ. *Ad 1.* Peccatum ex ſtudio, eſt ex certa malitia. Vnde non excuſatur ab ignorantia, nec infirmitate. Eſt enim ex malitia voluntatis, quæ culpa eſt: non ex malitia naturæ corruptæ, quæ pœna eſt. Illa, non hæc, confitenda eſt: quia illa accuſat, hæc potiùs excuſat. *Ad 2.* Quod grauat peccatum abſolutè quoad genus ſuum, eſt confitendum: non quod ſolùm comparatiuè, vt hæ radices. *Ad 3.* Non ſunt confitenda quæcumque magis excitant Dei miſericordiam. *Art. 9.* An tentationes ſint confitendæ. *Reſp.* Quòd non, niſi quatenus ſunt voluntariæ. *Ad 3. & 4.* Circumſtantiæ voluntariæ peccati, non ſolum comitantur, ſed & ſequuntur, & præcedunt.

*Memb. 3.* De circumſtantijs. *Art. 1.* An ſint confitendæ? *Reſp.* Quòd ſic: ex *Leuit. 5.* & *Deut. 25.* & *de Pœn. diſt. 6.* ad rectum iudicium de culpis & pœnis. Sunt autem circumſtantiæ *Quis, Quid, Vbi, Quoties, per Quid, Cur, Quomodo, Quando.* *Ad 1.* ex S. *Bern.* De cauendo Scandalo proximi. In tali periculo apud proprium Sacerdotem, petenda eſt facultas confitendi alteri: ſi non vult dare, taceantur ei circumſtantiæ periculoſæ, & de earum culpa ac pœna conſulatur alius Sacerdos diſcretus, vel adeatur Superior. *Ad 2.* De facto ſcandaloſo: vt de ipſa circumſtantia; niſi quòd confeſſio ipſius peccati ſit magis de veritate, quæ non debet omitti propter ſcandalum. *Ad. 3.* Non ſolùm vitandum eſt ſcandalum actiuum, ſed & paſſiuum infirmorũ, *1. Cor. 8.* *Marc. 9.* Si verò de veritate ſcandalum ſumitur: vtiliùs naſci permittitur, quàm veritas relinquitur. *Ad 4.* Cognita à Papa, non deberet hoc expreſsè cõfiteri, nec detegere certam perſonam. Æſtimo tamen quòd poſſet eſſe tanta præſumptio ſanctitatis in Confeſſario, vt non eſſet periculum ei confiteri. *Ad 5.* Circumſtantiæ non ſunt de eſſe, ſed de quantitate peccati. *Ad 6.* Non eſt plena reconciliatio Eccleſiæ, ex ſola infuſione gratiæ. *Ad 7.* Quantitas peccati eſt etiam miniſterialiter huius iudicij. *Ad 8.* vt ad 5. *Ad 9.* Quantitas meriti eſt à bono intrinſeco. Bona enim facimus, quia boni ſumus: ſed mali ſumus, quia mala facimus. Circumſtantię non mutant ſpeciem: ſed augent libidinem & contemptum. *Ad 10.* Circumſtantiæ poſſunt eſſe infinitæ: ſed nec ſunt, nec confitendæ ſunt niſi finitæ ſeu determinatæ. *Ad 11.* Genus peccati magis deordinat quàm circumſtantia: ideò potiùs confitendum. *Ad 12.* Circumſtantiæ peccatorum ſatis inſinuantur in Lege veteri & noua.

*Art. 2.* Quæ ſint confitendæ? *§. 1.* An alleuiantes? *Reſp.* Quòd non: niſi ad inquiſitionem Sacerdotis, & ad cauendum eius ſcandalum.] Supple niſi eſſent prorſus neceſſariæ ad rectum iudicium. *§. 2.* An omnes aggrauantes? *Reſp.* Quæ ex conſcientia videntur augere contemptum in peccando. *Ad 1.* Quæ trahunt ad aliud genus peccati, non ſunt circumſtantiæ: cùm ſint quaſi formæ peccati, per ſe deformantes actum. *Art. 3.* An omnes teneantur confiteri circumſtantias? *Reſp.* Quòd ſoli docti, vel conſcij, vel interrogati à Sacerdote. *Ad vlt.* Non eſt ignorantia iuris, quoad omnes circumſtantias: ſed fortè quoad aliquas. De quibus infra. *Art. 4.* Quid ſit confitendum vt peccatum, quid vt circumſtantiæ. *Reſp.* Cùm ad eſſe peccati requiratur actus & deformitas: ad plura peccata requiruntur plures actus deformes. Vnde ſi quis cognoſcat ſororem ſuam, virginem, ductam in vxorem, & Monialem: non committit niſi vnum peccatum ſacrilegij, tot circumſtantijs deformatum, &c. Iudicandum eſt enim peccatum à conditione maximè deformante in eodem genere, non in diuerſo, &c. *Infra.* Circumſtantia perſonæ eſt magis intrinſeca & eſſentialis actui, quàm loci: ideò illa eſt potiùs forma peccati quàm hæc. Defloratio, & occiſio deflorando



Digitized by Google

ſlorando, ſunt duo actus deformes, ideò duo peccata. *Art. 5.* An potiùs confitendum ſit genus peccati, quàm circumſtantia? *Reſp.* Quòd ſic. *Ad 1.* Actus vt actus non eſt peccatum, ſed vt deformis: quæ deformitas poſſet dici circumſtantia actus, non peccati; quia eſt quaſi forma peccati, ſed circūſtantia eſt magis deformans. *Ad 2.* Voluntas plena reputatur pro facto, ad æqualem culpam & pœnam, in ſpiritualibus: non autem in exercendis per corpus.

*Mem. 4.* Quando ſit confitendum. *Art. 1.* An ſtatim à peccato mortali? *Reſp.* Aſſerere quod poſſit differri Confeſſio ad Paſcha, periculoſum videtur: quòd ſit neceſſariò confitendum prima oportunitate, nimis durum, &c. Dicendum eſt ergò quòd ex ipſa Sacramentali inſtitutione confitenda ſint mortalia, propoſito, vel actu, oportunè, ante Paſcha: non autem ſtatim actu, prima oportunitate; niſi ex periculo, aut timore non futuræ alterius oportunitatis, vel ex ſpeciali ſtimulo conſcientiæ. Non enim video quòd ex alia dilatione oriatur contemptus mortalis. *Infra.* Nec in qualibet mora eſt contemptus, nec ſtatim mortalis. *Infra.* Quo plus remorſus conſcientiæ: eo plus peccati in negligendo; ſed eo plus periculi, quo minùs remorſus. *Infra.* Præceptum affirmatiuum non obligat quauis oportunitate congruente, ſed exigente. *Infra.* Non exprimitur terminus confitendi in ipſa inſtitutione, aut promulgatione: ſed in obligatione executionis. *Cap. Omnis, &c.* vt ſupra. *Eccli. 5.* Ne tardes &c. Eſt Conſilij, non Præcepti. Tenetur quis non peccare, ex præcepto negatiuo: ſed non ſtatim reſurgere, ex Affirmatiuo. Tenetur quis ſtatim, ſed non pro ſtatim. Non eſt nouum peccatum in mora, niſi ex nouo contemptu. Determinatio Eccleſiæ ſaltem ad ſemel in anno: non abſoluit ab obligatione confitendi pluries ex neceſſitate &c.

*Art. 2.* An contritus teneatur ſtatim confiteri. *Reſp.* Quòd vt non eſt contritio ſine propoſito confitendi: ſic nec eſt ſine executione, oportunè.] Supple, niſi deſinat ante executionem, vel ſubſit ratio differendi. *Art. 3.* Quo caſu differri poſſit Confeſſio. *Reſp.* Non vltra tempus determinatum ab Eccleſia: ſed ad tempus, vt fiat Sacerdoti diſcretiori; potiùs tamen minus diſcreto, & poſtea diſcretiori, quàm nimiùm differre.

*Memb. 5.* De modo confitendi. *Art. 1.* An de ſingulis mortalibus. *Reſp.* Quod ſic. *1.* Ad perfectam contritionem & ſatisf. *2.* Ad perfectum iudicium Sacerdotis. *3.* Ad illuminationem totius. *Art. 2.* An liceat diuiſim confiteri, aliqua vni, alia alteri. *Reſp.* Quod non: ſed eidem omnia mortalia quæ memoriæ occurrunt. *1.* Ad integrum iudicium Sacerdotis. *2.* Quia aliàs confitens ſe excuſaret. *3.* Quia non iuſtificatur niſi ab omnibus ſimul. *Ad vlt.* Aliud eſt confiteri peccata diuiſim, ad occultandam malitiā: aliud ex neceſſario recurſu ad ſuperiorem.

*Art. 3.* An quilibet teneatur ſingulis annis omnia peccata ſua ſimul confiteri. *Reſp.* Quod non: niſi pateretur recidiuum, mutando toties Confeſſorem. *Infra.* † Tenetur quis requiſitus, ad agnoſcendum vultum pecoris, proprio Sacerdoti immediato propria peccata ſemel confiteri: niſi quid obſtet ſpeciale, vt ſupra tactum eſt. Facta autem ſemel ſua Confeſſione fideliter: non tenetur eidem quolibet anno omnia confiteri; ſed ſufficit ei confiteri quæ commiſit illo anno. Ex *cap. Omnis, &c. ſecundùm modum Magiſtrorū.*] Sed hoc eſt iam contra ſenſum & praxim communem illius Decretalis.

*Art. 4.* An quis poſt recidiuum teneatur confiteri omnia peccata præterita? *Reſp.* Fuit opinio quod nullum, niſi nouum: ſed hoc videtur nimis conſcientias ampliare, cùm nouum peccatū poſſit eſſe pœna præteriti, nec Sacerdos poſſit iudicare de nouo niſi ex præterito, &c. Dicendū ergò quod ſi quis confiteatur eidem: ſi peregerit pœnitentiam iniunctam, ſufficit præterita in genere confiteri ob ingratitudinem: ſi non peregerit, debet ea expreſſiùs confiteri, vt de vtriſque pœnitentiam ſuſcipiat; niſi Sacerdos indicet ſe eſſe ſatis memorem &c. Si verò confiteatur nouo Sacerdoti: tenetur omnia confiteri, ſiue peregerit pœnitentiam de illis, ſiue non; quia aliter non poteſt cognoſcere vultum pecoris ſui. *Ad 1.* Decretalis illa obligat tantùm ad confitendum commiſſa illo anno. *Ad 2.* Hoc Sacramentum requirit perfectam deteſtationem peccati commiſſi. *Ad 3.* Peccatum remiſſum manet quoad *tentionem* deteſtationis perpetuæ. *Ad 4.* Sunt quatuor caſus, in quibus oportet iterum confiteri. *1.* Si Sacerdos fuerit imperitus. *2.* Pro contemptu ſatisfactionis. *3.* Si crimen remittendum ſit ad Superiorem. 4. *De pœn. diſt. 3. cap. Sunt plures.* Si quis confiteretur ſine propoſito abſtinendi, vel non integrè ſcienter.] Quæ non poſſunt intelligi niſi quādo ex recidiuis eſt dubium de vera Contritione, Confeſſione, & remiſſione præteritorum: vel niſi cognitio aut recordatio præteritorum ſit prorſus neceſſaria ad iudicium de contemptu, vel ingratitudine mortali recidiui.

*Art. 5.* An liceat plus confiteri quàm quis fecerit. *Reſp.* Quòd non: quia hoc eſt dicere falſum teſtimonium contra ſeipſum, &c. *Infra.* Quæ ſunt ſub dubio, opinione aut ſcrupulo, non ſunt abſolutè confitenda: ſed ſub dubio, opinione, aut conditione. *Ad 1.* Qui ſciret ſe iam eſſe in ſtatu innocentiæ, poſſet confiteri peccata remiſſa. *Ad 2.* Ex *1. Ioan. 1.* nemo poteſt preſumere ſe eſſe ſine peccato. *Ad 3.* Contritio, & ſatisfactio nunquam eſt ſuperflua, ſicut confeſſio. *Ad 4. & 5.* In his dubijs non eſt neceſſario altera pars abſolutè eligenda. *Ad 6.* Confitendū eſt ſecundùm propriam conſcientiam.

*Art. 6.* An liceat minùs confiteri. *Reſp.* Quòd non: quia Confeſſio debet eſſe integra, vt ſit ſalutaris. Ex illo *B. Aug. l. de pœn. c. 9.* Quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo qui iuſtus, & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam. *Ad 1. & 2.* Non ſequitur, Quia mala facimus mali ſumus: Ergo ſi deſinimus mala facere, deſinimus mali eſſe. Nec negatio eſt cauſa negationis, vt affirmatio affirmationis: niſi in eſſendo, aut conſignificando idem tempus, & eandem actionem aut omiſſionem.

*Art. 7.* An teneamur confiteri ex charitate. *Reſp.* Quicquid eſt pœnitentiæ ſatiſfactoriæ, debet fieri ex charitate, vel in charitate, &c. Confeſſio ergo vt ſatiſfactoria Deo, & Eccleſiæ, de offenſa peccati, debet

Digitized by Google

debet fieri ex charitate, vel in charitate: Confeſſio autem ex præcepto Eccleſiæ non debet fieri ex charitate, vel in charitate. Imò vt dicunt, ſi quis confiteatur in mortali, abſolutus eſt ab obligatione Eccleſiæ. *Infra.* Etſi motiuum generale Legis nouæ ſit Amor: expedit tamen etiam aliqua fieri ex timore. Confeſſio extra charitatem, poteſt eſſe vtilis, ad cauendam inobedientiam, & ad aliquam gratiam, &c. Præceptum obligat ad executionem actus præcepti: non autem ad intentionem ipſius præcipiētis, &c. Quando Attritus confitetur credens ſe Contritum: illa Confeſſio non eſt ſignum mendax; quia ſignificat abſolutionem habitualem .i. virtualem, non actualem. *Sub finem.* Si quis Contritus vel Attritus, bona fide confiteatur, non debet iterum confiteri: † ſi autem dictat ei Conſcientia quòd non fuit contritus, debet iterum confiteri, & abſolui. Nec eſt neceſſe quòd ſemper iteretur Confeſſio, quouſque conſtiterit de charitate: ſed ſufficit probabilitas, &c. Eſt in poteſtate noſtra materiali, habere charitatem: vt illuminari, aperiendo feneſtras; ſed non eſt in poteſtate noſtra actiua.

*Art. 8.* An magis conueniat confiteri in publico, quàm in occulto. *Reſp.* Quòd in occulto. Ad cauendum ſcandalum. *Art. 9.* An ſufficiat confiteri ſcripto, vel nuncio. *Reſp.* Quòd non: niſi in neceſſitate per ſcriptum vel interpretem. *1.* Ad confuſionem pœnitentis præſentis. *2.* Ad abſolutionem à Sacerdote neceſſariò præſente.

*Mem. 6.* An Confeſſio ſit neceſſaria etiam poſt iuſtificationem. *Reſp.* † Eſſe naturâ ac tempore poſteriorem, & neceſſariam neceſſitate præcepti, etiam poſt iuſtificationem. Quia hæc non fit in adultis, niſi ex contritione, cum propoſito & obligatione confitendi: Ergo illa eſt poſterior hâc, naturâ ſeu virtute contritionis formatæ, & tempore ſeu executione. *Ad vlt.* Pœnitens in hac vita ſubiectus eſt foro Eccleſiæ: ita quòd ab eo non poſſit appellari, &c. Nemo etiam ad forum Purgatorij admittitur, qui forum Eccleſiæ contemnit.

QVÆST. 73. *De Confeſſione vt ſit Abſoluenti.*

*Mem. 1.* Cui ſit confitendum. *Art. 1.* An Laico vel Sacerdoti. *Reſp. 1.* Eſt poteſtas authoritatis, ſolius Dei. *2.* Excellentiæ Chriſti. *3.* Miniſterij Sacerdotalis. *4.* Meriti Sanctorum. *5.* Vnitatis fidelium. Hi duo modi poſtremi ſunt potiùs ad impetrationem, quàm abſolutionem. Expedit ergo aliquando confiteri alteri quàm Sacerdoti ad inſtructionem, humiliationem, interceſſionem: ſed ſoli Sacerdoti ſacramentaliter, ad Abſolutionem. *Ad Iac. 5.* Quidam intelligunt de ſolis venialibus: ſed quia his verbis Confeſſio Sacram. inſtituta vel promulgata eſt .i. Confitemini omnes reciprocè in generali; ſed Sacerdotibus in ſpeciali. *Infra.* Confitendum ſocio: ex defectu, ac deſiderio Sacerdotis, & in ordine ad illum.

*Art. 2.* An Sacerdoti proprio vel diſcretiori. *Reſp.* Vel priùs proprio, deinde alteri diſcretiori: vel huic ſoli ex facultate illius, aut ſuperioris eius, vel cum propoſito confitendi illi. *Ad diſt. 6. de Pœn.* Qui vult confiteri, quærat Sacerdotem ſcientem, &c. .i. vel talem aliquem proprium, vel ex licentia vt ſuprà, vel in caſu & periculo ſcandali. Quia ſcandalizans ſuos pœnitentes in ipſa Confeſſione: vt talis non eſt Cōfeſſor, ſed corruptor &c.

*Art. 3.* An poſſit quis confiteri Superiori, prætermiſſo inferiori, ſeu parochiali. *Reſp.* Quòd Summus Pontifex & alij poſſunt licentiare & abſoluere ab obligatione confitendi proprio Parocho. Quia ipſemet Parochus poteſt concedere hanc facultatem. *Ad cap. Omnis, &c.* Proprius Sacerdos dicitur. *1.* Parochialis. *2.* Eius Superiores. *3.* Omnes ab his Delegati. Abſoluti ab Ordinarijs vel eorum Vicarijs, non tenentur: ſed abſoluti à priuilegiatis tenentur ſemel in anno confiteri proprijs parochis, ſi exigant. Quia non credo quod ideò iure ſuo priuentur. * Sed hoc, inquit, dependet ab intentione & declaratione Superiorum.

*Memb. 4.* De ſigillo Confeſſionis. *Art. 1.* An Confeſſio poſſit reuelari. *Reſp.* Nullo caſu, nullâ cauſâ. *1.* Ex diſtinctione huius fori, ab externo. *2.* Ex honeſtate & fidelitate. *3.* Ex prohibitione. *4.* Ex honore & fauore Sacramenti. *Ad 1.* Sacerdos tenetur ad hoc ſecretum iure naturali & poſitiuo: pœnitens iure naturali. *Ad 2.* Sacerdos hîc eſt vice Dei, non Epiſcopi vt hominis: ideo non poteſt huic reuelare. *Ad 3. 4. 5.* Ex Confeſſione nil ſcit vt homo: ideo poteſt iurare ſe neſcire, quia hoc ſcire Dei non ſubeſt vlli iuramento, obedientiæ, periculo, aut vſui humano. *Ad 6.* Bonum Confeſſionis, non eſt priuatum, ſed publicum & maximum. *Ad 7.* De Confeſſione Hæretici: debet celari, ſed poteſt moneri Superior vt vigilet, † quia lupus eſt in grege &c. Si tamen quis præſentiret, bonum eſſet prædicere confitenti, quòd non recipiet vllam hæreſim ſub ſigillo Confeſſionis. | Supple, cum pertinacia: quia talis non eſt vera Cōfeſſio Sacramentalis. *Ad 8.* Non debet fieri malum, vt eueniat bonum. *Rom. 3.*

*Art. 2.* An ſit celandum quod confitens vult pertinaciter & pernicioſè exequi. *Reſp.* Quidam dicunt quod non, alij quòd ſic: Æſtimo eligendum medium. Confeſſio peccati præteriti & præſentis vt talis, clauditur ſigillo: non autem vt eſt in propoſito futuri. Hoc tamen etiam celandum eſt honeſtè: niſi ad cautè auertendum graue malum abſque infamia.

*Ad Arg.* Peccatum vt faciendum non eſt materia Confeſſionis: nec quælibet ſecreta poſſunt à Sacerdote recipi ſub ſigillo Confeſſionis.

*Art. 3.* An confitens poſſit dare licentiam reuelandi ſuam Confeſſionem. *Reſp.* Quòd non. *1.* Quia hæc notitia eſt diuina. *2.* Quia ſubeſt præcepto Superioris. *3.* Quia reuelatio eſt ſcandaloſa. *Ad 1.* Hoc non eſt iuris perſonalis, cui cedi poſſit. *Ad 2.* Quidam dicunt quòd Pœnitens poſſet ex cauſa ſibi ad hoc ſubſtituere Sacerdotē: quod mihi non videtur.

*Ad 3. & 4.* Ex conſuetudine &c. Eſt potiùs abuſus indiſcretorum. *Ad 5.* Videtur mihi tamen, quòd poſſit dari licentia poſt & extra confeſſionem. *Ad 6.* Confeſſio debet manere vt in conſcientia confitentis: & vt Deus delet peccata confeſſa remiſſione; ita Sacerdos quaſi perpetua obliuione.

*Art. 4.* An celandum ſit quod ſcitur ex confeſſione, & extra. *Reſp.* Quidam dicunt quod ſic, alij quod non: Alij quòd ſi priùs ſciatur extrà, celandū quid

Digitized by Google

ſit; quia poſt receptum eſt in ſecretum confeſſionis: non autem, ſi poſt confeſſionem ſciatur extra. Alij quòd ſiue ſciatur ante ſiue poſt: non poſſit dici abſolutè, ſed vt extra, ſeu determinando modum exteriorem ſciendi. Tres primæ opiniones non videntur mihi tenendæ: ſed quarta quoad obligationem. Ex honeſtate autem nihil dicendum de peccatis confeſſis, niſi vrgente cauſa rationabili. 1. quia mori debent in animo Sacerdotis. 2. quia non decet Sacerdotem loqui de peccatis alienis niſi in genere. 3. Quia etſi loquatur determinando modum alium ſciendi: dat occaſionem ſuſpicandi quòd ex Confeſſione. *Infra.* Alia ſecreta non obligant ſupra obedientiam, iuramentum, & grauiora mala vitanda: ſed hoc ſuper omnia.

QVÆST. 79. *De Poteſtate & Clauibus Eccleſiæ.*

*Mem. 1.* An ſint Claues. *Reſp.* Ex *Mat. 16. Ioan. 20.* Eſſe clauem ſeù poteſtatem, Authoritatis Dei, Excellentiæ Chriſti, & Miniſterij Prælatorum Eccleſiæ: contra tria obſtacula, culpæ, pœnæ æternæ, & temporalis. *Ad 1. 2. 3. 4.* Chriſtus aperuit Oſtium ſalutis, quoad ſolutionem prætij: Aperuit ſecreta ſacræ Script. & Figurarum: & ipſemet eſt oſtium; non vt obſtaculum, ſed vt via & tranſitus neceſſarius. *Ad vlt.* Charitas Eccleſiæ dimittit peccata: impetratiuè & meritoriè. Vt *Tomo 2. noſtræ Anat. col. 366. 923.*

*Memb. 2.* Quid ſit Clauis. *Reſp.* Eſt & ſcientia: ſed propriè poteſtas ligandi & ſoluendi. *Ad 1.* Soluere & ligare ſunt actus priores, & ordinati ad clauſuram, vel apertionem & introductionem. Eſt autem Clauis poteſtas cum diſcretione. *Ad vlt.* Aperire & claudere ſunt actus magis proprij: ſubiecta ſolutionis ſunt pœnitētes, ligationis impœnitentes.

*Memb. 3.* Quæ ſint Claues. *Art. 1.* An ſcientia ſit Clauis. *Reſp.* Scientia acquiſita vel infuſa ad diſcernendum, eſt Clauis accidentaliter: ſed poteſtas diſcernendi inter lepram & lepram, ex ordinatione Sacerdotali, eſt Clauis eſſentialiter; quia hæc ſine illa poteſt operari, non è contra. *Infra.* Sunt quaſi duæ Claues eiuſdē arcæ: vna minor, altera maior. *Art. 2.* An poteſtas ligandi & ſoluendi ſit Clauis? Reſpondent quidam, Sacerdotes tantùm oſtendere homines eſſe ſolutos vel ligatos: quod improbat Rich. de S. Vict. Nunquid Dominus dicit: *Quodcunq́; ligatum oſtenderis &c. Reſp.* Quòd poteſtas ſoluendi & ligandi eſt Clauis primò data B. Petro, & poſt alijs Apoſtolis, ac per eos ſuis Vicarijs. Poteſtas ſoluendi à peccato, propriè & per ſe eſt ſolius Dei; & quodammodò cooperatiuè ipſorum Sacerdotum. *Ad 1.* Quòd qui verè pœnitet habet Charitatem: ergò eſt abſolutus à Deo ante Sacerdotem. *Reſpondet Rich.* Quòd etſi habeat Charitatem, teneatur adhuc debito damnationis, exemplo SS. Patrum in lymbo, niſi ſuperueniſſet Chriſti Redemptio. Si objciatur, quomodo poteſt eſſe membrum Chriſti per Charitatem, cum debito damnationis? *Reſpondet* ſecundùm prædeſtinationem, ſine habitu Charitatis.] Sed hæc ex *Rich.* abſque vlla alia reſolutione noſtri *Alenſis*, quàm quæ ſupra: quòd Sacerdos cooperetur Deo ad abſolutionem à peccato. Poteſt ergo ſuppleri, quòd Charitas poſſit eſſe in iuſtificato ante Confeſſionem & Abſolutionem ſacramentalem, cùm damnatione ſeu obligatione ad pœnam etiam æternam, imò & ad nouam culpam mortalem, niſi confiteatur & abſoluatur etiam à Sacerdote.

*Mem. 4.* Quot ſint Claues? *Reſp.* Eſſe duas, diſcretionis, & poteſtatis dimittendi peccata, ex B. *Aug.* in *Ioan. 20. Ad 1.* Clauis dicit officium Eccleſiæ, non meritum vitæ. *Ad 2.* Gratia non eſt Clauis, quia non reconciliat Eccleſiæ: vel eſt Clauis Dei, non Miniſtri. *Ad 3.* Clauis reſpicit vinculum culpæ actualis, non originalis. *Ad 4.* Scientia directè eſt ad hoc ne erret Clauis: bona vita, vt ſit expeditior ad operandum. *Ad 5.* Confirmatio & Extrema-vnctio non ſunt Claues; quia non ſoluunt ligando, nec ligant ſoluendo &c. Quia Clauis eſt poteſtas, non eſt ſolùm miniſteriij. Remiſſio culpæ eſt per Clauem Dei, non hominis. *Ad 7.* Clauis eſt poteſtas diſcernendi, & operandi, ad amouendum impedimentū culpæ, & pœnæ, operandi meritoriè. † Clauis non eſt neceſſaria ad auferendam culpam, ſed ad diſcernendum inter culpam & culpam, & determinandum pœnam proportionatam &c.] Supple, non Clauem ſcientiæ, ſed poteſtatem eſſe ad auferendam culpam: vel neutram eſſe propriè Clauem ſeu poteſtatem, ſed tantùm miniſteriū ſoluendi culpam per gratiam & Cōtritionem; eſſe autem magis proportionatam ad ſoluendam pœnam: vel neutram eſſe Clauem interiorem, quâ cor peccatoris aperiatur ad pœnitentiam. Vel poteſtatem miniſterialem & Sacramentalem remittendi peccata quoad culpam *Ioan. 20.* non ſignificari per Claues illas ſoluendi & ligandi *Mat. 16.* Vel denique, non eſſe clauem: quia eſt non poteſtas actiua, ſed tantùm diſpoſitiua ad gratiam & iuſtificationem, vt de alijs Sacram.

*Mem. 5.* Quid ſint Claues præcisè? *Reſp.* Oſtium dicitur ab obſtando. Duo nobis obſtant ad Cœlum, culpa & pœna debita: Claues non ſunt niſi poteſtates remouentes hæc obſtacula. Sed quia ſolus Deus amouet culpam & pœnam æternam: ſolus habet Clauem huius oſtij, quæ applicatur per Crucem Chriſti, & acceptatur per Sacramenta. Verùm quia reſtat & obſtat adhuc pœna temporalis: huius oſtij apertio reſeruatur Sacerdoti: non ad abſoluendum totum debitum; ſed ad ſoluendum à pœna purgatorij, ligando ſeu obligando pœna præſenti.

*Mem. 6.* Quando hæ Claues datæ ſint Eccleſiæ. *Art. 1.* An in legæ naturæ. *Art. 2.* An in lege *Moyſi. Reſp.* Quòd non: quia ante Chriſtum non patebat regnum cœlorum. *Ar. 3.* An in lege gratiæ. *§. 1. Reſp.* Quòd poteſtas Clauium data ſit Eccleſiæ à Chriſto in Apoſtolis, & per hos alijs. *Ad 1.* Hæc poteſtas eſt ſolius Dei ex ſe: ſed Eccleſiæ à Deo. Vnde vt ſolus Deus ex ſe eſt, & ſolus bonus: nec tamen inde ſequitur nihil eſſe boni à Deo; ita ſolus Deus peccata dimittit ex ſe, quamuis etiam per Sacerdotes. *Ad 2.* ex *Hug.* Non eſt mirum ſi homines peccata dimittere poſſint: non ex ſua, ſed ex diuina virtute. *Ad 3.* ex *Hug.* Gratia adueniente cor peccatoris abſoluitur ab excœcatione ſeu obduratione: deinde ipſa cooperante meretur abſolui miniſterio Sacerdotis à debito damnationis. Ex figura *Lazari*

*Ioan. 11.*

*Ioan. 11.* Sed quid eſt inquit *Alenſ.* quod dicit *Hugo*, Sacerdotem abſoluere à debito damnationis ęternę: cùm ab hoc abſoluatur gratiâ Contritionis ante Confeſſionem? *Reſp.* Quia non abſoluitur quis à Deo, niſi ex propoſito confitendi, & recipiendi abſolutionem à Sacerdote. *Ad 4.* Quidam dicunt quòd Claues Regni aperiendi, ſunt Claues Inferni claudendi. Poteſt aliter dici, quòd Chriſtus qua Deus habet Claues Inferni, nec dedit eas Eccleſiæ. *Ad 5.* Chriſtus remittit culpam, & pœnam æternam: Sacerdos Purgatoriam,& aliquid de Canonica. *Ad. 6.* Fruſtra fuiſſent Claues ante vſum aperiendi Regnum in noua lege. *Ad vlt.* Voluit Deus hanc eſſe Hierarchiam in Eccleſia. §. 2. Vbi & quando ſunt datæ. *Reſp.* Expreſsè S. *Petro Matt. 16.* Et tibi dabo, &c. Quæ promiſſio quaſi futuri, determinatur ad præſens per ſequentia: Quodcumque ligaueris, &c. Omnibus autem Apoſtolis expreſsè *Ioan. 20.* Quorum remiſeritis. ] Supple & *Matth. 18.* Quęcumque alligaueritis, &c.

*Memb. 7.* Quibus datæ ſint Claues. *Art. 1.* An bonis, & malis Miniſtris. *Reſp.* Quòd ſic: ex Ordine Sacerdotali. *Ad 1.* Ex illo B. *Aug.* Charitas Eccleſiæ peccata dimittit. *1.* Quia non niſi per Miniſtros ſuos. *2.* Meritoriè per ſanctos Eccleſiæ. *3.* De dignè miniſtrantibus. *4.* De dignè recipientibus. *Art. 2.* An Chriſtus habuerit Claues. *Reſp.* Quòd non habuit miniſteriales: quia hæ datur in ſupplementum impotentiæ, & per characterem Sacerdotalem, quæ non conueniunt Chriſto. *Ad 1.* Chriſtus habuit excellentiorem poteſtatem: vt qui poſſet apperire oſtium ſolâ manu, ſine Claue.

*Mem. 8.* Quo Ordine dentur. *Art. 1.* An cum Ordine ſacerdotali. *Reſp.* Quòd ſic, rationabiliter, & congruenter. *1.* Ex inſtitutione diuina. *2.* Ex officio Mediatoris & reconciliatoris per Sacerdotes. *Infra.* In conſecratione Epiſcopi non datur ordo nouus: ſed poteſtas ampliatur. *Infra.* Prelati inferiores Sacerdotibus non habent proprie poteſtatem Clauium: ſed ad dicendas cauſas exteriores. *Art. 2.* An Claues poſſint ſeparari ab Ordine Sacerdotali. *Reſp.* Non quoad habitum: ſed tantùm quoad eius vſum per Cenſuras. *Sub finem.* Iuriſdictio eſt tanquàm vis motiua ipſius Clauis, ſiue manus: qua deficiente, non eſt qui clauem moueat. Vnde ſi amittitur, ceſſat Clauis executio. Amittitur autem per ſubditorum ablationem: vel quoad rem & ſpem, vt in degradatis; vel quoad rem, vt in alijs.

QVAEST. 80. *De poteſtate Clauium in foro pœnitentiali.*

*Memb. 1.* An poſſit in culpam. *Reſp.* Quidam dixerunt quòd ſic: prout operatur in propoſito confitendi, non in actu abſoluendi; quia abſoluitur Contritus, remiſſa priùs culpa. Sed iſte modus dicendi eſt phantaſticus. *1.* Quia nullũ Sacramentum dicitur operari antequam exerceatur circa ſubiectum. *2.* Plus poteſt in actu, quam in ſolo propoſito. Alij dicũt quòd Sacerdos vt mediator,& quaſi os hominum ad Deum, gratiam impetrat; vt Dei autem ad homines, Eccleſiæ reconciliat. Abſolutio gratiam ſupponit: Nunquam, enim, Sacerdos abſolueret, quem non præſumeret à Deo abſolutum. Si ergo quæratur, an poteſtas Clauium ſe extendat ad delendam culpam: poteſt ſe extendere † per modũ deprecantis & impetrantis abſolutionem; † ſed non impertientis. Quia ergo poteſtas ſonat in actionem impertientem ex ſe, poteſt verè dici quod non extendat ſe ſupra culpam. *Ad 1.* ex *Ioan. 20.* intelligitur de remiſſione pœnæ, vel oſtenſione culpæ remiſſæ. *Ad 2.* Sacerdos impetrat gratiam peccatori: ſed non dat; ideo ſoli Deo tribuitur abſolutio à culpa. *Ad 3.* Sacramentum pœnitentiæ, vt eſt contra culpam actualem, includit etiam Contritionem, qua deletur culpa. *Ad 4.* Baptiſmus delet culpam, per gratiam: non vt cauſa efficiens ſimpliciter; ſed vt diſpoſitiua. Sic Sacramentum Pœnitentiæ. ] Hinc patet Alenſem nil minus deferre abſolutioni Sacramentali quoad remiſſionem culpæ per gratiam, quàm Baptiſmo.

*Memb. 2.* An poſſit in pœnam. *Art. 1.* An in temporalem. *Reſp.* Quidam dicunt quod Sacerdos non abſoluit à pœna: ſed ab obligatione Confeſſionis, ligando ad pœnam Satisfactionis. Sed hoc non habet multum probabilitatis: quia Sacerdos abſoluit à peccatis, non à Confeſſione. Alij dicunt quod abſoluit à pœna purgatoria, ligãdo ad ſatisfactoriam: nullam partem pœnæ relaxando; ſed ſolum cõmutando, ſub conditione explendę ſatisfactionis. Quæ ſi ſit condigna, eſt pro toto: ſi non, pro tanto. Ideoque ſi quis moriatur ante, puniendus eſt in Purgatorio. Sed poſt abſolutionem alicuius à culpa, non magis ligatur ad pœnam purgatoriã, quam ad aliam: quia poteſt tam conteri, vt Deus totam remittat; fruſtraque diceretur, Abſoluo te,&c. ſi nihil ſoluatur. Quidam dicunt quod Sacerdos aliquam partem remittat ex vi Clauium: quia iuſtificatio eſt opus miſericordiæ, & alicuius iuſtitiæ. Hanc igitur opinionem ſuſtinendo, concedendum eſt quod Sacerdos remittat aliquam partem pœnæ, & quod Clauis poſſit ſupra pœnam temporalem. *Art. 2.* An poſſit in pœnam æternam. §. 1. *Reſp.* Quod non. *Ad 1.* Quod Deus per ſe & Miniſtrum ſoluat debitum damnationis &c. Hoc intelligitur de completa ſolutione &c. Si enim ſolutus à Deo per Contritionem à damnatione æterna, ſtatim decederet: adhuc intraret locum pœnæ; ſed non completa ſatisfactione iniuncta, Claue non errante. *Ad 1.* Æternitas non eſt in quolibet æterno: ſed in primo, denominans tantùm alia. *Ad 3. & 4.* Pœna æterna non dimittitur integrè: ſed eius infirmitas. §. 2. An Deus dimittat pœnam æternam ſub conditione. *Reſp.* Quod nec culpam, nec pœnam: ſed vtramque ſimpliciter & abſolutè .i. ſine ſuſpenſione.

*Memb. 3.* De vſu poteſtatis Clauium. *Art. 1.* An ſit Arbitrarius. *Reſp.* Omnes ferè Confeſſores dicunt quòd omnes pœnitentiæ ſunt arbitrariæ: Alij quòd ſint Canonicæ; ſed ſecundùm circumſtantias arbitrariæ. Mihi videtur, quòd non ſint omnino arbitrariæ, nec omnino Canonicæ: ſed diſcretè moderandæ ſecundùm affectum & infirmitatem pœnitentium. Ex *Leone Papa 26. q. 7.* *Ad 1.* Chriſtus ſciuit quantitatem Contritionum, eiuſque fuit proprium miſereri. *Ad 2.* Sacerdos parcit, relaxando aliquid pœnæ. *Ad 3.* Quodcumque ſolueris. *Mat. 16.*

Tt Quorum

Digitized by Google

Quorum remiſeritis, &c. 18. in modo coniunctiuo ſignat perfectionem rei .i. Deus inchoat ſolutionem, dimittendo culpam, & pœnam æternam: Sacerdos conſummat, condimittendo aliquid pœnæ temporalis, vt patet ex Ioan. 11. *Infra*. Clauis errat quoad veritatem: non quoad æquitatem: ſicut Iudex qui punit ſecundùm allegata. Alij exponunt *Quodcumque ligaueris* .i. iuſtè. Sed tunc fit iuſtè, cùm Deus inchoat, & Sacerdos conſummat. *Art.2.* Cuius ſit vſus Clauium, ſeu abſoluere in hoc foro. §.1. An quilibet Sacerdos poſſit abſoluere quemlibet. *Reſp.* Quòd non. 1. Ex ordine vniuerſi. 2. Ex *Cant.6.* De Eccleſia vt Caſtrorum acies ordinata. Ideò oportuit vnum Prelatũ eſſe ſupremum, in quo ſit ſtatus, & plenitudo poteſtatis, &c. Plures autem inferiores minoris poteſtatis, vſque ad ſtatum in Presbyteris Parochialibus, qui gerunt immediatè curam populi, &c. Nec poteſt vnus abſoluere ſubditum alterius: niſi ſit eius ſuperior, vel vicem gerens ſuperioris, lege communi. Indulget tamen lex charitatis, & rectitudo iuris, in articulo neceſſitatis quemlibet poſſe quemcumque abſoluere, ſi ſit in vnitate Eccleſiæ. *Ad 1.* Erat vnicum Templum, Altare, & gens Iudeorum: non ſic Chriſtianorum. *Ad 2.* Non eſt fruſtra, quòd habet aliquem vſum, & poteſt habere reliquum. *Ad 3.* Qui poteſt conſecrare, non poteſt confirmare: nec in diſparatis, qui poteſt maius, poteſt & minus. Sacerdos, cùm non eſt Prælatus, non vtitur hac poteſtate: quia non habet in quos, nec ei conceditur vſus ab Epiſcopo. Vt Religioſi incluſi, &c. Monachi autem etſi vt cœteri Sacerdotes, poteſtatem accipiant: eius tamen executionem non habent; niſi à populo electi, & ab Epiſcopo, cum conſenſu Abbatis ordinati 16. q. 1. Item cùm eſt ligata poteſtas, &c. niſi fortè in articulo mortis. Item nec qui præeſt habet hanc poteſtatem in omnes: ſed in ſolos ſuos ſubditos; nec quoad omnes caſus, ſed ſibi ab Epiſcopo conceſſos. Exceptio. 1. Si quis mutauerit domicilium. 2. Si deliquerit in Parochia aliena. 3. Si eſt vagabundus. 4. Si obtinuit licentiam. 5. Si procul peregrinatur. 6. Si eat ad bellum iuſtum. 7. Inſtante morte, &c. Nec poteſt Sacerdos non habens poteſtatem ab vllo Epiſcopo, audire talũ Confeſſionem: quia Sacerdos pœnitentiũ non poteſt alijs dare hanc poteſtatem. §. 2. An inferior poſſit abſoluere ſuum Superiorem volentem. *Reſp.* Quòd ſic: quia ſupremus Prælatus cùm & ipſe ſit peccator, poteſt & debet ſeipſum ſubijcere. Quod etiam poſſunt alij Prælati, de permiſſione Papæ: & ius canonicum concordat, ſine præiudicio Ordinis. *Ad 1.* Non eſt Sacerdos Sacerdotis vt talis: ſed vt peccatoris. *Ad 2.* Prælatus poteſt dare ſubdito hanc iuriſdictionẽ in ſe: quamuis nemo poſſit eam habere in ſeipſum. *Ad 3.* Non poteſt dare iuriſdictionem contra ſeipſum, vt pro ſe. Poteſt quis dare inferiori iuriſdictionem abſoluendi ſe, non excommunicandi: quia illa eſt mediatio inter Deũ & hominem, hæc inter hominem & hominem. *Ad 4.* Angeli Superiores non illuminantur ab inferioribus: quia non obſcurantur, ſicut Prælati peccando ſeu vt peccatores fiunt quaſi inferiores. *Ad 5.* Vt ſeruus vnius non poteſt ſe tradere alteri, ſicut liber: ſic nec ſubditus vnius poteſt abſolui ab altero.

*Memb. 4.* An ſit eadem Clauis ligandi & ſoluendi in foro pœnitentiali, quæ in iudiciali. *Reſp.* Quòd ſic: quia actus ordinantur ad eundem finem, cõmunicandi Eccleſiæ, & Corpori Chriſti. Ordo Sacerdotalis habet annexam poteſtatem conſecrandi, & ſoluendi ac ligandi in vtroq; foro: Sed illius actus eſt eſſentialior, quàm huius; & actus fori externi accidentalior actu fori interni. *Ad 1. 2. 3. 4.* Poteſtas ordinis Sacerdotalis non poteſt cõmitti quoad actum conſecrandi, nec ſoluendi aut ligãdi in foro pœnitentiæ: ſed in foro iudiciali; idque nonniſi ab aliquo Ordinario Superiori habente etiam poteſtatem Ordinis. ] Supple, quòd iuriſdictio exterior ſit ex commiſſione ſaltem Summi Pontificis. *Ad 5.* Clauis cõfertur in Ordine Sacerdotali, quoad vnum vſum: in conſecratione Epiſcopi extenditur ad aliũ vſum. Vnde dicitur accipere baculum .i. ampliorem poteſtatem.

### QVÆST. 81. *De poteſtate Clauium, ad iuſtam excommunicationem.*

*Mem. 1.* An liceat excõmunicare. *Reſp.* Quod ſic. Ex *1. Cor. 5. 16. Gal. 1.* & exemplis naturalibus, ac moralibus, præſcindendi membra putrida &c. De iuſta & recta intentione excõmunicantis eſt, vt non fiat excommunicatio pro aliquo temporali, ſed pro peccato. *Ad 1.* Peccans mortaliter aufert Eccleſię vnum ex ſuis membris, eiuſque Charitatem: ſicque maius bonum, quàm ea quibus priuat Eccleſia, ad correctionem. *Ad 2.* Vt Deus priuat indignos, & reddit gratiam diſpoſitis: ſic Eccleſia in excõmunicando. *Ad 3.* Vt medicus priuat ægrotum varijs cibis, ad ſanitatem: ſic Eccleſia. *Ad 4.* S. Michaël in epiſtola Iudæ, non excõmunicauit Sathanam: ſed dixit, *Imperet tibi Dominus*; quia Sathanas eſt incorrigibilis.

*Mem. 2.* An aliqui ſint excõmunicandi. *Reſp.* Quod ſic: *ex. 1. q. 3.* quia vt eſt duplex modus docendi, oſtenſiuè, & per impoſſibile; & medendi, lenitiuè & afflictiuè: ſic & corrigendi, blandè ſuaſibiles, durè rebelles. *Ad 1.* Excommunicatio, non eſt à Charitate interna: ſed minor excommunicatio eſt à ſola Cõmunione Sacramentali, maior etiam à conuerſatione exteriori. *Os, orare, vale, cõmunio menſa negatur.* *Ad 2* Vt medicus priuat indiſpoſitos, etiam medicinis: ſic Eccleſia excommunicando. *Ad 3.* Vt ſectio eſt pœna, & medicina: ſic excõmunicatio. *Ad 4.* Excommunicare eſt tradere Sathanæ, ad terrorem, & correctionem. *Ad 5.* Excõmunicatio ſeù anathema non eſt damnatio æterna effectiuè: ſed ſignificatiuè, ad terrorem & correctionem.

*Mem. 3.* Quare ſit quis excommunicandus. *Reſp.* Excommunicatio præſeruatiua, eſt principaliter ad cauendum à culpa contra Eccleſiam: Curatiua, ad puniendam & corrigendam cõtumaciam in Eccleſiam. *Ad 1.* Poteſt ferri pro iniuria illata Eccleſiæ: ſed principaliter pro culpa contumaciæ. *Ad 2.* Priuans Eccleſiam ſuo iure, priuandus eſt bonis Eccleſiæ: ſed ſi ſit contumax, ſeù nolit ſatisfacere. *Ad 3.* Adam *Gen. 3.* fuit excommunicatus lato modo, non proprio. *Ad 4.* Rom. 3. *Non ſunt facienda mala* .i. cul-

.i. culpæ : ſed excommunicatio eſt malum pœnæ. *Ad 5.* Chriſtus non eſt vſus hoc rigore : quia venerat tantum ad patiendum, & miſerendum.

*Memb. 4.* A quo ferri poſſit. *Art. 1.* An à ſolo habente Claues. *Reſp.* Chriſtus contulit *Petro* poteſtatem ligandi & ſoluendi: in foro interno, vt Clauem, ex ordine Sacerdotali : in externo, vt gladium, ex dignitate & prælatione. Vnde non omnes Sacerdotes, ſed ſoli Prælati habent poteſtatem excommunicandi. *Ad 1.* Videtur negare quòd ſoluere & ligare ſint actus Clauium in foro iudiciali. Sed addit, *Dico neceſſariò*, fortè vt ſupra *q. 80. m. 4.* Quia poteſt committi non Sacerdotibus. *Ad 2.* Non eſt eius ſolius excommunicare, cuius Communionem miniſtrare : ſed ſuperiorum in foro externo, ſiue habeant Claues, ſiue non *Ad 3.* Petro datæ ſunt ſimul Claues in ſua plenitudine : non ſic omnibus. Quidam dicunt quòd primò data fuit clauis ligandi & ſoluendi in foro conſcientiæ *Matt. 16.* Sed poteſtas in foro externo *Matt. 18.* Vtraque poteſtas eſt de plenitudine, non de neceſſitate. Pluribus tamen conceditur Clauis, quàm gladius : quia plures ſunt Sacerdotes, quàm Prælati ; ad magis diffundendum bonum vſu Clauium, & cauendum periculum abutendi gladio. *Ad vlt.* Multitudo ſeu communitas poteſt excommunicare, non excommunicari : quia iuriſdictio poteſt eſſe Communitatis, peccata autem non ſunt niſi perſonalia. ]

Hîc videtur non ſibi conſtare cùm *q. 3. memb. 4.* de eadem poteſtate & Claui ligandi, & ſoluendi in vtroque foro. Nam profert quaſi pro ſe, quòd Archidiaconi etiam non Sacerdotes ex officio proprio iudicent, & excommunicent. Quodque ſi ſolum ex commiſſione iuris aut conſuetudinis: inde etiam ſacramentaliter abſoluere poſſent. Suppleri ergo poteſt hic negari de poteſtate commiſſaria à iure, conſuetudine, vel a Summo Pontifice ; quòd ſupra affirmatur de poteſtate propria ac immediata, quæ ſola Clauis denominetur ; nec poſſit committi ad abſolutionem Sacramentalem, quia hæc eſt immediatiùs ab ordine, & ab ipſo Deo. *Art. 2.* An ab omnibus habentibus Claues. *Reſp.* Quòd non : ſed à ſolis Prælatis habentibus Iuriſdictionem exteriorem, ad quam neceſſaria eſt vis coercitiua, ſeu coactiua. Quidam dicunt quòd quilibet Sacerdos Parochialis hoc poſſit : *Circa quos, ſaniùs eſt conſuetudinem attendere. 9. q. 2. Conqueſtus.* Simplices autem Sacerdotes cùm non habeant iuriſdictionem, excommunicare non poſſunt, niſi ex conſuetudinem. *Ad 1.* Hæc poteſtas non eſt annexa ordini ſimpliciter : ſed potiùs iuriſdictioni. ] Supple, immediatè. *Ad 2.* Non poteſt maior quicquid minor, niſi ſint in eodem genere. *Ad 3.* ex *15. q. 1.* Præſbyter ſumitur pro Epiſcopo. *2. q. 1* Sumitur pro Archipræsbytero. ſiue Plebano: & ſic *11. q. 3.* *Ad 4.* ex *24. q. 3.* Vſus huius gladij, eſt officij Epiſcopalis, ſaltem participatiuè : vel eſt ſolius Epiſcopi, cum ſolemnitate relata *11. q. 3.* Circumſtantibus 12. Sacerdotibus &c.

*Memb. 5.* An poſſit quis pluries excommunicari. *Reſp.* Quòd ſic, propter eandem pertinaciam, vel nouam culpam, ſeu toties quoties emergunt cauſæ. *Ad 1.* Vt quis poteſt magis magiſque peccare, ſic & excommunicari ; nec eſt ſimile quoad hoc de [illegible] corporali. *Ad 2.* Excommunicatus ſemper [illegible] eſt ſubditus Eccleſiæ, ex charactere Baptiſmali. *Ad 3.* Poteſt quis pluries, & à pluribus abſolui, ex varijs cauſis. *Ad 4.* Puræ priuationes non recipiunt magis & minùs : vel non in ſeipſis, ſed in ſuis cauſis & annexis. *Ad 5.* Iteratio excommunicationis reddit magis indignum reconciliatione.

*Memb. 6.* De communicatione cum excommunicatis. *Art. 1.* An communicans cum eis ſit excommunicatus. *Reſp.* Quòd ſic. *11. q. 3.* ſed communicans in crimine, aut excommunicato cum fautoribus & communicatoribus ſuis: incurrit eandem excomm. aliàs minorem, quæ nec tranſit in tertiam perſonam. Ex Gloſſa in *11. q. 3. Rogo*, & *Excellentiſſimus, & Quoniam multos.* Excommunicatio minor eſt morbus reſpiciens perſonam abſolutè : Maior, reſpiciens perſonam vt eſt pars, eamque ſeparans à ſua Communitate ; ideòque prohibens etiam alijs eius communionem, ſub pœna excommunicationis ſimilis, vel minoris. Sed quia non poſſet ab omnibus obſeruari, ius excipit hos caſus : *Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe.* Subdit, Non ſemper vitandos eſſe excommunicatos ſub pœna excommunicationis : ſed tantùm quando ſunt nominati per ſententiam. Ex *11. qu. 3.* Audi &c. ex *Matth. 18.* ad *1. Cor. 5.*

*Art. 2.* An communicans cum excommunicato, peccet mortaliter ? *Reſp.* Quòd ſic: exceptis caſibus conceſſis &c. Si ex plena deliberatione & contemptu. *Art. 3.* An ipſe excommunicans excommunicetur, ſi cõmunicet cum eo quem excõmunicauit ? *Reſp.* Quidam dicunt quòd nullus poſſit ſeipſum excommunicare, ſicut nec iudicare : Alij quod non directè. Sed fortè nulla eſt in re controuerſia : quia communicantes cum excommunicatis excommunicantur à iure.

*Memb. 7.* De abſolutione ab excommunicatione. *Art. 1.* An quis inuitus poſſit abſolui ? *Reſp.* Non iure, ſed facto: niſi fuiſſet iniuſtè excommunicatus. *Infra.* Aliter poteſt dici, quod etiam iure : vt ſi quis iuſtè excommunicatus, in ſuam maiorem pœnam nollet abſolui. *Art. 2.* An excommunicatus pluribus ſententijs poſſit vnica ab omnibus abſolui ? *Reſp.* Quòd non : niſi plures excommunicatores conſentirent, & vni committerent. ] Supple, quando ſunt diſparati : ſeu niſi abſolutio fiat ab corũ Superiore. *Art. 3.* An quis poſſit abſolui ab eo à quo fuit excõmunicatus, ſi ſecum communicauit ? *Reſp.* Aliqui dicunt quòd non, ſed ab eius Superiore : quia ipſe eſt excommunicatus à iure. Alij quòd ſic : quia non poteſt ſeipſum excõmunicare ; nec contrahit à iure excommunicationem maiorem, ſed tantùm minorem &c. *Hæc opinio videtur plus iuri conſona, &c.*

QVÆST. 82. *De Excommunicatione iniuſta.*

*Memb. 1.* An ſit vera. *Reſp.* Quòd non, ſed interpretatiua : quia non quoad bona ſpiritualia à Deo.

*Memb. 2.* An ſit tenenda. *Reſp.* quòd ſic, ſi ſit lata ab habente Iuriſd. Alias non.

QVÆSTIO 83. *De Indulgentijs.*

*Mem. 1.* De relaxatione pœnæ debitæ pro peccato.



Digitized by Google

*Art. 1.* An ſit *Reſp.* Eſſe: non ſolùm in foro Eccleſiæ, ſed etiam Dei; quia Deus habet pro relaxato, quod Eccleſia relaxat. Nam vt meritum boni, ita & liberandi à malo, eſt triplex: perſonale, Chriſti, & Eccleſiæ.] Non quaſi vllũ ſit ſine merito Chriſti: ſed cum illo & ex illo. *Infra.* Facite fructus dignos, &c .i. verè, vel interpretatiuè per alios. *Ad vlt.* Hæc non eſt tam abſolutio, quàm ſolutio ex Thezauro Eccleſiæ: vel Deus dedit etiam hanc poteſtatem abſoluendi.

*Art. 2.* An vnus poſſit pro alio ſatisfacere. *Reſp.* Quòd non, quà ſatisfactio eſt medicina: ſed quà eſt pretium pro reatu peccati; idque authoritate Superioris, ſupplentis vnius indigentiam ex alio, & proportione maioris pœnæ vnius pro alio quàm pro ſeipſo. Ex vnitate charitatis inter membra Eccleſiæ. *Ad 1.* Redditur vnicuique ſecundùm opera ſua: propriè, vel interpretatiuè. *Ad vlt.* Opus meritoriũ ex radice charitatis, ſemper placet Deo in eo in quo eſt radix &c. Ideo nõ poteſt quis mereri alteri, quin hoc ipſo maximè placeat Deo. Opus verò ſatisfactorium pro pœna propria, non eſt æquè pro aliena: nec è contra. *Sibi tamen quis meretur æternam gloriam: quia opus illud placitum eſt Deo, &c.* ] Textus vitiatus habet, *non meretur.*

*Memb. 2.* Quid ſit relaxatio quo ad rem. *Reſp.* Propriè, eſt pœnitentiæ iniunctæ pro peccatis ex virtute clauium diminutio, ad pœnam eiuſdem generis .i. temporalem. Cõmuniter ſumpta, Eſt diminutio, ſiue ad pœnam eiuſdem generis ſiue non, ſiue virtute clauium ſiue non. *Ad 1.* ex *2. Cor. 2.* Non eſt idem quòd condonatio. *Ad 2.* Nec eſt idem quòd commutatio.

*Memb. 3.* A quo fieri poſſit relaxatio. *Reſp.* Quòd à ſolo Summo Pontifice & Epiſcopis: non autem ab inferioribus Prælatis aut Sacerdotibus. Quia Indulgentiæ & relaxationes fiunt præcipuè ex Theſauro meritorum Chriſti: cuius illi ſoli ſunt diſpenſatores. *Ad 1.* Non ſufficit ad hoc Clauis, niſi cum Iuriſdictione & authoritate diſpenſandi hunc Thezaurum. *Ad 2.* Qui præſunt alijs, poſſunt diſpenſare bona ſuorum ſubditorum: ſed non illius Thezauri. *Ad 3. & 4.* Relaxare pœnam præſentem: eſt maioris authoritatis, quàm mutare pœnam Purgatorij in hanc; ſed minoris vtilitatis. *Ad 5.* Quilibet poteſt bona ſua ex charitate cõmunicare: non tamen inde alterius pœnam relaxare ſine authoritate &c. Nos & omnia bona noſtra ſunt Chriſti: ideo non poſſumus de eis diſponere niſi ex eius authoritate. *Ad vlt.* Epiſcopi poſſunt bona ſpiritualia ſuæ Diœceſis communicare alienis ſubditis: ſed ſuis ſolis pœnas relaxare. Sic & Abbates, Priores, Miniſtri, communicant non relaxant.

*Memb. 4.* Pro quibus operibus, ex quibus cauſis, ad quos fines. *Reſp.* Thezaurus Eccleſiæ duplici de cauſa exponitur. *1.* Ob honorem & gloriã Chriſti. *2.* Ob defenſionem & promotionem Chriſtianitatis &c. Et quia hæc conſiſtunt in exterioribus: dicunt quidam quòd Indulgentiæ & relaxationes debeant fieri pro actibus exterioribus. *Ad 1.* Non eſt ſymonia: quia non datur ſpirituale pro temporali; ſed minor pœna pro maiori, ſoluendo reſiduum; vel non pro dato, ſed pro opere & cauſa dandi. *Ad 2.* Non conſideratur perfectio operis: ſed libertas, æſtimabilitas, & pœnalitas. *Ad 3.* Indulgentiæ dantur ad ea quæ humano opere fieri poſſunt: non quæ ſolo diuino. *Ad 4.* Veri Religioſi ſunt digniores indulgentijs: ſed minùs indigent, ſuntque beatiores, quàm vt mendicẽt aliena bona ſpiritualia &c] Subdit tamen Indulgentias poſſe etiam dari pro operibus ſpiritualibus &c.

*Memb. 5.* An dari poſſit relaxatio animabus Purgatorij? *Reſp.* Quod ſic, per modum ſuffragij ſeu impetrationis: non per modum iudiciariæ abſolutionis ſeu commutationis. Ex illo S. Chryſ. *in Matth. 16.* Tibi dabo &c. *Homini mortali Cœli & terræ & omnium quæ in eis ſunt commiſit poteſtatem &c.* Hinc probabiliter, vel veriſſimè præſumitur quòd thezaurus Eccleſiæ eſt in poteſtate Summi Pontificis, etiam pro illis qui ſunt in Purgatorio: ob Charitatem in qua deceſſerunt &c. Vt ritè dentur indulgentiæ, neceſſaria eſt. *1.* in dante poteſtas Clauium. *2.* In recipiente Charitas, Fides Eccleſiaſticæ poteſtatis, & deuotio boni operis. *3.* Inter vtrumque, cauſa Fidei vel Eccleſiæ, & modus congruæ æſtimationis ſeu proportionis. Quibus aliqui addunt abſolutionem iudiciariam in cõmutatione pœnæ in pœnam. *Ad 1.* Super terram *Mat. 16.* .i. vſque ad tranſlationem in Cœlum: vel iudicialiter ſuper terram, ſub autem per modum ſuffragij & deprecationis. *Ad 2.* Qui ſunt in Purgatorio & qui in inferno, ſunt in foro Dei: ſed illi in foro miſericordiæ, hi iuſtitiæ.

*Memb. 6.* An Summus Pontifex poſſit relaxare totam pœnam peccati? *Reſp.* Poſſe, ſuppoſitâ Contritione ſufficienti: ſed non debere, niſi ex magna cauſa. *Ad 1.* Papa punit aliunde: vel ipſe Chriſtus Deus & homo puniuit in ſe, patiendo & ſatisfaciendo pro nobis. *Ad 2.* Redditur pœna digna peccato: non quoad genus, ſed quoad ius ſeu diſpenſationem gratiæ. *Ad vlt.* Expedit tamen non intermittere pœnitentiam iniunctam.

*Mem. 7.* An requiratur iuſta æſtimatio pœnæ qua ſit compenſatio? *Reſp.* Non quoad æquitatem iuſtitiæ: ſed quoad diſpenſationem gratiæ, ſeu decentiam miſericordiæ.

*Memb. 8.* Cur omninò relaxentur peccata pro peregrinatione terræ ſanctæ? *Reſp.* Ob fidem, merita, & memoriam Paſſionis Chriſti ibidem, & periculum voluntarium mortis pro Chriſto. Non eſt tamen negandum quin D. Papa poſſet eandem indulgentiam dare alibi, pro neceſſitate Eccleſiæ.

QVÆST. 84. *De Satisfactione.*

*Memb. 1.* An ſit poſſibilis pro peccato? *Reſp.* Auerſio à Deo meretur infinitam pœnam damni: conuerſio ad creaturam auertens à Deo, infinitam pœnam ſenſus. Pro illa pœna damni ſatisfit dolore de offenſa Dei: pro hac ſenſus, paſſione exteriori; ſed per gratiam, quâ tota ſatisfactio fit Deo grata. Hinc poſſibile eſt pœnitenti, ſatisfacere pro offenſa Dei, dolore interiori: pro libidine peccandi, paſſione exteriori; miſericordia & iuſtitia concurrente. *Ad 1.* Quidam dolor eſt Contritionis, quidam ſatisfactorius. *Ad 2.* Diuina indulgentia excedit in infi-

Digitized by Google

infinitum pœnam ſatisfactoriam. *Ad 3.* Diabolus non poteſt ſatisfacere ob ſuam proteruam phantaſiam. *Ad 4.* Adam non potuit ſatisfacere pro tanto damno, &c. Et omnis ſatisfactio noſtra habet virtutem à ſatisfactione Chriſti,& effectum per Sacramenta. *Ad 5.* Si offenſa peccati eſt infinita, & ſatisfactio eſt infinita, quatenus eſt Mediatoris. *Ad 6.* Nemo poteſt ſatisfacere pro Originali : quia nulla eſt ſatisfactio niſi ex gratia, cum qua non poteſt eſſe Originale &c.

*Memb. 2.* De neceſſitate ſatisfactionis. *Art. 1.* An per opus externum? *Reſp.* Satisfactio propriæ dicta, & Sacramentalis, non fit niſi per opus externum: ſed communis, etiam per interna. Quædam ſunt de fundamento ſatisfactionis, vt cauere à peccatis : quædam ad expeditionem, vt vitatio mali conſortij, &c. Quædam ſunt de ſubſtantia, vt ieiunium, oratio, eleemoſyna : quædam de perfectione, vt reliqua omnia bona. *Art. 2.* An per opus pœnale? *Reſp.* Quòd ſic. *1.* Contra delectationem culpæ. *2.* Ad iuſtam ſolutionem. *3.* Ad reordinationem. *4.* Ad Dei rehonorationem. *Ad 1.* Debitum honoris ex peccato commiſſo, redditur Deo ſui ipſius punitione. *Ad 2.* Orare eſt valde pœnale carni ſeu naturæ. *Ad 3.* Quòd eſt per ſe pœnale naturæ, eſt magis ſatisfactorium, quàm quod eſt pœnale ex prauitate voluntatis. *Ad 4.* Languentibus ſufficit ipſe dolor languoris ad ſatisfactionem, &c.

*Memb. 3.* De quidditate ſatisfactionis. *Art. 1.* De differentia deſcriptionum. *Reſp.* Ex B Aug. *Satisfactio eſt peccatorum cauſas exſcindere, & earum ſuggeſtionibus aditum non indulgere.* Ex Anſ. *Eſt honorem debitum Deo impendere.* Illa datur per receſſum à malo : hæc per acceſſum ad bonum. *Art. 2.* De partibus primæ Deſcriptionis. §. *1.* De cauſis peccatorum. *Reſp.* Actus peccati eſt à cauſa efficiente : deformitas, à cauſa deficiente : ex B. *Aug.* contra *Epiſt. Fund.* & alibi ſæpè. *Ad 1.* Ex illos *Dion.* de Diu. Nom. *Malum eſt præter cauſam* .i. præter intentionem cauſæ. Vel formaliter eſt priuatio & nihil. *Ad 2.* Ex eodem : quòd *malum non ſit ex cauſa* .i. influente, ſed deficiente. *Ad 3.* ex eodem: Quòd *malum non ſit exiſtens* .i. non ſiſtens ſeu in ſtatu, ſed deficiens. *Ad 4.* Ex eodem, quòd *nuſquam ſit* .i. ſine vllo ordine ad finem. *Infra.* Ad id quòd *ſit intelligibile* .i. priuatiuè, nõ per ſe poſitiuè. *Infra.* Eo modo quo eſt, habet formam deformem, &c. Dicit deformitatem ſiue priuationem circa ens, boni debiti, &c. Cuius non eſt alia deformitas : ſed ſeipsâ formaliter deformitas eſt, ſeu defectus, &c. Maximè conſiſtit in defectu finis. Mala ex ſe inordinata, reordinantur ad bonum. *Infra.* Defectus à cauſalitate, eſt vel negatiuè, vel priuatè, &c. Inter eſſe & non eſſe cauſam efficientem ſimpliciter, eſt cauſa deficiens. §. *2.* Quid ſit excidere cauſas peccatorum? *Reſp.* Quidam dicunt occaſiones &c. Sed poteſt quis ſatisfacere etiam contra occaſiones. Videtur dicendum quod ad ſatisfactionem requiritur exercitium in operibus virtutum, & excluſio omnimoda peccati. Vel cauſæ peccatorum poſſunt dici quæ peccatum inducerent, niſi exſcinderentur. Si autem placet dicere occaſiones : tùnc magis notatur expeditio ſatisfactionis, quàm neceſſitas. *Ad 1.* Exciſio per Abſolutionem, eſt † ſolius Dei : per cautelam & præuentionem, etiam hominis. *Ad 2.* Exciſio per ſolam abſtinentiam, non eſt ſatisfactio exterior: ſed per bono opera contraria. *Art. 3.* De deſcriptione Anſelmi. *Reſp.* Etſi omnis honor ſit Deo debitus : maximè honor Satisfactionis. *1.* Quia reparat iniuriam Dei. *2.* Perfectè reconciliat. *3.* Humiliat &c.

QUÆST. 85. *De vtilitate Satiſfactionis.*

*Membr. 1.* An debeat fieri in Charitate? *Reſp.* Quòd ſic: quia non niſi ex diuina acceptatione, per gratiam gratum facientem: ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. *Hebr. 11. Rom. 12.* Hoſtiam ſanctam &c. *1. Cor. 13.* Si Charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt. *Ad Luc. 11.* Date eleemoſynam &c. .i. diſponendo. *Ad 1.* Satisfactio eſt exterior: ſed fundamentum eius intra. *Ad 2.* Pœnalitas non ſufficit ſine Charitate: vt nec moneta reproba. *Ad 3.* Sufficit Confeſſio facta etiam à non contrito: vt peccata innoteſcant Cõfeſſori; ſed non ad alios fructus. *Ad 4.* Reſtitutio proximo poteſt fieri in mortali: ſed non rehonoratio Dei, niſi ſit ei grata. *Ad 5.* Non eſt ſimile cum Baptiſmo: quia ſatisfactio eſt opus ipſius pœnitentis. *Ad 6.* Fides ibi dicitur conſcientia peccati. *Ad 7.* Non tenetur quis facere ex aut in Charitate præceptum hominis: ſed vt ſit Deo placitum. *Ad 8.* Si quis opera iniuncta impleat ſine remorſu pecc. mort. eſt abſolutus in foro Eccleſiæ & conſcientiæ: imò ſine præiudicio in foro Dei; ita quòd non damnabitur ſi non iterùm ſatisfecerit, licet non abſoluatur omninò. ] Nec obſtat quod ſubdit: *Tenetur tamen adhuc iudicio Dei ad pœnam:* ſed non ad illam ſatisfactionem iniunctam. *Ad 9.* Opera facta in Charitate manent in ſuo præmio, vel in Mente Diuina: ſed facta extra, mortua ſunt.

*Memb. 2.* An pœnitentia completa ſit aliquando iteranda? *Art. 1.* An completa in peccato mortali? *Reſp.* Quòd ſic: quia nec eſt Deo accepta, nec reconciliatiua, ſed nulla. *Ad 1.* Deus non punit bis .i. ſufficienter. *Ad 2.* Qui in mortali dat centum marcas iniunctas: non ſatisfacit; nec tamen tenetur iterùm dare. *Ad 3.* Quidam dicunt quod vt in matrimonio corporali legitimantur tantùm proles ex eadem genitæ: ſic in iuſtificatione regratificantur ſola opera facta ex Charitate. *Aliter.* Filij naturales adhuc viui legitimantur ſuccedente matrimonio: ſed filij ſpirituales extra hoc matrimoniũ, ſunt mortui; ideò non poſſunt legitimari. *Ad 4.* Ex quo quis conteritur, incipiunt ei valere bona opera. *Art. 2.* An quando eſt completa in Charitate, ſed poſt mortificata per peccatum mortale? *Reſp.* Quod non: niſi quatenus peccata recidiua aggrauantur ingratitudine & contemptu. *Ad illud Ezech.* Si auerterit ſe &c .i. auerſione finali. *Art. 3.* An opera ſatisfactoria in mortali, viuificentur aduentu Charitatis? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſic: ad remiſſionem pœnæ, non ad collationem gratiæ. Sed æſtimo falſum & reprobandum: cùm nullo modo ſint à principio viuente. *Ad 1.* Peccator non eſt



Digitized by Google

dignus pane quo veſcitur: quantò minus vlla remiſſione vel gratia.

*Memb. 3.* Ad quid pœnitentia extra Charitatem. *Art. 1.* An ad bona temporalia? *Reſp.* Aliqui dicunt quòd ſic: non ex merito condigni, nec congrui, ſed interpretatiuo. Hoc tamen non eſt meritum ex ſuo valore, ſed ex diuina liberalitate. Alij, quod peccator nihil meretur de condigno: ſed benè de congruo, per bona opera ex ſola gratia gratis data, non autem per vlla mala, vel ex vana gloria. Hæc opinio videtur mihi tenenda. *Ad illud Sap. 14.* Odio ſunt Deo impius & impietas eius .i. quatenus impius: non autem quoad naturam, & gratiam gratis datam. *Ad 1. Cor. 13.* Nihil mihi prodeſt .i. ad meritum vitæ æternæ.

*Art. 2.* An habilitent ad gratiam gratum facientem? *Reſp.* Quòd ſic: ſi fiant frequenter ex motu gratiæ, & ad gloriam Dei. *Art. 3.* An valeant ad diminutionem pœnæ æternæ? *Reſp.* Quòd non, directè & per ſe. *Ad 1.* ex Aug. in Enchir. Quòd valeant *vt tolerabilior ſit damnatio* .i. de damnatione purgatorij. Quidam dicunt quòd non mitigent pœnam damnatorum, ſed fortificent ſubiectum: quod non videtur &c. Alij, quod diminuant pœnam vermis: quod nec videtur &c. Alij dicunt quod valeant ad tolerabiliorem damnationem ex conſequenti: quia retrahunt à lapſu frequentiori, & à maiori libidine ac contemptu peccandi. *Hæc opinio eſt tenenda.*

*Mem. 4.* An valeat Satisfactio vnius pro alio in hac vita? *Reſp.* Quod ſic: ſi ille ſit impotens, & cum aſſenſu Clauium. Non enim videtur mihi quod vnus ſatisfaciat pro alio propria auctoritate. *Ad 1.* ex *Gal. 6.* Quiſque onus ſuum portabit .i. in inferno. *Ad 2.* Culpæ ſunt propriæ & perſonales: ſed Charitas & eius opera ſunt communicabilia &c.] Supple de impotentia exteriori, ſaluâ bonâ voluntate: ſine qua aliena bona opera non proſunt. Et de aſſenſu Clauium implicito ac communi, per commendationem Charitatis mutuæ ab Eccleſia.

*Memb. 5.* An pœnitentia vltra condignum ſit implenda, & ad quid? *Reſp.* Iniunctam & acceptam ac poſſibilem & rationabilem eſſe implendam, ad parendum Eccleſiæ, & ad varios fructus bonorum operum, ſub his verbis: *Iucundat, ſtabilit, auget bona, crimina purgat, Debilitat legem membrorum, pigritiamq́; tollit, & inſultus tentantis dæmonis. Ad vlt.* Obediendum eſt Claui etſi erranti à veritate, non tamen ab æquitate iudicij.

## QVÆSTIO 86.
### *De Reſtitutione.*

*Memb. 1.* An ſit pars ſeu ſpecies Satisfactionis? *Reſp.* Quidam dicunt quod non &c. Alij quod ſic &c. Sed poteſt dici quod ſic: ſi ſatisfactio communiter ſumatur, pro omni opere pœnali voluntariè aſſumpto & debito, ſiue ex iudicio Dei, ſiue Sacerdotis; ſed non propriè, ex iudicio Sacerdotis; quia raptor tenetur reſtituere omni iure, etiamſi Sacerdos nunquam imponat. *Ad 1.* Soli Deo ſatisfit pro peccato. *Pſalm. 50.* Tibi ſoli peccaui. *Ad reliqua.* Poteſt quis reſtituere manendo in peccato &c. *Infra.* Maior pœnitentia debetur ei qui ſe reddidit impotentem reſtituendi. *Infra.* Etſi rapere & retinere ſit cauſa peccati: non tamen reſtitutio eſt ſatisfactio; quia poteſt adhuc eſſe cum peccato & causâ peccati, ſeu peruerſa voluntate. *Infra.* Dicitur peccari in proximum quando peccatur in Deum damnificando proximum. Dicitur peccari in Deum .i. in his quæ ſunt ad cultum Dei: in proximum, damnificando illum: in ſeipſum, nocendo ſibiipſi.

*Memb. 2.* De diſpenſibilitate circa reſtitutionem. *Art. 1.* An ſit diſpenſabilis? *Reſp.* Quòd non: ſi ſit poſſibilis reſtitutio, & notitia perſonæ ſpoliatæ. Ex *Aug.* Non dimittitur furtum niſi reſtituatur ablatum. *Ad 1.* Ex *Marc. 2.* De auulſione ſpicarum Sabbatho: id non erat malitiæ perpetuæ. *Ad 2.* Omnia bona ſunt Eccleſiæ & membrorum Chriſti, quæ non habent certos poſſeſſores. *Ad 3. Exod. 12.* Iudæi non tenebantur ad reſtitutionem Ægyptijs: quia Deus dabat illis iſta ſpolia, & Ægyptij debebant illis pro ſeruitute. *Ad 4.* Diſpenſari poterat in obſeruando Sabbato, quatenus erat cęremoniale. *Ad 5.* In extrema neceſſitate eſt licitum & certum vti re aliena: non autem niſi ad neceſſaria.

*Art. 2.* An differri poſſit? *Reſp.* Quòd ſic: donec fieri poſſit, vel reperiatur verus dominus aut eius hæredes, ex conſilio Prælati. Quòd ſi non poſſit reperiri, debetur Eccleſiæ: quæ, ſeu eius Prælatus poteſt ipſi furi valdè indigenti dare; quia fit tùnc res Eccleſiæ, ideoque poteſt eam dare cui vult. Ad id quòd non dimittatur peccatum niſi reſtituatur .i. actu vel habitu, ſeu vera voluntate. Quod ſi fur ſit in extrema neceſſitate, *poteſt pro vna refectione retinere, & reliquum reſtituere.* Ex *Pſal. 36.* Non vidi iuſtum derelictum, &c. *Matt. 6.* Reſpicite volatilia cœli. *Matt. 19.* Vende quæ habes, & da pauperibus, &c. Alienum fit proprium in extrema neceſſitate, &c. Sed non eſt extrema neceſſitas retinendi totum.

*Memb. 3.* Qui teneantur ad reſtitutionem? *Art. 1.* An qui furtiuè vel violenter recuperauit rem ſuam, vel æquiualentem? *Reſp.* Quòd non, ſi æquiualentem ſine mora: niſi ſuâ reſtitutâ. A ſimili *Deut. 19.* Non autem tempore interpolato: quia hæc res nunquam fuit ſua, ſed per iudicium debet rem ſuam recuperare. Si verò ipſam rem ſuam recuperat, non tenetur ad reſtitutionem. *Infra.* Nil eſſe retinendum inuito domino .i. rationabiliter & diſcretè. Vt de faciendo alijs quod volumus nobis fieri, &c. Iudicium humanum eſt ſæpè ſecundùm allegata: vnde qui teneretur reſtituere ſecundùm illud, non ſemper teneretur ſecundùm iuſtitiam. *Infra.* Nemo debet ſibiipſi ius facere, ad pacem publicam: ſed poſſet quis, ſi ſine periculo & ſcandalo; ſine quo poteſt dici, quòd qui rem ſuam vel æquiualentem latenter vel violenter recuperauit, non tenetur reſtituere.

*Art. 2.* An qui ex hypocriſi aliquid acquiſiuit? *Reſp.* Quòd ſic: quia qui dedit, noluit dare hypocritæ; nec hic eſt iuſtus poſſeſſor, ſed inuito domino.

*Ad*

Digitized by Google

*Ad 1.* Non eſt ſimile de collata præbenda alicui qui putatur bonus: quia hic non ſimulat ſe bonū ad hoc] Supple ſi ad hoc ſimulauerit, hæc non eſt principalis ratio dandi. *Ad 2.* Meretrix non tenetur reſtituere: quia non accipit fraude, inuito domino. *Ad 3. & 4.* Malitia acquiſitionis non obligat ad reſtitutionem, niſi ex fraude, inuito Domino. *Art. 3.* An diues acquirens mentiendo ſe eſſe pauperem? *Reſp.* Teneri ad reſtitutionem: non danti, ſed pauperibus quibus datum fuiſſet, ſi de ijs conſtet. *Ad 1.* Vt ille hypocrita, ſic hic diues.] Supple, hinc fortè & ille teneretur reſtituere, non ei qui dedit, ſed veris religioſis, ſi quibus daturus fuiſſet. *Art. 4.* An concurrens cum fure teneatur reſtituere? Sunt autem 9. modi: *Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurrens, participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.* §. *1.* Qui præcipit tenetur ad reſtitutionem, niſi fur ipſe reſtituat: quia eſt cauſa damni. §. *2.* Conſulens tenetur ad reſtitutionem: ſi & quia eſt cauſa vel occaſio damni, alias non. §. *3.* Conſentiens furi, tenetur ad reſtitutionem: ſi hinc præbuit ei cauſam aut occaſionem furandi, alias non. §. *4.* Adulando, & laudando inducens ad furtū, tenetur ad reſtitutionem. §. *5.* Qui receptat & conſeruat furta aliena, tenetur ea reſtituere, nec debet aut poteſt vllam fidem furi ſeruare. §. *6.* Qui ſcienter participant. §. *7.* Qui tribus vltimis modis ſolùm negatiuè ſe habent, non tenentur ad reſtitutionem: quia non dant vllam cauſam damni; ſed qui aliquo modo affirmatiuè, conſentiendo, dicendo, faciendo.] Supple niſi ex iuſtitia obligarentur ad cauendum furtum alienum. *Ad 1.* Licet hi ſint etiam inde culpabiles: non tamen ſemper obligati ad reſtitutionem. *Ad 2.* Tales fortè punirentur etiā legibus humanis, ex præſumptione participationis. *Ad 3.* Qui non impedit cùm poſſit & teneatur ex Officio cenſetur conſentire.

*Art. 5.* De participantibus per hæreditatem, dationem, emptionem, &c. *1.* An quilibet cohæres alicuius furti conſuſi teneatur totum reſtituere in ſolidum? *Reſp.* Quod non: ſed quilibet ſuam portionem. *2.* An qui emit vel vendidit vel recepit rem furtiuam teneatur reſtituere? *Reſp.* Quòd ſic: & plus peccat alienans rem furtiuam, imò & offerens Deo, quam eam reſeruans, quia reddit ſe impotentem reſtituēdi &c. Qui ergo habet conſcientiam rei alienæ, ſiue per dationem, ſiue per emptionem: tenetur illam reſtituere; non Domino, ſed vendenti, vt recipiat pretiū. Magis enim debet ſibi prodeſſe quam alij: & debet inducere furem ad reſtituendum vero Domino. *Ad Arg.* qui emit, reddit furem impotentem reſtituendi, & dat ei audaciam furandi. *Art. 6.* An turpiter acquirens teneatur reſtituere? *Reſp.* Quod non, niſi ex fraude. Quòd iura antiqua iubent reſtitui, & concedunt actionem repetendi: videtur magis eſſe ad pœnam quàm ad reſtitutionem. §. *1.* De non reſtituendis acquiſitis in torneamentis. §. *2.* De non reſtituendis acquiſitis meretricio, ſicut nec ex auaritia; ſed ex vſura, quia hæc non transfert dominium, &c.

QVÆST. 87. *De Satisfactione in ſpeciali.*

*Mem. 1.* An Oratio, Ieiunium, & Eleemoſynæ ſint eius partes? *Reſp.* Quodlibet horum dicitur propriè: vt oratio impetratoria, ieiunium ab eſca & potu, Eleemoſyna corporalis: Communiter, oratio contemplatiua, ieiunū pro quauis pœna corporis, eleemoſyna pro quouis opere pietatis erga proximum: Communiſſimè, oratio pro omni actu bono, ieiunium à peccato, eleemoſyna pro quouis opere ſalutari proximo vel ſibiipſi. Hæc ergo tria vt communiter, ſunt partes ſatisfactionis: non vt propriè, nec communiſſimè.

*Mem. 2.* Quod horum trium ſit magis ſatisfactorium? *Reſp.* Ad vitandam culpam, maximè valet oratio: ad augmentum gratiæ, eleemoſyna: ad ſolutionem pœnæ, ieiunium; ſed hoc eſt infimum. Alij dicunt quòd horum ſingula exteriora non valent ſine ſuis interioribus: quorum principale eſt oratio ad Deum. Hinc oratio eſt maioris meriti quam ieiunium & eleemoſyna. *Ad id* quod oratio non ſit pœnalis. *Reſp.* Quædam eſt delectabilis, quædam amara: illa eſt minus ſatisfactoria; hæc vt addit Contritioni petitionem, ſi ſit ex vel in charitate, eſt ſatisfactoria. Nec ad hoc opus eſt vt ſit pœnalis concomitanter: ſed antecedenter, conſequenter, vel concomitanter. Sed illa eſt magis ſatisfactoria, in qua eſt maior gemitus ſpiritualis pro venia peccatorum, ex pari Charitate.

QVÆST. 88. *De Oratione in genere.*

*Mem. 1.* Quid ſit. *Art. 1.* De varijs eius definitionibus, ex SS. Patribus. *Art. 2.* De illa Damaſc. lib. 3. cap. 23. *Oratio eſt aſcenſus intellectus ad Deum:* vtique ad inclinandum affectum, & ad impetrandum. *Art. 3.* De illa B. Aug. *Eſt pius affectus mentis in Deum directus.* *Art. 4.* De illa Damaſc. *Eſt petitio decentium à Deo.* *Art. 5.* De illa B. Aug. *Eſt rerum inuiſibilium inquiſitio*: non vt ibi ſiſtat, ſed vt impetret. *Art. 6.* De illa S. Ambr. *Eſt cibus mentis &c.* Prout memoria beneficiorum Dei reficit. *Art. 7.* De illa S. Greg. *Veraciter orare, eſt amaros in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare*: & ſimili Hugonis, *Oratio eſt deuotio ex compunctione procedens.* Quę ſunt pro ſtatu pœnitentiū.

*Art. 8.* De illa S. Bern. *Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio, & pia ac familiaris allocutio, & ſtatio illuminatæ mentis, ad fruendum Deo quandiu licet.* Quæ eſt perfectiorum. *Art. 9.* De illa Hugonis. *Oratio eſt conuerſio in Deum, per pium & humilem affectum, fide, ſpe & charitate ſubnixa.* Quæ eſt iuſtorum. *Art. 10.* De illa Gloſſæ. *Oratio eſt bonum deſiderium.* Ex illo 1. Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate* .i. ſemper iuſtè viuite.

*Memb. 2.* Quid ſit quoad rem? *Art. 1.* An ſit virtus, vel actus virtutis? *Reſp.* Quòd ſit actus virtutis. *Art. 2.* An virtutis generalis vel ſpecialis? *Reſp.* Quòd ſpecialis, & quodamodò generalis, vel potius plurium virtutum. *Art. 3.* An virtutis Theologicæ, vel Cardinalis? Quidam dicunt quòd ſit virtutis Cardinalis, videlicet obedientiæ ad Deum ſub iuſtitia: ſed Oratio non reſpicit debitum, ſicut obedientia. Alij, quòd oratio eſt actus pietatis: quæ non ſit fides, ſpes, Charitas, ſed in illis radicetur, &c. Sed hoc needum ſufficit, &c. Videtur aliter dicendum, quòd oratio eſt actus ſpecialis: non

tamen

Digitized by Google

tamen virtutis ſpecialis; ſed fidei, ſpei, & Charitatis, quæ ſimul concurrunt ad eliciendum iſtum actum. *Infra.* Orare non eſt actus principalis, ſed ſecundarius harum virtutum. *Infra.* Aliquid impetrandum eſt quodámodò eius obiectum: *non tamen primò, ſed ſecundò*; nec hoc minuit rationem virtutis Theologicæ. *Miſericordia Dei habet rationem mouentis: miſeria noſtra rationem excitantis. Aliter, obiectum vel eſt communiter, vel propriè, ſeu per accidens, vel per ſe: illud materiale, hoc motiuum. Miſeria noſtra releuanda, & quæ ſunt impetranda, tenent rationem materialem: Miſericordia Dei, rationem obiecti proprij.*] Sic videtur corrigendus textus vitiatus.

QVÆST. 89. *De ſpeciebus orationis.*

*Memb. 1.* De diuiſione, *1. Thim. 2.* in obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. *Art. 1.* De conuenientia huius diuiſionis. Quòd Oratio ſit quaſi Oris ratio. *Art. 2.* De ſingulis eius ſpeciebus. §. *1.* De obſecratione, per adiurationem, ſeu per ſacra media & merita, pro re difficili ex parte noſtra. §. *2.* De oratione, ſeu petitione huius viæ & vitæ. §. *3.* De poſtulatione, ſeu expreſſiore petitione, in minoribus neceſſitatibus. §. *4.* De gratiarum actione. *Reſp.* Quòd ſi hæc diuiſio ſit de ſola Miſſa: obſecratio ſit pro viuis, oratio pro ipſa conſecratione, poſtulatio pro mortuis, gratiarum actio pro beneficijs receptis: vel obſecratio pro mortuis, oratio pro peccatoribus viuis, poſtulatio pro iuſtis. Si autem de quouis pœnitente: reſpectu mali amouendi ſit obſecratio; reſpectu boni jam dati gratiarum actio; reſpectu dandi in via, oratio; reſpectu dandi in patria, poſtulatio. *Ex Gloſſa in 1. Thim. 2.*

*Memb. 2.* De eadem diuiſione ex S. *Bern.* Vt obſecratio fiat mediatè, oratio immediatè, poſtulatio ex ſecura conſcientia, gratiarum actio ex certa fiducia, quaſi de re iam obtenta.

*Mem. 3.* De diuiſione S. *Ambr.* in laudem Dei, ſupplicationem, poſtulationem, & gratiarum actionem, ex modo petendi: vt Deus ſit principium & finis orationis. Supplicatio petit beneuolentiam, poſtulatio exprimit petita.

*Memb. 4.* De diuiſione *Hugonis*, in ſupplicationem indeterminatam, poſtulationem determinatam, & inſinuationem ſine petitione. §. *vnico.* De tribus ſpeciebus ſupplicationis ſecundùm *Hug.* quæ ſunt. *1.* Captatio beneuolentiæ laudando Deum, vel deteſtando malitiam aduerſariorum, & exponendo propriam miſeriam. *2.* Exactio, ſeu feruens inſtantia per Charitatem. *3.* Pura oratio, ſeu totalis affectus in Deum. Item, de tribus ſpeciebus poſtulationis ex eodem: quæ ſunt. *1.* Poſtulatio pro majoribus neceſſitatibus. *2.* Rogatio pro mediocribus. *3.* Simplex poſtulatio pro minoribus. *Item*, de tribus ſpeciebus inſinuationis. *1.* Ex timore. *2.* Ex fiducia. *3.* Ex paruitate rei.

QVÆST. 90. *De Vſu Orationis.*

*Memb. 1.* De eius vtilitate. *Art. 1.* An ſit vtilis? *Reſp.* Eſſe magnæ & multiplicis vtilitatis. Ex *Iac. 5.* & B. *Aug.* lib. De orando Deo, & alibi ſæpè. *Art. 2.* An eius vſus ſit neceſſarius ad ſalutem? *Reſp.* Propriè prout deſcribitur, expreſſio deſiderij directi ad Deum, pro malo amouendo, & obtinendo bono, per verbum internum vel externum: ſic eſt neceſſarius impetratiuè ad ſalutem, ſeu ad perſeuerantiam in gratia contra tentationes.

*Memb. 2.* De modo orandi. *Art. 1.* An oratione vocali, mentali, vel vtraque? *Reſp.* Quòd non ſolum mentali, ſed etiam vocali. *1.* Ad illuminandum intellectum ex ipſis verbis. *2.* Ad mouendum etiam inde affectum. *3.* Ad faciliorem recordationem orandi. *4.* Ad colendum Deum etiam voce. *5.* Ad inſtructionem proximorum. *Art. 2.* An tradenda ſit forma vocalis? *Reſp.* Quòd ſic, ex cauſis præfatis. *Art. 3.* An vtendum ſit multiloquio? *Reſp.* Quòd non quaſi ad Deum multis verbis inclinandum, vt à Chriſto reprehenditur, *Matt. 6.* Sed benè ad tollendum faſtidium, vitandum otium, excitandam aut fouendam deuotionem, &c. *Art. 4.* An intenta ſeu impetranda ſint voce exprimenda? *Reſp.* Non eſſe neceſſarium: quia ſunt Deo nota priùs quàm petantur. *Art. 5.* An oratio vocalis non intellecta ab orante, ſit alicuius efficaciæ? *Reſp.* Quod non ſine intellectu & voluntate ipſius actus: ſed benè ſine intellectu ſenſus; quia ſæpè ſoli docti poſſent ſic intelligere: imò & deuotiores ſæpè rapiuntur ad Deum ipſum, ſupra ſenſum verborum. *Art. 6.* An potiùs inſiſtendum ſit orationi mentali quàm vocali, & quæ vtilior? *Reſp.* Oratio vocalis ordinatur ad mentalem, non econtra. In oratione priuata, mentalis purè, ſine dubio, melior eſt ſola vocali. Si verba impediunt affectum, melior eſt ſola mentalis: ſi iuuant, melior eſt mixta. In oratione publica, vocalis eſt melior quauis priuata, cæteris paribus: quia eſt ad bonum commune, & ex communi ſaltem aliquorum deuotione.

*Memb. 3.* De petendis in oratione. *Art. 1.* An petenda ſint temporalia? *Reſp.* Quòd ſic, vt huic vitæ & viæ neceſſaria. *Infra.* Summa ſolutionis eſt, quòd ſimpliciter & per ſe loquendo, ſola ſpiritualia ſint petenda, & deſideranda, vt ſola nobis digna ac perfectiora: temporalia autem vt inferiora, non niſi ex indigentia. *Art. 2.* An liceat inimicis imprecari malum pœnæ? *Reſp.* Quòd non, niſi ad ſalutem, vel ordinem iuſtitiæ diuinæ. *Art. 3.* An liceat petere à Deo auxilium ad minus peccandum? *Reſp.* Quòd non, ad ipſam malitiam, ſiue maiorem ſiue minorem: quia nulla poteſt eſſe à Deo. *Infra.* Poteſt tamen peti gratia aliqua gratis data, ad minus peccandum quàm ante.

QVÆST. 91. *Quorum ſit orare.*

*Memb. 1.* An etiam Perſonarum diuinarum? *Reſp.* Quòd non: quia repugnat earum identitati æqualitati, & infinitati.

*Memb. 2.* An ſit Beatorum? *Art. 1.* An Angelorum & animarum. *Reſp.* Eſſe eorum orare pro ſe, & pro nobis: ſed pro ſe, ad ſolum bonum præſens, & futurum reſurrectionis; pro nobis, etiam contra malum. Ex *Apoc. 6. B. Aug. lib. 12. de Gen. ad litt. S. Bern. De diligendo Deo. S. Greg. &c. Infra.* Quantumuis ſancti ſint eleuati ad Deum, poſſunt aſcendere ad eum orando: quia infinitè excedit orantem, & quidquid orat. *Infra.* Non eſt imperfectionis in Beatis, non habere omnem perfectionem

futuram:

Digitized by Google

futuram: ſed perfectionis, habere quicquid eis nùnc conuenit. *Infra.* Sancti iuuant nos meritis præteritis, & orationibus præſentibus.

*Art.* 2. An animæ Sanctæ orent ſolo deſiderio, vel verbo mentali? *Reſp.* Quòd deſiderio expreſſo nutu mentali. *Art.* 3. An Angeli ſancti offerant orationes Iuſtorum Deo? *Reſp.* Quòd ſic: ex *Tob.* 12. Vt noſtri, inquit, Aduocati & Mediatores, pro nobis orando, & preces noſtras apud Deum recitando; non ad eas notificandas, ſed commendandas Deo &c. Non ſic autem, aut non æquè animæ beatæ: quia non tàm ex officio proprio, quàm Angeli *Hebr.* 1. *Infra.* Offerre preces noſtras Deo eſt etiam gratulari, & attribuere Deo earum acceptationem: eſt conſulere, & monere nos ad orandum, & omnem earum vim ac fructum referre ad Deum.

*Mem.* 3. An omnibus Viatoribus conueniant orare Deum? *Reſp.* Quòd ſic: quia ſunt adhuc mutabiles ad bonum & malum. *Ad* 1. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: niſi pœnitentis, vel ad pœnitendum. Imò nulla laus talis eſt Deo grata. *Ad* 2. Deus peccatores non audit *Ioan.* 8. Id non eſt Chriſti, ſed illius cœci, nec de peccatoribus pœnitentibus.

*Mem.* 4. An in Purgatorio conueniat orare? *Reſp.* Non ad delectationem, nec ad ſolutionem, ſeu ſatisfactionem: ſed benè ad aliquam impetrationem; tùm ex ſtatu charitatis, tùm ex miſeria in qua ſunt. *Infra.* Non ſunt in ſtatu merendi, nec ſatisfaciendi &c. nec orandi abſolutè contra decretum Dei: ſed vt liberentur quò citiùs Deo placuerit.

*Mem.* 5. An conueniat damnatis orare? *Reſp.* Non vero affectu orandi: ex ſua prauitate, obſtinationem ac continuo odio Dei.

QVÆSTIO 92. *Quis ſit orandus.*

*Mem.* 1. An etiam Creatura? *Art.* 1. An Creatura irrationalis. *Reſp.* Quòd non. *Ad* 1. Adoramus crucem Chriſti .i. Chriſtũ paſſum: ſed ſpecialis reuerentia ei debetur vt fuit inſtrumentũ noſtræ ſalutis. *Ad* 2. Quæ Deus dat ob meritum, dat quia iuſtus: quæ ob orationem, dat quia liberalis. Meritis enim reſpondet prœmium, & precibus donũ &c. Solam illam Creaturam orare poſſumus, quæ pro nobis orare poteſt, & impetrare &c. Licet Creatura irrationalis ſit materia, & medium merendi: non tamen obiectum orandi. *Ad* 3. *&* 4. Non ſufficit humiliari, & affici alicui rei, ad orandum. *Ad* 5. Oratio eſt *Oris ratio*: non Logicè; ſed pro expreſſione deſiderij. *Art.* 2. An Creatura rationalis ſit oranda? *Reſp.* Quòd quæcumque poteſt pro nobis orare & impetrare. *Infra.* Qui ſunt propinquiores Deo per gratiam, conuenientiùs orant pro alijs. *Ad vlt.* Fruſtra fit per plura, &c. Si æque bene fieri poſſit per pauciora. Deus æquè bene orari poſſet immediatè, ſi vellet: meliùs tamen mediatè; tùm quia orans pro alijs laborat pro ſeipſo; tùm quia prodeſt alteri; tùm quia exequitur in hoc voluntatem Dei. *Art.* 3. An animæ Purgatorij ſint orandæ? *Reſp.* Poteſt dici quòd non: quia ſunt Reæ in ſtatu pœnali, &c. *Infra.* Sine præjudicio tamen opinando, dico: quòd multæ ſint animæ in Purgatorio quæ non affliguntur illa vehementi pœna de qua B. *Aug.* in *Pſal.* 37. *Art.* 4. An Beati ſint à nobis orandi? *Reſp.* Quòd ſic: quia poſſunt pro nobis orare, & ſunt ad hoc voluntarij ac efficaces, vt noſtri amici, & Dei; ſuntque aliqui ex nobis prædeſtinati ad ſalutem per eorum orationes. Ex *Bern. de amore Dei cap.* 9. *B. Aug. lib. de vera Relig. c.* 55. *Luc.* 7. De miſſis ſenioribus Iudæorum à Centurione ad rogandum Chriſtum pro eo: & ex varijs cauſis. 1. Ex noſtra inopia. 2. Ad SS. gloriam. 3. Ex Dei reuerentia. 4. Ex congruentia Hierarchiaca. *Ad.* 1. Quo Deus miſericordior, non eſt minus reuerendus, & orandus per SS. *Ad* 2. Oratio eſt ſacrificium ſpirituale: non proprium Latriæ. *Ad* 3. Orationes noſtræ poſſunt innoteſcere SS. quatuor illis modis: de quibus B. *Aug.* libro de cura pro mortuis cap. 16. *Ad* 4. Non ſoli Beatiores ſunt orandi: ſed omnes, quia Deus vult eos ſic honorari. *Ad* 5. Solus Deus ſimpliciter & finaliter eſt orandus, vt à quo eſt omne bonum: Sancti non ſimpliciter; ſed potiùs vt Mediatores & Coadiutores orantium. Ideo oratio Dominica dirigitur ad ſolum Deum.

*Memb.* 2. De orando Deo. *Art* 1. An ſit orandus? *Reſp.* Omninò: quia eſt dignum, vtile, & neceſſarium. *Ad* 1. Petere à Deo non eſt verecundum: nec ab eo carè precibus emitur. *Ad* 2. Oratio non minuit diuinam liberalitatem: ſed ad eam congruè diſponit. *Ad* 2. Deus eſt liberalior ad dandum, quàm nos ad recipiendum: ſed eſſet potiùs prodigalitas, quàm liberalitas dare fruſtra indignis & nolentibus. *Ad* 4. Deus non vuult dare in omnem euentum: ſed iuxta noſtram præparationem, & cooperationem. *Ad* 5. Inuocare Deum in teſtem falſi, eſt blaſphemia: ſed in auxilium ad bonum, & contra malum, eſt ſummus honor. *Ad* 6. Petere beneficium eccleſiaſticum eſt ambitionis, & præſumptionis: quia inde non fit quis melior, ſed potiùs deterior; ſed petere à Deo gratiam, è contra. *Ad* 7. Qui orat, ſi eſt indignus, diſponitur vt fiat dignus: ſi eſt dignus, fit inde dignior. *Ad* 8. Deus eſt pronior ad miſerendum, quàm ad damnandum: ſed perditio noſtra ex nobis, &c. Conuerſio noſtra à Deo, non ſolet eſſe ſine oratione. *Ad* 9. Creatura irrationalis conſeruatur in ſua natura à Deo per propriam operationem: ſed Creatura rationalis, non niſi à Deo per gratiam. *Art.* 2. An ſolus Deus ſit orandus. *Reſp.* Solus Deus eſt orandus vt principium omnis boni: ſed ſancti vt pro nobis orent. *Ad Arg.* Diſtantia noſtra à Deo non eſt infinita in cognoſcendo, & amando, nec in effectu gratiæ eius: ſicque nec hic aſcenſus ad eum eſt impoſſibilis. *Art.* 3. De collectis & orationibus Eccleſiæ, earumque varia & congrua directio en ad Deum, & perſonas Diuinas.

*Art.* 4. An intellectus vel affectus ad Deum altiùs eleuetur in oratione. *Reſp.* Ante ſtatum charitatis, intellectus præuolat, & excedit affectum: in ſtatu charitatis viæ, affectus excedit intellectum; in ſtatu charitatis patriæ, ſunt æquales. Subdit præclaram doctrinam myſticam de exceſſu affectus ſupra intellectum in via. 1. Ex vi maiori ilius motiui, quàm huius; quia bonum magis hic mouet, quàm verum. 2. Ex maiori vi affectiua, vſque ad transfor-



Digitized by Google

transformationem & extaſim, quàm cognitiua ad quandam configurationem. 3. Ex modo mouendi intellectum per quandam captionem ſpeciei, vel veritatis intellectæ: affectũ autem, per attractionem obiecti, & tendentiam, ac inhæſionem illi.

QVÆST. 93. *Pro quibus ſit orandum.*

*Memb.* 1. De orando pro ſeipſo, quamuis peccatore, pœnitente, vel ad gratiam pœnitendi. Ad S. *Greg.* Non negat quin diligat quis ſeipſum ex Charitate: ſed negat hanc dici propriè ad ſe, quaſi ad alterum.

*Memb.* 2. De orando pro alijs. *Art.* 1. An orandum ſit pro alijs? *Reſp.* Quòd ſic. 1. Ad ſuccurrendum alijs, quaſi commembris. 2. Ob hanc voluntatem Dei. 3. Ad propriam vtilitatem: ſed non alligando propria merita. *Art.* 2. An orandum ſit pro inimicis? *Reſp.* Quòd ſic: ex charitate ad omnes eius capaces; non ſolo affectu, ſed & effectu eis neceſſario ad ſalutem corporis & animæ. *Ad* 1. Si certò conſtaret qui ſint finaliter reprobi, non eſſet pro eis orandum. Ex *Aug.* 21. *Ciu. c.* 24. *Art.* 3. De non orando pro incorrigibilibus abſolutè: quales nulli ſunt viatores; ſed pro quantumuis difficulter corrigibilibus. *Art.* 4. De non orando pro Infidelibus iam condemnatis: ſed pro iis adhuc viatoribus. *Ad* 1. Qui non credit iam iudicatus eſt, .i. iudicio & pœnâ excæcationis. *Art.* 5. De non orando expreſsè pro peccantibus in Spiritum Sanctum: ſed gemendo & inſinuando, tanquam pro re difficillima. [ Supple citra peccatum finalis impœnitentiæ. *Art.* 6. De non orando pro excommunicatis publicè, vel oratione communi Eccleſiæ, ſed benè priuata. *Art.* 7. De non orando pro damnatis. §. 1. Non à viatoribus: contra Origeniſtas. §. 2. Nec à Beatis. *Art.* 8. De obligatione Prælatorum orandi pro ſubditis. *Art.* 9. De non orando pro Beatis: quia nec ipſi indigẽt, nec ſumus capaces mediandi pro ipſis. *Infra.* Poſſumus eis deſiderare, & à Deo petere honorem: ſed potiùs pro nobis quàm pro illis. Poſſumus & orare in genere pro conſummatione Beatorum, ſeu vt Deus perficiat in eis quod incœpit: ſed non in ſpeciali, vt Mediatores & Interceſſores eorum.

QVÆST. 94. *De vſu congruo Orationis.*

*Memb.* 1. De tempore orandi: ſemper quidem, communiſſimè; non tamen communiter & propriè. Vt ſupra *Qu.* 87. *Memb.* 1. Contrà Hæreticos Pſallianos ſeu Euchitas (non Ethnicos vt habet textus vitiatus:) qui contendebant eſſe continuò orandum actu, ex *Luc.* 18. & 1. *Theſſ.* 5. quæ non niſi de quotidiana oratione per interualla.

*Memb.* 2. De loco orandi: publicè quidem & canonicè, in quouis loco, ſed præcipuè ſacro; priuatim autem, quouis loco, ſed potiùs ſecreto.

*Memb.* 3. De congruo ſitu & geſtu orandi. De quibus inter Ceremonias Sacrificij Miſſę à *col.* 575.

QVÆST. 95. *De vi rationali, concupiſcibili, & iraſcibili ad orandum delectabiliter & impetratiuè: ſed iraſcibili propriè, ad orandum ſatisfactoriè.*

QVÆST. 96. *De efficacia Orationis.*

*Memb.* 1. An ſit efficax ex puris naturalibus, vel ex gratia gratis data, vel gratum faciente. *Reſp.* Poſſe quidem naturaliter cogitari de Deo, & peti ab eo: ſed non orari meritoriè, niſi ex aliqua gratia. *Rom.* 8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, &c.

*Memb.* 2. An oratio rationabilis ſit efficax ad impetrandum? *Reſp.* Quòd ſic, ſi eſt rationabilis ex determinatione ipſius Sapientiæ, *Ioan.* 14. *Si quid* .i. dignum, non nihil, *petieritis*, completè, perſeueranter, finaliter, *Patrem*, ſeu à Patre vt tali, à quo nil niſi bonum & ſalutare: *in nomine meo*, vtique piè, ex Fide, Spe & Charitate: *dabit vobis*, non aliis indignis, &c.

*Memb.* 3. De conditionibus Orationis efficacis. *Art.* 1. De ijs in communi per 4. genera cauſarum. *Art.* 2. §. 1. De neceſſaria pietate gratiæ habitualis & actualis, vt oratio ſit ex ſe digna & efficax: non tamen vt habeat aliquem effectũ niſi ex miſericordia & gratia Dei præueniente. §. 2. De inſufficientia ſolius pietatis. §. 3. De differentia pietatis ab alijs conditionibus. §. 4. De oratione peccatoris in mortali, cum, vel ſine nouo peccato. *Art.* 3. De conditione orandi efficaciùs pro ſeipſo quàm pro alio, quoad bona ſpiritualia: quia non conſtat de aliorum diſpoſitione, nec poteſt quis pro alijs vt pro ſeipſo conſentire, cooperari, &c. Quoad temporalia, ſæpè quis eſt nimis affectus ad ea ſibiipſi impetranda: ſed potiùs alijs. *Art.* 4. De neceſſaria conditione petendi ad ſalutem, nec niſi ſalutaria: qualia ſunt etiam temporalia huic viæ ac vitæ neceſſaria. §. 1. De cauſis per ſe ſalutaribus, expreſsè ac diſtinctè petendis: occaſionibus autem ſalutaribus, tantùm in genere. *Art.* 5. De perſeuerantia habituali, actuali, & quaſi virtuali orandi: ſeu in ſtatu gratiæ, frequentando orationem, & cauendo impedimenta effectus. §. 1. De neceſſitate huius perſeuerantiæ ad efficaciam orationis.

*Memb.* 4. An Oratio ſit etiam ſatisfactoria. *Reſp.* Non eſſe tantùm impetratoriam, ſed & ſatisfactoriam: quia eſt pœnalis naturæ ſenſuali, eleuando animum à corporalibus ad ſpiritualia, & humiliãdò, mortificando, ac quaſi ſacrificando Deo.

*Memb.* 5. De Oratione Apoſtoli 2. *Cor.* 12. contra ſtimulum carnis. *Art.* 1. De ſtimulo illo, pro ſola tentatione exteriori carnis, ad exercitium virtutis: non pro primis motibus; ideoque non auferẽdo per orationem, ſed ſufferendo per gratiam. *Art.* 2. De eodem ſtimulo, pro dolore lateris: eiuſque licita deprecatione ab Apoſtolo, ad liberiorem functionem ſui muneris Apoſtolici, ſub tacita conditione voluntatis Dei; abſque impetratione, ad humiliationem & exercitium patientiæ.

QVÆST. 97. *De Ieiunio.*

*Memb.* 1. De mortificatione carnis meritoria & ſatisfactoria: ex virtute, ad virtutem, ſecundùm virtutem; ſed præcipuè ex vi Sacramenti Pœnitentiæ. *Ad* 1. ex 1. *Thim.* 4. Exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt .i. Comparatiuè ad pietatem, vel ſine ea.

*Memb.* 2. De ipſo ieiunio. *Art.* 1. De illa definitione *Iſid.* Eſt parcimonia victus, abſtinentiaque ciborum: non ſolùm per priuationem immoderationis; ſed etiam per quandam poſitionem moderationis. *Ad vlt.* Parcimonia victus eſt circa neceſſaria:

Digitized by Google

ceſſaria: Abſtinentia à ſuperfluis. *Art. 2.* De alia definitione *Iſid.* lib. 1. De offic. cap. 42. *Ieiunium eſt res ſancta, opus cæleſte, ianua regni, forma futuri.* Vt ex S. Greg. *Deus qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Non per eſſentialia, ſed per effectus ieiunij, ſaltem diſpoſitiuè. *Art. 3.* De alia definitione: *Ieiunium eſt abſtinentia à cibo & potu, ſecundùm formam Eccleſiæ, ad ſatisfaciendum, vel vitandum peccatum, & acquirendam vitam æternam.* *Ad 1.* Ieiunare meritoriè & ſatisfactoriè, non eſt tàm ipſa abſtinentia externa, quàm voluntas efficax abſtinendi, &c.

QVÆST. 98. *De qualitate ieiunij.*

*Memb. 1.* De virtute abſtinendi à cibo & potu: non ex ſuperſtitione, aut ſola cura ſanitatis; ſed refrenandæ concupiſcentiæ.

*Memb. 2.* De abſtinentia ab eſu carnis, potiùs quàm à potu vini: non coniunctim, ſed diuiſim; quia illa eſt ſalubrior, poſſibilior, & rationabilior. *Machumetus* iniunxit abſtinentiam à vino: quia magis facit ad conſeruationem Reipublicæ. Videtur tamen, quòd abſtinentia à vino ſit laudabilior ſimpliciter, quàm à carnibus: ob plura & grauiora pericula abuſus vini quàm carnium.

*Memb. 3. Art. 1. 2. 3. §. 1. & 2.* De bonitate morali ieiunij: non ſumma ſeu perfecta ſimpliciter, ſed media, non ſine imperfectione; A virtute vel ad virtutem Temperantiæ, elicitiuè, Charitatis, Iuſtitiæ, Obedientiæ imperatiuè ad ſuos fines. Vel poteſt dici quòd ſit actus plurium virtutum, elicitus ſub varijs rationibus.

QVÆST. 99. *De modo ieiunandi.*

*Memb. 1.* De abſtinendo à carnibus, & ouis, lacte, caſeo: niſi ex horum neceſſitate, aut conſuetudine, maximè quibuſdam diebus feſtis. *Ad 3.* Licet legumina ſint ventoſa, & inde moueant genitalia: non tamen multùm nutriunt.

*Memb. 2.* De abſtinendo potiùs à *Quali* illicito, ex lege Eccleſiæ & virtutis, quàm à *Quanto* licito: ſed plus minuſue à licitis, quo quis plus minuſue delectatur *Quanto* aut *Quali*.

*Memb. 3.* De ieiunando potiùs ſub vna integra refectione diurna, quàm pluribus minutis, vt ſolent Græci, inquit: quia, inter alia, hinc renouatur & fouetur appetitus inordinatus comedendi.

QVÆST. 100. *De inſtitutione ieiunij.*

*Memb. 1.* De generali & congrua inſtitutione ieiunij, poſt peccatum *Adæ* per gulam, non ante.

*Memb. 2.* De inſtitutione ſpeciali & congrua ieiunij ſub lege gratiæ, ad medicinam & purgationem peccatorum. *Ad 1.* Præſente Chriſto non eſt ieiunium mœroris, ſed hilaritatis.

*Memb. 3.* De inſtitutione ieiunij quadrageſimalis. *Art. 1.* De hoc ieiunio non continuando per totam vitam, ſed alternando: ad cauendum faſtidium, & prouidendum infirmitati humanæ. *Art. 2.* De congruo tempore verno, & ante-Paſchali: imitando potiùs Chriſtum in hac præparatione ad Paſcha, quàm in eodem tempore quo ieiunauit.

*Art. 3.* De congruo numero dierum quadrageſimalium.

*Memb. 4.* De ieiunio quatuor temporum. *Art. 1.* De eius tempore & fine. *Art. 2.* De qualitate mœroris, & præludio exultationis. *Art. 3.* De alternis eius diebus, & paſſionis Chriſti. *Art. 4.* De quadam præfiguratione huius noſtri ieiunij; quoad aliqua, non omnia.

QVÆST. 101. *De efficacia ieiunij.*

*Memb. 1.* An ſit meritorium? *Reſp.* Nonniſi informatum charitate, & circumſtantiis debitis. *Ad 1. 2. 3.* Ieiuniũ extra charitatem, diſponit ad bonum, & mitigat malum.

*Memb. 1.* De ſatisfactione. *Art. 1.* An ſit ſatisfactorium? *Reſp.* Quòd ſic: ſi ex Charitate vel in Charitate. *Ad 1.* Ieiunium ſatisfactorium addit abſtinentiam à licitis ſimpliciter, vel ſaltem quoad vſum moderatum. *Ad 2.* Sufficit quòd ex natura ſua ſit pœnale: licet ex Charitate eſſet delectabile. *Art. 2.* An ieiunium iniunctum à Confeſſore ſit ſatisfactorium? *Reſp.* Eſſe propriè: non ſolum realiter, ſed & Sacramentaliter. *Ad Arg.* Opus ex præcepto naturæ, non eſt ſatisfactorium: ſed ex præcepto diſciplinæ, ſpecialiter iniunctum ad ſatisfaciendum. *Art. 3.* An iniunctum ab Eccleſia ſit ſatisfactorium? *Reſp.* Quòd ſic, &c. *Art. 4.* An ieiunium aſſumptum in Charitate ſit ſatisfactorium. *Reſp.* Quòd ſic: ſi non Sacramentaliter, ſaltem realiter, &c. *Ad 1.* Vt ſatisfactorium debet eſſe ordinatum ad Contritionem & Confeſſionem poſſibilem. *Art. 5.* De horum comparatione in ſatisfactione. *Reſp.* Ieiunium iniunctum à Confeſſore eſt maximè ſatisfactorium, deinde præceptum, denique aſſumptum: quia in illo eſt maior vis Clauium. *Art. 6.* An ieiunium ſit ſatisfactorium pro omni peccato? *Reſp.* Quòd ſic communiter: ſed propriè pro peccatis carnis, vt oratio pro ſuperbia; quatenus ſatiſfacere non eſt tantùm ſoluere debitum pœnæ, ſed etiam ſanare, & corrigere vitia per actus contrarios.

*Memb. 3.* Vnde ieiunium ſit ſatisfactorium. *Art. 1. & 2.* An ſit ieiunandum ex vel in Charitate. *Reſp.* Nec ex, nec in, ſub præcepto ſeu obligatione: ſed ad ſatisfaciendum; quia modus non eſt ſub præcepto. *Ad Arg.* Datur medium inter ieiunare ex vel in affectu peccandi, & Charitatis: quia poteſt quis moueri ſolùm ad vitandam pœnam. *Infra.* Ex, non ſemper dicit radicem facti, ſed aliquando ſolam coëxiſtentiam.

*Art. 3.* An ieiunium ſit ſatisfactorium in vel ex Charitate. *§. 1. Reſp.* Sufficere vt fiat in Charitate: non neceſſariò ex affectu actuali Charitatis, &c. Contritio debet eſſe ex Charitate, &c. Satisfactio in Charitate: Confeſſio nec ex nec in, vt valeat; quia ſatis eſt vt inde ſtatus peccatoris innoteſcat. *Ad 1.* Omne opus virtutis informatum charitate vel gratia, eſt meritorium: non tamen ex ſolo motu naturæ. *Ad vlt.* Quod fit in Charitate ſolùm concomitante, non eſt meritorium: ſed quòd fit in ea vt cauſa formali, &c. Idem actus bonus poteſt eſſe peccatum veniale vanæ gloriæ, Charitate concomitante: meritorius vel ſatisfactorius ex Charitate formaliter, vt procedens principaliùs à voluntate vt informata Charitate. *§. 2.* An ex vel in Charitate actu, an habitu. *Reſp.* Vt ieiunium in Charitate



Digitized by Google

ritate ſit meritorium vel ſatisfactorium, debet eſſe alicuius virtutis actu mouentis; & liberi Arb. cooperantis. *Nota*. Fieri aliquid ex Charitate mouente, immediatè, vel mediatè: *Alijs verbis*, ex Charitate in generali vel ſpeciali, *actu vel habitu*. *Sufficit fieri ex Charitate mouente habitualiter, mediatè & in generali.*] Vbi, explicat illud habitualiter, vt ſolet nùnc virtualiter: de inchoante opus cogitando de Deo, ſed exequente non cogitando. *Adhuc ex charitate, elicitiuè, vel imperatiuè, non actualiter, ſed habitualiter* .i. virtualiter.

*Ad 1. Salomon* dormiens in Charitate, meruit .i. obtinuit quod meruerat vigilans, &c. Vnde B. *Aug.* 11. de Gen. *Merita clarent in ſummo*: non dicit, fiunt. Vel *Salomon* non ſimpliciter dormiebat: ſed erat in viſione. *Ad 2. & 3.* Vt in Sacramentis intentio habitualis .i. virtualis: ſic in Merito; ſi tamen ſit opus alicuius virtutis mouentis. *Vel*. Aliud eſt de Sacram. quia in meritis homo cooperatur gratiæ, etiam in opere virtutis ſpecialis. *Ad 4*. Charitas habitualis ſufficit ad ſalutem recipiendam: ſed non ad merendam. *Infra*. Ingreſſo Religionem ex Charitate, ſufficit vt hanc intentionem reſeruet habitu, & omnia ad illam referat. *Infra*. Actus inchoatus in vel ex Charitate, & continuatus extrà: non eſt idem vt gratuitus, ſed vt actus naturalis, vel etiam moralis.

*Art. 4.* Quæ requirantur ad ieiunium ſatisfactorium, *Reſp*. Ad ſatisfactorium directè & ſacramentaliter. 1. Charitas. 2. Pœnalitas. 3. Contrarietas peccati. 4. Authoritas Clauium. Ad ſatisfactorium realiter. 1. Charitas. 2. Pœnalitas.

QVÆST. 102. *De neceſſitate ieiunij.*

*Mem. 1.* De neceſſitate ſeu obligatione ieiunij, ex præcepto Eccleſiæ, aut voto proprio.

*Memb. 2.* De neceſſitate ſeu obligatione quoad perſonas. *Art. 1.* De obligatione tàm iuſtorum quàm iniuſtorum regulariter ad ieiunia Eccleſiæ, exceptis caſibus neceſſitatis. *Ad 1.* Ex 1. *Thim.* 1. Iuſto non eſt lex poſita. 1. Non quaſi pro iuſto, vt inde iuſtificetur. 2. Non vt voluntas eius peccandi coerceatur. 3. Non vt per eam quaſi reus puniatur. 4. Non vt ei ſubſit quaſi pædagogo, &c. Non autem vt non obligetur. *Art. 2.* An peregrini ſeu viatores obligentur ad ieiunium? *Reſp*. Quidam dicunt quòd ſic, ſi non ſit magnus labor corporis, &c. non autem, ſi cum magno & neceſſario labore, defectu vehiculi, &c. Quia Eccleſia non intendit obligare ad ita exhauriendas vires naturæ, quin ſufficiant ad laborem. Aliter poteſt dici, & ſaniùs: quòd nulla afflictio abſoluit à ieiunio inſtituto ab Eccleſiâ, niſi diſpenſante neceſſitate, authoritate Clauium, &c. Etſi maior foret pœna in peregrinando, quàm ieiunãdo: illa non eſt iniuncta ab Eccleſia, ſicut hæc: *Art. 3.* An pueri ſint obligati ad ieiunia Eccleſiæ? *Reſp*. Quòd non: niſi fortè interpolatè, & in eis virtus ſuppleat ætatem; quia non poſſunt ſine magna naturæ læſione. *Infra*. Dicunt quidam quòd non oblig. ntur ante finem 21. anni: Alij quòd ab anno 20. quo ſunt apti militiæ: Alij quòd ab anno 15. quo libido inualeſcit. Mediũ eligendo dico, quòd ætas apta ieiunio eſt 18. annorum: quia hęc eſt ordinata ab Eccleſia ad intrandum Religionem. *Art. 4.* An pauperes obligentur ad ieiunia Eccleſiæ? *Reſp*. Egeni .i. non habentes domum, ſed mendicantes per domos alienas: ſi non habent victum determinatum & ſufficientem, non obligantur; ſed pauperes .i. habentes propria domos, quamuis non ſibi ex toto ſufficiant, non excuſantur, &c.] Supple de pauperibus qui non abundant: habent tamen vndecumque victum ordinarium ac ſufficientem. *Art. 5.* An operarij obligentur ad ieiunium? *Reſp*. Peccant mortaliter qui ieiunia regulariter inſtituta ab Eccleſia non ieiunant, ſine neceſſitate rationabili: quæ duplex eſt; intrinſeca, ex infirmitate naturæ; & extrinſeca, ex indigentia victus, & ex graui labore neceſſario ad ſuſtentandam familiam. Si quis tamen ſe ſolum poteſt paſcere moderato labore, non deberet ſoluere ieiunium.

*Memb. 3.* An obligatio ieiunandi ſit diſpenſabilis à Prælatis Eccleſiæ? *Reſp*. Quòd ſic, ex vi Clauium.

*Memb. 4.* An ieiunium ſit ex præcepto, vel conſilio? *Reſp*. Non ex præcepto naturæ, ſed diſciplinæ: nec ex ſolo conſilio propriè, pro opere perfectionis; ſed communiter, pro vtili non abſolutè neceſſario ad ſalutem.

*Memb. 5.* An ſit opus medietatis, ſeu virtutis conſiſtentis in medio? *Reſp*. Breuitèr, ex plurimis hic contricatis, de varijs medijs & extremis virtutum: ieiunium eſſe opus medietatis, ſeu virtutis conſiſtentis in medio, inter minùs & plus quàm neceſſe ſit.

QVÆST. 103. *De hora comedendi.*

*Memb. 1.* An ſit aliqua determinata? *Reſp*. Quòd ſic: ad vniformitatem; ſed ſub magna latitudine.

*Memb. 2.* Quæ hora ſit conuenientior? *Reſp*. Ex communi conſuetudine Eccleſiæ latinæ, eſſe horam nonam, declinando ad veſperam, vt habeat rationem Cœnæ.

*Memb. 3.* An hæc hora ſit ſub præcepto? *Reſp*. Quòd non, abſque contemptu huius moris Eccleſiæ, &c. Vel poteſt dici quòd habeat magnam latitudinem: vt non facilè peccetur grauiter pręuentione; ſed dilatio eſt perfectionis.

QVÆST. 104. *De ſolutione ieiunij per cibum & potum.*

*Memb. 1.* De comeſtibilibus. *Art. 1.* De ſolutione ieiunij per eſum carnium, non piſcium: quia carnes magis nutriunt, &c. *Art. 2.* Non ſolui ieiuniũ quantitate cibi vltra neceſſitatem & mediocritatem: ſed eius meritum ſæpè minui. Poſſe tamen dici quòd excedens notabiliter ſuum ſtatum in quantitate cibi, varietate ferculorum, & nimia mora conuiuandi, ſoluat ieiunium, & decipiat ſeipſum. *Art. 3.* De ſolutione ieiunij per potum nutritiuum, vini de vite, de frumento, & ſimilium, ante prandium, non autem poſt: quia iuuat digeſtionem, & cibi diſtributionem. Si quis tamen ex aliqua neceſſitate ſumat moderate antè prandium: non ſoluit ieiunium ieiunantis ſeu ab eo exercitum, ſed ieiunium ieiunij ſeu inſtitutionis. *Art. 4.* Non ſolui ieiunium medicinis ſimpliciter, ſed bene cibis medicinalibus: vt electuarijs ſumptis in quantitate ad nutritionem, non tamen poſt cibum ad confortationem & digeſtionem.

*Memb. 2.*

Digitized by Google

*Memb.* 2. De modo ſumendi cibos. *Art.* 1. Non ſolui ieiunium quoad ſubſtantiam, ſed meritum eius minui, modis illis vitioſis: *Præpropere, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.* *Art.* 2. Ieiunium Eccleſiæ non violari illis vitijs gulæ, ſed morale. *Art.* 3. Quatuor virtutes moderari quinque illa vitia gulæ: Abſtinentiam 1. Honeſtatem 2. & 3. Moderantiam 4. Parcitatem 5.

QVÆST. 105. *De Eleemoſyna.*

*Memb.* 1. Quid ſit. *Art.* 1. De triplici ethymologia nominis. 1. Quaſi aqua miſerationis. 2. Mandatum Dei. 3. Aqua Dei. Vnde, eſt opus miſericordiæ ex mandato Dei, ad extinguenda peccata. *Art.* 2. De eius definitione ex 4. cauſis: *Eſt opus ſeu largitio rei neceſſariæ indigenti, propter Deum, ex compaſſione.* *Ad* 1. Viſitatio infirmi non eſt ſine munere, ſaltem ſpirituali, alicuius conſolationis. *Ad* 2. Ipſa voluntas eſt opus. *Ad* 3. Rei neceſſariæ .i. Accipienti. *Ad* 4. Perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt indigentes interpretatiuè: quia ſunt tantùm diſpenſatores. *Ad* 5. Vel non eſt propria miſericordia ſuipſius: vel eſt æquè ac charitas. *Art.* 3. De reipſa: quod ſit virtus infuſa liberalitatis ſub iuſtitia, vel eius actus ex noſtra cooperatione. *Infra.* Non mundat formaliter, ſed meritoriè, mediante Charitate. Vt datur ex compaſſione, eſt miſericordiæ: vt ad ſatisfactionem, eſt iuſtitiæ: vel eſt iuſtitiæ imparatiuè, miſericordiæ elicitiuè.

*Memb.* 2. De 7. operibus miſericordiæ corporalis, & 7. ſpiritualis, ſub his verſibus. *Viſito, cibo, poto, redimo, tego, colligo, condo. Conſule, caſtiga, ſolare, doce, remitte, fer, ora.* Deque ratione huius numeri, ex 7. miſerijs corporalibus, & 7. ſpiritualibus.

QVÆST. 106. *De diſtributione Eleemoſynæ.*

*Memb.* 1. De quantitate: An liceat omnia diſtribuere, vel relinquere propter Deum. *Reſp.* Non ſolùm eſſe licitum: ſed & meritorium. Ex vitâ & doctrinâ Chriſti, ac Apoſtolorum. *Ad* 1. Non eſt prodigalitatis dare omnia pauperibus, ex conſilio Chriſti, propter Chriſtum, & ad maiùs bonum ſpirituale. *Ad* 2. Non poſſunt omnia relinqui quoad vſum neceſſarium: ſed quoad proprietatem, & vſum ſuperfluum. *Ad* 3. Non eſt tentare Deum, ſequi eius conſilia, & exempla, vtique alijs medijs ac remedijs huius vitæ. *Ad* 4. Vel hæc virtus aut eius actus, habet aliquod medium, vt ſuprà: vel non; quia eſt ſupererogationis & perfectionis in infinitum, vt virtutes Theologicæ, abſq; vllo extremo poſitiuo, aut termino ad quem, ſed tantùm priuatiuo à quo. *Ad* 5. Non eſt hæc priuatio omnium neceſſariorum ad vitam, nec inuoluntaria, ſed voluntaria: ideòque nec iniurioſa. *Ad* 6. Poteſt quis adhuc viuere ex proprio labore, vel mendicatione. *Ad* 7. Petendus eſt à Deo panis quotidianus: ergo non habendus ex proprio. *Ad* 8. Hoc non eſt *nimis, &c.* cùm omnia ſint Dei. *Ad* 9. Si quis inde moreretur: non ei imputaretur; quia vacando operi licito & ſalutari, &c. *Ad vlt.* Si quis ex feruore Charitatis, aliquid arduum attentaret quo mortem acceleraret: non tamen ex intentione eam accelerandi; non dubito quin fieret Deo acceptus.

*Memb.* 2. De perfectione relinquendi omnia propter Chriſtum. *Art.* 1. Eſſe perfectionis Chriſtianæ, vt ſupra. *Art* 2. De perfectione principali relinquendi omnia: non tantùm in proprio, ſed & in communi; ad mortificationem carnis, & propriæ voluntatis; ad eradicationem cupiditatis, & radicationem Charitatis; ad facilitatem contemplationis. *Infra.* Hanc paupertatem perſuadet natura, Scriptura, & gratia: perſuadet Chriſtus conuerſando, inſtruendo, inſpirando, &c. Non autem ſpiritus diabolicus, nec mundanus, nec proprius: cùm ſemper inclinet ad bonum priuatum. Hinc eſt quòd iſtum modum viuendi Summus Pontifex approbauit in ordine FF. Prædicatorum & Minorum, &c. Huic contrarium nulli licet ſentire. Nam in fine Regulæ B. *Franciſci*: Nulli ergo hominum, &c. B. *Aug.* in Tract. de Eleemoſ. Et ad *Paulinum*, De videndo Deo, &c. *Ad* 1. ex *Act.* 20. Beatius eſt dare, quàm accipere .i. Dans, quoad hoc, beatior eſt recipiente: illique valet ad vitam æternam, quod huic ad corporalem. *Ad* 2. Sicut alij pauperes non faciunt ſibi inuicem iniuriam recipiendo eleemoſynam: ita nec qui eligendo paupertatem præbent alijs exemplum eam libenter patiendi, commendantque fiduciam in Dei prouidentiam. *Ad* 3. Non eſt tentatio Dei, &c. vt ſuprà. *Ad* 4. Mendicitas non eſt per ſe eligibilis, quia pœnalis eſt: ſed hæc virtus eſt in pœna, vt & patientia. *Ad* 5. Chriſtus habuit loculos diſpẽſatiuè, &c. Hinc eos cõmiſit *Iudæ* ad pauperum ſuſtẽtationem, & cupiditatis eius mitigationem. Ex S. *Chryſ.* Homil. 6. in Ioan. *Ad.* 6. ex *Matt.* 10. Nullus habet æqualem cum Chriſto paupertatem, &c. Nam non habuit vbi caput reclinaret, *Matt.* 8. *Ad* 7. Apoſtoli erant tanquam nihil habentes, 2. *Cor.* 6. nec poſſidentes pecuniam, &c. *Matt.* 10. Neque illud *tanquam*, ſumitur ſimilitudinariè; ſed pro veritatis expreſſione. *Ad vlt.* Quò anima eſt abſolutior à temporalibus, eò Deiformior & beatior, *Matt.* 16. Beati pauperes ſpiritu.

QVÆST. 107. *De mendicatione voluntaria.*

*Memb.* 1. An ſit licita? *Reſp.* Quòd ſic: amore & exemplo Chriſti, *Pſal.* 21. Ego ſum vermis, &c. 2 *Cor.* 8. Qui propter nos egenus factus eſt, &c. Et SS. *Alexij, Benedicti, Dominici, Franciſci,* &c. *Ad* 1. ex *Pſal.* 36. Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem .i. nec hoc vidi derelictum: vel de pane ſpirituali. *Ad* 2. ex *Pſal.* 108. Maledictio illa eſt mendicandi eſt coactè & impatienter. *Ad* 3. Non eſt inopia timentibus Deum, *Pſal.* 33. i. ſpiritualis. Nam ſubdit: Diuites eguerunt, &c. *Ad* 4. De non deſiderando alieno, 1. *Theſ.* 3. i. inuito domino: nec ex concupiſcentia, *Exod.* 20. ſed ex neceſſitate. Vel vt *Phil. vlt.* Non quæro datum ſed fructum .i. ſalutem dantium. Ex *Aug.* 13. Conf. *Ad* 5. 6. 7. De labore manuum ad victum, ex 2. *Theſſ.* 3. .i. contra otioſos ac inquietos. *Ad.* 8. ex *Prou.* 30. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi .i. ne furer, &c. Ergo de paupertate coacta, &c.

*Memb.* 2. An ſit meritoria, relictis omnibus pro Chriſto? *Art.* 1. An ſit meritoria ſimpliciter? *Reſp.* Quòd ſic: Ex voto B. *Paulæ* & *Euſtochij*, laudato à S. *Hier.* in eius Epitaph. *Ad* 1. ex 2. *Theſſ.* 3. De laborando



Digitized by Google

borando pro victu, aut non manducando .i. ad cauendum tunc conſortium quorundam otioſorum & curioſorum. *Ad 2.* Nemo inde grauatur: ſed diuites inde mouentur ad maiorem liberalitatem erga pauperes. *Art. 2.* An ſit euangelicæ perfectionis? *Reſp.* Mendicatio ex neceſſitate naturæ, eſt ſalutaris, vt patet ex *Luc. 16.* de *Lazaro*: ex otio & ad lucrum, eſt culpabilis. *Amb.* lib. De officijs, & *Aug.* De opere Monachorum: Ad honorem Chriſti, humiliationem ſuiipſius, & ædificationem proximi, eſt perfectionis euangelicæ. Nam Chriſtus ſe mendicitati expoſuit in ſtatu infantili, pucrili, & virili. *Ad 1.* De cauenda indigentia ſpirituali, & negligentia prouidendi. *Ad 2.* Labor manuum ad victum eſt conſilij, non autem neceſſariò ad perfectionem. *Ad 3.* Paupertas non eſt per ſe occaſio mali, ſed potiùs diuitiæ. *Ad 4.* ex *2. Theſſ. 3.* Si quis non vult operari non manducet, &c. i. niſi melioribus ac ſalubrioribus occupetur. *Ad 5.* Vitium adulationis non eſt pauperum voluntariorum. *Ad 6.* ex *12. q. 1.* Eſt lex vt Epiſcopi ſuſtentent pauperes Clericos. *Ad 7.* De conſecr. *diſt. 1.* Ne Eccleſia conſecretur niſi dotata, eſt ne non dotatæ negligantur. *Ad 8* Mendicare eſt indifferens: ſed relictis omnibus propter Chriſtum, eſt perfectionis, &c. Si vis perfectus eſſe, &c. *Matt. 19.* Non ait, vende, & pone in communi: nec vade laboratum pro victu; ſed veni & ſequere me. *Ad 9.* Non eſt contra perfectionem ſeruire proximis ex charitate. *Rom. 13.* Nemini quicquam debeatis, &c. *Ad 10.* Merentur ſuſtentari ab Eccleſia. *Ad 11.* Non euangelizant vt manducent: ſed manducant vt euangelizent. *Ad 12.* Si quis pio oculo attendat, nulla in hoc eſt ſpecies mali, ſed boni. *Ad 13.* Habent commiſſionem ex priuilegio, ſeu ſubauctoritatem: vt quondam diſcipuli miſſi ab Apoſtolis. *Ad 14.* Hoc poſtremo tempore inſtituti ſunt pauperes mendicantes, contra auaritiam huius ſæculi, &c. Nec hoc defuit olim quibuſdam viris ſanctis.

*Memb. 3.* An ſit perfectius ſemel dare omnia pro Chriſto, & poſtea victum ſuum mendicare: quàm retinere, ad ſuam & pauperum ſuſtentationem. *Reſp.* Illud eſſe perfectius quàm hoc. Ex *Gennadio* de Eccleſ. dogm. *Ad 1 & 2.* Chriſtus nihil habuit pro ſe: ſed tantum ad diſpenſandum pauperibus. *Ad 3.* Ordo Charitatis exigit priùs ſibi prouidere: non tamen retinendo & poſſidendo temporalia. *Ad 4. 5 6.* Qui dat ſua omnia pauperibus, eſt ſimilior ſummo Bono, in æterna communicatione ad intra.

*Memb. 4.* Contra oppoſitam falſitatem. *Ad 1.* Chriſtus non petijt potum à Samaritana, hoſpitium à *Zacheo*, &c. ex vrbanitate, nec ex mandato: ſed ex humilitate & indigentia; quia non habebat vbi caput reclinaret, &c. *Ad 2.* Quædam mala non tàm ex indigentia ſequuntur, quàm ex hominum malitia: ſed mendicatio ex humilitate indigentis, & charitate habentis, &c. Hinc Chriſtus, *Pſal. 10.* Ego ſum mendicus & pauper. *Ad 3.* Eccleſia, ſeu *Honorius* Papa confirmauit Regulam Beati *Franciſci*, in qua dicitur *Vadant pro eleemoſyna confidenter*. *Ad 4.* Si mendicatio eſſet mala, imò & Symoniaca pro mercede prædicationis: nunquam poſſet benè fieri; Apoſtolus commendaſſet malũ *1. Cor. 9.* & peccaſſet mendicando pro alijs *1. Cor. 16.*

Qvæst. 108. *De labore Pauperum Voluntariorum.*

*Memb. 1.* An ſit eis neceſſarium ſeu præceptum laborare manibus? *Reſp.* Quòd non: nec ad otium vitandum, nec ad corpus domendum, nec ad victum quærendum; quia illa aliter caueri, & huic aliundè prouideri poteſt. Sub finem, ex *2. Theſſ. 3.* Non plus tenentur pauperes Religioſi, quàm allij Chriſtiani.

*Memb. 2.* Quibus ſit liberum recipere eleemoſynas. *Reſp.* Solis veris pauperibus, præcipuè voluntarijs: qui non poſſunt viuere de proprio labore manuali, vel hunc aliundè compenſant.

*Memb. 3.* An ſufficiat labor ſpiritualis ad compenſandum corporalem. *Reſp.* Quòd ſic. *Rationes,* inquit, *ad iſtam partem ſunt concedenda.*

*Memb. 4.* An Religioſis liceant opera illa ſpiritualia? *Art. 1.* *Reſp.* Quod ſic: Decretá autem oppoſita, reſtringi ad Monachos, non extendi ad omnes Religioſos. Vel ex iure communi; ſed non contra priuilegiatos. *Art. 2.* An liceat eis eſſe Doctores ſacræ Scripturæ. *Reſp.* Licere, imò potiùs conuenire quam ſæcularibus. *Infra. Matt. 13.* Non prohibetur officium docendi: ſed ambitio præſidendi.

*Art. 3.* An Epiſcopus vel Summus Pontifex poſſit committere officium prædicandi & audiendi Cõfeſſiones, Religioſis non habentibus curam animarum. *Reſp.* Omninò poſſe. ] Quòd longè latèque ſuſtinet ac confirmat: contra magnam ſui temporis æmulationem, &c. *Ad 1.* Negat id eſſe in præiudicium, ſed in ſubſidium ordinariorũ: ex *1. Cor. 12.* Poſuit Deus in Eccleſia primò quidem Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, exindè opitulationes. *Ad 2.* Negat confundi Claues, aut vnitatem Eccleſiæ, ex priuilegio Summi Pontificis: cùm omnes ordinarij ei ſubijciantur. *Ad 3.* vt *ad 2.* *Ad 4. & 5.* Facultates Imperiales debent intelligi ſine præiudicio alterius: niſi exprimatur, *Nonobſtante &c.* Sed Papa plus poteſt in Clerum, quàm Imperator in populum: quia populus habet proprietatem rerum, Clerus tantùm diſpenſationem. *Ad 6.* Ordo Statutus per Sacros Canones, non derogat aut præiudicat prouidentiæ Summi Pontificis, ad committendum, excipiendũ, priuilegiandum &c. *Ad 7.* Non ideò tales ſunt maiores dignitate Prælatis ordinarijs: ſed tantùm opere & labore. *Ad 8.* B. Aug. de opere Monachorum reprobat vagantes per mundum: non autem Miſſionarios, qualis fuit S. Paulus. *1. Cor. 4.* & omnes Apoſtoli ac Diſcipuli, *Marc. vlt.*

Qvæst. 109. *Quibus debeat fieri eleemoſyna?*

*Memb. 1.* An bonis & malis? *Reſp.* Quòd ſic: quia eſt ordinata ad ſuſtentationem naturæ rationalis; ad maiorem tamen fructum Satisfactionis, potiùs bonis, per quos etiam ſatisfiat pro dante.

*Memb. 2.* An etiam validis ad laborem, vel ſolis infirmis? *Reſp.* Quòd pauperibus voluntarijs, etiam validis: qui non ex pigritia, ſed ad liberiùs & fideliùs laborandum ſpiritualiter, non poſſunt, nec tenentur laborare corporaliter.



Digitized by Google

QVÆST. 110. *De quibus rebus debeat fieri eleëmoſyna?*

*Memb. 1.* An de quibuſlibet? *Reſp.* Quòd non: quia quamuis ex Lege Naturæ integræ omnia eſſent communia; ex corruptione ſunt appropriata.

*Memb. 2.* An ex rebus alienis inuito Domino? *Reſp.* Dicunt quidam quòd ex nullis iniuſtè acquiſitis: alij melius, quòd non ex reſtituendis, quorum dominium non acquiritur abſolutè; ſed benè ex alijs vitioſè acquiſitis. Ad *Luc. 16.* De conciliandis amicis ex mammona iniquitatis .i. ex vitioſè acquiſitis, retentis, ſuperfluis, & reſtituendis.

*Mem. 3.* An ex acquiſitis meretricio? *Reſp.* Quòd ſic: quia iuſtè poſſidentur quoad dominium, nec ſunt reſtituenda. Non ſunt tamen inde vlla acceptanda publicè pro Eccleſia, ob periculum ſcandali.

*Memb. 4.* Poſſe fieri ex acquiſitis per hiſtriones.

*Memb. 5.* An ex acquiſitis per ludum alearum? *Reſp.* Quidam dicunt quòd illa debentur Eccleſiæ, vel pauperibus: Alij quòd poſſint repeti &c. Aliter, & iuxta inſipientiam meam melius: quòd qui ſpontè & proprio motu ac libidine ludit & amittit, non habet ius repetendi in foro Dei: ſicque inde poteſt fieri eleëmoſyna. Qui autem quaſi coactè ludit & perdit, habet ius repetendi, nec inde poteſt fieri eleëmoſyna. Sed ſi coactè ludens lucretur: non tenetur ad reſtitutionem: ſed poteſt & debet inde facere eleëmoſynam.

QVÆST. 111. *Per quos facienda ſit eleëmoſyna.*

*Memb. 1.* An immediatè vel mediatè per exiſtentem in charitate? *Reſp. 1.* Voluntas dandi in charitate eſt meritoria, & ſatisfactoria: non autem ipſa datio extra charitatem; ſed tantùm ſolutoria obligationis dandi. *2.* Datio ab aliquo extra charitatem, per alium in charitate; vel huius pro illo: non eſt illi meritoria aut ſatisfactoria, etiamſi illi mandaſſet exiſtens in charitate; quia poſtea peccando reuocat mandatum quatenus meritorium aut ſatisfactorium, fitque incapax meriti & ſatisfactionis. *3.* Datio per alium ex mandato facto in mortali, non liberat mandātem. ] Supple à pœna: quia quod ab initio non valuit, nequit conualeſcere. Si tamen mandans ſit in charitate quando alius dat pro eo, poteſt ei prodeſſe ad aliquam ſatisfactionem. *4.* Si tanta ſit ratihabitio in charitate, vt ſi non eſſet datum, daretur: valet æquè ac ſi ab initio; ſed ſi non eſt tanta, non tantùm valet; nec tamen poteſt reperi ſi quo modo datio ſit ratihabita.

QVÆST. 112. *A quibus fieri poßit eleëmoſyna?*

*Memb. 1.* An à Regularibus? *Reſp.* Quòd non: niſi habeant diſpenſationem ſuperfluorum; vel in extremitate proximi.

*Memb. 2.* An à muliere nupta? *Reſp.* Poſſe ex ſuperfluo lucri proprij, & ſuorum parapharnalium: non autem ex neceſſarijs ad ſuſtentationem familię; nec ex bonis communibus inuito marito, niſi quoad leues & conſuetas eleëmoſynas.

*Mem. 3.* An à filio familias? *Reſp.* Quòd non, niſi leues, aut ex conſenſu patris, vel ex proprio vſu.

*Mem. 4.* An à ſeruo vel ancilla? *Reſp.* Quòd non, niſi ex conſenſu ſaltem præſumpto, vel ratihabitione Domini. *Infra.* Depoſitarius poteſt & tenetur dare depoſitum alteri in extrema neceſſitate: niſi ipſe habeat proprium quod det.

QVÆST. 113. *De neceßitate dandi eleemoſynas.*

*Memb. 1.* De obligatione dandi eleemoſynam in extrema neceſſitate, ex rigore iuſtitiæ: in euidenti & notabili, ex æquitate; in communi indigentia, ex diſpenſatione iuſtitiæ .i. diſpenſatiuè pro cauſa rationabili. Prima obligatio dici ſolet iuſtitiæ, aliæ charitatis plus minuſuè.

*Memb. 2.* An quis plus teneatur ſubuenire Patri aut propinquis infidelibus, quàm fidelibus extraneis? *Reſp.* Quidam dicunt, quòd plus Patri quoad effectum nutritionis, non quoad affectum Charitatis: Alij quòd plus affectu deſiderij, vt fiat bonus; & effectu ex rebus proprijs, non ex rebus Eccleſiæ, quæ ſunt fidelium. Videtur tamen mihi, quòd motu Charitatis, propter Deum, magis eſt diligendus Pater infidelis: motu dilectionis vt in Deo, & quoad beneficentiam, præferendus ſit fidelis extraneus; quia bona temporalia ſunt ſeruorum Dei, & peccator non eſt dignus pane quo veſcitur. *Ad 1. & 2.* Temporalia ſunt finaliter ad cultum Dei: nec præceptum honorandi parentes obligat contra.

*Memb. 3.* An & cui ex pluribus in extrema neceſſitate? *Reſp.* Omnibus ſi fieri poteſt: ſi non, illis aut ei cui debetur præferentia.

QVÆST. 114 *De vtilitate eleemoſynæ.*

*Memb. 1.* Ad quid? *Reſp. 1.* Contra cupiditatem peccandi. *2.* Contra torporem bene operandi.

*Memb. 2.* An eleemoſyna de furto ſeu vſura, abſoluat à reſtitutione? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſic, petito quamuis non obtento conſenſu domini: ſi non poteſt peti, dando eleemoſynam pro vero domino. Alij dicunt quòd nunquam niſi ex conſenſu veri domini. Et hoc videtur mihi probabiliùs: maximè ſi quis ſit potens reſtituere, vel redeat ad meliorem fortunam. *1.* Quia non dimittitur furtum niſi reſtituatur ablatum. *2.* Quia dando pauperi non ſatisfit domino, qui non debet pauperi, nec pauper vicem eius gerit.

*Memb. 3.* An dantes æqualem eleemoſynam in æquali Charitate, ſed inæquali facilitate, mereantur aut ſatisfaciant æqualiter? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſic. Sed videtur quòd ſi difficultas ſit ex radice auaritiæ, ſit minoris meriti & ſatisf. Si autem ex ſola complexione naturali, ſit maioris. *Ad vlt.* Hilarem datorem diligit Deus .i. voluntarium.

*Memb. 4.* De vtilitate eleemoſynæ quoad rem ipſam datam. *Reſp.* Poteſt dici quòd ſolus actus dandi ſit directè meritorius: res autem data, non niſi indirectè & occaſionaliter, vt circumſtantia operis, & motiuum recipientis ad orandum pro dante.

*Memb. 5.* Quibus ſit vtilis eleemoſyna. *Art. 1. Reſp.* Quòd ſpecialiter & multipliciter iuſtis. *Art. 2.* Quòd non directè iniuſtis, ſed tantùm quodāmodo diſpoſitiuè. *Art. 3.* Quòd nullatenùs damnatis. *Ad 1.* ex *Aug. in Enchir.* quòd inde fiat tolerabilior dānatio .i. minoris pœnæ impoſitio, &c.

---

***Inclyti Anglorum Leuitæ, Theologorum Monarchæ, Alexandri de Ales, FF. Minorum Mendicantium primi Doctoris, Summa Theologicalis, impreſſa Nurēbergæ, impēſis Anthonij Koburger.***

*Doctri-*

ADiſt. 14. ad 23. De Nomine, Ratione, Neceſſitate, Origine, & Diſtinctione Pœnitentiæ in interiorem & exteriorem, in virtutem & Sacramentum.

Partitio & expoſitio textus ad ſingulas diſt.

*In 1. Partem Diſt. 14.*

Articvlo 1. De Pœnitentia virtute abſolutè. *Quæſt. 1.* An ſit virtus? *Concluſio.* Eſt virtus propriè: non autem tantùm actus virtutis, vel plurium ſimul virtutum, nec ſolius gratiæ, &c. vt Alenſis *q. 54. m. 1. a. 1. Quæſt. 2.* An ſit virtus generalis vel ſpecialis? *Concl.* Eſt virtus ſpecialis, circa malum proprium, contra Deum commiſſum, vt punitione dignum, &c. ferè vt *Alenſis* ibi. *Quæſt. 3.* An ſit virtus Theologica, vel Cardinalis? *Concl.* Non eſt Theologica, ſed Cardinalis, propriè ſeu elicitiuè iuſtitia, deteſtatiua peccati vt eſt offenſa Dei, ad reconciliationem ſeu ſatisfactionem: quamuis poſſit idem actus etiam imperari à Charitate, &c. propè vt Alenſis *Art. 3.*

Art. 2. De Pœnitentia virtute comparatiuè. *Quæſt. 1.* An ſit in potentijs animæ, & in qua vi. *Concl.* Vt eſt virtus ſpecialis, eſt in iraſcibili, &c. paulò aliter quàm Alenſis *q. 55. m. 3. Quæſt. 2.* An concipiatur per timorem? *Concl.* Virtus Pœnitentiæ eſt à Deo effectiuè, à nobis diſpoſitiuè: concipitur ex timore ſeruili paſſiuè, potiùs quàm generetur actiuè; & priùs quàm ſpe promoueatur, aut amore formetur, imò quàm fide fundetur, &c. vt Alenſis *q. 56. m. 1. Quæſt. 3.* An ſit prima virtus? *Concl.* Quoad ſubſtantiam, omnes ſunt ſimul: quoad vſum informationis, Fides eſt prima: quoad reparationem, actus pœnitentiæ eſt primus. Quia ſicut gratia priùs naturâ expellit culpam, quàm habilitet ad bonum: Sic homo priùs aſpernatur culpam per pœnitentiam, quàm dirigatur in bonum per fidem, &c. in ſenſum Alenſis *q. 56. m. 2.*

*In 2. Partem. Diſt. 14.*

De iteratione & frequentatione Pœnitentiæ.

Art. 1. De iteratione pœnitentiæ. *Quæſt. 1.* An contingat cadere à vera pœnitentia? *Concl.* Affirmatiua, verbatim ex Alenſi quæſt. 63. m. 1. 2. 3. *Quæſt. 2.* An reſurgi poſſit per pœnitentiam iteratam? *Concl.* Eſt affirmatiua, ex Alenſi membr. 4. *Quæſt. 3.* An pœnitens de quacumque culpa, inueniat gratiam. *Concl.* Eſt affirmatiua, de pœnitente ex gratia, ob Dei offenſam, non naturaliter ob malum naturæ, &c. Vt Alenſis ibidem *quæſt. 57. memb. 1. & 2.*

Art. 2. De effectu pœnitentiæ iteratæ. *Quæſt. 1.* An reſurgatur in maiori vel minori virtute? *Concl.* Poteſt reſurgi in maiori, minori, vel æquali: pro maiori, minori, vel æquali præparatione, &c. vt Alenſis q. 57. m. 5. 6. *Quæſt. 2.* An perfecta pœnitentia reſtituat in gradum priſtinum? *Concl.* Perfecta in duratione & feruore, reſtituit in integrum, quoad ſubſtantiam & habitum gratiæ: non quoad ſtatum & decorem innocentiæ continuatæ. Vt Al. q. 57. m. 5. *Quæſt. 3.* An pœnitentia reſtituat opera bona, mortificata per culpam? *Concl.* Opera viua ſeu meritoria ex charitate, mortificantur quo ad vim meriti, per culpam mortalem: ſed reuiuiſcunt ad vim meriti in memoria Dei, per pœnitentiam & nouam gratiam. *Al. q. 57. m. 6.*

*In 1. Partem diſt. 15.*

De integritate Pœnitentiæ.

Art. 1. De poſſibili Satisfactione pro peccatis. *Quæſt. 1.* An ſit poſſibile reconciliari Deo per Satisfactionem. *Concl.* eſt affirmatiua. *1.* Quia non ſatisfit pro offenſa infinita quæ condonatur: ſed pro libidine peccandi, & pœna finita. *2.* Quia Chriſtus infinitè ſatisfecit, ex quo eſt Satisfactio noſtra. Vt Alenſis ſupra. *Quæſt. 2.* An poſſit ſatisfieri Deo pro vno peccato, ſine alio? *Concl. eſt negatiua*: Quia ſatisfacere pro vno ſine alio, eſſet adhuc perſiſtere in alio; ſicque ſimul auerti à Deo, & ad Deũ conuerti &c. vt Alenſis. *Quæſt. 3.* An poſſit ſatisfieri Deo ſine charitate? *Concl. eſt negatiua*: Quia ſatisfieri eſt à Deo acceptari & reconciliari &c. vt Alenſis. *Quæſt. 4.* An opera extra charitatem reuiuiſcant in charitate? *Concl.* Probabile eſt quod reuiuiſcant ad ſatisfactionem, ſeu remiſſionem pœnæ: non autem ad meritum gratiæ & gloriæ, vt opera mortificata, facta in charitate. Sed ſecurius eſt quòd nullatenus reuiuiſcant, niſi facta fuerint in charitate &c. vt Alenſis. *Quæſt. 5.* An quis mereatur per bona opera moralia extra charitatem? *Concl.* Meretur de congruo ex gratia gratis data: non de condigno ex gratum faciente. *Quæſt. 6.* An opera extra charitatem valeant ad tolerabiliorem pœnam? *Concl.* Valent. *1.* ad bona temporalia. *2.* contra mala temporalia. *3.* ad alicuius gratiæ impetrationem. *4.* ad aſſuefactionem bonæ vitæ. *5.* ad reſiſtẽtiam peccati. *6.* ad tolerabiliorem pœnam æternam .i. ad minus peccandum, & conſequenter ad maiorem pœnam &c. vt Alenſis.

*In 2. Partem Diſt. 15. De eodem.*

Art. 1. De modo ſatisfaciendi. *Quæſt. 1.* De Satisfactionis definitione ab *Aug. de Eccl. Dogm. c. 54.* Vt Alenſis q. 84. mem. 3. *Quæſt. 2.* An ſit ſatisfaciendum Deo. *Concl. Affirm.* Sed per Eccleſiam, vt Alenſis ſępè. *Quæſt. 13.* An per opera pœnalia. *Concl. Affirm.* Vt Al. q. 84. m. 2. *Quæſt. 4.* An per Ieiuniũ, Orationem & Eleemoſynam. *Concl. Affirm.* Verbatìm vt Alenſis ibidem.

Articvlo 2. De modo ſatisfaciendi in ſpeciali. *Quæſt. 1.* De eleemoſyna ſatisfactoria, non niſi ex rebus proprijs &c. vt Al. *Quæſt. 2.* De Ieiunio ſatisfactorio: vt Al. *Quæſt. 3.* De Oratione ſatisfactoria, vt Alenſ. *Quæſt. 4.* De Reſtitutione, eiuſque diſtinctione à Satisfactione propriè dicta: vt Alenſis.

*In 1. Partem Diſt. 16.*

De Compunctione, Confeſſione, & Satisfactione.

Art. 1. De quidditate Contritionis. *Quæſt. 1.* An ſit dolor voluntariè aſſumptus pro peccatis. *Concl. Affirm.* De dolore pro ipſo diſſenſu à peccato commiſſo, ex quo oritur paſſio doloris &c. Alenſ. *q. 67. m. 1. 2. 3.* Excepto quòd *ad 4. & 5. Arg.* reſpondeat contritionem non eſſe voluntatem abſolutam circa impoſſibile: ſed tantùm velleitatem; ſatis tamen explicat, defectu volibilis, non ipſius voluntatis. *Ad 6.* Quòd ex præſenti certitudine mali futuri oriatur etiam dolor. *Ad 7.* De Contritione impiorũ in

in puluerem: pœnitentium autem, ad humectandum eos lachrymis, & inde formandum nouum vas gratiæ. *Quæſt. 2.* An ſit actus virtutis ſpecialis. *Concl. Affirm.* Vt Alenſ. *q. 54. & 75. m. 2. 3, 4.*

ART. 2. De quantitate Contritionis. *Quæſt. 1.* An debeat eſſe maxima. *Concl.* Non quoad ſenſum, nec quoad actum diſplicentiæ in ſe abſolutè: ſed comparatiuè ad omnia oppoſita patienda & ſuperanda, in caſu neceſſitatis, non extra. Vt Amor Dei ſuper omnia comparatiuè, & prædominatiuè contra omnia oppoſita ſeu motiua offendendi Deum. Vnde ſicut habens charitatem, non debet actu velle mori pro Chriſto, ſi non ſit neceſſe: ſed potius quidlibet pati in caſu neceſſitatis quàm offendere. Sic nec contritus debet velle omnem pœnam: quia Deus non exigit, ſed ſolum neceſſariam &c. Hinc periculoſum & ſtultum eſt id quærere ab aliquo infirmo, vel à ſeipſo &c. Vt Al. q. 68. m. 1. a. 5. 6. *Quæſt. 2.* An poſſit eſſe exceſſiua. *Concl.* Non quoad diſplicentiam peccati, ſed quoad dolorem ſenſibilem &c. Vt Al. *q. 68. m. 1. a. 4.*

ART. 3. De duratione contritionis. *Quæſt. 1.* An ſit motus ſucceſſiuus vel inſtantaneus. *Concl.* In fieri diſpoſitiuè, & conſeruari, ſeu in præparatione & duratione, eſt ſucceſſiuus: ſed in fieri & eſſe proprio eſt inſtantaneus &c. Vt Al. *qu. 68. m. 2.* Excepto quòd *ad 4.* neget contritionem habere partem extra partem: quia non educitur ex ſubiecto habente contrarium reſiſtens, ſed eſt tota ſimul à gratia & libero Arbit. etiam circa plura ſimul collata. Nec Alenſ. intendit neceſſariam & propriè dictam ſucceſſionem continuam aut diſcretam partiũ inter ſe: ſed tantùm poſſibilem & ordinariam ſucceſſionem, à minus perfecta ad perfectiorem, ab vno obiecto ad aliud &c. vt ſupra col. 645. *Quæſt. 2.* An oporteat ſemper conteri de culpa commiſſa. *Concl.* Semper, non tamen ad ſemper, ſed opportunè &c. Vt Al. *q. 68. m. 2. a. 2.* Addit tamen *ad 5.* Quòd diſplicentia peccati ſit ſemper neceſſaria, ſaltẽ habitu: nõ tamen dolor ſenſibilis, gemitus &c.

ART. 4. De intenſione contritionis. *Quæſt. 1.* An poſſit intendi. *Concl. Aff.* Vt Alenſ. quæſt. 68. m. 1. *Quæſt. 2.* An debeat eſſe intenſior de vno peccato, quàm de alio. *Concl.* Verbatim vt *Reſp.* Alenſ. *q. 68. Memb. 1. art. 2.*

*In 2. Partem Diſt. 16.*

De triplici actione Pœnitentiæ.

ART. 1. De Pœnitentia ante Baptiſmũ. *Quæſt. 1.* An pœnitendum ſit de Originali? *Concl.* Vt Alenſis qu. 65. m. 1. & q. 69. m. 4. *Quæſt. 2.* An pœnitendum ſit de actuali ante Baptiſmum? *Concl.* Pœnitentiâ virtute, non Sacramento: vt Alenſis *qu. 65. memb. 1. art. 2.*

ART. 2. De pœnitentia mortalium poſt Baptiſmũ. *Quæſt. 1.* An ſit pœnitendum de peccatis commiſſis per ignorantiam? *Concl.* In generali, non in ſpeciali: vt Al. *q. 65. m. 2. a. 1.* & *q. 69. m. 7.* Sed hîc explicat ignorantiam iuris & facti. *Quæſt. 2.* An pœnitendum ſit de peccatis ſcienter commiſſis, & poſt oblitis? *Concl.* Vt Al. *q. 65. m. 2. a. 2.* & *q. 69. m. 8. a. 1. & 2.*

ART. 3. De pœnitentia venialium. *Quæſt. 1.* An veniale poſſit fieri mortale? *Concl.* Veniale ex ſurreptione, ſemper eſt veniale: veniale per delectationem ſine pleno conſenſu, fit mortale per complacentiam, ſeu plenum conſenſum: Veniale cum conſenſu, ſeu (vt iam loquimur) ex genere proprio; quia non eſt ex ſe contra præceptum, poteſt fieri mortale per magnam libidinem, complacentiam, ſeu quietem voluntatis in illo .i. fruitionem &c. Vt Al. qu. 63. m. 3. *Quæſt. 2.* An quis teneatur pœnitere de veniali? *Concl.* De venialibus ex ſurreptione, non niſi de congruo: de alijs quæ ſubſunt periculo plenè conſentiendi, vel augendi libidinem vſque ad mortale, neceſſariò, quando quis aduertit periculum &c. Vt Alenſ. *qu. 65. m. 3. a. 1.* exceptâ remiſſione venialium poſt mortem, de quâ infrà.

*In 1. Partem diſt. 17.*

De Iuſtificatione & Confeſſione.

ART. 1. De neceſſarijs ad iuſtificationem. *Quæſt. 1.* An ſit neceſſaria infuſio gratiæ? *Conc.* Deus poteſt delere culpam ſine medio: ſed decreuit non delere niſi per gratiam, ad perficiendum etiam naturam, &c. vt Alen. *q. 58.* ſed verbatim *q. 72. m. 1. a. 1.* Hoc addito *ad 4.* quòd gratia priùs naturâ ſit à Deo. 2. Peccatum expellat. 3. Subiectum perficiat. *Quæſt. 2.* An ſit neceſſarius motus liberi Arb. *Concl.* Affirm. pro adultis, vt Alenſ. *q. 72. m. 3. a. 1. & 2.* *Quæſt. 3.* An ſit neceſſaria Contritio? *Concl.* Dicunt aliqui quòd ad iuſtificationem præparatoriam neceſſaria ſit attritio: ad ipſam formalem iuſtificationem, infuſio gratiæ & expulſio culpæ: ad iuſtificationem actiuam & actualem, gratia, motus liberi Arb. & Contritio. Ex illo B. *Aug.* Qui creauit te ſine te: non iuſtificat te ſine te. Sed ſi ad infuſionem gratiæ neceſſaria eſt præparatio, conſentiendo gratiæ & deteſtando peccatum, quatuor ſunt ſimul neceſſaria. 1. Infuſio gratiæ 2. Motus liberi Arb. 3. Contritio. 4. Peccati expulſio, &c. vt Alen. *q. 50.* ſed verbatim *q. 65. m. 3. a. 4. §. 2. & q. 72. m. 4. q. 73. m. 1. 2. 3.* *Quæſt. 4.* An ad iuſtificationem impij ſit neceſſaria confeſſio? *Concl.* Non in re, ſed in propoſito. vt Alenſ. *q. 67. m. 3. & q. 77. m. a. 1. & 2.*

ART. 2. De ordine inter illa 4. neceſſaria ad iuſtificationem. *Quæſt. 1.* An gratiæ infuſio ſit neceſſariò prior expulſione peccati? *Concl.* Deus expellit peccatum per gratiam, vt ſol tenebras per radios: idcircò infuſio gratiæ naturâ prior eſt expulſione peccati, &c. Quia gratiæ infuſio non dicit perfectionem ſubiecti niſi concomitanter: ſed productionem gratiæ ab agente; ideò prior eſt expulſione peccati ex ſubiecto, vt cauſa ſuo effectu, &c.] Ad illuſtrandum Alenſem *q. 58. m. 4. a. 1. 2. 3. 4. & q. 72. m. 4. q. 73. m. 1. 2. 3.* *Ad 1. arg.* Gratia priùs habet vim agentis quàm informantis: & ſecundùm illam eſt principium iuſtificationis, ſecundùm hanc eſt terminus, vel potiùs gratum eſſe. *Ad 2.* Priùs eſt eſſe mundum, quàm gratum: ſed non priùs quàm ipſa gratia mundans & gratificans. *Ad 4.* De inſtanti culpæ expulſæ, & gratiæ infuſæ: vt Alen. *q. 58. m. 4. a. 2. & q. 37. m. 1.* etiã de illo duplici inſtanti diſcreto *Alenſis*, vt patet ex relatione S. *Bon.* ad *diſt. 11. p. 1. a. 1. q. 5.* De duplici inſtanti diſcreto conuerſionis panis in Corpus Chriſti. *col. 411.* ſupra.

*Quæſt. 2.* An Contritio ſit naturâ prior expulſione peccati. *Concl. Affirm.* Quia cùm illa ſit diſpoſitio ad hanc: priùs illa informatur ſeu gratificatur vt diſpoſitio, quàm culpa expellatur & ſubiectum informetur, &c. vt Alen. *q. 73. m. 3.* *Quæſt. 3.* An Attritio præcedat iuſtificationem impij? *Concl.* Non neceſſario, ſed ordinariè. *Ad 1.* Exemplum S. *Pauli* eſt extraordinarium. *Ad 2.* Gratia neſcit tarda molimina .i. ſubitò venit. *Ad 3.* Qui dicunt quòd contritio ſequitur culpæ remiſſionem: dicunt quòd infusâ gratia omnes virtutes habent nouos actus. Qui dicunt quòd Contritio eſt in eodem inſtanti: dicunt quòd formetur, &c. *Ad vlt.* Credo quòd habitus pœnitentiæ informis adueniente gratia informetur; nec eſt ſimile de timore ſeruili, in quo viuit voluntas peccandi. Actus autem ſubſtratus, qui initio eſt Attritio, priùs quàm interrumpatur fit Contritio: vt ſi cui gratia infunderetur eundo ad Eccleſiam. Ex Al. *q. 74.* *Quæſt. 4.* An Confeſſio ſit neceſſaria etiam poſt iuſtificationem per contritionem. *Concl. Affirm.* Ex neceſſitate præcepti, ſi fieri poſſit. Vt Alen. *q. 77. m. 6.*

*In 2. Partem Diſt. 17. De Confeſſione.*

Art. 1. De inſtitutione Confeſſionis. *Quæſt. 1.* An fuerit inſtituta in lege Naturæ. *Concl.* Confeſſio mentalis ſeu recognitio offenſæ Dei, eſt de dictamine naturæ rationalis, ex auxilio aliquo fidei. Vocalis confeſſio Deo, eſt de dictamine naturæ, Deo exigente: ſed non dictat natura confiteri homini, niſi conſtituto Arbitro reconciliationis. Vt Alen. *q. 59. & 76.*

*Quæſt. 2.* An in lege Moyſis. *Concl.* Confeſſio vocalis & ſacramentalis, eſt ſolius legis nouæ: nec præceſſit niſi in figura. Vt Al. *q. 59. & 76.* *Quæſt. 3.* An à Chriſto. *Concl.* A Chriſto, per ſe quoad formale Abſolutionis, ſeu vim abſoluendi: quoad materiale autem confeſſionis, per ſuos Apoſtolos. *Infra.* Vnde non eſt data vis Sacramenti ipſi Confeſſioni, ſed Abſolutioni. *Infra.* Credo quòd per ſe non inſtituit: niſi inſinuando, & authoritatem dando. Verbatim ex Alen. *q. 59. m. 3. & q. 76. m. 3. a. 3.*

Art. 2. De obligatione Confeſſionis. *Quæſt. 1.* An omnes adulti obligentur. *Concl. Affirm.* Ex Alenſi *q. 77. m. 1.* Niſi quòd hîc expreſsè tribuat obligationem confitendi ſaltem mortalia, præcepto ab Apoſtolis promulgato: Concilio autem Later. etiam venialia.

*Quæſt. 2.* An peccator etiam obligetur. *Concl.* Verbatim ex *Alenſi* ſupra *q. 77. m. 4.* Repetendo inter alia hæc verba, *Peccatores obligantur ex Sacramenti inſtitutione.* Quam ambo docet eſſe à Chriſto.

*Quæſt. 2.* An quis obligetur ad Confeſſionem ex Charitate. *Concl.* Ex Charitate, vel diſpoſitione probabiliter ſufficiente ad Charitatem. Hæc autem diſpoſitio eſt Attritio; quæ frequenter ob Confeſſionem & Abſolutionem ſuperinductam formatur per gratiam vt fiat Contritio, vel ad ipſam Contritio ſequatur, & multis ibi gratia conceditur. Quòd ſi quis ſe non diſponat, imò cum voluntate peccandi accedat, peccat mortaliter: quia Sacramentum irritum facit. Quæ doctrina eſt expreſſior quàm Alenſis *q. 77. m. 5. a. 7.*

*In 3. Partem Diſt. 17. De Confeſſione.*

Art. 1. Cui confitendum ſit? *Quæſt. 1.* An ſufficiat confiteri Laico? *Concl.* Sufficit cuilibet ad humilitatem & inſtructionem: ſed ſoli Sacerdoti ſacramentaliter ad abſolutionem. Vt Alen. *q. 78. m. 1.* *Quæſt. 2.* An quilibet teneatur ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti? *Concl. eſt Affirm.* vt Alen. *q. 78. m. 1. a. 2. & 3. q. 80. m. 3.* Hoc addito *ad 4. & 5. arg.* Poteſt tamen dici, ſicut aliqui Iuris periti ſenſerunt, quòd etſi teneatur quis iterùm confiteri proprio Sacerdoti in eodem anno: non tamen illa eadem; quia verè abſolutus eſt. Et iſtud videtur ſatis probabile: quia frequenter peccatores monſtrant ſuis prædicantibus conſcientias, quas nullo modo proprijs Sacerdotibus aperirent. Ideo credendum eſt etiam Summum Pontificem motum fuiſſe ad illud priuilegium concedendum: quod non eſt adeò ampliandum, vt præiudicium fiat poteſtati Sacerdotali; nec adeò reſtringendum, vt obſit fidelium pietati, &c. *Quæſt. 3.* An confitendum ſit proprio Sacerdoti coram populo, vel in occulto? *Concl.* Non publicè, ſed ſecretò: ſiue ex præcepto Apoſtolico, ſiue Eccleſiaſtico; niſi peccatum ſit tam publicum & ſcandaloſum vt id exigat. *1.* Quia confeſſio eſt ad deletionem peccatorum etiam coram Deo: Charitas enim per Confeſſionem operit multitudinem peccatorum. *2.* Quia Confeſſio non fit Sacerdoti vt homini, ſed vt Vicario Dei, &c. vt Alen. *q. 77. m. 2. a. 3. m. 5. a. 8. 8. & q. 64. m. 1. 2. 3.*

Art. 2. Quid ſit confitendum. *Quæſt. 1.* An peccata venialia. *Concl.* Non ex præcepto: ſed ex conſilio, niſi ſint dubia de mortali, vel neceſſaria ad confeſſionem annuam, &c. vt Alenſ. *q. 77. m. 6. a. 1. m. 2. a. 5.* *Quæſt. 2.* An omnes differentiæ peccatorum mortalium ſint confitendæ? *Concl eſt affirm. 1.* Ex parte confitentis & accuſantis ſeipſum, ad veram ſui iuſtificationem, & ad ſatisfactionem per hanc verecundiam pro ſua coram Deo inuerecundia, &c. vt Alenſ. *q. 77. m. 2. 3.* *Quæſt. 3.* An teneamur confiteri omnes circumſtantias peccati? *Concl. Affirm.* Neceſſariò quidem quoad mutantes ſpeciem peccati: probabiliùs autem etiam quoad aggrauantes; ſed non quoad alleuiantes, niſi ad inquiſitionem Sacerdotis, vel ad cauendum eius ſcandalum, &c. Vt Alen. *q. 77. m. 3. a. 1. 2. 3.*

*In 2. Partem Diſt. 18. De poteſtate abſoluendi.*

Art. 1. De poteſtate Clauium in genere. *Quæſt. 1.* An ſint datæ Claues Eccleſiæ? *Concl. Affirm.* De Clauibus, ſeu poteſtate Miniſterij. Vt Alenſ. q. 79. m. 1. 5. *Quæſt. 2.* An Claues ſint datæ ad claudendum? *Concl.* Ad claudendum & aperiendum, ligandum & ſoluendum: ſed præcipuè ad aperiendum, & ſoluendum, &c. Vt *Alenſ.* q. 79. m. 2. 4. 5. 6. 7. q. 80.

Art. 2. De poteſtate ligandi & ſoluendi in foro pœnitentiali. *Quæſt. 1.* An à culpa? *Concl. negatiua, propriè:* Sed tantùm per modum deprecantis & impetrantis, &c. verbatim vt *Alenſ.* q. 80. m. 1. *Quæſt. 2.* An à pœna? *Concl.* Non ab æterna, nec à tota purgatoria, aut temporali præſente; ſed ab aliqua eius parte, &c. verbatim vt *Alenſ.* q. 80. m. 2.

Art. 3. De Claui ſcientiæ ſpecialiter. *Quæſt. 1.*



Digitized by Google

An Scientia ſit Clauis. *Concl.* Non propriè ſcientia acquiſita, habitualis, vel actualis: quamuis diſpoſitiue neceſſaria ad benè vtendum poteſtate; ſed officium diſcernendi conſequens ipſum ordinem eſt eſſentialiter Clauis, &c. Vt *Alenſ.* q. 79. m. 2. 3. 4. 5. *Quaſt.* 2. An Scientia ſit alia Clauis quàm poteſtas ſoluendi? *Concl.* Sunt duæ Claues: vna diſcernendi cauſam, altera abſoluendi, ſeu ſententiandi, &c. Vt *Alenſ. q.* 79. *8o.*

*In 2. Partem Diſt. 18.*

ARTIC. I. De hac poteſtate in foro iudiciali. *Quaſt.* 1. An poſſit quis vel debeat excommunicari? *Concl. Affirm.* Vt Alenſ. q. 81. m. 1. 2. 3. *Quaſt.* 2. An quis debeat excommunicari pro damno vel iniuria illata Eccleſiæ? *Concl. Affirm.* Sed principaliter pro contumacia. Vt Alenſ. q. 81. m. 3. *Quaſt.* 3. An poteſtas excommunicandi ſit in habente Clauem? *Concl.* Eſt in ſolis habentibus prælationem, ſeu iuriſdictionem &c. verbatim ex Al. q. 81. m. 4. *Quaſt.* 4. An quis poſſit pluries excommunicari? *Concl. Affirm.* Vt Alenſ. q. 81. m. 5. *Quaſt.* 5. An communicans cum excommunicato ſit excommunicatus? *Concl. Affirm.* De excommunicatione Minori à ſolis Sacramentis, non Maiori etiam à conuerſatione fidelium, &c. verbatim vt *Alenſ. q.* 81. *m.* 6. *a.* 2. Addendo *Ad* 4. quòd communicans cum excõmunicato, præter caſu exceptos, ex ſola amicitia & familiaritate, ſine contemptu excommunicationis; aut periculo probabili contemptus: non eſt facilè condemnandus peccati mortalis, & excommunicationis. *Quaſt.* 6. An excommunicatus poſſit inuitus abſolui? *Concl.* Non iure, ſed facto. Vt Al. q. 81. m. 7.

*In Diſt. 19. Quando, & quibus dentur Claues.*

ART. 1. Quibus dentur. *Quaſt.* 1. An Sacerdos legalis habuerit claues. *Concl.* Non propriè, ſed ſoli Euangelici. Ex Alen. *q.* 69. *m.* 6. *Quaſt.* 2. An etiam mali. *Concl.* Tàm mali quàm boni. Vt *Alenſ. q.* 79. *m.* 7.

ART. 2. Quando Claues dentur. *Quaſt.* 1. An in ordine Sacerdotali. *Concl. affirm.* Ex *Alenſ.* q. 79. m. 8. a. 1. *Quaſt.* 2. An poteſtas Clauium ſit inſeparabilis ab ordine Sacerdotali. *Concl. affirm.* Quoad eſſentiam, non quoad vſum, &c. Ex *Alen. q.* 79. *m.* 8. *a.* 2. *& q.* 80. *m.* 3. *&* 4.

ART. 3. In quos ſit vſus Clauium. *Quaſt.* 1. An in quemlibet. *Concl.* Non eſt cuiuſlibet in quemlibet: ſed cuiuſque ſolùm in proprios ſubditos; excepto articulo neceſſitatis, &c. verbatim ex Alen. q. 80. m. 3. a. 2. §. 1. *Quaſt.* 2. An inferior poſſit abſoluere ſuum ſuperiorem volentem. *Concl. affirm.* ex *Alenſ. q.* 80. *m.* 3. *a.* 2. §. 2.

*In 1. p. d. 20. De pœnitentia vſque ad mortem.*

ART. 1. De pœna purgatoria. *Quaſt.* 1. An ſit. *Concl. affirm.* Ex ſacra ſcript. Eccleſia, ratione iuſtitiæ & miſericordiæ, & varijs reuelationibus. *Ad* 1. Ex *Apoc.* Requieſcunt à labore operandi & merendi, non patiendi, &c. Vt *Alen. q.* 83. *m.* 5. & alibi promiſcuè. *Quaſt.* 2. An pœna purgatorij ſit maxima huius vitæ. *Concl. affirm.* Ex B. *Aug. cap.* 18. *de pœnit. ſerm.* 4. *defunct. in Pſal.* 37. Non quòd quælibet ſit tanta, ſed quædam; omnes autem diſtributæ proportionatè, ex iuſtitia diuina, quæ ibi exigit plus quàm hic. *Quaſt.* 3. An ſit voluntaria. *Concl.* Non voluntate imperante, nec libenter acceptante ſeu complacente: ſed patienter tolerante, cum deſiderio oppoſiti. *Quaſt.* 4. An ibi ſit maior certitudo de gloria, quàm hic. *Concl. affirm.* Quia non eſt ibi timor deficiendi, &c. contra quorundam opinionem, quòd nimio dolore & triſtitia abſorbeatur ibi vſus rationis, &c. *Quaſt.* 5. An illa pœna à Dæmonibus infligatur. *Concl.* Nec à malis, nec à bonis Angelis: ſed à iuſtitia diuina, &c. *Quaſt.* 6. De loco purgatorij. *Concl.* Lege communi eſt inferiùs in Lymbo, non ſuperiùs in Sphæra ignis: ex diſpenſatione Dei, in varijs locis medijs. Legitur quòd Sanctus *Patritius* impetrauit cuidam purgatorium in quodam loco terræ: ex hoc fabuloſè ortum eſt, quòd ibi ſit purgatorium, &c. De quibus *Alenſ.* promiſcuè *q.* 67. *m.* 4. *a.* 4. *q.* 68. *m.* 2. *a.* 3. *q.* 79. *m.* 6. *q.* 80. *m.* 2. *q.* 83. *m.* 5.

*In 2. Part. Diſt. 20. De Satisfactione.*

ART. vnico. De minutione ſatisfactionis. *Quaſt.* 1. An vnus pro alio ſatisfacere poſſit. *Conc. affirm. Quaſt.* 2. An poſſit fieri aliqua relaxatio ſatisfactionis. *Concl. affirm.* Tàm in foro Dei, quàm Eccleſiæ. *Quaſt.* 2. A quo hæc relaxatio fieri poſſit. *Concl.* Non ab alijs quàm à Summo Pontifice & Epiſcopis, per Indulgentias, &c. Vt Alen. q. 83. m. 3. *Quaſt.* 3. Pro quibus operibus dentur Indulgentiæ. *Concl.* Maximè pro exterioribus, &c. *Ad* 5. Sola voluntas operis non ſufficit ad totam Indulgentiam: quicquid iſti vulgares prædicatores dicant. *Quaſt.* 4. An poſſint dari viuis & defunctis. *Concl.* Viuis propriè per communicationem, & Abſolutionem iudicialem: defunctis, per ſolam communicationem & deprecationem, ſeu per modum ſuffragij, non abſolutionis; quia hi ſunt extra forum noſtrum iudiciale, & extra ſtatum mutandi eis illam pœnam in aliud opus proprium, &c. *Quaſt.* 6. An Indulgentiæ tantùm valeant quantùm promittunt. *Concl.* Ad valorem Indulgentiæ neceſſaria eſt ex parte dantis, poteſtas & cauſa rationabilis: ex parte recipientis, confeſſio cum vera contritione, & fides cum vera deuotione. *Infra.* Ex parte dantis tantùm valent quantùm promittunt, quoad remiſſionem pœnæ, non quoad purgatoriæ, niſi per pœnam propriam: non tamen vnicuique tantùm, nec æqualiter; ſed prout quilibet plus vel minùs confert ad cauſam & finem Indulgentiæ, ſecundùm æſtimationem debitam dantis. Vt de his omnibus *Alenſis* ex profeſſo *q.* 8. *per* 8. *mem.*

*In 1. Partem Diſt. 21.*

De remiſſione poſt mortem, &c. 1. *Cor.* 3.

ART. 1. De purgatione peccatorum ante mortem *Quaſt.* 1. An peccata venialia poſſint deleri ſine gratia? *Concl.* Non ſine gratia gratum faciente: quia ſine ea nec minima diſplicentiæ nota poteſt reduci ad complacentiam & amicitiam, ex decreto Dei, &c. Vt Alenſ. q. 65. m. 3. a. 4. §. 1. *Quaſt.* 2. An poſſint deleri ſine Contritione? *Concl.* Aliqui dixerunt quòd non ſine quantullacumque in generali vel ſpeciali: quia ſunt ſaltem aliquantulum voluntaria. Quòd ſi quis de eis impœnitens decedat,



Digitized by Google

dat, mortaliter peccet: ſi quis verò ſine vſu liberi Arb. decedat, poſtea deleantur per gratiam cum deteſtatione voluntaria. Sed id eſt difficile ſuſtinere: tàm in hoc ſæculo, in quo ſunt multi alij modi remittendi; quàm in futuro, cùm nullus tùnc ſit vſus liberi Arb. Propter hoc aliter dici oportet: quòd veniale poteſt deleri libero Arb, conſonante gratiæ, & aliquo exteriùs adiuuante. Vnde ſi illud gratiæ non repugnat, volendo perſiſtere in culpa: gratia virtute Sacramenti, vel rei Sacramentalis, culpam venialem delet, vel vniuerſaliter, vel particulariter. Hinc credendum quòd aliquo nihil de peccatis ſuis cogitante, ſed tantùm Paſſionem Chriſti recolente in Sacramento Euchariſtiæ: venialia vel omnia, vel quædam ei ſic remittantur. Et omnia Sacramenta ſiue Sacramentalia, & Contritio, & exhibitio miſericordiæ, & deuota oratio Dominica faciunt ad deletionem venialium: non ex propria natura; ſed quatenus ad hoc gratiam gratum facientem vigorant. Quia venialia habent quandam rationem culpæ & pœnæ voluntariæ, & inuoluntariæ: ex quadam neceſſitate ſic peccandi in communi, non in particulari, &c. *Sub finem.* Si quæras quomodo illa iuuent gratiam ad remiſſionem venialium: pro talibus vt plurimum eſt humiliatio, & deuotio gratiâ informata, & repugnans ipſi peccato veniali; vel eſt in eis pœnalitas, repugnans inordinatæ delectationi, & iuncta gratiæ ordinanti. *Ad 3.* Gratia non delet veniale per ſe: quia ei non opponitur; ſed per aliquem actum vel effectum repugnantem veniali.

### *Conciliatio cum Alenſi q. 65, m. 3. a. 4. §. 2.*

Ex ipſo Alenſ. ibi: *Ad præſens non video, &c.* quòd non eſt firmæ Sententiæ. Infra. *Sine motu actuali vel habituali. i.* virtuali. Infra. *Si non pœnituit actu, neque habitu, ſiue propoſito, in ſpeciali vel generali.* Vnde patet *Alenſem* non exigere pœnitentiam formalem, nec diſtinctam de venialibus: ſed tantùm virtualem & generalem, ſeu actum aliquem proprium virtualiter oppoſitum veniali. Qualis eſt omnis actus elicitus aut imperatus à Charitate, vel à virtute: & qualem tandem exigit ipſe S. *Bonau.* Nec obſtat quòd videatur directè impugnare ſententiam *Alenſis*, & requirat ſolam non repugnantiam liberi Arb. quia nec impugnat eam vt *Alenſis*, nec niſi de pœnitentia formali; requiritque aliquid exteriùs adiuuans gratiam; non ſolùm vt ſignum externum, ſed vt actum vel effectum ipſius gratiæ, repugnantem veniali, quo vis ipſius gratiæ vt cauſæ formalis extendatur ad remiſſionem venialium.

Art. 2. De purgatione poſt mortem in Purgatorio. *Quæſt. 1.* An fiat ibi purgatio à culpa, vel à pœna? *Concl.* Prima opinio, quòd à ſola pœna: quia non eſt ibi ſtatus merendi; ſed omnia venialia remittantur hìc per pœnitentiam vel gratiam finalem, tunc prædominantem omni affectui contrario. *Infra.* Sed iſta opinio videtur contra auctoritatem Sanctorum: vt *Greg.* lib. 4. Dial. cap. 39. *Iſid. in Matt. 3.* De remiſſione aliquorum peccatorum poſt hanc vitam. Quæ ſi poſſint intelligi de ſolis pœnis: cur non & alia omnia? Cùmq; gratia dominiũ habeat in anima ſtatim ab ipſa ſeparatione: cur non eam purget à culpa veniali, vt & ab omni Scoria? Hinc eſt ſecundus modus dicendi, quem approbat *Magiſter in lit.* quòd quædam peccata, vtpote venialia, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in purgatorio remittantur: quando quis tranſit cum eis, quia gratia non fuit adiuta finaliter ad illa delenda, & ideò indiget auxilio. Voluntas eſt tùnc gratiæ conformis: ſed non poteſt eius ad hoc eſſe adiutrix; ideò indiget adiutorio exteriori ignis purgatorij. *Ad 1.* Qui decedit in Charitate, meretur poſtea mundari ab omnibus quæ retardant præmium Charitatis.

### *Conciliatio cum Alenſi q. 65. m. 3. a. 3. §. 5.*

1. Quòd *Alenſis* ibi præferat tertiam opinionem. 2. Quòd ibidem ſentiat poſſe deleri venialia per gratiam, etiam poſt hanc vitam, niſi obſtet diuina ordinatio. 3. Quòd *A. 4. §. 3.* ſub finem, ſuam illam ſeueram opinionem de impœnitentia mortali in veniali, explicet de libidine, & complacentia tanta in peccato veniali ſeu eius obiecto: vt poſſet eſſe contemptus Dei mortalis etiam extra periculum mortis, quantò magis in ipſa morte?

*Quæſt. 2.* An illa purgatio fiat per ignem materialem? *Concl. affirm.* Non tamen primo modo ex relatis ab *Alenſi q. 65. m. 4. a. 4. §. 2.* ſed reliquis ibidem.

Art. 3. De liberatione à purgatorio. *Quæſt. 1.* An vnus inde liberetur ante alium? *Concl. affirm.* Vt Alenſ. q. 65. m. 4. a. 4. §. 3. *Quæſt. 2.* An quis inde euolet ad cœlum ante iudicium? *Concl.* Aliqui ſtulti dicunt animas non eſſe glorificandas ante diem iudicij. Dixi Stultos: quia ſine auctoritate aut ratione; ſed imponitur quibuſdam Græcis, &c. Vt *Alenſ. ibid. §. 4.*

*In 2. Partem. Diſt. 21. De Confeſſione.*

Art. 1. De modo confitendi. *Quæſt. 1.* An liceat omittere aliquod peccatum? *Concl.* Nullum mortale non legitimè confeſſum, occurrens memoriæ & conſcientiæ: ſed benè quælibet venialia, aut priùs confeſſa & abſoluta, &c. Vt *Alen. q. 77. m. 2. a. 5. & q. 78. m. 1. a. 2. & 3. q. 80. m. 3. a. 2.* ſed hic expreſſiùs. *Ad 4.* De recurſu ad Superiorem, &c. Si pro abſolutione à pœna, ſufficit illud ſolum confiteri: ſi pro culpa, nec Superior remittit ad proprium Confeſſorem, nec pœnitens habet excuſationem: conſultum eſt ei omnia confiteri, &c. Si quis autem habet excuſationem probabilem: tenetur & peccatum Superiori confeſſum, & reliqua omnia ſimul inferiori confiteri; ſicque non erit confeſſio diuiſa, & ille ex tùnc poterit ab omnibus abſoluere. Quoniam ſi quæ peccata reſeruantur, hoc magis eſt pro taxatione pœnæ, quàm pro abſolutione à culpa. *Quæſt. 2.* An liceat aliquid in confeſſione addere? *Concl.* Nigil vltra propriam conſcientiam: ſed benè vltra veram grauitatem culpæ, ex propria opinione & conſcientia, non tamen ex dubio, &c. ex Alen. q. 77. m. 5. a. 5. *Quæſt. 3.* An liceat aliena peccata referre? *Concl.* Non accuſando alios, nec reuelando perſonas: niſi quantum neceſſarium fuerit ad confeſſionem proprij peccati,

Digitized by Google

cati, &c. Ex *Alen. q. 77. m. 2. a. 4. Subdit.* Vnde illi Confeſſores qui ramuſculos in Confeſſionibus inquirunt, & audiunt, &c. vix aut nunquam à peccato detractionis excuſari poſſunt.

Art. 2. De ſigillo Confeſſionis. *Quæſt. 1.* An Sacerdos poſſit reuelare confeſſionem? *Concl.* Nullatenùs, &c. Vt Alenſ. q. 78. memb. 4. *Quæſt. 2.* An confitens poſſit ad hoc licentiare ſuum Confeſſorem. *Concl. affirm.* Citra periculum ſcandali, & mali alieni.

*Conciliatio cum Alenſi q. 78. m. 4. a. 3.*

Quòd *Alenſis* neget dari poſſe licentiam intrà confeſſionem, vel reuelandi ipſam confeſſionem: hic autem concedat dari poſſe extrà confeſſionem, licentiam reuelandi peccata quamuis confeſſa. *Quæſt. 3.* An ſciens aliquid per confeſſionem, & extrà, teneatur illud celare. *Concl. negat.* Sed nullatenùs vtendo notitia confeſſionis, nec cum periculo illius notitiæ reuelandæ, aut alicuius ſcandali.

*Conciliatio cum Alenſi q. 87. m. 4. a. 4.*

Quòd *Alenſis* neget reuelari poſſe, niſi determinando modum ſciendi extrà confeſſionem, ob periculum reuelandi ipſam notitiam confeſſionis: hic autem ſolùm doceat poſſe reuelari, ſed citrà illud periculum.

*In Diſt. 22. De reditu peccatorum, & Re huius Sacram.*

Art. 1. De reditu peccati. *Quæſt. 1.* An peccata dimiſſa redeant quoad culpam. *Concl.* eſt negatiua. *Ad 1. Arg.* Charitas operit peccata, delendo ea etiam coram Deo: ideoque amotâ Charitate, non ſubſunt. *Ad 2.* Bona opera mortificata reuiuiſcunt per gratiam: quia non pereunt per culpam; ſed peccata remiſſa non redeunt per vllum ſubſequens, quia verè remiſſa fuerunt. Vnde ſi Charitas amiſſa nunquam eadem redit: quantominùs culpa ſemel dimiſſa? *Quæſt. 2.* An redeant quoad reatum? *Concl.* eſt negat. niſi quoad pœnam damni, vel quoad pœnam necdum remiſſam, & quoad aggrauationem culpæ & pœnæ, ex recidiuatione, & ingratitudine. Quia non iudicat Deus bis in idipſum *Nahum 1.* Et, Sine pœnitẽtia ſunt dona Dei, *Rom. 11. Ad 1. & 2.* Mat. 18. *Serue nequam &c.* .i. de aggrauatione noui peccati, non de reditu eorundem, vel æqualis omnibus. ] De quibus nil Alenſis hic ex profeſſo: ſed idem ſupponit incidẽter *q. 77. m. 5. a. 3. 4.*

Art. 2. De pœnitentia Sacramentali quoad inſtitutionem. *Quæſt. 1.* An, quando, & à quo fuerit inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ? *Concl.* Perfectè & integrè in Lege noua, à Chriſto Domino per ſe, quoad ſuum formale abſolutionis *Ioan. 20.* quoad ſuum autem materiale Confeſſionis, non ſolum generalis, ſed etiam ſpecialis, per Apoſtolos potiùs promulgatum quàm inſtitutum; quia Chriſtus Apoſtolos docuit, & ipſi à Chriſto edocti eius auctoritate promulgarunt. Vt Alenſis *q. 59.* per totam. Et *q. 60. m. 2. & qu. 76. m. 3.* Sed hic expreſſius, de ſola promulgatione per Apoſtolos. *Quæſt. 2.* An pœnitentia exterior ſignificet interiorem. *Concl.* Vt eſt Sacramentũ reconcilians Deo, habet pro Re, peccati remiſſionem, pro ſigno humiliationem exteriorem, pro re & ſigno pœnitudinem interiorem. Vt eſt Sacramentum Eccleſiæ ex inſtituto: habet rationem cauſæ & ſigni, vt alia Sacramenta. Cauſalitas eſt penes id quod formale eſt: ſignificatio, penes id quod materiale. Formale in hoc Sacramento, eſt abſolutio Sacerdotis: materiale, eſt humiliatio pœnitentis, ſiue quoad contritionem, ſiue quoad confeſſionem, ſiue quoad ſatisfactionem &c. Vt Alenſis *q. 60.*

Art. 3. De pœnitentia ſub ratione fundamenti *1. Cor. 3.* & *Heb. 6.* *Quæſt. 1.* An habeat rationem fundamenti. *Concl. Affirm.* vt Alenſ. q. 62. *Quæſt. 2.* An ſit etiam Tabula. *Concl.* Vt virtus, eſt fundamentum: vt Sacramentum, eſt tabula. Quia virtus ex *B. Aug. de quant. anima*, eſt quædam æqualitas ſeu quadratura Mentis, conueniens ad fundandum: Sacramentum autem, eſt quaſi tabula ad euadendum naufragium; Baptiſmus quidem, Tabula prima, contrà naufragium peccati orig. Pœnitentia autem, Tabula 2. contra naufragiũ peccati actualis. Ex S. Hier. *in Iſa. 3.* Vt Alenſ. *q. 2. m. 6.*

## *Doctrina Scoti. In Diſt. 14.*

Quæst. 1. *An Pœnitentia ſit neceſſaria ad deletionem peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi.*

Hic ſunt tria videnda. 1. Quid maneat in peccatore poſt actum, à quo dicitur peccator. 2. An illud deleatur pœnitentiâ. 3. quâ. *De 1.* Poſt actum peccati manet quidem priuatio habitualis gratiæ: ſed ab hac ſola non poteſt dici peccator; quia eſt tota ex primo peccato, & æqualis in omnibus. Nec eſt relatio realis obligationis ad pœnam: quia hæc non poſſet eſſe niſi à Deo. Nec eſt quædam macula diſſimilitudinis manens ex actu peccati: vt vult *Magiſt. d. 18.* quia hæc eſſet vel priuatio gratiæ quæ eſt tota ex primo peccato; vel priuatio rectitudinis actualis, quæ deſinit cum ipſo actu.

*Dico ergo* quòd nihil ineſt reale, abſolutum vel relatiuum poſt actum, à quo dicatur peccator plus minùſue: quia nec diſpoſitio, nec habitus vitioſus, qui poteſt ineſſe ſine peccato; ſed tantùm quædam relatio rationis, vt obiecti à Deo ordinati ad pœnam, donec ſit ſoluta. Ex *Aug. in Pſal. 31.* Deum videre peccata, eſt ad pœnam imputare. Vt meritum poſt actum nil eſt aliud quàm relatio rationis: vt obiecti à Deo accepti & ordinati ad gloriam, &c. Quæ relatio ſeu ordinatio ad pœnam, vt eſt diſconueniens animæ, dicitur eius macula: vt eſt formalis obligatio ad pœnam, reatus; vt eſt actus vel ab actu Dei vindicandi, dicitur offenſa Dei. ] Hinc, non negat nec confundit reatum culpæ, ſeu culpam ipſam etiam habitualem, vt eſt demeritoria & offenſiua Dei, cum reatu pœnæ ſeu obligatione ad illam, & cum offenſa actuali, quaſi paſſiua, formali, vel actiua ipſius Dei: neque negat, imò ſupponit peccatorem eſſe & denominari ſaltem extrinſecè talem, à culpa actuali quamuis præterita, vſque ad eius remiſſionem; ſed negat eſſe aut denominari talem, poſt culpam actualem, ab vlla quaſi inde impreſſâ formâ reali, vel priuatione; ſed à quadam relatione rationis ſeu morali, obiecti meritò obligati, & à Deo ordinati ad pœnam, ob culpam quidem actu præteritam, ſed reatu, moraliter ſeu im-

putatiuè, & obiectiuè afficientem, inficientem, & obligantem ipſum peccatorem, donec à Deo remittatur. Vnde B. Aug. *lib. 1. de Nupt. & conc. 26. 27.* docet, *tranſire actu, manere reatu.* Et lib. 6. contra Iul. 19. *Vbi ergò manet*, inquit? *niſi in occultis legibus Dei, quæ conſcriptæ ſunt quodammodo in mentibus Angelorum, vt nulla ſit iniquitas impunita &c.* Vt *Tom. 2. noſtræ Anat. col. 736. 737.* De quo in 2. Sent.

*De 2.* Dico hanc obligationem ad pœnam poſt actum, deleri per *Remiſſionem peccatorum*: non ſine ſolutione illius pœnæ, vel aliquo æquiualente in acceptatione Dei cui debetur.

*De 3.* Non deletur qualibet punitione aut pœna: vt patet in pœna æterna damnatorum; ſed triſtitiâ voluntaria de peccato: non ſolum voluntaria obiectiuè, vt aliunde voluntariè tolerata vel acceptata; ſed etiam ſubiectiuè & cauſaliter, ſeu ab ipſa volũtate in ſeipſa cauſata, per recordationem voluntariam & nolitionem actualem peccati commiſſi, ad eius punitionem pœnâ voluntaria triſtitiæ de commiſſo. Triſtitia enim ex Aug. *14. Trin. cap. 15.* eſt diſſenſio animi ab his quæ nobis nolentibus acciderunt.

In hac punitione voluntaria. *1.* Eſt velle punire peccatum pœnâ triſtitiæ, per cauſas eius proximas. *2.* Eſt recordatio & nolitio peccati commiſſi: vt duæ proximæ cauſæ partiales triſtitiæ. *3.* Eſt acceptatio voluntaria huius pœnæ. *4.* Eſt eius patientia voluntaria. Quę quatuor ſignificantur nomine pœnitentiæ. Nam pœnitere eſt pœnam tenere: non tantùm paſſiuè, eam gratanter acceptando, & patienter tolerando; ſed etiam actiuè, tam imperando hanc punitionem, quàm exequendo per duas illas proximas cauſas triſtitiæ.

Ex his ad quæſt. Neceſſaria eſt aliqua pœnitentia ad deletionem peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi: non neceſſaria ſimpliciter, nec formaliter; quia Deus poteſt remittere culpam abſque vllo actu peccatoris, vel per actum charitatis, abſque actu formali pœnitentiæ ex actuali inaduertentia peccati. *Ad 1. Arg.* Homo offenſus poteſt remittere offenſam ſolâ mutatione propriæ voluntatis: Deus autem qui eſt immutabilis, non niſi per aliquam mutationem extra ſe in creatura.

QVÆST. 2. *An hic actus neceſſarius pœnitendi ſit alicuius virtutis?*

*Art. 1.* An & quomodo poſſit eſſe actus virtutis ſecundùm illos 4. modos pœnitendi? *Concl. 1.* Pœnitere pro velle vindicare ſeu punire culpam in ſeipſum, poteſt eſſe actus virtutis ſeu conformis rectę rationi: quia ex commiſſione Dei Legiſlatoris. Hinc pœnitere .i. ſibiipſi tenere pœnam, niſi exprimatur alicui alteri. *Concl. 2.* Hoc pœnitere poteſt eſſe actus virtutis ſpecialis: circa peccatum vt vindicabile, &c. *Concl. 3.* Non alicuius virtutis intellectualis: ſed appetitiuæ; quia velle punire & ad hoc applicare intellectum & voluntatem, non eſt intellectus, ſed ſolius voluntatis. *Concl. 4.* Non virtutis ordinantis quempiam ad ſeipſum: vt eſt Temperantia & Fortitudo; ſed Iuſtitiæ in ſeipſum, quaſi in alterum. Non iuſtitiæ commutatiuæ, aut amicitiæ: ſed iuſtitiæ punitiuæ, ſeu vindicatiuæ; quia illæ ſunt communes inter perſonas priuatas, & ad bonum earum priuatum, hæc autem eſt ſolius Legiſlatoris vel ex eius commiſſione, ad bonũ commune Legis, & rehonorationem ipſius Legiſlatoris. *Concl. 5.* Eſt quaſi ex vi iraſcibili voluntatis: non vt actus charitatis; quia obiectum charitatis eſt Deus ſub ratione nobiliſſima; huius autem, eſt malum vindicabile, ſeu Reus ipſe. Sed voluntas poteſt ex actu charitatis imperare hunc actum vindicandi peccatum: & ex hoc actu imperatiuo vindicandi, imperare actum dilectionis Dei in ſe, ad diſplicentiam peccati. Sicque vt charitas poteſt vti actu pœnitentiæ, & cuiuſuis virtutis: ſic pœnitentia charitate, & quacumque virtute. Sed charitas eſt ſimpliciter ſuperior: ex obiecto proprio ac fine ſuperiori.

*De 2.* modo pœnitendi, deteſtando peccatum commiſſum: Dico quòd poſſit eſſe actus virtutis, ſeu concors rationi: nullius tamen ſpecialis, ſed cuiuſuis appetitiuæ; quia vt cuilibet virtuti placet ſuum bonum honeſtum, ita & diſplicet malum oppoſitum. Hinc actus hic non eſt proprius pœnitentiæ virtutis.

*De 3.* modo pœnitendi, gratanter acceptando pœnam pro culpa: Dico poſſe eſſe cuiuſuis virtutis appetitiuæ, acceptare pœnam vt medium ad ſuum obiectum ſeù finem proprium.

*De 4.* Patienter ferendi pœnam: patet poſſe eſſe virtutis ſpecialis pœnitentiæ.

*Art. 2.* Quis horum, & cuius virtutis actus pœnitendi ſit neceſſarius ad deletionem peccati? *Dico 1.* Quòd nec vllus ſolus, nec vllius ſolius virtutis determinatæ: ſed quiuis & cuiuſuis. *2.* Quòd nullius virtutis vt præexiſtentis: ſed æquè perfectus. *3.* Quòd Actus formatus charitate inhærente, & inclinante ad diſpoſitionem concomitantem ipſam iuſtificationem: informis autem, ad diſpoſitionem præuiam. Ad cuius intellectũ, peccator in ſtatu peccati poteſt † ex naturalibus cõſiderare peccatum commiſſum vt offenſiuum Dei, contra Legem Dei; auerſiuum à Deo, impeditiuum præmij, inductiuum ſupplicij, &c. Et poteſt voluntas illud ſub aliqua harum rationum vel pluribus deteſtari, abſque vllo neceſſario defectu morali † ob ſtatum peccati: & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ &c. Iſte autem motus dicitur Attritio, & eſt diſpoſitio ſiue meritum de congruo ad deletionem peccati mort. quæ ſequitur in vltimo inſtanti alicuius temporis in quo Attritio iſta durauit. Nec eſt certũ an Deus talem Attritionem velit eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem, niſi ſit perfectè moraliter circumſtantionata. Saltem ſi eſt aliqua circumſtantia inordinata, non eſt diſpoſitio ad iuſtitiam: quia tunc eſt actualiter offendens. Sed ſi eſt tantùm carens aliqua circumſtantia debita, ex inconſideratione intellectus, vel omiſſione voluntatis quantùm ad illam circumſtantiam: tunc dubium eſt ſi diſponat ſufficienter ad Iuſtitiam. Sed ſi eſt Attritio perfectè circumſtãtionata † in genere moris, videtur omnino diſpoſitio ſufficiẽs ad iuſtitiam in termino illius Attritionis acquirendam: in termino, inquam, quem Deus præfixit illi motui Attritionis.

Digitized by Google

tritionis. Vel enim oportet dicere quòd peccator iuſtificetur ſine omni diſpoſitione ſufficiente de congruo ex parte eius, & per conſequens difficile eſt quòd non ſit acceptio perſonarum apud Deum *d. 2. d. 6. q. 2.* Vel nulla poteſt eſſe ſufficientior diſpoſitio ad Iuſtif. quàm Attritio perfectè circunſtãtionata in genere moris: vt tunc in vltimo inſtanti, vel aliquo vſque ad quod Deus determinauit Attritionem debere durare vt ſit meritum de congruo, infundatur gratia, & tunc ſimpliciter deleatur peccatum.

Quòd ſi manet idem motus contra peccatum in eſſe naturæ & moris, qui priùs: idem motus qui fuit Attritio, in illo inſtanti fit Contritio; quia in illo inſtanti fit concomitans gratiæ,& ita actus formatus, quia habens ſecum charitatem,quæ eſt forma actus, vt hic loquimur.

Ibi tamen oportet diſtinguere ſigna naturæ, inter actum vt eſt talis in eſſe naturæ & moris, inter charitatem, & inter actum formatum. Quia in primo ſigno naturæ, eſt actus talis. In 2. charitas. In 3. actus formatus à charitate iam inclinante & inhærente, & ſic Attritio fit Contritio ſine omni mutatione reali actus.

*Contra.* Ergò non per contritionem deletur culpa &c. Poteſt dici quòd Deus diſponit dare gratiam in aliquo inſtanti per Attritionem præuiam, vt per meritum de congruo, ſiue duret adhuc in illo inſtanti ſiue non &c.

Sed quid ſi in illo inſtanti ponat obicem? *Infra.* Ideo prima via videtur rationabilior: quod per actum Pœnitentiæ informem, ſed plenè vel ſemiplenè circunſtantionatũ in † genere moris, deletur peccatum, vt per diſpoſitionem præuiam & meritũ de congruo: per actum autem pœnitentiæ formatum, qui dicitur contritio, deletur vt per actũ concomitantem. Cùm arguitur: contritio vt contritio ſequitur deletionem. *Reſp.* Actus qui eſt contritio in eodem inſtanti temporis præcedit natura deletionem: licet vt contritio .i. vt formatus, ſequatur deletionem, ordine naturæ. Et ſic debet concedi in ſenſu diuiſionis: quòd per actum qui eſt contritio deletur peccatum; vt per diſpoſitionem proximam. Eſtque conueniens, diſpoſitionem proximam ſimul eſſe cum forma.

Ex his 4. actibus, is perfectius diſponit ad remiſſionem peccati: qui ex pluribus & perfectioribus virtutibus elicitur. Duo vltimi ſupponunt triſtitiam iam inhærentem: duo alij ſe mutuò excellunt in eâ cauſandâ. Quandoque enim ex charitate, ſeu contemplatione Dei, ſtatim ineſt maxima triſtitia ante omnem actum iuſtitiæ. Quandoque ineſt primò actus intenſus iuſtitiæ: ſed cauſæ proximæ triſtitiæ non mouentur, aut mouent efficaciter; quia ſicut intellectus noſter conformatur ſenſui, ita & appetitus intellectiuus ſenſitiuo quoad facilè delectari & triſtari &c. Plus delet meritoriè peccatum actus cauſatiuus triſtitiæ, quàm ipſa triſtitia.

*Ad 1. Arg.* Triſtitia non eſt actus, ſed effectus virtutis pœnitentiæ. *Ad 3.* Beatus & innocens poteſt inclinari ad puniendos alios reos, vt & Deus ipſe; ergò & ſeipſos, ſi eſſent rei. *Ad vlt.* Virtus pœnitentiæ poteſt acquiri per actus ante & poſt iuſtificationem: Nec ipſe habitus virtutis, ſed actus meritoriè delet peccatum.

Ad B. Aug. *De vera & falſa pœnit.* Quòd ſine charitate non poſſit eſſe vera pœnitentia, nec ſine amore Dei venia .i. vera quoad ſuum fructum, & venia per gratiam. Pœnitentia enim abſolutè poteſt innaſci ex † naturalibus: ſed nõ fructifera, niſi in vltimo inſtanti. ] Quòd, his *naturalibus, moralibus, & communi influentia*, non excludat gratiam actualem, ſed habitualem: patet ex *2. Sent.* & ex *q.* infra.

### QVÆSTIO 3.

*An pœnitentia virtus ſit tantùm inflictiua triſtitiæ.*

Pœnitentia vt habens regulam naturaliter notam, diſplicendum eſſe de peccato, eſt tantùm inflictiua triſtitiæ, ex illa diſplicentia naturali: ſed vt habens regulam ex ſacra Script. & motiua illa diſplicendi vt ſupra, eſt inflictiua tot pœnarũ quot Legiſlator in ea reuelauit. ] Subdit virtutem pœnitentiæ & alias morales poſſe habere regulas directiuas ſupernaturales, indeque exercitio acquiri. Quia, inquit, appetitus poteſt inde inclinari, & ex frequenti actione generare habitum ſic inclinantem ſecundùm rectam; imo rectiorem rationem quàm ſit naturalis. Tandem mouet quinque dubia quomodo peccatum poſſit eſſe naturaliter notum. *1.* Vt peccatum, moraliter. *2.* Vt Dei offenſiuum. *3.* Vt à Deo auerſiuum. *4.* Vt impeditiuum Beatitudinis. *5.* Vt demeritorium pœnæ finalis. Non quaſi ſupponat eſſe naturaliter notum ſub his omnibus rationibus: cùm ſuprà expreſsè referat quatuor poſteriores ad notitiam ſupernaturalem; ſed quod non poſſit naturaliter diſplicere aut cognoſci vt diſplicendum, niſi ſub his, aut aliqua harum rationum. Vnde tantum reſpondet, quòd quomodocumque ſit naturaliter cognoſcibile, ſeu ſub quacumque ratione peccati, prima regula pœnitentiæ eſt ſecundùm notitiam naturalem; altera, ſecundùm ſupernaturalem. *Ad 1. & 2. Arg.* Pœna ſatisfactoria debet eſſe ſufficiens,& grata ipſi offenſo. Sed quid ſi ſufficiens in ſe, non ſufficeret offenſo. *Reſponſionem quære*, inquit. Hinc quidam ſupplent, plures illas pœnas ſatisfactorias æquiualere vni perfectæ, ex inſufficientia Attritionis. Adde. Nec ſufficere ex ſe, ſed ex acceptatione Dei. *Ad 3.* Eodem actu poteſt imperari punitio peccati, per triſtitiam, & alias pœnas ſatisfactorias.

### QVÆSTIO 4.

*An per Sacramentum pœnitentiæ deleatur culpa?*

Hic ſunt 3. videnda. *1.* Ratio huius nominis. *2.* Quid ſubſit rei. *3.* Solutio quæſtionis. *De 1.* Sacramentum Pœnitentiæ, eſt abſolutio hominis pœnitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis, à Sacerdote iuriſdictionem habente, ex inſtitutione Diuina efficaciter ſignificantibus abſolutionem animæ à peccato.

*Quoad 2.* Poteſt, & congruit, & ſubeſt aliquid. Quia Deus poteſt animam abſoluere à peccato, & inſtituere ſignum aliquod efficax huius abſolutionis: congruit autem inſtituiſſe, vt ſuprà. Denique ita de facto inſtitutum eſſe prout potuit, & congruit:

Digitized by Google

gruit: patet ex *Matth. 16. Ioan. 20.* & ex iure Can. Cap. *Firmiter de Summa Trin.*

*Quoad 3. Art.* Magiſt. *diſt. 18. cap. 6.* in ſoluendis culpis Sacerdos iudicat, ſicut olim legalis de lepra. Sed hoc videtur nimis derogare Sacramento Pœnitentiæ. Nam ſic nunquam deleret culpam, nec eſſet ſecunda tabula: quia nunquam liberaret naufragum.

Dicitur ergò, quòd Deus ita requirit diſpoſitionem de congruo ad conferendam gratiam per Sacramentum: vt non alliget potentiam ſuam Sacramentis; quin ſine illa diſpoſitione ſufficienti conferat gratiam per Sacramentum, vt in Baptiſmo adultorum &c. *infra.* Non ſolùm ergò attritus per aliquod tempus, in vltimo inſtanti recipit gratiam delentem peccatum, tanquam per meritum de congruo vt ſuprà; ſed non habens talem actum qui ſufficiat ad meritum de congruo, ſed tantùm voluntatem ſuſcipiendi Sacramentū Eccleſiæ, ſine obice peccati mortalis, in vltimo inſtanti prolationis verborum recipit effectum huius Sacramenti, ſeu gratiam pœnitentialem; non ex merito, ſed ex parte Dei aſſiſtentis ſuo Sacramento ad illum effectum. Alioquin non appareret quomodo Sacramentum Pœnitentiæ eſſet ſecunda tabula: ſi nunquam per ipſum vt Sacramentum eſt, poſſet recuperari gratia amiſſa; ſed tantum per Attritionem tanquam per præuiam diſpoſitionem, & per contritionem tanquam per diſpoſitionem completiuam.

Si quæras an pœnitentia ſit Sacramentum? *Reſp.* Quod non, pro actuali, vel habituali pœnæ tenentia; ſed pro ſigno illo ſenſibili in conſtructione tranſitiua. i. Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt ipſa pœnitia: vt creatura ſalis, non à ſale, ſed quæ eſt ſal. *Ad 1. Arg.* Frequenter dimittitur peccatum per motum Attritionis, vt per meritū de congruo ante Sacramentum: non ſemper &c. *Ad 2.* Confeſſio laudis non eſt grata in ore peccatoris: ſed confeſſio peccati. Oportet ſuſcitari ante Sacramentum: vel ſimpliciter, & tunc gratia tantùm augetur per Sacramentum; vel ſecundum quid, ad aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum cauendi de cætero, ac ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio, & tunc ſuſcitatur ſimpliciter per Sacramentum. *Ad 3.* Ex *Ioan. 11.* De Lazaro prius ſuſcitato, quam ſoluto à vinculis. *Reſp.* De remittenda prius à Deo pœna æterna, quàm poſſit quis ſolui à temporali. *Ad S. Hier. in Matth. 16.* Eſt comparatio ad ſimilitudinem, non æqualitatem, inter Sacerdotes antiquæ Legis & nouæ.

In diſt. 15. Qvæst. 1.

*An cuilibet peccato actuali mortali correſpondeat ſatisfactio propria?*

*Reſp.* De ſatisfactione generaliter 5. ſunt videnda. 1. Ratio nominis. 2. An ſit homini poſſibilis pro culpâ. 3. In quibus conſiſtat. 4. An ſit cuilibet peccato ſua propria. 5. An vna, poſſit ab alia ſeparari.

*De 1.* Satisfactio eſt redditio voluntaria æquiualentis alias indebiti.

*De 2.* Dicitur quòd non eſt poſſibile homini ſatisfacere Deo pro offenſa. 1. Quia nihil poteſt ei reddi æquiualens pro honore. 2. Quia culpa mortalis eſt malum infinitum. 3. Quia totum aliundè debemus Deo. Sed nonniſi ex vi Paſſionis Chriſti: quæ reddit noſtras ſanctificationes etiam acceptabiles.

Quòd quidem de potentiâ Dei ordinaria: non tamen de abſoluta. 1. Quia potuit Deus hominem lapſum iuſtè ſaluare ſine Incarnatione & Paſſione Chriſti: ergo per ſatisfactionem ipſorum pœnitentium. 2. Ex B. Aug. *13. Trin. cap. 10.* quòd fuerit alius modus poſſibilis noſtræ Redēptionis. 3. Quia quicquid Deus poteſt per cauſam ſecundam, vt per merita Chriſti: poteſt & immediatè. 4. Satisfactio eſt redditio æquiualentis, &c. Sed conuerſio ad Deum ex charitate, eſt tantum bonū, quantum malum fuit auerſio à Deo; ergò per illam ſatisfieri poſſet pro hâc. 5. Gratia prima ex qua ſatisfactio eſt acceptabilis potuit dari ſine merito Chriſti: cùm ſumma gratia data ſit animæ Chriſti ſine merito. 6. Paſſio Chriſti non fuit meriti infiniti, nec infinitè acceptata: cùm ſit bonum creatum, nec habeat vllum præmium infinitum; ergo nec peccatum eſt infiniti demeriti.

*Ad iſtum ergo Art.* Poteſt dici quòd Deus abſolutè poſſet dare peccatori attrito gratiā qua motus eius fieret Contritio, & ſatisfaceret pro peccato: quia actus ille poſſet eſſe æquiualens peccato in rehonorando Deo. Poſſet etiam eſſe aliundè indebitus: quia quamuis Deus poſſit nos obligare ad omnia; non tamen obligat niſi ad Decalogum. De potentia tamen ordinata, Deus non diſpoſuit vlli dare primam gratiam: niſi per obſequium magis gratum quàm offenſa fuerit ingrata, quale eſt ſolum meritum Chriſti: ideoque de potentia ordinata non eſt poſſibile ſatisfieri Deo pro culpa; niſi ex vi Paſſionis Chriſti.

*De 3.* Dico quòd ſatisfactio in iſto ſenſu magis conſiſtit in actibus pœnalibus, vel paſſionibus voluntarijs, quàm in alijs: licet quandoque poſſit etiā per alios actus bonos ſatisfieri; quia non poteſt Deus actum meliorem & maioris honoris acceptare pro rehonoratione. Iſti autem actus pœnales, vel paſſiones voluntariæ, reducuntur ad contritionem, vel triſtitiam interiorem, & ad confeſſionem, ac alios actus vel paſſiones exteriores, ſub Ieiunio, Oratione, & Eleēmoſyna.

*De 4.* Non neceſſariò correſpondet propria ſatisfactio cuicumque peccato: ſed poteſt eadem ſpecie, & numero conuenire & ſufficere pluribus; quia eadem contritio ſpecie, & numero de pluribus in genere, poteſt eſſe tanta vt ſit ſatisfactoria pro omnibus. Poteſt etiam eſſe minor quam vt ſufficiat ad ſatisfactionem pro aliquo peccato, ſine alijs pœnis ſupplentibus.

*De 5. Art.* Satisfactio totalis reconciliat ſatisfacientem ei quem offendit, &c. Impoſſibile eſt autem reconciliari Deo, niſi integrè ex B. Aug. *lib. de vera & falſa pœnit.* Ergò & ſatisfacere Deo pro vno peccato, cum actuali impœnitentia de alio mortali. Sed poteſt quis conteri, & ſatisfacere actu & effectu pro vno: non autem niſi affectu & habitu

pro

Digitized by Google

pro alio .i. animo etiam prompto ad actualem contritionem & ſatisfactionem pro alio, ſi actu recordaretur.

*De Satisfactione* ſtrictè ſumpta .i. prout diſtinguitur à contritione & confeſſione. 4. ſunt videnda. 1. Eſt operatio exterior, laborioſa, ſeu pœnalis, voluntariè aſſumpta ad puniendum peccatum à ſe commiſſum, & ad placandum offenſam Dei. Vel eſt paſſio, ſeu pœna ad hoc voluntariè tolerata. 2. Conſiſtit in tribus illis operibus difficilibus, Ieiunio, Oratione, & Eleemoſyna: vel in paſſionibus voluntarijs concomitantibus. 3. Peccato carnis congruit ſatisfactio per ieiunium, ſeu quamuis pœnam corporis hoc vitium reprimentem: peccato ſuperbiæ & reliquis ſpiritualibus, congruit ſatisfactio per orationem, illis contrariam: peccato auaritiæ & reliquis circà temporalia, conuenit ſatisfactio per eleemoſynam. Quia ex *Sap. 11.* per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Sed quæ ſic congruūt in genere, non ſunt neceſſaria, nec ſemper poſſibilia, aut congrua in particulari: ſed prudenter accommodanda ſunt capacitati corporali ac ſpirituali pœnitentium. Vt pauperi operario incapaci ieiunandi & multum orandi, ipſe labor neceſſarius ad victum poteſt imponi in ſatisfactionem. Diuiti voluptuoſo, ſed nimis inuoluntario ad ieiunium, imponi poteſt oratio, & eleemoſyna: imò ſi proteſtatur veram diſplicentiam de peccato, cum propoſito non recidiuandi, ſed nimis eſt inuoluntarius ad omnem ſatisfactionem pœnalem; præſtat eum abſoluere, conſulta, non iniuncta pœnitentia, quàm nolle abſoluere cum periculo deſperationis, vel ei iniungere pœnitentiam cum periculo omiſſionis, *quæ videtur eſſe peccatum mortale, cùm ſit tranſgreſſio præcepti Eccleſiæ, & Vicarij Christi.*

4. Dicitur quòd ſatisfactio exterior poſſit fieri pro vno peccato, ſine alio quoad pœnam: non tamen ſine alio quoad culpam, quia non poteſt Deus placari pro vno, ab inimico in alio &c. Sed hæc ſententia videtur nimis dura &c. Quia relapſus ante ſatisfactionem iniunctam pro prioribus culpis remiſſis, peccat niſi exequatur; Ergo exequendo obedit & ſatisfacit.

*Dico ergò*, ſine præiudicio, quòd qui ſemel verè pœnituit, & recepit pœnitentiam ſatisfactoriam, claue non errante: ſi eam impleat in charitate, meretur; ſi extra, ſoluit quidem pœnam, ſed non meretur gratiam; ſi ab eo exigitur, non ſoluit, ſed ſoluitur &c. Si arguas: Eſt mortua; ergo non eſt ſatisfactio. Non eſt placans & reconcilians: ſed ſufficiens ad punitionem; quia & ſola ſatis-paſſio ſufficit, vt patet in punitione humana etiam inuitorū. Vnde nec vlla pœna peccati remiſſi erit æterna: vt de veniali, infrà.

*Ad 1. Arg.* Contritio non eſt regulariter integra ſatisfactio: ſed includit ſatisfactionem ſaltem in voto. Vt *diſt. 17.*

Ad *Apoc. 18.* & *Deut. 25.* Satisfactio non eſt hic tam rigidè adæquata, quàm in inferno.

QVÆSTIO 2.

*An reſtitutio alieni ſit neceſſaria ad pœnitendum.*

*Hic ſunt 4. videnda.* 1. Vnde ſint rerum dominia diſtincta. 2. Quomodò iuſtè transferantur. 3. Quę ſit iniuſta occupatio, aut damni illatio. 4. Quæ obligatio reſtituendi.

*Concl. 1.* Iure naturæ aut diuino, pro ſtatu innocentiæ non erant diſtincta rerum dominia, ſed communia. *Diſt. 8. c. 1. & 12. q. 1.* Quia tunc vſus communis rerum fuiſſet pacificus & omnibus ſufficiens.

*Concl. 2.* Poſt lapſum, reuocato, vel amiſſo iure habendi omnia communia: permiſſa & licita eſt rerum diſtinctio & appropriatio; quia vſus communis omnium, non eſſet pro hoc ſtatu pacificus, nec ſufficiens omnibus.

*Concl. 3.* Hinc quamuis fuerit rationabile vt res fierent primò occupantiū: non tamen ex ſola lege naturæ aut diuina, ſed poſitiua & humana.

*Concl. 4.* Hæc lex iuſta debet eſſe ex prudentia, ad bonum commune, & ex authoritate vel paterna, vel politica ipſius cōmunitatis, aut principis ab ea electi pro ſe ſolo, vel pro tota ſua poſteritate.

*Concl. 5.* Sic probabile eſt primam rerum diuiſionem & appropriationem incœpiſſe ab hac lege partiendi, eligendi, & primò occupandi pro ſe & ſuis poſteris.

*De 2. Art. Concl. 1.* Vt prima diuiſio, ſic & rerum tranſlatio ex hac lege eſt iuſta. Vnde & Præſcriptio immobilium, & Vſucapio mobilium, iuſta eſt ex hac lege: ſiue ſtatuente certa ac diſtincta tempora amittendi aut acquirendi res illas, earum deſertione aut poſſeſſione; ſiue ſic puniente earum ſaltem præſumptam deſertionem ac negligentiam, ad bonum cōmune pacis, ordinis, & curę rerū ſingularū.

*Concl. 2.* Poteſt etiam fieri rerum tranſlatio quoad dominium vel vſum, priuata donatione vel accommodatione liberali, & acceptatione, vel contractu permutationis, venditionis, & mutui, inter capaces vtrimque.

*Concl. 3.* Domini rerum, & iure capaces, iuſtè eas permutant: obſeruata aliqua æqualitate, ſeù æquiualentia; non naturali ſed vſuali, nec indiuiſibili ſed rationabili, ex lege, conſuetudine, reciproca vtilitate, aut æſtimatione, & quaſi remiſſione ab illa indiuiſibili ac impoſſibili æqualitate; ſine fraude in ſubſtantia, quantitate, & qualitate. Ita & de venditione ac emptione: quia numiſma eſt vice rei permutatæ. Ita & de conductione & locatione quoad ſolum vſum.

*Addit* non poſſe cariùs permutari aut vendi, ex neceſſitate, commodo aut lucro ementis: ſed ex damno aut incommodo vendentis; quia res alicuius non fit in ſe aut ei pretioſior, quòd ſit alteri neceſſarior aut vtilior. ] Supple, niſi hinc fiat etiam publicè pretioſior, & habenti vtilior.

*Concl. 4.* Ad iuſtum mutuum obſeruanda eſt æqualitas ſimpliciter, in numero, & pondere. 1. Quia vſus pecuniæ per mutuum eſt eius conſumptio. Sed contra: poteſt dominium eius ab vſu ſeparari. 2. Quia pecunia mutuata fit mutuatarij: ergo non poteſt inde exigi lucrum ex re aliena. 3. Quia etſi eſſet adhuc mutuantis: non eſt ex ſe fructifera, ſed ſolùm ex induſtria vtentis; ergo mutuans non habet ius exigendi fructum ex ſua pecunia mutuata.



Digitized by Google

Hinc fructus lignorum computantur in ſortem: quia ſunt ex ſe fructifera, non autem ſors ipſa mutuata pro lignis fructiferis.

*Excipit.* 1. Niſi ex pacto reſtituendi in certum diem, ſub quâdam mulctâ: non in fraudem vſurariam; ſed reuera ad vtendum tunc ſua pecunia in promptu. 2. Ex vero damno carendi ſua pecunia. 3. Ex periculo pecuniæ mutuatæ. *Extra de vſuris Cap. Nauiganti.* 4. Ex ſola gratitudine. 5. Non ex mutuo, ſed elocatione auri & argenti ad aliquem vſum ex natura ſua: vt ad ornatum, oſtentationem, medicinam &c.

*Duæ regulæ* pro futuro. 1. Ne vllatenus vendatur tempus. 2. Ne quis ſe pro futuro ponat in tuto lucri, & alterum ſolum exponat damno. Vt, ne quis vendat ex nunc ad aliquod tempus, pretio maximo interim futuro, vel pro tunc ſolito maiore quàm nunc &c. Niſi rem quam nunc vendit in commodum indigentis, eſſent tunc carius venditurus &c.

*Duæ regulæ* pro negotiatione ad iuſtum lucrum. 1. Vt ſit vtilis Reipublicæ, ad prouidendũ aliundè de rebus neceſſarijs aut vtilibus, vel ad eas conſeruandas & promptè exponendas. 2. Vt lucrum ſit proportionatum labori, diligentiæ, damnis, periculis, & obſequio præſtito Reipublicæ. Hinc contra eos, *qui*, inquit, *gallicè* vocantur *Regratteres*: quia hîc & nunc præemendo ad vendendum, augent œconomis pretium rerum venalium.

*De 3. Art.* Ex illorum iuſtitia, patet iniuſtitia oppoſita. Vt ſi donatio, commodatio, permutatio, locatio, mutuatio, ſint contra legem, aut coactæ, vel ex fraude; ignorantia, errore in re data, perſona cui, & motiuo dandi. Hinc lucrũ ex ludo Alearum poteſt dici iniuſtum: quia contra legem Imperialem, ſicubi viget. Vſura ex mutuo, eſt iniuſta & reſtituenda: ſiue ex pacto ad indemnitatem dantis, ſiue ex donatione voluntaria recipientis; quia contra legem Dei, *Ezech. 18. Pſalm. 14. Luc. 6.* Extra. *De vſuris cap. Super eo.*] Quòd videtur contra exceptionem 2. & 4. ſupra: ſed vt Scholiaſtes conijcit, hîc vult non licere paciſci de lucro certo pro damno incerto, ob periculum & ſpeciem vſuræ: ibi iure deberi compenſationem veri damni. Et ſic ibi de licita gratitudine poſt liberam mutuationem: hîc de datione voluntaria in accipiendo mutuo. Vel ibi de lege naturæ, hîc depoſitiuâ.

*De 4.* ſeu de reſtitutione alieni ſunt 5. videnda. 1. Quare ſit reſtituendum. 2. A quo. 3. Quid. 4. Cui. 5. Quando.

*De 1.* Non ad aliquam ſatisfactionem pro peccatis: ſed ex lege non retinendi alienum, ſicut nec accipiendi; & ex neceſſario propoſito non peccãdi vltra, nec hoc, nec alijs peccatis.

*De 2.* Quilibet in ſolidũ reddat priùs iniuriato: Iuſſio conſilium, conſenſus, palpa, recurſus; participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans .i. Si cuius ſit ex officio ad bonum Reipublicæ: & poſſit ſine graui periculo proprio.

*De 3.* Non ſolùm eſt reſtituenda res ablata aut retenta: ſed etiam fructus eiuſdem rei fructiferæ, non autem induſtriæ propriæ, & damnũ inde ortũ.

*De 4.* Cui? Vero Domino noto, & præſenti, aut etiam abſenti: ſi fieri poſſit ſine maiori damno quàm res valeat: Alioquin, notis propinquis viui, vel hæredibus mortui; ſed illo & his ignotis, aut nimis remotis, pauperibus pro illo; per ipſum potiùs debitorem, ex cõſilio viri boni, quàm per aliũ.

*De 5.* Quando? Voto ſeù propoſito, in ipſa contritione, vel Attritione: re verò, ſeù facto ſine mora, Domino rationabiliter inuito. Non eſt autem rationabiliter inuitus: quamdiu eſſet in damnum publicum, aut infamiam, vel maius damnum reſtituentis, quàm ſuum. Nec obſtat quòd nunquam oporteat retinere alienũ: quia non inuito Domino rationabiliter &c.

Quando autem ablatio eſt occulta, nec tenetur quis per ſe reſtituere: poteſt expectare opportunitatem ſui Confeſſarij per quem fiat. Quamdiu etiam quis eſt impotens, non obligatur niſi propoſito, & quando potuerit. *Ad 2. Arg.* De re inuenta proclamanda, & reſtituendo Domino noto: vel pro eo ignoto, pauperibus. *Ad 4.* Non licet ſtatum ſolemnem tenere de bonis alienis: nec tantùm valet Reip. quàm fidelitas & iuſtitia communis. *Ad 5.* Non tenetur quis reſtituere rem, ſibi, non Domino, aut priùs quàm Domino extremè neceſſariam; ſed priùs Domino quàm ſibi, aut vtrique ſimul extremè neceſſariam; quia ſit quidem patientis extremam neceſſitatem, ſed non deſinit eſſe Domini prioris in eadem neceſſitate. Nec poteſt iuſtè tueri vitam propriam priuatione alienæ. Quod ſi res aliena occupata ante extremam neceſſitatem, in eam conſumatur: videtur poſtea in æquiualenti reſtituenda; non autem in ipſa extrema neceſſitate occupata & conſumpta. *Ad 7.* Dico quòd adultera non debet ſe diffamare vt hæreditas ſuccedat vero hæredi: ſed filiũ ſpurium honeſtè inducere ad ſtatum Religionis aut Clericatum, & ad cedendum fratri hæredi. Quòd ſi hoc non poteſt, debet aliundè procurare reſtitutionem æquiualentem ſpei non rei: ſaltem ad honeſtam ſuſtentationem, ſi hæreditas eſt pinguis &c. Si nec hoc poſſit: faciat quod *Cap. Odo ardus &c* .i. Quod poteſt re vel voto.

*Ad vlt.* Si quis directè abſtulit alteri Beneficium .i. fraude impediuit, ad damnificandum, tenetur ei reſtituere portionem proportionatam ſpei, non æqualem rei: ſi autem tantùm indirectè, procurando illud ſibi, abſque intentione damni alieni, ad nihil tenetur.

### QVÆSTIO 3.

#### *An nocens alteri in bonis corporis vel animæ, teneatur reſtituere, ad verè pœnitendum.*

Qui alium indirectè priuauit bonis, & infecit malis moralibus animæ, conſulendo, alliciendo, fallendo, ſcandalizando &c. tenetur quantùm poteſt per ſe & alios, ſine infamia, damnum reparare; bonis conſilijs, monitis, exemplis, precibus ſuis & alienis pro eo &c. Quod poteſt intelligi de obligatione non tantùm charitatis, ſed & iuſtitiæ: ſi ex officio tenebatur ei prodeſſe, aut ſi qua vi vel fraude nocuit.

Qui alteri nocuit in corpore, vulnerando, mutilando, occidendo, tenetur ad reſtitutionem: quæ ad imita-

Digitized by Google

imitationem legis Moſaïcæ poſſet iuſtè ſtatui lege Talionis; vt & ſecundùm legem naturæ, ac gratiæ, *Matth. 16.* iuſtè ſtatuta eſt, de vita pro vita, morte pro morte. Quam tamen nullus reus poteſt ſibiipſi inferre: ſed patienter ferre; aut vitam propriam in pias cauſas pro occiſo exponere, vel ſaltem ei bona ſpiritualia vitæ æquiualentia rependere, & parentibus ac propinquis eius damnū illatum compenſare. Niſi quis iuſtè occiderit. Sed monet ex B. Aug. *1. Ciu. 21. & 22. Et lib. 1. de libero arbit.* Neminem iuſtè occidi, niſi exceptum à lege diuina non occidendi, per ſpecialem aliquam Dei iuſſionem, vel per aliam legem non diſcordem, ſed à lege diuina procedentem. Quia nemo poteſt niſi ex ipſa lege Dei in eius lege non occidendi diſpenſare, aut excipere. Hinc contendit fures ob ſolum furtum non poſſe morte puniri: quia non ſunt excepti vt ſuprà, à lege non occidendi, ſed potiùs diſtincti ab exceptis in lege Moyſi. Cuius exceptio adulteræ lapidandæ, cùm reuocetur lege gratiæ *Ioan. 8.* quantominùs licet nunc furem occidere, quàm in lege Moyſis? ] Non quòd velit exceptiones leges Moſaïcæ vt tales iam vim habere: aut nolit vllo iure fures morte puniri poſſe; ſed quòd illarum comparatione, minùs iam ſint morte puniendi ob furta tantùm priuata, niſi inde conſequēter periclitaretur tota Reſpublica.

[ Pro vulneratione aut mutilatione etiam enormi, non eſt ſtatuta communiter niſi compenſatio pecuniaria damni conſequentis, refuſio expenſarum, placatio, & conſolatio mutilati aut læſi. *Extra De iniurijs & damno.*

*Ad 2.* Qui malitioſè retraxit aliquem ab ingreſſu alicuius Religionis: tenetur illi & Religioni ad inductionem æquiualentem; non tamen, ſi abſque fraude aut malitia, ſed ad meliorem finem.

### QVÆSTIO 4.

*An nocens alteri in fama, teneatur reſtituere ad verè pœnitendum.*

Poteſt quis tripliciter alium diffamare. 1. Accuſando de falſo crimine. 2. De vero, ſed occulto. 3. Negando crimen verum, ſed occultum: ſicque accuſatorem ſuum calumniando.

*Primo modo*, reſtituenda eſt fama retractando ſe æquiualenter etiam ad damna ſecuta. Nec obſtat quòd hinc ſeipſum diffamabit: quia, vt qui coram pluribus fornicatus, nō habet ampliùs ius famæ ſuę, multominùs per iniuſtam alteriùs infamiam; ſic qui alium falſò & publicè diffamat. Quòd ſi quis non publicè nec pro certo, ſed vt auditum crimen de alio coram pluribus refert, affectu diffamandi: peccat quidem mort. contra charitatem; non tenetur tamen ad reſtitutionem, quia talia relata nec ſolent, nec debent credi. Imò ſi ex ſola inconſideratione: durū eſt quòd exeat genus peccati venialis.

*Secundo modo*, non eſt reſtituēda fama, retractando ſe mendaciter: ſed fatendo publicè ſe iniquè locutum eſſe de altero, ſeque eum habere & habendum eſſe pro innocente illius criminis; quia hoc ipſum eſt verum, donec ordinatè conuincatur.

*Tertio modo*, non tenetur quis fateri publicè crimen verum, ad ſolam accuſationem, vel etiam ad interrogationem Iudicis non iuridicam: ſed poteſt illud negare vt proponitur, donec iuridicè probatum ſit. Quòd ſi accuſator deficiens in probando, inde diffametur de calumnia: imputet ſibi, non ei qui vtitur hoc iure ſuo negādi. ] Non audet tamen Scotus hunc eximere ab omni periculo peccati mortalis, & obligatione pœnitendi, imò & reſtituendi famam accuſatori: ſine tamen detrimento propriæ famæ, & proditione criminis ſui.

### IN DIST. 16. QVÆST. I.

*An Contritio, Confeſſio & Satisfactio ſint partes Pœnitentiæ?*

Reſumpta doctrinâ de 4. ſignificationibus & modis pœnitendi: *Ad propoſitum*, inquit, tria illa nullatenus ſunt partes pœnitentiæ virtutis: nec actus eius imperantis, nec eliciti. 1. Quia illa virtus eſt ſimplex & permanens: ergò non habet partes, multò minùs tranſeuntes. 2. Quia Contritio eſt interior: Confeſſio & Satisfactio exteriores; ergò non ſunt partes eiuſdem. 3. Quia primi illi duo actus imperandi & eliciendi pœnam internam, ſunt etiam ſimplices & interni, ac immediatè ſolius voluntatis: Confeſſio autem & Satisfactio ſunt actus imperati & externi; ergò non ſunt partes eiuſdem ſimplicis ac interni. Sed poſſunt dici partes pœnitentiæ ſumptæ pro ipſa cauſa proxima pœnæ, & punitionis interioris & exterioris, æqualis ſeu ſufficientis pro peccato, ſicque iuſtitiæ commutatiuæ. Nullo modo ſunt etiam partes Sacramenti Pœnitentiæ, quia hoc eſt abſolutio ſacramentalis, &c. *diſt. 14.* Hæc tamen tria requiruntur, vt præuia vel ſequentia ad Sacramentum Pœnitentiæ, &c. Abſolutio enim à reatu pœnæ æternæ, obligat ad pœnam temporalem: niſi ſit priùs ſoluta. *Ad 2.* Punitio ſeu pœna adæquata habet has quaſi partes integrantes, à quibus poteſt abſtrahi quædam ratio vniuerſalis puniendi culpam.

QVÆST. 2. *An remiſſio ſeu expulſio culpæ, & infuſio gratiæ ſit vna ſimplex mutatio.*

*Concl.* Infuſio gratiæ & remiſſio culpæ non ſunt ſimpliciter vna mutatio. 1. Quia plures ſunt remiſſiones culparum, vnicā infuſione gratiæ. 2. Quia poteſt eſſe infuſio gratiæ ſine remiſſione culpæ: & de potentia abſoluta, remiſſio culpæ, ſine infuſione gratiæ; quia vt Deus poteſt hominem creare in puris naturalibus ſine culpa & gratia, ita & reparare. 3. Quia culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita: alioquin voluntas poſſet effectiuè vel defectiuè per culpam annihilare gratiam, ergò non eſt vnica mutatio, quaſi inter terminum à quo, & ad quem, 4. Quia culpa quæ remittitur non eſt propria priuatio gratiæ infuſæ.

*Concl. 2.* Non ſunt etiam duæ mutationes reales. Quia infuſio gratiæ eſt mutatio realis à priuatione ad gratiam: non ſic autem remiſſio culpæ; quia culpa quæ remittitur non eſt quid reale poſt actum, vt ſuprà *diſt. 14. q. 1.* *Contra.* Non eſt tranſitus inter duo contradictoria ſine mutatione reali, &c. *Reſp.* Concedo ergò non fieri tranſitum inter duo contradictoria, ſine reali mutatione: ſed nego fieri in remiſſione culpæ; quia Deus non vult eum qui peccat, vſque ad remiſſionem eſſe puniendum abſolutè in futuro, ſed eſſe punibilem, ſeu dignum punitione,



Digitized by Google

nitione, & conditionatè tantùm puniendum; non ſi & pro quando pœnituerit. Quòd non eſt tranſitus inter contradictoria: ſed velle conditionatum vnius & alterius, pro alio & alio inſtanti temporis.

Si arguas, quòd tùnc ſimul & pro ſimul vellet oppoſita: niſi ſubſit aliqua ſucceſſio & mutatio. *Reſp.* Ad hoc non requiri ſucceſſionem actuum nec obiectorum in eſſe, nec in obijci actu intellectui, ſed in ſolo eſſe & ordine obiectiuo inter obiecta, &c. De quibus ex profeſſo in 1. Sent. *Sub finem*. Amicitia Dei per gratiam, eſt ordinari ad vitam æternam: inimicitia per culpam, eſt ordinari ad pœnam condignam. Quæ poſſunt ſimul ſtare, licet non pro eodem nùnc, &c. Si quæratur de prioritate cauſalitatis inter iſta. *Reſp.* Non eſt quæſtio: nec enim negatio illa obligationis, quæ eſt tantùm rationis, eſt cauſa gratiæ, nec èconuerſo; ſed ſola voluntas Dei ex ſua iuſtitia determinat illam obligationem, ex miſericordia non obligationem.

Si quæras quem ordinem habeant inter ſe gratia & non culpa, vt ſunt obiecta ſecundaria voluntatis Dei. *Reſp.* Vt *lib. 1. d. 41. q. De prædeſt.* Deus vult priùs intentione propinquiora fini: & ſic priùs vult peccatori gratiam, quàm non vindicare ordine intentionis; ſed ordine executionis, vt vult priùs haberi merita quàm gloriam, ſic priùs abeſſe culpam, quàm ineſſe gratiam. Vel hæc obiecta habent quendam ordinem perfectionis, non cauſalitatis.

In diſt. 17. Quæſt. vnica.

*An ſit neceſſarium ad ſalutem confiteri omnia ſua peccata proprio Sacerdoti?*

Tria ſunt videnda. *1.* Quo præcepto. *2.* Quid includat. *3.* Quid circa hoc præceptum Eccleſiæ explicet. *De 1.* Hoc præceptum vel eſt iuris naturalis vel poſitiui, diuini vel eccleſiaſtici. Strictè loquendo nil eſt de lege naturæ, niſi principium notum ex terminis, vel Concluſio inde demonſtrata: dicitur tamen etiam de lege naturæ quod eſt notoriè conſonum eius Principijs & Concluſionibus. Ex hoc, non rectè *Gratianus*, volens eſſe de lege naturæ quæ ſunt in ſacra Script. Exponendus eſt ergò de iure poſitiuo ab Authore naturæ. &c. Præter quod ius diuinum poſitiuum in ſacra Script. Eccleſia multa ſtatuit ad honeſtatem in moribus, & reuerentiam in Sacris.

Ad propoſitum dico: quòd non tenetur quis præcepto legis naturæ ad confeſſionem peccatorum homini: quia non pro quolibet ſtatu & tempore, ſicut eſt lex naturæ. *Infrà.* Quòd confeſſio non cadat niſi ſub præcepto Eccleſiæ, non poteſt facilè improbari: niſi quia id non attentaſſet, niſi eſſet præceptum diuinum, vel quia non inuenitur quando, &c. Si enim alleg tur cap. *Omnis vtriuſque ſexus, &c.* B. Aug. pluſquam 800. annis ante prædicauit Confeſſionem: vt *l. de vera & falſa pœn. & alibi.* Hinc reprobat Gloſſam *de pœn. diſt. 5.* quæ tribuit inſtitutionem Confeſſionis Traditioni Eccleſiæ, potiùs quàm ſacræ Script. quia ſic Papa non teneretur confiteri, nec infideles, &c. Nec conſtat quòd Gloſſa ſupponit. Græcos non confiteri: vel eſſet nouus eorum abuſus.

*Breuiter*: Videtur tenendum quòd Confeſſio cadat ſub precepto diuino poſitiuo: ſed oportet videre an explicitè à Chriſto immediatè ſcripto, vel verbo tradito, & per Apoſtolos promulgato. Priùs eſſet magis conueniens, ſi poſſet haberi ex Euang. Non *Matt. 16.* quia non eſt niſi promiſſio: ſed ſicubi, eſt *Ioan. 20.* Hic data eſt poteſtas Apoſtolis & Sacerdotibus remittendi peccata miniſterialiter: hoc non poteſt fieri niſi ex cauſâ cognitâ; ergò confeſſio eſt neceſſaria. Si dicatur hinc benè concludi inſtitutionem & vtilitatem, non tamen neceſſitatem ſiquidem ex illis verbis: Quorum retinueritis retenta ſunt: quia Sacerdos non retinet, niſi aliquo modo ſibi accuſata. Dupliciter oſtenditur propoſitum. *1.* Nulli committitur poteſtas iudiciaria, niſi alicui imponatur neceſſitas ſupponendi ſe illi, &c. Nam iudicare tantùm ſi tu velis, non eſt iudicare. Sed hoc non cogit: nam Arbiter ligat vel ſoluit eos qui ſe ſubmittunt. *Aliter ergò.* Quicunque primam gratiam amiſit, tenetur ex præcepto diligendi Deum & ſeipſum illam recuperare quantùm poteſt: poteſt autem ſic; ergò tenetur. Non ſolùm ex illo *Ioan. 20.* ſed ſimul ex præcepto charitatis. *Si dicas* quòd ſit alius modus poſſibilis recuperandi gratiam. *Contra.* Nullus eſt tàm facilis & certus: hic enim non oportet niſi non ponere obicem †. Quòd multò minus eſt quàm habere Attritionem: quâ per modum meriti de congruo ſufficiat ad iuſtificationem. *d. 14 q. 1. & 2.* Non quòd nulla Attritio ſit hîc neceſſaria: ſed non per ſe ſufficiens.

Poteſt quis etiam eſſe magis certus quòd non ponat obicem, quàm quòd habeat Attritionem ſufficientem. Quia poteſt probabiliter ſcire ſe tùnc non peccare actu, † & intendere quòd Eccleſia intendit: non ſic poteſt ſcire ſe habere Attritionem ſufficientem vt meritũ de congruo ad iuſtificationem. Quilibet autem tenetur ad medium neceſſarium faciliùs & certiùs, &c. tùnc ſaltem præceptum confeſſionis eſt valdè rationabile pro communi, & obligat ſingulos: & ſi quis poſſet habere aliquod remedium ſpeciale. Si contendas non probari in Euang. nunquid ex *Iac. 5.*? Sed nec mihi videtur quòd *S. Iac.* hoc præceptum dederit: cùm eſſet tantùm Epiſcopus Hieroſol. nec illud vt Chriſti promulgauerit, cùm id non indicet, vt Apoſt. *1. Cor. 7.* Nec plus loquitur de Confeſſione ſoli Sacerdoti, quàm ibidem de Oratione ab eo ſolo; ſed potiùs de Confeſſione & oratione communi reciproca, ex humilitate & Charitate.] Non negat promulgari implicitè, ſaltem à minori ad maius: vt *Alen.* & S. *Bon* ſuprà; ſed expreſsè & rigidè. De quo in controuerſijs fidei.

*Igitur tenendum eſt* quòd ſit de iure diuino, promulgato per Euang. vel per Apoſtolos abſque ſcript. vt ſunt multa alia.

De 2. Art. *Quis?* Adultus habens vſum rationis ad diſcernendum bonum & malum circa legem Dei, ſi ordinatè interrogetur: non tantæ ætatis; quia ſæpè malitia ſupplet ętatem &c. *Quid?* Omnia & ſola ſimul peccata mortalia diligenter recordata, ſeù magna curâ, vt de re graui: & omnes eorum circumſtantiæ ſpecialiter prohibitæ ſeù ſpecificantes, imò & conſultiùs omnes aggrauantes, non autem impertinentes. *Cui?* Soli & eidem Sacerdoti habenti

Digitized by Google

habenti Iuriſd. quia ſine hac, ſententia eſt nulla, nec poſſunt peccata diuiſim remitti. *Quando*? In quouis periculo mortis, ex morbo, bello, naufragio, &c. & ad actus quibus debetur reuerẽtia ſpecialis, vt ad ſacram Cõmunionem. *D.9. Qualiter*? Cum diſplicentia peccati commiſſi, & propoſito abſtinendi, ac obediendi Eccleſiæ in Satisfactione, voluntariè à Confeſſore acceptata, non autem neceſſariò acceptanda, ſed referibili ac differibili ad punitionem à Deo ipſo hîc vel in Purgatorio, vt ſuprà *diſt.15*.

*De 3. Art.* Eccleſia præceptum iſtud quoad aliqua ſpecificauit. *Cap. Omnis vtriuſque ſexus &c.* Quoad *Quis*: vt ſuprà. Quoad *Quæ* quidam dicunt quòd qui habent mortalia, non tenentur niſi ad illa confitenda, ſed qui habent ſolùm venialia, tenentur ad illa confitenda quando eſt præceptum confitendi.

Hoc non intelligo: quia ibi dicitur *Omnia peccata ſua*: quod non poteſt intelligi de omnibus venialibus; ergò de ſolis mortalibus &c. Dico igitur quòd quantum capio, ex ſtatutis Eccleſiæ, † nullus tenetur ad confeſſionem venialium, † nec ad aliquam contritionem de venialibus, † imò moriens in veniali actuali ſaluabitur; vapulabit tamen. Si quæras, quomodo ergò Sacerdos cognoſcet vultum pecoris ſui? *Reſp.* Non plus ex confeſſione venialium, quàm ex gratijs Deo, quod quis ab vltima confeſſione non ſit ſibi conſcius peccati mortalis.

Quoad *Cui*: videtur Eccleſia ſpecificare, *proprio Sacerdoti* .i. habenti iuriſdictionem ad immediatè abſoluendum &c. Quam ſi quis poſſit committere, vt Papa: Commiſſarius poteſt fieri proprius.

Non igitur illud ſpecificat *Cui*: niſi dicatur quòd in primitiua Eccleſia quilibet Sacerdos habuit iuriſdictionem ſupra quemlibet. Si quæras an ex vi primi præcepti, etiam laico? videtur Magiſtro quod ſic ex *diſt. de pœn. §. Placuit*. Sed *Reſp.* quòd nullum eſt præceptum de accuſando ſe laico: & fortè vtilius eſſet quod non, ſi quis poſſet æqualem habere verecundiam apud ſe.

Si quis diceret quòd nulli licet diffamare ſe &c. Fortè propter conſilium requirendum liceret reuelare peccatum ſuum alicui laico diſcretiori: ſed poſſet inquiri in vniuerſali abſque reuelatione peccati ſui. Quid igitur de Reis reuelantibus peccato ſua laico? *Reſp.* Simplicitas excuſat, & humilitas eſt meritoria.

Quoad *Quando*: Eccleſia determinauit ſemel in anno, ſaltem circa Paſcha. Si dicas quod hæc eſt laxatio. *Reſp.* Quidam dicunt quòd ante & nùnc tenetur quis ſtatim habitâ opportunitate confiteri: Alij quod nec tùnc niſi in voto ante mortem, nec nùnc niſi in voto ſemel in anno. Hoc eſt mitiùs: quia præcepta pœnalia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda. Semper tamen oportet habere voluntatem confitendi tùnc, pro quando præceptũ obligat, .i. nunquam Noluntatem. *Ad 1. Arg.* ex S. *Ambr.* Negatio & pœnitentia S. Petri fuit ante inſtitutionem huius Sacramenti: poteſtque tanta eſſe Contritio, vt deleat peccata ante confeſſionem. *Ad 2.* ex *Aug. in Pſalm. 31.* Dixi confitebor &c. De propoſito confitendi. *Ad 3.* Deus eſt colendus ex lege naturæ: ſed quòd ſic, vel ſic, ex ſolo iure poſitiuo. Vnde Concluſio ſequens partem imperfectiorem, eſt ſolius iuris poſitiui. *Ad 4.* De confeſſione muti, vel barbari, vel Sacerdoti abſenti. *Reſp.* Non obligare ad confitendum ſcripto, niſi Sacerdoti præſenti, nec per interpretem, niſi extra omne periculum reuelationis, nec pluribus Sacerdotibus, quantò minùs alijs auditoribus: ſed ſolis verbis aut ſignis tranſitorijs, & ex natura ſua ſecretis. Quia hoc Sacram. eſt ex natura ſua ſecretiſſimum. *Ad 5.* Innocens ab omni mortali & veniali, vt B. Virgo, teneretur non cõfiteri &c. nec innocẽs à mortali tenetur cõfiteri.

In diſt. 18. Quæſt. vnica.

*An poteſtas Clauium ſe tantùm extendat ad pœnam temporalem.*

Cuius reſolutio differtur in diſt. ſequentem.

In diſt. 19. Quæſt. vnica.

*An cuilibet Sacerdoti in ſua ordinatione conferantur Claues Regni Cælorum?*

Hîc ſunt quinque videnda. *1.* Quòd apud Sacerdotem eſt Clauis ſeu poteſtas ſententiandi in foro pœnitentiæ. *2.* Quòd apud eum eſt Clauis cognoſcendi cauſam pœnitentis. *3.* Quòd hæc & illa Clauis non ſunt eadem, ſed duæ. 4 Qualem poteſtatem habeat per eas ad earum actus. *5.* An præter has ſit alia Clauis in Eccleſia. *De 1.* Vt Clauis materialis eſt proximum inſtrumentum claudendi & aperiendi oſtium per quod intratur in domum: ſic poteſtas ſententiandi eſt Clauis, & ſententia apertio Regni Cœlorum. Hoc de nomine.

*De re*, hæc poteſtas eſt triplex: principalis ſimpliciter, ſoliùs Dei: præcellens, ſoliùs Chriſti: particularis, ſoliùs Sacerdotis.

*De 2. Art.* Authoritas cognoſcendi cauſam pœnitentium, eſt neceſſaria ad rectum vſum Clauis: ergò poteſt etiam dici Clauis, idque tripliciter, vt ſuprà. In collatione primæ Clauis *Ioan. 20.* intelligitur etiam hæc. Quæ nec eſt ſcientia actualis, nec habitualis, nec quæuis diſcretio, vt *Magiſter hac diſt. cap. 1.* Quia etſi authoritas cognoſcendi requirat diſcretionem concomitantem rectum vſum eius: vt tamen poteſtas iudicandi requirens iuſtitiam non eſt ipſa iuſtitia, ſed poteſt eſſe ſine ea, ita & poteſtas cognoſcendi in aliqua cauſa poteſt eſſe ſine diſcretione.

Quare ergò dicitur iſta clauis ſcientiæ? *Reſp.* Vt ſententians ex authoritate facit quòd poteſt ſed indebitè: ſic cognoſcens ex authoritate, ſi attentè facit, &c. Vbi non exprimit: innuit tamen talem actum valere.

*De 3. Art.* Clauem non eſſe Characterem: quia hic priùs datus eſt Apoſtolis, & nùnc etiam datur Sacerdotibus ad conſecrandum Corpus Chriſti, quàm Clauis ad abſolutionem aut ligationem corporis myſtici: nec eſſe vnam, eandemque Clauem, ſed duas, vt *Matt. 16.* Tibi dabo Claues, &c. Ita vt Deus abſolutè poſſet committere authoritatem cognoſcendi cauſam ſine authoritate ſententiandi, & hanc ſine illa; quamuis vtraque eidem commiſſa ſit.

An vtraque ſimul detur, non aſſero. Quòd ſi priùs detur vna quàm alia: poſſet dici quòd ſicut ſunt duæ poteſtates, ita duo characteres, & quilibet impri-



Digitized by Google

imprimitur ſuo proprio ſigno, &c. Si non placet tot characteres ſacerdotales ponere: poteſt dici quòd per vnum characterem habet quis poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti, & ſtatuitur in gradu excellenti ac conuenienti ad habendā poteſtatem ſuper membra interiora corporis myſtici, &c. Ex hoc patet quòd poſſunt dici vna Clauis vnitate ordinis, ſeu ſubordinationis ad eundem actum vltimum.

*De 4.* Poteſtas Clauium eſt actiua: non tamen proxima, vt eſt poteſtas conſecrandi; ſed neceſſariò dependens ab aliqua iuriſdictione in ſubditos.

*De 5. Art.* Vt in Eccleſia eſt duplex forum, vnum ſecretum pœnitentiæ, alterum publicum correctionis & gubernationis: ita & duplex poteſtas Clauium, ſeu cognoſcendi & iudicandi, in foro ſecreto, & in exteriori, *Matth. 18.* Quarum vna poteſt eſſe ſine altera & econtra: vt patet in Archidiaconis cum hac iuriſdictione, & in ſimplicibus Sacerdotibus ſine vlla; imò & in parochis ſine ordinaria iuriſdictione excommunicandi. Quæ videtur dependere ab ipſo Papa, vel eius lege, quoad vim excommunicationis maioris, obligandi omnes etiam non ſubditos excōmunicanti, ad vitandum eius ſubditos excommunicatos, ſub pœna minoris excommunicationis: quâ rarò eſt vtendum, exemplo Apoſtoli, qui ſolùm legitur vſus ter. *1. Cor. 5. 1. Tim. 1. Gal. 1.* Sub forma tradendi Sathanæ vel Anathematis, non autem ſub frequentiori monitione vitandi ſcandaloſos. *Ad 4. huius Quæſt.* non improbat opinionem quòd Clauis ſit poteſtas propinqua includens ipſam iuriſdictionem.

*Ad Quæſtionem motam diſt. 18.* Refert ac reprobat opinionem Magiſtri, quòd poteſtas Clauium non ſit in culpam aut pœnam æternam, ſed tantùm in temporalem. *1.* Quia tunc Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet vnquam cauſa gratiæ primæ. *2.* Quia ſuſceptio huius Sacramenti eſt diſpoſitio efficax ex inſtitutione diuina ad gratiam: non autem ſignum tantùm rememoratiuum vel oſtenſiuum gratiæ collatæ &c. vt *diſt. 14. quæſt. 4.* de Attritione ſufficiente ad iuſtificationem cum abſolutione Sacramentali, non ſine &c. Nec eſt ſimile de Sacerdote legali in mundanda lepra corporali: ſed quibuſdam immunditijs legalibus Nec eſt ſolius Dei niſi principaliter abſoluere à culpa & pœna æterna: ſed etiam Sacerdotum inſtrumentaliter, diſpoſitiuè & moraliter, vt ſæpè ſuprà.

*2.* Refert ac corrigit additionem primæ opinionis, quòd nec Sacerdos remittat pœnam temporalem niſi præcisè attingat iudicium Dei. *1.* Quia hæc poteſtas Sacerdotalis eſt arbitraria. *2.* Quia eſſet impoſſibile. *3.* Quia eſſet tantùm caſuale. *4.* Quia Sacerdos poſſet imponere aliquantùm plus: cur non & minus? Vt ergò in alijs, iuſtitia commutatiua, ſic & punitiua ſeu cōmutatiua pœnæ habet medium rectæ rationis, ſeu latitudinem rationabilem: intra quam Clauis non erret, ſed à Deo ratificatur; extra autem non, ſed ſi quid minus, in purgatorio ſupplendum ſit. Quam quidem pœnitentiam à Claue non errante impoſitam, qui ſe ei ſubmiſit, tenetur adimplere. Qui autem nollet ſe quoad hanc pœnam ſubmittere, ſed tantùm quoad remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, malens ſubire hìc vel Purgatorio pœnam iudicio Dei: non expediret eum ab Abſolutione repellere; quia poteſt eſſe contritus & voluntarius ad pœnam Deo ſibi infligendam; nec eſt inobediens Eccleſiæ, cum ſe ei ſubmittat in principali, neque hæc pœnitentia ſit ad ſalutem neceſſaria &c. vt *d. 15. q. 1. d. 17.*

Sed ſi erret Clauis ſcientiæ, non tamen poteſtas: an arbitrium ratificetur in Cœlo? *Reſp.* Si Clauis ſcientiæ erret inquirendo non neceſſaria ad hanc cauſam, vel illicita, non tamen omittat neceſſaria: peccat Confeſſor, ſed poteſt rectè iudicare. Si autem erret omittendo aliquid neceſſarium ad cauſæ cognitionem, præcipuè de Attritione vel Contritione: & peccat, nec poteſt rectè iudicare, niſi à caſu. Quod ſi pœnitens ſit fictus; ipſe, non Clauis errat; nec tamen ratificatur, quia pœnitens non eſt capax.

Sed ſi caſu ſit iuſta ſententia: ratificatur quoad verè pœnitentem, vt ei ſufficiat hæc pœna; non quoad Confeſſorem quin peccet errando. *Ad 1. Arg.* huius Quæſt. videtur probabile, quòd frequentia Confeſſionis eorundem peccatorum, vi Clauium plus & plus de pœna remittat. Quid ergò melius quàm eadem ſemper confiteri? Videtur probabilius quod non: quia illud iudicium ſemel latum ſine errore Deus irreuocabiliter ratificat in Cœlis. Vt videmus in ſententijs definitiuis fori litigioſi.

Sed vnde ſciet pœnitens an pœna ſuficiat vel excedat? *Reſp.* Vel ex propria peritia legis diuinæ, vel ex Confeſſario peritiore. Quòd ſi videtur nimia, conſultiùs eſt eam obſeruare: ſi nimis parua, potiùs adire Confeſſarium prudentiorem quàm ſe exponere purgatorio. *Ad 2.* Vt adulti in Baptiſmo, ſic & hìc ſæpè iuſtificantur per Attritionem, tanquam per meritum de congruo, & tùnc augetur eis gratia per Sacramentum: ſed ſi Attritio non ſufficiat per modum meriti ad iuſtificationem, recipiunt gratiam virtute Sacramenti.

IN DIST. 20. Quæſt. vnica.

*An pœnitentia in extremis valeat ad ſalutem?*

*Concl. 1.* Vera pœnitentia, ſiue ſola interior, ſiue cum Sacramento, ſufficit ad ſalutem etiam in extremis. Ex Aug. *hom. 41. & 50.*

*Concl. 2.* Quæ videtur haberi in extremis, vix eſt vera pœnitentia ſufficiens ad ſalutem. *1.* Quia tunc eſt valdè difficilis vſus liberi Arbit. ex paſſione timoris, doloris, &c. *2.* Quia tunc eſt valdè difficilis vera & abſoluta diſplicentia peccati, & intentio debita finis, &c. *3.* Quia praui habitus & phantaſmata augent difficultatem verè pœnitendi. *4.* Quia quò tunc minor vſus libertatis, eò diſplicentia deberet eſſe † intenſior vt eſſet diſpoſitio ſufficiens, cùm tamen ſit tunc remiſſior.

IN DIST. 21. Quæſtio vnica.

*An poſt hanc vitam poſſit aliquod peccatum dimitti?*

*Concluſio* eſt certa, quòd pœna debita pro peccato remiſſo poſſit ſolui poſt hanc vitam: quia nullus cum debito pœnæ beatificatur &c. Ex B. Aug. *21. Ciu. 27.* & alibi *in Cor. 3.* Sed non eſt ita certum de peccato non dimiſſo hìc. *1.* An pœna ei debita poſſit poſt mortem remitti. *2.* An ipſa etiam culpa.

De

Digitized by Google

De peccato mortali certum eſt quòd non. De veniali, dicitur quòd ei per ſe correſpondeat pœna æterna, per accidens temporalis. Quia damnatus pro mortali & veniali pro hoc etiam in æternum punietur: ergo iuſtè &c. Sed quia hoc ſtare poteſt cum charitate: poteſt pœnâ temporali expiari.

*Contra.* 1. Sic reatus pœnæ æternæ ſtaret cum charitate. 2. Pœna damni quæ ſola eſt eſſentialis damnationi, eſſet communis etiam veniali. 3. Veniale proportionaretur mortali. 4. Pœna æterna ſiue per ſe ſiue per accidens eſſet improportionata veniali.

*Dico ergo*, quòd peccato veniali ſiue hic puniendo, ſiue in inferno, non debetur pœna temporalis, nec per ſe nec per accidens: Nec eſt inconueniens hanc finiri in inferno; quia ex ſe eſt reatus pœnæ finibilis, vt & ipſa pœna in quam pœna æterna mortalium remiſſorum commutata eſt. Nec ideo in inferno eſt redemptio.

*De 2. Concl.* 1. De culpa veniali, an poſſit remitti poſt mortem: poteſt dici quòd poſt actum nil ſit aliud quàm reatus pœnæ, nec eius remiſſio niſi pœnæ ſolutio. Si iſte modus non placet, quia Sancti diſtinguunt inter pœnam & culpam: poteſt dici quòd peccatum veniale remitti poteſt in hac vita per actum Deo magis acceptum, quàm veniale diſpliceat. Ad propoſitum, opera bona huius vitæ poſſunt poſt mortem à Deo acceptari & referri ad remiſſionem venialium: quia mortuus non ponit obicem.

Hinc. 1. In inſtanti mortis remittuntur venialia: quia tunc ceſſat obex.

2. Remittuntur ante mortem, ſi non continuetur vſque ad mortem: Niſi Deus reſeruet ad hoc; vt & ad gratiam, bona merita in ſua acceptatione, vſque ad inſtans mortis. Quia cum (vt credo) quoduis meritum mereatur augmentum gratiæ, ad gradum gloriæ ad quem requiritur vt diſpoſitio: nec Deus poſt quemuis actum augeat gratiam; videtur quod augmentum gratiæ, debitum meritis, reſeruet vſque ad mortem. Si neuter modus placet, quæratur alius. Nam ponere bonum aliquem motum poſt mortem, per quem vt per meritum de congruo vel condigno deleantur venialia: non eſt Doctrinæ Theologicæ.

*Ad vlt. Arg.* Poteſt concedi quòd mors voluntaria ſufficiat pro quouis veniali, & fortè pro magna parte pœnæ reliquæ mortalium.

## QVÆSTIO 2.

### *An Confeſſor teneatur quouis caſu celare peccatum auditum in Confeſſione.*

*Concl.* 1. Hoc eſt de lege naturæ. Non quia eſſet mentiri dicere, quòd non ſcitur niſi ex perſona Dei: cùm ſciatur etiam miniſterialiter & perſonaliter. Sed 1. ex obligatione Charitatis ad famam & vitam proximi, vt ad propriam. 2. Ex obligatione fidelitatis in ſecretis. 3. Ex obligatione veritatis vel veracitatis in dictis & promiſſis etiam implicitis. 4. Ex obligatione ad dandam confidentiam neceſſariam inferioribus erga ſuperiores.

*Concl.* 2. Eſt de lege poſitiua Dei ſeu Chriſti. 1. Ad non alienandum à lege Chriſti. 2. Ne hîc vltimò cognita & iudicata, referantur ad aliud iudicium humanum. 3. Ne cui detur occaſio falſificandi confeſſionem.

*Concl.* 3. Eſt de lege Eccleſiaſtica. *De pœn. diſt.* 6. *c. Sacerdos.* Et *de pœn. & rem. c. omnis vtriuſque, &c.*

*Concl.* 4. Non ſolum Confeſſor tenetur ad hoc ſecretum: ſed & quicunque illud ſcit ex Confeſſione Sacramentali; quia hæc ſcientia habet hoc ſecretum inſeparabile. Nec tantùm ad vitam confeſſi: ſed ad ſemper, & pro ſemper. Nec poteſt reuelari vlli, niſi Superiori ad neceſſariam ab eo abſolutionem ſub eodem ſecreto: vel alicui prudentiori; ad conſilium, abſque vlla perſonæ reuelatione. Nec tantùm celanda ſunt peccata & perſona confeſſa, ſed & eorum circumſtantiæ, ac complices.

*Concl.* 5. Eſt etiam alia obligatio ad alia ſecreta: ſub pœna infamiæ, ſeu calumniæ.

*Ad 1. Arg.* Non poteſt relaxari à pœnitente: quia eſt iuris communis, ac naturalis, diuini & eccleſiaſtici: niſi narrando extra Confeſſionem, ad finem licitum & bonum, &c.] minùs rigidè quam *Alenſ.* ſupra de neceſſaria expreſſione alterius modi ſciēdi.

*Ad 3.* Sacerdos ſciens ex confeſſione complicis paratas ſibi inſidias in nemore, poteſt eas alio titulo declinare: quia hoc non eſt ex ſe reuelatiuum confeſſionis, ſed ex ſola ſuſpicione complicum. *Ad 4.* Qui non poteſt confiteri proprium peccatum commiſſum in audienda confeſſione alterius, niſi reuelando perſonam & peccatum ab ea confeſſum: non tenetur confiteri: quia illud eſt iuris naturæ, non hoc. *Ad 6.* Superior poteſt vti ſcientia Confeſſionis ad prouidendum etiam exteriùs ſaluti ſubditorum, abſque vllo periculo famæ: alioquin, *non attentet eſſe Deus, &c.*

### In diſt. 22. Quæſtio vnica.

#### *An peccata dimiſſa redeant eadem numero per relapſum.*

1. An ſit abſolutè poſſibile. 2. An de potentia Dei ordinata. 3. An & quomodo de facto. *Ad 1.* Reſoluit quòd ſic quoad eandem numero pœnam & obligationem: non ſic quoad culpam actualem, ab ipſo Deo. *Ad 2.* Nec redire quoad culpam, nec quoad pœnam. Ex B. *Aug. in Pſal. 31.* Beati quorum remiſſæ ſunt, &c. *Naum 1.* Non iudicabit Dominus bis in idipſum. *Diſt. 4. de Pœn.* Nec obſtat quòd bona opera mortificata reuiuiſcant. 1. Quia Deus ex miſericordia reſeruat ius boni operis in eâdem ſua acceptatione, vſque ad ſtatum capacem præmij: non autem vllam imputationem peccati. 2. Quia in remiſſione peccati mutat pœnam æternam in temporalem: non ſic in lapſu mutat præmium æternum in temporale; ideoque meritum nunquam extinguitur, ſicut demeritum.

*Contra.* Sic peccator ſemper reſurgeret ad maiorem gratiam quàm ante: cùm tamen reſurgat ad primam gratiam, &c. *Reſp.* Quodlibet meritum eſſe alicuius gloriæ & gratiæ: nec illam tamen reddi ante mortem, nec hanc intendi actu ante mortem, quouis merito remiſſo. *Contra 1.* Hinc peccata prodeſſent. 2. Fieret quis dignus maiori gloria, ex minori gratia. *Ad 1.* Non proſunt, ſed priuant ad tempus gratia, & ad ſemper meritis operum in illo

Digitized by Google

illo ſtatu. *Ad 2.* Redit ius ad meritam gratiam & gloriam: non ad purè gratuitam; quia nec merces debetur aut promittitur ipſi gratiæ, ſed meritis, *Pſal. 61. Rom. 2.* [Sed cur ſub hac conditione, *ſi gratia ſecunda eſt minor prima?* *Reſp.* i. Si gratia merita, eſt minor purè gratuitâ: quia ſi hæc infuſa per Sacramentum ſit maior illa, aut ei æqualis, eam includit. Videtur enim procedere ex opinione quòd intentio non fiat niſi per actus & gradus inæquales. Vel *ſi gratia ſecunda.* i. reſtituta, *ſit minor primâ* .i. amiſſâ: non redit primum ius & dignitas gloriæ ex ſola gratia, ſed ex meritis; quia meritum potiùs reſtituendum eſt, quàm datum.]

*Hinc. 1.* Dignus meritoriè ac remotè maiori gloria, moriens extra gratiam, damnatur: & dignus proximè minori gloria, moriens in gratia ſaluatur. *2.* Ex quantiſcumque meritis mortificatis nemo eſt dignus vel minima gratia reſurgendi. *Nec tamen credo quòd omnino nihil faciant in acceptatione diuina ad primam gratiam dandam*: ob excellentem Dei miſericordiam, &c.

*De 3. Art.* Peccatum dimiſſum redit, vt circumſtantia aggrauans. *1.* Ex enormi ingratitudine. *2.* Ex violatione voti ſeu propoſiti non recidiuandi. *Contra 1.* Cadens ab innocentia grauiùs peccat: ergò relapſus non aggrauat. *2.* Labens poteſt æquè intenſè peccare, ac relabens: nec hic neceſſariò potiùs peccat dupliciter, quàm ille. *Ad 1.* Lapſus ab innocentia, vt à maiori beneficio, magis aggrauat: ſed relapſus etiam aggrauat. *Luc. 7.* Cui plus donauit .i. dedit, vel condonauit: plus tenetur diligere Benefactorem, quàm cui minus dedit, vel minus condonauit; ſed donum innocentiæ, imò & præſeruationis à pluribus & grauioribus, eſt maius cōdonatione. Ex B. Aug. *2. Conf. 7. Hom. 23.* Cui plus dimittitur plus diligit dimittentem: cuius gratiâ non tantùm debet quantum alius.

*Ad 2.* Poteſt recidiuando peccari pluribus quaſi peccatis, deliberatè directè & expreſsè contra plures leges: ſed ingratitudo, inobedientia, & contemptus ſolent eſſe tantùm circumſtantiæ communes, quæ quò maiores eò magis aggrauant, non tamen excedunt aut adæquant ipſum peccatum quod circumſtant. Nec lapſus ab innocentia ex maiori libidine, eſt maior ex circumſtantijs proprijs relapſus: ſed ex ſe, & ſuis circumſtantijs.

Sed quid eſt peius ſimpliciter, cadere à maiori beneficio, vel à magis gratuito, vel à promiſſo. *Reſp.* Quod plus eſt contra legem naturæ, eſt peius.

Reſtat an peccata præterita ſint reconfitenda vt circumſtantiæ aggrauantes. *Reſp.* Non neceſſariò: quia vt aggrauant poſſunt ſatis exprimi in genere. *Ad 1.* ex *Mat. 18.* Omne debitū dimiſi tibi &c. Hinc ſignatur relapſus in pœnam æternam, non in æqualem. *Ad 2.* ex *Iac. 2.* Qui offendit in vno factus eſt omnium reus .i. damnationis communis, quo ad æternitatem & auerſionem à Deo: non quo ad æquiualentiam omnium. *Ad 3.* Iuſtificatus per contritionem cum voto Sacramenti: ſi poſtea contemnat, peccat; ſed non relabitur in priora peccata aut pœnas remiſſas. *Ad 4.* Eſt ſolius Dei eadem numero reparare, ſiue poſitiua, ſiue negatiua, ſiue priuatiua.

# QVÆSTIO I. DOGMATICA.

## *An ſit in Lege noua verum & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Contritionis, Confeſſionis, & Satisfactionis Sacramentalis Pœnitentium, & Abſolutionis Sacerdotalis, ac veræ remiſſionis interioris quorumuis peccatorum poſt Baptiſmum, ſecundum praxim communem Eccleſiæ.*

Diſſimulatâ contentione de proprio nomine & denominatione Pœnitentiæ, aut Reſipiſcentiæ: imò ſuppoſito vſu communi huius nominis & rei, pro pœnitentia pœnali animæ & corporis, ex ipſa ſacra Script. Hebraicè, Græcè, & Latinè. *Iob. vlt.* Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. *Ioel 2.* Conuertimini ad me in toto corde veſtro: in ieiunio & fletu & planctu &c. *Matth. 10. Luc. 10.* Olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent, &c.

Sub hoc explicito ſenſu controuerſo Quæſt. negarunt *1. Montaniſtæ*, ſaltem quoad remiſſionē peccatorum grauiorum & recidiuorum. Vt patet ex *Tertulliano* hoc errore inflato *lib.* de Pudicitia. *Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & Mœchiæ, & Fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto &c.* Vnde *S. Hier.* Epiſtola ad Marcellam: *Illi* .i. *Montaniſtæ, ad omne penè delictum, Eccleſiæ fores obſerant &c.* 2. *Nouatiani*, à quodam *Nouato* Carthaginenſi, & *Nouatiano* Romano: vel quoad poteſtatem Sacerdotalem & Sacramentalem verè abſoluendi, vel ſaltem à grauioribus. Vt patet ex S. Ambr. lib. 1. de Pœn. c. 2. *Aiunt ſe exceptis grauioribus criminibus, relaxare veniam leuioribus: Non hoc author veſtri erroris ait, qui nemini pœnitentiam dandam putauit.* Et ex hiſtoria Tripartita *lib. 1. cap. 3.* de dicto Nouatiano. *Inuitandos quidem lapſos ad pœnitentiam: ſpem vero remiſſionis non eſſe à Sacerdotibus, ſed ſolùm à Deo, qui ſolus habeat poteſtatem remittendi peccata.*

3. Negarunt & Donatiſtæ: ſaltem quoad poteſtatem Eccleſiæ abſoluendi à culpa & pœna Traditionis ſacrorum librorum in perſecutione.

Quibus omnibus deteriores Caluiniſtæ, omnes partes pœnitentiæ Sacramentalis, ſed præcipuè abſolutionem Sacerdotalem vt præſumptionem blaſphemam deteſtātur: Lutherani autem, ſub quadam

larua

Digitized by Google

larua huius Sacramẽti illudunt ſuis, vanâ conſolatione, perſuaſione, & ſponſione remiſſionis peccatorũ per ſolam fidem ſeu fiduciam meritorum Chriſti, abſque vlla vera pœnitentia, abſolutione, & poteſtate Ordinis ac Iuriſdictionis Sacerdotalis ad abſoluendum. Sub hac ergo Quæſtione plures Controuerſiæ fidei inuoluuntur. 1. De diſtinctione huius Sacramenti à Baptiſmo, & eius memoria ac fiducia. 2. De poteſtate Miniſteriali Ordinis & Iuriſdictionis, ad Abſolutionem Sacramentalem pœnitentium. 3. De Reſeruatione, ſeu inæquali poteſtate Iuriſdictionis in perſonas & peccata reſeruata. 4. De neceſſitate veræ pœnitentiæ interioris, ſeu alicuius ſaltem imperfectæ contritionis de peccatis præteritis: non autem ſolius fidei ſeu fiduciæ, nec ſolius reſipiſcentiæ ſeu emendationis. 5. De neceſſitate integræ Confeſſionis ſaltem in voto, ſeu deſiderio implicito ſubijciendi omnia peccata huic iudicio Sacramentali. 6. De vera remiſſione omnis culpæ & pœnæ æternæ, per hoc Sacramentum: non tamen ſemper omnis pœnæ temporalis. 7. De neceſſitate & vtilitate alicuius ſatisfactionis ſacramentalis, vel extra-ſacramentalis. Quæ quia inter ſe connexæ & ſubordinatæ ſunt, ſimul hic proponuntur & reſoluuntur.

## *Reſponſio Dogmatica*

Eſt in lege noua verum & propriè dictũ Sacramentũ pœnitentiæ, propriâ ſignificatione & efficaciâ diſtinctũ à Sacramento Baptiſmi, & quouis alio: Ad quod neceſſaria eſt. 1. Abſolutio verbalis, ex poteſtate Ordinis & Iuriſdictionis ſacerdotalis, in perſonas & peccata non reſeruata. 2. Vera pœnitentia interna de peccatis præteritis, cum propoſito emendationis. 3. Confeſſio integra ſaltem in voto, ſeu ſubmiſſio omnium peccatorum huic Iudicio Sacramentali. 4. Satisfactio aliqua, ſacramentalis vel extra-ſacramentalis, propria vel aliena, intentione priuatâ, vel publicâ Eccleſiæ authoritate communicanda viuis aut defunctis, per preces, Sacrificia, vel Indulgentias; aut exigenda à Deo ipſo, per pœnas temporales huius vitæ, vel purgatorij, pro reliquo reatu pœnæ temporalis, remiſſâ culpâ & pœnâ æternâ per Contritionem perfectã cum voto huius Sacramenti, vel per actualem Abſolutionem Sacramentalem pœnitentiũ & confitentium.

Quæ omnia ſimul definiuntur in *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. ſupra: ſed probantur ſimul aut ſeorſim.

1. Ex ipſa Chriſti inſtitutione, *Ioan.* 20. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum S. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Nam Chriſtus miſſus fuit ſecundùm ſacram Humanitatem ad Abſolutionem & reconciliationem etiam verbalem peccatorum: vt *Mat.* 9. *Marc.* 2. *Luc.* 5. & 7. vbi ait, *Dimittuntur tibi peccata tua*: ſubmurmurrantibus Phariſæis, *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Chriſto autem reſpondente, *Vt Sciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico ſurge &c.* Populo verò Deum glorificante, *qui dedit poteſtatem talem hominibus*, non tam ſanandi paralyticos, quàm dimittendi peccata. Ergo & ſic miſit Apoſtolus ſuos, eiſque commiſit hanc poteſtatem Sacramentalem abſoluendi, ac reconciliandi Deo: vt ait Apoſt. 2. *Cor.* 5. *Deus poſuit in nobis verbum reconciliationis: Pro Chriſto ergo legatione fungimur*, &c. Quam quidem poteſtatem inſufflando ſeu inſpirando eis Spiritum S. contulit, & his verbis expreſſit: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Non quorumlibet, ſed *Quorum* .i. ſubditorum ſeu baptizatorum, & capacium. *Remiſeritis*: vtique iudicialiter, ex cognitione cauſæ quoad reatum & diſpoſitionem ſubiecti lege Diuina neceſſariam ad hanc Abſolutionem iudicialem, diſtinctam à remiſſione interna ſolius Dei, & externa baptiſmali, quæ non dicitur propriè abſolutio nec remiſſio, ſed ablutio & regeneratio. *Peccata*: vtique omnia actualia quoad culpam & pœnam, abſque vlla exceptione grauitatis aut numeri. *Remittuntur eis*: actualiter & infallibiliter, hic & nunc, à Deo, ex inſtitutione & applicatione huius Sacramenti: quod eſt remitti Sacramentaliter ex opere operato. *Et quorum retinueritis*: ſiue negatiuè, non remittendo, cauſâ non propoſitâ: ſiue poſitiuè, negando indignis remiſſionem, ex cognitione cauſæ. *Retenta ſunt* .i. non remittuntur à Deo. Vnde patet poteſtatem Dei ordinariam remittendi peccata actualia & mortalia poſt Baptiſmum, eſſe annexam huic Sacramento, ſaltem in voto ſeu deſiderio implicito: nec poſſe aliter à Deo immediatè prætendi aut ſperari; alioquin nulla daretur hic poteſtas retinendi. 2. Hanc poteſtatem non eſſe partim remittendi, partim retinendi, quoad culpam aut pœnam æternam: quia id eſt impoſſibile, & *impium eſt à Deo dimidiam ſperare veniam*, ex *B. Aug.* L. De vera & falſa pœnit. *cap.* 9. Sed quoad ſolam mutationem pœnæ æternæ in temporalem, quæ eſt maxima remiſſio pœnæ; & quoad alicuius etiam pœnæ temporalis remiſſionem, alicuius reſeruationem, ad aliquam iuſtitiæ adminiſtrationem; vt ſemper ſit *iuſta Dei gratia, & grata iuſtitia*, ex *B. Aug.* in Epiſt. ad Rom. In quo fundatur ſatisfactio Sacramentalis: non tantùm, nec tam per dolorem de peccatis, & verecundiam confeſſionis ante remiſſionem & abſolutionem peccatorum, quàm per hæc & alia opera pœnitentiæ ex obedientia ſacramentali poſt abſolutionem; quia hæc ſatisfactio habet inde ſuam vim & obligationem. 3. Hanc poteſtatem retinendi, poſſe etiam extendi ad reſeruationem ſeu exceptionem quarundam perſonarum & peccatorum grauium, à Iuriſdictione ſacerdotum inferiorum, ad Iudicium Superiorum.

2. Probantur ex prædictione ac promiſſione huius poteſtatis S. Petro, & per eum toti Eccleſiæ, *Mat.* 26. *Tibi dabo claues regni Cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Vbi omnia verba futuri temporis ſonant promiſſionem ac prædictionem: non tamen huius ſolius poteſtatis ſacramentalis, ſed etiam extra-ſacramentalis; ligandi ſeu obligandi legibus, præceptis, pœnis, & ſoluendi, ſeu abſoluendi, relaxandi, diſpenſandi, &c. ad ſalutem æternam fidelium, non tantùm per Sacramentum pœnitentiæ, ſed etiam per obedientiam Eccleſiæ. Quæ prædictio



Digitized by Google

dictio & promiſſio communicatur omnibus Apoſtolis *Mat.* 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram. erunt ligata & in Cælo: & quæumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo* .i. in ipſo ſecreto Dei iudicio. Quòd autem hæc, & illa *Mat.* 16. ſint etiam de poteſtate ligandi & abſoluendi ſacramentaliter à peccatis, probatur. 1. Ex ſignificatione generali, imò & principali. 2. Expreſſâ intentione Chriſti *Mat.* 18. non tantùm commendandi curam priuatam ſalutis alienæ ex charitate, ſed etiam curam publicam ex officio; nec tantùm patientiam aut facilem condonationem iniuriarum perſonalium, ad reconciliationem fraternam; ſed etiam correptionem, correctionem, ſatisfactionem, obedientiam, & reconciliationem Eccleſiæ, ſeu ipſi Deo per Eccleſiam. 3. Ex hoc ſenſu & dubio S. Petri, ac reſponſo Chriſti: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuageſies ſepties.* Quæ nec poſſunt reſtringi ad ſolam priuatam remiſſionem, de qua ſatis *Mat.* 5. 6. *& alibi*: nec extendi ad tam facilem ac frequentem reconciliationem extra-ſacramentalem Eccleſiæ, contra diſciplinam Eccleſiaſticam; ergo ad ſacramentalem. Nec obſtat, *Quoties peccabit in me?* quia .i. in me vt talem, ſeu in Eccleſiam & ipſum Chriſtum: vel toties debemus alijs dimittere, quoties Deus nobis, & per nos in hoc Sacramento. 4. Quia hæc poteſtas Eccleſiæ ligandi ſeu obligandi ſub peccato, non eſſet ſalutaris: niſi eſſet etiam poteſtas ſoluendi ſeu abſoluendi à peccatis in hoc Sacramento.

*Probantur.* 3. Ex varijs figuris, exemplis, & praxi communi pœnitentiæ ac remiſſionis, non tantùm interioris, ſed & exterioris, per ſigna aliqua realia & verbalia, vel naturalia, vel miraculoſa, vel ordinaria à Deo inſtituta in lege veteri & naturæ. *Vt patet ex Gen.* 3. *& Sap.* 10. De vocatione & tandem liberatione Adæ à delicto ſuo, per eius pœnitentiam & confeſſionem: latâ in eum ſententiâ verbali, & reſeruatâ pœnâ temporali. 2. *Reg.* 12. De pœnitentia & confeſſione Dauidis, eiuſque à Deo abſolutione per Nathan Prophetam, reſeruatâ etiam punitione temporali. *Pſal.* 13. *Eccli.* 4. & 17. De exhortatione ad pœnitentiam & confeſſionem etiam exteriorem peccatorũ. *Mat.* 3. *Marc.* 2. *Luc.* 3. De pœnitentia & confeſſione exteriori Iudæorum, monitu S. Ioannis Bapt. *Luc.* 7. De pœnitentia exteriori Magdalenæ. *Mat.* 26. De vera pœnitentia S. Petri. *Mat.* 27. De falſa Iudæ, vt & Cain *Gen.* 4. Eſau *Gen.* 17. *Hebr.* 12.

Sed expreſſiùs, *Leuit.* 3. 9. 10. 16. 19. *Num.* 5. De pœnitentia illa legali, per diſtincta ſacrificia pro peccatis, eorumque expreſſam confeſſionem *Num.* 5. ac promiſſionem remiſſionis, ad orationem ſacerdotis, *Leuit.* 5. Et de iudicio legali leproſorum per ſacerdotes, *Leuit.* 13. & 14. Ad cuius legis perfectionem, 10. illi leproſi à Chriſto ad ſacerdotes remiſſi *Luc.* 17. *Dum irent mundati ſunt.* Quæ figuræ fuerunt valde expreſſæ huius noſtræ Pœnitentiæ Sacramentalis.

*Probantur.* 4. Ex varijs prophetijs & præconijs Chriſti, vt Meſſiæ, Redemptoris, Mediatoris, & Saluatoris hominum ab omnibus peccatis: & legis eius nouæ, vt legis gratiæ, remiſſionis & indulgentiæ; non tantùm per redemptionem Chriſti copioſam, ſed & per eius applicationem ordinariam ac ſacramentalem; nec tantùm ad remiſſionem ante Baptiſmum, ſed & poſt. Nam Chriſtus *Luc.* 4. De ſeipſo & ſuo aduentu interpretatur illam prophetiam *Eſa.* 61. Miſit me ſanare contritos corde, &c. Vt & *Pſal.* 146. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, &c. *Aug.* Quæ ſunt iſta alligamenta? Temporalia Sacraméta.

Hinc non tantùm pro nobis paſſus fuit: ſed & proprijs meritis ac eminenti poteſtate abſoluendi vſus fuit, *Mat.* 9. circa illum paralyticum, *Luc.* 7. circa Magdalenam, *Ioan.* 8. circa mulierem in adulterio deprehenſam, *Luc.* 27. circa latronem in cruce pendentem. Quam & tandem huic Sacramento annexam, ſuis Apoſtolis, & per eos toti Eccleſiæ communicauit.

*Probatur.* 5. Ex praxi ſeu veſtigijs huius Sacramenti in ipſa ſacra Script. Nam *Act.* 5. Videtur S. Petrus hac poteſtate vſus in examinando & puniendo peccato Ananiæ. *Act.* 19. Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos: ex quodam Dei timore. 1. *Cor.* 11. Probet autem ſeipſum homo: vtique hac probatione ſacramentali; an ſit, vel vt fiat dignus ſacra cõmunione Corporis Chriſti. 1. *Cor.* 5. 2. *Cor.* 10. & 13. 1. *Tim.* 1. De poteſtate Apoſtolica tradendi peccatores *Satanæ* ſeu excõmunicãdi, & tãdé de ipſis Angelis, quãtò magis nũc de hõinibus iudicãdi? Quòd ſi exteriùs, quantò magis interius? Si ad punitionẽ, quantò potiùs ad remiſſionem? 2. *Cor.* 5. Deus dedit nobis miniſterium reconciliationis, &c. Poſuit in nobis verbum reconciliationis, &c. *Iac.* 5. Infirmatur quis in vobis? Inducat Præsbyteros Eccleſiæ &c. *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, &c.* Quæ confeſſio cùm inde inferatur: refertur ad Præsbyteros quibus fiat, & ad finem remiſſionis peccatorum. Nec, *alterutrum*, promiſcuè, ſed accommodatè: vt *Gal.* 5. Seruite inuicem. 1. *Pet.* 4. Hoſpitales inuicẽ. 1. *Ioan.* 1. Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis, &c. Ergo de cõfeſſione fundata ſuper fideli promiſſione & inſtitutione huius Sacramenti.

*Probatur.* 5. Ex Traditione continua Eccleſiæ ab initio, per praxim communem, & varias leges ac canones pœnitẽtiales ſacrorum Conciliorum, & ſummorum Pontificum: quæ referuntur Parte 2. Decreti, per 6. diſt. & Lib. 5. Decretaliũ, tit. 38. *De pœnitentijs & remiſſionibus.* Per definitiones expreſſas Conc. Later. ſub Innoc. 3. cap. 21. Conſtantienſis ſeſſ. 8. Florentini, in inſtructione Armenorum, Tridentini, ſeſſ. 14. Imò per ſenſum communem Orationis Dominicæ, & Symboli. Nam vt per *panem noſtrum quotidianum*, ſolet etiam intelligi Sacramentalis: ſic & per *dimiſſionẽ debitorum.* Vt per *Communionem Sanctorum* ſolet præcipuè intelligi Sacramentalis: ſic & per *remiſſionẽ peccatorum*, abſque vlla reſtrictione ad Baptiſmalem. Nam *Vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum:* non ſignificat eſſe vnicum Sacramentum remiſſiuum omniũ peccatorum; ſed vel hoc vnicum, & ſolum valere ad remiſſionem plenariam, vel in fundamentum omnis remiſſionis Sacramentalis.

*Proba-*

Digitized by Google

Probantur. 6. Ex teſtimonijs SS. PP. pro eadem fide & praxi huius Sacramenti. Iren. Lib. 1. cap. 9. & lib. 3. cap. 4. De confeſſione & Exomologeſi hæreticorum conuerſorum ad Eccleſiam. Tertull. lib. De pœnit. Clauſa Innocentiæ ianua, Deus collocauit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam. Ibid. Exomologeſis eſt qua delictum noſtrum, Domino confitemur .i. per ſacerdotem. Nam ſubdit pleroſq; hoc opus vt publicationem ſui ſuffugere aut differre, pudoris magis memores quàm ſalutis: velut qui in partibus verecundis corporis contractâ vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Origen. Homilia. 2. in Leuit. Eſt adhuc laborioſa per pœnitentiam remiſſio: cùm peccator non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, &c. In quo impletur & illud Iac. 5. Si quis infirmatur, vocet Præsbyteros, &c. Hom. 2. in Pſal. 37. Qui occultat & retinet intra ſe peccatum, ſuffocatur: ſi autem confitetur, euomit, &c. Hom. 17. in Luc. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, &c. Si reuelauerimus peccata noſtra, non ſolùm Deo, ſed & his qui poſſunt mederi, delebuntur. Cypr. lib. 3. Epiſt. 14. 15. 16. contra abuſum admittendi peccatores ad Euchariſtiam ante Exomologeſim. Serm. De lapſis contra eundem abuſum: Quantò fide maiore & timore meliore ſunt, qui nullo facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, Exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medicinam paruis licet vulneribus exquirunt, &c. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti eius confeſſio poteſt, dum ſatisfactio & abſolutio facta per ſacerdotes apud Deum grata eſt. Lactantius lib. 4. Inſtit. Quia ſinguli cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant: ſciendum eſt illam eſſe veram, in qua eſt Confeſſio & Pœnitentia, &c. Sanctus Athan. in hæc verba: Inuenietis pullum alligatum, &c. Tradas te diſcipulis IESV, qui te ſoluant, pro poteſtate quam acceperunt, Mat. 18. S. Hyl. can. 18. in Mat. Quos Apoſtoli ligauerint, Mat. 18 .i. peccatorum nodis innexos reliquerint: & quos ſoluerint .i. conceſſione veniæ receperint in ſalutem; hi in Cœlis ſoluti ſunt, aut ligati. S. Baſil. Regula 228. Neceſſariò peccata aperiri debent ijs quibus credita eſt Myſteriorũ Dei diſpẽſatio. Regula 229. Vt vitia corporis ſolis peritis ea curandi ſolent aperiri: ſic & confeſſio peccatorum fieri debet S. Ambr. lib. 1. De pœn. cap. 7. contra Nouatianos: Cur baptizatis, ſi per hominem peccata remitti non licet? Nec intereſt vtrum per Pœnitentiam, an per lauacrũ hoc ius ſibi datum ſacerdotes ſibi vendicent. lib. 2. c. 6. Soluit criminum nexus verecunda confeſſio peccatorũ. De quo S. Paulinus in eius vita teſtatur. Quoties quis lapſus ſuos ei confeſſus eſſet: ita flebat, vt & illum flere compelleret, &c. Cauſas autem criminum nulli niſi Domino apud quem intercedebat, loquebatur. S. Chryſ. Lib. 2. De Sacerdotio: Multa arte opus eſt vt Chriſtiani ſibi perſuadeant, ſacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere. Lib. 3. Non ſolum cùm nos ſacerdotes regenerant: ſed etiam poſtea condonandorum nobis peccatorum poteſtatem obtinent. Ibid. Corporis lepram purgare, ſeu vt verius dicam probare, ſolis Iudæorum ſacerdotibus licebat: at verò noſtris, non corporis lepram, ſed animi ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare omninò conceſſum eſt. Hom. 33. in Ioan. In peccatis confitendis, neminẽ vereamur.

S. Hier Epiſt. ad Heliod. Abſit vt de his ſiniſtrũ aliquid loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui clauem regni Cœlorum habentes, quodammodo ante diem iudicij iudicant. Lib. 1. contra Pelag. Redimatur Sanguine Saluatoris, aut in domo Baptiſmatis, aut in pœnitentia, &c. In cap. 2. Ierem. Epiſt. ad Pammach. & ad Demetr. vocat pœnitentiam, ſecundam poſt naufragium tabulam, ex Tertull. In Eccli. 2. Si erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri: quod ignorat medicina non curat. In Mat. 16. Vt leproſum ſacerdos mundum vel immundum facit: ſic ligat Epiſcopus vel Præsbyter pro Officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates.

B. Aug. in Epiſt. ad Rom. Iuſtitiæ Diuinæ tanta conſtantia eſt: vt cùm pœna ſpiritualis & ſempiterna pœnitenti fuerit relaxata; cruciatus tamen corporales, & mors ipſa nulli relaxetur. 1. Retr. 26. De neceſſaria gratia pœnitendi. Quæſt. 26. ex 83. De peccatis diſtinguẽdis, & cõfitendis. L. De mend. Contra mendacium in confeſſione peccatorum. Lib. De agone Chriſtian. Qui nolunt credere datas Eccleſiæ claues regni Cœlorum: ipſi eas de manibus amiſerunt. Lib. 1. Doct. Chriſt. De remiſſione peccatorum in Eccleſia, ex Mat. 16. Lib. 12. contra Fauſt. De ſalute per os corporis, vt per feneſtram confeſſionis: ex figura Rahab Ioſue 2. Lib. 22. contra Fauſt. Si peccator confeſſionis & pœnitentiæ negligat medicinã, &c. atque ſic diem fungatur extremum: non iam emendatione ſed damnatione dignum lex Dei cenſet. L. 2. De actis cũ Fœlice c. 8. Chriſtus ſanat peccata confeſſos, ſanat pœnitentes. L. 2. Quæſt. Euang. q. 33. De allegoria filij prodigi: Incipit conſtitutus in Eccleſia peccata confiteri. q. 38. Vlcera fluentia Lazari, ſunt cõfeſſiones peccatorũ. L. 1. De Bapt. c. 12. De confitendo peccato fictionis. Lib. 3. cap. 16. L. 5. c. 20. 23. L. 2. De adult. Coniug. c. 16. 28. Epiſt. 23. 181. De expreſſà diſtinctione huius Sacram. à Baptiſmo, in ſigno & effectu. Vt ſupra co. 68. 109. 156. L. De S. Vir. 49. 50. De confeſſione ſacramẽtali, ex 1. Ioan. 1. contra libertatem peccandi ex facilitate confitendi. lib. 20. Ciu. cap. 9. De ſedibus Præpoſitorum, Apoc. 20. deque eorum iudicio ſacramentali, ex Mat. 18. & Ioan. 20. Lib. 1. contra Aduerſ. legis & Proph. De poteſtate etiam ſacramentali, ligandi & ſoluendi Mat. 16. & 18. In Enchir. cap. 65. De remiſſione peccatorum in Eccleſia per pœnitentiam proportionatam peccato & dolori animi, &c. Cap. 83. De neceſſitate pœnitentiæ in Eccleſia: & de impœnitentia irremiſſibili. Epiſt. 259. 260. De quodam ſecreto examine quaſi ſacramentali conſcientiæ alienæ à ſacerdotibus. In Pſal. 37. Ne ſecurus ſis cùm confeſſus fueris peccatum, tanquam ſemper præparatus ad committendum, & confitendum. In Pſal. 50. Ignoſcis confitenti, ignoſcis: ſed ſeipſum punienti. In Pſal. 66. Confiteri times Deo, ne confeſſum damnet? Si non Confeſſus lates, non Confeſſus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo non potes eſſe occultus. Damnaberis tacitus, qui poſ-

ſes liberari confeſſus. *Infra.* Plangunt ante hominem confeſſi latrones : lætantur ante Deum, confeſſi fideles, &c. Quia bonus eſt cui confitentur. Ad hoc exigit confeſſionem, vt ſaluet humilem : ad hoc damnat non confitentem, vt puniat ſuperbum. Triſtis eſto antequam confitearis : confeſſus exulta, iam ſanaberis. Non confitentis conſcientia ſaniem collegerat : adhibet medicus medicinale ferrum, in correptione tribulationis. Tu agnoſce medici manum, exeat in confeſſione, & defluat omnis ſanies: quod reliquum eſt facilè ſanabitur. *In pſal.* 74. Quid times confiteri? Bonus eſt, ignoſcit confitenti. Time confiteri iudici homini, ne fortè confeſſum puniat : fac confitendo propitium, quem negando non facis neſcium, &c. Præueniamus faciem eius in Exomologeſi. In *Pſal.* 76. Conturbatæ ſunt Abyſſi, quando conſcientias ſuas confitendo fuderunt. *In Pſal.* 82. 95. 103. De vomitu peccatorum, & decore ſeu iuſtificatione per Confeſſionem Sacramentalem. *In Pſal.* 99. De tranſitu per portam frequentis confeſſionis in hac vita. *In Pſal.* 101. 109. *Tract.* 22. 49. *Serm.* 8. *De verbis Domini in Mat.* De Confeſſione & Abſolutione ſacramẽtali, ex figura Lazari *Ioan.* 11. & ex *Mat.* 16. In *Pſal.* 102. De confeſſione in gemitu columbino, contra cras coruinum. In *Pſal.* 103. *Conc.* 1. De anima decoranda per confeſſionem. *Conc.* 4. De lacrymis pœnitentiæ, quaſi ex fumo peccatorum : & de grata diſputatione hominis cum Deo per confeſſionem. In *Pſal.* 140. De oſtio, non clauſtro oris, aperiendo ad confeſſionem, claudendo ad excuſationem. In *Pſal.* 141. ac alibi ſæpe. De more Chriſtiano tundendi pectus ad ſolum nomen Confeſſionis. *Sed*, inquit Serm. 16. in Mat. cap. 11. *ne videaris malam conſcientiam pugnis pauimentare, ſolidioremque reddere, non correctiorẽm.* In *Pſal.* 146. De Contritione, Confeſſione, Satisfactione, & Abſolutione Sacramentali. *Qui ſanat contritos corde.* Quomodo conteris? Confitendo, puniendo peccata tua. Quid aliud ſignificat pectorũ tunſio? Niſi fortè putamus oſſa noſtra aliquid peccaſſe. *Alligat contritiones eorum &c.* Quæ ſunt iſta alligamenta? Temporalia Sacramenta. Vt enim medicus perfectâ ſanitate detrahit ligaturam : ſic cùm Angelis æquales fuerimus. Aut ibi imponenda eſt manus ab aliquo Præpoſito? *Tract.* 1. *in Epiſt. Ioan.* Si confeſſi fuerimus peccata noſtra, &c. *Dic hominibus quid es: dic Deo quid es.* Tract. De ouibus. *Præueniamus faciem eius in confeſſione, &c. Hodie ineſt ſcrupulus, hodiè ſit Confeſſio: noli differre medicinam* *Serm.* 16. *in Mat.* De ſalutari pœnitentia in ſola Eccleſia. *Serm.* 29. *De verbis Apoſt. c.* 5. Eccleſia habet maculas & rugas : ſed confeſſione ruga extenditur, macula abluitur. *Hom.* 12. *ex* 50. in illud *Iac.* 5. Confitemini alterutrum, &c. *Salubriter admonemur, vt pecca noſtra debeamus humiliter, non ſolùm Deo, ſed etiam Sanctis & Deum timentibus Confiteri.* Hom. 23. cap. 9. *Si non dimittant homines peccata : falſum eſt* Mat. 18. *Quæ ſolueritis &c.* Cap. 10. *Qui dimittit per hominem, poteſt & dimittere præter hominem.* Hom. 27. *cap.* 3. De pœnitentia grauiori : à qua, inquit, propriè in Eccleſia vocãtur Pœnitentes. *Hom* 41. De vera, ſecura, & matura pœnitentia : contra falſam, dubiã, & ſeram. *Hom.* 43. De Confeſſione & pœnitentia ipſorummet ſacerdotum. *Hom.* 49. *cap.* 3. *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, vt oret pro vobis. Nemo ſibi dicat occultè ago, apud Deum ago : nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt*, Mat. 18. *Quæ ſolueritis, &c? Ergo ſine cauſa ſunt datæ Claues Eccleſiæ, &c? Fruſtramus verba Chriſti? Iob dicit* cap. 31. *Si erubui in conſpectu populi confiteri peccata mea : & filius peſtilentiæ erubeſcit genu figere ſub Benedictione Dei?* Hom. 50. cap. 4. *Implicatus quis mortiferis nexibus peccatorum, detractat, aut differt, aut dubitat confugere ad Claues Eccleſiæ : quibus ſoluatur in terra, vt ſit ſolutus in Cælo, &c. Iudicet ergo ſeipſum, & cùm ipſe in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam : veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur, &c. A Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* Serm. 66. De tempore ex *Iac.* 5. & 1. *Ioan.* 1. *Quomodo poteſt medicus vulnus ſanare, quod ægrotus oſtendere erubeſcit?* Serm. 124. *Ideo B. Petrum paululùm Dominus ſubdeſeruit: vt Eccleſiæ Rectori futuro ignoſcendi peccantibus quædam regula poneretur.* Serm. 3. De diuerſis cap. 5. *Quid eſt odio habere mala tua? Pænitendo confiteri. Omnis enim pænitens, & pænitendo confitens, iraſcitur ſibi.* Serm. 34. cap. 12. *Sunt quædam grauia & mortifera, &c. Hæc dimittuntur per Claues Eccleſiæ.*

Citatur & liber *De vera & falſa pænitentia*, quaſi Beati Aug. ſed nec videtur eius; nec Patres & Doctores poſteriores *Auguſtino* ſunt magnæ authoritatis contra hæreticos, niſi ad continuationem eiuſdem Doctrinæ & praxis Sacramentalis.

*Probari poſſunt* 7. Varijs miraculis, ad confirmandam fidem & praxim huius Sacramenti, relatis à pluribus Authoribus fide dignis: quibus hæretici fidem negantes, & ipſi omni fide humana indigni ſunt.

*Probantur* 8. Varijs rationibus. 1. Ab ipſa naturali inclinatione exigendi & exhibendi ſigna aliqua pœnitentiæ ac remiſſionis, ad reconciliationem etiam inter homines : quantò magis cum Deo? Hinc *B. Aug. l. De duabus animabus* c. 14. *Vtile eſt pænitere peccati : vox etiam eſt iſta naturæ.* 2. Ab antiquitate huius fidei & praxis ſacramentalis, irreferibili ad vllum authorem Iuris humani : ergo ad ſolum Chriſtum. 3. A difficultate Confeſſionis ſacramentalis, & communi omnium fidelium obligatione, abſque vlla omnino exceptione Principum, Regum, Imperatorum, nec ipſius Summi Pontificis: vnde patet non eſſe niſi à Deo & Chriſto. 4. A ſalubritate huius Sacramenti, ad remiſſionem & emendationem peccatorum : vnde patet eſſe remedium dignum Sapientia & Miſericordia Dei ac Saluatoris noſtri IESV Chriſti.

*OBIECTIO PRIMA.*

Ex *Mat.* 11. Venite ad me omnes, &c. *Iugum enim meum ſuaue eſt & onus meum leue.* Atqui hoc Sacramentum eſt difficilius pœnitentia ſufficiente in lege veteri & naturæ ad remiſſionem peccatorum; ergo non eſt neceſſarium, nec inſtitutum à Chriſto pro lege noua gratiæ. *Reſp.* Negando hoc Sacramentum eſſe difficilius pœnitentiã legis naturæ & Moſaicæ. 1. Quia hæc exigebat difficiliorem contritionem. 2. difficiliorem ſatisfactionem

Digitized by Google

ctionem. 3. Exigebat in lege Moſaica quandam etiam difficiliorem confeſſionem publicã, & expiationem per ſacrificia. 4. Minùs tunc facilitabatur per gratiam, quàm nunc. 5. Erat minùs certa, & minùs efficax ad gratiam, ſatisfactionem, emendationem, & præſeruationem à peccatis, quàm ſit noſtra ſacramentalis. Ex quibus omnibus ſimul collatis ponderanda eſt grauitas aut leuitas, facilitas aut difficultas huius vel illius legis ac pœnitentiæ. Nec Confeſſio & Abſolutio Sacramentalis eſt neceſſaria in re, ſed voto: nec hoc votum cenſendum eſt grauamen pœnitentiæ antiquæ; quia eſt tantùm propoſitum obſeruandi legem nouam, ſicut pœnitentia antiquæ legis continebat propoſitum ſeruandi illam legem. Imò ipſa Confeſſio & Abſolutio actualis eſt maximum ſolatium pœnitentium: quòd habeant fideles & peritos ſuarum conſcientiarum depoſitarios, Confeſſarios, & Iudices; non Angelos ſed homines, non ſolùm Sanctos ſed & compeccatores, apud quos ſecreta conſcientiæ ſuæ liberè ac ſecurè exponant, acta & onera ſua deponant, & à quibus ſeu per quos à Deo fauorem & certitudinem Abſolutionis recipiant. Quamuis enim non poſſint fauere reis contra legem & inſtitutionem huius Iudicij ſacramentalis: hoc ipſo tamen quo Deus vices ſuas in hoc Iudicio hominibus etiam peccatoribus commiſit, rigorem iudicij ſui Diuini ad captum humanum remiſit ſeu relaxauit. Hinc vt *Mat.* 9. meritò glorificandus eſt Deus, *qui dedit poteſtatem talem hominibus.*

*Contra.* Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *c.* 5. exigit confeſſionem impoſſibilem, omnium & ſingulorum peccatorum mortalium in ſpecie, grauitate, & numero: cùm *Pſal.* 18. Delicta quis intelligat? *Pſal.* 37. Iniquitates noſtræ excedant caput noſtrũ; nec doctiſſimi quique poſſint illa diſcernere. Hinc obligatio ſic confitendi torquet potiùs, & dementat, quàm conſoletur pœnitentes. *Reſp.* Ex ipſo *Trid.* ſupra *col.* 13. 14. 15. Nec eſt pœnitentium diſcernere philoſophicè aut Theologicè peccata mortalia à venialibus, nec illorum circumſtantias ſpecie aggrauantes aut non, nec omnia & ſingula quaſi aritmethicè enumerare: ſed moraliter, mediocriter, voluntariè, pro ſuo captu, ea quæ ſibi talia videntur exponere quoad facti ſpeciẽ, iuri & iudicio ſacramentali. Quod ſi qui hinc nimiâ animi contentione memoriam & conſcientiã conturbent: eſt contra inſtitutionem, finem, & fructum communem huius ſacramenti.

*OBIECTIO 2.*

Ex *Mat.* 6. Dimitte nobis, &c. *Mat* 9. *Luc.* 5. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? *Ezech.* 18. Remiſſio tribuitur pœnitentiæ. *Prou.* 8. *Luc.* 7. 1 *Ioan.* 3. Fidei, Spei, Charitati, &c. Ergo Sacerdotes non habent poteſtatem iudicialem abſoluendi à peccatis: ſed vel à ſolis reliquis vinculis, vel tantùm monendi & mouendi ad fidem, ſpem, Charitatem, pœnitentiam, quibus peccata remittantur; vel diſcernendi, declarandi ſeu certificandi an ſint remiſſa vel nõ, ſeu an pœnitẽtia ad hoc ſufficiat; vel denique orandi, ſeu impetrandi alijs remiſſionem peccatorũ. Hinc cõparatur poteſtati ſacerdotũ legalium ad offerendum ſacrificia pro peccatis, & ad diſcernendam lepram à lepra, vel non lepra. *Hebr.* 5. 7. 9. 10. 11. non tribuitur Põtifici, niſi oblatio pro peccatis. 2. *cor.* 5. Obſecramus pro Chriſto recõciliamini Deo. *Iac.* 5. Confitemini, & orate pro inuicẽ. *Reſp.* Ex Quæſt. 3. & 4. De ſacramentis in genere: hanc eſſe murmurationẽ Pharizæorũ contra Chriſtum, ſupra: remiſſionem autem peccatorum meritò tribui varijs cauſis, & modis cauſandi. 1. Soli Deo, principaliter & efficienter. 2. Chriſto homini, meritoriè & excellenter. 3. Gratiæ actuali credendi, ſperandi, pœnitendi, & omnibus ad hæc monitis ac motiuis, diſpoſitiuè 4. fidei, ſpei, Charitati, gratiæ habituali, formaliter. 5. Precibus Eccleſiæ, & Sanctorum viuorum aut defunctorum pro peccatoribus, impetratoriè. 6. Sacramentis, inſtrumentaliter ex opere operato. 7. Huic Sacramento, iudicialiter ſeu abſolutoriè: qui modus proprius, & diſtinctus ab omnibus alijs, eſt ex ſe tantùm moralis; ideoque captu facilior, quàm in alijs Sacramentis. Nec excludit, ſed ſupponit aut requirit alias cauſas & modos remittendi: à quolibet tamen alio propriè diſtinguitur ac ſignificatur nomine remiſſionis, abſolutionis, & reconciliationis. Quod enim 2. *Cor.* 5. dicitur, *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo*: hoc ipſo diſtinguitur hæc reconciliatio ab illa obſecratione; non tamen ipſe obſecrans à reconciliatore, quia obſecrat ad reconciliandum. Sed *Iac.* 5. Oratio quæ additur confeſſioni, vt & vnctioni: vel eſt ipſa forma ſacramentalis, quæ eſt ſaltem implicitè precatoria; vel eſt cæremonialis, vel prorſus extra-ſacramentalis, qualis eſt hæc, *Dimitte nobis Debita noſtra, ſicut & nos, &c.* Nam quamuis ſit etiam impetratoria & diſpoſitiua ad remiſſionem ſacramentalem: non tamen per ipſum orantem, ſed per quemlibet alium capacem. Hinc enim patet quantum remiſſio, abſolutio, & reconciliatio ſacramentalis differat ab oratione, monitione, & omnibus motiuis credendi, ſperandi, pœnitendi: quòd hæc ſint omnibus communia, & Sanctioribus ac Doctioribus conuenientiora; illa autem ſolis Sacerdotibus, quamuis minus pijs aut doctis, propria. De qua tamen poteſtate ſacerdotali nouæ legis, non agit Apoſtolus ad *Hebr.* quia comparat ſacerdotium antiquum cũ nouo v excellentiori, in eo quod eſt vtrique commune, & quod eſt proprium ac principale ſacerdotij, videlicet ſacrificare. Quamuis ſub officio Mediatoris, & actione mediandi inter Deum & homines, ſatis indicet ad perfectionem Sacerdotij nouæ legis hanc etiam mediationem ſeu reconciliationẽ ſacramentalem pertinere.

*OBIECTIO 3.*

*Act.* 10. & 26. SS. Petrus & Paulus prædicant remiſſionem & abſolutionem peccatorum, relatiuè ad doctrinam Prophetarum: ergo non per Sacramentũ aliquod pœnitentiæ diſtinctũ à Baptiſmo; quia nec hanc Prophetæ docuerunt, & ipſe Apoſt. *Hebr.* 6. reprobat pœnitentiam & impoſitionem manuum poſt Baptiſmum. *Reſp.* Apoſtolus ibi prædicaſſe primam pœnitentiam antebaptiſmalem, ſeu neceſſariam ad Baptiſmum, ex ipſa prædictione Prophetarum: ſed & alibi ſæpe monuiſſe etiam peccatores baptizatos, ad pœnitentiam diſtinctam ac maiorem ab ipſis etiam Prophetis ſatis prædictam, ad perfectionem nouæ le-

gis, & redemptionis ac ſalutis, non tantùm à peccatis ante Baptiſmum, ſed etiam poſt. Quam Apoſtolus non reprobat *Hebr.* 6. ſed monet vt poſt Baptiſmum *Ad perfectionem feramur: non rurſus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptiſmatum Doctrinæ, impoſitionis quoq́ manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni.* i. Non relabamur, nec redigamus nos ad hanc neceſſitatem. *Impoſſibile enim eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* i. Eſt valdè difficile tales perfectè conuerti ac pœnitere, ex tanto demerito gratiæ ad hoc neceſſariæ: vel, eſt abſolutè impoſſibile eos renouari, ſeu rebaptizari.

OBIECTIO 4.

*Mat.* 8. & *Luc.* 17. Chriſtus ſanat leproſos priùs quā eos mittat, aut perueniāt ad Sacerdotes, qui nō habebant poteſtatē eos ſanādi, ſed diſcernēdi. *Ioan.* 11. priùs reuocat. Lazarū ad vitā, quā dicat Apoſtolis: *Soluite eū, & ſinite abire.* Ergo nec Sacerdotes nouæ legis habent poteſtatem abſoluendi à peccatis: ſed tantùm à reliquis vinculis, & iudicandi de ſufficienti pœnitentia, & remiſſione peccatorum, aut non. Hinc *S. Hier. in Mat.* 16. Hunc locum quidam non intelligentes, aliquid ſumunt de ſupercilio Phariſæorum, vt damnare noxios, & liberare innoxios ſe putent: cùm apud Deum non ſacerdotum ſententia, ſed reorum vita quæratur. In *leuit.* ſe oſtendere Sacerdotibus iubentur leproſi: quos illi non faciunt leproſos, vel mundos; ſed diſcernunt qui mundi vel immundi ſint. *B. Aug.* Sæpè in illum ſenſum exponit illam figuram *Ioan.* 11. Imò *Magiſter ſent. in* 4. *d.* 8. & multi Scholaſtici cenſent peccata non remitti à Sacerdotibus quoad culpam, ſed per neceſſariam contritionem præuiam. *Reſp.* Figuras legis antiquæ non fuiſſe æquales, ſed tantùm ſimiles veritati legis nouæ, in ſigno & effectu: Chriſtum autem illas in vtroque perfeciſſe. Hinc iudicium legale ſacerdotum inter lepram, aut non lepram, & quædam purgatio legalis ab imputatione lepræ, perficitur in hoc iudicio ſacramentali, ac abſolutione peccatorum coram Deo & Eccleſia. Quam quidem imperfectionem illius figuræ, Chriſtus indicat mittendo purgatos ad ſacerdotes illius legis: ſed & perfectionem huius veritatis, ſanando ſeu mundando eos euntes, in ſignum virtutis huius Sacramenti etiam in voto, ſeu quòd perfectè pœnitentes nonniſi eundo, ſeu ſaltem affectu ſubeundo hoc iudicium, priuſquam tamen id re ipſa ſubeant, iuſtificentur. Nec *S. Hier.* aliud intendit, quàm quòd hoc iudicium ſacramentale ſacerdotum non valeat pro eorum libitu: ſed pro diſpoſitione pœnitentium. Nec Chriſtus *Ioan.* 11. nec *Aug.* in illum locum, nec *Magiſter* aut vlli Scholaſtici negant Apoſtolis & Sacerdotibus abſolutionem ſacramentalem à culpis: ſed reſeruant ſoli Deo & Chriſto reuocationem internam peccatorum ad vitam gratiæ, & eorum euocationem quaſi foras extra ſecretum conſcientiæ ad confeſſionem ſacramentalem, per gratias actuales ad hoc neceſſarias. Tribuunt enim omnibus Sacramentis collationem gratiæ ſanctificantis, vt *q.* 3. & 4. De ſacramentis in genere. Quæ quamuis ſit ex ſe remiſſiua omnis peccati, ſæpè tamen ſupponit, aut inuenit omnia remiſſa quoad culpam, per Contritionem perfectam: ſicque non remittit actualiter culpam, nec pœnam æternam, ſed temporalē, &c. Vt ſupra *col.* 661. 664. 668. & infra.

OBIECTIO 5.

Sacra Scriptura iungit Baptiſmum, Pœnitentiæ. *Marc.* 1. *Luc.* 2. Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. *Act.* 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum, &c. Ergo nō eſt aliud Sacramentū. Nam *B. Aug. l.* 1. *De nup. & conc. c.* 33. Eodem lauacro mundantur quæ poſteriùs humanâ ignorantiâ vel infirmitate cōtrahuntur. Et *L.* 4. *contra duas Epiſt. Pelag. c.* 7. In Bapt. dimittuntur cuncta peccata: quia niſi Eccleſia eſſet baptizata, infructuosè diceret, Dimitte nobis, &c. *Hom.* 27. *c.* 2. Quæ debita dimiſit in Baptiſmo, iterum vt dimittat oramus. *Lib.* 3. *de Bapt. c.* 17. 18. *lib.* 6. *c.* 1. *l.* 7. *c.* 12. *Epiſt.* 25. & alibi ſæpè explicat illlud *Ioan.* 20. *Quorum*, vel vt ipſe ait, *Cui remiſeritis, &c.* de remiſſione per Baptiſmum. *Reſp.* Iungi Baptiſmum pœnitentiæ Ante-baptiſmali Adultorum, vt ſupra. Ad pleraque autem Aug. vt *col.* 155. 156. 157. *De* Baptiſmo. *Ad vlt.* Extendit hanc poteſtatem Eccleſiæ ad omnem modum dimittendi peccata: quia licet remittere, & retinere propriè ſignificent poteſtatem iudicialem huius Sacramenti; ſubſignificant tamen etiam Baptiſmalem, imò & impetratoriam, per *preces*, inquit, *Eccleſiæ, ſeu Sanctorum eius*, &c. Vt *Tom. noſtro* 2. *in Aug. à col.* 365.

OBIECTIO 6.

*Iac.* 5. Salus vnctorum, & confitentium tribuitur ſoli orationi pro ipſis: ergo non Abſolutioni. Hinc *B. Aug. l.* 3. *De Bapt. c.* 16. Quid eſt Manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem? *lib.* 5. *c.* 20. Deus exaudit homicidam deprecantem ſuper capita eorum quibus manus imponitur. *In Enchi. c.* 71. *Epiſt.* 25. 108. *Hom.* 27. *c.* 2. & alibi ſæpè tribuit Orationi Dominicæ, Eccleſiæ & Sanctorum, omnem remiſsionem peccatorum poſt Baptiſmum. *Epiſt.* 54. Confitemini inuicem peccata veſtra, & orate pro vobis. *Iac.* 5. Has ſibi partes humanitatis vbi poteſt omnis homo apud hominem vendicat. Ergo eſt tantum quædam intercelsio Charitatis. *Reſp.* 1. Vt ſupra, nec Orationem Dominicam, nec illā poſt Confeſsionem *Iac.* 5. eſſe aut videri Sacramentalem: quia eſt tantum *pro inuicem*, nec habet annexam promiſsionem propriam, vt oratio iuncta vnctioni ibidem; ſed oratio illa *ſuper hominem*, ſeu *ſuper capita eorum quibus manus imponitur*, eſt Sacramentalis, abſolutoria, & reconciliatoria. 1. Quia habet ſuum valorem infallibilem, etiamſi ſit à peccatoribus. 2. Quia non eſt tam *pro*, quàm *ſuper* homine. 3. Quia iungitur ſigno poteſtatis, ſeu impoſitioni manuum: non confirmatoriæ, aut conſecratoriæ, ſed reconciliatoriæ; quia hæc ibidem ab *Aug.* probatur iterabilis, illæ autem irreiterabiles. Quamuis autem hæc ſit tantùm cæremonialis: ſatis tamen ſignificat adiunctam orationem non eſſe ſimplicem ac formalem; ſed, vt ſæpè Patres loquuntur, eſſe *myſticam* ſeu ſecretam, implicitam, virtualem, poteſtatiuam, abſolutoriam, & reconciliatoriam. *Reſp.* 2. Tam Orationem Dominicam, quàm illam poſt confeſsionem *Iac.* 5. referri etiam ad hoc Sacramentum, ſiue ſint Cæremoniales, ſiue prorſus

Digitized by Google

ſus extra Sacramentales: quia *B. Aug.* ſæpè tribuit his precibus Eccleſiæ & Sanctorum pro peccatoribus, omnem remiſſionem peccatorum; ergo fiunt vt Deus pœnitentibus, confitentibus, & dimittentibus peccata aliena, ipſe quoque dimittat propria, non tam extrà quam in hoc Sacramento; vel vt ad hunc finem det gratiam dimittendi aliena, & pœnitendi, ac confitendi propria. Hic enim videtur eſſe ſenſus illius *Epiſt.* 54. Vt ſicut *omnis homo hæc ſibi partes humanitatis apud hominem iudicem vendicat*, videlicet intercedendi pro reis: ita & omnes apud Deum, ſed præcipuè Sacerdotes, qui & ſubintelligi poſſunt per illos *Sanctos Eccleſiæ*, ſeu ad hoc ipſum conſecratos, vt *Lib.* 1. *contra Parm. cap.* 8.

OBIECTIO 7.

Quædam Peccata ſunt irremiſſibilia: vt Blaſphemia in Spiritū *S. Mat.* 12. *Marc.* 3. *Lu.* 12. Quidam relapſus, *Heb.* 6. & 10. Quoddam peccatum ad mortem, 1. *Ioan.* 5. Peccatum excæcationis, ac obdurationis, & certus numerus peccatorum, *Amos* 1. & 2. Nulla autem ſunt irremiſſibilia poteſtate Dei abſoluta; ergo ordinaria, & ſacramentali. Hinc *Aug. Epiſt.* 54. In tantum hominum iniquitas progreditur: vt etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia, vel grauiora committant. Et quamuis eis in Eccleſia locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur: Deus tamen ſuper eos patientiæ ſuæ non obliuiſcitur. *Reſp.* Nulla eſſe irremiſſibilia ex defectu poteſtatis Sacramentalis: ſed ex impœnitentia peccatoris, ſiue finali & abſoluta, ſiue ordinaria, ſeu difficultate ac impoſſibilitate morali pœnitendi. Nam hæc poteſtas ſacramentalis nullam habet reſtrictionem ad numerum, & grauitatem: ſed expreſſam ad omnia extenſionē, *Mat.* 16. 18. *Ioan.* 20. Nec S. Aug. negat vllis peccatis, & peccatoribus locum pœnitentiæ Sacramentalis in Eccleſia: ſed *humillimæ* .i. publicæ & ſolemnis. *Cautè* (inquit) *prouiſum eſt, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur: ne medicina vilis minus vtilis ſit ægrotis.* Quæ erat tantùm pro grauibus & manifeſtis criminibus. Nec excludit: ſed ſupponit pœnitentiam humilem & humiliorem, ſeu priuatam pro ſecretis, & publicam iterabilem pro publicis, nō tamen grauiſſimis criminibus. Al. ſupra *col.* 639. Et Comment. in *Aug. col.* 938.

OBIECTIO 8.

Non videtur ad hoc ſacramentum neceſſaria Pœnitentia de peccatis præteritis, cum propoſito cauendi futura: ſed ſola reſipiſcentia ac emendatio de futuro; tum quia id ſignificat græcè *Metanoia*, latinè pœnitentia; tum quia pœnitentia ſeu nolitio præteritorum, eſt impoſſibilis, vel inordinata; tum quia poteſt eſſe & ſufficere inſtantanea, aut breuiſſima, quæ nequit verſari circà præterita & futura; tum denique quia ſuppleri poteſt per actum formalem Charitatis, & opera miſericordiæ. *Luc.* 7. 1. *Ioan.* 3. 4. *Dan.* 4. *Tob.* 12. Nec videtur poſſibilis contritio perfecta, ſeu ſummus dolor de peccatis ex Charitate Dei: tum quia Charitas eſt potiùs cauſa gaudij, *Gal.* 5. tum quia homo non eſt capax ſummi doloris, imò nec dolor poteſt eſſe ſummus. Denique nec contritio imperfecta, ſeu dolor de peccatis ex timore pœnæ poteſt eſſe ſalutaris: quia eſt vitioſa & inordinata, vt præferens malum pœnæ, malo culpæ, &c.

*Reſp.* Totam ſacrā Script. nimis ſæpè & expreſſè nobis inculare vim & neceſſitatem pœnitentiæ, ſeu diſplicentiæ peccatorum præteritorum, cum propoſito cauendi futura: nimis ſæpè & expreſſè commendare perfectam contritionem ex Charitate, approbando etiam imperfectā ex timore Dei; quàm vt hac ethymologiâ, & ratiunculis eludi poſſit. 2. *Cor.* 7. Gaudeo quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam, &c. Triſtitia pœnitentiam operatur. *Luc.* 3. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis. *Act.* 3. Pœnitemini, & conuertimini. *Pſal.* 50. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. *Pſal.* 146. Qui ſanat contritos corde. *Ioel.* 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro &c. Scindite corda veſtra. *Pſal.* 84. *Ier.* 31. Conuerte me Domine & conuertar, &c. Poſtquam conuertiſti me egi pœnitentiam. *Luc.* 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Prou.* 1. Initium ſapientiæ timor Domini. *Eccl.* 1. Timor Domini expellit peccatum. *Eſa.* 26. A timore tuò concepimus, & pepermus ſpiritum ſalutis. *Mat.* 10. Timete eum qui poteſt corpus & animam perdere in Gehennam. Nec actus Charitatis ſupplet, niſi vt eſt pœnitentia virtualis, & in voto ſaltem implicito: nec opera miſericordiæ niſi diſpoſitiuè, ſatisfactoriè, vel niſi ex actu Charitatis. De Ethymologia autem & definitione pœnitentiæ, De poſſibili & ordinata, inſtantanea, explicita vel implicita, ſumma intenſiuè vel extenſiuè, perfecta ex Charitate, vel imperfecta ex timore, formali vel virtuali, &c. Ex *Al. Bon.* & *Scoto*, ſupra; & quoad difficiliora, ex quæſt. Scholaſticis, infrà.

OBIECTIO 9.

*Socrates, Sozomenus, Caſſiodorus, Nicephorus* referunt confeſſionem peccatorum fuiſſe abolitam in Eccleſia Conſtantin. à *Nectario* eius Epiſcopo, prædeceſſore S. Chryſ. ob reuelationem peccati ſcandaloſi: ergo non eſt neceſſaria iure Diuino. *Reſp.* Non aboleuiſſe Confeſſionem Sacramentalem: ſed publicam, ex qua ſcandalum illud ortum fuerat: & recentem inſtitutionem publici Pœnitentiarij. Quia praxis pœnitentiæ ſacramentalis in tota Eccleſia græca huc vſque perſeuerat: vt patet ex cenſura Ieremiæ Patriarchæ Conſtantinop. ad articulos confeſſionis Auguſtanæ, ſeu lutheranæ; nec fertur vnquam Nectarium inde correctum, aut confeſſionem ab eo abolitam reſtitutam fuiſſe.

*Contra.* Referunt, eum omnes reliquiſſe *propriæ conſcientiæ*. Hinc S. Chryſ. eius ſucceſſor *Hom.* 2. *in Pſal.* 50. Peccata tua dicito, vt deleas ea: ſi confunderis dicere alicui, dicito quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis conſeruo tuo, qui exprobret: dicito Deo qui curat ea. *Hom.* 4. *De Lazaro*: Caue ne homini dixeris, ne tibi exprobret, &c. *Hom. De Pænit.* & *Conf.* Abſque teſte ſit hoc iudicium: ſolus te Deus confitentem videat. *Hom.* 31. *in Epiſt. ad Heb.* Ante Deum confitere peccata tua, apud verum Iudicem: non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria. *Reſp.* Nectarium reliquiſſe quemlibet propriæ conſcientiæ: non ad ſoli Deo confitendum, ſed priuatim, cui & quando conſcientia dictaret, ante ſacram Communio-

nem

Digitized by Google

nem. Vt 1. *Cor.* 11. Probet autem ſeipſum, &c. Si nos ipſos iudicaremus, &c. Nec Chryſoſt. aliud vult, quàm intentum ſui Prædeceſſoris: ne quis cogitur ad exponendum ſe periculo infamiæ & ſcandali, per publicam Confeſſionem, ſiue ſacramētalem, ſiue potiùs ſatisfactoriam. Vt patet ex verbis non *exprobrandi: non prodeundi in theatrum, nō adhibendi teſtes*, &c. Exigit autem ſolam Confeſſionem in anima coram Deo: non contra priuatam Confeſſionem Sacramentalem, ſed publicam & ſatisfactoriam: quia ſæpè ſupra commendat hanc poteſtatem Sacerdotalem, & obligat ad confeſſionem ſacramentalem.

OBIECTIO 10.

Chriſtus non reuocauit promiſſionem generalem parcendi contritis corde: nec exegit Confeſſionem diſtinctam, ab eis quos abſoluit; ſed tantùm pœnitentiam, & aliqua eius ſigna. *Reſp.* Veram pœnitentiam ſeu contritionem non poſſe eſſe ſine voto ſeu propoſito mediorum ac remediorum à Chriſto inſtitutorum: quæ tamen Chriſtus non exegit ante eorum inſtitutionem; nec ipſe adhibuit, quia ab eis non dependebat, ſed nos.

OBIECTIO 11.

Sacræ Script. æquè exigunt Confeſſionem peccatorum in omni lege: & *SS.* Patres æquè explicant, & applicant eas noſtræ Cōfeſſioni; ergo non vt Sacramentali. Nam *Aug.* 10. *Conf.* 3. Quid mihi eſt cum hominibus vt audiant Confeſsiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint languores meos? *Reſp.* Nec illas æquè exigere, nec hos æquè explicare: ſed illas antiqui Teſt. allegoricè, vt figuras Confeſsionis Sacramentalis nouæ legis. Hinc B. Aug. ſtudioſè captat occaſionem illas ſic allegorizandi: ſed Confeſſiones eius ſcriptæ, non fuerunt Sacramentales; nec tam pœnitentiales, quàm laudis, gratitudinis, ac humiliationis, de peccatis ſibi per Baptiſmum remiſſis. Vt patet ex 2. *Retr.* 6. & ex toto earum contextu.

OBIECTIO 12.

Eſt legis latæ ab *Innoc.* 3. in *Conc. Later.* Vt omnis *vtriuſq;* ſexus quotannis ſemel proprio Sacerdoti confiteatur omnia peccata: ergo non eſt iuris Diuini confiteri *omnia*, nec *proprio Sacerdoti*; nec videtur obligare niſi *hermaphroditas*, qui ſoli ſunt *vtriuſque ſexus*. Vt illudit *Calu.* 3. *Inſt. c.* 4. §. 7. *Reſp.* Hanc illuſionem eſſe nimis ſcurrilem & blaſphemam, in re tam ſacra: illam autem legem tantùm determinare ius Diuinum ſacræ Confeſſionis, ſaltem ad annuam; non ad confitendum omnia mortalia proprio ſacerdoti, ſeu iuriſdictionem habenti, quæ ſunt Iuris Diuini; ſed illud determinari cum aliqua horum expreſſione.

OBIECTIO 13.

*Ezech.* 18. & 33. Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit. *Mat.* 6. Dimitte nobis, ſicut & nos. *Ioan.* 8. Nec ego te condemnabo: vade & noli amplius peccare. *B. Aug. De vera & falſa pœnit cap.* 9. Impium eſt à Deo dimidiam ſperare veniam. Ergo Deus non reſeruat vllam pœnam: ſed remittit integrè omnem culpam & pœnam. *Reſp.* Ex *Gen.* 2. *Rom.* 2. *Num* 14. & 20. 2. *Reg.* 12. 24. 1. *Cor.* 12. Adam, Dauid, Iudæos, Chriſtianos, puniri ab culpam remiſſam. Nec ſic nocet, ſed prodeſt ad ſalutē. Nec dimiſſio noſtra debitorum alienorum, debet eſſe ſine vlla ſolutione aut punitione: nec debet eſſe æqualis, ſed ſimilis Diuinæ. Nec remiſſio illa Chriſti *Ioan.* 8. eſt ordinaria: nec fortè ſine perfecta contritione, & pœna ſatisfactoria. Nec remiſſio totius culpæ & pœnæ æternæ eſt media aut partialis: ſed integra, & diuerſa à venia pœnæ temporalis. *Aug. Tract.* 124. Productior eſt pœna, quàm culpa: ne parua putaretur culpa, ſi cum ea finiretur & pœna.

OBIECTIO 14.

Præſumptio Satisfaciendi, eſt contra gloriam Chriſti. Nam *Pſal.* 129. Copioſa apud eum redemptio. *Heb.* 9. Chriſtus ſemel introiuit in Sancta, æterna redemptione inuentâ. 10. Vna oblatione conſummauit ſanctificatos. *Mat.* 6. Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet, &c. Ergo nemo poteſt ſibi ipſi, vel alteri, eſſe Ieſus: nec ſatisfacere vltra merita & ſatisfactiones Chriſti. *Reſp.* Neminem poſſe eſſe ſibi ipſi vel alteri Ieſum, ſeu Saluatorē, aut Redēptorem ſimpliciter, à culpis vel pœnis: quia nonniſi ex gratia, meritis ac ſatisfactionibus Chriſti; per noſtras tamen etiam participatis & applicatis; non ex illarum defectu, ſed ex perfectione & vi noſtras etiam Deo gratificandi. Sic enim *Col.* 1. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionibus Chriſti. Non *quæ deſunt* quoad vim & valorem: ſed quoad fructum, participationem, & applicationem. Sic *Dan.* 4. *Prou.* 8. Peccata eleemoſynis redimi poſſunt. *Luc* 3. Fieri poſſunt fructus digni pœnitentiæ: dignitate participata gratiæ Chriſti. Quod non eſt contra, ſed ad maiorem eius gloriam: vt quæuis participatio perfectionis.

OBIECTIO 15.

Præſumptio ſatisfaciendi, eſt contra gloriam Dei. Nam *Pſal.* 55. Pro nihilo ſaluos facies. *Rom.* 3. 4. 9. 11. *Gal.* 2. *Eph.* 2. *Iac.* 2. Non ex operibus &c. *Luc.* 17. Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis: dicite ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. Non tamen quantum debemus: multo minus vltra debitum præſens, ad ſatisfaciendum pro præteritis. *Reſp.* Non eſt præſumptio, ſed fides & ſpes ſatisfaciendi, ex gratia Dei per merita Chriſti: ideoque nec Deo, nec Chriſto iniurioſa, ſed glorioſa. Nam, *pro nihilo*, ſeu gratis, *ſaluos nos facit* ſimpliciter .i. à culpa & pœna æterna: imò & à pœna temporali, quaſi pro nihilo noſtro .i. pro modico, nec tam noſtro quàm ſuo. *Non ex operibus*, legis veteris, aut naturæ: ſed gratiæ, &c. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis* .i. obligatoria, non ſupererogatoria. *Serui inutiles ſumus*: vtique Domino Deo, ſed nobis ipſis vtiles, ei ſeruiendo & ſatisfaciendo. Non vltra debitum perfectionis, ſed obligationis: non *ſatis* ad æqualitatem, ſed ad proportionem, & gratioſam Dei acceptationem: nec ex nobis, ſed ex ipſa Dei gratia per Chriſtum; nec illud *ſatis*, eſt aliquid plus quam merita Chriſti, nec ab illis diuiſum, ſed vt illorum ramus, fructus, vel folium. *Ioan.* 15. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.

OBIEC.

Digitized by Google

OBIECTIO 16.

Eſt ſolius Dei ſcire, decernere, inferre, & exigere pœnas etiam temporales: non autem ipſorum reorum, nec Sacerdotum. *Reſp.* Eſſe ſolius Dei principaliter: Sacerdotum ex ſpeciali commiſſione, *Mat.* 16. 18. *Ioan.* 20. & cuiuſuis ex monitione Dei generali, non tantum patiendi, ſed & agendi pœnitentiam internam & externam, per bona opera præcipuè pœnalia, ab ipſo Deo in tota Sacra ſcript. commendata, & à tot pœnitentibus exemplificata.

OBIECTIO 17.

Hæc eſt tantùm paſſio pro peccatis, non autem ſatisfactio, imò nec ſatiſpaſſio: quia non ſunt condignæ paſſiones noſtræ, *Rom.* 8. non tantùm ad futuram gloriam, ſed nec ad gratiam præſentem, nec ad remiſſionem gratioſam pœnæ. *Reſp.* Eſſe & meritò dici *Satiſpaſſionem, & Satisfactionem. Luc.* 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. *Col.* 1. Adimpleo quæ deſunt paſſionum Chriſti, vt ſupra. *Dan.* 4. Peccata tua redime. i. pœnam grauiorem leuiori, vel quouis bono opere ſupplēte defectū pœnæ. *Luc.* 19. Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & reddo quadruplum, &c. *Tertul. de pænit.* Satiſfactio Confeſſione diſponitur. *Orig. Hom.* 6. *in Exod.* Pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo deleat, &c. *Hom.* 3. *in Iud.* Satisfacito in confeſſione Pœnitentiæ. *S. Cypr. Lib.* 1. *Epiſtola.* 3. Deo ſatisfaciat, &c. Satisfactionibus iuſtis delicta redimantur. *Serm. de Lapſis.* Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt, &c. *S. Ambr. ad Virginem lapſam cap.* 8. Grande ſcelus grandē habet neceſſariā ſatisfactionē. Sed *Lib.* 10. *in Luc.* & *Serm.* 46. De pœnitentia S. Petri: *Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego* .i. excuſationem: ſubdit enim, *ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt.* Tandem vice omnium *S. Aug. Ench.* 70. Deus miſerando delet peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur. *cap.* 71. De quotidianis peccatis, quotidiana fidelium oratio ſatiſfacit. *In Pſal.* 50. Nolo vt tu punias: quia peccatum meum punio. *Ibid.* Impunita peccata eorum quibus ignoſcis, non dimiſiſti, &c. Ignoſcis confitenti, ſed ſeipſum punienti. *Homil.* 50. *ſupra, & alibi ſæpè.* Quia etſi paſſio temporalis non poſſit eſſe condigna ſeu æqualis æternæ gloriæ vel pœnæ, nec gratiæ præſēti, nec vlli remiſſioni gratioſæ Dei: poteſt tamen eſſe æqualis debito pœnæ temporalis, ſicque ſatiſpaſſio. Imò quæuis paſſio, & actio ex Charitate poteſt eſſe adhoc ſatisfactoria, ſeu ſatis grata, & gratior Deo ad remiſſionem pœnæ, ex illo principio patiendi aut agendi, quàm ex æqualitate iuſtitiæ & pœnæ. Hic enim cauendum eſt à cenſuris *Pij V. & Greg. IX.* in propoſitiones 54. 55. 56. 57. & 74. *Baij*, derogantes abſolutioni ſacerdotali pænitentium à reatu culpæ & pœnæ, & veræ ſatisfactioni etiam de condigno pro pœnis temporalibus poſt culpam remiſſam. De quibus in Abſolutione *Tomi noſtri* 2. *in Aug. col.* 173. 174. 176.

OBIECTIO 18.

Eſt ſingulis præcepta pœnitentia pro peccatis proprijs, quoad culpam & pœnam: ergo vnus non poteſt ſatisfacere obligationi alterius. Decreta eſt etiam cuiuis peccatori & peccato, ſua propria pœna, *Deut* 25. *Apoc.* 18. ergo eſt immutabilis. *Deut.* 24 Nec patres pro filijs, nec filij pro patribus puniuntur. *Mat.* 25. Prudentes Virgines negant fatuis de oleo ſuo. *Gal.* 6 Vnuſquiſque onus ſuum portabit. 2. *Cor.* 5. Referet vnuſquiſque prout geſſit, &c. Ergo nemo poteſt pro altero ſatisfacere, niſi ſolus Chriſtus: nec proprias, nec alienas ſatisfactiones applicare ſeu communicare. *Reſp.* Nemo poteſt ſatisfacere obligationi alienæ, quoad actum præceptū: ſed quoad materiā pœnitendi, ſeu pœnā; qua remiſſa ceſſat obligatio præcepti, ſeu pro eapœnitēdi. Negligentia tamē pœnitēdi pro ſeipſo, & dilatio vltra hanc vitā, nō eſt inculpabilis. Solæ Pœnæ æternæ lege Dei decretæ ſūt irremiſſibiles poſt hāc vitā: ſed omnes remiſſibiles in hac vita, & quædam poſt. *Ex Mat.* 12. 16. 18. *Lu.* 7. 12. *Ioā.* 20. *Iac.* 5. Innocētes nō puniuntur à Deo pro reis: niſi tēporaliter, vt partes pro ſuo toto, vel potiùs vt totum in ſuis partibus, parentes in filijs. Ex *B. Aug. q.* 8. *in Ioſue.* Prudentes virgines non communicant alijs propria merita: quia hæc ſunt perſonalia; ſed nec ſuas ſatisfactiones neceſſarias, niſi Ordine Charitatis. Quiſque onus ſuum portat .i. Nemo prorſus inuitus grauatur peccatis alienis: ſed vt quis poteſt voluntariè participare culpæ alienæ, ſic & pœnæ ſine culpa. Hinc *Gal.* 6. Alter alterius onera portate. *Coloſſ.* 1. Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis: & adimpleo ea quæ deſūt paſſionū Chriſti pro Corpore eius quod eſt Eccleſia. *Rom.* 12. & 1. *Cor.* 12. Vt membra eiuſdem corporis pro inuicem patiuntur: ſic & fideles inter ſe. *Pſal.* 118. Particeps ego ſum omnium timentium te. *In ſymb.* Credo Communionem *SS. B.* Aug. in Pſal. 61. *Qui paſſus eſt in Capite noſtro, patitur & in membris ſuis, ad communem quaſi hanc Rempublicam.* Nec eſt communicatio malorum æquè ac bonorum: quia bona ex ſe ſunt communicabilia, non mala.

OBIECTIO 19.

Merita Chriſti per Sacrificium Crucis ſunt ab eo oblata, & communicata, à Deo acceptata, & in ipſo Chriſto præmiata, *Phil.* 2. Merita Sanctorum non ſunt condigna eorum gloria, *Rom.* 8. ſed præmiata vltra condignum. Noſtra bona opera ſunt ſingulis propria, & neceſſaria: ergo nihil eſt ab Eccleſia communicabile per abſolutionem Sacramentalem, aut indulgentias. *Reſp.* Opera bona vt ſunt digna gratia & gloriā, eſſe meritoria: vt ſunt digna remiſſione pœnæ, eſſe ſatisfactoria; nec hunc valorem, illum adæquare poſſe, aut cum illo coaleſcere, quia ſunt diuerſi. Omnia opera Chriſti eſſe ab eo oblata, cōmunicata, & à Deo acceptata in intentione: applicari autē per Eccleſiam, & per nos ipſos, in executione; ſed excedere in infinitum omne præmium ſibi aut nobis comparatum. Bona opera Sanctorum eſſe quidem præmiata vltra condignum, vt meritoria gratiæ & gloriæ: ſed non vt ſatisfactoria pœnæ. Cum ergo nec quoad hoc poſſint eſſe apud Deum inania, 1. *Cor.* 15. nec ſint illis neceſſaria ad ſoluenda debita propria; dicuntur eſſe in Theſauro Eccleſiæ .i. inter bona communia & ſpiritualia, eius Clauibus, & diſpenſationi commiſſa, *Mat.* 16. 1. *Cor.* 4. Vt bona temporalia Eccleſiæ legata, pro pauperibus. Noſtra vero bona Opera, vt meritoria gratiæ & gloriæ, eſſe perſonalia & incommunicabilia: quia ad ſummum bonum proprium neceſſaria; ſed vt ſatisfactoria, ſunt voluntariè



Digitized by Google

luntariè communicabilia; quia eorum communicatio ex charitate, eſt meritoria maioris gratiæ & gloriæ, quæ præſtat omni ſatisfactione pœnæ. Hinc praxis patiendi & ſatisfaciendi pro inuicem, ac diſpenſandi ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum in Eccleſia, à Chriſto & Apoſtolis orta, exemplis Sanctorum aucta, miraculis approbata, in *Concil. Vienn. Conſtant.* ac tandè *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 14. *ſeſſ.* 25. explicitè definita ac confirmata eſt. Neque maior in dies liberalitas diſpẽſandi ſatisfactiones Chriſti, per Sacramenta, Sacrificia, & Indulgentias, cenſenda eſt prodigalitas, aut relaxare ſtudium pœnitentiæ, & diſciplinam Eccleſiæ, vel eſſe contrà ſed ad maiorem gloriam Dei & Chriſti. Quia hac facilitate pœnitendi pro pœnis, mouentur peccatores ad pœnitendum pro culpis: docenturque Deũ non intendere pœnã, ſed gratiam; nec ſatisfactiones Chriſti noſtris debitis minui aut cõſatisfactionibus indigere; ſed eſſe in infinitũ maiores, & gratiores.

*OBIECTIO* 20.

Non eſt locus aut tempus purgatorij poſt mortem: ſed defuncti in Domino, ſeu in ſtatu gratiæ, *amodò* requieſcunt, *Apoc.* 14. Et vbicumque ceciderit lignum, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi manebit, *Eccles.* 11. Nec eſt vlla poteſtas Eccleſiæ in animas ſeparatas, in cœlo aut ſub terra: ſed tantũ in homines ſuper terrã, *Mat.* 16. 18. Nec vlla inter viuos & defũctos cõmunicatio, ex *B. Au. de cura pro mortuis.* Nec vlla poſt mortẽ remiſſio: ſed vltimi quadrantis ſolutio, *Mat.* 5. quiſq; recipiet prout geſſit in ſuo corpore, 2. *Cor.* 5. Ergo defuncti nõ ſunt capaces propriæ, nec alienæ ſatisfactionis. *Reſp.* Eſſe locum & tempus Purgatorij poſt mortem: ex 2. *Mach.* 12. De ſacrificio pro defunctis. 1. *Cor.* 3. De tranſitu quorundam defunctorum quaſi per ignem ad ſalutem. 1. *Cor.* 15. De Baptiſmo ſeu paſſione quorundã pro mortuis. *Phil.* 2. De genuflexione quorundam in inferno nomini IESV. *Act.* 2. De ſolutis à Chriſto quorundam doloribus in inferno. *Mat.* 5. 12. *Luc.* 10. De quadam ſolutione & remiſſione etiam poſt mortem. Fideles in gratia defunctos, *amodò* requieſcere .i. non ab inſtanti mortis cuiuſque; ſed à lege gratiæ, vel ante finem mundi. Per caſum ad Auſtrum, vel Aquilonem, ſignificari mortem in ſtatu gratiæ, vel extrà: non autem loca, nec ſtatum æternæ Beatitudinis aut damnationis; quia ante mortem Chriſti nulli patebat ſtatus Beatitudinis. Nullam eſſe Iuriſdictionem Eccleſiæ in animas ſeparatas, nec vllam cum eis communicationem naturalem, ſenſibilem, aut Sacramentalem; ſed fidei, ſpei, & mutuæ Charitatis, per preces, Sacrificia, ſuffragia priuata & publica. Vt patet 1. Ex illis ſacræ Script. locis, ſupra. 2. Ex Traditione & praxi publica ac continua Eccleſiæ, orandi pro defunctis, in ipſo etiam Miſſæ ſacrificio. 3. Ex commendatione huius Chriſtianæ pietatis erga Defunctos, à SS. Patribus: vt ex profeſſo ab Aug. *toto Lib. de cura pro mort. L.* 9. *Conf. cap.* 12. & 13. *l.* 21. *Ciu.* 24. *Enchir* c. 110. Vbi, vt & *cap.* 1. *De cura pro mort.* ſibijpſi obijcit, ac exponit illud 2. *Cor.* 5. Quiſque recipiet prout geſſit in ſuo corpore .i. prout ſeipſum in hac vita geſſit, & reddidit dignum vel indignum alieno ſubſidio poſt mortem. Vnde nec praxis, & pietas Eccleſiæ ſuffragandi pro defunctis, eſt contra, ſed potius ad ſtudium pœnitentiæ propriæ, & timorem Diuinæ Iuſtitiæ: quæ vel permittit negligentes propriæ ſalutis ab alijs negligi; vel nulla pro eis ſuffragia acceptat, ſed ab eis vltimum quadrantem ſeu integram ſatiſpaſſionem exigit. 4. Ex definitione ſeu approbatione huius doctrinæ ac praxis Fidei Catholicæ, contra antiquam hæreſim Aerij, apud *Epiphanium* hæreſi 57. *B. Aug.* Hæreſi 53. renouatam à Lutheranis ac Caluiniſtis, & condemnatam à ſacro *Conc. Trid. Seſſ.* 25. Decreto de Purgatorio. De quibus omnibus latiùs ex Indice noſtro Dogmatico in *B. Aug. col.* 68. 69. & Scholaſticè ſupra ex Alen. & S. B. ac infrà ſub Quæſt. Schol.

*QVÆSTIO 2. SCHOLASTICA.*

*De Virtute pœnitentiæ*

De qua latè *Alenſis* à *col.* 631. *ad* 636. S. Bon. *col.* 693. Scotus à *col.* 704. *ad* 708. ſatis concorditer inter ſe. Excepto. 1. quòd ex *Alen. q.* 54. *art.* 2. Dolere de peccatis commiſſis, *ad impetrandam à Deo veniam, propriiſſimè, elicitiuè, & per ſe fit à ſola virtute Pœnitentiæ.* Et ex S. Bon. *in diſt.* 14. *art.* 1. *q.* 2. & 3. *col.* 693. Sed ex Scoto *diſt.* 14. *q.* 5. Actus proprius huius virtutis, ſit dolere volũtariè de peccatis commiſſis, ad puniendum ſe ipſum vt reum, & vindicandum ac rehonorandum Deum offenſum, ex eius commiſſione.

*Reſp.* Hanc nõ eſſe formalẽ diſcordiam: quia *Al. q.* 2. ſubdit, actum puniendi ſeipſum, ad reddendum Deo, Eccleſiæ, & ſibijpſi ablatum per peccatum, eſſe virtutis ſpecialis ſub iuſtitia. Addit tamen, *ad impetrandam à Deo veniam, eſſe propriiſſimè, elicitiuè, & per ſe, ſolius virtutis pœnitentiæ*: vt à Deo infuſæ, ac reuelatæ. Cuius obiectum formale non eſt tantùm peccatum proprium vt à nobiſipſis punibile ac vindicabile: ſed vt hac ipſa diſpoſitione à Deo remiſſibile, &c. *col.* 631. 632. Vel illud eſt eius obiectũ formale, hic finis extrinſecus. Excepto. 2. Quòd *Al. q.* 55. *n.* 3. *a.* 2. nolit: S. Bon. *d.* 14. *a.* 2. *q.* 2. & Scotus *q.* 2. *concl.* 5. velit eſſe in vi iraſcibili; ſed ille de iraſcibili ſenſitiua, hic rationali & libera. An vero hæc virtus ſit priùs ad ius ipſum Diuinum tuendum vel reſtituendum, quàm contra malũ oppoſitum: & ad bonum vt honeſtum in communi, quàm contra malũ vt inhoneſtum: vt vult *Suar.* 3. *p. diſp.* 2. *q.* 85. *Sect.* 3. & 4. problematicum eſſe poteſt.

Sed cur diſtinctè tractãt de virtute pœnitentiæ, & de pœnitentia interna ſeu contritione vel attritione vt diſpoſitione neceſſaria ad ſacramentũ: cùm nulla ſit virtus pœnitentiæ, quæ non ſit relatiua ad Sacramentum? *Reſp.* Quia virtus pœnitentiæ vt eſt legis naturæ, aut inſtitutionis Diuinæ ſub lege naturæ, eſt prior omni ordinatione ad Sacramentum: vel quia eſt communis ad Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ; vel quia valet etiamnum ad remiſſionem peccatorum venialium ſine vllo Sacramento in re vel voto; vel quia perfecta cum voto implicito ſacramenti, valet etiam ad remiſſionem mortalium. De quibus latiùs ſub pœnitentia interna.

*QVÆSTIO 3. SCOLASTICA.*

*De Sacramento pœnitentiæ, eiuſque partibus in cõmuni.*

De quo *Scotus in diſt.* 14. *q.* 4. Definiens Sacramentum pœnitentiæ eſſe abſolutionem hominis, pœnitentis: & *in diſt.* 16. *q.* 1. *col.* 716. negàns confeſſionem

confeſſionem, contritionem, & ſatiſfactionem eſſe partes virtutis,aut ſacramenti pœnitentiæ: non tantùm videtur diſſentire ab *Alenſi Col.* 638. *q.* 61. de vnitate Sacramenti pœnitentiæ ex pluribus quibus conſtat; ſed quod peiùs eſt, à doctrina ſacri *Conc. Flor. & Trid. Seſſ.* 14. *c.* 3. *& can.*4. De materia & forma,ac partibus huius etiam Sacramenti.

*Reſp.* Scotum nec diſſentire in hoc ab Alenſi,nec à ſacris Concilijs: ſed optimè conſtituere hoc Sacramentum in ſola abſolutione. 1. Quia Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum, *Mat.* 16. 18. *Ioan.* 20. expreſſit ſolam abſolutionem. 2. Inſtituit hoc Sacramentum per modum iudicij: ergo in ſolo actu iudiciali abſolutionis. 3. Sola abſolutio verbalis eſt ſignum efficax abſolutionis interioris: ergo in illa ſola eſt tota ratio intrinſeca huius Sacramenti. 4. Concil. Flor. vocat àctus pœnitentis *quaſi* materiã huius Sacramenti, eamque diſtinguit in contritionem,confeſſionem,& ſatiſfactiònem, vt in tres partes: ergo non vt in partes huius Sactamenti,ſed diſpoſitionis materialis ſubiecti ad hoc Sacramentũ. 5. *Trid. cap.* 3. vocat quidem abſolutionem verbalem, formam huius Sacramenti: non tamen vt diſtinctam ab aliqua materia intrinſeca Sacramento; ſed ab adiunctis precibus ceremonalibus, & à quaſi materia extrinſeca ſeu tribus illis actibus pœnitentium: *qui*,inquit,*dicuntur partes Pœnitentiæ, quatenus ad plenam perfectamque peccatorum remiſſionem requiruntur*: non autem vt partes Sacramenti.

6. *Flor & Trid.* æquè vocant illos tres actus partes: cùm tamen contritio non ſit per ſe, nec per vlla propria ſigna à confeſſione diſtincta,neceſſariò ſenſibilis;nec impoſitio ſatiſfactionis,nec eius acceptatio, nec executio ſit neceſſaria in hoc Sacramento, nec ante nec poſt, vt patet in indulgentijs plenarijs.

7. Confeſſio non eſt ſignum abſolutionis aut remiſſionis peccatorum: ſed potius commiſſionis, ſeu commiſſorum, & alicuius diſpoſitionis ad abſolutionem; ergo nõ eſt pars intrinſeca huius ſigni.

Confeſſio poteſt eſſe diu ante Abſolutionem, tque eius confuſa memoria ad abſolutionem ſacramentalem pœnitentis præſentis; ergo non componit cum ea hoc Sacramentum.

9. Pœnitens non eſt miniſter partialis huius Sacram. ergo nec actus illius ſunt partes huius.

10. Confeſſio & ſatiſfactio non applicantur Sacramentaliter pœnitentibus: ergo non vt partes.

11. Vt virtus & Sacramentũ Pœnitentiæ intrãſitiuè, idẽ eſt quod pœnitẽtia virtus, & Sacramentũ: ſic forma abſolutionis, & huius Sacramenti, idem eſt quod forma quæ eſt abſolutio & Sacramentum; vel dicitur forma ſignificatiua & actiua huius ſacramenti; vel ſacra quædam forma verborum, &c.

*Ad Al. q.* 60.*m.*1.*a.*3. Hoc Sacramẽtũ Eccleſiæ, ſeu confeſſio & ſatiſfactio ſub arbitrio Sacerdotis *q.*61.*ſupra.q.*66.*m.*1.*a.*1. Cõfeſſio & Satiſfactio nõ ſunt partes pœnitentiæ virtutis.*a.*2. Sunt partes pœnitentiæ Sacramentalis. *m.*2. Non ſunt partes ſubiectiuæ,nec eſſentiales: ſed poſſunt dici integrales.

Si conferantur quæ ſupra *col.* 72. *&* 83. ex *Quæſt.* 8. *Al. m.* 2. *a.* 1. De inſtitutione huius Sacramenti à Chriſto, *per additionem*: vtique ſolius Abſolutionis, ad legem naturæ, & Moyſis. *m.* 3. *a.* 1. De materia Sacramentorũ quæ ſunt propriè ex integro nouæ legis,vel de vario genere materiæ. *Art.* 2. §. 2. De forma verbali *ſanctificationis*, ſeu ſanctificante: non autem informante. *q.* 59. De inſtitutione huius Sacramẽti. *M.*1.*art.*1. Quòd Cõfeſſio, & Satiſfactio ſit Sacramentum, ſeu ſignum & *aliqua cauſa* pœnitentiæ interioris.*m.*2. Nec Cõfeſſio ſit ſacramentalis niſi facta ſacerdoti, nec ſatiſfactio niſi ab eo iniuncta: ſed habeant potius rationem ſigni Sacramentalis gratiæ & Cõtritionis,vt annihilãtis pœnitẽtem, & eius culpam ac pœnam, cauſæ autem *quodammodo materialiter*; Abſolutio verò & iniunctio pœnitentie,magis rationem cauſæ *quodammodo formaliter* &c. Quid hinc colligi poteſt? Niſi pœnitentiam illam legis naturæ eſſe potius à Chriſto ſuppoſitam vt diſpoſitionem, quàm inſtitutam vt materiam intrinſecam huius Sacramenti: Confeſſionem, & Satiſfactionem dici potius & eſſe ſacramentum ipſius contritionis, quàm partes intrinſecas huius Sacramenti, ſeu ſigni ſacramentalis: dici potius & eſſe cauſam *quodammodo materialiter*, ſeu diſpoſitiuam ſubiecti;ſed Abſolutionẽ, *quodammodo formaliter* .i. propriè ſacramentaliter. Vnde hoc ſacramentum. *q.*61. dicitur vnum ſeu conſtans pluribus ſignis:ſed pœnitẽtiæ internæ,vel vt *col.*75.

*Quæſt.* 66. Non dicuntur partes huius Sacramenti, niſi *completè*, & quaſi integrales: non vt intrinſecè complentes ſeu integrantes hoc totum ſacramentum *quaſi exiſtens*, ſed *quod fit*, ſeu neceſſariæ ad eius fieri, & ad eius integrum fructum, vt *Trid.* ſupra. Nam *m.* 1. *ad* 2. Licet Confeſſio & ſatiſfactio non ſint à Sacerdote vt ſunt actus: *ſunt tamen ab eo vt ſunt partes Sacramenti.* Qui hoc? Non vt ab eo vniuntur: ſed vt *ſunt*. 1. Vt illa exigitur à reo. 2. Vt reſumitur ex memoria Sacerdotis ad Abſolutionem. 3. Vt hæc ab eo imponitur. 4. Vt implicitè continentur in Abſolutione.

Confirmatur ex S. Bon. *col.*697. *d.*17 .*a.*1. *q.*3. Non eſt data vis Sacramenti ipſi Confeſſioni, ſed Abſolutioni. *Col.* 703. 704.*d.* 22. *a.* 2. *q.* 2. Tribuit cauſalitatem huius Sacramenti ſoli Abſolutioni: reliquis ſolam ſignificationem. Sed vt monet *Al. q.*60.*m.*2. nec ſignificatio grãmatica formæ, nec naturalis ipſius pœnitentiæ: ſed ſola Sacramentalis ipſius formæ, eſt efficax. Nec S. Bon. tribuit ſolam efficaciam ſacramentalem Abſolutioni, ſignificationem autem ſolis reliquis: ſed his ſolam ſignificationem; illi autem ſoli efficaciam, vtique ſacramentalem, quæ & ſignificatiua eſt.

### QVÆSTIO 4. SCHOLASTICA.
*De Abſolutione Sacramentali,Verbali,abſoluta, neceſſaria, aut Ceremoniali.*

De qua Alenſis à *col.* 659. *ad* 568. & S.Bon. à *col.* 698. *ad* 700. videntur grauiter aberraſſe cum *Magiſtro ſent. diſt.* 18 non ſolum à doctrina poſteriore ſacri conc. *Flor. & Trid.* ſed perpetua & communi Eccleſiæ,expreſſa etiã in Sacra Script. negando poteſtatẽ ſacramentalẽ Sacerdotũ abſoluendi à culpa. Nam *Al. col.* 661. *q.* 79. *m.* 3. *a.* 2. *m.* 4 Remiſsio culpæ eſt per clauem Dei, non hominis. *Mem.* 5. Solus Deus amouet culpam & pœnã æternam. Verum quia reſtat & obſtat adhuc pœna temporalis, huius oſtij apertio reſeruatur ſacerdoti: non ad abſoluendum totum debitum, ſed abſoluendum à pœna Purgatorij, ligando, ſeu ob-



Digitized by Google

ligando pæna præſenti. *Col.* 666. *q.* 80. *Mem.* 1. Abſolutio gratiam ſupponit: nunquam enim ſacerdos abſolueret quem non præſumeret à Deo abſolutum. Si ergò quæratur, an poteſtas clauium ſe extendat ad delendam culpam: poteſt ſe extendere per modum deprecantis & impetrantis abſolutionem, ſed non impertientis. *Mem.* 2. *art.* 2. §. 1. Quod poteſtas clauium non ſit in pœnam æternam, *M.* 3. *art.* 1. *ad* 3. Deus inchoat, dimittendo culpam & pœnam æternam: Sacerdos conſummat, condimittendo aliquid pœnæ temporalis.

Sic & *S. Bon. col.* 696. *p.* 2. *diſt.* 18. *a.* 2. *q.* 1. Quem errorem reprobat Scotus *col.* 708. 709. *q.* 4. 721. Et grauiter cenſurat Pius 5. & Greg. 13. inter propoſitiones Baianas: quarum 54. eſt. In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſiue obligatio ad pœnam. Vnde in Sacramento Baptiſmi aut ſacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum liberat à reatu. 55. Peccator pœnitens non viuificatur miniſterio Sacerdotis abſoluentis: ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans, viuificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus tollitur. ] Quas tamen D. Baius in Apologia ſua à nobis relata in Abſolutione Comment. noſtri in Aug à *col.* 143. quoad hoc negat eſſe ſuas. Vt ergo in illo noſt. Cōmēt. hūc & ſimiles errores ab omni prorſus fauore & patrocinio Doctrinæ Auguſtinianæ proſcripſimus: ſic & hic Doctores noſtros *Al. & S. Bon.* ab omni maculâ ac vmbrâ huius erroris abſtergamus, ac illuſtremus.

*Reſp.* Nec ſine graui errore negari poſſe, nec Doctores noſtros *Alens. ac Bon.* negaſſe veram Abſolutionem Sacramentalem, ac Sacerdotalem, à culpa & pœna æterna, ac temporali. 1. Ex tota *quæſt.* 1. Dogmatica: cuius doctrina tam antiqua, communis, & certa, non potuit tantis Doctoribus eſſe ignota aut dubia. 2. Ex ipſa forma verbali abſoluendi: qua & ipſi vſi ſunt, nec poteſt verificari niſi per abſolutionem à culpa & pœna. Nam, *Ego abſoluo te à peccatis tuis*: propriè & expreſſè ſignificat Sacerdotem abſoluere à culpis; nec poteſt nomen peccati alienari à ſua propria ac principali ſignificatione culpæ, ad ſignificationem ſolius pœnæ temporalis. Hinc *Conc. Flor. & Trid.* meritò hanc formam approbant: vt elicitam ex ipſa inſtitutione huius Sacramenti, & vt Sacramentaliter ſignificantem ſuum effectum proprium Sacramentalem, remiſſionis iudicialis peccatorum, & reconciliationis cum Deo. Nec obſtat quòd non exprimant, à *peccatis*: ſed, *Ego abſoluo te, &c.* Quia per, *&c.* vel ſignificant exprimenda etiam eſſe quæ ſequuntur .i. à *peccatis tuis*; vel implicitè contineri in proprio, & principali ſignificato abſoluendi, ſicut & pronomen *Ego* in verbo *Abſoluo*; ita vt *Abſoluo te*, æquiualeat huic toti formæ ordinariæ, *Ego abſoluo te à peccatis tuis.* Sed ne vllus error ſub hoc *&c.* latere poſſit: *Conc. Flor.* expreſſe docet effectum huius Sacramenti eſſe abſolutionē à peccatis. *Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 5. expreſſè definit *Abſolutionem ſacerdotis non eſſe ſolùm declarationem quòd remiſſa ſint peccata: ſed eſſe ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo ſacerdote velut à iudice ſententia abſolutionis pronunciatur.* Et Can. 9. *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum iudicialem: ſed nudum Miniſterium declarandi, & pronunciandi dimiſſa eſſe peccata confitenti; Anathema ſit.* Adde cenſuram *Pij* 5. *& Gregorij* 13. ſupra. Hinc mirum eſſet Magiſtrum *in* 4. *diſt.* 18. cum tot Scholaſticis aliter ſenſiſſe: nec hanc opinionem ab omnibus poſt Trid. grauiùs cenſurari: niſi ſubeſſet aliquis ſenſus excuſabilis, quem ex noſtris Doctoribus indagemus.

*Alenſis* 4. *p. q.* 8. *mem.* 3. *& S Bon. diſt.* 1. *q.* 4. *ſupra col.* 55. 58. 59. tribuunt Sacramentis nouæ legis collationem gratiæ ſanctificantis: quamuis tantum diſpoſitiuè, vel moraliter, vt & Scotus *diſt.* 1. *q.* 5. & plerique cum eis: ergo *Al. & Bon.* non negant per Sacramentum pœnitentiæ, ſeu per eius propriam formam ſacramentalem conferri gratiam remiſſiuam peccatorum; ſed vel negant eam conferri plusquam diſpoſitiuè, moraliter, & miniſterialiter; vel negant hac ſola collatione gratiæ remitti culpam, ſed actu proprio ſolius Dei offenſi: vel ſupponunt priùs natura remitti culpam, quàm gratia conferatur; vel ſupponunt effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum eſſe prius natura à Deo vt cauſa principali, quàm per Sacramentum, quamuis eodem inſtanti; vel ſupponunt neceſſariam contritionem perfectam cum voto huius Sacramenti, ante abſolutionem; vel negant tantùm propriè dictā poteſtatem iudicialē abſoluendi à culpa & pœnæ æterna, non autē miniſteriū pronunciandi ſententiā actualis abſolutionis diuinæ, vel aliquo alio ſenſu ex ſequentibus textibus eliciendo.

*Alenſis* ſupra *col.* 637, *q.* 60. *m.* 1. *Art.* 3. An Res Sacramenti pœnitentiæ ſit remiſſio culpæ & pœnæ. *Reſp.* Contritio eſt Res, & Sacramentum: non Eccleſiæ, ſed ſignum & cauſa interna remiſſionis culpæ, per gratiam, &c. Hoc autem Sacramentum Eccleſiæ, ſeu Cōfeſſio, & Satisfactio ſub arbitrio Sacerdotis, eſt quidem ſignum remiſſionis peccati quoad culpam: ſed ſignum & cauſa remiſſionis quoad ſolam pœnā in *Cōtritis* in *Attritis* autē, etiam quoad culpam. Securè dici poteſt, remiſſionem peccati eſſe à Deo effectiuè, à Sacramento diſpoſitiuè, à gratia formaliter.] Quid lucidius, contra omnem illius erroris vmbram ac calomniam? *Col.* 661. *q.* 79. *m.* 1. Diſtinguit clauem ſeu poteſtatem, in authoritatiuam Dei, excellentem Chriſti, & miniſterialem Eccleſiæ: contrà culpam, pœnam æternam, & temporalem. *Mem.* 3. *art.* 2. Reſpondent quidam Sacerdotes tantum oſtendere homines eſſe ſolutos vel ligatos: quod improbat Richar. ex *Mat.* 16. Quæcumque ſolueris, non autem ſolutum oſtenderis.] Ergo illa non eſt opinio *Al.* Subdit propriam. *Reſp.* Poteſtas ſoluendi à peccato, propriè & per ſe eſt ſolius Dei: & quodammodò *cooperatiuè* ipſorum Sacerdotum. *Mem.* 4. *Ad.* 5. Quia *clauis eſt poteſtas, non eſt ſolum miniſterium*: ergo diſtinguit poteſtatem à miniſterio. Subdit autem *Ad* 7. clauem non eſſe neceſſariam ad auferendam culpam: quia poteſt priùs auferri per contritionem perfectam, &c. Quæ ibi ſupplemus.

*Mem.* 5. Solus Deus amouet culpam & pœnam æternam .i. ſolus propriè & per ſe, aut in *contritis*: non autem in *attritis*, ſine cooperatione, aut *diſpo-*

*ſitione*

Digitized by Google

*ſitione* Sacramentali, de qua ſupra. *Mem.* 6. *art.* 3. §. 1. *ad* 1. Hæc poteſtas eſt ſolius Dei ex ſe: ſed Eccleſiæ à Deo. Vnde vt ſolus Deus eſt ex ſe, & ſolus bonus: nec tamẽ inde ſequitur nihil eſſe boni à Deo; ita ſolus Deus peccata dimmittit ex ſe, quamuis etiã per Sacerdotes.] Quid ſapiẽtius? *Ad* 3. Non abſoluitur quis à Deo: niſi ex propoſito confitendi, & recipiendi abſolutionẽ à ſacerdote. *Quæſt.* 80. De poteſtate Clauiũ in foro pœnitentiali. *Mem.* 1. Quidam dixerunt quod poteſtas Clauium ſit etiam in culpam: prout operatur in propoſito confitendi, non in actu abſoluendi; quia abſoluitur contritus, remiſſa prius culpa. Sed iſte modus dicendi eſt phantaſticus. 1. Quia nullum ſacramentum dicitur operari antequam exerceatur circa ſubiectũ. 2. Plùs poteſt in actu, quàm in ſolo propoſito.] Ergo procul eſt ab illa opinione, pluſquè defert ſacramento in re ſeu actu, quàm in ſolo propoſito. Quæ autem ſubdit: *Abſolutio gratiam ſupponit: nunquam enim ſacerdos abſolueret quem non præſumeret à Deo abſolutum. Si ergo quæratur, an poteſtas clauium ſe extendat ad delendam culpam: poteſt ſe extendere per modum deprecantis & impetrantis abſolutionem, ſed non impertientis; quia ergo poteſtas ſonat in actionem impertientem ex ſe, poteſt dici quod non extendat ſe ſupra culpam, &c.* Videntur potiùs referri ex ſecunda opinione ibi relata, quàm ex propria: aut certè non approbari niſi in ſenſu illius opinionis, quæ talis eſt. *Alij dicunt quod habens clauem, ſeu ſacerdos, eſt Mediator Dei ad hominem, & hominis ad Deum, &c. Vt aſcendit ad Deum, habet ſe per modum inferioris & ſupplicantis; vt diſcendit, per modum ſuperioris & iudicantis.* 1. *Modo, poteſt gratiam impetrare.* 2. *Modo, poteſt Eccleſiæ reconciliare. Et ideo in ſignum huius, in forma abſolutionis præmittitur oratio per modum deprecatiuum: & ſubiungitur oratio per modum indicatiuum*; vel potius *iudicatiuum*; quia vt ſupra, *deſcendit per modum ſuperioris & iudicantis. Deprecatio gratiam impetrat: Abſolutio gratiam ſupponit, &c.* vt ſupra.] Ergo quædam horum referenda ſunt ad Sacerdotem vt Mediatorem hominum ad Deum, deprecando, & impetrando: quædam ad eum, vt Mediatorem Dei ad homines, eos iudicando & abſoluendo; ſed non niſi verè pœnitentes, in quibus ex ſignis pœnitentiæ & Confeſſionis *ſupponere poſſit gratiam Dei* ſaltem actualem & diſponentem; & de quibus poſſit *præſumere*, ſeu confidere *quod ſint à Deo abſoluti*, .i. vel eius æterno iudicio, vel in proxima diſpoſitione præſenti ad abſolutionem proprio Dei iudicio, vel etiam priùs natura abſoluti à Deo vt cauſa principali, quamuis eodem inſtanti. Poteſt etiam hic ſubeſſe Angliciſmus: vtẽdo quaſi præterito pro præſenti; vt ſit ſenſus, *Nunquam ſacerdos abſolueret quenquam, de quo non præſumeret quod eſſet abſolutus* .i. quod abſoluatur à Deo. Sequentia autem non negant abſolutionem miniſterialem: ſed *modum & poteſtatem eam impartiendi ex ſe.* Nec obſtat quod *Ad* 1. exponat *Ioan.* 20. de *remiſſione pœnæ* vel *oſſenſione culpæ*, aut potius oſtenſione culpæ remiſſæ. Tum quia textus eſt valde vitioſus: tum quia in ſenſu toties expreſſo ſupra, quando culpa eſt prius remiſſa per contritionem perfectam. *Ad* 2. Meritò negat dari gratiam à Sacerdote: ſed à ſolo Deo, quamuis per ſacerdotem. Sed *ad* 4. totam hanc difficultatem reſoluit, hac comparatione Sacramẽti Pœnitentiæ cum Baptiſmo. *In Baptiſmo, deletur culpa per gratiam: ſed illius non eſt cauſa efficiens ſimpliciter, ſed potius diſpoſitiua; quia illa eſt virtus Diuina* &c. Sic & Sacramentum pœnitentiæ, &c.

*Mem.* 1. *art.* 2. §. 1. Eodem ſenſu negat hac claui remitti pœnam æternam.

*Mem.* 3. *art.* 1. *ad* 3. Quorum remiſeritis, *Ioan.* 20. In modo coniunctiuo ſignat perfectionem rei .i. Deus inchoat ſolutionem, dimittendo culpam & pœnam æternam: Sacerdos conſummat condimittendo aliquid pœnæ temporalis, ex *Ioan.* 11.] Non quod velit hæc ſucceſſiuè & ſeorſim fieri, ſed ſimul: priùs tamen natura, & principaliter à Deo.

Hinc patet quàm ſit æquum, & facilè, hanc doctrinam Alenſis, & S. Bon. ex *Alenſi*, & ſic de pleriſque SS. Patrum, ac Doctorum antiquorum, ſtudioſa totius collatione ab omni erroris calumnia vendicare: quam præſumptuoſum, iniquum, ac temerarium, ex perſunctoria lectitatione, eorum potius Cenſores, quàm Diſcipulos agere.

Ad prætenſum autem fundamentum illius erroris, ex figura Lazari: priùs à Chriſto reſuſcitati, quàm ab Apoſtolis ſoluti, *Ioan.* 11. & frequenti eius expoſitione à S. Aug. Greg. & alijs, quaſi in illum ſenſum: præter reſponſum ſupra *col.* 737. *obiect.* 4. poſſet concedi hanc fuiſſe etiam figuram frequentis iuſtificationis per gratiã Dei, ante Abſolutionem ſacram.

Sed qua verborum forma, aut quo ſenſu talis & talium abſolutio ferri, ac verificari poteſt? Cùm ex prædictis forma ordinaria ſub præcepto. ſit: *Ego abſoluo te à peccatis tuis*: neceſſaria autem & æquiualens ſit, *Abſoluo te*, vtiquè *à peccatis tuis. Reſpondent* quidam horum verborum ſenſum eſſe: Impendo ſeu confero tibi Sacramentum abſolutionis. Sed ſic hæc forma ſignificaret ſeipſam, non autem effectum ſuum ſacramentalem: ideoquè, vel ſignificat abſolutionem internam ab omni vinculo, ſeu reatu culpæ, aut pœnæ, cuius pœnitens ſe reum confeſſus eſt; vel collationem gratiæ, ex ſe, & ex vi ſpeciali huius ſacramenti, remiſſiuæ peccatorum; vel denique ampliorem eorum remiſſionem etiam actualem, vt *Pſal.* 50. *Amplius laua me, &c.* Quamuis enim omnia peccata ſimul integrè remittantur: nunquam tamen ſunt tam remiſſa, quin indignum, & hic dolendum ſit ea præfuiſſe, ideoque maiori gratia remitti, ſeu compenſari poſſint

Hinc forma Abſolutionis non poteſt eſſe precatoria: nec tamen neceſſariò exprimenda verbo indicatiuo abſoluendi, ſed aliquo æquiualenti. 1. Ex *Mat.* 16. 18. *Ioan.* 20. vt ſupra. 2. Ex Scoto *d.* 14. *q.* 4. §. *Ad.* 2. Quia *eſt quædam ſententia definitiua, abſoluens reum: non tamen vt iudicis principalis, ſed commiſſarij, &c. Poteſt dici hoc Sacramentum iudiciale, vel iudicium Sacramentale.* 3. Ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. & *can.* 9. ſupra. 4. Ratione: Non ex neceſſaria ſignificatione efficaci Sacramentorum nouæ legis: cùm hæc nón ſit ex inſtitutione grammatica & humana, ſed diuina: & ſignificatio ſacramentalis formæ extremæ vnctionis ſit efficax, cùm tamen grammatica ſit precatoria; ſed ex ſpeciali congruitate ſignificandi etiam grammaticè hanc poteſtatem, actum, & effectum iudicia-

lem. Cuius dependentia à Deo, ſatis ſignificatur precibus ceremonialibus, & expreſſione S. Trin. vt Iudicis principalis: ſed vnitas huius Iudicij ſacramentalis in terra, cum ſecreto iudicio Dei in cœlo, non niſi hac forma eſſentiali & abſoluta. Cur autem ſola forma Extr. Vnct. ſit precatoria: in ſua Quæſt.

Nec forma poteſt eſſe conditionata de futuro: ſed de præterito aut præſenti, ad valorē aut fructū huius ſacramenti pertinente. Quia conditio de futuro ſuſpendit & ſeparat intentionem à ſignificatione & efficacia ſacramenti de præſenti: quæuis conditio impertinens, eſt blaſphema, & vel vt nulla, vel contra actum ſerium; ſed pertinens de præterito & præſenti, poteſt eſſe licita, & valida ad ſuſpendendam vel determinandam intentionem, & valorem Sacramenti. Quia quamuis non poſſit ferri abſolutio incognitâ cauſâ: non tamen ſemper neceſſariò cognitâ omni conditione pertinente ad licitā, validam, & ſalutarem abſolutionem; ſed ſæpè licet, valet, & prodeſt ſub aliquo tali dubio etiam cōditionatè expreſſo. Vt, Abſoluo te, ſi adhuc viuis: ſi hæc ſunt ſignavitæ, aut pœnitentiæ; ſi tu es Baptizatus.

Nec poteſt ferri ſolo ſcripto. 1. Ex *Cōc. Flor & Trid:* de forma verbali Sacram. ſed ſpecialiter & expreſſè huius. 2. Ex hoc ſecreto iudicio Sacramentali. 3. Ex Cenſura *Clem.* 8. in hanc propoſitionem. *Licet per litteras ſeu internuncium peccata ſacerdoti abſenti confiteri, & ab eodem abſente Abſolutionem obtinere: ad minus vt falſa, temeraria, & ſcandaloſa damnatur; prohibeturq́, ne quis eam vt probabilem publicè vel priuatim doceat, vel ea in praxi vtatur, ſub pœna excommunicationis Papæ reſeruatæ ipſo facto incurrenda.* Quamuis enim quidam adhuc dubitent an hæc duo tantum coniunctim, vel etiam ſingula diſiunctim cenſurentur: non poteſt tamen dubitari quin nec liceat, nec valeat abſoluere abſentem; quia ipſa forma Abſolutionis ſignificat & exigit præſentiam perſonalem abſoluendi. Nec obſtat quòd etiam ſic ſcribatur abſentibus: quia Abſolutio ſacramentalis exigit cognitionem experimentalem ſubiecti præſentis. Si quæ ergo leganrur Abſolutiones abſentium: non erant Sacramentales à peccatis, ſed extraſacramētales à cenſuris Eccleſiaſt.

Nec ſufficit, aut neceſſaria eſt Manus impoſitio: ex *Conc. Nicæno can. 9. Carth. 3. cap. 32. & SS. PP.* vt falſò ſupponunt quidam Lutherani, vtendo vel abutēdo ſola manus impoſitione pro tota vel principali forma Abſolutionis; quia hæc erat tantùm cæremonia antiqua priuatæ, & maximè publicæ pœnitētiæ, ad ſignificandā poteſtatē iudicialē. Quæ nec explodēda eſt cum *VVicleffo* apud *VValdenſem Tomo 2. cap.* 147. nec præter aut vltra morē præſentem vſurpanda. Reliqua de poteſtate Ordinis & Iuriſdictionis ad abſoluendū, & à quo reatu culpæ poſt actum: ſub Quæſt. de Miniſtro & Subiecto ſeu Peccatore capace huius Sacramenti.

## *QVÆSTIO 5. SCHOLASTICA.*

### *De Contritione & Attritione, neceſſaria & ſufficiente ad hoc ſacramentum.*

De quibus ſunt plures, & grauiores difficultates conciliandi Alenſem, S. Bon. & Scotum, tam inter ſe, quam cum doctrina *B. Aug & Sacri Conc. Trid.* Nam *Alenſis Quæſt.* 56. *m.* 1. *a.* 2. Supponit nos diſponi ad pœnitentiam & gratiam, faciendo quod in nobis eſt. *Quæſt.* 57. 58. Docet omnia peccata remitti per virtutem & gratiam Pœnitentiæ infuſæ. *Quæſt.* 68. *m.* 1. *a.* 3. Dolor debet habere certam menſurā Deo notam, vt informetur gratia, ſitque cōtritio. *Quæſt.* 72. 73. De neceſſitate Cōtritionis ad iuſtificationem, & prioritate gratiæ ad illam, huius autem ad deletionem peccati. *Quæſt.* 74. De differentia Contritionis, & Attritionis. *Mem.* 1. Differunt ſimpliciter. *Ad* 1. Eſt vnus motus continuus: non tamen ita ſimplex, quin habeat partem Attritionis à gratia gratis data, & partem Contritionis à gratia gratum faciente, &c. Cùm quis atteritur de aliquibus, adhuc habet malam voluntatem ad alia, nec vniuerſaliter dolet: cùm autem gratia infunditur, & conteritur, illam malam voluntatem dimittit, & ſimpliciter de omnibus dolet. *m.* 2. Attritio lege communi præcedit Contritionem. *m.* 3. Non poteſt ſtare cum Contritione: ob malam voluntatem concomitantem. *m.* 4. Attritio non poteſt fieri Contritio quoad actum, ſed habitum. *Ad* 2. Dicunt quidam quòd ſi Attritio non interrumpatur, adueniente gratia fiat Contritio. Videtur tamen aliter, &c. vt ſupra. *Ad* 4. Si tolleretur ab Attritione illa imperfectio quæ eſt ex timore pœnæ: non informaretur gratia; quia motus eius ſemper deficit in progreſſu, &c. Nec eſt ſimile de imperfectione Contritionis ex timore initiali pœnæ, & Attritionis ex timore ſeruili: quia ablatio imperfectionis ab Attritione, ponit eam extra genus ſuum *ingratuitorum*; à Contritione, non ponit eam extra genus ſuum *gratuitorum*. Vt autem Attritio nominat habitum, ſeu diſplicentiam peccati radicati in anima, vnde frequenter inſurgunt motus: poteſt fieri contritio. *Quæſt.* 77. *m.* 5. *a.* 7. Quando Attritus confitetur, credens ſe eſſe Contritum: illa confeſſio non eſt ſignum mendax; quia ſignificat Abſolutionem habitualem, nō actualem.

*Sub finem.* Si quis Contritus bona fide confiteatur, non debet iterum confiteri: ſi autem dictat ei conſcientia quòd non fuit contritus, debet iterum confiteri & abſolui, &c.

*S Bonauentura Diſt.* 14. *p.* 1. *Art* 2. *q.* 2. *Conc.* Virtus pœnitentiæ eſt à Deo effectiuè, à nobis diſpoſitiuè: concipitur ex timore ſeruili paſſiuè, potiùs quàm generetur actiuè, & priùs quàm ſpe promoueatur, aut amore formetur, imò quàm fide fundetur. *Diſt.* 16. *art.* 3. *q.* 1. Contritio non fit, nec eſt ſucceſſiuè: ſed ſic præparatur & cōſeruatur. *Diſt.* 17. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 3. De prioritate ordinaria Attritionis. *Ad vlt.* Actus ſubſtratus qui initio eſt Attritio, priùs quam interrumpatur fit Contritio.

*Scotus Diſt.* 14. *q.* 1. De neceſſitate alicuius pœnitentiæ ad remiſſionem peccati mortalis. *Quæſt.* 2. De neceſſario actu Contritionis vel Attritionis. *Peccator in ſtatu peccati poteſt ex naturalibus conſiderare peccatum commiſſum, vt offenſiuum Dei, &c. Poteſt & voluntas illud ſub aliqua harum rationum, vel pluribus, deteſtari, abſq; vllo neceſſario defectu morali ob ſtatum peccati: & ille motus poteſt continuari & intendi ante infuſionem gratiæ, &c. Iſte autem motus dicitur Attritio, & eſt diſpoſitio ſiue meritum de congruo ad deletionem peccati mort. quæ ſequitur in vltimo inſtanti alicuius temporis, in quo Attritio iſta durauit. Nec eſt certum an Deus talem Attritionem*

velit

Digitized by Google

*velit eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem, niſi ſit perfectè moraliter circumſtantionata, &c. Sed ſi eſt, &c. videtur omninò diſpoſitio ſufficiens ad iuſtitiam in termino illo quem præfixit Deus illi motui Attritionis.* Infra. *Quod ſi manet idem motus contra peccatum in eſſe naturæ & mortis, qui priùs: idem motus qui fuit Attritio, in illo inſtanti fit Contritio; quia fit concomitans gratiæ, &c. Sicque Attritio fit Contritio ſine omni mutatione reali actus.* Contra. *Ergo non deletur culpa per Contritionem, &c. quia hæc ſequitur deletionem.* Reſp. *Actus qui eſt Contritio præcedit natura deletionem: licet vt Contritio, ſequatur. Et ſic in ſenſu diuiſionis, per actum qui eſt Contritio deletur peccatum, vt per diſpoſitionem proximam.* Infra. *Pœnitentia poteſt innaſci ex naturalibus: ſed non fructifera, niſi in vltimo inſtanti. Quæſt. 4. Art. 3. col.* 709. De collatione gratiæ, & remiſſione culpæ etiam mort. per hoc Sacram. & Bapt. ſine Attritione: ex ſola voluntate recipiendi Sacram. ſine obice pecc. mort. Quod & expreſſiùs in Reportatis, *d. 14. q. 4.* An per Sacram. Pœnitentiæ remittatur peccatum mort. *Dico quod vt veniens ad Baptiſmum in peccato mortali, in inſtanti receptionis Sacramenti, recipit effectum, ſi non ponit obicem: ſic in quolibet Sacramento; quia non requiritur ibi diſpoſitio, ſed ſufficit non indiſpoſitio. Quando verò confertur gratia per meritum, non ſufficit non indiſpoſitio, ſed requiritur diſpoſitio. Non ſic confertur gratia per Sacramentum: quia confertur ex pactione diuina, nō per modū meriti. Diſt. 17. q. Vnic.* De neceſſitate Confeſſionis, &c. *Quia nullus eſt tam facilis & certus modus recuperandi gratiam. Hic enim non oportet niſi non ponere obicem: quod multo minus eſt quàm habere Attritionem, quæ per modum meriti de congruo ſufficiat ad iuſtificationem, &c. Poteſt etiam quis eſſe magis certus quòd non ponat Obicem, quàm quòd habeat Attritionem ſufficientem.*

In 2. d. 7. q. Vnica. *An Viator poſſit habere aliquem motum Attritionis ex puris naturalibus, exiſtente influentia generali: vel requiratur aliqua operatio ſpecialis. De hoc in. 4. Sed ſuppoſito quòd ſic, &c.* Vbi & refert ſe hùc abſolutè, & diſtinguit expreſsè influentiam generalem à ſpeciali.

Quodl. 14. Art. 1. *Poteſt viator ex natura ſua, firma credulitate aſſentiri his quæ Eccleſia docet de fide S. Trin. &c. Sed vltra fidem acquiſitam habemus fidem infuſam: & ad illam habendam licet poſſit homo ex naturalibus ſe diſponere; non tamen ex natura intrinſeca etiam concurrentibus quibuſcumq; cauſis naturaliter motiuis intellectus, ad eam poteſt attingere; quia illam ſolus Deus infundit.* Et ſic conſequenter, de dilectione Dei ſuper omnia ex naturalibus, *in 3. d. 27. q. Vnica Art. 2.* & alibi.

Contra tam expreſsā Doctrinam *S. Aug.* de neceſſitate alicuius gratiæ præuenientis, ad primam etiam diſpoſitionem ſalutarē: nec ſufficiente timore pœnæ, ſed neceſſario amore Dei ad pœnitentiam.

Vt Serm. 7. de Tempore. *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei.*

Imò cōtra *Conc. Milen: Arauſ. 2.* & *Trid. Seſſ. 6. c. 6.* De neceſſitate gratiæ præueniētis, ad iuſtificationē adultorū. *C. 6.* De diſpoſitione ad iuſtificationē per gratiā pœnitendi. *Can. 2.* Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus S. inſpiratione & adiutorio, hominē credere, ſperare, diligere, *aut pœnitere* poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit. Sed quaſi cōtra Aug. ſupra. *Seſſ. c. 14.*

De neceſſitate & ſufficientia Contritionis charitate perfectæ, cum voto Sacramenti, ad reconciliationem cum Deo, ante Sacramentum: Contritionis verò imperfectæ, ſeu Attritionis, ex turpitudine peccati, vel metu gehennæ, excludentis voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ, ad diſpoſitionem, & impetrationē gratiæ in hoc Sacramento.]

Quæ omnia quamuis ſupra hinc inde latiùs relata, non tamen fruſtra hìc ſimul ſub vno quaſi aſpectu collata, videtur inter ſe grauiter collidi, & ab inuicem reſiliendo diſſolui, in plurimas, ac irreconciliabiles diſſenſiones. Sed poſſunt ad duas grauiores reuocari: Alteram, de gratia neceſſaria ad primum etiam motum pœnitentiæ; vel de primo aliquo motu peccatoris, *faciendo quod in ſe eſt*, ex *puris naturalibus, cum communi Dei influentia*, ſeu concurſu: Alteram de ratione, diſtinctione, neceſſitate & ſufficientia Contritionis & Attritionis ad iuſtificationem, ante, vel per ipſum Sacramentum.

## Ad 1. Reſponſio & Conciliatio.

Tam eſt neceſſaria peccatori gratia Dei præueniens, ad primum vel minimum motum ſalutarem: vt ſine hac, nec illam inchoare, nec ad eam vllatenus ſe diſponere poſſit, faciendo quod in ſe eſt ex puris naturalibus, cum communi Dei influentia, ſeu connaturali: idque ex ipſo ſenſu & conſenſu Alenſis, S. Bonauenturæ, & Scoti, tam inter ſe, quàm cum *S. Aug. Conc. Mileuit. Arauſ. 2. & Trid.*

1. Ex ſacris Scripturis Concilijs & Patribus: De gratia, eiuſque prioritate ac neceſſitate ad omnem motum ſalutarem: quanto magis in peccatore ad pœnitendum? Quæ non potuerunt tantos Doctores latere. 2. Ex hoc ipſo ſenſu & conſenſu expreſſo Doctorum noſtrorum, de neceſſitate gratiæ præuenientis ad omnem motum ſalutarem. Nam *Alenſis* ex profeſſo *p. 3. q. 69. m. 5. a. 2.* An poſſit quis ſibi ipſi mereri primam gratiam vel vnus alteri? §. 1. *Reſp.* Exiſtens in peccato mortali non poteſt propriè mereri primam gratiam de condigno vel congruo: ſed tantum interpretatiuè, ex ſola Dei liberalitate, ac ſi meruiſſet. *Ad* 1. Conuertimini ad me & conuertar ad vos, &c. Non importat vllum debitum dandi gratiam facienti quod in ſe: ſed ſolùm declarat ad hoc Diuinam Bonitatem, & liberalitatem; ſicque §. 2. & 3. *Art.* 3. An Deus neceſſariò det gratiam facienti quod in ſe eſt? *Reſp.* Non neceſſariò neceſſitate coactionis, aut obligationis, ſed immutabilitatis: vt ſol illuminans omnia ſibi rectè oppoſita. *Ad.* 3. Si non daret, non faceret ei iniuriam: quia eſt adhuc indignus. *Ad.* 5. Nemo poteſt ſe ſufficienter diſponere ad gratiam, niſi Deus ipſum diſponat: ſed ſi faciat quod in ſe eſt, conſequitur diſpoſitio Diuini auxilij, &c. Vt eſt aperienda feneſtra lumini: ſic reuocanda mala voluntas. *Ad 6.* Facere quod in ſe eſt: in quouis homine, eſt vti recta ratione, ſeu notitia Dei vt ſui primi Principij, ad eum orandum, &c. In peccatore autem fideli, eſt vti lumine fidei ad timendum, ſperandum, &c. *Art.* 4. An non facienti quod in ſe eſt non detur gratia? *Reſp.* Dari à Deo ex ſe: ſed non recipi.

Digitized by Google

recipi: imò, inquit, *non poſſe recipi ab indiſpoſitis.*

*Quæſt.* 73. *m.* 3. Eſt gratia gratis data, diſponens ad ſalutem ſeu iuſtificationem propriam, vt fides informis, ſpes, & timor ſeruilis: & eſt gratia gratis data ad vtilitatem aliorum, & ad honorem Dei, &c.] Sed ipſemet hæc omnia ſua breuiter conciliat. *p.* 4. *q.* 68. *m.* 1. *n.* 3. Ad vlt. *Peccator in peccato non poteſt facere quod in ſe eſt, vt gratiã recuperet: Quia hoc eſt conſentire gratiæ præuenienti, quæ non eſt in eius poteſtate* .i. Non poteſt conſentire gratiæ: niſi ab ea præueniatur. Quod eſt etiam eam *non poſſe recipi ab indiſpoſitis*, ſeu non niſi à diſpoſitis per ipſam. *Q.* 58. De pœnitentia vt eſt gratia. *Mem.* 1. 2. Non poſſumus velle meritoriè, niſi ex gratia, &c. Nec hæc voluntas eſt aliter in poteſtate noſtra: niſi quia cogi non poteſt, ſeu non vult niſi non velit, &c. Ad illud *S. Hier.* Initia bonæ voluntatis in nobis ſunt: non ait à nobis. Obedienti gratiæ excitanti, Deus infundit gratiam efficaciter volendi.

*S. Bon. in* 2. *diſt.* 26. *q.* 6. Gratia operans ſeu præueniens, mouet vt influentia inſtrumentalis Dei: cooperans ſeu ſubſequens, mouet liberum arb. diſpoſitiuè, ad ſeipſũ mouendum. *Diſt.* 28. *art.* 2. *q.* 1. Liberum Arbitrium non poteſt ſeipſum diſponere ad gratiam gratum facientem, niſi de congruo, per aliquam gratiam gratis datam, naturalibus ſuperadditam, quæ aliquo modo adiuuet & præparet voluntatem ad habitum vel vſum gratiæ, &c. *Ad* 4. Facere quod in ſe eſt, poſitiuè ordinatum ad gratiam, diſponit ad eam: ſed facere quod in ſe eſt priuatiuè *.i.* quantum poteſt, ſed non ordinatum ad gratiam, non diſponit ad eam. *Ad* 5. Id quod poteſt, nihil eſt reſpectu gratiæ ſuſcipiendæ: vt comedere, nihil eſt ad gratiam ſuſcipiendam. *Ad* 6. Deteſtari culpam vt offenſiuam Dei, diſponit ad gratiam gratum facientem, nec eſt vnquam ſine gratia gratis data: non autem deteſtari culpam vt læſiuam naturæ per morbum aliquem. *Quæſt.* 3. Liberum arb. nihil poteſt ordinatum aut diſponens nequidem de congruo ad ſalutem: vt opus rectæ intentionis ad Deum, niſi ex gratia gratis data; ſed tantùm aliquod bonum ordinabile ad finem, &c. Per illud tamen non diſponitur ad gratiam: quia non eſt in finem vltimum ordinatum, ſed tantùm ordinabile, &c. *Infra* Patet igitur quàm ſit neceſſaria gratia gratis data: quia ſine ea non poteſt fieri quantumcumque modicum bonum, quod ſit ordinatum ad ſalutem. *Diſt.* 29. *art.* 1. *q.* 1. Non decreuit Deus ducere hominem ad gloriam *per aliquid ortum ex naturæ principijs.*

Doctrina Scoti eſt tota ex principijs directè oppoſitis vel minimo Pelagianiſmo. Vt in 1. *diſt.* 41. *q.* vnica. De prædeſtinatione ante omnia merita præuiſa. *Diſt.* 39. de præſcientia ex ſola determinatione voluntatis Dei, &c. *Diſt.* 17. *q.* 5. *&* *in* 3. *diſt.* 18. De formali ratione meriti, ex acceptatione Diuina. Specialiter *in* 1. *diſt.* 17. *q.* 3. *a. n.* 24. *Ad* 1. Actus qui eſt meritum eſt in poteſtate mea, ſuppoſita influentia generali, ſi habeo vſum liberi arbitrij, & gratiam: non completio eius in ratione meriti, niſi diſpoſitionè; ſed infallibiliter ex ordinatione Dei, vt ad organizationem ſequitur animatio. *Ad* 2. *Reſp.* Actus ex ſe non eſt condignus tanto præmio, niſi ex acceptatione, ſeu ordinatione æterna Dei: quia Deus præmiat vltra condignum ex ſe, & fortè adhuc vltra communem ordinationem; ſed meretur acceptari ſecundum quid, vt attritus meretur de congruo iuſtificari, &c.] Ergo ſemper ſupponit gratiam præuenientem. N. 29. Deus potuiſſet abſolutè acceptare naturam beatificabilem ad beatitudinem, & eius actum naturalẽ ad meritum, aut ſine merito: ſed non creditur ita diſpoſuiſſe; *quia appropinquat errori Pelagij.* Ergo erat cautus contra hos errores: Nec hoc appropinquare eſt eſſe minus errore pelagij, ſed circiter. *Diſt.* 44. *q.* 1. Deus poteſt quemlibet peccatorem ſaluare præueniendo eum ſua gratia.

*In* 2. *Diſt.* 7. *q. Vnica. n.* 15. Non eſt in poteſtate Angeli velle meritoriè: quia non eſt in poteſtate eius habere gratiam; nec per conſequens vti gratia, nec etiam voluntate ſua cum gratia iſta. *n.* 16. Reſtat Dubium de principio diſpoſitiuo, &c. an poſſit ſe diſponere ad gratiam, vt peccator viator.

N. 18. Impoſſibile eſt eos benè velle: quia impoſſibile eſt Deo, de potentia ordinata, eis gratiam Dare. *Diſt.* 28. *n.* 7. Cùm voluntas, quamuis informis; diſponit ſe de congruo ad gratiam ſanctificantem ſibi oblatam: vel reſiſtet, & peccabit mortaliter; vel conſentiet, & iuſtificabitur.] Cui reſiſtet vel conſentiet: niſi gratiæ præuenienti, vt offerenti gratiam gratificãtem? *D.* 9. *q.* 2. *n.* 14. Non videtur quod diſpoſitio ad formam merè ſupernaturalem poſſit cauſari ab Angelo. *Diſt.* 32. *q.* 2. *n.* 7. Qui accepit voluntatem & gratiam benè operandi, eſt debitor bonorum operum. *In* 4. *Diſt.* 20. *q. Vnica. n.* 3. Cùm pœnitentia fructuoſa ſit opus Dei, non hominis: Deus poteſt eam inſpirare quandocumque vult. *Diſt.* 22. *q. Vnica. n.* 13. Deus ob merita præcedentia licet mortificata, potiùs dat gratiam ad reſurgendum, &c.

Hinc merito ſupponendus ac diſcutiendus eſt ſenſus Catholicus huius etiam Textus. *Peccator*, vtique fidelis, fide ſaltem acquiſitâ, *poteſt* ſaltem remotè & partialiter, *ex naturalibus*, vtique remotè, nõ ſolùm integris ſed etiam peccato vitiatis, non ait tamen ſolis, etſi alibi puris, *cum influentia communi*, non tam naturæ, quàm fidei ſeu gratiæ credendi, quæ eſt communis fidelibus. Sic enim ſupra *in.* 1. *d.* 17. videtur *naturalia* exponere per *liberum Arb. & communem influentiam*, per *gratiam.* Et Rom. 2. *Gentes naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* .i. ex *B. Aug.* 27. *De ſpir. & Lit.* Natura per gratiam, vel ſecundum aliquam adhuc inclinationem naturalem, non ſine aliqua etiam gratia. Vt Scotus *in* 2. *d.* 17. *ad* 1. Gentiles non benè vixerunt ſine omni gratia. Ex *B. Aug.* 2 *Ciu.* 7. De vera Doctrina Philoſophorum ex aliquo Dei auxilio ſpeciali. 4. *in Iul.* 3. Virtutes Philoſophorũ potiùs tribuendas eſſe muneri Dei, quàm eorũ voluntati. Nec obſtat quod *in* 2. *diſt.* 17. *q.* 1. *n.* 16. influentia generalis opponatur operationi ſpeciali: quia poteſt eſſe gratia communis, & ſpecialis. *Conſiderare peccatum vt offenſiuum Dei, &c.* quæ non poſſunt ſciri niſi ex fide ſaltèm infuſa, & ex aliqua regula ſupernaturali, de qua *q.* 3. *Et poteſt voluntas, &c.* Non repetit hic, *ex naturalibus*: quia maior gratia, & magis eſt ad hoc neceſſaria voluntati, quàm ad illud intellectui: & fortè poteſt ex

excogitatio-

Digitized by Google

ex cognitione naturali fidei acquiſitæ, ſequi aliquod velle ſupernaturale. *Et ille motus poteſt continuari & intendi ante infuſionem gratiæ, &c. Iſte autem motus dicitur Attritio, &c.* 1. Siue ſit naturalis, ſiue potiùs ſupernaturalis ex aliqua gratia actuali, non eſt ſemper ab initio diſpoſitio ſufficiens: quia vt monet, poteſt eſſe moraliter imperfectus, negatiuè & poſitiuè; ſed poteſt continuan do & intendẽdo perfici, tum moraliter motiuo & fine perfectiori, tum realiter & cauſaliter gratiâ efficaciori, ad excluſionem omnis affectus peccandi; vt fiat vel ex naturali ſupernaturalis, vel ex ſupernaturali in modo, talis etiam in ſubſtantia, vel ex motu ſolius pudoris, timoris, & ſpei ſeu Attritionis, motus etiam *Charitate perfectus*, ſeu Contritionis, ſicque diſpoſitio vltima & ſufficiens ad infuſionem gratiæ ante Sacramentum in re, vt *Trid.* ſupra. Nec duratio & intenſio illius motus apud Scotum, poteſt intelligi ad ſolam moram: quia *Ezech.* 20. In quacumque die ſeu inſtanti diei ingemuerit peccator vt oportet, remittuntur ei peccata; ſed ad perfectionem intrinſecam illius motus ab omni perfectione poſitiua, & priuatiua, præcipuè finis & motiui. Quæ perfectio non poteſt eſſe niſi ex gratia, eaque perfectiori. Hinc patet quàm hîc variè, facilè, & congruè conciliari poſſit Scotus cum ſacris Conc. S. Aug. Alenſi, S. Bon. ac ſecum ipſo alibi. 1. De *poſſe*, remotè. 2. Ex *naturalibus*, iterum remotè & partialiter: vel ex illis ſolis vt principio intrinſeco: vel ex illis ſolis *puris* ab omni vitio. 3. De *communi influentia* gratiæ ad hoc neceſſariæ. 4. De *conſideratione* illa peccati ex ſola fide acquiſita: non ſic autem de eius deteſtatione naturali ſine gratia. 5. De quadam diſplicentia naturali peccati: non autem efficaci, nec perfecta moraliter, niſi ex gratia. 6. De diſpoſitione naturali: nec vltima, nec prima, nec vllatenus poſitiua; ſed remotiſſima & negatiua, ſeu minori indignitate ac indiſpoſitione pænitentis naturaliter, quàm impœnitẽtis & actualiter peccãtis. 7. *Vt* Apoſt. *Rõ.* 2. ſupra. 8. Vt Scotus ipſe *in* 1. *diſt.* 17. *q.* 3. ſupra. 9. Denique & fortè propriiſſimè, vt in 2. *diſt.* 7. *q. vnica.* Quia quamuis ibi ſe referat hùc, ſicque videatur potiùs hinc ibi, quam inde hî explicandus: ibi tamen hanc difficultatem expreſſiùs proponit, vt ſupra *col.* 755. Imò & expreſſiùs reſoluit, comparando & præferendo peccatores viatores Angelis reprobis, in gratia pœniẽdi, &c. vt ſupra *col.* 758. Sed de hac priori diff. ſatis hîc occaſionaliter: ex profeſſo autem in 2 & 3. De neceſſitate gratiæ.

Nunc ad alteram difficultatem huic loco propriã, inter Scotum, Al. Bon. S. Aug. & Trid. De neceſſitate vel ſufficientia Contritionis, Attritionis, vel ſolius voluntatis, & actualis ſuſceptionis huius Sacramenti, ad iuſtificationem per hoc Sacram. in re, vel voto, explicito vel implicito.

## *Ad* 2. *Reſponſio & Concilatio.*

NOn eſt B. Aug. nec Alenſis, nec S. Bon. nec Scoti, nec probabilis aut vllatenus licita doctrina de neceſſitate Contritionis Charitate perfectæ, ad valorem aut fructum huius Sacramenti: nec de inſufficientia eius cum voto huius Sacramenti, ad iuſtificationem ante Sacramentum in re: nec de inſufficientia Attritionis ex fide, gratia actuali, pudore, timore, & ſpe ſupernaturali, excludente omnem affectum actualem præſentem, & reuocante præteritum peccati, ad valorem & fructum proprium huiùs Sacramenti in re; nec de ſufficiente voluntate & actuali ſuſceptione huius Sacramenti abſque vlla Attritione ſeu diſplicentia formali peccatorum præteritorum, ad Abſolutionem & remiſſionem ſacramentalem & actualem peccatorum: ſed ſola doctrina expreſſa ſacri *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *cap.* 7. & ex profeſſo *Seſſ.* 14. *cap.* 4. De Contritione Charitate perfecta, includente votum huius Sacramenti, & reconciliante Deo ante Sacramentum in re: De Attritione autem vt neceſſaria & ſufficiente diſpoſitione cum Sacramento in re. Et doctrina communis, De Iuſtificatione extra-ſacramentali per actum formalem Charitatis vt virtualiter continet actum Contritionis, & conſequenter implicitè votum Sacramenti. Quæ omnia vt connexa, ſimul reſoluuntur & probantur promiſcuè. 1. Ex ſacro *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *cap.* 7. De probatione ſeu præparatione neceſſaria ad ſacram Communionem & Sacrificium Miſſæ, ſaltem per Contritionem de peccatis mortalibus, cum voto huius Sacramenti. *Seſſ.* 14. *cap.* 3. Quaſi materia huius Sacramenti eſt Contritio, &c. *Cap.* 4. Hæc Contritio vt communis ad perfectam, & imperfectam, ſeu Attritionem, *Eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero, &c.* de eius neceſſitate ad remiſſionem peccatorum. Infra. *Docet S. Synodus Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam eſſe, hominemq; Deo reconciliare ante hoc Sacramentum actu: ſed non ſine voto Sacramenti quod in illa includitur.* Quid ſit autem eſſe *perfectum Charitate*, variè intelligi poteſt. 1. Charitate habituali concomitante. 2. Actuali concomitante. 3. Ex Charitate actuali & habituali imperante. 4. Ex habituali eliciente. 5. Et propriè, Ex motiuo ſupernaturali, & gratia actuali Charitatis, ſeu diligendi Deum propter ſeipſum, ex toto corde, ſuper omnia, &c. Quia *Trid.* ſubdit diſtinctionem Attritionis à Contritione ex motiuis inferioribus: ergo & Contritionis ab Attritione, ex motiuo ſupremo Charitatis, quia peccatum eſt offenſiuum Dei, ſeu ei malum obiectiuè, aut maleuolè. Ex *B. Aug. L. De Serm. Domini cap.* 20. *Sanctum eſt quod violare nefas eſt: cuius vtique ſceleris & conatus voluntas tenetur rea, quamuis illud Sanctum naturâ inuiolabile maneat.* Lib. contra Adymantum cap. 27. *Deus malum facit: quod non ipſi Deo malum eſt.* Vbi diſtinguit malum pœnæ, à malo culpæ: quòd hoc ſit *ipſi Deo malum*, non illud; vtique obiectiuè & maleuolè, vt ſupra. Nam vt eſt actus Charitatis benè velle & facere Deo, quantum fieri poteſt: ſic & nolle ac amouere ab eo omne malum ſeu offenſiuum, & omnem noſtram maleuolentiam, quantum à nobis fieri poteſt, per Contritionem. Ita vt actus Contritionis *Charitate perfectæ*, non ſit tantùm imperatus, ſed & formalis ac elicitus Charitatis: non quaſi neceſſariò ab habitu aut actu aliquo perfecto præexiſtente aut comitante; ſed ipſa Contritio eſt *perfecta Charitate*, ſeu ex proprio motiuo ac gratia diligendi Deum, non tantùm inchoatiuè *vt fontem omnis iuſtitiæ*, ante

pœnitentiam, ex *Trid. Seſſ. 6. cap. 6. can.* 3. Sed vt ſeſſ. 14. c. 4. perfectè, propter ſe, ſuper omnia; non ſolùm intenſiuè, quaſi in eodem genere, ſed appretiatiuè incomparabiliter in ſupremo genere ſupernaturali diligendi, æquè nolendo & amouendo ab eo omne malum ac maleuolentiam noſtram; quàm ei benè volendo; quia hoc ipſum eſt Deo bonum, non habere vllum malum ſeu offenſiuũ. Hinc *Pſal. 96. Qui diligitis Dominũ, odite malũ.* Et Aug. Serm. 7. de Tẽpore. *Pœnit. certa eſt odiũ peccati & amor Dei.* Subdit Trid. *Illã verò Cõtritionẽ imperfectã, quæ Attritio dicitur; &c.* vt ſupra *col.* 13. Quæ comparatio inter Contritionem *Charitate perfectam*, & *imperfectam, ſeu Attritionem* ex pudore, timore, ac ſpe ſalutari, &c. inter illius vim cum ſolo voto ſeu propoſito implicito Sacramenti, *quod,* inquit, *in illa includitur*, vtique identicè; huius autem inſufficientiam per ſe ſine Sacramento *perducendi ad iuſtificationem; ſed diſponendi ad gratiam Dei impetrandam in hoc Sacramento:* conuincit de diſpoſitione ſufficiente in hoc Sacramento. Quia hunc ſenſum exigit tota comparatio, & diſparatio, ac diſtinctio inter *per ſe*, & *cum Sacramento*; inter *perducere* ad iuſtificationem ſine Sacram. & *diſponere ad eam impetrandam in Sacram.* abſolutaque ſignificatio *diſponendi*, *impetrandi*, & *can.* 5. *præparandi* ad gratiam in hoc Sacramento, abſque vlla mentione vlterioris diſpoſitionis, præparationis, aut impetrationis; vbi tamen de integra diſpoſitione ex profeſſo agitur.

*Probatur* 2. Ex Trid. *Seſſ. 6. cap. 7. & can.* 11. De iuſtificatione formali per Charitatem infuſam: ergo & per actũ ex æquali motiuo & gratia actuali.

*Probatur* 3. Ex cenſura & inhibitione harum propoſitionum à Pio 5. & Greg. 13. inter Baianas. 67. *Homo exiſtens in peccato mortali, poteſt habere veram Charitatem: & Charitas etiam perfecta poteſt ſtare cum reatu æternæ damnationis.* 68. *Per Contritionem etiam cum Charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis aut martyrij, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

In quas etiam Propoſitiones & Cenſuras coincidunt 16. 30. 31. 32. *Vt* ſat ſupra, De Sacramento Baptiſmi *Quæſt. 6. col.* 201. & latiùs in Abſolutione *Tomi noſtri 2. in B. Aug.* ad has ipſas propoſitiones & cenſuras, à *col.* 155. *ad* 178.

4. Ex varijs Dei promiſſis, diligendi diligentes ſe *Prou. 8. & 10. luc. 7. Ioan.* 17. remittẽdi peccata contritis corde, *Pſal.* 50. 146. *Ʒech.* 18. 33. & alibi: quæ non ſunt reuocata in noua lege, ſed cumulata & aucta: ergo etiam ante & extra omne Sacramentũ.

5. Ex ſingularibus promiſſis nouæ Legis, *Mat.* 16. 18. *Ioan.* 20. ſoluendi & remittendi in Cœlis quæcumque ſoluta ſeu abſoluta & remiſſa fuerint in terra, per Sacramenta nouæ legis: ergo non neceſſariò per Charitatem, vel Contritionem Charitate perfectam.

6. Ex neceſſitate alicuius veræ pœnitentiæ ſupernaturalis in noua lege, ad remiſſionem peccatorum mortalium, etiam per Baptiſmum adultorum: ergo & potiùs per Abſolutionem ſacramentalem.

7. Ex monitis Chriſti & Apoſtolorum in lege noua, ad pœnitendum etiam ex pudore, timore, & ſpe. *luc.* 13. *Mat.* 9. 1. *Cor.* 5. 6. *Gal.* 5. *Iac. Iud. Apoc.*

8. Ex tota *quæſt.* 1. & 5. De Sacram. Pœnitentiæ, & Abſolutione ſacramentali, non ſolùm à pœna, ſed etiam à qualibet culpa: ergo non ſupponit culpã remiſſã per Charitatem vel Contritionem Charitate perfectam. Non enim eſſet vlla poteſtas abſoluendi à culpa, ſi nunquam poſſet reduci ad actum. Nec Abſolutio aut gratia propria huius Sacramenti eſſet ex ſe, ſeu ex inſtitutione Dei remiſſiua cuiuſuis culpæ: ſi nunquam remitteret, ſed ſemper ſupponeret remiſſam, &c.

9. Tam eſt certa ſufficientia Attritionis cum Sacram. quam Abſolutio Sacramentalis à culpis: tamque illicita ac inhibita negatio illius, quam huius

10. Si quod eſſet dubium de ſufficientia Attritionis cum Sacram. non liceret ea vti, ſub ſpe Abſolutionis Sacramentalis à culpis.

*Confirmatur* 11. Ex B. *Aug.* ſupra *col.* 205. 206. contra ſimilem fallaciam Pelagianorum: quòd gratia baptiſmalis ſit remiſſiua peccatorum; non tamen remittat in paruulis in quibus non ſunt, ſed tantùm in adultis. Vt L. De peccato Orig. c. 21. *Tanquam infantibus remiſſio peccatorum verborum ſonitu diceretur, non rerum effectu ageretur.* Epiſt. 105. *Non inueniunt quid reſpondeant, quod exorcizantur & exſufflantur infantes, &c. Nec audent dicere hæc in Eccleſia mendaciter geri.* Lib. 1. De Nupt. & Concup. cap. 29. *Tunc vera eſt Dei gratia, ſi hoc rebus exhibeat, quod verbis ſonat &c.* ſupra *col.* 205. 206. Quantò minùs forma aut gratia huius Sacramenti poſſet eſſe vera, & verè remiſſiua omnium peccatorum: ſi nullum in vllo vnquam remitteret, ſed omnia ſemper remiſſa ſupponeret?

*OBIECTIONES.*

1. Sacra Script. tribuit remiſſionem peccatorum varijs cauſis, & exigit ad eam varias conditiones inadæquatas: ergo nulla ſola ſufficit, ſed ſupponit aut coexigit omnes. *Reſp.* Cauſa formalis iuſtificationis, quæ eſt gratia & Charitas infuſa, nõ poteſt eſſe ſine ſuo effectu formali iuſtificationis. *Trid. Seſſ. 6. cap. 7.* Nec vltima diſpoſitio aut conditio poteſt eſſe ſine forma ad quam diſponit: ergo nec Charitas infuſa, nec eius actus formalis aut virtualis Contritionis, nec Abſolutio ſacramentalis hominis pœnitentis, ſeu attriti & confeſſi, poteſt eſſe ſine iuſtificatione. Nec cauſa, diſpoſitio, aut conditio ſufficiens ante, facta eſt inſufficiens per nouam legem, ſed ècontra. Votum enim Sacramenti continetur identicè in quouis actu Charitatis & Contritionis, vt directè contrario omni voluntati peccandi.

*OBIECTIO 2.*

2. Trid. *Seſſ. 6. cap. 6.* inter diſpoſitiones ad iuſtificationem, numerat priùs Dilectionem Dei *vt oportet*, quàm pœnitentiam *vt oportet*: ergo vel ſupponit Dilectionem Dei ante iuſtificationem, vel hanc ante pœnitentiam. *Reſp.* Cap. 6. non tam exigit, quàm numerat ordinarias diſpoſitiones ad pœnitentiam, & iuſtificationem, per motus gratiæ, fidei, timoris, ſpei, & inchoatæ Dilectionis Dei. Vt enim, ex *B. Aug. L.* 1. ad Simplic. *q.* 2. *ſunt quædam inchoationes fidei:* ſic & Dilectionis Dei. Porrò ſatis explicat diſtinctionem huius inchoatæ dilectionis Dei, à Spe & Charitate: per obiectum

Digitized by Google

obiectũ illius quod eſt *Deus vt fons omnis Iuſtitiæ:* cuius ſitis ſeu deſiderium inde hauriendi .i. participandi, eſt hæc ipſa inchoata dilectio concupiſcentiæ, ſeu ſimplicis deſiderij. Cùm Spes ſit erectio animi ad illud bonum vt arduum ac difficile: ſed Charitas ſit perfecta dilectio amicitiæ ad Deum, eiuſque bonum in ſe ac propter ſe. Nec illud, *ſicut oportet*, Can. 4. refertur ad *diligere*, ſed ad *pœnitere ſicut oportet*. Vel *ſicut oportet*, non ſignificat perfectionem ſufficientem Charitatis: ſed ſupernaturalem, aut potius moralem illius dilectionis, vt poſſit eſſe diſpoſitio aliqua ad iuſtificationem.

OBIECTIO 3.

Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 4. vt & 1. Ioan. 4. & *Aug. cap.* 70. *de natura & gratia*, diſtinguit Charitatem perfectam ab imperfecta: Ergo non hæc, ſed illa iuſtificat. *Reſp.* Trid. ibi non diſtinguit Charitatem perfectam ab imperfecta: ſed *Contritionem Charitate perfectam*, à Contritione imperfecta, ſeu carente hac perfectione Charitatis. Nec 1. *Ioan.* 3. agitur de perfectione Charitatis ad excludendum peccatum, ſed timorem ſeruilem: ad quod, non ad illud ſufficit perfectio intenſiua. Nec *B. Aug.* loquitur ibi de gradu aliquo Charitatis, vt neceſſario ad iuſtificationem, ſed ad huius perfectionem. Ait enim, *Charitas inchoata, inchoata Iuſtitia eſt: Charitas prouecta, prouecta Iuſtitia eſt; Charitas perfecta, perfecta Iuſtitia eſt.* Ergo quilibet eius gradus iuſtificat. 15. *Trin.* 18. *Tract.* 5. *in Ioan. Sola dilectio diſcernit inter filios Dei & Diaboli.* Quamuis enim Charitas poſſit intelligi perfecta intenſiuè, vel extenſiuè, duratiuè vel obiectiuè, in eadem ſpecie, vel genere Charitatis: ſola tamen differentia extenſionis vel intenſionis, non eſt tam eſſentialis, moralis, vel ſupernaturalis, vt habeat tam diſtinctas promiſſiones & acceptationes Dei. Nam iuſtificatio ſeu remiſſio peccatorum, & dilectio Dei, promittitur Charitati & Dilectioni noſtræ ſimpliciter, *Prou.* 8. 10. *Ioan.* 14. *Rom.* 13. 1. *Cor.* 13. 1. *Ioan.* 2. 3. 1. *Pet.* 14. non autem eius durationi, extenſioni, aut intenſioni.

OBIECTIO 4.

*Ioan* 15. Maiorem dilectionem nemo habet, &c. *Matt.* 22. Diliges Deum ex toto corde, &c. *Luc.* 7. Remittuntur ei peccata multa: quia dilexit multum. Ergo quæuis Charitas non ſufficit ad Iuſtificationem. *Reſp.* Nil horum ſignificat extenſionm, aut durationem: ſed efficaciam, appretiationem, ſeu præferentiam efficacem amoris Dei ſuper omnia inferiora, incomparabiliter: ideoque & perfectionem Charitatis toto genere ſuperiorem, non autem communem cum vllo amore inferiorũ. Tum quia hæc Charitas eſt participatio infuſa illius Charitatis *quæ Deus eſt*, & quâ ſola Deus ipſe formaliter diligit: non autem amore deſiderij aut ſpei. Tum quia ſolus hic amor Charitatis directè opponitur peccato vt eſt offenſiuum Dei. Tum denique quia hunc ſolum Deus acceptat ad iuſtificationem formalem & completam. Nec obſtat illa differentia temporis, *Remittuntur ei quia dilexit:* non enim ſignificat ſucceſſionem, ſed cauſalitatem; vel confirmationem externam, aut etiam perfectionem internam prioris iuſtificationis.

OBIECTIO 5.

Sacra Script. & Conc. Trid. exigit pœnitentiam, conuerſionem à peccatis, propoſitum non peccandi, imò & huius Sacramenti, vt media neceſſaria ad remiſſionem peccatorum: ergo non poſſunt remitti per ſolam dilectionem formalem. *Reſp.* Ex ſacro Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. & 14. *cap.* 4. Hæc omnia ſiue ſint neceſſaria in re vel voto vt media, ſiue vt præcepta naturalia vel poſitiua: ſaltem virtualiter contineri in quolibet actu veræ Charitatis, & *Contritionis Charitate perfectæ*, quæ & ipſa eſt actus formalis Charitatis, vt ſupra. Hinc Trid. ſupra tam expreſsè docet. 1. Omnem Contritionem eſſe *dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Ergo non ſunt duo actus: ſed vnicus formalis, & virtualis ſeu efficax alterius: vt patebit infra de Attritione. 2. Docet *hunc motum Contritionis in communi, fuiſſe ſemper neceſſarium ad veniam peccatorum, &c.* & nunc ad eam diſponere, ſi cum fiducia Diuinæ Miſericordiæ, *& voto præſtandi reliqua ad hoc Sacramentum requiſita coniunctus ſit.* Ergo nonniſi virtualiter: prout actus Charitatis & Contritionis ſemper identicè incluſit votum ſeu affectum præſtandi omnia neceſſaria ſub quauis lege Dei. 3. Docet *hanc Contritionem non ſolùm continere ceſſationem à peccato, & propoſitum nouæ vitæ, ſed etiam odium veteris:* ergo non niſi virtualiter aut identicè; quia idem actus non poteſt eſſe diſtinctè & formaliter circa tam diuerſa, præterita & futura. 4. Docet *Contritionem Charitate perfectam reconciliare Deo: non tamen ſine voto Sacramenti, quod in illa includitur.* Vbi non ait *ſi*, vt infra de Attritione: ſed *quod* .i. neceſſariò & identicè. 5. Approbat Contritionem imperfectam, ſeu Attritionem ex pudore vel metu, *ſi illa voluntatem peccandi excludat:* quia non neceſſariò excludit, ſicut Contritio Charitate perfecta. Quod non de neceſſaria excluſione diſtincta & formali, ſed virtuali omnis voluntatis actualis præteritæ & præſentis ad peccandum, & ad peccatum: ergo nec illa de incluſione diſtincta & formali, ſed virtuali voti, ſeu propoſiti præſtandi omnia neceſſaria ad hoc Sacramentum & eius fructum. Confirmatur ex tot promiſſis & exemplis ſacræ Script. & SS. Patrum, remiſſionis peccatorum quolibet inſtanti veræ contritionis, conuerſionis, & dilectionis Dei: ergo non per tot actus formales ac diſtinctos; ſed vnicum formalem, reliquorum omnium virtualem ſeu efficacem. Hinc *Ezech.* 33. In quacumque die, &c. Ergo & quolibet inſtanti diei. 2. *Reg.* 12. Peccaui Domino. Tranſtulit quoque Deus peccatum tuum à te. *Pſal.* 31. Dixi, &c. Et tu remiſiſti. *Luc.* 15. 18. 23. *Matt.* 26. *Act.* 19. De ſubita conuerſione ac iuſtificatione filij prodigi, Publicani, S. Petri, boni Latronis, & S. Pauli. *S. Cypr. ad Demetr.* Pœnitentia nulla ſera eſt. *S. Baſil. Hom. de Pœnit.* Velis tantùm, &c. exemplo filij prodigi. *S. Chryſ. Epiſt. ad Theod.* Bonus Latro in momento totius vitæ peccata abſterſit. *B. Aug.* in *Pſal.* 21. 50. *Serm.* 7. *de Temp. lib.* 8. *Conf. cap.* 7. De ſubita illa ſua perfecta conuerſione. Ratio etiam eſt: quia iuſtificatio eſt inſtantanea; ergo ad vnicam aliquam diſpoſitionem vltimam & inſtantaneam.



Digitized by Google

*OBIECTIO 6*

Sacræ Script. Conc. Patres tribuunt Charitati habituali, ſeu à Deo infuſæ, vim iuſtificandi: non autem cuiuis actui Charitatis à nobis elicito ante illius infuſionem; quia hic non videtur eſſe poſſe tam perfectus & gratus Deo, acilla.

*Reſp.* Tribui Charitati, tam actuali quàm habituali, tam elicitæ quàm infuſæ, tam ante infuſionem quàm poſt: ſed Charitati habituali & infuſæ, tribui iuſtificationem formaliter; actuali poſt illius infuſionem, tribui meritoriè; ante infuſionem, ſaltem diſpoſitiuè, imò fortè etiam formaliter. *Prou.* 8. Ego diligentes me diligo. *Prou.* 10. & 1. *Pet.* 4. Vniuerſa delicta operit Charitas. *Ioã.* 15. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis .i. vt diligatis inuicem. *Cap.* 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo. 1. *Ioan.* 5. Non priùs diligimus Deum: ſed ipſe prior dilexit nos &c. vt ſupra. Quæ potiùs & ſæpiùs ſonant dilectionem actualem, quàm habitualem. Cùm enim habitus ſint propter actus, & actus generent ac perficiant habitus: cur dilectio actualis non eſſet ſaltem æquè perfecta & Deo grata ad iuſtificationem, quàm habitualis? Cur non æquè ante habitum quàm poſt: ſi ante æquè procedat ex motiuo Charitatis, & ex gratia actuali, ſupplente, adæquante, vel etiam excedente influentiam habitus? Actus enim Charitatis videtur plus repugnare peccatis actualibus, præteritis & præſentibus, quàm habitus: ideoque & gratior ſeu acceptabilior ad iuſtificationem à peccatis, non tantùm diſpoſitiuè & meritoriè, ſed etiam formaliter. Hinc *SS. Ambr. & Aug. Pſal.* 114. Dilexi &c. *Dilige & fac quod vis* .i. Diligendo nil poteſt malè fieri, ſed benè.

*OBIECTIO 7.*

Non eſſet vlla poteſtas in Eccleſia retinendi peccata *Ioan.* 20. Si actu proprio pœnitentis remitti poſſent. *Reſp.* 1. Poteſtatē retinēdi peccata poſitiuè, eſſe & exerceri in ipſo iudicio ſacramentali, negando confeſſis indiſpoſitis Abſolutionem, vel abſoluendo diſpoſitos ſub obligatione alicuius ſatisfactionis. 2. Poteſtatem retinendi negatiuè, eſſe dependentiam omnis remiſſionis peccatorum Mort. ab hoc Sacramento in re vel voto, ſeu propoſito ſaltem virtuali. 3. Eſſe obligationem pœnitendi formaliter de omnibus peccatis mortalibus, quantumuis remiſſis per Charitatem infuſam, vel etiam actualem: & confitendi ſacramentaliter omnia non confeſſa, ſubeundique hoc iudicium quoad Abſolutionem & ſatisfactionem: ſub culpa & pœna relabendi, per contemptum aut grauem negligentiam huius Sacramenti, in peccata hac quaſi conditione remiſſa; non quidem in eadem numero & formaliter, ſed quaſi æquiualenter, ſeu in eundem ſtatum peccati. 4. Retineri à Deo per imputationem contemptus aut grauis negligentiæ huius Sacramenti, ad priuationem gratiarum actualium ac ſacramentalium, & permiſſionem relabendi in ſimilia vel grauiori. Ex Trid ſupra *Seſſ.* 6. & 14. *cap.* 4. *Seſſ.* 13. *cap.* 7. Ex illa parabola Chriſti, *Luc.* 11. Reuertar in domum meam vnde exiui. *Mat.* 18. De ſeruō nequā. *Iac.* 2. Qui delinquit in vno factus eſt omniū reus. Et tamē *Rō.* 11. Sine pœnitentia ſūt dona & vocatio Dei. *Ezech.* 18. Omnium iniquitatū eius non recordabor. B. Aug. *Lib.* 1. & 3. *De Bapt. cap.* 12. & 13. *In Pſal.* 108. De tali reditu peccatorum remiſſorum per Baptiſmum; non quoad eaſdem culpas & pœnas, ſed 3. vel 4. modo. Contra vaſques *p.* 3. q. 88. *a.* 1.

*OBIECTIO 8. Ex S. Auguſtino.*

Quid ad *B. Aug. Serm.* 7. *De tempore.* Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati & amor Dei: Et vbicumque negat mandata Dei poſſe obſeruari, peccatorem iuſtificari, aut à voluntate peccandi reuocari & contineri, timore pœnæ; ſed ſolâ Dilectione Dei. Vt in *Pſal.* 77. 118. *Serm.* 12. 15. 18. *De verbis Apoſtoli. Lib. De patientiâ cap.* 26. *Epiſt.* 89. *Lib. De gratia Chriſti cap.* 26. *Lib.* 3. *ad Bonif. cap.* 2. *De corrept. & grat. cap.* 2. *Lib.* 3. *contra Iul. cap.* 4. *& alibi ſæpè*, De referendis omnibus ad Deum, nonniſi ex Charitate. *Lib.* 2. *ad Simpl. De gratia Chriſti. De corrept. & grat.* ac alibi ſæpè: Vbi ſtatuit gratiam efficacem in victrice delectatione ac dilectione Dei. *Quæſt.* 38. *ex* 83. Deus ſolus timeri ſine amore non poteſt.

*Reſp.* Ex Abſolutione Operis noſtri in B. Aug. *à col.* 155. *ad* 171. per aliquam ex his ſolutionibus. 1. Non poſſe obſeruari omnia Dei mandata, niſi ex Charitate: quia duo maxima ſunt de diligendo Deo & proximo. 2. Non poſſe aliter ſeruari mandatum Chriſti: quia *Ioan.* 15. Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem. 3. Non poſſe vlla obſeruari niſi ordinatè, ſeu diſpoſitiuè ad diligendum Deum. 4. Non poſſe obſeruari conſtanter & perfectè, ſine Charitate. 5. Non poſſe quem iuſtificari niſi ex fide per Dilectionem operante: vel de iuſtificatione formali; vel de fide & dilectione inchoata, vt dirigente, diſponente, & mouente ad reliqua. 6. Nil poſſe fieri ad ſalutem, niſi ex Dilectione, ſeu gratia Dei actuali quâ ipſe prior dilexit nos. 7. Nil fieri ſalutare niſi ex victrice delectatione ac *Dilectione benè operandi* .i. niſi ex gratia Dei efficaci, & ex conſenſu noſtro, qui eſt quædam dilectio & complacentia boni: etiam ſi fiat ex timore, non tamen vt diſplicente, ſed placente. 8. Nihil eſſe ſalutare ex ſolo timore naturali, vel non excludente omnem affectum actualem peccandi: ſed ex timore ipſius Dei vt iuſti, reuocante omnem affectum actualem etiam ſimplicem aut conditionalem, ad quoduis obiectum illicitum. 9. Timorem & ſpem Dei referre etiam ſua opera bona ad Deum vt finem vltimum non amittendum, ſed aſſequendum; & conſequenter ac diſpoſitiuè ad ipſum etiam propter ſe. 10. Deum ſolum non poſſe timeri ſine amore: timore ſupernaturali diſponente ad Charitatem, & ſupponente amorem ſaltem naturalem boni, &c. Vt *Tomo noſtro* 2. *in B. Aug. col.* 134. *& in Abſol.* 158. 159. 11. De certitudine ſolius pœnitentiæ ex odio peccati & amore Dei: pro quouis odio & amore etiam imperfecto; vel pro certitudine ante Sacramentum in re; vel pro conſtantia pœnitendi, &c. Quo autem ſenſu poſſint abſolui pœnitentes ex ſolo propoſito pœnitendi ſub finem vitæ: ſat *col.* 109. 110.

*OBIECTIO 9. ex ipſo Conc. Trid.*

*Seſſ.* 14. *cap.* 4. docet Attritionem illam tantùm concipi ex pudore & timore: ergo ſupponit neceſſariò perfici. Hinc & eam exemplificat in

pœ-

pœnitentia Niniuitarum ex timore : quæ non potuit tunc ſufficere ad iuſtificationem. Nec hanc doctrinam de Attritione definitiuè reſumit *can.* 5. *Reſp.* 1. Docet inde concipi : non relatiuè ad naſci, ſeu neceſſariò perfici in Contritionem ante Sacramentum; ſed æquiualenter per Sacramentum. 2. Neceſſariò etiam perfici ante Sacramentum, vſque ad excluſionem omnis affectus actualis ad peccatum. 3. Communiter inde concipi : quia poteſt etiam concipi ex varijs alijs motiuis ſpei, ad recuperandam gratiam, aſſequendam gloriam, &c. 4. Sæpè etiam perfici ante Sacramentum, per gratiam & motiua Charitatis. 5. Hanc vim Attritionis non exemplificari in pœnitentia Niniuitarum : niſi quoad aliquam ſimilitudinem & vtilitatem, ſeu eius acceptationem apud Deum : contra hæreſim directè oppoſitam, quòd talis Attritio ſit coacta ac diſplicens Deo. Nam ſi pœnitentia illa Niniuitarum fuit tantùm naturalis, ex timore malorum naturalium, & tamen vtilis ad aliquam miſericordiam temporalem : quanto magis Attritio ex timore Dei ſupernaturali, eſt ſalutaris? Si fuit ſupernaturalis, & ſalutaris ad iuſtificationem : nonniſi diſpoſitiuè, vel vt perfecta in Contritionem; quia carebant tunc Sacramento ſupplente. 6. Definiendo *can.* 5. hanc Attritionem non eſſe coactam, ſed voluntariam, ſalutarem, & ſimpliciter præparare ad gratiam iuſtificantem : ſatis condefinitur præparare ſufficienter cum Sacramento, ex *cap.* 6. & Cenſura *Pÿ* 5. ac *Greg.* 13. in Prop. 54. 55. ſupra.

*OBIECTIO.* 10. *Ex Alenſi.*

Quid ad Alenſem *col.* 754. ſupra. 1. De menſura illa doloris ad Contritionem. 2. De eodem motu continuo Contritionis & Attritionis, partim à gratia gratis data, partim à gratum faciente. 3. De mala voluntate comitante Attritionem. 4. De translatione Attritionis extra genus *ingratuitorum* : non Contritionis extra genus *gratuitorum*. 5. De confeſſione Attriti ſignificante Abſolutionem habitualem, non actualem. 6. De valore confeſſionis ab Attrito, credente bona fide ſe contritum.

*Ad* 1. Menſura neceſſaria doloris, non eſt quoad intenſionem aut extenſionem : ſed quoad eſſentiam actus. Vt patet ex *q.* 68. *m.* 1. per totum.

*Ad* 2. Poteſt dici idem motus *in genere naturæ*, inquit *q.* 74. *col.* 672. ſed diuerſi *in genere moris*. Non idem motus numero, aut ſpecie, ſed genere : nec diuerſi in ſolo genere moris, ſed etiam in ſubſtantia, ſeu realitate actus. Subdit enim ibi ad 3. *Gratia eſt nouus motor : nec ſolùm ei debet tribui qualitas, ſed ſubſtantia operis.* Poteſt tamen dici continuus, quaſi cauſaliter, non formaliter : ſicque habere priorem partem .i. eſſe priùs à ſola gratia actuali, quàm etiam ab habituali ſeu gratificante; non continuè nec ſucceſſiuè, cùm ſit ens permanens, ſed diſpoſitiuè & perfectiuè. Poteſt etiam dici idem motus continuatus, quaſi materialiter, ſeu realiter à varijs cauſis : ſed diuerſi formaliter, ſeu moraliter, ex varijs motiuis ſucceſſiuè formantibus ac ſpecificantibus eundem motum etiam ſupernaturalem Attritionis & Contritionis. Fortè enim idē actus vitalis, naturalis, & ſupernaturalis, poteſt variè benè vel malè moraliter afficere ſuum ſubiectū ad idem vel varia obiecta, & ab illis variè affici ac ſpecificari. Vt idem actus amoris vel odij, ad omnia bona, vel mala, vera aut falſa : cùm hoc vel illud non ſit de eſſentia, nec de ſingularitate actus.

*Ad* 3. Attritio illa vitioſa ex ſolo timore ſeruili & naturali pœnæ, includit aut ſaltem compatitur ſecum affectum aliquem actualem peccandi : ſed non Attritio ex timore ſupernaturali, non tam pœnæ, quàm Dei vt iuſti & punientis. Vt patet ex ipſo Alenſi *p.* 2. *q.* 175. *col.* 83. ſed expreſſiſſimè *p.* 3. *q.* 76. *m.* 2. An timor ſeruilis ſit donum Dei. *Reſp.* Vt eſt timor Dei, vel pœnæ vt à Deo inferendæ, continens à peccato, & diſponens ad perfectiorem timorem & amorem, eſt donum Dei : non autem vt excludens amorem Dei vel iuſtitiæ, nec vt includens adhuc aliquem affectū peccandi. *Infra.* Diligens Deum ob alium finem, peccat : non autem timens Deum propter pœnam, vt finem ad quem timendi, ſed vt terminum à quo fugiendi. Melius, inquit. Deus timore ſeruili non timetur propter aliud, ſed propter ſeipſum : timetur enim quia eſt potentiſſimus inferendi pœnam. Vndè plus timetur potentia inferendi, quàm ipſa pœna. *Infra.* Præceptum referendi omnia ad Deum, eſt affirmatiuum : obligans ſemper, non pro ſemper; ſed pro ſtatu poſſibili aduertendi, conferendi, referendi. *M.* 3. An vſus timoris ſeruilis ſit bonus, vel malus? *Reſp.* Eſt bonus : quia excludit voluntatem actualem, quamuis non habitualem peccandi, &c. ibid. *col.* 67. 68. ad mentem *B. Aug.* ſæpè. In quos eoſdem ſenſus gratulor me ante lectionem Alenſis coincidiſſe, in Abſolutione operis noſtri in B. Aug. *à col.* 155. *ad* 171.

*Ad* 4. Attritio illa vitioſa, ſiue ſit naturalis, ſiue etiam ex aliqua gratia actuali, excluſo vitio intrinſeco vel annexo affectus actualis ad peccatum, transfertur extra ſeu ſupra genus ſuum *ingratuitorum* .i. vel naturalium, vel non gratificantium : perficitur enim ſupernaturaliter, vel in Attritionem ſufficientem cum Sacramento, vel etiam in Contritionem. Sed ipſa Contritio, perfectione aliqua accidentali non poteſt transferri ſupra genus ſuum *gratuitorū*, ſeu gratificantium : quia hoc eſt ſummum genus.

*Ad* 5. Confeſſo Attriti credentis ſe contritum, eſt verum ſignum Abſolutionis habitualis .i. virtualis, vel aptitudinalis, non actualis. Quia vera Attritio reddit confeſſum abſolubilem, non abſolutum : falſa autem, ſi vera credatur, reddit confeſſum abſolubilem virtualiter .i. abſolutione habente vim abſoluendi, correcto illo vitio Attritionis. Quod videtur ſupponere hoc Sacramentum poſſe eſſe informe, & habere effectum poſt abſolutionem actualem, ſublato obice.

*Ad* 6. Attritus vitioſè, credens ſe Contritum, vel perfectè Attritum, verè confitetur, ſed non abſoluitur : conſcius autem ſuæ falſæ Attritionis, nec verè confitetur, nec abſoluitur; ſed tenetur reconfiteri & abſolui. Quòd enim hic ſit ſenſus, patet 1. Ex reſolutione huius Art. *Confeſſio vt eſt ſatisfactoria Deo & Eccleſiæ de peccato, debet fieri ex vel in Charitate : non autem vt eſt ſatisfactoria præcepto.* Ergo vt non ſatisfactoria, ſed vt diſpoſitio neceſſaria ad Abſolutionem, diſtincta à Satisfactione, non debet fieri ex vel in Charitate. 2. Subdit, *Motiuum generale legis nouæ eſt amor : ſed expedit*

*etiam aliqua fieri ex timore.* 3. *Confeſſio extra Charitatem poteſt eſſe vtilis ad aliquam gratiam.* 4. Alioquin quid bona fides poteſt prodeſſe ad pœnitentis Abſolutionem. Sed expreſſiſſimè *Quæſt.* 60. *m.* 1. *art* 3. Vbi docet quod *hoc Sacramentum ſit ſignum & cauſa remiſſionis quoad ſolam pœnam, in Contritis : in Attritis autem, etiam quoad culpam.* Ergo vbi videtur aliter loqui de Attritis: ſenſus eſt, de Attritione illa vitioſa, includente aut non excludente omnem affectū actualem ad peccatum, de qua agit *quæſt.* 74. *Ad* 7. De ordine valde difficili & ſubtili, eodem inſtanti, inter Contritionem, remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ, ſupra col. 650. 651. Et ex S. Bon. col. 696. 697. ad illuſtrandum Alenſem.

OBIECTIO 11. *Ex S. Bon.*

1. *Col.* 693. *D.* 14. *p.* 1. *a.* 2. Quòd pœnitentia concipiatur ex timore ſeruili paſſiuè, antequam fide fundetur. 2. *Col.* 694. *Diſt.* 16. *art.* 1. Quòd Contritio non ſit voluntas abſoluta contra peccata præterita, ſed tantùm velleitas. 3. *Col.* 695. *art.* 3. Quòd Contritio ſit inſtantanea in fieri & eſſe, nec habeat partes, &c. quaſi contra *Al. q.* 68. *m.* 2. 4. *Col.* 697. *diſt.* 17. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 3. *ad. vlt.* Quòd in timore ſeruili viuat voluntas peccandi. 5. Quodque actus ſubſtratus, qui initio eſt Attritio, priuſquam interrumpatur fiat Contritio.

*Reſp. ad* 1. Pœnitentia concipitur paſſiuè, quoad ſolam paſſionem eius naturalem, vel etiam quoad primum motum gratiæ præuenientis: non ante omnem motum fidei, ſed antequam fide fundetur ſeu ſtabiliatur. *Ad* 2. Contritio eſt abſoluta ex parte volūtatis: ſed eſt velleitas ſeu nolleitas peccati præteriti, quatenus eſt impoſſibile non fuiſſe. *Ad.* 3. De partibus Contritionis aut non, vt ſupra *col.* 645. *m.* 2. & 695. *art.* 3. Ad 4. De timore ſeruili, vt ſupra ex *Alenſi P.* 3. Et latiùs *ex S. Bon. in* 3. *col.* 170. *diſt.* 34. *p.* 2. *per totam.* Sed expreſſè ad hoc propoſitum *in* 4. *col.* 697. *diſt.* 17. *p.* 2. art 2. q. 3. *Attritio ob Confeſſionem & Abſolutionem ſuperinductam, frequenter formatur per gratiam, vt fiat Contritio, vel ad ipſam Contritio ſequatur, & multis ibi gratia conceditur, &c. Ad.* 5. vt ex *Al.* & *Scoto.*

OBIECTIO 12. *Ex Scoto.*

Quid ad Scotum ſupra. 1. *Col.* 764. 765. De continuatione, & intēſione Attritionis vſq; ad terminū à Deo præfixum, quo ſit diſpoſitio ſufficiens ad infuſionem gratiæ, per quam fiat Contritio. 2. De non neceſſaria Attritione, nec vlla interna diſpoſitione pœnitētis, ſed ſola nō indiſpoſitione ſeu carētia obicis. Quod etiam fundari poſſet in *B. Aug. lib.* 1. *De adult. coniug. cap.* 28. De baptizandis & abſoluendis moribundis, etiam concubinarijs, ſub ſola ſpe quod ſtatuerint non hærere in peccato niſi vſque ad collationem Sacramenti. 3. *Col.* 722. 723. De remiſſione venialium poſt hanc vitam, ſine vlla pœnitentia interna: quaſi contra *Aug. Epiſt.* 48. Nemo poteſt à magno ſeu paruo peccato corrigi ſine pœnitentia. *Al. col.* 741. *Bon. col.* 701. 702.

*Reſp. ad* 1. Vt ſupra de continuatione & intenſione ad perficiendam Attritionē, etiam ſupernaturaliter ac eſſentialiter, in diſpoſitionem vltimam ad iuſtificationem ante Sacramentum: vt patet ex toto contextu, eiuſque expoſitione. Hinc ſupponit primum illum motum eſſe contra peccatum vt offenſiuū Dei. *Ad* 2. Ex ipſo Scoto, in 4. d. 4. q. 5. ſupra col. 106. *Fictus etiam dicitur, qui habet aliquod peccatum mortale, de quo nullo modo atteritur, &c. Qui habet peccatum quod nullo modo ei diſplicet, nullo modo recipit gratiam.* Diſt. 14. quæſt. 4. art. 3. *Parum attritus, etiam Attritione quæ non habet rationem meriti ad remiſſionem peccati, volens tamen recipere Sacramentum pœnitentiæ ſine obice peccati mortalis, in vltimo inſtanti prolationis verborum recipit gratiam pœnitentialem.* Infra *Concedo ergo*, ad parabolam Lazari Ioan. 11. *quòd oportet pœnitentem priùs à Deo ſuſcitari: vel ſimpliciter, & tunc per Sacramentum non deletur peccatum, ſed gratia augetur; vel ſecundum quid, per aliqualem diſplicentiam peccati, & propoſitum cauendi, &c.* vt ſupra, De Sacramentis in genere *quæſt.* 9. De neceſſaria Attritione ad amouendum obicem peccati mortalis præſentis aut præteriti. Quæ tamen non tam cenſetur diſpoſitio poſitiua quàm negatiua, ſeu amotio indiſpoſitionis: quia Sacramenta non operantur ex merito nequidem de congruo, recipientium; ſed ex opere operato. Vt *Quæſt.* 3. De Sacramentis in genere *à col.* 43. Ad fund. ex Aug. vt ſupra *col.* 109. 110. 111. *Obiect.* 5. Non de ſufficientia ſolius illius propoſiti: ſed de ſpe quod qui propoſuerunt & inceperunt pœnitere, perfecerint intra ſe ſuum propoſitum, quamuis non poſſint illud exprimere.

*Ad* 6. Nec Scotus docet abſolutè, remitti vllam culpam poſt hanc vitam: nec remitti niſi ob aliquam pœnitentiam formalem aut virtualem huius vitæ; nec remitti propriè vllam pœnam in Inferno, ſed ſua ſatiſpaſſione finitâ finiri. Quod nec eſt contra Aug ſupra: quia hoc ſatiſpati non eſt corrigi, nec ſine pœnitentia ſatiſpaſſoria. Imò eſt ex Aug. 21. Ciu. c. 14. *Enchir.* 110. Vbi nō reprobat omnem mitigationem pœnarum in damnatis. Nec eſt contra Al. aut Bon. ſupra *col.* 700. 702. Quamuis *Al.* 740. & 741. doceat venialia non remitti niſi per aliquam pœnitentiam & gratiam iuſtificantem, ſupponatque pœnam venialium in inferno eſſe æternam per accidens ob coniunctionem cum mortali. Quia ibidem ſupponit venialia fieri mortalia per impœnitentiam, ſeu complacentiam finalem in illis: De quo ſub quæſt. moralibus. Hinc poſſēt damnati ſatiſpati pro pœna reſtāre peccatorū in hac vita remiſſorum: quia illa non habet vllam connexionem cum æterna; ſed non pro vllis culpis irremiſſis, & connexis cum impœnitentia finali; nec fortè pro illarum pœnis, vt connexis cum earum culpis.

OBIECTIO 13. *Ex varijs rationibus.*

1. Attritio nec refert nec refertur ad Deum, vt finem vltimum: ergo peccatum, non diſpoſitio ſufficiens cum Sacramento ad iuſtificationem. 2. Non eſt auerſio à culpa, ſed à ſola pœnâ, vel à pœna pluſquam à culpa; quia non à culpa niſi propter pœnam. 3. Non eſt conuerſio voluntaria ad Deum: ſed potiùs fuga à Deo, vel quædam ad eum coactio; ergo non eſt diſpoſitio ad reconciliationem cum Deo. Quia ad hanc neceſſaria eſt auerſio à peccato, & conuerſio ad Deum: vt peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam. 4. Habitus

bitus

bitus naturales, morales, imò & ſupernaturales fidei & ſpei, non acquiruntur aut recuperantur ab adultis, niſi per actus eiuſdem rationis: ergo nec habitus gratiæ ſeu Charitatis, niſi per actum Charitatis.

5. Non licet vti medio dubio, aut minus certo, pro certiori: ergo nec Attritione pro Contritione; quia quamuis illa foret ſufficiens, eſſet obex Sacramenti ea vti. Ex ipſo *Aug. lib. 1. De Bapt. cap.* 3.

*Reſp. Ad* 1. Vt vt ſit de obligatione referendi omnia ad Deum, de qua *in* 2. non videtur vllum opus malum aut indifferens poſſe eſſe ſalutare, multò minùs ſufficiens cum Sacramento ad iuſtificationem. Hinc Attritio non tantùm excludit à ſe & ſuo ſubiecto omnem malitiam actualem peccati: ſed etiam includit bonitatem moralem, & ſupernaturalem, ac relationem ad Deum. Nam & ipſa ex ſe, vel ex Dei ordinatione eſt talis relatio, tendentia, ſeu diſpoſitio ad Deum: ex timore Dei, vt cauſæ & obiecti, tendit ad eum non amittendum; ex ſpe, tendit ad eum placandum, conſequendum aut recuperandum, vt finem vltimum; ex propria virtute pœnitentiæ, tendit ad Deum de peccatore vindicandum; ex virtute religionis, ad eum rehonorandum; ex intentione pœnitentis, ad quemlibet finem circa Deum.

*Ad* 2. Eſt auerſio à pœna & à culpa: ſed à pœna, vt medio proximiori & ſenſibiliori, ad magis & principaliùs auerſandum culpam; non propter pœnam vt peiorem, aut magis nolitam; ſed vt medium ſenſibilius nolendi culpam, & propter Deum vt iuſtum ac vindicem peccatorum.

*Ad* 3. Non eſt auerſio à pœna & culpa, vt à termino à quo, quin ſit conuerſio ad Deum vt terminum ad quem: nec eſt fuga à Deo irato, quin ſit ad Deum propitium vel propitiandum. Ex *B. Aug.* Hom. 50. *Nemo benè fugit ab eo, niſi ad eum, &c.* vt & alibi ſæpè. Neque hæc auerſio aut conuerſio eſt coacta: quia non ex timore diſplicente voluntati diſſentienti, ſed placente conſentienti.

*Ad* 4. Habitus Fidei & Spei poſſunt acquiri vel recuperari diſpoſitiuè, per quaſdam inchoationes credendi & ſperandi, ex *Aug. lib. 1. ad Simpl. q.* 2. ante actus proprios & æquales fidei ac ſpei habitualis. Sic & gratia vel Charitas, per quandam inchoationem diligendi, ex *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* ante actum proprium & æqualem Charitati habituali. Poſſunt & acquiri ſeu recuperari meritoriè, ſaltem de congruo, per actus fidei, ſpei & Charitatis, eiuſdem perfectionis cum ſuis habitibus: ſed ex *Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.* non niſi omnes ſimul in ipſa iuſtificatione. In qua actus fidei & ſpei poſſunt dici diſpoſitiones ad actum & habitum Charitatis: non tamen ad ſuos proprios habitus, nec ad integram iuſtificationem; ſed potiùs illorum cauſæ meritoriæ, & huius cauſæ formales partiales. Actus autem Charitatis ante habitum, eſt ipſa formalis, actualis, & completa iuſtificatio: æquè & potiùs quàm ipſe habitus infuſus ad ſupplendum permanenter defectum huius actus tranſeuntis. Nam certius eſt, vel ſaltem priùs certum fuit ex *Conc. Vien.* adultos iuſtificari formaliter per actum Charitatis, quàm per habitum. Nec hi actus ſunt minùs ſupernaturales, imò nec minùs infuſi per gratiam actualem, quàm ipſi habitus: ſed illi etiam à nobis vitaliter eliciti, non hi. Hinc *Eph.* 2. hi actus dicuntur in nobis creari. *Rom.* 8. Charitas etiam actualis dicitur infundi, & inſpirari: vt & in *Conc. Arauſ. 2. can. 6.* & in *Trid. ſeſſ. 6. can.* 3. Nec minus eſt inſpirari, quàm infundi, *Gen.* 2. *Ioan.* 20. Sed de his actibus & habitibus ſupernaturalibus, ac iuſtificatione per illos, vel per gratiam ab illis diſtinctam, ſuo loco latiùs ex profeſſo.

*Ad* 5. Attritio non eſt medium dubium, ſed tam certum, vt de eo non liceat dubitare: ex *Trid. ſeſſ. 14. cap.* 4. & ex graui inhibitione opinionis contrariæ à *Pio* 5. *&* *Greg.* 13. *ſupra.* Nec eſt medium minus certum: ſed nobis practicè certius ipſa Contritione. Tum quia huius praxis, ex opinione ac diffidentia inhibita de Attritione, eſt culpabilis & obex huius Sacramenti. Tum quia praxis eius ex timore ne Attritio non ſufficiat, non eſt Contritio ex motiuo principali Charitatis, præualente timori. Tum quia Contritio eſt difficilior & incertior nobis quoad experientiam. Tum quia poteſt æquè aut potiùs eſſe motus naturalis, quàm Attritio. Nam vt cognitio Dei Boni & Sancti, cui peccata diſplicent, eſt naturalior quàm cognitio pœnæ æternæ damni & ſenſus propter peccata: ſic & noſtra diſplicentia peccatorum, quia diſplicent Deo, eſt naturalior quàm quia puniuntur pœnâ illâ æternâ. Nec minùs naturalis eſt complexio affectiua ad dolendum de peccatis quaſi ex amore Dei: quàm timida ad dolendum de eis ex timore pœnæ. Tum denique quia vt ſacra Script. ordinariè monet peccatores ad pœnitentiam ex timore & ſpe: ſic & Deus ordinariè mouet ſuâ primâ gratiâ, per timorem & ſpem; nec ab hoc primo motu gratiæ, proprio vel alieno motu declinandum eſt, aut ſtudioſè conandum ad actum quaſi perfectiorem Contritionis, niſi ex nouo & certiori motu gratiæ. Ne deſerendo motus & motiua gratiæ certiora, ſequamur fortè motus & motiua propria ac aliena: & ne quærendo, eligendo, vel præſumendo difficiliora quaſi certiora & perfectiora, mereamur priuari gratia præſenti & neceſſaria. Cùm enim omnis vera pœnitentia ſit ſupernaturalis, nec tantùm cuilibet naturaliter difficilis, ſed & impoſſibilis: vnde hîc & nunc potiùs quàm alias, huic potiùs quàm illi, ſubita ac ſingularis facilitas pœnitendi, hoc potiùs motu ac motiuo, quàm alio: niſi ex aliqua Dei gratia ad hoc facilitante? Vnde hoc tam profundè ab intrinſeco: niſi ex gratia ſecretiore totâ naturâ? Vnde ſinceritas & rectitudo intentionis, niſi ex directione gratiæ? Hinc non eſt quidem negligenda aut contemnenda monitio etiam exterior: non tamen ad præueniendum aut diuertendum, ſed ad probandum, ſubſequendum, ac promouendum priorem motum internum gratiæ, &c. Vt latiùs ſub Abſolutione Operis noſtri in *B. Aug.* à *col.* 166. *ad* 171.

## *QVÆSTIO* 6.

### *De Confeſſione Sacramentali.*

De qua Alenſis à *col* 653. *q.* 76. S. Bon. *col.* 697. 698. 702. *&* 703. Scotus *col.* 716. 718. 719. Singuli præclarè ac abundè, & omnes concorditer inter ſe, cum ſacro Conc. Trid. & Doctrina ac praxi communi Eccleſiæ: exceptis paucis.

Ex *Al. 1. q. 76. m. 3. a. 2. & q. 77. m. 1. a. 3.* quaſi con-

Digitized by Google

confeſſio non eſſet inſtituta à Chriſto ſub præcepto, ſed ab Apoſtolis. *Ibidem.* Quaſi eſſet quidem à Chriſto inſtituta: ſed tantũ materialiter *Matt.* 4. De agenda pœnitentia,& tandem *Iac.* 5. promulgata. 3. Ex *q.* 77. *m.* 1. *a.* 1. *&* 2. *& m.* 5. *a.* Quaſi obligaret omnes ex præcepto Eccleſiæ ad confitẽdum ſemel in vita omnia peccata mortalia totius vitæ,& ſingulis annis ſemel omnia peccata mort. illius anni, vel aliqua venialia, aut ſaltem in genere.

4. Quaſi eadem *q.* 77. *m.* 2. *a.* 4. faueret libertati non confitendi integrè: ad cauendum ſcandalum proximi, reuelando aliquod peccatum alienum.

5. Quòd eadem *quæſt. m.* 5. *a.* 4. videatur ex recidiuo obligare ad reconfeſſionem præteritorum peccatorum remiſſorum. 6. Quòd eadem *q. m.* 5. *a.* 1. *& m.* 6. videatur obligare ad confeſſionem vel reconfeſſionem ex vel in Charitate. 7. Quòd *q.* 78. *m.* 1. *a.* 1. conſulat ex *Iac.* 5. aliquando confiteri etiã non ſacerdoti. 8. Quòd ibid. *a.* 3. obliget confeſſos & abſolutos à Priuilegiatis, ad confitendum ſemel in anno ſuis proprijs Parochis ſi exigant. 9. Quòd ibid. *m.* 2. *a.* 1. *ad* 7. cenſeat ex confeſſione alicuius hæretici poſſe moneri ſuperiorem vt vigilet contra lupum in ſuo grege. *Art.* 3. neget pœnitentem dare poſſe licentiam Confeſſario, vt reuelet ſuam confeſſionem. *Art.* 4. Opinetur peccatum confeſſum quantumuis extra confeſſionem cognitum, non poſſe reuelari, niſi exprimendo modum quo ſcitur,&c.

Ex S. Bon. 1. *d.* 17. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 3. Confeſſio non ſit inſtituta è Chriſto per ſe, ſed per ſuos Apoſtolos. 2. Quòd *art.* 2. *q.* 1. tribuat obligationem confitendi mortalia præcepto Apoſtolico: venialia, præcepto Conc. Later. 3. Ex *Diſt.* 17. *p.* 3. *a.* 1. *q.* 1. Quaſi expediret etiam confiteri laico.

Ex Scoto 1. *Diſt.* 17. *q. vnica.* Quaſi obligatio confitendi eſſet tantùm ex lege naturali Charitatis, procurandi propriam ſalutem medio certiori. 2. Ibid. Quòd *S. Iac. c.* 5. nec tulerit, nec promulgauerit præceptum confitendi ſacramentaliter: ſed potiùs ibi loquatur de confeſſione & oratione reciproca, ex humilitate & Charitate inter fideles. 3. *Ibib.* Quòd nemo teneatur ex lege Eccleſiæ ad confeſſionem venialium: Nec innocens à mortali teneatur confiteri. Quæ omnia non videntur ſatis conſtare inter ſe, nec cum doctrina Trid.

## Reſponſio & Conciliatio

EX inſtitutione Chriſti, iure diuino neceſſaria eſt, neceſſitate medij & præcepti, confeſſio ſacramentalis in re vel voto, diſtincta & integra materialiter, aut formaliter, ſeu quantum moraliter fieri poteſt, omnium & ſingulorum peccatorum mortalium, non venialium, ſpecie & numero differentium; ſiue publica ſiue ſecreta, verbis aut alijs ſignis directa, aut ab interprete vel teſte relata Sacerdoti præſenti, ad abſolutionem ſacramentalem peccatorum. Ex Sacro Conc. Trid. & doctrina ac praxi communi Eccleſiæ: cum quibus & inter ſe tota doctrina Alenſis, S. Bon. & Scoti facilè conciliari poteſt; prout ad ſingula ſuo loco monuimus; ſed hic latiùs reſumamus.

*Ad* 1. ex Alenſi, S. Bon. & Scoto De, inſtitutione & præcepto Confeſſionis ſacramentalis; quaſi non à Chriſto niſi per Apoſtolos, vel nonniſi ex lege naturali Charitatis .i. Non fuit à Chriſto inſtituta & præcepta ſcripto expreſſo: ſed ſolâ traditione & promulgatione per Apoſtolos. Ex ipſo Alenſi *quæſt.* 76. *m.* 2. De neceſſitate confeſſionis, ex inſtitutione & præcepto Chriſti. *M.* 3. De inſtitutione confeſſionis, *Mat.* 4. ſub præcepto pœnitendi. Nec obſtat *art.* 2. *ad* 1. *Noluit Chriſtus præcipere confeſſionem, ne eſſet extorta, nec occaſio recidiuandi, &c* .i. Noluit tam explicitè, & ſub expreſſa pœna præcipere: ſed potiùs ſub poteſtate & fauore Abſolutionis promiſſæ; ne eſſet extorta timore pœnæ, ſed potiùs elicita ſpe veniæ & gratiæ; *nec eſſet occaſio recidiuandi*, prout erat Lex Moſaica & pœnalis, *Rom.* 4. 5. 6. 7. prouocando concupiſcentiam, & cauendo ſolam pœnam externam. Ex S. Bon. *Diſt.* 17. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. Peccatores obligantur ad pœnitentiam, ex Sacramenti inſtitutione. Nec obſtat *q.* 2. *Credo quod per ſe non inſtituit, niſi inſinuando, & authoritatem dando* .i. Ioan 20. *Quorum remiſeritis, &c.* Vt de Sacramento Confirmationis à *col.* 230. Ex Scoto *diſt.* 17. *col.* 718. *Tenendum eſt quòd confeſſio ſit de iure Diuino, promulgato per Euangelium, vel per Apoſtolos abſq; ſcriptura.* Nec obſtat quòd ibidem referat in ſolam obligationem legis naturalis, recuperandi gratiam Dei hoc medio vt faciliori & certiori: quia hæc ratio & obligatio non negat, ſed ſupponit legem poſitiuam Chriſti, non tam expreſsè ſcriptam quàm traditam. Quod confirmatur ex ipſo *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. vbi ex ſola inſtitutione expreſſa *Ioan.* 20. deducit per traditionem & praxim Eccleſiæ neceſſitatem & obligationẽ Confeſſionis ſacramentalis. Imò ex *Al. q.* 77. *& S. Bon. d.* 17. *a.* 1. *q.* 4. De neceſſitate Confeſſionis in re vel voto, ad iuſtificationem: ergo nonniſi ex inſtitutione & præcepto Diuino obligante ad talem Contritionem, quæ includat votum Confeſſionis.

*Ad* 2. *Al & S. Bon.* tribuunt S. Iacobo *cap.* 5. huius legis promulgationẽ ſub præcepto: non tamẽ vt ab eo ſolo, nec expreſsè ac determinatè. Vt patet ex *Al. col.* 654. 655. & ex *S. Bon.* 697. 703. De inſtitutione Pœnitentiæ ſacramentalis perfectè & integrè in lege noua, à Chriſto Domino per ſe quoad Abſolutionem: De confeſſione autem *non ſolùm generali ſed etiam ſpeciali, potiùs per Apoſtolos promulgatâ, quàm inſtituta; quia Chriſtus Apoſtolos docuit, & ipſi à Chriſto edocti eius authoritate promulgarunt.* Quam communem promulgationem ab Apoſtolis per ſolam traditionem, Scotus approbat *col.* 718. Nec improbat ſpecialem illam *Iac.* 5. niſi vt expreſſam & determinatam ac ſufficientem ad probandum & obligandum, &c.

*Ad* 3. & reliqua Al. *q.* 77. *m.* 1. expreſsè diſtinguit obligationem confitendi ex præcepto, ab æquo & bono confitendi venialia, & ſic de peccatis ſemel confeſſis ac remiſſis. *M.* 5. *a.* 3. Negat obligationẽ reconfitendi ſingulis annis omnia ſua peccata ſimul: *niſi quis*, ait, *pateretur recidiuum mutando toties Confeſſorem* .i. Non ex ipſa lege Cõfeſſionis: ſed ex lege naturali, ſeu neceſſitate ſpeciali pœnitentis, & officio Sacerdotis prouidendi ſaluti ſubditorum. Sub finem. Refert potiùs ſenſum Magiſtrorum illius temporis in *cap.*

*Vtriuſ.*

Digitized by Google

*Vtriuſque ſexus*, *&c.* quàm propriam ſententiam. *Art.* 4. Non approbat obligationem reconfitendi ob recidiua: niſi hæc ſint in illorum pœnam; & illa ſint ſcitu neceſſaria ad iudicandum de his, aut de iniuncta pœnitentia necdum perfecta, aut de ſtatu & diſpoſitione neceſſaria pœnitentis ad Abſolutionem. *Quæſt.* 78. *m.* 1. *a.* 3. ſuſpẽdit obligationem reconfitendi proprijs Parochis peccata confeſſa Priuilegiatis, ab intentione & declaratione Superiorum, ſeu Papæ: qui pluribus & expreſſis priuilegijs ſuam intentionem declarauit. Vt patet ex ipſo S. Bon. *col.* 698. ſed expreſſiùs ex Scoto *col.* 719. Hinc ſacrum *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. approbans præceptum Conc. Later. confitendi ſaltem ſemel in anno, non facit mentionem proprij Parochi, nec reconfitendi, nec confitendi omnia peccata: quaſi verò etiam venialia, vel mortalia confeſſa & abſoluta. Cùm hæc non propriè ſignificentur nomine peccatorum ſimpliciter, ſed ſola mortalia: vt monet ipſe *Al. q.* 77. *m.* 2. *a.* 5.

*Quæſt.* 77. *m.* 5. *a.* 7. De obligatione confitẽdi ex vel in Charitate: vt ſupra, *col.* 768. De confeſſione vt ſatisfactoria; non ſolùm pro pœna debita, ſed etiam pro obligatione confitendi poſt iuſtificationẽ ex ſola cõtritione. Vt *Al. col.* 659. *m.* 6. & diſtinctiùs *S. Bon. col.* 697.

*Ad Al. q.* 78. *m.* 1. *&* *S. Bon. col.* 696. Expedit aliquando confiteri laico, ad inſtructionem, humiliationem, & interceſſionem, non ad abſolutionẽ. Sed *Scotus col.* 719. Nullũ, inquit, eſt præceptum de accuſando ſe Laico: & fortè vtilius eſſet quod non, ſi quis poteſt habere æqualem verecundiam apud ſe, &c. Fortè propter conſilium liceret reuelare peccatum ſuum alicui laico diſcretiori: ſed poſſet inquiri in vniuerſali, abſque reuelatione peccati ſui. Quid igitur de Reis reuelãtibus peccata ſua laico? Simplicitas excuſat, & humilitas eſt meritoria.] Quæ optimè cum illis conueniunt, facilèque excuſant pœnitentes conſulentes laicos diſcretiores: vix tamen conſulentes idiotas, aut mulieres, niſi probatæ perfectionis; ſed nullatenus id exigentes à ſuis ſubditis, aut vſurpantes clauem Scientiæ, ſeu poteſtatem & ius cognoſcendi & diſcernendi ſecreta conſcientiæ ad hoc iudicium ſacramentale pertinentia.

*Ad ea quæ ex Col.* 660. *q.* 78. *m.* 4. Poſſet moneri Superior ex confeſſione ſiue vera, ſiue ficta alicuius hæretici: vt vigilet contra lupum in ſuo grege; quia ſi eſt ficta, non eſt ſacramentalis; ſi vera, ſupponit intentum cauendi aliorum periculum. Sed quia hîc agit de hæretico contra alia: credente tamen hoc, & ſeriò confitente, ſubdit ibidem Alenſ. optimum conſilium.

*Ad col.* 660. Negat Alenſis pœnitentem poſſe dare licentiam reuelandi ſuam confeſſionem. *Col.* 661. Confeſſarium poſſe vti vlla ſcientia peccati confeſſi, niſi determinando modum alium ſciendi. S. *Bon.* affirmat *col.* 703. Sed ille negat dari poſſe intra confeſſionem, vel reuelandi ipſam Confeſſionem, & vtendi ſcientia Confeſſionis pro alia, vel cum alia adiuncta; hic extrà Confeſſionem, quamuis eodem loco & tempore, modo tamen alio, & vtendi alia ſcientia ſine periculo contendi notitia propria confeſſionis, vel eam reuelandi, aut vllius ſcandali. Sed hæc & alia ex Conc. Trid. diſtinctius objiciantur.

*OBIECTIONES.*

1. Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 5. *&* *Can.* 6. 7. *&* 8. definit neceſſitatem Confeſſionis Sacramentalis, ex eius inſtitutione, *Ioan.* 20. Ergo ibi expreſſè continetur, non autem tantùm inde per conſequentiam Theologicam elicitur. Contra *Alen. Bon. & Scot.* qui negant eam ibi expreſſè contineri.

*Reſp.* 1. Ibi reuerà etiam formaliter contineri, inuolutè: ſed inde euolui ac definiri. 2. Poſſe etiam doctrinaliter per conſequentiam euolui, *ſeſſ* 14. *c.* 4. Sed ſic euolutum dogmaticè definiri, *can.* 6. 7. *&* 8. quia quæ definiuntur, non neceſſariò tam formaliter & expreſſè in ſacra Scriptura continentur, quin per traditionem, imò & conſequentiam explicata, definiri poſſint. Porrò nullibi formaliùs continetur, quàm *Ioan.* 20. in illa poteſtate retinendi peccata non abſoluta, nec abſoluendi niſi confeſſa. Quæ enim poteſtas retinendi peccata quo ad culpam: niſi ex neceſſitate ea confitendi in re vel voto? Nec hoc eſt contra doctrinam *Alen. S. Bon. aut Scoti*: tum quia ſæpè profitentur poteſtatem Eccleſiæ explicandi, & definiendi, quæ non niſi implicitè vel obſcurè in ſacra ſcript. aut traditione continentur: tum quia & ipſi hujc definitioni viam ſtrauerunt. Vt patet *ex Al quæſt.* 59. 60. 76. 77. 78. Ex *S. Bon. in diſt.* 16. 17. 18. 21. Ex Scoto *in diſt.* 17. *q. Vnica.* Vbi ait. [Videtur tenendũ quòd confeſſio cadat ſub præcepto Diuino poſitiuo: ſed oportet videre an immediatè à Chriſto, ſcripto, vel verbo tradito, & per Apoſtolos promulgato. Prius eſſet magis conueniens, ſi poſſet haberi ex Euang. Sicubi, *Ioan.* 20. &c. Si dicatur hinc benè concludi inſtitutionem & vtilitatem: non tamen neceſſitatem, nequidem ex illis verbis, Quorum retinueritis retenta ſunt, &c. Hoc non cogit: nam arbiter ligat aut ſoluit eos qui ſe ſubmittunt. *Aliter ergo*, *&c.* non ſolum ex illo *Ioan.* 20. ſed ſimul ex præcepto Charitatis. *Infra.* Igitur tenendum eſt quòd ſit de iure Diuino promulgata per Apoſtolos abſque Script. vt ſunt multa alia.] Quorum omnium hæc eſt ſola reſolutio. Nec illud, *hoc non cogit*, *&c.* negat neceſſitatem confitendi contineri in poteſtate retinendi negatiuè, ſed poſitiuè: nec negat cogere ex ſe, ſeu conuincere abſolutè; ſed quoad nos non ſatis clarè abſque Eccleſiæ declaratione. Nec quod ſubdit, *Non ſolum ex illo* Ioan. 20. *ſed ſimul*, *&c.* negat in illo contineri, ſed ſimul ex præcepto Charitatis declarari, &c.

*OBIECTIO* 2.

Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *c.* 5. docet nullam eſſe obligationem confitendi venialia: nec conſequenter mortalia remiſſa; quia hæc nec mortalia, nec peccata ſunt. Contra *Alen. q.* 77. *m.* 1. *art.* 1. *&* 2. *m.* 2. *art.* 5. De obligatione confitendi venialia & mortalia remiſſa, ex præcepto Eccleſiaſticæ Confeſſionis annuæ. *S. Bon. d.* 17. *art.* 2. *q.* 1. De obligatione confitendi mortalia, ex præcepto ab Apoſtolis promulgato; venialia autem, ex Conc. Later. Quos videtur ex profeſſo corrigere Scotus *diſt.* 17. *q.* 1. *col.* 719. *Ad.* 3. *art.* Hoc, inquit, non intelligo. &c. Nec plus cognoſceret Sacerdos vul-

tum pecoris ſui, ex confeſſione venialium: quàm ex gratijs Deo, quòd quis ab vltima confeſſione non ſit ſibi conſcius peccati mortalis. *Reſp.* Trid. docet nullam eſſe obligationem confitendi venialia, ſicque nec mortalia remiſſa, iure Diuino: non tamen negat quin præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis annuæ. Quamuis enim Eccleſia fortè non poſſit obligare ad confeſſionem Sacramentalem peccatorum interiorum, nequidem mortalium, niſi ex iure Diuino: cur tamen non poſſit præcipere confeſſionem peccatorum exteriorum, etiam remiſſorum: vel confeſſionem Sacramentalem externam, quæ neceſſariò eſt alicuius peccati præſentis aut præteriti? Hinc *cap.* 4. monet, *Non ſatis conſultè humana lege præciperetur, vt delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.* Sub finem approbat morem omnium fidelium confitendi ſemel in anno, ex præcepto Dei & Eccleſiæ: quorum tamen multi ſunt qui non habent niſi venialia. Nec in hoc Scotus contradicit *Alenſi & S. Bon.* ſed hi referunt ſenſum communiorem ſui temporis, non autem ſuum proprium illius præcepti Eccleſiaſtici: Scotus autem, *Non intelligo*, inquit .i. illum ſenſum; quia per *omnia peccata* non poſſunt intelligi omnia venialia, ergo ſola mortalia. Sed quòd ſubdit, *non plus cognoſci vultum pecoris ex confeſſione venialium, quàm ex ſolis illis gratijs Deo:* non eſt quin illa plus indicent de ſtatu pœnitentis; ſed de ſtatu peccati mortalis, qui ſolus neceſſariò ſubeſt cognitioni ac iudicio Sacramentali.

OBIECTIO. 3.

Trid. docet & definit neceſſitatem confitendi, non ſolum in genere, ſed ſingula mortalia in ſua ſpecie: Al. autem *q.* 77. *art.* 2. ſufficere non habentibus mortalia, confeſſionem in genere. *Reſp.* Confeſſionem in genere fortè poſſe illis ſufficere ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiaſtico: non tamen ad abſolutionem ſacramentalem; niſi ex voto ſeu propoſito, ſed quadam impoſſibilitate morali, hìc & nunc confitendi integrè & diſtinctè.

OBIECTIO. 4.

Trid. docet neceſſitatem confitendi ſpecies & circumſtantias peccatorum ſpeciem mutantes: *Al.* autem *q.* 77. *m.* 3. *Bon. & Scot. d.* 17. *art.* 2. etiam aggrauantes. *Reſp.* Trid. docet tantùm quæ ſunt certiora: ſed *Alen. & S. Bon.* probabiliora, vt expreſsè *S. Bon. ibi. q.* 3. & *Scot. Art.* 2. Nec id docet *Al.* de omnibus aggrauantibus: ſed vſque ad conſcientiam grauioris contemptus in peccando. Quæ aggrauatio poſſet eſſe ſpecificatio: ſicque aggrauantes poſſent dici ſpecificantes. Vt patet ex *Al. q.* 77. *m.* 3. *art.* 2. De quibus in 2. de peccato, & eius circumſtantijs.

OBIECTIO 5.

Trid. docet obligationem confitendi omnia & ſingula mortalia, quorum quis *meminiſſe poteſt, diligentius ſeipſum excutiendo, & omnes conſcientiæ ſuæ ſinus ac latebras explorando.* Quod videtur nimis moraliter difficile: contra leuitatem nouæ legis, & facilitatem *Al. q.* 77. *m.* 2. 4. 6. *Scot. d.* 17. *col.* 720. Vbi negat obligationem confitendi *ſcripto, ſed ſolis verbis aut ſignis tranſitorijs, & ex natura ſua ſecretis:* cùm tamen multi ſint qui ex ſola memoria non poſſint tam integrè ac diſtinctè confiteri, quàm Trid. exigit. *Reſp.* Trid. his verbis explicat comparatiuè & metaphoricè diligentiam moralem examinandi conſcientiam, ad ſatisfaciendum integritati formali, non materiali, confeſſionis. Hinc ait *diligentius, &c.* comparatiuè ad negotia minoris momenti: non autem ſuperlatiuè, ſeu diligentiſſimè, ſed mediocriter: *Explorare autem omnes ſinus & latebras conſcientiæ.* i. non vt Deus qui ſolus eſt *diſcretor cogitationum & intentionum cordis*, Heb. 4. *Prauum enim eſt cor hominis & inſcrutabile quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, Ier.* 17. ſed vt poteſt ac ſolet homo, lumine fidei, ratione humana, experientia propria, ac ſenſu quodam conſcientiæ. Subdit enim: *Reliqua quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur. Pro quibus* Pſal. 50. *Ab occultis meis munda me.* Nec minùs diligentiæ exigit *Al. q.* 77. *m.* 2. 4. 6. An ſint confitenda peccata oblita. *Reſp.* Non niſi in generali, aut niſi redeant in memoriam. *Ad* 2. Negligentia ex qua eſt obliuio, punietur. *Art.* 7. An peccata per ignorantiam? *Reſp.* Non niſi quantum innoteſcunt, &c. Vbi non excuſat niſi ab ignorantia, & obliuione inculpabili. Nec *Scotus diſt.* 17. *col.* 718. *art.* 2. Quid ſit confitendum? *Omnia & ſola peccata mortalia ſimul diligenter recordata, ſeu magna cura, vt de re graui.* Quòd autem negat obligationem confitendi ſcripto: non eſt contra illam diligentiam Trid. ſed ſecundùm inſtitutionem Chriſti, ad delendum potiùs & abolendum omnem culpam, quàm ad ſcribendum, aut exponendum vlli periculo reuelationis, per ſignum aliquod naturâ ſuâ permanens. Quàm ſit enim periculoſum peccata confitenda ſcripto fidere, patuit nuper in quodam pœnitente, qui ex hoc proprio ſcripto amiſſo, de graui ſcelere conuictus ac punitus fuit. Nec obſtat defectus memoriæ: quia ſuppleri poteſt ac ſolet ab ipſo Confeſſario; ſufficitque ſincera tententio ac diligentia integrè confitendi.

OBIECTIO 6.

Trid. docet obligationem iuris Diuini, vtique poſitiui nouæ legis, confitendi omnia peccata mortalia, etiam *occultiſſima:* Quòd videtur eſſe contra legem naturæ, non infamandi ſeipſum apud vllum, nec exponendi ſe huic periculo infamiæ. Cùm enim multi Confeſſarij apoſtatent à fide: poſſunt abuti notitia confeſſionis ad infamandos ſuos pœnitentes. *Reſp.* 1. ex *Al. q.* 76. *m.* 3. *col.* 654. Non eſt contra legem naturæ reuelare ſuam turpitudinem Sacerdoti, ad ſalutem animæ: cùm ſecretiſſima membra corporis poſſint & debeant exponi ad curam vitæ corporalis. *Reſp.* 2. Ex eodem *p.* 3. *q.* 27. *m.* 4. De ſola lege naturali immutabili circà Deum ipſum: non autem circà nos & proximos; quia omnes ſubſunt Deo quoad vitam & famam. Eſt ergo contra legem naturæ ſeipſum aut alium infamare, quaſi proprio motu, non autem iuſſu Dei. Si quis enim tenetur Iudici exigenti teſtari veritatem facti alieni & externi: quanto magis Deo eiuſque Sacerdoti culpam propriam etiam internam? 3. Vt qui peccat notoriè coram hominibus, prodigit omne ius famæ: ſic & qui peccat coram Deo, obligat ſe ad hanc verecundiam confitendi Sacerdoti. Quæ verecundia non eſt infa-

mia?

Digitized by Google

mia : ſed potiùs recuperatio famæ & gratiæ apud Deum; imò & apud Sacerdotem, qui ſcit & credit totam culpam , & infamiam hoc remedio purgari. Nec obſtat paucorum Sacerdotum indiſcretio, vel etiam apoſtaſiâ à fide : quia non ſunt vlla fide digni in vllo iudicio , nec plus quam detractores ac calumniatores. 4. Deus muniuit confeſſionem ſacramentalem Sigillo præcepti, & ſingularis prouidentiæ, ne etiam apoſtatæ abutantur confeſſionibus auditis, ad infamiam pœnitentium.

*OBIECTIO 7.*

Trid. docet obligationem iuris Diuini confitendi omnes circumſtantias ſpeciem mutantes : cùm tamen ſæpè inuoluant famam alicuius Complicis. Contra Al. *q.* 77. m. 2. a. 4. m. 3. S. Bon. *d.* 17. Scot. *d.* 21. *q.* 2. *ad* 3. *Reſp.* 1. Nullum eſſe ius famæ alienæ, magis quam propriæ, contra Deum : imò nec contra ſalutem propriam aut alienam ; multominus complicis, qui hoc ipſo prodegit ſuam famam, & obligauit ſe ad hanc ipſam famæ purgationem. *Reſp.* 2. *Ex ſacro Conc. Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione. ad Sacram Euchariſtam accedere debeat. Quod ab omnibus Chriſtianis, etiam Sacerdotibus, hæc Sancta Synodus ſeruandum eſſe perpetuo decreuit : *modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebrauerit, quàm primùm confiteatur.* Et ſic *Can.* 11. Ergo *Trid.* agnoſcit neceſſitatem & excuſationem aliquando communicandi, aut celebrandi poſt peccatum mortale, ſine Confeſſione ſacramentali, ſub ſola ſpe contritionis, defectu Confeſſarij. Porro neceſſitas ſic communicandi aut celebrandi, eſt ex periculo infamiæ propriæ, & ſcandali alieni : ergo potiùs excuſat ab integritate Confeſſionis, quam à nulla prorſus confeſſione. Hinc & *Pius* 5. *ac Greg.* 13. cenſurant hanc propoſitionem 68. Bay. *Per Contritionem, etiã cum Charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis, aut Martyrÿ, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.* Ad quam Cenſuram, Baius in ſua Apologia fatetur eſſe ſuam : ſed tantùm contra abuſum quorundam celebrandi poſt graue peccatum, ex fiducia Contritionis ſufficientis cum voto Sacramenti. Qui abuſus erat, & eſt corrigendus: ſed non per falſam Doctrinam. *Seſſ.* 14. *cap.* 4. fatetur ſufficere contritionem cum ſolo voto Confeſſionis & abſolutionis : Ergo multo magis cum confeſſione actuali, abſque aliqua circumſtantia ſcandaloſa pœnitenti, vel complici, vel ipſi Confeſſario. *Cap.* 5. Docet ſufficere confeſſionem integram formaliter, pro captu memoriæ : Ergo & pro poſſe moraliter. Nam ſi integritas materialis Confeſſionis actualis eſſet de integritate Sacramenti : non plus poſſet ſuppleri defectu memoriæ, quàm periculo ſcandali. Cum ergo tota Confeſſio realis poſſit ſuppleri voto ſeu propoſito , & pars eius defectu memoriæ : cur non & neceſſitate præſenti, periculo Scandali, & propoſito alias. & alteri integrè confitendi? Cumque periculum vitæ propriæ , vel alienæ, aut nimia copia & neceſſitas pœnitentium excuſet ab integritate materiali: cur non & graue periculum infamiæ, vel etiam peccati alieni? *Cap.* 7. De caſuum reſeruatione extra mortis articulum. *Sacerdotes inferiores cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant.* Ergo ſi quod ſit periculum in mora, vel diſtantia, poſſunt eos abſoluere quaſi non confeſſos de reſeruatis: ſub obligatione recurrendi ad ſuperiores pro reſeruatis ; non quaſi non remiſſis quoad culpam, ſed quoad reſeruationem. Quod ſi reſeruatio poteſt excuſare ab integritate confeſſionis neceſſariæ: cur non & periculum ſcandali ? vt ſupra *col.* 541.

3. *Ex Aug. lib.* 1. *De adult. coniug cap.* 26. 27. 28. De baptizando Catechumeno, & abſoluendo pœnitente, qui ex morbo aliquo non poteſt petere Baptiſmum , aut confiteri peccata. *Lib. de fide & operibus cap.* 6. 7. 9. De baptizandis, & conſequenter abſoluendis peccatoribus oblitis aut ignaris ſuorũ peccatorum. Ergo non eſt neceſſaria tanta integritas & diſtinctio pœnitentiæ internæ, nec cõfeſſionis externæ. Si enim pœnitens de omnibus quorum eſt ſibi conſcius poteſt validè baptizari & abſolui: cur non & confeſſus omnia quæ moraliter poteſt? Hinc *Conc. Arauſ.* 1. *can.* 12. *& Carthag.* 4. & multi canones ac SS. PP. monent Sacerdotes, ne pœnitentibus periclitantibus negent aut differant Baptiſmum vel Reconciliationen

4. *Ex* noſtris. *Al. q.* 77. *M.* 2. *a.* 4. *& m.* 3. *q.* 78. *m.* 1. *a.* 2. quamuis in hoc ſatis rigidus , fatetur tamen circumſtantias periculoſas , imo & factum ſcãdaloſũ celari poſſe proprio ſacerdoti, ſi nolit dare facultatem confitendi alteri. Ergo præfert obligationem confitendi proprio Sacerdoti, obligationi confitendi integrè. *Quæſt.* 77. *m.* 5. *a.* 8. *&* 9. præfert confeſſionem ſecretam publicæ, ad cauendum Scandalum. *S. Bon. diſt.* 17. *a.* 1. *q.* 3. improbat Confeſſionem publicam vt Scandaloſam, ex præcepto Apoſtolico vel Eccleſiaſtico: niſi peccatum ſit tam publicum & ſcandaloſum, vt exigat etiam confeſſionem publicam. *Art.* 2. *q.* 3. monet cauendum eſſe ſcandalum ipſius Sacerdotis in confeſſione. *Scotus d.* 17. *ad.* 2. *Arg* negat obligationem confitendi per interpretem, vel aliqua ſigna obnoxia periculo infamiæ vel ſcandali : ſubdens, *In caſu impoſſibili confitendi homini idoneo, confitendũ eſſe Deo, cum propoſito confitendi homini opportunè.* Ergo potius confitendum eſt celãdo peccatum aliquod, aut eius circumſtantiam periculoſam. *D.* 21. *q.* 2. De iure naturali & Diuino ſecreti Confeſsionis. Ad 2. Excuſat Confeſſarium à Confeſsione alicuius abuſus in audienda Confeſsione: ex periculo reuelandi perſonam auditam, vel eius culpam. Quod ſi ex obligatione ſigilli iure poſitiuo : cur non & iure naturali ? Hinc ſubdit. *Si nunquam poſſit haberi Confeſſor qui ex explicatione peccati & circumſtantiarum non poſſit deuenire in culpam & perſonam ei Confeſſam : iſte eſt in caſu impoſſibilitatis ad confitendum homini; quia plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam ſibi confeſſam, quàm ad confitendum explicitè.* Adde & pœnitentem obligari ad non exponendum Confeſſarium periculo reuelandi , vel abutendi notitia confeſsionis.

5. Ex leuitate & ſuauitate nouæ legis præ Moſaïca, & Naturæ : ſeu ex perfectione gratiæ & charitatis

ad tegendum ſeu delendum, aut remittendum omnia peccata, ſine pœna aut periculo infamiæ. Vt patet ab exemplis Chriſti circa peccatores, & ex tota quæſt. dogmatica. Hinc videtur ad integritatem confeſſionis Sacramentalis ſufficere integram ac ſinceram intentionem confitendi omnia peccata mortalia: ſubeundo hoc iudicium Sacramentale quoad ſolum grauamen intrinſecum, ſeu verecundiam neceſſariam ea reuelandi huic ſoli Sacerdoti, vt Vicario Chriſti, abſque vllo morali periculo vlterioris grauaminis, ſeu damni proprij aut alieni, ex timore cadente in perſonam conſtantem, ſeu diffidentia rationabili de hoc vel quouis homine in hac ſpeciali materia confeſſionis.

OBIECTIO 8.

*Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. docet quòd Chriſtus non vetuerit confeſſionem publicam: nec tamen eam præceperit; nec conſultè humana lege præcipi poſſit. Contra morem antiquum Confeſſionis publicæ: vt patet ex quæſt. dogmatica, & more præſente confitendi non quidem in auditu, ſed conſpectu publico. *Reſp.* Confeſſionem olim publicam, non tam fuiſſe Sacramentalem, ad abſolutionem à culpis: quàm ſatisfactoriam, ad reparandum ſcandalum, ante vel poſt abſolutionem, vel etiam ad voluntariam punitionem pœnitentium. Vt patet ex hoc ipſo textu *Trid.* ex tota quæſt. dogmatica, & ex noſtris Authoribus ſupra. Confeſſio autem Sacramentalis in conſpectu publico, non reuelat vllum ſecretum: ſed eſt tantùm ſignum commune & publicum Peccatorum actu pœnitentium, qui hoc ipſo non pœnitentibus meliores ſunt.

OBIECTIO 9.

*Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Reliqua, inquit, peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrũt, eadem Confeſſione incluſa intelliguntur. Pro quibus *Pſal.* 50. *Ab occultis meis munda me, &c.* Contra communem Doctrinam, ac morem reconfitendi peccata oblita aut ignota, quando in memoriam aut notitiam veniunt. Quod ſemper reddit hominem ſollicitum, perplexum, & ſcrupuloſum de confeſſionibus præteritis. *Reſp.* 1. Reliqua oblita aut ignota includi ſufficienter ad abſolutionem à culpa: ſed non ad abſolutionem à præcepto ſeu obligatione ea confitendi, ſeu ſubijciendi huic iudicio Sacramentali. Nec inde pœnitentes debere eſſe ſollicitos aut ſcrupuloſos de oblitis aut ignotis: ſed ſecuros & abſolutos ab vlteriori ſollicitudine, ſtudio, inquiſitione, ac reconfeſſione præteritorum; niſi oblita aut ignota, vltro, certò & opportunè in memoriam & notitiam redeant, ad confitendum occaſione opportuna confitendi.

OBIECTIO 10.

*Trid ſeſſ.* 6. *cap.* 5. docet Sacerdotes eſſe Vicarios Chriſti, *ad quos vt Iudices omnia crimina mortalia deferantur.* Ergo non videtur neceſſarium confiteri immediatè Sacerdoti, ſed referri ad Sacerdotem, &c. Quaſi contra *Al. col. 660. M.* 4. *De ſigillo Confeſſionis. S. Bon. col.* 703. *Scot.* 720. 724.

*Reſp.* Trid. non intelligit deferri localiter, quaſi per nuncium, ad Sacerdotem abſentem: ſed proferri ab ipſo pœnitente ex ſecreto conſcientiæ ad notitiam Sacerdotis, per ſigna moraliter certa præſentis eius diſpoſitionis. An verò talia ſigna edita abſente Sacerdote, ab aliquo moribundo, & relata ad Sacerdotem abſentem per teſtes, ſufficiãt ad abſolutionem à Sacerdote ſuperueniente: *Conc. Trid.* nec expreſsè negat, nec affirmat; ſed videtur inſinuare quòd ſic, per comparationem cum æquo iudicio, ad quod ſufficit vt cõſtet Iudici de rei veritate, ſiue per ipſum reum præſentem, ſiue per teſtes legitimos facti, vel etiam cõfeſſionis ipſius Rei. Nec obſtat Decretum *Clementis* 8. reprobans confeſſionem abſenti, & abſolutionem ab abſente: quia non reprobat illam ſeorſim, ſed cùm hac; vt fertur ipſe *Clemens* 8. declaraſſe. Hæc enim praxis abſoluendi moribundos impotentes confitendi Sacerdoti præſenti: patet ex ſacris Conc. Patribus, ipſoque *Aug. lib.* 1. *de adult. coniug. cap.* 27. *&* 28. Sed maius dubium eſt, an ſufficiat teſtimonium relatum ad Sacerdotem abſentem, per quoſcumque: an verò neceſſarium ſit teſtimonium teſtium immediatorum, coram ipſo Sacerdote, & pœnitente præſentium. Hoc videtur illo probabilius: ad certitudinem moralem, & ad ſimilitudinem cum Confeſſione per interpretem pœnitentis, non abſentis, ſed præſentis Sacerdoti. Nec hoc eſt vllatenus contra *Al. Bon. Scot.* aut ſecretum Confeſſionis: quia nullum eſt ſecretum confeſſionis in genere, ſed peccatorum particularium. Nec Scotus negat licere confiteri peccata, etiam particularia, per interpretem: qui eodem ſecreto ſigilli Sacramentalis obligetur, vt monet *col.* 724. Sed fortè vult neminem obligari ad confidendum ſecreta ſuæ conſcientiæ alteri quàm Sacerdoti.

OBIECTIO 11.

Trid. videtur exigere Confeſſionem communiter & moraliter impoſſibilem, omnium peccatorum mortalium, quoad ſpeciem, numerum, & circumſtantias ſpeciem mutantes. Quis enim, aut quotuſquiſque poteſt hæc omnia intellectu diſcernere, aut memoriter retinere & proferre? *Reſp.* Trid. non exigit niſi pro captu memoriæ, & ſenſu quodam conſcientiæ. Non enim exigit confeſſionem & diſtinctionem quaſi ſcientificam peccatorum: ſed moralem, ſeu fidelem & ſinceram accuſationem ſuiipſius, de omnibus peccatis quorum quis memor & conſcius eſt, quoad actus ipſos internos, & externos, eorumque circumſtantias aut omiſſiones; ex quibus Iudex ipſe ſeu Sacerdos poſſit diſcernere mortalia à venialibus, grauiora à minùs grauibus, eorumque numerum, non arithmeticum ſed moralem, ſeu circiter, ad ferendum deſuper iudicium morale. Quòd cùm ſit ipſius Sacerdotis, non pœnitentis: de eo infra ſub quæſt. de Miniſtro eiuſque neceſſaria ſcientia.

QVÆSTIO 7.

*De ſatisfactione Sacramentali.*

De qua Al. copiosè & perfectè, à *q.* 84. *ad* 114. Sed propriè tota *q.* 84. 85. *q.* 86. *m.* 1. diſtinguendo reſtitutionẽ à Satisfactione propriè dicta. *q.* 87. *M.* 2. comparando tria genera bonorum operum in ſatisfactione. *q.* 94. *m.* 4. De oratione vt non ſolùm impetratoria, ſed vt ſatisfactoria. *q.* 101. *m.* 2. *&* 3. De ieiunio vt ſatisfactorio. *q.* 114 *m.* 3. 4. 5. de eleemoſyna magis minùſue meritoria & ſatisfactoria. *S. Bon. in diſt.* 15. *&* 20. verbatim ex *Al. Scotus* propriè & integrè, in *diſt.* 15. *q.* 1. abſque vllo

Digitized by Google

vllo neceſſario ſupplemento doctrinæ: ſed ſola collatione eorum inter ſe, & cum ſacro Conc. Trid. circà paucas difficultates.

## *Reſponſio & Conciliatio.*

TAm eſt perfecta & concors doctrina noſtrorum Auctorum, de ſatisfactione Sacramentali: vt nullo indigeat ſupplemento, nec ſubſit vlla grauis difficultas eam inter illos & cum doctrina Cõc. Trid. conciliandi. Vt patet ex ſola lectione ac collatione, & paucarum ac leuium difficultatum Obiectione: ſuppoſitis grauioribus ac dogmaticis ad finem quæſtionis dogmaticæ.

*OBIECTIONES.*

1. *Al. q.* 84. *m.* 1. Docet auerſionem à Deo mereri pœnam infinitam damni: conuerſionem ad creaturam, infinitam pœnam ſenſus; ideoque pro neutra poſſe à nobis ſatisfieri, niſi per gratiam, ac infinitam Dei miſericordiam, & infinitam ſatisfactionem Chriſti. Ita & *S. Bon. col.* 694. Sed Scotus *diſt.* 15. *col.* 710. negat vllam culpam, aut eius pœnam eſſe infinitam, aut pro ea deberi ſatisfactionem infinitam, vel ſatisfactionem Chriſti eſſe infinitam. Cui etiam fauere videtur Trid. *Seſſ.* 14. *c.* 8. *&* 9. *& Can.* 12. 13. 14. Docens ſatisfieri à nobis per merita Chriſti: abſque vlla mentione infinitatis. *Reſp.* Ex *Al. p.* 3. *q.* 1. *S. Bon. & Scot. In* 3. *d.* 20. De infinitate culpæ originalis & mortalis, obiectiuè, non formaliter: pœnæ autem æternæ, extenſiuè non intenſiuè; vel vtriuſque moraliter, ſeu comparatiuè ad nos & vires naturæ, ac incomparabiliter cum omni malo naturali; ſecundum potentiam Dei ordinariam, non abſolutam: ſicque de neceſſaria ſatisfactione aliquo ſimili modo infinita. Prout in 3. latius & ex profeſſo.

*OBIECTIO. 2.*

*Al. q.* 84. *m.* 2. Docet ſatisfactionem Sacramentalem non eſſe niſi per opus externum, & pœnale. Contra ſeipſum *q.* 88. De oratione etiam mentali, ac contemplatione, vt ſatisfactoria: & contra Scotum *d.* 15. *q.* 1. *ad.* 3. Quòd *ſatisfactio magis conſiſtat in actibus pœnalibus, quàm in alijs: licet poſſit etiam per alios actus bonos ſatisfieri, &c.* Imò & contra praxim communem ſatisfactionis ſacramentalis, per quæuis opera bona. *Reſp.* Ex ipſo *Al. q.* 84. *m* 2. ſatisfactionem ſacramentalem propriè, vt talis eſt, eſſe in opere externo: vtique non niſi vt ſacramentaliter impoſito, & acceptato, quamuis poſſit ſolo animo perfici. *Ibidem ad* 2. *&* 3. *ac q.* 87. *m.* 2. 96. *m.* 4. Quod *orare ſit pœnale naturæ graui ac corruptæ.* Prout etiam quælibet opera bona ac ſupernaturalia contra inclinationem eiuſdem naturæ, & ſupra omnes vires eius. Ex Scoto autem *diſt.* 15. *q.* 1. *ad* 5. *art.* De ſatisfactione, inquit, ſtrictè ſumpta .i. prout diſtinguit à contritione & confeſſione. 1. *Eſt operatio exterior, laborioſa & pœnalis, &c. Col.* 711. diſtinguit hanc ſatisfactionem ſacramentalem, non ſolum à Contritione & Confeſſione: ſed etiam à ſatiſfactione extraſacramentali. De qua *art.* 3. docuerat poſſe etiam fieri per alios actus bonos, quàm per pœnales. Porro impoſitio, & acceptatio ſatisfactionis ſacramentalis ex obedientia: hoc ipſo videtur ſatis eſſe externa & pœnalis, ſicque praxim huius Sacramenti intelligi, obſeruari, & ſuſtineri poſſe.

*OBIECTIO 3.*

*Al. q.* 85. exigit ad ſatisfactionem, vt fiat ex Charitate, vel ſaltem in Charitate: *Scotus* autem *col.* 711. *Dico, inquit, ſine præiudicio, quod qui ſemel, verè pœnituit, & recepit pœnam ſatisfactoriam claue non errante: ſi eam impleat in Charitate, meretur; ſi extra, ſoluit quidem pœnam, ſed non meretur gratiam; ſi ab eo exigitur, non ſoluit, ſed ſoluitur, &c. quia & ſola ſatiſpaſſio ſufficit.*

*Reſp.* Al. *q.* 85. ſatis diſtinguere veram ſatisfactionem ex gratioſa aliqua Dei acceptatione & remiſſione, à ſatiſpaſſione Scoti: & Scotum ibidem ſuam illam ſatiſpaſſionem à vera ſatisfactione. De quibus ſat ſupra: niſi quod hìc videatur Alenſ. dubitare an non ſit ſatisfactio niſi ex Charitate vel ſaltem in Charitate. Poteſt tamen intelligi non dubitatiuè, ſed diſiunctiuè. Videtur enim propriũ meriti gloriæ: vt non ſit niſi ex Charitate; ſed ſatisfactionis pro pœna, vt ſit in ſtatu Charitatis, ſed non niſi ex aliqua gratia actuali, & motiuo aliquo virtutis ſupernaturalis. Quia dignitas operis ex Charitate, excedit debitum pœnæ: cur ergo exigeretur ad ſatisfactionem pro pœna? Sed quia debitum pœnæ eſt à Deo taxatum: non poteſt remitti per aliã pœnam, minus per minorem, niſi ex aliqua amicitia & gratioſa acceptatione ab amico. Sed ſatiſpaſſio eſt ſolutio eiuſdem pœnæ à Deo taxatæ, &c. Vt patet ex ipſo *Al. q.* 101. *m.* 3. *per totum* Vbi *art.* 3. §. 1. Sufficit vt fiat in charitate: non neceſſario ex affectu actuali charitatis, &c. Contritio debet eſſe ex Charitate: Satisfactio in Charitate; Cõfeſsio, nec ex, nec in, &c. §. 2. Ieiunium meritorium, vel ſatisfactorium, debet eſſe alicuius virtutis actu mouentis, & liberi arbitrij conſentientis. Quod ſatis etiam patet ex Scoto *d.* 15. *q.* 1.

*OBIECTIO 4.*

*Al. q.* 85. *m.* 4. Docet ſatisfactionem vnius pro alio in hac vita, non valere propria auctoritate, ſed Eccleſiæ: nec pro alio potente ſatisfacere, ſed pro impotente. Sic & *q.* 83. *m.* 3. Contrà praxim communem fidelium, & quæ ſupra *Reſp.* 1. Alen. intelligendum eſſe de Satisfactione Sacramentali: vt patet ex tota *q.* 83. *m.* 3. *Reſp.* 2. Poſſe intelligi de impotentia exteriori: ſalua bona voluntate, ſine qua non eſt communicatio bonorum operum inter fideles. 3. De conſenſu communi Eccleſiæ per commendationem Charitatis mutuæ.

*OBIECTIO 5.*

*Scotus d.* 15. *q.* 1. Definit ſatisfactionem eſſe *redditionem voluntariam æquiualentis alias indebiti*: cùm tamen ex *Alen. & S. Bon.* nihi boni poſſit reddi Deo, quin ſit ab ipſo datum, multominus *æquiualens*, & alias *indebitum*; nec ratio *indebiti* videatur eſſe de ſatisfactione, nec requiratur ab Al. nec à *Conc. Trid. Reſp.* 1. Ex ipſo Scoto ibi *art.* 1. definire ſatisfactionem in communi, tam homini, quàm Deo. 2. *Ex art.* 2. *Scotum* ibi loqui de potentia Dei abſoluta ab omni decreto obligante ad certam pœnam, vel ad vlla opera vltra Decalogũ. 3. *Art* 4. De ſatisfactione communi etiam ad ſatiſpaſſionem. 4. De reddendo ipſo bono opere à Deo accepto: de eius æquiualentia cum ipſa pœna, ſecundùm communem æſtimationem & ac-



Digitized by Google

nitentiam acceptatam, videlicet audiendi ſeu excipiendi humiliter & patienter acrem aliquam reprehenſionem & monitionem, ſale tamen diſcretionis & melle Charitatis conditam, de peccatis confeſſis, ſecundum eorum exigentiam. Quamuis autem Confeſſarij non poſſint obſeruare medium rei: Sufficit vt ſinguli obſeruent ſuum medium, ſeu mediocritatem rationis, ſeu iudicij humani; declinando potiùs, quam inclinando ad exceſſũ. Exemplo Dei vt Iudicis principalis: qui nunquam punit niſi citra condignum. Et monitu *S. Cypr. Epiſt. 3. ad* Cornelium Papam. *Si iudicium noſtrum volunt experiri, veniant. Si qua illis excuſatio & defenſio poſſit eſſe, videamus quem habeant Satiſfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant pœnitentiæ fructum: nec Eccleſia hîc alicui clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur, patientia & facilitas & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, &c. Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis etiam quæ in Deum commiſſa ſunt non pleno iudicio religionis examino. Delictis plus quam oportet remittendis, penè ipſe delinquo. Amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia reuertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplici confitentes, &c.* De Eccleſiæ conſtantia contra reos minaces.

## QVÆSTIO 8. SCHOLASTICA ET MORALIS.

*De ſubiectis Capacibus huius Sacramenti, eorumq; ad hoc neceſſaria diſpoſitione, & obligatione.*

De quibus in cõmuni, *Ex Al. S. Bon. Scoto. q. 9. de Sacram. in genere:* ſed hîc in ſpecie. *Al. q. 55.* De ſubiecto capaci pœnitẽtiæ & gratiæ pænitẽdi. *q. 63.* De iteratione pœnitentiæ quotieſcumque, à peccatore viatore. *Quæſt. 72.* De neceſſarijs ad iuſtificationem in pœnitente. *Q. 73.* De ordine illorum inter ſe. *Q. 74.* De neceſſitate & differentia Contritionis, vel Attritionis in pœnitente. *Q. 76. & 77.* De neceſſaria Confeſsione pœnitentis. *Q. 84. 85.* De ſatisfactione ſeu obligatione pœnitentis ad ſatisfactionem ſacramentalem. *Quæſt. 86.* De reſtitutione ſeu obligatione pœnitentium ad reſtitutionem. *A Q. 87. ad 114.* De tribus medijs ſeu operibus ſatisfactorijs, longè latèque.

*S. Bon. Col. 794. 795.* De neceſſaria Compunctione, Confeſsione, Satisfactione. *Col. 796. 797.* De neceſſarijs ad iuſtificationem pœnitentium, deque obligatione confitendi, &c. Vt *Al.*

Scotus *Diſt. 14.* De neceſsitate & obligatione pœnitendi ſacramentaliter, & extra. *In Diſt. 14.* De obligatione ſatisfaciẽdi, & reſtituẽdi. *Diſt. 17.* De neceſsitate & obligatione cõfitẽdi, cui, quando, &c.

Ad hanc etiam quæſt. pertinet Doctrina Sacri Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 1.* De neceſsitate pœnitentiæ, & huius Sacramenti. *Cap. 2.* De neceſsitate Baptiſmi ante Sacramentum pœnitentiæ, &c. Vtraque enim neceſsitas eſt ſubiecti, ſeu peccatoris. Quorum pleraque ſub qq. prioribus tractata, ad hanc quæſtionem breuiter referenda, conciliãda, & recolligenda ſunt.

## Reſponſio & Conciliatio.

SVbiectum capax pœnitentiæ, & huius Sacramenti, eſt homo, viator, baptizatus, peccator, Reus alicuius peccati actualis poſt Baptiſmum, & vtens actu, vel vſus ratione ac intentione huius Sacramenti. Vt patet ex *q. 9.* De ſubiecto capaci Sacramentorum in communi: & ex ſpeciali doctrina noſtrorum ſupra, ac Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 2.* *Eccleſia in neminem iudicium exercet: qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam ſit ingreſſus.*

Diſpoſitiones autẽ neceſſariæ ad abſolutionem ſacramentalem, & eius fructum, ſunt Contritio, Confeſſio, & Satisfactio in re vel voto: vt ſupra.

Obligationes. 1. Ex iure naturali & Diuino, ad pænitendum formaliter de peccatis ſaltem mortalibus, cum propoſito huius Sacramenti, in graui periculo vitæ, aut in neceſſitate & obligatione agendi aliquid in ſtatu gratiæ, ſine potẽtia morali vtendi Sacrã. 2. Reducendi illud propoſitum ad actum: ſubeundo opportunè hoc remedium & iudicium ſacramẽtale, tranſacto illo periculo & impotentia. 3. Cauendi, & conandi moraliter ne quid deſit neceſſarium ad valorem & fructum huius Sacramenti. 4. Non nimium differendi: ſed pœnitendi etiam extra periculum vitæ, & vtendi hoc certiori medio ac remedio Sacramentali. Quod ad ſemel ſaltem in anno, ab Eccleſia determinatur. 5. Confitendi opportunè, & ſubijciẽdi huic Iudicio Sacramentali omnia peccata mortalia oblita, vel ignota, quantumuis per contritionem aut abſolutionem ſacramentalem cum alijs confeſſis remiſſa: quando redit certa memoria & notitia facti, malitiæ, & obliuionis aut ignorantiæ præteritæ in Confeſſione aliorum peccatorum. Sed adhibita ſemel diligentia morali cõfitendi integrè: nulla eſt obligatio circa præterita oblita, aut ignota, ex ſolis dubijs ſuperuenientibus; quia melior eſt conditio poſſidentis bona fide ſecuritatem ſuæ conſcientiæ. 6. Reconfitendi omnia, ſcienter ex propria & graui culpa inualidè confeſſa vel abſoluta: defectu veræ pœnitentiæ, vel integræ Confeſſionis, vel probabilis ſaltem Iuriſdictionis in Confeſſario. Quia talis Confeſſio & Abſolutio nulla eſt. 7. Ex præcepto ſiue Diuino Chriſti, ſiue Apoſtolico, ab Eccleſia continuato & declarato, ac in *Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* renouato, *Probandi ſeipſum*, ad ſacram Communionem, *1. cor. 11.* Ita vt, *nullus conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Eucharistiam accedere*, aut *celebrare* præſumat; niſi *vrgente neceſſitate, deſit copia Confeſſoris.* 8. Ex ſpeciali præcepto *Trid.* Vt *Sacerdos conſcius peccati mortalis qui vrgente neceſſitate ſine præuia confeſſione celebrauerit: quamprimum confiteatur* .i. quantocitius poteſt. Reliqui enim nonniſi opportunè, ex obligatione iuris naturalis & Diuini. 9. Obſeruandi præceptum & morem Eccleſiæ vniuerſalis; *C. Omnis vtriuſq; ſexus. Quem morem S. Synodus* Trid. Seſſ. 14. c. 5. *maximè probat, & amplectitur, tanquam pium & meritò retinendum.* Imò *Can.* 8. definit *omnes & ſingulos vtriuſque ſexus fideles ad hoc teneri, iuxta magni Concilij Later. conſtitutionem ſemel in anno.*

Sed quia præceptum illud à varijs variè & truncatè refertur: verbatim & integrè ex ipſo textu *Conc. Later. cap. 21.* proferatur. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata, ſolus, ſaltem ſemel in anno, fi-*

*deliter*

Digitized by Google

*deliter confiteatur proprio Sacerdoti: & iniunctã ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere; ſuſcipiens reuerenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de conſilio proprij Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum; alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura, &c. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipſe illum non poſſit ſoluere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, &c.* De remedio, & ſigillo ſecreto peccatorum. Dicitur 1. *Omnis fidelis, &c.* i. baptizatus & credens Eccleſiæ: quia non baptizatis præcipi nequit; & fruſtra præciperetur incredulis. 2. *Poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit.* Non quoad certum annorum numerum; ſed quoad ſtatum & vſum rationis ſufficientis ad conſcientiam propriorum peccatorum, & ad diſpoſitiones neceſſarias, ac fructum & finem huius Sacramenti. 3. *Omnia ſua peccata*: vtique non niſi actualia & mortalia, non alias confeſſa & abſoluta; quia nec originale eſt materia huius Sacramenti; nec poteſt præcipi aut fieri Confeſſio omnium venialium; nec ſignificantur nomine peccatorum ſimpliciter; nec peccata confeſſa & abſoluta ſunt amplius peccata; nec denique præcipitur aliquid noui, ſed tantùm determinatur præceptum Diuinum Confeſſionis Sacramentalis ad ſaltem ſemel in anno, vt docet *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Vnde qui non habent materiam neceſſariam Confeſſionis, iure Diuino: non tenentur Sacramentaliter confiteri; ſed tantùm hac excuſatione præſtare obedientiam Eccleſiæ. 4. *Solus*. i. Non quaſi clam, ad excluſionem omnium aliorum præſentium & videntium; ſed priuatim ſoli Sacerdoti audienti, ad diſtinctionem à Confeſſione publica, quam *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. monet non ſubeſſe legi humanæ, ſaltem quoad omnia peccata. 5. *Saltem*. i. ſine excuſatione ab alijs etiam obligationibus. 6. *Semel in anno*. i. Intra hoc tempus, qualibet eius parte, à Paſchate ad Paſcha ex more Eccleſiæ; non autem neceſſariò circa Paſcha, niſi ex obligatione ſpeciali communicandi in ſtatu certiori gratiæ; quia nec hoc præceptum determinat tempus Paſchale, nec hanc præparationem ad ſacram Communionem Paſchalem; nec *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. & *Can.* 8. inſinuat vllam ad hoc obligationem, ſed tantùm morem ſalutarem; & quamuis hic eſſet finis huius præcepti, non tamen ideo caderet ſub præcepto. Hinc nec obligatio annuè confitendi expirat cum Paſchate: ſed durat vſque ad confeſſionem actualem, pro anno etiam præterito; quia Paſcha non eſt terminus obligationis, ſed licitæ dilationis. 6. *Fideliter confiteatur*. i. Integrè & validè, quantum ſcit & poteſt moraliter, ad finem & fructum abſolutionis. Ideò enim exigitur Confeſſio *fidelis, omnium peccatorum, proprio Sacerdoti, &c.* ad finem præcepti Diuini, cuius hæc eſt tantùm determinatio. 7. *Proprio Sacerdoti, &c.* Hinc tanta fuit controuerſia inter Parochos & Priuilegiatos, an hæc confeſſio eſſet reſeruata ſolis Parochis, vt patet ex *Al.* & *S. Bon.* ſupra: ſed pro Priuilegiatis definita à Benedicto 11. *Extrauag.* 1. de priuilegijs; & pluribus eius ſucceſſoribus, tandemque à *Clem.* 8. Bulla ad hoc edita & vbique promulgata, ab anno 1592. Quòdque hæc ſit mens ipſius *Conc. Later.* ſatis indicat *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. docens hanc eſſe tantùm determinationem præcepti Diuini ad certum tempus. Imo nec *Conc. Later.* voluit, aut potuit hanc Confeſſionem reſeruare ſolis Parochis, ad excluſionem ipſius Papæ, & Epiſcoporum: ergo nec delegatorum, nec delegandorum ab ipſis. Quòd *Al.* & *S. Bon.* & maximè *Scotus*, ex tunc obſeruauerunt, exponendo per Sacerdotem proprium, quemlibet habentem iuriſdictionem ordinariam, vel ad hoc delegatam in pœnitentem. Nec obſtat quòd *Conc.* ſubdit, *Si quis autem alieno Sacerdoti, &c.* Quia id eſt, alieno in iuriſdictione: quales non ſunt delegati Papæ. Nec ideo fruſtra dicitur, *proprio Sacerdoti*: quia ad maiorem expreſſionem, vel ad exceptionem alienorum, aut dependentium à proprijs, non autem ab eis independentium. 7. *Iniunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtudeant adimplere, &c.* De obligatione ad ſatisfactionem Sacramentalem, &c. de præcepto Communionis Paſchalis, vt ſupra *col.* 557. 558. Vbi diſcretio refertur etiam ad ſacram Communionem: imò & maior requiritur quàm ad Confeſſionem. Pleraque horum ex ſuperioribus quæſt. recollecta: vel ex praxi & ſenſu communiori ſuppleta, vix habent vllam nouam difficultatem, niſi ad illuſtrandas priores.

*OBIECTIO 1.*

*Alen. q.* 58. 65. 77. & alibi exigit pœnitentiam, imò & confeſſionem venialium ad ſalutem. *S. Bon. col.* 696. ſaltem ex præcepto Confeſſionis annuæ, defectu alterius materiæ. *Scotus* negat ſæpè omnem obligationem pœnitendi, aut confitendi venialia: imò *diſt.* 14. *q.* 1. *col.* 705. negat neceſſitatem pœnitendi formaliter de mortalibus poſt Baptiſmum commiſſis: *quia Deus poteſt remittere culpam abſque vllo actu peccatoris, vel per actum Charitatis abſq; actu formali pœnitentiæ, ex actuali inaduertentia peccati.* Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. docet neceſſitatem & obligationem pœnitendi de ſolis mortalibus. *Cap.* 5. Excipit ſola venialia à neceſſitate & obligatione confitendi: *quia multis alijs medijs expiari poſſunt.* Ergo nec authores noſtri inter ſe, nec cum ſacro Conc. Trid. in hoc conueniunt. *Reſp.* Alenſis *col.* 641. ſeipſum explicat. 1. De obligatione pœnitendi ſaltem in genere, abſque impœnitentia & complacentia finali in vllo veniali: quia hæc poteſt eſſe tanta, vt ſit quaſi fruitio inordinata, & mortalis. 2. Poteſt intelligi de obligatione pœnitendi virtualiter, ſeu actu finali Contritionis aut Charitatis, excludente omnem affectionem præteritam aut præſentem pœnitendi, ſicque includente votum confitendi. Quoad Confeſſionem annuam venialium: poteſt intelligi in genere, ad excuſationem neceſſariam confitendi Sacramentaliter, quòd quis non habeat niſi venialia. Præter ea quæ ſupra. Ita & *S. Bon.* Scotus autem *diſt.* 17. & 20. negat neceſſitatem pœnitendi aut confitendi venialia: *quia*, inquit, *poſſunt remitti per alium actum huius vitæ, Deo magis gratum quàm illa diſpliceant.* Qui eſt quædam pœnitentia virtualis. Non negat autem obligationem formaliter pœnitendi de mortalibus, & ea confitendi actu vel propoſito: ſed *neceſſitatem ſimpliciter,*

Digitized by Google

*-pliciter*, qua poteſt quis Iuſtificari per actum formalem Charitatis cum propoſito virtuali pœnitendi ac confitendi, & excuſari ab hac obligatione per inaduertentiam actualem. Quæ nec diſcordant ab *Al. S. Bon.* nec à Conc. Trid.

*OBIECTIO 2.*

Scotus *Diſt.* 17. *Col.* 717. Supponit infideles obligari ad confeſſionem, ex *cap.* Omnis vtriuſque ſexus. *Col.* 719. Determinat hanc obligationem circa Paſcha. *Reſp.* Supponit infideles obligari ad pœnitentiam etiam ſacramentalem, mediante fide: vel ſolo iure Diuino quoad ſubſtantiam, non quoad determinationem temporis; vel propoſito implicito fidei & obedientiæ Chriſtianæ. Nec cōparat abſolutè aut æqualiter infideles cum Papa, quoad obligationem aut non, ex *Cap. Omnis*, *&c.* ſed tantùm ſimiliter & conditionatè, ſi illud præceptum eſſet tantum Eccleſiaſticum. Nec determinat illud ad aut circa Paſcha: ſed *ſaltem*, inquit, *circa Paſcha*.i. niſi fiat ante. Subdit autem optimum conſilium. *Semper oportet habere voluntatem confitendi tunc pro quando præceptum obligat* .i. *nunquam Noluntatem.*

*OBIECTIO 3.*

Scotus *diſt.* 17. *col.* 719. negat per *proprium Sacerdotem* ſpecificari *Cui*, *&c.* Ergo fruſtra dicitur. *Reſp.* Addit, *Niſi dicatur quod ante quilibet ſacerdos habuit iuriſdictionem ſupra quemlibet* .i. Ex quadam conſuetudine, & tacita approbatione Eccleſiæ, aut conſenſu mutuo Parochorum. Præter ea quæ ipſe ibi, & nos ſupra. Nam per, *proprium ſacerdotem,* non poteſt intelligi *proprius* cuilibet perſonæ, aut parochiæ ſoli: quia nec Papa nec Epiſcopi ſunt tales proprij, ſed communes; nec quilibet ex *omnibus vtriuſque ſexus*, habet vllum talem proprium, vt nec Papa, nec Epiſcopi, nec ipſi Parochi, nec vagi &c. Ergo *proprius* .i. ordinarius, per ſe vel ſuos delegatos.

*QVÆSTIO 9. SCHOLASTICA, ET MORALIS*

*De Miniſtris huius Sacramenti, eorumq; neceſſaria poteſtate Ordinis ac Iuriſd. Scientia, & obligationibus.*

De quibus in communi, ex *Al. S. Bon. & Scoto.* q. 8. *De Sacramentis in genere.* Sed hic ſpecialiter, q. 78. De confeſſione vt fit abſoluenti. *M.* 1. *a.* 1. Non laico ſacramentaliter, ſed ſoli ſacerdoti. *Art.* 2. Vel proprio, vel ex eius aut ſuperioris facultate, vel cum propoſito illi confitendi. *Art.* 3. Proprium dici. 1. Parochialem. 2. Eius ſuperiores. 3. Omnes ab his delegatos. Quanta ſit autem poteſtas delegata, *dependet*, inquit, *ab intentione & declaratione Superiorum. M.* 4. De ſigillo cōfeſſionis valde rigidè per. 4. *Art. Q.* 79. De poteſtate Clauiū: quid, quot, quorum ſint Claues Eccleſiæ, & quando dentur *M.* 4. *ad* 7. Clauis non eſt neceſſaria ad auferendam culpam: ſed ad eam diſcernendam, & determinandam pœnam *Q.* 80. De poteſtate Clauium in foro pœnitentiali, eiuſque vſu ad tollendam culpam & pœnam. *M.* 5. *art.* 2. §. 1. & 2. De Hierarchia, diſtinctione, ſubordinatione, & delegatione Iuriſdictionis circa ſubditos in hoc Iudicio Sacramentali. Vt §. 1. *Oportuit vnum Prælatum eſſe ſupremum, in quo ſit ſtatus & plenitudo poteſtatis*, *&c. plures autem inferiores, minoris poteſtatis, vſque ad ſtatum in Præsbyteris parochialibus, qui gerunt immediatè curam populi, &c.* Infra. *Monachi etſi vt cæteri Sacerdotes poteſtatem accipiant: eius tamen executionem non habent niſi à populo electi, & ab Epiſcopo cum conſenſu Abbatis approbati.* 16. q. 1. Infra. *m.* 4. *Ordo Sacerdotalis habet annexam poteſtatem conſecrandi, & ſoluendi & ligandi in vtroque foro: ſed illius actus eſt eſſentialior, quàm huius; & actus fori externi accidentalior actu fori interni.* Ad arg. *Poteſtas Ordinis Sacerdotalis non poteſt committi quoad actum conſecrandi, nec ſoluendi ac ligandi in foro pœnitentiæ: ſed in foro iudiciali; idque nonniſi ab aliquo Ordinario Superiore habente etiam poteſtatem Ordinis.* Q. 81. De poteſtate Clauium, ad iuſtam excommunicationem. *M.* 4. *art.* 1. Non omnes Sacerdotes, ſed ſoli Prælati habent poteſtatem excommunicandi, *&c. Art.* 2. *Soli Prælati habentes Iuriſdictionem exteriorem: ad quam neceſſaria eſt vis coercitiua, ſeu coactiua. Q.* 83. De poteſtate ſolius ſummi Pontificis & Epiſcoporum, conferendi indulgentias, ſeu relaxandi pœnas debitas viuis & defunctis, ex Theſauro meritorum Chriſti. *Q.* 84. 85. De ſatisfactione Sacramentali: Pertinet etiam ad hanc poteſtatem Sacramentalem, mutandi, & retinendi pœnas pro peccatis.

*S. Bon. Col.* 698. 699. 700. De poteſtate ſacramentali Ordinis & Iuriſdictionis, *&c.* vt *Al. ſupra.*

Scotus *diſt.* 18. & 19. De duplici poteſtate Clauium in Eccleſia: cognoſcendi, & iudicandi in foro interno, & externo, de culpis, & pœnis, &c. *Diſt.* 21. *q.* 2. De obligatione Confeſſarij ad ſigillum ſeu ſecretum Confeſſionis. Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 1. 2. 6. 7. *can.* 9. 10. Quorum omnium hæc ſit recollectio & conciliatio.

## *Reſponſio & Conciliatio.*

Soli homines, Viatores, Baptizati, Sacerdotes, Iuriſdictionem ordinariam vel delegatam in perſonas, & caſus pœnitentium habentes, Ratione, Intentione ſaltem virtuali, Diſcretione peccatorum ad hoc Iudicium ſufficiente, & ſenſibus neceſſarijs ad percipiendā materiam & proferendā formam vtentes, ſunt Miniſtri capaces huius Sacramenti. Ex Conc. Flor. Trid. ſupra *col.* 2. 3. 12. 38. Quorum variæ ſunt obligationes.

*1. OBLIGATIO*

Credendi & recordādi quòd Chriſtus *Ioan.* 20. inſpirauerit Apoſtolis ſuis, & per eos ſucceſſiuè omnibus Sacerdotibus, in ſua conſecratione, Spiritum Sanctum .i. poteſtatem Spiritualem abſoluendi à peccatis, & gratiam ſanctificantem ad dignè vtendum illa poteſtate. Quæ gratia, vt 1. *Tim.* 4. *Data per impoſitionem manuum Præsbiterij, non eſt negligenda*: ſed vt. 2. Tim. 1. *reſuſcitanda* .i. Conſeruanda, augenda, & exercenda in hoc Miniſterio, vel ad hoc dignè exercendum recuperanda, per hoc ipſum Sacramentum pœnitentiæ, aut ſaltem per actum probabilem Charitatis, vel Contritionis Charitate perfectæ, cum propoſito ſubeundi hoc Sacramentum oportunè. Tum ex reuerentia Dei & Chriſti: cuius in hoc miniſterio perſona geritur. Tum ex reuerentia ipſius Sacramenti, & gratiæ quæ confertur. Tum ex collata ad hoc

 ipſum

Digitized by Google

ipſum gratia ſpeciali cum Sacerdotio. Tum ex nimia indignitate, vt Reus agat Iudicem, & hoſtis reconciliatorem, ſeu miniſtrum Reconciliationis.

2. *OBLIGATIO*

Iuſtitiæ vel Charitatis, exercendi hoc ſacrum miniſterium deuotè, reuerenter, patienter, benignè, & ſeuerè: ex zelo & ſtudio ſalutis animarum, ſine acceptione perſonarum. Ex *Mat.* 22. *Rom.* 2. *Act.* 10. *Iac.* 2. *&c.* contra acceptionem perſonarum, præcipuè in Iudicio, & hoc Diuino ac ſacramētali. *Lu.* 15. De bono Paſtore Chriſto. *Ezech.* 34. Contra paſtores ſeipſos, non oues ſuas, paſcentes, non quærentes, non reducentes, non medicantes, alligantes, ſanantes, conſolidantes. In quos B. Aug. Tract. de Paſtoribus & ouibus. Sed ad cauendum tædium, & renouandum Zelum huius Miniſterij, nihil breuiùs & deuotiùs illo 2. *Cor.* 5. *Deus poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.* Nil elegantius, & ſapientius *B. Aug. lib.* De catechizandis & monendis rudibus ad Baptiſmum, vt hîc ad Pœnitentiæ Sacramentum. *Cap.* 10. *Cogitemus quid nobis prærogatum ſit ab illo qui nobis oſtendit exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, &c. Quomodo enim paratus eſſet impendi pro animabus eorum, quem piget inclinari ad aures eorum.* Infra. *Charitas quantò officioſiùs deſcendit ad infima, tantò robuſtiùs recurrit ad intima per bonam conſcientiam, nihil requirendo ab eis ad quos deſcendit, præter eorum ſalutem.* Cap. 11. *Tunc eſt verè opus bonum, cùm à Charitate iaculatur agentis intentio, & tanquam ad locum ſuum rediens, rurſus in Charitate quieſcit, &c. Maiore fiducia Deum deprecabimur, vt loquatur nobis quomodo volumus, ſi ſuſcipiamus hilariter vt loquatur per nos quomodo poſſumus.* Cap. 14. *Tantam Charitatem eſſe oportet in eos pro quibus Chriſtus mortuus eſt: vt hoc ipſum quod nobis triſtibus nunciatur, præſto eſſe aliquem qui deſideret fieri Chriſtianus, ad conſolationem reſolutionemq́; triſtitiæ valere debeat, &c. Vt ſi periclitaremur incendio, ad aquam vtique curreremus, & gratularemur ſi quis eam de proximo offerret: ita ſi de noſtro foco aliqua flamma peccati ſurrexerit, datâ occaſione huius miſericordiſſimi operis, tanquam de oblato fonte gaudeamus, &c.*

3. *OBLIGATIO*

Cōparādi & tuendi famā neceſſariā ad huius Sacramenti directam & ordinatam adminiſtrationem: ne pœnitētes ex diffidentia de Miniſtrorum capacitate, honeſtate, & fidelitate, ab hoc Sacramento eiuſque Miniſtris legitimis ſe ſubtrahant, vel non integrè & ſecurè confiteantur. Nam *diſt.* 6. *de Pœn. c.* 88. *Quem pœnitet, &c.* Qui confitetur, Sacerdoti meliori quám poteſt confiteatur. *Al. q.* 77. *m.* 3. *a.* 1. De tacendis circumſtantijs periculoſis proprio Sacerdoti. *Quæſt.* 78. *m.* 1. *a.* 2. Scandalizans ſuos pœnitentes in ipſa confeſſione, vt talis non eſt Confeſſor, ſed corruptor. *S. Bon. col.* 698. Frequenter peccatores monſtrant ſuis prædicantibus conſcientias, quas nullo modo proprijs Sacerdotibus aperirent, &c.

4. *OBLIGATIO*

Diligenter procurandi quicquid eſt neceſſarium & moraliter poſſibile ad valorem & fructum huius Sacramenti. Sub hac tamen moderatione & conſolatione: quòd cùm Deus hoc ſuum de omnibus peccatis & peccatoribus iudicium hominibus commiſerit; eius etiam rigorem remiſerit ſeu relaxauerit ad communem capacitatem hominum. Cùmque tota Iuriſdictio & reſeruatio ab Eccleſiæ authoritate & intentione ſalutari dependeat: quicquid bonâ fide publicâ ex probabili opinione Cōfeſſariorum, & maximè pœnitentium geritur, Eccleſia approbet & ſuppleat. Vt patet ex illo *Trid. ſeſſ* 14. *cap.* 7. *Ne quis occaſione reſeruationis pereat, in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, &c.* Sicque de ſimilibus periculis ſalutis: quos non excludit, ſed potiùs includit ſubdens, *Extra quem articulum, &c.* Non enim ob periculum mortis, ſed ob periculum ſalutis. Nam 2. *Cor.* 10. Poteſtas Eccleſiæ eſt in ædificationem, non in deſtructionem. *Epheſ.* 4. Dedit quoſdam Apoſtolos, alios Paſtores, & Doctores in ædificationem Corporis Chriſti, &c. *Matt.* 16. 18. *Ioan.* 20. Metaphora Clauium, ſeu poteſtas Eccleſiæ non eſt ex ſe niſi ad aperiendum, ſoluendum, remittendum: ſed tantùm per accidens, ſeu ex demeritis noſtris, ad claudendum, ligandum, retinendum; neque hæc niſi ad correctionem internam, aut diſciplinam & ordinem communem Eccleſiæ. Vt ipſa ſæpè in ſuis Legibus, Canonibus, & Cenſuris proteſtatur, & fideles eius Interpretes communiter profitentur. Inter quos & *S. Bon.* ſupra *col.* 698. 699. *d.* 18. *p.* 1. *&* 2. *a.* 1. *q.* 2. Scotus *col.* 721. 722. & plerique. Imò in hunc ſenſum *B. Aug. libris de Bapt.* toties inculcat quòd *Charitas Eccleſiæ peccata remittat* .i. præſtando quicquid poteſt ad ſupplendum defectus Miniſtrorum, de quibus ibi agit ex profeſſo.

5. *OBLIGATIO*

Diſcendi & ſciendi ſaltem mediocriter iura neceſſaria ad æſtimandam aliquo modo malitiam peccati, & diſcernenda mortalia à venialibus, grauiora à minùs grauibus, ex ſuo genere & circumſtantijs, ſecundum oppoſitionem ad mandata Dei & Eccleſiæ. Quia ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Conſtat Sacerdotes iudicium hoc incognitâ cauſâ exercere non poſſe, &c. Et ex praxi communi ac doctrina noſtrorum etiam Authorum ſupra. Nam *Alenſis col.* 655. *m.* 2. *a.* 5. docet dubia de peccato mortali eſſe exponenda iudicio Confeſſarij: ſicque poteſt intelligi obligatio confitendi venialia ante ſacram Communionem, ad probandum ſeipſum, 1. *Cor.* 11. hoc ipſo iudicio ſacramentali, ex diffidentia iudicij proprij. *Col.* 658. Inter 4. cauſas reconfitendi, 1. eſt imperitia nimia Sacerdotis. *Col.* 659. *q.* 78. ex *diſt.* 6. *De pœnit.* ſeu *lib. De vera & falſa pœn.* Qui vult confiteri, quærat Sacerdotem ſcientem, &c. *Quæſt.* 79. 80. De neceſſaria Claue Scientiæ, eiuſque vſu in Miniſterio huius Sacramenti. *Quæſt.* 86. De neceſſaria ſatisfactione & reſtitutione, ex iudicio Confeſſarij. *S. Bon. diſt.* 18. *col.* 698. 699. De Claui ſcientiæ ſeu officio diſcernendi cauſam: ad cuius vſum neceſſaria eſt aliqua ſcientia Iuris & facti. *Col.* 703. *Confeſſores qui ramuſculos in confeſſionibus inquirunt & audiunt, vix aut nunquam à peccato detractionis excuſantur* .i. Abutendo Claui ſcientiæ ad curioſitatem.

Sed optimè Scotus de hac Claui ſcientiæ, à 720. eiuſque moderatione 721. & vſu vel abuſu, 722. *Si Clauis ſcientiæ erret inquirendo non neceſſaria ad hanc cauſam, non tamen omittat neceſſaria: peccat Confeſſor, ſed poteſt rectè iudicare. Si autem erret omittendo aliquid neceſſarium ad cauſæ cognitionem, præcipuè de Contritione aut Attritione, peccat: nec poteſt rectè iudicare niſi à caſu. Quòd ſi pœnitens ſit fictus: ipſe, non clauis errat, &c. Sed ſi caſu ſit iuſta ſententia: ratificatur quoad verè pœnitentem, non quoad Confeſſorem, quin peccet errando.* Infra. *Vnde ſciet pœnitens an pœna ſufficiat vel excedat?* Reſp. *Vel ex propria peritia legis Diuinæ, vel ex Confeſſario peritiore. Quòd ſi videtur nimia, conſultiùs eſt eam obſeruare: ſi nimis parua, potiùs adire Confeſſarium prudentiorem, quàm ſe exponere purgatorio.* Quæ non referuntur ad ſolam ſatisfactionem pœnæ; ſed etiam ad abſolutionem & remiſſionem culpæ: nec tantùm ad monendum temerarios; ſed etiam ad conſolandos puſillanimes, tam Confeſſarios quàm pœnitentes. 1. *Col.* 721. Relaxando hoc iudicium Sacramentale, ab anguſtijs iudicij Diuini, ad *latitudinem rationabilem iudicij humani.* 2. *Col.* 722. Præferendo curam de vera Attritione aut Contritione pœnitentium, omnibus alijs, ad valorem & fructum Sacramenti: quia ſine hac nihil prodeſſe poteſt; hæc autem poteſt omnes aut pleroſque defectus Pœnitentium & Miniſtrorum ſupplere. Nam ſi eſt Contritio Charitate perfecta, præuenit efficaciam Sacramenti: ſi necdum eſt perfecta Charitate, ſed diſpoſitio ſufficiens cum Sacramento, ex opere operato; non dependet niſi à medijs neceſſarijs iure Diuino, ſuppletque defectum integræ confeſſionis in pœnitente, & iuriſdictionis in Confeſſario, vel meretur ab Eccleſia ſuppleri. Si enim eſt verè talis, reuocat & excludit omnem præteritam aut præſentem voluntatem actualem peccandi in Deum aut Eccleſiam, includitque ſincerum propoſitum & intentionem hîc & nunc integrè quantum ſcit & poteſt, confitendi, & ſatisfaciendi Deo ac Eccleſiæ: ergo aufert omnem obicem Sacramenti, & diſponit ſuum ſubiectùm quantum fieri poteſt, ad reconçiliationem ſacramentalem cum Deo & Eccleſia; cui nec Deus, nec Eccleſia ex ſe deeſſe poteſt, priuando talem pœnitentem vllo ſuo fauore ad hoc neceſſario vel poſſibili. Imò quamuis Confeſſarius eſſet conſcius ſibi deeſſe Iuriſdictionem Eccleſiæ in pœnitentem, quoad eius reſeruata, & quoad omnia mortalia: intendens facere quicquid poteſt, verè abſolueret talem pœnitentem bonæ fidei ab omnibus peccatis, per gratiam omnium remiſſiuam; non tantùm Eccleſiâ tunc ſupplente defectum Iuriſdictionis, ſed etiam ex credibili Iuriſdictione Sacerdotali in omnes quoad venialia, & libertate omnium pœnitentium confitendi ea cuilibet Sacerdoti. Nec obſtat *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7. Quòd Sacerdotes inferiores nil poſſint in reſeruata, &c. Quia vel tunc non reſeruantur: vel poſſunt directè in non reſeruata, & ipſos pœnitentes ſaltem quoad venialia, ſicque indirectè & conſequenter in omnia, per gratiam omnium remiſſiuâ.

3. Ibidem approbando talium pœnitentium Abſolutionem etiam *caſualem*. i. Claue ſeu iudicio Sacerdotis aberrante à veritate & rectitudine iuris & facti, extra totam etiam latitudinem rationabilem: valente tamen ſententiâ Abſolutionis, vt iuſtâ *caſualiter*, non tantùm quia inſcio Sacerdote cadit ſuper pœnam ſatisfactoriam proportionatam Iudicio Dei; ſed etiam quia ſuper pœnitentem verè contritum vel attritum de omnibus ſuis peccatis. Cuius ſola vera cognitio eſt neceſſaria ad valorem Abſolutionis. Quia validè abſoluuntur pœnitentes, qui non poſſunt confiteri niſi per ſigna generalia ſuæ Contritionis aut Attritionis: ergo & potiùs qui ex vera Contritione vel Attritione diſtinctè confitentur; ſed à Confeſſario erroneè audiuntur vel iudicantur. Alioquin nec pœnitentes nec Miniſtri eſſent vnquam ſecuti de hoc iudicio Sacramentali. Quis enim eſt tanti tamque prompti iudicij, vt de ſingulis auditis in confeſſione ſubitò tam certum iudicium ferre poſſit? Quis tantæ memoriæ vt ad finem ſingularum confeſſionum poſſit omnia confeſſa ſimul conferre ad ferendum deſuper integrum ac diſtinctum iudicium? Quis poſſet ferre à mane in veſperam tantam animi attentionem & intentionem circa tot pœnitentes, eorumque caſus conſcientiæ, ad tam certum & neceſſarium de ſingulis iudicium ferendum?

5. *OBLIGATIO*

Docendi pœnitentes ignorantes neceſſaria ad valorem & fructum huius Sacramenti: eiſque rectè conſulendi ad correctionem, ſatisfactiorem, & reſtitutionem. Non ſingulos à rudimentis fidei catechizando: ſed prout præbent occaſionem aduertendi grauem aliquam ignorantiam aut errorem, culpabilem vel inculpabilem, corrigibilem vel incorrigibilem; examinando & erudiendo eos quantum tempus fert, & neceſſarium eſt ad valorem & fructum huius Sacramenti; monendo culpabiles ad huius ipſius ignorantiæ pœnitentiam, inculpabiles autem ad diſcendi diligentiam. Cauendo tamen ne quâ monitione de ignorantia aut errore inculpabili, nec contrario huic Sacramento, nec facilè corrigibili: fiat culpabilis, & incorrigibilis, ſicque corrumpat ſtatum præſentem pœnitentis. Poteſt enim peccator verè pœnitere de omnibus peccatis formalibus, quorum ſibi conſcius eſt: nec habere adhuc vires animi ad verè pœnitendum de aliquo peccato materiali ſibi inculpabiliter ignoto. Quòd ſi ei innotuerit, nimiâ difficultate correctionis corrumpet priorem pœnitentiam, & neceſſarium propoſitum non amplius peccandi, vllo peccato in genere, ſed non quolibet diſtinctè. Quia poſſet aliquod diſtinctè apprenſum ſuperare vim propoſiti.

6. *OBLIGATIO*

Exigendi aut eliciendi à pœnitente ſigna moraliter certa, non tam naturalia, ſenſibilia aut ſpeculabilia, quàm libera, abſoluta & efficacia, veræ Contritionis vel Attritionis præſentis. Signa enim naturalia & ſenſibilia gemituum, lacrymarum, &c. ſæpè procedunt ex complexione aut triſtitia naturali, vel etiam ex diſplicentia rationali, ſimplici, vel conditionata, potiùs quàm abſoluta vel efficaci. Signa ſpeculabilia aut etiam affectiua & experimentalia noſtrorum actuum & motiuorum interiorum, imò & propoſita futurorum, ſunt ſæpè ex natura rationali, aut ex aliqua gratia inchoata &

vlterius inefficaci. Vt patet ex conuerſione *B. Aug. lib. 8. Conf.* Cap. per tot animi motus ſimplices, conditionatos, inefficaces de futuro, priuſquam peruenerit ad illum efficacem, & de præſenti, *cap. 12.* Et *lib. Medit. ex B. Aug. cap. 24. Dicebam, faciam hoc, faciam illud: nec hoc nec illud faciebam, &c.* Sed ſigna liberiora, abſoluta, & efficaciora de præſenti, ſunt moraliter certiora. Non enim agitur de ſignis prognoſticis futurorum, aut non, nec futuri aut non futuri relapſus in hæc vel illa: ſed veræ Contritionis vel Attritionis præſentis, pro nunc abſolutæ & efficacis, in reuocanda omni præterita, & excludenda omni præſente voluntate, & velleitate ſeu affectione libera ad vllũ obiectũ illicitum præſens aut futurũ; non autẽ efficacis vſque in futurum, niſi per ſpem & propoſitum præſens vtendi medijs & remedijs neceſſarijs. Itaque poteſt quidem Confeſſarius proponere ſuis pœnitentibus motiua Contritionis vel Attritionis, quibus moueantur: vel potiùs ea ipſa quibus mouentur, promouere, indeque elicere ſigna quæ ſequentur; non tamen extorquere vel exigere pluſquam proteſtationem abſolutam Contritionis vel Attritionis illius abſolutæ & efficacis de præſenti, ſub ſola ſpe & propoſito vtendi medijs & remedijs neceſſarijs pro futuro. Quòd ſi fuga alicuius occaſionis, ex conſcientia ipſius pœnitentis ſit moraliter neceſſaria ad cauendum aliquod graue peccatum: neceſſariò includitur in vera Contritione & Attritione cum propoſito non peccandi de cætero. Si autem ex eius conſcientia non videtur ad hoc neceſſaria, ſed nimis difficilis & incommoda, vel etiam moraliter impoſſibilis ſine relapſu in ſimiles aut grauiores: non neceſſariò includitur in vera Contritione & Attritione cum propoſito non peccandi; ſicque poteſt Confeſſarius iudicio proprio, imò & communi cedere, ac deferre conſcientiæ pœnitentis vſque ad experientiam alicuius emendationis aut non. Conſule *Al. q. 67. 74. & p. 3. q. 75.*

8. *OBLIGATIO*

Eliciendi à pœnitentibus integram confeſſionem: non tam materialem, quàm formalem, ſeu ſinceram voluntatem ac intentionem confitendi omnia quæ hîc & nunc moraliter poſſunt; non ſingulos importunè ac indiſcretè de omnibus examinando; ſed pro ſtatu perſonarum, frequentia confeſſionum, & data hîc & nunc occaſione. Si enim moraliter conſtat de ſincera intentione integrè cõfitendi: ſatis etiam conſtat de integritate formali confeſſionis actualis, quæ neceſſario ſequitur ex vera Contritione vel Attritione cum voto Confeſſionis integrè, & propoſito non ampliùs peccandi, multò minùs hîc & nunc defectu Contritionis integræ. Hinc optimè *Alenſ. quæſt. 68. col. 644. art. 3. ad 1.* perfectionem Contritionis vel Attritionis colligit ex propoſito confitendi & ſatisfaciendi. *Et Quæſt. 77. m. 4. a. 1. Vt non eſt Contritio ſine propoſito confitendi: ſic nec eſt ſine executione oportunè.* Quando ergo pœnitens non præbet hîc & nunc occaſionem diffidendi de integritate Confeſſionis, ex indicio notabili ignorantiæ, verecundiæ, timoris, aut fallaciæ: non eſt quòd Confeſſarij ſeipſos & ſuos pœnitentes vexent, nimio ſtudio confeſſionis integræ, diuertendo ſe & illos à cura potiori veræ Contritionis vel Attritionis. In cuius etiam exemplum referri poteſt ex *Al. col. 654.* Quòd Chriſtus noluit præcipere confeſſionem, ne eſſet extorta, nec occaſio recidiuandi: ſed eam ſuauiter elicere ſpe veniæ & gratiæ &c. vt ſupra. Adde. Chriſtus noluit eam ſtatim exigere à peccatore imparato: ne eſſet extorta per vim, & occaſio ſæpè recidiuandi; ſed reliquit eam liberam ad tempus oportunum, vel neceſſarium.

9. *OBLIGATIO*

Exigendi à pœnitentibus ſatisfactionem proportionatam iudicio Dei & Eccleſiæ: & reſtitutionẽ æqualem debito aut damno illato alteri; aut ſaltem veram abſolutam & efficacem voluntatem ſic ſatisfaciendi & reſtituendi. Ex Trid. *ſeſſ. 14. cap. 7.* Alenſi *q. 84. 85. 86.* S. Bon. *col. 694. 700.* Scoto *col. 710. 711. 712. 713. 714.* Quia ſatisfactio ſeu voluntas ſatisfaciẽdi eſt pars ſeu diſpoſitio partialis pertinens *ad integritatem huius Sacramenti, ad plenamq; & perfectam remiſſionem peccatorum.* Reſtitutio autem vel voluntas reſtituendi, eſt eſſẽtialis veræ pœnitentiæ, de ablatione & retentione rei alienæ. Niſi perfectio contritionis, aut Indulgentiæ adiunctæ ſuppleant ſatisfactionem debitam: vel impotentia moralis animi aut corporis excuſet à ſatisfactione ſacramentali, ad ſatispaſſionem voluntariam ab ipſo Deo; & impotentia reſtituendi, aut dubium de reſtituendo, excuſet ab actuali reſtitutione, vſque ad potentiam & certitudinem moralem. Sed ſatisfactio ſemel ſacramentaliter impoſita & ſuſcepta, videtur Scoto *col. 722.* quaſi tranſire in rem iudicatam, ſeu irreuocabiliter ratificari in Cœlo. Subdit tamen conſilium: *Si videatur nimia aut nimis parua, adeundi potiùs Confeſſarium prudentiorem, quam ſe exponendi purgatorio .i.* vel per nouam pœnitentiam, confeſſionem, & abſolutionem eorundem: vel potius ante acceptationem ſub illo onere; quia ibidem hoc cenſet illo probabilius. Niſi fortè ob aliquem errorem notabilem, vel mutationem cauſæ, per Contritionem perfectiorem, & nouam confeſſionem ac abſolutionem, ab eodem vel alio ſacerdote, prior ſententia quaſi reformari poſſit. Cùm ipſe Deus pro maiori vel minori Contritione pœnitentis, pœnam æternam ad minorem temporalem remittat: cui ſatisfactio ſacramentalis proportionari debet.

10. *OBLIGATIO SIGILLI.*

Id eſt muniẽdi cõfeſſiones auditas ſacro & irreſerabili ſigillo, ſeu obſeruandi religioſiſſimè omnia ſecreta ſacræ confeſſionis. Ex iure naturali fidelitatis in hoc compromiſſo, & famæ alienæ ſeruandæ: Diuino Chriſti, remittendi peccata vt Deus remittit, quaſi tegendo, cooperiendo, obliuiſcendo: & Eccleſiaſtico Conc. Later. cap. 21. *Sacerdos caueat omnino, ne verbo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiorum conſilio indiguerit, illud abſq; vlla expreſſione perſonæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali Iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolùm à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.* De qua obligatione perfectè *Alenſis col. 660. S. Bon.* 703. Scotus 723. 724. Niſi quod *Al. m. 4. a. 1.* monet, *Si Con-*

*ſeſſor*

Digitized by Google

*feſſor præſentiret, bonum eſſet prædicere confitenti, quòd non recipiet vllã hæreſim ſub ſigillo confeſſionis.*] Supple, cum pertinacia, ob excommunicationem, & reſeruationem: Sicque ſuo modo de alijs cenſuris ac caſibus reſeruatis. *Art.2.Confeſſio peccati præteriti & præſentis vt talis, clauditur ſigillo: non autem vt eſt in propoſito futuri. Hoc tamen etiam celandum eſt honeſtè: niſi ad cautè auertendum graue malum abſque infamia.* Ad arg.*Peccatum vt faciendum, non eſt materia confeſſionis: nec qualibet ſecreta poſſunt à Sacerdote recipi ſub ſigillo confeſſionis.* Quod facilè expedit multas difficultates de cauendis aut non, grauibus periculis, ex notitia confeſſionis: quia qui refert propria peccata vel aliena vt facienda, non cauenda, non verè confitetur.

Scotus *col.* 724. *Quæſtione* 2. *ad* 6. Inter alia: *Superior poteſt vti ſcientia confeſſionis, ad prouidendum etiam exterius ſaluti ſubditorum, abſque vllo periculo famæ:alioquin non attentet eſſe Deus.* 1. Non præſumat abuti hac nòtitia Dei,non ſua. Vel, non vſurpet prouidentiam Dei, aut Dominium famæ alienæ,&c. Nec obſtat *Al. q. 77. m. 6. a.* 3. De confitendo proprio Sacerdoti, vt agnoſcat vultum pecoris ſui. Quia non ad vllum vſum humanum, ſed ſacramentalem.

11. *OBLIGATIO*

Abſoluendi quẽlibet fidelem à quibuſuis cenſuris & culpis in graui neceſſitate & periculo ſalutis: ex minimo indicio ac ſpe pœnitentiæ, & probabili Iuriſdictione. 1. Lege naturali Charitatis. 2. Ex inſtitutione huius Sacramenti, vt gratiæ gratis datæ ad ſalutem proximi. 3. Lege Eccleſiaſtica ſæpè inculcata, cauendi ne quis ſine ſacramento reconciliationis moriatur. 4. Autoritate & ratione *B.Aug.lib.* 1. De Adult. Coniug.*cap.* 26. *Si voluntas incerta eſt, multò ſatiùs eſt nolenti dare, quàm volenti negare: vbi velit an nolit ſic non apparet, vt tamen credibilius ſit eum ſi poſſet, velle ſe potiùs dicturum, &c.* Cap. 28. *Ego Catechumenos etiam, retinentes adulterina conſortia, ſi deſperati & intra ſe pœnitentes iacuerint; nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, &c. Quis enim nouit vtrum adulterinæ carnis illecebrâ vſque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri, &c. Quæ autem Baptiſmatis, eadem Reconciliationis eſt cauſa: ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec enim ipſos ex hac vita ſine ſuæ pacis arrha exire velle debet Mater Eccleſia.* Vt ſupra quæſt.9. De Sacramẽtis in genere *col.*108. 109. 110. 111. Et Tomo noſtro 2. in hunc locum *B. Aug.* Quibus tamen adde interpretationem illam mentis Eccleſiæ eſſe extendendam ad omnes defectus & caſus neceſſarios, quibus ipſa ſuccurrere poteſt. Nec videtur tam alienum ab illis verbis & ſenſu B. Aug. & ſacrorum Conc. quæ ſupra citantur *col* 108. quin poſſint intelligi & aliquando cautè ſub conditione practicari circa aliquos fideles ſubitò priuatos omni ſigno actuali pœnitentiæ;non tamen præterito, nec præſenti habituali, imò quaſi virtuali. Vt ſi quis notoriè vixiſſet exercendo ſigna communia pœnitentiæ, ſtatutis temporibus ipſum Sacramentum frequentando, pœnitentiæ memorialia geſtando: cur de eo non poſſet potiùs ſperari quòd pœniteat aut pœnituerit, ac Sacramentum ipſum intenderit, quàm B. Aug. de illo Catechumeno differente conuerſationem vſque ad Baptiſmum? Nec obſtat quòd *B. Aug cap.* 26. *Non tamen damnare debemus eos qui timidiùs agunt, &c.* Quia poteſt quis ex propria ſpe & opinione priuata, aliquid in caſu particulari priuatim & prudenter agere: quod non ſit communiter vel alteri probabile,ſicq; nec alios obliget in caſu ſimili.

12. *OBLIGATIO*

Abſoluendi Sacramentaliter verè pœnitentes, ſibi bonâ fide publicâ confeſſos, ab omnibus cenſuris & culpis etiam reſeruatis, ſub obligatione ſatisfaciendi Eccleſiæ, ſaluo ſigillo Confeſſionis. Quia tales habent ius ad Abſolutionem, ab eo qui ſuam confeſſionem excepit: nec tenentur ſubire nouum grauamen eadem reconfitendi; ſed ipſe Sacerdos contraxit obligationem procurandi ſibi Iuriſdictionem ſufficientẽ ad eorum abſolutionem Sacramentalem. Nec reſeruatio aut cenſura iuris humani poteſt obligare plus quàm ad vnicam Confeſſionem Sacramentalem Iuris Diuini: niſi ex aliqua culpa ipſius confitentis. Hinc *Al. quæſt.*78. *m.* 4. *ad* 2. Sacerdos hîc eſt vice Dei, non Epiſcopi vt hominis: ideo non poteſt huic reuelari, &c.] Quo ſenſu autem *Trid.*doceat tales remittendos ad Superiores: ſupra, & latiùs infra.

13. *OBLIGATIO*

Credendi & fauendi pœnitenti de ſeipſo teſtanti, & probabiliter opinanti. Quia ipſe eſt ſolus teſtis irrefragabilis in hoc iudicio: quod eſt in eius fauorem potiùs quàm grauamen.

14. *OBLIGATIO*

Non vſurpandi clauem ſcientiæ, ſeu dirigendi conſcientias ad hoc Sacramentum independenter ab omni poteſtate Ordinis & Iuridictionis. Nec hanc excedendi indirectè & inordinatè, niſi ex graui neceſſitate.

15. *OBLIGATIO APPROBATIONIS.*

Id eſt, ſubeundi approbationem Epiſcoporum, obſeruando decretũ ſacri Conc.*Trid.ſeſſ.*23.*cap.*15. *De Reform. Quamuis Præsbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant: decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: priuilegijs, & conſuetudine quacumq;, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Quod ſupponit 1. definitionem *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. & *can.* 3. *ac* 9. *ſeſſ.* 23. *cap.* & *can.* 1. De poteſtate Sacerdotali non tantùm conſecrandi Corpus Chriſti: ſed & abſoluendi, ſeu remittendi & retinendi peccata. Et *cap.* 4. *ac can.* 6. De Hierarchia Eccleſiaſtica. Supponit 2. diſtinctionem huius poteſtatis Ordinis Sacerdotalis, à poteſtate Iuriſdictionis: Ex decreto *Eugenij in Conc. Flor.* de Miniſtro huius Sacramenti, Sacerdote, habente authoritatem abſoluendi, *vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris.* Et ex ipſo *Trid. expreſſè ſeſſ.*14. *cap.* 7. De nullitate Abſolutionis quam Sacerdos profert in eum in quem *ordinariam vel delegatam non habet iuriſdictionem.* 3. Diſtinguit hanc ipſam approbationem, vt conditionem neceſſariam, ab ipſa Iuriſdictione, eiuſque collatione aut delegatione.

ne. 4. Diſtinguit hanc approbationem in implicitam ſeu virtualem, per collationem beneficij parochialis, ſiue præuio examine & approbatione formali, ſiue non: ab approbatione explicita & formali, per examen, vel aliter arbitrio Epiſcopi.

5. Satis indicat hanc approbationem non eſſe niſi iudicium & teſtimonium legitimum de ſcientia & probitate ſufficiente ad recipiendam & exercendam Iuriſdictionem in pœnitentes: hocque teſtimonium eſſe arbitrarium, ſiue per examen, ſiue ex alia notitia priuata aut publica. 5. Subijcit expreſſè huic decreto etiam Regulares, reſpectu omnium pœnitentium ſæcularium etiam Sacerdotum, qui ſolebant liberiùs inter ſe confiteri: relinquens Regulares inter ſe ſuis quoad hoc priuilegijs, & prouidentiæ ſuorum Superiorum. 6. Non tantùm inhibet ne aliter confeſſiones audiantur: ſed decernit non *poſſe* aliter audiri, nec vllum aliter *idoneum reputari*, ſeu capacem habendi vel exercendi hanc Iuriſdictionem.

Sed ſubſunt multa dubia. 1. An ſi cui notoriè digno negetur approbatio, haberi poſſit pro approbato? Quidam id de omnibus affirmant: alij de omnibus negant. *Nauarrus* cap. 27. *Rodericus* noſter *Tomo* 1. *quæſt*. 91. *art*. 5. & alij negant de ſæcularibus, affirmant de Regularibus priuilegiatis. Ex *Bonif*. 8. *in Extrauag. ſuper Cathedram*. Vbi his in tali caſu dat immediatè Iuriſdictionem. Et ex *Clementina*, *Dudum*, *De ſepulturis*: qua in ipſo Conc. *Vien*. confirmatur illa conſtitutio *Bonif*. 8. ſed reuocatur amplior *Benedicti* 11. *Extrauag. Inter cunctas*. Quibus non videtur derogari per *Nonobſtantiam Trid*. 1. Quia Epiſcopus debet talibus notoriè dignis approbationem. 2. Quia ſubijciuntur tantùm eius iudicio rationabili: non autem pro ſolo libitu. 3. Quia illud, *ſi illis videbitur*, relinquit tantùm eorum arbitrio neceſſitatem examinis, non autem ipſorum approbationem. 4. Quia Regulares mendicantes ſunt exempti ab eorum iuriſdictione: ergo non habent ius eis dandi aut negandi pro libitu approbationem, &c. 5. Quia *Conc*. decernit talibus approbationem his verbis, *Quæ gratis detur*: non autem *gratis*, ſeu ſine cauſa iuſta negetur. Nec enim poteſt gratis dari, niſi detur. Poteſt quidem ſubeſſe cauſa ſecreta negandi: ſed an poſſit publicum teſtimonium ex cauſa prorſus ſecreta negari, non ſine grauì infamia?

*Dub*. 2. An Epiſcopi ex vi huius decreti poſſint quoſlibet examinare ad approbandum? Sunt qui eximunt omnes Doctores & Profeſſores Sacræ Theol. etiam in Ordinibus Mendicantium: ex quodam motu *Pij* 5. *anno* 1567. Sed quia idem, & *Greg*. 13. ac ſucceſſores reduxerunt omnia ad ius ſacri Conc. *Trid*. Hoc non videtur addiſſe, *Aut aliàs idoneus iudicetur*: niſi ad excipiendum ab illo examine eos qui notoriè, ſeu iudicio publico tales ſunt. Nec enim videtur ex conſtructione hoc iudicium referri ad Epiſcopos, vt illud, *Si illis videbitur*, *&c*. Quia Trid. diſtinguit illud iudicium, ab hoc *videri*, ſeu arbitrio Epiſcoporum. Quid enim indignius quàm celebres Theologos cogi ad examen ſcientiæ, à ſuis etiam diſcipulis? Aliud eſſet in dubio de examine morum, per teſtes, &c.

*Dub*. 3. A quonam Epiſcopo approbandi ſint Confeſſarij? Quidam putant quòd ab Epiſcopo pœnitentium: cuius eſt prouidere vt nonniſi idoneis confiteantur. Alij probabiliùs, quòd ab Epiſcopo ipſorum Confeſſariorum, vel in cuius Diœceſi habitant, aut hoc miniſterium exercent. Quo enim iure ſubirent examen & approbationem omnium Epiſcoporum: quorum Diœceſani poſſunt eis confiteri, ſaltem extra eorum Diœceſim?

*Dub*. 4. An ſufficiat approbatio ab vno Epiſcopo pro tota Eccleſia, vel neceſſaria ſit approbatio ſingulorum pro ſua Diœceſi? Referuntur ad hoc variæ opiniones, ex varijs, ſed incertis declarationibus aut priuilegijs: quæ quia omnia ad hoc decretum ſacri Conc. Trid. referuntur, videtur ſufficere approbatio exemptorum ab vno Epiſcopo pro tota Eccleſia, niſi eius ſucceſſores, aut alij Epiſcopi habeant cauſam iuſtam reuocandi eos ad ſuum examen vel approbationem. 1. Quia *Trid*. ſubijcit Confeſſarios in plurali, approbationi Epiſcoporum in plurali: ergo ſingulos ſuis, ſeu ſui domicilij, non autem omnibus, nec pluribus incertis, nec potiùs his quàm illis. 2. Quia exempti approbati ab vno poſſunt audire confeſſiones quorumuis pœnitentium, ex quauis Diœceſi ad ſe recurrentium: ergo non debent approbari à ſingulis Epiſcopis ipſorum pœnitentium. 3. Quia excipere confeſſiones, eſt actus ſecretiſſimus, & exemptus ab omni loco iuriſdictionis externæ: vnde & Parochi poſſunt vbique ſuorum confeſſiones audire; ergo qui habent Iuriſdictionem delegatam à Papa in omnes, poſſunt eos audire vbique. 4. Quia approbatio eſt tantùm teſtimonium legitimum: ergo ab vno Epiſcopo debet vbique valere, niſi ſubſit ratio dubitandi de veritate, fidelitate, ſub vel obreptione; aut variatio loci, temporis, & perſonarum aliter exigat. Hinc *Pius* 5. *in Extrauag. Romani Pontificis* 1571. reſoluit Confeſſarios exemptos poſſe per ſucceſſorē Approbatoris, ſi ei placuerit, ad examen & approbationem reuocari: ergo idem videntur poſſe alij Epiſcopi. Quamuis enim actus ſimplex audiendi confeſſiones ſit exemptus à loco: exponi tamen ad hoc publicè & ordinariè in aliqua Diœceſi, videtur ad cognitionem illius Epiſcopi meritò pertinere. Hinc tutius eſt vti priuilegio *Greg*. 13. indulto Patribus Societatis IESV, & omnibus cum quibus in priuilegijs communicant, excipiendi quorumuis pœnitentium confeſſiones vbique in tranſitu, ſine oppoſitione Parochorum.

*Dub*. 5. An poſſit Epiſcopus ſuam approbationem etiam exemptorum, reuocare, reſtringere ad tempus, locum, perſonas, caſus, vel aliquâ aliâ conditione grauare? *Reſp*. Poſſe liberè quoad ſæculares, qui ſunt ſuæ Iuriſdictionis: ſed non quoad exemptos, niſi ex cauſa rationabili, pertinente ad diſcretionem capacitatis perſonarum, & approbationis pro loco, tempore, perſonis, vel caſibus vt difficilioribus, non autem vt reſeruatis. 1. Quia cùm approbatio exemptorum ſit tantùm iudicium & teſtimonium veritatis: non poſſunt illud reuocare aut variare niſi vt ſupra. 2. Quia Exempti habent ſuam Iuriſdictionem à Papa, mediante approbatione Epiſcoporum: ergo hi non poſſunt eam reſtringere niſi mediante iudicio rationabili

bili

Digitized by Google

bili de eorum inſufficientia ad totam latitudinem delegationis Papalis. 3. Quia *Trid.* Decernit approbationem *gratis dari*: ergo ſine onere conditionum impertinentium ad approbationem. 4. Quia *Pius* 5. ſupra ſtatuit Confeſſarios priuilegiatos ſemel ab ab aliquo Epiſcopo approbatos, non eſſe ab eodem iterum examinandos.

16. *OBLIGATIO*

Nihil attentandi extra caſum neceſſitatis, ſine Iuriſdictione moraliter certa: nec in vllo caſu, ſine aliqua probabili & præſẽti, nec vnquã ſub ſola cõditione ſeu ſpe ratihabitionis futuræ. Quia Iuriſdictio actualis eſt de eſſentia huius Iudicij: ergo hoc non poteſt validè exerceri, ſine illa preſente; nec licitè, ſine certa, aut probabili.

Quamuis autem ſit probabile conferri à Deo cum ipſo ordine Sacerdotali aliquam Iuriſdictionem, ſeu poteſtatem abſoluendi ab omnibus peccatis, aut ſaltem à venialibus & alijs iam remiſſis, per nouam gratiam: non tamen hoc eſt ſatis certum moraliter, imò nec ſatis probabile ad ea vtendum directè vel indirectè ſine ſubiectione aliquarum perſonarum ab Eccleſia, quæ eſt collatio propriæ, aut ſaltem proximæ Iuriſdictionis. Hæc enim propriè non eſt tã in ipſa peccata, quàm in perſonas ſeu peccatores pœnitentes & ſubditos. Prout optimè *Scotus Diſt.* 19. *De.* 4. *art. col.* 721. Quibus adde: *Poteſtas conſecrandi ſtatim habet ſuam materiam, &c. Si hec modo Clauis haberet ſtatim pro ſua materia peccatorem pœnitentem, nec poſſet impediri, &c. tunc Clauis eſſet poteſtas propinqua ad abſoluendum, & Sacerdos poſſet quemlibet peccatorem ſibi confitentem abſoluere: non quidem licitè, ſed peccaret mortaliter ſi contra prohibitionem Superioris, &c. Sed communiter non tenetur quòd ex Ordine habeat materiam: ſed oportet dari aliquem ſubditum in quem habeat Iuriſdictionem; quia ſententia à non ſuo Iudice lata, eſt nulla. Eſt ergo Clauis poteſtas remota, &c. Quomodo ergo omni potentiæ actiuæ reſpondet paſſiua? Vt ſi panis non eſſet conſecrabilis, niſi ſacerdos eſſet eius Dominus: poteſtas conſecrandi non eſſet niſi remota. Sic, &c. Quando potentiæ actiuæ vnius rationis, correſpondet primò paſſiua vnius rationis: cuilibet ſub hac, correſpondet quodlibet ſub illa, ſi non ſit defectus virtutis actiuæ. Sed vni Claui correſpondet hic vt abſolubilis, & non alteri: niſi dicatur quod Claui non correſpondet peccator vt pœnitens; ſed peccator vt ſubditus pœnitẽs.*

Non eſt ergo poteſtas Iuriſdictionis immediatè à Deo: niſi in peccatores pœnitentes in communi: quæ non poteſt exerceri niſi in particulari, circa aliquos ab Eccleſia determinandos. Quia cùm omnes ſint Eccleſiæ ſubditi: nemo poteſt niſi ab ea habere ſubditos. Sed Charitas Eccleſiæ exigit hanc de ſe fiduciam, quòd in graui periculo ſalutis tribuat omnibus Iuriſdictionem neceſſariam ad ſalutem. 1. Ex *B. Aug.* ſupra. 2. Ex *Bonif.* 8. *in caput, Eos qui, &c. De ſent. Excommunic. in* 6. Imò & ex ipſo Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Vbi docet venialia eſſe materiam liberã confeſſionis: ergo Eccleſia ſaltem indulget omnibus ſubiectionem voluntariã, ſeu confeſſionem venialium cuilibet haberi Iuriſdictionem ab eis abſoluendi; non tamen cum mortalibus, niſi ex neceſſitate, & conſequenter per gratiam omnium remiſſiuam. *Cap.* 7. Docet *Abſolutionem nullius eſſe momenti, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet Iuriſdictionem.* Sed & alibi ſæpè docet quemlibet Sacerdotem habere aliquam *poteſtatem abſoluendi*: ergo & aliquam ad hoc in aliquo caſu Iuriſdictionem. Fruſtra enim eſſet poteſtas quæ nunquam poſſet reduci ad actum.. Deinde ſubdit ſola *grauiora crimina* poſſe reſeruari: ergo ſupponit leuiora, minimè autẽ venialia, nõ poſſe reſeruari; ergo nec Iuriſdictio neceſſaria ad ſalutem negari. *Infra.* Monet non poſſe reſeruari niſi *in ædificationem Eccleſiæ*: ergo nec neceſſaria Iuriſdictio negari; quia non eſt in ædificationem Eccleſiæ, quòd quis pœnitens, & ſe ſubmittens Eccleſiæ ad ſatisfactionem, defectu Iuriſdictionis pereat. *Infra.* Nulla eſt, inquit, *reſeruatio in articulo mortis.* Nonniſi ob periculum ſalutis: nec ſolùm ob extremum, ſed graue; quia *Trid.* id tribuit pietati & conſuetudini Eccleſiæ. Quæ non eſſet eius pietas antiqua & conſueta: ſed noua in ſuos ſeueritas, imò & crudelitas. Nam omnes antiqui Canones monent ac cauent ne quis ſine Reconciliatione moriatur: quod non poteſt caueri niſi ſæpè præueniendo extremum illud mortis periculum. Hinc & *Bonif.* 8. ſupra approbat Abſolutionem talem, *in articulo mortis, aut alio legitimo impedimendo recurrendi ad ſuperiorem, &c.* Sic enim de pietate Eccleſiæ ſenſit noſter *Alenſis q.* 80. *m.* 3. *a.* 2. *§.* 2. *Indulget lex Charitatis, & rectitudo iuris, in articulo neceſſitatis*, non ait mortis, *quemlibet poſſe quemcumq; abſoluere, ſi ſit in vnitate Eccleſiæ.* Inter caſus autem neceſſitatis numerat: *Si quis procul perigrinatur, ſi eat ad bellum iuſtum, &c.* Sic *S. Bonau. Diſt.* 19. *Art.* 3. *q.* 1. *Vſus Clauium non eſt cuiuſlibet in quemlibet, ſed ſolùm in proprios ſubditos, excepto articulo neceſſitatis.* Sic & omnes qui ex Lege *Barbarius*, *Digeſtis de Officio Prætoris*, à potiori cenſent Eccleſiam ſupplere defectum Iuriſdictionis in Miniſtris publicis, quamuis malæ fidei, circa pœnitentes tamen bonæ fidei. Nec ab hac pietate Eccleſia deficit: ſed potiùs proficit, multiplicando vbique tot Ordines Mendicãtium, & cumulando tantis priuilegijs abſoluendi omnes pœnitentes, ab omnibus caſibus, &c.

*Quid, & quotuplex ſit Iuriſdictio?*

Eſt poteſtas iudicialis, ſeu dicendi ius: non tantum remota, in peccata, & reos peccatorum in communi, quæ non differt ab ipſa poteſtate Ordinis Sacerdotalis: nec tantùm arbitraria, ex ſola electione & libera ſubiectione partium; ſed proxima, in reos particulares, vt ſubditos iure diuino vel Eccleſiaſtico. Hæc vel eſt Ordinaria, ſeu ex Officio proprio, in perſonas talis loci: vel Delegata, ſeu ex ſola commiſſione reuocabili. Ordinaria eſt triplex. 1. Eſt illimitata ſolius Papæ, immediatè à Deo in totam hanc Eccleſiam, & ſingulos Chriſtianos Viatores. 2. Eſt limitata, Epiſcoporum, immediatè à Papa, in Diœceſanos alicuius Diœceſis. 3. Limitatior, Parochorum, à Papa, vel Epiſcopis, in Parochianos alicuius Parochiæ. Delegata eſt etiam triplex. 1. A iure, vel Diuino, qualis eſt ſola delegatio Confeſſarij proprij à Papa: vel Eccleſiaſtico, qualis eſt delegatio cuiuſuis Sacerdotis capacis, in graui neceſſitate ex *Trid.* ſupra; vel etiam extra, quoad venialia, niſi ſit etiam iuris Diuini:

&

Digitized by Google

& delegatio Confeſſariorum ſibiipſis electorum ab Epiſcopis & ſuperioribus ac inferioribus Prælatis exemptis. *Cap. finali de Pœnit.* vt & Confeſſariorum ex Ordinibus Mendicatium delegatorum immediatè à Papa in totam Eccleſiam, per priuilegia ipſo iure expreſſa. Addunt aliqui ex *cap. Placuit diſt.* 8. *De pœnit.* delegationẽ cuiuſuis periti, defectu proprij nimis ignari. 2. Ex tacito conſenſu Superiorum: qualis eſt Parochorum & Sacerdotum, imò & quorumuis peregrinantium, eligendi ſibi Confeſſarios approbatos. 3. Ab homine, per facultatem expreſſam ab aliquo Ordinario, aut potente delegare: qualis eſt delegatio per priuilegia perſonalia Regum & Principum, aut quorumlibet, ab ipſo Papa, eligendi ſibi Confeſſarios; & delegatio Pœnitentiariorum à Papa, vel Epiſcopis, aut Coadiutorum ab ipſis Parochis, ad abſoluendum ſubditos à caſibus communibus, vel etiam à reſeauatis.

*OBLIGATIO RESERVATIONIS.*

Id eſt, non abſoluendi à caſibus reſeruatis: niſi ex commiſſione expreſſa à reſeruante, vel eius Superiore, aut ex graui neceſſitate.

*DVBIVM* 1.

*An & qui poſſint aut ſoleant ſibi Caſus reſeruare?*

*Reſp.* Papam & Epiſcopos poſſe & ſolere: imò, & Parochos poſſe, ſed non ſolere; *pro ſua authoritate ſupra alios Sacerdotes ſibi iuriſdictione inferiores.* Eſt de fide, ex *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7. *Can.* 11. & ex communi ac antiqua praxi Eccleſiæ. Quia qui poſſunt dare Iuriſdictionem, poſſunt eam reſtringere ac limitare, niſi poteſtas ſuperior obſtet.

*DVBIVM* 2.

*Quinam Caſus poſſint & ſoleant reſeruari?*

*Reſp.* Quoſlibet caſus reſeruari poſſe: ſed non licere, niſi grauiores, ad finem reſeruationis, ſeu priuatam correctionem, aut communem Eccleſiæ ædificationem. Ex *Trid.* ſupra. Hinc non ſolere reſeruari niſi peccata digna excommunicatiõne: imò niſi habeant annexam excommunicationem actualem, exceptis pauciſſimis. Qui omnes caſus poſſunt diſtingui in reſeruatos Summo Pontifici, extra Bullam Cœnæ, vel intra: & reſeruatos Epiſcopis, vel à iure, vel conſuetudine communi omnibus, vel ex ſtatuto particulari alicuius Diœceſis; vel ab homine, ſeu à quolibet Epiſcopo ſingulari. De quibus ſingulis conſulantur Caſuiſtæ.

*DVBIVM* 3.

*Qui poſſint directè abſoluere à Caſibus reſeruatis?*

*Reſp.* Id poſſe reſeruantes, vel eorum Superiores, aut ab his vel illis expreſsè ad hoc delegati. Quales ſunt ſpecialiter Epiſcopi, ex *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. de Reform. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare: & in quibuſcumq; caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcumq; ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua, per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro Conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ, eis tantùm non eorum Vicarijs, ſit permiſſum.*

Quidam putant hanc poteſtatem abſoluendi ab Hæreſi, reuocari per Bullam Cœnæ: ſed nec vbi non ſatis publicatur, nec obſeruari poteſt; vt vbi Hæretici liberè, publicè, ac promiſcuè viuunt, imò nec in eorum vicinia. Quod tamen dubium pro Belgio & circa, reſoluitur per expreſſam ad hoc facultatem *Greg.* 13. ad inſtantiam Regis Catholici.

Tales ſunt & Confeſſarij ex Ordinibus Mendicantium, à Papa immediatè ad hoc priuilegiati: non tantùm ex Iuriſdictione ordinaria in ſuos, & exemptione ab ordinarijs; ſed etiam ex delegatione Papæ in omnes, ad abſoluendum etiam à caſibus reſeruatis, paucis exceptis, quorum exceptio firmat regulam abſoluendi à reliquis. Nam 1. *Clement. Dudum de Sepulturis*, committit eis eandem poteſtatem abſoluendi omnes vbique, quam parochi habent in ſuos ſolos vbique à Iure, non autem vt reſtrictam ab Epiſcopis.

2. *Clemens* 7. 1525. communicauit Fratribus Minoribus de Obſeruantia omnia Priuilegia conceſſa & concedenda quibuſuis alijs Ordinibus.

3. *Paulus* 4. 1555. commiſit Fratribus Minoribus de Obſeruantia, vt Confeſſarij ex eis deputati poſſint audire Confeſſiones omnium Chriſti fidelium, ex quacumque Diœceſi ad ipſos recurrentium: eoſque abſoluere etiam ab omnibus Caſibus, & Cenſuris, per quæcumque priuilegia quibuſcumque conceſſa.

4. *Paulus* 4. *Pius* 4. & 5. *Greg.* 13. & *Sixtus* 5. approbarunt omnia priuilegia Ordinum Mendicantium, ac ſi de nouo verbàtim concederentur: ergo & illud *Clem.* 7. communicandi omnibus Priuilegijs conceſſis & concedendis.

5. *Paulus* 5. Bullâ quæ incipit, *Iniuncti muneris Apoſtolici*, confirmauit omnia Priuilegia FF. Minorum, in quantum non repugnat Concilio *Trid.* atqui priuilegium abſoluendi à caſibus reſeruatis Papæ & Epiſcopis, non repugnat *Trid.* Tum quia priuilegiati ſunt exempti à Iuriſdictione & Reſeruatione Epiſcoporum; tum quia habent priuilegia ad hoc expreſſa ab ipſo Papa.

6. *Sixtus* 4. & *Iulius* 2. committunt Confeſſarijs ex Ordine Minimorum, & conſequenter ex omni Ordine communicantium, poteſtatem audiendi vbique confeſſiones omnium fidelium, Secularium, Eccleſiaſticorum, & Regularium: eoſque abſoluendi ab omnibus caſibus & cenſuris reſeruatis à iure vel ab homine, ipſis Epiſcopis; & diſpenſandi à quacumque irregularitate, ac permutandi & relaxandi quæuis vota, ſicut poſſunt Epiſc.

7. *Paulus* 3. conceſſit Patribus Societatis Iesv facultatem audiendi & abſoluendi omnes Chriſti fideles ad eos vndicumquè recurrentes, ab omnibus peccatis & cenſuris quantumuis grauibus, & ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis Bullæ Cœnæ & commutandi omnia vota in alia pietatis opera, excepto voto Religionis, & Peregrinationis transmarinæ, ſeu ad Sepulchrum Chriſti, ad Sepulchrum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & ad S. Iacobi in Compoſtella.

8. Vt olim *Eugenius* 4. F F. Minoribus: ſic & *Greg.* 13. conceſſit Patribus Societatis Iesv, à quouis Epiſcopo approbatis, prædicandi & audiendi Confeſſiones vbicumque in tranſitu, non repugnantibus Parochis.

Nec obſtat quòd *Greg.* 13. ſeu ſacra Congreg. Cardinal. eius mandato reſponderit 1570. S. Carolo Borromæo tunc Cardinali & Archiepiſcopo Mediolanenſi, Regulares non poſſe per vlla priuilegia abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis. Quia hæc reſponſio fuit in fauorem perſonalem illius S. Cardinalis, vel ſpecialem Archiepiſcopi Mediolanenſis, vel denique communem ſoli Italiæ. Nam idem *Greg.* 13. 1579. reſpondit ſe noluiſſe per hoc derogare priuilegio Patrum Societatis IESV: ergo nec communicationi priuilegiorum. *Clemens* 8. 1601. inhibuit omnibus Confeſſarijs Regularium, etiam ſocietatis IESV, intra Italiam, ne præſumant abſoluere à caſibus reſeruatis Papæ, vel Epiſcopis: ergo cenſuit eos id poſſe extra Italiam.

10. Ex his & pluribus alijs, Confeſſarij exempti & priuilegiati, bona fide publica, tam ſua quàm communi pœnitentium, ſolent extra Italiam abſoluere omnes, ab omnibus peccatis & cenſuris reſeruatis, & ſecretis, exceptis Bullæ Cœnæ. Vnde & hæc eſt ſaltem delegatio ab homine, vel more, quamdiu nõ reuocatur. An autẽ, & quid poſſint directè, vel indirectè quoad Caſus Bullæ Cœnæ, tam circa ſuos ſubditos proprios, ſeu ſui Ordinis, quàm circa extraneos: pendet ex publicatione & intentione huius Bullæ, quæ reuocat omnia priuilegia oppoſita. Videntur ſuperiores Regularium habere eandem Iuriſdictionem ordinariam in ſuos proprios ſubditos, quam Ordinarij in ſuos: ex vi exemptionis, & priuilegio indulto à Clemente 4. Generalibus, Prouincialibus, ac Cuſtodibus FF. Minorum, abſoluendi ſuos ſubditos ab omnibus Caſibus & Cenſuris, exceptis. 1. Relapſu in Hæreſim. 2. Schiſmate. 3. Falſificatione litterarum Apoſtolicarum. 4. Deportatione prohibitorum ad infideles. Ex quibus Alexander 5. relaxauit lapſum & relapſum in Hæreſim & apoſtaſiam, ac deportationem lignaminum, & ferramentorum ad infideles. Vt patet ex hac & ſimilibus Bullis *Gregorij* 9. *&* *Pij* 2. in Archiuo Conuentus noſtri Audomarenſis. Item ex priuilegio indulto Ordini Dominicanorum à *Pio.* 5. 1577. abſoluendi ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, & Cenſuris à quibus poſſunt Epiſcopi abſoluere ſuos. Sed *Clemens* 8. 1593 adhibuit ſuperioribus Regularium ſpecialem moderationem circa reſeruationem caſuum à Superioribus Regularium. 1. Ne poſſint ſuorum inferiorum Confeſſiones audire, niſi hi vltro petant, vel caſus reſeruatos habeant. 2. Vt nonniſi in ſuis Capitulis Prouincialibus approbent Confeſſarios, quibus hæc Iuriſdictio delegari poſſit. 3. Ne Generales, aut Prouinciales extra Capitula, aut ſine conſenſu vocalium, plures aut alios caſus reſeruare poſſint quam ibidem à *Clem.* 8. expreſſos. 4. Vt in ſingulis Conuentibus deputent aliquos Confeſſarios Doctrina, Prudentia, ac Charitate prædites: qui à non reſeruatis abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit in quo expedire ipſe in in primis Confeſſarius iudicauerit. 4. Ne ſuperiores & Confeſſarij vnquam vtantur notitia Confeſſionis ad regimen externum. 5. Vt ſuperiores poſſint determinare pœnitentias graues, à Confeſſarijs imponendas, pro quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis; ſaluo tamen ſemper Sigillo, ſeu ſecreto Confeſſionis. Quæ omnia iam ſunt in vſum ac praxim Ordinũ recepta: circa quã mirum videtur quod Guardiani, ſeu ſuperiores immediati delegent aut ſubdelegent ordinariè poteſtatem abſoluendi à reſeruatis. Sed vel ex eodem priuilegio in ſuos ſolos, quo ſuperiores in omnes: vel ex quodã priuilegio Patrum Dominicanorum, vel potius auctoritate delegata, imò & commiſſaria, ſeu quaſi Vicaria Prouincialium, ad ſubdelegandum pro ſingulis caſibus.

DVBIVM 4.

*An poſſit ſuperior exigere notitiam Reſeruatorum, extra Confeſſionem Sacramentalem: vel audita eorum Confeſſione ab eis ſolis abſoluere, & remittere pœnitentem ad Confeſſionem & abſolutionem reliquorum ab alio?*

*Reſp.* Non poſſe: nec pœnitentem teneri ad ſubeundum onus duplicis confeſſionis; ſed ſuperiorem debere eum audire & abſoluere integrè, vel dare alteri facultatem eum integrè audiendi. Ex *Al. q.* 78. *m.* 4. De Sigillo Confeſſionis. *S. Bon. d.* 21. *Art.* 1. *ad* 4. ſaltem de conſultiori. De obligatione autem: Quia ſuperior non reſeruat ſibi niſi ius audiendi & abſoluẽdi ſacramentaliter à reſeruatis: ergo nõniſi ſemel & integrè, per ſe ipſum, vel per ſuum delegatum; quia vnitas & integritas Confeſſionis ac Abſolutionis, eſt iuris potioris, quàm reſeruatio contraria vnitati ac integritati. Cõfirmatur ex illa ordinatione *Clẽ.* 8. circa caſus reſeruatos inter Regulares: quæ fundatur in ipſo iure circa omnes. Nec obſtat quod ſuperior habeat ius monendi & puniendi pœnitentem pro reſeruatis: quia nonniſi ſacramentaliter, & integrè, per ſe ipſum vel per delegatum. Nec eſt vlla praxis Eccleſiæ abſoluendi ſacramentaliter à Reſeruatis ſeorſim ab alijs: ſed extraſacramẽtaliter à Cenſuris notorijs. Nec poteſt pœnitens ſeipſum obligare ad duplicem, & mutilam Confeſſionem ſacramentalem: quia eſt contra inſtitutionem huius Sacramenti; ſed poteſt ſponte bis integrè confiteri.

DVBIVM 5.

*An poſſit quis abſolui & abſoluere indirectè à reſeruatis?*

*Reſp.* Poſſe, & debere. 1. In graui neceſſitate ac periculo ſalutis. 2. Suppoſita Confeſſione Sacramentali bonæ fidei: ignorando reſeruationem, vel defectum Iuriſdictionis ſufficientis in Confeſſario. 1. Quia in graui neceſſitite Eccleſia ſupplet defectum Iuriſdictionis, vt ſupra. 2. Vnica Confeſſio bonæ fidei dat ius ad abſolutionem: ergo hæc debetur ſaltem indirectè. 3. Quia ſic poteſt ſaluari finis reſeruationis, ſeu obligatio ſubeundi correctionem ſuperioris pro reſeruatis, ſaluo Sigillo, ſeu ſecreto Confeſſionis. 4. Quia reſeruatio non tollit Iuriſdictionem in non reſeruata: ergo Cõfeſſarius poteſt ab his abſoluere directè, ab illis indirectè, ſeu conſequenter, per gratiã omnium remiſſiuam. 5. Quia poteſt quis abſolui indirectè ab oblitis: ergo & à reſeruatis, &c. vt ſupra. Nec obſtat *Trid. ſeſſ.* 14. *Extra articulum mortis, cùm Sacerdotes inferiores nihil poſſint in caſibus reſeruatis: id vnũ pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant.* Tum quia *Articulus* ille extendi poteſt ad quam-



Digitized by Google

libet neceſſitatem, & obligationem maiorem ipſa reſeruatione. Tum quia *nihil poſſe in caſus reſeruatos*: non eſt nihil poſſe in ipſos pœnitentes, nec in alios eorum caſus. Tum quia poteſtas abſoluendi ab aliquibus præualet reſeruationi aliorum. Tum denique quia *Trid.* monet tantùm Confeſſarios, vt id *perſuadere nitantur*: ergo non tam obligat Confeſſarios & Pœnitentes, quin abſolui, & abſoluere poſſint directè à non reſeruatis, indirectè autem à reſeruatis, ſub onere ſubeundi abſolutionem Sacramentalem directè à reſeruatis, per eundem Confeſſarium delegandum; vel abſolutionem extraſacramentalem à Cenſuris, vel ab ipſa reſeruatione caſuum, & correctionem Superioris pro reſeruatis, ſaluo ſecreto Confeſſionis quoad perſonam pœnitentis. Ita probabilius ex *S. Thom. in 4. d. 17. q. 2. ad 4. & q. 3. art. 4. Paludan. & Gabr. ibidem. S. Antonino tit. 4. cap. 19. Sylueſtro* verbo Confeſſio *q. 19. Nauar. in ſumma cap. 9. n. 7. Caiet.* verbo Confeſſio *cap. vlt.* & alijs.

OBLIGATIO CENSVRARVM.

Id eſt, ſciendi, & obſeruandi Cenſuras Eccleſiæ: nec abſoluendi à peccatis, niſi tam ipſi Confeſſarij quàm Pœnitentes ſint abſoluti à Cenſuris, inhabilitantibus, aut inhibentibus.

DVBIVM I.

*Quid, quot, cur ſint Cenſuræ Eccleſiaſticæ?*

*Reſp.* Cenſura propriè eſt pœna Eccleſiaſtica & medicinalis, priuans vſu ſpiritualium bonorum, ad correctionem culpæ externæ contra Eccleſiam. Dicitur *pœna*, excludendo ceſſationem à Diuinis, & irregularitatem quæ non oritur ex delicto. *Medicinalis*, quia non niſi ad correctionem, vt ſupra. *Priuans vſu*: non autem ipſa habilitate ad vſum, vt Depoſitio, Degradatio, & Irregularitas ex delicto. *Ad correctionem culpæ externæ contra Eccleſiam*: quia hæc non poteſt punire exteriùs culpas internas, nec priuare bonis ſpiritualibus niſi inobedientes & contumaces, ex *Matt.* 18. Quo ſenſu ſunt tantùm tres Cenſuræ. 1. Excommunicatio. 2. Suſpenſio. 3. Interdictum. Hæ autem vel ſunt à iure, vel ab homine: vel ſunt latæ ſententiæ, vel ferendæ; vel ſunt particulares circa perſonas determinatas, ob culpam aliquam ſingularem; vel generales, circa perſonas in communi, ob factum aliquod præteritum aut futurum.

Hinc ad ferendam Cenſuram, neceſſaria ſunt. 1. Iuriſdictio. 2. Locus Iuriſdictionis, niſi hæc ſit exempta à loco. 3. Præmonitio Rei, vt cenſeatur contumax. Ad Cenſurã ab homine, iure Eccleſiæ neceſſaria eſt trina præmonitio perſonalis, aut publica, vel vnica pro tribus ſpatio temporis ſufficiente. Ad excuſandum vero à Cenſura, videtur ſufficere, quicquid excuſat ab inobedientia contumaci contra Eccleſiam. Ab hac autem videtur excuſare ignorantia Cenſuræ, quæ non oritur ex contemptu poteſtatis Eccleſiaſticæ, nec ex affectu inobedientiæ: & metus alicuius mali grauioris quàm cauſa mereatur, aut quàm quis teneatur ſubire ex obedientia Eccleſiæ. Quia Eccleſia nec poteſt, nec intendit plus obligare. Nec obſtat *Regula* 13. iuris: quòd ſola ignorantia facti excuſet, non iuris: quia vel illa ſola excuſat à culpa priore contra ius Diuinum; ſed hæc à cenſura & culpa contumaci contra ius Eccleſiaſticum: vel illa ſola excuſat in foro externo, quia præſumitur ficta aut affectata; hæc autem poteſt excuſare in foro interno. Ita *Nauar. c. 27. n. 63. §. 7. & n. 274.* ac alij. Nec etiam obſtat quòd Cenſuræ ferantur contra Hæreticos incredulos, & contemptores poteſtatis Eccleſiaſticæ: qui non ſunt corrigibiles per Cenſuras. Quia quamuis finis proprius Cenſuræ, ſit reorum correctio: finis tamen communis eſt bonum publicum Eccleſiæ, & ſeparatio Reorum contumacium, à fidelium, & obedientium conſortio. Plura ex *Al. q. 81.* & Caſuiſtis, ac Moraliſtis.

*DVBIVM 2. De Excommunicatione.*

*Reſp.* Ex *Al. q. 81.* An, qui, quare, à quo, quoties excommunicari, & abſolui poſſint: & quæ ſit culpa ac pœna communicantium cum excommunicatis. Ex quibus facilè colligitur 1. quòd Excommunicatio ſit cenſura Eccleſiaſtica priuans Reos omni, vel ſaltem aliqua communione cum fidelibus. 2. Quòd ſit duplex, Maior, & Minor: illa communis, vel ſolemnis, ſub Anathemate, vel etiam reſeruata; lata, vel ferenda, ſeu comminata, tolerata vel non tolerata. 3. Quòd Maior priuet directè omni communione fidelium, paſſiua, & actiua, licita vel etiam valida: Minor, priuet tantùm licita Communione paſſiua Sacramentali.

Sed quia Excommunicatio non tantùm priuat Reos: ſed etiam inhibet alijs omnem cum illis communionem; tum ad illorum confuſionem, & correctionem; tum ab horum præſeruationem ab illorum contagione: In horum fauorem, Eccleſia in Conc. Conſtantienſi, confirmato à Martino 5. relaxauit inhibitionem communicandi cum illis, exceptis publicè denunciatis, & notorijs percuſſoribus clerici. Quæ relaxatio quamuis non extet in Textu illius Conc. eſt tamen vſu recepta, & refertur à *Soto in 4. diſt. 22. q. 1. art. 1. & S. Antonino tit. 25. c. 2.* his verbis. *Inſuper, ad euitanda ſcandala, & multa pericula quæ conſcientijs timoratis contingere poſſunt: Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à Communione alicuius in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut alijs quibuſcumque Diuinis, vel extra, prætextu cuiuſcumq; Sententiæ aut Cenſuræ Eccleſiaſticæ, à iure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſeruare: niſi ſententia, aut Cenſura huiuſmodi fuerit in aut contra Perſonam, Collegium, Vniuerſitatem, Eccleſiam, Locum, vel terram certam à Iudice publicata, & denunciata ſpecialiter & expreſsè. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & alijs in contrarium facientibus, nonobſtantibus quibuſcumq;. Saluo, ſi quem pro ſacrilega manuum iniectione in Clericum, ſententiam latam à Canone adeò notoriè conſtiterit incurriſſe, quòd factum non poſſit aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari. Nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abſtineri, iuxta Canonicas Sanctiones.*

Quorum prior Caſus in ſimili textu citatur ab ipſo *Al. q. 81. m. 6. a. 1.* Ex 11. *q. 3. cap. 21.* Audi, &c. *Cùm ergo per ſententiam quis nominatus fuerit, cum eo communicare non debemus. Cùm autem ſolo reatu occultè excommunicationis contraxerit pœnam, non eſt ab eius communione ceſſandum.*

Vade

Digitized by Google

Vnde *Matt.* 18. Si quis Eccleſiam non audierit, &c. 1. *Cor.* 5. Si quis frater nominatur fornicator, &c. *Sententia nominationem intelligens.*

Poſterior caſus reſeruatur Papæ 17. *q.* 4. *c.* 29. *Si quis ſuadente Diabolo huius ſacrilegij reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere (niſi mortis vrgente periculo) donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat. Qui autem de Eccleſia vi aliquem exemerit, vel in ipſa Eccleſia, vel loco, vel cultu, Sacerdotibus & Miniſtris aliquid iniuria importauerit, ad inſtar publici criminis, & læſæ Maieſtatis accuſabitur, & conuictus ſine confeſſus capitali ſententia à Rectoribus Prouinciæ ferietur. Vt legitur in* 1. *lib. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Vbi ſub *Clerico*, intelligitur omnis primâ tonſurâ initiatus, nec priuatus priuilegio Clericali. Quòd eſt duplex. 1. Priuilegium Canonis, ſeu libertatis ab omni percuſſione. 2. Priuilegium fori, ſeu exemptionis Clericorum à Iudicibus ſecularibus, eorumque Miniſtris. Porro, iure antiquo Clerici non priuantur his priuilegijs niſi fiant bigami, vel non gerant tonſuram, nec habitum clericalem, ſed eis abiectis vacent negotijs ſecularibus, & admoniti noluerint ſe emendare; vel ante omnem monitionem exerceant tyrannidem, & enormia; aut realiter degradentur; aut agant publicè laniones, vel caupones, nec admoniti deſiſtant; vel aliàs ſint incorrigibiles. Ex *Cap. vnico de Cleric. coniugat. in* 6. *Cap.* 2. *de pœnis in* 6. *Cap. Contingit.* 45. *De ſententia excommunicationis.* Sed Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 6. de reform. *Nullus prima tonſura initiatus &c. fori priuilegio gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat, vel in ſeminario Clericorum, vel in aliqua Schola vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos verſetur. In clericis vero coniugatis ſeruetur conſtitutio Boni f.* 8. Clerici qui cum vnicis, &c. *Modo hi alicuius Eccleſiæ ſeruitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant vel miniſtrent, & Clericali habitu & tonſura vtantur. Nemini quoad hoc, priuilegio vel conſuetudine etiam immemorabili ſuffragante.*

Eodem priuilegio Clericorum muniti ſunt omnes Regulares vtriuſque ſexus, eorumque Conuerſi, & Nouitij ac Nouitiæ. Vt patet ex *Cap. Monachi, Cap. Non dubitamus. Cap. de Monialibus. Cap. Religioſo* 33. *de ſententia excommunicat. in* 6. Sub *percuſſore*, continentur omnes qui mandant, conſulunt, & ad hoc inſtigant. *Cap. Mulieres.* 6. §. *Ille de ſent. excom.* imo & ratum habentes, conſentientes, & non impedientes, ſi ex officio teneantur, aut facilè poſſint. *Cap. Cùm quis* 23. *cap. Cum ante* 47. *de ſent. excom in* 6. Ex Nauar. *cap.* 27. Sub *percuſſione*, ſeu iniectione manus violentæ, intelligitur omnis vis iniurioſa quæ infertur perſonæ vel ſtatui Clericali, verberando, pulſando, trudendo, includendo, retinendo, expellendo, eripiendo, proijciendo, &c. *Percuſſio notoria* cenſetur, quæ fit in publico, aut quæ tot perſonis alicuius loci aut Collegij nota eſt, vt celari nequeat. *Inexcuſabilis* eſt à Cenſura. 1. Si eſt iniuria ſufficiens ad peccatum mortale, in perſonam vel ſtatum Clericalem. 2. Si ſciatur eſſe Clericus, nec priuatus hoc priuilegio. 3. Niſi fiat authoritate Superiorum, ad aliquam correctionem. 4. Niſi deprehendatur in flagranti delicto, & capiatur ad tradendum ſuis Superioribus. 5. Niſi ſit neceſſaria ad ſui, ſuarumque rerum, aut innocentis defenſionem, contra Clericum offendentem. 6. Niſi Clericus deprehendatur in actione, aut conſortio ſuſpecto, cum vxore, matre, filia, aut ſorore percutientis. *Cap. Si vero de ſent. Excom.* Ex Nauar. *cap.* 27.

Effectus Excommunicationis ſunt. 1. Priuatio omnis communionis Sacramentalis, actiuæ & paſſiuæ, non validæ, ſed licitæ. Hinc priùs abſoluendus eſt quis ab excommunicatione, quàm à peccatis. Sed ſi hoc non fiat, abſolutio pœnitẽtis bonæ fidei, valet. Excommunicatus recipiens Ordines illicitè, ſuſpenditur ab eorum vſu: conferens illicitè quoduis Sacramentum, fit irregularis; vixque poteſt ei licere, niſi ex graui neceſſitate ſuſcipientium. Communicans illicitè cum excommunicato non tolerato, conferendo ei Sacramenta, interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ. *Cap. Epiſcoporum, de Priuilegijs in* 6. Sed Clericus ſcienter & ſponte admittens excommunicatum à Papa, ad Sacramenta vel Officia Diuina, incidit in excommunicationem Papæ reſeruatam. *Cap. Significauit, de ſent. excom.*

2. Effectus, eſt priuatio Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in vtroque foro. Ex *cap. Is qui* 12. *De officijs delegati in* 6. *Et cap. Audiuimus* 24. *q.* 1. Quod videtur probabilius de ſolis non toleratis: niſi & alij repellantur per exceptionem.

3. Effectus, eſt priuatio ſuffragiorum Eccleſiæ. Quod etiam probabilius videtur de ſolis non toleratis: ex *Nauar. cap.* 27.

4. Effectus, eſt priuatio celebrandi, aut aſſiſtendi Officijs Diuinis: ita vt non liceat toleratis; ſed nec coram non toleratis, qui monendi ſunt ſub pœna excommunicationis Papæ reſeruatæ vt recedant, vel ſi fieri poteſt expellendi ſunt; ſin ſecus ceſſãdum à Diuinis, excepto Miſſæ Sacrificio circa conſecrationem. *Cap. Alma Mater, de ſent. excom. in* 6. *& Clementina* 2.

5. Eſt priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ morientium in excommunicatione: ita vt tolerati non habeant vllum ius ſepulturæ, poſſint tamen licitè ſepeliri, ſi ſit probabile eos pœnituiſſe; non liceat autem ſepelire non toleratos in loco ſacro, ſub pœna excommunicationis, exhumationis, pollutionis loci reconciliandi, excepto adæquato irreconciliabili. *Clem.* 1. *De ſepult. Et, cap. Quicumq. de Hæret. in.* 6. *Nauar cap.* 27.

6. Eſt incapacitas impetrandi beneficia Eccleſiaſtica, vel valida Reſcripta Apoſtolica: niſi includant abſolutionem ab Excom. non tamen priuatio actualis Beneficiorum priorum, ſed tantùm priuabilitas. *Cap. Poſtulaſti.* 7. *de Clerico Excom.*

7. Eſt priuatio communionis forenſis, ſeu omniũ actuum Iudicialium, etiam quoad eorum valorem, ſi contra excommunicatos excipiatur. *Cap. Ad probandum* 24. *de ſent. Excom. in* 6.

8. Priuatio omnis licitæ communionis ſeu conuerſationis ciuilis & humanæ eorum cum alijs, imò & aliorum cum ipſis, vt ſupra: exceptis ho-

rum 6. caſibus. *Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe*. .i. Niſi ad vtilitatem ſpiritualem, vel ex lege coniugij, vel ex debita ſubiectione, vel ex ignorantia Excom. vel ex neceſſitate conuerſandi cum aliis, ad cauendum graue damnum.

9. Præſumptio Hæreſeos, contra eos qui per annum ſordeſcunt in Excom. nec moniti volunt reſipiſcere. *Trid, ſeſſ. 25. cap. 3. De Reform.*

10. Irregularitas Excommunicatorum, præſumentium illicitè miniſtrare Sacramenta.

11. Excommunicatio minor communicantium illicitè cum Excommunicatis, ſeu priuatio vſus paſſiui Sacramentorum, & priuabilitas Beneficiorum. *Cap. vltimo De Clerico Excommunicato*: Imò & Excommunicatio maior Communicantium cum Excom. in ipſo crimine, vel pertinaciter contra inhibitionem ſpecialem ſub pœna Excom. & Clericorum ſcienter & ſponte admittentium ad diuina Excommunicatos à Papa.

12. Eſt ipſum peccatum illicitè communicandi: quod eſt mortale, vel veniale, pro grauitate vel leuitate, ſeu prout multum vel parum importat contra finem Excommunicationis, qui eſt correctio contumaciæ, & authoritas Eccleſiæ.

Præter effectus ſpeciales aliquarum excom. vt ob percuſſionem Cardinalium, incapacitas teſtandi: ob Hæreſim & fauorem Hæreticorum, incapacitas teſtandi, & hæreditandi. *Cap. vlt. de pœnis in 6.*

DVBIVM 3.

*A quo, & quomodo abſoluendi ſint Excommunicati?*

*Reſp.* Nonniſi ab habentibus Iuriſdictionem ſufficientem, ordinariam vel delegatam, per liberam expreſſionem Abſolutionis, abſolutè vel conditionatè, ſub conditione præterita, aut præſente, vel futura, ſatisfactionis actualis, vel cautionis, aut iuramenti de ſatisfaciendo, aut etiam non reiterando crimine; ad reincidentiam, ſeu ſub pœna nouæ Excommunicationis ob nouam culpam omiſſionis, vel non. Porro Excommunicati à iure, vel ab homine per ſententiam generalem ſine reſeruatione, poſſunt abſolui à quolibet habente Iuriſdictionem abſoluendi eos à peccatis mortalibus: ſed excommunicati per ſententiam particularem, non poſſunt abſolui niſi ab eo qui excommunicauit, vel ab eius Superiore, Succeſſore, aut Commiſſario; vel in articulo mortis, à quolibet Sacerdote; vel in graui neceſſitate à Priuilegiatis pro foro interno, ſine iniuria Iudicis, aut partis læſæ, præſtita ſatisfactione, vel cautione, vel ſaltem iuramento ſatisfaciendi. Si autem Excommunicatio ſit reſeruata, non poſſunt abſolui niſi à reſeruante, vel eius Superiore, Succeſſore, aut ad hoc delegato; vel in articulo mortis, aut ex graui neceſſitate ſub iuramento præſtandi obedientiam, & ſub pœna reincidendi. *Cap. Quamuis 58. De ſent. Excom.* Exceptis Monachis & Priuilegiatis inter ſe: ac mulieribus & pueris ante pubertatem. *Cap. 2. Monachi, Cap. 32. Cùm illorum, Cap. 50. Canonica De Sent. Excom.*

Quæ autem, & quot ſint Excommunicationes, ordinariæ vel reſeruatæ, Epiſcopis vel etiam Papæ: vix certò ſciri poteſt, ne quidem ex Bulla Cœnæ, ob illarum & huius ipſius variam ac inæqualem publicationem & obligationem; ſed nec eſt ſcitu neceſſariũ ad hanc praxim Sacramentalem, vt infra.

## De Cenſura 2. ſeu Suſpenſione.

*Quid ſit, quotuplex, qui eius effectus, cur ferri poſſit, quomodò caueri aut tolli poſſit, & quibus caſibus iure feratur?*

AD 1. Suſpenſio eſt Cenſura, quâ Clericus priuatur vſu poteſtatis ſibi competentis ex aliquo officio, aut beneficio Clericali. *Ad 2.* Suſpenſio vel eſt à ſolo officio, vel à ſolo beneficio, vel ab vtroque ſimul, vel à neutro determinatè; vel ab aliquo determinato officio, aut beneficio ſeu eius vſu, vel ab ingreſſu Eccleſiæ; idque vel ad certum tempus, vel ad incertum. *Ad 3.* Suſpenſio abſoluta, abſque vlla determinatione, eſt ab officio & beneficio ſimul .i. ab exercitio officij & adminiſtratione beneficij. Suſpenſus abſolutè ab officio, eſt priuatus omni licito exercitio actuum Clericalium, Ordinis & Iuriſdictionis. Suſpenſus ab officio determinato, eſt priuatus ſolo licito exercitio illius officij. Suſpenſus expreſsè ab officio, non eſt à Beneficio: quia pœnæ non ſunt extendendæ. Suſpenſus expreſsè à Beneficio, eſt priuatus omni eius adminiſtratione & participatione: niſi ad neceſſariam ſuſtentationem, correctâ contumaciâ; nec tamen eſt liber ab officio præſtando. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, non poteſt intra eam celebrare, vel audire Officia Diuina, ſed extra. Suſpenſi peccant mortaliter vel venialiter, pro grauitate materiæ, agendo contra ſuſpenſionem, incurruntque irregularitatem per peccatum mortale: ſed alij non peccant cum eis conuerſando, vt cum excommunicatis, niſi per hoc inducerent eos ad actus illicitos. *Ad 4.* Non poteſt ferri nec contrahi ab aliquo ſine eius culpa, aut ob culpam venialem, ſed ob ſolam mortalem: niſi eſſet ſuſpenſio valdè leuis, & impropriè dicta. Nec obſtat quòd innocentes videantur ſuſpendi ob culpam alienam: quia talis non eſt propriè ſuſpenſio pœnalis ipſis, ſed inhibitio in pœnam aliquam reorum, vel ad ius tertij. *Ad 5.* Suſpenſio, vt quæuis cenſura ferenda, poteſt caueri, imò & lata ab executione contineri, per legitimam appellationem: exceptâ eâ quæ committitur *nonobſtante appellatione*, & exceptâ ſuſpenſione ab officio & ingreſſu Eccleſiæ. Relaxatur ſolâ Abſolutione: nec perpetua, aut certi temporis, ſine fine correctionis, eſt propriè dicta cenſura, ſeu pœna medicinalis. *Ad 6.* Variæ ſuſpenſiones latæ ſunt in iure: ſed nonniſi in Clericos, tam ſuperiores quàm inferiores, Regulares quàm non Regulares. 1. Suſpenſio à collatione & exercitio Ordinum, contra ordinantes & ordinatos, ob ordinationem vitioſam Iuri contrariam. 2. Contra ſuſcipientes ſacros Ordines in Excommunicatione, vel crimine, vt apoſtaſiæ, &c. 3. In Clericos ſcandaloſos, abutentes veſtibus ſæcularibus, concubinis, &c. 4. In eligentes ſcienter indignos, aut carentes conditionibus iure requiſitis. 5. In Prælatos diſſipatores aut alienantes bona Eccleſiæ: imò & in Clericos inferiores idipſum diſſimulantes, 6. In Iudices Eccleſiaſticos, abutentes hac poteſtate. 7. In vſurpantes Iuriſdictionem alienam. 8. In Regulares, alienantes bona immobilia aut cedentes iura Eccleſiæ laicis ſine licentia Papæ, vel non denunciantes Romæ tales: non obſeruantes

annuas

Digitized by Google

annum probationis Nouitiorum; non ſatisfacientes intra menſem à monitione, pro damno illato Prælatis Eccleſiæ, per ſuam vel ſuorum detractionem; ordinatos ſine dimiſſorialibus ſuorum Superiorum; vſurpantes decimas aut noualia aliena, niſi intra vnum menſem à monitione deſiſtant, & intra duos ſatisfaciant; nolentes monere ſuos auditores aut pœnitentes de ſoluendis Decimis; vacantes venationibus & aucupijs clamoroſis; diſſuadentes dona vel legata Eccleſiæ Parochiali; admittentes fœminas in ſua Clauſtra; recipientes munera pro illicita adminiſtratione Sacramentorum, niſi moniti, intra menſem reſtituant; Dominicanos non reſignantes omnia ſuo Ordini antequàm conſecrentur in Epiſcopos; & eodem & Franciſcanos ſe inuicem perturbantes in Officio Inquiſitionis. *Emm. Roder. Tom. 3. q. 65.*

## *De depoſitione ſeu degradatione.*

*Quid, quotuplex, & quomodo fiat?*

*Ad* 1. Non eſt propriè Cenſura medicinalis: ſed priuatio perpetua omnis Officij & Beneficij, vel etiam priuilegij Clericalis. *Ad* 2. Vel eſt verbalis tantùm, vel realis, aut ordinata ad realem: illa à quibuſdam diſtinctè vocatur depoſitio, hæc degradatio: Illa eſt priuatio omnis Officij & Beneficij; hæc etiam priuilegij Clericalis. *Ad* 3. Depoſitio & degradatio Verbalis fit per ſententiam: ſed Realis, per ſpoliationem actualem omnium ſacrarum veſtium ſeu inſignium, ab vltimo ad primum, & tandem per raſuram totius coronæ Clericalis, exprimendo verbis ad ſingula, effectum ſpoliationis, & poſt omnia effectum totalem degradationis. Epiſcopi non poſſunt degradari realiter nec verbaliter, niſi à ſuo Metropolitano, cum 12. Epiſcopis, relatâ causâ ad ipſum Papam. Presbyteri non poſſunt realiter degradari, niſi à proprio Epiſcopo per ſeipſum: verbaliter autem, etiam per ſuum Vicarium Generalem, cum 6. Epiſcopis, vel Abbatibus mitratis, vel ſaltem 6. perſonis Eccleſiaſticæ dignitatis, grauis ætatis, & Iuris peritis: Diaconi, & Subdiaconi cum tribus; Minores Clerici, cum aliquibus de Capitulo. Ex *Cap. Si quis, Cap. Fœlix, Cap. Si autem Preſbyteri 25. q. 7. & Cap. 2. De pœnis in 6. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4.* ſic moderante difficultatem antiquam degradandi.

## *De Cenſura 3. ſeu Interdicto.*

*Quid ſit, quotuplex, qui eius effectus, quænam Iure ferantur, quomodo tollantur?*

*Ad* 1. Eſt priuatio Officiorum Diuinorum, quorundam Sacramentorum, & ſepulturæ Eccleſiaſtic: ob aliquam iniuriam illatam Eccleſiæ. *Ad* 2. Vel eſt locale, vel perſonale: illud afficit directè ſola loca ſacra totius alicuius Prouinciæ, aut Vrbis, aut vnicum aliquod, in quo illa non liceant: Hoc afficit directè aliquam communitatem, & eos qui dederunt cauſam interdicto, etiamſi deſerant illam communitatem; innocentes autem, nonniſi indirectè, quamdiu ſunt illius communitatis. De qua non cenſentur eſſe Clerici, nec Religioſi, niſi exprimantur.

*Ad* 3. Effectus 1. eſt inhibitio Officij Diuini, ſeu ſacrorum rituum ac precum Clericalium in loco interdicto, vel ab interdictis, aut coram eis. Ex *Cap. Alma mater, de ſent. Excom. in 6.* vbi relaxatur, vt Clerici non interdicti poſſint, imò debeant in ſuis Eccleſijs & Monaſterijs celebrare Miſſas & omnia ſacra, vt priùs: ianuis clauſis, ſine pulſu campanæ, voce ſubmiſſa, & excluſis inde excommunicatis ac interdictis, etiam innocentibus. Item vt in feſtis Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumpt. B. M. V. quibus Martinus addit totam octauam Corporis Chriſti, poſſint omnia ſolemniter celebrari: admiſſis innocentibus ad ſacram etiã Communionem, culpabilibus ad ſolam præſentiam; ſed Excommunicatis prorſus excluſis. 2. Effectus eſt inhibitio adminiſtrandi & recipiendi Sacramenta: excepto Baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentiâ, ſub conditione, cautione, aut ſaltem iuramento ſatisfaciendi, vel procurandi ſatisfactionem Eccleſiæ: Communione pro viatico, & Matrimonio ſine ſolemnitate. *Ex eodem cap. Alma. Mater, & cap. Quoniam 19. De ſent. Excom. in 6.* Effectus 3. eſt inhibitio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſeu ne quis interdictus, aut alius loco ſacro interdicto, ſolenni ritu Clericali ſepeliatur, aut pro eo ſacra celebrentur. *Ex cap. Alma. & cap. Quod in te, De pœn. & rem.* Vbi relaxatur vt Clerici qui non dederunt cauſam interdicto generali, & id ſeruauerunt, poſſint priuatim ſepeliri. Quod à multis etiam extenditur ad interdictum ſpeciale, & ad ſepulturam ſolennem diebus illis ſolennibus ſupra, & ad omnes innocentes: ita vt ſoli rei priuentur ſepultura Eccleſiaſtica. Ad hos tres effectus principales reduci poteſt, prohibitio ingreſſus Eccleſiæ, quæ aliquando exprimitur in interdicto. Item obligatio obſeruandi interdictum, tam locale quàm perſonale, cauendo ne violetur. Quæ obligatio tantùm afficit Rectores Eccleſiarum. Item, peccatum violandi interdictum: quòd in Clericis videtur mortale, niſi inaduertentia vel leuitas materiæ excuſet; in laicis autem veniale, niſi ſint perſonaliter interdicti, aut vi vel fraude, vel ſcandaloſè violent interdictum. Item variæ pœnæ, Irregularitatis, Suſpenſionis, & Excommunicationis in Clericos violantes interdictũ: in Regulares etiam exemptos, illud non obſeruantes, & ſæculares nolentes cedere, aut cogentes Clericos ad agendum contra interdictum.

*Ad* 4. Interdicuntur abſolutè concedentes locum vſurarijs externis. *Cap. 1. De vſuris in 6.* Dantes repreſalia contra bona aut perſonas Eccleſiaſticas, niſi infra menſem reuocauerint. *Cap. De iniurijs in 6.* Appellantes à Papa ad Concilium Generale, vt patet ex Bulla Cœnæ. Exigentes tributum ab Eccleſiaſticis. *Cap. Quanquam, De Cenſibus in 6.* Capitula quæ ante annum à Sede vacante dant dimiſſorias ad Ordines, ſine graui neceſſitate. Interdicuntur ſecundùm quid, ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, qui præſumunt ferre cenſuram ſine debita ſolemnitate, *Cap. 1. De ſent. Excom. in 6.* Superiores vſurpantes ſibi bona Eccleſiarum, donec reſtituant. *Cap. Qui præſunt, De officio Ordinarij in 6.* Qui violant aut permittunt violari interdictum, etiamſi ſint exempti, donec ſatisfaciant. *Cap. Epiſcoporum, De priuilegijs.* Epiſcopi qui intra menſem non reſtituunt duplum quàm receperint ex viſitatione. *Cap Romana. & Cap. Exijt, De cen-*



Digitized by Google

*ſibus in* 6. Laici conferentes Epiſcopatum vel Abbatiam, & ab eis recipientes, donec deſerant. *Cap. Si quis deinceps*, 16. *q.* 2. Plura alia etiam localia Iure feruntur: ſed iam non obligant ante denunciationem. Nec Epiſcopi vllum incurrunt, niſi exprimantur. *Cap. periculoſum, De ſent. Excom. in*6.

*Ad* 5. Interdictum latum ad tempus certum, vel ad certam conditionem: tempore elapſo, vel reſolutâ conditione, per ſe expirat: alias non poteſt relaxari niſi ab eo qui tulit, vel ab eius ſuperiore. Latum autem abſolutè, ſi ſit locale aut perſonale generale, non poteſt relaxari per inferiorem Epiſcopo, *Cap. Nuper, De ſent. Excom.* Si ſit perſonale particulare, poteſt abſolui à quouis Confeſſario, niſi ſit reſeruatum.

## De Ceſſatione à Diuinis.

*Quid ſit, Quæ eius conditiones, Qui effectus?*

*Ad* 1. Non eſt propriè cenſura, ſeu pœna medicinalis: ſed remedium iuſtæ defenſionis, etiam contra proprium Epiſcopum. *Cap. Quamuis* 8. *De officio Ordinarij in* 6. *Et* ex *Clem.* 1. *De ſent. Excom.* Hinc patet quòd ſit ſimilis, ſed quàm differat ab interdicto.

*Ad* 2. Neceſſaria eſt poteſtas legitima ceſſandi à Diuinis. 2. Cauſa euidenter iuſta & proportionata, data ab eo contra quem indicitur. 3. Huius cauſæ expreſſio, & intimatio, inſtrumento publico, & munito ſigillo. 4. Monitio & rogatio eius qui cauſam dedit, vt ſatisfaciat. 5. Vt niſi intra menſem ſatisfiat, cauſa ad Papam deferatur, alioquin ceſſat. 6. Vt omnes Conuentuales aut Capitulares ad eam indicendam conuocentur. 7. Vt conuocati de tota re deliberent. 8. Vt maior pars iudicet indicendam. *Ex Cap. ſi Canonici, & Cap. Quamuis, &c.* Indicentes iniuſtè, priuantur omnibus fructibus illius temporis, & tenentur parti ſatisfacere; ſed ſi ſit iuſta, qui cauſam dedit debet eis ſatisfacere pro omni damno, & mulctari ipſi Eccleſiæ, quæ fuit priuata Officijs Diu. *Cap. Si Canonici.*

*Ad* 3. Ab indicta ceſſatione, non licet ibi celebrare officia Diuina, excepto vnico ſacro per hebdomadam: nec miniſtrare Sacramenta Ordinis, Extr. Vnct. nec Euchariſtiæ niſi pro viatico. *Cap. Non eſt vobis* 11. *De ſponſalibus.* Quidam etiam hic adhibent moderationem *Cap. Alma Mater.*

## De Irregularitate.

*Quid ſit, quotuplex, cur contrahatur, quid excuſet, quomodo tollatur?*

*Ad* 1. Non eſt propriè Cenſura: ſed quædam inhabilitas, ſeu incapacitas Iuris Canonici, ſuſcipiẽdi ſacros Ordines, & eis vtendi. *Cap. Is qui* 18. *De ſent. excom. in* 6. Hinc patent eius effectus: qui non includunt priuationẽ beneficij, nec fructuum, nec Iuriſdictionis, niſi ſupponat aut exigat etiam exercitium alicuius Ordinis. Quidam putant irregularem eſſe capacem beneficij recipiendi, alij negant: quidam cenſent eſſe incapacem validè abſoluendi ſi ſit denunciatus, alij negant.

*Ad* 2. Quædam contrahitur ex actu proprio, eoque vel culpabili, vel inculpabili, defectu lenitatis, aut ſacræ ſignificationis: quædam ex ſolo aliquo defectu naturali, corporis, animi, vel natalium. Quædam eſt totalis, quoad omnes Ordines, & eorum vſum in perpetuum: quædam partialis, quoad aliquos Ordines, vel ad tempus.

*Ad* 3. Contrahitur ob varios defectus naturales, vel morales, coram Deo, vel ſolis hominibus.

1. *Defectus*, ob illicitam ſuſceptionem aut collationem Sacramentorum: vt Baptiſmi ab Hæretico, extra neceſſitatem; & rebaptiſmi abſolutè, à quocumque. *Cap. Qui in.* 1. *q.* 7. *& cap. Ex litterarum, De Apoſtatis*: Item, ſacrorum Ordinum per dolum & errorem perſonæ; vel poſt matrimonium ratũ, niſi in Religione approbata: Item Presbyteratus poſt Baptiſmum in periculo mortis, niſi ex neceſſitate Sacerdotum. *Diſt.* 57. *cap.* 1.

2. *Defectus*, ob abuſum Ordinum: vt, exercendo eum quem quis non habet, vel violando Cenſuram Eccleſiaſticam.

3. *Defectus*, ob Hæreſim publicam, propriã, vel parentum, & fauorem hæreticorum vt talium: & ob crimina iure infamia; vt periurij in iudicio, ſimoniæ, ſodomiæ, vſuræ vſurarum, ſacrilegij, duelli, læſæ Mageſtatis, perſecutionis hoſtilis Cardinalium. *Cap. Saluberrimum.* 1. *q.* 7. *Cap. Hæretici, De Hæreticis in* 6. Quod tamen per *cap.* Statutum 15. relaxatur ad primam generationem à Matre Hæretica, ad ſecundam à Patre. Nec videtur afficere niſi genitos à parentibus iam hæreticis. Item *cap. Felicis. De pœnis in* 6. *Lege Quiſquis.* §. *Filijs.*

4. *Defectus*, ob homicidium, aut mutilationem voluntariam alicuius membri proprij, vel alieni, per ſe vel per alterum, actiuè vel permiſſiuè, ſaltem ſi quis ex officio teneatur impedire. Niſi fiat caſu, vacando rei licitæ, ſine negligentia mortali præuidendi aut præcauendi periculum: & niſi in moderatam defenſionem ſaltem vitæ propriæ, vel etiam ſuorum, imo & honoris aut bonorum magni momenti. De quibus inter Caſuiſtas eſt controuerſia. Ex toto titulo *De Homicidio, & Cap. Is qui* 18. *De ſent Excom. in* 6. *Trid. ſeſſ.* 24. *Cap.* 6. *De Refor.* Vbi tribuitur Epiſcopis diſpenſatio in irregularitate ob mutilationem occultam, non ob homicidium occultum.

5. *Defectus*, lenitatis Eccleſiaſticæ, in Iudicibus criminalibus, & omnibus directè cooperantibus ac exequentibus ſententiam mortis: imò & in caſtrando, vel truncando ſeipſo aliquo articulo. Non tamen in Principibus conſtituentibus Iudices criminales: nec in Iudicibus Eccleſiaſticis tradentibus Reos brachio ſæculari, ſed pro eorum vita deprecantibus quantum eſt ex ſe; nec in accuſatoribus ad ſuam vel ſuorum neceſſariam defenſionem, ſub proteſtatione quod non proſequentur iudicium ſanguinis; nec in horum Aduocatis, procuratoribus, aut teſtibus iure coactis. Nec denique in iuſto bello defenſiuo, ſed in offenſiuo quantumuis iuſto. *Diſt.* 51. *Cap.* 2. *Tit. Ne Clerici, De Homicidio* 2. *De immunitate Eccleſiarum.*

6. *Defectus*, ob bigamiam, ſiue propriam, ſiue interpretatiuam cum vidua vel adultera, ſiue ſimilitudinariam, per attentatum matrimonium poſt votum ſolemne caſtitatis. Ex 1. *Tim.* 2. *Diſt.* 34. *Cap.* 12. *Laici vxor*, *Cap. Si euius vxorem*, *Cap. Nuper, Cap. Quotquot* 27. *q.* 1. Vbi extenditur hæc irregularitas ad matrimonia etiam ante baptiſmũ.



Digitized by Google

7. Propter defectum natalium, ſeu ob natiuitatem illigitimam ex parentibus non validè coniugatis : niſi ex ignorantia inculpabili alterutrius coniugis ; & niſi matrimonium publicè habeatur pro valido, vel proles per ſubſequens matrimonium legitimetur.

8. Propter defectum corporis, ſeu alicuius partis aut perfectionis neceſſariæ ad functionem decentem ſacri Ordinis. Tales defectuoſi ſunt, muti, cœci, manci, monoculi, truncati pollice, naribus, aut nimis deformes, leproſi & contagioſi, tam debiles pedibus vel manibus, vt non poſſint honeſtè ſtare, mouere, leuare, &c. *Cap.* 3. 5. 7. *De corpore vitiatis.*

9. Propter defectum animi capacis ad decentem functionem Ordinis ſacri, ſine ſcandalo aut eius periculo. Quales defectuoſi ſunt amentes, energumeni, phrenetici, epileptici, niſi poſt aliquam conualeſcentiam, ignari neceſſariorum ad functionem ſacrorum Ordinum, Mancipia, niſi manumittantur, &c. *Diſt.* 33. *cap.* 3. 4. 5. *diſt.* 54. *cap. Nulli. cap. Si ſeruus, &c. Trid. ſeſſ.* 23.

*Ad* 4. Ab irregularitate pœnali excuſat quicquid à peccato mortali : vt ignorantia facti & iuris, non tantùm Diuini, ſed probabiliùs etiam Eccleſiaſtici, imò & cenſuræ annexæ, ac metus mali grauioris, vt ſupra, de Cenſura in communi. Sed ab irregularitate naturali aut ſine culpa, nihil excuſat.

*Ad* 5. Irregularitas ex ſolo defectu alicuius conditionis, per ſe tollitur ſuppletâ conditione. Quæ eſt ex defectu natalium, aboletur per profeſſionem Religionis approbatæ. *Cap.* 1. *De filijs Preſbyt.* Imò idem cenſent aliqui de omni irregularitate : excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & bigamia ; ſed aliarum diſpenſatio redditur inde potiùs facilior. In reliquis omnibus poteſt Papa diſpenſare : quamuis nec expediat, nec liceat ſine cauſa rationabili. Epiſcopus autem poteſt diſpenſare in omni quæ eſt ex crimine occulto, excepto homicidio voluntario. Poteſt & diſpenſare cum illegitimo ad Ordines minores, & beneficium ſimplex, *Cap.* 1. *De filijs Preſbyt.* excepto Canonicatu Eccleſiæ cathedralis, qui requirit Ordinem ſacrum. Ex *Trid ſeſſ.* 24. *cap.* 12. Denique, poteſt diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria, cum eo qui ſponte redit ad pœnitentiam, & ad ſtatum ſuæ profeſſionis. Porro, ſufficit eadem diſpenſatio pro omni irregularitate ex culpis eiuſdem rationis, quamuis vnica expreſſa : non autem pro varijs irregularitatibus diuerſæ rationis, ex pluribus criminibus, quamuis eiuſdem rationis.

## *Monitiones Confeſſariorum.*

1. VT inter tot tantaſque obligationes, tam ſibi caueant à nimia puſillanimitate & perplexitate, quàm à temeritate ac præſumptione.

2. Ne tam de ſeipſis præfidant, vt ſtudium & curam huius Miniſterij negligant : nec tam de ſua capacitate diffidant, quin plus de ſuorum Maiorum iudicio, & approbatione Epiſcoporum confidant.

3. Scientiam ad hoc neceſſariam non metiantur metaphyſicè, ſeu ſpeculatiuè, nec memoriæ, & linguæ, ſeu verborum promptitudine : ſed practicè, ſeu ex iudicio morali conſcientiæ, vel communi ad omnia, vel ſaltem particulari ad ſingula propoſita : non tam certo, quàm ſcientiæ, ſed probabili vt prudentiæ.

4. Suppleant & corrigant incertitudinem Iuris Eccleſiaſtici, certitudine & promptitudine Iuris Diuini, Naturalis & Poſitiui : quo cùm hoc Sacramentum ex lege Gratiæ ſit ad ſalutem animarum, in fauorem reorum, & commendationem meritorum Chriſti, ac miſericordiæ Dei, ad eundem finem omnes leges Eccleſiaſticæ interpretandæ, ac referendæ ſunt.

5. Ne ex *S. Cypr. col.* 787. vereantur delinquere, aliena peccata remittẽdo, ſed ex *B. Aug. col.* 799. ea retinendo : quia hoc Sacramentũ non eſt ex ſe ad retinendum, ſed ad remittendum. Hinc vereantur potiùs ne ſibi quoque retineantur, ſeu non remittantur peccata, ſi alijs poſitiuè vel negatiuè retinuerint : exigaturque potiùs ratio non remiſſorum, ſeu huius officij neglecti, quàm remiſſorum ; ſed confidant quòd ſicut remittunt aliena, ita & Deus ipſis remittat ac remittet propria, ſi quæ etiam committant in remittendis alienis.

6. Ne, vt ſcioli, abutantur priuilegijs ad oſtentationem, in præiudicium Ordinariorum : nec tamen parcè, ſed modeſtè vtantur, ad illorum obſequium, & ſalutem animarum. Nam ex *Al. col.* 696. *Non ideò ſunt maiores dignitate, ſed labore.* Et ex *S. Bon. col.* 698. *Nec priuilegia ſunt amplianda in præiudicium Ordinariorum, nec reſtringenda in damnum fidelium.*

7. Studio & experientiâ ſeipſos ad hanc animarum curam perficiant : nec quaſi Mathematicè praxim huius iudicij ad aciem iuris acuant ; ſed quaſi hanc in illius molliorem vaginam recondant. Si enim hîc tantum de iure Diuino remittitur, quidni de Eccleſiaſtico ? Sicubi ſummum ius ſumma iniuria : & ſicubi datur exemptio ab apicibus Iuris, vel maximè in hoc Iudicio Arbitrario. Hinc quia leges Eccleſiaſticæ locis & temporibus variantur, & ad praxim accomodantur : non ſunt promiſcuè ſectandi earum interpretes, nec præferendi rigidiores, antiquiores, remotiores, imò nec ſolâ ſcientiâ celebriores, ſed potiùs leniores, recentiores, noſtrates, & expertiores. Quales meritò hîc cenſendi ſunt *RR. DD. Binsfeldius Treuir. Chapeauville Leod. Turlot Namurc. Duo Marchantij fratres* ; Alter in ſuis *Reſol. Paſtoralibus* ; Alter noſter R. P. in ſuo Tribunali Sacramentali, ex principijs iuris Diuini & Eccleſiaſtici, propriâ experientiâ temperatis. Sed pro ſolo memoriali doctiorum, *R. P. Emanuel Za*, ab experientia 40. annorum, quaſi in Theatro Romano totius orbis Chriſtiani. Qui & paucis ac breuibus ſententijs extricat pœnitentes ac Confeſſarios varijs tricis. Vt verbo *Abſolutio.* Quiuis Cõfeſſarius poteſt quoſlibet à quibuſuis caſibus & cẽſuris abſoluere, in probabili vitæ periculo. Poteſt abſoluere alienũ, ex probabili cõſenſu ſui Superioris. Abſolui poteſt ſub firmo propoſito non peccandi, qui ex probabili cauſa non vult omittere peccandi occaſionem. Quilibet Confeſſarius poteſt abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ, vbi non eſt recepta. Verbo *Confeſſio.* Idiotæ bona fide confeſſi non ſunt poſtea de præteritis examinandi, & inquietandi : nec tenentur reconfiteri, niſi certò

ſciant

Digitized by Google

ſciant ſe nunquam fuiſſe illud confeſſos. Verbo, *Confeſſor*. Fauet Priuilegiatis ſemel approbatis, ad ſemper, & vbique, &c. Confeſſarius dubitans de ſua capacitate, excuſatur mandato Superioris. Verbo *Excommunicatio*. Excuſat eos qui inculpabiliter ignorant ius aut factum. *Excommunicationes,* inquit, *vulgo ignotæ, at ideo non receptæ, non ligant. Geſta per toleratum, ſeu errore populi pro legitimo habitum, ſunt valida. Qui non poteſt adire Papam nec Epiſcopum, poteſt abſolui à ſuo Parocho, vel quouis Confeſſario. Qui dubitat, non debet putare ſe eſſe irregularem: quia melior eſt conditio poſſidentis.* Et pleraque vt nos ſupra, paucis exceptis. Vt verbo Abſolutio. *Ego,* inquit, *puto abſentem poſſe abſolui cùm cauſa ſubeſt: vt ſi abſoluiſti quem non poteras, acceptâ poſtea abſoluendi poteſtate, ſi commodè non potes vocare ad te, poſſis abſentem abſoluere etiam à peccatis.* Contra q. noſtram 3. ſupra. Verbo Confeſſor. *Licet negare ſuffragium ei quem ex confeſſione ſcis non eſſe idoneum, imò & eius electioni reſiſtere, modo abſit periculum proditæ confeſſionis.* Quis enim liberè confiteretur ei, qui poſſet ad hoc vti ſua cõfeſſione? Ideo hæc, non illa, in editione poſteriori correcta ſunt. Sed ſi tantus, tamque expertus Author potuit in quibuſdam huius etiam praxis errare, & corrigi: non poteſt valor & fructus huius Sacramenti pendere à certa horum omnium ſcientia, ſed tantùm ab opinione probabili, imò à ſolis eſſentialibus, & certis Iure Diuino, cui Eccleſia ſubſeruit. Hinc Confeſſarius peritus vix vnquam verè pœnitentem, & bona fide confitentem aliò remittet, ſub periculo non eundi: ſed ſacramentaliter abſoluet, ſub obligatione neceſſaria.

8. Ne vlcera aut vulnera aliena blandiùs palpando, nimiùm titillent, foueant, & putrefaciant: nec præmaturè, vel acriùs premendo, pungendo, incidendo exaſperent; ſed ex vlceribus immaturis ſaniem vnguentis eliciant, imò exugant; & exemplo Samaritani, vino acidulo & oleo ſuaui vulnera pungant & liniant.

9. Ne vt Coprophori, vel ſues, fæces humanas affectent, & hoc quaſi paſtu vel volutabro delectentur: nec tamen vt Diues Epulo pauperem Lazarum exulceratum faſtidiant, nec vt Pharizæus arrogans humilem Publicanum deſpiciant, nec vt Leuita viatorem vulneratum & ſemiuiuũ ſine cura prætereant, nec vt principes illi Sacerdotum ipſum Iudam pſeudopœnitentem, & pſeudoconfitentem, verbis aſperis, *Quid ad nos, tu videris,* in deſperationem præcipitent; ſed vt canes illi Euangelici Lazari vulnera lingentes, ex *Aug. col.* 732. vt conſcientiarum parturientium quaſi obſtetrices, ex *Aug. Epiſt.* 80. vt mercenarij pij noſtri Samaritani, *Luc.* 10. vel medici huius velut magni Xenodochij, hanc ſuam operam libenter omnibus impendant, imò & ipſi Iudæ laqueum deſperationis præcindant. Recolant vel conſulant Epiſtolam *S. Dion. ad Demophilum*, contra eius crudelitatem in peccatorem pœnitentem, & ad pedes Sacerdotis prolapſum: ex viſione cuiuſdam *Carpi*, viri magnæ perfectionis, ſed in peccatores ſeuerioris, cui Chriſtus apparens exprobrauit, quòd eos pro quibus tanta paſſus, & adhuc libenter paſſurus eſſet, proprio pondere in abyſſum præcipites, ac vndique præcipitatos, non curaret.

10. Ex illo Chriſti, *Luc.* 4. Medice cura teipſum, &c. Vt qui morbis contagioſis exponuntur, varijs præſeruatiuis & curatiuis muniuntur, ne quos inficiant aut inficiantur: ſic & Confeſſarij huic Miniſterio à Deo & Eccleſia expoſiti, non tantùm cura propria muniendi, ſed & ſingulari Dei gratiâ ac protectione, & Eccleſiæ vigilantia muniti ſunt. Si enim clientes S. Eligij Bethuniæ, ſub eius patrocinio ſecurè contagioſos viſitant ac ſepeliunt, niſi ſeipſos aliqua cupiditate ac vſurpatione temporalium priùs animo quàm corpore inficiant: quantò potiùs Confeſſarij, virtute huius Sacramenti ab omni contagione peccatorum verè vel fictè pœnitentium præſeruantur, niſi priùs ſiniſtrâ intentione, curioſitate, temporalium cupiditate, affectu & reſpectu humano ex ſeipſis virientur? Vt Giezi 4. *Reg.* 5. Nec veræ pœnitentiæ aut pœnitentium afflatus, ex ſe poteſt eſſe contagioſus: nec curatio aliena, ipſi curanti noxia, ſed potiùs ſalutaris ad concipiendum eundem ſpiritum pœnitentiæ, & humilitatis; vt qui ſtat videat ne cadat, 1. *Cor.* 10. vel erigendo lapſum, ſimul etiam à lapſu reſurgat.

## QVÆSTIO 10. SCHOLASTICA.

### *De obiecto ſeu materia, effectu ſeu fructu, & fine huius Sacramenti.*

De quibus in communi, ex *Al. S. Bon. & Scot.* *q.* 10. *De Sacramentis in genere*: hic autem ſpecialiter *Al. q.* 57. De effectu pœnitentiæ, quoad remiſſionem culpæ, & pœnæ, ac reſtitutionem æqualis aut maioris gratiæ, & reuiuiſcentiam bonorum operum. *q.* 58. De gratia pœnitentiæ, eiuſque neceſſitate, ac efficacia delendi peccata. *Quæſt.* 65. De varijs peccatis vt obiectis pœnitendi, eorumque grauitate, aut leuitate, & remiſſione. *Quæſt.* 69. De peccatis vt obiectis contritionis. *Quæſt.* 70. De iuſtificatione impij à culpa & pœna, per contritionem vel attritionem. *Quæſt.* 71. De purgatione à reliquijs peccati. *Quæſt.* 72. De neceſſarijs ad iuſtificationem. *m.* 2. *ad* 1. *Non eſt ſimile cum Sacramento Baptiſmi: quod poteſt recipi Sacramentaliter & non Spiritualiter. Aliqui tamen ponebant, quòd fictè pœnitentes accipiant Sacramentum Pœnitentiæ Sacramentaliter: verè pœnitentes ſpiritualiter. Quod ego non video.*] Quaſi contra noſtram coniecturam *Col.* 768. De quo infra. *Quæſt.* 73. De ordine illorum neceſſariorum inter ſe.

*S. Bon. col.* 693. 694. De fructu Pœnitentiæ virtutis. *Col.* 695. 696. 698. De Pœnitentia & Confeſſione mortalium ac venialium, quoad illorum ſpecies, numerum, & circumſtantias.

*Scotus in Diſt.* 14. De reatu culpæ aut pœnæ poſt actum. *Diſt.* 16. De remiſſione culpæ & infuſione gratiæ. *Diſt.* 20. De valore, ſed difficultate pœnitendi in extremis. *Diſt.* 21. *q.* 1. De remiſſione, aut ſolutione culpæ poſt hanc vitam. *Diſt.* 22. De damno recidiuandi, & fructu reſurgendi à peccatis.

Hinc ſuperſunt aliquot difficultates. 1. De diſtinctione inter reatum culpæ, & pœnæ. 2. De obiecto: An quæuis culpa & pœna ſit obiectum ſeu materia circa quam huius Sacramenti; vel ſola culpa actualis & eius pœna, necdum remiſſa, vel in infinitum remiſſibilis. 3. An ſingulæ culpæ ſint materia neceſſaria, vel nõ. 4. De effectu ſeu fructu: An ſit ſemper actualis, vel tantùm aliquando vir-

tualis;

Digitized by Google

tualis, ſeu An hoc Sacramentum Confeſſionis & Abſolutionis ſit aliquando validum ſed informe, ſine ſuo effectu præſenti ſed futuro, ſuppleto defectu aliquo Attritionis, Confeſſionis, vel Satiſfactionis. 3. De fine proprio, primæ Iuſtificationis, Reconciliationis, vel Perfectionis præſentis aut finalis. Quorum omnium hæc ſit

## *Reſponſio & Conciliatio.*

POſt actum peccati, culpa ad remiſſionem vſque permanens, differt à reatu, ſeu obligatione ad pœnam, vt ſupra *Col.* 704. 705. Ex Cenſura *Py* 5. *& Greg.* 13. in hanc prop. 54 Baij: *Tranſeunte actu, nihil manet niſi reatus, ſeu obligatio ad pœnam, Col.* 749. Porro obiectum ſeu materia obiectiua, ſed oppoſita huius Sacram. eſt omne & ſolũ peccatum actuale poſt Baptiſmũ, quoad culpam & pœnam, quantumuis remiſſam: mortale quidem, eſt materia neceſſaria, in re vel voto, ſeu neceſſariò confitenda & abſoluenda, ad eius remiſſionem; veniale autem, eſt materia ſufficiens, non neceſſariò confitenda, niſi deſit alia; ſed vtrumque ex ſe eſt tantùm materia remota, vt contritum autem, vel attritum & confeſſum, materia proxima, ſeu proximè diſpoſita ad abſolutionem & remiſſionem.

Singula mortalia ſunt neceſſariò conterenda, vel atterenda, ſub communi vel particulari motiuo, & in re vel voto confitenda, ad eorum abſolutionem & remiſſionem actualem: non ſingula venialia, ſed ſaltem aliqua. Quia illa poſſent ſeorſim atteri ob propria motiua particularia, ex Scoto *Diſt.* 4. *q.* 5. *ſupra Col.* 106. 111. non tamen ſeorſim abſolui & remitti: hæc autem etſi poſſent ſeorſim, fortè etiam ſine attritione remitti, non tamen ſacramentaliter.

Non eſt ita certum hoc Sacramentum non poſſe eſſe informe, ſeu validum ſine ſuo effectu, defectu Attritionis, integræ Confeſſionis, ſeu diſpoſitionis ſufficientis ac præſentis: quin ſit probabile, & ſperari poſſit, aliquando valere ſubſtantialiter ad effectum futurum, ſuppleto defectu illius diſpoſitionis. 1. Quia ſic docetur de Baptiſmo, ex *B. Aug. lib.* 1. *&* 3. *De Baptiſmo, vt ſupra col.* 109. non tantùm ex vi characteris, nec tantùm ex neceſſitate & irreiterabilitate Baptiſmi, cùm poſſet ſuppleri contritione; ſed ex magna eius efficacia, ac vtilitate, quæ eſt etiam huius Sacramenti. 2. Quia ex Scoto ſupra *Col.* 147. 148. hoc Sacramentum conſiſtit formaliter ac eſſentialiter in ſola abſolutione; ergo poteſt valere in acceptatione Diuina, ſine præſenti diſpoſitione ſubiecti, ad ſuum effectum futurum, ſuppleta diſpoſitione. 3. Quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum ad conſolationem & ſecuritatem conſcientiarum: ergo non tam dependet à tot tamque incertis diſpoſitionibus actualibus ſubiecti, quin poſſit valere in futurum, ſuppletis diſpoſitionibus. 4. Pœnitentes nunquam ſunt ſatis certi moraliter de ſua attritione ſupernaturali aut ſufficienti, nec de integritate etiam formali ſuæ Confeſſionis, ante abſolutionem: ergo abſolutio Sacramentalis ſuâ certitudine ſupplet moraliter illam incertitudinem, per valorem ad ſuum effectum, ſuppleta diſpoſitione neceſſaria. 5. Quia Sacramenta ſunt efficacia ex opere operato: ergo non ſolùm ex diſpoſitione actuali ac præſenti ſubiecti. 6. Sunt efficacia pro futuro, ad proprias gratias actuales: ergo & poſſunt eſſe ad gratiam habitualem, ſuppletâ diſpoſitione. 7. Abſolutio Sacramentalis valet ſuper diſpoſitione diu præterita: cur non poſſit etiam valere ſuper futura? 8. Eſt valdè ſalubre poſt abſolutionem perfectiùs dolere de peccatis confeſſis, abſolutis, & oblitis, ac ignotis: ergo hæc pœnitentia poſt abſolutionem poteſt ſupplere defectum ante, eoque ſuppleto abſolutio præterita poteſt prodeſſe. 9. Ita *S. Thom. q.* 92. *art.* 2. *&* 3. *Syln. Caiet. Canus. Soto, &c.*

Finis proprius huius Sacramenti eſt abſolutio, iuſtificatio, & reconciliatio relapſorum poſt Baptiſmum, cum Deo & Eccleſia: non tantùm prima, ſeu inchoata à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ; ſed etiam perfectiua ab omni reatu culpæ & pœnæ etiam venialis, & ab omni defectu inde contracto. 1. Quia hic eſt finis pœnitentiæ & ſatisfactionis: ergo maximè Sacramentalis. 2. Quia eſt ad recuperandam perfectionem & finem Baptiſmalem: ex *Trid. ſupra Col.* 11. 12. & ex SS. PP. 3. Quia quæuis peccata venialia ſunt etiam materia huius Sacramenti: ergo finis eius eſt illa perfectio. 4. Quia materia eius ſunt quæuis peccata, quantumuis remiſſa: ergo ad illam perfectionem, ſeu ad ſupplendum, & compenſandum omnem defectum, & indignationem peccando contractam. 5. Ex praxi, & frequentatione huius Sacramenti, non tantùm inter imperfectos, ſed etiam perfectiſſimos huius viæ ac vitæ. Vide quæ de fine Sacramentorum *col.* 119. 120. 211. 212. 239. *& à col.* 543.

*OBIECTIO 1.*

Scotus ſupra *col.* 704. negat poſt actum peccati ſupereſſe vllam culpam, ſed ſolùm reatum, ſeu obligationem ad pœnam. *Reſp.* vt *col.* 704. 705. Scotum non negare culpam poſt actum, vt quid morale, ſed vt reale abſolutum vel relatiuum: nec confundere culpam cum obligatione ad pœnam; ſed ſæpè diſtinguere inter hanc & illam, & inter huius ac illius remiſſionem, vt *col.* 723. *& alibi.* Imò & hîc *diſt.* 14. *q.* 1. diſtinguendo eandem ordinationem ad pœnam, vt formaliter eſt macula, formaliter reatus, & formaliter offenſa. Poteſt tamen dici reatus culpæ, & pœnæ, tranſitiuè & intrãſitiuè.

*OBIECTIO 2.*

Ex Scoto *diſt.* 21. *q.* 1. *col.* 723. *S. Bon. d.* 16. *col.* 696. Peccata venialia remittuntur ſine pœnitentia ſaltem formali, & ſine gratia ſanctificante: contra *Al. q.* 66. *m.* 3. *q.* 69. *m.* 5. ergo non ſunt materia huius Sacramenti, quod non poteſt eſſe ſine pœnitentia & gratia. *Reſp.* Ex Scoto *col.* 723. *Si iſte modus non placet, quia Sancti diſtinguunt inter pœnam & culpam, poteſt dici quod peccatum veniale remitti poteſt in hac vita per actum Deo magis acceptum, quàm veniale diſplicet.* Ex *Al. q.* 65. *m.* 3. *art.* 4. §. 1. Venialia poſſunt remitti ſine gratia: quia omne peccatum diſplicet Deo, ideoque nullum poteſt deleri niſi per actum complacentiæ, ſeu amicitiæ Dei. §. 2. Quidam dicunt poſſe deleri libero arbitrio non repugnante gratiæ, & aliquo Sacramento, vel Sacramentali adiuuante, &c. Quod ad præſens non video quomodo lib. arb. poſſit conſentire gratiæ delenti peccatum, niſi diſſentiat



Digitized by Google

ipſi in particulari vel generali, *actu vel habitu*.i. vel virtualiter, prout ſolet diſtinguere conſenſum & voluntatem actualem ab habituali. Ex *S. Bon.diſt.* 16. *a.* 3. *q.* 1.*col.*696. Veniale poteſt fieri mortale per magnam libidinem. *q.* 2. De venialibus ex ſubreptione non eſt neceſſariò pœnitendum, niſi de congruo: ſed de alijs, quando quis aduertit periculum. *d.*21. *art.* 1. *q.* 2. *col.*701. *Si lib. arb.gratiæ non repugnet, volendo perſiſtere in culpa: gratia Sacramenti, vel virtus rei ſacramentalis culpam venialem delet, &c.* Quæ cōciliantur cum *Al.col.*701. 702. & facilè cum Scoto ſupra; quia S. Bon exemplificat ſuum modum remittendi venialia, per varios actus Deo gratiores, quàm diſpliceant venialia. Sed hæc remiſſio venialium non eſt Sacramentalis, niſi per aliquam attritionem & confeſſionem ipſorum venialium: ideoque ſunt materia libera huius Sacramenti; quia poſſunt per hoc, vel per alia media remitti.

OBIECTIO 3.

Ex *B. Aug. Epiſt.* 48. Nemò poteſt tranſire á quocumque peccato; ſiue magno, ſiue paruo, ſine pœnitentia. *Lib. de corrept. & grat. c.*6. Corripiatur origo damnabilis: vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. *Hom.* 27. *c.* 2. Dimitte nobis debita noſtra, &c. Quæ dimiſit in Baptiſmo, iterum vt dimittat oramus. Ergo peccata actualia ante Baptiſmum, imò & ipſum originale eſt materia pœnitentiæ poſt Baptiſmum, & conſequenter huius Sacramenti. *Reſp. neg. conſeq.* Quia *Epiſt.* 48. loquitur de peccatis magnis & paruis comparatiuè: qualia ſunt ſola actualia, non originalia quæ ſunt omnia æqualia. *Lib. de corrept. & grat.* Monet dolendum quidem eſſe de origine damnabili: non tamen propriè dolore pœnitentiali huius Sacramenti, ordinato ad Confeſſionem & abſolutionem peccati orig. quaſi actus proprij. *Hom.* 27. *cap.* 2. Nec loquitur de pœnitentia Sacramentali, nec de remiſſione eorundem numero quæ per Baptiſmum remiſſa ſunt; ſed ſimilium recidiuorum, vel prauorum motuum ex concupiſcētia orig. remiſsâ quidem per Baptiſmum quoad omnem reatum, ſed non quoad conſenſum ſequentem, & motus voluntarios.

OBIECTIO 4.

Venialia remittuntur per Attritionem ante Sacramentum: ergo non ſunt materia ipſius Sacramenti. *Reſp. neg. conſeq.* 1. Quia non remittuntur niſi per attritionem gratiorem, quàm ſit peccatum diſplicens. 2. Quia poſſunt aliqua remitti per Sacramentum, quæ non fuerunt remiſſa per attritionem particularem. 3. Quia remiſsâ culpâ, poſſunt remitti quoad pœnam, & quoad quandam indignitatem, per maiorem gratiam.

OBIECTIO 5.

Deus remittit peccata integrè, ſaltem quoad culpam: ergo ſemel remiſſa, non ſunt amplius materia huius Sacramenti; quia nec ſunt vlterius remiſſibilia quoad culpam, nec poſſunt remitti quoad totam pœnam, ſine aliqua ſatisfactione. *Reſp.* Deus remittit integrè quoad omnem inimicitiam: ſed non quoad omnem indignitatem ſubiecti, & dignitatem ac perfectionem gratiæ, ſeu amicitiæ. Poteſtque eadem materia remota peccati reſumi in materiam proximam, ſeu dolorem & confeſſionem de peccatis præteritis & remiſſis: ſine quó non poſſunt vlteriùs remitti, per abſolutionem quoad culpam aut pœnam.

OBIECTIO 6.

*Flor. & Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 6. docent Contritionem eſſe partem huius Sacramenti: non niſi autem diſpoſitionem adultorum ad Baptiſmum; ergo Baptiſmus poteſt eſſe informis, ſeu integer ac validus, ſed inefficax actu, ſine illa diſpoſitione, non ſic autem hoc Sacramentum ſine ſuis partibus. *Reſp.* Ex *col.* 747. 748. Non eſſe, nec dici partes componentes, ſed diſpoſitiones partiales neceſſarias ad perfectam remiſſionem peccatorum. Nec *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 6. agit tantùm de pœnitentia antebaptiſmali; ſed de qualibet, vt diſponente ad iuſtificationem impij, quamuis eam exemplificet in antèbaptiſmali. Et *ſeſſ.* 14. ſæpè vocat etiam pœnitentiam huius Sacramenti, diſpoſitionem. Vt *cap.* 4. *Attritio*, inquit, *diſponit ad gratiam Dei in hoc Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.*

OBIECTIO 7.

Attritio, Contritio, & Satisfactio non ita diſtinguuntur & ordinantur inter ſe, quin vna poſſit eſſe ante aliam, vel cum alia. Nam Confeſſarij non ſolent monere ad dolendum de peccatis ante Confeſſionem, ſed poſt: ergo non ſunt tam diſpoſitiones ordinatæ, quàm partes materiales promiſcuæ. *Reſp.* Non eſſe veram Confeſſionem, niſi ex aliquo dolore ſaltem natura priore, de peccatis. Sed Confeſſarij poſt confeſſionem excitant dolorem proportionatum peccatis confeſſis, in ſupplementum defectus fortè latentis: eiuſque ſignum aliquod exigunt, quod ſit etiam quædam quaſi reconfeſſio præconfeſſorum. Imò hinc patet hunc ordinem non eſſe ita eſſentialem, quin poſſit dolor poſterior referri ad Confeſſionem, & Abſolutionem priorem.

OBIECTIO 8.

Non videtur finis huius Sacramenti differre ab ipſo effectu. Nam ex *Flor. col.* 3. *Effectus huius Sacramenti eſt abſolutio à peccatis. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *Res & effectus huius Sacramenti eſt reconciliatio cum Deo. Reſp.* Ex *col.* 115. 120. & aliunde, Effectum etiam proprium & proximum huius Sacramenti poſſe dici gratiam iuſtificantem à peccato actuali poſt Baptiſmum: ſed finem proximum poſſe dici ipſum effectum formalem illius gratiæ, eiuſque profectum ac perfectionem. Sic enim ſæpè coincidit effectus formalis cum fine proximo.

OBIECTIO. 9.

*Al. q.* 72. *m.* 2. *col.* 650. expreſsè negat verum Sacramentum pœnitentiæ poſſe fictè recipi, vt Sacramentum Baptiſmi. *Reſp.* 1. Non tam negat poſſe, quàm ſe id videre. 2. Negat æqualitatem cum Baptiſmo. 3. Fortè pœnitentes ſeu voluntariè fingentes, non autem ſperantes ſe pœnitere, recipere verum Sacramentum. Nam *q.* 77. *m.* 5. *a.* 7. *col.* 659. diſtinguit inter veram abſolutionem habitualem, ſeu virtualem, & actualem: & inter confeſſum bona vel mala fide, ex vera vel falſa attritione.

De Officio Confeſſarij, conſulatur etiam *S. Bon.* in ſuo Confeſſionali, *Tom.* 6. *Opuſc.*

DE

# DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

EX *S. Bon. in diſt. 23. Mag. dub.* 1. De ordine huius Sacramenti ante ſacram Ordinationem & Matrimonium: quia hoc eſt quintum ex eis quæ ſunt propter perſonas ſingulares; ſed ſacri Ordines ſunt ad perfectionem ſpiritualem totius Eccleſiæ, Matrimonium ad conſeruationem & multiplicationem corporalem. Refert ſe etiam hîc ad aliam rationem huius Ordinis *in diſt. 2. dub.* 1. quia hoc eſt quintum Sacramentum inter communia ad omnes ſtatus: ſed ſacer Ordo eſt proprius ſoli ſtatui Clericali, Matrimonium ſoli Coniugali.

*ARTICVLVS. 1. De inſtitutione huius Sacramenti?*

*Quæſt.* 1. An ſit principaliter contra peccatum veniale? *Reſp.* Fuit opinio quòd ſit principaliter contra reliquias, ſeu pœnas peccati originalis, & actualis: & conſequenter ad ſanandum morbum corporalem. Sed contra *Iac.* 5. Si in peccatis fuerit, remittentur ei, &c. Notandum quòd veniale in ſtatu viæ, eſt quaſi incurabile, &c. Sed in ſtatu egrediendi, ſic eſt curabile, &c. Hinc Sacramentum hoc eſt principaliter ad curationem & alleuiationem infirmitatis ſpiritualis .i. peccati venialis: per accidens, ad alleuiationem & curationem infirmitatis corporalis, ſicque ad vigorandam animam quæ regit corpus.

*QVÆST.* 2. *An fuerit à Chriſto inſtitutum?*

*Reſp.* Aliqui dicere voluerunt omnia Sacramenta fuiſſe inſtituta à Chriſto, &c. Si autem Apoſtoli dicuntur aliqua inſtituiſſe, hoc eſt quia promulgauerunt: vt *S. Iac.* ſacram Confeſſionem, & Vnctionem. Sed quomodo probabile eſt quòd omnes Euangeliſtæ tam nobilia Sacramenta ſub ſilentio pertranſiſſent, ſi Chriſtus inſtituiſſet? Et ideo probabiliùs alij dicunt, & Magiſt. hîc apertè, quòd Spiritus S. per Apoſtolos hoc Sacramentum inſtituit, vt *diſt.* 8. *De Confirmatione.* Quia Spiritus S. eſt Doctor præcipuus, vt & Chriſtus. Et quia Apoſtoli Spiritu S. dictante mutarunt ad tempus formam Baptiſmi à Chriſto inſtitutam: quanto magis quòd Chriſtus inſinuauit, inſtituere potuerunt? Concedendæ igitur ſunt rationes probantes Spiritum S. per Apoſtolos hoc Sacram. inſtituiſſe.

*Ad* 1. *Arg.* Vt Spiritus S. ſuppleuit quod Chriſtus dimiſerat in doctrina, *Ioan.* 16. ſic & de inſtitutione, &c. Nec ſunt duo Legiſlatores, Chriſtus & Spiritus S. *Ad* 2. Non attribuimus inſtitutionem Sacramentorum, niſi Deo: vel per Filium, vel per Spiritum. S. Nec credendum eſt quenquam Apoſtolorum hoc per ſe inſtituiſſe, ſed totum Collegium: ſed Iacobus promulgauit *Iac.* 5. vt ſententiã de obſeruantia legaliũ, *Act.* 15. *Ad* 3. Deus operatur principaliter, & Sacerdos vt Miniſter: ſic inſtitutio Sacramentorum reſpicit Deum vt Authorem, & Apoſtolos vt Miniſtros in promulgando. *Ad* 4. Apoſtoli vngebant oleo, *Mar.* 6. non ex inſtitutione huius Sacramenti, ſed principaliter ad ſanitatem corporalem, inſinuando tamen futurum Sacramentum.

*QVÆST.* 3. *An eius materia ſit oleum conſecratum ab Epiſcopo?* *Reſp.* Aliqui dicere voluerunt quòd materia eſt oleum, conſecratio Epiſcopalis faciat eſſe Sacramentum, vnctio ſit Sacramenti vſus. Sed quia id repugnat denominationi Sacramenti, & communi opinioni: ideo vt aqua in Baptiſmo eſt elementum, ſic in Confirmatione Chriſma, & in hac vnctione oleum conſecratum ab Epiſcopo. 1. Ex inſtitutione à Spiritu S. per Apoſtolos. 2. Ex fine curationis ſpiritualis & corporalis.

*QVÆST.* 4. *An forma verbalis ſit de eius eſſentia?*

*Reſp.* Aliqui voluerunt dicere quòd nonniſi de benè eſſe, &c. Sed hoc non eſt ſecurum dicere, nec ſecundùm *Iac.* 5. Oratio fidei, &c. i. non ipſius inungentis, ſed Eccleſiæ, &c. Nota forma verbi quæ exprimit actum & intentionem per modum indicatiuum, non eſt hîc de neceſſitate: ſed forma deprecatiua, non in verbo vniformi, ſed in ſenſu. Ratio principalis eſt inſtitutio, ob congruitates.

*ART.* 2. *De diſpenſatione huis Sacramenti.*

*QVÆST.* 1. *An à ſolo Epiſcopo?* *Reſp.* Ex officio, à Sacerdotibus, qui habent manus conſecratas: non à ſolis Epiſcopis, qui nec ſoli orant ac offerunt pro populo, nec poſſent omnibus periclitantibus mederi; ideo diſpoſuit Spiritus S. vt hoc vnguentum non ſolum ſit in Capite, vel barba Aaron, ſed ad oram veſtimenti, ſeu inferiores Sacerdotes.

*QVÆST.* 2. *An ſit ſolùm pro infirmis?* *Reſp.* Quòd ſic, ex *Iac.* 5. *Infirmatur quis, &c.* i. grauiter: *Concedendæ igitur ſunt rationes monſtrantes hoc Sacramentum dari debere ſolis infirmis, ratione vententibus, & in periculo mortis.*

*Ad* 2. Qui ſunt in periculo mortis per bellum iuſtum, aut ſententiam, non ſunt capaces huius Sacramenti, quia non infirmantur naturâ. *Ad* 4. *Quis,* non infinitè, ſeu quiuis, ſed diſcretiuè.

*QVÆST.* 3. *An totum corpus debeat inungi?*

*Reſp.* Finis imponit neceſſitatem his quæ ſunt ad finem. Quia ergo hoc Sacram. principaliter ordinatur ad venialium deletionem: quæ fiunt per vnionem animæ ad carnem corruptam, & per potentias ſenſitiuas, nutritiuam, generatiuam, progreſſiuam, ideo ſeptem partes ſeu organa inunguntur. *Sic patet quod nec totum corpus debet inungi, nec vna pars determinata.* *Ad* 3. Illæ partes non inunguntur niſi prout concurrunt in vnum, ideo vnum eſt Sacramentum. *Ad* 4. Etiam illis membris mutilati, ſenſibus priuati, debent inungi, &c. quia talibus peccauerunt aut peccare voluerunt, ſaltem appetitu veniali. Genitalia non inunguntur ob inhoneſtatem, &c.

*QVÆST.* 4. *An hoc Sacram. iterari poſſit?*

*Reſp.* Poteſt, & debet iterari. Quia nec imprimit Characterem: & potiùs quia non habet effectum perpetuum. Nam nec panis ſemel conſecratus, nec oleum ſemel conſecratum poteſt amplius conſecrari: non ob impreſſum Characterem, ſed ob effectum perpetuum. *Ad* 1. *Arg.* Fit iniuria Sacramento quando fruſtra iteratur. *Ad* 2. Confirmatio non iteratur: quia habet effectum Characteris

racteris perpetuum. *Ad* 3. Dicitur Vnctio extrema, ſecundùm noſtram opinionem. *Ad* 4. Vno Sacerdote deficiente poſt vnctionem inchoatam, potiùs ab alio ſupplendum eſt, quàm inchoandum: quia quælibet vnctio habet ſuam formam. *Ad vlt.* Si infirmus vnctus non moriatur, ſed curetur ab intenſione morbi; & iterum aggrauetur, poteſt & debet vnctio iterari: quia venialia redire poſſunt.

## Ex Scoto in Diſt. 23.

### QVÆSTIO VNICA.

*An hoc ſit Sacramentum nouæ Legis?*

*Reſp.* 1. Eſt poſſibile Sacramentum nouæ legis efficax remiſſionis finalis venialium: quia Deus poteſt illa finaliter remittere; ergo & inſtituere ſignum efficax huius remiſſionis. Vt & fecit, ex *Iac.* 5.

2. Hoc Sacramentum vocatur, & eſt *Extrema vnctio hominis infirmi, pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote, ſimul certa verba cum intentione debita proferente, ex inſtitutione Diuina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium.* Ponitur 1. *Vnctio*: quia hoc ſignum congruit vnctioni interiori curatiuæ. 2. *Hominis infirmi*: quia nec debet cõferri ſano, nec periclitanti de vita ex aliqua violentia; ſed ex morbo. 3. *Pœnitentis*: hinc excluduntur non habentes vllam materiam pœnitentiæ, & non vtentes ratione, *niſi per voluntatem præcedentem expreſſam præſumantur hoc velle.* 4. Additur, *in determinatis partibus.* Hæ ſunt organa potentiarum per quæ frequenter peccatur venialiter, &c. Ob organum potentiæ generatiuæ fit vnctio ad lumbos, ex *S. Greg. in Luc.* 10. Quia viris luxuria in lumbis eſt. Vnctio oris eſt contra duo genera peccatorum, per guſtum & locutionẽ. Sunt ergo 11. vnctiones partiales, ſed aliquæ geminatæ quaſi vna. 5. In organis 5. ſenſuum; ſexta in organo principali potentiæ motiuæ, ſeptima generatiuæ. 5. *Cum oleo*, non mixto balſamo, vt in Confirm. in qua requiritur oleũ bonæ famæ: in ext. vnct. ſufficit puritas conſcientiæ. 6. *Conſecrato ab Epiſcopo*, i. neceſſariò, vt ſit materia apta. 7. *Miniſtrata à Sacerdote, Iac.* 5. vt ſolo miniſtro valido. 8. *Verba debita, &c.* de forma eiuſque ſimultate cum ſua materia & intentione Miniſtri, vt ſupra de Baptiſmo. Forma autem eſt ſeptuplex ad 7. vnctiones principales: *Per illam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quicquid narium, linguæ, tactus, &c. vitio deliquiſti.*

*Ad* 1. Hoc Sacram. fuit inſtitutum à Chriſto, vt *d.* 2. *q.* 1. ſed S. Iacobus non fuit niſi eius promulgator ſeu præco. *Ad* 2. Hoc Sacram. eſt vnum integritate, non indiuiſibilitate: vt & remiſſio venialium poteſt eſſe partialis, & plenaria omnium, ne quid retardet à beatitudine, &c.

### QVÆSTIO 1. DOGMATICA.

*Quænam ſint de hoc Sacramento credenda?*

*Reſp.* Quæ definiuntur à ſacro *Conc. Flor. & Trid. ſupra, col.* 1. 20. 21. De eius à Chriſto inſtitutione, Materia, Forma, ſaltem quoad ſenſum, Miniſtro, Subiecto, & Effectu.

1. Ex *Marc.* 6. inſinuatiuè: ſed *Iac.* 5. propriè & dogmaticè. Nam, *Infirmatur quis in vobis*, ſupponit inſtitutionem communem & perpetuam alicuius remedij ſalutaris, pro grauiter infirmis. Vt patet 1. ex verbo græco, grauis infirmitatis. 2. Ex voce diſcretiua, *quis*. 3. Ex inducendis ad eum Presbyteris, non autem eo, nec alijs vulneratis, vlceratis, ſurdis, cæcis, &c. ad Presbyteros. 4. Ex hoc quaſi vltimo remedio, *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Vnde etiam patet hoc remedium non eſſe naturale, ſeu medicinale: quia ad hoc potiùs eſſent inducendi medici, nec neceſſariò orandum, nec vtendum eodem oleo ad omnes infirmitates. Patet etiam non eſſe remedium miraculoſum & extraordinarium, ſed ordinarium. 1. Quia determinatur materia, forma, Miniſtri ordinarij, qui non habent donum ordinarium miraculorum, & effectus ordinarius ſpiritualis, qui non ſubeſt ſignis miraculoſis. *Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quæ eſt promiſſio certa & abſoluta proprij effectus ſacramentalis, ſeu gratiæ ſanctificantis, ſine qua non remittuntur peccata.

2 Ex ſacris *Conc. Niceno, Can.* 69. tranſlato ex Arabico. *Cabilonenſi, Can.* 48. *Wormatienſi, Can.* 72. *Meldenſi, Can.* 75. *Aquiſgr.* 2. *Can.* 8. *Mogunt.* ſub *Rabbano. Can.* 28. *Flor.* & *Trid.* ſupra.

3. Ex *SS. PP. Innoc.* 1. *Epiſt.* 1. *Orig. Hom.* 2. *in Leuit. Chryſoſt. l.* 3. *De Sacerd. S. Aug. in Speculo*, ex omnibus libris ſacræ Script. & ex hac ipſa doctrina *Iac.* 5. *Serm.* 215. de tempore. *Quoties aliqua infirmitas ſuperuenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti qui ægrotat, accipiat: & inde corpuſculum ſuũ vngat, vt impleatur, Iac.* 5. Infirmatur aliquis, &c. *Lib. de viſit. infirm. in append. ad Tom.* 9. *S. Aug. cap.* 4. Nec prætermittendum eſt illud *Iac.* 5. *&c.*

4. Ex Traditione & praxi huius extremæ vnctionis ſacramentalis. Quæ patet ex antiquis Ritualibus, & Canonibus: vt *Innoc.* 3. *cap. Cùm veniſſet*, de ſacra vnctione. *Alcuino, De Diuinis Officijs, cap. De infirmis, &c.*

5. Exemplis etiam miraculoſis *SS.* vt *S.* Malachiæ, apud S. Bernard. in eius vita: & aliorum apud Surium *Tom.* 2. Denique, teſtimonijs ipſorum Græcorum, quamuis Schiſmaticorum.

5. Ex neceſſitate ſpeciali in extremis: & prouidentia Chriſti de neceſſarijs in noua lege.

### OBIECTIONES HÆRETICORVM.

*Waldenſium, Albigenſium, Wicleffi, Luther. & Calu. contra hanc ſacram Vnctionem, vt tantùm Cæremonialem, exoletam, vel etiam ſuperſtitioſam.*

1. Quaſi à deſperatis, quòd Epiſtola S. Iacobi non ſit Canonica. *Reſp.* Eſſe Canonicam: ex *S. Clem. Can vlt. Apoſt. Innoc.* 1. *Epiſt.* 3. *Gelaſ.* 1. *Conc. Carthag.* 3. *B. Aug.* 2. *Doct. Chriſt.* 8. & ſupra in *Speculo & Serm.* 215. Nec *S. Hier. Euſeb.* aut vllum id negare, ſed referre aliam quorundam opinionem: ipſum autem *S. Hier. Epiſt ad Paulinum*, hanc Epiſt. approbare.

2. *S.* Iacobus non potuit inſtituere Sacramentum. *Reſp.* Non inſtituit; ſed docet & monet, &c.

3. Vnctio, *Iac.* 5. non eſt alia quàm *Marc.* 6. ad ſanitatem corporalem, eaque miraculoſa, & tantùm primitiuæ Eccleſiæ, ad conuerſionem Infidelium. *Reſp. neg.* totum aſſumptum: vt patet ex textu ſupra; eiuſque collatione cum *Marc.* 6. Ibi

enim

Digitized by Google

enim *Diſcipuli exeuntes prædicabant, dæmonia ejiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant*: hic autem, *Infirmatur quis in vobis, &c.*

4. *S. Iac.* 5. monet vngendos eſſe oleo quoſlibet infirmos, per Presbyteros ſeu Seniores: ergo non de vnctione quaſi extrema & ſacramentali, nec oleo conſecrato ab Epiſcopo, nec ſecundùm has aut illas partes. *Reſp. S. Iac.* monere infirmos ad aliquid certi: vt inducant Presbyteros; non ſinguli plures in incertum, nec ſeniores incertæ ætatis, ſed ſinguli ſuum certum Presbyterum ſeu Sacerdotem, cuius ſit cura ſalutis, & orandi ac Sacra miniſtrandi, & cuius ſit ſcire ſuum officium, ſeu quo oleo, & vbi infirmi inungendi ſint, ex traditione & praxi ordinaria ac continua.

5. *S. Iac.* 5. tribuit effectum ſoli orationi fidei: ergo non ſacramentaliter, quaſi toti Sacramento, ſed impetratoriè & miraculosè. *Reſp. Vngentes*, inquit, *oleo in nomine Domini* .i. vel oleo benedicto in nomine Domini, vel in verbo & virtute Dei: vt *Matt.* 28. de Baptizando in nomine Patris, &c. *Et oratio fidei, &c.*.i. hæc forma orandi, vt eſt inſtituta & credita, ſeu obiectum fidei: non autem vt tantùm impetratoria, vel ex aliqua ſpeciali fide aut gratia Miniſtri. *Saluabit, &c.* non ſine, ſed cum vnctione, &c. Vt tota *q.* 3. *De Sacramentis in genere*, & *q.* 4. *De Baptiſmo.* Hinc tamen hæc forma eſt modi deprecatiui, ſed virtutis abſolutæ, ac Sacramentalis, ex opere operato.

6. *S. Iac.* tribuit huic vnctioni abſolutè, ſanitatem corporalem: nonniſi conditionatè, ſpiritualem; ergo non vt Sacramento. *Reſp.* Promitti abſolutè ſaluationem & alleuiationem infirmi, quæ eſt communis animæ & corpori, ac propriæ perſonæ: per gratiam gratificantem animam, & gratis datam corpori; ſed remiſſionem actualem peccatorum non niſi conditionatè, ſi quæ ſuperſint remittenda poſt alia Sacramenta.

7. *S. Iren. l.* 1. *c.* 11. refert & improbat ritum hæreticorum Valentinianorum, vngendi ſuos moribundos. *Reſp.* Ex *Epiph. hæreſi* 36. non fuiſſe hunc noſtrum ritum, ſed alium ſuperſtitioſum, vngendi etiam defunctos, aqua & oleo, ſub exoticis verbis hæbraicis, in ſupplementum Baptiſmi.

8. *Innoc.* 1. aut *Fœlix* 4. inſtituit hanc vnctionem: ergo non eſt Sacramentalis. *Reſp.* Innoc. 1. annis centum ante Fœlicem 4. *Epiſt.* 1. *c.* 8. vt refert etiam Sigibertus in Chronico, docere ex *S. Iac.* hanc ſacram vnctionem eſſe Sacramentum, reſpondendo ad hanc quæſtionem ſibi propoſitam: ergo non inſtituit, ſed ſuppoſuit, nec retulit ad aliam inſtitutionem quàm Chriſti, ex teſtimonio *Iac.* 5.

9. Inuncti, vel non conualeſcunt corpore, vel non animo: ſed vel moriuntur, vel ſæpè peiores fiunt quàm ante; ergo hæc vnctio non habet vllum effectum Sacramentalem. *Reſp.* Ex vi huius Sacramenti, non conualeſcunt corpore, ſed animo: niſi illud ſit eis ſalutare, iudicio Dei, non noſtro. Quòd ſi conualeſcendo peiores fiant: vel conualuerunt tantùm naturaliter, vel erant adhuc peiores quàm fiant, vel tandem meliores moriuntur, vel liberè reſiſtunt, & demerentur vim & fructum huius Sacramenti.

10. *Innoc.* 1. *Epiſt.* 1. *c.* 8. docet non ſolos Sacerdotes, ſed etiam Laicos poſſe vti ſacra vnctione in ſuis & ſuorum neceſſitatibus. *Reſp.* De vſu paſſiuo, non actiuo .i. non ſolos Sacerd. vngi ſua vnctione ordinis, ſed etiam laicos ſua finali.

11. Vngentes eos, *Iac.* 5. vt *Matt.* 28. Baptizantes eos, &c. Ergo non per organa ſenſuum. *Reſp. neg. conſ.* Quia Baptiſmus eſt lauacrum totius, vel partis principalis à qua totum denominetur: ſed hæc vnctio quaſi medicinalis eſt ſecundùm partes infirmiores ad peccandum.

12. Vngentes eos oleo, *Iac.* 5. ergo non ſolo oleo oliuæ, per Epiſcopum benedicto, vt determinat Conc. Flor. *Reſp. neg. conſ.* Tum quia oleum propriè eſt oliuæ, & inde denominatur: tum quia hoc oleum propriè eſt ad vnctionem medicinalem, non ſic alia; tum quia hoc oleum debet eſſe ſacrum; tum præcipuè ex Traditione, vt monet *Trid.*

13. Poteſt quis carere vſu & abuſu ſenſuum: ergo vnctio, & forma vngendi eſſet falſa. *Reſp. neg. conſ.* Tum quia ſupponit conditionem, *Si quid per hunc vel illum ſenſum deliquiſti*: tum quia hæc vnctio & eius forma eſt inſtituta pro omnibus in communi, eſtque tantùm per accidens quòd hic vel ille careat aliquo ſenſu; tum quia poteſt peccari defectu & impatientia ſenſus deficientis; tum quia poteſt peccari per ſenſum virtualem animæ.

14. Sæpè, imò propriè delinquitur ſolo conſenſu, ſine vllo vſu, vel abuſu ſenſuum: ergo hæc vnctio & forma non eſt remiſſiua peccatorum, nec ſacramentalis. *Reſp.* Non peccari quidem niſi voluntate: ſed per ſenſus, non tantùm vt executores, ſed & motores voluntatis ad peccandum, ſi non proximè, ſaltem remotè. Quæ peccata, quia ſunt alicuius ignorantiæ & infirmitatis, videntur potiùs pertinere ad remiſſionem in hoc Sacramento, quàm peccata ſolius voluntatis & malitiæ.

### *QVÆSTIO 2. SCHOLASTICA.*

*Quæ ſint ſcholaſticè certiora?*

1. De inſtitutione à Chriſto immediatè & integrè, aut non. 2. De materia remota, ſeu oleo oliuæ, & proxima ſeu vnctione vnica eſſentiali, aut pluribus. 3. De forma vnica ſufficiente, vel pluribus neceſſarijs ad omnes ſimul partes, vel ſingulas. 4. De effectu corporali, & ſpirituali remiſſionis venialium tantùm, vel etiam reliquorum mortalium; omnium ſimul, ad omnes ſimul partes, vel aliquorum ad ſingulos ſenſus.

## *Reſponſio & Conciliatio.*

*Reſp.* Illa eſſe certiora & probabiliora quæ definitioni fidei ſunt propinquiora. 1. Hoc Sacramentum nouæ legis eſſe à Chriſto Domino immediatè inſtitutum: potiùs quàm per Spiritum S. & Apoſtolos. Vt *col.* 102. 103. 236. & ex textu *S. Bon.* ſupra. Cui fauet ipſum *Trid.* ſupra, *col.* 18. *cap.* 1. Inſtituta eſt ſacra hæc vnctio, vt propriè & verè Sacramentum noui Teſt. à Chriſto D. noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum ac fratrem Domini fidelibus commendatum ac promulgatum, *Iac.* 5.

2. Plures vnctiones partiales non eſſe eſſentiales huic Sacram. 1. Ex *Iac.* 5. Vnguentes eum, &c. ad quod ſufficit vnica actio. 2. Ex *Flor.* ſupra, *Qui vngendus eſt, &c.* Quod potiùs ſonat praxim com-

 munem

munem, & obligationem, quàm neceſſitatem eſſentialem. 3. Ex *Trid.* ſupra *col.* 18. 19. 21. 22. Vbi tantùm loquitur de vnctione tanquam vna, non pluribus neceſſarijs. 4. Ex impoſſibili vnctione variarum partium mutilarum. 5. Ex indecenti vnctione pedum, & maximè renum in mulieribus. 6. Ex forma & effectu partiali ſingularum vnctionum. 7. Ex varijs Ritualibus, ſpecialiter Mechlinienſi 1588. approbante in morbis contagioſis, vnctionem vnius ſenſus magis expoſiti, ſub forma communi omnibus ſenſibus.

3. Sufficere vnicam formam huius Sacramenti, communem omnibus ſenſibus, diſtinctè vel confusè, & ſignificantem deprecatoriè actum hîc & nunc à Miniſtro exercitum, & effectum remiſſionis peccatorũ, vel per ſingulos ſenſus diſtinctè, vel per omnes confusè. Vt patet ex *col.* 706. de forma Sacramentorum in communi: & à *col.* 168. de forma Baptiſmi: qua vt vnica poſſunt ſimul plures baptizari, dicendo, *Ego baptizo vos*, vel *te, & te, &c.* ita & vna vel plures partes vngi ſub vna forma.

4. Effectũ proprium & primarium huius Sacram. eſſe remiſſionẽ peccatorũ venialium, directè: mortalium autem oblitorum aut ignotorũ, nonniſi indirectè, per gratiam eorum remiſſiuam; ſed effectus ſecundarios eſſe ſanitatem vel alleuiationem morbi, & auxilia ſpecialia ad patiendum, perſeuerandum, & reſiſtendum illis tentationibus finalibus. 1. Quia *Flor. col.* 4. vocat effectum principalem, *Sanationem mentis*: ergo directè à ſolis peccatis venialibus, non autem ab ipſa morte ſpirituali. 2. *Trid. col.* 18. *cap.* 2. vocat hunc effectum *expiationem delictorum, & abſterſionem reliquiarum peccati*: ſola autem venialia poſſunt dici reliquiæ peccatorum. Nam omnia mortalia ſimul remittuntur: nec oblita aut ignorata ſunt reliquiæ aliorum. 3. Forma huius Sacramenti ſignificat remitti delicta per ſenſus: quæ potiùs ſunt venialia, quàm mortalia. 4. Forma deprecatoria huius Sacram. videtur per ſe minùs efficax quàm contra mortalia. 5. Quia omnia mortalia ſunt materia neceſſaria confeſſionis, & abſolutionis Sacramentalis: ergo ſola venialia ſunt materia propria huius Sacramenti. Reliqua vt *S. Bon. & Scotus.*

*OBIECTIO* 1.

*Iac.* 5. Si in peccatis eſt, dimittentur ei: ergo de quibuſuis peccatis; imò potiùs de mortalibus quàm de venialibus; quia non de his, ſed de illis poteſt eſſe dubium, an quis in peccatis ſit. *Reſp.* 1. Illud, *Si*, non eſt dubitantis, ſed potiùs affirmantis. 2. Non quilibet eſt ſemper & continuò in peccatis venialibus. 3. Peccata venialia ſunt verè peccata, hac vnctione ſuaui & prece ſacramẽtali ſuauiter infirmis remittenda, potiùs quàm pœnitentia.

*OBIECTIO* 2.

*Scotus* hîc non poteſt conciliari cum *S. Bon.* nec hic cum *Trid.* *Reſp.* Ex *col.* 102. 103. Supple, ex *Breuiloq. S. Bon. p.* 6. *cap.* 4. Septem Sacramenta legis Gratiæ Chriſtus inſtituit, tanquam noui Teſt. mediator & præcipuus Legiſlator, &c. Inſtituit autem diuerſimodè: quædam confirmando, approbando, & conſummando, vt Matrimonium, & Pœnitentiam; quædam inſinuando, & initiando, vt Confirm. & Vnct. extr. quædam vero initiando, conſummando, & in ſe ſuſcipiendo, vt Baptiſmum, Euchar. & Ordinem. *In Centiloquio p.* 3. *ſect.* 47. Inſtitutio Sacramentorum Deum decuit. *Tom.* 7. *In compendio veritatis, lib.* 6. *cap.* 3. Inſtituit Deus Sacramenta diuerſimodè: quædam ante aduentum ſuum, vt Matrimonium & Pœnitentiam; ſed hæc duo confirmauit, & conſummauit in lege Euangelica, dum pœnitentiam prædicauit, & nuptijs interfuit. Alia 5. ſolus Chriſtus initiauit: Confirmationem, paruulis manum imponendo; Vnctionem, *Matt.* 6. Diſcipulos ad curandum mittendo; Baptiſmum, ſuſcipiendo *Matt.* 3. deinde formam dando; Ordinem, tribuendo poteſtatem ligandi & ſoluendi, & conficiendi Sacramentum altaris; Euchariſtiam, operando, comparando ſe grano ſinapis, & conficiendo, ac dando Diſcipulis. Ex *Scoto* autem *Diſt.* 2. *q.* 1. *conc.* 4. Omnia Sacramenta inſtituta ſunt à Chriſto, vel à Deo. De Baptiſmo, patet *Ioan.* 3. & *Matt. vlt.* De Euchariſtia, *Ioan.* 6. & *Matt.* 26. De Confirmatione, *Ioan.* 20. vel *Act.* 2. De Pœnitentia, *Ioan.* 20. & *Matt.* 16. De extrema Vnctione: eſt melius dicere quòd fuerit inſtitutum à Chriſto. Legimus enim *Marc.* 6. quòd Apoſtoli vngebant oleo multos infirmos, & ſanabantur. Conſtat quòd hoc non fecerunt niſi virtute Chriſti, qui inſtituerat illam vnctionem virtuoſam. De Matrimonio, *Matt.* 19. De Ordine, *Matt.* 26. Hoc facite, &c. *Ioan.* 20. Quorum remiſeritis, &c. Quòd autem hæc omnia à ſolo Deo fuerint inſtituta, patet in generali de inſtitutione Sacram. *d.* 1. *q.* 2. & 3. Nulli enim competit inſtituere ſignum practicum, niſi reſpectu actus ſui proprij, vel ſibi ſubditi, &c. Sed *d.* 1. *q.* 3. videtur negare poſſibilem communicationem inſtituendi Sacramenta, vlli creaturæ, quoad certam efficaciam gratiæ: ſed tantùm quoad determinationem ſigni, &c. Ex quibus inter ſe collatis, non negat Scotus potuiſſe inſtitui aliquod Sacramentum nouæ legis à Chriſto per Spiritum S. vt S. *Bon.* hîc: ſed à S. *Iac.* Nec id etiam negat *Flor.* aut *Trid.* quamuis hoc *ſeſſ.* 7. *Can.* 1. definiat omnia Sacramenta nouæ legis fuiſſe à Chriſto inſtituta: quòd ipſum etiam expreſsè *S. Bon.* ſed diſtinguit modos inſtituendi, vt ſupra, & exprimit inſtitutionem huius à Chriſto, per Spiritum *S.* vt per ſeipſum.

## *QVÆSTIO* 3. *MORALIS.*

*Quænam ſint obligationes Miniſtrorum, & omnium Fidelium ad hoc Sacramentum?*

*Reſp.* Vt *col.* 87. 88. 109. 190. 202. 231. 524. 541. 588. & à 792. De obligationibus ad omnia, & ſingula Sacramenta, ſecundùm eorum dignitatem, neceſſitatem, aut vtilitatem ad ſalutem.

Quarum 1. ad hoc Sacramentum, ſit obligatio credendi quæ ſunt de eo credenda.

2. Non contemnendi hoc Sacramentum, nec illud ex contemptu omittendi: non tantùm quoad eſſentialia, ſed nec quoad ritum communem Eccleſiæ Romanæ. Ex *Trid.* ſupra *col.* 19. Nec tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere eſſe poteſt. *Col.* 21. *Can.* 3. *Si quis dixerit extr. Vnctionis ritum & vſum quem obſeruat S. Romana Eccleſia poſſe à Chriſtianis abſq; peccato contemni, Anathema ſit.* Vnde patet grauitas huius peccati ex cõtemptu.

3. Non negligendi huius Sacramenti adminiſtrationem & receptionem: ſub periculo grauis culpæ,

Digitized by Google

culpæ, ob magnam vtilitatem,& aliquando neceſſitatem huius Sacramenti ad ſalutem.

4. Obſeruandi omnia eſſentialia, & certiora ad valorem huius Sacramenti, non autem dubia vel incerta: quia non licet exponere Sacramentum periculo nullitatis, niſi ex graui neceſſitate.

5. Procurandi etiam neceſſaria ad fructum huius Sacramenti.i. neceſſariam diſpoſitionem pœnitentis, per aliquam attritionem generalem de omnibus peccatis, vel ſaltem per bonum aliquem affectum ad Deum, ad ſalutem, & ad hoc Sacramentum, vt medium ac remedium ſalutare.

6. Seruandi ordinem Iuriſdictionis in miniſtrando ac recipiendo hoc Sacramento.

7. Miniſtrandi, & recipiendi hoc Sacramentum in ſtatu probabili gratiæ: aut ſaltem cum aliqua diſplicentia peccati, cum ſit remedium aliquod contra peccata.

8. Obſeruandi Cæremonias ordinarias ad vſum decentem huius Sacramenti: ex *q.9. De Sacram in genere. Col.* 129.

9. Omiſſio tamen huius Sacramenti, aut alicuius Cœremoniæ, ſine eius contemptu, aut graui negligentia ſalutis propriæ vel alienæ, non videtur eſſe graue peccatum, ex Trid. ſupra: ſed grauius in Miniſtris ex officio obligatis, quàm in eorum ſubditis. Reliqua particularia ex ipſis Ritualibus & Caſuiſtis.

# DE SACRAMENTO ORDINIS.

Ex Conc. *Flor.* ſup. *Col.* 4. *Trid. Col.* 29. 30. 31. Ex *S.Bon. in diſt.* 24.

## *ARTICVLVS* I. *De Clericatu.*

### *QVÆST.* I. *An Clerici debeant tonſurari?*

RESP. *Affirm.* Ad decentem diſpoſitionem, deſignationem, diſtinctionem, & eruditionem perſonarum ſacrarum. 1. Ex ſitu illius ſigni ſupra caput. 2. Ex raſura capillorum, vt ſuperfluorum. 3. Ex figura circulari coronæ, ad ſpem æternitatis.

*Ad* 1. *Arg. ex Ier.* 49. *Diſpergam eos qui attonſi ſunt in comam. Reſp.* Id eſſe contra eos qui ita tondebantur ad cultum dæmonum, non ad Cultum Dei. *Ad* 2. Ex *Gal. vlt. Neq; circumciſio aliquid valet, &c.* i. non ad iuſtificationem, ſed ad eruditionem, & diſtinctionem. *Ad* 3. Cæſaries eſt quidem ad decorem naturalem: ſed contemnenda eſt ob finem ſpiritualem. *Ad* 4. & 5. Ex figura Nazaræorum, qui totaliter radebantur, *Num.* 6. Figuræ non adæquantur veritati. Illi priùs nutriebant comam, quam raderentur: nunc autem Clerici partim raduntur, vt ſupra; partim non, ad aliquam decentiam. *Ad* 6. Stulti ſolent etiam radi, ſed aliter: imò & *nos ſtulti propter Chriſtum*, 1. *Cor.* 1.

### *QVÆST.* 2. *An corona Clericalis ſit Sacramentũ?*

*Reſp.* Non, ſed tantùm diſpoſitio: vt Nouitiatus ad ſtatum Religionis, & vt Catechizatio ad ſtatum fidelium.

*Ad* 1. *&* 2. Eſt ſignum rei ſacræ, &c. vt ſupra: quo tamen nulla poteſtas ſpiritualis confertur; ſed tantùm figuratur, & præparatur. *Ad* 3. Datur ab Epiſcopo: ſed cuius etiam eſt præparare ſubiecta ad Ordines ſacros. *Ad* 4. Clericus tonſuratus eſt medius inter Laicos, & ordinatos: vt Nouitius, inter profeſſos & alios.

### *QVÆST.* 3. *An in ſuſceptione Coronæ Clericalis fiat abrenunciatio omnium temporalium?*

*Reſp.* Non quoad poſſeſſionem, ex vllo præcepto Diuino, vel humano: ſed ſolum de bono & æquo, quoad minorem affectum, & ſollicitudinem temporalium, ad intendendum ſpiritualibus. *Sed nunc verificatum eſt illud* Eccl. 4. *Vnus eſt, & ſecundum non habet, & tamen laborare non ceſſat.*

*Ad* 1. 2. *&* 3. ex Pſal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* i. ex conſilio & congruo, ac affectu, non neceſſariò effectu relinquendi omnia. *Ad* 4. *&* 5. Sacerdotes & Leuitæ legis Moſaicæ non habebant partem hæreditatis cum reliquo populo, ſed domos, ſuburbana, & mobilia: quia erant diſpergendi per totum populum ad Cultum Dei; ſed ſtatus Clericalis nouæ legis ſuccedit potiùs Ordini Melchiſech, qui erat Rex & Sacerdos, quam Ordini Aaron; nec Chriſtus voluit obligare ſuos Miniſtros ad paupertatem, ne miniſterium negligatur.

### *QVÆST.* 4. *An Prælati Eccleſiæ teneantur alere omnes Clericos?*

*Reſp.* Omnes ad ſacros Ordines à ſe promotos, & indigentes: non autem alios. Ex Decretali *Alexand. l.* 3. *de præbend.* quia non ſimplices Clerici, ſed ſacris ordinati obligantur ad ſeruiendum Eccleſiæ; ergo & Eccleſia adeos ſuſtentandos. Deindè ſacris ordinati, ex officio obligãtur ad horas Canonicas: Clerici autem inferiores, nõniſi ex Beneficio.

## *Art.* 2. *De Ordine in communi.*

### *QVÆST.* 1. *An ſit aliquis in Eccleſia?*

*Reſp.* Eſt neceſſarius Ordo, ſeu poteſtas ſpiritualis in Eccleſia: ad decorem & regimen Eccleſiæ. Vt inter membra corporis organici, in Eccleſia cœleſti, & in omni Republica.

*Ad* 1. *Omnes nos vnum ſumus in Chriſto, Gal.* 3. Vnitate charitatis, non æqualitatis. *Ad* 2. ex *Luc.* 22. & *Phil.* 2. Quiſque debet alios ſibi præferre merito vitæ, non officio. *Ad* 3. Libertas fidelium non eſt ab obedientia, & aliorum prælatione: ſed à ſeruitute peccati, & timore ſeruili. *Ad* 4. Hic Ordo Eccleſiæ eſt ſecundùm dona gratiæ gratis datæ, ſeu poteſtatem aliquam ſpiritualem, de qua eſt certitudo moralis.

### *QVÆST.* 2. *An Ordo ſit Sacramentum?*

*Reſp.* Non ipſa relatio prælationis, & ſubiectionis: ſed poteſtas ſpiritualis, ordinata ad ſacrum Miniſterium .i. Sacrum ſignum quo hæc poteſtas confertur. Quia Miniſtri Ordinarij Sacramentorum debent ab alijs diſcerni aliquo ſigno ſacro, ac ſacramentali, & poteſtate ſpirituali, ad reuerentiam Sacramentorum.

*Ad* 1. Signum externum ſacri Ordinis poteſt dici elementum. *Ad* 2. Ordo eſt medicamentum Ordinatorum, & aliorum per ipſos: perficitque ipſos Ordinatos aliquâ gratiâ. *Ad* 3. Ordo inter laicos, & ipſos Angelos, non eſt Sacramentum: quia

Digitized by Google

quia non eſt ſignum ſenſibile gratiæ. *Ad* 4. Relatio Ordinis non eſt Sacramentum, &c. vt ſupra. *Ad* 5. Scientia & actio neceſſaria ad Sacramentum Ordinis, ſub eo continentur.

*QVÆST.* 3. *An ſit Sacramentum proprium nouæ legis?*

*Reſp.* Eſt proprium nouæ legis: vt & Sacrificium Euchariſtiæ, quamuis olim præfiguratum.

*Ad* 1. ex *Pſal.* 109 & *Heb.* 7. Sacerdotium Chriſti ſecundùm Ordinem Melchizedech, eſt æternum: ſed non idem in figura, quod in veritate. *Ad* 2. & 3. ex 1. *Cor.* 10. Fuit ſemper eadem Eccleſia: non tamen eadem Sacramenta, nec eadem eſca & manducatio ſacramentalis, ſed ſpiritualis. *Ad* 4. Lex naturæ requirit aliquem Ordinem ſacrum, ſed non ſemper eundem.

*QVÆST.* 4. *An Sacramentum Ordinis ſit vnum?*

*Reſp.* Eſt vnum, habens quidem plures partes poteſtatiuas, ſeu ordines quaſi partiales, & ſubordinatos: non tamen propriè partes ſubiectiuas, ſeu plures ſpecies, niſi denominatiuè à ſuo toto. *Ad* 1. & 2. Non diuiditur in plura Sacramenta Ordinis, nec in plures partes integrales aut ſubiectiuas, ſed poteſtatiuas, & quaſi medias. *Ad* 3. Eſt vnum à relatione principali omnium ad Sacramentum Altaris. *Ad* 4. Diaconatus propriè non differt ſpecie à Sacerdotio: quia diſponit ad hoc, vt ad ſui perfectionem.

*In* 2. *PARTEM DIST.* 24. *De ſingulis* 7. *Ordinibus.*

*Art.* 1. De Charactere. *Quæſt.* 1. *An in omni Ordine imprimatur?*

*Reſp.* Non in ſolo Ordine Sacerdotali, nec in ſolis ſacris ſeu maioribus, ſed probabiliùs in ſingulis etiam minoribus. Quia nullus poteſt iterari: ergo quilibet imprimit aliquid perpetuum. *Ad* 1. Poteſtas minorum Ordinum eſt etiam ſpiritualis, & diſponens ad ſpiritualia: ergo eſt character. *Ad* 2. Baptiſmus configurat Chriſto morienti, Confirmatio pugnanti, Ordo operanti. *Ad* 3. 4. Character ſemper manet, ſed non quoad vſum.

*QVÆST.* 2. *An diuerſi in ſingulis Ordinibus?*

*Reſp.* Quòd ſic. 1. Quia ſi eſſet idem in omnibus, magis minuſue perfectus: non poſſet perfectior eſſe ſine priore. 2. Ordines non differrent niſi quoad magis & minùs. 3. Si hic character reciperet magis, cur non & minùs? Cur non & character Baptiſmi & Confirm? 4. Quia ſunt ad diuerſa miniſteria: nec poteſtas ad minora, aufertur per maiorem. *Ad* 1. *Arg.* Non eſt ſimile in Baptiſmo & Confir. *Ad* 2. Character non eſt Sacramentum, niſi comparatiuè ad vlterius ſignatum. Vt ergo plures lineæ ad integram ſcripturam: ſic plures Characteres ad integrum & completum. *Ad* 3. Hi plures Characteres in ſe, differunt vt plures ſpecies numeri: in vnitate Sacramenti, vt binarius & quaternarius conſtituunt ſenarium, ſic ſuo modo hîc. *Ad* 4. Ordinati poſſent ab alijs diſtingui vnico Charactere: ſed non æquè inter ſe, ac pluribus.

*QVÆST.* 3. *An Characteres diuerſorum Ordinum ſint eſſentialiter inter ſe ordinati?*

*Reſp.* Non eſſentialiter, nec neceſſariò: quia poſterior poteſt eſſe ſine priori; ſed tantùm congruè. Vt inter partes orationis, vel inter litteras Alphabeti.

*Ad* 1. Character Baptiſmalis eſt fundamentalis reliquorum: non ſic vnius Ordinis ad alios. *Ad* 2. Maior numerus includit minorem, vt ſuam partem: non ſic Character vnius Ordinis ad alios. *Ad* 3. Vnitas huius Sacramenti non eſt abſoluta, ſed comparatiua ad vnum perfectum. *Ad* 4. & 5. Promotus per ſaltum, ſuſpenditur ob tranſgreſſionem graduum: non ex neceſſitate eſſentiali, ſed ex obligatione præcepti.

*QVÆST.* 4. *An Character Ordinis imprimatur in vnctione, vel in benedictione?*

*Reſp.* Non in vnctione, quæ fit ad ſolum Sacerdotium: nec in benedictione precatoria, ad excitandam deuotionem, & impetrandam gratiam; ſed in manuum impoſitione, aut traditione inſtrumenti principalis ad vſum cuiuſuis Ordinis, & expreſſione verbali poteſtatis ſpiritualis quæ confertur.

*Ad* 1. Ipſa inſtrumenti traditio eſt etiam quaſi manus protenſio. *Ad* 2. Sacerdotes etiam manus imponunt: non tamen ad collationem poteſtatis, vt Epiſcopi; ſed ad ſolam ſignificationem. *Ad* 3. Sola manus impoſitio in Eccleſia primitiua ſupplebat inſtrumentum omnium Ordinum. *Ad*. 4. Archidiaconus tradit quædam inſtrumenta, ſed ſolus Epiſcopus confert poteſtatem. *Ad* 5. Semper fuit aliqua expreſſio verbalis collatæ poteſtatis. *Ad* 6. Epiſcopus gerit Perſonam Chriſti, vt Superioris: ideo vtitur forma imperatiua ordinãdi.

*Art.* 2. *De numero & diſtinctione Ordinum.*

*QVÆST.* 1. *An, & quæ ſit bona diuiſio Ordinum?*

*Reſp.* In gradus ſuperiores, & inferiores, ſeu ſacros, & non ſacros: quia ordinantur propinquiùs vel remotiùs ad Sacramentum Altaris, & eius vaſa; ideoque illi exigunt continentiam, non hi.

*Ad* 1. & 2. Ordines non dicuntur ſacri à Sacramento: ſed à conſecratione Miniſtrorum ad tractandum vaſa conſecrata. *Ad* 3. & 4. In Eccleſia primitiua conferebantur etiam Ordines inferiores per impoſitionem manuum, vt organi organorum: nec poterant eſſe tam diſtincti Miniſtri quàm nunc.

*QVÆST.* 2. *An Pſalmiſtatus ſit Ordo?*

*Reſp.* Non propriè, ſed officium cantandi aut pſallendi annexum Ordini.

*Ad* 1. Ex *Diſt.* 21. 22. & *Iſid. l.* 6. *Ethym.* Pſalmiſta connumeratur alijs Ordinibus, propter connexionem. *Ad* 2. Eſt Ordo Lectorum ſacræ Script. Sed non diſtinctus Pſalmiſtarum: quia ſimul pſallunt, vel cantant ad Symphoniam. *Ad* 3. Eſt maioris dignitatis & poteſtatis excludere indignos, & admittere dignos ad Diuina, quòd eſt Oſtiariorum, quam intereſſe & Pſalmos cantare.

*QVÆST.* 3. *An Epiſcopatus ſit Ordo?*

*Reſp.* Non propriè, vt diſtinctus à Sacerdotio: ſed Ordinis Sacerdotalis eminentia; nec in eo nouus Character imprimitur, nec noua poteſtas datur, ſed ampliatur. Ex *Hug. Mag. ſent.* & communi, inquit, opinione.

*Ad* 1. 2. 3. ex *Iſid. & Gelaſ.* Extendunt nomen Ordinis ad officia & dignitates. Nec ita propriè dicitur quis ordinari in Epiſcopum, ac in Sacerdotem, ſed potiùs conſecrari. *Ad* 4. Epiſcopus confert omnes Ordines: non ex proprio Ordine Epiſcopali, ſed ex eminentia Sacerdotali.

*Ad*

Digitized by Google

*Ad* 5. Epiſcopus non poteſt conſecrari, niſi ſit Sacerdos: ideoque non habet proprium Characterem, nec nouam poteſtatem, ſed ampliorem. *Ad* 6. Eſt ſolemnior vnctio, benedictio, & manuum impoſitio in conſecratione Epiſcopi, quàm Sacerdotis: ad eminentiam dignitatis, & ſanctitatis, non ad nouum Ordinem.

*QVÆST.* 4. *An ſint 7. Ordines?*

*Reſp.* Non plures, nec pauciores. Ex nobiliſſimo Ordine ac poteſtate Sacerdotali conſecrandi Corpus Chriſti verum, & abſoluendi myſticum: qui Ordo exigit Diaconos ad Miniſtrandum Sacerdotibus materiam conſecrandam; exigit Subdiaconos ad eam à plebe recipiendam, & Diaconis ſubminiſtrandam. Ordines inferiores ſubſeruiunt circa Corpus Chriſti myſticum: Oſtiarij, diſcernendo, & excludendo indignos, admittendo dignos ad Diuina; Lectores docendo ignaros; Exorciſtæ, reprimendo ſpiritus malignos; Acolythi ſeu Ceroferarii, prælucendo bono exemplo.

*Ad* 1. Ex *S. Dion. cap.* 5. *Eccl. Hier.* Sub Miniſtris intelligit omnes gradus infra Sacerdotium. *Ad* 2. *&* 3. Hi Ordines non ſumuntur à tribus actibus Hierarchicis, nec à 9. Ordinibus Angelorum: ſed à varijs miniſterijs circa Corpus Chriſti verum & myſticum.

*In DIST.* 25. *De diſpenſatione ſacrorum Ordinum?*

*Art.* 1. *De poteſtate ordinandi.*

*QVÆST.* 1. *An ſolus Epiſcopus poſſit ordinare?*

*Reſp.* Solus Epiſcopus, *præſertim quoad ſacros Ordines.* 1. Ex ſacra Script. quæ *Luc* 6. diſtinguit 12. Apoſtolos, & Epiſcopos vt illorum ſucceſſores: à 70. Diſcipulis, & ſimplicibus Sacerdotibus, vt illorum ſucceſſoribus. *Act.* 8. Tribuit ſolis Apoſtolis poteſtatem imponendi manus. 1. *Tim.* 5. Nemini cito manus impoſueris. *Heb.* 7. Minor à Maiore benedicitur. 2. Ex ſacris Canonibus *diſt.* 21. *cap. in nouo Teſt.* 3. Ratione, quia eſt Superiorum conferre poteſtatem inferioribus: Eſt Patrum Eccleſiæ generare ei filios & Patres: Eſt perfectiorum alios perficere ſacris Ordinibus.

*Ad* 1. *&* 2. ex 1. *Tim.* 4. de impoſitione manuum Præſbyteri. i. Senioris, vel Epiſcopi, vel Presbyterorum qui ſimul cum Epiſcopo manus imponunt.] Supple, non Presbyteri, ſed Presbyterij, ſeu ad Presbyteratum. *Ad* 3. Perfectio Sacerdotalis eſt ſufficientiæ: ſed Epiſcopalis, eminentiæ & redundantiæ ad generandũ filios perfectos. *Ad* 4. Poteſtas cõſecrãdi Corpus Chriſti eſt maior ſola poteſtate ordinandi: ſed hæc includit illam *Ad* 5. Epiſcopus poteſt conſecrare Sacerdotem in Epiſcopum: non Sacerdos vllum in Diaconum; quia Sacerdos non eſt ad ordinandum, ſed conſecrandum, & abſoluendum. *Ad* 6. Epiſcopus conſecrans Archiepiſcopum, vel Papam, non confert ei niſi poteſtatem Epiſcopalem: ſed amplior Iuriſdictio eſt à ſubditorum electione, & à Chriſti inſtitutione.

*QVÆST.* 2. *An Epiſcopus Hæreticus poſſit dare Ordines?*

*Reſp.* Poteſt validè, ſeruando formam & intentionem Eccleſiæ, ſed non licitè. Ex *B. Aug. lib.* 2. *contra Parm. cap.* 13. Et ita de omnibus Sacramentis, quæ habent veritatem differentem ab vtilitate. Excepto Sacram. Pœnitentiæ: *cuius res interior eſt Contritio, ſine qua nulla eſt vera Abſolutio, & cum qua nulla eſt vana.*

*Ad* 1. *&* 2. Hæretici non dant, nec recipiunt gratiam Dei inter ſe: nec honorem Ordinis quoad vſum licitum. *Ad* 3. Hæreticus non poteſt abſoluere ſcientem: quia hic eſſet fictus, ſeu indiſpoſitus. Vel quia ille non habet Iuriſdictionem neceſſariam ad validè abſoluendum, non neceſſariam ad validè ordinandum. *Ad* 4. In Papa eſt plenitudo Iuriſdictionis: ſed Character ſeu poteſtas Ordinis eſt immediatè à Deo; cuius tamen vſus licitus pendet à Papa.

*QVÆST.* 3. *An Epiſcopus ſimoniacus poſſit Ordines vendere?*

*Reſp.* Poteſt validè ordinare ſimoniacè: ſed non licitè; quia poteſtas ſpiritualis ordinis eſt annexa Sacramento, quod poteſt pro pretio validè, ſed nunquam licitè conferri.

*Ad* 1. *&* 2. Sola gratia non poteſt niſi gratis dari. *Ad* 3. *&* 4. Dona Spiritus S. non poſſunt vendi: ſed miniſterium hominum.

*QVÆST.* 4. *An ordinans ſimoniacè, hoc ipſo fiat hæreticus?*

*Reſp.* Non niſi credat Ordines ſacros appretiari poſſe, vt Simon Magus, *Act.* 8. ſed grauiſſimè peccat ſubijciendo pretio rem impretiabilem, eaque abutendo ad lucrum proprium; ideoque præſumitur & reprobatur quaſi hæreticus. *Hinc ad* 1. *&* 2. *Ad* 3. ex 3. *Reg.* 14. Saul & Ieroboam obtulerunt dona Prophetis: ſed hi non receperunt pro ſua prophetia. *Ad* 4. ex 1. *Cor.* 9. Recipere aliquid pro labore, ad ſuam ſuſtentationem, non eſt vlla ſimonia, nec culpa. *Ad* 5. Regnum Cœlorum non emitur pretio materiali: ſed ſolo ſpirituali bonæ voluntatis. *Ad* 6. Dans temporale pro ſpirituali, præfert hoc illi: ſed inordinatè, ad hoc acquirendum.

*Art.* 2. *De capacitate ſacrorum Ordinum.*

*QVÆST.* 1. *An requiratur ſexus virilis?*

*Reſp.* Mulieres ſunt incapaces Ordinis ſacri. Ex *diſt.* 23. contra Cataphrygas hæreticos, qui abutebantur nomine Presbyteræ, & Diaconiſſæ *diſt.* 22. *&* 27. cùm illæ ibi vocentur viduæ, & matronæ ſeniores; hæ, benedictæ, & participes alicuius lectionis ſacræ. Quia perſonæ ordinatæ repræſentant Chriſtum, eiuſque perfectionem, in ſexu virili: nec mulier poteſt eſſe caput viri.

*Ad* 1. Delbora habuit aliquam poteſtatem temporalem, non ſpiritualem. *Ad* 2. *Abbatiſſa non habent ordinariè locum Prælationis, ſed ſunt quaſi ſubſtituta loco Abbatis.* *Ad* 3. Ordo non afficit ſolùm animas vt æquales: ſed vt vnitas corpori ad functiones ſacras & ſuperiores. *Ad* 4. Mulieres ſunt æquè capaces gratiæ ſanctificantis, ac viri: ſed non æquè cuiuſuis gratiæ gratis datæ.

*QVÆST.* 2. *An ad receptionem Ordinis ſit neceſſarius vſus rationis & conſenſus?*

*Reſp.* Non abſolutè, vt validè conferatur: ſed vt licitè, vel honeſtè. Vt patet ex alijs Sacramentis.

*Ad* 1. Ad Matrimonium neceſſarius eſt conſenſus mutuus: non ſic ad ſacros Ordines, niſi ad Epiſcopatum, quo Eccleſia quaſi ſpiritualiter alicui diſponſatur. *Ad* 2. Ordinans dicit, *Accipe poteſtatem, &c.* non offerendo, ſed actu conferendo



Digitized by Google

non omninò inuito. *Ad* 3. Poteſt validè coferri ad vſum futurum, non neceſſariò præſentem. *Ad* 4. Recuſans non recipit : ſed eſt medium inter omnino recuſare, & conſentire. *Ad* 5. *&* 6. Determinatur ætas, ad congruitatem, ſolemnitatem, & obligationem annexam maioribus Ordinibus.

*QVÆST.* 3. *An neceſſaria ſit indiuiſio carnis, ſeu non Bigamia ?*

*Reſp.* Bigami poſſent quidem validè ordinari : ſed ſunt perpetuò inhabiles, ac ordinariè indiſpenſabiles ad ſacros Ordines, præcipuè ad Sacerdotium & Epiſcopatum. *Diſt.* 34. *cap. Subdiaconus, &c.* Quia non poſſunt repræſentare Chriſtum, vt ſponſum vnicum Eccleſiæ. *Ad* 1. Fornicatio eſt quidem contra gratiam Dei : ſed Bigamia contra illam ſacram ſignificationem.

*QVÆST.* 4. *An ſit neceſſaria libertas Ordinandorũ?*

*Reſp.* Non ad valorem Ordinis, ſed ad honeſtatem etiam exteriorem. Hinc ſunt inhabiles ſpurij, illegitimi, infames, publicè pœnitentes, *d.* 50. corpore vitiati, dæmoniaci, epileptici, *d.* 33. Curiales, & Serui ſeu mancipia, *d.* 51. *Sunt exceptiones, ſed ſpectant ad ſcientiam inferiorem.* Quia tales ſerui ſunt nimis viles, & alijs mancipati. Hinc *ad Arg.* Quòd ſi talis ſeruus ordinetur ſciente eius domino, liberetur à ſeruitute : ſi inuito domino, redimendus eſt, aut illi reſtituendus.

## *Ex Doctore Subtili.*

*In DIST.* 24. *QVÆST. VNICA.*

*An in Eccleſia ſint* 7. *Ordines, eo modo quo Ordo, vel ordinatio ponitur Sacramentum?*

*Art.* 1 Quid ſit Ordo. 2. Quot ſint Ordines. 3. An ſit Sacramentum. 4. Quomodo vnum.

*Ad* 1. Sacramentum Ordinis non eſt poteſtas ſpiritualis ad aliquem actum exequendum in Eccleſiaſtica Hier. quia ſic Epiſcopatus eſſet Ordo, & duplex Ordo, ſeu poteſtas ſpiritualis : Diaconatus non eſſet vllus Ordo, ſeu poteſtas ſpiritualis quicquam operandi, niſi congruè. Sed Ordo vt congrua diſpoſitio parium diſpariumque, ex *Aug.* 19. *Ciu.* 13. eſt politia ordinata totius Eccleſiæ : Ordo autem vt gradus eminens in Eccleſia, eſt diſpoſitio de congruo ad actum aliquem Eccleſiaſticum eminentem, vel etiam ſacramentalem, &c. Si Sacerdotium ſit ſimpliciter ſupremus Ordo : Ordo eſt gradus eminens in Eccleſia, diſponens de congruo ad actum aliquem circa conſecrationem vel diſpẽſationem Euchar. Si autem Epiſcopatus ſit etiam Ordo : Ordo non diſponit tantùm ad actum eminentem circa Euchariſtiam, ſed etiam ad actum aliquem ſacramentalem.

*Ad* 2. Canoniſtæ dicunt Epiſcopatum eſſe propriè Ordinem : quia eſt quædam poteſtas ſpecialis Ordinis, quæ auferri nequit, non ſolius Iuriſdictionis. Poteſt autem dici Ordo ſpecialis. 1. Quia eſt ad actum nobiliorem. 2. Quia eſt ad omnes, inter quos eſt & ille nobilior. 3. Non quia ad actum præcisè nobiliorem : ſed quia neceſſariò ſupponit Ordinem perfectiorem Sacerdotij.

Alij negant Epiſcopatum eſſe Ordinem propriè diſtinctum, Sacerdotio ſuperiorem, vel inferiorem: ſed vanè altercantur an eius Character ſit delebilis à Papa, vel non ; quia ſi non ſit Ordo, ſed tantùm Iuriſdictio, poteſt auferri vel ſuſpendi ab omni actu valido. Sed cùm actus nobiliſſimus ſit ſimpliciter conſecratio Euchariſtiæ : ſupremus gradus eſt Sacerdotium, vt diſponens ad conſecrationem; nec ſunt plures Ordines quàm ſeptem. 1. Eſt Sacerdotium, vt diſponens ad conſecrationem Euchariſtiæ. 2. Eſt Diaconatus, diſponens ad diſpenſationem ſaltem Sanguinis. 3. Eſt Subdiaconatus, diſponens ad oblationem materiæ conſecrandæ. Quatuor Ordines minores, diſponunt ad actus remotiores : Acolythus, excitando affectum populi ; Lector, inſtruendo intellectum ; Oſtiarius, arcendo homines indignos ; Exorciſta, ipſos Dœmones. Hinc patet actum proprium Diaconi non eſſe legere Euangelium, nec Subdiaconi Epiſtolam: ſed, vt ſupra.

*Ad* 3. *Art.* Ordo non eſt propriè Sacramentum: ſed ipſa *Ordinatio, ſeu inſtitutio alicuius in gradu Eccleſiæ præeminente, cui conuenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendum, facta à Miniſtro idoneo, certa verba proferente, & ſimul cum intentione debita, miniſterium gradus illius aliquo ſigno viſibili repræſentans, ex inſtitutione Diuina efficaciter ſignificans gratiam præeminentem, quâ Ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur.*

Si quæras, Quis eſt Miniſter idoneus ? Solus Epiſcopus, ad Ordines ſacros : ad alios, ex commiſſione, quidam ad hoc Priuilegiati.

Si quæras, Quæ ſint verba vel forma ? *Illa quam Epiſcopi habent in ſuis libris Epiſcopalibus.* Sed in Sacerdotio videntur eſſe duæ formæ partiales : altera conferendi poteſtatem conſecrandi, *Accipe poteſtatem, &c.* cui ſubeſt pro materia, traditio Calicis & Patenæ cum Hoſtia ; altera abſoluendi, *Accipe Spiritum S.* cui ſubeſt pro materia impoſitio manus Epiſcopi ſuper caput, &c.

*Ad* 4. Sacramentum Ordinationis eſt vnum : non vnitate ſpecifica, ſed generis propinqui ; & vnitate ſubordinationis ſeu præſuppoſitionis congruæ, non neceſſariæ. *Ad* 1. *arg.* Ordo vel potiùs Ordinatio eſt vnum Sacramentũ ex ſeptem : quamuis diuiſibile in quædam ſpecialia ſub eo contenta. *Ad* 2. Sunt plures eorum Characteres, & probabiliùs diſtinctæ ſpeciei ac perfectionis, vt entitatis. Etſi eſſent eiuſdem ſpeciei, vt relationes, poſſent eſſe ſimul. *Ad* 3. In Eccleſia primitiua ſufficiebant pauci Miniſtri maiorum Ordinum, vel plurium ſimul. *Ad* 4. Qui negant Epiſcopatum eſſe Ordinem, dicunt eſſe ſacramentalem, non Sacramentum. *Ad vlt.* Prima tonſura non eſt Ordo, &c.

*In DISTINCTIONEM* 25.

*QVÆST.* 1. *An pœnâ Canonica impediat à collatione, & ſuſceptione Ordinum?*

*Art.* 1. Quæ ſint pœnæ Canonicæ, 2. Quomodo impediant.

*Ad* 1. Pœna Canonica eſt arcens punitum ab aliquo gradu Eccleſiaſtico, vel eius vſu, qui alias ei liceret. Sunt ſeptem. 1. Depoſitio vel degradatio ab omni gradu Clericali, quoad omne eius exercitium, & priuilegium, &c. vt ſupra. 2. Eſt infamia ex crimine publico, publicè commiſſo, vel iudicato, & à iure vel Iudice pœna infami affecto. Contra infamationem, eſt *purgatio Canonica*, *cap. Ex tuarum.* Contra ipſam infamiam à iure vel Iudice, non-

nonniſi reſtitutio in integrum ab eo qui poteſt. *Extra de Teſtibus, cap. Teſtimonium.*

3. Pœna eſt irregularitas, ex crimine, vel non, vt ſupra *col.* 817. 818. 819. Niſi quòd hic moneat, eam frequentiùs eſſe à iure, quàm à Iudice: ob 4. crimina circa ſacros Ordines vel eorum abuſum. 1. Eſt Simonia in Ordine ſic ſcienter ſuſcepto: in qua ſolus Papa diſpenſat. *Extra de Simonia, cap. Nobis. Et* 1. *q.* 1. Non tamen ſimonia in beneficio: ſed hæc obligat ad reſignationem & reſtitutionem fructuum, ex quo conſtat. 2. Eſt furtum in Ordine, ſeu furtiua irreptio ad Ordines, contra inhibitionem. *Extra, De eo qui furtiuè Ordines ſuſcipit.* 3. Eſt vſurpatio ſeu exercitium Ordinis non ſuſcepti. *Extra, De Clerico non ordinato,&c.* 4. Eſt contumacia contra pœnas Eccleſiaſticas. *Extra, De Clerico excommunicato, vel depoſito.* Diſtinguit etiam irregularitatem in eam quæ non eſt niſi ex crimine: vel ex non crimine, vt ex ſola ſeruitute, defectu natalium, & vitio; vel aliquando ex culpa, aliquando non, vt ex homicidio, vel mutilatione enormi, & voluntaria, & ex Bigamia.

4. Pœna, eſt Excommunicatio maior, vel à iure, vel à Iudice. Illarum *erat paruus numerus, quando Decretales fuerunt compilatæ ſub* Greg. 9. *ſed hodiè quis numerare ſufficiat? Cùm creſcant in infinitum, creſcentibus moribus Capitum, non oportet circa hæc membranas implere, &c.* vt ſupra *col.* 810.

5. Pœna eſt Interdictum à iure, vel ab homine,&c. vt *col.* 815. 816.

6. Pœna eſt Suſpenſio, vt *col.* 814.

*Ad Art.* 2. Certum eſt quinque pœnas vltimas non priuare valida, ſed tantùm licita, collatione & ſuſceptione ac vſu ordinum. Sed dubium eſt an Degradatio Epiſcopi non priuet eum poteſtate validè ordinandi. De quo *diſt.* 24. *q. vnica, art.* 2.

*Ad* 1. *arg.* Si Epiſcopus depoſitus ſimpliciter, non eſt Epiſcopus: non eſt ſimile inter Sacerdotem & Epiſcopum. *Ad* 2. Intentio Miniſtri non ſufficit, niſi ſit idoneus. *Ad* 3. Nemo poteſt excludi à Sacramentis neceſſarijs ad ſalutem: ſed ab alijs. Hæreticus præciſus & condemnatus ab Eccleſia non confert Ordines, ſi Epiſcopatus non ſit Ordo, ſed poſſit auferri. *Ad* 1. oppoſitum. Ordinatio ſimonaici dicitur irrita quoad executionem. *Ad* 2. Eccleſia poteſt dare quod non poteſt auferre. *Ad* 3. Non poteſt Eccleſia auferre Characterem impreſſum: vt poteſt inhabilitare perſonas ad Matrimonium.

*QVÆST.* 2. *An ſexus muliebris, vel ætas puerilis impediat ſuſceptionem Ordinum?*

Puer non poteſt honeſtè recipere vllos Ordines: quia non cum debita reuerentia, ſine diſcretione. Poteſt licitè recipere Ordines inferiores, quia nulibi inhibetur: non Ordines ſacros, quia needum eſt capax vouendi tacitè continentiam. Sed poteſt validè recipere quemlibet Ordinem: quia poteſtas ad actum, eſt prior ipſo actu, imò & potentiâ propinquâ ad actum; nec requiritur conſenſus ad impreſſionem Characteris. Mulier tamen non poteſt vllatenus validè ordinari: non ex ſola Eccleſiæ inſtitutione, ſed ipſius Chriſti, qui nec Matrem propriam excepit; quia Eccleſia non præſumpſiſſet priuare totum ſexum muliebrem ſine culpa; & quia mulier in pœnam peccati debet eſſe ſub poteſtate viri, *Gen.* 2. Nec Apoſt. 1. *Tim.* 2. *docere mulierem in Eccleſia non permittit*, quaſi id ſtatuendo: ſed obſeruando ipſam Chriſti inſtitutionem, contra quam nil fieri poteſt.

*Ad* 1. *arg.* ex *Gal.* 3. In Chriſto IESV non eſt ſeruus neque liber, non maſculus neque fœmina: ſeu non eſt acceptio perſonarum ad gratiam & gloriam, ſed diſtinctio ſexuum & perſonarum ad gradus in Eccleſia. *Ad* 2. *Inter Græcos, vxor Presbyteri poteſt dici Presbyteriſſa: ſed apud nos poteſt dici aliqua bona matrona vidua, vel quæ præeſt alijs in Collegio. Sic & Diaconiſſa dici poteſt cuius eſt legere Homiliam in Matutino.* *Ad* 3. Pueri fidelium ſunt iam eruditiores ad cultum Dei, quàm adulti conuerſi in primitiua Eccleſia.

*QVÆSTIO DOGMATICA.*

*Quænam ſint credenda de Sacramento Ordinis?*

*Reſp.* Quæcumque in ſacra Script. exprimuntur, & in ſacris Conc. Flor. & Trid. dogmaticè definiuntur, de Sacramentis in communi, & de hoc in particulari.

1. Sacrum Ordinem ſeu Ordinationem, ſaltem Sacerdotalem, eſſe vnum, verum, & propriè dictum Sacramentũ nouæ legis. *Luc.* 22. & 1. *Cor.* 11. Hoc facite,&c. *Ioan.* 20. Accipite Spiritum S. Quorum remiſeritis, &c. *Act.* 13. Segregate mihi Saulum & Barnabam,&c. Imponentes eis manum dimiſerunt illos. *Act.* 14. Cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros. *Act.* 20. Spiritus S. poſuit vos Epiſcopos. *Epheſ.* 4. Dedit quoſdam Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores,&c. 1. *Tim.* 4. Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ tibi data eſt per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij. *Cap.* 5. Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, &c. Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus,&c. Manus nemini citò impoſueris. 2. *Tim.* 1. Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Ex quibus conſtat de ſacro ſigno ſenſibili, ordinario, ac infallibili ſacræ Ordinationis Sacerdotalis, & poteſtatis ſpiritualis, ac gratiæ ſpecialis ad hunc ſtatum & eius vſum. Et ex continua & communi doctrina ac praxi Eccleſiæ in hunc ſenſum. Nam *S. Dion. cap.* 5. *Eccleſ. Hier.* docet per hoc Sacramentum gratiam conferri. *Innoc.* 1. *Epiſt.* 18. *ad Alexandrum, cap. vlt.* comparat ſacram Ordinationem cum Baptiſmo. *Leo* 1. *Epiſt.* 81. *ad Dioſcorum, cap.* 1. *& Epiſt.* 87. *ad Epiſcopos Mauritaniæ, cap.* 1. vocat ſacram Ordinationem magnam Sacramentum, in quo etiam gratia conferatur. *S. Greg.* 1. *lib.* 4. *in libros Regum, cap.* 5. tribuit ſacræ vnctioni vim internam Sacramenti. *S. Cypr.* ſeu Author Operum Card. comparans ſacram Ordinationem cum Baptiſmo: *Nemo*, inquit, *ſacros Ordines ſemel datos iterum renouat. S. Chryſoſt. lib.* 3. De Sacerdotio, *Ipſe Paracletus hunc Ordinem diſpoſuit. S. Ambr. lib.* De dignitate Sacerdotali, cap. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam. S. Hier. contra Lucifer.* comparat Sacerdotes ordinatos cũ baptizatis. *Epiſt.* 80. *ad Euagrium, & alibi*, adæquat Presbyteros Epiſcopis, exceptâ poteſtate Epiſcopali ordinandi.



Digitized by Google

*S. Aug. lib. 2. contra Parmen. cap. 13.* Explicent, inquit, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti: ſi enim vtrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat: cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt. *Paulo ſupra.* Quia vtrumque Sacramentum eſt, & vtrumque homini datur: illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur; ideo in Catholica vtrumque non licet iterari, ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat iniuria. Ita & *lib. 1. De Bapt. cap. 1. & lib. De bono coniug. cap.* 24. Manet in Ordinatis Sacramentum Ordinationis, &c. 3. *Ex* ſacris Conc. *Calced. can.* . *Flor. & Trid. ſupra col.* 4. 29. 30. 31. & ex traditione, praxi, & Ritualibus Eccleſiæ. 4. *Ex* ipſa prouidentia Dei & Chriſti, de Sacramento, poteſtate, & gratia neceſſaria ad regimen Eccleſiæ. De Ordinibus autem inferioribus, ipſoque Epiſcopatu, non videtur eſſe tam certum dogmaticè, an ſinguli ſint Sacramentum: Quia nec in ſacra Script. diſtinctè exprimitur, nec in ſacris Conc. expreſsè definitur, niſi quòd ſacra Ordinatio ſit vnum ex 7. Sacramentis nouæ legis: quæ autem, & quomodo ſit vnum ex 7. eſt adhuc inter Scholaſticos controuerſum. Niſi quòd ſatis conſtet ſaltem Ordinationem Sacerdotalem eſſe talem: quia ad eam omnes Ordines inferiores diſpoſitiuè, Epiſcopatus autem quaſi cauſaliter, vt ad finem ſuum refertur, ſeu ad ordinandum Sacerdotes.

2. Præter Sacerdotium eſſe & alios Ordines inter ſe maiores & minores, per quos velut per gradus ad Sacerdotium tendatur: & Hierarchiam Eccleſiaſticam Diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. 1. *Ex* ſacra Script. vt *Act. 6. Phil. 1. Tit. 1. & 1. Tim.* 3. Vbi ſaltem exprimuntur Diaconi, & connumerantur Epiſcopis & Presbyteris. 2. *Ex* antiqua & continua doctrina ac praxi ſacrorum Conc. Pontificum, & Patrum. Nam *Conc. 4. Carthag.* cui intererat B. Aug. recenſet omnes Ordines, eorumque ritus ac officia. Quibus licet annumeret Cantorẽ ſeu Pſalmiſtam: monet tamen non ordinari ab Epiſcopo. *S. Clemens lib. 8. Conſtitut. S. Dion. Areop. De Eccleſ. Hier. cap. 5. S. Ignatius Epiſt. ad Antiochenos. S. Cypr. varijs Epiſt. S. Cornelius Epiſt. ad Fabianum. S. Hier. in cap. 2. ad Titum* referunt omnes aut pleroſque Ordines. 3. *Ex* omnibus antiquiſſimis Ritualibus. 4. Tandem ex ſacro Conc. *Flor.* ſupra *col.* 4. & *Trid. col.* 31. *can. 2. & 6.* vbi expreſsè definitur quod ſupra, ſaltem de Epiſcopis, Presbyteris, & eorum Miniſtris: ſub quibus definiuntur etiam plures Ordines maiores & minores; non tamen tam expreſsè & diſtinctè, vt de ſingulis ſit certa fide credendum fuiſſe à Chriſto Domino immediatè inſtitutos. Nam *ſeſſ. 23. cap.* 2. Non ſolùm, inquit, de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis ſacræ litteræ apertam mentionem faciunt, &c. *Et* ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, & propria miniſteria, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarij in vſu fuiſſe cognoſcuntur.] Vbi docet tantùm horum vſum ab initio Eccleſiæ, non tamen inſtitutionem ab ipſo Chriſto, niſi ſub communi ordinatione Miniſtrorum: præfertque Diaconatum tanquam certiorem ex ſacra Script. nec reſumit diſtinctè & dogmaticè inferiores Ordines *can. 2. & 6.* ſed in communi.

3. Credendum eſt hoc Sacramentum conſtare ſua materia, ſiue ſola traditione alicuius inſtrumenti, ſiue etiam manus impoſitione, imò & vnctione, ac forma verbali exprimente ſuum effectum. Ex Conc. *Carthag. 4. cap.* 2. 3. 4. vbi exigit manus impoſitionem, ad conſecrandos Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos: *Flor.* ſupra *col.* 1. De materia & forma Sacram. vbi exigit traditionem inſtrumenti: *Trid.* ſupra *col.* 31. *can.* 5. vbi exigit ſacram vnctionem, à qua & Sacerdotes ſpecialiter denominantur Chriſti, ſeu vncti Dei; & ex *quæſt.* 7. De Sacramentis in genere. Sed non ſatis conſtat quænam harum actionum ſit eſſentialis, vel tantùm cæremonialis.

4. Miniſtros ordinarios huius Sacramenti, ſaltem quoad Sacerdotium, eſſe ſolos Epiſcopos: eoſque iure Diuino Presbyteris ſuperiores, ſaltem poteſtate confirmandi & ordinandi, independenter ab omni poteſtate ſeculari, electione, vel conſenſu Principum, Magiſtratuum, aut Populorum. 1. Ex ſacris Script. *Matt. 16. & 18. Ioan. 20. & 21.* Vbi datur Apoſtolis, ſingulariter Petro, poteſtas ligandi & ſoluendi, claudendi & aperiendi, paſcendi & regẽdi, independẽter á ſuis inferioribus. *Act.* 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, &c. 1. *Tim.* 5. Aduerſùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Ergo Epiſcopus eſt Iudex Ordinarius Presbyteri. *Ad Heb.* 7. Quod minus eſt, à meliore benedicitur. 2. Ex ſacris Conc. *Ancirano can.* 11. *Antioch. can.* 10. *Laod. can.* 3. *Nicæno 2. can.* 30. *Flor. ſupra col. 4. Trid. col. 30. cap. 4. col. 31. can. 6. 7.* 3. Ex oppoſitis hæreſibus condemnatis, apud *Epiph. hæreſ. 75. S. Aug. hæreſ.* 53. Aërianorum, ab Aërio quodam, *qui cùm eſſet Preſbyter, doluiſſe fertur quòd Epiſcopus non potuit ordinari, &c. Dicebat etiam Preſbyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni.* Porro, ex Miniſtro huius Sacramenti ſatis conſtat etiam dogmaticè, de eius independentia ab inferioribus. 4. *Ex* ipſa priori miſſione Epiſcoporum ad conuerſionem & regimen populorum. Sed non æquè conſtat de conſecratione Epiſcoporũ ab vno vel pluribus ſimul Epiſcopis: de ordinatione inferiorum à ſolis Epiſcopis, vel etiam à ſimplicibus Sacerdotibus, ſaltem ex commiſſione Papæ; deque Iuriſdictione Epiſcopali iure diuino præ Presbyteris. *Ex* varijs hinc inde relatis canonibus, teſtimonijs Patrum, & commiſſionibus ſummorũ Pontif.

5. *Eſt* de fide, ſexum fœmineum eſſe de iure Diuino incapacem huius Sacramenti: Contra varias hæreſes oppoſitas. *Ex S. Epiph. hæreſ.* 49. *S. Aug. 27. Pepuziani, aliàs Quintiliani, &c. tantùm dantes mulieribus Principatum, vt Sacerdotio quoque apud eos honorentur, &c.* Cùm tamen 1. *Cor.* 7. Turpe ſit mulierem tonderi. 1. *Cor.* 14. Mulieri non liceat in Eccleſia loqui. *Et* ex natura ac pœna peccati, *Gen.* 7. mulier ſit ſubdita viro.

6. In hoc Sacramento conferri gratiam ad dignè fungendum poteſtate Ordinis: & imprimi Characterem. *Ex* Conc. *Flor.* ſupra *col. 1. Trid. col. 5. can.* 9. *Et* ex *q.* 10. De Sacramentis in genere.

nere. Sed quia non ſatis conſtat an Ordines diſtincti à Sacerdotio ſint etiam Sacramentum: nec ſatis dogmaticè conſtat an conferant gratiam & Characterem proprium.

7. Eccleſiam potuiſſe,& meritò ab antiquo obligaſſe ad continentiam omnes voluntariè ordinatos ſacris Ordinibus, & ſolenniter profeſſos: eoſque inhabilitaſſe ſeu reddidiſſe incapaces ad Matrimonium, non tantùm licitè, ſed nec validè contrahendum. 1. Ex ſacra Script. *Exod.* 12.19.28. 1. *Reg.* 21. 1. *Paral.* 24. *&c.* continendum fuit Sacerdotibus antiquæ legis ab vxoribus, ſaltem quando ſuâ vice ſacris vacabant: quantò potiùs & ſemper ſacris Miniſtris nouæ legis? Ad *Tit.* 1. Oportet Epiſcopum continentem eſſe, &c. i. ab vxore, inquit *S. Hier.* 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat ſe curis ſæcularibus. 1. *Cor.* 7. *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, &c. Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi.* Ibidemque conſulit coniugatis continere aliquando ex mutuo conſenſu, ad vacandum orationi: quantò potiùs & ſemper ad hoc ipſum ordinatis? 2. Ex ſacris Conc. *Ancirano can.* 10. *Neocæſar. cap.* 1. *Niceno* 1. *can.* 3. Ne Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi vllam mulierem domi habeant, præter matrem, ſororem, vel amitam. *Carthag.* 2. *can.* 2. *Romano ſub Syluestro. Arelat.* 2. in Gallia. *Elibert. & Tolet.* in Hiſpania; *Aquiſgranenſi, Wormatienſi, & Moguntino ante annos* 700. in Germania. *Trid.* ſupra *col.* 33. *can.* 9. & alijs. 3. Ex ſanctis Pontif. & Patribus, *Clemente* 1. *can.* 27. Apoſt. *Innoc.* 1. Epiſt. ad Victricium & ad Exuperium. *Leone* 1. *Epiſt.* 201. ad Anaſtaſ. *Origen. Hom.* 23. in Numeros. *Epiph. hæreſ.* 59. Catharorum,& ad finem omniũ hæreſum. *S. Chryſoſt. Hom.* 2. De patientia Iob. *Greg. Niceno* lib. De Virg. *S. Cypr.* lib. De ſingularitate Clericorum. *S. Ambr.* lib. De Officijs cap. vlt. *S. Hier.* contra Vigilantium. *Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti & Sedis Apoſtolicæ: quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* In fine Apolog. contra Iouin. *Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium pudici.* S. Aug. *lib.* 2. De adult. coniug. cap. 20. *Solemus eis proponere continentiam Clericorum.* Lib. 1. De moribus Eccleſiæ *cap.* 31.32. *Hæreſi* 82. Iouinianiſtarum, & alibi. 4. Ex decentia, & expeditione à varijs impedimentis & obligationibus coniugalibus.

*OBIECTIONES HÆRETICORVM.*

1. *Leuit.* 19. Nec in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam. *Leuit.* 21. & *Ezech.* 44. Sacerdotes non radent caput, neque barbam. *Ier.* 9. Contra omnes qui *attonſi ſunt in comam.* Quibus locis hæretici illudunt idiotis; quaſi contra tonſuram clericalem. *Reſp.* 1. Attonderi in comam, eſſe potiùs colere comam, quàm tonderi aut radi clericaliter. 2. Prohibitam fuiſſe raſuram ſeruilem totius capitis, inſtar mancipiorum,& damnatorum ad triremes: non autem tonſuram aut raſuram clericalem & honorariam. 3. Fuiſſe tantùm inhibitionem cæremonialem, & diſtinctam à tonſura & raſura ſuperſtitioſa quorundam Pſeudoſacerdotum Idolorum. 4. Hunc honorem coronæ clericalis reſeruatum fuiſſe Miniſtris nouæ legis. Hine *B. Hier.* Epiſt. 26. ad S. Aug. *Precor coronam tuam, &c.* S. Aug. Epiſt. 147. *Per coronam noſtram nos adiurant veſtri: per coronam veſtram vos adiurant noſtri.*

*OBIECTIO* 2.

Sacri Miniſtri antiquæ legis ordinabantur varijs cæremonijs, ſacræ etiam vnctionis: vt patet *Exod.* 30. 40. & *Pſal.* 132. Ergo ordinatio ſacrorum Miniſtrorum nouæ legis non eſt ſacramentalis; quia nec conſtat de certa materia, nec de certa forma, nec de certo Miniſtro, nec de certa Ordinatione quænam ſit Sacramentum, nec de certa inſtitutione Chriſti. *Reſp.* 1. Sacros Miniſtros antiquæ legis fuiſſe quidem primò valdè ſolenniter inſtitutos: ſed poſtea carnaliter propagatos. 2. Cæremonias illas antiquæ legis fuiſſe tantùm vmbras & figuras nouæ legis: ideoque illas non fuiſſe ſacramentales, ſed has. 3. Satis conſtare de aliqua materia & forma,ac Miniſtro ſufficientibus: quamuis non ita præcisè de neceſſarijs; ideoque nihil omitti poſſe. 4. Satis conſtare de Ordinatione ſacramentali, ſaltem ſacerdotali, à Chriſto inſtituta: ex ſacris ſcript. Concil.& Patribus ſupra; nec eſſe neceſſarium vt æquè conſtet de ſingulis.

*OBIECTIO* 3.

Chriſtus non diſtinxit ſuos Diſcipulos in maiores & minores: ſed etiam monuit eos vt cauerent ab hac prætenſione. *Reſp.* Diſtinxiſſe *Luc.* & *Ioan.* 6. eligendo 12. Apoſtolos ex pluribus Diſcipulis. *Matt.* 16. & *Ioan.* 21. præferendo Petrum omnibus in ligando, ſoluendo, & paſcendo: ſed monuiſſe omnes vt cauerent ab ambitione, præſumptione, & arrogantia ſtatus. Imò videtur Doctoribus antiquis, ſingulariter *S. Bonauenturæ Tom.* 6. *in Centiloquio p.* 3. *ſect.* 67. & *Tom.* 7. in compendio Theologicæ veritatis *lib.* 6. *cap.* 46. Chriſtum ipſum exercuiſſe omnes Ordines. 1. Oſtiarij, *Matt.* 21. eijciendo de Templo omnes in eo vendentes & ementes. 2. Lectoris, *Ioan.* 2. prælegendo librum Iſaiæ in Synagoga. 3. Exorciſtæ, *Luc.* 4. & 11. exorcizando dæmoniacos, & ſaliuâ ſuâ ſanando ſurdum & mutum. 4. Acolythi, *Ioan.* 8. dicendo, Ego ſum lux mundi. 5. Subdiaconi, *Ioan.* 13. præcingendo ſe linteo, & lauando pedes Diſcipulorũ. 6. Diaconi, *Matt.* 26. Corpus & Sanguinem proprium Diſcipulis ſuis in cibum & potum miniſtrando. 7. Sacerdotis, *Matt.* 26. *Luc.* 22. Corpus & Sanguinem ſuum incruentè & cruentè offerendo. Addi poteſt & Epiſcopi, ibidem, ſuos conſecrando & ordinando.

Nec obſtat quòd fortè non inſtituerit determinatè omnes & ſingulos ritus ordinandi ſacros Miniſtros, ſaltem inferiores: quia ſufficeret eum inſtituiſſe Miniſtros ſubordinatos & eorum miniſteria ac ritus aliquos in communi, determinandos per Apoſtolos. Neque etiam obſtat quòd hi Ordines variè referantur ab antiquis: quia id nonniſi occaſionaliter; ſed ijdem ex profeſſo à Conc. *Carthag.* 4. & *Trid. ſeſſ.* 14.

*OBIECTIO* 4.

Non fit vlla mentio traditionis alicuius vaſis ſacri, nec impoſitionis manus, nec vnctionis, imò nec talis formæ verbalis qualis eſt nunc, quando Chriſtus ſuos Apoſtolos conſecrabat & ordinabat:

 nec

Digitized by Google

*OBIECTIO 5.*

1. *Tim.* 4. Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum, ſiue Presbyteri, ſiue Presbyterij .i. plurium ſimul Presbyterorum, qui etiamnum imponunt manus ordinando in Presbyterum, vt *cap.* 3. *Conc. Carthag.* 4. Ergo non videntur ſoli Epiſcopi eſſe Miniſtri Ordinis Sacerdotalis, ſed etiam Presbyteri. 2. *Tim.* 1. Reſuſcites gratiam quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris: ſed virtutis & dilectionis, &c. Quæ ſi de ordinatione in Epiſcopum: eſſet de fide eſſe Sacramentum.

*Reſp.* Illud 1. *Tim.* 4. poſſe intelligi de prophetia, ſeu reuelatione facta Apoſtolo, ordinandi Timotheum, vel de ipſa forma verbali, ſeu prece myſtica: & de manuum impoſitione cæremoniali plurium Presbyterorum cum Epiſcopo, vel ſacramentali ad Presbyterium ſeu Presbyteratum. Hoc autem 2. *Tim.* 1. de ſola impoſitione Epiſcopali manuum, vt ſacramentali & efficaci: quia hîc dicitur *per*, ibi *cum*. Hinc patet ſolos Epiſcopos eſſe Miniſtros huius Sacramenti: nec hîc ſatis exprimi an de ſolo ſimplici Presbyteratu, vel de Epiſcopatu loquatur.

*OBIECTIO 6.*

*Act.* 1. S. Matthias fuit electus in Epiſcopum & Apoſtolum, ab omnibus fidelibus ſimul congregatis: ergo dependet ab hac electione. *Phil.* 1. Apóſtolus conſalutat Epiſcopos & Diaconos illius Eccleſiæ: ergo erant plures Epiſcopi ſeu Presbyteri epiſcopales eiuſdem Eccleſiæ. Ad *Tit.* 1. Iubet inſtitui *Presbyteros: oportet enim Epiſcopum eſſe, &c.* S. Cypr. *lib.* 5. *Epiſt.* 4. teſtatur morem antiquum populi Chriſtiani eligendi ſibi Paſtores, eſſe ex authoritate Diuina. *S. Hier. in cap.* 1. *ad* Titum. *Idem eſt Presbyter qui Epiſcopus: & antequam diaboli inſtinctu diceretur, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, 1. Cor. 1. *communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero vnuſquiſq; eos quos baptizauerat ſuos putabat eſſe, non Chriſti: in toto orbe decretum eſt vt vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchyſmatum ſemina tollerentur.* Infra. *Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos: ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores, & in commune debere Eccleſiam regere.* Ita & *Epiſt.* 85. *ad Euagrium.* S. Ambr in cap. 4. ad Eph. *Primi Presbyteri, Epiſcopi appellabantur: vt eo recedente, ſequens ei ſuccederet. Apud Ægyptum, Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inueniri, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, vt non Ordo ſed meritum crearet Epiſcopum.* In 1. Tim. 3. *Epiſcopi & Presbyteri vna ordinatio eſt, &c.* S. Aug. Epiſt. 19. ad S. Hier. *Quamuis ſecundùm honorum vocabula, quæ iam vſus Eccleſiæ obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit: in multis tamen rebus Auguſtinus Hieronimo minor eſt,*

*Reſp. Ad Act.* 1. Vel fuiſſe tantùm commendationem & orationem communem pro electione S. Matthiæ: vel etiam electionem quandam perſonarum digniorum; non neceſſariò quaſi ex iure Diuino, ſed ex libera S. Petri relatione ad conſilium & electionem fidelium, vt monet S. Chryſ. in hunc locum. *Ad Phil. & Tit.* 1. Epiſcoporum & Presbyterorum nomen, imò & officium regendi, videtur tunc fuiſſe commune. *Ad S. Cypr.* Vult eſſe ex authoritate Diuina tantùm remotè, ſeu ab exemplo Dei, *Num.* 20. in electione Eleazari. *Ad S. Hier.* In hoc procul eſt ab errore Aerij: quia hic *negabat Epiſcopum debere vllâ differentiâ diſcerni à Presbytero*, vt refert *B. Aug. hæreſi* 53. Sed S. Hier. præfert Epiſcopos poteſtate Ordinis, ſeu ordinandi, in ipſa *Epiſt. ad Euagrium*, & iuriſdictione ſaltem ab Eccleſia: imò, ſæpè præfert S. Petrum, eiuſque ſucceſſores omnibus alijs Epiſcopis, iure Diuino. Vt *lib.* 1. *contra Iouin. Epiſt.* 25. & 26. *ad Damaſum Papam, & alibi.* Vnde videtur tribuere totam iuriſdictionem actualem Papæ, iure Diuino Chriſti: Epiſcopis autem nonniſi à Papa, iure Eccleſiaſtico. *Ad S. Ambr.* Refert tantùm Presbyteros ſoliuſſe ſuo ordine ſuccedere in Epiſcopos: vel fuiſſe ſimul ordinatos Presbyteros & Epiſcopos, non tamen eadem ordinatione; nec ſimul æqualiter præfuiſſe, ſed vnum præ reliquis, donec eo decedente alius ſuccederet. Adde non conſtare hos Commentarios eſſe S. Ambr. *Ad S. Aug.* Per honorum vocabula non intendit vanos titulos: ſed res ſeu dignitates his titulis honoratas & diſtinctas. Nam præfert Sanctum Hier. ſibi perſonaliter: ſed ſuam dignitatem Epiſcopalem eius Presbyterio. Vt ipſe Hier. fatetur *Epiſt.* 11. ad Aug. *Tu qui iuuenis es, & in Pontificali culmine, doceto populos: mihi ſufficit cum auditore & lectore pauperculo, in angulo Monaſterij ſuſurrare.* Patetque ex varia inſcriptione Epiſtolarum B. Aug. ad Coëpiſcopos, vel Compresbyteros: ex diſtinctione operum B. Aug. ante Presbyteratum, poſt Presbyteratum, & poſt Epiſcopatum: Ex calumnia ei obiecta ne ordinaretur Epiſcopus, lib. 3. contra Petil. cap. 56. *Quod de me adhuc Presbytero ſcripſit, iratus ordinator futurus Epiſcopatus mei, &c.* Ex hac ab eo relata *hæreſi* 53. *Aerij*, quòd *Presbyter ab Epiſcopo nullâ differentiâ debeat diſcerni.* Denique, ex plurimis eius præconijs, pro primatu S. Petri, & ſucceſſione legitima Epiſcoporum, non ſolùm in Eccleſia Romana, ſed & in omnibus Apoſtolicis, vt ſigno veræ Eccleſiæ.

*OBIECTIO 7.*

Matrimonium ad generationem, eſt de lege Dei, naturali, & poſitiua. *Gen.* 1. Creſcite & multiplicamini. 1. *Cor.* 7. Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. 1. *Tim.* 5. Volo iuniores nubere, filios procreare, &c. 1. *Tim.* 3. & *Tit.* 1. Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, &c. habentem filios, &c. *Sap.* 8. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det. *Matt.* 19. Non omnes capiunt verbum hoc. 1. *Cor.* 7. Vnuſquiſque donum ſuum habet à Deo, &c. Meliùs eſt nubere quàm vri. 1. *Tim.* 4. Erunt in nouiſſimis diebus ſeductores, *prohibentes nubere.* Ergo nullus poteſt ſeipſum obligare ad continentiam perpetuam: multò minùs Eccleſia tot Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes, in tantum periculum & ſcandalum fornicationum, adulteriorũ, & puericidiorũ; vt teſte Vdalrico Epiſcopo Auguſtodunenſi, ad Nicolaum Papum, 6. millia

capita

Digitized by Google

capita infantium necatorum reperta fuerint in piſcina S. Gregorij Romæ; vnde & eum pœnituerit huius obligationis inductæ.

*Reſp.* Matrimonium eſt legis naturæ & Diuinæ. .i. ſecundùm eam: non tamen continentia eſt contra, ſed ſupra hanc legem, & ſecundùm aliam perfectiorem. Nec concupiſcentia matrimonij eſt legis naturæ, ſed potiùs contra. *Ad Gen.* 1. Creſcite & multiplicamini; Non eſt præceptum ad ſolos homines, ſed benedictio communis omnium animalium; aut obligabat tantùm ad replendam terram hominibus vacuam; vel non obligat omnes, & ſingulos ad conſeruationem ſpeciei, ſed tantùm aliquos determinandos in caſu neceſſitatis. Nunc autem potiùs conuertendi ſunt homines à nimia repletione terræ, ad replendum Cœlum, vt monet *S. Hier. lib.* 1. *in Iouin. Ad* 1. *Cor.* 7. & 1. *Tim.* 5. Apoſt. id non præcipit aut conſulit: ſed tantùm indulget, vt ipſemet ibidē exprimit, cōſulens potiùs omnibus continentiam, imò & 1. *Tim.* 5. damnans iuniores viduas volentes nubere contra fidem datam continendi. Nec eſt omnibus indulgendum vt minùs malum, aut vt neceſſarium ad non peccandum: tum quia eſſet contra dignitatem, decorem, & ſtatum continentiæ in Eccleſia Dei: tum quia ſine pœnitentia ſunt dona Dei, *Rom.* 11. i. nec eſt nobis pœnitendum de dono &, obligatione continendi; nec Deum pœnitet huius ſui doni, ſeu illud ex ſe reuocat poſt obligationem, ſed continuat. Nam ſi non valeret aut liceret obligatio ad perpetuam continentiam, ſed tantùm vſque ad difficultatem continendi: nec valeret aut liceret obligatio perpetua coniugalis; ſed tantùm vſque ad expertam difficultatem cōuiuendi cum hac vel illa. *Ad* 1. *Tim.* 3. & *Tit.* 1. *Vnius vxoris virum*: non quaſi neceſſariò coniugatum, ſed non Bigamum; quia nunquam in Eccleſia fuit polygamia vxorum ſimul. *Habentem filios*: non neceſſariò, ſed nonniſi benè morigeratos. *Habentem* autem, ſed non ampliùs generantem. Ex S. Chryſ. in illum locum, *Ambr. Epiſt.* 82. *Ad* 1. *Tim.* 4. Prædictio prohibiturorum nuptias, & quaſdam eſcas: eſt quaſi hæ & illæ ex natura ſua eſſent malæ; vt patet ex illo contextu. Hinc non eſt contra votum liberum, nec contra præceptum conditionatum continendi, ſi qui velint Ordines ſuſcipere, ad honorē & decorem illius ſtatus: ſed contra Marcioniſtas & Manichæos, qui damnarunt nuptias, & quaſdam eſcas vt naturâ ſuâ malas; quamuis à multis ſæculis, tamen in nouiſſimis temporibus, ſeu hac vltima ætate mundi, & diu poſt obligationem ac ſtatum continentiæ in Eccleſia Dei. Vt patet ex *B. Aug. lib.* 30. *contra Fauſtum cap.* 4. 5. 6. vbi refert & retorquet hanc ipſam obiectionem Manichæorum ex 1. *Tim.* 4. & toto lib. de Virginitate, ſeu virtute & ſtatu Virginitatis. In *Pſal.* 75. 83. 99. *Serm.* 10. *De diuerſis, &c.* De varijs votis Continentiæ & Virginitatis perpetuæ, quamuis non ſine quorundam abuſu. Ad illud periculū tot tantorumque peccatorum: non oritur ex obligatione perpetua continendi; ſed ex concupiſcentia, ac malitia communi, tam laicis etiam coniugatis, quàm ſacris perſonis. Quia vt monet *S. Aug. Epiſt.* 137. ad plebem Hipponenſem. *Ad quid ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales credant, iactent, contendant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi cùm aliqua maritata inuenitur adulterata, nec proyciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de ijs qui ſanctum nomen profitentur aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit: inſtant, ſatagunt, ambiunt vt de omnibus hoc credatur.* Nec illa pſeudo-hiſtoria habet vllam veriſimilitudinem: quia nec omnes fornicarij potuiſſent ad hoc conſpirare: nec in idem factum, & eandem piſcinam caſu incidere; nec tot capita tamdiu latere; nec facinus tam publicum omnes hiſtorias Eccleſiaſticas euadere: nec S. Greg. obligationem continendi introduxit, nec vnquam relaxauit, aut improbauit, ſed ſemper rigidè in tota Eccleſia obſeruauit. Hinc patet opprobrium inexcuſabile Lutheranorum ſeu Proteſtantium: qui non reſeruarunt niſi laruam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, Sacrificij, & Sacramentorum. Cùm nec habeant Epiſcopos conſecratos, nec Sacerdotes ab illis ordinatos, nec reliqua inde pendentia.

## *QVÆST.* 2. *SCHOLASTICA.*

*Quænam ſint Scholaſticè certiora, aut probabiliora?* An, & quis alius Ordo quàm Sacerdotium ſit Sacramentum? Quæ eius materia, forma, & Miniſter ordinarius, vel commiſſarius? Quo iure Papa ſit ſuper Epiſcopos, Epiſcopi ſuper Presbyteros, & hi ſuper alios Miniſtros, &c? Circa quæ Doctor noſter Subtilis conſentit S. Bon. niſi quòd ille abſolutè, hic potiùs problematicè: ſed vterq; videtur diſſentire à ſacris ſcript. Conc. aut ſaltem ab opinione communiori & probabiliori, de Ordine & Sacramento Ordinationis Epiſcopalis, potiùs quàm inferiorum Ordinum.

## *Reſponſio, & Conciliatio.*

Certiora & probabiliora Scholaſticè, ſunt. 1. Epiſcopatum eſſe ſupremum Ordinem, ipſamque ordinationem in Epiſcopum, eſſe verum Sacramentum, ſiue vnum genere cum Sacerdotio, ſiue quadam ſubordinatione. Quia id eſt conformius ſacræ Scripturæ ſupra, quæ videtur potiùs loqui de ordinatione Epiſcopali vt efficaci gratiæ, quàm de ſimplici Sacerdotali: & facto Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. vbi cap. 3. docet Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex 7. Eccleſiæ Sacramentis. *Cap.* 4. Declarat Epiſcopos ad Hierarchicum Ordinem pertinere, Presbyteris ſuperiores eſſe, Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, &c. quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. *Can.* 2. Præter Sacerdotium eſſe in Eccleſia alios Ordines maiores & minores. *Can.* 3. Sacram ordinationem eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto inſtitutū. *Can.* 6. Eſſe in Eccleſia Hierarchiam ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris. *Can.* 7. Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores, & habere poteſtatem propriam ordinandi & confirmandi. Deinde quia confertur per impoſitionem manuum, cui ſacra Scriptura tribuit collationem gratiæ, & per formam verbalem exprimentem dari Spiritum S. vt patet ex *S. Dion. cap.* 5. *Eccl. Hier. Conc. Carthag.* 4. & Ri-

Digitized by Google

Ritualibus. Denique ex propria poteſtate Epiſcopali confirmandi & ordinandi, quæ requirit gratiam ſpecialem ad tam ſacras functiones.

2. Videtur probabilius ordinem Epiſcopalem conferri poſſe, imò & actû conferri ab vnico Epiſcopo, quamuis pluribus aſſiſtentibus. 1. Quia quamuis varij & antiquiſſimi Canones ſeuerè exigant plurium ad hoc Epiſcoporum præſentiam: Apoſtolus tamen 2. *Tim.* 1. tribuit gratiam huius Ordinis impoſitioni manuũ ſuarum, quamuis 1. *Tim.* 4. cum impoſitione manuum Presbyteri .i. ſiue aliorum Coepiſcoporum, ſiue Presbyterorum, ſiue ad Presbyteratum. 2. Quia antiqui Canones exigunt tantum duos vel tres Epiſcopos: ergo numerus non eſt eſſentialis. 3. Quia in Conc. *Carthag.* 4. *cap.* 2. dicitur vnicus Epiſcopus inter plures cooperantes *fundere benedictionem* ſuper Ordinato in Epiſcopum .i. vel gratiam, vel formam, vel fortè ſacrum vnguentum. 4. In Pontificali Romano vnicus ex Epiſcopis dicitur conſecrator: reliqui duo, aſſiſtentes. 5. Eſſet moraliter impoſſibile, plures Epiſcopos præciſè concurrere ad perficiendum Sacramentum ex eadem materia & forma, in eodem inſtanti ſimul. 6. Fuiſſet nimis difficile ab initio Eccleſiæ, plures Epiſcopos ad hoc eſſe neceſſarios. 7. Solus Chriſtus ordinauit primum Epiſcopum, & cum eo, vel per eum alios.

3. Duplicem eſſe materiam & formam partialem Ordinationis Sacerdotalis: vt & cõſecrationis Corporis & Sanguinis Chriſti. *Ex Scoto col.* 844. Altera eſt, ad poteſtatem conſecrandi & offerendi, per traditionem vaſis ſacri. & expreſſionem verbalem dandi actu hanc poteſtatem: altera, ad poteſtatem abſoluendi, per impoſitionem manus. & expreſſionem verbalem dandi actu hanc poteſtatem. Sic enim facilè conciliatur *Conc. Flor.* ſupra exigens traditionem Calicis & vini, Patenæ & panis conſecrandi, cum *Conc. Carthag. cap.* 3. referente ſolam impoſitionem manus ab Epiſcopo & Presbyteris. Quoad vnctionem autem manuum, quamuis videatur Hoſio *in Conf. Cath. cap.* 50. ſacramentalis: eſt tamen potiùs cæremonialis, ex *Trid. ſeſſ.* 23. *can.* 5. vbi comparatur cum *alijs cæremonijs*.

Nec obſtat quòd nec Chriſtus, nec Apoſtoli videantur vſi vllius rei traditione, ſed hi ſola manus impoſitione. 1. Quia Chriſtus tradidit Apoſtolis ſuis Panem & Calicem conſecratum: non ſolùm ad comedendum & bibendum, ſed etiam ad hoc ipſum faciendum; & aliis miniſtrandum, dicens, *Hoc facite, &c.* 2. Potuit vti poteſtate excellentiæ, ordinando per ſeipſum: & tamen inſtituere alijs certam materiam & formam ordinandi. 3. Vt ſæpè ſacra Script. à parte totum ſignificat: ſic etiam à materia partiali ſacræ Ordinationis, poteſt ſignificare totam materiam, & formam. 4. Per impoſitionem manus poteſt etiam intelligi quælibet porrectio & traditio vaſis ſacri. Vt *S. Bon. col.* 838. *l.* 18. 5. Chriſtus potuit determinare vaſa ſacra futura, ſeu facienda, imò & aliqua præſentia.

4. Ordinationem ſaltem Diaconatus, per manuum impoſitionem, ac traditionem Euangeliorum, cum forma exprimente dari Spiritum S. eſſe etiam verum Sacramentum pertinens ad idem genus, vel finem huius Sacramenti, ſeu ſacræ ordinationis. *Ex Act.* 6. & *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. & *can.* 6. De *Hierch. Eccl.* diuina ordinatione inſtituta, ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, ſaltẽ Diaconis.

5. Collationem omnium Ordinum eſſe Sacramentum. 1. Ex *S. Bon.* & *Scoto*: vt ex communi opinione ſui temporis. 2. Ex Doctrina communi SS. Patrum ac Conciliorum de Sacramento Ordinis, & diſtinctione Ordinum in Maiores & Minores; &c. 3. Ex Conc. *Flor.* De Sacramento Ordinis: & conſequenter de materia & forma ſingulorum Ordinum. 4. Ex *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. vbi enumeratis 7. Ordinibus, ſubdit *cap.* 3. *Ordines eſſe propriè & verè vnum ex* 7. *Eccleſiæ Sacramentis.*

6. Collationem Ordinum inferiorum committi poſſe à Summo Pontifice, ſolis ſimplicibus Sacerdotibus: non tamen ordinationem Epiſcoporum & Sacerdotum, nec fortè etiam Diaconorum. Ex ſacro Conc. *Trid. ſeſſ.* 23. *De Reform. cap.* 10. *Abbatibus ac alijs quantumuis exemptis, non liceat in poſterùm cuiquam qui regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram vel minores Ordines conferre.* Ergo ſupponit hoc poſſe committi, & quibuſdam commiſſum eſſe. Vt conſtat ex *Nauar. lib.* 5. *Conſilio* 13. & alijs, qui teſtantur ſe etiam vidiſſe tales commiſſiones expreſſas, à Summo Pontifice. 2. Ex quodam Conc. Meldenſi, & Gelaſio 1. *Epiſt.* 21. *c.* 8. quòd Presbyter non habeat ius ordinandi Subdiaconũ aut Acolythum, *ſine Summo Pontifice.* 3. *Ex Heb.* 7. *Sine vlla cõtradictione, quòd minùs eſt à meliore benedicitur:* ergo non poteſt quis ordinari à minori vel æquali. Sed nec videtur Diaconus ordinari poſſe à ſimplici Presbytero: quia hic ordinatur etiam per manus impoſitionem, & connumeratur Epiſcopis ac Presbyteris in Hierarchia Eccleſiæ, à ſacra Scipt. ſupra; nec conſtat de vlla vnquam tali eorum ordinatione niſi ab Epiſcopis; & Archidiaconi ſunt Iuriſdictione Superiores Presbyteris.

7. Solum Papam eſſe iure Diuino Superiorem Iuriſdictione, non Ordine, omnibus Epiſcopis: Epiſcopos autem alijs Sacerdotibus, non niſi iure Eccleſiaſtico. 1. Ex *Matt.* 6. *Tibi dabo, &c.* Ioan. 21. *Paſce oues meas,* ſingulariter & excellenter ad S. Petrum ex officio proprio: ad reliquos autem Apoſtolos, *Matt.* 18. *Ioan.* 20. nonniſi ex commiſſione. 2. Ex varijs Scripturis & Patribus ſupra, de communi nomine ac Iuriſdictione Epiſcoporum & Presbyterorum ab initio Eccleſiæ. 3. Ex poſſibili ordinatione Epiſcoporũ cũ varia vel nulla Iuriſdictione actuali. 4. Ex Iuriſdictione Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium ſupra Epiſcopos. 5. Ex poſſibili ſuſpenſione ac degradatione Epiſcoporum. 6. Ex Iuriſdictione Archidiaconorum æquali cum Epiſcopis, ſupra Sacerdotes. 7. Ab exemptione Regularium, & variorum Collegiorum, ac Perſonarum, à Iuriſdictione Epiſcoporum.

*OBIECTIONES.*

1. *S. Bon. d.* 24. *art.* 2. *q.* 3. & *Scotus q. vnica.* Negant ex profeſſo Epiſcopatum eſſe propriè Ordinẽ, aut in eo conferri nouum Characterem vel poteſtatem. Imò Scotus videtur dubitare de Charactere Epiſcopali.

*Reſp.* 1. Negant Ordinem eſſe Sacramentum: quia eſt ipſe effectus ſacræ ordinationis, quæ eſt Sacramentum. 2. Negant Epiſcopatum eſſe Ordinem

dinem

Digitized by Google

dinem diſtinctum à Sacerdotio: quia eſt quaſi ſpecies principalis contenta ſub Sacerdotio. 3. Negant Epiſcopatum eſſe Ordinem adæquatè & præcisè diſtinctum à ſimplici Sacerdotio: quia hoc eſt quaſi de eſſentia illius. 4. Negant eſſe ſuperiorem ſimplici Sacerdotio præcisè ſumpto: quia hoc eſt immediatè ad conſecrationem Corporis & Sanguinis Chriſti; ille præcisè & immediatè ad ſolam ſacram ordinationem. 5. Videntur negare eſſe Ordinem. Tum quia vt prima tonſura non eſt gradus, ſed quaſi pauimentum perſonarum ſacrarum: ſic nec Epiſcopatus eſt gradus, ſed ſtatus ſupremus Hierarchiæ. Tum quia eſt potiùs Ordo actiuus, ſeu ordinans, vel ad ordinandum, quàm Ordo paſſiuus, ſeu ordinatus. Tum denique, quia Ordines coordinantur, & ſubordinantur ad ſacrificandum vel miniſtrandum Sacrificio: non ſic præcisè Epiſcopatus, ſed ad ordinandum Sacerdotes & Miniſtros Sacrificij. 6. Negant in eo conferri nouum Characterem, aut poteſtatem: ſed non negant, imò docent augeri. Quòd ſiue intenſiuè, ſiue extenſiuè, ſiue vtroque modo: non poteſt eſſe ſine aliquo indelebili. Nec Scotus de hoc dubitat: ſed improbat vanam quorundam altercationem, an eius Character ſit indelebilis à Papa, vel non: quia, inquit, ſi non ſit Ordo, ſed tantùm Iuriſdictio, poteſt auferri vel ſuſpendi ab omni actu, etiam valido. Quam duplicem ſuppoſitionem, *ſi non ſit Ordo, ſed tantùm Iuriſdictio*: non approbat, negando eſſe Ordinem, vt ſupra; quia non vult eſſe ſolam poteſtatem Iuriſdictionis, ſed Ordinis ordinantis, ſeu ad ordinandum, &c. Imò cùm valor abſolutionis pendeat à iuriſdictione: eſt etiam dubium, ſed non Scoti, de valore ordinationis à degradato.

OBIECTIO 2.

Sunt tantùm 7. Sacramenta nouæ legis: ergo nec Epiſcopatus, nec Diaconatus ſunt Sacramenta; quia reliqua ſingula ſunt vnica numero, vel ſpecie infima; ergo & Sacramentum Ordinis. *Reſp.* Nec Sacramentum Euchariſtiæ, nec extremæ Vnctionis eſſe vnum vnitate indiuiſibilitatis, ſed vnitate integritatis: quid ergo mirum quòd Sacramentum ordinis ſit tantùm vnũ genere, vel ſubordinatione?

OBIECTIO 3.

Singuli Ordines non ſunt à Chriſto immediatè inſtituti, quoad determinatam materiam & formam, quia tunc non erant tales materiæ: nec habent diſtinctos effectus; quia in Pontificali Romano, officium prædicandi tribuitur Epiſcopo, Presbytero, Diacono, & Lectori, &c. *Reſp.* Materiam ſatis determinatam fuiſſe, vt aptam, vel aptandam ad vſum ſeu miniſterium ſingulorum Ordinum: formam, vt ſignificatiuam actus exerciti vel exercendi: ſingulos autem Ordines habere ſuos proprios actus principales; ſed quoſdam etiam ſecundarios quaſi communes, ſuis tamen modis appropriatos. Nam Officium ordinarium prædicandi principaliter eſt Epiſcoporum, ſecundariò Sacerdotum: miniſterium, ſolemne prædicandi ſub Sacrificio Miſſæ, eſt Diaconorum, ſed prælectio & præparatio Auditorum, eſt Lectorum.

OBIECTIO 4.

*Act.* 6. Refertur Diaconos fuiſſe tantùm ordinatos occaſionaliter, ad miniſterium menſarum. *Reſp.* Non ipſum Diaconatum, ſed illos Diaconos fuiſſe tunc ordinatos ad ſuum finem principalem: ſed ſecundariò, præfectos menſis pauperum, contra occaſionem illam murmurandi. 1. Quia electi ſunt viri pleni Spiritu Sancto. 2. Fuerunt ordinati ſolemni manuum impoſitione. 3. Vacabant præcipuè miniſterio Baptizandi & prædicandi: vt patet ex *Act.* 8. & aliunde. 4. Non tantùm erant Diaconi Ieroſolimis, ſed vbique: primariò ad diſpenſandum Calicem Sanguinis Chriſti, ſecundariò ad diſpenſandum bona Eccleſiæ Pauperibus.

OBIECTIO 5.

Anacletus Papa *Epiſt.* 3. *cap.* 2. & *Damaſc. Epiſt.* 4. negat Deum inſtituiſſe, vel Apoſtolos docuiſſe plures Ordines quàm duos. i. Epiſcopatum & ſimplex Sacerdotium. *S. Cypr. lib.* 2. *Epiſt.* 9. Negat Diaconos eſſe ordinatos à Chriſto. *Reſp.* Illi negant plures Ordines Sacerdotum, quàm illos duos: hic autem non negat Diaconos eſſe à Chriſto inſtitutos, ſed actualiter ordinatos, niſi per Apoſtolos.

OBIECTIO 6.

*Ex Cap. Presbyter de Sacramentis non iterandis.* Manus impoſitio in Ordinatione Sacerdotum & Diaconorum, eſt ritus ab Apoſtolis introductus: ob cuius omiſſionem non eſt iteranda ordinatio, ſed ſtatuto tempore conferendi Ordines, ſupplendum eſt quod per errorem fuit omiſſum. *Reſp.* 1. Eſt ritus ab Apoſtolis introductus in vſum, non autem inſtitutus. 2. Ad quæſtionem cuiuſdam Epiſcopi ibi reſpondetur ſupplẽdum eſſe quod defuit: ergo id non eſt tantùm cæremoniale.

OBIECTIO 7.

*Vaſquez diſp.* 142. *cap.* 4. teſtatur ſe vidiſſe priuilegium authenticum, quo *Innocen.* 8. ab an. 1489. committit Abbati Ciſtercienſi poteſtatem ordinandi ſuos Monachos, in Diaconos, & Subdiaconos. *Reſp.* Hanc quaſi vnicam commiſſionẽ non eſſe credibilem: ſed vel ſuppoſititiam, vel ſoli illi Abbati, qui fortè erat Epiſcopus, non autem eius ſucceſſoribus; vel denique non tam ad ordinandum per ſe, quàm per quemlibet Epiſcopum.

OBIECTIO 8.

*Conc. Antioch. cap.* 10. monet Chorepiſcopum non debere ordinare Presbyteros, nec Diaconos, ſine conſenſu Epiſcopi eorum: Chorepiſcopus autem non erat verus Epiſcopus; ergo non ſolus Epiſcopus poteſt ordinare veros Diaconos & Subdiaconos. *Reſp. Conc. Antioch.* loqui de Chorepiſcopis, qui erant veri Epiſcopi, ſed ſine ſubditis, & vera Iuriſdictione: quales ſunt nunc Suffraganei; ſed *Damaſc. Pap. Epiſt.* 4. improbat tales Epiſcopos ſeu Chorepiſcopos, imò & Can. illum Conc. *Antioch.* vt contrarium prioribus ſtatutis Eccleſiæ.

OBIECTIO 9.

*Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *& can.* 7. docet *Epiſcopos Presbyteris ſuperiores eſſe, Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, & alia pleraque peragere poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Ergo ſunt ſuperiores iure Diuino: nec vlli inferiores habent ad illa vllam poteſtatem, ne quidem commiſſariam. *Reſp.* Iure Diuino ſunt ſuperiores ordine: non autem neceſſariò Iuriſdictione ſaltem actuali; nec vlli inferiores habent vllam poteſtatem Ordinis



Digitized by Google

ad proprias functiones Ordinis Epiſcopalis; nec habere ſolam commiſſionem à Papa ad confirmandum, vel ordinandum, eſt habere propriè vllam poteſtatem, ſed ſolum vſum, & miniſterium poteſtatis Epiſcopalis.

OBIECTIO. 10.

Epiſcopi denominantur à ſuperioritate Iuriſdictionis, habentque ex ſua ordinatione curam animarum, ac Iuriſdictionem etiam externam in ſubditos. Nam conſecrans Epiſcopum dicit illi: *Epiſcopum oportet iudicare, &c.* *Reſp.* Epiſcopos iure Diuino debere eſſe capaces iudicandi,& curam gerendi ſubditorum: non tamen iure Diuino, aut ex ſua ordinatione habere locum determinatum, nec ſubditos ſuæ Iuriſdictionis; ſed ſi quos iure Eccleſiaſtico habeant, debere iure Diuino eorum curam gerere, nec poſſe priuari Iuriſdictione neceſſaria ad hanc ſuorum curam gerendam.

QVÆST. 3. MORALIS.

*Quænam ſint obligationes Ordinantiũ, & Ordinatorũ?*

*Reſp.* 1. Credendi quæ ſunt credenda de hoc Sacramento, ſupra: contra omnes hæreſes oppoſitas, Wideffi, Ioan. Hus, Lutheri, Calu. &c. vt *col.* 86.

2. Obſerandi omnes ritus Sacramentales: eoque perfectiùs, quo minùs conſtat quinam ſint præciſè eſſentiales, qui tantùm cæremoniales. Quorum principales recenſet Magiſter *diſt.* 24. Scotus autem *col.* 842. refert ſe ad *libros Epiſcopales*. Porro ex Pontificali Romano, edito Antuerpiæ 1627. poſt cæremoniam Clericatus conferendi ab Epiſcopo, tondendo ſeu incidendo extremos capillos futuri Clerici, dicentis *Dominus pars, &c.* & induendo eos ſuperpelliceo, dicendo, *Induat te Dominus nouum hominem, &c.* Ordinantur Oſtiarij, tradendo eis Claues Eccleſiæ tangendas,& dicendo: *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro ijs rebus quæ his clauibus recluduntur.* Ordinantur Lectores, tradendo eis codicem tangendum, ex quo lecturi ſunt,& dicendo: *Accipite, & eſtote Verbi Dei relatores, habituri ſi fideliter & vtiliter impleueritis officium veſtrũ, partem cum ijs qui Verbum Dei benè adminiſtrauerunt ab initio.* Ordinantur Exorciſtæ, tradendo eis librum Exorciſmorum, vel Pontificale, aut Miſſale tangendum, & dicendo: *Accipite, & commendate memoriæ: & habete poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſiue Baptizatos, ſiue Catechumenos.* Ordinantur Acolythi, ſeu Ceroferarij, tradendo eis Candelabrum cum Candela extincta, tangendum, dicendo: *Accipite Ceroferarium cum Cereo, & ſciatis vos ad accendenda luminaria Eccleſiæ mancipari, in nomine Domini: deinde tradendo eis vrceolum vacuum tangendum, & dicendo: Accipite vrceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti, in nomine Domini.* Ordinantur Subdiaconi, induendo eos amictu, manipulo, & tunica, dicendo: *Accipe amictum, &c. Accipe manipulum, &c. Tunica iucunditatis induat te Dominus, &c.* Sed præcipuè tradendo eis librum Epiſtolarum tangendum, & dicendo: *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, &c.* Ordinantur Diaconi, imponendo eis manum dexteram ſuper caput cuiuſque, & dicendo: *Accipe Spiritum S. ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius, in nomine Domini.* Deinde imponendo eis ſtolam ſuper humero ſiniſtro, & induendo eos Dalmatica, dicendo: *Accipe ſtolam, &c. Induat te Dominus Dalmatica, &c.* Denique tradendo eis librum Euangeliorum tangendum,& dicendo: *Accipite poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia, tam pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Ordinantur Presbyteri. 1. Imponendo eis ſtolam ab humeris ante pectus in formam crucis, dicendo: *Accipe iugum Domini: iugum enim eius ſuaue eſt, & onus leue.* 2. Imponendo eis Caſulam, & dicendo: *Accipe veſtem Sacerdotalem, per quam Charitas intelligitur, &c.* 3. Inungendo eis ambas manus oleo Cathecumenorum, & orando: *Conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam vnctionem, & noſtram benedictionem; vt quæcunq; benedixerint benedicantur; & quæcunq; conſecrauerint conſecrentur, & ſanctificentur, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 4. Tradendo eis in manus Calicem cum Vino & Aqua, & Patenam cum Hoſtia, dicendo: *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo, Miſſaſq; celebrare, tam pro viuis quam pro defunctis, in nomine Domini.* 5. Sacerdotes ordinati monentur vt ſimul cum Epiſcopo verba conſecrationis proferant, eodemque momento finiant. 6. Imponendo ambas manus ſuper ſingulorum capita, & dicendo: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta ſunt.* Conſecratur Epiſcopus, ab vno conſecrante, ſed duobus Epiſcopis aſſiſtentibus. 1. Imponendo ſimul ambas manus ſuper caput conſecrandi, vſque ad eius tactum,& dicendo ſimul: *Accipe Spiritum S.* 2. Vngendo caput eius Chriſmate, & dicendo: *Vngatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione, in Ordine Pontificali.* 3 Vngendo ambas manus coniunctas, Chriſmate, & dicendo: *Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & Chriſmate ſanctificationis; ſicut vnxit Samuel Dauid Regem & Prophetam, ita vngantur & conſecrentur.* 4. Benedicendo & tradendo ei baculum Paſtoralem, annulum Fidei,& librum Euangelij prædicandi, dicendo: *Accipe baculum, &c. Accipe annulum. Accipe Euangelium.*

3. Obligatio Ordinandorum eſt tangendi materialiter & immediatè quæ eis traduntur tangenda: quia quidam cenſent eſſe de neceſſitate Sacramenti; ſed ſaltem eſt de neceſſitate præcepti.

4. Obſeruandi Cenſuras Eccleſiæ, Excommunicationes, Suſpenſiones, Irregularitates: de quibus ſupra *Col.* 803. 814. 818. 819.

5. Obſeruandi ætates, tempora, interſtitia, gradus, & diſpoſitiones animi ac corporis ordinandorum: Ne qui ante vſum rationis, ante Sacramentum Confirmationis, ante aliquam in fide eruditionem, & legendi ac ſcribendi, imò & linguæ latinæ peritiam, per vim aut metum ordinentur, ne quidem fiant Clerici, vel minorum Ordinum; ne qui fiant Subdiaconi ante annum 22. inchoatum, Diaconi ante annum 23. Presbyteri ante 25. inchoatum; nec niſi ſint caſti, bonæ ſpei, ac doctrinæ ad docendum neceſſaria ſalutis, & miniſtrandum Sacramenta. Ex *Trid. ſeſſ.* 23. *De Reform. cap.* 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 13. 14.

6. Obſeruandi ordinem Iuriſdictionis: ne quis

ordinet

ordinet alienos ſubditos, aut ab alieno Epiſcopo ordinetur: niſi per dimiſſoriales Epiſcopi proprij, aut Vicariatus eius; ne quidem familiaris Epiſcopo ordinanti, niſi per trienniũ cum eo fuerit commoratus, & ab eo beneficium Eccleſiaſticum percipiat, ſub pœna lata à *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. Non quòd hæc ſit neceſſaria ad ordinandum validè, ſed ordinatè & diſtinctè.

7. Obſeruandi continentiam annexam ſacris Ordinibus: ex voto implicito, vel præcepto Eccleſiæ.

8. Miniſtrandi & recipiendi hoc Sacramentum, & exercendi actus proprios ad quos gratia ordinationis collata eſt, in ſtatu probabili gratiæ.

9. Obſeruandi cæremonias ordinarias.

10. Conferendi, recipiendi, & vtendi Ordinibus collatis reuerenter & deuotè: ex fide, & gratiâ ad hoc ſpeciali.

11. Vtendi aliquando Ordinibus receptis, ad Cultum Dei, &c. Quæ obligationes cenſendæ ſunt grauiores, vel leuiores: prout actus ſunt magis vel minùs propriè ſacramentales: & ex gratia ad finem huius Sacramenti collata. Vt de obligationibus circa Sacramenta in genere, *col.* 87. 88. 109. 129. & de ſingulis Sacramentis. De impedimento autem ſacrorum Ordinum, ad Matrimonium: infra ſub Sacramento Matrimonij.

# DE SACRAMENTO MATRIMONII.

*Ex S. Bon. in Diſt.* 26.

*ARTICVLVS* 1. *De inſtitutione Matrimonij.*

*QVÆST.* 1. *An fuerit inſtitutum ante lapſum?*

RESP. Ante lapſum, in ſolum officium, ad conſiderandum vnionem ſpiritualem per corporalem, & ad propagationem ac conſeruationem ſpeciei: poſt lapſum autem, etiam in remedium ignorantiæ, & concupiſcentiæ.

*QVÆST.* 2. *An fuerit à Chriſto inſtitutum?*

*Reſp.* Fuit: non exteriùs vt Sacramentu ſolius fidei; ſed interiùs, inſpiratum vt & pœnitentia, ſecundùm dictamẽ iuris naturalis. Vt patet ex *Gen.* 2. *Matt.* 19. *Epheſ.* 5.

*Ad* 1. *Arg.* Adam non dixit ex ſe, *Gen.* 2. Hoc nũc os, &c. ſed ex inſpiratione Dei. *Ad* 2. Deus tunc inſtituit ſolam materiam & formam illi ſtatui conuenientem: excipiendo tunc ſolum patrem & matrem; ſed reſeruando Eccleſiæ poteſtatem conuenientem. *Ad* 3. Non ſolùm Deus dixit, *Gen.* 1. Creſcite, & multiplicamini: ſed & per Adam, *Hoc nunc os, &c.* *Ad* 4. Hic contractus non eſt humanus, quoad indiſſolubilitatem: ſed quoad ſolam mutuam & liberam obligationem.

*QVÆST.* 3. *An fuerit primò inſtitutum ſub præcepto?* *Reſp.* Fuit, iure naturali: non ſimpliciter, ſed pro ſolo tempore neceſſitatis.

*Ad* 1. Hinc non eſt iam ſub præcepto: ſed ſub indulgentia legis gratiæ. *Ad* 2. Sub Lege naturæ non erat perfectius continere, quàm nubere. Vnde nec cœlibatus Ioannis præfertur coniugio Abrahæ. *Ad* 3. Abel mortuus ſine vxore, non peccauit contra hoc ius naturæ: quia hoc eſt affirmatiuum, nec obligans ad ſemper; nec Abel ſenuerat aut exceſſerat tempus Coniugij. *Ad* 4. Præceptum non eſt contra libertatem, nec contra motũ gratuitum Charitatis: nec Deus præceperat Matrimonium cum hac, nec cum illa determinatè.

*ART.* 2. *De integritate Matrimonij.*

*QVÆST.* 1. *Quod ſit ſignum & ſignatum Matrimonij?* *Reſp.* Signum ſunt verba, vel nutus: ſignatum primum, eſt conſenſus maris & fœminæ; ſed principale eſt coniunctio Chriſti & Eccleſiæ per Charitatem, & naturæ conformitatem; illa ſignatur per conſenſum animorum, hæc per vnionem ſexuum.

*Ad* 2. *arg.* Si homo non eſſet lapſus, Matrimonium ſignificaſſet adhuc vnionem Chriſti, ſiue Dei cum Eccleſia, &c.

*QVÆST.* 2. *An conferat gratiam?* *Reſp.* Voluerunt aliqui dicere quòd non: & quòd Sacramenta nouæ legis dent gratiam, quæ in noua lege ſunt inſtituta, &c. Alij dicunt quòd in Sacram. Matrim. datur gratia dignè ſuſcipientibus, ratione benedictionis Sacerdotalis. Sed ſi benedictio Sacerdotalis hoc efficit: quantò magis Sacramentum? Ideo dicendum, &c. quòd tempore legis nouæ non tantùm præſtat remedium: ſed etiam aliquod donũ gratiæ Dei, ijs qui ex charitatis cõſenſu vniuntur ad procreandum prolem ad Cultum Diuinum, &c. Concupiſcentia enim inclinat ad multas: in Matrimonio datur gratia, vt quis ſoli vxori velit coniungi, &c. Concupiſcentia inclinat ad delectationem: in Matrim. datur gratia non cognoſcendi vxorem niſi propter prolem. Concupiſcentia faſtidium generat poſt impletionem, &c. in Matrim. datur gratia, vt quis ſemper velit eſſe cum vna.

*Ad* 1. *arg.* Hoc Sacram. figurat primò vnionem animorum: & hanc efficit, non primò vniendo, ſed magis augendo, ſicut Confeſſio contritionem: & hæc per conſequens efficit coniunctionem cum Deo; vt in Euchariſtia, dum membra magis vniuntur Chriſto, magis vniuntur inter ſe. *Ad* 2. In voto continentiæ anima diſponitur ad perfectius remedium. *Ad* 3. Hoc Sacramentum tantùm figurat, & per conſequens facit maiorem vnionem animæ cum Deo. *Ad* 4. Qui contrahit ob dotem non fit ſimoniacus: quia non emit aut vendit benedictionem ſpiritualem; ſed peccat contra gratiam deſponſationis, &c.

*QVÆST.* 3. *An copula carnalis ſit de integritate Matrimonij?* *Reſp.* Non quoad neceſſitatem, ſufficientiam, aut Matrimonium ratum, ſed conſummatum. Quia fuit Matrimonium perfectum inter Adam & Euam, *Gen.* 2. inter Mariam & Ioſeph, &c. *Ad arg.* Hoc Sacramentum per vſum liberat à peccato, quod aliàs committeretur per concupiſcentiam alienarum: Nec eius vſus intendit, ſed remittit feruorem libidinis.

*In DISTINCTIONE* 27.

*ART.* 1. *De quidditate Matrimonij?*

*QVÆST.* 1. *An ſit coniunctio maris & fœminæ?* *Reſp.* Quòd ſic: vt Baptiſmus eſt ablutio.

*Ad* 1. *arg*. Eſt coniunctio quoad vinculum, non autem quoad ipſum vſum. *Ad* 2. Frequens eius vſus non eſt iteratio Sacramenti. *Ad* 3. Relatio huius coniunctionis non eſt per ſe ſenſibilis: ſed per ea quæ, & quibus coniunguntur. *Ad* 4. & 5. Eſt coniunctio corporum & animorum imò perſonarum vtriuſque ſexus: non quoad affectum, vel vnionem corporum, ſed vinculum obligatorium.

*QVÆST.* 2. *An habeat plura nomina? Reſp.* Aliqui voluerunt dicere, quòd Matrimonium non denominetur à patre, nec matre: ſed à materia, & à *monos* .i. quaſi vnius materia. Sed eſt contra *Iſid. lib.* 9. *Ethym. cap. vlt.* quòd Matrimonium dicatur à matre: vnde & *Matrona*, quaſi mater nati, &c. Dicitur & *Coniugium*, quaſi commune iugum, ſeu vinculum, &c. Dicuntur *Nuptiæ*, quaſi à nubibus: quia nubentes ſolebant velari, &c. Dicitur *Matrimonium.* 1. Quaſi *matris monos*. i. Lex. 2 Quia matrem monet ad fidelitatem. 3. Quia matrem tuetur, per virum, & prolem. 4. Quaſi *matris munium* .i. officium. Nam vt poſſeſſio dicitur *patrimonium*: ſic prolis acquiſitio *matrimonium* eſt.

*Ad arg.* Hæc denominatio eſt à fine intento.

*ART.* 2. *De cauſa Matrimonij.*

*QVÆST.* 1. *Quæ ſit cauſa Matrimonij? Reſp.* Cauſa prima eſt inſtitutio Diuina: ſed proxima, eſt conſenſus mutuus inter marem & fœminam.

*Ad arg.* Conſenſus mutuus non eſt in eodem ſubiecto, nec in idem obiectum, ſed ad eundem effectum.

*QVÆST.* 2. *An ſufficiat conſenſus externus, ſine interno? Reſp.* Non in foro Dei, ſed Eccleſiæ.

*Ad* 1. Magiſter loquitur de foro Eccleſiæ. *Ad* 2. Vt iurans obligatur ad mentem eius cui iurat: ſic & promittens ac contrahens cum aliqua Matrimonium, obligatur ei in foro Eccleſiæ, imò & Dei, ad verum conſenſum. *Ad* 3. Eccleſia poteſt falli in facto, ſed non in iure, &c. Nec eſt credendum alicui contra cauſam matrimonialem, niſi in foro conſcientiæ. *Ad* 4. Dolus non excuſat à peccato, & obligatione. *Ad* 5. & 6. Præſumendus eſt conſenſus, niſi dolus manifeſtetur.

*ART.* 3. *De indiſſolubilitate Matrimonij.*

*QVÆST.* 1. *An Matrimonium conſummatum ſit diſſolubile? Reſp.* Non, niſi per mortem alterutrius coniugis. Ex *Matt.* 19. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Ad* 1. & 2. Vinculum non eſt perpetuum, ſed indiſſolubile inter coniuges viuos: diſpoſitiuè ex ſignificatione vnionis indiſſolubilis inter Chriſtum & Eccleſiam, ſed effectiuè ab inſtitutione Dei. *Ad* 3. Conſenſus qui eſt cauſa Matrimonij in fieri, eſt diſſolubilis: ſed non inſtitutio Dei, quæ eſt ſola & tota cauſa eius in conſeruari. *Ad* 4. Ex mutuo conſenſu poſſunt coniuges abſolui ab vſu Matrimonij, ſed nō à vinculo.

*QVÆST.* 2. *An Matrimonium animorum, ſeu tantum ratum, ſit diſſolubile? Reſp.* Non niſi per quandam mortē ſpiritualem, ſeu profeſſionem ſolemnem Caſtitatis in Religione approbata. *Ex Decretali Innoc. De conuerſione Coniugatorum.*

*Ad* 1. & 2. Illa ſeparatio non fit ab homine, ſed à Deo cui fit profeſſio. *Ad* 3. Matrimonium ratum non transfert poteſtatem corporum, niſi ſub conditione. Vnde nec tales coniuges tenentur ad copulam niſi poſt duos menſes. *Ad* 4. Vnus abſoluitur à vinculo quādo alter obligatur voto perpetuo.

*In DISTINCTIONEM* 28.

*ART. VNICVS. De conſenſu coniugali.*

*QVÆST.* 1. *An conſenſus de futuro faciat Matrimonium? Reſp.* Non, per verba de futuro: ſed ſola ſponſalia, ſeu obligationem ad conſenſum & contractum Matrimonij de præſenti.

*Ad* 1. Vt qui conſentit hodie, hodie contrahit: ſic & qui cras; ſed per verba de futuro non conſentit, ſed promittit conſentire. *Ad* 2. & 3. Promiſſio conſentiendi eſt præſens: ſed non ipſe conſenſus matrimonialis. *Ad* 4. Copula poſt promiſſum Matrimonium, præſumitur coniugalis, & ex conſenſu præſenti: ſed ſi non ſit talis, non facit Matrimonium.

*QVÆST.* 2. *An conſenſus ad tempus, faciat Matrimonium? Reſp.* Non, ſed ſolus conſenſus ſimpliciter expreſſus: quia hic eſt de eſſentia Matrimonij, ille contra.

*QVÆST.* 3. *An conſenſus conditionatus faciat Matrimonium? Reſp.* Non per verba de futuro: quia hæc tantùm faciunt ſponſalia, ſi non ſint ſub conditione pœnali contra libertatem Matrimonij, nec inhoneſta contra ſubſtantiam Matrimonij. *Extra lib.* 4. *De conditionibus appoſitis in diſpenſatione.* Sed per verba de præſenti, ſub vera conditione præterita, aut præſenti, imò & futura neceſſariò, non contingenter; quia ſic conſenſus penderet à futuro incerto.

*Ad* 1. Votum conditionatum eſt votum, quia eſt ſola obligatio de futuro: ſed Matrimonium eſt coniunctio de præſenti. *Ad* 2. Valet conſenſus abſolutus ex ſpe dotis: ſed non ſub conditione. *Ad* 3. Matrimonium plus dicit quàm obligationem de futuro.

*QVÆST.* 4. *An conſenſus tacitus faciat Matrimonium? Reſp.* Non, ſed ſolus abſolutè vel ſimpliciter expreſſus, per verba, vel nutus: quia eſt Sacramentum, &c.

*QVÆST.* 5. *An conſenſus de præſenti expreſſus in occulto, faciat Matrimonium? Reſp.* Non licitum, ſed validum: quia ad hoc ſufficiunt perſonæ legitimæ, & earum conſenſus mutuus; ſed ad illud ex præcepto *Eccleſiæ*, neceſſaria eſt ſolemnitas, Parentū traditio, Sacerdotum benedictio, &c. ad cauenda pericula ſecretarum fornicationum & adulteriorum, &c. Vnde & *Euariſtus* Papa vocat Matrimonia clandeſtina, adulteria.

*QVÆST.* 6. *An conſenſus debeat eſſe in copulam carnalem? Reſp.* 1. Opinio eſt quòd ſic, abſolutè, &c. Sed iniuriam facit Virgini glorioſæ. 2 Opinio fuit, quòd neceſſe eſt conſentire in copulam carnalem: non in particulari, ſed in vniuerſali; non explicitè, ſed implicitè, &c. Sed B. Virgo ſciebat legem coniugij explicitè, &c. 3. Opinio eſt, quòd oportet conſentire in copulam carnalem, abſolutè, vel ſub conditione, ſi Deo placuerit, &c. Sed omnis qui rectè conſentit, ſic conſentit. 4. Opinio, quòd conſenſus Matrimonij eſt in mutuam poteſtatem corporum: ſicque conſenſit B. Virg. & Ioſeph; ſed illa nouerat quòd hic nollet vti hac poteſtate, quodque ipſa poſſet votum ſuum opponere.

*Ad* 1. Eſt damnabile poſt votum velle nubere

ex

Digitized by Google

ex libidine. *Ad* 2. Frater & ſoror non poſſunt dare ſibi inuicem poteſtatem corporum. *Ad* 3. B. Virgo non conſenſit in ipſam copulam carnalem quoad vſum, ſed quoad poteſtatem. *Ad* 4. Conſenſus ſub conditione non petendi debitum, non ſufficit ad Matrimonium: ſed nec eſt ad hoc neceſſaria petitio debiti, ſed poteſt eſſe certitudo non petendi, nec reddendi. *Ad* 5. Finis Matrimonij non eſt ſola carnis copula, ſed etiam fidelitas mutua, & Sacramentum.

*In* DISTINCTIONEM 29.

*ART. VNICVS. De conſenſu coacto.*

QVÆST. 1. *An conſenſus coactus faciat Matrimonium? Reſp.* Non coactus vi, vel metu iuſto, ſeu cadente in perſonam conſtantem, niſi per copulam voluntariam ſubſequentem: ſed metus leuis non impedit; non ſolùm ex tali diſpoſitione iuris Canonici, ſed ex iure naturali Matrimonij, ad quod eſt neceſſarius conſenſus plenus & perfectus.

*Ad* 1. *arg.* Voluntas coacta, eſt voluntas: ſed non ſufficiens ad bonum, nec ad Matrimonium. *Ad* 2. Poteſt quis baptizari coactè, ſed non coniugari: quia illud eſt opus Dei, hoc hominum perfectè conſentientium. *Ad* 3. Blanditiæ non derogant huic conſenſui, ſicut minæ: quia illæ excitant ad amorem, hæ ad terrorem. *Ad* 4. Qui negat Chriſtum ex timore, peccat: non autem coniugatur quis ex graui timore; quia faciliùs peccatur quàm benè fiat; nec vllus metus poteſt cadere in conſtantem virum ad negandum Chriſtum, vt ad Matrimonium.

QVÆST. 2. *An conſentiens in renitentem, generet ſibi praiudicium. i.* ita obligetur vt non poſſit alteri coniungi? *Reſp.* Non poteſt vinculum Matrimonij contrahi ab vno, niſi ex conſenſu perfecto mutuo, & expreſſo alterius. *Ad* 1. 2. & 4. Conſenſus non acceptatus non obligat. *Ad* 3. Si priùs inuita & renitens, poſt conſentiat, valet Matrimonium: quia prior conſenſus viri adhuc habitualis, acceptatur. Poſſet tamen dici quòd renouari debeat verbo vel ſcripto. *Ad* 5. Non poteſt eſſe charitas, vt vinculum ad alterum, niſi ſit vtrimque.

QVÆST. 3. *An quis poſſit compelli ſeu obligari ad Matrimonium præcepto Patris? Reſp.* Non, nec cum hac potiùs, quàm cum illa: niſi ex aliqua neceſſitate, & cauſa rationabili, ad aliquod bonum, vel cauendum malum.

*Ad* 1. Iſaac, *Gen.* 28. rectè inhibuit ne Iacob duceret vxorem malam, &c. *Ad* 2. *Coloſ.* 1. Obedite Parentibus per omnia .i. quæ ſunt ad honorem parentum, & regimen familiæ. *Ad* 3. Papa poteſt potiùs obligare aliquem ad Epiſcopatum, quàm pater filium ad Matrimonium. *Ad* 4. Parentes iurantes pro filijs, tantùm obligantur ad ſuadendum. *Ad* 5. Qui contraxit ſponſalia, ſeipſum obligauit ad Matrimonium.

*In* DISTINCTIONEM 30.

*ART. De conſenſu erroneo, & licito aut non.*

QVÆST. 1. *An conſenſus erroneus faciat Matrimonium? Reſp.* Non, ſi ſit ex errore circa ipſam perſonam: ſed ſi ſit tantùm circa proprietatem aliquam, aut conditionem perſonæ; excepta ſeruitute, de qua inter impedimenta Matrimonij.

*Ad* 1. *Arg.* Benedicto Iacob pro Eſau, fuit opus Dei. *Ad* 2. Non fuit Matrimonium Iacob cum Lia pro Rachele, niſi ex conſenſu Iacob ſubſecuto. *Ad* 3. Ignorantia iuris non excuſat, ſed facti & perſonæ, adhibita diligentia. *Ad* 4. Emptio aut venditio cupri pro auro, non valet. *Ad* 5. Error circa nobilitatem, non eſt circa ipſam perſonam, niſi vt ſub tali nobilitate perſonaliter notam.

QVÆST. 2. *An conſenſus matrimonialis B. Mariæ fuerit Deo gratus? Reſp.* Fuit gratiſſimus: quia ex ſingulari inſpiratione Spiritus S. & decentia Virginis futuræ Matris. *Ad* 1. & 2. B. Virgo non erat ſub lege, ſed ſub gratia & Euangelio; quia agebatur Spiritu Dei. *Ad* 3. & 4. Erat certa de ſua & S. Ioſeph continentia. *Ad* 5. & 6. B. Maria erat ex parte Matris de genere Sacerdotali, ex parte Patris de tribu Dauid; ideò potuit nubere S. Ioſeph de hac tribu. Nec filiæ generis Sacerdotalis, aut non hæredes, arctabantur lege nubendi intra ſuas Tribus; quia hæc lex erat ne confunderentur hæreditates Tribuum.

QVÆST. 3. *An conſenſus libidinoſus ſit cauſa Matrimonij? Reſp.* Non ad ſolam libidinem, vt cum fœmina, non vxore: ſed etiam ad libidinem vt cum vxore; quia ille non eſt verus conſenſus coniugalis, ſed hic. *Ad* 1 & 2. Matrim. eſt à Deo quoad ſubſtantiam conſenſus, non quoad circumſtantiam malam: nec cõſenſus vt malus, ſed vt bonus, ſeu perfectus conſenſus, eſt cauſa Matrimonij. *Ad* 3. Ordinatio ſimoniaca iure reprobatur: non ſic Matrimonium, &c. *Non datur in hoc gratia, vt in alijs Sacramentis: ſed ſolum auxilium gratiæ*, vt ſupra, *niſi fortè ratione benedictionis adiunctæ, quæ vendentem faceret ſimoniacum. Ad* 4. Matrimonium eſt ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia, quoad indiuiſibilitatem, non neceſſariò quoad perfectionem.

*In* DIST. 31. *De tribus bonis Coniugij.*

*ART.* 1. *De bonis eius in ſe.*

QVÆST. 1. *An Matrimonium ſit de genere honeſti? Reſp.* Eſt bonum honeſtum fidei, ſeu fidelitatis coniugalis: ſed ex peccato mixtum inhoneſtæ libidini: eſt bonum vtile prolis; ſed mixtum varijs damnis: eſt bonum delectabile Sacramenti, ſeu Charitatis indiuiſibilis; ſed mixtum varijs tribulationibus, 1. *Cor.* 7. Hinc poteſt appeti vt bonum: ſed eſt melius quòd non.

QVÆST. 2. *An ſint tria bona Matrimonij? Reſp.* Sunt tria: Bonum Fidei, Prolis, & Sacramenti, vt ſupra. Ex *B. Aug. l. De bono coniugali.*

*Ad arg.* Eſt vnum principale, & Sacramentale.

QVÆST. 3. *An hæc tria bona ſint de neceſſitate Matrimonij? Reſp.* Bonum Sacramenti, ſeu vnionis indiuiſibilis, ex inſtitutione Dei, & ſignificatione Chriſti, eſt de neceſſitate Matrimonij: non autem bonum fidei, ſeu mutuæ fidelitatis, & prolis, niſi ne fiat ſub conditione contraria, vt ſupra.

*Ad* 1. Bonum Sacramenti eſt etiam ante copulam carnalem. *Ad* 2. Infidelitas non ſoluit Sacramentum, ſed obligationem reddendi debitum. *Ad* 3. Ex *Aug. l.* 1. *De nupt. & concup.* 15. Procurantes ſterilitatem *non ſunt coniuges* .i. non veri, & fideles. *Ad vlt.* Poteſt eſſe inter ſteriles & continentes: quia non eſt tantùm ad bonum prolis, ſed etiam in remedium & Sacramentum.

*ART.* 2. *De excuſatione actus coniugalis.*



Digitized by Google

*QVÆST.* 1. *An coitus ob bonum prolis poſsit eſſe ſine omni culpa? Reſp.* Quidam errauerunt, quòd in actu generatiuæ non ſit culpa niſi per exceſſum, vt in actu nutritiuæ: Alij quòd ſit ſemper peccatum. Illi non intellexerunt morbum, quàm ſit infecta vis generatiua, vſque ad abſorbendum vſum rationis: hi non intellexerunt hoc Sacramentum eſſe remedium & medicamentum, quod non vitiatur à morbo, ſed vt potentius ſedat morbum. *Infra.* Sancti igitur, & omnes Catholici dicunt coitum per Sacramentum Matrimonij excuſari à culpa mortali, maximè quando gratia prolis fit: ſed quidam voluerunt dicere quòd non excuſetur niſi vt ex mortali fiat veniale: Alij, vt videtur Aug. quòd quando gratia prolis coïtur, poſſit eſſe ſine omni culpa. Et hoc eſt magis conſonum rationi, & pietati fidei: ſi tamen hæc intentio duret à principio ad finem, quod eſt valde difficile.

*Ad* 1. 2. 3. 4. Eſt ibi immoderatio, deordinatio, libido, & erubeſcentia, circa actum ſenſualitatis, non rationis: quæ virtute Sacramenti ordinatur; nec de hac, ſed de illa erubeſcitur. *Ad* 6. Primi motus ad actum coniugalem: non ſunt peccata, quando oriuntur ex cogitatione ordinata. *Ad* 7. Hoc Sacram. non excuſat à peccato quod eſt, ſed quod aliàs eſſet. Alia Sacram. ſunt remedia contra peccata commiſſa: hoc, ne committantur.

*QVÆST.* 2. *An actus coniugalis ad vitandam fornicationem. poſsit eſſe ſine peccato veniali? Reſp.* Non ad vitandum ſolùm propriam fornicationem, ſed alterius coniugis: quia illud eſt ex aliquo motu inordinato, hoc ex affectu iuſtitiæ & fidelitatis.

*Ad* 1. Aug. vocat foueam peccati, peccatum mortale. *Ad* 2. Matrimonium eſt ad vitandam fornicationem, per ſolam indulgentiam. *Ad* 3. Poteſt ſeruari continentia ſine illo actu: ſed non proles procreari. *Ad* 4. Fides & iuſtitia obligat vnum coniugem alteri, non autem ſibi ipſi.

*QVÆST.* 3. *An coitus cum vxore ad ſatiandam libidinem. ſit ſemper peccatum mortale? Reſp.* Aliqui dicunt, quòd finaliter & principaliter ad *illam miſeram delectationem,* ſit ſemper pecc. mort. nonniſi *lateraliter*, ſit veniale, &c. *Sed hæc poſitio licet probabilis videatur: eſt tamen nimis dura. Licet enim viro iocari, & delectari cum vxore, affectu maritali; ſed eſt veniale, &c.* Ideo eſt alia poſitio, quòd qui fertur in delectationem vt in finem, ſiue vt cum vxore, ſiue non, peccet mortaliter, fruendo creatura: qui autem non vt in finem, nec niſi vt cum vxore, non peccet niſi venialiter. *Ad Arg.* Non eſt malum delectari, vt nec laudari: ſed velle delectari, & laudari.

*In DIST. 32. De debito coniugali.*

*ART. 1. De reddendo debito poſt votum.*

*QVÆST.* 1. *An per votum poſt Matrimonium conſummatum, poſsit vir continere, vxore nolente? Reſp.* Non negando ei debitum, ſed non petendo: quia poteſt ſeipſum obligare ad non petendum, ſed non poteſt priuare vxorem inuitam iure ſuo.

*Ad* 1. Licet viro ire ad bellum pro terra ſancta: quia vxor tenetur ferre hanc priuationem, vel comitari. *Ad* 2. Poteſt vir ſubire Martyrium inuitâ vxore: quia hæc tenetur conſentire, & poteſt poſt mortem viri alteri nubere. *Ad* 3. Licet quod melius eſt: niſi ſit contra ius alterius, ſicque nec ſit melius. *Ad* 4. Non licet impedire perfectionem alterius: niſi ſit contra ius, ſicq; nec eſſet perfectio.

*QVÆST.* 2. *An vir ante conſummationem poſſit continere, vxore nolente? Reſp.* Nonniſi duobus menſibus, ad deliberandum de voto ſolemni caſtitatis. Ex Decreto *De conuerſione coniugatorum, Cap. Præterea. Ad* 1. Non poteſt niſi publicè moriatur mundo, ſicque ſoluatur vinculum Matrimonij. *Ad* 2. Conſentiendo in poteſtatem mutuam corporum, conſequenter conſentitur in copulam. *Ad* 3. Copula coniugalis addit realem vnionem corporum, & inſeparabilitatem viuentium. *Ad* 4. Poſt Matrimonium, etiam vi conſummatum, non poſſunt Coniuges ſine conſenſu mutuo vouere, aut Religionem intrare: quia illa copula fundatur in conſenſu priori ad Matrimonium.

*ART. 2. De excuſatione reddendi debitum ex aliquo vitio corporis aut animi.*

*QVÆST.* 1. *An reddendum ſit debitum coniugi Leproſo? Reſp.* Reddendum eſt exigenti: ſed non neceſſariò ei cohibitandum; quia Lepra diſſoluit quidem ſponſalia, ſed non Matrimonium, nec eius obligationem. *Ad* 1. & 2. Leproſi priuantur cohabitatione, ſed non neceſſitate & iure petendi debitum. *Ad* 3. Leproſi non intendunt proles leproſas: præſtatque eas ſic eſſe, quàm non eſſe. *Ad* 4. Aliud eſt de Leproſis ad Matrimonium & eius vſum, quàm ad ſacros Ordines.

*QVÆST.* 2. *An quis teneatur reddere debitum coniugi fornicanti? Reſp.* Non, ſi poſſit probari, nec alter ſit reus eiuſdem criminis, nec remiſerit ei per copulam voluntariam. *Ad* 1. Si vterque peccet, vterque priuatur. *Ad* 2. Innocens ſemper tenetur non fornicari, ſed non reddere debitum fornicanti. *Ad* 3. Innocēs poteſt exigere debitum, ſed nō reus.

*ART. 3. De tempore petendi aut reddendi debitum.*

*QVÆST.* 1. *An tempore menſtruorum poſsit peti aut reddi debitum? Reſp.* Aliqui voluerunt dicere, quòd omni tempore poſſit reddi, non peti: Sed videtur contra bonum prolis, & contra præceptum *Leuit.* 18. 20. Alij voluerunt dicere quòd non poſſit reddi niſi ob periculum fornicationis: Sed non poteſt fieri malum proprium, ad cauendum alienum, &c. Videtur probabilius, quòd ſit peccatum mortale ſcienter petere aut reddere tempore ordinario menſtruorum: quia tunc poſſunt inde generari proles vitioſæ; non autem tempore extraordinario.

*Ad* 1. Aliud eſt de lepra continua, quàm de menſtruis breuibus. *Ad* 2. Tunc alter non habet poteſtatem abutendi corpore alterius. *Ad* 3. Mulier tenetur viro neſcienti indicare: nec poteſt propriâ culpâ eius culpam vitare. *Ad* 4. Non eſt ob immunditiem, ſed ob periculum prolis. *Ad* 5. Neſcitur an habens muliebria ſit ſterilis. *Quamuis autem hic modus videatur probabilior: primus tamen eſt ſecurior & ſanior; quoniam ſtandū eſt pro Matrim.*

*QVÆST.* 2. *An quibuſuis diebus poſsit licitè peti & reddi debitum? Reſp.* Non peti, ſed reddi: quia, 1. *Cor.* 7. Vir vxori debitum reddat, &c.

*Ad* 1 & 2. ex *Aug. q.* 127. *ex nouo & vet. Teſt.* Non licet diebus proceſſionis, & ieiuniorum: non vt pecc. mort. niſi ex contemptu; quia ibidem

monet tunc temperandum eſſe à licitis. *Ad* 3. Reddens debitum non priuatur ſacra Communione, nec ingreſſu Eccleſiæ. *Ad* 4. Non eſt exceſſus mortalis etiam petere, ex neceſſitate. *Ad* 5. Eſt magis illicitum in loco ſacro, quàm in tempore ſacro. *Ad* 6. Hæc continentia non eſt inhibita certis diebus, vt abſtinentia in cibis: quia inter coniugatos illa eſt longe difficilior hac, &c. Nec Sancti illam præceperunt, ſed commendarunt, &c.

ART. 4. *De tempore celebrandi nuptias.*

QVÆST. 1. *An ſint obſeruanda tempora in eis celebrandis?* Reſp. Non ſunt interdicta ſponſalia vel Matrimonia vllis diebus: ſed ſolemnitas Nuptiarum, tribus anni temporibus. 1. Ab Aduentu vſque ad octauam Epiphaniæ. 2. A Septuageſima vſque ad octauas Paſchæ. 3. A tertia die ante Aſcenſionem, vſque ad octauas Pentecoſtes. Quia illo tempore ſolent fideles ſe præparare ad ſacram Communionem tribus diebus ſolemnioribus: & illud tempus eſt ieiuniorum; nec debêt filij Sponſi lugere niſi cùm auſertur ab eis Sponſus.

*Ad* 1. Ex *Gal.* 4. Non ſunt diſcernenda tempora ad opera gratiæ, & liberi arbitrij: ſed ad naturalia, & feſta memorialia. *Ad* 2. Alia Sacramenta nunquam interdicuntur, quia ſunt magis ſpiritualia. *Ad* 3. Hoc eſt bonum & ſanctum: ſed habet annexum impedimentum maioris boni. *Ad* 4. Non ſolus abuſus, ſed & ſimplex vſus impedit.

QVÆST. 2. *An contrahentes tempore indebito ſint ſeparandi?* Reſp. Non quoad vinculum, nec ſemper quoad vſum: ſed tantùm ad tempus, in pœnam tranſgreſſi mandati Eccleſiæ.

In DIST. 33. *De varijs legibus Coniugij.*

ART. 1. *De continentia coniugali in antiquis.*

QVÆST. 1. *An ſit contra legem naturæ habere Concubinam?* Reſp. Eſt contra ius naturale. 1. Ex lege Moſaïca, *Deut.* 22. Non mœchaberis: & Euang. 1. *Cor.* 5. 2. Ex recta ratione communi, quæ dictat æqualitatem & indiſſolubilitatem coniugum, ad generandas & educandas proles. 3. Ex Inſtinctu quorundam etiam brutorum, vt Turturum: quia quæ in reliquis animalibus ſunt diſperſa, in homine ſunt vnita. *Ad* 1. Vſus hic eſt vxoris vt æqualis. *Ad* 2. Abutens ſeipſo, aut altero libidinosè, facit Deo, ſibiipſi, & alteri iniuriam. *Ad* 3. Ius naturale clarum, eſt omnibus commune. *Ad* 4. Coniuges ſunt mutui iuris, ad vſum proprium, non aliorum. *Ad* 5. Abraham non eſt vſus Agar ad inſtantiam vxoris ſuæ Saræ, niſi ex diſpenſatione Dei. Nec *Aug.* 15. *Ciu.* 3. id tribuit ſoli poteſtati coniugali.

QVÆST. 2. *An habere plures vxores ſit contra legem naturæ?* Reſp. Eſt contra ius naturæ, vt ſupra. Ex *Gen.* 2. Erunt duo in carne vna. *Gen.* 4. de Lamech, qui primus habuit duas vxores. Et ex pari obligatione inter coniuges.

*Ad* 1. ex *Aug.* 22. *contra Fauſt.* 48. Quando mos erat, non erat peccatum: non ex more, ſed ex diſpenſatione Dei. *Ad* 2. ex *Aug.* 15. *Ciu.* 16. Non erat contra præceptum .i. externum. *Ad* 3. Non licet vti pluribus vxoribus, vt pluribus cibis: quia illæ ſunt pares, hi inferiores, &c. *Ad* 4. Eſt potiùs carendum prole, quàm violandum ius coniugale.

QVÆST. 3. *An Deus olim diſpenſauerit ad habendas concubinas, ſeu plures vxores?* Reſp. Diſpenſauit cum Patriarchis, & Rege Dauid, ac eorum imitatoribus vſque ad Chriſtum. 1. Ex neceſſitate multiplicandi cultores veri Dei. 2. Ex congruitate præfigurandi Chriſtum, vt vndique ſibi generaturum filios. 3. Ex vtilitate eruditionis multorum filiorum à bonis parentibus. 4. Ex eorum honeſtate, ſeu affectu caſto ad bonum prolis. *Ad* 1. Deus non poteſt facere contra ius naturæ ordinans ad ipſum, ſed ad proximum: nec tamen facit contra, ſed ſupra. *Ad* 2. Nunquam diſpenſauit vt vna eſſet plurium virorum. 1. Quia non poteſt fœcundari à pluribus. 2. Non poteſt eſſe plurium dominorum. 3. Vt vna anima non poteſt vniri niſi vni Chriſto, ſed hic pluribus animabus: Sic, &c. 4. Eſſet incertitudo prolis, & confuſio hæreditatis. *Ad* 3. ex *Gen.* 2. & *Matt.* 19. Deus diſpenſauit in illa prima inſtitutione. *Ad* 4. Diſpenſauit in maius bonum prolis. *Ad* 5. Tunc cultores Dei multiplicabantur per propagationem. *Ad* 6. Diſpenſatio fuit inſpirata ſolis Patriarchis: ſed pro eorum etiam imitatoribus.

ART. 2. *De continentia Virginali.*

QVÆST. 1. *An Virginitas ſit virtus?* Reſp. Vt eſt continentia ab omni coitu illicito, eſt habitus virtutis: vt etiam ab omni licito, eſt ſtatus virtutis; vt eſt integritas mentis & carnis, eſt decor virtutis. *Ad arg.* Sunt tantùm contra ſtatum vel decorem: non autem contra habitum huius virtutis. Nec virtus conſiſtit in medio, quaſi inter obiecta: ſed inter delectationes & triſtitias. Quamuis excellentia huius virtutis in Chriſto & eius Matre, fuerit ſine vlla ſenſibilitate oppoſiti.

QVÆST. 2. *An Virginitas præferatur continentiæ coniugali?* Reſp. Quoad habitum poſſunt coniugati perfectiùs continere quàm virgines, & èconrtra: quoad decorem, virginitas eſt ſemper perfectior: quoad ſtatum, in lege Moyſi continentia coniugalis præferebatur; in lege gratiæ, virginitas præfertur; ſed ſecundùm ſe ſtatus ſtatui non præfertur, niſi ex Charitate. *Ad.* 1. *Aug. De bono coniug. cap.* 21. loquitur ſecundùm diuerſos ſtatus legis & gratiæ. *Ad* 2. Quod laborioſius non ſemper eſt melius. *Ad* 3. Fœcunditas virginalis, non coniugalis, eſt melior ſola virginitate. *Ad* 4. Caſtitas virginalis valet ad plura, ſed non æquè. *Ad* 5. Sterilitas fuit maledicta ſub lege generationis carnalis. *Ad* 6. Caſtitas coniugalis fuiſſet in ſtatu innocentiæ perfectior quoad habitum, non quoad ſtatum, quàm nunc virginitas.

QVÆST 3. *An præmium Virginitatis ſit Aureola?* Reſp. Habitui reſpondet Aurea: ſtatui, fructus; decori exteriori virginitatis, Aureola. Quia Aureolæ aſſignantur actibus circa exteriora. Vnde erit quidam decor Doctoribus, de conuerſis per ipſos: quidam decor & gaudium Martyribus, in corpore paſſo propter Chriſtum; quidam Virginibus, in corpore incorrupto propter Chriſtum. Credo tamen quòd ille decor melius Aureola dicatur, quàm gaudium: quia omnes gaudebunt de decore, non tamen omnes habebunt Aureolam. *Sed vt omnes vnum dicant, ſit decor cum gaudio, & gaudium cum decore.* *Ad* 1. 2. 3. Charitas eſt radix omnis meriti & præmij ſubſtantialis: ſed non ſola, & per ſe, omnis

Digitized by Google

omnis accidentalis. *Ad* 4. Aureola debetur actui interiori relato ad exteriorem,& exteriori relato ad interiorem, &c. Vide *Al.in Suppl.*3.*p.col.*127.128.

*ART.* 3. *De Repudio.*

*QVÆST.* 1. *An fuerit licitum repudiare vxores? Reſp.* Nunquam fuit licitum, ſed impune in lege Moyſis, non naturæ & rationis. Hinc *Ad* 1. & 2. *Ad* 3. Moyſes, *Deut.*24 prohibuit vxorem dimittere ſine cauſa: permiſit dimittere ob fœditatem, & præcepit non dimitti niſi dato libello repudij. *Ad* 4. Nulla datur cauſa ſeparandi quoad vinculum, ſed quoad debitum. *Ad* 5. Adulter meritò punitur priuatione vſus coniugalis.

*QVÆST.* 2. *An repudium vxoris debuerit permitti? Reſp.* Permiſſio 1.eſt minoris boni,non præcipiendo maius bonum. 2. Eſt alicuius mali, illud non prohibendo: vt ſunt pecc.venialia. 3.Non puniendo, ad cauendum maius malum. 4. Non impediendo, ad maius bonum inde eliciendum. Moyſes ergo permiſit repudium, ad cauendũ inter Iudæos defectum Sacramenti ſeu Matrimonij, vxoricidia, & fornicationes ac adulteria. *Matt.* 19. Ob duritiam cordis veſtri, permiſit,&c. *Ad* 1.& 2. ex *Rom.* 3. Non ſunt facienda, ſed patienda mala, vt veniant bona: Moyſes autem coactus & paſſus fuit. *Ad* 3. Sub lege, mulier non erat par viro. *Ad* 4. Fuit permiſſum ſub lege Moyſis, non naturæ nec gratiæ. 1. Quia tunc non erat reuelandum myſterium Matrimonij. 2. Quia Iudæi noluiſſent onus Matrimonij recipere. 3. Quia noluiſſent portare. *Ad* 5. Duritia Iudæorum non erat frangenda per occaſionem maioris mali.

*QVÆST.* 3. *An vxor poſt repudium debuerit viro reconciliari? Reſp.* Poſt repudium poterant ambo licitè manere nupti, vel ante alias nuptias & adulterium vxoris, inter ſe reconciliari. Poterat & licitè vir aliam vxorem ducere: quia tunc licebat plures habere. Non poterat repudiata alium virum ducere: quia nunquam licuit vlli vxori plures viros habere. Ex *Deut.*24. & *Ier.*3. *Ad* 1. Lex *Deut.*24. vetat repudiatam recipi, in pœnam adulterij commiſſi. *Ad* 3. Vir priuabat ſe iure repetendi: ſed mulier poterat conſentire. *Ad* 4. Sententia lata ſecundùm legem permittentem, poteſt retractari.

*In DIST.* 34. *De impedimentis Matrimonij?*

*ART.* 1. *De eis in genere.*

*QVÆST.* 1. *An habeat impedimenta? Reſp.* Hoc Sacram. præ alijs habet multa impedimenta: Quia fit per conſenſum mutuum; nec eſt tantùm in remedium, ſed etiam in officium corporale. *Ad* 1. Non eſt ſolum remedium concupiſcentiæ. *Ad* 4. Deus non poteſt impediri, vbi ſolus operatur.

*QVÆST.* 2. *Quot, & quæ ſint impedimenta? Reſp.* Quædam tantùm impediunt, quædam etiam dirimunt. Tempore S. Bon. hæc 12. dirimebant.

*Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,*
*Cultus Diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas.*
*Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis:*
*Hæc ſocianda vetant connubia, iuncta retractant.*

Quorum ſufficientiam reducit ad varias cauſas.

*Ad* 1. *arg. ex S.Dion. De Diuin.Nom.cap.*7. Malum fit modis infinitis, ſed non actus ſubſtrati: nec mala vt mala ſunt Matrimonij impedimenta; ſed etiam bona vt incompoſſibilia. *Ad* 2. Non omnia accidentia poſſunt impedire: ſed contraria bono Matrimonij. *Ad* 3. Singularia ſunt infinita: ſed ſingula non habent ſua propria impedimenta.

*ART.* 2. *De impotentia naturali coeundi.*

*QVÆST.* 1. *An hæc impotentia naturalis impediat & dirimat Matrimonium? Reſp.* Non temporalis,ſed perpetua. Licet tamen talibus,ſi velint, cohabitare vt fratres & ſorores: imò & tenentur tribus annis, ad experiendum impotentiam. Qualiter autem cognoſcatur perpetuitas: *Eſt inferioris ſcientiæ determinare, vt Iuriſtarum, vel Medicorum.*

*Ad* 1. 2. Actus ipſe non eſt de eſſentia Matrimonij, ſed potentia ad actum. *Ad* 3. Impotentia ſuperueniens non dirimit Matrimonium contractum: ſed præueniens dirimit ne validè coram Deo contrahi poſſit, quamuis contrahi videatur. *Ad* 4. Frigiditas accidentalis non ſolet eſſe perpetua, ſed complexionalis & naturalis.

*QVÆST.* 2. *An impotentia ex maleficio impediat Matrimonium? Reſp.* Aliqui dixerunt quòd maleficium nihil ſit, niſi in æſtimatione hominũ: ſed hoc derogat iuri, opinioni vulgi, & experimento. Alij dixerunt, quòd non impedit niſi ad tempus, &c. Sed eſt contra experimentum, & contra ius nouum: quia Decretalis Honorij præcipit talium diuortium, varijs remedijs fruſtra adhibitis, &c. Ideo ſi hæc impotentia ex maleficio ſit perpetua, & ante Matrimonium, dirimit: non autem ſi non ſit perpetua, vel ſuperueniat poſt Matrimonium, &c. Datur autem ſpacium trium annorum ad experiendam perpetuitatem aut non. Quæ ſi eſt reſpectu omnis mulieris, reddit inhabilem ad omnem: ſi tantùm reſpectu huius, ad hanc.

*Ad* 1. Matrimonium eſt remedium contra concupiſcentiam, non contra hanc impotentiam: ideo præualet illi, non huic. *Ad* 2. 3. Quamuis maleficium poſſit à Deo vel diabolo diſſolui: cenſetur tamen perpetuum, quando non poteſt diſſolui medio licito & ordinario. *Ad* 4. Permittitur diabolo poteſtas circa hoc potiùs quam circa alia: quia ſolet eſſe vitioſius. Ex *Tob.* 3. *Ad* 5. Vis naturalis eſt æqualis ad omnes: ſed diabolica eſt contra ſolam perſonam intentam à ſaga, &c.

*ART.* 3. *De furioſis & inceſtuoſis.*

*QVÆST.* 1. *An furia impediat matrimonium? Reſp.* Non ſubſequens, nec tantùm præcedẽs, aut habitualis: ſed actualis, concomitans ipſum contractum Matrimonij, dirimit ne valeat. Quia impedit vſum rationis ac liberi arbitrij. Nec tamen licet cõtrahere in lucido interuallo: ob pericula,&c.

*Ad* 1.*arg.* Furioſus & ſtultus poteſt naturaliter generare: ſed non cõiugaliter, nec validè contrahere.

*QVÆST.* 2. *An fornicatus cum vna ſorore, poſſit cum alia ſorore contrahere Matrimonium? Reſp.* Non poteſt validè contrahere cum vna, poſt fornicationem vel ſponſalia cum altera ſorore: nec vti Matrimonio ante contracto, petendo debitum, ſed tantùm reddendo; imò interdicitur tali, ne vxore mortuâ contrahat cum alia, ſine diſpenſatione.

*In DIST.* 35. *ART.* *De diuortio ob adulterium.*

*QVÆST.* 1. *An poſſit fieri diuortium ex cauſa fornicationis? Reſp.* Poteſt fieri: ſi fornicatio vnius coniugis fuit culpabilis, altero innocente, & diuortium petente. Ex iure naturali Matrimonij, & poſitiuo

poſitiuo Chriſti, *Matt.*6.& 19. *Ad* 1. ex *Matt.*19. Quod Deus coniunxit, non homo: ſed Deus ipſe ſeparat tali diuortio. *Ad* 2. Non licet diuortiũ ad vindictam: ſed ad correctionem, & contra ſcandalum proprium ac alienum. *Ad* 3. Cùm vterque eſt reus, neuter habet ius petendi diuortium. *Ad* 4. Non poteſt fieri ob ſterilitatem naturalem: ſed ob fornicationem culpabilem. *Ad* 5. Poteſt fieri potiùs ob hanc, quàm alias culpas: quia hæc eſt contra ſtatum & fidem coniugalem; ideoque reus priuatur iure ſuo. *Ad* 6. Repudium non impediebat alteri nubere, ſed diuortium: illud fiebat etiam ſine culpa, hoc non niſi ex culpa; illud erat ſolius viri contra vxorem, hoc vtriuſque.

QVÆST. 2. *An ſit præceptum dimittere vxorem fornicariam? Reſp.* Eſt præceptum dimitendi vxorem notoriè fornicariam, & impœnitentem: ad eius correctionem, & reparationem ſcandali; cum iure tamen eam repetendi. Hinc *ad Arg.*

QVÆST. 3. *An quis propriâ authoritate poſſit dimittere vxorem fornicariam? Reſp.* Poteſt coniux innocens dimittere reum ſibi ſoli notum, quoad thorũ, negando ei officium coniugale, niſi cenſuris cogatur: ſed non quoad cohabitationem, ſeu diuortium publicum, niſi iudicio Epiſcopi. Ex *Conc. Carthag.* cui interfuit B. *Aug.* 33. *q.* 2.

*Ad* 1. Chriſtus, *Matt.* 19. non tulit per ſe ſententiam: ſed tulit legem, & dedit poteſtatem iudicandi ſecundùm eam. *Ad* 2. S. Ioſeph, *Matt.*1. vt vir iuſtus cogitabat occultè dimittere Mariam; quia timebat ne occideretur quaſi adultera. *Ad* 3. Vir tenetur ſecretam fornicationem vxoris ſecretò corrigere. *Ad* 4. Vir non tenetur talem vxorem cognoſcere: nec tamen poteſt eam propriâ authoritate dimittere; & ſi eam voluntariè cognoſcit, fit irregularis, & priuatur iure eam dimittendi.

QVÆST. 4. *An poſt diuortium poſſit vir aliam vxorem ducere? Reſp.* Non poſt diuortium ex cauſa fornicationis: quia hoc non abſoluit à vinculo ſacramentali; ſed poſt quoddam diuortium ex impedimento dirimente. *Ad* 1 *arg.* ex *Oſee* 2. Deus quaſi repudiat animas peccatrices: ſed nunquam Chriſtus Eccleſiam. Huius propriè, non illius Sacramentum, eſt Matrimonium. *Ad* 2. ex *Matt.*19. Qui dimiſerit vxorem, & aliam duxerit, exceptâ cauſâ fornicationis, mœchatur. Exceptio refertur ad ſolam dimiſſionem, non ad ductionem alterius. *Ad* 3. Fornicatio coniugis non diſſoluit vnionem ſacramentalem Matrimonij. *Ad* 4. Innocens per diuortium non liberatur à vinculo: ſed à ſola obligatione vtendi.

QVÆST. 5. *An poſt diuortium poſſint reconciliari? Reſp.* Poſſunt, & debent ex mutuo conſenſu, vel ad inſtantiam innocentis: nunquam tamen inuito innocente, niſi etiam poſtea fornicetur. *Ad arg.* Non poteſt reus vouere continentiam, inuito innocente.

QVÆST. 6. *An poſſit fieri diuortium ſine culpa coniugum? Reſp.* Non niſi ex conſenſu mutuo, vt ambo tranſeant ad ſtatum Religionis, vel ſaltem alter, altero vouente ſolemniter ſaltem domi propriæ continentiam, ſine periculo aut ſuſpicione mali. *Ad* 1. *Cor.* 7. Alligatus es vxori? Noli quærere ſolutionem. Non prohibendo, niſi in præiudicium vxoris: ſed conſulendo & commendando ſtabilitatem.

*In* DIST. 36. *De conditione & ætate.*

ART. 1. *De conditione ſeruitutis.*

QVÆST. 1. *An hæc impediat Matrimonium? Reſp.* Non iure nouo, quamuis Domino repugnante: quia Sacramenta ſunt omnibus communia; & ſeruus coniugatus poteſt adhuc domino ſuo ſeruire. *Ad* 1. & 2. Seruus non eſt promouendus ad ſacros Ordines inuito domino: quia hoc ipſo fit liber; nec poteſt profiteri ſtatum Religionis, quia non poteſt ſimul ſeruire ſuo domino, vt in ſtatu Matrimonij *Ad reliqua.* Contrahens ſcienter cum ſeruo, inuito domino, tenetur ſeruitium domini ſuo iuri præferre, &c.

QVÆST. 2. *An conditio ſeruilis vnius, cum errore, ſeu ignota alteri, impediat Matrimonium? Reſp.* Non inter pares, nec inter ſeruum & liberam: ſed inter liberum & ancillam, niſi cognitâ conditione conſenſerit verbo vel facto. Ex conſtitutione Eccleſiæ in fauorem libertatis, & cauſæ matrimonialis: quia contrahens cum ancilla, perdit libertatem, eſtque contra bonum prolis, & fidei.] *Ad arg.* Supple. Hæc non dici de ſeruis & ancillis voluntarijs: qui non ſunt ideo conditionis ſeruilis; ſed de mancipijs, & inde oriundis.

QVÆST. 3. *An conditio prolis ſequatur patrem vel matrem? Reſp.* Iure Ciuili & Imperiali, approbato per Canonicum, & conformi iuri Diuino, naturali, & poſitiuo: *Partus ſequitur ventrem* ſeu matrem, quoad conditionem materialem ſeruitutis aut libertatis; ſed Patrem, quoad honores, hæreditatem, &c. In Francia tamen, & alibi, partus ſequitur conditionem deteriorem parentum, &c.

ART. 2. *De defectu ætatis.*

QVÆST. 1. *An impediat Matrimonium? Reſp.* Impedit & dirimit ante pubertatem, marium anno 14. fœminarum anno 12. Ex iure Canonico: quia ante non ſolet eſſe capacitas generandi, nec neceſſitas matrimonij, nec ſtabilitas animi *Ad* 2. *arg.* Quia iura viderunt quòd aliqui poſſunt eſſe capaces ante: proximi pubertati, circa medium annum ante, poſſunt contrahere. *Ad* 3. Fœmina eſt citiùs capax, quam mas. 1. Quia illius meatus ſunt largiores. 2. Eſt faciliùs pati, quàm agere. 3. Vt materia formam, ſic fœmina appetit virum.

QVÆST. 2. *An impediat ſponſalia? Reſp.* Impedit, ne valeant ante ſeptennium, ex iure Can. Quia ante non ſolent habere vſum rationis & libertatis ad tantam obligationem. *Ad arg. Eſt ibi quoddam mirabile: quia homo inuenit in vna muliere aliquam complacentiam: quam nunquam poſſet in alia inuenire; vt dicunt aliqui experti.*

QVÆST. 3. *An ſponſalia contracta poſt ſeptennium, poſſint diſſolui? Reſp.* Poſſunt. 1. Conſenſu mutuo, ſaltem ex cauſa rationabili: quia promiſſiones etiam iuratæ, ſunt conditionales, & ad mentem eorum quibus fiunt. 2. Voto ſolenni alterutrius. 3. Superueniente Matrimonio cum alia, vel alio. 4. Superueniente affinitate. 5. Superueniente morbo, aut defectu graui. 6. Per longam abſentiam & diſtantiam vnius, ſine licentia alterius. 7. Per fornicationem cum alio, vel alia. 8. Ad inſtantiam minoris ætate. 2. & 3. modo, diſſoluuntur



Digitized by Google

ipſo facto: reliquis per iudicium Eccleſiæ. Effectus ſponſalium ſunt. 1. Obligatio ad Matrimonium ſuo tempore. 2. Impedimentum publicæ honeſtatis, ne quis conſanguineorum ſponſi poſſit contrahere cum ſponſa, nec è contra.

*In DIST. 37. De Ordine & Crimine.*

*ART. 1. De impedimento Ordinis?*

*QVÆST. 1. An minores Ordines impediant Matrimonium? Reſp.* Nec quoad vinculum, nec quoad vſum Matrimonij: ſed hoc impedit illorum miniſterium, & beneficium annexum, in Eccleſia Occid. Ex Leone Papa, & Alex. 3. *De Clericis coniug.*

*QVÆST. 2. An ſacer Ordo impediat Matrimonium? Reſp.* Impedit contrahendum, & dirimit contractum, in Eccleſia Latina: non ex ſolo voto, nec ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex vtroque ſimul. Vt habitus Monachalis ex ſtatuto Eccleſiæ habet votū annexū. *Ad* 3. Latini voluerant ſe ſubijcere, & plicare: Græci verò in ſuis fæcibus remanſerūt.

*QVÆST. 3. An hoc impedimentum fuerit inſtituendum ab Eccleſia? Reſp.* Potuit, licuit, decuit, & expediuit: Authoritate Summi Pontificis, & conſenſu ſubditorum, ad honorem, & decorem ſtatus, & ad cauendas varias irregularitates, & furta bonorum Eccleſiæ. *Ad* 1. 2. Continentia non eſt nimis difficilis, ex gratia nouæ legis, vtendo medijs ordinarijs, & cauendo motiua ac pericula contraria. *Ad* 2. Eccleſia neminem cogit, niſi quis ſeipſum obligauerit. *Ad* 4. Initio Eccleſiæ ordinabantur coniugati, defectu aliorum, vel ex ſingulari eorum perfectione. *Ad* 5. Non eſt periculum ne deficiat generatio carnalis. *Ad* 6. Actio generandi *deijcit hominem de Arce*, ex *Aug.* non ſic altæ.

*ART. 2. De Vxoricidio.*

*QVÆST. 1. An ſit licitum occidere vxorem adulteram? Reſp.* Nec iure Diuino, nec Canonico, nec Ciuili niſi impunè in ipſo actu turpi. Ex *Ioan.* 8. & 33. *q.* 2. *Ad* 1. *Exod.* 22. Erat vigor illius legis. *Ad* 2. & 3. Eccleſia non approbat, ſed fert illam impunitatem lege ciuili. *Ad* 4. Licet corrigere vxorem, ſed per pœnitentiam ad ſalutem.

*QVÆST. 2. An ſit grauius occidere vxorem, quàm matrem? Reſp.* Non, ſed illud prohibetur ſub grauiori pœna quàm hoc, ob illius, non huius periculū. *Ad* 1. 2. Vnio eſt maior realiter cum matre, ſed ſignificatiuè cum vxore. *Ad* 3. Amor vxoris maior eſt intenſiuè, ſed matris radicaliter. *Ad* 4. Occidens vxorem dicitur crudelior beſtiâ, quia occidit partem ſui, 33. *q.* 2. loquendo per emphaſim: ſed ſic mater dici poſſet totum ſuæ prolis.

*QVÆST. 3. An vxoricidium impediat Matrimonium? Reſp.* Si ob culpam vxoris, aut ob eius defectum naturalem: impedit, non dirimit. Si ex promiſſo ducendi aliam ſecum adulteram, vel non adulteram: dirimit cum illa, non cum alijs: imo & adulterium ſolum cum aliqua, ſub promiſſo Matrimonij poſt mortem vxoris.

*In DIST. 38. De impedimento voti.*

*ART. 1. De voto in ſe.*

*QVÆST. 1. Quid ſit votum? Reſp.* Eſt promiſſio voluntaria, cum intentione ſe obligandi Deo, ad maius bonum. Votum ſimplex poteſt fieri ſolo actu interiori: ſed ſolemne, nonniſi actu exteriori coram Eccleſia. *Ad* 1. 2. Votum eſt melioris boni conceptio, animi deliberatione firmata: Non ſolo conſenſu, ſed promiſſione. *Ad* 3. Intentio ſe obligandi, poteſt eſſe implicitè, vel conſequenter. *Ad* 4. Vt iurans ſine intentione ſe obligandi, obligatur coram Eccleſia, ſed peccat coram Deo ſine alia obligatione: ſic & vouens ſine intentione ſe obligandi. *Ad vlt.* Votum fit Deo, iuramentum homini: Vouetur promittendo, iuratur per Deum; Vouetur ad maius bonum, iuratur pro veritate.

*QVÆST. 2. An materia voti ſit indifferens? Reſp.* Non, ſed nonniſi bona, ſalutaris, & vltra ſtatum communem. Vt iuramentum, ſic & votum debet fieri iuſtè ad ſalutem: iudicioſè ſeu deliberatè; & verè, ſeu ad obſeruandum. *Ad* 1. Votum propriè, eſt de bono ſupererogatorio: ſed latè, etiam de præcepto. *Ad* 2. Votum poteſt eſſe de minori bono, vt eſt ſupra malum: non autem vt eſt contra maius bonum. *Ad* 3. Votum non eſt de indifferenti, niſi vt informando virtute. *Ad* 4. Votum non poteſt eſſe de malo ſimpliciter: ſed ſub conditione & caſu bono. Nec votum Iephte valuit in illo ſenſu aut executione, ſed ex ſolo primo motu fidei. *Ad* 5. Votum erroneum ad malum, eſt omittendum: vt conſcientia erronea eſt deponenda.

*QVÆST. 3. An quiuis vtens ratione poſſit vouere? Reſp.* Non niſi liber ad id quod vouet. Hinc nec vxor, nec puer, nec Religioſus profeſſus, nec ſeruus poteſt vouere, contra ſuam obligationem & ſubiectionem. *Ad* 1. Non ſufficit libertas voluntatis, ſed executionis. *Ad* 2. Obligatio quæ fit diabolo non eſt niſi ad malum. *Ad* 3. Omnes ſunt liberi ad præcepta, non ad conſilia. *Ad* 4. Votū non eſt ſola cōceptio boni, ſed & promiſſio obligatoria.

*ART. 2. De obligatione voti.*

*QVÆST. 1. An votum ſimplex impediat vel dirimat Matrimonium? Reſp.* Impedit contrahendum: ſed non dirimit contractum, niſi ſit ſolemne, &c. Solemnizatur autem tripliciter. 1. Suſceptione ſacri Ordinis. 2. Profeſſione ſtatus Religioſi. 3. Geſtatione habitus profeſſorum: & hæc coram eo qui vice Dei poteſt recipere votum, & poteſtatem in ipſum vouentem. Hinc enim non poteſt amplius transferri in poteſtatem vxoris: ſicut poſt votum ſimplex non ſic acceptatum. Nec Matrimonium præuentum illa traditione & acceptatione, poteſt eam reuocare.

*Ad* 1. Obligatio ſub culpa, non eſt tota cauſa huius impedimenti. *Ad* 2. Ex *Cæleſt. Papa.* Votum ſimplex non minus obligat Deo: vt obiecto, ad aliquam culpam; ſed non ad æqualem coram Deo. *Ad* 3. Votum ſimplex priuat iure, ſed non abſoluit à debito coniugali. *Ad* 4. Votum præiudicat Matrimonio conſummato, non rato.

*QVÆST. 2. An votum poſſit commutari? Reſp.* Poteſt: non ex leuitate, nec propriâ voluntate iam obligatâ; ſed ex neceſſitate ſuperueniente, periculo communi, vel maiori vtilitate propriâ aut alienâ, authoritate tamen Prælati; excepto voto Religionis, vel ſtatus perfectioris, in quod omnia alia vota ipſo iure mutari poſſunt. *Ad* 1. ex *Leuit. vlt.* Animal immolandum non poterat mutari in aliud, priuatâ authoritate. *Ad* 2. 3. Votum ſoluitur, & verificatur etiam in æquiualenti. *Ad* 4. Eſt tantùm conſilium S. Bernardi, non tranſeundi ex vno Monaſterio

Digitized by Google

naſterio ad vitam arctiorem, ſine licentia Superioris. *Ad* 5. Matrimonium eſt Sacramentum, & obligat alteri, nec vnū eſt melius altero: vt ſunt vota.

*QVÆST.* 3. *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto? Reſp.* Non relaxando ius Diuinum voti, quaſi omnia vota eſſent conditionata, dependenter à voluntate Papæ: ſed declarando obligationem huius iuris Diuini non eſſe niſi ad veritatem promiſſionis, ſalutem promittentis, & maiorem honorem Dei; ideoque omnia vota poſſe & debere ad hæc referri. Sed aliqui dicunt quodlibet votum pro loco & tempore compenſari poſſe: ſicque in eo diſpenſari poſſe. Alij negant votum continentiæ compenſari poſſe: quia *Eccli.* 26. Non eſt digna ponderatio animæ continentis. Alij negant votum Religionis compenſari poſſe. *Quæ harum opinionum ſit verior, fateor me neſcire.* Reſpondet tamē pro tertia. *Ad* 1. Non poteſt æquè in omnibus diſpenſari: quia non poſſunt omnia æquè compenſari. *Ad* 2. & 3. Non poteſt eſſe tanta neceſſitas perſonæ aut ſpeciei cōſeruandæ: nec eſt certitudo an Matrimonium proderit ad vitam & pacem publicam. *Ad* 4. Votum paupertatis eſt maius voto abſtinentiæ. *Ad* 5. Non diſpenſatur in vllo voto cum religioſis aſſumptis ad Epiſcopatum: ſed fiunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, & ſub ſola obedientia Papæ.

*In DIST.* 39. *De impedimento diſparis cultus.*

*ART.* 1. *De diſpari cultu ad Matrimonium.*

*QVÆST.* 1. *An fidelis poſſit contrahere cum infideli? Reſp.* Non validè cum infideli non baptizato: nec licitè cum baptizato. Vt olim inter Iſraelitas & Chananæas, &c. *Ad* 1. 2. ex *Gen.* 41. *Num.* 12. *Deut.* 21. Cultus diſparitas non tam impediebat in lege veteri, quā noua. *Ad* 3. ex 1. *Cor.* 7. Sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem, & ècontra: quoad Matrimonium priùs contractum inter infideles. *Ad* 4. Non eſt tanta diſparitas morum, quanta fidei. *Ad* 5. Hoc Sacramentum Eccleſiæ non eſt commune infidelibus: ſed tantùm matrimonium legis naturæ. *Ad* 6. Hæc diſparitas cultus eſt contra bonum fidei, prolis, & Sacram.

*QVÆST.* 2. *An inter Infideles ſit Sacramentum Matrimonij? Reſp.* Eſt quidem in officium generandi: ſed nec in remedium concupiſcentiæ, per gratiam; nec Sacramentum actu, nec ratum quoad vinculum, defectu gratiæ, & ſacræ ſignificationis. Quia Baptiſmus eſt fundamentum omnium Sacramentorum.

*QVÆST.* 3. *An Matrimonium infidelium excuſet copulam à culpa? Reſp.* Excuſat à mortali, niſi ex nimia libidine. *Ad* 1. ex *Rom.* 14. Quòd non eſt ex fide .i. ex conſcientia, peccatū eſt. Sed omnis vita infidelium dicitur peccatum, per concomitantiam. *Ad* 2. Sine fide non eſt pudicitia vera .i. perfecta, vel ſine ſuo vero fine & effectu. *Ad* 3. Vt Sacramentum Eccleſiæ, dat gratiam gratum facientem. *Ad* 4. Inter fideles & infideles, quædam proles ſunt naturales & legitimæ, quædam legitimæ non naturales, quædam naturales non legitimæ, quædam non naturales nec legitimæ, ſed ex adulterio, vel inceſtu.

*QVÆST.* 4. *An quis ſit Bigamus ex Matrimonio ante Bapt. cum vna, & poſt cum alia? Reſp.* Eſt Bigamus. Ex *Diſt.* 34. *Si quis viduam, &c.* Et ex Doctrina *S. Aug.* De validis & licitis coniugijs infidelium, potiùs quàm *S. Hier. in* 1. *Tim.* 3. quaſi eſſent peccata & delerentur per Bapt. *Ad vlt.* Matrim. infidelium non eſt ſecundùm quid, vt diminuens ab eſſe, ſed à perfectione Matrimonij.

*ART.* 2. *De diſpari cultu, ad ſolutionem Matrimonij.*

*QVÆST.* 1. *An conuerſus ad fidem ſoluatur à coniuge infideli? Reſp.* Non: ſed poteſt ſolui ſi infidelis nolit ferre fidelem ſine iniuria Chriſti, & periculo fidei. Ex 1. *Cor.* 7. Si quis habet vxorem infidelem, non dimittat, &c.

*QVÆST.* 2. *An infidelis ſoluatur à coniuge fideli? Reſp.* Non quoad vinculum, ne quidem per receſſum infidelis: niſi fidelis nouum Matrim. contraxerit cum fideli, aut ordinetur in ſacris, vel profiteatur ſtatum Religionis; ſed poteſt infidelem repetere, nec interim infidelis poteſt alteri validè coniungi, nec vnquam licitè niſi baptizetur.

*QVÆST.* 3. *An Matrimonium fidelium diſſoluatur, ſi alter coniugum fiat infidelis? Reſp.* Non diſſoluitur: quia fundatur ſuper Sacramento, & Charactere indelebili Baptiſmi; eſtque Sacramentum indiſſolubile. *Ad* 1. Matrimonium contractum inter infideles diſſolui poteſt, non inter fideles. *Ad* 2. Fides eſt fundamentum virtutum, non Sacramentorum. *Ad* 3. Diſparitas cultus non eſt quoad fidem, ſed quoad Sacramentum fidei.

*QVÆST.* 4. *An Matrimonium inter infideles illegitimos ad contrahendum, diſſoluatur per eorum conuerſionem ad fidem? Reſp.* Non, ſi ſint tantùm illegitimi ad Matrimonium iure humano: ſed ſi iure naturali & Diuino; vt ſi quis haberet plures vxores, vel ſororem propriam, &c.

*In DIST.* 40. *De impedimento cognationis.*

*ART. VNICVS. De conſanguinitate.*

Eſt vinculum ex carnali propagatione ab eodem ſtipite. Linea aſcendens, deſcendens, & tranſuerſalis eſt ſubordinatio plurium talium perſonarū. Gradus, eſt certa diſtantia talium perſonarum inter ſe, & à ſuo ſtipite: vel vnica duarum, cum Canoniſtis; vel ſingulæ ſingularū, cum Legiſtis. *Regula* 1. Non valet Matrimonium inter conſanguineos vſque ad 4. gradum incluſiuè. 2. Conſanguinei diſtant tot gradibus inter ſe, quot Perſonis à ſtipite. 3. Quando perſonæ inæqualiter diſtant à ſtipite, gradus ſumuntur à diſtantiore.

*QVÆST.* 1. *An conſanguinitas ſit aliquod vinculum? Reſp.* Eſt vinculum relationis ad eandem originem materialem & cauſalem, & affectionis naturalis inter homines, quæ paulatim propagatione minuitur.

*QVÆST.* 2. *An in aliquo gradu impediat Matrimonium? Reſp.* Impedit & dirimit iure naturæ, inter parentes & proles, *Gen.* 2. ex reuerentia & ſucceſſione naturali: iure Diuino, inter fratres & ſorores; *Leuit.* 18. ex honeſtate: iure Canonico, à ſecundo gradu & infra, ad dilatandam Charitatem ad extraneos. *Ad* 1. Eua non fuit genita ex Adam: ſed formata ex eius latere in vxorem, quaſi lateralem. *Ad* 2. Similitudo eſt ratio diligendi, ſed non ſemper coniugaliter. *Ad* 3. Alia eſt affectio conſanguinitatis, quàm coniugalitatis. *Ad* 4. Minùs ſolent gigni proles ex conſanguineis, quàm ex alijs, &c.

 QVÆST.

Digitized by Google

*QVÆST.* 3. *Vſq; ad quem gradum impediat? Reſp.* Lege Eccleſiæ, vſque ad 4. gradum incluſiuè. *Extra De Conſanguinitate.* Quia non decuiſſet Deum tam ſæpè variare ſuam legem: ſed Eccleſia ex plena iuriſdictione potuit & debuit ſuas leges pro tempore variare, & contractum matrimonialem ac perſonas ad eum legitimare; prout tandem decenter, mediocriter, vtiliter, & neceſſariò limitauit ac reduxit ad 4. gradus, duos pluſquam in lege Moyſis, ſed tres minùs quàm in Eccleſia primitiua, ob difficultatem diſcernendi conſanguineos remotiores in tanta Chriſtianorum multitudine, & ad renouandam amicitiam fugientem, ac fouendam Charitatem quaſi in ſenectute mundi frigeſcentem. *Ad* 1. ex 35. *q.* 1.2. Fuit reuocatum à gradu 7. ad 4. vt ſupra. *Ad* 2. ex *Luc.* 8. Hoc non eſt retrocedere à perfectione: ſed moderari rigorem, & condeſcendere infirmitati, ex cauſis. *Ad* 3. Quò citiùs Charitas frigeſcit, eò citius eſt renouanda per affinitates. *Ad* 4. Quò plures conſanguinei, inter plures extraneos confuſi, eò minùs diſcerni poſſunt. *Ad* 1. *Contra.* Deus non prohibet per ſe vltra duos, *Leuit.* 18. ſed per Eccleſiam. *Ad* 2. vt ſupra. *Ad* 3. Interdictum Eccleſiæ non illegitimat perſonas. *Ad* 4. *S. Hier.* non vult ſibi credi, niſi probet per ſacram Script. quia non erat infallibilis, vt Eccleſia.

*In DIST.* 41. *De impedimento affinitatis.*

*ART.* Affinitas eſt proximitas perſonarum ex copula carnali, quâ conſanguinei vnius, fiunt alteri affines. Solebant eſſe tria genera affinitatis. 1. Ex copula inter ipſos conſanguineos. 2. Ex copula primi affinis cum ſecundo. 3. Ex copula huius 2. Affinis, cum tertio. Sed nunc non eſt niſi primum genus. *Extra De Conſang. & Affin.* Affinitas impedit ac dirimit vſque ad 4 gradum incluſiuè. In quoto gradu ſunt conſanguinei vni coniugi, in eodem ſunt affines alteri. Manet affinitas coniugis ſuperſtitis, cum conſanguineis mortui. Affinitas contrahitur etiam ex copula fornicaria.

*QVÆST.* 1. *An contrahatur ex quauis copula? Reſp.* Ex quauis, & ſola naturali, ac conſummata, 35. *q.* 3. *cap.* 6. *& in Decretali tit.* 13. *cap.* 4. *Ad* 1. Sola pollutio non generat affinitatem. *Ad* 2. Actus ipſe vt naturalis generat affin. non vt malus. *Ad* 3. Actio tranſiens poteſt generare prolem, cur non & affinitatem? *Ad* 4. Fornicatio non generat irregularitatem, ſed affinitatem: quia illa eſt ex defectu ſacræ ſignif. hæc ex vnione carnali.

*QVÆST.* 2. *An affinitas tranſeat in alterum? Reſp.* Nunc affinitas non generat affinitatem. i. Non fit quis affinis affinibus ſui coniugis, ſed ſolis conſanguineis: nec conſanguinei vnius coniugis ſunt ideo affines conſanguineis alterius coniugis; ſed ſolùm generat impedimentum publicæ honeſtatis, vt in ſponſalibus. *Ad* 1. *&* 2. ex 35. *q.* 111. Eſt retractatum: nec prohibet tale Matrim. ob affinitatem, ſed ob publicam honeſtatem. *Ad* 3. Non tam poteſt affinitas, quàm conſanguineitas. *Ad* 4. Affinitas non eſt naturalis, vt conſanguineitas.

*QVÆST.* 3. *An affinitas impediat Matrimonium? Reſp.* Si ſit prior, impedit & dirimit: ſi ſuperueniat, non dirimit, ſed impedit reum & conſcium ab vſu petendi, non reddendi debitum innocenti. *Extra De conſang. & affin.* & *De conuerſione coniug.* *Ad* 1. Lex ducendi vxorem fratris defuncti, erat figura. *Ad* 2. Fornicarius, non eius conſanguinei, poteſt coniugari ſuæ fornicariæ: quia non eſt ei affinis, ſicut illi. *Ad* 3. Conſanguinei ſunt hæredes bonorum communicabilium: nō vxoris, quæ eſt incōmunicabilis. *Ad* 4. vt ſupra.

*In DIST.* 42. *De impedimento cognationis ſpiritualis, legalis, & de ſecundis nuptijs.*

*ART.* 1. *De cgnatione ſpirituali.*

Eſt propinquitas ex collatione Sacramenti, vel eius ſuſceptione. 30. *q.* 1. Eaque triplex. 1. Compaternitas inter Patrem ſpiritualem, & carnalem. 2. Eſt paternitas inter ſuſceptorem, & ſuſceptum. 3. Eſt fraternitas inter filium ſpiritualem, & carnalem. 30. *q.* 3. Contrahitur directè per actum proprium: indirectè per actum alterius coniugis. *Quidam putant contrahi à primo condimento ſalis vſque ad Confirmationem per Epiſcopum: Alij quòd per ſolum Catechiſmum, Baptiſmum, & Confirmationem; Alij nonniſi per Baptiſmum, & Confirmationem quoad vim dirimendi & impediendi.* 30. *q.* 1.

*QVÆST.* 1. *An cognatio ſpiritualis contrahatur per Sacramenta? Reſp.* Contrahitur per Catechiſmum, Baptiſmum, & Confirmationem: ſed ex ſolo Catechiſmo nec dirimit nec impedit, ſicut ex Baptiſmo, & Confirmatione. Quia vt ex carnali generatione oritur amor naturalis: ſic ex ſpirituali ſpiritualis. *Ad* 1. *&* 2. Charitas & Euchariſtia non regenerant, vt Baptiſmus & Confirmatio perficit. *Ad* 3. Participes eiuſdem Sacramenti non contrahunt vinculum ſpeciale, ſed commune. *Ad* 4. Baptizati ab eodem, non contrahunt hoc vinculum inter ſe: quia eſt vnum & idem Baptiſma.

*QVÆST.* 2. *An hæc cognatio impediat Matrimonium? Reſp.* Si ſit prior, paternitas, compaternitas, & fraternitas, impedit ac dirimit. 30. *q.* 1. *&* 3. Si ſequatur, non dirimit, nec priuat vllo iure vtendi Matrimonio, ſi fuit ex neceſſitate, aut ignorantia inculpabili; ſed ſi ex induſtria ſeu malitia, priuat reum iure petendi, non abſoluit debito. Hinc *Ad* 1. *Ad* 2. Cognatio naturalis ordinatur ad ſpiritualem, non è contra. *Ad* 3. Doctrina non propriè regenerat ſicut Sacramentum. *Ad* 4. Vt nimia diſparitas, ſic nimia proximitas impedit.

*QVÆST.* 3. *An cognatio ſpiritualis tranſeat ab vno ad alium? Reſp.* Non per actum alterius, nec per actum proprium ante copulam carnalem, ſed poſt. Vnde ſunt hi verſus.

*Quæ mihi, vel cuius mea natum forte leuanit;*
*Hæc mea commater, fieri mea non valet vxor.*
*Si qua meæ natum non ex me fonte leuanit:*
*Hanc poſt fata meæ, non inde vetabor habere.*

*ART.* 2. *De cognatione legali.*

Quæ eſt propinquitas ex adoptione. 1. Inter adoptantem & adoptatos. 2. Inter proles naturales, & adoptiuas. 3. Tam inter vxorem adoptantis & adoptatum, quàm inter adoptantem & vxorē adoptati. 1. & 3. modo ſemper dirimit: ſed non 2. niſi vſq; ad emancipationem. Eſt ſolus viri propriè adoptare, ſeu aſſumere perſonam extraneam in filium aut filiam, &c. Qui ſui iuris eſt, dicitur arrogari: qui adhuc ſub Patre, adoptari.

*QVÆST.* 1. *An cognatio legalis ſit vinculum?*

Reſp.

Digitized by Google

*Reſp.* Eſt vinculum, lege ſtatutum, ad imitationem naturalis aut ſpiritualis. *Ad* 1. Non eſt filij adoptare ſibi patrem, ſed Patris filium. *Ad* 2. Adoptio Dei eſt communis, non hominum. *Ad* 3. Adoptio eſt totius perſonæ: cognatio naturalis, quoad corpus; ſpiritualis, quoad animam. *Ad* 4. Adoptiuus poteſt emancipari, ſed non abſolui vinculo adoptionis.

*QVÆST.* 2. *An impediat Matrim. Reſp.* Impedit ac dirimit, vt ſupra, ex lege Eccleſiæ: quia ſupponit affectum quaſi paternum ac filialem, qui excludit coniugalem.

*QVÆST.* 3. *An tranſeat ab vno in alium? Reſp.* Tranſit à viro ad vxorem, & ècontra: ſed non ad proles emancipatas.

*ART.* 3. *De ſecundis nuptijs.*

*QVÆST.* 1. *An ſint licitæ? Reſp.* Sunt licitæ quotieſcumque, ad finem bonum generationis, cauendæ fornicationis, vel ſuſtentationis, &c. Ex *Gen.* 25. 1. *Tim.* 5. *Ad arg.* SS. Patres monent ad ſacram vnitatem coniugij: & ad abſtinendum à pluralitate ex libidine.

*QVÆST.* 2. *An ſint Sacramentum? Reſp.* Sunt Sacramentũ in ſe, ſed non tam ſacræ ſignificationis.

*QVÆST.* 3. *An ſint honorabiles? Reſp.* Non ſunt propriè honorabiles, vt primæ: nec tamen vituperabiles, ſed tolerrabiles, ſeu inculpabiles. *Ad* 1. Neceſſitas nubendi non eſt honorabilis. *Ad* 2. Habere proles non eſt honorabile coram Deo. *Ad* 3. Sunt Sacramentum, ſed cum defectu ſacræ ſignificationis. *Ad* 4. Erat dedecus in antiqua lege carere prole, ſed non in noua, &c.

## *Ex Doctrina Scoti in Diſt.* 26.

*QVÆSTIO VNICA. An Matrimonium fuerit immediatè à Deo inſtitutum?*

N. 2. *Concl.* 1. Ad procreandum prolem debitè educandam ad cultum Dei, marem & fœminam vinculo indiſſolubili ſibi mutuò copulari & obligari, honeſtum eſt. 2. Ad hunc vſum perpetuum poteſtatem ſuorum corporum ſibi mutuò tradere, honeſtum eſt. 3. Hanc dationem mutuam à Deo inſtitui & approbari; congruum eſt. 4. Huic contractui aliquod Sacramentum annecti, congruum eſt, & ita factum eſt. 5. In Matrimonio neceſſe eſt plura diſtincta concurrere.

*A n.* 3. *ad* 11. Probat ſingulas ſeorſim: ſed ſic poſſunt ſimul probari. Quia actus procreandi proles nec eſt ex ſe malus, nec moraliter bonus ex ſolo obiecto, qualis eſt ſolus amor Dei vt obiecti & finis vltimi: ſed eſt valde connaturalis homini ad conſeruationem ſuæ ſpeciei, & communicationem ſuæ perfectionis; perficitur autem optimo fine religiosè educandi proles ad cultum Dei, & alijs circumſtantijs ad hunc ipſum finem pertinentibus. *n.* 11. 12. ſed præcipuè inſtitutione & gratia huius Sacramenti, vt conſecrantis ipſum contractum ac perſonas contrahentes, ad vſum honeſtum & ſalútarem Matrimonij. Ex *Gen.* 2. *Matt.* 19. Quòd Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Epheſ.* 5. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. *n.* 13. Nam de Sacramentis Eccleſiæ non eſt aliter ſentiendum, quam ſentit Eccleſia Romana. *Extra De hæreticis, Ad abolendam, &c. n.* 15. Verba aut ſigna hinc inde expreſſiua conſenſus, ſunt vnum ſignum integrum, & reſpectu contractus, & reſpectu gratiæ: nec eſt inconueniens eſſe plures formas partiales vnius Sacramenti, quæ ſint vna vnitate integritatis, non indiuiſibilitatis. *Infra.* Poteſt eſſe Miniſter huius Sacramenti, quiſquis huius contractus. *Sed qualiter vnus Miniſter?* Poteſt dici ſicut priùs de vna forma. *Quis effectus?* Dico quòd duæ gratiæ in animabus contrahentiũ, niſi ſit obex peccati mort. ſed effectus totalis, eſt gratioſa coniunctio animarum. Si autem ſtringendo formam ad certum ſignum & Miniſtros, oporteat dicere quòd non omnes contrahentes in lege Chriſtiana recipiant Sacramenta: poteſt tamen dici quòd recipiant gratiam, ſi aliàs non ſit obex; quia Deus aſſiſtit propter difficultatem illius contractus honeſti; non tamen tantam gratiam, quantam cum Sacramento, maximè ſi impoſſibilitas non excuſet.

*n.* 16. Aliud eſt Matrimonium, aliud contractus Matrimonij, aliud Sacramentum Matrimonij, &c. *n.* 17. Matrimonium eſt vinculum indiſſolubile inter marem & fœminam, ex mutua tranſlatione poteſtatis corporum ſuorum in ſe inuicem, facta ad procreandam prolem debitè educandam. Contractus Matrimonij, eſt maris & fœminæ mutua tranſlatio corporum ſuorum pro vſu perpetuo, ad procreandam prolem debitè educandam. Sacramentum Matrimonij, eſt expreſſio certorum verborum maris & fœminæ ad ſeinuicem, ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum, ad prolem debitè procreandam: ex inſtitutione Diuina efficaciter ſignificans gratiam conferendam mutuò contrahentibus, ad coniunctionem mutuam animorum gratioſam. Vel ſi verba certa non ſint forma, nec contrahentes ſint Miniſtri: ponatur, Eſt exhibitio certorum ſignorum, &c.

*n.* 18. *Ad quæſt.* Contractus Matrimonij eſt inſtitutus à Deo ante lapſum, *Gen.* 2. 3. 9. per modum præcepti affirmatiui, ſemper obligantis, pro tempore neceſſitatis, &c. Et eſt à Deo vt imprimente legem naturæ, cui hoc eſt conſonum.

*n.* 20. *Epilogus.* Sic ergo habetur inſtitutio Matrimonij ad finem propagandi prolem, & Sacramenti concomitantis: ſed inſtitutio contractus ad vitandã fornicationem, non habetur ita per rationem naturalem, imò vix vt licitum ex inſtitutione Diuina, niſi vt indulgente, 1. *Cor.* 7. Iuſtitia tamen, & Sacramentum, eodem modo concomitatur, vt propter primum finem.

*Ad* 1. *arg.* ex *Gen.* 2. & *Matt.* 19. Adam fuit præco illorum verborum. *Ad* 2. Eccleſia nihil mutat circa eſſentialia Matrimonij: ſed tantum circa materiam habilem, vel non habilem.

*In DIST.* 27. *QVÆST.* 1.

*An Matrimonium rectè definiatur à Magiſtro: Viri, mulieriſq; coniunctio maritalis, inter perſonas legitimas, vitam indiſſolubilem retinens?*

*Ad hanc quæſt, &c.* Si Matrimonium accipiatur propriè, pro illa coniunctione, tunc debet intelligi coniunctio habitualis, quæ eſt idem quod obligatio: ſi autem accipiatur pro contractu, poteſt accipi pro actu coniungendi, vel paſſione, quæ includit.

cludit vtrumque actum, intrinſecum & extrinſecum perſonarum ſuo actu coniunctarum.

*Ad Arg.* Matrimonium propriè, eſt ipſa relatio coniunctionis: ex actu interno & externo voluntatis. Nec vt eſt duplex relatio, ita & duplex Matrimonium: quia hoc eſt vnum vnitate integritatis, non indiuiſibilitatis.

*QVÆST.* 2. *An conſenſus expreſſus per verba, ſit cauſa ſufficiens Matrimonij? Reſp.* Non eſt dicendum quòd ſit propriè cauſa efficiens illius vinculi: ſed eſt diſpoſitio præuia; vt baptizari & ordinari, eſt præuia diſpoſitio ad Characterem. Conſenſus autem expreſſus verbis ſufficientibus, nihil aliud eſt quàm contractus Matrimonij.

*Ad* 1. *arg.* Poteſt eſſe, & ſufficit certitudo moralis de conſenſu. *Ad* 2. ex 32. *q.* 2. Sufficit parentes contrahere pro filijs, & ſufficeret contractus per litteras, &c. Sed an in iſtis ſignis alijs à verbis, vel exhibitis ab alijs, vel à cõtrahẽtibus, ſaluetur ratio Sacramenti: tactum eſt *diſt.* 26. *q. vnica, ad conc.* 4.

*In DIST.* 28. *QVÆST. VNICA.*

*An ſolus conſenſus de præſenti expreſſus verbis, cauſet Matrimonium? Reſp.* Contractus Matrimonij eſt traditio mutua, &c. ſed nullus promittendo tradit quòd promittit: conſenſus autem ille de futuro, non eſt niſi promiſſio; ergo non poteſt eſſe traditio, nec contractus Matrimonij, &c. Nec forma propria huius Sacramenti, ſiue in ſolis verbis, ſiue in alijs ſignis, conſiſtit in ſigno pronoſtico, ſed repræſentatiuo; nec intentio pro futuro ſufficit in Miniſtro, ſed neceſſaria eſt pro præſenti, &c. *Ad* 1. Non licet copula carnalis poſt talem conſenſum pro futuro: nec inde confirmatur vinculum Matrimonij, niſi interueniat conſenſus expreſſus de præſenti; quamuis ſic præſumatur in foro externo. *Ad* 2. Promiſſio illa eſt indiſſolubilis de iure: diſſoluitur tamen ipſo facto, tradendo vni quod erat promiſſum alteri.

*In DIST.* 29. *QVÆST. VNICA.*

*An conſenſus coactus ſufficiat ad contrahendum verum Matrimonium?*

*N.* 3. Hìc dicitur quòd cum non poſſit quis cogi ſimpliciter ad conſenſum: poſſitque fallere minas iniquas, fingendo verbis conſenſum; non poſſit vllo metu cogi ad verum conſenſum internum, ſed tantùm præſumatur ab Eccleſia cõſenſiſſe. *Contra.* Non poteſt fingere conſenſum ſine graui peccacato: ergo hoc ipſo quo cogitur, ad exprimendum, cogitur ad conſentiendum. Nec Eccleſia præſumit niſi quòd melius eſt. *n.* 6. *Ad quæſt.* Duo ſunt videnda. 1. Qualiter conſenſus poſſit eſſe coactus. 2. An hic ſufficiat ad Matrimonium.

*De* 1. Eſt contradictio voluntatem ſimpliciter cogi ad actũ volendi, &c. Sed habens voluntatem poteſt cogi ad aliquam paſſionem, vel actionem inſtrumentalem, non ad vllam elicitam, vel imperatam voluntatis, niſi ſecundùm quid, metu maioris mali quàm ſit actus ad quem cogitur. Quòd ſi verè ſit, aut ſibi rationabiliter videatur maius malum quàm hoc, nec poſſe aliter caueri: cenſetur metus cadens in conſtantem virum, vt poſſit etiam licitè conſentire in hoc vt minus malum, ad cauendum illud vt maius. Sed nullum malum culpæ poteſt cenſeri minus vllo malo pœnæ: ſicque nec vllus metus poteſt cogere vllum virum conſtantem ad peccandum, ſaltem mortaliter.

*De* 2. Conſenſus ſic coactus non ſufficit ad Matrimonium. *Extra De deſponſatione c. Cum locum, & c. Conſultationi.* Quia hic contractus eſt dationis & permutationis ad æqualitatem: ideoque Deus inſtituit vt eſſet vtrimque æquè liber. *Gen* 2. Adhærebit vxori ſuæ: non inuitè trahet aut tenebit. *Gen.* 24. Vocemus puellam, & quæramus voluntatem eius.

*N.* 8. Dicit quidam *Rich.* quòd poſſet dici Eccleſiam illegitimare perſonam ſic coactam: ſed non credo, imò ſtatutum Eccleſiæ hoc requirit ad naturam huius contractus. *Contra.* 1. Conſenſus ſic coactus eſt verus & virtuoſus, ad vitandum maius malum & mendacium: ergo ſufficit. 2. Qui contraheret ex præcepto iuſto, timore peccandi, verè contraheret: ergo & ex quouis timore cadente in virum conſtantem. 3. Poteſt verè & validè contrahi cum aliqua ex timore ne ſe proſtituat, vel ne ſeipſam occidat: ergo & ex timore mali proprij. *Reſp.* Poſſet exigi libertas intentionis ad miniſtrandum hoc Sacramentum, &c. Sed *ad* 1. Metus non eſt cauſa effectiua conſenſus, ſed inductiua: nec vllus conſenſus eſt tranſlatiuus, niſi ſit merè liber. Vel poſſet dici quòd Deus aliter non ratificat. Nec ideo exprimens conſenſum talem, mentitur: quia conſentit quantum poteſt in tali ſtatu & metu. *Ad* 2. Conſenſus talis valeret: quia eſſet ex iuſtitia & obedientia; ſicque videretur etiam valere conſenſus coactus timore peccandi. *Ad* 3. Talis contractus ex timore peccati alieni valeret: eſſetque magnæ Charitatis ac perfectionis; ſed non ex timore pœnæ alienæ. *Ad* 1. *arg princ.* Conſenſus coactus valet ad Baptiſmum, non ad Matrimonium: quia Baptiſmus eſt ad maius bonum regenerationis & adoptionis. *Ad* 2. Vir conſtans poteſt etiam rationabiliter & differenter timere inter maius & minus malum. *Ad* 3. Conſenſus per blanditias non eſt tam inuoluntarius, quàm per minas. *Ad* 4. *Extra De deſponſatione impuberum.* Filius debet de congruo conſentire patri ad Matrimonium. *FF. De ſponſal.* Filia non poteſt in hoc diſſentire à patre, niſi velit eam tradere indigno, vel nimis turpi: ſed ius canonicum derogat.

*In DIST.* 30. *QVÆST.* 1.

*An ad contractum Matrimonij requiratur conſenſus ex ratione non erronea?*

*N.* 2. Error circa conditionem per ſe neceſſariam, facit contractum nullum. 1. Si putetur eſſe perſona quæ non eſt. 2. Si putetur libera quæ non eſt. 3. Si vnus putet alterum verè contrahere, qui fingit. Quia hæc ſunt contra valorem omnis contractus mutui, vel huius inter perſonas determinatas ad tradendum mutuo poteſtatem corporum.

*N.* 4. & 5. Si quis poſt ſuum contractum bonæ fidei, dubitet de vero aut ficto conſenſu alterius: non poteſt vti Matrimonio ſibi dubio, contra propriam conſcientiam, ſed tenetur hoc dubium & conſcientiam deponere, potiùſque credere alterum nunc mentiri, quàm tunc mentitum fuiſſe. *n.* 6. Qui tamen finxit, non poteſt vti ficto Matrimonio: nec ab eo reſilire, ſed tenetur verè contrahere. Quòd ſi cum alia contraxerit, tenetur priori

Digitized by Google

priori ſatisfacere: vt & virgini corruptæ, per dotem conſuetam in illa patria. *Contra*. Poteſt validè dari pro æquiualenti reddendo, quamuis non reddatur. *Reſp*. Contractus *Matrim*. non eſt datio ſui pro æquiualenti reddendo in futurum, ſed reddito hîc & nunc actu. *Ad* 1. Iacob. *Gen*. 29. de nouo conſentit in Liam. *Ad* 2. Iſaac, *Gen*. 27. ex inſtinctu Dei confirmauit benedictionem Iacob. *Ad* 3. Valet Baptiſmus perſonæ præſentis, etſi putetur alia: quia non eſt contractus mutuus. *Ad vlt*. Seruus non poteſt ſe alteri dare: vt quiuis alius quãuis peſſimus.

*QVÆST. 2. An inter Mariam & Ioſeph fuerit verum Matrimonium?*

*ART*. 1. Fuit verum. Ex *Orig*. in *Matt*. 1. *S. Ambr*. in *Luc*. 1. *B. Aug*. *l*. 23. *contra Fauſt*. 8. 9. *De Nupt. & Conc*. 1. 11. 12. Vt ipſa haberet teſtem ſuæ virg. Tutorem, ſolatium, &c. Ad fallendum etiam Diabolum, ex *S. Ambr*. æquè tamen potuiſſet aliter falli. Sed præcipuè, vel quia tunc *Matrim*. erat omnibus lege præceptum; vel B. Virgini cum S. Ioſeph inſpiratum.

*Art*. 2. Dicitur quòd non vouerat virginitatem, niſi ſub conditione: ſed hæc conditio, ſi Deo placet, ſubeſt omni voto. Dico ergo quòd vouerat abſolutè: ex *Luc*. 1. Quomodo fiet iſtud? Nec nupſit contra ſuum votum: quia coniugati poſſunt eſſe & manere virgines, ſi ambo volunt; nec obligant ſe ad actum coniugalem, niſi ab inuicem exigatur. Quòd ſi præmonitus fuit S. Ioſeph, *Matt*. 1. Noli timere accipere *Mariam* coniugem tuam: quanto magis hæc de illo? Nam in omnibus poteſt ſeparari dominium ab vſu, & è contra. Poteſt contrahi *Matrim*. ratum, & ſaluari virg. per profeſſionem ſtatus Religioſi. Poteſt adulter priuari vſu, & iure vtendi coniuge innocente, &c. *Ad* 1. *arg*. Damnabile eſt poſt votum velle nubere .i. ad vſum, vel ſub periculo vtendi. *Ad* 2. Lex. *Num. vlt*. non nubendi extra ſuam Tribum, erat pro ſolis hæredibus. Vel *Maria* erat de Tribu Leui ex matre, de Tribu Iuda ex Patre, vt & S Ioſeph. Ex *Damaſc*. *lib*. 4. *c*. 15. imò & ex *Matt*. 1. & *Luc*. 3. qui deducunt Chriſtum ex Tribu Iudæ.

*In DIST. 31. QVÆST. VNICA.*

*An ſint tria bona coniugij, Fides, Proles, & Sacramentum?* Hîc dicitur à *Ric*. quòd Matrim. non liceret niſi eſſent annexa bona compenſantia defectum rationis ex vſu matrim. *Contra*. Fuit in ſtatu innoc. inter MARIAM & Ioſeph, & licet priuare ſe vſu rationis in ſomno.

*Ad quæſt*. Sacramentum pro ipſo vinculo indiſſolubili, eſt bonum intrinſecum & principale *Matrimonij*: fides ſeu fidelitas reddendi debitum ſoli coniugi, eſt eius bonum extrinſecum, & finis proximus; proles educanda, in ſpe, aut ſub conditione ſi detur, eſt bonũ extrinſecum & finis potior.

*N*. 5. Contra 1. Matrimonium ratum caret illo bono Sacramenti, ſeu vinculo indiſſolubili. 2. Inter ſteriles, caret bono prolis. 3. Inter adulteros, caret bono fidei. *Ad* 1. ex *Ric*. Non ſoluitur niſi morte ciuili. Sed cur conſummatum non poteſt ſic ſolui per profeſſionẽ ſtatus religioſi? Ex *Henr*. nec ratum ſoluitur: quamuis poſt vnius profeſſionem alter poſſit adhuc coniugari. Sed ſic vna poſſet fieri & manere vxor plur. morum ſimul. *Poteſt dici*, quòd etſi contrahens intendat ſtatim ad religionem auolare, oritur inde vinculum indiſſolubile, niſi per mortem naturalem, vel ab ipſo Chriſto. Nam Eccleſia id non attentaſſet, niſi Chriſtus inſtituiſſet. Exemplo vocationis S. Ioanuis Euang. ex nuptijs, *Ioan*. 2. & multorum Sanctorum poſt eum. Et ex illo *Matt*. 19. Sunt Eunuchi, &c. Qui poteſt capere, capiat. Nec indiſſolubilitas oritur ex Sacramento nouæ legis: ſed fuiſſet in lege naturæ, & poſſet non eſſe cum ipſo Sacramento nouæ legis. Eſt ergo ex ſola Dei ordinatione. *n*. 5. Hinc contractus ſub conditione repugnante his tribus bonis, non ſunt matrimoniales: quia cùm omnes ſint Dei, nemo poteſt ſe tradere inuito Deo.

*Ad* 1. *arg*. Hæc non ſunt tria bona huius Sacramenti nouæ legis, quod eſt ſacrum ſignum tranſiens: ſed ipſius vinculi coniugalis. *Ad* 2. Bonum fidei eſt extrinſecum, & ſemper in obligatione, non in executione. *Ad* 3. Bonum prolis eſt etiam extrinſecum, & ſub conditione: ſed vbi nulla eſt ſpes prolis, Matrimonium non eſt niſi in remedium. *Ad vlt*. Bonum hoc Sacramenti non eſt ipſum ſacrum ſignum gratiæ collatæ: ſed indiſſolubilitas vinculi; quæ eſt etiam ſignum ſacrum vnionis indiſſolubilis cum Chriſto.

*In DIST. 32. QVÆST. VNICA.*

*An ſit ſimpliciter neceſſarium in Matrimonio reddere debitum petenti?*

*Ad quæſt*. Coniuges obligantur ad reddendum ſibi inuicem debitum coniugale, ex iuſtitia commutatiua, præcepto affirmatiuò ad ſemper, non tamen pro ſemper, ſed pro quando obligat. Hinc poteſt quis iuſtè non reddere. 1. Quando coniux amiſit ius petendi, violando fidem coniugalem: vel non habet pro tunc. Vt ſi quis poſt Matrimonium ratum deliberet, & intret Religionem.] Quo caſu videtur Scotus dubitare an non ſit cogendus redire ad coniugem non continentem: de quo in quæſt. noſtra Scholaſtica, vel Morali.

*N*. 5. Secundus caſus eſt maioris obligationis non reddendi debitum, ad cauendum mortem propriam, vel abortum, vel lepram prolis. Nec obſtat *cap*. 1. *De coniug. Leproſorum*: quia inde coniux debet coniugi leproſo reddere debitum; non tamen in ſuis menſtruis, &c. Vt *S. Bon*. ſupra.

*Ad* 1. *arg*. Priuatio vſus actualis rationis, non eſt peccatum, ex cauſa iuſta: vt dormiendo, vel patiendo magna tormenta. *Ad* 2. Coniux non habet ius petendi, ex Matrim. rato, ante, vel poſt profeſſionem. *Ad* 3. Non eſt præceptum, ſed conſilium continendi, ad ſacram Communionẽ. *Ad vlt*. Continendum eſt in loco ſacro: niſi nimis diu eſſet in eo morandum; nec fortè ex tali actu occulto eſſet locus interdictus.

*In DIST. 33. QVÆST. 1.*

*An bigamia fuerit aliquando licita?*

*Art*. 1. *n*. 2. Commutatio ex ſtricta iuſtitia requirit æqualitatem commutatorum, ad finem commutationis. Ad finem autem prolis corpus viri eſt maioris valoris quàm mulieris: quia idem vir poteſt plures ſimul fœcundare, quàm eadem mulier à pluribus viris concipere; ſed ad remedium fornicationis, ſunt eiuſdem valoris. Hinc videtur bigamia licita ad primum finem: vt vir poſſit contrahere

Digitized by Google

trahere cum tot quot poteſt fœcundare; nec tamen fuiſſet in ſtatu innocentiæ, quia ſinguli ex ſingulis generaſſent ſufficientes. Sed nec ad finem ſecundum eſt licita, nec ad primum: quia hæc commutatio ad hunc & illum finem non valet niſi ex ordinatione Dei inter vnicum & vnicam ſimul.

*Art.* 2. *n.* 4. Diſpenſatio eſt iuris declaratio, vel reuocatio. Potuit ergò Deus hanc ſuam legem rationabiliter declarare vel reuocare: ſicque præſumitur diſpenſaſſe cum Abraham & alijs Patribus, ad finem primarium prolis, præ ſecundario remedij. In quem finem tenerentur etiam nunc partes conſentire, ſi eſſet neceſſitas.

*Ad* 1. *Arg.* Bigamia non eſt contra legem naturæ, vt neceſſariam, ſed congruam. Nec Lamech, *Gen.* 4. excuſatur: quia induxit bigamiam ſine neceſſitate & diſpenſatione. *Ad* 2. Eſſet contra finem principalem, vnam mulierem eſſe biuiram. *Ad arg. oppoſita.* Eſt præſumendum quòd SS. Patres non fuerint bigami, niſi ex neceſſitate & diſpenſatione.

*QVÆST.* 2. *An bigamus ante Baptiſmum, poſſit poſt ordinari?*

N. 1. Bigamus, ſiue ante, ſiue poſt Baptiſmum, ſemper eſt irregularis: ſed homicida ante, poſt non eſt irregularis. Ex *Aug. de bono coniug.* 18. *diſt.* 26. *cap. Acutius. diſt.* 50. *cap. Si viduam.*

N. 7. Ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ: quia Baptiſmus manifeſtacit, & aufert horrorem homicidij præteriti, non autem defectum ſacræ ſignificationis in Bigamia. *Ad* 1. S. *Aug.* in hoc præfertur *Hier.* à Canoniſtis.

*QVÆST.* 3. *An in lege Moyſis fuerit licitum repudiare vxorem?*

N. 1. Quòd non. 1. Ex *Matt.* 19. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, &c. Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis, &c. 2. Ex *S. Ambr. & Aug.* quòd non fuerit permiſſio, ſed iracundiæ moderatio. *n.* 4. Quòd ſic, pro lege Moyſis. 1. Quia Deus ſeparauit, quos Moyſes. 2. Sacræ ſcript. nil poteſt ſubeſſe falſum. 3. Lex iuſta non dat occaſionem peccandi, &c. *n.* 6. Poſſet dici, quòd vt Deus diſpenſauit in bigamia ad maius bonum: ſic in repudio, ad cauendum maius malum. *Ad Matt.* 19. Chriſtus reduxit Matrimonium ad ſtatum legis naturæ. Nec Moyſes permiſiſſet ob duritiam cordis, niſi relaxando legem: quia illud fuiſſet ad damnationem ſubditorum. *Ad S. Ambr. & Aug.* Permittebatur vt magna imperfectio, ſed non vt culpa mort.

*Ad* 1. *Arg.* Vel tunc non erat Matrim. ſimpliciter, vel nonniſi ſub illa conditione.] Relinquit tandem ſub problemate: An non fuerit permiſſum vt minus peccatum, ad cauendum maius.

*In DIST.* 34. *QVÆST. VNICA.*

*An impotentia coeundi impediat Matrimonium?*

N. 2. Si ſit perpetua, ſeu incurabilis, & præcedens, impedit ac dirimit *Matrimonium*, ſed ſolùm inter quos eſt hæc impotentia. 33. *q.* 1. *Et extra De frigidis & maleficiatis.* Quia hic contractus eſt permutationis corporum ad actum coniugalem, ſi petatur: ergo impotens non poteſt ſic contrahere, nec ſe obligare ad impoſſibile; ſubeſtque error circa conditionem neceſſariam perſonæ. Si autem accidat poſt *Matrimonium* conſummatum, non dirimit: quia fuit vtrimque tradita poteſtas & vſus mutuus corporum; ſed ſi poſt ratum, non conſummatum, dubium eſt. Videtur quòd ſic, ex 33. *q.* 1. *cap.* 1. Quòd non, ex traditione mutua veræ poteſtatis.

N. 4. Hæc impotentia, vel eſt naturalis, vt frigiditas, mutilatio, arctitudo: vel eſt caſualis, per maleficium, ex permiſſione Dei, quod poteſt auferri orando Deum, vel diſſoluendo ipſum maleficium. *Ex hoc patet, quàd truſatica eſt quæſtio, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatũ. Non enim ſolùm licet; ſed eſt meritorium deſtruere opera diaboli, &c.* Vtraque dirimit inter quos eſt, non inter alios: ſed hæc poſt diuortium permittit contractum cum alia perſona, cum qua poteſt non ſubeſſe impotentia: illa non permittit, quia ſi cum alia non ſit impotentia, præſumetur diuortium eſſe ex errore, & prius *Matrim.* valere.] Supple, niſi conſtet impotentiam non eſſe ad omnes.] De probatione autem vtriuſque impotentiæ, per triennium. *Extra De frigidis.* Si poſt ambo reclamant, debent iurare de ſcientia ſeu experientia propria, cum ſeptima manu .i. 7. vicinis, de fidelitate. Si vir reclamat accuſationi mulieris, creditur viro. Si vir accuſet, debet probare.

*Ad* 1 *arg.* Potens obligat ſe ad actum, ſi petatur tempore debito. *Ad* 2. Si ſenex ſit omnino impotens, dicerem quòd non verè contrahat: licet aliqua poſſit ei cohabitare vt ſoror. Et ita fortè multæ magis deſponſant diuitias, quàm perſonas. *Ad* 3. *Malef.* præſumitur perpetuum, ſi duret vltra triennium.

*In DIST.* 35. *QVÆST. VNICA.*

*An adulterium cum aliqua, viuente viro, impediat cum eadem Matrimonium poſt mortem viri?*

*Reſp.* *n.* 2. 7. 9. Adulterium, ſub contractu, iuramento aut fide data, contrahendi, aut cum machinatione in mortem coniugis, ad contrahendum inter ſe, imò & hæc ſola machinatio, ad contrahendum, effectu ſecuto, dirimit *Matrimoniũ* inter conſcios adulterij, & illius homicidij. Ex *Aug. l.* 1. *De nupt. & conc.* 10. *Poteſt fieri coniugium, cum qua præceſſit adulterium.* Et ex ſtatutis Eccleſiæ: ad cauenda adulteria, & homicidia in illum finem.] Scotus videtur hic valdè confuſus in duplici ternario criminum referendo & conferendo. Inter quæ mouet graue dubium de conſcio & inſcio adulterij: An, & quomodo poſſit hic validè contrahere cum illo, non ille cum hoc. *Reſp.* Nonniſi priùs inſcio, poſtea ſciente, & præſtante ac exigente nouum conſenſum, ad quem conſcius cogendus eſt. Subdit à *n.* 4. *ad* 7. Pro certo nullum eſſe *Matrim.* coniugati cum aliqua inſcia: videri tamen ex *cap. vlt. De eo qui duxit in Matrim. &c.* Solum adulterium cum inſcia, datâ fide contrahendi, non dirimere. *Sed prima ſententia videtur certior: quia ſi poſt reclamet, fiet diuortium.*

*Ad arg.* ex *Matrim.* Dauid cum Bethſabee, poſt adulterium & homicidium viri eius Vriæ: hæc crimina tunc non dirimebant. *Iuſtiùs feciſſet ſi eam lapidaſſet, &c.* ſed quia fuit pecc. priuatum: non debuit puniri publicè.

In

Digitized by Google

*In DIST.* 36. *QVÆST.* 1.

*An ſeruitus impediat Matrimonium?*

N. 2. Libertas & ſeruitus ſolius obedientiæ filialis, aut politicæ, eſt de lege naturæ: ſed ſeruitus mancipiorum, vel eſt ex propria voluntate, vel ex culpa & pœna iuſta; non ex Bello iuſto, niſi victus nolit obedire politicè. Nec obſtat Apoſt. *Epheſ.* 6. Serui obedite dominis, &c. Quia multa fiunt iniuſtè, quæ tamen iuſtè obſeruanda ſunt. *n.* 5. Dicunt aliqui, quòd ſeruus poteſt contrahere *M*atrimonio inuito domino. 1. Quia eſt de lege naturæ. 2. Quia non eſt ſeruus quoad actus naturales. Sed poteſt ſolui quòd non ſit de prima lege naturæ: quòdque hoc ius naturæ poſſit amitti; nec ſit neceſſarium cuique conſeruare ſuam ſpeciem, ſicut ſuum indiuiduum. *n.* 6. Dico ergo, quòd ſeruus de voluntate Domini ſui poſſit contrahere: nec poſſit poſtea à Domino ſuo impediri ab vſu Matrimonij. Poteſt & contrahere inuito Domino, etiam cum libera ſciente ſuam conditionem: quia habet aliquam poteſtatem ſui corporis ad vſum Matrimonij, quam poteſt cum ſciente permutare. Sed tunc Dominus poteſt ſeruum ſuum quòuis ad ſuum ſeruitium mittere. Poſſet dici quòd error ancillæ circa ſeruum quem putat liberum, dirimat Matrim. quia non recipit quantum intendit; ſed ignorantia conditionis melioris vel æqualis, non dirimit. *Ad* 1. *arg.* Seruus eſt ſui Iuris quoad naturalia, quæ non impediunt ſeruitutem. *Ad* 2. Seruus non poteſt profiteri ſtatum Religionis: quia hic non cōpatitur ſeruitutem prioris domini.

*QVÆST.* 2. *An ætas puerilis impediat Matrim.*

*Reſp.* Impedit & dirimit: quia pueri non habent potentiam actualem quam tradant, ſed futuram quam per ſponſalia promittant; non autem defectu vſus rationis ſeu intentionis; quia poſſunt hanc habere antequam habeant illam potentiam actualem. Porrò tempus ordinarium in maſculis eſt anno 14. in fœminis 12. Sed ſi malitia ſuppleat ætatem, & complexio præueniat illud tempus quoad potentiam actualem & diſcretionem, valet Matrim.

*Ad arg.* Poteſt dari & recipi poteſtas ante vſum: ſed non dari, priuſquam habeatur.

*In DIST.* 37. *QVÆST. VNICA.*

*An Sacramentum Ordinis impediat Matrimonium?*

N. 4. Dico quòd non ob votum continentiæ propriè dictum, quaſi annexum Ordini ſacro; quia poteſt quis validè ordinari, quamuis nolit vouere aut obſeruare continentiam: nec ex ſolo præcepto Eccleſiæ; quia hoc non facit niſi illicitum; ſed ex lege Eccleſiæ, tales perſonas ad hoc illegitimante. Nec per hoc vlli præiudicatur: quia nemo hoc ignorat, nec ad id cogitur. *Ad* 1. ex 1. *Tim.* 3. Vnius vxoris vir .i. nec plurium ſimul, nec ſucceſſiuè. Potuit tamen eſſe vir vnius vxoris, ſed non ea amplius vti. *Ad* 2. Coniugatus poteſt validè ordinari, non ordinatus coniugari: quia hic eſt ad hoc inhabilis, non ille ad illud.

*In DIST.* 38. *QVÆST. VNICA.*

*An votum continentiæ impediat Matrimonium?*

N. 2. Votum continentiæ poteſt eſſe publicum vel priuatum, & horum vtrumque ſimplex vel ſolemne. *Extra, De votis, in* 6.

N. 3. Ex tribus modis ibi relatis ſolemnizandi votum, non ſunt Iuris niſi duo. 1. Per ſuſceptionem ſacri Ordinis. 2. Per profeſſionem ſtatus Religioſi, vel veram ſeu expreſſam, vel præſumptam ſeu tacitam, recipiendo & geſtando ſcienter habitum Profeſſorum, & morando vltra annum in Monaſterio, abſque proteſtatione non profitendi. Non dicitur tamen ſolemne, quia publicum: ſed quia ſubijcit alterius poteſtati, ad actus publicos ſacri ordinis, vel ſtatus Religioſi.

N. 4. *Ad quæſt.* Votum ſimplex non impedit niſi contrahendum, ſed ſolemne dirimit contractum: Non quia hoc publicum, illud non: nec quia hoc dat Ius Superiori ad actus oppoſitos Matrimonio, non ſic illud ſoli Deo: Nec quia hoc dat poſſeſſionem recipienti votum, illud quaſi promittit, &c. Nec quia huius tranſgreſſio eſt ſcandaloſa, non illius; ſed quia Eccleſia illegitimauit vouētem ſic, non aliter, ob rationes tamen ſupra relatas.

*In DIST.* 39. *QVÆST. VNICA.*

*An diſparitas cultus impediat Matrimonium?*

*Art.* 1. Infideles non ſunt incapaces Matrimonij, defectu fidei, prolis educandæ ad cultum Dei, vel Sacramenti: quia nec fides vera, nec vera educatio prolis, nec Sacramentum Matrimonij eſt de eius eſſentia. Sed cùm ordinatio Dei ſit neceſſaria ad Matrimonium validum, aut ſaltem licitum: cùmque ſit contractus indiſſolubilis, eſt probabile quòd hæc Dei ordinatio ab initio reuelata, tradita ſit per conſuetudinem etiam vſque ad Infideles; eorum autem Matrim. ſit ratum ſeu indiſſolubile, niſi fortiori vinculo repugnante.

*Art.* 2. Eſt Matrim. adhuc validum inter fidelem & infidelem: poſſetque Iure Diuino inter eos validè contrahi; ſed non Iure Eccleſiæ; quia hæc meritò illegitimauit fidelem reſpectu Infidelis: Quamuis moneat Apoſt. 1. *Cor.* 7. ne Conuerſus deſerat non Conuerſum, ſub ſpe conuerſionis eius.

*Ad arg.* Ab exemplis antiquis. Non erat tunc Lex illegitimans: & vel erat ſpes conuerſionis infidelium, vel erat peccatum contrahere cum eis; non tamen lex Moyſis id vetabat niſi cum Chananæis.

*In DIST.* 40. *QVÆST. VNICA.*

*An cognatio carnalis impediat Matrimonium?*

N. 2. Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eadem perſona carnali propagatione deſcendentium. Perſona à qua, vocatur ſtipes: ordo ille perſonarum, vocatur linea. Quæ vel eſt recta, deſcendens à ſtipite ſeu perſona propagante ad propagatas, aut aſcendens à propagatis ad propagantem; vel tranſuerſalis, inter perſonas non propagatas ab inuicem. Gradus autem eſt certa propinquitas perſonæ ad perſonam: propriè, in ſola linea recta; impropriè, etiam in tranſuerſali. In linea recta, tot ſunt gradus, quot propagationes .i. quot perſonæ, vna minus. In tranſuerſali, tot ſunt gradus inter duas perſonas, quot remotior diſtat à ſtipite in quo coniunguntur. *Extra De Conſanguinitate.* Magiſque repugnat *M*atrim. conſanguinitas lineæ rectæ, quàm tranſuerſalis: vt, magis inter parentes & proles, quàm inter fratres & ſorores; magis inter filium & matrem, quàm inter patrem & filium, ob maiorem irreuerentiam naturalem. Vt patet ex quibuſdam animalibus illum coitum potiùs quàm hunc abhorrentibus.

N. 4. Lege naturæ primus gradus lineæ rectæ, imò fortè tota hæc linea impedit & dirimit. *Gen.* 2. *Relinquet homo patrem & matrem, &c.* .i. omnes parentes; ita vt ſi Adam hodiè viueret, non poſſet ducere vllam vxorem, &c. Non ſic primus gradus lineæ tranſuerſalis ab initio inter fratres & ſorores.

In lege Moſaïca, *Leuit.* 18. prohibentur plures gradus, etiam tranſuerſales. In lege Euangelica fuit prohibitio vſque ad ſeptimum gradum: ſed reſtricta eſt vſque ad quartũ incluſiuè ſub *Innoc.* 3. *Extra De Conſang.* Quia in vlterioribus gradibus non poterat abſque graui diſpendio obſeruari. Chriſtus per ſe nullos gradus excepit: ſed Eccleſia quoſdam illegitimauit, ad pacem & amicitiam inter fideles. Hinc *ad* 1. *Ad* 2. Amicitia inter conſanguineos eſt reuerẽtiæ, ſed eſt alia inter cõiuges.

*In DIST.* 41. *QVÆST. VNICA.*

*An affinitas impediat Matrimonium?*

N. 2. Affinitas eſt vinculum perſonæ ad perſonam, ex carnali copula vnius, cum conſanguinea alterius. Habet etiam ſuos gradus, & lineas, inſtar conſanguinitatis.

N. 4. *Ad quæſt.* Affinitas propriè dicta Iure Eccleſiæ impedit ſimpliciter, ſeu dirimit Matrimonium vſque ad 4. gradum incluſiuè, vt conſanguinitas. *Tit. De conſang. & affin. c. Non debet*: Imò & affinitas impropriè dicta, ſeu iuſtitia publicæ honeſtatis oriunda ex ſponſalibus quamuis ipſo iure inualidis cum conſanguineis alicuius. *Ad* 1 *arg.* Affinitas non impedit ipſum Matrimonium cuius eſt effectus, ſed alia. *Ad* 2. Affinitas contracta ante, *dirimit*: ſed contracta poſt cum vxore, priuat iure petendi debitum.

*In DIST.* 42. *QVÆST. VNICA.*

*An cognatio ſpiritualis impediat Matrimonium?*

*Reſp. n.* 2. Eſt vinculum contractum ex diſpenſatione Sacramentorum, ſpecialiter Baptiſmi, & Confirmationis: De quo, & eius gradibus, *Extra. De cogn. ſpirituali in* 6. Si præcedat Matrimonium, ſimpliciter impedit, ſeu dirimit: ſi ſequatur, non dirimit. Ex ſtatuto Eccleſiæ, *cap. Veniens.*

N. 3. Cognatio legalis, ſiue per arrogationem alicuius qui eſt ſui iuris, in poteſtatem eum ſibi arrogantis, ſola authoritate Principis; ſiue per adoptionem alicuius qui necdum eſt ſui iuris, nec per eam tranſit in poteſtatem adoptantis: dirimit etiam Matrimonium inter fratres adoptiuos & naturales, quamdiu durat adoptio vel arrogatio. *Extra. De Cogn. legali, cap. Si qua.*

N. 4. Hinc impedimenta ſimpliciter, ſeu dirimentia, vel ſunt ex neceſſitate contractus, vel contrahentium, vel ex ſtatuto Eccleſiæ. 1. modo impedit quicquid eſt contra hanc dationem vel commutationem voluntariam: vt metus cadens in virum conſtantem, priuatio vſus rationis, error perſonæ, error conditionis peioris, error dationis mutuæ, & conditiones contrariæ tribus bonis Matrimonij. 2. modo *n.*6. Impedit contrahentes impotentia perpetua, vel necdum potentia coëundi, vt in pueris, & Matrimonium actuale. Quia nec impotentes, nec coniugati habent quod permutent. 3. modo *n.* 8. Impedit illegitimatio quarundam perſonarum ab Eccleſia: vt conſanguineorum, affinium, cognatorum ſpiritualium, & legalium, ſupra; perſonarum Deo conſecratarum per ſacros Ordines, vel votum ſolemne; fidelium reſpectu infidelium; adulterorum ſub promiſſo Matrimonij; & complicum in mortem coniugis.] Subdit Verſus antiquos 12. impedimenta promiſcuè continentes.

*Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,*
*Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas:*
*Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.*

Quæ 12. imped. diſtinguit & ordinat in 23. vt ſupra, per verſus ſequentes.

*Vis, fraus perſonæ, ſerui, dationis, & amens:*
*Addita conditio tria coniugij bona tollens,*
*Frigidus, arcta, puer, truncatus, præſtigiatus,*
*Alterius coniux, obſtant mutuæ dationi:*
*Ordo ſacer, votum, duo cultus, ſponſio mæchi:*
*Carnalis, legis, cognatio ſpiritualis:*
*Hac vi præcepti, ſit huic affinis, honeſtas.*

Supple duo imped. ex Conc. Trid.

*Si Parochus non ſit præſens cum duplici teſte,*
*Rapta, loco mulier ſi non ſit reddita tuto.*

Nec eſt mirum Eccleſiam tam ſollicitè prouidiſſe, vt Matrimonium Chriſtianum ſit honeſtiſſimum: ad repræſentandum ſacram coniunctionem, nunc per fidem & aliquam dilectionem, ſed in patria per viſionem & fruitionem perfectam, ſuiipſius vt ſponſæ ſine macula & ruga, cum Chriſto vt ſponſo ſpecioſo præ filijs hominum: Cui honor & gloria.

*QVÆSTIO* 1. *DOGMATICA.*

*Quænam ſint de Matrimonio credenda?*

*Reſp.* Quæcunque de eo in ſacra Script. expreſſa, vel ab Eccleſia expreſsè definita ſunt.

1. Nuptias ſeu Matrimonium non eſſe malum ſeu illicitum, nec à diabolo, aut ſolis hominibus, ſed ab ipſo Deo vt authore & conſeruatore naturæ etiam poſitiuè inſtitutum. Ex *Gen.* 1. & 2. Creſcite & multiplicamini, &c. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. *Matt.* 5. & 19. Quod Deus coniunxit homo non ſeparet. *Ioan.* 2. Vbi Chriſtus interfuit nuptijs. 1. *Cor.* 7. Si nupſerit virgo non peccauit. *Heb.* 13. Honorabile connubium in omnibus, &c. 1. *Tim.* 4. De futura hæriſi *prohibentium nubere*: quales fuerunt *Simoniani, Encratitæ, Adamiani, Manichæi, Paterniani*, qui delirabant corpus humanum infra vmbilicum eſſe à diabolo. Apud *S. Aug. hæreſ.* 1. 25. 31. 46. Contra quos *Conc. Gangrenſe, c.* 11. *Braccar.* 1. *can.* 1.

2. Non eſſe tantùm à Deo inſtitutum vt quid naturale, aut ciuile: ſed etiam vt ſacrum, ſeu ſacræ ſignificationis. Ex illo myſterio formatæ Euæ de coſta Adam, *Gen.* 2. reſumpto à Chriſto, *Matt.* 19. expreſſo ab Apoſtolo, *Eph.* 5. & expreſsè definito à Conc. *Flor. & Trid. ſeſſ.* 24.

3. Inter Chriſtianos eſſe vnum ex 7. Sacramentis nouæ legis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſeu eleuatum ſupra illam primam inſtitutionem Dei, & ſacram ſignificationem futuri, ad ſignificationem efficacem ac ſacramentalem veræ gratiæ præſentis ac ſanctificantis. Contra Lutheranos, Caluiniſtas, & omnes hæreſes huius ſæculi. Ex ſacra Script. *Ioan.* 2. vbi Chriſtus ſuâ præſentiâ, & conuerſione miraculoſa aquæ in vinum, honorauit Nuptias, & perfi-

Digitized by Google

præfigurauit ſpecialem earum dignitatem in lege noua. *Matt.* 19. vbi Chriſtus correxit legem repudij, & ſtatuit vt *quod Deus coniunxit homo non ſeparet* : ergo & prouidit ſuis fidelibus de gratia ſpeciali ac ordinaria ſeu ſacramentali ad leuiter ferendum hoc iugum indiſſolubile. 1. *Cor.* 7. vbi Apoſt. vocat Matrimonium fidelium etiam donum Dei. 1. *Tim.* 2. vbi promittit ſalutem vxoribus Chriſtianis, *ſi permanſerint in ſanctificatione* : vtique coniugali. De qua etiam poteſt intelligi 1. *Cor.* 7. Sanctificatur vir infidelis, conuerſus ad fidem, per vxorem fidelem. 1. *Theſſ.* 4. vbi coniuges Chriſtiani monentur ad *poſſidendum vas ſuum in ſanctificatione* : vtique coniugali. Sed expreſſè quoad nomen & rem Sacramenti, *Eph.* 5. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, &c. propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Vbi præter nomen commune *Sacramenti*, ſatis exprimitur *nouæ legis*, dum ſubditur, *in Chriſto, & Eccleſia* : ad diſtinctionem à ſigno ſacro legis naturæ, vel antiquæ. Quamuis enim textus Græcus habeat, *in Chriſtum & Eccleſiam*, vt in ſacrum ſignificatum huius Sacramenti : hinc tamen non obſcuratur, ſed illuſtratur eſſe verum Sacramentum nouæ legis. Quia ſi in Adam & Eua fuit olim ſignum ſacrum futuræ vnionis inter Chriſtum & Eccleſiam : quantùm nunc eſt inter Chriſtianos, quamque verum Sacramentum vnionis realis præſentis & æternæ inter Chriſtum & Eccleſiam? Vt ſicut reliqua omnia ſigna ſacra legis antiquæ fuerunt tantùm vmbræ futurorum : ſic & hoc ſacrum ſignum antiquũ fuerit vmbra non tantùm futuræ vnionis cum Chriſto, ſed etiam futuri Sacramenti nouæ legis, vt verè vnientis coniuges inter ſe & cum Chriſto, per Charitatem & gratiam ſanctificantem. Nec poteſt hoc Sacramentum reſtringi ad ſolum coniugium Adami, & Euæ : tum quia de illo verificari nequit, *Relinquet homo patrem & matrem* : tum quia ibidem refertur ad communem dilectionem inter Coniuges : tum quia ibidem appropriatur ſaltem per Antonomaſiam, Coniugio Chriſtiano, ſeu Chriſtianorum inter ſe, qui & ſunt in Chriſto & Eccleſia per Fidem & Baptiſmum, & coniugantur in Chriſto & Eccleſia .i. in eadem fide & ſtatu, & in Chriſtum & Eccleſiam .i. in ſignum quòd vt Chriſtus & Eccleſia vniuntur realiter per naturam & gratiam, ita & coniuges Chriſtiani, vel ſicut hi ita & illi. Non eſſet autẽ ſimilitudo, ſed tantùm vmbra & figura; ſi ex vi huius Sacramenti Coniuges Chriſtiani non aſſimilarentur Chriſto & Eccleſiæ, potiùs ſpiritualiter per Charitatem, quam corporaliter. Hinc ibidem meritò monentur viri Chriſtiani vt diligant vxores ſuas, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam : quia ex vi huius Sacramenti receperunt hanc ſimilitudinem, & obligationem. Nec hoc Sacramentum poteſt intelligi de ſola vnione Chriſti cum Eccleſia per naturam, & gratiam : tum quia Sacramentum hoc refertur ad priora de alijs, non ad ſequentia de Chriſto & Eccleſia : tum quia græcè *in Chriſtum & Eccleſiam*, vt in finem huius ſacræ ſignificationis, non vt ipſum ſignum ſacrum : tum quia *in*, non autem inter Chriſtum & Eccleſiam; tum quia eſt ſignum ſacrum diligendi vxores vt Chriſtus Eccleſiam, non autem eſt ipſum myſterium, ſeu ſacrum ſecretum huius dilectionis; tum quia non eſt tantum ſignum vanum, ſpeculatiuum, aut memoriale, ſed practicum, obligatorium, & efficax adhærendi corpore & affectu charitatis vxori ſuæ, vt Chriſtus Eccleſiæ .i. honeſtè & caſtè, quod non poteſt fieri ſine gratia; tum denique, quia *quod Deus coniunxit homo non ſeparet*, non poteſt intelligi de ſola vnione hypoſtatica, aut Charitatis, inter Chriſtum & Eccleſiam; nec de ſola vnione naturali inter homines, vt inter reliqua animalia; ergo & de aliqua vnione ſpirituali Charitatis digna Deo & hominibus.

Ex ſanctis Patribus : ſed præ, & pro omnibus, ex *Sancto Auguſtino lib.* 9. *in Gen. cap.* 7. vbi tribuit Matrimonio triplex bonum, Fidei, Prolis, & Sacramenti. Quod quamuis explicet per bonum indiſſolubilitatis : hæc tamen non eſſet bonum, ſed potiùs malum coniugale, niſi ſubeſſet bonum gratiæ, ſeu Charitatis æternæ. Nec obſtat quòd ex prima ſua inſtitutione fuerit indiſſolubile, non tamen propriè Sacramentum : quia primi coniuges & parentes demeruerunt ſibi & poſteris gratiam etiam coniugalem primæ inſtitutionis, quam Chriſtus reſtituit per eleuationem Matrimonij ad ſtatum Sacramenti. *Lib. De bono coniug. cap.* 7. vocat Charitatem coniugalem, miraturque tantam huius vinculi indiſſolubilitatem. *Cap.* 18. In noſtrarum Nuptijs, plus valet ſanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri. Vbi præfert hoc Sacramentum vt ſanctum & proprium Chriſtianorum, illi imperfecto antiquorum. *Cap.* 24. Bonum Nuptiarum per omnes gentes, in cauſa generandi eſt, & in fide Caſtitatis : *Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt alteri nubere, &c. Non ſoluitur vinculum nuptiale niſi coniugis morte: ſicut manet in ordinatis Sacramentum Ordinationis.* Vbi per vnitatem indiſſolubilem coniugij, & comparationem cum Sacramento Ordinationis, diſtinguit hoc Sacramentum vt propriè dictum nouæ legis, ab illo imperfecto antiquorum. Quos præfert quidem, perfectione perſonali, pleriſque Coniugibus nouæ legis : ſed non perfectione ſtatus coniugalis, nec Sacramenti. *Lib. De S. Virg. cap.* 12. Habeant Coniugia bonum ſuum : non quia filios procreant; ſed quia honeſtè, licitè, pudicè, &c. *quia Sacramentum Connubij non violant.* Vbi confert, ſed præfert Virginitatem Coniugio, etiam Chriſtiano. *Lib De fide & oper. cap.* 7. In Eccleſia, Nuptiarum non ſolum vinculum, *verum etiam Sacramentum* commendatur. *Lib.* 1. *De Nupt. & Concup. cap.* 10. Quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur fidelibus, *Ephes.* 5. Huius Sacramenti res eſt, vt coniugati quamdiu viuunt inſeparabiliter perſeuerent. Inter viuentes manet quoddam vinculum coniugale, &c. vt Apoſtata Sacramentum fidei non amittit, &c. *Cap.* 11. Tribuit nomen, & rem, ac triplex bonum Coniugij inter Ioſeph & Mariam. Nec obſtat quòd necdum erat hoc Sacramentum nouæ legis, quoad inſtitutionem : quia erat quoad fructum & effectum ſanctificationis. *Cap.* 17. De ijſdem tribus bonis Coniugij, vt Chriſtiani. *Cap.* 21. Quod eſt in Chriſto,

& in Eccleſia *magnum Sacramentum : hoc in ſingulis quibuſq; viris atq; vxoribus minimum, ſed tamen coniunctionis inſeparabilis Sacramentum* .i. vel eſt minimum inter quoſlibet etiam infideles, aut fideles antiquos, comparatiuè ad Chriſtianos : vel eſt minimum inter Coniuges Chriſtianos, comparatiuè ad ſacrum ſignificatum, ſeu ad ipſum quaſi Coniugium .i. vnionem hypoſtaticam, & Charitatis, inter Chriſtum & Eccleſiam, quæ vnio, dicitur etiam ab Apoſtolo Sacramentum, *Eph.* 1. 1. *Tim.* 3. .i. ſecretum myſterium, vel ſacrum ſignum infinitæ pietatis ac Charitatis Dei. *Lib.* 2. *De pecc. orig. c.* 34. De tribus eiſdem bonis Matrimonij : & alibi ſæpè. [Ex varijs rationibus, ab vnitate, indiſſolubilitate, reciproca obligatione, triplici fine, remedio concupiſcentiæ, & leuitate ac ſuauitate nouæ legis etiam coniugalis : quæ non poſſunt conſtare ſine hoc Sacramento nouæ legis, eiuſque gratia ſacramentali ſeu ordinaria. Ex ſacris Canonibus ſeu legibus & ritibus Eccleſiæ circa Matrimonia fidelium, vt ſacra & propria ſui iuris. Denique, ex varijs definitionibus : non tantùm ſub doctrina communi de Sacramentis, aut etiam de 7. nouæ legis, vt ex *Lucio* 3. *Cap. Ad abolendam de hæreticis*; *& in Conc. Conſtantienſi contra Ioannem Hus* : ſed etiã expreſſiſſimè de hoc ipſo Sacramento Matrimonij; non ſolùm in Conc *Trid.* Eccleſiæ Latinæ, ſed etiam in Florentino totius Eccleſiæ Latinæ & Græcæ. Quæ licet ab illa vnione defecerit : non tamen ab hac profeſſione fidei de 7. Sacramentis nouæ legis ; vt patet ex Cenſura Ieremiæ Patriarchæ Conſtantinop. contra Lutheranos.

4. Credendum eſt ex *Flor. & Trid.* ſupra, ad hoc Sacramentum neceſſarium eſſe verum & validum contractum, ſeu conſenſum reciprocum, & reciprocè expreſſum inter marem & fœminam, capaces huius contractus : & veram ac validam quaſi materiam, & formam, ac Miniſtrum huius Sacramenti, vt de Sacramentis in genere ; ſed quænam illæ, & quis hic ſit, eſt quæſtionis ſcholaſticæ.

5. Credendum eſt, contra antiquas hæreſes *Cataphrygum, Tertullianiſtarum, Catharorum, Nouatianorũ*, & aliorũ apud *Aug. hæreſ* 26. 38. 40. 86. *&c.* Matrimonium toties quoties inter fideles ſolutos, & habiles, eſſe validum, licitum, & verum nouæ legis Sacramentum. Ex ſacra Script. *Deut.* 25. vbi etiam præcipitur Iudæis Matrimonium cum vxore fratris defuncti ſine liberis. *Gen.* 25. *Ruth* 4. *Tob.* 6. *&* 8. referuntur plura coniugia ſucceſſiuè inter Sanctos & Deum timentes. *Ioan.* 4. approbatur à Chriſto Samaritanam habuiſſe quinque viros, *Marc.* 12. Non improbatur à Chriſto quin potuerit quis habere 7. vxores ſucceſſiuè. *Matt.* 5. *&* 19. Corrigendo & reformando abuſus Matrimonij, Chriſtus non inhibet, ſed potiùs approbat plura coniugia ſucceſſiuè, dicens *quod Deus coniunxit homo non ſeparet*. Deus enim ipſe per mortem ſeparat, ſicque reddit ſuperſtites capaces noui Matrimonij. *Rom.* 7. Mulier, viuente viro, alligata eſt legi : ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, vt non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro. 1. *Cor.* 7. Si dormierit vir eius : cui vult nubat, tantùm in Domino. 1. *Tim.* 5. Volo iuniores viduas nubere, &c. Ex SS. PP. *Chryſ. Hom.* 20. *in Epiſt. ad Eph. Ambr. lib. de viduis. Hier. Epiſt. ad Geruntiam. Aug. De bono viduitatis cap.* 4. Noueris non damnari ſecundas Nuptias : hinc enim maximè Cataphrygum ac Nouatianorum hæreſes tumuerunt : quas buccis ſonantibus, non ſapientibus, etiam Tertullianus inflauit. *Cap.* 12. De tertijs & quartis, & pluribus Nuptijs, ſolent homines mouere quæſtiones, &c. 1. *Cor.* 7. Mulier alligata eſt quamdiu vir eius viuit : non dixit primus, aut ſecundus, aut tertius, &c. Ex *Conc. Nic. cap.* 8. contra Nouatianos. *Flor.* ad finem inſtructionis Armenorum. *Quoniam aſſeritur nonnullos quartas Nuptias tanquam condemnatas reſpuere : ne peccatum vbi non eſt, eſſe putetur : cùm* 1. *Cor.* 7. *mortuo viro, mulier cui vult nubat, tantùm in Domino, &c. declaramus, non ſolùm ſecundas, ac tertias, ſed & quartas, atq; vlteriores, ſi quod Canonicum impedimentum non obſtet, licitè contrahi poſſe.*

6. Credendum eſt non licere Chriſtianis, lege Diuina, plures ſimul vxores habere. Ex *Gen.* 1. *&* 2. vbi Deus creauit maſculum & fœminam, tulitque legem adhærendi vxori, vt ſint *duo in carne vna*, non autem plures ſimul. *Matt.* 5. *&* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 16. vbi Chriſtus corrigit repudium vxorum, & abuſum ducendi aliam, dimiſſa priori. *Rom.* 7. 1. *Cor.* 7. De vnitate, & indiſſolubilitate Matrimonij, niſi per mortem : deque reciproca poteſtate æquali coniugum in mutua corpora. Ex SS. PP. ſingulariter *B. Aug. lib. De bono coniug. & de bono viduitatis* ſupra. Ex *Syricio Papa Epiſt.* 1. *Innoc.* 1. *Epiſt.* 9. *Innoc.* 3. *cap. Gaudemus de diuortijs.* Sed tandem definitiuè ex *Trid. Can.* 2. verbatim vt ſupra, *Non licere Chriſtianis lege Diuina.* An autem ſit etiam contra ius naturæ, eſt quæſtionis Scholaſticæ, de qua infra.

7. Credendum eſt, non omnes gradus conſanguinitatis & affinitatis lege Moyſis prohibitos, eſſe iuris naturæ, aut ab Eccleſia indiſpenſabiles ; nec illos ſolos impedire aut dirimere Matrimonium inter Chriſtianos ; ſed quotquot impedimenta vt prohibita, vel etiam vt dirimentia ab Eccleſia ſtatuta ſunt. Ex *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 3. *&* 4. & *Flor.* ſupra. Quia pleraque præcepta *Leuit.* ſunt tantùm Iudicialia, & Cæremonialia illius legis : non autem Naturalia aut Moralia. Nam *Leuit.* 18. prohibetur Matrim. 1. Inter parentes proximos & remotos, ac proles. 2. Inter fratres & ſorores, ex ſolo etiam patre, vel ſola matre. 3. Inter nepotem & amitam, vel materteram, ſeu ſororem patris aut matris : non tamen inter patruum vel auunculum & neptem. 4. Inter nepotem & vxorem ſui patrui defuncti. 5. Inter ſocerum & nurum, ſeu vxorem filij defuncti. 6. Cum vxore fratris defuncti. 7. Cum filia vxoris propriæ defunctæ, vel eius nepte ex filio aut filia. 8. Cum ſorore vxoris propriæ, &c. Cùm tamen *Gen.* 11. Abraham & Nachor duxerint in vxores, filias fratris ſui Aran, in eodem gradu ac eſt amita cum nepote : *Gen.* 29. Iacob habuerit duas ſorores in vxores : *Gen.* 38. Filius Iudæ duxerit vxorem fratris ſui defuncti : *Exod.* 6. Amyram duxerit ſuam patruelem ſeu patruam : Nec *Leuit.* 18. *&* 20. æquè prohibeantur omnes gradus, nec æquè æquales, nec ſub æquali pœna : imò *Deut.* 25. præcipiatur Matrim. cum vxore fratris ſine prole defuncti

Digitized by Google

defuncti. Quo iure autem Eccleſia ſtatuere poſſit quædam impedimenta Matrimonij, & in iis diſpenſare quæ non ſunt iuris naturalis & Diuini: pendet ex plena illa & abſoluta poteſtate ligandi & ſoluendi, *Matt.* 16. & 18. nil mutando circa eſſentiam Sacramenti, ſed tantùm reprobando vel approbando hunc contractum vt ſacrum, vel perſonas ad ſic licitè aut validè contrahendum, vt ſolent leges ciuiles circa contractus prophanos.

8. Vinculum Matrimonij contractum & conſummatum non poſſe diſſolui inter Chriſtianos viuos, ob adulterium, hæreſim, aut ob aliam cauſam, ad contrahendum aliud Matrim. Ex ſacro Conc. *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 5. 7. *Matt.* 5. 19. *Marc.* 10. *Luc.* 16. *Rom.* 7. 1. *Cor.* 7. ſupra. Contra præſumptionem quorundam hæreticorum huius temporis, vt Magiſtratus Baſileenſis, ſeparandi ſuos ciues quos Deus coniunxit, & partiendi inter eos bona ac proles, ad mutandum Matrimonium cum alijs quibus libuerit. Imò & contra *Eraſmum, Caietanum, & Catharinum*, ſaltem vt illius erroris fautores.

9. Matrimonium ratum & conſummatum inter infideles ſolui poſſe etiam quoad vinculum, per conuerſionem vnius altero nolente: & ratum inter fideles needum conſummatum ſolui poſſe per profeſſionem ſolemnem vnius. Ex Apoſt. 1. *Cor.* 7. *Matt.* 19. & *Luc.* 18. Qui reliquerit etiam vxorem propter nomen meum, &c. recipiet vitam æternam. Exemplo multorum Sanctorum, ac traditione & doctrina Eccleſiæ. *Cap. Deſponſatam. Cap. Decreta legalia* 27. *q.* 2. *Cap. Ex publico De conuerſione coniug.* & *Cap. Gaudemus, De diuortijs.* Sed definitiuè, ex *Trid. ſeſſ.* 24. *can.* 6.

10. Coniuges Chriſtianos poſſe ab Eccleſia, ex varijs cauſis, ad tempus certum vel incertum, thoro ſeu cohabitatione ſeparari. Ex *Mat.* 5. 19. *Marc.* 10. *Luc.* 16. de hac ſeparatione ſaltem ex cauſa fornicationis. *Matt.* 18. Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum. 1. *Cor.* 7. Vbi conſulitur ſeparatio ad tempus ex mutuo conſenſu, ad vacandum orationi: daturque optio mulieri ex quadam cauſa ſeparatæ, vt maneat innupta, vel viro ſuo reconcilietur. *Tit.* 3. Hæreticum hominem poſt primam & tertiam correptionem deuita. Tandem ex *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 8.

11. Sacris ordinatos, & ſolemniter profeſſos eſſe incapaces liciti & validi Matrimonij. Ex *Col.* 8; 4. ſupra, & definitiuè ex *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 9. Cùm Deus, inquit, rectè petentibus non neget donum continendi, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.

12. Statum virginitatis & cœlibatus præferendum eſſe ſtatui coniugali. Ex *Matt.* 19. Sunt Eunuchi, &c. Qui poteſt capere capiat, &c. 1. *Cor.* 7. Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum, &c. Bonum eſt illis ſi ſic permaneant, &c. *Infra.* De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, &c. Ex *B. Hier.* contra Heluidium & Iouinianum. *B. Aug. lib. De bono coniug. De bono virg. De bono viduit.* Sed dogmaticè ex *Syricio* Papa, & quodam Concilio Romano contra Iouinianum, & tandem ex *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 10. contra omnes hæreſes huius temporis.

13. Cæremonias Eccleſiæ circa ſolemnitatem Nuptiarum, non eſſe ſuperſtitioſas, ſed religiosè obſeruandas. Vt *q.* 11. De cæremonijs ſacramentalibus: ſed de his ſpecialiter ex antiqua traditione & praxi Eccleſiæ, & tandem ex *Can.* 11. *Trid.* contra omnes hæreſes huius ſæculi.

14. Cauſas matrimoniales ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos. Ex *Matt.* 5. 19. 1. *Cor.* 7. vbi Chriſtus & Apoſtolus de hac cauſa cognoſcunt ac decernunt. Et definitiuè ex *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 12. ſaltem quoad cauſas omnino ſpirituales, imò fortè & mixtas.

15. Matrimonia inter puberes, ſine conſenſu rationabili parentum contracta, nullo alio impedimento dirimente, eſſe valida, ſed illicita. Ex *Trid. ſeſſ.* 24. Decreto de reform. Matrim. *S. Synodus Anathemate damnat eos, qui falsò affirmant Matrimonia à filijs familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe: nihilominus S. Dei Eccleſia, ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atq; prohibuit. Gen.* 2. Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. *Gen.* 24. Vocemus puellam, & inquiramus eius voluntatem. *Tob.* 7. Tobias, Angeli conſilio, duxit vxorem inſcijs parentibus. Nec conſenſus parentum vllo iure requiritur ad valorem contractus coniugalis, aut Sacramenti. Sed proles ex 4. præcepto Decalogi debent hunc honorem & obedientiam parentibus: vt non niſi ex eorum conſilio & conſenſu rationabili Matrimonia contrahant; tum quia proles habent á parentibus corpora ſua quæ Matrimonio mutuò traduntur; tum quia debent parentibus operam eis fortè magis neceſſariam, & incompoſſibilem Matrimonio; tum quia bonum & malum prolium redundat in parentes; tum quia plurimum intereſt parentum, ne habeant indignos, moleſtos, & odioſos affines ac hæredes. Hinc talia Matrimonia in ipſo iure Canonico ſæpè vocantur illegitima, imò quaſi adulteria, & ſacrilegia: tum quia illicita; tum quia ſæpè ſunt clandeſtina; tum quia in eis violatur ſacra ſignificatio & efficacia ſacramentalis gratiæ, per obicem tantæ inobedientiæ.

Quorum pleraque non tam indigent probatione, cùm ſint de praxi & poſſeſſione noſtræ fidei ac Eccleſiæ: quàm hæreticorum reprobatione.

*OBIECTIO* 1. *Contra primum.*

Matrimonium eſt ad copulam carnalem: quæ non poteſt eſſe niſi ex motu concupiſcentiæ, vixque ſine peccato; ergo vt motus concupiſcentiæ & peccata non ſunt à Deo, ſic nec Matrimonium. *Reſp.* Matrimonium fuiſſe à Deo inſtitutum ad generationem, in ipſo ſtatu innocentiæ: nec per vllum abuſum vitiari poſſe; nec poſt lapſum eius vſum eſſe neceſſariò peccatum, ex concupiſcentia, ſed poſſe per gratiam eſſe ſine peccato. Non quidem ſine vllo motu concupiſcentiæ: ſed ſine libidine, ſeu affectu & conſenſu inordinato in finem illius delectationis. Ex *Aug. toto libro de Nuptijs & concup.* ſeu de bono illius vt diſtincto à malo huius. Et *lib.* 3. 4. 5. *contra Iul.* Sed quia gratia ad vſum licitum Matrimonij neceſſaria ex demerito peccati orig. non erat ordinaria: *Chriſtus eam promeruit, & vt venerabilium Sacramentorum author ac perfector,* huic Sacramẽto annexuit. Ex *Trid. ſeſſ.* 24.

*OBIECTIO* 2. *Contra* 2.

Matrimonium fuit primò inſtitutum per benedictionem communē omnibus animalibus, *Gen.* 1. Creſcite & multiplicamini: Aut per fœcunditatem, inclinationem, & rationem naturalem æquè omnibus hominibus inditam ad ſuæ ſpeciei propagationem & conſeruationem. Ergò non eſt ſacrum, ſed tantùm naturale aut ciuile: vt reliqua omnia quæ ad vitæ propriæ & ſpeciei conſeruationem, à Deo vt authore & conſeruatore naturæ, ſingulis rebus ſecundùm ſuam capacitatem naturalem increata ſunt. *Reſp.* Matrimonium non eſſe per illam communem benedictionem, aut fœcunditatem, inclinationem, & rationem naturalem propagationis humanæ: niſi ſecundùm legem Dei, & ſacram ſignificationem annexam, primis Parentibus inſpiratam, & toti generi humano traditam: ſed inæqualiter creditam ac obſeruatam; ſub aliqua tamen ſpecie Religionis præ alijs negotijs, apud pleraſque nationes cultiores. Quia propagatio generis humani per animarum creationem ad finem ſupernaturalem, excedit vim ac prouidentiam naturalem hominum: vſus reciprocus corporum ad hunc finem, ſupponit poteſtatem mutuam, quam vir & mulier non habent in propria corpora vt ea ſibi inuicem irreuocabiliter tradere poſſint, niſi ex aliqua lege Dei ſupra ordinem totius naturæ humanæ.

*OBIECTIO* 3. *Contra* 3.

Non conſtat ex ſacra Script. nec ex traditione, quæ, nec quorum vnio, nec quale ſit Sacramentum: cùm *Eph.* 5. tam variè intelligi poſſit, & multi Doctores Catholici negent Matrimonium eſſe propriè dictum nouæ legis Sacramentum, ſed fuiſſe ab initio generis humani inter Adam & Euam.

*Reſp.* Satis conſtare, ex ſacris Script. ſupra applicatis & explicatis, ex traditione 7. Sacramentorum Eccleſiæ, imò ex antiquiſſimis Legibus & Canonibus Eccleſiæ de Matrimonio fidelium vt de re valdè ſacra, & ad magnam Eccleſiæ curam pertinente; ſed tandem expreſsè & dogmaticè ex *Flor. & Trid.* Nec Doctores Catholici oppoſitum docuerunt: ſed fuiſſe ab initio Sacramentum, ſeu ſacrum ſignum futuræ vnionis inter Chriſtum & Eccleſiam; necdum tamen Sacramentum gratiæ præſentis ac ſanctificantis, niſi ex inſtitutione Chriſti. Vt patet ex noſtro *Alenſi*, & *S. Bon.* ſupra *Col.* 83. 84. Vnicus fortè Durandus negauit eſſe Sacramentum propriè & vniuocè cum aliis nouæ legis: ſed quid hîc inter tot & tantos? nec tam in hac quæſtione fidei de hoc Sacramento nouæ legis, quàm de eius proprietate & vniuocatione.

*OBIECTIO* 4. *Contra* 3. *&* 4.

Matrimonium non habet certam materiam, nec formam, nec Miniſtrum, vt Sacramenta nouæ legis: & conſtat, aut conſummatur actibus indignis ac contrarijs ſanctitati ſacramentali, etiam aliorum Sacramentorum, vt ſacræ Ordinationis, & Communionis; ergo ipſum non poteſt eſſe Sacramentum propriè dictum, ſeu ſanctificatiuum. *Reſp.* Habet ſuam certam materiam, formam, & Miniſtrum: nec eſt opus vt hæc ſint nobis certa diſtinctè & ſpeculatiuè, ſed confusè & practicè; nec vt ſint à Chriſto tam determinata, quin poſſint proximè ab Eccleſia determinari, maximè quando ſunt tantùm moralia, vt in hoc Sacramento. Quod nec conſtat nec conſummatur propriè ſacramentaliter ipſa copula coniugali: ſed hæc dicitur conſummatio vinculi indiſſolubilis, vel alicuius ſacræ ſignificationis, non autem ipſius ſigni Sacramentalis ac ſanctificantis. Nec hoc eſt contrarium ſanctitati vllius Sacramenti: cùm coniuges contrahendo ſoleant confiteri, & communicare ſacræ Euchariſtiæ; ſed eius vſus ſubeſt varijs motibus concupiſcentiæ, & curis rerum temporalium, quæ reddunt vtentes minùs actu vel habitu indiſpoſitos ad alia quædam Sacramenta.

*OBIECTIO* 5. *Contra* 5.

Polygamia eſt contra ſacram ſignificationem vnitatis huius Sacramenti: ergo ſaltem non eſt Sacramentum. Nam ad hoc, tam ex prima inſtitutione Dei, quàm ex reſtitutione Chriſti, vnitas duorum coniugum debet eſſe ſacrum ſignum vnitatis inter Chriſtum & Eccleſiam. Hinc Eccleſia priuat polygamiam ſacrâ benedictione; & SS. Patres eam grauiter improbant; nec Eccleſia eam approbat vt Sacramentum, ſed vt licitam aut permiſſam. *Reſp.* Bigamia & Polygamia plurium vxorum ſimul, eſt contra ſacram ſignificationem huius Sacramenti: quia cùm plures ſimul diſtrahant affectum, & confundant plures in carnem vnam, ſunt contra ſignificationem Charitatis coniugalis, & vnitatis inter Chriſtum & Eccleſiam; ſed plures ſucceſſiuè non ſunt niſi contra perfectam ſignificationem vnionis hypoſtaticæ vnicæ eiuſdemq; ſacræ humanitatis. Nec Eccleſia priuat bigamos benedictione ſacramentali, ſed tantùm cæremoniali: nec ſancti Patres eam improbant ex defectu huius Sacramenti, ſed ſignificationis perfectioris; nec Eccleſia eam tantùm permittit vt licitam, ſed etiam vt verum Sacramentum nouæ legis, quod perficit omnem contractum coniugalem inter Chriſtianos.

*OBIECTIO* 6. *Contra* 6.

Licuit SS. Patribus habere ſimul plures vxores, licetque etiamnum inter infideles: cur ergo non poſſit licere, aut valere etiam inter Chriſtianos? *Reſp.* Licuit & valuit inter Patriarchas, ex ſpeciali diſpenſatione Dei eis inſpirata, & per eos tradita, vſque ad reuocationem & reſtitutionem per Chriſtum ad primam inſtitutionem. Vnde nec videtur iam licere, nec valere etiam inter infideles: quia conuerſi ad fidem qui habent plures vxores, non poſſunt niſi vnam retinere. Sed *Conc. Trid.* non definit niſi quòd nō liceat Chriſtianis lege Diuina plures ſimul vxores habere: an verò iure naturali liceat aut valeat inter infideles, infra ſub quæſt. Schol.

*OBIECTIO* 7. *Contra* 7.

Matrimonium eſt iuris naturæ: cæpitque neceſſariò inter fratres & ſorores. Deinde fuit à Deo commendatum fidelibus, cum cognatis potiùs quàm cum alienis: ergo non poteſt ab Eccleſia impediri, & minus inter conſanguineos quàm alios; minimè autem inter tot perſonas, vt pleraque Matrimonia videantur inualida, illicita, aut incerta. *Reſp.* Matrimonium eſt juris naturæ in communi: ſed iuris Eccleſiaſtici in particulari; non tantùm quoad eius honeſtatem, ſed etiam quoad valorem con-

Digitized by Google

contractus coniugalis, & inter has aut illas perſonas. Cùm enim hic contractus ſit publicus, & ad finem ſacramentalem, inter perſonas conuenientes: tam hæ quàm illæ ſubſunt legibus publicis Eccleſiæ etiam quoad valorem contractus, & perſonarum ad ſic contrahendum. Nec cognati ſunt perſonæ conuenientes ad hunc contractum: niſi ex neceſſitate propagandi genus humanum, aut conſeruandi inter ſe veram fidem & Cultum Dei, vel ex alia cauſa ſufficiente. Quia affectio coniugalis eſt nimis diſtincta ab ea quæ eſt inter cognatos: nec eſt cum hac confundenda, ſed potiùs ad extraneos extendenda, niſi quando ſolet inter cognatos deficere. Nec ſunt tot impedimenta, quin ex praxi continua ac publica facilè diſcerni ac obſeruari poſſint. Nec afficiunt multas, ſed paucas perſonas, comparatiuè ad omnes.

OBIECTIO. 8. *Contra* 8.

*Matt.* 19. Quicumque dimiſerit vxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Ergo qui ob fornicationem dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur. *Reſp.* Ex *Matt.* 5. Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Marc.* 10. Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. *Luc.* 16. Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. *Ergo Matt.* 19. vel *mœchatur*, refertur tam ad dimiſſionem ſine cauſa, faciendo dimiſſam mœchari, vt *Matt.* 5. quàm ad ductionem alterius. Vel, *niſi ob fornicationem*, excipit tantùm à dimiſſione, non autem ab alterius ductione. Vel non tam excipit, quàm ſuſpendit quæſtionem, eiuſque reſolutionem, à caſu ſeu cauſa fornicationis. Vt videtur velle *Aug. lib.* 1. *De adult. Coniug. cap.* 9. Quod maius eſt, inquit, Dominus commemorare voluit. *Subdit.* Sed ſi *Matt.* 5. & 19. ad intelligendum difficile eſt: ex *Marci* 10. & *Luc.* 16. intelligi poteſt. *Cap.* 11. Quid ſi *Matt.* 19. non eſt dictum totum, ſed à parte totum: quod tanquam explanantes, *Marcus* & *Lucas* totum dicere maluerunt? Hinc & 1. *Cor.* 7. *Præcipio, non ego ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere* .i. non niſi ex iuſta cauſa: *quòd ſi diſceſſerit* .i. ex cauſa iuſta, *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Nec vnquam Eccleſia approbauit oppoſitum: niſi ex alijs cauſis dirimentibus. Nec hinc coniuges ſeparati priuantur iure coniugij: ſed poſſunt & debent reconciliari, ſi continere non poſſint.

OBIECTIO 9. *Contra* 9.

Quod Deus coniunxit homo non ſeparet, *Matt.* 19. Nec copula perficit Sacramentum Matrimonij, nec eius indiſſolubilitatem. Cùmque coniuges non ſint proprij iuris, non poſſunt ſeinuicem iure mutuo priuare, ſeipſos Deo vouendo, & mutando ſtatum coniugalem in Religioſum. Nec exempla illa ſanctorum, ſunt ex iure communi, ſed ex inſpiratione ſpeciali. Vt docet *Alex.* 3. *cap. Ex parte, de conuerſ. coniug.* Nec leguntur diſſoluiſſe vinculum coniugale per profeſſionem ſolemnem ſtatus Religioſi: ſed deſeruiſſe ſuas ſponſas ad quàuis vitam perfectiorem. Nec iura antiqua exigebant ad hoc profeſſionem ſolemnem: quæ non poteſt fieri ante annum 16. poteſtque differri per plures annos nouitiatus de vno Ordine Religioſo in alium, vſque ad mortem coniugis priuatæ omni iure coniugij. *Reſp.* Quod Deus coniunxit, non ſeparat niſi Deus ipſe per mortem, aut Chriſtus ſuo conſilio & priuilegio, imò & ſeipſo obiectiuè, ibidem, *Matt.* 19. Nec copula perficit ipſum Sacramentum, quoad ſignificationem efficacem gratiæ & charitatis mutuæ: ſed quoad ſignificationem vnionis hypoſtaticæ huius naturæ; & confirmat contractum, per vſum & corruptionem aliquam actualem mutuorum corporum, ad generationem prolis. Ante quem vſum, re & fama adhuc integra, coniuges poſſunt vtrimque vti illo priuilegio Chriſti, ſine iniuria mutua: quia eſt ius ſupremum ipſius Dei & Chriſti, vt coniuges adhuc integri poſſint ſeinuicem propter Deum & Chriſtum deſerere, ſeque ei ad ſtatum perfectiorem conſecrare. Porro exempla illa Sanctorum fuerunt ex inſpiratione vtendi illo priuilegio Chriſti: vt patet ex *Alex.* 3. *ibid. cap. Ex publico.* Quo ne quis ſenſu proprio abutatur: Eccleſia determinauit modum & moram neceſſariam, non ſuperfluam, eo vtendi ſine fraude & iniuria mutua. In quem modum & moram, vt intrinſecam huic contractui, ipſi contrahentes hoc ipſo explicitè vel implicitè conſentiunt.

OBIECTIO 10. *Contra* 10.

Chriſtus excludit omnes alias cauſas diuortij, præter adulterium: ipſumque diuortium eſt graue periculum vtrimque adulterandi; ergo non licet ob adulterium ab vno coniuge commiſſum exponere vtrumque tanto periculo committendi plura adulteria. *Reſp.* Chriſtum ſub cauſa fornicationis ſeu adulterij, incluſiſſe omnes æquiualentes, & potiores, quales ſunt omnes quæ ſunt contra ſalutem mutuam: nec tale diuortium eſt graue periculum adulterandi; tum quia Eccleſia adhibet cautelas morales; tum quia innocens poteſt vti iure ſuo, reus autem tenetur ferre diuortium, & vti remedijs alijs contra adulterium; tum denique quia in caſu grauioris periculi poſſunt ac debent ſibi inuicem reconciliari.

OBIECTIO 11. *Contra* 11.

Eſt contra exemplum & conſilium Apoſtoli, imò & contra antiquos Canones, impedire & dirimere vllorum Matrimonia. Nam, *Phil.* 4. vbi legimus *germane Compar*, græcè ſonat coniugem. 1. *Cor.* 9. Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi? 1. *Cor.* 7. Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. *Socrates & Sozom. lib.* 1. referunt Patres Concilij Niceni reliquiſſe omnibus Clericis libertatem continendi ab vxoribus, vel non. *Canone* 6. *Apoſtol.* Ne Epiſcopus aut Præsbyter vxorem ſuam prætextu Religionis abijciat. 25. *q.* 1. ex *B. Aug.* Eccleſia, poſt Apoſtolica inſtituta, quædam conſilia perfectionis addidit: vt de continentia Clericorum. Nec antiqui Canones Matrimonia Sacerdotũ & Monachorũ dirimebãt: ſed ad ſummum prohibebant & puniebant. Nec conſtat quando inceperint dirimere. Nam *S. Hier. in vita S. Malchi Monachi* refert eum captiuum fuiſſe coactum vxorem ducere. *Reſp.* Per illum Comparem, *Phil.* 4. non ſignificari coniugem ipſius Apo-

Digitized by Google

Apoſtoli, qui 1. *Cor* 7. conſulit ſuo exemplo libertatem à coniugio: ſed quendam ſibi ſocium, & coadiutorem, vel ad ſummum coniugem alicuius vxoris. 1. *Cor*. 9. Per mulierem ſororem non ſignificari certam aliquam & determinatam vxorem, ſed piam aliquam mulierem quæ ei neceſſaria miniſtraret, ſicut ſolebant Chriſto & alijs Apoſtolis. 1. *Cor*. 7. Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat .i. retineat poſt conuerſionem: non autem nouam ducat. Vel vnuſquiſque veſtrûm, ad diſtinctionem à ſacris Miniſtris. *Propter fornicationem*, inquit .i. ad eam cauendam inter coniuges. *Socrat. & Sozom.* non ſunt in hoc nec in alijs multis magnæ fidei: cum *Can*. 3. *Conc. Nic.* prohibeatur ne ſacri Miniſtri vllam mulierem domi habeant præter matrem, ſororem, & amitam. Nec referunt Conc. reliquiſſe libertatem ſacris Miniſtris ducendi vxores, vt prætendunt Lutherani: ſed continendi ab vxoribus prius habitis, vt volunt Græci. *Canon* 6. *Apoſt*. vult haberi curam vxorum etiam ſeparatarum. 35. *q*. 1. Eſt additio Gratiani ad verba *Aug*. 15. *Ciu*. 16. nec vult eſſe tantùm conſilium: ſed ex communi conſilio perfectionis inductam eſſe ab Eccleſia obligationem voluntariam Clericorum. Porro ſacri Ordines, & profeſſio ſtatus Religioſi fuerunt ſemper impedimenta Matrimonij contrahendi, & vtendi contracto: non tamen videntur ſemper fuiſſe dirimentia, ſed tantùm à tempore quo tales contrahentes non tantùm grauiter puniri, ſed vt fornicarij, adulteri, aut ſacrilegi incœperunt perpetuò ſeparari. Vt ante annos mille, à tempore Conc. *Toletani* 1. 4. 8. *Syricij Papæ Epiſt*. 1. *Innoc*. 1. *Ep*. 2. *Gelaſij primi Epiſt*. 1. *Greg*. 1. *l*. 1. *Epiſt*. 40. imò & à tempore *S. Hier. l. 1. in Iouin. S. Chryſ. Epiſt. 6. ad Theod. S. Ambr. lib. ad virg. lapſam. S. Baſil. lib. de virg. S. Cypr. lib. 1. Epiſt. 11. ad Pomponium*: qui talium Matrimonia vocant adulteria. Sed quia non tam propriè & dogmaticè, quàm monitoriè, & moraliter loqui videntur, de quaſi adulterio contra ipſum Chriſtum: non videtur hæc impedimenta vt dirimentia ab Eccleſia ſtatuta eſſe ante *Calixtum*, vel *Vrbanum* 2. in quodam *Conc. Romano cap*. 2. Vt patet ex *Can. Preſbyteris diſt*. 27. *Can. vt lex* 27. *q*. 1. Hinc *Caput Quod votum, de voto & voti redemptione in* 6. & alia iura poſteriora, non tam ſtatuunt quàm ſupponunt Matrimonia à talibus contracta eſſe nulla ac irrita. Non fuit autem verum, ſed fictum tantùm Matrimonium, inter S. Malchum captiuum, & captiuam illam mulierem, quæ habebat adhuc maritum viuentem.

*OBIECTIO* 12. *Contra* 12.

Status coniugalis inter fideles eſt Sacramentalis, perfectus augmento gratiæ, & repræſentans vnionem hypoſtaticam, ac ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia: non ſic ſtatus continentiæ; ergo non hic illi, ſed ille huic eſt præferendus. *Reſp. Neg. conſeq.* Tum quia ſtatus ille honoratur ac perficitur Sacramento & Gratia ſacramentali, ad ſupplendam eius indignitatem ac imperfectionem: hic autem eſt ex ſeipſo, & ex merito perſonali dignus ac perfectus. Tum quia ſtatus peccatoris pœnitentis, quamuis ſit Sacramentalis non eſt perfectior ſtatu innocentis. Tum quia ſtatus continentiæ repræſentat ipſam Dei ſanctitatem incontaminabilem, quæ eſt perfectior omni vnione hypoſtatica & ſpirituali. Tum denique quia ſtatus continentiæ eſt maioris gratiæ actualis & habitualis, quàm ſtatus coniugalis.

*OBIECTIO* 13. *Contra* 13.

Cæremoniæ Matrimonij ſunt ridiculæ, & periculoſæ, tam ſpectatoribus, quàm ipſis coniugibus, qui interim ſolent maleficijs affici. *Reſp*. Non ſunt ridiculæ aut periculoſæ, ſed graues & modeſtæ: niſi ex abuſu ſpectatorum, vel ipſorum coniugum, qui merentur inde puniri. Vt patet ex *Tob*. 3. de 7. ſponſis Saræ: Imò & ex 1. *Cor*. 11. de ijs qui ex aliquo abuſu ſacræ Communionis infirmabãtur & moriebantur; & nunc ipſa ſacra Communione ad maleficia abutuntur.

*OBIECTIO* 14. *Contra* 14.

Principes Chriſtiani varias leges tulerunt, & ferunt circa Matrimonium Subditorum fidelium: ipſumque *Conc. Milen.* remittit ad Theodoſium Imperatorem pro lege diuortij; ergo non ſunt Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſaltem exterioris. *Reſp*. Principes ſuis legibus poſſe dirigere contractus matrimoniales ad ſuum finem politicum: ſed ſubordinatè ad leges Eccleſiæ, & finem ac vſum licitum & decentem huius Sacramenti. Hinc & leges Eccleſiæ omnibus oppoſitis præualuerunt, ex 35. *q*. 2. *Can. Quædam lex*. Nec *Conc. Milen.* detulit Imperatori legem diuortij: ſed pœnam externam, eiuſque executionem, contra tranſgreſſores legis Eccleſiaſticæ.

*OBIECTIO* 15. *Contra* 15.

Sacra Script. *Exod*. 22. & 34. *Deut*. 7. & 22. 1. *Cor*. 7. tribuit parentibus poteſtatem tradendi aut nõ tradẽdi ſuas proles Matrimonio: vt *Num*. 30. approbandi aut improbandi eorum vota. Ita & varij Canones. 30. *q*. 5. *Can. Aliter. Can. Sponſus. Can. Qualis. Can. Noſtrates*. 32. *q*. 2. *Can. Honorantur. Can. Hoc ſanctum*. 36. *q*. 1. *Can. De raptoribus q*. 2. *Can. Apud*. Ita & variæ leges Ciuiles: vt *L. Nuptiæ. ff. De Ritu Nuptiarum. L. 1. & 2. C. De Nuptijs, & Inſtit. de nuptijs. §. Iuſtas autem.* Quia proles ſunt magis ſuorum Parentum, quàm quæuis alia bona temporalia: ergo vt de his non poſſunt inuitis parentibus validè diſponere, ſic nec de ſeipſis. *Reſp*. Tribuunt eis ius præcipiendi aut prohibendi, ſeu dirigendi proles ſuas ad Matrimonium: non autem eas validè deſponſandi aut non, niſi per earum liberum conſenſum aut diſſenſum, qui non cenſetur eſſe ante pubertatem. Nec proles habentes vſum rationis & libertatis ſunt ſuorum parentum quaſi iure proprietatis, ad diſponendum de ijs pro libitu; ſed Iuriſdictionis, & directionis rationalis. Hinc proles nõ tantùm rapiũtur ſibiipſis, ſed etiam parentibus inuitis: hic tamen raptus non dirimit Matrimonium contractum ſicut ille, ſed tantùm impedit contrahendum, obligatque ad reſtituendum eas parentibus, ſaltem donec extra poteſtatem raptoris conſtitutæ liberè conſentiant aut diſſentiant, ex *Trid. ſeſſ*. 24. *cap*. 6. Nec obſtat *Conc. Meld.* apud *Al. p*. 2. *q*. 168. ſupra *col*. 79. quo raptores fiunt prorſus inhabiles ad Matrimonium cum ſuis raptis, quantumuis ex conſenſu parentum: quia hoc eſt abrogatum, non tantùm per *Trid*. ſupra, ſed etiam ante *S. Thomam* 2. 2. *q*. 154. *art*. 7. *ad* 3. ipſumque *Alenſem* ſupra.

*QVÆST.*

Digitized by Google

QVÆST. 2. SCHOLASTICA.

*Quæ ſint de hoc Sacramẽto ſcholaſticè dubia vel certa?*

*Reſp.* 1. Dubitari poteſt, an Matrimonium ſit ex ſolo iure Diuino, naturali, vel etiam poſitiuo: ſeu ex ſola conditione hominis ſub vtroque ſexu, & ratione naturali; an verò ex aliqua Dei inſtitutione, vltra illam conditionem & rationem naturalem, ſiue ſub præcepto, ſiue non. Sed probabiliùs, imò certum videtur contra *Vaſquez de Matrim. d. 1. c. 2.* Quòd Matrimonium vt indiſſolubile inter vnicum & vnicam ſimul, non ſit ex ſola conditione & ratione naturali; ſed ex inſtitutione ac lege poſitiua Dei, *Gen. 2.* Erunt duo in carne vna, &c. 1. Ex *Matt.* 19. & *Eph.* 5. vbi Matrimonium vt tale, refertur ad illam legem & inſtitutionem. 2. Ex *B. Aug.* ſupra *q.* 1. in eundem ſenſum: ſpecialiter *lib. 9. in Gen. cap. 4. Cur Adam & Eua non coierunt, niſi cùm exiſſent de Paradiſo? Quia mox facta eſt transgreſsio, &c. Poteſt etiam dici, quia needum Deus iuſſerat. Cur enim ad hanc rem Diuina non expectaretur authoritas?* Hinc *lib. 11. cap. 41.* refert: *Viſum eſt quibuſdam Adam & Euam nuptias ſuas fuiſſe furatos, & ante mixtos concubitu, quàm eos qui creauerat copulaſſet, &c. Quaſi verò non illud tunc legitimum eſſet, cùm primùm fieri potuiſſet: cùm autem non potuiſſet, non vtique fieret.* Vbi non explodit niſi ridiculam expectationem pubertatis, dotis, ſolemnitatis, & quaſi furtiuas illas ſeu clandeſtinas nuptias. 3. Ex *Scoto* ſupra *diſt. 26. n. 2.* Hanc dationem mutuam à Deo inſtitui & approbari, congruum eſt. *n.* 16. Contractus Matrimonij eſt inſtitutus à Deo ante lapſum, &c. Et eſt à Deo vt imprimente legem naturæ, cui hoc eſt conſonum. *Diſt. 29. col.* 882. *lin.* 7. Deus inſtituit vt hic contractus eſſet vtrimque æquè liber. *Infra.* Poſſet dici quòd Deus aliter non ratificat. *Diſt.* 31. *col.* 884. *lin* 11. Eſt ex ſola Dei ordinatione, &c. Quia cùm omnes ſint Dei, nemo poteſt ſe tradere inuito Deo. *Diſt.* 33. *q.* 1. *col.* 884. Ad finem prolis, corpus viri eſt maioris valoris quàm corpus mulieris. *Col.* 885. Hæc commutatio non valet niſi ex ordinatione Dei inter vnicum & vnicam ſimul. 4. Quia vnitas & indiſſolubilitas Matrimonij inter ſteriles reſpectiuè, aut inter adulteros, &c. videretur potiùs contra ſolam legem naturæ, niſi ſubeſſet aliqua lex Dei poſitiua. *col.* 897.

2. Dubitatum fuit, an Matrimonium fuerit inſtitutum vt Sacramentum propriè dictum ab initio in ſtatu innocentiæ: quod *Vaſques diſp. 2. de Matrim. cap. 2.* tribuit noſtro *Alenſi* 4. *p. q. 1. m. 3. a. 3. §. 2. q. 2. m. 2. a. 1.* Sed iam pro certo habendum eſt, quòd à ſolo Chriſto in noua lege. Ex Conc *Flor.* & *Trid.* vt ſupra de Sacramentis in genere *Quæſt.* 5. 8. 10. vbi *col.* 113. monuimus non ſolum *Vaſqueſium*, ſed & noſtrum *Aretinum* in hoc aberraſſe à mente *Alenſis*, & aliorum antiquorum: qui per Sacramentum Matrimonij ab initio, non intellexerunt Sacramentum propriè dictum, vt ſignum efficax gratiæ præſentis; ſed vt ſignum ſacrum futuræ vnionis hypoſtaticæ, & ſpiritualis inter Chriſtum & Eccleſiam, vel etiam tunc præſentis inter Adam & Euam. non tamen vt poſterioris, ſed potiùs vt prioris ipſo Matrimonio. Nec tamen ex nomine communi Sacramenti Matrimonij, ad ſacrum ſignum vnionis ſpiritualis, prioris, actualis, vel futuræ, rectè improbantur à *Vaſqueſio cap.* 5. quæ ex *B. Aug.* proferuntur pro Sacramento propriè dicto Matrimonij in noua lege. Quia licet *B. Aug.* ſæpè vtatur nomine communi Sacramenti Matrimonij: refert tamen eius vnitatem & indiſſolubilitatem ad Sacramentum comparabile cum Baptiſmo & ſacra Ordinatione. Nec obſtat quòd etiam ab initio erat tale, nec tamen Sacramentum propriè dictum: quia tunc non erat neceſſaria noua gratia ad ferendum illud iugum indiſſolubile, ſed præerat ad hoc gratia & charitas ſufficiens. Quâ per peccatum amiſsâ, & tamen reſtitutâ per Chriſtum vnitate & indiſſolubilitate Matrimonij: Reſtituenda etiam erat per hoc Sacramentum gratia & charitas neceſſaria inter coniuges, vt hoc etiam Chriſti iugũ eſſet ſuaue, & onus leue, &c. *col.* 891.

3. Dubitari poteſt, An detur verum Matrimonium etiam inter Chriſtianos, quod non ſit Sacramentum? Plerique cenſent dari inter infideles: Quidam autem cum Melchiore Cano, etiam inter fideles; quia putant contrahentes eſſe ſolùm miniſtros Matrimonij, proprium autem Sacerdotem, Sacramenti. Quibus videtur fauere *Scotus diſt.* 26. *q.* 1. ſupra *col.* 880. *Si ſtringendo formam ad certum ſignum & Miniſtros, oporteat dicere quòd non omnes contrahentes in lege Chriſtiana recipiant Sacramentum: poteſt tamen dici quòd recipiant gratiam, ſi aliàs non ſit obex, &c. non tamen tantam, quantam cum Sacramento.* Infra. *Si verba certa non ſint forma, nec contrahentes ſint Miniſtri: ponatur in definitione, Eſt exhibitio certorum ſignorum.* diſt. 27. q. 2. col. 881. *An in ſignis exhibitis ab alijs vel à contrahentibus, ſaluetur ratio Sacramenti: tactum eſt diſt.* 26. Sed eſt ſaltem Scholaſticè certum, non poſſe dari verũ Matrimonium fidelium, quin ſit etiam Sacramentum. 1. Ex *Matt.* 19. & *Eph.* 5. de eleuatione Matrimonij ad rationẽ Sacramenti inter fideles: ergo hi ſunt incapaces aliter contrahendi quàm Sacramentaliter. 2. Ex Matrimonijs clandeſtinis, quæ quamuis ſemper fuerint inhibita: ſemper tamen ante *Trid.* habita ſunt valida, indiſſolubilia, & Sacramenta; nec vnquam iterata fuerunt, vt fierent Sacramenta, ſed tantùm vt de illis conſtaret. 3. Ex Conc. *Flor.* vbi Sacramentum Matrimonij dicitur fieri ex mutuo conſenſu contrahentium. 4. Ex *Trid.* vbi definitur Matrimonium fidelium eſſe Sacramentum: *Cap. 1. De Reform.* tandem inhabilitantur fideles ad Matrimonia clandeſtina: non quia non erant Sacramenta, ſed quia incerta coram Eccleſia. 5. Quia fideles non habent poteſtatem tradendi ſe ſibi inuicem in *Matrimonium* contra inſtitutionẽ Chriſti: nec ſeparandi *Matrimoniũ* à Sacramento. Aliud eſt de Infidelibus ſub ſola lege naturali aut connaturali *Matrimonij*: quorum tamen *Matrimonia* non videntur eſſe vera & valida, niſi vt paria & indiſſolubilia, ſecundùm primam legem poſitiuam Dei. Quia non habent plus iuris ad contrahendum inter ſe quàm Deus ipſis ab initio dederit, vel relaxauerit. Ad Scotum noſtrum, *Si*, inquit, *oporteat dicere, &c.* .i. etſi oporteret: quod tamen non oportet, poſſet dici quòd recipiant gratiam, &c. vel actualem vt neceſſariam ad talem ſtatum; vel etiam augmentum gratiæ habitualis



Digitized by Google

ex aliquo merito huius boni operis; non tamen tantam quantam ſimul cum Sacramento ex opere operato, &c. vt ſupra *col.* 880. 891. 892.

4. An Polygamia inter infideles ſit contra legem naturæ, & valorem Matrimonij. Negat *Durandus in* 4. *diſt.* 33. *q.*1. *Abulenſis in cap.* 10.*Matt.* quaſi ex *B. Aug.* 3. *doct. Chriſt.* 12. *l.* 22. *contra Fauſtum* 47. *l.* 16. *Ciu.* 38. *l. De bono coniug. cap.* 15. 17. Non vt vni viro plures licebat habere vxores: ita vni fœminæ plures viros, nec prolis cauſa. Occulta enim lege naturæ amant ſingularitatem quæ principantur, &c. Plures fœminæ ab vno viro fœtari poſſunt: vna verò à pluribus non poteſt. Hæc eſt principiorum vis: vt plures fœminæ vni viro ſint, ſicut multæ animæ vni Deo. Ita & *L.* 1. *De Nupt. & conc. cap.* 9. Contra. 1. Ex *Innocentio* 3. *cap. Gaudemus de diuortijs.* Nulli vnquam licitum fuit habere ſimul plures vxores, niſi ex diſpenſatione Dei. 2. Ex prima creatione Adam & Euæ, primaque lege coniugij, *Gen.* 2. ſine dubio connaturali. 3. Ex lege Chriſti, *Matt.* 19. 1. *Cor.*7. etiam connaturali: Ne quis conuerſus priùs habens plures vxores, poſſit vllam retinere præter primam, ſi velit conuerti. Sed videtur probabiliùs, ex Doctore noſtro ſupra *diſt.* 33. *q.* 1. *col.* 884. 885. & pleriſque, non eſſe contra legem naturæ, vt neceſſariam & indiſpenſabilem: ſed vt congruam, & à ſolo Deo diſpenſabilem, olimque diſpenſatam ex neceſſitate propagationis humanæ. Nec videtur alia mens *B. Aug.* ſupra, niſi quòd non ſit tam contra legem naturæ vnum virum habere plures vxores, quàm vnam plures viros: ſed illud ſit diſpenſabile, ac diſpenſatum fuerit ad propagationẽ generis humani, hoc indiſpenſabile. Sine qua cauſa diſpenſandi, non ſolùm iam videtur illicita, ſed & inualida polygamia etiam inter infideles. Quia licet non ſubſint legi Chriſti, ſubſunt tamen legi naturali, & connaturali Dei, *Gen.* 2. Nec plus habent iuris quàm Deus eis dederit: nec poſſunt dare idem ius pluribus vxoribus ſimul, &c.

5. Dubium eſt, quænam ſit materia, quæ forma huius Sacramenti. Quidam enim volunt materiam eſſe verba & ſigna contrahentium: formam autem eſſe ipſam Dei inſtitutionem, vel etiam ſacram ſignificationem. Alij materiam eſſe verba vel ſigna contrahentium, formam autem eſſe verba Sacerdotis vt Miniſtri. Alij materiam eſſe verba vel ſigna priora contrahentium, formam autem eſſe poſteria. Alij, materiam eſſe verba vel ſigna mutuæ dationis ſeu traditionis, formam autem eſſe eadem vt ſunt ſigna mutuæ acceptationis. Alij, verba ſeu ſigna in fieri eſſe materiam, in facto eſſe formam. Alij, verba vel ſigna priora conſenſu, eſſe materiam: poſteriora ſeu eius expreſſiua, eſſe formam. Alij denique corpora contrahentium eſſe materiam: ſigna autem expreſſiua conſenſus, eſſe formam. Videtur probabilius ſigna mutuæ traditionis eſſe materiam, ſigna mutuæ acceptationis eſſe formam partialem & tranſeuntem huius contractus & Sacramenti in fieri: perſonas autem contrahentes eſſe materiam permanentem; ſed omnia ſigna ſimul eſſe materiam, ſignificationem autem ſacramentalem eſſe quaſi formam totius. Ex Doctore noſtro Subtili, *q.* 7. *De Sacram. in genere, à col.* 72. & ex *diſt.* 26. *q.* 1. *col.* 880. *Verba aut ſigna hinc inde expreſſiua conſenſus, ſunt vnum ſignum integrum, & reſpectu contractus, & reſpectu gratiæ.* Infra. *Sacram. Matrimonij eſt expreſſio certorum verborũ, &c.* Et ex communi ratione materiæ, formæ, contractus: cuius materia poteſt dici res ipſa de qua ſit contractus, & forma quâ ſit contractus: vel materia & forma ipſa ſigna reciproca quibus ſit contractus.

6. Dubium eſt, quiſnam ſit Miniſter huius contractus, vel Sacramenti: An ſoli contrahentes, vel etiam alij. Scotus noſter *diſt.* 26. *n.* 15. *De Miniſtro eſt aliud dubium: quia vt plurimum ipſimet contrahentes miniſtrant ſibiipſis hoc Sacramentum, vel mutuo, vel vterque ſibi. Sed nec hoc requiritur neceſſariò, ſi in omni contractu eſt Sacramentum: quia aliquando Patres contrahunt pro filijs vel filiabus, præſentibus eis, non exprimentibus ſigna propria. Si ergo ibi eſt Sacramentum: oportet dicere quòd Miniſter huius Sacramenti poteſt eſſe indifferenter quicumque poteſt eſſe Miniſter in contractu Matrimonij.* Quidam autem cum Melchiore Cano, diſtinguunt inter Miniſtros huius contractus, qui ſint ſoli contrahentes: & inter Miniſtrum huius Sacramenti, qui ſit ſolus Sacerdos aſſiſtens. Quia *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. *De reform.* præſcribit Sacerdoti aſſiſtenti hanc formam exprimendam: *Ego vos in Matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Nec ſunt vlla alia ſigna ſacra huius Sacramenti. Sed nec parentes, nec Sacerdotes ſunt propriè Miniſtri huius contractus vel Sacramenti: ſed ſoli contrahentes, ſiue per ſe, ſiue per alios ſuum mutuum conſenſum exprimentes. 1. Ex *Conc. Flor. in decreto Eug. Septimum eſt Sacramentum Matrimonij, &c. Cauſa efficiens Matrimonij regulariter, eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* Ergo & eius Miniſtri ſunt, qui exprimunt mutuum conſenſum. Nec obſtat quòd hæc dicatur cauſa *Matrimonij*, non Sacramenti: quia dicitur eſſe cauſa illius Matrimonij, quod ibidem dicitur Sacramentum Matrimonij .i. vel conſecrans ipſum Matrimonium, vel potiùs quòd eſt ipſum Matrimonium, in ſenſu intranſitiuo, non tranſitiuo. Neque obſtat illud, *regulariter*: quia refertur ad expreſſionem verbalem, quæ etiam aliter fieri poſſet; non autem ad reliqua neceſſaria & immutabilia. 2. Ex *Trid. ſeſſ.* 24. Vbi definitur Matrimonium quòd ante legem nouam non erat Sacramentum, ſub lege noua eſſe Sacramentum. Deinde reformatur Matrimonium clandeſtinum: vt quod ante erat illicitum, ſed validum, & Sacramentum; nec ſit amplius validum, nec Sacramentum, niſi contrahatur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote, de licentia proprij Parochi, vel Ordinarij, & duobus aut tribus teſtibus: non quaſi coram Miniſtro, ſed teſte principali Matrimonij. Nam exigitur tantùm eius præſentia moralis: & inhabilitantur fideles, ad aliter contrahendum quàm coram eo, & alijs vt teſtibus. Nec obſtat quòd ſupra præſcribitur Parocho hæc forma: *Ego vos in Matrimonium coniungo. &c.* Subditur enim: *vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuſq; Prouinciæ ritum.* Ergo non ſit vis in his verbis, nec in æquiualentibus, vt in forma neceſſaria, ſed cæremoniali & declaratoria rei geſtæ. 3. Quia tam ante *Trid.* quàm poſt, requiritur

quiritur

Digitized by Google

quiritur benedictio Sacerdotalis coniugum, à proprio Parocho, vel de eius aut Ordinarij licentia: non vt Sacramentalis, ſed Cæremonialis; ergo vt *Matrimonium* ante *Trid.* erat Sacramentum ſine hac benedictione, ſic & poſt ſine forma illa verborum, quæ non plus exigitur quàm benedictio ſequens. De qua *S. Bon. diſt.* 26. *a.* 2. *q. col.* 860. Si benedictio Sacerdotalis hoc efficit: quantò magis Sacramentum?

7. Dubium, An *Matrimonium* ex conſenſu mutuo ſub conditione ſecreta vel vtrimque expreſſa non conſummandi, ſit validum & indiſſolubile: & an tale fuerit inter S. Ioſephum & B. V. Mariam? De quo *S. Bon. diſt.* 28. *a.* 6. *& Scotus diſt.* 30. *q.* 2. optimè conueniunt, fuiſſe inter eos verum *Matrimonium*, ex conſenſu & traditione ac acceptatione mutua iuris, ſub certitudine nunquam vtendi illo iure. Ex *B. Aug. lib.* 3. *contra Fauſtum cap.* 2. Ioſeph propter quoddam cum *Matre* Chriſti ſanctum & virginale coniugium, etiam ipſe parens Chriſti meruit appellari. *Lib.* 1. *De Nupt. & Concup. cap.* 11. Quibus placuit ex conſenſu ab vſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere: abſit vt inter illos vinculum coniugale rumpatur, imò firmius erit voluntarijs affectibus animorum. Hinc *Matt.* 1. Ioſeph, noli timere accipere *Mariam* coniugem tuam: Coniux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognouerat, nec erat cogniturus, &c. Erat quippe illa Virgo ideo & ſanctiùs & mirabiliùs iucunda viro ſuo: quia etiam fœcunda ſine viro; prole diſpar, fide compar. *Infra.* Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, Proles, Fides, Sacramentum, &c. *Serm.* 63. *De diuerſis*, *cap.* 10. Quare non debuit numerari per Ioſeph? *Matt.* 1. *Luc.* 3. Numquid non erat maritus *Mariæ* Ioſeph? *Matt.* 1. Noli timere accipere *Mariam* coniugem tuam. Ipſa Virgo *Maria* cum Patrem Chriſti dicit, *Luc.* 2. Pater tuus & ego, &c. Nec ſe marito in ordine nominis præferebat, &c. Non attendit ſui vteri dignitatem, ſed ordinem coniugalem. *Cap.* 13. Non propterea non fuit pater Ioſeph, quia cum *Matre* Domini non concubuit: quaſi vxorem libido faciat, & non Charitas coniugalis. Quantò illa reprimitur, tantò iſta fortiùs confirmatur. *Cap.* 14. Cùm ſic ſubſiſtat genus humanum, vt neceſſaria ſint duo ſuſtentacula, nutritionis, & generationis: ad vtrumque ſapiens, & prudens, & fidelis, officio deſcendit, non libidine cadit, &c. Itaque ſi iſtis offerretur vt ſine cibo & potu viuerent: quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium? Sic & in officio coniugali, &c. Si quis diceret, Dabit tibi Deus filios etiam non operanti opus illud cum vxore: ibi fateretur quòd non propter filios quærebat vxorem. *Cap.* 16. Sic ergo erat illud coniugium, & ſine vlla corruptione coniugium. Sic quod caſtè vxor peperit, cur non caſtè maritus acciperet? Sicut enim caſtè coniux illa, ſic ille caſtè maritus: & ſicut illa caſtè *Mater*, ſic ille caſtè Pater, &c. *Melius* ille quod alius carne implere deſiderat, animo implebat, &c. Ergo non ſolùm Pater debuit eſſe Ioſeph, ſed maximè debuit, &c. Si quis poſſet de vxore ſine concubitu ſuſcipere filios: non tantò debuit lætiùs, quantò illa eſt caſtior, quam diligit ampliùs? *Cap.* 20. *Maior* ergo puritas confirmet paternitatem: ne ipſa S. *Maria* nos reprehendat, *Luc.* 2. Quod *Spiritus S.* operatus eſt, vtriſque operatus eſt, *Matt.* 1. *Spiritus S.* in amborum iuſtitia requieſcens, ambobus filium dedit: ſed in eo ſexu quem parere decebat operatus eſt quod etiam marito naſceretur. *Luc.* 2. Peperit ei filium. Vbi pater non carne, ſed Charitate firmatur. *Sit* ergo Pater ſicuti eſt, &c. Quare pater? Quia tantò firmius pater, quantò caſtiùs pater.

Hinc vt *S.* Ioſeph nō videtur propriè pater Chriſti, ſic nec propriè maritus B. *Mariæ* Virginis: ſed tantùm ſponſus de futuro, vt ſupra *l.* 1. *De Nupt. & Conc. c.* 11. vel nonn ſi ſpiritualiter, animo & affectu: cùm & *Scot. diſt.* 31. *col.* 884. & plerique negent *Matrimonium* eſſe validum cum conditione repugnante tribus eius bonis. *Sed Reſp.* Hinc potiùs colligi verum & propriè dictum *Matrimonium* eſſe poſſe ſine iure aut obligatione proxima ad copulam: imò ſub voto & obligatione mutua continendi; quia nimis eſſet indignum, B. Virginem fuiſſe proximè obligatam ad copulam, & S. Ioſeph habuiſſe hoc ius in illam. Cùm enim poſſit Matrimonium eſſe ratum ſine iure aut obligatione copulæ ad certum tempus: cur non ad ſemper ex conſenſu mutuo? Cùm poſſit ante vel poſt conſummationem vtrimque voueri perpetua continentia: cur non & in ipſo contractu Matrimonij, hæc conditio vtrimque adhiberi? Nec hoc eſt contra bonum prolis: quia poteſt validè contrahi ſine vlla ſpe prolis generandæ, ad educandas priores proles vxoris, & ad bonum fidei ac Sacramenti, abſque vlla neceſſitate vel vtilitate copulæ coniugalis. Nec obſtat quòd non videatur poſſe eſſe contractus Matrimonij niſi inter virum & mulierem, in adiutorium proprium vtriuſque ſexus: alioquin, vt inquit *B. Aug. l.* 9. *in Gen. c.* 5. *Quantò congruentiùs ad colloquendum & conuiuendum duo amici pariter, quàm vir & mulier habitarent?* Nec quòd hic contractus non videatur fieri poſſe ſine mutua obligatione ad aliquid propriū inter vtrumque ſexum. Quia fieri poteſt. 1. Ad bonum Sacramenti, ſeu ad ſacram ſignificationem & participationem vnionis hypoſtaticæ, & ſpiritualis inter Chriſtum & Eccleſiam: ad quam requiritur diſtinctio ſexus naturâ ſuâ inferioris à ſuperiori. 2. Ad bonum fidei, ſeu fidelitatis mutuæ: non tantùm in continendo ab alienis, ſed etiam ab inuicem, ex charitate mutua, ſeu mutuæ virginitatis ac perfectionis. 3. Ad varia alia ſolatia propria vtriuſque ſexus ab inuicem: vt ad protectionem vxoris à marito, & ad varia obſequia propria vxorum, 3. *Reg.* 1. & *Prou.* 31. 4. Ad educandum etiam proles, vel prioris vxoris, vel quas Deus ſolet, aut poſſet dare ex vxore, vel ſi dederit. Quòd ſi opponatur, impotentiam iure naturæ dirimere: quia tales non habent quod dent ac permutent. *Reſp.* Sufficere potentiam & obligationem remotam, quamuis voto aut conditione continendi perpetuò impeditam. Sicut eſt ius PP. Societ. ad temporalia, ſine vſu, & vſus FF. Min. ſine iure. Si nec hoc placet, ne videatur B. Virgo obligaſſe ſe ad copulam, contra obligationem continendi, ſub ſola certitudine præſeruationis Dei, & cōtinentiæ propriæ ac S. Ioſeph:



Digitized by Google

quid ſi diceretur ipſam habuiſſe certū donum non tantùm continendi ſeipſam, ſed & ſuum maritum. Nec denique *B. Aug. l.* 1. *De Nupt. & Conc. c.* 11. vult V. *Mariam* fuiſſe tantùm coniugem Ioſeph vt ſponſam de futuro, ſed vel *ex prima fide deſponſationis*, vt diſtinguitur à conſummatione; vel *vt accipere Mariam coniugem*, ſit eam priùs deſponſatam in coniugem futuram, accipere & habere vt coniugem præſentem & actualem. De paternitate autem S. Ioſeph: an fuerit propriè dicta vel non: & an neceſſariò fundetur in generatione actuali, in 3. *Sent.* Nec enim *B. Aug.* hîc comparat S. Ioſeph & B. Virginem vt patrem & matrem ad æqualitatem inter ſe vt maritum & vxorem; ſed tantùm ad ſimilitudinem, denominationem, ac participationem.

8. De effectu huius Sacramenti, *S. Bon.* ſupra *col.* 860. & *Scotus* 880. referunt dubium ſuorum temporum: Quod & fuit *Durandi in* 4. *d.* 26. *q.*1. *a.* 3. An Matrim. fidelium ſit propriè & vniuocè Sacramentum nouæ legis, conferens ex opere operato gratiam ſanctif. Quia poteſt fieri ante Baptiſmum, nec neceſſariò renouatur poſt. Sed nunc poſt *Flor. & Trid.* non poteſt id cenſeri ſcholaſticè dubium: nec Matrim. ante Baptiſmum eſt Sacram. ſed fit tale poſt Baptiſmum, ſiue per nouum contractum, ſiue per eiuſdem ratificationem. Nec *S. Bon. & Scotus* inde dubitarunt: vt patet ex eorum contextu ſupra, *col.* 860. 880.

## *QVÆSTIO 3. MORALIS.*

### *De obligationibus & praxi huius Sacramenti.*

*OBLIGATIO* 1.

Eſt omnium fidelium, credendi omnia quæ de hoc Sacramento credenda ſunt, vt ſupra.

*OBLIGATIO* 2.

Eſt omnium hominum, non autem ſingulorum, ſed ad hoc ſufficientium: propagandi & conſeruandi genus humanum per legitima *Matrimonia*, & eorū vſum, in caſu neceſſitatis: niſi moraliter conſtaret de completo numero electorum, & inſtante fine mundi. De quo *Matt.* 24. *Luc.* 21. *Marc.* 13. *Væ pregnantibus & nutrientibus in illis diebus.*

*OBLIGATIO* 3.

Eſt etiam omnium hominum, obſeruandi legem Dei poſitiuam, *Gen.* 2. De paritate & indiſſolubilitate Matrimonij: niſi ex diſpenſatione Dei. Quia hæc lex eſt tam connaturalis, vt omnibus facilè innoteſcere poſſit: fuitque ſatis reuelata & tradita, ſeu publicata, ad obligandum omnes.

*OBLIGATIO* 4.

Eſt omnium Chriſtianorum, obſeruandi legem Chriſti, *Matt.* 5. & 19. *Marc.* 10. *Luc.* 16. 1. *Cor.* 7. *Epheſ.* 5. non tantùm de vnitate & indiſſolubilitate Matrimonij, ſed præcipuè Sacramenti inter Chriſtianos; de non contrahendo cum infidelibus, imò nec cum hæreticis, niſi ex graui neceſſitate & diſpenſatione; de charitate coniugali ac Sacramentali; de æquitate ac æqualitate iuris coniugalis, ſalua tamē dignitate virili, & ſubiectione muliebri.:

*OBLIGATIO* 5.

Eſt etiam communis omnium Chriſtianorum, obſeruandi omnes leges publicas Eccleſiæ, quæ ad huius Sacramenti valorem, fructum, & vſum ordinatum ac honeſtum pertinent.

*OBLIGATIO* 6.

Eſt omnium, honorandi parentes, & obſeruandi leges Ciuiles, ac pacta honeſta in contrahendis Matrimonijs. Vt patet ex obligatione communi quarumuis legum.

*OBLIGATIO* 7.

Non tantùm Contrahentium, ſed etiam Paſtorum, Parentum, & omnium fidelium conſciorum, cauendi omnia impedimenta dirimentia, ſeu ne qui attentent, celent, aut tolerent Matrimonia inualida: ſi ſint notoria, vel conuinci, aut ſine grauiori periculo impediri vel diſſolui poſſint. Quia eſt grauiſſimus abuſus in Eccleſia Dei: ad quem cauendum omnes & ſinguli conſcij, pro ſuo poſſe & modo, ſine proprio aut alieno, vel ipſorum contrahentium grauiori periculo obligantur. Porro de illis impedimentis ſat ſupra, ex *S. Bon.* & *Scoto*: exceptis duobus nouis, & quibuſdam antiquis à *Conc. Trid.* reformatis, *ſeſſ.* 24. *De reform. Matrim. Cap.* 1. *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.* Infra. *Decernit inſuper, vt huiuſmodi Decretum in vnaquaque Parochia ſuum robur habere incipiat poſt* 30. *dies à die prima publicationis in ea Parochia factæ, numerandos.* Quæ ſolent practicè intelligi de quouis Parocho proprio alterutrius contrahentium, etiam non Sacerdote: vel de eius coadiutore ordinario in adminiſtrandis Sacramentis; deque eius & teſtium quorumuis præſentia morali ſeu aduertentia rei geſtæ. Non quaſi attentantes Matrimonia clandeſtina fiant omnino inhabiles ad contrahendum inter ſe: ſed *ad ſic contrahendum* .i. clandeſtinè, ſeu aliter quàm ſecundùm hoc decretum, quandò & vbi publicatum fuit. Præſumitur autem publicatum fuiſſe, aut non, vbi aliquando fuit obſeruatum, vel non: niſi ibidem non tantùm deſierit obſeruatio, ſed etiam deſint Parochi, aut Ordinarij, vel non poſſint adhiberi. Vndè diſcernendum eſt inter quos hæreticos liceant aut valeant Matrimonia.

Cap. 6. *Decernit ſancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore* [illegible] *rata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit: eam raptor in vxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor, mulierem raptam ſiue in vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter, arbitrio Iudicis, dotare.* Quæ non videntur intelligenda de ſolo raptu ipſius inuitæ: quia hoc ipſo nullum poteſt eſſe Matrim. nec præſumitur conſentire niſi liberata; ſed & de raptu inuitis meritò parentibus: imò nec de ſolo raptu corporis, ſed ſimul etiam animi, ſeu rationis & libertatis ſufficientis; ſicque nec de ſola reſtitutione corporis, ſed & rationis ac libertatis à nimia perturbatione, loco, tempore, & modo ad hoc ſufficiente.

Digitized by Google

ficiente. Nec illud *habeat*, videtur eſſe præceptum aut decretum vt habeat, inuitis meritò parentibus, & omnibus alijs legibus: ſed quantum eſt ex ſe, vel ex vi huius decreti, ſine grauiori præiudicio proprio, parentum, vel communi aliarum legum.

*Cap.* 2. Reformat ſeu reſtringit cognationem ſpiritualem oriundam ex Baptiſmo aut Confirmatione, ad ſolum Baptizantem aut Confirmantem, & vnicum ſuſceptorem, vel ſimul ſuſceptricem ex Baptiſmo, cum Baptizato aut Confirmato, eiuſque patre & matre. *Cap.* 3. Reformat, ſeu reuocat impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus inualidis: ex validis autem, reſtringit ad ſolum primum gradum. *Cap.* 4. Reformat, ſeu reſtringit impedimentum affinitatis ex fornicatione contractum, ad ſecundum gradum incluſiuè. *Cap.* 5. Cauet ne facilè diſpenſetur in Matrimonio inualido, cum conſcijs impedimenti, aut qui non adhibuerint diligentiam ordinariam ad ſciendum. *Cap.* 7. Cauet ne vagi à Parochis ad Matrimonium recipiantur, niſi ex facultate ordinariorũ. *Cap.* 8. Contra concubinarios & concubinas. *Cap.* 9. Contra cogentes directè vel indirectè ſuos ſubditos ad certa Matrimonia: vt violantes Matrimonij libertatem. *Cap.* 10. Confirmat antiquam inhibitionem ſolemnitatum nuptialium, ab Aduentu vſque in diem Epiphaniæ, & à die Cinerum vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè: relaxans à Septuageſima vſque ad diem Cinerum, & à tertia die ante Aſcenſionem vſque ad octauam Pentecoſtes, ex *S. Bon. d.* 32. *art.* 4. *q.* 1.

Sed *Cap.* 20. *De Reform. Ordinis iudicialis*, tanti facit cauſas Matrimoniales, vt eas Archidiaconis inhibeat, ſoliſque Epiſcopis reſeruet. Quas viderint quo iure adhuc vſurpent quidam Archidiaconi etiam in eos, apud quos *Conc. Trid.* quoad hoc receptum eſt.

### OBLIGATIO 8.

Obſeruandi etiam omnia impedimenta non dirimentia: quæ non referuntur à noſtris DD. ſed ſolent referri his verſibus:

*Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,*
*Atq; Catechiſmus, ſponſalia, iungito votum,*
*Incæſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,*
*Suſceptus propriæ prolis, mors Præſbyteralis,*
*Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem*
*Accipiat, prohibent hæc coniungium ſociandum.*

1. *Eccleſiæ vetitum*, ſeu interdictum à iure vel ab homine .i. non ſolùm quoad Matrimonium clandeſtinum quod iam dirimit, ſed quoad quamlibet inhibitionem in pœnam, vel ad bonum commune; vt ex *Trid. ſeſſ.* 24. *De Reform. c.* 1. ne Matrimonia celebrentur ſine præuijs denunciationibus; ex iure antiquo, ne excommunicati recipiant Sacramenta, &c. & ex qualibet iuſta cauſa, ne quis hîc & nunc, cum hac vel illa contrahat, donec, &c. Contra quas inhibitiones contrahentes, peccant grauiùs vel leuiùs pro grauitate cauſæ, & ipſius inhibitionis.

2. *Tempus feriatum* .i. vacans à ſolemnitate nuptiarum: de quo ſupra.

3. *Catechiſmus* .i. Cognatio quædam ſpiritualis ex ſponſione ſeu reſponſione pro baptizando in ſolo Catechiſmo ſeu cæremonijs ante Baptiſmum. Quod impedimentum videtur ſublatum à *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *De reform. Matrim.*

4. *Sponſalia* cum vno aut vna, reddunt illicitum Matrimonium cum alio aut alia, ante legitimam diſſolutionem. Quia res vni promiſſa non poteſt licitè, ſed validè tradi alteri.

5. *Votum* ſimplex non contrahendi Matrimonium, reddit hoc illicitum, toties quoties. Votum ſimplex caſtitatis, reddit Matrimonium & eius vſum ſemper illicitum in petendo, non in reddendo. Votum ingrediendi Religionem, reddit quodlibet Matrimonium illicitum, & primam eius conſummationem: non autem continuationem cum eadem coniuge.

6. *Incæſtus* ſaltem notorius cum conſanguineis vxoris, vel etiam proprijs, vſque ad 2. vel etiam ad 4. gradum, reddit Matrimonium illicitum cum qualibet, mortuâ vxore.

7. *Raptus ſponſatæ*, ſeu ſponſæ alienæ, reddit illicitum Matrimonium raptoris, imò & ipſius raptæ conſentientis, non tantùm inter ſe, ſed & cum alijs.

8. *Mors mulieris* .i. Vxoricidium, ſaltem extra flagrans adulterium: cui quidam æquiparant viricidium.

9. *Suſceptus propriæ prolis* .i. malitioſus, ad contrahendum impedimentum cum vxore propria, impedit ne talis poſſit licitè contrahere cum alia, priori defunctâ.

10. *Mors Præſbyteralis* .i. Occiſio iniuſta alicuius Præsbyteri, ſi ſit conuicta, vel notoria.

11. *Si quis pœniteat ſolemniter* .i. tempore propriæ pœnitentiæ ſolemnis.

12. *Si quis Monialem accipiat* .i. attentatio coniugij ſacrilegi cum Moniali, priuat attentantem omni licito Matrimonio.

### OBLIGATIO 9.

Procurandi validè & licitè, ſibiipſi vel ſuis ſubditis, neceſſariam diſpenſationem, ſeu relaxationem impedimentorum; non iuris Diuini, naturalis aut poſitiui, quæ ſunt indiſpenſabilia per hominem, niſi quoad factum ſeu materiam voti & iuramenti, non niſi ex iuſta cauſa licitè & validè; ſed ſolius iuris Eccleſiaſtici, quæ eodem iure liberè & validè etiam ſine cauſa ſpeciali relaxari poſſunt; non tamen licitè, imò nec validè relaxantur, niſi ex cauſa iuſta ac ſufficiente, abſque ſubreptione, ſeu ſuppreſſione veræ cauſæ nõ diſpẽſandi, vel obreptione falſæ cauſæ totalis vel partialis diſpẽſandi. Porro ſolus Papa ordinariè poteſt diſpenſare in impedimentis à ſeipſo aut lege communi ſtatutis, vel ſibi ſoli reſeruatis: qualia ſunt omnia dirimentia, & voto caſtitatis perpetuæ, ac ſtatus Religioſi profitendi. Epiſcopi autem poſſunt ordinariè diſpenſare in impedimentis Epiſcopalibus aut Synodalibus, & votis non reſeruatis: ſed ex neceſſitate non patiente moram, aut recurſum ad Papam, ex communi ſententia, ac interpretatione iuris, & rationabilis mentis Papæ, poſſunt diſpenſare in omnibus occultis poſt Matrimonium validum ſuperuenientibus, & eius vſum licitum impedientibus; imò & in præuenientibus ac dirimentibus. Religioſi priuilegiati poſſunt quidem ex ſpeciali priuilegio diſpenſare in votis non reſeruatis, & ex ſpeciali ſuorum Prouincialium commiſſione in affinitate ſuperue-



Digitized by Google

perueniente poſt *Matrimonium* : non tamen vt Epiſcopi in alijs Papæ proprijs aut reſeruatis.

Cùm autem valor diſpenſationum pendeat à poteſtate & intentione diſpenſantis : De illa ſatis conſtat dogmaticè, ex poteſtate ligandi & ſoluendi quæcumque vincula, iuriſdictione ordinaria, commiſſaria, vel delegata *Matt.* 16. 18. de hac autem moraliter conſtare poteſt. 1. Ex iure communi, præcipuè *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *De Reform.* Cui intentio Diſpenſantis cenſenda eſt conformis.

*Si quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrim. contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat : idq; in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit : ſiquidem ſolemnitates in contrahendo Matrimonio neglexerit, iiſdem ſubijciatur pœnis ; non enim dignus eſt qui Eccleſiæ benignitatem experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis Matrimonijs, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò : idq; ex cauſa, & gratis concedatur. In 2. gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.*

Quòd ſolet extendi ad contrahentes ſcienter cùm quouis impedimento dirimente, ex identitate rationis & finis : ne attententur & conſummentur Matrimonia inualida, ex præſumptione diſpenſationis futuræ. Vnde ſatis patet copulam inter tales habitam, non eſſe cauſam diſpenſandi, ſed potiùs non diſpenſandi : nec tam exigi eius expreſſionem ad faciliorem diſpenſationem, quàm ad difficiliorem : contra plurimorum abuſum, conſummandi, & allegandi aut fingendi, vel exigendi à talibus confeſſionem copulæ, quaſi neceſſariæ aut facilitantis diſpenſationem. Qui ſenſus erroneus eſt, & Eccleſiæ ſcandaloſus.

2 Ex conuenientia Iuris Ciuilis cum Canonico, in diſtinguendis tot gradibus lineæ rectæ quot ſunt perſonæ vnâ minùs: differentia autem in gradibus lineæ tranſuerſæ ; quòd Ius Ciuile diſtinguat tot gradus quot ſunt perſonæ diſtantes à ſtipite ; ſed Ius Canonicum diſtinguat tot gradus lineæ tranſuerſæ æqualis, quot ſunt paria æqualiter diſtantia à ſtipite; lineæ autem inæqualis, quot perſona remotior incluſiuè, diſtat à ſtipite excluſiuè. Quia Ius Canonicum ordinat ſingula paria vtriuſque ſexus ad Matrimonium : ſed Ius Ciuile ſingulos ſucceſſores ad hæreditatem.

3. Ex quodam Motu proprio *Pij* 5. *ab anno* 1566. *die* 26. *Aug.* quo decreuit ac declarauit, ad impetrandam diſpenſationem non eſſe neceſſariam expreſſionem gradus propinquioris, ſed tantùm remotioris : *obtentis tamen poſtea litteris declaratorijs ſuper propinquiori* ; non tam ad valorem Matrim. quàm contra periculum ſcandali in foro exteriori. Dummodo neuter ſit proximus ſtipiti : *quia ſua Sanctitas in eo nunquam diſpenſare intendit* .i. inter vllum diſtantem etiam 4. gradu à ſtipite, cum fratre aut ſorore ipſius ſtipitis.

4. Ex ipſa forma & praxi ordinaria diſpenſandi, ſiue in occultis pro ſolo foro interno, ſiue in publicis pro foro externo. Pro occultis in foro interno, ſufficit diſpenſatio ſecreta Pœnitētiariæ per Confeſſarium, cui ſolet inſcribi, *Diſcreto viro Confeſſori, Theologiæ Magiſtro, vel Decretorum Doctori* : Quem quidam putant debere eſſe talem publicè graduatum ; ſed cùm tales diſpenſationes ſoleant à quibuſuis Confeſſarijs ſub ſecreto ſigilli procurari, non videntur dirigi ad alios quàm ad ipſos Confeſſarios, nec ad aliorum cognitionem, quamuis ſupponantur eſſe tales.

Pro publicis autem & foro externo, neceſſaria eſt etiam diſpenſatio publica. Sed ad quamlibet validam, neceſſaria eſt diſtincta expreſſio ſimul plurium impedimentorum ſimilium & diſparatorum, quæ ſe inuicem non includunt : vt ſunt cognationes paternæ ſimul & maternæ; conſanguinitas & affinitas, &c. Nec videtur ſufficere expreſſio & diſpenſatio plurium ſeorſim : quia ſimul conferunt longè grauiorem difficultatē diſpenſandi, quàm ſeorſim. Ex motiuis autem diſpenſandi, pendet diſpenſantis intentio, eiuſque rationabilis interpretatio. De quibus & alijs principijs practicis totius iuris ac diſpenſationis, tam in communi, quàm in hac & qualibet materia particulari, ſuo loco & tempore ex noſtro *Al.* 3. *p.* *S. Bon. Scot.* & alijs, *in* 3. *ſent.*

OBLIGATIO. 10.

Non contrahendi Matrimonium, nec eo vtendi, niſi ex aliqua ſaltem virtuali vel implicita intentione alicuius finis proprij & intrinſeci, Matrimonialis & Sacramentalis, ſub fine vltimo ac extrinſeco : quamuis etiam ex aliqua cointentione, & motiuo etiam principali maioris boni communis vel priuati, imò & motu ſenſibiliori minoris boni, vt honoris, diuitiarum, pulchritudinis, ipſiuſque delectationis carnalis; non tamen excludēdo bona propria Matrimonij, nec eis minora præferendo, ſed his ad illa vtendo ſeu referēdo. Quia excluſio finis proprij, & præferentia minoris boni eſt inordinata : non autem ſubordinatio & coordinatio plurium finium bonorum inter ſe, ad maius bonum; nec maior motio à minori bono, ſed ſenſibiliori, ob noſtram à ſenſibus & ſenſibilibus mobilitatem ac dependentiā, quamuis ſine præferentia voluntaria. *In* 2. *Sent.*

Hinc quidem multa fidelium Matrimonia poſſunt excuſari à graui culpa : ſed inexcuſabiles ſunt, qui ſcienter contrahunt in ſtatu peccati mortalis : quantò potiùs qui contrahēdo peccant mortaliter, ſiue ſola peruerſa intentione, ſiue contra obedientiam Eccleſiæ, vel parentum, ſiue quouis alio abuſu huius Sacramenti ? Nec eos præuia confeſſio & Communio Sacramentalis excuſat : ſed triplicati ſacrilegij accuſat, indignè recipiendo & violando tria ſimul Sacramenta, per obicem gratiæ, & impœnitentiam actualem. Contra quos & plurimos alios abuſus huius Sacramenti, tot leges latæ ſunt, vt vix recenſeri poſſint : Nec tamen ſufficiunt ad coercendum tantæ libidinis impetum : quantominùs ad corrigendum, dirigendum, & erigendum affectum ac intentionem, à materia tam lubrica huius Sacramenti, ad ſignificationem, ſanctificationem, & finem eius ſpiritualem ? Niſi præueniente, comitante & ſubſequente gratia actuali : imò & mediante, permanente, ac præualente inter coniuges ipſa Charitate Dei.

*FINIS de Sacramentis.*

DE

Digitized by Google

# *In Diſt.* 43. *De Reſurrectione & Iudicio finali.*

*ART.* 1. *De Reſurrectione.*

QVÆST. 1. *An ſit futura? Reſp.* Eſt de fide: Ex *Iob* 19. *Ioan.* 11. & ex ipſa Reſurrectione Chriſti. Ad quam eſt etiam inclinatio naturalis inter corpus & animam, ad perfectionem totius hominis, & ipſius Vniuerſi. *Ad* 1. ex *Iob* 14. *Homo non reſurget donec atteratur Cœlum*: quoad apparentiam, non quoad ſubſtantiam. *Ad* 2. ex 1. *Cor.* 15. *Caro & ſanguis* .i. carnales quoad corruptionem & malitiam, non quoad ſubſtantiam, *Regnum Dei non poſſidebunt*. *Ad* 3. Inſtrumentum ſeparatum bonorum operum, non fit particeps mercedis: ſed vnitum & intrinſecum, quale eſt corpus humanum. *Ad* 4. Corpus non impedit animam: ſed vitium corporis. *Ad* 5. Sententia mortis non fuit diffinitiua, ſed quaſi interlocutoria. *Ad* 6. Anima reunietur corpori: non ſic reprobi damnati, Deo; quia hi non habent inclinationem voluntarium ad Deum, ſicut illa habet naturalem ad corpus.

QVÆST. 2. *An ſit futura vniuerſalis? Reſp.* Vt mors erit omnium, ſic & Reſurrectio. Ex *Ioan.* 5. 1. *Cor.* 15. *&c.* *Ad* 1. ex *Dan.* 12. *Multi euigilabunt* .i. omnes. *Ad.* 2. ex *Ioan.* 6. Chriſtus promittit ſolis bonis Reſurrectionem ſalutarem. *Ad* 3. Purgatorium non eſt ſtatus, ſed tranſitus animarum: Infernus eſt ſtatus æternus damnatorum. *Ad* 4. Reſurrectio animæ eſt tantùm ad bonum gratiæ: ſed corporis, etiam ad malum pœnæ æternæ. *Ad* 5. Vt animæ paruulorum fuerunt infectæ ex ſuo corpore, ita & eidem reſtituentur.

QVÆST. 3. *An erit omnium ſimul, vel ſucceſſiuè? Reſp.* Simul, non ſucceſſiuè. Ex 1. *Cor.* 15. *In momento, in ictu oculi, &c.* *Ad* 1. Animæ reſurgunt ſucceſſiuè ad gratiam in via: ſed corpora ſimul in fine. *Ad* 2. Anima Chriſti non fuit diu ſeparanda à Corpore, vt aliæ. *Ad* 3. & 4. Meliores non debent citiùs quàm alij reſurgere: quia interim habent ſuum præmium eſſentiale.

QVÆST. 4. *An omnium corpora reſurgent eadem numero? Reſp.* Quòd ſic. 1. Ex *Iob* 19. *In carne mea videbo Deum, &c.* 2. Quia alioquin non eſſet vera reſurrectio, niſi eiuſdem numero. 3. Quia vt omnes formæ materiales educuntur ex materia, ſic & corrumpuntur in materia: ergo & inde poſſunt à Deo reduci ad idem eſſe; ſed non à cauſis naturalibus, quia non agunt niſi immiſcendo aliquid noui ex ſe. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3. Immortalitas corporum poſt reſurrectionem, non eſt differentia eſſentialis. *Ad* 4. Actiones diuerſæ non ſunt neceſſariò ad diuerſos terminos: nec ſucceſſio durationis diſtinguit numero rem abſolutam.

QVÆST. 5. *An erit naturalis vel miraculoſa? Reſp.* Non naturalis, ſed ſupra naturam: quia quamuis ex aliqua inclinatione naturali, non tamen ex vi naturæ. *Ad* 1. *Iob* 14. & 1. *Cor.* 15. Comparatur germinationi ligni præciſi, & grani mortui, à minori ad maius .i. Si hæc ſunt naturaliter poſſibilia, quanto magis reſurrectio ſupernaturaliter? *Ad* 2. ex *Aug. lib.* 1. *De quant animæ, cap.* 33. *Certius eſt nobis reſurrectionem eſſe futuram, quàm ſolem cras oriturum*: quia illud eſt de fide, & facilius Deo, quàm hoc naturæ. *Ad* 3. ex 1. *Cor.* 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: ex decreto Dei, non ex neceſſitate naturæ. *Ad* 4. & 5. Animalia perfectè organizata non poſſunt generari per putrefactionem. *Ad* 6. Non ſunt naturalia quæ ſunt in ſolo appetitu, ſed quæ etiam in poteſtate naturæ. Nec puluis corporis humani naturaliter appetit animam: vt anima appetit ſuũ corpus potiùs quàm vllum aliud, quia ei fuit vnita. Vt qui duxit aliquam vxorem affectu coniugali, ei afficitur præ omnibus.

QVÆST. 6. *An Reſurrectio Chriſti ſit cauſa noſtra? Reſp.* Cauſa eius efficiens principalis, eſt Deus: inſtrumentalis, vox Chriſti; exemplaris originalis, ipſa natura Diuina; ſed inchoata exemplaris, eſt Reſurrectio Chriſti. Ex *Ioan.* 5. *Rom.* 1. 6. *Ad* 1. Hæc eſt cauſa ex decreto Dei. *Ad* 2. Reſurrectio Chriſti non eſt tantùm exemplar cognitionis, ſed & inchoationis. *Ad* 3. Eſt exemplar Reſurrectionis omnium, non autem omnis finis reſurgendi. *Ad* 4. Ad vocem Chriſti fiet reſurrectio, vi infinita Dei, vt ſupra de Sacram. *Ad* 5. & 6. Priùs natura reſurgent, quàm audient vocem Filij Dei: nam non auditus huius vocis, ſed vis eam concomitans reſuſcitabit.

*ART.* 2. *De libris apperiendis ad Iudiciũ. Al. p.* 1. *q.* 33.

QVÆST. 1. *An Liber Vitæ ſit Dei notitia? Reſp.* Eſt notitia Dei, & vis infuſa recordandi omnium: Quia liber dicitur à ſtabilitate ſcientiæ, eiuſque memoriali. Hinc *Apoc.* 20. *Liber apertus eſt, qui eſt vitæ, &c.* *Ad* 1. & 2. Liber hîc non dicitur ab impreſſione ſibi facta; ſed à repræſentatione. *Ad* 3. Liber vitæ eſt ex ſe cauſa vitæ, non mortis, niſi per occaſionem. Vel dicitur liber vitæ diuinæ, non noſtræ: Sicque vis illa dicitur liber, quia recolit; ſed vitæ, ſeu viuæ ac veræ notitiæ Dei.

QVÆST. 2. *An in Libro vitæ omnia ſint ſcripta? Reſp.* Soli Prædeſtinati, & eorum gratia ac gloria. *Ad* 1. Liber vitæ non dicit totam vim exemplarem Dei. *Ad* 2. ex *Pſal.* 68. Dicuntur *Deleri de Libro viuentium*: quoad præſentem iuſtitiam & reputationem, non quoad inſcriptionem. *Ad* 3. Deletio illa fit per mutationem in ſolis reprobis, non in Deo.

QVÆST 3. *An Liber Vitæ tunc apperietur? Reſp.* Aperietur Prædeſtinatis ad intuitionem: non reprobis niſi ad non intuitionem.

*ART.* 3. *De libris Conſcientiarum.*

QVÆST. 1. *An in Conſcientia legentur omnia merita? Reſp.* Omnia bona & mala. Ex *Rom.* 2. Nec boni poterunt triſtari de malis præteritis, ſed ſoli mali de malis & bonis præteritis.

QVÆST. 2. *An quilibet leget omnia in conſcientia alterius? Reſp.* Omnia tam bona quàm mala erunt tunc omnibus nota: ad manifeſtationem Iuſtitiæ, & Miſericordiæ Dei. 1. *Cor.* 14. *Illuminabuntur abſcondita tenebrarum.* *Ad* 1. Non erit ſolatium malorum videre aliena peccata. *Ad* 2. & 3. Peccata remiſſa apparebunt ad maiorem Dei gloriam. *Ad* 4. Non erit tunc contra Charitatem, reuelare peccata remiſſa: quia non ad vllam infamiam bonorum

Digitized by Google

norum, ſed ad ſolam Dei gloriam.

QVÆST. 3. *An omnia ab omnibus ſimul videnda ſint?* *Reſp.* Omnia ſimul: Vel in ſpeculo æterno, aut ex perfectione Deiformi intellectus, vel ex ſola vi Diuina transeunte, aut etiam in inferno ad pœnam permanentem.

*In primam Partem Diſt.* 44.

*ART.* 1. *Quid reſurget?*

QVÆST. 1. *An humores reſurgent?* *Reſp.* Quòd ſic: vt patet ex Reſurrectione, & conſecratione Sanguinis Chriſti. *Ad* 1. & 2. Non tantùm reſurgẽt quæ ſunt de eſſentia: ſed etiam quæ de perfectione & decore corporis humani. *Ad* 3. & 4. Humores diſponunt ad vitam. *Ad* 5. Non erunt contra ſtatum corporis glorioſi.

QVÆST. 2. *An capilli, vngues, & inteſtina reſurgent?* *Reſp.* Quòd ſic: ex 2. *Mach.* 14. *Matt.* 10. *Luc.* 12. Capillus de capite veſtro non peribit; quia ſunt de integritate aut decentia. *Ad* 1. Erunt ſaltem obiecta conſiderandi Sapientiam Dei. *Ad* 2. Inteſtina erunt plena ſpiritibus, non fæcibus. *Ad* 3. Capilli ſunt ex ſuperfluo ad nutritionem, non ad decentiam. *Ad* 4. 5. 6. Si arbores eſſent ſemper decoræ, ſemper haberent folia.

*ART.* 2. *Quid in quo reſurget?*

QVÆST. 1. *An caro quæ fuit in duobus, reſurgat in vno & in alio?* *Reſp.* Caro ab vno vt generante, reſurget in genito. Non poteſt autem eadem caro ſecundùm ſpeciem eſſe duorum: ex prouidentia Dei: ſed quæ eſt vnius ſecundùm materiam, reſurget in eo cuius fuerit ſecundùm ſpeciem: quæ plurium ſecundùm materiam, reſurget in primo. Hinc ad 1. 2. Coſta Adæ reſurget in Eua: ſanguis Virginis ex quo fuit Chriſtus, reſurrexit in Chriſto, &c. *Ad* 3. ex *Aug.* 2. *Ciu.* 20. *Enchir.* 88. Caro vnius ſecũdùm ſpeciem, ab alio comeſta, redit ad primum. *Ad* 4. Prior ordinatio eſt firmior: vt matrim. cum prima, firmius eſt quàm cum ſecunda. Vide in 2. d. 30.

QVÆST. 2. *An quodvis membrum reformabitur ex ſua propria materia?* *Reſp.* Ex propria, cuique membro ſufficiente. *Ezech.* 37. Acceſſerunt oſſa ad oſſa. Ad veram ac perfectam identitatem, & cuiuſque membri remunerationem. *Ad* 1. ex 22. *Ciuit.* 19. *Enchir.* 88. Vt ſat eſt ad eandem ſtatuam quòd refundatur ex eadem materia totius: ſic & de Reſur. quoad materiam ſuperfluam vni, non alteri membro. *Ad* 2. Deus ex qualibet parte materiæ facit quod vult: ſed non perfectè idem membrum, niſi ex eadem materia. *Ad* 3. Eadem anima animat ſingula membra: ſed variè mouet. *Ad* 4. Quod ſuperfluet vni membo, diffundetur per alia: nec poteſt eſſe nimis parum Deo ad reparandum totum.

*ART.* 3. *Qualia corpora reſurgent*

QVÆST. 1. *An corpora Electorum reſurgent cum aliqua deformitate?* *Reſp.* Non cum ipſa deformitate qualitatiua, aut quantitatiua: ſed cum ſubiecta & repartita materia. Ex *Aug.* 20. *Ciu.* 15. 22. *Ad Arg.* Vel cicatrices non reſurgent, vel non vt deformes, ſed decoræ.

QVÆST. 2. *An damnati reſurgent cum ſuis deformitatibus?* *Reſp.* Quòd ſic: non ex defectu, ſed perfectione ſapientiæ & iuſtitiæ Dei, ad finem etiam vniuerſi. Vt qui pingit diabolum turpiſſimum. *Ad* 5. Reſtituentur eis membra deficientia, vt in eis puniantur, in quibus ſaltem peccare cupierunt.

*In 2. partem Diſt.* 44. *De pœnis damnatorum.*

*ART.* 1. *An ſint?* QVÆST. 1. *An ſit Infernus, ſeu eius pœna æterna?* *Reſp.* Eſt de fide contra Origenem, &c. Ex *Eſa vlt. Matt.* 25. Ad decorem vniuerſi, & perfectionem iuſtitiæ: vt qui malitiâ quaſi æternâ peccarunt contra Bonum æternum, puniantur in æternum. Hinc *ad* 1. ex *Deut.* 25. Iuxta menſuram peccati, erit & plagarum modus. *Ad* 2. ex *Eſa.* 24. *Congregabuntur*, nunc ſucceſſiuè, *& poſt multos dies viſitabuntur*, extremo iudicio. *Ad* 3. ex *Matt.* 7. *Quâ menſurâ menſi fueritis, eadem remetietur vobis* .i. non æqualiter, ſed ſimiliter, aut proportionaliter, vt ſupra. *Ad* 4. ex *Iac.* 2. *Miſericordia ſuperexaltat iudicium* .i. ſuo tempore. *Ad* 5. Deus non punit damnatos vt corrigibiles, ſed vt incorrigibiles: non affectu vindictæ, ſed iuſtitiæ: quæ cum ipſe ſit, poteſt etiam dici vindicta ſuiipſius. *Ad* 6. Deus eſt tam iuſtus, quàm miſericors.

QVÆST. 2. *An infernus ſit ſub terra?* *Reſp.* Quòd ſic. Ex *Pſal.* 84. *Apoc.* 5. Deſcenſu Chriſti ad Inferos, *S. Greg. l.* 4. *Dial.* ipſoque nomine inferni, ac oppoſito loco beatitudinis. *Ad* 1. & 2. ex *Aug. l.* 12. *in Gen.* Non negat Infernum localem: ſed diſputat, & retractat, 2. *Retr.* 24. *Ad* 3. Pondus peccati eſt ſpirituale: ſed exigit etiam locum infimum. *Ad* 4. Cœlum non eſt plenum electis, niſi vt ſtellis: nec Infernus eſt incapax omnium damnandorum *Ad* 5. Medium totius orbis eſt infimum.

*ART.* 2. *Quæ ſint pœni Inferni?*

QVÆST. 1. *An ſit ibi verus ignis?* *Reſp.* Eſt verus ignis corporeus, & fortè elementaris, quamuis diuerſæ proprietatis. Ex ipſo *Aug.* 22. *Ciu.* 5. 11. &c. *S. Greg.* 4. *Dial.* 29. *Ad* 1. *Damaſc.* negat eſſe *talem, qualis apud nos eſt, ſed qualem Deus nouit:* quoad proprietatem, non naturam. *Ad* 2. Vt corpora erunt ibi eadem, & tamen immortalia, ſic & ignis. Nam ſi includatur cum ſulphure in vaſe, ex quo non poſſit euaporare, nunquam extinguetur. *Ad* 3. Ille ignis erit ex ſulphure & pice. *Eſa.* 34. *Apoc.* 14. Ideoque obſcurus & fumoſus. *Ad* 4. Poteſt eſſe eiuſdem naturæ cum noſtro, & habere diuerſas operationes, ſupra ſuam naturam. *Ad* 5. ex *Aug.* 12. *in Gen.* vt retractat de loco, ſic de igne.

QVÆST. 2. *An ſolus ignis puniat in Inferno?* *Reſp.* Non ſolus ignis, ſed omnia ſimul elementa: Ex *Matt.* 26. *Pſal.* 10. *Iob* 10. 24. *Sap.* 16. *Ad arg.* Omnia denominantur ab igne vt principali: nec ſeinuicem temperabunt; quia tunc non agent contra ſeinuicem, ſed ſimul in omnia corpora, vel ſucceſſiuè per partes.

*ART.* 3. *De actione ignis.*

QVÆST. 1. *An conſumet corpora damnatorum?* *Reſp.* Non conſumet, nec corrumpet eorum ſubſtantiam, ſed omnem diſpoſitionem conuenientem. *Eſa vlt.* & *Aug.* 21. *Ciu.* 2. 3. 4. De varijs exemplis naturalibus ignis inextinguibilis, Salamandræ in igne viuentis, ipſiuſque animæ ſine vlla ſui corruptione dolentis. *Ad arg.* Corrumpuntur continuò quoad omnem diſpoſitionem conuenientẽ,

non

Digitized by Google

non quæ inſit, ſed cuius priuatio continuatur.

QVÆST. 2. *An ignis inferni ſit afflictiuus ſpirituum?* Reſp. *Aliqui Philoſophorum negauerunt incorruptibile eſſe paſſibile: ſed iſte error eſt manifeſtus, &c. Ideo aliorum poſitio fuit, quòd ſubſtantia ſpiritualis dolere poteſt & pati: non per actionem alicuius, ſed potiùs per priuationem, &c. Sed ſi peccato Originali debetur pœna damni, actuali debetur etiam aliqua pœna afflictiua, &c. Ad quod credendum ſufficit Matt. 25.* Ite maledicti in ignem æternum, &c. *Sed quomodo id poſſit ratione perſuaderi? 1. Per ordinem Iuſtitiæ Diuinæ, non naturæ: vt qui ſubijciunt ſe corpori ad culpam, ei ſubijciantur ad pœnam. 2. Ex natura ipſius animæ, quæ poteſt pati in corpore ſine paſſione ipſius corporis. Sed credimus etiam ſpiritus angelicos igne cruciari: & quòd pœna illa ſit per veram ignis actionem, non per phantaſticam imaginationem. 3. Cùm non poſſit ſufficiens ratio ſumi ex parte Iuſtitiæ Diuinæ, nec ex parte ſolius animæ: ſic ſumi poteſt ab vtraq;.* Dolor ex *Aug. 14. De Ciu. cap. 15.* eſt diſſenſus ab his quæ nobis nolentibus accidunt. Ad quod naturaliter concurrit ex parte animæ patientis, cognitio, & deteſtatio: Ex parte ignis agentis, occaſio qua mouet animam ad ſui cognitionem; & adhæſio inſeparabilis, ad horrorem & timorem ignis incuſſum ordine Iuſtitiæ Diuinæ, non contra ordinem naturalem creaturæ ſpiritualis, quæ ſicut poteſt concipere amorem corporis cui vnitur, ſic & timorem, horrorem, & dolorem.

*Ad* 1. 2. 3. *Arg.* Actio & paſſio naturalis fit per contactum, non autem animalis. Hinc *Greg. 4. Dial. 29. Animæ ardent eò quòd ardorem vident:* non quòd viſio ſit tota cauſa ardoris, ſed perceptio ignis præſentis cum horrore generat dolorem; quia non eſt cognitio ſpeculationis tantùm, ſed potiùs experientiæ. *Ad* 4. 5. Vt ignis generat dolorem in anima coniuncta corpori, præbendo ei neceſſariam occaſionem agendi in ſeipſam, & patiendi à ſeipſa, ex *Aug. 6. Muſicæ cap.* 5. ſic & anima ſeparata. *Ad* 6. Dolor eſt potiùs ex impedimento operationis animæ, quàm ex corporis ſectione: vt patet ex paralyticis qui ſecantur ſine dolore. *Ad.* 7. Vt peccatum non corrumpit ſubſtantiam vel potentiam animæ, ſed ſolùm habilitatem ad gratiam: ſic ignis corrumpit habilitatem animæ ad gloriam, continuando eius priuationem.

*In* DIST. 45. *De diuerſis Animarum Receptaculis, ſuffragijs pro Defunctis, beatitudine Sanctorum, inuocatione Beatorum à nobis, & eorum interceſſione pro nobis.* Ex *Aug. Tract. 49. in Ioan. Enchir.* 10. 109. *& toto lib. De cura pro mortuis.*

Partitio & expoſitio Textus.

*ART. 1. De receptaculis animarum exutarum.*

QVÆST. 1. An Animæ Patrum ante aduentum Chriſti deſcenderint ad Lymbum? *Reſp.* Infernus infimus, eſt locus pœnæ æternæ ſenſus: Lymbus, locus pœnæ damni. In huius partem ſuperiorem, quæ à ſpe gloriæ dicebatur ſinus Abrahæ, deſcendebant animæ Patrum: in inferiorem, Animæ paruulorum ſine ſpe gloriæ, &c.

QVÆST. 2. An & quot ſint Animarum receptacula poſt aduentum Chriſti? *Reſp.* Sunt 4. Paradiſus cœleſtis, Infernus pœnæ æternæ damni & ſenſus, Lymbus pœnæ æternæ aut temporalis ſolius damni, & Purgatorium pœnæ temporalis Damni & ſenſus.

QVÆST. 3. An animæ aliquando exeant è ſuis receptaculis? *Reſp.* Non Damnatæ, niſi ad extremum iudicium: ſed Beatæ, ad nos; quia illæ, non hæ, ſunt ligatæ ad non operandum circa nos.

*ART. 2. De ſuffragijs viuorum pro defunctis.*

QVÆST. 1. An hæc ſuffragia proſint mediocriter bonis? *Reſp.* Proſunt animabus Purgatorij: quia & dignæ ſeu meritæ ſunt iuuari, & indigent. Ex 2. *Mach.* 12. *Aug. Enchir.* 10. praxi Eccleſiæ, &c. *Ad* 1. *Arg.* Non ſunt in ſtatu merendi, ſed ſoluendi. *Ad* 2. Meruerunt iuuari conditionatè, non abſolutè. *Ad* 3. Non culpa, ſed pœna minuitur eius ſolutione. *Ad* 4. Culpa non ideo remanet impunita in aliquo.

QVÆST. 2. An defunctis proſint ſuffragia per malos? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſic: quia ſupplet charitas Eccleſiæ, & defunctorum; ſed non credo, &c. niſi per bona opera Sacramentalia; vel iuſſu alicuius viui aut defuncti in charitate.

QVÆST. 3. An ſuffragia magis proſint ijs pro quibus fiunt, quàm alijs? *Reſp. Fuit opinio Præpoſitini, quòd quæuis magis proſint eis qui magis meruerunt, &c. Nec mos alius Eccleſiæ ſit, niſi quia fideles libentiùs ſuffragantur pro ſuis, quàm pro alijs. Sed iſtud non credo.* 1. Quia ex *Aug. De cura pro mortuis*, Prodeſt alicui ſepeliri in loco ſancto. 2. Quia ſuffragia fiunt ad ſoluendam pœnam; ergo plus proſunt pro vno, quàm pro pluribus, &c. *Ideo diſtinguendum eſt, quòd ſuffragia Eccleſiæ in communi plus proſint ijs qui magis meruerunt ijs adiuuari; ſed in ſpeciali plus proſint eis pro quibus fiunt. Ad* 1. 2. ex *Aug. Enchir.* 10. Plus proſunt ijs qui magis meruerunt, quantum eſt ex ſe: non autem ex intentione ſuffragantis. *Ad* 3. Qui citiùs meruerunt liberari ſuffragijs communibus, citiùs ijs liberantur. *Ad* 4. ex *S. Hier. De conſecr. diſt.* 5. Pſalmus vel Miſſa nil minùs prodeſt, ipſi videlicet ſuffraganti; pro centum quàm pro ſingulis.

*ART. 3. De ſuffragijs Beatorum.*

QVÆST. 1. An Beati orent pro nobis? *Reſp.* Quòd ſic. 1. Quia vident nos indigere. 2. Quia Deus vult nos ab eis iuuari. 3. Quia Chriſtus orat pro nobis: ergo & omnes beati ad eius imitationem. 4. Quia diligunt nos ex charitate. 5. Quia Eccleſia orat eos, vt orent pro nobis. *Ad* 1. *Arg.* Beati poſſunt & habent quicquid volunt pro ſeipſis: non pro, vel ab alijs. *Ad* 2. Sancti orando pro nobis non magis aſcendunt ad Deum, ſed potiùs deſcendunt ad nos. *Ad* 3. vt *ad* 1. Nec eſt de eſſentia Beatitudinis quicquid quis vult ſibi & alijs. *Ad* 4. Non oratur Chriſtus vt oret pro nobis: ad cauendum Arianiſmum. *Ad* 5. Orando petitur ipſe Spiritus S. vt donum.

QVÆST. 2. An Beati nobis aliqua impetrent? *Reſp.* Impetrant nobis multa bona. 1. Suis meritis præcedentibus. 2. Affectu amicitiæ ad Deum, & nos. *Ad* 1. 2. Meruerunt conditionatè exaudiri pro nobis, ſi orent. *Ad* 3. Sancti conformant ſe voluntati Dei orando pro nobis: quia vident quòd Deus decreuerit nos ſaluari per ſuas preces.

QVÆST. 3. An ſit nobis vtile orare ſanctos? *Reſp.* Quòd ſic: Quia Deus id ſtatuit. 1. Ob no-



Digitized by Google

ſtram inopiam in merendo, in contemplando, & in amando ſanctos aliquos ſenſibiliùs quàm Deum ipſum. 2. Ad gloriam ſeu Duliam Beatorum, per varia beneficia. 3. Ad maiorem Dei reuerentiam. Hinc ad tria Arg. *Ad* 4. Orationes noſtræ reuelantur Sanctis in Verbo, quatenus expedit ſaluti noſtræ. Angeli offerunt Deo petitiones noſtras, conſulendo eum qualiter ſe gerant erga nos. Inuocantur Sancti ſynecdochicè.i.eorum ſpiritus.

*In DIST. 46. De mitigatione pœnarum ex Iuſtitia & Miſericordia.*

Partitio & expoſitio Textus.

*ART. 1. De mitigatione pœnarum.*

QVÆST. 1. An per ſuffragia Eccleſiæ mitigentur pœnæ damnatorum? *Reſp.* Fuit poſitio *Præpoſitini* quòd ſuffragia proſint damnatis mediocriter malis: vel ad aliquam interruptionem, vel ad aliquam in infinitum remiſſionem, vel ad patientium fortificationem. *Sed iſta opinio non videtur poſſe ſtare, &c. Ideo eſt communior & verior, quòd ſuffragia non proſint damnatis, nec Eccleſia intendat orare pro eis.* Ex *Aug. Enchir.* 110. & ex illo Eccleſiæ: *In inferno nulla eſt redemptio.*

*Ad* 1. *Arg.* ex Aug. *Enchir.* 112. Proſunt ad tolerabiliorem damnationem purgatorij, non inferni. *Ad* 2. Pœna inferni non poteſt augeri, nec remitti: quia remiſſio eſt ex charitate. *Ad* 3. Eccleſia orat pro omnibus de quibus non conſtat eſſe damnatos. *Ad* 4. 5. Damnati extra charitatem, non ſunt capaces vllius fructus charitatis.

QVÆST. 2. An pœna damnatorum mitigetur poſt eius taxationem? *Reſp.* Non poſt, ſed antè, & in ipſa inflictione pœnæ minoris quàm poſſet exigi. Hinc *ad Arg.* vtrimque. Pœna excedit delectationem habitam, non demeritum culpæ.

QVÆST. 3. An Deus agat miſericordiùs cum vno, quàm cum alio? *Reſp.* Non affectu, ſed ſolo effectu: nec tam poſt hanc vitam, quàm in hac.

QVÆST. 4. An Deus iuſtiùs agat cum vno, quàm cum alio? *Reſp.* Iuſtiùs .i. ſeueriùs, non ordinatiùs. Hinc ad duo priora arg. *Ad* 3. Petrus non eſt magis dignus ſuo præmio, quàm Linus ſuo. *Ad* 4. Si remittit duo ei qui meruit ſex: remittit quatuor ei qui meruit duodecim.

*ART. 2. De concurſu Iuſtitiæ & Miſericordiæ. Alenſis p. 1. q. 39.*

QVÆST. 1. An in aliquo opere Dei ſit Miſericordia & Veritas? *Reſp.* Quòd ſic: quia eſt in ipſo opere creaturæ rationalis; ergo potiùs Dei. *Ad* 4. Non eſt in Deo Miſericordia compaſſionis, nec Iuſtitia debiti: ſed perfectionis ſine imperfectione. *Ad* 2. & 3. Miſericordia & Iuſtitia ſunt conditiones ipſius actus diuini, non operum eius. *Ad* 4. Deus dicitur & eſt iuſtiſſimus: non ab exceſſu, ſed acceſſu ad medium.

QVÆST. 2. An in eodem opere Dei ſit Miſericordia & Veritas? *Reſp.* In omni eodem, tam punitionis, quàm præmiationis. Ex *Pſal.* 24. Vniuerſæ viæ Domini Miſericordia & Veritas .1. Quia nil facit niſi ex affluenti Bonitate & Miſericordia, & ex condecentia ſuæ Bonitatis, ſeu Iuſtitia. 2. Quia non præmiat niſi benè meritos, ſed ſupra merita. 3. Quia non punit niſi ob demerita, ſed citra.

QVÆST. 3. An propriè in omni opere Dei ſit Miſericordia & Veritas? *Reſp.* In opere Iuſtificationis eſt Miſericordia, remittendo culpam & pœnam æternam: ſed Iuſtitia, in obligando ad pœnam temporalem, vel reſeruando aliquam pœnalitatem. Hinc ad arg.

QVÆST. 4. An Deus poſſit aliquem punire purè ex Iuſtitia: vel remunerare purè ex Miſericordia? *Reſp.* Non poſſe ab inuicem ſeparari: quia eſt perfectionis diuinæ miſereri & punire quantum decet. Nec Deus poteſt ſeipſum negare, 2. *Tim.* 2. *Ad* 1. Deus poteſt abſolutè non punire, pœnâ ſubſequente: non autem ordinatè ad culpam, nec pœnâ eam neceſſariò concomitante; quia ex *Aug.* 1. *Conf.* 12. Impoſſibile eſt dedecus culpæ ſine decore Iuſtitiæ. *Ad* 2. Deus eſt ſummè iuſtus, non per receſſum à Miſericordia, ſed ab iniuſtitia. *Ad* 3. Culpa non poteſt adæquatè puniri: quia ſubiectum non eſt capax pœnæ infinitæ, nec Deus poteſt ſuam Miſericordiam negare. *Ad* 4. Deus vt offenſus remittit, vt Iudex punit.

*In DIST. 47. De extremo Iudicio, eiuſq; modo ac ordine.*

Partitio & expoſitio Textus.

*ART. 1. De Iudicaturis & Iudicandis.*

QVÆST. 1. An Apoſtoli tunc iudicabunt? *Reſp.* Non vt Chriſtus, ferendo nec exequendo ſententiam, ſed conſedendo & approbando. Ex *Matt.* 12. 19. *Pſal.* 149. in honorem perfectionis Euangelicæ.

QVÆST. 2. An Angeli tunc iudicabunt? *Reſp.* Non niſi approbando & miniſtrando. *Ioan.* 5. *Matt.* 25.

QVÆST. 3. An omnes tam boni quàm mali iudicabuntur? *Reſp.* Omnes iudicio manifeſtationis, non diſcuſſionis, & condemnationis.

QVÆST. 4. An Angeli iudicabuntur? *Reſp.* Mali, iudicio condemnationis, non diſcuſſionis: Boni, iudicio retributionis accidentalis: Ad perfectionem iuſtitiæ diuinæ, & gloriam Chriſti. Ex 1. *Cor.* 6. Neſcitis quia Angelos iudicabimus?

*ART. 2. De igne conflagrationis.*

QVÆST. 1. An ignis ille erit elementaris? *Reſp.* Vt ad diluuium omnes aquæ: ſic credo quòd ad conflagrationẽ mundi omnes ignes concurrent.

QVÆST. 2. An virtus illius ignis erit naturalis? *Reſp.* Non quoad initium & finem illius conflagrationis, ſed quoad progreſſum.

QVÆST. 3. An ille ignis aſcendet vſque ad ſydera? *Reſp.* Non, ſed ad omnia corruptibilia. *Ad* 1. *Pet.* 3. Cœli ardentes ſoluentur .i. Aëreus, & Igneus. *Ad Matt.* 13. Stellæ cadent de cœlo .i. vapores igniti, è cœlo aëreo.

QVÆST. 4. An ille ignis præcedet vel ſequetur iudicium? *Reſp.* Præcedet ad purgationem Electorum, & ſequetur ad renouandum mundum, & cruciandum damnatos. Ex *Pſal.* 96. *Matt.* 13. *Ad* 1. *Theſſ.* 4. Vt tres pueri in camino ignis illæſi: ſic Electi illo igne purgabuntur, non conſumentur.

*In DIST. 48. De poteſtate & forma Iudicis, loco Iudicij, & ſtatu huius mundi poſt Iudicium.*

Partitio & Expoſitio Textus.

*ART. 1. De poteſtate & forma Iudicis.*

QVÆST. 1. An poteſtas iudiciaria Chriſti ſit ſecundùm Diuinitatem? *Reſp.* Principalis eſt ſecundùm Diuinitatem: commiſſaria, non delegata,

&

Digitized by Google

& ſententiæ latio, ſecundùm humanitatem. Ex *Ioan.* 5. Pater omne iudicium dedit Filio, &c.

QVÆST. 2. An Chriſtus apparebit malis in forma diuina? *Reſp.* Non niſi per ſigna certa ſuæ diuinitatis. Quia viſio Dei eſt Beatifica, *Ioan.* 17.

QVÆST. 3. An apparebit reprobis in forma glorioſa? *Reſp.* Illis ad confuſionem: ſed bonis ad conſolationem.

QVÆST. 4. An hora illius Iudicij ſit nota alicui creaturæ? Nulli viatori: ſed Deo, & Chriſto homini; an autem & Beatis, incertum eſt. *Ad Matt.* 24. De illo die & hora nemo nouit, neque Angeli, neque filius .i. Nec filius adoptiuus, nec Angeli inferiores, vel non notitiâ reuelabili.

*ART. 2. De renouatione & ſtatu mundi.*

QVÆST. 1. An corpora cœleſtia poſt Iudicium remunerabuntur? *Reſp.* Non vt meritoria, nec vt coniuncta, ſed vt relata ad meritum & præmium Beatorum. *Eſa* 30. Erit lux Lunæ ſicut lux ſolis: & lux ſolis lucebit ſeptempliciter.

QVÆST. 2. An corpora cœleſtia poſt iudicium quietabuntur? *Reſp.* Quieſcent in illo ordine in quo creata ſunt: quia tunc motus habebit finem intentum.

QVÆST. 3. An elementa poſt iudicium innouabuntur? *Reſp.* Non quoad ſubſtantiam, ſed quoad actiones & paſſiones corruptiuas. Ad *Matt.* 24. Cœlum & terra tranſibunt. 1. *Cor.* 7. Præterit figura huius mundi .i. in perfectius.

QVÆST. 4. An poſt iudicium plantæ & bruta innouabuntur? *Reſp.* Non: quia ſunt tantùm ad vſum temporalem Viatorum.

*In 1. partem Diſt. 49. De differentia Beatorum, & damnatorum, deq; appetitu Beatitudinis, ac diſparitate cognitionis & gaudij inter Beatos.*

Partitio Textus.

*ART. Vnicus. De Beatitudine.*

QVÆST. 1. Quid ſit? *Reſp.* Obiectiuè, eſt ipſe Deus vt bonum infinitum: formaliter, eſt influentia beatifica Dei in animam. Hinc *ad* 1. & 2. De obiecto & fine ſatiante. *Ad* 3. Ex Boëtio: *Beatitudo eſt ſtatus omnium Bonorum aggregatione perfectus* .i. eminenter. *Ad* 4. Perfectio accidentalis poteſt eſſe maior ſubſtantiali, quoad benè eſſe: maximè ſi ſit ſupernaturalis. *Ad* 5. Beatitudo dicit habitum in actu.

QVÆST. 2. An omnes appetant Beatitudinem veram? *Reſp.* Omnes naturaliter: quia ſunt eius capaces. *Ad* 1. 2. 3. Omnes habent cognitionem & appetitum veræ Beatitudinis, vt boni ſufficientis in genere, non in ſpeciali: idque vel per cognitionem & experientiam propriæ indigentiæ, vel per ſpeciem innatam, vel vt charitas eſt cognoſcibilis à carente, in 1. *diſt.* 17. *art.* 1. *q.* 4. *Ad* 4. Beatitudo appetitur ſub ratione commodi proprij creaturæ rationali.

QVÆST. 3. An homo ſit ſubiectum Beatitudinis? *Reſp.* Sola anima eſt eius ſubiectum inhæſionis: ſed corpus eſt ſubiectum redundantiæ. *Ad* 1. Aug. 19. *Ciu.* 3. dicit hominem eſſe beatum ex bonis animæ & corporis, ſecundùm Tullium. *Ad* 2. Deus factus eſt homo vt totum hominem beatificaret, de congruo: quia hic eſſet beatus perfectâ viſione Dei, etſi Deus non eſſet incarnatus. *Ad* 3. Beatitudo continet gaudium de bonis corporis. *Ad* 4. Anima meretur in corpore. *Ad* 5. Miſeria non eſt ſubiectiuè niſi in natura rationali. *Ad* 6. Corpus reſurgit ad redundantiam Beatitudinis.

QVÆST. 4. An Beatitudo ſit in anima ſecundùm ſubſtantiam, vel potentiam? *Reſp.* Primò ſecundùm potentiam. *Ad* 1. *Arg.* Anima priùs viuificatur actu primo: ſed potentia, actu ſecundo. *Ad* 2. Beatitudo eſt vna in pluribus potentijs, vt vniuntur ſub ratione Imaginis: Sicut anima eſt vna in pluribus organis, ſanitas eſt vna in pluribus membris. De qua vnitate gratiæ, *in* 2. *diſt.* 26. *q.* 5.

QVÆST. 5. An actus beatificus inſit homini ſecundùm omnes potentias? *Reſp.* Omnes vires quæ habent per gratiam actum in Deum, habebunt per gloriam actus perfectos. Vis rationalis tunc videbit apertè, Concupiſcibilis diliget perfectè, Iraſcibilis tenebit continuè & certè. Fruitio appropriatur Tentioni: ſed complectitur iſta tria. *Ad Arg.* Hi tres actus ſunt ita connexi, vt ſub vno intelligantur tres: ſed viſio diſtinguit potiùs ſtatum patriæ, à ſtatu viæ.

QVÆST. 6. An omnes habeant æqualem Beatitudinem? *Reſp.* Non formalem, ſed obiectiuam. *Ioan.* 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. 1. *Cor.* 15. Vt ſtella differt à ſtella: ſic, &c. Hinc *ad* 1. & 2. De eodem denario *Matt.* 24. *Ad* 3. Nullus participat Deum in ſummo ſimpliciter, ſed in ſummo ſibi. *Ad* 4. Linus æquè gaudet de bono Petri ac de ſuo: ſed Petrus plus gaudet de bono Lini, quàm Linus ipſe; quia habet plus charitatis.

*In 2. Partem DIST. 49. De maiori Beatitudine poſt Iudicium, quàm ante.*

Partitio Textus.

*ART. 1. De Gloria Corporali in genere.*

QVÆST. 1. An gloria corporis ſit de eſſentia Beatitudinis? *Reſp.* Non, ſed auget gaudium extenſiuè, & intenſiuè, remouendo impedimentum. *Vnde non facit ad augmentum præmij eſſentialis principaliter, ſed ex conſequenti.* Vt *Magiſt. Hier. Aug. Bern.* ex appetitu naturali corporis ab anima. *Ad* 1. & 2. Non erit gaudium de maiori bono, ſed maius. *Ad* 3. Beati obliuiſcuntur ſui, quoad amorem priuatum. *Ad* 4. Amor Dei abſorbet amorem corporis: non vt non ſit, ſed ne præualeat. *Ad* 4. Si amor corporis impedit, eò magis præſentis: ſi carentia amati impedit, præſentia eius aufert impedimentum. *Ad* 5. Spiritus eſt liberior ſine vnione aut affectu ad Corpus: ſed non cum affectu ſine vnione.

QVÆST. 2. An gloria corporis ſit à gloria animæ? *Reſp.* Diſpoſitiuè eſt à dotibus glorioſis: conſummatiuè, ab anima glorioſa.

*ART. 2. De diſtinctione dotum.*

QVÆST. 1. An ſint 4. dotes corporis glorioſi? *Reſp.* Sunt 4. Claritas, Impaſſibilitas, Subtilitas, Agilitas. Ex *Sap.* 3. Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Et ex cauſis, præcipuè materiali 4. elementorum perficiendorũ.

QVÆST. 2. An dotes æqualiter ſint in omnibus? *Reſp.* Non, ſed plus minuſue poſitiuè, non priuatiuè.



Digitized by Google

*ART.* 3. *De ſenſuum remuneratione.*

QVÆST. 1. An in patria omnes ſenſus habeant actus ſuos? Non omnes, ſed ſenſus viſus, & tactus, & fortè auditus: quia reliqui non habent ibi ſua obiecta, nec media. *Ad* 1. Erit delectatio omnium ſenſuum per animæ redundantiam, non per propriam experientiam.

QVÆST. 2. An ſenſus glorificati cognoſcant per receptionem ſpecierum? *Reſp.* Non per emanationem ſpecierum ab anima, nec per emiſſionem virtutis ad obiectum, ſed per receptionem ſpecierum ab obiectis. *Ad* 1. ex *Aug.* 6. *De Muſica.* Obiectum non debet eſſe nobilius ſimpliciter organo in quod agit: Nec minus perfectum agit vi propria in perfectius ſe.

*ART.* 4. *Sub 2. principali, De dote impaſſibilitatis.*

QVÆST. 1. An corpus glorioſum ſit paſſibile ab intrinſeco? *Reſp.* Non, quia non erunt tunc actiones & paſſiones corruptiuæ inter elementa.

QVÆST. 2. An corpus glorioſum ſit paſſibile ab extrinſeco? *Reſp.* Non vlla actione aut paſſione corruptiua: ex dotibus glorioſis.

*ART.* 5. *De dote Claritatis.*

QVÆST. 1. An corpora glorioſa ſint luminoſa? *Reſp.* Sunt colorata, & luminoſa: vt carbones igniti, &c. *Matt.* 13. Fulgebunt iuſti, &c.

QVÆST. 2. An animæ glorioſæ poſſint ſuorum corporum claritatem oſtendere, vel occultare? *Reſp.* Poſſunt, ſua ſubtilitate.

*ART.* 6. *De dote ſubtilitatis.*

QVÆST. 1. An corpus glorioſum poſſit omne aliud penetrare? *Reſp.* Poteſt ſuâ ſubtilitate.

QVÆST. 2. An copus glorioſum ſit palpabile? *Reſp.* Poteſt palpari, alterando vel reſiſtendo: & non palpari, penetrando.

*ART.* 7. *De dote Agilitatis.*

QVÆST. 1. An ſit in Beatis? *Reſp.* Eſt, ad eorum perfectionem, & expeditionem.

QVÆST. 2. An agilitas inclinet corpus glorioſum ad omnem differentiam poſitionis? *Reſp.* Inclinat, ad omnem animæ intentionem.

*In 1. Partem DIST. 50. De ſtatu futuro damnatorum.*

*ART.* 1. *De malitia voluntatis.*

QVÆST. 1 An damnati velint ſe peccaſſe. *Reſp.* Volunt habitu, non actu: vt hîc timor ſeruilis aufert actum malum, non habitum; ſic illi nolunt peccaſſe ex diſplicentia pœnæ, non culpæ. *Ad* 1. Viuit in eis voluntas peccandi, ſed non exit in actum. *Ad* 2. Voluntas eſt inuertibilis habitu, non actu. *Ad* 3. Motus bonus præmiatur in ſimili, malus in dolore diſſimili. *Ad* 4. Gratia gratis data eſt neceſſaria ad abſtinendum à peccato: quia eſt contra Deum, aut quia eſt iniquum, non quia læſiuum. *Ad* 5. Habent ſtimulum pœnitudinis, non correptionem voluntatis. *Ad* 6. Mala voluntas eſt eis pœnalis, non demeritoria. *Ench.* 111

QVÆST. 1. An damnati malint non eſſe, quàm ſic eſſe? *Reſp.* Malunt inordinatè, ad effugiendam Iuſtitiam Dei: eſtque malendum affectu commodi, non honeſti. *Ad* 1. ex 3. *de libr. arb.* 7. Non eſſe, peius eſt intenſiuè: damnatum eſſe, extenſiuè. *Ad* 2. Non datur electio aut prælectio deſiderij, ſed fugæ, inter mala. *Ad* 3. Vera natura magis refugit pœnam æternã, quàm momentaneã.

QVÆST. 3. An damnati velint omnes eſſe miſeros? *Reſp.* Mallent omnes eſſe miſeros, quàm ſe ſolos: ex odio, & inuidia. *Ad* 1. ex *Luc.* 6. Id ex amore priuato. *Ad* 2. Mallent etiam ſuos eſſe damnatos, quàm aliquos eſſe beatos. *Ad* 3. Non delectantur multitudine damnatorum, ſed cruciantur ex inuidia ſalutis aliorum. *Ad* 5. Vt ægri appetunt ſibi noxia, ſic & damnati.

*ART* 2. *De excæcatione.*

QVÆST. 1. An in inferno erunt tenebræ corporales? *Reſp.* Erunt luce permixtæ: ad deſolationem & horrorem. *Matt.* 22. Proijcite eum in tenebras exteriores.

QVÆST. 2. An erunt tenebræ ſpirituales, cognitionis? *Reſp.* Erunt tantæ, vt damnati nihil cognoſcant niſi ad proprium cruciatum. *Sap.* 2. *Eccli.* 9.

QVÆST. 3. An erunt tenebræ ſpirituales, memoriæ? *Reſp.* Erunt tantæ, vt nullius recordentur ad conſolationem, ſed deſolationẽ. *Eccli.* 11. *Luc.* 16.

*In 2. Partem DIST. 50. De eorum ſtatu præſenti.*

*ART.* 1. *De cognitione animæ ſeparatæ.*

QVÆST. 1. An habeat vſum potentiæ ſenſitiuæ? *Reſp.* Non, ſed ſolo intellectu percipit omnia intelligibilia, imaginabilia, & ſenſibilia. *Ad* 1. ex *Luc.* 16. Lingua illa Epulonis non erat niſi imaginaria, in eius memoria intelligibili. *Ad* 2. Senſus interiores animæ non ſunt niſi ipſe intellectus, vt apprehendit ſenſibilia. *Ad* 3. Anima ſeparata eſt liberior quoad potentiam actiuam: ſed caret paſſiua ſenſitiua. *Ad* 4. Eodẽ intellectu noſcit ſpiritualia & materialia, abſentia & præſentia.

QVÆST. 2. An animæ ſeparatæ cognoſcant ea quæ circa nos geruntur? *Reſp.* Non per propriam conſiderationem, niſi fortè ad nos mittantur: ſed tantùm per coniecturam, vel reuelationem. Ex *B. Aug. lib. De cura pro mortuis cap.* 15.

QVÆST. 3. An Beati & damnati ſe mutuò cognoſcant? *Reſp.* Illi cognoſcunt hos & eorum pœnam, in ſpeculo Eſſentiæ Diuinæ, ad ſuam & Dei maiorem gloriam: hi cognoſcunt illos, & eorum gloriam in confuſo, vel ſuo oppoſito, ad ſuam maiorem pœnam. Ex *Pſal.* 57.

*ART.* 2. *De Verme damnatorum.*

QVÆST. 1. An ſit materialis? *Reſp.* Non, ſed ſpiritualis. Ex *B. Aug.* 20. *Ciu.* 22. in *Eccl.* 7. Vermis eorum non moritur. *Ad Arg.* Ignis eſt potiùs materialis, quam vermis: quia hic procedit ab intra ad extra; ille ab extra ad intra.

QVÆST. 2. Quid ſit ille vermis? *Reſp.* Eſt remorſus conſcientiæ, ortus vt vermis ex putrefactione peccati, & corrodens id ex quo oritur per repugnantiam ſyndereſis naturalis, & obſtinationem liberæ voluntatis. Quia ſynderèſis non eſt in illis extincta quoad remurmurationem: ſed quoad ſtimulationem ad bonum, & reuocationem à malo.

QVÆST. 3. An vermis ille ſit inuariabilis? *Reſp.* Quòd ſic: quia damnati iuſto Dei iudicio ſemper recordabuntur omnium peccatorum ſimul, vt de omnibus ſimul & continuè torqueantur.

*In hunc Epilogum Magiſtri.*

*Hæc de pedibus ſedentis ſuper ſolium excelſum, &c.* S. BON. Incipit Magiſter à facie Maieſtatis in libro 1. Decurrit per media in 2. & 3. Terminat in pedibus ſeu imis, in 4. &c. FINIS.



Digitized by Google

In *DIST.* 43. QVÆST. 1.

*An Reſurrectio generalis hominum ſit futura?*

ART. 1. De eius poſſibilitate. *A n.* 2. refert opinionem *S. Thomæ in* 4. *d.* 4. *q.* 1. Quòd ſi homo haberet animam ſenſibilem diſtinctam à rationali, non reſurgeret eadem anima ſenſibilis, nec idem animal: quia putat eſſe interruptum non poſſe idem numero reſtitui. *Contra* 1. Aug. 22. *Ciu.* 20. Si nulla carnis materia manſiſſet: ſi vellet, eam repararet Omnipotens. 2. Poteſt quid creari ex nihilo: ergo & recreari. 3. Entitas totius hominis eſt cauſata ex corpore & anima, vt in 3. *d.* 3. *q.* 1. & tamen reſtituetur eadem numero, vt ſit idem homo. 4. Eſt idem eſſe numero continuæ durationis: ergo poteſt eſſe idem interruptæ; quia continuatio non eſt de eius eſſentia. 5. Sic Deus non poſſet reproducere idem numero brutum, plantam, vel accidens. 6. Eſſe animæ rationalis non eſt totale hominis, vt ſupponit.

*A n.* 8. Refert opin. *Ægidij*, quòd idem numero non poſſit reproduci niſi a Deo, ſine motu & mutatione. *Contra.* Deus etiam mutat reſuſcitando: poteſtque idem numero produci alio & alio modo, æquiuocè & vniuocè, ex *Aug.* 3. *Trin. &c.* N. 10. *Ad iſtum Art. dico, quòd hæc poſſibilitas eſt ex Omnipotentia Dei, & poſſibilitate obiecti.*

ART. 2. De facto. N. 11. Eſt Articulus fidei, ex Symbolo Apoſt. Nicæno, & Anaſt. *Ioan.* 5. 11. 20. 21. *Matt.* 25. 1. *Cor.* 15. 1. *Theſſ.* 4. 2. *Mach.* 12. *Ad* 1. *Arg.* Salomon ibi loquitur pro & contra. *Ad* 2. *Iob.* 14. Negat futuram Reſurr. donec atteratur cœlum: quoad ſuas influentias. *Ad* 3. De mente *Philoſ. q.* 3. *Ad* 4. Idem compoſitum poteſt reproduci ſine eadem vnione: ſed redibit eadem vnio relatiua. *Credo enim B. Virginem habere eandem relationem ad filium.*

QVÆST. 2. An id poſſit noſci ratione naturali?

N. 4. Poſſet, ſi hæ tres propoſitiones eſſent naturaliter notæ. 1. Anima intellectiua eſt forma ſpecifica hominis. 2. Eſt incorruptibilis. 3. Non manebit perpetuò extra corpus. *A n.* 5. *ad* 26. refert, diſcutit & corrigit varias probationes harum trium propoſitionum.

*A n.* 26. Reſoluit. Dico ergo quòd illarum trium propoſitionum, prima ſit naturaliter nota, & error Auerrois ſit peſſimus, quòd intellectus ſit ſubſtantia ſeparata operans in nobis tantùm mediantibus phantaſmatibus, &c. Sed aliæ duæ non ſint ſufficienter notæ ratione naturali, licet ad eas ſint quædem perſuaſiones probabiles: ad ſecundam quidem, plures & probabiliores; ad tertiam autem, pauciores, vt à futura Dei iuſtitia, &c. Poſſet enim actus bonus eſſe ſuiipſius præmium, & malus pæna: nec ratio conuincit aliam iuſtitiam Dei retributiuam. *N.* 8. Breuiter ergo, nec à priori per rationem principij intrinſeci, nec à poſteriori per aliquam operationem aut perfectionem hominis poteſt neceſſariò probari reſurrectio lumine naturali; nec eſt omninò certa niſi per fidem. Hinc cùm Apoſt. eam primò prædicaret, *Act.* 17. *&* 26. viſus fuit noua dæmonia nunciare, & inſanire. *Aug.* 13. *Ciu.* 9. Vix pauci magno ingenio præditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem peruenire potuerunt.

*Ad* 1. *Arg. à n.* 1. Ex deſiderio naturali immortalitatis animæ & corporis, 2. *Cor.* 5. *Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri*: non poteſt illud approbari, niſi probetur eſſe de poſſibili, & ordinatè appetibili ſecundùm inclinationem naturalem, & rectam rationem. Poſſet enim hic appetitus naturalis eſſe ad continuandam ſpeciem, non indiuidua: vel ad continuandam vitam pro ſingulis nunc, non autem in infinitum. Vnde & bruta videntur ita fugere mortem, & appetere continuationem vitæ. *Ad* 2. Ex appetitu naturali Beatitudinis: non conſtat niſi ex fide hanc eſſe æternam, & totius hominis. *Ad* 3. Ex fine ſeu Beatitudine finali hominis: non conſtat lumine naturali hanc eſſe poſſe, aut futuram æternam. *Ad* 4. Ex integritate vniuerſi: poſſet integrari per continuam ſucceſſionem indiuiduorum. Ad aliud *S. Thomæ à n.* 6. Ab intellectione immateriali hominis, ad talem animam: poſſet quis proteruire quòd ex *S. Thoma* intelligere ſit tantùm pati, & quòd ſpirituale & immateriale ſit valdè ambiguum. Ideoque conuincendus eſſet ex noſtra actione & operatione formali ac experimentali intelligendi omnia ſpiritualia ac inſenſibilia; & ex libertate volendi quælibet etiam oppoſita.

Ad aliud *S. Thomæ & Richardi à n.* 13. ex varijs dictis Philoſophi pro immortalitate animæ: poteſt dici quòd variè & dubiè loquatur, nec vnquam certò, ſed probabiliter, &c.

Ad illud *Henrici & S. Thomæ à n.* 29. pro certa reunione animæ ſeparatæ: Poteſt negari ſtatum illum animæ eſſe imperfectum aut violentum; quia appetitus animæ ad corpus poteſt dici perfectus per ſpecies in eo acquiſitas.

QVÆST. 3. *An natura poſſit eſſe cauſa actiua Reſur.*

*A n.* 2. Reſurrectio ex *Damaſc. l.* 4. *c.* 19. eſt eius quod cedit & diſſolutū eſt, ſecunda ſurrectio.

ART. 1. An aliquid corruptibile poſſit idem numero naturaliter reproduci. 2. An hoc idem mixtum corporis humani. 3. An huic eadem anima reuniri.

*Ad* 1. *Art. B. Aug.* 12. *Ciu.* 13. refert ac reprobat opinionē quorundam Phil. quòd poſt 36000. annorum omnia eadem reproducentur, ex reuolutione omnium corporum cœleſtium ad eundem ſitum. Quia eſt contra ſacram Script. Nec illud *Eccli.* 1. Nil ſub ſole nouum: eſt de identitate numerica, ſed de ſimilitudine, aut prædeſtinatione æterna. Nec motus cœleſtes ſunt ſic reuolubiles. Nec eadem cauſa efficiens ſufficit ad identitatem effectuum. Nec motus cœleſtes ſunt cauſæ totales, nec neceſſariæ, nec partiales actuum liberorū.

2. Opinio, quòd ſit impoſſibile idem numero reproduci. Ex *Ariſt.* 5. *Phyſ. In prædic. Ethic.* 6.

3. Opinio. Quòd non omnia, ſed aliqua poſſint naturaliter eadem reproduci numero. Ex 8. *Metaph.* 3. Si agens idem, & materia eadem, effectus erit idem.

*Ad* 2. *Art. n.* 12. Opinio tertia videtur probabilior, &c. Quia non apparet cur natura non poſſit idem numero reproducere, vt ſol eundem radium. Ad *Ariſt.* pro ſecunda opin. Non negat vniuerſaliter. A priuatione ad habitum non eſt reditus, immediatè. Ad rationes: poteſt eadem integra materia redire: vel cur non ex eius parte eadem forma reproduci? Nec ſi productio poteſt



Digitized by Google

eſſe ſine producto, ſequitur quòd hoc productum non poſſit eſſe ſine hac productione. Nec perit potentia ad actum cum ipſo actu: poteſtque eadem reproduci. Nec ideo eſt potentia ad præteritum vt præteritum, ſed vt poſſibile.

*Ad Art.* 2. *n.* 19. Eſt abſolutè poſſibile naturæ reproducere idem corpus mixtum: ex tertia opin. ſed non eodem modo quo reproducetur. Quia poteſt eadem integra materia reduci ad eandem formam ſeminis, &c. Sed Deus reproducet idem corpus immediatè.

*Ad* 3 *Art. n.* 21. Videtur *Henrico*, quòd anima poſſit tali corpori diſpoſito reuniri à natura. Sed contra ex *Aug. q.* 2. *ex* 83. Cauſa æquiuoca eſt perfectior ſuo effectu & paſſo. Nec forma & efficiens ſunt idem numero. Nec diſpoſitio corporis neceſſitat agens ad vnionem animæ rationalis, niſi ex illius vollunrate conditionata.

*Ad* 1. *Arg.* à *n.* 1. Non omnis potentia paſſiua habet ſuam actiuam naturalem. *Ad* 2. Quod poteſt aliquid diſſoluere, non poteſt ſemper reunire. *Ad* 3. Poteſt negari eandem materiam poſſe integram manere, vel redire.

Qvæst. 4. *An reſurrectio ſit naturalis?*

*A n.* 2. Naturale actiuè, opponitur ſupernaturali, & libero, 2. *Phyſ.* paſſiuè, violento, & neutro, &c. *n.* 4. Violentum eſt cuius principium eſt extra, non conferente vim paſſo, 3. *Ethic.* Sed ſola hæc paſſio eſt eſſentialis violentiæ: vnde & eius ſtatus eſt violentus.

N. 5. Reſurrectio paſſiua non eſt violenta, ſed naturalis, ſeu ſecundùm inclinationem naturalem ad ſuam formam: ſed eſt ſupernaturalis ab Agente ſupra totum ordinem naturæ. Reſuſcitatio actiua non eſt naturalis, ſed libera, & ſupernaturalis.

Qvæst. 5. *An reſurrectio ſit futura in inſtanti?*

N. 3. Angeli recolligent partes corporum celerrimè, ſed ſucceſſiuè. Ex *Matt.* 24. 1. *Theſſ.* 4. *Aug.* 20. *Ciu.* 20. N. 2. Deus inſtantaneè reformabit corpora, ſolo motu inſtantaneo condenſationis & rarefactionis, vel etiam ſucceſſiuo aëris penetrati vel vacui, naturaliter cedentis vel ſuccedentis. *n.* 7. Sed animabit ſeu reuniet animam toti corpori ſimul diſpoſito eodem inſtanti: non per mutationem, quæ ſupponeret priuationem priorem tempore in corpore diſpoſito; ſed per ſolam actionem & paſſionem, quæ ſupponit ſolam prioritatem naturæ. Nec anima rationalis poteſt vniri niſi in inſtanti: vel eodem, toti corpori; vel diſcretis, per partes corporis. *n.* 10. Ex 1. *Theſſ.* 4. & *Aug.* 20. *Ciu.* 19. & 20. non videntur omnes eodem inſtanti reſurrecturi: ſed priùs præmortui; deinde ſuperſtites rapiendi obuiam Chriſto, & in ipſo raptu morituri, ſubitòque reſurrecturi. *n.* 11. Vel ſinguli reſurgent ſeorſim ſuis locis: vel omnes ſimul in, circa, aut ſupra vallem Ioſaphat, ipſa hora Reſurrectionis, vel mortis Chriſti; non autem propriè noctu, ſed tempore incerto. 1. *Theſſ.* 5. N. 13. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3, & 4. Singula permanentia habent ſuum proprium æuum indiuiſibile, quo durare poſſunt cum tempore, ſed non habent proprios terminos ſuæ durationis: ideoque in reſurrectione non dantur duo inſtantia immediata; alterum quo prius corpus corrumpatur; alterum quo humanum reformetur, &c. Ex *lib.* 2. *diſt.* 4. *q.* 1. 2. 3. 4

*In DIST.* 44. *Quæſt.* 1.

*An in quolibet homine reſurget totum quod in eo fuit de veritate naturæ humanæ?*

*A n.* 3. *Art.* 1. Qualiter caro in continua nutritione maneat eadem vel non? 2. Quomodo maneat eadem in Reſurrectione?

*Ad* 1. *Art.* Eſt opinio Magiſtri, 2. *d.* 30. illud tantùm eſſe de veritate naturæ humanæ quod contrahitur à parentibus: nec illud augeri conuerſione alimenti, ſed tantùm multiplicari, vt panes Euangelici. *Contra.* Bruta & plantæ verè nutriuntur, & creſcunt ex alimento conuerſo: ergo & corpora humana, &c. *n.* 5. Alia opinio Henrici, quòd caro primò genita creſcat ex ſola materia alimenti, & priori forma eiuſdem carnis genitæ: vt omnes partes eiuſdem corporis animantur eâdem animâ rationali. Ex illo *Ariſt.* Caro ſecundùm ſpeciem non augetur, ſed ſecundum materiam: & illa manet, hæc fluit & refluit. *Contra.* Forma carnis non eſt indiuiſibilis, nec indiuiſibiliter informat, vt anima rationalis: nec poteſt tota ſimul plures partes informare, nec de vna in aliam tranſire. *N.* 7. *Concl.* 1. Ad hunc Art. In nutritione non fit generatio ſimpliciter entis per ſe: ſed vera ingeneratio ſeu adgeneratio ſubſtantialis. *Concl.* 2. Per nouam formam carnis in noua materia. *Concl.* 3. Pars in, & adgenita eſt ſimilis priori in tota forma; ſed imperfectior ex ſe ad ageudum, & reſiſtendum corruptioni, vel ex remiſſiori forma ſubſtantiali, vel ex imperfectioribus qualitatibus. *Concl.* 4. Pars minor, minuſque actiua quàm vt poſſit ex ſe in ſuo toto agere, & reſiſtere ſuæ corruptioni, dicitur pars ſecundùm materiam, ſeu fluida, non tamen ſine forma: pars autem potens ex ſe ad agendum, reſiſtendum & conſeruaddum ſe in ſuo toto, dicitur pars ſecundùm ſpeciem & formam conſtantem. *n.* 11. Hinc ad Arg. Henrici. Nec obſtat huic nutritioni & augmento quædam præuia iuxta & intra poſitio alimenti, in, & adgererati, vt *col.* 425. 427.

*A n.* 15. Ad Art. 2. *Concl.* 1. Suppoſito quòd omnes partes quæ fuerunt aliquando animatæ eadem anima rationali, ſint de veritate naturæ eiuſdem hominis: non reſurget in quolibet quicquid fuit de veritate naturæ eius; quia nimis multæ tales partes fluxerunt, & refluxerunt. *Concl.* 2. Quilibet reſurget ex partibus prioribus, purioribus, vel magis intentis ad augmentationem, & ſufficientibus ad ſtatum perfectum corporis. Nec habebit præciſè totam eandem carnem, quam ſimul tota vita, vel vllo eius inſtanti habuit: ſed partes quas aliquando habuit; ſicque erit magis idem Corpus, quàm ex eadem materia vnquam ſimul habita.

*A n.* 18. *Ad* 1. *Arg. n.* 1. Coſta illa Adæ erat ei ſuperflua, vel fuit alia reſtituta. *Ad* 2. & 3. Nunquam idem erit de veritate aut identitate duorum: vel reſurget in priore, & ſupplebitur in alio. Ex *Aug. Enchir.* 85. & 22. *Ciu.* 22. 23. *Ad* 3. Reſurrectio erit eiuſdem totius, non preciſè omnium earundem partium. Ex *Aug. Enchir.* 88. Hinc ad *Luc.* 21. capillus de capite veſtro non peripit .i. quoad numerum & quantitatem decentem.

Qvæst. 2. *An ignis infernalis cruciet malignos ſpiritus?* *A n.* 3. *S. Thomas* dicit quòd cruciet eos ex

Digitized by Google

ex apprehenſione ignis vt diſconuenientis, ſicut in ſomnijs,&c. *Contra.* Sic non cruciarentur ab igne, ſed à ſeipſis, vel à Deo eos fallente. *n.* 4. Henr. dicit, quòd ſubijciantur igni per quendam habitum. *Contra.* Nec poſſunt ſubijci per habitum ſpiritualem, nec corporalem, &c.

*A n.* 5. *ad* 14. Ad quæſt. dico ex *Aug.* 14. *Ciu.* 15. quòd dolor carnis eſt offenſio animæ ex carne, ſeu ab eius paſſione diſſenſio : dolor animæ, ſeu triſtitia, eſt de his quæ nobis nolentibus accidunt, &c. Dolor carnis non poteſt ineſſe ſpiritibus, &c. quia potentia ſenſitiua eſt Totius ex corpore & anima. Triſtitia eſt ex obiecto apprehenſo & nolito vt diſconueniente : Ignis autem inferni vt inſtrumentum Dei ad continendum Dæmones diffinitiuè, & ad mouendum ac occupandum eorum intellectum obiectiuè, eſt obiectum ab eis ſummè nolitum, ex ſuperbia ac odio Dei, & ſummè apprehenſum vt diſconueniens ſuæ libertati ac intellectui ; ideoque eos grauiſſimè contriſtat & cruciat. Ex *Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo. B. *Aug.* 21. *Ciu.* 10. Cur non dicamus quamuis miris, veris tamen modis ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi ?

*A n.* 14. *ad* 17. Inæqualitas triſtitiæ eſt ex inæquali apprehenſione & nolitione.

*A n.* 17. *Ad* 1. *Arg. ex Aug.* 12. *in Gen.* 29. Agens vt agens eſt præſtantius paſſo vt tali : vel agens principale. *Ad* 2. Ex eodem. Spiritus afficiuntur immediatè ſolis ſimilitudinibus corporum: ſed ex ipſis corporibus. *Ad* 3. Agens eſt præſens virtualiter patienti. *Ad* 4. Agens principale ſeu Deus aſſimilat paſſum ſuo decreto.

QVÆST. 3. *An homines damnati, poſt Iudicium cruciabuntur igne infernali ? Matt.* 25.
Ite maledicti in ignem æternum.

*A n.* 2. *Ad Quæſt.* Dico 1. Ignis poterit tunc habere in corpora actionem realem, & intentionalem. *N.* 3. Dico 2. Sola actio intentionalis ſufficeret ad dolorem, non ſola realis : quia nimium ſenſibile vt tale infert dolorem ſenſui ; non autem actio realis ſine eius ſenſu. *n.* 4. Dico 3. Videtur probabilius futuram ſolam actionem intentionalem ignis. 1. Quia hæc ſola poteſt ſufficere ad dolorem. 2. Quia eſſet minus miraculum vitam conſeruari cum tali dolore, quàm eum qualitatibus vitæ contrarijs. 3. Ex *Aug.* 21. *Ciu.* 3. Non eſt conſequens vt mortem faciat, quòd dolorem facit, &c. Cuius rationis eſt, dolorem facere mortis argumentum, cùm ſit vitæ indicium ? 4. *Iob* 24. Tranſibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium .i. patientur vtrumque ſimul. *n.* 7. Dico 4. Non eſt certa ratio negandi actionem realem : quia poſſet Deus non coagere ad corruptionem corporum, vel in eis corruptis vitam conſeruare. *Contra.* 3. Beati non paterentur intentionaliter ab illo igne. *Reſp.* Quia vel nullum ſenſibile excedit eorum perfectionem ſenſitiuam : vel quia eorum appetitus ſenſitiuus eſt præuentus perfecta delectatione indeficibili.

*In DIST.* 45. *Quæſtio* 1.
*An anima ſeparata poſſit intelligere quidditates ſibi ante habitualiter notas ?*

*A n.* 2. *ad* 5. Supponit, ac colligit poſſe, per ſpecies intellectuales, & memoriam intellectualem : Ex *lib.* 1. *diſt.* 3. *q.* 6. *lib.* 2. *d.* 3. *q.* 10. *S. Hier.* Prologo in Biblia : *Diſcamus in terris, quorum nobis ſcientia remanebit in cælis.*

*Contra* 1. Vnde anima moueretur vel determinaretur per vnam ſpeciem potiùs quàm per aliam, vel per omnes ſimul ? 2. Intellectio ſine phantaſmate eſt perfectior : ergo non ſpecies ex phantaſmate. 3. Species intelligibilis non ſufficit in nobis ſine phantaſmate : ergo nec in anima ſeparata. 6. Intelligere eſt propria operatio totius : ergo non partis. *Ad* 1. Determinaretur ab aliqua potiori operatione intellectus, vel motione obiecti, vel etiam ex applicatione voluntatis. Vt in 1. *d.* 3. *q.* 6. *ad* 3. *Ad* 2. Poteſt eſſe perfectior : ſed non eſt inde perfectior niſi accidentaliter. *Ad* 3. Id non eſt niſi ex neceſſaria connexione potentiarum inferiorum & ſuperiorum in operando : vel ad perfectionem ſpeciei intelligibilis ex ipſo phantaſmate : Vt *in* 1. *d.* 3. *Ad* 4. Eſt propria operatio totius : ſed ſecundùm perfectiſſimam eius formam ſeparabilem à corpore. *Ad arg. ex Ariſt. n.* 1. Poſſunt intelligi pro hoc ſtatu, vel quoad acquiſitionem ſpecierum, non quoad omnem vſum.

QVÆST. 2. *An anima ſeparata poſſit acquirere cognitionem alicuius priùs ignoti ?*

*A n.* 3. *ad* 12. Refert ac reprobat opinionem S. Thomæ in 4. *d.* 50. *q.* 1. & *Henrici Quodl.* 10. 12.13. quòd non ab ipſis obiectis, ſed à ſolo Deo, vel per Angelos. *Contra.* 1. Hoc ſuperfluit. 2. Eſt contra perfectionem animæ rationalis, &c. vt *in* 1. *d.* 3. & *in* 2. *d.* 3.

*A n.* 12. Ad quæſtionem ergo dico, quòd anima ſeparata poteſt acquirere cognitionem abſtractiuam, & intuitiuam obiecti priùs ignoti : quia habet intellectum agentem ac poſſibilem, habetque obiecta præſentia ad cognitionem intuitiuam, & eliciendam ſpeciem intelligibilem pro cognitione abſtractiua.

*A n.* 14. *ad* 1. *Arg. n.* 1. Vnio animæ ad corpus eſt ad perfectionem totius, potiùs quàm partium. *Ad* 2. Non eſt neceſſarius tranſitus à ſenſibili ad intelligibile, per imaginabile ſeu phantaſma, niſi pro hoc ſtatu. *Ad* 3. Neceſſaria eſt intellectui præſentia proportionata obiecti.

QVÆST. 3. *An anima ſeparata poſſit recordari præteritorum ?*

*A n.* 3. *Art.* 1. An memoria actus præteriti ſit in parte ſenſitiua. 2. An in parte intellectiua. *Ad* 1 *Art. à n.* 8. *ad* 13. Licet probabiliter actus Brutorum poſſent ſaluari, non ponendo in eis propriè memorationem, ſed ſolùm cognitionem imaginatiuam obiecti quod eſt præteritum, non vt præteritum : quæ tamen videmus in actibus eorum faciliùs ſaluantur ponendo in eis memoriam. *Ad* 2. *Art. à n.* 17. Dico ergo quòd in intellectiua & memoria eſt actus recordandi propriè dictus, &c. Quia poteſt recordari multorum obiectorũ proximorum, quorum non poteſt ſenſitiua recordari : vt, omnis intellectionis & volitionis præteritæ ; aliàs non poſſet de malis pœnitere, nec vnam ad aliam conferre, &c. Poteſt & recordari obiectorum remotorum quæ ſunt ſolius intellectus, &c. *n.* 20. Ad quæſt. ergo patet, quòd cùm in anima coniuncta
ſit

Digitized by Google

ſit memoria intellectiua, manet inſeparata, &c. Breuiter ergo, omnium quorum poteſt recordari coniuncta, poteſt & ſeparata: quia quorumcumque fuit memoria ſenſitiua, fuit & intellectiua, &c.

*A n.* 21. *Ad* 1. *arg.* Concedo in homine memoriam ſenſitiuam: ſed & intellectiuam. *Ad* 2. Recordatio non eſt huius vt huius, ſed vt tunc exiſtentis & præſentis. *Ad* 3. Beati recordantur peccatorum, ad gaudium, non ad triſtitiam. Poteſt & Deus in eis delere memoriam peccatorum, vel ſuſpendere omnem eius actum, aut ſolum effectum triſtitiæ, per plenitudinem gaudij.

QVÆST. 4. *An Beati cognoſcant orationes quas offerimus?* N. 2. *ART.* 1. An naturaliter. 2. An ſupernaturaliter. 3. An orent pro nobis. *Ad* 1. *Art.* Poteſt anima ſeparata intuitiuè noſſe omnem noſtram orationem vocalem & mentalem, ex diſtantia proportionata: vt ſupra *q.* 2. *& in* 2. *d.* 9. *q.* 2. contra Thomiſtas, 1. *p. q.* 57. *a.* 4. Ad 2 Art. *n.* 4. *Non eſt neceſſe ex vi Beatitudinis, vt Beatus videat orationes noſtras, nec in Verbo, nec per reuelationem, &c. Tamen quia congruum eſt eum eſſe coadiutorem Dei in procuranda ſalute Electorum, eo modo quo ſibi competere poteſt: & ad id requiritur ei reuelari orationes quæ ei offeruntur, &c. Ideo probabile eſt quòd Deus Beatis reuelet de orationibus ſibi vel Deo in eorum nomine oblatis.* Ad 3. Art. n. 4. *Beati orant ſemper habitualiter & generaliter pro omnibus Electis: ſed actualiter & ſpecialiter pro eis à quibus ſciunt ſe actu inuocari, &c. ſiue ſciant eos ſaluandos ſeq; exaudiendos, ſiue non ſciant. Ad* 1. *arg. n.* 7. ex *Pſ.* 63. Abraham neſciuit nos, &c. i. nec notitiâ naturali, nec reuelatione ſpeciali; quia adhuc erat in Lymbo. *Ad* 2. Nil eſt in mente quòd non æquè appareat Angelo aut animæ ſeparatæ ſatis præſenti, nec impeditæ, ac albedo præſens ſenſui. Solus autem Deus intuetur ſecreta cordiũ, 3. *Reg.* 8. i. omnium, ex ſe neceſſariò, & vt Iudex. *Ad* 3. Beati orando non merentur ſibi, ſed nobis.

*IN DIST.* 46. QVÆST. 1. *An in Deo ſit Iuſtitia?*

*A n.* 2. Iuſtitia ex *Anſelm. De verit.* 22. eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata. Ex *Ariſt.* 5. *Ethic.* 3. eſt rectitudo ad alterum, &c. Vel vt ad legiſlatorem, & hæc eſt iuſtitia vniuerſalis, ſeu legalis: vel ad alterum vt priuatum, & hæc eſt iuſtitia particularis: vel eſt ad alterum ſimpliciter, vel ad ſe quaſi ad alterum; illa ſubdiuiditur in iuſtitiam commutatiuam ad aliquam æqualitatem, & in diſtributiuam ad aliquam proportionem. *n.* 4. Illa non poteſt eſſe in Deo erga creaturas, ſed hæc. *N.* 5. Sic ergo poteſt in Deo reduci ad duo. 1. Vt eius iuſtitia ſit rectitudo vt condecens ſuæ voluntati. 2. Vt ſit rectitudo, ad exigentiam creaturarum. Ex *Anſ. Proſol.* 10. Cùm punis malos, iuſtum eſt, quia aliorum meritis congruit: cùm parcis malis, iuſtum eſt, quia tuæ Voluntati & Bonitati condecens eſt. *N.* 7. In Deo non eſt niſi vnica iuſtitia re & ratione: ſed ſunt plures, ſeu plura iuſta in creaturis. Quia voluntas Diuina non habet rectitudinem inclinantem ad aliud à ſe, &c. Sed eſt quædam iuſtitia ſeu exigentia inter creaturas, vt ſint tales ſecundùm ſuas naturas.

*Contra* 1. Deus non dirigitur nec inclinatur iuſtitiâ: ergo non eſt in eo virtus iuſtitiæ. 2. Voluntas Dei non poteſt diſcordare ab Intellectu. 3. Si iuſtum eſt Petrum ſaluari: ergo iniuſtum eſt damnari. *Ad* 1. Iuſtitia Dei concordat primo principio practico: Deus eſt diligendus. *Ad* 2. Intellectus Dei non dictat hoc eſſe agendum: ſed Voluntas determinat. Vel intellectus dictat naturaliter: voluntas vult liberè. *Ad* 3. Petrum ſaluari non eſt tam iuſtum, quin poſſit damnari condecenter ad Voluntatem Dei.

*N.* 12. *Ad* 1. *arg.* principale. Iuſtitia Dei ſimpliciter, non eſt niſi ad ſeipſum. *Ad* 2. Dubium eſt an iuſtitia ſit virtus diſtincta formaliter à voluntate, vt eius regula: vel ſit ipſa voluntas ſub ratione primæ regulæ ſeipſam determinantis. *Ad* 3. Deus nil debet ſimpliciter niſi ſuæ Bonitati: creaturis autem nonniſi ex liberalitate. Vt *Pſal.* 41. Iuſtitiâ plenâ eſt dextera tua.

QVÆST. 2. *An in Deo ſit Miſericordia? Reſp. n.* 2. Eſt in Deo, quoad nolitionem miſeriæ alienæ: non quoad compaſſionem. N. 3. Vt *Aug.* diſtinguit in Deo velle antecedens, & conſequens: ſic & nolle, ex 1. *Tim.* 2. Vult omnes ſaluos fieri. N. 4. *Ad* 1. *arg.* Miſericordia eſt compaſſio de malo alieno: ab hoc effectu in nobis, non in Deo. *Ad* 2. Deus vt Miſericors non infert miſeriam, niſi ex recta ratione, & aliqua miſeratione.

QVÆST. 3. *An in Deo diſtinguatur Miſericordia & Iuſtitia?*

*N.* 2. *Ad quæſt.* Si in Deo eſt duplex illa Iuſtitia ſupra, Miſericordia eſt quædam pars Iuſtitiæ, iuſtitiæ, ſeu illius condecentiæ; quia decet eum miſereri: ſi autem eſt vnica, habet pro primo obiecto Bonitatem Dei, eiuſque condecentiam; miſericordia autem habet pro obiecto miſeriam creaturæ, &c. Hinc iuſtitia in Deo ex ſuo obiecto eſt prior miſericordiâ.

*N.* 3. *Ad* 1. *Arg.* Dicuntùr duæ res ſecundùm quid. *Ad.* 2. Concedo quòd vt in Deo Intellectus non eſt formaliter Voluntas: ſic nec Iuſtitia eſt formaliter miſericordia, vel ècontra, &c. Quæ enim in Deo vnitiuè continentur, hoc ipſo diſtinguuntur, &c. vt *in* 1. *d.* 2. *q.* 7. *d.* 8. *q.* 4. *et alibi.*

QVÆST. 4. *An in punitione malorum concurrat Iuſtitia Dei cum miſericordia?*

*A n.* 4. *Art.* 1. Quæ ſit punitio malorum? 2. An ſit à Deo? 3. An ex iuſtitia? 4. An ex miſericordia? *Ad* 1. *Art.* Punitio eſt perceptibilis carentia boni commodi, & honeſti, conuenientis naturæ intellectuali: vel præſentia oppoſiti mali diſconuenientis, &c. Vt ſupra *d.* 44. *q.* 2. 3. *Ad* 2. *Art. n.* 6. Deus non eſt cauſa poſitiua obſtinationis, ſeu culpæ continuatæ, vt nec commiſſæ: ſed tantùm negatiua, ex primo vel etiam continuo demerito damnatorum. Nec eſt cauſa poſitiua, ſed tantùm negatiua pœnæ damni. Eſt tamen cauſa poſitiua omnis pœnæ poſitiuæ.

*Ad* 3. *Art. n.* 4. Hæ omnes pœnæ ſunt ex iuſtitia Deum condecente, & ex varia & iuſta exigentia culpæ.

*Ad* 4. *Art. à n.* 14. Concurrit hìc cum iuſtitia, miſericordia citra condignum parcens, non liberans. Ex *Pſal.* 24. *V*niuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. *Iac.* 2. Miſericordia Domini ſuperexaltat iudicium. Quia eſt perfectius ex iuſtitia

ſtitia & miſericordia, quàm ex ſolo iuſtitia: nec hæ perfectiones inter ſe repugnant, moderando ſuos effectus intra ſuam latitudinem.

*Ad* 1. *Arg.* ex *Aug. q.* 3. Nullo ſapiente Authore fit homo deterior .i. quoad culpam: nec pœna facit peccatorem deteriorem. *Ad* 2. ex *Deut.* 25. Secundum modum delicti, erit & plagarum modus. Pœna æterna pro culpa temporali eſt iuſta. 1. Quia peccans exponit ſe periculo peccati æterni. 2. ex *Aug.* 21. *Ciu.* 11. Quia damnati viuunt in æternum in ipſa culpa. Nec æternitas pœnæ eſſet neceſſaria ad iuſtam punitionem culpæ: niſi ex tali decreto Dei. *Ad* 3. Pœna æterna non eſt medicina curatiua, nec præſeruatiua ipſorum damnatorum, ſed aliorum. *Ad* 4. ex *Iac.* 2. De iudicio ſine miſericordia .i. liberante. *Ad* 5. ex *Apoc.* 18. Quantùm ſe glorificauit, tantùm date, &c. non æqualiter, ſed proportionatè.

*In DIST.* 47. QVÆST. 1.

*An ſit futurum Iudicium vniuerſale?*

*A n.* 3. *Reſp.* Iudicium generaliter accipitur pro quacumque certa notitia, &c. *n.* 4. Sed hoc Iudicium, eſt completa & authentica determinatio intellectus & voluntatis Dei, reddendi alicui ſecundùm ſua merita. Hinc eſt approbatiuum, vel condemnatiuum. *n.* 5. Hoc ſenſu erit iudicium generale. Ex ſola fide ac ſacra Script. non autem ratione, niſi congrua. 1. Ad ſeparationem finalem bonorum à malis. 2. Ad manifeſtam Dei iuſtitiam, &c. *n.* 6. Hoc iudicium conſtabit præuiâ omnium meritorum ac demeritorum promulgatione, ſententia, & executione: vel mentaliter, inſtantaneè, aut celerrimè; vel potiùs etiam vocaliter, & ſucceſſiuè, in, circa, & ſupra vallem Ioſaphat. Ex *Ioel.* 3. Adducam omnes gentes in vallem Ioſaphat & diſceptabo cum eis. *n.* 8. *Ad* 1. *Arg.* ex *Ioan.* 5. *Nunc iudicium eſt mundi.* i. ad eiectionem diaboli. *Ad* 2. ex *Naum* 1. Non puniet Dominus bis in idipſum: ſed poſt ſingulorum iudicium, erit generale omnium. *Ad* 3. ex *Pſal.* 1. Non reſurgent iniqui in iudicio .i. ad bonum.

QVÆST. 2. *An mundus ſit purgandus per ignem? Reſp. n.* 1. Illa conflagratio, & per eam purgatio, *Pſal.* 96. 2. *Pet.* 3. multipliciter eſt poſſibilis, &c. *n.* 3. Videtur probabiliùs, quòd vapores aëris poterunt igniri: & illa ignitio ſucceſſiua poteſt dici conflagratio & purgatio, &c.

*In DIST.* 48. QVÆST. 1.

*An Chriſtus in forma humana iudicabit?*

N. 7. *Ad* QVÆST. Iudicabit in forma humana: non tamen ſecundùm naturam humanam principaliter, ſed commiſſariè, ſupremè. Quia Iudicare principaliter, eſt completè determinare, intellectu ex ſe certo, & voluntate ex ſe efficaci, quod eſt proprium ſolius naturæ diuinæ: ſed proprium eſt naturæ humanæ Chriſti non dependere ab aliena perſona. Hinc ad varia *Arg.*

QVÆST. 2. *An in Iudicio vel poſt ceſſabit omnis motus cœli? n.* 3. Negat *Ariſt. n.* 6. Theologi communiter affirmant. Ex *Iſa.* 60. Non erit ibi amplius ſol ad lucendum per diem. *Apoc.* 10. Poſt hoc, tempus amplius non erit. Et ex fine omnis generationis ac corruptionis. *n.* 8. *Ad* QVÆST. Poteſt dici, quòd nec Philoſophus, nec Theologus probat neceſſariò ſuam concluſionem, &c. Quid ergo? Prima pars videtur probabilior per rationem: ſecunda, licet non expreſsè habeatur in Scriptura, magis videtur concordare cum dictis Sanctorum & Scripturæ. Pro prima, Virtus infinita primi Motoris ſufficit ad mouendum ex ſe in infinitum: & aliæ virtutes ex vi illius. Pro ſecunda, Voluntas Dei contingenter mouet aut non, nec motus Cœli eſt ei naturalis, nec violentus, &c. pro & contra. Inter quæ *n.* 14. deridetur authoritas Iſidori adducta ex *lib.* 4. *cap.* 5. Quòd Sol & Luna ſtabunt in ordine ſuo, *Habac. vlt.* i. quaſi in loco in quo creata ſunt: ne impij ſub terra fruantur eorum luce. Non enim ſic ſunt ſub terra, ſicut aliqui imaginantur Antipodes.

*In DIST.* 49. QVÆST. 1.

*An Beatitudo per ſe conſiſtat in operatione?*

QVÆST. 2. *An immediatiùs perficiat Eſſentiam, vel Potentiam?* Ad hanc 2. *n.* 3. dicit *Henr. quodl.* 13. quòd priùs Eſſentiam, per illapſum obiecti beatifici, & quandam conuerſionem amantis in illud, vi amoris: ſed non percipiatur niſi per intellectum. *Contra n.* 5. Non eſt nouus illapſus Dei niſi obiectiuè: ergo priùs in potentiam ad operandum, quàm in Eſſentiam vt ſic. *N.* 6. Eſſet prior actu, quauis operatione Beati: ergo poſſet eſſe in dormiente. Nec Deus eſt Beatus per illapſum identitatis ſecum ipſo. *N.* 7. Nec illa conuerſio metaphorica in amatum, eſt per eſſentiam, ſed per amorem. *N.* 8. Nec eſt tam ex redundantia eſſentiæ in potentiam, quàm potentiæ in eſſentiam. *N.* 9. Nec illapſus ille perficit formaliter eſſentiam, ſed potentiam, per actum aliquem primum & 2. Nec Beatitudo eſt proxima perfectio entitatiuè in actu primo, ſed ſumma in actu 2. quamuis accidentalis. *N.* 10. Nec illapſus ſeu præſentia intima, prior obiectiua, perficit aut beatificat. *N.* 11. Nec gratia diſponens ad gloriam afficit & perficit immediatè eſſentiam, ſed potentiam. Vt *in* 2. *diſt.* 26. *N.* 12. Eſtque maius bonum habere Deum videndo & fruendo, quàm ſolùm intimè præſentem. Nec poteſt eſſe Beatitudo, ſicut nec miſeria, ſine perceptione obiecti. Nec denique Philoſophi aberrarunt ab ipſo ſubiecto, vel forma Beatitudinis, ſed ab obiecto.

*N.* 13. *Ad Quæſt.* ergo dico, &c. quòd Beatitudo non conſiſtit principaliter in eſſentia; quia nihil eam perficit niſi actus primus, qui poteſt eſſe ſine operatione, &c. *N.* 14. Quòd ſi Beatitudo ſit vna eademque perfectio eſſentiæ, & potentiæ, eſt principaliùs in potentia: quia potentia non eſt accidens exiſtentiæ, per quam beatitudo illi inſit; ſed ſiue ſit perfectio vnitiuè contenta in eſſentia, ſiue quædam pars ipſius eſſentiæ, hæc non reciperet beatitudinem ſine potentia, ſed potentia ſine eſſentia, ſi abeſſe poſſet. *N.* 16. Et quamuis potentia eſſet accidens, poſſet primò ei ineſſe beatitudo. Vt pleraque accidentia inſunt primò quantitati. Nec *Ariſt.* 4. *Metaph:* negat accidens accidere accidenti, niſi de diſparatis.

*N.* 17. *Ad* 1. *Arg.* Beatitudo non eſt ſimpliciter nobiliſſima perfectio: ſed inter actus ſecundos. *Ad* 2. Creatura intellectualis beatificatur per accidens .i. formaliter aliquo accidente. *Ad replicam:*

N nn Poteſt

perueniente poſt Matrimonium: non tamen vt Epiſcopi in alijs Papæ proprijs aut reſeruatis.

Cùm autem valor diſpenſationum pendeat à poteſtate & intentione diſpenſantis: De illa ſatis conſtat dogmaticè, ex poteſtate ligandi & ſoluendi quæcumque vincula, iuriſdictione ordinaria, commiſſaria, vel delegata *Matt.* 16. 18. de hac autem moraliter conſtare poteſt. 1. Ex iure communi, præcipuè *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *De Reform.* Cui intentio Diſpenſantis cenſenda eſt conformis.

*Si quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrim. contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idq; in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit: ſiquidem ſolemnitates in contrahendo Matrimonio neglexerit, iiſdem ſubijciatur pœnis; non enim dignus eſt qui Eccleſiæ benignitatem experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs eum eo, & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis Matrimonijs, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò: idq; ex cauſa, & gratis concedatur. In* 2. *gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.*

Quòd ſolet extendi ad contrahentes ſcienter cùm quouis impedimento dirimente, ex identitate rationis & finis: ne attententur & conſummentur Matrimonia inualida, ex præſumptione diſpenſationis futuræ. Vnde ſatis patet copulam inter tales habitam, non eſſe cauſam diſpenſandi, ſed potiùs non diſpenſandi: nec tam exigi eius expreſſionem ad faciliorem diſpenſationem, quàm ad difficiliorem: contra plurimorum abuſum, conſummandi, & allegandi aut fingendi, vel exigendi à talibus confeſſionem copulæ, quaſi neceſſariæ aut facilitantis diſpenſationem. Qui ſenſus erroneus eſt, & Eccleſiæ ſcandaloſus.

2. Ex conuenientia Iuris Ciuilis cum Canonico, in diſtinguendis tot gradibus lineæ rectæ quot ſunt perſonæ vnâ minùs: differentia autem in gradibus lineæ tranſuerſæ; quòd Ius Ciuile diſtinguat tot gradus quot ſunt perſonæ diſtantes à ſtipite; ſed Ius Canonicum diſtinguat tot gradus lineæ tranſuerſæ æqualis, quot ſunt paria æqualiter diſtantia à ſtipite; lineæ autem inæqualis, quot perſona remotior incluſiuè, diſtat à ſtipite excluſiuè. Quia Ius Canonicum ordinat ſingula paria vtriuſque ſexus ad Matrimonium: ſed Ius Ciuile ſingulos ſucceſſores ad hæreditatem.

3. Ex quodam Motu proprio *Pij* 5. *ab anno* 1566. *die* 26. *Aug.* quo decreuit ac declarauit, ad impetrandam diſpenſationem non eſſe neceſſariam expreſſionem gradus propinquioris, ſed tantùm remotioris: *obtentis tamen poſtea litteris declaratorijs ſuper propinquiori*; non tam ad valorem Matrim. quàm contra periculum ſcandali in foro exteriori. Dummodo neuter ſit proximus ſtipiti: *quia ſua Sanctitas in eo nunquam diſpenſare intendit* .i. inter vllum diſtantem etiam 4. gradu à ſtipite, cum fratre aut ſorore ipſius ſtipitis.

4. Ex ipſa forma & praxi ordinaria diſpenſandi, ſiue in occultis pro ſolo foro interno, ſiue in publicis pro foro externo. Pro occultis in foro interno, ſufficit diſpenſatio ſecreta Pœnitētiariæ per Confeſſarium, cui ſolet inſcribi, *Diſcreto viro Confeſſori, Theologiæ Magiſtro, vel Decretorum Doctori*: Quem quidam putant debere eſſe talem publicè graduatum; ſed cùm tales diſpenſationes ſoleant à quibuſuis Confeſſarijs ſub ſecreto ſigilli procurari, non videntur dirigi ad alios quàm ad ipſos Confeſſarios, nec ad aliorum cognitionem, quamuis ſupponantur eſſe tales.

Pro publicis autem & foro externo, neceſſaria eſt etiam diſpenſatio publica. Sed ad quamlibet validam, neceſſaria eſt diſtincta expreſſio ſimul plurium impedimentorum ſimilium & diſparatorum, quæ ſe-inuicem non includunt: vt ſunt cognationes paternæ ſimul & maternæ; conſanguinitas & affinitas, &c. Nec videtur ſufficere expreſſio & diſpenſatio plurium ſeorſim: quia ſimul conferunt longè grauiorem difficultatē diſpenſandi, quàm ſeorſim. Ex motiuis autem diſpenſandi, pendet diſpenſantis intentio, eiuſque rationabilis interpretatio. De quibus & alijs principijs practicis totius iuris ac diſpenſationis, tam in communi, quàm in hac & qualibet materia particulari, ſuo loco & tempore ex noſtro *Al.* 3. *p. S. Bon. Scot.* & alijs, *in* 3. *ſent.*

*OBLIGATIO.* 10.

Non contrahendi Matrimonium, nec eo vtendi, niſi ex aliqua ſaltem virtuali vel implicita intentione alicuius finis proprij & intrinſeci, Matrimonialis & Sacramentalis, ſub fine vltimo ac extrinſeco: quamuis etiam ex aliqua cointentione, & motiuo etiam principali maioris boni communis vel priuati, imò & motu ſenſibiliori minoris boni, vt honoris, diuitiarum, pulchritudinis, ipſiuſque delectationis carnalis; non tamen excludēdo bona propria Matrimonij, nec eis minora præferendo, ſed his ad illa vtendo ſeu referēdo. Quia excluſio finis proprij, & præferentia minoris boni eſt inordināta: non autem ſubordinatio & coordinatio plurium finium bonorum inter ſe, ad maius bonum; nec maior motio à minori bono, ſed ſenſibiliori, ob noſtram à ſenſibus & ſenſibilibus mobilitatem ac dependentiā, quamuis ſine præferentia voluntaria. *In* 2. *Sent.*

Hinc quidem multa fidelium Matrimonia poſſunt excuſari à graui culpa: ſed inexcuſabiles ſunt, qui ſcienter contrahunt in ſtatu peccati mortalis: quantò potiùs qui contrahēdo peccant mortaliter, ſiue ſola peruerſa intentione, ſiue contra obedientiam Eccleſiæ, vel parentum, ſiue quouis alio abuſu huius Sacramenti? Nec eos præuia confeſſio & Communio Sacramentalis excuſat: ſed triplicati ſacrilegij accuſat, indignè recipiendo & violando tria ſimul Sacramenta, per obicem gratiæ, & impœnitentiam actualem. Contra quos & plurimos alios abuſus huius Sacramenti, tot leges latæ ſunt, vt vix recenſeri poſſint: Nec tamen ſufficiunt ad coercendum tantæ libidinis impetum: quantominùs ad corrigendum, dirigendum, & erigendum affectum ac intentionem, à materia tam lubrica huius Sacramenti, ad ſignificationem, ſanctificationem, & finem eius ſpiritualem? Niſi præueniente, comitante & ſubſequente gratia actuali: imò & mediante, permanente, ac præualente inter coniuges ipſa Charitate Dei.

*FINIS de Sacramentis.*



Digitized by Google

## *In Diſt. 43. De Reſurrectione & Iudicio finali.*

*ART. 1. De Reſurrectione.*

QVÆST. 1. *An ſit futura?* *Reſp.* Eſt de fide: Ex *Iob* 19. *Ioan.* 11. & ex ipſa Reſurrectione Chriſti. Ad quam eſt etiam inclinatio naturalis inter corpus & animam, ad perfectionem totius hominis, & ipſius Vniuerſi. *Ad* 1. ex *Iob* 14. *Homo non reſurget donec atteratur Cælum*: quoad apparentiam, non quoad ſubſtantiam. *Ad* 2. ex 1. *Cor.* 15. *Caro & ſanguis* .i. carnales quoad corruptionem & malitiam, non quoad ſubſtantiam, *Regnum Dei non poſſidebunt.* *Ad* 3. Inſtrumentum ſeparatum bonorum operum, non fit particeps mercedis: ſed vnitum & intrinſecum, quale eſt corpus humanum. *Ad* 4. Corpus non impedit animam: ſed vitium corporis. *Ad* 5. Sententia mortis non fuit diffinitiua, ſed quaſi interlocutoria. *Ad* 6. Anima reunietur corpori: non ſic reprobi damnati, Deo; quia hi non habent inclinationem voluntarium ad Deum, ſicut illa habet naturalem ad corpus.

QVÆST. 2. *An ſit futura vniuerſalis?* *Reſp.* Vt mors erit omnium, ſic & Reſurrectio. Ex *Ioan.* 5. 1. *Cor.* 15. &c. *Ad* 1. ex *Dan.* 12. *Multi euigilabunt* .i. omnes. *Ad.* 2. ex *Ioan.* 6. Chriſtus promittit ſolis bonis Reſurrectionem ſalutarem. *Ad* 3. Purgatorium non eſt ſtatus, ſed tranſitus animarum: Infernus eſt ſtatus æternus damnatorum. *Ad* 4. Reſurrectio animæ eſt tantùm ad bonum gratiæ: ſed corporis, etiam ad malum pœnæ æternæ. *Ad* 5. Vt animæ paruulorum fuerunt infectæ ex ſuo corpore, ita & eidem reſtituentur.

QVÆST. 3. *An erit omnium ſimul, vel ſucceſſiuè?* *Reſp.* Simul, non ſucceſſiuè. Ex 1. *Cor.* 15. *In momento, in ictu oculi, &c.* *Ad* 1. Animæ reſurgunt ſucceſſiuè ad gratiam in via: ſed corpora ſimul in fine. *Ad* 2. Anima Chriſti non fuit diu ſeparanda à Corpore, vt aliæ. *Ad* 3. & 4. Meliores non debent citiùs quàm alij reſurgere: quia interim habent ſuum præmium eſſentiale.

QVÆST. 4. *An omnium corpora reſurgent eadem numero?* *Reſp.* Quòd ſic. 1. Ex *Iob* 19. *In carne mea videbo Deum, &c.* 2. Quia alioquin non eſſet vera reſurrectio, niſi eiuſdem numero. 3. Quia vt omnes formæ materiales educuntur ex materia, ſic & corrumpuntur in materia: ergo & inde poſſunt à Deo reduci ad idem eſſe; ſed non à cauſis naturalibus, quia non agunt niſi immiſcendo aliquid noui ex ſe. Hinc *ad* 1. & 2. *Ad* 3. Immortalitas corporum poſt reſurrectionem, non eſt differentia eſſentialis. *Ad* 4. Actiones diuerſæ non ſunt neceſſariò ad diuerſos terminos: nec ſucceſſio durationis diſtinguit numero rem abſolutam.

QVÆST. 5. *An erit naturalis vel miraculoſa?* *Reſp.* Non naturalis, ſed ſupra naturam: quia quamuis ex aliqua inclinatione naturali, non tamen ex vi naturæ. *Ad* 1. *Iob* 14. & 1. *Cor.* 15. Comparatur germinationi ligni præciſi, & grani mortui. à minori ad maius .i. Si hæc ſunt naturaliter poſſibilia, quanto magis reſurrectio ſupernaturaliter? *Ad* 2. ex *Aug. lib.* 1. *De quant animæ, cap.* 33. *Certius eſt nobis reſurrectionem eſſe futuram, quàm ſolem cras oriturum*: quia illud eſt de fide, & facilius Deo, quàm hoc naturæ. *Ad* 3. ex 1. *Cor.* 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: ex decreto Dei, non ex neceſſitate naturæ. *Ad* 4. & 5. Animalia perfectè organizata non poſſunt generari per putrefactionem. *Ad* 6. Non ſunt naturalia quæ ſunt in ſolo appetitu, ſed quæ etiam in poteſtate naturæ. Nec puluis corporis humani naturaliter appetit animam: vt anima appetit ſuũ corpus potiùs quàm vllum aliud, quia ei fuit vnita. Vt qui duxit aliquam vxorem affectu coniugali, ei afficitur præ omnibus.

QVÆST. 6. *An Reſurrectio Chriſti ſit cauſa noſtra?* *Reſp.* Cauſa eius efficiens principalis, eſt Deus: inſtrumentalis, vox Chriſti; exemplaris originalis, ipſa natura Diuina; ſed inchoata exemplaris, eſt Reſurrectio Chriſti. Ex *Ioan.* 5. *Rom.* 1. 6. *Ad* 1. Hæc eſt cauſa ex decreto Dei. *Ad* 2. Reſurrectio Chriſti non eſt tantùm exemplar cognitionis, ſed & incboationis. *Ad* 3. Eſt exemplar Reſurrectionis omnium, non autem omnis finis reſurgendi. *Ad* 4. Ad vocem Chriſti fiet reſurrectio, vi infinita Dei, vt ſupra de Sacram. *Ad* 5. & 6. Priùs natura reſurgent, quàm audient vocem Filij Dei: nam non auditus huius vocis, ſed vis eam concomitans reſuſcitabit.

*ART. 2. De libris apperiendis ad Iudiciũ. Al. p. 1. q. 33.*

QVÆST. 1. *An Liber Vitæ ſit Dei notitia?* *Reſp.* Eſt notitia Dei, & vis infuſa recordandi omnium: Quia liber dicitur à ſtabilitate ſcientiæ, eiuſque memoriali. Hinc *Apoc.* 20. *Liber apertus eſt, qui eſt vitæ, &c.* *Ad* 1. & 2. Liber hic non dicitur ab impreſſione ſibi facta; ſed à repræſentatione. *Ad* 3. Liber vitæ eſt ex ſe cauſa vitæ, non mortis, niſi per occaſionem. Vel dicitur liber vitæ diuinæ, non noſtræ: Sicque vis illa dicitur liber, quia recolit; ſed vitæ, ſeu viuæ ac veræ notitiæ Dei.

QVÆST. 2. *An in Libro vitæ omnia ſint ſcripta?* *Reſp.* Soli Prædeſtinati, & eorum gratia ac gloria. *Ad* 1. Liber vitæ non dicit totam vim exemplarem Dei. *Ad* 2. ex *Pſal.* 68. Dicuntur *Deleri de Libro viuentium*: quoad præſentem iuſtitiam & reputationem, non quoad inſcriptionem. *Ad* 3. Deletio illa fit per mutationem in ſolis reprobis, non in Deo.

QVÆST 3. *An Liber Vitæ tunc apperietur?* *Reſp.* Aperietur Prædeſtinatis ad intuitionem: non reprobis niſi ad non intuitionem.

*ART. 3. De libris Conſcientiarum.*

QVÆST. 1. *An in Conſcientia legentur omnia merita?* *Reſp.* Omnia bona & mala. Ex *Rom.* 2. Nec boni poterunt triſtari de malis præteritis, ſed ſoli mali de malis & bonis præteritis.

QVÆST. 2. *An quilibet leget omnia in conſcientia alterius?* *Reſp.* Omnia tam bona quàm mala erunt tunc omnibus nota: ad manifeſtationem Iuſtitiæ, & Miſericordiæ Dei. 1. *Cor.* 14. *Illuminabuntur abſcondita tenebrarum.* *Ad* 1. Non erit ſolatium malorum videre aliena peccata. *Ad* 2. & 3. Peccata remiſſa apparebunt ad maiorem Dei gloriam. *Ad* 4. Non erit tunc contra Charitatem, reuelare peccata remiſſa: quia non ad vllam infamiam bonorum

Digitized by Google

norum, ſed ad ſolam Dei gloriam.

QVÆST. 3. *An omnia ab omnibus ſimul videnda ſint? Reſp.* Omnia ſimul: Vel in ſpeculo æterno, aut ex perfectione Deiformi intellectus, vel ex ſola vi Diuina tranſeunte, aut etiam in inferno ad pœnam permanentem.

*In primam Partem Diſt. 44.*

*ART. 1. Quid reſurget?*

QVÆST. 1. *An humores reſurgent? Reſp.* Quòd ſic: vt patet ex Reſurrectione, & conſecratione Sanguinis Chriſti. *Ad 1. & 2.* Non tantùm reſurget quæ ſunt de eſſentia: ſed etiam quæ de perfectione & decore corporis humani. *Ad 3. & 4.* Humores diſponunt ad vitam. *Ad 5.* Non erunt contra ſtatum corporis glorioſi.

QVÆST. 2. *An capilli, vngues, & inteſtina reſurgent? Reſp.* Quòd ſic: ex 2. *Mach.* 14. *Matt.* 10. *Luc.* 12. Capillus de capite veſtro non peribit; quia ſunt de integritate aut decentia. *Ad 1.* Erunt ſaltem obiecta conſiderandi Sapientiam Dei. *Ad 2.* Inteſtina erunt plena ſpiritibus, non fæcibus. *Ad 3.* Capilli ſunt ex ſuperfluo ad nutritionem, non ad decentiam, *Ad 4. 5. 6.* Si arbores eſſent ſemper decoræ, ſemper haberent folia.

*ART. 2. Quid in quo reſurget?*

QVÆST. 1. *An caro quæ fuit in duobus, reſurgat in vno & in alio? Reſp.* Caro ab vno vt generante, reſurget in genito. Non poteſt autem eadem caro ſecundùm ſpeciem eſſe duorum: ex prouidentia Dei: ſed quæ eſt vnius ſecundùm materiam, reſurget in eo cuius fuerit ſecundùm ſpeciem: quæ plurium ſecundùm materiam, reſurget in primo. Hinc ad 1. 2. Coſta Adæ reſurget in Eua: ſanguis Virginis ex quo fuit Chriſtus, reſurrexit in Chriſto, &c. *Ad 3.* ex *Aug. 2. Ciu. 20. Enchir.* 88. Caro vnius ſecũdùm ſpeciem, ab alio comeſta, redit ad primum. *Ad 4.* Prior ordinatio eſt firmior: vt matrim. cum prima, firmius eſt quàm cum ſecunda. Vide in 2. d. 30.

QVÆST. 2. *An quoduis membrum reformabitur ex ſua propria materia? Reſp.* Ex propria, cuique membro ſufficiente. *Ezech.* 37. Acceſſerunt oſſa ad oſſa. Ad veram ac perfectam identitatem, & cuiuſque membri remunerationem. *Ad 1.* ex 22. *Ciuit.* 19. *Enchir.* 88. Vt ſat eſt ad eandem ſtatuam quòd refundatur ex eadem materia totius: ſic & de Reſur. quoad materiam ſuperfluam vni, non alteri membro. *Ad 2.* Deus ex qualibet parte materiæ facit quod vult: ſed non perfectè idem membrum, niſi ex eadem materia. *Ad 3.* Eadem anima animat ſingula membra: ſed variè mouet. *Ad 4.* Quod ſuperfluet vni membro, diffundetur per alia: nec poteſt eſſe nimis parum Deo ad reparandum totum.

*ART. 3. Qualia corpora reſurgent*

QVÆST. 1. *An corpora Electorum reſurgent cum aliqua deformitate? Reſp.* Non cum ipſa deformitate qualitatiua, aut quantitatiua: ſed cum ſubiecta & repartita materia. Ex *Aug.* 20. *Ciu.* 15. 22. *Ad Arg.* Vel cicatrices non reſurgent, vel non vt deformes, ſed decoræ.

QVÆST. 2. *An damnati reſurgent cum ſuis deformitatibus? Reſp.* Quòd ſic: non ex defectu, ſed perfectione ſapientiæ & iuſtitiæ Dei, ad finem etiam vniuerſi. Vt qui pingit diabolum turpiſſimum. *Ad 5.* Reſtituentur eis membra deficientia, vt in eis puniantur, in quibus ſaltem peccare cupierunt.

*In 2. partem Diſt. 44. De pœnis damnatorum.*

*ART. 1. An ſint? QVÆST. 1. An ſit Infernus, ſeu eius pœna æterna? Reſp.* Eſt de fide contra Origenem, &c. Ex *Eſa vlt. Matt.* 25. Ad decorem vniuerſi, & perfectionem iuſtitiæ: vt qui malitiâ quaſi æternâ peccarunt contra Bonum æternum, puniantur in æternum. Hinc *ad 1.* ex *Deut.* 25. Iuxta menſuram peccati, erit & plagarum modus. *Ad 2.* ex *Eſa.* 24. *Congregabuntur*, nunc ſucceſſiuè, *& poſt multos dies viſitabuntur*, extremo iudicio. *Ad 3.* ex *Matt.* 7. *Quâ menſurâ menſi fueritis, eadem remetietur vobis* .i. non æqualiter, ſed ſimiliter, aut proportionaliter, vt ſupra. *Ad 4.* ex *Iac.* 2. *Miſericordia ſuperexaltat iudicium* .i. ſuo tempore. *Ad 5.* Deus non punit damnatos vt corrigibiles, ſed vt incorrigibiles: non affectu vindictæ, ſed iuſtitiæ: quæ cum ipſe ſit, poteſt etiam dici vindicta ſuiipſius. *Ad 6.* Deus eſt tam iuſtus, quàm miſericors.

QVÆST. 2. *An infernus ſit ſub terra? Reſp.* Quòd ſic. Ex *Pſal.* 84. *Apoc.* 5. Deſcenſu Chriſti ad Inferos, *S. Greg. l. 4. Dial.* ipſoque nomine inferni, ac oppoſito loco beatitudinis. *Ad 1. & 2.* ex *Aug. l. 12. in Gen.* Non negat Infernum localem: ſed diſputat, & retractat, 2. *Retr.* 24. *Ad 3.* Pondus peccati eſt ſpirituale: ſed exigit etiam locum infimum. *Ad 4.* Cœlum non eſt plenum electis, niſi vt ſtellis: nec Infernus eſt incapax omnium damnandorum *Ad 5.* Medium totius orbis eſt infimum.

*ART. 2. Quæ ſint pœni Inferni?*

QVÆST. 1. *An ſit ibi verus ignis? Reſp.* Eſt verus ignis corporeus, & fortè elementaris, quamuis diuerſæ proprietatis. Ex ipſo *Aug. 22. Ciu. 5. 11. &c. S. Greg.* 4. *Dial.* 29. *Ad 1. Damaſc.* negat eſſe *talem, qualis apud nos eſt, ſed qualem Deus nouit*: quoad proprietatem, non naturam. *Ad 2.* Vt corpora erunt ibi eadem, & tamen immortalia, ſic & ignis. Nam ſi includatur cum ſulphure in vaſe, ex quo non poſſit euaporare, nunquam extinguetur. *Ad 3.* Ille ignis erit ex ſulphure & pice. *Eſa.* 34. *Apoc.* 14. Ideoque obſcurus & fumoſus. *Ad 4.* Poteſt eſſe eiuſdem naturæ cum noſtro, & habere diuerſas operationes, ſupra ſuam naturam. *Ad 5.* ex *Aug.* 12. *in Gen.* vt retractat de loco, ſic de igne.

QVÆST. 2. *An ſolus ignis puniat in Inferno? Reſp.* Non ſolus ignis, ſed omnia ſimul elementa: Ex *Matt.* 26. *Pſal.* 10. *Iob* 10. 24. *Sap.* 16. *Ad arg.* Omnia denominantur ab igne vt principali: nec ſeinuicem temperabunt; quia tunc non agent contra ſeinuicem, ſed ſimul in omnia corpora, vel ſucceſſiuè per partes.

*ART. 3. De actione ignis.*

QVÆST. 1. *An conſumet corpora damnatorum? Reſp.* Non conſumet, nec corrumpet eorum ſubſtantiam, ſed omnem diſpoſitionem conuenientem. *Eſa vlt.* & *Aug.* 21. *Ciu.* 2. 3. 4. De varijs exemplis naturalibus ignis inextinguibilis, Salamandræ in igne viuentis, ipſiuſque animæ ſine vlla ſui corruptione dolentis. *Ad arg.* Corrumpuntur continuò quoad omnem diſpoſitionem conuenientẽ,

non

Digitized by Google

non quæ inſit, ſed cuius priuatio continuatur.

QVÆST. 2. *An ignis inferni ſit afflictiuus ſpirituum?* Reſp. *Aliqui Philoſophorum negauerunt incorruptibile eſſe paſſibile : ſed iſte error eſt manifeſtus, &c. Ideo aliorum poſitio fuit, quòd ſubſtantia ſpiritualis dolere poteſt & pati : non per actionem alicuius, ſed potiùs per priuationem, &c. Sed ſi peccato Originali debetur pœna damni, actuali debetur etiam aliqua pœna afflictiua, &c. Ad quod credendum ſufficit Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c. *Sed quomodo id poſſit ratione perſuaderi?* 1. *Per ordinem Iuſtitiæ Diuinæ, non naturæ : vt qui ſubijciunt ſe corpori ad culpam ei ſubijciantur ad pœnam.* 2. *Ex natura ipſius animæ, quæ poteſt pati in corpore ſine paſſione ipſius corporis. Sed credimus etiam ſpiritus angelicos igne cruciari : & quòd pœna illa ſit per veram ignis actionem, non per phantaſticam imaginationem.* 3. *Cùm non poſſit ſufficiens ratio ſumi ex parte Iuſtitiæ Diuinæ, nec ex parte ſolius animæ : ſic ſumi poteſt ab vtraq;.* Dolor ex *Aug.* 14. *De Ciu. cap.* 15. eſt diſſenſus ab his quæ nobis nolentibus accidunt. Ad quod naturaliter concurrit ex parte animæ patientis, cognitio, & deteſtatio : Ex parte ignis agentis, occaſio qua mouet animam ad ſui cognitionem; & adhæſio inſeparabilis, ad horrorem & timorem ignis incuſſum ordine Iuſtitiæ Diuinæ, non contra ordinem naturalem creaturæ ſpiritualis, quæ ſicut poteſt concipere amorem corporis cui vnitur, ſic & timorem, horrorem, & dolorem. *Ad* 1. 2. 3. *Arg.* Actio & paſſio naturalis fit per contactum, non autem animalis. Hinc *Greg.* 4. *Dial.* 29. *Animæ ardent eò quòd ardorem vident :* non quòd viſio ſit tota cauſa ardoris, ſed perceptio ignis præſentis cum horrore generat dolorem; quia non eſt cognitio ſpeculationis tantùm, ſed potiùs experientiæ. *Ad* 4. 5. Vt ignis generat dolorem in anima coniuncta corpori, præbendo ei neceſſariam occaſionem agendi in ſeipſam, & patiendi à ſeipſa, ex *Aug.* 6. *Muſicæ cap.* 5. ſic & anima ſeparata. *Ad* 6. Dolor eſt potiùs ex impedimento operationis animæ, quàm ex corporis ſectione: vt patet ex paralyticis qui ſecantur ſine dolore. *Ad.* 7. Vt peccatum non corrumpit ſubſtantiam vel potentiam animæ, ſed ſolùm habilitatem ad gratiam : ſic ignis corrumpit habilitatem animæ ad gloriam, continuando eius priuationem.

*In* DIST. 45. *De diuerſis Animarum Receptaculis, ſuffragijs pro Defunctis, beatitudine Sanctorum, inuocatione Beatorum à nobis, & eorum interceſſione pro nobis.* Ex *Aug. Tract.* 49. *in Ioan. Enchir.* 10. 109. *& toto lib. De cura pro mortuis.*

Partitio & expoſitio Textus.

*ART.* 1. *De receptaculis animarum exutarum.*

QVÆST. 1. An Animæ Patrum ante aduentum Christi deſcenderint ad Lymbum? *Reſp.* Infernus infimus, eſt locus pœnæ æternæ ſenſus : Lymbus, locus pœnæ damni. In huius partem ſuperiorem, quæ à ſpe gloriæ dicebatur ſinus Abrahæ, deſcendebant animæ Patrum : in inferiorem, Animæ paruulorum ſine ſpe gloriæ, &c.

QVÆST. 2. An & quot ſint Animarum receptacula poſt aduentum Chriſti? *Reſp.* Sunt 4. Paradiſus cœleſtis, Infernus pœnæ æternæ damni & ſenſus, Lymbus pœnæ æternæ aut temporalis ſolius damni, & Purgatorium pœnæ temporalis Damni & ſenſus.

QVÆST. 3. An animæ aliquando exeant è ſuis receptaculis? *Reſp.* Non Damnatæ, niſi ad extremum iudicium : ſed Beatæ, ad nos; quia illæ, non hæ, ſunt ligatæ ad non operandum circa nos.

*ART.* 2. *De ſuffragijs viuorum pro defunctis.*

QVÆST. 1. An hæc ſuffragia proſint mediocriter bonis? *Reſp.* Proſunt animabus Purgatorij : quia & dignæ ſeu meritæ ſunt iuuari, & indigent. Ex 2. *Mach.* 12. *Aug. Enchir.* 10. praxi Eccleſiæ, &c. *Ad* 1. *Arg.* Non ſunt in ſtatu merendi, ſed ſoluendi. *Ad* 2. Meruerunt iuuari conditionatè, non abſolutè. *Ad* 3. Non culpa, ſed pœna minuitur eius ſolutione. *Ad* 4. Culpa non ideo remanet impunita in aliquo.

QVÆST. 2. An defunctis proſint ſuffragia per malos? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſic : quia ſupplet charitas Eccleſiæ, & defunctorum; ſed non credo, &c. niſi per bona opera Sacramentalia; vel iuſſu alicuius viui aut defuncti in charitate.

QVÆST. 3. An ſuffragia magis proſint ijs pro quibus fiunt, quàm alijs? *Reſp.* *Fuit opinio Præpoſitini, quòd quæuis magis proſint eis qui magis meruerunt, &c. Nec mos alius Eccleſiæ ſit, niſi quia fideles libentiùs ſuffragantur pro ſuis, quàm pro alijs. Sed iſtud non credo.* 1. Quia ex *Aug. De cura pro mortuis*, Prodeſt alicui ſepeliri in loco ſancto. 2. Quia ſuffragia fiunt ad ſoluendam pœnam; ergo plus proſunt pro vno, quàm pro pluribus, &c. *Ideo diſtinguendum eſt, quòd ſuffragia Eccleſiæ in communi plus proſint ijs qui magis meruerunt ijs adiuuari; ſed in ſpeciali plus proſint eis pro quibus fiunt. Ad* 1. 2. ex *Aug. Enchir.* 10. Plus proſunt ijs qui magis meruerunt, quantum eſt ex ſe : non autem ex intentione ſuffragantis. *Ad* 3. Qui citiùs meruerunt liberari ſuffragijs communibus, citiùs ijs liberantur. *Ad* 4. ex *S. Hier. De conſecr. diſt.* 5. Pſalmus vel Miſſa nil minùs prodeſt, ipſi videlicet ſuffraganti, pro centum quàm pro ſingulis.

*ART.* 3. *De ſuffragijs Beatorum.*

QVÆST. 1. An Beati orent pro nobis? *Reſp.* Quòd ſic. 1. Quia vident nos indigere. 2. Quia Deus vult nos ab eis iuuari. 3. Quia Chriſtus orat pro nobis : ergo & omnes beati ad eius imitationem. 4. Quia diligunt nos ex charitate. 5. Quia Eccleſia orat eos, vt orent pro nobis. *Ad* 1. *Arg.* Beati poſſunt & habent quicquid volunt pro ſeipſis : non pro, vel ab alijs. *Ad* 2. Sancti orando pro nobis non magis aſcendunt ad Deum, ſed potiùs deſcendunt ad nos. *Ad* 3. vt *ad* 1. Nec eſt de eſſentia Beatitudinis quicquid quis vult ſibi & alijs. *Ad* 4. Non oratur Chriſtus vt oret pro nobis : ad cauendum Arianiſmum. *Ad* 5. Orando petitur ipſe Spiritus S. vt donum.

QVÆST. 2. An Beati nobis aliqua impetrent? *Reſp.* Impetrant nobis multa bona. 1. Suis meritis præcedentibus. 2. Affectu amicitiæ ad Deum, & nos. *Ad* 1. 2. Meruerunt conditionatè exaudiri pro nobis, ſi orent. *Ad* 3. Sancti conformant ſe voluntati Dei orando pro nobis : quia vident quòd Deus decreuerit nos ſaluari per ſuas preces.

QVÆST. 3. An ſit nobis vtile orare ſanctos? *Reſp.* Quòd ſic : Quia Deus id ſtatuit. 1. Ob no-



Digitized by Google

ſtram inopiam in merendo, in contemplando, & in amando ſanctos aliquos ſenſibiliùs quàm Deum ipſum. 2. Ad gloriam ſeu Duliam Beatorum, per varia beneficia. 3. Ad maiorem Dei reuerentiam. Hinc ad tria Arg. *Ad* 4. Orationes noſtræ reuelantur Sanctis in Verbo, quatenus expedit ſaluti noſtræ. Angeli offerunt Deo petitiones noſtras, conſulendo eum qualiter ſe gerant erga nos. Inuocantur Sancti ſynecdochicè.i.eorum ſpiritus.

*In DIST. 46. De mitigatione pœnarum ex Iuſtitia & Miſericordia.*

Partitio & expoſitio Textus.

*ART. 1. De mitigatione pœnarum.*

QVÆST. 1. An per ſuffragia Eccleſiæ mitigentur pœnæ damnatorum? *Reſp.* Fuit poſitio *Præpoſitini* quòd ſuffragia proſint damnatis mediocriter malis: vel ad aliquam interruptionem, vel ad aliquam in infinitum remiſſionem, vel ad patientium fortificationem. *Sed iſta opinio non videtur poſſe ſtare, &c. Ideo eſt communior & verior, quòd ſuffragia non proſint damnatis, nec Eccleſia intendat orare pro eis.* Ex *Aug. Enchir.* 110. & ex illo Eccleſiæ: *In inferno nulla eſt redemptio.*

*Ad* 1. *Arg.* ex Aug. *Enchir.* 112. Proſunt ad tolerabiliorem damnationem purgatorij, non inferni. *Ad* 2. Pœna inferni non poteſt augeri, nec remitti: quia remiſſio eſt ex charitate. *Ad* 3. Eccleſia orat pro omnibus de quibus non conſtat eſſe damnatos. *Ad* 4. 5. Damnati extra charitatem, non ſunt capaces vllius fructus charitatis.

QVÆST. 2. An pœna damnatorum mitigetur poſt eius taxationem? *Reſp.* Non poſt, ſed ante, & in ipſa inflictione pœnæ minoris quàm poſſet exigi. Hinc *ad Arg.* vtrimque. Pœna excedit delectationem habitam, non demeritum culpæ.

QVÆST. 3. An Deus agat miſericordiùs cum vno, quàm cum alio? *Reſp.* Non affectu, ſed ſolo effectu: nec tam poſt hanc vitam, quàm in hac.

QVÆST. 4. An Deus iuſtiùs agat cum vno, quàm cum alio? *Reſp.* Iuſtiùs .i. ſeueriùs, non ordinatiùs. Hinc ad duo priora arg. *Ad* 3. Petrus non eſt magis dignus ſuo præmio, quàm Linus ſuo. *Ad* 4. Si remittit duo ei qui meruit ſex: remittit quatuor ei qui meruit duodecim.

*ART. 2. De concurſu Iuſtitiæ & Miſericordiæ. Alenſis p. 1. q. 39.*

QVÆST. 1. An in aliquo opere Dei ſit Miſericordia & Veritas? *Reſp.* Quòd ſic: quia eſt in ipſo opere creaturæ rationalis; ergo potiùs Dei. *Ad* 4. Non eſt in Deo Miſericordia compaſſionis, nec Iuſtitia debiti: ſed perfectionis ſine imperfectione. *Ad* 2. & 3. Miſericordia & Iuſtitia ſunt conditiones ipſius actus diuini, non operum eius. *Ad* 4. Deus dicitur & eſt iuſtiſſimus: non ab exceſſu, ſed acceſſu ad medium.

QVÆST. 2. An in eodem opere Dei ſit Miſericordia & Veritas? *Reſp.* In omni eodem, tam punitionis, quàm præmiationis. Ex *Pſal.* 24. Vniuerſæ viæ Domini Miſericordia & Veritas .1. Quia nil facit niſi ex affluenti Bonitate & Miſericordia, & ex condecentia ſuæ Bonitatis, ſeu Iuſtitia. 2. Quia non præmiat niſi benè meritos, ſed ſupra merita. 3. Quia non punit niſi ob demerita, ſed citra.

QVÆST. 3. An propriè in omni opere Dei ſit Miſericordia & Veritas? *Reſp.* In opere Iuſtificationis eſt Miſericordia, remittendo culpam & pœnam æternam: ſed Iuſtitia, in obligando ad pœnam temporalem, vel reſeruando aliquam pœnalitatem. Hinc ad arg.

QVÆST. 4. An Deus poſſit aliquem punire purè ex Iuſtitia: vel remunerare purè ex Miſericordia? *Reſp.* Non poſſe ab inuicem ſeparari: quia eſt perfectionis diuinæ miſereri & punire quantum decet. Nec Deus poteſt ſeipſum negare, 2. *Tim.* 2. *Ad* 1. Deus poteſt abſolutè non punire, pœnâ ſubſequente: non autem ordinatè ad culpam, nec pœnâ eam neceſſariò concomitante; quia ex *Aug.* 1. *Conf.* 12. Impoſſibile eſt dedecus culpæ ſine decore Iuſtitiæ. *Ad* 2. Deus eſt ſummè iuſtus, non per receſſum à Miſericordia, ſed ab iniuſtitia. *Ad* 3. Culpa non poteſt adæquatè puniri: quia ſubiectum non eſt capax pœnæ infinitæ, nec Deus poteſt ſuam Miſericordiam negare. *Ad* 4. Deus vt offenſus remittit, vt Iudex punit.

*In DIST. 47. De extremo Iudicio, eiuſq; modo ac ordine.*

Partitio & expoſitio Textus.

*ART. 1. De Iudicaturis & Iudicandis.*

QVÆST. 1. An Apoſtoli tunc iudicabunt? *Reſp.* Non vt Chriſtus, ferendo nec exequendo ſententiam, ſed conſedendo & approbando. Ex *Matt.* 12. 19. *Pſal.* 149. in honorem perfectionis Euangelicæ.

QVÆST. 2. An Angeli tunc iudicabunt? *Reſp.* Non niſi approbando & miniſtrando. *Ioan.* 5. *Matt.* 25.

QVÆST. 3. An omnes tam boni quàm mali iudicabuntur? *Reſp.* Omnes iudicio manifeſtationis, non diſcuſſionis, & condemnationis.

QVÆST. 4. An Angeli iudicabuntur? *Reſp.* Mali, iudicio condemnationis, non diſcuſſionis: Boni, iudicio retributionis accidentalis: Ad perfectionem iuſtitiæ diuinæ, & gloriam Chriſti. Ex 1. *Cor.* 6. Neſcitis quia Angelos iudicabimus?

*ART. 2. De igne conflagrationis.*

QVÆST. 1. An ignis ille erit elementaris? *Reſp.* Vt ad diluuium omnes aquæ: ſic credo quòd ad conflagrationẽ mundi omnes ignes concurrent.

QVÆST. 2. An virtus illius ignis erit naturalis? *Reſp.* Non quoad initium & finem illius conflagrationis, ſed quoad progreſſum.

QVÆST. 3. An ille ignis aſcendet vſque ad ſydera? *Reſp.* Non, ſed ad omnia corruptibilia. *Ad* 1. *Pet.* 3. Cœli ardentes ſoluentur .i. Aëreus, & Igneus. *Ad Matt.* 13. Stellæ cadent de cœlo .i. vapores igniti, è cœlo aëreo.

QVÆST. 4. An ille ignis præcedet vel ſequetur iudicium? *Reſp.* Præcedet ad purgationem Electorum, & ſequetur ad renouandum mundum, & cruciandum damnatos. Ex *Pſal.* 96. *Matt.* 13. *Ad* 1. *Theſſ.* 4. Vt tres pueri in camino ignis illæſi: ſic Electi illo igne purgabuntur, non conſumẽtur.

*In DIST. 48. De poteſtate & forma Iudicis, loco Iudicij, & ſtatu huius mundi poſt Iudicium.*

Partitio & Expoſitio Textus.

*ART. 1. De poteſtate & forma Iudicis.*

QVÆST. 1. An poteſtas iudiciaria Chriſti ſit ſecundùm Diuinitatem? *Reſp.* Principalis eſt ſecundùm Diuinitatem: commiſſaria, non delegata, &

& ſententiæ latio, ſecundùm humanitatem. Ex *Ioan.* 5. Pater omne iudicium dedit Filio, &c.

Qvæst. 2. An Chriſtus apparebit malis in forma diuina? *Reſp.* Non niſi per ſigna certa ſuæ diuinitatis. Quia viſio Dei eſt Beatifica, *Ioan.* 17.

Qvæst. 3. An apparebit reprobis in forma glorioſa? *Reſp.* Illis ad confuſionem: ſed bonis ad conſolationem.

Qvæst. 4. An hora illius Iudicij ſit nota alicui creaturæ? Nulli viatori: ſed Deo, & Chriſto homini; an autem & Beatis, incertum eſt. *Ad Matt.* 24. De illo die & hora nemo nouit, neque Angeli, neque filius .i. Nec filius adoptiuus, nec Angeli inferiores, vel non notitiâ reuelabili.

*ART. 2. De renouatione & ſtatu mundi.*

Qvæst. 1. An corpora cœleſtia poſt Iudicium remunerabuntur? *Reſp.* Non vt meritoria, nec vt coniuncta, ſed vt relata ad meritum & præmium Beatorum. *Eſa* 30. Erit lux Lunæ ſicut lux ſolis: & lux ſolis lucebit ſeptempliciter.

Qvæst. 2. An corpora cœleſtia poſt iudicium quietabuntur? *Reſp.* Quieſcent in illo ordine in quo creata ſunt: quia tunc motus habebit finem intentum.

Qvæst. 3. An elementa poſt iudicium innouabuntur? *Reſp.* Non quoad ſubſtantiam, ſed quoad actiones & paſſiones corruptiuas. Ad *Matt.* 24. Cœlum & terra tranſibunt. 1. *Cor.* 7. Præterit figura huius mundi .i. in perfectius.

Qvæst. 4. An poſt iudicium plantæ & bruta innouabuntur? *Reſp.* Non: quia ſunt tantùm ad vſum temporalem Viatorum.

*In 1. partem Diſt. 49. De differentia Beatorum, & damnatorum, deq; appetitu Beatitudinis, ac diſparitate cognitionis & gaudij inter Beatos.*

Partitio Textus.

*ART. Vnicus. De Beatitudine.*

Qvæst. 1. Quid ſit? *Reſp.* Obiectiuè, eſt ipſe Deus vt bonum infinitum: formaliter, eſt influentia beatifica Dei in animam. Hinc *ad* 1. & 2. De obiecto & fine ſatiante. *Ad* 3. Ex Boëtio: *Beatitudo eſt ſtatus omnium Bonorum aggregatione perfectus* .i. eminenter. *Ad* 4. Perfectio accidentalis poteſt eſſe maior ſubſtantiali, quoad benè eſſe: maximè ſi ſit ſupernaturalis. *Ad* 5. Beatitudo dicit habitum in actu.

Qvæst. 2. An omnes appetant Beatitudinem veram? *Reſp.* Omnes naturaliter: quia ſunt eius capaces. *Ad* 1. 2. 3. Omnes habent cognitionem & appetitum veræ Beatitudinis, vt boni ſufficientis in genere, non in ſpeciali: idque vel per cognitionem & experientiam propriæ indigentiæ, vel per ſpeciem innatam, vel vt charitas eſt cognoſcibilis à carente, in 1. *diſt.* 17. *art.* 1. *q.* 4. *Ad* 4. Beatitudo appetitur ſub ratione commodi proprij creaturæ rationali.

Qvæst. 3. An homo ſit ſubiectum Beatitudinis? *Reſp.* Sola anima eſt eius ſubiectum inhæſionis: ſed corpus eſt ſubiectum redundantiæ. *Ad* 1. Aug. 19. *Ciu.* 3. dicit hominem eſſe beatum ex bonis animæ & corporis, ſecundùm Tullium. *Ad* 2. Deus factus eſt homo vt totum hominem beatificaret, de congruo: quia hic eſſet beatus perfectâ viſione Dei, etſi Deus non eſſet incarnatus. *Ad* 3. Beatitudo continet gaudium de bonis corporis. *Ad* 4. Anima meretur in corpore. *Ad* 5. Miſeria non eſt ſubiectiuè niſi in natura rationali. *Ad* 6. Corpus reſurgit ad redundantiam Beatitudinis.

Qvæst. 4. An Beatitudo ſit in anima ſecundùm ſubſtantiam, vel potentiam? *Reſp.* Primò ſecundùm potentiam. *Ad* 1. *Arg.* Anima priùs viuificatur actu primo: ſed potentia, actu ſecundo. *Ad* 2. Beatitudo eſt vna in pluribus potentijs, vt vniuntur ſub ratione Imaginis: Sicut anima eſt vna in pluribus organis, ſanitas eſt vna in pluribus membris. De qua vnitate gratiæ, *in* 2. *diſt.* 26. *q.* 5.

Qvæst. 5. An actus beatificus inſit homini ſecundùm omnes potentias? *Reſp.* Omnes vires quæ habent per gratiam actum in Deum, habebunt per gloriam actus perfectos. Vis rationalis tunc videbit apertè, Concupiſcibilis diliget perfectè, Iraſcibilis tenebit continuè & certè. Fruitio appropriatur Tentioni: ſed complectitur iſta tria. *Ad Arg.* Hi tres actus ſunt ita connexi, vt ſub vno intelligantur tres: ſed viſio diſtinguit potiùs ſtatum patriæ, à ſtatu viæ.

Qvæst. 6. An omnes habeant æqualem Beatitudinem? *Reſp.* Non formalem, ſed obiectiuam. *Ioan.* 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. 1. *Cor.* 15. Vt ſtella differt à ſtella: ſic, &c. Hinc *ad* 1. & 2. De eodem denario *Matt.* 24. *Ad* 3. Nullus participat Deum in ſummo ſimpliciter, ſed in ſummo ſibi. *Ad* 4. Linus æquè gaudet de bono Petri ac de ſuo: ſed Petrus plus gaudet de bono Lini, quàm Linus ipſe; quia habet plus charitatis.

*In 2. Partem DIST. 49. De maiori Beatitudine poſt Iudicium, quàm ante.*

Partitio Textus.

*ART. 1. De Gloria Corporali in genere.*

Qvæst. 1. An gloria corporis ſit de eſſentia Beatitudinis? *Reſp.* Non, ſed auget gaudium extenſiuè, & intenſiuè, remouendo impedimentum. *Vnde non facit ad augmentum præmij eſſentialis principaliter, ſed ex conſequenti.* Vt *Magiſt. Hier. Aug. Bern.* ex appetitu naturali corporis ab animâ. *Ad* 1. & 2. Non erit gaudium de maiori bono, ſed maius. *Ad* 3. Beati obliuiſcuntur ſui, quoad amorem priuatum. *Ad* 4. Amor Dei abſorbet amorem corporis: non vt non ſit, ſed ne præualeat. *Ad* 4. Si amor corporis impedit, eò magis præſentis: ſi carentia amati impedit, præſentia eius aufert impedimentum. *Ad* 5. Spiritus eſt liberior ſine vnione aut affectu ad Corpus: ſed non cum affectu ſine vnione.

Qvæst. 2. An gloria corporis ſit à gloria animæ? *Reſp.* Diſpoſitiuè eſt à dotibus glorioſis: conſummatiuè, ab anima glorioſa.

*ART. 2. De diſtinctione dotum.*

Qvæst. 1. An ſint 4. dotes corporis glorioſi? *Reſp.* Sunt 4. Claritas, Impaſſibilitas, Subtilitas, Agilitas. Ex *Sap.* 3. Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Et ex cauſis, præcipuè materiali 4. elementorum perficiendorū.

Qvæst. 2. An dotes æqualiter ſint in omnibus? *Reſp.* Non, ſed plus minuſue poſitiuè, non priuatiuè.



Digitized by Google

*ART. 3. De ſenſuum remuneratione.*

QVÆST. 1. An in patria omnes ſenſus habeant actus ſuos? Non omnes, ſed ſenſus viſus, & tactus, & fortè auditus: quia reliqui non habent ibi ſua obiecta, nec media. *Ad* 1. Erit delectatio omnium ſenſuum per animæ redundantiam, non per propriam experientiam.

QVÆST. 2. An ſenſus glorificati cognoſcant per receptionem ſpecierum? *Reſp.* Non per emanationem ſpecierum ab anima, nec per emiſſionem virtutis ad obiectum, ſed per receptionem ſpecierum ab obiectis. *Ad* 1. ex *Aug. 6. De Muſica.* Obiectum non debet eſſe nobilius ſimpliciter organo in quod agit: Nec minus perfectum agit vi propria in perfectius ſe.

*ART. 4. Sub 2. principali, De dote impaſſibilitatis.*

QVÆST. 1. An corpus glorioſum ſit paſſibile ab intrinſeco? *Reſp.* Non, quia non erunt tunc actiones & paſſiones corruptiuæ inter elementa.

QVÆST. 2. An corpus glorioſum ſit paſſibile ab extrinſeco? *Reſp.* Non vlla actione aut paſſione corruptiua: ex dotibus glorioſis.

*ART. 5. De dote Claritatis.*

QVÆST. 1. An corpora glorioſa ſint luminoſa? *Reſp.* Sunt colorata, & luminoſa: vt carbones igniti, &c. *Matt.* 13. Fulgebunt iuſti, &c.

QVÆST. 2. An animæ glorioſæ poſſint ſuorum corporum claritatem oſtendere, vel occultare? *Reſp.* Poſſunt, ſua ſubtilitate.

*ART. 6. De dote ſubtilitatis.*

QVÆST. 1. An corpus glorioſum poſſit omne aliud penetrare? *Reſp.* Poteſt ſuâ ſubtilitate.

QVÆST. 2. An copus glorioſum ſit palpabile? *Reſp.* Poteſt palpari, alterando vel reſiſtendo: & non palpari, penetrando.

*ART. 7. De dote Agilitatis.*

QVÆST. 1. An ſit in Beatis? *Reſp.* Eſt, ad eorum perfectionem, & expeditionem.

QVÆST. 2. An agilitas inclinet corpus glorioſum ad omnem differentiam poſitionis? *Reſp.* Inclinat, ad omnem animæ intentionem.

*In 1. Partem DIST. 50. De ſtatu futuro damnatorum.*

*ART. 1. De malitia voluntatis.*

QVÆST. 1 An damnati velint ſe peccaſſe. *Reſp.* Volunt habitu, non actu: vt hic timor ſeruilis aufert actum malum, non habitum; ſic illi nolunt peccaſſe ex diſplicentia pœnæ, non culpæ. *Ad* 1. Viuit in eis voluntas peccandi, ſed non exit in actum. *Ad* 2. Voluntas eſt inuertibilis habitu, non actu. *Ad* 3. Motus bonus præmiatur in ſimili, malus in dolore diſſimili. *Ad* 4. Gratia gratis data eſt neceſſaria ad abſtinendum à peccato: quia eſt contra Deum, aut quia eſt iniquum, non quia læſiuum. *Ad* 5. Habent ſtimulum pœnitudinis, non correptionem voluntatis. *Ad* 6. Mala voluntas eſt eis pœnalis, non demeritoria. *Ench.* 111

QVÆST. 1. An damnati malint non eſſe, quàm ſic eſſe? *Reſp.* Malunt inordinatè, ad effugiendam Iuſtitiam Dei: eſtque malendum affectu commodi, non honeſti. *Ad* 1. ex 3. *de libr. arb.* 7. Non eſſe, peius eſt intenſiuè: damnatum eſſe, extenſiuè.

*Ad* 2. Non datur electio aut prælectio deſiderij, ſed fugæ, inter mala. *Ad* 3. Vera natura magis refugit pœnam æternã, quàm momentaneã.

QVÆST. 3. An damnati velint omnes eſſe miſeros? *Reſp.* Mallent omnes eſſe miſeros, quàm ſe ſolos: ex odio, & inuidia. *Ad* 1. ex *Luc.* 6. Id ex amore priuato. *Ad* 2. Mallent etiam ſuos eſſe damnatos, quàm aliquos eſſe beatos. *Ad* 3. Non delectantur multitudine damnatorum, ſed cruciantur ex inuidia ſalutis aliorum. *Ad* 5. Vt ægri appetunt ſibi noxia, ſic & damnati.

*ART 2. De excæcatione.*

QVÆST. 1. An in inferno erunt tenebræ corporales? *Reſp.* Erunt luce permixtæ: ad deſolationem & horrorem. *Matt.* 22. Proijcite eum in tenebras exteriores.

QVÆST. 2. An erunt tenebræ ſpirituales, cognitionis? *Reſp.* Erunt tantæ, vt damnati nihil cognoſcant niſi ad proprium cruciatum. *Sap.* 2. *Eccli.* 9.

QVÆST. 3. An erunt tenebræ ſpirituales, memoriæ? *Reſp.* Erunt tantæ, vt nullius recordentur ad conſolationem, ſed deſolationẽ. *Eccli.* 11. *Luc.* 16.

*In 2. Partem DIST. 50. De eorum ſtatu præſenti.*

*ART. 1. De cognitione animæ ſeparatæ.*

QVÆST. 1. An habeat vſum potentiæ ſenſitiuæ? *Reſp.* Non, ſed ſolo intellectu percipit omnia intelligibilia, imaginabilia, & ſenſibilia. *Ad* 1. ex *Luc.* 16. Lingua illa Epulonis non erat niſi imaginaria, in eius memoria intelligibili. *Ad* 2. Senſus interiores animæ non ſunt niſi ipſe intellectus, vt apprehendit ſenſibilia. *Ad* 3. Anima ſeparata eſt liberior quoad potentiam actiuam: ſed caret paſſiua ſenſitiua. *Ad* 4. Eodẽ intellectu noſcit ſpiritualia & materialia, abſentia & præſentia.

QVÆST. 2. An animæ ſeparatæ cognoſcant ea quæ circa nos geruntur? *Reſp.* Non per propriam conſiderationem, niſi fortè ad nos mittantur: ſed tantùm per coniecturam, vel reuelationem. Ex *B. Aug. lib. De cura pro mortuis cap.* 15.

QVÆST. 3. An Beati & damnati ſe mutuò cognoſcant? *Reſp.* Illi cognoſcunt hos & eorum pœnam, in ſpeculo Eſſentiæ Diuinæ, ad ſuam & Dei maiorem gloriam: hi cognoſcunt illos, & eorum gloriam in confuſo, vel ſuo oppoſito, ad ſuam maiorem pœnam. Ex *Pſal.* 57.

*ART. 2. De Verme damnatorum.*

QVÆST. 1. An ſit materialis? *Reſp.* Non, ſed ſpiritualis. Ex *B. Aug.* 20. *Ciu.* 22. in *Eccl.* 7. Vermis eorum non moritur. *Ad Arg.* Ignis eſt potiùs materialis, quam vermis: quia hic procedit ab intra ad extra; ille ab extra ad intra.

QVÆST. 2. Quid ſit ille vermis? *Reſp.* Eſt remorſus conſcientiæ, ortus vt vermis ex putrefactione peccati, & corrodens id ex quo oritur per repugnantiam ſynderesis naturalis, & obſtinationem liberæ voluntatis. Quia ſynderesis non eſt in illis extincta quoad remurmurationem: ſed quoad ſtimulationem ad bonum, & reuocationem à malo.

QVÆST. 3. An vermis ille ſit inuariabilis? *Reſp.* Quòd ſic: quia damnati iuſto Dei iudicio ſemper recordabuntur omnium peccatorum ſimul, vt de omnibus ſimul & continuè torqueantur.

*In hunc Epilogum Magiſtri.*

*Hæc de pedibus ſedentis ſuper ſolium excelſum, &c.* S. BON. Incipit Magiſter à facie Maieſtatis in libro 1. Decurrit per media in 2. & 3. Terminat in pedibus ſeu imis, in 4. &c. FINIS.

Ex

Digitized by Google

In *DIST.* 43. QVÆST. 1.

*An Reſurrectio generalis hominum ſit futura?*

ART. 1. De eius poſſibilitate. *A n.* 2. refert opinionem *S. Thomæ in* 4. *d.* 4. *q.* 1. Quòd ſi homo haberet animam ſenſibilem diſtinctam à rationali, non reſurgeret eadem anima ſenſibilis, nec idem animal: quia putat eſſe interruptum non poſſe idem numero reſtitui. *Contra* 1. Aug. 22. *Ciu.* 20. Si nulla carnis materia manſiſſet: ſi vellet, eam repararet Omnipotens. 2. Poteſt quid creari ex nihilo: ergo & recreari. 3. Entitas totius hominis eſt cauſata ex corpore & anima, vt in 3. *d.* 3. *q.* 1. & tamen reſtituetur eadem numero, vt ſit idem homo. 4. Eſt idem eſſe numero continuæ durationis: ergo poteſt eſſe idem interruptæ; quia continuatio non eſt de eius eſſentia. 5. Sic Deus non poſſet reproducere idem numero brutum, plantam, vel accidens. 6. Eſſe animæ rationalis non eſt totale hominis, vt ſupponit.

*A n.* 8. Refert opin. *Ægidij*, quòd idem numero non poſſit reproduci niſi a Deo, ſine motu & mutatione. *Contra.* Deus etiam mutat reſuſcitando: poteſtque idem numero produci alio & alio modo, æquiuocè & vniuocè, ex *Aug.* 3. *Trin. &c.* N. 10. *Ad iſtum Art. dico, quòd hæc poſſibilitas eſt ex Omnipotentia Dei, & poſſibilitate obiecti.*

*ART.* 2. De facto. N. 11. Eſt Articulus fidei, ex Symbolo Apoſt. Nicæno, & Anaſt. *Ioan.* 5. 11. 20. 21. *Matt.* 25. 1. *Cor.* 15. 1. *Theſſ.* 4. 2. *Mach.* 12. *Ad* 1. *Arg.* Salomon ibi loquitur pro & contra. *Ad* 2. *Iob.* 14. Negat futuram Reſurr. donec atteratur cœlum: quoad ſuas influentias. *Ad* 3. De mente *Philoſ. q.* 3. *Ad* 4. Idem compoſitum poteſt reproduci ſine eadem vnione: ſed redibit eadem vnio relatiua. *Credo enim B. Virginem habere eandem relationem ad filium.*

QVÆST. 2. An id poſſit noſci ratione naturali?

N. 4. Poſſet, ſi hæ tres propoſitiones eſſent naturaliter notæ. 1. Anima intellectiua eſt forma ſpecifica hominis. 2. Eſt incorruptibilis. 3. Non manebit perpetuò extra corpus. *A n.* 5. *ad* 26. refert, diſcutit & corrigit varias probationes harum trium propoſitionum.

*A n.* 26. Reſoluit. Dico ergo quòd illarum trium propoſitionum, prima ſit naturaliter nota, & error Auerrois ſit peſſimus, quòd intellectus ſit ſubſtantia ſeparata operans in nobis tantùm mediantibus phantaſmatibus, &c. Sed aliæ duæ non ſint ſufficienter notæ ratione naturali, licet ad eas ſint quædam perſuaſiones probabiles: ad ſecundam quidem, plures & probabiliores; ad tertiam autem, pauciores, vt à futura Dei iuſtitia, &c. Poſſet enim actus bonus eſſe ſuiipſius præmium, & malus pæna: nec ratio conuincit aliam iuſtitiam Dei retributiuam. N. 8. Breuiter ergo, nec à priori per rationem principij intrinſeci, nec à poſteriori per aliquam operationem aut perfectionem hominis poteſt neceſſariò probari reſurrectio lumine naturali; nec eſt omninò certa niſi per fidem. Hinc cùm Apoſt. eam primò prædicaret, *Act.* 17. *&* 26. viſus fuit noua dæmonia nunciare, & inſanire. *Aug.* 13. *Ciu.* 9. Vix pauci magno ingenio præditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem peruenire potuerunt.

*Ad* 1. *Arg. à n.* 1. Ex deſiderio naturali immortalitatis animæ & corporis, 2. *Cor.* 5. *Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri*: non poteſt illud approbari, niſi probetur eſſe de poſſibili, & ordinatè appetibili ſecundùm inclinationem naturalem, & rectam rationem. Poſſet enim hic appetitus naturalis eſſe ad continuandam ſpeciem, non indiuidua: vel ad continuandam vitam pro ſingulis nunc, non autem in infinitum. Vnde & bruta videntur ita fugere mortem, & appetere continuationem vitæ. *Ad* 2. Ex appetitu naturali Beatitudinis: non conſtat niſi ex fide hanc eſſe æternam, & totius hominis. *Ad* 3. Ex fine ſeu Beatitudine finali hominis: non conſtat lumine naturali hanc eſſe poſſe, aut futuram æternam. *Ad* 4. Ex integritate vniuerſi: poſſet integrari per continuam ſucceſſionem indiuiduorum. Ad aliud *S. Thomæ à n.* 6. Ab intellectione immateriali hominis, ad talem animam: poſſet quis proteruire quòd ex *S. Thoma* intelligere ſit tantùm pati, & quòd ſpirituale & immateriale ſit valdè ambiguum. Ideoque conuincendus eſſet ex noſtra actione & operatione formali ac experimentali intelligendi omnia ſpiritualia ac inſenſibilia; & ex libertate volendi quælibet etiam oppoſita.

Ad aliud *S. Thomæ & Richardi à n.* 13. ex varijs dictis Philoſophi pro immortalitate animæ: poteſt dici quòd variè & dubiè loquatur, nec vnquam certò, ſed probabiliter, &c.

Ad illud *Henrici & S. Thomæ* à *n.* 29. pro certa reunione animæ ſeparatæ: Poteſt negari ſtatum illum animæ eſſe imperfectum aut violentum; quia appetitus animæ ad corpus poteſt dici perfectus per ſpecies in eo acquiſitas.

QVÆST. 3. *An natura poſſit eſſe cauſa actiua Reſur.*

*A n.* 2. Reſurrectio ex *Damaſc. l.* 4. *c.* 19. eſt eius quod cedit & diſſolutū eſt, ſecunda ſurrectio.

*ART.* 1. An aliquid corruptibile poſſit idem numero naturaliter reproduci. 2. An hoc idem mixtum corporis humani. 3. An huic eadem anima reuniri.

*Ad* 1. *Art. B. Aug.* 12. *Ciu.* 13. refert ac reprobat opinionē quorundam Phil. quòd poſt 36000. annorum omnia eadem reproducentur, ex reuolutione omnium corporum cœleſtium ad eundem ſitum. Quia eſt contra ſacram Script. Nec illud *Eccl.* 1. Nil ſub ſole nouum: eſt de identitate numerica, ſed de ſimilitudine, aut prædeſtinatione æterna. Nec motus cœleſtes ſunt ſic reuolubiles. Nec eadem cauſa efficiens ſufficit ad identitatem effectuum. Nec motus cœleſtes ſunt cauſæ totales, nec neceſſariæ, nec partiales actuum liberorū.

2. Opinio, quòd ſit impoſſibile idem numero reproduci. Ex *Ariſt.* 5. *Phyſ. In prædic. Ethic.* 6.

3. Opinio. Quòd non omnia, ſed aliqua poſſint naturaliter eadem reproduci numero. Ex 8. *Metaph.* 3. Si agens idem, & materia eadem, effectus erit idem.

*Ad* 2. *Art. n.* 12. Opinio tertia videtur probabilior, &c. Quia non apparet cur natura non poſſit idem numero reproducere, vt ſol eundem radium. Ad *Ariſt.* pro ſecunda opin. Non negat vniuerſaliter. A priuatione ad habitum non eſt reditus, immediatè. Ad rationes: poteſt eadem integra materia redire: vel cur non ex eius parte eadem forma reproduci? Nec ſi productio poteſt



Digitized by Google

eſſe ſine producto, ſequitur quòd hoc productum non poſſit eſſe ſine hac productione. Nec perit potentia ad actum cum ipſo actu: poteſtque eadem reproduci. Nec ideo eſt potentia ad præteritum vt præteritum, ſed vt poſſibile.

*Ad Art.* 2. *n.* 19. Eſt abſolutè poſſibile naturæ reproducere idem corpus mixtum: ex tertia opin. ſed non eodem modo quo reproducetur. Quia poteſt eadem integra materia reduci ad eandem formam ſeminis, &c. Sed Deus reproducet idem corpus immediatè.

*Ad* 3 *Art. n.* 21. Videtur *Henrico*, quòd anima poſſit tali corpori diſpoſito reuniri à natura. Sed contra ex *Aug. q.* 2. *ex* 83. Cauſa æquiuoca eſt perfectior ſuo effectu & paſſo. Nec forma & efficiens ſunt idem numero. Nec diſpoſitio corporis neceſſitat agens ad vnionem animæ rationalis, niſi ex illius volluntate conditionata.

*Ad* 1. *Arg.* à *n.* 1. Non omnis potentia paſſiua habet ſuam actiuam naturalem. *Ad* 2. Quod poteſt aliquid diſſoluere, non poteſt ſemper reunire. *Ad* 3. Poteſt negari eandem materiam poſſe integram manere, vel redire.

QVÆST. 4. *An reſurrectio ſit naturalis?*

*A n.* 2. Naturale actiuè, opponitur ſupernaturali, & libero, 2. *Phyſ.* paſſiuè, violento, & neutro, &c. *n.* 4. Violentum eſt cuius principium eſt extra, non conferente vim paſſo, 3. *Ethic.* Sed ſola hæc paſſio eſt eſſentialis violentiæ: vnde & eius ſtatus eſt violentus.

N. 5. Reſurrectio paſſiua non eſt violenta, ſed naturalis, ſeu ſecundùm inclinationem naturalem ad ſuam formam: ſed eſt ſupernaturalis ab Agente ſupra totum ordinem naturæ. Reſuſcitatio actiua non eſt naturalis, ſed libera, & ſupernaturalis.

QVÆST. 5. *An reſurrectio ſit futura in inſtanti?*

N. 3. Angeli recolligent partes corporum celerrimè, ſed ſucceſſiuè. Ex *Matt.* 24. 1. *Theſſ.* 4. *Aug.* 20. *Ciu.* 20. N. 2. Deus inſtantaneè reformabit corpora, ſolo motu inſtantaneo condenſationis & rarefactionis, vel etiam ſucceſſiuo aëris penetrati vel vacui, naturaliter cedentis vel ſuccedentis. *n.* 7. Sed animabit ſeu reuniet animam toti corpori ſimul diſpoſito eodem inſtanti: non per mutationem, quæ ſupponeret priuationem priorem tempore in corpore diſpoſito; ſed per ſolam actionem & paſſionem, quæ ſupponit ſolam prioritatem naturæ. Nec anima rationalis poteſt vniri niſi in inſtanti: vel eodem, toti corpori; vel diſcretis, per partes corporis. *n.* 10. Ex 1. *Theſſ.* 4. *&* *Aug.* 20. *Ciu.* 19. *&* 20. non videntur omnes eodem inſtanti reſurrecturi: ſed priùs præmortui; deinde ſuperſtites rapiendi obuiam Chriſto, & in ipſo raptu morituri, ſubitòque reſurrecturi. *n.* 11. Vel ſinguli reſurgent ſeorſim ſuis locis: vel omnes ſimul in, circa, aut ſupra vallem Ioſaphat, ipſa hora Reſurrectionis, vel mortis Chriſti; non autem propriè noctu, ſed tempore incerto. 1. *Theſſ.* 5. N. 13. Hinc *ad* 1. *&* 2. *Ad* 3, *&* 4. Singula permanentia habent ſuum proprium æuum indiuiſibile, quo durare poſſunt cum tempore, ſed non habent proprios terminos ſuæ durationis: ideoque in reſurrectione non dantur duo inſtantia immediata; alterum quo prius corpus corrumpatur; alterum quo humanum reformetur, &c. Ex *lib.* 2. *diſt.* 4. *q.* 1. 2. 3. 4

*In DIST.* 44. *Quæſt.* 1.

*An in quolibet homine reſurget totum quod in eo fuit de veritate naturæ humanæ?*

*A n.* 3. *Art.* 1. Qualiter caro in continua nutritione maneat eadem vel non? 2. Quomodo maneat eadem in Reſurrectione?

*Ad* 1. *Art.* Eſt opinio Magiſtri, 2. *d.* 30. illud tantùm eſſe de veritate naturæ humanæ quod contrahitur à parentibus: nec illud augeri conuerſione alimenti, ſed tantùm multiplicari, vt panes Euangelici. *Contra.* Bruta & plantæ verè nutriuntur, & creſcunt ex alimento conuerſo: ergo & corpora humana, &c. *n.* 5. Alia opinio Henrici, quòd caro primò genita creſcat ex ſola materia alimenti, & priori forma eiuſdem carnis genitæ: vt omnes partes eiuſdem corporis animantur eâdem animâ rationali. Ex illo *Ariſt.* Caro ſecundùm ſpeciem non augetur, ſed ſecundum materiam: & illa manet, hæc fluit & refluit. *Contra.* Forma carnis non eſt indiuiſibilis, nec indiuiſibiliter informat, vt anima rationalis: nec poteſt tota ſimul plures partes informare, nec de vna in aliam tranſire. *N.* 7. *Concl.* 1. Ad hunc Art. In nutritione non fit generatio ſimpliciter entis per ſe: ſed vera ingeneratio ſeu adgeneratio ſubſtantialis. *Concl.* 2. Per nouam formam carnis in noua materia. *Concl.* 3. Pars in, & adgenita eſt ſimilis priori in tota forma; ſed imperfectior ex ſe ad agendum, & reſiſtendum corruptioni, vel ex remiſſiori forma ſubſtantiali, vel ex imperfectioribus qualitatibus. *Concl.* 4. Pars minor, minuſque actiua quàm vt poſſit ex ſe in ſuo toto agere, & reſiſtere ſuæ corruptioni, dicitur pars ſecundùm materiam, ſeu fluida, non tamen ſine forma: pars autem potens ex ſe ad agendum, reſiſtendum & conſeruaddum ſe in ſuo toto, dicitur pars ſecundùm ſpeciem & formam conſtantem. *n.* 11. Hinc ad Arg. Henrici. Nec obſtat huic nutritioni & augmento quædam præuia iuxta & intra poſitio alimenti, in, & adgenerati, vt *col.* 425. 427.

*A n.* 15. Ad Art. 2. *Concl.* 1. Suppoſito quòd omnes partes quæ fuerunt aliquando animatæ eadem anima rationali, ſint de veritate naturæ eiuſdem hominis: non reſurget in quolibet quicquid fuit de veritate naturæ eius; quia nimis multæ tales partes fluxerunt, & refluxerunt. *Concl.* 2. Quilibet reſurget ex partibus prioribus, purioribus, vel magis intentis ad augmentationem, & ſufficientibus ad ſtatum perfectum corporis. Nec habebit præciſè totam eandem carnem, quàm ſimul tota vita, vel vllo eius inſtanti habuit: ſed partes quas aliquando habuit; ſicque erit magis idem Corpus, quàm ex eadem materia vnquam ſimul habita.

*A n.* 18. *Ad* 1. *Arg. n.* 1. Coſta illa Adæ erat ei ſuperflua, vel fuit alia reſtituta. *Ad* 2. *&* 3. Nunquam idem erit de veritate aut identitate duorum: vel reſurget in priore, & ſupplebitur in alio. Ex *Aug. Enchir.* 85. *&* 22. *Ciu.* 22. 23. *Ad* 3. Reſurrectio erit eiuſdem totius, non præciſè omnium earundem partium. Ex *Aug. Enchir.* 88. Hinc ad *Luc.* 21. capillus de capite veſtro non peripit .i. quoad numerum & quantitatem decentem.

QVÆST. 2. *An ignis infernalis cruciet malignos ſpiritus?* *A n.* 3. *S. Thomas* dicit quòd cruciet eos ex

Digitized by Google

ex apprehenſione ignis vt diſconuenientis, ſicut in ſomnijs,&c. *Contra.* Sic non cruciarentur ab igne, ſed à ſeipſis, vel à Deo eos fallente. *n.* 4. Henr. dicit, quòd ſubijciantur igni per quendam habitum. *Contra.* Nec poſſunt ſubijci per habitum ſpiritualem, nec corporalem, &c.

*A n.* 5. *ad* 14. Ad quæſt. dico ex *Aug.* 14. *Ciu.* 15. quòd dolor carnis eſt offenſio animæ ex carne, ſeu ab eius paſſione diſſenſio: dolor animæ, ſeu triſtitia, eſt de his quæ nobis nolentibus accidunt, &c. Dolor carnis non poteſt ineſſe ſpiritibus, &c. quia potentia ſenſitiua eſt Totius ex corpore & anima. Triſtitia eſt ex obiecto apprehenſo & nolito vt diſconueniente: Ignis autem inferni vt inſtrumentum Dei ad continendum Dæmones diffinitiuè, & ad mouendum ac occupandum eorum intellectum obiectiuè, eſt obiectum ab eis ſummè nolitum, ex ſuperbia ac odio Dei, & ſummè apprehenſum vt diſconueniens ſuæ libertati ac intellectui; ideoque eos grauiſſimè contriſtat & cruciat. Ex *Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo. B. *Aug.* 21. *Ciu.* 10. Cur non dicamus quamuis miris, veris tamen modis ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi?

*A n.* 14. *ad* 17. Inæqualitas triſtitiæ eſt ex inæquali apprehenſione & nolitione.

*A n.* 17. *Ad* 1. *Arg. ex Aug.* 12. *in Gen.* 29. Agens vt agens eſt præſtantius paſſo vt tali: vel agens principale. *Ad* 2. Ex eodem. Spiritus afficiuntur immediatè ſolis ſimilitudinibus corporum: ſed ex ipſis corporibus. *Ad* 3. Agens eſt præſens virtualiter patienti. *Ad* 4. Agens principale ſeu Deus aſſimilat paſſum ſuo decreto.

QVÆST. 3. *An homines damnati, poſt Iudicium cruciabuntur igne infernali? Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum.

*A n.* 2. *Ad Quæſt.* Dico 1. Ignis poterit tunc habere in corpora actionem realem, & intentionalem. *N.* 3. Dico 2. Sola actio intentionalis ſufficeret ad dolorem, non ſola realis: quia nimirum ſenſibile vt tale infert dolorem ſenſui; non autem actio realis ſine eius ſenſu. *n.* 4. Dico 3. Videtur probabilius futuram ſolam actionem intentionalem ignis. 1. Quia hæc ſola poteſt ſufficere ad dolorem. 2. Quia eſſet minus miraculum vitam conſeruari cum tali dolore, quàm cum qualitatibus vitæ contrarijs. 3. Ex *Aug.* 21. *Ciu.* 3. Non eſt conſequens vt mortem faciat, quòd dolorem facit, &c. Cuius rationis eſt, dolorem facere mortis argumentum, cùm ſit vitæ indicium? 4. *Iob* 24. Tranſibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium .i. patientur vtrumque ſimul. *n.* 7. Dico 4. Non eſt certa ratio negandi actionem realem: quia poſſet Deus non coagere ad corruptionem corporum, vel in eis corruptis vitam conſeruare. *Contra.* 3. Beati non paterentur intentionaliter ab illo igne. *Reſp.* Quia vel nullum ſenſibile excedit eorum perfectionem ſenſitiuam: vel quia eorum appetitus ſenſitiuus eſt præuētus perfecta delectatione indef ectibili.

*In DIST.* 45. *Quæſtio* 1.

*An anima ſeparata poſſit intelligere quidditates ſibi ante habitualiter notas?*

*A n.* 2. *ad* 5. Supponit, ac colligit poſſe, per ſpecies intellectuales, & memoriam intellectualem: Ex *lib.* 1. *diſt.* 3. *q.* 6. *lib.* 2. *d.* 3. *q.* 10. *S. Hier.* Prologo in Biblia: *Diſcamus in terris, quorum nobis ſcientia remanebit in cælis.*

*Contra* 1. Vnde anima moueretur vel determinaretur per vnam ſpeciem potiùs quàm per aliam, vel per omnes ſimul? 2. Intellectio ſine phantaſmate eſt perfectior: ergo non ſpecies ex phantaſmate. 3. Species intelligibilis non ſufficit in nobis ſine phantaſmate: ergo nec in anima ſeparata. 6. Intelligere eſt propria operatio totius: ergo non partis. *Ad* 1. Determinaretur ab aliqua potiori operatione intellectus, vel motione obiecti, vel etiam ex applicatione voluntatis. Vt in 1. *d.* 3. *q.* 6. *ad* 3. *Ad* 2. Poteſt eſſe perfectior: ſed non eſt inde perfectior niſi accidentaliter. *Ad* 3. Id non eſt niſi ex neceſſaria connexione potentiarum inferiorum & ſuperiorum in operando: vel ad perfectionem ſpeciei intelligibilis ex ipſo phantaſmate: Vt *in* 1. *d.* 3. *Ad* 4. Eſt propria operatio totius: ſed ſecundùm perfectiſſimam eius formam ſeparabilem à corpore. *Ad arg. ex Ariſt. n.* 1. Poſſunt intelligi pro hoc ſtatu, vel quoad acquiſitionem ſpecierum, non quoad omnem vſum.

QVÆST. 2. *An anima ſeparata poſſit acquirere cognitionem alicuius priùs ignoti?*

*A n.* 3. *ad* 12. Refert ac reprobat opinionem S. Thomæ in 4. *d.* 50. *q.* 1. & *Henrici Quodl.* 10. 12. 13. quòd non ab ipſis obiectis, ſed à ſolo Deo, vel per Angelos. *Contra.* 1. Hoc ſuperfluit. 2. Eſt contra perfectionem animæ rationalis, &c. vt *in* 1. *d.* 3. *& in* 2. *d.* 3.

*A n.* 12. Ad quæſtionem ergo dico, quòd anima ſeparata poteſt acquirere cognitionem abſtractiuam, & intuitiuam obiecti priùs ignoti: quia habet intellectum agentem ac poſſibilem, habetque obiecta præſentia ad cognitionem intuitiuam, & eliciendam ſpeciem intelligibilem pro cognitione abſtractiua.

*A n.* 14. *ad* 1. *Arg. n.* 1. Vnio animæ ad corpus eſt ad perfectionem totius, potiùs quàm partium. *Ad* 2. Non eſt neceſſarius tranſitus à ſenſibili ad intelligibile, per imaginabile ſeu phantaſma, niſi pro hoc ſtatu. *Ad* 3. Neceſſaria eſt intellectui præſentia proportionata obiecti.

QVÆST. 3. *An anima ſeparata poſſit recordari præteritorum?*

*A n.* 3. *Art.* 1. An memoria actus præteriti ſit in parte ſenſitiua. 2. An in parte intellectiua. *Ad* 1 *Art. à n.* 8. *ad* 13. Licet probabiliter actus Brutorum poſſent ſaluari, non ponendo in eis propriè memorationem, ſed ſolùm cognitionem imaginatiuam obiecti quod eſt præteritum, non vt præteritum: quæ tamen videmus in actibus eorum faciliùs ſaluantur ponendo in eis memoriam. *Ad* 2. *Art. à n.* 17. Dico ergo quòd in intellectiua & memoria eſt actus recordandi propriè dictus, &c. Quia poteſt recordari multorum obiectorū proximorum, quorum non poteſt ſenſitiua recordari: vt, omnis intellectionis & volitionis præteritæ; aliàs non poſſet de malis pœnitere, nec vnam ad aliam conferre, &c. Poteſt & recordari obiectorum remotorum quæ ſunt ſolius intellectus, &c. *n.* 20. Ad quæſt. ergo patet, quòd cùm in anima coniuncta ſit

ſtitia & miſericordia, quàm ex ſolo iuſtitia : nec hæ perfectiones inter ſe repugnant, moderando ſuos effectus intra ſuam latitudinem.

*Ad* 1. *Arg.* ex *Aug. q.* 3. Nullo ſapiente Authore fit homo deterior .i. quoad culpam : nec pœna facit peccatorem deteriorem. *Ad* 2. ex *Deut.* 25. Secundum modum delicti, erit & plagarum modus. Pœna æterna pro culpa temporali eſt iuſta. 1. Quia peccans exponit ſe periculo peccati æterni. 2. ex *Aug.* 21. *Ciu.* 11. Quia damnati viuunt in æternum in ipſa culpa. Nec æternitas pœnæ eſſet neceſſaria ad iuſtam punitionem culpæ : niſi ex tali decreto Dei. *Ad* 3. Pœna æterna non eſt medicina curatiua, nec præſeruatiua ipſorum damnatorum, ſed aliorum. *Ad* 4. ex *Iac.* 2. De iudicio ſine miſericordia .i. liberante. *Ad* 5. ex *Apoc.* 18. Quantùm ſe glorificauit, tantùm date, &c. non æqualiter, ſed proportionatè.

*In DIST.* 47. QVÆST. 1.
*An ſit futurum Iudicium vniuerſale?*

*A n.* 3. *Reſp.* Iudicium generaliter accipitur pro quacumque certa notitia, &c. *n.* 4. Sed hoc Iudicium, eſt completa & authentica determinatio intellectus & voluntatis Dei, reddendi alicui ſecundùm ſua merita. Hinc eſt approbatiuum, vel condemnatiuum. *n.* 5. Hoc ſenſu erit iudicium generale. Ex ſola fide ac ſacra Script. non autem ratione, niſi congrua. 1. Ad ſeparationem finalem bonorum à malis. 2. Ad manifeſtam Dei iuſtitiam, &c. *n.* 6. Hoc iudicium conſtabit præuiâ omnium meritorum ac demeritorum promulgatione, ſententia, & executione : vel mentaliter, inſtantaneè, aut celerrimè; vel potiùs etiam vocaliter, & ſucceſſiuè, in, circa, & ſupra vallem Ioſaphat. Ex *Ioel.* 3. Adducam omnes gentes in vallem Ioſaphat & diſceptabò cum eis. *n.* 8. *Ad* 1. *Arg.* ex *Ioan.* 5. *Nunc iudicium eſt mundi.* i. ad eiectionem diaboli. *Ad* 2. ex *Naum* 1. Non puniet Dominus bis in idipſum : ſed poſt ſingulorum iudicium, erit generale omnium. *Ad* 3. ex *Pſal.* 1. Non reſurgent iniqui in iudicio .i. ad bonum.

QVÆST. 2. *An mundus ſit purgandus per ignem?* *Reſp. n.* 1. Illa conflagratio, & per eam purgatio, *Pſal.* 96. 2. *Pet.* 3. multipliciter eſt poſſibilis, &c. *n.* 3. Videtur probabiliùs, quòd vapores aëris poterunt igniri : & illa ignitio ſucceſſiua poteſt dici conflagratio & purgatio, &c.

*In DIST.* 48. QVÆST. 1.
*An Chriſtus in forma humana iudicabit?*

N. 7. *Ad* QVÆST. Iudicabit in forma humana : non tamen ſecundùm naturam humanam principaliter, ſed commiſſariè, ſupremè. Quia Iudicare principaliter, eſt completè determinare, intellectu ex ſe certo, & voluntate ex ſe efficaci, quod eſt proprium ſolius naturæ diuinæ : ſed proprium eſt naturæ humanæ Chriſti non dependere ab aliena perſona. Hinc ad varia *Arg.*

QVÆST. 2. *An in Iudicio vel poſt ceſſabit omnis motus cœli?* *n.* 3. Negat *Ariſt. n.* 6. Theologi communiter affirmant. Ex *Iſa.* 60. Non erit ibi amplius ſol ad lucendum per diem. *Apoc.* 10. Poſt hoc, tempus amplius non erit. Et ex fine omnis generationis ac corruptionis. *n.* 8. *Ad* QVÆST. Poteſt dici, quòd nec Philoſophus, nec Theologus probat neceſſariò ſuam concluſionem, &c. Quid ergo? Prima pars videtur probabilior per rationem : ſecunda, licet non expreſſè habeatur in Scriptura, magis videtur concordare cum dictis Sanctorum & Scripturæ. Pro prima, Virtus infinita primi Motoris ſufficit ad mouendum ex ſe in infinitum : & aliæ virtutes ex vi illius. Pro ſecunda, Voluntas Dei contingenter mouet aut non, nec motus Cœli eſt ei naturalis, nec violentus, &c. pro & contra. Inter quæ *n.* 14. deridetur authoritas Iſidori adducta ex *lib.* 4. *cap.* 5. Quòd Sol & Luna ſtabunt in ordine ſuo, *Habac. vlt.* i. quaſi in loco in quo creata ſunt : ne impij ſub terra fruantur eorum luce. Non enim ſic ſunt ſub terra, ſicut aliqui imaginantur Antipodes.

*In DIST.* 49. QVÆST. 1.
*An Beatitudo per ſe conſiſtat in operatione?*

QVÆST. 2. *An immediatiùs perficiat Eſſentiam, vel Potentiam?* Ad hanc 2. *n.* 3. dicit *Henr. quodl.* 13. quòd priùs Eſſentiam, per illapſum obiecti beatifici, & quandam conuerſionem amantis in illud, vi amoris : ſed non percipiatur niſi per intellectum. *Contra n.* 5. Non eſt nouus illapſus Dei niſi obiectiuè : ergo priùs in potentiam ad operandum, quàm in Eſſentiam vt ſic. *N.* 6. Eſſet prior actu, quauis operatione Beati : ergo poſſet eſſe in dormiente. Nec Deus eſt Beatus per illapſum identitatis ſecum ipſo. *N.* 7. Nec illa conuerſio metaphorica in amatum, eſt per eſſentiam, ſed per amorem. *N.* 8. Nec eſt tam ex redundantia eſſentiæ in potentiam, quàm potentiæ in eſſentiam. *N.* 9. Nec illapſus ille perficit formaliter eſſentiam, ſed potentiam, per actum aliquem primum & 2. Nec Beatitudo eſt proxima perfectio entitatiuè in actu primo, ſed ſumma in actu 2. quamuis accidentalis. *N.* 10. Nec illapſus ſeu præſentia intima, prior obiectiua, perficit aut beatificat. *N.* 11. Nec gratia diſponens ad gloriam afficit & perficit immediatè eſſentiam, ſed potentiam. Vt *in* 2. *diſt.* 26. *N.* 12. Eſtque maius bonum habere Deum videndo & fruendo, quàm ſolùm intimè præſentem. Nec poteſt eſſe Beatitudo, ſicut nec miſeria, ſine perceptione obiecti. Nec denique Philoſophi aberrarunt ab ipſo ſubiecto, vel forma Beatitudinis, ſed ab obiecto.

*N.* 13. *Ad Quæſt.* ergo dico, &c. quòd Beatitudo non conſiſtit principaliter in eſſentia; quia nihil eam perficit niſi actus primus, qui poteſt eſſe ſine operatione, &c. *N.* 14. Quòd ſi Beatitudo ſit vna eademque perfectio eſſentiæ, & potentiæ, eſt principaliùs in potentia : quia potentia non eſt accidens exiſtentiæ, per quam beatitudo illi inſit; ſed ſiue ſit perfectio vnitiuè contenta in eſſentia, ſiue quædam pars ipſius eſſentiæ, hæc non reciperet beatitudinem ſine potentia, ſed potentia ſine eſſentia, ſi abeſſe poſſet *N.* 16. Et quamuis potentia eſſet accidens, poſſet primò ei ineſſe beatitudo. Vt pleraque accidentia inſunt primò quantitati. Nec *Ariſt.* 4. *Metaph.* negat accidens accidere accidenti, niſi de diſparatis.

*N.* 17. *Ad* 1. *Arg.* Beatitudo non eſt ſimpliciter nobiliſſima perfectio : ſed inter actus ſecundos. *Ad* 2. Creatura intellectualis beatificatur per accidens .i. formaliter aliquo accidente. *Ad replicam:*



Digitized by Google

Poteſt recipi perfectio ſecunda per id quod eſt minus perfectum in ſubiecto.

N. 19. *Ad* 1 *Quæſt.* 1. De re. 2. De nomine Beatitudinis. De re. *Concl.* 1. Inter omnia naturæ intellectualis appetibilia, eſt aliquod eſſentialiter, & ſimpliciter ſummum : vt *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 1. *n.* 20 *Concl.* 2. Illud ſummum eſt ſolum ſimpliciter propter ſe volendum: ita vt ei repugnet volendum eſſe propter aliud. N. 21. Quia etſi in poteſtate volentis ſit, velle hoc vel illud : non tamen quid, propter quid, vel ſummè volendum. N. 22. *Concl.* 3. Nulla natura intellectualis vltimatè & completè perficitur, niſi habendo perfectiori modo poſſibili ſuum ſummum appetibile. Circa hanc *Concl.* Eſt aliqua perfectio prima, qua nihil deeſt ad primum eſſe, ſeu eſſentiale rei. Eſt & ſecunda, quâ nihil deeſt ad eſſe ſecundum, ſeu accidentale: & quæ vel perficit tantùm intrinſecè, vel etiam vniendo perfectiuo extrinſeco, perfectiori, vel perfectiſſimo. N. 24. Hæc eſt appetibilior ipſâ perfectione primâ : quia vnit ſuum ſubiectum obiecto appetibiliori ſeipſo,&c. Hinc patet *Concl.* 3.

N. 25. De nomine Beatitudinis. Ex 1. *Ethic.* Eſt bonum ſufficiens, perfectum, vltimatum, quo completè benè eſt habenti, qui ſupponitur eſſe. *N.* 26. Poſſet diſtingui in Beatitudinem ſimpliciter, vnientem obiecto perfectiſſimo: & ſecundùm quid, vnientem Obiecto ſaltem perfectiori. Item pro ipſa vnione relatiua, vel pro eius fundamento abſoluto.

N. 27. Ad 1. ergo Quæſt. Dico quòd Beatitudo conſiſtit in operatione : vel eſſentialiter, ſi beatitudo ſumatur pro ipſa perfectione operationis; vel proximè fundamentaliter, ſi ſumatur pro ipſa relatione vnionis,&c. Quia nec eſſentia, nec potentia habet perfectè ſuum obiectum beatificum, niſi per operationem ei vniatur.

N. 28. *Ad* 1. *Arg.* B. Aug. 13. *Trin.* 5. deſcribit Beatum habere omnia bona quæ vult : vel per concomitantiam, vel eminenter. Sic & *Boetius* 3. *Conſol.* Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. *Ad* 2. Beatitudo eſſentialiter continet operationem abſolutam, & reſpectum vnionis, vel ſaltem illam connotat. *Ad* 3. Infra *q.* 6. *Ad* 4. Beatitudo non conſiſtit in ipſa actione, ſed in operatione formali. *Ad* 5. Actus beatificus eſt ſimpliciter perfectior habitu, & æquè æternus, nec eſt cauſa totalis nec principalis ipſius actus.

N. 32. *Breuiter.* Beato eſt ſimpliciter perfectè benè : nulli eſt ſic benè niſi in Bono ſimpliciter perfecto, & perfectè habito; idque nonniſi immediatè attingendo illud per operationem; ergo in hoc conſiſtit beatitudo,&c. per recapitulationem.

QVÆST. 3. *An Beatitudo per ſe conſiſtat in pluribus operationibus ſimul?*

N. 3. Opinio *Ric.* quòd conſiſtat ſimul in actu Intellectus, & voluntatis. 1. Quia in his ſimul eſt vnio cum Deo. 2. In his eſt motus ad Deum : ergo & quies in Deo. 3. Quia hæc eſt integra perfectio in actu primo & 2. N. 4. Opinio *S. Thomæ* hîc, quòd conſiſtat in vnico actu : ex *Ariſt.* 1. *Ethic.* Fœlicitas eſt operatio optima, ſecundùm virtutem optimam, & in vita perfecta.

*A n.* 5. *Ad Quæſt.* Poteſt dici mediando, &c. quòd Beatitudo præcisè pro vltimo ac perfectiſſimo complemento optimè eſſendi ſimpliciter, conſiſtat in vnica operatione : ſed pro quauis immediata vnione vitali ad obiectum Beatificum, conſiſtat in duplici operatione intellectus & voluntatis; *non poſſit tamen poni in duplici, niſi ad operationem beatificam non ſufficiat vnica, quod eſt dubium.*

*A n.* 8. *Ad* 1. *Arg. Opin.* 1. Eſt vnica immediatiſſima ac perfectiſſima vnio. *Ad* 2. Tendentia & quies propriè eſt ſolius appetitus. *Ad* 3. Quietatio totalis extenſiuè, eſt totius & ſingularum partium : ſed vnica eſt vltima & beatifica.

N. 10. *Ad* 1. *Arg.* princ. ex *Aug.* 13. *Trin.* 5. Beatus habet quicquid vult : non diuiſiuè, ſed vnitiuè. *Ad* 2. Habet perfectè quicquid vult. *Ad* 3. Beatus diſtinguitur eſſentialiter à non beato, ſolo actu voluntatis. *Ad vlt.* Cùm viſio intellectus per ſe ordinetur ad actum volendi : non ſunt vnica perfectio, nec vtraque ſimpliciter vltima, ſeu beatifica.

QVÆST. 4. *An per ſe conſiſtat in actu Intellectus, vel Voluntatis?*

*A n.* 2. Opinio *S. Thomæ* hîc, quòd in ſola viſione intellectus, principaliter & eſſentialiter: quia hæc eſt prima aſſecutio finis, ſeu obiecti beatifici. *Contra n.* 4. Amor finis eſt ei immediatior quàm viſio, hæcque eſt ad illum : ergo ille eſt huic præferendus. *n.* 5. Deſiderium non eſt aſſecutio finis, ſed alius actus amoris. *n.* 6. 7. 8. Non eſt ſola quies delectationis in bono præſente : ſed prior eſt aſſecutio perfectiſſima per eundem actum fruitionis & quietationis. Ex *Aug.* 9. *Trin. vlt.* Appetitus inhiantis, fit amor fruentis. *n.* 9. Viſio eſt prima aſſecutio finis : ſed fruitio eſt perfectior.

QVÆSTIO lateralis. *Vtra potentia ſit nobilior, Intellectus, an Voluntas?*

N. 10. Non ex obiecto perfectiori, vero, vel bono. *n.* 13. Ex habitu perfectiori : ſed voluntatis, quàm Intellectus. *n.* 16. Ex cauſalitate perfectiore actus vnius, ad actum alterius potentiæ, &c. *Voluntas imperans intellectui eſt cauſa ſuperior actus eius : Intellectus autem ſi eſt cauſa volitionis, eſt ſubſeruiens voluntati.* *n.* 17. Ex actu meliori voluntatis, quàm intellectus, & cuius oppoſitum odium, eſt peius errore aut ignorantiâ Intellectus. Nec ſola Intellectio eſt melior ſola volitione *n.* 18. 16. vt *n.* 16. Ex maiori aut minori dependentia vnius ab alio, &c. *n.* 19. vt *n.* 17. Ex actu meliori & peiori voluntatis, quàm intellectus. *n.* 21. *Ad* 1. *Arg. princ.* ex *Ioan.* 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, &c. Si addis, vita æterna *Beata* : addo, *& ament te.* *Ad* 2. ex *Aug.* 1. *Trin. penult.* Viſio eſt tota merces .i. ſolius intelligentiæ ſed non ſumma totius hominis. Hinc 1. *Trin.* 13. Illuſtrari perfruique ſufficiet. Et *cap.* 5. Beatus eſt qui habet quicquid vult. *Ad* 3. ex *Ariſt. Ethic.* 10. Sub actu intellectuali intelligit etiam actum volendi. *Ad* 4. *Ioan.* 14. Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis .i. ad notitiam de qua ibi : nam dilectio perfecta plus ſufficit, quàm ſola viſio.

QVÆST. 5. *An Beatitudo ſimpliciter conſiſtat in actu qui eſt fruitio?*

*A n.* 2. *Ad Quæſt.* *Concl.* 1. Conſiſtit in illo ſolo

lo

Digitized by Google

lo actu. Quia non in vllo nolle, nec in velle concupiſcentiæ ſeu commodi, ſed amicitiæ ſeu fruitionis. Frui enim eſt amore inhærere alicui propter ſe, ex *Aug.* 1. *Doctr. Chriſt.* 1. Nec obſtat quòd ex 9. *Trin. vlt.* Appetitus inhiantis fiat amor fruentis. Quia fit amor fruentis, ſed non quo fruitur. *n.* 4. *Concl.* 2. Viator poteſt frui Deo: quia licet à nobis deſideretur; poteſt tamen à nobis amari, non deſiderando ei bonum, ſed complacendo in eius infinita bonitate. Sed fruitio viæ differt à beatifica, vel intenſiuè, vel potiùs ſpecificè.

N. 6. Hinc ad 1. *Arg.* *Ad* 2. Sine habitu charitatis poſſet eſſe fruitio, ſed non beatifica. *Ad* 3. Sola voluntas inter omnes appetitus poteſt frui. *Ad* 4. Eſto quòd Tentio ſit actus voluntatis, ſuccedens actui ſpei: non eſt beatifica.

QVÆST. 6. *An ad eſſentiam Beatitudinis pertineat ſecuritas?*

*A n.* 1. *Art* 1. De perpetuitate Beatitudinis. 2. De ſecuritate Beati. *Ad* 1. Patet ex *Matt.* 25. *Pſal.* 83. Symb. Apoſt. *Aug.* 13. *Trin.* 8. Vita beata eſſe non poteſt, niſi ſit immortalis: quia Beatus nec volens nec nolens, nec ſciens nec neſciens poteſt eam amittere, aut hoc ipſo non eſſet beatus. Ad le definitionem 6. *Syn. & Conc. Later. cap. Firmiter.* contra errorem Origeniſt.

N. 3. Sed ſunt tria dubia. 1. De cauſa huius perpetuitatis. 2. Qualis ſit hæc perpetuitas. 3. Qualiter inſit Beatitudini. *n.* 4. De 1. refert 3. opin. 1. *S. Thomæ quodl.* 1. Quòd Beatitudo ſit ex ſe formaliter neceſſariò, ſed cauſaliter aliunde. Quia formæ cœlorum quæ auferunt omnem priuationem ſubiecti ſunt ex ſe incorruptibiles: ergo & Beatitudo. 2. *Henr. quodl.* 9. Quòd ex neceſſitate fruendi obiecto viſo, in quo nullus eſt defectus. 3. *S. Thomæ* 1. 2. *q.* 10. Quòd ex habitu neceſſitante. *n.* 6. *Contra* 1. Solus Deus eſt ex ſe neceſſariò: reliqua omnia à Deo contingenter. *n.* 9. *Contra* 2. Nec Deus neceſſariò, ſed liberè mouet intellectum ad ſui viſionem, nec voluntas eo viſo neceſſariò, ſed contingenter fruitur: vt *in* 1. *d.* 1. *q.* 4. *Contra* 3. Nullus habitus neceſſitat voluntatem.

N. 10. *Dico ergo, &c.* Quòd ex ſola voluntate Diuina conſeruante. Nec Beati ſunt impeccabiles in ſenſu diuiſo, ab intrinſeco, potentiâ remotâ: ſed in ſenſu compoſito, ex decreto præſeruationis. Sicque *B. Aug.* 3. *contra Max.* 13. *& Enchir.* 86. *vel.* 73. *n.* 15. Nec eſt contra libertatem voluntatis, determinari à cauſa ſuperiori, vt ab inferiori, ſicque tolli contingentiam ſimpliciter effectus eius. Vel præſeruatio Dei non tollit contingentiam. *Additio.* Potentiam remotam aut partialem non dici poſſe ſimpliciter, nec dici potentiam agendi, ſed ſolùm potentiam totalem aut proximam.

*Scholium.* Non dici hîc voluntatem poſſe à Deo determinari ſalua eius libertate ſimpliciter.] Sed videtur hîc pro eodem ſumere, eſſe aut non eſſe contra naturam, & libertatem voluntatis. Itaque videtur potiùs velle, quod non quæuis determinatio actus voluntatis à Deo, ſit contra illius libertatẽ.

N. 16. 17. *De* 2. *dubio, &c.* Quòd hæc perpetuitas non ſit æternitatis, ſed æui, vel maximi, vel indiuiſibilis, ſed perpetuò conſeruati. De quo in 2. *d.* 2. *q.* 1. 3. 4. *Contra S. Thom. hîc.*

*A n.* 18. Perpetuitas non eſt de eſſentia Beatitudinis intenſiuè, ſed extenſiuè. Quia intenſiuè tota eſt in inſtanti: ſed extendit ſe ad deſiderabilem ac poſſibilem durationem. Hæc tamen non videtur æquè cadere ſub meritum, ac ipſa beatitudo intenſiua, quæ abundè ſufficeret ad omne meritum: nec tam quàm perpetuitas damnationis; ſed eſſe magis ex iuſtitia liberali.

*A n.* 22. *Ad Art.* 2. Securitas Beatorum eſt paſſio voluntatis, oppoſita timori, ex certitudine intellectus per ſolam Dei reuelationem, de perpetuanda ſua Beatitudine. An ſic de timore in damnatis, non eſt tam certum.

N. 12 Ex dictis patet ſolutio *Quæſt.* quòd ſecuritas non ſit de eſſentia Beatitudinis, vt ſupra de perpetuitate: quia eſt paſſio poſterior. Tentio autem beata, non eſt memoria, aut viſio obiecti: ſed vel amor concupiſcentiæ, vt boni ſui præſentis; vel actus aut paſſio ſuccedens ſpei in vi iraſcibili, ex aſſecutione boni ſperati.

N. 25. *Ad* 1. *Arg.* B. Aug. 3. *Trin.* 7. vocat perpetuitatem beatiſſimam, extenſiuè. *Ad* 2. Beatitudo non eſt indefectibilis, ab excluſione omnis priuationis. *Ad* 3. Ariſt. non fuit certus de vlla vera beatitudine. *Ad* 4. Quæ ſuccedunt fidei, ſpei, & charitati in patria, non ſunt omnia de ipſa eſſentia beatitudinis.

QVÆST. 8. *An gaudium de obiecto Beatifico ſit de eſſentia Beatitudinis?*

*A n.* 4. Dico quòd non ſtrictè, contra *S. Thom.* *d.* 48. *a.* 1. quia illud eſt paſſio, hæc operatio. Hinc vt voluntas eſt operatiua, perficitur ſimpliciter & vltimatè actu quo vnitur ſuo optimo: ſed vt eſt receptiua, perficitur paſſionibus ſupernaturalibus, plus gaudio, quàm ſecuritate.

*Ad* 1. *Arg.* ex *Aug.* 10. *Conf.* Beatitudo eſt gaudium de vita beata .i. cauſaliter. *Ad* 2. Delectatio eſt ex fruitione quietante. *Ad* 2. Finis, non eſt vltimum, ſed potiſſimum: nec poſteriora generatione, ſunt perfectiora, niſi in eodem genere; ſed paſſio eſt alterius generis ab operatione. *Ad* 4. Paſſio non vnit obiecto: ſed eſt ab illo.

*Ad* 1. pro *S. Thoma.* Viſio Dei poteſt abſolutè eſſe ſine gaudio. *Ad* 2. Paſſio non poteſt eſſe de eſſentia Beatitudinis: quia non vnit obiecto. *Ad.* 3. Pœna non poteſt eſſe actus voluntatis: quia illa eſt inuoluntaria, hic autem nonniſi voluntarius; ſed præmium conſiſtens in perfectiori, poteſt eſſe, & eſt actus voluntarius. Nec miſeria eſt eſſentialiter pœna, nec Beatitudo gaudium.

QVÆST. 8. *An natura humana ſit infima capax Beatitudinis?*

N. 2. *Art.* 1. Eſt Beatificabilis. Ex 1. *Ioan.* 3. Videbimus eum ſicuti eſt. *Apoc.* 22. Videbunt faciem eius. *Matt.* 22. Erunt ſicut Angeli, &c. *Ariſt.* 1. 2. Poſter. 1. *Phyſ.* putat Deum non poſſe cognoſci niſi ex ſenſibilibus, ſicque obſcurè & confuſe, &c. *n.* 4. Videtur tamen quòd ratione naturali poſſit probari noſtra capacitas veræ Beatitudinis. 1. Ex noſtra capacitate cuiuſlibet obiecti ſub noſtro primo & adæquato: & ex perfectione obiecti Beatifici ad ſe manifeſtandum cuiuis intellectui. 2. Ex cognitione intuitiua ſenſibilium & actuum noſtrorum ſpiritualiũ: ergo & poſſibili ipſius Dei.



Digitized by Google

N. 6. *Art.* 2. Nulla naturâ inferior humanâ eſt ſimpliciter beatificabilis, ſed tantùm ſecundùm quid. 1. Quia non poteſt percipere obiectum beatificum, ſeu vniri optimo. 2. Nec poteſt vniri vitaliter meliori ſe: ſed tantùm obiectis materialibus. Nec graue propriè quieſcit in centro, ſed metaphoricè. *Ad* 1. *Arg.* Natura noſtra eſt beatificabilis per ſuam animam. *Ad* 2. Omnis natura intellectualis æquè immediatè ordinatur ad ſuum obiectum. *Ad* 3. Naturæ inferiores quietantur: ſed non beatificè, quia non in optimo. *Ad* 4. Deus eſt cauſa finalis omnium: ſed non perficiens & beatificans omnia ad ſe.

QVÆST. 9. *An omnes velint neceſſariò & ſummè Beatitudinem?*

QVÆST. 10. *An omnia appetantur propter Beatitudinem?*

*A n.* 2. *Ad Quæſt.* 1. Duplex eſt appetitus voluntatis, naturalis, & liber, &c. Ille non eſt actus elicitus, ſed tantùm inclinatio quædam voluntatis, vt cuiuſuis rei, ad ſuam perfectionem, &c. quâ neceſſariò, continuò, & ſummè appetit beatitudinem in particulari. Quia hic appetitus voluntatis eſt ipſa eius priuatio, & capacitas talis actus tantæ perfectionis. N. 4. De Appetitu eius libero opinatur *S. Thom. & Henr.* quòd etiam neceſſariò & ſummè tendat ad Beatitudinem, ſed in vniuerſali: quia ſub ea nulla eſt ratio mali, ſed ſolius boni appetibilis. *Contra. in* 1. *d.* 1. *q.* 4. Nunc autem videtur mihi implicare contradictionem, quòd omnes neceſſariò appetant Beatitudinem in vniuerſali, & non in particulari: cùm hæc ſit appetibilior. *n.* 5. 6. Dico ergo, quòd etſi voluntas libera velit vt in pluribus beatitudinem in vniuerſali vel particulari notâ, maiori inclinatione naturali, quàm vlla habituali; ſub neutra tamen ratione vult eam neceſſariò, ſed contingenter. Quia non poteſt neceſſitari aut determinari ab vlla cauſa inferiori: & ſi ad hoc neceſſitaretur à cauſa ſuperiori, ſemper determinaret intellectum ad actualem conſiderationem Beatitudinis. *n.* 7. Nec hic appetitus elicitus eſt naturalis voluntati, vt natura eſt: ſed eſt liber circa ipſum finem, non deliberatiuus aut electiuus circa media; poteſt tamen dici naturalis, vt conformis inclinationi naturali. *n.* 8. Nec obſtat *Aug. Enchir.* 104. Neque voluntas non eſt, aut libera non eſt, quia ſic Beati eſſe volumus, vt miſeros nos eſſe, velle non poſſimus. Aliud enim eſt non poſſe velle miſeriam, aut nolle beatitudinem: aliud eſt non poſſe non nolle, aut non velle. Nam vt circa malum non poteſt eſſe niſi nolle, ſic circa bonum non niſi velle: ſed circa neutrum eſt neceſſariò vllum velle aut nolle. *n.* 9. Miſeria non eſt obiectum volendi, nec Beatitudo nolendi: nec voluntas eſt capax talis actus circa tale obiectum. *n.* 10. Poteſtque ſe ſuſpendere ab omni actu circa quodlibet.

N. 11. *Ad* 1. *Arg.* Cognitio non eſt neceſſaria ad appetitum naturalem, ſed elicitum. *Ad* 2. Damnati appetunt naturaliter Beatitudinem: nec fruſtra appetunt, ſicut nec fruſtra ſunt. Appetunt & actu elicito: ſed nonniſi affectu commodi, eoque inefficaci ac conditionali, quamuis immoderatiori quàm nos. Non enim credo quòd vllus habitus poſſit eos ab hoc magis alienare, quàm natura inclinet. Hinc ad reliqua.

N. 15. *Ex his*, *Ad* 2. *Quæſt.* Omnia neceſſariò appetuntur naturaliter propter beatitudinem: non autem deliberatiuè; ſed negatiuè, priuatiuè, & contra ipſam beatitudinem.

N. 16. *Ad* 1. *Arg.* ex *Aug.* 13. *Trin.* 5. Omnia ordinatè appetuntur propter beatitudinem. *Ad* 2. Beatitudo eſt primum appetibile, propter quod reliqua ſunt ordinatè appetenda. *Ad* 3. Aliud eſt appetere aliquid non referendo: aliud irreferibiliter, vt finem vltimum. *Ad vlt.* Vel eſt vnus idemque actus collatiuus mediorum ad finem: vel plures ſimul circa media & finem.

QVÆST. 11. *An homo ex puris naturalibus poſſit conſequi beatitudinem?*

*A n.* 3. Dicitur ab omnibus quòd non: A *Ric.* quia modus eſſendi Dei, eſt ſupra noſtrum: A *S. Thoma*; quia Deus non poteſt informare intellectum noſtrũ, nec eſt vlla huius ad illum proportio.

*A n.* 4. *ad* 8. *Contra.* Non eſt neceſſaria æqualitas, nec proportio geometrica, ſeu aliquota perfectionis entitatiuæ aut intellectualis, nec informantis ad informatum, ad viſionem Dei: ſed ſufficit proportio Obiecti ad potentiam; Intelligibilis ad intellectum, motiui obiectiuè ad mobile. Qualis eſt inter Deum, intellectũ, ac voluntatem etiam noſtrã.

*A n.* 8. *Concl.* 1. Natura humana eſt ex ſe immediatè ſuſceptiua beatitudinis: non autem mediante vllo alio ſuſceptiuo. Quia ipſa ſola immediatè beatificatur. *n.* 9. *Concl.* 2. Anima humana non eſt ex puris naturalibus ſufficienter actiua ad viſionem Dei. Quia non habet nec poteſt naturaliter habere Deum obiectiuè, euidenter, & intuitiuè præſentem, ac influentem ad ſui viſionem. Hinc nihil ſupernaturale prærequiritur in nobis ad receptionem beatitudinis: ſed nonniſi ad operationem ex parte obiecti, ſpecies intelligibilis; ex parte intellectus lumen gloriæ, ex parte voluntatis charitas. Quòd ſi obiectum præſens ex ſe ſufficit, non eſt opus ſpecie: ſi intellectus eſt tantùm paſſiuus viſionis, non eſt opus lumine gloriæ; ſi voluntas eſt merè paſſiua fruitionis, charitas ſuperfluit. Sed ex Script. & fide neceſſaria eſt Charitas: ergo ad eliciendum actum. *Lumen autem gloriæ non mihi videtur neceſſarium: quia quo obiectum eſt magis ex ſe lux, eo minus requirit lumen. Vnde lumen videtur mihi minùs neceſſarium, quàm ſpecies: de qua alias.*

N. 11. *Ad* 1. *Arg.* Natura dedit homini potentias paſſiuas & actiuas: ſed non diſpoſitiones requiſitas. *Ad* 2. Intellectus eſt totius entis: ideo quilibet poteſt ad quodlibet eleuari, non ſic vllus ſenſus. *Ad* 3. Quælibet potentia paſſiua habet ſuam actiuam: ſed non connaturalem. *Ad* 4. Potentia noſtra eſt nunc remota, tunc erit propinqua. *Ad* 5. Non poteſt creari tanta voluntas, quin egeat gratiâ ad beatitudinem.

QVÆST. 12. *An homo in vita mortali poſſit conſequi beatitudinem?*

*A n.* 3. *Reſp.* Non poteſt: quia actus quos poſſumus experiri non ſunt beatifici; nec poſſumus hos elicere, imò nec recipere in hac vita mortali, niſi à Deo abſolutè & miraculoſè, contra effectus naturales, & ſupra ſtatum huius vitæ mortalis. *n.* 2. Deus enim in hoc ſtatu cogit ad omnes effectus naturales cauſarum ſecundarum, qui repugnant



Digitized by Google

pugnant effectibus beatitudinis in anima & corpore: ſed in ſtatu futuro non coaget, ſed ſuſpendet omnes tales actus, ſine nouo miraculo.

N. 7. *Ad* 1. *Arg.* Fuit miraculum continuum, quòd Chriſtus eſſet beatus & mortalis. *Ad* 2. Potuit Deus miraculosè rapere S. Paulum ad ſui viſionem. *Ad* 3. & 4. Nec corpus nec vita repugnat beatitudini animæ: ſed illiùs mortalitas, huius proprijs effectibus. *Ad* 5. Deus poteſt hîc cognoſci & amari, immediatè: ſed confuſè, non beatificè.

QVÆST. 13. *An corpus Beati erit impaſſibile?*

*Reſp. n.* 2. Erit impaſſibile paſſione reali & corruptiua, non intentionali & perfectiua. Ex 1. *Cor.* 15. Mortale hoc induet immortalitatem, &c. *N.* 4. Vnde erit illa impaſſibilitas? Non ex ſubiecto quaſi per ſe incapaci, vel per formam replentem eius capacitatem, & excludentem omnem priuationem. Nec ex defectu actiuorum contrariorum, ab intrinſeco, & extrinſeco. Nec ex reductione omniũ qualitatũ contrariarum ad æqualitatem in agendo & reſiſtendo. *n.* 5. Sed ex aliquo impedimento poſitiuo vel priuatiuo actionis & paſſionis corruptiuæ. *n.* 6. Non per ſolum dominium animæ ſupra omnes tales actiones & paſſiones: quia cauſæ naturales non obediunt ipſis Angelis. Nec per qualitatem ſeu dotem poſitiuam formaliter vel actiuè reſiſtentem omni tali actioni: quia nulla poteſt eſſe tantæ virtutis. *n.* 8. Nec per quietem omnium motuum cœleſtium: quia hi non ſunt neceſſarij ad omnes tales actiones. *n.* 9. Dico ergo quòd per ſolam reuocationem omnis concurſus diuini ad tales actiones & paſſiones: per quam corpora Beatorum fiunt impaſſibilia proximè, non remotè. *n.* 10. Nec eſt neceſſe Dotẽ ineſſe formaliter, vt nec ineſt ſponſæ: vel ineſt Beatis vt Ius ad illam præſeruationẽ. Quod ius non habent elementa, nec corpora damnatorum, ſed obligationẽ ad pœnã: ideoq; non eſt dos horum, ſed illorum. *n.* 11. Nec illa præſeruatio erit tunc miraculoſa: ſed ordinaria illius ſtatus.

N. 12. *Ad* 1. *Princ.* Non erit palpatio offenſiua: ſed vt *Luc.* 24. *Ioan.* 20. *Ad* 2. Poterunt eſſe ſenſationes quæ fiunt ſine imperfectione, vt viſus & auditus, per ſolam actionem intentionalem, quæ non excedet perfectionem potentiæ.

*Ad* 3. Si elementa manet in mixto, erit eis naturalius manere in corpore glorioſo, quàm diſſolui ad loca propria. Nec eſt Theologis verum, nullum violentum fore perpetuum. *Ad* 4. Actus repugnantes inter ſe, ſtant cum poſſibilitate ad oppoſitum.

QVÆST. 16. *An corpora Beatorum erunt agilia?*

N. 2. *Reſp.* Hic ſunt 4. vel 5. videnda. 1. Quòd duplex ſit motus hominis: naturalis ex elemento prædominante, & progreſſiuus, ex cognitione. 2. *n.* 3. Quod Agilitas ſit habilitas ad promptè mouẽdum ſe localiter, ex perfecta vi motiua animæ, & congrua diſpoſitione corporis. 3. *n.* 4. Quod præter motum progreſſiuum & organicum, anima poſſit ſe & corpus ſuum, & aliud totum ſimul mouere, vt Angelus, &c. *n.* 5. 6. 7. 8. Nec ſit ad hoc opus duplici vi motiua: ſed eadem mouens nunc organicè partes minùs diſpoſitas, per magis diſpoſitas, poſſit tunc mouere omnes ſimul æquè diſpoſitas. Nec ſit nunc organica quaſi formaliter alicuius organi: ſed ſolius animæ, per aliquod tamen organum nunc magis diſpoſitum. Nec ſit vis operatiua quæ neceſſario recipiat ſuum actum: ſed ſit actiua ſeu factiua ſui motus, tam extra, quàm intra ſe. 4. *n.* 10. Quòd corpus glorioſum non fiat agile ad omnem motum, per leuitatem, aut vllam aliam qualitatem: quia leuitas eſſet contra conditionem propriam corporis humani, nec vlla qualitas poteſt diſponere ad omnes motus oppoſitos. 5. *n.* 11. Sed per ſolam intenſionem virtutis motiuæ in anima, & flexibilitatem membrorum, ac copiam ſpirituum ſubtiliorum in corpore, euacuatis denſis ac grauibus humoribus, ſine vllo alio dono ſupernaturali ex anima in corpus. Sic enim *Sap.* 3. Sicut ſcintillæ in arundineto diſcurent. *Iſa.* 40. Volabunt & non deficient, &c. *n.* 12. Nec Anima aggrauabitur, vt *Sap.* 9. ſola grauitate naturali ac neceſſaria corpori glorioſo: nec hoc tendet ad centrum, aut erit violenter in cœlo; quia erit ei naturalius informari & moueri à ſua anima glorioſa, quàm motu proprio. Hinc ſancti potiùs ſtabunt in cælo, quàm ſedebunt. Ex *S. Aug.* lib. de Symbolo.

N. 5. *Ad* 5. *Princ.* Poterunt moueri ad exercẽdam aliquam perfectionem corporalem. Nec motus cæli eſt neceſſarius ad omnem alium. Nec deerit duratio ſucceſſiua cuiuſuis motus: ſed ſolum tempus commune. *Ad* 2. Vel rapientur ſurſum ab Angelis, vel in inſtanti Reſur. propria agilitate, &c.

QVÆST. 13. *An corpora glorioſa erunt clara?*

*Reſp. n.* 2. Erunt clara vario perfecto colore lucido, ſecundùm cuiuſque meritum, & complexionẽ: imò & luce fulgente, ſi ſint eius capacia. Qui fulgor coloris, vltra perfectionem complexionis, eſt dos claritatis. *Sap.* 3. Fulgebunt iuſti ſicut ſol. 1. *Cor.* 15. Vt ſtellæ differunt claritate: ſic erit & Reſur. *Ad* 1. *Arg. n.* 3. Videtur ex *S. Greg.* quòd corpora glorioſa erunt colorata & perſpicua: vt vitra colorata, imò & lucida, cùm tamen hæc ſint opaca. Itaque poterunt eſſe perſpicua oculo glorioſo per minimos poros, vel ſaltem intellectui. *Ad* 2. Poteſt dici quod color & lux nõ repugnent. *Ad* 3. Corpus Chriſti non fuit viſum vt glorioſum poſt Reſur. ſed vt perſonæ Chriſti: Deo non coagente, non autem anima Beata potente continere vllam actionem naturalem corporis.

QVÆST. 16. *An corpus Beati per dotem ſubtilitatis poſſit ſimul eſſe cum alio corpore.*

*A. n.* 2. Negant Philoſophi, &c. ex 2. & 6. *Phyſ.* 4. *Metaph. n.* 4. Sed Theologi ſuſtinent. 1. *Durand.* & *Ocham in* 4. *d.* 24. Quòd anima beata poſſit ſuo corpore quodlibet aliud penetrare, ſine ſuum prout vult figurando, ſine aliud diuidendo. *Contra.* Non ſic Chriſtus natus eſt ex virgine; reſurrexit ex ſepulchro, intrauit ianuis clauſis, &c. Nec quæuis figura corporis eſt capax animæ. *n.* 5. *Ad Ariſt.* Non eſt repugnantia formalis in eodem ſubiecto, inter duo quanta: ſed tantùm virtualis, inter repletionem eiuſdem loci ab vno, & ab altero; poteſt tamen Deus ponere cauſam ſine effectu ſuo naturali, & hunc ſine illa. *n.* 7. 11. Duo indiuiſibilia ſimul, ſunt duo entitatiuè, ſed non extenſiuè. *Idem S. Bon. hic. a.* 2. *q.* 2. quamuis ſub alijs terminis, & in alio ſenſu improbetur à Scoto.

2. *n.* 9. *Ric. hic a.* 4. *q.* 5. Quòd Corpus glorio-

ſum ſit ſubtile,per vim eius actiuam penetrandi, & coexiſtendi alteri corpori non glorioſo,vt ignis penetrat ferrum.

3. *n.* 11. *Petrus de Tar. & alij*, quòd per qualitatem quandam oppoſitam groſſitiei. *Contra*. Corpus glorioſum eſt ſenſibile, & replens locum.

4. *n.* 12. *S. Thom. in* 4. *d.* 44. *a.* 2. *q.* 2. Quòd per conſeruationem diſtinctionis duorum corporum ſimul à ſolo Deo.

5. *n.* 14. *Henr. quodl.* 9. Quòd ſit ſubtile per conſeruationem quantitatis ſine ſuo ſitu, vt ſubiecti ſine ſuo accidente proprio.

6. *n.* 6. *Goffrid. quodl.* 6. *q.* 5. Quòd per conſeruationem corporis ſine ſuo modo quantitatiuo, ſeu extenſione locali. *Contra*. Corpus tale eſt cum alio in loco ſibi æquali.

7. *n.* 17. *Reſp. ad quæſt.* Quòd corpus glorioſum poteſt eſſe cum alio corpore: quia non eſt repugnantia inter vtriuſque ſubſtantiam,quantitatem,ſitum, aut vbi; ſed tantùm inter vtriuſque quantitatis effectum naturalem, ſeu repletionem localem, ſine qua poteſt quantitas vt naturâ prior conſeruari. *n.* 18. Hæc autem poſſibilitas & conſeruatio debetur huic corpori pro libitu animæ ſuæ. *n.* 19. Nec eſt ab aliqua qualitate abſoluta corporis glorioſi: ſed à ſolo decreto Dei,ex merito & iure ac voluntate animæ ſuæ.

N. 20. *Ad Arg.* 1. Subtilitas non eſt carentia alicuius materiæ. *Ad* 2. Plus eſt vnum corpus fieri ſimul in duobus locis, quàm duo in vno. *Ad* 3. duo quanta ſimul, non ſunt eadem vni tertio ſeu loco. *Ad* 4. Poſſet vnum corpus glorioſum coexiſtere alteri glorioſo: ſed nõ ex dote ordinaria ſubtilitatis.

*In diſt.* 50. QVÆST. 1.

*An quis recta ratione poſſit appetere non eſſe: ad fugiendam miſeriam?*

QVÆST. 2. *An damnati appetant non eſſe ad fugiendam miſeriam.*

*Ad Quæſtionem* 1. *n.* 1. Negant quidam de miſeria pœnæ. *n.* 2. Alij etiam de miſeria culpæ. *n.* 3. Quidam affirmant de miſeria culpæ, non pœnæ. *Contra*. *n.* 4. Non eſſe,videtur etiam maius malum quàm culpa. Nam culpa nõ eſt contra ipſum Deũ, ſed contra eius præceptum: nec priuat Deum vllo bono, ſed nos. Alioquin ipſe deus deberet potiùs annihilare peccatores & peccata, quàm vllum permittere, & quiuis deberet velle annihilari ad cauendum peccatum alterius.

*A n.* 5. *Reſp. Ergo ad Quæſt.* Quòd ad fugam mali pœnæ non licet appetere non eſſe. 1. Quia iuſtum & bonum eſt puniri. 2. quia appetitus naturalis eſſendi,eſt à Deo immediatè. Licet autem & debet quis malle, & pati à Deo non eſſe,quàm peccare, vel eſſe in culpa: ſed non ſeipſam priuare, aut ſi poſſet, velle priuare ſuo eſſe, ad fugam culpæ. Quia debet quis potiùs quidlibet pati aut malle pati, quã peccare: cùm pati non ſit vllum peccatum, nec maius ſed minùs malum quàm peccare. Debetque maius præceptum præferri minori: nec ipſum non eſſe ſit medium neceſſarium ad non peccandum. Hinc ex *Ariſt.* 9. *Ethic.* Patienda eſt mors ab alio, non autem ſibi ipſi inferenda, pro actu virtutis. i. quo quis vnitur fini meliori ſe. *n.* 13. *Ad* 1. *Arg.* ex *Matt.* 26. Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet. i. Debebat malle non eſſe, aut fuiſſe, *vt ſuprà*, vel minus ei malum fuiſſet non naſci ex vtero. *Ad* 2. Non eſt vllum bonum non eſſe: nec eſt eligibile ad vllum bonum, ex *Aug.* 3. *de lib. Arb.* *Ad* 3. ex *Anſel. l.* 3. *Cur Deus homo*, *cap.* 21. Annihilari potiùs eligendum eſſet: vt ſuprà.

*A n.* 14 *Ad Quæſt.* 2. Deberent malle non eſſe, quàm eſſe in peccato: ſed credo tamen quòd appetant non eſſe ad fugam pœnæ, non culpæ. *Apoc.* 9. Deſiderabunt mori & mors fugiet ab eis. *Sed hic deeſt Textui*: Quòd malendum ſit non eſſe quã tam miſerum eſſe. *Subdit enim*: Quia non eſſe ab æterno, non eſt maximum malum, nec per ſe odibile, ſicut hæc miſeria. *Vnde ait*, Si daretur mihi optio, eligerem potiùs non eſſe ſimpliciter, quàm in tali & tanta miſeria eſſe.

N. 15. Nec eſſe eſt maximè eligibile: nec non eſſe eſt formaliter malum odibile, ſed miſeria.

N. 26. *Ad* 1. *Arg.* Nolunt eſſe,quia in non eſſe nil mali imaginantur. Vel nolunt magis pœnam, contrariè: quàm non eſſe, negatiuè. *Ad* 2. Volunt ſimul beatitudinem,& non eſſe: conditionatè, non abſolutè.

QVÆST. 3. *An Beati videant pœnas damnatorum?*

N. 2. *Reſp.* Non vident vllas in genere proprio, nec viſione ſenſibili, nec intellectuali: ob nimiam diſtantiam. *n.* 3. Nec vident culpas, nec pœnam damni in Verbo ſeu Eſſentia Dei, niſi vt priuationes per ſua oppoſita: quia illæ non habent nec imitantur vllam Idæam in deo; ſed vident omnes eorum pœnas poſitiuas, ex Eſſentia Dei viſa &c. de Idea, & ratione eſſentiali cognoſcendi omnia in Deo, vt in 1. *d.* 7. 9. 28. *q.* 3. *N.* 5. Nec gaudent abſolutè de eis viſis, niſi ex complacentia Iuſtitiæ diuinæ: nec de eis triſtantur, quia non ſunt ab eis abſolutè nolitæ, nec ſunt capaces triſtitiæ. Vt nec Deus de eis gaudet, nec triſtatur: Sed *Iſa.* 1. *Heu conſolabor me de inimicis meis.* Hinc ad *Arg.*

QVÆST. 4. *An pœna omnium damnatorum ſit æqualis?* QVÆST. 5. *An Beatitudo omnium ſit æqualis?* QVÆST. 6. *An Beatitudo corporum erit æqualis?*

*Ad* 5. *Quæſt. Concl.* 1. *n.* 2. 3. 4. Poteſt eſſe inæqualis in eadem ſpecie. *Ioan.* 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. 1. *Cor.* 15. Vt ſtella differt à ſtella,&c. Quia vt grauia inæqualiter circa centrum quieſcunt, ſecundùm ſuam grauitatem: ſic & Beati circa Deum, ſecundùm ſua merita; nec appetunt plus quàm Deus vult, pro tali diſpoſitione, &c. *Vt in* 3. *d.* 13. *q.* 2. *n.* 5. *Concl.* 2. Hæc inæqualitas non poteſt eſſe ab eodem obiecto infinito. *Concl.* 3. Nec poteſt eſſe ex ſola potẽtia paſſiua in omnibus æquali, niſi ob inæqualem diſpoſitionem. *n.* 6. *Concl.* 4. Sed ex potentia actiua; vel extrinſeca ſolius Dei inæqualiter beatificantis, ob inæquales diſpoſitiones; vel etiam intrinſeca voluntatũ inæqualium, aut charitatis inæqualis. *n.* 7. *Concl.* 5. Poteſt eſſe æqualis vel inæqualis,ex æquali aut inæquali voluntate & charitate, pro maiori vel minori illius conatu: ſed eſt æqualis aut inæqualis, pro æqualitate aut inæqualitate meritorum. *n.* 8. Beati fruuntur Deo, inæqualiter: infra Deum, plus diligunt ſeipſos ſeu ſuam beatitudinem minorem, quã aliorum maiorem: ſed hanc plus extenſiuè, quàm ſuam;

Digitized by Google

ſuam. Nec tam hinc oritur maius gaudium, quàm inde. *n.* 10. *Ad* 1. *Arg. huius Quæſt.* Idem denarius, *Matt.* 20. vel eſt vita æterna, vel idem obiectũ beatificum. *Ad* 2. Res poteſt inæqualiter intelligi, & tamen ſicuti eſt. *Ad* 3. ex *Aug.* Erit omnium par gaudium, extenſiuè.

N. 11. *Ad Quæſt.* 6. Dotes beatificæ Corporum, quæ ſunt qualitates poſitiuæ, erunt æquales aut inæquales ſecundùm merita: quæ autem ſunt tantũ quædam Dei præſeruationes, priuatiuè, aut negatiuè, non ſunt inæquales. Hinc ad *Arg.*

N. 12. *Ad Quæſt.* 4. Pœna damni, vt priuatio inuoluntaria beatitudinis propinquæ, poteſt eſſe inæqualis ex inæqualitate nolitionis, & ordinationis ad Beatitudinem. Qui enim grauius peccat, priuat ſe maiori rectitudine debita ſuo actui, & maiori affectione iuſtitiæ: ſicque maiori ordinatione ad maiorem beatitudinem, & contrahit maiorem amorẽ proprium, ac nolitionem pœnæ.

N. 14. Pœna vermis, ſeu triſtitia & remorſus conſcientiæ de culpa vt cauſa pœnæ, erit inæqualis vt ipſa culpa, ex inæquali conatu peccandi, & nolendi pœnam: ſicut ſupra maius meritum & præmium eſt ex inæquali conatu, non autem ex inæquali voluntate vel actu. Pœna ignis erit inæqualis, ex inæquali igne, vel eius applicatione, actione, & paſſione, ſecundum demerita, &c.

N. 16. *Ad* 1. *Arg.* Pœna damni vt ſola priuatio, non eſt inæqualis: ſed vt inæqualiter demerita, priuans bono inæquali, & inæqualiter nolita. *Ad* 2. Vt de pœna ignis ſupra. *Ad* 3. Datur peiori maius bonum pœnæ, ſed non illi bonum. *Ad* 4. Inæqualitas pœnæ ſumenda eſt intenſiuè, non extenſiuè in infinitum: quia nec culpa eſt formaliter infinita, ſed quanta eſt bonitas formalis oppoſita; niſi vt illa eſt auerſio ab infinito, hæc conuerſio ad illud.

## *Collatio Doctrinæ Alenſis.*

Ex p. 1. q. 2. De cognitione Dei in ſe. q. 28. De prædeſtinatione. q. 29. De reprobatione. q. 33. De libro vitæ. q. 39. De Miſericordia & Iuſtitia Dei in omnibus operibus eius. Ex p. 2. q. 4. De cauſa finali omnium. q. 23. De cognitione Angelica. *q.* 24. De dilectione naturali. *q.* 25. De dilectione libera A. *q.* 59. *ad* 94. De Anima rationali, & corpore, ac natura humana, eiuſque paſſibilitate & mortalitate. *q.* 111. 112. 113. 114. De pœnis Dæmonum. *q.* 121. De pœna mortis in omnes poſteros Adæ. *q.* 155. De inuidia. *q.* 174. De deſperatione. Ex *p.* 3. *q.* 1. De lapſu naturæ humanæ. *q.* 25. De aduentu Chriſti ad Iudicium. *q.* 82. De Articulis fidei. *p.* 4. *q.* 55. De ſubiecto pœnitentiæ. *q.* 65. *m.* 3. De remiſſione finali venialium. *m.* 4. De Purgatorio, ex 1. *Cor.* 3. *q.* 83. De Indulgentijs etiam pro Animabus Purgatorij. *q.* 84. De Satisfactione. *q.* 85. De eius vtilitate. *q.* 91. De Oratione, quorum ſit orare. *q.* 92 Quis ſit orandus. *q.* 93. Pro quibus ſit orandum.

# *SVPPLEMENTVM DOGMATICVM, Scholaſticum, & Morale.*

# QVÆSTIO I. DE MORTE.

## *AN ET QVAM SIT CERTVM OMNES ET SINGVLOS HOMINES MORITVROS?*

SVPPLENDO, quod à noſtris Doct. ſupponitur ex 2. *d.* 19. de pœna mortis, & hic ex ipſa Reſur. *Reſp.* Videtur eſſe de fide: vt expreſſum verbo Dei. *Gen.* 3. Morte morieris. *Pſal.* 83. Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem? *Rom.* 5. 1. *Cor.* 15. In Adam omnes moriuntur. *Hebr.* 9. Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium: Et contentum ſub Articulo Reſurrectionis generalis, vt monet noſter *Al. p.* 3. *q.* 82. *m.* 5. *art.* 2. Nec Chriſtus ſeipſum, aut Matrem ſuam excepit.

*Contra.* 1. Enoch *Gen.* 5. Viuus tranſlatus eſt. *Heb.* 11. Ne videret mortem. 2. Elias 4. *Reg.* 2. Viuens raptus fuit in cœlum. 3. Ex illo Chriſti. *Ioan.* 21. de ipſo S. Ioanne Euang. *Sic eum volo manere donec veniam: exijt ſermo inter fratres quod diſcipulus ille non moritur.* 4. Ex 1. *Cor.* 15. in textu græco. *Non omnes dormiemus.* 5. Ex 1. *Theſſ.* 4. Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi: *Deindè nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis obuiã Chriſto in aëra.* 6. Ex Symb. *Nic. & Athan.* Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos. 7. Poteſt quis excipi à decreto generali mortis, vt & peccati Orig. 8. Non continetur ſub Art. Reſur. niſi ex ſuppoſitione: poſſetque reſurgi à ſolo ſtatu mortali ad immortalem. 9. Necdum eſt definitum.

*Ad* 1. & 2. Enoch & Elias fuerunt tranſlati ne tũc viderent ſeu experirentur mortem: ſed ſub Anti-Chriſto, *Apoc.* 11. De quo infraq. 8. *Ad* 3. Error ille de S. Ioanne, ibidem corrigitur: *Et non dixit Ieſus non moritur; ſed ſic, vel ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te?* i. ſine morte violenta &c. apud interpretes. *Ad* 4. Vel textus ille græcus, negat tantùm ſomnum ſeu moram mortis, vel eſt corruptus, nec conformis alijs græcis, noſtroque latino: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Ad* 5. Viui tunc ſuperſtites ante raptum, vel in ipſo raptu per ignem conflagrationis morientur, & vel

Digitized by Google

vel incinerati, vel ab hoc incẽdio præſeruati ſubitò reſurgent. Ex *Aug.* 20. *Ciu.* 20. *Ad* 6. Viui & mortui iudicandi. *i.* vel iuſti & iniuſti, vel vt ſupra. 1. *Theſſ.* 4. Vel qui viui & mortui fuerint, non autem qui nunquam vixerint, vel qui tunc adhuc mortui ſint. *Ad* 9. Poteſt quis abſolutè excipi: ſed à ſolo Deo, non à nobis; nec ab obligatione eredendi, quia nullius eſt credibilis exceptio præ Chriſto & eius Matre. *Ad* 8. Cùm Reſurrectio propriè ſit à morte ad vitam: ſub fide Reſur. tam intrinſecè continetur fides mortis à qua reſurgitur, quàm vitæ ad quam. *Ad* 9. Tam eſt expreſsè reuelatum, naturaliter notum, & expertum: vt vix fuerit ſeriò controuerſum, ſicque nec definiendum, ſed ſine definitione credendum.

# QVÆSTIO II.

## *AN ET QVAM SIT CERTVM SINGVLOS iudicari ſtatim poſt mortem.*

*Reſp.* VIdetur etiam de fide. Ex *Hebr.* 9. Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium. *Eccl.* 11. In fine hominis denudatio operũ eius. *Luc.* 16. 23. *Apoc.* 14. Et ex omnibus ſcript. de punitione aut præmiatione, imò & damnatione ac beatificatione animarum ſeparatarum: quæ non poteſt eſſe ſine iudicio particulari ſingularum, nec ſecreto aut dubio, ſed ordinario & ſingulis certo. Hinc *S. Cypr.* De Mort. *Dum ad Chriſtum pergimus, præmium vitæ & fidei ipſo iudicante capiamus. S. Aug. lib.* 2. de Orig. animæ cap. 4. *Rectiſsimè & valdè ſalubriter credit, iudicari animas cùm de corporibus exierint*, &c. Idem *lib. de cura pro mortuis*, refert & approbat viſionem cuiuſdam Curinæ de hoc Iudicio morientium: Et *S. Gregor. lib.* 4. *dial. cap.* 36. viſionem cuiuſdam *Stephani*. Quamuis neuter approbet, niſi ad quandam occaſionem & confirmationem viſionis: quòd illi ſibi videbantur quodam errore mortis ad iudicium pro alijs eiuſdem nominis rapti; Ideoque vitæ reſtituti, illis alijs ad iudicium per veram mortem reuocatis.

Non eſt tamen certum quo modo, loco, tempore vel inſtanti fiat: ſed probabilius, quòd vt *Rom.* 12. *Teſtimonium reddente conſcientia, & cogitationibus accuſantibus & defendentibus.* 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare quoád vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Non quaſi à Chriſto ſemper apparente; ſed eius virtute diuina: quia *Ioan.* 5. Deus Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis eſt. Quodq; nullo inſtanti huius vitæ ac viæ, quo quis adhuc conuerti aut peruerti poteſt: ſed ſtatim poſt mortẽ, velut ſubita quadam corruſcatione & conuictione conſcientiæ, ſiue extra, ſiue adhuc intra corpus, ſiue inſtantaneè, ſiue celerrimè.

Nec obſtat quod quidam reſurgant ad hanc vitam & viam: quòdque referantur aliquorum iudicia ſuſpenſa vel dilata, vel quibuſdam animabus ſeparatis adhuc incerta. Quia Deus poteſt illa ſuſpendere, differre, quibus & quando vult reuelare, imò & fortè ipſis animabus iudicatis in pœnã occultare, aut in dubium reuocare, per inaduertentiã, & quaſdam paſſiones peſſimas ſed inuoluntarias, quibus ſolent etiam optimæ animæ in hac vita ſcrupuloſè torqueri & purgari. Vt ſentit *Dyon. Carthuſ.* cum alijs, *lib. de* 4. *Nouiſſimis*, ex quibuſdam reuelationibus ibi relatis.

# QVÆSTIO III.

## *AN, QVÆ, ET QVAM CERTA SINT DE Purgatorio Animarum?*

*Reſp.* ESt de fide aliquas poſt hanc vitam purgari à quibuſdam reliquijs peccatorũ, & peruenire ad ſalutem æternam per proprias ſatiſpaſſiones ſeu pœnas temporales, & per alienas pro eis ſatisfactiones, orationes, & ſacrificia: non tamen tam certum, à quibus reliquijs, nec per quas pœnas, nec quo loco, nec quanto tempore; ſed probabilius, quòd ab omnibus reliquijs pœnarum, & culparum venialium, per ignem etiam materialem, actione ſaltem intentionali, & per acerbiſſimas pœnas ſpirituales, in loco ordinario communi ac ſubterraneo, tempore nobis incerto, ſed illis reliquijs, & pœnis debitis, ac ſuffragijs proportionato. De quibus omnibus ſparſim dogmaticè & ſcholaſticè: vt ſupra ex *Alenſ. à col.* 640. *ad* 643. *à* 666. *ad* 673. 681. Ex *S. Bon. à col.* 699. *ad* 703 Ex *Scoto* 723. Ex noſtris Quæſt. *à col.* 566. 567. 742. 743. Sed hic ſub Quæſt. propria, dogmaticè.

Conſtat ergo eſſe de fide. 1. Ex varijs ſcript. 2. *Mach* 12. Vbi ſic approbantur ſacrificia pro defunctis: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Tobiæ 4. *Panem & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* Vtiq; in eleemoſinam pro defunctis: prout etiam diu moris fuit in Eccleſia. 1. *Reg. vlt.* 2. *Reg.* 1. & 3. Dauid & alij flent & ieiunant pro mortuis. *Pſal.* 65. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium: vt exponit *S. Ambr. in Pſal.* 36. & *ſerm.* 3. *in Pſal.* 118. Iſa. 4. *Purgabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion.* &c. *Spiritu iudicij & combuſtionis.* Malach. 3. *Sedebit quaſi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos*, &c. vt exponit *S. Ambr.* in Pſal. 36. *Aug.* 20. *Ciu.* 25. Matt. 5. Luc. 12. *Non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem. Matt.* 5. De tribus gradibus & pœnis iræ, quas *Aug.* exponit pro Purgatorio *l.* 1. *de ſerm. De omni in monte c.* 19. Matt. 12. De quodam peccato *irremiſſibili in hoc futuro ſeculo*: ergo quædam alia ſunt remiſſibilia in futuro. Ex *Aug.* 21. *Ciu.* 24. & 6. *in Iul.* 5. Luc. 16. *Facite vobis amicos*, qui poſt hanc vitam recipiant vos in cœlum. i. iuuent ad ſalutem. 1. *Cor.* 3. De quibuſdam in hac vita ædificantibus ſuper fundamento Chriſti, ſed ex *lignis, fæno, ſtipula*, ſeu ex materia combuſtibili: qui ex his ſuis domibus igne iudicij Dei probatis & accenſis, *ſalui quidem fient, ſed quaſi per ignem.* 1. *Cor.* 15. Quidam *baptizantur pro mortuis*: nec improbantur; ergo baptiſmo pœnitentiæ. *Luc.* 23. *Memento mei*, &c. vtique poſt mortem, ex *Aug.* 6. *in Iul.* 5. Act. 2. *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni.* Phil. 2.

In

Digitized by Google

*In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, &c. Quorum quædam ſūt certa, clara, & expreſſa ad intentum: alia dubia obſcura, magis minúſue probabilia; ſed ex accumulatione, & ſequenti ſanctorum patrum ac Conc. interpretatione conualeſcunt.

2. Conſtat ex Traditione & praxi publica, communi, & continua totius Eccleſiæ, ſacrificandi, orandi, ieiunandi, dandi eleēmoſynas pro defunctis. Vt patet ex omnibus Liturgijs, ſeu Ritualibus Sacrificij Miſſæ, ex antiquiſſimis Monumentis, Documentis, & moribus omnium fidelium. Porro 1. *Tim.* 3. *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis.* Matt. 16. *Portæ inferni non prævalebunt adverſus eam.* S. Aug. Epiſt. 118. *Contra diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*

3. Conſtat ex hac communi Patrum doctrina, interpretatione ſacræ Script. & relatione ac approbatione huius traditionis & praxis. *S. Dion. Areop. c.* 7. *Eccl. Hier. Antiſtes precem ſacram ſuper mortuum peragit, &c.* Tertul. lib. *De corona militis* refert ſuffragia pro Defunctis inter *Traditiones Apoſtolicas.* Lib. de Monog. *Offerat annuis diebus dormitionis eius.* Lib de anima cap. 7. *Ille te in carcerem mittet infernum: vnde non dimittaris, niſi modico quoque delicto mora Reſurrectionis expenſo.* Orig. hom. 35. in Luc. *Si qui paruum debet non egreditur niſi exſoluat minutum quadrantem: vtiq; qui tanto debito* 10000. *talentorum fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum ſecula numerabuntur.* S. Cypr. lib. 1. Epiſt. 9. *Epiſcopi anteceſſores noſtri cenſuerunt, &c. ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Lib. 4. Epiſt. 2. *Aliud eſt ad gloriam peruenire, aliud miſſum in carcerem non exire inde donec, &c. Aliud ſtatim mercedem accipere, aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari & purgari diu igne, &c. S. Baſil. in cap.* 9. *Iſa.* & *S. Ambr. in* 1. *Cor.* 3. & in *Pſal.* 36. De ſaluandis per ignem, &c. *lib.* 3. *Epiſt.* 8. Non tam plorandam ſororem, quàm proſequendam orationibus reor, & Oblationibus animam Deo commendandam. *S. Chryſ. hom.* 41. Iuuetur mortuus precibus, eleemoſynis, &c. *S. Hier. in vlt. Eſa. & in* 4. *Amos.* De ſaluandis per ignem. *Epiſt ad Pammachium.* Sanctam fauillam eleemoſynæ balſamo rigat. *S. Aug.* toto libro de cura pro mortuis. Vt cap. 1. *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis ſacrificium: ſed etſi nuſquam in Script. legeretur, non parua eſt Eccleſiæ quæ in hac conſuetudine claret, authoritas: vbi in precibus Sacerdotis quæ ad altare funduntur locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Ibidem *vt &* 21. *Ciu.* 24. *Enchir.* 100. *ſerm.* 32. *de verbis Apoſt.* monet Eccleſiæ ſuffragia prodeſſe defunctis, *qui cùm viuerent vt hæc ſibi prodeſſe poſſent meruerunt*: ſicque conciliat cum illo Rom. 14. *Referet vnuſquiſq; ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, &c.* lib. 2. de gen. contra Manich. c. 20. *Qui fortè agrum non coluerit, & ſpinis opprimi permiſerit, &c. habebit poſt hanc vitam vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. L.* 20. *Ciu.* 9. De vnione piorum defunctorum cum Eccleſia, eorumque commemoratione ad altare. *cap.* 25. De quibuſdam pœnis purgatorijs in ipſo extremo iudicio, ex *Eſa* 4. *Mal.* 3. *l.* 21. *cap.* 13. & 24. ex *Matt.* 12. De pœnis purgatorijs poſt mortem. *Pro defunctis quibuſdam, vel ipſius Eccleſiæ, vel piorum quorundam exauditur oratio, &c. Sicut etiam facta Reſurrectione non deerunt quibus poſt pœnas quas patiuntur ſpiritus mortuorum impertiatur Miſericordia, vt in ignem non mittantur æternum.* Subdit quòd nonniſi ante ſententiam finalem. *Cap.* 26. De pœnis purgatorijs poſt hanc vitam, ex 1. *Cor.* 3. *cap.* 27. De ſalute quorundam poſt mortem, per eos quibus in vita benefecerunt, ex Luc. 16. *Lib. De fide & operibus, cap.* 15. 16. De ſaluandis per quendam ignem purgatorium leuiorum peccatorum, ſiue in hac vita, ſiue poſt, ex 1. *Cor.* 3. In Pſal. 37. *In hac vita purges me, & talem me reddas cui iam emendatorio igne non opus ſit, &c. Quia dicitur*, Saluus erit, &c. 1. Cor. 3. *contemnitur ille ignis; grauior tamen erit quàm quicquid pati poteſt homo in hac vita. In Pſal.* 80. *Tract.* 84. *in Ioan. Quæſt.* 2. *ad Dulcitium. Serm.* 17. & 32. De verbis Apoſtoli. *Orationibus S. Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis non eſt dubitandum mortuos adiuuari: vt cum eis miſericordiùs agatur, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuerſa obſeruat Eccleſia. lib.* 9. *Conf. cap.* 13. Refert hæc ipſa ſuffragia ſua & ſuorum pro matre ſua defuncta, eamque commendat precibus & ſacrificijs lectorum ſuorum. *Lib. De hæreſ. cap.* 53. imputat Aërio in hæreſim, quòd improbaret preces & ſacrificia pro defunctis. *Serm.* 41. de Sanctis. *Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quicquid poteſt in hoc ſæculo cogitari aut ſentiri: & cùm mille anni tanquam dies vnus apud Deum, vnde ſcit quiſ an diebus, vel menſibus, vel fortè annis per illum ignem ſit tranſiturus?*

4. Conſtat eſſe de fide ex ſacris Conc. eorumque expreſſis definitionibus contra hæreſim oppoſitam Aërij, & quorumuis aliorum. *Later. magno cap.* 66. *Flor.* ex conſenſu totius Eccleſiæ Græcæ & Latinæ: proteſtantibus Græcis ſe ſemper idem crediditſe, ſed ſolùm de pœna ignis materialis dubitare. *Trid. ſeſſ.* 25. Decreto de Purgatorio.

5. Ex neceſſaria connexione Purgatorij cum alijs punctis fidei: vt cum diſtinctione inter culpas mortales & veniales; cum remiſſione culparum, reſeruata obligatione ad pœnas temporales; & cum neceſſaria purgatione omnis culpæ, pœnæ, maculæ, &c. ante beatificationem, *Apoc.* 21. cùm tamen ante perfectam illarum purgationem plurimi in ſtatu gratiæ ex improuiſo vel aliter moriantur, vnde neceſſe eſt eos poſt mortem purgari.

6. Ex ſenſu communi & pio affectu humano ad animas defunctorum: non niſi lumine aut inſtinctu rationali, vel traditione communi totiùs generis humani.

7. Ex fide humana & publica variarum viſionum, reuelationum, & miraculorum, de aliquo purgatorio animarum poſt mortem. Ex quibus omnibus, ſi non ſingulis, ſaltem accumulatis, abundè conuincitur intentum.

## OPPOSITIONES.

1. EX 2. *Machab.* 2. & 1. *Cor.* 15. Quaſi fruſtra oretur pro mortuis, niſi ad eorum Reſurrectionem.



Digitized by Google

rectionem. 2. *Pſal.* 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hereditas Domini, &c.* 3. Apoc. 14. *Beati qui in Domino moriuntur : amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.* 4. Eccl. 9. *Quodcumq; poteſt manus tua inſtanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* 5. 2. Cor. 5. *Recipiet vnuſquiq; prout geſſit in ſuo corpore.* 6. Eccli. 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut Aquilonem, ibi manebit.* 7. Ezech. 18. *Omnium iniquitatum non recordabor.* 8. Rom. 8. *Nihil damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu.* 6. Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* 10. Matt. 25. *Venite benedicti, &c. Ite maledicti, &c.* 11. Ex ſola fide & meritis Chriſti ad perfectam ſalutem. 12. Ex SS. Patribus, ſingulariter *B. Aug.* qui ſæpè dubitat de Purgatorio, & tranſitu illo per ignem, 1. *Cor.* 3. ante, vel poſt mortem. Vt *Enchir.* 69. *quæſt.* 1. *ad Dulcitium. De fide & oper. cap.* 16. *lib.* 20. *&* 21. *Ciu.* per totum. Imò & aliquando negare videtur : vt *Epiſt.* 80. ad Heſych. *Requiem, ſi ea dignus eſt, tunc accipit quiſq; cùm morituri. In Hypogn.* & alibi ſæpè negat locum medium inter Beatos & damnatos.

*Ad* 1. Quia niſi reſurgerent, animæ non viderétur immortales, aut non plus beatificarentur quàm earum corpora, aut non eſſet orandum pro mortuis, ſed tantùm pro eorum animis, &c. *Ad* 2. Futura Reſur. generalis eſt ad illam hæreditatē. *Ad* 3. Id de ſolis Sanctis, vel *amodò* .i. à fine mundi : vel non vt olim, ſed ex nunc ſub lege gratiæ Requies Beata patet omnibus ea dignis : vt 2. Cor. 15. *Habemus domum æternam in cælis* .i. patentem omnibus dignis *Ad* 3. Eſt de ſolis impijs, vel de ſpatio communi merendi in hac vita. *Ad* 5. Eſt etiam de ſpatio merendi in corpore, omnem Dei fauorem extra corpus. *Ad* 5. Vel eſt de lapſu irreuocabili mortis communis : vel de ſtatu æterno gratiæ aut culpæ mort. in qua quis moritur. *Ad* 7. Non recordatur vllius culpæ remiſſæ : ad malum pœnitentis, ſed ad bonum ſatisfactionis & perfectionis eius. *Ad* 8. Id eſt, nihil eſt culpabile in baptizatis, niſi voluntariè : vel nihil etiam puniendum, ſed corrigendum & perficiendum, &c. *Ad* 9. Eſt priuilegium illius Latronis, quaſi Martyris : ergo non omnibus commune. *Ad* 10. Poſt extremum illud Iudicium non erit vltra Purgatorium. *Ad* 11. vt ſupra *à col.* 742. *ad* 746. *Ad* 12. B. Aug. non negat niſi purgatorium impiorum & damnatorum. *L.* 3. *contra Fauſtum c.* 4. *De fide & oper. cap.* 15. 16. *l.* 22. *Ciu. à cap.* 17. *ad* 27. *Enchir.* 112. *contra Origeniſtas & ſimiles.* Negat locum medium, ſed æternum inter Beatos, & damnatos pro defunctis in ſolo orig. Vt *l.* 21. *Ciu. c.* 24. *l.* 1. 2. 3. *De anima & eius orig. In Hypogn.* & alibi ſæpè contra Pelag. Negat noua merita, nouam gratiam, aut remiſſionem poſt mortem, niſi ex meritis huius vitæ. Vt in *Pſal.* 48. Ad ſpiritus mortuorum non peruenit niſi quòd viui fecerunt. *Epiſt.* 80. Qualis quiſque moritur, talis tandem iudicabitur .i. quoad ſtatum gratiæ, vel non. Negat nunc Lymbum, ſeu remoram Sanctorum à ſua beatitudine, vt ante mortem Chriſti. Hinc 20. *Ciu.* 15. Deinceps boni fideles effuſo pretio Chriſti iam Redempti, inferos neſciunt.

Dubitat an purgatio illa per ignem 1. *Cor.* 3. ſit tantùm poſt hanc vitam, an etiam in hac vita, imò & in extremo iudicio : an ſit per ignem materialem, vel per quamlibet Dei punitionem. *Vt l.* 1. *qq. Euang. q.* 15. *De fide & oper. c.* 15. 16. *l.* 21. *Ciu. c.* 13. *q.* 2. *ad Dulc.* Dubitat an illa ſit purgatio ab omnibus culpis venialibus, pœnis, & affectibus corporalibus. Vt patet ex 21. *Ciu.* 26. *Enchir.* 69. Dubitat de qualitate, quantitate, duratione pœnarum Purgatorij : Imò de quouis loco pœnæ animarum; quia nec videntur vllius loci capaces, nec vllus locus capax eas locandi aut puniendi. Vt patet *l.* 1. *Retr.* 5. *& l.* 2. *c.* 24. Vbi retractat hoc ſuum dubium de vllo loco continente animas. De quibus omnibus *Tom.* 2. *noſtræ Anat. ſeu comm. in B. Aug. col.* 66. Indicum : & infra *q.* 4. 5. 6. 7. 8.

Supereſt *Diff.* quid & vnde Animæ tam perfectæ & confirmatæ in gratia poſſint voluntariè pati?

*Reſp.* Ex ipſa ſua perfectione fidei, ſpei, charitatis, & virtutum pati poſſe varias & maximas triſtitias Attritionis & Cōtritionis, de peccatis præteritis, eorumque reliquijs, maculis, rugis, vitijs, reatibus, & omnibus remoris beatæ viſionis & fruitionis Dei: non tā vt effectibus iuſtitiæ Dei, quā culpæ propriæ, contra inclinationem propriam voluntatis Dei ad beatificandas illas animas. Præter alias pœnas ex actione reali vel intentionali ignis, aut aliorum obiectorum : de quibus infra.

# QVÆSTIO IV.

## *AN QVÆ, ET QVAM SINT CERTA DE praxi Indulgentiarum etiam pro Defunctis.*

*Reſp.* Eſt de Fide contra eodē Hæreticos, quod hæc praxis Eccleſiæ ſit pia, & viuis ac defunctis ſalutaris : non tamen quibus, quantum, & quomodò proſint. An per modum Abſolutionis, Solutionis, oblationis, acceptationis, gratuitæ remiſſionis, impetrationis, vel ſolius commendationis: ſed eſt probabilius quod proſint animabus determinatis præ alijs, ad remiſſionem pœnæ determinatæ, per ſolutionem ex theſauro ſatisfactionum Chriſti ac Sanctorum, eiuſque ordinariam à Deo acceptationem.

I. Ex S. Script. *Concilijs PP. q.* 3. de Purgatorio.

II. Ex Infallibili doctrina, praxi, & Traditione Eccleſiæ, in re tanti momenti. *Matt.* 16. Portæ inferi non præualebunt. *Luc.* 22. Rogaui pro te vt non deficiat fides tua, &c. 1. *Tim.* 3. Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis. 1. *Cor.* 11. Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. *S. Aug. Epiſt.* 118. Diſputare quin faciendum ſit quod vniuerſa facit Eccleſia, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

III. Ex copioſa Chriſti Redemptione. *Pſal.* 129. Eiuſque deſcenſu ad inferos, ſolutis doloribus & purgatorij, *Act.* 2. & eius portis reſeratis: non tantùm ad illam extraordinariam liberationem defunctorum antiquæ legis, ſed & ordinariam legis nouæ. Quò enim ſemel realiter deſcendit : & ordinariè

nariè virtualiter influit ad ſimiles effectus.

IV. Ex poteſtate ordinaria Eccleſiæ, ligandi, ſoluendi, aperiendi cœlos, diſpenſandi merita & ſatisfactiones Chriſti ac Sanctorum. *Mat.* 16. 18. 1. *Cor.* 4. Quæ poteſtas eius non eſt reſtricta, nec reſtringenda, ſed amplianda ad omnes modos, & ad omnes alicuius modi capaces: quales ſunt etiam animæ purgatorij, ſaltem per modum ſuffragij ſeu impetrationis.

V. Ex poteſtate ordinaria Eccleſiæ ſacrificandi etiam pro defunctis: ergo & offerendi Deo quælibet opera bona & Deo grata, vt ſacrificia ſpiritualia, annexis Indulgentijs ſeu ſatisfactionibus Chriſti ac Sanctorum pro defunctis.

VI. Ex Charitate proximorum, *Luc.* 10. Cura mutua commembrorum, 1. *Cor.* 12. in portandis etiam mutuis oneribus peccatorum, *Gal.* 6. Et ex communione generali Sanctorum, in omnibus bonis communicabilibus, per omnia opera miſericordiæ ſpiritualis: quorum pij defuncti ſunt capaciores, indigentiores, & digniores quàm viui, &c. Nam non ſunt ab Eccleſia eiuſque Communione ſpirituali ſeparati: vt ille diues Epulo, ab Abraham & Lazaro. *Luc.* 16. Teſte *B. Aug.* 20. *Ciu.* 9.

VII. Ex ſpeciali communicatione ſatisfactionũ & paſſionum inter fideles, tam viuos quam defunctos: quia nec hi excipiuntur, & illi cum his communicant; ergo & hi cum illis. *Pſal.* 118. Particeps ego ſum omnium timentium te. *Phil.* 1. Qui baptizantur pro mortuis, &c. *Coloſ.* 1. Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis; & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore eius quod eſt Eccleſia. Hinc *B. Aug. in Pſal.* 61. Chriſtus patitur in membris ſuis. i. in nobis ipſis, ad communem hanc quaſi Rempublicam. Nam quiſque pro modulo exoluimus quod debemus: & pro poſſe virium noſtrarum quaſi Canonem paſſionum inferimus, paratoria plenaria, &c. *In Pſal.* 86. Impletæ ſunt paſſiones in Capite, reſtabant in corpore.

VIII. Ex vtilitate cuiuſuis boni operis ac laboris. 1. *Cor.* 15. Labor veſter non eſt inanis in Domino. *Hebr.* 6. Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri. Ergo quod ſupereſt viuis poteſt Eccleſia applicare defunctis.

IX. Ex varijs exemplis, & miraculis Indulgentiarum pro viuuis & defunctis. 2. *Cor.* 2. Cui aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos, in perſona Chriſti. *Tertul. lib. ad Martyres. S. Cypr. ſerm. de lapſis, & l.* 3 *epiſt.* 15. *Conc. Nyc. c.* 11. *Ancyr. c.* 5. Referunt, ad commendationem Martyrum & Confeſſorum, pænitẽtias Canonicas ab Eccleſia remiſſas fuiſſe. Quæ remiſſio non fuiſſet ſalutaris, niſi Deus eam ratam habuiſſet. *S. Greg.* ante annos 1000. conceſſit, vel fortè in ordinem redegit Indulgentias ſtationum Romæ. *Leo III.* ante annos 800. conceſſit Indulgentias Eccleſiæ Aquiſgranenſi. *S. Bern.* ab annis 500. Prædicauit Indulgentias, & miraculis confirmauit. *S. Franciſcus* ab annis 400. Impetrauit à Chriſto, eiuſque in terris Vicario, celeberrimas illas & miraculoſas Indulgentias Portiunculæ. *Innoc. III.* ab annis 400. In ipſo magno Conc. Later. cõceſſit Indulgentiam Plenariam pro ſubſidio terræ ſanctæ. *Clemens V. in Conc. Vien.* conceſſit Indulgentiã pro feſto Corporis Chriſti. *Bonif. VIII.* Indulſit Iubilæũ quolibet anno 100. *Clem VI.* anno 50. *Sixtus IV.* anno 25. vt patet *ex Comm. Extrauag. Vnigenitus, & Quemadmodum.* Nec vllus vnquam, reſtrinxit Indulgentias ad ſolos viuos. Nec ſunt nouæ expreſsè pro defunctis: ſed ab *annis* 700. *in Eccleſia.* S. Praxedis, à Paſchali. Nec poteſt vlla earum origo reperiri, aut improbari: ſed ipſe *S. Greg. l.* 2. *dial.* refert & approbat quandam quaſi abſolutionẽ aut ſolutionem defunctorum à pœna excommunicationis per S. Benedictum.

X. Ex Definitione *Conc. Later. Vien. Conſtant. Seſſ.* 8. contra Art. 42. Vicleffi. *Trident. ſeſſ.* 25. De Indulgentijs, ſine vlla reſtrictione ad viuos.

XI. Ex doctrina *Clementis* 6. in Extrauag. *Vnigenitus.* De quodam *copioſo profluuio Redemptionis Chriſti, & acquiſito Eccleſiæ ſuæ theſauro infinito ſatiſfactionum eius, cumulato ſatiſfactionibus Beatæ Dei genitricis, & omnium Sanctorum, & commiſſo diſpenſationi Eccleſiæ, non tantùm per ſacramenta & ſacrificia, ſed etiam per Indulgentias.*

XII. Ex Doctrina communi antiquiorum Scolaſticorum: Vt Alenſis noſtri ſuprà col. 666. 669. 670. *q.* 63. de Indulgentijs. *S. Bon. col.* 700.

XIII. Ex quadam communi pietate condonandi & indulgendi potius defunctis quàm viuis.

XIV. Ex ratione naturali ac morali charitatis & iuſtitiæ diſtribuæ bonorum communium, in proximiores, pauperiores; miſerabiliores, & digniores: quales ſunt animæ purgatorij, vt propinquores Deo ac ſuo fini, impotentiores, & digniores, ſeu de Deo & Eccleſia melius meritæ. Vt ergo Eccleſia illo ordine eſt diſpenſatrix bonorum temporalium: ſic & ſpiritualium.

XV. Ex iure quodam cognationis ſpiritualis, redimendi cognatas animas ex purgatorio.

XVI. Ex *col.* 565. 574. 620. 621. 622. 666. 744. 745. Inter quæ, illa ſunt certæ fidei catholicæ, quæ ex hac fide in ſenſu expreſſo & concordi totius Eccleſiæ practicantur: reliqua ſunt piæ fidei, ſeu ſpei, vel fiduciæ; eòque probiliora, quò illis conformiora, minuſque inter fideles controuerſa.

## *OBIECTIONES.*

1. Eccli. 9. Mortui non habent vllam partẽ in hoc ſæculo. 2. *Matt.* 16. 18. Poteſtas Eccleſiæ reſtringitur *ſuper terram.* i. ad ſuos ſubditos. 3. *Hebr.* 6. 10. Impoſſibile eſt lapſos per Baptiſmum renouari: ergo nec per indulgentias plenarias. 4. *Pſal.* 48. Frater non redimit, redimet homo. 5. *Luc.* 7. Serui inutiles ſumus, &c. 6. *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c. Ergo nihil ſuperfluit. 7. Chriſtus meruit ſibi ipſi gloriam æquè infinitam ac ſunt eius merita. 8. Peccata noſtra ſunt etiam æquè infinita. 9. Merita Chriſti infinita ſunt à Chriſto determinatè annexa Sacramẽtis ſeu ſignis ſacris ab ipſomet inſtitutis; quibus poteſtas Eccleſiæ eſt alligata: ergo ipſa non poteſt inſtituere noua ſigna, nec eis aut prioribus annectere nouas indulgentias. 10. Pæna purgatorij eſt ſoli Deo reſeruata: ergo non eſt ab Eccleſia remiſſibilis.

miſſibilis? 11. Praxis Indulgentiarum eſt contra ordinem Charitatis & Iuſtitiæ: quia per eam ditiores & ſæpè indigniores ſaluarentur ante pauperes & digniores. 12. *E*ſt tantùm relaxatiua pœnæ Canonicæ, non autem diuinæ. 13. *E*ſt ridicula, ad centenos & millenos annos pro eadem anima: vel ad plenas, pleniores, pleniſſimas. 14. *E*ſt contradictoria, vt pro eadem anima fiant plurima ſacra ad Altare priuilegiatum. 15. *E*ſt contra praxim perfectionis, & pœnitentiæ propriæ. 16. Non poteſt ſubeſſe cauſa iuſta ſic validè diſpenſandi. 17. Si eſt iuris diuini, non poteſt id Papa ſibi ſoli appropriare, & *E*piſcopis inhibere. 18. *E*ſt abuſus, ad lucrum pecuniæ, potiùs quàm animarum. 19. Non poteſt eſſe pluſquam oratio ſeu commendatio *E*ccleſiæ. 20. Nec prodeſt niſi eis qui meruerunt ſibi prodeſſe. 21. *B. Aug. Serm.* 47. *De Sanctis.* Non dixit Chriſtus, nauiga ad Occidentem vt accipias Indulgentiam, &c. 22. Non conſtat quomodo valeant: ergo nec an valeant.

*Ad* 1. Non habēt vllū ius propriū. *Ad* 2. Reſtringitur ſubiectiuè, non obiectiuè & terminatiuè .i. ad hos Miniſtros, non autem circa hos ſolos. Nam poteſt quis ex loco ſuæ Iuriſd. iudicare ſuos extra. Vel reſtringitur ad non abſoluendum niſi ſubditos præſentes ſuper terram: ſed extenditur ad ſoluendum amicos abſentes. *Ad* 3. Impoſſibile eſt moraliter ipſi pœnitenti: ſed non Deo & *E*ccleſiæ indulgenti. *Ad* 4. Nemo redimit ſeipſum aut alium à culpa, ſed à pœna. *Ad* 5. Sumus inutiles Deo: non nobis, & alijs. *Ad* 6. Vt meritoriæ non ſunt cōdignæ gloriæ: ſed vt ſatisfactoriæ pro pœna. *Ad* 7. Chriſtus proprio iure habuit, non meruit ſibi gloriam, niſi fortè corporis & nominis, inæqualem ſuis meritis. *Ad* 8. Peccata noſtra ſunt tantùm infinita obiectiuè, quoad culpam: merita autem Chriſti etiam principiatiuè, & ſatisfactoriè. *Ad* 9. Solus Chriſtus inſtituit ſigna certa gratiæ & remiſſionis culpæ ac pœnæ æternæ: ſed Eccleſia vtitur ſignis Chriſti ad remiſſionem etiam pœnæ temporalis; & inſtituit quædam vt media vel conditiones illius remiſſionis, per annexas ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum. Ita vt ſit quadruplex remiſſio pœnæ. 1. Sacramentalis, vel baptiſmalis & totalis ex ſolo Opere operato; vel pœnitentialis, per aliquam propriam ſatisf. Sacram. 2. Sacrificialis, per impetrationē infallibilem ipſius Chriſti. 3. Cæremonialis, per annexas preces Eccleſiæ. 4. Indulgentialis, non quaſi abſque vllā ſatisf. aut impetratione, nec ex ſola Chriſti, ſed & Sanctorum ſatisf. & ex illo quaſi Thezauro communi æquā ſolutione, ac redemptione à reatu pœnæ. *Ad* 10. Pœna purg. in ſe, vel in æquiualenti, eſt ſoli Deo reſeruata, vt ab alio non poſſit abſolui, ſed æqualiter ſolui. *Ad* 11. Eccleſia ſatis commendat hunc ordinem, & Deus facilè prouidet per ſuas gratias actuales, vt fideles priùs procurent ſalutem digniorum, quàm indigniorum, permittendo horum negligentiam vel obliuionem. *Ad* 12. Non eſt ſemper relaxatio pœnæ canonicæ: ſed ſemper diuinæ, aut non eſſet ſalutaris. *Ad* 13. Non quaſi ad tot annos purgatorij aut huius vitæ, ſed pœnæ canonicæ pro tot & tantis peccatis ſimul. Nec plena, plenior, pleniſſima, eſt plus quàm plenaria, ſed expreſſio omnis plenitudinis poſſibilis. *Ad* 14. Fiunt plura pro eadem, vel tantùm impetratoriè, vel ne priora oblita aut neglecta fuerint, vel ne ſingula non ſint ſatis proportionata fini huius Indulgentiæ, vel ne anima ſit nimis indigna hac liberatione ordinaria, vel ex abundanti, &c. *Ad* 15. Imò eſt mouere peccatores ad pœnitentiam internam, ſub ſpe facilis remiſſionis pœnæ: imperfectos ad frequentiora & meliora, imò & perfectiores ad charitatem Dei, ſui, & proximorum, maximè defunctorum. *Ad* 16. Non eſt tam diſpenſatio in lege communi purgatorij, quàm diſpenſatio ſeu diſtributio ordinaria ſatisfactionum Chriſti ad ſolutionem pœnarum: non tamen validè ſine cauſa ſeu ſine Deo hîc & nunc gratiore, & per opera ſeu media ad illum proportionata; quia aliter diſpenſatio non eſſet prudens & fidelis, nec rata. Qualis finis eſt maior Dei cultus, amor Eccleſiæ, conuerſio peccatorum, pax publica fidelium, ſalus animarum: media, ſunt exercitia & exempla publica fidei, ſpei, charitatis, & omnium virtutum, per ſacrificia, ſacramenta, orationes, ieiunia, opera miſericordiæ, &c. potiùs vt exemplaria publica, quàm vt meritoria vel ſatisfactoria; quia potiùs vt ad illos fines publicos, communes, Deoque gratiores, quàm ad priuatum & internum proportionata. *Ad* 17. Hæc poteſtas eſt Iuriſdictionis: ideoque poteſt eam Papa ſibi reſeruare; imò videtur eſſe ſoliùs Iuriſd. principalis nullo loco limitatæ. *Ad* 18. Deus vtitur hoc ipſo abuſu paucorum, ad bonum plurimorum: quem tamen vt & alios multos ſæpè corrigit per Papam & Concil. vt Later. Vien. Conſtant. Flor. Trid. *Ad* 19. Poteſt hæc commendatio *E*ccleſiæ eſſe certa: quaſi ex iure quodam patronatus & fundatione Chriſti. *Ad* 20. Non prodeſt niſi eis qui perſeuerando in gratia & charitate, eaque benè vtendo in hac vita, meruerunt poſſe, vel etiam actu iuuari poſt mortem, hac *E*ccleſiæ charitate ordinata & ſubordinata diuinæ erga ſolos defunctos in charitate. *Ad* 21. Non de hac Indulgentia ſolius pœnæ, ſed & culpæ, eiuſque facili apud Deum venia vbique, per condonationem mutuam iniuriarum. *Ad* 22. Imò eò plus conſtat de poſſibili, & de facto, quo pluribus modis fieri poteſt. 1. Per remiſſionem purè gratuitam, citra omnem condignam ſolutionem propriam vel alienam: vt imputatur noſtro *Maironio in* 4. *d.* 19. *q.* 2. cùm tantùm doceat dari ex Iuriſdictione plenaria Papæ, vt Rex poteſt dimittere omne debitum in ſuo regno. 2. Ex ſolis meritis ſeu ſatisf. Chriſti: vt tribuitur *Durando in* 4. *d.* 20. *q.* 2. 3. Ex cumulatis meritis ſeu ſatisf. SS. vt ſupra 4. Per modum abſolutionis etiam defunctorum, vt adhuc viatorum, à pœnis: ſiue ſint in loco Iuriſd. ſiue extra. 5. Per modum ſolius ſuffragij, ſeu impetrationis pro defunctis, ex precibus Eccleſiæ ad hunc finem ſpecialiter annexis quibuſdam operibus, vt cæremonijs publicis Eccleſiæ, & promiſſione communi vel ſpeciali exauditionis. 6. Per modum ſuffragij, quaſi ex quodam iure eligendi, determinandi, aut præſentandi animas capaces, ad remiſſionem pœnarum, ex oblatis & applicatis ſatisf. Chriſti, & SS. qui modus videtur conformior praxi Eccleſiæ, &c. *Col.* 699. 670. 744. 745.

QVÆST.

Digitized by Google

## QVÆSTIO V.

*An, quid, & quàm certum ſit de ſtatu Sanctorum Defunctorum ante mortem Chriſti?*

NEgat Caluinus & tenaciores Caluiniſtæ, eorum animas fuiſſe in inferno aut loco inferiori, vel minùs beatas quàm nunc.

*Reſp.* Eſt de fide eas nec tunc fuiſſe beatas viſione intuitiuâ ac fruitione Dei, nec in cœlo ſeu loco ordinario beatitudinis: ſed in ſtatu & loco inferiori; non tamen tam certum quo loco, modo, & ſtatu, ſed probabilius quòd non in ſtatu pœnæ poſitiuæ & actualis, ſed conſolationis & quietæ expectationis.

I. Ex deſcenſu Chriſti ad inferos, & Aſcenſione ad cœlum. De quibus in 3. ex profeſſo.

II. Ex ſacra ſcript. vt Eph. 4. *Aſcendens in altū captiuam duxit captiuitatem, dedit bona hominibus. Quod autem aſcendit quid eſt: niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* 1. Reg. 28. & *Eccli.* 46. De apparitione & aſcenſu animæ Samuelis. *Eſa.* 38. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi, &c. Dixi non videbo Dominum Deum, &c.* Zach. 9. *Tu autem in ſanguine Teſt. eduxiſti vinctos de lacu.* Eccli. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Luc.* 16. De Lazaro in ſinu Abrahæ conſolato, & diuite in inferno cruciato. *Luc.* 23. *Hodie mecum eris in paradiſo* .i. Ab hodie, tu & alij.

III. Ex *Conc. Tolet.* 4. *Later.* ſub *Innoc.* 3. De deſcenſu Chriſti ad inferos.

IV. Ex doctrina & traditione continua SS. Patrum: vt vice omnium, S. Aug. 20. Ciu. 15. *Si non abſurdè credi videtur antiquos etiam ſanctos, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed tamen apud inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret: profectò deinceps boni fideles, effuſo illo pretio iam redempti, prorſus inferos neſciunt, &c.* Quòd ſicubi de Inferis aliter ſentire aut loqui videtur: ſatis retractat, ſeu ſeipſum explicat. 2. *Retr.* 24. *De Inferis magis mihi videtur dicere debuiſſe quod ſub terris ſint: quàm rationem reddere cur ſub terris eſſe credantur, ſiue dicatur, quaſi nõ ita ſit.*

## OBIECTIONES.

1. LVc. 16. Erat magnum & intranſibile chaos inter illas ſanctas animas, & damnatas: ergo illæ non erant in inferno. 2. Illæ tunc erant in ſinu Abrahæ, in quo & nunc dicuntur eſſe, & precamur vt ſint. 3. Sacra Script. refert earum quaſi ſuſpiria ad Chriſti aduentum: ergo patiebantur. 4. *S. Aug.* ſæpè dubitat de ſinu Abrahæ, & loco animarum. Imò *Epiſt.* 99. ad Euodium: *Illis iuſtis qui in ſinu Abrahæ erant, cùm Chriſtus in inferna deſcenderet, nondum quid contuliſſet inueni, à quibus eum ſecundum beatificam præſentiā ſuæ diuinitatis nūquam video receſſiſſe, &c. In paradiſo atque in ſinu Abrahæ ante iam erat beatificante ſapientia: & apud Inferos, iudicante potentia, &c.* 5. Ad quid locus ille pœnalis animabus ſanctis, & ab omni reatu expiatis?

*Ad* 1. Magnum illud chaos, non erat tam diſtantia localis, quàm differentia ſtatus. *Ad* 2. Sinus Abrahæ erat tunc quietæ expectationis, non fruitionis. *Ad* 3. Illa quaſi ſuſpiria erant preces viuorū, vel defunctorum in Purgatorio, vel etiam Sanctorum in Lymbo: vt & nunc orant in cœlo; & expectant ſuam Reſur. ſine tædio. *Ad* 4. Meritò dubitat quis ille ſit aut fuerit niſi obiectiuus, ad quietandas aut beatificandas animas, vel illocabiles, vel ad omnem locum indifferentes, & nullo loco ſed ſolo obiecto beatificabiles. Hinc in *Pſal.* 85. Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. *Fortaſſis apud inferos eſt aliqua pars inferior quò trudduntur impij.* Luc. 16. *Ergo inter iſta fortaſſè duo inferna, quorum in vno quieuerant animæ iuſtorum, in altero torquentur animæ impiorum, &c.* de liberatione præſeruationis ab hoc inferno. *Epiſt.* 57. ad Dardanum. *An ſinus ille Abrahæ,* Luc. 16. *vel paradiſi cenſendus vocabulo, vel ad inferos pertinere exiſtimandus ſit, non facilè dixerim.* lib. 2. qq. Euang. q. 18. *Sinus Abrahæ requies eſt beatorum pauperum, &c. Intelligitur ſecretum Patris, quò poſt paſſionem ſuam Chriſtus aſſumptus eſt.* In Pſal. 30. *Abſcondes eos in abſcondito vultus tui. Non dixit in cœlo, in paradiſo, in ſinu Abrahæ, &c. Vileſcat quicquid eſt præter Deum, &c. Ipſe poſt hanc vitam ſit locus noſter. Quis ſinus eſt in facie Dei? Eſto domus eius, & erit domus tua.* Epiſt. 99. ad Euod. *Paradiſum, ſinum Abrahæ, ſeu tantæ fœlicitatis locum non eſſe quandā partem Inferorum: &c.*

Ad quæ *reſp.* Bellarm. *l.* 4. *de Chriſto c.* 16. ex *S. Thoma p.* 3. *q.* 52. *a.* 5. *ad* 1. quòd *Aug.* ibi tantùm dubitet quid Chriſtus ſuo deſcenſu ad inferos profuerit iuſtis ad ſoluendos dolores, quibus non ſuberant. 2. Ex ſeipſo, *B. Aug.* tunc adhuc dubitaſſe de loco ſinus Abrahæ, deque neceſſitate aut vtilitate deſcenſus Chriſti ad Beatificandas illas animas, à quibus nunquam abſuerat præſentia ſuæ diuinitatis, quæ ſola beatificat. Sed addendum videtur ex noſtra *Anat. ſeu comment. col.* 959. *in hanc Epiſt.* 1. *B. Aug.* Nil hîc reſoluere, ſed inquirere. 2. Vocare præſentiam Dei beatificam, ſpecificatiuè .i. quæ ſola eſt beatificatiua, non reduplicatiuè, quaſi ibi perfectè beatificaret. 3. Agnoſcere ibi præſentiam & ſapientiam Dei etiam actu beatificantem: ſed voluntariè, ſapienter, ordinatè, imperfectè, ſecundùm illum ſtatum. 4. Non dubitare quin Chriſtus illos meritoriè beatificauerit; ſed an ſuo illo deſcenſu. 5. Dubitare de eorum ex tunc Reſur. 6. De loco ſignato per ſinum Abrahæ, per Paradiſum, imò & per ſummum cœlum: de quo ampliùs *q.* 7. *Ad* 5. Nullus locus eſt ex ſe pœnalis aut beatificus ſpirituum: ſed cùm hi ſint finiti, habent terminum ſuæ naturæ & præſentiæ; cumque ſint partes huius totius vniuerſi, poſſunt in eo ordinari & à Deo ſapienter ordinantur ad corpora, ſecundùm perfectionem, vel imperfectionem, naturalem, moralem, ſupernaturalem. Porrò cùm Animæ eſſent adhuc priuatæ luce viſionis ac fruitionis Dei: ſapienter ordinabantur ad locum ſeu corpus opacum, obſcurum, tenebroſum.

# QVÆSTIO VI.

## *AN, QVID, ET QVAM CERTVM SIT, DE ſtatu defunctorum in ſolo peccato Originali.*

NEgabant Pelagiani pueros ſine Baptiſmo defunctos, damnari, aut perfectè beatificari in regno Dei; ſed imperfectè in loco ſeu ſtatu medio inter damnatos & perfectè beatos: quia nolebant eos eſſe reos peccati orig. ſed in ſtatu tantùm naturali, nec baptizari ad remiſſionem vllius peccati, ſed ad ſolam gratiam & gloriam Dei. Vt patet ex *col.* 205. 206. De Baptiſmo. Hinc *B. Aug.* tam grauiter cenſurat illum locum ſeu ſtatum medium, vt fidei catholicæ contrarium: lib. 3. de Origine Animæ cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequàm baptizentur morte præuentes peruenire poſſe ad originalium veniam peccatorum, ſi vis eſſe catholicus.* cap. 11. *Noli credere, nec dicere, nec docere aliquas manſiones eſſe extra regnum Dei, quas eſſe Dominus dixit in domo patris ſui, ſi vis eſſe catholicus.* cap. 12. *Noli credere, nec dicere, nec docere ſacrificium pro ijs qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, ſi vis eſſe catholicus.* cap. 13. *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos qui ſine baptiſmate Chriſti ex hac vita migrauerint, interim non ire in regnum cælorum, ſed in paradiſum: poſtea vero in Reſur. etiã ad regni cælorum Beatitudinem peruenire, ſi vis eſſe catholicus.* Tract. 67. in Ioan. *Reſpuendi ſunt qui dicunt ideò multas eſſe manſiones,* Ioan. 14. *quia extra regnum cælorum erit aliquid vbi maneant Beati Innocentes, qui ſine Baptiſmo ex hac vita emigrarunt. Hæc fides non eſt fides, quoniam non eſt vera & Catholica fides. Abſit vt ipſius Regiæ domus pars aliqua non ſit in Regno.* Serm. 14. De verbis Apoſt. cap. 1. *Non eſt quæſtio vtrum paruuli baptizandi ſint, ſed quare.* cap. 2. *Nos dicimus eos, non aliter ſalutem æternam & vitam habituros: ij autem dicunt, non propter ſalutem, ſed propter Regnum Cælorum, &c. Ergo eſt æterna vita extra Regnum Cælorum, &c.* cap. 3. *Hic error eſt auerſandus ab auribus, extirpandus à mentibus, &c.* Matt. 25. Ite, venite, &c. *Nullus relictus eſt medius locus vbi ponere queas infantes.* cap. 9. *Pace eorum dicam, qui cuiquam ſalutem promittit ſine Chriſto, neſcio vtrum ipſe ſalutem habere queat in Chriſto.* lib. 21. Ciu. 25. *Si in Regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur: quia nõ non eſt medius locus.* Quibus permoti rigidiores B. Auguſtini diſcipuli cenſent eſſe contra fidem Catholicam, aut ſaltem expreſſam mentem B. *Aug.* excipere paruulos ſine baptiſmo defunctos, à loco & pœna poſitiua damnationis æternæ: multò magis eis tribuere aliquam beatitudinem naturalem. Pleriquе tamen leniores neutrum putant eſſe contra fidem, nec contra *B. Aug.* intentionem. Vt patet ex noſtro *Alenſi p. 2. q. 122. m. 18. S. Bon. in 2. d. 33. & Scoto* ibidem.

*Reſp.* Eſt de fide omnes defunctos in peccato originali damnari ſimpliciter, ſaltem ad pœnam priuatiuã damni, ſeu priuationem æternam viſionis & fruitionis Dei, in inferno: non eſt tamen de fide nec de mente *B. Aug.* damnari ad vllam pœnam poſitiuam, corporalem vel ſpiritualem, nec priuari omni oblectatione naturali; ſed tota doctrina noſtri *Al. Bon. & Scoti* ſupra, eſt valdè probabilis.

Quia nec ſacra ſcript. nec Eccleſia in Conc. *Mil. Arauſ. Flor. Trid.* nec ipſe *Aug.* plus aut minùs exprimit. Vt patet 1. Ex Conc. Flor. *Definimus illorum animas qui in actuali peccato mortali, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Vbi exprimitur locus & diſparitas pœnæ, vt & culpæ. Ergo quàm eſt diuerſa culpa Orig. ab actuali: tam diuerſa pœna. 2. Ex cenſura *Pij 5. & Greg. 13.* in hanc Prop. 47. *Bai*: *Ex habituali voluntate dominante fit, vt paruulus decedens ſine regenerationis Sacram. quando rationis vſũ conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Blaſphemet, & legi Dei repugnet.* Quæ ſequerentur ex tantis pœnis, ſine gratia patiendi.

## 3. *Ex Reſp. ad Obiectiones.* 1.

MAtt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum,* &c. *Et ibunt in ſupplicium æternum.* Sub qua ſententia B. *Aug.* inuoluit & pueros non baptizatos, vt iudicandos & condemnandos ex geſtis aut non geſtis aliorum circa ipſos.

*Reſp.* 1. Ex noſtro *Al. p. 2. q. 122. m. 10. §. 1.* Ibunt in ignem vt tenebroſum, & priuatiuum illius beatæ lucis, non autem vt ardentem. Quia ignis ille poteſt eſſe inſtrumentum obiectiuum priuandi ſuo obſcuro phantaſmate omnes damnatos illa luce: non vrendo corpora illorum puerorum, nec torquendo eorum vt aliorum animas vllo dolore aut triſtitia; quia non oritur niſi ex aliquo actu oppoſito, cuius illi pueri non erunt capaces.

*Reſp.* 2. *Ex S. Bon. in 2. d. 33. Art. 3. q. 1. Puniuntur priuatione viſionis Dei, & vilitate loci inferlis*: ſed ſine vlla inde pœna poſitiua corporali aut ſpirituali; quia vt nunquam habuerunt, ſic nec habebunt vllum actum contrarium concupiſcentiæ, nec vltra deficient ad malum, aut proficiet in bono, ſed erunt ſemper in eodem ſtatu mali moralis.

*Reſp.* 3. Ex Scoto in 2. d. 33. *Puniuntur æterni ignis ſupplicio: in ſenſu diuiſo .i. quod eſt in igne æterno.* Vel vt ſupra, obiectiuè.

*Reſp.* 4. Illam ſententiam non ferri integrè niſi in reos propriorum peccatorum actualium & mortalium: vt patet ex toto contextu; ſed inuoluere omnes damnatos quò ad ſeparationem à Beatis. Nec omiſſio Baptiſmi puerorum ab adultis, imputatur his ad vllum nouum reatum. Nec obſtat quod pueri Baptizati non ſolùm adiudicentur Beatitudini eſſentiali, ſed etiam delectationi ſpirituali & corporali. Tum quia Deus præmiat vltra, ſed punit citra condignum: & odia ſunt reſtrigenda, fauores ampliandi. Tum quia ex ſola beatitudine eſſentiali neceſſariò & immediatè ſequitur delectatio: non autem ex ſola illius priuatione, triſtitia; ſed ex illius cognitione & nolitione.

## *OBIECTIO.* 2.

S. *Aug.* Supra & vbique vult tales ſimpliciter damnari cum alijs, & quamuis alijs leuiùs, tamẽ grauiùs

Digitized by Google

grauiùs quàm ad omnia huius vitæ tormenta. Ergo comparat poſitiuè & intenſiuè, non priuatiuè. Vt lib. de pec. meritis & rem. *Poteſt dici paruulos omnes ſine baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſsima futuros. Multùm autem fallit & fallitur qui eos in damnatione prædicat non futuros.* lib. 5. contra Iul. c. 11. *Non dico paruulos ſine Baptiſmo morientes tanta pœna eſſe plectendos, vt eis non naſci potiùs expediret: cùm hoc Dominus non de quibuſlibet, ſed de ſceleſtiſsimis dixerit,* Matt. 26. *Si enim quod de Sodomis ait,* Matt. 10. *Alius alio tolerabiliùs punietur: quis dubitauerit paruulos non baptizatos in damnatione omnium leuiſsima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit quamuis definire non poſſim: non tamen audeo dicere quòd eis vt nulli eſſent potiùs expediret.* Enchir. 93. *Mitiſsima sanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum aliud addiderunt, &c. Tantò quiſque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hic minorem habuit iniquitatem.* Cap. 12. *Fruſtra quamplurimi æternam damnatorum pœnam humano miſerantur affectu, &c. Quæ ſi ſola eſſet quanta ibi minima cogitari poteſt: perire à regno Dei, alienari à vita Dei, tam grandis eſt pœna; vt ei nulla poſsint tormenta quæ nouimus comparari, ſi illa ſit æterna, iſta autem ſint quamlibet multis ſæculis longa.*

*Reſp.* 1. Ex S. Bon. *in* 2. *d.* 33. *a.* 3. *ad* 1. & 2. *S. Aug.* vult tantùm eos *puniri graui pœnâ, & in inferno, contra hæreſim Pelagianam*: declinando ab illa ad oppoſitum, vt ſiſtat in medio. Hinc *Enchir.* 93. vocat eam *mitiſsimam.* Quam reſp. *Scotus* ibidem refert quaſi *B. Aug.* exceſſiuè loquatur, vt ſolent Sancti contra hæreſes. Non quaſi *B. Aug.* ex aliquo impetu declinaſſet à vero ad falſum, vel exceſſiſſet ipſam veritatem: vt quidam imperiti conantur eneruare omnem eius authoritatem; ſed quòd declinauerit & exceſſerit vltra certitudinem fidei.

*Reſp.* 2. *B. Aug.* ſupra tantùm cenſurare eos qui illis pueris tribuebant quandam innocentiam & beatitudinem naturalem, quandam manſionem in domo Dei extra Regnum Cœlorum, quendam ſtatum ac locum medium inter Beatos & damnatos, imò ſperabant eis perfectam cum alijs beatitudinem poſt Reſurr. vt patet ex textibus eius ſeuerioribus. Ex alijs autem, facilè colligi poteſt, eum tam benignè ſenſiſſe quàm fides ferre poteſt. 1. Quia vix aliter vocat puerorum pœnam, quàm damnationis æternæ: quæ à ſolo damno denominatur, & in eo ſolo eſſentialiter conſiſtit. 2. Cenſet eam eſſe *omnium leuiſsimam, mitiſsimam, tolerabiliorem, minimam excogitabilem ſeu poſsibilem, perire à regno Dei, alienari à vita Dei, &c.* Ergo tantùm priuatiuam; quia nulla poſitiua poteſt eſſe intenſiuè leuiſſima, mitiſſima, minima, tolerabilis in tali ſtatu ſine impatientia, odio, inuidia, blaſphemia, eoque grauiore, quo ex ſolo demerito alieno non proprio. Nec obſtat quòd *ſit tam grauis vt ei nulla poſsint tormenta quæ nouimus comparari*: quia ſunt diuerſi generis, nec comparantur intenſiuè, ſed extenſiuè, in duratione, *ſi illa ſit æterna, &c.* 3. *lib.* 21. *Ciu.* 29. & *Enchir.* 112. Indulget omnem mitigationem poſſibilem damnationis æternæ. 4. *lib.* 1. *de liber. Arb. cap.* 23. Monet *non eſſe metuendum ne vita eſſe poſsit media quædam inter rectè factum atq; peccatum: & ſententia media eſſe non poſsit inter præmium atq; ſupplicium.* Infra. *Quis nouit, quid paruulis de quorum cruciatibus maiorum duritia contunditur, aut exercetur fides, aut miſericordia probatur, bonæ compenſationis reſeruet Deus?* Quæ quamuis ex *Epiſt.* 28. *ad S. Hier.* & *lib. de bono perſeu. cap.* 11. 12. videantur de ſolo ſtatu naturali, ſiue poſſibili, ſiue conſiderato ſine culpa orig. & reſtringi ad pueros patientes pro Chriſto, vel ſaltem baptizatos: indicant tamen ſenſum mitem B. Aug. de iudicijs Dei circa pueros innocentes à culpis actualibus. 5. *Lib.* 5. *Ciu. à cap.* 11. *ad* 16. De mercede temporali Romanorum, pro geſtis aut paſſis amore patriæ, & vanæ gloriæ. *Quæſt.* 1. *in Exodum.* De mercede obſtetricum, &c. Quæ præter miſericordiam, & æquitatem Dei ſupernaturalem, ſupponunt quandam connaturalem ad omnes creaturas. 6. *l.* 5. *Contra Iul.* 11. Non audet eis vt alijs præferre non eſſe: ergo ob ſtatum ab alijs valdè diuerſum.

## *OBIECTIO 3.*

NOſter *Al.* & *S. Bon.* fatentur ex *B. Aug.* tales damnari ad infernum, imò & ad ipſum ignem inferni: ſupponuntque eos ſcire ſuam damnationem, & eius cauſam; ergo ex natura ſua, & vitio naturæ, ſine vllo remedio gratiæ, nolunt quantùm poſſunt, indeque grauiſſimè dolent, & triſtantur; imò & poſt Reſur. æquè patientur pœnas ſenſibiles, ac nunc patiuntur ob ſolam culpam orig. cùm nulla dote animi aut corporis præſeruandi ſint. *Reſp.* Damnari ad Infernum, vel fortè etiam ad ipſum ignem inferni, vt ſupra ex Alenſi: nec notitia naturali ſuæ damnationis moueri ad vllum actum aut paſſionem contrariam; quia ſunt in ſolo ſtatu orig. & quaſi habituali, moraliter immutabili in actualem: nec priuari vlla vi naturali, ſed morali benè vel malè operandi; quia ſunt in termino morali, non naturali: nec pati pœnas ſenſibiles vt in hac vita; quia nunc patiuntur vt mortales, nunc actiones & paſſiones ſunt communes, & connaturales, tunc ſupernaturales; nunc ſunt alij fines patiendi, tunc non patiendi: nec præſeruari vllâ gratiâ vel dote, ſed prouidentia Dei ordinaria pro illo ſtatu. Vt latiùs in Abſolutione noſtri Tomi 2. in Aug. contra illam prop. 47. Baij: ab ipſa etiam experientia, quòd adulti non baptizati non blaſphement Deum, &c. *col.* 174. 175.

Adde ex *Flor.* vt omnes pœnæ ſint diſpares, hos eſſe ſupra illos, mirùs què priuari luce & cognitione naturali ipſius etiam Dei.

# QVÆSTIO VII.

*Quid, & quàm certum ſit de Beatitudine præſenti animarum?*

NEgarunt *Tertul. lib.* 4. contra Marcion. *Vigilantius* apud *S. Hier.* Armeni & Græci, in Concil. *Flor. ſeſſ.* 1. Luther. in *Gen.* Calu. 4. *Inſtit.* 20. negantque horum tenaces ſectatores, animas beatificari clara viſione & fruitione Dei ante Reſur. generalem: ſed eo vſque latere & quieſcere in

*ſinu*

*ſinu Abrahæ*, ſeu in ſpe promiſſionis Dei, ac ſecura eius expectatione.

*Reſp*. Eſt de fide Animas ſanctas, ab inſtanti mortis, vel ſufficientis purgationis beatificari, plurimaſque eſſe beatas perfecta beatitudine eſſentiali & æterna claræ viſionis & fruitionis Dei: ſed non eſt tam certum de perfectione intenſiua, extenſiua, & loco Beatitudinis præſentis. 1. Ex ſacra Script. *Matt*. 5. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. *Luc*. 23. Hodiè mecum eris in Paradiſo. *Apoc*. 14. Beati qui in Domino moriuntur. *Act*. 7. Stephanus vidit cœlos apertos, &c. *Phil*. 1. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. 2. *Cor*. 4. Momentaneum & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c. cap. 5. *Stimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra diſſoluatur, &c. habemus æternum in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram quæ de cælo eſt ſuperindui cupientes, &c. ſcientes quia dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem, bonā voluntatē habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum, &c.* 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Eph. 4. *Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Heb*. 9. De via cœli aperta, & introductione per Chriſtum. *Heb*. 12. De Eccleſia nunc triumphante, ex Beatis Angelis & Animabus. *Apoc*. 6. & 7. De ſtola prima, ſeu gloria eſſentiali Martyrum. *Matt*. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris .i. A ſuo ſtatu perſeuerantiæ: ergo & animæ Sanctæ. *Exod*. 3. 33. 1. *Cor*. 12. Ab illa viſione Moyſis, & Apoſtoli: ad beatificam Sanctorum. *Luc*. 16. A damnatione præſenti impiorum, ad beatificationem Iuſtorum. *Prou*. 3. Spes quæ differtur affligit animam. *Leuit*. 10. Non eſt differenda merces meriti completi. *Eccli*. 11. Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere, &c.

2 Ex definitione *Benedicti 12. Extrauag. Benedictus Deus*, & *Conc. Flor*. ac *Trid. ſeſſ. vlt*. praxique publica ac antiqua colendi & inuocandi Sanctos, vt ſic beatos. Nam in feſto *S. Greg*. Deus qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beat. præmia contuliſti.

3. Ex Doctrina SS. Patrum. *S. Ign. Epiſt. ad Rom.* Sinite me puram lucem aſpicere, &c. *S. Dion. cap. 7. Eccl. Hier.* De ſinu Abrahæ, &c. Iſta ſunt perfectiſſima Sanctorum præmia, &c. Illud eſt quòd oculus non vidit, &c. *Iren. l. 1. c. 2.* Iuſtis quibuſdam, &c. claritatem æternam circumdat *S. Cypr. lib. 4. Epiſt. 2.* Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire, &c. *l. De Martyrio.* Quanta ſecuritas, claudere in momento oculos quibus homines videbantur, & aperire eos ſtatim vt Deus videatur. *S. Baſil. Hom. in 40. Martyres.* Appertæ ſunt vobis Paradiſi portæ. *S. Chryſ. Hom. 10. in 2. Cor. 10.* Cogita quantam lætitiam nobis allatura ſit manifeſta compræhenſio. Beati & ter beati qui illis bonis fruuntur, &c. *S. Amb. lib. 7. Epiſt. 59. ad Theſſal.* Acolius videt nunc facie ad faciem, &c. *S. Hier. in Vigilantium.* Ais vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſubtus aram Dei animas Apoſt. & Martyrum conſediſſe, &c. *Epiſt. ad Marcellam de obitu Lætæ.* Æterna beatitudine fruitur, &c. *S. Aug. 12 in Gen. 34.* Tertium cœlum ſunt animæ beatorum, &c. *l. 20. Ciu. 9. 13.* Animæ Martyrum cum Chriſto regnant. & *c. 15. l. 9. Conf. 3. Nebridius viuit in ſinu Abrahæ, quicquid illo ſignificatur: ibi Nebridius meus viuit, &c. Nam quis alius tali animæ locus? Ibi viuit, &c. & bibit quantum poteſt ſapientiam pro auiditate ſua ſine fine fœlix.* l. 5. de Bapt. c. 17. *O quàm gaudet Cyprianus? quanto ſereniùs in illa luce intuetur, &c?* lib. 7. c. 2: *Sereniùs perſpicit veritatem, &c. l. 2. qq. Euang. q. 38.* vt ſupra, *In pſal. 30. l. 4. Retr. 14. Quinam ſint Beatiſſimi, qui iam ſint in poſſeſſione quò ducit hæc vita, magna quæſtio eſt. Et Angeli quidem ſancti quòd ibi ſint, nulla quæſtio eſt: ſed de ſanctis hominibus iam defunctis vtrum ipſi ſaltem dicendi ſint iam in illa poſſeſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur. Iam enim corpore quidem corruptibili quo anima aggrauatur exuti ſunt: ſed adhuc expectant etiam ipſi redemptionem corporis ſui, & caro eorum requieſcit in ſpe, nondum in futura incorruptione clareſcit. Sed vtrum ad contemplandam cordis oculis veritatem facie ad faciem, nihil ex hoc minùs habeāt, nō eſt hic locus diſputādo requirere, &c.* lib. 12. in Gen. 35. *Quid opus ſit ſpiritus defunctorū corpora ſua in Reſur. recipere, ſi poteſt eis etiam ſine corporibus illa beatitudo præberi, difficilior quæſtio eſt, &c. Minimè dubitandum eſt, & raptam mentem, & poſt mortem ipſam, tranſcenſis etiam ſimilitudinibus corporalium, non ſic poſſe videre incommutabilem ſubſtantiam vt ſancti Angeli vident: ſiue alia latentiore cauſa, ſiue ideo quia ineſt naturalis appetitus corpus adminiſtrandi; quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud ſummū cælum, quamdiu non ſubeſt corpus cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat. Porrò ſi tale ſit corpus cuius ſit difficilis & grauis adminiſtratio, multò magis auertitur mens ab illa viſione ſummi cæli, &c. Proinde cum anima hoc corpus ſpiritale receperit, Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ ſuæ modū, obediens & imperans, viuificata & viuificans, ineffabili fœlicitate.* In pſal. 119. *Ibi omnes iuſti & ſancti fruuntur Verbo Dei ſine lectione: quod enim nobis ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt.* lib. ſeu Epiſt. 57. ad Dardanum. *Vbicumque ſit paradiſus, quiſquis beatorum ibi eſt, cum Chriſto eſt, vt* Luc. 23. lib. 12. in Geneſ. 34. *Animæ latronis,* Luc. 23. *Non inferos præſtitit, &c. ſed aut illam requiem ſinus Abrahæ, &c. aut illum paradiſum, ſiue in 3. cælo, ſiue alibi, quo raptus eſt Apoſt.* 2. Cor. 12. Epiſt. 99. ad Euod. *Paradiſum, ſinum Abrahæ, ſeu tantæ fœlicitatis locum non eſſe quandam partem inferorum.* lib. de cura pro mort. c. 16. 17. De Sanctis Martyr. *In loco ſuis meritis congruo, in ſumma quiete poſitis, & ad longè meliora viſa vacantibus, &c.* lib. de vera Relig. c. 34. l. Imperf. in Gen. 16. q. 67. ex 83. Contra Epiſtolam fund. cap. 37. De æquali ac immediata ordinatione animarum & Angelorū ad Deum. *lib. 7. 9. Conf.* & alibi, de varijs extaſibus & raptibus ſuis ſuæque Matris, quaſi vſque ad ipſam viſionē Dei. De quibus omnibus latiùs *Tomo 2. noſtræ Anat. ſeu comm. in Ang. col. 64. 65. 66. 67. 69. 92. 101. 102.* variorum Indicum.

## *Obiectiones.*

1. M*Att*. 20. 25. Serui boni & mali, mercenarij conducti, decem virgines, & omnes

nes illi benedicti, ac maledicti non niſi ſimul poſt extremum iudicium ſuam mercedem aut pœnam recipient.

II. Marc. 12. *In Reſurrectione erunt ſicut Angeli Dei*: ergo non ante.

III. *Luc.* 10. Lazarus fuit portatus ab Angelis in ſinum Abrahæ: diues autem Epulo ſepultus in inferno, ille conſolatus, hic cruciatus, &c. Nec videtur nunc plus tribui ſanctis animabus.

IV. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, &c.* Eſa. 4. 1. Tim. 6. *Deum nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* 1. Ioan. 4. *Deum nemo vidit vnquam.*

V. Coloſ. 3. *Cùm Chriſtus apparuit: tunc & vos, &c.* 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*: ergo non ante.

VI. *Hebr.* 11. Sancti antiqui *non ſine nobis conſummabuntur.*

VII. Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant vſquequo &c? Et dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum donec compleantur conſerui eorum.*

VIII. Chryſ. hom. 39. in 1. Cor. *Si corpus non reſurgit, anima incoronata manebit, & extra cæleſtem beatitudinem erit.*

IX. S. Ambr. l. 2. de Cain c. 2. *Soluitur à corpore anima, & adhuc futuri iudicij ambiguo ſuſpenditur.* lib. de bono mortis, c. 10. *Animas Adyn petere, ideſt locum qui non videtur, quem infernum dicimus.* Infra. *Scriptura Eſdræ, habitacula animarum promptuaria nuncupat.*

X. S. Aug. Epiſt. 111. *Secundùm apertiſſimam domini ſententiam,* Luc. 20. *etiam ipſe Hier. ſentit nos tunc viſuros faciem Dei, cùm in Angelos profecerimus, ideſt æquales eis facti fuerimus in Reſur.* lib. de videndo Deo cap. 9. *Deus ſicuti eſt nunc fortaſsè videtur à quibuſdam Angelis: à nobis autem tunc ita videbitur, cùm eis facti fuerimus æquales.* Serm. 64. c. 6. *Quando demonſtraturus eſt ſe dilectoribus ſuis? Poſt Reſur. Tunc videbimus eum ſicuti eſt.* Enchir. 108. *Tempus quod eſt inter mortem & Reſur. animas abditis receptaculis continet.* In pſal. 36. *Poſt vitam iſtam nondum eris vbi erunt ſancti,* Venite benedicti, &c. *Nondũ ibi eris, quis neſcit? Sed poteris eſſe vbi Lazarus.* Luc. 16. *In illa requie ſecurus expectabis iudicij diem.* Epiſt. 99. vt ſupra. Serm. 103. diuerſ. de Sãcta Perpetua & Felicitate. *Vt plurimũ diſtat inter lætitias miſeriaſq; dormientiũ & vigilãtium: ita inter tormenta & gaudia mortuorum & Reſurgentium, &c. Hæc vita quam nunc SS. Martyres habent, eſt parua particula promiſſionis, imò ſolatium dilationis.* In pſal. 85. *S. Cypr. modò conſolatus, adhuc triſtis eſt.*

XI. S. Bern. ſerm. 3. de omnis Sanctis. *In illam beatiſſimam Dei domum anima nec ſine nobis intrabũt, nec ſine corporibus ſuis. Nec ſancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne.* Serm. 4. Vidi ſub altare animas, &c. Apoc. 6. *Interim ſub Chriſti humanitate feliciter Sancti quieſcunt, &c.*

XII. *Papa Ioan.* 22. ita definiuit, aut ſaltem doctrinam oppoſitam inhibuit: teſte *Ochamo, Gerſone ſerm. de Paſcha, Marſilio in 4. q. 13. Adriano in 4. de Sacram. Confir.*

XIII. Eccleſia huc vſque precatur defunctis requiem in ſinu Abrahæ.

## Reſponſiones.

AD 1. Sacra Script. prædicit futurum publicè de omnibus ſimul, quod in morte fit de ſingulis ſucceſſiuè. *Ad* 2. Prædicit homines Beatos in Reſur. futuros ſicut Angelos *Marc.* 12. imò & æquales *Luc.* 20. non natura, nec tam gratia aut gloria, quàm caſtitate, de qua ibi agitur. *Ad* 3. Reuelatur quædã beatitudo illius ſtatus: ſed futura perfectior pauperum Chriſti. *Ad* 4. Negat viſionem Dei comprehenſiuam, vel naturalem, vel corporalem, vel in hac vita, vel ante Chriſtum. *Ad* 5. Cùm apparuerit, &c. .i. publicè quod iam latet, vel Deus ipſe & Chriſtus: quia niſi appareat ſicuti eſt, non poteſt videri ſicuti eſt, ſed ſingulis Beatis ità apparet priuſquam omnibus ſimul. *Ad* 6. Nõ ſine nobis conſũmabuntur .i. gloria corporali. *Ad* 7. Eſt viſio Martyrum vt immolatorum, ſub altari .i. ſub Chriſto vt agno etiam immolato, & præſtolantium Reſurrectionem ſuorum corporum, ac completum numerum beatorum, non autem ſuam propriã beatitudinem eſſentialem. *Ad* 8. Vt *q.* 3. *ad* 1. Quia cùm totus homo animo & corpore meruerit, ſitq; anima propter ſuum totum, & ad perficiendum ſuũ corpus: nec ſola, nec totam mercedem recipiet. *Ad* 9. Non eſt de dubio iudicij præſentis aut futuri, ſed quando, &c. nec de deſcenſu omnium animarum; nec de hoc ſuo proprio ſenſu, ſed quorũdam philoſophorum. *Ad* 10. ex *S. Aug.* Vel ante Reſur. negat tantùm perfectam viſionem Dei, vel per oculos glorioſos *quocumque fuerint directi,* vt 22. *Ciu.* 29. Nec dubitat de vera beatitudine & dãnatione animarum ſeparatarum: ſed de omni loco & reſpectu ac differentia locali, vt 12. *in Gen.* 33. 34. Nec per ſinum Abrahæ intelligit locum: ſed obiectum quietis pro hoc vel illo ſtatu beatæ, cùm certa ac ſecura fiducia perfectioris, promiſſæ Abrahæ, vt ſupra in *Pſal.* 85. Vel non agit de viſione beatifica ſingulorum; ſed de Beatiſſimo ſpectaculo communi omnium, cuius ſingulæ viſiones ſunt tantùm paruæ part. *Ad Epiſt.* 99. *vt ſupra.* Ad *vlt.* S. Cypr. adhuc triſtis eſt: non in ſeipſo, ſed in nobis & ex nobis. Vt Spiritus S. dicitur gemere & contriſtari, *Rom.* 8. *Eph.* 4. Quod ſi quis PP. aliter ſenſit, necdum erat definitum. Sed *S. Aug.* ſupra 12. *in Gen.* 12. 33. & 1. *Retr.* 14. ſeipſum ſatis explicauit, de præſente quidem Beat. eſſentiali: ſed poſt Reſur. perficienda; extenſiuè, ad totum hominem & obiecta ſecundaria; intenſiuè autem, etiam circa primarium. Non tamen ex quietiori appetitu naturali animæ in corpore, quàm extra: cùm quieſcetur eminenter in Deo; ſed ex *cauſa latentiori,* 12. *in Gen.* 35. paulò poſt expreſſa, quia tunc habebit *naturæ ſuæ modum,* ſeu ſtatum perfectum in ſuo toto. Ante quam perfectionem naturalem & ſubſtantialẽ totius, non videtur Deus velle perficere partem intenſiuè, &c. *Vt Tomo* 2. *noſtræ Anat. col.* 92. 93. 94. Lib. autem 1. *Retr.* 5. videtur reuocare omnẽ dubium de loco ordinario beatitudinis, aut damnationis animarum & ſpirituum. *Quid ſit quod dixi,* cap. 13. *Anima ſi caret corpore, in hoc mundo non eſt & non potuit recordari. Numquid enim animæ mortuorum aut non carent corpore, aut in hoc mundo non*

*ſunt? Quaſi verò inferi non ſint in hoc mundo, &c.*

Non quòd locus beatificet aut damnet: ſed terminet præſentiam finitam ſpirituum, & conueniat eorum beatitudini vel damnationi, vt ſupra.

*Ad* 11. S. Bern. vt B. Aug. diſcipulus, idem ſenſit cum ſuo Magiſtro. *Ad* 12. Patet ex definitione *Bened.* 12. *Ioannem* 22. nihil deſuper definiuiſſe, ſed deliberaſſe, & ſucceſſori definiendum reliquiſſe. *Ad* 13. Preces illæ Eccleſiæ ſunt pro requie æterna & beata, vt propria huius ſtatus: in ſinu Abrahæ .i. cum Chriſto, ex eius ſemine, & omnibus Sanctis, ex promiſſis primo factis Abrahæ, & ſemini eius ſpirituali.

---

## QVÆSTIO VIII.

*An, & quàm certum ſit Animas Beatas pro nobis orare, & nos ac preces noſtras ſcire?*

*Reſp.* EST de fide, contra omnes hæreticos, quòd orent pro Eccleſia in communi, & pro quibuſdam in particulari, ſpecialiter pro ſuis cultoribus & ſupplicibus: ſed contra quoſdam Catholicos, eſt ſolius certitudinis moralis, vel Theologicæ, & piæ fidei, ſpei, ac fiduciæ, quòd ſciant diſtinctè ſuos ſupplices, ac ſingulorum preces.

1. Quia illud expreſsè reuelatur in ſacra Script. non autem hoc. Nam præter Script. de perfecta charitate, vnione, & communione Sanctorum: de quibus *q.* 7. *Ier.* 15. Si ſteterint Moyſes & Elias coram me, &c. i. orantes. 2. *Mach.* 15. Ieremias & Onias multum orant pro populo. *Luc.* 16. Ipſe Diues Epulo orat pro ſuis fratribus. 1. *Pet.* 2. Dabo operam poſt obitum meum, &c. *Apoc.* 15. Seniores illi 24. vt Angelus *cap.* 8. offerunt Deo orationes ſanctorum. 1, *Pet.* 1. *Apoc.* 1. 20. Omnes Sancti ſunt Sacerdotes ſpirituales ad offerendum Deo orationes. Sed *Eccli.* 9. Mortui nihil ſciunt de viuis. *Eſa.* 63. Abraham neſciuit nos. *Apoc.* 6. Vidi ſub Altare Dei, &c. *q.* 5. De viſione Dei minùs perfecta ſaltem extenſiuè ante Reſur. quam poſt: quæ minuunt quidem certitudinem fidei Catholicæ, non tamen moralem piæ fidei, ſpei, ac fiduciæ in praxi.

2. Illa eſt certa expreſſa & conſtans doctrina SS. Patrum, ex q. ſequenti: ſed hæc quibuſdam, ipſique Aug. ſpeculatiuè dubia. Vt patet ex *lib. De cura pro mortuis, cap.* 10. 11. 12. De apparitionibus, viſionibus, & reuelationibus defunctorum, vt & viuorum, ipſis etiam inſcijs, per operationes Angelorum. Cap. 13. *Si rebus viuentium intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos quando eas videmus alloquerẽtur in ſomnis: meipſum pia Mater nulla nocte deſereret. Abſit enim vt facta ſit vita fæliciore crudelis.* Sed Pſal 26. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, &c. Si autem parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum qui nouerunt quid faciamus, quidue patiamur?* Eſa. 63. *Abraham neſciuit nos, & Iſrael non cognouit nos. Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex ſe procreatum ageretur ex ſe ignorarunt, &c. Quomodo mortui viuorum rebus atq; actibus cognoſcendis adiuuandiſq;, miſcerentur? Quid eſt ergo quod Regi Ioſiæ pro magno beneficio promiſit Deus.* 4. Reg. 22. *quod eſſet ante moriturus, ne videret mala ventura, &c?* Cap. 14. *Quomodo ergo diues ille rogabat Abraham.* Luc. 16? *Numquid ideo quid fratres tunc agerent ſciuit? Fuit illi cura de viuis, vt eſt nobis de mortuis.* Infra. *Abraham potuit hæc Lazaro indicante cognoſcere: ne falſum ſit,* Eſa. 63. *Abraham neſciuit nos.* Cap. 15. *Proinde fatendum eſt neſcire quidem mortuos quid hîc agatur, ſed dum hîc agitur: poſtea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, &c. Poſſunt & ab Angelis aliquid audire, &c. Poſſunt etiam præterita, præſentia, & futura Spiritu Dei reuelante cognoſcere: vt Prophetæ dum hîc viuerent, &c. Mitti quoq; ad viuos aliquos ex mortuis, vt Paulus,* 2. Cor. 12. *ex viuis in Paradiſum raptus eſt, Script. teſtatur. Nam Samuel defunctus viuo Sauli futura prædixit,* 1. Reg. 28. *cùm* Eccli. 46. *Samuel etiam mortuus prophetauerit. Quid de Moyſe, qui* Deut. 34. *mortuus,* Matt. 17. *cum Helia qui mortuus non eſt, legitur apparuiſſe?* Cap. 16. *Non ideò putandum eſt viuorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis vel adiuuandis Martyres adſunt: ſed ideò potiùs intelligendum eſt, quòd per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus interſunt; quoniam defuncti per naturam propriam non poſſunt. Quanquam iſta Quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat: quemadmodum Martyres opitulentur ijs quos per eos certum eſt adiuuari. Vtrum ipſi per ſeipſos adſint vno tempore tam diuerſis locis, &c. An ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus vtiq; non præſentamur, nec vbi ſint, nec quid agant ſcimus: Deus vbiq; præſens, exaudiens Martyrum preces, per angelica miniſteria præbeat hominibus iſta ſolatia. &c. & ſuorum merita Martyrum vbi, quando, quomodo vult, maximè per eorum memorias commendet, &c. An verò fortaſſis vtrumq; ſit, vt aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam Martyrum, aliquando per Angelos ſuſcipientes perſonas Martyrum.* Cap. 17. *An iſta fiant Dei nutu per Angelos, in honorem Sanctorum, illis in ſuaui quiete poſitis, & ad alia longè meliora viſa vacantibus, orantibuſq; pro nobis.* Lib. 22. Ciu. 9. *Siue Deus per ſeipſum, &c. ſiue per ſuos miniſtros iſta faciat, &c. ſiue quædam faciat per Martyrum ſpiritus, &c. ſiue omnia per Angelos, &c. vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, &c.* Cap. 10. *Faciunt iſta Martyres, vel potiùs Deus, orantibus aut cooperantibus eis.*

3. Ex Traditione & praxi fidei Catholicæ, commendandi ſe precibus Sanctorum abſentium, aut defunctorum: cùm necdum eſſet de fide vllos eſſe Beatos ante Reſur. nec ſit de fide hunc vel illum eſſe Beatum, imò credibilius ſit S. Eliam necdum eſſe Beatum: nec ſit credibile reuelari ordinariè preces noſtras niſi Beatis; ergo illa praxis fidei non pendet ex hac reuelatione, ſed hæc potiùs ex illa infertur, & piè creditur, ac ſperatur.

4. Ex defini-ione expreſſa illius, non autem huius. Nam nec S. Hier. de hoc condemnat hæreſeos Vigilantium, vt quæſt. ſeq. Nec *Concil. Nyc.* 2. Iconomachos: nec *Trid. ſeſſ.* 25. Lutheranos & Caluiniſtas; ſed tantùm vt negant Sanctos de-

functos

Digitized by Google

functos *pro nobis orare , & à nobis piè ac ſalubriter coli & inuocari, vt pro nobis etiam ſingulis orent.*

5. Ex doctrina Scholaſticorum antiquorum,& recentiorum. Vt *Hugonis de S. Vict. lib.*2. de Sacram. parte 16. cap. 11. *Hoc vnum certum eſt, animas Sanctorum in ſecreto diuinæ contemplationis conſtitutas, eorum quæ foris aguntur tantum ſcire, quantum illis vel ad gaudium , vel nobis ad auxilium prodeſſe conſtat. Nos Interceſſores quærimus apud Deum, quid amplius vis ? Times ne fortè non orent , qui ſemper orant, &c. Si non audiunt , inquis, & ego in ventum fundo verba , non audientibus & non intelligentibus loquens, &c. Ecce dicamus , non audiunt : nunquid Deus non audit ?* Magiſtri Sent. *d.*45. Vbi nihil quoad hoc dogmaticè, ſed relatiuè ad *S. Aug.* & *Hug.* ſupra. *Alenſis* 4. *p. q.* 91. *m.* 2. *art.* 2. *col.* 679. Vbi monet animas beatas non ſic nec æquè offerre Deo preces ex officio proprio, ac Angeli offerunt. *q.* 92. *m.* 1. *Art.* 4. *ad* 3. refert ſe ad *B. Aug.* l. de cura pro mortuis, quibus modis preces noſtræ poſſint innoteſcere Sanctis. *S. Bon. in diſt.* 45. ſupra, *col.*920.921. nil de hoc dogmaticè. *S. Tho.* 2.2. *q.* 8. *a.* 4. Scotus noſter in *diſt.* 45. *q.* 4. ſupra *col.* 933. eorumque diſcipuli , non contendunt inter ſe dogmaticè , ſed tantùm ſcholaſticè , de hac cognitione Beatorum, & modo cognoſcendi ſucceſſiuè , vel præcognoſcendi ſimul. Hinc *Scotus* ſupra col. 933. *Probabile eſt quòd Deus reuelet Beatis de orationibus, &c* .i. non omnes, ſed aliquas ex eis. *Suarez in* 1. *p. Tract.* 1. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 18. probabiliter concludit : *Quòd videatur valdè conſentaneum conſuetudini Eccleſiæ, & modo quo ad Sanctos preces fundit, eos actu videre preces noſtras ex vi ſuæ Beat. & ideò fortaſſè oramus potiùs nunc ad Sanctos Beatos , quàm in veteri Teſt. Et hæc opinio videtur magis pia. Eſtius in* 4. *d.* 45. §. 18. 20. docet eſſe pluſquam probabile : ſed *Trid.* noluiſſe definire.

6. Ex doctrina celebriorum & expertiorum Dogmatiſtarum: vt Card. *Bellarm. lib.* 1. de Beat. SS. c. 20. *Certè non fruſtra inuocarentur Sancti, etiamſi demus eos non audire , nec cognoſcere noſtras preces : nam aliquis alius eorum vice fungitur. Sicut non fruſtra ſupplicat Regi , qui certò ſcit Regem non eſſe lecturum, &c.* R. P. F. *Lud. Richeomij,* Diſcurſu 2. pro Relig. Cathol. pag. 329. editionis Rothom. 1608. *Ad veſtram Arg. quod Sancti non ſint inuocandi ; quia cùm non audiant nos , non poſſunt nobis ſuccurrere : reſpondemus non eſſe opus vt nos audiant; quia Deus eorum vice , & in eorum fauorem ipſis, inſcijs nos exaudit, &c. Quamuis nihil obſtet quin & ipſi audiant preces noſtras.* R. P. *Franciſci Veronij,* qui ad Art. 23. & 24. Miniſtri Drelincourt reſpōdet, *In profeſſione fidei noſtræ nequidem fieri mentionem quòd Sancti defuncti ſciant noſtras particulares neceſſitates, & ſecretas cogitationes : cùm & nos oremus pro pluribus quorum neceſſitates ignoramus, & oremus viuos, qui neſciunt noſtras cogitationes, &c.*

Quã etiam noſtrâ reſponſione in prima *ſeſſ.* Conferentiæ Lymburgenſis 1633. à 19. April. ad 22. Miniſtri Hæreſeos ex improuiſo confuſi , diſſoluto toto ſuo apparatu contra illam ſanctorum notitiam, velut quodam animi deliquio, tunc quidem prorſus obmutuerunt: ſed poſtea inter ſe conclamarunt, imò & quidā noſtri ſcioli potiùs quàm docti muſſitarunt, hanc reſp. eſſe alienam à fide noſtra, vel ſolum effugium difficultatum. Donec ipſe Miniſter primarius, *Hotton*, vim huius reſp. expertus , conſultis deſuper Lugduni Batauorũ ſuis Rabbinis, in ſua propria Apologia ſic confeſſus fuit. *Le Moine trencha tout net, &c.* 1. *Monachus ſubitò totum præcidit, dicens nō eſſe neceſſariũ vt ſancti* [illegible] *cognoſcant interiora eorum à quibus inuocantur. Et quidem verum eſt quod Card. Bellarminus cedat in hanc opinionem, & Caietanus idem teſtetur, &c.* Sed erubuit confiteri quid ei Monachus præciderit : videlicet linguam, ſeu totum ſuum apparatum, quo præciſo quaſi elinguis obmutuit. Totaque facultas Theologica Duacenſis eandem reſp. approbauit 1635. die 12. Maij. ſubſignatis omnibus doctoribus. *Georgius Coluenerius* , S. Theol. Doctor & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Franciſcus Syluius* , S. Theol. Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Philippus de Trieu*, è Societate Ieſu S. Theol. Doct. & Profeſſor. *Theodorus van Couuerden* , S. Theol. Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Philippus de la Croix*, è Societ. Ieſu S. Theol. Doctor & Profeſſor. *Valentinus Randour*, S. Theol. Doctor & Profeſſor Regius ac ordinarius. *F. Rudeſindus Barlo*, Ordinis S. Benedicti , Congr. Anglicanæ , S. Theol. Doctor, & Proffeſſor in Collegio Vedaſtino. *Philippus vander Made*, S. Theol. Doctor. Sed pſeudo-Miniſter Traiectenſis pertinaciter reclamauit in ſua Monachomachia : vt infra.

Quàm ſit autem certum, & facilè , ſed non confundendum cum controuerſijs fidei, Beatos ſcire noſtras preces. Patet 1. Ex ordinarijs viſionibus ac reuelationibus ſecretorum, quæ fiebant Prophetis: quanto magis nunc Beatis? 2. Ex oblatione noſtrarum precum per Angelos & Sanctos, *Apoc.* 5. & 8. Ergo non ſine earum notitia. 3. Ex *Luc.* 16. De prece ipſius Epulonis nota Abrahæ. 4. Ex *Marc.* 12. *Luc.* 20. De perfectione Angelica Beatorum poſt Reſur. ex vi beatitudinis ac perfectionis præſentis animarum. 5. Ex perfectione ſupernaturali viſionis & obiecti beatifici, velut ſpeculi voluntarij, ad repræſentandum omnia pertinentia ad illum ſtatum. 6. Ex varijs alijs modis quibus Deus poteſt eis reuelare de quibus ſupra ex *B. Aug.* 7. Ex perfectione intellectuali Beatorum, cognoſcendi omnia obiecta ſua ſecundaria, ſine vlla diſtractione à ſuo primario. 8. Ex vi naturali & ſphæra ampliori intellectus noſtri, quàm vllius ſenſus. Cùm ergo nos hinc tam facilè ſuſpiciamus ſimul tot ſtellas in Cœlo : cur nequeãt Beati oculo ſpirituali è cœlo deſpicere omnes noſtras preces ? 9. Ex maiore vi & ſphæra obiectiua intelligibilium, quàm ſenſibilium. Cũ ergo ſtellæ è cœlo radient vſque ad nos : cur non preces deuotæ vſque ad Beatos? 10. Ex vi noſtra & ſphæra corporali loquendi & audiendi : ad long[illegible] maiorem ſpiritualem inter nos & Beatos. Vt fauet *Scot. in* 4. *d.* 45. *& in* 2. *d.* 9. docẽs ſecreta cordiũ eſſe ex ſolo decreto ſeu reſeruatione Dei. Quæ cùm relaxet nobis liberam cordium cōmunicationẽ per verba, ſcripta, & alia ſigna : cur nō etiã inter nos & Beatos? Cùm illi non dependeant à phantaſmatibus in cognoſcendo, nec nos in ratione obiecti, ſed intellectus. Nec hæc ſit ſcrutatio cordiũ ſine conſenſu noſtro , ſed communicatio per conſenſum.

Ppp 2 *Obiectiones.*

Digitized by Google

## Obiectiones.

1. HOttonij *Seſſ.* 8. Confer. Lym. Ex 3. Reg. 8. *Tu exaudies, &c. Quia tu ſolus noſtri cor omnium filiorum hominum.* Quaſi hæc eſſet ratio omnis inuocationis ac inuocabilitatis. Reſpõſũ fuit, nec reddi ibi rationem totalem, nec ſolius inuocationis: ſed principalem, & exauditionis, ac propitiationis pro peccatis, quæ requirit ſpecialem notitiam cordis diſpoſiti. Vt patet ex integro contextu. *Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac: tu exaudies in cœlo, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius; quia tu ſolus noſti cor omniorum filiorum hominum.* Quæ clauſula cauſalis non tam refertur ad inuocationem, quàm ad exauditionem & propitiationem ſoli Deo propriam.

2. Ex *Rom.* 12. *Quod non ex fide, peccatum eſt:* ergo & ſic inuocare ſanctos. *Reſponſum* fuit eos ſic inuocari ex fide quòd ſaltem Deus intelligat: & ex ſpe quòd ſiue Deus reuelet ſanctis, ſiue non; exaudiet tamen ob preces Sanctorũ pro inuocantibus ſe.

3. Pſeudominiſtri Maretij, pag. 65. 66. 76. 77. ſuæ Monachomachiæ. *Benè eſt, quòd argumentorum noſtrorum virtute hæc confeſſio extorta ſit Monacho.* Infra. Bellarmin. *non ſibi conſtat: Richeomius & Veron ad incitas redacti cum Monacho hoc effugio vſi ſunt. Reſp.* Ex noſtro Exorciſmo 5. in illam Monachomachiam: Non fuiſſe vllam confeſſionem aut fugam, ſed negationem, & triplicem conuictionem primi Arg. ſeu calumniæ hæreticæ, nos inuocare Sãctos vt Deos omniſcios. Quia nec credimus eos ex ſeipſis ſcire preces noſtras, nec omnes ſimul quamuis ſint finitæ, imò nec ſingulas ſucceſſiuè: ſed ſperamus Deum eis reuelare, vel nos exaudire ob eorum merita & preces pro nobis.

Nec fuiſſe vlla vi exortam: ſed extorſiſſe Hottonio linguam, & mutam illam confeſſionem; ipſique Maretio, p. 76. 77. hanc negationẽ ſuæ pſeudofidei, noſtræque ſemi-confeſſionem. *Sanè non chimæricam ſanctorum inuocationem, qualem hi ſtatuunt poſſe dari, idololatriæ accenſamus: ſed ſpecificam illam & qualificatam, quæ fit in Eccleſia Romana, cum hac opinione conſtanti quòd ſancti preces noſtras audiant, & corda cognoſcant.* Contra hunc Art. 24. ſui Catechiſmi: *Quandoquidem ſolus Chriſtus nobis datus ſit in Aduocatum, nobiſque præceptum ſit ſub eius nomine refugere ad Patrem, nec ſit licitum aliter orare quàm ſecundùm formam nobis à Deo per ſuum verbum dictatam: nos credimus quòd quicquid homines imaginati ſunt de interceſſione SS. defunctorum ſit tantùm abuſus & fallacia dæmonum.* Vbi non reprobatur inuocatio SS. ob prætenſam omniſcientiam: ſed ob vnicum Mediatorem ſeu Aduocatum, & prætenſũ Dei mandatum non orandi niſi Deum per Chriſtũ, & ſub ſola forma ab eo nobis præſcripta. Contra quem art. fatetur *Maretius* ſupra pag. 77. 78. & per totam ſuam Monachomachiam, ſanctos viuos & defunctos orare pro nobis: nec diffitetur eos poſſe à nobis orari ſaltem indirectè, ſeu Deum per eorum preces & merita; ſed tantùm negat orari poſſe directè, vt audientes & intelligentes. Cùm tamen illa ſint potiùs contra præfatam confeſſionem ſuæ pſeudofidei, quàm hoc.

4. Eiuſdem, à p. 66. ad 73. *Hanc eſſe fidem & doctrinam Eccleſiæ Romanæ, patet* 1. *Ex praxi inuocãdi ſanctos ſub nouo Teſt. potius quàm ſub veteri.* 2. *Cõfitendi ſanctis, iurandi per ſanctos, colendi eos vt patronos diſtinctos, inuocandi vel vnam B. Virginem ſimul ex toto orbe Papali, dirigendi ad ſanctos orationem Dominicam Deo offerendam.* 3. *Ex tot fictis miraculis, &c.* 4. *Ex vnanimi conſenſu omnium Doctorum Pontificiorum, Bellarmini ſupra, Becani, Gualteri, Lindani l.* 3. *ſuæ Panopliæ c.* 34. *&* 35. *Vbi hoc dogma confert cum Reſurr. & Aſcenſ. Chriſti, &c. Quin ſtatuit ſcientem & prudentem inſanire, qui ambigat an ſancti cognoſcant noſtras preces & vota.*

*Reſp.* Ex noſtro Exorciſmo 5. & 15. Hanc praxim eſſe nũc plus & potiùs quàm tunc: ex fide quòd ſancti non erant tunc Beati, ſed nunc; & ex ſpe quòd cùm tunc aliquando preces etiam impiorum illis reuelarentur, (vt patet ex 1. *Reg.* 18. De Samuele, & *Luc.* 16. De Abraham,) nunc ordinariè preces piorum eis reuelentur. Nec ad hanc praxim requiritur maior certitudo. Nam *Iob* 5. *Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, &c.* Nec vllus eſt certior quòd ſuæ preces mereantur audientiam: & ſæpè *Maretius* ipſe vocat conuocat inuocat vxorem, proles, auditores, amicos, ex ſola ſpe audientiæ; eiuſque proles vagiunt ad matrem abſentem, ſupplente Patre. Nec vllus author ab eo citatus exigit certitudinẽ fidei. Nam *Bellarm.* ſupra expreſsè negat: alij loquuntur de certitudine morali, vel ad ſummum Theologica: quæ ſufficit ad comparationem ſimilitudinis, non æqualitatis, cum articulis fidei; & ad condemnandum contradictores, cuiuſdam inſaniæ contra ſenſum communem Eccleſiæ & rationem ſapientum.

5. Eiuſdem, pag. 75. 76. *Multa creduntur in Eccleſia Romana, de quibus nihil extat in Trid. quod præſupponit illam notitiam, ſtatuens Beatos orare pro ſingulis. Reſp.* ex pag. 56. noſtrorum Exorc. Beatos poſſe orare pro ſingulis ſuis cultoribus & ſupplicibus, ſiue ſibi, ſiue ſoli Deo notis: quod cum Conc. noluerit definire, teſte *Eſtio in* 4. *d.* 45. ſuppoſuit necdum eſſe tam certum, nec neceſſarium ad praxim colendi & inuocandi Beatos. Nec obſtat, voluiſſe definire controuerſa, quorum hoc videtur eſſe præcipuum: quia voluit tantùm hîc definire practica, & ad hanc praxim neceſſaria. Nec tunc mouebatur hæc difficult[illegible]: ſed de vnico Mediatore, &c. Vt patet ex Art. [illegible]. Caluiniſt. & ex textu *Conc. Trid.* in quibus nulla fit mentio huius notitiæ.

6. Eiuſdem, *pag.* 77. 78. Ex praxi orandi in Miſſa ſolum Deum, ſed per merita & preces ſanctorum: *patet diſtinctio inter illorum pro nobis interceſſionem, & à nobis inuocationem, illamque praxim fuiſſe priorem hac, nec eſſe quæſtionem de illa ſed de hac: per illam enim itur ad ſanctos per Deum, per hanc ad Deum per ſanctos; imò & in Miſſa oratur directè, Salue ſancta parens, &c. Reſp.* ex col. 58. 59. noſtrorum Exorc. vt ſupra ad 3. Eſſe contra ſuum Art. 24. Nec minùs ſed potiùs eundum eſſe ad Deum vt finem vltimum, per ſanctos vt media ſubordinata Chriſto Mediatori; quàm ad ſanctos per Deum, niſi vt per primum omnium Motorem.

Nec eſſe nouũ modũ orãdi directè ſanctos viuos

&

Digitized by Google

& defunctos : ſed modũ orandi ſolũ Deum directè, ſanctos indirectè, eſſe propriũ ſacrificio Miſſæ, quod fit ſoli Deo. In quo, *Salue ſancta parens*, non cẽſetur *Oratio*, ſed *Introit*. laudis. Alioquin & ipſe Maretius oraret directè, legendo *Luc*. 2. Aue gratia plena, &c. Nec eſſet contra eſſentiam, ſed ceremoniam congruam ſacrificij, ſub eo orare ſanctos directè

7. Eiuſdem, pag. 78. 79. *Erraſſet Hier. contra Vigil. & S. Maximus, dicendo ſanctos vbique eſſe, &c. Hic eroror eſt Eccleſiæ Romanæ, &c. Inuocatio SS. nititur tantùm inani credulitate notitiæ : quod autem ſine fide peccatũ eſt. Nec conſtat qua alia ratione litaniæ dirigantur ad Sanctos. Si nil importent niſi deſiderium vt ſancti orent pro nobis: non ſunt propriè preces ad ſanctos, &c.*

*Reſp*. Ex *p*. 60. 61. 62. noſtrorum Exorc. Nec illi, nec Eccleſia Romana docet ſanctos eſſe vbique: niſi vt *Apoc*. 14. ſequendo Agnũ quocumque ierit. Vt & *B. Aug. in pſal*. 120. & ſupra *c*. 16. *de cura pro mortuis*. Nec eſt inanis, ſed pia noſtra credulitas, de notitia ſanctorum: nec ei ſoli preces noſtræ nitũtur; ſed certiſſimæ fidei de eorum patrocinio apud Deum pro ſuis ſupplicibus. Ex qua etiam fide, ſed & ſpe ac deſiderio audientiæ, vel ſaltem exauditionis à Deo, litaniæ diriguntur ad Sanctos.

8. Ex B. Aug. l. de vera Relig. c. 55. *Quiſquis in Deo manet, & poteſt humanas preces audire, in illo me exaudit*. Ergo vult neceſſariam eſſe notitiã precũm noſtrarum. *Reſp*. Ex *p*. 66. noſtrorum Exorc. Nõ exigit notitiam actualem, nec vt nececeſſariam ad inuocationem, ſed ad exauditionem: nec ad propriam exauditionem, ſed in Deo ſeu per Deum : in quo & per quem ſicut exaudiunt, ſic etiam audiunt ſeu cognoſcunt preces noſtras.

9. Ex *Conc. Senonenſi*, decreto 13. De fide inuocationis, & notitiæ Beatorum. *Reſp*. Ex *pag*. 63. noſtrorum Exorc. Fuit hoc tantùm prouinciale anno 1528. nec fuit confirmatum à Clemente 7. illius temporis, nec à ſequente Conc. Trid. Nec decernit hoc eſſe fidei : ſed probat inuocationem SS. ex facili notitia noſtrarum precum. Porrò ratio definiendi non ſemper condefinitur. Vt patet ex 2. *Conc. Nicæno Act*. 5. De pingendis Angelis, quia habent corpora. Hinc *Suarez p*. 1. *Tract*. 1. l. 2. Vult tantum hoc Conc. fauere viſioni precum noſtrarum à Beatis.

10. Ex tacita definitione totius Eccleſiæ, per hanc ipſam praxim tam antiquam & commuuem inuocandi Beatos directè, confitẽdi illis, iurandi per illos vt præſentes, vel ſaltẽ audientes, &c. *Reſp*. Ex *p*. 64. 65. noſtrorum Exorc. nil definiri per ſolam praxim: niſi vt per motiuum definiendi. Vt patet ex praxi baptizandi infantes, & non rebaptizandi hæreticos: quæ non fuit ex ſe difinitiua, ſed motiuuum definiendi. Hæc autem praxis orandi Beatos directè, necdũ fuit ſufficiens ratio motiua definiẽdi cognitionem omnium precum à Beatis: cùm nec ſit propriè & immediatè eorum allocutio; nec hæc ſemper ſupponat aut inferat actualem audiẽtiam. Nam Eccleſia in ſuis precibus ſæpè dirigit verba ad non audientes, vel non intelligentes. Vt baptizando pueros, abſoluendo ſurdos vel idiotas. Imò in ſuis litanijs ſic diſtinguit Chriſtum à ſuis ſanctis : *Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos*. Quid quòd praxis colendi ſanctos canonizatos, vel Immaculatam Deiparæ Conceptionem feſto & officio publico, necdum ſit definitiua?

11. Ex *Alexandro Pezantio in* 1. *p. q*. 12. *art*. 10. diſp. 7. concl. 6. *Reſp*. Ex *p. noſtra* 67. Vnicũ *Pezantium* non poſſe hanc fidem omnibus præſcribere : ſed potiùs ſua ſingularitate derogare. Nec ſentire omnes preces ad ſanctos eis reuelari : ſed ſolere reuelari; quia, inquit, alioquin fruſtra inuocarentur. *Contra Bellarm*. & alios ſupra.

12. Ex Indice expurgatorio Antuerp. 1575. vbi ſub cenſura in pleroſque *Georgij Caſſandri* libellos, deletur ex quodam eius hymno : *Omnes ſancti orate Deum pro me, perinde valet ac ſi dicatur, vtinam omnes ſancti orent pro me*. Quia, inquiunt Cenſores, *re vera ſanctos inuocamus preces eorum poſtulantes, non ſolum deſiderantes : & amplius petit qui dicit, ora pro me, quàm qui dicit, vtinam ores pro me. Nam illud audienti & intelligenti dicitur : hoc verò etiam à non audientibus & non intelligentibus optari poteſt*. *Reſp*. Ex pag. noſtra 67. 68. 69. Caſſandrum quãuis ſuſpectum, non tamẽ hinc cenſurari hæreticos: Nec intendi quod ſancti immediatè audiant, aut moueantur noſtris precibus ; ſed quòd ſoleant eis reuelari. Nam & Deus à nobis oratur quaſi ad eũ mouendum : cùm ſit potiùs ad mouendum & diſponendum nos ipſos. Vt patet ex *B. Aug. Epiſt*. 121. *ad Probam*. Nec illa differentia poteſt intelligi inter *ora pro me*, & *vtinam ores*, ſed *oret pro me*. Porrò illa forma nil importat pluſquam hæc, niſi directionem noſtri deſiderij ad Beatos: quæ an ſit actio tranſiens vel immanens, intellectus vel ſolius voluntatis, eſt tam incertum & problematicum, vt ad nullum certum ſenſum fidei determinari poſſe videatur.

13. Ex *B. Aug. l*. De cura pro mortuis, *cap*. 13 14. 15. 16. 17. 18. Vbi videtur negare omnem notitiam defunctorum de viuis, niſi ex miraculoſa reuelatione : ergo non ex vlla vi naturali, aut ordinaria ſupernaturali Beatorum, contra Scotum & nos ſupra. *Reſp*. Ex textu ſupra relato, negare notitiam naturalem & experimentalem defunctorum necdum Beatorum, de viuis : vel ob nimiam diſtantiam, vel ob nimiam attentionem ad proprias pœnas, vel ob quaſdam tenebras ſpirituales, vel potiùs ex ſolo decreto Dei, ne animæ poſt finẽ huius viæ & vitæ variè afficiãtur ex notitia viuorũ. Non autẽ negare Beatos poſſe habere notitiã ordinariã, naturalem & ſupernaturalem de viuis: ſed tantùm dubitare de facto, & de modo. Nec obſtat quòd inter varios modos non meminerit viſionis in Verbo ſeu ſpeculo Eſſentiæ Diuinæ : quia hîc agit de varijs modis quibus defuncti, non autem ſoli Beati poſſunt habere notitiam viuorum. Alibi autem ſæpè docet viſionem ſaltem Angelicam omnium in Verbo. Quam non tam exprimit de beatis animabus : quia cenſet earum viſionem beatificam necdum eſſe tam perfectam extenſiuè ad obiecta ſecũdaria, niſi ex ſpeciali & quaſi miraculoſa pro illo etiam ſtatu reuelatione aut repræſentatione in obiecto primario. Vt ſupra *Quæſt*. 7.



Digitized by Google

# QVÆSTIO IX.

*An, quid, & quàm certum ſit de praxi Eccleſiæ, colendi & inuocandi ſanctos defunctos, in ſuis etiam imaginibus, reliquiis, monumentis, &c.*

HÆc omnia ſimul quæruntur, quia ſimul practicantur, & probantur: vt in Confer. noſtra Lymb.

*Reſp.* Eſt de fide, eſſe piam, & ſalutarem, ad impetranda Dei beneficia, per ſanctorum merita præterita, & preces actuales.

1. Ex infabilli doctrina, praxi, & Traditione Eccleſiæ. *Matt.* 16. 18. *Luc.* 10. 22. *Ioan.* 21. 2. *Theſſ.* 2. 1. *Tim.* 3.

2. Ex præceptis amandi, adorandi, inuocandi Deum: non tantùm in ſeipſo immediatè, ſed & in omnibus & per omnes participantes, & ſpecialiter repræſentantes perfectionem Dei amabilem, adorabilem, & inuocabilem. Quales ſunt Beati, in quibus Deus diuiniùs habitat & repreſentatur per gratiam & gloriam, quàm in Arca fœderis, in Templo, in cœlo. Cùm ergo *Eſa.* 66. Adorabunt veſtigia pedum tuorum. *Pſal.* 137. Adorabo ad templũ ſanctum tuum. *Pſal.* 98. Adorate ſcabellum pedum eius. *Pſal.* 131. Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. *Matt.* 6. Ora Patrem in abſcondito, &c. Pater noſter qui es in cœlis. *Ioan.* 4. Adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate .*i.* etiam in ſeipſis. Quanto potiùs in Beatis? De quibus. 1. *Cor.* 15. Erit Deus omnia in omnibus. 2. *Cor.* 3. Reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur. 1. *Ioan.* 3. Similes ei erimus; quoniam viderimus eum ſicuti eſt.

3. Ex præceptis diligendi & honorandi proximos, propter Deum, ordine charitatis, dignitatis & ſtatus. Atqui ſtatus Beatorum eſt dignus amore & honore inuocationis, ad proteſtandam eorum apud Deum gratiam & gloriam; ergo ſic diligendi & colendi ſunt. *Eſther* 6. Sic honorabitur quem rex voluerit, &c. *Pſal.* 149. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. *Luc.* 10. Nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo. *Matt.* Tibi dabo claues, &c. 19. Sedebitis ſuper ſedes, &c. 24. Super omnia bona ſua conſtituet eum. 1. *Cor.* 6. Sancti de hoc mundo iudicabunt. *Apoc.* 2. Qui vicerit dabo ei poteſtatẽ ſuper gentes, &c.

4. Ex varijs promiſſis Dei & Chriſti, exaudiendi omnes inuocantes ſe. *Ioel.* 2. *Pſal.* 4. 49. &c. Specialiter iuſtos & ſanctos. *Prou.* 21. 24 *Pſal.* 31. 33. *Ioan.* 6. 16. 1. *Ioan.* 3. *Iac.* 5. Et præ omnibus coniunctim orantes. *Matt.* 15. 16. non ſolum Deũ immediatè, ſed ſaltem per Chriſtum; ergo & ſubmediatè, per alios, & cum alijs ſanctis & Beatis.

5. Ex vnione, vnitate, & reciproca communione Sanctorum, inter viuos & defunctos. Nam *Ioan.* 17. Volo pater vt omnes vnum ſint, &c. *Coloſ.* 1. Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. Eccleſia eſt vt corpus ex membris: quæ per mortem non præcinduntur, &c. Non poteſt autem inter eſſe alia communio reciproca.

6. Ex cultu, interceſſione, & inuocatione SS. Angelorum. *Gen.* 18. 28. 32. 48. *Ioſ.* 5. *Tob.* 12. *Oſee* 12. *Dan.* 10. *Zach.* 1. *Matt.* 16. *Luc.* 15. *Hebr.* 1. *Apoc.* 1. 8. Ergo & Beatorum defunctorum, qui ſunt & erunt ſicut Angeli Dei. *Matt.* 12. *Luc.* 20. Imò plus habent communionis nobiſcum.

7. Ex cultu, inuocatione, & interceſſione viuorum pro ſe inuicem. *Gen.* 18. Abraham orat pro Sodomitis. *Deut.* 5. *Gal.* 3. Moyſes fuit *Mediator* & *Arbiter* inter Deum & populum. *Iob.* *vlt.* Deus remittit amicos *Iob* ad eius interceſſionẽ. In tota lege antiqua laici remittũtur ad ſacerdotes, vt hi orẽt & ſacrificent pro illis. 4. *Reg.* 2. Helias monet *Elizeum* vt à ſe petat, &c. *Matt.* 6. Chriſtus iubet nos orare pro inuicem. *Ioan.* 12. Quidam gentiles petunt à Philippo videre Ieſũ: ipſe refert hoc Andreæ, & cum Andrea Chriſto. *Rom.* 15. Apoſt. commendat ſe precibus ſuorum. *Hebr.* 5. Omnis Pontifex eſt conſtitutus pro hominibus, erga Deũ. *Iac.* 5. Præſbiteri Eccleſiæ orent ſuper infirmos. Orate pro inuicem, &c. Ergo eſt potiùs Beatorum coli & orari à nobis, ac orare pro nobis.

8. Ex cultu, & inuocatione directa vel indirecta Sanctorum defunctorum à viuis, & illorum pro his interceſſione. *Gen.* 48. Nomen meum, & nomen Patrum meorum Abraham & Iſaac inuocetur ſuper vos. *Exod.* 32. Recordare Abraham & Iſaac ſeruorum tuorum. *Iob* 5. Ad aliquem Sanctorum conuertere. 19. Miſeremini mei, &c. *Pſal.* 44. Vultum tuum deprecabuntur. *Pſal.* 131. Memento Domine Dauid, &c. Propter Dauid, &c. *Ier.* 5. Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, &c. *Baruch* 3. Deus Iſrael audi nunc orationem mortuorum Iſrael. *Dan.* 3. Propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum. 2. *Mach.* 12. Ieremias & Onias multum orant pro populo. *Matt.* 17. Moyſes & Elias apparent loquentes cum IESV. *Marc.* 12. *Luc.* 20. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. *Luc.* 10. Ipſe diues epulo orat Abraham, 2. *Pet.* 1. Dabo operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. *Apoc.* 5. Seniores illi 24. habent phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. Vt *c.* 8. Data ſunt Angelo incenſa multa, vt offerret de orationibus Sanctorum omnium, &c. *Apoc.* 1. 20. 1. *Pet.* 2. Omnes Sancti ſunt Sacerdotes ſpirituales, offerentes Deo noſtras & ſuas pro nobis orationes.

9. Ex SS. Patribus. *S. Dion. c.* 7. *Eccl. Hier.* Fruſtra Sanctorum flagitat preces, & ſacras operationes abigit. *Iren. l.* 5. *Contra Hæreſes.* Virgo MARIA Euæ aduocata. *Tertul.* De corona militis, meminit feſtorum in honorem Martyrum. *S. Cypr. l.* 1. *Epiſt.* 1. Si quis hinc noſtrum præceſſerit, perſeueret apud Deum dilectio, non ceſſet oratio. *L.* 4. *Epiſt.* 5. Martyrum paſſiones anniuerſaria commemoratione celebramus. *S. Baſil. De SS.* 40. *Martyr.* O communes generis humani cuſtodes, &c. Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat, &c. *Nazian. De obitu patris ſui.* Nunc magis nobis proficit precibus, quàm antea doctrina. *Orat. de Cypr.* ex mago in Martyrem conuerſo. *Iuſtina* Virginem MARIAM rogauit, vicit

Digitized by Google

vicit Virgo, &c. *In fine huius Orat. & de S. Baſilio, ac Athanaſio*, eoſdem Sanctos inuocat. *S. Hil. in Pſal.* 124. Non deſunt Sanctorum cuſtodiæ. *S. Chryſ. Hom. de SS. Iuuentio & Maximo.* Non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos, &c. Vt milites ſua vulnera Regi monſtrantes, &c. Sic Martyres abſecta capita geſtantes, quæcumque voluerint apud Deum impetrare poſſunt. *Nyſſ. De S. Theodoro.* Intercede pro patria, &c. Si maiori opus fuerit deprecatione & aduocatione: admone Petrum, excita Paulum, &c. *S. Ambr. l.* 8. *in Luc.* Vt Angeli præſunt, ita & qui vitam meruerunt Angelorum. *Lib. De Viduis.* Obſecrandi ſunt Angeli, & Martyres, &c. Iſti enim ſunt noſtri præſules. *S. Hier.* ex profeſſo *lib. contra Vigilantium*, de cultu & inuocatione Sanctorum, ad ſua ſepulchra & reliquias. *Si nunc poſſunt orare pro cæteris, quando adhuc pro ſe ſunt ſolliciti: quantò magis poſt victorias & coronas?* Infra. *Audet dicere: Ergo cineres ſuos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos: ne fortè ſi quis precator aduenerit, audire non poſſint? O portentum, &c.* Epiſt. ad Paulam de obitu Blæſillæ. *Pro te Dominum rogat, mihiq́; veniam impetrat.* In Epitaphio S. Paulæ. *Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua.*

*S. Aug. lib. De verà Relig. c.* 55. Vni Deo religantes animas noſtras, vnde Religio dicta creditur, omni ſuperſtitione careamus. Quiſquis in Deo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, &c. *Lib.* 2. *Doct. Chriſti c.* 39. Sanctus homo & Angelus etiam feſſos nos, atque in ſe remanere cupientes, reficiunt potiùs, atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fruêtes beati ſimus. *Lib.* 3. *c.* 9. De vſu & veneratione ſacrorum ſignorum. *lib.* 9. *Conſ.* 7. De tranſlatione & miraculis SS. Geruaſij & Protaſij. *l.* 20. *Contra Fauſt.* 21. Calumniatur fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens non idola conuertiſſe, &c. Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat: & ad excitandam imitatiouem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur, &c. *lib.* 25. *contra Fauſt. c.* 1. *Fauſtus.* Si eſt vnus Deus, quid ſibi vult hæc inuocatio, vt adijciatis, Deus Abraham & Iacob? Tanquam naufragium paſſurâ veſtra oratione, niſi ad ſignum nauiget Abrahæ? In *Iob* 14. Miſeremini mei, o amici! Angelos videtur poſtulare, aut certè ſanctos vt pro pœnitente orent. *l.* 8. *Ciu.* 26. Hermes videtur dolere quod memoriæ Martyrum noſtrorum templis eorum ſuccederent, &c. *c.* 27. Nec tamen *Martyribus* t mpla, ſacerdotia, ſacrificia conſtituimus, &c. Quis audiuit ad altare, &c. Offerimus tibi Petre, vel Paule, &c. *lib.* 10. *c.* 1. De Latria, Religione, pietate, & cultu Dei, ſed non ſolius. *c.* 7. Cum Angelis ſumus vna Ciuitas Dei, cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur, &c. Geritur enim ibi cura de nobis, &c. *lib.* 20. *Ciu.* 9. Regnant cum Chriſto nunc ſancti eius, &c. Neque piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia. *l.* 22. *c.* 8. Etiam nunc fiunt miracula in Chriſti nomine, ſiue per Sacramenta eius, ſiue per orationes vel memorias ſanctorum eius, &c. Subdit multa. *Cap.* 14. Siue Deus per ſeipſum, ſiue per ſuos Miniſtros faciat, &c. Siue quædā per Martyrū ſpiritus, ſiue omnia per Angelos, vt quæ per Martyres fieri dicūtur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant. *cap.* 10. Faciunt iſta Martyres, vel potiùs Deus, orātibus aut cooperātibus eis, &c. Vt ſupra *l.* 20. *contra Fauſt.* 21. & *l.* 8. *Ciu.* 26. In 7. libros ſacræ ſcript. *Gen.* 28. Inuocabitur in his nomen meum, &c. Notandum eſt non ſolum exauditionem, ſed etiam inuocationē dici aliquādo, quæ non Dei, ſed hominum ſint. *Q.* 108. *in Exod.* 26. Sanctorum Martyrum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui. *Enchir.* 56. Pars Eccleſiæ quæ eſt in cœlis, ſuæ parti peregrinanti vt oportet opitulatur. *l. de cura pro mortuis. A c.* 1. *ad* 7. De fructu ſepeliendi fideles in Memorijs Sanctorum. *c.* 4. Vt viui eiſdem ſanctis illos tanquā Patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent, &c. Cùm recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurit locus Martyris, eidem animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus, &c. *cap.* 5. Cùm ergo fidelis mater filij ſui defuncti corpus deſiderauit in Baſilicam Martyris poni: ſiquidem credidit eius animam meritis Martyris adiuuari, hoc quod ita credidit ſupplicatio quædam fuit, & hæc profuit ſi quid profuit. Et quod ad idē ſepulchrum recurrit animo, & filium precibus magis magiſque commendat: adiuuat defuncti ſpiritum, non mortui corporis locus, ſed ex loci memoria viuus matris affectus. Simul enim & quis & cui commendandus ſit, nō vtique infructuosè religioſam mentem precantis attingit, &c. *c.* 16. Non ſolis beneficiorū effectibus, ſed ipſis hominū aſpectibus *S.* Fœlicem Confeſſorem apparuiſſe, cùm à Barbaris Nola impugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis, &c. Quibuſdam ſanādis vel adiuuādis Martyres adſunt.] Subdit dubiū. An ipſi per ſeipſos adſint, &c. An ipſis in loco ſuis meritis cōgruo, ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, Deus exaudiens Martyrum preces, per Angelica miniſteria præbeat hominibus iſta ſolatia, &c. An vtrumque ſit, &c. *cap.* 17. An iſta fiāt Dei nutu per Angelicas poteſtates, in honorem Sanctorum, illis in ſumma quiete poſitis, & ad alia longè meliora viſa vacantibus orantibuſque pro nobis. *cap.* 18. Quòd quis ſepeliatur apud memoriam Martyrum, hoc tantum videtur mihi prodeſſe defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur. *Epiſt.* 42. Videtis Imperatores ad ſepulchrum piſcatoris ſubmiſſo diademate ſupplicare. *Epiſt.* 137. De miraculis ad ſepulchrum *S.* Fœlicis. [ Vt non omnes ſancti habent dona curationum, 1. *Cor.* 12. ita nec in omnibus memorijs ſanctorum iſta fieri voluit, qui diuidit cuique prout vult. In *Pſal.* 44. Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri? In Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis? In *Pſal.* 65. Melius eſt vt Imperator ploret ad memoriam Piſcatoris, quàm piſcator ad memoriam Imperatoris. *In pſal.* 85.

*Pſal.* 85. Chriſtus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres qui cum illo ſunt interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipſorum, niſi cùm tranſierit gemitus noſter. *In Pſal.* 86. Apoſtoli ſunt portæ, quia per eos intramus. Vna porta Chriſtus, & 12. portæ Chriſtus. Pulſate ergo affectu ad has portas, &c. Clamet in vobis Chriſtus, *Pſal.* 117. Aperite mihi portas iuſtitiæ, &c. *In Pſal.* 88. Natalitia Sanctorum cum ſobrietate celebrate: vt gaudeant de vobis, qui orant pro vobis. In *Pſal.* 105. Quantum interceſſio Sanctorum alijs valeat apud Deum, exemplo Moyſis *Exod.* 32. In *Pſal.* 117. Cùm videntur adiuuare homo vel Angelus: Deus per eos facit. *Tract.* 84. *in Ioan.* vt & *ſerm.* 17. *De verbis Apoſt.* & 107. *ex diuerſis.* Non commemoramus Martyres ad Menſam ſicut alios, vt pro eis oremus, ſed magis vt orent ipſi pro nobis. *Tract.* 1. *in* 1. *Ioan.* 1. Aduocatum habemus, &c. Committit ſe homo diſertæ linguæ, & non perit: committis te Verbo, & periturus es? Sed dices: ergo Sancti non petunt pro nobis? Inuicem pro ſe omnia membra orent, ex *Coloſ.* 4. Caput pro omnibus interpellet. *Tract. De Cataclyſmo c.* 6. Virga MARIA ſancta, virga Chriſtus, virga crux: quâ Serpens hæreſeos deuoratur, confringitur. *lib. Medit. ex Aug. c.* 40. Sancta & immaculata Virgo, S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, &c. vt Litaniæ. *Serm.* 35. *De verbis Domini in Luc.* 16. Qui habebunt tabernacula æterna, niſi Sancti? Et qui ſunt ab ipſis in illa accipiendi, niſi qui eorum indigentiæ ſeruiunt? *Serm.* 17. *De verbis Apoſt. c.* 1. Iniuria eſt pro Martyre orare, cuius debemus orationibus commendari. *Serm.* 108. *De tempore.* Pro ipſis Idolis repleta eſt terra Martyribus. *Serm.* 171. *in Luc.* 11. Pulſate & aperietur vobis, &c. Stant Angeli ad ianuam vt introducant, &c. Si accedat pupillus parua manu pulſare paternam ianuam, nunciant Angeli eum Domino. Ex *Sermonibus* 51. *De Sanctis. ſerm.* 1. & 4. *De S. Stephano c.* 4. Si S. Stephanus non ſic oraſſet: Eccleſia Paulum non haberet. *Serm.* 18. *De feſto Annunt.* Sancta MARIA ſuccurre miſeris, &c. vt nunc. *Serm.* 25. Beatiſſimum Petrum Piſcatorem modo genibus prouolutis adorat multitudo credentium. *Serm.* 28. Si opem ferre poterat vmbra corporis S. Petri, *Act.* 5. quanto magis nunc plenitudo virtutis? A *Serm.* 29. *ad* 33. 51. & *à* 92. *ad* 100. ex diuerſis. De varijs miraculis ad inuocationem & reliquias S. Stephani. Vt 94. *c.* 5. Dulciſſima pictura eſt hæc: vbi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium veſtimenta ſeruantem, &c. Orationibus ſuis commendent nos, &c.] Sic & de adorando ſcabellum pedum eius, *Pſal.* 98. De celebri pictura Abrahæ *lib.* 20. *contra Fauſt.* 75. & 4. Euangeliſtarum, ac ipſius Chriſti inter *SS.* Petrum & Paulum, *lib.* 1. *De conſ. Euang.* 9. De adorandis veſtigijs Chriſti in monte Oliueti, *Tract.* 47. *in Ioan.* De vi & vſu ſigni *S.* Crucis, *q.* 79. *ex* 83. *De catech. rudibus c.* 20. *Tract.* 18. *in Ioan. ſerm.* 215. *de tempore.* 20. 28. 111. *ex diuerſis, &c.* vt ſupra, ſub. 3. probatione.

9. Ex celeberrimis miraculis, tam antiquis apud *B. Aug. lib.* 20. *Ciu. c.* 8. & alibi, quàm nouis & frequentibus, in confirmationem huius fidei & praxis, ſingulariter erga Deiparam Virginem. Cùm hæc ab ipſo Chriſto prædicta fuerint futura in ſua Eccleſia: nec extra eam vlla fiant, vel à Deo per dæmones fingi permittantur.

10. Ex definitione Eccleſiæ, *contra Vigilantium* ſupra: *contra Iconomachos*, in *Conc. Nicæno* 2. *Act.* 3. & *contra Lutheranos, Caluiniſtas*, in *Trid. ſeſſ.* 25.

11. Ex hac ipſa praxi Eccleſiæ colendi & inuocandi ſanctos modo tam diuerſo à cultu ac inuocatione Dei & Chriſti, tamque expreſsè relatiuo ad orandum pro nobis Deum per Chriſtum: vt ſit glorioſius Deo & Chriſto ſic à nobis coli & inuocari per ſanctos, quàm à nobis immediatè; nec poſſit confundi cum cultu proprio ſolius Dei, nec præbeat ſed auferat omnem occaſionem & periculum errandi.

## *Obiectio* 1. *Contra cultum Sanctorum.*

EX Sacra Script. *Exod.* 20. *Deut.* 4. *Matt.* 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Ier. 8. contra adorantes militiam cœli. *Act.* 10. *S. Petrus*, 14. *SS. Paulus, & Barnabas, Apoc.* 19. 22. Angelus, noluerunt vllatenus adorari.

Quia vt *S. Aug. lib. de vera Relig. cap.* 55. Non ſit nobis Religio cultus hominum mortuorum, &c. Honorandi ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, &c. Quod colit ſummus Angelus, id colendum eſt etiam ab homine vltimo, &c. Hoc etiam ipſos optimos Angelos velle credamus, vt vnum cum ipſis colamus Deum, &c. Quare honoramus eos charitate, nō ſeruitute, &c. Rectè itaque ſcribitur *Apoc.* 19. & 22. Hominem ab Angelo prohibitum ne ſe adoraret: *Infra.* Religet ergo nos Religio vni Omnipotenti Deo: quia inter mentem noſtram & veritatem, nulla interpoſita eſt creatura. *lib.* 20. *contra Fauſt.* 21. Colimus Martyres cultu dilectionis & ſocietatis: ergo non Religionis. *lib.* 4. *Ciu. à c.* 9. *ad* 34. De cultu ſolius Dei, contra omnem cultum inferiorem. *Quæſt.* 94. *in Exod.* Dulia debetur Deo tanquam Domino: latria verò nonniſi Deo tanquam Deo: ergo neutra Sanctis deferri poteſt. *lib.* 3. *contra Max. c.* 23. Nonniſi Deo verâ religione ſeruitur. *Epiſt.* 59. *q.* 8. *in illud Coloſſ.* 2. Nemo vos ſeducat in Religione Angelorum, &c. *Epiſt.* 44. De cultu Chriſtiano ſolius Dei, non autem vllius mortuorum. *In pſal.* 34. Fortè dicitur mihi, Angelos cole, Angelos adora, &c. Melius eſt cum ipſis poſſidere te, quàm ipſos adorando cadere à te. *In pſal.* 96. Vtinam Angelos ſanctos colere velletis: facilè ab ipſis diſceretis nō illos colere, *Apoc.* 19. 22.

Ad totam hanc vulgarem hæreticorum calumniam ab *Hottonio* in confer. noſtra Lymb. motam, à *Maretio* in ſua *Monachomachia* promotam, & hîc à nobis tot *B. Aug.* dictis cumulatam.

Optimè *Reſp.* ex ipſa ſacra ſcript. & *B. Aug.* vulgari quoque diſtinctione inter cultum, adorationem, ſeruitutem Latriæ, & Duliæ: Illa eſt ſoli Deo vt Deo propria, irreferibilis ſupra, & incommunicabilis infra Deum: hæc eſt communis Deo

vt

Digitized by Google

vt Domino, & omnibus ei ſubordinatis: ſed vt Religioſa, ſolis rebus aut perſonis Deo ſacris, præcipuè ad ſtatum gratiæ & gloriæ Dei ſupra nos eleuatis. Nam licet latinè ſit idem verbum commune ſeruiendi: græcè tamen ſacra ſcript. vtitur verbo proprio ſeruiendi ſoli Deo Latria vel Lyturgia, vt *Exod.* 23. *Deut.* 6. & 30. *Matt.* & *Luc.* 4. *Act.* 13. *Apoc.* 7. 22. *Rom.* 1. Sed verbo communi ſeruiendi Deo & quibuſuis Dominis, ſingulariter perſonis ſacris, *Dulia*. Vt patet ex *B. Aug. l.* 1. *Ciu.* 1. Vbi ex profeſſo ita diſtinguit ſeruitutem, cultum, Religionem, pietatem, & conſequenter adorationem latriæ, ex proprijs nominibus græcis: à communi & inferiori, inquit, quæ *alio nomine græcè nuncupari ſolet*. Quo alio niſi Duliæ? *l.* 14. *contra Fauſt.* 9. Adonai interpretatur Dominus, eo modo quo ſolus Deus dicitur Dominus: ſicut latria ſeruitus qua tantummodò Deo ſeruitur, &c. *Quæſt.* 61. *in Gen.* 23. Abraham adorauit populum terræ. Non dictum eſt *Deut.* 4. Deum tuum ſolum adorabis: ſicut dictum eſt, illi ſoli ſeruies, græcè *Latria*. Talis enim ſeruitus nonniſi Deo debetur. Nec moueat quod *Apoc.* 19. prohibet Angelus hominē adorare ſe. Talis enim apparuerat Angelus vt pro Deo poſſet adorari: ideo corrigendus fuerat adorator.] Quid diſtinctius, & expreſſius? *q.* 82. *in Exod.* & 2. *in Deut.* De cultu Latriæ ſolius Dei. *Q.* 94. *in Exod.* Et *Dulia* debetur Deo tanquam Domino: Latria verò nōniſi Deo tanquam Deo.] Quia Dominium non eſt incommunicabile creaturis, vt Deitas. *Lib.* 3. *contra Max. c.* 23. *Deut.* 6. *Matt.* 4. non agitur de Domino quales ſunt homines: ſed cui ſeruitus illa debetur quæ græcè *Latria* dicitur. *In pſal.* 96. In templis tuis non coluntur niſi ſpiritus maligni. Cùm inueneris aliquem hominem ſanctum, ſi volueris illum colere & adorare pro Deo, prohibet te, non vult ſibi arrogare honorem Dei, non vult tibi eſſe pro Deo, ſed tecum eſſe ſub Deo, vt *Act.* 14. Sic & omnes ſancti vel Angeli illius gloriam quærunt, &c. Reſpondent, non colimus mala dæmonia: Angelos quos dicitis, ipſos & nos colimus. Vtinam illos colere velletis: facilè ab ipſis diſceretis non illos colere. Audite Angelum doctorem. *Apoc.* 19. Quomodò dæmones iraſcuntur ſi non colantur: ſic Angeli indignantur ſi pro Deo colantur.] Vbi expreſsè de quodam cultu Angelorū: ſed non pro Deo, nec vt Dei. In *pſal.* 135. Ne homines ſeruitium Religionis, quæ græcè *Lyturgia* vel *Latria* dicitur, ſanctis Angelis exhibeant, &c.] Adde, quòd cùm mandatum illud ſeruiendi Deo, ſit ad omnes: non poteſt intelligi niſi de cultu Dei. Hinc *Ad* 1. ex ſacra ſcript. *Ad* 2. Eſt contra idololatras Solis, lunæ, & ſtellarum. *Ad* 3. SS. Paulo & Barnabæ *Act.* 14. vel fortè etiam Petro *Act.* 10. & Angelo *Apoc.* 19. deferebatur *Latria*: ſed c. 22. nonniſi *Dulia*: cùm S. Ioannes præmonitus ac inhibitus iteraret, & Angelus ab ea excipienda vt conſeruus ſe humiliter excuſaret. Nec obſtat quòd *Gal.* 4. Iis qui natura non ſunt dij ſeruiebatis *Dulia*: quia *Dulia* aliquando determinatur ad *Latriam*; nec dœmones aut idola poſſunt coli vllo cultu nequidem *Dulia*. Nec quòd *Gal.* 5. Seruite inuicem *Dulia*: ergo non vt dominis, &c. Quia additur in ſeu ex charitate, non iure aut debito proprio ſeruitutis: Vel propter Deum, & ſtatum gratiæ in altero, ſuperiorem ſtatu noſtro naturæ. Nec quòd *Apoc.* 22. Angelus non vult adorari, vt conſeruus: quia inter conſeruos Dei eſt ſubordinatio; nec ſunt adorandi *Dulia* niſi vt conſerui Dei nobis ſuperiores; nec fortè ille Angelus erat in illo ordine ſuperior S. Iohanne. Nec denique quod Abraham *Gen.* 23. adoret populum duliâ, & Moyſes *Exod.* 18. Getro ſocerum ſuum, & alij alios æquales aut inferiores: quia adoratio ſeu honor & reuerentia debetur vnicuique ſecundùm aliquam dignitatem; ſed ſeruitus propriè dicta nonniſi ob aliquod dominium vel ſubiectionem ſaltem voluntariam.

Hinc & *Ad* 1. ex *B. Aug.* l. De vera Relig. c. 55. ſupra. *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum*: quia vt mortui, non ſunt ſuperiores viuis, imò nec ſunt; ſed vt viuunt ſpiritu apud Deum vitá gratiæ & gloriæ, vtique religioſè propter Deū colendi ſunt. Ex Luc. 20. *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum*. Nec obſtat quod ſequitur: *Honorandi ſunt propter imitationē, nō adorādi propter religionē. Quare honoramus eos charitate, non ſeruitute.* Quia ſubdit. *Nec eis templa conſtruimus; nolunt enim ſe ſic honorari à nobis.* Vbi exprimit quo modo, videlicet latriæ, non ſint à nobis adorandi, colendi, ſeruiendi. Nec excluditur modus adorandi eos religioſè, aut reſtringitur ad ſolum honorem imitationis & charitatis: ſed refertur ad finem imitationis, & ad principium charitatis Dei & proximi. Vel tantùm negatur eorum adoratio & ſeruitus religioſa *latriæ*, pro ſuo principali ſignificatio. De quo ſubdit. *Religet ergo nos Religio vni Omnipotenti Deo: quia inter mentem noſtram & veritatem, nulla interpoſita eſt creatura* .i. vt obiectum, principium, aut finis noſter, cui iure naturæ debeamus illam adorationem aut ſeruitutem.

*Ad* 20. *contra Fauſt.* 21. Cultus dilectionis & ſocietatis erga viuos & defunctos, eſt etiam *Religionis*: quia eſt *deuotionis* ibidem. Nam religio religat nos vni Deo: non ſingulos ſeorſim abſolutè vel relatiuè, nec omnes confusè; ſed ordinatè & ſubordinatè, in conſeruos & ſubſeruos.

Sed quòd cultus SS. ſit etiam religioſus, abſolutè vel relatiuè elicitus aut imperatus ab eadem Religione Dei, vel aliqua inferiore: ſatis patet ex lib. 20. contra Fauſt. cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat*, &c. Infra. *Colimus Martyres tantò deuotiùs quantò ſecuriùs.* Lib. 8. Ciu. cap. 27. *Adhibentur Religioſorum obſequia in Martyrum locis.* Lib. 10. cap. 1. *Quamuis Religio Dei cultum ſignificare videatur*, &c. Infra. *Quia tamen & cognationibus humanis dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum*, &c. Infra. *Quæ latinè Religio dicitur, ſed erga Deum.* &c. *hanc ei tantùm deberi dicimus.* Lib. de cura pro mortuis cap. 4. *Si nonnulla religio eſt vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando vbi ſepeliantur attenditur.* Cap. 5. *Quis & cui ſancto ſepultus commendatus ſit, non infructuosè religioſam mentem precantis attingit.* Infra. *Religioſus animus eligit humare quem diligit.* cap. 17. De quadam religioſiſſima muliere quendam S. Ioannem videre

 cupiente,

# QVÆSTIO VI.

## *AN, QVID, ET QVAM CERTVM SIT, DE ſtatu defunctorum in ſolo peccato Originali.*

NEgabant Pelagiani pueros ſine Baptiſmo defunctos, damnari, aut perfectè beatificari in regno Dei, ſed imperfectè in loco ſeu ſtatu medio inter damnatos & perfectè beatos: quia nolebant eos eſſe reos peccati orig. ſed in ſtatu tantùm naturali, nec baptizari ad remiſſionem vllius peccati, ſed ad ſolam gratiam & gloriam Dei. Vt patet ex *col.* 205, 206. De Baptiſmo. Hinc *B. Aug.* tam grauiter cenſurat illum locum ſeu ſtatum medium, vt fidei catholicæ contrarium: lib. 3. de Origine Animæ cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequàm baptizentur morte præuentes peruenire poſſe ad originalium veniam peccatorum, ſi vis eſſe catholicus.* cap. 11. *Noli credere, nec dicere, nec docere aliquas manſiones eſſe extra regnum Dei, quas eſſe Dominus dixit in domo patris ſui, ſi vis eſſe catholicus.* cap. 12. *Noli credere, nec dicere, nec docere ſacrificium pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, ſi vis eſſe catholicus.* cap. 13. *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos qui ſine baptiſmate Chriſti ex hac vita migrauerint, interim non ire in regnum cœlorum, ſed in paradiſum: poſtea vero in Reſur. etiã ad regnũ cœlorum Beatitudinem peruenire, ſi vis eſſe catholicus.* Tract. 67. in Ioan. *Reſpuendi ſunt qui dicunt ideò multas eſſe manſiones,* Ioan. 14. *quia extra regnum cœlorum erit aliquid vbi maneant Beati Innocentes, qui ſine Baptiſmo ex hac vita emigrarunt. Hæc fides non eſt fides, quoniam non eſt vera & Catholica fides. Abſit vt ipſius Regiæ domus pars aliqua non ſit in Regno.* Serm. 14. De verbis Apoſt. cap. 1. *Non eſt quæſtio vtrum paruuli baptizandi ſint, ſed quare.* cap. 2. *Nos dicimus eos, non aliter ſalutem æternam & vitam habituros: iſ autem dicunt, non propter ſalutem, ſed propter Regnum Cœlorum, &c. Ergo eſt æterna vita extra Regnum Cœlorum, &c.* cap. 3. *Hic error eſt auerſandus ab auribus, extirpandus à mentibus, &c.* Matt. 25. Ite, venite, &c. *Nullus relictus eſt medius locus vbi ponere queas infantes.* cap. 9. *Pace eorum dicam, qui cuiquam ſalutem promittit ſine Chriſto, neſcio vtrum ipſe ſalutem habere queat in Chriſto.* lib. 21. Ciu. 25. *Si in Regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur: quia nõ non eſt medius locus.* Quibus permoti rigidiores B. Auguſtini diſcipuli cenſent eſſe contra fidem Catholicam, aut ſaltem expreſſam mentem B. *Aug.* excipere paruulos ſine baptiſmo defunctos, à loco & pœna poſitiua damnationis æternæ: multò magis eis tribuere aliquam beatitudinem naturalem. Plerique tamen leniores neutrum putant eſſe contra fidem, nec contra *B. Aug.* intentionem. Vt patet ex noſtro *Alenſi p. 2. q. 122. m. 18. S. Bon. in 2. d. 33. & Scoto* ibidem.

*Reſp.* Eſt de fide omnes defunctos in peccato originali damnari ſimpliciter, ſaltem ad pœnam priuatiuã damni, ſeu priuationem æternam viſionis & fruitionis Dei, in inferno: non eſt tamen de fide nec de mente B. *Aug.* damnari ad vllam pœnam poſitiuam, corporalem vel ſpiritualem, nec priuari omni oblectatione naturali; ſed tota doctrina noſtri *Al. Bon. & Scoti* ſupra, eſt valdè probabilis.

Quia nec ſacra ſcript. nec Eccleſia in Conc. *Mil. Arauſ. Flor. Trid.* nec ipſe *Aug.* plus aut minùs exprimit. Vt patet 1. Ex Conc. Flor. *Definimus illorum animas qui in actuali peccato mortali, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Vbi exprimitur locus & diſparitas pœnæ, vt & culpæ. Ergo quàm eſt diuerſa culpa Orig. ab actuali: tam diuerſa pœna. 2. Ex cenſura *Pii 5. & Greg. 13.* in hanc Prop. 47. *Bai: Ex habituali voluntate dominante fit, vt paruulus decedens ſine regenerationis Sacram. quando rationis vſũ conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Blaſphemet, & legi Dei repugnet.* Quæ ſequerentur ex tantis pœnis, ſine gratia patiendi.

## 3. *Ex Reſp. ad Obiectiones.* 1.

MAtt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum,* &c. *Et ibunt in ſupplicium æternum.* Sub qua ſententia B. *Aug.* inuoluit & pueros non baptizatos, vt iudicandos & condemnandos ex geſtis aut non geſtis aliorum circa ipſos.

*Reſp.* 1. Ex noſtro *Al. p. 2. q. 122. m. 10. ſ. 1.* Ibunt in ignem vt tenebroſum, & priuatiuum illius beatæ lucis, non autem vt ardentem. Quia ignis ille poteſt eſſe inſtrumentum obiectiuum priuandi ſuo obſcuro phantaſmate omnes damnatos illa luce; non vrendo corpora illorum puerorum, nec torquendo eorum vt aliorum animas vllo dolore aut triſtitia; quia non oritur niſi ex aliquo actu oppoſito, cuius illi pueri non erunt capaces.

*Reſp.* 2. *Ex S. Bon. in 2. d. 33. Art. 3. q. 1. Punientur priuatione viſionis Dei, & vilitate loci inferis*: ſed ſine vlla inde pœna poſitiua, corporali aut ſpirituali; quia vt nunquam habuerunt, ſic nec habebunt vllum actum contrarium concupiſcentiæ, nec vltra deficient ad malum, aut proficiet in bono, ſed erunt ſemper in eodem ſtatu mali moralis.

*Reſp.* 3. Ex Scoto in 2. d. 33. *Punientur æterni ignis ſupplicio: in ſenſu diuiſo .i. quod eſt in igne æterno.* Vel vt ſupra, obiectiuè.

*Reſp.* 4. Illam ſententiam non ferri integrè niſi in reos propriorum peccatorum actualium & mortalium: vt patet ex toto contextu; ſed inuoluere omnes damnatos quo ad ſeparationem à Beatis. Nec omiſſio Baptiſmi puerorum ab adultis, imputatur his ad vllum nouum reatum. Nec obſtat quod pueri Baptizati non ſolùm adiudicentur Beatitudini eſſentiali, ſed etiam delectationi ſpirituali & corporali. Tum quia Deus præmiat vltra, ſed punit citra condignum: & odia ſunt reſtringenda, fauores ampliandi. Tum quia ex ſola beatitudine eſſentiali neceſſariò & immediatè ſequitur delectatio: non autem ex ſola illius priuatione, triſtitia; ſed ex illius cognitione & nolitione.

## *OBIECTIO.* 2.

S. *Aug.* ſupra & vbique vult tales ſimpliciter damnari cum alijs, & quamuis alijs leuiùs, tamẽ grauiùs

Digitized by Google

grauiùs quàm ad omnia huius vitæ tormenta. Ergo comparat poſitiuè & intenſiuè, non priuatiuè. Vt lib. de pec. meritis & rem. *Poteſt dici paruulos omnes ſine baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros. Multùm autem fallit & fallitur qui eos in damnatione prædicat non futuros.* lib. 5. contra Iul. c. 11. *Non dico paruulos ſine Baptiſmo morientes tanta pœna eſſe plectendos, vt eis non naſci potiùs expediret: cùm hoc Dominus non de quibuſlibet, ſed de ſceleſtiſſimis dixerit,* Matt. 26. *Si enim quod de Sodomis ait,* Matt. 10. *Alius alio tolerabiliùs punietur: quis dubitauerit paruulos non baptizatos in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit quamuis definire non poſſim: non tamen audeo dicere quòd eis vt nulli eſſent potiùs expediret.* Enchir. 93. *Mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum aliud addiderunt, &c. Tantò quiſque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hic minorem habuit iniquitatem.* Cap. 12. *Fruſtra quamplurimi æternam damnatorum pœnam humano miſerantur affectu, &c. Quæ ſi ſola eſſet quanta ibi minima cogitari poteſt: perire à regno Dei, alienari à vita Dei, tam grandis eſt pœna; vt ei nulla poſſint tormenta quæ nouimus comparari, ſi illa ſit æterna, iſta autem ſint quamlibet multis ſæculis longa.*

*Reſp.* 1. Ex S. Bon. *in* 2. *d.* 33. *a.* 3. *ad* 1. & 2. *S. Aug.* vult tantùm eos *puniri graui pœnâ, & in inferno, contra hæreſim Pelagianam:* declinando ab illa ad oppoſitum, vt ſiſtat in medio. Hinc *Enchir.* 93. vocat eam *mitiſſimam.* Quam reſp. *Scotus* ibidem refert quaſi *B. Aug.* exceſſiuè loquatur, vt ſolent Sancti contra hæreſes. Non quaſi *B. Aug.* ex aliquo impetu declinaſſet à vero ad falſum, vel exceſſiſſet ipſam veritatem: vt quidam imperiti conantur eneruare omnem eius authoritatem; ſed quòd declinauerit & exceſſerit vltra certitudinem fidei.

*Reſp.* 2. *B. Aug.* ſupra tantùm cenſurare eos qui illis pueris tribuebant quandam innocentiam & beatitudinem naturalem, quandam manſionem in domo Dei extra Regnum Cœlorum, quendam ſtatum ac locum medium inter Beatos & damnatos, imò ſperabant eis perfectam cum alijs beatitudinem poſt Reſurr. vt patet ex textibus eius ſeuerioribus. Ex alijs autem, facilè colligi poteſt, eum tam benignè ſenſiſſe quàm fides ferre poteſt. 1. Quia vix aliter vocat puerorum pœnam, quàm damnationis æternæ: quæ à ſolo damno denominatur, & in eo ſolo eſſentialiter conſiſtit. 2. Cenſet eam eſſe *omnium leuiſſimam, mitiſſimam, tolerabiliorem, minimam excogitabilem ſeu poſſibilem, perire à regno Dei, alienari à vita Dei, &c.* Ergo tantùm priuatiuam; quia nulla poſitiua poteſt eſſe intenſiuè leuiſſima, mitiſſima, minima, tolerabilis in tali ſtatu ſine impatientia, odio, inuidia, blaſphemia, eoque grauiore, quo ex ſolo demerito alieno non proprio. Nec obſtat quòd *ſit tam grauis vt ei nulla poſſint tormenta quæ nouimus comparari:* quia ſunt diuerſi generis, nec comparantur intenſiuè, ſed extenſiuè, in duratione, *ſi illa ſit æterna, &c.* 3. *lib.* 21. *Ciu.* 29. & *Enchir.* 112. Indulget omnem mitigationem poſſibilem damnationis æternæ. 4. *lib.* 1. *de liber. Arb. cap.* 23. Monet *non eſſe metuendum ne vita eſſe poſſit media quædam inter rectè factum atque peccatum: & ſententia media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium.* Infra. *Quis nouit, quid paruulis de quorum cruciatibus maiorum duritia contunditur, aut exercetur fides, aut miſericordia probatur, bonæ compenſationis reſeruet Deus?* Quæ quamuis ex *Epiſt.* 28. *ad S. Hier.* & *lib. de bono perſeu. cap.* 11. 12. videantur de ſolo ſtatu naturali, ſiue poſſibili, ſiue conſiderato ſine culpa orig. & reſtringi ad pueros patientes pro Chriſto, vel ſaltem baptizatos: indicant tamen ſenſum mitem B. Aug. de iudicijs Dei circa pueros innocentes à culpis actualibus. 5. *Lib.* 5. *Ciu. à cap.* 11. *ad* 16. De mercede temporali Romanorum, pro geſtis aut paſſis amore patriæ, & vanæ gloriæ. *Quæſt.* 1. *in Exodum.* De mercede obſtetricum, &c. Quæ præter miſericordiam, & æquitatem Dei ſupernaturalem, ſupponunt quandam connaturalem ad omnes creaturas. 6. *l.* 5. *Contra Iul.* 11. Non audet eis vt alijs præferre non eſſe: ergo ob ſtatum ab alijs valdè diuerſum.

## *OBIECTIO* 3.

NOſter *Al.* & *S. Bon.* fatentur ex *B. Aug.* tales damnari ad infernum, imò & ad ipſum ignem inferni: ſupponuntque eos ſcire ſuam damnationem, & eius cauſam; ergo ex natura ſua, & vitio naturæ, ſine vllo remedio gratiæ, nolunt quantùm poſſunt, indeque grauiſſimè dolent, & triſtantur; imò & poſt Reſur. æquè patientur pœnas ſenſibiles, ac nunc patiuntur ob ſolam culpam orig. cùm nulla dote animi aut corporis præſeruandi ſint. *Reſp.* Damnari ad Infernum, vel fortè etiam ad ipſum ignem inferni, vt ſupra ex Alenſi: nec notitia naturali ſuæ damnationis moueri ad vllum actum aut paſſionem contrariam; quia ſunt in ſolo ſtatu orig. & quaſi habituali, moraliter immutabili in actualem: nec priuari vlla vi naturali, ſed morali benè vel malè operandi; quia ſunt in termino morali, non naturali: nec pati pœnas ſenſibiles vt in hac vita; quia nunc patiuntur vt mortales, nunc actiones & paſſiones ſunt communes, & connaturales, tunc ſupernaturales; nunc ſunt alij fines patiendi, tunc non patiendi: nec præſeruari vllâ gratiâ vel dote, ſed prouidentia Dei ordinaria pro illo ſtatu. Vt latiùs in Abſolutione noſtri Tomi 2. in Aug. contra illam prop. 47. Baij: ab ipſa etiam experientia, quòd adulti non baptizati non blaſphement Deum, &c. *col.* 174. 175.

Adde ex *Flor.* vt omnes pœnæ ſint diſpares, hos eſſe ſupra illos, mirùſquè priuari luce & cognitione naturali ipſius etiam Dei.

# QVÆSTIO VII.

*Quid, & quàm certum ſit de Beatitudine præſenti animarum?*

NEgarunt *Tertul. lib.* 4. contra Marcion. *Vigilantius* apud *S. Hier.* Armeni & Græci, in Concil. *Flor. ſeſſ.* 1. Luther. in *Gen.* Calu. 4. *Inſtit.* 20. negantque horum tenaces ſectatores, animas beatificari clara viſione & fruitione Dei ante Reſur. generalem: ſed eo vſque latere & quieſcere in *ſinu*

Digitized by Google

*ſinu Abrahæ*, ſeu in ſpe promiſſionis Dei, ac ſecura eius expectatione.

*Reſp.* Eſt de fide Animas ſanctas, ab inſtanti mortis, vel ſufficientis purgationis beatificari, plurimaſque eſſe beatas perfecta beatitudine eſſentiali & æterna claræ viſionis & fruitionis Dei: ſed non eſt tam certum de perfectione intenſiua, extenſiua, & loco Beatitudinis præſentis. 1. Ex ſacra Script. *Matt.* 5. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. *Luc.* 23. Hodiè mecum eris in Paradiſo. *Apoc.* 14. Beati qui in Domino moriuntur. *Act.* 7. Stephanus vidit cœlos apertos, &c. *Phil.* 1. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. 2. *Cor.* 4. Momentaneum & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c. cap. 5. *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra diſſoluatur, &c. habemus æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram quæ de cælo eſt ſuperindui cupientes, &c. ſcientes quia dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem, bonā voluntatē habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum, &c.* 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Eph. 4. *Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Heb.* 9. De via cœli aperta, & introductione per Chriſtum. *Heb.* 12. De Eccleſia nunc triumphante, ex Beatis Angelis & Animabus. *Apoc.* 6. & 7. De ſtola prima, ſeu gloria eſſentiali Martyrum. *Matt.* 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris .i. A ſuo ſtatu perſeuerantiæ: ergo & animæ Sanctæ. *Exod.* 3. 33. 1. *Cor.* 12. Ab illa viſione Moyſis, & Apoſtoli: ad beatificam Sanctorum. *Luc.* 16. A damnatione præſenti impiorum, ad beatificationem Iuſtorum. *Prou.* 3. Spes quæ differtur affligit animam. *Leuit.* 10. Non eſt differenda merces meriti completi. *Eccli.* 11. Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere, &c.

2 Ex definitione *Benedicti* 12. *Extrauag. Benedictus Deus*, & *Conc. Flor.* ac *Trid. ſeſſ. vlt.* praxique publica ac antiqua colendi & inuocandi Sanctos, vt ſic beatos. Nam in feſto *S. Greg.* Deus qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beat. præmia contuliſti.

3. Ex Doctrina SS. Patrum. *S. Ign. Epiſt. ad Rom.* Sinite me puram lucem aſpicere, &c. *S. Dion. cap.* 7. *Eccl. Hier.* De ſinu Abrahæ, &c. Iſta ſunt perfectiſſima Sanctorum præmia, &c. Illud eſt quòd oculus non vidit, &c. *Iren. l.* 1. *c.* 2. Iuſtis quibuſdam, &c. claritatem æternam circumdat *S. Cypr. lib.* 4. *Epiſt.* 2. Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire, &c. *l. De Martyrio.* Quanta ſecuritas, claudere in momento oculos quibus homines videbantur, & aperire eos ſtatim vt Deus videatur. *S. Baſil. Hom. in* 40. *Martyres.* Appertæ ſunt vobis Paradiſi portæ. *S. Chryſ. Hom.* 10. *in* 2. *Cor.* 10. Cogita quantam lætitiam nobis allatura ſit manifeſta comprænhenſio. Beati & ter beati qui illis bonis fruuntur, &c. *S. Amb. lib.* 7. *Epiſt.* 59. *ad Theſſal.* Acolius videt nunc facie ad faciem, &c. *S. Hier. in Vigilantium.* Ais vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſubtus aram Dei animas Apoſt. & Martyrum conſediſſe, &c. *Epiſt. ad Marcellam de obitu Lætæ.* Æterna beatitudine fruitur, &c. *S. Aug.* 12 *in Gen.* 34. Tertium cœlum ſunt animæ beatorum, &c. *l.* 20. *Ciu.* 9. 13. Animæ Martyrum cum Chriſto regnant. & *c.* 15. *l.* 9. *Conf.* 3. *Nebridius viuit in ſinu Abrahæ, quicquid illo ſignificatur: ibi Nebridius meus viuit, &c. Nam quis alius tali animæ locus? Ibi viuit, &c. & bibit quantum poteſt ſapientiam pro auiditate ſua ſine fine fælix.* l. 5. de Bapt. c. 17. *O quàm gaudet Cyprianus? quanto ſereniùs in illa luce intuetur, &c?* lib. 7. c. 2: *Sereniùs perſpicit veritatem, &c. l.* 2. *qq. Euang. q.* 38. vt ſupra, *In pſal.* 30. *l.* 4. *Retr.* 14. *Quinam ſint Beatiſſimi, qui iam ſint in poſſeſſione quò ducit hæc vita; magna quæſtio eſt. Et Angeli quidem ſancti quòd ibi ſint, nulla quæſtio eſt: ſed de ſanctis hominibus iam defunctis vtrum ipſi ſaltem dicendi ſint iam in illa poſſeſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur. Iam enim corpore quidem corruptibili quo anima aggrauatur exuti ſunt: ſed adhuc expectant etiam ipſi redemptionem corporis ſui, & caro eorum requieſcit in ſpe, nondum in futura incorruptione clareſcit. Sed vtrum ad contemplandam cordis oculis veritatem facie ad faciem, nihil ex hoc minùs habeāt, nō eſt hic locus diſputādo requirere, &c.* lib. 12. in Gen. 35. *Quid opus ſit ſpiritus defunctorū corpora ſua in Reſur. recipere, ſi poteſt eis etiam ſine corporibus illa beatitudo præberi, diffitilior quæſtio eſt, &c. Minimè dubitandum eſt, & raptam mentem, & poſt mortem ipſam, tranſcenſis etiam ſimilitudinibus corporalium, non ſic poſſe videre incommutabilem ſubſtantiam vt ſancti Angeli vident: ſiue alia latentiore cauſa, ſiue ideo quia ineſt naturalis appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud ſummū cælum, quamdiu non ſubeſt corpus cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat. Porrò ſi tale ſit corpus cuius ſit difficilis & grauis adminiſtratio, multò magis auertitur mens ab illa viſione ſummi cæli, &c. Proinde cum anima hoc corpus ſpiritale receperit, Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ ſuæ modū, obediens & imperans, viuificata & viuificans, ineffabili fælicitate.* In pſal. 119. *Ibi omnes iuſti & ſancti fruuntur Verbo Dei ſine lectione: quod enim nobis ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt;* lib. ſeu Epiſt. 57. ad Dardanum. *Vbicumque ſit paradiſus, quiſquis beatorum ibi eſt, cum Chriſto eſt, vt* Luc. 23. lib. 12. in Geneſ. 34. *Animæ latronis,* Luc. 23. *Non inferos præſtitit, &c. ſed aut illam requiem ſinus Abrahæ, &c. aut illum paradiſum, ſiue in 3. cælo, ſiue alibi, quo raptus eſt Apoſt.* 2. Cor. 12. Epiſt. 99. ad Euod. *Paradiſum, ſinum Abrahæ, ſeu tantæ fælicitatis locum non eſſe quandam partem inferorum.* lib. de cura pro mort. c. 16. 17. De Sanctis Martyr. *In loco ſuis meritis congruo, in ſumma quiete poſitis, & ad longè meliora viſa vacantibus, &c.* lib. de vera Relig. c. 34. l. Imperf. in Gen. 16. q. 67. ex 83. Contra Epiſtolam fund. cap. 37. De æquali ac immediata ordinatione animarum & Angelorū ad Deum. *lib.* 7. 9. *Conf.* & alibi, de varijs extaſibus & raptibus ſuis ſuæque Matris, quaſi vſque ad ipſam viſionē Dei. De quibus omnibus latiùs *Tomo* 2. *noſtræ Anat. ſeu comm. in Aug. col.* 64. 65. 66. 67. 69. 92. 101. 102. variorum Indicum.

## *Obiectiones.*

1. M*Att.* 20. 25. Serui boni & mali, mercenarij conducti, decem virgines, & omnes

Digitized by Google

nes illi benedicti, ac maledicti non niſi ſimul poſt extremum iudicium ſuam mercedem aut pœnam recipient.

II. Marc. 12. *In Reſurrectione erunt ſicut Angeli Dei* : ergo non ante.

III. *Luc.* 10. Lazarus fuit portatus ab Angelis in ſinum Abrahæ: diues autem Epulo ſepultus in inferno, ille conſolatus, hic cruciatus, &c. Nec videtur nunc plus tribui ſanctis animabus.

IV. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, &c.* Eſa. 4. 1. Tim. 6. *Deum nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* 1. Ioan. 4. *Deum nemo vidit vnquam.*

V. Coloſ. 3. *Cùm Chriſtus apparuit : tunc & vos, &c.* 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit ſimiles ei erimus : quoniam videbimus eum ſicuti eſt* : ergo non ante.

VI. *Hebr.* 11. Sancti antiqui *non ſine nobis conſummabuntur.*

VII. Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant vſquequò &c? Et dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum donec compleantur conſerui eorum.*

VIII. Chryſ. hom. 39. in 1. Cor. *Si corpus non reſurgit, anima incoronata manebit, & extra cæleſtem beatitudinem erit.*

IX. S. Ambr. l. 2. de Cain c. 2. *Soluitur à corpore anima, & adhuc futuri iudicij ambiguo ſuſpenditur.* lib. de bono mortis, c. 10. *Animas Adyn petere, ideſt locum qui non videtur, quem infernum diximus.* Infra. *Scriptura Eſdræ, habitacula animarum promptuaria nuncupat.*

X. S. Aug. Epiſt. 111. *Secundùm apertiſſimam domini ſententiam,* Luc. 20. *etiam ipſe Hier. ſentit nos tunc viſuros faciem Dei, cùm in Angelos profecerimus, ideſt æquales eis facti fuerimus in Reſur.* lib. de videndo Deo cap. 9. *Deus ſicuti eſt nunc fortaſsè videtur à quibuſdam Angelis : à nobis autem tunc ita videbitur, cùm eis facti fuerimus æquales.* Serm. 64. c. 6. *Quando demonſtraturus eſt ſe dilectoribus ſuis? Poſt Reſur. Tunc videbimus eum ſicuti eſt.* Enchir. 108. *Tempus quod eſt inter mortem & Reſur. animas abditis receptaculis continet.* In pſal. 36. *Poſt vitam iſtam nondum eris vbi erunt ſancti,* Venite benedicti, &c. *Nondũ ibi eris, quis neſcit? Sed poteris eſſe vbi Lazarus.* Luc. 16. *In illa requie ſecurus expectabis iudicij diem.* Epiſt. 99. vt ſupra. Serm. 103. diuerſ. de Sãcta Perpetua & Felicitate. *Vt plurimũ diſtat inter lætitias miſeriaſq́, dormientiũ & vigilãtium: ita inter tormenta & gaudia mortuorum & Reſurgentium, &c. Hæc vita quam nunc SS. Martyres habent, eſt parua particula promiſſionis, imò ſolatium dilationis.* In pſal. 85. *S. Cypr. modò conſolatus, adhuc triſtis eſt.*

XI. S. Bern. ſerm. 3. de omnis Sanctis. *In illam beatiſſimam Dei domum animæ nec ſine nobis intrabũt, nec ſine corporibus ſuis. Nec ſancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne.* Serm. 4. Vidi ſub altare animas, &c. Apoc. 6. *Interim ſub Chriſti humanitate feliciter Sancti quieſcunt, &c.*

XII. *Papa Ioan.* 22. ita definiuit, aut ſaltem doctrinam oppoſitam inhibuit: teſte *Ochamo, Gerſone ſerm. de Paſcha, Marſilio in 4. q. 13. Adriano in 4. de Sacram. Confir.*

XIII. Eccleſia huc vſque precatur defunctis requiem in ſinu Abrahæ.

## *Reſponſiones.*

AD 1. Sacra Script. prædicit futurum publicè de omnibus ſimul, quod in morte fit de ſingulis ſucceſſiuè. *Ad* 2. Prædicit homines Beatos in Reſur. futuros ſicut Angelos *Marc.* 12. imò & æquales *Luc.* 20. non natura, nec tam gratia aut gloria, quàm caſtitate, de qua ibi agitur. *Ad* 3. Reuelatur quædã beatitudo illius ſtatus: ſed futura perfectior pauperum Chriſti. *Ad* 4. Negat viſionem Dei comprehenſiuam, vel naturalem, vel corporalem, vel in hac vita, vel ante Chriſtum. *Ad* 5. Cùm apparuerit, &c. .i. publicè quod iam latet, vel Deus ipſe & Chriſtus : quia niſi appareat ſicuti eſt, non poteſt videri ſicuti eſt, ſed ſingulis Beatis ità apparet priuſquam omnibus ſimul. *Ad* 6. Nõ ſine nobis conſũmabuntur .i. gloria corporali. *Ad* 7. Eſt viſio Martyrum vt immolatorum, ſub altari .i. ſub Chriſto vt agno etiam immolato, & præſtolantium Reſurrectionem ſuorum corporum, ac completum numerum beatorum, non autem ſuam propriã beatitudinem eſſentialem. *Ad* 8. Vt *q.* 3. *ad* 1. Quia cùm totus homo animo & corpore meruerit; ſitq; anima propter ſuum totum, & ad perficiendum ſuũ corpus: nec ſola, nec totam mercedem recipiet. *Ad* 9. Non eſt de dubio iudicij præſentis aut futuri, ſed quando, &c. nec de deſcenſu omnium animarum; nec de hoc ſuo proprio ſenſu, ſed quorũdam philoſophorum. *Ad* 10. ex *S. Aug.* Vel ante Reſur. negat tantùm perfectam viſionem Dei, vel per oculos glorioſos *quocumque fuerint directi*, vt 22. *Ciu.* 29. Nec dubitat de vera beatitudine & dãnatione animarum ſeparatarum : ſed de omni loco & reſpectu ac differentia locali, vt 12. *in Gen.* 33. 34. Nec per ſinum Abrahæ intelligit locum: ſed obiectum quietis pro hoc vel illo ſtatu beatæ, cùm certa ac ſecura fiducia perfectioris, promiſſæ Abrahæ, vt ſupra in *Pſal.* 85. Vel non agit de viſione beatifica ſingulorum; ſed de Beatiſſimo ſpectaculo communi omnium, cuius ſingulæ viſiones ſunt tantùm paruæ part. *Ad Epiſt.* 99. *vt ſupra.* Ad *vlt.* S. Cypr. adhuc triſtis eſt: non in ſeipſo, ſed in nobis & ex nobis. Vt Spiritus S. dicitur gemere & contriſtari, *Rom.* 8. *Eph.* 4. Quod ſi quis PP. aliter ſenſit, necdum erat definitum. Sed *S. Aug.* ſupra 12. *in Gen.* 12. 33. & 1. *Retr.* 14. ſeipſum ſatis explicauit, de præſente quidem Beat. eſſentiali: ſed poſt Reſur. perficienda; extenſiuè, ad totum hominem & obiecta ſecundaria; intenſiuè autem, etiam circa primarium. Non tamen ex quietiori appetitu naturali animæ in corpore, quàm extra: cùm quiecetur eminenter in Deo; ſed ex *cauſa latentiori*, 12. *in Gen.* 35. paulò poſt expreſſa, quia tunc habebit *naturæ ſuæ modum*, ſeu ſtatum perfectum in ſuo toto. Ante quam perfectionem naturalem & ſubſtantialẽ totius, non videtur Deus velle perficere partem intenſiuè, &c. *Vt Tomo* 2. *noſtræ Anat. col.* 92. 93. 94. Lib. autem 1. *Retr.* 5. videtur reuocare omnẽ dubium de loco ordinario beatitudinis, aut damnationis animarum & ſpirituum. *Quid ſit quod dixi*, cap. 13. *Anima ſi caret corpore, in hoc mundo non eſt; non potui recordari. Numquid enim animæ mortuorum aut non carent corpore, aut in hoc mundo non,*

*ſunt? Quaſi verò inferi non ſint in hoc mundo, &c.*

Non quòd locus beatificet aut damnet: ſed terminet præſentiam finitam ſpirituum, & conueniat eorum beatitudini vel damnationi, vt ſupra.

*Ad* 11. S. Bern. vt B. Aug. diſcipulus, idem ſenſit cum ſuo Magiſtro. *Ad* 12. Patet: ex definitione *Bened.* 12. *Ioannem* 22. nihil deſuper definiuiſſe, ſed deliberaſſe, & ſucceſſori definiendum reliquiſſe. *Ad* 13. Preces illæ Eccleſiæ ſunt pro requie æterna & beata, vt propria huius ſtatus: in ſinu Abrahæ .i. cum Chriſto, ex eius ſemine, & omnibus Sanctis, ex promiſſis primo factis Abrahæ, & ſemini eius ſpirituali.

---

# QVÆSTIO VIII.

*An, & quàm certum ſit Animas Beatas pro nobis orare, & nos ac preces noſtras ſcire?*

*Reſp.* Est de fide, contra omnes hæreticos, quòd orent pro Eccleſia in communi, & pro quibuſdam in particulari, ſpecialiter pro ſuis cultoribus & ſupplicibus: ſed contra quoſdam Catholicos, eſt ſolius certitudinis moralis, vel Theologicæ, & piæ fidei, ſpei, ac fiduciæ, quòd ſciant diſtinctè ſuos ſupplices, ac ſingulorum preces.

1. Quia illud expreſsè reuelatur in ſacra Script. non autem hoc. Nam præter Script. de perfecta charitate, vnione, & communione Sanctorum: de quibus *q. 7. Ier.* 15. Si ſteterint Moyſes & Elias coram me, &c. i. orantes. 2. *Mach.* 15. Ieremias & Onias multum orant pro populo. *Luc.* 16. Ipſe Diues Epulo orat pro ſuis fratribus. 1. *Pet.* 2. Dabo operam poſt obitum meum, &c. *Apoc.* 15. Seniores illi 24. vt Angelus *cap.* 8. offerunt Deo orationes ſanctorum. 1, *Pet.* 1. *Apoc.* 1. 20. Omnes Sancti ſunt Sacerdotes ſpirituales ad offerendum Deo orationes. Sed *Eccli.* 9. Mortui nihil ſciunt de viuis. *Eſa.* 63. Abraham neſciuit nos. *Apoc.* 6. Vidi ſub Altare Dei, &c. *q.* 5. De viſione Dei minùs perfecta ſaltem extenſiuè ante Reſur. quam poſt: quæ minuunt quidem certitudinem fidei Catholicæ, non tamen moralem piæ fidei, ſpei, ac fiduciæ in praxi.

2. Illa eſt certa expreſſa & conſtans doctrina SS. Patrum, ex q. ſequenti: ſed hæc quibuſdam, ipſique Aug. ſpeculatiuè dubia. Vt patet ex *lib. De cura pro mortuis, cap.* 10. 11. 12. De apparitionibus, viſionibus, & reuelationibus defunctorum, vt & viuorum, ipſis etiam inſcijs, per operationes Angelorum. Cap. 13. *Si rebus viuentium intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos quando eas videmus alloquerentur in ſomnis: meipſum pia Mater nulla nocte deſereret. Abſit enim vt facta ſit vita fœliciore crudelis.* Sed Pſal 26. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, &c. Si autem parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum qui nouerunt quid faciamus, quidue patiamur?* Eſa. 63. *Abraham neſciuit nos, & Iſrael non cognouit nos. Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex ſe procreatum ageretur ex ſe ignorarunt, &c. Quomodo mortui viuorum rebus atq; actibus cognoſcendis adiuuandiſq; miſcerentur? Quid eſt ergo quod Regi Ioſiæ pro magno beneficio promiſit Deus.* 4. Reg. 22. *quod eſſet ante moriturus, ne videret mala ventura, &c?* Cap. 14. *Quomodo ergo diues ille rogabat Abraham.* Luc. 16? *Numquid ideo quid fratres tunc agerent ſciuit? Fuit illi cura de viuis, vt eſt nobis de mortuis.* Infra. *Abraham potuit hæc Lazaro indicante cognoſcere: ne falſum ſit,* Eſa. 63. *Abraham neſciuit nos.* Cap. 15. *Proinde fatendum eſt neſcire quidem mortuos quid hîc agatur, ſed dum hîc agitur: poſtea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, &c. Poſſunt & ab Angelis aliquid audire, &c. Poſſunt etiam præterita, præſentia, & futura Spiritu Dei reuelante cognoſcere: vt Prophetæ dum hîc viuerent, &c. Mitti quoq; ad viuos aliquos ex mortuis, vt Paulus,* 2. Cor. 12. *ex viuis in Paradiſum raptus eſt, Script. teſtatur. Nam Samuel defunctus viuo Sauli futura prædixit,* 1. Reg. 28. *cùm* Eccli. 46. *Samuel etiam mortuus prophetauerit. Quid de Moyſe, qui* Deut. 34. *mortuus,* Matt. 17. *cum Helia qui mortuus non eſt, legitur apparuiſſe?* Cap. 16. *Non ideò putandum eſt viuorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis vel adiuuandis Martyres adſunt: ſed ideò potiùs intelligendum eſt, quòd per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus interſunt; quoniam defuncti per naturam propriam non poſſunt. Quanquam iſta Quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat: quemadmodum Martyres opitulentur ijs quos per eos certum eſt adiuuari. Vtrum ipſi per ſeipſos adſint vno tempore tam diuerſis locis, &c. An ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus vtiq; non præſentamur, nec vbi ſint, nec quid agant ſcimus: Deus vbiq; præſens, exaudiens Martyrum preces, per angelica miniſteria præbeat hominibus iſta ſolatia, &c. & ſuorum merita Martyrum vbi, quando, quomodo vult, maximè per eorum memorias commendet, &c. An verò fortaſſis vtrumq; ſit, vt aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam Martyrum, aliquando per Angelos ſuſcipientes perſonas Martyrum.* Cap. 17. *An iſta fiant Dei nutu per Angelos, in honorem Sanctorum, illis in ſuaui quiete poſitis, & ad alia longè meliora viſa vacantibus, orantibuſq; pro nobis.* Lib. 22. Ciu. 9. *Siue Deus per ſeipſum, &c. ſiue per ſuos miniſtros iſta faciat, &c. ſiue quædam faciat per Martyrum ſpiritus, &c. ſiue omnia per Angelos, &c. vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, &c.* Cap. 10. *Faciunt iſta Martyres, vel potiùs Deus, orantibus aut cooperantibus eis.*

3. Ex Traditione & praxi fidei Catholicæ, commendandi ſe precibus Sanctorum abſentium, aut defunctorum: cùm necdum eſſet de fide vllos eſſe Beatos ante Reſur., nec ſit de fide hunc vel illum eſſe Beatum, imò credibilius ſit S. Eliam necdum eſſe Beatum: nec ſit credibile reuelari ordinariè preces noſtras niſi Beatis; ergo illa praxis fidei non pendet ex hac reuelatione, ſed hæc potiùs ex illa infertur, & piè creditur, ac ſperatur.

4. Ex definitione expreſſa illius, non autem huius. Nam nec S. *Hier.* de hoc condemnat hæreſeos Vigilantium, vt quæſt. ſeq. Nec *Concil. Nyc.* 2. Iconomachos: nec *Trid. ſeſſ.* 25. Lutheranos & Caluiniſtas; ſed tantùm vt negant Sanctos defunctos

functos

functos *pro nobis orare , & à nobis piè ac ſalubriter coli & innocari, vt pro nobis etiam ſingulis orent.*

5. Ex doctrina Scholaſticorum antiquorum,& recentiorum. Vt *Hugonis de S. Vict. lib.*2. de Sacram. parte 16. cap. 11. *Hoc vnum certum eſt, animas Sanctorum in ſecreto diuinæ contemplationis conſtitutas, eorum quæ foris aguntur tantum ſcire, quantum illis vel ad gaudium , vel nobis ad auxilium prodeſſe conſtat. Nos Interceſſores quærimus apud Deum, quid amplius vis ? Times ne fortè non orent , qui ſemper orant, &c. Si non audiunt , inquis, & ego in ventum fundo verba , non audientibus & non intelligentibus loquens, &c. Ecce dicamus , non audiunt : nunquid Deus non audit ?* Magiſtri Sent. *d.* 45. Vbi nihil quoad hoc dogmaticè, ſed relatiuè ad *S. Aug.* & *Hug.* ſupra. *Alenſis* 4. *p. q.* 91. *m.* 2. *art.* 2. *col.* 679. Vbi monet animas beatas non ſic nec æquè offerre Deo preces ex officio proprio,ac Angeli offerunt. *q.* 92. *m.* 1. *Art.* 4. *ad* 3. refert ſe ad *B. Aug.* l. de cura pro mortuis, quibus modis preces noſtræ poſſint innoteſcere Sanctis. *S. Bon. in diſt.* 45. ſupra, *col.* 920. 921. nil de hoc dogmaticè. *S. Tho.* 2. 2. *q.* 8. *a.* 4. Scotus noſter in *diſt.* 45. *q.* 4. ſupra *col.* 933. eorumque diſcipuli , non contendunt inter ſe dogmaticè , ſed tantùm ſcholaſticè , de hac cognitione Beatorum, & modo cognoſcendi ſucceſſiuè , vel præcognoſcendi ſimul. Hinc *Scotus* ſupra col. 933. *Probabile eſt quòd Deus reuelet Beatis de orationibus, &c* .i. non omnes, ſed aliquas ex eis. *Suarez in* 1. *p. Tract.* 1. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 18. probabiliter concludit : *Quòd videatur valdè conſentaneum conſuetudini Eccleſiæ, & modo quo ad Sanctos preces fundit, eos actu videre preces noſtras ex vi ſuæ Beat. & ideò fortaſſè oramus potiùs nunc ad Sanctos Beatos , quàm in veteri Teſt. Et hæc opinio videtur magis pia. Eſtius in* 4. *d.* 45. §. 18. 20. docet eſſe pluſquam probabile : ſed *Trid.* noluiſſe definire.

6. Ex doctrina celebriorum & expertiorum Dogmatiſtarum: vt Card. *Bellarm. lib.* 1. de Beat. SS. c. 20. *Certè non fruſtra inuocarentur Sancti, etiamſi demus eos non audire , nec cognoſcere noſtras preces : nam aliquis alius eorum vice fungitur. Sicut non fruſtra ſupplicat Regi , qui certò ſcit Regem non eſſe lecturum, &c.* R. P. F. *Lud. Richeomij*, Diſcurſu 2. pro Relig. Cathol. pag. 329. editionis Rothom. 1608. *Ad veſtram Arg. quod Sancti non ſint inuocandi ; quia cùm non audiant nos , non poſſunt nobis ſuccurrere : reſpondemus non eſſe opus vt nos audiant, quia Deus eorum vice , & in eorum fauorem ipſis inſcijs nos exaudit, &c. Quamuis nihil obſtet quin & ipſi audiant preces noſtras.* R. P. *Franciſci Veronij*, qui ad Art. 23. & 24. Miniſtri Drelincourt reſpōdet, *In profeſſione fidei noſtræ nequidem fieri mentionem quòd Sancti defuncti ſciant noſtras particulares neceſſitates, & ſecretas cogitationes : cùm & nos oremus pro pluribus quorum neceſſitates ignoramus, & oremus viuos, qui neſciunt noſtras cogitationes, &c.*

Quâ etiam noſtrâ reſponſione in prima *ſeſſ.* Conferentiæ Lymburgenſis 1633. à 19. April. ad 22. Miniſtri Hæreſeos ex improuiſo conſuli , diſſoluto toto ſuo apparatu contra illam ſanctorum notitiam, velut quodam animi deliquio, tunc quidem prorſus obmutuerunt: ſed poſtea inter ſe conclamarunt, imò & quidā noſtri ſcioli potiùs quàm docti muſſitarunt, hanc reſp. eſſe alienam à fide noſtra, vel ſolum effugium difficultatum. Donec ipſe Miniſter primarius, *Hotton*, vim huius reſp. expertus , conſultis deſuper Lugduni Batauorū ſuis Rabbinis, in ſua propria Apologia ſic confeſſus fuit. *Le Moine trencha tout net, &c.* 1. *Monachus ſubitò totum præcidit, dicens nō eſſe neceſſariū vt ſancti inuocati cognoſcant interiora eorum à quibus inuocantur. Et quidem verum eſt quod Card. Bellarminus cedat in hanc opinionem, & Caietanus idem teſtetur, &c.* Sed erubuit confiteri quid ei Monachus præciderit : videlicet linguam, ſeu totum ſuum apparatum, quo præciſo quaſi elinguis obmutuit. Totaque facultas Theologica Duacenſis eandem reſp. approbauit 1635. die 12. Maij. ſubſignatis omnibus doctoribus. *Georgius Coluenerius* , S. Theol. Doctor & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Franciſcus Syluius* , S. Theol. Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Philippus de Trieu*, è Societate Ieſu S. Theol. Doct. & Profeſſor. *Theodorus van Couuerden* , S. Theol. Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Philippus de la Croix*, è Societ. Ieſu S. Theol. Doctor & Profeſſor. *Valentinus Randuur*, S. Theol. Doctor & Profeſſor Regius ac ordinarius. *F. Rudeſindus Barlo*, Ordinis S. Benedicti , Congr. Anglicanæ , S. Theol. Doctor, & Proffeſſor in Collegio Vedaſtino. *Philippus vander Made*, S. Theol. Doctor. Sed pſeudo-Miniſter Traiectenſis pertinaciter reclamauit in ſua Monachomachia : vt infra.

Quàm ſit autem certum, & facilè , ſed non confundendum cum controuerſijs fidei, Beatos ſcire noſtras preces. Patet 1. Ex ordinarijs viſionibus ac reuelationibus ſecretorum, quæ fiebant Prophetis: quanto magis nunc Beatis? 2. Ex oblatione noſtrarum precum per Angelos & Sanctos, *Apoc.* 5. & 8. Ergo non ſine earum notitia. 3. Ex *Luc.* 16. De prece ipſius Epulonis nota Abrahæ. 4. Ex *Marc.* 12. *Luc.* 20. De perfectione Angelica Beatorum poſt Reſur. ex vi beatitudinis ac perfectionis præſentis animarum. 5. Ex perfectione ſupernaturali viſionis & obiecti beatifici, velut ſpeculi voluntarij, ad repræſentandum omnia pertinentia ad illum ſtatum. 6. Ex varijs alijs modis quibus Deus poteſt eis reuelare de quibus ſupra ex *B. Aug.* 7. Ex perfectione intellectuali Beatorum, cognoſcendi omnia obiecta ſua ſecundaria, ſine vlla diſtractione à ſuo primario. 8. Ex vi naturali & ſphæra ampliori intellectus noſtri, quàm vllius ſenſus. Cùm ergo nos hinc tam facilè ſuſpiciamus ſimul tot ſtellas in Cœlo : cur nequeāt Beati oculo ſpirituali è cœlo deſpicere omnes noſtras preces ? 9. Ex maiore vi & ſphæra obiectiua intelligibilium, quàm ſenſibilium. Cū ergo ſtellæ è cœlo radient vſque ad nos : cur non preces deuotæ vſque ad Beatos? 10. Ex vi noſtra & ſphæra corporali loquendi & audiendi : ad long. maiorem ſpiritualem inter nos & Beatos. Vt fauet *Scot. in* 4. *d.* 45. *& in* 2. *d.* 9. docēs ſecreta cordiū eſſe ex ſolo decreto ſeu reſeruatione Dei. Quæ cùm relaxet nobis liberam cordium cōmunicationē per verba, ſcripta, & alia ſigna : cur nō etiā inter nos & Beatos? Cùm illi non dependeant à phantaſmatibus in cognoſcendo, nec nos in ratione obiecti, ſed intellectus. Nec hæc ſit ſcrutatio cordiū ſine conſenſu noſtro , ſed communicatio per conſenſum.



Digitized by Google

## Obiectiones.

1. HOttonij *Seſſ.* 8. Confer. Lym. Ex 3. Reg. 8. *Tu exaudies, &c. Quia tu ſolus noſtri cor omnium filiorum hominum.* Quaſi hæc eſſet ratio omnis inuocationis ac inuocabilitatis. Reſpõſũ fuit, nec reddi ibi rationem totalem, nec ſolius inuocationis: ſed principalem, & exauditionis, ac propitiationis pro peccatis, quæ requirit ſpecialem notitiam cordis diſpoſiti. Vt patet ex integro contextu. *Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac: tu exaudies in cœlo, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius; quia tu ſolus noſti cor omniorum filiorum hominum.* Quæ clauſula cauſalis non tam refertur ad inuocationem, quàm ad exauditionem & propitiationem ſoli Deo propriam.

2. Ex *Rom.* 12. *Quod non ex fide, peccatum eſt:* ergo & ſic inuocare ſanctos. *Reſponſum* fuit eos ſic inuocari ex fide quòd ſaltem Deus intelligat: & ex ſpe quòd ſiue Deus reuelet ſanctis, ſiue non; exaudiet tamen ob preces Sanctorũ pro inuocantibus ſe.

3. Pſeudominiſtri Maretij, pag. 65. 66. 76. 77. ſuæ Monachomachiæ. *Bene eſt, quòd argumentorum noſtrorum virtute hac confeſſio extorta ſit Monacho.* Infra. Bellarmin. *non ſibi conſtat: Richeomius & Veron ad incitas redacti cum Monacho hoc effugio vſi ſunt Reſp.* Ex noſtro Exorciſmo 5. in illam Monachomachiam: Non fuiſſe vllam confeſſionem aut fugam, ſed negationem, & triplicem conuictionem primi Arg. ſeu calumniæ hæreticæ; nos inuocare Sãctos vt Deos omniſcios. Quia nec credimus eos ex ſeipſis ſcire preces noſtras, nec omnes ſimul quamuis ſint finitæ, imò nec ſingulas ſucceſſiuè: ſed ſperamus Deum eis reuelare, vel nos exaudire ob eorum merita & preces pro nobis.

Nec fuiſſe vlla vi extortam: ſed extorſiſſe Hottonio linguam, & mutam illam confeſſionem; ipſique Maretio, p. 76. 77. hanc negationẽ ſuæ pſeudofidei, noſtræque ſemi-confeſſionem. *Sanè non chimæricam ſanctorum inuocationem, qualem hi ſtatuunt poſſe dari, idololatriæ accuſamus: ſed ſpecificam illam & qualificatam, quæ fit in Eccleſia Romana, cum hac opinione conſtanti quòd ſancti preces noſtras audiant, & corda cognoſcant.* Contra hunc Art. 24. ſui Catechiſmi: *Quandoquidem ſolus Chriſtus nobis datus ſit in Aduocatum, nobisque præceptum ſit ſub eius nomine refugere ad Patrem, nec ſit licitum aliter orare quàm ſecundùm formam nobis à Deo per ſuum verbum dictatam: nos credimus quòd quicquid homines imaginati ſunt de interceſſione SS. defunctorum ſit tantùm abuſus & fallacia dæmonum.* Vbi non reprobatur inuocatio SS. ob prætenſam omniſcientiam: ſed ob vnicum Mediatorem ſeu Aduocatum, & prætenſũ Dei mandatum non orandi niſi Deum per Chriſtũ, & ſub ſola forma ab eo nobis præſcripta. Contra quem art. fatetur *Maretius* ſupra pag. 77. 78. & per totam ſuam Monachomachiam, ſanctos viuos & defunctos orare pro nobis: nec diffitetur eos poſſe à nobis orari ſaltem indirectè, ſeu Deum per eorum preces & merita; ſed tantùm negat orari poſſe directè, vt audientes & intelligentes. Cùm tamen illa ſint potiùs contra præfatam confeſſionem ſuæ pſeudofidei, quàm hoc.

4. Eiuſdem, à p. 66. ad 73. *Hanc eſſe fidem & doctrinam Eccleſiæ Romanæ, patet* 1. *Ex praxi inuocãdi ſanctos ſub nouo Teſt. potiùs quàm ſub veteri.* 2. *Cõfitendi ſanctis, iurandi per ſanctos, colendi eos vt patronos diſtinctos, inuocandi vel vnam B. Virginem ſimul ex toto orbe Papali, dirigendi ad ſanctos orationem Dominicam Deo offerendam.* 3. *Ex tot fictis miraculis, &c.* 4. *Ex vnanimi conſenſu omnium Doctorum Pontificiorum, Bellarmini ſupra, Becani, Gualteri, Lindani l.* 3. *ſuæ Panopliæ c.* 34. & 35. *Vbi hoc dogma confert cum Reſurr. & Aſcenſ. Chriſti, &c. Quin ſtatuit ſcientem & prudentem inſanire, qui ambigat an ſancti cognoſcant noſtras preces & vota.*

*Reſp.* Ex noſtro Exorciſmo 5. & 15. Hanc praxim eſſe nũc plus & potiùs quàm tunc: ex fide quòd ſancti non erant tunc Beati, ſed nunc; & ex ſpe quòd cùm tunc aliquando preces etiam impiorum illis reuelarentur, (vt patet ex 1. *Reg.* 18. De Samuele, & *Luc.* 16. De Abraham,) nunc ordinariè preces piorum eis reuelentur. Nec ad hanc praxim requiritur maior certitudo. Nam *Iob* 5. *Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, &c.* Nec vllus eſt certior quòd ſuæ preces mereantur audientiam: & ſæpè *Maretius* ipſe vocat conuocat inuocat vxorem, proles, auditores, amicos, ex ſola ſpe audientiæ; eiuſque proles vagiunt ad matrem abſentem, ſupplente Patre. Nec vllus author ab eo citatus exigit certitudinẽ fidei. Nam *Bellarm.* ſupra expreſsè negat: alij loquuntur de certitudine morali, vel ad ſummum Theologica: quæ ſufficit ad comparationem ſimilitudinis, non æqualitatis, cum articulis fidei; & ad condemnandum contradictores, cuiuſdam inſaniæ contra ſenſum communem Eccleſiæ & rationem ſapientum.

5. Eiuſdem, pag. 75. 76. *Multa creduntur in Eccleſia Romana, de quibus nihil extat in Trid. quod præſupponit illam notitiam, ſtatuens Beatos orare pro ſingulis. Reſp.* ex pag. 56. noſtrorum Exorc. Beatos poſſe orare pro ſingulis ſuis cultoribus & ſupplicibus, ſiue ſibi, ſiue ſoli Deo notis: quod cum Conc. noluerit definire, eſte *Eſtio in* 4. *d.* 45. ſuppoſuit necdum eſſe tam certum, nec neceſſarium ad praxim colendi & inuocandi Beatos. Nec obſtat, voluiſſe definire controuerſa, quorum hoc videtur eſſe præcipuum: quia voluit tantùm hîc definire practica, & ad hanc praxim neceſſaria. Nec tunc mouebatur hæc difficult[illegible]: ſed de vnico Mediatore, &c. Vt patet ex Art. [illegible] 3. Caluiniſt. & ex texto Conc. Trid. in quibus nulla fit mentio huius notitiæ.

6. Eiuſdem, *pag.* 77. 78. Ex praxi orandi in Miſſa ſolum Deum, ſed per merita & preces ſanctorum: *patet diſtinctio inter illorum pro nobis interceſſionem, & à nobis inuocationem, illamque praxim fuiſſe priorem hac, nec eſſe quæſtionem de illa ſed de hac: per illam enim itur ad ſanctos per Deum, per hanc ad Deum per ſanctos; imò & in Miſſa oratur directè, Salue ſancta parens, &c. Reſp.* ex *col.* 58. 59. noſtrorum Exorc. vt ſupra ad 3. Eſſe contra ſuum Art. 24. Nec minùs ſed potiùs eundum eſſe ad Deum vt finem vltimum, per ſanctos vt media ſubordinata Chriſto Mediatori; quàm ad ſanctos per Deum, niſi vt per primum omnium Motorem.

Nec eſſe nouũ modũ orãdi directè ſanctos viuos &

& defunctos: ſed modũ orandi ſolũ Deum directè, ſanctos indirectè, eſſe propriũ ſacrificio Miſſæ, quod fit ſoli Deo. In quo, *Salue ſancta parens*, non cẽſetur *Oratio*, ſed *Introit.* laudis. Alioquin & ipſe Maretius oraret directè, legendo *Luc.* 2. Aue gratia plena, &c. Nec eſſet contra eſſentiam, ſed ceremoniam congruam ſacrificij, ſub eo orare ſanctos directè

7. Eiuſdem, pag. 78. 79. *Erraſſet Hier. contra Vigil. & S. Maximus, dicendo ſanctos vbique eſſe, &c. Hic eroror eſt Eccleſiæ Romanæ, &c. Inuocatio SS. nititur tantùm inani credulitate notitiæ: quod autem ſine fide peccatũ eſt. Nec conſtat qua alia ratione litaniæ dirigantur ad Sanctos. Si nil importent niſi deſiderium vt ſancti orent pro nobis: non ſunt propriè preces ad ſanctos, &c.*

*Reſp.* Ex *p.* 60. 61. 62. noſtrorum Exorc. Nec illi, nec Eccleſia Romana docet ſanctos eſſe vbique: niſi vt *Apoc.* 14. ſequendo Agnũ quocumque ierit. Vt & *B. Aug. in pſal.* 120. & ſupra *c.* 16. *de cura pro mortuis.* Nec eſt inanis, ſed pia noſtra credulitas, de notitia ſanctorum: nec ei ſoli preces noſtræ nitũtur: ſed certiſſimæ fidei de eorum patrocinio apud Deum pro ſuis ſupplicibus. Ex qua etiam fide, ſed & ſpe ac deſiderio audientiæ, vel ſaltem exauditionis à Deo, litaniæ diriguntur ad Sanctos.

8. Ex B. Aug. l. de vera Relig. c. 55. *Quiſquis in Deo manet, & poteſt humanas preces audire, in illo me exaudit.* Ergo vult neceſſariam eſſe notitiã precũm noſtrarum. *Reſp.* Ex *p.* 66. noſtrorum Exorc. Nõ exigit notitiam actualem, nec vt neceſſariam ad inuocationem, ſed ad exauditionem: nec ad propriam exauditionem, ſed in Deo ſeu per Deum: in quo & per quem ſicut exaudiunt, ſic etiam audiunt ſeu cognoſcunt preces noſtras.

9. Ex *Conc. Senonenſi*, decreto 13. De fide inuocationis, & notitiæ Beatorum. *Reſp.* Ex *pag.* 63. noſtrorum Exorc. Fuit hoc tantùm prouinciale anno 1528. nec fuit confirmatum à Clemente 7. illius temporis, nec à ſequente Conc. Trid. Nec decernit hoc eſſe fidei: ſed probat inuocationem SS. ex facili notitia noſtrarum precum. Porrò ratio definiendi non ſemper condefinitur. Vt patet ex 2. *Conc. Niceno Act.* 5. De pingendis Angelis, quia habent corpora. Hinc *Suarez p.* 1. *Tract.* 1. l. 2. Vult tantum hoc Conc. fauere viſioni precum noſtrarum à Beatis.

10. Ex tacita definitione totius Eccleſiæ, per hanc ipſam praxim tam antiquam & commuuem inuocandi Beatos directè, confitẽdi illis, iurandi per illos vt præſentes, vel ſaltẽ audientes, &c. *Reſp.* Ex *p.* 64. 65. noſtrorum Exorc. nil definiri per ſolam praxim: niſi vt per motiuum definiendi. Vt patet ex praxi baptizandi infantes, & non rebaptizandi hæreticos: quæ non fuit ex ſe diſinitiua, ſed motiuum definiendi. Hæc autem praxis orandi Beatos directè, necdũ fuit ſufficiens ratio motiua definiẽdi cognitionem omnium precum à Beatis: cùm nec ſit propriè & immediatè eorum allocutio; nec hæc ſemper ſupponat aut inferat actualem audiẽtiam. Nam Eccleſia in ſuis precibus ſæpè dirigit verba ad non audientes, vel non intelligentes. Vt baptizando pueros, abſoluendo ſurdos vel idiotas. Imò in ſuis litanijs ſic diſtinguit Chriſtum à ſuis ſanctis: *Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.* Quid quòd praxis colendi ſanctos canonizatos, vel Immaculatam Deiparæ Conceptionem feſto & officio publico, necdum ſit definitiua?

11. Ex *Alexandro Pezantio in* 1. *p. q.* 12. *art.* 10. *diſp.* 7. concl. 6. *Reſp.* Ex *p. noſtra* 67. Vnicũ *Pezantium* non poſſe hanc fidem omnibus præſcribere: ſed potiùs ſua ſingularitate derogare. Nec ſentire omnes preces ad ſanctos eis reuelari: ſed ſolere reuelari, quia, inquit, alioquin fruſtra inuocarentur. *Contra Bellarm.* & alios ſupra.

12. Ex Indice expurgatorio Antuerp. 1575. vbi ſub cenſura in pleroſque *Georgij Caſſandri* libellos, deletur ex quodam eius hymno: *Omnes ſancti orate Deum pro me, perinde valet ac ſi dicatur, vtinam omnes ſancti orent pro me.* Quia, inquiunt Cenſores, *re vera ſanctos inuocamus preces eorum poſtulantes, non ſolum deſiderantes: & amplius petit qui dicit, ora pro me, quàm qui dicit, vtinam ores pro me. Nam illud audienti & intelligenti dicitur: hoc verò etiam à non audientibus & non intelligentibus optari poteſt.* *Reſp.* Ex pag. noſtra 67. 68. 69. Caſſandrum quãuis ſuſpectum, non tamẽ hinc cenſurari hæreticos: Nec intendi quod ſancti immediatè audiant, aut moueantur noſtris precibus; ſed quòd ſoleant eis reuelari. Nam & Deus à nobis oratur quaſi ad eũ mouendum: cùm ſit potiùs ad mouendum & diſponendum nos ipſos. Vt patet ex *B. Aug. Epiſt.* 121. *ad Probam.* Nec illa differentia poteſt intelligi inter *ora pro me*, & *vtinam ores*, ſed *oret pro me.* Porrò illa forma nil importat pluſquam hæc, niſi directionem noſtri deſiderij ad Beatos: quæ an ſit actio tranſiens vel immanens, intellectus vel ſolius voluntatis, eſt tam incertum & problematicum, vt ad nullum certum ſenſum fidei determinari poſſe videatur.

13. Ex *B. Aug. l.* De cura pro mortuis, *cap.* 13 14. 15. 16. 17. 18. Vbi videtur negare omnem notitiam defunctorum de viuis, niſi ex miraculoſa reuelatione: ergo non ex vlla vi naturali, aut ordinaria ſupernaturali Beatorum, contra Scotum & nos ſupra. *Reſp.* Ex textu ſupra relato, negare notitiam naturalem & experimentalem defunctorum necdum Beatorum, de viuis: vel ob nimiam diſtantiam, vel ob nimiam attentionem ad proprias pœnas, vel ob quaſdam tenebras ſpirituales, vel potiùs ex ſolo decreto Dei, ne animæ poſt finẽ huius viæ & vitæ variè afficiantur ex notitia viuorũ. Non autẽ negare Beatos poſſe habere notitiã ordinariã, naturalem & ſupernaturalem de viuis: ſed tantùm dubitare de facto, & de modo. Nec obſtat quòd inter varios modos non meminerit viſionis in Verbo ſeu ſpeculo Eſſentiæ Diuinæ: quia hîc agit de varijs modis quibus defuncti, non autem ſoli Beati poſſunt habere notitiam viuorum. Alibi autem ſæpè docet viſionem ſaltem Angelicam omnium in Verbo. Quam non tam exprimit de beatis animabus: quia cenſet earum viſionem beatificam necdum eſſe tam perfectam extenſiuè ad obiecta ſecũdaria, niſi ex ſpeciali & quaſi miraculoſa pro illo etiam ſtatu reuelatione aut repræſentatione in obiecto primario. Vt ſupra *Quæſt.* 7.



Digitized by Google

# QVÆSTIO IX.

*An, quid, & quàm certum ſit de praxi Eccleſiæ, colendi & inuocandi ſanctos defunctos, in ſuis etiam imaginibus, reliquijs, monumentis, &c.*

HÆc omnia ſimul quæruntur, quia ſimul practicantur, & probantur: vt in Confer. noſtra Lymb.

*Reſp.* Eſt de fide, eſſe piam, & ſalutarem, ad impetranda Dei beneficia, per ſanctorum merita præterita, & preces actuales.

1. Ex infabilli doctrina, praxi, & Traditione Eccleſiæ. *Matt.* 16. 18. *Luc.* 10. 22. *Ioan.* 21. 2. *Theſſ.* 2. 1. *Tim.* 3.

2. Ex præceptis amandi, adorandi, inuocandi Deum: non tantùm in ſeipſo immediatè, ſed & in omnibus & per omnes participantes, & ſpecialiter repræſentantes perfectionem Dei amabilem, adorabilem, & inuocabilem. Quales ſunt Beati, in quibus Deus diuiniùs habitat & repreſentatur per gratiam & gloriam, quàm in Arca fœderis, in Templo, in cœlo. Cùm ergo *Eſa.* 66. Adorabunt veſtigia pedum tuorum. *Pſal.* 137. Adorabo ad templũ ſanctum tuum. *Pſal.* 98. Adorate ſcabellum pedum eius. *Pſal.* 131. Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. *Matt.* 6. Ora Patrem in abſcondito, &c. Pater noſter qui es in cœlis. *Ioan.* 4. Adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate .*i.* etiam in ſeipſis. Quanto potiùs in Beatis? De quibus. 1. *Cor.* 15. Erit Deus omnia in omnibus. 2. *Cor.* 3. Reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur. 1. *Ioan.* 3. Similes ei erimus; quoniam viderimus eum ſicuti eſt.

3. Ex præceptis diligendi & honorandi proximos, propter Deum, ordine charitatis, dignitatis & ſtatus. Atqui ſtatus Beatorum eſt dignus amore & honore inuocationis, ad proteſtandam eorum apud Deum gratiam & gloriam; ergo ſic diligendi & colendi ſunt. *Eſther* 6. Sic honorabitur quem rex voluerit, &c. *Pſal.* 149. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. *Luc.* 10. Nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo. *Matt.* Tibi dabo claues, &c. 19. Sedebitis ſuper ſedes, &c. 24. Super omnia bona ſua conſtituet eum. 1. *Cor.* 6. Sancti de hoc mundo iudicabunt. *Apoc.* 2. Qui vicerit dabo ei poteſtatẽ ſuper gentes, &c.

4. Ex varijs promiſſis Dei & Chriſti, exaudiendi omnes inuocantes ſe. *Ioel.* 2. *Pſal.* 4. 49. &c. Specialiter iuſtos & ſanctos. *Prou.* 21. 24 *Pſal.* 31. 33. *Ioan.* 6. 16. 1. *Ioan.* 3. *Iac.* 5. Et præ omnibus coniunctim orantes. *Matt.* 15. 16. non ſolum Deũ immediatè, ſed ſaltem per Chriſtum; ergo & ſubmediatè, per alios, & cum alijs ſanctis & Beatis.

5. Ex vnione, vnitate, & reciproca communione Sanctorum, inter viuos & defunctos. Nam *Ioan.* 17. Volo pater vt omnes vnum ſint, &c. *Coloſ.* 1. Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. Eccleſia eſt vt corpus ex membris: quæ per mortem non præcinduntur, &c. Non poteſt autem inter eſſe alia communio reciproca.

6. Ex cultu, interceſſione, & inuocatione SS. Angelorum. *Gen.* 18. 28. 32. 48. *Ioſ.* 5. *Tob.* 12. *Oſee* 12. *Dan.* 10. *Zach.* 1. *Matt.* 10. *Luc.* 15. *Hebr.* 1. *Apoc.* 1. 8. Ergo & Beatorum defunctorum, qui ſunt & erunt ſicut Angeli Dei. *Matt.* 12. *Luc.* 20. Imò plus habent communionis nobiſcum.

7. Ex cultu, inuocatione, & interceſſione viuorum pro ſe inuicem. *Gen.* 18. Abraham orat pro Sodomitis. *Deut.* 5. *Gal.* 3. Moyſes fuit *Mediator* & *Arbiter* inter Deum & populum. *Iob. vlt.* Deus remittit amicos *Iob* ad eius interceſſionẽ. In tota lege antiqua laici remittũtur ad ſacerdotes, vt hi orẽt & ſacrificent pro illis. 4. *Reg.* 2. Helias monet Elizeum vt à ſe petat, &c. *Matt.* 6. Chriſtus iubet nos orare pro inuicem. *Ioan.* 12. Quidam gentiles petunt à Philippo videre Ieſũ: ipſe refert hoc Andreæ, & cum Andrea Chriſto. *Rom.* 15. Apoſt. commendat ſe precibus ſuorum. *Hebr.* 5. Omnis Pontifex eſt conſtitutus pro hominibus, erga Deũ. *Iac.* 5. Præſbiteri *Eccleſiæ* orent ſuper infirmos. Orate pro inuicem, &c. Ergo eſt potiùs Beatorum coli & orari à nobis, ac orare pro nobis.

8. Ex cultu, & inuocatione directa vel indirecta Sanctorum defunctorum à viuis, & illorum pro his interceſſione. *Gen.* 48. Nomen meum, & nomen Patrum meorum Abraham & Iſaac inuocetur ſuper vos. *Exod.* 32. Recordare Abraham & Iſaac ſeruorum tuorum. *Iob* 5. Ad aliquem Sanctorum conuertere. 19. Miſeremini mei, &c. *Pſal.* 44. Vultum tuum deprecabuntur. *Pſal.* 131. Memento Domine Dauid, &c. Propter Dauid, &c. *Ier.* 5. Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, &c. *Baruch* 3. Deus Iſrael audi nunc orationem mortuorum Iſrael. *Dan.* 3. Propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum. 2. *Mach.* 12. Ieremias & Onias multum orant pro populo. *Matt.* 17. Moyſes & Elias apparent loquentes cum IESV. *Marc.* 12. *Luc.* 20. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. *Luc.* 10. Ipſe diues epulo orat Abraham, 2. *Pet.* 1. Dabo operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. *Apoc.* 5. Seniores illi 24. habent phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. Vt *c.* 8. Data ſunt Angelo incenſa multa, vt offerret de orationibus Sanctorum omnium, &c. *Apoc.* 1. 20. 1. *Pet.* 2. Omnes Sancti ſunt Sacerdotes ſpirituales, offerentes Deo noſtras & ſuas pro nobis orationes.

9. Ex SS. Patribus. *S. Dion. c.* 7. *Eccl. Hier.* Fruſtra Sanctorum flagitat preces, & ſacras operationes abigit. *Iren. l.* 5. *Contra Hæreſes.* Virgo MARIA Euæ aduocata. *Tertul.* De corona militis, meminit feſtorum in honorem Martyrum. *S. Cypr. l.* 1. *Epiſt.* 1. Si quis hinc noſtrum præceſſerit, perſeueret apud Deum dilectio, non ceſſet oratio. *L.* 4. *Epiſt.* 5. Martyrum paſſiones anniuerſaria commemoratione celebramus. *S. Baſil. De SS.* 40. *Martyr.* O communes generis humani cuſtodes, &c. Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat, &c. *Nazian. De obitu patris ſui.* Nunc magis nobis proficit precibus, quàm antea doctrina. *Orat. de Cypr.* ex mago in Martyrem conuerſo. *Iuſtina* Virginem MARIAM rogauit, vicit

Digitized by Google

vicit Virgo, &c. *In fine huius Orat. & de S. Baſilio, ac Athanaſio*, coſdem Sanctos inuocat. *S. Hil. in Pſal.* 124. Non deſunt Sanctorum cuſtodiæ. *S. Chryſ. Hom. de SS. Iuuentio & Maximo.* Non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos, &c. Vt milites ſua vulnera Regi monſtrantes, &c. Sic Martyres abſecta capita geſtantes, quæcumque voluerint apud Deum impetrare poſſunt. *Nyſſ. De S. Theodoro.* Intercede pro patria, &c. Si maiori opus fuerit deprecatione & aduocatione: admone Petrum, excita Paulum, &c. *S. Ambr. l. 8. in Luc.* Vt Angeli præſunt, ita & qui vitam meruerunt Angelorum. *Lib. De Viduis.* Obſecrandi ſunt Angeli, & Martyres, &c. Iſti enim ſunt noſtri præſules. *S. Hier.* ex profeſſo *lib. contra Vigilantium*, de cultu & inuocatione Sanctorum, ad ſua ſepulchra & reliquias. *Si nunc poſſunt orare pro cæteris, quando adhuc pro ſe ſunt ſolliciti: quantò magis poſt victorias & coronas?* Infra. *Audet dicere: Ergo cineres ſuos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos: ne fortè ſi quis precator aduenerit, audire non poſſint? O portentum, &c.* Epiſt. ad Paulam de obitu Blæſillæ. *Pro te Dominum rogat, mihiq; veniam impetrat.* In Epitaphio S. Paulæ. *Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua.*

*S. Aug. lib. De verâ Relig. c.* 55. Vni Deo religantes animas noſtras, vnde Religio dicta creditur, omni ſuperſtitione careamus. Quiſquis in Deo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, &c. *Lib. 2. Doct. Chriſti c.* 39. Sanctus homo & Angelus etiam feſſos nos, atque in ſe remanere cupientes, reficiunt potiùs, atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fructes beati ſimus. *Lib. 3. c. 9.* De vſu & veneratione ſacrorum ſignorum. *lib. 9. Conſ.* 7. De tranſlatione & miraculis SS. Geruaſij & Protaſij. *l. 20. Contra Fauſt.* 21. Calumniatur fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens non idola conuertiſſe, &c. Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat: & ad excitandam imitatiouem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur, &c. *lib. 25. contra Fauſt. c. 1. Fauſtus.* Si eſt vnus Deus, quid ſibi vult hæc inuocatio, vt adijciatis, Deus Abraham & Iacob? Tanquam naufragium paſſurâ veſtra oratione, niſi ad ſignum nauiget Abrahæ? *In Iob* 14. Miſeremini mei, o amici! Angelos videtur poſtulare, aut certè ſanctos vt pro pœnitente orent. *l. 8. Ciu.* 26. Hermes videtur dolere quod memoriæ Martyrum noſtrorum templis eorum ſuccederent, &c. *c.* 27. Nec tamen *Martyribus* templa, ſacerdotia, ſacrificia conſtituimus, &c. Quis audiuit ad altare, &c. Offerimus tibi Petre, vel Paule, &c. *lib. 10. c.* 1. De Latria, Religione, pietate, & cultu Dei, ſed non ſolius. *c.* 7. Cum Angelis ſumus vna Ciuitas Dei, cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur, &c. Geritur enim ibi cura de nobis, &c. *lib. 20. Ciu.* 9. Regnant cum Chriſto nunc ſancti eius, &c. Neque piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia. *l. 22. c.* 8. Etiam nunc fiunt miracula in Chriſti nomine, ſiue per Sacramenta eius, ſiue per orationes vel memorias ſanctorum eius, &c. Subdit multa. *Cap.* 14. Siue Deus per ſeipſum, ſiue per ſuos Miniſtros faciat, &c. Siue quædã per Martyrũ ſpiritus, ſiue omnia per Angelos, vt quæ per Martyres fieri dicũtur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant. *cap.* 10. Faciunt iſta Martyres, vel potiùs Deus, orãtibus aut cooperãtibus eis, &c. Vt ſupra *l. 20. contra Fauſt.* 21. & *l. 8. Ciu.* 26. In 7. libros ſacræ ſcript. *Gen.* 28. Inuocabitur in his nomen meum, &c. Notandum eſt non ſolum exauditionem, ſed etiam inuocationẽ dici aliquãdo, quæ non Dei, ſed hominum ſint. *Q. 108. in Exod.* 26. Sanctorum Martyrum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui. *Enchir.* 56. Pars Eccleſiæ quæ eſt in cœlis, ſuæ parti peregrinanti vt oportet opitulatur. *l. de cura pro mortuis. A c. 1. ad 7.* De fructu ſepeliendi fideles in Memorijs Sanctorum. *c.* 4. Vt viui eiſdem ſanctis illos tanquã Patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent, &c. Cùm recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurit locus Martyris, eidem animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus, &c. *cap.* 5. Cùm ergo fidelis mater filij ſui defuncti corpus deſiderauit in Baſilicam Martyris poni: ſiquidem credidit eius animam meritis Martyris adiuuari, hoc quod ita credidit ſupplicatio quædam fuit, & hæc profuit ſi quid profuit. Et quod ad idẽ ſepulchrum recurrit animo, & filium precibus magis magiſque commendat: adiuuat defuncti ſpiritum, non mortui corporis locus, ſed ex loci memoria viuus matris affectus. Simul enim & quis & cui commendandus ſit, nõ vtique infructuosè religioſam mentem precantis attingit, &c. *c.* 16. Non ſolis beneficiorũ effectibus, ſed ipſis hominũ aſpectibus *S.* Fœlicem Confeſſorem apparuiſſe, cùm à Barbaris Nola impugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis, &c. Quibuſdam ſanãdis vel adiuuãdis Martyres adſunt.] Subdit dubiũ. An ipſi per ſeipſos adſint, &c. An ipſis in loco ſuis meritis cõgruo, ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, Deus exaudiens Martyrum preces, per Angelica miniſteria præbeat hominibus iſta ſolatia, &c. An vtrumque ſit, &c. *cap.* 17. An iſta fiãt Dei nutu per Angelicas poteſtates, in honorem Sanctorum, illis in ſumma quiete poſitis, & ad alia longè meliora viſa vacantibus orantibuſque pro nobis. *cap.* 18. Quòd quis ſepeliatur apud memoriam Martyrum, hoc tantum videtur mihi prodeſſe defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur. *Epiſt.* 42. Videtis Imperatores ad ſepulchrum piſcatoris ſubmiſſo diademate ſupplicare. *Epiſt.* 137. De miraculis ad ſepulchrum *S.* Fœlicis. [ Vt non omnes ſancti habent dona curationum, 1. *Cor.* 12. ita nec in omnibus memorijs ſanctorum iſta fieri voluit, qui diuidit cuique prout vult. In *Pſal.* 44. Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri? In Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis? In *Pſal.* 65. Melius eſt vt Imperator ploret ad memoriam Piſcatoris, quàm piſcator ad memoriam Imperatoris. *In pſal.* 85.

Digitized by Google

vt Domino, & omnibus ei ſubordinatis: ſed vt Religioſa, ſolis rebus aut perſonis Deo ſacris, præcipuè ad ſtatum gratiæ & gloriæ Dei ſupra nos eleuatis. Nam licet latinè ſit idem verbum commune ſeruiendi: græcè tamen ſacra ſcript. vtitur verbo proprio ſeruiendi ſoli Deo Latria vel Lyturgia, vt *Exod.* 23. *Deut.* 6. & 30. *Matt.* & *Luc.* 4. *Act.* 13. *Apoc.* 7. 22. *Rom.* 1. Sed verbo communi ſeruiendi Deo & quibuſuis Dominis, ſingulariter perſonis ſacris, *Dulia*. Vt patet ex *B. Aug. l.* 1. *Ciu.* 1. Vbi ex profeſſo ita diſtinguit ſeruitutem, cultum, Religionem, pietatem, & conſequenter adorationem latriæ, ex proprijs nominibus græcis: à communi & inferiori, inquit, *quæ alio nomine græcè nuncupari ſolet*. Quo alio niſi Duliæ? *l.* 14. *contra Fauſt.* 9. Adonai interpretatur Dominus, eo modo quo ſolus Deus dicitur Dominus: ſicut latria ſeruitus qua tantummodò Deo ſeruitur, &c. *Quæſt.* 61. *in Gen.* 23. Abraham adorauit populum terræ. Non dictum eſt *Deut.* 4. Deum tuum ſolum adorabis: ſicut dictum eſt, illi ſoli ſeruies, græcè *Latria*. Talis enim ſeruitus nonniſi Deo debetur. Nec moueat quod *Apoc.* 19. prohibet Angelus hominē adorare ſe. Talis enim apparuerat Angelus vt pro Deo poſſet adorari: ideo corrigendus fuerat adorator.] Quid diſtinctius, & expreſſius? *q.* 82. *in Exod.* & 2. *in Deut.* De cultu Latriæ ſolius Dei. *Q.* 94. *in Exod.* Et *Dulia* debetur Deo tanquam Domino: Latria verò nōniſi Deo tanquam Deo.] Quia Dominium non eſt incommunicabile creaturis, vt Deitas. *Lib.* 3. *contra Max. c.* 23. *Deut.* 6. *Matt.* 4. non agitur de Domino quales ſunt homines: ſed cui ſeruitus illa debetur quæ græcè *Latria* dicitur. *In pſal.* 96. In templis tuis non coluntur niſi ſpiritus maligni. Cùm inueneris aliquem hominem ſanctum, ſi volueris illum colere & adorare pro Deo, prohibet te, non vult ſibi arrogare honorem Dei, non vult tibi eſſe pro Deo, ſed tecum eſſe ſub Deo, vt *Act.* 14. Sic & omnes ſancti vel Angeli illius gloriam quærunt, &c. Reſpondent, non colimus mala dæmonia: Angelos quos dicitis, ipſos & nos colimus. Vtinam illos colere velletis: facilè ab ipſis diſceretis non illos colere. Audite Angelum doctorem. *Apoc.* 19. Quomodò dæmones iraſcuntur ſi non colantur: ſic Angeli indignantur ſi pro Deo colantur.] Vbi expreſsè de quodam cultu Angelorū: ſed non pro Deo, nec vt Dei. In *pſal.* 135. Ne homines ſeruitium Religionis, quæ græcè *Lyturgia* vel *Latria* dicitur, ſanctis Angelis exhibeant, &c.] Adde, quòd cùm mandatum illud ſeruiendi Deo, ſit ad omnes: non poteſt intelligi niſi de cultu Dei. Hinc *Ad* 1. ex ſacra ſcript. *Ad* 2. Eſt contra idololatras Solis, lunæ, & ſtellarum. *Ad* 3. SS. Paulo & Barnabæ *Act.* 14. vel fortè etiam Petro *Act.* 10. & Angelo *Apoc.* 19. deferebatur *Latria*: ſed c. 22. nonniſi *Dulia*: cùm S. Ioannes præmonitus ac inhibitus iteraret, & Angelus ab ea excipienda vt conſeruus ſe humiliter excuſaret. Nec obſtat quòd *Gal.* 4. Iis qui natura non ſunt dij ſeruiebatis *Dulia*: quia *Dulia* aliquando determinatur ad *Latriam*; nec dæmones aut idola poſſunt coli vllo cultu nequidem *Duliæ*. Nec quòd *Gal.* 5. Seruite inuicem *Dulia*: ergo non vt dominis, &c. Quia additur in ſeu ex charitate, non iure aut debito proprio ſeruitutis: Vel propter Deum, & ſtatum gratiæ in altero, ſuperiorem ſtatu noſtro naturæ. Nec quòd *Apoc.* 22. Angelus non vult adorari, vt conſeruus: quia inter conſeruos Dei eſt ſubordinatio; nec ſunt adorandi *Dulia* niſi vt conſerui Dei nobis ſuperiores; nec fortè ille Angelus erat in illo ordine ſuperior S. Iohanne. Nec denique quod Abraham *Gen.* 23. adoret populum duliâ, & Moyſes *Exod.* 18. Getro ſocerum ſuum, & alij alios æquales aut inferiores: quia adoratio ſeu honor & reuerentia debetur vnicuique ſecundùm aliquam dignitatem; ſed ſeruitus propriè dicta nonniſi ob aliquod dominium vel ſubiectionem ſaltem voluntariam.

Hinc & *Ad* 1. ex B. Aug. l. De vera Relig. c. 55. ſupra. *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum*: quia vt mortui, non ſunt ſuperiores viuis, imò nec ſunt; ſed vt viuunt ſpiritu apud Deum vitâ gratiæ & gloriæ, vtique religioſè propter Deū colendi ſunt. Ex Luc. 20. *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum*. Nec obſtat quod ſequitur: *Honorandi ſunt propter imitationē, nō adorādi propter religionē: Quare honoramus eos charitate, non ſeruitute.* Quia ſubdit. *Nec eis templa conſtruimus; nolunt enim ſe ſic honorari à nobis.* Vbi exprimit quo modo, videlicet latriæ, non ſint à nobis adorandi, colendi, ſeruiendi. Nec excluditur modus adorandi eos religioſè, aut reſtringitur ad ſolum honorem imitationis & charitatis: ſed refertur ad finem imitationis, & ad principium charitatis Dei & proximi. Vel tantùm negatur eorum adoratio & ſeruitus religioſa *latriæ*, pro ſuo principali ſignificatio. De quo ſubdit. *Religet ergo nos Religio vni Omnipotenti Deo: quia inter mentem noſtram & veritatem, nulla interpoſita eſt creatura* .i. vt obiectum, principium, aut finis noſter, cui iure naturæ debeamus illam adorationem aut ſeruitutem.

*Ad* 20. *contra Fauſt.* 21. Cultus dilectionis & ſocietatis erga viuos & defunctos, eſt etiam *Religionis*: quia eſt *deuotionis* ibidem. Nam religio religat nos vni Deo: non ſingulos ſeorſim abſolutè vel relatiuè, nec omnes confuſè; ſed ordinatè & ſubordinatè, in conſeruos & ſubſeruos.

Sed quòd cultus SS. ſit etiam religioſus, abſolutè vel relatiuè elicitus aut imperatus ab eadem Religione Dei, vel aliqua inferiore: ſatis patet ex lib. 20. contra Fauſt. cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, &c.* Infra. *Colimus Martyres tantò deuotiùs: quantò ſecuriùs.* Lib. 8. Ciu. cap. 27. *Adhibentur Religioſorum obſequia in Martyrum locis.* Lib. 10. cap. 1. *Quamuis Religio Dei cultum ſignificare videatur, &c.* Infra. *Quia tamen & cognationibus humanis dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, &c.* Infra. *Quæ latinè Religio dicitur, ſed erga Deum. &c. hanc ei tantùm deberi dicimus.* Lib. de cura pro mortuis cap. 4. *Si nonnulla religio eſt vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando vbi ſepeliantur attenditur.* Cap. 5. *Quis & cur ſancto ſepultus commendatus ſit, non infructuosè religioſam mentem precantis attingit.* Infra. *Religioſus animus eligit humare quem diligit.* cap. 17. De quadam religioſiſſima muliere quendam S. Ioannem videre

 cupiente,

Digitized by Google

cupiente, &c. Contra pertinacē & fugitiuam Hottonij & Maretij negationem, quòd cultus aut inuocatio Sanctorum ſit, aut dici poſſit religioſa. De quo contra eos plurima, in noſtris *Exorciſmis gallicis*, contra *Apologiam Hottonij*, & latinis contra *Monachomachiam Maretij*, ac *Tomo noſtro 2. in Aug. à col. 83. ad 92. & in 3. Sent.* *Ad lib.* 4. *Ciu.* Non agit niſi contra cultum Pſeudo-deorum, omni cultu indignorum *Ad q. 94. in Exod.* ſat ſupra. *Ad* 3. contra Max. 23. *Tali*, inquit, *ſeruitute .i. latriæ, nonniſi Deo vera Religione ſeruitur.* Vel etiam nulla niſi relatiuè ad Deum. *Ad Epiſt.* 59. *q.* 8. Eſt contra vanam ſpem purgationis aut ſalutis per Angelos, ſine Chriſto Mediatore. Vt & *lib.* 10. *Conf.* 42. 43. *lib.* 9. *Ciu.* 15. 16. & alibi. *Ad Epiſt.* 44. vt ad 1. *Ad Pſal.* 34. vt ad 1. & ad Epiſt. 59. Ad *Pſal.* 96. ex ipſo eodem textu ſupra.

## *Obiectio 2. Contra inuocationem Sanctorum.*

EX ſacra Script. *Pſal.* 99. Inuoca me. *Ioel* 2. Qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. *Matt.* 6. Cùm oratis dicite Pater noſter. *Rom.* 10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? 1. *Tim.* 2. De vnico Mediatore Chriſto. 1. *Ioan.* 2. De vnico eodem Aduocato.

Ex B. Aug. lib. 10. Conf. cap. 42. *Quem inuenirem qui me reconciliaret tibi? An eundū mihi fuit ad Angelos? Quā prece? Quibus Sacramentis? Multi tentauerunt hæc & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus.* *Lib.* 1. contra Parm. De vnico Mediatore & Aduocato Chriſto: ex 1. *Tim.* 2. & 1. Ioan. 2. *Lib.* 23. *contra Fauſtum cap.* 9. De incerto S. Ioachim. *Lib.* 1. *Ciu.* 27. De quibuſdam incertis Sanctis qui coluntur in Eccleſia Catholica. *Lib.* 10. *Ciu.* 26. Angelos imitandos eſſe potiùs quàm inuocandos. *Lib.* 22. *Ciu. cap.* 10. Sancti in ſacrificio nominantur: non tamen à Sacerdote qui ſacrificat inuocantur. *Lib.* 1. *Conf. cap.* 2. Quomodo inuocabo Deum? Vtique in meipſum eum vocabo.] Ergo per illapſum, cuius Sancti non ſunt capaces. *Serm.* 101. ex diuerſis: De *S. Fructuoſo*, qui noluit orare pro rogante ſe: ſed pro ſola Eccleſia Catholica.

*Reſp.* Vt in confer. Lymb. Exorciſmis gallicis, & latinis, & Tomo 2. in Aug. *Ad* 1. 2. 3. ex ſacra ſcript. diſtinguendo inter inuocationem Dei immediatè, & mediatè ac ſubmediatè, per Chriſtum & Sanctos. Nam inuocatio Dei non excludit quin fiat à nobis per Sanctos: ſed hæc includit illam. Vt patet ex prece filiorum Zebedæi per ſuam matrem, & Centurionis *Luc.* 17. per Seniores Iudæorum: ex ipſa forma orandi Sanctos, vt orent Deum pro nobis: & ex ſupradictis. Hinc & Idiotæ dirigunt ad Sanctos ſuum Pater noſter, ad offerendum & coorandum. *Ad* 4. Quomodo inuocabunt, &c. vtique Deum vt Deum: vel Sanctos quos non crediderint, vel etiam in quos vt obiecta ſecundaria fidei, ſpei, & charitatis. Nam *Apoſt. ad Philem.* vocat fidem & charitatem eius in Chriſtum & in omnes Sanctos. *Ad* 4. & 5. Chriſtus eſt vnus Mediator, & Aduocatus, ſupremus & communis omnium: cui Sancti ſubordinati non ſunt plures cum ipſo, ſed tantùm inter ſe. *Ad* 1. *ex Aug.* vt ſupra, contra ſpem in Angelos, ſine Chriſto Mediatore. *Ad* 2. *vt ad* 4. & 5. ex ſcript. Nam ibi intendit exaudiri pro populo Epiſcopos & Miniſtros Chriſti, quamuis peccatores: ex vi vnius Mediatoris & Aduocati Chriſti. *Ad* 3. Sanctus alicubi & aliquando incertus, poteſt noua reuelatione, aut collatione Traditionis fieri certus. *Ad* 4. Ex eodem loco: *Quædam ſanctæ mulieres vt inſectatores ſuæ pudicitiæ deuitarent, in flumen ſe proiecerunt, eodemq́; modo defunctæ ſunt, earumq́; Martyria in Eccleſia Catholica veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temerè audeo iudicare. Vtrum enim Eccleſiæ fide dignis teſtificationibus vt earum memoriam ſic honoret, Diuina perſuaſerit Authoritas; neſcio: & fieri poteſt vt ita ſit. Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed diuinitus iuſſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere? Quod ſi ita eſt iubente Imperatore: quantò magis iubente Creatore? Tantummodo videat vtrum Diuina iuſſio nullo nutet incerto, &c.* Pro certitudine ſaltem morali Eccleſiæ in canonizandis & colendis Sanctis, ex infallibili doctrina & praxi communi Eccleſiæ, de qua toties ſupra. *Ad* 5. Cùm ſint potiùs imitandi, quàm inuocandi: ergo & inuocandi. *Ad* 6. Non inuocantur directè, ſed indirectè ſub ſacrificio, vt ſupra. *Ad* 7. Inuocamus etiam Deum in nos per Sanctos. *Ad* 7. *Quis enim*, inquit, *oret pro ſingulis?* Ergo non negat orari poſſe à viuis pro aliquibus: ſed nec à Beatis pro nobis omnibus & ſingulis.

## *Obiectio 3. Contra cultum Dei & Sanctorum in ſuis ſignis: vt idolatricum, vel ſaltem ſcandaloſum.*

EX ſacra ſcript. Exod. 20. *Non facies tibi ſculptile, neq́; omnem ſimilitudinem, &c. non adorabis ea, neq́; coles.* Leuit. 26. *Non facietis vobis Idolum, nec ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis, vt adoretis eum.* Deut. 4. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in Oreb: ne fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimil. aut imaginem, &c. & adores ac colas ea.* Deut. 5. *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem, &c. non adorabis ea, & non coles.* Ioan. 4. *Venit hora in qua neq́; in monte hoc, neq́; Hieroſolymis: ſed veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Ex S. *Aug. lib.* 1. De moribus Eccleſiæ cap. 34. *Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores.* Libro de Symbolo c. 7. *Non quaſi humana forma circumdatum eſſe Deum Patrem arbitrandum eſt. Tale enim ſimulacrum Deo nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare: multo magis in corde, &c.* lib. 14. contra Fauſt. 12. *Si corpus inclinatur in adorando, aut animus colit quod adoras, aut fingit: vtrumq́; autem pernicioſum eſt.* Lib. 20. c. 9. *Simulacrorum adoratores circa ipſas corporum figuras habent affectum, &c. vt eas ipſas in locis honoratioribus ſublimatas, quibus tantum*

obſe-

*obſequium exhiberi vident, tanquam Deos timeant.* 5. Epiſt. 119. ad Ianuar. c. 6. vt & Pſal. 93. 103. *Vt non adoramus pecora, quamuis Chriſtus dictus ſit & Agnus, & vitulus; nec lapidem quia Petra erat Chriſtus: ſic nec Solem, nec lunam, &c.* 6. Cap. 11. *Nulla imago Dei coli debet, niſi illa quæ hoc eſt quod ipſe: nec ipſa pro illo, ſed cum illo.* 7. Quæſt. 3. libri contra Paganos. *Idola enim his locantur ſedibus vt à precantibus attendantur: afficiunt infirmos animos vt viuere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tãtus eis cultus impẽditur, &c. Qui talibus ſimulachris diuinum cultum exhibent, & velut præſentibus preces allegant, victimas immolant, vota perſoluunt: ſic afficiuntur, vt ea ſenſu carentia putare non audeant.* 8. Lib. contra Sermonem Arrian. cap. 3. *Formant ſibi in phantaſmate cordis ſui Patrem & Filium, quaſi duos in ſuis locis cõſtitutos, vnum iubentem, alterum optemperantem.* 9. Lib. 5. contra Maximinum. *Nonne ſi templum alicui Angelo excellentiſſimo faceremus, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei?* In *Pſal.* 113. Simulachra Gentium argentum & aurum, &c. *Videntur ſibi purgatioris eſſe Religionis, qui dicunt: nec ſimulacrum nec dæmonium colo, ſed eius rei ſignum intueor, quam colere debeo.* Contra. *Quis adorat vel orat intuens ſimulacrum, qui non ſic afficitur, vt ab eo ſe exaudiri putet, ac ab eo ſibi præſtari quod ab eo ſperat? Et nos vaſa habemus quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur, in eius honorem cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur. Numquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?* Serm. 108. de tempore, cap. 4. *Pro ipſis idolis repleta eſt terra Martyribus.* Serm. 28. Ex diuerſis. *Quæ ſibi facit Martyres falſos, niſi auara anima?* Serm. 20. c. 13. *Factorem ſignorum ſuorum petit Deus, non pictorem vel fictorem.* Serm. 111. *Non ſignum ligni te delectat, ſed ſignum pendentis.*

*Reſp.* Vt in noſtris *Confer. Lymb. Exorciſmis, & Tomo 2. in B. Aug.* diſtinguendo inter idola ſeu ſimulachra, quæ non ſunt niſi dæmonum, figmẽtorum, vel creaturarum omni cultu indignarum: & inter ſacras imagines, aut ſigna memorialia Dei, Angelorum, & Beatorum.

Inter ſtatum antiquæ legis & nouæ: inter cultum abſolutum Dei vel ſãctorum ob ſuam intrinſecam dignitatem, & relatiuum ſacrorum ſignorũ ad ſua ſignificata. Hinc ad ſacram Script. vel illa prohibitio fuit tantùm idolorum & ſimulacrorum: vel ſolius antiquæ legis, contra periculum idololatriæ; vel ne fierent ad colendum & adorandum. Vt patet ex ipſo textu.

Quem Lutherus vel Lutherani in quadam editione ſua germanica ſic peruertunt ad ſuum intentum: *Non orabis ad ea*, pro *non adorabis ea*. Quaſi nec ad ſacras imagines & ſigna, ſeu coram eis ſit orandum. Cùm ſacra ſcript. tam ſæpè moneat vt adoramus ad templum, ad altare, ad Arcam fœderis, circa quam erant cherubim: imò & *Pſal.* 93. vt adoremus ſcabellum pedum eius. Nec *Ioan.* 4. per adorare *in ſpiritu & veritate,* excludetur à noua lege vſus ſacrorum locorum & ſignorum ad cultum Dei: ſed limitatio ad hunc vel illum locum, & abuſus figurarum ac cæremoniarum legis antiquæ, contra veritatem & ſpiritualitatẽ legis nouæ.

Ad 1. ex *S. Aug.* Bellarminus *Lib.* 3. *De cultu, & beatit. SS.* videtur fateri eſſe contra nouam idolatria quorundam Chriſtianorum; ſeu potius cõtra minorem ſuperſtitionem. Quia ipſe *B. Aug.* ibidem tribuit hoc tantùm ſuperſtitioni. Nec eſt credibile Chriſtianos ex tunc ad tantam idololatriam declinaſſe: nec B. *Aug.* eos ob externam adorationem, idololatriæ internæ condemnaſſet. Imò hinc patet fuiſſe ex tunc vſum & praxim publicam venerandi picturas & ſepulcra ſanctorum: quorum abuſum S. Aug. refert ab Eccleſia corrigi, non tamen vſum aboleri. Porro ille abuſus videtur fuiſſe nimiæ intentionis ad materiam pretioſam, & formas elegantes, potiùs quam ad res ſacras contentas & ſignificatas.

*Ad* 2. Non eſt tam contra vſum huius imaginis, quàm contra eius falſum ſenſum. Cùm Deus. Pater apparuerit Prophetis ſub forma humana.

*Ad* 3. Eſt contra adorationem Solis & lunæ, *latriâ*: quamuis nec ſint adorabiles *duliâ*. Sed inclinando corpus ad ſacras imagines, non fingitur vlla adoratio, dum refertur ad prototypum.

*Ad* 4. Eſt retorſio huius calumniæ Fauſti c. 4. *Idola in Martyres vertiſtis, quos ſimilibus votis colitis. Vmbras vino placatis & dapibus, &c.* Contra Aug. c. 9. *Simulacrorum adoratores circa ipſas corporũ figuras habent affectum, &c. Vos autem inepta & inſana nec pingendo, nec ſculpendo, nec interpretando demonſtratis: & cùm omnino nulla ſint, creditis & colitis.* Vbi exprobat Manichæis quòd ſint peiores idololatris, colendo tam inſana phantaſmata, vt ea nec pingere nec ſculpere poſſint vel audeant. Ergo fatetur aliquas picturas aut ſculpturas Sanctorum inter Chriſtianos: ob quas Fauſtus calumnietur eos idola vertiſſe in Martyres.

*Ad* 5. Eſt tantùm contra cultum rerum naturalium, quæ nec ſunt dignæ cultu proprio, nec relatiuæ ad alium.

*Ad* 6. Improbat tantùm cultum abſolutum imaginum, non relatiuum, Subdit enim: *Si anima feratur ad ſimilitudines naturales, & inde ad ſpiritualia quæ illis figurantur: ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur.*

*Ad* 7. Eſt contra cultum Idolorum, non autem ſacrarum imaginum. Subdit enim: *Hæc cùm exhibentur Deo ſecundum eius inſpirationem ac doctrinam, vera Religio eſt: cùm autem dæmonibus, noxia ſuperſtitio eſt, &c. Qui talibus ſimulacris diuinum cultum exhibent, &c.* Nec enim ſacræ imagines ſunt *idola*, nec *ſimulacra* ſeu figmenta: nec exhibetur eis *cultus diuinus*; nec in tanta luce fidei ac doctrinæ ſubeſt illius erroris periculum.

*Ad* 8. Eſt contra errorem Arrianorum, de inæqualitate Patris & Filij.

*Ad* 9. Probat æqualitatem Spiritus S. cum Patre & Filio, ex 1. *Cor.* 3. *&* 6. Vbi dicimur *templum Spiritus ſancti*. Nam templa, & altaria ſunt propriè ad ſacrificandum: nec fiunt niſi Deo cui ſacrificatur; ſed ad ſolam memoriam honorariam & patrocinationem SS. vt patet ex *B. Aug.* ſupra.

*Ad* 10. Eſt contra ſolos idololatras, eorumque vanas excuſationes ab idololatria. Nam de Chriſtianis ſubdit: *Quis puer interrogatus non certum eſſe reſpondeat, quòd ſimulacra Gentium os habent*

*in cœlum in nube: & viderunt illos inimici eorum.* Quæ ſolent exponi de *Elia*, & *Enoch*, vt infra. *Cap.* 13. De Beſtia 7. capitum, & decem cornuū ac diadematum: deque coactione ad eam eiusque imaginem adorandam, & gerendum numerum hominis eius, qui eſt 666. *Cap.* 19. De præcipitatione Beſtiæ & Pſeudoprophetæ eius in ſtagnum ignis. Cap. 20. *De alligatione diaboli per annos mille, & Regno Sanctorum cum Chriſto mille annis. Quibus conſummatis ſoluetur Sathanas, & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper 4. Angulos terræ, Gog & Magog, &c.* ænigmaticè. Quæ *S. Aug.* exponit 20. *Ciu.* 7. de tēpore legis gratiæ, quo poteſtas diaboli eſt reſtricta, donec relaxetur tempore AntiChriſti.

2. Theſſ. 2. *Ne terreamini quaſi inſtet dies Domini, &c. Quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.; ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, &c? Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore: (Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.) Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui; & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eū cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſathanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, &c.* Quæ *S. Aug.* 20. *Ciu.* 19. ſine dubio exponit de AntiChriſto: ſed ſub varijs coniecturis, de illa eius *ſeſſione in templo*, vel *in templum Dei*: de illa *diſceſſione, detentione, tentione, &c.* vel reſpectu imperij Romani, vel fortè ipſius Eccleſiæ.

Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio, &c. Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter Electos breuiabuntur dies illi, &c. Exurgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam Electi.* Quorum omnium nil certius *B. Aug. Epiſt.* 78. 89. quàm breuitas illius temporis, & publicatio Euangelij vbique ante finem mundi.

5. Eliam & Enoch futuros eſſe præcurſores Chriſti, contra Antichriſtum, præcipuè ad conuerſionem Iudæorum. Quod quidem de Elia certum eſt, ex eius raptu in illum finem, 4. *Reg.* 2. Nam Eccli. 48. *Elias inſcriptus eſt in iudicijs temporum, lenire iracundiam Dei, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iſrael.* Malach. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam* (apud 70. Theſbyten) *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor patris ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Matt. 17. *Elias venturus eſt, & reſtituet omnia.* Dicitur autem ibi veniſſe, vt *Luc.* 1. In ſpiritu & virtute. Nam ipſe Baptiſta *Ioan.* 1. expreſsè negat ſe eſſe Eliam. De Enoch autem colligitur ex *Gen.* 5. de eius tranſlatione, *Hebr.* 12. ne videret mortem. *Apoc.* 11. De duobus illis Prophetis ab Antichriſto occidendis. Conuerſio autem finalis Iudæorum prædicitur *Pſal.* 38. Conuertentur ad veſperam, &c. *Oſee* 3. Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege & Principe, & ſine ſacrificio & Altari, &c. Poſt hæc reuertentur, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum, &c. nouiſſimo dierum. Hinc *B. Aug.* 20. *Ciu.* 19. refert hoc fuiſſe celeberrimum inter fideles.

6. Quòd *Ioan.* 5. mortui audient vocem Filij hominis, &c. 1. *Cor.* 15. In momento & in ictu oculi: canet enim tuba, & mortui reſurgent, &c. 1. *Theſſ.* 4. Ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cœlo, &c. *Matt.* 24. Mittet Angelos cum tuba & voce magna. Siue de voce Chriſti per Angelos, ſiue etiam per ſeipsū: ſiue de voce pro ſolo iuſſu & dicto ſpirituali, ſiue etiam pro ſono, eoque articulato: ſiue de vi reali, ſiue morali illius vocis; ſiue de eius auditu poſt Reſurr. ſiue de obedientia reſurgendi ad illam vocem.

## *Obiectiones.*

1. Ex ſacra ſcript. *Pſal.* 1. Non reſurgent impij in iudicio. *Ioan.* 5. Venit hora & nunc eſt, &c. *Ioan.* 3. Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit iam iudicatus eſt. *Ioan.* 12. Nunc iudicium eſt mundi, &c. *Ioan.* 16. Princeps mundi iam iudicatus eſt, &c. *Reſp.* De Reſurr. prima ad ſtatum gratiæ, vel vltima ad ſtatum gloriæ: deque iudicio particulari vel generali, diſcuſſionis vel condemnationis, præſentis vel futuræ, &c. Vt facilè ex ſingulis locis colligi, & ſingulis applicari poteſt.

2. Ex *S. Aug.* 20. *Ciu.* 7. Cenſet opinionem *Chiliaſtarum* probabilem: & fatetur fuiſſe aliquando ſuam. Ergo non eſt contra fidem. Cap. 9. *Regnat nunc cum Chriſto primùm Eccleſia in viuis & mortuis.* Cap. 19. Refert, nec improbat quoſdam interpretari, 2. *Theſſ.* 2. non de ipſa perſona Antichriſti, ſed eius corpore, ac ſeſſione in Eccleſia, imò & in ipſam, quaſi eſſet ipſa. Ergo fauet hæreticis contra Papam. *Cap.* 13. Præfert aduentum Eliæ Antichriſto, Iudicium Chriſti Reſurrectioni, & hæc omnia conflagrationi mundi: contra ordinem ſacræ ſcript. & rerum ipſarum inter ſe. *Reſp. Ad c.* 7. Non cenſet probabilem, nec fuiſſe vnquam ſuam, niſi de aliqua præſenti beatitudine ſpirituali. *Ad c.* 9. *Regnant*, inquit, *in viuis & mortuis*, ſibi adhuc vnitis charitate.

*Ad Cap.* 19. Imò, *Nulli dubium eſt*, inquit, *de Antichriſto dici, dieq́; iudicij: ſed in quo templo ſit ſeſſurus, incertum eſt.* Vnde improbat ſequentem opinionem: quæ nec eſt niſi de breui tempore ſub finem mundi, nec de futuro vnquam tali defectu ſucceſſionis & Eccleſiæ ad Antichriſtum. Nam Cap. 8. *Ne quis exiſtimet eo paruo tempore in hac terra Eccleſiam non futuram, &c. Credendum eſt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos.* Nec Papa extollit ſe ſupra Deum, nec contra Chriſtum: ſed profitetur ſe eius Vicarium. Nec ſedet in templo Dei vt Idolum, exigens ſibi Latriam: Nec ſedet in templum Dei, gerens ſe pro ipſa Eccleſia: Nec habet vim faciendi ſigna & prodigia, &c.

*Ad cap.* 30. Poteſt irrepſiſſe aliqua horum confuſio in textu B. Aug. Vel præfert mortem Eliæ, fini Antichriſti; inchoatam conuerſionem Iudæorum, eorundem perſecutioni ab Antichriſto; aduentum Chriſti ad Iudicium, Reſurrectioni

*Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur, &c.* 2. Ex Supplemento *Alenſis in ſua* 3. *p. q.* 101. 102. De Aureolis. 3. Ex S. *Bon. in* 4. *d.* 33. *a.* 2. *q.* de eiſdem. 4. Ex Supplemento in 3. *p. S. Thomæ q.* 96. 5. Ex Scoto in 4. d. 1. q. 6. *Poteſt dici quòd Aureola virginitatis eſt gaudium accidentale de ſua innocentia, &c. Etſi ergo gaudium eſſentiale eſt de ſummo bono poſitiuo, non eſt tamen inconueniens vltra illud addi gaudium de negatione, &c. Multum enim addit de gaudio, non cecidiſſe, vltra ſurrexiſſe, &c.* Quod gaudium animi non negat, ſed potius exigit aliquod ſignum glorioſum corporis. Quæ facilè applicari poſſunt alijs etiam Aureolis.

## *Obiectiones.*

1. EX ſacra ſcript. *Ioan.* 14. Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis. 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, &c. *Coloſ.* 3. 1. *Ioan.* 3. Cùm apparuerit, &c.

*Reſp.* Ex *p.* 938. Hæc non dici de ſufficientia aut vita æterna futura & beata, aut formaliter beatifica: ſed præſenti & diſpoſitiua. Adde nec de totali, nec de principali. Nec, *Cùm apparuerit, &c.* ſignificat hàc apparitionem aut viſionem eſſe ipſam perfectam beatitudinem: ſed potiùs ad eam referri ſeu ordinari.

2. Ex *B. Aug.* 1. *Retr.* 2. Conſtitit inter nos non eſſe beatam vitam niſi perfectam cognitionē Dei. 1. *Solil.* 1. Deus quem videre hoc eſt quod habere. *Quæſt.* 58. *ex* 83. Quid eſt aliud beatè viuere, niſi æternum aliquid cognoſcendo habere? *Lib.* 1. *De moribus Eccleſiæ c.* 11. Sequimur Deum diligendo: conſequimur verò non cum hoc efficimur omnino quod eſt ipſe; ſed ei proximi, cũque mirifico & intelligibili modo contingentes, eiuſque veritate & ſanctitate penitus illuſtrati atque comprehenſi. *Cap.* 25. Vita æterna eſt totum præmium, &c. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te Deum verum, *Ioan.* 17. Æterna igitur vita eſt ipſa cognitio veritatis. 1. *Trin.* 8. Viſio Dei facie & faciem nobis promittitur, vt actionum omnium finis atque æterna perfectio gaudiorum. *Infra.* Cõtemplatio quippe merces eſt fidei, &c. Probat ex *Ioan.* 14. 17. *&* 1. *Ioan.* 3. *Cap.* 13. Viſio Dei ſola eſt ſummum Bonum noſtrum. *Epiſt.* 57. Beatiſſimi ſunt quibus hoc eſt Deum habere, quod noſſe: ipſa quippe notitia, pleniſſima, veriſſima, fœliciſſima eſt.

*Reſp.* Ex *Tomo noſtro* 2. *in Aug.* *Ad* 1. Non eſt beata vita niſi ſit perfecta cognitio Dei. Vel ſola perfecta cognitio Dei, vt excludit imperfectam, eſt vita beata, ſeu aliquid eius, non autem totum nec ſummum eius. Imò cognitio Dei non eſt perfecta niſi cauſaliter, & finaliter perficiatur ipſa fruitione Dei, ex 1. *Solil.* 7. *Ad* 2. Deum videre eſt quoddam eius habere: ſed necdum tam perfectè, ac fruendo. *Ad* 3. Retractatur 1. *Retr.* 26. Nihil eſſe aliud Deum habere quàm noſſe; refertur que ibidem ad perfectiùs habere. *Ad* 4. Sequimur Deum diligendo in hac via & vita: conſequimur verò ſeu attingimus, videndo; ſed vnimur & adhæremus ei fruendo. *Ad* 5. Vita æterna eſt ipſa cognitio Veritatis .i. Cognitio Veritatis eſt ipſa vita æterna, more loquẽdi *B. Aug.* & vt ſupra *ad* 1. Quæ æterna vita viſionis, eſt totum præmium fidei, non charitatis. *Ad* 6. Viſio Dei eſt merces fidei: vt ad eam diſponentis, ſeu purgantis cor; vel fidei per dilectionem operantis; vel quia fruitio eſt potiùs perfectio charitatis viæ quàm eius merces. Ex lib. De vera relig. cap. 47. *Adhæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extra mereatur: ſed cui nihil aliud quàm ipſum hærere Deo, bonum eſt.* Dicitur autem viſio *omnium actionum finis & perfectio gaudiorum* .i. actio finalis & perficiens: non autem ipſe finis perfectus. *Ad* 7. Viſio Dei ſola *eſt ſummum Bonum noſtrum: viſio verò illa Filij hominis, nec bonum erit impijs, nec ſummum bonum iuſtis.* Ergo illa dicitur ſola, & ſummum bonum noſtrum, excluſiuè & comparatiuè ad hanc, non autem ad fruitionem. *Ad* 8. Beatiſſimi ſunt: comparatiuè ad non cognoſcentes, vel non habentes Deum, de quibus ſupra. Nec ſunt Beatiſſimi, quaſi ex hoc ſolo aut ſummo modo habendi Deum. Nec ipſa notitia dicitur eſſe ſumma fœlicitas hominis: ſed inter omnes alias notitias, *fœliciſſima.*

3. Ex ratione. Viſio Dei eſt cauſa fruitionis, ergo perfectior. Nec poſteriora ſunt perfectiora in ratione finis: alioquin gaudium & ſecuritas de æterna viſione & fruitione Dei erit ipſa ſumma beatitudo. *Reſp.* Ex *col.* 938. 939. 940. *Addo*, Viſionem non eſſe cauſam principalem fruitionis, ſed obiectum viſum: imò ipſam fruitionem perficere viſionem; Deũq; perfectiùs amari à Beatis quàm videri. Quia ex 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo per amorem, vnus ſpiritus efficitur cum illo. Nec ſolum in via, ſed & in Patria, *affectus amantis penetrat vbi ſcientia foris ſtat.* Non quaſi aliquid diligatur quod non cognoſcatur: ſed quod perfectiùs diligatur, quàm cognoſcatur. Nam Beati vident Deum inadæquatè, & inæqualiter: ſed omnes fruuntur pluſquam videant; quia confruuntur ſimul Deo, non tantùm vt obiecto, ſed etiam vt adæquatè fruenti ſeipſo.

4. Ex *S. Bon. col.* 923. Quòd Beatitudo formalis ſit influentia Dei in animã. *col.* 924. Quod ſit vna in tribus viribus. Quod fruitio ſit tribus communis, ſed approprietur *Tentioni.* Quòd *Linus* æquè gaudeat de bono *Petri*, ac de ſuo: ſed *Petrus* plus de bono Lini, quàm *Linus* ipſe. Quòdque poſt Reſurr. erit maior Beatitudo etiam intenſiuè. *Contra Scotum col.* 936. 938. 939. 446. 447.

*Reſp.* Eſt influentia Dei in animam .i. Operatio noſtra, ſed à Deo vt cauſa principali & obiecto: Eſt vna in tribus: coniunctim, non formaliter. Fruitio eſt trium virium perfectio: dicique poteſt *Tentio* perfecta, ſeu adhæſio obiecto propter ſe. Plus gaudet quis de ſua Beat. quàm aliena, vel alius de ſua: niſi hic ſit illo tanto melior & amantior. Poſſet quis dici Beatior intenſiuè poſt Reſurr. quã antè: non tam formaliter quàm actiuè, ſeu plus intendens. Nec *S. Bon.* id ait niſi vt *S. Aug.* ſupra, Nec *Scotus* contradicit.



Digitized by Google

# QVÆSTIO XII.

*An, & quid ſupplendum ſit de ſtatu præſenti, vel futuro damnatorum.*

*Reſp.* AVthores noſtri optimè inter ſe, & cū *B. Aug.* conueniunt: Nec tam videtur ſupplendum quàm exprimendum, eſſe de fide, dæmones & homines dānatos aut dānandos eſſe ad verum ac realem infernū̃ & ignem, eiuſquè pœnam æternam; ſiue actione reali, ſiue intentionali.

1. Ex ſacra ſcript. nimis ſæpe, expreſsè, & propriè hoc inculcante, quàm vt poſſit vllo alio ſenſu eludi. Vt *Eſa.* 30. Præparata eſt ab heri *Tophet*, profunda & dilatata, &c. *Cap.* 33. Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? *Cap. vlt.* Ignis eorum non extinguetur. *Eccli.* 7. Vindicta carnis impij, ignis, & vermis. *Iudith.* 16. Dabit ignem in carnes eorum. *Matt.* 3. Arbor infructuoſa in ignē mittetur. Paleas comburet igni inextinguibili. *Matt.* 5. Reus erit *Gehennæ ignis. Matt.* 10. 13. 18. De mittendis in caminum ignis, in *Gehennā ignis*. Vbi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. *Matt.* 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius, &c. Ibunt hi in *ſupplicium æternum. Luc.* 16. Crucior in hac flamma. 2. *Pet.* 2. Deus rudentibus inferni detractos dæmones in tartara tradidit cruciandos. *Iud.* Dæmones in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruari. *Apoc.* 14. Cruciabitur igne & ſulphure. 19, 20. 21, in ſtagno ardenti ignis & ſulphuris.

2. Ex ſenſu communi SS. Patrum. Vt, vice omnium, *B. Aug. l.* 21. *Ciu. A cap.* 1. *ad* 8. De poſſibili cruciatu perpetuo damnatorum, hominum & dæmonum, per ignem corporeum; ab experientia mirabili variarum rerum naturalium; ſed ſpecialiter *cap.* 3. ex dolore vitali animæ intra & extra corpus. *Cap.* 8. Ex poſſibili mutatione corporum corruptibilium in incorruptibilia. Cap. 9. *Quod de ſempiterno ſupplicio damnatorum Deus dixit: fiet, omnino fiet*, ex ſacris ſcript, vt ſupra. Cap. 10. *Cur non dicamus, quamuis miris tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi: ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterant corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergò dæmones licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipſi eorum iunctura inſpirentur; ſed accipientes ex ignibus pœnam non dantes ignibus vitam, &c.* Cap. 11. De æquitate pœnæ æternæ pro culpis tēporalibus: ex 8. generibus pænarum legalium apud Romanos, quibus crimina leuiſſima puniebantur morte, vel exilio perpetuo. Deque ſola hic ſucceſſione, ſed & q. 4. ex *lib.* 6. *qq.* proportione pœnæ æternæ cum affectu culpæ. *Cap.* 12. De æquitate pœnæ æternæ, ex grauitate primi peccati. *Cap.* 13. De pœnis temporalibus & purgatorijs ante & poſt mortem: ſed æternis poſt iudicium, contra Platonicos. *Cap.* 14. 15. De pœnis temporalibus huius vitæ. *Cap.* 16. De remiſſione omnis culpæ & pœnæ per Baptiſmum, neceſſitate pœnitentiæ poſt, & inæqualitate ipſarum pœnarum æternarum. *A cap.* 17. *ad* 27. De æternitate pœnarum, contra Origenem & Origeniſtas, ac alios Miſericordiſtas: ex ſenſu proprio ſacræ ſcript. &c.

3. Ex doctrina, traditione, & praxi Eccleſiæ, monendi & mouendi omnes peccatores hoc motiuo ad timorem Dei: & ex hoc tam communi & certo ſenſu omnium fidelium; vt abhorreant ab omni errore vel dubio oppoſito, velut à quodam Atheiſmo.

4. Ex Articulo fidei de vero deſcenſu Chriſti ad inferos: contra quendam Almaricum, Albanenſes, Lutheranos, Calniniſtas, &c. qui ob errorem oppoſitum vero ac reali inferno damnatorum, cenſentur & recenſentur in Cathologis hæreticorum. Vt ſupra *q.* 3. 4. 5.

5. Ex hæreſi 47. Originiſtarum, relata à S. Aug. ex Epiph. *Qui Paradiſum, & cælos, & alia non credunt ſecundùm litteram, ſed in allegoria, &c.* Sunt & alia Origenis dogmata quæ Catholica Eccleſia omnino non recipit, &c. maximè de purgatione & liberatione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadē mala reuolutione rationalis vniuerſæ creaturæ.] Quæ autem alia, niſi tam expreſſa in ſacra ſcript. de igne æterno inferni, ac de Paradiſo?

## *Obiectiones.*

1. EX ſacra ſcript. quæ refert pœnas inferni parabolicè, miſcendo igni varias torturas metaphoricas. Imò *Matt.* 25. dicit illum ignem fuiſſe *paratum Diabolo*: & infra vocat *ſupplicium*.

2. Ex *S. Aug.* 12. *in Gen.* 32. 33. ex profeſſo de inferno ſpirituum, & ſic de igne, non corporali, ſed ſpirituali imaginationis & triſtitiæ. *lib.* 20. *Ciu.* 16. *Ignis ille æternus cuiuſmodi, & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem: niſi fortè cui ſpiritus Domini oſtendit.* 21. *Ciu.* 4. De igne & verme. *Eligat quiſq; quod placet: aut ignem tribuere corpori, animo vermem; illud propriè, hoc tropicè; aut vtrumq; propriè corpori.* Cap. 10. *Cur non dicamus, &c.* opinatiuè potiùs quàm dogmaticè. Infra. *Dicerem arſuros vt ille diues* Luc. 16. *niſi reſponderi cernerem, talem fuiſſe illam flammam, quales oculi, lingua, digitus, &c.* Cap. 24. *Factâ Reſurr. non deerunt quibus impartiatur miſericordia, vt in ignem non mittantur æternum, &c.* Subdit, vt & *Enchir.* 112. ſpem aliquam mittigationis, & ſuſpenſionis pœnarum æternarum. Serm. 103. *Vt plurimum diſtat inter lætitias miſeriaſq; ſomniantium & vigilantium: ita inter tormenta vel gaudia mortuorum & reſurgentiū.*

3. Ex ratione. Quid locus vel ignis inferni ad pœnam ſpirituum? Quòd ſi ſacra ſcript. tam propriè ſit intelligenda: cur non æquè de actione reali?

*Reſp.* Ad ſacram ſcript. Sub varijs parabolis & metaphoris ſemper propriè exprimit infernum, & ignē, ac pœnam eius æternam. Qui ignis, *Matt.* 25. dicitur paratus Diabolo: quia primus peccauit; nec nomen ignis mutatur in *ſupplicium*, ſed hoc illi additur vt eius effectus, id eſt, in ſupplicium ignis.

*Ad S. Aug.* 1. *Retr.* 5. & 2. *Retr* 24. reuocat

appa-

apparens dubium de vero inferno : nec videtur vnquam dubitaſſe de vero Inferno & igne; ſed de ſolo modo pœnali ſpirituum, An per ſolam imaginationem & nolitionem contriſtantem, vel aliter, ſeu an tantùm obiectiuè, vel etiam cauſaliter. Quod dubium non reuocauit, vt patet ex 21. *Ciu.* 10. De *veris illis ſed miris modis, &c. Lib.* 20. *Ciu.* 16. non dubitat de vero igne infernali : ſed de eius qualitate, modo, & loco determinato. *Lib.* 21. *Ciu.* 9. Videtur confuſio pronominum : vt *propriè* referendum ſit ad corpus & ignem, *tropicè* ad animam & vermem; quia ſubdit, *vel vtrumq; propriè corpori.* Cap. 10. *Cur non dicamus, &c.* excludit potiùs omne dubiũ de vero igne, & modo aliquo puniendi. Nec reuocat ex *Luc.* 10. ſed cauet illi occaſioni dubitandi, ex *Apoc.* 20. *At verò*, inquit. *gehenna illa* Apoc. 20. *corporeus ignis erit, &c Cap.* 24. Poſt Reſurr. inquit, per purgationem culparum venialium & pœnarum : non poſt iudicium. Nec ibi aut *Enchir* 112. præbet vllam ſpem mitigationis aut ſuſpenſionis pœnarum æternarum poſt condemnationem & executionem : ſed ante, vel in ipſa condemnatione citra condignum; vel alicuius ſucceſſionis inter varias pœnas, aut fortè ſatiſpaſſionis pro pænis venialium, vel aliquando remiſſorum, vt Scotus 4. *d.* 21. *q.* 1. Nec S. Aug. præbet vllam ſpem : ſed tolerat, 21. *Ciu.* 24. *Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non reſiſto.* Enchir. 112. *Pœnas certis internallis mitigari exiſtiment, ſi eis placet.* Serm. 113. Non comparat æqualiter, ſed ſimiliter. Subdit enim : *Non quòd ſpiritus defunctoonm, ſicut dormientium, neceſſe ſit ſalli.*

Ad rationes *Reſp.* ex *Alenſi p.* 2. *q.* 116. *S. Bon. in* 2. *d.* 6. *Art.* 2. *In.* 4. *d.* 44. *&* 50. *Scoto in* 4. *d.* 44. 50. Ad torquendos ſpiritus ſuperbos, rebelles, & obſtinatos, loco infimo, obiecto indigno, & ſubdendo eos infimis corporibus. Ad ſignificandam infimo loco, quaſi quandam maximam grauitatem ſeu pondus peccatorum : igne autem infernali, & æterno, ardorem æternum libidinis & pertinaciæ peccandi. Hinc ſacra ſcript. loquitur verè & propriè de inferno & igne, eiuſq; pœna æterna : ſed æquè verè ac propriè, obiectiuè, & moraliter, quàm phyſicè; quia pœna triſtitiæ eſt potiùs ab obiecto vt nolito, quàm ab eo vt aliter agente. De quibus omnibus *Al. p.* 1. *q.* 39. *P.* 2. *q.* 23. 24. 93. 114. 115. 122. *P.* 3. *q.* 30. *S. Bon. & Scotus In* 1. *d.* 40. *In* 2. *d.* 4. 5. 6. *In* 3. *d.* 9.

## QVÆSTIO XIII.

*De praxi & fructu huius Doctrinæ.*

1. AD tuendam, imprimẽdam, & diſcernendã horum fidem ac memoriam ſalutarem; à varijs & curioſis hominum opinionibus. Ne his potiùs moueamur, quàm illis.

2. Ad timorem Dei ſalutarem; ex his motiuis. De quo & eius fructu *Al. p.* 3. *q.* 76. & nos latè ſupra, *à col.* 753. *ad* 772. De Attritione ſalutari ex hoc etiam timore.

3. Ad ſpem & fiduciam Dei ſalutarem, cauendi mala culpæ, & pœnæ æternæ, ac aſſequendi bona æterna, per gratiam & eius vſum præſentem. De qua ſpe & eius fructu, *Al. p.* 3. *q.* 75. & nos latè ſupra à *col.* 753. *ad* 772.

4. Ad charitatem præſentem ac æternam Dei & proximi : contra odium præſens & æternum.

5. Ad prudentiam & prouidentiam ſalutarem de futuris & æternis, per præſentia & temporalia.

6. Ad Temperantiam circa omnia bona præſentia & temporalia : ex timore malorum, & ſpe ac charitate bonorum æternorum.

7. Ad fortitudinem, conſtantiam, & perſeuerantiam, benè operandi, & patiendi omnia mala præſentia : ex eodem timore malorum, & ſpe ac charitate bonorum æternorum.

8. Ad ſobriè iuſtè, & piè viuendum in hoc ſæculo, expectando beatam ſpem, &c. *Tit.* 2. vt & *Luc.* 12. *Matt.* 24.

9. Ad vſum ſalutarem huius temporis, & cuiuſuis inſtantis ac occaſionis cauendi malum, & operandi bonum &c. *Eccl.* 9. *Gal.* 7. *Pſal.* 36.

10. Ad omnes pios & ſalutares affectus & effectus.

12. Non ad nimium terrorem, triſtitiam, & perturbationem conſcientiæ : ſed ad punctionem, cõpunctionem, & hilarem ac ſalutarem pœnitentiam. Nec ad exanimandos, ſed examinandos, & animãdos puſillanimes, ipſo periculo futurorum, ad certũ ſtudiũ perfectæ charitatis & vitæ præſentis.

Vt patet ex ſacris Script. ad hæc omnia & ſingula accommodatis. *Deut.* 34. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac Nouiſſima prouiderent. *Eccl.* 7. Memorare Nouiſſima tua ; & in æternum non peccabis .i. mortaliter. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, &c. *Sap.* 12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos. *Pſal.* 41. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei, &c. 2. *Reg.* 24. Melius eſt incidere in manus Dei, quàm in manus hominum. ] Alia enim ſunt iudicia Dei, etiam pro nobis : quàm hominum contra ſe inuicem. *Luc.* 21. Nolite terreri, &c. 2. *Theſſ.* 2. Non terreamini, &c. 1. *Cap.* 2. Non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent, &c. ſupra ad ſingulas Quæſt.

Patet etiam ex SS. Patribus. Vt *S. Cypr. lib.* De mortalitate ſeu contagione illius temporis. *Cuidam de appropinquante morte ſollicito aſtitit iuuenis aſpectu diuinus, indignantis inſtar dicens : Pati non vultis, exire formidatis, quid faciam vobis?* S. Ambr. libro de bono Mortis cap. 4. *Quod ſit ſaltem finis peccandi.* Cap. 6. *Grauius eſt ad peccatum viuere, quàm in peccato mori.* Cap. 11. *Ab hinc induamus hoc ſtudium, vt appropinquet anima noſtra Deo.* S. Paulino ad S. Aug. Epiſt. 249. *Quæ poſt Reſur. futura ſit actio noſtra tu me interrogare dignatus es : at ego de præſenti vitæ meæ ſtatu conſulo. Doceas me facere voluntates Dei, & mortem Euangelicã præmori, qua carnalem reſolutionem voluntario præueniamus exceſſu.* S. Aug. Epiſt. 250. ad S. Paul. *Multùm approbo ſententiam tuam : de huius vitæ ſtatu agendum, vel potiùs curſu quàm ſtatu.* Epiſt. 80. *Qualis quiſq; moritur, talis in nouiſſimo die iudicabitur, &c.* Epiſt. 45. *Dum volunt paulò diutius viuere, offendunt Deum apud quem eſt fons vitæ.* Epiſt. 116. ad ſuum Nebridium. *Profectiones per totam vitam cogitare, non eſt hominis de illa vltima quæ mors dicitur cogitantis. De qua vel ſola intelligis*

*ſunt? Quaſi verò inferi non ſint in hoc mundo, &c.*

Non quòd locus beatificet aut damnet : ſed terminet præſentiam finitam ſpirituum, & conueniat eorum beatitudini vel damnationi, vt ſupra.

*Ad* 11. S. Bern. vt B. Aug. diſcipulus, idem ſenſit cum ſuo Magiſtro. *Ad* 12. Pate: ex definitione *Bened.* 12. *Ioannem* 22. nihil deſuper definiuiſſe, ſed deliberaſſe, & ſucceſſori definiendum reliquiſſe. *Ad* 13. Preces illæ Eccleſiæ ſunt pro requie æterna & beata. vt propria huius ſtatus : in ſinu Abrahæ .i. cum Chriſto, ex eius ſemine, & omnibus Sanctis, ex promiſſis primo factis Abrahæ, & ſemini eius ſpirituali.

---

# QVÆSTIO VIII.

*An, & quàm certum ſit Animas Beatas pro nobis orare, & nos ac preces noſtras ſcire?*

*Reſp.* EST de fide, contra omnes hæreticos, quòd orent pro Eccleſia in communi, & pro quibuſdam in particulari, ſpecialiter pro ſuis cultoribus & ſupplicibus : ſed contra quoſdam Catholicos, eſt ſolius certitudinis moralis, vel Theologicæ, & piæ fidei, ſpei, ac fiduciæ, quòd ſciant diſtinctè ſuos ſupplices, ac ſingulorum preces.

1. Quia illud expreſsè reuelatur in ſacra Script. non autem hoc. Nam præter Script. de perfecta charitate, vnione, & communione Sanctorum : de quibus *q.* 7. *Ier.* 15. Si ſteterint Moyſes & Elias coram me, &c. i. orantes. 2. *Mach.* 15. Ieremias & Onias multum orant pro populo. *Luc.* 16. Ipſe Diues Epulo orat pro ſuis fratribus. 1. *Pet.* 2. Dabo operam poſt obitum meum, &c. *Apoc.* 15. Seniores illi 24. vt Angelus *cap.* 8. offerunt Deo orationes ſanctorum. 1, *Pet.* 1. *Apoc.* 1. 20. Omnes Sancti ſunt Sacerdotes ſpirituales ad offerendum Deo orationes. Sed *Eccli.* 9. Mortui nihil ſciunt de viuis. *Eſa.* 63. Abraham neſciuit nos. *Apoc.* 6. Vidi ſub Altare Dei, &c. *q.* 5. De viſione Dei minùs perfecta ſaltem extenſiuè ante Reſur. quam poſt: quæ minuunt quidem certitudinem fidei Catholicæ, non tamen moralem piæ fidei, ſpei, ac fiduciæ in praxi.

2. Illa eſt certa expreſſa & conſtans doctrina SS. Patrum, ex q. ſequenti : ſed hæc quibuſdam, ipſique Aug. ſpeculatiuè dubia. Vt patet ex *lib. De cura pro mortuis, cap.* 10. 11. 12. De apparitionibus, viſionibus, & reuelationibus defunctorum, vt & viuorum, ipſis etiam inſcijs, per operationes Angelorum. Cap. 13. *Si rebus viuentium intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos quando eas videmus alloquerētur in ſomnis: meipſum pia Mater nulla nocte deſereret. Abſit enim vt facta ſit vita fæliciore crudelis.* Sed Pſal 26. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, &c. Si autem parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum qui nouerunt quid faciamus, quidue patiamur?* Eſa. 63. *Abraham neſciuit nos, & Iſrael non cognouit nos. Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex ſe procreatum ageretur ex ſe ignorarunt, &c. Quomodo mortui viuorum rebus atq; actibus cognoſcendis adiuuandiſq; miſcerentur? Quid eſt ergo quod Regi Ioſiæ pro magno beneficio promiſit Deus.* 4. Reg. 22. *quod eſſet ante moriturus, ne videret mala ventura, &c?* Cap. 14. *Quomodo ergo diues ille rogabat Abraham.* Luc. 16? *Numquid ideo quid fratres tunc agerent ſciuit? Fuit illi cura de viuis, vt eſt nobis de mortuis.* Infra. *Abraham potuit hæc Lazaro indicante cognoſcere : ne falſum ſit,* Eſa. 63. *Abraham neſciuit nos.* Cap. 15. *Proinde fatendum eſt neſcire quidem mortuos quid hîc agatur, ſed dum hîc agitur : poſtea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, &c. Poſſunt & ab Angelis aliquid audire, &c. Poſſunt etiam præterita, præſentia, & futura Spiritu Dei reuelante cognoſcere : vt Prophetæ dum hîc viuerent, &c. Mitti quoq; ad viuos aliquos ex mortuis, vt Paulus,* 2. Cor. 12. *ex viuis in Paradiſum raptus eſt, Script. teſtatur. Nam Samuel defunctus viuo Sauli futura prædixit,* 1. Reg. 28. *cùm* Eccli. 46. *Samuel etiam mortuus prophetauerit. Quid de Moyſe, qui* Deut. 34. *mortuus,* Matt. 17. *cum Helia qui mortuus non eſt, legitur apparuiſſe?* Cap. 16. *Non ideò putandum eſt viuorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis vel adiuuandis Martyres adſunt : ſed ideò potiùs intelligendum eſt, quòd per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus interſunt; quoniam defuncti per naturam propriam non poſſunt. Quanquam iſta Quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat : quemadmodum Martyres opitulentur ijs quos per eos certum eſt adiuuari. Vtrum ipſi per ſeipſos adſint vno tempore tam diuerſis locis, &c. An ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus vtiq; non præſentamur, nec vbi ſint, nec quid agant ſcimus : Deus vbiq; præſens, exaudiens Martyrum preces, per angelica miniſteria præbeat hominibus iſta ſolatia, &c. & ſuorum merita Martyrum vbi, quando, quomodo vult, maximè per eorum memorias commendet, &c. An verò fortaßis vtrumq; fit, vt aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam Martyrum, aliquando per Angelos ſuſcipientes perſonas Martyrum.* Cap. 17. *An iſta fiant Dei nutu per Angelos, in honorem Sanctorum, illis in ſuaui quiete poſitis, & ad alia longè meliora viſa vacantibus, orantibuſq; pro nobis.* Lib. 22. Ciu. 9. *Siue Deus per ſeipſum, &c. ſiue per ſuos miniſtros iſta faciat, &c. ſiue quædam faciat per Martyrum ſpiritus, &c. ſiue omnia per Angelos, &c. vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, &c.* Cap. 10. *Faciunt iſta Martyres, vel potiùs Deus, orantibus aut cooperantibus eis.*

3. Ex Traditione & praxi fidei Catholicæ, commendandi ſe precibus Sanctorum abſentium, aut defunctorum : cùm necdum eſſet de fide vllos eſſe Beatos ante Reſur. nec ſit de fide hunc vel illum eſſe Beatum, imò credibilius ſit S. Eliam necdum eſſe Beatum : nec ſit credibile reuelari ordinariè preces noſtras niſi Beatis; ergo illa praxis fidei non pendet ex hac reuelatione, ſed hæc potiùs ex illa infertur, & piè creditur, ac ſperatur.

4. Ex definitione expreſſa illius, non autem huius. Nam nec S. *Hier.* de hoc condemnat hæreſeos Vigilantium, vt quæſt. ſeq. Nec *Concil. Nyc.* 2. Iconomachos : nec *Trid. ſeſſ.* 25. Lutheranos & Caluiniſtas; ſed tantùm vt negant Sanctos defunctos

*functos pro nobis orare, & à nobis piè ac ſalubriter coli & inuocari, vt pro nobis etiam ſingulis orent.*

5. Ex doctrina Scholaſticorum antiquorum, & recentiorum. Vt *Hugonis de S. Vict. lib.* 2. de Sacram. parte 16. cap. 11. *Hoc vnum certum eſt, animas Sanctorum in ſecreto diuinæ contemplationis conſtitutas, eorum quæ foris aguntur tantum ſcire, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodeſſe conſtat. Nos Interceſſores quærimus apud Deum, quid amplius vis? Times ne fortè non orent, qui ſemper orant, &c. Si non audiunt, inquis, & ego in ventum fundo verba, non audientibus & non intelligentibus loquens, &c. Ecce dicamus, non audiunt: nunquid Deus non audit?* Magiſtri Sent. *d.* 45. Vbi nihil quoad hoc dogmaticè, ſed relatiuè ad *S. Aug.* & *Hug.* ſupra. *Alenſis* 4. *p. q.* 91. *m.* 2. *art.* 2. *col.* 679. Vbi monet animas beatas non ſic nec æquè offerre Deo preces ex officio proprio, ac Angeli offerunt. *q.* 92. *m.* 1. *Art.* 4. *ad* 3. refert ſe ad *B. Aug.* l. de cura pro mortuis, quibus modis preces noſtræ poſſint innoteſcere Sanctis. *S. Bon. in diſt.* 45. ſupra, *col.* 920. 921. nil de hoc dogmaticè. *S. Tho.* 2. 2. *q.* 8. *a.* 4. Scotus noſter in *diſt.* 45. *q.* 4. ſupra *col.* 933. eorumque diſcipuli, non contendunt inter ſe dogmaticè, ſed tantùm ſcholaſticè, de hac cognitione Beatorum, & modo cognoſcendi ſucceſſiuè, vel præcognoſcendi ſimul. Hinc *Scotus* ſupra col. 933. *Probabile eſt quòd Deus reuelet Beatis de orationibus, &c.* i. non omnes, ſed aliquas ex eis. *Suarez in* 1. *p. Tract.* 1. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 18. probabiliter concludit: *Quòd videatur valdè conſentaneum conſuetudini Eccleſiæ, & modo quo ad Sanctos preces fundit, eos actu videre preces noſtras ex vi ſuæ Beat. & ideò fortaſſè oramus potiùs nunc ad Sanctos Beatos, quàm in veteri Teſt. Et hæc opinio videtur magis pia. Eſtius in* 4. *d.* 45. §. 18. 20. docet eſſe pluſquam probabile: ſed *Trid.* noluiſſe definire.

6. Ex doctrina celebriorum & expertiorum Dogmatiſtarum: vt Card. *Bellarm. lib.* 1. de Beat. SS. c. 20. *Certè non fruſtra inuocarentur Sancti, etiamſi demus eos non audire, nec cognoſcere noſtras preces: nam aliquis alius eorum vice fungitur. Sicut non fruſtra ſupplicat Regi, qui certò ſcit Regem non eſſe lecturum, &c.* R. P. F. *Lud. Richeomij*, Diſcurſu 2. pro Relig. Cathol. pag. 329. editionis Rothom. 1608. *Ad veſtram Arg. quod Sancti non ſint inuocandi; quia cùm non audiant nos, non poſſunt nobis ſuccurrere: reſpondemus non eſſe opus vt nos audiant, quia Deus eorum vice, & in eorum fauorem ipſis inſcijs nos exaudit, &c. Quamuis nihil obſtet quin & ipſi audiant preces noſtras.* R. P. *Franciſci Veronij*, qui ad Art. 23. & 24. Miniſtri Drelincourt reſpōdet, *In profeſſione fidei noſtræ nequidem fieri mentionem quòd Sancti defuncti ſciant noſtras particulares neceſſitates, & ſecretas cogitationes: cùm & nos oremus pro pluribus quorum neceſſitates ignoramus, & oremus viuos, qui neſciunt noſtras cogitationes, &c.*

Quâ etiam noſtrâ reſponſione in prima *ſeſſ.* Conferentiæ Lymburgenſis 1633. à 19. April. ad 22. Miniſtri Hæreſeos ex improuiſo confuſi, diſſoluto toto ſuo apparatu contra illam ſanctorum notitiam, velut quodam animi deliquio, tunc quidem prorſus obmutuerunt: ſed poſtea inter ſe conclamarunt, imò & quidā noſtri ſcioli potiùs quàm docti muſſitarunt, hanc reſp. eſſe alienam à fide noſtra, vel ſolum effugium difficultatum. Donec ipſe Miniſter primarius, *Hotton*, vim huius reſp. expertus, conſultis deſuper Lugduni Batauorū ſuis Rabbinis, in ſua propria Apologia ſic confeſſus fuit. *Le Moine trencha tout net, &c.* i. *Monachus ſubitò totum præcidit, dicens nō eſſe neceſſariū vt ſancti inuocati cognoſcant interiora eorum à quibus inuocantur. Et quidem verum eſt quod Card. Bellarminus cedat in hanc opinionem, & Caietanus idem teſtetur, &c.* Sed erubuit confiteri quid ei Monachus præciderit: videlicet linguam, ſeu totum ſuum apparatum, quo præciſo quaſi elinguis obmutuit. Totaque facultas Theologica Duacenſis eandem reſp. approbauit 1635. die 12. Maij. ſubſignatis omnibus doctoribus. *Georgius Coluenerius*, S. Theol. Doctor & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Franciſcus Syluius*, S. Theol. Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Philippus de Trieu*, è Societate Ieſu S. Theol. Doct. & Profeſſor. *Theodorus van Couuerden*, S. Theol. Doctor, & Profeſſor Regius ac Ordinarius. *Philippus de la Croix*, è Societ. Ieſu S. Theol. Doctor & Profeſſor. *Valentinus Randour*, S. Theol. Doctor & Profeſſor Regius ac ordinarius. *F. Rudeſindus Barlo*, Ordinis S. Benedicti, Congr. Anglicanæ, S. Theol. Doctor, & Proffeſſor in Collegio Vedaſtino. *Philippus vander Made*, S. Theol. Doctor. Sed pſeudo-Miniſter Traiectenſis pertinaciter reclamauit in ſua Monachomachia: vt infra.

Quàm ſit autem certum, & facilè, ſed non confundendum cum controuerſijs fidei, Beatos ſcire noſtras preces. Patet 1. Ex ordinarijs viſionibus ac reuelationibus ſecretorum, quæ fiebant Prophetis: quanto magis nunc Beatis? 2. Ex oblatione noſtrarum precum per Angelos & Sanctos, *Apoc.* 5. & 8. Ergo non ſine earum notitia. 3. Ex *Luc.* 16. De prece ipſius Epulonis nota Abrahæ. 4. Ex *Marc.* 12. *Luc.* 20. De perfectione Angelica Beatorum poſt Reſur. ex vi beatitudinis ac perfectionis præſentis animarum. 5. Ex perfectione ſupernaturali viſionis & obiecti beatifici, velut ſpeculi voluntarij, ad repræſentandum omnia pertinentia ad illum ſtatum. 6. Ex varijs alijs modis quibus Deus poteſt eis reuelare de quibus ſupra ex *B. Aug.* 7. Ex perfectione intellectuali Beatorum, cognoſcendi omnia obiecta ſua ſecundaria, ſine vlla diſtractione à ſuo primario. 8. Ex vi naturali & ſphæra ampliori intellectus noſtri, quàm vllius ſenſus. Cùm ergo nos hinc tam facilè ſuſpiciamus ſimul tot ſtellas in Cœlo: cur nequeāt Beati oculo ſpirituali è cœlo deſpicere omnes noſtras preces? 9. Ex maiore vi & ſphæra obiectiua intelligibilium, quàm ſenſibilium. Cū ergo ſtellæ è cœlo radient vſque ad nos: cur non preces deuotæ vſque ad Beatos? 10. Ex vi noſtra & ſphæra corporali loquendi & audiendi: ad longè maiorem ſpiritualem inter nos & Beatos. Vt fauet *Scot. in* 4. *d.* 45. *& in* 2. *d.* 9. docēs ſecreta cordiū eſſe ex ſolo decreto ſeu reſeruatione Dei. Quæ cùm relaxet nobis liberam cordium cōmunicationē per verba, ſcripta, & alia ſigna: cur nō etiā inter nos & Beatos? Cùm illi non dependeant à phantaſmatibus in cognoſcendo, nec nos in ratione obiecti, ſed intellectus. Nec hæc ſit ſcrutatio cordiū ſine conſenſu noſtro, ſed communicatio per conſenſum.

## *Obiectiones.*

1. HOttonij *Seſſ.* 8. Confer. Lym. Ex 3. Reg. 8. *Tu exaudies, &c. Quia tu ſolus noſtri cor omnium filiorum hominum.* Quaſi hæc eſſet ratio omnis inuocationis ac inuocabilitatis. Reſpōſū fuit, nec reddi ibi rationem totalem, nec ſolius inuocationis : ſed principalem , & exauditionis , ac propitiationis pro peccatis, quæ requirit ſpecialem notitiam cordis diſpoſiti. Vt patet ex integro contextu. *Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac : tu exaudies in cœlo, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius; quia tu ſolus noſti cor omniorum filiorum hominum.* Quæ clauſula cauſalis non tam refertur ad inuocationem, quàm ad exauditionem & propitiationem ſoli Deo propriam.

2. Ex *Rom.* 12. *Quod non ex fide, peccatum eſt :* ergo & ſic inuocare ſanctos. *Reſponſum* fuit eos ſic inuocari ex fide quòd ſaltem Deus intelligat : & ex ſpe quòd ſiue Deus reuelet ſanctis , ſiue non; exaudiet tamen ob preces Sanctorū pro inuocantibus ſe.

3. Pſeudominiſtri Maretij, pag. 65. 66. 76. 77. ſuæ Monachomachiæ. *Benè eſt , quòd argumentorum noſtrorum virtute hæc confeſſio extorta ſit Monacho.* Infra. Bellarmin. *non ſibi conſtat: Richeomius & Veron ad incitas redacti cum Monacho hoc effugio vſi ſunt Reſp.* Ex noſtro Exorciſmo 5. in illam Monachomachiam : Non fuiſſe vllam confeſſionem aut fugam , ſed negationem, & triplicem conuictionem primi Arg. ſeu calumniæ hæreticæ; nos inuocare Sāctos vt Deos omniſcios. Quia nec credimus eos ex ſeipſis ſcire preces noſtras, nec omnes ſimul quamuis ſint finitæ, imò nec ſingulas ſucceſſiuè : ſed ſperamus Deum eis reuelare ; vel nos exaudire ob eorum merita & preces pro nobis.

Nec fuiſſe vlla vi exortam : ſed extorſiſſe Hottonio linguam, & mutam illam confeſſionem ; ipſique Maretio, p. 76. 77. hanc negationē ſuæ pſeudofidei, noſtræque ſemi-confeſſionem. *Sanè non chimæricam ſanctorum inuocationem, qualem hi ſtatuunt poſſe dari, idololatriæ accuſamus : ſed ſpecificam illam & qualificatam, quæ fit in Eccleſia Romana, cum hac opinione conſtanti quòd ſancti preces noſtras audiant , & corda cognoſcant.* Contra hunc Art. 24. ſui Catechiſmi : *Quandoquidem ſolus Chriſtus nobis datus ſit in Aduocatum, nobiſque præceptum ſit ſub eius nomine refugere ad Patrem, nec ſit licitum aliter orare quàm ſecundùm formam nobis à Deo per ſuum verbum dictatam : nos credimus quòd quicquid homines imaginati ſunt de interceſſione SS. defunctorum ſit tantùm abuſus & fallacia dæmonum.* Vbi non reprobatur inuocatio SS. ob prætenſam omniſcientiam : ſed ob vnicum Mediatorem ſeu Aduocatum, & prætenſū Dei mandatum non orandi niſi Deum per Chriſtū, & ſub ſola forma ab eo nobis præſcripta. Contra quem art. fatetur *Maretius* ſupra pag. 77. 78. & per totam ſuam Monachomachiam , ſanctos viuos & defunctos orare pro nobis : nec diffitetur eos poſſe à nobis orari ſaltem indirectè , ſeu Deum per eorum preces & merita ; ſed tantùm negat orari poſſe directè, vt audientes & intelligentes. Cùm tamen illa ſint potiùs contra præfatam confeſſionem ſuæ pſeudofidei, quàm hoc.

4. Eiuſdem, à p. 66. ad 73. *Hanc eſſe fidem & doctrinam Eccleſiæ Romanæ, patet 1. Ex praxi inuocādi ſanctos ſub nouo Teſt. potius quàm ſub veteri. 2. Cōfitendi ſanctis, iurandi per ſanctos, colendi eos vt patronos diſtinctos, inuocandi vel vnam B. Virginem ſimul ex toto orbe Papali, dirigendi ad ſanctos orationem Dominicam Deo offerendam. 3. Ex tot fictis miraculis, &c. 4. Ex vnanimi conſenſu omnium Doctorum Pontificiorum, Bellarmini ſupra, Becani, Gualteri , Lindani l. 3. ſuæ Panopliæ c. 34. & 35. Vbi hoc dogma confert cum Reſurr. & Aſcenſ. Chriſti, &c. Quin ſtatuit ſcientem & prudentem inſanire, qui ambigat an ſancti cognoſcant noſtras preces & vota.*

*Reſp.* Ex noſtro Exorciſmo 5. & 15. Hanc praxim eſſe nūc plus & potiùs quàm tunc: ex fide quòd ſancti non erant tunc Beati , ſed nunc ; & ex ſpe quòd cùm tunc aliquando preces etiam impiorum illis reuelarentur, ( vt patet ex 1. *Reg.* 18. De Samuele, & *Luc.* 16. De Abraham, ) nunc ordinariè preces piorum eis reuelentur. Nec ad hanc praxim requiritur maior certitudo. Nam *Iob* 5. *Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, &c.* Nec vllus eſt certior quòd ſuæ preces mereantur audientiam : & ſæpè *Maretius* ipſe vocat conuocat inuocat vxorem, proles, auditores, amicos, ex ſola ſpe audientiæ ; eiuſque proles vagiunt ad matrem abſentem, ſupplente Patre. Nec vllus author ab eo citatus exigit certitudinē fidei. Nam *Bellarm.* ſupra expreſſè negat : alij loquuntur de certitudine morali, vel ad ſummum Theologica: quæ ſufficit ad comparationem ſimilitudinis, non æqualitatis, cum articulis fidei ; & ad condemnandum contradictores, cuiuſdam inſaniæ contra ſenſum communem Eccleſiæ & rationem ſapientum.

5. Eiuſdem, pag. 75. 76. *Multa creduntur in Eccleſia Romana, de quibus nihil extat in Trid. quod præſupponit illam notitiam , ſtatuens Beatos orare pro ſingulis. Reſp.* ex pag. 56. noſtrorum Exorc. Beatos poſſe orare pro ſingulis ſuis cultoribus & ſupplicibus, ſiue ſibi, ſiue ſoli Deo notis : quod cum Conc. noluerit definire, teſte *Eſtio in* 4. *d.* 45. ſuppoſuit necdum eſſe tam certum , nec neceſſarium ad praxim colendi & inuocandi Beatos. Nec obſtat, voluiſſe definire controuerſa, quorum hoc videtur eſſe præcipuum : quia voluit tantùm hîc definire practica, & ad hanc praxim neceſſaria. Nec tunc mouebatur hæc difficult[illegible] : ſed de vnico Mediatore, &c. Vt patet ex Art. [illegible] 1. Caluiniſt. & ex textu *Conc. Trid.* in quibus nulla fit mentio huius notitiæ.

6. Eiuſdem, *pag.* 77. 78. Ex praxi orandi in Miſſa ſolum Deum, ſed per merita & preces ſanctorum: *patet diſtinctio inter illorum pro nobis interceſſionem, & à nobis inuocationem, illamque praxim fuiſſe priorem hac, nec eſſe quæſtionem de illa ſed de hac: per illam enim itur ad ſanctos per Deum, per hanc ad Deum per ſanctos ; imò & in Miſſa oratur directè , Salue ſancta parens, &c. Reſp.* ex *col.* 58. 59. noſtrorum Exorc. vt ſupra ad 3. Eſſe contra ſuum Art. 24. Nec minùs ſed potiùs eundum eſſe ad Deum vt finem vltimum, per ſanctos vt media ſubordinata Chriſto Mediatori ; quàm ad ſanctos per Deum, niſi vt per primum omnium Motorem.

Nec eſſe nouū modū orādi directè ſanctos viuos

&

Digitized by Google

& defunctos: ſed modū orandi ſolū Deum directè, ſanctos indirectè, eſſe propriū ſacrificio Miſſæ, quod fit ſoli Deo. In quo, *Salue ſancta parens*, non cēſetur *Oratio*, ſed *Introit*. laudis. Alioquin & ipſe Marcetius oraret directè, legendo *Luc*. 2. Aue gratia plena, &c. Nec eſſet contra eſſentiam, ſed ceremoniam congruam ſacrificij, ſub eo orare ſanctos directè

7. Eiuſdem, pag. 78. 79. *Erraſſet Hier. contra Vigil. & S. Maximus, dicendo ſanctos vbique eſſe, &c. Hic error eſt Eccleſiæ Romanæ, &c. Inuocatio SS. nititur tantùm inani credulitate notitiæ: quod autem ſine fide peccatū eſt. Nec conſtat qua alia ratione litaniæ dirigantur ad Sanctos. Si nil importent niſi deſiderium vt ſancti orent pro nobis: non ſunt propriè preces ad ſanctos, &c.*

*Reſp*. Ex *p*. 60. 61. 62. noſtrorum Exorc. Nec illi, nec Eccleſia Romana docet ſanctos eſſe vbique: niſi vt *Apoc*. 14. ſequendo Agnū quocumque ierit. Vt & *B. Aug. in pſal*. 120. & ſupra c. 16. *de cura pro mortuis*. Nec eſt inanis, ſed pia noſtra credulitas, de notitia ſanctorum: nec ei ſoli preces noſtræ nitūtur; ſed certiſſimæ fidei de eorum patrocinio apud Deum pro ſuis ſupplicibus. Ex qua etiam fide, ſed & ſpe ac deſiderio audientiæ, vel ſaltem exauditionis à Deo, litaniæ diriguntur ad Sanctos.

8. Ex B. Aug. l. de vera Relig. c. 55. *Quiſquis in Deo manet, & poteſt humanas preces audire, in illo me exaudit*. Ergo vult neceſſariam eſſe notitiā precūm noſtrarum. *Reſp*. Ex *p*. 66. noſtrorum Exorc. Nō exigit notitiam actualem, nec vt neceſſariam ad inuocationem, ſed ad exauditionem: nec ad propriam exauditionem, ſed in Deo ſeu per Deum: in quo & per quem ſicut exaudiunt, ſic etiam audiunt ſeu cognoſcunt preces noſtras.

9. Ex *Conc. Senonenſi*, decreto 13. De fide inuocationis, & notitiæ Beatorum. *Reſp*. Ex *pag*. 63. noſtrorum Exorc. Fuit hoc tantùm prouinciale anno 1528. nec fuit confirmatum à Clemente 7. illius temporis, nec à ſequente Conc. Trid. Nec decernit hoc eſſe fidei: ſed probat inuocationem SS. ex facili notitia noſtrarum precum. Porrò ratio definiendi non ſemper condefinitur. Vt patet ex 2. *Conc. Nicæno Act*. 5. De pingendis Angelis, quia habent corpora. Hinc *Suarez p*. 1. *Tract*. 1. l. 2. Vult tantum hoc Conc. fauere viſioni precum noſtrarum à Beatis.

10. Ex tacita definitione totius Eccleſiæ, per hanc ipſam praxim tam antiquam & communem inuocandi Beatos directè, confitēdi illis, iurandi per illos vt præſentes, vel ſaltē audientes, &c. *Reſp*. Ex *p*. 64. 65. noſtrorum Exorc. nil definiri per ſolam praxim: niſi vt per motiuum definiendi. Vt patet ex praxi baptizandi infantes, & non rebaptizandi hæreticos: quæ non fuit ex ſe diffinitiua, ſed motiuum definiendi. Hæc autem praxis orandi Beatos directè, necdū fuit ſufficiens ratio motiua definiēdi cognitionem omnium precum à Beatis: cùm nec ſit propriè & immediatè eorum allocutio; nec hæc ſemper ſupponat aut inferat actualem audiētiam. Nam Eccleſia in ſuis precibus ſæpè dirigit verba ad non audientes, vel non intelligentes. Vt baptizando pueros, abſoluendo ſurdos vel idiotas. Imò in ſuis litanijs ſic diſtinguit Chriſtum à ſuis ſanctis: *Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos*. Quid quòd praxis colendi ſanctos canonizatos, vel Immaculatam Deiparæ Conceptionem feſto & officio publico, necdum ſit definitiua?

11. Ex *Alexandro Pezantio in* 1. *p. q*. 12. *art*. 10. diſp. 7. concl. 6. *Reſp*. Ex *p. noſtra* 67. Vnicū *Pezantium* non poſſe hanc fidem omnibus præſcribere: ſed potiùs ſua ſingularitate derogare. Nec ſentire omnes preces ad ſanctos eis reuelari: ſed ſolere reuelari; quia, inquit, alioquin fruſtra inuocarentur. *Contra Bellarm*. & alios ſupra.

12. Ex Indice expurgatorio Antuerp. 1575. vbi ſub cenſura in pleroſque *Georgij Caſſandri* libellos, deletur ex quodam eius hymno: *Omnes ſancti orate Deum pro me, perinde valet ac ſi dicatur, vtinam omnes ſancti orent pro me*. Quia, inquiunt Cenſores, *re vera ſanctos inuocamus preces eorum poſtulantes, non ſolum deſiderantes: & amplius petit qui dicit, ora pro me, quàm qui dicit, vtinam ores pro me. Nam illud audienti & intelligenti dicitur: hoc verò etiam à non audientibus & non intelligentibus optari poteſt*. *Reſp*. Ex pag. noſtra 67. 68. 69. Caſſandrum quāuis ſuſpectum, non tamē hinc cenſurari hæreticos: Nec intendi quod ſancti immediatè audiant, aut moueantur noſtris precibus; ſed quòd ſoleant eis reuelari. Nam & Deus à nobis oratur quaſi ad eū mouendum: cùm ſit potiùs ad mouendum & diſponendum nos ipſos. Vt patet ex *B. Aug. Epiſt*. 121. *ad Probam*. Nec illa differentia poteſt intelligi inter *ora pro me*, & *vtinam ores*, ſed *oret pro me*. Porrò illa forma nil importat pluſquam hæc, niſi directionem noſtri deſiderij ad Beatos: quæ an ſit actio tranſiens vel immanens, intellectus vel ſolius voluntatis, eſt tam incertum & problematicum, vt ad nullum certum ſenſum fidei determinari poſſe videatur.

13. Ex *B. Aug. l*. De cura pro mortuis, *cap*. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Vbi videtur negare omnem notitiam defunctorum de viuis, niſi ex miraculoſa reuelatione: ergo non ex vlla vi naturali, aut ordinaria ſupernaturali Beatorum, contra Scotum & nos ſupra. *Reſp*. Ex textu ſupra relato, negare notitiam naturalem & experimentalem defunctorum necdum Beatorum, de viuis: vel ob nimiam diſtantiam, vel ob nimiam attentionem ad proprias pœnas, vel ob quaſdam tenebras ſpirituales, vel potiùs ex ſolo decreto Dei, ne animæ poſt finē huius viæ & vitæ variè afficiātur ex notitia viuorū. Non autē negare Beatos poſſe habere notitiā ordinariā, naturalem & ſupernaturalem de viuis: ſed tantùm dubitare de facto, & de modo. Nec obſtat quòd inter varios modos non meminerit viſionis in Verbo ſeu ſpeculo Eſſentiæ Diuinæ: quia hīc agit de varijs modis quibus defuncti, non autem ſoli Beati poſſunt habere notitiam viuorum. Alibi autem ſæpè docet viſionem ſaltem Angelicam omnium in Verbo. Quam non tam exprimit de beatis animabus: quia cenſet earum viſionem beatificam necdum eſſe tam perfectam extenſiuè ad obiecta ſecūdaria, niſi ex ſpeciali & quaſi miraculoſa pro illo etiam ſtatu reuelatione aut repræſentatione in obiecto primario. Vt ſupra *Quæſt*. 7.



Digitized by Google

# QVÆSTIO IX.

*An, quid, & quàm certum ſit de praxi Eccleſiæ, colendi & inuocandi ſanctos defunctos, in ſuis etiam imaginibus, reliquijs, monumentis, &c.*

HÆc omnia ſimul quæruntur, quia ſimul practicantur, & probantur: vt in Confer. noſtra Lymb.

*Reſp.* Eſt de fide, eſſe piam, & ſalutarem, ad impetranda Dei beneficia, per ſanctorum merita præterita, & preces actuales.

1. Ex infabilli doctrina, praxi, & Traditione Eccleſiæ. *Matt.* 16. 18. *Luc.* 10. 22. *Ioan.* 21. 2. *Theſſ.* 2. 1. *Tim.* 3.

2. Ex præceptis amandi, adorandi, inuocandi Deum: non tantùm in ſeipſo immediatè, ſed & in omnibus & per omnes participantes, & ſpecialiter repræſentantes perfectionem Dei amabilem, adorabilem, & inuocabilem. Quales ſunt Beati, in quibus Deus diuiniùs habitat & repreſentatur per gratiam & gloriam, quàm in Arca fœderis, in Templo, in cœlo. Cùm ergo *Eſa.* 66. Adorabunt veſtigia pedum tuorum. *Pſal.* 137. Adorabo ad templū ſanctum tuum. *Pſal.* 98. Adorate ſcabellum pedum eius. *Pſal.* 131. Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. *Matt.* 6. Ora Patrem in abſcondito, &c. Pater noſter qui es in cœlis. *Ioan.* 4. Adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate .i. etiam in ſeipſis. Quanto potiùs in Beatis? De quibus. 1. *Cor.* 15. Erit Deus omnia in omnibus. 2. *Cor.* 3. Reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur. 1. *Ioan.* 3. Similes ei erimus; quoniam viderimus eum ſicuti eſt.

3. Ex præceptis diligendi & honorandi proximos, propter Deum, ordine charitatis, dignitatis & ſtatus. Atqui ſtatus Beatorum eſt dignus amore & honore inuocationis, ad proteſtandam eorum apud Deum gratiam & gloriam; ergo ſic diligendi & colendi ſunt. *Eſther* 6. Sic honorabitur quem rex voluerit, &c. *Pſal.* 149. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. *Luc.* 10. Nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo. *Matt.* Tibi dabo claues, &c. 19. Sedebitis ſuper ſedes, &c. 24. Super omnia bona ſua conſtituet eum. 1. *Cor.* 6. Sancti de hoc mundo iudicabunt. *Apoc.* 2. Qui vicerit dabo ei poteſtatē ſuper gentes, &c.

4. Ex varijs promiſſis Dei & Chriſti, exaudiendi omnes inuocantes ſe. *Ioel.* 2. *Pſal.* 4. 49. &c. Specialiter iuſtos & ſanctos. *Prou.* 21. 24 *Pſal.* 31. 33. *Ioan.* 6. 16. 1. *Ioan.* 3. *Iac.* 5. Et præ omnibus coniunctim orantes. *Matt.* 15. 16. non ſolum Deū immediatè, ſed ſaltem per Chriſtum; ergo & ſubmediatè, per alios, & cum alijs ſanctis & Beatis.

5. Ex vnione, vnitate, & reciproca communione Sanctorum, inter viuos & defunctos. Nam *Ioan.* 17. Volo pater vt omnes vnum ſint, &c. *Coloſ.* 1. Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. Eccleſia eſt vt corpus ex membris: quæ per mortem non præcinduntur, &c. Non poteſt autem inter eſſe alia communio reciproca.

6. Ex cultu, interceſſione, & inuocatione SS. Angelorum. *Gen.* 18. 28. 32. 48. *Ioſ.* 5. *Tob.* 12. *Oſee* 12. *Dan.* 10. *Zach.* 1. *Matt.* 10. *Luc.* 15. *Hebr.* 1. *Apoc.* 1. 8. Ergo & Beatorum defunctorum, qui ſunt & erunt ſicut Angeli Dei. *Matt.* 12. *Luc.* 20. Imò plus habent communionis nobiſcum.

7. Ex cultu, inuocatione, & interceſſione viuorum pro ſe inuicem. *Gen.* 18. Abraham orat pro Sodomitis. *Deut.* 5. *Gal.* 3. Moyſes fuit *Mediator* & *Arbiter* inter Deum & populum. *Iob. vlt.* Deus remittit amicos *Iob* ad eius interceſſionē. In tota lege antiqua laici remittūtur ad ſacerdotes, vt hi orēt & ſacrificent pro illis. 4. *Reg.* 2. Helias monet Elizeum vt à ſe petat, &c. *Matt.* 6. Chriſtus iubet nos orare pro inuicem. *Ioan.* 12. Quidam gentiles petunt à Philippo videre Ieſū: ipſe refert hoc Andreæ, & cum Andrea Chriſto. *Rom.* 15. Apoſt. commendat ſe precibus ſuorum. *Hebr.* 5. Omnis Pontifex eſt conſtitutus pro hominibus, erga Deū. *Iac.* 5. Præſbiteri Eccleſiæ orent ſuper infirmos. Orate pro inuicem, &c. Ergo eſt potiùs Beatorum coli & orari à nobis, ac orare pro nobis.

8. Ex cultu, & inuocatione directa vel indirecta Sanctorum defunctorum à viuis, & illorum pro his interceſſione. *Gen.* 48. Nomen meum, & nomen Patrum meorum Abraham & Iſaac inuocetur ſuper vos. *Exod.* 32. Recordare Abraham & Iſaac ſeruorum tuorum. *Iob* 5. Ad aliquem Sanctorum conuertere. 19. Miſeremini mei, &c. *Pſal.* 44. Vultum tuum deprecabuntur. *Pſal.* 131. Memento Domine Dauid, &c. Propter Dauid, &c. *Ier.* 5. Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, &c. *Baruch* 3. Deus Iſrael audi nunc orationem mortuorum Iſrael. *Dan.* 3. Propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum. 2. *Mach.* 12. Ieremias & Onias multum orant pro populo. *Matt.* 17. Moyſes & Elias apparent loquentes cum IESV. *Marc.* 12. *Luc.* 20. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. *Luc.* 10. Ipſe diues epulo orat Abraham, 2. *Pet.* 1. Dabo operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. *Apoc.* 5. Seniores illi 24. habent phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. Vt *c.* 8. Data ſunt Angelo incenſa multa, vt offerret de orationibus Sanctorum omnium, &c. *Apoc.* 1. 20. 1. *Pet.* 2. Omnes Sancti ſunt Sacerdotes ſpirituales, offerentes Deo noſtras & ſuas pro nobis orationes.

9. Ex SS. Patribus. *S. Dion. c.* 7. *Eccl. Hier.* Fruſtra Sanctorum flagitat preces, & ſacras operationes abigit. *Iren. l.* 5. *Contra Hæreſes.* Virgo MARIA Euæ aduocata. *Tertul.* De corona militis, meminit feſtorum in honorem Martyrum. *S. Cypr. l.* 1. *Epiſt.* 1. Si quis hinc noſtrum præceſſerit, perſeueret apud Deum dilectio, non ceſſet oratio. *L.* 4. *Epiſt.* 5. Martyrum paſſiones anniuerſaria commemoratione celebramus. *S. Baſil. De SS.* 40. *Martyr.* O communes generis humani cuſtodes, &c. Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat, &c. *Nazian. De obitu patris ſui.* Nunc magis nobis proficit precibus, quàm antea doctrina. *Orat. de Cypr.* ex mago in Martyrem conuerſo. *Iuſtina* Virginem MARIAM rogauit,

vicit

Digitized by Google

vicit Virgo, &c. *In fine huius Orat. & de S. Baſilio, ac Athanaſio*, eoſdem Sanctos inuocat. *S. Hil. in Pſal.* 124. Non deſunt Sanctorum cuſtodiæ. *S. Chryſ. Hom. de SS. Iuuentio & Maximo.* Non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos, &c. Vt milites ſua vulnera Regi monſtrantes, &c. Sic Martyres abſecta capita geſtantes, quæcumque voluerint apud Deum impetrare poſſunt. *Nyſſ. De S. Theodoro.* Intercede pro patria, &c. Si maiori opus fuerit deprecatione & aduocatione: admone Petrum, excita Paulum, &c. *S. Ambr. l. 8. in Luc.* Vt Angeli præſunt, ita & qui vitam meruerunt Angelorum. *Lib. De Viduis.* Obſecrandi ſunt Angeli, & Martyres, &c. Iſti enim ſunt noſtri præſules. *S. Hier.* ex profeſſo *lib. contra Vigilantium*, de cultu & inuocatione Sanctorum, ad ſua ſepulchra & reliquias. *Si nunc poſſunt orare pro cæteris, quando adhuc pro ſe ſunt ſolliciti: quantò magis poſt victorias & coronas?* Infra. *Audet dicere: Ergo cineres ſuos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos: ne fortè ſi quis precator aduenerit, audire non poßint? O portentum, &c.* Epiſt. ad Paulam de obitu Blæſillæ. *Pro te Dominum rogat, mihiq́, veniam impetrat.* In Epitaphio S. Paulæ. *Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua.*

*S. Aug. lib. De vera Relig. c.* 55. Vni Deo religantes animas noſtras, vnde Religio dicta creditur, omni ſuperſtitione careamus. Quiſquis in Deo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, &c. *Lib. 2. Doct. Chriſti c.* 39. Sanctus homo & Angelus etiam feſſos nos, atque in ſe remanere cupientes, reficiunt potiùs, atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fruētes beati ſimus. *Lib. 3. c. 9.* De vſu & veneratione ſacrorum ſignorum. *lib. 9. Conf.* 7. De tranſlatione & miraculis SS. Geruaſij & Protaſij. *l. 20. Contra Fauſt.* 21. Calumniatur fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens non idola conuertiſſe, &c. Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat: & ad excitandam imitatiouem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur, &c. *lib. 25. contra Fauſt. c. 1. Fauſtus.* Si eſt vnus Deus, quid ſibi vult hæc inuocatio, vt adijciatis, Deus Abraham & Iacob? Tanquam naufragium paſſurâ veſtra oratione, niſi ad ſignum nauiget Abrahæ? In *Iob* 14. Miſeremini mei, o amici! Angelos videtur poſtulare, aut certè ſanctos vt pro pœnitente orent. *l. 8. Ciu.* 26. Hermes videtur dolere quod memoriæ Martyrum noſtrorum templis eorum ſuccederent, &c. *c.* 27. Nec tamen Martyribus templa, ſacerdotia, ſacrificia conſtituimus, &c. Quis audiuit ad altare, &c. Offerimus tibi Petre, vel Paule, &c. *lib. 10. c.* 1. De Latria, Religione, pietate, & cultu Dei, ſed non ſolius. *c.* 7. Cum Angelis ſumus vna Ciuitas Dei, cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur, &c. Geritur enim ibi cura de nobis, &c. *lib. 20. Ciu.* 9. Regnant cum Chriſto nunc ſancti eius, &c. Neque piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia. *l. 22. c.* 8. Etiam nunc fiunt miracula in Chriſti nomine, ſiue per Sacramenta eius, ſiue per orationes vel memorias ſanctorum eius, &c. Subdit multa. *Cap.* 14. Siue Deus per ſeipſum, ſiue per ſuos Miniſtros faciat, &c. Siue quædā per Martyrū ſpiritus, ſiue omnia per Angelos, vt quæ per Martyres fieri dicūtur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant. *cap.* 10. Faciunt iſta Martyres, vel potiùs Deus, orātibus aut cooperātibus eis, &c. Vt ſupra *l. 20. contra Fauſt.* 21: & *l. 8. Ciu.* 26. In 7. libros ſacræ ſcript. *Gen.* 28. Inuocabitur in his nomen meum, &c. Notandum eſt non ſolum exauditionem, ſed etiam inuocationē dici aliquādo, quæ non Dei, ſed hominum ſint. *Q. 108. in Exod. 26.* Sanctorum Martyrum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui. *Enchir.* 56. Pars Eccleſiæ quæ eſt in cœlis, ſuæ parti peregrinanti vt oportet opitulatur. *l. de cura pro mortuis. A c. 1. ad* 7. De fructu ſepeliendi fideles in Memorijs Sanctorum. *c.* 4. Vt viui eiſdem ſanctis illos tanquā Patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent, &c. Cùm recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurit locus Martyris, eidem animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus, &c. *cap.* 5. Cùm ergo fidelis mater filij ſui defuncti corpus deſiderauit in Baſilicam Martyris poni: ſiquidem credidit eius animam meritis Martyris adiuuari, hoc quod ita credidit ſupplicatio quædam fuit, & hæc profuit ſi quid profuit. Et quod ad idē ſepulchrum recurrit animo, & filium precibus magis magiſque commendat: adiuuat defuncti ſpiritum, non mortui corporis locus, ſed ex loci memoria viuus matris affectus. Simul enim & quis & cui commendandus ſit, nō vtique infructuoſè religioſam mentem precantis attingit, &c. *c.* 16. Non ſolis beneficiorū effectibus, ſed ipſis hominū aſpectibus S. Fœlicem Confeſſorem apparuiſſe, cùm à Barbaris Nola impugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis, &c. Quibuſdam ſanādis vel adiuuādis Martyres adſunt.] Subdit dubiū. An ipſi per ſeipſos adſint, &c. An ipſis in loco ſuis meritis cōgruo, ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, Deus exaudiens Martyrum preces, per Angelica miniſteria præbeat hominibus iſta ſolatia, &c. An vtrumque ſit, &c. *cap.* 17. An iſta fiāt Dei nutu per Angelicas poteſtates, in honorem Sanctorum, illis in ſumma quiete poſitis, & ad alia longè meliora viſa vacantibus orantibuſque pro nobis. *cap.* 18. Quòd quis ſepeliatur apud memoriam Martyrum, hoc tantum videtur mihi prodeſſe defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur. *Epiſt.* 42. Videtis Imperatores ad ſepulchrum piſcatoris ſubmiſſo diademate ſupplicare. *Epiſt.* 137. De miraculis ad ſepulchrum S. Fœlicis. [Vt non omnes ſancti habent dona curationum, 1. *Cor.* 12. ita nec in omnibus memorijs ſanctorum iſta fieri voluit, qui diuidit cuique prout vult. In *Pſal.* 44. Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri? In Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis? In *Pſal.* 65. Melius eſt vt Imperator ploret ad memoriam Piſcatoris, quàm piſcator ad memoriam Imperatoris. *In pſal.* 85.

vt Domino, & omnibus ei ſubordinatis: ſed vt Religioſa, ſolis rebus aut perſonis Deo ſacris, præcipuè ad ſtatum gratiæ & gloriæ Dei ſupra nos eleuatis. Nam licet latinè ſit idem verbum commune ſeruiendi: græcè tamen ſacra ſcript. vtitur verbo proprio ſeruiendi ſoli Deo Latria vel Lyturgia, vt *Exod.* 23. *Deut.* 6. & 30. *Matt.* & *Luc.* 4. *Act.* 13. *Apoc.* 7. 22. *Rom.* 1. Sed verbo communi ſeruiendi Deo & quibuſuis Dominis, ſingulariter perſonis ſacris, *Dulia*. Vt patet ex *B. Aug. l.* 1. *Ciu.* 1. Vbi ex profeſſo ita diſtinguit ſeruitutem, cultum, Religionem, pietatem, & conſequenter adorationem latriæ, ex proprijs nominibus græcis: à communi & inferiori, inquit, quæ *alio nomine græcè nuncupari ſolet*. Quo alio niſi Duliæ? *l.* 14. *contra Fauſt.* 9. Adonai interpretatur Dominus, eo modo quo ſolus Deus dicitur Dominus: ſicut latria ſeruitus qua tantummodò Deo ſeruitur, &c. *Quæſt.* 61. *in Gen.* 23. Abraham adorauit populum terræ. Non dictum eſt *Deut.* 4. Deum tuum ſolum adorabis: ſicut dictum eſt, illi ſoli ſeruies, græcè *Latria*. Talis enim ſeruitus nonniſi Deo debetur. Nec moueat quod *Apoc.* 19. prohibet Angelus hominẽ adorare ſe. Talis enim apparuerat Angelus vt pro Deo poſſet adorari: ideo corrigendus fuerat adorator.] Quid diſtinctius, & expreſſius? *q.* 82. *in Exod.* & 2. *in Deut.* De cultu Latriæ ſolius Dei. *Q.* 94. *in Exod.* Et *Dulia* debetur Deo tanquam Domino: Latria verò nõniſi Deo tanquam Deo.] Quia Dominium non eſt incommunicabile creaturis, vt Deitas. *Lib.* 3. *contra Max. c.* 23. *Deut.* 6. *Matt.* 4. non agitur de Domino quales ſunt homines: ſed cui ſeruitus illa debetur quæ græcè *Latria* dicitur. *In pſal.* 96. In templis tuis non coluntur niſi ſpiritus maligni. Cùm inueneris aliquem hominem ſanctum, ſi volueris illum colere & adorare pro Deo, prohibet te, non vult ſibi arrogare honorem Dei, non vult tibi eſſe pro Deo, ſed tecum eſſe ſub Deo, vt *Act.* 14. Sic & omnes ſancti vel Angeli illius gloriam quærunt, &c. Reſpondent, non colimus mala dæmonia: Angelos quos dicitis, ipſos & nos colimus. Vtinam illos colere velletis: facilè ab ipſis diſceretis non illos colere. Audite Angelum doctorem. *Apoc.* 19. Quomodò dæmones iraſcuntur ſi non colantur: ſic Angeli indignantur ſi pro Deo colantur.] Vbi expreſsè de quodam cultu Angelorũ: ſed non pro Deo, nec vt Dei. In *pſal.* 135. Ne homines ſeruitium Religionis, quæ græcè *Lyturgia* vel *Latria* dicitur, ſanctis Angelis exhibeant, &c.] Adde, quòd cùm mandatum illud ſeruiendi Deo, ſit ad omnes: non poteſt intelligi niſi de cultu Dei. Hinc *Ad* 1. ex ſacra ſcript. *Ad* 2. Eſt contra idololatras Solis, lunæ, & ſtellarum. *Ad* 3. SS. Paulo & Barnabæ *Act.* 14. vel fortè etiam Petro *Act.* 10. & Angelo *Apoc.* 19. deferebatur *Latria*: ſed c. 22. nonniſi *Dulia*: cùm S. Ioannes præmonitus ac inhibitus iteraret, & Angelus ab ea excipienda vt conſeruus ſe humiliter excuſaret. Nec obſtat quòd *Gal.* 4. Iis qui natura non ſunt dij ſeruiebatis *Dulia*: quia *Dulia* aliquando determinatur ad *Latriam*; nec dæmones aut idola poſſunt coli vllo cultu nequidem *Duliæ*. Nec quòd *Gal.* 5. Seruite inuicem *Dulia*: ergo non vt dominis, &c. Quia additur in ſeu ex charitate, non iure aut debito proprio ſeruitutis: Vel propter Deum, & ſtatum gratiæ in altero, ſuperiorem ſtatu noſtro naturæ. Nec quòd *Apoc.* 22. Angelus non vult adorari, vt conſeruus: quia inter conſeruos Dei eſt ſubordinatio; nec ſunt adorandi *Dulia* niſi vt conſerui Dei nobis ſuperiores; nec fortè ille Angelus erat in illo ordine ſuperior S. Iohanne. Nec denique quod Abraham *Gen.* 23. adoret populum duliâ, & Moyſes *Exod.* 18. Getro ſocerum ſuum, & alij alios æquales aut inferiores: quia adoratio ſeu honor & reuerentia debetur vnicuique ſecundùm aliquam dignitatem; ſed ſeruitus propriè dicta nonniſi ob aliquod dominium vel ſubiectionem ſaltem voluntariam.

Hinc & *Ad* 1. ex *B. Aug.* l. De vera Relig. c. 55. ſupra. *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum*: quia vt mortui, non ſunt ſuperiores viuis, imò nec ſunt; ſed vt viuunt ſpiritu apud Deum vitâ gratiæ & gloriæ, vtique religioſè propter Deũ colendi ſunt. Ex Luc. 20. *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum*. Nec obſtat quod ſequitur: *Honorandi ſunt propter imitationẽ, nõ adorãdi propter religionẽ: Quare honoramus eos charitate, non ſeruitute*. Quia ſubdit. *Nec eis templa conſtruimus; nolunt enim ſe ſic honorari à nobis*. Vbi exprimit quo modo, videlicet latriæ, non ſint à nobis adorandi, colendi, ſeruiendi. Nec excluditur modus adorandi eos religioſè, aut reſtringitur ad ſolum honorem imitationis & charitatis: ſed refertur ad finem imitationis, & ad principium charitatis Dei & proximi. Vel tantùm negatur eorum adoratio & ſeruitus religioſa *latria*, pro ſuo principali ſignificatio. De quo ſubdit. *Religet ergo nos Religio vni Omnipotenti Deo; quia inter mentem noſtram & veritatem, nulla interpoſita eſt creatura* .i. vt obiectum, principium, aut finis noſter, cui iure naturæ debeamus illam adorationem aut ſeruitutem.

*Ad* 20. *contra Fauſt.* 21. Cultus dilectionis & ſocietatis erga viuos & defunctos, eſt etiam *Religionis*: quia eſt *deuotionis* ibidem. Nam religio religat nos vni Deo: non ſingulos ſeorſim abſolutè vel relatiuè, nec omnes confusè; ſed ordinatè & ſubordinatè, in conſeruos & ſubſeruos.

Sed quòd cultus SS. ſit etiam religioſus, abſolutè vel relatiuè elicitus aut imperatus ab eadem Religione Dei, vel aliqua inferiore: ſatis patet ex lib. 20. contra Fauſt. cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat*, &c. Infra. *Colimus Martyres tantò deuotiùs, quantò ſecuriùs*. Lib. 8. Ciu. cap. 27. *Adhibentur Religioſorum obſequia in Martyrum locis*. Lib. 10. cap. 1. *Quamuis Religio Dei cultum ſignificare videatur*, &c. Infra. *Quia tamen & cognationibus humanis dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum*, &c. Infra. *Quæ latinè Religio dicitur, ſed erga Deum*. &c. *hanc ei tantùm deberi dicimus*. Lib. de cura pro mortuis cap. 4. *Si nonnulla religio eſt vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando vbi ſepeliantur attenditur*. Cap. 5. *Quis & cui ſancto ſepultus commendatus ſit, non infructuosè religioſam mentem precantis attingit*. Infra. *Religioſus animus eligit humare quem diligit*. cap. 17. De quadam religioſiſſima muliere quendam S. Ioannem videre

 cupiente,

cupiente, &c. Contra pertinacẽ & fugitiuam Hottonij & Maretij negationem, quòd cultus aut inuocatio Sanctorum ſit, aut dici poſſit religioſa. De quo contra eos plurima, in noſtris *Exorciſmis gallicis*, contra *Apologiam Hottonij*, & latinis contra *Monachomachiam Maretij*, ac *Tomo noſtro 2. in Aug. à col. 83. ad 92. & in 3. Sent. Ad lib. 4. Ciu.* Non agit niſi contra cultum Pſeudo-deorum, omni cultu indignorum *Ad q. 94. in Exod.* ſat ſupra. *Ad* 3. contra Max. 23. *Tali*, inquit, *ſeruitute .i. latriæ, nonniſi Deo vera Religione ſeruitur*. Vel etiam nulla niſi relatiuè ad Deum. *Ad Epiſt.* 59. *q.* 8. Eſt contra vanam ſpem purgationis aut ſalutis per Angelos, ſine Chriſto Mediatore. Vt & *lib.* 10. *Conf.* 42. 43. *lib.* 9. *Ciu.* 15. 16. & alibi. *Ad Epiſt.* 44. vt ad 1. *Ad Pſal.* 34. vt ad 1. & ad Epiſt. 59. Ad *Pſal.* 96. ex ipſo eodem textu ſupra.

## *Obiectio 2. Contra inuocationem Sanctorum.*

EX ſacra Script. *Pſal.* 99. Inuoca me. *Ioel* 2. Qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. *Matt.* 6. Cùm oratis dicite Pater noſter. *Rom.* 10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? 1. *Tim.* 2. De vnico Mediatore Chriſto. 1 *Ioan.* 2. De vnico eodem Aduocato.

Ex B. Aug. lib. 10. Conf. cap. 48. *Quem inuenirem qui me reconciliaret tibi? An eundũ mihi fuit ad Angelos? Quâ prece? Quibus Sacramentis? Multi tentauerunt hæc & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Lib.* 1. contra Parm. De vnico Mediatore & Aduocato Chriſto: ex 1. *Tim.* 2. & 1. Ioan. 2. *Lib.* 23. *contra Fauſtum cap.* 9. De incerto S. Ioachim. *Lib.* 1. *Ciu.* 27. De quibuſdam incertis Sanctis qui coluntur in Eccleſia Catholica. *Lib.* 10. *Ciu.* 26. Angelos imitandos eſſe potiùs quàm inuocandos. *Lib.* 22. *Ciu. cap.* 10. Sancti in ſacrificio nominantur: non tamen à Sacerdote qui ſacrificat inuocantur. *Lib.* 1. *Conf. cap.* 2. Quomodo inuocabo Deum? Vtique in meipſum eum vocabo.] Ergo per illapſum, cuius Sancti non ſunt capaces. *Serm.* 101. ex diuerſis: De *S. Fructuoſo*, qui noluit orare pro rogante ſe: ſed pro ſola Eccleſia Catholica.

*Reſp.* Vt in confer. Lymb. Exorciſmis gallicis, & latinis, & Tomo 2. in Aug. *Ad* 1. 2. 3. ex ſacra ſcript. diſtinguendo inter inuocationem Dei immediatè, & mediatè ac ſubmediatè, per Chriſtum & Sanctos. Nam inuocatio Dei non excludit quin fiat à nobis per Sanctos: ſed hæc includit illam. Vt patet ex prece filiorum Zebedæi per ſuam matrem, & Centurionis *Luc.* 17. per Seniores Iudæorum: ex ipſa forma orandi Sanctos, vt orent Deum pro nobis: & ex ſupradictis. Hinc & Idiotæ dirigunt ad Sanctos ſuum Pater noſter, ad offerendum & coorandum. *Ad* 4. Quomodo inuocabunt, &c. vtique Deum vt Deum: vel Sanctos quos non crediderint, vel etiam in quos vt obiecta ſecundaria fidei, ſpei, & charitatis. Nam *Apoſt. ad Philem.* vocat fidem & charitatem eius in Chriſtum & in omnes Sanctos. *Ad* 4. & 5. Chriſtus eſt vnus Mediator, & Aduocatus, ſupremus & communis omnium: cui Sancti ſubordinati non ſunt plures cum ipſo, ſed tantùm inter ſe. *Ad* 1. *ex Aug.* vt ſupra, contra ſpem in Angelos, ſine Chriſto Mediatore. *Ad* 2. *vt ad* 4. & 5. ex ſcript. Nam ibi intendit exaudiri pro populo Epiſcopos & Miniſtros Chriſti, quamuis peccatores: ex vi vnius Mediatoris & Aduocati Chriſti. *Ad* 3. Sanctus alicubi & aliquando incertus, poteſt noua reuelatione, aut collatione Traditionis fieri certus. *Ad* 4. Ex eodem loco: *Quædam ſanctæ mulieres vt inſectatores ſuæ pudicitiæ deuitarent, in flumen ſe proiecerunt, eodemq; modo defunctæ ſunt, earumq; Martyria in Eccleſia Catholica veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temerè audeo iudicare. Vtrum enim Eccleſiæ fide dignis teſtificationibus vt earum memoriam ſic honoret, Diuina perſuaſerit Authoritas, neſcio: & fieri poteſt vt ita ſit. Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed diuinitus iuſſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere? Quod ſi ita eſt iubente Imperatore: quantò magis iubente Creatore? Tantummodo videat vtrum Diuina iuſſio nullo nutet incerto, &c.* Pro certitudine ſaltem morali Eccleſiæ in canonizandis & colendis Sanctis, ex infallibili doctrina & praxi communi Eccleſiæ, de qua toties ſupra. *Ad* 5. Cùm ſint potiùs imitandi, quàm inuocandi: ergo & inuocandi. *Ad* 6. Non inuocantur directè, ſed indirectè ſub ſacrificio, vt ſupra. *Ad* 7. Inuocamus etiam Deum in nos per Sanctos. *Ad* 7. *Quis enim*, inquit, *oret pro ſingulis?* Ergo non negat orari poſſe à viuis pro aliquibus: ſed nec à Beatis pro nobis omnibus & ſingulis.

## *Obiectio 3. Contra cultum Dei & Sanctorum in ſuis ſignis: vt idolatricum, vel ſaltem ſcandaloſum.*

EX ſacra ſcript. Exod. 20. *Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem, &c. non adorabis ea, neq; coles.* Leuit. 26. *Non facietis vobis Idolum, nec ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis, vt adoretis eum.* Deut. 4. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in Oreb: ne fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimil. aut imaginem, &c. & adores ac colas ea.* Deut. 5. *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem, &c. non adorabis ea, & non coles.* Ioan. 4. *Venit hora in qua neq; in monte hoc, neq; Hieroſolymis: ſed veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Ex S. *Aug. lib.* 1. De moribus Eccleſiæ cap. 34. *Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores.* Libro de Symbolo c. 7. *Non quaſi humana forma circumdatum eſſe Deum Patrem arbitrandum eſt. Tale enim ſimulacrum Deo nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare: multo magis in corde, &c.* lib. 14. contra Fauſt. 11. *Si corpus inclinatur in adorando, aut animus colit quod adorat, aut fingit: vtrumq; autem pernicioſum eſt.* Lib. 20. c. 9. *Simulacrorum adoratores circa ipſas corporum figuras habent affectum, &c. vt eas ipſas in locis honoratioribus ſublimatas, quibus tantum* obſe-

Digitized by Google

*obſequium exhiberi vident, tanquam Deos timeant.* 5. Epiſt. 119. ad Ianuar. c. 6. vt & Pſal. 93. 103. *Vt non adoramus pecora, quamuis Chriſtus dictus ſit & Agnus, & vitulus; nec lapidem quia Petra erat Chriſtus: ſic nec Solem, nec lunam, &c.* 6. Cap. 11. *Nulla imago Dei coli debet, niſi illa quæ hoc eſt quod ipſe: nec ipſa pro illo, ſed cum illo.* 7. Quæſt. 3. libri contra Paganos. *Idola cùm his locantur ſedibus vt à precantibus attendantur: afficiunt infirmos animos vt viuere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tãtus eis cultus impẽditur, &c. Qui talibus ſimulachris diuinum cultum exhibent, & velut præſentibus preces allegant, victimas immolant, vota perſoluunt: ſic afficiuntur, vt ea ſenſu carentia putare non audeant.* 8. Lib. contra Sermonem Arrian. cap. 3. *Formant ſibi in phantaſmate cordis ſui Patrem & Filium quaſi duos in ſuis locis cõſtitutos, vnum iubentem, alterum optemperantem.* 9. Lib. 5. contra Maximinum. *Nonne ſi templum alicui Angelo excellentiſſimo faceremus, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei?* In *Pſal.* 113. Simulachra Gentium argentum & aurum, &c. *Videntur ſibi purgatioris eſſe Religionis, qui dicunt: nec ſimulacrum nec dæmonium colo, ſed eius rei ſignum intueor, quam colere debeo.* Contra. *Quis adorat vel orat intuens ſimulacrum, qui non ſic afficitur, vt ab eo ſe exaudiri putet, ac ab eo ſibi præſtari quod ab eo ſperat? Et nos vaſa habemus quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur, in eius honorem cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur. Numquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?* Serm. 108. de tempore, cap. 4. *Pro ipſis idolis repleta eſt terra Martyribus.* Serm. 28. Ex diuerſis. *Quæ ſibi facit Martyres falſos, niſi auara anima?* Serm. 20. c. 13. *Factorem ſignorum ſuorum petit Deus, non pictorem vel fictorem.* Serm. 111. *Non ſignum ligni te delectat, ſed ſignum pendentis.*

*Reſp.* Vt in noſtris *Confer. Lymb. Exorciſmis, & Tomo 2. in B. Aug.* diſtinguendo inter idola ſeu ſimulachra, quæ non ſunt niſi dæmonum, figmẽtorum, vel creaturarum omni cultu indignarum: & inter ſacras imagines, aut ſigna memorialia Dei, Angelorum, & Beatorum.

Inter ſtatum antiquæ legis & nouæ: inter cultum abſolutum Dei vel ſãctorum ob ſuam intrinſecam dignitatem, & relatiuum ſacrorum ſignorũ ad ſua ſignificata. Hinc ad ſacram Script. vel illa prohibitio fuit tantùm idolorum & ſimulacrorum: vel ſolius antiquæ legis, contra periculum idololatriæ; vel ne fierent ad colendum & adorandum. Vt patet ex ipſo textu.

Quem Lutherus vel Lutherani in quadam editione ſua germanica ſic peruertunt ad ſuum intentum: *Non orabis ad ea,* pro *non adorabis ea.* Quaſi nec ad ſacras imagines & ſigna, ſeu coram eis ſit orandum. Cùm ſacra ſcript. tam ſæpè moneat vt adoramus ad templum, ad altare, ad Arcam fœderis, circa quam erant cherubim: imò & *Pſal.* 93. vt adoremus ſcabellum pedum eius. Nec *Ioan.* 4. per adorare *in ſpiritu & veritate,* excludetur à noua lege vſus ſacrorum locorum & ſignorum ad cultum Dei: ſed limitatio ad hunc vel illum locum, & abuſus figurarum ac cæremoniarum legis antiquæ, contra veritatem & ſpiritualitatẽ legis nouæ.

Ad 1. ex *S. Aug.* Bellarminus *Lib. 3. De cultu & beatit. SS.* videtur fateri eſſe contra nouam idololatria quorundam Chriſtianorum; ſed potius cõtra minorem ſuperſtitionem. Quia ipſe *B. Aug.* ibidem tribuit hoc tantùm ſuperſtitioni. Nec eſt credibile Chriſtianos ex tunc ad tantam idololatriam declinaſſe: nec B. *Aug.* eos ob externam adorationem, idololatriæ internæ condemnaſſet. Imò hinc patet fuiſſe ex tunc vſum & praxim publicam venerandi picturas & ſepulcra ſanctorum: quorum abuſum S. Aug. refert ab Eccleſia corrigi, non tamen vſum aboleri. Porro ille abuſus videtur fuiſſe nimiæ intentionis ad materiam pretioſam, & formas elegantes, potiùs quam ad res ſacras contentas & ſignificatas.

*Ad* 2. Non eſt tam contra vſum huius imaginis, quàm contra eius falſum ſenſum. Cùm Deus Pater apparuerit Prophetis ſub forma humana.

*Ad* 3. Eſt contra adorationem Solis & lunæ, *latriâ*: quamuis nec ſint adorabiles *duliâ*. Sed inclinando corpus ad ſacras imagines, non fingitur vlla adoratio, dum refertur ad prototypum.

*Ad* 4. Eſt retorſio huius calumniæ Fauſti c. 4. *Idola in Martyres vertiſtis, quos ſimilibus votis colitis. Vmbras vino placatis & dapibus, &c.* Contra Aug. c. 9. *Simulacrorum adoratores circa ipſas corporũ figuras habent affectum, &c. Vos autem inepta & inſana nec pingendo, nec ſculpendo, nec interpretando demonſtratis: & cùm omnino nulla ſint, creditis & colitis.* Vbi exprobat Manichæis quòd ſint peiores idololatris, colendo tam inſana phantaſmata, vt ea nec pingere nec ſculpere poſſint vel audeant. Ergo fatetur aliquas picturas aut ſculpturas Sanctorum inter Chriſtianos: ob quas Fauſtus calumnietur eos idola vertiſſe in Martyres.

*Ad* 5. Eſt tantùm contra cultum rerum naturalium, quæ nec ſunt dignæ cultu proprio, nec relatiuæ ad alium.

*Ad* 6. Improbat tantùm cultum abſolutum imaginum, non relatiuum, Subdit enim: *Si anima feratur ad ſimilitudines naturales, & inde ad ſpiritualia quæ illis figurantur ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur.*

*Ad* 7. Eſt contra cultum Idolorum, non autem ſacrarum imaginum. Subdit enim: *Hæc cùm exhibentur Deo ſecundum eius inſpirationem ac doctrinam, vera Religio eſt: cùm autem dæmonibus, noxia ſuperſtitio eſt, &c. Qui talibus ſimulacris diuinum cultum exhibent, &c.* Nec enim ſacræ imagines ſunt *idola*, nec *ſimulacra* ſeu figmenta: nec exhibetur eis *cultus diuinus*; nec in tanta luce fidei ac doctrinæ ſubeſt illius erroris periculum.

*Ad* 8. Eſt contra errorem Arrianorum, de inæqualitate Patris & Filij.

*Ad* 9. Probat æqualitatem Spiritus S. cum Patre & Filio, ex 1. *Cor.* 3. & 6. Vbi dicimur *templum Spiritus ſancti*. Nam templa, & altaria ſunt propriè ad ſacrificandum: nec fiunt niſi Deo cui ſacrificatur; ſed ad ſolam memoriam honorariam & patrocinationem SS. vt patet ex *B. Aug.* ſupra.

*Ad* 10. Eſt contra ſolos idololatras, eorumque vanas excuſationes ab idololatria. Nam de Chriſtianis ſubdit: *Quis puer interrogatus non certum eſſe reſpondeat, quòd ſimulacra Gentium os habent*



Digitized by Google

*& non loquuntur.* Infra de vaſis ſacris: *Nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?* Sic & de ſacris imaginibus: quarum neceſſitas & vtilitas patet 1. Ex imaginibus naturalibus, neceſſarijs ad omnẽ cognitionem ac memoriam Dei & SS. 2. Ex artificialibus, *Exod.* 26. 3. *Reg.* 6. 7. ab ipſo Deo inſtitutis, in Deſerto, in Tẽplo, & circa Arcã fœderis. 3. Ex ipſa vmbra Chriſti, pluſquam Petri. 4. Ex veſtigijs pedum eius. 5. Ex imagine eius miſſa Abagaro, impreſſa ſudario veronicæ, & linteo ſepulturæ. 6. Ex S. Cruce, & eius ſigno ſacro. 7. Ex ſignis ſacramentalibus. 8. Ex ipſo nomine Ieſu, *Phil.* 2. quo æquè picto, ac ſcripto & dicto, æquè viſo ac audito monemur & mouemur ad memoriam, adorationem, & inuocationem ipſius Ieſu Chriſti.

*Ad* 11. Erat querimonia *Hermetis* magi, *Lib.* 8. *Ciu.* 26. & exprobratio *Fauſti lib.* 1. c. 21. Sed hîc ab *Aug.* in laudem conuerſa.

*Ad* 12. Videtur eſſe contra falſos teſtes, aut grauia patientes ex auaritia.

*Ad* 13. Eſt de verificandis ſignis ſacris per bona opera.

*Ad* 14. Eſt de ſignificatione & affectu ipſius Crucifixi, &c. De quibus ſingulis latiùs in noſtris Exorciſmis, & Tomo 2. in *B. Aug.* ad *lib.* 22. *de Ciu. & lib. de cura pro mortuis*: contra impudentẽ pertinaciam *Marety*, negantis *pag.* 74. 134. 250. ſuæ Monachomachiæ, *Vllum apicem B. Aug. fauere inuocationi Sanctorum.*

# QVÆSTIO X.

*An & quæ ſint ſupplenda vel conciliãda de Reſurr. & Iudicio finali?*

*Reſp.* AVthores noſtri inter ſe conſtant: ſed quædam ſupponunt ex doctrina communi ſacræ ſcript. Eccleſiæ, & *B. Aug.* quæ inde ſuppleri merentur.

1. Eſſe de fide futuram omnium ſimul Reſurr. ad iudicium generale, per Chriſtum, in fine mundi, poſt omnia ſigna à Deo prædicta: contra hæreſim & præſumptionẽ quondam *Chiliaſtarum* ſeu Millenariorum, & nunc Anabaptiſtarum, reſurgendi mille annis ante impios ad beatitudinem quandam corporalem cum Chriſto in hoc mundo. Quia hoc eſt contra expreſſas ſcript. ſacras, & Art. fidei de Reſurr. omnium ſimul ad Iudicium, & ad veram beatitudinem vel damnationẽ: *Iob* 19. *Eſa.* 26. *Ezech.* 37. *Dan.* 12. *Matt.* 19. 24. 25. *Ioan.* 5. 6. 1. *Cor.* 15. 1. *Theſſ.* 4. *&c.*

2. Eſſe certum omnes ſaltem Beatos reſurrecturos in ſtatu perfecto ſuorum corporum: ſed ſaluo cuiuſque ſexu, ad maiorem identitatem ſaltem moralem. Ex *Matt.* 22. *Marc.* 12. *& Luc.* 20. De Reſurr. vxoris 7. virorum. *Gal.* 3. De indifferentia legis Chriſti ad maſculos & fœminas. Et ex *B. Aug.* 22. *Ciu.* 17. Sed hoc non videtur eſſe de fide, vt vult noſter *Alphonſus à Caſtro*, ſub hæreſi 5. de Reſurr. quia nec exprimitur in ſacra ſcript. nec vllibi definitur, imò ex *Eph.* 4. videntur omnes reſurrecturi *in virum perfectum*; quamuis non à ſexu, ſed potius à viribus. &c.

3. Non eſſe certum quando, quo modo, quo ordine, quo loco, poſt quæ ſigna, quo ſenſu, vel quamdiu poſt, futura ſit Reſurr. & Iudicium. Quia hæc non ſunt tam propriè & determinatè prædicta: ſed ſub varijs figuris, metaphoris, & parabolis. Vt patet ex *Matt.* 24. 25. *Marc.* 13. *Luc.* 21. & B. Aug. interprete *lib.* 21. *Ciu.* 1. De profeſſione Chriſtiana futuræ Reſurr. & Iudicij per Chriſtum. *Sed per quot dies hoc Iudicium tendatur incertum eſt.* Cap. 30. ſeu vlt. *In illo iudicio vel circa has res didicimus eſſe venturas: Heliam Theſbiten; fidem Iudæorum, AntiChriſtum perſecuturum, Chriſtum iudicaturum, mortuorum Reſurr. bonorum malorumq́; diremptionem, mundi conflagrationem, eiuſdemq́; renouationem. Quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt: ſed quibus modis, & quo ordine, magis tunc docebit experientia quàm nunc valet conſequi intelligentia. Exiſtimo tamen eo quo à me commemorata ſunt ordine, eſſe ventura.* Toto autem libro variè interpretatur pleraſque ſacras ſcript. de circumſtantijs Reſurr. & Iudicij. *Epiſt.* 78. *ad Heſychium*, contra præſcientiam finis mundi ex ſignis prædictis: quia *Act.* 1. Non eſt veſtrum ſcire tẽpora vel momenta. *Matt.* 24. De die illa vel hora nemo ſcit, &c. *Tũc veniet finis* .i. nõ ante. *Epiſt.* 80. ad eundem, contra præſumptionem eiuſdem præſcientiæ, ex incertitudine plerorũq; ſignorum, ad quem aduentum Chriſti, & quo ſenſu pertineant.

4. Eſſe de fide AntiChriſtum præuenturum vltimum aduentum Chriſti: nec poſſe eſſe Papam, vt blaſphemant hæretici; ſed pleræque eius circũſtantiæ ſunt valdè incertæ. Quia expreſſè prædicitur vt homo ſingularis, venturus ſub finem mundi, aboliturus iuge ſacrificium, &c. quæ ſunt prorſus contraria Papæ: ſed ſub tam obſcuris figuris perſonæ, temporis, loci, &c. vt de his nil certi conijci poſſit. Vt patet ex *Dan.* 7. ſub figura illius quartæ Beſtiæ decem cornuum, ſeu Regni decem Regũ, & poſt eos vnius maioris Cornu ſeu Regis, contra Deum & Sanctos. *Donec Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, &c. Et vidi quod interfecta eſſet beſtia, &c. Et ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis, & vſque ad antiquum dierum peruenit, &c.* Cap. 11. De eodem Cornu ſeu Rege. *Aduerſus Deum Deorum loquetur, &c. Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur, &c.* Cap. 21. *Conſurget Michael qui ſtat pro filijs populi ſui, & veniet tempus quale non fuit, &c. Vſquequo finis, &c? In tempus, & tempora, & dimidium temporis, &c. A tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, dies* 1290. *Beatus qui peruenit ad dies* 1335. Quæ ſunt fortè literaliter de Antiocho Rege: ſed allegoricè exponi ſolent de Regno Antichriſti tribus annis cum medio, & de ſpatio 45. dierum poſt mortem eius, ad conuerſionem & pœnitentiam.

Apoc. 11. *Ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus: & dabo 2. teſtibus meis, & prophetabunt diebus,* 1260. *Et cum finierint teſtimonium ſuum, Beſtia occidet eos, &c. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt, &c. Et poſt dies tres cum dimidio, ſpiritus vitæ intrabit in eos, &c. Et audierunt vocem magnã de Cœlo dicentem eis; Aſcendite huc. Et aſcenderunt in ce-*

*in cœlum in nube: & viderunt illos inimici eorum.* Quæ ſolent exponi de *Elia*, & *Enoch*, vt infra. *Cap.* 13. De Beſtia 7. capitum, & decem cornuũ ac diadematum: deque coactione ad eam eiuſque imaginem adorandam, & gerendum numerum nominis eius, qui eſt 666. *Cap.* 19. De præcipitatione Beſtiæ & Pſeudoprophetæ eius in ſtagnum ignis. Cap. 20. *De alligatione diaboli per annos mille, & Regno Sanctorum cum Chriſto mille annis. Quibus conſummatis ſoluetur Sathanas, & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper 4. Angulos terræ, Gog & Magog, &c.* ænigmaticè. Quæ *S. Aug.* exponit 20. *Ciu.* 7. de tẽpore legis gratiæ, quo poteſtas diaboli eſt reſtricta, donec relaxetur tempore AntiChriſti.

2. Theſſ. 2. *Ne terreamini quaſi inſtet dies Domini, &c. Quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.; ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, &c. Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore: (Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.) Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui; & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eũ cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſathanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, &c.* Quæ *S. Aug.* 20. *Ciu.* 19. ſine dubio exponit de AntiChriſto: ſed ſub varijs coniecturis, de illa eius *ſeſſione in templo*, vel *in templum Dei*: de illa *diſceſſione, detentione, tentione, &c.* vel reſpectu imperij Romani, vel fortè ipſius Eccleſiæ.

Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio, &c. Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter Electos breuiabuntur dies illi, &c. Exurgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam Electi.* Quorum omnium nil certius *B. Aug. Epiſt.* 78. 80. quàm breuitas illius temporis, & publicatio Euangelij vbique ante finem mundi.

5. Eliam & Enoch futuros eſſe præcurſores Chriſti, contra Antichriſtum, præcipuè ad conuerſionem Iudæorum. Quod quidem de Elia certum eſt, ex eius raptu in illum finem, 4. *Reg.* 2. Nam Eccli. 48. *Elias inſcriptus eſt in iudicijs temporum, lenire iracundiam Dei, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iſrael.* Malach. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam* (apud 70. Theſbyten) *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor patris ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Matt. 17. *Elias venturus eſt, & reſtituet omnia.* Dicitur autem ibi veniſſe, vt *Luc.* 1. In ſpiritu & virtute. Nam ipſe Baptiſta *Ioan.* 1. expreſsè negat ſe eſſe *Eliam*. De Enoch autem colligitur ex *Gen.* 5. de eius translatione, *Hebr.* 12. ne videret mortem. *Apoc.* 11. De duobus illis Prophetis ab Antichriſto occidendis. Conuerſio autem finalis Iudæorum prædicitur *Pſal.* 58. Conuertentur ad veſperam, &c. *Oſee* 3. Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege & Principe, & ſine ſacrificio & Altari, &c. Poſt hæc reuertentur, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum, &c. nouiſſimo dierum. Hinc *B. Aug.* 20. *Ciu.* 19. refert hoc fuiſſe celeberrimum inter fideles.

6. Quòd *Ioan.* 5. mortui audient vocem Filij hominis, &c. 1. *Cor.* 15. In momento & in ictu oculi: canet enim tuba, & mortui reſurgent, &c. 1. *Theſſ.* 4. Ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cœlo, &c. *Matt.* 24. Mittet Angelos cum tuba & voce magna. Siue de voce Chriſti per Angelos, ſiue etiam per ſeipsũ: ſiue de voce pro ſolo iuſſu & dicto ſpiritali, ſiue etiam pro ſono, eoque articulato: ſiue de vi reali, ſiue morali illius vocis; ſiue de eius auditu poſt Reſurr. ſiue de obedientia reſurgendi ad illam vocem.

## *Obiectiones.*

1. EX ſacra ſcript. *Pſal.* 1. Non reſurgent impij in iudicio. *Ioan.* 5. Venit hora & nunc eſt, &c. *Ioan.* 3. Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit iam iudicatus eſt. *Ioan.* 12. Nunc iudicium eſt mundi, &c. *Ioan.* 16. Princeps mundi iam iudicatus eſt, &c. *Reſp.* De Reſurr. prima ad ſtatum gratiæ, vel vltima ad ſtatum gloriæ: deque iudicio particulari vel generali, diſcuſſionis vel condemnationis, præſentis vel futuræ, &c. Vt facilè ex ſingulis locis colligi, & ſingulis applicari poteſt.

2. Ex *S. Aug.* 20. *Ciu.* 7. Cenſet opinionem *Chiliaſtarum* probabilem: & fatetur fuiſſe aliquando ſuam. Ergo non eſt contra fidem. Cap. 9. *Regnat nunc cum Chriſto primùm Eccleſia in viuis & mortuis.* Cap. 19. Refert, nec improbat quoſdam interpretari, 2. *Theſſ.* 2. non de ipſa perſona Antichriſti, ſed eius corpore, ac ſeſſione in Eccleſia, imò & in ipſam, quaſi eſſet ipſa. Ergo fauet hæreticis contra Papam. *Cap.* 13. Præfert aduentum Eliæ Antichriſto, Iudicium Chriſti Reſurrectioni, & hæc omnia conflagrationi mundi: contra ordinem ſacræ ſcript. & rerum ipſarum inter ſe. *Reſp.* *Ad c.* 7. Non cenſet probabilem, nec fuiſſe vnquam ſuam, niſi de aliqua præſenti beatitudine ſpirituali. *Ad c.* 9. *Regnant*, inquit, *in viuis & mortuis*, ſibi adhuc vnitis charitate.

*Ad Cap.* 19. Imò, *Nulli dubium eſt*, inquit, *de Antichriſto dici, dieq; Iudicij: ſed in quo templo ſit ſeſſurus, incertum eſt.* Vnde improbat ſequentem opinionem: quæ nec eſt niſi de breui tempore ſub finem mundi, nec de futuro vnquam tali defectu ſucceſſionis & Eccleſiæ ad Antichriſtum. Nam Cap. 8. *Ne quis exiſtimet eo paruo tempore in hac terra Eccleſiam non futuram, &c. Credendum eſt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos.* Nec Papa extollit ſe ſupra Deum, nec contra Chriſtum: ſed profitetur ſe eius Vicarium. Nec ſedet in templo Dei vt Idolum, exigens ſibi Latriam: Nec ſedet in templum Dei, gerens ſe pro ipſa Eccleſia: Nec habet vim faciendi ſigna & prodigia, &c.

*Ad cap.* 30. Poteſt irrepſiſſe aliqua horum confuſio in textu B. Aug. Vel præfert mortem Eliæ, fini Antichriſti; inchoatam conuerſionem Iudæorum, eorundem perſecutioni ab Antichriſto; aduentum Chriſti ad Iudicium, Reſurrectioni mortuo-



Digitized by Google

*Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur, &c.* 2. Ex Supplemento *Alenſis in ſua 3. p. q.* 101. 102. De Aureolis. 3. *Ex S. Bon. in* 4. *d.* 33. *a.* 2. *q.* de eiſdem. 4. Ex Supplemento in 3. *p. S. Thomæ q.* 96. 5. Ex Scoto in 4. d. 1. q. 6. *Poteſt dici quòd Aureola virginitatis eſt gaudium accidentale de ſua innocentia, &c. Etſi ergo gaudium eſſentiale eſt de ſummo bono poſitiuo, non eſt tamen inconueniens vltra illud addi gaudium de negatione, &c. Multum enim addit de gaudio, non cecidiſſe, vltra ſurrexiſſe, &c.* Quod gaudium animi non negat, ſed potius exigit aliquod ſignum glorioſum corporis. Quæ facilè applicari poſſunt alijs etiam Aureolis.

## *Obiectiones.*

1. EX ſacra ſcript. *Ioan.* 14. Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis. 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, &c. *Coloſ.* 3. 1. *Ioan.* 3. Cùm apparuerit, &c.

*Reſp.* Ex *p.* 938. Hæc non dici de ſufficientia aut vita æterna futura & beata, aut formaliter beatifica: ſed præſenti & diſpoſitiua. Adde nec de totali, nec de principali. Nec, *Cùm apparuerit, &c.* ſignificat hãc apparitionem aut viſionem eſſe ipſam perfectam beatitudinem: ſed potiùs ad eam referri ſeu ordinari.

2. Ex *B. Aug.* 1. *Retr.* 2. Conſtitit inter nos non eſſe beatam vitam niſi perfectam cognitionẽ Dei. 1. *Solil.* 1. Deus quem videre hoc eſt quod habere. *Quæſt.* 58. *ex* 83. Quid eſt aliud beatè viuere, niſi æternum aliquid cognoſcendo habere? *Lib. 1. De moribus Eccleſiæ c.* 11. Sequimur Deum diligendo: conſequimur verò non cum hoc efficimur omnino quod eſt ipſe; ſed ei proximi, eũque mirifico & intelligibili modo contingentes, eiuſque veritate & ſanctitate penitus illuſtrati atque comprehenſi. *Cap.* 25. Vita æterna eſt totum præmium, &c. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te Deum verum, *Ioan.* 17. Æterna igitur vita eſt ipſa cognitio veritatis. 1. *Trin.* 8. Viſio Dei facie & faciem nobis promittitur, vt actionum omnium finis atque æterna perfectio gaudiorum. *Infra.* Cõtemplatio quippe merces eſt fidei, &c. Probat ex *Ioan.* 14. 17. *&* 1. *Ioan.* 3. *Cap.* 13. Viſio Dei ſola eſt ſummum Bonum noſtrum. *Epiſt.* 57. Beatiſſimi ſunt quibus hoc eſt Deum habere, quod noſſe: ipſa quippe notitia, pleniſſima, veriſſima, fœliciſſima eſt.

*Reſp.* Ex *Tomo noſtro* 2. *in Aug.* *Ad* 1. Non eſt beata vita niſi ſit perfecta cognitio Dei. Vel ſola perfecta cognitio Dei, vt excludit imperfectam, eſt vita beata, ſeu aliquid eius, non autem totum nec ſummum eius. Imò cognitio Dei non eſt perfecta niſi cauſaliter, & finaliter perficiatur ipſa fruitione Dei, ex 1. *Solil.* 7. *Ad* 2. Deum videre eſt quoddam eius habere: ſed necdum tam perfectè, ac fruendo. *Ad* 3. Retractatur 1. *Retr.* 26. Nihil eſſe aliud Deum habere quàm noſſe; referturque ibidem ad perfectiùs habere. *Ad* 4. Sequimur Deum diligendo in hac via & vita: conſequimur verò ſeu attingimus, videndo; ſed vnimur & adhæremus ei fruendo. *Ad* 5. Vita æterna eſt ipſa cognitio Veritatis .i. Cognitio Veritatis eſt ipſa vita æterna, more loquẽdi *B. Aug.* & vt ſupra *ad* 1. Quæ æterna vita viſionis, eſt totum præmium fidei, non charitatis. *Ad* 6. Viſio Dei eſt merces fidei: vt ad eam diſponentis; ſeu purgantis cor; vel fidei per dilectionem operantis; vel quia fruitio eſt potiùs perfectio charitatis viæ quàm eius merces. Ex lib. De vera relig. cap. 47. *Adhæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extra mereatur: ſed cui nihil aliud quàm ipſum hærere Deo, bonum eſt.* Dicitur autem viſio *omnium actionum finis & perfectio gaudiorum* .i. actio finalis & perficiens: non autem ipſe finis perfectus. *Ad* 7. Viſio Dei ſola *eſt ſummum Bonum noſtrum: viſio verò illa Filij hominis, nec bonum erit impijs, nec ſummum bonum iuſtis.* Ergo illa dicitur ſola, & ſummum bonum noſtrum, excluſiuè & comparatiuè ad hanc, non autem ad fruitionem. *Ad* 8. Beatiſſimi ſunt: comparatiuè ad non cognoſcentes, vel non habentes Deum, de quibus ſupra. Nec ſunt Beatiſſimi, quaſi ex hoc ſolo aut ſummo modo habendi Deum. Nec ipſa notitia dicitur eſſe ſumma fœlicitas hominis: ſed inter omnes alias notitias, *fœliciſſima.*

3. Ex ratione. Viſio Dei eſt cauſa fruitionis, ergo perfectior. Nec poſteriora ſunt perfectiora in ratione finis: alioquin gaudium & ſecuritas de æterna viſione & fruitione Dei erit ipſa ſumma beatitudo. *Reſp.* Ex *col.* 938. 939. 940. *Addo,* Viſionem non eſſe cauſam principalem fruitionis, ſed obiectum viſum: imò ipſam fruitionem perficere viſionem; Deũq; perfectiùs amari à Beatis quàm videri. Quia ex 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo per amorem, vnus ſpiritus efficitur cum illo. Nec ſolum in via, ſed & in Patria, *affectus amantis penetrat vbi ſcientia foris ſtat.* Non quaſi aliquid diligatur quod non cognoſcatur: ſed quod perfectiùs diligatur, quàm cognoſcatur. Nam Beati vident Deum inadæquatè, & inæqualiter: ſed omnes fruuntur pluſquam videant; quia confruuntur ſimul Deo, non tantùm vt obiecto, ſed etiam vt adæquatè fruenti ſeipſo.

4. Ex *S. Bon. col.* 923. Quòd Beatitudo formalis ſit influentia Dei in animã. *col.* 924. Quod ſit vna in tribus viribus. Quod fruitio ſit tribus communis, ſed approprietur *Tentioni.* Quod *Linus* æquè gaudeat de bono *Petri,* ac de ſuo: ſed *Petrus* plus de bono Lini, quàm *Linus* ipſe. Quòdque poſt Reſurr. erit maior Beatitudo etiam intenſiuè. *Contra Scotum col.* 936. 938. 939. 446. 447.

*Reſp.* Eſt influentia Dei in animam .i. Operatio noſtra, ſed à Deo vt cauſa principali & obiecto: Eſt vna in tribus: coniunctim, non formaliter. Fruitio eſt trium virium perfectio: dicique poteſt *Tentio* perfecta, ſeu adhæſio obiecto propter ſe. Plus gaudet quis de ſua Beat. quàm aliena, vel alius de ſua: niſi hic ſit illo tanto melior & amantior. Poſſet quis dici Beatior intenſiuè poſt Reſurr. quã antè: non tam formaliter quàm actiuè, ſeu plus intendens. Nec *S. Bon.* id ait niſi vt *S. Aug.* ſupra; Nec *Scotus* contradicit.

QVÆSTIO

Digitized by Google

apparens dubium de vero inferno : nec videtur vnquam dubitaſſe de vero Inferno & igne; ſed de ſolo modo pœnali ſpirituum, An per ſolam imaginationem & nolitionem contriſtantem, vel aliter, ſeu an tantùm obiectiuè, vel etiam cauſaliter. Quod dubium non reuocauit, vt patet ex 21. *Ciu.* 10. De *veris illis ſed miris modis, &c. Lib.*20. *Ciu.*16. non dubitat de vero igne infernali : ſed de eius qualitate, modo, & loco determinato. *Lib.* 21. *Ciu.*9. Videtur confuſio pronominum : vt *propriè* referendum ſit ad corpus & ignem, *tropicè* ad animam & vermem; quia ſubdit, *vel vtrumq; propriè corpori.* Cap. 10. *Cur non dicamus, &c.* excludit potiùs omne dubiũ de vero igne, & modo aliquo puniendi. Nec reuocat ex *Luc.* 10. ſed cauet illi occaſioni dubitandi, ex *Apoc.* 20. *At verò*, inquit. *gehenna illa* Apoc. 20. *corporeus ignis erit, &c* *Cap.* 24. Poſt Reſurr. inquit, per purgationem culparum venialium & pœnarum : non poſt iudicium. Nec ibi aut *Enchir* 112. præbet vllam ſpem mitigationis aut ſuſpenſionis pœnarum æternarum poſt condemnationem & executionem : ſed ante, vel in ipſa condemnatione citra condignum; vel alicuius ſucceſſionis inter varias pœnas, aut fortè ſatiſpaſſionis pro pœnis venialium, vel aliquando remiſſorum, vt Scotus 4. *d.* 21. *q.* 1. Nec S. Aug. præbet vllam ſpem : ſed tolerat, 21. *Ciu.*24. *Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non reſiſto.* Enchir. 112. *Pœnas certis interuallis mitigari exiſtiment, ſi eis placet.* Serm. 113. Non comparat æqualiter, ſed ſimiliter. Subdit enim : *Non quòd ſpiritus defunctorum, ſicut dormientium, neceſſe ſit falli.*

Ad rationes *Reſp.* ex *Alenſi p.* 2. *q.* 116. *S. Bon. in* 2. *d.* 6. *Art.* 2. *In.* 4. *d.* 44. *&* 50. *Scoto in* 4. *d.* 44. 50. Ad torquendos ſpiritus ſuperbos, rebelles, & obſtinatos, loco infimo, obiecto indigno, & ſubdendo eos infimis corporibus. Ad ſignificandam infimo loco, quaſi quandam maximam grauitatem ſeu pondus peccatorum : igne autem infernali, & æterno, ardorem æternum libidinis & pertinaciæ peccandi. Hinc ſacra ſcript. loquitur verè & propriè de inferno & igne, eiuſq; pœna æterna: ſed æquè verè ac propriè, obiectiuè, & moraliter, quàm phyſicè; quia pœna triſtitiæ eſt potiùs ab obiecto vt nolito, quàm ab eo vt aliter agente. De quibus omnibus *Al. p.* 1. *q.* 39. *P.* 2. *q.* 23. 24. 93. 114. 115. 122. *P.* 3. *q.* 30. *S. Bon. & Scotus In* 1. *d.* 40. *In* 2. *d.* 4. 5. 6. *In* 3. *d.* 9.

## QVÆSTIO XIII.

*De praxi & fructu huius Doctrinæ.*

1. AD tuendam, imprimẽdam, & diſcernendã horum fidem ac memoriam ſalutarem: à varijs & curioſis hominum opinionibus. Ne his potiùs moueamur, quàm illis.

2. Ad timorem Dei ſalutarem, ex his motiuis. De quo & eius fructu *Al. p.* 3. *q.* 76. & nos latè ſupra, *à col.* 753. *ad* 772. De Attritione ſalutari ex hoc etiam timore.

3. Ad ſpem & fiduciam Dei ſalutarem, cauendi mala culpæ, & pœnæ æternæ, ac aſſequendi bona æterna, per gratiam & eius vſum præſentem. De qua ſpe & eius fructu, *Al. p.* 3. *q.* 75. & nos latè ſupra à *col.* 753. *ad* 772.

4. Ad charitatem præſentem ac æternam Dei & proximi : contrà odium præſens & æternum.

5. Ad prudentiam & prouidentiam ſalutarem de futuris & æternis, per præſentia & temporalia.

6. Ad Temperantiam circa omnia bona præſentia & temporalia : ex timore malorum, & ſpe ac charitate bonorum æternorum.

7. Ad fortitudinem, conſtantiam, & perſeuerantiam, benè operandi, & patiendi omnia mala præſentia : ex eodem timore malorum, & ſpe ac charitate bonorum æternorum.

8. Ad ſobriè iuſtè, & piè viuendum in hoc ſæculo, expectando beatam ſpem, &c. *Tit.* 2. vt & *Luc.* 12. *Matt.* 24.

9. Ad vſum ſalutarem huius temporis, & cuiuſuis inſtantis ac occaſionis cauendi malum, & operandi bonum &c. *Eccl.* 9. *Gal.* 7. *Pſal.* 36.

10. Ad omnes pios & ſalutares affectus & effectus.

12. Non ad nimium terrorem, triſtitiam, & perturbationem conſcientiæ : ſed ad punctionem, cõpunctionem, & hilarem ac ſalutarem pœnitentiam. Nec ad exanimandos, ſed examinandos, & animãdos puſillanimes, ipſo periculo futurorum, ad certũ ſtudiũ perfectæ charitatis & vitæ præſentis.

Vt patet ex ſacris Script. ad hæc omnia & ſingula accommodatis. *Deut.* 34. Vtinam ſaperẽt & intelligerent, ac Nouiſſima prouiderent. *Eccl.* 7. Memorare Nouiſſima tua; & in æternum non peccabis .i. mortaliter. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, &c. *Sap.* 12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos. *Pſal.* 41. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei, &c. 2. *Reg.* 24. Melius eſt incidere in manus Dei, quàm in manus hominum. ] Alia enim ſunt iudicia Dei, etiam pro nobis : quàm hominum contra ſe inuicem. *Luc.* 21. Nolite terreri, &c. 2. *Theſſ.* 2. Non terreamini, &c. 1. *Cap.* 2. Non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent, &c. ſupra ad ſingulas Quæſt.

Patet etiam ex SS. Patribus. Vt *S. Cypr. lib.* De mortalitate ſeu contagione illius temporis. *Cuidam de appropinquante morte ſollicito aſtitit iuuenis aſpectu diuinus, indignantis inſtar dicens : Pati non vultis, exire formidatis, quid faciam vobis?* S. Ambr. libro de bono Mortis cap. 4. *Quod ſit ſaltem finis peccandi.* Cap. 6. *Grauius eſt ad peccatum viuere, quàm in peccato mori.* Cap. 11. *Ab hinc induamus hoc ſtudium, vt appropinquet anima noſtra Deo.* S. Paulino ad S. Aug. Epiſt. 249. *Quæ poſt Reſur. futura ſit actio noſtra tu me interrogare dignatus es : at ego de præſenti vitæ meæ ſtatu conſulo. Doceas me facere voluntates Dei, & mortem Euangelicã prãmori, qua carnalem reſolutionem voluntario præueniamus exceſſu.* S. Aug. Epiſt. 250. ad S. Paul. *Multùm approbo ſententiam tuam : de huius vitæ ſtatu agendum, vel potiùs curſu quàm ſtatu.* Epiſt. 80. *Qualis quiſq; moritur, talis in nouiſſimo die iudicabitur, &c.* Epiſt. 45. *Dum volunt paulò diutius viuere, offendunt Deum apud quem eſt fons vitæ.* Epiſt. 116. ad ſuum Nebridium. *Profectiones per totam vitam cogitare, non eſt hominis de illa vltima quæ mors dicitur cogitantis. De qua vel ſola intelligis*

*verè eſſe cogitandum.* Infra. *De familiaritate ineunda cum morte.* lib. 1. Ciu. 11. *Quos fames necauit, malis huius vitæ eripuit. Scio neminem tunc mortuum fuiſſe, qui non erat moriturus. Finis vitæ tam longam quàm breuem vitam idem facit, &c. An non ſatius ſit vnam mortem perpeti moriendo, quàm omnes timere viuendo?* In Pſal. 36. *Recole annos ab Adam, &c. ſi toto illo tempore vixiſſes, videres illam vitam non fuiſſe diuturnam quæ ſic euolaſſet. Longè ſit dies vltimus omnium: certè tuus longè abeſſe non poteſt. Qualis exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ.* Tract. 9. in 1. Ioan. 4. *Sunt homines qui cum patientia moriuntur: ſunt autem quidam perfecti qui cum patientia viuunt.*

QVÆST. 17. in Matt. *Fruſtra dicunt quidam ideo ſe nolle mori, vt proficiant: cùm ipſe profectus eorum in eò ſit vt mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant ideo mori nolo vt proficiam, ſed quia parum profeci. Itaq; mori nolle fidelibus non conſilium eſt vt proficiant: ſed indicium quod parum profecerint. Proinde quòd nolunt vt perfecti ſint: velint, & perfecti ſunt.* Poſſidius in vita S. Aug. refert aliquot ſententias quas recolebat. 1. Erat illa S. Cypr. 2. S. Ambr. moribundi: *Non ſic vixi vt pudeat me inter vos viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* 3. Cuiuſdam Epiſcopi ſibi familiariſſimi. *Si nunquam, benè: ſi aliquando, cur non modo?* 4. Cuiuſdam alterius in vaſtatione Wandalica. *Non eſt mirum quòd ligna & lapides cadant, & mortales moriantur.* S. Hilarion: *Egredere anima mea, 70. annis ſeruiſti Chriſto, & mortem times?* S. Franciſcus: *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum tibi: me expectant iuſti donec retribuas mihi.*

Sed Chriſtus ſuo tædio, timore, & triſtitia vſque ad mortem, *Matt.* 26. nobis meruit & diſtribuit varias gratias, & praxes ſalutares viuendi & moriendi: quibus tota hæc doctrina, vt practica præſentium ad futura, pro cuiuſque captu & motu ſubſeruiat. 1. Vt 1. Cor. 7. *Reliquum eſt, vt qui habent vxores tanquam non habentes ſint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudẽtes, &c. præterit enim figura huius mundi.* Cùm enim ſimus omnes mortales & rei mortis: non tam eſt nobis viuendum, quàm quotidiè, & continuò, per varias huius vitæ pœnas purgatorias & ſatisfactorias moriendum, imò & affectu iuſtitiæ & charitatis, *morte fortioris*, præmoriendum; vtendo interim, vt ſolent Rei morti proximi, neceſſarijs ſaluti corporis & animi; non tam ad vires viuendi, quàm ſalubriter moriendi. 2. Vt 1. *Cor.* 11. *Si noſipſos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Cùm enim Deus ſingulos actus noſtros iudicet in nobis, non ſupra, ſed ad captum conſcientiæ noſtræ: cur non præueniamus futurum iudicium Dei, iudicio præſenti conſcientiæ ad ſingulos actus, & poſt iudicio ſacramentali? 3. Vt Pſal. 54. *Deſcendant in infernum viuentes.* Non tam memoriâ, quâm experientiâ propria, & horrore ignis concupiſcentiæ infernalis in nobis, ad varios ſimiles motus? 4. Vt Pſal. 23. *Guſtate & videte, &c.* Cur non prægustemus, odoremus, ſeu intellectu & affectu ſæpè experiamur in nobis quædam præludia Beatitudinis, cum *B. Aug.* 7. & 10. *Conf.* præſtolando ad portam donec dicatur, *Intra in gaudium Domini tui.* Sed quia nil intrat coinquinatum, *Apoc.* 21. Cur non affectemus ipſum etiam futurum Purgatoriũ: ad ſtatum Deo propinquiorem, & ad perfectiorem Attritionem & Contritionem peccatorum, ex perfectiore cognitione, ac experientia ſingulorum motiuorum? Quorum primum & vltimum, principium & finis, Alpha & Omega huius noſtri quaſi Alphabeti, ſeu potiùs Ignorantiæ quàm Doctrinæ noſtræ, ſit Gloria extrinſeca & intrinſeca Dei, ſeu Deus ipſe. AMEN.

*FINIS.*

Digitized by Google

1003

# EPILOGVS.

QVo, non vt Gallus mihi ipſi victoriam accino, nec vt Gallina quaſi ouans ſeu ouo parto crocito, nec vt Pauo caudá erigo, nec vt Scorpio caudâ pungo: ſed vt Caniculus odoratâ & inueſtigatâ Maiorum noſtrorum ſemitâ, eam oculis & pedibus Eccleſiæ, omniumque tranſeuntium ſubſterno; ad complanandum, & corrigendum quicquid in ea aſcenſu arduum, deſcenſu profundum, inceſſu aſperum, necdumque curribus & equitibus .i. animalioribus ſeu rudioribus peruium eſt.

Vtque ad hanc Maiorum noſtrorum ſemitam plurimos Inuitem: ad præfationem totius Operis de noſtris Doctoribus, ſuppleo: Perſonam & Doctrinam *Alenſis* tantæ famæ fuiſſe; vt teſte *Sixto Senenſi*, meruerit titulum publicum FONTIS VITÆ, necdum in ipſo Deo, ſed *apud Deum, Pſal. 35.*

Quem *Fontem vitæ* & Doctrinæ, *S. Bon.* tam abundè imbibit: vt hoc teſtimonio *Magiſtri* ſui dignus fuerit: *Non videtur Adam in iſto homine peccaſſe* .i. ex vlla ignorantia, vel malitia pœnali.

Sed & *Scotus*, & totus Ordo Seraphicus, hoc eodem *Fonte* perenni, ex ſingulari Dei prouidentia irrigatus, & imbutus fuit. Cùm enim *Alenſis* eſſet tantæ perfectionis: vt ſicut *S. Franciſcus* vouerat ſe nihil vlli amore Chriſti petenti negaturum; ſic & hic amore *B. Mariæ Virginis.* Vt tamen ille Fons eius intra ſtatum alicuius Ordinis Religioſi ſecuriùs flueret: ſtatuerat ſe in aliquo ſiſtere. Sed dum hinc inde à prudentioribus ad ſuum Ordinem ſollicitaretur: rogatus amore *B. Mariæ Virginis*, à quodam Franciſcano humiliter ad portam eius mendicante; non ſolùm ei panem, ſed & ſeipſum ſuumque Fontem vitæ & ſapientiæ vnica incomparabili eleemoſyna huic Ordini largitus eſt. Deo vtique prouidente: vt huius Ordinis humilis & pauperis ſcientia, eſſet precaria ſeu mendicata, ne inflaret; cùm ſit fructus humilis & pauperis mendicationis, amore *B. Mariæ Virginis.*

Sed ne hæc opera noſtra ſolitis inſidijs, calumnijs, & cenſuris hominum, priùs & potiùs inuidentium, quàm in videntium, pateat, *Eccli. 4.* Vt *S. Hier. prologo ſuo galeato*; ſic & nos eam hoc Epilogo quaſi à dorſo muniamus, ipſâ noſtrâ *Præfatione*, & *Abſolutione* ſeu Reſponſione finali ad varias hominum cenſuras in noſtram Anatomiā ſeu Commentarium totius Doctrinæ Auguſtinianæ.

*Cenſura 1. Imperitorum:* Quòd hoc Opus non ſit ſatis elegantis typographiæ, chartę, frontiſpicij. *Reſp.* Ex ipſo *B. Aug.* Lib. de ordine prouid. *c. 11. Non valde curo ſuperborum imperitorumq́ iudicia: qui in legendos libros, vt in ſalutandos homines irruunt. Non enim cogitant quales ipſi, ſed qualibus induti veſtibus ſint, &c.* Fulgeant itaque aliorum Opera, & exhibeant Frontiſpicia elegantiora, quæ ſpondeant mira penetralia: nobis non ſit probro, nec doctrinæ præiudicio paupertas noſtra.

*Cenſ. 2. Literionum:* Quòd huius Operis dictio non ſit ſatis clara & fluida, ſed nimis parca, confuſa, &c. *Reſp.* Ex altitudine & profunditate materiæ, ſupra omnem captum Literionum, & rudiorum: quibus in mente nec micat obiectum, nec ſcintillat ingenium; ſed effluit aut influit ſolum eloquium.

*Cenſ. 3. Criticorum:* Quòd non ſit *Minorum*, nec tam pauperum, libris editis, & tantis ſumptibus docere, vel negotiari. *Reſp.* Vt in *Praf.* ex *S. Bon.* Ad Magiſtrum innominatum. *Quis ſanæ mentis dicat, quòd Magiſter Alenſis quando erat diues debuerit docere,* Beati pauperes ſpiritu; *& pauper effectus, debuerit reticere?* 2. Ex Teſtam. S. Franciſci. *Omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis Sanctiſſima Verba Diuina debemus honorare & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam.* 3. Ex Regula cap. 3. *De mercede laboris pro ſe & ſuis Fratribus corporis neceſſaria recipiant, præter denarios vel pecuniam.* 4. Ex declaratione *Nicolai 3. Art. 4.* quæ ſumptus ſcribendi & emendi libros cenſet noſtro ſtatui æquè licitos & neceſſarios, ac emendi pannos, ædificandi Eccleſias, prouidendi infirmis. 5. Ex *Sap. 7. Omne aurum in comparatione ſapientiæ arena eſt exigua.*

Non ſumus ergo, nec ſimus Minores vel pauperes in diſcendo & docendo ſalutaria: nec in parcendo vllis ſumptibus neceſſarijs ad ſpiritualia; nec vlli honeſto labori ſpirituali & corporali, ad merenda huius vitæ neceſſaria. Quid autem honeſtius librorum compoſitione, editione, compactione, communicatione: ex voluntaria ho-

rum

Digitized by Google

rum ſumptuum oblatione, vel aliarum expenſarum propriarum parcimonia; abſq; vllà importunitate, obligatione, pretij exactione, vel negotiationis ymbra? Prout quæcumq; ex [illegible] Typographiola prodeunt, noſtro labore, ſpirituali, & Fratrum manuali.

[illegible] Quòd hoc Opus agat de Gratia, & libero Arbitrio, varijſque Propoſitionibus inhibitis à *Pio 5. Greg. 13. Paulo 5. Vrbano 8. Ne quidem ſub prætextu commentandi S. [illegible]um, vel quemlibet alium Doctorem, nec quauis alia occaſione. Reſp.* Non inhibetur, [illegible] agatur contra illas Prop. vt meritò cenſuratas, & pro earum cenſuris, vt veris & æquis: quod nos toto opere agimus; ſed ne pro illis, & contra earum cenſuras. Nec inhibetur doctrina Dogmatica & Catechiſtica, neceſſaria ad fidem, & verum ſenſum communem ſacræ Script. Conc. & Eccleſiæ, de Gratia & libero Arb. contra omnes hæreſes, & errores expreſſos; ſed inhibetur ſola doctrina erronea, cenſurata, & contentioſa ac incerta inter Catholicos. *Ne quidem ſub vllo prætextu, aut occaſione* .i. agendi contra legem: commentando ſeu interpretando aliquem S. Patrem aut Doctorem in ſenſum contentioſum, non autem in ſenſum certum & communem Eccleſiæ. Nos autem nec agimus pro, nec contra vllam opinionem contentioſam inter Catholicos: nec pro vel contra, vllo prætextu vel occaſione, interpretamur. Sed tradimus ſolam Doctrinam & ſenſum certum ac communem Eccleſiæ: eumque contra omnes hæreticos & aberrantes tuemur; referendo & interpretando ſacras Scrip. Concilia, Patres, & omnes Doctores Catholicos, in eundem ſenſum certum & communem Eccleſiæ. Vt in noſtro Commentario totius Doctrinæ Auguſtinianæ, etiam de Gratia & libero Arb. contra ſolas hæreſes & opiniones expreſsè cenſuratas. Qui cùm fuerit Romæ examinatus, oblatus, & à S.D.N. *Innoc. 10.* gratioſè exceptus ac approbatus: eadem Doctrina, eodē modo & fine in hoc Opere reſumpta, non poteſt cenſeri inhibita.

Nec obſtat, ſed potiùs fauet noſter Commentarius in *S. Bern.* de Gratia & libero Arb. contra quendam *Ranutium, Tomo 1. p. 2.* Quia cùm hic Anonymus vel Pſeudonymus, acriter improbaſſet illum noſtrum Commentarium *S. Aug.* oppoſuiſſetque ſuum Commentum *S. Bern.* de Gratia & libero Arb. contra Doctrinā & ſenſum expreſſum fidei ac Eccleſiæ: corrigendo eius Commentum, non contendi cum eo vt Theologo Catholico, nec de vlla opinione probabili; ſed vt contra aliquem ignotum & ſuſpectū, *S. Bernardi* corr[illegible]torem, & hæreſum ac errorum inter acriores contentiones Theologicas, fateor, [illegible]; vel ex aliqua impoſtura hæretica, vel ex ignorantia ipſius opinionis pro qua commentabatur. Cùm nullus illius opinionis, eius commentum approbet: ſed omnes abſolutè improbent; vel illud excuſando, in ſenſu aliquo intento, hoc ipſo accuſent in ſenſu expreſſo. De quo ſolo Eccleſia iudicat: ſoloſque antiquos Patres, & celebres ac bene meritos Authores, in aliquo vero ſenſu intento meritoque præſumendo excuſat; [illegible] recentes Anonymos, ex intento aut præſumendo potiùs ſenſu prauo, iure meritò [illegible]probat.

Qua occaſione edidi *Veronicam S. Bernardi*, ab Ordinario & Primarijs Doctoribus Duacenſibus approbatam: ad abſtergendam eius faciem ſeu ſuperficiem Doctrinæ ab omnibus maculis quibus à *Ranutio* & alijs inficitur. De quibus ſingulis *Tomo 1. parte 2. à col. 456. Tomo 2. parte 3. à col. 459. & à 599.*

Eadem occaſione pleroſque SS. Patrum ad ſingulas Quæſt. retuli: & in dubijs aut difficilioribus, ad ſenſum Eccleſiæ, ſaltem paraphraſticè, interpretatus ſum.

A citandis tamen pro & contra, Doctoribus Scholaſticis, eorumque contentionibus inhibitis, ſtudioſiſſimè caui. Quid horum oculo ſincero videri poteſt inhibitū?

Ne tamen inde Authores noſtri videatur habere paucos celebres Diſcipulos: vt *Eliſæus 4. Reg. 6.* animauit ſuum puerum ſeu famulum oſtendendo ei plures pro, quàm contra ſe; ſic & nos, ex *Trithemio*, noſtriſq; *VVillotio*, & *VVadingo*, ſi non plures & potiores, ſaltem pares Magiſtros ac Diſcipulos noſtræ, quàm vllius Scholæ Theologicæ, toto Chriſtiano orbe. Præter quos nouiſſimè ab India Occidentali huc vſque emicuit: ſed ad ſolas aures meas reſonuit, *F. Idelphonſus Bezanus*, de Doctrina Theologica *Alenſis, S. Bon. & Scoti*; eodem quaſi nobiſcum fine, ſed necdumſcio quo modo, quo ſenſu, quo conſenſu. Ad quem ſufficit, ex quauis diſtantia, quamuis diſtinctis radijs velut ſagittis, ab eundem Veritatis ſcopum, eodem ſtudio & affectu collimare.

Digitized by Google

5-2

LEGATORIA A. VANDIMIGLIO - ROMA

Digitized by Google